BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
26 — F
12 M

~~AA. III. 44~~
B. III. 33.
99. V

[illegible]

[illegible]



Collegij Rom. Clericorum regul. S. Pauli in col.ª 1614.

Digitized by Google

BEATISSIMO, SANCTISSIMOQVE PATRI, AC DOMINO D. N. PAVLO V. PONTIFICI MAXIMO

BENEDICTVS IVSTINIANVS.

BEATI Apoſtoli Pauli Epiſtolas, quas iam inde ab initio, cùm vix lucem aſpexiſſent, miro præconio Petrus Apoſtolorum princeps celebrauit; poſt clariſsima Eccleſiæ lumina, quorum doctrina, atque eruditione illuſtratæ ſplendeſcunt, vt ætate ſic ingenio, diuinarúmque rerum cognitione poſtremus vtcumque explanandas ſuſcepi, PATER BEATISSIME, auſo fortaſſe ſi non temerario, meis certè viribus longè impari, verendum vt ſit, ne mero meridie lucernam videat prætuliſſe. Sed ingenuè dicam quod res eſt. Pauca quædam mihi priuatim ſcripſeram, vt Apoſtoli ſenſa, quæ præſertim Chriſtianæ vitæ præcepta, legéſque continent, faciliùs mente complecterer, quò mihi, & aliis vſui eſſe poſſent in tempore. Quamuis autem ea mihi non omni ex parte ſatisfacerent; viſa tamen ſunt aliis non indigna, quæ in hominum aſpectum proditent, & in ampliſsimum illuſtrium ſcriptorum veluti ſenatum tenues, ac penè ieiuni commentarij, quaſi minorum gentium patritij, vel ſiquis malit etiam proletatij cooptarentur. Quæ cauſa fuit P. B. vt ſingulari tua humanitate confiſus, qua iſtud excelſum cœleſtis, planéque diuinæ poteſtatis, ac dignitatis faſtigium ad infimos quoſque benignè inclinas, tuíque omnibus copiam humaniſsimè facis; ad tuæ beatitudinis patrocinium confugiendum mihi exiſtimarim, vt hoc quidquid eſt à tenuitate mea (non enim dicam mediocritate) profectum; auguſtiſsimi nominis, atque auctoritatis tuæ ſplendore veluti irradiatum ſi non cum dignitate, at non penitus abiectum in iſta hominum luce verſetur. Fateor, ſi hos meos qualeſcumque conatus reſpicias, nihil habere me tuo nomine, ac Pontificia celſitudine dignum, quod tibi more maiorum ſolemnibus verbis libens donem, dicem, dedicémque, ſed potiùs quod te ſupplex etiam, atque etiam rogem, vt hunc quamuis rudem, ac penè dicam informem ingenij

 mei

Digitized by Google

mei fœtum tuo complexu benignè foueas, vt quantum ei tenuitas mea detrahit, tantum illi, & eo longè amplius ex iſta tua humana fide maiore maieſtate accedat ornamenti. Sed ſi Paulum Apoſtolum ſpectes, gemina tibi ratione & qua Paulus, & qua Apoſtolus cognominem, nonnihil fortaſſe reperies te non omnino indignum: addo etiam eiuſmodi, vt iure poſsis ſecundùm ſeruitutem vindicias poſtulare; eccui enim potiùs ſcripta Apoſtolica debeantur, quàm ei, qui ſupremæ ſedi Apoſtolicæ præeſt? eccui gentium Apoſtoli diuina oracula meliùs inſcribantur, quàm ei, cui omnium gentium, ac nationum cura credita eſt ab eo, qui omnium mortalium ſalutem in
Ecclеſ.12. cruce moriens ſuo ſanguine peperit? *Verba ſapientum ſunt tamquam ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi* (ſcripſit olim Salomon) *quæ per ma-*
Lib.24. Mor. cap.22. *giſtrorum conſilium data ſunt à paſtore vno.* Verba quippe Apoſtolorum beatiſsimo Gregorio interprete non aliter, ac ſtimuli, aut claui vitia acriter pungunt: quod egregiè Paulus ſuis Epiſtolis præſtat, ſiue dum iram, iuſtúmque Dei ſupplicium minatur, ſiue dum peccantes vehementiùs obiurgat, ſiue dum ſontes iuſto ſupplicio damnat. Quæ Præſidis Eccleſiaſtici, ac potiſsimùm ſupremi præcipua eſſe munera, Chriſtus ipſe docuit, qui ampliſsimum illi imperium in omnes Chriſti fideles conceſsit. Tu P. B. illud Apoſtoli iure potes
1. ad Cor. 6. 12. vſurpare: *Omnia mihi licent*, quamuis *non omnia expediant.* Tuas potiſ-
2. ad Cor. 11. 28. ſimùm partes attingunt illa: *Solicitudo omnium Eccleſiarum.* Omnis denique Apoſtolica doctrina tuo præcipuè muneri congruit, qui Romanæ Eccleſiæ, & Apoſtolicæ ſedis gubernacula tenes, quæ eſt mater, & magiſtra omnium Eccleſiarum. Ad te quippe verum, ac legitimum Petri ſucceſſorem, Chriſtíque in orbe terrarum Vicarium eiuſdem Petri priuilegium pertinet, qui, vt ait S. Leo Pontifex,
Ser. 3. de anniuerſ. ſuæ aſſumpt. *de toto mundo vnus eligitur, qui & vniuerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ patribus præponatur, vt quamuis in populo Dei multi ſacerdotes ſint, multique paſtores: omnes tamen propriè regat Petrus quos principaliter regit & Chriſtus.* In iſta ſanè Petri Apoſtoli ſede, vt
Ser. 2. de anniuerſ. ſuæ aſſumptionis. idem beatiſsimus Leo teſtatur, *illius viuit poteſtas, excellit auctoritas, & dignitas in hærede*, ac ſucceſſore *non deficit; ſoliditas enim illius fidei, quæ in Apoſtolorum principe eſt laudata, perpetua eſt: & ſicut permanet quod in Chriſto Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Chriſtus inſtituit. Manet ergo diſpoſitio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine petræ perſeuerans, ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reliquit.* Quamobrem cùm omnibus gentibus, ac nationibus Apoſtolica auctoritate præſis; gentium Apoſtolum vberiùs aliquantò loquentem non grauatè audies, in quo & muneris tui præcipuas partes agnoſces, Deóque immortali pro collatis in te beneficiis gratias ages, à quo non modò ampliſsimam dignitatem, ſed ipſius etiam dignitatis ornamenta percepiſti. Cùm primum enim ad rempublicam acceſsiſti, præcipuis magiſtratibus, atque honoribus perfunctus, priuſquam in auguſtiſ-
ſimum

ſimum Purpuratorum Patrum collegium incredibili omnium gratulatione adoptarere;ſummo iſto Apoſtolatus culmine omnium prędicatione dignisſimus cenſebatis: quod euentus poſtea comprobauit, cùm miro ſacri Senatus conſenſu, ingenti bonorum omnium approbatione, totius Chriſtiani orbis lætitia Romanus Pontifex renunciatus es. Quo in munere planè oſtendis præclara illa virtutum, præcipuéque pietatis in Deum, ac religionis ſemina, quæ priſtino vitæ curſu per omnes honorum gradus à te iacta fuerant; huius pacis,ac tranquillitatis, humanæ demum fœlicitatis, qua te Pontifice fruimur, vberrimam veluti ſegetem peperiſſe. Quid verò neceſſe eſt verbis extollere religioſam magnificentiam tuam, qua ſacras Ædes pluſquam regio ſumptu à fundamentis extruis, vt quæ Baſilicæ ſeu Virginis Deiparæ, ſeu Petri Apoſtolorum principis memoriæ dicatæ toto Chriſtiano orbe celebrantur; ipſo etiam externo cultu,ornatúque marmoreis cruſtis, ingentibus columnis, ac ſignis miro artificio inciſis vndique confluentium Chriſtianorum animos ſimul religione, ſimul etiam admiratione ad pietatem, diuinarúmque rerum amorem inflamment? Mitto alia penè ſexcenta, quæ tuum iſtum Pontificatum illuſtrant, quæque te legitimum Apoſtolorum ſucceſſorem, & Apoſtolicis planè virtutibus lenitate, manſuetudine, facilitate, pietatis ac religionis ſtudio in primis ornatum declarant vſque eò, vt quod olim de Tito Romano Imperatore prædicatum accepimus, de te ſi quis vſurpet, non ſolùm verè, ſed magna etiam cum laude PAVLVM Quintum orbis terræ delicias appellare queat. Neque verò prætereundum eſt,quod ad vnum omnes agnoſcimus, & libenter prædicamus, communi totius ordinis, ac ſocietatis noſtræ nomine tibi propè omnia iure deberi, quæ à nobis, diuino annuente Numine, ſiue ad aliorum vtilitatem, ſiue ad Eccleſiæ obſequium,Deíque Opt.Max.gloriam prodeunt, quandoquidem iam inde ab initio Pontificatus tui religionem noſtram peramanter complexus ampliſsimis priuilegiis reſtitutis, confirmatíſque incredibiliter ornaſti: & non ità pridem ipſius auctorem Ignatium in beatorum album relatum cœleſtibus, ac diuinis honoribus magna omnium ordinum,omniúmque nationum gratulatione decoraſti. Quibus omnibus ad ea iura,quibus ſedi Apoſtolicæ ſanctè obſtringimur vniuerſi, tanta facta eſt acceſsio, vt ſi cætera deeſſent omnia;tuis tamē vnius beneficiis deuincti tibi, ac ſucceſſoribus tuis perpetuò obnoxij degeremus. Adde(ſi per humanitatem tuam licet) priuatam obſeruantiam in te meam, atque obſequendi voluntatem,quam ab eo tempore animo conceperam, cùm iuſſu Clementis Octaui optimi, ſapientiſsimíque Pontificis ſacræ Pœnitentiariæ Apoſtolicæ theologicam operam nauare cœpi: nam cùm tu in eo collegio quamuis alioqui ornatiſsimo atque ampliſsimo magiſtratui præeſſes vnà cum cæteris collegis proximus à primo conſideres;dici

Google

vix poteſt quantópere me tibi tua ſingularis humanitas, eruditio, prudentia, moderatióque deuinxerint, vt iam tum auguraretur animus cætera omnia, quæ non ita multò pòſt conſecuta ſunt, purpuram, & thiaram. Itaque cum moderatorum meorum auctoritate has meas in Apoſtoli Pauli Epiſtolas explanationes in lucem edere cogitaui; tu mihi vnus P. B. in mentem veniſti, cuius nomini hunc primum tomum inſcriberem, qui tibi præter ea, quæ antea commemoraui, hoc etiam nomine iure deberi videbatur, quod cum initio ſtatim Epiſtolam ad Romanos complectatur; ciui, ac Pontifici Romano mirabiliter congruit. Accipe igitur qua ſoles hilaritate hoc qualecumque non dicam munus, ac ne obſequium quidem, ſed propenſæ, ac penitus tibi addictæ voluntatis meæ publicum teſtimonium: ego contrà, quod mihi reſtat vnum, tibi omnia fauſta, ac fœlicia ab immortali Deo precari non deſiſtam, quoad viuam.

LECTORI

Digitized by Google

LECTORI SVO.

QVEMADMODVM olim *Homerum poëtarum principem tanti fecit antiquitas, vt ex illo, tanquàm ex Oceano flumina, omnem manaſſe philoſophiam haud ſanè temere exiſtimarit: ita nos à Paulo Apoſtolo verè poſſumus affirmare non modò omnia propemodum Catholicę fidei dogmata, ſed morum pręcepta, honeſtaque vitę inſtituta totam pene eccleſiaſticam diſciplinam, omnem denique Chriſtianam theologiam prodiiſſe. Quocirca in infinita fere explanatorum multitudine aliud alij ſecuti ſunt: & nonnulli quidem germanum, ac proprium, &, vt ita dicam, purum, ac putum verborum ſenſum aſſecuti ſunt: alij morum pręcepta vberiùs explicuerunt: non pauci eccleſiaſticam diſciplinam ornandam, atque illuſtrandam ſuſceperunt: quidam fidei dogmata aduerſus hęreticos defendenda, confirmandáque ſumpſerunt: plerique theologica decreta ab eius veluti perenni fonte hauſerunt: fuerunt denique qui hęc omnia (quàm fœlici conatu non dico) complexi ſunt. Ego ſi me putem cum iis aliqua ex parte conferendum eſſe, amens ſim: ſi me ſperem meliùs aliquid, aut limatiùs allaturum, etiam arrogans. Cur igitur ſcribo? dicam aperte, & dicam verè, vt ſcripturienti ſęculo morem geram, eodem ſiue œſtro percitus, ſiue aſtu abreptus, & interim Diogenem imiter, qui cùm in ſumma vrbis trepidatione cunctos ad arma confugere, próque patria pugnam capeſſere animaduerteret; ipſe in ſuo doliolo ſedulò ſeſe agitabat, ne ſolus videlicet in tanta omnium ſolicitudine otiari, nihilque omnino agere videretur. Scripſi igitur, ſed priuatim mihi, idque potiſſimùm conatus ſum: vt non quidem ex omnibus, quod erat propè infiniti laboris, ſed pręteritis recentioribus ex antiquis, ac probatis auctoribus legitimum Pauli ſenſum eruerem, & breui admodum paraphraſi explicarem. an aſſecutus ſim, viderint alij, ſecutum me certè non inficior. Adeo verò nullius prorſus ſententia pręiudicatum volui, vt plerumque ipſa Apoſtoli quamuis ambigua verba retinuerim, alias plures explicationes indicauerim, nihilque omnino addiderim, quod ab Apoſtoli ſententia vel tantillùm abhorreret: ita factum eſt, vt pleriſque videri poſſit nimis fortaſſe breuis, ac propterea aliquanto etiam obſcurior. Itaque addidi poſtea amicorum rogatu vberiorem explanationem, in qua ea potiſſimùm collegi, quę Apoſtoli ſententiam illuſtrare poſſe videbantur, & nonnullam theologo non indignam eruditionem continerent: morum pręcepta tantùm non penitus neglexi, theologica decreta paucis delibaui, fidei dogmata vberiùs, atque ſubtiliùs aliis enucleanda reliqui, qui quotidie in arena cum hęreticis decertant, & ipſorum cauillos, & ſophiſmata penitus norunt. cùm enim mihi hęreticorum libros legere nefas eſſet, neque ſi à ſupremis fidei cenſoribus facta eſſet poteſtas, tanta eorum copia ſuppeteret, quanta foret neceſſaria. ſatius eſſe duxi pleraque non attingere, quam non pro dignitate explicare. Pauca igitur quędam*

in diſputationibus excutienda ſuſcepi, quæ à me olim in ſcholis theologicis partim in Gallia, partim in Italia pro rerum opportunitate fuerant agitata. Verùm ne longiores diſputationes ſeriem explanationis interrumperent, & lectorem morarentur, atque ad alia properantem vel inuitum detinerent, vel à lectione reuocarent; eas in proprium volumen ſepoſui, quod Deo bene iuuante, proximè ſubſequetur. Interdum, ſed admodum tamen rarò, vberiorem aliquam quæſtionem interſerui, tum vt ieiuniorem aliquem locum adhibito veluti emblemate exornarem, tum vt diſputationum ſpecimen aliquod præberem. Videbuntur fortaſſe hæc noſtratibus ſuperuacanea, exteris quibus præſertim cum hæreticis quotidie dimicandum eſt, vulgaria, & decantata: ſed meminerint ad tabernaculum olim Dei iuſſu conſtruendum non ſolùm illorum munera fuiſſe probata, qui aurum, argentum, purpuram, byſſum, coccúmque contulerant, ſed illos etiam ſua laude non caruiſſe, qui cilicia, & caprarum pilos vltrò, ac ſponte obtulerant: poſſem & viduam ex Euangelio proferre, quæ cùm duo tantùm minuta in gazophylacium conieciſſet, Chriſti Domini ſententia plus cæteris omnibus viſa eſt elargita. Verùm non tantum mihi ſumo, neque id expeto, vt hæc mea qualiacumque ſcripta cæterorum laboribus præferantur, ac ne æquentur quidem, ſed ſatis habeo, ſi quaſi ſaga cilicina eccleſiaſtico tabernaculo contegendo vſui eſſe queant. Porrò in epiſtola ad Romanos loca quædam obſcuriora videbuntur fortaſſe ieiuniùs tractata, quàm res ipſa poſtulat, ſed id à me eo conſilio factum eſt, vt eorum locorum vberiorem explanationem in diſputationes reiicerem: ne autem bis eadem iteranda eſſent, ea tantùm breuiter perſtrinxi, quæ citra culpam præteriri non poſſe videbantur. Auctorum porrò ſententias, ſuis ipſorum verbis à me ſæpiùs poſitas ſi quis fortè miretur, huius quoque conſilij mei rationem accipiat. Videbam nonnullos in aliorum percenſendis ſententiis multifariam peccare, vel quòd eas perperam acciperent, & ſecus exponerent, quàm rei veritas poſtularet, vel quòd dum breuiùs, aut copioſiùs explicant, quædam vel adderent, vel detraherent, quæ non leuem mutationem afferrent, vel deniq; ſuis primùm, mox auctorum verbis idem bis, vel etiam non rarò ſæpiùs non ſine legentis faſtidio inculcarēt, vt ſua tantùm denſare volumina nihil præterea voluiſſe viderentur. Hæc ſanè incommoda vt vitarem, melius eſſe iudicaui ipſa auctorum verba ponere, vt quid ipſi ſentirent, per ſe lector agnoſceret, vnáque videret, an ego auctorum mentem eſſem aſſequutus: quo factum eſt, vt interdum neceſſe fuerit bene longas auctorum ſententias exſcribere. Si quis verò quærat, cur Græcorum auctorum teſtimonia non propriis ipſorum, ſed Latinorum interpretum verbis protulerim, paucis huic ego reſpondeo. Tametſi enim non ignorabam magnam vim in ipſius auctoris verbis plerumque ineſſe, quæ Latinis vocibus non ſatis commodè explicari queat; illud tamen apparebat incommodi, quod cùm ſæpe ex Græcis explanatoribus multa mutuanda eſſent, ſi ipſa Græca verba ſolùm ponerentur, moleſtum id minùs in ea lingua verſatis futurum videretur: ſi verò Latina interpretatio ſubiicienda foret, in immenſum propemodum volumen excreſceret, nec defuiſſet fortaſſe, qui non ſcripſiſſe me, ſed exſcripſiſſe ſanctè deieraret. Ita igitur interpretum fidem ſecutus ſum, vt ſi quid ſecus auctoris verba ſignificare viderentur, ea de re

ſenten

ſententiam indicarem meam: quo factum eſt, vt aliquando non eadem prorſus interpretum verba deſcribenda fuerint, cùm aliud quidpiam auctorem voluiſſe exiſtimaui. feci id neque frequenter, & parcè: vtrùm profecerim, docti viderint, id me certè ſecutum præmeſcro, quod optimum iudicaui. Nimius, credo, nonnunquam videbor multis, qui mira quadam fœlicitate breuitatem cum perſpicuitate coniungunt: alij plura etiam requirent, qui nihil probare poſſunt, niſi quod ſit omni doctrinarum genere refertum, & veluti in conuiuiis tantùm cœnas dubias amant. Sed vt ingenuè fatear, cùm vtrique mihi extrema ſequi viderentur, media, quæ tutiſſima putantur, ſecutus ſum: quando enim hæc in lucem edenda erant, erudito ſæculo ſeruiendum, & curioſis ingeniis aliqua ex parte indulgendum fuit, qui vulgo nota, & omnibus obuia faſtidiunt, peregrina duntaxat, & quaſi ab alienis, ac remotis littoribus auecta probant, & mirantur. Quamobrem in tanta præſertim explanatorum multitudine ne mutus omnino, aut actum penitus agere viderer: id vnum mihi reliquum eſſe videbatur, vt hinc inde pleraque colligerem, quædam reiicerem, plura negligerem, nonnulla confutarem, alia cum aliis conferrem: ita factum eſt, vt cum vno volumine omnia complecti difficillimum eſſet, duos in tomos has meas lucubrationes diſtribuere coactus ſim, quorum primus tres priores epiſtolas ad Romanos, & vtramque ad Corinthios continet: alter reliquas omnes, hoc eſt ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, duas ad Theſſalonicenſes, duas ad Timotheum, ad Titum vnam, alteram ad Philemonem, & poſtremam ad Hebræos. Diſputationes, vt dixi, proprio volumine, aut etiam pluribus complectar ſi tantum otij nactus fuero, aut tamdiu ſuperſtes ero. Quidquid autem ſeu verè dictum, ſeu aptè adſcriptum, ſeu commodè, aut vtiliter pronuntiatum videbitur: id omne bonorum omnium largitori Deo acceptum referendum eſt, ad cuius laudem & gloriam nos, noſtráque omnia referenda ſunt: ſi quid ſecus exciderit, id neque dictum, neque ſcriptum velim: hoc denique quidquid eſt Eccleſiæ Romanæ cenſuræ, iudicióque ſubiicio.

GLAVDIVS

CLAVDIVS AQVAVIVA
SOCIETATIS IESV
Præpoſitus Generalis.

CVm *Commentarios P. Benedicti Iuſtiniani, Societatis noſtræ, in Epiſtolam S. Pauli ad Romanos, & in primam ac ſecundam ad Corinthios*, tres eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſimus, recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint: facultatem damus, vt typis mandentur, ſi ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas & ſigillo noſtro munitas dedimus Romæ XXVI. Ianuarij. 1611.

CLAVDIVS AQVAVIVA.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS
Societatis IESV *in Prouincia Lugdunenſi.*

LVDOVICVS MICHAELIS Prouincialis Collegiorum Societatis IESV, in Prouincia Lugdunenſi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij 1583. & Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Febr. 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque ſuperiorum permiſſione imprimant: permittit Horatio Cardon Lugdunenſi Bibliopolæ, vt librum qui inſcribitur, *Commentarij P. Benedicti Iuſtiniani, Societatis* IESV, *in Epiſtolam S. Pauli ad Romanos, & in primam ac ſecundam ad Corinthios*, ad ſex proximos annos imprimere, ac liberè diuendere poſſit. Datum Lugduni 5. Octobris. 1611.

MICHAELIS.

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE, in Sacra Theologia Magiſter, & Diuini verbi Prædicator, in ſancti Pauli huiuſce Ciuitatis Canonicus, & in hac Lugdunenſi Diœceſi, à Domino CLAVDIO DE BELLIEVRE, Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Archiepiſcopo, Librorum Cenſor deſignatus: Fidem facimus nos hos *Commentarios R. P. Benedicti Iuſtiniani, Societatis* IESV *in Epiſtolam S. Pauli ad Romanos, & in primam ac ſecundam ad Corinthios*, perlegiſſe: omniáque in illis iuxta orthodoxam Catholicæ Apoſtolicæ ac Romanæ Eccleſiæ, & ſanctorum Patrum ſanam doctrinam, ſumma cum eruditione & pietate exponi. Lugduni apud ſanctum Paulum XIIII. Cal. Auguſti MDCXII.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE.

Summa Priuilegij à Chriſtianiſſimo Galliarum Rege obtenti.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis Diplomate cautum eſt, ne quis in ſuo regno, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos annos decem, à die impreſsionis prima inchoandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo ac ratione conetur librum, qui inſcribitur, *Commentarij P. Benedicti Iuſtiniani, Societatis* IESV, *in Epiſtolam S. Pauli ad Romanos, & in primam ac ſecundam ad Corinthios*, præter Horatium Cardon Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos, quibus ipſe conceſſerit: ſub pœnis Originali Diplomate contra delinquentes expreſsis. Datum Pariſiis 24. die menſis Octobris 1611.

De mandato Regis,

Signatum,

LE BOSSV.

CLAVDIVS AQVAVIVA
SOCIETATIS IESV
Præpoſitus Generalis.

CVM *Commentarios P. Benedicti Iuſtiniani, Societatis noſtræ, in Epiſtolam S. Pauli ad Romanos, & in primam ac ſecundam ad Corinthios,* tres eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſimus, recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint: facultatem damus, vt typis mandentur, ſi ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas & ſigillo noſtro munitas dedimus Romæ XXVI. Ianuarij. 1611.

CLAVDIVS AQVAVIVA.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS
Societatis IESV, *in Prouincia Lugdunenſi.*

LVDOVICVS MICHAELIS Prouincialis Collegiorum Societatis IESV, in Prouincia Lugdunenſi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij 1583. & Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Febr. 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque ſuperiorum permiſſione imprimant: permittit Horatio Cardon Lugdunenſi Bibliopolæ, vt librum qui inſcribitur, *Commentarij P. Benedicti Iuſtiniani, Societatis* IESV, *in Epiſtolam S. Pauli ad Romanos, & in primam ac ſecundam ad Corinthios,* ad ſex proximos annos imprimere, ac liberè diuendere poſſit. Datum Lugduni 5. Octobris. 1611.

MICHAELIS.

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE, in Sacra Theologia Magiſter, & Diuini verbi Prædicator; in ſancti Pauli huiuſce Ciuitatis Canonicus, & in hac Lugdunenſi Diœceſi, à Domino CLAVDIO DE BELLIEVRE, Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Archiepiſcopo, Librorum Cenſor deſignatus: Fidem facimus nos hos *Commentarios R. P. Benedicti Iuſtiniani, Societatis* IESV *in Epiſtolam S. Pauli ad Romanos, & in primam ac ſecundam ad Corinthios*, perlegiſſe: omniáque in illis iuxta orthodoxam Catholicæ Apoſtolicæ ac Romanæ Eccleſiæ, & ſanctorum Patrum ſanam doctrinam, ſumma cum eruditione & pietate exponi. Lugduni apud ſanctum Paulum XIIII. Cal. Auguſti MDCXII.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE.

Summa Priuilegij à Chriſtianiſſimo Galliarum Rege obtenti.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis Diplomate cautum eſt, ne quis in ſuo regno, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos annos decem, à die impreſsionis prima inchoandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo ac ratione conetur librum, qui inſcribitur, *Commentarij P. Benedicti Iuſtiniani, Societatis* IESV, *in Epiſtolam S. Pauli ad Romanos, & in primam ac ſecundam ad Corinthios*, præter Horatium Cardon Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos, quibus ipſe conceſſerit: ſub pœnis Originali Diplomate contra delinquentes expreſsis. Datum Pariſiis 24. die menſis Octobris 1611.

De mandato Regis,

Signatum,

LE BOSSV.

Digitized by Google

ELENCHVS TOTIVS OPERIS.

- Tomo I.
  - *Prolegomena, hoc eſt diſputationes*
    - *I. De Apoſtolatu.*
    - *II. De epiſtolis Apoſtolicis.*
    - *III. De Paulo Apoſtolo.*
  - *Explanationes Epiſtolarum*
    - *Ad Romanos.*
    - *I. & II. Ad Corinthios.*
- Tomo II.
  - *Explanationes Epiſtolarum*
    - *Ad Galatas.*
    - *Ad Epheſios.*
    - *Ad Philippenſes.*
    - *Ad Coloſſenſes.*
    - *I. & II. Ad Theſſalonicenſes.*
    - *I. & II. Ad Timotheum.*
    - *Ad Titum.*
    - *Ad Philemonem.*
    - *Ad Hebræos.*

INDEX

INDEX GRÆCARVM VOCVM IN HOC VOLVMINE EXPLICITARVM.

A.

Ἀγανάκτησιν, vindignationē. 751.d
ἀγαθωσύνη, bonitas. 104.a
ἀγαπάω, diligo. 246.d
ἀγάπη, dilectio. 245.d, 691.b
ἀγαπητὸς, charus. 361.e
ταῖς ἀγάμοις, innuptis. 476.a
ἀγένητος, ingenitus. 76.d
ἁγιασμὸν, ſanctificatio. 77.c
ἁγιάζω, ſanctifico. 538.d
ἁγιασμὸς, ſanctificatio. 189.b
ἁγνότης, caſtitas. 738.d
ἁγνοὺς, incontaminatos. 752.b
ἀγνοεῖται, ignorat. 624.e
ἀγριέλαιος, ſyluestris olea. 296.d
ἀγρυπνία. 725.c
ἐν ἀγρυπνίαις πολλάκις, in vigiliis multis. 796.d
ἄγραφον, non ſcriptum. 115.c
ἀδελφὴ γυνὴ, mulier ſoror. 511.a
ἀδελφός. 22.b
ἀδιαλείπτως, indeſinenter. 83.c
ἐπὶ τῶν ἀδίκων, ſub iniquis. 454.e
ἄδικος, iniuſtus. 458.b
ἀδικία, iniuſtitia. 98.c
ἀδόκιμοι, minimè probi. 825.a
ἀδόκιμος, reprobus. 524.e, 97.e
τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου, impoſſibile legis. 221.b
ἀθάνατος, immortalis. 593.b
ἀθετήσω, de medio tollam. 382.a
αἰῶνα, æuum. 770.d
ἀϊδιότης, æternitas. 165.b
αἰχμαλωτίζοντες. 777.d
ἄκων, non volens. ἑκὼν volens. 517.e
ἀκαθαρσία, immunditia. 95.c
ἄκαρπος, infructuoſus. 612.
ἄκακος, innocens. 364.c
ἀκαταστασία, diſſenſio. 622.a
ἀκολουθία. 51.a
ἀκολουθεία. 269.e
ἀκροβυστία, præputium. 146.d
ἀκρασία, intemperantia. 475.b
ἀλαλάζω, ſonitu periſtrepo. 594.a
ἀλλαγησόμεθα, immutabimur. 656.d, 657.d
ἀλλήλους, inuicem 351.e
εἰς ἀλλήλους, ad inuicem. 316.b
ἀλλὰ, ſed. 482.a
ἀλήθεια, veritas. 203.a
ὑπὲρ ἀληθείας, propter veritatē. 350.b
ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν, ſub peccatū. 207.d
ἀμφοτερόδεξιος, ambidexter. 739.b
περὶ ἁμαρτίας, de peccato. 222.c
ἀμετακίνητοι, immobiles. 661.e
ἀνάγκη, neceſſitas. 425.c
ἀναγινώσκετε, legitis. ἐπιγινώσκετε, agnoſcitis. 683.b
ἀναγκαῖα, neceſſaria. 588.b
ἀναπολόγητος, inexcuſabilis. 91.c
ἀναγκοφαγία, edendi neceſſitas. 521.e
ἀνακρίνω, interrogo. 511.b
ἀναξίως τοῦ κυρίου, indignè Domino. 570.a
ἀναπληρῶν, implens. 613.c
ἀναμνήσει, in memoriam reuocabit. 436.c
ἀνακρίνεται, indicatur. 404.e
ἀναλογία, conuenientia. 309.e
ἀνάστασις, reſurrectio. ἐξανάστασις. 127.e
ἀναθήματα τῷ θεῷ, &c. Deo dicato, &c. 253.e
ἀναμιμνησκόμενος. 753.d
ἀνάθημα, κατάθεμα, ἀνάθεμα. 251.c, d
ἀνακεκαλυμμένον, reuelatum. 201.a
ἀναπαύσατε. 51.a
ἀναδοχοὶ, ſuſceptores. 116.c, d
ἀνέχεσθέ μου, ſupportate me. 785.a
ἀνέστη, reſurrexit. 339.c
ἀνέζησεν, reuixit. 339.c
ἄνεσις, relaxatio. 760.a
ἀνέγκλητος, inculpator. 375.b
ἀνοχὴ, patientia. 104.e
ἀνταποδοθήσεται, reddetur ei. 302.a
ἀνταπόδομα. 292.d
ἀνεξιχνίαστοι, inueſtigabiles. 302.b
ἀντιλήψεις, ſubuentiones. 590.e
ἄνδρες ἀποστασίας, filij diaboli. 742.b
ἀντίτυπα, typi typorum. 180.b.c
ἀνταποκρινόμενος, ex aduerſo reſpondens. 264.c
ἀνυπόθετοι. 18.c
κατ' ἄνθρωπον, ſecundum hominem 124.b
κατ' ἀνθρώπου, contra hominem. 124.b
κατ' ἄνθρωπον, ſecundum hominem. 412.a
ἄνομος, ſine lege. ἔννομος cum lege. 519.d
ἀνύψωσε, exaltauit. 500.a
ἄξιον, dignum. 666.c.
ἐξηπάτησε, decepit. 204.a
ἀπαρχὴ, primitiæ. 235.d, 295.d
ἀπέθανε, mortuus eſt. 339.b
ἀπέγνωμεν. 523.a
ἀπεστρέψατε, conuertimini. 751.b
ἀπειθὴς, qui non perſuadetur. 558.d
ἀπηρτισμένοις, perfectis. 266.e
ἀπιστία, incredulitas. 301.c
ἄπιστοι, infideles. 375.c, 617.b
ἄπιστος, infidelis. 458.a
ἀποβολή. 293.d
ἀποθνήσκω, morior. 648.e
ἀποστερεῖτε, ne fraudetis. 474.b
τὴν ἀποκεκρυμμένην, quæ abſcondita eſt. 397.a
ἀποκλεισθῆναι, excludi. 134.a
ἀπορία, inopia. 715.e
ἀποκαραδοκία, ſollicita expectatio. 232.d
μὴ ἀποδάνη. 650.e
ἀπόρρητον, ineffabile. θαυμαστὸν, admirabile. ἀγνοούμενον, ignotum. 298.a
ἀποθανόντες, mortui. 199.e
ἀπορούμενοι, ἐξαπορούμενοι. 715.d
ἀποσταλῶσι, mittantur. 280.e
ἀποσπόγγισμα, quod abſtergitur. 435.e
ἀποστερεῖσθε, damno afficimini. 459.c
ἀποτολμᾷ, audet. 284.d
ἀπόδειξις, demonſtratio. 394.e
ἀπολογίαν, defenſionem. 751.c
ἀποστυγοῦντες, abhorrentes. 312.e
ἀποταξάμενος. 695.e
μὴ ἀποτόμως χρήσωμαι exactè agam. 826.e
ἀποτομία, reſectio. 297.c
ἀποδίδωμι, reddo. 107.c
ἀπόδειξις, demonſtratio. 510.d
ἀπόκριμα, reſponſum. 680.b
τῶν ὑπὲρ λίαν ἀποστόλων, excellentiſſimis Apoſtolis. 809.b
ἀπρόσκοποι, qui ſine offenſione ſunt. 544.c
ἀρραβῶνα. 687.b
τῶν ἀρχόντων τοῦ αἰῶνος principum ſeculi. 396.e
ἀρετὴ, virtus. 808.a
ἄρρητα ῥήματα. 804.a
Ἀρεοπαγίτης. 377.c
ἀρχή. 351.d
ἁρμόζω, apto. 286.b

* * ἀρε

ἀρσενοκοῖται, maſculorum concubitores. 460.a
ἀσέβεια, impietas. 299.c
ἀσχημονεῖ, ambitioſa eſt. 597.b
ἀστατοῦμεν, vagamus. 434.b
ἀσθένεια, imbecillitas. 161.d, 394.a
ἄστοργοι, ſine affectione. 99.a
κατ' ἀτιμίαν λέγω, iuxta contumeliam dico. 793.e
ἐν ἀτόμῳ, in punEto. 657.a
ἀτιμία, ſeruus. 73.a
αὐτόθι. 643.c
αὐλὴ, tuba. 72.a
αὐτάρκεια, ſufficientia. 770.d
αὐξανομένης, creſcentis. 781.a
αὐγάζω. 713.d
αὐθαίρετοι, voluntarij fuerunt. 756.c
αὐτοκατάκριτος, à ſeipſo iudicatus. 110.b
ἄφθαρτος, incorruptibilis. 93.d
ἀφωρισμένος, ſegregatus. 74.c
ἀφθαρσία, incorruptio. 165.a
ἀφορίζειν, ſeparare. 75.b
ἀφορισμοὶ, leges breuiter & abſolutè pronunciatæ. 75.b
ἀφορίσας, ἀφορισάτω. 9.b
ἄφρων, amens. 650.d
ἀχειροποίητον. 723.c

B.

τὰ βάθη, profunda Dei. 401.e, 694.c
βάθος, profundum. 301.c
ἐβαπτίσθητε, baptizati eſtis. 380.a
βαρβαρόφωνος, peregrinus & abſurdus lingua ſonitus. 610.e
ἐβαρύνθημεν, grauamur. 679.e
βαστάζειν, ferre. 347.e
ἐβασιλεύσατε, regnaſtis. 433.c
βιωτικὰ μὲν οὖν κριτήρια ἐὰν ἔχητε, ſecularia iudicia ſi habueritis. 456.a
βλασφημοῦμαι εὐχαριστῶν, blaſphemor, gratias ago. 543.e
βλασφημούμενοι. 435.a
βλέπω, video. 749.b
βουλὴ, conſilium. 486.b
βραβευέτω, victorem qui deſignant. 521.b
βραβεῖον, brauium. 521.a, b
βρώματα, eſca. 461.c

Γ.

γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, lac potum dedi. 410.a
γάλα λογικὸν, lac ſpiritale. 306.b
γαμείτωσαν, nubant. 494.d
γαμῆσαι. 476.e
γεγαμηκόσι, coniugatis. 478.a
καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην, ſicut & agnitus ſum. 601.b
γεννήματα, prouentus. 771.c
γεώργιον, agricolatio. 414.c
γίνομαι, gigno. 76.d
γίνεσθε, ſitis. 475.a
γέγραπται καὶ ἔρχεται. 630.c
γνῶσις, ſcientia. 376.d
γνώμη, ſententia. 376.d
γνώμην δὲ δίδωμι, conſilium vero do. 486.a
οὐ γινώσκω, non approbo. 207.e
γνῶσις, ſcientia. 505.a, 376.d
γνήσιον, ingenuum. 758.c
γλῶσσα, lingua. 614.c
γραπτὸν, ſcriptitum. 115.b
γραμματεὺς, interpres. 679.a
γραμματεὺς, ſcriba. 383.b
γυναῖκας, fœmina. 56.a
γυναικὸς, uxoris. 471.a
γυνὴ, fœmina. 22.b

Δ.

ὁ δεύτερος ἄνθρωπος ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ, ſecundus homo ipſe Dominus de cœlo. 655.b
δεύτερον χάριν ἔχητε. 683.c
δεῖ, oportet. 801.a
δεινότης, ſolertia. 422.d
δεινότης. 50.a
δέξασθαι. 756.d
διάκονος, diaconus. 359.a
διακρινόμενος, qui diſcernit. 344.c
διὰ τοῦτο, propter hoc. 164.d
διαφορώτερον, differentius. 336.b
διαθήκη. 48.d, e
διακονία, miniſterium. 310.c
διακονίαι. 578.a
διαταγὴ, ordinatio. 323.c
διαλογισμοὶ, ratiocinationes. 93.d
διακονία, obſequium. 357.b
διὰ, per. 167.b
διαθήκη, teſtamentum. 299.d
διατάξομαι, conſtituam. 572.b, c
διαστολὴν τοῖς φθόγγοις μὴ δῷ, diſtinctionem ſonituum non do. 609.d
διάκονος, miniſter. 325.b
διαφέροντα, voluntatem. 115.e
διεκρίναμεν, diiudicaſſemus. 571.d
διακρίσεις, diſcrimina. 578.a
δικαιούμενοι δωρεὰν, iuſtificati gratis. 131.a
δικαιοκρισία, Iudicij æquitas. 105.a
δικαίωμα, δικαίωσις, Iuſtitia. 174.b
διώκετε, perſequimini. 606.a
διχοστασίαι, diſcordia. 376.a
διδασκαλία, doctrina. 349.a
δόκιμος, probatus. 361.a
δοκιμὴ, experientia. 159.e
δοκίμιον, exploratio. 159.e
δοκιμάζω, probo. 307.b
δοῦλος, ſeruus. 72.e
δολοῦντες, adulterantes. 697.a
δόλον, dolus 99.b
δουλαγωγῶ, in ſeruitutē redigo. 524.b
δόξα. 349.d
δοξάσω, illuſtrabo. 295.b
δοξάσατε, glorificate. 466.b
ἐδόξασαν, glorificant. 242.c
δοξάζεται, glorificatur. 589.a
δεδόξασται. 705.c
δόσις, congiarium. 523.a
δρέποντο, præbendo. 422.a
δύναμιν μου, fortitudinem meam. 263.a
δυνάμεις, virtutes vel poteſtates. 247.a
σὺν τῇ δυνάμει, cum virtute. 443.d
δύναμις, virtus. 381.e
δυνατοὶ, potentes. 347.a
δυσφημία. 72.d
δώδεκα, duodecim. 632.c
δόρημα. 170.b

E.

ἑαυτοὺς ἑαυτοῖς οὐ συνιοῦσιν, ſeipſos ſeipſis non intelligunt. 780.c
ἑβδομήκοντα δύο. 21.e
ἐγγύτερον, propius. 329.d
ἐγερθεὶς, reſurgens. 182.c
ἐγκρατεύεται, ſuſtinet. 522.e
ἔγκλημα, crimen. 458.a
οὐκ ἐγὼ δὲ, ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ θεοῦ ἡ σὺν ἐμοὶ, non ego, ſed gratia Dei mecum. 635.b
εἶδος, ſpecies. 306.c
ἰδραῖοι. 661.d
εἰκόνα, imaginem. 709.a
ἐκδαπανηθήσομαι. 811.c
εἰδωλόθυτον, immolatitium. 542.a
μή τινα ὧν ἀπέσταλκα πρὸς ὑμᾶς δι' αὐτοῦ ἐπλεονέκτησα ὑμᾶς. 811.c
ἕκαστος, vnuſquiſque. 618.b
εἰς, in. 179.d
εἰδότες, ſcientes. 678.c
ἐκδυσάμενοι, expoliati, ἐκδημοῦντες, ἐνδημοῦντες, habitamus. 726.a
ἐκνήψατε. 649.d
ἐλευθέρα ἀπὸ τοῦ νόμου, liberata à lege viri. 197.c
τὸ γὰρ παραυτίκα ἐλαφρὸν. 719.a
ἐλέγχων, qui arguit. 422.a
ἐλλογεῖται, imputatur. 168.e
Ἕλληνες Ἑλληνισταί. 534.a, Græci
ἐλευθερωθέντες, libertate donati. 188.a
ἐλογίσθη αὐτῷ, reputatum eſt illi. 141.e
ἐμπροσθέν, βλέπων. 607.b
ἐμέτρησεν, menſus eſt. 781.b
ἐμπεριπατήσω, inambulabo. 743.b
ἐμφατικωτέρως, maiore emphaſi. 161.b
ἐναντίωσις. 275.c
ἔνδειξις, oſtenſio. 134.a
ἐνέργει, efficit. 584.a
ἐνδοὺς. 16.e
ἐνεργουμένοις ἐν ὑπομονῇ, operantis in tolerantia. 678.e
ἐνδυσάμενοι, induti. 724.c
ἐνίσχυον. 725.c
ἐνεργήματα. 578.a
ἐνεργεῖται, agit. 717.b
ἔνδοξος, clarus. 434.d
ἐνεστῶτα, inſtantem ἐνεστῶτα, præſens tempus. 487.e
ἐνηγεῖσθαι. 198.d
ἐνεργοῦσης, quæ agit. 678.a
ἐνοικήσω, inhabitabo. 743.b
ἐντροπὴ, erubeſcentia. 649.b
ἐντυγχάνει, poſtulat. 238.b
ἐνώπιον θεοῦ, in conſpectu Dei. 384.b
ἐξωραῖοι, quorum flos ætatis præterit. 280.c, 281.b
ἐξέστημεν θεῷ, mente excedimus. 728.d
ἐξαπορηθῆναι, traderet. 680.a
ἐξηγείρησεν, excitaui. 262.c
ἐξουθενημένος, nullius pretij. 779.d
ἐξουσιασθήσομαι, ſub poteſtate redigar. 461.c
ἐξουσία, poteſtas. 504.e, 515.a
ἐξουθενημένος, contemptos. 456.e
ἐπισύστασίς μου, inſtantia mea. 796.a
ἐπαινέσατε, laudate. 351.a
ἐπαινῶ, laudo. 558.e
ἐπαισχύνομαι, erubeſco. 85.d

ἐπεδύσασθαι

ἐπιδίδοσθαι, ἐπιδίδομαι, ἐπιδόντες. 725.a,b
ἐπαναμιμνήσκων, in memoriam reducens. 351.d
ἐπαγγελίαι, promiſſiones. 686.d
ἐπισύστασιν ποιοῦντα ὄχλου. 796.a
ἐπίγνωσις, agnitio. 129.d
ἐπίστευσε, credidit. 152.c
ἐπιείκεια, modeſtia. 775.a
ἐπ᾽ αὐτῷ, in ipſo. 279.b
ἐφ᾽ ᾧ, in quo. 166.a
ἐπισκοπεῖν. 808.c
ἐπίγεια, terrena. 337.b
ἐπιτελέσας, perfecero. 356.d
ἐπιταγήν, præceptum. 475.a
ἐπιτελοῦντες ἁγιωσύνην, perficientes ſanctificationem. 746.d
ἐπιφαύσει. 33.a
ἐπιφάνεια. 523.a
ἐπιφαύσκοντος. 33.a
ἐπλεονεκτήσαμεν, fraudauimus. 747.c
ἐπίσημοι, inſignes. 361.c
ἐπισυναγωγήν, aggregationem. 664.c
ἐπιρρίψα. 707.e
ἔρις, contentio. 411.e
ἐργάζεσθαι. 742.c
ἐργάζομαι, operor. 107.c
ἐρίθεια. 789.c
ἐργαζόμενοι. 742.a
ἐν ἑτοίμῳ ἔχοντες, in promptu, &c. 778.b
τὰ ἱερὰ ἐργαζόμενοι, ſacra facientes. 516.b
ἐργάζεσθαι, operari. 512.d,e
ἔσχατος, nouiſſimus. 643.d,e.433.a
ἀπὸ πολλῶν ἐτῶν, à multis annis. 355.b
ἰδοὺ τρίτον ἑτοίμως ἔχω ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς. 810.b
ἐφορέσαμεν, portauimus. 655.b
εὐφράνθητε ἔθνη μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ. 330.d
οὐκ ἀνὴρ Εὐαγγελίου; non eſt vir boni nuncij. 75.a
εὐάρεστος, placabilis. 306.b
εὐαγγελίζομαι, Euangelizem. 517.b
εὐδοκῶ, placeo. 809.a
εὐδόκησαν, probauerunt. 355.e
εὐλογητός, laudabilis. 676.d
εὐαγγελίζω, Euangelium promulgo. 353.c
εὐλογέω, benedico. 538.d
εὐδόκησε, complacuit. 531.c
εὐεργέτης, beneficus. 325.a
εὐλογία, benedictio. 356.e
εὐχαριστεῖν, gratias agere. 537.c
εὐχαριστῶ, gratias ago. 215.e
εὐπραγεῖν, bene agere. 81.b
εὑράμενοι, adepti. 139.a
εὑρίσκειν, fortuitò inuenire. ibid.
εὕρημα, lucrum inſperatum. 139.a
εὔχομαι δὲ πρὸς τὸν θεὸν, opto autem apud Deum. 826.d
ἔχομεν, habemus. 158.a
ἔχθρα, inimica. 224.d
ἐτραχήλισαν, collum obduxerunt. 291.e

Z.

ζηλόω, æmulor. 411.e
ζῆλος. 276.b,c
ζῆλον, zelus. 411.b

ζηλοτυπία, æmulatio. 785.b
ζήσεται, viuet. 87.c
ζύμη, fermentum. 246.b

H.

ἤγγικεν, appropinquauit. 330.c
ἠγοράσθητε τῆς τιμῆς, empti eſtis precio. 466.a
ἥδιστα, libentiſſimè. 808.d
ἠδικήσαμεν, non iniuſtè egimus. 746.d
ἠθέλησεν, voluit. 651.c
ἠλπίσαμεν, ſperauimus. 681.c
ἡμέρα, dies. 683.b,336.b
ὑπήκουσαν, obediunt. 281.c
ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκός, in quo infirmabatur per carnem. 221.c
ἥττημα, ceſſio, fractio. 458.d
ἠχρειώθησαν, inutiles facti ſunt. 126.e

Θ.

ἐκ τηλικούτου θανάτου, ex tanta morte. 680.e
ἐπιθανατίους, morti deſtinatos. 245.e
θανατούμεθα, morti tradimur. 245.d
ἐπιθανατίους, morti deſtinatos. 433.a
θάνατος, mors. 199.e
ἐθανατώθητε, mortificati eſtis. 198.d
θαρροῦμεν ὑμῖν, cõfidimus vobis. 754.a
θέατρον, ſpectaculum. 433.c
τὸ θέλειν, velle. 211.a
θέλημα, voluntas. 323.c
θέλω, volo. 475.e
θέλω γὰρ πάντας ἀνθρώπους, volo enim omnes homines. 476.c
θεοστυγεῖς, Deo inuiſi. 99.c
σὺν τῷ θεῷ, fauente Deo. 443.d
θήρα, captio. 292.d
θυρίδος. 50.c
ἐθηριομάχησα, cum beſtiis pugnaui. 647.d
θλίβομαι, tribulor. 678.a
θησαυρὸς κακῶν, theſaurus malorum. 104.c
θυμός, excandeſcentia. 107.e
θύω, immolo. 539.d
θυμοί, ira. 812.b

I.

ἰδιῶται. 617.b
τὰ ἴδια, propria. 727.e
ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον, operante, &c. 352.a
ἱκανός, dignus. 702.b
ἱκανότης, ſufficientia. 702.b,e
ἱλαστήριον, propitiatorium. 131.d
ἱστῶμεν, ſtabilimus. 135.e

K.

κακία, malitia. 98.e
κακίας καὶ πονηρίας, malitia & verſutia. 447.e
κακοήθεια, malignitas. 99.b
καθίζετε, conſtituite. 456.e
καιρός, tempus. 161.e
καινὴ κτίσις, noua creatura. 730.e
καιρὸς εὐπρόσδεκτος, tempus acceptabile. 737.b
καιρῷ, tempori. 314.d
καταισχύνει. 160.e
καταισχύνει, dedecorat. 551.a
καταργήσει, euacuabit. 122.d
καταργεῖται, deſtruetur. 645.d
καταλλαγή, reconciliatio. 731.b
κατασπάζω, adoro. 538.e
καταπηλεύοντες, cauponantes. 697.b
κατακείμενον, recumbentem. 505.e
κατάκρισις, damnatio. 705.a
κατάπαυσις, quies, otium. 292.c
κατανύξεως. 292.e
κατηχούμενοι, auditores. 116.b
καταλήπτην λαμβάνειν, arbitrum accipere. 454.d
καταδίκη, condemnatio. 128.d
καταργοῦμεν, irritum facimus. 135.e
καταρτίζειν, plura in vnum componere. 266.c
κατηργήθημεν, liberati ſumus. 198.d
κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος. 658.d
κατέχετε, tenetis. 631.a
κατοπτριζόμενοι, ſpeculantes. 708.a
καθάρματα, purgamenta. 435.a
καταισχύνομεν, inundimus. 746.b
κάρδοπος, mactra. 446.c
κατεργάζεται, perficit. 160.c
κατέχοντες, poſſidentes. 490.c
κατῃσχύνθη, pudefactus. 753.d
κατενάρκησα. 810.b
καθιστᾶν, conſtituunt. 318.e
κατηχεῖν, inſtruere. 116.c
κατηχήσω, erudiam. 615.d
κατήργηκα, euacuaui. 599.e
κάπηλον καπηλεύει πάντα. 697.a
καρποφορῆσαι θανάτῳ, fructificare morti. 198.e
καυθήσομαι, ardeam. 595.e
καύχησιν, gloriandi materiam. 352.e
καυχήσεως, exultationis. 763.e
καύχημα, gloriatio. 517.a
γέγονα ἄφρων καυχώμενος, factus ſum inſipiens gloriando. 809.d
καύχημα, gloriandi occaſio. 140.
κενή, vacuum. 636.c
καύχησις, gloriatio. a
κιναίδους, cinædos, effæminatos. 459.e
κινεῖν τὰ αἰδοῖα, pudore vacare. 459.e
κληρονομήσατε, hæreditate poſſidete. 231.e
ἐξέκλιναν, declinauerunt. 126.e
κλητοῖς ἁγίοις, vocatis ſanctis. 371.b
κληρονομεῖν, hæreditates capere. 150.a
κλητός, vocatus. 74.d,a
κληρονομήσουσι, hæreditatem poſſidebunt. 459.b
κλητοὶ ἅγιοι, vocati ſancti. 74.d
κοινωνία, communio. 336.a
κοινωνία, communicatio. 538.b
κοινωνέω, communico, participo. 539.b
κοινόποδα. 17.c,d.
κοιμηθησόμεθα, dormiemus. 656.d 657.b
κοίτην, concubitum. 256.b,c,d
ἐν κόπῳ καὶ μόχθῳ, in labore & ærumna. 796.e
κολαφιζόμεθα, colaphis cædimur. 434.e
κολλώμενος, conglutinatus. 312.e
κόσμος, mundus. 454.c
κράτησις καὶ δυναστεία. 318.e

Index

κρείττονα, meliora. 591.b
ἐγκρῖναι, συγκρῖναι, inſerere, comparare. 780.e
κριτήριον, forum. 455.d
κρύψω, abſcondam. 382.a
ἀνάξιοί ἐστε κριτηρίων ἐλαχίστων, indigni eſtis minimis iudiciis.
κρίνεται, iudicatur. 458.e
κρινώμεθα, iudicemus. 340.a
πᾶς ὁ κρίνων, omnis qui iudicat. 102.a
κτίσις, creatio. 90.a
κρίνεσθαι, iudicare vel iudicari. 123.a
κυρία, concio. 693.d
ὁ κύριος ἡμῶν ἦλθε, Dominus noſter venit. 671.e
κατεργάζεσθαι, perficere. 212.e
κηρύσσομεν, prædicamus. 635.d
κύρωσις. 693.d
τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, Domini Ieſu. 445.a
τῷ κυρίῳ, Domino. 314.e
κρυπτὰ, occulta. 618.c
κῶμος, temulentia Deus. κῶμοι, comeſſatio. κωμάζειν. 331.e

Λ.

λαλεῖ οἰκοδομὴν, loquitur ædificationem. 607.d
λαλῶ, loquor. 614.c
λατρεύω, pura mente colo. 82.c
λατρείαν προσφέρειν, obſequium præſtare Deo. 246.a
Λειτουργεῖν. 8.b,c,d
λεῖμμα, reliquiæ. 290.d
Λειτουργία. 8.e,b,c.352.b
λῆμμα, onus, aſſumptio. 290.d,a
ἔλαθεν, apprehendit. 535.b
λογίζεσθε, exiſtimate. 183.e
λογισμοὺς καθαιροῦντες, conſilia deſtruentes. 777.b
λογοδαίδαλος. 50.c
λογικὸς, rationabilis. 306.b
λόγια, eloquia. 121.e
λογίζομαι, reputo. 232.d
μὴ λογιζόμενος, non reputans. 732.a
τὸ λοιπὸν, reliquum. 827.b,418.d
λογίζομαι, cogito. 702.e
περὶ τῆς λογίας, de collatione. 663.b
λοιδορούμενοι, malè audimus. 434.c
λοίδορος, conuiciator. 449.c
λυπεῖται, dolet. 341.b
λύσις, ſolutio. 487.b
λύπη, triſtitia. 691.a

Μ.

μάχαιρα δίστομος. 769.a
μακαρισμὸς, beatitudo. 146.e
μακροθυμία, multa animi lenitas. 266.c
μακρόθυμος, longaminis. 596.d
μακροθυμία, longaminitas. 104.e
μακροθυμεῖ, patiens eſt. 596.d
μαλακοὶ, molles. 459.d
Μαρτύρια. 48.b
μαρτύριον, teſtimonium. 393.d
μάτην, fruſtra. ματαῖος, ſupernacaneus. ματαιοῦμαι, fruſtror. 93.d
μεγαλύνατε, magnificate. 351.a
μεγάλη καὶ ἐνεργὴς, magnum & efficax. 668.b
μέθυσος, ebrioſus. 449.c
μείζονα, maiora. 591.b
μέριμνα, ſolicitudo. 311.a
μεριμνᾷ, curat. 491.e
μεμέρισται, diuiſus eſt. 492.d
ἐκ μέρους, ex parte. 589.b
μέλλετε ἀποθνήσκειν, moriemini. 227.e
μεταμέλεσθαι. 749.e
μετανοεῖν, pœnitere. 749.e
μεταμορφούμεθα, transformamur. 708.d
μετάνοια, pœnitentia. 749.c
μετεσχημάτισε, transfigurauit. 431.c
μετροῦντες, metientes. 780.e
μετασχηματιζόμενοι, transfigurantes. 791.b,c
μορφὴ, forma. 306.c
σὺν ταῖς μούσαις, muſis adiuuantibus. 443.d
μύστης. 298.c
μοχθηροὶ, calamitoſi. 796.d
μόρφωσις, formandi ratio. 116.b
μυθήρια, μαστήρια, μυστήρια, μῦθος, μύειν, myſteria. 298.c
εἰς Μωσῆν, in Moſem. 179.d
ἐμώρανεν, infatuauit. 383.b
ἐμωράνθησαν, infatuati ſunt. 383.c
ἐμωράνθησαν, ſtulti facti ſunt. 93.b
μωμηθῇ, vituperatur. 737.a
μωμήσηται. 762.e

Ν.

νάρκη. 790.a
ναὶ etiam. 686.e
ναὸς, templum, πρόναος, veſtibulum, βῆμα, ſine, ἱερατεῖον ſacrarium. 619.d,421.a
νεκρώσατε, mortificate. 245.d
τῇ νηστείᾳ καὶ τῇ προσευχῇ, ieiunio & orationi. 474.c
νηπίοις ἐν Χριστῷ, infantibus in Chriſto. 410.a
νήπιος, infans ſeu puer. 615.e
νηπιάζω. 615.c
νοήματα. 786.a,b
εἰς νῖκος, vel νεῖκος, victoria. 659.c
νοῦν, mentem. 406.a
διὰ τοῦ νοός μου, mente mea. 615.d
νόμος, lex. 213.d
νόμος τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς, lex ſpiritus vitalis. 221.a
νουθεσία, correptio. 534.b

Ο.

διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος, per inhabitantem. 227.c
οἰκοδομηθήσεται, ædificabitur. 505.e
οἴδατε, noſtis. 670.d
σὺν τῇ κατ᾽ οἶκον αὐτῶν ἐκκλησίᾳ. 671.b
οἰκητήριον, habitatio. 724.a
οἰκτιρμὸς, commiſeratio. 305.a
οἰκονόμος, œconomus. 365.e
ὄλεθρον τῆς σαρκὸς, perniciem carnis. 444.e
ὀλοθρευτὸς, extinctor. 534.c
ὁμολογία, confeſſio. 772.c
ὁμόθυμοι, vnanimes. 349.e
ὁμοιότης, ſimilitudo. 169.d
ὁμοίωμα, ſimilitudo. 169.d
ὀνομάζεται, nominatur. 440.a
ἐν ὀνόματι τοῦ κυρίου, in nomine Domini. 443.c
ὀπτασίας καὶ ἀποκαλύψεις, viſiones & reuelationes. 801.a
ἑορτάζωμεν, diem feſtum celebramus. 447.c
ὅταν, cùm. 826.e
ὁρίζω, defino. 76.d
οὕτως, ita. 85.c
ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, in ictu oculi. 657.a
ὀφειλομένην εὔνοιαν, debitam beneuolentiam. 473.d
ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, ἃ ἡτοίμασεν, quæ oculus non vidit, quæ præparauit. 400.d
ὀχύρωμα, monimentum. 777.e
ὀψώνιον, ſtipendium militis. 191.a

Π.

παγὶς, laqueus. 292.d
πάθη, παθήματα, ægritudines animi. 96.b
πανουργία, aſtutia. 422.c
πάλαι, olim. 812.c
πανοῦργος, callidus. 712.b
παντοκράτωρ, omnipotens. 270.c
πανδοχεὺς, omnium rerum gnarus. 360.e
πάντως, omnino. 520.a
πάντοτε, ſemper. 83.c
παρακλήματα, conſolationes. 752.d
παρὰ, ſupra, vltra. 336.b
παράπτωμα, lapſus. 170.a
παραζηλόω, æmulor. 295.c
παρακαλοῦμαι, exhortor. 677.b
παραδίδωμι, trado. 548.b
παράκλησις, exhortatio. 310.e,349.b, 607.d
παραζηλοῦμεν, prouocamus. 540.d
παραγγέλλω, præcipio. 558.e
παράπτωμα, caſus. 293.d
παράπτωμα, peccatum. 458.d
παραφρονῶν λαλῶ. 794.c
παραζηλῶσαι, ad æmulandum prouoco. 284.a
παρακαλῶν. 621.d
παράνομος, iniquus. 741.a
παῤῥησία, loquendi libertas. 706.b, 747.e
παροξύνεται, exacerbatur. 597.a
παρεισῆλθε, ſubintrauit. 175.e
παρουσία, aduentus. 641.e
παρέρχεται, tranſit. 491.b
παρέδωκα, tradidi. 563.b
πάρεσις, remiſſio. 132.d,e
παραδιδόναι, traducere. 188.e
ἐν παρόδῳ, obiter. 666.e
πειθοῖς λόγοις, verborũ floſculos. 394.d
πέπεισμαι, confido. 340.c
ὡς παρὼν τὸ δεύτερον, cùm iterum eſſem præſens. 815.a
πιθανολογία. 394.d
πέμπω, mitto. 223.a
περπερεύεται, agit perperam. 596.d
πέρπερος. ibid
πεπώρωκεν αὐτῶν τὴν καρδίαν, indurauit, &c. 291.e
περιτομὴ, circumciſio. 107.c

Græcarum vocum.

160.b
πειρασμὸς, tentatio. 691.c
περισσοτέρως, abundantius. 820.a
πέπονθα. 794.e
περπερεύω. 504.b
περισσεύομεν. 677.d
περισσεύει. 768.a
περισσὸν, ſuperuacaneum. 121.a
περισσότερον, amplius. 226.e
περιχώρησις, circumincesſio. 611.e
περισσεύητε, excellatis. 512.b
περιάγειν, circumducere. 146.c,d
περιτομὴ, circumciſio. 220.d
περιπατῶ, ambulo. 412.c
πιστεύω, credo. 435.b
περίψημα, ramentum.
περισσοτέρως μᾶλλον, abundantius magis. 753.a
πέπεισμαι. 585.d
πίστις, fides, ἀπιστία infidelitas. 222.e
πιότης, ſuccus & alimentum. 196.e
πληρωθῇ, impleretur. 223.d
μὴ ποιῆσαι ὑμᾶς κακὸν μηδὲν. 825.a
ποιῶ, facere. 212.e
πλήρωμα. 284.e
πλήρωμα, plenitudo. 356.e
πληροφορεῖσθαι, certiorem reddi. 337.c
[illegible]. 666.c
ἐν πλησμονῇ ὑπερβάλλοντες. 794.e
ποιήματα, facturamenta vel creaturæ. 90.c
πλεονέκταις, auaris. 448.d
ἐν παντὶ πλουτιζόμενοι εἰς πᾶσαν ἁπλότητα. 771.a
πλεονέκται, auari. 460.a
πιάσαι με θέλων, me comprehendere cupiens. 797.e
πυκταὶ, pugiles. 522.d
πλοῦτος, diuitiæ. 104.b
πλεονεκτηθῶμεν. 694.d
τὰ πολλὰ, ſæpius. 354.c
ἐν πολλοῖς πολλάκις. 763.d
περὶ πολλῶν, pro multis. 223.a
πολυμαθέστατον, omnibus diſciplinis excultam. 360.e
πωλούμενον, venale. 541.d
πολὺ, multum. 121.a
ἐκ πολλῶν προσώπων. 681.b
πολλῷ μᾶλλον, multo magis. 588.c
ἐποτίσθημεν, potati ſumus. 585.b,c
ἐπότισεν, potauit. 292.c
πονηρία, nequitia. 98.d
πονηρὸς, malus, τὸ πονηρὸν, malũ. 449.e
πνεῦμα υἱοθεσίας, ſpiritus adoptionis. 229.e
ἐν διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου, in doctis Spiritus ſancti. 403.a
πορνεία, fornicatio. 472.b
πορνεία, fornicatio. 440.b
πόρναι, ſcorta. 459.d
ποτήριον, calix. 567.e
πορνεία, fornicatio. 98.e
πορφύρα, purpura. 336.b
πόρνοις, ſcortatoribus. 447.d
πωλῶ, vendo. ibid.
πρᾳότης, manſuetudo. 775.a
πρέπον, conueniens. 555.d
πρόδρομος. 725.
προσήνεγκε, obtulit. 411.b
προσεύχομαι, precor. 549.b
προεγράφη, proſcriptus eſt. 348.c
καθὼς προαιρεῖται τῇ καρδίᾳ, prout destinauit in corde ſuo. 769.e
[illegible]. 483.d
προαίρεσις προειρημένος. 769.e
προέγνω, præſciuit. 288.b
πρόσκομμα, offendiculum. 340.b
προσκυνεῖν, adorare. 289.d
πρόληψις, anticipatio. 382.a
πρόσληψις. 293.d
πρόθυμος, promptus. 85.b
προηγεῖσθαι, meliorem ſententiam habere. 313.d
κατὰ πρόθεσιν. 239.d
προσελάβετο. 335.e
πρόσκαιρα, temporalia. 720.a
προῃτιασάμεθα, cauſam prius reddidimus. 126.a
πρόσωπον, perſona. 108.a
προσκαρτεροῦντες, inſtãtes. 314.c, 326.b
προσωποληψία, perſonarum acceptio. 208.b
τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine. 568.b
[illegible], ſanatus. 108.d
προείρηκεν, prædixit. 270.a
προέκοψεν, proceſſit. 330.e
πρόγνωσις, prænotio. 240.d
προσκόπτει, impingit. 343.a
προσλαμβάνεσθε, aſſumite. 335.e
προσετίθει, ſuperaddidit. 302.a
πρόσοψιν, aſpectum. 556.b
προσκοπὴν, offenſionem. 737.a
[illegible]. 607.d
ἔπταισαν, offenderunt. 293.e
πτωχεύω, ἐπτώχευσε, mendicus factus eſt. 758.b
πρῶτον, primum. 122.b
πρωτότυπον, exemplar. 713.d
πρῶτος. 5.b
πυροῦμαι. 797.a
πυκτεύω, pugilum certamen exerceo. 523.d
μή πως, ne quo pacto. 786.d

Ρ.

ῥύω, libero. 681.a

Σ.

σανδάλια. 17.b,c
τῇ σαρκὶ, carni. 488.e
σὰρξ, caro. 651.c
σαρκικὸς, carnalis. 412.c
τὰ μὲν σημεῖα, ſigna. 809.c
σκανδάληθροι, paxillus. 271.c
σκάνδαλον, obſtaculum. 271.d
σκεῦος, inſtrumentum domeſticum. 266.e
σκῆνος, tabernaculum. 722.a
σέβομαι, colo. 96.c
σχῆμα. 723.b
[illegible], comam. 556.b
σκιαμαχία, vmbratilis pugna. 523.c
σκόλοπες ἐν ὀφθαλμοῖς, claui in oculis. 805.d,e
ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκὶ, infixus eſt aculeus carni. 805.c
ἦσαν γὰρ σκηνοποιοὶ τὴν τέχνην. 810.c
σκόλοπα. 806.d
σκανδαλίζεται. 343.b
σκληρυνῶ, indurabo. 292.a
Σπανία, Hiſpania. 355.c
σπουδῇ ſolicitudo. 751.b
σπείρεται σῶμα ψυχικὸν, ſeminatur corpus animale 653.a
στενοχωρούμενοι, coangustiate. 715.b
στενοχωρίαις, anguſtiis. 737.e
τῶν στρατευμάτων, exercituum. 270.c
στηρίζει. 598.b
συνεκέρασε, contemperauit. 588.b
συνεργοὶ, cooperatores. 413.e
συλλόμενοι. 762.d
ἐσφράγισε, ſignauit. 713.d
σφραγισάμενος, aſſignauero. 356.d
σφραγῖδα, ſigillum. 148.a
σφραγὶς, ſigillum. 510.b
σφοδρὰν ἐπιθυμίαν, vehemens deſiderium. 274.a
σχίσματα, ſectiones. 559.a
σχῆμα, figura. 306.c,491.d
σχολάζητε. 474.e
συγγενεῖς, cognati. 253.c
συγκρίνοντες, componentes. 403.d
συγγνώμη, indulgentia. 475.d
συνέρχησθε. 475.a
σύζυγος, compar. 36.e,57.b
συζητητὴς, huius ſæculi diſputator. 383.b
συμμαρτυρεῖ, conteſtatur. 230.d
πρὸς τὸ συμφέρον, ad vtilitatem. 580.a
τῷ θυσιαστηρίῳ συμμερίζονται, altari participant. 516.a
σύμφυτοι, conſorti. 181.a
συναγωνίζω, colluctor. 356.d
σὺν, cum. 181.a
συνέχει, compellit. 729.e
συναναμίγνυσθαι, commiſcere. 447.e
συμφέρει, expedit. 801.a
συνέκδημος, ſocius. 762.c
συνιστάνειν, ſe in alterius gratiam inſinuare. 700.a
κοινωνὸς καὶ συνεργός. 763.a
πάντα συνεργεῖ εἰς ἀγαθὸν, omnia cooperantur in bonum. 238.d
συνείδησις, conſcientia. 505.e
συνωδίνει, comparturit. 234.a
συνεργοὶ, adiutores. 736.e
συναπαγόμενοι, obſecundantes. 314.c
συνιστῶντες, commendantes. 737.c
συντρίψει, conteret. 364.e
συνεστήσατε, commendaſtis. 752.b
συντρίβεται, confringetur. 790.e
συστενάζει, congemiſcit. 234.a
σωφρονοῦμεν, ſapimus. 728.d
σωτὴρ, ſaluator. 73.d
σωζόμενος, ſalutem conſecutus. 382.d
τὰ ἔργα τοῦ σώματος. 727.b
σώζεσθαι, ſalui efficiamini. 631.e
σῶμα, corpus. 465.e
σώζω, ſaluum facio. 520.a
σωφρονεῖν, ſapere. 308.a
συνοχὴ, anguſtia. 691.e
σωφροσύνη, modeſtia. 308.d
τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, hoc eſt corpus meum. 566.d

Τ.

ταλαίπωρος, afflictus. 214.e
ταπεινοφροσύνη. 308.b

τελεῖν, perficere. 217.e
τελειοῖς, abſolutis. 316.e
τελειωτὴς, qui initiat. 396.c
ἐν τοῖς τελείοις, in perfectis. 396.b
ταπεινὸν ταπεινός. 774.c
τέλειος, τέλειον, abſolutum. 276.d
τεκμήριον. 816.c
τέλος, merces. 327.a
ἐπιτέτραπται, permittitur. 622.e
τελετὴ, initiatio. 396.e
τεταγμένον, ordinatum. 318.e
ὑπὲρ τοῦ τοιούτου. 804.a
τιμή. 349.d
τί γὰρ, ad quid. 162.b
τολμᾷ, audet. 454.c
τολμᾷ ἀποθανεῖν, ſuſtineat mors. 162.c
τολμάω, audeo. 353.c
τρίτον. 815.b
ἐν τετυπωμένῳ. 704.a
τύπος διδαχῆς, forma doctrinæ. 187.e
τύπος, figura. 531.e
τοὺς τυχόντας. 617.b
εἰ τύχοι. 651.

Υ.

ὑπακοὴ, obedientia. 777.e
ὕπανδρος, quæ nondum viri poteſtate ſoluta eſt. 196.e
ὑπενέγκειν, ſuſtinere. 536.e
ὑπερβολὴ, hyperbole. 591.c
ὑπερεντυγχάνει, interpellat. 237.e
ὑπερπερισσεύομαι, ſuperabundo. 748.a
ὑπόδικος, cui damnatio debetur. 128.c
καὶ τῇ ὑπερβολῇ τῶν ἀποκαλύψεων ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι. Et ne excellentia reuelationum extollat me. 805.b
ὑπερφρονεῖν. 308.e
ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, ne ſupra modum efferrer. 807.e
ὑπὲρ ἐλέους, pro miſericordia. 350.b
καθ᾽ ὑπεροχὴν λόγου, cum eminentia. 393.c
καθ᾽ ὑπερβολὴν, ſupra modum. 205.b
ὑπηρέτης, famulus. 427.b
ὑποδήματα, calceamenta. 17.b,e, 702.b
ὑποταγὴ, ſubiectio. 772.c
ὑπόλειμμα, κατάλειμμα. 268.c
ὑποστάσει. 768.d
ὑπομένει, ſuſtinet. 598.e
ὑπομονὴ, perſeuerantia. 106.b, 737.d
ὑπώπια. 524.e
ὑπωπιάζω, caſtigo. 524.b
ὑστέρημα, defectus. 670.c
καὶ παρὼν πρὸς ὑμᾶς καὶ ὑστερηθείς. 789.e
ὑστερηκέναι. 788.a
ὑστεροῦνται, poſt terga relinquuntur in curſu. 130.c
ὑστερηθεὶς, cum egerem. 130.a
ὑψηλοφρονεῖν, efferri. 297.a

Φ.

φαγεῖν πάντα, guſtare vel vorare omnia. 334.e
φαιλόνης. 22.e
φανερωθῆναι, manifeſtatos eſſe. 728.d
φανερωθῆναι. 752.c
φάσκοντες, dicentes. 93.b
φθαρτὸς, corruptibilis. 93.d
φίλος. 23.a
φορέσομεν, portabimus. 655.d
φθαρτὸν ἄφθαρτον, corruptum, incorruptum. 523.d
φησὶ, inquit. 779.b
ἐφθείραμεν, corrupimus. 746.d
φθείρω, corrumpo, violo. 421.a
φθόνος, inuidia. 99.a
φιλανθρωπία, humanitas. 775.b
φιλαδελφία, fraternitas. 313.b
φιλοτιμούμεθα, certamus. 727.c
φιλόνεικος, cupidus victoriæ. 558.c
φοβέω, timeo. 297.a
φρὴν, ſenſus. 615.b
ἐν φόνῳ μαχαίρας, in occiſione gladij. 769.a
φυλάττειν, ſeruare. 117.c
φύραμα, maſſa. 295.d
φώτισμος. 713.d
ἐξέφυγον τὰς χεῖρας αὐτοῦ, effugi manus eius. 798.c
φύραμα ζυμοῖ, maſſam fermentat. 446.e
νέον φύραμα, noua conſperſio. 446.b
φρονοῦσι, ſapiunt. 224.c
φρόνημα, ſapientia. 224.a
ἐφυσιώθησαν, inflati ſunt. 437.b
παρὰ φύσιν, præter naturam. 298.d
φύρος, regio. 327.a
φυσιώσεις, ſeditiones. 812.c

Χ.

χαρακτὴρ, character. 50.a
ἡ χάρις αὐτοῦ ἡ εἰς ἐμὲ οὐ κενὴ ἐγενήθη, gratia eius in me non vana fuit. 634.c
χαίρετε, valete. 827.b
καταρτίζεσθε. 827.c
χαρίσεται, donabit. 243.c
χαῖρε κεχαριτωμένη, aue gratia plena. 827.b
χάρισμα. 170.b
χαρίσματα, dona. 578.a
χάρις χάρισμα, gratia. 97.b
χαρίσματα, munera gratis data. 309.a
χαίρειν, ſaluere. 81.b
ἐχαρίσατο, donauit. 243.e
χάρις τῷ θεῷ, gratia Deo. 187.b
χαρίζομαι. 691.d
χειροτονηθεὶς, manuum impoſitione initiatus. 762.c
ταῖς χερσίν. 476.b
χειροτονεῖν, χειροτονία. 9.b
χορηγήσαι, πληθύναι, αὐξήσαι. 771.a
ἡ χρείαν ἔχει. 588.b
εἰς χριστὸν Ἰησοῦν, Chriſtum Ieſum. 179.d
χρηστεύεται, benigna eſt. 596.a
χρηστολογία, blandiloquentia. 364.c
χρηστότης, bonitas. 297.d
χρηστολόγοι, ſuaues. 104.e
χρηματισμὸς, diuinum reſponſum. 290.c
χρηστὸς, commodus. 104.a
χρώμενοι, vtentes, καταχρώμενοι, abutentes. 491.a
χρηστότης, manſuetudo. 104.a
χωρήσατε ἡμᾶς, capite nos. 476.a

Ψ.

ψιθυρισταὶ, ſuſurrones. 99.b
ψυχικὸς, animalis. 404.a
ψώμιζε, paſce. 318.c
ψωμίσω, cibum dedero. 595.e

Ω.

ὠφέλεια, vtilitas. 121.e
ὦπας. 524.c
ὡραῖον, pulchrum. 280.e, 281.b

FINIS.

INDEX

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ IN HOC VOLVMINE EXPLICITORVM.

Numerus, paginam; Littera, locum in textu indicat.

EX GENESI.

Cap. 1. FACTVM eſt veſpere & mane dies vnus. 665.a
Vidit Deus cuncta quæ fecerat & erant. 541.e
Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem. 554.a
2. Hoc nunc os ex oſſibus meis. 568.c
Propter hoc relinquet homo patrem. 196.d
In quacumque die comederis ex eo. 165.e
3. Serpens callidior cunctis animantibus. 786.a
In dolore paries. 622.d
Ad virum erit conuerſio tua. 623.a
4. Sub te erit appetitus tuus. 200.e
Nonne ſi bene egeris reſipias. 230.c
Ecce eiicis me hodie à facie. 253.a
Maior eſt iniquitas mea. 693.b
Et ipſe cœpit inuocare nomen. 279.a
6. Omnis quippe caro corruperat viam ſuam. 465.c 216.b
Tactus dolore cordis intrinſecus. 234.c
Pariter me feciſſe hominem. 300.d
Non permanebit ſpiritus meus. 225.c
8. Senſus & cogitatio humani cordis prona ſunt. 122.e. 212.c
Recordatur Dominus Noë. 514.c
11. Terra erat labij vnius. 685.e.589.d
15. Credidit Abraham Deo & reputatum eſt ei. 143.d
17. Putas-ne centenario naſcetur filius?& Sara. 153.e
18. Veniam ad te iſto tempore. 256.d
20. Nunc ergo redde viro ſuo vxorem. 606.a
Ecce mille argenteos Dei patri tuo. 552.d
24. Quæ tollens citò pallium operuit ſe. 551.d
25. Deprecatúſque eſt Iſaac Dominum. 256.d
Maior ſeruiet minori. 258.d
29. Videns Deus quod odio haberet Liam. 259.d
31. Oues tuæ & capræ ſteriles non fuerunt. 519.a
32. Ecce vim luctabatur cum eo vſque manè. 356.d
41. At tui oris imperium. 290.b
Omnes prouinciæ veniebant in Ægyptum. 126.d
47. Alebat eos omnémque domum Patris. 769.
Quibus ſtatuta cibaria. 51c.
48. Ephraim & Manaſſæ ſicut Ruben & Simeon reputabat. 143.b
49. Simeon & Leui fratres, vaſa iniquitatis. 267.d

EX EXODO.

Cap. 4. Domine non ſum eloquens abheri. 6.b
Quis fecit os hominis. 23.c
Filius meus primogenitus Iſrael. 253.e
7. Dixit Dominus ad Moyſeo, Ecce conſtitui. 606.b
10. Omnia mundus manducabit. 569.a
12. Eſt enim Phaſe, id eſt tranſitus Domini. 47.e
Et edent carnes aſſas igne nocte illa. 563.a
15. Nec qui plus collegerat habuit amplius. 760.e
17. Quid iurgamini contra me. 533.e
19. Menſe tertio egreſſionis filiorum Iſrael de. 667.c
20. Ego ſum Dominus Deus tuus. 503.c
23. Præcedétque te Angelus meus. 532.c
25. Facies propitiatorium de auro mundiſſimo. 131.c
Ponéſque in ea teſtificationem. 48.b
32. Aut dimitte eis noxam, aut ſi non. 251.e
Sedit populus manducare. 532.b
Vade, deſcende, peccauit populus tuus. 532.d
33. Teipſum noui ex nomine. 241.a
Si inueni gratiam in conſpectu tuo. 139.a
Videbis poſteriora mea, faciem autem meam. 204.e
34. Dominator Deus miſericors & clemens qui. 126.c

EX LEVITICO.

Cap. 10. Cur non comediſtis hoſtiam pro peccato. 733.d, 222.d
15. Facies vnum pro peccato. 560.c
18. Omnis homo ad proximum ſanguinis ſui. 128.e
Cuſtodite leges meas, atque iudicia quæ faciens. 534.c.704.b
Cum vxore proximi tui non coibis. 256.d
19. Neque in rotundum attondebitis comam. 556.
21. Nec radet caput nec barbam. 557.
23. Dies octauus erit celeberrimus. .664.
Numerabitis ergo ab altero die Sabbati. 667.a
26. Ponam tabernaculum meum in medio. 743.b 420.e

EX NVMERIS.

Cap. 1. Quid æmularis pro me. 275.a
5. Sin autem declinaſti à viro tuo. 256.d
10. Fac tibi duas tubas argenteas. 610.a
11. Quis dabit nobis ad veſcendum carnes. 531.d
14. Attamen omnes homines qui. 533.c
15. Cùm veneritis in terram quam dabo vobis. 295.e
20. Tulit Moyſes virgam. 530.b
21. Tædere cœpit populum itineris. 533.b
Miſit Dominus in populum ignitos. 534.a
23. Non eſt Deus, vt homo vt mentiatur. 122.e
25. Fornicatus eſt populus cũ filiabus Moab. 533.c
29. In die octaua collectio erit vobis. 664.c
33. Erunt vobis quaſi claui in oculis. 805.d

EX DEVTERONOMIO.

Cap. 4. Non addetis ad verbum quod ego loquor vobis. 29.a

Dilexit patres tuos,& elegit ſemen. 254.c
Ne fortè eleuatis oculis ad cælum videat Solem. 94.c
5. Quis det talem eos habere mentem. 228.d
6. Audi Iſrael Dominus Deus noſter. 503.c
7. Te elegit Dominus Deus tuus. 121.c
Non eſt alia natio tam grandis. 121.c
10. Patribus tuis conglutinatus eſt Dominus. 254.c
Circumcidite igitur præputium cordis. 117.d
12. Quod præcipio tibi hoc tantùm facito. 29.a
13. Auferes malum de medio tui. 449.e
15. Omnino indigens & mendicus non erit inter vos. 16.d
Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ. 16.d
16. Et in die ſeptima,quia collecta eſt. 664.c
17. In ore duorum,aut trium. 619.c
Qui ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio. 26.e
18. Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum. 136.b,350.c
Prophetam de Gente tua & de fratribus tuis, ſicut me. 136.c
28. Adducet Dominus ſuper gentem. 616.d
Ipſe erit in caput & tu eris in caudam. 49.e
29. Et non dedit vobis Dominus cor. 292.c
30. Ne dixeris in corde tuo, quis aſcendet in cælum. 129.c
31. Tollite librum & ponite in latere arcæ. 48.c
32. Nonne ideo quia Deus ſuus vendidit eos. 206.b
Prouocauerunt eum in diis alienis. 540.c
Nunquid non ipſe eſt pater tuus. 230.a
Vbi ſunt dij eorum in quibus habebant. 540.c
Dereliquit Deum factorem ſuum. 532.c
Quando diuidebat altiſſimus gentes. 121.c
Deum qui te genuit dereliquiſti. 96.c
33. Dilexit populos omnes,ſancti in manu. 160.d
52. Quando diuidebat altiſſimus gentes. 743.c

EX LIBRO IVDICVM.

Cap. 19. Venerunt filij ciuitatis illius filij Belial. 742.a

EX LIBRO I. REGVM.

Cap. 3. Quæ nobis pars in Dauid. 742.c
Indicauit ei Samuel vniuerſos ſermones. 250.c
10. Num & Saul inter Prophetas. 606.c
16. Homo videt quæ patent, Deus intuetur cor. 103.a
20. Non enim nobis pax in Dauid. 742.c.d
21. Poſuit Dauid ſermones iſtos in corde ſuo. 887.a
Dimittam reliquias hæreditatis meæ. 264.a

EX LIBRO II. REGVM.

Cap. 12. Peccaui Domino. 338.a

EX LIBRO III. REGVM.

Cap. 4. Sapientiam multam nimis & latitudinem. 741.e
8. Tu noſti ſolus cor omnium filiorum. 103.b
11. Cùm iam eſſet ſenex deprauatum eſt cor. 97.d
15. Et fecit Aſa rectum ante conſpectum. 501.b
18. Cúmque eſſet Abdias in via, Elias occurrit. 618.c
Dentur nobis duo boues. 580 c
Incidebant ſe iuxta ritum ſuum cultris. 95.b
Vſquequo claudicatio in duas partes. 539.
19. Zelo zelatus ſum pro Domino Deo. 274.b
21. Benedixit Naboth Deum. 315.
Qui venundatus eſt vt faceret malum. 206.c

EX LIBRO IV. REGVM.

Cap. 4. In tempore iſto, & in hac eadem hora. 256.d
5. Nonne ſpiritus meus tecum erat in via. 442.
16. Inſuper & filium ſuum conſecrauit. 539.e

EX LIBRO I. PARALYPOMENON.

Cap. 28. Omnia enim corda ſcrutatur Dominus. 103.b
vlt. Tua ſunt omnia. 302.a

EX LIBRO II. PARALYPOMENON.

Cap. 7. Fecitque in die octauo collectam. 664.c
16. Oculi Domini contemplantur vniuerſam terram. 86.d
36. Suſcitauit Deus ſpiritum regis Perſarum. 262.d
Multiplicati ſunt ſuper capillos. 252.c

EX LIBRO I. ESDRÆ.

Cap. 7. Literas Eſdræ Sacerdoti ſcribæ erudito, 383.c

EX LIBRO III. ESDRÆ.

Cap. 4. Et non eſt in iudicio eius iniquum. 637.c

EX LIBRO TOBIÆ.

Cap. 1. Cúmque eſſet iunior omnibus in tribu Nephtali. 599.e
4. Quomodo potueris,ita eſto miſericors. 756.d
12 Quia acceptus erat Deo neceſſe fuit. 536.c

EX LIBRO IVDITH.

Cap. 2. Habuit cum eis myſterium conſilij. 299.a
8. Non eſt iſte ſermo qui miſericordiam. 533.d

EX LIBRO ESTHER.

Cap. 3. Appendam arcariis gazæ tuæ decem. 365.
13. Domine rex omnipotens in ditione tua omnia 264.a
14. Ne tradas Domine ſceptrum tuum iis qui non ſunt. 153.d

EX LIBRO IOB.

Cap. 1. Ne fortè peccarint filij,& benedixerint. 315.a
2. Pellem pro pelle dabit homo. 170.d
Adhuc permanes in ſimplicitate tua. 757.d
4. Vocem quaſi auræ lenis audiui. 205.a
Porrò ad me dictum eſt verbum abſconditum. 694.c
5. Qui apprehendit ſapientes in aſtutia eorum. 422.c
6. Vtinam appenderentur peccata mea. 232.c
7. Militia eſt vita hominis ſuper terram. 775.a
9. Verè ſcio quòd ita ſit, quòd non iuſtificetur. 111.c
Si iuſtificare me voluero. ibid.
Dies mei velociùs tranſierunt. 490.e
Si venerit ad me non videbo eum. 817.c
Si flagellat,occidat ſemel. 183.e
Qui tranſtulit montes & neſcierunt. 294.a
12. Interroga iumenta & docebunt. 91.a
13. Numquid Deus indiget veſtro mendacio. 637.c
14. Lignum habet ſpem,ſi præciſum fuerit. 234.b

16. Ec.c

16. Ecce enim in cœlo teſtis meus & cōſcius meus. 103.b
19. Quis præparat coruo eſcam ſuam. 314.c
Rurſum circumdabor pelle mea. 686.d
24. Dedit ei Deus locum pœnitentiæ. 105.a
Ipſi fuerunt rebelles lumini,neſcierunt. 330.a
31. Si vidi ſolem cùm fulgeret & lunam. 289.c
Quid faciam quando venerit. 817.c
34. Abſit à Deo impietas & ab omnipotente. 125.e
Conteret multos innumerabiles. 294.d
35. Porrò ſi iuſtè egeris quid donabis ei. 302.e
Qui docet nos ſuper iumenta terræ. 90.a
36. Omnes homines vident eum. 91.a
38. Quis eſt pluuiæ pater. 76.d
Pluuiæ pater. 677.a
41. Quis antea dedit mihi. 302.a
vlt. Ago pœnitentiam in fauilla. 750.a
Vt nobis non imputetur ſtultitia. 143.b

EX PSALMIS.

Cap. 1. Beatus vir qui non abiit in conſilio. 746.d
Et in cathedra peſtilentiæ. 621.e
In lege Domini voluntas eius. 186.e
Ideo non reſurgunt impij in iudicio. 630.b,641.d
Nouit Dominus viam iuſtorum. 241.d
2. Ego autem conſtitutus ſum rex.
Virga directionis. 28.c
Poſtula à me & dabo tibi gentes. 642.b,338.e
Reges eos in virga ferrea. 28.b
Seruite Domino in timore. 754.a
4. Filij hominum vſquequo graui corde. 412.d
Vt quid diligitis vanitatem. 95.b
5. Manè adſtabo tibi & videbo. 600.c
Virum ſanguinum & doloſum. 78.a
7. Arcum ſuum tetendit & parauit. 9.a
8. Conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. 644.b
11. Propter miſericordiam inopum & gemitum pauperum. 133.b
13. Dixit inſipiens in corde ſuo. 127.d
Quoniam Dominus ſpes eius eſt. 234.b
Quorum os maledictione plenum eſt. 127.c
14. Doce me facere voluntatem tuam. 301.
15. Non relinques animam meam in inferno. 638.d
Adimplebis me lætitia. 600.c
16. Satiabor cùm apparuerit gloria tua. 600.c
17. Diligam te Deus fortitudo mea. 677.b
In te eripiar à tentatione. 132.b,808.e
Qui perfecit pedes meos quaſi ceruorum. 281.d
Clamauerunt nec erat qui ſaluos. 279.c
In auditu auris obediuit mihi. 79.a
Propterea confitebor tibi in gentibus Domine. 350.d
Non ſunt loquelæ neque ſermones. 365.
18. Cæli enarrant gloriam Dei. 91.a
In omnem terram exiuit ſonus eorum. 44.c
Nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius. 244.a
Lex Domini immaculata,conuertens animas. 204.d 382.c,204.d,187.d
Præceptum Domini lucidum. 201.b
Delicta quis intelligit. 429.b,817.b
Et erunt vt complaceant eloquia oris mei. 122.a
20. Præueniſti eum in benedictionibus. 78.a
21. Deus Deus meus reſpice in me. 181.d, 733.c, 243.c
22. Dominus regit me. 28.b
Vias tuas demonſtra mihi. 502.d
26. Dominus illuminatio mea & ſalus mea. 390.a, 677.b
Vnam petij à Domino. 600.c,602.c
30. In te Domine ſperaui non confundar. 160.a
33. Accedite ad eum & illuminamini. 95.c
Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt. 307.c
Multæ tribulationes iuſtorum. 677.d,243.b
34. Et Angelus Domini perſequens eos. 534.d
35. Non eſt timor Dei ante oculos eorum. 117.c
36. Iuſti autem hæreditabunt terram. 231.e
Declina à malo & fac bonum. 825.b
Nouit Dominus dies immaculatorum. 241.e
Declina à malo & fac bonum. 306.d
37. Immolarunt filios ſuos & filias. 539.c
38. Vniuerſa vanitas,omnis homo viuens. 233.c, 123.a
39. Ego autem mendicus ſum , & pauper. 15.d, 491.d
41. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. 691.a
43. In te inimicos noſtros ventilabimus cornu. 132.b
Vendidiſti populum tuum ſine pretio. 206.b
44. Lingua mea calamus ſcribæ. 701.c
Virga directionis virga regni tui. 438.a
Omnis gloria eius filiæ regis ab intus. 365.d
Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij. 4.c,23.d,326.e
45. Deus noſter refugium & virtus. 535.c
Transferuntur montes in cor maris. 86.b
46. Rex omnis terræ Deus. 135.b
49. Non accipiam de domo tua vitulos. 302.c
Inuoca me in die tribulationis. 748.a,314.d
Exiſtimaſti iniquè,quod ero ſimilis tui. 459.e
50. Tibi ſoli peccaui. 123.c,338.a
Vt iuſtificeris & vincas cùm iudicaris. 123.a,616.d
52. Qui hominibus placent,confuſi ſunt. 347.e
54. Diuiſi ſunt ab ira vultus eius. 583.e
57. Lætabitur iuſtus cùm viderit. 826.d
58. Diſperge illos in virtute. 85.d
59. Oſtendiſti populo tuo dura. 292.a
61. Diuitiæ ſi affluant , nolite cor apponere. 490.d.
64. Te decet hymnus Deus in Sion. 290.b
Induti ſunt arietes ouium. 331.d
65. Tranſiuimus per ignem. 646.e
67. Dominus dabit verbum euangelizantibus. 395.b
Vt excludant eos qui probati ſunt argento. 134.e
68. Multiplicati ſunt ſuper capillos. 252.c
Non me demergat tempeſtas aquæ. 693.b
Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum. 271.d
Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum. 98.a
70. Confitebor tibi in vaſis Pſalmi. 9.a
71. Suſcipiant montes pacem populo. 86.a
Orietur in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis. 158.a
Et dominabitur à mari vſque ad mare. 48.d
Benedictus Dominus Deus Iſrael. 35.e
76. Memor fui operum Domini,quia memor ero. 140.d
77. In iram concitauerunt eum in collibus. 540.e
Et tentauerunt Deum in cordibus. 533.c
Non crediderunt Deo nec ſperauerunt. 122.c
Recordatus eſt quia caro ſunt. 225.d
Suſtulit eum de gregibus. 30.a
Paſcere Iacob ſeruum ſuum. 28.b
78. Signa noſtra non vidimus iam non eſt propheta. 385.a
80. Dimiſit eos ſecundùm deſideria cordis eorum. 94.d
Buccinate in Neomenia tuba. 610.b
81. Ego dixi:Dij eſtis. 502.b
82. Qui dicunt hæreditate poſſideamus. 251.c
83. Ibunt de virtute in virtutem. 87.c

85. Deus

Digitized by Google

85. Deus multæ miſericordiæ & verax. 122.c
88. Miſericordias Domini in æternum cantabo. 657.e
90. Ipſe liberabit te de laqueo venantium. 24.c
Cum ipſo ſum in tribulatione. 748.a.677.c
Et oſtendam illi ſalutare meum. 600.c
93. Dominus ſcit cogitationes hominum. 423.a
Qui docet hominem ſcientiam. 90.a
Non repellet Dominus plebem ſuam. 288.a
94. Sicut in irritatione ſecundùm diem. 533.b
95. Omnes dij gentium dæmonia. 50 .c
96. Ignis ante ipſum præcedet. 417.e
98. Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius & Samuel. 41.a,279.a
100. Miſericordiam & iudicium cantabo tibi.267.b 297.c
102. Quomodo miſeretur Pater filiorum. 677.c
Longanimis & multùm miſericors. 104.d
Miſericordia autem Domini ab æterno. 758.d
103. Domine Deus meus magnificatus es. 503.c
105. Et fecerunt vitulum in Horeb. 532.b,94.a
Mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem. 93.e
Obliti ſunt Deum qui ſaluauit eos. 96.d
Stetit Phinees & placauit & ceſſauit quaſſatio. 143.a
106. Qui deſcendunt mare in nauibus. 646.c
108. Perſecutus eſt hominem pauperem. 15.d
109. Dixit Dominus Domino meo. 642.d
Sede à dextris meis. 339.a
110. Virtutem operum ſuorum annunciabit. 805.e
111. Gloria & diuitiæ in domo eius. 108.d
Diſperſit, dedit pauperibus. 758.c,770.b
115. Credidi propter quod locutus ſum. 402.c
Ego dixi in exceſſu meo, omnis homo mendax. 123.d,e
Ego ſeruus ancillæ tuæ. 73.b
116. Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia. 350.e
117. Bonum eſt confidere in Domino. 471.d
Factus eſt mihi in ſalutem. 122.c
118. Beati qui ſerutantur teſtimonia. 48.b
Concupiuit anima mea deſiderare. 531.b
Loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu. 388.e
Pax multa diligentibus legem tuam. 224.b,158.e
Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua. 112.a
Lucerna pedibus meis verbum tuum. 201.c
Confirma me in verbis tuis. 375.b
119. Apud Dominum miſericordia. 131.a
125. Cuius participatio eius in idipſum. 365.d
127. Labores manuum tuarum, quia. 661.b
131. Illuc producam cornu Dauid. 86.a
132. Sicut vnguentum in capite quod deſcendit. 557.b
134. Qui producit ventos de theſauris ſuis. 104.e
135. Qui facit mirabilia magna ſolus. 35.e
138. Nimis honorati ſunt amici tui Deus. 108.d
Si aſcendero in cælum tu illic es, ſi. 594.d
139. Venenum aſpidum ſub labiis eorum. 127.e
140. Oleum autem peccatoris non. 434.e
141. Tu es ſpes mea. 234.b
142. Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. 430.a,c
144. Oculi omnium in te ſperant. 234.b
146. Qui numerat multitudinem ſtellarum. 154.b
Qui producit in montibus fœnum. 514.e
147. Qui poſuit fines tuos pacem. 108.d
Velociter currit ſermo eius. 281.
Qui annunciat verbum ſuum Iacob. 108.109.d
Non fecit taliter omni nationi. 121.d
Iudicia ſua non manifeſtauit eis. 254.

EX PROVERBIIS.

Cap. 1. Audiens ſapiens ſapientior erit. 400.b
Vt detur paruulis aſtutia. 422.d
2. Lætantur cùm malefecerint. 315.d
3. Ne dicas amico, vade & reuertere. 314.a
Ne ſis ſapiens apud temetipſum. 316.e
6. Teſtem fallacem odit Dominus. 637.c
Quia mandatum lucerna eſt. 201.
Vſquequò piger dormies. 229.d
8. Dominus poſſedit me in initio viarum. 386.c
9. Aquæ furtiuæ dulciores, & panis abſconditus. 97.b,175.c
Sapientia ædificauit ſibi domum. 292.d
Sapientia immolauit victimas ſuas. 540.d
10. Filius ſapiens lætificat patrem. 683.c,812.e
12. Nouit iuſtus iumentorum ſuorum animas. 758.d
13. Amicus ſtultorum ſimilis efficietur. 793.d
Qui parcit virgæ, odit filium ſuum. 438.b
14. Septies in die cadit iuſtus & reſurgit. 430.c
15. Secura mens quaſi iuge conuiuium. 158.c
16. Cor hominis diſponit viam ſuam. 667.a
Spirituum ponderator eſt Deus. 431.b,23.c
Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam. 780.b
Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam. 780.
17. Plus proficit correctio ad prudentiam. 690.b
Stultus ſi tacuerit ſapiens reputabitur. 143.b
Qui iuſtificat impium. 111.e
19. Inſipientia viri violat vias eius. 264.b
20. Aurem audientem & oculum videntem. 400.c
Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum. 817.a 126.c
Sicut canis qui reuertitur ad vomitum. 182.d
Peſtilente flagellato ſtultus. 826.d
Hæreditas ad quam feſtinatur. 231.e
21. Omnis vir videtur ſibi iuſtus. 419.c
Mulctato peſtilente ſapientior. 826.d
Deſideria occidunt pigrum. 759.c
22. Melius eſt nomen bonum quàm diuitiæ. 763.b
25. Sicut qui mel multum comedit. 310.e
26. Vidiſti hominem ſapientem ſibi videre. 316.b, 500.c
27. Meliora ſunt vulnera diligentis. 250.b
Melior eſt correptio manifeſta, quàm amor. 690.b
Corona ſenum filij filiorum. 683.c
28. Beatus eſt homo qui ſemper eſt pauidus. 712.a
vlt. Mulierem fortem quis inueniet. 78.a

EX ECCLESIASTE.

Cap. 1. Vanitas vanitatum. 123.a
Neſcit homo vtrùm amore an odio. 817.e
3. Vnus interitus eſt hominis & iumentorum. 653.c
7. Non eſt homo iuſtus in terra. 126.d
Non eſt homo qui non peccet. 430.c

EX CANTICO CANTICORVM.

Cap. 1. Trahe me poſt te. 695.e
2. Capite nobis vulpes paruulas. 685.e
Introduxit me in cellam vinariam. 541.c
4. Odor vnguentorum tuorum. 695.e
Hortus concluſus, fons ſignatus. 414.e
5. Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos. 182.d,281.d
6. Terribilis vt caſtrorum acies ordinata. 625.e
7. Quid videbis in Sunamite, niſi choros. 316.e
Et odor oris tui. 695.e
8. Si murus eſt, ædificemus propugnacula. 401.e
Fortis eſt vt mors dilectio. 274.c,785.b,246.b
11. Odor veſtimentorum tuorum. 695.e

EX

EX SAPIENTIA.

Cap. 1. Et in ſimplicitate cordis quærite illum. 757.d
2. Venite ergo & fruamur bonis quæ ſiunt. 648.
Filium Dei ſe nominat, morte turpiſſima. 399.e
Deus creauit hominem inexterminabilem. 165.a
Imitaotur autem illum qui ſunt ex parte. 791.e, 167.e
3. Iudicabunt iuſti nationes, & dominabuntur. 454.e, 502.b
4. Senectus venerabilis eſt, non diuturna. 599.d
5. Tunc ſtabunt in magna conſtantia. 278.e
Pœnitentiam agentes & præ auguſtia. 750.d
Ergo errauimus à via veritatis. 212.b
Spes impij taoquam lanugo, quæ à vento. 490.e
6. Non ſubtrahet perſonam cuiuſquam Deus. 108.e
Quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis 322.e
Concupiſcentia Sapientiæ deducit ad regnum. 531.b
7. Suauis eſt ſpiritus Domini. 438.e
Candor eſt lucis æternæ ſpeculum. 707.
9 Quia enim hominum poterit ſcire conſilium. 405.b, 302.c
Senſum autem tuum quis ſciet. 302.e
Mitte illam de cœlis ſanctis tuis. 635.d
Corpus quod corrumpitur aggrauat animam. 233.d
Timidæ ſunt cogitationes mortalium. 23.e
11. Misereris omoium quia omnia potes. 105.a
12. Nolite declinate poſt vana. 93.e
Quis imputabit tibi, ſi perierint omnes nationes terræ. 143.b
13. Vani ſunt homines in quibus non ſubeſt ſcientia. 91.a, 93.e
Irritaueruot in vanitatibus ſuis. 93.e
14. Lignis & lapidibus impoſuerunt nomen incommutabile Dei. 95.
Suffecerat eos errare circa Dei ſcientiam. 98.a
Initium omnis fornicationis eſt exquiſitio Idolorum. 98.b
15. Sed & figulus mollem terram premens. 264.e
16. Angelorum eſca outriuiſti populum tuum. 529.e

EX ECCLESIASTICO.

Cap. 1. Initium ſapientiæ timor Domini. 252.d
Timor Domini expellit peccatom. 228.
2. Nullus ſperauit in Domino & confuſus eſt. 160.a
3. Sicut aqua extinguit ignem. 760.a
Altiora te ne quæſieris. 310.b
4. Declina pauperi ſine triſtitia. 311.e
5. De propiaio peccato ooli eſſe ſine metu. 817.a
10. Seruo ſapienti liberi ſeruiunt. 485.e
11. Bona & mala mors & vita Deo ſunt. 166.b
15. Ecce enim ignis & aqua, ad quod voles. 438.d
Ante hominem vita & mors, bonum & malum. 190.e
17. Eleemoſyna viri gratiam hominis. 757.b
Perde pecuniam propter fratres. 757.b
Vnicuique mandauit Deus de proximo. 541.b
18. Poſt concupiſcentias tuas ne eas. 200.e
Si præſtes animæ tuæ. 531.e
In bonis nun des querelam. 311.e
Ne verearis vſque ad mortem iuſtificari. 110.e
19. Melior eſt homo qui minuitur ſapientia. 310.b
Sagitta infixa in fœmore carnis. 805.e
20. Sapiens in verbis producet ſeipſum. 804.e
24. Dominus creauit me opera ſua. 89.b
Adhuc doctrinam quaſi prophetiam. 607.e
Qui tentatus non eſt, qualia ſcit. 536.b
25. In omni dato hilarem fac vultum. 770.b
27. Denudare amici myſteria. 299.a
34. Qui baptizatur à mortuo, & iterum. 182.d
35. In omni dato hilarem fac vultum. 311.e
38. Et non inhabitabunt nec inambulabunt, & in Eccleſia oon tranſilient. 54.d

EX ISAIA.

Cap. 1. Filios enutriui & exaltaui. 253.e
2. De Sion exibit lex. 39.b
Docebit nos vias ſuas. 350.c
3. Venit ad iudicandum Dominus. 455.a
Dicite iuſto quoniam bene. 661.b, 797.e
Auferet à Ieruſalem & à Iuda validum. 557.d
5. Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris. 316.d
Iuſtificatis impium pro muneribus. 140.b
Cantabo dilecto meo canticum. 513.b
6. Excæca cor populi huius. 292.c
7. Vocabitur nomen eius Emanuel. 255.e
8. Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo. 281.c
9. Quid potui facere vineæ meæ. 616.d
Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit. 41.d
11. Habitabit lupus cum agno. 95.b
Et replebit eum ſpiritus timoris Domini. 128.d
18. Omnes habitatores orbis qui moramini in terra. 658.a
Obſecro Domine memento quæſo, quomodo. 223.e
19. Concurrere faciam Ægyptios contra Ægyptios. 685.e
22. Et ecce gaudium, & lætitia occidere vitulos. 648.d
25. Præcipitauit mortem in ſempiternum. 858.d
26. Viuent mortui tui. 658.d
27. Et iſte omnis fructus, vt denudetur. 299.d
28. In loquela enim labij. 616.b
29. Carmel in ſaltum reputabitur. 143.b
Miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis. 292.e
30. Rorate cœli deſuper & nubes pluant Iuſtum. 86.d
Qui lux Lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis. 233.a
Expectat vos Deus, vt miſereatur veſtri. 105.a
31. Ecce dies veniunt dicit Dominus & feriam. 229.d
32. Et erit opus iuſtitiæ pax & cultus. 188.e
38. Obſecro memento quæſo quomodo ambulauerim. 782.b
40. Vox clamantis in deſerto. 660.d
Non eſt inueſtigatio ſapientiæ eius. 302.a
Quis adiuuit ſpiritum Domini. 302.b
41. Annuntiate nobis quæ ventura ſunt. 618.a
42. Non clamabit neque contendet. 775.b
43. Dedi in deſerto aquas. 550.a
45. Væ qui contradicit factori ſuo. 264.e
46. Conſilium meum ſtabit. 240.c
47. Vltionem capiam & non reſiſtet mihi homo. 264.e
48. Vtinam attendiſſes Iſrael mandata mea. 264.e
49. Ecce dedi te in lucem gentium. 736.e, 339.a
Seruaoi te & dedi te in fœdus populi. 736.c
Dominus ab vtero vocauit me. 74.e
Conſilium meum ſtabit. 264.e
50. Corpus meum dedi percutientibus. 557.b
51. Quàm pulchri ſuper montes. 280.e
52. Quibus non annunciatum eſt de ipſo videbunt. 399.d
Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem. 8[illegible].e
Venite ſumamus vinum & impleamur. 648.d
Quoniam non in tumultu exibitis. 743.

Rece

Recedite,recedite,exite inde paululum. 743.d
53. Poſuit in eo iniquitates omnium noſtrũ. 733.e
181.d,253.a
Si poſuerit pro peccato animam ſuam. 163.b
Languores noſtros ipſe tulit. 347.b
Ecce teſtem populis dedi eum. 2.e
58. Frange eſurienti panem tuum, 564.d
Clama ne ceſſes quaſi tuba. 657.d
Si dimiſeris extendere digitum. 9.c
63. Quis eſt iſte qui venit de Edom. 258.a
Tu enim pater noſter & Abraham. 241.d
Tu enim pater noſter, & Abraham neſciuit nos.
250.a
64. Oculus non vidit,nec auris audiuit. 399.e
Facti ſumus vt immundi omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ. 48.b
65. Qui ponitis fortunæ menſam & libatis, 540.d
Tota die expandi manus. 264.c
Ecce ego creo cælos nouos. 233.a

EX IEREMIA.

Cap. 1. Priuſquam te formarem in vtero noui te.
74.d
Noli dicere puer ſum. 23.d
2. Ego plantaui te vineam electam. 513.b
Ambulauerunt poſt Idola. 96.d
Quid inuenerunt in me Patres. 532.d
Duo mala fecit populus meus,me dereliquerunt.
94.b,264.c
Nolite audire verba prophetarum. 791.d
Populus meus commutauit gloriam ſuam. 93.e
3. Iuſtificauit animam ſuam auerſatrix Iſrael. 111.c
Dominus iuſtus noſter, 129.e
4. Innouate vobis nouale & nolite ſerere. 117.b
9. Hæc dicit Dominus,non glorietur. 390.a
10. Quis non timebit te Rex gentium. 135.b
11. Oliuam vberem pulchram fructiferam. 296.c
14. Falsò prophetæ vaticinantur. 791.d
Nomen ſanctum tuum inuocatum eſt. 279.a
16. Ecce ego mittam venatores, 14.a
17. Scrutans corda & renes Deus. 401.d
Prauum eſt cor hominis. 401.c
Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile. 103.b
Diem hominis non deſideraui. 429.d
18. Si pœnitentiam egerit gens illa. 300.d
Nunquid ſicut figulus iſte non potero. 264.e
20. Seduxiſti me & ſeductus ſum. 739.c
23. Et in prophetis Ieruſalem vidi ſimilitudinem.
791.d
Malleus conterens petras. 777.c
Non mittebam prophetas. 282.a
Hoc eſt nomen quod vocabunt eum. 86.d
29. Non vos ſeducant prophetæ veſtri. 791.d
31. Dabo legem meam in viſceribus eorum. 220.c
Quieſcat vox à ploratu,& oculi tui. 740.e
Ecce dies veniunt dicit Dominus. 702.b
Poſtquam enim conuertiſti me,egi pœnitentiam.
190.e
32. Vt initiarent filios ſuos & filias. 539.c
48. Maledictus qui opera Dei facit negligenter.
495.c

EX THRENIS.

Cap. 3. Bonum eſt viro cum portauerit iugum.
57.c
4. Paruuli petierunt panem,& non erat. 564.d

EX BARVCH.

Cap. 4. Sicut fuit ſenſus veſter,vt erraretis à Deo.
188.d
6. Sacerdotes ſedent habentes tunicas. 556.a
Omnia quæ illis fiunt falſa ſunt, 502.d

EX EZECHIELE.

Cap. 2. Increduli & ſubuerſores ſunt tecum. 122.c
3. Domus Iſrael nolunt audire te,quia. 122.d
8. Et applicant ramum ad nares ſuas. 290.b
Emiſſa ſimilitudo manus apprehendit. 802.
13. Væ prophetis inſipientibus,qui. 230.e
16. Et tuliſti filios tuos,& filias tuas. 539.c
Viciſti ſorores tuas peccatis tuis. 111.c
18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis. 419.b
Anima quæ peccauerit ipſa morietur. 165.e
20. Dixit autem ad filios eorum in. 501.b
33. Viuo ego dicit Dominus, nolo mortem impij.
264.c
34. Suſcitabo ſuper eas paſtorem. 513.e
Væ paſtoribus Iſrael,qui paſcebant. 513.d
36. Recordamini viarum veſtrarum peſſimarum.
190.e
Auferam à vobis cor lapideum. 701.e
Dabo vobis cor nouum,& ſpiritum meum. 221.a
Et polluerunt eam in idolis ſuis. 501.c
Et ingreſſi ſunt ad gentes & polluerunt. 116.e
37. Et erit tabernaculum meum in eis. 743.b

EX DANIELE.

Cap. 2. Verè Deus veſter Deus deorum. 618.d
3. Poteſtas eius poteſtas æterna. 643.e
4. Peccata tua eleemoſynis redime. 718.e
Forſan Deus ignoſcet. 818.a
7. Aſpiciebam in viſione noctis & ecce. 339.a
Poteſtas eius,poteſtas æterna. 41.d
Fluuius egreditur de ore eius. 417.a
Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt. 455.a
9. Adducatur iuſtitia ſempiterna. 129.e
12. Qui ad iuſtitiam erudiunt multas. 417.d

EX OSEA.

Cap. 2. Lactabo eam & ducam in ſolitudinem.
739.d
4. Peccata populi comedent. 222.e,733.d
5. In die correptionis in tribubus Iſrael. 122.d
Vobis iudicium eſt,quoniam laqueus. 291.c
De ſemine tuo non dabis,vt conſecrentur. 539.c
6. Ipſi autem tranſgreſſi ſunt pactum,ſicut Adam.
167.a
7. Quieuit paululum Ciuitas à commiſtione fermenti. 446.e
8. Ipſi regnauerunt & non ex me. 322.a
9. Quaſi vuas in deſerto inueni Iſrael. 300.a
10. Seminate vobis in iuſtitia & metite in ore.
769.
11. Traham eos in funiculis Adam. 167.a
12. Seruiuit Iſrael in vxore,& in vxore ſeruauit.
95.c
13. Vitulos adorant. 290.a
Ero mors tua ô mors. 102.c,658.b
14. Conuertentur ſedentes in vmbra eius. 540.b

EX IOELE.

Cap. 2. Filiæ Sion lætamini in Domino. 350.d
Conuertimini ad me in toto corde. 750.a
Effundam ſpiritum meum in omnem carnem. 128.e
544.d,617.c

EX AMOS.

Cap. 3. Percutiam domum hyemalem ſuper domum æſtiuam, 170.d
6. Nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph.
796.d

Sicut

Digitized by Google

Sicut Dauid putauerunt ſe habere vaſa Cantici. 9.b
9. Vt poſſideam reliquias Idumeæ. 268.c

EX ABDIA.

Cap. 1. Et aſcendent Saluatores in montem. 520.d
Auditum audiuimus. 282.b

EX IONA.

Cap. 3. Quis ſcit ſi Deus miſereatur. 818.a
4. Et ego non parcam Niniue ciuitati. 514.d

EX MICHÆA.

Cap. 2. In vnum conducam reliquias Iſrael. 268.c
4. Et regnabit Dominus ſupra vos in monte. 643.e
6. Indicabo tibi ô homo, quid ſit bonum. 491.c
7. Periit ſanctus de terra. 126.c

EX NAHVM.

Cap. 1. Ecce ſuper montes pedes. 280 a
3. Vendidit gentes in fornicationibus ſuis. 206.b

EX HABACVC.

Cap. 2. Quid prodeſt ſculptile. 502.e
3. Domine audiui auditionem tuam. 282.b

EX SOPHONIA.

Cap. 1. Dies tubæ & clangoris. 658.a
2. Reliquiæ populi mei. 269.a

EX ZACHARIA.

Cap. 2. O ô fugite de terra Aquilonis. 743.b
Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam. 586.a
7. Cùm ieiunaretis & plangeretis in quinto. 543 e
9. Dominus Deus ſuper eos videbatur. 658.a
12. Confortabo eos in Domino. 223.e
13. Quoniam Adam exemptum meum ab adoleſcentia. 169.e

EX MALACHIA.

Cap. 1. Offertis ſuper altare meum panem pollutũ 540.d
Dilexi vos inquit Dominus. 254.e
3. Ipſe quaſi ignis conflans. 417.a
Ecce mitto Angelum meum ante faciem. 660.d
4. Ne fortè veniam & percutiam terram. 672.b

EX LIBRO I. MACHABÆORVM.

Cap. 1. Iuncti ſunt nationibus & venundati. 206.
2. Abraham nonne in tentatione inuentus eſt fidelis. 143.6
3. Expanderunt libros legis. 109.a

Finis Indicis locorum veteris Teſtamenti.

INDEX LOCORVM NOVI TESTAMENTI.

Numerus, paginam; Littera, locum in textu deſignat.

EX MATTHÆO.

Cap. 2. AVDIENS autem Herodes turbatus eſt. 126.d
Apertis theſauris. 104.e
3. In quo mihi bene complacui. 531.c
Potens eſt Deus ex lapidibus iſtis. 255.e,298.c
4. Ductus eſt Ieſus à ſpiritu. 228.a
Vobis datum eſt noſſe myſteria regni Dei. 594.a
Vade poſt me Sathana. 38.e
5. Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam. 314.e
Beati eſtis cùm maledixerint vobis. 740.d,797.e
Beati mundo corde. 501.e,600.e
Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra. 160.e, 314.b
Iota vnũ aut vnus apex non præteribit à lege. 127.e
Vos eſtis ſal terræ. 3.e
Non veni ſoluere legem. 276.d
Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum. 200.e
Eſtote perfecti ſicut Pater veſter. 12.e,e
Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos. 483.e, 324.d
Si quis te percuſſit in maxillam dextram.. 318.
Si quis voluerit tunicam tuam tollere. 458.c
Vos eſtis lux mundi. 733.c
Ego autem dico vobis quia omnis qui dimiſerit vxorem. 478.a
Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm. 447.e, 276.a,140.a
6. Attendite iuſtitiam veſtram. 313.a,758.d
Nolite ſoliciti eſſe dicentes, quid mãducabimus. 21.c
Primùm quærite regnum Dei. 341.e
Cum facis eleemoſynam noli tuba. 657.e
Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. 539.b
Fiat voluntas tua. 164.b
Ne nos inducas in tentationem. 535.a
Nolite theſaurizare vobis theſauros. 759.b
7. Attendite à falſis Prophetis. 363.b,792.c
Numquam noui vos. 614.e
Admirabantur turbæ ſuper doctrina. 383.d
Nolite iudicare & non iudicabimini. 340.b,430.d, 101.b
In nomine tuo prophetauimus. 24.b,6.a,37.e,588.d
A fructibus eorum cognoſcetis eos. 224 d,737 b
Diſcedite à me omnes qui operamini. 141.d,588.d
Non omnis qui dicit mihi Domine. 437.b,372.d, 279.a,528.a
Quæ ædificata eſt ſuper petram, & deſcendit. 414 d
Omnis qui audit verba mea hæc. 110.d
8. Ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus. 312 d
Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. 13.d
Vulpes foueas habent. 14 b
9. Creditis quia hoc poſſum facere vobis. 581.b
Miſericordiam volo non ſacrificium. 261.b,752.e
10. Cum perſequentur vos in ciuitate iſta. a
Non veni pacem mittere ſed gladium. 480.d,743.a
Eſtote prudentes ſicut ſerpentes. 786.b,364.d
Qui non tollit crucem ſuam 236 e

Si patremfamilias Beelzebub vocatis. 236.c
Dignus eſt operarius mercede ſua. 511.c,516.a
Gratis accepiſtis,gratis date. 515.c,19.b
Quod dico vobis in tenebris,dicite in lumine.397.a
Ecce ego mitto vos. 24.b
Nolite poſſidere aurum,neque argentum neque pecuniam. 18.d
Nolite timere eos qui occidunt corpus. 228.e
Cum autem tradent vos,nolite cogitare. 281.a, 607.b,13.d
Tradent vos in Conciliis. 19.c
Non enim vos eſtis qui loquimini.395.b,438.a61.b
Qui confitebitur me coram hominibus. 278.d
Qui dederit calicem aquæ frigidæ. 107.d
11. Tu es qui venturus es. 417.d
Pauperes euangelizantur. 388.a
Quid exiſtis in deſertum videre. 25.e
Diſcite à me omnes quia mitis ſum. 775.b
Inuenietis requiem animabus veſtris. 134.b
Iugum meum ſuaue eſt. 57.c,269.b
Sic placitum eſt ante te. 240.c
Terræ Sodomorum remiſſius erit in die iudicij. 109 c
12. Volumus à te ſignum videre. 385.a
Ex verbis tuis iuſtificaberis. 111.d
13. Simile eſt regnum cælorũ grano ſinapis. 594.d
Qui profert de theſauro ſuo noua. 104.c
Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio. 117.d
Vobis datum eſt noſſe myſteria regni Dei.298.e,3.a
Beati oculi qui vident. 25.e
Eructabo abſcondita à conſtitutione mundi. 91.a
15. Populus hic labiis me honorat. 312.c
Ad oues quæ perierunt domus Iſrael. 351.c,121.a, 350.d
Sinite illos,cæci ſunt & duces cæcorum. 212.b
Quare & vos tranſgredimini mandatum. 276.a
Nõ quod intrat per os coinquinat hominem. 746.c
Quæ autem procedunt de ore,de corde. 743.
Non exies inde donec reddas nouiſſimum. 187.e
16. Tu es Petrus & ſuper hanc petram. 414.d,38.e
Quodcumque ligaueris ſuper terram. 28.a
Pater mi,ſi poſſibile eſt,tranſeat à me. 348.c
Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. 492.e
Attendite à fermento Phariſæorum. 446 b
Qui vult venire poſt me. 16.b
Qui voluerit animam ſuam ſaluam facere. 16.b
17. Si habueritis fidem ſicut granum.581.e,594.c,d
18. Quæcumque ſolueritis ſupra terram. 694.c
Quæcumque alligaueritis ſuper terram. 39.b
Qui autem ſcandalizauerit vnum de. 504.c
Neceſſe eſt vt veniant ſcandala. 560.d
Videte ne contempſeritis vnum. 554.e
Adhibe tecum adhuc vnum,vel duos,vt in ore duorum. 815.e
Angeli eorum ſemper vident. 600.e
Niſi conuerſi fueritis & efficiamini ſicut paruuli. 615.d
Vbi ſunt duo vel tres congregati. 443.e
19. Si vis perfectus eſſe,vade & vende. 595.e
Quicumque dimiſerit vxorem ſuam niſi ob cauſam. 478.a
Si vis ad vitam ingredi. 276.d,483.b
Quos ergo Deus coniunxit,homo non. 487.c
Ecce nos reliquimus omnia. 12.d
Non omnes capiunt verbum iſtud. 486.d
Amen dico vobis quod vos qui reliquiſtis. 454.e
Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim. 454.c,30.e
Omnis qui reliquerit domum, vel fratres,vel ſorores. 16.c
20. Filius hominis non venit miniſtrari. 350.b,
Quicumque voluerit inter vos maior fieri. 326.d
21. Homo erat Paterfamilias qui plantauit vineam. 513.b
Hic eſt hæres venite occidamus eum. 399.c
22. In his duobus mandatis. 329.d
De reſurrectione autem mortuorũ nõ legiſtis.638.d
Non reſpicis perſonam hominis. 108.a
23. Ecce ego mitto ad vos Prophetas. 383.b
Super Cathedram Moyſi ſederunt. 281.c,383.d, 258.e,621.c
Quid vides feſtucam in oculo fratris. 431.d
Quoties volui congregare filios. 264.c
Alligant enim onera grauia. 28.b
Fidelis ſeruus & prudens quem conſtituit. 32.b
24. Cum videritis abominationem. 233.c
Prædicabitur Euangelium hoc in omnibus gentibus. 374.c,184.a
Non fieret ſalua omnis caro. 128.c
Si ſciret Paterfamilias qua hora fur. 669.c
Vigilate quia neſcitis qua hora. 669.c
25. Ecce ſponſus venit. 786.c
Quãdiu feciſtis vni de his fratrib.295.a,506.c,733.d
Euge ſerue bone & fidelis quia ſuper. 417.e
Poſſidete regnum. Eſuriui enim. 231.e
Vnicuique ſecundum propriam virtutem. 309.d
Amen dico vobis,neſcio. 624.c
Infirmus fui & viſitaſtis me. 312.a
26. Væ homini illi per quem filius hominis tradetur. 284.e
Bonum erat ei,ſi natus non fuiſſet. 471.d
Væ homini illi per quem ſcandalum. 322.b
An putas quia non poſſum rogare Patrem. 775.c
28. Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo. 338.c, 279.c,642.b
Euntes docete omnes gentes. 282.b,703.c.267.d, 86.e,3.c
Signa autem eos,qui crediderint. 576.a
Super ægros manus imponent. 10.a
Ecce vobiſcũ ſum vſque ad conſummationẽ. 644.a

EX MARCO,

Cap. 1. Non ſum dignus procumbens ſoluere corrigiam. 702.b
Et profecutus eſt eum Simon. 5.c
3. Quos voluit & Apoſtolos nominauit. 2.c
Fecit vt eſſent duodecim cum illo & vt mitteret eos prædicare. 2.c
Duodecim elegit vt eſſent cum illo. 2.c
6. Non licet tibi habere vxorem fratris. 250.a
Non poterat ibi virtutem vllam facere. 581.b
Erat enim cor eorum obcæcatum. 291.a
7. Omne extrinſecus introiens in hominem.340.d
10. Poteſtis bibere calicem quẽ ego bibiturus.646.c
12. Nec enim iudicas in faciem. 108.a
13. Quales non fuerunt ab initio creaturæ, 91.a
Fecit vt eſſent duodecim cum eo. 31.e
Interrogabãt eum Petrus & Iacobus & Ioannes. 4.d
14. Abba Pater omnia tibi poſſibilia ſunt. 229.e, 298.c
Qui pro multis effundetur. 223.a
Cœperunt quidam conſpuere eum & velare. 434.a
16. Dicite diſcipulis eius & Petro. 5.c
vlt.Recumbentibus vndecim diſcipulis. 633.b
Illi autem præfecti prædicauerunt vbique. 36.b, 898.a,239.a,581.d,374.582.a
Prædicate Euangeliũ omni creaturæ.133.b,86.c.25.b
Qui crediderit & baptizatus fuerit. 86.c

EX LVCA.

Cap. 1. Erexit cornu ſalutis. 86.a
Inueniſti gratiam apud Deum. 139.b
Hic erit magnus coram Domino. 26.d

Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum. 269 d,128.c
Quia reſpexit humilitatem. 782.b
Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. 423.d
Et diuites dimiſit ioanes. 634.d
Exibant dæmonia à multis. 10.a
2. Videamus hoc verbum. 269.d
Poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem.271.d,481.a
3. Sicut Moyſes exaltauit ſerpenté in deſerto. 130.e
Qui habet duas tunicas. 17.d
4. Agebatur à ſpiritu. 228.a
5. Exi à me Domine. 14.d
6. Date & dabitur vobis. 760.d
Virtus de illo exibat & ſanabat omnes. 530.d
Qui abſtulerit tua,noli repetere. 458.c
Nolite iudicare & non iudicabimini. 102.a
Perfectus autem omnis erit,ſi ſit magiſter. 266.c
Si diligitis eos qui vos diligunt. 517.d
7. Phariſæi & legis periti. 383.d
Iuſtificauerunt Dominum baptizati baptiſmo Ioannis. 111.d
8. Nõ admiſit quemquam ſe ſequi,niſi Petrum. 4.d
Io corde bono & optimo audientes verbum. 737.d
Fructum afferunt in patientia. 106.c
Dixit Petrus & qui in illo erant. 5.e
9. Qui erubuerit me & ſermones meos. 278.d
Egreſſi autem circuibant per caſtella. 32.c
10. In quamcumque domum intraueritis dicite, pax. 80.c
Dignus eſt operatius mercede ſua. 19.b,144.c
Qui vos audit me audit. 28.c
In eadem autem domo manete. 511.16.c
Manducate quæ apponuntur vobis. 17.c
Deſignauit Dominus & alios. 30.e
Confiteor tibi Pater. 676.e
Etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis. 32.c
Hoc fac & viues. 760.b
Si vis perfectus eſſe vade & vende. 760.c
Ecce ego mitto vos ſicut oues. 19.c
Seruus qui cognouit voluntatem Domini. 109.c
Optimam partem elegit. 471.d
11. Si in Beelzebub eiicio dæmonia. 594.d
Si oculus tuus ſimplex fuerit. 181.b
12. Magiſter dic fratri meo vt diuidat mecũ. 455.c
Date eleemoſynam & omnia munda ſunt. 772.e
Facite vobis ſacculos qui non. 759.b
Vendite quæ poſſidetis. 759.b
Et vos ſimiles hominibus expectantibus. 375.
Quis putas eſt fidelis diſpenſator. 428.a
Complacuit patri veſtro dare vobis. 240.c
Baptiſmo habeo baptizari. 646.e
Principes gentium dominantur eorum. 431.d
13. Multi ab oriente venient & recumbent. 152.e
Simile eſt regnum cælorum grano ſynapis. 85.c
14. Exi citò in plateas & vicos ciuitatis. 388.b
Si quis venit ad me. 259.d
Cum facis prandium,aut cœnam. 312.d
15. Epulari autem & gaudere oportebat. 447.c
16. Facite vobis amicos de mammona. 759.b
Vos eſtis qui iuſtificatis vos ipſos coram hominib. 140.b
Per vnum qui præerat omnes reſpondere. 5.a
Redde rationem villicationis tuæ. 418.c
17. Cùm feceritis hæc omnia,dicite,ſerui. 792.b, 140.e,818.c
18. Quæ impoſſibilia ſunt apud homines. 298.b
Oportet ſemper orare. 237.e,83.c
19. Ecce dimidium bonorum meorum de pauperibus. 13.d
Ab eo autem qui non habet. 267.c
Non relinquet in te lapidem. 271.b
20. Non enim reſpicis perſonam. 108.d
21. His autem fieri incipientib.reſpicite.235.e,73.d
Certi ſunt omnes Ioannem eſſe Prophetam. 820.b
Ponite ergo in cordibus veſtris non. 777.d
In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. 106.c
22. Ego autem in medio veſtri ſum. 350.b
Hoc facite in meam commemorationem. 10.e,25.b
Hic calix nouum Teſtamentum eſt. 568.b
Et ego diſpono vobis,ſicut diſpoſuit mihi. 454.c
24. Oportuit Chriſtum pati. 232.b,632.b
Palpate & videte,quia ſpiritus carnem,& oſſa. 222.b
26. Prudentiores filij huius ſeculi 224.b

EX IOANNE.

Cap. 1. Omnia per ipſum facta ſunt. 250.c
Erat lux vera. 30.e
Fuit homo miſſus à Deo. 1.b
Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. 268.c
Qoicumque receperunt eum, dedit eis poteſtatem. 389.c
Confeſſus eſt & non negauit.
Lux per Moyſem data eſt, gratia & veritas per Ieſum. 703.d
De plenitudine Chriſti omnes accepimus. 170.a
Ecce agnus Dei,ecce qui tollit. 170.e
Scimus quia omnis qui natus eſt ex Deo. 598.b
Deum nemo vidit vnquam. 696.a
Rabbi,ſcimus quia à Deo veniſti magiſter. 36.a
Ecce verè Iſraelita in quo dolus non eſt. 254.d
Medius veſtrum ſtetit,quem vos neſcitis. 158.e
Tu vocaberis Cephas. 38.c
Quod fuit ab initio quod andiuimus. 374.d
2. Soluite templum hoc & in tribus diebus. 462.a, 465.e,816.b
Nondum venit hora mea. 329.c
3. Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto,351.
Non enim miſit Deus filium ſuum. 110.a
Quod natum eſt ex carne caro eſt. 464.a,174.a
Vt omnis qui credit in ipſum non pereat. 250.c
Sic Deus dilexit mũdum,vt filium ſuũ. 162.e,243.d
3. Spiritus vbi vult ſpirat. 234.a
Quod ſcimus loquimur. 2.d
4. Et venit hora quãdo neque in monte hoc. 329.c
In ſpiritu & veritate adorare oportet. 83.a
Alij laborauerunt,& vos in labores. 781.d
5. Nolite putare quia ego accuſaturus ſum vos. 110.c,455.c
Si crederetis Moyſi,crederetis forſitan. 122.d,236.c
Procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem. 226.d,570.e,110.b,640.d
Nolite mirari hoc,quia venit hora in qua. 637.a
Et procedent qui bona fecerunt. 637.a
Scrutamini ſcripturas,quia vos putatis. 349.a
Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium. 339.c
Cognoui vos quia dilectionem non habetis. 245.d
Quæ Pater facit,hæc & filius facit. 462.a
Ego habeo teſtimonium maius Ioanne. 35.c
6. Patres veſtri mãducauerunt manna. 529.a,174.a
Qui manducat meam carnem. 537.a,637.b
Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit. 538.d
Spiritus eſt qui viuificat. 226.c
Verba quæ ego loquor vobis ſpiritus. 654.a,226.a, 230.c
Deſcendi de cœlo,non vt faciam. 227.a,348.d
Omnis qui audit à Patre & didicit,venit ad me. 111.a
Sicut miſit me viuens pater. 164.b
Hoc opus eſt Dei,vt credatis in eum. 9.a
Quia venturi erant,vt facerent eum regẽ,fugit. 20.d
Nonne ego duodecim elegi vos. 5.d
Nemo venit ad me,niſi pater. 375.

Digitized by Google

Hæc eſt voluntas eius qui miſit me. 240.d
7. Et me ſcitis,& vnde ſim ſcitis. 92.b
Mea doctrina non eſt mea 261.b
Nolite ſecundum faciem iudicare. 108.a
Nonne Moyſes dedit vobis legem. 110.d
Si quis ſitit veniat ad me. 530.d
Qui credit in me ſicut dicit Scriptura. 86.c
8. Ego ſum lux mundi. 93.c
Si filius vos liberauerit,verè liberi eritis. 221.d
Vade & noli amplius peccare. 12.a
Si veritatem dico vobis,quare. 122.d,250.a
Nos ex fornicatione nati non ſumus. 230.a
Vos ex Patre diabolo eſtis. 224 e
Si filij Abrahæ eſtis,opera. 255 b
Qui facit peccatum ex diabolo eſt. 464.c,187.c
Oportet me hodie & cras & ſequenti die ambulare. 223.e
9. Qui me erubuerit coram hominibus. 85.d
In hoc enim mirabile eſt,quia vos neſcitis. 140.d
Philippe qui videt me videt & Patrem. 696.a
A ſeculo non eſt auditum. 36 a
10. Ego pono animam meam,vt iterum. 462.a
Ego ſum paſtor bonus. 513.c
Bonus paſtor animam ſuam dat. 694.d
Cognoſco oues meas & cognoſcunt. 288 b
Mercenarius autem & qui non eſt paſtor. 798.a
Nemo tollit animam meam à me. 182.e
Si mihi non vultis credere operibus credite. 36.d
11. Ego ſum reſurrectio & vita,qui credit in me. 637.b
12 Ignem veni mittere in terram. 519 a
Niſi granum frumenti cadens in terram.163.a,650.d
Propterea non poterunt credere. 282.a
Contriſtatus eſt ſuper cæcitate eorum. 291.e
Omnes credent in eum. 399.c
Cum tanta ſigna feciſſet coram eis. 399.
Verumtamen multi crediderunt in eum. 399.b
Ambulate dum lucem habetis. 223.e
Qui odit animam ſuam perdet eam. 227.d
13. Qui lotus eſt non indiget. 281.c
Neque Apoſtolus maior eſt eo qui miſit illum. 1.a
In hoc cognoſcent omnes quod diſcipuli mei eſtis. 818 c
14. Pacem relinquo vobis. 341.c,480.e
Vado parare vobis locum. 236.d
Paracletus autem Spiritus ſanctus. 401.a
Si quis diligit me ſermonem meum. 501.a,160.d, 220.b
Ad eum veniemus. 420.e
Nemo venit ad Patrem. 696.a,827.d
Qui habet mandata mea & ſeruat. 312.b
In domo patris mei manſiones multæ. 413.e
Oſtende nobis Patrem & ſufficit nobis. 600.e
Ego in Patre,& Pater in me eſt. 226.e
In iudicium ego in hunc mundum veni. 481.a
15. Maiorem charitatem nemo habet. 243.d,162.b 595.d
Vos de mundo non eſtis,ſi de mundo eſſetis. 448.c
Si mundus vos odit,ſcitote quia me. 260.a,236 e
Vt impleatur ſermo qui in lege eorum ſcriptus eſt. 127.e
Iam non dicam vos ſeruos. 556.c,34.d,73.e
Poſui vos vt fructum afferatis. 83.c,64.
Si opera non feciſſem in eis. 581.d,386.b,36.b
Non vos me elegiſtis. 23.b,20.b
Manete in me & ego in vobis. 220.b
16. Confidite,ego vici mundum. 339 b
Hæc locutus ſum vobis,vt in me pacem. 158.c
Venit hora vt omnis qui interficit vos. 246.a,435.
Mulier cùm parit triſtitiam habet. 235.a
Cum autem venerit ſpiritus. 401.a
Arguet mundum de peccato. 222.c
17. Vt ſint vnum ſicut & nos vnum ſumus. 584.e
Et pro eis ego ſanctifico meipſum. 3.c
Sicut tu me miſiſti,& ego miſi eos. 3.d
Non pro mundo rogo,ſed pro his. 400.a
18. Vnus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam.434.a
Ego ſum hoſtium,per me. 827.d
Ego in hoc natus ſum & ad hoc veni. 2.d
19. Acceperunt corpus Ieſu & ligauerunt illud. 653.d
20. Sicut miſit me viuens Pater, ita & ego mitto vos. 79.d
Quorum remiſeritis peccata,remittuntur eis. 3.c, 10 a,39.c
21. Paſce agnos meos. 38.d
Erant ſimul Simon Petrus & Thomas & Nathanael. 4.d
Nec ipſum arbitror mundum capere poſſe libros. 746.c

EX ACTIS APOSTOLORVM.

Cap. 1. Quæ cœpit Ieſus facere & docere. 437.b
Quibus & præbuit ſeipſum viuum. 462.a,632.c
Oportet teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnum ex iſtis. 2.a
Eritis mihi teſtes in Ieruſalem & in omni Iudæa.ib.
Oportet ergo ex his viris. 631.c
Epiſcopum eius accipiat alter. 490.a
Tu Domine qui noſti corda hominum. 103.c
2. Stans Petrus cum vndecim. 5.e
Dum complerentur dies Pentecoſtes. 668.c
Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ. 583.a
Erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorũ. 564.d
Stupebant omnes & mirabantur. 616.b
Iuxta quod impoſſibile erat teneri eum. 638.d
Ego homo ſum quidem Iudæus. 53.c
Certiſſimè ſciet ergo omnis Iſrael,quia. 414.c
Baptizetur vnuſquiſque veſtrum. 379.b
3. Argentum & aurum non eſt mihi. 35.b
Viri Iſraelitæ quid miramini. 428.c
Deus autem qui prænuntiauit per os prophetarum. 414.c
Et nunc fratres ſcio quia per ignorantiam. 399.d
4. Nullum ſit aliud nomen ſub cælo datum. 145.c
Multitudinis credentium erat cor vnum. 538.b
Si nos hodie diiudicamur. 511.b
Si iuſtum eſt in conſpectu Dei. 323.e
5. Factus eſt timor magnus. 618.d
Ibant gaudentes à conſpectu concilij. 740.c,514.c, 757.c
6. Nos autem miniſterio verbi intenti erimus.310.c
Non eſt æquum nos relinquere verbum Dei. 666.d
Factum eſt murmur Græcorum aduerſus. 311.b
Intuentes eum omnes qui ſedebant in concilio. 593.b
Et non poterant reſiſtere ſapientiæ. 438.617.d
7. Dura ceruice & incircumciſis cordibus. 117.b
Vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis. 164.b
Et teſtes depoſuerunt veſtimenta. 58.e
8. Si forte tibi remittatur. 818.a
9. Saule,Saule,quid me perſequeris. 677.d, 506.a. 236.d, 634.c, 189.c, 733.d
Viri autem illi qui comitabantur. 634.c
Domine audiui à multis de viro hoc. 58.e
Vas electionis eſt mihi iſti. 281.a, 380.d, 41.b
Ego oſtendam illi quanta oporteat pro. 60.e
Et continuò ingreſſus in Synagogas. 61.b
Loquebatur quoque gentibus diſputabat cum Græcis. 10.d
Cum autem veniſſet Ieruſalem. 60 d
10. Surge,Ego ipſe homo ſum. 427.b

Præcepit nobis prædicare populo. 2.a
Vidit vas quoddam velut linteum magnum. 188.b
Veſtibus præordinatis à Deo nobis qui bibimus. 2.b
Huic omnes prophetæ teſtimonium perhibent. 130.a
Nunquam manducaui omne commune. 340.d
11. Diſcipuli autem prout quis habebat. 60.a
12. Non eſt ipſe,ſed Angelus ipſius. 554.e
13. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei. 121.a,294.d,56.a
Miniſtrantibus autem illis Domino. 762.b,7.b
Illis oportuit primum prædicari regnum Dei. 107.d
Qui habitant in Ieruſalem. 707.399.d
Viri fratres ſi quis eſt in vobis ſermo. 621.a
Quia repellitis illud,ecce conuertimur. 301.e
14. Ab his vanis conuerti ad Deum viuum. 93.e
Viri quid hæc facitis?& nos mortales ſumus. 427.b
Per multas tribulationes oportet. 232 e
15. Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis. 498.a,28.d
Petrus & Apoſtoli dixerunt. 5.e
Iugum quod neque nos,neque patres noſtri. 269 b
Paulus verò electo Syla profectus eſt. 761.e
Vt quidam oſtendentes de Iudæa docebant fratres. 60.b
Apoſtoli & ſeniores fratres,his qui ſunt Antiochiæ. 45.d
16. Vetati ſunt à Spiritu ſancto loqui verbum in Aſia,&c.Cum veniſſent autem in Myſiam. 84.b
Transeuntes autem Phrygiam & Galatiæ regionem. 666.a
Cuius Dominus aperuit cor. 282.e
Et viſio per noctem Paulo oſtenſa eſt. 695.e
Tradebant eis dogmata. 28.e
Veni adiuua nos. 590.b
17. Diſputabat autem in Synagoga cum Iudæis. 393 d
18. Et quia eiuſdem erat artis manebat. 53.e
Cryſpus autem Archiſynagogus credidit. 380.b
19. Facta autem eſt illo tempore turbatio. 679.e
Oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia. 679.d
Factum eſt autem cum Apollo eſſet Corinthi.377.e
20. Poſtquam autem ceſſauit tumultus, vocatis. 667.b
Seruiens Domino cum omni humilitate. 82.e
Vt nunc ecce ego ſcio quia amplius non videbitis. 62.e
Nihil horum vereor nec facio animam meam pretioſiorem quàm me. 2.a
Attendite vobis & vniuerſo gregi,in quo. 32.e,27.b
21. Purificatus intrauit in templum. 519.
22. Factum eſt autem conuertenti mihi in. 510.a
Deus præordinauit te,vt cognoſceres voluntatem. 634.b,59.b
23. De ſpe & reſurrectione mortuorum. 646.b
Ego omni conſcientia bona conſeruatus ſum. 203.d
Sicut enim teſtificatus es de me in Ieruſalem, ſic te oportet & Romæ teſtificari. 2.b
24. Loquebantur variis linguis. 583 a
Ex multis annis te eſſe Iudicem. 60.e
Quoniam de reſurrectione mortuorum. 646.
Biennio autem expleto accepit ſucceſſorem Felix. 60.e
Studeo ſine offendiculo conſcientiam habere.544.e
Poſt annos plures eleemoſynam. 664.b,666.e
25. Cùm audiſſent reſurrectionem mortuorum. 649.d
26 Inſanis Paule, multæ literæ. 93.e,56.e
Die media in via vidi, rex, de cœlo ſupra ſplendorem.59.b
Exurge & ſta ſupra pedes tuos. 634.e
In modico ſuadet me Chriſtianum fieri. 56.e

EX EPISTOLA AD ROM.

Cap. 1. Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid. 225.
Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt. 383.e
Et ita in omnes homines mors pertranſiit. 166.b
Si quomodò tamen aliquando proſperum iter. 437.
2. Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute. 637.
Qui reddet vnicuique ſecundùm opera. 260.e
Iuſtitia enim Dei per fidē Ieſu Chriſti in omnes.86.d
Præputium in circumciſionem reputabitur. 143.b
3. Per legem cognitio peccati. 703.a
Numquid iniquus eſt Deus. 412.b
Signaculum iuſtitiæ fidei. 117.e
Lex iram operatur;vbi enim non eſt lex. 704.b
Credenti autem in eum qui iuſtificat impium.240.e
4. Traditus eſt propter delicta noſtra. 638.a
5. Gloriamur in tribulationibus. 740.e
Si enim in vnius delicto mors regnauit. 640.d
Vbi abundauit delictum. 640.d
Gloriamur in ſpe gloriæ. 314.b
Regnauit peccatum. 50.e
6. Gratia Dei vita æterna. 231.d
Audiuimus eum dicentem quoniam Ieſus. 631.e
Exiſtimate vos mortuos peccato. 305.b
Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam. 638.a
Si enim complantati facti ſumus. 282.b
Spe enim ſalui facti ſumus. 631.e
Stipendium peccati mors. 165.e
7. Infelix ego homo quis me liberabit. 703.e
Video aliam legem in membris meis repugnantem. 430.b
Peccatum non cognouiſti per legem. 129.b
8. Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram. 611.e
Scimus quoniam diligentibus Deum. 635.e
Quid ſi ſpiritus eius qui ſuſcitauit Ieſum. 637.d
Qui in carne ſunt Deo placere non poſſunt. 464.b
Nihil damnationis eſt iis qui ſunt. 405.e
Qui autem ſcrutatur corda ſcit quid deſideret.103 b
Prudentia carnis mors eſt. 434.e
Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum in quo clamamus. 818.d
Teſtimonium reddit ſpiritui noſtro. 687.b
Adiuuat infirmitatem noſtram. 687.e
Ipſa creatura liberabitur à ſeruitute. 159.b
Si ſpiritus eius qui ſuſcitauit Ieſum. 640.d
Certus ſum enim quia neque mors neque vita.395.b
Impoſſibile erat legi,in quo infirmabatur. 276.d
Quos autem præſciuit,hos & prædeſtinauit. 708.d
9. Vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ. 104.b
Ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem. 225.e
Tu quis es qui reſpondeas Deo. 583.e
Vt ſecundùm electionem,propoſitum. 240.a
10. Fides ex auditu. 111.a
Suam iuſtitiam volentes ſtatuere. 140.b
Iudæi Dei iuſtitiam ignorantes & ſuam. 132.d
Ignorantes iuſtitiam Dei & ſuam volentes. 86.d
11. Tu autem fide ſtas. 159.d
Si delibatio ſancta & maſſa. 446.b
Concluſit Deus omnia in incredulitate. 126.d
Quis prior dedit illi,& retribuetur ei. 21.b
12. Multi vnum corpus ſumus in Chriſto. 589.d
Vnicuique diuiſit Deus menſuram fieri. 170.b,412.d
Dico autem per gratiam quæ data eſt mihi. 500.e
Sicut enim in vno corpore multa membra. 584.d
13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. 28.a
Vis non timere poteſtatem. 815.d
14. Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt.304.b
Non eſt regnum Dei eſca. 504.e
Infirmum autem in fide aſſumito. 816.d
Qui autem infirmus eſt olus manducet. ibid.
Tu quis es,qui iudicas alienum ſeruum. 430.e

Omnia quidem ſunt munda. 461.d
Bonum eſt non manducare carnem. 505.a
15. Debemus nos firmiores imbecillitates. 520.b
Si ſpiritualium eorum participes facti. 515.c
Cùm in Hiſpaniam proficiſci cœpero. 62.c
Certus ſum ego de vobis. 820.b
Non audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Chriſtus. 36.c
23. Primitias ſpiritus accepetunt. 23.c
26. Peccatum vobis non dominabitur. 200.a
33. Deus qui iuſtificat, quis eſt qui condemnet. 111.d

EX I. AD CORINTHIOS.

Cap. 1. Imitatores mei eſtote ſicut & ego Chriſti. 44.c
Factus eſt nobis à Deo ſapientia. 86.d
Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus. 6.b
Sanctificatis in Chriſto Ieſu. 279.e
Modicum fermentum totam maſſam corrumpit. 47.d
Nam quia in Dei ſapientia non cognouit mundus. 91.d
Sapientia, ſanctificatio & redemptio. 291.d
Et teſtimonium Ieſu Chriſti cõfirmatum eſt in vobis. 2.d
Non enim miſit me Chriſtus baptizare. 75.c
Rex ſeculorum immortalis & inuiſibilis. 91.e
Iudæis ſcandalum, Gentibus ſtultitia. 85.a
2. Non in ſublimitate ſermonis aut ſapientiæ annuncians. 2.d
Nihil arbitratus ſum me ſcire inter vos niſi Ieſum. 686.a
Sapientiam loquimur inter perfectas. 307.d
Sermo meus & prædicatio mea non eſt. 381.
Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum. 818.d
3. Dei agricultura, Dei ædificatio eſtis. 341.c
Tamquam paruulis in Chriſto, lac vobis. 334.404.a
Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus. 608.e
Templum Dei eſtis vos. 465.d
Neque qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid. 353.a
Templum Dei ſanctum eſt quod eſtis vos. 225.c
Ne ſuper alienum fundamentum ædificarem. 348.a
Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti. 243.c
Litera occidit, ſpiritus viuificat. 199.b
Quod ſi miniſtratio mortis literis. 221.b
4. Nolite ante tempus iudicare. 340.a, 102.a
Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis. 344.a, 50.d
Quid vultis in virga veniam. 28.c
Nihil mihi conſcius ſum. 817.b
Quid habes quod non accepiſti. 140.c
Maledicimus & benedicimus. 315.c
Hæc autem fratres transfiguraui in me. 377.c
Puto quod Deus nos Apoſtolos nouiſſimus. 245.c
Vſque in hanc horam & eſurimus & ſitimus. 245.c
Nam in Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui. 4.e
6. Omne peccatum quodcumque fecerit homo. 95.c
Non eſtis veſtri, empti enim eſtis pretio. 227.a
7. Circumciſio nihil eſt & præputium nihil eſt. 348.b
Alioqui filij veſtri immundi eſſent. 80.c
Propter fornicationem vnuſquiſque ſuam vxorem. 441.d
Reſpondi vos vni viro virginem caſtam. 198.d
Præterit figura huius mundi. 306.c
8. Eſca non nos commendat Deo. 341.c
Diſpenſatio mihi credita eſt. 121.d
De eſcis autem quæ idolis immolantur. 344.a
Scientia inflat. 335.c
9. Omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium. 130.c
Numquid non habetis poteſtatem mulierem ſororem circumducendi. 56.c
Non ſum liber? non ſum Apoſtolus? nonne Ieſum Chriſtum vidi. 1.c
Numquid non habemus poteſtatem ſicut cæteri Apoſtoli. 5.c
Nonne Dominum vidi? 59.c
Dominus ordinauit iis qui Euangelium annunciant Euangelio viuere. 19.b
Omnis qui in agone contendit. 341.d
10. Qui ſtat videat ne cadat. 297.b
Per omnia omnibus placeo. 301.e
In carne ambulantes, non ſecundùm carnem. 227.b
Omnia mihi licent, ſed nõ omnia expediunt. 461.d
11. Laudo vos quòd præcepta mea tenetis. 28.d
12. Nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto. 229.d
Hæc omnia operatur vnus atque idem ſpiritus. 228.d
Æmulamini charifmata meliora. 301.a
Operatur omnia in omnibus. 143.b
Quoſdam quidem poſuit in Eccleſia primum Apoſtolos. 27.e
Nunc autem multa quidem. 308.d
13. Charitas benigna eſt. 329.
Nemo in ſpiritu Dei loquens. 251.b
Manet autem fides, ſpes, caritas. 581.b
Si diſtribuero omnes facultates meas. 818.c
Si habuero omnem fidem. 581.c, 159.b
Nunc autem tria hæc. 209.c
14. Nolite pueri effici ſenſibus. 364.d
Qui prophetas hominibus. 310.d
Omnium veſtrum lingua loquor. 583.a
15. Nouiſſimè tamquam abortiuo viſus eſt & mihi. 59.c
Sicut In Adam omnes moriuntur. 165.a
Abſorpta eſt mors in victoria. 172.c
Abundantiùs illis omnibus laboraui. 239.a
Qualis terrenus, tales & terreni. 169.e
Nun ego, ſed gratia Dei mecum. 428.c
Sicut portauimus imaginem terreni, ſic. 242.b
16. Anathema Maran Atha. 251.b

EX II. AD CORINTHIOS.

Cap. 1. Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium cõſcientiæ noſtræ. 158.a
Sicut ſocij paſſionem eſtis. 232.b
Spes noſtra firma ſit pro vobis. 309.a
2. Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis. 349.c
Etſi cognouimus ſecundùm carnem Chriſtum. 209.d
Sufficit illi qui eiuſmodi eſt obiurgatio. 253.c
3. Vbi ſpiritus Domini ibi libertas. 186.d
Idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti. 83.a
4. Habentes eundem ſpiritum fidei credimus. 401.c
Id quod in præſenti eſt momentaneum. 232.c
5. Eum qui peccatum non nouit, pro nobis. 222.d
Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis. 183.e, 390.a
Omnia ex Deo qui nos reconciliauit ſibi per Chriſtum. 3.a
Chriſtus pro omnibus mortuus eſt. 227.a
Pro Chriſto legatione fungimur. 74.c, 3.a
6. Membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti. 421.a
Nolite iugum ducere cum infidelibus. 57.c, 496.c

Cum

Cum timore & tremore veſtram ſalutem operamini. 258.e
Ecce nunc tempus acceptabile. 330. a
Per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris. 185.e
In ieiuniis multis, in vigiliis. 524.a
Obſecto vos ne in vacuum Dei gratiam recipiatis. 634.d
8. Scitis gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti. 8.e 14.b
Chriſtus cùm eſſet diues. 348.b
9. Veſtra æmulatio prouocauit plurimos. 411.e
10. Quoniam quidem Epiſtolæ graues ſunt, & fortes, præſentia autem corporis infirma. 52.c
In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium ſieri. 50.e
In carne ambulamus, ſed non ſecundùm carnem. 225.e
In carne ambulantes, non ſecundùm carnem. 220.c 185.e
Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia. 380.a
Qui autem gloriatur, in Domino. 390 b 353. a
11. Hebræi ſunt & ego, Iſraelitæ ſunt & ego, 53.e
Etſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia. 54.e
12. Angelus ſathanæ qui me colaphizet. 434.e
Libentiſſimè impendā & ſuperimpendar ego. 252.e
Nihil enim minus fui ab iis qui ſunt ſupra modum Apoſtoli. 36.e
Sufficit tibi gratia mea. 24.
Tametſi nihil ſum, ſigna tamen Apoſtolatus. 510.c
Raptus eſt in Paradiſum, vidit arcana. 401.c
Prior Andreas ſecutus eſt Saluatorem. 5.d
Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim. 9.c
13. Viuit ex virtute Dei. 77.e
A claritate in claritatem. 87.c
Hæc abſens ſcripſi, vt non. 28.a

EX EPISTOLA AD GALATAS.

Cap. 1. Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum & Deum Patrem. 79.b
Eram autem ignotus facie Eccleſiis. 60.e
Neque enim ego ab homine accepi illud. 74.d
Qui me ſegregauit vtero matris meæ. 74.d
Si hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. 544.a
Notum vobis facio Euangelum, quod euangelizatum eſt à me. 56.a
Damaſci præpoſitus gentis Aretæ. 797.e
Sed licèt nos aut Angelus de cœlo. 246.e
Si quis vobis euangelizauerit. 251.b
Perſequebar Eccleſiam Dei. 275.b
Videbit omnis caro ſalutare Dei. 128.e
Etſi nos aut Angelus de cœlo. 595.e
Deinde poſt annos tres veni Hieroſolymam. 60. d
Cùm autem ei qui me ſegregauit. 9.b.
2. Dexteras dederunt mihi & Barnabæ. 761.e
Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatu. 72.e
Quod autem nunc viuo in carne. 225.e
Cùm cognouiſſent gratiam quæ data eſt mihi. 79.d
Quibus neque ad horam ceſſimus ſubiectione, &c. Mea nihil refert. 39.e
Mihi qui videbantur eſſe aliquid nihil contulerunt. 635.d
Cùm cognouiſſent gratiam quæ data eſt mihi. 75.d
Etiamſi Angelus euangelizet præter id. 363.e
Gratis mortuus eſſet propter præcedentium. 132.e
Si quæ deſtruxi iterum ædifico præuaricatorem. 135.e
Cùm vidiſſent quod creditum eſt mihi Euangelium 121.d
Iacobus & Cephas & Ioan. 4.d
Propter ſubintroductos prophetas. 796.c
Nos natura Iudæi. 53.e
3. Redemit nos de maledicto legis. 253.a
Ei autem qui potens eſt omnia facere. 365.e
Quoniam enim nemo de lege iuſtificatur. 132.d
Ante quorum oculos Ieſus Chriſtus proſcriptus. 348.e
Concluſit Scriptura omnia ſub peccato. 301.a
Qui ex fide ſunt, hi ſunt filij Abrahæ. 152.a, 255.b
Non eſt Iudæus neque Græcus. 84.e
Ex fide gentes iuſtificat. 135.d
4. Si filius & hæres per Chriſtum. 231.d
Miſit Deus filium ſuum in corda noſtra. 229.e
Æmulantur vos non bene. 411.a
Bonum autem æmulamini. 411.e
Factum ex muliere factum ſub lege. 76.b
Quandiu filius paruulus eſt. 253.e
Nunc autem cùm cognoueritis Deum. 241.a
Cùm venit plenitudo temporis. 162.b
Filioli quos iterum parturio. 436.b, 235.a, 413.e
Infirma & egena elementa. 148.b
Dies obſeruatis & menſes. 667.c
5. Omnis lex in vno ſermone impletur, diliges. 328.e
Qui conturbat me portabit iudicium. 570.
Caro concupiſcit aduersùs Spiritum. 207.a, 209. b, 224.e
Nos autem Spiritu ex fide ſpem iuſtitiæ expectamus. 159.a
Videte fratres quomodo cautè ambuletis. 264.d
Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam. 227.b
Si ſpiritu viuimus, ſpiritu. 231.e, 225.b
Spiritu ambulate & deſideria. 227.d
Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege. 186.e
Liberabitur enim à ſeruitute corruptionis. 229 e
Manifeſta ſunt opera carnis. 459.d
Crucifixerunt carnem ſuam cum vitiis. 96.a
Teſtificor omni homini circumcidenti ſe. 117.b
Vos in libertatem vocati eſtis. 29.d
6. Mihi abſit gloriari niſi in cruce. 85.a
Stigmata Domini in corpore meo porto. 379.b
Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet. 769.e
Conſiderans teipſum ne & tu tenteris. 297.b
Vos qui ſpiritnales eſtis. 405.e
7. Non in vetuſtate litteræ, ſed nouitate ſpiritus. 73.e

EX EPISTOLA AD EPHESIOS.

Cap. 1. Qui prædeſtinauit nos in adoptionem. 140.a
Elegit nos vt eſſemus ſancti. 242.b, 244.b, 23.a, 80.e
Secundùm diuitias gratiæ eius. 301.e
Signati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto. 687.b
Qui operatur omnia ſecundùm conſilium. 240.e
2. Omnibus ſanctis qui ſunt Ephesi. 80.e
In quibus & nos aliquando conuerſati ſumus. 204.a
Conreſuſcitauit & conſedere fecit in. 733 d
Eratis hoſpites teſtamentorum promiſſionis. 350.e
Chriſtus dilexit Eccleſiam. 172.b
Diues in miſericordia. 104.e
In quo & vos coædificamini. 342.e
Fides donum Dei eſt. 282.e
Fundatam ſuper fundamentum Apoſtolorum. 415 b
Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorū. 4.b
3. Mihi omnium Sanctorum minimo. 79.b, 307.e
Habitare Chriſtum per fidē in cordibus veſtris. 225.e
Per quem habemus fiduciam in introitum. 8.18.e
Sacramentum abſconditum à ſæculo. 397.d
4. Vnicuique data eſt gratia ſecundùm menſuram. 170.b
Iam non ambuletis, ſicut & gentes. t 330.

Propter cæcitatem cordis eorum. 292.a
Deponite veterem hominem. 307.e
Solliciti ſeruare vnitatem ſpiritus. 491.e
Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos. e.
Qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt. 693.b
Fuiſtis aliquando tenebræ. 733.e,742.e
5. Ambulate in dilectione. 548.b
Probantes quid ſit beneplacitum Deo. 307.b
Eratis aliquando tenebræ,nunc autem lux. 209.d
Sacramentum hoc magnum eſt. 397.e
6. Cum bona volnotate ſeruientes Domino. 82.e
Nun ad oculum ſeruientes,quaſi. 485.a
Quoniam non eſt nobis colluctatio. 642.a
Gladius ſpiritua quod eſt Verbum Dei. 743.d
Induite armaturam Dei. 330.b
Noo eſt nobis colluctatio aduerſus carnem. 243.b

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

Cap. 1. Cupio diſſului & eſſe eum Chriſto. 245.e, 798.e
Certus ſum quoniam qui operatur in vobis. 635.d
Caritas veſtra magis ac magis abundet. 307.b
Permanere me in carne neceſſarium propter vos. 62.e
2. Hoc enim ſentite in vobis, quod & in. 316.b, 643.d
Formam ſerui accipiens in ſimilitudinem. 222.b, 161.a,339.b,635.e
Infirmatus eſt vſque ad mortem. 816.d
Qui operatur velle & perficere. 143.b,432.d,212.e, 240.e
Quæ retro ſunt obliuiſcens,ad ea verò quæ. 190.e
Omnes quærunt quæ ſua ſunt,non quæ Ieſu. 541.e
Mecum ſeruiuit in Euangelium. 82.e
Factus obediens vſque ad mortem. 16.a
3. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis circumciſus. 53.b
Saluatorem expectamus,qui reformabit. 242.b
Configuratus morti eius. 637.d
Vt inueniat in illo non habens meam iuſtitiam. 86.d,276.e
Detrimentum & veluti ſtercora. 148.b
Secundùm æmulationem perſequens. 273.b
Si quis videtur confidere in carne. 791.e
Cum autem Chriſtus apparuerit vita veſtra. 105.e
Obſeruate eos qui ita ambulant. 363.b
4. Etiam rogo & te germane,compar. 58.e
Quia & Theſſalonicam ſemel, & bis in vſum. 790.b
Pax quæ exſuperat omnem ſenſum. 342.b
Gaudete in Domino ſemper. 342.e
Nos enim ſumus qui ſpiritu Deo ſeruimus. 117.a
Nihil ſolliciti ſitis,ſed in omni oratione. 491.e

EX EPISTOLA AD COLOSSENSES.

Cap. 1. Primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus. 637.d
Qui eſt principium primogenitus ex mortuis. 639.e
Nemo vos iudicet in cibo. 667.e
Adimpleo quæ ſunt paſſionum Chriſti. 677.d,379.b
Prædicatum eſt in omni creatura. 233.b
Myſterium abſconditum à ſæculis. 397.d
2. Etſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu. 442.377.d
In eo habitat omnis plenitudo. 420.e
Fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ. 225.e
3. Mortui eſtis & vita veſtra abſcondita eſt. 179.b
Scientes quod à Domino recipietis. 231.e
Mortificate membra veſtra. 245.d
Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere. 544.a
Domino Chriſto ſeruitis. 82.d

EX EPISTOLA I. AD THESSALONICENSES.

Cap. 1. Vt clarificetur nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti. 79.e
3. Ipſe autem Deus Pater noſter,& Dominus Ieſus. 80.d
4. Simul rapiemur cum illis. 802.
Mortui qui in Chriſto ſunt reſurgent primi. 641.e
Quoniam ipſe Dominus in iuſſu. 641.e,657.e
Hæc eſt enim volũtas Dei ſanctificatio veſtra. 189.e
Vt ſciat vnuſquiſque vas ſuum poſſidere. ibid.
Non in paſſione deſiderij,ſicut & gentes. 330.d
Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra. 307.e
Scitis quæ præcepta dederim vobis.
5. Omnes enim vos filij lucis eſtis. 329d.

EX EPISTOLA II. AD THESSALONICENSES.

Cap. 2. Si tamen iuſtum eſt apud Deum. 225.e
Quod elegerit vos Deus primitias. 235.
Vt iudicet omnes,qui non crediderunt. 110.a
3. Si quis non obedit verbo noſtro. 28.d
4. In reliquo repoſita eſt mihi corona. 123.d

EX EPISTOLA I. AD TIMOTHEVM.

Cap. 1. Finis præcepti charitas. 329.e
Iuſto non eſt lex poſita. 186.e
Quos tradidi Satanæ, vt diſcant non blaſphemare. 444.e
2. Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus. 158.b,131.b,279.e
Manifeſtum eſt in carne,iuſtificatum in ſpiritu. 77.d
4. Nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. 537.d,541.e
Noli negligere gratiam quæ in te eſt. 736.e
Attende tibi & doctrinæ. 413.d
Omnis creatura Dei bona eſt. 504.b
Nemo adoleſcentiam tuam contemnat. 58.b
In prima mea defenſione nemo mihi affuit. 62.e
Omnes me dereliquerunt,ne eis imputetur. 168.b
Tu verò vigila. 311.b
Noli negligere gratiam quæ data eſt tibi. 33.a
Aduerſus presbyterum accuſationem noli recipere. 28.d
Si ſanctorum pedes lauit. 359.e
Si quis ſuorum maximè domeſticorum. 253.d
Non ligabis os bouis. 514.e
5. Modico vino vtere propter ſtomachum. 816.d
6. Diuitibus huius ſeculi præcipe non ſublime. 490.d

EX EPISTOLA II. AD TIMOTHEVM.

Cap. 1. Gratias ago Deo, cui ſeruio à progenitoribus... 203.d
Qui nos liberauit & vocauit. 240.a
Sine intermiſſione habeam in memoriam in orationibus meis. 83.e
Certus ſum quod in te habitet fides. 820.b
Vocauit vocatione ſua ſancta. 240.a
Vt gaudio implear,recordationem. 340.e
Noli erubeſcere teſtimonium Domini noſtri. 2.d
2. Nemo militans Deo ſe implicat. 9.d
Si commortui ſumus & conuiuemus. 182.b
Si ſuſtinebimus & conregnabimus. 371.e
Fidelis eſt Deus ſeipſum negare non poteſt. 122.e
Si commortui ſumus & conuiuemus. 231.d
3. Habentes quidem ſpeciem pietatis. 737.e,1·6.a
4. Bonum certamen certaui. 782.b
Penulam quam reliqui Troade apud Carpum. 62.b
5. Non reputans illis delicta ipſorum. 143.b

EX

EX EPISTOLA AD TITVM.

Cap. 1. Prædicatiu credita eſt mihi. 121.c
Omnia munda mundis. 504.b
Quem promiſit qui non mentitur Deus. 122.c
Reliqui te Cretæ, vt conſtituas per Ciuitates preſbyteros. 32.c
Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt. 41.e
Secularia deſideria. 365.e
2. Sectatorem bonorum operum. 411.e
Expectantes beatam ſpem. 235.c
Anus ſimiliter in habitu ſancto. 622.a
3. Imitatores mei eſtote & obſeruare eo. 44.c
Sciens quia ſubuerſus eſt qui huiuſmodi eſt. 110.b
Saluos nos fecit per lauacrum. 231.a
Non ex operibus quæ fecimus. 240.c

EX EPISTOLA AD PHILEMONEM.

Cap. 1. Salutat te Epaphras conceptiuus meus. 53.c
Quem genui in vinculis. 4.e

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

Cap. 1. Multifariam multiſque modis olim. 282.b
Quanto differentius præ illis nomen. 336.e
2. Conteſtante Deo ſignis. 36.c
Omnis præuaricatio & inobedientia. 431.a
3. Apoſtolus confeſſionis noſtræ. 1.a
4. Viuus eſt ſermo Dei, & efficax. 743.d, 382.e, 187.e, 617.e
Tentatum autem per omnia pro ſimilitudine. 222.e
5. Facti eſtis quibus lacte opus ſit. 410.e
6. Per duas res immobiles quibus impoſſibile eſt mentiri Deum. 122 c
Confugimus ad tenendam ſpem. 234.b
Confidimus de vobis. 340.c. 820.b
Siquidem permiſerit Deus. 437.a
7. Introductio melioris ſpei. 233.c
Ad perfectum adduxit, reprobatio facta eſt. 204 e
Mandatum inutile. 148.b
9. Ideo noui Teſtamenti mediator eſt. 231.a
Quæ non poſſunt iuxta conſcientiam. 166.b
10. Patientia vobis neceſſaria eſt. 236.b, 106.b
Nolite amittere confidentiam veſtram quæ. 88.a
Vmbra futurorum bonorum. 148.b
11. Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. 384.c, 36.c, 89.e
12. Aſpicientes inautorem fidei. 348.c
Deus noſter ignis conſumens eſt. 417.a
Contemplantes, ne quis deſit gratiæ Dei. 736.c
Non inuenit pœnitentiæ locum. 139.b
13. Obedite præpoſitis veſtris. 339.d
Ieſus Chriſtos heri & hodie ipſe & in ſecula. 73.d
Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. 510.b
Obedite præpoſitis veſtris. 28.d
Optimam eſt ſtabilire cor. 159.e
Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci. 332.c

EX EPISTOLA IACOBI.

Cap. 1. Omne gaudium exiſtimate, fratres. 314.c
Concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum. 185.b
Eſtote factores verbi & non auditores tantùm. 110.e
Omne gaudium exiſtimate cùm in varias tentationes. 160.e
Beatus vir qui ſuffert tentationem. ibid.
Religio munda & immaculata. 306.d
Vnuſquiſque verò tentatur à concupiſcentia. 213.
2. Hominem ex operibus iuſtificari. 110.a
In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum. 86.c
Fides ſine operibus mortua eſt. 159.b
3. Linguam nullus hominum domare poteſt. 126.d
In multis offendimus omnes. 430.c
4. Qui iudicat fratrem legi detrahit. 430.e
Ecce nunc qui dicitis hodie aut craſtino ibimus. 666.e
5. Agite nunc diuites, plorate vlulantes. 89.e
Patientes eſtote vſque ad aduentum Domini. 236.b
Multum valet deprecatio iuſti aſſidua. 679.c
Patientes eſtote fratres cariſſimi. 314.c
Orate pro inuicem vt ſaluemini. 274 b

EX EPISTOLA I. PETRI.

Cap. 1. Regenerauit nos in ſpem viuam. 281.a, 637.
Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis. 466.b
Reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum. 130 b
Non corruptibilibus auro & argento redempti eſtis. 131.b
Hæreditatem incorruptibilem, incontaminatam. 523.a
2. Subiecti eſtote enim humanæ creaturæ. 322.e, 29.d
Qui cùm malediceretur non maledicebat. 365.d, 315.d, 775.b
Peccatis mortuis iuſtitiæ viuamus. 178.a
Peccatum non fecit. 733.e
Hæc eſt enim gratia, ſi propter conſcientiam. 326.d
Et erit in loco vbi dicetur eis, non populus. 268.b
Qui aliquando non populus Dei. 268.b
Serui ſubditi eſtote dominis, non tantùm bonis. 484.d
Non credentibus autem lapis quem reprobauerunt. 660.d
Regem honorificate. 328.e
Si benefacientem patienter ſuffertis. 740.d
Conuerſationem veſtram inter gentes habentes. 544.e
Deponentes igitur omnem malitiam & omnem. 410.e
Vt mortui peccato. 305.b
Ipſi tamquam lapides viui. 305.e
3. Viri ſimiliter cohabitantes ſecundùm ſcientiam. 473.d
Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt. 223.a, 183.c
Sed & ſi quid patimini propter iuſtitiam. 740.d
Quarum non ſit extrinſecus capillatura. 553.a
4. Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam. 427.b
Sicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. 428.e
Nemo veſtrum patiatur vt homicida. 740.d
5. Omnem ſolicitudinem veſtram proiicientes. 491.c
In quibus ſunt quædam difficilia intellectu. 49.b
Sobrij eſtote & vigilate, quia aduerſarius. 243.b

EX EPISTOLA II. PETRI.

Cap. 1. Habemus firmiorem propheticis ſermonem. 349.a
Spiritu ſancto námque inſpirati locuti ſunt. 397.c
2. Miſſus ad vindictam malefactorum. 324 b
Et ſus lota in volutabro luti. 182.d
3. Sicut & chariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis. 52 e
Non tardat Dominus promiſſa, ſed patienter. 105.a

Index locorum ſacræ Scripturæ.

EX EPISTOLA I. IOANNIS.

Cap. 1. Quod fuit ab initio,quod audiuimus,quod vidimus oculis noſtris. 2.c
In multis offendimus omnes. 211.d
Si dixerimus quia peccatum non habemus. 430.e
2. Nolite diligere mundum. 306.e
Quicquid eſt in mundo, aut concupiſcentia carnis, 202.e
Qui dicit ſe in Chriſto manere. 220.b
Vnctionem quam accepiſtis ab eo,maneat. 686.e
Exierunt ex nobis,ſed non erant de nobis. 243.b
3. Cariſſimi nunc filij Dei ſumus & nondum. 657.e 236.d,233.e
Videte qualem dilectionem dedit nobis Pater. 227.d
Scimus cum apparuerit ſimiles ei erimus. 600.d, 655.b
Omnis qui natus eſt ex Deo,peccatum. 246.c
Qui facit iuſtitiam iuſtus eſt. 111.b
Si cor noſtrum non reprehenderit nos fiduciam habemus. 158.a,682.e
Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi. 312.d, 758.d
Qui non diligit manet in morte. 159.b
In hoc apparuit filius Dei,vt diſſoluat. 172.c
Filioli mei non diligamus verbo. 312.b
Omnis qui natus eſt ex Deo,peccatum non facit, 220.c
4. Nolite omni ſpiritui credere. 598.c
Qui non diligit fratrem ſuum,quem videt. 328.e
In hoc eſt caritas quaſi nos dilexerimus Deum. 162.e
Ipſe enim prior dilexit nos. 501.a
In hoc cognoſcimus quoniam in eo manemus. 226 a
Deus caritas eſt & qui manet in caritate. 220.b
5. Omnis qui natus eſt ex Deo peccatum non facit, 598.b
Omnis qui natus eſt ex Deo,non peccat. 220.e

EX EPISTOLA II. IOANNIS.

Cap. 3. Pro nomine eius profecti nihil accipientes. 79.d

EX EPISTOLA IVDÆ.

Cap. 1. Ecce venit Dominus cum ſanctis. 89.e

EX APOCALYPSI.

Cap. 1. Quicumque non habent doctrinam. 694.b
Habeo aduerſum te pauca, 246.b
Memor eſto itaque vnde excideris. 601.d
3. Diues ſum & locupletatus & nullius egeo. 433.b 535.a
Tene quod habes,ne alius accipiat. 294.e
4. In circuitu ſedis ſedilia viginti quatuor. 455.b
5. Agnus qui occiſus eſt ab origine mundi. 171.a
14. Venit hora iudicij eius. 329.c
Timete Dominum & date illi honorem. 89.d
Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ. 235.b
Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt. 786.d
Et in ore eorum non eſt inuentum mendacium. 123.e
21. Coinquinatum & immundum intrabit. 375.b
Vidi cælos nouos & terram. 233.a
Muros ciuitatis habens fundamenta duodecim. 4.c
22. Et videbunt faciem eius. 600.e
Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc. 110.c

Finis Indicis locorum ſacræ Scripturæ.

INDEX

INDEX LOCORVM MORALIVM IN HOC VOLVMINE EXPLICITORVM

AD VSVM CONCIONATORVM.

Numerus, paginam; Littera, locum in textu deſignat.

A.

DE ſui abnegatione. 16.b
De abſtinentia à cibis. 336.a,b,c
De Adam inobedientia, & Chriſti obedientia. 174.d
De adoptione filiorum Dei. 229.c
De æmulatione & zelo. 274.b,c
De æqualitate Apoſtolorum inter ſe. 37.e
De afflictionibus. 719.c
De veteri anathematis ferendi forma. 445.b
De Angelo Sathanæ D.Paulo à Deo dato. 807.b
De Angelorum loquela. 593.a
De Angelo Sathanæ, quid ſit apud D.Paulum. 806.e
De Angelis Dei in punitionibus miniſtris. 534.a
De anima conſeruanda à peccato. 185.b,c,d
De anathemate non ita facilè proferendo. 813.a
De pretioſa animæ eruptione. 466.d,485.d
De animi integritate ſeruanda. 786.a
De antiſtitibus & principibus qui Dei egent maiori ope. 681.d,e
Quid ſit Apoſtolus. 1.a
De nomine Apoſtoli. 1.a
De Apoſtolorum deſignatione. 5.c
De Apoſtolorum munere. 8.c.
De Apoſtolorum numero. 4.d
De Apoſtolica dignitate. 27.e
De poteſtate data Apoſtolis. 28.c,d,e,438.e
De Apoſtolorum in Epiſcopos creatione. 29.b,c,d
De paritate inter Apoſtolos in concionandi munere. 788.d
De principatu Apoſtolorum in Ecclesia. 30.b
De Apoſtolorum preſbyterio. 10.e
De Apoſtolorum Epiſcopali dignitate. 10.a,11.b
De ratione vitæ Apoſtolicæ. 11.a
De collatione Apoſtolorum cum B. Virgine, ſancto Ioanne Baptiſta, & aliis ſanctis. 25.d
De Apoſtolis qui Angelos iudicabunt. 454.b
De priuilegio ſanctitatis Apoſtolicæ. 23.b
De gratiis datis Apoſtolis. 24.b,c,d
De Apoſtolica poteſtate. 438.c
De Collegio Apoſtolico & eius forma. 20.c
De Apoſtolorum ſubiectione erga Chriſtum. 20.c
De vita Apoſtolica poſt Chriſti aſcenſionem. 21.d
Apoſtoli an vxores duxerint. 22.a,b,c
De Apoſtolorum paupertate. 22.e
De forma & Charactere ſcriptionis Apoſtolicæ. 49.b
De Apoſtolis qui iudicabunt. 454.b
De diſcrimine inter Apoſtolos & reliquos diſcipulos. 30.d
De variis malis quibus Apoſtoli exercerentur. 716.a
De appetitu, & de præcepto, Non concupiſces. 200.d,e
De Chriſtianorum armis quæ carnalia non ſunt. 777.b
De auaritia fugienda. 762.e
De aliqua arte profitenda omnibus ad vitam. 810.c,d
De auaris. 459.a

B.

DE Deo Baal, à quibus coleretur. 289.d
De baptiſmo qui eſt velut ſepultura. 180.be
De bene faciendo coram hominibus. 763.a
De ita currendo in hac vita vt brauium comprehendatur. 520.d
De benedictione pro maledictione. 315.c
De non abutendo benignitate & liberalitate diuina. 187.b
De benedictione ſeu conſecratione calicis. 536.e
De bonorum externorum vanitate. 740.b,b

C.

DE vitandis operibus carnis. 221.c,d.228.a
De varia certitudine ratione fidei vel ſpei. 816.d,e
De Charitate. 595.e,601.d
De Charitate Chriſti qui pro impiis paſſus eſt. 162.b
De Charitatis pulchritudine. 596.c
De prudentia carnis ſeu filiorum huius ſeculi. 224.a
De Chriſti poteſtate & regno. 643.c,644.b
De Chriſti charitate qui pro omnibus mortuus eſt. 729.c
De Chriſti morte quæ vitam attulit omnibus. 729.c
De Chriſto qui eſt lapis offenſionis. 271.b
De Chriſto & Trinitate inhabitante in nobis. 226.d,e
De Chriſto in Euchariſtia. 227.b,c
De Chriſto Eccleſiæ capite, & viro mulieris. 548.d
De collectis ſeu eleemoſynis quæ olim fiebant. 663.b
De corpore quod eſt animi receptaculum. 723.a,b
De communicatione corporis Chriſti. 538.a
De Chriſto peccato mortuo apud D.Paul. 183.e
De non reiiciendis cibis. 541.b
De efficacia mirabili Chriſtianæ doctrinæ initio naſcentis Eccleſiæ. 187.b.c,d
De delectu ciborum. 504.c
De cœna publica ſeu Agape. 558.d.e
De Dominica cœna. 560.b,c
De Circumciſione an tollat peccatum originale. 146.b.c
De Circumminceſſione. 732.a,b,c
De collatione Chriſti & Adami. 652.b

De

De Chriſti & Adami ſimilitudine. 169.a,b,c
De Chriſto, qui piſcis eſt. 30.a,b
De Chriſto qui peccatũ, id eſt hoſtia pro peccato dicitur. 733.d
Chriſtus nos à peccato liberat. 188.a,b
De lenitate & Clementia. 775.b,c,d
De qualitate corporum reſurgendorum. 650.c,658.d
De Corpore Dei templo. 185.c
De innocenti Conſcientia. 682.b,c,d
De profectu in Chriſtiana virtute. 661.a
De non alenda coma. 555.e,556.a,b,c
De nomine Confeſſoris, & Martyris. 278.e
De conſolatione in tribulationibus. 740.c,d
De cooperatione Dei nobiſcum. 238.d
De cõuerſatione mala qua bonos mores corrumpit. 649.a
De conſtantia in tribulationibus. 715.a,b
De Chriſti poteſtate. 338.c,d
De non habendis in Eccleſia conuiuiis. 562.b
De Continentia coniugio præferenda. 496.e
De creatione noſtra, quæ ad vitam æternam tendit. 725.e
De continentia Apoſtolorum. 16.d
De Chriſto adhærendo non carni. 220.a,b,c
De Cruce qua non rationibus humanis fulcitur. 381.c
De non in vanum, & incertum currendo. 523.a
De corpore hominis quod eſt templum Dei. 462.c,d, 465.d
De Chriſti prædeſtinatione. 76.d,e,77.a
De morte Chriſti cum baptiſmo collata. 179.b,c
De corpore mortificando. 524.a
De Chriſti victu, an icon communis? 17.c
De Chriſti & Apoſtolorum calceis. 17.e

D.

DE mente adorando Deo. 82.e
De Dei cognitione per creaturas. 91.a
De Deo qui nihil ab hominibus accepit, ſed omnia creauit. 30.e
De tribuendo omnia Deo. 731.e
De Deo qui imbecilla aſſumit contra fortia. 386.d, 388.b
De Deo huius ſeculi, qui eſt dæmon. 713.a
De Dei poteſtate qua ex contrariis contraria eruit. 386.c
De Deo timendo in noſtro munere obeundo. 727.
De Deo, qui dicitur Pater. 676.b
De Deo non tentando. 533.b
De Deo qui acceptor non eſt perſonarum. 208.a
De placendo Deo in morte. 727.e
De non recedendo à Deo etſi aduerſa premant. 245.c
De dignitate Chriſti oblationis. 172.b,c,d
De Diaconiſſis. 359.b.c,d
An licuerit diſcipulis poſſidere aurum. 18.b,c
De Dilectione proximi. 329.c,d,e
De dolore in pœnitentia. 751.e
De donis Spiritus ſancti. 577.c,578.a,b,373.c,374.a,b,c
De docentibus, & audientibus, qui ſtare, qui ſedere debeant. 620.a,621.a,b,c
De numero ſeptuaginta duorum diſcipulorum. 31.a
De die Dominico. 665.c,d
De variis Dei donis. 309.a,b,c
De nimia auiditate diuitiarum cohibenda. 761.a
De dilectione in proximum. 312.a

E.

DE Eccleſia bonis ad quos pertineant. 513.a,b,c
De Eccleſia qua dicitur ſancta. 819.a
De electione. 74.d,e,75.a.b
De eleemoſyna. 757.b,c,758.d,759.a,b
De Epiſcopis an maiores ſint presbyteris. 32.e
De diſcrimine inter Epiſcopatum & presbyteratum. 34.b
De Apoſtolico ſeu Epiſcopali munere. 733.b
De Epiſcopis & aliis in Eccleſia. 589.e,590.a,b
De elocutione non in ſacris litteris quærenda. 380.d,e
De numero & ordine Epiſtolarum D. Pauli. 47.a
De commendatitiis Epiſtolis. 700.b,c
De Epiſtolas ſcribendi genere. 43.c
De Epiſcoporum cura in pauperes. 311.d
De numero Apoſtolicarum Epiſtolarum. 44.e
De Epiſcopis qui debent controuerſias fidelium iudicare. 457.d
De Epiſcoporum poteſtate. 428.
De Epiſcoporum victu debito. 513.
De prædicando Euangelio Gentibus, Iudæis id recuſantibus. 294.c
De conferenda Eccleſia cum olea. 296.a,b
De Euchariſtiæ inſtitutione. 562.a,b,c
De Euchariſtia forma in conſecrando. 562.d,e, 466.d,e
De præparatione debita ad Euchariſtiam recipiendam. 568.d,e
De alendis iis qui Euangelium prædicant. 516.e
De excommunicatione. 443.c
De eo qui exhortatur. 310.d
De cauſis cur ad Gentes tranſlatum ſit Euangelium. 356.a
De malis quæ indignè Euchariſtiam ſumentes ſequuntur. 570.d
De Euangelij virtute. 85.d,e
De Ethnicis an quidam ſaluati. 92.b,c
De poteſtate excommunicandi. 443.c
De iis quæ poſt Euchariſtiam fiebant olim. 558.b
De bona fama. 739.e

F.

DE fœlicitate quam ſperamus. 236.c,d,e
De fœminis ad imperium non admittendis. 553.d,e
De quibus intelligendus Pauli locus cum ob Angelos iubentur in templo fœminæ velari. 554.b,c,d
De velandis fœminis in templo. 552.a,554.e,557.a.b
De fœminis de quibus fit mentio in Epiſt. ad Rom. 360.a,b
De lætitia feſtis diebus propria. 447.c
De fermento. 447.b
De feſtinatione quæ confuſionem affert. 278.d
De fide quæ eloquentia non indiget. 382.c,d
De feruore & ſollicitudine. 314.b
De fide qua hic ambulamus. 726.c,d
De fidei doctrina quæ ſicut lac præbenda eſt. 410.d
De fide. 580.d,594.b,c,d,602.a,b,c
De fidei externa profeſſione. 278.c
De fidei prædicatione quæ eloquentiam non ſectatur. 393.d
De fide quæ ab hominum ſapientia non pendet. 395.c
De fide ſine qua placere Deo eſt impoſſibile. 89.b,c,d
De fide quæ ex auditu eſt. 280.a,b,c,282.c
De fide ex qua Iuſtus viuit. 87.d
De fidelibus qui ſancti dicuntur. 372.b,c
De fidelibus, quibus litigare niſi ad Eccleſiæ iura tuenda non licet. 458.c
De inſertione fidelium in Corpus Chriſti. 297.c
De fidelibus, qui ſi fideles ſunt non ſecundùm carnem viuunt. 730.b
De ſimilitudine vnionis fidelium in Chriſto, cum corpore humano. 584.d

De

Digitized by Google

De fideli, an infidelem coniugem relinquere debeat. 478.a,b
De fidelibus qui ſeſe vocare fratres debent. 625.d
De fructibus peccati. 190.a,b,c
De fornicatione vitanda. 464.b
De inceſtu & fornicatione vitanda. 439.a,b
De nomine filij, in Chriſto. 76.a
De furibus. 460.a

G.

DE gemitu inanimorum. 234.a
De non glorianda quaſi qua habemus, à nobis ſint. 389.d
De cognitione diuinæ gloriæ quæ theſaurus à D. Paulo dicitur. 715.a
De gloriæ diuerſitate. 652.b
De gloria virtutis præmio. 739.a,b
De gloriatione ex bono opere. 134.e
De præſidio diuinæ gratiæ in tribulationibus. 808.d
De gratia efficientia. 634.c
De gratuita Dei electione. 290.b,c
De gratia quæ in iuſtificatione firmitatem animæ dat. 159.b
De gratia quæ tentatis nobis ſuccurrit. 214.e,215.e
De gratiis gratis datis. 584.a,b,c
De eo qui poſſit dicere ſe eſſe in gratia. 827.a
De gratia Dei neceſſaria in morte. 727.c
De gratia Dei non in vacuum recipienda. 736.c,d
De gratia quæ reddit omnia leuia. 808.b
De gaudio in mediis tentationibus. 314.b

H.

DE hæreſi quæ à Philoſophis ortum habet. 421.d,e
De hæreſi quæ arenæ comparatur. 685.c,d
De Hebræis vnde dicti ſint. 794.e
De hæreticis miracula facere tentantibus. 37.b
De homine, qui Dei templum eſt. 410.d
De externo homine. 719.a,b
De homine, qui ſine peccato ferè nuſquam eſt. 430.b,c
De hominibus qui Chriſti ſunt, Chriſtus verò Dei. 424.d
De hominum fallacia & de Dei veracitate. 122.a,b,c
De animali homine qui ſpiritualia nequit percipere. 404.e
De deponendo veteri homine. 307.a
De hominis die, id eſt iudicio. 429.c
De hoſpitalitate. 315.a
De humilitate & charitate in fratres fideles. 518.d

I.

DE Idiota, quis dicatur. 613.a
De idolis. 501.e,502.e
De idololatria Iſraelis in vitulo aureo. 532.a
De idololatria. 96.c,d,93.d,e
De igne purgatorij. 416.d,e
De benefaciendo inimicis. 318.c,d
De Incarnationis myſterio quod magnum eſt. 397.c
De conuerſatione cum infidelibus. 448.b
De iniuriis non vindicandis. 317.a,b,c
De nomine, infirmitatis quæ multiplex eſt. 816.c
De S. Ioannis Baptiſtæ gratia. 25.d
De inconſtantia quæ à Sapiente aliena eſſe debet. 684.e
De imitatione quæ exemplis fit maior. 541.a,b,c
De induratione, & excæcatione. 262.c,d,e
De impuro libidine. 95.b,c,97.b,98.b,c
De ira coercenda. 318.b,c,d

De Iudæis conuertendis in fine mundi. 259.b
De Iudæorum ignorantia in Chriſto crucifigendo. 298.c
De non iudicando proximo. 430.d
De quibus ferre iudicium liceat. 805.c
De Iuſtis qui iudicabunt. 454.b,456.a,d
De Iuſtitiæ armis. 738.d,e
De profunditate diuinorum iudiciorum. 301.d
De non temerè iudicando. 340.a
De iuſtis qui etſi patiantur non deſeruntur à Deo. 677.d,e
De Iuſtis quomodo ſciant ſe eſſe in charitate. 816.d
De Iuſtitia præceptis. 347.b
De Iuſtificatione quæ ex merito non fit. 131.a,b,c
De Iuſtitia ex operibus vel ſine operibus adepta. 140.
De Iuſtificatione. 110.c
De ſe inuicem iuuando. 349.b
De ferendis patienter iniuriis. 434.c

L.

DE lacrymis. 695.a
De lege quæ peccati dedit occaſionem. 202.a
De lege quæ peccatum non eſt, nec probat nec fonet. 200.d
De lege Moſis quæ dicitur lex mortis. 221.b,c,d
De lege quæ peccati cauſa fuit. 128.e
De veteri lege quæ iram operatur. 704.c
De lege membrorum quæ legi mentis repugnat. 210.d,e
De lege quæ lumen eſt. 201.c
De litteris prophanis quæ non omnino reiicienda. 403.a
De dono linguarum. 614.b,c,607.c

M.

DE Magiſtratuum dignitate. 328.c,d
De manna collata cum corpore Chriſti 529.d
De matrimonij lege. 196.c.d
De maledicis. 460.a
De matrimonij incommodis. 492.a
De Chriſti & Apoſtolorum mendicitate. 15.d
De moleſtiis quæ viles ſunt. 807.c
De magiſtratuum & Superiorum poteſtate. 330.b
De miſericordia & Eleemoſyna. 770.b
De mortificationibus. 717.a
De morte nouiſſima quæ deſtruetur. 643.c
De munditia neceſſaria ad vitam æternam. 375.c
De mundo qui hominum eſt. 423.e
De mulieribus quæ in Eccleſia tacere nec docere debent. 622.d
De myſterij nomine, vnde dictum. 298.c
De moriendi neceſſitate. 173.a,b,c
De mortuis peccare. 179.a,b,c
De ſeruando modo in omnibus. 460.d,461.d
De mundo qui non cognouit Deum per humanam ſapientiam. 384.b
De regno mortis ante Chriſti aduentum. 168.b,c,d
De morte, an futura eſſet in ſtatu innocentiæ. 166.a
De manuum impoſitione. 9.b
De mollibus. 459.d
De vi miraculorum Apoſtolis data. 35.a
De miraculis an ad Apoſtolos pertinere debuerint. 35.c

N.

DE quinque humanæ naturæ ſtatibus. 210.d,e
De nocte pudoris neſcia. 331.b
De libertate facta hominibus nubendi ſi velint. 494.b,c

De

O.

DE obedientia fidei coniungenda. 79.e
De orationis Chriſtianorum efficacia. 549.d
De continuanda oratione. 83.c
De adorando Deo in oſculo manus & circumactione. 289.a
De Submiſſione & obedientia Superioribus debita. 321.b,c
De oratione. 237.b,c,d
De orandi modo, an aperto vel operto capite. 550.a
De cantu in orando. 612.a
De ordine, ſine quo omnia confunduntur. 625.c
De oſculo ſancto inter fideles. 671.c,d
De oſculo pacis. 827.a,b
De oſculo in Chriſtiana ſalutatione. 362.e
De operibus, quæ non ſunt cauſa prædeſtinationis. 257.e

P.

DE pace. 827.e
De pace poſt iuſtificationem fruenda. 158.a,b,c
De fuga paſtoris. 798.a,b
De paſſionibus huius ſeculi non condignis ad futuram gloriam. 232.d
De paſtorum cura in orando pro ſalute ouium. 825.d
De Paſtorum munere. 669.c,d
De paupertatis voto ab Apoſtolis emiſſo. 15.c
De patientia in tribulationibus. 159.b,c,d,e
De Dei patientia erga malos. 104.c
De diſcipulorum Chriſti paupertate. 14.b
De Chriſti paupertate. 15.a
De dilectione diui Pauli in fratres ſiue Iudæos. 251.c
De D. Pauli conuerſione. 58.e
De eius ætate. 59.b
De Raptu D. Pauli. 803.a,b,804.a,b
De eius peregrinationibus. 60.c
De plagis & periculis D. Pauli. 795.d,e
De ſcriptis adulterinis quæ D. Paulo adſcribuntur. 64.a
De Pauli morte. 66.a
De genere & patria D. Pauli. 53.a
De eius doctrina & eloquentia. 54.a
De eius continentia & ſanctitate. 56.d
De profectione ſancti Pauli in Hiſpaniam. 355.a
De originali peccato. 164.c,d,e
De vocatione Pauli ad Apoſtolatum. 7.b
De peccato quod nihil ſublime aggredi ſinit. 224.b
De peccatorum permiſſione. 293.c,d,e
De peccatorum non imputatione. 144.a
De peccatis quæ ſunt præcedentium peccatorum pœna. 94.d
De peccati ſtipendio. 191.a
De peccato quod pro hoſtia pro peccato ſumitur. 222.d
De permiſſione peccatorum. 133.d
De peccato quod omnes implicuit. 126 c,d,e
De peregrinatione breui in hoc corpore. 724.d,e,727.b
De peregrinatione ſancti Pauli. 353.a,b
De feſto Pentecoſtes. 667.b,c
De D. Petro Apoſtolorum principe. 38.b
De D. Pauli cum D. Petro collatione. 39.e
De Petri primatu. 5.b
De petra quæ Chriſtus eſt. 530.a
De duplici victoria, in peccatum ſcilicet & in mortem. 661.b
De pœnitentia & reſipiſcentia. 749.b
De non reſiſtendo ſublimioribus poteſtatibus. 323.c,d
De pietate & iuſtitia Principibus neceſſaria. 324.c,d,e
De picturis in templo apponi ſolitis olim. 742.e
De placendo hominibus. 347.c
De poteſtate, quæ datur ad vtilitatem, non è contra. 779.c
De poteſtate Principum. 321.b,c
De poteſtate Eccleſiaſtica. 27.c
De Priuilegiis gentis Iudaicæ. 121.b
De poteſtate in Eccleſia, ad quid à Deo data. 825.d
De nihil addendo diuinis præceptis. 29.b
De præſcientia & prædeſtinatione. 240.d
De munere prædicandi, quibus ſit commune. 32.b
De prædicatione per totum orbem facta per Apoſtolos. 283.a
De Præſcientia Dei in meritis. 388.b
De precibus ſacris & publicis. 611.c
De priuilegiis Iudæorum à Deo acceptis. 253.d
De Principe qui inter ſubditos velut Deus eſſe debet. 457.b
De Prophetia & linguarum dono, quodnam anteferendum. 616.d
De Prophetia. 599.a,b,c
De Prophetarum onere. 290.d
De fugiendis Pſeudoprophetis. 363.a,b
De Pſeudoprophetis. 791.b,c

R.

DE reſurrectione quæ mortem ſubſequitur. 180.d,e
De reſurrectionis teſtimoniis. 632.c
De ſententiis veterum Epiſcoporum de Reſurrectione. 650.a
De reſurrectione. 630.a,b,638.c
De Eſau reprobatione & Iacob electione. 258.b,c
De reuelationibus. 801.a

S.

DE ſacramentis receptis ab Apoſtolis. 25.a,b
De ſæuitia Tyranni fugienda. 326.a,b,c
De aliorum ſalute curanda. 500.d
De ſapiendo ad ſobrietatem. 308.a,b,c
De Chriſti ſatisfactione pro nobis. 132.b,c,d
De ſcandalo non dando. 504.b,c,544.a
De non ſapiendo ſibi. 316.b,c
De diſcrimine inter ſapientiam & ſcientiam. 580.c,d
De Sanctis viris qui etiam ſe extollere laudibus interdum poſſunt. 805.e
De ſalute quæ datur omnibus inuocantibus Deum. 279.e
De Sapientia humana quæ ſtultitia eſt ratione fidei habita. 382.c,d
De ſchiſmatibus. 377.b
De humana ſapientia, quæ ſine Deo ſtultitia eſt. 423.d
De ſalutationis ratione varia. 81.a,b
De modo Chriſtianæ ſalutationis. 362.d,e
De ſcientia quæ inflat. 499.b
De ſeruo inutili. 517.c
De miſera ſeruitute peccati. 206.e,207.a,b,c
De ſeruitute erga Deum quæ glorioſa eſt. 73.a
De non ſeruiendo duobus dominis. 540.a
De ſedulitate adhibenda rebus diuinis. 737.d
De ſeruitute in ſecularibus negotiis. 189.b,c
De ſimulatione. 712.a
De ſignis & miraculis. 385.d
De ſimplicitate & animi demiſſione. 615.c,d
De ſpe in hac vita. 235.c
De ſpe. 678.e
De ſpe etiam in miniſtrando. 514.e
De ſpiritu qui orat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. 234.c
De ſpiritu interno qui teſtimonium dat nos eſſe filios Dei. 230.d

De

De iis qui ſpiritu Dei aguntur. 228.c
De ſtipendiis miniſtrorum Chriſti. 511.c
De Apoſtolorum ſucceſſoribus. 40.d
De ſufficientia noſtra quæ à Deo eſt. 702.a,b

T.

DE temerario iudicio. 102.a,103.a
De templo Dei, quod homo eſt. 743.b
De non polluendo templo Dei ſeu corpore cum meretrice. 463.c
De relinquendis omnibus temporalibus bonis. 13.c,d
De diſcipulis qui temporalia bona reliquerunt & de iis qui non reliquerunt. 12.a
De tentationibus oppugnandis. 533.a
De collatione veteris & noui Teſtamenti. 705.b,c
De falſo teſte & falſo teſtimonio. 637.a,b,c
De perſoluendis tributis Principibus. 326.a,b
De tributis, vectigalibus. 327.a,b,c
De veterum ſententiis de Trinitate. 90.d

V.

DE hominis vanitate. 233.c,93.b,c
De vaſis factis in honorem, & aliis in contumeliam. 264.b

De veritate quæ ab concionatoribus dici debet. 250.a
De iis qui in iniuſtitia veritatem detinent. 89.c
De virginitate, fuſè. 471.472.473.
De virginitatis conſilio. 486.b
De commodis virginitatis & continentiæ. 491.a
De viro, quomodo imago Dei ſit, & fœmina viri. 552.a
De vigilantia ob tentationes. 669.c,d
De viſionibus. 801.a
De viuendo in Deo & moriendo peccato. 305.b,c
De perfectione vitæ. 12.c
De vitiis noſtris emendandis antequam aliena arguamus. 103.a
De ſimilitudine vitæ noſtræ cum athletis. 522.b,c
De voluntate quam hilarem & promptam Deus expetit. 759.c,d
De voluntate Dei bona, beneplacente & perfecta. 307.c
De vocatione ſecundum propoſitum. 240.a,b
De gentium vocatione. 350.d
De voluptatibus & cupiditatibus fugiendis. 184.c
De voluptate capitali corporis peſte. 225.d 228.a
De cauſis vxoris dimittendæ. 478.a
De vxorum pluralitate. 127.a

PROLEGOMENA

PROLEGOMENA IN OMNES EPISTOLAS B. PAVLI APOSTOLI.

Diſputatio prima de munere Apoſtolico.

ANTEQVAM *ad ipſum Pauli contextum explicandum accedamus, quædam vniuerſim expedienda videntur, quæ prælud ij loco eſſe poſſint. Præcipuè autem ſeſe offert dicendum de Pauli Apoſtolatu, adeóque de toto munere Apoſtolico, de quo non ſemel ſuis ipſe in Epiſtolis mentionem facit. Omnia verò, quæ nobis ea de re dicenda erunt, his, quæ ſequuntur, capitibus, quanta maxima breuitate, & perſpicuitate poterit (Deo bene iuuante) complectemur. Nam primùm de nomine, ac definitione Apoſtoli dicendum erit. Secundò, de Apoſtolorum numero. Tertiò, quomodo, & quando in collegium Apoſtolicum fuerit Paulus cooptatus. Quartò, de ratione vitæ Apoſtolicæ. Quintò, de priuilegio ſanctitatis. Sextò, de Apoſtolatus dignitate. Septimò, quónam potiſsimùm Apoſtoli à cæteris Chriſti diſcipulis differrent. Octauò, num ad Apoſtolos pertineret miracula facere. Nonò, eſſént ne omnes Apoſtoli auctoritate pares, & in omnibus prorſus æquales. Decimò, an omnes Apoſtoli in Eccleſia reliquerint ſucceſſores: & vbi nunc inſit in Eccleſia auctoritas Apoſtolica. Quibus expeditis nihil (opinor) relinquetur, quod de munere Apoſtolico deſiderari poſſe videatur. Ordiamur igitur à primo, vt cætera deinceps ſuo ordine proſequamur.*

De nomine, ac definitione Apoſtoli. CAP. I.

I. APOSTOLI nomen, à Græco verbo ἀποστέλλω deductum, Nunnum, ſeu Legatum ſignificare, tam certum eſt, quàm putidum, & otioſum probare. Et ſi qua fortè ea de re dubitatio eſſet, ea ipſius Chriſti teſtimonio tolli poſſet. *Neque enim* (inquit) *Apoſtolus* [a] *maior eſt eo, qui miſit illum.* Mirandum porius, cur cùm tam multi in veteri teſtamento à Deo miſſi, & ad plurima munera deſtinati legantur; eorum tamen nemo Apoſtoli nomen, atque appellationem ſit ſortitus. Miſſum fuiſſe Moſem ad Pharaonem Ægypti Regem, vt populum Iſraëliticum à miſera ſeruitute ereptum in promiſſam Palæſtinam traduceret, ſcriptum eſt in libro Exodi [b]. Illum verò Pharaonis Deum fuiſſe legimus [c], Apoſtolum non legimus. Legationes neſcio quas deſcribit Iſaias [d]; Legatos autem Angelos potius, quàm Apoſtolos appellauit. Ipſe Iſaias [e], Ieremias [f], aliique penè omnes diuini Prophetæ, à Deo ſe miſſos fuiſſe teſtantur; nemo tamen ſe Apoſtolum vocare auſus eſt. Non nego Hieronymum, qui ſpectarit vim nominis Siloë, quod à mittendo deductum miſſum ſignificat, ex Hebræorum ſententia, quoſdam alicubi [g] conſtituere ſolùm Prophetas, alios Prophetas & Apoſtolos, vt Moſem, & Iſaiam, ipſumque etiam Ioannem Baptiſtam, de quo ſcriptum eſt: [h] *Fuit homo miſſus à Deo.* Sed aliud eſt de ratione nominis agere, aliud de ipſa nominis impoſitione. Potuerũt illi dici miſſi, & Græcè Apoſtoli, ſed non retinuerunt Apoſtoli nomen, vt noſtri. Quamuis enim Iudæorum Patriarchæ Apoſtolos per prouincias mittant, illi tamen ad breue duntaxat tempus Apoſtoli nomen retinent, quaſi legati, dum legatione funguntur. Noſtri verò Apoſtoli perpetuum, ac proprium nomen habent.

II. NEQVE verò à mittentis Dei auctoritate alienum eſſe Apoſtoli nomen, ſuſpicari quis poteſt, quaſi id ad eos ſolummodò pertineat, qui mittuntur à Chriſto. nam Chriſtus ipſe cœlitus à Deo Patre miſſus, tum humanæ ſalutis auctor, tum Euangelij, nouæque legis promulgator *Apoſtolus confeſſionis noſtræ* (vt egregiè à Cyrillo [a] obſeruatum eſt) à Paulo [b] appellatur. Non me latent quæ de Hebræorum Apoſtolis ſcribit [c] Epiphanius. Quos ait poſt Patriarcham fuiſſe primos, magnæque auctoritatis, in iis explicandis, quæ ad legem pertinerent. ſed valdè ſuſpicor Patriarchæ, atque Apoſtoli nomina, & functiones poſt Chriſti in cœlum aſcenſum apud Iudæos fuiſſe vſurpatas. Certè in iure [d] ciuili, de his Iudæorũ Apoſtolis nonnulla fit mentio, qui certo tempore mitterentur à Patriarcha ad exigendum aurum, & argentum à Synagogis. nam ſi res, aut nomen antiqua fuiſſent, illorum profectò vel apud Ioſephum, vel apud alios veteres aliquod veſtigium extaret. Nam quid ſentiendum ſit de Hieronymi verbis, dictum eſt paulò antè. nec enim quiſquam negare poteſt, multos olim à Deo fuiſſe miſſos, plurimos item Principum, ac Regum legatos, ad negotia peragenda deſtinatos, qui omnes miſſi, & Apoſtoli (ſi vim vocis ſpectemus) appellari poſſunt. Quocirca id mihi videor liberè poſſe affirmare, nomen, ac munus Apoſtolicum ad Euangelium

[a] Ioan. 13. 16. Tertul. de præſcript. c. 20.
[b] cap. 3. & 4.
[c] Exod. 7.
[d] cap. 18. & 30.
[e] cap. 6.
[f] cap. 1.
[g] Ibid.
[h] Ioan. 1.

[a] Anathem. 10. & expoſ. ſymb. Nic.
[b] ad Heb. 3.
[c] Hæreſ. 30.
[d] Theod. lib. 16. tit. de Iudæis.

gelium, & nonum Teſtamentum propriè ſpectare, A
a Tract. 108. in Ioan. vt alicubi non obſcurè inſinuauit Auguſtinus [a].
b Ioan. 17. 18. explicans enim verba Chriſti [b]: *Sicut me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum. Quos* (inquit) *miſit, niſi Apoſtolos ſuos? Nam & ipſum nomen Apoſtolorum, quoniam Græcum eſt, nihil niſi miſſos ſignificat in Latino. Miſit ergo Deus Filium ſuum non in carne peccati, ſed in ſimilitudine carnis peccati: & miſit Filius eius eos, quos natos in carne peccati ſanctificauit à labe peccati.* Et profectò cùm primùm Chriſtus diſcipulos ad promulgandum Euangelium [c] miſit, quaſi ex diſcipulis
c Matth. 10. Marc. 3. Luc. 6 Magiſtros creans, Apoſtolos nominauit. Quæ fortaſſe cauſa fuit, vt cùm omnes Chriſti diſcipuli etiã ſeptuaginta duo Euangelium prædicarent, non rarò à Patribus Apoſtolorum nomine cenſeantur. Ita
d lib. 2. ca. 17. e lib. 4. adverſ. Marcio. enim loqui videntur Irenæus [d], & Tertullianus [e], B
& alij, fortaſsè non pauci: ſed Apoſtolos præcipuos fuiſſe diſcipulos certo numero cõprehenſos, omnes Euangeliſtæ docent, qui eorum primam inſtitutionem accuratè deſcribunt.

III. Hvivs porrò appellationis cauſa putatur à multis, quòd hi poſtea duodecim miſſi ſunt in mũdum vniuerſum, vt omnibus gentibus Euangelij
f cap. 28. g cap. 16. lucem præferrent, quod Matthæus [f], & Marcus [g] litteris prodiderunt. At multò antea Apoſtoli dicti ſunt, cùm primùm illis proponendi Euangelij munus à Chriſto Domino demandatum eſt. Nam cùm
h cap. 6. ille (vt ſcribit Lucas [h]) pernoctaſſet in oratione Dei, accitis ad ſe diſcipulis, ex eorum numero duode-
i cap. 3. 13. cim ſelegit. Addit Marcus [i]: *Quos voluit, & Apoſtolos nominauit.* Et mox quaſi Marcus ipſorum munus, C
atque officium deſcribat, hæc verba ſubnectit: *Fecit, vt eſſent duodecim cum illo, & vt mitteret eos prædicare.* Concludunt Matthæus, & Marcus, datam fuiſſe illis poteſtatem patrandi miracula, vt copioſiùs ſuo loco explicabimus. Itaque duo erant Apoſtolorum veluti propria munera: primũ, Chriſto adeſſe tamquàm laboris ſocios, & vitæ, ac miraculorum teſtes, cum illo denique tamquam familiares, & domeſticos viuere: alterum, Euangelicam doctrinam tradere, & Chriſti aduentum populo promulgare.

IV. Ex priori munere colligit nonnemo, fuiſſe illos non modò ſimiles Cardinalibus, qui ſummo Pontifici à conſilijs ſunt, eique ſacris operanti, reliquáſque Eccleſiaſticas functiones obeunti miniſtrant; ſed etiam ipſo Cardinalatus honore inſigni- D
tos, quod (vt temerè dicitur) ita noſtra confutatione non eget. Nam Cardinalatum (quæ præclara quædam dignitas eſt, & honoris titulus cum iure ſuffragij ſummum Pontificem eligendi) Romanorum Pontificum ad commodiorem Romanæ Eccleſiæ adminiſtrationem eſſe inuentum, ipſa Cardinalium inſtitutio atque origo planè oſtendit: miniméque ad Eccleſiaſticam Hierarchiam per ſe, ſuæque inſtitutionis vi pertinere, alibi à nobis probatum eſt, cùm tres in ordines diſtribuatur; aliique ſint Epiſcopi, alij presbyteri, alij denique diaconi Cardinales, quorum ordinum reſpectu, ad Eccleſiaſticam Hierarchiam referũtur, cum prærogatiua ſupremæ dignitatis, ob ius ſuffragij, in ſummi Pontificis electione; vt ob id primum poſt Pontificem E
in Eccleſia obtineant locum, cunctiſque Præſulibus meritò præferantur. Apoſtolos verò ſiue cum Chriſto ante mortem, ſiue cum Petro poſt Chriſti in cœlum aſcenſum, conferantur, nulla poſſe cum Cardinalibus ratione comparari, ita certum eſt, vt pudeat in re perſpicua otio abuti. Niſi quis putet alieno conſilio eguiſſe Chriſtum, qui erat æterna Sapientia Patris, aut Petro miniſtraſſe Apoſtolos, qui ſe, non Petri, ſed Chriſti miniſtros eſſe perpetuò gloriabãtur. Rectiùs alij propriam veluti Apo-

A ſtoli definitionem, intelligunt eſſe teſtem reſurrectionis Ieſu Chriſti. Sic loquitur Petrus, [a] cùm de a Act. 1. 17.
ſufficiendo Iudæ proditori, quopiam ſucceſſore ad Apoſtolicum Senatum referret: *Oportet* (inquit) *teſtem reſurrectionis eius, nobiſcum fieri vnum ex iſtis.* Ipſe adeo Chriſtus migraturus ad Patrem, auctore Luca [b]: *Eritis* (ait) *mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni* b Act. 1. 8.
Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ. Hoc tam ſingulari, támque illuſtri munere gloriabatur Petrus cùm diceret: [c] *Præcepit nobis prædicare popu-* c Act. 10. 42.
lo, & teſtificari, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum, & mortuorum. Neque aliter Paulus, cùm ait: [d] *Nihil horum vereor, nec facio animã meam* d Act. 20. 18.
pretioſiorem, quàm me, dummodò conſummem curſum meum, & miniſterium verbi, quod accepi à Domino
B *Ieſu, teſtificari Euangelium gratiæ Dei.* Et (quod magis mirère) Deus ipſe, Paulum ſecundùm quietem, his verbis monet. [e] *Sicut enim teſtificatus es de me in* e Act. 23. 11.
Ieruſalem, ſic te oportet & Romæ teſtificari. Quocirca rectè Tertullianus: [f] *Reſurrectionem* (inquit) *Apo-* f lib. de reſurr. carn.
ſtolica quoque inſtrumenta teſtantur. Nam & Apoſtolis nullum aliud negotium fuit duntaxat apud Ieruſalem, quàm veteris Teſtamenti reſignandi, & noui conſignandi, & potius iam Dei in Chriſto concionandi: ita & de reſurrectione nihil noui intulerant, niſi quod & ipſam in gloriam Chriſti annuntiabant. Vt igitur Chriſtus Apoſtolos haberet oculatos teſtes, qui verè cum Petro [g] dicere poſſent: *Teſtibus præordinatis à* g Act. 10. 41.
Deo, nobis, qui bibimus, & manducauimus cum illo. Et cum Ioanne: [h] *Quod fuit ab initio, quod audiuimus,* h Epiſt. 1. c. 1.
C *quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt, de verbo vitæ,* voluit, illos ſecum familiariter verſari. Ac ne Paulus, qui cum Chriſto non vixerat, minoris videretur auctoritatis, ſe Chriſtum vidiſſe alicubi [i] affirmat. *Non ſum* (in- i 1. ad Cor. 9. 1
quit) *liber? Non ſum Apoſtolus? Nònne Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum vidi?*

Atqve hæc quidem ratio omni mihi ex parte probaretur, niſi animaduerterem, teſtem eſſe reſurrectionis ad alterum Euangelij prædicandi munus ſpectare; quod tamen [k] Marcus à priori vide- V. k cap. 3. 14.
tur voluiſſe diſtinguere cùm dixit: *Duodecim elegit, vt eſſent cum illo, & vt mitteret eos prædicare.* Quid enim aliud Apoſtoli [l] faciebant, cum virtute ma- l Act. 4.
gna reddebant teſtimonium reſurrectionis Ieſu
D Chriſti; niſi prædicabant, & docebant, illum ad ſuperos rediſſe? Quid verò aliud ſignificabat Paulus, cùm ad Timotheum ſcripſit: [m] *Noli erubeſcere* m 2. Epiſt. ca. 1. 8.
teſtimonium Domini noſtri, præter Euãgelij promulgationem? Ac (niſi mea me fallit opinio) huc ſpectant [n] verba illa: *Et teſtimonium Ieſu Chriſti confir-* n 1. ad Cor. 1. 6.
matum eſt in vobis, vt interpretatur Theophylactus. Item illa [o]: *Non in ſublimitate ſermonis, aut Sapientiæ* o cap. 2.
annuntians vobis teſtimonium Chriſti. Sanè Chriſtus ipſe, qui cœlitùs à Patre omnium Magiſter miſſus erat, de ſe, ſuáque doctrina dixit: [p] *Quod ſcimus lo-* p Ioan. 3. 11.
quimur, & quod vidimus teſtamur. Alibi [q]: *Verum eſt* q Ioan. 8. 14
teſtimonium meum, quia ſcio vnde veni. Rurſus [r] *Ego* r Ioan. 18. 37
in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati. In Apocalypſi [ſ] autem ſ cap. 1. 5. & 3. 14.
E dicitur *Teſtis fidelis;* ille videlicet, quẽ indicat Iſaias [t] t cap. 55. 4.
illis verbis: *Ecce teſtem populis dedi eum.* Quæ cauſa fuit, vt à Clemente Alexandrino Græca voce Martyr, & martyrum princeps nuncupetur. Viderint igitur qui aliter ſentiunt, quomodo munus teſtificandi à prædicandi munere diſtinguant. Mihi quidem verò ſimile videtur, verba illa, quæ ſunt apud Marcum; *Vt eſſent cum illo,* non tam continere functionem Apoſtolicam, quàm ſingulare priuilegium, quo facti ſunt Apoſtoli, diſcipulorum præcipui, quibus abditam, ac reconditam cœleſtium myſterio-
rum,

A rum, diuinarúmque rerum cognitionem, & ſcientiam, quaſi ſacra quædam acroamata traderet, quos præter cæteros tanquàm futuros orbis terræ Magiſtros (vt ſcribit Tertullianus [a]) diligentiùs, atque accuratiùs erudiret. Nam cùm cæteris parabolas proponeret, & faciliora quædam quaſi popularia, & exoterica explicaret, planiùs Apoſtolis cuncta interpretabatur, & recondita myſteria proferebat in lucem. Sic etenim apud Matthæum [b] dixit: *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis.* ita illos ſæpè ſecretò alloquebatur, ſæpè ſeducebat à turba, de ſua morte, ac reſurrectione monebat, vt illorum præcipuam quandam curam gerere videretur. Neque verò ſum neſcius, nonnulla ex his fuiſſe Apoſtolis, cum reliquis diſcipulis communia; ſed multa, B atque adeo plurima fuiſſe illorum propria, Euangelica hiſtoria luculenter declarat.

a Lib. de præſcrip.
b Cap. 13. 11.

VI. Iam alterum Apoſtolorum munus erat Euangelium prædicare, quod fuit quidem, auctore [c] Luca, cæteris diſcipulis commune; ſed animaduerto multa eſſe inter Apoſtolorum, aliorúmque diſcipulorum legationem diſcrimina. Nam primùm duodecim Apoſtoli omnes ad vnum nominantur, deinde illis duntaxat prædicationis veluti forma præſcribitur, vt dicant *quia appropinquauit regnum cælorum.* Denique tribuitur illis poteſtas patrandi miracula, ad confirmationem Euangelij, quorum nihil cernitur in aliorum diſcipulorum miſſione. Quamobrem rectè Tertullianus [d], cùm de C diſcipulis ageret. *Ex quibus* (inquit) *duodecim præcipuos lateri ſuo adlegerat deſtinatos nationibus magiſtros, itaque vno eorum decuſſo, reliquos vndecim regrediens ad Patrem poſt reſurrectionem iuſſit ire, & docere nationes tingendas in Patrem, & in Filium, & in Spiritum ſanctum.* Nec diſſimilia habet Iſidorus [e], quæ Apoſtolorum prærogatiuam vtramque ſignificât. Accedit quod Chriſtus apud Ioannẽ [f] poſtulat à Deo Patre, vt Apoſtoli ſanctificentur, hoc eſt, initientur, & quodammodo conſecrentur, idque non ritibus, ac cæremonijs priſtinæ legis; ſed, vt ille ait, *in veritate*; quod poſtmodum declarat, cùm ſe quaſi hoſtiam pro illis offert. *Et pro eis* (inquit) *ego ſanctifico me ipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate.* Ex quibus intelligimus legationem Apoſtolicam eſſe ſacroſanctam, perſimilem ei, qua D Chriſtus ipſe miſſus eſt à Patre. Quod eodem loco his potiſſimùm verbis oſtenditur: [g] *Sicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum.* Cuius quidem ſimilitudinis non vna affertur ratio. Prima eſt [h] Cyrilli, & Leontij, qui ad ſolam docendi diligentiam retulerunt. Altera aliorum, qui ad poteſtatem traditam reſpiciunt, vt quam Pater Chriſto eandem Chriſtus Apoſtolis dederit facultatem. Dederat autem Pater Chriſto duplicem poteſtatem; alteram, vt homines in Dei gratiam, atque amicitiam adduceret; alteram ad docendum, & prædicandum. Vtramque Chriſtus dedit Apoſtolis; illam quidem apud Ioannem. [i] *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta ſunt.* Alteram apud Matthæum [k], cùm dixit: E *Docete omnes gentes, baptizantes eos.* Tertia Theophylacti, [l] & euiſdem Leontij, qui in eo poſitam eſſe ſimilitudinem affirmant; quòd quemadmodum Pater ſua auctoritate, qua vt diuinæ ſuæ naturæ præditus eſt, Filium ſuum, tanquam mundi magiſtrum, & humani generis liberatorem miſit; non aliter Chriſtus Apoſtolos deſtinauit, vt cunctos mortales diuinis præceptis imbuerent, & ab interitu ſempiterno vendicarent; cùm ſit ipſe eiuſdem cum Patre particeps naturæ, atque auctoritatis.

c Cap. 10.
d Lib. de præſcrip. c. 20.
e Lib. 2. de Eccleſ. off. c. 5.
f Cap. 17. 19.
g Ibid. c. 17. 18.
h Ibid. 20.
i Cap. 20. 23.
k Cap. vlt. 19.
l Ibid. 20.

A VII. Certe functiones apoſtolicas non referri tantùm ad vnam doctrinam tradendam, ſed etiam ad expianda peccata, & impios iuſtificandos, docet Apoſtolus Paulus. [a] *Omnia* (inquit) *ex Deo, qui nos reconciliauit ſibi per Chriſtum, & dedit in nobis miniſterium reconciliationis, quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis.* Atque hæc de munere accipienda ſunt, quod ad ſcelera, atque flagitia condonanda pertinet. De altero verò ſubdit: [b] *Pro Chriſto ergo legatione fungimur tanquàm Deo exhortante per nos.* Hoc etiam modo interpretor verba [c] Petri, qui cùm de aggregando collega diſſereret, oportere dixit eligere teſtem reſurrectionis. nam quia poſt Chriſti anaſtaſim, vtráque B illam, de qua diximus, Apoſtoli acceperant facultatem; id quodammodo ſpectans Apoſtolorum Princeps, teſtem reſurrectionis vocat eum, qui eo munere percepto, quem cæteri Apoſtoli, ex reſurrectione Chriſti adepti erant; eadémque prorſus cum illis auctoritate præditus, facilè poſſet mortalibus perſuadere, Chriſtum rediuiuum ad ſuperos remeaſſe.

a 2. ad Cor. 5. 18.
b Ver. 20.
c Act. 1.

VIII. Nec me fugit, Apoſtoli nomen latiſſimè aliquando patere; ſed de iis, qui propriè dicuntur Apoſtoli in præſentia diſputamus, quorum eſt, vt infra ſuo loco dicemus, prima in Eccleſia dignitas, primus gradus. Quo fit, vt nihil nobis, de illo libellorum genere dicendum ſit, quos iuris interpretes Apoſtolos vocant: quos quidem libellos dimiſſo- C rios eſſe definiunt, qui poſt appellationem dari [d] conſueuerunt: nihil item de bellico apparatu; nihil de imperatore, aliiſque ſimilibus agendum, quæ prophani ſcriptores Apoſtoli nomine non rarò cenſuerunt. Neque magnopere laborandum ſit de vulgata illa quæſtione, quam Hieronymus [e] inſtituit. Qua ratione Apoſtolus à Propheta diſtinguatur, cùm vterque mittatur à Deo. Ex ſuperioribus enim meridiana luce clariùs conſtat, Apoſtolicum munus Prophetarum dignitate longè eſſe tum præſtantius, tum ad hominum ſalutem multò aptius. Illud verò, quod Hieronymus [f] obſeruat, non eſt omnino negligendum, Silam [g] collegam Pauli Hebraicè Apoſtolum dici; quod idcirco adnotatum exiſtimo, quod Silam Hebraicam nomen à verbo D שָׁלַח; quod eſt mittere, deductum putabat; atque ita miſſum, ſeu Apoſtolum interpretabatur. Quod ſi vel tanquàm verum, vel tanquàm vero ſimile admittatur, proprium illius viri, non officij, aut dignitatis nomen fuit, vt conſtabit non ita multò [h] pòſt, cùm de numero Apoſtolorum diſſeremus.

d l. dimiſſ. ff. de verborum ſignif. & l. 1. ff. de libell. dimiſſ.
e Ep. 141. ad Damaſ.
f Eod. loco, & in Epiſt. ad Gal. c. 1.
g Act. 15. 16. 17. 18.
h Cap. ſequẽ.

IX. Qvòd ſi quis Apoſtoli definitionem ad canones dialecticos, & calculos exigat, facilè quis reſpondeat, gradum eſſe, munus, aut officium, quod quia plura complectitur, quæ ad vnum certum genus reuocari non queunt, illa perfecta, & elaborata definitione explicari non poteſt. Multis tamen nominibus, iiſque magna ex parte metaphoricis deſcribi ſolet, vt fuerint comparationes aſſumptæ, quæ partim ex ſacris litteris, partim ex Patribus E colligi facilè poſſunt. Chriſtus ipſe Apoſtolos ſali, & luci ſimiles eſſe dixit. [i] *Vos* (inquit) *eſtis ſal terræ: vos eſtis lux mundi.* Sal quidem terræ appellantur, quia homines & ſua ſapientia docere debent, & ſuis moribus, atque exemplis ad virtutis ſtudium inflammare, non aliter, ac ſal ſaporem rebus impertit, & à carie, putredinéque conſeruat. (Nam terræ quidem nomine homines ſignificari docet Auguſtinus [h], & per ſe certum eſt, & ſacris litteris non rarò vſurpatum!) lucem verò mundi, quòd cunctas orbis terræ nationes Euangelicæ doctrinæ,

i Matth. 5. 13.
h Lib. 1. de ſerm. Dom. in mon.

& vitæ, morúmque cœleſti veluti luce illuſtraturi erant. Nam quod Auctor [a] operis imperfecti obſeruauit, ſali comparari Iudæorum reſpectu, luci verò gentium intuitu, quòd videlicet Iudæos, qui iam veritatem agnouerant, in ea fidei integritate conſeruaturi eſſent, ne quodammodo putreſcerent: Gentiles verò nouæ, cœleſtiſq; doctrinæ præceptis inſtituturi, quod luci maximè conuenit; vereor, ne & nimis argutum ſit, & non ſatis verum. Tametſi enim Iudæi, verum Deum agnoſcunt; ſi tamen de veritate Euangelica agendum ſit, quam Apoſtoli prædicarunt, quis magis reſtitit, aut etiam num reſiſtit Chriſto? An non adhuc, vt ait [b] Apoſtolus, velo obductus, id eſt perfidia obcœcatos habent oculos, vt Chriſtum in Prophetis non videant? Illud obſeruandum potius, Chriſtum Dominum, qui ſæpe aliàs dicitur [c] lux mundi; non vereri tamen Apoſtolis eandem appellationem tribuere, quòd ab ipſo illuſtrati futuri eſſent, quod mox ſubditur, lucerna accenſa, & candelabro impoſita. Paulus [d] verò Apoſtolos Eccleſiæ vocat fundamentum. *Superædificati* (inquit) *ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu.* Quibus verbis ſignificat ſummum quidem Eccleſiæ fundamentum eſſe Chriſtum; Apoſtolos autem eſſe veluti primos illos lapides, qui in fundamento iaciuntur. Id quod explicans Ioannes [e]: *Murus* (inquit) *ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum.* Vt enim Tyconius, Beda, & Aretas explicant, rectè Apoſtoli, & portæ, & fundamenta Eccleſiæ nuncupantur. Portæ quidem, quia eorum doctrina aditum ad cœleſtem patriam parat: Fundamenta verò, quòd vniuerſum ædificium ſpiritale eorum prædicatione nitatur, & quaſi ſuſtentetur. Iam fuiſſe Apoſtolos credentium Patres, illa Pauli verba [f] declarant. *Nam in Chriſto Ieſu per Euangeliũ ego vos genui.* Et alibi [g]: *Quem genui in vinculis.* Ad hoc autem ſignificandum pertinere putat Auguſtinus verba illa Dauidis [h]: *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, propterea populi confitebuntur tibi.* Plures alias metaphoras explicant Chryſoſtomus, Auguſtinus, & alij Patres, ſed libens hæc omnia prætereo; ne quod in aliis reprehendo, alienis laboribus, meum denſare volumen videar voluiſſe. Neque de primo capite plura.

a In cõ Matth. locum.
b 2. Cor. 3. 15.
c Ioan. 1. 3. 8. 9. 12.
d Ad Eph. 2. 20.
e Apoc 21. 14.
f 1. Ad Cor. 4. 15.
g Ad Philem. 10.
h Pſal. 44. 17.

De numero Apoſtolorum.
CAP. II.

I. DVODECIM primùm à Chriſto Domino Apoſtolos conſtitutos, & Euangeliſtæ apertè narrant, & veteres omnes Patres agnoſcunt. Quod enim Hieronymus [i], & Auctor [k] neſcio quis de quadruplici Apoſtolorum genere diſputant, eorum, qui ab hominibus tantùm humano ſtudio promouentur; itémque qui ſeſe propria ſponte magiſtros obtrudunt, & illorum, qui à Deo quidem, ſed hominum operâ mittuntur; denique eorum, qui ab vno Deo creantur, non tam ad Apoſtoli officium, quàm ad nominis rationem explicandam pertinet. Porrò Apoſtolorum numerum non temerè, aut caſu, ſed magno diuinæ prouidentiæ conſilio, quaſi ſacroſanctum fuiſſe definitum, Petri [l] in primis diligentia declarat, qui nefas eſſe putauit, eum numerum Iudæ lapſu imminutum, priſtina integritate carere. Itaque communi omnium conſenſu, non ſine diuino teſtimonio, atque auctoritate duodenario Apoſtolorum numero Matthias eſt aggregatus. Verùm cùm omnes admittant in eo numero myſticum neſcio quid occultè latere; alij alias explicandi rationes ſecuti ſunt, vt conſtat ex Iuſtino [a], Irenæo [b], Theodoreto [c], Tertulliano [d], Hieronymo [e], Auguſtino [f], Sedulio [g], & aliis. Nec deſunt qui exiſtiment viginti quatuor ſeniores, qui ſedere dicuntur [h] ante thronum Dei, duodecim Apoſtolos, ac totidem veteris inſtrumẽti Patriarchas quodammodo indicare: quòd quemadmodum à duodecim illis Patriarchis, tota Iudæorum natio propagata; ita vniuerſa fidelium multitudo prædicatione Apoſtolica ſpiritualiter genita, & educata eſt. Porrò illas duodecim gemmas, quibus fundamenta cœleſtis Hieruſalem, ipſáque vrbis mœnia non modò nitent, ſed ſtant, ad Apoſtolicum ordinem referri, vt ſuperiori capite indicaui, docuit nonnemo. Quidquid autem de duodenario numero vel humano ingenio excogitatum, vel diuinitus reuelatum eſt, id ſuo modo collegio Apoſtolico aptatur; adeo quidem vt hæretici Valentiniani, auctore Irenæo [i], ſuorum æonum figmenta, & mera ſomnia ex hoc ſacro numero ſtatuere, & confirmare contenderent.

i Ad Gal. 1.
k Auctor dialogi quæſtionum 65. apud Auguſt. tom. 4. q. 64.
l Act. 1.
a Dial. cum Tryph.
b Lib. 4. c. 18.
c In Ioſ. c. 7.
d Lib. 4. aduerſ Marc.
e Matth. 10. & Ezech. 1.
f Pſ. 59 & 103. & li. 1 de act. cum Fœlice Manich. c. 9.
g Lib. 5. carm.
h Apoc 4.
i Lib. 1. c. 2. & 15.

II. NVMERANTVR à tribus Euangeliſtis omnes Apoſtoli, ſed non eodem ordine: inde exiſtit quæſtio neque contemnenda, neque admodum facilis, quid ſpectaſſe Euangeliſtas putandum ſit, in Apoſtolorum nominibus recenſendis; de qua, dum de Apoſtolorum numero diſſerimus, non fuerit ab re pauca dicere. Hæretici, quos malè habet, Petrum ab omnibus primum omnium appellari; communi conſenſu negant, vllam in enumerandis Apoſtolis dignitatis ipſorum habitam fuiſſe rationem, ſed Petrum primo loco poſitum, quia primò occurrit: quibus maximè fauere videtur Chryſoſtomus [k], & ratio non contemnenda. nam cùm multi numerandi eſſent, aliquem primo loco oportuit collocari: de quo perſimili ratione quæri potuiſſet, cur primus inter omnes appellaretur. Si ab vno tantùm Euangeliſta, & vno duntaxat loco enumerarentur Apoſtoli, videri poterat ſententia vtcumque probabilis: ſed cùm catalogus Apoſtolorum à pluribus Euangeliſtis, pluribus item locis deſcribatur, permirum videri poteſt, primo ſemper loco occurriſſe Petrum, cùm præſertim in aliis (vt paulò pòſt docebo;) nonnulla mutatio cernatur. Omnes Apoſtolos nominatim numerant Matthæus [l], Marcus [m], Lucas [n], & vbique Petrus primum occupat locum. Interdum duo, vel plures Apoſtoli recenſentur, neque alius niſi Petrus primo loco: apud Marcum [o], & Lucam [p], hæc legimus: *Non admiſit quemquam ſe ſequi, niſi Petrum, & Iacobum, & Ioannem.* Apud Lucam [q]: *Miſit Petrum & Ioannem.* Apud Matthæum: *Aſſumpſit Petrum, & Iacobum, & Ioannem.* Apud Marcum [r]: *Interrogabant eum Petrus, & Iacobus, & Ioannes, & Andreas.* Apud Ioannem [ſ]: *Erant ſimul Simon Petrus, & Thomas, & Nathanael, & filij Zebedæi, & alij ex diſcipulis eius duo.* Quid igitur cum caſu, ac fortunæ temeritate tanta conſtantia? At Paulus alicubi [t] primum locum tribuit Iacobo. *Iacobus* (inquit) *& Cephas, & Ioannes.* ſed vtrum æquius eſt exiſtimare, caſu factum eſſe id, quod ſemel tantùm, alieno præſertim loco accidit, an quod vbique, cùm id maximè agendum eſſet, perpetuò retinetur? Quid ſi librariorum vitio factum eſt, vt Iacobus Petro præponatur? Et ſanè non poteſt id videri improbabile. nam Chryſoſtomus indicat, ſe primo loco legiſſe Petrum, vt vero ſimile videatur, in aliquibus Græcis codicibus aliũ fuiſſe ordinem, quàm nunc paſſim legatur. Inter Latinos verò Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, tum in contextu, tum in commentariis Petrum Iacobo anteponunt. Quòd ſi omnino legendum ſit, vt

k Hom. 14. in Matth.
l Cap. 10.
m Cap. 3.
n Cap. 6. & Act. 1.
o Cap. 5.
p Cap. 8. 51.
q Cap. 22. 8.
r Cap. 13. 3.
ſ Cap. vlt. 2.
t Ad Gal. 2. 9.

ſit, vt legimus in Græcis, & Latinis codicibus, neque fas eſſe putemus caſum, aut temeritatem, eo Pauli loco admittere: malim ego cum grauiſſimis auctoribus exiſtimare tributum id fuiſſe, vel ætati Iacobi, vel dignitati, qui in vrbe Ieruſalem Epiſcopus erat; quàm id probare, quod alij dicunt Apoſtolum in ea Epiſtola id vnum agere, vt ſe cæteris Apoſtolis non inferiorem oſtendat, atque idcirco non fuiſſe opportunum, vt de cuiuſquam prærogatiua verbum faceret, qui ob eandem cauſam, cùm planè conſtaret, tres illos Apoſtolos, Petrum, Iacobum, & Ioannem, cæteris omnibus antecellere; nõ dixit, qui columnæ erant, vt eum dicere oportebat; ſed qui columnæ eſſe videbãtur. Sed abſit, vt Apoſtolus de cuiuſquã dignitate vel exiguum quid detraxiſſe videatur, quò ſuam apud alios auctoritatem commendet; cùm præſertim nihilo plus ſibi arroget, ſiue Iacobum Petro, ſiue hunc illi anteponat.

III. A T erat, inquiunt, Petrus natu maximus; idcirco primo eum loco nominari oportuit. Verùm id negat Epiphanius[a], qui propterea dicit Andream priùs ad fidem fuiſſe vocatum, quòd eſſet natu grãdior. Accedit quod, vt paulò antè indicaui, Iacobus minor, ætate maior erat Petro. Sed nõ poſſunt ferre, Petrum appellari primum, atque ideo vocem illam, πρῶτος à quopiam additam fuiſſe putant, qui Romani Pontificis auctoritatem immoderatiùs aſſereret. Quaſi verendum ſit, ne Græci homines Romanæ dignitati quàm qui maximè infenſi, voculam vnam adderent, qua Pontificia Maieſtas, quam ipſi acerrimè oppugnant, magis confirmetur, quam illi potius libenter detractam cuperent. Fatendum igitur eſt, Petrum neque temerè primo loco poſitum, & meritò primum appellatum. At cur primum? Hæretici quia priori non ſucceſſit, alia aggrediuntur via. Propter eximia ipſius dona primo aiunt loco Petrũ collocari, adeo nomẽ primatus oderũt, quod à primo deduci animaduertunt, non aliter, atque à Principe principatum, à Conſule conſulatum. Sed quæ tandem ſunt iſta dona? An gratia, iuſtitia, ſanctitas, & id genus alia, quæ priuatim cuique ad ipſius vtilitatem tribuuntur? Equidem vix credo. Neque enim facilè poterant Euangeliſtæ cognoſcere omnium Apoſtolorum gratiam, & ſanctitatem, & quem potiſſimùm cuique hoc nomine præponerent; neque ſi maximè ſciuiſſent, vero ſimile videtur, id etiam aliis ſignificaturos; cùm ignorare non poſſent, Ioannem præcipuè à Chriſto diligi, & virginitatis gloria ſupra cæteros commendari: Iacobum verò minorem egregia quadam ſanctitatis laude non vulgò ſolùm, ſed etiam apud viros principes celebrari. Quòd ſi dona intelligant, auctoritatem, dignitatem, prærogatiuam, vno verbo, primatum, vicimus. erit enim Petrus ordine, ac dignitate primus, licet nõ vocatione. Sic enim dixit Ambroſius, aut quicũmque ille[b] eſt: *Prior Andreas ſecutus eſt Saluatorem, ſed primatum non accepit Andreas, ſed Petrus.* Auguſtinus[c] verò apertè Petro tribuit Apoſtolatus primatum; quod & aliis multis coniecturis confirmari poteſt. Sic enim ſæpè in Euangelio nominatur, vt appareat, illum inter cæteros principem locum tenere alicubi[d]. namque ſcribit Marcus: *Et proſequutus eſt eum Simon, & qui cum eo erant.* Lucas[e] verò: *Dixit Petrus, & qui cum illo erant.* Et rurſus[f]: *Petrus verò, & qui cum illo erãt.* Marcus[g] item: *Dicite diſcipulis eius, & Petro.* In Actis[h] Apoſtolicis. *Stans Petrus* (ait Lucas) *cum vndecim.* Et mox: *Dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos.* Poſt[i] multa: *Petrus, & Apoſtoli dixerunt.* Paulus[k] ipſe: *Numquid non habemus poteſtatem ſororem mulierem circumducendi, ſicut cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas?* Ignatius[a] verò poſt reſurrectionem, ait, veniſſe Chriſtum ad eos, *qui circa Petrum erant.* Interdum[b] Petrus vnus pro omnibus loquitur, vt non immeritò dixerit Cyrillus: *Per vnum, qui præerat, omnes reſpondere.* Et Chryſoſtomus[c] Petrum appellauerit os Apoſtolorum.

a Hær. 51.
b 2. ad Cor. 11.
c Tract. vlt. in Ioan.
d cap. 1.36.
e cap. 8.45.
f cap. 9.32.
g cap. 16.7.
h ca. 2. 14. 37.
i cap. 15.7.
k 1. ad Cor. 9.5.
a Epiſt. ad Smyrn.
b Matt. 16. & 19. Luc. 12. Ioan. 6.
c Hom. 55. in Matth.

IV. V E R V M ſi Petrus ordine dignitatis primo loco perpetuò ponitur, cur non in aliis, idem dignitatis ordo retinetur? Facilis reſponſio: Cæteros poſt primum, æquales fuiſſe dignitate, atque ideo certo ordine non potuiſſe numerari; vt mirandum non ſit, ſi non eodem ſemper loco reliqui nominentur. Sic Matthæus, & Lucas poſt Petrum, collocant Andream, ante Iacobum, & Ioannem. Marcus vtrumque præponit Andreæ. Neque diſplicet, quod alij ante nos obſeruarunt, factum id fuiſſe penè neceſſariò, quia ſimul dicere volebat Marcus, quibuſnam Chriſtus nomina mutauiſſet. *Et impoſuit* (inquit) *Simoni, nomen Petrus; & Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem Iacobi, & impoſuit eis, nomina Boanerges, quod eſt filij tonitrui. & Andream.* Quibus verbis apparet Iacobum, & Ioannem parentheſi includi, tum abſoluta parentheſi Euangeliſtam redire ad Andream, quem Petro comitem addit, qui alioqui ſolus poneretur; cùm tamen penè ſemper, bini Apoſtoli nominentur. Philippum porrò, & Bartholomæum, quidam Matthæi codices Iacobo, & Ioanni præferunt, cùm cæteri Euangeliſtæ poſtponant. Verùm id quidem fateor, ſed Græci, & Latini emendatiores anteponunt; & ita Hieronymum, Bedam, & alios antiquiores legiſſe certum eſt. Sed cæteri Euangeliſtæ Matthæum Thomæ præferunt, cùm tamen Matthæus ſe illis ſubiiciat, ſed fuit Chriſtianæ modeſtiæ, ſocio ſeſe ſubdere, non præponere.

V. D V O D E C I M igitur Apoſtoli à Chriſto primùm deſignati ſunt: ſed fuerunt deinde alij, qui ad hunc ordinem acceſſerunt. nam Iudæ quidem proditori, qui à duodenario numero defecerat, Matthias[d] ſuffectus eſt. Et quæri poteſt cur impius, & ſceleratus Iudas in anguſtiſſimũ collegium à Chriſto Domino rerum omnium gnaro, & humanarum mentium ſcrutatore, fuerit cooptatus. Infinita ſanè quæſtio. Cur enim, per ſimili ratione quæras, Angelum Deus immortalis condidit, quem peccaturum ſciebat, & innumerabilium deinceps malorum auctorem futurum? Cur Adamo eſum pomi interdixit, cùm non ignoraret, eam fore veluti ſementem humanæ calamitatis? Cur patitur quotidie tam multa flagitia patrari, & perditiſſimos plerumque mortalium bonis omnibus circumfluere? Sed dicendum eſt tamen aliquid, ne muti omnino videamur. *Nonne ego* (ait[e] Chriſtus) *duodecim elegi vos, & ex vobis vnus Diabolus eſt?* Quo ex loco colligunt nonnulli[f], probum, ac ſtudioſum fuiſſe Iudam, cùm in collegium Apoſtolicum adſcriptus eſt; ea potiſſimùm ratione ducti, quòd nonniſi bona eligimus, niſi aliquo fortaſſis mentis errore decepti, qui in Chriſtum cadere nequaquàm poterat. Sed qualis tunc fuerit Iudas videro non ita multò pòſt: rationem ab electionis vi, & poteſtate deſumptam nec probo; & cur non probem triplicem cauſam habeo. Primam, quòd prædeſtinati nullis præcedentibus meritis, vel etiam plurimis præcurrentibus noxis, eliguntur ad gratiam, & gloriam, quod planiùs ſuo loco docebo. Alteram, quòd iidem illi quidquid ſit de gloria (de qua tergiuerſatur nonnemo) ad gratiam efficacem, adeòque iuſtificantem, quæ illam conſequitur, etiam indigni, & quod maius eſt, plerumque reluctantes vocantur. Tertiam,

d Act. 1.26.
e Ioan. 6.72.
f Theophyl.

quòd ad gratias, quas vocant gratis datas, non mo- A
dò admittuntur iniuſti, ſed ij quoque, qui in ſcelere
perſeuerant, quíque dicturi ſunt aliquando; *Domi-*
a Matt 7. 22. *ne* [a], *nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine*
tuo virtutes multas fecimus? Conſtat autem, quod ſuo
loco probabitur, Apoſtolicum munus inter gratias
gratis datas numerari.

VI. At inquiunt, non elegiſſe quidem Chriſtum
Apoſtolorum merita, ſed ſpectaſſe tamen quandam
naturæ aptitudinem, quod eſt veluti ſolum, &
gratiæ fundamentum. Sed ne id quidem probo,
Quam enim aptitudinem habebat à natura Moſes,
b Exod. 4. 10. qui præcipienti Deo [b] reſpondit; *Domine non ſum*
eloquens ab heri, & nudiuſtertius; & ex quo locutus es
ad ſeruum tuum, impeditioris, ac tardioris linguæ ſum?
c cap. 6. Quid de Iſaia [c], & Ieremia [d] dicemus? quorum ille B
d cap. 1. ſermonis imperitiam, hic verò etiam infantiam excuſat?
Quòd ſi quis concedat modeſtè illos de ſe,
demiſſéque & ſentire, & loqui, non equidem magnopere
repugnarim; ſed aueo ſcire, quid ſignificet
e 1 ad Cor. 1. 27. Paulus [e] cùm dixit: *Quæ ſtulta ſunt mundi, elegit*
Deus, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit
Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia
elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, vt ea, quæ
ſunt, deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in cõſpectu
eius. Quis verò neſciat, id eſſe Dei proprium, non
vt idoneos eligat miniſtros, quod faciunt homines,
ſed vt eligendo aptos faciat? Ecqua verò aptitudo
erat in hominibus imperitis, ad eximias illas actiones
exercendas, quas conſtat fuiſſe proprias Apoſtolorum?
Verùm, vt redeam ad Iudam, fuiſſe illum C
f Tertul. lib. de anim. c. 4. Hieron. lib. 1. cont. Pelag. Cyrill. lib. 4. in Ioan. c. 10. aliquando iuſtum, nonnulli [f] ex ſanctis Patribus
haud obſcurè ſignificant: & profectò vero ſimile
omnino eſt, cùm à Chriſto vnà cum cæteris, Apoſtolus
renuntiatus eſt, fuiſſe hominem non malum,
fatendúmque omnino accepiſſe illum cum cæteris,
miraculorum poteſtatem, reliquáque diuina chariſmata,
quibus ad apoſtolicas functiones aptus redderetur.
Sed vitio ſuo deprauatus dignitatem apoſtolici
g lib. de vnitate Eccleſiæ verſus finem. collegij, ſuo lapſu (vt ait [g] Cyprianus) non
violauit, eo prorſus modo, quo tot Angelorum caſus
beatarum mentium ordines, earúmque beatam
h Tract. 27. 49. 50. in Ioa. vitam non læſit. Nam quod ait Auguſtinus [h], cùm
Chriſtus duodecim ſe elegiſſe commemorat, illo
duodenario numero Iudam non fuiſſe comprehenſum;
ſed appellari tamen duodecim etiam ſi vnus D
deeſſet, aut intelligi Matthiam, qui Iudæ ſucceſſit;
vereor, vt aptè Chriſti verbis accommodari queat,
quæ apertè ſignificant, Iudam, quem Chriſtus Diabolum
vocat, ad duodenariũ numerum pertinuiſſe.
Diaboli verò nomen, vel abſolutè pro calumniatore
ponitur, quod ex aliorum ſententia ſcribit Euthymius,
vt aliàs ſæpè accidit in nomine Sathan; vel
certè, ſi propriè accipiendum eſt, ad malitiæ magnitudinem
declarandam refertur, quòd videlicet, vt
Cyrillus, & Leontius interpretantur, Diabolũ imitaretur,
eique adhæreſcẽs, vnus cum ipſo quodammodo
ſpiritus efficeretur, vno verbo, planè Diabolus
euaderet. Et fortaſſe alluſit Chriſtus ad Diaboli caſum,
quem Iudas, cùm à collegio Apoſtolico defecit,
aliqua ratione eſt imitatus; & præterea antitheſim E
inter Apoſtolum, & Diabolum indicauit, cùm
nihil æquè Apoſtolico muneri, ac officium Diaboli
repugnet.

VII. Cæterùm ſi, quod alij plerique exiſtimarunt placeat,
Iudam etiamnum ſceleratum, & impium electum
i lib. 18. de Ciuit. ca. 49. lib. de corrept. & grat. cap. 7. in Pſal. 26. & 55. fuiſſe à Chriſto, vt eſſet aliquis ex ſuis, qui
eum traderet Iudæis, non expeditur quæſtio, ſed
magis implicatur. Video enim non ſemel placuiſſe
k de corrept. & grat. c. 7. Auguſtino [i], aliter Iudam, aliter vndecim Apoſtolos
fuiſſe vocatos, atque electos [k]. *Vndecim quidem per*
A *miſericordiam, Iudam verò per iudicium: illos elegit ad*
obtinendum regnum ſuum, hunc ad effundendum ſanguinem
ſuum [a]. *Habuit enim inter Apoſtolos vnum,* a lib. 18. de Ciuit. c. 49.
quo malo vtens bene, & ſuæ paſſionis diſpoſitum impleret,
& Eccleſiæ ſuæ tolerandorum malorum præberet
exemplum. Ille [b] *videbat traditorem ſuum, & elegit il-* b Pſal. 54. conc. 1.
lum magis ad opus neceſſarium. Illius malo magnum
bonum operatus eſt, & tamen inter duodecim electus
eſt, ne ipſe duodenarius tam exiguus numerus eſſet ſine
malo. Sciens [c] *ille elegit vnum, vnde tibi ſolatium face-* c Pſal. 55.
ret neſcituro quos deuites. Poterat enim ille non eligere
Iudam, qui nouerat Iudam aut quippe diſcipulis: Nonne
ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis Diabolus eſt?
Ergo & Diabolus electus eſt? aut ſi electus non eſt, quomodo
duodecim elegit, & non potius vndecim? Electus
B *& ille eſt, ſed ad aliud. Electi vndecim ad opus probationis;*
electus vnus ad opus tentationis. Idem cum Auguſtino
ſentit Beda, & alij, quibus eius de prædeſtinatione
ſententia omni ex parte probatur. Sed vtut
ſit, elegit Iudam, ſiue tum quidem bonum, vt faceret
meliorem, cùm tamen probè ſciret, vitio ſuo nõ
ita multò pòſt malum futurum, ſiue etiam tum perditum,
& ſceleſtum eo planè conſilio, quo cætera
innumerabilia mala permittit & tolerat; præſtantius
ratus, vt docet Auguſtinus [d], *de malis bona facere,* d in Enchir. cap.
quàm mala nulla permittere. interim eodem ipſo [e] e Epiſt.
Auguſtino auctore, obiter monens, nullum eſſe
ſanctitatis gradum, in quo lapſus non ſit iure optimo
metuendus. Denique rectè Ambroſius [f] de Iu- f in Lucam cap. 1.
dæ electione ſcribit: *Eligitur & Iudas, non per im-*
C *prudentiam, ſed per prouidentiam. quanta eſt veritas,*
quam nec aduerſarius miniſter infirmat? Su ſceperat
enim hominis fragilitatẽ, & ideo nec has partes recuſa-
uit infirmitatis humanæ. Voluit deſeri, voluit prodi, vo-
luit ab Apoſtolo tradi, vt tu ſi à ſocio deſertus ſi à ſocio
proditus fueris, moderatè feras, tuum erraſſe iudicium,
periiſſe beneficium.

Igitur Iudas apoſtolico munere inſignitus, VIII.
tanto ſe gradu indignum, ſuo nefario ſcelere declarauit:
illo autem loco ſuo deiecto, Apoſtolorum
opera, ac diuini numinis impulſu, vt duodenarius
numerus expleretur, in ampliſſimum collegium
Matthias eſt cooptatus. Idque non humana ſortitione
temerè inita, ſed diuinitus indita, vt ex Dionyſio
[g] Areopagita facilè colligas. Cœlitus enim ſplen- g de Eccle. Hierar. c. 5.
D dor quidam emicuiſſe dicitur, quo ille quodammodo
initiatus eſt, & in collegium Apoſtolicum diuina
auctoritate adſcriptus, cùm antea, vt ſcribit
Epiphanius, [h] fuiſſet ex numero Septuaginta duo- h Hær. 20.
rum diſcipulorum.

De Nathanaële, quem Chriſtus [i] ſua commen- IX.
datione tantopere illuſtrauit, diſputant nonnulli, i Ioan. 1. 47.
vtrùm ad Apoſtolorum numerum pertineat. Apertè
negat Auguſtinus, [k] & cur neget cauſam addit; quia k in Ioan. Tract.
Chriſto propoſitum erat infirma mundi eligere,
vt fortia confunderet; atque ita virum doctum,
qualis erat Nathanaël, eligere æquum non videbatur.
Affirmant recentiores, [l] ſed eumdem cum l Rupert.
Bartholomæo fuiſſe contendunt. Huius ſuæ nouæ
ſententiæ veterem auctorem laudare nullum poſ-
E ſunt; coniecturas nonnullas habent, quòd apud
Ioannem [m] Nathanaëlis vocatio cum Philippi vo- m cap. 1. 47.
catione accuratè deſcribitur, Bartholomæi verò
nuſquam; cùm tamen non videatur credibile, eam
fuiſſe penitus ab Euangeliſtis prætermiſſam. Accedit
quod quemadmodum aliàs ſemper coniunguntur
Petrus, & Andreas; Ioannes, & Iacobus, qui
ſimul vocati ſunt; ita Philippus, & Bartholomæus,
quaſi vnà vocati copulantur. Quòd ſi Bartholomæus,
non idem prorſus eſt cum Nathanaële, neutiquàm
cum Philippo vocatus eſt. Addo, quòd tres
Euan

Digitized by Google

Euangeliſtæ, qui Bartholomæi mentionem faciunt, Nathanaëlem ne nominant quidem; Ioannes verò, qui Nathanaëlem memorat, Bartholomæi nuſquam meminit. Denique (quod caput eſt) Ioannes [a] ipſe Nathanaëlem inter Apoſtolos connumerare videtur. Poſui vtramque ſententiam; & pro altera quidem pugnat auctoritas Auguſtini, ac tota fermè antiquitas; pro altera non omnino leues aut contemnendæ coniecturæ. Sed vt verum fatear, non parum nouitate offendor.

a cap. 21.

X. Verum de Iacobo fratre Domini, ac Ieroſolymitano Epiſcopo multi quæſtionem mouent, & Apoſtolum quidem fuiſſe nō negant, cùm id apertè aſſerat Paulus; [b] ſed duodenario illo numero excludunt, & ab vtroque Iacobo Zebedæi, & Alphæi apertiſſimè diſtinguunt; cuius rei auctores habent minimè bonos, & vt minimum ſuſpectæ fidei, qui fallò hanc ſententiam Hieronymo adſcribunt, cùm ille tantùm doceat, [c] Iacobum Ieroſolymitanum Epiſcopum non fuiſſe Iacobum Zebedæi, quod eſt veriſſimum. [d] Alio certè loco Iacobum illum, cuius meminit Paulus, inter duodecim Apoſtolos numerat, & eos palàm refellit, qui tertium Iacobum fratrē Domini inducunt. *Nulli* (inquit) *dubium eſt, duos fuiſſe Apoſtolos Iacobi vocabulo nuncupatos, Iacobum Zebedæi, & Iacobum Alphæi. Iſtum neſcio quem minorem Iacobum, quem Mariæ filium, non tamē matris Domini, ſcriptura commemorat, Apoſtolum vis eſſe, an non? ſi Apoſtolus eſt, Alphæi filius erit: ſi non Apoſtolus, ſed tertius neſcio quis Iacobus, quomodo eſt frater Domini putandus? & quomodo tertius ad diſtinctionem maioris appellabitur minor? Cùm maior, & minor non inter tres, ſed inter duos ſoleant præbere diſtantiam; & Frater Domini Apoſtolus ſit, Paulo dicente: Alium Apoſtolorum vidi neminem, niſi Iacobum fratrem Domini.* Æquum autem erat vni Hieronymo ſiue ob vitæ ſanctitatem, ſiue ob ſingularem eruditionem, ſiue denique ob antiquitatem, etiam ſine ratione affirmanti magis, quàm ſciolis quibuſdā, argutè ratiocinantibus credere. Præterquàm quòd perabſurdum eſſet alterius Iacobi Apoſtoli nullam prorſus in Eccleſia extare memoriam. nam Iacobi quidem Zebedæi, & Ioannis Euangeliſtæ fratris dies feſtus agitur XXV. Iulij: at Kalend. Maij ſacer dies agitur Philippo, & Iacobo Ieroſolymitano Epiſcopo dicatus. Quòd ſi hic Iacobus non eſt idem cum Iacobo Alphæi, quem Apoſtolum fuiſſe conſtat, quis non videt nullam huius Apoſtoli fieri in Eccleſia Catholica mentionem? Itaque fatendum eſt, Ieroſolymitanum Epiſcopum cum Iacobo Alphæi eundem prorſus eſſe, & in collegio Apoſtolico non poſtremum.

b ad Gal. 1.
c ad Gal. 1.
d In catal. ſcript. Eccl.

B C D (margin letters)

XI. Perſimilis quæſtio eſt de Cepha, qui à Paulo non nominatur [e] ſolùm, ſed etiam inter Apoſtolos recenſetur. [f] Hunc enim alium eſſe à Petro Apoſtolorum Principe exiſtimant Dorotheus, [g] Clemens [h] Alexandrinus, & Euſebius; [i] ſed bene habet, quòd hæc antiquiſſimorum Patrum ſententia ne hæreticis quidem probatur, & tamquàm frigida, ac prorſus à veritate aliena ab Hieronymo [k] confutatur. Iam alios fuiſſe extra numerum duodenarium Apoſtolos ſacræ litteræ docent. Nam Paulus, [l] & Barnabas, Apoſtoli appellantur; idque propterea quòd ſingulari priuilegio ad prædicationem Euangelicam fuerant non ita pridem à Spiritu ſancto vocati; quæ cauſa fuit cur Paulus ipſe abortiuum ſe alicubi nominet. Vt enim ante nos quidam monuerunt, auctore Suetonio, [m] ſenatores abortiui dicebantur ij, qui extra numerum beneficio, ac priuilegio Principis in ſenatum allegebantur; quamquam fortaſſe non id ſpectauit Apoſtolus, vt ſuo loco monet. Poſtremò Epaphroditus dicitur [a] Philippenſium Apoſtolus, id eſt, interprete Theodoreto, eorum Epiſcopus. Eadémque ratione quidam [b] dicuntur Apoſtoli Eccleſiarum, niſi quis malit (quod video permultis placere) legatos Eccleſiarum intelligere, ad eleemoſynas colligendas deſtinatos. Quam, opinor, conſuetudinem ſecuti deinceps Eccleſiaſtici ſcriptores, eos, qui primi alicui genti, aut nationi Euangelij lucem intuliſſent, eius nationis, aut gentis Apoſtolos nuncupabant. Sic Germaniæ, Galliæ, Angliæ Apoſtolos legimus, id eſt primarios Euangelij præcones: qua ratione Epiphanius [c] Lucā ſcribit, à Paulo fuiſſe Apoſtolum renuntiatum.

e ad Galat. 2.
f ad Galat. 2.
g In Synop.
h lib. 4. Hyp.
i lib. 1. Hiſt.
k ad Gal. 2.
l Act. 14.
m in Octau. 35.

a ad Philip. 2.
b 2. ad Cor. 8.
c Hæreſ. 20.

A E (margin letters)

Quomodo, & quando Paulus ad Apoſtolatum ſit vocatus. Cap. III.

I. Initio huius Epiſtolæ Paulus ſe vocatum Apoſtolum nominat, hoc eſt, vt interpretati ſumus, diuina vocatione Apoſtolum. Huius vocationis hiſtoria deſcribitur à Luca. [d] Cùm enim Paulus vnà cum Barnaba eſſet Antiochiæ; *Miniſtrantibus* (inquit) *illis, & ieiunantibus dixit Spiritus ſanctus; ſegregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos. Tunc ieiunantes, & orantes, imponentéſque eis manus dimiſerunt illos.* Ad huius porrò hiſtoriæ explicationem ſex quæſtiones breuiter enucleandæ ſunt. Prima, quánam ratione verba illa dixiſſe feratur Spiritus ſanctus. Secunda, quónam munere fungerentur illi, ad quos ea verba referuntur: *Miniſtrantibus autem illis.* Tertia, quorſum referantur illa; *Segregate mihi Saulum, & Barnabam.* Quarta, quæ ſit illa ſegregatio, & quò potiſſimum ſpectaret. Quinta, quæ ſit manuum impoſitio, quæque eius vis, & efficacitas. Sexta, & poſtrema, à quibus fuerit manuum impoſitio adhibita.

d Act. 13. 2.

II. Primam vno verbo expedit Chryſoſtomus. [e] *Per Prophetas* (inquit) *idcirco præoccupans dicit, & erant Prophetæ: neque aliter decebat Apoſtolos, quàm diuina auctoritate creari, vt nihilo eſſent inferiores illis, qui à Chriſto fuerant electi.* Idipſum initiandis Epiſcopis fieri conſueuiſſe, indicat Paulus, cùm ad Timotheum [f] ſcripſit: *Hoc præceptum tibi commendo ſecundùm præcedentes in te prophetias.* ita enim locum illum explicant Chryſoſtomus, Theophylactus, Ambroſius. Et rurſus ad eundem: [g] *Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum presbyterij.* Quæ eandem prorſùs cum ſuperioribus habent explanationem. Verùm fueritne id omnibus, qui initiarentur commune, an paucorum priuilegium, non ita facilè ſtatui, ac definiri poteſt. Quid? ſimpliciter affirmant, omnes olim Epiſcopos non ſine vaticiniis prophetarum initiari conſueuiſſe. quærenti quo id argumento probent, præter hæc duo Pauli, & Barnabæ, & Timothei exempla nihil habent proferre, niſi quod Chryſoſtomus, quem ſequitur Theophylactus, à prophetia, hoc eſt, Spiritus ſancti impulſu ſacerdotes creatos fuiſſe ſcribit. Id in Pauli, & Barnabæ vocatione, itémque Timothei initiatione contigiſſe, negare non poſſumus, de cæteris qui probatur? ſed teneamus quod Lucas ſcribit de Paulo, & Barnaba, diuina illos auctoritate, & numinis afflatu in apoſtolicum collegium fuiſſe cooptatos; iis tamen nō aſſentior, qui ſecuti Clementem [h] Romanum, Paulum tamquam tertiumdecimum Apoſtolum à Chriſto nominatum: Iacobum verò, & Clementem ab Apoſtolis electos fuiſſe memorant. Primùm quia eâdem planè ratione Barnabas tamquàm quartuſdecimus debuit numerari: deinde quia, vt ſuperiori capite

e Hom. 27. in Act.
f 1. Ep. c. 1. 18.
g Cap. 4. 14.
h lib. Conſt. vlt. & poſt.

 docuimus,

docuimus, Iacobus ad numerum duodenarium pertinet non aliter ac cæteri. Ad hæc quia Clemens nihilo magis Apoſtolus dicendus eſt, quàm alij penè innumerabiles, qui ab Apoſtolis ad Epiſcopatus ordinem ſunt euecti. Denique quia Paulus [a] ipſe, vt ſuo loco docebo, non aliam ob cauſam, ſui Apoſtolatus dignitatem, auctoritatémque tuetur, niſi quòd à pſeudoapoſtolis minoris ſe fieri intelligeret, ob id maximè, quòd cum duodecim nequaquam conferendus videretur. Et ſanè ſi quod paulò antè Chryſoſtomi teſtimonium indicare videbatur, pro certo admittendum ſit; fuiſſe omnes olim diuinorũ oraculorum reſpõſis ad ſacros ordines promotos, quis erit omnino Apoſtolus, hoc eſt Epiſcopus non diuina auctoritate creatus? Cur verò potiùs Paulus, quàm Iacobus, aut Clemens à Deo dicetur electus? B Maneat igitur, Paulum vnà cum Barnaba extra ordinem ad Apoſtolatus faſtigium diuino nutu, atque imperio, non hominum conſilio fuiſſe euectum. Ea porrò oracula, quibus ipſi tam præclarum munus, & ſacroſanctum Magiſtratum ſunt adepti, non fuiſſe vulgaria, aut omnibus communia; ſed eximia, planéque ſingularia: denique eiuſmodi, quæ diuinam auctoritatem, & peculiare præceptum non obſcurè indicarent.

a ad Gal. 1.

III. Altera ſequitur quæſtio de iis verbis: *Miniſtrantibus autem illis*; Græcè λειτουργούντων δὲ αὐτῶν; & quidem ſignificare publicum, ac ſolemne miniſterium, nobis cum hæreticis conuenit: ſed illi ad ſolam Dei verbi prædicationem, atque doctrinam, plurimi Catholicorum ad ſacrificium referunt; per- C inde quaſi ſacris operantibus Chriſtianis, atque ad ſacrificium ieiunia adhibentibus Deus immortalis cœleſti numine Prophetas afflauerit, & iis, qui præerant, præceperit, vt Paulum, & Barnabam à cætera turba ſeductos, ſacris initiarent. Quid enim aliud miniſterium illud eſſe poterat præter rem diuinã, & ſacrificiũ? Illud verò probare nullo modo poſſum, quod video plurimis vehementer placere, Græcam vocem λειτουργεῖν præcisè in ſacris litteris poſitam, de ſacro Miniſterio, & ſacrificio intelligi. Nam hac ipſa Epiſtola [b] cùm ageret Paulus de collectis, quas à Gentilibus ad Iudæorum ſubſidium flagitabat, vt qui ab iis fidem perceperant, viciſſim illis, quæ ad vitam tuendam neceſſaria erant abundè ſuppeditarẽt, vſus eſt voce λειτουργῆσαι; vt hac ratione omnes, D qui liberalitatem, & beneficentiam exercent, appellari poſſint λειτουργοὶ; niſi quis opinetur, myſtico ſenſu voluiſſe Apoſtolum ſignificare, miſericordiã eſſe veluti ſacrificium quoddam, vt planiùs dixit in Epiſtola ad [c] Hebræos. Illo verò ipſo huius Epiſtolæ loco Chriſti ſe miniſtrum nominat: Græcè λειτουργὸν, ſanctificantem Euangelium [d]. Alibi Euangelij prædicationem appellat διακονίαν τῆς λειτουργίας. At quis vnquam Reges, aut Dynaſtas, vel Magiſtratus, & iudices ſacrificulos nominauit? Paulus certè hac eadem Epiſtola [e]: *Ideo*, inquit, *tributa præſtatis; miniſtri enim Dei ſunt* λειτουργοὶ. At enim non ſe temerè Imperatores vocant ſacerdotes, hoc eſt, publicos Dei miniſtros, & quaſi ſacroſanctos. Eſto; ſed ianitores, qui oſtia templi obſidebant, nullo cer- E tè modo rem diuinam faciebant ipſi, eorum tamen miniſterium λειτουργία, nuncupatur [f]. Quin etiam ſacrificium non ſimpliciter λειτουργία, ſed λειτουργία τῆς θυσίας dicitur [g]. Omnia denique Leuitarum officia λειτουργίας nomine cenſentur: & quod magis mirandum eſt, qui ad vſum reipublicæ pecuniã conferebant, interdum διακονεῖν, nonnunquam verò etiam λειτουργεῖν dicebantur. Qua igitur ratione λειτουργούντων apud Lucam de ſacrificio interpretamur? At λειτουργεῖν publico Miniſterin conuenit, quaſi non A alia multa præter ſacrificium publica miniſteria reperiantur. Munus vtique publicum erat docere, prophetas interpretari, Euangelium promulgare, vitam, moréſque hominum inſtituere; & ſi quid aliud eiuſdem generis excogitari poteſt. Atqui hæc Deo nõ exhibentur; Lucas autẽ ait λειτουργούντων τῷ κυρίῳ καὶ νηστευόντων. vbi ieiunium abſolutè ponitur, cùm tamen & ipſum ad Dei potiſſimum gloriam referatur: Miniſterium autem nonniſi Deo dicitur exhiberi, vt quale tandem (ſi ſacrificium tollas) miniſterium Deo propriè, ac ſoli impenditur? Probabilis ratio, non neceſſaria tamen. Nam (vt ſuprà diximus) Paulus [a] Reges vocauit Dei miniſtros, id eſt λειτουργὸς, non propter ſacrificium, ſed propter publicam functionem, qua Deo dicuntur λειτουργοὶ, ſiue dum bonis ciuibus præmia, ſiue dum improbis pœnas reddunt. In Canonibus [b] autem Apoſtolicis hæc leguntur: *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus iuſtè ob manifeſta crimina depoſitus, auſus fuerit attingere ſibi creditum miniſterium*, vbi eſt nomen λειτουργίας.

b cap. 15.

c cap. vlt.

d 2. ad Cor. 9.

e cap. 13. 6.

f 1. Par. 25.

g lib. 2. Mac. cap. 3.

a ad Rom. 13.

b Can. 28.

IV. Ex quo apparet, latiùs patere, quàm ſacrificium, & ſignificare publicum munus, aut miniſterium, aut certè aliquo modo ſacrum, quod confirmat Gregorius [c] Nazianzenus, qui λειτουργίαν; id eſt, miniſterium, & ἡγεμονίαν, id eſt principatum, pro eodem accipit. Clariùs Patres [d] Concilij Ancyrani loquentes de presbyteris, qui idolis immolarunt. *Placuit* (inquiunt) *honorem ſedis retinere, offerre autem, & ſermonem apud populum facere*; ἢ ὅλως λειτουργεῖν, C id eſt, aliquo omnino ſacro munere fungi nõ liceat. Concludo, verba illa Lucæ, λειτουργούντων καὶ νηστευόντων, probabiliter, non neceſſariò de Miſſæ ſacrificio intelligi. Eam verò ſententiam, quæ aſſerit illa ad Euangelij prædicationem pertinere, malos quidem habere auctores, id eſt, hæreticos, non videri tamen à vero prorſus alienam, [illegible]que ab ea multò ante exortas hæreſes viri Catholici abhorruerunt. Chryſoſtomus enim interpretatur, prædicantibus illis; alij, exercẽtibus ſeſe in bonis actionibus, pro cuiuſque gradu, atque officio; perinde quaſi dicat Lucas, dum ſuo quique munere ritè fungerentur, ac ieiunarent. Nam ego quidem, vt verum fatear, adduci non poſſum vt credam, hæc in ipſo Miſſæ ſacrificio contigiſſe. nam cur (quæſo) additur, *Et ieiunantibus*? D An exiſtimandum eſt, de eo tantùm ieiunio agi, quod tum ſeruabant, cùm diuino ſacrificio intererant? Frigidum quidem id eſſet, ac planè ridiculum. Suſpicor igitur pro re benè gerenda cùm diligentiùs pro ſua quiſque virili in vinea Domini laborarent, indicta fuiſſe ieiunia ad aliquot dies: per id verò tempus Spiritum ſanctum monuiſſe Prophetas, vt Paulum, ac Barnabam à cæteris ſegregari, atque initiari præciperent. Quocirca (quod plerique obſeruant) ad ſacros ordines non modò ſacrificium miſſæ, ſed etiam ieiunia fuiſſe adhibita, verum id quidem; ſed vereor, vt poſſit ex hoc loco colligi, cum λειτουργία, ac ieiunium non tam fuerint propter ordines aſſumpta, quàm dum diſcipuli his rebus operam darent, diuino monitu Paulus, & E Barnabas initiati ſint. Viſum eſt quidem id præopportunum, atque idcirco, moribus inſtitutiſque receptum eſt, atque apoſtolica auctoritate firmatum, vt ſacris Eccleſiæ miniſtris initiandis ſtatuta tempora, atque ieiunia indicerentur.

c in Apol.

d Can. 1.

V. Qvid quæſo aliud (vt tertiam quæſtionem expediam) putamus, eſſe illud: *Segregate mihi Saulum, ac Barnabam*? Ad hunc opinor locum alluſit Paulus, vt monuimus in explanatione, cùm ſe dixit *ſegregatum in Euangelium Dei*; & cùm ſcribit ad Galatas [e], *ſe Apoſtolum eſſe, non ab homine, neque per hominem.*

e cap. 1. 1.

nium. Sanè quidem Paulus iam inde à principio, A cùm diuinitus ad fidem adductus eſt, ipſius Dei teſtimonio, atque auctoritate, duplici ni fallor hebraiſmo vas electionis eſt appellatus: altero, quo inſtrumenta cuiuſcumque generis ſint, abſolutè dicuntur vaſa: altero, quo gignendi caſus nominis ſubſtantiui pro adiectiuo vſurpatur, vt vas electionis idem ſit, quod inſtrumentum electum, ſeu ſegregatum à multis. Qua ratione dixit Dauid [a]:
a Pſal.7.14. *Arcum ſuum tetendit, & parauit illum, & in eo parauit vaſa mortis*: quaſi dicat lethalia, ſeu mortifera, cùm ſine dubio ſagittas ſeu iacula vellet intelligi. Et alibi [b]: *Confitebor tibi in vaſis Pſalmi*; id eſt
b Pſal.70.22. c cap.6.5. muſicis inſtrumentis. Neque aliter Amos [c]: *ſicut Dauid putauerunt* (ait) *ſe habere vaſa cantici*; quibus videlicet ſeſe ſuaui quadam ſymphonia oble- B ctarent. Hanc, opinor, ob cauſam Tertullianus [d]
d lib. de reſur. carnis an in 4. lib. de praeſc. non vno loco Paulum vocat *Apoſtolum Chriſti, doctorem nationum in fide & veritate, vas electionis, Eccleſiarum conditorem, cenſorem diſciplinarum*. Quemadmodum igitur cæteri Apoſtoli ex omnibus Chriſti diſcipulis ab ipſo fuerant delecti; ita hi duo Paulus, & Barnabas à reliquis omnibus dicuntur ſegregandi. Hæc autem vox ἀφωρισμένος non quemlibet delectum ſignificat, ſed eum qui rem certam, ac deſignatam ſpectet. de hac autem ſua ſegregatione his
e ad Galat.1.15. planè verbis ſcribit Paulus [e]: *Cùm autem ei, qui me ſegregauit*, ἀφορίσας, id eſt, definitè, ac præciſè elegerat, aut etiam deſignarat *ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret Filium ſuum in me, vt euangelizarem illum in Gentibus*. Fuerat C ille æterno Dei decreto diuinæ prædeſtinationis ab innumerabilibus mortalibus ſegregatus, & quodammodo Apoſtolus deſignatus, poſtmodùm ſuo tempore vocatus, & iuſtificatus eſt, deinde etiam electus, & ad id perficiendum miſſus; ad quod fuerat ante omnem æternitatem à Deo deſtinatus. Idcircò diuinis muneribus, & ſancti ſpiritus chariſmatibus locupletatur, vt vberes poſſet ex promulgatione Euangelij fructus referre. Nam ob hãc ipſam cauſam exiſtimandum eſt; non alio tempore
f 2.ad Cor. 12.2. ea contigiſſe, quæ de ſe ipſo ſcribit [f]. *Scio hominem* (inquit) *in Chriſto ante annos quatuordecim, ſiue in corpore, ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit, raptum huiuſmodi vſque ad tertium cælum*. De quo plura ſuo loco. Nunc tantùm dico vero ſimillimum videri, D fuiſſe Paulo Gentium vocationem diuinitus patefactam, cuius ipſe tamquam primarius auctor inter mortales futurus erat. Præcipit itaque ſpiritus ſanctus, vt Paulus, & Barnabas à cæteris ſegregentur, hoc eſt, ſeligantur, ſeparentur, ac ſecernantur; ſiue tamquam anathemata Deo dicata, ſiue tamquam Dei præcipui miniſtri, quibus nihil cum reliquo vulgo debeat eſſe cõmune. Adde, quòd hac potiſſimũ ratione indicare voluit Spiritus ſanctus, eos, qui promulgando Euangelio operam daturi eſſent, aliis omnibus curis vacuos eſſe oportere. vt enim Pau-
g 2.ad Tim. 2.4. lus ipſe docuit [g]: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, vt ei placeat, cui ſe probauit*. Neque de tertia quæſtione plura.

VI. QVARTA ſequitur quæſtio; quò potiſſimùm hæc E ſegregatiò referatur. videtur autem vnico verbo explicari à Luca. *Ad opus* (inquit) *ad quod aſſumpſi eos*. Ad gentes, opinor, Chriſto aggregandas, & plurimas Eccleſias inter gentes inſtituendas. idcirco enim Gentium Apoſtolus appellatur, vt ſuo loco planiùs oſtendam. Quamobrem non ita multò poſt ſcribit Lucas, Sergium Paulum proconſulem, Chriſtianis ſacris fuiſſe initiatum. Erat autem opus inſigne Dei, vt Chriſti beneficio etiam Gentibus aditus ad ſalutem pateſieret, atque adeo cun-

A cti mortales ad fidem, & Chriſtianam religionem prouocarentur. Id mirum, ne dicam abſurdum, peruultis viſum eſt, qui propterea Petrum Apoſtolorũ principem accuſabant, quòd Romanum Centurionem aqua baptiſmi luſtraſſet. Quòd ſi hæc ſubtiliùs libeat perſcrutari, rectè dicitur Chriſtianæ fidei promulgatio opus Dei, cùm fides ipſa, non niſi diuino munere cuiquam tribuatur: ita Chriſtus apud Ioannem ait [a]: *Hoc eſt opus Dei, vt credatis in* a cap.6.29.
eum, quem miſit ille. Opus enim Dei non ſolùm idcirco vocat fidem, quòd ſit in primis Deo grata, vt Apollinario, & Leontio placuit; ſed quia (vt obſeruat Auguſtinus) Dei donum eſt, vnde cætera dona ortum habent. Iam quoniam Paulus, & Barnabas ad hoc prædicandi munus numinis auctori- B tate magna cum poteſtate mittuntur, præcipua quadam ratione, & (vt diximus) extra ordinem, Apoſtoli renuntiati ſunt, eadem cum cæteris auctoritate, vt Paulus ipſe non affirmat modò, ſed etiam confirmat. Qualis autem, aut quanta fuerit dignitas Apoſtolica infra ſuo [b] loco docebimus. b cap.8.

QVINTA quæſtio eſt de manuum impoſitione. VII.
ſic enim ſcribit Lucas [c]: νηστεύσαντες καὶ προσευξάμενοι, c Act.13.
καὶ ἐπιθέντες τὰς χεῖρας αὐτοῖς. Quæ verba, conſtans eſt Catholicorum ſententia de illa manuum impoſitione intelligenda eſſe, quæ quandam ſacramenti rationem continet; & Græca voce dicitur χειροτονία. De hac autem quæſtione mirum eſt, quàm multa Catholicos inter, atque hæreticos vltrò, citroque agitentur. Quid enim propriè ſit χειροτονία, C incredibili penè contentione certatur; dum hæretici ſuffragium, vel ſignum tantùm benè precantis χειροτονίαν fuiſſe interpretantur: Catholici verò ſacramentum eſſe contendunt. ſed agamus de voce priùs, tum de re ipſa. Certè χειροτονεῖν apud prophanos ſcriptores, idem eſſe, quod ſciſcere, iubere, aut Magiſtratum creare nemo inficiabitur: χειροτονία autem idem videtur eſſe, quod ψήφισμα, id eſt plebiſcitum à manuum erectione dictum: interdum etiam eſt ipſum ſuffragium, quod ſublata manu dari conſueuerat. Nec dubito plerumque idem in ſacris litteris valere. nã quod apud Iſaiam [d] d cap.58.9.
noſter Interpres dixit: *Si deſieris extendere digitum*, Septuaginta his verbis exprimunt, ἐὰν ἀφέλῃς ἀπὸ σοῦ σύνδεσμον καὶ χειροτονίαν. id eſt; ſi abſtuleris à te colli- D gationem, & ſuffragium, hoc eſt, facilitatem ſuffragij ferendi, ſeu temeritatem, ac leuitatem in magiſtratibus creandis. Sic Apoſtoli conſtituiſſe dicũtur [e] presbyteros per ſingulas Eccleſias; χειροτονή- e Act.14.23.
σαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ᾽ ἐκκλησίαν. Nam hoc loco quidquid aliqui ſecus exiſtiment, ne noſter quidem Interpres impoſitionis manus mentionem facit. Non tamen placet (quod aliqui ſomniant) ſuffragio populi presbyteros ab Apoſtolis fuiſſe inſtitutos. nam neque id Lucas dicit, neque vox χειροτονήσαντες vllo modo ſignificat. Etenim non modò populus cùm quidpiam ſciſceret aut iuberet, ſed etiam curia, & ſenatus cùm aliquid decerneret, apud Græcos χειροτονεῖν dicebatur. Et quamquam διὰ χειροτονίαν δοῦναι erat apud veteres populum in E ſuffragia mittere, vel rogationem populi ſuffragiis promittere, curia tamen in concilio διὰ χειροτονεῖν diſceptando conſtituere, ac diiudicare conſueuerat. Porrò apud ſacros ſcriptores χειροτονεῖν, & χειροτονία frequentiſſimè leguntur; Latini ferè manus imponere, & manuum impoſitionem interpretantur; vt apud illos eadem ſit χειροτονία cum χειροθεσία; quod affirmat Chryſoſtomus [f], & planiùs intelligitur ex f Hom.10. in 1.ad Timot h.
Epiſtola Concilij Nicæni ad Alexandrinos apud Theodoretum [g], itemque ex aliis Græcis auctori- g lib.hiſt.c.9.
bus, qui Epiſcoporum initiationem penè ſemper χειροτονίαν

[a Iſai. 58. 9.] χειροτονίαν vocant. Et Hieronymus [a] apertè χειροτονίαν manuum impoſitionem interpretatur. At multiplicem [b] eſſe manus impoſitionem, nemo inficiari poteſt. nam ſæpè ad benè precandum manus fuiſſe impoſitas legimus [c], & cùm hoſtiæ Deo oblatæ iugulandæ [d] eſſent, & cùm pueri adducerentur [e] ad Chriſtum, quos Clemens [f] Alexandrinus adductos ſcribit ad manus impoſitionem benedictionis: aliàs ad ægros [g] curandos. Quinetiam apud Marcum [h] ſcriptum legimus [i]: *ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt.* Ad fugandos item dæmones. cùm enim Chriſtus apud Lucam [l] ægros manuum impoſitione curaret, *exibant etiam dæmonia à multis.* Et exorciſtis tribuitur poteſtas, vt ad pellendos dæmones cathecumenis, atque energumenis manus imponant. Qui poſt baptiſmum Spiritum ſanctum percepturi erant, ab Apoſtolis [k] manuum impoſitionem admittebant. Qui ſacris initiantur, non niſi impoſitione manuum conſecrantur. Qui denique poſt lapſum ad pœnitentiam reuocabantur, non ſine manuum impoſitione reconciliari conſueuerant, vt præter cæteros docuit Auguſtinus. [l] Quam igitur manuum impoſitionem Paulo, ac Barnabæ adhibitam fuiſſe putabimus? Catholicorum omnium vna ſententia eſt, χειροτονίαν ſacram fuiſſe ordinationem, qua diuinis initiati myſteriis à reliquis ſecernerentur. Neque dubitandum eſt, eos ad ordinem Epiſcopatus fuiſſe promotos, quæ eſt in Eccleſia ſuprema poteſtas, vt mox docebimus. Epiſcopatus enim dignitatem, manuum impoſitione tradi conſueuiſſe ex ipſo Paulo [m] didicimus: eámque propterea fuiſſe aliquid ſacroſanctum, vel ex hoc loco perſpici poteſt, vbi oratio, ieiuniόque adiungitur, quamuis hæretici peruicaciter reluctentur. Illud mihi in præſentia explicatu perdifficile videri ſolet, quorſum ea manuum impoſitio adhiberetur, quámque potiſſimùm vim haberet. Non me quidem fugit, quod ea de re memoriæ prodidit Dionyſius. [n] ea enim ſignificari dicit *protectionem Principis, ac perfectoris Dei, qua paternè illi, quibus manus imponitur, ab ipſo gubernantur, qua vim illis, ac robur impertit, vt dæmonum vires frangant, & impetum repellant.*

[b Ignat. Remensis lib. de vitanda pœnit. Eccleſ. in. — c Gen. c. 48. — d Leuit. 1. 2. & 4. — e Matth. 19. Marc. 10. — f 1 Pædag. c. 5. — g Matt. 8. 9. Marc. 1. 6. 7. — i Luc. 17. & alibi frequenter. — h cap. vlt. 18. — l cap. 4. 41. — k Act. 8. — l lib. 3. de bapt. cont. Donat. cap. 16. — m 1. ad Timoth. 3. 4. — n de Eccleſ. Hier. c. 9.]

IX. VERVM hoc de confirmationis quidem ſacramento, in quo manus impoſitio adhibetur, rectè omnino, ac verè: de ordine autem alia videtur ratio. crediderim namque manuum impoſitione diuinam illam poteſtatem indicari, quæ ad ſacroſanctas functiones tribuitur, quæ aliàs ritè peragi nequaquàm poſſunt. Cæterùm quam poteſtatem nunc primùm Paulo, & Barnabæ traditam fuiſſe dicemus, quam anteà non haberent? Hîc ego eorum diligentiam requiro, qui rerum antiquitatem exquirunt: hîc interpretum ſolertiam deſidero, ſed mirum vtrorumque ſilentium: Græci tamen, & ex Latinis [o] recentiores nonnulli ſimpliciter affirmant, factos illos eſſe Apoſtolos. Sed cùm Apoſtolatus munere, & poteſtas prædicandi, & miraculorum facultas, & auctoritas conſecrandi, & id genus alia non pauca contineantur, quid illis potiſſimùm hoc loco tributum ſit, nondum liquet; vt nihil dicam, Matthiam abſque manuum impoſitione Apoſtolum fuiſſe renunciatum. Igitur qui cum hæreticis decertant, præcisè docent, Epiſcopos fuiſſe creatos. Si quæras, anteáne preſbyteri eſſent, an nunc primùm eum gradum aſſecuti ſint, ne verbum quidem. Ego quæ de ordinum diſtinctione, ac numero dicenda ſunt, alibi videro; nunc tantùm pono, Apoſtolos omnes, fuiſſe non modò preſbyteros, ac minores ſacerdotes, ſed etiam Epiſcopos, quod planiùs infrà [p] oſtendam. Ac ceteros quidē Apoſtolos ſacerdotio initiatos in Cœna poſtrema, cùm Chriſtus dixit: [q] *Hoc facite in meā commemorationem*, definitum eſt in [a] Concilio Tridentino. tunc enim acceperunt poteſtatem Chriſti corporis conſecrandi, quod eſt præcipuum ſacerdotis munus: auctoritatem verò remittendi peccata Chriſto ad ſuperos reuocato illis [b] verbis perceperunt. *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; quorum retinueritis retenta ſunt.* Qua verò deinde ratione ad Epiſcopatum ſint euecti, commodiore loco dicemus.

[o Lyranus. — p cap. 6. — q Luc. 22. — a Seſſ. 22. c. 1. Can. 2. — b Ioan. 20. 22.]

X. IAM de Paulo, & Barnaba permagna quæſtio eſt. Sunt enim qui affirment, eos hoc loco creatos quidem Epiſcopos, & manuum impoſitione initiatos, nullo autem modo Apoſtolos. Ac de Epiſcopatu quidem (vt mox dicam) nobis eum illis probè conuenit; de Apoſtolatu verò hunc in modum diſputant, nullo ritu, nulláque ſacra cæremonia Apoſtolos initiari, ſed ſola Chriſti voluntate, imperióque creari: ita duodecim multò pòſt fuiſſe initiatos, quàm renunciatos Apoſtolos: Paulum [c] verò apertè negare, ſe hominum opera, aut ſtudio inter Apoſtolos fuiſſe nominatum; &, quod caput eſt, ante hanc qualemcumque ordinationem functiones apoſtolicas Euangelio promulgando, traducendiſque ad Chriſtū mortalibus exercuiſſe. Ita Chryſoſtomus, [d] & Œcumenius, [e] Paulum hominum opera initiatum non negant; Apoſtolum verò vnius Dei nutu creatum eſſe affirmant. Qua enim ratione Apoſtolus ab iis inſtitueretur, qui ipſe Apoſtoli non erant? Quaſi verò nō potuerit vno eodémque tempore diuinitus ad Apoſtolatum euehi, & Epiſcopatus ordine hominum opera initiari. Etenim Chryſoſtomus [f] ipſe, & Hieronymus [g] Paulum vnà cum Barnaba Apoſtolico ordini adſcriptos fuiſſe docent; quod alio profectò tempore vix potuit accidiſſe. Cùm primùm enim ad fidem vocatus eſt Paulus, Euangelicam doctrinam ſibi diuinitùs traditam penitus hauſit, vt eam (quod Chriſtus ipſe Ananiæ prædixerat) gentibus promulgaret. Itaque Damaſco profectus in Arabiam non ita multò pòſt eodem rediit, & Iudæorum inſidiis appetitus, cùm fidelium opera & conſilio incolumis euaſiſſet, Ieroſolymam venit. quo loco, vt ſcribit Lucas, [h] *loquebatur quoque gentibus, & diſputabat cum Græcis.* Cúmque profectus eſſet Tarſum, inde à Barnaba perductus eſt Antiochiam, vt gentes quæ ad fidem Chriſtianam confluebant, noſtræ religionis præceptis, atque inſtitutis imbueret. Inde rurſus cum Barnaba legatus eſt Ieroſolymam, vt collectas Chriſtianorum ſubſidio deſtinatas perferrent: qua legatione perfuncti, cùm Antiochiam reuertiſſent, ea contigerunt, de quibus cœpimus diſputare. Et quidem ſi quid aſſequor coniectura mea, crediderim Paulum ac Barnabam ante hāc qualemcumque vocationem fuiſſe Dei verbi præcones, quod Apoſtolorum Acta, & ea quę modò recenſui apertè teſtantur. An fuerint ſacris initiati, nihil definio. Nunc primùm à Deo fuiſſe collegio Apoſtolico aggregatos, atque Eccleſiæ auctoritate initiatos, & in Epiſcoporum ordinem relatos, vt qui paulò antè à cæteris diſcipulis, aut etiam laicis nihil differrent; vel Epiſcopis certè auctoritate, ac poteſtate cederent, deinceps auctore Deo dignitate quidem cæteris Apoſtolis; ordine verò, & conſecratione Epiſcopis æquarentur. Nam tametſi ab initio ſoli Apoſtoli, vt paulò pòſt dicemus, epiſcopatus ordine præditi erant, veriſimile tamen eſt, fidelium numero in dies creſcente, alios etiam extra collegium apoſtolicum, Epiſcoporum ſacris fuiſſe initiatos. Paulus autem, & Barnabas ita ſunt in Epiſcoporum ordinem relati, vt nulli certè genti, aut nationi, vt reliqui Epiſcopi, ſed vniuerſæ quodammodo Eccleſiæ præficerentur.

[c ad Galat. 1. — d Hom. 27. in Act. — e Act. 13. — f Hom. 27. in Act. — g de ſcript. Eccleſ. — h Act. 9. 29.]

Itaque mox ab hac initiatione, vt obſeruauit Oecumenius, [a] per ſingulas Eccleſias presbyteros conſtituebant, quod pertinere ad Epiſcoporum munus, dubitare nemo poteſt. Quæ cùm ita ſint, cùm diuino numine afflati præceperunt Prophetæ, vt Paulus, & Barnabas ad opus diuinitùs deſtinatum ſegregarentur, vnà etiam declararunt fuiſſe illos à Deo Apoſtolos deſtinatos. Itaque Eccleſiæ Præſules ſtatuerunt egere illos ſacræ initiationis apice, vt Apoſtolico munere ritè fungerentur. Igitur manuum impoſitione ſolemni ritu Epiſcopos conſecrarunt: quod luculenter, vt ego quidem interpretor, Leo [b] Pontifex his verbis declarauit: *Nam præter auctoritatem conſuetudinis, quam ex apoſtolica nouimus venire doctrina, etiam ſacra ſcriptura manifeſtat: quòd cùm Apoſtoli Paulum, & Barnabam ex præcepto Spiritus ſancti ad Euangelium gentibus mitterent prædicandum, ieiunantes, & orantes impoſuerunt eis manus; vt intelligamus quanta & dantium, & accipientium deuotione curandum ſit, ne tanta benedictionis ſacramentum negligenter videatur impletum.*

a Act. 14.
b Epiſt. 81.

XII. Verum, vt ſextam, & poſtremam quæſtionem vno verbo expediam, ſi Paulus, & Barnabas hac manuum impoſitione Epiſcopi creati ſint, neceſſe eſt, eos qui manus impoſuerunt, ipſos etiam fuiſſe Epiſcopos. Fuerunt autem qui [c] exiſtimarent Petrum Apoſtolum qoippe Antiochenum Epiſcopum adhibuiſſe manus impoſitionem; idque Antiochiæ. Petrum enim vinculis ſolutum Antiochiam profectum eſſe, vt Herodis Agrippæ iræ, & furori cederet [d]. Alij Petrũ quidem initiationis auctorem probant, ſed ipſam initiationem Ieroſolymis factam putant; perinde quaſi Antiochena Eccleſia perceptis Prophetarum vaticiniis de Pauli, & Barnabæ Apoſtolatu illos Ieroſolymam miſerit, vt à Petro, Iacobo, & Ioanne Epiſcoporum ſacris imbuerẽtur. Sed (vt omittam, non ſatis hoc cum Lucæ narratione congruere) quis credat Antiochenam Eccleſiam, quæ tum maximè florebat, adeo vt ibi primùm Chriſtianorum nomen, & appellatio orta ſit, ſacerdotibus, atque Epiſcopis caruiſſe? Fuerat quidem, vt affirmat Hieronymus, [e] ante annos fermè ſeptem Petrus Apoſtolorum Princeps eius vrbis Epiſcopus conſtitutus: ſed cùm illum hùc illùc excurrere, & ſui muneris ratio, & Eccleſiæ neceſſitas penè compellerent, aliquem, qui ſuo nomine res Eccleſiaſticas adminiſtraret, ab illo fuiſſe deſignatum æquum eſt exiſtimare. Quoniam verò Clemens [f] Romanus affirmat Euodium Antiochenum Epiſcopum fuiſſe creatum, ſuſpicari quis poſſet ab eo Paulum, & Barnabam fuiſſe initiatos, niſi Gregorij [g] Pontificis refragaretur auctoritas, qui apertè aſſerit, Petrum Antiochenæ Ecleſiæ à ſe inſtitutæ ſeptem annos præfuiſſe. Neceſſe vt ſit quicumque tandem Petri nomine Antiochenæ Eccleſiæ hoc tempore præeſſet, eum illius vrbis Epiſcopum neque eſſe, neque appellari potuiſſe. Cùm igitur Lucas præcipuè nominet Simonem, qui vocabatur Niger, Lucium Cyrenenſem, & Manaëm, omnino veriſimile eſt tres iſtos eàdem auctoritate præditos, cæteris præfuiſſe, cùm omnes eſſent Epiſcopatus ordine inſigniti; atque ita eorum trium manuum impoſitione Paulus, & Barnabas in ordinem Epiſcoporum relati ſunt. Quòd ſi hæc neque ſatis certa, neque explorata cuipiam videantur, illum ego meliora docentem audiam. malim enim videri minùs ingenioſus, & perſpicax, quàm lineas (quod aiunt) tranſilire, & hæreticis manus dare, qui *χειροτονίας* nihil præter benè precantis indicium, & argumentum interpretantur. Video tamen multa huic noſtræ ſententiæ obuci poſſe. nam neque tres Epiſcopi, vtri Eccleſiæ præeſſe poterant; & ſi aliarum Eccleſiarum Epiſcopi erant, in aliena ſede pontificio munere fungi iure nequibant. Sed diuino affluente, ac iubente numine, quales illi tandem Epiſcopi eſſent, manus imponere ritè potuerunt, idque diuinitus factum-eſſe indicat Lucas.

c Iren. lib. 3.
d Vid. Schol. 1. lib. cap. 7.
e ad Galat.
f lib. 8. conſt. cap. 46.
g lib. 6. Regiſt. ep. 37.

De ratione vitæ Apoſtolicæ.

Cap. IV.

I. Apoſtolicæ vitæ triplicem quaſi gradum diſtinguo. Primum, quod fuit Apoſtolatus veluti tyrocinium, cùm diuinitus afflati, vocanti Domino ſacris imbuendos, & diuinis præceptis inſtituendos ſeſe in diſciplinam tradiderunt. Alterum, cùm inter cæteros diſcipulos ſingulari magiſtri priuilegio duodecimuiratum adepti ſunt, vt vnà cum Chriſto præceptore communem quandam vitæ ſocietatem inirent. Poſtremum, cùm poſt Chriſti in cœlum aſcenſum diuino acti numine fidei præcepta, atque Euangelicam doctrinam, vt ſibi fuerat imperatum, promulgare cœperunt.

Atque vt ordiamur à primo, omnibus quidem Chriſtus fidei, & honeſtæ vitæ præcepta tradebat, non tamen omnibus imperabat, vt cunctis nuntio remiſſo ſe ducem, & magiſtrum ſequerentur. Petiuit [a] ab eo quiſpiam, quid ſibi facto eſſet opus, vt vitam ſempiternam aſſequeretur. *Magiſter* (inquit) *quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* cui Chriſtus: *Mandata noſti:* addens, *ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata:* affirmanti ſe illa omnia ab ineunte ætate præſtitiſſe; ſubdit: *ſi vis eſſe perfectus, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni, ſequere me.* Quo loco quidquid hæretici contrà moliantur; Chriſtus nonnulla tamquàm neceſſaria ad ſalutem diſtinguit ab iis, quæ ad perfectionem tendentibus amplectenda proponuntur. illa præcepta, hæc conſilia Euangelica nuncupantur: illa faciliora ſunt; hæc (vt ſcribunt Ambroſius, [b] & Hieronymus, [c] ſiue vt alij malunt, Sophronius) multò difficiliora: illa honeſta, atque laudabilia, atque idcirco Deo grata, hæc longè præſtantiora, quæ ſua pulchritudine, Auguſtino auctore, [d] mirè Deum ſibi conciliant: illa omnibus præcipiũtur tamquàm neceſſaria, ſine quibus nemo ſalutem conſequatur; hæc (vt ſcribit Auguſtinus [e]) vltro, ac ſponte cupientibus offeruntur: illa parendi, atque obſequendi afferunt neceſſitatem, hæc (vt Hieronymus [f] atque Auguſtinus [g] obſeruant) humanæ libertati permittuntur: illa denique obtemperantibus beatam, immortalémque vitam, negligentibus ſupplicium pariunt ſempiternum; hæc citra noxam quidem omittuntur, ſed (vt copioſè tradit Auguſtinus [h]) eximiam quandam in beatorum conſilio ſuis cultoribus immortalitatis gloriam pollicentur. Neque verò Apoſtolicorum amentia probanda eſt, aut ferenda Encratitarum impietas, aut Pelagianorum veſania diſſimulanda, aut denique toleranda Iuliani apoſtatæ blaſphemia; quorum primi illi (vt Epiphanius, [i] & Auguſtinus [k] affirmant) nemini ad ſalutem aditum patere exiſtimabant, qui non cœlibem, ac pauperem vitam Apoſtolorum more traduceret: alteri, auctore [l] Irenæo, de paupertate quidem nihil dicebant, ſed de continentia, ac cœlibatu Apoſtolicis ſubſcribebant: tertij (vt docuit Auguſtinus [m]) paupertatem colentibus duntaxat beatam vitam ſperandam eſſe opinabantur: denique poſtremus (quod Gregorius [n] Nazianzenus memoriæ prodidit) lege lata ius omne iuſtæ defenſionis Chriſtianis ademit, quòd diceret id præceptis Euãgelicis contineri. Vt interim omittam

a Matt. 19. 16. Marc. 10. 17. Luc. 18. 18.
b lib. 1. de Virg.
c De aſſumpt. Virg.
d ſerm. 18. de verb. Apoſt.
e Serm. 61. de temp.
f Ep. ad Euſt. de ſeruan. Virg.
g de Sanct. Virg. cap. 30.
h De Sanct. Virg. cap. 14.
i Hær. 61.
k Hær. 40.
l lib. 1. cap. 30.
m Epiſt. 89. & 106.
n Orat. 1. aduerſ. Iulian.

Iouí

Iouinianum continentiæ hoſtem, qui (vt Hieronymus,[a] & Auguſtinus[b] affirmant) coniugium virginitati æquabat: Vigilantium, qui (vt ſcribit Hieronymus[c]) præſtabilius eſſe putabat ſuas opes, bonáque omnia ad alendos pauperes retinere, quam pro Chriſti nomine cŭcta deſerere: denique Lampetianos, qui (auctore Damaſceno[d]) religioſorum obedientiam prorſus execrabantur.

a lib. 1. adu. Iouin.
b Hær. 82.
c lib. aduerſ. Vigilant.
d de hæreſ.

II. IGITVR Chriſtus ad vitam ingredi volenti nihil præter præcepta præſcribit, quod veriſimile eſt feciſſe illum alias ſemper, cùm quempiam ad meliorem frugem, vitámque traduceret. Sic enim ſæpe legimus, præcepiſſe in Euangelio[e]; *Vade, & noli amplius peccare*; quod perinde accipio, ac ſi diuinis præceptis obtemperandum diceret. At perfe-(B)ctionem petenti, præter præcepta, quæ reliquis actionibus tamquàm fundamentum ſubſternuntur, tria potiſſimùm imperat, vt bona omnia vendat, vt confectam inde pecuniam pauperibus largiatur; & quod vnum cætera quodammodo complectitur, vt ſe ſequatur, quod, vt ait Hieronymus[f], proprium eſt Apoſtolorum. Hic hæretici cautè aiunt, reſpondiſſe Chriſtum, non ſeriò ad Euangelica, & perfectionis conſilia tradenda, ſed ad hypocriſim glorioſi adoleſcentis retundendam. Nam qui ſe falsò præſtitiſſe omnia iactabat, quæ lege præciperentur, hoc propoſito difficillimo præcepto, quod tamen ad Dei proximique caritatem pertinet, caſtigandus fuit; vt qui philargyria præpeditus id facere recuſaret, falſum dixiſſe deprehenderetur. Sed ipſi (C) non modò peruersè, ac falsò, verùm etiam imperitè Chriſti ſententiam explicant. Fateor tamen neque ſolos neque primos hæreticos exiſtimaſſe adoleſcentem illum fuiſſe mentitum; dixerunt idem multò antè priſcorum Patrum nonnulli:[g] ſed humana illi imbecillitate lapſi videntur, catholicam tamen mentem, ac ſententiam retinuerunt; at hæretici hoc falſo principio nixi multò progrediuntur vlterius, Sed vtcumque ſit, ne iſtud quidem vlla ratione admittendum cenſeo. nec enim ſine cauſa Marcus[h] Chriſtum narrat hoc audito reſponſo, ſingulari quodam adoleſcentem amore proſecutum, quod profectò (vt animaduertit Chryſoſtomus) facturus non erat, ſi falsò illum loqui cognouiſſet. Adde quòd cùm tres Euangeliſtæ eam hiſtoriam narrent, nullus tamen illorum adoleſcen-(D)tem reprehendit, aut à Chriſto perſtrictum fuiſſe dicit; cùm tamen ſæpè alias Chriſtum Dominum Phariſæorum hypocriſim, ac ſimulationem increpantem inducant. Denique ob id maximè triſtis abiit, quòd ſibi ad perfectionem aſſequendam, rem tam arduam, atque difficilem reliquam eſſe intellexiſſet.

e Io. 8. 11.
f Matt. 19.
g Auct. Imperf. Hom. 33. in Matt. Pleríque Græci apud Theophyl. Matt. 19. Hilar. Can. 19. in Matt. Ambroſ. Luc. 18. Hieron. Matt. 19. Augu. Ep. 89. Beda Mat. 19.
h cap. 10. 21.

III. ILLVD eſt proprium hæreticorum peccatum, quòd exiſtimăt, hæc Chriſti verba non liberŭ conſilium, ſed neceſſarium præceptum cŏtinere, quod vel ad caritatem in Deum, vel ad eam, quæ proximo debetur, ſuo quodam modo referatur; cùm tamen neutrŭ caritatis præceptum hanc rerum abdicationem neceſſariò flagitet. Itaque *ſi vis* (ait Chriſtus) *eſſe perfectus, vende omnia*. Si illud placet, quod ta-(E)men non præcipitur, hoc alterum probandum erit. Non me quidem præterit dixiſſe[i] Chriſtum: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*. Sed alia eſt perfectio, quæ diuinæ legis, ac præceptorum obſeruatione continetur, quæ eſt omnibus neceſſaria; alia, quæ longiùs progreſſa, ita ſummo bono penitus adhæret, vt præ illo cætera contemnat omnia. Sic enim ſapienter à ſummo Theologorum Magiſtro[k] definitŭ eſt; Chriſtianæ vitæ perfectionem, quod alibi oſtendo, poſitam eſſe in caritate (A) erga Deum, & proximos; quæ tum demum dicitur eſſe perfecta, cum ei nihil in ſuo genere deeſt, quod iure poſſit deſiderari. Sed Dei quidem caritas, qua ſe diligit ipſe, qui totam diuinæ naturæ bonitatem, ac immenſum illum bonorum omnium Oceanum, vel exhaurit, vel æquat, ita perfecta eſt, vt ad illum perfectionis gradum, nulli creatæ naturæ fas ſit aſſurgere. Ab hac perfectione caritatis infinito quodam interuallo diſtat illa perfectio, qua mentes beatorum ita penitus feruntur in Deum, vt ne ad punctum quidem temporis, ab eo diuelli, aut ſeparari queant, ſed ita tamen perfecta eſt, vt diuinæ iuſtitiæ ac prouidentiæ lege poſita, nulla ei fieri poſſit acceſſio. Longiſſimè ab hoc perfectionis gradu abſunt ij, qui præter legis præcepta nihil nobilius, (B) aut præſtantius expetunt, nihil ſpectant honorificentius, eo ſolummodò contenti, vt gratiam & caritatem, ab omni mortifera labe puram, integrámque conſeruent. Medium fermè locum inter hanc, & beatorum perfectionem occupant ij, qui vt Dei amore, & caritate vehementiùs inflammĕtur, atque in dies magis magiſque exardeſcant; omnes in eo curas & cogitationes ſuas collocant, vt quæ diuino amori, vel concipiendo vel fouendo vel augendo, atque inflammando obeſſe poſſunt, quàm longiſſimè à ſe repellant, ac penitus amoueant, ſéque totos quoad eius fieri poteſt Deo deuoueant. Ad hanc Chriſtianam perfectionem inuitatus ille adoleſcens abiit triſtis, rei magnitudinem, & difficultatem perhorteſcens ob eam, quam Euangeliſtæ, cauſam in-(C)dicarunt. Qui enim pluribus diuitiis, atque opibus afflueret, arduum atque aſperum putauit omnia vĕdere, & dare pauperibus, & Chriſtum ſequi.

i Matt. 5. 48.
k B. Thom. 2. 2. q. 184. art. 2. & 3.

IV. HÆC Chriſtianæ vitæ perfectio nulla diuinæ legis auctoritate, aut neceſſitate cuique imponitur; ſed cùm Chriſtus[a] dixit: *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*, cùm Apoſtolus cunctos fideles ad ſectandam perfectionem hortatur;[b] cùm denique ſanctiſſimi, doctiſſimique Theologi[c] affirmant, perfectionis ſtudium diuinæ legis auctoritate omnibus imperari: ea profectò intelligenda perfectio eſt, quæ lethalia flagitia excludat, cæteráque omnia, quæ pugnant cum caritate: Apoſtoli verò ad eam perfectionem, quæ præter integram legis obſeruationem, Euangelica conſilia poſtulat, non (D) tam voce, quàm ſuaui quodam mentis impulſu vocati, relictis omnibus, Chriſtum Dominum ſecuti ſunt. Ideoque apud Matthæum[d] omniŭ Apoſtolorum nomine fidenter admodum dixit Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te; quid ergo erit nobis?* Non erat (vt nonnulli nimis quidem fortaſſè argutè, ſed parum piè exiſtimarunt) de ſuo, & condiſcipulorum præmio vel anceps, vel ſolicitus, perinde quaſi, qui ſua reliquiſſent quidem, non tamen vendidiſſent, & pauperibus dediſſent, ad illum cœleſtem theſaurum adoleſcenti hac lege promiſſum, ſi cuncta pauperibus erogaſſet, adſpirare nullo modo poſſent: ſed potius (vt Origenes, Chryſoſtomus, & Hieronymus tradiderunt) ſignificat, ſe reliquóſque Apoſtolos feciſſe iam quod Chriſtus ab illo (E) adoleſcente poſtulauerat. Quia verò perexiguas, ac penè nullas diuitias reliquerant, percunctatur num ſibi is theſaurus expectandus ſit, quem plurima relinquenti paulò antè Chriſtus pollicitus erat. & quia certum aliquem in cœlo gradum ſperat, qualis, aut quantus futurus ſit cupit cognoſcere. Neque illud probandum videtur, quod iidem illi auctores præciſè, & abſque vlla exceptione pronunciant, Apoſtolos bona ſua nec vendidiſſe, nec dediſſe pauperibus. Tametſi enim cùm Petrus, & Andreas, & filij Zebedæi Chriſtum vocantem ſecuti ſunt, non

a Matt. 5. 48.
b 2. ad Cor. 13.
c B. Thom. in 2. ad Cor. c. 13. lect. 4.
d cap. 19. 27.

vendi-

... modò dicuntur ... teſtimonium deſerentes ... vſquàm alibi in Euangelio expreſſum ... tamen omnino videtur, & Apoſtolorũ vitam, eorũmque perfectioni in primis conſentaneum, ſi non omnes (quod equidem temerè non auſim affirmare) aliquos tamen vel omnia, vel nonnulla certè ex iis, quæ habebant vendidiſſe, & dediſſe pauperibus: qui verò non vendiderant, propinquis ſuis, quia verè pauperes erant, nihilo minori laude reliquiſſe. Fecerunt igitur Apoſtoli quod ad perfectionem aſſequendam erat neceſſarium, cùm relictis omnibus, ſecuti ſunt Chriſtum redemptorem. Pauca illos reliquiſſe quiſpiam dicat. ſi res ipſas ſpectemus, negari non poteſt, ſed (vt rectè monent Gregorius [a], & Bernardus [b]) multa deſeruit qui poſſidendi voluntatem dereliquit.

V. At fortaſſe reliquerunt demùm repetituri, quomodo apud Ioannem [c] ſcriptum eſt, Samaritidem illam hydriam apud fontem reliquiſſe, vt ad vrbem feſtinaret. Sanè viri doctiſſimi hunc in modum interpretantur verba Lucæ [d] poſt miraculum fœliciſſimi retis iactus, cùm Apoſtoli ſubductis ad terram nauibus relictis, non penitus abdicatis omnibus, Chriſtum concionabundum ſecuti ſunt, vt eius oratione, atque doctrina inſtituerentur. Et quidem ſuæ ſententiæ auctorem habent Auguſtinum [e], qui quod narratur à Luca [f], multo antè contigiſſe putat, quàm id quod à Matthæo, & Marco deſcribitur, vt Petrus, & Andreas ter quodammodo à Chriſto vocati videantur. Primùm apud Ioannem [g] ad quandam ſolùm Chriſti prænotionem, vt docuit Auguſtinus [h]: iterum apud Lucam [i] quaſi ad familiaritatem: poſtremò apud Matthæum [k], & Marcum [l] ad quotidianam ſcholam, & conuictum, vt illum deinceps tanquàm aſſidui diſcipuli ſequerentur: quæ fuit cum Auguſtino, Chryſoſtomo, Euthymio, & Theophylacto communis ſententia. Sunt qui malint duas ... priores non vocationes, ſed vocationis admonitiones appellare, ne duo præcipui diſcipuli, atque in primis inſignes Apoſtoli parum obſecuti vocanti Domino videantur. Neque enim credibile putant, quemquam alia de cauſa à Chriſto fuiſſe vocatum, quàm vt verus eſſet eius diſcipulus, cúmque relictis omnibus, perpetuò ſequeretur. Ego verò (vt ingenuè fatear) doctiſſimorum virorum eruditionem, atque doctrinam admiror, ingenium vt plurimùm laudo, ſententias interdum probare non poſſum. Et quidem in eo, quod poſtremo loco affirmant cogor ab iis diſſentire, tum quòd ſine auctore, ſine ratione, ſine vlla denique probabili coniectura aſſeritur, tum quòd ex ipſa Euangelica hiſtoria meridiana luce clariùs refelli poteſt. Nam quis ... neget, Zachæum illum quondam publicanum à Chriſto fuiſſe vocatum, & quidem illuſtri admodum, & ſingulari vocatione? At ille non obſcurè indicat ſe non omnia penitus deſeruiſſe. ait [m] enim: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus: & ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Quòd ſi quis contendat reliquam bonorum dimidiam partem reſtituendis malè ablatis fuiſſe exhauſtam, præterquàm quòd temerè ad affirmatur quod nullo poteſt veriſimili indicio, argumentóve deprehendi, certè Chriſti verba declarant illam Zachæi quamuis magnam liberalitatem, non pertinere tamen ad illa eximia præmia, quæ cuncta deſerentibus propoſita ſunt. Nam cùm omnia relinquenti theſaurum in cœlo, & Apoſtolis ampliſſimam iudicandi poteſtatem Chriſtus Dominus polliceatur, Zachæo id vnum dicit: *Hodie huic domui ſalus facta eſt, eo quod & ipſe ſit filius Abrahe.*

Qvis verò neget, mulieres quæ Chriſtum ſequebantur, fuiſſe ad fidem conuerſas? At illæ non modò non reliquerant omnia, ſed ipſi Chriſto, ac diſcipulis victui neceſſaria ſuppeditabant, vt indicant Matt. [a], & Marcus [b], & apertè tradit Lucas [c], qui multas ait de facultatibus ſuis cõſueuiſſe miniſtrare. Ecqui verò credibile videatur fœminas duntaxat ad fidem traductas bona ſua retinuiſſe, nullos autem omnino viros idem feciſſe? Memini Auguſtinum alicubi dixiſſe, eos qui à Chriſto corporis valetudinẽ, & morborum curationem percepiſſent, etiam ab animi morbis, & ægritudinibus occultè curatos fidei, diuinæque gratiæ, & caritatis factos fuiſſe participes, neque tamen omnes continuò cuncta, quæ poſſederant, deſeruiſſe credendum eſt, cùm præſertim ex omnibus Euangeliſtis conſtet, Ioſephum Arimathæum Chriſti fuiſſe diſcipulum, diuitem tamen, & locupletem, qui coëmpta ſyndone, atque aromatibus comparatis, Chriſti funus curauit: quod ipſum de Nicodemo ſubindicat Ioannes [d]. Iam verò cùm Matthias in Apoſtolicum collegium cooptandus eſſet, vnum in locum conuenerant fideles centumviginti: quo numero multos extra diſcipulorum ordinem comprehendi neceſſe eſt. Apoſtolorum namque collegium (cùm præſertim deſideraretur Iudas) vnà cum diſcipulis ſeptuaginta duobus eam ſummam non efficit, & Apoſtolus [e] alicubi ſcribit, Chriſtum antequàm in cælum aſcenderet, ſeſe pluſquàm quingentis fratribus præbuiſſe ſpectandum. Quos profectò cùm fratres appellentur, neceſſe eſt omnes fuiſſe fideles, & ad fidem ante Chriſti mortem traductos: at illos omnes bonis penitus abiectis Chriſtum ſequi conſueuiſſe, nulli poteſt veriſimile videri. deinde illud mihi videor certò poſſe affirmare, quod apertè ſcribit Ioannes [f], in Galilææ nuptiis aliquot iam Chriſto diſcipulos adhæſiſſe, qui viſo miraculo mirum in modum in fide confirmati ſunt. Factæ autem dicuntur nuptiæ die tertia, ſiue vt nonnulli volunt à Ioannis præconio, quo Philippus & Andreas mirificè excitati Chriſtum ſecuti ſunt; ſiue (vt exiſtimauit Euthymius) ab egreſſu ex deſerto, ſiue (vt docuit Epiphanius [g], quem plurimi complectuntur) ab eo die, quo Nathanaël à Philippo adductus eſt ad Chriſtum, vt appareat; diſcipulos, qui indicantur in nuptiis eos eſſe, qui ab eodem Ioanne [h] ad Chriſtũ veniſſe deſcribuntur. Igitur Andreas & Philippus, Petrus, & Nathanaël fidem Chriſti complexi primùm ſunt, & hac ratione diſcipuli à Ioanne nuncupantur. Nondum tamen omnia penitus deſeruerant, & ob eam (opinor) cauſam dixit Auguſtinus [i], vocatos illos fuiſſe, non vt eſſent diſcipuli, ſed ad quandam Chriſti notitiam: dicere planiùs, atque apertiùs potuiſſet ad fidem. Philippus enim cùm Nathanaëlem ad Chriſtum adduceret, ſe in lege deſcriptum, ac promiſſum Meſſiam inueniſſe affirmat. at multò pòſt omnia ſua Philippum deſeruiſſe, intelligitur ex Clemente Alexandrino, qui alicubi [k] ſcribit, verba illa, quæ Matthæus [l] Euangeliſta cuidam adoleſcenti à Chriſto Domino dicta fuiſſe narrat, *Dimitte, mortuos ſepelire mortuos ſuos*; Philippum potiſſimum ſpectare, qui (vt interpretantur Baſilius, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius) mortuo iam parenti cupiebat parentare. Maneat igitur, primùm Apoſtolos vocatos fuiſſe ad fidem, & communem quandam viuendi rationem, Chriſtianam tamen, & diuinæ legi in primis conſentaneam. VI.

Seqvitvr altera vocatio, quæ deſcribitur à Luca [m], quam à Matthæi narratione diſtinguere nihil eſt neceſſe, & longè videtur probabilius non differre. Vtrobique enim Apoſtoli piſcationi operam dare VII.

a cap. 27.
b cap. 15.
c cap. 8.
d cap. 9.
e 1. Cor. 15.
f cap. 2.
g Hær. 51.
h cap. 1.
i Tract. 7. in Ioan.
k li. 3. Strom.
l cap. 8. 22.
m cap. 5.

in mari Galilææ dicuntur, vtrobique iu bentur Chriſtum ſequi, vtrobique piſcatores homi um deſignātur, vtrobique denique omnia reliquiſſe memorantur, vt omnibus curis ſoluti, ac libe i expeditiores Chriſtum ſequerentur. Et profectò de loco nulla poteſt eſſe controuerſia. quod enim à Matthæo dicitur mare Galilææ, à Luca vocatur lacus Genezaret, & à Ioanne mare Tyberiadis. Mar : quidem Hebræorum conſuetudine omnis aquar um multitudo appellatur: hoc verò mare à region : dicitur Galilææ, ab vrbe inſigni, quam alluebat Tyberiadis, de qua plura Ioſephus [a]: lacus autem à Luca nuncupatur, quia verè lacus erat, ſeu ſtagnum, quem deſcribunt Strabo [b], Plinius [c], Hegeſippus [d], & Ioſephus [e]: Genezaret verò dicitur non Græco vocabulo, vt exiſtimauit Hegeſippus, ſed Hebræo paululùm immutato, atque detorto. dicitur enim Hebraicè כִּנֶּרֶת Cinnereth, vel numero multitudinis כִּנְּרוֹת Cinneroth, vt legitur in libro Numerorum [f], Deuteronomij [g], & Ioſue [h]. Chaldæus paraphraſtes vertit Ginnoſar, inde Genazar, vel Genazareth. Porrò quæ videntur eſſe inter vtramque narrationem diſcrimina facilè tolluntur, propterea quòd Matthæus, & Marcus hiſtoriam perſtringunt potiùs, quàm explicant: ſumma rerum capita tantùm indicant, minutiora quædam negligunt, quæ Lucas curioſè deſcribit. Quod igitur illi dicunt, Chriſtum ambulantem Apoſtolos vocaſſe, non perinde accipiendum eſt quaſi verè illos inambulando vocarit, ſed quòd illa inambulatio pertineat quodammodò ad initium vocationis. Nam cùm Chriſtus mane ſummo littus illud perlegeret, vidit Simonem, & Andream iacientes rete in mare: non quidem tunc (vt ſcribit Lucas) iuſſi ſunt à Chriſto retia laxare, ſed cùm ſub finem noctis, & imminente aurora ſedulò piſcabantur, vel vidit iacientes rete in mare aliquam aliam ob cauſam, quàm vt piſcarentur, vt facere plerumque piſcatores conſueuerunt. cúmque inde paululùm proceſſiſſet, Zebedæi filios vidit retia reſarcientes. Quamuis autem Matthæus, & Marcus compendio vſi ſcribant, Chriſtum vidiſſe ac vocaſſe Apoſtolos, non tamen intelligendum eſt, eum continuò illos vocaſſe vt vidit, ſed tantùm id Euangeliſtæ affirmant (quod verum eſt) vocatione antiquiorem eſſe aſpectum, & illam ab hoc pendere, & vtrumque inter ſeſe necti.

VIII. VIDIT igitur Chriſtus vtrumque par fratrum, & omnino veriſimile eſt, cœpiſſe cum illis iam antea ſibi notis miſcere ſermonem, tum facto populi concurſu, cùm turbæ multitudine premeretur, recepiſſe ſe in nauim Simonis, & ibi cùm populum aliquandiu docuiſſet, iuſſiſſe in altum ferri, & piſcationi retia laxari. Dein rei nouitate, & miraculo deterritum Simonem exclamaſſe (vt ait Lucas) [i] *Exi à me Domine, quia peccator ego ſum.* Cui Chriſtus: Ego verò non modò non recedo à te, ſed potiùs te ipſum iubeo me perpetuò ſequi, vt hominum piſcator fias. Eadémque ratione poſtmodum Zebedæi filios, in ſuam diſciplinam adduxit. Andreæ nullam mentionem facit Lucas, occupatus videlicet in iis, quæ ob miraculum piſcium Petro acciderant. Contrà Matthæus, & Marcus, dum breuitati ſtudent, Chriſti prædicationem, & miraculum ne attigerunt quidem. Quid verò cauſæ eſſe poteſt, cur in iiſdem penè verbis, apud omnes Euangeliſtas dicantur Apoſtoli relictis omnibus, Chriſtum ſecuti? Apud Matthæum quidem, & Marcum intelliguntur omnia penitus deſeruiſſe, vt Chriſto adhærerent: apud Lucam verò ad breue ſolummodò tempus quaſi depoſuiſſe, vt alia poſtmodum repeterent? Certè Tertullianus [k], ex hac Lucæ narratione probat Apoſtolos, & Chriſtum ſecutos, & factos eſſe hominum piſcatores, quod olim fuerat à Ieremia [a] prænunciatum. *Ecce ego* (inquit) *mittam venatores, & piſcatores multos.* Itaque cùm narratio Lucæ cum Matthæi, & Marci narratione probè conueniat, vtraque autem eádem Apoſtolorum vocationem complectatur, tertiam vocationem addere nihil eſt neceſſe. Hinc enim ſe Chriſto penitùs addixerunt, illique perpetuò adhæſerunt, rebúſque omnibus nuntio remiſſo, Euangelicam paupertatem Chriſto auctore colere cœperunt. An ſua vendiderint, dederíntque pauperibus, præter ea quæ ſuprà diximus, nihil habeo ſcribere; Chriſtum quidem certè, quod poſtremum ab ipſo præcipitur, reipſa ſecuti ſunt, non imitatione ſolùm, vt Clemens [b] Alexandrinus, & Hieronymus [c] interpretantur; ſed quia re vera ſe Chriſto comites addiderunt, eorumdem laborum, incommodorúmque participes, quod eſt (vt in nonnullis codicibus apud Marcum [d] legimus) tollere crucem.

IX. SECVTI ſunt autem Chriſti paupertatem de qua Paulus [e]: *ſcitis*, inquit, *gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt cùm eſſet diues.* Ipſo verò Chriſtus de ſua inopia, atque egeſtate hunc in modum loquitur [f]: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet.* Denique ne longum faciam, Chriſti egeſtatem, ex eo non malè colligit Hieronymus, quòd [g] ille Petrum ad mare miſerit, vt inde afferret quo tributum perſolueretur. Cæterùm hæc Chriſti paupertas nihil pugnat cum inſigni illo rerum omnium dominio, quod vi vnionis hypoſtaticæ Chriſto deberi Theologi confirmant; hæc enim refertur ad rerum vſum, & humanum dominium, quo res creatæ ad vitam tuendam, atque ornandam vſurpari conſueuerunt. Chriſti verò dominium, etiam qua homo eſt diuinæ hypoſtaſi copulatus, excellens quædam poteſtas eſt altioris ordinis, neque leges aut iura humani dominij ſequitur. Reſpicit enim quidquid eſt infra Deum, etiam beatas mentes, earúmque facultates, atque actiones quibus pro imperio, etiam ſupra naturam vti poterat Chriſtus, quamuis ratione humani dominij, omni ſe rerum proprietate abdicaſſet; *qui cùm* [k] *eſſet diues,* quippe Deus, rerúmque omnium Dominus, pro nobis factus eſt egenus. Quocirca rectè dixit B. Gregorius [i], *veniſſe Chriſtum in hunc mundum tamquàm in alienum; non quidem ſecundum poteſtatem, ſed ſecundum naturam. nam ſecundum poteſtatem in propria venit.* Spectanda autem Chriſti paupertas eſt ab eo tempore, quo hominum ſaluti procurandæ operam dare cœpit, ab egreſſu ex deſerto, & prædicationis initio. Verùm enimuerò de ratione paupertatis Chriſti non modò Theologi [k] digladiantur, ſed ipſi etiam Romani [l] Pontifices non ſatis inter ſe conſentire nonnullis viſi ſunt. Negari autem non poteſt eam fuiſſe aliquando in ſchola Chriſti paupertatis rationem, vt communem totius velut collegij poſſeſſionem non excluderet. Non ſemel enim legimus, habuiſſe Apoſtolos vnde victui neceſſaria coëmerent. nam apud Ioannem [m] abiiſſe dicuntur diſcipuli in ciuitatem, vt cibos emerent. Et rurſus [n] Philippum interrogat Chriſtus vnde ad alendam multitudinem, panes comparari queant. Et apud Matthæum [o] præcipit diſcipulis, vt multitudini cõfluenti, commeatum præbeant. Denique Iudas & habere [p] loculos dicitur, & inde furto ſibi nonnihil vſurpare; & quæ neceſſaria erant comparare [q] credebatur. Itaque Gregorius [r] Nazianzenus: *Crumena*, inquit, *Chriſti ad pauperes alendos hortatur.* Et Auguſtinus [ſ], Chriſtum ait habuiſſe loculos, *quibus ſeruarentur ea, quæ dabantur ad vſus neceſſarios.* Neque verò

exiſti

a lib. 18. antiq. c. 3.
b lib. 16.
c lib. 5. c. 15.
d lib. 3. hiſt. c. 26.
e lib. 1. de bel. Iud. c. 18.
f cap. 34.
g cap. 3.
h cap. 11. 12.
i cap 5. 8.
k lib. 4. adu. Marcion.

a cap. 16. 16.
b li. 4. ſtrom.
c Matth. 19.
d cap. 10.
e 2. ad Cor. 8. 9.
f Matt. 8. 20.
g Matth 17.
h 2. ad Cor. 8. 9.
i Hom. 8. Euang.
k D. Thom. in Opuſc. pro relig. vit. ſent. Bonau. in Apol. pauper Tuitec. n. de Eccleſ. q. 12. Sot lib. 4. de iuſt. & iur. q. 1. art. 1. Bellarm. li 4. de ſum Pont. cap. 14.
l Nicol 4. in cap. exiit de verb ſignific. in 6. Ioan 22. Extrauag. ad conditorem Canon. & cum inter nonnullos, & quia quorundam de verb. ſignific.
m cap. 4.
n cap. 6.
o cap 14.
p Ioan 12.
q cap. 13.
r Orat. 16. in finem.
ſ lib. de mēd. cap. 5. de oper. Monach cap. 14. & conc. 1. in Pſ. 103.

exiſtimandum eſt, eorum, quæ Chriſto & collegio Apoſtolico dabantur, penes eos qui darent dominium remanſiſſe, tum quia id videtur ridiculum, & ex ingenio confictum; tum quia certum eſt licuiſſe Chriſto, & collegio Apoſtolico, liberè abſque alterius conſenſu in quemlibet vſum inſumere quæ acceperant. Quinetiã valdè veriſimile eſt hanc ipſam ob cauſam Chriſtum Dominum, aliquo breui tempore, antequàm diſcipulos ſibi aggregaret, nonnullarum rerum habuiſſe dominium, quibus vitam parciſſimè ſuſtentaret, quo tamen cùm diſcipulos habere cœpit, quibus cum vitam communem duceret, ſponte ſeſe abdicauit.

X. Cvriosvm verò eſt, & fortaſſe etiam ſuperuacaneum inueſtigare, vtrùm Chriſtus non priuatim modò, ſed etiam vniuerſim omnium planè rerum proprietate caruerit, idque non reipſa tantùm, ſed etiam vitæ ratione, atque inſtituto; minuta enim ſunt illa, in quibus tamen permulti otioſè laborant, qui reipſa aliquando Chriſtum rerum omnium proprietate caruiſſe contendunt, vt ne veſtium quidem quibus induebatur, dominium illi permittant, quibus ipſis in cruce pendens ſpoliatus eſt. Alij veſtes excipiunt, quarum vſu morientem illum ſpoliatum non negant, dominio, & proprietate negant. Certè vitæ inſtituto, & profeſſione, longè mihi probabilius videtur penes collegij Apoſtolici Principem, hoc eſt Chriſtum, tamquàm Deum, rerum quæ tribuebantur dominium fuiſſe retentum. non quòd in iis, quæ vſu ipſo abſumuntur, & pereunt, vſus à dominio, & proprietate diſtingui non queat, vt nonnulli [a] exiſtimare viſi ſunt; ſed quòd ex hiſtoria Euãgelica perſpicuè deprehendatur, Iudam proditorem etiam, in extremo vitæ Chriſti, & loculos habuiſſe, & collegio neceſſaria curare conſueuiſſe, vnde nonnullum dominium inſinuatur. nec fas eſt exiſtimare Chriſtum in extremo præſertim vitæ, ab eo viuendi inſtituto receſſiſſe, quod aliquando ſuſcepiſſet. Neque id Chriſtianæ, & religioſæ paupertati repugnat, &, quod caput eſt, Apoſtolicũ illud collegium, quo naſcentis Eccleſiæ exordia continebantur, totius quodammodo Eccleſiæ nomine, communi domino cuncta debuit accepta referre; vt iam inde intelligerent Eccleſiæ proceres, bona quæ Eccleſiæ tribuuntur, Deo eſſe conſecrata, & in diuinum Chriſti dominium ſingulari quadam ratione tranſire, vt infra planiùs oſtendam.

XI. Vtrvm verò ea fuerit Chriſti, & Apoſtolorum paupertas, vt aliquando ſtipem emendicarit, inter Theologos diſſeritur, aliis [b] affirmantibus, aliis [c] cõtrà negantibus. Certè mendicaſſe Chriſtum aliquãdo, haud improbabiliter ex hiſtoria Euangelica viri [d] docti colligunt. Vt interim omittam, non prorſus contemnendum eſſe Pauli [e] teſtimonium, quo Chriſtum propter nos mendicum factum eſſe affirmat. Itémque illa, quæ apud Dauidem [f] leguntur. *Ego autem mẽdicus ſum, & pauper* [g]. Et, *Perſecutus eſt hominem pauperem, & mendicum.* Quæ dicta eſſe de Iuda Chriſtum pauperem, atque inopem perſequẽte, tum Petrus [h] Apoſtolus, tum etiam Hieronymus, Auguſtinus, Theodoretus, Arnobius, & alij tradiderunt. Denique id non obſcurè inſinuant Baſilius, [i] & Hieronymus [k]. Illud porrò & à recta ratione, & à ſacris Scripturis alienum videtur, quod nõnemo [l] affirmare auſus eſt, Chriſtum hac lege à Deo patre rerum vſum accepiſſe, vt nullum poſſet dominium, aut proprietatem vſurpare; perinde quaſi non ſponte paupertatem coluerit, ſed paterni imperij neceſſitatem ſubire coactus ſit. quod cùm temerè affirmatur, tum ne adimit quidem Chriſto liberum conſilium paupertatis; niſi quis dicat (quod eſt per ſe A maximè abſurdum) ne ſponte quidem Chriſtum mortem pro hominum genere oppetiiſſe, quia Patris præcepto obtemperabat. Quemadmodum autem præcepti neceſſitas parendi libertatem non violat; ita etiam voti obligatio cum eadem libertate neutiquàm pugnat: & quamquam Theologorum princeps [a] indicare videtur, tum propter diuinam voluntatem Chriſti, tum propter humanam ſupra quàm dici poteſt in bono firmatam, minimè decuiſſe vllo eum voto obſtringi; non video tamen, cur magis voti, quàm præcepti neceſſitas Chriſto repugnet; cùm præſertim nuncupatio voti, eximia quædam ſit religionis actio, Deóque in primis grata, vnde reliquæ deinceps actiones, quæ conſequuntur, magnum capiant dignitatis, & meriti incrementum. Cæte- B rùm vt probatum ſit, potuiſſe Chriſtum Deo vota nuncupare, atque adeo ad eius vitæ rationem voti dignitatem aliqua ex parte pertinuiſſe; quid potiſſimùm Deo vouerit, aut vtrum omnino vouerit, certò definiri nequaquam poteſt. Itaque de voto paupertatis nihil habeo affirmare, niſi quòd nonnullis veriſimile videtur, hac etiam in re Apoſtolos præceptorem ſuum fuiſſe imitatos.

Qvamvis enim quæri ſoleat à multis, an Apoſtoli voto ſeſe paupertatis obſtrinxerint, video tamẽ, doctiores [b] affirmare; quibus aliqua ex parte fauet Auguſtinus [c], qui ait, Apoſtolos non modò cuncta, quæ habebant, ſed ipſam etiam habendi cupiditatem reliquiſſe; quod abſque voto vix fieri potuiſſet. Apertiùs autem [d] alibi, cùm de verbis Apoſtoli Pe- C tri ageret: *Hoc*, inquit, *votum potentiſſimum vouerant.* Quòd ſi Chriſtus voto ſeſe paupertatis obſtrinxit, multò id magis de Apoſtolis eius imitatoribus ſentiendum videtur. Quibus voti religio permagnum adiumentum afferebat ad perfectionem aſſequendam, vt communi Catholicorum conſenſu in ſchola Theologica receptum eſt. XII.

Alterum quendam ſtatũ, & quaſi nouum vitæ genus ſuſcepiſſe videntur Apoſtoli, cùm à reliquorum diſcipulorum numero ſegregati in Apoſtolorum collegium allecti ſunt: inde enim ab eo tempore (vt paulò antè oſtendimus) communem quandam cum Chriſto vitæ rationem ſecuti ſunt, vt religioſam quandam vitæ formam, Chriſto duce, ac Magiſtro, referre viderentur, vt ipſi quidẽ, & Chri- D ſto omnibus in rebus dicto eſſent audientes, & paupertatem, de qua hactenus multa diximus, eximiè colerent; omni denique nõ modò impuræ libidinis, ſed ipſius etiã cõiugij vſu penitus abſtinerent. Quẽadmodum autem paulò antè oſtenſum eſt, voti neceſſitatem Chriſti dignitati non repugnare, ſiue quæ à diuina hypoſtaſi, ſiue quæ à gratiæ, ac diuinorum chariſmatum plenitudine oritur: Ita nõ prorſus alienum videri debet, quod nõnemo exiſtimauit, Chriſtum Dominum, in ipſo incarnationis initio, ac veluti primo temporis puncto, quo Patris præcepto acquieuit, de quo aliàs plura diximus, eodem etiam ita ſe totum penitus obtuliſſe Patri, vt ſe, ſuam vitam, omnéſque actiones Deo deuoueret, eóque ſpectare verba illa Dauidis [e]: *Vota mea Domino reddam.* Eo E porrò voto nũcupato, quis neget, eas maximè actiones comprehendi, quæ voti nuncupatione perfici, & quaſi abſolui Theologi tradiderunt? At hoc genere rerum caſtimoniam, paupertatem, obedientiam maximè contineri, hæreticis tantùm reclamantibus, inter omnes Catholicos conuenit. Verùm, vt de Chriſto ſileam, de Apoſtolis, iis prorſus aſſentior, qui eos non modò paupertatis, ſed caſtitatis, & obedientiæ votis putant fuiſſe obſtrictos, & perpetuò mancipatos. De paupertate quidem hactenus. Obedientiam verò qui ex illo colligunt, quòd Apoſtoli dicantur XIII.

a Ioan. 12. & 13. [illegible]

b Thom. [illegible] lib. 4. [illegible] c [illegible] & 4. Ambroſ. Cather. lib. 2. [illegible] d [illegible] lib. 6. [illegible] Albert. [illegible] e 2. Cor. 8. f Pſal. 108. g [illegible] h [illegible] i [illegible] k [illegible] l [illegible]

a D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 1. ad 1.

b D. Thom. 2. 2.

c Epiſt. 89. q. 4. & in Pſal. 103 Conc. 3.

d lib. 17 de Ciuit. c. 4.

e Pſal. 115. 14.

a Matt.19. & alibi.
b Philip.2.8.

A eantur [a] Chriſtum ſequuti, hoc eſt illius virtutes, atque actiones imitati, in primiſque obedientiam, qua factus eſt *obediens* [b] *vſque ad mortem, mortem autem crucis*, neque vero, neque admodum firmo fundamento nituntur. Nam verba illa, quibus Chriſtus ſe iubet ſequi, (vt iam ſuprà monuimus,) non propriè ad imitationem, ſed ad illius vitæ genus complectendum, eiúſque ſequendam diſciplinam referebantur. Chriſti verò obedientia non homines, ſed ipſum Deum immortalem ſpectabat vnũ, quam Apoſtoli ſi Deo eiúſque præceptis obtemperarent, ſatis imitabantur. Quod verò Chriſtus apud Matthæum [c] dixit: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*, ad obedientiæ neceſſitatem, non niſi coactè detorqueri poteſt. Si enim Hieronymo [d], Bedæ [d], & Gregorio [e] credendum ſit, ſe ipſum abnegare nihil eſt aliud, quàm vitæ quandam vetuſtatem exuere, & induere nouitaté, quam Chriſtus inſtituit. Si Chryſoſtomo, abnegare ſe ſignificat nullam ſui rationem habere, vitámque ſuam, ſi opus ſit, pro Chriſto contemnere; atque idcirco rectè ſubditur: *Qui enim voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.* Quæ aliò pertinere, quàm ad obedientiam ſuadendam, quis non videt? Ego verò malim ingenuè fateri, nullo me idoneo vel argumento, vel teſtimonio ex Euangelio petito, Apoſtolorum obedientiam cõfirmare poſſe, quàm prauis, ac peruerſis interpretationibus perquirendis otio, diligentia, atque ingenio abuti. Sed quis credat Apoſtolos Chriſto, ſe tanquàm cœleſti Magiſtro in diſciplinam tradidiſſe, neque tamen ei, quod eſt in primis neceſſarium, dicto ſe obſequentes præbuiſſe? Quòd ſi ſtatus religioſæ vitæ, quam collegium Apoſtolicum quodam modo præ ſe ferebat, & veluti informabat, voti ſtabilitatem, & ſanctitatem quandam requirit; quis neget eos, qui, Chriſto præſertim inſtitutore, optima quæque ſectabantur, ea vota ſanxiſſe, quæ voti religionem ſuo quodam iure poſtulant?

c cap.16.24.
d In illum locum.
e Hom.10. in Ezech.
f verſ.25.

XIV. Continentiam porrò qui maximè oppugnant hæretici, Apoſtolos omnes, Ioanne, ac Paulo exceptis, vxores habuiſſe contendunt, rati nimirum, ſi hoc nobis perſuaſerint, omnibus continuò clericis, atque Eccleſiaſticis viris, connubij iura neceſſariò, quaſi Apoſtolorum imitatoribus, eſſe complectenda. Sed Petrum Apoſtolorum Principem coniugij vinculo adſtrictum aliquando fuiſſe non inficior. id enim ſocrus, cuius meminit [g] Matthæus, & vxor, quam martyrij laude floruiſſe ſcribit Clemẽs [h] Alexandrinus, apertè teſtantur. An etiam liberos procrearit, quamuis id quoque aſſerat Clemens [i], non auſim tamen alterutram in partem quidquam definire. nam quod de filia Petronilla circumfertur, iam pridem à viris [k] doctis refutatum eſt; & Marcelli Epiſtolam inter apocrypha reiicit Auguſtinus [l]. De cæteris autem Apoſtolis ſtatuere nihil poſſum; Hieronymus [m] certè reliquis à Petro virginitatis laudem tribuit. Id quo minùs verum putetur, nihil prohibet. Quod enim de filiabus Philippi legimus in Actis Apoſtolicis [n], non ad Philippum Apoſtolum, ſed ad alterum Philippum Diaconum referendum eſt, quas Hieronymus nunc [o] virgines, & vaticinio claras, nunc [p] virginum quadrigam appellat. Nonnulla de his virginibus ſcribunt Polycrates, Caius, & Proclus apud Euſebium [q]. Quanquàm idem Polycrates apud Hieronymum [r], quem ſequuntur Clemens [ſ] Alexandrinus, Dorotheus [t], & Papias [u], Philippo Apoſtolo tres fuiſſe filias dicit; ſed mihi valdè vero ſimile videtur nominis ambiguitatem multis impoſuiſſe; & ſi locus eſt coniecturæ, ſuſpicor, Polycratis verba apud Hieronymum eſſe vitiata, & præferendum Euſebij textum; cùm ſtatim eodem ipſo loco de Philippi Diaconi filiabus ſcribat, quas rurſum [a] auctore Papia Philippo Apoſtolo, vel, vt interpretatur Ruffinus, Euangeliſtæ tribuit. Nicephorus [b] certè alterius Philippi, nõ Apoſtoli filias nominat. De Clemente, ac Dorotheo non videtur magnoperè laborandum, cùm præſertim Clemens falsò & cõtra omnium antiquorum fidem, illas nupſiſſe ſcribat, quas omnis antiquitas virginum primitias appellat. Cæterùm Euſebius, Hieronymus, & Ruffinus tres tantùm fuiſſe filias indicant, cùm tamen Lucas apertè dicat fuiſſe quatuor.

g cap.8.
h lib.7.ſtrom.
i lib.3.ſtrom.
k Baro. Ann. tom.1.
l lib.cõt Adimant.c.17.
m lib.1 cont. Iouin.
n cap.21.
o epiſt.27.
p lib.1.cont. Iouin.
q lib.3. hiſt. cap.25.
r de Script. Eccleſ.in Polier.
ſ 3.Strom.
t in Synop.
u apud Euſe. lib.3.hiſt.cap 31.
a cap.31.
b lib 2.c.44

XV. Itaque vt redeam ad inſtitutum, rectè colligit Tertullianus [c] de vnius Apoſtoli Petri coniugio B conſtare. *Petrum* (inquit) *ſolum inuenio maritum per ſocrum: cæteros cùm maritos non inuenio, aut ſpadones intelligi neceſſe eſt, aut continentes.* Verùm poſtquàm à Chriſto vocati ſunt Apoſtoli, & relictis omnibus, ei ſeſe perpetuò comites adiunxerunt, vſu coniugij abſtinuiſſe affirmant Catholici, hæretici negant, quòd videlicet contra Chriſti præceptum [d] facturi viderentur, ſi vxoribus nuntium remitterent. Quaſi verò non poſſent abſque repudio, ipſis conſentientibus coniugibus, caſtam vitam traducere. Et profectò ſi poſtquàm Chriſto penitus adhæſerant, liberis adhuc operam dabant; qua ratione verè Petrus dicere potuit: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te?* An vxores relinquendæ non erant? At ibidem ſubdit Chriſtus [e]: *Omnis, qui reliquerit domum, vel* C *fratres, vel ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Ita Clemens [f] Alexandrinus rectè, veréque monet, poſt vocationem vxores fuiſſe Apoſtolis tantummodò loco ſororum; quod ipſum affirmat Hieronymus [g] aduerſus Iouinianum. Quid verò ſignificent illa verba apud Paulum [h] de muliere ſorore circumducenda, dicemus ſuo loco: interim conſulendus eſt Tertullianus [i]. Quæ cùm ita ſint, ſatis conſtare arbitror, Apoſtolos vbi duodecimuiratum adepti ſunt, & cum Chriſto familiariùs viuere cœperunt, paupertatem, caſtitatem, atque obedientiam mirificè coluiſſe.

c lib.de monog.
d Matt.19.27
e verſ.29.
f lib.3.Strom.
g lib.1.
h 1.adCor.9.
i lib. de monog.

XVI. Sad enim paupertati, vel potiùs mendicitati, de qua ſuprà diximus, repugnare videtur præce- D ptum [k] diuinum, quo mendici à populo Iſraelitico arceri videntur. *Omnino* (inquit) *indigens, & mendicus non erit inter vos, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus.* Quaſi verò Lazarus [l] non fuerit mendicus: aut cœcus ille apud Ioannem [m] non fuerit ab omnibus cognitus, vt mendicus: aut alter cœcus apud Marcum [n], & Lucam [o] non mendicaret: nec ſtipem peteret [p] claudus ille, qui ad ianuam templi ſedebat: & denique non Dominus ipſe eodem loco dixerit: *Non* [q] *deerunt pauperes in terra habitationis tuæ, idcirco ego præcipio tibi, vt aperias manum tuam.* Vbi non modò apud Septuaginta eſt eadem vox ἐνδεὴς, ſed etiã in codicibus Hebræis אֶבְיוֹן *benelon*, quam paulò antè mendicum noſter interpres reddiderat. Itaque vt rem paucis cõcludam, tametſi verba illa Deu- E teronomij doctos Theologos diu torſerunt, atque adeo etiamnum torquent; ſi tãmen vim Hebrææ, & Græcæ locutionis ſpectemus, nec præceptum continẽt, neque certam pollicitationem, ſed rerum tantùm connexionem, & conſecutionem indicant. Præcipit enim Dominus, ne imminente anno iubilæi mutuum quis exigat à fratre, vel ob eam maximè cauſam, ne ſit in populo egenus, atque mendicus; quæ eſt interpretatio paraphraſis Chaldaicæ, & aliorum Hebræorum. Itaque à tenuioribus mutuum repeti vetat, ne propterea ad inopiam, atque mendicitatem

k Deut.15.4.
l Luc.16.
m cap.9.
n cap.10.
o cap.18.
p Act.3.
q verſ.11.

tatem redigantur. Neque aliter locum illum intellexiſſe videntur Septuaginta, qui ita Græcè reddiderunt: καὶ ἣ ἀδελφῷ σου ἄφεσιν ποιήσεις τὸ χρέος σου, ὅτι οὐκ ἔσται ἐν σοὶ ἐνδεής. id eſt, *fratri tuo remiſſionem facies, quoniam non erit in te egenus*, quaſi dicat, ſi hoc feceris, nemo erit in populo, qui inopia, atque egeſtate prematur.

XVII. Iam verò prætermiſſis continentiæ, atque obedientiæ votu, de quorum externis actionibus nulla poteſt eſſe difficultas; externæ paupertatis functiones victu, ac veſtitu maximè continentur. Conſtat autem (vt hinc potiſſimũ exordiar) minimè decuiſſe Chriſtum humani generis liberatorem, aſperum, atque horridum vitæ genus vnà cum collegio Apoſtolico inſtituere, vt faciliùs mortales ad ſe alliceret; quæ eſt omnium ferè ſanctorum Patrum communis ſententia. Sic enim alicubi ſcribit Irenæus [a]: *Conuerſabatur Chriſtus, nimirum cum hominibus, & bibebat vinum in terra.* Et Chryſoſtomus [b]: *Illam* (inquit) *arctam viuendi viam, Ioannes omnino dimiſit, ipſe verò publicanorum atque peccatorum menſas elegit, vt publicanos, & peccatores ſaluaret.* Idem aduerſus Fauſtum Manichæum fuſiùs docet Auguſtinus [c], probans illum communi Iudæorum victu vſum, & idcirco opponi Ioanni, qui dicitur non manducare, neque bibere, non quòd omni prorſus cibo potúque careret; ſed quòd rudi, atque agreſti, ac penè nullo vteretur. Cibus (inquit) *illius non omnino nullus erat, ſed locuſtæ, & mel ſilueſtre. Vnde ergo dictus eſt non manducans, neque bibens, niſi quia illo victu, quo Iudæi vtebantur, ille non vtebatur? hoc ergo Dominus niſi vteretur, non in eius comparatione manducans, bibénſque diceretur.* Sed conſtat tamen, victum, veſtitúmque Chriſti fuiſſe moderatum, & non modò temperantiæ, ſed etiam paupertati conſentaneum, communem tamen, & ab hominum conſuetudine minimè abhorrentem. Itaque apud Lucam [d] diſcipulis præcipit: *In eâdem autem domo manete edentes, & bibentes quæ apud illos ſunt.* Et paulò pòſt: *Manducate quæ apponuntur vobis*, Non delectum ciborum, aut Eccleſiaſticum ieiuniũ damnans, ſed id præcipiens, quod eo quidem tempore percommodum, ac propè dixerim, neceſſariũ videbatur. Idem de veſtitu, & corporis cultu ſentiẽdum eſt. apud Ioannem [f] enim legimus de Chriſto. *Surgit à cæna, & ponit veſtimenta ſua.* Cúmque in cruce penderet [g], veſtimenta militibus diſtribuuntur, tunica verò inconſutilis ſortitione diſtrahitur; vt nõ malè colligat Euthymius, præter interiorem tunicam conſueuiſſe Chriſtum geſtare aliam veſtem ſuperiorem, ac præterea pallium: illa porrò tunica interior, ſi Iſidoro [h] Peluſiotæ credimus, apud Hebræos lanea erat, & vulgaris. Quod autẽ apud Matthæum [i] duas tunicas vetat, non prohibet duabus ſimul tunicis indui, ſi vſus, aut neceſſitas poſtulet; ſed plures habere tunicas, quàm præſens neceſſitas requirat, vt obſeruauit Hieronymus. quo etiam modo explicanda ſunt verba Ioannis apud Lucam [k]: *Qui habet duas tunicas, det non habenti.*

XVIII. De calceis peculiaris eſt quæſtio. nam Chriſtum, & Apoſtolos nudis pedibus incedere conſueuiſſe non pauci [l] exiſtimarunt, quibus fauere videntur Gregorius [m] Nazianzenus, qui Euangelij præconem nudis pedibus iter facere, oportere affirmat, & Hieronymus [n], cuius hæc ſunt verba: *Moyſes, & Ieſus Naue nudis in ſanctam terram pedibus iubentur incedere, & diſcipuli ſine calceamentorum onere, & vinculis pellium ad prædicationem noui Euangelij deſtinantur, & milites veſtimentis Ieſu ſorte diuiſis caligas non habuere, quas tollerent; nec enim habere poterat Dominus quod prohibuerat ſeruis.* Et Chriſtus ipſe apud Matthæum [o], prohibet diſcipulis vſum calceamentorum. quod fuiſſe præceptum, non tamen perpetuum explicant Chryſoſtomus [a], & Auguſtinus [b]. Contrà alij [c] tectis pedibus conſueuiſſe Chriſtũ incedere multis confirmant. & profectò id apertiſſimè aſſerit Auguſtinus [d], qui explicans Chriſti præceptum calceamenta prohibentis: *De iis* (inquit) *calceamentis, quibus calceati ambulamus conſolatur me Dominus meus. Si enim ipſe calceatus non eſſet, non de illo Ioannes diceret: Non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorum.* Hieronymus [e] autem, ipſeque Auguſtinus [f] calceamenta putant, id eſt, calceos prohiberi, ſoleas, quæ plantam ſolummodò tegerent, quæ alij vocant ſandalia, vt eſt apud Marcum [g], permitti: ita non pugnare cum præcepto, quod eſt apud Marcum; quod apud Lucam paulò ante mortem dixit Chriſtus, ſe miſiſſe Apoſtolos ſine ſacculo, ſine pera, & ſine calceamentis. Sed quoniam nimis ſubtilis, & accurata videtur diſtinctio inter ὑποδήματα, id eſt, calceamenta, & σανδάλια, hoc eſt, ſoleas: & Chriſtus apud Lucam non ſe σανδάλια, ſed ὑποδήματα prohibuiſſe dicit, exiſtimarunt viri docti, non ſimpliciter calceamenta, ſed bina calceamenta vetuiſſe, vt binas paulò antè tunicas. id enim ἀπὸ τοῦ κοινοῦ intelligendum eſt, vt Marcus vnica tantùm ſandalia permiſiſſe Chriſtum affirmet, bina vetuiſſe Matthæus. Sic olim Iuuencus interpretatus eſt. *Nec plantis*, ait, *tegmina bina*, non quæ ſimul geſtarentur, vt de tunicis diximus, ſed quorum altera in futurum vſum, vel neceſſitatem ſeruarentur.

XIX. Soleas autem geſtaſſe Apoſtolos, quæ ſandalia dicerentur, ex actis [h] Apoſtolicis probo. Angelus enim Petro dicit, ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου: hoc eſt vt ait noſter Interpres, *calceate caligas tuas*. Mirari autem ſatis non poſſum, qua ratione ex hoc loco viri docti colligant, idem planè fuiſſe τὰ ὑποδήματα, & σανδάλια. nam quod attinet ad verbum ὑποδεῖν, non modò de ſoleis quæ ſubligantur, vt apud Marcum [i], ὑποδεδεμένους σανδάλια, ſed etiam de cothurnis dicitur, vt apud Herodotum κοθόρνους ὑποδέεσθαι. cothurni verò tibiis alligabantur, vt illud apud clariſſimum Poëtam [k] apertè docet:

Purpureoq; altè ſuras vincire cothurno.

Quamobrem malim exiſtimare, ὑποδήματα calceamentorum genus eſſe, σανδάλια verò formam, & in ſacris quidem literis, viliſſimam, qua ſolæ plantæ obteguntur. Græci κονίποδα, & βλαύτας appellant. Alias autem ſandalia diuitum mulierum calceamenta erant, in quibus plerumque, vt ait Clemens [l] Alexandrinus, aurea veluti anathemata, & claui infigebantur. Meminit & Pauſanias [m] calceorum, quibus milites, vel curſores vterentur, quos κρηπῖδας, ſeu ἐνδρομίδας appellabant. Sed, vt redeam ad Apoſtolos, ſi Iudæi tectis pedibus incedebant, veriſimile eſt Chriſtum, qui alioqui commune vitæ genus inſtituerat, ſuis diſcipulis nihil præter communem conſuetudinem præcepiſſe. Laudat quidem Clemens Alexandrinus viros, qui nullis calceis vtuntur, quòd calceatum eſſe propè idem ſit, quod eſſe ligatum; itineris tamen gratia ſoleis vtendum cenſet: Chriſtum autem ait, ſimplici calceamenti genere vſum Ioannis teſtimonio nixus, qui ſe dignum eſſe negabat, qui calceamentorum eius corrigiam ſolueret. neque enim decuiſſe curioſos, aut ſuperfluos habere calceos, qui veræ philoſophiæ typum Hebræis proponeret. At Plato, vt ſcribit Hieronymus [n], neque caput, neque pedes velandos docuit. Porrò apud Hebræos calceos fuiſſe vſurpatos, probat illa conſuetudo, de qua in libro Ruth [o], cùm quis detracto calceo propinquitatis iuri cedebat. Nec me fugit olim Germanicum, vt eſt apud Tacitum [p], *multa in Aegypto vſurpaſſe in vulgus grata ſine milite*

Left margin notes: a lib. 4. c. … b Hom. 38. in Matth. c lib. 16. cap. 31. d cap. 10. e ibid. f cap. 13. g Ioan. 19. h lib. 1. epiſt. 74. i cap. 10. k cap. 3. l Eutychiani … ſeu … de hac … habetur … opuſc. … n … o cap. 10.

Right margin notes: a Hom. 9. ad Philip. b ſer. 42. de ſanctis. c Burg. Marc. 6. Add. 1. Caiet. Luc. 3. Cornel. Ianſ. Concor. Euã. cap. 53. Tolet. in Ioã. c. 1. annot. 63. d Serm. 42. de ſanct. e Matth. 10. f lib. 2. de conſ. Euang. cap. 30. g cap. 6. 9. h cap. 12. i cap. 6. 9. k Æneid. 1. l lib. 2. Pædag. c. 11. m Eliacon. 2. n Matth. 10. o cap. 4. 7. p Annal. 2.

incedere pedibus intectis, & pari cum Græcis amictu. At A putò non planè intectis pedibus tam inſignem virum incedere conſueuiſſe, ſed ἀνυπόδητον dici poterat Romani calcei reſpectu, qui altiuſculus non imos tantùm pedes, aut plantas, ſed tibias velabat cruretenus. Et mulleolos tibiatim calceari, præter cæteros docet Tertullianus [a]. *Impuro* (inquit) *cruri purum, aut mulleolum inducit calceum:* ſed mulleos, cereos, & albos calceos viris ademptos, ac fœminis tantùm relictos ſcribit Vopiſcus [b]. Aſſentior igitur viris doctis, qui Germanicum Græco more crepidatum inceſſiſſe ſuſpicantur. Hoc enim indicant illa verba, quæ apud Tacitum mox ſequuntur. *Publij Scipionis æmulatione, quem eadem factitaſſe apud Siciliam accepimus.* Illum namque ſcribit Liuius cum B pallio, crepidiſque inambulare in gymnaſio conſueuiſſe; quod tamen molle, & effœminarum cenſebatur; vt illud indicat in delicatulos Manilianum carmen:

a lib. de pall.
b in Aurel.

Fœminea veſtes nexa, ſine tegmine planta.

Ita crepidæ pallio, vt togæ calcei reſpondent. Quos Tertullian. [c] *proprium* vocat *togæ tormentum, immundiſſimam pedum tutelam, verùm & falſam.* Concludo, non planè ἀνυποδήτους fuiſſe Apoſtolos, ſed ſoleatos, nullo autem modo crepidatos, alióve calcei genere tectos, Chriſto auctore ac magiſtro, qui ſuo illos exemplo, præceptóque informarat. At dixit [d] Chriſtus, ſe miſiſſe aliquando diſcipulos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, Græcè ἄτερ ὑποδημάτων. id factum opinãtur nonnulli ratione itineris, ac prædicationis Euangelicæ; verùm ego contrà formam C illam, rationémque viuendi traditam apud Matthæum [e], fuiſſe perpetuam, ac planè Apoſtolicam puto. Quamquam enim ὑποδήματα calceamentorum genus eſſe diximus, σανδάλια verò formam, interdum tamen boni ſcriptores, ἀνυποδήτους vocant ſoleis, aut crepidis tantùm calceatos. Quomodo apud Dionem de Caligulæ ludis permiſſum eſſe legimus ἀνυποδήτοις βουλομένοις θεᾶσθαι, volentibus diſcalceatis ſpectare. Rectè enim ante nos quidam ſoleatos, aut crepidatos interpretati ſunt; eâdem namque ratione Romani calceis omiſſis, quæ inter forenſia cenſebantur, ſolcati ſeu crepidati conuiuia frequentabant. Quinetiam æſtiuo tempore quoſdam olim ἀνυποδήτους, id eſt, ſolcatos, aut crepidatos, iudicia exercuiſſe eodem loco ſignificat Dio, & D de Catone apertè ſcribit Plutarchus [f]. Quominus mirandum eſt, Apoſtolos dici à Chriſto miſſos ἄτερ ὑποδημάτων, id eſt, ſine calceis, qui viliſſimos, ac penè nullos calceos haberent, ea ratione dicendi, qua Ioannes veniſſe dicitur, non manducans, neque bibens. Quod verò nonnulli affirmant Palæſtinos olim in vrbe quidem ſandaliis, calceis verò in itinere vti conſueuiſſe, Chriſtum autem Apoſtolis id præterea præcepiſſe, vt ad iter peragendum etiam ſandalia adhiberent: quominus probem illud potiſſimum facit, quod Gabaonitarum [g] Oratores, quos quidem non quoſlibet de plebe, ſed viros primarios fuiſſe credendum eſt, τὰ κοῖλα τῶν ὑποδημάτων αὐτῶν καὶ τὰ σανδάλια αὐτῶν παλαιά; hoc eſt, accepiſſe dicuntur caua calceamentorum ſuorum, & ſan- E dalia ſua vetera, vt habent Septuaginta; cùm tamen ad iter ſeſe accingerent. Et ſanè Clemens Alexandrinus (vt ſuprà monuimus) itineris gratia ſoleas tantùm permittit. Quocirca ſiue Chriſtus vnà cum Apoſtolis ſoleis perpetuò vteretur, ſiue ſoleatus accumberet, rectè potuit mulier illa apud Lucã [h] pedes Chriſti accũbentis lacrymis rigare & vngere vnguẽto, cùm ſoleæ ſuperiorẽ pedis partem non tegerent.

c lib. de pall.
d Luc. 22. 35.
e cap. 10. 10.
f in Catone.
g Ioſue 9. 11.
h cap. 7. 38.

XXI. Persimilis quæſtio eſt de virga, quam Matthæus quidem Chriſtum vetuiſſe narrat; permiſiſſe autem Marcus: omnes enim fermè interpretum ſententiæ eò tendunt, vt non de eadem virgæ ſignificatione vtrumque Euangeliſtam locutum dicant: ſed Matthæum quidem de propria, Marcum verò de metaphorica, quam ſiue poteſtatem faciendi miracula explicant, ducta ſimilitudine à virga Moſis; ſiue auctoritatem accipiendi, quæ ad vitam tuẽdam neceſſaria eſſent, quæ fuit ſententia Auguſtini [a]; ſiue denique ipſam promulgandi Euangelij facultatem. Nec deſunt qui vtrobique virgam metaphoricè interpretantur, ſed apud Matthæum quidem pro puniendi ſeueritate, quæ videtur Ambroſij [b] ſententia, vt illud Dauidis [c]: *Reges eos in virga ferrea.* Et apud Paulum [d]: *Nunquid vultis in virga veniam ad vos?* In Marci verò narratione pro auxilio, ac B ſolatio; vt apud eumdem Dauidem [e]: *Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Ego non facilè in animum induco meum cætera omnia, quæ ibi à Chriſto enumerantur, aurum, argentum, pecuniã, tunicas, zonas, calceos, peram propriè ſolam virgam metaphoricè accipi. perire enim mihi non ſolùm vis elegantiaque ſententiæ, ſed ipſa etiam ſententia prorſus videtur, niſi apud vtrumque Euangeliſtam, & propriè, & eodem modo virga ſumatur. Nam vt paulò antè de calceis dicebamus, contrariis quidem verbis, ac ratione dicendi; ſed eamdem tamen Chriſti ſententiam eleganter expreſſit vterque Euangeliſta, præcepiſſe videlicet Chriſtum, ne quid Apoſtoli ſecum ferrent, præter ea, quæ eſſent in præſentem vſum neceſſaria. Id expreſſit Matthæus C cùm dixit; *Neque virgam*, quaſi dicat, ne virgam quidem, quam nemo ita pauper eſt, qui non facilè habere poſſit. Marcus verò ſolam permittit virgam, cætera negat: ſignificans eos in ſumma rerum omnium inopia victuros. nam qui virgam vnam habent, egentiſſimi ſunt. Ita olim Iacob [f]: *In baculo* (inquit) *meo tranſiui Iordanem*; hoc eſt (vt ego quidem interpretor) in ſumma rerum omnium inopia, atque indigentia, omnibus denique rebus deſtitutus more mendici. Quocirca quæ hoc loco de virga negata, & permiſſa viri docti philoſophantur, ſuperuacanea videntur, & parum ad rem, ſi Chriſti ſententiam non ipſa eius verba, Euangeliſtas poſuiſſe dicamus.

a lib. de conſ. Euang. c. 30.
b lib. 1. de off. cap. 7.
c Pſ. 2. 9.
d 1. ad Cor. 4. 21.
e Pſ. 22. 4.
f Gen. 32. 10

XXII. Illvd video maiori cum cõtentione inter Theologos agitari, quomodo verba illa intelligenda ſint, D quæ paulò antè dicta fuiſſe à Chriſto commemorantur à Matthæo: [g] *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, non peram in via.* Non enim poſſum iis aſſentiri, qui negant, hoc Chriſti præceptum fuiſſe perpetuum, ſed ad illam pertinuiſſe tantùm primam Apoſtolorum miſſionem, quaſi hoc veluti prælucio, & ipſorum patientiam voluerit experiri; & vt diuinam ipſi prouidentiam experirentur, tacitè monere. Non ſolùm quia hæreticos malos omnino ſequuntur auctores; ſed quia ea interpretatio & Chriſti inſtituto, & cæteris huius præcepti conditionibus, atque adiunctis, & omnibus denique antiquis, ac bonis repugnat auctoribus, qui & hoc præceptum perpetuum eſſe volunt; neque ad hanc ſolummodò miſſionem, ſed ad E alias omnes, & omnino ad ipſum Apoſtolorum munus ſpectare docuerunt. Huius ſententiæ fuerunt Chryſoſtom. [h], Hilarius [i], & Hieronym. [k] Auguſtinus, [l] Ambroſius [m]. Quis verò non videat inſtituto collegio Apoſtolico voluiſſe Chriſtum Apoſtolorum officium, vitæque rationem declarare? Quis autem neſcit munus Apoſtolicum fuiſſe perpetuum? At inquiunt, Marcus, [n] & Lucas apertè ſignificant, de viatico Chriſtum loqui, qui Apoſtolis præceperit, ne quid tollerent in viam. Quaſi verò non totam miſſionem, ac peregrinationem, vno

g cap. 10. 9.
h Hom. 33. in Matth.
i in illum locum Matth.
k lib. 2. de conſ. Euang. c. 30.
l lib. 4. in Luc.
m cap. 6. 8.
n cap. 9. 3.

verbo

verbo, vitam Apoſtolicam profectionem, ac veluti itinerationem appellaret: ob id enim dictos fuiſſe Apoſtolos, quòd ad prædicandum mitterentur, ſuprà oſtéſum eſt. Deinde ſatis conſtat (vt docuit Tertullianus [a]) hanc totam Chriſti orationem eò potiſſimùm ſpectare, vt rerum neceſſariarũ curam, ac ſolicitudinem Apoſtoli deponerent, & promulgando Euangelio omnem operam impenderent.

[a Lib. 4. cont. Marcion.]

XXIII. Ecce vero credibile videatur, priori illi miſſioni, quæ velitatio quædam fuit, hanc rerum, quæ ad humanam vitam pertinent, ſolicitudinem obfuiſſe: poſteriori verò quam iuſtum quodam modo prælium appellare poſſumus, non item, cùm ad orbem terrarum vniuerſum debellandum erant omnes copiæ explicandæ, & milites multò magis expeditos eſſe oportebat? Quis non videat, voluiſſe Christum in illa priori miſſione Apoſtolos ſuos ad poſteriorem exercere? Si ergo in ludicra pugna voluit illos auro argentóque carere, quanto magis in ſeria? Accedit, quòd Paulus,[b] quæ hoc loco præcipiuntur Apoſtolis, de tota Apoſtolica prædicatione interpretatur. *Dominus* (inquit) *ordinauit iis, qui Euangelium annunciant, de euangelio viuere.* At certè non alibi, quàm hoc loco, vbi Chriſtus ait: *Dignus*[c] *eſt operarius cibo ſuo*: vel, vt ſcribit Lucas; *mercede ſua*. Quod verò paulò antè dictum erat: *Gratis*[d] *accepiſtis gratis date*, mirum ſi non ad vniuerſam Apoſtolicam prædicationem referatur. Si enim ait, aurum, atque argentum poſſidere non debetis, omnis profectò vobis nundinationis, aut licitationis occaſio adimatur. Ne ergo quæſtum ex Euangelio faciatis, ſed quæ gratis accepiſtis, vim patrandi miracula, & docendi facultatem gratis, ac liberaliter exercete. quod ſine dubio præcipuè faciendum eſt vbi maior erit ſiue opportunitas, ſiue neceſſitas, cùm videlicet ad docendas, inſtituendáſque omnes gentes proficiſcemini. Denique ſi illis verbis Chriſtus de prima tantùm miſſione loquitur, quomodo vera erunt illa: *Ecce*[e] *ego mitto vos ſicut oues in medio luporum*? Quos (quæſo) lupos experti erant illi, qui (vt ſcribit Lucas[f]) glorianteſ reuertebantur, quòd ſibi in nomine Chriſti etiam Dæmones ſubiicerentur? At cùm Apoſtoli in mundum vniuerſum miſſi ſunt, re ipſa compererunt, verum ſibi Chriſtum denuntiaſſe, cùm dixit: *Tradent*[g] *vos in conciliis, & in ſynagogis ſuis, & flagellabunt vos.*

[b 1. ad Cor. 9. 14.] [c cap. 10. 7.] [d Matth. 10. 8.] [e Luc. 10. 3.] [f ſupra 10.] [g Matth. 10. 17.]

XXIV. At enim apud Lucam ait Chriſtus: *Qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram.* Quibus profectò verbis fas illis fuiſſe ſignificat ſacculum, ac peram habere, quorum tamen vtrumque in prima miſſione prohibebatur. Non nego hæc Chriſti verba magnis etiam auctoribus, Chryſoſtomo [h], & Theophylacto [i] impoſuiſſe, qui putãt priſtinũ illud Chriſti præceptum fuiſſe reuocatum, factámque Apoſtolis poteſtatem, vt ſacculum, & peram, quinetiam gladium compararent. Sed propiùs, ni fallor, abeſt à vero, nihil de priſtino iure immutatum, ſed illis verbis mox imminentem eius temporis conditionem fuiſſe deſcriptam. futurum enim erat, vt Apoſtoli, qui pridem in ſumma rerum omnium inopia, inuocato Chriſti nomine cunctis ad vitam tuendam neceſſariis copioſè affluebant, in eas redigerentur anguſtias, vt non modò ad vitam tolerandam omnia ſtudioſè comparanda, ſed illa etiam perquirenda eſſent, quibus ſe ab hoſtibus tutos, incolumeſque ſeruarent; ita fore vt non ſacculus modò, & pera, ſed gladius etiam videri poſſet neceſſarius. Nihil ergo vobis (ait Chriſtus) tum defuit, cùm miſi vos ſine ſacculo, ac ſine pera: at nunc longè aliter res habebit. Etenim ne benè nummati quidem, aut armis circumſepti, me ab hoſtium manibus eripietis, & veſtræ ſaluti abundè conſuletis. Ac non præcepiſſe quidem Chriſtum vſum gladij, apertè illa indicant, quæ non ita multò pòſt conſecuta ſunt; cùm videlicet Petri in milites gladio irruentis impetum repreſſit. Sanè hæc ſententia meritò placuit Chryſoſtomo, [a] & Theophylacto, [b] qui hanc totam orationem metaphoricam eſſe affirmant, & ad imminentis periculi magnitudinem, & futurorum temporum calamitatem declarandam referri. Quod verò vterque alibi ſignificet, priſtinum illud præceptum fuiſſe antiquatum, bonam in partem accipiendum eſt, vt id tantùm indicent, etiam ſi primo intuitu duo illa præcepta pugnare viderentur inter ſeſe, vtrumque tamen vtrique tempori fuiſſe peropportunum. Quòd ſi quiſpiam percunctetur, qua ratione Apoſtoli duos tùm gladios habuerint, qui iuſſi fuerant virga, & baculo abſtinere; cum Chryſoſtomo reſpondere facilè poſſumus, ad agnum paſchalem immolandum eorum fuiſſe vſum neceſſarium. Illud certè leuiuſculum videtur de amplo Apoſtolorum viatico, quod nonnulli tamen ex Philippi oratione apud Ioannem [c] obiiciunt. *Ducentorum* (ait) *denariorum panes non ſufficiant.* Habet enim facilem, & expeditam reſponſionem; non id dixiſſe Philippum, quaſi ducentos ipſi denarios poſſiderent, ſed id affirmaſſe modò, quod verum erat, vix ea pecuniæ ſumma idoneum commeatum comparari poſſe, tantum abeſſe vt ipſi rerum omnium egentiſſimi, tam multa hominum milia in illa præſertim ſolitudine alere poſſent.

[h [illegible]] [i Luc. 22.] [a Hom. 85. in Matt.] [b Luc. 22.] [c cap. 6. 7.]

Verum illud permultos mouet, quòd Iudas loculos [d] habebat, & diſcipuli aliquando [e] in vrbem profecti ſunt, vt magiſtro, totique collegio cibos coëmerent, neceſſe vt ſit crumenam in Apoſtolico collegio admittere. Neque verò iis conſtitutis, quæ ſuprà probata ſunt, quæque paupertatis vis, ac natura poſtulat facilè explicari poteſt, quiſnam eorum, quæ Apoſtolicâ communi illâ crumenâ conſeruabant, dominium obtineret. Quod enim attinet ad Chriſtum, certum eſt, illum ſupremum illud dominium retinuiſſe, quod ipſi tanquàm Deo naturaliter ineſt. Itemque illud, quod eidem tamquàm homini vi vnionis hypoſtaticæ iure debetur: quod quidem diuinioris, ac præſtantioris cuiuſdam ordinis eſt, & cum diuina Chriſti perſona, & hypoſtatica vnione ita neceſſariò coniunctum, vt ab illa diuelli, ſeparar've non queat: cuius vis, atque poteſtas ita ampla, latéque patens erat, vt infra Deum omnia creata complecteretur, & ab humano dominio ſiue principum, ſiue cæterorũ ipſo quodammodo genere diſtingueretur. Cæterùm, quod ad humanum rerum corporearum dominium ſpectat, etiam Chriſtum paupertatem coluiſſe, & quod ad humanam naturam attinet, humano ſeſe rerum dominio abdicaſſe, ſuprà probatum eſt. Iam Apoſtolico collegio inſtituto, cui Chriſtus multis nominibus præerat, non mihi facilè perſuaſerim, quidquid aliqui contrà diſputent, ex Chriſto tamquàm capite, & Apoſtolorum cœtu tamquàm corpore, quamdam veluti rempublicam coaluiſſe ad eum modum, quo capitulum cum Epiſcopo, vel Monaſterium cum Abbate, vel vniuerſus religionis ordo cum ſuo capite comparatur: non modò quia Apoſtoli in Chriſtum Dominum ius nullum habere poterant; quod in aliquot exemplis allatis cernitur ſecus; ſed etiam quia Chriſtus ipſe, nullo cum Apoſtolorum collegio æquo iure comprehendebatur. Suberant enim Apoſtoli multò magis Chriſto, quàm Romano Pontifici Cardinales, reliqui Præſules, aut etiam omnes fideles, eique vel tamquam ſerui, ſeu famuli, vel certè tamquàm filijfamil[illegible] ptimo parenti ſubiiciebantur.

XXV. [d Ioan. 12. 6.] [e Ioan. 4. 8.]

Quid

Digitized by Google

Quidquid igitur collegium illud, aut acquireret, aut aliqua ratione poſſideret, non communi iure pertinebat ad vniuerſos, ſed ab vnius Chriſti imperio, nutúque pendebat. Nam ſi (vt ſuprà oſtenſum eſt) priuatim Apoſtoli nihil ſibi reſeruarant, ſed omnium rerum cura, & ſolicitudine ſpoliati, ſeſe penitus Chriſti prouidentiæ commiſerant; cùm illi, relictis omnibus, adhæſiſſent; ad illius paupertatis integritatem, ac perfectionem maximè pertinere videbatur, vt non modò rerum vſu, qui poteſt cum paupertate conſiſtere, ſed maximè dominio, & proprietate priuatim ſinguli carerent: vniuerſim verò niſi vnum veluti corpus conficerent, commune dominium habere nequaquàm poterant. Non eo inficias ea, quæ Chriſto, ſiue à fidelibus, ac piis mulieribus, ſiue ab aliis liberaliter tribuebantur, & communi omnium vſui, & ſingulorum neceſſitatibus ſubleuandis fuiſſe ab ipſo Chriſto deſtinata: ſed illa ſiue ipſo vſu aſſumerentur, ſiue diutiùs perſiſterent, erant huiuſmodi, vt ad vnum Chriſti dominium pertinerent, atque ex iis ad Apoſtolos præter vſum, quem vocant facti, quidquam auertere nefas eſſet. Quocirca in iis quidem, quæ vſu abſumuntur, ſiue vſum à dominio diſtinguas, ſiue ſecus, ita prorſus ſentiendum videtur, cuiuſcumque dominio adſcribantur, eorum Apoſtolos ſigillatim, & collegium Apoſtolicum vniuerſim dominio caruiſſe. Quod multò magis de iis exiſtimandum eſt, quæ vna cum vſu perſeuerant.

XXVI. At de ſingulis quidem Apoſtolis plura dicenda non ſunt, quàm quæ ſuprà diſputata ſunt à nobis, cùm de Apoſtolorum vocatione diſſeruimus. De Apoſtolico verò collegio, quod plerique negant, facilè oſtendi poteſt. nam ſi (quod paulò antè diximus) Apoſtoli collati cum Chriſto nullam conſtituunt politicam coniunctionem, cùm conſtet ex iis vnum conflari collegium, neceſſe erit, vt minimum œconomico iure eorũ cõiunctionem cõſtare. Ius autem œconomicum poſtulat, vt penes fratrem familias, nullo autem modo penes ipſam familiam, rerum familiarium dominium collocetur. At faciunt politicum quoddam corpus, & veluti nonnullam Reipublicæ formam: audio; ſed ſciſcitari libet, num id intelligendum ſit ſecluſo Chriſto, an verò ad eam rempublicam Chriſtus ipſe aliqua ratione pertinere cenſeatur. Vtrum enim dixeris, vlcus eſt. Duodecim quidem Apoſtoli nequaquàm in vnam communis vitæ ſocietatem coire, & vnum quaſi ſenatum ex omnibus conflare, niſi communi quodam conſenſu & conſpiratione potuerunt. At quando, aut quo tandem id modo factum putabimus? Certè non omnes ſimul Chriſto nomina dederũt, nec quiſquã deinceps Apoſtolorum ſuffragio in collegium eſt cooptatus; ſed alij alio tempore à Chriſto in diſciplinam ſuſcepti vno omnes, eodémque fermè temporis puncto Apoſtoli ſunt renuntiati. Vbi (quæſo) rogatio ſingulorum? Vbi ſuffragiorum diſtributio? Quibus legibus tam auguſta Reſpublica eſt inſtituta? Sapienter profectò, ac verè ab Ariſtotele[a] conſtitutum eſt, omnem inter homines principatum vel natura, vel hominum voluntate conſtare. Ac natura quidem fœminas viris, liberos parentibus ſubdidit; cæteros quicquid ille contrà nitatur, & diſputet, ſui omnes iuris, omníque imperio ſolutos procreauit: Hominum verò voluntate, imperia, regna, & multiplices Reipublicæ formæ, vt cuique collibuiſſet conſtitutæ ſunt.

a 1.Polit.ca.8.

XXVII. Iam verò Apoſtolos multis fuiſſe nominibus Chriſto Deo ſubiectos, nemo inficiabitur: ſed hac quidem ratione nullam Reipublicæ formam conſtituunt, præter eam, qua cuncti mortales naturæ ſocietate copulantur: ſponte deinde ſua illi ſeſe ſubiecerãt, tum quia eius fidem complexi erant, tum quia eandem vitæ rationem adamarant: unde mutua quædam exiſtebat vitæ, officiorúmque coniunctio, qualis inter omnes fideles, inter commilitones, inter condiſcipulos, & fortè etiam inter ſenatores ſub vno principe intercedit. Sed ſi ſpectemus Chriſtum tanquàm hominem, neſcio, vtrum inter illum, & Apoſtolos iura illa, & fœdera conſtent, quæ inter principem, ac populares ſanciuntur. Verentur Apoſtoli Chriſtum Dominum tanquàm ſalutis auctorem, veritatis magiſtrum, nouæ vitæ inſtitutorem, denique Deum immortalem, à quo bona ſperant ſempiterna; humanum in eo dominium ab hominum voluntate profectum, nullum agnoſcũt; neque ab eo principis iura repoſcunt; nec Chriſtus dominatum vllum perſimilem exercuit, qui venerat (vt ipſe ait) *non miniſtrari*[a], *ſed miniſtrare*, & inter Apoſtolos ſemper vixit tanquàm eorum miniſter. At fuit Apoſtolici ſenatus verè princeps. communi ne Apoſtolorum ſuffragio electus? At negat ſe ab Apoſtolis electum. *Non*[b] *vos* (inquit) *me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Sed voluit ei collegio præcipuo quodam, ac ſingulari iure præeſſe, & ad eam veluti rempublicam pertinere.

a Matt.20.28

b Ioan.15.16.

XXVIII. Qvid autem mirum, ſi is, qui hominum cauſa mortalis inter homines eſſe voluit, de ſua veluti dignitate detrahi, & quaſi decidi paſſus eſt, & in mortalium ordinem quodammodo redactus æquo voluit cum Apoſtolis iure comprehēdi? ſi facti quæſtio eſſet, equidem facilè admitterem, ſi is, qui Virginis, ac Ioſephi imperio, ac voluntati ſeſe ſponte ſubiecerat, Apoſtolorum collegio non ſua, qua cunctis præeſt maieſtate, ſed æquo penè iure ad principatum vocatus præfuiſſet; eius diuinitate indignum nequaquã videri. Sed cùm de iure ipſo, déque Chriſti auctoritate diſputetur, quis ferat eum, qui Dei filium, quaſi capite diminutum, ac penè dixerim, exauctoratum, diſcipulorum ſuorum voluntate, & conſenſione dominij iura percipere contendat? Etenim circumſcripto ſummo illo dominio, quod ita proprium eſt Dei, vt diuinitatis amplitudinem penitus hauriat, & cum ea vltrò, citróque commeet: itémque illo, quod hypoſtaticæ vnionis reſpectu Chriſto tribuitur; ille, qui cùm eſſet diues, pro nobis factus eſt egenus, rerum omnium non modò vſum maxima ex parte abiecit; ſed humanum etiam dominium vel penitus repudiauit, vel vltrò certè ſibi delatum non admiſit. Itaque apud Ioannem[c] cùm cognouiſſet *quia venturi erant, vt facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus.* Quòd ſi Iudæorum gentem Regis nomine ſub imperium accipere recuſauit, quod ad hominum ſalutem procurandam ſceptrum, ac diadema nihil opis allatura viderentur: quid (quæſo) momenti ad hominum calamitatem reparandam habiturum erat pauciſſimarum, minimarúmque rerum dominium à duodecimuiris, & quidem piſcatoribus, & egentibus mendicatum? Mendicatum autem meritò dominium illud eſſe dixerim, quod neque diuinæ hypoſtaſi ſuapte natura ineſt, neque vnionem hypoſtaticam neceſſariò comitatur, & (quod caput eſt) vel cum aliis æquo penè iure communicandum eſt, vel ab aliorum voluntate, conſenſúque poſtulandum. Si quid enim inerat in collegio Apoſtolico dominium Chriſto, Apoſtoliſque commune; vt neque in Chriſto ab Apoſtolis ſeiuncto, neque ſeorſim in Apoſtolis, ſed in tota illa quaſi republica ſub Chriſto capite hæreſet, vnum certè ex tribus fateri neceſſe eſt, vel Apoſtolos nonnihil Chriſto contuliſſe, vel ipſos ab illo aliquid accepiſſe, vel denique vtriſque ex mutua

c cap 6.15.

con

coniunctione, quidquid illud tandem erat, aceeſſiſſe. At ſi Chriſtus, quà homo pauper fuit, vt reuera fuiſſe, probatum eſt ſuprà; humano rerum dominio ſuo priuatim nomine caruiſſe dicendus eſt, quod vnum maximè paupertati repugnat. quo fit, vt quà pauper, ac bonorum omnium humano dominio carens, ne aliis quidem tribuere potuerit dominium, quo ipſe carebat. Nam Apoſtoli quidem, qui cuncta pro Chriſto deſeruerant, etiamſi totius collegij nomine eorum, quæ mendicando comparabant, vel quæ ſibi ſponte tribuebantur, nonnullum conſequi dominium potuiſſent, hoc tamen qualecumque tandem illud eſſet cum eo, qui ad ipſorum ſocietatem æquo iure non pertineret, ſalua paupertatis lege, communicare nullo modo poterant.

XXIX. Porro Chriſtus ad illam Apoſtolici collegij ſocietatem, nullo æqoo iure ſpectare potuit, ſed nobiliori, & excellentiori quadam ratione, quia Deus erat, rerum omnium Dominus, & humanæ vindex libertatis, omniúmque ſalutis auctor, cui non modò mortales, ſed ipſæ etiam beatæ mentes tamquàm ſupremo principi, meritò ſubiiciuntur. Hoc autem modo *quis* [a] *prior dedit illi, & retribuetur ei*, cùm illa, quæ de mano ipſius accepimus, nó tam ſponte danda, quàm neceſſariò reſtituenda ſint? Quòd ſi Chriſtus non humano ſuffragio, ſed diuino planè conſilio, atque decreto, & Eccleſiæ vniuerſæ caput, & Apoſtolorum Magiſter, illiúſque Apoſtolici ſenatus princeps conſtitutus eſt, vt rudes, & imperitos diuinis myſteriis imbueret, atque ad omnia quamuis dura, & aſpera, pro ſui nominis gloria fortiter toleranda erigeret, & confirmaret, non ille humano viliſſimarum præſertim rerum dominio auctus eſt, ſed ſuis illos diuinis planè, immenſíſque bonorum theſauris locupletauit. Itaque ſic tandem ſtatuo, collegiom Apoſtolicum nullius penitus rei dominium habuiſſe, quod non primario ipſi Chriſto cóueniret, quod non aliter in Apoſtolos, quàm vt futuræ Eccleſiæ principes deſignatos, ipſius duntaxat Eccleſiæ reſpectu redundaret, vt hoc veluti exemplo futuri Eccleſiæ antiſtites intelligerent, oon ſe rerum Eccleſiaſticarum dominos, ſed vtiles duntaxat adminiſtratores diuinitus eſſe conſtitutos. Videant igitur viri docti, qua ratione collegio Apoſtolico humanum aliquod dominium vniuerſim tribuendum putent. Nam ſi dominium iis in rebus, quæ ipſo vſu pereunt, ab earum vſu diſtinguitur, vſum quidem liberum probant, dominium nó probant: quòd ſi dominium aliquod admittendum ſit, totum illud erat penes Chriſtum, tamquàm patremfamilias, ad quem ſpectat domeſticorum cura, & prouidentia. Neque hoc dominium, quod publico veluti nomine retinetur, paupertati repugnat, quam Chriſtus tamquàm priuata perſona perfectiſſimè profitebatur. nó enim priuatim ac propriè ius vllum tribuit Chriſto, ſed communi tantùm nomine, ac fortaſſe etiam diuino, cùm ea, quæ Apoſtolico collegio obuenirent, in Dei poteſtatem peculiari quadam ratione tranſirent, eo prorſus modo, quo in dominium, ac proprietatem Chriſti tranſeunt ea, quæ Eccleſiæ conceduntur. Itaque hac ratione intelligo quæ de Chriſti dominio in communi à Ioãne Pontifice definita ſunt. Illud profectò certa, & luculenta ratione concluditur, Apoſtolicæ paupertati minimè repugnare, ſi qua communi vſui deſtinata in futuram neceſſitatem, præcipuè verò ad alendos pauperes aſſeruentur.

XXX. Quæ ſi vera ſunt, vt profectò maximè videntur, cur peram, aut ſacculum ferri, vel comparari vetat, qui loculos permiſit? Si eorum nobis probaretur ſententia, qui præceptum [b] illud præſenti tantùm tempori, & profectioni accommodatum fuiſſe affirmant, facilis, atque expedita reſponſio eſſet, poſt illud tempus aliam fuiſſe viuendi initam rationem: ſed quoniam nobis integrum non eſt, quod paulò antè reſecimus rurſum reuocare, alia occurrendum eſt via. Aiunt ætatis noſtræ Catones, non auri, argétive vſum, ſed nimiam earum rerum curam, ac ſolicitudinem Apoſtolis interdici. Si negent rerum abdicationem, & Euangelicam paupertatem ad perfectam, imprimíſque Apoſtolicam vitæ inſtitutionem pertinere, omnino malè, & cum hæreticis ſentiunt. Sin autem contendant nonnullarum rerum vſum, aut etiam commune quoddam dominium Euangelicæ paupertati non obeſſe; equidem oon reprehendo. Itaq; verba Chriſti apud Matthæum [a] ita accipio, quaſi poſſeſſionem, dominium, & (vt ita dicam) proprietatem rerum prohibeat, non vſum, qui præſenti, aut penè præſenti neceſſitati ſubſeruiat. Obſeruo autem in verbis Chriſti miram quandam, ac planè diuinam amplificationem. *Nolite* (inquit) *poſſidere aurum, neque argentum* contra nimiam quærendæ, augendæque rei cupiditatem. Verùm, ne quis putaret, magnarum tantùm, ac pretioſarum rerum ſtudium damnari, mox ſubdit: *Neque pecuniam in zonis*: quibus verbis ne ære quidem, viliori ſcilicet metallo crumenas implendas docet. atque vt eadem ratione intelligeremus, non aurum, reliquáque metalla ſolùm, ſed omniú planè rerum ſuperfluum commeatum, ac ſupellectilem prohiberi, addit: *Neque peram, neque duas tunicas, neque calceamenta.* At exiguum viaticum, & moderatam comparandi victus curam neque Chriſtus damnauit, & Apoſtoli tamquàm aliquando neceſſariam vſurparunt. Tota igitur Chriſti oratio eo fermè modo explicanda eſt, quo altera eiuſdem alio [b] loco. *Nolite* (inquit) *ſolicitiesſe dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* Item illa: *Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum. craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibi ipſi.* Non omnem (opinor) futurorum promiſſionem reiicit. nam Ioſephi [c] prouidentia laudatur, quæ longiſſimè in multos annos proſpiciebat. Et Salomon [d] quorumdam ſocordiam & negligentiam, formicæ propoſito exemplo perſtringit ac ſtimulat; & Apoſtoli [e] futuræ fami maturè conſulédum céſent. Quòd ſi mihi per æui noſtri cenſores, hæc ſubtiliùs liceat perſcrutari, dicerem Chriſti orationem quæ habetur apud Matthæum [f] ad ſingulos ſpectare, loculos habuiſſe collegium vniuerſum, & quidem penès vnum ad id muneris præcipuè deſtinatum: priuatum verò, ac liberum rerum externarum vſum, curam liberiorem, ſolicitudiné immoderatam, cum Euangelica paupertate non conſiſtere: quod publica cauſa, publica auctoritate, ſaluo, atque integro iure publico vſurpatur, nihil ei officere.

Venio nunc ad poſtremum Apoſtolicæ vitæ ſtatum, quem ſubitò poſt Chriſti in cœlum aſcenſum libet inchoare. Tum enim Chriſtus Apoſtolicum collegium cœtui fidelium ita præfecit, vt in cæteros omnes Apoſtoli imperium exercerent; & ipſi quandam ſenatus ſpeciem referrent, in quo tamen Petrus (vt ſuo loco dicam) haberet principatum. XXXI.

De huius reipublicæ ratione dicam hac ipſa diſputatione [g] ſuo loco: nunc tantùm de genere vitæ pauca ſuperſunt dicenda. Atque ab hoc quidem tempore nemo Catholicus dubitauit vnquàm de Apoſtolorum continentia: ſoli hæretici, qui nihil magis, quàm cælibatum, caſtitatem, ac virginitatem execrantur, Apoſtolos non modò coniugij vinculo adſtringunt, ſed implicant etiam vſu; tam videlicet ab Apoſtolorum mente, vitæque ratione, quàm ab ipſorum ſanctitate remoti. At vel (Paulo [h] teſte) circumducebant Apoſtoli, præſertim fratres Domini, & Cephas,

a Rom. 11. 35.

b Matth. 10. 10.

a cap. 10. 9.

b Matt. 6. 31.

c Gen. 41. 48.

d Prouer. 6. & 10.

e Act. 11. ſub finem.

f cap. 10. 10.

g cap. 8.

h 1. Cor. 9. 5.

phas, mulierem ſororem, ἀδελφὴν γυναῖκα. Negant Catholici, hac ratione dicendi apud Græcos vxorem ſignificari. Eorum ego in oppugnandis hæreticis conatum, & ſtudium magnopere laudo; ſed vereor (quod maximè cuperem) vt eruditionem probare queam. Articulus, inquiunt, addendus fuit, vt vxorem ſignificaret: verùm ſine articulo pro vxore non ſolùm ab idoneis, ſed magnis auctoribus, vt Homero, Euripide, Plutarcho, & alus vſurpatur. Vxorem igitur voluit Paulus ſignificare? Nihil minus; ſed de vi vocis nunc agimus, non de ſententia. Atqui additur ἀδελφὴν, quæ eſt ſoror germana: ineptè autem quis vxorem ſororem germanam appellaret; ſed lego in Cãticis [a] apud Septuaginta, ἀδελφὴ ἡμῶν νύμφη, id eſt; *ſoror noſtra ſponſa*. Et ſi ἀδελφὴ, vt noo raro ἀδελφὸς, adiectiuè accipiatur, ſimilem, atque congruentem ſignificat, quod vxori maximè conuenit. Verùm etſi verba hunc ſenſum poſſunt admittere, non tamen ſententiæ ratio; etenim Græcam vocem γυναῖκα mulierem abſolutè ſignificare ita certum eſt, vt probari non debeat, ita verum, vt oon poſſit negari: ſed hoc admiſſo, cùm etiam conſtet pro vxore poni, vtro ſenſu accipienda ſit, meritò ambigitur. Pro vxore accipiunt hæretici, & inter Catholicos Clemens [b] Alexandrinus. Cæteri pro muliere, vt Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, Ambroſius, & reliqui fermè Latini explanatores; & præterea Tertullianus [c], & Hieronymus [d]. *Nec enim* (ait Tertullianus) *ſi penes Græcos communi vocabulo cenſentur mulieres, & vxores pro conſuetudinis facilitate (cæterùm eſt proprium vocabulum vxorum) ideo Paulum ſic interpretabimur, quaſi demonſtraſſet, vxores Apoſtolos habuiſſe. Si enim de matrimoniis diſputaſſet (quod in ſequentibus facit, vbi magis Apoſtolus aliquod exemplum nominare potuiſſet) rectè videretur dicere: Non enim habemus poteſtatem vxores circumducendi, ſicut cæteri Apoſtoli, & Cephas? At vbi ea ſubiungit, quæ de victuaria exhibitione abſtinentiam eius oſtendunt dicentis: Non enim poteſtatem habemus manducandi, & bibendi; non vxores demonſtrat ab Apoſtolis deductas, quas & qui non habent, poteſtatem tamen manducandi, & bibendi habent; ſed ſimpliciter mulieres, quæ illis eodem inſtituto, quo & Dominum comitantes miniſtrabant*. Hactenus Tertullianus. Neque aliter hunc Apoſtoli locum explicat Auguſtinus [e].

[a] cap. 4. 9.
[b] 3. ſtrom.
[c] lib. de monog.
[d] lib. 1. cont. Iouin.
[e] de oper. Monac. c. 4.

XXXII. VERVM ineptè, aiunt, ſororem mulierem diceret Paulus, ſi nihil præter ſexum ſignificare vellet. Nulla enim ſoror, quæ non etiam fœmina. Argutè, quaſi verò fratres potuerint eſſe aliqui, qui viri non eſſent, atque ob id Petrus [f] viros fratres appellarit. Quòd ſi ille viros fratres appellat fideles, cur cùm Paulus ſororem mulierem nominat, mulierem fidelem interpretari non licet? Et quidem ſi ordine mutato pro ſorore muliere dixiſſet mulierem ſororem, nulla erat dubitandi ratio. Sic enim dicere ſolent Græci, ἄνδρες ἀδελφοί: quo etiam modo ſæpè dicit Lucas, viri fratres. Mitto quod Tertullianus, Ambroſius, Hieronymus numero multitudinis legunt *ſorores mulieres*, vt non poſſint hæc de vxoribus intelligi; niſi Apoſtolos quaſi Patriarcharum veteris teſtamenti potius, quàm Chriſti Domini imitatores faciamus, etiam ſi Deo placet, polygamos. At quæ erat illa poteſtas circumducendi mulieres, ſi non viri in vxorem? Potuit eſſe magiſtri in diſcipulos, ſi poteſtas fœminas ipſas ſpectet: vel certè ad actionem circumducendi referenda eſt, vt ducere poſſent volentes, ac minimè repugnantes: vel denique poteſtas erat à ſponte ſequentibus ad vitam tuendam neceſſaria percipiendi: hoc enim indicant Tertullianus, & alij, quos ſuprà nominaui. At enim ſi id verum ſit, non modò Pauli cauſam non iuuat, ſed multo etiam deteriorem facit. Nam ſi hæ mulieres Apoſtolis neceſſaria ſuppeditabant, non igitur illi (quod tamen ait Paulus) ab iis populis victum quærebant, quibus Euangelium promulgarent. Quòd ſi Paulus hanc conſuetudinem mulieres circumducendi retinuiſſet, non modò Corinthiis non fuiſſet grauis, ſed illos potius ſubleuaſſet: neceſſe planè vt ſit, aliena illum loqui, ſi hæc idcirco ſcribit, vt oſtendat ſe de iure ſuo deceſſiſſe, & Eccleſiis boc nomine peperciſſe.

[f] Act. 2. 26.

QVI hoc argumentum idoneè ſolueret, nemioem legi; pendet enim ex inſtituto Pauli in illo ad Corinthios loco. Dixerat quippe ſuperiori capite, non ſe carnes vllo modo guſtaturum, ſi ex eo quiſquã offendatur: Hac veluti occaſione commotus illis reſpondet, qui non mediocriter mirabantur, quòd Paulus tantus videlicet Apoſtolus manuum opificio vitam toleraret. Oſtendit autem id Apoſtolico muneri, ac functioni nullò pacto repugnare. duabus enim ſe poſſe rationibus præter ſuum artificium ſibi victum parare. Primùm quidem ſi quod alij Apoſtoli faciebant, ne Petro quidem Apoſtolorum principe excluſo, religioſarum mulierum ſumptibus aleretur, quod æquè ſibi, vt Barnabæ, ac reliquis Apoſtolis fas fuiſſet: vt enim ſcribit Hieronymus [a], & poſt illum Beda, tollebat conſuetudo offenſionẽ. At hoc ipſo Paulus abſtinendum cenſuit, ne quis calumniæ pareret locus. Altera deinde occurrebat ratio percipiendi neceſſaria ab iis quibus Dei verbum proponebatur, quæ cùm iure naturæ nititur, tum eſt antiquæ legi Moſis maximè cõſentanea. At enim verò illam Paulus Corinthiorum, ſiue tenuitati, ſiue etiã auaritiæ parcens, penitùs repudiauit. Hoc ſi verũ eſt, fruſtrà laborant ij, qui quærunt quomodo à fœminis alerentur Apoſtoli, ſi ſumptu viuebant eorum, quibus Euangelium prędicabant. nam interdum hac, interdum illa ratione victitabant; vtraque tamen ob ſcandalum ſibi abſtinendum eſſe Paulus exiſtimauit. Quo quidem admiſſo aduerſariorum argumentatio planè concidit. aliò enim pertinet fœminarum mentio, quam illi opinantur, & inſtituto Apoſtolico (vt ſuo loco docui) conſentiunt vniuerſa. Igitur vt eò redeam, vnde me hæreticorum argumenta penè abduxerant, nullus erat inter Apoſtolos coniugij vſus, ſed Hebræorum more à piis, & religioſis fœminis, quæ ipſos ſequebantur magiſtros, neceſſaria vitæ ſubſidia percipiebant. Hunc morem laudabiliter ab Apoſtolis vſurpatum, impio, nefarioque abuſu hæretici peruerterunt, vt multis exemplis Hieronymus [b] confirmat. Qui ex Apoſtolis vxores aliquando duxerant, eas pro ſororibus habuerunt, vt ex iiſdem Pauli verbis Tertullianus [c], & Hieronymus [d] colligunt. XXXIII.

[a] Matth. 19.
[b] Ep. ad Cteſiph.
[c] lib. de monog.
[d] lib. 1. cont. Iouin.

XXXIV. IAM verò paupertatem, quam Deo vouerant, non modò religioſè coluerunt ipſi, ſed ſuo exemplo, atque oratione alios ad eandem vitæ ſocietatem perduxerunt, vt ſcribit Lucas in Actis [e] Apoſtolicis. Ita plerique Apoſtolorum nullo propè cibo famem ſedabant; & Petrus quidem auctore Gregorio [f] Nazianzeoo, lupinis veſcebatur. Iacobum verò, vino & carnibus abſtinuiſſe, apud Euſebium [g] memorat Egeſippus. Clemens [h] denique Alexandrinus narrat, Matthæum nihil, præter ſemina, baccas, & olera, ad cibum adhibuiſſe. Verùm Pauli penula, de qua ille ad Matthæum [i], multis videtur Apoſtolicæ paupertati, quam aſſerimus, non mediocriter repugnare. eſt enim Græcè φαιλόνης ſeu φελώνης ſeu φελόνης: alii φαινόλης aut φαινόλης litterarum traiectione, ac nonnulla etiam mutatione ſuſpicantur viri paupertatis (vt leuiſſimè dicam) minimè ſtudioſi, villoſam,

[e] Act. 4. 32.
[f] Orat. de cura pauper.
[g] lib. 2. hiſt. cap. 22.
[h] lib. 2. pædag. c. 1.
[i] Ep. 2. c. 4.

[illegible] à Paulo veſt[illegible] repeti. Per[illegible] ſecendas, & iti[illegible] vſurpa[illegible] nibu deinde etiam in vrbe [illegible] Alexa[illegible] Romano Princi[illegible] eſt Lampridius, & ab Orato[illegible] ſcriſit Tacit[illegible]s. [b] Quod ſi cum [illegible] videtur, non tam ob violatam [illegible] ob neglectam veſtem itinere [illegible] reprehendendus videretur Apoſtolus. [c] [illegible] detur veſtis, quam vulgò planetam, ſeu [illegible] vocant: alij malum ſcriniolum interpretari. [illegible] [d] loculos intelligit, ſeu thecam ad libros condend[illegible]: Hieronymus [e] volumen Hebræum; [illegible] externo libri velamine accipi, apertam [illegible] H[illegible] tus. Sed quid tandem ſit penula, cum [illegible] paupertate nulla ratione pugnat, vt ex iis, quæ ſuprà diſputata ſunt, apertè colligitur; neque enim quidquam præter neceſſarium vſum quæſiſſe Paulum, aut cæteros Apoſtolos, credendum eſt. Cæterùm rationem vitæ Apoſtolicæ ex contemplatione, & præclara quadam actione permixtam, ac temperatam fuiſſe, tam certum eſt, vt ſit pluſquàm otioſum probare: tam verum, vt ne à proteruis quidem negari, vel diſſimulari queat.

De Priuilegio Sanctitatis Apoſtolicæ.
CAP. V.

SPIRITVVM *ponderator eſt Dominus*, ait [f] Salo[illegible] poteſt quiſquam abſque temeritate de [illegible] gratia, vel ſanctitate iudicare. Verùm quo[illegible] de Apoſtolis cœpimus diſputare, qui, vt in [illegible] ad Romanos [g] ſcripſit Paulus (ita enim locum explicant nonnulli) *primitias ſpiritus acceperunt*; pauca quædam de illorum gratia, & caritate dicenda videntur. Poſſumus autem de re aliis penè dicam intacta triplici ratione diſſerere. Primùm quidem ſimpliciter, atque abſolutè, ſpectata muneris præſtantia, & Apoſtolicarum functionum nobilitate. Deinde habita ratione ſacramentorum, quibus etiam ex opere (quod aiunt) operato, non modica illis gratiæ, & caritatis acceſſio facta eſt. Poſtremò denique aliorum comparatione, qui eximio diuinæ liberalitatis beneficio, egregium aliquem pietatis, & ſanctitatis gradum adepti ſunt.

II. APOSTOLICA porrò dignitas (vt capite ſequenti planiùs oſtendemus) non eximium modò, ſed prorſùs in Eccleſiaſtica hierarchia primum obtinet locum, id quod diſertè affirmant Anſelmus, [h] & B. Thomas: quidquid enim eſt, in Eccleſia magnum, quidquid præſtans, & excellens, quidquid ſingulare, ac propè diuinum: multis partibus Apoſtolico faſtigio cenſetur inferius. refertur namque ad ipſum propè Chriſtum in hominum mentibus procreandum, vt quotquot Chriſti fidem complexi ſunt, Apoſtolos quaſi parentes, & ſpiritales progenitores agnoſcant. Itaque iure optimo Auguſtinus quod olim à Dauide [i] pronunciatum eſt. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos principes ſuper omnem terram*, ad Apoſtolos Eccleſiarum magiſtros transfert, qui (vt ait [k] Paulus) filios parturiunt, ac pariunt donec in eis Chriſtus efformetur. Atque vt hinc potiſſimùm exordiar, hoc inter diuina, humanáque conſilia maximè intereſt; quòd Deus immortalis nulla in hominibus ſpectata ſiue facultate, ſiue aptitudine, quos ad finem aliquem deſtinat, ita illos vi ſua fingit, atque efformat vt ad eum finem aſſequendum, quàm maximè idonei diuino quaſi opificio reddantur: at contrà quia (vt ait [l] Sapiens) *timidæ ſunt cogitationes mortalium, & incertæ prouidentiæ noſtræ*; hominum conſilia ita certum finem aliquem

A ſpectant, vt ad eum capeſſendum aptiſſimos perquirere, atque eligere compellantur. Ita ſapi[illegible]ter obſeruauit [a] Auguſtinus, non temerè dixiſſe [b] Paulum: *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius in caritate. Non ergo* (ait Auguſtinus) *quia futuri eramus, ſed vt eſſemus. Nempe certum eſt, nempe manifeſtum eſt, ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipſe prædeſtinans, vt tales per gratiam eius eſſemus.* Et paucis interiectis: *Elegit ergo nos Deus ante mundi conſtitutionem, prædeſtinans nos in adoptionem Filiorum, non quia per nos ſancti, & immaculati futuri eramus, ſed elegit, prædeſtinauitque vt eſſemus.*

III. QVANQVAM autem hæc propriè ſpectant ad diuinam prædeſtinationem, qua ante omnem æternitatem ad gratiam, & gloriam prædeſtinantur

B electi, tamen id etiam ſuo modo de aliis omnibus electionibus ſentiendum eſt, quibus ad actiones aliquas præclaras nonnulli deſtinantur. Ita Chriſtus ſuos apud Ioannem [c] Apoſtolos affatur: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* Quaſi dicat, ad hoc perficiendum ego vos aptaui, vos ego inſtruxi, aptóſque reddidi, qui perennem illum fructum, quem à vobis expetebam, in cæleſtia horrea perferre poſſetis. Id quàm plurimis ſacrarum litterarum exemplis, ac teſtimoniis confirmari poteſt. Cùm enim Moyſes [d] ad ſingularem quandam legationem delectus eſſet à Deo, & cunctabundus tergiuerſaretur, ſuámque infantiam, atque imperitiam

C obtenderet, diuino illicò reſponſo hunc in modum caſtigatur. *Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus eſt mutum, & ſurdum, videntem & cæcum? Nónne ego? Perge igitur, & ego ero in ore tuo, docebóque te quid loquaris.* Quo loco rectè Origenes: [e] *Audi* (inquit) *quàm opimis, magnificiſque muneribus. Ego* (inquit) *aperiam os tuum, & inſtruam te quæ oporteat te loqui. Beati ſunt quorum Deus os aperit, vt loquantur. Prophetis Deus aperit os, & replet illud eloquio ſuo, ſicut in præſenti dicit, &c. Sed & per Dauid dicit Deus: Dilata os tuum, & replebo illud. Similiter & Paulus dicit: Vt detur mihi ſermo in adapertionem oris mei.* Et quidem Chriſtus ipſe apertiſſimè id ſuis Apoſtolis declarauit, cùm dixit: [f] *Nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini. dabitur enim vobis in illa hora quid lo-*

D *quamini. non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Quocirca rectè Theodoretus [g] hoc ait ad diuinam potentiam illuſtrandam maximè pertinere. *Quemadmodum enim piſcatores, publicanos, & cerdones veritatis prædicatores, & doctores pietatis creauit; ſic per vocem infirmam, & linguā tardam confudit ſapientes Ægypti.* Acutè verò Auguſtinus [h] obſeruauit, nō malè exiſtimaſſe Moyſem poſſe ſe Dei voluntate ſubitò fieri eloquentem. Quod multò apertiùs Ieremiæ [i] exemplo cognoſcitur. cùm enim ille puſionem ſe, miniméque ad loquendum idoneum diceret, diuinitùs illi reſponſum eſt. *Noli dicere, puer ſum, quoniam ad omnia quæ mittam te ibis: & vniuerſa quæcumque mandauero tibi, loqueris. Ne timeas à facie eorum, quia ego tecum ſum, vt*

E *eruam te, dicit Dominus.* Hanc verò tam magnificam pollicitationem, res ipſa continuò ſubſecuta eſt. Subdit enim: *Et miſit Dominus manum ſuam, & tetigit os meum, & dixit Dominus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo; ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna; vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.* Etenim (vt monet Origenes [k]) diuinæ prouidentiæ vis neque ætate, neque imbecillitate naturæ impediri poteſt. Quocirca quicumque ad eximias, & præclaras actiones deſtinatur à Deo, ſecurus obtemperet. quidquid enim ſibi deeſſe

[a] lib. de Præd. Sanct. cap. 18.
[b] ad Eph. 1. 4.
[c] cap. 15. 16.
[d] Ex. 4. 11.
[e] Hom. 3. in Exod.
[f] Matt. 10. 19.
[g] Quæſt. 11. in Exod.
[h] Quæſt. 7. in Exod.
[i] cap. 1. 7. 9.
[k] Hom. in Ierem. 1.

de eſſe intelligi, ope, præſidioque diuino conſequetur. Vt enim ait Theodoretus;[a] *quod Moſi, & Ieremiæ olim pollicitus eſt Deus, ſuis etiam promiſit, réque ipſa præſtitit Apoſtolis. Eandem* (inquit) *ſacris Apoſtolis pollicitationem dedit ratam, ac firmam, quos cùm iuſſiſſet docere omnes gentes, proſpiciens quomodo vndecim & pauperes, & facultate dicendi deſtituti, vniuerſam terram peragrarent, ambiguitatem ſoluit, excuſſitque timore dixit: Ecce vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi.*

a Ierem. 1.

VI. CVM igitur, vt Chriſtus ipſe ait, mitterentur Apoſtoli *tanquam oues inter lupos*, neceſſe fuit eos diuinæ gratiæ præſidio ita firmari, atque inſtrui, non modò vt ipſi non læderentur; ſed vt eos, quos acerrimos habituri erant, aduerſarios ſuperare poſſent. Id verò, (vt obſeruarunt Chryſoſtomus,[b] Auctor[c] imperfecti, Theophylactus,[d] Euthymius) ipſis Chriſti verbis non obſcurè ſignificatur. *Ecce ego* (inquit) *mitto vos*. qui videlicet ex omnibus vos periculis facilè eruere poſſum. *ſufficiat* (inquit Chryſoſtomus) *hoc vobis ad omnem conſolationem: ſatis ſit ad confidendum, nec quemquam metuendum eorum, qui in vos ipſos irruat*. Paulò pòſt: *Nolite animo eſſe deiecto: mittenti mihi credite hac re præcipuè inuictos vos eſſe futuros.*

b Hom. 34. in Matth.
c Hom. 24.
d Matth. 10. 16.

V. QVAMOBREM cùm futuri eſſent Apoſtoli malis omnibus vndique circumdati, neceſſe fuit vi & poteſtate gratiæ muniri, vt impetum irruentium calamitatum forti, & conſtanti animo exciperent, idque omninò re ipſa perficeretur, quod olim à Dauide[c] pronuntiatum erat. *Ipſe liberabit te de laqueo venantium, & à verbo aſpero: ſcapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis eius ſperabis: ſcuto circumdabit te veritas eius. non timebis à timore nocturno: A ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu, & dæmonio meridiano: Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit*. Quo loco egregiè Bernardus.[f] *Videte* (inquit) *primitiuam Eccleſiam ſi non primo perturbata eſt acriter nimis à timore nocturno; erat enim nox quando omnis, qui interficeret ſanctos, arbitrabatur obſequium ſe præſtare Deo. Hac autem tentatione deuicta, & ſedata tempeſtate, inclyta facta eſt. & iuxta promiſſionem ad ſe factam in breui poſita in ſuperbiam*[g] *ſeculorum; & dolens inimicus quod fruſtratus eſſet à timore nocturno, conuertit ſe callidè ad ſagittam volantem in die, & vulnerauit in ea quoſdam de Eccleſia, & reſurrexerunt homines vani, cupidi gloriæ, & voluerunt ſibi facere nomen, & exeuntes de Eccleſia diu eamdem matrem ſuam afflixerunt in diuerſis, & peruerſis dogmatibus. Sed hæc quoque peſtis depulſa eſt in ſapientia ſanctorum. ſicut & prima in patientia martyrum*. Multa deinde ſcribit de negotio perambulante in tenebris, hoc eſt hypocriſi, atque ambitu. Denique de incurſu, & dæmonio meridiano, hoc eſt, Antichriſto; quæ nimis longum eſſet recenſere. Contra has penè omnes, aliaſque permultas oppugnationes apoſtolica pectora firmanda, atque armanda erant: idque non alio, quàm diuinæ gratiæ munimēto, de quo apud Paulum[h] Chriſtus ipſe: *ſufficit* (inquit) *tibi gratia mea. nam virtus in infirmitate perficitur*. Et de vna quidem vrbe Roma, quam Principes Apoſtolorum Petrus, & Paulus præcipuo quodam ſtudio excolendam, atque inſtituendam ſuſceperunt, & diſertè, & copioſè ſcriptum eſt à Leone[i] Pontifice. *Hic* (ait) *conculcandæ philoſophiæ opiniones, hic diſſoluendæ erant terrenæ ſapientiæ vanitates, hic confutandi Dæmonum cultus, hic omnium ſacrilegiorum impietas deſtruenda. vbi diligentiſſima ſuperſtitione habebatur collectum quidquid vſquam fuerat vanis erroribus inſtitutum*. In domino quidem gloriabatur Paulus; ſed quidquid à ſe ſiue infideli-

c Pſal. 90. 3.
f Serm. 33. Cant.
g Iſai. 60. 15.
h 2. ad Cor. 12. 9.
i Serm. 1. de ss. Ap. Pet. & Paul.

bus ad fidem traducendis, ſiue [illegible] caſtra reuocandis, ſiue perditis [illegible] nibus in re[illegible] in virtutis viam [illegible] aliquando fuerat, vni gratiæ Dei acce[illegible] dum eſſe affirmat, cùm dixit: *Gratia Dei ſum* [illegible] *ſum*. Et, *gratia eius in me vacua non fuit*. Et, *non ego, ſed gratia Dei mecum*. Vnus profectò Paulus Apoſtolus eximius, vt ait Auguſtinus, gratiæ prædicator, ſuo exemplo docet, neque tam multa, neque tanto cum animi ardore, in tanta præſertim, & naturæ, & conditionis imbecillitate, abſque ingenti diuinæ gratiæ adiumento perfici potuiſſe. Quamobrem ſi Apoſtoli in re Chriſtiana benè gerenda, religione inſtituenda, fide firmanda, primas inter omnes ſecundum Chriſtum, eiúſque beatiſſimam Matrem obtinent, neceſſe profectò eſt, eos cæteris, qui deinceps conſecuti ſunt, gratiæ magnitudine, atque præſtantia fuiſſe ſuperiores.

VI. AT gratiæ, quas vocant gratis datas, ea omnia abſque gratia iuſtificante, & caritate præſtare potuiſſent. multi enim aliquando Chriſto dicturi ſunt, *in nomine*[a] *tuo prophetauimus, & virtutes multas fecimus*, cùm tamen audituri ſint ſe prorſus à Deo, eiuſque amicitia fuiſſe alienos. Et profectò negari non poteſt, nihil eſſe tam ſanctum, nihil in actionibus externis tam glorioſum, quin aliter fieri queat, quàm Chriſtiana pietas, & diuina caritas præſcribat. Sed nego quæ ab Apoſtolis rebus aduerſis forti, & conſtanti animo perferendis, probris, & contumeliis tolerandis, voluptatibus aſpernandis, diuitiis, atque honoribus contemnendis, innumerabilibus denique pro fide, pro religione, pro Chriſto laboribus exantlandis, geſta ſunt abſque iuſtificante gratia, & caritate, & quidem maxima peragi, ac perfici potuiſſe. Quocirca verè omnino, ac ſapienter doctiſſimi Theologi tradiderunt, Apoſtolicum ordinem in genere gratiæ poſt Chriſtum, & beatiſſimam Virginē ſupremum in Eccleſia locum obtinere. Atque ita Apoſtoli orbis terræ magiſtri, Eccleſiæ fundamenta, principes populorum, ſal terræ, lux mundi, Cœli ianitores[c], legis Euangelicæ promulgatores, fidei ſatores, credentium denique parentes meritò nuncupantur; de quibus rectè Iuſtinus[b] martyr: *Duodecim tintinnabula è ſtola Pontificis dependentia iuxta præſcriptum ſignificabant duodecim Apoſtolos pendentes à potentia Chriſti æterni ſacerdotis, per quorum voces totus mundus gloria, gratiáque Dei, ac Chriſti repletus eſt; propterea Dauid dicit: In omnem terram exiuit ſonus eorum*. Et Chryſoſtomus:[c] *Peragrarunt piſcatores orbem terrarum, & infirmum eum inuenientes ad ſanitatem reduxerunt; & in ruina poſitum ad ſtabilitatem reuocarunt, non ſcuta mouentes, non arcus tendentes, non ſagittas mittentes, non pecunias largientes, non eloquentia confidētes: Erāt nudi quidem ſæculo, ſed induti Chriſtum; pauperes, ſed diuites: pecunia indigentes, ſed regnum cœlorum poſſidentes; non habentes humana ſolatia, habentes autem Dominum ſuum*. Et Auguſtinus.[d] *Ne qualibet* (ait) *perſona gloriaretur in carne, infirmos elegit Chriſtus. elegit enim poſtea oratores, ſed illi ſuperbirent, niſi priùs eligeret piſcatores: elegit diuites; ſed dicerent merito diuitiarum ſuarum ſe electos, niſi primò elegiſſet pauperes: elegit Imperatores poſtea, ſed melius eſt vt Romam cùm venerit Imperator depoſito diademate, ploret ad memoriam piſcatoris; quàm vt piſcator ploret ad memoriam Imperatoris. Infirma enim mūdi, & contemptibilia elegit Deus, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius*. Hæc igitur tam ampla, támque magnifica Apoſtolorum præconia eximiam quandam, ac ſingularem gratiæ præſtantiam; ac ſanctitatis magnitudinem indicant.

a Matt. 7.
b Dial. cum Tryph.
c Hom. [illegible] Teatr.
d In Pſ. 65.

VII. QVOD ſi de ſacramentorum vſu loquendum ſit, certum

[illegible], & conſtitutum eſſe debet, Apo[illegible] baptiſmo ſui [illegible] expiatos, vt ex Euthy[illegible] [illegible] apud Nicephorum [b] perſpicuè [illegible] pro[illegible] enim Apoſtolicis tẽporibus [illegible] tradiderunt, Virginem Matrem, & Petrũ [illegible] orum principem, ab ipſo Chriſto aqua ba[illegible] ſui illuſtratos, cæteros verò Apoſtolos eiuſ[illegible] cœleſtis muneris Petri opera factos fuiſſe par[illegible]pes. Itaque quidquid diuinæ gratiæ, cuius ſacra[illegible] mentum vi [illegible] poteſtate tribuitur, procul dubio Apoſtolis omnibus cumulatiſſimè conceſſum eſt. Addo Euchariſtiæ ſacramentum, cuius ſub mortem Chriſti Iudam proditorem ſemper excipio, qui ſuo ingenti malo myſteriorum factus eſt particeps) magno cum fructu, & gratiæ incremento & rem, & ſacramentum perceperunt. Neque verò prætereundum eſt ordinis ſacramentum, quo in extrema Chriſti cœna tum demum Presbyteri, ſeu ſacerdotes initiati ſunt, cùm Chriſtus verba illa pronuntiauit: *Hoc* [c] *facite in meam commemorationem.* Poſt reditum verò Chriſti ad ſuperos, Epiſcopi renuntiati ſunt, tùm videlicet cùm Chriſtus protulit verba illa: *Euntes* [d] *in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ:* Vel alio certè tempore, ac modo, vt ſuo loco paulò poſt planiùs docebo. Vtrum autem aliquid [illegible] hoc poſtrema initiatione ex opere gratiæ, & cari[illegible]tulerit, viderint ij, qui de Epiſcopatus ordi[illegible]antur. His omnibus addo confirmatio[illegible]ntum, cuius fructum, atque vtilitatem [illegible] dam modo ipſo die Pentecoſtes, vt fi[illegible], & conſtanter profiterentur abſque [illegible], & materiato ſigno, & ſacramenti mini[illegible] ceperunt. Tum verò plena (quod aiunt) [illegible] Deus immortalis cœleſtibus illos muneribus expleuit, & diuinæ gratiæ præſidiis firmauit, vt [illegible]ceps ſalua, atque integra libertate lethaliter peccare non potuerint, quod planiùs infra conſta[illegible], cùm de Apoſtolorum ſanctitate, beatiſſimæ Virginis, ac Ioannis Baptiſtæ comparatione diſſeremus. Interim illud poſſumus affirmare, Apoſtolorum gratiam, & caritatem fuiſſe tantam, quantam nemo poſt illos aſſecutus eſt, & fortaſſe etiam vllo vnquam tempore aſſequetur. Id enim munus Apoſtolicum ſuo quodam iure poſtulabat, quo Eccleſiæ fundamenta, & totius orbis terræ principes, ac paſtores, vt dignitate, atque officio, ita etiam gratia, & ſanctitate cæteris omnibus antecellerent.

VIII. QVOD ſi libeat Apoſtolos cum aliis ſanctis conferre, non equidem dubito, omnibus illos Patriarchis, & Prophetis, vno verbo ſanctis omnibus, beatiſſima Virgine, ac Ioanne Baptiſta exceptis, longo interuallo anteferre. Atque vt hinc potiſſimùm exordiar, eorum mihi nullo modo ferenda videtur audacia, qui dum Chriſti in nos, qui illum conſecuti ſumus, beneficium extollunt, priſcos illos veteris teſtamenti ſanctos à gratiæ, & caritatis perfectione penitus excludunt. Ita his nouis magiſtris negabimus, Abrahamum fuiſſe perfectum, negabimus, Iobum, Ieremiam, Tobiam, Danielem, Zachariam, atque eiuſdem generis plurimos, quorum ſingularis, atque eximia ſanctitas & in ſacris literis celebratur, & à ſanctis patribus ſupra humanam fidem prædicatur, atque extollitur. Sed fuerint ſanè illi omni virtutum genere cumulatiſſimi: magnos vtrumque iuſtitia, & ſanctitate proceſſus fecerint: magnum denique cœleſtium munerum, diuinorúmque charismatum perceperint incrementum, cedant neceſſe [illegible] Apoſtolicæ gratiæ, & caritati, quibus à Chriſto [illegible] dictum [e] eſt: *Veſtri autem beati oculi, quia vi[illegible] quæ vos videtis: & aures, quæ audiunt quæ vos audiuis. Multi enim Prophetæ, & iuſti cupierunt videre*

A *quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt.* Nam ſi quid Philoſophi tradiderunt, neceſſe eſt cauſam eorum, quæ certo genere comprehenduntur, primum in illo ordine habere locum; profectò vt quidque primo, ac ſupremo propiùs acceſſerit, eius vim, atque efficientiam multo nobiliùs perfectiúſque excipiet. Atqui Chriſtum Dominum ſecundum Deum primam eſſe, ac ſupremã diuinæ gratiæ cauſam, tam certum eſt, vt abſque fidei Catholicæ iactura in dubium nequeat reuocari. Proximè verò ad eius gratiæ plenitudinem beatiſſimam eius Matrem Virginem acceſſiſſe conſtans eſt Catholicorum omnium ſententia. Nam (vt omittam Angelicam ſalutationem, quæ illam gratia plenam prædicat) innumerabilia ſunt ſanctorum Pa-
B trum teſtimonia, quæ Virginis gratiam, & ſanctitatem vſque eò exaggerant, atque amplificant, vt quãtò à Chriſto iuſtitia diſtat, tanto cæteris omnibus præſtet interuallo. Nouis certè Auguſtinus [a] de illa hunc in modum ſcribit: *Excepta itaque ſancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorſus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæſtionẽ: inde enim ſcimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.* Itaque ſic mihi ſemper perſuaſum fuit, hanc integerrimam, atque innocentiſſimam Virginem iam inde à primo ſui conceptus exordio, ita cœleſti, diuináque gratia fuiſſe delibutam, vt non modò primæua, & communi totius naturæ labe inqui-
C nata non ſit, ſed omnes prorſus prauæ cupiditatis impetus, ita fuerint omni ex parte compreſſi, vt accedente præſertim ſingulari diuinæ prouidentiæ patrocinio, nullis voluptatum illecebris titillari, nullo perturbationum turbine commoueri poſſet. Hinc factum eſt, vt quoniam tota mente ferebatur in Deum, incredibiles in omni virtutum genere quotidie progreſſus faceret, & ſuprà quàm credi, cogitariue poteſt, gratiam, & caritatem augeret. Adde ſacramentorum efficientiam, quibus illa pro ſexus conditione magis, ac magis ornari, atque illuſtrari, quamuis non expiari potuit. Igitur ad hunc ſanctitatis gradum nulli mortalium adſpirare fas vnquam fuit, aut vllo tempore erit. Adeo vt Apoſtoli perhonorificum ſibi ducant, magiſtri ſui matrem
D tanto ſibi dignitatis gradu anteferri, quanto Regis matrem ſeruis præſtare, atque antecellere æquum eſt.

HAC igitur prætermiſſa comparatione, reliquus eſſe videtur vnus Ioannes Baptiſta, de cuius virtutis, & gratiæ magnitudine, propè incredibilia in ſacris litteris, & ſanctorum Patrum ſcriptis paſſim leguntur. Extat apud Lucam [b] egregium Angeli eloquium: *Erit enim magnus coram Domino.* Quo loco Procopius, & Ambroſius magnitudinem virtutis, & ſanctitatis interpretantur. Extat apud Matthæum [c] encomium Chriſti: *Quid exiſtis* (inquit) *in deſertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt. Sed quid exiſtis*
E *videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & pluſquàm Prophetam. Hic enim eſt, de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Amen dico vobis; non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſta.* Quo loco non ſolùm præfert illum Prophetis, ſed, vt indicant Chryſoſtomus [d], Auctor [e] imperfecti, Theophylactus [e], Euthymius [f], Ambroſius [g], videtur omnibus illum ſanctis anteponere: quod ex eo non obſcurè colligitur, quòd, vt exiſtimant Auctor [h] imperfecti; Epiphanius [i], Theophylactus [k], [l] Euthymius, &

IX.

a lib. de nat. & grat. c. 36.
b cap. 1. 15.
c cap. 11. 7.
d hom. 37. in Matth.
e hom. 27
e f Mat. 11. 11.
g lib. 5. in Luc. prope finem
h loco citato.
i Hær. 30.
k l loco citato.

mius, & Auguſtinus [a], ſe vnum Chriſtus videtur excipere, cùm dixit: *Qui autem minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo.* Ita illum cunctis mortalibus ſuperiorem prædicant omnes ferè ſancti, Cyrillus [b] Ieroſolymitanus, itémque alter Alexandrinus [c], Ambroſius [d], Auguſtinus [e], Maximus, Honorius, Euſebius Emiſſenus, Petrus Chryſologus, Bernardus & alij, qui de huius ſancti virtutibus ad populum ſermonem habuerunt. Accedit, quòd Cyrillus [f] Alexandrinus, & Euſebius [g] Cæſarienſis tantam dicunt fuiſſe Ioannis ſanctitatem, vt meritò potuerit Chriſtus exiſtimari; veráque lux, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; cùm tamen luci duntaxat teſtimonium præberet, tamquàm *lucerna ardens, & lucens ante Dominum.*

a lib. 2. contra aduerſ. leg. & Proph. c. 5. & tract. 33. in Ioann.
b Catech. 3. illumin.
c lib. 2. theſaur. c. 4.
d ſerm. 94.
e ſerm. 21. de ſanct. & in Pſal. 39. enarrat. 2.
f lib. 1. in Ioan. c. 7.
g lib. 9. demonſ. Euan. cap. 5.

Hæc porrò recentiores hæretici, qui pro ſua videlicet religione, ac pietate quidquid ad attenuandá, minuendamque hominum ſanctitatem aliquo modo valet, auidè complecti ſolent; non de ſanctitate, & iuſtitia, ſed de officio, & dignitate explicant. Id ex Luca facilè ſe probare poſſe confidunt, qui non ſimpliciter, atque abſolutè dicit, neminem Ioanne maiorẽ, ſed neminẽ maiorẽ fuiſſe Prophetá. At veteres omnes Auctores [h] nemine (quod ſciá) prorsùs excepto, nõ de officio, ſed de ſanctitate intelligũt. Et profectò ſi Chriſti verba ſpectẽtur, vix quiſquá aliter interpretari queat. nam qui paulò antè dixerat, Ioannẽ pluſquàm Prophetam eſſe, cur ineptè adderet, neminem Prophetarum eo eſſe maiorem, cùm ſi priora admittantur, dubitare nemo poſſit, nullum eo maiorem fuiſſe Prophetam? Nec dubium eſt voluiſſe Chriſtum ſingularem Ioannis ſanctitatem prædicare apud eos, qui illius legatione audita, de ipſius conſtantia, & fidei firmitate nonnihil dubitare poſſe videbantur: atque ita cùm dixit, non illum arundinem eſſe vento agitatam, non mollibus veſtitum, de moribus, non de officio loquebatur. Arundo enim conſtantiæ, mollis autem veſtitus aſperitati vitæ, atque rigori opponuntur. Eòdem ſine dubio ſpectant quæ ſequuntur, nec quæ leguntur apud Lucam, huic interpretationi repugnant. Etenim Euthymius nomen ipſum Prophetæ, non tam officium, quàm ſanctitatem ſignificare affirmat. quia enim Prophetæ ſancti & eſſe ſolebant, & paſſim haberi; viri alioqui ſancti, etiam ſi Prophetæ non eſſent, Prophetæ vocari conſueuerant. Quo ſenſu paſsim Chriſtus à Iudæis Propheta appellabatur [i], non quòd futura prædiceret, ſed quòd ſuam miraculis ſanctitatem declararet. Neque abnuerim Ioannem, cum ſolis Prophetis, hoc eſt iuſtis veteris teſtamenti comparari, quod auctor imperfecti, & Auguſtinus vltrò concedunt.

h Tertul. lib. de Bapt. Cyril. Ieruſ. catech. 3. Cyril. Alex. li. 3. Theſ. c. 4. & lib. 2. in Ioann. cap. 4. & lib. 2. in Ioan. c. 24. Ambroſ. lib. 6. in Luc. Chryſ. hom. 33. in Matth. Auct. imperf. hom. 27. Hil. can. 11. in Matth. Hieron. Matt. 11. Aug. tract. 13. in Ioan. & li. 2. cont. adu. leg. & Proph. cap. 5. Maxim. hom. de S. Ioan. & alij.
i Matt. 21. 11. Marc. 6. 4. Luc. 7. 16. Ioan. 4. & 7. 9.

Verùm, hac admiſſa explicatione, nondum liquet, fuerit ne Ioannes omnibus antiquis Prophetis ſanctior. quamuis enim ex illis nemo Ioanne maior, non tamen continuò ſequitur omnes illo eſſe inferiores. Potuerunt enim aliqui (vt Hieronymus, & Auguſtinus obſeruarunt) eſſe virtute pares. Vel ſi quis ea ratione dicendi cæteris omnibus Ioannem præferre contendat, referri poſſet Chriſti oratio ad primam Ioannis iuſtificationem, vt nemo illo ſanctior ſurrexiſſe intelligatur, quòd nemo illo nobiliùs, aut maioris gratiæ copia, ab originaria labe fuerit expiatus. Viſus eſt alicui Cyrillus [k] Chriſti verba explicare de humana, planéque morali virtute, qualis fuit abſtinentia, & vitæ aſperitas, vt ea quidem dicatur Ioannes omnes ſuperare Prophetas; cæterùm illam ipſam qualemcumque virtutem à gratia Spiritus ſancti longè ſuperari. Sed nihil video cur neceſſe ſit, his ſubtilitatibus ſententiam per ſe non admodum facilem, obſcuriorem reddere, cùm (vt ait Hieronymus) Ioannes non cum omnibus, ſed cum ſolis ſanctis veteris teſtamenti conferatur. Itaque nihil de Chriſto, nihil de B. Virgine, nihil denique de Apoſtolis licet colligere, cùm hi omnes ad nouum teſtamentum pertineant. Quamobrem Anſelmus, & B. Thomas (vt paulò antè dixi) officio quidem, ac munere Apoſtolos Ioanni præferunt, non tamen ſanctitate, quin potius pares fuiſſe inſinuant. quamquàm enim nunquá Deus gratiam deneget certo muneri neceſſariam; non ita tamen certis eam legibus adſtringit, vt nõ interdum tribuat etiam maiorem. Nam cùm Apoſtoli æquè omnes Apoſtolico munere fungerentur; nihil tamẽ neceſſe eſt, eos æquali omnes fuiſſe præditos ſanctitate. Contrà verò tametſi Petrus cæteris Apoſtolis dignitate præcelleret, nõ tamen continuò cæteris ſanctior cenſendus eſt. Perſimili igitur ratione, quamuis negandum non ſit, Ioannem munere, atque officio Apoſtolis eſſe inferiorem; potuit tamẽ eos gratia, & ſanctitate æquare; cùm præſertim eximia quædam eius priuilegia in hiſtoria Euangelica legantur, quæ mirificam quandam præcurſoris ſanctitatem declarant: quæque ad præſens inſtitutum nihil pertinent.

k lib. 2. theſ. cap. 4.

Verum quoniam ad ſanctitatem maximè ſpectat vitæ integritas, atque innocentia, hoc ſaltem nomine Ioannes ſanctior Apoſtolis videri poſſet, quòd omni prorſus, vel minima noxá caruiſſe creditur; cùm tamen Apoſtolorum nonnulla recenſeantur peccata; quæ quamquàm non ſunt immania ſcelera, vt hæretici vociferantur, non tamen omni prorſus culpa carent. Nam, vt omittamus ea, quæ de Petri, & Thomæ lapſu, déque aliorum Apoſtolorum indignatione, atque ambitu, hæſitatione in fide, atque id genus alijs, quæ in Euangelio ante Chriſti obitum commemorantur, poſt percepta diuini ſpiritus chariſmata, etiam Pauli [a] teſtimonio Petrus dicitur reprehenſione dignus; quòd abſque aliqua vel leui noxa ſaltem morali, verum eſſe non poteſt. Ioannes verò, qui iam inde ab vtero matris Spiritu ſancto plenus fuiſſe dicitur [b], omni prorſus labe caruiſſe, & mira quadam innocentia clarus fuiſſe creditur [c]; idque olim ſenſiſſe videtur Paulus Diaconus, qui in hymno, quem ſua auctoritate videtur probaſſe Eccleſia, ſcripſit: XII.

Antra deſerti teneris ſub annis
Ciuium turmas fugiens, petiſti;
Ne leui ſaltem maculare vitam
Famine poſſes.

a Ad Gal. 2. 11.
b Luc. 1. 15.
c Pet. Galat. lib. 7. de arcan. Chriſtianæ relig. c. 9. Cathe. opuſc. 2. de exim. Chriſti præde ſtin.

Et rurſus in alio hymno:

O nimis fœlix, meritique celſi,
Neſciens labem niuei pudoris.

Fauere huic ſententiæ magnopere videntur plurima veterum Patrum teſtimonia. nam [d] Gregorius Nyſſenus cùm de Ioanne Baptiſta, atque Elia ageret: *Quod* (inquit) *paruum, aut magnum in vita illorum hiſtoria nouit delictum?* Idem videntur ſignificare Cyprianus [e], Athanaſius [f], Ambroſius [g]; ſed apertiſſima ſunt verba Gregorij [h]. *Nunquid* (ait) *credimus aliquid fuiſſe quod in eius vita illa ſic deſpecta mors tergeret? Sed quando ille vel in cibo peccauit, qui locuſtas ſolummodo, & mel ſilueſtre edit? Quid Deo vel de qualitate ſui tegminis deliquit, qui camelorum pilis corpus operuit? Quid de conuerſatione ſua offendere potuit, qui de eremo non deceſſit?* Et Beda [i]: *Quid viuenti, & conuerſanti inter homines poterat deeſſe virtutis; qui etſi, vt homo in iniquitatibus conceptus eſt, cõtra morem tamen humanæ conditionis non in delictis eum præuaricationis, ſed in gratia remiſſionis mater ſua peperit? Neque enim dubitandum eſt, quin Spiritus ſanctus, qui eum repleuit, & etiam à peccatis omnibus abſoluit* [k]. Alibi verò clarius. *Quis noſtrum dicere audeat, B. Ioannem actu, vel dicto, vel habitu, vel motu peccaſſe? Quis in eius præcordiis peccato poterat eſſe locus, quem & ante natiuitatem Spiritus*

d lib. de Beatit. cap. 2.
e Epiſt. 76.
f Sermon. 4. contr. Arian.
g lib. 2. in Luc.
h lib. 3. Mor. cap. 5.
i Serm. de vigil. Io. Bapt.
k Serm. de decol. Io. Bap.

Spiritus ſancti conſecrauit aduentus? Denique Euſebius [a] Emiſſenus: *Sicut* (inquit) *vas plenum balſamo admixtionem liquoris alterius reſpuit, & penitus excludit, ita in eum nihil ſæcularis maculæ introire poterat, in quo ſanctificationis plenitudo regnabat.* Eodem pertinēt alia multa, quæ leguntur apud Bernardum [b], Petrum [c] Chryſologum, Andream [d] Cretenſem, Iſidorum [e], & alios [f].

XIII. CÆTERVM vt hæc omnia Ioannis innocentiam, & confirmationem in gratia non obſcurè probent, non facilè tamen adduxerim quamlibet vel leuiſſimam noxam penitus excludere. Videtur enim Auguſtinus [g] alicubi ſignificare, eos, qui re ipſa nūquam peccarint, originaria labe in ipſo conceptu caruiſſe; vt neceſſariò concludendum ſit, quia Ioannes more cæterorum mortalium originaria noxa inquinatus eſt, etiam aliquando humana imbecillitate fuiſſe lapſum. Cúmque [h] alibi concluſiſſet omnes eſſe peccato implicitos, ſolam excipit B. Virginem, de quo (vt dictum eſt) cùm de peccatis agitur, nullam vult haberi quæſtionem, indicans proculdubio cæteros omnes aliqua peccati nebula infuſcari, atque idcirco inter Catholica dogmata aduerſus Pelagianos ſecundo loco recenſet [i] illud; *in quantacumque iuſtitia ſine qualibuſcumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem viuere.* Et ad eius ſententiæ confirmationem affert Cypriani [k] teſtimonium, cuius alia [l] longè clariora afferri, & plurimorum [m] ſuffragio cōfirmari poterant. Et re vera cùm non fuerit ab eo peccati fomes ablatus, nec penitus extinctus, abſque ingenti miraculo, & ſingulari planè priuilegio, iis leuioribus culpis carere non potuit, quæ ſubito quodam naturæ impetu mentem hominis agitantes, penè ex improuiſo patrantur. Nam cæteris, quæ liberam, & ſpontaneam voluntatis actionem requirunt, facilius caruiſſe conceſſerim. Vtràque verò in re pares illi fuiſſe Apoſtolos certum habes, qui poſt acceptum Spiritum ſanctum, & leuiter labi potuerunt, & grauioribus tamen noxis, etiamſi lethales non eſſent, prorſus caruerunt. Qua verò ratione dicatur Petrus ab Apoſtolo Paulo [n] reprehenſus, ſuo loco expediam; interim quidquid illud tandem fuerit, imprudētiæ potius, quàm prauitati, aut nequitiæ tribuendum putarim. Nec dubito Apoſtolos omnes diuinis Spiritus ſancti muneribus perceptis, tum frequenti ſacramentorum vſu, tùm propria quemque actione, ac ſtudio gratiam, & caritatem mirificè auxiſſe, & in perfectionis veluti ſtadio vſque eò proceſſiſſe, quò vix cuiquam in hac mortali vita adſpirandum videatur, vt Apoſtolicæ ſanctitatis magnitudinem vix vllus cogitando aſſequi, nedum explicare dicendo queat.

a Serm. 1. de S. Ioan. Bapt.
b Sermon. de S. Ioan. [illegible]
c Serm. 127.
d De [illegible] Ioā. Bapt.
e Vide etiā [illegible] cap. 67.
f Aug. ſerm. [illegible] de Sanct.
g [illegible]
h de nat. & gra. cap. 36.
i lib. de [illegible] perfect. c. 2.
k de orat. Dom.
l lib. de oper. [illegible]
m [illegible]
n ad Galat.

De Apoſtolica dignitate.
CAP. VI.

I. APOSTOLI nomen non officium modò ac munus, ſed quamdam etiam dignitatem ſignificare indicat Paulus, qui Eccleſiaſticos veluti gradus non ſemel recenſens, primo ſemper loco Apoſtolos nominat. Sic enim alicubi [o] ait: *Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primùm Apoſtolos.* Alibi [p] verò: *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos.* Quibus ex locis intelligimus non ſolùm falſum, atque impium, ſed etiam abſurdum videri, quod hæretici nonnulli argutantur, vniuerſum Apoſtolicum munus vna duntaxat diuini verbi promulgatione contineri. Nam vt concedamus, ſi vim vocis, atque etymon ſpectemus, Apoſtolum nihil aliud, quàm legatum, ac miſſum ſignificare, ipſum tamen officium plura complecti, & ampliorem quandam habere dignitatem inter Catholicos conuenit: quod aliis pluribus nominibus plerumque accidiſſe animaduertimus, vt à firma ſui inſtitutione ad alia multa comprehendenda tranſlata ſint. Quis enim neſcit, Epiſcopi nomen nihil aliud vi vocis ſignificare, quàm inſpectorem? At conſtat nunc quidem ea voce ſupremum quoddam munus, atque eximiam quandam Eccleſiaſticam dignitatem comprehendi, penes quam ſit præcipua Eccleſiaſticarum rerum adminiſtratio, quod in nominis ratione nequaquàm continebatur. Itaque Apoſtoli præter illud docendi, & prædicandi munus, de quo huius diſputationis initio [a] nonnulla diximus, conſtituti ſunt Eccleſiæ paſtores, atque Epiſcopi cum ſuprema quadam in omnem Eccleſiam poteſtate. Quocirca neceſſe eſt omnia paſtorum, atque Epiſcoporum officia ſine controuerſia ad Apoſtolos pertinuiſſe. De Epiſcopis autem dixit [b] Paulus: *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Porrò Apoſtoli Eccleſiaſticæ poteſtatis apicem, & veluti faſtigium adepti ſunt.

o 1 ad Corin. 12.
p ad Epheſ. 4.
a cap. 1.
b Act. 20. 18.

II. NONNVLLAM enim eſſe Eccleſiaſticam poteſtatem à ciuili planè diuerſam, tam certum eſt, vt ſalua fide nequeat in dubium reuocari. Huius autem poteſtatis nomine multa comprehendi, grauiſſimi [c] in primis, doctiſſimíque auctores tradiderunt. nam primùm quidem poteſtas ordinis quanta quanta eſt, tota Eccleſiaſtica, ac diuina cenſeri debet: illam proximè ſequitur auctoritas miniſtrandi populis ſacramenta à Chriſto Domino inſtituta: ponè ſequitur facultas Euangelij promulgandi; denique poteſtas iuriſdictionis, ſiue adminiſtrationis externæ, quæ plura ſub ſe veluti membra complectitur. Nam & exercere iudicia, & pœnas infligere, & leges condere, & vitæ ſubſidia à populo exigere, & miniſtros Eccleſiaſticos inſtituere, & bona denique Eccleſiaſtica diſtribuere, adminiſtrationes Eccleſiaſticæ abſque vlla controuerſia cenſentur. Cæterùm Apoſtoli hac tam varia, támque multiplici auctoritate non ſolùm prædici, ſed ſingulari, atque eximio quodam modo inſigniti, eamdem ad poſteros integram, & florentem tranſmiſerunt. ab iis namque tamquàm primis Epiſcopis omnis Eccleſiaſticorum ordinum ſeries deducta eſt. Illi Epiſcopos, & Preſbyteros (vt legimus in Actis [d] Apoſtolicis) Eccleſiis præfecerūt, qui populum ſibi commiſſum, & ſacramentis perficerent, & Euangelij doctrina imbuerēt: illi primùm & iudicia exercuerunt [e], & iudicandi formam, legéſque poſteris tradiderunt [f], cæteráque omnia inſtituerunt, quibus hæc Chriſtianæ reipublicæ dignitas, & amplitudo maximè continetur. quamquàm enim non defuerunt [g], qui negarent vllam eſſe in Eccleſia poteſtatem condendi leges, & (quod magis mirandum eſt) viri [h] alioqui Catholici docuerunt poſſe quidem Eccleſiam leges condere, ſed eas tamen duntaxat vim, atque auctoritatem legis obtinere, quæ iure diuino niterentur, perinde quaſi nullum poſſit eſſe ius poſitiuum Eccleſiaſticum; conſtans tamen, & communis Catholicorum ſententia eſt, Apoſtolos & potuiſſe leges condere, & eandem poteſtatem Epiſcopis, & Principibus Eccleſiaſticis reliquiſſe.

c Petr. Aliacē. Ioan. Parhſiē. Almain. de ſuprem. Eccleſ. poteſt. cap. 2.
d cap. 20. 28.
e Act. 5. 4. 8.
f Clemēs Roman. libr. 2. Conſt. Apoſt. ca. 47. 48. 49. 50. 51. 52. & deinceps
g Vvaldenſ. apud Anton. 4 p. ſum. Theolog. tit. 11. c. 7. § 2. Marſil. de Pad. in lib. qui inſcribitur defen. pacis, quem oppugnat Albert. Pig. lib. 5. Eccl. Hierarc. Vvicleph. art. 38. in Concil. Conſt. Ioan. Hus. artic. 15. Ioan. de Vveſal. & alij, vt Lutheran. & Caluiniſt.
h Ioan. Gerſ. tract. de vita ſpirit. ſect. 4.

III. ID primùm ſacrarum litterarum teſtimoniis firmari poteſt. conſtat enim, veterem illam Hebræorum ſynagogam fuiſſe veluti Eccleſiæ noſtræ typū: at de illa ſcriptum legimus in Deuteronomio [i]: *Qui ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo ex decreto iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael.* Pertinere autem hunc locum vel à ſimili, vel etiam à maiori ad noſtros ſacerdotes, egregiè docet Cyprianus [k]. cùm

i cap. 17. 12.
k Epiſt. 55.

enim ageret de honore, qui ſacerdotibus debetur: Quibus (ait) *honor tantus de Dei dignatione conceditur, vt quiſquis ſacerdoti eius, & ad tempus hic iudicanti non obtemperaret, ſtatim necaretur.* Et mox ſubdit Deuteronomij verba. Et [a] alibi Rogatianum Epiſcopum monet, vt Diaconi ſuperbiam, & contumaciam ſua auctoritate coërceat, vtitúrque hoc Deuteronomij teſtimonio. *Habens* (inquit) *circa huiuſmodi homines præcepta diuina, cùm Dominus in Deuteronomio dicat*; & quæ ſequũtur. Atque in nouo Teſtamento Chriſtus ipſe apud Matthæum [b]: *Quodcumque* (inquit) *ligaueris ſuper terram.* Et alibi [c]. *Quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo.* Quo loco Hieronymus poteſtatem ait tribui Apoſtolis, *vt intelligant qui à talibus damnantur, humanam ſententiam, diuinâ ſententiâ roborari.* Et quidem rectè. ex ipſo enim Matthæo [d] intelligimus, alligandi verbum vim habere præcipiendi. nam de Phariſæis dixit Chriſtus: *Alligant enim onera grauia*, hoc eſt, dura, & moleſta præcepta imponũt, vt Origenes, & Theophylactus explicant: atque ita ligandi poteſtas auctoritatem ſignificat leges, & præcepta condendi. Addo verba illa Chriſti apud Ioannem [e] Petrum alloquentis: *Paſce* (inquit) *agnos*, & *paſce oues*. Vtitur enim regio verbo ad ſimilem auctoritatem indicandam. Eſt enim paſcere regere, & populi ſibi crediti curam gerere. Sic Dauid [f]: *Dominus regit me.* Septuaginta ex Hebræo habent, *paſcit*. Rurſus [g]: *Paſcere Iacob ſeruum ſuum, & Iſrael hereditatem ſuam*, hoc eſt, *regere*. Denique [h]; *Qui regis Iſrael, intende.* Hebraicè: *Qui paſcis.* Neque id abhorret à Græcorum ſcriptorum conſuetudine. Homerus enim Agamemnonem Græcorum regẽ appellat ποιμένα λαῶν, hoc eſt, paſtorem populorum: Et Plato, atque Ariſtoteles Reges non ſemel vocant paſtores. Quocirca Euſebius [i] Emiſſenus: *Paſcit igitur* (inquit) *Petrus agnos, paſcit & oues, paſcit filios, paſcit & matres: regit & ſubditos, & Prælatos.* Quinetiam cùm Chriſtus Apoſtolos ad promulgandum Euangelium mitteret [k]: *Sicut miſit me* (ait) *Pater, & ego mitto vos*: hoc eſt (vt interpretantur Chryſoſtomus, & Theophylactus) ſuum illis munus, atque officium reliquit, ac ſuos veluti Vicarios regno adminiſtrando præfecit. Itaque apud Lucam [l] alloquens Apoſtolos dixit: *Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit.*

a Epiſt. 65.
b cap. 16. 19.
c cap. 18. 18.
d cap. 23. 4.
e cap. 21. 15. 16. 17.
f Pſal. 22. 1.
g Pſal. 77. 71.
h Pſal. 79. 2.
i Serm. de Natiuit. S. Ioan. Bapt.
k Ioan. 20. 21.
l cap. 10. 16.

IIII. Hæc autem verba pertinere propriè ad Apoſtolos, eorúmque ſucceſſores, tradunt inter Græcos Baſilius [m], & inter Latinos Cyprianus [n]. Conſtat quippe, Chriſtum miſſum fuiſſe à Patre cum imperandi poteſtate, vt eamdem in Apoſtolos tranſtuliſſe videatur. Neque id ignorarunt Apoſtoli, qui, vt legitur in Actis [o] Apoſtolicis, in primo Apoſtolico Concilio legem tulerunt in hæc verba: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, nihil vltra vobis imponere oneris, niſi hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorũ, à ſuffocato, & ſanguine, & fornicatione.* Hanc autem legem eſſe nouam Apoſtolica auctoritate ſancitam, teſtis eſt Chryſoſtomus [p], & nos alibi probamus. Veriſimile enim eſt huc potiſſimùm ſpectare Pauli conſilium, qui confirmans Eccleſias, præcipiebat cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & ſeniorum, vt alicubi obſeruauit Ignatius [q], itémque illa [r]: *Tradebãt eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis, & ſenioribus qui erant Ieroſolymis.* Denique fuiſſe illam legem Apoſtolicam, Canon [ſ] Apoſtolicus confirmat: itémque decretum concilij [t] Aurelianenſis; vt interim omittam Tertullianum [u], Origenem [x], Euſebium [y], Cyrillum [z] Ieroſolymitanum, Auguſtinum [a], Leonem [b], & alios [c], qui legis illius Apoſtolicæ vim atque auctoritatem tuentur, & explicant. His addo Pauli Apoſtoli nonnulla teſtimonia. Epi-

m In conſtit. Monach. c. 23.
n lib. 4. ep. 9.
o cap. 15. 28.
p Hom. 33. in Act.
q Ep. 6. & 10.
r Act. 16. 4.
ſ Can. 62.
t Concil. 2. c. 19. 20.
u in Apol. c. 9.
x lib. 8. cont. Celſ.
y lib. 5. Hiſt. cap. 11.
z Catech. 4.
a Epiſt. 154.
b Epiſt. 79. ad Nicet. cap. 5.
c Conc. Gangren. cap. 2.

A ſtola enim ad Romanos [a] hæc ſcribit: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. non enim eſt poteſtas niſi à Deo. Quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Et aliquanto poſt: *Ideoque neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Quamuis enim hoc loco Apoſtolus (vt aliàs diximus) præcipuè agat de regibus, ciuilibúſque Principibus; quia tamen eius ſententia ampliſſima eſt, etiã ad Eccleſiaſticos Antiſtites pertinere, ne hæretici [b] quidem inficiantur. Et profectò, qui neget Apoſtolicam poteſtatem profectam eſſe à Deo, cùm Paulus ipſe ad Corinthios [c] ſcribat: *Hæc abſens ſcripſi, vt non præſens duriùs agam ſecundùm poteſtatem, quam*

B *dedit mihi Dominus?*

a cap. 13. 1. 5.
b Caluin. lib. 4. Inſtit. cap. 10. §. 5.
c Epiſt. 2. cap. 13. 10.
d verſ. 5.

V. Verum igitur erit, eos qui Eccleſiaſtica præcepta contemnunt, poteſtati, atque adeo Dei ordinationi reſiſtere. Quod vt ibidem Apoſtolus ſubdit, certam affert non huius vitæ ſolùm, ſed etiam futuræ damnationem ſempiternam, vt Chryſoſtomus, Oecumenius, Theophylactus, & Ambroſius explicant. Idipſum confirmant ea, quæ ſequuntur. *Neceſſitate ſubditi eſtote* [d]. apertè enim docet, non eſſe id liberum, aut indifferens, ſed planè neceſſarium: idque propter conſcientiam, nõ ſolùm beneficiorum, vt Chryſoſtomus, Theophylactus, & Oecumenius exiſtimant; ſed etiam propter conſcientiam peccati, vt Theodoretus, Ambroſius, Beda, & Anſelmus intellexerunt; & Auguſtinus [e] pluribus confirmat. Eò-

C dem ſpectant illa eiuſdem Apoſtoli [f]. *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in ſpiritu manſuetudinis?* Nomine enim virgæ præter Chyſoſtomum, alióſque explanatores, intelligit Auguſtinus [g] iudiciariam poteſtatem, atque auctoritatem puniendi. Nam id ipſum nomine virgæ ſignificare viſus eſt Dauid [h], cùm dixit alloquens Chriſtum. *Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli cõfringes eos.* Virgam enim ferream appellat non ſeueram, & crudelem, ſed rectam, & quæ minimè flecti, aut curuari queat; quod alio loco explicans [i] ait: *Virga directionis, virga regni tui.* Traditam autem fuiſſe Apoſtolis hanc virgam, egregiè docuit Auguſtinus [k], His addi poſſunt plurima præcepta Apoſtolica, quæ apud Paulum leguntur. Etenim alicubi [l] legem tulit, ne bigami ſacris

D initientur, quam poſtea Concilium [m] Carthaginenſe Quartum ſua auctoritate recipi ab omnibus iuſſit. Alibi [n] *aduerſus Presbyterum* (ait) *accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus.* Rurſus [o]; *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. ipſi enim peruigilant, tamquam pro animabus veſtris rationem reddituri.* Denique ſuorum præceptorum non ſemel meminit. *Laudo* (inquit) [p] *vos, quòd præcepta mea tenetis.* Et [q], *ſcitis quæ præcepta dederim vobis.* Mox autem ſubdit: *Qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum, qui Spiritum ſuum ſanctum nobis dedit.* Denique [r], *Si quis non obedit verbo noſtro, per Epiſtolam hunc notate, & ne commiſceamini illi.*

e Epiſt. 54.
f 1. ad Cor. 4. 21.
g lib. 3. cont. ep. Parmen. c. 1.
h Pſal. 2. 9.
i Pſal. 44. 7.
k lib. 2. de cõſenſ. Euang. cap. 30.
l 1. ad Tim. 3.
m Can. 69.
n 1. ad Timot. 5. 19.
o ad Heb. 13. 17.
p 1. ad Corin. 11. 2.
q 1. ad Teſſal. 4. 2. 8.
r 2. ad Teſſal. 3. 14.

VI. Vſus porrò, & traditio Eccleſiaſtica hoc ipſum tam perſpicuè confirmat, vt qui in dubium reuocet,

E neceſſe ſit eum in ipſo meridie cæcutire. Habet enim Eccleſia Canones Apoſtolicos, quos ab Apoſtolis editos fuiſſe, omnis penè docet antiquitas [ſ]. Sunt præterea penè innumerabiles traditiones Apoſtolicæ, quarum permultæ continent præcepta, vt præceptum ieiunij quadragenarij, de quo ambigi nequaquàm poteſt obtinuiſſe ſemper in Eccleſia vim præcepti, cùm non rarò contemptoribus ſuppliciũ proponatur [t]. Vt interim omittam ſexcentos Patres, qui præceptum disertè nuncupant [u]. Huc refero plurimas Conciliorum [x] ſanctiones, Pontificum [y] decreta,

ſ v 1. Synod. Leo 1 2. Epi. com ad Nicet. Zeſer. Iſidor. præfat. Conc. Athan. Epiſt. paſch. Epiph. Hæreſ. 41. 70. Damaſ. lib. 4. c. 16. Innoc. 1. epiſt. 16.
t Can. Apoſt. 66. Concil. Gang. can. 19. Conc. Tolet. VIII. cap. 9.
u Baſil. orat. 2. de ieiun. Chryſoſt. Homil. 6. ad popul. & Hom. 1. in Geneſ. Amb. ſer. 25. Hieron. ep. ad Marcel. de error. Montan. Auguſt. ſerm. 62. de temp. & hær. 43. Epipha. hær. 75. Leo ſer. 2. de ieiu. 2. menſ.
x Conc. Calced. act. 15. Roman. ſub Hilar. 1. c. 1. Cõcilio Rom. ſub Gelaſ. apud Gratian. d. 15. c. ſancta Romana. Sext. Synod. act. 4.
Conc. Tolet. iiij. c. 5. Tolet. xij. ca. 4. viij. Synod. cap. 1. Concil. Conſtant. ſeſſ. 8. & 13. Trident. ſeſſ. 6. c. 20.
y Clem. Rom. ſub. ep. Euſeb. ep. 1. Leo ep. 82. Nicol. 1. ad Mich. Imper. Gelaſ. ep. & lib. de anathe. vinculo. Flora Grat. d. 11. & 12.

Digitized by Google

decreta, quibus Eccleſia & adminiſtrata eſt, & ſtabilita. Quid verò attinet in præſentia recenſere ſanctorum [a] Patrum teſtimonia, qui legibus Eccleſiaſticis tantam auctoritatem tribuunt, quantam diuina auctoritas ſuo ſibi iure vendicat? Qualis autem Chriſtiana eſſet reſpublica ſi nullis certis legibus, quibus vita, & mores inſtituerentur, ſacra fierent, diuinus cultus frequentaretur, omnia denique pacificè tranſigerentur, & ipſa conſtaret, & priuatim ſinguli ſuoptè munere fungi poſſent?

VII. At, inquiunt, nihil diuinæ legi addendum eſſe, Deus ipſe præcepit. [b] *Non addetis* (inquit) *ad verbum, quod ego loquor vobis; neque minuetis ex eo.* Et rurſus: [c] *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino; non addas quidquam, neque minuas.* Quinetiam Iſaias [d] humana præcepta damnare videtur; quod & B Chriſtus in Euangelio [e] facit, dum humanas traditiones reprehendit. Itémque vnus Deus dicitur [f] Iudex, & legifer noſter. Denique Paulus Chriſtianam libertatem commendat, [g] vt nefas videatur humanarum legum iugo fideles ſubiicere.

VIII. Cæterum ſi tanta religione cauendum eſt, ne quid diuinis præceptis addatur, cur Mardocheus [h] diem feſtum ſortium, [i] Iudith diem victoriæ, Machabæi [k] diem dedicationis ſupra legis præcepta inſtituerunt? Cur licuit Dauidi [l] nouam legem condere de ſpoliis ex æquo diuidendis? Cur Salomon ad templi cultum, atque ornatum tam multa adiecit? An (quod ideo placuiſſe B. Thomæ) [m] ea duntaxat legum adiectio prohibetur, quæ diuinis præceptis repugnet? An quod Iudæis prohibetur, Chriſtianis permittitur, quibus amplior campus relictus eſt? An denique præceptorum materia augeri, minuíve non poteſt, ipſa tamen præcepta non item? Nam quid opus eſt humana præcepta, humanáſve traditiones in præſentia commemorare, quæ idcirco prohibentur, quod (vt ait Irenæus [n]) diuinæ legi, & præceptis aduerſentur? Quis autem neget, Deum eſſe primarium, ac ſupremum legiſlatorem? ſed vicariam ſummo legiſlatori operam Principes, & Magiſtratus, ipſique adeo Apoſtoli, & Eccleſiaſtici Antiſtites non immeritò præbent, cùm tamen ipſi diuinis legibus ſubſint, quibus humanæ leges ita ſubiiciuntur, vt ab iis diſcrepare nulla ratione queant, ſi modò vim legis, atque auctoritatem retineant. Ridiculè verò, atque impiè Chriſtiana libertas obtenditur, cùm non à legibus, & maiorum præceptis, ſed à nefaria [o] ſeruitute peccati, à iugo [p] veteris legis, & externa ceremoniarũ [q] obſeruatione liberet. nam alioqui Paulus [r] ait: *Vos in libertatem vocati eſtis, tantùm ne libertatem in occaſionem detis carnis.* Et Petrus: [ſ] *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum.* Et infra: *Quaſi liberi, non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem.*

[margin: m ad Gal. 5.]

IX. Potuerunt igitur Apoſtoli nouas leges condere, Eccleſiaſticos canones ſcribere, quibus Eccleſiæ diſciplina conſtitueretur, Chriſtianorum mores componerentur, ſacra caſtè, atque integrè peragerentur, pietas foueretur, ſuo denique ordine cuncta perficerentur. Neque verò ſcriptis omnia mandata ſunt, ſed multa verbo dũtaxat tradita, veluti per manus ad poſteros peruenerũt. Omnis porrò apoſtolica atque Eccleſiaſtica poteſtas, vt ampliſſimè ſumitur, adeo diuina auctoritate nititur, vt nullo humano iure inſtitui potuerit. Quis enim iniſta Deum, auctoritatẽ conſecrandi, aut expiãdi peccata, aliaque id genus plurima inſtituendi, tribuere potuit? Atque hoc quidẽ nomine plurimùm intereſt inter illam veterẽ Iudæorum rempublicam, & noſtram Eccleſiaſticam Hierarchiam, quòd illa quanta quanta eſt, etiam ſi diuinitus inſtituta non fuiſſet, humana tamen auctori- A tate ſanciri potuiſſet; hæc verò noſtra ita Deum immortalem auctorem agnoſcit, vt plurima ſine eius diuina auctoritate conſtare nulla ratione queant. Itaque rectè dixit Apoſtolus, primum Eccleſiæ fundamentum eſſe Chriſtum, cui Apoſtoli, cæteríque deinde fideles omnes nitantur.

X. Qua verò ratione Apoſtoli hanc tam eximiam Epiſcoporum dignitatem adepti ſint, inter Catholicos diſputatur. Fuerunt enim qui [a] æquè omnes Epiſcopos à Chriſto renunciatos eſſe aſſererent [b]. Alij contrà omnem Epiſcopi dignitatem Petro Apoſtolorum Principi acceptam referendam eſſe contendunt, eúmque ſolum à Chriſto initiatum, reliquos ad Epiſcopatum promouiſſe. Quorum mihi ſententia propius à vero abeſſe videtur. nec enim facilè B indicari poteſt in Euangelio locus, in quo Apoſtoli Epiſcopatus initia perceperint; cùm tamen hic de Petro Apoſtolorum principe apertiſſimo Ioannis [c] teſtimonio probetur. quidquid enim vociferentur hæretici, vni tantùm Petro dictum eſt. *Paſce agnos, paſce oues.* Ipſe namque proprio nomine compellatur *Simon Ioannis*, ipſe tertiò interrogatur, num Chriſtum plus cæteris diligat; vt quemadmodum Chryſoſtomus, Cyrillus, & Auguſtinus obſeruarunt, trina reſponſione triplicem negationem compenſaret. Accedit, quòd vnus Petrus trina magiſtri interrogatione commouetur, vníque Petro dicitur: *Cùm eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cùm autem ſenueris, alius cinget te, & ducet quò tu non vis.* Denique non aliter locum illum explicant Ambro- C ſius [d], Maximus [e], & Leo Pontifex [f]. Et quidem paſcendi verbum ad Epiſcopalem dignitatem pertinere, affirmant Gregorius [g] Nazianzenus, Chryſoſtomus [h], & Gregorius [i] Pontifex. Accedit ſanctorum Patrum teſtimonium. etenim Anacletus [k] Pontifex teſtatur, Iacobum Ieroſolymitanum Epiſcopum initiatum fuiſſe à Petro, Iacobo, & Ioanne; vnde manaſſe videtur conſuetudo, vt Epiſcopi à tribus item Epiſcopis conſecrentur. Idipſum ſenſiſſe Clementem Alexandrinum, auctor eſt Euſebius [l]: idem docet Hieronymus [m]. De Paulo, & Barnaba dubitare non licet. De Matthia planè videtur certum, vt meritò permulti ſancti Patres docuerint, omnem Epiſcopalem ordinem, ab Eccleſia Romana pendẽte. nam Cyprianus [n] Eccleſiam Romanam appellat ma- D tricem, & radicem omnium Eccleſiarum. Quod ipſum inſinuant Anacletus [o], Iulius [p], Innocentius [q], Leo [r], Fœlix [ſ], Marcellus [t]. Fateor Maximum [u] Dionyſii Areopagitæ ſcholiaſtem, & auctorem [x] quæſtionum veteris ac noui teſtamenti, quæ tribuuntur Auguſtino, aliter exiſtimaſſe; ſed non tanti eſt eorum auctoritas, vt ſi quis ab iis recedat, piaculum cenſeatur, cùm præſertim tam multi Pontifices à nobis ſtent: præterquàm quòd interpretari quiſpiam poſſet, fuiſſe omnes Apoſtolos initiatos quidem à Chriſto, non tamen proximè, ſed adhibito Petro tamquàm myſta, vel initiatos fuiſſe presbyteros, & ſacerdotes, cùm non rarò Epiſcopi nomen etiam presbyteris tribuatur. Vt interim prætermittam, quæſtiones illas Auguſtino inſcriptas, me- E ritò viris doctis videri valdè ſuſpectas. nam alicubi [y] is auctor, Mundum (ait) à Deo conditum, ad diaboli arrogantiam retundendam, quod eſt non modò falſum, ſed planè ridiculum. Negat [z], mulierem eſſe ad imaginem Dei, Iephtem Pauli [a] Apoſtoli teſtimonio commendatum, hominem facinoroſum, principem latronum, denique ſine vllo iuſtitiæ teſtimonio fuiſſe dicit [b]. Docet [c], homines naſci neque Dei, neque diaboli filios, quod eſt apertiſſimè falſum, & cum Auguſtini ſententia quàm quod maximè pugnat. Mirè de Melchiſedech aliquid cubi

[margin notes: a Franc. Vict. relect. 2. de poteſt. Eccle. q. 2. poſt vlt. cõcluſ. dub. 1. — b Palud. de poteſt. Eccl. conc. 7 Turrecrem. lib. 2. de Eccle. c. 12. — c cap. 21. v. 16. 17. — d Luc. vlt. 10. — e ſerm. de Nat. Pet. & Pauli. — f Epiſt. 89. — g in Apolog. — h lib. 2. de ſacerd. — i lib. de cura paſt. — k Epiſt. 2. — l lib. 2. hiſt. r. — m de viris illuſt. in Iaco. — n lib. 4. ep. 8. — o epiſt. 2. — p epiſt. 1. — q ep. ad Concil. Carthag. & ep. ad Con. Mileuit. ſunt inter epiſt. Aug. 91 & 92. — r ſerm. 3. de aſſumpt. — ſ epiſt. 1 non procul ab initio. — t ep. ad epiſc. Antioch. prouin. — u in Dionyſ. de Eccleſ. hierarch. — x quæſt. 97. — y quæſt. 2. — z quæſt. 21. — a ad Hebr. 11. — b quæſt. 41. — c quæſt. 80.]

a quæſt. 109. b quæſt. 123.

cubi [a] fabulatur, quem dicit fuiſſe Spiritum ſanctum tertiam Trinitatis perſonam. Denique negat [b], Adamum primum humani generis parentem habuiſſe Spiritum ſanctum, contra communem omnium antiquorum Patrum ſententiam. Quid mirum igitur, ſi licere nobis putemus ab hoc egregio videlicet magiſtro, tot præſertim fauentibus nobis, diſſentire? Cæterùm qua ratione in pleriſque ſacris canonibus [c] dicantur Apoſtoli honore, ac poteſtate pares, non ita multò [d] pòſt expediam.

c diſt. 21. in nouo cã. diſt. 93 eam quos. de ſum. Trinit. & fide Cathol ca. 1. § 1. diſt. 22. c. 1. d cap. 9. huius diſput.

XL. Quæ cùm ita ſint, planè conſtat fuiſſe Apoſtolos ſupremos Eccleſiæ principes, ac magiſtros, multiplici auctoritate præditos, quam veluti per partes, quidquid [e] aliqui contrà diſputent, perceperunt. nam poteſtatem quidem conſecrandi tradidit illis Chriſtus in poſtrema cœna: auctoritatem condonandi peccata, apud Ioannem [f] cùm ad viuos rediiſſet. Tantum abeſt, vt omnem tunc auctoritatem adepti ſint, cùm primùm Apoſtoli ſunt renunciati. Videtur autẽ Chriſtus plurimos ex ſuis titulis, & prærogatiuis Apoſtolis conceſſiſſe. nam qui olim à Dauide [g] ſacerdos ordinis Melchiſedech deſcribitur, perſimili ſacerdotio Apoſtolos initiauit, cùm eis Euchariſtiæ conſecrandæ ampliſſimam fecit poteſtatem. Et qui ſe apud Ioannem [h] bonum paſtorem appellauit, ſuos etiam Apoſtolos per eorum principem Petrum paſtores deſignauit [i]. qui verò ab Apoſtolo mediator Dei, & hominum nuncupatur [k], ad reuocandos mortales ad pœnitentiam; Apoſtolos, eiuſque ſucceſſores voluit eſſe interpretes, & internuntios; vt egregiè alicubi docuit Leo [l] Pontifex. Dicitur etiam Chriſtus conſtitutus à Deo iudex viuorum, & mortuorum, eius iudicij ſocios, & adminiſtros conſtituit Apoſtolos cùm dixit [m]: *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim iudicãtes duodecim tribus Iſrael.* Ipſe eo̊ ì Chriſtus ſe medico comparauit [n], eandem medendi facultatẽ Apoſtolis voluit eſſe communẽ, cùm eis ſacramentorum adminiſtrationem commiſit. Denique illum oſtiarium, & quaſi clauigerum regni cœleſtis deſcribit Ioannes [o]; at ipſe Apoſtolis tradidit [p] per Apoſtolum Petrum claues regni cœlorum. Poſtremò Apoſtolos ſal terræ, & lucem mundi appellauit. ſalis enim duas eſſe proprietates; & ſaporem cibis tribuere, & res à putredine conſeruare certum eſt. Iam quod in cibis eſt ſapor, in hominibus eſt ab eodem verbo dicta ſapientia, vel diuinarum rerum quædam veluti dulcedo, & quaſi ſapor: quod in rebus conſeruatio, in hominibus eſt bonorum morum, atque innocentiæ confirmatio, quam ſacræ literæ mortificationem appellant. Apoſtoli igitur ſal terræ vocantur, & quia homines ſua cœleſti ſapientia imbuere, & quodammodo condire; & quia morum integritate, vitæque innocentia informare, atque inſtituere debent: Terræ verò ſalem eos vocat Chriſtus (vt obſeruarunt Chryſoſtomus, & Theophylactus) quia non vnius, aut paucorum hominum, ſed totius orbis terræ magiſtri futuri erant. Vtrumque pertinere ad Chriſti munus, nemo dubitauerit, qui Iſaiæ vaticinia de Chriſto venturo vel leuiter attigerit. Lucem porrò mundi alia quidem metaphora, ſed eaſdem tamen ob cauſas nominat, quòd mundum vniuerſum doctrina, atque exemplo illuſtraturi erant. Quod ipſum de Chriſto olim prædixerat Iſaias [q]; & Ioannes [r] in ſuo Euangelio ſcripſit. *Erat* (inquit) *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

e Armacan lib. 11. quæſt. Armenic. c. 24. 25. f cap. 20. g Pſal. 109. h cap. 10. 11. i Ioan. 21. 17. 18. k ad Rom. 5. 21. & ad Tim. 2. 5. l Ep. 91. refert. ad conſecrat. d. 1. cã. multiplex. m Mat. 19. 28. n Iſa. c. 53 5. Luc 10. in parab. Samar. 34 o Apoc. 3. 7. p Mat. 16. 19. q cap. 60. 19. r cap. 1. 9.

A B C D E

XII. Hoc ipſum alia quidem longè diuerſa metaphora ſignificare viſus eſt Chriſtus, cùm ſe ſequi iuſſit Apoſtolos, ſpondens fore, vt fierent poſtmodùm hominum piſcatores. non enim ſolùm ad præteritũ officium alludit, quod & fecit Dauid [ſ], cùm ſcripſit: *ſuſtulit eum de gregibus ouium, de poſt fœtantes accepit eum paſcere Iacob ſeruum ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam*; ſed etiam Apoſtolorum officium deſcripſit. piſcari enim quodammodo debebant homines, & ad Chriſtum adducere meritò. namque homines piſcibus comparantur, qui Chriſto ſimiles eſſe debent; qui à veteribus ἰχθὺς, hoc eſt, piſcis appellabatur. ſic enim ſcripſit alicubi Tertullianus [a]: *Sed nos piſciculi ſecundum ἰχθὺν noſtrum in aqua naſcimur, nec aliter, quàm in aqua manendo, ſalui ſumus.* Et Auguſtinus [b] Erythrææ Sybillæ verſus affert, quorum initia, ſi primas literas iungas, hanc efficiunt ſententiam: ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ. quorum verborum ſi primæ rurſus literæ iungantur, exiſtit vox ἰχθὺς, id eſt, piſcis. *In quo nomine* (inquit) *myſticè intelligitur Chriſtus, eo quòd in huius mortalitatis abyſſo, velut in aquarum profunditate viuus, hoc eſt, ſine peccato eſſe potuerit.* Et Proſper [c]: *Satiat* (inquit) *ex ſe ipſo in littore diſcipulos, & toti offerens ſe mundo ἰχθὺν, nãque Latinè piſcem ſacris literis maiores noſtri. hoc interpretati ſunt, ex Sibyllinis verſibus colligentes, quod eſt* IESVS CHRISTVS FILIVS DEI SALVATOR. *Piſcis in ſua paſſione decoctus, cuius ex interioribus remediis quotidie illuminamur, & paſcimur.* Huc etiam referendum cenſent, quod de piſce illo Tobiæ [d] ſacra narrat hiſtoria, quem calionymum fuiſſe ferunt, de quo Plinius [e]. Vult igitur Chriſtus, Apoſtolos fieri hominum piſcatores, quos videlicet ex aqua baptiſmi denuò veluti genitos Chriſto concilient. Quo (vt ait Dionyſius) nihil poteſt cogitari diuinius; eſt enim (vt ille ait) *diuinorum omnium diuiniſſimum, reuocandis ad ſuum auctorem mortalibus operam nauare.* Atque hæc de Apoſtolica dignitate dicta ſint ſatis. Sequitur, vt explicemus, quãnam potiſſimùm ratione Apoſtoli, à cæteris inferioris ordinis diſcipulis differrent; quod capite ſequenti præſtabimus.

ſ Pſ. 77 70. a lib. de bapt. cap. 1. b lib. 18. de ciuit. c. 23. c de prædic. par. 2. c. 38. d cap. 6. 7. 8. e li. 32 c. 7. 11.

Quo maximè differrent Apoſtoli à cæteris diſcipulis.

CAP. VII.

I. TRES diſcipulorum Chriſti ex Euangelica hiſtoria veluti ordines colligo. omnes enim, qui Chriſto nomina dabant, ſiue viri, ſiue fœminæ eſſent diſcipulorum loco cenſebantur. in eo numero præter fœminas nonnullas, collocantur ij, qui occultè dicuntur propter metum Iudæorum Chriſto adhæſiſſe; quales fuiſſe commemorantur Nicodemus, Ioſeph ab Arimathia, & ſi qui fuerunt alij eiuſdem generis. Nec dubito ad eumdem numerum, atque ordinem ſpectare Zachæum Chriſti præconio celebrem. Ex hoc numero illi puto erant, qui apud Capharnaum de ſuo corpore, & ſanguine diſſerente Chriſto, ab eius diſciplina defeciſſe commemorantur à Ioanne [f]. Nec dubium eſt, hunc fuiſſe poſtremum in ſchola Chriſti gradum Apoſtolico faſtigio multis partibus inferiorem.

f cap. 6. 66.

II. ALTER diſcipulorum ordo deſcribitur à Luca [g] his verbis: *Deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos ante faciem ſuam, in omnem ciuitatem, & locum, quò erat ipſe venturus.* De quorum numero magna quæſtio eſt non ſolùm, quia plerique Græci, & Syriaci codices ſeptuaginta duntaxat legunt; ſed etiam quia multi [h], ac magni auctores non niſi ſeptuaginta ponere ſolent. Nec deſunt qui id haud improbabili ratione cõfirmẽt, quòd apud Hebræos numerus ſeptuagenerius non aliter, ac duodenarius in honore, ac veluti veneratione fuerit. Hic quidem propter duodecim Patriarchas, ille verò propter ſeptuaginta animas, quæ cum Iacob in Ægy

g cap. 10. 1. h Iren. lib. 2. c. 37 & lib. 3. cap 11. Clem Alexã. apud Euſeb. lib. 1 hiſt. c. 14 Ambr. Luc. 10. & ſer 24. Hier. ep. ad Fabiol. de 42. manſion. Damaſc. ep. 4 Conc. Neocæſ. c. 13. apud eũd. Damaſc. Doroth. in Synop.

in Ægyptum ingreſſæ vniuerſam Hebræorum gen-
tem propagarunt: Moſem prætérea Iethri ſoceri ſui
conſilio non ſeptuaginta duos, ſed ſeptuaginta ſo-
lùm iudices [a] elegiſſe: Deum quoque ſeptuaginta ſe-
a Ex. 24. 1. niores parare ſibi iuſſiſſe. [b] Denique in Elim, [c] vbi
b Num. 11. 16. populus ex Ægypto fugiens caſtrametatus eſt,
c Ex. 15. 27. duodecim fuiſſe fontes, quibus duodecim Apoſto-
li; ſeptuaginta verò palmas, quibus ſeptuaginta diſci-
puli ſignificarentur. At contrà alij non aſpernanda
ratione duos ſupra ſeptuaginta fuiſſe contendunt:
Apoſtolos enim duodecim idcirco electos fuiſſe au-
tumant, quia duodecim erant tribus Iudæorum, vt
vnaquæque tribus ſuum haberet Apoſtolum, per ſi-
milique ratione ſeptuaginta duos diſcipulos fuiſſe
putant, vt æqualiter inter duodecim tribus diuidi
poſſent, & ſeni ſingulis obuenirent. Quæ ratio ſi
ſignificet ſingulos Apoſtolos ex ſingulis tribubus
fuiſſe delectos, planè ex ipſa hiſtoria Euágelica tam-
quàm falſa refellitur. Petrus enim, & Andreas, Ioan-
nes item, & Iacobus quia fratres erant, ex eadem
omnino tribu fuerint neceſſe eſt: ſenos autem ex ſin-
gulis tribubus diſcipulos fuiſſe ſelectos non niſi te-
merè diuinare quis poteſt; ſed fuiſſe tamen hos di-
ſcipulos ſeptuaginta duos antiquiſſimi [d] Patres
affirmant, & plurimi Græci codices, & Latini omnes
probant. Id viri docti iiſdem ſcripturæ exemplis
confirmare nituntur, quibus ſeſe contrariæ ſenten-
tiæ auctores tutabantur. Neque enim in Ægyptum
ſeptuaginta omnino animæ, ſed ſexaginta ſex ſolùm
ingreſſæ ſunt, vt eleganter oſtendit Hieronymus [e]:
quibus ſi ipſe Iacob adnumeretur, itémque Ioſeph
cum duobus filiis, qui iam erant in Ægypto, exi-
ſtunt animæ ſeptuaginta: deſiderantur tamen duo
filij Iudæ; Her, & Onam, qui ante ingreſſum in
Ægyptum vita functi erant, atque ita erunt animæ
ſeptuaginta duæ.

III Sed quis non videat hanc ſubolem, & curio-
ſam ſubducendi rationem nonnihil extortam, &
violentam videri? Cur enim mortuos cum iis nume-
remus, qui Ægyptum ingreſſi ſunt, ſi nuſquàm exta-
bát? Quid quòd Septuaginta interpretes eo quidem
loco animas ſeptuaginta quinque ingreſſas fuiſſe
commemorant, quod Hieronymus [f] quidem κατ᾽
πρόληψιν, Auguſtinus [g] verò myſticè dictum fuiſſe
putat? Quamobrem hæc quidem coniectura nume-
rum ſeptuaginta duorum diſcipulorum non admo-
dum iuuat: ſed addunt, viros doctos exiſtimaſſe
omnino ſeptuaginta duos ſeniores à Moſe fuiſſe
electos. cùm enim ille duodecim tribubus optio-
nem permiſiſſet, nulla ratione videri credibile ho-
mines in primis ambitioſos, non æqualem ex ſin-
gulis tribubus numerum elegiſſe, atque ita ex ſin-
gulis ſenos electos fuiſſe, vnde omnino ſeptuaginta-
duo exiſterent, ſcripturam verò, quod etiam alij
plerique auctores faciunt, minores numeros negli-
gere. Itaque ſeptuaginta ſenes pro ſeptuaginta duo-
bus poſuit; quo etiam modo cùm conſtet ſeptuagin-
ta duos fuiſſe bibliorum interpretes, vulgò tamen
ab omnibus Septuaginta dicuntur; quæ eſt Auguſti-
ni [h] ſententia, & quidem veriſſima, quæque multis
teſtimoniis probari poſſet. Quòd ſi libeat conie-
cturas, & analogiam ſequi, non eſt omnino impro-
babile palmas illas, quæ ſeptuaginta fuiſſe dicuntur,
fuiſſe ſeptuaginta duas. Me verò in primis mouet
perantiquus bibliothecæ Vaticanæ Græcus codex,
qui habet ἑβδομήκοντα δύο, vt omittam Hippoly-
tum, qui librum ſcripſit de ſeptuaginta duobus di-
ſcipulis. qui verò ſeptuaginta tantùm ponunt, eâ-
dem ratione minores numeros neglexerunt. Doro-
thei verò auctoritas viris doctis non videtur tanti,
vt vnus cæteris præferendus ſit omnibus. Mirum

d Clem. lib. ... Orig. ... Tertull. ... Epiph. ... Ambr. ... Hieron. ... Auguſt. ... Beda ... Greg. ... Luc. 10.
e Quæſt. Hebr. in Gen. cap. 46.
f In Quæſt. Hebr. cap. 46.
g Quæſt. 152. ſuper Gen. & lib. 16. de ciuit. c. 40.
h Quæſt. 47. in Gen.

A enim meritò videatur vnde ille ſeptuaginta diſcipu-
lorum nomina eruere potuerit, quæ tam diſertè,
támque affirmatè enumerat.

Verum de huius numeri ratione non ſatis con- IV.
uenit inter auctores. Numerum fuiſſe apud He-
bræos ſacroſanctum indicauimus paulò antè: duas
prætereà rationes affert Beda, vtramque mea qui-
dem ſententia myſticam: priorem indicauit, [a] po- a lib. 16. de ciuit. cap. 6.
ſteriorem planiùs expoſuit [b] Auguſtinus. Prior igi- b lib. 2. de conſ. Euang. cap. 14.
tur ratio eſt, quòd ſeptuaginta duæ ſint mundi pla-
gæ, quibus Euangelium promulgandum erat. nam
duas, & ſeptuaginta linguas, totidémque gentes poſt
turrim Babylonicam extitiſſe conſtans eſt veterum
ſententia, de qua hunc in modum ſcribit Auguſti-
nus: *Ex illis igitur tribus hominibus Noe filiis, ſeptua-*
B *ginta tres, vel potius, vt ratio declarata eſt, ſeptuaginta*
duæ gentes, totidémque linguæ per terras eſſe cœperunt,
quæ creſcendo & inſulas impleuerunt. Auctor [c] verò c lib. 2. cap. 9. apud Auguſt. tom 3.]
de mirabilibus ſacræ ſcripturæ in eandem ſentẽtiam:
ſic (inquit) *apoſtolica humilitas Spiritus ſancti munere*
colligebat, quod ſuperba præſumptionis, & vana gloriæ
cupido diſperſerat: linguas autem illas ſeptuaginta duas
eſſe, plurimi auctores conſentiunt, quia in ædificationem
turris illius in terra Sennaar, quæ nunc eſt Babylon, tot
partes congregatas fuiſſe dicunt: vnde & Dominus ſe-
ptuaginta duos diſcipulos exceptis illis primariis Apoſto-
lis elegiſſe, ſermone Euangelij refertur; per quos poſtea
in omnes gentes idem Euangelium prædicaretur. In quo-
rum præfiguratione etiam ipſe ſpiritus Moyſi in ſeptua-
ginta ſenioribus diſtribuitur, & aliis duobus, qui in ca-
C *ſtris reſederant, Eldad videlicet, & Medad eius ſpiritus*
propheticæ donum condonatur. Altera porro ratio tota
planè allegorica, & myſtica eſt. duodecim enim
Apoſtolos anni menſibus duodecim, diſcipulos verò
quatuor, & viginti diei horis reſpondere affirmant
Auguſtinus, & Beda; quæ autem propter Trinitatis
myſterium, aut propter tres dominici ſepulcri dies
ternario multiplicatæ efficiant ſeptuaginta duas ho-
ras, quot erant omnino diſcipuli. Sed hæc curio-
ſiùs perſcrutari neque otium eſt, neque animus. Illud
omnino certum eſt, idque veteres non fugit aucto-
res, voluiſſe Chriſtum in Eccleſia ſua, aliquod per-
ſonarum eſſe diſcrimen; neque ſolùm Eccleſiaſticos
miniſtros laicis præſtare, ſed inter ipſos etiam mini-
ſtros alios aliis eſſe ſuperiores. Atque Apoſtolos qui-
D dem maiores eſſe, & dignitate, & ordine cæteris
diſcipulis vel ipſa Apoſtolorum paucitas declarat,
& veterum ſcriptorum communis teſtatur auctori- d Epiſt 2.
tas. Anacletus [d] enim, Hieronymus, [e] Beda [f], & alij e Ep ad Marcel. aduerſ. Montan.
Epiſcopos volunt ſuccedere Apoſtolis, Preſbyteros
autem ſeptuaginta duobus diſcipulis. Porro Igna- f Luc. 15.
tius [g] Epiſcopos Chriſto, Preſbyteros Apoſtolis, dia- g Epiſtol. ad Smyrnen.
conos ſeptuaginta duobus diſcipulis ſimiles facit.
Clemens [h] denique Romanus, ipſéque Ignatius [i] h lib. 2. conſt. cap 30
Epiſcopos Dei Patris, Preſbyteros Chriſti, Diaco- i Ep ad Tralian Et Ep ad
nos Apoſtolorum perſonam gerere exiſtimant. Magneſian.

Cæterum quibus rebus duodecim Apoſtoli V.
reliquis ſeptuaginta duobus diſcipulis antecellerent
paulò diligentiùs inueſtigare operæ pretium erit.
Ac prætermiſſa quidem miraculorum poteſtate, de
E qua plura capite ſequenti, itémque aliis gratiis gra-
tis datis, quæ Spiritus ſancti munere omnibus diſci-
pulis diuinitùs conceſſæ ſunt, duo potiſſimùm erant,
quæ Apoſtolos à ſeptuaginta duobus diſcipulis ſe-
cernerent; quæ (niſi ego vehementer fallor) non
obſcurè indicantur à Marco [k] pauciſſimis illis verbis: k cap 3. 14.
Fecit, vt eſſent duodecim cum illo, & vt mitteret eos præ-
dicare. Priora enim illa verba, *vt eſſent cum illo*, omni-
no ſignificant ſingularem quandam familiaritatem,
& domeſticam conſuetudinem. Veriſimile enim eſt,
Apoſtolos aſſiduè cum Chriſto viuere conſueuiſſe,

eorumdem itinerum, & laborum ſocios, vt ex iis, A quæ ſuprà ſunt diſputata à nobis colligi facilè poteſt. Idque non obſcurè inſinuat [a] Marcus ipſe, qui poſt enumerationem Apoſtolorum, ſubdit veniſſe Apoſtolos vnà cum Chriſto in domum, quò tanta multitudo conuenerat, vt ne poſſent quidem cibo corpora recreare, indicās nimirum iam inde ab eo tempore vnà cum Chriſto vitam traduxiſſe. Ea porrò familiaritas peculiarem quandam Apoſtolis eruditionem peperit, & ampliorem, dilucidioremque diuinorum myſteriorum cognitionem. Vt enim alibi diximus, quemadmodum Peripatetici aliis acroamatica, aliis exoterica tradebant, ita etiam Chriſtus abdita quædam, & diuiniora myſteria, nō niſi Apoſtolis quippe futuris orbis terræ magiſtris explicabat. B Itaque cùm Apoſtolus [b] Petrus de duodecimo Apoſtolo in Iudæ locum ſufficiendo orationem haberet, ex aliis diſcipulis vnum eligendum eſſe dixit, qui vnà cum cæteris teſtis reſurrectionis eſſet. Et cùm in domo Cornelij verba faceret, Apoſtolos ait, teſtes præordinatos à Deo, qui poſt reſurrectionem Chriſti, cum illo & manducaſſent, & bibiſſent. Id cæteris diſcipulis non paſſim licuit, atque idcirco duodecim tantummodò Apoſtoli poſtremæ Chriſti cœnæ affuerunt, iidémque ab ipſo Chriſto (vt aliàs diximus) initiati ſunt.

a cap. 3. 2.
b Act. 1. 21.

VI. PRÆDICANDI porrò munus, rem ipſam ſi ſpectes, cæteris commune fuit. illos enim ſeptuaginta duos binos miſit ante faciem ſuam in omnem ciuitatem, & locum, quò erat ipſe venturus. Duodecim C autem cùm miſit, præter alia multa, de quibus iam diximus, dedit illis poteſtatem patrandi miracula, de qua capite ſequenti dicēdum erit. Quamquàm autem, auctore Luca [c], non obſcurè intelligitur, ipſos etiam ſeptuaginta duos nōnullam habuiſſe miraculorum poteſtatem, qui redeuntes ad Chriſtum palàm dicerent: *Etiam Dæmonia ſubiciuntur nobis*: Apoſtoli tamen pleniorem quandam, atque ampliorem poteſtatem habuiſſe videntur, de quibus idem Lucas [d] ait: *Egreſſi autem circuibant per caſtella euangelizantes, & curantes vbique*: vt appareat, illos eam poteſtatem accepiſſe tanquàm ordinariam vi muneris Apoſtolici, vt planiùs ſuo loco conſtabit. Quidquid autem ſentiendum ſit de Apoſtolis ante Chriſti mortem, certum eſt poſt eius reditum ad ſuperos digniori quodam, atque auguſtiori ordine D Eccleſiaſtico, hoc eſt Epiſcopatu fuiſſe initiatos. De quo quidem gradu duplex agitari ſolet quæſtio: altera de re ipſa, altera de ordinis veluti conditionibus. Et quidem de re ipſa, fuit olim hæreſis Aerij, teſtibus Epiphanio [e], & Auguſtino [f], nihil intereſſe inter Epiſcopum, & Presbyterum, ſed rem prorſus vnam, atque eamdem duplici nomine ſignificari. Libenter hunc errorem poſteriores hæretici [g] complexi ſunt: nec puduit nonnullos [h] Catholicos huius impietatis ſuſpicione viros etiam ſanctiſſimos infamare. Quin etiam auſi ſunt aliqui [i] affirmare ex ſcripturis, nullū poſſe deprehendi diſcrimen inter Epiſcopos, & ſimplices ſacerdotes; atque idcirco alij [k] colligunt, præcepto ſolummodò Eccleſiaſtico diſtingui.

c cap. 10. 17.
d cap. 9. 6.
e Hær. 75.
f Hær. 71.
g Vvicleph. auctore Valdenſi lib. 2. doctr. fidei a. 1. c. 60.
h Mich. Med. lib. 1. de ſacr. hom. contin. cap. 5.
i Armac. li. 11. q. 2. Armac. cap. 5.

VII. AT fide Catholica neceſſariò credendum eſt, Epiſcopum eſſe ſiue ratione ordinis, ſiue iuriſdictionis reſpectu ſimplici presbytero, iure diuino maiorem, eodémque nomine duodecim Apoſtolos ſeptuaginta duobus diſcipulis fuiſſe ſuperiores. Siquidem apertè ſacræ litteræ docent, licere nonnulla Epiſcopis, quæ nequeant presbyteri attingere. Ex Actis quippe [l] Apoſtolicis cōſtat nefas eſſe cuipiam non Epiſcopo, confirmationis ſacramentum miniſtrare; ſiquidem cùm Philippus Diaconus Chriſtianis A ſacris Samaritas imbuiſſet, non auſus eſt eos confirmare, ſed Apoſtolorum concilium, duos præcipuos Apoſtolos deſtinauit, Petrum, & Ioannem, qui manuum impoſitione ſpiritum illis ſanctum impertirent. Quo ex loco communi pene Catholicorum [a] conſenſu colligitur manuum impoſitionem, & confirmationis ſacramentū ſpectare ad Epiſcopos. Addo Apoſtoli Pauli [b] præceptum, qui accuſationes presbyterorum deferri iubet ad Epiſcopos, neceſſe vt ſit, Epiſcopos eſſe presbyteris ſuperiores, qui eos damnare, & abſoluere poſſint. Hoc ipſum veteris legis exemplo, atque auctoritate firmatur. olim enim Pontifices præerant ſacerdotibus, ſacerdotes Leuitis. Iam verò in lege Euangelica Epiſcopi ſuccedunt Pontificibus; presbyteri ſacerdotibus, Diaconi deni- B que Leuitis, vt affirmant Damaſus [c], Hieronymus [d], Leo Pontifex [e], & alij [f]. Fuiſſe autem in veteri lege ordines illos per ſe, ſuáque natura diſtinctos, pluribus ſcripturæ [g] locis apertiſſimè indicatur. Fuiſſe porrò Apoſtolos Epiſcopos, ſeptuaginta verò duos tantummodò Presbyteros conſtans eſt antiquorum Patrum [h] ſententia. Poſtremò ſacræ litteræ apertè docent, curam, atque adminiſtrationem Eccleſiæ cōmiſſam eſſe Epiſcopis. verba enim illa apud Matthæum [i]; *Fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam*, de Epiſcopis interpretatur Hilarius. Apertiſſimum verò teſtimonium eſt illud Pauli in Actis [k] Apoſtolicis: *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſangui-* C *ne ſuo.*

l cap. 8. 14.
a Ignat. ep. 11. Cypr. epi. 73. ad Iubaian. Euſeb. Pont. ep. 3. Melchia. ad Epiſc. Hiſpan. Damaſ. epi. 4. Innoc. ep. 1. c. 1. Ioan. 3. ep. 1. Aug. li. 15. de Trinit. cap. 21. Beda Act. 8. Conc. Floren. & Trident.
b 1. ad Timo. 5. 19.
c epiſt. 4. de cor. epiſt.
d epiſt. 35. ad Euagr.
e epiſt. 88.
f Concil. Hiſpal. ij. can. 7.
g Exod. 28. & 40. Leuit. 8. 12. 13. Num. 3. 4. 20.
h Conc. Neoſæſ. c. 13. Anacle. epi. 2. Damaſ. epiſt. 4. Hieron. ep. ad Marcel. de erro. Mont. Auguſt. Pſal. 44. Leo epiſt. 88. Iſidor. li. 2. de diuin. offic. c. 7. Beda Luc. 10. Hug. Vict. l. 2. de ſacra. p. 3.

VIII. EODEM ſpectat antiquiſſima, eadémque conſtantiſſima Eccleſiæ traditio, ex qua perſpicuè intelligimus Presbyterorum, atque Epiſcoporum munera, functionéſque fuiſſe diſtinctas, ac impermixtas, & initiationes longè diuerſas. Ac de functionibus quidem diſſerunt non pauca Concilia [l], & ſancti Patres [m]. De initiationibus autem Pontifices [n], Cōcilia [o], & antiquiſſimi Patres [p] ampliſſimum reddunt teſtimonium. Ad extremum accedit totius fermè antiquitatis auctoritas, quæ ita de Epiſcopis, & ſacerdotibus loquitur, vt appareat, eos gradu, ordine, ac munere penitus diſtingui. *Boni* (ait Ignatius [q]) *ſunt ſacerdotes ac ſermonis miniſtri; melior autem Pontifex, cui credita ſunt ſancta ſanctorum.* Et Canones [r] Apo- D ſtolici: *Presbyteri* (aiunt) *& Diaconi præter Epiſcopum nihil agere pertentent.* Dionyſius [ſ] autem Areopagita primo loco nominat Pontifices, ſecundo ſacerdotes, tertio miniſtros, ſeu Diacones. Eodémque modo loquitur Theophylactus [t], qui actiones hierarchicas tribus ordinibus accommodat: Diaconi namque inſtitutione, atque doctrina perpurgant: presbyteri baptiſmo illuminant; Epiſcopi denique ſacerdotales ordines perficiunt, & conſtituunt; hoc eſt, ordinant, ſeu initiant. Denique vt aliquando concludā, *Ius* (inquit Tertullianus [u]) *dandi baptiſmum habet Epiſcopus, dein Presbyteri, & Diaconi non ſine Epiſcopi facultate.*

i cap. 24. 45.
k cap. 20. 28.
l Conc. Ancyr. can. 12. Antioch. c. 10. m Epiphan. Hæreſ 75. 1. ad Timoth. 3. 4. Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. Oecumen. Hieron. ep. 85. ad Euagr. Leo epi. 88. Ambr. ad Epheſ 4. Clem. Rom. ep. 1. Anther. ad Epiſc. Baetic. Ignat. ep. 1. ad Magneſian.
n Can. Apoſt. c. 3. Anacl. ep. 2. Clem. rom. lib 8. conſt. c. 27.
o Conc. Nic. c. 4. Arelat. 1. cap. 5. Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 4. can. 7. Carthag. 4. c. 3.
p Dionyſ. Areop. 5. cap. Eccleſ. Hierarch.

IX. AT Paulus [x] poſt Epiſcopos proximè Diaconos nominat. *Omnibus* (inquit) *ſanctis, qui ſunt Philippis,* E *cum Epiſcopis, ac Diaconibus.* Certè cùm ſcribat ad vnam ciuitatem, in qua plures Epiſcopi eſſe non poterant, Epiſcoporum nomine Presbyteros intelligat, neceſſe eſt. Alio verò [y] loco Titum diſcipulum his verbis affatur. *Reliqui te Cretæ, vt conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut ego diſpoſui tibi.* Mox verò explicans quos presbyteros intelligat. *Oportet enim* (inquit) *Epiſcopum irreprehēſibilem eſſe.* Vbi quos dixerat presbyteros, ſubitò vocat Epiſcopos. Cùm verò ad Timotheum [z] ſcribit, Epiſcopis, & Diaconibus præcepta tradit omiſſis presbyteris, quod profectò factu

q ep. ad Philadel.
r Can. 40.
ſ 1. c. Hierarc. Eccleſ.
t Luc. 10.
u lib. de bapt.
x ad Phil. 1. 1.
y ad Tit. 1. 5. 7.
z 1. ad Timo. 3. 2. 8.

facturus non erat, ſi eos ab Epiſcopis diſtingueret. Aliquanto pòſt Timotheum his verbis monet[a]: *Noli (inquit) negligere gratiam, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum presbyteri.* Vnde auctore Hieronymo colligit nonnemo[b] Epiſcopum à presbyteris initiari, vt inter Epiſcopum & Presbyterum nihil planè intereſſe videatur. In Actis autem[c] Apoſtolicis cùm Presbyteros alloqueretur Apoſtolus: *Attendite (inquit) vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Quinetiam Petrus[d] alloquens ſeniores, Græcè πρεσβυτέρους, *Paſcite (ait) qui in vobis eſt gregem, prouidentes, non coactè:* Græcè ἐπισκοποῦντες, quaſi dicat Epiſcopi munere fungentes. Denique Ioannes Apoſtolus, & ſine dubio Epiſcopus, ſe vocat Presbyterum.

a 1. Tim. 4. 14. b Erasmus. c Act. 20. 28. d 1. Pet. 5.

X. Sed enim non inerim planè inficias, olim præſertim Apoſtolico illo æuo Presbyteri, & Diaconi nomina fuiſſe tam Epiſcopis, quàm ſacerdotibus communia; quod Chryſoſtomus[e], & Theodoretus[e] affirmant. Et hic quidem poſterior apertè docet[f], Epiſcoporũ nomine Presbyteros appellari conſueuiſſe non aliter atque Epiſcopos Apoſtolorum nomine nuncupatos. Hac ratione Andronicum[g], & Epaphroditum[h] Apoſtolos à Paulo vocari, cùm eſſent alioqui ſimpliciter Epiſcopi. Eamdem ſententiam ſequitur[i] Theophylactus, & non obſcurè indicat Auguſtinus[k], & hac ipſa ratione D. Thomas[l] explicat Hieronymum, tantùm abeſt, vt Aerij errorem illi aſſingat. Eâdem ratione loquitur Auctor[m] quæſtionum veteris ac noui Teſtamenti, & alij nonnulli[n], qui non de re, ſed de nomine diſputant. Iam quod attinet ad primum Pauli teſtimonium, non vna eſt eorum verborum interpretatio. Etenim Ambroſius nomen Epiſcoporum refert non ad eos, ad quos ſcribitur, ſed ad illos ipſos, qui ſcribunt, Paulum videlicet, ac Timotheum, vt ſenſus ſit; omnibus ſanctis, qui ſunt Philippis cum Epiſcopis, id eſt Paulo, ac Timotheo; ſed ſenſus eſt valdè extortus, & Ambroſiano ingenio planè indignus, vt quamuis cætera deeſſent omnia, hic vnus locus apertè indicaret illos in Paulum Commentarios eſſe planè adulterinos, & falsò Ambroſij nomẽ præferre. Epiphanius[o] ait tempore Apoſtolorum ob miniſtrorũ penuriam Epiſcopos Presbyterorum officio fungi conſueuiſſe. Quod vt admittatur ſiue tamquàm verum, ſiue tamquàm ſimilimum verò, difficultatem tamen non expedit. Potuiſſet enim dicere cum Epiſcopo, & Diaconis. Quæſtio autem eſt, quânam ratione in vna eadémque ciuitate plures eſſent Epiſcopi. Itaque Chryſoſtomo, Theodoreto, atque aliis magnopetè aſſentior, qui Epiſcopi nomen omnibus Presbyteris commune eſſe docent, quemadmodum & Diaconi nomen miniſtris omnibus tribuebatur. Quemadmodum autem Diaconi nomen, nunc proprium factum eſt præcipuorum miniſtrorum poſt Presbyteros; ita nomen Epiſcopi olim ſummis, atque imis ſacerdotibus, commune propriè ſummis ſacerdotibus tribuitur. Cùm igitur Paulus vniuerſo clero ſalutem diceret, duos præcipuos ordines nominauit, ſacerdotes, & miniſtros. Eâdem ratione accipienda ſunt præcepta tradita Epiſcopis, & Diaconis, neque aliter Presbyteri Epiſcopi nomine comprehenduntur. De impoſitione verò manus Presbyterij non conuenit Latinis cum Græcis. Hieronymus[p] enim, Anſelmus[q], & alij intelligunt ordinem Presbyteratus, quo fuerat olim Timotheus initiatus. Meliùs Græci Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, accipiunt cœtũ Presbyterorum, id eſt Epiſcoporum initiantium. nam presbyteris, id eſt, minoribus ſacerdotibus nefas eſſe initiando manus imponere apertè aſſerit Hieronymus[a], quidquid hæretici mentiantur. Porrò Pauli verba in Actis Apoſtolicis, itémque Petri cõſilium eamdem admittunt interpretationem, quam paulò antè dixi. Ioannes verè ſeniorem ſe, Græcè πρεσβύτερον appellat vel ætate, vel eâdem certè ratione, qua etiam Epiſcopi presbyteri dicuntur, quẽadmodum Petrus ſenioribus tribuit prouidentiam, quæ propria eſt Epiſcoporum: ἐπισκοπεῖν verò latiſſimè patet. nam M.[b] Tullius ſe totius oræ maritimæ ἐπίσκοπον, id eſt, inſpectorem, ſeu prouiſorem fuiſſe affirmat.

e in ep. ad Philipp. 1. f 1. ad Tim. 3. g ad Rom. 16. 7. h ad Philipp. 2. 25. i ad Philipp. 1. k ep. 19. ad Hieron. l 2. 2. q. 184. art. 6. m Quæſt. 101. apud Auguſt. tom. 4. n Ambroſ. ad Tim. 3. o Hær. 75. p in ep. ad Tit. q 1. ad Tim. 4.

a loco citato. b lib. 7. ad Attic. ep. 11.

XI. Sed Hieronymi[c] auctoritas multos non immeritò torquet. ſic enim ille alicubi ſcribit: *Idem eſt ergo Presbyter, qui & Epiſcopus.* Et paulò pòſt: *Putet aliquis, non ſcripturarum, ſed noſtram eſſe ſententiam, Epiſcopum, & presbyterum vnum eſſe, & aliud ætatis, aliud eſſe nomen officij.* Deinde eadem ex ſcripturis affert argumenta, quæ nos ſuprà attulimus. Tum concludens: *Hæc propterea* (inquit) *vt oſtenderemus, apud veteres eoſdem fuiſſe presbyteros, quos & Epiſcopos: paulatim verò vt diſſenſionum plantaria euellerentur, ad vnum omnem ſolicitudinem eſſe delatam. Sicut ergo presbyteri ſciunt, ſe ex Eccleſiæ conſuetudine ei, qui ſibi prępoſitus fuerit eſſe ſubiectos, ita Epiſcopi nouerint ſe magis conſuetudine, quàm diſpoſitionis Dominicæ veritate presbyteris eſſe maiores, & in commune debere Eccleſiam regere*[d]. Alibi verò in eamdem ſententiam. *Nam cum Apoſtolus* (inquit) *perſpicuè doceat, eoſdem eſſe presbyteros, quos & Epiſcopos*, & quæ ſequuntur, quæ ſunt ex ſcripturis deprompta. Subdit autem aliquanto pòſt: *Quòd autem poſtea vnus electus eſt, qui cæteris præponeretur, in ſchiſmatis remedium factum eſt, ne vnuſquiſque ad ſe trahens Chriſti Eccleſiam rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco Euangeliſta vſque ad Heraclam, & Dionyſium Epiſcopos, presbyteri ſemper vnum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum, Epiſcopum nominabant: quo modo ſi exercitus imperatorem faciat, aut diaconi eligant de ſe quem induſtrium nouerint, & archidiaconum vocent.*

c in ep. ad Tit. cap. 1. d ep. 85. ad Euagr.

XII. Hæc, atque his ſimilia magnam præbuerunt occaſionem de Hieronymi ſententia dubitandi. vt enim paulò antè dixi non defuerunt viri Catholici, qui exiſtimarent humano illum errore fuiſſe lapſum; quod tamen (vt leuiſſimè dicam) paulò licentiùs dictum videtur. Aequiores fuerunt[e] alij, qui Hieronymi verba perinde accipiunt; quaſi olim omnes presbyteri vtroque ordine initiarentur, atque ita omnes æquè eſſent Presbyteri, & Epiſcopi. Quorum ſententia ſi de Hieronymi ætate intelligatur, cum ipſo Hieronymo pugnat, qui tum locis indicatis, tum apertiùs aduerſus Luciferianos quædam licere ait Epiſcopis, quæ presbyteris nefas eſſet attingere. Sin autem de ſuperiori ætate, & primo illo Apoſtolorum ſæculo accipiatur, fruſtrà niteretur Hieronymus, cui propoſitum erat oſtendere diaconos nulla ratione presbyteris eſſe anteferẽdos, quòd presbyteri eſſent iidem Epiſcopi, ſi iam id contraria conſuetudine fuerat antiquatum. Accedit, quòd ipſe Hieronymus non obſcurè ſignificat nullam in presbyteratus ordine factam eſſe mutationem præter eam, qua communi conſenſu vnus cæteris præfectus eſt, eo planè modo quo milites imperator exercitus, & ex diaconorum ordine quiſpiam Archidiaconus renunciatur. Itaque B. Thomas[f] exiſtimauit, Hieronymum de ſolo nomine loqui, eo prorsùs modo, quem nos paulò antè ex Chryſoſtomi, aliorúmque ſententiâ explicuimus: ſed vereor (vt ingenuè fatear) ne non ſatis ea explicatio Hieronymi verbis aptetur. Quamobrem dicendum videtur, non loqui Hieronymum de ordinis charactere, ſeu poteſtate, ſed de externa iuriſdictione, de qua (ſi verum dicen

e Ant. Delph. l. 2. de Eccl. f 2. 2. q. 184. a. 6.

dicendum eſt) non videtur fuiſſe omnino certus, neque ſatis conſtanter loqui. nam ad Euagrium quidem presbyteris vnam videtur negare initiandi auctoritatem; aduerſus Luciferianos autem etiam confirmationis ſacramentum excipit, quod ab Epiſcopis duntaxat adminiſtrari diuina auctoritate contendit. Idem planè cum Hieronymo ſentire videntur Anſelmus [a], Sedulius & alij, atque idcirco eadē ratione intelligēdi ſunt. Viſus eſt etiam Ambroſius [b] presbyteros cum Epiſcopis confundere. nam cùm de Paulo ageret: *Et Timotheum* (inquit) *presbyterum à ſe creatum Epiſcopum vocat, quia primum presbyteri Epiſcopi appellabantur, vt recedente vno ſequens ei ſuccederet. Denique apud Ægyptum presbyteri conſignant, ſi præſens non ſit Epiſcopus. ſed quia cœperunt ſequenses presbyteri indigni inueniri ad primatus tenendos, immutata eſt ratio, proſpiciente Concilio, vt non ordo, ſed meritum crearet Epiſcopum, multorum ſacerdotum iudicio conſtitutum, ne indignus temerè vſurparet, & eſſet multis ſcandalum.*

a 1. ad Timot. 3.
b ad Epheſ. 4.

XIII. Verum quid de commentariis in Paulum Ambroſij nomine inſcriptis ſentiendum ſit, indicauimus ſuprà: ſed quiſquis ille tandem auctor fuerit, non tam de ordine quàm de Epiſcopi electione explicandus videtur. Cùm enim olim antiquiſſimus presbyterorum ad Epiſcopatum promoueretur, vt is gradus magis idoneo tribueretur, immutata eſt electionis ratio, auctoritate præſertim Cōcilij [c] Nyceni. Chryſoſtomus [d] porrò explicans cur Paulus de Epiſcopis, mox de diaconis præcepta tradat, prætermiſſis presbyteris: *Omiſſo interim* (inquit) *presbyterorum ordine ad Diaconos tranſit. Cur id quæſo? quia ſcilicet inter Epiſcopum, atque presbyterum intereſt fermè nihil; quippe & presbyteris Eccleſiæ cura permiſſa eſt; & quæ de Epiſcopis dixit, ea etiam presbyteris congruunt; ſola quippe ordinatione ſuperiores illi ſunt, atque hoc tantùm pluſquàm presbyteri habere videntur.* Eiuſdem ſententiæ ſunt Theophylactus [e] & Oecumenius: ſed vt apparet pro nobis potius ſtant. Fatentur enim ordinatione diſtingui, quod nos maximè volumus: adminiſtratione autem Eccleſiaſtica presbyteros penè pares idcircò affirmant, quòd olim presbyteri, non niſi vrgente populi neceſſitate initiarentur, cum quadam adminiſtratione, & cura. Maiorem dubitationem afferre poſſunt Auguſtini [f] verba: *Quanquam enim* (inquit) *ſecundum honorem vocabula, quæ iam Eccleſiæ vſus obtinuit, Epiſcopus presbytero maior ſit.* Quibus verbis indicat ſola Eccleſiæ conſuetudine Epiſcopum presbytero maiorem eſſe. Neque verò eorum mihi probanda videtur ſententia, qui Auguſtinum ad ea ſpectaſſe tempora arbitrantur, quæ Euangelium præceſſerant; vt ſit ſenſus, exoriente lege Euangelica vſum obtinuiſſe, vt presbytero maior eſſet Epiſcopus; cùm planiſſimus ſenſus ſit, ſi de vocabulis tantùm Auguſtinum intelligamus. cùm enim olim promiſcua vocabula eſſent, vſus obtinuit, vt maiores ſacerdotes Epiſcopi, minores verò presbyteri dicerentur.

c Can. 1.
d hom. 11. in 1. ad Timot.
e 1. ad Cor. 3.
f ep. 19. ad Hieron. c. 4.

XIV. At presbyteri non minùs dicuntur ſuccedere Apoſtolis, quàm Epiſcopi, vt Clemens [g] Romanus, Ignatius [h], & alij tradiderunt; neceſſe vt ſit vtroſque dignitate pares eſſe. Verùm (vt ſuperiori capite monui) multiplex eſt apud ſanctos Patres comparatio. Aliquando enim Epiſcopi Deo, presbyteri Chriſto, diaconi Apoſtolis ſimiles dicuntur [i]. Interdum Epiſcopus cum Chriſto, presbyteri cum Apoſtolis, diaconi cum ſeptuaginta duobus diſcipulis conferuntur [k]. Aliàs Epiſcopi Apoſtolis, presbyteri ſeptuaginta duobus diſcipulis ſuccedere affirmantur, quæ eſt frequentiſſima ſententia Patrum, quam ſæpè inculcat Hieronymus [l]: vt ex hoc argumento nihil colligi poſſit, quod noſtræ ſententiæ repugnet, cùm potius tota ea ratio à nobis ſit. Neq; enim iis [a] aſſentior, qui Epiſcopalem initiationem negant eſſe ſacramentum à Chriſto Domino diuinitùs inſtitutum. Conſtans enim eſt antiquorum [b] ſententia, ſacramentum eſſe, ſiue à presbyteratu differat, ſiue ſecus. Idque vel ex eo maximè conſtat, quòd ſcripturæ [c], quibus ſacramentum ordinis vtcumque probatur, de Epiſcopatu præcipuè intelliguntur: deinde de Epiſcopi initiatione, tamquàm de ſacramento loquuntur veteres omnes Patres [d]; & ordinis ſacramenti nomine magna ex parte comprehendunt. Siquidem eſt ſacra cæremonia conferens gratiam, & characterem vel nouum imprimens, vel antiquum dilatans. Cùm igitur Apoſtoli Epiſcopatus ordine fuerint initiati, hoc ſaltē nomine ſeptuaginta duobus diſcipulis dignitate, & ordine ſuperiores erant. Quamquàm (ſi verum dicendum eſt) etiam ſi pares ordine fuiſſent, auctoritate, & iuriſdictione præſtabant.

g lib. 2. Cōſt. cap. 31.
h epiſt. ad Smyrn.
i Clem. lib. 2. conſt. c. 30. Ignat. epiſt. ad Tral.
k Clem lib. 2. conſt c. 32. Ignat. epiſt. ad Smyrn.
l Epiſt. 1. ad Eliod. Epiſt 54. ad Marcell. Ep 83. ad Eua. in Mich. c. 2.

a Sot in 4. d. 24. q. 2. a. 3. & lib 10. de iuſt. & 10. q. 1. a. 1. & alij nonnulli quos ſeq. in 4. d. 24.
b Altiſſiodor 4. part. ſum. Theolog. Durand. Palud. Scot. Maior. in 4. diſt 24. Caiet. tom 1. opuſc. tract. 11. Pet. à Soto lect. 4. de inſt. ord. Canoniſtæ in c. cler. d. 21. & c. per lect. d. 25.
c 1. ad Timoth. 4. 14. 2. ad Tim. c. 6. Act. 13. 1.
d Dionyſ. Areop. c. 5. Eccleſ. hierarch. Mar

XV. Iam verò, vt alteram quæſtionem paucis expediam, cùm inter Catholicos [e] penè conueniat Epiſcopatum à presbyteratu iure diuino diſtingui: incredibili tamen inter ipſos contentione certatur de Epiſcopatus natura, & conditione: dum alij [f] volunt eumdem eſſe ordinem cum presbyteratu, nullúmque diuerſum characterem imprimere, ſed illum duntaxat amplificare quodammodo, atque extendere: alij [g] contrà diuerſum eſſe, & diſtinctum afferre characterem mordicùs pugnant. Quæ mihi ſanè ſententia non ſolùm probabilior, ſed ſimpliciter videtur vera. ſic enim mihi ſemper perſuaſi, Epiſcopatum ordinem eſſe à presbyteratu ſuapte natura diſtinctum, & diuerſum imprimere characterem: quod profectò penè neceſſariò dicendum videtur, ſi Epiſcopatus verè ordo eſt, verámque habet ſacramenti rationem, & vim obtinet conferendæ gratiæ. cur enim negemus, diuerſum imprimi characterem, vbi longè alia tribuitur poteſtas confirmandi, atque ordinandi, & alia, atque alia gratia infunditur, vt prætercam quod non facilè explicari poteſt, quánam ratione ſacerdotalis character extendi, & dilatari queat. nam cùm neceſſe ſit quæ extenduntur eiuſdem eſſe naturæ, vt cùm quantitas dilatatur, aut in eodem corpore qualitas augetur; planè ſequitur Epiſcopatum eiuſdem eſſe naturæ cum ſacerdotio; quod ſi quis admittat, eum cum Aerio hæretico ſentire neceſſe eſt: præterquàm quòd quæ iſto modo augentur, non diuerſam tribuunt facultatem, ſed priorem ſolummodò confirmant, & roborant. Quòd ſi quis contendat (vt indicare videtur D. Thomas) augeſcere poteſtatem characteris ſacerdotalis eo prorsùs modo, quo facultates animæ viuentis incremento perficiuntur, ita vt puer, qui ante pubertatem gignere non poteſt, vbi peruenerit ad pubertatem, ad alterum ſui ſimilem procreandum idoneus efficiatur; conſequens erit, ſacerdotium in Eccleſia Dei maxima ex parte quidpiam eſſe rude, atque inchoatum; vt taceam, hanc ipſam incrementi rationem abſque nouo additamento intelligi non poſſe; quidquid autem addatur, id nos characterem appellamus. eſſe autem characterem diſtinctæ poteſtatis, vel ex eo probari poteſt, quòd poteſtas initiandi, & confirmandi magis differat à poteſtate conſecrandi Euchariſtiam, quàm facultas legendi, ſeu canendi Euangelium in liturgia ab ipſa conſecrandi auctoritate, cùm tamen etiam ex aduerſariorum ſententia character diaconatus à charactere presbyteratus natura ipſa differat: quod ipſum de charactere ſubdiaconatus eodem iure poſſumus affirmare. Fateor quidem presbyteratus characterem Epiſcopali characteri tamquàm neceſſariam præparationem ſubiici: quin- etiam

tyr. apud Sozom. li. 7. hiſt. c. 10. Chryſo. lib. 1. de ſacer. Thar. Cep ad Adrian. 1 ap. habetur t. 10. biblioth. ſanct. Theodoret. 1. ad Timoth. 3. Theophylac. Oecum. 1. ad Timoth. 1. Auct. de c per. Car. apud Cyprian. Ambr. lib. de dignit. ſacerd cap. 5. 1. ad Cor. 12. & 1 ad Tim. 2. Hieron. dial. cont. Luciferian. Aug. lib. 2. cont. Fauſt. c. 11. 12. lib. de bapt. c. 1. c. 1. ep. 10. de bono coniug. c 18 & 24 ſer. de geſt. cum Emer. Leo ep. 81 ad Dioſc. c. 1. & ep 87 c. ult. 1. Innoc 1. ep. 38 c vlt. Anaſtaſij ep. ad Anaſt. imper. c. 7. & 8. Greg. lib. 4. in 1. Reg. cap 5. Cōc. Chalce. can. 2 Bracharij con. 3. Florent. in vnione Græcorum. Trident. ſeſſ. 23. c. 2. can. 1
e Magiſt 4. d. 24 D. Thom. 2. 2. q. 84. 3. 6. Magiſtri ſequuntur pene omnes, niſi quòd Scot. d. 7. q. 1. & Durand d. 24. q. 5. putant opinionem Aerij eſſe probabilem, vel certè non improbandam.
f D Thom. cum ſuis.
g Videtur ex ſententia Scot. Durand. Maior. Thom. Vald. tom. 8 de ſacram. c 127 Ioann. Ecchij ſerm. 67. & 68. de ſacr. & omnium Canoniſtarum

[illegible] ad Epiſcopatus naturam per- A
[illegible] illa [illegible] ſtere nequaquàm poſſit;
[illegible] atque q phil[illegible]phabantur, qui tres in ho-
[illegible] ineſſe animas exiſtimabant. etenim anima ra-
[illegible] particeps adeo neceſſariò ſentientem flagitat;
[illegible] s vegetantem, vt hac ſerie, & connexione
[illegible] ſolata, humanam vitam perire neceſſe ſit; ita niſi
[illegible] ſtruat ſacerdotalis ordo, nullus erit Epiſcopus;
[illegible] ſectis accidat in ordine presbyteratus inferio-
[illegible] ordinum reſpectu. nam ſi quis presbyter fiat
[illegible] diaconatu, verùm presbyteri characterem
recipit, quamuis iure Eccleſiaſtico, vt ſuo munere
ritè fungatur, ordinem diaconatus percipere co-
gendus ſit. Cæterùm quod attinet ad ſimilitudi-
nem allatam hoc intereſt vtrum, quòd etiam illa
quamuis falſa, impiáque ſententia admiſſa, vege- B
tans, ac ſentiens anima, quæ cum humana neceſſa-
riò coniunguntur natura, ipſa à cæteris omnibus diſ-
feruntur, quæ eodem genere comprehenduntur; ſa-
cerdotalis autem character, qui Epiſcopatum præ-
[illegible]tit, eiuſdem planè rationis eſt cum cæteris infe-
rioribus ſacerdotibus. Vt ſi hæc ad dialecticos cal-
[illegible]los reuocentur, fatendum ſit ſacerdotij nomen de
Epiſcopatu quidem, & presbyteratu communi qua-
dam ratione enuntiari, analogia (vt aiunt) ab vno ad
vnum, ſeu, quod alij dicunt, attributionis: quòd
presbyteratus ſit quidpiam intimè ſpectans ad Epi-
ſcopatum, ſine quo, vt dictum eſt, eius character
non [illegible]piatur. Fuerunt igitur Apoſtoli ſummi
quidam ſacerdotes, atque Epiſcopi; reliqui verò ſe-
ptuaginta duo diſcipuli ſolummodo presbyteri: ex C
quibus Mathias in Apoſtolorum collegium coopta-
tus, vt ſcriptum eſt à Dauide,[a] Iudæ Epiſcopatum
adeptus eſt.

[a] Pſal. 108. 8.

An pertineret ad Apoſtolos patrare miracula.
Cap. VIII.

TRIA eſſe Apoſtolatus veluti munera, conue-
nit inter omnes, ac de duobus quidem ſatis
(vt opinor) dictum eſt ſuprà, cùm oſtendimus perti-
nere ad Apoſtolos Euangelium promulgare, & le-
ges condere, quibus Eccleſiaſtica res publica, eiúſ-
que recta adminiſtratio cótineatur: reliquum eſt, vt
de facultate patrandi miracula (quod eſt tertium
Apoſtolicum munus) deinceps diſſeramus. Illud au- D
tem in primis ponendum nobis eſt, multò aliter
miraculum à nobis accipi, qui Theologos ſequimur,
quàm à prophanis auctoribus vſurpetur. Illi nam-
que miraculum id omne appellant, quod quoquo
modo admiratione dignum eſt: hi verò id ſolùm
miraculum dicunt, quod præter naturæ vires diui-
na, eáque ſupernaturali facilitate efficitur: cætera
quamuis magna & cauſas ignorantibus admirabi-
lia videantur, verumque mira ſiue ſimpliciter, ſiue
aliqua ex parte, aut humano quodam modo appel-
lare[b] ſolent: Itaque quæcumque aut occultis rerum
naturalium cauſis, aut malorum dæmonum ope
perficiuntur, à miraculorum natura plurimùm di-
ſtant. Conſtat igitur, vim miraculorum effectricem
planè eſſe diuinam, ac ſupernaturalem. ita enim E
olim cecinit David:[c] *Benedictus Dominus Deus Iſrael,
qui facit mirabilia ſolus.* Et rurſus:[d] *Qui facit mirabi-
lia magna ſolus.* Quamobrem cùm Chriſtus (vt ſuprà
dictum eſt à nobis) dedit[e] Apoſtolis vim miracula
faciendi, facultatem quandam tribuiſſe cenſendus
eſt, quæ omnem naturæ efficientiam, & poteſtatem
infinito propè interuallo ſuperaret. Quid ea ſit,
quibus conditionibus prædita, & quatenus porri-
gatur, incredibili penè ſubtilitate diſputant Theo-
logi. Quidquid autem illa tandem ſit, illud pro cer-

[b] [illegible]
[c] Pſal. 71.
[d] Pſal. 135. 4.
[e] Luc. 9. 1.

to ponendum eſt, multò aliter Chriſtum, quàm
Apoſtolos, aut Prophetas miracula perfeciſſe. Ille
ſiquidem ità inditam eam facultatem habebat, vt
ſibi non aliter, atque habitus perſeuerans præſtò
eſſet quotieſcumque & vbicumque eâ vti libuiſſet;
at Apoſtoli, reliquique mortales (vt Gregorius,[a] &
B. Thomas[b] tradiderunt) ſubditos quoſdam Dei
afflatus, & veluti cœleſtes impulſus percipiebant, vt
in preces effuſi miracula impetrarent; vel etiam
quaſi pro imperio perficerent.

[a] lib. 2. dial. cap. 31.
[b] 2. 2. q. 78. a. 1.

II. PRÆTERMISSA igitur vi illa miraculorum effe-
ctrice, qua Chriſtus præditus erat, eam ipſe miracu-
lorum poteſtatem Apoſtolis conceſſit, quam per-
multi deinde viri ſancti magno cum Eccleſiæ fru-
cto, atque vtilitate exercuerunt dum viuerent; &
interdum etiam nunc iam beati exercent. vis enim B
diuina, admirabili quadam prouidentia illis aderat,
vt ad eorum ſiue preces, ſiue imperium, ſiue nu-
tum, ſiue contactum, aſpectúmve ad id peragen-
dum præſtò eſſet, quod in præſentia expeteretur.
Ita Petrus[c] in Actis apoſtolicis, cùm greſſum reſti-
tuturus eſſet ei claudo, qui ad valuas templi ſtipem
efflagitabat: *Reſpice* (inquit) *in nos.* cúmque ille pecu-
niam expectaret, ſubdit: *Argentum, & aurum non eſt
mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Ieſu Chri-
ſti Nazareni ſurge, & ambula.* Significat enim, ſe ve-
luti habere ad manus mirificam illam poteſtatem,
qua poſſet illicò ſuprà naturæ vires, ægro greſſum
reſtituere. Quòd ſi quis ſciſcitetur, ecquánam vis
eſſet in Apoſtolis, quæ vera, & natiua efficientia,
tam multa miracula efficeret; idque re ipſa (vt aiunt) C
& phyſica actione; an ipſe Deus ſupranaturali ſua
poteſtate res illas tam admirabiles efficeret, nihil
equidem pro certo alterutram in partem auſim de-
finire: illud tantùm affirmarim, vtrumque eſſe po-
tuiſſe, ac fortaſſe etiam vtroque modo, Deum im-
mortalem Apoſtolorum, aliorúmque ſanctorum
operâ plurima ſupra naturam effeciſſe. neceſſe eſt
enim primariam miraculorum cauſam, & vim effe-
ctricem vni Deo tribuere, cùm Apoſtoli, & viri ſan-
cti tamquàm ſecundariæ cauſæ, & veluti inſtrumen-
ta diuinitùs adhiberi conſueuerint. Quocirca ſi
quod video plurimis, grauiſſimiſque Theologis pro-
bari, ea eſt rebus omnibus creatis ab ipſa natura in-
ſita vis, vt Deo hactenus ſubiiciantur, vt ad quæcum-
que illi placuerint, adhiberi queant, profectò hanc D
qualemcumque miraculorum vim effectricem eiuſ-
dem eſſe naturæ neceſſe eſt, atque ita ea omnia po-
tuiſſe præſtare, quæ per intermedias cauſas diuini-
tùs effici non repugnat.

[c] Act. 3. 6.

III. QVAMQVAM autem non fuit hoc Apoſtolorum
proprium, ſed cum aliis quàm plurimis commune;
iure tamen Apoſtolis tamquàm præcipuis diuini
verbi præconibus, & legis Euangelicæ magiſtris
debebatur. Ea eſt enim diuinæ prouidentiæ ratio, vt
cùm rem quampiam nouam, atque inuſitatam mor-
talibus perſuadere inſtituit, eam miraculis, atque
prodigiis confirmet, ac veluti chirographo, aut anu-
lo obſignet. Quamobrem cùm olim Moſem ſuum
ad Pharaonem legatum deſtinaſſet, inſignem quam-
dam miraculorũ vim illi conceſſit, vt ſibi, ſuæque le- E
gationi, tum apud Regem, tum apud reliquũ popu-
lũ fidem, atque auctoritatem conciliaret. Et Chriſtus
ipſe legis Euangelicæ auctor hoc tam diuino teſti-
monio ſuam doctrinam confirmat. *Ego* (inquit[d])
*habeo teſtimonium maius Ioanne. opera enim, quæ dedit
Pater, vt perficiam; ea ipſa opera, quæ ego facio, te-
ſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me.* Quaſi
dicat: Magnum quidem Ioannis fuit teſtimonium,
quippe ille venerat, *vt teſtimonium perhiberet de lu-
mine,* erátque ipſe *lucerna ardens, & lucens;* ſed maius
mihi

[d] Ioan. 5. 36.

mihi teſtimonium miſtica opera mea præbent. vt A
enim Chryſoſtomus, & Euthymius dicit, propte-
rea operum, quàm Ioannis maius fuiſſe teſtimo-
nium dicitur, quia Ioannes cùm homo eſſet, videri
poterat plus aliquanto gratiæ, quàm veritati tribuere,
a Ioan. 3. 2. quod de operibus dici nulla ratione poterat, cùm
nemo illa, niſi diuinitùs accepta poteſtate, ſuis ipſe
viribus præſtare poſſet: Rectè enim Nicodemus [a]
dixit: *Rabbi ſcimus, quia à Deo veniſti magiſter, nemo
enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus*
b Ioan. 9. 32. *cum eo.* Et cœcus [b] ille: *A ſæculo non eſt auditum, quia
aperuit quis oculos cœci nati: niſi eſſet hic homo à Deo,*
IV. *non poterat facere quidquam.* Perſimili igitur ratione
c cap. 15. 24. Chriſtus apud Ioannem [c] Iudæorum perfidiam ar-
guit, quòd legem tam multis ſignis confirmatam
non admiſerint. *Si opera* (inquit) *non feciſſem in eis,* B
quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Cùm au-
tem Apoſtolos ad promulgandum Euangelium mit-
teret, noluit eos tam firmo teſtimonio deſtitui. itaque
d cap. vlt. 20. de illis ſcripſit Marcus: [d] *Illi autem profecti prædicaue-
runt vbique Domino cooperante, & ſermonem confir-
mante ſequentibus ſignis.* Facit enim Deum miracu-
lorum auctorem, quia etſi Apoſtoli ea verè facie-
bant, tamen ea poteſtas non illis à natura inerat,
ſed ſingulari beneficio à Deo conceſſa erat. Et Pau-
e cap. 15. 18. lus Epiſtola ad Romanos [e] de ſua apoſtolica fun-
ctione hunc in modum ſcribit: *Non audeo aliquid lo-
qui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus in obedien-
tiam gentium verbo, & factis in virtute ſignorum, &*
f 2. ad Cor. 12. 11. *prodigiorum.* Et alio [f] loco: *Nihil enim minus fui ab
iis, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli, tametſi nihil ſum,* C
*ſigna tamen Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in
omni patientia in ſignis, & prodigiis, & virtutibus.* De-
g ad Hebr. 2. 4. nique [g] *Conteſtante* (ait) *Deo ſignis, & portentis, & va-
riis virtutibus.* Quæ cùm ita ſint, rectè dixit Augu-
h lib. 22. de ciuit. cap. 8. ſtinus, [h] *neceſſaria fuiſſe miracula priuſquàm crederet
mundus ad hoc, vt crederet mundus.* & in eamdem
i Homil. 29. in Euang. ſententiam Gregorius: [i] *Hæc* (inquit) *neceſſaria in
exordio Eccleſiæ fuerunt. vt enim ad fidem creſceret mul-
titudo credentium, miraculis fuerat nutrienda. quia &
nos cùm arbuſta plantamus, tamdiu eis aquam infundi-
mus, quouſque ea in terra iam coaluiſſe videamus. & ſi
ſemel radicem fixerint, irrigatio ceſſabit. Hinc eſt enim,*
k 1. ad Cor. 14. 22. *quòd Paulus* [k] *dicit; linguæ in ſignum ſunt non fidelibus,*
l lib. 1. aduerſ. Gent. *ſed infidelibus.* Et Arnobius [l] hanc potiſſimùm ratio-
nem affert, cur Chriſto credendum ſit, quòd Chri- D
ſtiana fides innumerabilibus propè miraculis con-
m lib. 22. de ciuit. cap. 8. firmata ſit. Nam (vt ait [m] Auguſtinus) *quiſquis adhuc
prodigia vt credat inquirit, magnum eſt ipſe prodigium,
qui mundo credente non credit.* Et Chriſtus Iudæos
n Io. 10. 38. hunc in modum affatur. *Si mihi* [n] *non vultis credere,
operibus credite: opera, quæ ego facio in nomine Patris
mei, hæc teſtimonium perhibent de me.*

V. IAM verò quoniam ſuprà probatum eſt, fuiſſe
Apoſtolos præcipuos Chriſti Domini teſtes, neceſſe
fuit, eos hac miraculorum poteſtate ſingularem
apud omnes gentes conſequi auctoritatem. Pluri-
ma verò in Actis Apoſtolicis Apoſtolorum miracu-
o Act. 5. 15. la recenſentur. nam & vmbra [o] Petri morbos fuga-
p Act. 19. 12. bat: & ſudariola, [p] ſemicinctia [q] Pauli ægris ſalutem
q Act. 19. 12. r Euſeb. lib. 2. afferebant. plura in hiſtoria Eccleſiaſtica leguntur: [r] E
Nicep. lib. 2. cap. 14. & lib. 3. cap. 25. & Tertullianus [s] plurima commemorat ad Genti-
s In Apolog. lium perfidiam expugnandam. Sed Gentiles ea
omnia falſa eſſe mentiebantur, quòd eorum in pro-
phanis ſcriptoribus nulla mentio fieret: quibus acu-
t lib. 10. de ciuit. cap. 18. tè Auguſtinus: [t] *Quiſquis* (inquit) *hoc dicit, ſi de
his rebus negat omnino vllis litteris eſſe credendum, po-
teſt etiam dicere nec Deos vllos curare mortalia. non
enim ſe aliter colendos eſſe perſuaſerunt, niſi mirabili-
bus operum effectibus, quorum & hiſtoria Gentium te-
ſtis eſt, quorum Dii ſe oſtentare mirabiles, potiùs quàm*

vtiles oſtendere potuere. Alibi [a] verò acutiùs: *Breuis* a lib. 22 de [illegible]
*eſt igitur noſtra complexio. aut incredibilis res aliæ incre-
dibilia, quæ tamen fiebant, & videbantur, fecerũt fidem;
aut certè res ita credibilis, vt nullis, quibus perſuaderetur,
miraculis indigeret, iſtorum nimiam redarguit infide-
litatem.* Neque verò vlla veriſimilis excogitari ratio
poteſt, cur noſtri ſcriptores tam multa fingerent,
tanto videlicet conſenſu, & conſpiratione. Atque
hæc apud exteros non obſcurè indicari, ſed falsò, &
per calumniam, (vt mox dicam) dæmonum præſti-
giis, & magicis artibus adſcribi: quàmquam in hoc
ipſo plurimùm dæmonis laborauit induſtria, ne
prophani ſcriptores noſtra attingerent, à quibus ſibi
plurimùm metuebat. Ipſi verò Eccleſiaſtici ſcri-
ptores in ſuſpicionem venire nequaquàm poſſunt,
cùm maxima eorum pars eo potiſſimùm tempore
ſcriberet, cùm facilè falſitatis argui potuiſſet, vr-
gentibus præſertim Imperatoribus, qui miraculo-
rum magnitudine maximè impugnabantur; cùm
contrà ipſi omni ſuppliciorum genere Chriſtianos
homines à ſuſcepta religione reuocare conarentur.

ADDVNT homines minimè mali, fuiſſe omnia VI.
ſpecie quidem mira, re autem vera fuiſſe dæmonis
præſtigias, & magorum veneficia, & ſenſuum ludi-
ficationes, cuiuſmodi multa apud Gentiles recen-
ſentur. [b] Nam Næuius augur poſtulante Sex. Tar- b M. Tull. lib. de diuin. Val.
quinio cotem nouacula diſſecuit: Caſtor, & Pollux Max. lib. 8.
bello Latino equorum ſudorem abluere viſi ſunt,
cùm eorum ædes, quæ prope pontem erat, ſponte
patuiſſet. Iidem bello Macedonico albis inſidentes
equis Publ. Vatinio Romam venienti nuntiarunt
eo die Regem Macedonum fuiſſe ſuperatum. Si-
mulacrum fortunæ nõ ſemel dicitur locutum; quod
& de Iunonis ſtatua fertur. Claudia Romana in ſuæ
integritatis teſtimonium nauim quâ Idea Mater
vehebatur, cùm altiùs in flumio hæſiſſet, cingulo tra-
xit. Virgo Veſtalis, de cuius violata pudicitia quæ-
ſtio erat, cribro aqua impleto controuerſiam dire-
mit. Æſculapius Epidauro accitus longa peſtilentia,
& labe vrbem Romam liberauit: Et id genus alia
plurima recenſentur. [c] Quòd ſi hæc omnia fabulo- c Min. [illegible]
ſa, & ficta, vel dæmonum artificio perfecta quis di- lib. 2 de [illegible] in De[illegible]
cat, cur non idem de noſtris miraculis liceat affir- cap. 7.
mare? Sed aptè omninò, ac verè Auguſtinus de Gen-
tilium figmentis ſcripſit, [d] ea vel falſa eſſe, vel tam d lib. 18. de
inuſitata, vt meritò non credantur. Et alibi. *Non ha-* D ciuit. cap. 18.
bemus (inquit) *neceſſe omnia credere, quæ continet hi-
ſtoria Gentium, cùm & ipſi inter ſe hiſtorici* (ſicut ait
Varro) *quaſi data opera, & quaſi ex induſtria permul-
ta diſſentiant:* additque [e] plurima fuiſſe dæmonum e lib. 18. c. 6.
artificio, aut ſenſuũ ludificatione peracta. In noſtris
porrò miraculis longè diſſimilis ratio eſt; ſiue quia
quæ apud Gentiles mira putantur, pauca admodum
ſunt, & in angulo quopiam perfecta, de quibus non
ſatis conſtat, an omnino facta ſint; & denique ſunt
eiuſmodi, vt nihil contineant ſupra naturæ vires: no-
ſtra verò miracula omnem creatam ſuperant facul-
tatem, vt Euſebius, [f] & Tertullianus [g] fusè probant. f lib. 4. & 5. hiſt.
Accedit quòd multa in miraculis Chriſti, & Apo- g In Apol. c.
ſtolorum recenſentur, quæ nulla creata efficien- 22. 23.
tia peragi queant, nec dæmonum præſtigiis, aut lu- E
dificationibus infuſcari. nullas enim proferre poſ-
ſunt Gentiles mortuorum ſuſcitationes, nullis cœcis
viſum reſtitutum, cùm plurima eiuſmodi multo-
rum teſtimonio firmata in noſtris hiſtoriis legantur.
Hærus neſcio quis apud Platonem [h] ab inferis dici- h lib. 4. de rep.
tur excitatus; ſed fabulam eſſe confictam Iuſtinus [i] i In Pareneſ.
Martyr non ſolùm aſſerit, ſed etiam probat. Veſpa- ad Gent.
ſianum cœco videndi facultatem, & claudo greſſum k In vit. Veſpaſ.
reddidiſſe ſcribit Suetonius; [k] at Tertullianus [l] vni- l Apolog. ca.
uerſim docet lædere primò dæmones, dehinc re- 22.
media

media præcipere ad miraculum noua ſiue contraria, poſtquam deſinunt lædere, & curaſſe creduntur. In quam ſententiam iiſdem propemodùm verbis ſcribit Minutius [a]; quo in genere collocantur omnia, quæ ſuprà commemoraui: vt interim taceam non paucos prophanos hiſtoricos (vt obſeruauit Tertullianus [b]) mendaciſſimè ſcripſiſſe. Nam & C. Tacitum mendaciorum loquaciſſimum vocat; & in Iudæorum quidem hiſtoria vix vllum apud eum extat veſtigium veritatis. Iam pridem verò refutatum [c] eſt, quod falsò noſtris, ſed crebrò tamen à Gentilibus obiiciebatur, magicis artibus, & diris carminibus Dæmones, & mortuorum animas miris modis exagitari, quod nullo vnquam indicio probari potuit.

VII. TENTAVERVNT etiam hæretici miraculorum gloriam vſurpare, ſed irrito conatu; ſic [d] olim pſeudopropheta ignem de cœlo deducere fruſtrà nitebantur. De Simonis magi præſtigiis, inanibus prodigiis multa Hegeſyppus [e]. De Manichæo ſcribit Epiphanius [f], dum cuiuſdam ægri morbum curare niteretur, occidiſſe. Cyriolum Armenorum Epiſcopum memorat Gregorius [g] Turonenſis dediſſe quinquaginta aureos cuidam, vt ſe fingeret cœcum, quem deinde cùm curare vellet, verè reddidit cœcum. Eunomianus quidam hæreticus apud Caſſianum [h] cùm diffideret præſente Machario poſſe ſe mortuum excitare, fugam arripuit. De Polychronio conſtat ex vj. Synodo [i] fruſtrà tentaſſe mortuum ad vitam reuocare. Taceo fraudes & impoſturas, quas multi [k] commemorant. ſcio, multos dubitaſſe, vtrum impij vera aliquando miracula facerent: negant certè Irenæus [l], Clemens [m] Romanus, & Auguſtinus [n]: affirmare videntur Tertullianus [o], Sozomenus [p], Socrates [q], & alicubi etiam Auguſtinus [r]. Et Hebræos quidem nonnulla miracula edidiſſe, auctor eſt Ioſephus [s], & concedũt Irenæus [t], & Auguſtinus [u]. Hieronymus alicubi [a] ſcribere fertur, ad ſepulcrum Ieremiæ fieri conſueuiſſe multa miracula, quæ tamen valebãt ad idololatriam confirmandam, cùm Ægyptij Ieremiam pro Deo colerent. Socrates [y], & Nicephorus [z], Paulum Epiſcopum Nouatianum verum feciſſe miraculum confirmant. Quinetiam ex Euãgelio [a] didicimus, multos in die iudicij dicturos: *In nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus.* Quibus tamen Chriſtus reſpondebit, ſe nullo vnquam tempore illos approbaſſe. Denique ex Matthæo [b], Paulo [c], & Ioanne [d], addo etiam ex Clemente [e] Romano, non obſcurè colligi videtur, Antichriſtum vera aliquando miracula facturum. Porro Auguſtinus [f] alicubi negat Donatiſtis credendum eſſe etiam ſi miracula iactitent. Alibi [g] verò vniuerſim docet, miracula non eſſe magnifacienda, quia non ex miraculis Eccleſia, ſed ex vera potiùs Eccleſia, ſolida & firma miracula cognoſcuntur.

VIII. Cæterùm nihil horum miraculorum vim infringit, aut labefactat. irriti namque & inanes hæreticorum conatus toti à nobis ſunt, quòd aliquando improbi mira quædam, & ſupra naturam efficiant abſurdum videri non debet. interdum enim valere poſſunt ad veritatem aliquam confirmandam, aut boni aliquid peragendum, nunquam tamen ad falſum dogma, vel errorem in fide ſtabiliendum, vt Iuſtinus [h] Martyr, Ignatius [i], & Auguſtinus [k] obſeruarunt, atque ita quòd ex Hieronymo de Ieremiæ ſepulcro confingitur, egregium eſt mendacium de Nouatorum officina; ſi quidem Epiphanius [k], & Iſidorus [l] affirmant quidem ad Ieremiæ ſepulcrum edita fuiſſe miracula, nihil tamen de ſacrificiis ſcribunt, quibus tamquàm Deus ab Ægyptiis coleretur: quod nec Hieronymus vnquàm ſomniauit, neque in duplici præfatione in Ieremiam, quæ eius nomine extat, quidquam ſimile legitur. nam quæ in quibuſdam [a] bybliis circumfertur, nec Hieronymi eſt, neque illi (quod ſciam) ab vllo viro docto tribuitur. Suſpicor, figmentum eſſe hæreticorum, qualia in hoc genere multa commemorantur à Tertulliano [b], Hegeſippo [c], Epiphanio [d], Paulo [e] Diacono, Gregorio [f] Turonenſi, Caſſiano [g], Optato [h], Gregorio Nyſſeno [i], Theophylacto [k]. Quanti verò Auguſtinus Catholicorum miracula fecerit, conſtat ex iis, quæ de miraculis ad B. Stephani ſepulcrum editis fusè ſcribit [l]. Alibi [m] verò apertè ait, ex miraculis Eccleſiam comprobari: atque ita ne ſecum pugnare videatur; dicendum eſt, vtroque loco Auguſtinum ex conceſſis diſputare ad hominem, & contra Manichæos quidem, qui miracula admittebant, ſcripturas negabant, ex miraculis ſcripturas probat. Contra Donatiſtas verò, qui admittebant ſcripturas, negabant miracula, ex conceſſis contrario planè modo argumentatur. Nam re vera quemadmodum ex ſcripturis probamus Eccleſiam, & ex Eccleſia ſcripturas, ita etiam ex miraculis Eccleſiam, ex Eccleſia miracula probare poſſumus. Miracula ſiquidem Eccleſiæ reſpectu, faciunt euidentiam, quam vocant credibilitatis, ex auctoritate verò Eccleſiæ probatur certitudo miraculi, qualis eſſe poteſt. nunquam enim euidenti certitudine conſtare poteſt vera eſſe miracula. Quod autem de Paulo Epiſcopo Nouatiano affertur, non habet magnam vim, ſiue quia primus eius hiſtoriæ auctor hæreticus eſt, ſiue quia potuit Dæmonum ope fieri, ſiue quia in honorem ſacramenti potuit ope diuina verum miraculum patrare: hoc enim modo non eſt abſurdum, vt ſuprà iam diximus, per homines impios vera miracula fieri. Quod poſtremò dicitur de miraculis Antichriſti, nihil ille ſupra naturam efficiet, multa in cauſarum naturalium, plurima ope Dæmonis, nonnulla etiam ſenſuum ludificatione faciet: atque idcirco à Paulo dicuntur ſigna mendacia, ſiue quia referẽtur ad falſum dogma ſtabiliendum, ſiue quia (vt ait Cyrillus [n] Ieroſolymitanus) vt plurimùm à mendaciorum auctore perficientur; ſiue quia præſtigias, & ludificationes ſenſuum continebunt, vt idem Cyrillus [o], Theodoretus [p], & Aretas [q] affirmant, ſiue denique quia miracula videbuntur, cùm tamen naturæ vires non ſuperent.

Quæ cùm ita ſint, eximium fuit Apoſtolorum priuilegium, quòd ad Euangelicæ doctrinæ confirmationem & plurima, & maxima miracula edere poſſent, quæ non ſolùm erant firmiſſima veræ fidei argumenta, ſed (vt docent Gregorius [r] Nyſſenus, & Chryſoſtomus [f]) diuinæ potentiæ pignora.

Fuerintne Apoſtoli in omnibus prorſus æquales.

CAP. IX.

I. NEMINI dubium eſſe poteſt, ſi ipſum per ſe munus Apoſtolicum, atque ea, quæ ipſi ſuapte natura, atque intimè inſunt, ſolitariè inſpiciantur, æquè omnes Apoſtolos ad prædicandum, miracula efficienda, miniſtranda ſacramenta, & denique leges condendas ſimili, ac penitus æquali fuiſſe præditos poteſtate. Atque idcirco cùm ſemel, atque iterum de primatu inter eos orta eſſet contentio, acriter à Chriſto Domino caſtigantur, & ad modeſtiæ, & Chriſtianæ humilitatis ſtudium vehementiùs incitantur, ſuo ipſius propoſito exemplo, qui omnium propemodùm miniſtrum ſe exhibuerat. Quamquàm igitur orbis terræ prouincias ſortitione ſibi quiſque ſuas delegerunt; fas tamen omnibus erat vbique locorum,

eorum, & gentium Apoſtolicas functiones exercere, & non ſolùm Euangelium promulgare, & ſacramenta miniſtrare, ſed etiam leges condere, quæ ad omnes omnino gentes pertinerent. Etenim quãuis ſinguli Apoſtoli certas ſibi ſedes, atque Eccleſias priuatim erudiendas, inſtituendáſque ſumpſiſſent, eorum tamen auctoritas latiùs diffuſa, non tam anguſtis terminis circumſcribebatur.

II. Verùm cùm hæc ſine controuerſia ab omnibus admittantur, illud multis, ac magnis difficultatibus implicatur, quomodo Petrus & Apoſtolorum princeps, & ſupremus Eccleſiæ paſtor conſtitutus cenſeatur. Nam præcipuam quamdam, & humana fide maiorem auctoritatem Apoſtolo Petro fuiſſe cõceſſam & ſacræ [a] litteræ docent, & viri doctiſſimi [b] confirmant. Illud video non ſine diſſentientium pugna inter Theologos [c] agitari, omnibúſne Apoſtolis proximè à Chriſto fuerit æqualis prorsùs attributa poteſtas. ſunt enim qui affirment, quíque prætereà contendant, fuiſſe omnes Apoſtolos Petro æquales: alij contrà vtrumque negant. Cæterùm fuiſſe omnes æquè à Chriſto Apoſtolos renunciatos, & tres Euangeliſtæ [d] affirmant, & nos ſuprà docuimus. Quinetiam, quod videri poteſt admirabilius, Paulus [e] ipſe ſe à Deo Apoſtolum conſtitutum eſſe probat, negátque ſe quidquam ab Apoſtolis accepiſſe, ne à Petro quidem. Quòd ſi ea ſpectentur, quibus Apoſtolica auctoritas conſtat, pares fuiſſe omnes, atque æquales, paulò antè diximus, & nemo repugnat. Ea verò ex ſententia D. Thomæ [f] tria potiſſimùm ſunt; auctoritas adminiſtrandæ Eccleſiæ, regendíque populum fidelem; prædicandi, & docendi facultas; denique poteſtas patrandi miracula; quæ fuiſſe, quod attinet ad ipſorum naturam, & eſſentiam, in omnibus æqualia pro certo admittitur [g]. Neque tamen propterea inficiandum eſt alicuius Apoſtolatum ex accidenti cæteris præſtantiorem & eſſe, & appellari poſſe. nam, vt alicubi D. Thomas [h] affirmat Pauli Apoſtolatus vel hoc potiſſimùm cæteris præſtat, quòd à Chriſto immortali fuerit inſtitutus. Alia verò ex parte Petri Apoſtolatus multiplici ratione cunctis videtur præferendus, ſiquidem auctoritas adminiſtrandi Eccleſiam cæteris Apoſtolis quaſi extra ordinem, & ex priuilegio conceſſa eſt, non quia paſtores, & Epiſcopi erant, ſed quia Apoſtoli. Petrus autem ordinarius omnium mortalium paſtor renunciatus eſt, eadémque ratione titulo Vicarij Chriſti in vniuerſa Eccleſia eſt decoratus. Alij quaſi delegati, aut etiam legati cenſendi ſunt, & non niſi ampla quadam, latéque patenti ſignificatione Chriſti vicarij nuncupantur: cúmque reliqui inter ſeſe omnino pares eſſent, neque alius in alium auctoritatem vllam haberet, vnus Petrus præerat vniuerſis, & in omnes ſuam exercebat poteſtatem, cui à Chriſto dictum [i] fuerat: *Paſce agnos, & paſce oues.* Nam vt Chryſoſtomus in eum locum obſeruat, ab ouium grege, & numero neutiquàm Apoſtoli excludebantur. Itaque aliorũ Apoſtolorum auctoritas (vt ſuo loco oſtendemus [h]) ſucceſſione caruit, Petri ſuprema poteſtas non item, ſed etiam num in Eccleſia perſeuerat vſque ad mundi occaſum duratura, atque idcirco nemo Ioannis, aut Iacobi, quia fuerunt Apoſtoli, ſucceſſor dicitur, Petri ſucceſſores omnes Romani Pontifices iure optimo appellãtur. Denique ſi hæc ſubtiliùs libeat perſcrutari, ipſa, vt ſic dixerim, auctoritatis eſſentia nobiliori quodã modo in Petro, quàm in cæteris Apoſtolis inerat, quòd in eo eſſet veluti cum quadam auctoritate, in cæteris nonniſi efficiendi poteſtate. Itaque D. Thomas Petrum, & Paulum executione pares fuiſſe ſcribit, Petrum verò auctoritate regiminis ſuperiorem, eo fermè mo-

a Mat. 16. 19. Ioan. vlt. 16. 17.
b Almain. c. 6. de auctor. Eccleſ. concluſ. 2.
c Caietan. in opuſc. de auctorit. Pap. & Concil. c. 2. Victor. relect. 2. de poteſt. Eccleſ. q. 2.
d Mat. 10. 2. Marc. 3. 14. Luc. 9. 1.
e 2. ad Cor. 12. 11. Ad Galat. 1. & 2.
f in 1. ad Cor. cap. 12.
g Caiet. de poteſt. Pap. & Conc. c. 3.
h in ep. ad Gal. cap. 1.
i Ioan. 21. 15. 16. 17.
h cap. ſequẽt.

A do quo Epiſcopi Vicarius agendi poteſtate Epiſcopo eſt æqualis, ſed auctoritate longè inferior.

Qvæ ſi vera ſunt, vt profectò cenſeri debent, illud omninò conſequens eſt, potuiſſe quidem Apoſtolos vbique gentium Euangelium promulgare, miracula edere, cõferre ſacramenta, ordinis ſui functiones exercere, denique leges condere; ſed ita tamen, vt eorum leges, & præcepta Petri auctoritati ſubeſſent; ab eóque reuocari, corrigi, mutari, denique abrogari poſſent: quod vel vno inſigni teſtimonio ex Euſebij [a] Cæſarienſis hiſtoria deprompto confirmari poteſt. is enim narrat contentionem ortam inter Orientales, & Occidentales de Paſchatis celebratione. Et Polycrates quidem Epheſiorum Epiſcopus ſua ad Victorem Romanum Pontificem B Epiſtola, auctoritate Apoſtolorum, & præcipuè Ioannis, qui Epheſi obierat, Paſcha quartadecima die menſis celebrandum eſſe contendebat. Itaque ex ea Epiſtola colligitur fuiſſe illam legem Apoſtolicam, & tamen Victor Pontifex illa lege abrogata, ſtatuit, vt non niſi die dominico, idque poſt Lunam xiiij. Paſcha celebraretur. Legem Victoris tum quidem Irenæus, mox verò vniuerſa Eccleſia complexa eſt, & pluribus ſynodalibus ſanctionibus confirmauit. Quòd ſi id potuit Petri ſucceſſor, quanto magis Petrus ipſe efficere potuiſſet? Quamobrem fateri neceſſe eſt, accepiſſe Petrum à Chriſto Domino poteſtatem cæteris omnibus Apoſtolis ſuperiorem; quod non obſcurè illo ipſo loco, quo omnes Apoſtoli eliguntur, indicaſſe viſi ſunt Euangeliſtæ, cùm illum C primo loco nominant; quod (vt ſuprà dixi) neque temerè, neque aliam ob cauſam factum eſſe credendum eſt, quàm quòd ille inter omnes principem locum obtineret. Alibi verò apertiſſimè declaratur, ſiue cùm Petro dictum [b] eſt à Chriſto: *Tu vocaberis Cephas*; ſiue cùm pręclaræ illæ pollicitationes fiunt [c]: *Tu es Petrus. & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & tibi dabo claues regni cælorum.* Siue denique cùm paſtor omnium fidelium verbis illis conſtituitur [d]: *Paſce agnos meos, & paſce oues meas.* Itaque cùm nonnulli ſancti [e] Patres Apoſtolos pares fuiſſe dicunt, eo modo accipiendi ſunt, quem paulò antè explicuimus, eorum videlicet reſpectu, quæ cùm ſint Apoſtolatus propria, æquè omnibus Apoſtolis ſunt neceſſariò cõmunia. Cæterùm Petri præcipua quæ-D dam auctoritas iis verbis declaratur: *Tu es* [f] *Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*; hæc enim verba priuatim ad Petrum referri tam multa oſtendunt, vt mirum ſit potuiſſe à Nouatoribus aliter accipi. Etenim Simonem filium Ionæ nominatim appellat, tum eum rurſum deſignans: *Tu es* (ait) *Petrus.* Quorſum enim hæc tam accurata deſcriptio Petri, ſi quæ ibi dicuntur nihilo plus ad illum, quàm ad cæteros Apoſtolos ſpectant? Cui (quæſo) pollicetur Chriſtus ſe ædificaturum Eccleſiam, niſi ei, qui paulò antè dixerat: [g] *Tu es Chriſtus filius Dei viui?* Itaque rectè obſeruauit Hieronymus veræ Petri confeſſioni redditam eſſe mercedem.

IV. At (inquiunt) Petrus Eccleſiæ perſonam ſuſtinebat. Fateor, ſed non aliter, quàm duo Abrahæ filij, duo teſtamenta ſigni-E ficabant, & duæ illæ ſorores in Euangelio, Martha, & Maria, duas viuendi rationes indicabant; cùm tamen verè Abraham duos liberos ſuſceperit, & verè duæ illæ ſorores Chriſtum hoſpitio exceperint; ita Petrus cùm verè à Chriſto Domino claues acceperit, facto illo veriſſimo indicabat fore in Eccleſia clauium poteſtatem. Nam, vt Hilarius, Hieronymus, Chryſoſtomus, & Theophylactus obſeruarunt, ad eumdem pertinent verba illa: *Tibi dabo claues*, ad quem & illa, quæ ſubſequuntur: *Vade* [h] *poſt me Sathana, ſcandalum es mihi.* Quamquàm enim noluit

Hilarius

a lib. 5. hiſt. cap. 4.
b Ioan. 1. 42.
c Matt. 16. 18.
d Ioan. 21. 15. 16. 17
e Cypr. lib. 6. de vnit. Eccl. Hilar. lib. 6. de Trin. Hieron. li. 1. in Iouin. Aug. tract. 50. & tract. vlt. in Ioan. Pſ. 108. lib. 2. de doct. Chriſt. c. 17. & lib. de agon. Chriſt. ca. 30. Leo Pont. ſer. 3. de anniuer. ſuæ aſſumpt.
f verſ. 18.
g verſ. 16.
h Matt. 4. 10.

Hilarius Sathanæ nomen Petro conuenire, Petro tamen dictum eſſe putat: *Vade poſt me.* Et [a] alibi apertè aſſirmat, Petrum Sathanæ nomine fuiſſe appellatum, quod & facit B. Auguſtinus [b]. quamuis enim Diabolus Sathanæ nomen vſu penè communi ſibi proprium fecerit; ſi tamen Hebrææ vocis vis, & poteſtas inſpiciatur, nihil præter aduerſarium ſignificat; non debet autem videri abſurdum, eum, cui Pater Trinitatis myſterium reuelauerat, ob id ad terſarium dici à Chriſto quod mortem, quam ipſe pro hominum ſalute ardentiſſimè cupiebat, prohibere niteretur. At Chryſoſtomus [c], Hieronymus [c], & Auguſtinus [d] Petrum omnium Apoſtolorum nomine reſpondiſſe ferunt. Non nego, ſed hoc ipſo Petro principatum aſſerit: non enim quaſi præco, ſed tamquam Principis omnium nomine reſpondit, quod diuinitus vno Deo magiſtro didicerat. ita enim Hilarius [e], Chryſoſtomus [f], Cyrillus [g], Auguſtinus [h], Leo [i] Petri verba accipiunt; qui omnes quod Petrus reſpondit, cæteros ignoraſſe affirmant. Nec enim Petrus Chriſtum eſſe Dei filium ab Apoſtolis, ſed à Deo Patre cognouerat: ſed alio apud Matthæum [k] loco omnibus Apoſtolis dantur claues. *Quæcumque* (inquit) *alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Cur ergo dicemus vni Petro promiſſum, quod omnibus deinde tribuitur?

a l. lib. 10. & in. de Trin. & in Pſal. 131.
b lib. 2 cont. duas epiſt. Gaud. c. 13.
c Matth. 16.
d Serm. 13. de verb. Dom.
e Matt. 16. & lib. 6 de Trin.
f Hom. 55 in Matth.
g lib. 12. in Ioan. c. 64.
h Ser. 24. de temp.
i Serm. 11. de paſſione & ſerm. 2 de S. Apoſt. Petr. & Paul.
k cap. 18. 18.

V. VERVM, prætermiſſa Origenis, & Theophylacti interpretatione, & recentiorum [l] quorundam ſubtilitate, Hilarius, Hieronymus, Anſelmus, & alij in eum locum, ipſeque adeo Auguſtinus [m] apertè fatentur verba illa, quæ ad Apoſtolos omnes pertinent de vſu, & poteſtate clauium accipienda eſſe; nō quæ tunc tribuantur Apoſtolis, ſed quæ promittantur, & futuræ in Eccleſia prædicantur. nam ab ipſo Petro in omnes inferiores miniſtros tranſmittuntur: dantur autem Apoſtolis claues cùm Chriſtus apud Ioannem [n] dixit: *Accipite Spiritum ſanctum:* ſed vt intelligeremus hanc Apoſtolorum poteſtatem vni Petro eſſe ſubiectam, Petro tãtùm dicitur [o]; *Paſce agnos, & paſce oues.* Etenim, vt ait S. Leo [p], Petro *præ cæteris tradita eſt ſoluendi, & ligandi poteſtas:* Et [q] alio loco: *Inter beatiſſimos* (inquit) *Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis, & cum omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt, vt cæteris præemineret.* Denique [r] alibi explicans verba illa; *Tibi dabo claues, Tranſiuit* (ait) *in alios Apoſtolos vis poteſtatis iſtius, & ad omnes Eccleſiæ Principes decreti huius conſtitutio commeauit.* Qua ratione explicanda ſunt verba Cypriani [ſ]. *Hoc erant* (inquit) *vtique & cæteri Apoſtoli, quod fuit & Petrus, pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis; ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, primatus Petro datur, vt Eccleſia vna mõſtretur.* Quocirca ineptè quærunt hæretici, vbinam mortuo Petro, ſi ipſi vni promiſſæ ſunt, claues relictæ fuerunt. certum enim eſt participatione quadam in inferioribus miniſtris manere; cum ea verò amplitudine, quæ propria eſt Petri, Petro, aut Petri ſucceſſore vita functo nuſquam eſſe, ſed ſucceſſori legitimè electo, ab ipſo Chriſto vi primææ inſtitutionis diuinitùs concedi. Accedit, quòd nomen clauis, quantum ex ſacris litteris [t] colligitur, poteſtatem, atque auctoritatem ſignificat; & ligandi verbum (vt alias diximus) præcipiendi, puniendi, diſpenſandi poteſtatem indicat; atque ita Chriſti verba accepiſſe videntur ſancti patres Chryſoſtomus [u], Cyrillus [x], Hieronymus [y], Gregorius [z].

l Caiet. tract. de inſtitut. & auct. Pontif. cap. 1.
m Tract. 22. & 49. in Ioā.
n cap. 20. 22.
o cap. 21. 15. 16. 17.
p Epiſt. 89.
q Epiſt. 84.
r Serm. 3. de anniu. ſuæ aſſumpt.
ſ lib. de vnit. Eccleſ.
t Iſa. 9 & 22. Apoc. 1.
u Hom. 55. in Matth.
x Ioan. 21.
y Epiſt. ad [illegible] lib. q. 9.
z lib. 4 regiſt. epiſt. 32.
a Chryſoſt. [illegible] Auguſt. in hūc locū. Ambroſ. Luc. vlt. Maxim. ſerm de S. Apoſt. Petr. & Paul. Leo epiſt. 81 & ſer. 3. de anniu. ſuæ aſſumpt.

PORRO ſoli Petro dictum eſt, *Paſce oues meas, & paſce agnos*, vt ipſa verba apertiſſimè indicant. proprio enim nomine Simon Ioannis compellatur, & ſancti Patres [a] ita accipiunt. De paſcendi verbo alibi dictum eſt; eſt enim regium verbum. Nomine autem agnorum, ouium, & ouicularum omnes omnino fideles intelliguntur, vt iidem ſancti Patres affirmant. His addo Petri prærogatiuas, quas alij [a] ante nos doctè, copioſéque explicuerunt: prætereo penè innumerabilia ſanctorum Patrum [b] teſtimonia, qui Petri primatum & agnoſcunt, & prædicant.

a Bellar. lib. 1. de Rom. Pontif. c. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24.

VI. VERVM Iacobus videtur Petro maior. etenim Clemens apud Euſebium [c] hunc in modum ſcribit: *Petrus, Iacobus, & Ioannes poſt aſſumptionem Saluatoris, quamuis ab ipſo fuerint omnibus penè prælati: tamen non ſibi vendicabant primatus gloriam, ſed Iacobum, qui dicebatur Iuſtus Apoſtolorum Epiſcopum ſtatuunt.* Et Chryſoſtomus [d]: *Vide* (ait) *Iacobi modeſtiam. is acceperat Ieroſolymis Epiſcopi munus, & tamen hic nihil loquitur. Conſidera autem & aliorum diſcipulorum ſingularem modeſtiam, quo pacto concedunt ei ſolium, nec ampliùs ambigunt diſceptantes inter ſe.* Accedit, quòd videtur Iacobus verè Chriſto ſuccedere in Epiſcopatu Ieroſolymitano, videtúrque Ieruſalem omnium Eccleſiarum mater. Scriptum eſt enim ab Iſaia [e]: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* Sed quod attinet ad teſtimonium Euſebij, nihil dubito, locum eſſe vitiatum, & pro Apoſtolorum Epiſcopo, reponendum eſſe Ieroſolymorum Epiſcopum: ita enim legitur in Græco codice Vaticano, & Pariſienſi nuper edito; itáque legiſſe videtur Nicephorus [f], & ipſe Euſebius [g] non ita multò pòſt, Petrum Apoſtolorum maximum, & primorum principem vocat. Chryſoſtomus verò de ſolio Ieroſolymitano tantùm loquitur, quod Iacobo conceſſum fuiſſe narrat. nam alibi [h] apertè docet, Petrum fuiſſe Apoſtolorũ primum. Porro Eccleſia Ieroſolymitana mater eſt Eccleſiarum ratione antiquitatis, & aliorũ priuilegiorum, non tamen auctoritate. id enim Eccleſiæ Romanæ proprium eſt. atque idcirco in Cõcilio [i] Niceno Epiſcopo Ieroſolymitano quartus inter Patriarchas locus conceditur, alióque Cæſarienſi Archiepiſcopo ſubiicitur, tamquàm totius Palæſtinæ metropolitano. Accedit, quòd (vt ſcribunt Chryſoſtomus [k] & Euthymius [k]) quidquid ſit de Eccleſia Ieroſolymitana, illius duntaxat Eccleſiæ Iacobus fuit Epiſcopus, Petrus autem vniuerſæ Catholicæ Eccleſiæ præfuit. Itaque rectè Bernardus [l]: *Iacobus vna Ieroſolyma contentus vniuerſitatem Petro cedit.* Quo nomine nemo non videt Petrum aliqua ratione Ieroſolymitanæ Eccleſiæ etiam præfuiſſe. verè autem ſcripſit B. Leo [m] cum de Petro ageret: *de toto mundo vnus eligitur, qui & vniuerſarũ gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ patribus præponatur, vt quamuis in populo Dei multi ſacerdotes ſint, multique paſtores: omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus.*

b Origen. ad Rom. 6. Euſeb. in chron. an. 44 & lib. 2 hiſt. cap. 14. Baſil. ſerm. de iud. Dei. Gregor. Nazian. orat. de mod. in diſp. ſeruã. Epiph. hær. 51. & in Anchor. Cyril. Ieroſ. catech. 2. Cyril. Alex. lib. 12. in Ioa. ca. 64 & in lib. theſ. apud D. Thom. in opuſc. contra Græcos. Chryſoſt. hom. 11. Matth. & vlt. in Ioann. Euthym. Ioann. vlt. Theophy. Luc. 22. Oecumen. Act. 1. Hug. Aether. de proceſſ. ſpirit. lib. 1. c. 17. Cypr. epiſt. ad Quint. lib. de vnit. Eccleſ. Max. ſer. 3. de Apoſt. Opt. li. 2. cont. Parm. Ambroſ. Luc. vlt. 2. ad Cor. 12. ad Gal. 1. Hieron. lib. 1. in Iouin. Auguſt. lib. 2. de bapt. ca. 1. ſer. 124. de temp. Auct. Quæſt. veter. & nou. Teſtam. q. 75. apud Auguſt. tom. 4. Leo ſerm. 3 de aſſumpt. ſuæ. & ep. 84. Proſp. lib. de ingr. Arat. Act. 1. Greg. lib. 4. epiſt. 32. Beda Hom. in vigil. S. Andreæ. & Hom. de feſto Petr. & Paul. Bernar. in ep. 237 ad Eug. & lib. 2 de conſid. ad eund.
c lib. 2. hiſt. cap. 1.
d Hom. 3. in Act.

VII. DE Paulo verò Apoſtolo longè videtur quæſtio difficilior. etenim Paulus nullam in Petro maiorem poteſtatem agnoſcit. cùm enim de illo, & Iacobo loqueretur [n]: *Quibus* (inquit) *neque ad horam ceſſimus ſubiectione:* Et mox: *Mea nihil refert quales fuerant, qui aliquid eſſe videbantur.* Itémque; *qui videbantur eſſe aliquid nulla mihi mandata dederunt.* Rurſus: *Nihil mihi contulerunt.* Denique, *Dexteram dederunt ſocietatis.* Sed nimirum ſpectant ea omnia ad refellẽdam pſeudoapoſtolorum calumniam, qui Paulum cæteris Apoſtolis inferiorem eſſe contendebant, quòd illi à Chriſto, hic verò ab Apoſtolis Euãgelicam doctrinam percepiſſet. Itaque Paulus Apoſtolum ſe renuntiatum eſſe ſcribit, *non ab hominibus, neque per hominem*; palámque prædicat, non ſe ab vllo mortalium, ſed ab vno Chriſto Euangelium didiciſſe; malè autem verba illa; *Quibus nec ad horam ceſſimus ſubiectione*, ad Petrum, & Iacobum referun

e cap. 2. 3.
f lib. 2. c. 1.
g lib. 2. hiſt. cap. 14.
h Hom. vlt. in Ioan. & Hom. 2. in Act.
i Can. 7.
k Ioan. vlt.
l lib. 2. de conſ. ad Eug.
m Serm. 3. de anniuerſario ſuæ aſſumpt.
n ad Gal. 2.

ferũtur, cùm referri debeant ad pſeudoapoſtolos, qui Paulum, cæteróſque fideles legis veteris cæremoniis ſubiicere conabantur: cætera pertinent quidem ad Apoſtolos, ſed ſignificant fuiſſe inter Petrum, & Paulum quamdam ad Euangelium promulgandum ſocietatem,& conſenſionem: de adminiſtratione autem Eccleſiaſtica, ne verbum quidem. At Paulus ſimpliciter vocatur Apoſtolus, & ſigilla, quibus Romanorum Pontificum diplomata obſignantur (vt obſeruarunt Petrus [a] Damianus, & D. Thomas [b]) dextro ſemper loco Paulum referũt. Sed cur Paulus, Apoſtolus ſimpliciter nuncupetur, duplex affertur ratio. Altera, quòd plura ille ſcripſerit; atque ita eius Epiſtolæ inter Apoſtolica ſcripta principem obtineant locum: altera, quòd in propaganda fide, & Euangelio promulgando plures, & grauiores labores ſubierit. Vtramque rationem pauciſſimis verbis complexus eſt Auguſtinus [c]. *Apoſtolus* (inquit) *cùm dicitur, ſi non exprimatur quis Apoſtolus, non intelligitur niſi Paulus, quia pluribus eſt Epiſtolis notior, & plus omnibus aliis laborauit.*

a Propr. tract. de hac re
b ad Gal. 1. lect. 2.
c lib. 4. ad Bonif. c. 2.

VIII. Qvod verò de diplomatum imaginibus affertur, magnam multis diſputandi materiam præbuit. Illud certiſſimum apud omnes Catholicos videtur, vt ampliſſima fuerit Pauli dignitas, nihil illam de ſuprema Petri auctoritate detrahere: quippe cùm tota fuerit extraordinaria; Petri verò ordinaria, eo fermè modo, quo Moſes in populo Dei extra ordinem pontificatum exercuit, cùm tamen Aaron Pontifex ordinarius eſſet. Addo, quòd non ſemper dextrum locum occupat Paulus, ſed in numiſmatibus ſæpè dexter viſitur Petrus; & fortaſſe magno id conſilio factum eſt, vt eos omnino pares eſſe intelligeremus; Petrus quippe poteſtate maior, ſed ſapientia Paulus præcellere videtur; quod eleganter ſignificauit S. Maximus [d], *qui Petro clauem potentiæ, Paulo clauem ſapientiæ datam eſſe affirmat.* Mox tamen æquales eſſe dicit. *Ergo* (inquit) *Beati Petrus, & Paulus eminent inter vniuerſos, & peculiari quadam prærogatiua præcellunt: verùm inter ipſos quis cui præponatur incertum eſt. puto enim, illos æquales eſſe meritis, quia æquales ſunt paſſione.* Et in eamdem ſententiam Leo [e]. *Hos* (ait) *gratia Dei in tantũ apicem inter omnia Eccleſiæ mẽbra prouexit, vt eos in corpore, cuius caput eſt Chriſtus quaſi geminum conſtitueret lumen oculorum de quorum meritis, atque virtutibus nihil diuerſum, nihil debemus ſentire diſcretum, quia illos & electio pares, & labor ſimiles, & finis fecit æquales.* Denique ſanctus Gregorius [f]: *Paulus* (ait) *Apoſtolus Petro Apoſtolorum primo in principatu Apoſtolico frater eſt.*

d ſerm. vlt. de SS. Petr. & Paul.
e Serm. 1. de Nat. Apoſtol.
f 1. Dial. cap. vlt.

IX. Nec deſunt viri [g] in humanioribus litteris exercitati, qui olim cùm duo incederent, læuam potiorem fuiſſe contendant; itaque ſeniores læuam occupabant, dexteram iuniores; iidémque nonnihil præcedere obſequij cauſa ſolebant, inde dicti laterones, & per contractionem latrones, qui dextrum nobiliorum latus defenſionis cauſa cingebant. Itáque de ſeniore dixit quidam [h]:

Et medius iuuenum non indignantibus illis,
Ibat, & interior ſi comes vnus erat.

g Anton Nebriſſ. in Aun. ad quinquag. loc. ſcript.
h Ouid. lib. 5. Faſt.

Interiorem porrò eum ſignificare, qui læuam occupat partem, illi apud Virgilium [i] verſus oſtendunt.

Ille inter naues Giga ſcopulóſque ſonantes,
Radit iter læuum interior ſubitúſque priorem
Præterit.—

i lib. 5. Æneid.

Quinetiam Euſebius [k] ſcribit ſe in Palæſtina vidiſſe Conſtantinum adoleſcentem ad dexteram ſenioris Auguſti prouinciam obeuntem. Nec dubium eſt, Conſtantinum adoleſcentem, ac penè priuatum loco digniore ſeniori Auguſto relicto inferiorem videri voluiſſe. Quod enim Ambroſius [l], & Hieronymus [a] dicunt, ſedere ad dexteram amplioris eſſe honoris ſignum, admitti vtrumque poteſt in iis, qui recto ordine ſedent, ſecus in inceſſu, cùm is, qui dexteram occupat, alterum quodãmodo cingit, ac protegit. Itaque credibile eſt initio cœpiſſe pingi Paulum ad dexteram Petri, vt eum quaſi minor tegeret, & nonnihil obſequij gratia incedendo præcederet. id deinde cùm imperiti pictores non animaduerterent, Paulo dextram tribuebant, etiam ſi quis medius inter eos collocaretur: nam alioqui Petrus ſemper primo loco nominatur. Quòd ſi hæc minùs probantur, de quibus alibi fuſiùs diſſerendũ nobis erit; id Pauli laboribus tributum fuiſſe dicemus; etenim Eccleſia in ſanctorum cultu, & veneratione dignitatis, aut gradus non ſemper rationem habet. Licet enim Stephanus, & Laurentius, ille quidem Iacobo, hic verò Sixto Romano Pontifici Diaconi operam præſtarent, ille tamen maiori quàm Iacobus, hic quàm Sixtus honore colitur. Sic alij permulti ſancti quamuis gradu ſummis Pontificibus inferiores, maiori cultu, ac veneratione celebrantur. Adde, ſi placet, quòd cùm Paulus gentium Apoſtolus, Petrus verò Iudæorum ſit conſtitutus, eò Pauli honor refertur, vt intelligamus; Gentiles Iudaico populo præferri. Addunt [b] alij meritò eum honorem Paulo tribui, quòd à Chriſto immortali, & beato ſit in Apoſtolorum collègium cooptatus. Addit denique nonnemo [c] myſticam quamdam rationem, quòd Paulus fuit ex tribu Beniamin, quem filium dextræ interpretantur.

k lib. 1. de vita Conſt.
l Serm. 61 qui eſt de Pentec.
a ad Epheſ. 1.
b Petr. Dam. ep. ad Deſid. Inno. 3. in ſer. de Euang. S. Thom. lect. 1. in ep. ad Gal.
c Petr. Dam. loc. citat.

Maneat igitur fuiſſe Apoſtolos officio, & gradu pares, auctoritate tamen, ac dignitate Petrum omnibus fuiſſe ſuperiorem; vnde (vt ſuo loco fuſiùs probabitur) Romanæ Eccleſiæ primatus, Romanique Pontificis ſuprema poteſtas ortum habuit, quam non hæretici modò, ſed etiam nonnulli Catholici [d] diuerſo quidem ſtudio, ſed pari penè conatu oppugnant.

d Patres Cõcil. Baſilie. apud Turrecrem. li 2. de Eccl. cap 70. Ioann Gerſ. tract. de poteſt. Eccl. Almain de auct. Eccleſ. cap. 6. prope. 2.

An debuerint omnes Apoſtoli habere ſucceſſores, & vbi nunc ſit auctoritas Apoſtolica.

Cap. X.

Hæretici ferre non poſſunt Romanum Pontificem, Apoſtoli Petri ſucceſſorem appellari, atque idcirco neminem ſimpliciter putant eſſe Apoſtolorum ſucceſſorem, qui non ſit idem Apoſtolus: ſed non vident homines acuti, tria in Apoſtolatu inſpici poſſe. Primùm enim ſpectanda eſt auctoritas diuini verbi promulgandi, quæ in Apoſtolis quidem nullis terminis circumſcripta vſque eò ſeſe fundit, vt eis liceat libros Canonicos ſcribere, noua dogmata Eccleſiæ proponere, à quibus nefas ſit vlla ratione diſſentire, ne accedente quidem (quod tamen cogitari nefas eſt) Conciliorum, aut Romanorum Pontificum auctoritate. Hoc ſi contendant nulli mortalium fuiſſe conceſſum, neminẽ (credo) Catholicum reperient, qui contradicat. neminem enim in hoc quidem munere Apoſtoli ſucceſſorem habent; idque illis duntaxat Spiritus ſancti beneficio conceſſum eſt. Alterum Apoſtolorum munus erat fidem propagare, & Eccleſias conſtituere; idque, vt ſuprà dictum eſt, ampliſſima quadam, nullóque modo definita poteſtate. Id quidem adhuc in Eccleſia perſeuerat; non tamen omnibus Apoſtolorum ſucceſſoribus adeo amplè conuenit, ſed cuique priuatim intra terminos Eccleſiæ ſibi adſcriptæ: ampliſſima verò auctoritas vni Romano Pontifici reſeruata eſt, qui vbique gentium, ac populorum, ſuo iure poteſt nouas Eccleſias inſtituere, inſtitutas confirmare, collapſas erigere, errantes ad rectum veritatis tra-

mitem

mitem reuocare. Poſtremò iuerat Apoſtolis ſumma quædam auctoritas Eccleſiam adminiſtrandi, ferendi leges, iudicia exercendi, controuerſias dirimendi, dogmata definiendi, quæ tamen in Apoſtolo Petro erat ordinaria, in cæteris quaſi extra ordinem ipſis duntaxat Apoſtolis permiſſa.

II. FVERVNT præterea Apoſtoli priuatarum ciuitatum Epiſcopi, & Petrus quidem Antiochiæ primùm, deinde Romæ; Iacobus Ieroſolymis, Ioannes Epheſi: alij denique alibi; atque hac quidem ratione certis quibuſdam legibus, ac terminis definitam, & circumſcriptam auctoritatem habebant. Cæterùm hac ratione omnes fermè Apoſtoli, Paulo excepto, habuere ſucceſſores, qui priuatas illas Eccleſias tamquam Epiſcopi adminiſtrarent. Itaque Iacobi in Epiſcopatu Ieroſolymitano ſucceſſores B numerantur; itémque Petri in Antiochena Eccleſia; denique Ioannis in Epheſina. Paulus autem, qui nullius certæ Eccleſiæ Epiſcopatum geſſiſſe fertur, ſucceſſorem habere non potuit. nam cùm ille gentium Apoſtolus diuinitùs conſtitutus eſſet, vt omnibus nationibus Euangelij lucem præferret, nulli certo loco adſtringi, & veluti alligari debuit. Siquidem cùm primùm à Deo ad fidem vocatus eſt, diuino teſtimonio his potiſſimùm verbis commendatur: *Vas[a] electionis eſt mihi iſte, vt propter nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filiis Iſrael.* Quæ cauſa fuit, vt exiſtimarint nonnulli [b] poſſe etiamnum abſque peculiaris Eccleſiæ titulo Epiſcopum initiari. Sic enim ratiocinantur: duplex iniri in Epiſcopi conſecratione ſpiritale connu- C bium cum Eccleſia; alterum cum Eccleſia vniuerſali, alterum cum ſingulari, cui adſcribitur. Prius illud firmius, atque indiſſolubilius eſſe, cùm Epiſcopus ſemel initiatus indelebili charactere percepto, numquam deſinat eſſe Epiſcopus: hoc verò cum Eccleſia ſingulari non eſſe adeò firmum, vt non poſſit iuſta de cauſa diſſolui. Ita colligunt poſſe Epiſcopum ſine certa Eccleſia conſecrari exemplo Apoſtolorum, qui Eccleſiæ vniuerſæ Epiſcopi operam præſtabant. Non deſunt tamen qui [c] negent Epiſcopum abſque titulo peculiaris Eccleſiæ iure poſſe conſecrari, quibus magna ex parte fauere videtur definitio [d] Pontificia. cùm enim quidam electus, confirmatúſque eſſet Eboracenſis Epiſcopus, mox ab Eccleſia Andegauenſi poſtulatus, D abſque auctoritate Romani Pontificis poſterioris Eccleſiæ titulo conſecratus eſt. Cùmque à Pontifice quæreretur quid facto opus eſſet, reſpondit, neutrius Eccleſiæ illnm eſſe Epiſcopum. nam prioris quidem Eccleſiæ titulo non fuiſſe initiatum, poſteriori verò priori vinculo adhuc perdurante, iure non potuiſſe initiari. Crediderim, vtramque ſententiam facilè poſſe conciliari. qui enim priorem illam ſequuntur, hoc mihi videntur indicare potiſſimum voluiſſe, ſi abſque peculiaris Eccleſiæ titulo Epiſcopus initietur, eam conſecrationem hactenus firmam, & ratam eſſe, vt characterem validè percepiſſe credendus ſit: qui verò poſteriorem probant, non tam quid fieri poſſit, quàm quid fieri iure debeat, ſpectaſſe videntur. vſu etiam iam inde ab initio naſcentis Eccleſiæ rece- E ptum eſt, vt certis Eccleſiis ſinguli Epiſcopi præficiantur. Itaque Paulus ad Titum ſcribit [e]: *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.*

a Act. 9. 15.
b Oſtienſ. in ſumma. tit de tranſl. Epiſc. & cap. inter corporalia, de tranſl. Epiſc. Zabarel. ibid & alij.
c Ant. Butr. Io. de Annan. Imm. & alij. cap. inter corporalia, de tranſl. Epiſc.
d cap inter corporalia, lo cu citato.
e cap 1. 5.

III. HAC igitur ratione Apoſtoli, qui Eccleſias peculiares adminiſtrarunt ſucceſſores in priuato Epiſcopatu habuerunt, in Apoſtolatu non item; idque ob eam potiſſimum cauſam, quam ſuperiori capite attigimus. ampliſſima enim illa in vniuerſam Eccleſiam Apoſtolorum auctoritas in cæteris à Petro A extraordinaria erat, atque idcirco ſucceſſione caruit. Quemadmodum enim in Hebræorum republica Moſes extra ordinem ſummum pontificatum geſſit; nullum tamen in eo munere habuit ſucceſſorem: ita de Apoſtolica, eadémque extraodinaria poteſtate ſentiendum eſt. Fuiſſe autem Moſem ſummum Pontificem, ipſóque Aarone maiorem, & multi [a] affirmant, & non obſcurè ex ſacris literis colligitur. ſic enim alicubi [b] cecinit Dauid: *Moyſes, & Aaron in ſacerdotibus eius, & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius.* Etenim cùm excludat Samuelem virum alioqui ſanctiſſimum, neceſſe eſt Dauidem de vero, ac proprio ſacerdotio loqui. Falluntur enim qui [c] Samuelem ſummum fuiſſe ſacerdotem exiſtimant; tum quia Achias dicitur [d] ſub Saule ſummo ſacerdotio functus; tum quia licèt Samuel eſſet ex tribu B Leui, non pertinebat tamen ad familiam ſacerdotalem. Genus ſiquidem ſuum referebat [e] ad Caath, qui fuit vnus ex filiis [f] Leui: ſummum ſacerdotium verò vnius Phinees familiæ, & poſteritati conceſſum [g] eſt. Fateor tamen, Samuelem non ſemel diuino quodam priuilegio ſacrificaſſe: quod ipſum feciſſe diuino impulſu Eliam [h] etiam repugnante [i] legis præcepto ſacræ literæ memorant. Atque hac quidem ratione Petrus Antiocheno Epiſcopatu conſtituto, & ſeptem [k] annos adminiſtrato Euodium ſucceſſorem reliquit, & Romam ipſe profectus eſt. Ita Ignatius [l] ad Antiochenos: *Mementote* (inquit) *Euodij beatiſſimi Patris veſtri, qui primus poſt Apoſtolos gubernacula veſtræ Eccleſiæ ſortitus eſt.* Succeſſit autem Euodius C Petro in Antiocheno Epiſcopatu, non tamquam Apoſtolo, ſed tamquam illius Eccleſiæ priuato Epiſcopo. Petrus enim, vt paulò pòſt oſtendam, omnem Apoſtolicam auctoritatẽ, & poteſtatis amplitudinem in Romanam Eccleſiam tranſtulit, quamuis hæretici id pertinaciter negent.

a Philo Iud. lib. 3. de vita Moſ. & lib. de præm & pœn. Origen. Nazian. Orat. coram Greg. frat. Baſil. Clem. Rom. lib. 6 conſt. cap. 19. Chryſ. Hom. 3. in Act. Apoſtol. Hieron. lib. 1. in Iouinian. Aug q. 23. in Leuit. & in Pſal. 98.
b Pſal. 98 6.
c Aug. lib. 2. retract. cap. 43. & 55.
d 1. Reg. 14. 3.
e 1 Paral. 6. 28.
f Num 3. 17.
4 2. 26. 57.
g Num. 25. 11. Abulen q. 20. in 25. c. Num. q. 1. in 1. c. lib. 1. Reg.
h 3. Reg. 18.
i Leuit. 17. 8. Deut 12. 20.
k Eu. in Chro. lib. Pontific. in Petro Gregor. lib. 6. ep. 37.
l Epiſt. 12.

IV. IAM verò oſtendendum eſt, Petro, vt Chriſti Vicario, Catholicæque Eccleſiæ Præſuli, aliquẽ omnino ſucceſſiſſe, qui cum ampliſſima poteſtate Eccleſiæ præſit vniuerſæ, & eamdem cum Petro inter mortales obtineat dignitatem. Probatur hæc ſententia à viris [m] quidem doctiſſimis, ſed quàm firmis rationibus nnnc non dico. Ego primùm id probo ex ſacris literis. Chriſti namque regnum ſpiritale quod habet in Eccleſia ſempiternum, atque immortale D deſcribitur. ſic enim, vt cætera omittam, ſcripſit olim Iſaias [n]: *Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iuſtitia à modo vſque in ſempiternum.* Et Daniel [o]: *Poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur; & regnum eius, quod non corrumpetur.* Denique Angelus apud Lucam [p]: *Dabit* (inquit) *illi Dominus Deus ſedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Et profectò extra omnem dubitationem apud Catholicos poſitum eſt, Dei Eccleſiam vſque ad finem mundi perſeueraturam, ipſo etiam affirmante Chriſto [q], ſe ſuis vſque ad conſummationem ſeculi ſuo patrocinio affuturum. Quoniam igitur Petrus mortalis erat, nec poterat ſua auctoritate, ac prouidentia Eccleſiam ad E extremum vſque percuntis mundi occaſum adminiſtrare; neceſſe fuit aliquem ei cum æquali poteſtate ſuccedere, quem magiſtrum, & paſtorem, Eccleſia omnis agnoſceret, & veneraretur. Quamobrem, quamquam aliàs [r] aliter ſenſit, verè tamen aliquando ſcripſit Tertullianus [ſ], non ſibi ſoli, ſed vniuerſæ Eccleſiæ cœli claues Petrum ſuſcepiſſe. *Nam etſi* (ait) *adhuc clauſum putas cœlum, memento claues eius hic Dominum Petro, & per eum Eccleſiæ reliquiſſe.* Nec dubito, eodem ſpectaſſe Auguſtinum [t], cum dixit Petrũ Eccleſiæ nomine accepiſſe claues, quòd

m D. Thom. 4. cont Gent. c. 76. Turrecr. lib. 2 ſum de Eccl. cap. 35. 36 Caietanus de auct. Papæ c. 32. Melch. Can lib. 6. de loc. Theol c. 3. Bellarm. lib. 2. de Rom. Pontif. c. 12. & deinceps.
n cap. 9. 7.
o cap. 7. 14. Similia cap 2. 100. & 4. in fine 3 & Miche. cap 4. 7.
p cap. 1. 32.
q Matt. vlt. in fine.
r lib de pudi.
ſ in Scorp. ad uerſ Gnoſtic. cap. 10.
t Tract. 50 & vlt. in Ioann. lib. 1. de doct. Chriſti c. 17 lib de ago. Chriſti cap. 30. & in Pſ. 108.

D 3 eam

Digitized by Google

A eam videlicet poteſtatem ad Eccleſiæ vſum, & vtilitatem acceperit, & quidem nullis temporum ſpatiis circumſcriptam. Quò etiam pertinet quod ſcripſit Paulus ad Corinthios[a], poteſtatem Apoſtolis traditam eſſe in ædificationem, & quamdiu Ieruſalem ædificatur vt ciuitas; &(vt ait Petrus[b]) ex fidelibus quaſi viuis lapidibus ſpiritalis ſubſtructio ſurgit, tamdiu Apoſtolica poteſtas ſuo munere fungatur.

a 2. ad Cor. 10.8.
b Ep.1.c.2.5.

V. ACCEDIT quòd apud Ioannem[c] cùm Petro Chriſtus ſummum pontificatum traderet, his illum verbis affatur: *Paſce oues meas*; & *paſce agnos meos.* Quibus vtique verbis paſtoris officium inſtituit ad gregis Dominici procurationem; quo fit, vt quoniam paſtor ad gregis vtilitatem inſtituitur, nunquam gregi non ſit paſtoris opera & ſolicitudo ne- B ceſſaria. Atqui Petrus, vt ibidem Chriſtus prædicit, humanis aliquando conceſſurus erat; alterum igitur è duobus ſequi neceſſe eſt, vel Petro vita functo ouile Chriſti paſtore deſtitui; quod eſt prorſus abſurdum: vel ei certè alium nihilo ſeciùs paſtorem, cum æquali poteſtate, ſufficiendum fuiſſe, qui oues Chriſti paſceret, atque à lupis cæteriſque ingruentibus malis, & periculis tueretur. Adde, quòd vniuerſim Chriſtus omnes ſuas oues Petro paſcendas tradidit, nulla neque loci neque temporis adhibita conditione. Quocirca quemadmodum nullus eſt orbis terræ angulus, vbi oues Chriſti viuant, qui à Petri munere, atque auctoritate eximatur; ita eiuſdem cura, ac patrocinium ad omnes futuras ætates pertinet, omniúmque ſeculorum oues, ſuo iure com- C plectitur, neceſſe vt ſit quoniam Petrus mortalis erat, Chriſti verba ad ipſum quidem Petrum potiſſimùm referri, ad omnes tamen eius ſucceſſores, ac poſteros æquè pertinere. Itaque Chryſoſtomus[d]: *Quánam* (inquit) *de cauſa ille ſanguinem effudit ſuum? Certè vt pecudes eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri ſucceſſoribus committebat.* Et in eamdem ſententiam[e] Leo: *Manet* (ait) *diſpoſitio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine petra perſeuerans ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reliquit. Sic enim præ cæteris eſt ordinatus, vt dum petra dicitur, dũ fundamentum pronuntiatur, dum regni cælorum ianitor conſtituitur; dum ligandorum, ſoluendorúmque arbiter manſura etiam in cælis iudiciorum ſuorum definitione præficitur, qualis ipſi cum Chriſto eſſet ſocietas per ipſa* D *appellationum eius myſteria noſceremus, qui nunc plenius, & potentiùs ea, quæ ſibi commiſſa ſunt, peragit, & omnes partes officiorum, atque curarum in ipſo, & cum ipſo, per quem eſt glorificatus, exequitur.* Et paucis interiectis: *Cuius in ſede ſua viuit poteſtas, & excellit auctoritas.* Denique addit: *His itaque modis dilectiſſimi, rationabili obſequio celebratur hodierna feſtiuitas, vt in perſona humilitatis meæ ille intelligatur, ille honoretur, in quo & omnium paſtorum ſolicitudo cum commendatarum ſibi ouium cuſtodia perſeuerat, & cuius etiam dignitas in indigno herede non deficit.* Hactenus ille, qui etiam[f] alibi ad hunc Ioannis locum, & Chriſti verba alludens: *Myſtica* (inquit) *inſinuatione ter dixit; Paſce oues meas.* Mox verò de Petro ſubdit: *Quod & nunc proculdubio facit, & manda-* E *tum Domini pius paſtor exequitur, confirmans nos exhortationibus ſuis.* Apertiùs verò Petrus[g] Rauennas: *Beatiſſimus* (ait) *Petrus, qui in propria ſede viuit, ac reſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem.* Perſeuerat videlicet Petrus Apoſtolus, & viuit in ſucceſſoribus ſuis, eorúmque veluti opera rem Eccleſiaſticam curat. Quam ob cauſam tum Leo Pontifex, tum alij Romanum Pontificem Petri non tam ſucceſſorem, quàm Vicarium appellant. Itaque Leo[h] de Petro Apoſtolo hunc in modum ſcribit: *Cùm ergo cohortationes noſtras auribus veſtræ ſanctitatis adhibemus, ipſum vobis cuius vice fungimur, loqui credite.* Et Bernardus[a] ad Conradum Romanum Regem expendens verba Pauli præcipientis, vt omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit, his verbis ſcribit: *Quam ſententiam cupio vos, & omnimodis moneo cuſtodire in exhibenda reuerentia ſummæ, & Apoſtolicæ ſedi, & B. Petri[b] Vicario.* Qui enim Petro ſuccedunt, eius quodammodo vices gerunt, & eius abſentis partes explent. Quapropter Innocentius[c] Romanus Pontifex: *Nobis* (inquit) *in B. Petro ſunt oues Chriſti commiſſæ, dicente Domino: Paſce oues meas, non diſtinguens inter has oues & illas, vt alienum ſe demonſtret à ſuo ouili, qui Petrum, & ſucceſſores illius magiſtros non recognoſceret & paſtores.* & Bernardus[d] Romanum Pontificem, quem (vt paulò pòſt oſtendimus) Petri ſucceſſorem eſſe inter Catholicos conuenit, his verbis alloquitur: *Tu princeps Epiſcoporum, tu heres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noë, Patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus: tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt.* Et poſt nonnulla expendens hunc locum Ioannis, oſtendit Petro eiúſque ſucceſſoribus omnes prorſus oues fuiſſe commiſſas.

c cap. vlt. 15. 16 17.
d lib 2. de ſacerd. circa princ.
e ſerm. 2. de anniu. ſuæ aſſumpt.
f ſerm. 1. de Nat. Apoſt. & ſerm. 3. de anniu. ſuæ aſſumpt.
g in Epiſt. ad Eutych.
h ſerm. 2. de anniu. ſuæ aſſumpt.
a Epiſt. 183.
b ſic. Con. ergo Lodouic. d. 63.
c c. ſolitæ, de maior. & obe.
d lib. 2. de conſid. Euan. cap. 8.

VI. HIS addo teſtimonia Patrum[e], qui, vt non ita multo pòſt docebimus, agnoſcunt Romanam Eccleſiam tamquam Petri ſedem, in qua eius ſucceſſores ampliſſimam in omnem Eccleſiam habeant poteſtatem. Denique idipſum non contemnendæ rationes oſtendunt. certum enim, atque exploratum eſt, paſtores, ac præſules inſtitutos fuiſſe à Chriſto propter Eccleſiam, vt docet B. Auguſtinus[f]. *Quòd enim vos* (inquit) *Chriſtiani ſumus, propter nos eſt: quòd paſtores, propter vos.* Et vt cuncti prorſus ſileant, ipſa humanæ mẽtis acies vnius naturæ ductu, id per ſe facilè diſpiciat. magiſtratus namque ad rempublicam bene adminiſtrandam inſtituuntur, regum, & principum imperia, iure gentium excogitata ſunt, vt populi eorum legibus, ac præceptis ad bene, beatéque viuendum promouerentur. Porrò Eccleſia, quæ diuina quædam reſpublica eſt, non minus in ſequentibus temporibus ſupremo paſtore, ac præſule, quàm Apoſtolorum æuo indigebat. Quis ergo in animum ſibi inducat primis illis Eccleſiæ naſcentis incunabulis fuiſſe illam Petri tamquam ſupremi præſulis auctoritate adminiſtratam, mox eo è viuis ſublato grauioribus periculis expoſitam, pluribus difficultatibus implicitam; non opportuna ſolùm, ſed prorſus neceſſaria ſummi Antiſtitis auctoritate, poteſtatéque caruiſſe? Iam verò cùm Eccleſiaſtica adminiſtratio vnius dominatu, atque imperio conſtet, quis non videt ſupremum aliquem Antiſtitem Eccleſiæ vniuerſæ præeſſe oportere, qui non ſolùm adminiſtrationis munere, ſed etiam poteſtate Petro Apoſtolo, cui ſuccedit, omni ex parte par ſit? Nam ſi ſecus eſſet, fateri profectò oporteret vel Chriſtum non inſtituiſſe in Eccleſia Monarchiam, vel factam eſſe in Eccleſiaſtica republica mutationem, & primam illam ſummi Pontificis auctoritatem non dicam leuiter accíſam, ſed maxima ex parte fuiſſe detruncatam. quod vtrumque falſum eſſe vel ex eo liquet, quòd vna ſemper fuit Eccleſia, eadémque Eccleſiaſtica adminiſtratio, ac ſui perpetuò ſimilis. Adde, quòd (vt affirmat Apoſtolus) humano[g] corpori, eique aſpectabili perſimilis eſt Eccleſia, cui ne truncum, & imperfectum ſit corpus, caput ineſſe debet, quod ſub ſenſum cadat, & oculis ſubijciatur; ita vt inter homines homo mortalis præſit, & ſingulis veluti membris vitam, & motum largiatur. Quòd ſi ab exceſſu Petri nemo illi cum eadem auctoritate ſucceſſit, erit Eccleſia corpus planè acephalum, & monſtro

e Tertul. li. de præſcript. aduerſ. hæret. Cypr. ep. 52. ad Cornel. Ambr. de obitu fratris Satyri, & ſerm. 47. Hieron. epiſt. ad Damaſ. & lib. 2. Apoll. cont. Rufin. Cyril. apud D. Thom. in opuſcu. cont. errores Græc. Aug. ep. 166. & 162 & Tract. 56 in Ioan. & lib. 2. contra Pelag. & Cœleſt. & lib. 2. cont. Donat. cap. 13. Conc. Nyce cap. 18. 19. in epiſtol. Iulian. ad ſynod. Antioch. Concil. Chalced. act. 12 & alio loco apud S. Thom. in eo cit. & S. Greg. lib. 1. epiſt. 24.
f lib. de paſt. cap. 1.
g 1. ad Cor. c. 12. 12.

by Google

ſtro ſimile;quod nemo ſanus admiſerit. Quid quòd noui Teſtamenti Eccleſia longè deterioris conditionis fuiſſet, quàm olim ſynagoga, in qua Aaroni ſummo Pontifici cum eadem poteſtate alij perpetuò ſucceſſerunt; Cur igitur non hoc idem ſummo Eccleſiæ Chriſtianæ Pontifici concedatur; An exiſtimandum eſt, pluris olim Deum feciſſe cœtum illum Iudæorum, quàm nunc fidelium multitudinem, quam Petrus Apoſtolus gentem ſanctam, regale ſacerdotium, populum acquiſitionis appellat; Denique ne longum faciam, quæ argumenta Romanæ Eccleſiæ primatum aduersùs hæreticos probant, ea perſpicuè oſtendunt, aliquem Petro Apoſtolorum Principi cum ſuprema, eáque Eccleſiaſtica auctoritate fuiſſe ſufficiendum.

VII. QVÆ cùm ita ſint, ſi, quod ſuprà non ſemel oſtenſum eſt, Petri auctoritas ordinaria, aliorum verò Apoſtolorum extraordinaria fuit, facilè quiuis intelliget, cur cæteri Apoſtoli ſucceſſores in Apoſtolatu non habuerint; id verò vni Petro ſingulari priuilegio conceſſum ſit, ne Chriſti videlicet Eccle- A ſia neceſſaria auctoritate, ac poteſtate deſtitueretur. Sic enim olim in ſynagoga contigiſſe accipimus, in qua cùm Aaron ordinaria Pontificis auctoritate fungeretur; Moſes autem extra ordinem; ille quidem eamdem poteſtatem ad poſteros, ac ſucceſſores integram tranſmiſit; Moſes verò non item. quamquam enim hic in bellica, & politica adminiſtratione ſucceſſorem habuit Ioſue, nullam tamen iſte rei diuinæ partem attigit, quam Moſes tamquam extraordinarius Pontifex diuina auctoritate inſtituit, & illi populo religioſè retinendam, colendámque propoſuit.

QVAMOBREM inter Catholicos conuenit, Romanum Pontificem cùm Petri ſucceſſorem, tum Apoſtolica auctoritate hactenus præditum eſſe, vt B ſi excipias poteſtatem miraculorum, condendi dogmatis, librique canonici conſcribendi, nihil non poſſit eorum, quæ ad apoſtolicam auctoritatem pertinebant. Qua de re quamquam multa Catholicos inter, atque hæreticos diſputari ſolent, quia tamen ab alijs diligenter, atque accuratè explicantur, in præſentia ne viſa quidem ſunt attingenda. VIII.

DE EPISTOLIS APOSTOLICIS diſputatio ſecunda.

INTER *cætera veteris, ac noui Teſtamenti diſcrimina, non poſtremo loco collocandum eſt illud, quod ab aliis ante nos obſeruatum animaduertimus. Vetus enim inſtrumentum, & plurimos legis libros, & non pauca Prophetarum vaticinia continet; nouum verò quia* verbum abbreuiatum fecit Dominus [a] ſuper terram, *& multò pauciores libros; & vnicum duntaxat oraculorum codicem, plurimas autem Apoſtolorum Epiſtolas complectitur: quin etiam Apocalypſis, quo libro rerum futurarum vaticinia, & quidem perobſcura deſcribuntur, quandam epiſtolæ formam habet, vt ex initio, & fine libri perſpicuè dignoſcitur. Porrò Beatiſſimi Apoſtoli Pauli Epiſtolas iam inde ab initio Petri [b] Apoſtolorum Principis ſuffragio probatas inter ſacroſanctos diuini Verbi theſauros Eccleſia Catholica ſemper venerata eſt: contrà verò hæretici eas partim reiiciunt, partim perſeuera interpretatione inquinant, & corrumpũt, vt ſua praua dogmata fidelibus obtrudant. Quoniam igitur huius Apoſtoli Epiſtolas explanaturi ſumus: non ab re futurum putamus, ſi de ſacris Apoſtolorum Epiſtolis breuem diſputationem inſtituerimus quæ quatuor capitibus abſoluetur. In primo namque de Epiſtolis apoſtolicis vniuerſim pauca dicemus. In ſecundo Epiſtolarum ſacrarum numerũ conſtituemus. In tertio de numero Epiſtolarum Pauli, earúmque inter ſe ordine diſſeremus. In poſtremo denique formam, & characterẽ Paulinæ ſcriptionis deſcribemus.*

a Iſa. 10. 22.
b Epiſt. 2. cap. 3. 15.

Epiſtolare ſcribendi genus ad fidei myſteria explicanda fuiſſe admodum opportunum. CAP. I.

PRÆCLARE admodum, ac ſapienter Auguſtinus [c], cùm de ſacris literis ageret, quæ diuino ſpiritu (vt ita dicam) dictante ſcriptæ ſunt, quaſdam ait eſſe veluti epiſtolas ad nos abſentes, & peregrinos ab illa cœleſti, ac beatorũ ciuitate miſſas. *Et hæ, inquit, de illa ciuitate, vnde peregrinamur, literæ nobis venerunt, ipſæ ſunt ſcripturæ, quæ nos hortantur, vt bene viuamus.* Qua ratione quidquid literarum monumentis diuinitùs eſt conſignatum, hoc ſacroſancto Epiſtolarum genere comprehenditur. Vt enim alicubi [d] Romanæ eloquentiæ princeps ſcripſit; *Epiſtolarum plura ſunt genera, ſed vnum illud certiſſimum, cuius cauſa inuenta res ipſa eſt, vt certiores faceremus abſentes, ſi quid eſſet, quod eos ſcire aut noſtra aut ipſorum intereſſet.* Et in eandem ſententiam Ambroſius [e]: *Epiſtolarum, inquit, vſus eſt, vt diſiuncti locorum interuallis affectu adhæreamus, in* C *quibus inter abſentes imago refulget præſentiæ, & collocutio ſcripta ſeparatos copulat, in quibus etiam cum amico miſcemus animum, & mentem ei noſtram infundimus.* Nec diſcrepant, quæ ad ipſum Ambroſium ſcripſit Baſilius [a]: *Magna, inquit, ſemper, & multa quidem ſunt Domini noſtri dona, quorum neque magnitudo menſurabilis, neque multitudo numerabilis eſt. vnum verò, quod inter maxima reputari poteſt ab iis, qui non difficiles beneficiorum Dei in ſe collatorum ſenſu tanguntur, & præſens hoc eſt, quod quàm longiſſimè propter locorum diſtantiam ſeiunctis per literarum alloquium mutuò coaleſcere dedit. Largitus eſt autem duplicem cognoſcendi modum, vnum per præſentem conuictum, & congreſſum, alterum per conſuetudinem literarum.* Cæterùm Epiſtolas omnium primam ſcripſiſſe Atoſſam Perſarum Reginam, ex Hellanico teſtatur Clemens [b] Alexandrinus. Quoniam igitur Apoſtoli non

c In Pſal. 90. conc. 2 paulo ante medium.
d M. Tul. lib. 2 Epiſt. fam. Epiſt. 14. in princ.
e lib. 7. Epiſt. 41.
a Epiſt. 55.
b lib. 1. Strom.

A poterant vbique præſentes adeſſe, neque viua (vt aiunt) voce legem Euangelicam omnibus corám proponere, plures Eccleſias ſuis Epiſtolis inſtituerunt. Sic olim Plato de rebus philoſophicis ad Dionyſium, & Seneca ad Lucilium Epiſtolas ſcripſerunt, eamdémque deinde ſcribendi rationem Dionyſius Areopagita, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Iſidorus Peluſiota, Hieronymus, Ambroſius, Paulinus, Auguſtinus, aliíque non pauci ſunt imitati. Quin etiam Romani Pontifices ad alias Eccleſias tum erudiendas, tum præceptis Eccleſiaſticis informandas non paucas dederunt Epiſtolas. Ex quibus quamquam multæ in dubium reuocantur, ſiue quòd de auctore non planè conſtet, ſiue quòd alicubi corruptæ ac deprauatæ videantur; plurimorum tamen Pontificum Epiſtolæ circumferuntur, vt Innocentij, B Leonis, & Gregorij Apoſtolica grauitate, & maieſtate digniſſimæ. Mitto grauiſſimas doctiſſimorum Patrum Epiſtolas, quibus de rebus difficillimis quæſtiones ſibi propoſitas explicant, qui omnes (vt ego interpretor) Apoſtolicum ſcribendi inſtitutum ſecuti videntur.

II. Habet autem hoc ſcribendi genus & multas, & magnas vtilitates. nam præterquã quòd Chriſtianæ religionis dogmata certiùs, atque apertiùs ſcripto, quàm voce explicantur, adeò vt Auguſtus [a] ipſe ſermones cum ſingulis, etiam cum Liuia ſua, ſi paulò grauiores eſſent, nonniſi è ſcripto, & commentario habere ſolitus eſſet, ne plus minúſve loqueretur ex tempore, quàm oporteret. Extat præterea, & ad longum tempus perſeuerat quod literis conſignatur; C prætervolat, & facilè effugit quod voce duntaxat traditur. Verùm hæc aliis etiam ſcribendi generibus communia ſunt, illud epiſtolæ proprium, quòd in illis abſentis magiſtri amor, & caritas præcipuè elucet, vt nihil dicam de docendi facilitate, adhortandi, monendi, increpandi, arguendíque auctoritate; conſolandi, gratulandíque officiis, quæ ſunt Epiſtolarum propria munera. Illud porrò eximium, ac ſingulare cenſeri debet, quòd Epiſtolarum vtilitas latiùs ſeſe fundit, & ad longè plures pertinet, quàm viua docentis vox, cùm hæc præſentes tantummodo erudiat, epiſtolæ verò ad abſentes, & ad eos, qui deinceps conſequuturi ſunt, inſtituendos, atque informandos valeant. Etenim Pauli Epiſtolæ etiam nunc tot iam annorum ſæculis elapſis omniũ D manibus teruntur, omnes erudiunt, omnibus Pauli ſapientiam, ſtudium, caritatem, lenitatem, manſuetudinem, pietatem, conſtantiam, animi magnitudinem, rerum aduerſariarum tolerantiam ſuis penè coloribus exprimunt, & ob oculos ponunt. Vocem concionantis illi ſolùm audierunt, qui præſentes aderant: at Epiſtolarum eius lectione (quod de ſe ipſo teſtatur Auguſtinus [b]) multi quotidie à perdita, & flagitioſa vita ad meliorem frugem, & virtutis ſtudium, atque amorem traducuntur. Quàm multa Eccleſiaſtica præcepta deſiderarentur, quã multi ſacri ritus ignorarentur, ſi Eccleſia Catholica Apoſtolorum Epiſtolas non haberet; Quod igitur olim ſcripſit Dauid [c]: *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, nequaquam verè de Apoſto- E lis à Paulo [d] explicari poſſet, niſi eorum extarent Epiſtolæ, quæ ad omnes mundi plagas, quas illi pedibus peragrare non potuerunt, diuini verbi præconum opera perferuntur, quæ cauſa fuit, vt in veteri Teſtamento nullus propemodum fuerit ſacrarum Epiſtolarum vſus, quod Iudæorum gens ad quos duntaxat lex ita vetus pertinebat, anguſtis admodum Palæſtinæ finibus contineretur, quæ præſentium prophetarum oratione facilè poſſet diuinis præceptis imbui.

a Suet. in Auguſt. c. 84.
b lib. Confeſſ. cap.
c Pſal. 18. 5.
d ad Rom. 10. 18.

III. A Addo, quòd cùm Apoſtoli Chriſti magiſtri ſui auctoritate, atque imperio iuſſi eſſent omnes gentes Euangelica doctrina, atque inſtitutis perpolire, cùm eſſent numero admodum pauci, in vna prouincia, aut ciuitate diu hærere neqoaquam poterant. Quocirca plerumque quos erudierant populos, cùm ipſi receſſiſſent, vel impoſtores Iudæi, vel perfidi hæretici à rectæ fidei, & honeſtæ vitæ curſu reuocabant, & prauis ſuis opinionibus, & falſis dogmatibus Apoſtolicæ doctrinæ ſemina obruebant, & integritatem inquinabant; quos propterea Apoſtoli ſuis Epiſtolis in viam reuocabant, lapſos erigebant, nutantes confirmabant, omnes denique ſalutaribus monitis atque conſiliis ad omne virtutis ſtudium informabant. Id adeò in Epiſtolis Pauli frequentes cernitur. nam & Romanos in ſuſcepta fide confir- B mat; Corinthios partim caſtigat, partim Chriſtianis præceptis atque inſtitutis informat; Galatas ab erroribus, aut errandi periculo ad priſtinam pietatem reducit; alios denique omnes partim ſolatur, partim ad omne pietatis genus excitat, & inflammat. Denique cùm præſentes ſolũ mores, & actiones Apoſtolorũ ſpectare potuerint, & eos, quoad eius fieri poſſet, imitari; eorum Epiſtolæ Apoſtolicæ vitæ ſanctitatem in omnem poſteritatem trãſmittunt, & omnibus propemodum ſæculis repræſentant, & quodammodo prouocant ad imitandum. Et quidem vt obſeruauit Chryſoſtomus, elucent in Epiſtolis Pauli eius admirabiles, ac propè diuinæ virtutes, vt meritò ille dicere [a] poſſet: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*. Itémque [b]: *Imitatores mei eſtote, & obſer-* C *uate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram.*

a 1. Cor. 11. 1.
b Phil. 3. 17.

IV. Quæ cùm ita ſint, diuino proculdubio conſilio factũ eſt, vt in nouo Teſtamento præter Euangelicorum libros, & Acta Apoſtolorum, plurimæ eorumdem Apoſtolorum extarent Epiſtolæ, quibus Euangelica doctrina illuſtraretur, fidei dogmata apertiùs explicarentur, hæreticorum errores refellerentur, ritus Eccleſiaſtici vberiùs, atque apertiùs traderentur, Chriſtiana diſciplina ſuis veluti finibus circumſcriberetur, omnes denique hominum ætates, ſtatus, conditiones propriis, ac ſuis præceptis informarentur. Quoniam verò Apoſtoli, dum ſuas Epiſtolas ſcriberent, erant diuini numinis quodammodo amanuenſes, Deus immortalis cenſendus eſt D earum Epiſtolarum primarius auctor, qui nos ſuis Epiſtolis quaſi amicos abſentes alloquitus: ad nos enim quodammodo pertinent quæ olim Chriſtus ad Apoſtolos dixit [c]: *Iam non dicam vos ſeruos, quia ſeruus neſcit quid faciat dominus eius: vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Et quidem cùm lex Euangelica (vt ſuo loco docebo) veterem illam legem Moſis ſua veluti luce illuſtret, atque explicet; ipſa verò nullam ſit habitura poſteriorem legem, cuius opera planior, atque dilucidior euadat; æquum fuit eam non modò libris Euangelicis contineri, ſed etiam Epiſtolis Apoſtolicis apertiùs, atque vberiùs explanari.

c Ioan. 15. 14.

De Epiſtolarum Apoſtolicarum numero.

E CAP. II.

I. Inter Catholicos conuenit, ſacras Apoſtolorum Epiſtolas, ſi Apocalypſim adnumeremus, eſſe omnino duas ſupra viginti. etenim quatuordecim Pauli recenſentur, vna Iacobi, tres Ioannis, duæ Petri, vna Iudæ, demum Apocalypſis. Verùm quoniam de numero Epiſtolarum Pauli ſequenti capite dicendum erit, de reliquis Apoſtolorum Epiſtolis breuiter diſſerendum eſt. Nec enim defuerunt

qui

qui [a] aliquas Epiſtolas Apoſtolicas è ſacrorum librorum catalogo excluderent. Atque vt ordiamur à prima, quæ Iacobi nomine inſcribitur, fuerunt qui [b] dicerent, eam Apoſtolicam grauitatem minimè redolere; & qui [c] de auctore dubitarent, nec facilè ſibi perſuaderent, eam eſſe Iacobi Apoſtoli. Sed nefas eſt Catholicis, huius Epiſtolæ auctoritatem in dubium reuocare. recenſetur enim inter ſacros libros à Concilio Laodicæno, Carthaginenſi III. Florentino, & Tridentino; itémque à Romanis Pontificibus Innocentio I.[d] & Gelaſio [e]; his addo Origenẽ [f], Epiphanium [g], Athanaſium [h], Hieronymum [i], Auguſtinum [k], Ruffinum [l], Iſidorum [m], Damaſcenum [n]. Accedit, quòd Concilium [o] Mileuitanum, cui interfuit Auguſtinus, huius Epiſtolæ teſtimonio Catholicum dogma confirmat: eius item auctoritate vtuntur Dionyſius [p] Cyprianus [q], Auguſtinus [r], & alij paſſim; & ex illâ Eccleſia non pauca in Eccleſiaſticis precibus vſurpare conſueuit.

a Apud Euſeb. lib. 3 hiſt. c. 25 & Hiero. de vir. illuſ. in Iac. Iud. Petr. & Ioan.
b Eraſm.
c Caiet.
d ad Exuper. epiſt. 3.
e in Concil. ſeptuag. Epiſcop.
f Hom. 7. in Ioſ.
g Hær. 76.
h in Synop.
i in epiſt. ad Paulin. de ſtud ſcript.
k lib. 2. de doct. Chriſtiana c 8.
l in Expoſit. ſymb.
m lib. 6 Etymolog. c. 1.
n lib. 4. c 18
o Can 7.

II.

A PERTISSIME verò mentiuntur illi [ſ], qui Hieronymi teſtimonio Iacobum primum Ieroſolymorum Epiſcopum, de quo Paulus in Epiſtola ad Galatas, quem huius Epiſtolæ auctorem eſſe facilè admittunt, è numero duodecim Apoſtolorum fuiſſe negant. etenim Hieronymus eos errare tantùm ait, qui hunc Iacobum fratrem Ioannis fuiſſe putant: alioqui apertiſſimè docet, eum è collegio Apoſtolico, & duodecimvnis vnum fuiſſe. Sic enim aduerſus Heluidium ſcribit: *Nulli dubium eſt, duos fuiſſe Apoſtolos Iacobi vocabulo nuncupatos; Iacobum Zebedæi, & Iacobum Alphæi; iſtum neſcio quem minorem Iacobum, quem Mariæ filium, nec tamen matris Domini, ſcriptura commemorat, Apoſtolum vis eſſe, an non? Si Apoſtolus eſt, Alphæi filius erit; ſi non Apoſtolus, ſed tertius neſcio quis Iacobus, quomodo eſt frater Domini putandus, & quomodo tertius ad diſtinctionem maioris appellabitur minor? cùm maior, & minor non inter tres, ſed inter duos ſoleant præbere diſtantiam, & frater Domini Apoſtolus ſit, Paulo* [t] *dicente, alium Apoſtolorum vidi neminem, niſi Iacobum fratrem Domini.* At prophano more, nulla præmiſſa Apoſtolica ſalutatione exorditur, quaſi verò aliter exorſi ſint in Synodo Hieroſolymitana Apoſtoli, de quorum tamen Apoſtolica auctoritate nefas eſt dubitare. Vt enim Iacobus his verbis Epiſtolam inchoat: *Iacobus Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruus, duodecim tribubus quæ ſunt in diſperſione ſalutem.* Ita [u] illi non abſimili ratione incipiunt. *Apoſtoli* (aiunt) *& ſeniores fratres his, qui ſunt Antiochiæ, Syriæ, & Ciliciæ, fratribus ex gentibus ſalutem.* Neque ſanè video, cur initium Epiſtolæ Iacobi magis debeat cenſeri prophanum, & ab Apoſtolica conſuetudine alienum, quàm hoc, quo tamen ipſi Apoſtoli, & quidem in Synodo vſi ſunt. Nam quòd alij Euſebij teſtimonio hanc Epiſtolam reiiciendam putant, præterquàm quòd non tanti eſt vnius Euſebij auctoritas, vt ſacris Conciliis, Romanis Pontificibus, tam multis denique ſanctis Patribus anteferenda ſit; ne iſtud quidem facilè admiſerim, Euſebium ſuo ſuffragio hanc Epiſtolam damnare. tantùm enim affirmat, à nonnullis non recipi; & (quod noſtræ ſentẽtiæ fauet) addit, ſibi compertum eſſe ab omnibus penè Eccleſiis probari. Sed (inquiunt) huius epiſtolæ auctor apertiſſimè pugnat cum Apoſtolo Paulo. negat [x] enim, iuſtificationem fidei tribuendam eſſe, eámque operibus apertè adſcribit, cùm tamen Paulus [y] non ſolùm aſſerat, ſed etiam probet, hominem iuſtificari ex fide ſine operibus. Quaſi verò non hoc olim viderit Auguſtinus [z], cùm veteres quoſdam hæreticos confutaret, quorum ſe filios, & ſucceſſores recentiores iſti apertiſſimè declarant. ſic autẽ ſcribit Auguſtinus: *Quare*

p De diuinis nominib. c. 4.
q lib. ad Nouatianum.
r epiſt. 29. ad Hieronym.
ſ Eraſm.
t ad Gal. 1. 19
u Act 15. 23.
x cap. 2. 24.
y ad Rom. 3. 28.
z lib. de fide, & oper. c. 14.

A *tam illud videamus, quod excutiendum eſt à cordibus religioſis, ne mala ſecuritate ſalutem ſuam perdant, ſi ad eam obtinendam ſufficere ſolam fidem putauerint, benè autem viuere, & bonis operibus viam Dei tenere neglexerint. nam etiam temporibus Apoſtolorum non intellectis quibuſdam ſubobſcuris ſententiis Apoſtoli Pauli, hoc eum quidam arbitrati ſunt dicere.* Et aliquanto pòſt: *Quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ Apoſtolicæ Epiſtolæ Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ contra eam maximè dirigunt intentionem, vt vehementer aſtruant, fidem ſine operibus nihil prodeſſe, ſicut etiam ipſe Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, ſed eam ſalubrem, planéque Euangelicam definiuit, cuius opera ex dilectione procedant.* Itaque non putauit Auguſtinus Apoſtolos inter ſeſe pugnare, ſed eos, qui B poſteriùs ſcripſerunt, Pauli ſententiam ſubobſcuram planiùs explicare. Quomodo autem Iacobi ſententia de iuſtificatione ex operibus non aduerſetur ſententiæ Pauli, qui opera apertè à iuſtificatione excludit, ſuo loco videro: interim monere ſatis eſt, non eodem modo ab vtroque Apoſtolo iuſtificationis, ac fidei nomina accipi, atque idcirco non videri mirum, ſi alio atque alio modo loquantur.

III.

Q V O D autem alio etiam nomine pugnare contendunt, quòd legem veterem legem libertatis appellet [a] Iacobus, quam Paulus legem [b] nominat ſeruitutis, apertiſſimè falluntur, cùm Iacobus, quamuis mentionem faciat Decalogi, de lege noua loquatur; præcepta namque Decalogi, quidquid hæretici ſomnient, non minùs ad legem nouam, quàm ad C veterem pertinent, vt ex diſputatione Chriſti apud Matthæum [c] apertè cognoſcitur; ſed hoc intereſt, quòd lex illa vetus præcepta imponebat, nullam tamen ex ſe vim gratiæ ſuppeditabat, qua poſſent præcepta ſeruari: lex autẽ noua potiſſimùm poſita eſt in gratia quę diffuſa eſt in cordibus noſtris, cuius ope, atque auxilio facilis eſt obſeruatio pręceptorũ. Quocirca lex illa vetus dicitur lex ſeruitutis, & timoris; noua verò lex amoris, & libertatis. facit enim caritas, vt lex liberè, ac iucũdè ſeruetur: qua ratione ſcripſit Auguſtinus [d]: *Non ſumus ſub lege bonum non dante, ſed ſub gratia, quæ id, quod lex iubet, faciens non amare, poteſt liberè imperare.* Alibi [e]: *Eadem* (inquit) *ſcriptura, & idem mandatum cum bonis terrenis inhiantes premit ſeruos, teſtamentum vetus, cùm in bona æterna* D *flagrantes erigit liberos, teſtamentum nouum vocatur.* Denique alio loco [f]: *Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege, vtique legi, quæ timorem incutit, non tribuit caritatem, quæ caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, non per legis literam, ſed pèr Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Hæc eſt lex libertatis, non ſeruitutis, quia caritatis vtique non timoris; de qua & Iacobus Apoſtolus ait; Qui autem perſpexerit in lege perfectæ libertatis.* Quæ poſtrema Auguſtini verba meridiana luce clariùs docent, loqui Iacobum de noua lege, atque adeo cum Paulo Apoſtolo eodem prorsùs modo & ſentire, & loqui. Nec mirum eſt totam Iacobi Epiſtolam in operum commendatione verſari, quandoquidem (vt ex Auguſtino ſuprà docuimus) aduerſus eos hæreticos ſcripta eſt, qui ſolam fidem iaE ctabant, opera penitùs negligebant. Cætera, quæ aduersùs eam Epiſtolã obiiciuntur, adeo futilia ſunt, & vana, vt ne digna quidem viſa ſint, quæ proponantur.

a cap. 1. & 2.
b ad Galat. 4.
c cap. 5.
d lib. de cont. cap. 3.
e ad Galat. 6.
f de Nat. & gratia c. 17.

IV.

I A M verò ſecundam, & tertiam Ioannis Epiſtolam Papiæ auctoritate apud Euſebium [g], & Hieronymum [h], non Ioanni Apoſtolo, ſed Ioanni neſcio cui ſeniori nonnulli tribuunt; ſed neque Papias Ioannis Apoſtoli Epiſtolas eſſe negat; tantùm affirmat, duos fuiſſe Ioannes, vtriùs autem ſint Epiſtolæ, nihil definit. Certè Ioannes Apoſtolus iure optimo

g lib. 3. hiſt. cap. 39.
h de it. vil. luſtr. in Ioann.

optimo ſenior dici potuit, quòd poſt omnes Apoſtolos vixerit, & ad extremam vſque peruenerit ſenectutem. Porrò ſanctus Hieronymus adeo non dubitauit, illas eſſe Ioannis Apoſtoli, vt cùm ex illis teſtimonium prolaturus eſſet, hunc in modum præfatus ſit [a]: *Clangat tuba Euangelica, filius tonitrui, quem Ieſus amauit plurimùm, qui e pectore Saluatoris doctrinarum fluenta potauit.* Quæ ſine dubio eſt Ioannis Apoſtoli periphraſis.

a Epiſt. 85. ad Euagr. 2.

Secundam Petri Epiſtolam non aliam ob cauſam Magdeburgenſes reijciunt, niſi quòd ſtylo, ac ratione dicendi à prima plurimum diſcrepet: ſed egregiè B. Hieronymus [b] ait: *Si qua ſit in ea rediuerſitas, eam non Petro auctori, ſed interpreti tribuendam, quòd non ſemper Petrus Apoſtolus eodem interprete vſus ſit.* Vtebantur enim Apoſtoli interpretum opera in B fidei dogmatibus explicandis, & præceptis morum fidelibus tradendis, vt ſuo loco copioſiùs explicabitur.

b Epiſt. ad Edib. q. 11.

V. PLVRA contra Iudæ Epiſtolam obijciuntur, tum quòd ſe non nominet Apoſtolum, & alios Apoſtolos appellet, tum quòd ille, quia in Perſide Euangelium promulgauit, non Græcè, ſed Perſicè ſcripturus erat. Accedit, quòd hiſtoriam Michaëlis Archangeli altercantis cum diabolo de Moſis corpore memorat, quæ nuſquàm in libris ſacris legitur; neceſſe vt ſit, Epiſtolam eſſe nullius, vel admodum obſcuræ, & incertæ auctoritatis. Verùm quòd non ſe Apoſtolum vocet, neminem mouere debet. nam Paulus ipſe neque ad Philippenſes, neque in duabus Epiſtolis ad Theſſalonicenſes, neque ad Philemonem ſe vocat Apoſtolum, neque Ioannes in ſuis C Epiſtolis, aut in Apocalypſi Apoſtoli nomen vſurpat. Nec mirum eſt, Iudam Apoſtolos nominare. tametſi enim vnà cum illis, quippe & ipſe Apoſtolus, vixit, omnium tamen poſtremus ſuam ſcripſit Epiſtolam, atque idcirco aliorum Apoſtolorum Epiſtolas legere potuit, & ex iis teſtimonium proferre, cùm præſertim Petrus Apoſtolus, qui vnà vixit cum Paulo, vnáque cum illo eodem die martyrium ſubijt, Epiſtolarum tamen Pauli mentionem faciat. Cæterùm quis non videat, quàm ineptè colligant Magdeburgenſes, quia Iudas in Perſide fidem Catholicam euulgauit, Perſica eum lingua ſcribere debuiſſe? Quaſi verò Petrus qui Romæ duas Epiſtolas ſcripſit, Latina, & non Græca lingua vſus ſit, aut D Matthæus, qui Æthiopes fidei præceptis imbuit, Æthiopicè Euangelium ſcripſerit, aut denique Paulus, qui ex Italia ad Timotheum, Philemonem, & Hebræos literas dedit, Latinas Epiſtolas exararit. Quid quòd Iudas ad Iudæos, qui per orbem terræ vagabantur, non ad Perſas ſcripſit? Meritò itaque lingua Græca, hoc eſt, lingua communiſſima vti voluit, vt à pluribus intelligi poſſet. De hiſtoria Archangeli Michaëlis ex vaticinio Enoch deſumpta non video inter omnes conuenire. Etenim Tertullianus [c], & Beda [d] librum Enoch Apoſtolico illo ſæculo canonicum fuiſſe, & apud Catholicos habuiſſe auctoritatem indicant. Auguſtinus [e] credendú eſſe ait Enoch verum aliquot, & diuinum vaticinium edidiſſe, quod in eo libro quamquam aliàs apocrypho legeretur. E Ego (vt verum fatear) vix adduci poſſum, vt credam, Enoch quidquam literis mandaſſe, faciliùs mihi perſuaſerim (quod indicat Auguſtinus) aliquid illum diuinitùs vaticinatum eſſe, quod deinde veluti per manus traditum ad poſteros peruenerit, & à quopiam in codicem relatum ſit, qui tamen poſteà nullius auctoritatis eſt habitus, quòd cum hoc vero vaticinio multa dubia, incerta, & fabuloſa contineret. Verùm quoniam (vt Hieronymus [f], & Auguſtinus [g] docent, in libris apocryphis aliquid veri eſſe non repugnat, potuit Iudas ex libro incerto, ac du-

c lib. de hab. mul.
d in ep. Iud.
e lib. 15. de Ciuit. c. 23.
f ad Tit. 1.
g lib. 15. de Ciuit. c. 23. & lib. 18. c. 38.

A biæ auctoritatis veram hiſtoriam excipere, quæ ad inſtituendos mores non parum valeret. qua ratione Paulus [a] non ſemel ex Gentilibus poëtis teſtimonia ſumpſit, nec tamen propterea Aratum, Menandrum, aut Epimenidem in ſacrorum librorum album retuliſſe cenſendus eſt.

a Act. 17. 1. ad Cor. 15. ad Tit. 1.

VI. RESTAT Apocalypſis, quam Epiſtolæ quamdam formam habere paulò antè diximus. Eam certè olim Marcioniſtæ (vt ſcribit Tertullianus [b]) & Allogiani, ac Theodotiani, teſte Epiphanio [c] reſpuebant. Inter recentiores hæreticos non conuenit, dum alij reijciunt, alij mordicus defendunt, & ſunt qui negent Ioannis eſſe Apoſtoli. Certè inter Catholicos Caius quidam paranniquus auctor apud Euſebium [d] cuius libri auctorem Cherinthum hæreticum B faciebat; Dionyſius verò Alexandrinus apud eundem Euſebium [e] hanc opinionem Caij refellens librum diuinum, & canonicum aſſerit, de auctore nonnihil dubitat. Poſtremò B. Hieronymus [f] affirmat ita Græcos de Apocalypſi dubitaſſe contra communem Latinorum conſenſum, vt Latini de Epiſtola ad Hebræos contra communem Græcorum ſententiam dubitabant. Verùm ſacram eſſe Epiſtolam, ſeu librum, planéque admirabilem, & plurimis myſterijs refertum, Ioanne denique Apoſtolo auctore, conſcriptum plurimorum Conciliorum [g], ſanctorúmque Patrum tum Græcorum [h], tum Latinorum [i] auctoritas apertiſſimè docet. At (inquiunt) ſcriptú eſt in Apocalypſi, beatum eſſe illum, qui ſeruat ea, quæ in illo libro ſcripta ſunt, cùm tamen nemo ſit, C qui ea intelligat: ſed nimirum ſi negem, multa in eo vaticinio ſcribi, quæ omnem humanæ mentis vim, atque intelligentiam ſuperent, amens ſim. Qui verò non in eo videat multa benè viuendi præcepta de conſtantia in rebus aduerſis, de hæreticis vitandis, déque pſeudoProphetis fugiendis, eum neceſſe eſt in clariſſima luce cæcutire. Sed non placet ſciolis [k] quibuſdam, librum eſſe ſacrum: ſi quæras, cur non placeat, nihil præter meras nugas afferunt. Dorotheus (inquiunt) & Anaſtaſius Apocalypſim ne nominant quidem. At alij innumerabiles tamquàm librum ſacroſanctum agnoſcunt; & Iuſtinus, Irenæus, Theophilus Antiochenus, Melito Sardicenſis, Dionyſius Alexandrinus (vt Hieronymus [l] affirmat) ſuis commentarijs illuſtrarunt; tantùm verò D abeſt (quod illi mentiuntur) vt Euſebius de eius auctore libri dubitet, vt illum apertiſſimè in Chronico [m] Ioanni tribuat. Sed Ioannes, quæ erat Apoſtoli modeſtia, in Euangelio ſuum nomen numquàm exprimit, huius verò libri auctor tertio quóque verbo hoc inculcat; *Ego Ioannes, Ego Ioannes.* Scilicet impudétiſſimi mortalium modeſtiam in auctore ſacroſancto requirunt, & quod grauius eſt, illú arrogantiæ accuſare nó verentur; cùm tamé neque nouú, neque infrequés ſit, vt Prophetæ ſuum nomé ſæpius iterét, vt ex Danielis vaticinio conſtat, cùm præſertim non tam ſæpè Ioannis nomen iteretur, vt illi vociferantur. ſed in Græcis codicibus auctor dicitur Ioannes Theologus, non Apoſtolus: verè omnino; ſed nullum Ioannem Theologum agnouit antiquitas præter E Apoſtolum, & Euangeliſtam Ioannem. Ita illum Dionyſius [n] Areopagita ſalutat, hoc eſt, Apoſtolum, & Theologum; ita Athanaſius, & alij. Et quidem meritò. nam, vt obſeruauit Auguſtin. [o], ideo Ioannes volanti aquilæ comparatur, cæteri verò Euangeliſtæ partim homini, partim quadrupedibus; quòd ipſe de Chriſti diuinitate, cæteri de humana natura præcipuè ſcribant. Maneat igitur (quod probandum nobis erat) duas ſupra viginti in nouo teſtaméto ſacras Apoſtolorum Epiſtolas recenſeri. ſequitur, vt de Epiſtolis Pauli priuatim, ac propriè diſſeramus,

b lib. 4 contra Marcion.
c Hær. 51. 54.
d lib. 3. hiſt. cap. 27.
e lib. 7. hiſt. cap. 27.
f Ep. ad Dard.
g Conc. Ancir. can. vlt. Carthag. 3. can. 47. Conc. Rom. ſub. Gel. 2. Tolet. 4. c. 16.
h Dionyſ. c. 3. Eccl. hierar. Iuſtin. Dial. cum Triph. Irenæus lib. 5. circa finem. Euſeb. lib. 4. hiſt. c. 24. 26. & lib. 7. c. 21. Clem. Alex. lib. 2. pædag. c. 12. Origen. hom. 7. in Ioſ. & in Pſal. 1. Athanaſ. in ſynop. Epiphan. hær. 51. 76. Chryſo. hom. 8 in Pſ. 91. Damaſ. lib. 4. cap. 18.
i Tertul. li. 4. contra Marcion. Cypr. de exhor. mart. c. 3. 8. 10. 11. 12. Hilar. præfat. in Pſal. Ambr. Pſ. 40. Augu. Tract. 36. in Ioan. & li. 2. de doct. Chriſt. cap. 8. Innoc. 1 ep. 1. ad Exuper. Ruffin. in expoſ. ſymb. Iſid. lib. 6. Etymol. c. 1. Hieron. ep. ad Paulin. de ſtud. ſcript. Sulpit. lib. 2. ſacr. hiſt.
k Eraſm.
l de vir. illuſ. in Ioann.
m An. Dom. 96.
n Ep. ad Ioã. Apoſt.
o Tract. 36. in Ioann.

De numero,

De numero, atque ordine Epiſtolarum B. Pauli.

Cap. III.

I. Aliorum Apoſtolorum epiſtolæ Catholicæ, ſiue Canonicæ nuncupantur, quòd ad omnes generatim ſcribantur: epiſtolæ verò Pauli, quia ad priuatas tum Eccleſias tum perſonas ſcriptæ ſunt, ſimpliciter epiſtolæ Pauli vocari ſolent. Porrò de earum numero nonnulla fuit olim dubitatio, tum quia plures nomine Pauli circumferuntur ad Senecam, & Senecę ad Paulum, tum quia ad Corinthios[a] aliam ſe ſcripſiſſe epiſtolam indicat quæ nuſquã extat; & ad Coloſſenſes[b] Laodicenſium epiſtolam nominat. Contrà non defuerunt, qui[c] Epiſtolam ad Hebræos Pauli eſſe negarent, ſed vel Barnabæ, vel Lucæ, vel Clementis Romani, vel (vt alij[d] addunt) Tertulliani.

Cæterum quatuordecim eſſe Pauli Epiſtolas in ſacrorum librorum canonem relatas conſtans eſt Catholicorum omnium ſententia. nam illæ, quæ Pauli nomine ad Senecam ſcriptæ dicuntur, diuina auctoritate proculdubio carent; an prorſus cenſendæ ſint pſeudoepigraphæ, non planè liquet. nam Linus[e] Pontifex, Hieronymus,[f] & Auguſtinus[g] non omnem prorſus eis adimunt auctoritatẽ, quamquàm ſi dicendum ſit quod ſentio, nihil penitùs in eis reperi, quod vel ſtylum, vel grauitatem Apoſtolicam redoleat: nec video cur quiſquam[h] in earũ explanatione oleum (vt aiunt) atque operam perdiderit. De epiſtola Laodicenſium, quæ circumfertur, Hieronymi, & Philaſtrij ſententiam ſequor, qui negant, eam ab Eccleſia fuiſſe receptam. nam Epiphanius[i] quidem eam apertè reiicit. Quid autem ſignificet Paulus, cùm in Epiſtola ad Coloſſenſes Laodicenſium epiſtolam nominat, ſuo loco dicemus. Certè Tertullianus[k] indicat Marcionem exiſtimaſſe, epiſtolam, quæ inſcribitur ad Epheſios, non ad ipſos, ſed ad Laodicenſium Eccleſiam fuiſſe ſcriptam. Chryſoſtomus verò, Theodoretus, Ambroſius non illam Pauli ad Laodicenſes, ſed Laodicenſis cuiuſpiam ad Paulum fuiſſe autumant. Theophylactus priorem ad Timotheum interpretatur, quam Laodiceæ ſcriptam fuiſſe docet. Porrò verba prioris epiſtolæ ad Corinthios, vbi ſe ſcripſiſſe dicit, ne fornicariis commiſcerẽtur, Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius de illa ipſa epiſtola explicant, in qua paulò antè ſcripſerat; *Modicum*[l] *fermentum totam maſſam corrumpit.* Itaque qui plures quatuordecim Pauli epiſtolas numerant, ne audiendi quidem videntur.

II. Iam verò qui pauciores eſſe putant, de Epiſtola potiſſimùm ad Hebræos dubitant. nã olim Marcion, vt affirmat Hieronymus,[m] & Arrius, teſte Theodoreto,[n] eam epiſtolam neque Pauli eſſe, neque ſacram habere auctoritatem contendebant; quod & recentiores quidam hæretici cenſuerunt, ſed & nonnulli Catholici (vt paulò antè monui) alios eius epiſtolæ auctores nominant; ſed Eccleſia tanquam Pauli epiſtolam recipit, & ex ea non pauca recitat in liturgia, aliiſque diuinis precibus; &, quod maximè ad rem facit, in canone diuinarum ſcripturarum à ſacris Conciliis[o] recenſetur. His addo antiquiſſimos Pontifices,[p] qui eam tanquam Pauli epiſtolam agnoſcunt: quod ipſum faciunt omnes fermè Patres;[q] &, quod magis mirandum eſt, Philaſtrius non dubitauit inter hæreticos eos recenſere, qui hanc epiſtolam vel reiiciunt, vel Pauli eſſe negant. Quinetiam cùm Petrus[r] Pauli epiſtolas nominat; hanc videtur ad Hebræos epiſtolam indicare. Vt enim ſcribit Oecumenius, & Petrus ipſe initio ſuæ epiſtolæ docet, priorem illam ſuam epiſtolam ad Hebræos ſcripſit, qui erant diſperſi inter gentes, & ad

a Ep. 1. c. 15.
b cap. 4.
c Marcion. apud Hieron. præf. ad Tit. Arrius teſte Theod. præfat. in ep. ad Hebr. & alij apud Bellar. lib. 1. de verb. Dei. cap 17. & apud Euſeb. lib. 3. hiſt cap 3. & Hieron. lib. de vir illuſt. in Paul.
d Sixt. Senen. lib. 7 Biblioth. Sanctæ.
e de mart. Apoſt. Pet. & Pauli.
f de vir. illuſ. in Pau.
g Epiſt. 54 ad Maced. circa med.
h ſch. ſtapulen.
i Hær. 42.
k lib. 5. in Marcion.
l Cor. c. 5. 6.
m Præf in Ep. ad Tit.
n Præfat. in Ep. ad Hebr.
o Laodicen. can. 59. Carthag. 3. can. 47. Trident ſeſſ. 4. Nicen. 1. teſte B. Thoma in epiſt. ad Hebr. Epheſ. 1. & Calcedõ. in approbat. capit. Cyrilli. Arauſican. 2. can. vlt.
p Clem. Rom in Epiſt. ad Corint. apud Euſe. l. 3. hiſt. cap. 38 Innoc. 1 Epiſt. 3. ad Exuper. Gelaſ. cum 1 cõcil. 70. Epiſc.
q Orig apud Euſeb l. 6. hiſt c. 18. Ipſe Euſeb lib. 3 c. 3. Greg. Naz. in carm. de canon. ſcript. Athanaſ. in ſynop Epiph. hær. 76. Damaſc. lib 4. c. 18. Hilar lib. 12. de Trinit. Ambroſ. lib 2. de Cain c 2. Hieron Epiſt. ad Dardan. de terra promiſſ. Aug. lib. 2 de doct. Chriſtiana cap 8. Rufin. in Symb.
r Ep. 2 ca 3.

eoſdem ſcripſiſſe ſecũdam, his verbis declarat: *Hanc vobis cariſſimi; ſecundam ſcribo epiſtolam.* Et paulò poſt ſubdit: *ſicut & cariſſimus frater noſter Paulus ſcripſit vobis:* vt ſignificare videatur, Paulum ad Hebræos ſcripſiſſe. Video, poſſe quempiam reſpondere, non neceſſariò dicendum eſſe ſecundam Epiſtolam Petri ad Hebræos, fuiſſe conſcriptam. poſſent enim eius verba perinde accipi quaſi dicat; Ad Hebræos inter Gentes diſperſos ſcripſi primam meam epiſtolam; *hanc vobis, cariſſimi, ſecundam ſcribo,* vt aliquas alias gentes ſignificet, ad quas etiam Paulus ſcripſerit. Sed ſi Petri teſtimonium adeo eſſet apertum, vt refelli, aut in dubium reuocari nullo modo poſſet, res eſſet certa fide credenda ob diuinæ ſcripturæ auctoritatem. mihi verò ſatis eſt, non leuem inde coniecturam ſumi. Addam non contemnendum argumentum. omnium enim Catholicorum conſenſu receptum eſt, eam Epiſtolam vel eſſe Pauli, vel Lucæ, vel Barnabæ, vel Clementis Romani, vel certè Tertulliani. Non eſſe autem neque Lucæ neque Barnabæ, quæ ſuperiùs allata ſunt, non obſcurè ſignificant. Et, vt demus, alterius eſſe è duobus, eſſet vtique viri apoſtolici, & idcirco apoſtolica, & ſacra auctoritate non indigna. Nec poteſt eſſe Tertulliani, cùm Clemens Alexandrinus[a] Tertulliano antiquior eam Paulo tribuat; & Tertullianus ipſe (vt affirmat Hieronymus[b]) eam Barnabæ eſſe exiſtimarit; nec denique Clementis Romani, cùm ipſe eam Pauli Apoſtoli eſſe dicat.[c] Quamobrem quamuis olim Caius apud Græcos, & apud Latinos Lactantius, Tertullianus, Cyprianus, Arnobius hanc epiſtolam vel non agnouerint, vel de eius auctoritate aliqua ratione dubitauerint: quæ ſuperiùs allata ſunt, omnẽ meritò dubitationem auferunt.

III. Incredibile tamen dictu eſt, quàm multa ad huius epiſtolæ auctoritatem infringendam excogitata ſint. nam primùm multos offendit, quòd Pauli nomen, vt in aliis omnibus epiſtolis, eius epiſtolæ initio non legitur. Sed acutè Hieronymus.[d] *Si ideo* (ait) *non eſt Pauli, quia non habet præfixum Pauli nomen, nullius prorſus eſſe, quia nullius nomen profert.* Et Ioannis prima epiſtola etiamſi nullius nomen præfixum habeat, Ioannis tamen eſſe non dubitatur, cùm contra Euangelia, quæ nomine Thomæ, vel Bartholomæi, vel Iacobi, vel Nicodemi inſcribuntur, ab omnibus iure optimo reiiciantur. Addo, quòd non temerè Paulus ſuum nomen reticuerit, ſiue quòd (vt ait Hieronymus[e]) certò ſciret ſuum nomẽ Iudæis legis veteris ſtudioſis eſſe in primis exoſum; ſiue quia (vt idem Hieronymus[f] teſtatur) indignum putauit ſe Apoſtolum appellare, ne arrogantiæ argui poſſet, quòd ſe Chriſto æquaret, quem illa ipſa Epiſtola[g] Apoſtolum vocat confeſſionis noſtræ; ſiue denique (vt ait Theodoretus[h]) quia Paulus non erat Hebræorum, ſed Gentium Apoſtolus, vt ipſe ad Galatas[i] fatetur. Atque has quidem omnes rationes non obſcurè inſinuauit Clemens[k] Alexandrinus. De ſtyli diuerſitate nonnulli magnoperè laborant, quod alij facilè expediunt. ſententias enim Pauli eſſe dicunt, verba autem aut Lucæ, aut Clementis, vt Origenes apud Euſebium[l] affirmauit, vel, vt alij malunt, quos Euſebius,[m] & Clemens[n] Alexandrinus ſequuntur. Hebraicè primùm ea epiſtola ſcripta eſt, deinde à Luca, vel Clemente in Græcum ſermonem tranſlata. Neque eſt abſurdum Hebraicè ſcribentem Hebraicorum interdum nominum interpretationem addere; quod Paulus fecit in nomine Melchiſedech. Quòd ſi quis contendat, eam nominis explicationem additam ab interprete, non magnoperè repugnabo. Sic etiam legimus in Exodo:[o] *Eſt enim Phaſe, id eſt, tranſitus Domini.* Nec enim in

Hebræo

a apud Euſe. lib. 6. hiſt ca. 11.
b de vir. illuſt. in Paulo.
c In Epiſt. ad Cor. apud Euſeb lib. 3 hiſt. cap. 38 & in canon. Apoſt. cap vlt.
d Præf. in Ep. Pauli.
e loco citato.
f ad Gal. 1.
g cap. 3. 1.
h præf. in Ep. ad Hebr.
i cap. 2. 9.
k apud Euſe. lib. 6. hiſt. c 11.
l lib. 6. hiſt. c. 18.
m lib. 3. hiſt. cap. 38.
n apud eund. Euſeb. lib 6. hiſt cap. 11.
o cap. 12. 11.

Hebræo legitur vlla interpretatio. Eadem ratione cùm hic auctor ex Hebræo foote ſcripturas protuliſſet, Græcus interpres auctoritatem Septuaginta ſequutus eſt. Neque enim credendum eſt, Paulum Apoſtolum, cùm in ſynagoga Antiochena apud Hebræos ſermonem haberet, alıter ſcripturas, quàm vt erant in Hebræis codicibus protuliſſe; Lucas [a] tamen eas ex Septuaginta interpretatione poſuit. Sed multa eius epiſtolæ auctori obiiciuntur. nam cum ipſo Apoſtolo Paulo pugnare dicunt. Paulus [b] ſiquidem ait, ſe non ab hómine, neque per hominem, ſed ab ipſo Christo diuinitùs Euangelium didiciſſe; eius verò epiſtolæ auctor ſe inter eos numerat, qui ab Apoſtolo eruditi, & confirmati ſunt: quaſi verò nouum, aut inauditum ſit, ſcriptores cum ſuæ ætatis hominibus ſeſe connumerare. nam & B Iſaias; [c] *Facti ſumus* (inquit) *vt immundi omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ; non eſt qui inuocet nomen tuum, qui conſurgat, & teneat te.* Quæ nemo niſi imperitus, aut impius verè de Iſaia affirmari poſſe contendet; ita cùm de ſui ſæculi hominibus loqueretur Apoſtolus, eorum ſeſe numero modeſtiæ cauſa aggregauit, cùm tamen ab illis plurimùm diſtaret. Quamquàm ſi quis dicat Paulum Apoſtolum miraculis fuiſſe nonnihil in fide percepta confirmatum, me quidem iudice, nullius iuſtam reprehenſionem incurret.

a Act. 13. 33.
b ad Gal. 1. 1.
c cap. 64. 6.

IV.

At pugnat cum Chriſti doctrina, qui omnes ad ſe inuitat, [d] hic verò quoſdam excludit [e] à pœnitentia, apertéque docet Eſau [f] pœnitentiæ locum non inueniſſe, tametſi illam multis profuſis lacrymis C quæſiſſet. Sed non video, qua ratione eius auctoris verba magis pugnent cum Chriſti doctrina, quàm quòd Chriſtus ipſe apud Matthæum [g] docuit, blaſphemiam in Spiritum ſanctum non remitti neque in hoc ſæculo, neque in futuro: quod qua ratione intelligendum ſit, ſuo loco videro. Certè eius epiſtolæ auctor (vt planiùs eo loco docebimus) non de pœnitentia, quæ poſt baptiſmum peccantibus eſt neceſſaria, ſed de baptiſmo loquitur, quem conſtat iterari non poſſe. Eſau verò non habuiſſe dicitur pœnitentiæ locum, quia benedictionem paternam, & hæreditatem amiſſam recuperare non potuit, vel quia non rectè pœnitentiam egit, ne apud Deum quidem pœnitentiæ fructum adeptus eſt. Video etiam nonnullos argumentari, non videri D hanc Epiſtolam Pauli, quòd ſacras litteras non litterali ſenſu interpretetur, vt cùm ex libris [h] Regum probat, [i] Chriſtum eſſe Filium Dei illis verbis allatis: *Ego ero illi in patrem*; quæ proculdubio de Salomone accipienda ſunt. At ad Romanos, [k] & ad Corinthios, [l] & aliàs ſæpè eodem modo argumentatur: quod aptiùs facit hic auctor, qui ad eos ſcribit, quibus certum, atque exploratum erat Salomonem fuiſſe Chriſti typum; &, vt ait Auguſtinus, [m] inficiari non poterant multa de Salomone [n] dici, quæ ei nullo modo tribui poſſunt, niſi vt Chriſti gerebat figuram; vt illa; *Dominabitur à mari vſque ad mare, & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei.* Itémque [o] *ſtabiliam regnum tuum vſque in æternum*, cùm tamen ſtatim poſt obitum Salomonis de- E cem tribus ab eius filio Roboam defecerint, omniſque Iudæorum natio poſt aliquot annos in Romanorum poteſtatem, amiſſo penitùs regno, deuenerit. Imperitiam quoque Hebraicæ linguæ obiiciunt, quòd Hebræam vocem [p] בְּרִית Berith, quæ pactum, ſeu fœdus ſignificat; pro teſtamento acceperit: ſed ſequutus eſt Septuaginta, qui Hebraicam vocé בְּרִית Berith, Græcè διαθήκην, hoc eſt, teſtamentum interpretati ſunt, quod etiam affirmat Hieronymus [q]; neque aliter tranſtulit Paulus ad [r] Romanos, & ad Ga- A latas. [a] Adde, quòd (vt ſuo loco docebo) vitæ æternæ pollicitatio eſt quodammodo & teſtamentum, & fœdus: teſtamentum quidem, quia hæreditatem tribuit; fœdus verò, quia conditionem habet annexam, vt planiùs oſtendemus ſuo loco.

d Matt. 11. 28.
e ad Hebr. 6. & 10.
f cap. 12. 17.
g cap. 12. 32.
h lib. 2. cap. 7. 14.
i cap. 1. 5.
k cap. 10.
l Ep. 1. cap. 9.
m lib. de vnit. Eccleſ. cap. 8.
n Pſal. 71. 8.
o 2. Reg. 7. 13.
p ad Hebr. 9. 15. 16. 17.
q Matth. 2.
r cap. 9. 4.
a cap. 8. 4.

V.

Postremo pugnare aiunt eum veteris inſtrumenti libris. alicubi [b] enim ſcribit, fuiſſe in arca vrnam habentem manna, virgam Aaron, quæ fronduerat, & tabulas legis; cùm tamé in libris [c] Regum ſolæ legis tabulæ dicantur fuiſſe in arca, quod ipſum affirmat Ioſephus. [d] Sed Theophylactus, [e] & alij [f] quod ſcribitur in libris Regum, verum fuiſſe dicunt ætate Salomonis, quo tempore nihil erat in arca præter legis tabulas: cætera, quæ numerantur in epiſtola ad Hebræos, multò pòſt addita fuiſſe, cùm B Ieremias arcam abſcondit, vt ſcriptum eſt in libris Machabæorum. [g] Addit D. Thomas, in libris Regum tabulas præcipuè nominari, quòd ad illas potiſſimum ſeruandas extructa eſt arca, quæ propterea arca fœderis, teſtimonij, & teſtamenti nuncupatur, quæ nomina legem Dei ſignificant. Nec deſunt qui [h] dicant, ex lege, id eſt, pentateucho nihil fuiſſe in arca præter tabulas, id eſt præcepta. nam in Exodo [i] dicitur Moſes poſuiſſe in arca teſtimonium, & vt interpretantur Septuaginta, Μαρτύρια, hoc eſt, ſine dubio legem, & præcepta, quomodo alibi [k] præcepit Dominus: *Poneſque in arca teſtificationem.* Et Dauid: [l] *Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius*; hoc eſt, præcepta. Qua admiſſa ſententia, quæ magnopere probatur Hebræorum Rabinis, non excluduntur C manna, neque virga. Fuerunt etiam qui [m] exiſtimarent, extra arcam in quodam veluti ſinu, aut ſacculo fuiſſe virgam, & vrnam. id enim ſignificatur in Deuteronomio: [n] *Tollite* (inquit) *librum, & ponite in latere arcæ*; vt appareat, aliquid fuiſſe in arca exterius ad latus. Sed vereor, vt hæc omnia ad propoſitam dubitationem diſſoluendam aptè afferantur. auctor enim Epiſtolæ ad Hebræos de tabernaculo loquitur eo tempore, quo vehebatur in deſerto; itaque exiſtimarunt nonnulli, [o] omnia, quæ in epiſtola ad Hebræos numerantur, fuiſſe in arca tempore Moſis; regnâte verò Salomone, ſolas tabulas. At Ioſephus, [p] nihil ait, vllo vnquàm tempore fuiſſe in arca præter legem. Quamobrem dicendum videtur, virgam, & vrnam non in arca, ſed in tabernaculo fuiſſe, D vt intelligi poteſt ex libris Exodi, [q] & Numerorum. [r] nam ea, quæ dicuntur eſſe coram Domino, ante arcam poſita intelliguntur: [s] Tabernaculum autem apud Græcos eſt fœminini generis. quocirca cùm in epiſtola ad Hebræos dicitur; *In qua erant*, &c. relatiuum illud; *In qua*, refertur non ad arcam, ſed ad Tabernaculum, quemadmodum cùm dicitur; *ſupérque eam erat propitiatorium*; intelligitur διαθήκην, id eſt, teſtamentum, & lex; quemadmodum & alibi [t] ſæpe. contentum enim pro continente ponitur; niſi quis malit præpoſitionem, *In*, Hebræorum more idem valere, quod *Cum*; vt in libro Geneſeos; [u] *In baculo meo tranſiui Iordanem*; hoc eſt, cum ſolo baculo. Et apud Oſeam, [x] *In beſtia agri.* Et in poſteriori Epiſtola [y] Petri; *In virtute autem ſcientiam.* Poſſet E etiam quis cum Anſelmo exiſtimare, *In*, poſitum eſſe loco, *apud*, aut, *iuxta*, quomodo apud Ioannem [z] legimus: *Ambulabat Ieſus in templo in porticu Salomonis*; hoc eſt, in porticu Salomonis iuxta templú. Alibi: [a] *Hæc in Bethbara facta ſunt*; cùm tamen Ioannes extra vrbem baptizaret.

b cap. 9.
c 3. cap. 8. & 2. Par. 5.
d lib. 8. antiq. cap. 2.
e ad Hebr. 9.
f Melch. Can. lib. 2. de loc. cap. 11. ad 7.
g 2. cap. 2. 5.
h Vatabl. & alij 3. Reg. 8.
i cap. vlt. 18.
k Exo. 25. 16.
l Pſal. 118. 2.
m Lyr. 3. Reg. 8. Abul. ibid. q. 6. Caiet. ad Heb. 9.
n cap. 31. 26.
o Ambr. Cater. de claub. ſcript. cl. 2. & lib. 1. adnot. in Caiet.
p lib. 3. Antiq. c. 6. & l. 8. cap. 2.
q cap. 16. 33.
r cap. 17. 10.
s Ex. 27. 61. 80.
t Exod. 27. 30. & Num. 37.
u cap. 32. 10.
x cap. 4. 3.
y cap. 1. 5.
z cap. 10. 23.
a Ioan. 1. 28.

VI.

Qvovis igitur modo libeat explicare, non poteſt huius epiſtolæ auctor vllo modo reprehendi, atque ita cõſtat epiſtolarum Pauli is, quem diximus, numerus, neque plures, neque pauciores cenſendæ ſunt. Neque ſanè abſque diuinæ prouidentiæ conſilio

ſilio factum eſſe credendum eſt, vt cùm aliorum A Apoſtolorum paucæ admodum extent Epiſtolæ, vnius Pauli nomine tam multæ habeantur in manibus. Qua de re Cyrillus [a] Hieroſolymitanus hunc in modum ſcribit: *Miratus ſum certè ſancti Spiritus diſpenſationem, quòd aliorum quidem Epiſtolas paruo numero circumſcripſit, Pauli autem antea ſui perſequutoris quatuordecim eſſe conceſſit; non enim eo, quòd minor eſſet Petrus, aut Ioannes præcidit gratiam, abſit: ſed quòd dubia non eſſet doctrina illius, qui antea eſſet inimicus, & perſecutor, plura conceſſit illum ſcribere, vt omnes ſic nobis faciliùs perſuadeamus. Stupebant enim omnes de Paulo dicentes: Nónne hic eſt, qui priùs perſequebatur?* Atque haud ſcio, an probanda ſint quæ de hoc numero Gregorius [b], & Anſelmus [c] philoſophantur. ſic enim ait Gregorius: B *Recta vita ſancta Eccleſia multiplicata per decem, & quatuor reputatur, quia vtrumque teſtamentum cuſtodiens, & tam ſecundum legis decalogum, quàm ſecundùm quatuor Euangelij libros viuens vſque ad perfectionis culmen extenditur. vnde & Paulus Apoſtolus quamuis Epiſtolas quindecim ſcripſerit, ſancta tamen Eccleſia non ampliùs, quàm quatuordecim tenet, vt ex ipſo Epiſtolarum numero oſtendat, quòd doctor egregius, & Euangelij ſecreta rimatus eſſet.* Quæ paucis mutatis repetit Anſelmus.

a Catech. 10.
b lib. 35. moral. cap. 25.
c Coloſſ. 4.

VII. IAM quod ſpectat ad ordinem Epiſtolarum Pauli, ſi temporis ratio habenda ſit, vt obſeruant Theodoretus [d]: Primam omniũ Athenis ſcripſit ad Theſſalonicenſes, quam cùm [e] eſſet Athenis Timotheo dedit perferendam. C Idem videtur ſenſiſſe Athanaſius [f]: itáque habet ſubſcriptio Græca, ſed alij probabiliùs putant Corinthi datam, cùm in ea mentionem faciat aduentus Timothei, qui, vt intelligitur ex Luca [g], Paulum Corinthum conuénit. Nec ita multò pòſt ex eodem loco alteram ad eoſdem Theſſalonicenſes miſit. Poſt has duas ad Theſſalonicenſes, geminas ad Corinthios ſcriptas fuiſſe, iidem Chryſoſtomus, & Theodoretus autumant. Quinto loco priorem ad Timotheum: ſexto Epiſtolam ad Titum, ſeptimo ad Romanos, octauo Epiſtolam ad Galatas, quam Romæ ſcripſit. Chryſoſtomus tamen priori loco ſcriptum eſſe dicit Epiſtolam ad Galatas, quàm ad Romanos. & Petrus [h] Damianus ait Epiſtolam ad Galatas Epheſi fuiſſe ſcriptam. Nono ad Philippenſes, decimo ad Epheſios, vndecimo ad D Coloſſenſes, duodecimo ad Philemonem, tertiodecimo ad Hebræos, poſtremo loco ſecundam ad Timotheum; & has quidem ſeptem poſteriores Romæ ſcriptas fuiſſe docet. Idipſum ſcribit Hieronymus [i] de Epiſtolis ad Philippenſes, Coloſſenſes, Epheſios, & Philemonem, & non penitus negligendis coniecturis confirmat. Quæ cùm ita ſint, meritò dubitatur quánam ratione longè alius in collocandis Epiſtolis Pauli ordo ſeruetur. Et quidem ordinem temporis fuiſſe neglectum ſatis compertum eſt; cur autem primum locum Epiſtola ad Romanos occupauerit, plures afferuntur rationes. ſpectata eſt enim dignitas vrbis, &, vt ſuo loco docuimus, doctrinæ præſtantia, poſſis etiam addere habitam nonnullam rationem ipſius Pauli, qui & ciuis Romanus, & Gẽtium E Apoſtolus erat: qua ratione factum videtur, vt cæteræ Epiſtolæ, quæ ad alias Eccleſias miſſæ ſunt, quia ſcriptæ erant ad gentes, Epiſtolam ad Hebræos antecedant, quæ omnium poſtrema collocatur, vt ſignificetur id, quod Apoſtolus ad Romanos [k] ſignificauit; tum demum Iudæos ad fidem traducendos vniuerſos, cùm plenitudo gentium fidem complexa erit, vt appareat veriſſimum fuiſſe illud oraculum [l], *Ipſe erit in caput, & tu eris in caudam.* Solet autem Apoſtolus (vt Auguſtinus [m] obſeruauit, & ante illum Chryſoſtomus [a]) bipartitas Epiſtolas ſcribere, & in priori quidem parte de fidei dogmatibus diſputare; in poſteriori verò morum præcepta tradere. Et ſi quis velit minutiùs Pauli Epiſtolas partiri, quinque ferè partes ſingulæ complectentur, ſalutationem, exordium, diſputationem dogmaticam, parænesim, ſiue adhortationem; poſtremò commendationes, & familiarium ſalutationes. Rectè autem obſeruauit Auguſtinus [b], meritò diſputationem dogmaticam adhortationi præferri, quòd neceſſe ſit morum diſciplinæ ſubeſſe fidem, ſine qua virtus omnis prorsùs languet, & velut exanguis, ac mortua nihil apud Deum promeretur. Idem affirmat Chryſoſtomus [c], qui tamen addit, conſueuiſſe Apoſtolum in media diſputatione nonnulla interſerere, quæ referantur ad mores. Quo autem loco ſingulæ Epiſtolæ ſcriptæ ſint ſuis locis explicabitur.

d Præfat. in ep. Pauli.
e 1. ad Theſſ. 3. 2.
f in Synop.
g Act. 18. 5.
h in Tract. cur Paulus à dextris Petri collocetur.
i 3 Ep. ad Philemonem, & Apolog. prima in Ruffin.
k cap. 11. 25. 26.
l Deute. 28. 44.
m De fide, & oper. cap. 7.
a Hom. 10. ad Rom.
b lib de fide, & oper. c. 7.
c Hom. 10. ad Rom.

Forma, & character ſcriptionis Apoſtolicæ.

CAP. IV.

I. NONNVLLA eſſe in Paulo Apoſtolo obſcura, & difficilia, Petrus ipſe Apoſtolus apertiſſimè docuit [d], cùm enim de Pauli Epiſtolis ageret: *In quibus* (ait) *ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem.* Obſcuritatis, quæ cernitur in elocutione Pauli, plures affert rationes Irenæus [e]: *Quoniam* (inquit) *hyperbatis frequenter vtitur Apoſtolus propter velocitatem ſermonum ſuorum, & propter impetum, qui in ipſo eſt, ſpiritus.* Et Origenes [f]: *Quod cæteris* (ait) *Apoſtoli Pauli Epiſtolis difficilior putatur ad intelligendum hæc, quæ ad Romanos ſcripta eſt, duabus mihi videtur fieri ex cauſis: vna, quòd elocutionibus interdum confuſis, & minùs explicitis vtitur: alia, quòd quæſtiones in ea plurimas mouet, & eas præcipuè, quibus innitentes hæretici aſtruere ſolent, quod vniuſcuiuſque geſtorum cauſa non ad propoſitum debeat, ſed ad naturæ diuerſitatem referri: & ex paucis huius Epiſtolæ ſermonibus totius ſcripturæ ſenſum, qui arbitrij libertatem conceſſam à Deo homini docet, conantur euertere.* Itaque Oecumenius [g] exiſtimauit, quæ dixit Petrus de difficultate Epiſtolarum Pauli, præcipuè de Epiſtola ad Romanos accipienda eſſe. cùm enim poſuiſſet verba Petri, ſubdit; *Vbinam tale aliquid dixit Paulus,* D *nimirum illis verbis; benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit.* Et paulò pòſt: *Quæ ſunt quæ in Epiſtolis Pauli deprauant homines indocti, & inſtabiles ad ſuam perditionem? Exempli cauſa, dixit Paulus, vbi abundauit peccatum, ſuperabundauit & gratia, hoc iſti deprauãt dicentes, Paulum hoc docere, peccemus abundantiùs vt abundãtiùs nobis ignoſcatur.* Alij tamen verba Petri de Epiſtola ad Hebræos intelligunt, vt ſuo loco planiùs docebo. Hieronymus autem, qui aliàs Paulum elinguem, & ſermone imperitum appellat [h], de illo tamen hunc in modum ſcribit [i]: *Vbi eſt* (inquit) *electionis vas, tuba Euangelij, rugitus leonis noſtri, tonitrus gentium, flumen eloquentiæ Chriſtianæ?* Et alio loco [k]: *Paulum Apoſtolum proferam, quem quotieſcumque lego, videor mihi non verba audire, ſed tonitrua.* E *Legite Epiſtolas eius, & maximè ad Romanos, ad Galatas, & ad Epheſios, in quibus totus in certamine poſitus eſt.* Paulò autem pòſt: *Videntur autem verba ſimplicia, & quaſi innocentis hominis, ac ruſticani, & qui nec facere, nec declinare nouerit inſidias, ſed quocumque reſpexeris, fulmina ſunt: hæret in cauſa, capit omne, quod tetigerit, tergum vertit, vt ſuperet, fugam ſimulat, vt occidat.* Chryſoſtomus certè, & Græci Patres ingenuè fatentur, non vſum fuiſſe Paulum fucatæ eloquentiæ pigmentis, neque calamiſtratæ orationis lenociniis, veræ tamen, ac ſolidæ eloquentiæ neruos,

d Ep. 2. vlt. 6.
e lib. 3. cap. 7.
f Præfat. in epiſt. Pauli ad Rom.
g 2. Petri 3.
h ep. ad Gala. cap. 3.
i Epiſt. 61. de error. Io. Ieroſol.
k Epiſt. 50.

neruos, & aculeos non illi defuiſſe, quin potiùs natiuis germanæ, maſculæque facundiæ ornamentis interdum redundare. Vt ſi quis orationis ipſius totam indolem, & χαρακτῆρα propiùs inſpexerit, neque Platonis grandiloquentiam deſideret, quoties illi libuit diuina myſteria detonare, neque Demoſthenis δεινότητα, quoties mortalium animos vel metu diuini iudicij concutere, vel officij admonere, vel ad contemplandam Dei bonitatem erigere, vel ad pietatis, ac miſericordiæ functiones ſtatuit inflammare. Atque alicubi ſcribit Hieronymus[a]: *Paulus Græcam facundiam contemnebat, vel certè (quod erat humilitatis) diſſimulabat, vt prædicatio eius non in perſuaſione verborum, ſed in ſignorum virtute conſiſteret, ſpernens alienas opes, qui in ſuis diues erat, quamquam ad imperitum & per ſingulas inſtar tui ſententias corruentem, numquam pro tribunali ſedens Feſtus diceret, Inſanis, Paule, inſanis: multæ te literæ ad inſaniam conuertunt.* Et Auguſtinus[b]: *Sicut Apoſtolum* (ait) *præcepta eloquentiæ ſecutum fuiſſe non dicimus, ita quòd eius ſapientiam ſecuta ſit eloquentia non negamus.* Explicans verò verba Pauli: *Etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia,* ait, *id quaſi concedendo obtrectatoribus ſic locutus, non tamquam id verum agnoſceret confitendo; ſi autem dixiſſet, imperitus quidem ſermone, & non addidiſſet, & non ſcientia: nullo modo aliud poſſet intelligi; ſcientiam planè non cunctatus eſt profiteri, ſine qua eſſe doctor gentium non valeret: certè ſi quid eius proferimus ad exemplum eloquentiæ, ex illius vtique Epiſtolis proferimus, quas etiam ipſi obtrectatores eius, qui ſermonem præſentis contemptibilem putari volebant, graues, & fortes eſſe confeſſi ſunt.*

a lib. Apoſt. aduer. Ruffin.
b lib. 4. de doct. Chriſt. cap. 7.

NON iuerim tamen inficias (quod Petri teſtimonio ſuperiùs docuimus) multa eſſe in Paulina elocutione obſcuriùs dicta, quæ non ſolùm magnam explanatoribus attulerint difficultatem, ſed ingentem etiam hæreticis veluti errorum ſegetem, ac materiam præbuerint. Nam quod attinet quidem ad verba, fateor illum (quod olim Demoſtheni vitio datum eſt) non fuiſſe θηρίλεξιν, vel λογοδαίδαλον, id eſt verborum venatorem, & præclarum dictionum architectum, atque artificem; ſed vulgaribus, & communibus, & patria lingua vſum, quæ, quippe Cilicum, rudis erat, & ſubruſtica, & interdum ſolœciſmis aſperſa. Itaque Epiphanius[c] ex ſententia Procli de Pauli elocutione hunc in modum ſcribit: *Quemadmodum potens ille iaculator Apoſtolus diſtortis verbis in medium conlectis obſcuram quidem, & occultatam facit lectionum altitudinis elaborationem, veriſſimam autem, & rectæ opinionis, & quæ nihil habet neglectum, aut ægrè adeò explicabile. nam his, qui non adhibito ſtudio, & ingenerosè à verbis excidunt, aliquando incohærentia, & diſſona dicere videtur: qui verò ſtudiosè, & ſobria ratiocinatione relegunt, magno ordine, ac veritate plena.* Adde quòd (vt obſeruauit Chryſoſtomus[d]) ſolet nonnunquam in malè ſignificantibus rebus bonis vti nominibus, & in benè malis: vt exempli gratia, captiuitatis nomen malæ ſignificationis nomen videtur, ſed in bona eo[e] Paulus his verbis vtitur: *In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.* Contrà in re mala præclaro vtitur verbo[f]: *Regnauit peccatum.* Atqui regni nomen laudabilius eſt: præclarè verò in eamdem ſententiam Gregorius[g] Nyſſenus. *Solet enim* (inquit) *ſapientia magni Pauli ad id, quod viſum fuerit ad arbitrium ſuum verbis vti, & ad ſua ſententia ferrem, atque complexum verborum ſignificationes adaptare, etiāſi ad alios quoſdam intellectus conſuetudo abuſum dictionum trahat. Nam vnde ſumpſit vſum verbi ἐκένωσεν, id eſt, exinaniuit ſe ipſum, & illud, Gloriationem meam nemo inanem reddet: itemque, Inanis facta eſt fides; &, Ne inanis reddatur crux Chriſti? Ex quo vſu hæc ad ſuum traduxit ſermonem? Quis item iudicabit eum quòd dixerit ὁμειρόμενοι ὑμῶν, id eſt, cupidi veſtri, & erga vos propenſi? Per quam dictionem dilectionis habitum, & affectum oſtendit. Quomodo per dictionem μὴ περπερεύεσθαι, id eſt, perperam agere, & procacem, & temerarium eſſe, caritatem à ſuperbia vacuam demonſtrat? Studium item contentionis, & vlciſcendi cupiditas quo pacto per verbum ἐριθείας ab eo ſignificatur? cùm perſpicuum ſit omnibus, quod ex ἐριθευτικῆς, id eſt, laniſicio, ἡ ἔριθος, id eſt, ancilla propriè, quæ lanam tractat, ex ipſa ſcriptura nominatur; atque exercitium, & ſtudium lanæ nomine ἐριθείας ſignificare ſolemus. Attamē omiſſis frigidis etymologiis, quibus verbis ei viſum eſt, animi ſui conceptum exprimit, atque exponit. Etenim multa quoque alia, qui diligenter ſcrutatus fuerit, in ſcriptis Pauli deprehenderit, quæ non ſeruiunt vſui conſueto, ſed quæ per propriam quandam conſiderationem ab eo conſuetudinem nihil curante, pro arbitrio proferuntur. Sic igitur in hoc quoque loco ſubiectionis ſignificatum alio ſenſu præter communes intellectus à Paulo accipitur. Idque hinc demonſtrari poteſt, quod neque in hoc loco ſubiectio inimicorum, quorum mentionem fecit, coactum quid, & non voluntarium in ſe habet, quemadmodum dixerint hi, qui cōſuetudini ſeruiunt; ſed apertè per verbum ſubiectionis ſalus in ipſis declaratur. Eius autem rei argumentum eſt, quòd in hoc loco diuiſum, & diſtinctum eſt nomen inimicitiarum in duplicem ſignificationem. Ex inimicis enim alios ſubiectum iri, alios abolitum iri dicit; atque abolebitur quidem, quæ natura inimica eſt mors, & quæ circa eam ſunt, peccati tum imperium, tum poteſtas, tum vis, ſubiicientur autem qui alia ratione hoſtes Dei dicuntur, qui à regno ad peccatum transfugerunt, quorum etiam in Epiſtola ad Romanos[a] meminit, vbi dixit: Nam ſi cùm inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo. Quam enim hîc vocat ſubiectionem, illic reconciliationem nominat, vnam rem, quam in animo habebat, & intelligebat, vtroque nomine indicans, nempe ſalutem.* Hæc ille, ex quibus neceſſe eſt non exiguam oriri ſermonis obſcuritatem. Multa etiam (vt ad Algaſiam obſeruat Hieronymus[b]) è lingua Cilicum vſurpat, vt illud[c]: *Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die;* vbi diem more patrio poſuit pro iudicio; quòd qui alios in iudicium vocaret, illis diem diceret. Interdum etiam voces peregrinas vſurpat, quales ſunt illæ: *Macellum, colonia, ſicarij, ſudarium, ſemicinctia, membrana, & penula.* Quinetiam ibidem affirmat Hieronymus, excidere illi interdum & ſolœciſmos; quod etiam viſum eſt Origeni[d]. Porrò Hieronymus[e] ita de Paulo ſcribit: *Nos quotieſcumque ſolœciſmos, aut tale quid adnotamus, non Apoſtolum pulſamus, vt maleuoli criminantur, ſed magis Apoſtoli aſſertores ſumus, quòd Hebræus ex Hebræis, abſque Rhetorici nitore ſermonis, & verborum compoſitione, & eloquij venuſtate numquam ad fidem Chriſti totum mundum traducere valuiſſet, niſi euangelizaſſet eum, non in ſapientia verbi, ſed in virtute Dei. nam & ipſe ad Corinthios ait: Et ego dum veniſſem ad vos, fratres, veni non in eminentia verbi, aut ſapientia annuntians vobis teſtimoniū Dei.* & rurſum: *Et verbum meum, & prædicatio mea non in ſuaſoriis ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis, vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei. Iſte igitur, qui ſolœciſmos in verbis facit, qui non poteſt hyperbaton reddere, ſententiámque concludere, audacter ſibi vendicat ſapientiam.* Sed poſteā addit: *Si verò quis poteſt etiam iuxtà ſermonis, & eloquij contextum docere, Apoſtolum fuiſſe perfectum, & in artis Grammaticæ vitia non incurriſſe, ille potiùs auſcultandus eſt.*

c Hær. 64.
d Hom. 9. in ad Corinth.
e 2. ad Cor. 10. 5.
f ad Rom. 5. 21.
g in dict. Apoſtoli. Tunc quam ipſe filius, &c.
a cap. 5. 10.
b epiſt. 151. q. 10. & ad Hedib. q. 11.
c 1. ad Corin. 4. 3.
d Homil. 9. in lib. Num. & lib. 4. de Princip. c. 1.
e ad Epheſ. 3.

AD hanc etiam obſcuritatem magnam vim afferunt III.

runt figuræ, quæ ſunt apud illum maximè frequentes: abundat autem præcipuè hyperbatis, quæ duriam, & hiulcam orationem reddunt. Sunt etiam nõ infrequentes eclipſes verborum, itémque ἀνακόλουθα ſiue ἀνανταπόδοτα cùm diſiunctis enuntiationibus nihil reſpondet, ſed prætermiſſo altero membro, redditur oratio obſcura, & ſuſpenſa. Mitto metonymias, reticentias, apoſiopeſes, emphaſes, tapinoſes, & id genus alia, quibus minùs perſpicua, minúſque facilis euadit oratio. Quo minùs mirandum eſt, quàm plurimorum in explicatione Pauli deſudaſſe ingenia, quorum cùm laude digna videatur induſtria, non eadem tamen omnium fuit in aſſequendo vero ſenſu fœlicitas. Certè Iuriſperitorum [a] plerumque lex diligentiſſimè retinenda videtur, ne dum plus æquo verbis inſiſtitur, ſententia, quæ præcipuè inueſtiganda eſt, deſeratur. Et quoniam omnes ferè hæreſes extrema ſequuntur, media ſemper incedendum eſt via, vt exempli gratia neque cum Pelagio Dei gratiam abnegemus, neque cum Manichæo liberum tollamus arbitrium. Ita etiam ſcripturæ ſacræ auctoritatem tueamur, vt non penitus negligamus traditiones. Illud autem conandum in primis eſt, vt animus omni prorſùs labe purgetur; rectè enim ſcripſit B. Auguſtinus [b], errare illum, *qui putat veritatem ſe poſſe agnoſcere, cùm adhuc nequiter viuat.*

IV. Habet præterea Paulus peculiarem quamdam rationem proferendi, atque interpretandi ſacras veteris inſtrumenti ſcripturas: ſequitur enim vt plurimùm Septuaginta interpretes, & (quod monet Hieronymus) nonnumquàm ſenſum, non ipſa verba recitat: interdum verò plura Prophetarum, ſeu Pſalmorum teſtimonia in vnum locum congerit, vt ſuſpicari quis poſſit indidem eſſe prolata; & (quod alias monui) myſticum plerumque ſenſum ſequitur. Adde rerum, quæ præſertim in Epiſtola ad Romanos traduntur, difficultatem: interdum enim videtur liberum arbitrium penitus tollere, dum ad vnam Dei voluntatem omnia referre creditur, & ad diuinæ gratiæ vim, quæ voluntates humanas mouet, & flectit. De iuſtificatione verò ita diſſerit, vt eam vni fidei tribuere videatur, & opera penitus excludere, quæ cauſa fuit (vt autumat Auguſtinus [c]) vt Petrus, Iacobus, & Ioannes ſcripſerint Epiſtolas ſuas, quibus mirificè commendant caritatem, & opera, ſine quibus languidam, ac mortuam docent eſſe fidem. Hæc fermè omnia quiuis, qui Paulum attentè peruoluat, per ſe facilè deprehendet; ſi præſertim veteres Pauli explanatores tum Græcos, tum Latinos ſequatur, quorum longum eſſet catalogum texere; de ſingulis verò ſententiam ferè periculoſum. Origenem recentiores hæretici calumniis inſectantur, Hieronymus in multis errasſe non negat [d], ſed vbi benè dixit, neminem meliùs; vbi malè, neminem peiùs ſcripſiſſe affirmat. Eiuſdem farinæ videtur fuiſſe Didymus, de quo Hieronymus [e]: *In Didymo* (ait) *memoriam prædicamus, & ſuper Trinitate fidei puritatem; ſed in cæteris, quæ Origenis malè credidit, nos ab eo retrahimus.* De Chryſoſtomo nihil attinet dicere. neque enim quiſque facilè ſtatuat, quid in eo magis mirandum ſit, eximia ne, ac ſingularis in Paulum propenſio, an accurata eius ſententiæ explanatio, an denique incredibilis eloquentiæ vis, qua, quod ipſe probè intelligit, in legentium animis penè inſculpit. Illum ſequuti ſunt Theodoretus, Theophylactus, Photius, & Oecumenius; ſed Photij, & Theophylacti ſuſpecta, vel potiùs deprauata mens fuit, & à Romana Eccleſia maximè aliena; quòd vterq; pertinaciſſimè negarit, Spiritum ſanctum à Filio procedere. Circumferũtur Athanaſij nomine in Paulum Commentarij, ſed eſſe Theophylacti nullus ambigat, qui eos vel primo intuitu aſpexerit: nam Athanaſium nemo, quòd ſciam, antiquorum in Paulum ſcripſiſſe memorat; memini tamen cùm ante annos fermè triginta in Sicilia eſſem, fragmenta quædam explanationis Epiſtolæ ad Romanos, Græcè manu ſcripta opera Illuſtriſſimi quondã Cardinalis Sirleti, è quodam Monialium cœnobio fuiſſe eruta, quæ vir ille doctiſſimus & Græca eruditione ſupra quàm credi poteſt excultus, eſſe Athanaſij affirmabat: ſed ita prorſùs erant vetuſtate corrupta, vt vix characteres dignoſci poſſent; præterquàm quòd vix paucæ pagellæ, & hæ quidem maxima ex parte laceræ repertæ ſunt. Sed quamquàm optimo, doctiſſimóque Cardinali plurimùm tribuo, eiúſque nomini, & gloriæ impensè faueo, non mihi tamen facilè perſuadeo, ſi in Epiſtolam ad Romanos Athanaſius ſcripſiſſet, eius præclara ingenij monumenta adeo apud veteres in tenebris iacuiſſe, vt omnium notitiam prorſùs effugerint, cùm tam multa aliorum ſcripta, quæ temporum iniuriâ perierunt, multorum teſtimonio, & commendatione celebrentur.

V. Venio ad Latinos, quorum primus recenſetur Marius Victorinus illuſtri martyrio inclytus, de quo tamen Hieronymus [a] in hunc modum ſcripſit: *Non quia ignorem, Caium Marium Victorinum, qui Romæ pueros rhetoricam docuit, edidiſſe Commentarios in Apoſtolum, ſed quòd occupatus ille eruditione ſæcularium literarum ſcripturas omnino ſanctas ignorauerit, & nemo poſſit, quamuis eloquens, de eo benè diſputare quod neſciat.* Huius ferè Victorini ſenſa, & explanationes ſequitur Primaſius, & alij non pauci. Scripſit & Hieronymus in quatuor Pauli Epiſtolas, ad Galatas, Epheſios, Titum, & Philemonem; ſed vtinam quos hæreticorum errores interſeruit, vberiùs, atque apertiùs confutaſſet. Circumferuntur etiam in tredecim Epiſtolas Pauli, prætermiſſa poſtrema, quæ eſt ad Hebræos, Hieronymi nomine breues commentarij, quos alicubi [b] Caſſiodorus commendare videtur; ſed viris doctis aut Pelagij, aut Pelagiani cuiuſpiam eſſe videntur. Eorum ego opera interdum vſus ſum; & ne ſemper cogerer iterare, eos falsò Hieronymi nomine inſcribi, aliquando ſimpliciter nomine Hieronymi appello. Porrò Auguſtinus inchoatam explicationem in Epiſtolam ad Romanos, & ad Galatas ipſemet agnoſcit, vt taceam integrum librum de verbis Apoſtoli. Collegit præterea Beda ex Auguſtino explanationes in Paulum non contemnendas. Circumferuntur Ambroſio inſcripti Commentarij in Epiſtolas Pauli, ſed Pelagiano errore aſperſi, vt præter cæteros obſeruauit Caſſiodorus, vt meritò pſeudoepigraphi cenſeri debeãt. Certè Hieronymus Ambroſij Cõmentarios in Paulum non videtur agnouiſſe; Caſſiodorus tamen illum in Paulum Commentarios ſcripſiſſe affirmat, ſed negat, ſe illos potuiſſe reperire. Ego verò quamquàm non dubito, falsò Ambroſio tribui, eamdem tamen ob cauſam non rarò Ambroſij nomine protuli: viris autem doctis aſſentior, qui hos commentarios eius putant eſſe auctoris, qui quæſtiones veteris, ac noui Teſtamenti ſcripſit, quæ falsò tribuuntur Auguſtino, qui putatur Hilarius Diaconus, cuius meminit Hieronymus [c], qui eum vocat auctorem imperitum ſermone, & ſcientia. Suſpicor, hunc ipſum Hilarium auctorem eſſe libri de Patris, ac Filij vnitate, qui perperam magno Hilario Pictauienſi inſcribitur. De B. Thoma nihil attinet dicere. eius enim ingenij magnitudo, & doctrina ſingularis adeo eſt Eccleſiæ Catholicæ perſpecta, & cognita, vt nihilo plus aliorum poſſit oratione illuſtrari, quàm ſi quis lucernam ſoli admoueat. Scripſit ille breues, & argutos in Paulum Commentarios, quem ferè ſecuti ſunt

[a] L. contra. ff. de leg. [illegible] Cod. [illegible]
[b] lib. de agon. Christ. c. 13.
[c] lib. de fide, & oper. c. 14.
[d] Ep. ad Minerv. & Alex. & epist. 65 ad Pammac. & Ocean.
[e] Apol. apud Ruffinum.
[a] Præfat. lib. 1. ad Gal.
[b] De diuin. lec. c. 8.
[c] De vir. ill. de Lucif. & epist. 126 ad Euagr.

ſunt poſteriores explanatores, quorum multitudo eùm penè in infinitum excreuerit, mirum fortaſſe cuipiam videatur, cur mihi venerit in mentem vel actum agere, vel quaſi anſerem (quod aiunt) inter olores obſtrepere. Sanè quidem, ſi me putem vel noua & inaudita, vel meliora, quàm alios afferre poſſe, non amens ſolùm, ſed etiam impudens meritò videar. Quis enim ego ſum, qui cum magnis omnino viris, & doctrinæ, atque eloquentiæ opibus omni ex parte inſtructis, atque ornatis conferri queam? cur igitur hunc ſcribendi laborem ſuſcepi? Dicam paucis, ſed verè, atque ingenuè dicam. Pauli Epiſtolas inter omnia diuina oracula ab ineunte ætate, hoc eſt, vbi primùm ſapere cœpi, præcipuo quodam ſtudio adamaui, & ſupra quàm dici poteſt, ſuſpexi, cúmque eius ſenſa maximè abdita, atque obſcura totum me ad ſe raperent, eadémque rurſus hebetudinem, ac tarditatem ingenij mei retunderent, maiori ea percipiendi, penitúſque cognoſcendi cupiditate inflammatus, eùm aliquando à docendi, concionandique labore vacuum tempus nactus eſſem, librorum copia deſtitutus cœpi Græcos codices diligentiùs expendere, tum nullo adhibito explanatore in meum priuatum vſum breuẽ paraphraſim cõſcripſi, quam ſubinde ſubciſiuis horis (quòd paulò videretur obſcurior) notis quibuſdam nonnihil illuſtrabam: ſed (vt fit) cùm familiares quidam mei in id me laboris incumbentem aliquando offendiſſent, nonnulláque perlegiſſent eorum, quæ paucis, breuitérque perſtrinxeram, non modò probarunt, ſed vehementer auctores eſſe cœperunt, vt ea vberiùs, & copioſiùs explicarem, integros denique commentarios ſcriberem: quibus vt morem gererem (quamuis innumerabilibus propemodum, & quotidianis occupationibus premerer, & expediendis difficillimis de officiis quæſtionibus aſſiduè diſtinerer) conatus ſum id præſtare, quod illi me facere poſſe exiſtimabant: eúmque nihil minùs cogitarem, quàm vt in lucem ederem, quæ mihi nõ penitùs probarentur, inſtare amici, & non ſolùm importunis precibus, ſed propemodum conuiciis vrgere, adeo vt me non ſolùm inſcio, ſed prorſus inuito typographum monerent, vt hos à me commentarios extorqueret. id ille per procuratorem ſuum agere cœpit ita diligenter, quaſi creditam pecuniam exigeret. Paſſus igitur ſum hos qualeſcumque labores meos rudes propemodum, & inchoatos in lucem prodiſſe, cùm vberiores diſputationes de rebus grauioribus iis adducere cogitarem, quas tamen ſi Deo placuerit, poſt explanationes, editurum me non diffido. Itaque non poſtulo, vt hic meus qualiſcumque conatus cum doctiſſimorum virorum lucubrationibus conferatur. *Illis ingenium, illis* (quod quidam dixit) *dedit ore rotundo Muſa loqui.* Plurimi ſubtiles diſputationes vberi, atque ornata oratione explicuerunt: Alij ad populares conciones ſiue ornandas, ſiue locupletandas hinc inde plurima partim proprio, partim myſtico, ac metaphorico ſenſu collegerunt: Nõnulli ex poetis, oratoribus, ac philoſophis, prophanis denique ſcriptoribus non pauca mutuati ſunt. Ego id vnum ſecutus ſum, vt Apoſtolicorum verborum ſentẽtiam quàm breuiſſimè, quámque apertiſſimè explicarem: an aſſecutus ſim, alij viderint, conatum me quidem certè profiteor. Qui igitur theologicas quæſtiones expetunt, qui popularibus, & Eccleſiaſticis concionibus dant operam, qui prophanam eruditionem requirunt, hæc noſtra nõ attingant; habent vnde hæc hauriant vberrimos fontes, veterum, ac recentiorum commentarios; noſtra ſi qui fortè in manus ſumpſerint, Paulum legent Latinè, apertéque loquentem, cùm ipſe alioqui (vt Hieronymus ait) quod mente conceperat, oratione non ſatis explicet.

VI. SED vt redeam ad Pauli Epiſtolas, hæc de illis vniuerſim, déque eius ratione dicendi viſa ſunt veluti præfationis loco explicanda, quibus ad extremum addo, illo ipſo tempore, quo Apoſtolus viuebat, fuiſſe illas magnæ apud omnes auctoritatis. nam & Petrus [a] Apoſtolus mirificè eas commendat. *Sicut* (inquit) *& chariſſimus frater noſter Paulus ſecundùm datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis.* Et (quod magis mirandum eſt) qui minimè Paulo fauebant, eius tamen Epiſtolis plurimùm tribuendum putabant. Itaque Paulus ipſe in eorum perſona ita loquitur [b]: *Quoniam quidem Epiſtolæ* (inquiunt) *graues ſunt, & fortes, præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis.* Quòd ſi qua fides Epiſtolis Senecæ ad Paulum habenda eſt, teſtatur ille, ſe Epiſtolas ad Galatas, & Achæos principi Neroni obtuliſſe, ac legiſſe, maiorémque in modum tantam eius ſapientiam, atque doctrinam admiratum eſſe. nam præter ea, quæ ex veteri Teſtamento producit, non pauca ex prophanis ſcriptoribus affert, & rationum firmamentis vtitur, quæ ipſo naturæ lumine cunctis facilè pareant, & quod ingenij magnitudinem declarat, ea non rarò occupat, vt Hieronymus [c] monet, & feliciter refellit quæ ſibi ab aduerſariis obiici poſſent.

[a] ep. 2. c. 3. 15.
[b] 2. ad Cor. 10. 10.
[c] epiſt. 150 ad Hedib. q. 11.

DE PAVLO APOSTOLO
Diſputatio tertia.

NVSQVAM, *opinor, diuini numinis vis, & efficacitas clariùs emicuit, nuſquàm cæleſtis gratia vberiùs videtur effuſa, quàm in Apoſtolo Paulo, vel ab impia Iudæorum perfidia ad Chriſti caſtra traducendo, vel ſingulari diuinarum rerum ſcientia imbuendo, ac cæteris ſupranaturalibus muneribus incredibiliter ornando, quibus Eccleſiam Catholicam vbique diffuſam fundauit, inſtituit, locupletauit. Siquidem triginta circiter annorum ſpatio (vt alicubi* [a] *ſcripſit Chryſoſtomus) Romanos, Perſas, Parthos, Medos, Indos, Scythas, Aethiopes, Sauromatas, Saracenos, & omne denique hominum genus, Philoſophis repugnantibus, contrà nitentibus idolorum ſacerdotibus, extrema denique minitantibus tyrannis, Chriſto aggregauit. Nimirum quemadmodum* [b] *Sol cæleſtium luminum princeps mira quadam celeritate orbem terræ perluſtrans: mundum ſua luce complet, rebúſque omnibus vitalem quandam vim, & facultatem impertit: non aliter Paulus diuini cuiuſdam ſplendoris radiis micans, errorum, atque impietatis tenebras fugat, cæcas hominum mentes cæleſtis gratiæ luce perfundit, & eorum, quæ ſupra naturam ſunt, bonorum amore, cupiditatéque inflammat. Itaque ad duas ſuperiores diſputationes tertiam addere placuit, in qua de vita, moribus, eruditione, eiúſque eximia ſanctitate pauca quædam delibanda ſunt, quæ ſeptem omnino capitibus comprehendentur. Primo namque Pauli genus, & patria explicabitur: ſecundo de eius eloquentia, & eruditione agetur: tertio de continentia, morúmque ratione: quarto de conuerſionis eius tempore, modóque: quinto de peregrinationibus: ſexto de ſcriptis, poſtremo denique de morte.*

[a] Hom. 4. de laudib. Paul.
[b] Chryſoſt. hom. 1. de laudib. Pauli.

Pauli

Pauli genus, & patria.

CAP. I.

I EBIONITÆ olim (vt auctor eſt Epiphanius [a]) exiſtimarunt, Paulum genere fuiſſe Græcum, ſed deinde Iudæorum religionem complexum eſſe, déque re tota hanc fabulam confinxerunt. Græcum hominem, & Græco Patre natum Hieroſolymam aliquando veniſſe, ibique ſacerdotis filiam ardentiùs deperiſſe, vtque eius nuptiis potiri aliquando liceret, proſelytum factum Hebraicam circumciſionem admiſiſſe: verùm ſua ſpe deiectum à iudaiſmo defeciſſe, & contra Moſem, eiúſque legem multa ſcripſiſſe. Quocirca Irenæus [b] ſcriptum reliquit, Paulum ab Ebioneis Apoſtatam, legíſque deſertorem appellari conſueuiſſe. Atqui fuiſſe illum genere Iudæum, & ex tribu Beniamin, non ſemel ipſemet apertè teſtatur [c]. *Si quis* (inquit) *alius videtur confidere in carne, ego magis circumciſus octauo die ex genere Iſrael de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, ſecundum legem Phariſæus, ſecundum æmulationem perſequens Eccleſiam Dei.* Alibi [d]: *Hebræi ſunt, & ego; Iſraelitæ ſunt, & ego; ſemen Abrahæ ſunt, & ego.* Rurſus [e]: *Nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores.* Et apud Lucam [f]: *Ego homo ſum quidem Iudæus à Tarſo Ciliciæ non ignotæ ciuitatis municeps.* Iterum [g]: *Ego ſum vir Iudæus natus Tarſo Ciliciæ, nutritus autem in iſta ciuitate ſecus pedes Gamalielis eruditus iuxtà veritatem paternæ legis, æmulator legis, ſicut & vos omnes eſtis hodie.* Quæ ſanè adeo aperta, & perſpicua ſunt, vt cœcutire meridie videatur, qui aliter velit opinari.

a Hær. 30. b lib. 1. c. 26. c ad Phil. 3. 4. d 2. ad Cor. 11. 22. e ad Gal. 2. 15. f Act. 21. 39. g Act. 22. 3.

II CÆTERVM cùm hoc tamquam certum minimèque dubium ab omnibus Catholicis admittatur, de eius tamen patria, ac natali ſolo non idem omnes ſentiunt. etenim Hieronymus non ſemper hac de re eodem modo locutus eſt. explicans enim verba illa Pauli [h]: *Salutat te Epaphras concaptiuus meus:* quorumdam ſententiam recenſet (quam tamen fabulam vocat) qui Paulum Giſcalæ oppido Iudææ natum eſſe opinabantur, ſed eo à Romanis capto vnà cum parentibus Tarſum migraſſe. Et quia ibi diu moratus eſt, appellatū fuiſſe Tarſenſem, quo modo Chriſtus dictus eſt Nazaræus. Eam ſententiam alibi Hieronymus [i] ipſe probat: complectuntur Beda [k], & alij recentiores [l]. Sed dici vix poteſt, quàm multis nominibus peccet. nam primùm falsò ait, Giſcalam oppidum eſſe Iudææ, cùm apertè ſcribat Ioſephus [m] ad Galilæam pertinere: deinde contra omnem hiſtoriæ fidem oppidum illud captum fuiſſe dicit à Romanis viuente Paulo, eòque adhuc puero, cùm tamen, eodem Ioſepho teſte, id contigerit non ante Veſpaſiani tempora, cùm Titus Hieruſalem expugnauit, hoc eſt, aliquot annis poſt obitum Pauli. Denique cùm Paulus ſe ciuem Romanum nominet [n], oſtendant oportet, eius ſententiæ auctores quando aut à quo Giſcala iure ciuitatis donata ſit: quod de Tarſo affirmat Dio [o], quam ob cauſam Plinius Tarſum vocat [p] liberam vrbem. Miror autem quid in mentem venerit quibuſdam, qui falsò Epiphanio appingunt, quaſi ille affirmet Tarſum M. Antonino iure Romanæ ciuitatis donatum, cùm Paulus ſe Tarſenſem ac ciuem Romanum appellet, qui tanto ante Antoninum obiit. Itaque ad Algaſiā ſcripſit Hieronymus [q], Paulum Tarſi natum, & enutritum: quod etiam confirmat Epiphanius [r], & Ignatius [ſ] Martyr vocat Tarſenſes Pauli ciues, ac diſcipulos, ſignificans, illum ibi natum, atque educatū. Sed quid opus eſt multis? Paulus [t] ipſe; *Ego* (inquit) *ſum vir Iudæus natus Tarſo Ciliciæ.* Quocirca cùm poſt baptiſmum Hieroſolymam veniſſet, cum Græcis diſputa- A bat [*], non quidem Gentilibus, ſed Iudæis in Græcia natis, quos Lucas non ἕλληνας, ſed ἑλληνιστὰς appellat. Quibus Apoſtolus tamquam ſui generis hominibus familiariùs vtebatur.

h ep. ad Philem. * Act. 9. 29.

III. Verùm cùm Paulus ſe ciuem Romanum aſſerat, in dubium haud immeritò reuocatur, quónam iure ipſi licuerit ſordidam artem exercere, & manuum opificio ſibi vitæ ſubſidia comparare. nam, vt alicubi [a] ſcribit M. Tullius, *illiberales, ac ſordidi quæſtus ſunt mercenariorum omnium, quorum opera, non quorum artes emuntur. eſt enim in illis ipſa merces authoramentum ſeruitutis. Sordidi etiam putantur qui mercātur à mercatoribus, vt ſtatim vendant. Opifices quoque omnes in ſordida arte verſantur, nec verò quidquam ingenuum poteſt habere officina;* B *minimeq; artes probandæ, quæ miniſtræ ſunt voluptatum, cetarij, lanij, coqui, fartores, piſcatores, vt ait Terentius. Adde his, ſi placet, vnguentarios, ſaltatores, totúmque ludum talarium:* Vt omnino neceſſe ſit artem tabernaculorum inter ſordidas numerare. Teſtis eſt autem Dionyſius [b] Halycarnaſſeus non vno loco, non licuiſſe ciuibus Romanis ſordida opificia exercere. *Romulus* (inquit) *Ciuibus Romanis agriculturam, & artem militarem cõmiſit, ſeruis verò, & peregrinis artes ſellularias, & ſordidas, & turpium voluptatum miniſtras, quippe quæ non magis corpora, quàm animos eorum, à quibus colerentur læderent, at diu hæc artificia infamia flagrarunt apud Romanos, neque ab vllo indigena Romano ſunt exculta.* Alibi cùm de luſtro ageret Regibus exactis habito: *Ciuium* (ait) *hoc luſtro, qui tum puberes eſſent* C *ſupra centū millia cenſa; mulierū autem, ſeruorúmque, & mercatorum, & ſordidas artes exercentium (ſiquidē Romanorum nemini cauponariam, aut operoſam artem tractare licuit) triplo plus quàm turba ciuilis.* At Lucas apertè ſcripſit [c], fuiſſe Paulum tabernaculorum opificem. *Et quia* (inquit) *eiuſdem erat artis, manebat apud eos, & operabatur; erat autem ſcenofactoriæ artis.* Militaria porrò tabernacula, ex pellibus conficiebantur, ac propterea dixit alicubi Tacitus [d] retentum fuiſſe omnem exercitum ſub pellibus. Ob eam cauſam dicitur Paulus à Chryſoſtomo [e] *Inops, & coriarius* [f]. Alibi: *Tabernaculorum texendorum artifex.* Ex mox addit; *Non Siciliam modò, atque Italiam, verumetiam vniuerſum terrarum orbem verbū Dei prædicans peragrauit, cùm interim artem non intermitteret,* D *ſed & tunc quoque pelles conſueret, & officinæ ſuæ præeſſet. neque enim ea res patricios, aut magnates offendebat; idque iure optimo. non enim artes, ac ſtudia, ſed conficta dogmata deſpicabiles reddere ſolent præceptores.* Et Origenes [g]: *Paulus* (ait) *arte erat faber tabernaculorum.* Et aliquanto pòſt: *Sicut illi ex piſcatione piſcium piſcatores hominum facti; ita etiam iſte à faciendis tabernaculis terrenis ad cœleſtia conſtruenda tabernacula tranſlatus eſt.* Si igitur nefas erat ciuibus Romanis ſordidis opificiis implicari, quî potuit Paulus inter ciues Romanos numerari?

a lib. 1. de off. b lib. 2. & 4 c Act. 18. 3. d lib. 13. e Hom. 4. in 2. ad Timoth. f Hom. 2. in Ep. ad Rom. g Hom. 17. Num.

IV. AT fateor vnà cum viris [h] doctis hoc olim fuiſſe (vt ſcribit Dionyſius) à Romulo inſtitutum; ſed poſtmodum id ſeu Numæ, ſeu Seruij Tullij lege fuiſſe antiquatum. Nam Plutarchus [i]: *artium* (inquit) E *diuiſionem excogitauit, tibicinum, aurificum, fabrorum, tinctorum, ſutorum, cerdonum, fabrorum ærariorum, & figulorum; reliquas verò artes in vnum redigens vnum ex his collegium conſtituit, quibus cum ſodalitates, & conuentus, & ſacra vnicuique generi apta tradidiſſet, nomen Romanorum, Sabinorúmque deleuit.* Confirmant hác ſententiam Valerius [k], & Plinius [l], ſed Florus, Seruium Tullium collegiorum auctorem facit. Vtrumque fuerit, ciuibus Romanis conſtat poſt Romuli ætatem artes operoſas fuiſſe permiſſas, collegiáque opificum more Romano ius habuiſſe

h Carol. Sigō. lib. 2. de antiquitate ciu. Rom cap. 12. Paul Manut. in orat. pro Seſt. i In Numa. k cap. de inſti. colleg. tribe. l lib. 14. 35.

 ſuffragij,

ſuffragij, quod multis viri[a] docti confirmant. apertè verò Plutarchus *Poplicolam* ſcribit, *pauperes ciues tributi ſoluendi onere liberatos alacriùs opificia ſua tractare iuſſiſſe.* Neque penitùs ab honoribus excludebantur. nam Publius Rupilius ex operis publicanorum Conſulatum adeptus, imperium in Sicilia geſſit; mox etiam triumphauit. Terentius Varro, qui cladem Cannenſem Conſul accepit, patrem habuit lanium; & quod magis mirere, Marcus Scaurus vir patricij ordinis parente ortus eſt, qui ob inopiá carbonariaio exercuerat. Caius Octauius, qui poſtea Auguſtus dictus eſt, auum habuit argeotarium. De Fabio Pictore ſic alicubi[b] M. Tullius ſcriptum reliquit: *An cenſemus ſi Fabio nobiliſſimo homini laudi datū eſſet, quòd pingeret; non multos etiam apud nos futuros Polycletos?*

V. Illvd potiùs meritò quis ambigat, fuerít ne Paulus nobilis, ac Senatorij ordinis, an verò ignobilis, ac plebeius. Certè Chryſoſtomus[c] vniuerſim Apoſtolos *illiteratos* appellat, *inopes, abiectos, atque obſcuros.* Alio loco Paulum vocat[d] *hominem abiectum, ignobilem, & circumforaneum.* Rurſus[e] *ignobilem, ac pauperem.* Nec poſſumus inficiari, ſi de Græco, Romanoque iure loquendum ſit, ſordida opificia probro fuiſſe, atque adeo verè nobilitati plurimùm repugnaſſe, vt fateri neceſſe ſit, non potuiſſe Paulum ad ordinem Senatorium pertinere, nec iure frui Romanæ nobilitatis. Id ex Oeconomico Xenophontis, & Ariſtotele[f] facilè quiuis intelliget; ſed quid apud Hebræos ſentiendum ſit, noo planè C liquet. Herodotus[g] certè auctor eſt manuum opificia apud Ægyptios, Lydos, Perſas; in primíſque Lacedæmonios nobilitatem fœdaſſe: apud Hebræos autem Rabini quidam autumant, latam olim fuiſſe legem, vt quicumque ſacras literas profiteri vellet, aliquam operoſam artem perdiſceret. Itaque nobiles in primis magiſtros, alios quidem ſutoriam, alios autem piſtoriam exercuiſſe. Addunt id propterea factum, quòd qui nihil manibus molirentur, otio literario diſſoluti, procliuiores eſſent ad peccandum. Ego mendaciſſimis hominibus nō facilè credo, cùm præſertim auctor Eccleſiaſtici[h] lōgè aliud ſignificare videatur. cùm enim artium plura genera receſuiſſet, ſubdit: *Et non inhabitabunt, nec inambulabunt, & in Eccleſiā nō tranſilient, ſuper ſellam iudicis non ſedebunt, &* D *teſtamentum iudicij non intelligent, neque palàm facient diſciplinam, & iudicium, & in parabolis non inuenientur.* Quibus verbis prohibere videtur artifices ab honeſtis muneribus, quæ nobilibus tribuerentur: video tamen, Ioſephum Virginis Deiparæ ſponſum ex nobiliſſima tribu Iuda, regiaque Dauidis familia fuiſſe fabrum[i] ſiue lignarium, vt ſignificant Iuſtinus[k], D. Thomas[l], & alij[m]; ſiue ferrarium, vt indicant Hilarius[n], Beda[o], Anſelmus[p]: certè Ambroſius[q] vtrumque inſinuat, nec vtri ſententiæ magis fauendum ſit, facilè quiſpiam ſtatuat. Itaque de Pauli nobilitate priſco veterum more dixerim non liquere: verùm ſi genus vitæ ſpectemus, cùm eſſet ex ſecta Phariſæorum, itemque ex tribu Beniamin, quæ primùm Regiam dignitatem in Hebræam gentem inuexit, quæque tribui Iuda perpetuò adhæſit, addita E præſertim legis peritia, fatendum erit fuiſſe Paulum inter ſuos non protsùs ignobilem, & abiectum. Neque enim aliter tantæ fuiſſet auctoritatis, vt ſibi ius, ac poteſtatem io Chriſtianos ſæuiendi depoſcere auſus eſſet, neque tantùm à Iudæorum ſenatu illi fuiſſet permiſſum, niſi clarus, atque illuſtris habitus eſſet in primis. Maneat igitur fuiſſe Paulum genere Iudæum ex tribu Beniamin natum, atque educatum Tarſi, ciuem Romanum, & inter Hebræos non contemnendæ dignitatis. nam quod ipſe alicubi A ſcribit[a], non multos nobiles Chriſto nomina dediſſe, verè omnino dictum eſt, cùm plurimi Apoſtolorum, & eorum, qui Apoſtolicam doctrinam initio complexi ſunt, verè ignobiles fuerint, & obſcuri: quæ cauſa fuit, vt vniuerſim dixerit Chryſoſtomus, fuiſſe Apoſtolos humiles, & abiectos.

Pauli doctrina, & eloquentia.

Cap. II.

I. De Pauli porrò doctrina, eloquentiáque, non vna eſt, atque eadem omnium ſententia. nam, vt hinc primùm exordiar, Chryſoſtomus[b] eum dicit fuiſſe extremæ eruditionis, atque doctrinæ prorſus expertem. *Erat* (ioquit) *ille homo Cilix coriarius,* B *& inops, imperitus externa diſciplina, Hebræam tantùm nouerat linguam, quæ cæteris gentibus, ſed Romanis maximè contemptui erat. Non enim quamlibet aliam linguam vel Græcam, vel Barbaram ita contemnebant, vt linguam Syram, cui peraffinis eſt Hebræa.* At Hieronymus ſic prorsùs alicubi[c] ſcribit: *Paulus cùm in vernacula lingua ſermonem habeat diſertiſſimū, quippe Hebræus ex Hebræis, eruditus ad pedes Gamalielis viri in lege doctiſſimi, ſe ipſum in Græca lingua interpretari cupiens, inuoluitur: ſi autem in Græca lingua hoc ei accidit, quam nutritus in Tarſo Ciliciæ in parua ætate imbiberat, quid de Latinis dicendum eſt, qui verbum de verbo exprimere conantes obſcuriores faciunt eius ſententias, & velut herbis creſcentibus frugum ſtrangulant vbertatem?* Mox poſitis quibuſdam exemplis C Paulinæ locutionis, quæ Græciſmos Tarſenſes redoleant, hæc ſubdit: *Neque miremur in Paulo, ſi vtatur eius linguæ conſuetudine, in qua natus eſt, & nutritus; cùm Virgilius alter Homerus apud nos patriæ ſuæ ſequens conſuetudinem, ſceleratum frigus appellet.* Ex quibus non ſatis apparet quid Hieronymus de externa Pauli eruditione, ac doctrina ſentiat. ſunt tamen non contemnenda argumenta, quæ doceant, eum non penitùs fuiſſe eius eruditionis expertem. Auctor eſt enim Strabo[d] Tarſum Athenarum æmulatione Philoſophiæ ſtudia in primis coluiſſe. *Tantum* (inquit) *Tarſenſes ſtudium inceſſit Philoſophiæ, & diſciplinarum, quas encyclicas dicunt, vt ſuperauerint Athenas, & Alexandriam, & ſi quis alius locus nominari poteſt, vbi Philoſophorum, & artium ad humanitatem* D *pertinentium ſcholæ haberentur. Maximè autem Vrbs Roma dicere poteſt, quàm multos Tarſus protulerit literatos, cùm ſit Tarſenſium, & Alexandrinorum plena.* Nec dubium eſt multos ex ea Vrbe, Stoicæ diſciplinæ alumnos clariſſimos extitiſſe, vt Antipatros, Archelaos, Neſtores, Athenodoros, vt vero ſimillimum ſit, Paulum non penitùs obſcuro genere natum, & acri, viuidóque ingenio præditum, his etiam diſciplinis fuiſſe imbutum. Adde, quòd ipſius Pauli Epiſtolæ externam erudirioocm redolent, cùm Epimenidis, Arati, Menandri, ſiue Callimachi Græcos verſus laudet; quos Poëtas antequàm Chriſto nomen daret, eum legiſſe neceſſe eſt. nam poſtea quidem totum ſe Euangelicæ doctrinæ tradeoda religioſè addixerat.

II. E Non tamen exiſtimarim, eum ſiue humanæ eloquentiæ ſtudio, ſiue Spiritus ſancti munere, vt ſuperiori diſputatione docui, fuiſſe calamiſtratæ orationis cupidum, qui de ſe ipſo alicubi[f] affirmarit. *Et ſi impeditus ſermone, non tamen ſcientia.* Quamobrem rectè Hieronymus[g]: *Aliquoties* (inquit) *diximus Paulum virum fuiſſe doctiſſimum, & eruditum ad pedes Gamalielis, eúmque haberet ſcientiam ſanctarum ſcripturarum, & ſermonis, diuerſarúmque linguarum gratiam poſſideret; vnde glorians ipſe in domino dicit, Gratias ago Deo, quòd omnium veſtrûm linguas loquor;*

[a] Sigon lib. 2. de antiquo iure ciu. Rom. c. 22. Manut. in orat. pro Seſt.
[b] Tuſcul. 1.
[c] Hom. 7. in 1. ad Cor.
[d] Hom. 4. de laudib. Pau.
[e] Hom. 5. de laud. b. Pauli.
[f] lib. 1 politic cap. 1. lib. 2 cap 4. lib. 2 cap. 2.
[g] in Euterpe.
[h] cap 38. 27.
[i] Matth 13 55.
[k] Oral. cum Triph.
[l] Matth. 13.
[m] Lyrā. Carthuſ. Mat. 13.
[n] in Matth. can. 14.
[o] li. 2. in Marcion cap 13.
[p] li. 1. in Luc.
[q] princ. in princ.

[a] 1. Cor. 1 26.
[b] Homil 3 & 6. in 1. ad Cor. Hom. 4. in 2. ad Timoth.
[c] Ep. 151. ad Algaſ. q. 10.
[d] lib. 4.
[f] 2. ad Cor. 11 6.
[g] Ep. 150. ad Hedib. q. 11.

quor; diuinorum tamen ſenſuum maieſtatem digno non poterat Græci eloquij explicare ſermone. Habebat itaque Titum interpretem, ſicut Petrus Marcum, cuius euangelium Petro narrante, & illo ſcribente compoſitum eſt. Et in eamdem ſententiam alibi:[a] *Quod*(inquit) *Paulus dixit, Et ſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia, nequaquàm ex humilitate, ſed ex ſcientiæ veritate dixiſſe, & crebrò aliàs diximus, atque etiam nunc approbamus.*

a Epiſt. 151. q. 10.

Ceterùm maſcula quadam eloquentia Paulum fuiſſe inſtructum, cum Hebræorum eruditione, doctrináque coniuncta, ſuperiori diſputatione docuimus. Siquidem Gamaliele claro in primis magiſtro omnes Hebraicæ ſapientiæ fontes, ſiue quæ ad mores, vitæque officia, ſiue quæ ad ſacra, & religionis cultum, ſiue denique quæ ad Prophetarum vaticinia, & oracula pertinent, penitus hauſit, vt in ipſa adoleſcentia omnes ſuos æquales longo interuallo ſuperaret. Fuerunt ſanè egregia hæc diuinæ liberalitatis, ac beneficentiæ munera, ſed quæ in illa cœca errorum caligine, denſis Iudaicæ perfidiæ tenebris obruta perpetuò iacuiſſent; niſi diuina luce oborta, quæ veluti in benè ſubacto agro iacta erant ſemina, cœleſti calore fœta, & vegetata, vberrimos aliquando fructus peperiſſent. Itaque vera Chriſti fide concepta, cœleſtis gratiæ præſidiis ad omnia pericula ſubeunda, omnéſque pro euangelica doctrina exantlandos labores confirmatus verè potuit affirmare, ſe non ſuo duntaxat niſu, conatúque, ſed diuina numinis ope, ſubſidióque ſubnixum, ab vrbe Ieruſalem[b] ad Illyricum vſque quidquid terrarum interiret, euangelicis præceptis inſtituiſſe. Quamobrem iure optimo negabat[c] humanæ vel ſapientiæ, vel eloquentiæ opibus, aut ornamentis ad perſuadendum comparatis ſeſe in auditorum animos inſinuare; ſed cœleſtia, diuináque myſteria, philoſophis inani eruditione tumidis prorſùs ignota, mortalibus patefacere, adhibito ſignorum, prodigiorúmque teſtimonio, quo veluti diuino quodam anulo Chriſtiana, atque euangelica doctrina mirabiliter obſignatur. Tanta porrò erat apoſtolicæ orationis vis, tantáque copia, vt cæteri Apoſtoli primas illi cùm loquendum foret, non grauatè deferrent.[d] Quo factum eſt vt aliquando ob ſingularem eloquentiam Mercurius inanium Deorum eloquentiſſimus, ab infidelibus haberetur.[e]

b ad Rom. 15. 19.
c 1 ad Cor. 2. 1.
d Chryſoſt. proœmio Ep. ad Rom.
e Act. 14. 12.

III. QVAMQVAM enim (vt ſuperiori diſputatione oſtendi) non erat Apoſtolus verborum concinnator, nec picturatæ orationis ſtudioſus, cùm vt ait Irenæus,[f] hyperbatis frequenter vtatur; &, vt ait Origenes,[g] ſermonis ornaméta neglexerit, argumentorum tamen robore, & frequentia, ac grauitate ſententiarum, ardore & contentione dicendi, artificioſáque perſuadendi ratione ad mortalium animos concitandos plurimùm valuit. Ob eam rem præclarè omnino, ac ſapienter à B. Chryſoſtomo[h] ſcriptum accepimus, non tantum fulgura, & tonitrua metum, ac formidinem afferre mortalibus, quantum terrores Pauli vox dæmonibus incutiebat, qui eius ſolum nomen, ac muta veſtimenta incredibiliter exhorreſcerét. Hæc in Areopago ſummos humanæ ſapiétiæ, eloquétiæque magiſtros in admirationé rapuit, quoſdam etiam Chriſto aggregauit; Romanos magiſtratus, Regéſque incredibili pauore concuſſit; innumerabiles ſcelerum maculis coopertos compeſcuit, & à flagitio deterruit; virtutis, atque officij cultores ad optima quæque ardentiùs excitauit; Chriſtianæ denique perfectionis præcepta luculéter explicuit. Hæc Romanos, Corinthios, Galatas, Epheſios, Coloſſenſes, Philippenſes, Theſſalonicenſes, Hebræos non ſolùm coram, ſed etiam per litteras erudiuit; infinitos penè populos, ac nationes ad Chriſti fidem perduxit. Hæc dæmones vinctos, penitúſque captiuos, in tartarum relegauit, eorum nefariam tyrannidem à mortalium ceruicibus excuſſit: orbem terræ ab eorum miſera ſeruitute in libertatem filiorum Dei vindicauit: vitiorum morbos curauit: voluptatis illecebras repulit: cupiditatum fibras euulſit: diuinarum rerum ignorationem ſuſtulit: errores confutauit, idololatriæ finem impoſuit: cœleſtem doctrinam tradidit; omne denique genus humanum in ſpem erexit immortalitatis. Itaque cum Hieronymo[a] rectè dicere poſſumus, Pauli verba tonitrua eſſe, ac flumina; etenim *ille ſemper hæret in cauſa; capit omne, quod tetigit; tergum vertit vt ſuperet, fugam ſimulat vt occidat.* Rurſus alibi[b] de Paulo ait: *Hoc eſt vas electionis, tuba euangelij, rugitus Leonis noſtri, tonitruus gentium, flumen eloquentiæ.* Hunc meritò magnus ille Gregorius[c] Nazianzenus, verbi abbreuiati præconem, & aſſertorem, piſcatorum diſcipulum, ac præceptorem; magnum[d] veritatis buccinatorem, gentium denique in fide magiſtrum appellat, qui orbem terræ euágelicis præceptis informauit, qui vni Chriſto viuebat, qui ad tertium vſque cœlum penetrans Paradiſi ſpectator fuit, qui mortalis vitæ pertæſus, & caduca omnia faſtidiens, iucundiſſimos Chriſti complexus appetebat.

f lib. 3. cap. 7.
g lib. 4 in Ep. ad Rom.
h Hom. 32. ad Pop.
a Epiſt. 50. ad Pammac.
b Epiſt. 61. ad Pammac.
c Orat. 11.
d Orat. 26.

IV. QVAMOBREM egregiè Chryſoſtomus[e] hoc maximè nomine diuinam Pauli cæterorúmque Apoſtolorum dicendi vim, & facultatem extollit, quòd ab humanis eloquentiæ ornamentis imparati philoſophorum ſapientiam ſuperarunt. *Audiui* (inquit) *Chriſtianum quemdam altercantem cum ethnico, ridiculo ſanè certamine, cùm ambo ſua inuicem ſoluerent argumenta. Siquidem quæ oportebat Chriſtianum dicere, ea Gentilis afferebat, & quæ Gentilis partes erant, eas Chriſtianus vſurpabat. Erat autem de Pauli, & Platonis comparatione diſputatio; in qua diſputatione, Gentilis conabatur oſtendere, Paulum & indiſertum, & rudem, & indoctum fuiſſe; Chriſtianus autem ob ſimplicitatem ſtudebat probare, Paulum eſſe Platone doctiorem, & diſertiorem. Ita autem Græcus eſſet victoriam conſecutus, ſi hæc vinceret oratio. nam ſi Platone doctior, & eloquentior eſſet Paulus, conſentaneum eſſet multos obijcere, quòd non gratia ſuperaſſet, ſed eloquentia. Quamobrem faciebat pro Græco, quod dicebatur à Chriſtiano; faciebat autem pro Chriſtiano quod dicebatur à Græco. nam ſi imperitus erat Paulus, vicit autem Platonem, præclara, ſicut dixi, fuit victoria.* Paucis autem interiectis: *Quando* (inquit) *dixerint agreſtes fuiſſe Apoſtolos, nos addamus, & dicamus; eos fuiſſe imperitos, & illiteratos, & pauperes, viléſque, & abiectos, & inſipientes, & obſcuros. Non ſunt hæc in Apoſtolos maledicta, ſed eorum gloria, quod cùm eſſent huiuſmodi toto orbe terrarum fuerint clariores. Iſti enim rudes, & agreſtes, & imperiti expugnarunt ſapientes, & potentes, & tyrannos, & qui gloriantur in diuitiis, & gloria, & omnibus externis.* Et aliquanto pòſt: *Conſidera autem, piſcator, tabernaculorum contextor, publicanus, imperitus, illiteratus, cùm veniſſet ex Regione Palæſtina procul ſita philoſophis, oratoribus, & iis, qui magna docendi facultate erant præditi expulſis omnibus, eos paruo temporis ſpatio vicerunt cum multis periculis; populis, & Regibus reſiſtentibus, ipſa pugnante natura, temporis antiquitate, & longa acriter aduerſante conſuetudine, dæmonibus armatis, & diabolo ſtante in acie, & nihil non mouente, vicerunt* (inquam) *Reges, Principes, populos, Gentes, Barbaros, Græcos, philoſophos, oratores, Sophiſtas, & qui ſoluta ſcribunt oratione, leges, iudicia varia ſupplicia, innumerabile, & omne genus mortis. Sed tamen hæc omnia refellebantur, & cedebant loquentibus piſcatoribus non ſecus, atque puluis tenuis, qui vehementium ventorum ferre non poteſt impetum.* Et multa

e Hom. 3. in 1. ad Cor.

deinceps in eamdem ſenteotiam. Nec multò aliter

a lib. 21 de Ciuit. c. 1.

Auguſtinus [a]: *Ineruditos* (ait) *liberalibus diſciplinis, & omnino quantum ad iſtorum doctrinas attinet, impolitos, non peritos grammatica, non armatos dialectica, non rhetorica inflatos piſcatores Chriſtus cum retibus fidei ad mare huius ſaculi miſit, atque ita ex omni genere tam multos piſces, & tanto mirabiliores, quanto rariores, etiam ipſos philoſophos cepit.* Quæ ſanè omnia tametſi vniuerſim verè de Apoſtolis affirmantur, cum aliqua tamen Pauli exceptione accipienda ſunt; quem, vt paulò antè dixi, vero ſimillimum ſit, nonnulla prophana eruditione fuiſſe excultum.

V.

Porrò ad eam diuinarum literarum cognitionem, atque ſcientiam, quam, Gamaliele Magiſtro, olim Hebræus perceperat, magna poſt baptiſmum diuinitùs facta eſt acceſſio: ſiquidem (vt ait Chry-

B

b in Encom. Apoſtol. Petri, & Pauli tom. 5.

ſoſtomus [b]) humilis, atque abiectus homũcio, quod nulli præterea mortalium conceſſum eſſe accepimus, ad tertium vſque cœlum euectus, & in paradiſum elatus tantum diuinæ ſapientiæ hauſit, quantum nefas ſit humanæ eloquentiæ viribus effari. Il-

c August. ep. 112. c. 13. & li. 12 de Gen ad lit. ca. 27. 28. Chryſoſto. ad illum locum 2. ad Cor. 12. vbi Theoph. Anſel. & alij. Lyran Exod. 33 & Num c. 12. Abulen vtrobique. D. Thom. 1. p. q. 12. a 11. & alibi Quem plurimi ſcholaſtici ſequuntur.

lud certè conſtat, viros [c] grauiſſimos non ſine magna probabilitate cenſuiſſe abditam illam, penitúſque occultam Dei immortalis naturam nulli prorſus hominum aſpectabilem, Pauli menti diuina luce perfuſæ patuiſſe. Rectè itaque ſe docere dixit ſapientiam non huius mundi, ſed abſconditam in myſterio. Nec dubito, ob hanc ipſam cauſam Paulum à

d in Encom. Petr. & Pauli tom 5.

Chryſoſtomo [d] *os Chriſti, & Spiritus ſancti lyram* nuncupari. Licet enim (vt arbitror) cùm de Paulo

C

e in Protrepti co.

agitur, illud Clementis [e] Alexandrini vſurpare. *Cantus autem meus quidem certò Eunomus, canit inquam non Terpãdri modum, neque modum Capitonis, ſed neque Phrygium, vel Lydium, vel Dorium; ſed noua harmonia æternum modum, qui à Deo accepit denominationem, Canticum nouum. Non talis eſt meus cantor, qualis olim Thracius, Thebanus, Methymnaus, ſed venit diſſoluturus acerbam ſeruitutem dæmonum tyrannidem obtinentium. Ad ſuaue autem, & benignum religionis, & pietatis in Deum iugum nos reducens, in cœlum rursùs èuocat eos, qui humi ſunt abiecti.* Quamquàm enim hæc propriè ad Chriſtum pertinent humanæ libertatis vindicem, & ſalutis auctorem, non ineptè tamen Paulo aptari poſſunt, cuius admirabilis Sapientia omnes penè gẽtes, ac nationes, & olim

D

Chriſto aggregauit, & continenter cœleſtibus præceptis imbuit, atque informat. Ipſius enim diuinas propè dixerim Epiſtolas cœleſtis ſapientiæ plenas, Petrus ipſe Apoſtolorum Princeps Eccleſiæ vniuer-

f ep 2. c. 3. 11.

ſæ ſua auctoritate commendauit. Sicut (inquit [f]) *& cariſſimus frater noſter Paulus ſecundùm datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis.* Quinetiam Pauli obtrectatores Epiſtolarum eius vim, atque efficacitatem agno-

g 2 Cor. 10. 10.

ſcebant, cùm dicerent [g], Epiſtolas graues eſſe, & fortes, præſentiam autem infirmam, & ſermonem contemptibilem. Quamquàm ipſa etiam dicentis oratio vehemens erat, & grauis. nam cùm coram Felice Iudææ Præſide de iudicio, iuſtitia, & caſtitate diſpu-

h Act. 24. 26.

taret [h], Fœlix homo gentilis, & caducarum rerum amore, cupiditatéque implicitus, toto eſt animo tremefactus; eodémque coram Agrippa Rege perorã-

E

i Act. 25. 28.

te [i], Rex ipſe *in modico*, dixit, *ſuades me Chriſtianum fieri*; adeo ipſius animum Pauli verba pupugerant.

k Act. 26. 24. 2.

Et Feſtus [k] Romanus Præſes non ſe potuit cõhibere, quin admirationis plenus exclamaret; *Inſanis, Paule, nimia te litera ad inſaniam conuertunt.* Nec tamen dubitandum eſt, tam eximiam ac ſingularem Pauli ſapientiam diuinitus illi fuiſſe collatam. nam cùm à

l Beda retrac. in Act. Auctor ſcholaſt. hiſt. cap 46.

Chriſto cœlitus vocatus eſt, triduo illo, quo dicitur cœli lumen videre non potuiſſe, Euangelicam [l] doctrinam à cœleſti magiſtro percepit, quam ſubitò

A

poſt baptiſmum promulgare, magnáque contentione aduersùs Iudæos propugnare cœpit. Quocirca ad

a cap. 1. 11.

Galatas [a]: *Notum vobis facio* (inquit) *fratres Euangelium, quod euangelizatum eſt à me, quia non eſt ſecundùm hominem. neque enim ab homine accepi illud, neque didici.* Itaque vt rectè ait Chryſoſtomus [b], nihil illa cœcitate fœlicius, nihil Paulo vtilius, nihil

b Hom. 4. de laudib. Paul.

Eccleſiæ vniuerſæ ſalutarius fuit: Illa ſiquidem priſtinam animi cœcitatem cœleſti luce diſcuſſit, ignorationis nebulas diiecit, infidelitatis noctem, denſáſque tenebras fugauit ſacro interim baptiſmo luſtratus, priſtino oculorum vſu recuperato, quæ triduo cœlitùs hauſerat, palàm cunctis admirantibus non ſolùm proponere, ſed acriter defendere, inſtare, vrgere, magnáque conſtantia, atque animi firmi-

B

tate pro ea fide pugnare cœpit, quam paulò antè omnibus machinis oppugnaturus aduenerat.

c D. Tho. Lyrao. Cathuſ. 2. Cor. 12. loc. Ouedo lib. 1. de ſcript. cap. 2. p 1.

Non me tamen fugit alios [c] exiſtimaſſe, illo triduo Paulum raptum fuiſſe ad tertium cœlum, & Paradiſi adyta penetraſſe: videtúrque ſententia Damaſi, qui de Paulo alicubi [d] in hunc modum cecinit:

d in Carm. de Paul. vita.

Mutatus poſtquàm placuit de nomine Paulus,
Mira ſides rerum ſubitò trans æthera vectus
Noſcere promeruit, poſſint quid præmia vitæ;
Conſcendit clarus martyr penetralia Chriſti,
Tertia lux cœli tenuit Paradiſus euntem.
Colloquiis Domini fruitur, ſecreta reſeruat
Gentibus, & populis iuſſus prædicere vera.

e 2. ad Cor. 12. 2.

Sed ea ſententia cum ipſa temporum ratione non congruit; ſiquidem Paulus [e] ait raptum illum ſuum

C

ante annos quatuordecim contigiſſe ab eo tempore, quo ſecundam ad Corinthios ſcribebat Epiſtolam, quam ſcriptam eſſe circa ſecundum Neronis annum, ferè ab omnibus receptum eſt; neceſſe vt ſit incidiſſe extaſim illam vt minimum in annum octauum poſt conuerſionem, hoc eſt, à Chriſto nato quadrageſimum quartum, & Claudij imperantis ſecundum; quo ipſo tempore in Apoſtolorum album relatus eſt, vt ad illum locum copioſiùs explicabitur.

Eiuſdem continentia, & ſanctitas.
Cap. III.

I.

De Pauli continentia non modò hæreticis cum Catholicis, ſed ne inter ipſos quidem Catholi-

D

f 1. Strom paulò ante med.

cos conuenit. etenim Clemens [f] Alexandrinus apertè aſſerit fuiſſe illum connubio adſtrictum, & eum

g lib. 3. hiſt. c. 24. aliàs 30.
h lib. 2. hiſt. cap. 44.
i Caietan. & Catar. ad Philip 4.
k ep. ad Philadelph.

ſequuti ſunt Euſebius [g], Nicephorus [h], & recentiores [i] quidam, qui falsò affirmant id in ſanctæ Brigittæ reuelationibus non exiguæ auctoritatis haberi, cùm potiùs ex illis contrarium deprehendatur, vt paulò pòſt docebo. Taceo Ignatium [k], qui Paulum inter coniugatos enumerat; viris enim doctis aſſentior, qui locum illum ab hæreticis fuiſſe deprauatum non temerè ſuſpicantur, cùm in peruetuſtis & Græcis, & Latinis codicibus Pauli nomen non legatur. Habent qui hanc ſententiam ſequuntur, vt ipſi putant, non contemnenda ex ipſo Apoſtolo petita fir-

l 1. ad Cor. 9. 5

mamenta. alicubi [l] enim ſcripſit: *Nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut*

E

& cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas? Græcè enim legimus γυναῖκα, quæ vox apud Græcos ambiguæ ſignificationis eſt, & tum vxorem, tum ſim-

m ad Phil 4. 3

pliciter mulierem ſignificat. Deinde alibi [m]: *Etiam* (inquit) *rogo & te, germane, compar adiuua illas, quæ mecum laborauerunt in Euangelio.* Pro illa autem voce, *Compar*; Græcè ſcriptum eſt σύζυγε, quæ de iis dicitur, qui idem iugum ducunt; & frequenter de iis, qui coniugio iuncti ſunt. Denique, vt hoc etiam

n d. 31 cap. omnino.

addam, ex iure Canonico idem confirmare nituntur, quòd Leo [n] IX. id videatur pro certo ponere.

Cæte

II. CÆTERVM nego, ex ſacris literis probari poſſe, Paulum duxiſſe vxorem. Quod enim de ſorore circũducenda ſcribit Apoſtolus (vt ſuo loco docebimus) alia omnia ſignificat; id quod egregiè alicubi [a] docuit Auguſtinus. *Quandoquidem, inquit, hoc quidam non intelligentes non ſororem mulierem circumducendi, ſed vxorem interpretati ſunt; fefellit eos verbi Græci ambiguitas, quòd ſcilicet & vxor, & mulier eodem verbo Græcò exprimitur: quamquàm hoc ita poſuerit Apoſtolus, vt falli non debuerint, quia neque mulierem tantummodò ait, ſed ſororem mulierem; neque ducendi, ſed circumducendi verbo vſus eſt. Verumtamen alios interpretes non fefellit hæc ambiguitas, qui eo loco non vxorem, ſed mulierem interpretati ſunt.* Eodem modo contra Iouinianum locum explicat Hieronymus [b]: *Si autem* (ait) *nobis Iouinianus illud oppoſuerit* B *ad probandum, quòd omnes Apoſtoli vxores habuerint; nunquid non habemus poteſtatem mulieres, vel vxores circumducendi? Quia vox γυνὴ apud Græcos vtrumque ſignificat, ſicut cæteri Apoſtoli? Iúngat & illud, quod in Græcis codicibus eſt, qui voci ſignificanti mulieres, vel vxores adiungunt vocem, quæ ſignificat ſorores. Ex quo apparet, Paulum de illis loqui ſanctis mulieribus, quæ iuxtà morem Iudaicum magiſtris de ſua ſubſtantia miniſtrabant; ſicut legimus ipſi quoque Domino factitatum nam & ordo verborum hoc indicat. dixerat enim; Nunquid non habemus poteſtatem manducandi, & bibendi? & ſubdit, aut ſorores mulieres circumducendi? Vbi de comedendo, & bibendo, & de adminiſtratione ſumptuum præmittitur, & de mulieribus ſororibus infertur; perſpicuum eſt, non vxorem debere intelligi, ſed* C *eas, vt diximus, quæ de ſua ſubſtantia miniſtrabant. Quod & in veteri lege de Sunamitide illa ſcribitur, quæ ſolita ſit Eliſæum recipere, & ponere ei menſam, & panem, & candelabrum, &c. Vox autem illa, quæ additur, ſorores, tollit vxores, & oſtenditur in ſpiritu eas fuiſſe germanas, non autem coniuges.* Addam vtroque antiquiorem Tertullianum [c]. Sic enim ſcribit: *Non ſi penes Græcos communi vocabulo cenſentur mulieres, & vxores, ideo Paulum ſic interpretabimur, quaſi demonſtret, vxores Apoſtolos habuiſſe: ſi enim ibi de matrimoniis diſputaret Paulus, quod antè fecerat, rectè videretur dicere; nunquid non habemus poteſtatem vxores circumducendi, ſicut cæteri Apoſtoli, & Cephas? At vbi eas ſubiungit, quæ de victuaria exhibitione, abſtinentiam eius oſtendunt dicentis; Nunquid non poteſtatem habe-* D *mus manducandi, & bibendi? non vxores demonſtrat ab Apoſtolis circumductas, quas & qui non habent, poteſtatem tamen manducandi, & bibendi habent, ſed ſimpliciter mulieres, quæ illis eodem inſtituto, quo & Dominum comitantes miniſtrabant.* Mitto cætera, quæ ſuo loco copioſiùs explicabuntur. neque enim à Latinis diſcrepant Græci, præſertim Chryſoſtomus [d] & Theodoretus [d]. Iſidorus [e] autem Peluſiota ita hunc Pauli locum explanat. *Paulus tamquàm pennatus agricola vniuerſum penè orbem peragrauit, atque extremos vſque terræ angulos graſſatus eſt: tum auditores ſuos optimis legibus inſtituens, tum iis etiam, quibus eum audire minimè contigit, diuinam doctrinam inſerens. Quocirca illos quidem* (reliquos Apoſtolos intelligit) *mulieres etiam comitabantur, non vt liberos* E *procrearent, aut vnà cum ipſis vitæ conſuetudinem haberẽt; verùm vt ex ſuis facultatibus ſubminiſtrarent, ac paupertatis præcones alerent. Hunc autem* (hoc eſt Paulum) *qui ad ipſos vſque terræ fines currebat, ſequi nec permiſſa ſunt, nec potuerunt.* Et aliquanto pòſt cùm verba Pauli protuliſſet, ſubdit; *Non quòd ij, qui virginitatem ſuadebant, & caſtitatem prædicabant, ac Virginum choros moderabantur, cum mulieribus conſuetudinem haberent. Quis enim eos virginitatem ſuadentes tuliſſet, ſiquidem ipſimet in voluptatum cœno* A *ſeſe volutantes deprehenſi fuiſſent? Non igitur hoc ait. nam alioqui mulierem vxorem dixiſſet, quemadmodum notarij in iis contractibus, qui ad dotes pertinent, ſcribere conſueuerunt alere, ac veſtire, quemadmodum muliere vxore dignum eſt pro facultatum captu: Mulierem videlicet ob naturam collocantes, vxorem autem ob vitæ conſuetudinem, ſed quia ipſos ſequebantur, ex bonis ſuis paupertatis magiſtros alentes: idcirco ſororem quidem dixit, vt caſtitatem indicaret; mulierem autem, vt naturam declararet.*

a Lib. de op. monach. cap. 4.
b lib. 1.
c lib. de monog. c. 8.
d 1. ad Cor. 9.
e ep. ad Iſid. lib. 3.

III. NIHILO plus Clementis ſententiam iuuat alter Apoſtoli locus, qui eſt in Epiſtola ad Philippenſes. Quo enim tempore illam ſcripſit Epiſtolam, hoc eſt, dum Romæ detineretur in vinculis, vxorem non habebat, cùm multò anteà ad Corinthios [a] ſcribens in B hæc verba, apertè docuiſſet ſe carere vxore. *Dico autem* (ait) *non nuptis, & viduis bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego.* Quis autem adeo deſipiat, vt Paulum exiſtimet in ipſo Apoſtolicæ doctrinæ curſu nuptias iniſſe? At Græca vox σύζυγε, qua vtitur Paulus, coniugem ſignificat; vir enim, & vxor, quòd idem connubij veluti iugum ducant, rectè Græcè σύζυγοι, vt Latinè coniuges appellantur. At non ſoli coniuges dicuntur σύζυγοι, ſed etiam ij, qui eiuſdem operis, ac laboris ſocietate iunguntur. Quocirca Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, & alij iuiduis potiùs maluerunt interpretari, quàm Pauli vxorem; vt enim ſuo loco dicemus, verum, ſyncerum, ac minimè fictum ſocium intelligit, qui vnà ſecum ex animo Euangelio promulgando ope- C ram daret: Nam legem Euangelicam Chriſtus ipſe iugum appellauit [b]: *Tollite* (inquit) *iugum meum ſuper vos. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus leue*; quòd etiam pertinere poteſt quod ait Ieremias [c]: *Bonum eſt viro cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.* Nec malè quis, me quidem auctore, interpretabitur illud Apoſtoli [d]. *Nolite iugum ducere cum infidelibus*; quaſi moneat, ne vllam cum infidelibus ineant ſocietatem.

a Ep. 1. c. 7. 8.
b Mat. 11. 30.
c Thren. 3. 27.
d 2. ad Cor. 6. 14.

IIII. IAM quod ex iure canonico affertur, nullius prorſus momenti eſt. tantùm enim inde colligitur, exiſtimaſſe Pontificem, loqui Paulum de vxore, quod & alij exiſtimarunt; nihil tamen Pontificia auctoritate definit.

V. ALTERA porrò grauiſſimorum virorum ſen- D tentia fuit, Paulum perpetuò cœlibem, atque adeo ſemper Virginem fuiſſe; ita enim ſenſerunt Tertullianus [e], Ambroſius [f], Hieronymus [g], Beda [h], Auguſtinus [i], Chryſoſtomus [k], Epiphanius [l], Theodoretus [m], Oecumenius [m], Theophylactus [m]. Quæ ſanè ſententia quamuis nullo euidenti ſcripturæ teſtimonio certo probari queat, tot tamen inſignium virorum auctoritate firmata, non poteſt non admodum probabilis videri, cùm præſertim non contemnendis coniecturis probetur. Certum enim, atque exploratum videtur, poſt ſuſcepta Chriſti ſacra Paulum non iniiſſe coniugium; quòd ſi ante baptiſmum connubio implicitus non fuit, illud planè cõſequi neceſſe eſt, illum penitus expertem fuiſſe nuptiarum. Et Ambroſius quidem, ac Theodoretus E Pauli virginitatem ex eo probant, quòd admodum adoleſcens Chriſto nomen dedit. Accedit quod Paulus Phariſæorum ſectam complectebatur; erant autem Phariſæi (vt ſcribit Epiphanius [n]) caſtitatis, ac pudicitiæ mirum in modum ſtudioſi, quod ſuo, ſuique præceptoris exemplo confirmat Ioſephus [o], vt nequaquam veriſimile videatur, Paulum legis in primis, & paternarum traditionum ſtudioſum, in ipſo propemodum ætatis flexu, coniugio fuiſſe implicatum. Itaque non dubitauit Hilarius Paulum inter Virginitatis exempla præcipuè nominare [p], quod etiam,

e lib. de Monog. cap. 8.
f in 1. ad Cor. cap. 7.
g Ep. 22. de cuſt. virgini. & lib. contra Iouinian.
h in 1. ad Cor. cap. 7.
i lib. de gratia, & lib. arb. cap. 4.
k 1. ad Cor. 7.
l Hær. 58.
m 1. ad Cor. 7.
n Hær. 16.
o lib. de vita ſua.
p in Pſ. 127.

etiam, quidquid aliqui contrà ſentiant, in ſanctæ A
Brigittæ reuelationibus legitur. Ita enim ſcriptum[a]
eſt; *Petrus fuit alligatus coniugio, Paulus autem caſti-*
tatem ſeruauit, & ſe immaculatum à thoro cuſtodiuit.

a lib. 2. cap. 7.

Cæterùm de ipſius eximia caritate, quam ipſemet
vinculum perfectionis appellat, quid attinet multa
dicere? Si ſolandi, excitandique ſint auditores, quis
illo blandior, qui nutricis, aut potius matris mores,
atque animos induat? Si officij commonendi, quis
modeſtior, qui ſe minimum Apoſtolorum, & Apo-
ſtolico nomine indignum cenſeat? Si erigendi in
ſpem, quis liberalior, ac magnificentior, qui pro
exiguo labore immortale, ac ſempiternum præmium
polliceatur? Si à ſcelere, flagitióque deterrendi,
quis acrior, & vehementior, qui non ſolùm virgas,
aut ſupplicium minetur, ſed etiam extremi iudicij B
ſeueritatem intentet? Si quis offendat, quanta ille
commiſeratione tangitur? Si alieno exemplo quiſ-
piam periclitetur, quanto animi angore cruciatur?
O egregium tractandorum animorum artificem!
Nunc lenitate demulcet, nunc ſeueritate deterret,
interdum vtriuſque temperamento ægritudinibus
animi, morbiſque medetur, vt neque facilitate mol-
les, & languidos reddat; neque aſperitate in deſpe-
rationem agat. Nullum ſibi hominum genus deſe-
rendum putat, quò ſapientibus ſe, atque inſipienti-
bus debere intelligeret, & ob eam rem liberis, ac ſer-
uis; Principibus, ac popularibus; viris, ac fœminis;
parentibus, ac liberis; connubio iunctis, atque eius
lege ſolutis; Iudæis, ac Gentibus congruentia præ-
cepta tradit. Quocirca egregiè dixit alicubi Chry- C
ſoſtomus[b], fuiſſe ab immortali Deo Pauli animum
cœleſti igne incenſum; menti celeres quodammodo
pennas additas; rationem denique diuino amore
completam, vt propterea ille Chriſti caritate vrge-
ri ſe, ac penè compelli, apertiſſimè prædicaret[c], dum
diuinæ in ſe munificentiæ magnitudinem, & ſingu-
larem Chriſti beneuolentiam, atque effuſam in om-
ne genus hominum liberalitatem contemplaretur.
Quòd ſi libeat illum cum priſcis Patriarchis confer-
re, illud verè affirmare poſſumus, veterum omnium
Patrum, ac ſanctorum virorum decora, & ornamē-
ta in vno Apoſtolo Paulo elucere. In illo etenim ad-
mitari[d] licet Abelis religionem, Noé caritatem, A-
brahæ obedientiam, Iſaaci moderationem, Iacobi
ſpem, Ioſephi pudicitiam, Iobi patientiam, Moſis D
manſuetudinem, ac lenitatem, vt non aliter ac in
amœniſſimo prato multitudo florum, in horto fru-
ctuum varietas; in Paulo Apoſtolo omnium virtutū
chorus cernatur. Sed quoniam Pauli laudes mira
quadam eloquentia Chryſoſtomus celebrauit, nihil
mihi in præſentia addendum cenſeo, ne, quæ maxi-
ma per ſe ſunt, ea mea exili oratione attenuentur. Si-
leant igitur impuriſſimi mortalium (ſuperioris ſæcu-
li hæreticos[e] intelligo) qui impiè, ac nefariè ſan-
ctiſſimum Apoſtolum temeritatis, contemptus Dei,
denique (ſi Deo placet) Epicureiſmi arguere auſi
ſunt; cùm quiduis potius eius Epiſtolæ redoleant,
quæ Chriſtianam modeſtiam, pietatem, ac religio-
nem in Deum, voluptatum contemptum, veram
denique ſanctitatem non ſolùm docent, ſed mira E
quadam dicendi vi perſuadent.

b Hom. 34 in Geneſ.

c 2. ad Cor. 5. 14.

d Chryſ. Hō. 3. de laudib. Pauli.

e Caluiniſtæ.

Conuerſio eius ad Chriſtum, & conuerſionis ratio.

Cap. IV.

I. PERGEBAT aliquando Paulus Damaſcum in-
genti quodam animi ardore; non enim dicam fu-
rore incenſus, ſummi ſacerdotis, ac ſupremi ſena-
tus auctoritate munitus, cædis, ac ſanguinis auidus,
A Chriſti fidelibus vincula, verbera, & ſæuiſſima quæ-
que interminans; ſed ecce ſubitò de cœlo tactus, rabida[a]
illa, & ſæua, furioſaque voluntate in contrariū planè
mutata, vocanti Deo illicò reſpondit, ſe dicto audiē-
tem fore, nihilque tam arduum, ac difficile futurum,
quod non vltrò, ac libens eius eſſet cauſa ſubiturus:
Cæcis interim tenebris mirandum in modum corre-
ptus, inter miniſtrantium manus in vrbem perdu-
ctus, triduum totum cibo, potúque abſtinens, cor-
poream lucem per cæcitatem aſpicere non potuit.
Hæc Lucas[b], qui præterea id poſt necem Stephani
contigiſſe ſignificat, quam nouem circiter menſi-
bus poſt Chriſti obitum, ac ſeptem fermè poſt eius
in cœlum aſcenſum, ſexto, & viceſimo Decembris
die accidiſſe accepimus. Hanc autem Pauli ad Chri-
B ſtum conuerſionem viceſimo quinto Ianuarij, quo
die eius memoriam Eccleſia recolit antiquiſſima tra-
ditione obſeruatum eſt contigiſſe. Quibus ita poſi-
tis, de quibus non eſt magnopere dubitandum, duo
ſunt, quæ in quæſtionem vocantur: alterum qua æ-
tate Chriſto Paulus nomen dederit; alterum quo po-
tiſſimùm anno poſt Chriſti aſcenſum Chriſtiana ſa-
cra perceperit.

a Aug. lib. 1. ad ſimplic. q. 2.

b Act. 9. 8.

Et quod attinet quidem ad priorem quæſtionem, II.
Ambroſius, & Theodoretus (vt ſuperiori capite in-
dicauimus) adeo putant id temporis fuiſſe Paulum
adoleſcentem, vt nondum coniugio idoneus eſſet;
vt horum quidem ſententia neceſſe ſit eum viceſi-
mo anno minorem Chriſto nomen dediſſe. At ſanè
viſus eſt indicare Lucas[c], cùm de Paulo in hunc mo-
C dum ſcribit: *Et teſtes depoſuerunt veſtimenta ſecus pe-*
des adoleſcentis, qui vocabatur Saulus. Verùm & alibi
docuimus, Græca vox, quæ apud Lucam legitur,
non tam adoleſcentem ſignificat, quàm hominem
acrem, audacem, ac magni omnino ſpiritus; vt in-
terim omittam, ab eodem Luca non adoleſcentem,
ſed virum nuncupari. Sic enim apud illum[d] Ana-
nias: *Domine* (inquit) *audiui à multis de viro hoc*
quanta mala fecerit ſanctis tuis in Hieruſalem. Nomen
verò adoleſcentis, ſeu adoleſcentiæ in ſacris literis
non adeo teneram ætatem ſignificat, vt iſti opinan-
tur. nam Paulus ad Timotheum[e] ſcribens: *Nemo*
(ait) *adoleſcentiam tuam contemnat*; cùm tamen ille
iam Epheſinæ Eccleſiæ præeſſet, viceſimo profectò,
aut etiam triceſimo anno maior. Quæ verò de Pau-
D lo in actis Apoſtolicis ſcribuntur, minimè ei ætati
congruunt. *Saulus* (ait) *ſpirans minarum, & cædis in*
diſcipulos Domini acceſſit ad Principem ſacerdotum, &
petiit ab eo Epiſtolas in Damaſcum ad ſynagogas, vt ſi
quos inueniſſet huius viæ viros, ac mulieres vinctos per-
duceret in Hieruſalem. Sanè hæc adoleſcentem mini-
mè decent. Et Paulus de ſe ipſo coram Agrippa Re-
ge: *Equidem* (inquit) *vitam meam à iuuentute, quæ*
ab initio fuit in gente mea in Hieroſolymis, nouerunt om-
nes Iudæi. Quæ ſanè indicant aliquandiu illum inter
Iudæos vixiſſe, adeóque fuiſſe omnibus notum. Quis
verò id de adoleſcente credat? Et non ita multò pòſt.
Et ego quidem (ait) *exiſtimaueram me aduerſus no-*
men Ieſu Nazareni debere multa contraria agere, quod
& feci Hieroſolymis, & multos ſanctorum ego in carce-
E *ribus incluſi à Principibus ſacerdotum poteſtate accepta,*
& cùm occiderentur, detuli ſententiam; & per omnes
ſynagogas frequēter puniens, eos compellebā blaſphemare,
& amplius inſaniens in eos perſequebar vſque in exteras
ciuitates. Quis autem hæc credat ab adoleſcentulo
perfici potuiſſe? Quis verò adeo dementes ſacerdo-
tum Principes fuiſſe ſibi perſuadeat, vt tantam au-
ctoritatem adoleſcenti concederent? Sed fac, fuiſſe
Paulum cùm Chriſtianis ſacris initiatus eſt, anno-
rum circiter viginti, neceſſe eſt profectò, quarto
Neronis anno, quo tempore adſtrictus vinclis ad
Phile

c Act. 7. 58.

d Act. 9. 13.

e Ep. 1. c. 4. 12.

Philemonem ſcripſit, fuiſſe illum annorum vix ſex ſupra quadraginta; cùm biennio pòſt Chriſti necem Chriſtianam fidem perceperit, hoc eſt anno Tyberij viceſimo, & ab eo anno ad quartum Neronis, cùm ad Philemonem ſcripſit, quinque & viginti anni circiter numereotur. In ea verò epiſtola ſe Paulus ſenem vocat. At quis hominem annos duntaxàt quinque, aut ſex, & quadraginta natum ſenem appellet? Accedit quod cùm ex Hieronymi ſententia anno à Chriſti nece ſeptimo, ac triceſimo mortem ipſe obierit, non vltra quinquageſimum quintum vixiſſet annum; cùm tamen auctore Chryſoſtomo,ᵃ expletis octo, & ſexaginta annis pro Chriſti nomine martyrium obierit. Quæ ſi vera ſunt, vt certè maxima probabilitate nituntur, conſequens profectò eſt, Paulum ætatis ſuæ anno tertio vel quarto ſupra triceſimum cœlitus à Deo vocatum Chriſto adhæſiſſe.

a In encom. Apoſt. Petri, & Pauli tomo 3.

III. Iam verò, vt ad ſecundam quæſtionem accedam, Nicephorus[b] memorat, Euodium, qui primus poſt Petrum Antiochenam adminiſtrandam ſuſcepit Eccleſiam, exiſtimaſſe Stephanum anno ſeptimo poſt Chriſti in cœlum aſcenſum, lapidibus à Iudæis obrutum obiiſſe martyrium, atque idcirco ſeptennio exacto, Paulum Chriſtiana ſacra ſuſcepiſſe. Quod ipſum ſenſiſſe Hippolytum Thebanum auctor eſt Glycas:[c] quæ tamen ſententia adeo eſt à veritate aliena, vt omni prorsùs probabilitate careat, quamquàm non deſunt, qui in eorum ſcriptorum codicibus mendum eſſe ſuſpicentur, & pro annis ſeptem totidem menſes ſubſtituendos eſſe. tot enim menſes inter Chriſti aſcenſum, & Stephani necem intercesſiſſe inter doctiores conuenit. Itaque cùm certum, atque exploratum videatur, Pauli conuerſionem contigiſſe ipſo quinto, & viceſimo die Ianuarij, exiſtimarunt, decimo à Chriſti morte menſe Paulum Chriſto nomen dediſſe. Id aſſerunt Euſebius,[d] Beda,[e] Auctor[f] Scholaſticæ hiſtoriæ, S. Thomas,[g] & alij.[h] Quæ ſententia probari poſſet, niſi à nece Stephani ad Pauli conuerſionem tam multa interceſſiſſent, quæ à Luca in hiſtoria apoſtolica commemorantur, vt vnius menſis ſpatio, quod ex hac ſententia ſolùm intercipitur, coarctari nequeant. Quamobrem vero ſimilius videtur, quod aſſerit Oecumenius,[i] Pauli conuerſionem anno à Chriſti nece ſecundo contigiſſe: quod videlicet ab obitu Chriſti vſque ad vocationem Pauli annus integer præterierit, ſupérque menſes fermè decem; à nece verò Stephani annus, & vnus præterea menſis.

b 3. cap. 4.
c in 3. p. annal.
d In Chronic.
e Adnotat. in Chronic.
f In hiſt. Apoſtolorum cap. 46.
g 2. ad Gal. 2.
h Lyra. ibidem.
i Ad. ch.

IV. Fvit autem Pauli conuerſio multis nominibus admirabilis, tum quia diuinitus præter cæterorum conſuetudinem facta eſt, tum quia plura in ea miracula ſupra naturam contigerunt. nam diuinus quidam ſplendor affulſit, qui oculorum aciem ei adeo perſtrinxit, vt lucem corpoream aſpicere non poſſet. Deinde de cœlo vox quædam inſonuit; & Chriſtus ipſe ſe Paulo ſpectandum præbuit; Denique Pauli voluntas mira quadam vi ſubitò immutata et mirabili perſecutore (vt loquitur Auguſtinus[k]) mirabiliorem prædicatorem effecit; &, vt ait Chryſoſtomus,[l] atrociſſimum Chriſtiani nominis hoſtem, in ardentiſſimum propugnatorem repentè commutauit. Ac cætera quidem apertiſſimè narrantur à Luca,[m] vt nulla de iis eſſe poſſit dubitatio. Quod verò diximus, Chriſtum Paulo ſeſe præbuiſſe ſpectandum, à multis in dubium reuocatur. exiſtimare enim quiſpiam poſſet, Paulum non vidiſſe Chriſtum ipſum, ſed ſpeciem aliquam eius oculis obiectam, quæ Chriſtum aliquo modo referret; vel certè Chriſtum in cœlo exiſtentem ſeſe Pauli oculis obieciſſe, ſuâque diuina vi effeciſſe, vt Pauli proſpectus, atque auditus cœlum ipſum penetraret. At viri docti exiſtimarunt verè Paulum Chriſtum vidiſſe non quidem in cœlo poſitum, ſed ſibi proximum, vt ipſius proſpectus ſua naturali vi, & facultate ad eum pertingeret. Ac primùm quidem verè Paulum vidiſſe Chriſtum, non aliam quampiam ſpeciem, apertiſſimè ſcriptura ſignificat. Lucas enim in Actis apoſtolicis id non ſemel docuit. cùm enim de hac ipſa Pauli conuerſione ageret: *Viri autem* (inquit) *illi, qui comitabantur cum eo, ſtabant ſtupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.* Quo loco tacitè indicat, quem loquentem comites Pauli tantummodò audierant, nec videre potuerant, Paulo fuiſſe viſum. Aliquanto autem pòſt cùm Paulus Hieroſolymam veniſſet, narrat, eum Barnabæ opera in Apoſtolorum ſenatum fuiſſe introductum, qui narrauit illis quomodo Paulus in via vidiſſet Dominum. Alio verò loco[a] his verbis Ananias Paulum dicitur affatus: *Deus Patrum noſtrorum præordinauit te, vt cognoſceres voluntatem eius, & videres iuſtum, & audires vocem ex ore eius.* Denique Paulus coram Agrippa Rege de hac ipſe re agens: *Die media* (ait[b]) *in via vidi, Rex, de cœlo ſupra ſplendorem ſolis circumfulſiſſe me lumen, & eos, qui mecum ſimul erant.* Et poſt nonnulla ita Chriſtum loquentem facit: *Sed exurge, & ſta ſupra pedes tuos. ad hoc enim apparui tibi, vt conſtituam te miniſtrum, & teſtem eorũ quæ vidiſti.* Significans, eum fore oculatum teſtem. Quod ipſe aliàs non ſemel affirmat. alicubi enim ſcripſit:[c] *Nónne Dominum noſtrum vidi?*[d] Alibi: *Nouiſſimè tamquam abortiuo viſus eſt & mihi.* Iam verò Pauli proſpectum non ad ſummum vſque cœlum penetraſſe, ſed propè ſe vidiſſe Chriſtum, indicat ipſius interrogatio, qua quærit; *quis es Domine?* quæ nulla futura erat, ſi eum in cœlo poſitum vidiſſet, cùm dubitare non poſſet Deum eſſe illum qui in cœlo regnaret.

k lib. 1. ad Simplic. q. 2.
l Hom. 7. de laudib. Pauli.
m Act. 9.
a Act. 22. 14.
b Act. 26. 13. 16.
c 1. ad Cor. 9. 1.
d 1. ad Cor. 15. 8.

V. Tvnc igitur (quod acutè obſeruauit Auguſtinus[e]) Beniamin, qui pridem quaſi lupus rapaciſſimus gregem dominicum vaſtabat, eiuſdem gregis patrocinio ſuſceptu, aduerſariorum ſpolia diuidere cœpit: & quam fidem incredibili quodam animi ardore paulò ante oppugnabat, nunc conſtantiſſimè profitetur, & aduerſus omnes oppugnatores validiſſimè defendit. Quocirca Iudæi, qui eum ſibi patronum, ac defenſorem ſperabant, quaſi præuaricatorem execrabantur, adeo vt prima illa Pauli velitatio ingenti ei capitis periculo ſteterit, quod Arabica peregrinatione redimendum fuit; ex qua cùm poſtea Damaſcum reueniſſet nondum extincto Iudæorum furore, odióque longè magis exacerbato, nouas ſibi Aretæ Regis opera ſtructas inſidias celeri fuga eludere coactus eſt. Adeo verò percrebuerat Sauli quondam ſæuitia, atque immanitas, vt cùm ille Hieruſalem perueniſſet, cuperétque ſe fidelium cœtui aggregare, ſibi cuncti metuerent, nemóque auderet eius colloquium, aut conſuetudinem admittere, quoad Barnabas egregia vir auctoritate præditus, eius mutatione, fideique conſtantia perſpecta, illum in Apoſtolicum ſenatum introduxit. Quid autem triduo illo, quo luminibus captus nihil caducum, aut mortale cernere potuit; diuinitùs cognouerit, indicatum eſt ſuprà. Nec verò mirandum eſt, tres integros dies potuiſſe cibo, potúque carere, cùm longè maiora olim diuina vi perfecta eſſe conſtet, quæ in præſentia recenſere nihil eſt neceſſe. Illud poſtremò obſeruatione dignum videtur, quod à Chriſto Domino de Paulo Ananiæ dictum fuiſſe ſcribit Lucas. *Vade* (inquit) *quoniam vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filiis Iſrael.* Id enim poſtmodum Paulus re ipſa comprobauit, ſéque adeo Gentium Apoſtolum

e lib. 50 Homiliarũ Hom. 14. & Serm. 14. de ſanctis.

lum certiſſimis documentis declarauit; qui, vt ait Chryſoſtomus, [a] quaſi egregius Chriſtianæ militiæ ſignifer, & anteſignanus vniuerſo penè terrarum orbe peragrato, crucis vexillum vna cum collega, & apoſtolici collegij Principe Petro, in ipſam Romani imperij arcem intulit, [b] ſuóque ſanguine irrorauit: qui propterea vſurpare meritò conſueuerat, explere ſe ea, quæ Chriſti corpori deeſſent. Quæ cùm ita ſint, verè omninò ſcripſit Chryſoſtomus, [c] admirabilem cerni in Pauli conuerſione diuinam prouidentiam, potentiámque, quæ tam ſubitò hominis mentem, ſententiámque mutarit; cùm tamen nulla ex parte eius læſerit libertatem. Qua de re hunc in modum alicubi [d] loquitur Auguſtinus: *Quàm rabida voluntas, quàm furioſa, quàm cæca, & tamen vna deſuper voce proſtratus, occurrente vtique illi tali viſo, quo mens illa refracta ſæuitia retorqueretur, & conuerteretur ad fidem, repentè ex mirabili perſecutore mirabilior prædicator effectus eſt.* Quis enim enumeret vigilias, timores, vexationes, algorem, famem, ſitim, naufragia, pericula, vincula, verbera, lapidationes, aliáque id genus plurima quæ pro Euangelica doctrina forti, & conſtanti animo pertulit? Quis extremam inopiam, rerúmque neceſſariarum indigentiam, Chriſtianam humilitatem, patientiam, cōſtantiam, integritatem, vitæ, morúmque innocentiam pro dignitate commemoret? vt appareat veriſſimum fuiſſe illud oraculum: [e] *Ego oſtendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.*

a Hom. 7. de laudib. Pauli.
b Leo Pontifex Serm. 1. de Apoſtolis.
c Hom. 7. de laudib. Pauli, & in encom. Apoſt. Petri, & Pauli tomo. 5.
d lib. 1. ad Simplic. q. 2.
e Act. 9. 16.

Pauli peregrinationes.
Cap. V.

L VIx Paulus Chriſtiana ſacra ſuſceperat, cùm ſubitò per ſummum ſcelus, & Iudæorum improbitatem de capite periclitari cœpit; vt, quod paulò antè dixi, in Arabiam illi ſecedendum fuerit. Hanc verò Arabicam profectionem Lucas penitùs prætermiſit, ſiue quòd nihil ibi commemoratione dignum geſtum ſit, ſiue quòd ea, quæ ibi Paulo contigerunt, ſimilia fuerint eorum, quæ in Damaſcena commoratione acta eſſe memorantur. Certè Chryſoſtomus multa præclarè, ad rem Chriſtianam amplificandam, Pauli opera, ac ſtudio perfecta eſſe non dubitat. Ceterùm quæ de inſidiis Iudæorum commemorantur à Luca, poſt reditum ex Arabia D contigerunt, hoc eſt, tertio anno à Pauli conuerſione, quo ipſo tempore primùm Hieroſolymam profectus eſt. Iam verò quoniam plures Hieroſolymitanæ profectiones Pauli Apoſtoli numerantur, de ſingulis pauca quædam dicenda ſunt. Prima igitur numeratur ea, quam modò indicaui, cùm Iudæorum inſidias fugiens, Petri viſendi cauſa Hieroſolymam venit. ſic enim ad Galatas Paulus ipſe ſcribit: [f] *Deinde poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim.* Et Lucas in Actis [g] Apoſtolicis: *Cùm autem veniſſet in Hieruſalem, tentabat ſe iungere diſcipulis, & omnes timebant eum, non credentes, quòd eſſet diſcipulus.* Quod (vt arbitror) non obſcurè indicauit Paulus cùm ad Galatas [h] ſcripſit: *Eram autem ignotus facie Eccleſiis Iudææ, quæ erant in Chriſto, tantùm autem auditum habebant, quoniam qui perſequebatur nos aliquando, nunc E euangelizat fidem, quam aliquando expugnabat, & in me clarificabant Deum.* Voluit autem Paulus videre Petrum, quia (vt ait Ambroſius [i]) *dignum fuit, vt cuperet videre illum, quia primus erat inter Apoſtolos, cui delegauerat Saluator curam Eccleſiarum.* Et Chryſoſtomus. [k] *Aſcendit* (ait) *velut ad maiorem, & ſeniorem.* Et in eamdem ſentētiam Theodoretus: [l] *Etenim cùm Paulus humana doctrina non indigeret, vt qui ab* A *vniuerſorum Deo illam accepiſſet; tamen Apoſtolorum Principi honorem, quem par eſt, tribuit.* Denique Oecumenius: [a] *Per tot tantáque certamina abiit, vt videret Petrum tamquam maiorem, aut etiam maneret cauſa honoris, quem Petro deferebat.*

f cap. 1. 18.
g cap. 9. 26.
h cap. 1. 22.
i ad Galat. 1.
k Ibidem.
l Ibidem.
a Ibidem.

II.

Altera profectio Hieroſolymitana commemoratur à Luca [b] his verbis. *Diſcipuli autem prout quis habebat, propoſuerunt ſinguli in miniſterium mittere habitantibus in Iudæa fratribus, quod & fecerunt mittentes ad ſeniores per manus Barnabæ, & Sauli.* Ea autem contigiſſe videtur circa quartum Claudij Imperatoris annum, ſi (quod volunt Euſebius, [c] Oroſius, [d] & Beda [e]) in eum annum incidit fames, de qua eodem loco ſcribit Lucas, quamquàm alij aliter exiſtimarunt, vt ſuo loco docebimus. Tertia eiuſdem B Hieroſolymitana peregrinatio ab eodem Luca [f] narratur hunc in modum: *Et quidam deſcendentes de Iudæa docebant fratres, quia niſi circumcidamini ſecundùm morem Moſes, non poteſtis ſaluari. Facta ergo ſeditione non minima Paulo, & Barnabæ aduerſus illos ſtatuerunt, vt aſcenderent Paulus, & Barnabas, & quidam alij ex illis ad Apoſtolos, & presbyteros in Hieruſalem.* Atque hanc quidem eamdem eſſe cum illa, quam Paulus ad Galatas [g] commemorat, nonnulli [h] exiſtimarunt, repugnantibus Chryſoſtomo, [i] & Hieronymo; [k] de qua re nos loco ſuo fuſiùs diſputabimus. Neque enim res adeo certa, atque explorata videtur, vt quidam exiſtimarunt, cùm de illis quatuordecim annis, quos Paulus notat, ingens ſit controuerſia, vt ſuo loco conſtabit. C Illud negari non poteſt, quod ex Pauli narratione apertè intelligitur, Petrum tunc vnà cum Iacobo, & Ioanne Hieroſolymis fuiſſe, neceſſe vt ſit eò veniſſe Paulum vel antequàm Petrus Romam proficiſceretur, vel certè Petrum, poſtquàm vrbem ingreſſus eſt rurſum Hieroſolymam rediſſe, quidquid ſecus Epiphanius, [l] Chryſoſtomus, [m] Euſebius, [n] Nicephorus, [o] aliíque [p] exiſtimarint. Vt enim auctor eſt Suetonius, & in Actis affirmat Lucas, [q] iuſſit Claudius Iudæos omnes vrbe excedere. Nec dubium eſt eo præſertim tempore Iudæorum nomine etiam Chriſtianos fuiſſe comprehenſos. Quòd ſi ex Chryſoſtomi ſententia Pauli narrationem, à narratione Lucæ libeat diſtinguere, fatendum erit omiſiſſe Lucam profectionem illam, de qua Paulus agit: quæ ſi diſtinguenda eſt, videtur fuiſſe ordine tertia, quam non ita multò pòſt conſequuta eſt illa, de qua agit Lucas, quæ iuxtà hanc ſententiam erit quarta.

b Act. 11. 29.
c In Chronic.
d lib. 7. ca. 6.
e lib. de ſex ætat.
f Act. 15. 1.
g cap. 2.
h Irenæus lib. 3. ca. 13. Theodoret. ad Galat. 2. Beda in Acta Apoſtolica ca. 15. Hiſtor. ſchol. in Act. cap. 31. Caiet. & alij.
i ad Galat. 2.
k Ibidem.
l Hær. 27.
m Serm. 1. de Pent.
n lib. 2. hiſt. cap. 13. 22.
o lib. 2. c. 25.
p Beda. Act 15. D. Thom. ad Galat. 2.
q cap. 18. 2.

III.

Poſtrema, quæ in hiſtoria Lucæ eſt quarta, vel ex ſententia Chryſoſtomi quinta, deſcribitur à Luca in Actis [r] apoſtolicis admodum fusè. Tunc enim à Iudæis captus, & in vinclis detentus eſt. Videtur autem captus fuiſſe Apoſtolus viceſimo primo anno à ſua conuerſione, & à Chriſti nece viceſimo tertio. Inde ad vitādas Iudæorum inſidias coactus eſt ad Cæſarem prouocare, atque ita neceſſe fuit eum Romam proficiſci: ſed quamdiu detentus ſit Cæſareæ in cuſtodia, non ſatis liquet. Lucas [s] enim indicat expleſſe biennium. ſic enim ait: *Biennio autem expleto accepit ſucceſſorem Fælix Portium Feſtum.* E Neque verò audiendus eſt auctor [t] Hiſtoriæ ſcholaſticæ, qui biennium illud computandum exiſtimat ab eo tempore, quo Fælix à Iudæis apud Cæſarem accuſatus eſt. cùm enim Lucas nullam eius rei mentionem feciſſet, quid cauſæ erat, cur eius hiſtoriæ reſpectu, quam ne attigerat quidem, biennium cenſeret? Ac ne illi quidem collimaſſe videntur, qui biennium numerandum putant ab eo tempore quo Fælix Iudææ præfecturam iniit: id enim cum verbis Pauli illo ipſo Lucę loco apertiſſimè pugnat. ita enim Paulus Fælicem affatur: *Ex [u] multis annis te eſſe Iudicem*

r cap. 21.
s Act. 24. 27
t In Act. Apoſtol. cap. 1.
u Act. 24. 10

tem genti huic ſciens. Quomodo enim multis annis in Iudæorum gente iudicia exercuerat Fœlix, ſi nondũ biennium expleuerat? Accedit, quòd Ioſephus [a] affirmat, Fœlicem in Iudæam miſſum eſſe à Claudio anno imperij ſui vndecimo, multáque in Iudæa geſſiſſe iam imperante Nerone. Itaque fuerunt qui biennium illud ad imperium Neronis referrẽt; quaſi Nero expleto imperij ſui biennio Fœlici ſucceſſorem miſerit. Sed cùm Lucas imperium Neronis ne nominarit quidem, alieniſſimum videtur ad eius imperium biennium illud referre; vt omnino exiſtimandum ſit, expleſſe Paulum in cuſtodia Cæſarienſi integrum biennium. Quod Beda [b], Oecumenius [c], aliique [d] non pauci exiſtimarunt. Sed in hac quidem tã accurata annorũ cõputatione ſuo quiſque arbitratu ducitur, nec facile eſt, niſi diuinãdo, collimare. Vtrũque igitur ſit, hanc poſtremã Hieroſolymitanã profectionẽ Lucas narrat: neque enim, vt ſcribit Hieronymus, eius hiſtoria quartũ Neroniani imperij annum, & ſecundum Pauli Romæ, commorantis excedit.

a lib. 20. Ant. cap. 5. b Act. 24. c Act. 24. d Gal. ...

III. Sed, vt ad alias Pauli peregrinationes accedamus, prætermiſſa Arabica profectione, de qua ſuprà dictum eſt, conſtat Paulum primùm Damaſci tam confidenter Chriſtianam doctrinam tradidiſſe, vt omnes in admirationem rapuerit. Sic enim ſcribit Lucas [e]: *Et continuò ingreſſus in ſynagogas prædicabat Ieſum, quoniam hic eſt filius Dei. ſtupebant autem omnes, qui audiebant.* Et aliquantò pòſt: *Saulus autem multò magis conualeſcebat, & confundebat Iudæos qui habitabant Damaſci, affirmans, quoniam hic eſt Chriſtus.* Cùm verò Hieroſolymam petiiſſet, paucos dies ibidem commoratus, inde Cæſaream, & mox Tarſum profectus eſt, vnde reuocatus [f] à Barnaba Antiochiam perductus ibi ſtrenuam rei Chriſtianæ nauauit operam. Deinde cùm vnà cum Barnaba collectã pecuniam Hieroſolymam pertuliſſet, aſſumpto Ioanne comite, qui cognominatus eſt Marcus, redit Antiochiam, vbi vnà cum Barnaba diuini Spiritus impulſu in collegium Apoſtolicum allectus eſt. Sed antequàm cæteras Pauli peregrinationes perſequamur, expedienda eſt grauis quædam quæſtio, quo videlicet tempore Petrum Antiochiæ Paulus reprehenderit, vt ipſe ad Galatas [g] ſcribit.

e Act. 9. 20. f Act. 11. 25. g Gal. 2. 11.

IIII. Atque vt hinc potiſſimùm exordiar, ex Actis Apoſtolicis apertè liquet Paulum poſtquàm Chriſtianis ſacris initiatus eſt, quater Antiochiam veniſſe: primùm cùm Tarſo euocatus eò ductus [h] eſt à Barnaba; ibique integrum annum hæſit: iterum cùm perfunctus legatione Hieroſolymitana, vnà cum Barnaba eodem redit, vbi (vt dictus eſt) diuini numinis inſtinctu ad varias gentes, ac nationes erudiendas dimiſſi [i] ſunt: tertiò cùm illa peregrinatione abſoluta Antiochiam redierunt, ibique haud exiguo tempore commorati, ad ſedandas quæſtiones excitatas, oratores ad Apoſtolos miſſi [k] ſunt: poſtremò, ea legatione abſoluta, Antiochiam reuerſi [l] ſunt. Meritò igitur quis ambigat, quónam potiſſimùm tẽpore Paulus Antiochiæ Petrum potuerit reprehendere, ac Petrum quidem fuiſſe Antiochiæ nuſquàm in Actis Apoſtolicis apertè legitur, quamuis fortaſſe haud obſcurè colligi poſſet ex illa peregrinatione, quam obiiſſe dicitur cùm Lyddam, multis peragratis regionibus, & Ioppem peruenit: & priori quidem loco Æneam paralyticum morbo liberauit; poſteriori verò Tabitham iam mortuam ad vitam reuocauit. Sed apertiſſimum eſt Pauli teſtimonium in Epiſtola ad Galatas [m]. Et quidem Clemens [n], quem ſecutus eſt Euſebius [o], auctor eſt, Petrum vltimo principatus Tiberij anno, Eccleſiam Antiochenam fundaſſe, eámque Cathedram tenuiſſe vſque ad annum ſecũdum Claudij, quo tempore ab Herode coniectus eſt in carcerem, vnde ab Angelo mirabiliter ereptus Romam venit, ibique ſedem fixit. Nam quod nonnulli dicunt, Petrum priùs, hoc eſt, anno ſecundo Claudij, Eccleſiam Romanam fundaſſe, poſtea reuerſum in Syriam anno eiuſdem Claudij ſeptimo, Antiochenæ Eccleſiæ gubernacula ſuſcepiſſe, à viris doctis reiicitur, & à nobis alibi confutatur. Igitur vt quæſtioni propoſitæ reſpondeamus, Auctor [a] hiſtoriæ ſcholaſticæ ait, Petrum liberatum à vinculis, Romam profectum eſſe, & in itinere veniſſe Antiochiam, ibique à Paulo caſtigatum, hoc eſt, anno Claudij quarto, à nece Chriſti quartodecimo. Quibus non multis verbis haud pauca reperias caſtigatione digniſſima. nam primùm communi conſenſu receptũ eſt, Petrum anno ſecundo Claudij Romam veniſſe, deinde à Chriſti morte vſq; ad quartũ Claudij annum vix tredecim numerantur anni: deinque quatuordecim illi anni, quos Paulus ad Galatas notat, non ab obitu Chriſti, ſed vel à Pauli conuerſione, vel (vt alij volunt) à prima Hieroſolymitana profectione numerandi ſunt. Neceſſe igitur eſt, hanc Pauli reprehenſionem accidiſſe poſtquàm Petrus vnà cum cæteris Hebræis Roma excedere coactus eſt, circa annum Claudij octauum, aut nonum; & quidem (vt ſuo loco docebo) poſt ſynodum Hieroſolymitanam antequàm videlicet Paulus à Barnaba ſecederet.

h Act. 11. 25. i Act. 13. 4. k Act. 15. 2. l Act. 15. m Gal. 2. 11. n ... o ... Hiſtoria ...

a in Act. Apo. c. 21. 22.

V. Iam verò poſtquàm Paulus, & Barnabas ad Apoſtolicum munus, ac dignitatem euecti ſunt, abierunt (vt ait Lucas [b]) Seleuciam, inde nauigarunt in Cyprum, & peragrata tota inſula Sergium Paulum proconſulẽ ad Chriſti fidem traduxerunt, & Elymã Magum immiſſa cæcitate coërcuerunt. Papho deinde Pergen Pamphyliæ nauigarunt. Mox Antiochiam Piſidiæ ingreſſi multis de Chriſtiana fide cum Iudæis diſſeruerunt. illis autem obluctantibus, & magnopere contradicentibus, teſtati ſunt, ſe deinceps gentibus erudiendis operam daturos; excuſſóque pedum puluere Iconium profecti ſunt; vbi lapidibus appetiti [c], Lyſtram, ac Derbẽ Lycaoniæ vrbes petierunt, & Lyſtris homini inde ab ortu ſuo pedibus ita impedito, vt ingredi prorſus nequiret, greſſum reſtituunt. Id ſupra quàm dici poteſt admirati Barbari Barnabam quidem Iouem, Paulum verò Mercurium rati, victimas, & hoſtias ſacrificaturi parant, re ipſa facturi, niſi Apoſtolorum graui oratione ab impio ſacrilegio prohibiti fuiſſent. Sed continuo quorumdam aduenarum ſuaſu Paulum penè lapidibus enecarunt. Itaque Derben vnà cum Barnaba proficiſcitur, confirmatiſque iis in regionibus diſcipulis presbyteros ſingulis Eccleſiis præfecerunt, plurimiſque aliis regionibus peragratis, redierunt Antiochiam, vnde profecti erant. Peracta verò Hieroſolymitana ſynodo, cùm Paulus à Barnaba diſceſſiſſet, comite Sila Syriam, Ciliciámque obiuit, [d] Eccleſias confirmans, & præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & ſeniorum. Et Lyſtris [e] Timotheum ortum Patre gentili circumcidi iuſſit. Prætereita autem Phrygia, & Galatiæ regione prohibiti ſunt à Spiritu ſancto de rebus diuinis in Aſia verba facere; & (quod maximè cupiebant) in Bithyniam proficiſci; ſed potius ſecundùm quietem diuinitus moniti, Troade in Macedoniam nauigarunt, & Philippis Lydiam purpurariam Chriſto aggregarunt, & puellam energumenam ab impuri dæmonis vexatione liberarunt. Verùm puellæ domini, qui eius opera quæſtum facere conſueuerant, ea ſpe deiecti per vim raptos Paulum, & Silam quaſi Iudæos, & ſacrilegos, auitæque religionis euerſores coram magiſtratibus ſiſtunt, quorum iniquiſſima ſententia virgis cæſi, in cuſtodiam traditi, & compedibus adſtricti ſunt. Iam verò cùm nocte concubia Chriſtiano

b Act. 13. 4. c Act. 14. 1. d Act. 15. 4. e Act. 16. 2.

more laudes Deo canerent, terræmotu facto carceris oſtia ſubitò patuerunt, eorúmque vincula vltrò ſoluta ſũt. Hic carceris Præfectus ſuſpicatus (quod erat vero ſimillimum) vinctos fuga arrepta euolaſſe, in deſperationem actus nihil propius fuit, quam vt ferro in ſe ipſum ſæuiret, quod proculdubio facturus erat, niſi Pauli voce, à flagitio reuocatus eos allato lumine præſentes conſpexiſſet. Rei verò miraculo attonito ſimilis, abiectus ad vinctorum pedes fidei rudimentis informatus, vnà cum vniuerſa familia baptiſmo luſtratur, & pro carnifice medicus effectus eorum vulneribus fomenta, atque obligaméta adhibuit; cúmque poſtero die illuceſcente, auctoritate Senatus facta illis eſſet abeundi poteſtas, abnuit Paulus, ſe ciuem Romanum eſſe conteſtans contra ius, ſæpe damnatum, ac cæſum occultè nequaquàm eſſe dimittendum. Ea oratione perterrefacti magiſtratus, obnixè, modeſtéque orare, vt ſe metu, ac periculo liberent, & ſuis finibus excedant; quod illi ſalutatis perhumaniter fratribus non grauatè fecerunt. Nec minori [a] periculo Theſſalonicæ Berœæque perfuncti, Athenas nauigio peruenerunt; vbi multis cum Iudæis, ac Philoſophis Gentilibus vltrò, citróque agitatis, Paulus in Areopago perorauit, nec fruſtrà. quamuis enim nonnullorum irriſione exceptus, aliquot tamẽ tũ viros tũ fœminas, & quidem ordinis Senatorij, Chriſto Domino aggregauit. Mitto Corinthiacã, & Epheſinam commorationes ærumnarum, laborum, vigiliarúmque pleniſſimas. poſſum enim verbo affirmare pluribus itineribus non ſemel totum penè Orientem à Paulo fuiſſe luſtratum. Cùm igitur diuini verbi ſemina innumerabilibus penè in locis ſparſiſſet, pluréſque fundaſſet, atque inſtruiſſet Eccleſias, poſtremò Hieroſolymã venit, cúmque (vt dictum eſt) bienniũ totũ detétus eſſet in vinculis ad vitandas Iudæorũ calũnias, & iniquum Romani Præſidis præiudiciũ, ad Cæſarem prouocare coactus eſt; itaque vinctus longa, & periculoſa peregrinatione vſus Romam aliquando peruenit, ibique biennio in cuſtodia habitus, quinto Neronis anno ſolutus eſt. Neque verò ſibi quieſcendum ratus, varias regiones, ac gentes Euangelicis præceptis partim imbuit, partim confirmauit. Id Euſebius hũc in modum [b] deſcribit. *Fœlici ſucceſſit Feſtus, ſub cuius præfectura cùm Paulus ibi cauſam pro ſe egiſſet, vinctus Romam ducitur; & biennio Romæ in cuſtodia manſit, liber tamen ad prædicandum Euangelium, vt Lucas ait. Quo tempore librum de Actis Apoſtolicis finiuit, cùm vltra id temporis hiſtoriam non produxerit. Paulus verò cùm pro ſe in iudicio reſpondiſſet, traditum eſt eum ad Euangelium paſſim prædicandum ſe denuo recepiſſe.* Nec diſſimilia ſcribit Hieronymus [c]. *Poſt paſſionem* (ait) *Domini viceſimo quinto anno, id eſt, ſecundo Neronis, eo tempore, quo Feſtus procurator Iudææ ſucceſſit Fœlici, Paulus Romam vinctus mittitur, & biennium in libera manens cuſtodia aduerſus Iudæos de aduentu Chriſti quotidie diſputauit.* Nec dubium eſt, Paulum ab illis Neronianis vinculis liberum aliquando euaſiſſe, quod ipſe non ſemel ſuis in Epiſtolis prædixit. Etenim ad Philippenſes [d] hæc ſcripſit: *Permanere me in carne neceſſarium propter vos, & hoc confidens, ſcio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad profectum veſtrum, & gaudium fidei, vt gratulatio veſtra abundet in Ieſu Chriſto in me per meum aduentum iterum ad vos.* Et ad Philemonem: *Para mihi* (inquit) *hoſpitium. nam ſpero per orationes veſtras donari me vobis.* Et in fine Epiſtolæ ad Hebræos: *Cognoſcite fratrem noſtrum Timotheum, cum quo ſi celeriùs venerit, videbo vos. Salutant vos de Italia fratres.* Sed apertiſſima ſunt illa ad Timotheum [e]: *In prima mea defenſione nemo mihi affuit, ſed omnes me dereliquerunt. Non illis imputetur; Dominus autem mihi aſtitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes, & liberatus ſum de ore leonis.*

[a] Act. 17. 1. 6.
[b] lib. 2. hiſt. cap. 21.
[c] de ſcriptor. Eccl. in Paulo
[d] cap. 1. 22.
[e] Ep. 2. c. 4. 16

VI. CÆTERVM quoniam Euſebius vinculis ſolutum illum ait paſſim Euangelium prædicaſſe, quæritur à multis quáſnam in regiones abierit. Hieronymus enim tantùm ait, Euangelium Chriſti in occidentalibus quoque partibus prædicaſſe. Paulus autem locis indicatis ſe in Orientem rediturum pollicetur. Nec deſunt qui [a] contẽdant, Paulum in Macedoniam, & Achaiam rediſſe, eáque loca, in quibus Euangelium promulgauerat, rurſum perluſtraſſe; eóque putant pertinere verba illa, quæ ſunt in poſteriori Epiſtola [b] ad Timotheum: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum. Eraſtus remanſit Corinthi, Trophimum autem reliqui infirmum Mileti.* Hæc enim, quæ Paulus commemorat (vt conſtat ex narratione Lucæ) in Romana nauigatione non contigerunt. Et cùm ex ſententia Hieronymi ea Epiſtola ſcripta ſit anno tertiodecimo, vel quartodecimo Neronis, non eſt veri ſimile, penulam ante annos vndecim relictam à Paulo propediem morituro repeti, præterquàm quòd cætera coram Timotheo dicere potuiſſet, qui vnà ſecum Romæ fuerat. Quis autem credat, Trophimi ægritudinem tam fuiſſe diuturnam, vt ad annum vſque vndecimũ perdurarit? Itaque exiſtimant Paulum Roma iterum in Orientem profectum eſſe, & ſecundò Romam redeuntem in Troade reliquiſſe penulam, Eraſtum Corinthi, & Trophimum Mileti ægrum. Quæ ſi negem videri probabilia, amens ſim; ſi per tempus id Paulo licuiſſe dubitem, in hiſtoria planè videar peregrinari. conſtat enim octo ſuperfuiſſe annos vſque ad Pauli obitum, vt in Hiſpaniam, quod mox dicam, proficiſci, & rurſùs in Orientem redire facilè potuerit. Sed ſi Orientem Paulus poſt vincula reuiſit, Epheſum certè veniſſe nõ videtur; ita enim maiores natu Epheſinæ Eccleſiæ Mileti allocutus [c] eſt. *Et nunc ecce ego ſcio, quia ampliùs non videbitis faciem meam vos omnes, per quos tranſiui prædicans regnum Dei.* Sed de hac ſecunda Pauli profectione in Orientem viri docti vehementer ambigunt: quòd ſi eò profectus eſſet Apoſtolus, non præteriturus eſſet Epheſinam Eccleſiam, quam ſingulari quadam beneuolentia complectebatur. Sanè Chryſoſtomus, & Theophylactus dubitant, relictus ne fuerit Trophimus Mileti ægrotus, cùm Paulus primùm nauigauit in Iudæam, vel cùm Roma diſcedens, rurſùs in eas regiones migrauit. Sed quid ſentiendum ſit, ſuo loco dicemus; interim moneo, non eſſe illos audiendos, qui ne cogantur admittere, Paulum ſecundò in Orientem nauigaſſe pro Mileto Melitam ſubſtituendam putant, vt defendant in Romana nauigatione Trophimum à Paulo Melitæ fuiſſe relictũ: quaſi verò id fuiſſet Lucas ſilentio prætermiſſurus; nec Miletum pro Melita memoria lapſus poſuiſſet Apoſtolus; nec mendum facilè quiſquam admiſerit in tanta, & tam conſtanti Græcorum, ac Latinorum codicum fide. Certè in priori Aſiana nauigatione Trophimus æger Mileti remanere non potuit, qui cùm vnà cum Paulo Hieroſolymitanum templum ingreſſus eſſet, ingentes (vt ſcribit Lucas) turbas excitauit.

[a] Caiet. 2. ad Tim. 4.
[b] cap. 4. 13
[c] Act. 20. 25.

VII. VERVM de Hiſpanica profectione Pauli tametſi nonnulla ſuo loco dicturi ſumus, in præſentia tamẽ, cùm de Pauli peregrinationibus agimus, ea res paulò vberiùs explicanda videtur. Et quidem certum eſt, non iuiſſe Paulum in Hiſpaniam eo tempore, quo primùm cogitauerat. ita enim ad Romanos [d] ſcribit: *Cùm in Hiſpaniam proficiſci cœpero ſpero, quòd præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, ſi vobis*

[d] cap. 15. 24.

primum

premium ex parte fruitus fuero. Cùmque addidiſſet, ſe Hieroſolymam proficiſci, vt collectam eleemoſynam perferat, ſubdit: *Hoc igitur cùm conſummauero, & aſſignauero eis, fructum hunc, per vos proficiſcar in Hiſpaniam.* Certum autem eſt, longè aliud, quàm Paulus propoſuerat, eueniſſe; ſiquidem ille (vt dictum eſt) diu habitus in cuſtodia, demum vinctus Romam miſſus eſt ad Cæſarem. Sed quæſtio eſt, verùm poſtquàm vinculis ſolutus eſt, Hiſpaniam Euangelica doctrina imbuerit. Negant certè viri grauiſſimi. Gelaſius [a] Pontifex. *Beatus* (inquit) *Paulus non ideo feſelliſſe credendus eſt, aut ſibi contrarius extitiſſe, quod cùm ad Hiſpaniam iturum ſe promiſiſſet, diſpoſitione diuina maioribus occupatus cauſis, implere non potuit quod promiſit.* Gelaſium ſequitur D. Thomas [b], & qui [c] in eius verba iurarunt. Eidem ſententiæ non mediocriter fauet Innocentius [d], qui neminem ait, Apoſtolorum, excepto Petro, Hiſpanias, & alias occidentales prouincias docuiſſe. *Legant* (inquit) *ſi in iſtis prouinciis alius vllus Apoſtolorum inuenitur, aut legitur docuiſſe; quod ſi nuſquàm inuenitur, oportet eos id ſequi, quod Romana Eccleſia cuſtodit, à qua eos principium accepiſſe non dubium eſt, ne dum peregrinis aſſertionibus ſtudent, caput inſtitutionum videantur omittere.* Addunt alij ea, quæ paulò antè diximus de eius reditu in Orientem. cùm enim, vt oſtenſum eſt, ſuum in eas regiones reditum ſæpiùs pollicitus eſſet, ſimillimum vero videtur, vbi primùm vinculis ſolutus eſſet, eò nauigaſſe, atque adeo haud facilè potuiſſe in Hiſpaniam meare.

a xxij q. ij.
b ad Rom. 15.
c Sot. ibid.
d ep. ad Decent.

VIII. ATQVI altera ex parte antiquiſſimi, doctiſſimique viri hanc Pauli Hiſpaniēſem profectionem grauiſſimis verbis aſtruunt. Et primùm id aſſerit Hippolytus [e] nulla adhibita dubitatione; id ipſum his verbis affirmat Athanaſius [f]. cùm enim de Paulo ageret, *Studium* (inquit) *fuit ſancto viro vſque ad Illyricum Euangelium prædicare, & Romam ire, & in Hiſpanias aſcendere, vt pro grauiore labore maiore liberior frueretur mercede.* Nihilominus perſpicua, & aperta ſunt, quæ in eamdem ſententiam ſcribit Cyrillus [g] Hieroſolymitanus Epiſcopus. *Ab Hieroſolymis vſque ad Illyricum diſſeminauit Euangelium, qui regiam vſque vrbem inſtituebat, & in Hiſpaniam vſque promptitudinem prædicationis extendit.* Diſertè verò Epiphanius [h]: *Paulus* (inquit) *in Hiſpaniā profectus eſt.* Chryſoſtomus idem non ſemel docet; alicubi [i] namque, D *Poſtquam Romam* (ait) *ingreſſus eſt, ibi quoque quanta cum modeſtia annunciat veritatem? quanta etiam cum libertate obſtruit ora impiorum? Verùm nec ibi ſtare contentus etiam in Hiſpaniam percurrit* [k]. Alibi: *Videas eum ab Hieroſolymis ad Hiſpanias vſque currentem. nam cùm Romæ biennium exegiſſet vinculis, tandem dimiſſus eſt, deinde in Hiſpaniam profectus inuiſit illic Iudæos quoque.* Theodoretus [l]: *Acinam nos* (ait) *docet hiſtoria, quod biennio Apoſtolus manſit in ſuo conductu: cùm autem liberatus illinc profectus eſſet in Hiſpaniam, & illis etiam diuinum Euangelium tradidiſſet, reuerſus eſt Romam, & tunc capite truncatus eſt.* Alio [m] loco: *Quando Paulus appellatione vſus Romam à Feſto miſſus, defenſione audita, fuit abſolutus, & in Hiſpaniam profectus eſt, & ad alias gentes excurrens doctrinæ lucem attulit.* Denique [n] Paulum ait, *in Italiam, & in Hiſpaniam perueniſſe, & Inſulis quoque in mare iacentibus vtilitatem attuliſſe.* His addo Græcorum [o] Menologium, in quo Xanthippe, & Polyxena à Paulo in Hiſpania ad fidem traductæ commemorantur. Græcorum agmen claudet Sophronius [p] Epiſcopus Hieroſolymitanus, qui Hiſpanicam Pauli profectionem apertè affirmat.

e in Libel. de 72. Officin.
f ep. ad Drac.
g Catech. 17.
h Hæreſ. 27.
i Homil. 7 de laudib. Paul.
k Hom. 78. in Matth.
l ad Philip. 1.
m 2. ad Tim. vlt.
n in Pſ. 116.
o Die 23. Septemb.
p in Serm de Nat Apoſt.
q lib. aduerſ. Eluidium, ad Eph. 3. & Qui eius nomen præfert ad Rom 15.

IX. IAM inter Latinos Hieronymus, qui aliquando [q] viſus eſt hac de re dubitare, ita perſpicuè illam pluribus locis aſtruit, vt nullum relinquat dubitandi locum. In Commentariis enim in Amos [a] Prophetam ita planè ſcribit: *Paulus Apoſtolus vocatus à Domino effuſus eſt ſuper faciem vniuerſæ terræ, vt prædicaret Euangelium a Hieruſalem vſque ad Illyricum, & ædificaret non ſuper alterius fundamentum, vbi iam fuerat prædicatum, ſed vſque ad Hiſpanias tenderet, & a mari Auſtro, immò ab Oceano, vſque ad Oceanum curreret, imitans vtique Dominum Deum ſuum, & ſolem iuſtitiæ de quo legimus* [b], *A ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius: & ante Paulum terra deficeret, quàm ſtudium prædicandi Euangelium.* Rurſus [c] alibi cùm de Paulo Apoſtolo ageret. *In Hiſpaniam* (inquit) *portatus eſt nauibus.* Iam verò Gregorius [d] Pontifex: *Ecce ipſe* (ait) *quem ad teſtimonium iam ſæpe deduximus, Paulus cum nunc Iudæam, nunc Corinthum, nunc Epheſum, nunc Romam, nunc Hiſpanias peteret, vt in peccati morte iacentibus æternæ vitæ gratiam nunciaret; quid ſe aliud quàm eſſe aquilam demonſtrabat?* Sic etiam Anſelmus [e]: *Nec falſum* (inquit) *loquitur Paulus, qui ſe in Hiſpaniam profecturum pollicetur profectus eſt enim ſicut Hieronymus, & Beda, cæterique doctores teſtantur: vnde & Narbonam præteriens quemdam diſcipulum ſuum nomine Paulum fertur ibi reliquiſſe Epiſcopum. Peruenit igitur vſque ad Hiſpanias, & a mari rubro vſque ad Oceanum prædicando cucurrit, imitans ſolis curſum ab oriente vſque ad occaſum, vt antè terra deficeret, quam ſtudium prædicandi. Quia ergo apud Hiſpanos pſeudoapoſtolos præuenire feſtinabat; ideo dixit; Cùm in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero, quod videam vos.* His addo Iſidorum [f], Bedam [g], Adonem [h] Viennenſem, & recentiores [i] plurimos.

a cap 1.
b Pſal. 18 7.
c Iſa. 12.
d lib. 31. Mor. cap. 32.
e ad Rom. 15. 28.
f de Vita, & obitu ſanct. cap. 71.
g in ſuo Martyrol. & in Acta Apoſt. c. vlt.
h in Chron. ann. 56.
i Abulenſ. in Gen. c. 12. qui multos laudat.

X. AT Gelaſij Romani Pontificis grauiſſima eſt auctoritas, omnino maxima, cui refragari nefas ſit, ſi tanquàm rem certam Catholica fide credēdam definiat, omnibúſque proponat. At ille id vnum ſignificat, Paulum non eſſe mentitum, qui ſe aliquando iturum in Hiſpaniam pollicitus ſit, cùm tamen illo ipſo tempore impeditus id omnino præſtare nequiuerit. Neque enim is mentiri cenſendus eſt, qui rem aliquam verè, atque ex animo promittit, ſi deinde fidem ſuam liberare nouo aliquo euentu prohibeatur. Nec ſanè Gelaſius quidquam præterea voluit, & ad eam rem veram, ac certam Pauli exemplum affert, cùm quiduis potius ageret, quàm vt de eius Hiſpanienſi profectione diſputaret. De Innocentio maior videtur dubitatio; quæ tamen, ſi Pontificis verba paulò diligentiùs expendantur, facilè expedietur. reprehendit enim eos, qui ab antiquis Romanæ Eccleſiæ traditionibus, receptiſque conſuetudinibus recedunt, cùm tamen illa ab Apoſtolo Petro & fundata, & inſtituta ſit, cæterarúmque omnium occidentalium Eccleſiarum magiſtra iure optimo cenſeatur. Sic autem ſcribit: *Quis enim neſciat, aut non aduertat id, quod à Principe Apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, ac nunc vſque cuſtoditur ab omnibus, debere ſeruari, nec ſuperinduci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliūde accipere videatur exemplum? præſertim cùm ſit manifeſtum in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, Inſuláſque interiacentes nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerint ſacerdotes. Aut legant, ſi in his prouinciis alius Apoſtolorum inuenitur, aut legitur docuiſſe, quod ſi nō legunt, quia nuſquam inueniunt, oportet eos hoc ſequi, quod Eccleſia Romana cuſtodit, a qua eos principium accepiſſe non dubium eſt, ne dum peregrinis aſſertionibus ſtudent, caput inſtitutionum videantur omittere.* Cùm igitur Pontifex Petrum nominat tamquàm Romanæ Eccleſiæ

inſtitutorem, profectò Paulum non excludit, qui (vt ait Leo Pontifex) æquè eam Eeeleſiam erudiuit. nam cùm de vtroque Apoſtolo luculeotam orationem haberet [a]: *Iſti enim* (inquit) *ſunt viri, per quos tibi Euangelium Chriſti, Roma, reſplenduit; & quæ eras Magiſtra erroris, facta es diſcipula veritatis. Iſti ſunt Patres tui, verique paſtores, qui te regnis cœleſtibus inſerendam multo melius, multóque fælicius condiderunt, quàm illi, quorum ſtudio prima mœnium ſuorum fundamenta locata ſunt. Ex quibus is, qui tibi nomen dedit, fraterna te cæde fœdauit. Iſti ſunt, qui ad hanc gloriam prouexerunt, vt gens ſancta, populus electus, ciuitas ſacerdotalis, & regia per ſacram beati Petri ſedem caput orbis effecta latius præſideres religione diuina, quàm dominatione terrena.* Quæ cùm veriſſimè à ſanctiſſimo, doctiſſimóque Pontifice dicta ſint, fateri neceſſe eſt à Leonis ſententia Innocentij verba non diſſidere, atque adeo Petrum Romanæ Eccleſiæ inſtitutorem ita aſſerere, vt Paulus non excludatur. Accedit quòd ille non tam de docendi munere, quàm de fundandis erigendiſque Eccleſiis diſſerit. Re namque vera omnes fermè occidentales Eccleſiæ à Petro, eiúſque diſcipulis fundatæ ſunt. Facilè autem conceſſerim Paulum in Hiſpania nullas fundaſſe Eccleſias, ſiue quòd breuiſſimo tempore iis in regionibus moratus ſit, ſiue quòd ſpei, atque expectationi ſuæ fructus minimè reſponderit. Denique (quod de Gelaſio diximus) noo eſt illa pontificia definitio, ſed priuati hominis ſententia, cui in re præſertim hiſtorica tot ſcriptorum conſenſus meritò præfertur.

- a Serm. 1. de Nat. Apoſt.

Porrò D. Thomas Gelaſium ſecutus nulla in re perueſtiganda adhibita diligentia non poteſt quamuis eximia alioqui auctoritate vniuerſæ antiquitati præiudicare. Qui autem ab illo profecti ſunt, quíque ab eius ſententia ſibi numquàm recedendum putant, vt ſunt ad pronunciandum proiecti, ita multa in hiſtoria peccant. aiunt enim, non potuiſſe Paulum ire in Hiſpaniam antequàm Romam veniret, ſiquidem à Iudæis accuſatus diu habitus eſt in cuſtodia, & demum vinctus Romam miſſus; vbi biennio in libera cuſtodia fuit, & mox capite truncatus, martyrium obiuit. Sed non animaduertunt homines arguti, biennio exacto, liberom, atque abſolutum Paulum fuiſſe dimiſſum, ſuperſtitémque fuiſſe annos ampliùs octo, vt benè longam peregrinationem ſuſcipere, ac perficere potuerit. At (inquiunt) hanc tam inſignem profectionem Lucas minimè præteriſſet. ridiculi! nec enim animaduertunt (quod inter cæteros monet Hieronymus) hiſtoriam Locæ biennium, quo Paulus Romæ detentus eſt in cuſtodia, non excedere. Cùm verò negant, vllum eſſe ſcriptorem, qui hanc Hiſpanienſem peregrinaoonem Pauli cõmemoret, ſatis indicant quàm ſint in veterum auctorum lectione verſati.

Non eſt itaque dubium potuiſſe Paulum Romanis vinculis ſolutum & in Orientem redire, & in Hiſpaniam nauigare. Sed quoniam quæ ab eo tempore geſta ſunt à Paulo, nemo ſcriptis mandauit; nõ eſt facile diuinare, vtrùm priùs Orientem luſtrarit, an abierit in Hiſpaniam. Certè ipſe ad Philippenſes, ad Philemonem, & ad Hebræos ſcribens, ſe proximè in Orientem rediturum ſignificat. Sed quoniã Hiſpaniam multò antè cogitauerat, & quia faciliùs ex vrbe eò peruenturus erat, & quos laodani auctores hoc potius indicant, longè credibilius eſt, priùs nauigaſſe Paolũ in Hiſpaniam, deinde aliqoot Orientis Eccleſias luſtraſſe. Atqoe hæc quidem paulo vberiùs diſputanda viſa ſunt, quæ deinde ſuo loco breuiùs perſtringentur.

* * *

Pauli adulterina ſcripta refelluntur.

Cap. VI.

I. De Pauli legitimis Epiſtolis, déque iis, quæ eius nomioe circumferuntur ad Senecam, ſuperiori diſputatione dictum eſt ſatis: in præſentia pauca quædam deinde dicenda ſunt de nothis quibuſdam libris, qui Pauli nomine falsò inſcribuntur, vel de eo inania quædam, & fabuloſa commemorant. Ac primùm quidem auctor eſt Hieronymus [a], librum quemdam fuiſſe euulgatum, quem Periodos Pauli & Theclæ auctor inſcripſerat, quem fabularum fuiſſe pleoum, indicat his verbis Hieronymus: *Igitur vepiod us Pauli & Theclæ, & totam baptizati Leonis fabulam inter apocryphas ſcripturas computamus. Quale enim eſt, vt indiuiduus comes Apoſtoli inter cæteras eius res hoc ſolum ignorauerit? Sed & Tertullianus vicinus eorum temporum refert presbyterum quemdam in Aſia, σπουδαστὴν Apoſtoli Pauli conuictum à Ioanne, quòd auctor eſſet libri, & cõfeſſum ſe hoc Pauli amore feciſſe, & ob id loco excidiſſe.* Idem etiam [b] alibi ſignificat. Sed Gelaſius [c] meritò damnat Pauli Euangelium, & Apocalypſim. nam quia Paulus ſuum nonnumquam Euangelium oominat, plerique vt ait Hieronymus [d], *ſuſpicantur de Luca ſignificare volumine.* Contrà alij pſeudoeuangelium nomine Pauli ediderunt; & quia non ſemel [e] ſuas reuelatiooes indicat, editus eſt etiã Pauli nomine Apocalypſis; qui quidem liber (vt ſcribit Sozomenus [f]) imperante Theodoſio, neſcio vnde in lucem prodiit: ſed quòd hæreticorum fabulas contineret, meritò ſempiterna obliuione obrutus, ac ſepultus eſt. Porrò Epiphanius [g] auctor eſt Gnoſticos vſos eſſe libro quodam à Caianis hæreticis cõficto, qui Pauli aſcenſus inſcribebatur. Spectaſſe enim videtur auctor, quod Apoſtolus alicubi affirmat, ſe ad tertium vſque cœlum euectum in paradiſum vſque penetraſſe, audiſséque verba, quæ non licet homini loqui. Quin etiam Origenes [h] memorat, habitos fuiſſe olim in manibus Commentarios rerum à Paulo geſtarum, qui ACTA PAVLI inſcriberentur, quaſi Paulus, vt olim Caius Cæſar ea, quæ à ſe quotidie gererentur, ſcriptis mandarit; vel alius quiſpiam Lucam imitatus id ſibi laboris ſumpſerit. Iam verò præter Epiſtolam ad Laodicenſes, de qua ſuperiori diſputatione diximus, confinxerant quidam noioine Pauli tertiam ad Corinthios, & tertiam item ad Theſſalonicenſes; verùm hæc omnia ficta fuiſſe, & pſeudographa, ipſa etiam antiquitas agnouit, quæ hæc omnia ſempiterna quadam obliuione deleuit. Ac de Eccleſia quidem Catholica nihil attinet dicere, quæ nunquã niſi quatuor Euangelia probauit. Nec mirũ hæc volumina falsò fuiſſe Paulo afficta, cùm multa olim ab hæreticis fictis auctorũ nominibus cõſcripta ſint, & in vulgus edita, vt imperitis, ac rudibus mentita magnorum virorũ auctoritate faciliùs imponerent, ſuóſque errores in fidelium animos inſtillarent; ſed facilè à Catholicis cogniti repudiati ſunt. Et quidem plurimos alios libros Apoſtolorum nomine inſcriptos ſemper reiecit Eccleſia. nam de Petro quidem ita ſcribit Hieronymus [i]: *Libri autem, è quibus vnus Actorum eius inſcribitur, alius Euangelij, tertius Prædicationis, quartus Apocalypſeos, quintus Iudicij, inter apocryphas ſcripturas reputantur.* Eoſdem libros recẽſet Euſebius [k]. Clemens [l] tamen Alexandrinus, & poſt eum Origenes [m], fragmẽta quædam ex prædicatione & Apocalypſi Petri recitant. Et, quod magis mirandum eſt, auctor eſt Sozomenes [n], in quibuſdam Palæſtinæ Eccleſiis legi quædam conſueuiſſe ex Apocalypſi Petri. Euangelium verò Petri Serapion Antiochenus Epiſcopus (vt ſcribit Euſebius [o]) omniũ primus tamquam

- a de Script. Eccle. in Luc.
- b lib. 1. cont. Iouin.
- c d. 15. c. ſancta Romana.
- d de Script. Eccle. in Luc.
- e 2. ad Cor. 12. & ad Gal. 1.
- f lib. 7. c. 19.
- g Hær. aduerſus Gnoſticos.
- h Tom. 27. in Ioan.
- i de Script. Eccl. in Petr.
- k lib. 3. hiſt. cap. 3.
- l lib. 6. ſtrom.
- m in Ioan. ca. 13. apud Euſeb. lib. 5. hiſt. cap. 12.
- n lib. 7. hiſt. cap. 19.
- o lib. 5. hiſt. cap. 10.

tamquam hæretica labe aſperſum damnauit. Petri verò Iudicium exiſtimauit Ruffinus eumdem eſſe librum cum eo, qui inſcribitur *Paſtoris*, de quo alibi nonnulla dicenda erunt. Librum autem, cui inſcriptio erat: Doctrina Petri, Origenes ª apertè reiicit. Ioanni ſanè à Cherintho reuelationes quaſdã fuiſſe aſſictas, auctor eſt Caius ᵇ. Auguſtinus ᶜ verò teſtis eſt, libellum de Tranſitu Virginis Ioannis nomine produiſſe in vulgus. Andreæ Euangelium reiicit Gelaſius ᵈ, Euangelium Thomæ Athanaſius ᵉ, Apocalypſim, & pſeudoeuangelium Thomæ, itémque Euangelium Bartholomæi repudiat Gelaſius ᶠ; quamquàm Dionyſius ᵍ Bartholomæi ſententiam quandam laudat, ſed ignoratur vnde ea ſumpta ſit. Circumferebatur etiam Iacobi Alphæi pſeudoeuangelium à Gelaſio reiectum, qui etiam damnat libellũ, qui inſcribitur, Infantia Saluatoris nomine Matthæi: cùm tamen, vt ait Irenæus ʰ, à Valentinianis hæreticis conſcriptus credatur, nec Gelaſio probetur. Gnoſtici (vt ait Epiphanius ⁱ) Philippi pſeudoeuangelio vtebantur; itémque altero Thaddæi, quod vtrumque reſpuit Gelaſius. Meminit Origenes ᵏ pſeudoeuangelij Matthiæ, cuius etiam mentionem faciunt Euſebius ˡ, & Clemens ᵐ Alexandrinus. Quinetiam iidem Clemens ⁿ, & Euſebius ᵒ Matthiæ tribuunt traditiones quaſdam. Barnabæ Euangeliũ, itémque Euangelium Ægyptiorum, & reuelationes Stephani repudiat Gelaſius. Ægyptiorum verò Euãgelio vtebantur Valentiniani, vt ſcribit Clemens ᵖ; & Sabelliani, vt monet Epiphanius ᵠ, qui præterea ʳ docet, Gnoſticos confinxiſſe librum de ſtirpe Mariæ [illegible] mendaciis refertũ: ſed, quod longè admirabilius eſt, Caiani hæretici (vt Epiphanius ˢ, & Theodoretus ᵗ ſcribunt) nomine Iudæ proditoris, quem magnopere laudabant, pſeudoeuangeliũ ediderunt: quinetiam nomine omnium Apoſtolorum extabat hæreticorum opera liber, cuius titulus erat; Doctrina Apoſtolorum; quem damnat Athanaſius. Duo item volumina proſcribit Gelaſius, quorum alterum *Sortes Apoſtolorum*, alterum *Laus Apoſtolorũ* inſcribebatur, quæ Cherinthianorum, Ebionitarum, Valentinianorum, Gnoſticorum, ac præcipuè Manichæorum opera prodierant in lucem. Et de Manichæis quidem id affirmat Cyrillus ᵘ Hieroſolymitanus: quin etiam Leo ˣ Manichæos his verbis perſtringit. *Illi, de quibus loquimur, aduerſarij veritatis legem per Moſem datam, & inſpirata diuinitus Prophetarum oracula reſpuerunt, ipſáſque Euangelicas, & Apoſtolicas paginas quædam auferendo, & quædam inſerendo violauerunt, confingentes ſibi ſub Apoſtolorum nominibus, & ſub verbis ipſius Saluatoris multa volumina falſitatis, quibus erroris ſui commenta munirent, & decipiendorum mentibus mortiferum virus infunderent.* Idémque alibi ʸ de hæreticorum aſtutia, & calliditate hunc in modum ſcribit: *Et nos iſtud veracium teſtium relatione comperimus, & multos corruptiſſimos eorum codices, qui canonici titulantur inuenimus. Quomodo enim decipere ſimplices poſſent, niſi venenata pocula quodam melle prælinirent, ne vſquequaque ſentirentur inſuaua, quæ eſſent futura mortifera? Curandum ergo eſt, & ſacerdotali diligentia maximè prouidendum, vt falſati codices, & à ſincera veritate diſcordes in nullo vſu lectionis habeantur. Apocrypha autem ſcriptura, quæ ſub nominibus Apoſtolorum multarum habent ſeminarium falſitatum, non ſolùm interdicendæ, ſed etiam penitus auferendæ ſunt, atque ignibus concremandæ. Quamuis enim ſint in illis quædam, quæ videantur ſpeciem habere pietatis, numquàm tamen vacua ſunt venenis, & per fabularum illecebras hoc latenter operantur, vt mirabilium narratione ſeductos laqueis cuiuſcumque erroris inuoluant. Vnde ſi quis Epiſcoporum vel apocrypha haberi per domos non prohibuerit, vel ſub canonicorum nomine eos codices in Eccleſia permiſerit legi, qui Priſcilliani adulterina ſunt emendatione corrupti, hæreticum ſe nouerit iudicandum: quoniam qui alium ab errore non reuocat, ſe ipſum errare demonſtrat.* In eodem genere collocantur Iſaiæ Aſcenſio, & Eliæ Apocalypſis, de quibus hæc ſcribit Hieronymus ᶻ: *Apocryphorum deliramenta conticeant, quæ ex occaſione huius teſtimonij ingeruntur Eccleſiis Chriſti, de quibus verè dici poteſt, quod ſedeat diabolus in inſidiis cum diuitibus in apocryphis, vt interficiat innocentem.* Et rurſus: *Inſidiatur in apocrypha, quaſi leo in ſpelunca ſua; inſidiatur vt rapiat pauperem. Aſcenſio enim Iſaiæ, & Apocalypſis Eliæ hoc habent teſtimonium, vt per hanc occaſionem, multáque huiuſcemodi Hiſpanarum, & Luſitaniæ decepta ſunt mulierculæ oneratæ peccatis, quæ ducuntur deſideriis variis, ſemper addiſcentes, & numquam ad ſcientiam veritatis peruenientes, vt Baſilidis, Balſami, atque Theſauri, Barbelonis quoque, & Leuſiboræ, ac reliquorum nominum portenta ſuſciperent.*

ª lib. Periar.
ᵇ in Dial. diſput.
ᶜ Serm. 25. de ſanct.
ᵈ Sanctâ Romana d. 15.
ᵉ in Synop.
ᶠ loco iadic.
ᵍ de Myſtica theologia.
ʰ lib. 1. c. 7.
ⁱ Hær. 26.
ᵏ Hom. 1. in Luc.
ˡ lib. 3. hiſt. cap. 25.
ᵐ li. 7 ſtrom.
ⁿ lib. 2. & 3. ſtrom.
ᵒ lib. 3. hiſt. cap. 29.
ᵖ lib. 4. ſtrom.
[illegible]
ˢ [illegible]
ᵗ [illegible] hæ. fabul.
ᵘ Catech. 6. illumin.
ˣ Serm. 4. de Epiphan.
ʸ ep. 91. c. 15.
ᶻ in Iſa. c. 64.

SED quid miramur, Apoſtolorum nomine falſa edita eſſe volumina, cùm ſiue hæretici, ſiue Gentiles ne Chriſto quidem Domino pepercerint? Etenim Chriſti nomine librum de magia ad Petrum, & Paulum Apoſtolos inſcriptum fuiſſe teſtatur Auguſtinus ᵇ. *Ita* (inquit) *iſti deſipiunt, vt in illis libris, quos eum ſcripſiſſe exiſtimant, dicant contineri eas artes, quibus eum putant illa feciſſe miracula, quorum fama vbique percrebuit. quod exiſtimando ſe ipſos produnt quid diligant, & quid affectent; quandoquidem Chriſtum propterea ſapientiſſimum putant fuiſſe, quia neſcio quæ illicita nouerat, quæ non ſolùm diſciplina Chriſtiana, ſed ipſa terrenæ reipublicæ adminiſtratio iure condemnat. Et certè qui tales Chriſti libros legiſſe ſe affirmant, cur ipſi nulla talia faciunt, qualia illum de libris talibus feciſſe mirantur? Quid quod etiam diuino iudicio ſic errant quidam eorum, qui talia Chriſtum ſcripſiſſe vel credunt, vel credi volunt, vt eoſdem libros ad Petrum, & Paulum dicant, tamquam Epiſtolari titulo prænotatos? Et fieri poteſt, vt ſiue inimici nominis Chriſti, ſiue qui euiuſmodi execrabilibus artibus de tam glorioſo nomine pondus auctoritatis dare ſe poſſe putauerunt, talia ſub Chriſti, & Apoſtolorum nomine ſcripſerint, in qua fallaciſſima audacia ſic excæcati ſunt, vt etiam à pueris, qui adhuc pueriliter in gradu lectorum Chriſtianas literas norunt, meritò rideantur. Cùm enim vellent tale aliquid fingere, Chriſtum ſcripſiſſe ad diſcipulos ſuos, cogitauerunt ad quos potiſſimùm ſcribere potuiſſe facilè crederetur, tamquam ad illos, qui ei familiariùs adhæſiſſent, quibus illud quaſi ſecretum dignè committeretur, & occurrit eis Petrus, & Paulus. Credo quòd pluribus locis ſimul eos cum illo pictos viderunt, quia merita Petri, & Pauli etiam propter eumdem paſſionis diem celeberrimum ſolemniter Roma commendat. Sic omnino errare meruerunt, qui Chriſtum, & Apoſtolos eius non in ſanctis codicibus, ſed in pictis parietibus quæſierunt. Nec mirum ſi à pingentibus fingentes decepti ſunt. toto enim tempore, quo Chriſtus in carne mortali cum ſuis diſcipulis vixit, nondum erat Paulus diſcipulus eius, quem poſt paſſionem ſuam, poſt reſurrectionem, poſt aſcenſionem, poſt miſſum de cælo Spiritum ſanctum, poſt multorum Iudæorum conuerſionem, & mirabilem fidem, poſt lapidationem Stephani diaconi, & martyris, cùm adhuc Saulus appellaretur, & eos, qui in Chriſtum crediderant, grauiter perſequeretur, de cælo vocauit, & ſuum diſcipulum, & Apoſtolum fecit. Quomodo igitur potuit libros, quos antequàm moreretur, eum ſcripſiſſe putari volunt ad diſcipulos, tanquàm ad familiariſſimos Petrum, & Paulum ſcribere, cùm Paulus nondum fuerit diſcipulus eius?* Quæ cùm ita ſint, nil mirum, ſi II.

ᵇ lib. 1. de conſ. Euang. cap. 9. 10.

etiam nomine Pauli falsò quædam prodierint in lucem, quæ proculdubio eâdem cenſura digna habenda ſunt. ea enim tantummodò legitima Pauli ſcripta Apoſtolica grauitate, atque auctoritate digna cenſentur, quæ ſuperiori diſputatione probata ſunt.

Pauli mors.

CAP. VII.

I. TAMETSI de iis, quæ à Paulo geſta ſunt poſtquàm vinculis ſolutus eſt, vix quidquam certi traditur ab hiſtoriis; neceſſariò tamen fatendum eſt, eum rediſſe Romam, quandoquidem certum eſt (vt omnis tradit antiquitas) eum vnà cum Petro Neroniana ſæuitia extremo fuiſſe affectum ſupplicio.
B Sed de eius interitus cauſa non eadem eſt omnium ſententia. etenim Clemens [a] Romanus, Arnobius [b], Hegeſippus [c], Ambroſius [d], Maximus [e], cauſam, cur iuſſi ſint Apoſtoli de medio tolli, referunt ad illuſtrem illum cum Simone Mago congreſſum. Cùm enim ſceleſtus ille magicis artibus ſeſe per aëra in cœlum aſcenſurum, & pollicitus eſſet, & re ipſa iam præſtare cœpiſſet, Petri verò votis, ac precibus de ſublimi deiectus, atque ad terram miſerè alliſus, pedibúſque confractis, qui volare cœperat, ne ingredi quidem poſſet; adeo ea res Neronem in Apoſtolos concitauit, vt vtrumque capitis damnauerit. At verò Chryſoſtomus [f], & Theophylactus [g] pincernam Neronis ei ſupra cæteros cariſſimum Pauli opera Christo aggregatum ferunt; quamobrem ita æſtuans Nero Apoſtolum capite plecti iuſſit.
C At Simeon [h] Metaphraſtes Apoſtolum ob id à Nerone necatum memorat, quòd eius pellicem ab impia idolorum ſuperſtitione, impuráque libidine abductam ad Chriſti fidem, ac Religionem traduxiſſe; & antiquum quemdam Theologum Caium laudat, & Zephyrinum Pontificem, ac Dionyſiū Corinthiorū Epiſcopum, qui Paulum capitalem ſubiiſſe ſententiam putant, quòd fœminas Romanas ad meliorem frugem, præcipuéque ad caſtitatis, & pudicitiæ cultum tranſtuliſſet. Quod ipſum inſinuat Ambroſius [i]. Etenim Suetonius, Tacitus, Dio, & cæteri, qui res à Nerone geſtas conſcripſerunt, eum aiunt, nimia quadam petulantia, & effrænata libidine in nobiliſſimas quaſque matronas debacchari ſolitum.
D At Seuerus [k] Sulpitius ſequutus (vt arbitror) Cornelium Tacitum eiuſdem propemodum verbis hanc affert cauſam. *Abundante* (inquit) *Roma Chriſtianorum multitudine accidit, vt Roma incendio conflagraret, Nerone apud Antium conſiſtente: Sed opinio omnium inuidia incendij in Principem retorquebat, credebaturque Nero gloriam innouandæ Vrbis quæſiſſe, neque villa re Nero efficiebat, quin ab eo iuſſum putaretur incendium. Vertit igitur ille in Chriſtianos inuidiam, actaq; in innoxios crudeliſſima quæſtiones, & noua mortis rationes excogitatæ, vt ferarum tergis contecti laniatu canum interirent. Multi etiam crucibus affixi, aut flamma vſti, pleriqne in id reſeruati, vt cùm defeciſſet dies in vſum nocturni luminis vrerentur. Tunc Paulus, & Petrus condemnati, illi ceruix gladio deſecta, hic in crucem ſublatus eſt.*
E Nec dubium eſt ita exiſtimaſſe Cornelium, qui hac de re hunc in modum ſcribit [l]: *Sed non ope humana, non largitionibus Principis, non Deûm placamentis decedebat infamia, quin iuſſum incendium crederetur. ergo abolendo rumori Nero ſubdidit reos, & quæſitiſſimis pœnis affecit, quos per flagitia inuiſos vulgus Chriſtianos appellabat.* Et mox eadem propè ſubdit, quæ Sulpitius mutuatus eſt: ſed, vt hinc potiſſimùm eruidiar, quæ de Vrbis incendio, imperante Nerone ſcripſit Cornelius, cùm ea anno Neronis decimo contigerint, haud rectè ad Apoſtolorum

[Margin, left column:]
a li. 6 Conſt. cap. 9
b lib. 2 aduer. gent.
c lib. 3. c. 2.
d de traden. Baſilic.
e ſerm. de Nat. Apoſt.
f g 2. ad Tim. 4.
h Apud Surii die 29. Iunij.
i de traden. Baſilic.
k lib. 2. ſacra hiſt.
l Anal. li 15.

A martyrium transferuntur, qui non niſi tertiodecimo eiuſdem Neronis anno, vel etiam (vt alij volunt) quatuordecimo iuſſi ſunt occidi; niſi fortè quis dicat, iam tum Neronem in Chriſtianos ſæuire cœpiſſe, eadémque ſæuitia ad extremum vſque ſui imperij multos peremiſſe, atque inter cæteros Apoſtolorum Principes Petrum, & Paulum. Cauſam igitur proximam Apoſtolorum necis, vel caſum Simonis, vel vnam aliquã ex aliis paulò antè enumeratis probare neceſſe eſt, vel ipſam Neronis immanitatem, vt indicat Tertullianus.

II. QVÒ D ſi de tempore quis ambigat, eorum proculdubio probabiliſſima ſententia videtur, qui Paulum tertiodecimo Neronis anno extremum clauſiſſe diem aſſitmat. nam cùm certum videatur vtrumque
B Apoſtolum nono, & viceſimo die Iunij obiiſſe; conſtet autem Neronem ipſo ſui imperij anno quatrodecimo octauo eius anni menſe decimo die Iunij vita exceſſiſſe, non potuit (quod Euſebius [a], Hieronymus [b], Beda [c], aliíque non pauci exiſtimarunt) die viceſima nona eiuſdem menſis Apoſtolos necare, qui iam vita functus erat. Nec facilè admitti poteſt, quod alicubi [d] ſcribit Epiphanius, qui Pauli martyrium duodecimo Neronis anno aſſignat, cæteris penè omnibus reclamantibus. Atque ita neceſſe eſt, obiiſſe Paulum anno à Chriſto nato ſexageſimo nono, ab eius nece trigeſimo ſexto, non autem trigeſimo octauo, vt exiſtimauit Beda [e], nec quadrageſimo, vt alicubi [f] ſcripſit D. Thomas; denique trigeſimo quarto à ſua conuerſione: vt ſi verum ſit (quod
C ait Chryſoſtomus [g]) eum vita ceſſiſſe annis natum octo ſupra ſexaginta, fateri oporteat eum Chriſto nomen dediſſe annorum circiter quatuor, & triginta, vt paulò antè indicauimus.

III. NEC dubium eſt, eodem die Petrum, & Paulum, eodémque anno obiiſſe, quanquàm Prudentius [h], & Auguſtinus [i] Paulum, aiunt, anno vno poſt Petrum, eodem tamen anniuerſario die martyrio fuiſſe perfunctos; quod etiam ſentiunt Aratus [k], & Metaphraſtes [l]. Sed antiquiſſima Eccleſiæ traditio plurimorum veterum ſcriptorum [m] auctoritate firmata, eodem illos anno, eodémque die ad ſuperos euolaſſe teſtatur.

IIII. Cæterùm Ambroſius [n] narrat, Petrum ſuadentibus Chriſtianis ad euadendum mortis periculum vr-
D be exceſſiſſe, ſed obuiam habuiſſe Chriſtum, qui ſe diceret vrbem ingredi, vt iterum crucem ſubiret. quod Petrus ad ſe ipſum trahens in vrbem regreſſus conſtantiſſimè pro Chriſti nomine cruci ſuffixus eſt. Quæ etiam narrantur à Lino (quanquàm eius ſcripta hæreticorum labe videntur aſperſa, quod etiam de quibuſdam actis Andreæ queritur Auguſtinus [o]) Eadem hiſtoria paucis mutatis legitur in Actis [p] ſanctorum martyrum Proceſſi, ac Martiniani; & apud Hegeſippum [q], & B. Gregorium [r]. Idipſum contigiſſe Paulo eadem Proceſſi, & Martiniani acta tradunt, firmátque Origenes [ſ] ex apocryphis Pauli actis. Sic enim ait: *Quòd ſi cui placet admittere quod in Actis Pauli ſcriptum eſt, tamquam à Saluatore dictum, denuo debeo crucifigi.* Cæterùm
E cùm more Romano capitis damnati virgis primùm cæderentur, de Petro quòd peregrinus, & ignobilis haberetur, nulla eſt dubitandi ratio; de Paulo quippe ciue Romano meritò quis ambigat, quòd L. Valeria, ac Portia ciues Romanos verberare nefas eſſet; ſed cùm L. duodecim tabularum, itémque L. ſacra, qui immane facinus perpetraſſent, centuriatis comitiis damnati, & verberibus afficiendi, & capite plectendi eſſent; id in Paulo retentum nemo inficiabitur, cùm præſertim Romæ in Æde ſanctæ Mariæ trans pontem in honore habeantur columnæ, qui

[Margin, right column:]
a In Chron.
b de ſcriptor. Ecc in Paulo.
c Act. vlt.
d Hær. 27.
e In Acta Apoſt. cap. 13.
f ad Galat. 2.
g In Encom. Apoſt.
h In carm de feſto Apoſt.
i Serm. 4. de feſto horum Apoſt.
k in acta Apoſt. lib. 2.
l Apud Sur. die 29. Iunij.
m Caius, Zephirinus, Dionyſius Corinth locis cita.
n Eus. Euſeb in Chro. Epiph. hær. 27. Hieron. de ſcript. Eccl. Maxim. ſerm. de SS. Apoſt Caſſiodor. in Chronic.
n de tradendis Baſilic.
o de fide cōt. Manich.
p Apud Sur. tom. 3. die 2. Iulij.
q li. 3. de excid. Ieroſoly. cap. 2.
r in Pſ. 4. Pœniten.
ſ in Ioann. tom. 27.

quibus Apoſtoli alligati virgis cæſi dicuntur.

V. IAM verò Paulum via Oſtienſi ad aquas Saluias ceruicem pro Chriſto carnifici præbuiſſe, vetus eſt traditio, populi religione, & omnium fermè gentium concurſu celebrata. In eo autem Martyrio
a in encom. poſt Serm., 61. multa accidiſſe præclara indicant Chryſoſtomus, [a] & Ambroſius. [b] ſic enim ait Chryſoſtomus: *Beatus autem Paulus, cui caput enſe reciſum eſt, vir, cuius laudes verbis exprimi nequeunt. At cuiuſmodi enſis illius guttur Dominicum, inquam, inſtrumentum cælo ſuſpiciendum & terra tremendum peruaſit? Qualis locus tuum, Paule, ſanguinem excepit, qui lacteus apparuit in eius veſte, qui te percuſſit? Qui quidem ſanguis barbaricum illius animum reddens melle dulciorem, vt ipſe vnà cum ſociis ad fidem traduceretur, ita affecit.* & Ambroſius: *De Pauli verò ceruice cùm eam perſequutor gladio percuſſiſſet, dicitur fluxiſſe lactis magis vnda,* B *quàm ſanguinis, & mirum in modum ſanctum Apoſtolum baptiſmi gratia in ipſa cæde extitiſſe ſplendidum potius, quàm cruentum. Quæ quidem res in ſancto Paulo ſtupenda non eſt quid enim mirum, ſi abundat lacte nu-*
1 ad Cor. 2. *tritor Eccleſiæ, ſicut ipſe ad Corinthios* [c] *ait; Lac vobis potum dedi, non eſcam? Hæc eſt planè promiſſionis illa terra, quam Deus patribus noſtris promiſit, dicendo, dabo vobis terram fluentem lac, & mel. Non enim de hac terra locutus eſt, quæ, dimanantibus aquis, cœnum inuoluit, lutúmque permiſcet; ſed de illa cum Pauli, tum ſimilium Pauli, quæ iugiter purum, ſuiúmque diſtillat. Quæ enim Pauli epiſtola non melle dulcior, & lacte candidior? Quæ Epiſtolæ tanquàm vbera Eccleſiarum populos enutriunt ad ſalutem. De ceruice ergo Apoſtoli pro ſan-*
A *guine lac manauit.* Fertur & illud, tres aquæ fontes ſubitò extitiſſe, quod exciſum Apoſtoli caput vt quadam diuini ſpiritus agitatum, quaſi exiliens triplici ſaltu terram attigerit. Quinetiam memoriæ proditum eſt, eunti Apoſtolo ad ſupplicium obuiam factam Plautillam clariſſimam fœminam, vt creditur Flauiæ Domicillæ matrem, quæ velum Apoſtolo petenti dederit, quod mox ab eo iam vita functo receperit, de quo creditur agere B. Gregorius [a], qui Auguſtæ petenti illud negauit. a lib. 3. Regeſt Ep. 2.

VI. NEQVE prætereundum eſt quod de ſtatura corporis Apoſtoli Pauli à Chryſoſtomo [b] memoriæ proditum eſt. ait enim, illum trium duntaxat cubitorum longitudine fuiſſe, cùm tamen iuſta humani corporis menſura quatuor cubitos expleat; vt ipſius obtrectatores nonnullam habuerint occaſionem eius b in encom. Apoſt. præſentiam contemnendi. De ipſius autem corporis lineamentis nihil habeo dicere præter ea, quæ ſcribit Nicephorus. [c] *Erat* (inquit) *Paulus corpore paruo, &* c lib. 2 c. 37. *contracto, & quaſi incuruo, facie candida annos plures præ ſe ferente, capite modico, & oculis admodum venuſtis, & gratia plenis; ſupercilia deorſum verſus denexa, naſus pulchrè inflexus, idémque longior; barba denſior, & ſatis prolixa, eáque non minùs, quàm capitis coma canis reſperſa: cùm inſpiciebatur ab aliis, diuinum quid præferebat, atque e toto ore ſpirabat, vt qui eum cernerent fideles, ex ſolo aſpectu arcanam quamdam, & latentem conciperent gratiam, & ad benè, ſanctéque viuendum incitarentur.* Atque hæc quidem ſatis dicta ſint; reliquum eſt, vt ad ipſius Pauli explanationem) Deo benè iuuante accedamus.

IN EPISTOLAM AD ROMANOS BEATI PAVLI APOSTOLI ARGVMENTVM.

a Suis in Paul. præfat.

b cap. 15. 26.

ORIGENES, & [a] Theodoretus, aliíque non pauci hanc Epiſtolam ſcriptam eſſe exiſtimarunt è Cenchris Corinthiorum nauali poſt vtramque ad Corinthios miſſam anno Chriſti fermè LVIII. & cæteris omnibus tacentibus ex hac ipſa [b] Epiſtola colligi id facilè poteſt. In vtráque enim illa, Corinthios hortatur, vt Ieroſolymitanis fratribus aliquid ſubſidij mittere ne grauentur, ſe ſi viſum fuerit libenter perlaturum. At loco huius Epiſtolæ indicato, eam pecuniam iam collectam ſe Ieroſolymam delaturum ſcribit. Omnibus tamen Pauli Epiſtolis, auctore [c] Auguſtino, meritò præfertur, quòd Chriſti gratiam in primis extollat, vnde bona omnia ortum habent. Nam quòd nonnulli id referunt ad magnitudinem, ac dignitatem imperij, vel ad Apoſtolicæ ſedis principatum, nimis videtur alienum. Theodoreti quidem ſententia non eſt aſpernanda, qui primum huic Epiſtolæ locum tribuit ob excellentem doctrinam, ac dogmatum, quæ in ea explicantur, eximiam quà difficultatem, quà dignitatem. Bipartita (vt ait Chryſoſtomus) Epiſtola eſt, Theoricam, Ethicámque complectens. Theorica eſt de Chriſti gratia vltrò abſque vllis præcedentibus meritis, non modò Iudæis, ſed etiam Gentilibus collata, vt obſeruauit [d] Auguſtinus. Multis quidem nominibus meliorem docet Iudæorum, quàm Gentilium fuiſſe conditionem, ſed æquam vtrorumque, quod ad iuſtificationem attinet, rationem. Neutros enim ex vi, ac merito operum iuſtificari, tum quia Gentiles bonis, ac laudabilibus actionibus maxima ex parte deſtituebantur, tum quia Iudæi legis obſeruatione veram, quæ vni Chriſto humanæ ſalutis auctori debetur, iuſtitiam aſſequi nequaquàm poterant. Vtriſque igitur gratuitò, ac liberaliter vnius fidei beneficio gratiam conferri. Id adeo in fidei parente Abraham non obſcurè deprehendi, qui fide iuſtitiam adeptus diuinarum pollicitationum fructum, in ſua non tam ſeminis, quàm fidei poſteritate, ampliſſimum eſt conſecutus. Neque verò aliam inueſtigandam eſſe rationem, cur ab hæreditate paterna excluſi fuerint Iſmaël, Eſau, aliíque eorum ſimiles: contrà ad illam vocati ſint Iſaac, & Iacob, quíque iis ratione fidei ſuccedunt; niſi quòd ita viſum fuerit Deo, cuius nutu, atque imperio & ſapienter, & ſumma cum æquitate adminiſtrantur vniuerſa. Iudæos porrò nequaquàm à Deo penitus abiectos eſſe, vt pereant: ſed quia diuina gratia nulli omnino vel iure ſanguinis conceditur, vel operum meritis quaſi merces, ac præmium redditur (quibus tamen meritis illi plus æquo tribuunt) cæca quadam mentis caligine implicitos tamdiu detineri quoad Gentium multitudo Chriſti fidem complectatur; tum ipſos etiam (quod diuina oracula prædicant) Chriſtianis ſacris initiandos, & inſtitutis aliquando imbuendos. Hactenus quidem dogma. Deinceps verò ad finem vſque Epiſtolæ morum præcepta tradit. Eſt quidem hæc Epiſtola inter omnia Apoſtolica ſcripta, multis, magníſque difficultatibus implicita; ſed (vt ait [e] Auguſtinus) *dubitandum non eſt totum id diuinitus eſſe prouiſum ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio reuocandum, cui facilè inueſtigata plerumque vileſcunt.* Vel, vt idem [f] alibi ſcribit, *ad multitudinem ſenſuum eruendam*, cùm præſertim eodem [g] Auguſtino auctore, *fatiget quidem legentis intentionem; ſed tamen fatigatione vtili, ac ſalubri, vt interioris hominis magis exerceat membra, quàm frangat.* De ſtylo, ac ratione dicendi, nihil attinet dicere. nimis quidem impudenter dixit [h] nonnemo, nuſquàm eſſe confuſiorem ſermonem, nuſquàm orationē hyperbatis magis hiulcam, nuſquàm in anantapodotis crebriùs inabſolutam; quamquàm his interdum orationis vitiis laborare non inficior, ſiue tertij ſcriptoris culpa (vt indicare videntur [i] Diodorus Tarſenſis, & Theodulus Cœleſyriæ presbyter) ſiue rerum copia, quibus mens Pauli quodammodò æſtuabat; ſiue quòd Spiritus ſanctus orationis pigmenta, & verborum lenocinia negligat; tamē, vt ſuo loco oſtendam, ſolidæ, germanæque eloquentiæ neruos ferè ſemper oſtentat; niſi quòd Hebræorum interdum idiotiſmos, & peregrinas dicendi formas non ſine aliquo lepôre adſpergit.

c Epi 105. ad Sixtum.

d In expoſit. quarund propoſit. huius Epiſtolæ.

e lib. 2. de doct. Chriſti cap 6.

f lib. 11. de Ciuit. c. 19.

g lib. de ſpir. & lit. c. 7.

h Eraſm. in præfat. huius Epiſtolæ.

i apud Sixtum Sen. lib 2. Bibliot. lit. 7.

Argumentum Cap. I.

ROMANIS *Apoſtolico more ſalutem dicens ſui muneris dignitatem, & Chriſti maieſtatem deſcribit: veram illis Dei fidem, ac ſingularem fidei laudem gratulatur, ſuámque in illos beneuolentiam, & quandam veluti pietatem, ac deſiderium declarat: diuturnam abſentiam ſuam excuſat, & Euangelium miris laudibus extollit. Cuius occaſione in eorum impietatem acriùs inuehitur, qui Deum naturæ auctorem, quem rerum admirabilis ſpecies, ac pulchritudo prædicat, nullo religionis cultu proſecuti ſunt: & quod eſt longè grauiſſimum, in omnium ſeſe flagitiorum cœno volutarunt.*

CAPVT I.

PAVLVS, *ſeruus Ieſu Chriſti, Omnibus qui ſunt Romæ dilectis Dei vocatis ſanctis, gratia vobis, & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto.*

Paulus (inquam) ſegregatus in Euangelium Dei.

Quod antè promiſerat per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis.

De filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem.

Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundùm Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri.

Per quem accepimus gratiam, & Apoſtolatum ad obediendum fidei in omnibus Gentibus pro nomine eius.

In quibus eſtis & vos vocati Ieſu Chriſti.

Primum quidem gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum pro omnibus vobis, quia fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mũdo.

Teſtis enim mihi eſt Deus, cui ſeruio in ſpiritu meo in Euangelio Filij eius, quod ſine intermiſſione memoriam veſtri facio.

Semper in orationibus meis obſecrans ſi quomodo tandem aliquando proſperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos.

Deſidero enim videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis ad confirmandos

PARAPHRASIS.

PAVLVS Ieſu Chriſti ſeruus. ¶ Omni- 1. 7.
bus Romanis Dei amicis Chriſtianis
ſacris imbutis, ac profeſſione ſanctis
gratiam, & pacem à Deo Patre, ac
Domino noſtro Ieſu Chriſto eius Filio etiam at-
que etiam precatur. Is, inquam, Paulus, qui cœle-
ſti quidem vocatione Apoſtolus nuncupatur, di-
uino verò conſilio ſelectus eſt ad munus prædicã-
di Euangelij. ¶ Quod iampridem Deus ſuorum 2.
Prophetarum oraculis multis modis in veteri Te-
ſtamento promiſerat, quæ ſacrarum litterarum
monumentis, ac veterum vaticiniis comprehen-
duntur. ¶ Quod ſanè Euangelium tamquàm ad 3.
finem refertur, ad Filij Dei diuinam planè maie-
ſtatem declarandam, qui vt humanum genus, à
miſera Dæmonis ſeruitute, in libertatem filiorum
Dei vindicaret, ex Dauidis ſobole humanam na-
turam, diuinitùs aſſumpſit. ¶ Et cùm verè homo 4.
inter mortales natus eſſet, ante omnem tamen æ-
ternitatem prædeſtinatum erat, vt humanæ liber-
tatis aſſertor Dei filius eſſet, idémque ille homo,
qui de Virgine ex Spiritu ſancto naſceretur, vnà
cum Deo Patre verè Deus eſſet, eâdem poteſta-
te præſtans, eiuſdémque particeps naturæ ſpirita-
lis, atque eâdem omnino ſanctitate præditus. Id
quod ſeſe ipſe ab inferis reuera excitans compro-
bauit Ieſus Chriſtus Dominus noſter. ¶ Cuius 5.
nos quidem ſingulari beneficio ad ipſius omnino
gloriam, atque honorem Apoſtolatus munus, ac
dignitatem aſſecuti ſumus, vt ad fidem Euange-
lij omnes vbique terrarũ gentes, ac nationes opera
noſtra pertrahantur, & Chriſti nomen agnoſcant.
¶ Quarũ de numero eſtis & vos, Romani, qui qui- 6.
dẽ ſingulari Dei munificentia, ac liberalitate gra-
tuitò, ac nullis veſtris præcedẽtibus meritis ad fidẽ
Ieſu Chriſti vocati eſtis. ¶ Vt igitur hoc Epiſtolæ 8.
meæ initium ſit, equidem veſtra cauſa Deo im-
mortali ingentes gratias ago; (id quod pro diui-
no planè Chriſti beneficio duco) quòd fidei ve-
ſtræ fama vniuerſum penè terrarum orbem perua-
ſerit. ¶ Teſtor enim Deum, quem pura, & caſta 9.
mente colo, cuius reſpectu Euangelium filij eius,
pro virili promulgo, veſtri in meis ad Deum pre-
cibus, ac ſupplicationibus nullo vnquàm tempo-
re commemorationem deſiderari. ¶ Quinetiam 10.
votis omnibus aſſiduè ab eo contendo, vt mihi
tandem aliquando faciat ad vos proſperè venien-
di poteſtatem. ¶ Dici enim vix poteſt, quantope- 11.
rè conſpectum veſtrum, & præſentiam expetam,
vt non

Digitized by Google

vt nonnihil vobis diuini muneris impertiar, tum
12. vt vos iu fide ſuſcepta confirmemini. ¶ Tum etiã
vt familiari collocutione, ac meæ, veſtræq́ue fidei
collatione, & communicatione vtrimque recree-
13. mur. ¶ Neque verò latere vos diutius patiar, fra-
tres, mihi ſæpè fuiſſe in animo, iſtuc ad vos veni-
re, tametſi per varias, & multiplices occupatio-
nes nunquàm hactenùs licuit; vt quemadmodum
ex reliquis Gentibus aliquem etiam ex vobis fru-
14. ctum referrem. ¶ Græcis enim, ac Barbaris, ſa-
pientibus, & inſipientibus debere me & agnoſco,
15. & fateor. ¶ Itaque quod ad me attinet, procliue
mihi eſt etiam vobis, qui Romæ eſtis, Euangelij
16. lucem præferre. ¶ Neque enim me pudet, aut
pœnitet Euangelij, quod mira quadam vi prædi-
tum ſalutem ſempiternam affert credentibus, pri-
mùm quidem Iudæis, tum verò etiam Græcis.
17. ¶ Siquidem iuſtitia, qua ab ipſo naſcentis mundi
exordio, ad hæc vſque tempora imbuti ſunt ij,
quos Deus immortalis à priſtinis ſceleribus, at-
que flagitiis expiauit, quæq́ue priùs in veteri lege
vaticiniis Prophetarum inuoluebatur; retecta pa-
lam in Euangelio proponitur, atque in omne æuũ
quibuſdam fidei veluti incrementis profertur; vt
meritò ſcriptum ſit ab Abacuch: *Iuſtus autem ex*
18. *fide viuit.* ¶ Etenim nihil æquè prædicatur in E-
uangelio, ac ſempiternum ſupplicium iuſto Dei
iudicio impiis, ac flagitioſis hominibus cœlitus im-
minens, qui cœco animi furore perciti veram de
Deo notionem, quæ ſeſe illis naturæ quodam du-
ctu aperiebat, vitiorum quaſi cœcis quibuſdam
nubibus, ac denſa errorum caligine, mentis acie
obducta, repulerunt, & veluti clauſam, atque
impeditam retinuerunt, ne ſua ſe luce proderet,
ínque eorum animos inſinuaret; & (quod eſt in
primis neceſſarium) in laudabiles, atque hone-
19. ſtas actiones erumperet. ¶ Quod namque ad ve-
ram Dei Optimi Maximi cognitionem percipien-
dam, & complectendam pertinet, eos nequaquàm
latere debuit; quibus ex admirabili rerum omniũ
20. opificio ſe ipſe mundi artifex declarauit. ¶ Nam
diuinæ naturæ abdita, atque arcana non pauca,
iam inde à mundo condito, ex ipſa tantæ molis
fabrica, atque artificioſa effectione, ipſiſque adeo
rebus effectis, aſpectu pulcherrimis, & vſu præ-
ſtantiſſimis, quaſi quibuſdam diuinitatis veſti-
giis non obſcurè indicantur; imprimíſque ap-
paret vis ſempiterna conditoris, & diuinitatis
maieſtas, vt nulla deinceps ratione excuſari que-
21. ant. ¶ Propterea quòd Deo immortali à ſe pro-
bè, ac penè euidenter cognito, non eum, quem
par erat, honorem, & cultum exhibuerunt. Ne-
que diuinæ ipſius munificentiæ, ac liberalitati,
cui omnia ſua, ſiue quæ à natura, ſiue quæ ab arte
profecta erant, accepta referenda eſſent; parem
gratiam retulerunt: quin potiùs inani quadam
argumentandi, ac ratiocinandi calliditate deluſi,
euanuerunt ipſi, eorúmque mens cœca errorum
nocte, atque caligine infuſcata, in multarum, maxi-
22. marúmque rerum ignoratione deſipuit. ¶ Dúm-
que

mandos vos.

Id eſt ſimul conſolari in vobis per eam, quæ inuicem eſt, fidem veſtram, atque meam.

Nolo autem vos ignorare, fratres, quia ſæpe propoſui venire ad vos (& prohibitus ſum vſque adhuc) vt aliquem fructum habeã & in vobis, ſicut & in cæteris Gentibus.

Græcis, ac Bàrbaris, ſapientibus, & inſipientibus debitor ſum.

Ita (quod in me) promptum eſt & vobis, qui Romæ eſtis, euangelizare.

Non enim erubeſco Euangelium. Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Iudæo primùm, & Græco.

Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem, ſicut ſcriptum eſt: Iuſtus autem ex fide viuit.

Reuelatur enim ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent.

Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis manifeſtauit.

Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, ita vt ſint inexcuſabiles.

Quia cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.

Dicẽtes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.

Et

que inanem vulgi plauſum, ac popularem auram
ſectantes, eximiam quandam, & ſingularem ſapiē-
tiam profitentur, atque oſtentant; ſéque adeo ipſi

Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentum.

magnificè circumſpiciunt, ac prædicant, ſuam ipſi
inſcitiam, atque amentiam prodiderunt. ¶ Quid 23.
enim ſtultius, aut amentius fingi poteſt, quam
(quod homines tamen perditiſſimi perfecerunt)
gloriam, quæ vni Deo bonorum omnium parenti,
atque auctori iure debetur, fictæ, atque efformatæ
mortalis hominis, vel (quod longè deterius eſt) vo-
lucrum, quadrupedum, reptiliúmque imagini &

Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis.

ſimulacro tribuere? ¶ Meritò ſanè ob hanc præ- 24.
cipuè impietatem; (id, quod ipſorum prauis cupidi-
tatibus iure optimo debebatur;) paſſus eſt illos
Deus in impuram, & profligatam vitæ rationem
turpiter labi, vt ſua ipſorũ corpora ſecum ipſi ne-

Qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & ſeruierunt creaturæ potius, quàm creatori, qui eſt benedictus in ſæcula. Amen.

fariis libidinibus fœdarent. ¶ Illi ſiquidem veram, 25.
quam de Deo mẽte percipere poterant notionem
impio, ſceleſtóque mendacio, hoc eſt, nefaria ido-
lolatria, commutarunt, & rebus creatis diuinum
cultum, atque adorationem præbuerunt: prætérito
ſummo rerum omnium opifice, & conditore, qui
omnium voce, & acclamatione in omnem æter-
nitatem ſempiternis eſt laudibus celebrandus.

Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ. nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vſum in eum vſum, qui eſt contra naturam.

¶ Hæc (inquam) præcipua, aut etiam vnica cauſa 26.
fuit, cur illos Deus fœdis affectionibus mancipan-
dos, ac penè conſtringendos permiſerit. nam fœ-
minæ illorum eum, quem naturæ leges, vſum cor-
porum præſcribunt, in alterum quempiam naturæ
fines excedentem, aut etiam peruertentem immu-

Similiter autem & maſculi relicto naturali vſu fœminæ exarſerunt in deſideriis ſuis in inuicem; maſculi in maſculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit erroris ſui in ſemetipſis recipientes.

tarunt. ¶ Neque aliter mares, vſu fœminæ à na- 27.
tura, naturæque auctore ad ſobolem propagan-
dam inſtituto magna ex parte neglecto; nimia
quadam libidine, ac petulantia alius in alium ex-
arſerunt; maſculi in maſculos obſcœna perpetran-
tes, dignámque omnino erroris ſui mercedem, &
quàm maximè oportuit compenſationem in ſe

Et ſicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea, quæ non conueniunt.

ipſis referentes. ¶ Quemadmodum autem eam, 28.
quam de Deo, rebúſque diuinis aſſequi poterant
cognitionem mente complecti, & excolere ne-
glexerunt; ita illos Deus in auerſam, ac planè de-
teſtabilem mentem, & omnis veri, probíque iudi-
cij expertem tradidit: ex quo illud conſecutum
eſt, vt ea ipſi aggrederentur, ac perficerent, quæ

Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate;

Suſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes.

Inſipientes, incompoſitos, ſine affectione abſque fœdere, ſine miſericordia.

Qui cùm iuſtitiam Dei cognouiſſent; non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte: & non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiã qui conſentiunt facientibus.

minimè oporteret. ¶ Ita videas illos oppletos om- 29.
ni iniuſtitia, ſcortatione, improbitate, auaritia, ma-
litia, plenos inuidia, cæde, contentione, dolo, mali-
gnitate. ¶ Suſurrones, obtrectatores, Dei oſores, 30.
contumelioſos, ſuperbos, gloriæ plus nimio appe-
tentes; malorum inuentores, erga parentes immo-
rigeros. ¶ Deſipientes, fœdifragos, charitatis ex- 31.
pertes, implacabiles, à miſericordia penitus alie-
nos. ¶ Qui cùm Dei naturalia iura, diuináque de- 32.
creta probè cognouiſſent, miniméque illos lateret,
eos, qui ſeſe his ſceleribus inquinarent, & falſa nu-
mina pro Deo colerent, dignos eſſe interitu ſem-
piterno, non modò illa eadem perpetrarunt ipſi;
ſed (quod eſt longè grauiſſimum) perpetrantibus
patrocinantur.

IN CAPVT PRIMVM EXPLANATIO.

PAVLVS SERVVS IESV CHRISTI. A In Actis[a] apoſtolicis per aliquot capita dicitur ſemper Saulus; at vbi Sergium Paulum ad fidem traduxit, perpetuò Paulus. Eius mutationis cauſam quærit Hieronymus,[b] & à Sergio Paulo quaſi primo Eccleſiæ ſpolio Paulum appellatum putat; non aliter atque olim ab Africa deuicta Africanum, ab Aſia Aſianum, à Creta Creticum; quod aliquando etiam placuit Auguſtino.[c] Ego verò vix puto veriſimile hanc inanem titulorum iactantiam Apoſtolo placuiſſe, atque huius meæ ſententiæ Origenem, Sedulium, atque Anſelmum auctores habeo, vt interim omittam veterem illam Romanorum conſuetudinem, non mutationem nominum, ſed cognominum additamentum, & quaſi appendicem attuliſſe. Damaſo, B qui ſuis carminibus Pauli laudes celebrauit, affirmanti olim Saulum in baptiſmo Pauli nomen ſumpſiſſe, credi poſſet, niſi etiam poſt baptiſmum ſæpiùs Sauli nomine appellaretur. Certè quæ ab Euſebio[d] affertur mutandi nominis ratio in baptiſmo, à multis magna cum laude vſurpata, in Paulo admitti nullo modo poteſt, quippe Saulis nomen apud Hebræos olim frequens admodùm erat; nec ferè qui ex Hebræis Chriſto nomina dabant, mutare nomina conſueuerant, niſi peculiaris ratio id ſuaderet. Veroſimiliùs loquuntur illi, qui Pauli nomen tum demum Apoſtolo impoſitum fuiſſe ferunt, cùm vnà cum Barnaba in collegium Apoſtolicum aſcitus eſt. Sed cur Barnabas ſuum retineat nomen, Saulus verò mutet, ratio afferri nulla poteſt. Quæ enim legimus de nominum mutatione in Apoſtolis, neque C ſunt omnibus communia, & æquè in Barnabam cadere poſſent, & excepto Petro in aliis non fuere perpetua. Quod verò de Romanorum Pontificum conſuetudine nonnullis probatur, recentius eſt, quàm vt poſſit ad mutationem nominis in Apoſtolo Paulo pertinere. Cur autem Romani Pontifices vbi ſunt ad Pontificatum promoti, nomen mutent, alij viderint. Certè quod de Sergio, qui Oſporci antea vocaretur, à nonnullis[e] confingitur, viris[f] doctis haudquaquàm probatur. Porrò quod idem Hieronymus ad Hebræorum nominum interpretationem confugiat, ac Saulum, id eſt, expetitum, in Paulum, hoc eſt, admirabilem diuinitus fuiſſe mutatum contendat, haud facilè perſuaderi poterit iis, qui Pauli nomen Latinum, ac Romanum agnoſcunt: vt interim omittam hanc nominum mutationem D veterum ſuperſtitioſam conſuetudinem redolere, qui nominum *δυσφημίαν* ſedulò vitabant, vt Epidauri in Dyrrachium, & Maleuenti, in Beneuentum appellationes mutatæ docent: cuius mutationis nullam aliam cauſam fuiſſe ferunt, niſi inauſpicatum nomen: auctores ſunt Plinius,[g] Pomponius[h] Mela, Dio.[i] Qui verò ab Hebræo fontè deducunt, vt multùm torqueantur, nihilò poſſunt ſuam ſententiam facere probabiliorem. quis enim credat Pauli nomen, quod abſque vlla aſpirationis nota Latinis leniſſimè profertur, deductum eſſe à verbo Hebraico פָּעַל *Pughal*, quod denſiſſimam continet aſpirationem? Quid autem magis ridiculum, quàm opinari ex verbi Hebraici ſignificatione in hac voce alluſionem eſſe ad id, quod de ſe ipſo Apoſtolus ſcripſit:[k] *Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatu, operatus eſt mihi inter Gentes?* Quaſi verò ij, à quibus id ei nomen impoſitum eſt, potuerint diuinare, quod ante omnem æternitatem præfinitum, tantóque pòſt perficiendum erat, aut non æquè hac ratione Pauli nomen etiam Petro Apoſtolo aptari queat. Monſtro verò ſimile videtur, quod nonnulli Pauli nomen partim ab Hebræo, partim à Græco fonte deducunt. & פִּי *Pi*, id eſt, os, & *αὐλῆς*, id eſt, tubæ Paulum fuiſſe dicunt, qui verè quaſi tuba (vt ait Iſaias) vocem ſuam extulerit. quamquàm enim Hybridas interdū voces ius orientale admittere videtur, vt cùm apud Iuſtinianum[a] Archiphereeitæ leguntur, quorum munus erat eas legis, ſeu prophetarum ſectiones legere, atque interpretari, quas Hebræi vocant פְּרָקִים *Perakim*; tamen id recentius eſt, quàm vt æuo Paulino vſurpari conſueuerit. Iam verò qui Pauli, Saulique nomen vnum, atque idem eſſe autumant, vnius litteræ mutatione corruptum, vocis analogiam ſequuntur. Sed cur ea mutatio facta ſit, cur item vtroque aliquando nomine appelletur,[b] ab initio autem ſemper Saulus, mox Paulus, nullo modo explicant. Chryſoſtomus[c] Pauli nomē diuinitùs inditum fuiſſe ſcribit, quod olim Patriarchis, & Apoſtolo Petro accidiſſe accepimus. Et fortè verum eſt (quamquàm Hieronymus,[d] & Sedulius negant) non tamen certum. Origenes[e] Hebræo Saulum, Romano nomine Paulum appellatum fuiſſe affirmat, id nemo me quidem iudice inficiabitur: cur tamen ab initio numquam Paulus, ſed ſemper Saulus, à Paulo Sergio baptizato ſemper Paulus nominetur, nondum liquet; niſi Proconſul ſuo in Chriſto parenti opinio, honoris ergo familiæ cognomen dedit, eóque Apoſtolus ad Gentium animos ſibi conciliandos frequentiùs vtitur. Nam quæ ſcribit Ambroſius,[f] & quæ obſeruat Auguſtinus[g] eiuſmodi ſunt, vt ad mores inſtituendos, & Pauli modeſtiam, atque animi demiſſionem prædicandam, non ineptam rationem contineant. Quantum verò ad rem, de qua agitur, expediendam valeant, nihil attinet dicere, Doctorum iudicio vel probanda, vel reiicienda relinquo: illud omnino veroſimillimum videtur, Hebræum nomen Saul, Romanorum, & Græcorum conſuetudine Latinam accepiſſe inflexionem, & Saulum vulgò appellatum: deinde Paulum, vt gentilitio veluti nomine Romanis gratior eſſet. Iam verò quod Paulus ad Romanos, atque alios ſcribens, ſuum priori loco nomen ponat, poſteriori eorum, ad quos ſcribit: Hieronymi,[h] Ambroſiique[i] commentarij referunt ad Apoſtolicam dignitatem, quaſi in Apoſtolis id obtinuerit conſuetudo, vt in ſalute dicenda, is, qui dignitate præſtaret, priori loco nominaretur. id affirmat in quadam pſeudoepiſtola ſua Paulus ad Senecam, repugnante tum priſca, tum recentiori Romanorum conſuetudine. nam M. Tullius ſæpè ſe maioribus præponit, & Plinius non ſibi turpe ducit Traianum Imperatorem ſecundo loco nominare. Itaque rectè monet Photius,[k] id veteri more factum: ſic etiam legimus in Actis[l] apoſtolicis, Claudius Lyſias, optimo Præſidi Fœlici ſalutem.

ADDIT autem quaſi epithetum, *ſeruus*, δοῦλος. II.
Quidam ante nos monuit, non hic opponi ſeruum libero. ſi de homine tantùm ageretur, rectè; ſecùs dum de Chriſto, cui, vt Deo creatio, vt homini redemptio omnes mancipat. Quocirca rectè Ter-

tullianus

a à cap. 7 vſque ad 13.
b initio Comment. in Ep. ad Philem.
c Confeſ. ca. 4.
d lib. 1. hiſt. cap. 12.
e Polidor. Virgil. de inuentor. rerum lib. 4. cap. 10.
f Baro. tom. 2. annal. an. 209.
g lib. 3. natu. hiſt. cap. 22. 23.
h lib. cap. 1.
i lib. 41.
k ad Galat. 2. 8.

a Nouel. 146. cap. 1.
b Act. 13. 9.
c Hom. de cōuerſ. Pauli tom 3 Hom. 9. de laud. Pauli, & Hom. 5. in hanc Epiſtolam.
d ad Philem. Sedul. in hunc locum.
e Præf. in hāc Epiſt.
f Hoc loco. ſi tamen is eſt auctor Commēt. qui eius nomen præferunt.
g de ſpiritu & litte. cap. 7. Serm. 42. de ſanctis. & in Pſal. 71.
h 2 ad Corin.
i Hoc loco.
k apud Oecumen.
l cap. 23.

A tullianus [a]: *Coronas* (inquit) *& libertas ſecularis: ſed tu iam redemptus es à Chriſto, & quidem magno: ſeruum alienum quomodo ſeculum manumitteret? Et ſi libertas videtur, ſed & ſeruitus videbatur, omnia imaginaria in ſeculo, & nihil veri. nam & tunc hominis liber eras; redemptus à Chriſto, & tunc ſeruus es Chriſti, licèt manumiſſus ab homine: ſi veram putas ſeculi libertatem, vt & coronam conſignes, rediſti in ſeruitutem hominis, quam putas libertatem: amiſiſti libertatem Chriſti, quam putas ſeruitutem.* Hæc autem ſeruitus (ait Ambroſius) de qua Apoſtolus, verè glorioſa eſt, quando tali pretio æſtimati ſumus, vt ſanguine Domini redimeremur. Quamobrem Hieronymus [b] ſeruitutem eam dicit ignobilem, ac miſeram eſſe, qua homo homini ſeruit, quam iuriſperiti capitis maximam deminutionem appellant; eam verò, quæ B Chriſto debetur, illuſtrem, & glorioſam. ita Dauid [c]; *Ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ*; & Chriſtus ipſe, vt homo, & humanæ libertatis auctor apud Iſaiam non ſemel dicitur ſeruus. Rectè autem dixit alicubi Philo [d] Hebræorum doctiſſimus: *Nihil purificatam mentem maiori afficit lætitia, quàm quòd Dominum habet, quem agnoſcit Regem rerum omnium. nam ſeruire Deo maxima eſt gloriatio, non modò libertate maior, ſed & diuitiis, & principatu, & omnibus rebus, quas mortales mirantur, pretioſior.* Et re vera Chriſti ſerui hoc ipſo Reges ſunt, vt Ambroſius [e], Gregorius [f], Origenes [g], & Chryſoſtomus [h] docuerunt. Simile quiddam ſcribit auctor [i] commentariorum, qui tribuuntur Hieronymo, in illa verba; *O Domine quia ego ſeruus tuus.* Alienum verò prorſus eſt, quod C ex quorumdam ſententia ait Origenes, ſeruum appellari Apoſtolum, quòd vxoratus ad Chriſti fidem, ac religionem acceſſerit, tum quia hoc nihil ad rem pertinet, tum quia falſum, vt ipſe inſinuat, & ſuo loco docebo. Illud rectè ab eodem dictum eſt: *Quid eſt autem ſeruum eſſe Chriſti? Quod eſt ſeruum eſſe verbi Dei ſapientiæ, iuſtitiæ, veritatis, & omnium omnino virtutum, quæ Chriſtus eſt.* Addit quemadmodum ſcientia rerum diuinarum rudis eſt, & inchoata quippe in ſpeculo, & ænigmate; ita libertatem, quæ nunc ſanctis conceditur, eſſe veluti in ſpeculo, & ænigmate; ideóque ſanctos appellare ſe ſeruos comparatione illius libertatis, quæ beatis tribuenda eſt. Quò fortaſſe pertinent verba [k] Chriſti: *His autem fieri incipientibus, reſpicite, & leuate capita veſtra, quoniam* D *appropinquat redemptio veſtra.* Et Paulus ipſe infra [l]: *Ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis noſtri.* Sed ſit ſanè miniſterij nomen, quo vel Paulus vt mox de Apoſtolatu meritò glorietur, vel certè obtrectatores à reprehenſione coërceat, cùm ſe doceat non aliena occupare, ſed quæ muneris ſui propria ſunt aggredi, atque auſpicari. Seruum autem ſe dicere maluit, quàm miniſtrum, vt indicaret ſe eſſe Chriſto penitus addictum, quamquàm ſtatu, & conditione legis Euangelicæ ad libertatem filiorum pertinebat, quam ipſe tum [m] infrà, tum Epiſtola ad Galatas [n] deſcribit: quippe qui filiorum ſpiritu percepto, *non* [o] *vetuſtate litera, ſed nouitate ſpiritus* Chriſto Domino ſeruiebat: quæ eſt legis Euangelicæ prærogatiua, E eóque pertinet quod à Chriſto Domino dictum [p] eſt Apoſtolis: *Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos*, qui tamen præceperat ſuis, vt cùm præceptis omnibus obtemperaſſent, ſe inutiles ſeruos appellarent. Illud enim eſt beneuolentiæ nomen, quo nos Chriſtus pro ſua in omne genus hominum caritate dignatur; hæc naturæ conditio, quam nos ſemper agnoſcere, & fateri æquum eſt. vt enim Origenes, ac Sedulius monent, hæc ſeruitus, quæ iure creationis, ac redemptionis, quæque ratione impoſiti muneris Deo,

[a] lib. de cor. mil. cap. 13.
[b] Initio Ep. ad Tit.
[c] Pſ. 115. 16.
[d] lib. de Cherubin.
[e] de Abraha cap. 10.
[f] ij moral. c. 9. & 26 mor. cap. 26.
[g] [h] In hunc locum.
[i] Pſ. 115. 16.
[k] Lucæ 21. 28.
[l] cap. 8. 23.
[m] cap. 8. 15.
[n] cap. 4. 31.
[o] Infrà c. 7. 6.
[p] Ioan. 15. 15.

A & Chriſto debetur, non pugnat cum libertate Chriſtiana, & cum adoptione filiorum Dei. Indicat interim Paulus ſe Dei penitus parere voluntati, idque vnum potiſſimùm quærere, vt Domino ſuo placeat, eique ſe maximè probet. ſic enim ait Cyprianus [a]: *Alioquin nec nos ſerui aſcriberemur, nec ille Dominus haberetur, ſi ſecundùm voluntatem noſtram permitteremur impendere ſeruitutem.* Nec dubito, hac ipſa voce miram quamdam Apoſtoli modeſtiam indicari, qui ſerui nomen, atque appellationem ſibi vſurpet, vt oſtendat ſe nullo honoris ſtudio, aut cupiditate moueri, cùm quaſi ſeruus iure ciuitatis, & exiſtimatione careat. vt enim auctor eſt Suidas, ſeruum Græci ἀτμὸν vocabant, quaſi ἄτιμον, hoc eſt, honore carentem. Quinetiam ſe Ieſu Chriſti ſeruum, quaſi B publicum miniſtrum, atque actorem nominat; Romano etenim more publici ſerui, tum ad res forenſes, tum ad ſacra adhibebantur, iidémque publici actores vocitari conſueuerant. Hinc apud iuris peritos [b] familia publica, quo nomine auctore Frontino [c], ſerui publici ſignificantur, quales erant ij, qui præſto ædilibus aderant, vel etiam aquarum curatoribus. Nam ſeruos olim dictos familiares ſcribit [d] Seneca: *Omnem* (ait) *inuidiam maiores noſtri Dominis, omnem contumeliam ſeruis detraxerunt, Dominum Patrem familiæ appellarunt, ſeruos (quod etiam in mimis adhuc durat) familiares.* Fortè etiam, quippe Hebraicæ linguæ periti ſſimus, vim Hebrææ vocis עָבַד *ghanad* ſpectauit, quæ plerumque colere, & quidem diuino cultu ſignificat, quaſi ſe Chriſti, non C idolorum cultorem profiteatur. Denique rectè monet Oecumenius, cùm plures ſint ſeruitutis modi, creationis titulo, fidei, Apoſtolatus, poſtremò vitæ, morúmque profeſſione, his omnibus modis Apoſtolus Dei ſeruus appellari poteſt; quæ deſumpta videntur à Chryſoſtomo. Nec dubito ad hunc locum pertinere quod ſuprà ex Tertulliano attulimus.

III. PORRÒ Ieſu nomen Dei filio tribuit etiam ante naturam humanam aſſumptam, cùm eadem ſit perſona ante omnem æternitatem. quare & alibi Paulus [e]: *Ieſus Chriſtus heri, & hodie ipſe, & in ſecula.* At propriè (vt ait Iuſtinus [f] Martyr) *hominis, & Saluatoris nomen, & ſignificationem continet.* Et [g] *Nomen* (ait) *Ieſus Hebraicum, Græcè σωτῆρα, hoc eſt ſaluatorem denotat.* Idem verò Iuſtinus [h], & Tertul- D lianus [i] in eo etiam huius nominis myſterium agnoſcunt, quòd Ieſus Naue Saluatoris typus populum in terram promiſſam introduxerit. Nec diſcrepat Auguſtinus [k], qui hoc ipſum eleganter explicat. Vtrum autem (quod plerique volunt) à nomine quatuor litterarum deducatur, nihil definio. Quomodo autem ſit hoc nomen ſuper omne nomen, déque eius nominis vi, dignitate, ac præſtantia, dicam ſuo loco in Epiſtola ad Philippenſes.

IIII. DE nomine verò Chriſti hunc in modum ſcribit Iuſtinus [l] Martyr: *Χριστὸς μὲν κατὰ τὸ κεχρῖσθαι καὶ κοσμῆσαι τὰ πάντα δι' αὐτοῦ τὸν Θεὸν λέγεται, ὄνομα καὶ αὐτὸ περιέχον ἄγνωστον σημασίαν. quod per illum Deus omnia conformauerit atque ornauerit, quod & ipſum nomẽ eſt ſignificationem minimè notam complectens.* vbi pa- E ròm ſcitè nonnulli ἀγνώστου pro ἄγνωστον legendum putant, quaſi aliud ſit continere rei ignotæ ſignificationem, vel minimè notam ſignificationem. ſed in hac Iuſtini ſententia rem ipſam non ſatis probo, neque mihi facilè perſuaſerim vel Chriſti nomen Verbi diuinitati propriè conuenire, vel actiuam, quod aiunt ſignificationem habere, præterquàm quod niſi illa rerum omnium effectio per Chriſtum probè intelligatur, Arrianorum errori aſtipulari poteſt, vt alibi docebo. Malim igitur Chriſtum dictum, quia myſtico diuinitatis, ac ſanctitatis oleo delibutus eſt.

[a] li. de ſingulari Cleric.
[b] l. 1. ff. de off præf. reg. l. 1. ff. de aquæ ductu.
[d] Ep. 47.
[e] Hebr. 13. 8.
[f] Ora. ad Gentes.
[g] Apol. ad Antonin.
[h] Dialo. cum Tryphone.
[i] l. 3. in Marc. cap. 10.
[k] lib. 50. hom. 27.
[l] in Apolog. ad Senat.

ita Iſidotus [a], Iulius Firmicus [b], Irenæus [c], Ambroſius [d], Theodoretus [e], Gregorius [f] Beticus, Athanaſius [g], Damaſcenus [h], Hilarius [i], Tertullianus [k]: nec debuit à quóquam reprehendi Auguſtinus [l], dũ ait, Chriſtum à chriſmate dici, id eſt, vnctione. *Ideo autem nos vnxit, quia luctatores contra diabolum fecit.* Nam quòd ab vnctione Chriſti nomen deducat, meritò laudandus erat, cùm idem antea tradiderit Lactantius [m], & omnino vnctus dici nemo queat, niſi vnctio præceſſerit. Quod verò nos vnxit, & luctatores fecit, id ad Chriſtianum nomen referendó erat. ab ipſo enim luctatorum principe nos omnes luctatores dicti ſumus. Ita ſanè Athanaſius [n]: *Vnctus eſt, vt chriſmatis ipſius vnctione malo prioris hominis delicto purgemur.* Neque aliter Chryſologus [o], & Cyrillus [p], & rurſùs Athanaſius [q]. Illud verò egregiè à Tertulliano [r] obſeruatum eſt, Chriſti nomen proprium eſſe filij ob naturam humanam aſſumptam, nec poſſe aliis perſonis attribui: *Chriſti verò* (inquit) *nomen non ex natura veniens, ſed ex diſpoſitione proprium eius efficitur, à quo diſpoſitum inuenitur, nec in communicationem alij Deo ſubiacet.* Et quod maximè ſuperioribus congruit, hunc in modum ad Martyres [ſ] ſcribit: *Itaque Epiſtates veſter Chriſtus Ieſus, qui vos ſpiritu vnxit, & ad hoc ſcamma produxit, voluit vos ante diem agonis, ad duriorem tractationem à liberiore conditione ſeponere.* Rectè autem Chriſtum vocauit epiſtatem; hoc eſt (vt alicubi Seneca [t] interpretatur) gymnici certaminis præceptorem, &, vt loquitur Philo, ſacri certaminis præſidem; vel, vt ait Galenus, luctæ præfectum, & Quintilianus [u] palæſtricum magiſtrum appellat. Nec dubito (quod egregiè obſeruauit Pachimerius) huc ſpectaſſe Dionyſium [x], cùm nos in baptiſmo veluti Athletas à Chriſto tamquàm Agonotheta inungi dixit, ſpiritu ſancto: quamquàm meliùs Chriſtum Aliptæ, quàm Agonothetæ contuliſſet. ille enim vnctioni præerat, Agonotheta ludos curabat. Apertiſſimè verò id aſſerit Ambroſius [y]: *Venimus* (inquit) *ad fontem tamquam athleta Chriſti, quaſi luctamen huius ſaculi luctaturus, profeſſus es luctaminis tui certamina.* Eodem modo loquuntur Chryſoſtomus, [z] & Cyprianus [a]; atque ob id Theodoretus [b], Clemens Alexandrinus [c], & Caſſianus [d] Angelum [e] illum, qui luctatus dicitur cum Iacob, Chriſtum quaſi omnium noſtrum Aliptam ſignificaſſe affirmant. ſimile quiddam in illa ipſa Iacobi lucta obſeruauit Philo [f].

V.

SEQVITVR *Vocatus*; Græcè κλητὸς, quæ vox Latino participio *vocatus*, nequaquam ex æquo explicatur. id enim participium Græcè voci κεκλημένος magis reſpondet. Ait autem Paulus, ſe vocatione, id eſt munere ac profeſſione ſeu genere vitæ eſſe Apoſtolum: hoc planè ſignificat κλητὸς in Epiſtola ad Corinthios [g], & ad Epheſios [h]: ſimile quiddam legimus paulò pòſt, *vocatis ſanctis*, κλητοῖς ἁγίοις, & *vocati Ieſu Chriſti*: κλητοὶ Ἰησοῦ χριστοῦ. Neque dubitandum videtur (quidquid alij ſenſerint) id hoc loco ſpectaſſe Paulum, vt qui ſe Chriſti miniſtrum appellarat, certum etiam miniſterij genus explicaret, vnáque indicaret hoc ſuum qualecumque munus diuinæ potiſſimùm beneficentiæ tribuendum eſſe; quod planiùs docet ad Galatas [i] his verbis: *Cùm autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam.* Huius muneris præcipuam functionem indicat in poſteriori Epiſtola [k] ad Corinthios, dum ſcribit; *Pro Chriſto legatione fungimur.* Hinc Eccleſiæ nomen deductum eſſe obſeruat Auguſtinus [l]. Quo potiſſimùm à ſynagoga diſtinguitur, quæ non à conuocando, vt Eccleſia, ſed à congregando, quod beſtiis etiam conuenit, nomen habuit, cùm conuocari, vnde appellatur Eccleſia, ad homines propriè pertinere videatur. Quod verò de voce, *ſegregatus*; idem Auguſtinus monet, à Græca voce abhorret. non enim ad gregem refertur, quò vox Latina vtcumque ſpectat. Cæterùm omnino extra chorum ludere videntur illi, qui hoc loco de multiplici vocatione diſſerunt. Significat enim Paulus muneris, atque officij ſui appellationem; ſimul tamen indicat ad diuinæ liberalitatis beneficium pertinere, vt quæ mox ſubdit, planiùs docent. Nec me tamen clàm eſt vocem κλητὸς apud Matthæum idem valere, quod vocatum. *Multi* (inquit) *ſunt vocati*, κλητοί; *pauci verò electi*, ἐκλεκτοί, fortè haud abſimili ratione ab ea, qua olim apud Romanos euocati [a] dicebantur ij, qui velut amici ad bellum prece potiùs, quàm imperio accerſebantur; & deſignati qui proximè magiſtratum inituri erant: Et, vt de noſtris nonnulla dicam, erant inter Catechumenos, qui propriè electi vocarentur. Acutè verò Anſelmus Pauli modeſtiam in eo maximè obſeruat, quòd vocatum ſe dicat Apoſtolum, quaſi non tantum ſibi ſumat, quantum alieno teſtimonio, ac prædicatione tribueretur. Se igitur ab aliis dici, ac vocari Apoſtolum ſcribit, quaſi non audeat ſe inter Apoſtolos numerare: ſed vereor, ne id ſit magis argutum, ac pium, quàm verùm. Nam qui dicunt vocatum Apoſtolum à Deo, nec vim Græcæ vocis aſſequuntur, nec facilè explicare poſſunt vbi, aut quando à Deo hoc nomine vocatus ſit, cùm de reliquis apertè conſtet in Euangelio. Illud verò omnino extra rem à quibuſdam excogitatum eſt, quiddam eſſe ſimillimum ei conſuetudini, qua ſe Romani Pontifices diuina miſeratione dicere ſolent ad apicem Apoſtolatus euectos. Apoſtolus autem fuit extra ordinem in collegium vnà cum Barnaba diuinitus cooptatus cæteris nihilo inferior, vt ipſe affirmat ad Corinthios. Eum Tertullianus [b] *Apoſtolum Chriſti* vocat, *Doctorem nationum in fide & veritate, vas electionis, Eccleſiarum conditorem, cenſorem diſciplinarum.* Et mox [c]; *diſciplinarum columnam.* Credo, quòd Eccleſiaſticam diſciplinam in primis ſartam rectam cuperet.

VI.

QVOD verò mox addit, *ſegregatus in Euangelium Dei*; optimè reſpondet Græcæ voci ἀφωρισμένος, ad augendam ſui muneris commendationem, maioremque ſibi apud Romanos fidem, atque auctoritatem conciliandam; quòd in ſuo Apoſtolatu peculiaris quædam Dei prouidentia eluceat, vt monet Chryſoſtomus, de qua ipſe ad Galatas [d]: *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici.* Videtúrque (vt ait Anſelmus) omnino alluſiſſe ad id, quod legimus in Actis [e] Apoſtolicis. *Segregate* (Græcè ἀφορίσατε) *mihi Paulum & Barnabam.* De qua re conſulendi ſunt Ambroſius, & Auguſtinus. Nam Origenes quidem, & Chryſoſtomus altiùs euolant, qui hoc referunt ad diuinam prædeſtinationem, atque æternam electionem, vt illud ad Galatas [f]: *Qui me ſegregauit ex vtero matris meæ.* Eiuſdem generis ſunt illa Ieremiæ [g]: *Priuſquàm te formarem in vtero, noui te.* Et Iſaiæ [h]: *Dominus ab vtero vocauit me*: quò fortaſſe reſpexit Irenæi interpres [i], qui pro ſegregato prædeſtinatum reddidit; vt veriſimile ſit, ſcripſiſſe Irenæũ Græcè προωρισμένος. Auctor commentariorum, qui Ambroſio inſcribuntur, alludi putat ad priſtinam Pauli profeſſionem, qui olim inter Iudæos Phariſæorum ſectam ſequebatur, quos ab Hebræa radice פרש *pherets*, quæ diuiſionem ac ſeparationem ſignificat, ortum duxiſſe tradit Epiphanius [k]. Sed neſcio, vtrum id, ad Apoſtolicũ inſtitutum quidquam pertineat. Quod verò hoc loco Origenes, ac Sedulius monent fuiſſe Paulum à Chriſto ad Apoſtolatum ſegregatum, quòd ipſius labores præuiderit,

quomodo

a lib. 1. de Eccleſ. off. c. 25.
b cap. 24.
c lib. 1. c. 70.
d ad Hebr. 1.
e Ep. diu decret. lib. 5.
f de Trinit. & ſi. 1. ad Placidiam ſub finem.
g Orat. 2. cõt. Arrian.
h lib. 4. de fide cap. 10.
i lib. 1. de Trinit.
k Aduerſùs Praxeam c. 28.
l Tract. 33. in Ioann.
m lib. 4. c. 7.
n Diſput. cõt. Arrian. habitę Laodiceæ.
o ſer. 57. 58. in ſymb. & 60.
p lib. de fide ad Reginas. cap. 1.
q Dial. 3. de Trinit.
r lib. 3 in Marcion. cap. 15.
ſ cap. 3.
t lib. 2. de ira cap. 14.
u li. 2. or. inſt. cap. 8.
x lib. de Eccl. hierarc. c. 2.
y lib. 1. de ſacram. cap. 2.
z Hom. 6. ad pop.
a de vnction. chriſmat.
b Quæſt. 91. in Geneſ.
c lib. 1 pædag. cap. 7.
d lib. 7. de Incar. cap. 9.
e Geneſ. 32.
f lib. de his verbis; inſipuit Noe cum ſinem.
g 1. Ep. c. 7.
h cap. 4.
i cap. 15.
k 2. ad Cor. 5. 20.
l Initio expoſit. inchoatæ in hanc Epiſtolam.

a Lipſius lib. 1. de Rom. mil. Dial. 8. in principio.
b lib. de pudic. c. 14.
c cap. 16.
d cap. 1. 12.
e cap. 13. 2.
f cap. 1. 15.
g cap. 1. 5.
h cap. 49. 1.
i lib. 3. c. 11.
k Hær. 16.

quomodo ſæpè aliàs loquitur Chryſoſtomus;ſi perinde accipiatur, quaſi illa prænotio vocationis, aut electionis cauſa, ſeu ratio fuerit, ab Auguſtini, ac ſaniori Theologorum ſententia abhorrere videtur: atque haud ſcio, an aliquo modo ad errorem Pelagij pertineat, vt alibi doceo. Quòd ſi accipiatur, quaſi conditio afficiens (vt cum Scholaſticis loquar) prædeſtinationis obiectum, nihil verius. Elegit enim Paulum, vt ſtrenuè pro Euangelio, ac fide Catholica inter Gentes laboraret, omninóque id futurum vidit, quod vt certò, atque immutabiliter fieret, ipſe præfiniuit. Neque id vllo modo ab Auguſtini de prædeſtinatione ſententia diſcrepat, cuius ſunt hæc verba [a]: *Elegit autem ſicut dicit Apoſtolus, & ſecundùm ſuam gratiam, & ſecundùm illorum iuſtitiam.* Paucis autem interiectis, Chriſtum in hunc modum loquentem inducit: *Illos elegi, quia vidi mentes eorum de me praſumentes, non de ſe.* Quo tamen loco electionem meritis nulla ratione tribuit. Verùm quod attinet ad Græcam vocem ἀφωρισμένος, iudicium ſeponentis, ac ſecernentis ſignificat. eſt enim ἀφορίζειν non ſolùm ſeparare, ſed id certo conſilio, ac ratione facere; quapropter medici ἀφορισμοὺς vocant leges abſolutè, breuitérque pronuntiatas. Fateor tamen (quod monet Auguſtinus [b]) neminem facilè diuinæ electionis conſilium aſſequi poſſe, quæ ſine certa ratione non fit tamen; ſed illa ad Deum, qui eligit, non ad homines, qui eliguntur referenda eſt. Iam verò quod attinet ad rem ipſam, ſunt qui putẽt hæc verba, *ſegregatus in Euangelium*, eſſe quamdam Apoſtoli definitionem, quòd Euangelij prædicatio ſit præcipua functio muneris Apoſtolici. Ego aliquid ampliùs ſignificari nõ dubito, id eſt, ſingularem aliquam, ac propriam Pauli electionem ad omnes gentes Euangelio imbuendas, vt mox pluribus docebit, atque idcirco omnibus aliis curis ſolutus, hoc vnum agebat, vt Chriſti Euangelium, fidémque promulgaret. *Non enim* (inquit [c]) *miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare.* Itemque [d]: *Et ſi euangelizauero, non eſt mihi gloria: neceſſitas enim mihi incumbit. væ enim mihi, ſi non euangelizauero.* Nec diſplicet quod adnotarunt nonnulli, in Apoſtolatu Pauli duplicem ſpectari poſſe cauſam ſegregationis, alteram quia extra duodenarium numerum fuit; alteram quòd potiſſimum fuerit ad gentes erudiendas, euangelicíſque præceptis informandas deſtinatus. de qua re ipſe ſcribit ad Galatas [e]: *Cùm cognouiſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis, vt nos in gentes, ipſi autem in circumciſionem.* Quam poſteriorem rationem maximè probat Sedulius.

VII. Segregatum autem ſe dicit *in Euangelium. A ſupernis legationibus* (ait Cyprianus [f]) *incipit Euangelium, cuius primi dictatores Angeli extiterunt; nec iam in manibus Prophetarum ſimilitudines, & ænigmata inuoluuntur, ſed Angelorum iubilo, & hominum ſtylo, & euidenti rerum indicio conſtant, & conſonant ſimul promiſſa, & data, vmbríſque remotis lex, & Euangelia ſunt vnita.* Meritò autem cauendus eſt hoc loco Origenes, qui aliud neſcio quod æternum Euãgelium comminiſcitur: de quo in Apocalypſi [g], cùm hoc ipſum Chriſti Euangelium idcirco dicatur æternum, quòd nulla recentiori lege mutandum ſit, vt accidit legi Moſis, quæ Euangelio ceſſit; vel quòd beatæ, ac ſempiternæ vitæ pollicitationem contineat; plena autem ſunt oracula Prophetarum vaticiniis, quæ ad Euangelicam prædicationem pertinẽt. Euangelij porrò nomen ita factum eſt Eccleſiaſticum, vt alias penè omnes ſignificationes amiſerit, & bonum fauſtúmque nuntium ſignificet, non alium, quàm Chriſtum humanæ ſalutis auctorem. Apud veteres donum ſignificabat, quod lætum nuntium afferenti conſueuerat offerri: nonnunquàm etiam ſacrificium pro læto nuntio. Neque id à ſcripturarum conſuetudine abhorret. quod enim legimus in libris Regum [a]; *Non eris boni nuntij baiulus*; à Septuaginta his verbis exprimitur; ὧν ἀνὴρ εὐαγγελίας; hoc eſt, non dabitur tibi boni nuntij merces. Sic etiam alibi: Neque magnoperè laborandũ eſt quidquid dicat Oecumenius [b], quomodo accipiatur hoc nomen, an pro re læta quæ nuntiatur, id eſt, Chriſti aduentu, an verò pro Chriſti fide, & prædicatione, aut eius vitæ hiſtoria; doctrina denique à Chriſto tradita, quæ multa complectitur. Hæc enim omnia Euangelij nomine cenſentur, & eodem penè recidunt, vt putidum ſit illa ſpinoſiùs diſtinguere.

2. I. QVOD ANTE PROMISERAT PER, &c. Ad nouitatis ſuſpicionem amouendam hæc addita ſunt. *Ex veteribus* (inquit Athanaſius [c]) *noua & vetera nouis conteſtata redduntur: qui igitur iſta inficiantur, quomodo illa agnoſcent?* Mox autem his Pauli verbis prolatis ſubdit: *Quin & ipſe Dominus locutus eſt; ſcrutamini ſcripturas, quoniam ipſæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.* Latebat lex Euangelica in lege Moſis, vt obſeruatum eſt à B. Gregorio [d]: *Quod enim teſtamentum vetus promiſit, hoc nouum exhibuit; & quod ille occultè annuntiat, hoc iſtud exhibitum apertè clamat. Prophetia ergo teſtamenti noui, teſtamentum vetus eſt. & expoſitio teſtamenti veteris, teſtamentum nouum.* Multóque anteà Iuſtinus [e]. *Quantum quidem* (inquit) *ad diſciplinam pertinet, Euangelium nihil à lege differt; quantum verò ad promiſſionem, & præſtationem ſpectat, multum hoc illi intereſt. quid enim lex eſt? Euãgelium prænuntiatũ. quid Euangelium? lex completa.* ait ergo, *quod antè promiſerat per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis.* Ita Chriſtus apud Ioannem [f] Iudæos ad ſcripturarum lectionem prouocat, vt verã fidem cõcipiant. *Scrutamini* (inquit) *ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.* Eſt enim inter vetus ac nouũ Teſtamentum mira conſenſio. mox autem explicans, quod ſit Euangelij argumentum, vel quæ ſubiecta materia, ſubdit:

3. I. DE FILIO SVO, QVI FACTVS EST, &c.) Non hæc refero ad Prophetas, aut ſcripturas, quaſi in illis Chriſtus Dei filius promitteretur, quomodo accepit Anſelmus, neque ad verbum, *promiſit*; quod videtur ſentire Theodoretus, quaſi promiſerit de filio ſuo Euangelium; ſed omnino coniungo cum nomine Euangelij. eſt enim Euangelium de filio Dei, vt vel hinc intelligi queat, Euãgelij nomine ipſam prædicationem ſignificari. Nunc enim Euangelij argumentum, eiúſque prædicationis præcipuum finem indicat, vt videlicet genuina Chriſti natura cunctis mortalibus pateſiat. Ad humanam porrò ſpectat illud τοῦ γενομένου; factũ ego malim interpretari, quàm genitum, ob eam maximè rationem, quam ſequitur Auguſtinus [g]. Neque hîc quidquam habẽt, quod arripiant Arriani, cùm omnis hæc oratio ad Chriſti humanitatem referatur, cuius reſpectu quamquã ob vnicam diuinam hypoſtaſim Dei naturalis, atque æternus filius dicendus eſt; homo tamen ille Chriſtus Ieſus, vi vnionis hypoſtaticæ nouam quamdam, ac temporariam filij rationem adeptus eſt. De qua B. Athanaſius [h]. *Verus quidem* (inquit) *filius Dei vnicus eſt, qui eſt & verbum, & Deus.* ἐστὶ δὲ καὶ ὡς ἄλλος υἱὸς ὑποποιηθεὶς διὰ τοῦ ναοῦ τοῦ σώματος αὐτοῦ. *Eſt quaſi alius filius adoptatus propter templum corporis eius:* vbi nõ duos filios, cum Neſtorio fingit, ſed duas in Chriſto filiationes diſtinguit: æternam alteram, ac diuinã, diuinæ naturæ iure; alteram, quæ hypoſtaticam vnionem comitatur, refertúrque ad creatam beatitudinem,

a Serm. 7. de verb. Dom.
b l. ad Simplic. q. 2. l. de bono perſeu.
c 1. ad Cor. 1.
d cap. 9.
e cap. 2. 9.
f de Chriſti Natiu.
g cap. 14. 6.
a 2. cap. 18. 22.
b Act. 1.
c Orat. 1. cõt. Arrian.
d lib. 1. in Ezech. hom. 6.
e Quæſt. 101.
f cap. 5. 39.
g Ser. 191 de tem. & q. 44. in nou. teſt. ſi tamen ille eſt auctor.
h in Diſp. habita cum Ario in Concil. Nicen.

rudinem, longè quidem prǽſtantiorem qualibet alia; ſed quæ tamen ab increata, quæ toti Trinitati communis eſt, infinito diſtet interuallo. Nec dubito hoc ipſum voluiſſe Paulū [a] ſignificare, cùm dixit, Chriſtum hoc maximè, beatis mentibus præſtare, quòd nobilius *præ illis nomē hereditauit*. Loquitur enim de nomine filij. Vtrū autem hæc noua filij appellatio, veram adoptionis obtineat ratione, diſputant Theologi, de voce potiùs, ac ratione dicendi, quàm de re ipſa altercantes. Illud probare nullo modo poſſum, quod video tamen nonnullis placere, vnionem hypoſtaticam ſuapte vi, abſque reſpectu ad hanc, vel illam perſonam diuinam tribuere naturæ aſſumptæ naturalem filiationē, quæ cum Trinitate tamquàm cum ſuo termino comparetur: tum quia inauditum eſt apud Theologos Trinitatem, quæ neque gignitur ipſa, neque gignendi exercet actionem, filium habere naturalem, veréque, ac propriè naturalem Patrem appellari: quādoquidem id ita eſt proprium perſonæ Patris, vt nulli prætereà cōueniat: tum quia ſi Pater, aut Spiritus ſanctus hypoſtaticè humanam naturam aſſumpſiſſet, neuter filius Dei naturalis dicendus eſſet, ſed ſuam quiſque retineret propriam hypoſtaſim, & appellationem, & ille quidem Pater, hic verò Spiritus ſanctus, neuter verò filius naturalis diceretur. & ad perſonas ſibi ex altera parte reſpondentes referretur in diuinis. Nec filius, qui verè nunc humanam ſibi naturam hypoſtaticè copulauit, alia ratione dicitur filius naturalis, non Trinitatis, ſed Patris, niſi quia diuina illa perſona eſt à Patre, ante omnem æternitatem genita, adeóque Chriſtus, qua hic homo ſingularis, hoc eſt ſubſiſtens hypoſtaſi verbi, eſt filius naturalis Patris: factus eſt tamen ob humanam naturam filius Dei *ſecundùm carnem ex ſemine Dauid*. Verùm autem dici poſſit propriè adoptatus, alibi videro.

a ad Heb. 1. 4

II. Certe qui hoc loco genitum interpretantur, vel vim vocis γενομένου ignorant, vel deprauato codice vſi γεννωμένου legerunt. Et Auguſtinus [b] teſtatur in non paucis codicibus ſcriptum fuiſſe, non factus, ſed natus, quo modo hoc loco legit Syriacus: ipſe tamen hanc noſtram vulgatam lectionem magis probat; & quidem meritò. Nam Chriſtus qua homo factus quidem dicitur, genitus propriè non item, niſi fortaſſe impropriè, ac metaphoricè, quomodo omnia creata dicuntur à Deo, tamquam à parente genita. Sic enim ait Iob [c]: *Quis eſt pluuiæ pater?* Et Petrus [d] iuſtificatos appellat quaſi modò genitos infantes. Cæterùm γίνομαι Græcè idem eſt, quod Latinè fio; γεννᾶν autem eſt gigno. Quocirca B. Cyrillus [e] ἀγένητον, quod eſt à verbo γίνομαι, hoc eſt infectum, vel increatum putat eſſe toti Trinitati commune; ἀγέννητον verò à verbo γεννάω, id eſt ingenitum, proprium Patri. Idem anteà docuerat Athanaſius [f], qui addit hanc vocem ἀγένητον ab Eccleſia fuiſſe excogitatam, nullo ſcripturæ teſtimonio. Sed rem totam omnium optimè declarat Damaſcenus [g]; nec diſſentit Baſilius [h], qui prætereà [i] addit (quod etiam plures [k] alij tradiderunt) abſtinuiſſe veteres propter periculum ab hac voce. certè Dionyſius [l] Areopagita Deum abſolutè vocat ἀγένητον, id eſt, infectum, vel increatum [m]. Athanaſius ex his, & ſequentibus verbis colligit vnam eſſe, eamdémque perſonam Chriſti, duplici natura conſtantem.

b lib. 11. aduerſ. Fauſt. cap. 4.
c cap. 38. 28.
d ep. 1. c. 2.
e lib. 11. Theſaur.
f in Diſp. contra Arium.
g lib. 1. c. 9.
h lib. 1. contra.
i lib. 2. & 1. contr.
k Athanas. de decret. Nicęna Synod. & orat. 1. cont. Arian. Cyril. lib 1. c 5. li 11. per totum. & Dial. 2 de Trinit. Epiphan. hær. 73. Amb. li. de incarn. Dom. c. 8. 9
l cap. 9. de diuin nominib
m lib. de aſſump homin.
n cap. 5. 2.

III. Abvndare autem videtur (quod alij obſeruarunt) pronomen *Ei*, quod in pleriſque vulgatis codicibus, atque etiam in Romana editione legitur, in Græcis nuſquàm, ac ne in pleriſque quidem Latinis reperitur: quamquàm non eſt ea loquendi ratio à ſacrarum literarum conſuetudine prorſus aliena. Sic enim legimus apud Micheam [n]: *Ex te mihi egredie-*

A *tur:* Et in Geneſi [a]: *Vocauit Abraham nomen filij ſui, quem genuit ei Sarra Iſaac:* Itémque [b]: *Filia ſum Batuelis filij Nachor, quam peperit ei Melcha.* Denique [c], *Putas ne centenario naſcetur filius?* Agnoſcitur tamen, atque explicatur pronomen illud à Chryſoſtomo, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, neque pugnat, quod nonnulli obiiciunt, Chriſtum non Deo, ſed nobis, hoc eſt, ad noſtram vtilitatem hominem factum. Nam Incarnationis quidem vtilitas, ac fructus ad nos pertinet, honor verò & gloria in Deum redundat. Quod Angeli, nato Chriſto, Paſtoribus affirmarunt: *Gloria in excelſis Deo* (inquiunt) *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Pax videlicet illa, quæ oritur ex bona voluntate, qua Deus hominum generi reconciliatus eſt. Conferendus autem eſt hic
B locus cum illo, qui habetur ad Galatas [d]. *Factum ex muliere, factum ſub lege.* Sobolem certè Dauidis appellat non modò illius poſteritatem, ſed (auctore Primaſio) ipſam B. Virginem, quæ ex Dauidis ſtirpe orta eſt: de qua Chriſtus proximè carnem ſumpſit, quam virgam de radice Ieſſe vocari ab Iſaia [e] exiſtimat Hieronymus [f], quē alij deinde ſecuti ſunt. Rectè autem ex hoc loco argumētatur Tertullianus [g]: *Ergo ex ſemine Dauid caro Chriſti: ſed ſecundùm Mariæ carnem ex ſemine Dauid, ergo ex Mariæ carne eſt, dum ex ſemine eſt Dauid: quocumque detorſeris dictum, aut ex carne eſt Mariæ, quod ex ſemine eſt Dauid; aut ex Dauid ſemine eſt quod ex carne eſt Mariæ.* Sequitur deinde apud Paulum, *ſecundùm carnem.*

a cap 21. 3.
b cap 24. 24.
c cap. 17. 17.
d cap. 4. 4.
e Iſa. 11.
f in eum locum.
g lib. de carne Chriſti ca. 22.

Ex hoc loco Irenæus [h] rectè colligit, errare illos, IV.
C qui nihil Chriſtum aſſumpſiſſe ex Virgine impiè mentiuntur. conſentiunt ea, quæ idem Apoſtolus ſcribit ad Galatas [i]. *Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere.* Cæterùm inquit Irenæus: *Superuacua eſt in Mariam deſcenſio eius. quid enim in eam deſcendebat, ſi nihil incipiebat ſumere ab ea?* Et Tertullianus [k]: *Cur homo Chriſtus, & filius hominis, ſi nihil hominis, & nihil ex homine? niſi ſi aliud eſt homo, quàm caro, aut aliunde caro hominis, quàm ex homine, aut aliud eſt Maria, quàm homo.* Ex iis verò verbis, quæ mox ſubiiciuntur, non minùs argutè colligit idem Irenæus [l], vnum, atque eundem Chriſtum Deum eſſe, atque hominem, *qui factus ex ſemine Dauid ſecundùm carnem prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute.* Quod ipſum aptè hoc ipſo ex loco probat Athanaſius [m]:
D ſubdit igitur Paulus.

h lib. 3. c. 12.
i cap. 4. 4.
k lib. de carne Chriſti, & lib. 4. in Marcion. cap.
l Eod. lib. 3. cap. 18.
m lib. 1. de aſſumpt. hominis.

Qvi prædestinatvs est filivs.) Græca ferè exemplaria, quæ nunc teruntur manibus habent, ὁρισθέντος, id eſt, definitus, ſeu declaratus. Syriacus legit agnitus; quam interpretationem probat Oecumenius; quia ſolemus (inquit) διὰ ὁρισμῶν τινῶν, hoc eſt, *per diffinitiones quaſdam cognoſcere quæ firmiter, & non ambigendo cognoſcimus.* Itaque ὁρισθέντος videntur legiſſe Græci Patres, Origenes, Chryſoſtomus, Cyrillus [n], Theodoretus, Oecumenius. Et quidem Latinos codices, qui habent, *prædeſtinatus*; nominatim reprehendit Origenes, quem ſequitur Hieronymus [o]. Græcos codices viſus eſt probare Tertullianus [p]. Equidem crediderim noſtrum interpretem legiſſe προορισθέντος, & quidquid Origenes ar-
E guetur, non dubitant Theologi in ſcholis, prædeſtinationem Chriſti acuta, atque ſubtili ratione explicare, atque defendere, vt mox paucis indicabo. Certè ob Græcæ vocis ambiguitatem inter Græcos, ac Latinos explanatores ſeceſſio facta eſt: illi declaratum, ac demonſtratum interpretantur, vt Chryſoſtomus [q], Theophylactus [q], Theodoretus [q], Cyrillus [r], Damaſcenus [s]: Hi verò deſtinatum, ſeu prædeſtinatum; ſic Auguſtinus [t], Hilarius [u], Tertullianus [x], Concil. Tolet. ij. Nec diſcrepat hoc loco Origenes quamuis Græcus. tametſi enim negat, Chriſtum fuiſſe

4. I.
n lib. de recta fide ad Reginas ſub initium.
o ad Epheſ. 1
p lib. cont. Praxeam.
q hoc loco.
r lib 1. ad Reginas.
s lib 4. de fide cap 19.
t lib. 13. de Trinit. cap. 1 lib. de bono perſeuer. cap vlt li de prædeſtin cap. 1 tract. 105. in Ioann. in expoſit. inchoata huius ep.
u lib. 7 de Trinit.
x lib. cont Praxeam c. 27.
y cap. 1.

fuiſſe prædeſtinatum, admiſit tamẽ deſtinatum fuiſ- A ſe. Idemque viſus eſt ſentire Irenæus [a] ex interpre- [a Lib. 3. c. 18.] te, & vt nonnulli volunt, etiam Epiphanius [b], vt ni- [b Hær. 69.] hil dicam de Bernardo [c], qui cum Latinis, Lannus & [c Lib. 5. de cõſid.] ipſe, & ſentit, & loquitur. Vtraque ſententia huic loco congruit, quod in paraphraſi vtrumque expreſſimus. Id enim ante omnem æternitatem definitum eſt à Deo Patre, vt qui aliquando pro hominum ſalute naſciturus erat ex Virgine, ac Dauidis ſtirpe; & verè eſſet, & appareret Dei filius, eiuſdem naturæ, ac maieſtatis ſuapte vi, atque ingenio particeps. Quo ferè modo ſemper in ſacris literis accipitur verbum ὁρίζειν, vt in Actis [d] Apoſtolicis non ſemel, & in hac [d cap. 2. & 17.] ipſa Epiſtola [e] paulò pòſt, éſtque (auctore Dionyſio [f]) verbum planè theologicum, hanc autem in- [e cap. 8. 29. 30.] terpretationem hoc loco probandam eſſe docet his B [f cap. 5. de diuin. nomin.] verbis Auguſtinus [g]: *Rectè dicitur prædeſtinatus, non* [g Tract. 105. in Ioan. & in lib. de præd. SS. cap. 15.] *ſecundùm id, quod eſt verbum Dei Deus apud Deum. vt quid enim prædeſtinaretur, cùm iam eſſet quod erat ſine initio, ſine termino ſempiternus? Illud enim prædeſtinatum erat, quod nondum erat, & ſic ſuo tempore fieret, quemadmodum ante omnia tempora prædeſtinatum erat, vt fieret. Quiſquis igitur Dei filium prædeſtinatum negat, hunc eundem filium hominis negat: ſed propter contentioſos etiam hinc audiamus Apoſtolum in ſuarum exordio literarum. nam & in prima Epiſtolarum eius, quæ eſt ad Romanos, & ipſius Epiſtolæ principium eſt vbi legitur: Paulus Apoſtolus, &c. Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute, &c.* Rurſus (vt Græcorum ſententiam explicemus) qui natus ex Virgine filius hominis viſus erat, ſeſe ipſe Dei filium certiſſimis C argumentis comprobauit, ac declarauit. Quam ſanè ſententiam luculenter explicant Damaſcenus [h], & [h lib. 4. de fide orthod. c. 18.] Ambroſius in hunc locum, cuius ſunt hæc verba: *Hic ergo qui incarnatus, quod eſſet latebat, tunc prædeſtinatus eſt, ſecundum Spiritum ſanctificationis, in virtute manifeſtari filius Dei, cùm reſurgit à mortuis. adeo autem dixit ex reſurrectione Ieſu Chriſti, ſed ex mortuorum, quia reſurrectio Chriſti generalem tribuit reſurrectionem. Hæc enim maior videtur virtus in Chriſto, & victoria, vt ea poteſtate operaretur mortuus, qua operatus fuerat & viuus.* Cæterùm ne quis cum Origene miretur Chriſtum dici prædeſtinatum; ſic paucis rem expedio.

II. Si preſſiùs hæc Scholaſticorum more enucleanda ſint, obiectum prædeſtinationis eſt Chriſtus, vt D eſt hic homo, id eſt, ſubſiſtens in humana natura, terminus eſt ipſum hypoſtaticum eſſe, filij Dei, quod per ſe non includitur in hominis notione. Quamuis enim re ipſa ſubſiſtens in humanitate, ſit diuina filij perſona, mente tamen, & cogitatione concipi poteſt aliquid auulſum ab hypoſtaſi creata, & diuina, idque vi prædeſtinationis æternæ, quæ functio quædam mentis eſt, & refertur ad hypoſtaſim diuinam, quo potiſſimùm prædeſtinatio ab actione vera, ac tranſeunte diſtinguitur, quæ neceſſariò poſtulat aliquod ſingulare ſubſiſtens. Licèt enim verè, ac propriè dicamus hunc hominem, qui eſt Chriſtus, fuiſſe prædeſtinatum filium Dei, non eodem modo dicemus hunc hominem factum eſſe filium Dei; quia in priori propoſitione id quod ſubiicimit mentis opifi- E cio auelli poteſt ab hoc vel illo ſingulari, in poſteriori non item. Siquidem in huius hominis notione inuoluitur neceſſariò diuina hypoſtaſis, quæ iam intelligitur diuinam tribuere ſubſiſtentiam. Sed hæc fuſiùs à Scholaſticis petenda ſunt, & nos pluribus in diſputationibus rem totam Deo benè iuuante explicabimus.

III. Qvod addit Paulus ἐν δυνάμει κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, *In virtute per ſpiritum ſanctificationis*; pertinet ad filij, diuinæque eius naturæ, ac maieſtatis deſcri- A ptionem; prædeſtinatum eſt (inquit) vt Virginis, ac Dauidis filius, idem eſſet naturalis filius Dei, eiuſdem cum illo maieſtatis, poteſtatis, naturæ ſpiritalis, ac ſanctitatis, quam ſententiam in paraphraſi ſecuti ſumus. Scio alios aliter ſentire. Origenes putat deſtinatum fuiſſe, vt filius Dei primogenitus eſſet mortuorum; cui affine eſt quod recentiores quidam affirmant, prædeſtinatum eſſe, vt filius Dei ad nos veniret cum virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis ad reſurrectionem mortuorum. Ambroſius prædeſtinatum fuiſſe dicit, vt filius Dei ſeſe proderet. Auguſtinus [a]: *prædeſtinatum eſt, ait, vt ex reſur-* [a In expoſi. inchoata.] *rectione mortuorum ſederet ad dexteram Patris.* Alij aliter, ſed hæc videtur ſimpliciſſima, commodiſſimáque explanatio. nec diſplicet Auguſtini explicatio, B vt prædeſtinatum fuiſſe intelligamus, vt Chriſtus à mortuis reſurgens tamquàm Dei filius ſederet ad dexteram Patris, vel prædeſtinatã intelligamus gloriam humanæ naturæ in Chriſto, quam poſt reſurrectionem adeptus eſt. De qua hunc in modum alicubi [b] ſcribit. *Secundum hanc ergo prædeſtinatio-* [b Tract. 105. in Ioann.] *nem etiam glorificatus eſt, antequàm mundus eſſet, vt eſſet claritas eius ex reſurrectione mortuorũ apud patrem, ad cuius dexteram ſedet. cum ergo videret, illius prædeſtinatæ ſuæ clarificationis veniſſe iam tempus, vt & nunc fieret in redditione quod fuerat in prædeſtinatione iam factum, orauit dicens, & nunc clarifica me tu Pater apud temetipſum.* Quæ verò ſequuntur tot fermè habẽt explicationes, quot ſunt auctores: *In virtute ſecundùm ſpiritũ ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum.* C Iis autẽ prætermiſſis ne longum faciam, expeditiſſimã ac ſimpliciſſimã probaui. cæteræ enim vel Græcorum interpretationi congruunt, vel ordinem verborum inuertunt, ac magna ex parte perturbant. Igitur de δυνάμει ſimile quiddam legimus in poſteriori Epiſtola ad Corinthios [c]: *Viuit ex virtute Dei,* [c cap. 13. 4.] Græcè δυνάμει. De ſpiritu, præter id, quod legimus apud Ioannem [d]: *Spiritus eſt Deus*; huc referri poteſt [d cap. 4. 24.] quod ſcribit Petrus [e]: *Viuificatus autẽ ſpiritu*; ſic enim [e Ep. 1. c. 3. 18.] lego ex Græcis codicibus. Ob eam rem Tertull. [f] di- [f lib. de carne Chriſti.] uinam Chriſti naturam ſpiritalem vocat ſubſtantiam. Neque alienum videri poteſt, quod in priori [g] ad Ti- [g cap. 3. 16.] motheum ſcribit Paulus. *Manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatũ eſt in ſpiritu.* Rectè igitur vt anteà κατὰ σάρκα de Chriſto homine, ſic nunc de eius diuinitate κατὰ D πνεῦμα Apoſtolus dixit. ſic enim olim aduersùs hæreticos veteres Patres diſputabant, vt oſtenderent vnum, & eumdem Chriſtum paſſum eſſe ſecundùm carnem, nullo autem modo ſecundum diuinitatem; ſic namque Cyrillus [h]: *Quoniam dicitur mortuus in* [h lib. de rect. fid. ad Regin.] *carne, natura ineffabilis, id eſt, diuina à paſſionibus eſt aliena. ſua igitur carne paſſus eſt, cùm verbo ex Deo expers paſſionum eſſe ſoleat.* B. autem Athanaſius [i] in eam- [i lib. de Incarn. Chriſti.] dem ſententiam: *Idem* (inquit) *eſt, qui paſſus eſt, & non paſſus, diuina quidem natura incommutabilis, & inalterabilis, carne tamen paſſus, vt dixit Petrus.* Sed mirum cur addiderit ἁγιωσύνης, id eſt, *ſanctificationis.* An quia diuina illa Chriſti perſona, quæ ſibi humanam naturam hypoſtaticè copulauit, eam (vt ait Gregorius [k] Nazianzenus) diuinitate delibutam mi- [k Ep. ad Cledonium.] E rifico, ac ſingulari quodam ſanctitatis munere locupletauit, vſque eò, vt Chriſtus ipſe Deus, & homo fons eſſet, & origo omnis ſanctitatis? Meminit huius loci Tertullianus [l] his ferè verbis: *Qui factus* [l li. cõt. Prax. cap. 27.] *eſt ex ſemine Dauid ſecundùm carnem, hic erit homo: & filius hominis, qui declaratus eſt filius Dei ſecundùm ſpiritum, hic erit Deus, & ſermo Dei filius.* Eodem fermè modo Ambroſius: *Eum* (inquit) *qui erat Dei filius ſecundùm ſpiritum ſanctum, id eſt, ſecundùm Deum, quia Deus ſpiritus eſt, & ſine dubio ſanctus, factum dicit iuxtà carnem Dei filium ex ſemine Dauid.*

Ita Hebræorũ more poſuiſſe videtur Spiritum ſan-
ctificationis pro Spiritu ſancto, phraſi apud Prophe-
tas non infrequenti, qui gignendi caſu nominis ſub-
ſtantiui vtuntur per adiectiuo. *Virum* [a] *ſanguinum,*
ac doloſum : & [b], *Præuenisti eum in benedictionibus*
dulcedinis : & apud Salomonem [c], vbi nos legimus:
Mulierem fortem quis inueniet; Hebræi habent : *Mu-*
lierē fortitudinis. Cui affine eſt illud in libro Ruth [d] :
Mulierem virtutis. & apud Iſaiam [e] : *Vrbs fortitudinis.*
& [f] *Virum dolorũ*, & id genus alia penè ſexcenta. nã
& huc pertinere poteſt illud Oſeæ [g]. *Sume tibi vxo-*
rem fornicariam; Hebraicè, *fornicationis.* Dum au-
tem ait: *Secundum ſpiritum ſanctificationis*, finem præ-
deſtinationis Chriſti explicari nonnulli putant. Cur
enim prædeſtinatus eſt hic homo filius Dei? nimi-
rum vt vim, ac poteſtatem haberet ſanctificandi;
quaſi verò poteſtas excellentiæ non potuerit Ange-
lo, vel homini conferri. Quamobrem veri ſimilius
eſt hæc omnia, vt ſuprà diximus, ad filij periphra-
ſim pertinere, niſi quis malit *in virtute* poſitum eſſe
more Hebræorum, quaſi per virtutem, ac vim ſpi-
ritus ſancti, quod tamen videtur nimis durũ. Quor-
sùm enim ſpiritus ſancti vim, ac poteſtatem nomi-
net? An quia prædeſtinatio aliqua ratione potentiæ
tribuitur? Verum id quidem, ſed vt intelligitur ex
Auguſtino, qui aduerſus Pelagianos hoc frequenter
inculcat, hac ratione prædeſtinatio non Spiritui ſan-
cto, ſed Patri adſcribitur: Quod verò ſequitur: *Ex*
reſurrectione mortuorum, argumentum ſanè firmiſſi-
mum eſt ad Chriſti diuinitatem, & ſanctitatem de-
clarandam, quòd Chriſtus poſt mortem ad viuos
redierit; vt hinc totam fidei noſtræ rationem pende-
re exiſtimet Paulus [h]. *Si Christus* (inquit) *non reſur-*
rexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt fides ve-
ſtra; adhuc enim eſtis in peccatis veſtris. Multis autem
Græcæ, & Latinæ vulgatæ editionis verba fucum
fecerunt. ſic enim habent: *Ex reſurrectione mortuo-*
rum Ieſu Chriſti Domini noſtri; quæ ad verbum refe-
runt Græca, ἀναστάσεως νεκρῶν Ἰησοῦ χριστοῦ τοῦ κυρίου
ἡμῶν. Itaque Origenes, quem non pauci ſequuntur,
hæc verba refert non ad Chriſtum, ſed ad eos, quos
Matthæus [i] ad ſuperos vnà cum Chriſto rediiſſe cõ-
memorat, & ſeſe multis præbuiſſe ſpectandos. Alij
de fidelium anaſtaſi interpretantur, qui idcirco mor-
tui Ieſu Chriſti dicuntur, vt ab impiis, atque infide-
libus diſtinguantur. Sed de Chriſto ad viuos reuo-
cato accipienda eſſe haud dubium fuerit, ſi quis vim
huius rationis expenderit, ſimulque obſeruauerit,
ſæpè Paulum reſurrectionem mortuorum ſimplici-
ter ponere conſueuiſſe pro reſurrectione, vt in Epi-
ſtola ad Corinthios [k], & Hebræos [l] : ita reſurrectio
mortuorum Ieſu Chriſti, nihil aliud erit, niſi Ieſu
Chriſti reſurrectio ex mortuis. Quamobrem parum
omnino retulerit, an verba illa: *Ieſu Chriſti Domini*
noſtri, proximè referas ad reſurrectionem, quod fe-
rè faciunt vetuſtiores, an verò ad illa, quæ priùs di-
cta ſunt de ſpiritu ſanctificationis, quod recentiori-
bus magis placet. ſententia enim planè eſt eadem, ſed
antiquorum interpretatio multò videtur planior.
Chryſoſtomus, Theophylactus, & omnes Græci.
hic exiſtimant, Paulum triplici argumento probare
Chriſti diuinitatem. Primùm per virtutem, id eſt,
miraculorum efficientiam: deinde ex vi, ac faculta-
te ſanctificandi fideles: poſtremò ex ipſa Chriſti ana-
ſtaſi. Et ſanè ſi non prædeſtinatum ſed declaratum
interpretemur, quod paulò antè dictum eſt, verè
omnino aptéque omnia congruent. Sed ſi malimus
prædeſtinatum intelligere, hoc erit vnicum diui-
nitatis argumentum, atque idcirco cùm dixiſſet Pau-
lus: *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum*
ſpiritum ſanctificationis, ſtatim ſubdit; *Ex reſurrectio-*
A *ne mortuorum.* quaſi dicat, qui factus eſt filius ſecun-
dùm carnem ex ſemine Dauid, prædeſtinatus eſt vt
eſſet ſecundum ſpiritum filius Dei eiuſdem naturæ,
ac potentiæ particeps, idque ex reſurrectione à mor-
tuis apertè demonſtrauit. Ex quo enim Chriſtus ad
ſuperos rediit, eius diuinitas mortalibus proponi
cœpit, vt Auguſtini ſententia huc trahi poſſit; quaſi
prædeſtinatum ſit, vt Chriſtus à quo fideles ſpiritum
ſanctificationis, id eſt ſpiritum ſanctificantem per-
cipiunt, ſuo ad ſuperos ab inferis reditu, ſe Dei filium
declararet, qui patri ad dexteram conſideret, & ad
ſui cognitionem, & cultum cunctos mortales, vi
quadam mirifica adduceret. Atque ita alibi Pau-
lus ex Chriſti anaſtaſi, fidem Chriſtianam quaſi fir-
miſſimo argumento probat. Qui ergo factus eſt,
B ex ſemine Dauid ſecundum carnem, ſecundum ſpi-
ritum, hoc eſt vi ſuæ diuinitatis, ex reſurrectione
mortuorum ſe filium Dei declarauit, cum quia aſcẽ-
dit ad dexteram patris, tum quia omnes gentes ad
fidem ac religionem perduxit. Conſule (ſi placet)
paraphraſim. cùm verò addit: *Ieſu Chriſti Domini no-*
ſtri: Ambroſius obſeruauit, à Paulo, cæteriſque A-
poſtolis Patri tribui cognomen Dei, Chriſto verò
Domini: quod etiam adnotauit Dydimus [a]; ita ta-
men vt neque Deus Pater dominatu, neque Chri-
ſtus diuinitate ſpolietur, cùm tribus æquè perſonis
Dei, ac Domini nomina iure conueniant. Qua de
re Tertullianus [b] : *Deos* (inquit) *omnino non dicam,*
nec Dominos, ſed Apoſtolum ſequor; vt ſi pariter nomi-
nandi fuerint Pater, & Filius, Deum Patrem appellem,
C *& Ieſum Chriſtum Dominum nominem: ſolum autem*
Chriſtum potero Deum dicere, ſicut idem Apoſtolus, ex
quibus Chriſtus, qui eſt (inquit) *Deus ſuper omnia be-*
nedictus in æuum omne. nam & radium ſolis ſeorſim ſo-
lem vocabo: ſolem autem nominans, cuius eſt radius,
non ſtatim & radium ſolem appellabo. nam etſi ſoles duos
faciam, tamen & ſolem, & radium eius tam duas res,
& duas ſpecies vnius, & indiuiſæ ſubſtantiæ numerabo,
quam Deum, & ſermonem eius, quàm Patrem, & Fi-
lium. In eamdem ſententiam Anaſtaſius [c]. loquens
enim de Filio: *Non is* (ait) *ſolus Domini appellationem*
ſibi aſciuit, Dominus quippe eſt Pater: Dominus item
& Spiritus ſanctus; quemadmodum & ipſe Filius Deus
eſt, & ſpiritus dicitur & ſanctus. Ipſa autem appellatio-
num communis acceptio, vt ita dicam, diſpenſatoriè
D *enunciatur, vt ne homines impietatis occaſionem vllo pa-*
cto accipiant, ac proinde tres exiſtiment eſſe Deos. Qua-
propter ſcriptura diuina omnibus prouidens (ſic enim
omnino legendum cenſeo, non vt malè in pleriſque
codicibus habetur, præſidens) *omnem huiuſmodi*
ſuſpectam opinionem, Patrem quidem vocat Deum, Do-
minum autem Filium. Paracletum verò Spiritum ſan-
ctum. Etſi Scriptura pædagogi in morem diſpenſans hoc,
ne ſic quidem diuina appellatione Filium priuauit, non
item Spiritum ſanctum. Hoc ipſum in ſymbolo Apo-
ſtolico, ac Niceno licet obſeruare, quod non latuit
Rufinum [d], neque Clementem [e] Romanum, neque
Damaſum [f], neque denique Irenæum [g], & alios.
Eccleſia verò in quotidianarum precum clauſula
perpetuò Chriſto tribuit dominatum, vt Micrololo-
E gus [h], & Alcuinus [i] adnotarunt. Fauet & antiqua
benedictio, quæ habetur in liturgia Clementis; ἡ χά-
ρις τοῦ παντοκράτορος θεοῦ, καὶ ἡ ἀγάπη τοῦ κυρίου ἡμῶν
Ἰησοῦ χριστοῦ, καὶ ἡ κοινωνία τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔστω
μετὰ πάντων ὑμῶν, id eſt, *Gratia omnipotentis Dei,*
& caritas Domini noſtri IESV CHRISTI, *& com-*
municatio ſancti Spiritus, ſit cum omnibus vobis: con-
ſenſit & confeſſio fidei in liturgia Iacobi: & (quod
caput eſt) Paulus poſteriorem ad Corinthios Epi-
ſtolam his verbis claudit: *Gratia Domini noſtri Ieſu*
Chriſti, & charitas Dei, & communicatio ſancti Spi-
ritus

a Pſal. 5. 6.
b pſal 20. 4.
c Prouer. vlt. 10.
d cap. 3. 11.
e cap 26. 1.
f cap. 53. 3.
g cap. 1. 2.
h 1. ad Cor. 15. 14.
i cap 27. 52. 53.
k Ep. 1. c. 15.
l cap. 6. 2.

a lib. 2 de ſpiritu ſancto.
b lib. aduerſ. Prax, cap 13.
c lib. de recta noſtræ fidei dogmat.
d In expoſit. ſymb.
e lib. 7. conſt. Apoſt. c. 42.
f in ſymbol. apud Hieronym Ep. 18. 17
g lib. 3 aduer. hæreſ. cap.
h in obſeruat. cul c. 4.
i de off. Miſſæ.

ritus ſit cum omnibus vobis. Amen. Eodem fermè modo loquuntur Hilarius, [a] Auguſtinus, [b] Martialis, [c] Ignatius, [d] Irenæus, [e] Iulius [f] Firmicus, denique Ioannes [g] Pontifex Romanus.

I. PER QVEM ACCEPIMVS GRATIAM) Græcè δι' οὗ, videri poſſet intermediam cauſam, aut etiã inſtrumentum ſignificare. Sed quamquam hoc poſterius ad Arrianorum dogma ſpectare videtur, prius illud à Chriſto non eſt omnino alienum, quem fuiſſe Dei, hominúmque mediatorem agnoſcimus, quod fuſius ſuo loco explicabitur. Verùm vt vt ſit, nihil eſt neceſſe has philoſophicas ſubtilitates perquirere, cùm alias ſæpè Paulus hanc dicendi rationem ad exprimendam primariam cauſam vſurpet. ſic enim ait ad Galatas: [h] *Paulus Apoſtolus non ab hominibus neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum Patrem.* διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ καὶ θεοῦ πατρός. Plura de hac dicendi forma Baſilius. [i] Certè Origenes, & Ambroſius, qui Chriſtum tanquam mediatorem ſpectant, intermediam cauſam accipiunt: Chryſoſtomus verò diuinitatis reſpectu, primariam. Vtrumque rectè, vt ex dictis conſtat. *Per quem* (inquit) *accepimus gratiam, & Apoſtolatum.* Apoſtolicum munus gratiæ nomine intelligit, ſic ad Epheſios: [k] *Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc.* Vtrobique eſt Græca vox eadem χάρις. At tum in priori [l], tum in poſteriori [m] ad Timotheum legitur χάρισμα. Apoſtolatum igitur gratiam vocat, perinde quaſi dicat munus, ac dignitatem Apoſtolicam. Quamquam non me præterit, multiplices eſſe huius loci explanationes. Nam Theodoretus gratiæ nomine ſignificari putat ea diuina munera, quæ ad Apoſtolicas functiones rite obeundas à Deo immortali Paulo conceſſa eſſent: ſed vix credo Apoſtolum ea ipſo ſtatim epiſtolæ initio commemoraturum. Ambroſius gratiam iuſtificantem: (id verò minùs videtur credibile, ſiue quia aliàs Paulus dixerat ſe nihil ſibi conſcium eſſe, nec tamen ſe propterea iuſtum arbitrari, ſiue quia ſi ſolum velit ſignificare ſe fuiſſe ad fidem vocatum, quæ iuſtificationem affert, nihil magnum aut ſingulare diceret.) Sedulius vtrumque: Origenes tolerantiam rerum aduerſarum. quod prorſus videtur alienum. quorſum enim id quæſo nunc commemoret Paulus? Igitur Chryſoſtomi ſententiam præfero, qui gratiam, & Apoſtolatum idem valere exiſtimat. ſignificat autem ſe Chriſti ſingulari munere, ac beneficio apoſtolatum eſſe adeptum; quod initio non dixerat, qui ſolum ſe Apoſtolum vocatum eſſe ſcripſerat. ſic ad Galatas [n] dixit: *Cùm cognouiſſent gratiam, quæ data eſt mihi;* Græcè τὴν χάριν. Porro hoc loco nil moror grammaticos, qui pro Apoſtolatu apoſtolici muneris functionem dicere maluerunt. nam quod illi verentur ne quam ſibi dignitatem vſurpare videatur Apoſtolus; nihil mouit Chryſoſtomum, qui apertè vocat Apoſtolatum dignitatem, quod & facit Origenes, qui vim Græcæ vocis optimè norant, cùm eſſent Græci, & eius idiomatis valdè gnari.

II. AD OBEDIENDVM FIDEI. Syriacus; *vt obediant fidei nominis ipſius.* Rectè fidei tribuit obedientiam. quæ enim fide credenda ſunt, non euidentia rationis nituntur, ſed obſcura reuelatione. Quapropter verè Cyrillus [o] Alexandrinus. *Probatio* (inquit) *qua fides appretiatur, libera eſt.* Et Baſilius [p] negat fidem accedere per geometricas demonſtrationes, ſed niti in euidenti ſpiritus reuelatione. Hilarius [q] autem: *Fides* (inquit) *habet obedientiæ meritum, non cognitæ veritatis fiduciam:* quibus magnopere conſentiunt ea, quæ ſcribit Auguſtinus. [r] Rectè ergo Paulus obediendum fidei docet, atque idcirco alibi dicit: *Captiuantes intellectum in obſequium fidei.* Non

A enim (vt ſcribit Hilarius [a]) fides poſita eſt in quæſtionibus philoſophicis, quin potius, vt idem [b] alibi ait, *ibi habet meritum, vbi eſt ignorantia.* Auctor de Patris, ac Filij vnitate addit, *proprium eſſe fidei incomprehenſibilia credere.* Ita affirmant Theologi, ad fidem propenſionem, & piam, quam vocant, affectionem voluntatis eſſe neceſſariam. Et infrà hac ipſa Epiſtola [c] dixit Apoſtolus: *Non omnes obediunt Euangelio:* Et rurſus: *fides ex auditu.* qui ſenſus obedientiæ maximè tribuitur. [d] *In auditu auris obediuit mihi.* Quod autem ait; *Ad obediendum fidei*; Græcè eſt εἰς ὑπακοὴν, id eſt, *ad obedientiam comparandam*, videlicet vt Euangelij promulgatione omnes gentes ad obedientiam fidei pertrahantur, vt omnes gentes fidei obtemperent: eſt autem Hebræa phraſis obedire fidei,
B id eſt, aſſenſum præbere, fidẽ complecti. Quid verò Pauli apoſtolatus potiſſimum ſpectaret, mox explicans ſubdit: *In omnibus gentibus.* Finem enim explicat ſui apoſtolatus, & eſt ſenſus, collatum eſſe Paulo munus apoſtolicum, vt ipſius opera, & prædicatione omnes gentes ad obedientiam fidei pertrahantur, ſiue Gentium nomine omnes omnino mortales comprehendantur, ſiue quòd ſæpè alias gentes, à Iudæis diſtinguat, vt videatur Apoſtolus idem voluiſſe ſignificare, quod aliàs ad Galatas [e] ſcribit, ſibi collatam Apoſtolicam functionem inter Gentes potiſſimum exercendam. Priorem ſententiam, vt longè probabiliorem ſequutus eſt Auguſtinus [f], cui me facilem aſſenſorem præbeo. Porrò hic finis ad alterum præſtantiorem, ac nobiliorem tendit, id eſt, ad
C diuini nominis gloriam, atque honorem, quod in paraphraſi indicauimus: & alibi [g] ab ipſo Apoſtolo planiùs oſtenditur. *Vt clarificetur* (inquit) *nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti in vobis, & vos in illo.* Igitur Apoſtolatus refertur ad Gentium conuerſionem, vt videlicet etiam inter gentes Dei nomen, & gloria celebretur. Et quod attinet quidem ad Paulum, legimus in Actis [h] apoſtolicis. *Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filiis Iſrael.* Hac namque ratione Apoſtoli à mercenariis diſtinguuntur, quòd vnam Dei gloriam ſpectent. nulla priuatæ vtilitatis, aut commodi habita ratione; De quibus Ioannes in hunc modum ſcribit: [i] *Pro nomine eius profecti nihil accipientes.* Cùm

IV. verò ſubdit, *Pro nomine eius.* Ambroſius, & commen-
D tarij Hieronymi nomine inſcripti, itémque Sedulius pro Chriſti nomine dictum hoc loco putant, quaſi vice, aut nomine ipſius, ad eum planè modum, quo ad Corinthios [k] dixit Paulus, *ſe pro Chriſto legatione fungi*, vt Chriſti nomen pro ipſo Chriſto poſitum ſit, qui apud Ioannem [l] ait: *Sicut miſit me Pater, ita ego mitto vos.* Quem dicendi modum ſequitur Primaſius. Sed non ſatis probo, cùm præſertim commentarij, qui Ambroſio inſcribuntur ſuſpectæ ſint fidei, qui verò Hieronymi nomen præferunt, ab illius eruditione magnoperè abhorreant, & Pelagij putentur eſſe. Sunt qui velint hæc verba eſſe quaſi materiam, & argumentum fidei, vt videlicet dicat Apoſtolus, obedientiam fidei, quæ eſt de Chriſti nomine, vt ὑπὲρ poſitum ſit loco περὶ, quod inſinuat
E Oecumenius: certè ipſius interpres dixit, *ſuper nomine eius*, quomodo etiam reddunt recentiores omninò coactè, & parum ad rem: Chryſoſtomus explicat ad obediendum fidei, quæ eſt de nomine eius. Crediderim potius, *pro nomine eius*, vt in paraphraſi indicaui, poſitum eſſe ad id, quod modò dicebam, ſignificandum, hoc vnum muneri Apoſtolico propoſitum eſſe, vt Dei nomen in omnes gentes profefunction, & ab omnibus eo, quo par eſt honore colatur. Nam apud Græcos ὑπὲρ ſi gignendi caſui iungatur, cauſam ſignificat, ὑπὲρ τοῦ ἐξ ἴσης ἀποθνήσκειν *pro fama,*

a lib. 10. de Trin. ad finem.
b Epiſt. 39 ad Bezam.
h cap. 1. 1.
k cap. 3. 8.
l cap. 4. 14.
m cap. 1. 6.
n cap. 2. 9.
o Dial. 2. de Trin.
q Pſal. 118.

a lib. 2. aduer. Conſtan.
b lib. 8. de Trinit.
c cap. 10. 16.
d Pſal. 17. 45.
III.
e cap. 2. 7.
f Epiſt. 161.
g 1. ad Teſſ. 1. 12.
h cap. 9. 15.
i Epiſt. 1. 7.
k Epiſt. 2. cap. 5. 20.
l cap. 20. 21.

Quæ eſt Chryſoſtomi ſententia. nam qui paucis nomine proſperum rerum omnium euentum interpretantur, nimis humiliter de Apoſtolica ſalutatione ſentiunt. meliùs Theodoretus, qui pacem interpretatur omnem ſtudioſam virtutis actionem; quæ videtur eadem cum Chryſoſtomi ſententia. inde enim oritur pax, & tranquillitas animi.

III. GRATIAM addidiſſe videntur Apoſtoli, qui legem gratiæ, hoc eſt, Euangelium promulgarunt, eámque meritò paci præpoſuerunt, quod vera pax à gratia ortum habeat. Sic planè Tertullianus [a]: *Nam & hodie* (inquit) *Iudæi in pacis nomine appellant, & retrò in ſcripturis ſic ſalutabant.* Addit: *ſed deinde pacis nomine ſalutationi, & gratiam addiderunt, immò & præmiſerunt, quòd videlicet tam ſublimis gratia reſtituto per Chriſtum generationis humanæ, annuntiatores eſſent.* Apoſtolos imitatus eſt Ignatius [b], cuius meminit Gregorius [c] ad Patriarcham Antiochenũ. Olim veteres [d], qui à fide alieni eſſent nihil præter ſalutem, & quæ ad huius vitæ commoda ſpectarent, in Epiſtolis precabantur, quòd videlicet nihil optabilius aut agnoſcerent, aut ſperarent. Itaque initio Epiſtolæ ſiquidem adeſſet valetudo, gratulabantur, in fine conſueta clauſula eam itidem optabant. Plato quidem cùm anteà ſalutantes χαίρειν precarentur, eam formulam mutaſſe fertur in εὐπράττειν; & poſteriores vtramque ſalutandi rationem coniunxiſſe videntur. Itaque Græco more dixit Horatius [e]:

Celſo gaudere, & benè rem gerere Albinouano,
Muſa rogata refer comiti, ſcribæque Neronis.

Latini, vt ſcribit Seneca [f], vſque ad ipſius ætatem hoc ferè modo Epiſtolas inchoabant: *Si vales, benè eſt.* Ipſe vt erat philoſophiæ amator egregius: *& nos* (inquit) *dicimus: ſi philoſopharis, benè eſt: Valere enim hoc demum eſt, ſine hoc æger eſt animus.* Apoſtolicam ſalutationis formam retinuit Clemens, qui initio Apoſtolicarum conſtitutionum omnes fideles his verbis affatur: *Gratia vobis, & pax ab omnipotẽte Deo per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum abundet in cognitione ipſius.*

8.
I. PRIMVM QVIDEM GRATIAS AGO.) Fruſtrà quærunt nonnulli, quid ſecundo loco poſuerit Apoſtolus, quod reſpondeat voci *primum.* perinde enim eſt, ac ſi dicat (quod monui in paraphraſi) vt hoc meæ Epiſtolæ initiũ ſit. oſtẽdit autem ſingularem quamdam in Romanos animi propenſionem, ac beneuolentiam, qui pro ipſorum fide Deo gratias agat, quaſi illorum beneficium, ſuum putet; ideóque dicit, *Deo meo.* Gratias autem agit Deo per Ieſum Chriſtum, tamquàm per mediatorem, ſeu internuntium, & ſequeſtrem inter nos, & Deum; &, vt ait Origenes, tamquàm per ſacerdotem, vel quia, vt Oecumenius, & Theodulus monent, Chriſtus eſt auctor huius gratiarum actionis; quod in paraphraſi ſecuti ſumus; quippe Chriſti quaſi beneficium, & munus agnoſcit. Qui enim (inquit) vobis fidem diuinitus indidit, idem mihi hanc mentem iniecit, vt pro tam ſingulari beneficio in vos collato Deo gratias agam, quod ipſum pro magno munere duco. *Pro omnibus vobis*; quaſi dicat; veſtra omnium cauſa indicans fidem, de qua mox, eſſe omnibus, ad quos ſcribit, cõmunem. Porrò gratias agit Paulus pro Romanorum fide, cuius famam, aut etiam fructum ad omnes iam Gentes penetraſſe, vt deinceps Romana fides Catholica iure optimo ſit appellata. Huc videtur ſpectare quod ſcribit Tertullianus [g]: *Externi ſumus, & veſtra omnia implemimus, Vrbes, Inſulas, Caſtella, Municipia, Conciliabula, Caſtra ipſa, Tribus, Decurias, Palatium, Senatum, Forum, ſola Vrbis reliquimus Templa.* Clerus Romanus apud Cyprianum [h] ad hanc Apoſtolicã laudem reſpexiſſe videtur. Sic enim ait:

a lib. 5. in Marcion. c. 5.
b in Epiſt. ad Epheſ.
c Gregor. Magn. lib. 4. epiſt. 39.
d Tuſc. lib. 1. de ſenect.
e lib. 1. ep. 8.
f epiſt. 15.
g in Apolog. cap. 37.
h epiſt. 31.

Antiqua hæc apud nos ſeueritas, antiqua fides, diſciplina legitur antiqua, quoniã nec tãtas de nobis laudes Apoſtolus protuliſſet dicendo [a]: *Quia fides veſtra prædicatur in toto mundo, niſi iam exinde vigor iſte radices fidei de temporibus illis mutuatus fuiſſet.* Et Cyprianus ipſe eos reprehendens, qui pſeudographis literis Romanæ Eccleſiæ imponere cupiebant. *Nec cogitare* (ait) *eos eſſe Romanos, quorum fides, Apoſtolo prædicante, laudata eſt, ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum* [b]. Alibi: *Claruit, fratres chariſſimi, fides, quam de vobis B. Apoſtolus prædicauit: hanc laudem virtutis, & roboris firmitatem iam tunc in ſpiritu prouidebat, & præconio futurorum merita veſtra conteſtans, dum parentes laudat, filios prouocabat.* Inde (opinor) factum eſt (quod ſcribit Ambroſius [c]) vt Romæ qui baptizati eſſent, fideles dicerentur. Luculenter autem hac de re Hieronymus [d]: *Scito* (inquit) *Romanam fidem Apoſtolica voce laudatam huiuſmodi præſtigias non recipere, etiãſi Angelus aliter annuntiet, quam ſemel prædicatum eſt, Pauli auctoritate munitam, non poſſe mutari.* Et alibi [e]: *Romanæ plebis laudatur fides, vbi aliquando tanto ſtudio, & frequentia ad Eccleſias, & ad martyrum ſepulcra concurritur? Vbi ſic ad ſimilitudinem cœleſtis tonitrui Amen reboat, & vacua idolorum templa quatiuntur? Non quod aliam habeant Romani fidem, niſi hanc, quam omnes Chriſti Eccleſiæ; ſed quòd deuotio in iis maior ſit, & ſimplicitas ad credendum.* Neque aliter Theodoretus [f], qui de Vrbe Roma in hunc modum ſcribit: *Præcipuè autem, & inſigniter eam exornat fides, & fide dignus teſtis Apoſtolus.* Fauet etiam Irenæus [g]: *In qua* (inquit) *ſemper conſeruata eſt ea, quæ ab Apoſtolis eſt traditio.* Plura in eamdem ſententiam ſcribunt Chryſoſtomus [h], Lucius [i] primus, Fælix [k], & Marcus [l] Romani Pontifices, aliíque permulti. Quemadmodum autem qui imperio Romano ſuberant [m], iure quodam modo ciuitatis donabantur; ita qui fidem, quam Roma ſuſceperat, complexi eſſent, Romani dicebantur. Quocirca Theodoſius [n] iunior Catholicos ſacerdotes Romanæ religionis ſacerdotes appellat. Victor [o] Vticenſis hæreticum in hunc modum de Catholicis loquentem inducit: *Incipient Romani martyrem prædicare.* Princeps item Arrianus apud Gregorium [p] Turonenſem eodem prorſus modo de Catholicis loquitur: *Ingenium* (inquit) *eſt Romanorum*; quem dicendi modum [q] alibi frequenter idem auctor vſurpat.

II. FIDEM igitur Romani conceperant antequàm Paulus eos inſtitueret, docente potiſſimùm Petro, quem primùm Romæ diuinum verbum prædicaſſe poſt Euſebium [r], & ante illum, non pauci [ſ] tradiderunt. Porrò Apoſtolus in calce huius Epiſtolæ Romanorum obedientiam laudat. Hoc verò nomine commendatur Paulus à Tertulliano [t], quòd multas Eccleſias ſcientia, fide, & conuerſatione commendatas inſtituerit, & ob eam rem plurimùm gauiſus fuerit, Deóque gratias egerit. Nec me præterit, Clementem [u] Romanum memoriæ tradidiſſe, Barnabam multò ante Petrum Romæ Euangelium promulgaſſe: quod ipſum affirmat Dorotheus, & alij [x]. Verùm id vel ex ipſis Actis Apoſtolicis facilè refelli poteſt. Non enim Barnabas Romam venire potuit antequàm diuini ſpiritus impulſu vnà cum Paulo in collegium Apoſtolicum aſciſceretur, quod poſt Herodis mortem quarto Claudij anno accidiſſe videtur, cùm ante duos annos, hoc eſt anno ſecundo Claudij Petrus Romam venerit. Atque haud ſcio, an Paulus Prophetarum more tanto antè prædixerit, quod deinde re ipſa contigiſſe comperimus, vt fidei veluti riuuli ab Apoſtolica Romana ſede, tamquàm fonte diffluerent, & ad omnes nationes permanarent. nam Tertullianus [y] cùm aliquas Apoſtolicas

Eccle

a Epiſt. 51.
b Epiſt. 17.
c lib. 1. de ſacram. cap. 1.
d Apol. 3. cõt. Rufin. ſimilia habet in Ep. ad Pammac. & Oceanum. e in proœm. lib. 2. ad Galat.
f Ep ad Leonem Papam. ſimilia habet in hunc locũ.
g lib. 3. c. 3.
h in hunc locum.
i in quadam Epiſtola.
k Ep. ad Benignum.
l Ep. ad Athanaſ. & cæteros Ægypti Epiſcopos I.
m l. in vrbe Roma. ff de ſtatu homin. vel vt legit Alciat. lib. 1. diſpunc. c. 21. l. in Orbe Romano.
n Ep. ad Achaiũ Berœ. in Actis Cõc. Epheſ. tom. 1. cap. 10.
o lib. 2. de perſec. Vandal.
p c. 30 & c. 79. eiuſd. lib.
q de gloria martyrum c. 25.
r lib 2. hiſt. c. 14
ſ Chryſoſt. in Pſ 48 Arnob. lib. 2. cont. Gẽ. Leo. ſer. 1. de Nat. Apoſt. Oroſ l. 7. c. 6. Nicephor. l 2.
t lib. de præſcrip. cap. 17.
u lib recognit.
x Alex. Monach. apud Metaphraſt. in Homil. de laud. Barnabæ
y lib. de præſcrip. cap. 40.

mente, atque animi intelligentia ſeruire. Eſt autem apoſtolicum miniſterium idoneum ſeruitutis Chriſti inſtrumentum. Sic infra circumciſionem cordis in ſpiritu, non littera. Et in poſteriori ad Corinthios [a] *Idoneos* (inquit) *nos fecit miniſtres noui teſtamenti, non littera, ſed ſpiritus.* Quippe Deus, vt ait [b] Chriſtus, *in ſpiritu, & veritate adorandus eſt*; nec tam quærit externum cultum, quàm caſtam, & integram mentem, ac ſynceram caritatem; hanc tamen non modò non negligit, ſed magnoperè etiam probat, & laudat. Itaque ſpiritum intelligit Paulus mentem, animum, rationem, conſcientiam, non Spiritum ſanctum; quod videtur voluiſſe Chryſoſtomus; niſi fortè id indicauit, non potuiſſe Paulum eam Chriſto ſeruitutem præſtare ſuis duntaxat viribus nixum, ſed eguiſſe Spiritus ſancti munere, ac beneficio; quod eſt veriſſimum; omninóque probat Oecumenius, & ante illum ſignificauit Theodoretus, qui ſpiritum gratiam diuinam interpretatur. Eodem refero quod ait Theodulus, qui ſpiritu ſeruire ait, eſſe actione ſpirituali Deo miniſtrare; vel (quod ait Anſelmus) in ſimplicitate, ac ſynceritate, vel denique (quod alij) ex animo. Sed gratiam ſpiritus nunquam, credo, Apoſtolus ſpiritum ſuum appellaret, qui alios ſuos omnes labores diuinæ gratiæ tribuerat. *Non ego* (inquit) *ſed gratia Dei mecum, & gratia Dei ſum id, quod ſum.* crediderim igitur quod ſuprà poſui, & magis videtur probare Oecumenius, nec diſcrepant alij, quos poſtremo loco indicaui.

a Ep.2.c.3.6.
b Ioan.4.24.

10. I. QVOD SINE INTERMISSIONE, &c.] Simile quiddam dixit ad Timotheū; [c] *ſine intermiſſione habeam tui memoriam in orationibus meis*; ſignificans nunquam ſe orare, quin eorum memor eſſet, eóſque Deo commendaret. Veriſimile autem eſt, Paulum alluſiſſe ad id, quod ait Chriſtus apud Lucam: [d] *Oportet ſemper orare, & nunquàm deficere.* Quò ſine dubio ſpectaſſe videtur, cùm in priori ad Theſſalonicenſes [e] Epiſtola ſcripſit: *ſine intermiſſione orate.* Id qua ratione intelligendum ſit, quamquam multi magno ſtudio, ac labore quærunt, ij tamen ad veritatem propiùs acceſſiſſe videntur, qui ſemper, ac ſine intermiſſione, Græcè *πάντοτε*, & *ἀδιαλείπτως*, non continuationem temporis, ſed orationis inſtantiam ſignificare putant. Quòd non dies, ac noctes ſine vlla intermiſſione orandum ſit (quod omnino fieri non poteſt) non certis, & ſtatutis horis, quod homines Eccleſiaſtici facere debent, alij non neceſſariò debent; ſed quòd cùm à Deo quidpiam petimus, etiam ſi id non ſubitò conſequamur, minimè deſperandum, aut animo deſpondendum ſit, adeóque à precandi, petendíque ſtudio deficiendum, ſed inſtandum, pulſandum, iterum, iterúmque id ipſum magna contentione flagitandum. Hoc igitur de ſe ipſo Apoſtolus prædicat, affirmátque, vt ego quidem exiſtimo, ſe tum priuatis, tum publicis precationibus Deo Romanos ſedulò commendare, idque votis omnibus contendere, vt aliquando Deus commodam ſibi faciat Romam veniendi poteſtatem. Erat verò non caritatis ſolùm propria functio, quæ Dei reſpectu de proximorum ſalute ſolicita eſt; ſed ad muneris apoſtolici rationem quodammodò pertinebat, quæ præcipuè à Paulo Gentium Apoſtolo exigebat, vt pro eorum fide, non priuata ſolùm pietate, ſed publica religione vota faceret. Sic enim in re perſimili ad Traianum ſcripſit Plinius: [f] *Rogo* (inquit) *dignitati, ad quam me prouexit indulgentia tua, vel auguratum, vel ſeptemuiratum, quia vacant, adijcere digneris, vt iure ſacerdotij precari Deos pro te publicè poſſim, quos nunc precor pietate priuata.*

c Ep.2.c.1.3.
d cap.18.1.
e cap.5.17.
f lib.10 Ep.8.

II. OBSECRANS SI QVO MODO TANDEM ALIQVANDO PROSPERVM ITER HABEAM IN VOLVNTATE DEI VENIENDI AD VOS. Non eſt hæc Romanorum commemoratio, ſed ſuarum precum veluti materia, ſeu argumentum. à Deo enim petebat iter proſperum, & expeditum, vt Romam venire poſſet. oſtendit autem ſuam animi moderationem, qui omnia ſua Dei voluntati ſubijciat, dum ait; *In voluntate Dei.* Quo loco monet Theodoretus, non eſſe illos vllo modo ferendos, qui res caducas, & mortales nimia quadam auiditate à Deo ſimpliciter petunt, cùm Paulus id, quod ad multorum ſalutem referebatur, non niſi adhibita conditione poſtulet; ſi Deo placeat. Addit; *tandem aliquando*; quibus verbis (vt obſeruat Oecumenius) deſiderij magnitudinem declarat, vnáque oſtendit, ſe diu id optaſſe, nec dum impetrare potuiſſe. Ita videas rectè fuiſſe à B. Gregorio obſeruatum, nō ſemper ſanctorum precibus Deum annuere, ſi eorum vota ſpectentur; quamquam vt monet Auguſtinus, cùm non audit ad voluntatem, audit tamen ad ſalutem; cùm præſertim pro ſe ipſis orant, vt alibi copioſiùs doceo. Iam verò ad hoc ſuum deſiderium magis, ac magis explicandum ſubdit Apoſtolus.

DESIDERO ENIM VIDERE VOS.) Hoc pertinebat ad Pauli charitatem, & zelum, qui præſertim ſciret ſibi Gentium Eccleſiam peculiari ratione commiſſam: Vrbem verò Romam, *caput orbis effectam* (vt ſcribit Leo [a]) *latiùs poſſe præſidere religione diuina, quàm dominatione terrena.* Itaque cupiebat Romanorum fidem etiam, atque etiam confirmare, vt inde poſteà ad cæteras gentes, ac nationes eius firmitatis, ac conſtantiæ fructus redundaret. Interim alludit ad id, quod Chriſtus dixerat: [b] *Poſui vos vt fructum afferatis, & fructus veſter maneat*; vt planius facit paulò pòſt. Porrò Oecumenius exiſtimat, hinc colligi, Romanos vehementer nutaſſe in fide, vt non mediocriter eguerint confirmatione: quod mihi non videtur omnino neceſſarium. nam qui firmo & conſtanti animi aſſenſu, fidei adhæret; notarum tamen vel argumentis, vel exemplis magis ac magis confirmari poteſt: ſi præſertim dicentis auctoritas accedat. Obſeruat præterea Pauli modeſtiam, dum ait; *Aliquid impertiar gratiæ ſpiritualis*, quod tamen non eodem modo ab omnibus explicatur. Sunt qui ſpiritus chariſmata intelligant, quibus fides confirmatur; quod mihi non admodum probatur. illa enim fermè cum Baptiſmo concedebantur, vt ex Epiſtola ad Corinthios intelligi poteſt. Malim igitur accipere nomine gratiæ doctrinam, & præcepta ſalutaria, quibus fides Romanorum erudiri, & confirmari poterat; quaſi dicat, vt oratione mea aliquam vobis afferam vtilitatem. poterat enim Paulus vel noua & nondum ipſis cognita dogmata proponere, vel morum præcepta tradere, vel Eccleſiaſticam diſciplinam nouis legibus munire: quod apud alias gentes ac nationes fecerat. Hæc autem omnia meritò nomine gratiæ intelligi poſſunt, cùm præſertim ab inſigni magiſtro proficiſcantur. 11. I.

a Serm. 1. de SS. apoſtolis.
b Ioan.15.16.

ID EST SIMVL CONSOLARI PER EAM.] Nos in paraphraſi Græcam vocem *συμπαρακληθῆναι* tam ad Paulum, quàm ad Romanos retulimus, vt commune quoddam ſolatium ex mutua collocutione fideíque collatione optare videatur Apoſtolus. Quod etiam ſenſiſſe videtur Syriacus, qui ait; *ſimúlque conſolationem capiamus fide veſtra, meáque.* Obſeruat autem hoc loco Oecumenius Pauli modeſtiam, qui ſtatim mitigat quod de confirmatione dixerat. Nec dubitandum eſt, incredibili illum gaudio perfuſum iri, cùm animaduerteret, Romanos in fide, ſua oratione tum confirmari, tum verò inſtitui. Sic ſanè videntur accepiſſe Chryſoſtomus, & Theodulus; at Origenes & Baſilius conſolationem interpretantur 12. I.

pretantur ipſam inſtitutionem, & confirmationem fidei Romanorum. Sic enim Baſilius [a] explicat verba Pauli. *Deſidero videre vos, vt impertiar vobis donum aliquod ſpirituale ad confirmandum vos, hoc eſt, vt conſolationem capiatis in vobis per fidem mutuam veſtram, & meam.* Oecumenius: *Vt ego* (inquit) *vos, & vos me conſolemini, vel vt vos quidem à me ad fidem conſolatione ducamini, ego verò ad oblectationem alliciar, cùm vos credentes videam.* Alios etiam plures conſolationis modos explicat, qui non ſolùm ad Romanos, ſed etiam ad ipſum Apoſtolum magna ex parte pertinebant, vt etiam Chryſoſtomus, & Theodoretus inſinuant.

a In reg. breu. reſp. 226.

13.
I.
NOLO AVTEM VOS IGNORARE, FRATRES, &c.] An à Spiritu ſancto ſe prohibitum dicit? ſic ſanè Chryſoſtomus, & Sedulius. An à dæmone? Id B viſum eſt Baſilio. [b] An ab vtroque? Ita prorſùs Origenes. Rectè verò Gregorius: [c] Quæ Deus permittit dæmoni, ea occultam continere hominum vtilitatem affirmauit. Dum enim Paulus prohibebatur Romam adire, id non fiebat abſque magna eorum vtilitate, apud quos morabatur, id verò plerumque diuini ſpiritus impulſu accidere docet Lucas in Actis [d] Apoſtolicis. *Vetati ſunt* (inquit) *à Spiritu ſancto loqui verbum in Aſia.* Et mox: *Cùm veniſſent autem in Myſiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permiſit eos ſpiritus Ieſu.* Cæterùm Sedulius tantiſper ait, Paulum prohibitum in Vrbem venire, quoad Romani ad ipſius prædicationem percipiendam idoneè diſpoſiti, & comparati eſſent; quod in vniuerſum docuit ferè ſemper Chryſoſtomus, [e] præſertim cùm de C Apoſtolorum vocatione diſſerit. Nec diſcrepat Auguſtinus, qui aduerſus reliquias Pelagianorum diſputant, [f] probat, & explicat quod alibi [g] ſcripſerat tum apparuiſſe Chriſtum, *cùm ſciebat, & vbi ſciebat qui in illum eſſent credituri.* Qua de re alibi plura. Ego ſi dicendum eſt quod ſentio, ſimpliciter credo Apoſtolum dixiſſe ſe fuiſſe hactenus prohibitum, ne Romam veniret; quòd, vt dixi in paraphraſi, aliis erudiendis & inſtituendis Eccleſiis occupatus eſſet, quamquam potuit tanquam ad cauſam primariam ad Deum referri.

b Reg. breu. reſp. 171.
c lib. 1. moral. cap. 19.
d cap. 16. 6.
e Hom. 65. in Matth.
f de prædeſt. ſanctorū c. 9.
g Ep. 49. q. 2.

II.
Interim verò monet Oecumenius, non dixiſſe Paulum, vt aliquem fructum pariam, *ſed habeam*, vt oſtendat, audientium vtilitatem magnum eſſe docentis fructum, ſiue quia id facit charitas, ſiue quia is docendi, prædicandíque labor, non D poteſt non magnum coram Deo Euangelij præconi fructum afferre: indicat poſtremò (quod maximè videtur ad rem) alluſiſſe Paulum ad agricolas, qui arant, ſerunt, irrigant, vt ſegetem, atque vberem fructum aliquando colligant. Addit alium quemdam ſimplicem horum verborum ſenſum, vt dicat Apoſtolus, ſe hactenus prohibitum Romam venire, vt commodiori tempore veniret, quò aliquem ſui aduentus fructum colligeret: vel certè ſe tamdiu prohiberi, donec alibi paratos manipulos colligat. nam in fine Epiſtolæ indicat, ſe propediem Romam profecturum, quod in oriente vix quidquam ſibi ſupereſſet agendum. Addit Paulus, *ſicut in cæteris Gentibus*, quia Apoſtolus Gentium erat, earúmque ſalutem ſedulò procurabat: interim, vt obſeruat Oecu- E menius, Romanorum faſtum deprimit, dum eos veluti in ordinem redigit, & cum cæteris Gentibus nominat.

14.
I.
GRÆCIS, AC BARBARIS, &c.] Syriacus addit, *Quoniam omni homini debitor ſum ad prædicandum*: vt his quatuor generibus hominũ omnes mortales intellexiſſe videatur. Porrò Græcos aliter, quàm paulò pòſt intelligit. nam infrà dum ait *Iudæo primùm, & Græco*, & in Epiſtola ad Galatas: [h] *Non eſt Iudæus, neque Græcus*, Græcorum nomine complectitur om- A nes, qui à veri Dei fide ſunt alieni, vt obſeruauit Hieronymus: [a] ſic in [b] Marco vbi nos legimus, *Mulier gentilis Syrophœniſſa genere*, Græcè habetur, *Mulier Græca.* Hîc verò Græcos opponit Barbaris, quia olim Græci omnes præter ſe Barbaros appellabant, vſque adeo, vt ipſi etiam Romani Barbari dicerentur, quod apud Ætolos dixit Philippi Regis Orator, vt auctor eſt Liuius. [c] Atque haud ſcio, an hoc modo loquatur Seneca, [d] qui omnes Gentes in Græcos, ac Barbaros diuidens: *Nulla* (inquit) *gens eſt, quam non ira inſtiget, tam inter Græcos, quàm Barbaros potens.* Videntur enim Barbari eſſe, vt colligitur ex Paulo, [e] qui peregrina, & incognita lingua vtuntur. In ſequentibus autem temporibus Barbari dicti ſunt ij, qui Romano imperio non ſuberant; ſic ferè loqui- B tur Ammianus [f] Marcellinus. Eiuſdem locutionis nonnulla extant in Iure ciuili veſtigia. Poſt Iulianum autem apoſtatam, qui Gentilium impietatem reuocauit, Græci dicebantur ij, qui ad nefarium idolorum cultum defeciſſent. Ait ergo Paulus debere ſe Græcis, & Barbaris, id eſt omnibus.

h cap. 3. 28.
a ad Galat. 3.
b cap. 7. 26.
c lib. 33.
d lib. 3. de ira cap. 2. Vide eund. Senecā lib. 1. cap. 11.
e 1. ad Cor. 14. 11.
f l. 1. C. de fetuis fugit.

II.
Quod mox explicat; *ſapientibus, & inſipientibus*; humanitatis ſtudio cultis, atque incultis, idque vi muneris Apoſtolici, vt Chryſoſtomus, & Ambroſius ſenſerunt. *Græcis* debere ſe ſcribit, vt interpretantur Origenes, Theodoretus, Sedulius, & Anſelmus ob linguarum peritiam, *Barbaris* ob Domini præceptum, quo omnes Gentes fide imbuendas Apoſtolis commendauit *ſapientibus* ob acceptam ſapientiam in myſterio abſconditam; *inſipientibus*, ob patientiam, C & longanimitatem. Græcis ergo, & Barbaris ſe debere affirmat, id eſt, omnibus omnino Gentibus. De his enim dubitari poterat, num ad Euangelium pertinerent, cùm de Iudæis ambigeret nemo. Id verò Origenes ait ſpectaſſe Paulum, vt ſe Gentium Apoſtolum declararet. Fuerat enim præcipuè miſſus ad Gentes Euangelicis præceptis inſtituendas, ſiue illæ doctrina, atque eruditione præſtarent, ſiue planè rudes, atque incultæ eſſent. nemo enim eſt tam ferus, atque agreſtis, ac barbaris moribus præditus, qui nõ poſſit ad humanitatem flecti. ſic enim dixit quidã; [g]

Nemo adeò ferus eſt, qui non miteſcere poſſit,
Si modò culturæ patientem commodet aurem.

Chryſoſtomus Barbarorum nomine Romanos cõprehendit. ſic enim pertinaciter ſenſerunt Græci, D vt intelligi poteſt ex Ammonio. [b] Idipſum ſentit Ambroſius. Certè Iudæi ſua voce לעז *lobez* Barbarum vocant, qui lingua ſancta non vtitur. Ita Rabi Salomon Ægyptios vocat Barbaros, qui tamen, auctore Herodoto, [i] eam appellationem maximè refugiebant: & Elias [k] Iudæos, qui Italiam incolunt vocari ait לעזים *lobazim*, id eſt, Barbaros. Ioſephus [l] Iudæos ſuos more ſiue Græco, ſiue etiam Romano Barbaros nominat: & Ioſephus [m] Gorionis: *Qui poſt Ianum* (inquit) *regnauit Latinus, linguam barbaram illuſtrauit.* Sic Plautus Næuium poëtam Barbarum vocat. Ridiculus igitur iuxtà, atque impius fuit Celſus, qui, auctore Origene, [n] Chriſtianam fidem, atque doctrinam, idcirco contemnebat, quod æquè imperitis, ac ſapientibus communis eſſet, cùm hoc E ipſo nomine ſit in primis admiratione digna, quòd vtilitatis, ac dignitatis ſuæ fontes nemini clauſos eſſe patiatur. Nam hic quidem Solem eodem prorſùs modo reprehenderet, qui vbique gentium ſua luce diffuſa, cunctis mortalibus non exiguum ſuæ beneficentiæ fructum impertit. Sunt igitur in Chriſtiana religione quædam omnibus communia, quæ quidem ad fidem informandam, vitámque rectè inſtituendam, & mores denique componendos pertinent. Sed plurima tamen retinenda ſunt in arcanis, nec paſſim omnibus euulganda, quod fortaſſe inſinuauit

g Horat. lib. 1. Epiſt. 1.
b cap. de differentia.
i lib. 2.
k in Thiſbi.
l lib. 1. de bello Iudaico.
m lib. 1. c. 11.
n lib. 1. aduerſus ipſum.

nuauit hoc loco Paulus his verbis: *Vt aliquid imper-*
tiar vobis gratiæ ſpiritualis.

III. Item qve illis: *Vt aliquem fructum habeam in*
vobis, ſicut & in cæteris Gentibus. Quamquam me-
liùs ad Apoſtoli modeſtiam declarandam referun-
tur. Dixit autem Apoſtolus ſe debitorem eſſe, vt
obſeruat Oecumenius; vt indicet, quod alibi docet,
hoc ſe pro ſui muneris ratione recuſare non poſſe.
Nihil proprium (inquit) *trado, debitor ſum, vt Euan-*
gelium omnibus annuntiem, & compleam datum mihi
a Cor. 9. 16. *præceptum.* Ita[a] alibi dixit: *Neceſſitas mihi incumbit;*
væ enim mihi ſi non euangelizauero. Origenes aliò
trahit. nam qui omnium Gentium linguis loquere-
tur, omnibus debebat Euangelium proponere; quem
ſequuntur Theodoretus, Sedulius, & Anſelmus:
ſed ſuperiorem ſententiam præfero, quam Oecume-
nius hauſit à Chryſoſtomo, cui etiam conſentit Am-
broſius.

15. Itaqve qvod in me promptvm. &c.
16. Non enim erveesco evange-
I. livm. &c. Græcam vocẽ *πρόθυμον* alij reddunt, *para-*
tus ſum: Syriacus ſenſum potius, quàm vim vocis
exprimens: *Diligenter* (inquit) *ſatago*, nos diximus;
procliue mihi eſt; idémque eſt, quod ait vulgatus;
promptum mihi eſt; quaſi dicat, nulla eſt in me mo-
ra, id maximè habeo in optatis. idque ad Romano-
rum beneuolentiam demerendam plurimùm valet.
nam oſtendit ſe de illorum ſalute, vtilitatéque ſe-
dulò, ac diligenter cogitare, quod eſt amantis pro-
b Hom. 25. in Ep. ad Rom. prium. Alicubi[b] autem affirmat Chryſoſtomus, fuiſ-
ſe Romanos Apoſtolo Paulo in primis caros, idque
inter potiſſimas vrbis Romæ laudes numerandum
cenſet. Itaque ait; quoniam his omnibus debitor
ſum, nulla in me mora eſt quominùs quam primùm
ad vos veniam; Græcè eſt *οὕτως*, id eſt ita, quam
vocem Theodulus refert ad id, quod modò dixerat,
debitor ſum; quaſi dicat, vt cæteris debitor ſum, ita
vobis euangelizare paratus ſum: nec multò aliter
Chryſoſtomus, & Theodoretus; ſed proculdubio
vim habet inferendi; quaſi ex ſuperioribus colligat;
quia omnibus debitor eſt, ſe quoque Romanis pro-
II. mulgare Euangelium ſuo quodam iure debere. Por-
rò quod addit: *Non enim erubeſco Euangelium*; vide-
c Luc. 9. 26. ri poſſet alluſiſſe ad illud[c] Chriſti. *Qui me erubuerit*
coram hominibus, & Filius hominis erubeſcet eum co-
ram Angelis Dei. Is verò dicitur erubeſcere Chri-
d cap. 10. 33. ſtum, vel Euangelium, qui, vt dicitur in Matthæo[d],
Chriſtum negat in ſupplicijs, vel ſibi turpe, aut mo-
leſtum ducit pro illo aduerſa tolerare; quod Mar-
e cap. 8. 38. cus[e] dixit: *ὃς γὰρ ἂν ἐπαισχυνθῇ με*, noſter interpres; *qui*
me confuſus fuerit, id eſt, in me, quaſi dicat, qui me
erubeſcet. ſic enim loquitur hoc loco Apoſtolus: *οὐ*
γὰρ ἐπαισχύνομαι τὸ εὐαγγέλιον. Et ſanè Tertullia-
f in Apolog. aduer. Gent. cap. 21. nus[f] his ſententijs nixus, *nefas* (ait) *eſſe vlli de ſua*
religione mentiri. Ex eo enim, quod aliud à ſe coli dicit,
negat quod colit, & culturam, & honorem in alterum
transfert, & transferendo iam non colit quod negauit.
Et aliquanto poſt de Chriſtianorum conſtantia hunc
g cap. 27. in modum ſcribit[g]: *Igitur prouocati ad ſacrificandum*
obſtruimus gradum pro fide conſcientiæ noſtræ, qua cer-
ti ſumus ad quos iſta perueniant officia ſub imaginum pro
ſtitutione, & humanorum nominum conſecratione. Sed
quidam dementiam exiſtimant, quod cùm poſſimus, &
ſacrificare in præſenti, & illæſi abire, manente apud ani-
mum propoſito obſtinationem ſaluti præferamus; ſcilicet
conſilium, quo vobis abutamur. Sed ſi Euangelij no-
mine non Chriſtum, ſed ipſam prædicationem in-
telligit; erat profectò, vt docent Chryſoſtomus &
Theophylactus, quòd Paulus ob creditum ſibi euã-
gelizandi munus in Domino glorietur potiùs, quã
vllo modo pudeſieret; quod & ipſe Apoſtolus ali-

A cubi[a] affirmat his verbis: *Mihi abſit gloriari, niſi in* a Galat. 6. 14.
Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti; quæ eſt Euangelicæ
prædicationis pars præcipua: Putabatur tamen olim
Euangelij doctrina riſu, & contemptu digna, quæ
Chriſtum crucifixum tamquàm Deum colendum
doceat, quod[b] *Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus* b 1. Cor. 1. 23.
autem ſtultitia videbatur. Ita poterat ea res nonnihil
pudoris afferre, quod irriſioni, contemptionique
pateret. nam & Paulum Areopagitæ nonnulli irride-
bant; vt in Actis[c] Apoſtolicis ſcribit Lucas: quæ c cap. 17. 32.
verò eſſet de Chriſtianis in Vrbe Roma opinio, in-
telligi poteſt ex iis, quæ ſcribit Cornelius[d] Tacitus. d lib. 15. annal.
vocat enim illos *per flagitia inuiſos*, ipſam verò reli-
gionem *exitiabilem ſuperſtitionem.* Quæ cauſa fuit,
vt in confirmationis ſacramento ad hunc indignum
B pudorem abſtergendum, Crucis ſigno fronti indito
fideles inungantur, ne Chriſti nomen confiteri[e] eru- e Conc. Floren. & c. 1. de ſacra vnctio.
beſcant, præcipuè verò myſterium crucis. Egregiè cap. 1. de cognatio. ſpiritual, vbi Iod. Andr.
autem Auguſtinus[f]: *Vſque adeò de cruce non erubeſco,*
vt non in occulto loco habeam crucem Chriſti, ſed in fron-
te portem. Multa ſacramenta aliter, atque aliter acci- f in Pſ. 141.
pimus, quædam, ſicut noſtis, ore accipimus; quædam,
per totum corpus accipimus. Quia verò in fronte erube-
ſcitur, ille, qui dixit: Qui[g] *me erubuerit coram homi-* g Luc. 9. 26.
nibus, erubeſcam eum coram Patre meo, qui in cælis eſt,
ipſam ignominiam quodammodò, & quam pagani deri-
dent, in loco pudoris noſtri conſtituit. Audis hominem
inſultare impudenti, & dicere, frontem non habet: Quid
eſt frontem non habet? Impudens eſt; non habeam nudam
frontem, tegat eam Crux Domini mei. Atque haud ſcio,
C an eodem ſpectaſſe videatur Tertullianus[h], qui hanc h de præſcri. cap. 40.
ſignandi in fronte conſuetudinem exprimi dicit à
diabolo, *cuius ſunt partes interuertendi veritatem, qui*
ipſas quoque res ſacramentorum diuinorum in idolorum
myſterijs æmulatur, tingit & ipſe quoſdam vtique cre-
dentes, & fideles ſuos, expiationem delictorum de laua-
cro repromittit, & ſic adhuc initiat Mithra: ſignat illic
in frontibus milites ſuos. Monet autem Oecumenius,
appoſitè vſum eſſe Apoſtolum verbo erubeſcendi,
tum quia Romæ præcipuè Euangelica doctrina pro-
bro erat, & paſſim contemnebatur; tum quia Ro-
mani vrbis ſplendore, atque imperio clari criſtas eri-
gebant; & tamen Apoſtolus ſe ait non erubeſcere,
etiam inter ipſos, Chriſtianæ fidei, atque humilita-
tis profeſſionem, cùm præſertim vna Chriſti fides
D afferre poſſit ſalutem.

Vertvs enim dei est in salvtem IV.
omni credenti, Ivdæo primvm, et
græco. &c. Definitioñe Euangelij putat Origenes;
geminam verò virtutem diſtinguit; alteram ad per-
dendum, de qua Dauid[i]: *Diſperge illos in virtute tua;* i Pſ. 58. 12.
alteram ad ſalutem, de qua hoc loco Apoſtolus: al-
teram dexteram, alteram Dei ſiniſtram vocat: ad-
ditque Chriſtũ ipſum eſſe virtutem, & Euangelium
æternum, de quo Ioannes in Apocalypſi[k]; ſed ni- k cap. 14. 6.
mis (vt opinor) coactè, & ad Apoſtoli ſententiam
explanandam parùm accommodatè. Simpliciùs
Theodoretus: *In humilitate prædicationis Euangelicæ*
vim quamdam abditam latere dicit, vt in pipere ca-
lorem, in ſemine ſpicam, & culmum. quod illuſtri
E ſimilitudine indicauit Chriſtus apud Lucam[l] cùm l cap. 13. 19.
dixit: *Simile eſt Regnum cælorum grano ſinapis.* Quod
etiam dixerat apud Matthæum[m]. Doctrinam enim m cap. 17. 20.
Euangelicam, & Dei verbum grano ſinapis compa-
rari docent Chryſoſtomus[n], Theophylactus[o], Eu- n Hom. 47. in Matth.
thymius[o], Ambroſius[p], Hieronymus[q], Auguſti- o in Matt. & Luc.
nus[r], Beda[s]. Et Auguſtinus quidem ad ardorem, p Luc. 13.
& vim grani ſinapis referendum putat, quamquàm q in Mat. 17.
alij aliter explicant. At qua tandem ratione Euange- r ſer. 12. 13. de ſanctis.
lium dicitur virtus Dei? Mitto hîc quæ concionatu-
rientes hinc inde confarcinant. ſi Chriſtum Euange-

lij nomine accipias, qui illo potiſſimùm continetur: A quid ni dicatur: *Virtus in ſalutem*; cùm *nullum* [a] *ſit aliud ſub cœlo nomen in quo oporteat nos ſaluos fieri?* [a Act. c.4.12] Hoc ego modo interpretor id, quod de Chriſto legimus apud Lucã [b]: *Erexit nobis cornu ſalutis in domo David.* [b cap.1.69.] Tametſi enim non nego (quod affirmant Beda, Theophylactus, & Euthymius) cornu in ſacris litteris plerumque ſignificare regnum, vt apud Dauidem [c]: *Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernam Chriſto meo.* [c Pſ.131.17.] Eámque explicationem propoſitæ ſententiæ non ineptè conuenire, cùm verè in Chriſto erectum ſit regnum Dauidis, in quo vera, ac ſempiterna ſalus comparatur; tamen prior mihi explanatio & facilior, & ſimplicior videtur, vt cornu ſalutis Chriſti intelligatur, à tauris ducta metaphora, qui quò robuſtiores, ac ferociores ſunt, eo altiùs extollunt cornua, & quidem animalia cornuta, in cornibus ferè vim omnem, & robur habent. B

V. Quod ergo hoc loco Paulus ait: *Virtus Dei eſt in ſalutem*, hoc de Chriſto dicit Zacharias apud Lucam: *Erexit nobis cornu ſalutis.* eſt enim Chriſtus veluti diuina manus, ac poteſtas, quæ nobis ſalutem affert. Quòd ſi ipſam prædicationem intelligas, illa ſanè vitæ præcepta tradit, & viam ſalutis oſtendit, vt docet Iacobus [d] Apoſtolus in ſua Epiſtola: *In manſuetudine* (inquit) *ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras.* [d cap.1.21.] Itaque etiam illa verè dicitur: *Virtus Dei in ſalutem omni credenti.* Apage verò vt ſimplex, ac ſola Euangelij prædicatio, aut fides ſalutem afferat. Quis id præter hæreticos, inanes fidei iuſtificantis buccinatores, auſit affirmare? C Multa præter fidem deſiderantur ad vitam ſempiternam aſſequendam; ſed ſi fidem excluſeris, inania ſunt cætera omnia, quia, vt ait Apoſtolus [e]: *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* [e ad Heb.11.6]

VI. Verumtamen quod hîc docet Paulus, Euangelium ſalutem afferre *omni credenti*, perinde accipio, ac ſi dicat non niſi credenti, & credenti quidem ſemitam, qua gradiendum ſit, indicat, vires, & inſtrumenta ſufficit, quibus ſibi iuſtitiam, & gloriam comparet. Denique ad vitam perducit ſempiternam. Ita dixit Chriſtus apud [f] Marcum: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* [f cap.vlt.16.] Et apud [g] Ioannem: *Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* [g cap.7.38.] Et in veteri [h] teſtamento legimus: *Oculi Domini contemplantur vniuerſam terram, & præbent fortitudinem iis, qui corde perfecto credunt in eum.* [h 2.Paral.16.9.] D Et fortaſſe Euangelium legi opponit, quam alibi vocat *virtutem peccati*; quod non ſuo, ſed deprauatæ naturæ vitio, dum peccatum gratiæ præſidio deſtituta prohibet, ad peccandum quodammodò prouocare videatur. Verum autem gratiam ſanctificantem, an verò vitam beatam ſalutis nomine interpreteris, parum, aut nihil potius retulerit: altera quippe ab altera pendet; & altera ad alteram refertur tamquàm ad extremum. Certè non fruſtrà dixit, Euangelium afferre ſalutem *omni credenti.* Nam cùm lex Moſis vni duntaxat populo propoſita eſſet; Euangelium abſque vlla perſonarum acceptione pertinet ad omnes gentes; ſic enim dixit Chriſtus in Matthæo [i]: *Docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine Patris, &c.* [i cap.vlt.19.] E Multòque apertiùs in Marco [k]: *Prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* [k cap.vlt.15.]

VII. Addit *Iudæo primùm, & Græco.* Conſueta eclipſi vſus videtur Apoſtolus. cùm enim dixiſſet, *primùm*, conſequens erat, vt adderet, deinde, vel quidpiam ſimile: ſenſus autem eſt, primùm quidem propoſitum fuiſſe Euangelium Iudæis, deinde verò Græcis, hoc eſt Gentibus omnibus. Non igitur primùm gratiæ excellentiam, ſed ordinem ſignificat interprete Auguſtino [l], neque diſſentientibus Chryſoſtomo, & [l de ſpiritu & litera, c. 9.&c.] A Theophylacto; id quod Paulus, & Barnabas in Actis [a] Apoſtolicis ingenti animi conſtantia pronuntiarunt his verbis: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei; ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus.* [a cap.13.46.] Quod & mox Iſaiæ [b] teſtimonio confirmant. [b cap.46.] Eodem refert Gregorius myſtico, & morali ſenſu, quod legimus apud Iob [c]: *Qui trãſtulit montes, & neſcierunt hi, quos ſubuertit in furore ſuo.* [c cap.9.4.] Diuini enim verbi præcones ingenioſè montibus comparat, de quibus Dauid [d]: *Suſcipiant montes pacem populo.* [d Pſal.71.3.] Eos dicitur Deus immortalis tranſtuliſſe, cùm Apoſtolos à Iudææ obduratione ſubtraxit. tunc enim re ipſa præſtitum eſt quod vaticinatus erat Dauid [e]: *Transferentur montes in cor maris.* [e Pſal.45.2.] B Tranſlati namque ſunt montes in cor maris, cùm Apoſtoli a Iudæorum perfidia repulſi Euangelij facem gentibus prætulerunt. Porrò Syriacus pro Græcis dixit *Aramæis: Virtus* (inquit) *Dei eſt ad ſalutem omnibus in ipſum credentibus, ſiue Iudæis primùm, ſiue etiam ex Aramæis.* Quo nomine omnes Gentiles ſignificat. Oecumenius ait, *vocem primùm, verbi ſolùm honorem ſignificare, non gratiæ abundantiam: meritò autẽ primum à Iudæis exigitur fides quippe à lege, ac prophetis ſatis inſtructis, cùm Gentiles largiori egerent, & copioſiori inſtitutione.*

17. I. Ivstitia Dei revelatvr ex fide.) At quæ? Origeni illa, qua Deus ſine perſonarum acceptione cunctos mortales primorum parentum vitio damnationi obnoxios, adhibito Chriſto mediatore, C ad vitam reuocauit. Ambroſio iuſtitia veritatis, qua ſuam Deus priſcis patribus obligatam fidem re ipſa liberauit. Chryſoſtomo eximia in nos benignitas, munificentia, miſericordia, liberalitas. Hæc enim omnia non raro iuſtitiæ nomine cenſeri nemo negat. Theodoreto gemina, & qua nos Deus iuſtos, & ſanctos reddit; & qua Chriſtus Deo Patri pro hominum genere cumulatiſſimè ſatisfecit. Oecumenio omnis virtus. At nos in paraphraſi cum Auguſtino [f] iuſtitiam illam indicari diximus, qua qui fidem, & doctrinam Euangelicam ritè complectuntur, iuſti & ſunt, & nominantur. [f de ſpirit & lit. c.9.11.] Nec magnopere diſcrepant ij, qui [g] iuſtitiæ nomine intelligunt Chriſtum, qui, auctore [h] Paulo, *factus eſt nobis a Deo ſapientia, & iuſtitia*; quem olim optabant Prophetæ. [g Ruper.Tuitien.] [h 1. ad Cor. 1.30.] Iſaias [i] quidem: *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum*: [i cap.45.8.] D Et paulò pòſt: *Iuſtitia orietur ſimul.* Ieremias [k] autem: *Hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Dominus iuſtus.* [k cap.23.6.] Hebraicè יהוה *Iehoua iuſtitia noſtra.* Mirificè autem ſuperioribus congruit hæc explanatio, ſi virtutem in ſalutem intelligimus, vel Chriſtũ, vel ipſum Euangelium. apparet enim eſſe virtutem afferentem ſalutem, quando reuelatur Chriſtus ſalutis auctor, qui veram peperit iuſtitiam, quam lex pollicebatur, & indicabat, tribuere tamen non poterat [l]. [l Rom.3.22.] *Iuſtitia enim Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum.* Et rurſus [m]: *Ignorantes iuſtitiam Dei, & ſuam volentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti.* [m cap.10.3.] Item [n]: *Vt inueniar in illo non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt; ſed illam, quæ ex fide* E *eſt Chriſti Ieſu, quæ ex Deo eſt iuſtitia in fide.* [n ad Philip. cap.3.9.] Hæc iuſtitia reuelatur in Euangelio, id eſt, abſque vllo velo, abſque vmbris, aut figuris & promittitur, & conceditur, de qua ſic planè Auguſtinus [o], *hæc eſt iuſtitia Dei, quæ in teſtamento veteri velatur, in nouo reuelatur, quæ ideo iuſtitia Dei dicitur quòd impertiendo eam iuſtos facit, ſicut Domini eſt ſalus, qua ſaluos facit, & hæc eſt fides, ex qua, & in qua reuelatur.* [o lib.de ſpir. & lit.c.11.] & paulo antè [p] dixerat: *non dixit iuſtitia hominis, vel iuſtitia propriæ voluntatis, ſed iuſtitia Dei, non qua Deus iuſtus eſt, ſed qua induit hominem cùm iuſtificat impium. Ex fide in fidem.* [p cap.9.]

II.

fidem. Locum per ſe implicitum, atque obſcurum A multiplices explanatorum ſententiæ penè inextricabilem reddiderunt. Sunt enim qui hæc verba referant ad iuſtitiam, quaſi ea iuſtitia, quæ eſt ex fide in fidem in Euangelio reueletur. Alij cum verbo *reuelatur*, coniungenda putant, quaſi dicat Apoſtolus; iuſtitiam olim legis oraculis, ac vaticiniis incluſam palàm retectã in Euangelio proponi, tamquàm concedendam ex fide io fidem. Atque hæc quidem poſterior interpretatio magis videtur conſentire iis, quæ mox ſubdit Apoſtolus. *Iuſtus autem ex fide viuit*; quaſi ſignifieet ſemper fuiſſe ad iuſtificationem neceſſariam fidem ſiue implicitam, ſiue explicitam; atque idcirco veriſſimè dictum eſſe, iuſtum ex fide viuere. Sed quid ſit *ex fide in fidem* nondum liquet. Clemens [a] Alexandrinus: *Ex fide* (inquit) *eorum, qui incipiunt credere*, vel ex fide quaſi rudi, & inchoata, B qualis ante legem, & ſub lege fuit; in fidem proficientium, qui rerum diuinarum elaborata quadam ſcientia, & plurimorum myſteriorum cognitione præſtant: quæ nos in paraphraſi incrementa fidei vocauimus: ipſe verò Clemens [b] Alexandrinus augmentum, & perfectionem fidei; *videtur* (inquit) *Apoſtolus duplicem fidem annuntiare, vel potiùs vnam, quæ augmentum ſuſcepit, & perfectionem.* Ambroſius, & D. Thomas ex fide Dei promittentis (fidelitatem, ſeu veritatem interpretor) in fidem hominis credentis, vtrumque verè; ſed illud magis indicant Apoſtoli verba, quibus ſequentia connectuntur. ob id enim

a 2. & 5. ſtro.

b lib. 5. in princ.

III. ſequitur, *ſicut ſcriptum eſt. Iuſtus autem ex fide viuit*; quia omnes ante legem, ſiue ſub lege, ſiue in Euan- C gelio fide Chriſti iuſtitiam conſequuntur, quæ primùm infans quodammodò ante legem fuit, in lege quaſi adoleuit, in Euangelio autem ad ſuam maturitatem, ac veluti virilem peruenit ætatem. Auguſtinus [c]: *Ex fide* (inquit) *euangelizantium in fidem obedientium Euangelio.* Theophylactus, Oecumenius, & alij, *ex fide incipiente in fidem proficientem, atque indies augeſcentem.* Theodoretus, ipſéque adeò Oecumenius, *ex fide rerum præteritarum in fidem rerum futurarum.* Anſelmus, *ex fide vnius Dei in fidem Trinitatis, & ex fide primi aduentus Chriſti in fidem ſecundi, vel ex fide humanitatis Chriſti in fidem diuinitatis:* Alij ex fide informi ad fidem formatam: alij denique ex fide Prophetarum in fidem Apoſtolorum. Simpliciſſimam interpretationem crediderim eſſe D hanc iuſtitiã Dei, quæ ſemper fidei beneficio qualis qualis tandem ea fuerit hominum generi cõtigit, paſſim in Euangelio reuelari, tum quia apertiſſimè Euangelium docet homines peccatorum remiſſionem, verámque ſanctitatem cõſequi poſſe, tum quia ſacramenta continet, quorum vi, ac poteſtate & expiantur peccata, & gratia confertur, vt ex fide in fidem phraſis ſit ei perſimilis, quæ frequenter in ſacris literis legitur, *A generatione in generationem*; hoc eſt, omnibus generationibus: ita *iuſtitia ex fide in fidem.* Quæ varia, ac multiplici fide comparata eſt: vel, ſi placeat, cum reuelandi verbo coniungi *ex fide in fidem*, ſenſus erit, iuſtitiam Dei in Euangelio reuelari creſcente in dies, atque augeſcente fide; vt ſit Hebraiſmus ei ſimilis, quem legimus apud Daui- E dem [d]. *Ibunt de virtute in virtutem*, hoc eſt, in ſtudio, atque amore virtutis quotidie proficient; vel ſi ſequamur Græca exemplaria *ἐξ δυνάμεως εἰς δύναμιν*, de facultate in facultatem; hoc eſt in poteſtate agendi quotidie proficient. Nec repugnant Hebræi codices, ex quibus hoc modo vertit Hieronymus. Affine eſt huic dicendi modo id, quod legitur apud eumdem Apoſtolum [e]: *A claritate in claritatem.* Tertullianus [f]: *Transferentis ait ex fide legis in fidem Euangelij, ſuæ vtique legis, & ſui Euangelij.* agit enim contra

c de Spir. & litera c.11.

d Pſal. 83. 8.

e 2. ad Cor. 3. 18.

f lib. 5. in Marcion. c. 13.

A Marcionem, alium legis, alium Euangelij Deum cõſtituentem. Cautè verò accipiendum eſt quod apud Oecumenium dixit Acacius: *Iudæo quidem ex fide legis in fidem, quæ per Chriſtum eſt, Græco verò ex fide naturali in eamdem Ieſu Chriſti fidem.* neque enim vlla eſt fides naturalis de rebus diuinis, quæ naturæ viribus, aut naturali cognitione ſcientiaque conſtet, niſi fortè fidem naturalem impropriè eam vocet, quam Deus iis aliquando diuinitùs largitur, qui legi naturali obtemperant, nullámque habent legis Moſis, aut Euangelij notionem; ſed ea tamen fides ſimpliciter diuina eſt, ac ſupernaturalis. *Iuſtus autem* IV. *ex fide viuit.* Videtur Paulus hoc Prophetæ teſtimonio abuti, vt etiam ad Galatas [a], & Hebræos [b]. Nam ſi codices Hebræos ſequatur, omiſiſſe videtur pro- B nomen, *ſua.* Sic enim illi habent, *Iuſtus ex fide ſua viuet*; quam Aquila, & Theodotio, vt auctor eſt Hieronymus [c], non ineptè alio pronomine expreſſerunt; *Ex fide* (enim inquiunt) *eius viuet.* Symmachus, eodem referente Hieronymo [d], multò apertiùs: *Iuſtus per fidem propriam ſuam viuet.* Septuaginta, quos Hieronymus elementorum ſimilitudine deceptos putat, *ex fide mea* tranſtulerunt; pro ו *vau* enim videntur legiſſe י *iod*: quod etiam obſeruari poteſt apud Paulum in Epiſtola ad Hebræos, vbi ait, *Iuſtus meus.* Mirum autem videatur quod ait Hieronymus, Paulum hoc loco verba Prophetæ protuliſſe ex interpretatione Septuaginta, cùm tamen potiùs ad Hebræos codices reſpexerit. Veriùs id dixiſſet de loco Epiſtolæ ad Hebræos, vbi legitur; *Iuſtus autem meus* C *ex fide viuet*; vel igitur deprauatè apud Hieronymũ legitur ad Romanos, eiúſque loco reponendum eſt ad Hebræos; vel Græcos, & Latinos codices deprauatos habuit. Illud etiam nonnullam parere poteſt dubitationem, quod apud Prophetam tam in Hebræis, quàm in Græcis codicibus verbũ futuri temporis, non præſentis legitur, hoc eſt, *viuet*; vulgatus interpres apud Paulum verbum habet præſentis temporis, *viuit.* Quamquam enim Græcè legitur *ζήσεται* in futuro, id eſt, *viuet*; tempore tamen præſenti legiſſe videntur olim Tertullianus [e], Cyprianus [f], Ambroſius [g], Hieronymus [h], Auguſtinus [i]. At enimuerò parum omnino retulerit, quod quidem attinet ad ſententiam, hoc, an illo modo legas. Mihi fit valdè veriſimile leuiſſima litterulæ mutatione D nonnullos Latinos codices fuiſſe viriatos. Nec enim alij deſunt, qui futuro tempore legant, *viuet*; nec facilè vlla poterit veriſimilis excogitari ratio, cur credendum ſit voluiſſe Paulum tempus mutare hoc præſertim loco, vbi nominatim ſcripturam indicat; *ſicut* (inquit) *ſcriptum eſt*: verùm Romana editio Latinos quos nominaui, patres ſecuta, præſenti tempore legit, *viuit*; quod & nos fecimus in paraphraſi.

a cap. 3. 11.

b cap. 10. 38.

c ad Gal. 3.

d Abacuc. 2.

e lib. 5. in Marcion.

f De immortal.

g hoc loco, & in l. de fuga ſeculi c. 3.

h ad Gal. 3.

i Pluribus locis, ac fere ſemper cum hunc locum citat.

V. SED de re ipſa maior, ac difficilior oritur quæſtio. Sunt enim qui fidem apud Prophetam pro ſpe, atque expectatione accipiendã putent, perinde quaſi verba illa, *Iuſtus ex fide viuit*, nihil ſignificẽt aliud, quàm iuſtum ſpe futuræ liberationis, de qua ibi loquitur Abacuc, conſtantem futurum. Sic namque Chaldæa: *Ecce, impij dicunt in corde ſuo, non erunt hæc* E *omnia* (quæ Deus videlicet prædici iubet) *ſed iuſti in veritate eius, hoc eſt, Dei firmabuntur.* Quò ſpectaſſe videntur Septuaginta, qui Deum ſic loquentem faciunt: *Iuſtus autem in veritate viuet*; vel, vt legit B. Cyprianus [k]; *ex fide mea.* Sunt autem qui opinentur eo loco Prophetam literali, atque hiſtorico ſenſu agere de Iudæorum liberatione, & de Rege Nabuchodonoſor, déque fide, atque expectatione eius beneficij, verba illa eſſe intelligenda; vt tamẽ humani generis redemptionem, Chriſtíque liberatoris in nos beneficium myſticè contineri, præcipuéque à

k l. 1. cont. Iud. c. 25.

Spiritu ſancto ſpectari non negent. Quæ ſi admittatur ſententia, neceſſe eſt fateri Paulum Apoſtolum, vel Prophetæ vaticinio abuſum, qui quod ille dixit de fiducia, & expectatione transfert ad fidem iuſtificantem; vel fidei nomen hoc loco nihil à fiducia, & confidentia differre. Sed longè vero ſimilius eſt vaticinari Prophetam de Chriſto venturo, vt exiſtimauit Euſebius [a], & apertiſſimè docuit Hieronymus [b]; & vt cætera deſint teſtimonia, vnius Pauli auctoritas inſtar omnium eſſe poteſt. Ad Hebræos [c] enim cùm agit de ſecundo Chriſti aduentu, in hunc modum ſcribit: *Nolite amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem. patientia enim vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem Dei facientes reportetis promiſſionem. Adhuc enim modicum, aliquantulùmque, qui venturus eſt, veniet, & non tardabit. Iuſtus autem meus ex fide viuit.* Rectè autem dixit Propheta, iuſtum ex fide viuere; quia nemo ante aduentum Chriſti gratiam, & iuſtitiam conſecutus eſt, niſi per fidem Chriſti venturi. neceſſe igitur erat ex fide viuere, hoc eſt, fide Chriſti venturi gratiam, & iuſtitiam conſequi; atque idcirco Paulus cùm dixiſſet, iuſtitiam Dei reuelari ex fide in fidem, aptè ſubdidit: *Iuſtus ex fide viuit.* Eadem enim fides prorsùs eſt, quæ Chriſtum venturum ſpectat, & quæ iam veniſſe credit. Quocirca de eadem prorsùs fide loquitur Propheta, & Paulus. Sed cur iuſtus ex fide viuit? An ſola fides iuſtitiam præſtat? Id quidem ſuperioris ſæculi hæretici contendunt; ſed irrito conatu. nō enim alia ratione dicitur iuſtus ex fide viuere, niſi quia vita gratiæ, & iuſtitia abſque fide nulli mortaliū conceditur, etiam ſi legis obſeruatione maximè glorietur. Sic enim Paulus ad Galatas ait: *Quoniam autem in lege nemo iuſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt, quia iuſtus ex fide viuit, lex autem non eſt ex fide.* Conſulendus interim eſt Auguſtinus [d] multis locis. Optimè verò rem explicat Irenæus [e]. Iuſtus igitur ex fide viuere dicitur eo planè modo, quo ex radice [f] truncus, vt alibi copioſiùs oſtendam.

a lib. 6. demonſt. Euāg. cap. 14.
b Abacuc. 2.
c cap. 10. 35.
d l. 1. cont. duas epi. Pelagian. c. 4. 5. li. de perfect. iuſt. li. de ſpiritu, & litera ca. 12. l. 19. de Ciuit. ca. 4. in pſ. 129. lib 1. de ſerm. Domini in monte ca. 9. ſerm. 31. de verb. Apoſt.
e lib. 4. c. 67.
f Conc. Trident. ſeſſ. 6. can. 8.

I. Revelatvr enim ira Dei, &c.) Quorſum ſpecter hæc ſententia, meritò ambigitur. Cùm enim appareat ſuperiorum reddi rationem, non facilè ſtatuas ad quam potiſſimùm particulam referenda ſit. Sunt qui cenſeant pertinere ad illa verba, quibus anteà dixerat Apoſtolus, Euangelium eſſe virtutem in ſalutem omni credenti, Iudæo primùm, & Græco. Itaque Euangelium eſſe virtutem exiſtimant in ſalutem; id autem tum maximè verum eſſe comprobari, cùm (quod in Euangelio prædicatur) hoc aſpectabili mundo conflagratione abſumpto, vltor Chriſtus aduenìet, qui de improbis, ac ſceleratis ſupplicium ſumet. Omnino (quantum iudicare poſſum) coactè, & ad Apoſtoli inſtitutum parum aptè. Quid enim pereuntis mundi occaſus, aut iudicis extrema illa ſententia ad credentium ſalutem pertinet, vt eius veluti rationem continere credatur? Quis non videat perperàm omnino colligi, quia Chriſtus in Euangelio vltor ſcelerum aliquando futurus prædicatur, idcirco Euangelium eſſe virtutem in ſalutem omni credenti? Si diceret Paulus ſupplicium irrogari iis duntaxat, qui à fide alieni eſſent, poſſet id vtcumque pertinere ad probandum, Euangelium ſalutem afferre credentibus; ſed eos ait iræ diuinæ fore obnoxios, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent; hoc eſt, vt in paraphraſi diximus, qui veram de Deo notionem ſcelerum, ac flagitiorum veluti nube incluſam, & otioſam habent. Neque eos bonorum operum fructus edere patiuntur, quos illa ſuapte vi paritura erat. Igitur exiſtimarunt alij his verbis rationem contineri, non quidem totius ſuperioris ſententiæ, ſed extremæ illius particulæ, qua dixit Euangelium ſalutem afferre credenti, non ſolùm Iudæo, ſed etiam Græco. Itaque quod poſtremo loco de Græco, & Gentili dixerat, id nunc hac propoſita ſententia probat: ex ipſo enim Euangelio perſpicuum fit omnes omnino nationes iræ, atque indignationi diuinæ obnoxias eſſe, nec poſſe, niſi Euāgelij fide ſuſcepta, ab impietate, atque improbitate ad veram iuſtitiam, & ſanctitatem traduci. aliter namque Euangelicam fidem Iudæo, quàm Græco, aut Gentili neceſſariam videri. Illi quippe à fide in fidem quodammodo proficiebat, hic verò ab idololatria, atque impietate ad verum Dei cultum, verámque fidem Chriſti beneficio adducitur. Verùm hæc nimis fortaſſe ingenioſè, atque argutè excogitata ſunt: ad Apoſtoli quidem certè ſententiam explicādam, non facilè aptari queant. Iſto namque modo dicendum neceſſariò eſſet, ſuperiorem ſententiam, in qua agitur de iuſtitia, quæ in Euangelio reuelatur ex fide in fidem ad Iudæos duntaxat referri, cùm tamen non aliter, ac ſuperiora tam ad Iudæos, quàm ad Græcos pertineat. Si enim Euangelium virtus Dei eſt in ſalutem omni credenti, Iudæo primùm, & Græco, nec poteſt quiſquam ſalutem conſequi ſempiternam, qui non priùs iuſtitiam ſit adeptus: neceſſe eſt profectò iis omnibus aditum ad iuſtitiam præberi, quibus ad ſalutem pateat acceſſus. Nec facilè explicari poteſt, quorsùm Apoſtolus cùm Iudæis, & Græcis æquè ſalutem propoſitam eſſe dixiſſet, illis iuſtitiam, his verò iram cœlitùs doceat reuelari; cùm vtraque æquè ad vtroſque pertineat. niſi enim Iudæi fidem Chriſti complectantur, atque ex legis Euangelicæ præſcripto vitam, moréſque componant, non aliter iræ, atque indignationi diuinæ obnoxij degent, quàm Græci, aut Gentiles ſi in infidelitate perſeuerent, aut vitiis ſeſe, ac facinoribus contaminent. Quamobrem eorum præferenda explanatio videtur, qui hæc verba referunt ad proximam ſententiam, qua dixerat Paulus, iuſtitiam Dei reuelari ex fide in fidem; ſed qua id ratione fiat, non facilè quis ſtatuat.

II. Plavsibilis, atque admodum popularis eorum ratiocinatio videtur, qui Apoſtolum exiſtimant hac fermè ratione concludere. Euangelium vbique perſonat vniuerſum genus hominū flagitiis, atque ſceleribus implicatū teneri, atque ob id iræ, atque indignationi diuinæ obnoxium degere. neceſſe igitur eſt nulli mortalium vi ſuorum meritorum iuſtitiam, & ſanctitatem cōcedi: quo fit, vt vi fidei, & vnius Chriſti beneficio, ac liberalitate cunctis mortalibus ſit expectanda. Quapropter dum Euangelium prædicat, iram, ac ſupplicium diuinum vniuerſo hominum generi imminere, apertè oſtendit, nulli, niſi per fidem, patere aditum ad ſalutem. Crederem viris doctis, atque in ſacrarum literarum explanatione valdè exercitatis, niſi viderem hac interpretatione ampliſſimam Apoſtoli ſententiam nimis in anguſtum deduci. Nam quæ ſequuntur omnia nominatim quidem ad Gentiles pertinere nō nego, ſed non niſi, vt generali ſententia comprehenduntur, qua dixerat Apoſtolus reuelari iram Dei ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam, atque idcirco poſt enumerata [a] Gentilium ſcelera, quibus iram, & indignationem deberi affirmat, mox addit; *Tribulatio, & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm, & Græci.* Quæ cùm ita ſint, ſic mihi omnino perſuadeo, cùm dixiſſet Paulus in Euangelio reuelari iuſtitiam, eámque communem eſſe Iudæis & Græcis, eadem ratione ſubdere, improbis, atque iis, qui neglexiſſent iuſtitiam adipiſci, reuelari iram, & indignationem. Quod cùm de Iudæis, qui veri Dei notione præditi erant, in dubium reuocandum non eſſet,

a cap. ſeq.

eſſet, de Gentilibus verò, qui Dei ignoratione laborabant, ambigi vtcumque poſſet: id Apoſtolus vberiùs explicat, & confirmat, vt ex iis quæ ſequuntur planiùs conſtabit.

III. E x hoc verò loco, vbi Apoſtolus ait iram Dei
a lib. 5. aduer. Marcion. cap. 13. reuelari, colligit Tertullianus [a] iram, & veritatem ad eumdem Deum pertinere, quod Marcion negabat. *Ergo* (inquit) *& veritas eius erit, cuius & ira, quæ reuelari habet in vltionem veritatis, etiam adiiciens: ſcimus enim, quoniam iudicium Dei eſt ſecundum veritatem, & iram ipſam probauit, ex qua venit iudicium pro veritate. Et veritatem rurſus eiuſdem Dei confirmauit, cuius iram probauit probando iudicium. Porrò Dei ira vlciſcitur veritatem receptam primùm, deinde*
b ep. 2. c. 2. 21 *exploſam: Rectè enim Petrus* [b]: *Melius erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mandato.* Reuelari porrò dicitur ita in eos, qui veritatem in iniuſtitia detinent, quod nos in paraphraſi de iis explicuimus, qui veritati veluti ſeſe prodenti obluctantur, quique illam quaſi clauſam retinent, ne ſe ipſa ſuo ſplendore prodat, vt deinde argumento à minori id faciliùs in eos conuenire intelligatur, qui veritatem iam perceptam aut abiecerunt, aut pluribus flagitiis turpiter inquinarunt. Quod fortaſſe indica-
c cap. 2. uit [c] Paulus hac ipſa Epiſtola non ita multò pòſt, cùm enumeratis multorum flagitiis, atque ſceleribus, addit: *Tribulatio, & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm, & Græci.* Sic
d q. ad Antioch. 144. namque hæc verba explicant Athanaſius [d], & Chry-
e Homil. 5. in hanc epiſt. ſoſtomus [e]. Porrò ex hoc loco facilè colligas quanto ſint in errore verſati ſuperioris ſæculi hæretici, qui comminationes, ac terrores ita proprios fuiſſe legis veteris exiſtimarunt; vt Euangelio nihil, præter lætum, ac bonum nuntium iucunditatis, ac ſolatij plenum relinquerent: at multæ leguntur comminatio-
f cap. 5. 7. 22. 23. 25. nes apud Matthæum [f], Marcum [g], & Lucam [h], qui-
g cap. 9. 44. bus verè Apoſtolus ait, iram Dei reuelari. Eodem
h cap. 12. 3. ſpectant quæ Paulus ipſe coram Fœlice diſſeruit [i]
i Act. c. 24 de iudicio extremo, déque iuſtitiæ diuinæ ſeueritate;
k cap. 5. 1. & quæ ſcribit Iacobus [k]: *Agite nunc diuites, plorate*
l verſ. 14. *vlulantes in miſeriis, quæ aduenient vobis.* Et Iudas [l]: *Ecce venit Dominus cum ſanctis millibus ſuis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum.* Et Ioannes in Apoca-
m cap. 14. 7. lypſi [m]. *Timete Dominum, & date illi honorem, quia* D *venit hora iudicij eius.*

IV. D e c o e l o.) Ambroſius ipſos illos æthereos globos fore putat, iræ diuinæ miniſtros, atque indices. Chryſoſtomus, Theophylactus, Oecumenius hæc verba referunt ad iram, & furorē extremi iudicij, cùm Chriſtus cœleſtibus agminibus ſtipatus ad ferendum in omne genus hominū ſententiam è cœ-
n Caiet. hoc loco. lo veniet. Alij [n] apertam, atque peruiam omnibus reuelationem intelligunt, quòd ea, quæ in cœlo contingunt ſint omnibus conſpicua. Nec deſunt, qui acutè doceant, è cœlo reuelari nihil eſſe aliud, quàm in Euangelio promulgari, cum ipſum Euangelium cœlitùs traditum ſit. Simpliciſſimè crediderim de cœlo dici ad ſignificandum vltionem, atque iram fore ſempiternam; non qualem olim Iudæi experti E eſſent. reuelari autem dixit in omnem impietatem, & iniuſtitiam, hoc eſt, impios, atque iniuſtos homines; neque neceſſe eſt impietatem ab iniuſtitia curioſiùs diſtinguere, quamquàm illa propriè vero Dei cultui opponitur, hæc omne genus flagitij complectitur.

V. Q v i v e r i t a t e m D e i i n i n i v s t i t i a d e-
o Reg. breu. 10 p 2. t i n e n t.) Baſilius [o] id tum fieri ſcribit, cùm datis à Deo bonis ad proprias voluntates, & voluptates abutuntur. Quod Chryſoſtomus populari ſimilitu-

A dine more ſuo luculenter declarat; addit prætereà aliam explanationem, quam inter Græcos probat [a]
a in hunc locum.
b in hunc locum.
c in inchoatâ expoſit. & ſer. 55 de verbis Dom.
Theodulus, & inter Latinos Ambroſius [b], & Auguſtinus [c]. nomine enim iniuſtitiæ intelligunt idololatriam. Ampliſſimam interpretationem tradit Anſelmus. eos namque putat veritatem Dei in iuſtitia detinere, qui cùm morum Philoſophia, & morali cogitatione præditi ſint; perditè tamen, ac ſceleratè viuunt. Addit (quod placet etiam Oecumenio) eidem culpæ affines eſſe illos, qui patiuntur, alios in errore verſari. Veram explicationem poſui in paraphraſi. illi enim videntur Dei ſcientiam, & veritatem in iuſtitia detinere, qui ei veluti ſeſe prodenti obluctantur, & quaſi tenebras offundunt, vt etiam paulò antè diximus.

B Q v i a q v o d n o t v m e s t D e i. &c. 19.
Γνωστὸν, quod ad veri Dei notionem percipiendam I.
neceſſarium eſt. ſic enim interpretor: quamquàm
d Orat. 3 cōt. Arianos. non ſum neſcius, Athanaſium [d] γνωστὸν ipſam rationem, ac verbum diuinum interpretari, ac ſi facilè fuerit Philoſophis ex pulcherrimo rerum aſpectu, quaſi verbi, ac diuinæ ſapientiæ effigie, ac ſimulacro ipſum verbum, ac ſapientiam cognoſcere. Ita
e Eccl. 24. enim accipienda eſſe prius verba Salomonis [e]: *Dominus creauit me ad opera ſua*; Quaſi Patris verbum imaginem ſui rebus creatis inditam, ac veluti deſcriptam rerum omnium molitione, gratuletur, & quæ huic imagini conueniunt, ſibi ſumat eo planè modo,
f Act. 9. 4. quo alibi [f] Paulum Eccleſiam perſequentem reprehendit, tamquàm ſe ipſum inſequatur: *Saule, Saule quid me* (inquit) *perſequeris*? Sed ſi de ipſa perſona verbi loquatur, ea profectò diuini verbi cognitio nonniſi peculiari diuinæ gratiæ ſupranaturalis ope percipi poteſt. quamobrem à propoſita explanatione non videtur recedendum. nā qui dicunt, γνωστὸν id ſignificare, quod naturæ viribus cognoſci poteſt; quod faciunt Oecumenius, Theodulus, & Ambroſius; vt mox ſubiiciam, vim argumenti eludunt, quo nititur Apoſtolus probare eos detinuiſſe veritatem in iniuſtitia, quod videlicet quidquid ad eam veritatem percipiendam neceſſarium videbatur, facilè ex rerum aſpectabilium contemplatione percipi poterat. At ſi dicat, potuiſſe illos veritatem cognoſcere, quia quædam naturæ viribus percipi poſſunt; ineptè, ac ridiculè ſumat quod probandum eſt: nunc autem rectè concludit, quia ſi quod ad Dei cognitionem neceſſarium eſt, in promptu fuiſſe ponatur, aptè colligit, eos veritatem Dei in iniuſtitia veluti incluſam detinuiſſe, qui ſibi quodammodo ſuis ipſi flagitiis, atque ſceleribus mentis tenebras offuderunt. Dixit autem γνωστὸν eo fermè modo, quo dicuntur in diſciplinis quædam per ſe nota, non quòd ſemper cuiuis peruia ſint, ſed quòd facilè, ac leui momento percipi queant. Syriacus dixit; *Cognitio Dei patefacta eſt*; vt videatur aliud quidpiam legiſſe. Fac enim illum aliter ratiocinari, eos videlicet detinuiſſe veritatem in iniuſtitia, quia quæ naturæ viribus percipi poſſunt, illis perſpecta fuerunt, & cognita: ſi vniuerſim accipiatur, erit planè falſum. non enim quidquid de Deo ſciri cognoſciue poteſt, id Philoſophis notum fuit: ſi anguſtiùs intelligas, quidquid naturæ viribus ineote comprehendi poteſt; neque videtur vniuerſim verum, & id ſumitur quod probandum erat, perinde ac ſi dicat potuiſſe illos cognoſcere, quod noſſe potuerunt. Caue autem putes, hanc Dei naturalem qualemcumque cognitionem, ſiue res ipſas menti obiectas, ſiue intelligendi vim, ac facultatem intuearis, idoneam eſſe præparationem ad iuſtificationis gratiam aſſequendam. Verè ſiquidem ſcriptum eſt à Paulo [g]: *ſine fide impoſſibile eſt pla-* g ad Heb. 11. 6.
cere Deo. Fides autem viuus naturæ viribus nullo

modo comparatur. Nihil igitur eſt, quod Gentiles iuſtam Dei ignorationem obtendant, qui neque leges, neque Prophetas noſcent; etenim, vt ait Auguſtinus[a], in promptu erat pulcherrimum, atque ampliſſimum naturæ theatrum; atque ob id iure ſubdit:

a ſerm. 55 de verbo Domini.

II. *Deus enim illis manifeſtauit*; tum videlicet cùm hanc rerum, quæ ſub aſpectum cadunt, pulcherrimam veluti ſcenam explicuit, cùm mentibus hominum diuinam quamdam intelligendi vim indidit. quocirca rectè Dauid[b]: *Qui docet hominem ſcientiam*. &[c] Iob: *Qui docet nos ſuper iumenta terræ, & ſuper volucres cæli erudit nos.* Quantum igitur attinet ad eruditionem, aut diligentiam magiſtri, nihil poterant homines deſiderare, per ipſos ſtetit, quominus in ea ſcientia profecerint. Nec diſplicet quod addit Anſelmus, & alij[d], ſupra naturam Deum nonnullos diuiniori lumine illuſtraſſe, quæ cognitio, quia gratiæ beneficio nititur, à nonnullis appellatur fides, putatúrque fuiſſe idonea ad iuſtitiam, & ſanctitatem conſequendam: quod vtrùm verum ſit, & à Catholicis admitti poſſit, alibi videro. Hugonis porro verba hæc ſunt: *Eſt quædam fides, vel cognitio fidei, ſine qua nullo tempore potuit ſalus eſſe; ſcilicet cognoſcere Deum eſſe, & remuneratorem eſſe ſperantium in ſe. Iuxta illud Apoſtoli, oportet accedentem ad Deum credere quia eſt, & quod remunerator eſt ſperantium in ſe: ſed cùm Deus inuiſibilis ſit, iuxta illud, Deum nemo vidit vnquam; quomodo indicari potuit partim humana ratione, partim diuina reuelatione. quod vtrumque Apoſtolus oſtendit, cùm dicit: quod notum eſt Dei manifeſtum eſt in illis, & non dicit manifeſtum illis. In hoc profectò quòd ait, manifeſtum eſt in illis, planè oſtendit, quòd in illis erat vnde Deum noſcere poterant. Cùm verò ſcribit quia Deus illis reuelauit, oſtendit quod ratio humana per ſe inſufficiens eſſet, niſi reuelatio diuina illi in adiutorium adeſſet.*

b Pſ. 93. 10.
c cap. 35. 11.
d Hugo victorinus ſumm. 1. ſent. tract. 1. c. 3. & Haym.

20.
I. INVISIBILIA ENIM IPSIVS, &c. An inuiſibilia Dei mentes ab omni materiæ concretione ſegregatas ſignificant? Certè ita accipiunt Origenes, Oecumenius, Theodulus; ſed quorſum cùm de Dei cognitione diſſerat Paulus? Propiùs ad verum acceſſiſſe videtur Theodoretus, qui rerum creationem prouidentiam, iuſtam in omne genus hominum ſententiam, varias, ac multiplices rerum adminiſtrandarum rationes interpretatur. Alij attributa quædam diuina, quæ humanæ mentis vi percipi poſſe Theologi in ſcholis non negant; diuinam quippe naturam ſimplicem prorſùs, atque omnis compoſitionis expertem, pro noſtri tenuitate, imbecillitatéque ingenij nonnulla à verbis creatis ſumpta analogia in plures veluti notiones partimur, & diuinam potentiam, ſapientiam, bonitatem, iuſtitiámque nominamus, quæ re ipſa in Deo vnum, atque idem ſunt. Non defuerunt qui inuiſibilia Dei referrent ad Trinitatis myſterium, quòd veteres olim Philoſophi, nonnulla de Triade ſomniaſſe videantur. Triſmegiſtus[e]: *Monas* (inquit) *Monadem gignit, & in ſe ſuum reflectit ardorem.* Pythagoras[f] Deum numero ternario colendum docuit. Idem videtur ſenſiſſe Plato, qui ex Porphyrio apud Auguſtinum[g] tres perſonas agnouiſſe creditur: primam, quam vocat vniuerſitatis Patrem: ſecundam, primam mentem, ſeu, vt ſcribit Macrobius[h], filium: tertiam, animam mundi. Adde quod Auguſtinus[i] affirmat ſe legiſſe librum Plotini de tribus hypoſtaſibus in Deo. Nec defuerunt è noſtris[k], qui hoc myſterium rationibus naturalibus probare conati ſint. Simile quiddam tentaſſe videtur Auctor ſermonum ad fratres in Eremo, qui falsò Auguſtino[l] inſcribuntur: at ſuo loco docebimus, abditum eſſe hoc myſterium, nulliſque naturæ viribus peruium. Quod præter cæteros docuit Cyrillus[a] Alexandrinus. Athanaſius[b] ipſum Deum hoc loco nomine inuiſibilium intelligit, qui quamquam ipſe inaſpectabilis eſt; poteſt tamen ex his, quæ cernuntur oculis, vtcumque cognoſci, quæ videtur ſimpliciſſima, accommodatiſſimáque ſententia; nos in paraphraſi diximus, diuinitatis arcana; & Syriacus, recondita Dei. Quædam enim diuina attributa adeo ſunt ſuapte natura conſpicua, vt facilè cognoſci poſſint, ſi modò quis velit rectè philoſophari.

e in Aſclepio.
f apud Anſt. l. Cœli, tex. 2.
g l. 10. de ciuit. cap. 23.
h Ad 6. Æne.
i l. 7. confeſſ. cap. 9.
k Richar Vic. l. 6. de Trinit.
l ſerm. 25.
a lib. 1 in Iulian.
b Or. cont. Idola.

II. A CREATVRA MVNDI. Ita planè cum vulgato interprete legũt fermè omnes Latini[c]. Græcè dixit Paulus ἀπὸ κτίσεως κόσμου: ſed quid hoc loco tum Græca κτίσις, tum Latina vox *creatura* ſignificet, non conuenit inter omnes. Chryſoſtomus[d], Theodoretus[d], Theophylactus[d], Auguſtinus[e] creationem, mundíque effectionem accipiunt: ſed hoc ipſum ambiguè dictum videtur. nam ad initium effectionis, aut creationis mundi referri poteſt. Quaſi indicare velit Paulus, non ſe nouam Dei cognoſcendi rationem tradere; ſed antiquam, ac penè cum mundo natam. ab ipſis enim naſcentis mundi quaſi incunabulis, &, vt loquitur Syriacus, à iactis mundi fundamentis, potuit Deus ex rerum aſpectabiliũ contemplatione cognoſci. hoc viſus eſt non vno loco indicare Tertullianus. Alicubi[f]: *Inuiſibilia eius ab inſtitutione mundi factis eius conſpiciuntur.* Alibi[g] verò: *Inuiſibilia enim eius à conditione mundi, de facturamentis intellecta viſuntur.* ſic enim vno verbo expreſſit quod Græcè dixit Paulus τοῖς ποιήμασι. Hunc eumdem ſenſum indicare videtur Auguſtinus[h]: *A mundi* (inquit) *creatura, id eſt, ex quo Deus mundum creauit.* Deinde poteſt etiam de ipſis rebus accipi, quaſi res creatæ hoc ipſo, quòd conditæ ſunt, non autem ex ſe ipſis ſuapte vi, ac veluti nutu extiterint, conditorem, auctorémque ſuum declarent. Hanc ſententiam indicant Chryſoſtomus, Theodoretus, ac Theophylactus, qui creaturam mundi omnem hanc rerum vniuerſitatem interpretantur; cuius admirabili ſtructura, & fabrica ſingularem, ac diuinam artificis ſapientiam ac bonitatem indicat. Vtramque porrò explanationem tum Græca vox κτίσις, tum Latina *creatura*, commodè admittit. Nam apud Marcum[i] *Euangelium omni creaturæ* prædicandum præcipitur, Græcè κτίσει. Nec profectò fas eſt aliud intelligere, quàm res creatas, præcipuè verò hominem, vt B. Gregorius[k] inſinuauit, Bernardus[l], & Anſelmus[m], quos Scholaſtici[n] eum magiſtro ſequuntur, creaturam mundi interpretantur hominem, habéntque quo ſe maximè tueantur, locum illum Marci, qui ſine dubio de homine loquitur. Atque hæc poſtrema explicatio in popularibus concionibus cum plauſu, atque admiratione pleruſque excipitur. Sed ad aures vulgi non ego quidem cymbalum. duas priores interpretationes præfero;

c Nouatiã. de Trinit. c. 1. Ambroſ. tum hic, tum li. de iis, qui myſt. initiantur cap. 3. Fauſt. l. 1. de lib. arb. ca. 7. Hilar. in Pſ. 64 Aug. l. de ſpiritu, & litera. cap. 12.
d in hunc locum.
e lib. 1. de ciuit. c. & Tract. 2. in Ioan.
f lib. aduerſ Hermog. ſere extremo.
g lib. de anima cap. 18.
h ſer. 141 de tempore.
i cap. vlt. 15.
k Hom. in eũ locum Marci.
l ſer. quod in ea verba. Audiam quid loquatur in me Dominus.
m in hunc locum.
n in 2. diſt. 1.

III. omnium verò maximè primam probo. Nam cùm addit Paulus: *per ea quæ facta ſunt*, quid noui afferret, ſi nomine creaturæ mundi, quam nominarat, res ipſas effectas intelligi voluit? Itaque Syriacus: *Recondita enim* (inquit) *Dei à iactis mundi fundamentis ex ipſius creatione intellecta conſpiciuntur.* Sanè hunc locum ſic explicat Nouatianus[o], cùm enim de Deo ageret: *Quem* (inquit) *quoniam obtutu oculorum videre non poſſumus, de operum magnitudine, & virtute, & maieſtate condiſcimus. Inuiſibilia enim ipſius* (inquit *Apoſtolus Paulus*) *à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, vt humanus animus ex manifeſtis occulta condiſcens, de operum magnitudine, quæ videret mentis oculis, artificis magnitudinem cogitaret.* Certè perſimiles in ſcriptura locutiones leguntur, quæ ſine

o lib. de Trinit. cap. 1.

ſine dubio temporis antiquitatem, aut originis vetuſtatem ſignificant, vt apud Matthæum: [a] *Eructabo abſcondita a conſtitutione mundi.* Et apud Marcum: [b] *Quales non fuerunt ab initio creaturæ.* Vtrobique autem eſt præpoſitio Græca ἀπὸ, quemadmodum & hoc loco apud Paulum.

a cap. 13. 35.
b cap. 13. 19.

IV. *Sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.* Athanaſius hæc Apoſtoli verba refert ad Chriſtum: *Quæ* (inquit [c]) *ſempiternitas, ſiue diuinitas filius eius eſt. Quod alio in loco ipſe tam euidenter abſoluit Chriſtum, & Dei virtutem, & Dei ſapientiam.* Cyrillus: [d] *Quomodo ergo* (inquit) *per creationem, ſempiterna eius virtus cognoſcitur: quia cum ea, quæ ad eſſe producta ſunt corruptibilem ſortiātur naturā, ac tempore ad vitam vocata ſint: vtique horum creator incorruptibilis erit ac ſempiternus.* Photius [e] ex ordine, varietate, vſuque rerum, Deum cognoſci poſſe affirmat. Alij verò apud Euthymium virtutem ad Filium, diuinitatem ad Spiritum ſanctum pertinere exiſtimarunt. Sed, vt omittam quæ ſcholaſtica ſubtilitate diſſeruntur à Theologis, de iis quæ peculiari quadam ratione ſingulis diuinis perſonis tribuuntur, ne probabile quidem argumentum apparet, cur hæc ad diſcretam, quam vocant, theologiam tradenda videantur. nam cùm ea, quæ ſub aſpectum cadunt, à tribus quidem perſonis, ſed vt natura, atque eſſentia vniuntur, & habent vnius principij vim, ac rationem, ſint procreata, perſonarum diſtinctionem, ne leuiter quidem indicare poſſunt. Origenes, & Anſelmus *virtutem* intelligunt diuinam vim omnia permeantem, & ſuo veluti gremio fouentem vniuerſa; *diuinitatem* verò maieſtatem, quæ omnia continet, & veluti complexu coërcet ſuo. Alij inuiſibilia putant eſſentiam ſignificare, nomine virtutis Dei potentiam, & vim effectricem indicari, qua condita ſunt vniuerſa, & perpetuò conſeruantur, & adminiſtrantur. Diuinitatem poſtremò ad vltimum finem, ac ſummum bonum referunt. Nec deſunt qui tria, quæ recenſentur à Paulo, tribus diuinis perſonis accommodent. Inuiſibilia namque ad Patrem ſpectare putant, qui à Paulo [f] dicitur *Rex ſeculorum immortalis, & inuiſibilis*: virtutem ad Filiú, qui eſt, auctore eodem Paulo, *virtus, & ſapientia Patris*: diuinitatis verò nomine Bonitatem intelligunt, quæ Spiritui ſancto tribuitur. Quamquam autem hæc ſententia multos, ac magnos auctores [g] habet; non videtur tamen apoſtolico inſtituto facilè accommodari poſſe. Vt enim paulò antè diximus, nulla ratione credendum eſt, potuiſſe Philoſophos myſterium Trinitatis agnoſcere. Igitur ſempiternam vim, ac diuinitatem, maieſtatem, atque excellentiam Dei immortalis intelligo, auctore præſertim Auguſtinu. [h] Hæc namque cognitio eiuſmodi eſt, vt virtutis, ac pietatis ſtudium in hominum animis parere poſſit, vt intelligitur ex Damaſceno, [i] & multis probari poſſet.

c lib. 3. de vnica ſubſtan. Titulo. Penè ead. in diſput. cont. Arium in Conc. Niceno.
d Apud Oecumenium.
e Apud eundem.
f 1. ad Cor. 1. 17.
g Theophyl. in hunc locū. Ambroſ. lib. 2. de fide ad Grat. & lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 1. Cyrill lib. 1. Theſaur ca 3. Anſel. & gloſſa in hunc locum.
h Serm. 141. de tempore. Serm. 53 de verb. domini. li. 8. de Ciuit. cap. 9. in ſoliloq. ca. 31. lib. 31. de Trinit. cap. 9. lib. de ſpiritu, & litera cap. 12.
i cap. 20. dialect.

V. Mirari autem ſatis non poſſum quorumdam hominum ingenia, qui hanc apertiſſimam Apoſtoli ſententiam detorta, ac deprauata interpretatione inuertunt, vt cùm ille diſertè doceat, Dei nomen, ac maieſtatem à Philoſophis potuiſſe cognoſci, ipſi tamen inficientur humanæ mentis, atque intelligentiæ aciem eò poſſe pertingere, vt liberam, ac ſpontaneam agendi rationem, quæ diuinæ naturæ maximè conuenit, ſuis ipſa viribus aſſequatur. Nec hoc loco Apoſtolum de Deo, diuináque poteſtate, ſed de bono honeſto, déque ſtudioſis actionibus duntaxat diſputare: at dicit ſempiternam Dei virtutem, ac diuinitatem, à rerum molitione deprehendi potuiſſe, & paulò antè *quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis.* Deus enim illis manifeſtauit, nóſque adeò modò Auguſtini præcipuè auctoritate probauimus, non poſt aduentum Chriſti, aut non ita pridem cœ-

A piſſe homines à rebus conditis, ad ipſum opificem, & conditorem, quaſi quibuſdam gradibus euehi. Sed iam ab ipſo mundo condito, natura duce, cunctos mortales id facere potuiſſe. Huc enim ſpectat illud Dauidis: [a] *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Itémque illud Salomonis: [b] *Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei.* Quibus ea conſentiunt, quæ ſcribit Iob: [c] *Interroga iumenta, & docebunt te.* Alibi: [d] *Omnes homines vident eum.* De quo loco multa Gregorius, [e] & Chryſoſtomus. [f] Denique in Actis [g] Apoſtolicis: *Et quidem* (inquit) *non reliquit ſe ipſum ſine teſtimonio.* Veterum autem ſcriptorum ſententias quid hoc loco adtexam? Tritum eſt illud Socratis apud Clementem [h] Alexandrinum, & Iuſtinum [i] B Martyrem: *Deum inuenire difficile, effari planè nefas.* [k] Philo Iudæus; primùm ait, ex rerum effectione cognoſci Deum eſſe, deinde eſſe vnum: tum mundum habere conficientem cauſam, neque aliam niſi Deú. Prætereà mundum eſſe vnum, ſuo conditori ſimilem; denique prouidentia adminiſtrari. Dionyſius [l] Areopagita, nos in Deum tendere affirmat earum rerum ductu, quæ ſub ſenſum cadunt. Non ita multò poſt [m] addit Deum ex rebus creatis ideo percipi, quia eſt omnia in omnibus. Iuſtinus Martyr, [n] Dei cognitionem putat eſſe Platonicæ Philoſophiæ finem. Auguſtinus [o] verò Platonicorum philoſophandi rationem maximè probat, qui Dei cognitionem, & rerum diuinarum ſcientiam ſolerter ratiocinando, & indagauerint, & aliqua ratione perceperint. C Theodoretus [p] plures rationes affert, quibus ad veri Dei cognitionem, humana philoſophia perduci potuit. Nonnullas etiam indicat D. Thomas; [q] plures Anſelmus, [r] & alij. [ſ] Quomodo autem hæc Pauli ſententia non pugnet cum altera eiuſdem Apoſtoli in Epiſtola ad Corinthios, [t] vbi videtur ſignificare, non fuiſſe Dei ſapientiam múdo cognitam, eo loco videro, & paulò pòſt paucis indicabo.

a Pſal. 18. 1.
b Sap. 13. 1.
c cap. 12. 7.
d cap. 36. 25.
e ad illa verba Iob.
f Hom. 9. ad pop. Antioch.
g cap. 14. 17.
h in Pargnet. ad Gentes.
i Apolog. 2. ad Antonin.
k lib. de opific. mundi.
l cap 1. de diuinis nomin.
m cap. 6. & 7.
n Dial. cum Tryphone.
o lib. 8. de Ciuit. cap. 6.
p Ser. de prouidentia.
q 1. p. q. 2 a. 3.
r in monol. & proſol.
ſ Hugo. vict. & Didaſcal. lib. 7.
t Ep 1. cap. 1.

VI. ITA VT SINT INEXCVSABILES. Græcè, εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους, nó perinde quaſi idcirco ex rebus creatis cognoſcendum ſe Deus præbuerit, vt carerét homines excuſatione; ſed cùm Dei cognitio facilis, ac peruia eſſet, factú eſt (quod affirmant Origenes, & Chryſoſtomus) vt nulla prorſus excuſatione digni viderentur ij, qui quam de Deo aſſequi D potuerunt, cognitionem vel neglexerunt ipſi, vel, vt dixit Apoſtolus, in impietate, atque iniuſtitia quodammodò incluſam detinuerunt. vt enim ſuo loco docemus, cùm ignoratio nonnullam peccati excuſationem afferat, non tamen ea, quam in ſcholis vocant affectatam. Ex hac autem Apoſtoli ſententia facilè colligas multa naturæ viribus de Deo, diuiniſque attributis cognoſci, ac demonſtrari poſſe. Idcirco autem Philoſophos fuiſſe docet inexcuſabiles, quòd cùm Deum vel cognouerint, vel facilè certè cognoſcere potuerint, ſuæ impietatis, atque idololatriæ non poſſunt ignorationem prætexere, quod ipſa Pauli verba non obſcurè ſignificant. *Cum* (inquit) *Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt.* Verùm autem naturalis Dei E cognitio ſalutem afferre potuerit, in diſputationibus doceo. Illud fortaſſe percunctetur nonnemo, hæcne Pauli ſententia ſic prorſus Philoſophos vniuerſos complectatur, vt nemo eorum ſit ſalutem conſecutus. Excipiunt nonnulli Socratem, Platonem,
VII. Triſmegiſtum, Senecam, & alios perſimiles. Audiui ego ante annos plurimos cùm eſſem in Gallia viros ſua, aliorúmque opinione doctiſſimos, qui ſanè fidenter affirmarent non ſibi veriſimile videri, ſummos illos diſciplinarum Antiſtites, vt Ariſtotelem, Theophraſtum, Demoſthenem, Ciceronem, Gale-

num fuiſſe ſempiternis ſuppliciis addictos, quippe illos ſtrenuè pro communi omnium ſalute laboraſſe, atque idcirco diuina miſeratione, ac pietate videri poſſe non indiguos. Quòd ſi illi nonnullos philoſophorum ſaluos fuiſſe dicerent, quos Deus ſingulari beneficio, diuinæ, cœleſtiſque gratiæ luce vel per ſe ipſe, vel per Angelos ſuos, aliqua ratione perfudiſſet; næ illi & me facilem aſſenſorem, & grauiſſimum auctorem haberent, quo ſe tuerentur, Dionyſium [a] Areopagitam. is enim nonnullos ſcribit tutelarium Angelorum opera ex ſingulis gentibus, quibus ipſi præeſſent, ad veri Dei cognitionem, & cultum fuiſſe traductos. nam & diuina ſcriptura Iobum, eiúſque amicos in media barbarie, ac gentilitate poſitos, etiam ante legem Moſis Chriſtiano penè more viuentes, nobis ante oculos ponit; nec poſſit quiſquam inficiari abſque ingenti temeritate, id etiam inter alias gentes, ac nationes accidere potuiſſe. De Socrate, & Platone, cæteriſque ſapientibus, quos paulò antè memoraui, nihil equidem temerè auſim affirmare. Euſebius [b] certè Socrati, ac Platoni idololatriam non aliter, ac cæteris, placuiſſe ſcribit; vt interim omittam impia quædam, ac nefaria Platonis dogmata, vel è poëtarum fabulis, vel vulgi errore deprompta. In eadem ſententia fuit Tertullianus [c], qui Socratis impia ſacrificia deridet; & Chryſoſtomus [d], qui præcipuè agit aduerſùs Platonem. De Seneca plures ſubdubitant, quòd Pauli credatur familiaris fuiſſe; &, vt nonnulli volunt, etiam Chriſtianus. Sed ex iis, quæ de ſuperſtitione ſcripſit, eum vel errorem, atque impietatem idololatriæ non penitus exuiſſe, vel certè, quod videtur deteſtabilius, reclamante conſcientia vulgò permiſiſſe, obſeruauit Auguſtinus [e], qui de illo hunc in modum ſcribit: *Quia illuſtris populi Romani Senator erat, colebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat, quod culpabat adorabat, quia ſcilicet magnum aliquid eum philoſophia docuerat, ne ſuperſtitioſus eſſet in animo, ſed propter leges, moréſque hominum non quidem ageret fingentem ſcenicum in theatro, ſed imitaretur in templo, eo ſanè damnabiliùs, quòd illa, quæ mendaciter agebat, ſic ageret, vt eum populus veraciter agere exiſtimaret.* De Mercurio Triſmegiſto ſi negem illum multa dè Deo ſcripſiſſe, quæ videantur conſentanea iis, quæ Chriſtiana, & Catholica fide traduntur, planè mentiar; ſed eum tamen idololatriæ damnat Auguſtinus [f]. De cæteris nihil habeo, quod in alteram partem certi affirmem, tantùm dico, eos reliquis fuiſſe ſimiles, aut etiam deteriores. quod verò attinet ad eorum ſtudia, & labores; quid illis abſque veri Dei cultu prodeſſe potuerunt?

[a] lib. de cœleſt. Hierarch.
[b] lib. 13. de præp. Euang. c. 8 & 14.
[c] in Apolog.
[d] Homil. in hanc epiſt.
[e] lib. 6. de Ciuit. c. 10.
[f] lib. 8. de Ciuit. c. 17.

21. I. QVIA CVM COGNOVISSENT DEVM.) Superioris ſententiæ ratio eſt. ſi enim potuerunt ipſi cognoſcere multa de Deo, atque adeò plurima cognouerunt, nec tamen illum debito cultu, ac veneratione proſequuti ſunt, excuſari planè non poſſunt. Sed duplex interim oritur quæſtio: prior, ad quóſnam philoſophos hæc ratio ſpectet; altera, verò ne philoſophi Dei cognitionem, atque ſcientiam ſint aſſecuti. Priorem illam neque admodum obſcuram, & cuiuis per ſe facilè peruiam, minuta quorumdam diligentia tenebris inuoluit, qui veterum Patrum minimè pugnantes ſententias, ad certamen tamen quaſi claſſico prouocant. Salomonem ferunt in hos ipſos philoſophos inuectum, eis veri Dei ſcientiam denegaſſe: at contrà Paulum affirmare philoſophos verum Deum cognouiſſe. Nam Auguſtinus [g], Ambroſius [h], & Anſelmus [h] ex Apoſtoli ſententia veri Dei cognitionem his philoſophis concedunt; nec diſſentiunt Origenes, Chryſoſtomus, & Theodoretus. Hi enim non omnia affirmant, quæ ad Dei na-

[g] in expoſit. quarund. propoſit. ex hac epiſtola.
[h] In hunc locum.

A

turam pertinent, fuiſſe philoſophis perſpecta, & cognita; addúntque eorum de Deo cognitionem multis fuiſſe errorum næuis, aut maculis infuſcatam. Priores verò quædam de Deo cognouiſſe admittunt, omnia non admittunt. Quid igitur neceſſe erat hos mirè conſentientes ad pugnam prouocare? Loquitur certè Paulus de iis philoſophis, qui quædam de Deo naturæ viribus aſſecuti eſſent, quamquàm in multis decipiebantur. Hoc enim nomine Athanaſius [a], & Gregorius [b] Nazianzenus Socratem, & Platonem in Dei cognitione multa peccaſſe ſcribunt. Dicuntur igitur Deum cognouiſſe, quia eum rerum omnium auctorem, atque effectorem intellexerunt, ſed eam tamen cognitionem multis deinde errorum tenebris inuoluerunt.

[a] Orat. cont. Idol.
[b] Orat 3.

B

II. HINC facilè poſterior quæſtio diſſoluetur. tametſi enim, vt ait Iuſtinus [c], inſcitia quæ propria alicuius culpa accidit, ſcientia plerumque dici ſolet; qua ratione & Chriſtus in Ioanne [d] dixit: *Et me ſcitis, & vnde ſim ſcitis.* id eſt, ſcire, & cognoſcere facilè poteſtis. tamen quidquid Photius, & Sedulius ſentiant, non quidem vniuerſim, ſed de nonnullis philoſophis veriſimillimum eſt dixiſſe Paulum, eos verè Deum cognouiſſe, hoc eſt, huius vniuerſitatis artificem, & architectum; quod non obſcurè indicat Tertullianus [e]. *Et reos* (inquit) *habuit ſapientes, atque prudentes ex ipſis operibus tot, ac tantis intelligibilem Deum non requirentes, vel perperam in illum philoſophantes, & ingenia hæreticis ſubminiſtrantes.* Et Irenæus [f]: *Et huius* (inquit) *peiores efficiunt eos, qui eis aſ-*

C

ſentiuntur. illi enim creaturæ potius, quàm Creatori ſeruientes, & his, qui non ſunt Dei, verumtamen primum veritatis locum attribuunt fabricatori huius vniuerſitatis Deo. Et [g] alibi: *Ipſa autem creatura, in qua ſumus per ea, quæ in conſpectum veniunt, hoc ipſum teſtante vnum eſſe, qui eam fecerit, & regat, valde hebetes apparebunt, quia ad tam lucidam adapertionem cæcutiunt oculis, & nolunt videre lumen prædicationis.* In eandem ſententiam ſcribit etiam Auguſtinus [h]. B. autem Antonius auctore Socrate [i] res creatas ſuum appellare librum conſueuerat. Neque verò hæc Apoſtoli ſententia, cum ea pugnat, quæ eſt in Epiſtola ad Corinthios [k], quo loco videtur dicere mundum per ſapientiam non cognouiſſe Deum. Sic enim ſcribit: *Nam quia in Dei ſapientia, non cognouit mundus per*

D

ſapientiam Deum. Etenim ad Corinthios ait mundum non cognouiſſe; hoc eſt, maximam hominum partem; quod verum eſt, etiamſi pauci nonnulli philoſophi cognouerint, aliique cognoſcere potuerint; cùm præſertim (vt ſuprà dictum eſt) illam ipſam Dei cognitionem, quam nonnulli aſſecuti ſunt, multis erroribus, falſiſque opinionibus infuſcarint, vt ex Platone, aliiſque philoſophis facilè cognoſci poteſt; itémque ex iis, quæ de philoſophorum placitis ſcribit Plutarchus. Cùm igitur multa de Deo philoſophis obuia eſſent, adeóque non pauca diuinitatis illi cognouerint attributa, meritò cenſentur indigni excuſatione, quia cùm Deum cognouiſſent, aut facilè cognoſcere potuiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt.

[c] q. 140. ad Gentes.
[d] cap 7. 28.
[e] l. 4. in Marcion. c. 25.
[f] lib. 2. c. 9.
[g] ca. 16. eiuſd. lib.
[h] l. 9. conf. c. 10. & lib. 10. cap. 6.
[i] lib. 4. c. 18.
[k] ep. 1. c. 1. 21.

E

III. NON SICVT DEVM GLORIFICAVERVNT.) Bifariam glorificari poteſt Deus, vel fide, hoc eſt, mente, atque intelligendi facultate, vel honore certè, & cultu, qui à voluntate proficiſcitur. Priorem glorificandi rationem ſequitur Theodoretus; nec diſcrepare videntur Origenes, & Chryſoſtomus, vt philoſophi dicantur non glorificaſſe Deum, quia non perinde de illo ſenſerunt, vt eius maieſtas poſtulabat. Auguſtinus [l] autem, & Gregorius [m] poſteriorem interpretationem probant, quam nos in paraphraſi ſecuti ſumus. Verè enim philoſophi cùm Dei maieſtatem

[l] lib. vnica cont. ſer. Arian. c. 13.
[m] in Hom 11. in Ezech.

Digitized by Google

ſtatem vtcumque cognouiſſent, non eum tamen exhibuerunt illi honorem, ac cultum, quem debebant: ſiue quia pro acceptis beneficiis nullam gratiã habuerunt, vt indicant Anſelmus, Ambroſius, & Sedulius; & apertè docet Paulus, dum ſubdit; *Aut gratias egerunt:* ſiue quia, vt cenſet Auguſtinus [a], quam de Deo perceperant, notionem, non ipſi bonorum omnium auctori acceptam retulerunt: vel denique quod cum Dei cognitione impium idolorum cultum nefariè coniunxerunt; quod de Seneca (vt ſuprà diximus) affirmat Auguſtinus; & de M. Tullio eadem ratione poſſumus ſuſpicari, qui in libris de natura Deorum, & de Diuinatione idolorum ſuperſtitionem deridet; à qua tamen re ipſa non abhorrebat.

a In expoſit. quarund. propoſit.

IV. Sed evanvervnt in cogitationibvs svis.) Vanitatem ſectantes hanc ipſam, de qua hîc agit Apoſtolus, vt monet Clemens [b] Alexandrinus. *A qua* (inquit ille) *nos veluti rythmo* ἰμβαλνεῖν *reuocat Dauid* [c]. *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Et Ieremias [d]: *Ambulauerunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt.* Et ſanè Theodoretus, Origenes, & Chryſoſtomus euanuiſſe philoſophos in cogitationibus ſuis propterea dicunt; quòd dum voluerunt videri arguti, multa de Deo tum falſa, tum maximè abſurda, atque impia docuerunt. Auguſtinus, & Anſelmus id ad tumorem animi, atque elationem refert. Alij idcirco euanuiſſe putant, quòd rerum diuinarum ſcientia tanto ſtudio comparata nihil eis profuerit ad ſalutem. Verè omnia & ingenioſè. crediderim tamen hanc philoſophorum vanitatem ad idololatriam potiſſimùm referendam eſſe, vt affirmauit Clemens Alexandrinus. cùm enim partim cognoſcere potuiſſent, partim etiam cognouiſſent Deũ rerum omnium auctorem, falſos tamen, ac fictos Deos coluerunt. *Vani enim* (ait Salomon [e]) *ſunt ſenſus hominis, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei.* Et in ſacris literis nihil frequentius legitur, quàm idola vana eſſe, aut etiam vanitates. In Deuteronomio [f]: *Irritauerunt* (inquit) *in vanitatibus ſuis.* Et in primo Regum [g]. *Nolite declinare poſt vana.* Et in Actis [h] Apoſtolicis. *Ab his vanis conuerti ad Deum viuum.* Quinetiam in libro [i] Heſter idola dicuntur non eſſe, vt interpretatur Hieronymus [k]. Græca autem vox ἐματαιώθησαν perelegantem continet metaphoram rei propoſitæ valdè accommodatam. μάτην enim fruſtrà ſignificat Græcè; μάταιος autem ſuperuacaneũ, hinc ματαιόομαι, fruſtror. Significat igitur Apoſtolus, eos, qui idola coluerunt, fruſtratos eſſe ſua ſpe, & malo ſuo tãdem comperiſſe omnem illam Deorum ſuperſtitionem fuiſſe vanã, ſuperuacaneam, ac nullius planè vtilitatis; ideo ſubdit *in cogitationibus ſuis,* id eſt, lõgè aliter eueniſſe, quàm putarant ἐν τοῖς (inquit) διαλογισμοῖς, non ſimplices cogitationes intelligens, ſed cum quadam ratiocinatione, atque argumentatione, philoſophorum callidam diſſerendi rationem obiter perſtringens.

b In adhort. ad Gent.
c Pſal. 4. 3.
d cap. 2. 5.
e Sap. 13. 10.
f cap. 32. 21.
g cap. 12. 21.
h cap. 14. 15.
i cap. vlt.
k in Apolog. pro libris cõt. Iouin.

V. Et obscvratvm est insipiens cor eorvm. Errorum videlicet cæcis tenebris, ac dẽſis inſcitiæ nubibus, vt explicat Theodoretus. Contrà qui verum Deum, vt par eſt, venerantur, & colunt, clariſſima luce perfunduntur. *Accedite* (inquit [l] Dauid) *ad Deum, & illuminamini, & facies veſtræ nõ confundantur.* Et Chriſtus [m]: *Ego ſum lux mundi; qui ſequitur me, non ambulat in tenebris.* Atque ita (vt rectè ſubdit Paulus) *dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Qui enim inter philoſophos ſapientiſſimi habebantur, in multis grauiſſimè lapſi ſunt. Plato namque, qui philoſophorum Deus habitus eſt, auctore Clemente [n] Alexandrino, multa à Moſe mutuatus videtur; & tamen iure optimo à Iuſtino Martyre in

l Pſal. 33. 6.
m Ioan. 8. 12.
n lib. 5. ſtrom.

A quàmplurimis reprehenditur. Ariſtoteles ingeniorũ meta, aut ſapientiæ apex, vt appellari ſolet à multis, proprio libro caſtigatur à Iuſtino [a]; & quidem malè illum de prouidentia ſenſiſſe, plurimi grauiſſimi auctores [b] tradiderunt; neque negant qui [c] ſe maximè Peripateticos & eſſe, & haberi volunt. Certè alicubi [d] Deum putauit ciendo orbi affixum eſſe, ac neceſſariò alligatum, & reliquis mentibus non admodum præcellere. Mitto cætera, ne ab inſtituto longiùs abeam. Addit Anſelmus, philoſophos illam ipſam, quam de Deo perceperant ſcientiam, impio idolorum cultu quaſi tenebris inuoluiſſe, atque adeò ab illa excidiſſe: ſed quod ex Theodoreto diximus, magis videtur ad mentem Pauli. illorum enim nimia diſſerendi calliditas in multos, ac ma-
B gnos errorum ſcopulos, miſeros impulit, vt velut ad cautes alliſi naufragium fecerint, & quod mox ſubdit Apoſtolus, dum ſapientiam inaniter iactant, ſuam inſcitiam produnt. ſic autem ſubdit.

a De dogm. Ariſt.
b Clem. Alex. 1. ſtrom. Iuſti. de dog. Ariſt. Tatian. orat. cont. Gentes Greg. Nazã. or. 1. de theol. Epiphan. Ana chorpl. non procul ab initio. Ambr. 1. off. c. 13.
c Themiſt. 12. Metaph. Alex. li. de fato. & l. 2. nat. qq.
d 12. Metaphy.

Dicentes se esse sapientes, &c. 22.
Græcè φάσκοντες, cùm putarent, ac profiterentur ſe I.
eſſe ſapientes. Syriacus; *cum animo ſuo reputarent ſe eſſe ſapientes:* particula autem *enim* Græcè non legitur, ac ne in Latinis quidem pluribus codicibus, neque apud Auguſtinum [e] habetur. Quod autem noſter interpres dixit; ſtulti facti ſunt; Græcè eſt ἐμωράνθησαν, hoc eſt, vt nonnulli interpretantur, infatuati ſunt. Quid enim ſtultius (vt ait Photius [f]) quàm eos pro Diis colere, qui nulla præditi ſunt diuinitate, nihil excelſum, nihil veneratione dignum habeant?
C In eos verè illud conuenit, quod legimus apud Ieremiam [g]: *Stultus factus eſt omnis homo à ſcientia.* Dum enim rerum cauſas, euenta, & proprietates, curioſiùs perſcrutantur, neglecto conditore, multis veluti errorum ſcopulis adhæſerunt, & quod caput eſt, dum rebus creatis diuinos honores tribuerent, ſingularem quamdam inſcitiam declararunt. ſic autem plerumque contingit, vt nimium litterarum ſtudium etiam capiti, & mentis obſit ſanitati. Quò ille ſpectaſſe videtur in Actis [h] Apoſtolicis cùm dixit; *Inſanis, Paule, multæ te litteræ ad inſaniam conuertunt.* Hanc certè ſiue inſaniam, ſiue furorem colentium idola, mirè exagitat Athanaſius [i]; & hunc Pauli locum luculenter explicat. Quod & alibi facit contra Arrianos [k].

e lib. de ſpiritu & litera.
f apud Oecu.
g cap. 10. 14.
h cap. 26. 24.
i or. cõt. Idola.
k or. 1. verſus finem.

D Et mvtavervnt gloriam &c. 23.
Græcè ἀφθάρτου; incorruptibilem autem hoc loco I.
dixit interpres, qui aliàs reddiderat [l] immortalem. & ſanè hoc loco immortalitas maximè Deo tribuenda videbatur, vt ex altera parte reſponderet ſimulacro hominis mortalis; hoc eſt, vt Græcè dicitur φθαρτοῦ, niſi quod ἄφθαρτος plus aliquid ſignificare videtur, quàm ἀθάνατος. hominum enim animi ἀθάνατοι dicũtur: ἄφθαρτοι nõ ita propriè. nam etiam ſi Deo auctore deficerent, atque in nihilum reciderent, non propriè tamen dicerentur mori, ſi mortem animi à corpore ſeparationem interpretemur, vt ferè vſu receptum eſt: dicerentur tamẽ interire, ac deficere, quod eſt corrumpi: itaque Dei reſpectu quidquid creatum eſt φθαρτὸν dici aliqua ratione, etiam ſi à cauſis na-
E turalibus perimi nequeant. De hoc verò loco multa Ambroſius, nos paulò pòſt nonnulla perſtingemus. Perſimilem ſanè amentiam deſcribit Salomõ [m]. Sed aut ignem aut ſpiritũ, aut citatum aërem, aut girum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut Solem & Lunam Rectores orbis terrarum Deos putauerunt. Alibi [n]: *Lignis, & lapidibus impoſuerunt nomen incommunicabile Dei.* Et Ieremias [o]: *Populus meus* (ait) *commutauit gloriam ſuam in idolum.* Denique Dauid [p]: *Mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum.* Ad quem locum ſuſpicor Paulum

l 1. ad Timot. 1. 17.
m Sap. 13. 2.
n Sap. 14. 21.
o cap. 2. 11.
p Pſ. 105. 20.

A allusiſſe; & profectò permirum videri debet, qua ratione philoſophi, ac viri ſapientes eò dementiæ adduci potuerint, vt rebus inanimis, aut hominum opificio fabrefactis, diuinos honores tribuerent; ſed factum eſſe negare non poſſumus: quod longa

a Catech. 6. oratione explicat Cyrillus[a] Ieroſolymitanus. Cæ-

II. terùm quod interpres dixit; *In ſimilitudinem*, Græcè eſt ἐν ὁμοιώματι, quod alij vertunt; per imaginem. Quocirca putant eſſe Hebraiſmum, quaſi Dei gloriam ſimilitudine imaginis mutarunt, vt ſit ſenſus; Deum exiſtimarunt eſſe corporeum: ſed nihil eſt opus hac ſubtilitate, cùm Paulus acceperit ipſa Dauidis verba, vt ſunt apud Septua-

b Pſ. 105. 19. ginta. *Et fecerunt* (inquit[b]) *vitulum in Horeb, & adorauerunt ſculptile, & mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum.* Græcè ἐν B ὁμοιώματι, quaſi dicat, quem honorem Deo debebant, tribuerunt vituli ſimulachro. Addit Apoſtolus: *In ſimilitudinem imaginis*; Græcè εἰκόνος, vt ſignificet imaginem non quidem hominis veri, ſed ficti, aut picti, quam ſuis ipſi manibus effinxerant, vt Deos fabrefactos intelligat. ita in eos rectè cadit

c cap. 2. 13. quod ait Ieremias[c]: *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquam*: quæ de

III. Iudæis idolorum cultoribus dicta ſunt: *Corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpen-*

d in Anacephal. *tum.* Errore multiplici (vt auctor eſt Epiphanius[d]) lapſa eſt olim antiquitas. etenim à mundo condito vſque ad Noe Barbarorum error viguit, qui ortus

e lib. 1. præpar. Euang. c. 6. ab Ægyptiis, vt ex Diodoro probat Euſebius[e], multorum mortalium animos falſa religione imbuit, vt C cœleſtium corporum pulchritudinem admirati, Soli, Lunæ, reliquiſque ſyderibus diuinitatem tribuerent. Quod ſedulò cauendum eſſe Moſes monet,

f Deut. 4. 19. dum ait[f]: *Ne fortè eleuatis oculis ad cœlum videas Solem, & Lunam, & omnia aſtra cœli, & errore deceptus adores ea, & colas quæ creauit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub cœlo ſunt.*

g in Cratylo. Hunc errorem auctore Platone[g] Græcia complexa

h in Euterpe. eſt: ſiquidem illa, vt ait Herodotus[h], omnem penè Ægyptiorum ſuperſtitionem ad ſuos vſus tranſtulit. Iam verò Ægyptij his cœleſtibus Dijs herbarum penè infinita genera addiderunt: quorum veſa-

i Satyr. 15. nia meritò deridetur à Iuuenali[i]. ait enim,

Porrum, ac cepe nefas violare, ac frangere morſu.
O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis D
Numina.

Neque his contenti etiam beſtias in Deorum numerum retulerunt, vt crocodilum, ibim, atque id genus alia permulta; de quibus idem Iuuenalis eodem loco:

Quis neſcit Voluſi Bythinice qualia demens
Ægyptus portenta colat? crocodilon adorat
Pars hæc, illa pauet ſaturam ſerpentibus ibim;
Effigies ſacri nitet aurea Cercopitheci.

Qui ſanè error ita latè manauit, vt, quemadmodum

k lib. 17. Geograph. ſcribit Strabo[k], nulla omnino natio reperiretur, quæ ex hoc genere Deorum aliquod peculiare numen non haberet; ea tamen tempeſtate nulla fuiſſe vel

l lib. 1. præp. Euang. c. 6. templa, vel ſimulachra, docet Euſebius[l]. Huic er- E rori ſucceſſit ſcytiſmus, qui à Noë vſque ad turrim Babylonicam perdurauit; indéque vſque ad Phalec,

IV. & Ragau, qui ad Europam declinarunt. Quo primùm tempore hoc ad reliquam ſuperſtitionem acceſſit, quòd homines non pauci diuinitate donati ſunt, ij nimirum à quibus magna vtilitas ad vitæ cultum eſſet allata, vel gentis, & vitis conditores, vel fœminæ caſtitate inſignes, vel viri virtute clari, quámuis mortali genere orti eſſent. Ita alij apud alios, vt

m lib. 1. c. 15. ſcribit Lactantius[m], Deorum loco habebantur. At-

A que hoc quidem tempore, ſignificat Epiphanius[a], a in Anacephal.
idolorum, ac ſtatuarum vſum cœpiſſe, ea potiſſimùm ratione, quæ in libro Sapientiæ[b] deſcribitur. b Sap. 14. 15.
Itaque Rachel in libro Geneſeos[c] rapuiſſe dicitur c cap. 31. 19.
idola Patris; ac Belum quidem Aſſyriorum Regem primum omnium pro Deo habitum fuiſſe accepimus, ea fortaſſe occaſione, quam indicat Euſebius[d], d initio Chronic.
quòd Ninus filius, ei tamquam parenti ſtatuam erexerit, quam omnium primam publicè in honore habitam ſcribit Amboſius[e]; idipſum affirmant Cyril- e in hunc locum.
lus[f], & Auguſtinus[g]. Eandem verò cum Salomone f lib. 3. cont. Iulianum nó procul à fine.
originem probant Chryſoſtomus[h], Hegeſippus[i], g li. 18. de ciuit. cap. 18.
Cyprianus[k]. Quamquàm autem Ninum primum h Hom. 67. in Matth.
omnium ſtatuam publicè adorandam poſuiſſe diximus, verisimile tamen eſt etiam anteà priuata non- i Apud Hier. in Catalogo.
B nulla fuiſſe idola. Et quidem Epiphanius[l] indicat k de Idolorũ vanitate.
idolorum auctorem, atque inuentorem fuiſſe Thare Abrahæ parentem, quem primum filium extuliſſe l in Anacephal.
accepimus, & fuiſſe cultorem idolorum ſcriptum m cap. vlt. 2.
eſt in libro[m] Ioſue. Cùm autem ille vixerit tempore Beli, potuit Ninus eius imitandi ſtudio parẽti vita functo publicè ſignum ponere. Nec me fugit, Fulgentium[n] ex Diophane Lacedæmonio ſcriptum re- n li. 1. Mythologiarum.
liquiſſe Syrophanem quemdã Ægyptium filio mortuo feciſſe idolum, quaſi idolynum, hoc eſt doloris ſpeciem, cui familiares flores, & odoramenta adulationis gratia offerrent. Hinc ortum habet Græciſmus, quo Deorum infinita multitudo vanis omnia numinibus compleuit, vt oſtendunt Lactantius[o], o lib. 1. cap.
& Herodotus[p]. Omnium verò gentium impieta- p in Euterpe, & Clio.
tem Roma complexa eſt, vt docent Leo[q] Pontifex, q ſerm. 1. de Apoſt. Pet. & Paulo.
C & Auguſtinus[r]. Porrò plura de hac inani Gentilium r de conſenſu Euang. ca. 12. 17.
ſuperſtitione ſcribunt Diodorus[ſ] Siculus, Plutar- ſ li. 2. hiſt. c. 4.
chus[t], & ex Varrone B. Auguſtinus[u], qui multas t in li. de placitis philoſoph. cap 6.
veluti Deorum formas, & quaſi claſſes recenſet; u li. de ciuit. Dei cap. 5. 10.
quæ tamen omnia deridet M. Tullius[x]: ex noſtris x lib. de Nat. Deorum, & de diuinat.
Tertullianus[y], Arnobius[z], Athenagoras[a], Cyril- y in Apolog.
lus[b] Ieroſolymitanus, Iuſtinus[c], Clemens[d] Ale- z Aduer. Gentes.
xandrinus, & [e] alij. Rectè igitur dixit Paulus, mutaſſe illos *gloriam incorruptibilis hominis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentum.*

PROPTER QVOD TRADIDIT ILLOS. 24.
&c. Rectè Damaſcenus[f] permiſſionem diuinam I.
nonnumquam in ſcripturis nomine actionis ſignifi- a Aduer. Gentes.
cari docet, quomodo hæc verba eſſe intelligenda,
D cum Chryſoſtomo[g] ſentit Auguſtinus[h]; faciléque b Catech. 6.
colligi poteſt ex Dauidis[i] perſimili ſententia. *Dimiſi* c in Parænetica, & in vtraque Apolog.
(inquit) *eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt* d in adhortat. ad Gentes.
in adinuentionibus ſuis. Eodem planè modo loquun- e Athan. cõt. Idola. Cyprian. de Idol. vanit.
tur Origenes, Theodoretus, Oecumenius, Theo- f lib. 1. c. 19.
phylactus; & inter Latinos Ambroſius, & Hiero- g in hunc locum.
nymus. Fauet huic interpretationi quod de libello h in inchoat. expoſit. huius Epiſtol.
repudij legimus in Euangelio: Nam Matthæus[h] qui- i Pſal. 80.
dem ait, permiſſum fuiſſe à Moſe; Marcus[l] ait, præ- k cap. 19.
cepto fuiſſe traditum. Sed curioſiùs quærunt non- l cap. 10.
nulli, cùm nullum omnino peccatum ſit, quod non permittatur à Deo, quid cauſæ ſit, cur hæc grauiſſima Gentilium ſcelera, atque flagitia quaſi in pœnam præteritorum criminum permiſſa tantum-
E modò dicantur. vt enim ſcribit Auguſtinus, non dicitur Deus quenquam tradere in peccata, cùm eos labi, aut errare patitur; ſed tum demum cùm ob grauiſſima crimina ita deſerit, vt in atrociora flagitia prolabantur: itaque non deſunt qui geminam Dei permiſſionem conſtituant; generalem alteram communem omnibus, qui quoquo modo peccant, alteram ſingularem, & propriam eorum, qui ita m Hom. 7. in Ioann.
permittuntur peccare, vt crimina ſubſequentia ſint n in Enchir. & Ep. 105.
nonnulla præteritorum ſcelerum pœna. Malim ego o lib. 11. mor. cap. 18.
cum Chryſoſtomo[m], Auguſtino[n], Gregorio[o], &

S. Tho

S. Thoma [a] permiſſionem hanc ita interpretari, vt contineat non exiguam ſubtractionem diuinæ gratiæ, ac cœleſtium præſidiorum, quibus plerumque homines perditi iuſtè ſpoliantur, vnde ſequitur facilis lapſus in plurima grauiſſimáque flagitia. Non me præterit aliam quamdam tradendi rationem excogitaſſe Auguſtinum, [b] & multis ex ſacris litteris teſtimoniis confirmaſſe: ſed ea longiorem poſtulat diſputationem. Quod verò ad huius loci interpretationem attinet, ſatis eſt intelligere non ita Deum tradidiſſe philoſophos in deſideria cordis, vt iis auctor eſſet malitiæ, aut flagitiorum cauſa. Nam rectè Photius, [c] *Tradidit illos Deus, hoc eſt, delictum, ac debacchatio in Deum, propriáque illorum operatio, aut vltronea cæcitas illa tradidit eos in affectus ignominiæ. Etenim in contrarium dicere ſolemus, perdidit illum argentum; atqui argentum non perdit, ſed eius prodigus, maliſque vſus. Item corrupit eum adulantium multitudo, atqui non illi corrumpunt, ſed eis cohærere, atque obtemperare quod in mea ſitum eſt voluntate, vt ipſis pareant, aut non.* Oecumenius: *Vel fortaſſis* (inquit) *ſe ipſos tradiderunt, eo quòd hoc deſiderarunt. aut enim in deſideria cordium ſuorum.*

a In 2. ſent. diſt. 4. [illegible]

b lib. 3. cont. Iulian. cap. 5. lib. de nat. & gratia à cap. 22. & deinceps, & q. 18. in Rom.

c apud Oecumenium.

II. Porro Græcè ſcripſit Apoſtolus ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις, id eſt, in deſideriis; quod alij non malè vertunt, per deſideria; vt ſit Hebraiſmus, quo id exprimitur, quod habet rationem inſtrumenti; quaſi prauæ ipſorum cupiditates fuerint veluti inſtrumenta, quibus à Deo meritò derelicti ſunt, ſuóque diuino præſidio magna ex parte deſtituti. addit τῶν καρδιῶν αὐτῶν, id eſt, cordium ipſorum; quaſi indicare velit non fuiſſe naturales hominum appetitiones, ſed vitioſas, ac deprauatas: denique *in immunditiam*; εἰς ἀκαθαρσίαν, hoc videtur reſpondere verbo παρέδωκεν, tradidit in immunditiam per deſideria cordis. Quæ ſit autem hæc immunditia mox explicat. Eſt autem in hac ratione dicendi notiſſimus Hebraiſmus. ſenſus enim eſt, vt diximus in paraphraſi, id exigentibus eorum prauis cupiditatibus, tradidit illos Deus in immunditiam: ſic omnino explicandus eſt Oſeas. [d] *Seruiuit Iſrael in vxore, & in vxore ſeruauit.* Iacob videlicet pro vxore Rachel ſeruiuit, & pro Lia greges ſoceri Laban ſeruauit; ita hic in deſideriis cordium tradidit illos Deus in immunditiam, id eſt, propter illa deſideria, vt ſignificet cauſam, cur traditi ſint in ignominiam. *Vt contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis.* Nam quæ poteſt maior contumelia excogitari, quàm belluarum more viuere, ſenſuum

d cap. 12. 12.

III. voluptate, ac titillatione corporis omnia metiri? Rectè de his Gregorius: [e] *Culpa, quæ per elationem mentis, in occulto latuit, per carnis luxuriam in aperto reſpondit.* Et mox: *Quia enim contumeliam ſpiritus Deo intulit, mox contumeliam carnis inuenit: Et qui auctori ſuo eſſe ſubditus noluit, ius carnis ſubditæ, quam regebat, amiſit, vt in ſe ipſo videlicet inobedientiæ ſuæ confuſio redundaret, & ſuperatus diſceret quid elatus amiſiſſet.* Paucis verò interiectis. *Sic enim plerumque virus libidinis de radice naſcitur elationis, tunc caro vicit, cùm ſpiritus latenter intumuit, iam tunc anima per originem culpæ in petulantiam iumentorum cecidit, cùm efferendo ſe more volucrum, vltra quàm debuit, euolauit.* Et plura deinceps in eamdem ſententiam. Penè eadem ſcribit Bernardus, [f] cùm explicaret illa verba, *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Hanc ego terram* (inquit) *corpus noſtrum intelligo, quòd ſi poſſidere vult anima, ſi regnare deſiderat ſuper membra ſua, neceſſe eſt, vt ſit ipſa mitis, & ſuperiori ſuo ſubiecta; quoniam tale inueniet inferius ſuum, qualem ſe exhibuerit ſuperiori. armatur enim creatura ad vlciſcendam ſui iniuriam creatoris, & ideo nouerit anima, quæ rebellem ſibi inuenit carnem ſuam, ſe quoque minus, quàm oporteat ſuperioribus poteſtatibus eſſe ſubiectam: manſueſcat ipſa, & humilietur ſub potenti manu Dei altiſſimi, ſubiecta ſit Deo; & his pariter, quibus vice eius habet obedire prælatis, & continuò corpus ſuum inueniet obediens, & ſubditum.* Neque aliter ſenſiſſe videntur ethnici, qui voluptatum mancipia belluis comparant. hûc enim ſpectant illa apud Homerum, [a] & Plutarchum [b] Circea pocula; hûc referenda ſunt quæ ſcribit Clemens [c] Alexandrinus, qui beſtias potius, quàm homines appellandos illos eſſe cenſet, qui ſimiles facti ſunt iumentis, adeóque *eſſe equos in fœminas inſanientes, ad proximorum vxores hinnientes. Eſt* (inquit) *aſinus inſolens, qui eſt intemperans; efferatus lupus auarus; & ſerpens, qui eſt impoſtor, & fraudulentus.* Eodem pertinet linteum illud, quod Petro [d] viſum eſt cœlitus mitti. Itémque vaticinium illud Iſaiæ: [e] *Habitabit lupus cum agno.* Alienos enim à fide beſtiis comparat propter agreſtes, & ferinos mores. Verùm, vt redeam ad Paulum, has contumelias, veteres non vno modo interpretantur. Auctor enim Commentariorum, qui Hieronymi nomen præferunt, hunc ferè in modum explicat. *Dum ſibi* (inquit) *in ſacramentis eorum cauteria, & combuſtiones infigunt, vt quaſi amentes ipſi in ſe ſuorum ſint vindices delictorum.* Sanè quidem ſacerdotes Baal [f] *incidebant ſe iuxtà ritum ſuum cultris, & lanceolis, donec ſanguine perfunderentur.* Ita in Oſea, [g] vbi Hieronymus legit; *ſuper triticum, & vinum ruminabant:* Septuaginta habent; *ſuper tritico, & vino concidebantur, ſiue concidebant ſe.* Secari autem in vino, & frumento (interprete Cyrillo) ſignificabat, eos gratias agere idolis pro copia frugum, quaſi dæmonibus ſanguine proprio litantes: quam in ſententiam Theodoretus; [h] *Cùm hominum* (inquit) *cædem ſpirent dæmones, hominum ſanguine delectantur, quamobrem eos hoc modo colebant.* loquitur autem de ſacerdotibus Baal. De hac verò impia veſania egregiè Seneca apud Auguſtinum: [i] *De ipſis verò ritibus* (inquit) *crudeliter impiis, quàm liberè ſcripſit: ille* (inquit) *viriles ſibi partes amputat, ille lacertos ſecat; vbi iratos Deos timent, qui ſic propitios habere merentur? Dij autem nullo ipſi debent genere coli, ſi & hoc volunt. tantus eſt perturbatæ mentis, & ſedibus ſuis pulſæ furor, vt ſic Dij placentur, quemadmodum ne homines quidem ſæuiunt.* Eôdem (credo) ſpectant illa eiuſdem Senecæ: [k] *Cùm ſiſtrum* (inquit) *aliquis concutiens, ex imperio mentitur, cùm aliquis ſecandi lacertos ſuos artifex, brachia, atque humeros ſuſpenſa manu cruentat, cùm aliqua genibus per viam repens vlulat, laurúmque linteatus ſenex, & medio lucernam die præferens, conclamat, iratum aliquem Deorum; concurritis, & auditis, & diuinum eſſe eum, inuicem mutuum alentes ſtuporem, affirmatis.* Extat huius impietatis IV.
apud Mahumetanos exemplum in primis memorandum. candenti namque ferro plerique, qui inter cæteros pietatis, ac religionis laude habentur inſignes, membra ſibi adurunt, aut fœdis vulneribus ora deturpant, brachia, & crura gladiis, ſagittíſve trãſfigunt; ita ſe propitiato numine, ſacris initiatos putant. ſed enim, vt hæc vera ſint, ad hunc tamen Pauli locum, nihil omnino pertinent. Dixerat enim ille traditos eſſe hos, de quibus agit in ἀκαθαρσίαν, quæ pertinet ad impudicitiam, quam noſter interpres immunditiam tranſtulit. Itaque contumeliis afficere corpora, nihil eſt aliud, quàm illa impura libidine polluere, & inquinare: ſed cur addiderit Paulus; *in ſemetipſis*; non conuenit inter omnes. Anſelmus ſolitariam maſtupratorum libidinẽ intelligit; Chryſoſtomus reciprocam inter ipſos turpitudinem. Alij ſimpliciùs fœdam voluptatem, cuiuſcumque tandem illa ſit formæ. Vt enim alio loco ſcribit [l] Paulus: *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus*

e lib. 26. moral. cap. 12. 18.

f ſerm. 1. de ſolo terræ [illegible]

a Odyſſ.

b in Gryllo.

c 4. ſtrom.

d Act. 10. 9.

e c. 11. 6. & 65. 25.

f 1. Reg. 18. 28.

g cap. 7. 14.

h Quæſt. 56. in 3. Reg.

i lib. 6 de Ciuit. cap. 10.

k lib. de vita beata. cap. 27.

l 1. ad Cor. 6. 18.

Digitized by Google

corpus ſuum eſt; qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. recipit enim turpitudinem, ac fœditatem in ſe ipſo, quæ eſt, vt hoc loco ſcribit Paulus, ἀτιμία, dedecus, contumelia, & ignominia. Id adeo turpius videri debet, quod plerumque in ſuorum Deorum honorem nefariæ libidini indulgebant. Indicat id

a Baruc. cap. 6. 42. Ieremias [a] in ſua Epiſtola: *Mulieres autem circumdatæ funibus in vijs ſedent ſuccendentes oſſa oliuarum: cùm autem aliqua ex ipſis attracta ab aliquo tranſeunte dormierit cum eo, proximæ ſuæ exprobrat, quòd ea non ſit digna habita ſicut ipſa, neque funis eius diruptus.* Pertinere autem hanc conſuetudinem ad honorem

b lib. 1. Deorum conſtat ex Herodoto, [b] qui rem totam fusè explicat. Simile quiddam ex Seneca narrat Augu-

c lib. 6. de Ciuit. cap. 10. ſtinus [c] de fœminis, quæ ſedebant in Capitolio, quæque ſe à Ioue amari dicerent. Huc refero quod ſcri-

d lib. 11. bit Strabo [d] de ſacris Perſarum, Medorum, & Armeniorum; & quod de Paulina quadam illuſtri

e lib. 18. antiq. cap. 4. f lib. 2. hiſt. cap. 4. fœmina, ſcribunt Ioſephus, [e] & Hegeſippus, [f] quæ cùm ſe Anubidis congreſſu frui crederet, impuro adoleſcenti obſecuta eſt. Ille certè apud Comicum Iouis exemplo ſe ad turpitudinem excitat.

25. Qui commutaverunt veritatem

I. Dei, &c. Mendacium hîc intelligit idololatriam. cùm enim veram Dei cognitionem aſſequi neglexiſſent, multiplici errore deluſi fictam, & inanem quamdam diuinitatem mentiti ſunt. Quod egregiè, & acutè more ſuo deridet Tertullianus. [g] *Vetus* (in-

g In Apolog. cap 5. quit) *erat decretum, ne quis Deus ab Imperatore conſecraretur, niſi à Senatu probatus, vt M. Æmilius de Deo ſuo Alburno facit. & hoc ad cauſam noſtram, quod apud vos de humano arbitratu diuinitas penſitatur, niſi homini Deus placuerit, Deus non erit, homo iam Deo propitius eſſe debebit.* Illa [h] verò apud eumdem Pauli

h cap 15. eiuſ. Apol. in fin. ſententiam expreſſiſſe videntur. *Quid ergo colunt qui talia colunt? Iam quidem intelligis ſubiacet veritatis eſſe cultores, qui mendacij non ſint.* Cultores enim mendacij vocat eos, qui idola venerarentur. Huc etiam pertinent quæ ſuprà de idolorum vanitate notata

II. ſunt. *Et coluerunt, & ſeruierunt creaturæ potiùs, quàm Creatori.* ἐσεβάσθησαν καὶ ἐλάτρευσαν. Nimirum colebant miſeri, & ſeruiebant creaturæ pro Creatore.

i lib. 12. de Trinit. *Præterito* (vt ait Hilarius, [i] vel vt Cyprianus [k]) *relicto*

k lib. 3. ad Quir. cap. 10. l Deut. 32. 18. m Pſ. 105. 21. *creatore.* In hoc enim præcipuè poſitum eſt idololatriæ vitium. *Deum* (inquit [l] Moſes) *qui te genuit, dereliquiſti, oblitus es Domini creatoris tui.* Et Dauid: [m] *Obliti ſunt Deum, qui ſaluauit eos.* Eodem modo Ie-

n cap. 2. 6. remias. [n] *Ambulauerunt* (inquit) *poſt idola, & non dixerunt; vbi eſt Deus, qui aſcendere nos fecit ex Ægypto?* Porrò idolorum cultores ſimulacris diuinitatem tribuiſſe, ſacræ litteræ apertiſſimè indicant. Neque enim aliter interpretabimur, quæ contra idolo-

o cap. 46. 6. p Pſal. 113. & 134. q cap. 2. 6. r lib. 8 de Ciuit. cap. 23. rum impietatem ſcripſerunt Iſaias, [o] Dauid, [p] Abacuc. [q] Sic optimè, idémque acutè Triſmegiſtus apud Auguſtinum. [r] Quoſdam (ait) Deos ab hominibus factos, eſſéque ſtatuas, quibus arte quadam dæmones alligentur, ac veluti anima corpori iungantur, vt inde exiſtat idolum non ſecus, atque ex animo,

ſ lib. 5. præp. Euang. ca. 15. t lib. 1. aduer. Gentes. & corpore homo. Hos Deos Euſebius [ſ] lapideos, ac ligneos hominum creatores vocat. Arnobius [t] in incudibus Deos, & ex malleis fabricatos. Augusti-

u lib. 1. de doct. Chriſtiana. cap. 7. x in Apolog. cap. 12. nus: [u] *Fateor* (inquit) *altiùs demerſos eſſe qui opera hominum Deos putant, quàm qui opera Dei.* Deoique Tertullianus [x] Deos ait, Gentilium plura pati dum fiunt ab artificibus, quàm patiantur Chriſtiani cùm occiduntur. Ad hunc autem locum alluſiſſe videtur cùm dixit: *Fœlix nimirum fides ſi ea conſecutura eſt, quibus hoſtes Dei, & Chriſti non modò vtuntur, verùm etiam abutuntur, ipſam conditionem colentes aduerſus conditorem.*

26. I. Tradidit illos Deus in, &c. Paulò antè dixerat; *tradidit illos in deſideria cordis eorum in immunditiam.* ibi Græcè dixit, παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ θεὸς ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῶν καρδιῶν αὐτῶν εἰς ἀκαθαρσίαν: Hic verò, εἰς πάθη ἀτιμίας, vt maior hæc pœna, & à ſuperiori diuerſa videatur. Quod ſubindicat Origenes ex illis Pauli verbis ad Galatas: [a] *Crucifixerunt carnem ſuam cum vitiis, & concupiſcentiis;* Græcè σὺν τοῖς παθήμασι καὶ ταῖς ἐπιθυμίαις. Hinc multi arrepta occaſione extra locum philoſophantur. Ego rem eamdem declarari à Paulo nihil dubito; ſed priori quidem loco poſuiſſe veluti effecta, poſteriori cauſas. Morbi enim, ſiue ægritudines animi, quas πάθη vel παθήματα vocat Paulus, ſunt veluti fons, atque origo, vnde exiſtunt ἐπιθυμίαι, id eſt prauæ cupiditates, quas ἐπιθυμίας τῶν καρδιῶν appellauit. Igitur Deus quia vidit illos prauis cupiditatibus ſeruire, paſſus eſt, eos labi in immunditiam; quo factum eſt, vt τοῖς παθήμασι vehementiùs vrgerentur, non ſolùm titillarentur: paſſiones autē ignominiæ dixit Hebræorum more, ideſt, prauas, turpes, & inhoneſtas affectiones; de quibus Seneca: [b] *Non deſiſtam* (inquit) *perſequi nequitiam, & affectus efferatiſſimos, inhibere & voluptates ituras in dolorem compeſcere, & votis obſtrepere.* Et Ariſtoteles [c] feritatem vocat vitium exuperans: *Cùm eò vſque nequam prorſus quempiam intuemur, vt ipſum non hominem, ſed feram eſſe dicamus.* Et aliquanto [d] pòſt feritatem ait, non in feris, ſed in homine ſpectari. *Feritatis ſiquidem nomen adeptum eſt id vitium ob ſingularem improbitatem.* Denique alibi [e] oſtendit ferinos mores heroicæ virtuti ex aduerſo reſpondere. Explicat autem Apoſtolus feros admodùm mores dum ait: *Nam fœminæ eorum.* II.

a cap. 5. 24.

b Epiſt. 122.

c l. 2. magnorum moral. cap. 5.

d cap. 6.

e lib. 7. Ethic. cap. 1.

De hoc loco ſic ſcribit Athanaſius: [f] *Olim Phœniſſæ mulieres ante idola ſua proſtituebantur dedicantes numinibus ſuum quæſtum, perſuaſæ meretricatu ea propitiari, ac proſperitatem rerum inde naſci. Viri quoque abdicato ſexu, mulierum naturam affectabant tamquàm honorifica, gratáque matri Deorum facturi eſſent.* Hæc ille, quaſi naturalem vſum intelligat eum, qui connubij legibus aſtringitur, liberum verò ac ſolutum præter vel contra naturam. At Auguſtinus [g] naturalem vſum interpretatur eum, vnde natura humana poteſt naſcendo ſubſiſtere. *Nec dixit Apoſtolus* (ait) *vſum coniugalem, ſed naturalem, eum intelligi volens, qui fit in membris ad hoc creatis, vt per ea poſſit ad generandum ſexus vterque miſceri.* Commentarij, qui nomine Ambroſij circumferuntur: *Quid eſt* (inquiunt) *immutare naturalem vſum in eum vſum, qui eſt contra naturam, niſi naturali conceſſoque vſu taliter vti, vt vna, atque eadem pars corporis vniuſcuiuſque inter ſe inuicem ſexus, alter ſe ad vſum præbeat, quàm cōceſſum eſt?* Itaque exiſtimant, præſertim Theodulus, & Anſelmus, hæc intelligi de nefaria libidine fœminarū inter ſeſe, quemadmodum & paulò pòſt de virorum præpoſtero vſu diſſerit. Ego vniuerſim omnem fœminæ vſum cōtra naturam accipiendum cenſeo. Omnis enim is vſus ad mutationem vſus naturalis pertinet. De his verò multa ſcribunt prophani auctores. Suidas auctor eſt, Cyrenem varios coëundi modos ad explendam libidinem excogitaſſe; quod ipſum de Phelenide, & Aſthyanaſſa memorat Pauſanias. Nonnullas, quas Tribadas veteres appellabant, maſculam libidinem exercuiſſe ſcribit Lucianus. [h] Nihil dicam de iis, quæ belluis ſuccubuerint. [i] Et fuerunt qui [k] affirmarent Alcippem, ſeu Glaucippem elephantum peperiſſe. Quòd ſi Herodoto, [l] & Straboni [m] credendum eſt, in inſula Mendes paſſim mulieres hircis miſcentur. Et ſunt qui ſcribant apud Indos in inſula neſcio qua ſolas deſtitutas fœminas ex feris concepiſſe, & barbaros, atque efferos quoſdam homines peperiſſe. Rectè igitur dixit

f Orat. cont. idola.

g lib. 2. de nupt. & concupiſ. cap. 19. & 20. & lib. 14. de Ciuit. cap. 23.

h In meretriciis dial. 5. & in amoribus meminit Martial. lib. 1. Epigr. 91 & lib 7. Epigr. 66. 69.

III.

i Virg. Eclog. 6 & Æneid. 6. Proper. l. 2. & 3. ad Cinth. Ouid. 1. de arte amandi ex Epiſtola Phedræ ad Hipp. Porphyr. l. 3. de abſtinen. animatorum. Lucian. in aſtrol. Plin. li. 8 cap. 53. Hygin. fab. 243. Aelianus varia hiſt. l. 10. c. k Plin. lib. 8. ca. 1. Thacian. aduer. Gēnt. l lib. 2. m lib. 17.

Digitized by Google

dixit Paulus, mutaſſe fœminas naturalem vſum in eum, qui eſt contra naturam. Et quidem huius peccati poſteræ, ac naturæ repugnantis libidinis inuentum fœminis tribuit Auguſtinus, vel quicunque eſt auctor ſermonum ad fratres in eremo, qui habentur inter opera [a] Auguſtini. Ita fœminis, viriſque communis fuit improbitas, atque ob hanc fortaſſe cauſam Apoſtolus priùs fœminas, deinde viros nominat. Ambroſiani porrò commentarij bifariam aiunt fœminas naturalem vſum immutaſſe: & quòd ſe præpoſterè viris coniunxerint, & quòd ſeſe ipſas nefariis complexibus polluerint. quod vtrumque cum natura pugnat. Monet autem Chryſoſtomus, hæc, quæ naturæ aduerſantur, videri quidem ſuauiora, vt illa apud Salomonem [b] mentitur. *Aquæ furtiuæ dulciores, & panis abſconditus ſuauior.* Re tamen vera & difficiliora, & inſuauiora eſſe.

b Prou. 9. 17.

17. I. SIMILITER ET MASCVLI RELICTO. &c. Verùm mares, an fœminæ ſint ad libidinem propenſiores quærunt philoſophi. Et qui vndecumque volumina confarcinant, hic ea de re longam diſputationem attexerent; nos ea cura nihil tangit, in re præſertim tam aliena à Theologo, vt quæ ad Pauli explicationem nihil pertinet. Id ſatis fuerit monere, viros etiam his fœdis cupiditatibus ſuprà quàm dici poteſt fuiſſe corruptos, ac deprauatos. Hinc cinædi, & catamiti, qui muliebria patiuntur nimiùm quantùm à Poëtis; atque hiſtoricis celebrati. Scribit de his non pauca Hieronymus [c] explicans verba illa Iſaiæ: *Et pueris alienis adhæſerunt. In tantum autem (ait) Græci, & Romani hoc vitio laborarunt, vt & clariſſimi philoſophi Græciæ haberent publicè concubinos, & Adrianus philoſophiæ artibus eruditus Antinoum conſecrarit in Deum, templúmque ei, ac victimas, & ſacerdotes inſtituerit, & ex eo Aegypti ciuitas, ac regio nomen acceperit. Inter ſcorta quoque in fornicibus ſpectaculorum pueri ſteterunt publicæ libidini expoſiti, donec ſub Conſtantino imperatore, Chriſti Euangelio coruſcante, & infidelitas vniuerſarum gentium, & turpitudo deleta eſt.* Videndus item Suetonius in Tyberio, quo primùm tempore, vt auctor eſt Cornelius, ſpintriarum, ac ſellariorum impura nomina inuenta ſunt. Quò ſine dubio ſpectabat [d] Iaſonis improbitas, qui à Rege Antiocho poteſtatem cupiebat impetrare *faciendi ſibi gymnaſium, & ephebiam, quique optimos quoſque Epheborum in lupanaribus conſtitueret.* Socrates porrò, ac Plato philoſophorum facilè Principes hoc nomine malè audierunt. Solon autem Athenienſium legiſlator (vt hoc loco tradit Chryſoſtomus) legem tulit, ne ſerui vngantur, néve pueros ament; quod vtrumque ingenuis, ac liberis tamquam honeſtum permiſit. Neronem adeo fuiſſe in hoc genere impudentem accepimus, vt Romæ quidem in Senatu Sporum ſibi quaſi connubio iunxerit, & in Græcia ſextò nupſerit. Ariſtoteles [e] auctor eſt, Celtas maſculorum concubitus admiſiſſe. Sed nimirum (vt ait Paulus) mercedem, quam oportuit erroris ſui in ſemetipſis receperunt: ſiue quia ignominiam, ac dedecus ex hac turpitudine in omnem poſteritatem collegerunt; ſiue (quod magis placet) quia hæc ipſa tam execranda flagitia iuſtam, & quodammodò debitam idololatriæ mercedem, & compenſationem attulerunt. Quod Chryſoſtomus, Ambroſius, ac Sedulius non obſcurè ſignificant.

c Iſa. cap. 3.
d lib. 2. Machab. 4. 12.
e 2. polit. c. 7.

II. Sed cur hæc immania ſcelera ad idololatriæ veluti remunerationem pertineant, non planè conſtat. Ambroſius grauiſſimo piaculo, & ſacrilegio ſpurciſſimas voluptates ex æquo ait reſpondere. Anſelmus Dei veri, naturæque auctoris deſertoribus iuſtum eſſe ſupplicium irrogatum, vt ea etiamque, quæ ad naturæ propagationem refertur, naturæ ipſi ordinē inuerterent ac perturbarent. Vtrumque verè, illud fortaſſe propius abſit à mente Pauli, æquum fuiſſe, vt qui contra naturæ leges, tam inſigni Deum naturæ conditorem contumelia affecerant, quique et muta hominum, beſtiarúmque ſimulacra prætulerant, ingenti ipſi probro aduerſus naturæ leges ſuis in corporibus afficerentur. Hoc adeoque quæ ſequuntur apud Paulum penè apertè indicare videntur. *Et ſicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum.* Tritum enim eſt illud, beneficio indignum videri, qui eo abutitur. Igitur hi non probauerunt Deum habere in notitia, nō ſolùm quia (vt ait Ambroſius) Deum humana curare, aut hominum actiones intueri non exiſtimabant: Neque (vt alij) quia non ſibi Deum tamquàm ſuarum actionum vltimum finem propoſuerunt; ſed quia, vt in paraphraſi diximus, Dei cognitionem, quam aſſequi potuiſſent, aut etiam magna ex parte adepti eſſent, impiè neglexerunt, & aliò mentem, atque animum tranſtulerunt.

III. Quæ eſt interpretatio Chryſoſtomi [a], Theodoreti [a], Baſilij [b], Gregorij [c] Nyſſeni. Et ſanè ex hoc ipſo intelligimus quod paulò antè dixit Apoſtolus. *Mercedem quam oportuit, erroris ſui in ſemetipſis recipientes.* Vt enim ſcribit Gregorius [d], qui Dei cognitionem negligit, iuſtè permittitur, ſuis in actionibus grauiter peccare; rectéque ſcriptum eſt à Baſilio [e], eos, qui diuino patrocinio, & Angelica tutela deſtituuntur, animi perturbationibus agitari, ac proinde non errare ſolùm, ac labi, ſed in omnia propemodùm flagitia præcipites ruere. Aptè igitur ſubdit Paulus: *Et ſicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum.* Hæc eſt enim digna præteritorum ſcelerum pœna, vt mox docebo. Porrò pro eo quod interpres dixit; *Mercedem*; ſcripſit Græcè Apoſtolus ἀντιμισθίαν, quaſi dicat præmium, ac dignam compenſationem: quocirca non accipio cum Theodoreto, flagitiorum compenſationem fuiſſe ignominiam & infamiam, quam ex iis cōſequi neceſſe eſt; ſed potiùs cum Chryſoſtomo, Ambroſio, ac Sedulio ipſa turpia, ac fœda flagitia fuiſſe idololatriæ mercedem, ideo ait; *mercedem, quam oportuit erroris ſui*, hoc eſt, quo in Dei cognitione cultùque errarunt. Eſt autem inter idololatriam, & impuras, ac nefarias voluptates mira quædam conſenſio, & quaſi cognatio; adeo vt in ſacris literis idolorum cultus ſæpiſſimè impuro fornicationis nomine denotetur; & ex idolorum cultu (vt hoc loco indicat Paulus) fœda flagitia oriuntur, & qui voluptatibus indulgent, facilè ad idololatriā prolabuntur. Id Salomonis exemplo probari poteſt, de quo ſcriptura [f]. *Cum iam eſſet ſenex, deprauatum eſt cor eius, vt ſequeretur Deos alienos.* Idque vniuerſim ibidem ſignificatur his verbis: *Certiſſimè auertēt corda veſtra, vt ſequamini Deos illarum.* Hac de re fusè Cyrillus [g] diſputans contra Iulianum, qui ſolus Salomonis lapſu oblectabatur, quaſi ille diuino numinis impulſu plures Deos coluerit.

a hoc loco.
b orat. de Iud. Dei, & in Reg. breu. reſp. 20.
c de vita Moyſis.
d lib. 25. moral. cap. 9.
e in Iſa. c. 5.
f 3. Reg. 11. 4.
g lib. 7. cont. Iulian.

18. I. ET SICVT NON PROBAVERVNT DEVM, &c. Omnes fermè explanatores tertiam hoc loco pœnam deſcribi putant; vt primùm Apoſtolus dicat, eos traditos *in immunditiam*, deinde *in paſſiones ignominiæ*: poſtremò *in reprobum ſenſum*: Mihi tamen videtur ſuperioris ſententiæ explicatio, vt planiùs dicat Apoſtolus, quæ ſint *paſſiones ignominiæ*, hoc eſt, mens à recta ratione penitùs auerſa, quæ illa ſequatur, & amet, quæ cum recta ratione ex aduerſo pugnant: dixit autem Græcè εἰς ἀδόκιμον νοῦν, hoc eſt in mentem veri, probique iudicij expertem, vt ea videlicet reiicerent, quæ maximè probanda forent: contrà verò ea probarent, quæ cum ratione pugnant,

& à recto, honeſtóque iudicio ſunt maximè aliena. Hanc pœnam Theologi ferè cæcitatem, atque indurationem appellant, de qua alibi plura dicenda erunt. Cæterùm hanc Pauli ſententiam olim Salomon [a] his ferè verbis expreſſit. *Sufficerat* (inquit) *eos errare circa Dei ſcientiam, ſed & in magno viuentes inſcitiæ bello, tot, ac tam magna mala pacem appellant. aut enim filios ſuos ſacrificantes, aut obſcura ſacrificia facientes, aut inſaniæ plenas vigilias habentes, neque vitam, neque nuptias mundas cuſtodiunt, ſed & alius alium per inuidiam occidit, aut adulterans contriſtat.* Quæ omnia veriſſima eſſe, cognoſcere quis poſſit ex Apuleio [b], qui plurima narrat tum impia, ac nefaria ſacrificia, tum etiam impura ſacerdotum facinora. Hinc Auguſtinus [c], & poſt illum Gregorius [d] rectè colligunt peccata quædam eſſe aliorum criminum cauſas, nonnulla verò præteritorum ſcelerum pœnam. Qua de re Theologi, & nos ſuo loco. Huc pertinet quod ait Sapiens [e]: *Initium omnis fornicationis eſt exquiſitio idolorum; & adinuentio illorum corruptio vitæ eſt.* Quod egregiè explicat Athanaſius [f], *Et propemodùm* (inquit) *omnes ciuitates omnibus libidinibus ſcatent, ob immanitatem morum, quam in ſuis Diis conſpiciunt, neque eſt in hoc genere Deorum,*

II. *quem caſtum appelles.* Cæterùm quod ait: *ſicut non probauerunt Deum habere in notitia*; nota ſimilitudinis eſt, cui reſpondere debebat; Ita, ſed omittitur à Paulo, vt ſæpe aliàs in ſacris literis. *Vt faciant ea, quæ non conueniunt.* ſic prorsùs accidiſſe ex veterum ſcriptorum lectione comperias. nam Minoë Cretenſium legiſlatore nihil ſanctius habet antiquitas, & tamen Zenis apud Athenæum [g] auctor eſt, eum ſcelesto, ac nefario amore Theſeum Athenienſem deperiſſe. Rhadamantum tantæ ſeueritatis virum fuiſſe memorant, vt ob id maximè apud inferos damnatorum iudicem conſtitutum fuiſſe arbitrentur, eum tamen vt apud eumdem Athenæum [h] affirmat Lybicus, Tullum puerum ardentiſſimè adamaſſe ferunt. Demetrium Phalereum grauiſſimum legiſlatorem impuriſſimis tamé moribus præditum fuiſſe ſcribit Athenæus [i]. De Periandro Corinthio, qui inter ſeptem præcipuos Græciæ ſapientes numeratus eſt, pudet dicere quod memoriæ traditum eſt, eum cùm Meliſſeæ cadauere obſcœna perpetraſſe. De Socrate nihil equidem auſim affirmare, ſed illius puerorum amores permultis non ſine cauſa valdè fuiſſe ſuſpectos, ſatis ſcio. Quocirca non ineptè ſcripſiſſe viſus eſt Iuuenalis:

Inter Socraticos notiſſima forma cinædos.

De Platone res videtur apertior. nam eius obſcœna, atque impura Epigrammmata in Stellam, Dionem, Alexim, & Phædram pueros præter Apuleium prodidit etiam Laertius [k]. Extat & aliud in Agathonem apud Gellium [l], ex quo hominis improbitatem facilè colligas. Ariſtotele nihil propè turpius fingi potuit, qué impuræ neſcio cui meretriculæ, quaſi Eleuſinæ Cereri ſacra feciſſe legimus. Pythagoram Samium Italicæ philoſophiæ principem, ac parentem Perieli Tyranno malè obſequentem fuiſſe teſtatur Lucianus [m]. Ariſtippi Socratici fœdos amores ſcribit Athenæus [n]. Phædonem, à quo dialogus de immortalitate apud Platonem inſcriptus eſt, turpiter meruiſſe, non pauci memoriæ tradiderunt. Zenonem Stoicæ ſeueritatis auctorem adeo fœdæ, nefariæque libidini deditum ſcribunt Gellius [o], & Laërtius [p], vt præ illa fœminarum amores contemneret. De Diogene nihil attinet ſcribere: certum eſt, Galenum, alióſque graues auctores ad eius continentiam laudandam nihil afferre illuſtrius, quàm quòd impatiens moræ dum meretriculam operitur, manu hymenæum præuenerit, ideóque mulieren-

a Sap. 14. 22.
b de Aſino aureo & alibi.
c l. 3. cont. Iul. c. 2. & alibi.
d Hom. 11. in Ezech. & lib. 25. Mor. c. 9.
e Sap. 14. 12.
f Orat. cont. Idola.
g lib. 13. c. 27.
h Eod. loco.
i lib. 12. c. 20.
k In vita Platonis.
l lib. 19. c. 8.
m In Gallo.
n lib. 11. c. 5.
o lib. 8. c. 11.
p in vita Socrat.

lam intactam diuiſerit. Mitto alios penè innumerabiles philoſophos, ac poëtas tum Græcos, tum Latinos, qui flagitioſis, atque impuris moribus corrupti perditè viuebant, vt appareret, eos verè (vt ait Apoſtolus) non probaſſe Deum habere in notitia; vel quia (vt ait Ambroſius) Dei prouidentiam ſuſtulerunt; vel quia non ſibi Deum ante oculos propoſuerunt, cuius maieſtatem vereri, & diuinitatem colere oportebat; vel denique quia Dei notitiam penitus neglexerunt, vt paulò antè dictum eſt. Hæc autem omnia ex mente illa reproba, ac recti iudicij experte tamquàm ex fonte manabant. Sic dixit alicubi [a] Dauid: *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum.* Et in hanc Pauli ſententiam multa ſcribit Auguſtinus [b], vt fuſiùs alibi doceo. Quò etiam pertinent, quæ in Ezechielem ſcribit [c] Gregorius, & alicubi Iſidorus [d], & D. Thomas [e]. Videndus item Auguſtinus [f], qui alicubi explicat quomodo Deus dicatur tradere in reprobum ſenſum.

a Pſal. 68. 28.
b lib. 5. in Iul. cap. 3.
c Hom. 11. in Ezech.
d de Summo bono lib. 2. c. 19.
e 1. 2. q. 80. art. 3.
f l. de gratia, & lib. arb. ca. 21.

29. I. Repletos omni iniqvitate, &c.) Expreſſit Latinus interpres Græcum accuſandi caſum, qui cum infinito verbo ποιεῖν rectè coniungitur; & in Latina interpretatione pendere voluit à verbo tradidit; nihil immutata ſententia. nam quidquid aliter ſentiat Origenes ex eo, quod traditi ſunt in reprobam mentem, ſequitur, vt ea faciant, quæ non conueniant, atque omni planè iniquitate contaminentur; ita nominandi caſu hæc omnia legit Cyprianus [g]. Hæc porrò, quæ ſequitur, vocum congeries, Græcè συναθροισμὸς, vel ἀσύνδετον, non ſolùm ad orationis impetum, ac vehementiam mirè pertinet; ſed rem moleſtam, atque odioſam planiùs explicat, & ſuis veluti coloribus deſcribit.

g epiſt. 60.

II. Iniqvitate, Græcè ἀδικία; non modò contra iuſtitiam virtutem illam peculiarem, quæ ius ſuum cuique tribuit, ſed vt aduerſatur iuſtitiæ, quam Ariſtoteles [h] generalem virtutem appellat. Quomodo ſcriptura omne flagitium, & peccatum iniuſtitiam vocat, vt primo loco videatur Paulus poſuiſſe genus ipſum improbitatis, cuius deinde ſingulas veluti formas enumerat: quod apud Oecumenium obſeruauit Gennadius.

h lib. 5. Ethic. in princ.

III. Fornicatione; Græcè πορνείᾳ, quo nomine non illam ſingularem turpitudinis formam intelligit, quæ hac quidem voce ab aliis turpibus, atque impuris flagitiis diſtinguitur, ſed omnem omnino fœdam libidinem complectitur. Nos in paraphraſi ſcortationem diximus eadem, qua Paulus, ſententia.

IV. Malitia, Græcè πονηρίᾳ, mox addit nequitiam; Græcè κακίαν, quæ duo Theodoretus ita diſtinguit, vt πονηρίαν quidem mentem efferatam, & belluinam intelligat, κακίαν verò propenſionem quamdam animi ad deteriora; & ea quæ proximis noxia ſunt, tendentem. Alij πονηρίαν propenſionem putant eſſe ad ea, quæ aliis obſunt; κακίαν verò animum ad deteriora propenſum. Certè κακία mihi quidem videtur vitium ſonare, & opponi ἀρετῇ; aliquando autem ignauiam ſignificat; interdum etiam moleſtiam; fortè hoc loco pro κακίᾳ malitia accipienda eſt, πονηρίᾳ autem non tam malitiam, quàm verſutiam, atque aſtutiam indicat. Atque idcirco fortaſſe proximè antecedit auaritiam, quaſi illius germana. Non deſunt autem, qui non ingratam vocum affinitatem inter πορνείαν & πονηρίαν, obſeruent, vt πονηρία intermedia ſit inter πορνείαν & πλεονεξίαν, id eſt auaritiam, quod vtrique vitio incredibiliter calliditas, & aſtutia ſubſeruiat.

V. Avaritia; Græcè vox πλεονεξία, latiùs multo patet apud Græcos, quàm auaritia apud Latinos; Græci enim πλεονεκτεῖν dicunt, cùm quis ſibi plus

quàm fas eſt, aut potiores partes etiam cum [illegible] occupat: de qua voce dabitur [illegible] endi locus; videndus interim Hieronymus in [illegible] ad Epheſios [a].

I. [illegible] ENOS INVIDIA; Græcè φθόνου καὶ φόνου; non [illegible] ſunda vocum ſimilitudine. quod verò mox ſub-[illegible] *malignitate*, Græcè eſt κακοηθείας; quæ difficulta-[illegible] atque aſperitatem morum ſonat, opponitúrque [illegible] ita benignitati, ſeu candori; atque ita malí-[illegible] laudare dicitur, qui parcè, ac propemodùm in-laudat; & malignè dare, qui contractè dat. Quid-[illegible] ſit Græcè ἔρις, quam contentionem poſter in-[illegible] es Latinè dixit, definitur à Baſilio [b] hunc ferè [illegible] modum: *Quando quis ex his, quæ oſtentationis, aut inanis gloriæ cauſa facit, etiam vt ſimiliter faciant alios prouocat, atque irritat.* Dolum verò, Græcè δόλον, non [c] multò poſt [c] his verbis deſcribit; *Eorum quæ ad inſidiandum inferuntur exquiſita diligentia, quotieſcumque videlicet quis per ſimulationem alicuius boni, eo perinde, ac eſca quadam alicuio obiecto, quæ ad inſidias pertinent, exequitur.* Et mox malignitatem, Græcè κακοηθείαν, *primum, ac latens in moribus vitium appellat*; quaſi verſutiam, & calliditatem intelligit. Certè Ariſtoteli κακοηθεία vitium eſt; quo in deteriorem partem omnia accipiuntur. Suſurrones; Græcè ψιθυριστάς, eos intelligit, qui alienis auribus perſtrepentes amicorum coniunctiones diſſuunt, ac diſſoluunt; & occultè maledicendo odium in aliquem, aut diſſenſionem moliuntur.

30. I. DETRACTORES, DEO ODIBILES.) Detractores ij ſunt, qui calumniis, ac maledictis aliorum nomen, atque exiſtimationem violant. Quod ait: *Deo odibiles*; vnica vox eſt apud Græcos θεοστυγεῖς, quæ magis ſignificat eos, quibus Deus eſt inuiſus, quàm quos Deus exoſos habet. Sic ſanè interpretantur græcanica ſcholia. Cyprianus vertit [d]; *Deo abhorrentes*; ex eo nimirum genere; qui Deo dicunt, *recede à nobis: ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Iulius Pollux hanc vocem cùm tragicam eſſe affirmat, tum inter eas recenſet, quibus impietatem exprimimus. Hic interim breuiter moneo, Baſilium [e] ad hanc vocum congeriem nonnulla addidiſſe prætereà vocabula, quæ apud illum reperias.

INVENTORES MALORVM. Baſilius [f] eos eſſe intelligit, qui præter ea, quæ viſitata, & nota vulgò ſunt mala, alia etiam excogitant, & inueniunt, quaſi communia perpetrare eis parum admodum videatur. *Parentibus non obedientes* contra naturam quodammodò peccant. Scriptum eſt enim ab Ariſtotele [g], Dis, parentibus, ac magiſtris parem gratiam referri non poſſe.

31. I. INSIPIENTES, INCOMPOSITOS.) Idem verò Baſilius [h] quærit, cur Apoſtolus Gentilibus vitio vertat, quòd fuerint inſipientes, cùm ſapientia, & intellectus ſint dona Dei. Reſpondet autem hunc in modum: *Si quis nouit voluntatem Dei, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, & Spiritus ſancti diligentiam animaduerterit in diuiſione, & operatione bonorum Dei; hic planè intelligit tarditatem intelligentiæ, non ex eo naſci, quod tardius ſit qui beneficium dat, ſed ex eo, quòd increduli ſunt, in quos confertur, & rectè reprehenditur qui intelligentiæ expers eſt, vt qui exorto ſole oculos non aperiat, & in tenebris degat, neque ſurſum aſpiciat, vt illuminetur.* Nec negant Scholaſtici ipſam plerumque ignorationem reprehendendam eſſe, cùm quis ea ignorat, quæ ſcire commodè poteſt, adeóque pro ſui muneris ratione cognoſcere debet: quamquàm inſipientes nonnulli intelligunt hebetes, ac tardos, hoc eſt recti iudicij prorsùs expertes. Incompoſiti autem ſunt ruſtici, inurbani, & agreſtes, quos Græci ἀσυνθέτους vocant. *Sine affectione*, quos illi ἀστόργους, qui nullam cum aliis amicitiam ineunt, ab aliorum conſuetudine, atque beneuolentia prorsùs alieni. *Abſque fœdere*; qui pacta conuenta temerè violant, aut nulla contrahunt. *Sine miſericordia*; quos nulla capit humanæ calamitatis commiſeratio.

(QVI CVM IVSTITIAM DEI COGNOVISSENT.) 32. I.
Hic etiam apud Græcos variant codices. nam à Latina lectione diſcrepant Chryſoſtomus, Theophylactus; à nobis ſtant Latini, Cyprianus [a], Ambroſius [b], Sedulius [b], Saluianus [c], Auguſtinus [d], Heſychius [e], Symmachus [f] Papa, Anſelmus [g], & alij. Neque planè Græcis conſentit Origenes, ipſéque adeo Oecumenius. Aliter etiam legi apud Græcos non negant, & apertè fatetur Iſidorus apud Oecumenium. Sententia, quam noſtra paraphraſis habet, & hæreticorum argumenta, & Catholicorum cauillos euadit. Neque diſplicet eorum interpretatio, qui Paulum id putant affirmare, nonnullos ignoraſſe malum eſſe perperam agentibus conſentire cum, qui nihil ipſe per ſe turpiter agat. nam & ipſum per ſe peccare, & peccantibus patrocinari grauiſſimum ſcelus eſt. At noſtræ ſententiæ fauet Theophylactus. *Sua* (inquit) *ſponte faciunt, & (quod deterius eſt) conſentiunt agentibus, hoc eſt, patrocinantur malo, quod perditè prorsus eſt ægrotare*; vel malum malo cumulant, ipſi perperàm agunt; neque hoc contenti, alieni flagitij participes etiam fiunt, dum peccantibus aſſentiuntur, aut etiam aſſentantur; aut non prohibent, cùm maximè poſſent, ac deberent. Neque aliter Cyprianus [h]: *Malis* (ait) *& peccatoribus, & pœnitentiam non agentibus illicita communicatione miſcentur, nocentium contactibus polluuntur, & dum iunguntur in culpa, ſic nec in pœna ſeparantur.* Syriacus: *Non ſolum* (inquit) *ea faciunt, ſed etiam aſſociantur facientibus.* Rectè autem Oecumenius: *Qui dum peccat* (ait) *ſimul etiam peccatum condemnat is quandoque temporis ſucceſſu ſeipſum recuperare poterit, cùm habeat ad reſipiſcentiam auxilium; peccati videlicet condemnationem, & odium: qui verò prauitatem collaudat, is ſeſe ad reſipiſcendum auxilio priuat.* Ita ſapienter dixit Ariſtoteles [i], longè deteriùs peccare intemperantem, in quo mens, & ratio corrupta eſt, quàm incontinentem, qui perturbationis impetu interdum labitur. Senſus igitur eſt, non ſolùm peccant, ſed peccata quaſi rectè facta collaudant, & ſuo patrocinio defendunt, & interdum etiam aliis ſuadent.

a In epiſt. ad Epheſ. b lib. c. [illegible] c epiſt. ad [illegible] e Hom. 24. f [illegible] g lib. 8. Ethic. cap. 14. h in reg. 248.

a epiſt. 67. b in hunc locum. c li. 6 de prouidentia. d in Pſal. 17. & in expoſit. quarund. propoſit. huius epiſt. e lib. 6 in Leuit. c. 20. f in Apolog. cont. Anaſt. Imp. g In hunc locum. h epiſt. 68. ſub finem. i lib. 7. Ethic. cap. [illegible]

Argumentum Cap. II.

OCCASIONE eorum,quæ ſuperiori capite,præſertim extremo docuerat,propoſita iudicij diuini ſumma tum æquitate , tum ſeueritate , quæ omnes culpæ affines eadem ſententia damnabit : apud Deum nihil valere oſtendit reſpectum perſonarum ; ſed Iudæos æquè,ac Gentiles iuſtæ ipſius iræ,atque indignationi fore obnoxios, ſi à recto virtutis tramite vtrique deflexerint. Non enim Deum externi tantùm cultus,atque cæremoniæ habere rationem;ſed ex proprio cuiuſque ſtudio , ac voluntate cunctos metiri,& interdũ Gentilem legis,præceptorúmque ignarum,ſi modò legi viuendi ratione,ac moribus conſentiat ; Iudæo quamuis in lege plurimùm verſato,cuius vita à legis præſcripto receſſerit,longè anteferri , quippe qui Deo ſe mentium inſpectori,non hominibus probarit.

CAPVT II.

PROPTER *quod inexcuſabilis es,ô homo omnis,qui iudicas. In quo enim iudicas alterum , te ipſum cõdemnas ; eadem enim agis,quæ iudicas.*

Scimus enim quoniam iudicium Dei eſt ſecundùm veritatem in eos , qui talia agunt.

Exiſtimas autem hoc,ô homo, qui iudicas eos, qui talia agunt,& facis ea,quia tu effugies iudicium Dei?

An diuitias bonitatis eius , & patientiæ,& longanimitatis contemnis ? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?

Secundùm autem duritiam tuam , & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei.

Qui reddet vnicuique ſecundum opera eius.

Iis quidem , qui ſecundùm patientiam boni operis gloriam,& honorem,& incorruptionem quærunt;vitam æternam.

Iis autem,qui ſunt ex contentione,& qui non acquieſcunt veritati , credunt autem iniquitati;ira,& indignatio.

Tribulatio , & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm, & Græci.

Gloria

PARAPHRASIS.

QVAPROPTER inexcuſabilis es , qui 1.
alios reprehendis , ae damnas vi legum,
ac iurium , quæ probè tenes,auctoritate
ſubnixus. Hoc enim ipſo,quod alterum
arguis,ac plecti iubes,tu te condemnas,quòd alio-
rum iudex,ac cenſor,iiſdem ſceleribus implicatus
deprehendaris. ¶ Atqui ſcimus iudicium Dei per- 2.
ſpicax,atque aete,abſque vllo errote,atque igno-
ratione in eos ferri,qui talia agũt; quamquam for-
taſſe hominum opinione immunes ab omni labe
cenſentur. Hi enim externam duntaxar rerum
ſpeciem vident ; Deus autem corda , & intimos
animi motus intuetur,eorúmque receſſus penitus
abditos perſeruratur. ¶ Quis verò tibi perſuadet 3.
quiſquis eos damnas,qui huiuſmodi ſceleta,atque
flagitia perpetrant , à quibus ipſe interim non ab-
horres,fore vt effugias iudicium Dei? ¶ An diui- 4.
tias,atque ingentes theſauros benignitatis eius to-
lerantiæ,ac lenitatis contemnis ? An non intelligis
immenſa illa ſua tum bonitate , tum facilitate,
Deum immortalem id vnum agere,ac ſedulò co-
nari,vt te ad pœnitentiam , ac præteritæ vitæ de-
teſtationem alliciat , ſenſímque perducat,tantum
abeſt , vt impunitatem polliceatur? ¶ Verùm pro 5.
duritia tua , & corde à pœnitentia penitus abhor-
rente , quódque nulla Dei beneficentia emolliri,
aut flecti poteſt,ſic planè deſipis,vt dum genio, ac
voluptatibus indulges,cupiditatum ſomenta , at-
que illecebras conſectaris,maiorem , & iuſtiorem
contra te iram prouoces ; quæ illo maximè extre-
mo mundi die inſtar diu comparati theſauri cu-
mulatiſſimè effundetur. Quo die Chriſtus Domi-
nus viuorum , ac mortuorum iudex conſtitutus,
hominum conſilia in lucem , aſpectúmque omniũ
mortalium proferet. ¶ Et vnicuique reddet pro 6.
qualitate , & conditione meritorum,ſiue immor-
talis , ſempiternæque vitæ poſſeſſionem, ſiue infe-
rorum ſupplicia,& perennes cruciatus. ¶ Iis qui- 7.
dem,qui cùm in periculis,ac rebus aduerſis, forti-
ter perſtent,& perſeuerent,boni operis gloriam,&
honorem , ipsámque adeò immortalitatem quæ-
runt; vitam beatam. ¶ Iis verò,qui ſunt peruica- 8.
ces,& contentioſi , quique veritati obluctantur,&
iniuſtitiæ,atque iniquitati laxant habenas , excan-
deſcentiam , atque iram. ¶ Quinetiam illo ipſo 9.
tempore effundet Deus oppreſſionem , atque an-
guſtiam in eorum omnium animos , qui flagitioſè

vitam

vitam duxerint, primùm quidem Iudæorum, tum
verò etiam Græcorum, omniúmque infidelium.
10. ¶ Contrà verò gloria, atque honore ſempiterno
afficier illos, qui benè, ac laudabiliter vixerint; pri-
mo quidem loco Iudæos, deinde etiam eos, qui
olim Græcorum impietate decepti aliquando re-
11. ſipuerunt. ¶ Neque enim Deus perſonas ex ge-
nere, vel patria, vel huiuſmodi alia quapiam quali-
tate meritur; neque vllus eſt apud ipſum perſona-
rum reſpectus, qualis plerumque inter homines
12. cerni ſolet. ¶ Siquidem illi, qui abſque vlla legis
ſcriptæ, qualis à Moſe promulgata eſt, cognitione
peccarunt; ſine legis præiudicio, aut condemnatio-
ne peribunt; qui verò legem à ſe cognitam plané-
que perſpectā perditis, ac ſceleratis moribus vio-
larint, ipſius etiam legis præſcripto damnabun-
13. tur. ¶ Non enim qui legem audiunt, modò, & ſo-
la cognitione, ſcientiáve contenti, in ea penitus
conquieſcunt, iuſti erunt apud Deum; ſed qui re
ipſa præſtant quod lege præcipitur, hi meritò &
iuſtitiam conſequentur, & pro iuſtis, iudicis ſen-
14. tentia declarabuntur. ¶ Et verò Ethnici, atque in-
fideles, qui nullius legis ſcriptæ notitiam perce-
perunt, ipſo tamen impulſu, inſtinctúque naturæ,
atque occulto diuinæ gratiæ beneficio, præſidió-
que adiuti, legis præceptis obtemperant, eiúſque
ſanctitatem moribus, & factis exprimunt; næ illi
lege, ac præceptis deſtituti, ſunt ipſi ſibi loco legis.
15. ¶ Quippe qui honeſtas illas, ac laudabiles actio-
nes, quæ lege præſcribuntur mentibus inditas, ac
penè inſculptas præſeferant, ſuæque conſcientiæ
longè certiſſima teſtificatione, & cogitationum ſe-
ſe mutuo tom accuſantium, tum defendentium
16. contentione confirment. ¶ Idque vt ſuprà dixi,
præcipuè fiet in extremo illo pereuntis mundi oc-
caſu, cùm Deus immortalis, vt traditur in Euāge-
lio, cuius ego beneficio, atque auctoritate Chriſti
prædicatione fungor, etiam de abditis, atque oc-
cultis hominum cogitationibus ſententiam feret.
17. ¶ Sed agè alloquamur, ſi placet, potiſſimùm Iu-
dæos. Ecce tu Iudæus cognominaris, in lege placi-
18. dè conquieſcis, in Deo gloriaris. ¶ Cuius volun-
tatem perſpectam habes, & cognitam; exploras, at-
que expendis ea, quæ vel à lege diſcrepant, vel
cum ipſa congruunt, & conſentiunt, quæque ma-
ximè excellunt, & eximia ſunt; hæc tibi ab ipſa le-
ge veluti pædagogo probè inſtituto, eiúſque præ-
ceptionibus in primis imbuto magnopere pro-
19. bantur. ¶ Denique his tot, ac tantis muneribus
elatus, confidis eſſe te quaſi cæcorum ducem, qui
20. lucem præferas iis, qui in tenebris iacent. ¶ Inſi-
pientium eruditorem, & infantium magiſtrum, eo
quòd teneas formam, ac rationem tradendæ veri-
tatis, eiúſque cognitionis, quæ ex lege haberi po-
teſt; ſiſque adeo probè inſtitutus, vt alios etiam
21. informare, atque erudire queas? ¶ Qui igitur
alios doces, te ipſe non doces? qui prædicas non
22. furandum, ſubripis aliena? ¶ Qui mœchādum eſ-
ſe negas, eodem tamen flagitij genere turpiter in-
quinaris: Qui abominaris idola, impio tete ſacrile-
gio

Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm, & Græco.

Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum.

Quicumque enim ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt: & quicumque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.

Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deū, ſed factores legis iuſtificabuntur.

Cùm enim Gentes, quæ legē non habent, naturaliter ea, quæ ſunt legis, faciunt, eiuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex.

In die cùm iudicabit Deus occulta hominum ſecundum Euangelium meum per Ieſum Chriſtum.

Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus.

Si autem tu Iudæus cognominaris, & requieſcis in lege, & gloriaris in Deo.

Et noſti voluntatem eius, & probas vtiliora, inſtructus per legem.

Confidis te ipſum eſſe ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris ſunt.

Eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium, habentem formam ſcientiæ, & veritatis in lege.

Qui ergo alium doces, te ipſum non doces: qui prædicas non furandum, furaris.

Qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, ſacrilegium facis.

Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras.

(Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter Gentes ſicut ſcriptum eſt)

Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerues: ſi autem præuaricator legis ſis, circumciſio tua præputium facta eſt.

Si igitur præputiũ iuſtitias legis cuſtodiat, nónne præputium illius in circumciſionem reputabitur?

Et iudicabit id, quod ex natura eſt præputiũ, legem conſummans, te, qui per litteram, & circumciſionem præuaricator legis es?

Non enim qui in manifeſto Iudæus eſt, neque quæ in manifeſto in carne, eſt circumciſio.

Sed qui in abſcondito Iudæus eſt, & circumciſio cordis in ſpiritu, non littera: cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.

gio obſtringens, vel ſacra violas, vel veſceris
idolothytis, vel idolis dicata, auri cupiditate vi-
ctus, nefariè, ſceleſtéque contrectas. ¶ Qui ob 23.
diuinitus acceptam legem gloriaris, legis ipſius,
qua neglectu, qua contemptu Deo immortali de-
decus, & contumeliam infers. ¶ Nimirum hoc 24.
eſt illud, quod pridem ſactis litteris proditum le-
gimus, propter vos Dei nomen inter gentes &
malè audire, & maledictis, blaſphemiiſq́; proſcin-
di, vt innumerabilia mortalium vitia, atque pec-
cata ab vno veſtro ſcelere, tamquàm à fonte, pro-
fluxiſſe videantur. ¶ Enimuerò ſi dicendum ſit 25.
quod rei præſentis, & inſtituti ratio poſtulat, cir-
cumciſio quidem prodeſt, ſi legi obtemperes; ſin
autem legis præcepta violaueris, tua iam circum-
ciſio, quæ in corpore tantùm hæret, in præputium
quodammodo ſecundùm ſpiritũ vertitur. ¶ Quod 26.
ſi quis corporeo præputio etiamnum præditus le-
gis iura, atque decreta ſeruarit; nónne illius præ-
putium pro circumciſione cenſebitur? ¶ Nónne 27.
qui vt à natura factus eſt incircumciſus manſit, ſi
legis præcepta, atque inſtituta coluerit, te quam-
uis Iudæum, & circumciſum meritò damnabit,
qui profeſſione legis, ipſáque adeo circumciſione
ſuffultus, legem violare non metuis? ſanè qui-
dem. ¶ Etenim neque is, qui in propatulo Iudæus 28.
eſt, neque quæ in corpore oculis cerni poteſt cir-
cumciſio Iudæi, aut circumciſionis nomine co-
ram Deo cenſeri debent. ¶ Sed qui clàm mente, 29.
& ſpiritu Iudæus eſt, quæque eſt in abdito circum-
ciſio; & quæ non legis ſcriptæ mandato, ſed diui-
ni ſpiritus vi, ac facultate perficitur iure, ac pro-
priè his nominibus nuncupatur; & magnam non
quidem ab hominibus, ſed ab immortali Deo lau-
dem, & gloriam conſequitur.

IN CAPVT SECVNDVM EXPLANATIO.

I. PROPTER QVOD INEXCVSABILIS ES, ô &c. Hanc primam huius capitis periodum Origenes ſuperiori capiti quaſi præteritæ diſputationis clauſulam annectit. Rectè, an ſecus non diſputo: pertinere certè ad ea, quæ aduerſus philoſophos ſcripſerat, dubitare non poſſum. nam & διὸ illationis nota id apertè ſignificat, & rerum ἀκολουθία neceſſariò poſtulat: quamuis non negarim complexionem latiùs aliquanto patere, atque ad vniuerſum genus hominum ſpectare, vt ipſa verba non obſcurè ſignificant, Πᾶς ὁ κρίνων. quiſquis iudicas, ſeu, quiſquis es, qui iudicas. Quamobrem qui hæc ad Iudæos referenda putant, ſuperiora ad Gentiles, apertè falluntur, & rerum conſecutionem non mediocriter perturbant. Theodoretus quidem, Theophylactus, & Oecumenius potiſſimùm referunt ad iudices, ac Magiſtratus Romanorum: Chryſoſtomus abſolutè ad Romanos, qui orbis terræ imperium obtinebant: Ambroſius, & Anſelmus (quod mihi magis probatur) vniuerſim ad omnes; quod etiam ſentiunt Baſilius[a], & Cyprianus[b]: de A eo namque iudicio accipiunt, de quo Chriſtus[a]: *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* Et Paulus[b]: *Nolite ante tempus iudicare:* Neque abhorret ab hac ſententia Chryſoſtomus. Qui ad Iudæos ſpectare putet (quod ferè ſentiunt recentiores) ex antiquioribus neminem memini legere, præter vnum Auguſtinum[c], qui hæc ait dicta fuiſſe præcipuè propter Iudæos, non tamen ipſos exprimi: ſententiam certè vniuerſim ad omnes pertinere non negat, quod alibi pluribus[d] oſtendit. Certè ipſa dicendi ratio docet, hæc ex ſuperiori diſputatione colligi. ait enim *propterquod*; egerat autem de Gentilibus.

II. IN QVO ENIM IVDICAS. Eodem modo Petrus:[e] *In eo, quod detrectant de vobis*; hoc eſt, hoc ipſo. Ita planè Oecumenius, Origenes, & Theophylactus. B In quo crimine alterum quis damnet, damnandum ſcribunt. Sic etiam Cyrillus[f] Alexandrinus, Cyprianus[g], Hieronymus[h], & Auguſtinus[i]. Hùc ſpectat quod ait[k] Chriſtus: *Nolite iudicare, & non iudicabimini. in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini; & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Quod alicubi egregiè probat Auguſtinus[l]. Addit

a in morali. reg. 51. c. 1.
b lib. 3. ad Quirin. c. 21.

a Luc. 6. 37.
b 1. ad Co. 4. 5.
c de ſpiritu & litera c. 14.
d Ep. 105.
e Ep. 1. c. 2. 12.
f li. 4. in loi cap. 51.
g li. 3. ad Quir.
h lib. 2. in Ezech.
i lib. 3. cont. Creſcō. c. 2. & Ep. 162.
k Mat. 7. 1.
l ſer. 102. de temp.

dit Baſilius,[a] moneri nos ab Apoſtolo, vt primùm A noſtra vitia quæcumque illa ſint emendemus, tum demum alios reprehendamus. Et in eamdem ſententiam Tertullianus. [b] *Oportet* (inquit) *conſtantiam commonendi propriæ conuerſationis auctoritate dirigere, ne dicta, factis deficientibus, erubeſcant.* Sic auctor [c] de duodecim abuſionibus. *Primus abuſionis gradus eſt, ſi ſine bonis operibus ſapiens, & prædicator fuerit, qui quod ſermone docet actibus explere negligit.* Scitum verò illud M.[d] Tullij. *Legem ſibi indicunt innocētia, continentiæ, virtutum omnium, qui ab altero rationem vitæ repoſcunt. Nam qui ſibi hoc ſumpſit, vt corrigat mores aliorum, ac peccata reprehendat, quis huic ignoſcat, ſi qua in re ipſe à religione officij declinarit? Ita enim poſtulatur ab omnibus, vt ab iis ſe abſtineant maximè vitiis, in quibus alterum reprehendunt.* Frigidè autem B Seneca[e] Philoſophos excuſat, qui aliter doceant, quàm viuant. Illud verò acutè obiicit. *Papulas*[f] *obſeruatis alienas, ipſi obſiti pluribus vlceribus. Hoc tale eſt, quale ſi quis pulcherrimorum corporum næuos, aut verrucas derideat, quem fera ſcabies depaſcitur.* Et vt nonnihil ex Euangelio proferam, eodem ſpectat illa hypocritarum reprehenſio apud Matthæum: [g] *Vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo eſt, non conſideras.* ſiue igitur Iudæi gentiles, ſiue hi Iudæos accuſent, ac damnent, ab Apoſtolo meritò coërcentur; quod luculenter explicat Auguſtinus ad Sixtum: [h] *In quo* (inquit) *iudicas, te ipſum condemnas.* Quo loco non admodum ad rem diſputant nonnulli; an iudex ſemper lethaliter peccet, cùm quempiam eius criminis damnat, quo ipſe implica- C tur. tantùm enim ſignificat Apoſtolus, eum, qui aliū alicuius criminis reum facit, ſi eodem ipſe vitio inquinetur, non poſſe per ſpeciem inſcitiæ, aut ignorationis excuſari; ſed eadem prorsùs eſſe ſententia dignum: ſed hac de re plura Auguſtinus;[i] & nos alibi: *Eadem enim agis qui iudicas.* Auguſtinus: [k] *Eadem* (inquit) *facis, quæ in aliis reprehendis; vel re ipſa, vel animo certè.* Syriacus: *Quandoquidem in ea etiam, quæ damnas tu ipſe reuolueris.* Alij ex Græcis codicibus eâ-

II. dem omnino ſententia legunt: *Eadem enim facis qui iudicas.* Græci enim codices conſtanter habent ὁ κρίνων, id eſt, qui iudicas, & facilè tam in Græcos, quàm in Latinos codices vnius litterulæ mutatione error potuit irrepere. Certè non ita multò pòſt ait Apoſtolus: *Qui prædicas non furandum, furaris.* Et D Græcam lectionem ſequutus videtur Cyprianus,[l] quæ multò videtur acrior, & quodammodò vehementior. omni namque vitio carere debet, vt ille ait, qui in alium dicere paratus eſt. Latinam magis probant Hieronymus, & Auguſtinus. interim moneo huic loco quod de philoſopho neſcio quo ſcribit Agellius[m] ex Pacuuio.

Ego odi homines ignaua opera, & philoſopha ſcientia. idquod ſubiicit, *pro foribus omnium templorum inſcribendum eſſe. Nihil enim fieri poſſe indignius, atque intolerantius dicebat, quàm ſi homines ignaui, ac deſides operti barba, & pallio, mores, & emolumenta philoſophiæ, in linguā, verborúmque artes conuerterent, & vitia facundiſſima accuſarent, intercutibus ipſi vitiis madentes.*

E

2.
I. SCIMVS ENIM, QVONIAM, &c. Græcè eſt δὲ, non γὰρ, id eſt, ſcimus autem. putat verò Chryſoſtomus, Paulum anticipatione quadam amouere id, quod impius quiſpiam dicere poſſe videbatur. Quid tum? Sim ſanè improbus modò impunè feram. Atqui (ait Paulus) multò aliter ſe res habet. nam Deus iuſtè ſontes vlciſcitur. Ambroſius paulò aliter connectit. *Manifeſtum* (inquit) *eſt, ſi nos iudicamus talia crimina, Deum etiam iudicaturum. ſi enim hominibus diſplicent, multò magis diſplicebunt Deo.* Aptiùs

A fortaſſe dixeris ſuperiorem ſententiam confirmari, quaſi dicat; ſcito autem qui alium iudicas, cùm eodem crimine contamineris, te iuſto Dei iudicio obnoxium detegere, qui ex rei veritate, non hominum opinione, aut oratione iudicat. Dicit autem; II.
ſecundum veritatem; Græcè κατ' ἀλήθειαν, verè, quod nos diximus in paraphraſi; abſque errore, aut ignoratione. Alterum enim ex his humani iudicij veritatem interdum labefactat; at Dei iudicium eſt ſecundùm veritatem. Syriacus; *Cum veritate*; quia verè ex ipſa re, non ex ſola externa ſpecie, quæ plerumque fallit, Deus immortalis iudicat. Hinc eſt illud:[a] *Homo videt quæ patent, Deus autem intuetur cor*; idcirco propria eſt Dei periphraſis, qua dicitur à Dauide,[b] *Corda & renes ſcrutari.* Alibi:[c] *Noſſe abſcondita cordis.* B Hùc ſpectat illud Ieremiæ: [d] *Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile: quis cognoſcet illud? Ego Dominus.* Itémque: [e] *Tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum.* Et rurſus: [f] *Omnia enim corda ſcrutatur Dominus, & vniuerſas mentium cogitationes intelligit.* Et [g] Iob: *Ecce enim in cælo teſtis meus, & conſcius meus in Excelſis.* Huius verò generis multa leguntur apud Paulum, vt illud: [h] *Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret ſpiritus.* Itémque: [i] *Nolite ante tempus iudicare quoadúſque veniat Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordiū.* Rurſus: [k] *Diſcretor cogitationum, & intentionum cordis.* Denique ob hanc cauſam Apoſtoli dixerunt.[l] *Tu Domine, qui noſti corda hominum.* In eamdem ſententiam plura ſcripſerunt veteres Patres,[m] quæ C otioſum, & operoſum eſſet in præſentia recenſere. Non igitur diuinum iudicium ignoratione laborare, aut errore corrumpi poteſt, vt plerumque humano iudicio contingit: idcirco ait, *ſecundum veritatem* Deum iudicaturum, quippe quem (vt ſcribunt commentarij nomine Hieronymi) *ſine perſonarum acceptione nec amicis ſuis, nec Angelis legimus peperciſſe peccantibus: humanum autem iudicium multis modis amore, odio, timore, auaritia ſæpè violatur, & contra iuſtitiæ legem ira, aut miſeratione in alteram partem interdum inclinatur.* Ita (vt monet Ambroſius) impietatem eorum paucis, ac tacitè perſtringit qui Deum negant rerum humanarum prouidentiam habere. Optimè verò Theophylactus, & Oecumenius verba illa; *ſecundùm veritatem*; humano iudicio opponi D docent; in quo non rarò alius pœnas dat perpetrati delicti, alius quamuis eodem flagitij genere inquinatus ſupplicium effugit: at iudicij Dei ſententiam nemo nocens euadet. Eodem fermè modo explicant Ambroſius, & Sedulius.

EXISTIMAS AVTEM HOC, Ô HOMO, &c. Hoc 3.
potiſſimùm argumento mihi maximè perſuadeo, I.
hanc Pauli orationem non eſſe percipuè contra Iudæos. quis enim credat, adeo fuiſſe illos à recta ratione alienos, vt ſibi eorum ſcelerum impunitatem pollicerentur, quæ in Gentilibus reprehenderent, atque damnarent? Philoſophi certè, ac ſapientes (vt colligi poteſt ex Seneca[n]) aliquam ſuæ improbitati excuſationem prætexebant. dicebant enim, non ſe docere quemadmodum ipſi viuerent, ſed quemad- E modum viuendum eſſet. *De virtute* (inquit) *non de me loquor, & cùm vitiis conuitium facio, in primis meis facio: cùm potuero viuam quomodo oportet. Interim non eſt quod contemnas bona verba, & bonis cogitationibus plena præcordia; ſtudiorum ſalutarium etiam citra effectum laudanda tractatio eſt. Quid mirum ſi non aſcendunt in altum? Arduos aggreſſus virtutis ſuſpice, etiam ſi decidunt, magna conantur. generoſa res eſt, reſpicientes non ad ſuas, ſed ad naturæ ſuæ vires conari, alta tentare, & mente maiora concipere, quàm quæ etiam ingenti animo adornatis effici queant.* Hæc ferè Ethnici dicerent,

a cap. breu. diſp. reſp. 164.
b lib. de pœnitent. cap. 1.
c cap. 2.
d 5. Verrina non longe à principio.
e l. de beata vita c. 18 20.
f cap. 27.
g cap. 7. 3.
h Epiſt. 105.
i l. 1. de Serm. Dom. in Monte, c. 20. & 21.
k de ſpiritu, & littera cap. 28.
l lib. 3. ad Quir. c. 21.
m lib. 13. c. 8.

a 1. Reg. 16. 7.
b Pſal. 7. 10.
c Pſal. 43. 22.
d cap. 17. 10.
e 3. Reg. 8. 39. Et 2. Paralip. cap. 6. 30.
f 1. Paralip. c. 28. 9.
g cap. 16. 20.
h ad Rom. 8. 27.
i 1. ad Cor. 4. 5.
k ad Hebr. 4. 12.
l Act. 1. 24.
m auct. Comment. qui tribuuntur Origeni. l. 1. in Iob. cap. 1. ad illa verba: Circuiui terram, & perambulaui eam. Athanaſ. q. 27. ad Antiochen. Chryſ. Hom. 2. in Matth. Hom. 11. 31. in Ioan. Cyril. l. 2. in Ioan. ca. 19. l. 3. c. 1. l. 4. cap. 5. Theophylact. Luc. 5. Damaſc. l. 2. de fid. orth. c. 4. Amb. in Luc. 2. 5. ad Rom. 8. 1. ad Cor. 2. & Orat. de obitu Theodoſij. Hierony. Ierem. cap. 17. Matth. 6. 11. Auguſt. 12. de Gen. ad litt. c. 17. tract. 32. 33. in Ioan. li. 13. cont. Fauſt. c. 8. & l. 2. retract. cap. 30. Gennad. de Eccl. dogmat. cap. 8. Beda Lucæ 5.
n lib. de vita beata. cap. 18.

A ſed in Iudæis quis hæc ferat? Certè Chriſtus audiendos quidem Scribas, & Phariſæos, qui Moſis præcepta traderent, ſed eorum tamen mores nulli prorſus mortalium imitandos monet. Cæterùm hæc vniuerſim ad eos refert ex Auguſtino Proſper [a], qui ſibi malè conſcij, dum nullam ſcelerum pœnam ſubeunt, Dei benignitate, ac patientia abutuntur, & nonnumquam etiam Dei iudicium impiè, ac ſacrilegè negant. *In eos* (inquit) *qui talia agunt.* An qualia quis damnat? an qualia ſuprà commemorata ſunt? Sanè ſi quis hoc poſterius intelligat, nō poterit hanc orationem ad Iudæos referre; cùm illa ſuperiora ſine controuerſia ad gentiles pertineant: niſi quis dicat voluiſſe Apoſtolum (quod vix puto veriſimile) tacitè Iudæos perſtringere, quaſi gentilium ſcelera, atque flagitia acriter accuſarent, ac reprehenderent, à B quibus tamen ipſi interim non abhorrerent. Igitur crediderim potius Paulum vniuerſim docere Iudicium diuinum, eiúſque ſeueritatem æquè omnibus qui impiè ac ſceleratè viuunt metuendum eſſe, cùm Deus non perſonarum, ſed rerum geſtarum rationem habeat.

a lib Sent. Auguſt.

4. I. AN DIVITIAS BONITATIS EIVS.) Græcè τὸ πλοῦτος, quæ vox ſæpe à Paulo metaphoricè vſurpatur pro ingenti copia, & affluentia cuiuſcumque rei: ſic infrà [b]: *Vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ.* Cyprianus fermè ſemper vertit opulētiam. Id ipſum dixerim de nomine theſauri, atque ita paulò pòſt, *theſaurizas* (inquit) *tibi iram in die iræ.* Si enim Græcæ vocis etymon ſequamur, τὸ εἰς αὔριον τιθέναι, id eſt, in craſtinum reponere, aptè congruit improbis, C qui ſeſe voluptatibus conſtringendos tradunt; dúmque ſe putant quotidie aliquid ſuis bonis adiicere, pro theſauro inuenturi ſunt aliquando Dei indignationem, & iram. Sic Græci dicunt θησαυρὸς κακῶν, theſaurum malorum: apud Plautum legitur; *Theſaurus ſtupri*; plura de hoc nomine Gregorius [c]; ſæpe receptaculum, in quo rei cuiuſpiam copia recondatur, dicitur theſaurus: ſic Dauid [d]: *Qui producit ventos de theſauris ſuis.* Et Matthæus [e]: *Apertis theſauris.* Rurſus [f]: *Qui profert de theſauro ſuo noua, & vetera.* Diuitias igitur bonitatis vocat Apoſtolus copioſam bonitatem, patientiam, & longanimitatem. Quæ ſint autem diuinæ bonitatis diuitiæ docet Bernardus [g], duo enim Chriſti vbera geminam dulcedinem interpretatur, quæ in Chriſti pectore exuberat expectandi longanimitatem, & ignoſcendi facilitatem. D Hîc quidem priorem bonitatem commendari, poſteriorem ab Ezechiele [h] cùm dixit: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, & cuſtodierit omnia præcepta mea, vita viuet, & nō morietur.* Vtramque complexus videtur Dauid [i] cùm dixit: *Longanimis, & multùm miſericors*; in quem locum plura ſcribit Auguſtinus [k], quæ ad huius ſententiæ explicationem maximè pertinent. Patientiam porrò definit Auguſtinus, *qua per ſuperbiam, & procaci mente peccantes non ſtatim punit.* Longanimitatem verò, *qua per infirmitatem, & non deliberati animi malitia peccantes diu portat, expectans ad pœnitentiam.* ac proinde dicitur ad Epheſios [l], *Diues in miſericordia*; has verò diuitias luculenter explicat hoc loco Anſel- E mus.

b cap. 2. 23.
c Hom. 11. in Ezech.
d Pſal. 134. 7.
e cap. 2. 11.
f cap. 13. 52.
g Ser. de triplici miſericordia & ſer. 9. in Cantica.
h cap. 18. 21.
i Pſal. 102. 8.
k Vide eundem contra aduerſ. legis & Prophet. & tractatu 31. in Ioan. Cypria. de bono pœnit. & li. 3. ad Quirinum c. 25. Ambro. de fuga ſeculi. c. 8. Hierony in Ezech. ca. 16. Gregor. hom. 11. in Ezech.
l 1. cap. 2. 4.

II. BONITATIS; non ἀγαθωσύνης, cui ex aduerſo reſpōdet πονηρία, id eſt, malitia; ſed χρηστότητος, id eſt, benignitatis, aut beneficentiæ, quæ virtus eſt ad benefaciendum inſtituta; atque idcirco Græcè à commoditate nomen habuit, eadémque comitatem, ſuauitatem morum ac facilitatem ſignificat. Syriacus dulcedinem dixit; vnde χρηστολόγοι, faciles, comes, & ſuaues in loquendo dicti ſunt. Itaque cùm olim Gentiles rerum noſtrarum prorſùs ignari, Chriſtum A Chreſtum, & Chriſtianos Chreſtianos malè vocitarent, arrepta occaſione Tertullianus [a]: *Et cùm perperam* (inquit) *Chreſtianus pronuntiatur à vobis* (*nam nec nominis certa eſt notitia*) *penes vos de ſuauitate, vel benignitate compoſitum eſt.* Quod ipſum obſeruauit etiam Lactantius [b]. Eam verò Chriſti, & Chriſtiani nominum corruptionē apertè tradidit Suetonius [c]: nec dubito, eodem etiam modo ſcripſiſſe Tacitum [d], & Oroſium [e]. de Plinio ambigo, itémque de Traiani [f] ad Plinium reſponſo. Quocirca Iuſtinus [g] eumdem vulgi errorem notans: *Chreſtiani* (inquit) *eſſe deferimur*, atqui χρηστὸν hoc eſt, commodum, & bonum odiſſe iniquum eſt. Lenitatem igitur, ac manſuetudinem Dei χρηστότητα vocat Paulus. Et aliquātò pòſt:

a in Apolog. cap. 3.
b lib. 4. c. 7.
c in Claud. cap. 25.
d lib. 15. annal.
e lib. 6. c. 7.
f epiſt. 97. ad Traian.
g Apolog. ad Anton.

III. IGNORAS. Omnes Græci codices habent ἀγνοῶν, B id eſt, ignorans: itaque hunc locum refert Hieronymus [h]; eodémque modo legiſſe videntur Cyprianus [i], & Irenæus [k], qui totam hanc Pauli orationem vnica interrogatione abſoluunt hunc fermè in modum. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis ignorans, quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Verùm alij duplicem interrogationem habent, & cum noſtro interprete non, *ignorans*; ſed, *ignoras*, legunt. Ita Hieronymus [l], Ambroſius [m], Auguſtinus [n], & Fauſtus [o]. Sunt qui tertiam interrogationem adhibeant; vt prima ſit: *Exiſtimas, ô homo, quòd tu effugies iudicium Dei?* Altera: *An diuitias bonitatis, patientiæ, & longanimitatis eius contemnis?* Poſtrema: *An ignoras, quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Hanc diſtinguendi rationem ſecutus eſt Auguſtinus apud Proſperum [p], vi- C detúrque omnino oratio acrior, & vehementior; ſed quoniam emendatiores codices Latini, & Romana editio, duas habent interrogationes, nihil cenſeo immutandum.

h lib. 3. Commēt. in Ezec. c. 1. & lib. 1. in Amos c. 1. & 3.
i lib. de bono patientiæ.
k lib. 4. c. 72.
l Hierem. 12. & in explanat. orat. eiuſdē.
m Hoc loco, & lib. de fuga ſæculi c. 3.
n Quæſt. 24. in Exod.
o lib. 1. de lib. arb c. 18.
p in Sentent.

IV. AD POENITENTIAM TE ADDVCIT. Græcè ἄγει, ducit, allicit, inuitat, prouocat. Nāque (vt ait Iuſtinus [q]) *pœnitentiam mauult, quàm pœnam cæleſtis Pater.* Et Baſilius [r]: *Non ita vult Deus mortem peccatoris, vt conuerſionem eius, & ſalutem: tempus eſt ſubſtinentiæ, tempus longanimitatis, tempus conualeſcentiæ, tempus in melius conuerſionis.* Itémque [ſ]; *Non oportet aliquem tempus præſtolari in ſua ipſius conuerſione, quòd nemo ſit craſtini certus. multi enim multa conſultantes, craſtinum non tenuerunt.* Egregiè verò Gregorius [t] Theologus oſtendit, quomodo Dæmon cōtra quàm D faciat Deus præſentem nobis diem eripiat, & à pœnitentia reuocet. *Si ſemper* (inquit) *hodiernum diem prætereunt craſtinum obſeruas, malignus ille te huiuſmodi paulatim dilationibus furtim ſurripiet, ſicut eius mos eſt; mihi des tempus præſens, Deo futurum; mihi iuuentam, Deo ſenectam, illi res nullius vſus, & vtilitatis.* Græcè τὴν ἀχρηστίαν. *O quantum penes te eſt periculum, quot, & quanti præter ſpem caſus!* Tum fusè enumerat rerum euentus, quibus ſæpè non procul à carceribus, vitæ curſus abrumpitur. Multáque ſimilia leguntur apud Chryſoſtomum [u], Auguſtinum [x], & Gregorium [y]. Quod verò ſpectat ad vim Græcæ vocis ἄγει, Hieronymus alicubi [z] interpretatur prouocat, allicit, inuitat. Maiorem vim habet vulgata E interpretatio, quam probant Ambroſius [a], Cyprianus [b], Auguſtinus [c]. Reuera autem dicitur Deus non modò allicere, & prouocare, ſed miris modis adducere, adeóque etiam perducere ad pœnitentiam. Huc enim refertur primùm Dei patientia, quæ Græcè dicitur ἀνοχὴ; qua patienter tolerat, & quaſi ſuſtinet hominum ſcelera, & flagitia; deinde longanimitas, quæ hîc dicitur μακροθυμία, qua noſtram veluti reſipiſcentiam expectat. Itaque rectè dixit Hieronymus, idcirco Deū tolerare peccatores cùm poſſit prohibere peccantem, vel inferre vindictam,

q Apolog. ad Antonin.
r in Aſceticis.
ſ ibid.
t Orat. in ſanctum Baptiſm.
u ad Theodor. lapſum.
x in Pſ. 101 tract. 33. in Io & in ſentent.
y Hom. 11. 12 in Ezech.
z in Ezech. cap. 18.
a Hoc loco & de fuga ſeculi c. 4.
b Ser. de patientiæ bono.
c Hoc loco.

quia

quàm mauult eos conuerti ad pœnitentiam. *Non tardat* (inquit Petrus [a]) *Dominus promiſſa, ſed patienter agit propter vos, nolens aliquem perire, ſed omnes ad pœnitentiam conuerti.* Et Salomon [b]: *Miſereris* (ait) *omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Et Iob [c]: *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbiam.* Denique Iſaias [d]: *Expectat vos Deus, vt miſereatur veſtri.* Sed quo maior fuit vel Dei patientia, & longanimitas expectando, vel facilitas, ac benignitas condonando; hoc interdum illuſtrior diuina iuſtitia, ac ſeueritas apparet. Verè enim ille dixit [e]; *Lento gradu ad vindictam ſui diuinam procedere iram, tarditatémque ſupplicij grauitate compenſare.* Quò etiam ſpectat illud [f]: *Conſueuiſſe Deum immortalem quò grauius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro ſcelere eorum vlciſci velit, his ſecundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere.* Denique eòdem ſpectat Plutarchi diſputatio de ſera numinis vindicta, alioqui non malè ille [g], raro (inquit) antecedentem ſceleſtum deſeruit pede pœna claudo. quæ cunctari dicitur, quòd, vt ait Euripides, talis ſit numinis natura.

5. SECVNDVM AVTEM DVRITIAM TVAM.)
I. Auguſtinus [h]: *Duritia* (inquit) *eſt ἀμετανοησία, vſque ad finem vitæ, qua homo recuſat in vnitate corporis Chriſti, quod viuificat Spiritus ſanctus, remiſſionem accipere peccatorum.* Et idcirco rectè ſubditur, καὶ ἀμετανόητον *impœnitens.* Neque aliter Ambroſius: *impunitatem* (inquit) *ſperans peccatorum, non ſolùm durat inconuertibilis, & intractabilis manens, ſed adhuc acerbiùs peccat, ſecurus quòd non ſit vlterò futura, cor habens impœnitens, ignorans, quia iram ſibi congregat in die iræ.* Conſulendi interim ſunt Origenes [i], Chryſoſtomus [k], & Auguſtinus [l]. Duritia autem, & impœnitens cor mentem quamdam auerſam, & quæ emolliri, aut flecti nequeat, hoc loco ſignificat. Syriacus dixit *cor, quod non reſipiſcit*; & ob id dicitur theſaurizare *iram in die iræ*; quod quomodo fiat rectè explicat Auguſtinus, locis indicatis. Obſeruat Oecumenius vocem theſaurizandi, putátque ſignificare, certiſſimè ſeruatum iri, neque periculum eſſe, ne obliuioni tradatur. Auguſtinus [m] agit de hoc loco, non fusè modò, ſed etiam eruditè explicans quinam ſint diuini theſauri, de quibus in præſentia Apoſtolus.

II. IN DIE IRÆ, ET REVELATIONIS IVSTI IVDICII DEI. Periphraſis eſt extremi iudicij, quo Deus cunctos mortales præmio, & pœna, vt cuiuſque vita poſtulauerit, citra omnem prouocationem, aut moram, afficiet. Dicitur autem dies iræ, quia tunc Deus more irati, & vltra modum ſæuientis, nullis precibus ad lenitatem, aut manſuetudinem flecti poterit. Dies verò *reuelationis iuſti iudicij Dei* nuncupatur, quòd diuinorum iudiciorum æquitas, quæ nunc maximè latet, palàm omnibus fiet, vt vel inuiti perditi homines fateri cogantur iuſtè ſe ſempiternis ſupplicijs addici. Non deſunt tamen, præſertim inter Græcos, qui [n] hunc locum diſtinguant interpoſita coniunctione hunc in modum, *In die iræ, & reuelationis, & iuſti iudicij Dei*: perinde quaſi reuelatio pertineat ad hominum facta, quæ eo quidem die omnibus conſpicua erunt, vt alibi Paulus oſtendit [o]. Ita volunt, diem illum appellari primùm diem iræ, deinde diem iudicij; poſtremò diem reuelationis; ita ad Corinthios [p] ſcripſit: *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* Et ad Coloſſenſes [q]: *Cùm autem Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.* Et ad Theſſalonicenſes [r]: *Cùm venerit glorificari in ſanctis ſuis, & admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt.*

A Sed Latinam lectionem cum Ambroſio, Hieronymo, & Auguſtino præfero, quam plerique etiam Græcorum ſequuntur, præſertim Oecumenius, qui propterea additum putat; *Et reuelationis iuſti iudicij*; ne cùm dixiſſet diem iræ, ſuſpicaretur aliquis, ea animi perturbatione iudicij æquitatem impediri poſſe. Iuſtum autem iudicium vocat nouato verbo δικαιοκρισίαν, vt oſtendat eius iudicij tum æquitatem tum ſeueritatem; iuſtum autem dici non poſſet, ſi (quod hæretici mentiuntur) vel homines liberâ agendi facultate carerent, vel Deus æquè ad malas, ac bonas actiones neceſſario veluti impetu compelleret. Primùm illud ne philoſophi quidem admitterint, qui ſine libertate, neque laudem, neque vituperationem, nec
B præmium, nec pœnam agnoſcunt. Alterum verò ex altero facilè deprehenditur falſum, éſtque in Cõcilio Tridentino apertè damnatum. verè enim Deus laudabilium actionum ſuæ gratiæ beneficio auctor, atque impulſor eſt, ſcelerum, ac flagitiorum nullo modo. Quod hic Paulus non obſcurè ſignificat, dum ait; *Ignoras quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*: contrà verò: *Tu autem ſecundum duritiam tuam, & impœnitens cor tuum theſaurizas tibi iram in die iræ.* Putat autem Primaſius, non temerè dictum eſſe à Paulo; *reuelationis iuſti iudicij Dei*. Nunc enim diuini iudicij iuſtitia vſque adeò latet, atque occulta eſt, vt non pauci Deum accuſent, aut rerum humanarum prouidentiam et impiè adimant; quod nulla in rebus humanis, aut perexigua cernatur iuſtitia,
C dum ſæpè iuſti innumerabilibus ærumnis, & calamitatibus premantur; contrà improbis omnia ex animi ſententia eueniant, vt rerum omnium copia perfruantur.

QVI REDDET VNICVIQVE, &c. Hoc 6.
erit iudicis munus, quod ſæpe aliàs ſcriptura docet: I.
ſpectabit autem cuiuſque opera, & propterea ſubdit; *ſecundum opera ſua*; Græcè κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ; ne quis ſibi ob ſolam fidem blandiatur: quod ipſum alibi frequenter in ſacris litteris oſtenditur. nam apud Matthæum ratio [a], ac forma iudicij deſcribitur; ex quo apparet operum præcipuam habendam eſſe rationem. At Gentiles bona opera nulla habent: quomodo igitur non multis interiectis ait Paulus, Iudæos, & Græcos in Dei iudicio accepturos iuxta
D opera ſua gloriam, & honorem; vel indignationem, & iram? cùm præſertim dicat Chriſtus [b], eum, qui non credit, iam eſſe iudicatum. Et Dauid [c] impios, hoc eſt, fide carentes, in iudicium non reſurgere? Propoſitæ nobis breuitatis, inſtitutique noſtri ratio non patitur, vt hæc pro rei dignitate, quod faciunt in ſcholis Theologi, vlteriùs explicemus. Sanè ante fidem, ac iuſtificationem poſſe Gentiles aliquas laudabiles functiones exercere, colligunt ferè Patres [d] ex hoc ipſo capite, vt mox indicabo; apertéque oſtendunt, quacumque tandem illa vi perficiantur: id enim nunc non quæro, poſſe in infidelibus opera bona, ac laude digna reperiri, qualia fuiſſe dicuntur in Cornelio [e] Centurione, antequam baptiſmo luſtraretur: quod ipſum planiùs affirmant
E Auctor [f] Hypognoſticôn, Proſper [g], & Fulgentius [h]: at infideles iam dicuntur iudicati; omninò verè. cùm enim fide careant, vnde omnis pietas, ac ſanctitas inchoatur, & *ſine qua* [i] *impoſſibile eſt placere Deo*; planè eorum damnatio dubia eſſe non poteſt. Eandémque ob cauſam dicuntur non reſurgere in iudicium, quia non conſiſtent, ſed damnabuntur & peribunt. Vtrùm verò quæ ſequuntur de præmio pertineant etiam ad Gentiles ambigat non nemo; affirmat Theodoretus, nec poſitis iis, quæ ſunt ad iuſtificationem neceſſaria, quiſquam iure inficiabitur: li-

a cap. 25. 31.
b Ioan. 3. 18.
c Pſal. 1.
d Baſil. Hom. 9. in Hexamer. Chryſo. Hom. 67. ad Popul. Auct. Imperf. Homil. 26. in Mat. Hieron. in Ezech. c. 29 & ad Galat. cap. 1. 1. Aug. Ep. 120. lib. 4. cont. Iul. c. 3. li. 1 de bap. cont. Donatiſt. c. 8. li. 4 c. 23. li. de præ deſt. ſanctorum cap. 7.
e Act. 10. 7.
f lib. 3. non longè ab initio.
g libr. contr. collatorem c. 26.
h li. de Incar. & gratia Chriſti cap. 26.
i ad Heb. 11. 6.

neas tamen hæretici noſtri tranſiliunt, qui pro ſua videlicet pietate multos ex philoſophis ad beatam, ſempiternamque vitam peruenisse tam affirmatè aſ-
a ex Franciſ. Feuard. notis ad D. Iren. l. 4. c. 14. ſeuerant, ac ſi oculis ipſi ſpectaſſent; quod a alij antenos obſeruarunt. ſed vt ſuperiori capite monuimus, neque de quoquam facilè quis affirmare poteſt, cùm ſine Chriſto certum ſit, neminem ſalutem conſequi potuiſſe. Neque contra temerè negandum eſt, vlli omnino mortalium extra populum Iſraëliticum diuinam fidei lucem affulſiſſe. quod enim Iob accidiſſe ſacræ litteræ commemorant, cur alijs viuenire non potuerit, nemo poteſt ex ingenio defi-
b lib. 4. c. 54 nire; ſed, vt ait Irenæus b: *Iudicabit Deus meritò gentes creaturæ magis, quàm creatori ſeruientes, & reprobabiliter vniuerſam ſuam operationem in vanum cōſumentes.* Theodoretus autem verè iuxta, ac piè affirmat eos, qui ex Gentibus benè, laudabiliterque vixerunt (diuina videlicet fide vtcumque concepta) non aliter, ac Iudæos vitam fuiſſe conſecutos ſempiternam: ſed hac de re plura paulò pòſt; conſulen-
c lib. 1. cont. Iulian. cap. 3. dus interim Auguſtinus c. Qui verò citrà diuinam fidem aliquid laude dignum peregerunt, id vnum conſequentur (quod Auguſtinus ait) vt mitiùs puniantur.

7. IIS QVIDEM, QVI SECVNDVM, &c.
I. Cùm perſtent, ac perſeuerent. ita enim explicuimus quod ait Apoſtolus *καθ' ὑπομονὴν*. Græcus autem dicendi modus ſimilis eſt iis, quæ frequenter leguntur in ſcripturis; *ex circumciſione*; & paulò pòſt; *ex contentione: ſic qui ſunt ſecundùm patientiam, vel perſeuerantiam*: id eſt, qui patienter, ac perſeueranter agunt; quique vt dictum eſt, perſtant, & perſeuerant. Hunc verò locum ex ipſa ratione dicendi ambiguum, & valdè obſcurum, multiplex auctorum explanatio reddidit obſcuriorem, dum alij aliter & diſtinguunt, & explicant: non dubium autem eſt, pendere hanc ſententiam à ſuperiori verbo, *reddet*, vt ſignificet Paulus Deum cunctis mortalibus iuxtà ipſorum opera redditurum, iis quidem, qui ſecundùm patientiam boni operis gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam. Quia verò Græcè legitur participium *ζητοῦσι*, id eſt, *quærentibus*, ſunt qui ita diſtinguant; vt gloriam, honorem, & incorruptionem coniungant cum verbo *reddet*: vitam verò æternam participio, *quærentibus*, annectant, perinde quaſi dicat Paulus iis, qui ſecundùm patientiam boni operis vitam æternam quærūt, tribuendam à Deo gloriam, honorem, & incorruptionem, quem ſanè modum ſequuntur Oecume-
d lib 28 moral. cap. 13. nius, Ambroſius, Hieronymus, & Gregorius d; videtúrque probari ex iis, quæ mox ſubiicit Apoſtolus. Iis autem, *qui ſunt ex contentione, ira, & tribulatio, & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum.* Eáque interpretatio Romanorum ingenio in primis congruere putatur, qui gloriæ, atque hono-
e lib. 5. de ciuit. c. 12. 18. ris cupiditate (auctore Auguſtino e) plurimùm ducebantur. At nos maluimus ita diſtinguere, vt participium, *quærentibus*, ad ſuperiora referatur, dicatúrque Deus iis vitam æternam redditurus, qui cùm perſtent, ac perſeuerent, gloriam, & honorem, & incorruptionem, ſeu immortalitatem quærunt. illa enim prior diſtinctio & ſenſum reddit obſcurum, & (quod obſeruat Oecumenius) orationem perturbatam, & parum perſpicuam. Eſt verò longè elegantior ſententia, vt iis, qui perſtant, & patienter perſeuerant, adeóque veram, ac ſolidam gloriam, atque immortalitatem expetunt, boni operis fructus, ac merces, id eſt, gloria ſempiterna reddatur. Ha-
II. bet hæc noſtra interpretatio nobiles in primis auctores Origenem, Chryſoſtomum, Theodoretum, Theophylactum; denique Syriacum, qui ita reddit

A hunc locum; *Iis quidem, qui in perſeuerantia boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem expetunt.* Sed quid ſit, *ſecundùm patientiam boni operis*, non
a Caietanus. conuenit inter omnes: ſunt a qui intelligant quamdam Chriſtianæ vitæ conditionem, qua qui benè agunt, multa coguntur aduerſa tolerare, quod non-
b Ep. 1. c. 2 obſcurè ſignificat B. Petrus b cùm Chriſtianorū proprium ait eſſe Chriſtum imitari, & benefacientes patienter ſuſtinere. Nec defuerunt qui hæc verba ad diuinam patientiam referant, qua Deus ſceleſtos, & flagitioſos tolerat, vt ij dicantur eſſe ſecundùm patientiam boni operis, qui diuina patientia non abutuntur, ſed à flagitioſa vita reſipiſcunt aliquando, & honeſtas, ac laudabiles actiones exercent. Hanc interpretationem probat Ambroſius, ſuperio-
B rem Anſelmus: ſimplicior videtur interpretatio, quam in paraphraſi ſecuti ſumus, vt patientiæ nomine longanimitas, & perſeuerantia intelligatur, qua iuſti in benefactis, & vita ex rationis præſcripto inſtituta conſtanter, perſeuerant, neque vllis rebus aduerſis à recto virtutis tramite ſe abduci patiuntur. Hoc enim maximè ſignificare videtur vox Græca
c cap. 10. 36. *ὑπομονὴ*. Idcirco ait Paulus ad Hebræos c, *Patientia vobis neceſſaria eſt, vt reportetis promiſſiones.* Græcè *ὑπομονὴ*: hanc autem noſtram ſententiam apertè ſequitur Oecumenius, & ſubindicare videntur commentarij, qui inſcribuntur Hieronymo. *Boni* (inquit) *operis merces per patientiam expectatur, quia in præſenti vita non redditur; per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem. tunc igitur erit perfectum opus, ſi in*
C *finem vſque durauerit, quia qui durauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Nec dubito cùm dixit Lucas d,
d cap. 21. 19. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*; patientiam poſuiſſe pro perſeuerantia. nam cùm Matthæus eamdem ſententiam poneret; *Qui perſeuerauerit* (inquit) *vſque in finem, hic ſaluus erit*: & quod ait idem
e cap. 8. 15. Lucas e: *fructum afferunt in patientia*, quia eſt eadem vox Græca *ὑπομονῇ*, perſeuerantiam ſignificare, vero ſimillimum videtur, vt falli neceſſe ſit quoſdam ex recentioribus hæreticis, qui id propterea dictum putant, quòd neceſſe ſit, eos, qui piè viuere volunt, in Chriſto Ieſu perſecutiones pati, cùm ſignificet in bono perſeuerandum vſque ad finem. alludit enim ad agricolarum perſeuerantiam in agro colendo vſque ad meſſem.

D GLORIAM, ET HONOREM, ET INCORRVPTIONEM. Qui hæc putant pendere à verbo, reddet, meritò exiſtimant quamdam beatæ vitæ periphraſim contineri, quomodo non ita multò III.
pòſt ſcribit Apoſtolus, *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum.* Et ſanè hæc omnia in illam beatam vitam mirè conueniunt, vt alibi copioſiùs doceo. Quòd ſi noſtra retinenda ſit diſtinctio, atque hæc tria cum participio *quærentibus*, aut verbo *quærunt* coniungantur, veram profectò gloriam, honorem, & immortalitatem ſignificant, quæ nihil aliud eſt, quàm ipſa vita beata. tametſi enim eximium, ac præclarum eſt vnam Dei gloriam, atque honorem ſpectare: quidquid tamen hæretici vociferentur, fas eſt etiam mercedis reſpectu virtutem, & Deum co-
E lere. Quod non ita pridem in Tridentino Conci-
f Seſſ. 6. c. 16. can. 31. lio f definitum eſt. Tantùm abeſt, vt quod impiè Lutherani blaſphemant, iuſtorum bonæ, atque honeſtæ actiones ſint coram Deo immania facinora, atque piacula. Porrò ſi illi ipſi Lutheri ſectatores hæc Pauli verba paulò attentiùs expendiſſent, numquam profectò eò dementiæ prolapſi eſſent, vt beatam illam ſempiternámque vitam bonorum operum, ac laudabilium actionum mercedem eſſe inficiarentur.

HIS AVTEM, QVI SVNT, &c. Ambro- 8.
ſius eos interpretatur *ex contentione*, qui non cre- I.
dunt,

Digitized by Google

dum, ſua flagitia aliquando diuino iudicio ſubiicienda; Origenes eos qui quod hbuerit pro lege habent, idque contentioſè defendunt; Chryſoſtomus, qui ſocordia quadam, ignauia, & inertia correpti, à vitiis, atque ſceleribus non reſipiſcunt; Theodoretus, qui non caſu aliquo, ſed ſponte ſua, magnóque voluntatis impetu feruntur ad vitia; Anſelmus, qui veritatem oppugnant; alij Iudæos, qui legem, ac Moſem ſibi ſatis eſſe putant ad ſalutem. Verè (vt arbitror) dicuntur omnia, ſed ſimpliciſſimè eos eſſe putarim hoc loco, qui rixandi, & contemnendi ſtudio ducuntur. Syriacus *qui calumniatores ſunt*: eos autem intelligit, qui (quod ſuperiori capite dixerat,) non ex ignoratione, ſed animo contendendi veritati reſiſtunt: ſic enim explicat Theophylactus, qui philoſophos tacitè perſtringi putat, quos ſuperiori capite dixerat potuiſſe veram Dei cognitionem percipere; quo nomine ea fermè omnia complectitur, quæ hoc loco à pluribus auctoribus recenſentur. Dixit autem Græca phraſi; *Ex contentione*; hoc eſt, contentioſos, quomodo dicere ſolent Græci τοὺς ἐκ ςοᾶς, id eſt, Stoicos; & Paulus τοὺς ἐκ περιτομῆς, circumciſos appellat. Eſt autem in Græcis verbis non iniucunda ... ; ait enim; qui non acquieſcunt veritati; Græcè ἀπειθοῦσι. *Credunt autem iniquitati*; Græcè πειθομένοις. Non aſſentior autem iis, qui hæc ad Iudæos pertinere putant, qui pertinaciter contenderent, Moſis legem cum Euangelio coniungendam, cum æquè referri poſſint ad Gentiles, qui legem Euangelicam omnibus machinis oppugnabant. Ampliſſima igitur ſententia eſt, quæ eos omnes complectitur, qui diuinæ gratiæ motioni, atque illuſtrationi obluctantur, ſiue Gentiles illi ſint, ſiue Iudæi. Veritatem hoc loco explicat Ambroſius, qua futurum iudicium creditur, Anſelmus veritatem Euangelicam; Origenes, & Chryſoſtomus ſimpliciter veritatem non ſolùm dogmatum, ſed etiam morum: acquieſcere igitur veritati eſt nonmodò rectè credere, ſed etiam viuere; vt contra credere iniquitati eſt eam moribus complecti.

IRA, *& indignatio*: neceſſe eſt (vt rectè monent Photius, & Oecumenius) hìc intelligere τὸ ἀποδοθήσεται, id eſt, reddetur, vel aliquid ſimile, vt ſenſus integer conſtet. Neque enim grammaticæ leges patiuntur, vt hæc oratio pendeat à verbo ſuperioris ſententiæ ἀποδώσει hoc eſt, reddet. Superiorem ſententiam claudit hoc verbo; *dabit vitam æternam*: Hanc verò hocmodo expreſſit: *Iis verò, qui calumniatores ſunt, nec acquieſcunt veritati, ſed iniquitati obtemperant, rependet iram, & furorem*. Tacitè autem ſubindicat Paulus, improborum ſupplicium, ac pœnam non tam Dei præfinientis, ac iudicantis voluntate, quàm ipſorum improbitate metiendam: contrà verò bonorum præmia ad diuinam munificentiam, ac liberalitatem, tamquam eximia eius beneficia referenda eſſe; ideóque generali ſententia concludit quæ ad omne genus hominum pertineat, de qua mox. Nam Dei proprium eſt miſereri; ac parcere; ira verò, ac pœna ab improborum peruicacia, ac pertinaci, obduratáque malitia oritur; ideóque dicitur Deus nolle mortem peccatoris, ſed potiùs vt conuertatur, & viuat. Eſt hoc omnino rectè obſeruatum ab Oecumenio. *Conſidera* (inquit) *quod dicit, bona quidem reddet, vltionem verò non reddet; ſed illa reddetur, & ne hoc quidem expreſſè dixit, ſed ſubintelligendum relinquit.* Nos verò in paraphraſi excandeſcentiam diximus, vt vim Græcæ vocis θυμὸς exprimeremus, quæ eſt ira ſubitò inflammata. Qua verò ratione Deo tribuatur ira, præter ea, quæ à Theologis traduntur in ſcholis, optimè explicant Clemens [a] Alexandrinus, Origenes, [b] Hieronymus, [a] Lactantius, [b] Auguſtinus, [c] cuius ſunt illa verba: [d] *Pœnitet te, & non doles; iraſceris, & tranquillus es; opera mutas, nec mutas conſilium.* In eamdem ſententiam ſcribit Damaſcenus, [e] quem cæteri ſecuti ſunt. Porrò Rufinus, [f] vt hanc ſententiam vnà cum ſuperiore eodem verbo concluderet, totum hunc locum hoc modo tranſtulit. *Iis quidem, qui ſecundùm patientiam boni operis gloria, & incorruptio qui quærunt vitam æternam; his autem, qui ex contentione, & qui non credunt quidem veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio*: vt in vtraque parte ſubaudiatur verbum, erit, vel, reddetur, vel quidpiam ſimile; ſed hæc orationis mutatio (vt alibi frequenter oſtendam) non eſt Paulo inuſitata. Hoc autem loco aperC tiſſimè refellitur Lutheranorum error, qui bonis iuſtorum actionibus olim quidem omnem adimunt meriti rationem; paulò autem pòſt, aliquod quidem præmium reddendum concedunt, non tamen ſempiternam, immortalémque vitam, quam omnino gratis, ac liberaliter tribui contendunt; cùm tamen Apoſtolus eam pro mercede rependendam doceat, quod copioſiùs docebo ſuo loco.

a Iſa. 63. & lib. 2. ad Eph. in fine; & lib. 3. in primo.
b lib. de ira Dei cap. 4.
c lib. 9. de Ciuit. Dei cap. 5.
d 1 Cóf. 4.
e li. 1. de fide orthod. c. 14.
f in interpret. Orig. lib. 2. Periarchon.

TRIBVLATIO, ET ANGVSTIA, &c. 9.
GLORIA AVTEM, ET HONOR, &c. Hæc 10.
eſt illa, quam diximus, generalis ſententia, quæ omne I.
genus hominum complectitur, & in duas item partes diuiditur, quarum altera malorum ſupplicium, altera verò bonorum fœlicitatem, & beatitudinem continet. Mox verò ſubdit: *Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm, & Græco.*
C Vt vel hinc quiuis intelligat ſuperiora tam ad Gentiles, quàm ad Iudæos ſpectare. Hîc enim Græci, vt ſuperiori capite monuimus, ſimpliciter & abſolutè pro Gentilibus accipiuntur. Sunt qui hæc cum ſuperioribus coniungant, quaſi dicat: Iis qui ſunt ex contentione, &c. *ira, & indignatio, tribulatio, & anguſtia.* Ita Origenes, Theodoretus, Ambroſius; ſed (vt monui) meliùs diſtinguuntur; vt ſit ampliſſima quædam ſententia, quæ ad omnes omnino mortales referatur. Sed mirum, cur malum operantem κατεργαζόμενον, operantem verò bonum ſimpliciter ἐργαζόμενον vocet. An quia non ſimpliciter patranti malum, ſed in eo abſque pœnitentia perſeueranti ſupplicium imminet? Ita ſanè Theophylactus. hic enim eſt κατεργαζόμενος: Contra verò nullú eſt vel exiguum
D bonum, quod ſua careat mercede; ob id namque dixit Chriſtus apud Matthæum: [g] *Qui dederit calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine diſcipuli, non perdet mercedem ſuam.* Cæterùm quid ſignificet vox illa, *primùm*, aut quo potiſſimùm referatur, non ſatis apparet. Sunt qui comparationem inter Iudæum, & II.
Græcum indicari putent; ac Iudæum quidem tempore, vocationéque præferri, non merito; quia, vt ſcriptum eſt in Actis [h] Apoſtolicis; *illis oportuit primùm prædicari regnum Dei.* Non deſunt tamen, qui ad vtramque gentem referant, vt intelligamus ſicut quibuſdam Iudæis, & Græcis Chriſti gratia primùm oblata eſt; ita ſi negligant, ſupplicium potiſſimùm infligendum. Spectarunt (credo) Origenis ſententiam, qui tres hoc loco velut ordines hominum conE ſtituit. Primum eorum, qui per boni operis patientiam, & perſeuerantiam, gloriam, honorem, & immortalitatem quærunt, quibus tamquam merces ſempiterna vita promittitur; quo numero Chriſtianos potiſſimùm Martyres contineri cenſet. Alterum eorum, qui ſunt ex contentione, quíque veritati non credunt, ſed impietatem potius ſequuntur; his autem ſiue Iudæi illi ſint ſiue Græci, iram, indignationem, atque anguſtiam reddi, eóque ordine omnes omnino improbos, cuiuſcumque tandem generis appellentur, comprehendi. Tertium denique eorum

g cap. 10. 42.
h cap 13. 46.

ſiue-

ſiue Iudæorum, ſiue Græcorum, qui quamquam Euangelio non credunt, & in infidelitate, perfidiáque perſiſtunt, ſtudioſas tamen, atque honeſtas, & ex morum præceptis, inſtitutiſque laudabiles actiones exercent, quibus cùm vita æterna, regnúmque cœleſte concedi nequeat, quòd fide, ac baptiſmo careant, honor tamen, gloria, & pax quædam pro mercede, ac bonorum operum præmio redditur. Sed ſi primus ille ordo Chriſtianos martyres duntaxat complectitur, nimis profectò anguſtè patet. neceſſe enim eſſet, cæteras omnes gentes etiam ſi fidem complexæ ſint, & iuſtè, ac laudabiliter vixerint, à beata vita, & Chriſti regno excludi: quod quàm ſit impium, & à recta, catholicáque ſententia alienum, nemo non videt. in tertio verò ordine apertiſſimè hic auctor fidei Apoſtolicæ repugnat. nam *ſine fide* (vt ſæpè iam dictum eſt) *nemo Deo placere poteſt*, & ex omnibus gentibus, quæ in extremo pereuntis mundi die ante Chriſti iudicis tribunal cogendæ ſunt, duas tantùm fore omnino claſſes, multis locis docet Auguſtinus,[a] & nos alibi probaturi ſumus. Quod igitur attinet ad illud aduerbium, *primùm*, Athanaſius,[b] & Chryſoſtomus putant indicari Iudæis grauiora imminere ſupplicia, ſi ſceleribus ſeſe conſtringendos præbeant. Quod quamquàm veriſſimum eſt, non videtur tamen Apoſtolus id agere in præſentia. Alij populi dignitatem indicari putant: ſi de præmio ageretur, admitti poſſet vt agitur mox; verùm hic cùm de ſupplicio verba facit, cur dignitatem Iudaici populi commemoret? Itaque ſi quidquam coniectura aſſequor, crediderim, Paulum loqui in vniuerſum de omnibus gentibus ſiue ante, ſiue poſt ſtatum legis Euangelicæ; quibus ait, benè aut malè agentibus pœnam, vel præmium deberi. Sed præmium quidem non ſine fide, pœnam verò vel ob id maximè quòd fide caruerint. Iudæo tamen primùm, & Græco, ideſt, ijs potiſſimùm, qui vel ex circumciſione, vel ex Gentilibus, vt par eſt, ſuæ vocationi aut reſponderint, aut repugnarint, diuiniſque muneribus benè, vel malè vſi fuerint, vt Græcus Gentilem quidem ſignificet; ſed aliqua tamen doctrina, atque eruditione excultum, vt ex eorum numero, quos capite ſuperiori dixerat eſſe inexcuſabiles ſi peccaſſent.

a 1. de pec. mer. & remiſſ. cap. 16. & 28. lib 1. de nupt. & concup. ca. 20. 23. 24. 33. lib de nat. & gratia cap 8. in Enchir ca. 94. lib. 1. de li. arb ca. 3 lib. 1. de origin. anim. ca. 13 & lib. 2. c. 5. lib 5. cont Iul. cap. 8. & Serm. 14. de verb Apoſtol lib 5. Hypognoſticon. & lib de fide ad Pet. ca. 27.
b ad Antioch. q. 144.

III. Porro pœnam, ac ſupplicium deſcribens, tribulationem, & anguſtiam dixit, præmium verò gloriæ, honoris, ac pacis nominibus ſignificauit. Hæc enim omnia ſempiternæ illi beatorum fœlicitati mirè conueniunt. nam de gloria quidem legimus apud Dauidem;[c] *Gloria, & diuitiæ in domo eius*. de honore;[d] *Nimis honorati ſũt amici tui Deus*. Denique de pace;[e] *Qui poſuit fines tuos pacem*. Quamobrem ſubdit (quod ſpectat ad præmium) *gloria autem & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm, & Græco*. Quæ eodem modo de omnibus gentibus accipienda ſunt, quibus tamen aliquis diuinæ gratiæ ſplendor illuxerit, & ſupranaturalis fidei lux affulſerit. Sileant igitur qui ſolam fidem bonis operibus deſtitutam extollunt, & qui iuſtorum actionibus omnem merendi vim adimunt. apertè enim hîc ait Paulus bonis, ac ſtudioſis actionibus præmium eſſe reddendum. Video tamen, de infantibus baptiſmo expiatis dubitari poſſe, qui ſi in infantia moriantur, nullas habent actiones aut præmio aut ſupplicio dignas; ſed reuera Apoſtolus de iis loquitur, qui ætate iam adulta & peccare, & laudabiliter agere poſſunt; quamquam Auguſtinus[f] occulta quædam merita videtur agnoſcere. ſic enim ſcribit: *Quis autem nouit quid paruulis, de quorum cruciatibus duritia maiorum contunditur, aut exercetur fides, aut miſericordia probatur? Quis (inquam) ergo nouit quid ipſis paruulis in ſecreto iudiciorum ſuorum bona compenſationis reſeruet Deus? Quoniam quamquam nihil rectè fecerint, tamen nec peccantes aliquid iſta perpeſſi ſunt. non enim fruſtrà etiam infantes illos, qui cùm Dominus noſter Ieſus Chriſtus necandus ab Herode quæreretur, occiſi ſunt, in honore martyrum receptos commendat Eccleſia.* Vt enim illis Adæ peccatum obfuit ad culpam; ita quoniam vi baptiſmi in Chriſto renati ſunt, eis Chriſti merita prodeſſe poſſunt ad præmium.

c Pſal. 111. 3.
d Pſal. 138. 17.
e Pſal. 147. 3.
f Epiſt. 28.

NON EST ENIM ACCEPTIO, &c. Huc enim ſpectat illud Matthæi:[a] *Non reſpicis perſonam hominum*: quod Marcus[b] dixit; *Nec enim iudicas in faciem*. Vtrobique legimus Græcè πρόσωπον. Affine eſt illud item Ioannis:[c] *Nolite ſecundùm faciem iudicare, ſed iuſtum iudicium iudicate*. quo tamen loco Græcè legitur κατ' ὄψιν. quod aliqui interpretantur ſecundum ea, quæ extrinſecus apparent. Sed noſtram interpretationem penè omnes antiqui ſequuntur. Accipere autem perſonam in iudicio eſt, non ex æquitate cauſæ, ſed aut odio, aut amore, aut aliquo perſonæ litigantis reſpectu ſententiam ferre, quod Deus in lege[d] non ſemel prohibuit. Eſt autem perſonarum acceptio vnica vox προσωποληψία apud Græcos: quæ apud Paulum opponi videtur recto iudicio, quod Græcè paulo antè δικαιοκρισίαν appellauit. tametſi enim ex Theologorum ſententia perſonarum acceptio iuſtitiæ diſtributiuæ aduerſatur; tamen etiam in iudicio locum habet, quia iudex pro ſui muneris ratione vtrique parti æquè debet ius dicere, quinetiam plerumque in ſacris literis de iis rebus dici ſolet, quæ nullo modo debentur, ſed omnino gratuitò, ac liberaliter tribuuntur à Deo; apud quem idcirco dicitur non eſſe perſonarum acceptio, quia ille non homines metitur ex genere, vel patria, vt eos vel eligat, & amplectatur, vel repudiet, ac damnet. Ita Salomon[e] cùm de diuina prouidentia ageret: *Non ſubtrahet* (inquit) *perſonam cuiuſquam Deus, qui eſt omnium dominator, nec verebitur magnitudinem cuiuſquam, quoniam puſillum, & magnum ipſe fecit; & æqualiter cura eſt illi de omnibus*. Petrus[f] verò Apoſtolus etiam in iis, quæ ad iuſtificationem pertinent, quæque omnino gratuita ſunt perſonarum acceptionem à Deo remouet. *In veritate* (ait) *comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi*. Atque haud ſcio, an eodem modo accipienda ſint verba Lucæ:[g] *Non enim reſpicis perſonam, ſed viam Dei in veritate doces*. Sanè quod attinet ad Græcam vocem προσωποληψίαν, conſtat, illam deduci ab altera item Græca πρόσωπον, quæ laruam, ſeu ſpeciem externam ſignificat, quod inſinuat Damaſcenus,[h] cum dixit vnionem duarum naturarum in Chriſto non eſſe προσωπικὴν ἢ σχετικὴν, id eſt, non perſonatam, laruatam, ſimulatam, aut ſecundùm imaginem, ſeu habitum, vt hæretici fabulabantur. Eodem modo locutus eſt Cyrillus,[i] qui negat Chriſtum factum fuiſſe filium hominis nuda tantummodò voluntate, aut aſſumptione προσώπου. Negat enim Chriſtum aſſumpſiſſe tantùm perſonam, id eſt, laruam, aut externam ſpeciem, ſed veram, ſolidam, atque expreſſam naturam. Quòd ſi de prophanis ſcriptoribus loquendum ſit, Iulius[k] Pollux, πρόσωπον vocat eam hominis partem, quæ oculis obiicitur. Quod ipſum de Latina voce, perſona, confirmat Gellius:[l] Vlpianus[m] autem perſonas vocat ſtatuas illas humana ſpecie, ex quibus aqua è fontibus effluit. Iam verò ad dignitatẽ, vel munus, quod emineat, atque extet, nonnunquàm transfertur; atque ita tueri perſonam Principis, & Quæſtoris perſonam abiicere ſæpè dixit M. Tullius. Ipſos verò interdum homines ſignificare tum apud Græcos, tum etiam apud Latinos

II.
I.
a cap. 22. 16.
b cap. 12. 14.
c cap. 7. 24.
d Deuter 16. 19. Leuit 19. 15. Exod. 23. 2.
e Sap. 6. 8.
f Act. 10. 34.
g cap. 20. 21.
h l. 3. de fid. orthod. cap 3.
i Ep. ad Neſtor. quæ habetur in 1. to. Concilij Ephes.
k lib. 2.
l lib. 13. cap. 29.
m l. fundi ff. de act. empt.

vel

vel Grammatici docent. Siquidem Phocylides ait ἀδίκως· μὴ κρῖνε πρόσωπον. vbi præcipit, neminem iniuſtè iudicandum. Quintilianus fictam orationem perſonis induere, hoc eſt hominibus tribuere dixit. M. Tullius perſonas à rebus diſtinguendas monet. Rhetores præcipiunt, nunc à rebus, nunc à perſonis exordiendum eſſe. Valerius [a] Maximus cùm agit de chariſtia: *Si qua* (inquit) *inter neceſſarias perſonas querela eſſet orta, toleretur.* Cornelius [b] Celſus: *Nemo* (ait) *in ſplendida perſona periclitari voluerit coniectura ſua; ne ſi non ſeruaſſet, occidiſſe videretur.* Denique apud [c] iuris peritos in alieno iure perſonæ dicuntur eſſe, quæ ſunt in aliena poteſtate. hinc προσωποληψία Græcè, & perſonarum acceptio Latinè dicta eſt; qua ſiue in iudicio, ſiue in communibus bonis partiendis, ſiue denique tribuendis beneficiis aut vultus, aut ſpeciei externæ, aut earum qualitatum, quæ vel hominem extrinſecus afficiunt, vel certè ad rem, de qua agitur, non magnopere pertinent, ratio habetur.

II. I. QVI ENIM SINE LEGE PECCAVERVNT. &c. Græcè eſt ἀνόμως, aduerbium, quod Latina lingua non exprimit, quidque ſine dubio poſitum eſt pro ἄνευ νόμου, id eſt, abſque lege: alioqui idem valet, quod παρανόμως, id eſt contra legem. At quomodo ſine lege peccari poteſt? Nam Auguſtino [d] quidem auctore, peccatum nihil aliud eſt, quàm dictum, factum, concupitum contra legem æternam. Et Paulus ipſe aliquantò pòſt apertè docet [e], vbi nulla ſit lex, ibi nec præuaricationi locum eſſe. Sanè veriſſimum eſt vtrumque & peccatum abſque lege, aut præcepto intelligi non poſſe, & Gentiles tamen ſine lege, & peccaſſe, & periiſſe, hoc eſt, vt interpretatur Ambroſius, ſine lege Moſis, quæ vt ſcripto continebatur, & ad ius poſteriuum pertinebat; populo tantùm Iudaico propoſita erat. Quod autem idem Ambroſius ait, Gentiles duplici nomine reos cenſendos eſſe, & quòd legi Moſis non aſſenſerant, & quòd Chriſti fidem non complexi eſſent, non perinde accipio, quaſi legis cæremonias, aut veteres illos Iudæorum ritus ſequi, & probare cogerentur, contrà quàm definitum ſit in Concilio [f] Apoſtolico; ſed quòd ritè iam Euangelio promulgato, & agnoſcere, & fateri deberent, veterem illam legem Moſis fuiſſe diuinitus traditam, & ad veri Dei cultum, fidémque ſpectaſſe, quamdiu quidem vim ſuam obtinuerit. Quod olim aduerſus veteres hæreticos Simonem Magum, Carpocratem, Cerdonem, Marcionem, Manichæum, & alios à viris [g] doctrina, & ſanctitate claris probatum eſt. Cæterùm fuit illa Iudaicæ gentis ita propria, vt ad alias nationes nulla ratione pertineret, quod multis probat Euſebius [h] Cæſarienſis: & ex ipſa lege non vno loco colligi facilè poteſt. Plurima namque præcepta ſolis Iudæis imponuntur [i], quod non ineptè confirmatur à multis illo Dauidis [k] teſtimonio: *Qui annunciat verbum ſuum Iacob, iuſtitias, & iudicia ſua Iſrael. Nec fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis.* Quamobrem quod ſcribit Athanaſius [l], legem illam veterem non Iudæis tantùm, ſed etiam aliis gentibus fuiſſe latam, non eò ſpectat, vt eius legis præcepta etiam Gentilibus parendi neceſſitatem attuliſſe putet; ſed vt multa quæ illa lege continebantur, non quidem ipſius legis auctoritate, ſed vi legis naturalis ad cunctos mortales pertinere doceat, vel (quod faciliùs crediderim) vt ſignificet, potuiſſe omnes gentes ex ea lege, quæ penè omnibus nota eſſet, rectè viuendi præcepta ſumere. vt enim ſcribunt Ioſephus [m], & Philo [n], fuit ea lex apud plurimos populos magno in pretio, atque honore. Pluriméque ex illa ad impiam ſuperſtitionem fuiſſe tranſlata, indicat auctor [a] librorũ Machabæorum. *Expanderunt* (inquit) *libros legis, de quibus ſcrutabantur Gentes ſimilitudinem ſimulacrorum ſuorum.* vt enim quidam [b] interpretatur, Dei cultus, qui lege præcipitur, à gentibus impiè, atque ſacrilegè ad idolorum venerationem transferebatur.

II. Cæterùm hæc nihil ad mentem Pauli faciunt, qui tantùm ait Gentes ſine lege peccaſſe, quia non acceperant externam legem, vt Iudæi. SINE LEGE PERIBVNT. Græcè ἀνόμως καὶ ἀπολοῦνται; hoc eſt, eodem modo ſine lege peribunt, qualis videlicet fuit vita, talis erit exitus. Ampliſſima autem videtur hæc Pauli ſententia ad omnes homines, atque ætates ſpectans; quod cùm multi non animaduerterent in alienos ſenſus Pauli verba detorſerunt. Neſcio tamen vtrum verum ſit quod video magnis viris, Athanaſio [c], Hilario [d], Anſelmo, Oecumenióque [e] probari, loqui Paulum de iis Gentibus, quæ cùm verum Deum colant, fide tamen Chriſti careant, neque legem vllam externam acceperint, quæ hoc quidem nomine & leuiùs peccant, & minora ſupplicia ſuſtinebunt. nam, vt omittam, quæ hac ipſa de re non ita multò pòſt mihi neceſſariò dicenda ſunt, videtur Paulus (quod etiam ſuprà indicaui) ſimpliciter, atque abſolutè loqui de omnibus Gentibus, iis præcipuè, quas ſuperiori capite reprehenderat his verbis: *qui cùm Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt.* Cæterùm Gentiles mitiùs, quàm malos Chriſtianos puniendos veriſſimum eſt, colligitúrque ex iis Chriſti verbis [f]: *Terra Sodomorum remiſſiùs erit in die iudicij:* Itémque ex [g] illis: *Seruus, qui cognouit voluntatem Domini ſui, & non ſe præparauit, & non fecit ſecundum voluntatem eius, vapulabit multis.* Sed id (vt mea quidem fert ſententia) ad hunc Pauli locum nihil pertinet. impia eſt enim eorum interpretatio, quam alicubi recenſet, ac perſtingit Auguſtinus [h], qui cùm animaduerterent eos, qui ſine lege peccauerunt, ex Apoſtoli ſententia ſine lege perire; eos verò, qui in lege peccauerunt, per legem iudicari, eos, qui per legem iudicantur, hactenus putabant tolerabiliùs puniri, vt dignis quidem ſuppliciis plectendi, non tamen à beatorum regno excludendi, aut ſempiternis cruciatibus mactandi eſſent; eos verò, qui ſine lege peccant, igne ſempiterno cruciandos, idque ſignificari pereundi verbo. Neque magnopere ab ea ſententia recedunt ij [i], qui grauius aliquid, atque acerbius ſignificare putant verbum, perire, quàm verbum iudicare, cùm tamen Auguſtinus, Chryſoſtomus, Oecumenius, Theophylactus, Ambroſius, ipſaque adeo ratio apertè doceat, eos, qui in lege peccant, acriùs multò puniendos. Tolerari vtcumque poteſt quod alicubi ſcribit Gregorius [k], meritò dici, perire Gentiles, quorum ſit abſque iudicio, aut deliberatione certa damnatio, iudicari verò fideles; quorum vita, moréſque ſint diligenter expendendi. Igitur ſine lege perire nihil aliud eſt, quàm non ex legis ſcriptæ præceptis damnari, ſed ex iis duntaxat, quæ contra naturæ legem patrata ſunt. Porrò quod loco indicato damnat Auguſtinus, alibi [l] etiam fuſiùs confutat, & quidem meritò. ſpectat enim ad errorem Origenis; qui in præſentia quidem ſubindicat, alibi [m] verò apertiſſimè docet, fidelium ſupplicia, non fore ſempiterna, adeóque æternos illos inferorum cruciatus, non niſi infidelibus eſſe propoſitos; quin etiam illos finem aliquando habituros: quod, vt alibi oſtendam, fidei Catholicæ apertè aduerſatur. Nihil igitur aliud ſignificat Apoſtolus, quàm præmium, ac pœnam æquè ad omnes pertinere, qui benè, aut malè vixerint, quocumque tandem in ſtatu eſſent, ſiue inter Iu-

K dæos,

a lib. 2. c. 4.
b In proœmio.
c l. unica. ff. de capit. minut.
d lib. 22. cont. Fauſt. c. 27.
e infra. c. 4.
f Act. 15.
g Clem. Rom. l. 2. conſt. c. 20. Epiphan. hæreſ. 42. 44. 66. Theodoret. l. 1. de hæret. fabul. Orig. aduerſ. Marcion. Tertull. aduerſ. eund. Aug. de hæreſ. c. 7. 46. & lib. cont. Fauſt. & lib. cont. aduerſ. legis, & Prophetarum.
h lib. 1. de Demonſt. Euang. cap. 1.
i Deut. 4. 14. 15. Leuit. 6. & Exod. 19.
k Pſal. 147.
l Orat. cont. Gentes.
m lib. 2. cont. Apion.
n lib. 2. de vita Moſis.

a lib. 1. c. 1. 4[?].
b Rupert. in Geneſ. c. 20.
c Quæſt. 93. ad Antioch.
d Pſ. 119.
e in hunc locum.
f Matt. 11. 24.
g Luc. 12. 47.
h in Pſ. 118. conc. 25. in illa verba. Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ.
i Caiet. hic.
k in Iob 26 c. in ea verba. ſed cum ſaluat impios, & iudicium pauperi tribuit.
l de fide, & opere c. 25.
m Hom. 3. in Leuit. & hom. 3. in Ezech.

dæos, ſiue etiam inter Gentiles. nam Iudæi quidem A
legem ſuam iactabant, Gentiles nullam externam
a Conc. 15. in Pſal. 118. legem acceperant; quamquàm, vt ait Auguſtinus [a],
non penitus liberi erant à lege illa olim primo pa-
renti impoſita, & penitus ſuberant legi naturali om-
nium mentibus inditæ.

III. PER LEGEM IVDICABVNTVR. Quaſi
dicat, ex legis præſcripto peribunt, & damnabun-
tur: ita omnino Oecumenius, & apertè Syriacus,
condemnabuntur. Sæpè enim in ſcripturis idem eſt
b Ioan. 3. 17. iudicare, quod damnare. *Non enim* (inquit [b] Chri-
ſtus) *miſit Deus filium ſuum, vt iudicet mundum*, hoc
eſt, vt damnet; *ſed vt ſaluetur mundus per ipſum*. Itém-
que, *Qui credit in eum, non iudicatur*; hoc eſt, hoc
quidem nomine non damnatur; *qui autem non credit,*
iam iudicatus eſt; id eſt, iuſtam damnationis cauſam B
c Ioan. 5. 29. habet. Rurſus [c]: *Et procedent qui bona fecerunt, in*
reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in reſur-
rectionem iudicij; iudicium, id eſt, interitum oppo-
d ad Titum 3. nit vitæ. Et Paulus [d] de hæretico vitando: *Sciens* (in-
quit) *quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt, & delin-*
quit, cùm ſit proprio iudicio condemnatus. Græcè legi-
tur αὐτοκατάκριτος, id eſt, à ſe ipſo iudicatus, & dã-
e Hebr. 13. 4. natus. Idem [e] alibi: *Fornicatores, & adulteros iudica-*
f 2. ad Theſſ. 2. 12. *bit Deus*; certè damnabit. Denique [f]: *vt iudicet om-*
nes, qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt ini-
quitati. Itaque tam infideles, quàm Iudæi damnatio-
nis ſententiam accipient, quia vtrique legem viola-
runt, ſiue illam, quæ primo parenti impoſita eſt, ſi-
ue naturalem in omnium mentibus inſculptam, ſiue
denique à Moſe promulgatam. Sed Iudæi quidem
etiam Moſem habebunt aduerſarium, & accuſato- C
g Ioan. 5. 45. rem. ſic enim ait [g] Chriſtus: *Nolite putare, quia ego*
accuſaturus ſim vos apud Patrem; eſt qui accuſat vos
Moſes, in quo ſperatis. Vnde colligit Chryſoſtomus
acerbiora illis imminere ſupplicia: ſic etiam Am-
broſiani commentarij. *Per legem iudicabuntur, ſub*
qua vixerunt. ipſa enim accuſante, pœnas exſoluent. nam
propè grauior Iudæorum cauſa eſt apud eos ipſos, quàm
Gentilium. ſicut enim credentes præferuntur, ita & cùm
diffidunt, peiores inueniuntur.

13. NON ENIM AVDITORES LEGIS, &c.
I. Hinc incipit parentheſis, & producitur vſque ad illa
verba; *In die cùm iudicabit Dominus*. Perplacet enim
tres verſiculos 13. 14. 15. hac parentheſi includi, &
16. referri ad 12. quod planiùs apparet in paraphraſi: *In*
die namque cùm iudicabit Deus occulta hominum, tunc D
qui ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt: Et quicum-
que in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Cur
ita? Quia nimirum non ſatis eſt audire legem, alio-
h Ioan. 7. 19. quin omnes Iudæi ſalui eſſent, quibus tamen dixit [h]
Chriſtus: *Nonne Moyſes dedit vobis legem, & nemo*
ex vobis facit legem? Sed re ipſa præſtare neceſſe eſt
quæ lege præcipiuntur: quod interdum facere poteſt
Gentilis, cui nulla externa lex impoſita eſt: quocir-
i Mat. 7. 24. ca dicit [i] Chriſtus: *Omnis, qui audit verba mea hæc,*
& facit ea, aſsimilabitur viro ſapienti, qui ædificauit do-
mum ſuam ſuper petram: & omnis, qui audit verba
mea hæc, & non facit ea, ſimilis eſt viro ſtulto, qui æ-
dificauit domum ſuam ſuper arenam. Et in eamdem E
k cap. 1. 22. ſententiam Iacobus [k]: *Eſtote factores verbi, & non au-*
ditores tantùm, fallentes voſmetipſos. quia ſi quis audi-
tor eſt verbi, & non factor, hic comparabitur viro con-
ſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo. conſiderauit
enim ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit.
Certiſſimum igitur eſt, legis duntaxat auditores non
iuſtificari; ſed quomodo factores legis (Græcè
ποιηταὶ τοῦ νόμου; non auctores, hoc eſt, nomothetæ)
iuſtificari dicantur, ingens quæſtio eſt. Videtur enim
l infra cap. 3. 20. & ad Galat. cap. 2. 16. hæc ſententia cum ipſo Paulo pugnare, cuius ſunt
illa verba [l]: *Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis*

A *caro coram illo*. An hic loquitur de externa quadam
legali, ſeu politica iuſtitia, quæ ab operibus legis to-
ta pendeat? Certè id affirmat nonnemo, ſed recla-
mante Paulo, qui factores legis non apud homines,
ſed apud Deum iuſtificari docet, eo prorſus modo,
quo abſolutè dixit Iacobus [a] Apoſtolus, *hominem ex* a cap. 2. 24.
operibus iuſtificari. An iuſtificari hoc loco dicitur, qui
cùm ſit alioqui coram Deo iuſtus, laudabiles, atque
honeſtas actiones exercet, proindéque meritò co-
ram Deo, atque hominibus iuſtus habetur? Sanè
hoc modo hæc verba Pauli accepiſſe videtur Au-
guſtinus [b], aliique [c] non pauci, qui fide, & Chriſti b lib. de ſpir. & litera c. 26.
gratia hominem iuſtificari aſſeuerant, iuſtificatio- c Anſelm. &
nem verò quaſi iuſtitiæ fructus conſequi opera; ex D. Thom. in
quibus neceſſe eſt tum à Deo, tum ab hominibus hunc loc.
B iuſtum quempiam cenſeri. Qua fortaſſe ratione di-
cuntur [d] nonnulli *creati in Chriſto Ieſu in operibus bo-* d ad Ephe. 2. 10.
nis. Fateor tamen hanc interpretationem, quamuis
argutam, & Auguſtini acumine, ingenióque digniſ-
ſimam, non videri ad inſtitutam Pauli diſputationem
magnopere pertinere. De iis enim agit Apoſtolus,
qui iuſtitiam aſſequuntur coram Deo, atque in di-
uino iudicio non modò ſupplicia effugiunt, ſed glo-
riam adipiſcuntur ſempiternam. Vtrum autem ver-
bis Iacobi accommodari queat, nunc non diſputo:
id tantùm affirmo, ſi quis eo modo Iacobi ſenten-
tiam interpretetur, non facilè refelli poſſe. Vult
enim oſtendere, fidem, quæ verè iuſtificat, non eſſe
mortuam, ſed ſuo tempore bonas, atque laudabiles
functiones edere. Quod profectò nihil eſt aliud,
quàm fidem, adeóque ipſam iuſtitiam eſſe veluti ra-
C dicem, vnde bonorum operum germina exoriantur,
& ſuccreſcant. Vt ergo plantæ idcirco ſatæ, & cultæ
ſunt, vt ſuos fructus edant; ſic fides, & gratia iuſti-
tiam tribuunt, vt bona deinde opera ſuo tempore
conſequantur.

SED, vt redeam ad Paulum, an exiſtimandum II.
eſt, quod alibi inſinuat Auguſtinus [e], ob id hominem e Serm. 16 de verb. Apoſt.
ex operibus iuſtificari, quòd ex iis iuſtitiæ acceſſio-
nem, atque incrementum percipiat? Sic ſanè legi-
mus in Eccleſiaſtico [f]: *Ne verearis vſque ad mortem* f cap. 18. 22.
iuſtificari. Et in Apocalypſi [g]: *Qui iuſtus eſt iuſtifice-* g cap. 22. 11.
tur adhuc. Atque haud ſcio, an hoc ipſum voluerit
ſignificare alio loco Auguſtinus [h], cùm dixit iuſtifi- h lib. 2. cont. Iulian.
cationem *ſecundum tria nobis conferri; priùs lauacro*
regenerationis, quo remittuntur cuncta peccata: deinde
D *congreſſione cum vitiis, à quorum reatu abſoluti ſumus:*
tertiò dum noſtra exauditur oratio, qua dicimus, dimit-
te nobis debita noſtra. nam cùm prima iuſtificatio, vi
baptiſmi tribuatur, neceſſe eſt reliquis duabus dum
vitiis reluctamur, & leuiorum noxarum veniam im-
petramus, aſſequi nos eiuſdem iuſtitiæ iam perce-
ptæ additamentum. Siquidem, vt ibidem ſcribit Au-
guſtinus, *quamlibet fortiter contra vitia dimicemus, ho-*
mines ſumus; Dei autem gratia ſic nos in hoc corrupti-
bili corpore adiuuat dimicantes, vt non deſit propter
quod exaudiat veniam poſtulantes. Verùm nihilo plus
videtur ea explanatio Pauli diſputationi congruere,
quàm ſuperiores. dum enim Apoſtolus negat, audi-
tores legis iuſtificari apud Deum, certè etiam pri-
E mam iuſtificationem excludit; ideóque dum ſubdit, III.
factores legis iuſtificandos, de eadem prima iuſtifi-
catione intelligendus eſt. Nam quemadmodum au-
ditores legis, ſi legis præcepta negligant, ſuppliciis
obnoxij ſunt; ita qui legi obtemperant, laude, ac præ-
mio digni cenſentur. An factores legis, vt exiſtima-
uit Ambroſius, iudicandi ſunt ij, qui fidem Chriſti
complexi ſunt, cùm nemo abſque eius fide iuſtitiam
adipiſcatur? Verum quidem eſt, fateor, Chriſti fidem
ad iuſtificationem eſſe neceſſariam; ſed ſi qui dun-
taxat credunt, cætera verò aut negligunt, aut certè
non

non magnopere curant, factores legis appellantur; cur non minus hæreticis damus, qui ſola fide homines iuſtificari contendunt? Equidem non nego, Ambroſium aliò ſpectaſſe, qui non de tota lege, ſed de illa præcipuè parte agit, quæ Christi venturi vaticinia, & pollicitationes continebat, quam profectò partem is proculdubio re ipſa præſtat, qui Chriſto fidem adiungit. Sed neſcio, verùm hunc ſenſum verba Pauli admittant; iſto enim modo auditores legis iuſtificarentur; audire namque idem plerumque ſignificat, quod credere. *Fides enim ex auditu*, vt ait Paulus [a]: & Chriſtus apud Ioannem [b] dixit: *Omnis, qui audit à Patre, & didicit, venit ad me.* An iuſtificari cenſendi ſunt factores legis, quòd actiones legis ſint veluti diſpoſitio, ac præparatio ad iuſtitiam impetrandam? Sic ſanè recentiores [c] quidam. Atqui ſi de proxima, vel remota quidem, ſed neceſſaria tamen diſpoſitione loquantur, videtur id Pelagianorum errori magnopere facere, ſi actiones morales vim habent gratiam, & iuſtitiam comparandi. Et quamquàm video, poſſe hanc ſententiam Catholico ſenſu accipi, non puto tamen, id Paulum voluiſſe hoc loco ſignificare, vbi non de iuſtificationis natura diſſerit, ſed rationem tantùm affert, cur Deus nec perſonarum reſpectu iudicet, & ſit omnibus pro cuiuſque merito redditurus. Qui dicunt, iuſtificari hoc loco perinde eſſe, ac iuſtum declarari, & pronuntiari, malos omnino, hoc eſt ſuperioris ſæculi hæreticos [d] auctores habent. Nec mirari ſatis poſſum quid nonnullis in mentem venerit, qui cùm hanc interpretationem tamquam hæreticam reijciant, ipſi propterea tamen affirmant, Paulum verbo futuri temporis vſum, dixiſſéque iuſtificabuntur, non iuſtificantur, vt illos indicaret, in extremo iudicij die publica ſententia iuſtos eſſe declarandos. Certè ſi negem, iuſtificare plerumque in ſacris literis idem valere, quod iuſtum pronuntiare, planè mentiar. ſic enim loquitur [e] Iob: *Verè ſcio, quòd ita ſit; quòd non iuſtificetur homo compoſitus Deo.* Et mox: *ſi iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me: ſi innocentem oſtendero, prauum me comprobabis.* Salomon [f] item: *Qui iuſtificat impium, & qui condemnat iuſtum, abominabilis eſt vterque apud Deum.* Denique in Matthæi Euangelio [g] legimus: *Ex verbis tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Et apud Lucam [h] Phariſæi *iuſtificauerunt Dominum baptizati baptiſmo Ioannis.* Rurſus [i]: *Ille autem* (videlicet legis peritus) *volens iuſtificare ſe ipſum.* Denique Paulus hac ipſa Epiſtola [k], *Deus qui iuſtificat, quis eſt, qui cõdemnet?* Nec dubito, hanc ipſam interpretationem placuiſſe Auguſtino, qui poſt ea, quæ paulò antè attulimus, hæc ſubiicit [l] verba: *Aut certè ita dictum eſt, factores legis iuſtificabuntur, ac ſi diceretur, iuſti habebuntur, vel iuſti deputabuntur, ſicut dictum eſt de quodam. Ille autem volens iuſtificare ſe ipſum, id eſt, vt iuſtus haberetur, ac deputaretur, vnde aliter dicimus, Deus ſanctificat ſanctos ſuos; & aliter, ſanctificetur nomen tuũ. Illud enim ideo dicitur, quia ipſe illos fecit eſſe ſanctos, qui non erant ſancti; hoc autem ideo dicitur, vt quod ſemper apud ſe ſanctum eſt, ſanctum etiam ab hominibus habeatur, id eſt, ſanctè timeatur, & colatur.*

a ad Rom. 10.17.
b cap. 6.45.
c Catharin. & Soto in hunc locum.
d Caluin. & alii.
e cap. 9.2.
f Prou. 17.15.
g cap. 12.37.
h cap. 7.29.
i cap. 10.29.
k cap. 8.
l de ſpirit. & litera c. 26.

IV. PLVRIMVM verò inter hanc Auguſtini, & hæreticorum ſententiam intereſt; quòd illi nullam benemerendi vim iuſtorum actionibus tribuunt, nullam in iuſtis veram, atque inhærentem iuſtitiam agnoſcunt; ſed extrinſecam ſolummodò Chriſti iuſtitiam ficta quaſi, vt ipſi loquuntur, imputatione attributam, ſoláque fide apprehenſam. Atque idcirco iuſtificari à Deo nihil aliud putant eſſe, quàm iuſtum declarari, cùm re ipſa nemo verè iuſtus ſit; ſed nos Deus pro iuſtis Chriſti beneficio habeat. At verò Auguſtinus, cæteríque Catholici ita homines affirmant iuſtos pronuntiari, vt interim tamen vera, atque inhærente iuſtitia propria, ac ſua prædıti ſint; adeóque declaratio iuſtitiæ nõ ſit, vt hæretici ſomniant, falſa, aut ficta pronunciatio, atque alienæ iuſtitiæ extrinſeca duntaxat attributio, ſed vera ſolidæ, atque expreſſæ iuſtitiæ demonſtratio. *Factores itaque legis iuſtificabuntur coram Deo*; quia fidem, ac iuſtitiam eorum bonis, ac laudabilibus functionibus teſtatam iudicis ſententia comprobabit. Neque enim rei, hoc eſt, impij, aut legis violatores cenſeri poterunt ij, quos legẽ factis expreſſiſſe conſtabit. Quemadmodum autem legis violator dum contra legem facit, illa ipſa actione verè fit impius, ſiue bonus anteà, ſiue improbus fuerit: ita qui legi obtemperat hoc ipſo iuſtificari dicitur, ſiue tum primùm iuſtitiam, ſiue iuſtitiæ incrementum capeſſat; ſiue denique ſe duntaxat à noxa immunem tueatur, ac ſeruet. Rectè namque dixit Ioannes [a]: *Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt.* Tametſi fortaſſe ex philoſophorum præceptis non tam propriè iuſtus videtur is appellandus, qui iuſtas actiones exercet, niſi etiam eas iuſtè faciat. Sed propoſitæ legis natura poſtulat vt qui ei obtemperant, aliqua ratione iuſti; qui verò obluctantur, iniuſti, atque improbi & verè ſint, & habeantur.

a ep. 1. c. 3. 7.

V. QVAMOBREM, vt aliquando concludam, iuſtificari dicuntur factores legis, non quia legis opera ſine gratiæ beneficio iuſtitiam afferant; ſed quia illæ actiones ſuapte natura, atque vt Theologi loquuntur, ex genere, atque obiecto ſunt honeſtæ, & laudabiles; nec poteſt quiſquam propter illas iurè damnari; qui autem tamquam reus condemnari nequit, is proculdubio tamquàm iuſtus Dei ſententia abſoluitur. Accedit quod loquitur Paulus tacita quadam comparatione eorum, qui legem diuinitus acceptam violarunt, iiſque iuſtiores fore dicit illos, qui cùm nullam legem extrinſecus propoſitam percepiſſent, factis tamen legem expreſſerunt. Sic olim dixit Ieremias [b]: *Iuſtificauit animam ſuam auerſatrix Iſrael comparatione præuaricatricis Iuda.* Et in eamdem ſententiam de Samaria ſcripſit Ezechiel [c]: *Viciſti ſorores tuas peccatis tuis ſceleratius agens ab eis: iuſtificatæ ſunt enim à te.* Non itaque auditores legis tantummodò apud Deum iuſtificantur; ſed illorum potius comparatione factores legis, quicumque illi tandem ſint, iuſtificabuntur. Omnino autem præcedit bonas actiones iuſtificatio, quæ fidei, gratiæque beneficio tribuitur; ſed iuſtificationem bonorum operum fructus ſubſequitur. Poſtulant autem hæc Apoſtoli verba vberiorem diſputationem, quam ſuo loco commodiùs explicabimus. Video enim, pleroſque [d] vltra modum torqueri, quòd multa in Epiſtolis Pauli legantur, quæ cum hac ſententia ex aduerſo pugnare videantur. Placet autem verba Auguſtini [e] adſcribere, quibus hæc Pauli verba explicat. *Quia enim perſonarum acceptio non eſt apud Deũ, & non auditores legis, ſed factores iuſtificantur; ideo ſiue Iudæus ſiue Græcus, hoc eſt, quilibet ex gentibus crediderit, ſalutem in Euangelio pariter habebit.* Et paulò poſt: *Sed ſic intelligendum eſt, factores legis iuſtificabuntur, vt ſciamus, aliter eos non eſſe factores legis, niſi iuſtificentur; vt non iuſtificatio factoribus accedat, ſed factores legis iuſtificatio præcedat.* Mox addit exemplum: *Si enim ita loqueremur, vt diceremus, homines liberabuntur, hoc vtique intelligeretur, eis, qui iam homines eſſent, accedere liberationem. Si autem diceremus; homines creabuntur; non vtique intelligeretur, eos creari, qui iam homines erant, ſed ipſa creatione homines fierent; ita ſi dictum eſſet factores legis honorabuntur, non rectè acciperemus, niſi honorem illis, qui iam eſſent facto-*

b cap. 3.11.
c cap. 16.52.
d Richard. Vict. in explicat. dubitationũ Paulum, in princ.
e lib. de ſpir. & lit. c. 26.

Digitized by Google

res legis accedere. Cum verò dictum ſit, factores legis iuſtificabuntur, quid aliud dictum eſt, quàm iuſti iuſtificabuntur? Factores enim legis vtique iuſti ſunt; ac per hoc tantumdem eſt, ac ſi diceretur, factores legis creabuntur, non quia erant, ſed vt ſint. Nihil autem in præſentia de hæreticorum impietate dicam, qui contra apertiſſimam ſententiam Pauli honeſtis actionibus & merendi, & iuſtificandi vim adimunt, & dum Catholicos, atque orthodoxos ſophiſtas appellant, & cachinnis dignos putant, nebulones ipſi; & impoſtores apparent; ſed hæc alij ante nos acutè, atque acriter confutarunt; nec in præſentiæ vacat actum agere.

14. CVM ENIM GENTES, QVÆ, &c.) Superiorē
I. ſententiam probat, factores legis rectè coram Deo iuſtificari. ipſa enim legis obſeruatio iuſtitia quædam eſt, quæ etiā à Gentilibus haberi poteſt, quamuis illæ externa legis præcepta nulla prorſus audierint, modò legis naturalis ductum, ac præceptionem ſequantur: ſed geminus hoc loco error obſeruandus, gemina item quæſtio expedienda eſt. Errorum verò prius euellendæ fibræ; tum explicandæ quæſtiones. Prior igitur error Pelagianorum vitandus eſt, qui naturæ vires, liberique arbitrij facultatem adeò extollebant, vt eas ad benè, beatéque viuendum abſque vllo ſupranaturalis gratiæ beneficio ſatis eſſe putarent. Quanquàm vt verum fatear, error Pelagij aliò pertinere videbatur. reuelationem enim doctrinæ à Chriſto traditæ non negabat, ſed eam naturæ viribus & percipi, & admitti poſſe contendebat. Nam ex Auguſtino non facilè quiſquam colligat; Pelagium excluſa doctrina diuinitùs reuelata, naturæ viribus aſſeruiſſe, ſalutem parari poſſe. Atque haud ſcio, an hoc ipſum multò antea ſenſerint Baſilides, ac Valentinus. vt enim ſcribit Clemens [a] Alexandrinus, ſi quis Deum natura cognoſcat, eum ex ſtatuebat Baſilides ad aſſequendam beatitudinem eſſe idoneè comparatum. eſſe enim & natura fidelem & electum, adeòque omnem naturæ cognitionem potuiſſe mortalibus abſque aduentu Chriſti ſplendeſcere. Valentinus autem ſimpliciter affirmabat poſſe quempiam naturæ viribus ſalutem conſequi ſempiternam. Nec facilè dixerim, an ad hunc errorem acceſſerint nonnulli æui ſuperioris hæretici, qui, vt viri [b] docti memoriæ prodiderunt, Numam, Catonem, Scipionem, aliósque eiuſdem generis præſtantes viros quamuis caruerint vera fide venturi Chriſti, vi tamen legis naturalis fuiſſe ſaluos affirmabant. Ad hunc etiam lapidem periculosè offendiſſe videntur ij [c], qui ne cuipiam aditum ad ſalutem patere dicerent abſque fide, & contra naturalem cognitionem idoneam fuiſſe cenſerent ad iuſtitiam adipiſcendam; hanc ipſam cognitionem fidei ſupranaturalis nomine quo iure, quáve iniuria appellabant, quòd in ea votum fidei neſcio quomodo implicetur, ac veluti in ſuo principio contineatur; in quo mihi primùm temerè, vt leniſſimè dicam, contra ſacras literas, veteres omnes Theologos, & apertè ſacrorum Canonum, & Conciliorum decreta & ſentire, & loqui videntur. Deinde non ſatis intelligo, qua ratione in illa naturali cognitione fidei votum inuoluatur; niſi quis dicat (quod apertiſſimè Catholicæ fidei repugnat) fidem ſupranaturalem cum naturali ſcientia neceſſariam habere connexionem, eámque quaſi ſuopte ingenio comitari. Quo ſanè nomine turpiùs errarunt ij [d], qui ſatis eſſe putarunt ad ſalutem conſequendam boni honeſti cognitionem, etiam ſi nihil de Deo expreſsè mente cognitum, perceptúmve haberetur.

a lib. 5. ſtrom. in initio

b Staphylus libr. de concordia Lutheranorum.

c Dom. Sot. in 1. edit. lib. de natura, & gratia lib. 2. c. 11. & in hiſce loc. Caiet. 1. 2. q. 89. art. 6. 2. 2. q. 10. art. 4. Vict. prælect. de pœnitentia. lib. ad vſum 14 non. p. 2. ver finem. Andr. Vega lib. 6 in Concil. Trid. cap. 20.

d Caietan. & Victor. locu citatis.

II. ALTER planè contrariùs error Manichæorum fuit, qui ne Dei quidem gratia cœlitus hauſta poſſe quemquam exiſtimabant legi diuinæ obtemperare, cupiditates frangere, vitia ſuperare, virtutem colere; ad quem errorem accedere videntur Lutherani. Negant enim, poſſe quemquam etiam præſidio gratiæ munitum diuinis præceptis obtemperare; adeóque putant, iuſtos ſingulis actionibus perditè peccare. His ita poſitis, duæ exiſtunt quæſtiones. Prima, de quibus Gentibus agat hoc loco Paulus: altera quid ſignificet verba illa: *Naturaliter quæ legis ſunt, faciunt.* Quæ tamen ita ſunt ambæ inter ſe nexæ, & copulatæ, vt qui alteram expediat, ambas explicet. De priori fusè diſputat Auguſtinus [a], & duas ſubindicat ſententias; altera Paulum loqui affirmat de Gentibus nondum ad fidem conuerſis, ſed naturali duntaxat Dei cognitione præditis; altera contrà de Gentibus ad Chriſti fidem traductis, veráque pietate, ac religione imbutis. Priorem explanationem probant recentiores [b] nonnulli, hac tamen adhibita modificatione, vt Gentes à Chriſti fide, ac religione alienæ naturæ viribus intelligantur ſeruare præcepta legis Moſaicæ, quæ quidem ad mores pertinent, quæque per ſe naturæ ductu eluceſcunt. Idque non ita vt Deum ſibi concilient, vel eius gratiam, & beneuolentiam promereantur, ſed hactenùs ſolùm, vt ipſam actionum ſubſtantiam exprimant intra fines honeſtatis incluſam, neque vllam ſupra naturam vim, poteſtatémve attingant. Atque vt ſunt homines ingenioſi, atque acuti, & in Dialecticorum dumetis, & altercantium philoſophorum, & Theologorum diatribis exercitati argutè obſeruant, indefinitè dixiſſe Paulum naturaliter Gentes quæ legis ſunt facere, vt nonnulla legis præcepta, non omnia tamen naturæ viribus præſtare poſſe oſtenderet. Habent autem quorum ſe auctoritate tueantur graues in primis, & antiquos Theologos, Origenem, Chryſoſtomum, Theodoretum, Oecumenium, Theophylactum, Auctorem [c] imperfecti in Matthæum, Cyprianum [d], Hieronymum [e], Anſelmum [f], D. Thomam [f], & alios, ipſúmque adeo Auguſtinum [g].

SED hæc quidem ſententia admiſſa non poſſumus ſuperiora de vera iuſtificatione, neque de legitima, ac ſupranaturali compenſatione interpretari, ſed de morali quadam laude, & commendatione, & leuiori ſupplicio. Nam primum illud non obſcurè indicat Origenes, qui Gentiles, qui iuſtitiam religioſè colunt, caſtitatem, ac temperantiam ſeruant, prudentia laudabili, animi modeſtia, verborum denique factorúmque moderatione excellūt, licèt alieni ſint à vita æterna, quia neque credunt in Chriſtum, neque renati ſunt ex aqua, & Spiritu ſancto, ideóque intrare Regum cœlorum non poſſunt; bonorum tamen operum gloria, & pace minimè carituros aſſeuerat. Hoc verò poſterius aſſerit Auguſtinus [h] his ferè verbis: *Si autem hi, qui naturaliter quæ legis ſunt, faciunt, nondum ſunt habendi in numero eorum, quos Chriſti iuſtificat gratia; ſed in eorum potius, quorum etiam impiorum nec Deum verum veraciter, iuſtéque colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel nouimus, vel audimus, quæ ſecundum iuſtitiæ regulam non ſolum vituperare non poſſumus; verum etiam meritò, rectéque laudamus.* Et paulò pòſt [i]: *Quòd ſi à Chriſti gratia alienæ ſunt gentes, de quibus dictum eſt, quòd naturaliter faciunt quæ legis ſunt, quid eis proderunt excuſantes cogitationes in die, qua iudicabit Dominus occulta hominum, niſi fortè, vt mitiùs puniantur? ſicut enim non impediunt à vita æterna iuſtum quædam peccata venialia, ſine quibus hæc vita non ducitur: ſic ad ſalutem æternam nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillimè vita cuiuſlibet etiam peſſimi hominis inuenitur.* Aliquantò moderatiùs, enucleatiúſque hanc priorem ſententiam explicant ij [k], qui ſatis

[illegible] quidem putant [illegible] ſalutem rerum diuina- A
[illegible], ſed præterea diuinæ gratiæ [illegible] immittunt, quæ voluntatem ad [illegible] atque amorem inflammet. Ea ta- men [illegible] D. Thomæ [a], aliiſque [b] Theologis placet, videtúrque ad eum errorem accedere, quem paulò antè indicaui, ſolam naturalem cognitionem ſatis habuiſſe præſidij ad vitam beatam capeſſendam. Ridicula verò eſt hæretici [c] interpretis ſententia, qui naturaliter Gentes, quæ legis ſunt facere tum demum dicit, cùm honeſta præcipiunt, vitia prohibent, virtutibus præmium, flagitiis ſupplicium proponunt, quaſi factores legis legum conditores, & nomothetas intelligi velit, quod ſuprà refutauimus.

Posteriorem verò ſententiam magis videtur probare Auguſtinus [d], quam ſequuntur Ambroſius [e], Beda [e], Anſelmus [e], D. Thomas [e], Fulgentius [f], Proſper [g]. B Sed Ambroſius quidem non alia ratione opinatur Gentes, quæ legis ſunt naturaliter facere, niſi quia illæ Chriſti beneficio fidem, & religionem Chriſtianam complectuntur, perinde quaſi fides inter legis opera numeranda ſit, quandoquidem lex Moſis tota refertur ad Chriſtum, nihilque magis expetit, quàm eius fidem, & cultum. Auguſtinus autem, & alij opera legis intelligunt moralia præcepta, quæ naturaliter fieri dicuntur à Gentibus, quia ſunt naturæ quidem viribus, ſed munere gratiæ ſanatæ, & quodammodò confirmatæ, vt ex Auguſtino docet D. Thomas [h]. Sunt qui [i] tertiam interpretationem adhibeant, puténtque hoc loco loqui Paulum de Gentibus ante ſtatum legis Euangelicæ, quæ C lege externa carerent, & fide Chriſti explicita, non tamen nudi aliqua implicita, & perobſcura fide deſtinerentur; atque idcirco dicantur naturaliter quæ legis ſunt facere, quia nullam haberent externam legem, quam ſpectarent, ſed naturalis tantummodò legis præſcriptum, & præceptionem ſequerentur. Nec ſatis ſcio, vtrùm hoc ipſum ſignificare velint recentiores nonnulli, qui cùm vtramque ſuperiorem ſententiam refellant, vt tertiam ſtatuant, vtramque per imprudentiam confirmant. Aiunt etiam (quod ego quidem libens conceſſerim) loqui Paulum in vniuerſum de Gentibus, vt Iudæis opponuntur, ſiue ante, ſiue poſt legis Euangelicæ ſtatum, eas verò dixerat ſine lege ſcripta, ex rectè tamen, D aut malè factis iudicandas. Nihil enim referre, quod nullam extrinſecus legem accepiſſent, cùm non auditores, ſed factores legis coram Deo iuſtificentur: poſſe verò illas naturæ legem in animo inditam ipſius naturæ ductu vita, & moribus exprimere. Hæc nobis probè cum his auctoribus conueniunt.

V. Sed audiamus, qua ratione alteram Auguſtini ſententiam oppugnent. Si Gentes (inquiunt) gratia Chriſti percepta eius beneficio, hoc eſt, natura vi gratiæ ſanata, legi obtemperant, non ſanè dicerentur ei naturaliter parere; neque hac ratione à Iudæis diſtinguerentur, qui eadem prorsùs gratiæ vi, ac poteſtate legem ſeruabant. Quaſi verò id aut Auguſtini interpretationi repugnet, aut Pauli ſententiæ E aduerſetur. ille enim pro certiſſimo ponit, ſine diuina gratia neque Gentiles, neque Iudæos coram Deo iuſtificari, & ſalutem conſequi ſempiternam: Sed hoc intereſt, quod Iudæus legem habet ſcriptam, cuius admonitu à malo reuocatur, & excitatur ad bonum; Gentilis verò caret, ſed inſcriptam in animo habet naturæ legem, & vbi natura gratiæ præſidio diuinitùs fuerit adiuta, & probè cognoſcet, & re ipſa præſtabit, quæ ſunt neceſſaria ad beatam vitam. Nec dubitandum eſt (vt ſuprà indicauimus) tum ante, tum etiam poſt aduentum Chriſti extitiſſe non pau-

A cos, qui intra legis naturalis fines & ſanctè, & laudabiliter vixerint, & fidei, diuinæque gratiæ beneficium cœlitùs acceperint. Itaque ſi hoc Paulus dicat, diſcrimen inter Iudæum, & Gentilem, optimè conſtat. Non iuerim tamen inficias his Gentibus non admodum congruere, quod ait Paulus; *Gentes, quæ legem non habent.* nam ſi fide Chriſti iam imbutæ ſunt, profectò iis etiam extrinſecùs videntur impoſita non ſolùm præcepta morum, ſed etiam plurima alia, quæ ad ſacramenta, & religioſum Dei cultum ex Chriſti, & Apoſtolorum inſtituto referuntur; niſi fortè quis dicat loqui Paulum de iis gentibus (ve tertiæ ſententiæ auctores affirmabant) qui ſingulari quodam Dei beneficio diuinitus fidei luce perfunduntur, nullo extrinſecus adhibito Dei verbi præcone, vel ma- B giſtro.

Alteram verò interpretationem non alia ratione refellunt, niſi quòd quamdam Pelagiani erroris ſpeciem præ ſe ferre videatur, cùm tamen re vera plurimorum ſit ſcriptorum teſtimonio firmata, & ad Pauli diſputationē in primis accommodata. VI.
Quid enim mirum ſi dixit Paulus, ex operibus legis hominem iuſtificari; & factores legis, non auditores, laudem, & præmium conſequi, ſi Gentes ipſo naturæ ductu quamuis gentilitia labe viribus debilitatis, ac fractis, non tamen penitus extinctis bonas aliquas functiones, atque honeſtate præditas actiones exercent? Nimirum illæ opus legis ipſa rerum laudabiliter geſtarum teſtificatione apertè oſtendunt, planéque confirmant, inſculptam ſibi eſſe in animo C legem, quam afflictæ, & labefactatæ naturæ naniua illa calamitas iam inde à primo parente ducta obſcurare, ac delere penitùs non potuit. Itaque auctore Paulo Gentiles boni aliquid efficere potuerunt vnius legis naturalis ductu, hoc eſt, excluſa lege ſcripta, non tamen diuinæ gratiæ adminiculo; quod non ſolùm inter homines moralem, ac ciuilem laudem aſſequeretur; ſed etiam apud Deum honore, gloria, & præmio ſempiterno dignum eſſet. hoc enim paulò antè dixerat Paulus his verbis: *Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm, & Græco.* id verò in die iudicij perficiendum eſſe affirmat, *cùm iudicabit Deus occulta hominum.* Atque hanc ſanè interpretationem non modò nuſquàm cōfutauit Auguſtinus, ſed alicubi [a] etiam vnicè probauit. Et quamquàm huius ſententiæ auctores legem ſcriptam excludunt, numquàm tamen tantum naturæ viribus tribuunt, vt omne diuinæ gratiæ auxiliū penitùs reiiciant. Et ſi qui fortè de vnius naturæ viribus diſputant, ij profectò non alia ratione gentes iuſtificant, aut in die iudicij laude, aut etiam præmio dignas indicant, niſi (quod non ſemel docuit [b] Auguſtinus) vt mitiùs, ac tolerabiliùs puniantur.

VII. Itaque, vt de ſecunda quæſtione pauca dicam, prætermiſſo Pelagianorum errore, qui naturaliter, hoc eſt naturæ viribus putant, Gentes facere quæ legis ſunt; & eorum item interpretatione poſthabita, qui ſatis præſidij ad ſalutem aſſequendam fuiſſe docent in naturali cognitione, ſimpliciſſima adeóque optima eorum explanatio videtur, qui Gentes naturaliter fa- E cere quæ legis ſunt, perinde accipiunt, ac ſi Paulus dicat, eos ſine vllo externo præcepto internam naturalis legis præceptionem, ductúmque ſecutos, ſenſim diuinæ gratiæ beneficio ad veri Dei cognitionem fuiſſe perductos vſque eò, vt viam ſalutis ingreſſi in extremo iudicij die ſempiterna ab immortali Deo præmia conſequerentur. Id non obſcurè ſignificaſſe videntur plurimi ſanctorum Patrum, quorum hic ſcribere ſententias non erit (opinor) inutile. Dionyſius [c] Areopagita cùm ageret de diuina prouidentia, quæ beatarum mentium opera, miniſterió-

Marginal notes: h 1. 2. q. 109. art. 4. ad 1. — i Leuan. in hunc loc. — a concio. 25. in Pſ. 118. — b l. de ſpiritu, & litera c. 28. & l. 4. cont. Iul. c. 3 paulò poſt medium. — c c. 9 de cœleſt. hierarch.

queperficitur, inter cæteræ docet Deum immortalem Iudæorum quidem populum peculiari quadam beneuolentia complexum eſſe, non tamen cæteras Gentes penitùs deſeruiſſe; ſed iis etiam per illas mẽtes à mortali concretione ſegregatas, multarum rerum notiones, aliaque ſalutis ſubſidia, & adiumenta ſuppeditaſſe. His nurè conſentiunt quæ ſcribit

a lib. 6. ſtrom.

Clemens Alexandrinus [a], ante fidem videlicet traditam fuiſſe hominibus philoſophiam, ne ſi omnino eſſent impij, & planè à Deo alieni, penitus etiam interirent: tum ſubdit, etiam Gentiles iuſtè plecti, quòd alij quidem cùm poſſent, noluerint Deo credere; alij verò, *quod etiam cùm vellent, non elaborarunt, vt fierent fideles; quia etiam illi quoque, qui à cultu aſtrorum non recurrerunt ad eorum creatorem. hac enim via data fuit Gentibus* (inquit) *vt per aſtrorum cultum Deum ſuſpicerent.* Et in eamdem ſententiam

b li. 6 in Ioã. cap. 11. ad illa verba. Et mũdus eum non cognouit.

Cyrillus [b] Alexandrinus, *facilè*, ait, *opponere quiſpiam poſſet. ſi verbum Dei lux eſt, ſi hac lux corda hominum illuminat, ac pietatem videlicet, & rerum intelligentiam humano generi congruentem ingerit; ſi præterea ſemper erat in mundo, & ipſa opifex mundi eſt, quomodo tam longis temporis ſpatiis ignorata eſt?* Paucis autem interiectis reſpondet. *Non verbum Dei* (ait) *& æternam hanc lucem, ſed imbecillitatem ſuam mundus accuſet. illuminat enim filius, repellit autem gratiam creatura, quæ intelligendi acumine, vt natura Deum cognoſceret, ſibi dato abuſa eſt; & vt prodiga ad creaturas; vim inſpiciendi conuertit, neglexit vlteriùs currere, ſuffodit illuminationem ex deſidia, & contempſit hanc gratiam.*

c lib. 2. cont. Iulian.

Alibi [c] verò. *Gentium quippe* (ait) *Deus eſt, & per inſitas leges benè commonſtratur, quas omnium cordibus inſi[..], ſit opifex. dicit enim; Gentes, quæ natura legem non habent, quæ legis ſunt, faciunt, hi legem non habentes ſibi ipſis ſunt lex, qui declarant opus legis conſcriptum in cordibus ſuis. Iam ſi quid eſt Iudæorum duntaxat, & non etiam Gentium fuit Deus, & conditor; quomodo legem non habentes ſibi ipſis ſunt lex? inſitis ad hoc inſtructionibus pertinentes; natura enim per ſe ipſam diſcendo factore annuente, recipit omnis boni ſcientiam.*

VIII.

d Hom. 17. in Matth.

Nec diſſimilia ſcribit Chryſoſtomus [d], qui apertiſſimè affirmat ſatis fuiſſe olim ad ſalutem primùm quidem recedere ab idolorum cultu, deinde vnũm Deum colere, poſtremò honeſtè viuere.

e H. 3. Periar. cap. 1.
f in dial. cum Tryph.
g l. 4. c. 27. 71.
h lib. contra Iudæos.

Eodem propè modo loquuntur Origenes [e], Iuſtinus [f] Martyr, Irenæus [g], Tertullianus [h], & alij. Non ſunt autem prætereunda, quæ luculenter ſcribit hac de re Proſper [i].

i lib. 2. de voc. Gent. c. 1. ſimilia habet cap. 2. 3. 4. 1.
k Pſ. 76. 10.

Sed nam præteritis quidem (inquit) *ſæculis hac eadem gratia, quæ poſt Domini noſtri Ieſu Chriſti reſurrectionem vbique diffuſa eſt, & de qua ſcriptum [k] eſt; Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ, defuit mundo. Quamuis enim ſpeciali cura, atque indulgentia Dei populum Iſraeliticum conſtet electum, omneſque aliæ nationes ſuas vias ingredi, hoc eſt, ſecundùm ſuam viuere voluntatem permiſſæ ſint; non ita ſe tamen externa Creatoris bonitas ab illis hominibus auertit, vt eos ad cognoſcendum ſe, atque metuendum nullis ſignificationibus admoneret. Cœlum quippe, ac terra, & mare, omniſque creatura, quæ videri, atque intelligi poteſt, ad hanc præcipuè diſpoſita eſt humani generis vtilitatem, vt natura rationalis de contemplatione tot ſpecierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum ad cultum, & dilectionem ſui imbueretur auctoris, implente omnia Spiritu Dei, in quo [l] viuimus, mouemur, & ſumus.*

l Act. 17. 28.
m Pſ. 118. 155.

Quoniam & ſi longè [m] eſt à peccatoribus ſalus, præſentia tamen ſalutis ipſius, & virtute nihil vacuum eſt. Aliquantò autem pòſt cùm dixiſſet, fidei lucem Iudæis præcipuè affulſiſſe, ſtatim ſubdit. *Non propterea excuſatione dignas eſſe nationes. adhibita enim* (inquit) *ſemper eſt vniuerſis hominibus quædam ſupernæ menſura doctrinæ, quæ & ſi parcioris,*

A *occultiorique gratiæ fuit, ſufficit tamen ſicut Dominus iudicauit quibuſdam ad remedium, omnibus ad teſtimonium.* Hæc igitur, atque his ſimilia apertè oſtendunt, cùm Paulus dicit, Gentes ea, quæ legis ſunt, naturaliter facere, ſupranaturalis gratiæ adminiculum non excludere; ſed id tantùm aſſerere, eos nulla ſiue lege extrinſecus adhibita; ſiue doctrinæ, diſciplinæve adiumento, virtus diuinæ gratiæ impulſu inſitam à natura honeſti cognitionem, & mente aſſecutos eſſe, & re ipſa expreſſiſſe: etenim, vt paulò antè dixi, diſcrimen inter Iudæos, & Græcos in eo poſitum eſt, quod illi legis quaſi quamdam pædagogiam habebant; hi verò internam ſolùm naturæ inſtitutionem; ſed vtrique præſidio gratiæ indigebant, vt legis præceptis parerent, adeoque laudem, & IX.

B gloriam à Deo optimo max. conſequerentur. Nec dubitandum eſt (quod non ſemel monuimus) multos ex Gentilibus hac ratione & iuſtificari potuiſſe, & ſalutem conſequi ſempiternam. Quamobrem cùm videretur Paulus Iudæos plus æquo depreſſiſſe, initio ſequentis capitis ſubſumit; *Quid amplius Iudæo, & Græco?* Itaque, vt aliquando concludam, ſic planè ſentio, loqui Paulum de Gentibus, quæ nondum Chriſtianis ſacris imbutæ erant, quæque naturali cognitione nixæ, non ſine beneficio gratiæ fidem, quæ eſt ad ſalutem neceſſaria complexæ erant; & legem morum, ac honeſtæ vitæ præcepta quantum ſatis eſſet ad beatitudinem aſſequendam, ſuis actionibus expreſſerant. Hi namque ſunt non auditores, ſed factores legis; his honor, & gloria, & immortali-

C tas iure debetur, adeóque in extremo iudicio reddenda eſt. Oſtendunt enim opus legis ſcriptum in corde, indicant legiſſe ſe legis præcepta, non in tabulis lapideis, aut membranis, externóve libro deſcripta, ſed intus in animo inſculpta, qualia pollicetur Deus apud Ieremiam [a]: quod mirificè his verbis expreſſiſſe videtur Tertullianus [b]: *Quæ res igitur* (inquit) *Dei legem habens communem iſtam in publico mundi in naturalibus tabulis, ad quas & Apoſtolus ſolet prouocare, vt cùm in velamine fœminæ: nec natura vos* (inquit) *docet, vt cùm ad Romanos natura facere dicens nationes ea, quæ ſunt legis, & legem naturalem ſuggerit, & naturam legalem* [c]. Alibi verò Pauli verba in hunc modum refert: *Si enim iudicabit Deus occulta hominum, tam eorum, qui in lege deliquerunt,*

a cap. 31.
b lib. de cor. mil. cap. 6.
c li. 5. adu. Marc. c. 13.

D *quàm eorum, qui ſine lege; quia & hi legem ignorant, & natura faciunt quæ ſunt legis: vtique is Deus iudicabit, cuius ſunt & lex, & ipſa natura, quæ legis eſt inſtar ignorantibus legem. Ipſi ſibi ſunt lex.* Legem ſine dubio naturalem intelligit, quam Ambroſius omnium mẽtibus diuinitus infuſam eſſe ſcribit, *quæ non ſcribitur, ſed innaſcitur, non aliqua percipitur lectione, ſed profluo quodam naturæ fonte in ſingulis exprimitur, & humanis ingeniis hauritur.* Quò fortaſſe pertineat quod alicubi ſcripſit, ſed longè tamẽ alia mente M. Tullius [d]: *Eſt enim* (inquit) *hæc non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; verùm ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus; ad quam non docti, ſed facti; non inſtituti, ſed imbuti ſumus.* Eius porrò vim quamdam penè admirabilem eiuſdem M. X.

d in Orat. pro Milone.

E Tullij teſtimonio deſcribit B. Auguſtinus [e], præcepta explicat S. Thomas [f]; vſum, & veluti accommodationem fusè deſcribit alio loco M. Tullius [g]. Nec dubium eſt eam in primo parente omnibus ſuis numeris fuiſſe abſolutam, atque perfectam; quippe non naturæ modò præſidus, ſed etiam quàmplurimis gratiæ muneribus exornatam: ſed vbi ille ſe, ac ſuam omnem poſteritatem peccati labe infecit; incredibile dictu eſt quantis fuerit errorum tenebris obſita, vt minimè mirandum ſit innumerabiles mortales in vitiorum veluti cœno fuiſſe volutatos, quàm

e lib. 4. cont. Iul. cap. 12.
f 1. 2. q. 94. a. 2.
g lib. 1. off.

pa-[illegible]

pauciſſimos rectam virtutis viam fuiſſe ingreſſos. Fit enim frequenter, vt Hilarius [a] ſcribit, *vt cum creaturæ euidentia nos ad Dei cognitionem, & confeſſionem pene compellat; oblectatio tamen vitiorum nobis velati nube obducta lucem diminutatis eripiat.* Hinc tam multi de diuina natura errores, etiam apud ſapientiſſimos Philoſophos extiterunt. Hinc illæ denſiſſimæ cæcitatis tenebræ, quas luculenta oratione deſcribit Ambroſius, [b] quæ vſque adeo humanæ mentis aciem retuderunt, atque hebetarunt, vt cùm par eſſet ſe, ſuáque omnia in Deum, tamquam extremum referre, cuncta tamen proprio modo metienda eſſe ſapientiſſimi Philoſophi [c] affirmarent. Hinc neceſſe fuit, veram virtutis rationem, ac vim (vt docet Auguſtinus [d]) magna ex parte labefactari, ne dicam penitùs interire. Hinc de animorum immortalitate vel dubitationes, vel impiæ, atque ſacrilegæ ſententiæ, [e] & nefariæ de natura tamquam hominis nouerca querimoniæ. [f] Neque verò iis, quæ ad communem hominum vitam, & ſocietatem ſpectant, minor inſcitia fuit, vt indicat B. Hieronymus, [g] & fusè docent Theodoretus, [h] Euſebius, [i] & Auguſtinus. [k] Optimè verò Ambroſius, [l] & Proſper. [m] Neque verò propterea ex hominum mentibus penitùs deleri potuit, ſed ſemper veluti inter errorum nebulas Sydus rationis intermicat; ac proinde rectè ſubiicit Paulus: *qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.* Eſt enim Græcè non participium, ſed nomen γραπτὸν; ac ſi dicat, ſcriptitium, vt alludere videatur Paulus ad ius illud, quod Philoſophi vocant ἄγραπτον, id eſt, non ſcriptum. carebant enim Gentes iure ſcripto, ſed ius illud in animo inſculptum probè retinebant. Ac proinde re ipſa oſtendunt ſe diuino quodam instinctu edoctos, atque inſtitutos, ideóque ſubdit.

15. QVI OSTENDVNT OPVS LEGIS, &c. Pla-
I. nè vi legis naturalis in cordibus inditæ oſtendunt opus legis; indicant videlicet ſe naturæ ductu, & vi legis inſcriptæ in animo, ſe viuere ex rationis præſcripto, & habere intus in animo legis præcepta inſcripta digito Dei condentis naturam, *teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum.* Græcè eſt συμμαρτυρούσης, id eſt ſimul teſtificante. non enim ſolùm vita, & moribus teſtantur ſe legi naturali obtemperare; ſed id ipſum veluti domeſtico teſtimonio probat cuiuſque ſynderesis, & conſcientia, quæ ipſorum facta metitur, & ad rectæ rationis præſcriptum, ac veluti canonem exigit; idque non ſine diuinæ gratiæ præſidio; quo & mens diuinitus illuſtratur, & voluntas virtutis amore completur: ita ſe legis ſtudioſos re ipſa oſtendunt.

II. ET INTER SE INVICEM COGITATIONVM ACCVSANTIVM. Græcam loquendi rationem ſecutus eſt interpres, quamquam non deſunt codices, qui ad Latinæ linguæ vſum magis accommodatè auferendi caſu legunt: *cogitationibus inuicem accuſantibus, aut etiam defendentibus.* Quo ſanè modo legunt Hieronymus, [n] Ambroſius, [o] Auguſtinus, [p] & Origenis [q] interpres. Quamquàm autem (vt Oecumenius, aliíque non pauci affirmant) hoc conſcientiæ teſtimonium, & cogitationum tum accuſatio, tum defenſio, præcipuè in extremo iudicij die vim ſuam exercebant; non dubito tamen, magnam etiam vim habere quamdiu inter mortales viuimus, vbi quid faciendum, vel omittendum ſit, cùm nobiſcum ipſi deliberamus, cogitationes noſtræ quodammodo altercantur, & veluti in diuerſa rapiunt, vt in præſentia explicat Oecumenius. Quod olim vano errore deluſa antiquitas ad duos genios, bonum, & malum referebat. Probare vtcumque videntur Origenes, [r] Caſſianus, [s] Auguſtinus. [t] Verùm id Platonicum eſt inuentum, vel (vt veriùs dicam) figmentum poëticum. Conſulendus interim Baſilius, qui de inutilibus cogitationibus luculenter diſſerit. Rufinus [a] verò multa ſcribit, quæ ad hunc locum illuſtrandum plurimum valent; ſpectántque ſupremum mundi diem, de quo mox.

IN DIE CVM IVDICABIT DEVS, &c. 16.
Sanè Apoſtolus frequenter extremi iudicij diem I.
inculcat, cuius diei recordatio, ac ſedula meditatio (vt ait Baſilius, quaſi fræno impuras cupiditates, & nefarias actiones coërcet. Cæterùm quo modo iudicaturus ſit Deus occulta hominum, hoc eſt, quæ clàm, & in tenebris fiunt, vt in lucem, cognitionémque mortalium venire nequaquam poſſint; & abditas mentium cogitationes, appetitionéſque docet non ſemel Auguſtinus. [b] Qua verò ratione fieri poſſit, vt etiam cogitationes noſtræ omnibus patefiant, explicatur ſuo loco. *Secundùm Euangelium meum*, inquit. *Quidam* (ait Hieronymus [c]) *ſuſpicantur quotieſcumque in Epiſtolis ſuis Paulus dicit iuxta Euangelium meum, de Luca ſignificare volumine.* Auctores non nominat, neque apertè indicat, quid ipſe ea de re ſentiat. Ego ſimpliciùs crediderim, Paulum ſuam prædicationem, atque doctrinam, quam Gentibus tradebat, ſuum appellare Euangelium; vel certè (vt diximus in paraphraſi) orthodoxam, atque apoſtolicam doctrinam Euangelium ſuum vocare, cuius videlicet ipſe miniſter eſſet, & præco: quæ poſtrema eſt Theophylacti, & aliorum ſententia.

SI AVTEM TV IVDÆVS COGNOMINARIS, 17.
&c. Græca habent ἴδε, hoc eſt, Ecce; non deſunt ta- I.
men tum Latini, tum Græci, qui noſtri interpretis lectionem probent: Nam Ambroſius, & Auguſtinus [d] legunt *ſi autem*; Et Origenes, ac Theophylactus omnino Græcè legiſſe videntur εἰ δὲ, hoc eſt; ſi autem; vnius videlicet litterulæ adiectione, vt facilè librariorum lapſus irrepere potuerit. Quod verò attinet ad Iudæi nomen, mirè olim lapſa eſt antiquitas. vt enim omittam Iuſtini, [e] & Cornelij [f] Taciti fabulas, non defuerunt qui [g] exiſtimarent Iudæos ſic appellatos à Iuda Machabæo, cuius eximiæ, ac præclaræ virtutes, & egregia in bellis facinora in libris Machabæorum prædicantur. At multò ante Iudam Machabæum in libro Heſter, [h] Neemiæ, [i] & Eſdræ, [k] Danielis, [l] & Ieremiæ [m] vaticiniis Iudæorũ appellatio legitur. Cùm igitur olim gens vniuerſa Hebræorum, aut Iſraëlitarum nominibus cenſeretur in ſeceſſione decem tribuum à regno Roboam, qui ipſi cæteriſque Dauidis ſucceſſoribus parebant, à nobiliori tribu Iudæi dicebantur; reliquæ decem tribus ad regnum Iſraël pertinebant; ſed poſt reditum ex captiuitate Babylonica, cuncti abſque diſcrimine Iudæi appellabantur, vt docet Ioſephus [n]. Non abs re autem vſus eſt Paulus verbo *Cognominaris*, Græcè ἐπονομάζῃ, quaſi ſignificare velit hoc nomine inſolentiùs gloriari; aut (quod monet Oecumenius) nihil præter Iudæi nomen obtinere, perinde quaſi iis annumerari queant, quos ait Ioannes [o] in Apocalypſi, Iudæos ſe appellare, cùm verè non ſint, ſed mentiantur, & ſint potiùs *ſynagoga ſatanæ*; ideo ſubdit; *requieſcis in lege*, perinde quaſi (vt alicubi dixit Chriſtus) in ea poſita ſit vita æterna: nec quidquam præterea requiratur, niſi vt legis præcepta quis norit. *Noſti* (inquit) *voluntatem* procul dubio Dei. Sic enim ſequitur.

ET NOSTI VOLVNTATEM.) Græcè δοκιμάζεις, 18.
rem dixit noſter interpres; nec abhorret ab ea I.
interpretatione Theophylactus, qui διακρίνεις explicat συμφέροντα. Theodoretus putat ſignificare differentia; rerum enim præſtantia facit vt ab aliis plurimùm differant; nos in paraphraſi pluribus eius vim vocis expreſſimus; id eſt, eximia, atque egregia,

a in Symbolo.
b lib. 20. de Ciuit. Dei. cap. 14. Et lib. 22. cap. 29.
c de ſcript. Eccl. in Luc.
d lib. de ſpiritu, & littera cap. 8.
e lib. 38.
f lib. 5. hiſtor.
g Ambroſ. ad Rom. Quidã apud D. Tho. hoc loco Cathar. in hunc locum.
h Frequẽter, cap. 3. 4. 5. 2.
i cap. 4. 41.
k cap. 5. 2.
l cap. 12. 14.
m cap. 40. 11. 13.
n lib. 11. antiq. cap. 5.
o cap. 2. 9.

quæque cum lege conſentiant, vel ab ea longè diſ-crepent. Hæc enim omnia qui ſe Iudæum & eſſe,& haberi velit planè nouit inſtructus per legem; Græcè eſt *κατηχούμενος*. Quæ vox eſt Paulo familiaris;ſignificat autem eum, qui voce præceptoris inſtituitur,aptéque hoc loco adhibetur propter ea, quæ ſuperiùs dixerat;nō auditores legis, ſed factores apud Deum iuſtificari:indicat autem,hunc Iudæum auditorem eſſe duntaxat, non etiam factorem legis. Ita quos nos vulgata iam voce catechumenos appellamus, Tertullianus [a] auditores,vel audientes nominat. Erant enim Chriſtianæ fidei veluti tyrones;vel vt ille loquitur, auditorum tyrocinia. Cyprianus [b] ſimpliciter nominat audientes. Iis,qui præerat doctor, dici ſolebat Catechiſta; nec dubium eſt ſuos etiam fuiſſe idolis Catechiſtas. Quare inquit Tertullianus [c],an idololatriam cōmittat,*qui de idolis catechizat* [d]. Alibi verò hæreticos reprehendit, quòd apud illos quis catechumenus, quis fidelis incertum eſt. *Pariter* (inquit) *adeunt, pariter audiunt, pariter orant; etiam Ethnici ſi superuenerint ſanctum canibus, & porcis margaritas licèt non veras iactabunt.* Contrà verò apud Catholicos fuiſſe olim Eccleſiam in plures veluti gradus, aut ordines diſtinctam, indicant illa apud Tertullianum [e]: *Omnes ita obſeruant à Catechumenis vſque ad confeſſores,& martyres*, vel negatores. Catechumenorum olim fuiſſe duo genera conſtat [f]:alij namque dicebātur *κατηχούμενοι*,ſiue auditores, vel audientes; alij competentes,ſiue electi, Græcè *φωτιζόμενοι*. electos nāque nominat B. Leo [g], competentes Auguſtinus [h], Hieronymus [i], & alij. nam ad baptiſmum admittēdi primùm quidem nomina dabant,& inter catechumenos audientes,templum ingrediebantur, vt poſſent audire verbum Dei:deinde idoneè inſtituti inter competentes orabant,& tempus baptiſmi exſpectabant. Hos(credo) Tertullianus [k] perfectos catechumenos vocat: *antè* (inquit)*perfectis catechumenis quam edoctis*. Itaque *κατηχεῖν*,& *κατηχίζειν* eſt inſtituere,& erudire voce, nō ſcripto. Qua ferè ratione olim apud Ægyptios myſteria tradebantur; & qui ea tradebant Catechiſtæ dicebantur;vt appareat, eos magnoperè falli,qui catechiſtas fuiſſe putant, quos Dionyſius Areopagita *ἀναδόχους*,Latinè ſuſceptores appellat,cùm catechiſtæ olim & pauci, & viri primarij eſſent,pluréſque haberent inſtituendos catechumenos, & toti plerumque ſcholæ præeſſent: *ἀνάδοχοι* verò plurimi inſtituerentur; & ad id munus quilibet de populo,modò fidelis eſſet,idoneus cenſeretur. Denique ſinguli ſingulos,vel certè nonnullos priuatim deſignatos in ſuam fidem ſuſciperēt,idque in ipſa ſuſceptione baptiſmi, quo tempore Catechiſtæ munus iam penitùs erat expletum. Factum igitur eſt verbum catechizandi planè Eccleſiaſticum. Quamobrem,vt redeam ad Paulum, Iudæos in lege inſtitutos vocat catechumenos,qui videlicet Scribas,& legis Doctores legem proponētes, atque explicantes audiebant. Appoſitè autem hac voce vſus eſt, vt Iudæos opponat Gentilibus. cùm enim Gentiles rationis duntaxat ductum ſequerentur,Iudæi magiſtros,ac doctores plures audiebant: alludit enim ad vim Græcæ vocis,quæ vt modò dixi,ſignificat voce,non ſcripto, erudire. olim enim qui fidei tirocinia percipiebant, voce duntaxat inſtituebantur, ne ſacra Chriſtianæ religionis impiis vulgari poſſent.

a de Pœnit. cap.6
b Exod.18. cap 44.
c lib. de Idololat c.10.
d lib. de præſcript.c.41.
e lib de corona mil c 2.
f Raban. Maur lib 1.de inſtit. Cleric. cap 4.5.6.
g
h De cura pro mort c.12 lib 9 confeſſ. c.6. lib. de fide & oper.c. 6.ſerm. 16.de tempore.
i in Epiſt. ad Pammach.de erroribus Ioannis Ieroſolymitani.
k de præſcri. cap.41.

B
C
D

19. Confidis teipsvm esse dvcem cæcorvm,&c.

20. Ervditorem insipientivm, &c.)

I. Mimiſis eſt Chryſoſtomo, Euthymio, Oecumenio, quaſi voces Hebræorū ſeſe iactantium Paulus imitetur,qui,vt dicitur in Euangelio Matthæi [l],volebant

l cap 23.7.

A *ab hominibus vocari Rabi.* Interea verò, vt monet Clemens [a],legis beneficentiam declarat, quæ alios quidem poteſt iuſtos ex iniuſtis facere, ſi modò velint obtemperare. Alios à præſentibus malis liberat. Imitatur autem Iudæorum mores,qui proſelytos,cæcos,infantes, & inſipientes appellare conſueuerant, ac proinde ſubdit; *Eruditorem inſipientium*, Græcè *παιδευτήν*,incertum vtrum inſtitutorem, an eum,qui pueros caſtigat,& corrigit,ſignificare velit; an vtrumque,quod videtur probabile. Neque ſatis ſcio vtrum reſpexerit Paulus ad verba illa Iſaiæ [b]: *Vbi eſt literatus? vbi legis verba ponderans? vbi doctor paruulorum?* Ad ea certè apertiùs alludit in priore ad Corinthios [c].Quod verò ſequitur.

a lib 1 ſtrom. ſere extre.
b cap 33.18
c cap.1.20.

Magistrvm infantivm. Græcè *νηπίων*. II.

B Ambigat quis, an de ætate, an de eruditione agat. ſanè infantes ætate prorsùs inepti ſunt ad diſciplinam percipiendam:malim ergo parum eruditos, parúmque ingenio, & vſu rerum valentes intelligi. Habentem formam. Græcè *μόρφωσιν*,veluti formandi rationem, perinde quaſi profiteantur Iudæi callere ſe veram fidei tradendæ rationem, qui alios in fide, veráque & ſana legis interpretatione cæteros inſtituere,illorúmque vitā,& mores informare queant.Chryſoſtomus,& Oecumenius imaginem & exemplar veritatis intelligunt, quam Iudæi verbis quidem iactent, ac magnificè prædicent, re ipſa negligant;Gentiles vita,ac moribus exprimunt. Ac fortaſſe alludit Paulus ad Rationale Pontificis, in quo inſcripta erant doctrina,& veritas. hoc enim
C ſonant verba illa; אורים תמים *vrim thummim*: ſiue illa ipſa verba inſcripta eſſent, ſiue duodecim lapides, qui deſcribuntur in Exodo [d], dicantur *vrim thummim*;quod alibi doceo, qui formam accipiunt pro imagine,vt opponitur veritati;quaſi veritatis,ac ſcientiæ ſpeciem habeant,non ipſam veritatem, ac ſcientiam; ab inſtituto Apoſtoli nimiùm quantum recedunt. nec enim ſubderet; *Qui alium doces, te ipſum non doces.* Itaque aliter accipienda ſunt,quæ ſcribit ad Timotheum [e]; *Habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes*; licèt vtrobique ſit eadem Græca vox *μόρφωσις*, rectè autem ſubdit.

d cap 28.12.
e ep.2.c.3 5

Qvi ergo alivm doces, te ipsvm,&c. 21.

Qvi dicis non moechandvm,&c. 22.

D Qvi in lege gloriaris, per, &c. 23.

Nomen enim Dei per vos,&c.) Quæ 24.
verba ſi,vt Chryſoſtomo, & aliis placet,quaſi interrogando dicta ſint, magnam vim habent ad inſoleſcentem Iudæorum tumorem retundendum: ſi abſque interrogatione, vt placuiſſe nonnullis monet Oecumenius,pronuntianda ſint, leniter eorundem arrogantiam perſtingunt. Eodem verò modo explicanda ſunt quæ deinceps ſequuntur vſque ad illa verba; *Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter Gentes, ſicut ſcriptum eſt.* Iuſtinus [f] Martyr, Origenes, & Oecumenius indicari putant locum Iſaiæ [g]: *Quoniam ablatus eſt populus meus gratis, dominatores eius iniquè agunt, dicit Dominus: & iugiter tota die nomen meum blaſphematur*; vbi ex Septuaginta addi-
E dit Paulus duo illa verba; *inter gentes*. Hieronymus [h] verba Ezechielis [i],apud quem hæc leguntur, *Et ingreſſi ſunt ad Gentes,& polluerunt nomen ſanctū meum, dum diceret, populus meus eſt iſte,&c.* in quo magni licèt viri hallucinati ſunt. Cæterùm quod attinet ad Dei cōtumeliam,ſapienter Baſilius [k] monet in omni flagitio Dei contumeliam quodāmodo includi,præcipuè tamen cùm intercedit ſcādalum,dicitur Deus propriè contemni, atque affici contumelia, vt idem Baſilius [l] explicat. Videtur autem Paulus vtramque contumeliā reprehēdere,ſed potiſsimū poſteriorem.

I.
f Dial. cum Tryph
g cap.52.5.
h in Iſa. cap. 52.
i cap.36.20.
k Reg breu reſp 4.& 24 6
l Reſp 310.

Circvm

25. I. Circvmcisio qvidem prodest.) Duabus potiſſimùm rebus cæteris gentibus præſtare videbantur Iudæi; circumciſionis ſacramento, & lege diuinitùs accepta. Prodeſſe autem dicit Apoſtolus circumciſionem, ſi modò cum legis obſeruatione coniungatur. Nec dubium eſt, loqui Paulum de circumciſione non quidem ſimpliciter, ſed vt erat in ſtatu legis, adeóque vnà cum ipſa lege vim ſuam, ac robur obtinebat. Quam autem vim habuerit in lege circumciſio, ſuo loco fuſiùs dicendum erit. Cæterùm circumciſionis ſacramentum fuiſſe penitus antiquatum, atque in lege Euangelica etiam noxium, ac pernicioſum eſſe, in Epiſtola ad Galatas probat Paulus. Sed quæ tandem vtilitas circumciſionis erat, cùm infantes octauo die circumcidebantur, qui id ætatis legi obtemperare non poterant? An loquitur Apoſtolus de adultis, quibus tum demum circumciſio non exiguam afferebat vtilitatem, ſi legis præcepta ſeruarent? Certè hoc modo locum hunc explicat D. Thomas, ipſéque adeo Apoſtolus apertiſſimè docet cùm ad Galatas[a] ſcribit: *Teſtificor omni homini circumcidenti ſe, quia debitor eſt vniuerſæ legis implendæ.*

a cap. 5. 3.

26. I. Si igitvr præpvtivm ivstitias.) Præputium dixit pro Gentili, qui carens circumciſione, natiuum præputiū retinet; eſtque tropus metonymiæ, cùm ponitur ſignū pro re ſignata; ſic paulò pòſt circumciſionem ponit pro circumciſis. Dixit autem, ſi præputium iuſtitias legis cuſtodiat, ſpectās proculdubio verba Deuteronomij[b], quibus præcepta morum, quæ lege continentur, legis iuſtificationes vocantur. Porrò contra circumciſionis obtrectatores non pauca ſcribunt Origenes[c], & Ambroſius[d]. Olim certè Manichæi negabant Deum filij ſui regenerationem illo pudendo membro ſignificaſſe, ſed fuiſſe circumciſionem mali, turpiſſimique Dei inuentum; quam blaſphemiam refellit Auguſtinus, diſputans contra Fauſtum[e] Manichæum, cùm Apoſtolus hac ipſa Epiſtola[f], circumciſionem vocat *ſignaculum iuſtitiæ fidei.* Aliò ſpectabant Pelagiani, qui nihilominùs eam antiquam cæremoniam contemnebant. Quod verò ſubditur, nonne præpvtivm illivs in circvmcisionem repvtabitvr? In Græcis codicibus, qui nunc habentur in manibus, hunc in modum effertur, οὐχὶ ἡ ἀκροβυστία αὐτοῦ εἰς περιτομὴν λογισθήσεται; Chryſoſtomus verò omninò legiſſe videtur [illegible], id eſt, cōuertetur; eius enim vocis vim, atque energiam explicat. Significat autem Paulus, Gentilem, qui legi obtemperat, perinde apud Deum futurum, ac ſi circumciſionem percepiſſet. Mox verò ſubdit.

b cap. 10. 13.
c Hic loco.
d lib. 9. epiſt. 77 & lib. 1. de Abraham. c. 11.
e lib. 16.
f cap. 4. 11.

27. I. Et ivdicabit id, qvod ex natvra, &c.) Damnabit autem non ſententiam ferendo, ſed ſuo exemplo & comparatione. Sic apud Matthæum[g]: *Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam.* Vbi plura Hieronymus. Quod verò ait noſter interpres, legē conſummans; Græcè eſt τὸν νόμον τελοῦσα; τελεῖν autem plus aliquanto ſignificat, quàm φυλάττειν: hoc enim ad externam cæremoniam, illud ad ſpiritalem obſeruationem ſpectat.

g cap. 12. 41.

28. I. Non enim qvi in manifesto, &c.) Hanc ſententiam frequenter Apoſtolus, cum in hac ipſa Epiſtola, tum alibi repetit, ſignificans, externas illas legis cæremonias aut nullæ, aut perexiguæ vt fuiſſe præditas; neque ſanguinis propagatione, ſed vera duntaxat fide, veráque iuſtitia, & ſanctitate ad veram Chriſti hæreditatē homines vocari. Ita videas, Paulum perpetuò externas legis cæremonias non magnifacere, ſi vera, ſolidáque in Deum fide, ac pietate deſtituantur. Quocircà rectè ſubdit.

29. II. Sed qvi in occvlto ivdævs est, &c. Hoc eſt (vt interpretantur Cyprianus[a], Cyrillus[b], & Auguſtinus[c]) Iudæus ſpiritu, ac mente circumciſus. ſic ad Philippenſes[d]. *Nos enim ſumus* (inquit) *qui ſpiritu Deo ſeruimus.* De his verò multa ſcribit Auctor[e] commentariorum in Pſalmos, qui tribuuntur Hieronymo. Circumciſio porrò cordis metaphoricè appellatur ea animi moderatio, quam propriam eſſe ſapientis, Philoſophi tradiderunt; de qua tamen aliter Stoici, aliter Peripatetici ſenſerunt. Contrario planè vitio laborabant ij, quos Stephanus[f] his verbis reprehendit. *Dura ceruice, & incircumciſis cordibus, & auribus, vos ſemper ſpiritui ſancto reſiſtitis.* Ac niſi ego fallor, cordis circumciſionem Paulus eam vocat quam ad Coloſſenſes[g] appellat nō manufactam, quæ videlicet id præſtat, atque efficit, quod veteri illa circumciſione ſignificabatur, id eſt, iuſtificationem, de qua Ieremias[h]: *Innouate* (inquit) *vobis nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas; circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum.* De hac plura Tertullianus diſputans aduerſus Iudæos; Gregorius[i] autem Nazianzenus: *Purificare* (ait) *circumcidere, velum à natiuitate contractum abſcindere.* Hoc autem velum (interprete Niceta) peccatum eſt. Egregiè verò Philo[k] cùm de iis ageret, qui voluptatibus indulgent: Quare (inquit) *lex his verbis admonet; circumcidimini cordis duritiam; hoc eſt, excidite ſuperflua mentis germina pronata ex immoderatis affectibus, & coalita, inſitáque in animam à malo agricola inſipientia, quam primùm excidenda ſummo ſtudio; & cauete* (inquit) *ne ceruix veſtra dura ſit; hoc eſt, ne ſit refractaria, néve data opera duretur ad ruditatem noxiam, ſed omiſſa inſtabilitate natiua, & pernicioſa, flectatur ad ea, quæ decent, obſequendo naturæ legibus.* Quibus ſanè verbis alludit ſine dubio ad locum illum Deuteronomij[l]. *Circumcidite igitur præputium cordis veſtri, & ceruicem veſtram, ne induretis ampliùs.* Quem ipſum locum ſpectaſſe videtur etiam Tertullianus[m], cuius ſunt hæc verba: *Præfert & circumciſioni carnis præputiationem. apud Deum enim legis eſt facta circumciſio cordis, non carnis, ſpiritu, non litera. Quòd ſi hæc eſt circumciſio Ieremiæ, & circumcidemini præputia cordis, ſicut & Moiſes. Circumcidemini duricordiam veſtram, eius erit ſpiritus circumcidens cor, cuius & litera metent carnem eius.* Addam & Cypriani verba. *In illa* (inquit) *parte corporis, in qua eſt voluptatis ſeminarium, & libidinis officina, iuſſa eſt aptari circumciſio, vt ſemper memores propriæ ſectionis ad cohibendos, refrenandoſque turpitudinum affectus, ſe in appetitus vigilarent.* Atque hæc quidem circumciſio ſpiritualis propria eſt eius, quem Apoſtolus vocat Iudæum in abſcondito, & affert (vt ait Auguſtinus) *puram ab omni illicita concupiſcentia voluntatem, quæ non fit litera docente, & ſonante, ſed ſpiritu adiuuante, atque ſanante.* Hanc non homines, ſed Deus probat, & laudat.

a de ratione circumciſion.
b lib. 4. in Ioan. cap. 54.
c in expoſit. quarumdā propoſit. huius Epiſtolæ, & lib. de ſpiritu, & litera c. 8.
d cap. 3. 3.
e Pſal. 108.
f Act. 7. 51.
g cap. 2.
h cap. 4. 3.
i Orat. 18 quæ eſt de Nat. in fin. idem indicat. orat. 2.
k lib. de vict. offeren. fere medio.
l cap. 10. 16.
m lib. 5. in Marcion. c. 13.
n de ratione circumciſion.

Argumentum Cap. III.

SVBLATIS iis, quæ ex ſuperioris capitis diſputatione oriri poterant de Iudæorum excellentia, ac dignitate, Deíque in illos beneficentia, ac liberalitate dubitationibus: ſuperiora hoc veluti analemmate concludit, omnes tam Iudæos, quàm Gentiles peccato eſſe obnoxios; gratuitò verò, ac liberaliter fidei beneficio abſque operum merito iuſtificari.

CAPVT III.

QVID ergo amplius Iudæo eſt? aut quæ vtilitas circumciſionis?

Multum per omnem modum. primùm quidem quia credita ſunt illis eloquia Dei.

Quid enim ſi quidam illorum non crediderunt? numquid incredulitas illorum fidem Dei euacuabit?

Abſit. eſt autem Deus verax, omnis autem homo mendax, ſicut ſcriptum eſt: vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.

Si autem iniquitas noſtra iuſtitiam Dei commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus eſt Deus, qui infert iram? (ſecundum hominem dico)

Abſit. alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum?

Si enim

PARAPHRASIS.

QVID igitur eſt, quo Iudæus cæteris 1.
præſtet? Quid verò eximij habet, aut
præclari, quo gentes præcellat? Vel
quæ tandem eſt vtilitas circumciſionis?
¶ Omnino negari non poteſt, magnopere Iudæos 2.
cæteris Gentibus non ipſorum quidem merito,
ſed diuina munificentia, ac liberalitate præferri.
Illud enim primarium, ac penè dicam palmare
eſt ipſorum priuilegium, quòd eis eloquia Dei,
plurimáque vaticinia, atque oracula credita ſunt.
¶ Nam quid tum ſi nonnulli in perfidia perſtite- 3.
runt, num illorum infidelitas diuinam fidem, &
oraculorum veritatem inanem, atque irritam reddidit?
aut efficere aliqua ratione potuit, vt Deus
immortalis, vel imbecillitate virium, vel mutatione
concilij promiſſa non præſtiterit? ¶ Abſit; 4.
tantùm enim abeſt vt ipſorum infidelitate, vel
improbitate, diuina liberalitas, ac beneficentia
lædatur; vt ex ea potius illuſtrior appareat, quæ
etiam in ingratos vim ſuam maximè exerceat.
Eſto ſanè Deus, vt natura ſua, ſic noſtra etiam
confeſſione verax; omnis autem homo mendax,
ſicut ſcriptum eſt; vt iuſtificeris in ſermonibus
tuis, & vincas, ſiue cùm iudicia hominum ſubibis,
ſiue cùm exercebis tua. Quoties enim inter
ſeſe conferentur ea, quæ à communi omnium
parente Deo Iudæis collata ſunt munera, quæque
contrà ab illis Deo reddita ſunt, nicetéria, & victoriæ
præmia, & laus erunt penes Deum; ipſíque
adeo improbi homines immunem illum, ac
purum ab omni labe prædicabunt, cùm diuina
conſilia, & actiones ſuis iuſtis ponderibus expendent.
Cùm verò iudicia ipſe ſua exercebit, eorúmque
cauſas, ac rationes aperiet, næ ille innocens,
ac iuſtus, atque omni prorsùs reprehenſione
carens apparebit. ¶ Quòd ſi quiſpiam conten- 5.
dat Dei Opt. Max. iuſtitiam, ſiue quà multos ex
peccatoribus iuſtos facit, ſiue quà pœnas à noxiis,
ac flagitioſis hominibus exigit; ſiue denique quà
promiſſorum fidem magnificè præſtat; iniuſtitia,
atque improbitate noſtra commendari; quid
(quæſo) dicemus? Num (vt more hominum loquar)
iniuſtus appellandus eſt Deus, qui ſupplicium
ſceleribus infligat, ex quibus ipſe honorem,
& gloriam conſequatur? ¶ Apage. Non enim 6.
cùm peccamus gloriam, aut honorem Dei quærimus,
ſed noſtris quidem cupiditatibus morem
gerimus ipſi, ac Dei legem, & præcepta per ſummum
ſcelus, atque impietatem contemnimus.
Ille verò (quæ ipſius eſt ſingularis bonitas) ex no-

ſtra

ſtra improbitate occaſionem arripit partim ſuæ
iuſtitiæ, ac maieſtatis, partim eximiæ liberalitatis,
ac munificentiæ declarandæ, dum ab impiis, &
contumacibus iuſtas exigit pœnas, & in multos
etiam ingratos liberaliter agit. Alioqui enim ſi
ſecus ſit, quomodo Deus erit iudex mundi, ſi tan-
tam iniuſtiriam exercet ſæuiens in eos, à quibus
7. laudem, & glotiam aucupatur? ¶ Etenim ſi veri-
tas, & iuſtitia Dei meo mendacio, & iniquitate
illuſtrata glorioſior apparet; quid cauſæ erit, cur
ego deinceps quaſi impius, & peccator condem-
ner? Ac non potius laudibus celebror, ac præmiis
afficior, qui mea improbitate diuinę gloriæ quam-
8. dam afferam acceſſionem? ¶ Cur non potius id
agimus, & docemus (quod obtrectatores nonnulli,
quorum iuſta damnatio eſt, falsò nobis impo-
nunt) facienda eſſe mala, vt inde boni aliquid con-
9. ſequamur? ¶ Quid ergo? Nos qui Iudæi nati ſu-
mus cæteris gentibus quaſi innocentes antecelli-
mus? Quod ad iuſtificationem attinet, nullo mo-
do; ſiquidem non ita pridem certa, atque euidenti
ratione concluſimus, ac veluti dicta cauſa peró-
rando demonſtrauimus, omnes tum Iudæos legis
pædagogia, tum Græcos naturæ viribus nixos ſub-
10. eſſe peccato. ¶ Quemadmodum ſcriptum eſt à
Dauide; non eſt iuſtus quiſquam, non eſt qui
rectè, vel honeſtè viuat, qui virtutem complecta-
11. tur, ne vnus quidem. ¶ Non eſt qui intelligat,
12. aut ſapiat, non eſt qui exquirat Deum. ¶ Om-
nes deflexerunt, ſimul inutiles facti ſunt; non
eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.
13. ¶ Sepulcrum apertum guttur eorum, linguis ad
fraudem, ac dolum vſi ſunt, venenum aſpidum
14. ſub eorum labris. ¶ Quorum os diris, & ama-
15. rulentia plenum eſt. ¶ Veloces pedes eorum ad
16. effundendum ſanguinem. ¶ Contritio & cala-
17. mitas in viis eorum. ¶ Et viam pacis non cogno-
18. uerunt. ¶ Non eſt timor Dei coram oculis eorum.
19. ¶ Iam verò ſcimus quæcumque in lege, & Pro-
phetis perſcribuntur ad eos, qui legi ſubiiciuntur
pertinere vniuerſa, vt omnium ora occludantur,
Iudæorum, inquam iactantia, & inaniloquentia
reprimatur, adeóque appareat, non modò Genti-
les, ſed ipſos etiam Iudæos, mundúmque vniuer-
ſum peccato obſtrictum Deo immortali, eiúſque
ſententiæ, & condemnationi obnoxium degere.
20. ¶ Propterea quòd ex operibus legis nullus omni-
no mortalium iuſtificabitur coram illo; ſiue quia
nemo eſt, qui legi obtemperet, vt ex ſuperioribus
Dauidis verbis colligi poteſt; ſiue quia ipſa legis
obſeruatio iuſtitiam parere non poteſt, quando-
quidem ex lege præter peccati cognitionem, vt
multum laboremus, haurire poterimus nihil, vt
Iudæis grauius propterea ſupplicium (quippe qui
ſcientes, ac prudentes contra legem peccant) me-
tuendum ſit potius, quàm vlla gloriandi occaſio
21. obiiciatur. ¶ Nunc verò ſine lege iuſtitia, qua
Deus homines iuſtos reddit ipſo legis, ac prophe-
tarum teſtimonio comprobata, in lucem prodiit.
22. ¶ Eáque per fidem Ieſu Chriſti ad cunctos mor-
tales

Si enim veritas Dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipſius; quid adhuc & ego tamquam peccator iudicor?

Et non (ſicut blaſphemamur, & ſicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala, vt veniant bona, quorum damnatio iuſta eſt?

Quid ergo? præcellimus eos? nequaquàm. cauſati enim ſumus Iudæos, & Græcos omnes ſub peccato eſſe.

Sicut ſcriptum eſt; quia non eſt iuſtus quiſquam.

Non eſt intelligens, non eſt qui requirat Deū.
Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.
Sepulcrū patens eſt guttur eorū, linguis ſuis doloſè agebāt. venenū aſpidum ſub labiis eorū.
Quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt.
Veloces pedes eorum ad effundendū ſanguinē.
Contritio, & infœlicitas in viis eorum.
Et viam pacis non cognouerunt.
Non eſt timor Dei ante oculos eorum.
Scimus autem, quoniam quæcumque lex loquitur, iis, qui in lege ſunt, loquitur: vt omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo.

Quia ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo. per legem enim cognitio peccati.

Nunc autem ſine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt, teſtificata à lege, & Prophetis.

Iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes

Digitized by Google

omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum. non enim eſt diſtinctio.

Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei.

Iuſtificatis gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.

Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ propter remiſſionem præcedentium delictorum.

In ſuſtentatione Dei ad oſtenſionem iuſtitiæ eius in hoc tempore, vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum, qui eſt ex fide Ieſu Chriſti.

Vbi eſt ergo gloriatio tua? excluſa eſt. per quam legem? factorum? non, ſed per legem fidei.

Arbitramur enim iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.

An Iudæorum Deus tantùm? nónne & Gentium?

Quoniam quidem vnus eſt Deus, qui iuſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem.

Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit, ſed legem ſtatuimus.

tales pertinet, omnéſque ordines abſque diſtin-
ctione complectitur, qui ritè, rectéque credunt.
¶ Etenim vniuerſi mortales peccauerunt, & ob id 23.
quia peccato ſunt contaminati, quamuis pluri-
mùm nitantur, & ad cæleſtis patriæ gloriam, tam-
quam ad ſuorum ſtudiorum, laborúmque metam
contendant, in medio tamen curſu viribus deſti-
tuti penitùs deficiunt, & ab ea, quam maximè cu-
piunt, Dei gloria cadunt. ¶ Gratis autem iuſtifi- 24.
cantur percepta diuina gratia eius redemptionis
beneficio, quæ à Chriſto Domino peracta eſt.
¶ Quem Deus palàm omnibus propoſuit, vt 25.
proprio ſanguine fuſo, placamentum eſſet illud,
quod olim lege veteri ſignificabatur; nunc verò
omnibus credentibus prodeſt, dum diuina iuſti-
tia præcedentium ſcelerum condonatione, quæ
iuſta quadam effuſi cruoris compenſatione perfe-
cta ſit, vel flagitiorum omnium quaſi cuiuſdam
corporis eneruatione, clarior apparet. ¶ Eadém- 26.
que in præſentia etiam, atque etiam patefit, tum
ex Dei tolerantia, qua præterita delicta quodam-
modo ſuſtinuit, ac tandem extinxit, tum ex faci-
litate, qua flagitioſos, ac perditos homines partim
inuitat, partim in gratiam, & amicitiam recipit, vt
ipſe tum iuſtus, & verax, tum verò iuſtificate cen-
ſeatur eum, qui fide Ieſu Chriſti percepta, abie-
ctáque omni ſpe legis, ac meritorum inani confi-
dentia ſaniora aliquando conſilia ſuſcipit. ¶ Quæ 27.
ſi vera ſunt, vt profectò negari non poſſunt, ipſí-
que adeo Iudæi non minùs, quàm Gentiles iræ
Dei obnoxij degunt propter ipſorum peccata; nec
minùs, quàm illi, Chriſto mediatore indigent: Vbi
quæſo eſt gloriatio tua ô Iudæe? Quid eſt cur tibi
blandiaris, tuáque merita, aut opera iactites? omnis
profectò gloriandi occaſio excluſa eſt. Qua verò
ratione? qua lege? An lege Moſis qua opera præ-
dicantur, & extolluntur; diuinæ gratiæ auxilium
nullum datur? Haudquaquàm; ſed ea potiùs, quæ
fidem in Chriſtum proponit, & ad ea peragenda,
quæ iuſſa ſunt, auxilium gratiæ præſtat. ¶ Quæ 28.
cùm ita ſint, rectè colligimus fide iuſtificari om-
nes homines cuiuſuis generis, ac nationis ſint;
idque abſque operibus legis. ¶ An putamus, Iu- 29.
dæorum duntaxat Deum eſſe, aut illorum tãtum-
modò curam, ac prouidentiam habere? Nunquid
non etiam maximam ſuæ prouidentiæ, ac ſolici-
tudinis partem deflectit ad Gentes? Omnino ita
ſe res habet. ¶ Etenim vnus, atque idem Deus eſt, 30.
qui circumciſos quidem ex fide; eos autem, qui
circumciſione carent, per eandem fidem iuſtificat.
¶ Num igitur legem tamquam inutilem, & ina- 31.
nem Chriſti fide abolemus? Minimè id quidem,
ſed legem potius afflictam, ac iacentem erigimus,
ſtatuimus, ſtabilimus.

IN

IN CAPVT TERTIVM EXPLANATIO.

I. QVID ERGO AMPLIVS IVDÆO EST, &c. Superiori capite viſus erat Apoſtolus Iudæorum nationem deprimere, eiſque quod attinet ad iuſtificationem Gentilium conditionem æquare; huius nunc capitis initio nonnulla, quæ ſibi obijci poterant, acutè, atque ingenioſè refellit: idque (vt monet Theodoretus) ne quæ dixerat, ab odio, aut maleuolentiâ in Iudæos profecta eſſe, quiſquam ſuſpicaretur. Principio autem quærit, num Gentes ita penitus ſint Iudæis pares, vt nulla prorſus re Iudæorum populus ſuperior cenſendus ſit. *Quid ergo* (inquit) *amplius Iudæo eſt?* Græcè τὸ περισσὸν, rectè noſter interpres reddidit amplius: ſic etiam Ambroſius [a], & Auguſtinus [b]. Conſentiunt Origenes, & Theophylactus; nec profectò erat, cur in præſentia de Græca voce quiſquam Grammaticorum more digladiaretur. Sententia perſpicua eſt. perinde enim eſt, ac ſi Paulus dicat: Si (quod hactenus probatum eſt) quod ad iuſtificationem attinet, par eſt Iudæi, Gentiliſque conditio, quid eſt, quod Iudæus Gentibus præcellat? quid præter cæteros eximium habet, aut præſtans? Quæ denique vtilitas eſt circumciſionis?

a in hunc locum.
b lib. contra duas epiſt. Pelag. & Propheta.

II. MVLTVM PER OMNEM MODVM, &c. Videtur interpres Græcè legiſſe πολὺ, quod eſt multum, alij legunt πολλή; vt referatur ad vtilitatem, quæ Græcè dicitur ὠφέλιμον, quaſi dicat, valdè vtilem, ac frugiferam fuiſſe circumciſionem: ita Oecumenius, & Syriacus. Cæterùm multa, atque eximia nomerari poſſe Iudaicæ gentis priuilegia quis ignorat? Erat olim populus Dei peculiaris. *Te* (inquit Moſes [c]) *elegit Dominus Deus tuus, vt ſis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui ſunt ſuper terram.* Et rurſus [d]: *Quando diuidebat Altiſſimus Gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Iſrael. Pars autem Domini populus eius Iacob, funiculus hereditatis eius.* Illa verò in primis perſpicua ſunt, quæ ſingularem Dei erga illam gentem prouidentiam, ac patrocinium declarant. *Non* [e] *eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Dominus Deus noſter adeſt cunctis deprecationibus noſtris. Quæ eſt enim alia gens ſic inclyta, vt habeat cæremonias, iuſtáque iudicia, & vniuerſam legem, quam ego proponam hodie ante oculos veſtros?* Eodem ſpectant quæ cecinit Dauid [f]: *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis.* His adde, quod apud Iudæos duntaxat piè, ac religioſè colebatur, quibus ipſe veram fidem, religionem, ſacra, cæremonias, vaticinia reliquáque omnia præcepta cœlitùs propoſuerat: ipſe denique tamquàm vnius Princeps, & Rex in ea gente dominabatur [g]. Non rarò ſe multis ſpectandum præbebat; publicè verò Chriſtum humanæ libertatis vindicem, atque aſſertorem promiſerat. Mitto cætera, quæ humana fide maiora à Rabinis [h] recenſentur. Conſulendi interim Ambroſius, & Theodoretus, ſed præcipuè obſeruanda ſunt quæ in hanc ſententiam ſcribit Clemens [i] Alexandrinus. *Quæ alijs Gentibus* (inquit) *multa præſtiterat qui Deus eſt omnium, non tamen dedit, vel fecit, ſicut cum Iudæis, quibus copioſiorem gratiam per circumciſionem dilargitus eſt, quia Chriſti fidem proteſtabatur, & hæc omnia propter Chriſtum illis promiſſum, & ex eis oriturum, collata ſunt.* Quinetiam poſt Chriſtum natum plorima illi diuinitus conceſſa ſunt. nam Chriſtum docentem audierunt, quem propterea Paulus hac ipſa Epiſtola [a] Miniſtrum vocat circumciſionis, qui apud Matthæum [b] de ſe ipſo dicit: *Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael.* Ipſis primùm deſtinata eſt Euangelica prædicatio, de qua in Actis [c] Apoſtolicis: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes.* Denique primùm apud Iudæos inſtituta eſt Eccleſia Apoſtolico more viuens; vt in Actis [d] Apoſtolicis deſcribitur. Mitto generis antiquitatem, nobilitatem originis, aliaſque præclaras eius gentis laudes, præcipuè verò peculiare Dei patrocinium, ac prouidentiam, vt priuata quadam ratione Deus in illo populo diceretur imperare, eúmque Prophetis viriſque ſanctis familiariter colloqui; vt nihil dicam de ritibus, ſacrificiis, ſacramentis, ac cæremoniis, quæ omnia ab ipſo Deo inſtituta, & tradita fuerant. Illud verò ſingulare, planéque diuinum beneficium fuit, quòd illi potiſſimùm genti promiſſus eſt Chriſtus, & quidem ex ſemine Dauid eorum Regis.

c cap. 14. Deut. 6.
d Deut. 32. 9.
e 4. Deut. 7.
f Pſal. 147.
g 1. Reg. 8. 7.
h in Gal. Talmud.
i lib. 1. Strom.

a cap. 15. 8.
b cap. 15. 24.
c cap. 13. 46.
d cap. 4. 32.

III. PRIMVM QVIDEM. Origeni, ac Sedulio hæc vox, *Primùm*; Græcè πρῶτον, ordinem temporis ſignificat: Iudæis quidem primùm credita ſunt eloquia Dei, deinde verò Gentibus: ſed (ni fallor) aliquanto duriùs. dicendum enim fuerat, ſi id Paulus voluiſſet: quia illis primùm credita ſunt eloquia Dei. At dicit; *primùm quia credita ſunt.* Qui referunt ad ordinem orationis, quid poſterius dicatur explicare debuerant; quod quia non apparet, interpretari placuit; præcipuè, potiſſimum, præſtantiſſimum, & (vt dixi in paraphraſi) palmare. Syriacus dixit; *In primis.*

IV. CREDITA SVNT. Græcè ἐπιστεύθησαν, cuius vocis vim expendunt Ambroſius, Theodoretus, Theophylactus, ipſéque adeo Chryſoſtomus: perinde quaſi confidentiam quamdam ſignificet, bonámque de eo ſpem, cui aliquid creditur. Quocirca Ambroſius: *Cùm multa ſint* (ait) *quæ ad honorificentiam, & meritum pertineant ſeminis Abrahæ, hoc ſolum apertè memorat, quia maxima laudis eorum eſt, vt legem, per quam addidicerunt rectum à peruerſo diſtinguere digni iudicarentur accipere.* Ea verò voce aliàs vſus eſt Paulus. *Diſpenſatio* (inquit [e]) *mihi credita eſt.* Itémque [f]: *Cùm vidiſſent, quòd creditum eſt mihi Euangelium præputij.* Et: *Euangelium* [g] *gloriæ beati Dei, quod creditum eſt mihi.* Rurſus [h]: *Vt crederetur nobis Euangelium.* Denique [i]: *Prædicatio credita eſt mihi ſecundùm præceptum ſaluatoris noſtri Dei.* Videtur itaque ea vox quamdam indicare confidentiam, ac ſpem de fide, atque integritate populi Iudaici, cui Deus dicitur crediſſe eloquia ſua. Græci codices, qui ferè nunc habentur in manibus, non habent pronomen, *illis*; legiſſe tamen videntur Origenes, Theophylactus, Ambroſius. *Eloquia Dei*; Græcè λόγια. Heſychius, quem nonnulli magnopere probant, interpretatur oracula, ſeu vaticinia. Hi tamen ipſi neſcio quàm conſtanter in Actis [k] Apoſtolicis, vbi legimus λόγια ζῶντα, reddunt; *ſermonem viuum.* Vtrobique

e 1. ad Corint. 9. 17.
f ad Gal. 2. 7.
g 1. ad Timot. 1. 11.
h 1. ad Theſſ. 2. 4.
i ad Tit. 1. 3.
k cap. 7. 38.

bique parum aptè. Quemadmodum enim λόγον nunc ſermonem, nunc rationem interpretamur; ſic λόγια rationes, aut eloquia ſignificant: oracula vix vnquam. Septuaginta ferè hanc vocem referunt ad
a Pſ. 118. 103.
totam legem [a]: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo.* Interdum etiam ad ſermones
b Pſ. 18. 15.
humanos. ſic enim Dauid [b]: *Et erunt, vt complaceant eloquia oris mei.* At diuina eloquia erant oracula, non nego; ſed de vocis interpretatione nunc agitur. Quod verò in Actis Apoſtolicis reddunt ſermonem viuum, emphaſim, atque energiam numeri multitudinis penitùs eneruant. Hoc verò loco Paulus Iudæis ait fuiſſe *credita eloquia Dei* propter legem eius gentis propriam, quæ Deum primarium habebat auctorem, quod nulli genti conceſſum eſt; & præterea continebat præcipuum Dei cultum, & ea quæ ad
B
ſalutem aſſequendam pertinent. Ambroſius quidem, & Theodoretus ἐν τοῖς λογίοις ſignificari putant legem Moſis. Photius magnifica Dei dona, & beneficia. Alij pollicitationes. Alij vaticinia. Sanè hæc omnia legis nomine plerumque continentur. Iam verò quod in veteri teſtamento Septuaginta vo-
c c. 9. de eccleſ. hierarch.
d Ep. 128 ad Fabiolam.
cant λόγιον, de quo Dionyſius [c], & Hieronymus [d]; noſter interpres ferè vertit rationale, quod Hebræi חשן *Hoſen* vocant; inter ſummi ſacerdotis ornamenta numerabatur; de quo alibi: hîc ſcripturam ſacram, legem, & oracula Prophetarum intelligit Apoſtolus.

3. 1.
QVID ENIM SI QVIDAM ILLORVM. &c. Altera dubitatio eſt ex ſuperiori reſponſione exorta. Fuerunt enim diuina eloquia Iudæorum
C
genti credita: ſed quàm multi in perfidia perſtiterunt? Quàm multi vero Deo neglecto prophanum, atque impium idolorum cultum Gentilium more complexi ſunt? Quid ergo illis diuina oracula profuerunt? An inuitos debuit Deus ſaluos facere? Quæ eſt Oecumenij ſententia; vel (vt apud eumdem docet Photius) num propterea diuina promiſſa, tamquam falſa, atque inania contemnenda ſunt? aut illi ſua perfidia diuini conſilij rationem euertere potuerunt? Sanè Iudæorum infidelitatem non ſemel
e Pſ. 77. 22.
f Pſ. 105. 12.
g cap. 2. 6.
h cap. 3. 7.
Scriptura accuſat. *Non crediderunt* (inquit [e] Dauid) *Deo, nec ſperauerunt in ſalutari eius.* Rurſus [f]: *Non crediderunt verbis eius.* Ezechiel [g] verò: *Increduli* (inquit) *& ſubuerſores ſunt tecum.* Itémque [h]: *Domus Iſrael nolunt audire te, quia nolunt audire me.* Et Chri-
D
i cap. 5. 46.
k Ioan. 8. 46.
ſtus apud Ioannem [i]: *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi. de me enim ille ſcripſit.* Et alio [k] loco: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Et vos non creditis, quia non eſtis ex ouibus meis.* Iure ergo dubitauerit quis, vtrùm ea fidei carentia irritam, atque inanem reddiderit Dei pollicentis veritatem. Fidem autem Dei dixit, quam ferè definiunt, dictorum, promiſſorúmque conſtantiam, quam non
l cap. 5. 9.
ita multò pòſt veritatem appellat; de qua Oſeas [l]: *In die correptionis in tribubus Iſraël oſtendi fidem.* Et
m Pſ. 32. 4.
n Pſ. 144. 13.
Dauid [m]: *Omnia opera eius in fide.* Et alibi [n]: *Fidelis Deus.* Quod verò noſter interpres dixit; *Euacuabit,* Græcè eſt καταργήσει. At plurimi legunt in præterito, quaſi Græcè ſcriptum ſit κατήργησε. ſic Cypria-
o Ep. 55.
p li. contra aduerſ. legis & Prophet. & li. contra 2. Gaudent. Ep. c. 7.
q li. 1. de vocat. Gent. c. 3.
nus [o], Auguſtinus [p], & Proſper [q]. Nihil enim Dei
E
fidem, & pollicentis veritatem læſit Iudæorum perfidia. Eſt autem in Græcis vocibus iucunda quædam paronomaſia inter πίστιν & ἀπιστίαν. Vereor autem, ne hoc loco otioſum, ac ſuperuacaneum ſit (quod nimis tamen curioſè nonnulli faciunt) diuinas pollicitationes in abſolutas, & conditionatas diſtinguere, cùm ſint hæc Theologiæ [a] tyronibus notiſſima;
a D. Thom. 2. 2. q. 171. a. 1.
neque magnoperè ad Pauli ſententiam explicandam pertineant.

4. 1.
ABSIT. EST AVTEM. &c. Reſponſio
A
cum quadam abominatione. Græcè, μὴ γένοιτο, ne ſit, vel ne contingat. Tum ſubdit, γινέσθω δὲ, id eſt, fiat autem, hoc eſt φανερούσθω; vel ἀποδεικνύσθω, declaretur, oſtendatur, noſtra, vt diximus in paraphraſi, confeſſione ac prædicatione. fortè etiam in voce luſit Apoſtolus, μὴ γένοιτο. γινέσθω δὲ; ac ſi dicat, nequaquam concedendum eſt aliorum infidelitate fidem Dei inanem reddi: ſed illud potius affirmandum, Deum eſſe veracem, nec poſſe vllo pacto mentiri: quin potiùs (ait Oecumenius) diuinis pollicitationibus diuinam veritatem, & hominum improbitatem illuſtrari, qui, Deo neglecto, idola nefariè coluerunt: vel, vt apud eumdem dicit Photius, illud pro certo poſitum ſit Deum eſſe veracem; contra verò cunctos mortales mendacio eſſe obno-
B
xios; non poſſe tamen hominum mendacio diuinam veritatem labefactari. Noſter interpres Latinè dixit; *Eſt autem Deus verax.* Quomodo le- II.
gunt Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Beda; præcipuè verò Cyprianus [a]. Origenes [b] autem negat
a epiſt. 55. 61. 69. & lib. de vnit. Eccleſ.
b Tom. 10. tum Homil. in Matth.
imperantis, aut optantis orationem eſſe, ſed affirmantis. Quis enim niſi amens imperet, vel optet, vt ſit Deus verax, vel niſi impius, vt ſit omnis homo mendax? Quòd ſi quis velit, quia Græcè dixit Apoſtolus, γινέσθω. Latinè reddi; *Eſto Deus verax*; perinde erit, ac ſi dicatur, hoc pro certo ponatur. nam (vt ait
c lib. 4. cont. Eunom.
Baſilius [c]) non rarò in ſacris literis verbum fieri Deo tribuitur, & hunc ipſum locum Pauli adducit: *Fiat*
d Pſ. 117. 14.
Deus verax. & illud Pſalmi [d]: *Factus eſt mihi in ſalutē.* Eodem modo legit Theophylactus, qui idem eſſe
C
ait, ac ſi diceret, manifeſtetur, ſiue, oſtendatur verax. Et ſanè Deus ita prorsùs verax eſt, vt mentiri nequaquàm poſſit: rectè namque ſcriptum eſt à Mo-
e Num. 23. 19.
ſe [e]: *Non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur.* Et à Dauide [f]: *Deus multæ*
f Pſal. 85. 15.
g 2. ad Tim. 2. 13.
h ad Titum 1. 2.
i ad Heb. 6. 18.
miſericordiæ, & verax. A Paulo [g]: *Fidelis eſt Deus, ſe ipſum negare non poteſt.* Alibi [h]: *Quem promiſit qui non mentitur Deus.* Itémque [i]: *Per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum.* Denique à Ioanne dicitur: *Deus fidelis, & verax, & cum iuſtitia iudicans.*
k Stro. lib. 2.
Quamobrem Clemens [k] Alexandrinus cùm fiduciam definiſſet firmam quandam apprehenſionem. *In ſolo* (inquit) *Deo fiduciam habuimus, quem ſcimus non tranſgreſſurum ea, quæ ſunt pulchrè nobis promiſſa.*
l in Pſ. 118. in verba Declaratio ſermonum tuorum illuminat.
Et in eamdem ſententiam ſcribunt Hilarius [l], Au-
D
guſtinus [m], & Proſper [n], & omnium optimè Baſilius [o]. *Omnis autem homo mendax.* Certè de III.
m lib. 1. de ſymb. c. 1. lib. 83. qq. q. 5. & in Pſ. 145. & lib. de mendacio, & lib. contra mendacium.
n lib. cont. collat.
o in Moral. Reg. 1. c. 1.
homine dixit Concilium Arauſicanum ex Auguſtino. *Nemo habet ex ſe, niſi mendacium ac peccatum.* Quod non proinde accipiendum eſt (vt malè quidam opinantur) quaſi nihil prorſus boni in humanis actionibus inſit, vel naturæ viribus perfici queat: ſed quod natura primæuæ labis vitio corrupta, ac deprauata, ita ſit ad malum propenſa, vt errare, labi, ac decipi, vno verbo peccare poſſe eius veluti propria affectio videatur. Qua ratione ſæpe docuit Auguſtinus, neminem mortalium abſque piaculo vi-
p Orat. 4.
uere. Et Gregorius [p] Nazianzenus alicubi affirmauit, humanum eſſe peccare, ſed perſeuerare diabolicum. Neque aliter interpretor quod legimus
E
q Gen. 8. 21.
apud Moſem [q]: *Senſus, & cogitatio humani cordis prona ſunt ad malum ab adoleſcentia ſua*; vel, vt habent Hebræi codices: *Figmentum cordis humani tantùm eſt malum.* Intelliguntur enim de homine, qui humano ſenſu, atque appetitione ducitur: vnde non-
a 1. ad Cor. 3. 4.
nulli ſimpliciter homines, & carnales à Paulo [a] nũcupantur. *Nónne carnales eſtis, nónne homines eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis?* Iſto ſanè modo omnis homo mendax eſt, quia mentiri, ac peccare poteſt.
r in Pſ. 115.
Adeóque vt ait Auguſtinus [r]: *Quantum ad ipſum hominem pertinet, omnis homo mendax, ſed gratia Dei*

verax

verax efficitur. Et Hieronymus: *Quando* (inquit) *homines ſumus, mētimur, quando autem fuerimus Dij, deſinemus mētiri.* Et mox: *Si quis igitur ſanctus eſt, is quodammodò Deus efficitur; & cùm factus fuerit Deus, deſinet eſſe homo, & non mentietur.* Porro Aquila (vt monet Theodoretus) hoc modo tranſtulit: *Ego dixi dum obſtupeſcerem, omnis homo mendacium.* Theodotio verò: *Omnis homo deficit.* Symmachus: *Omnis homo mentitur*, quaſi idem ſignificet Dauid, quod alibi dixerat [a]: *Vniuerſa vanitas omnis homo viuens*: quò ſpectans Salomon dixit [b]: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Sed hæc à Dauide dicta fuiſſe per ſtuporē, & admirationē, docēt Theodoretus, & Euthymius, qui putant ſignificari fluxam, & caducam eſſe humanam fœlicitatem. Auguſtinus indicat, magnam voluiſſe ſignificare confidentiam, qua ſibi certò polliceretur futura quæ ſibi fuerant à Deo promiſſa. vt enim (ait) homines mentiri poſſint, non tamen Deus. Ita videas, hominis mendacium veritati Dei opponi. Quamquàm enim minutiores quidam Theologi veracitatem à fidelitate diſtinguant, quòd illa vero aſſerendo, hæc liberanda promiſſorum fide ſpectetur; hoc loco tamen Apoſtolus veracitatem diuinam etiam ad promiſſa præſtanda refert, quaſi à fidelitate nihil differat, vel ipſam fidelitatem certè complectatur. Nam qui verum ſemper dicit noo affirmando ſolùm, ſed etiam pollicendo veritatem colet, & vt facta verbis conſentiant, quæ aliquando promiſerit, re ipſa præſtabit. Qui igitur hoc ſecum reputauerit, veracem eſſe Deum, neque humano more mentiri, aut fallere poſſe, is planè de diuinis promiſſis ne leuem quidem dubitationem admiſerit.

a Pſal. 38. b Eccleſ. 1.

IV. Qvod ſi audiamus Auguſtinum [c]; mendacium, cui opponitur veritas, ſignificat plerumque peccatum. ait enim dictū [d] eſſe; *omnis homo mendax*; tamquàm ſi diceretur; *omnis homo peccans*; eodémque modo interpretatur verba Pauli, quæ ſequuntur aliquantò pòſt: *ſi autem veritas Dei in mèo mendacio abundauit*; neque aliter exiſtimauit alio loco [e], quāquàm alicubi [f] veritatem propriè mendacio opponit. Itaque verax dicitur Deus; omnis homo mendax, ſiue quia ille peccare noo poteſt, quod poteſt homo; ſiue quia noo mentitur, nec fallit in promiſſis, quod ſæpè faciunt homines; ſiue denique quia omni ex parte iuſtus eſt, & fons, atque origo omnis ſanctitatis; vnde hauriunt homines particulam quiſque ſuam iuſtitiæ. Quod verò attinet ad Pauli ſententiam, aſſerentis, omnem hominem eſſe mendacem, rectè mooet Baſilius [g], ridiculas eorum eſſe captiunculas, qui Dauidi credendum eſſe negant, dum ait, omnem hominem eſſe mendacem. ipſum enim quippe hominem mendacem eſſe neceſſe eſt: quis verò mēdaci, vel deieranti fidem habeat? Quod ſi dum id affirmauit non eſt omnino mentitus, ne omnis quidem homo mendax erit; quaſi verò neceſſe ſit, hominem, quotieſcumque loquitur, ſemper mentiri; ac non potius meodaces dicantur homines (vt idem Baſilius monet,) qui humanis affectibus detinentur; qui verò ſeipſo quodammodò ſuperior factus vi mentis, atque intelligentiæ ad beatarum mentium ſtatum ſeſe ipſe erexerit, hic cùm de humanis loquitur, eximit ipſe ſeſe à reliquorum multitudine. Itaque de nonnullis ſcriptum eſt in Apocalypſi [h]: *Et in ore eorum non eſt inuentum mendacium. ſine macula enim ſunt ante thronum Dei.* Vt vel hinc appareat futilem, atque inanem eſſe hæreticorum conatum, qui hinc probare contendunt, omnem hominis etiam iuſti actionem eſſe peccatum; cùm hæc Pauli, & Dauidis verba primùm accipienda ſint de ipſa hominis natura vitiata, necdum gratiæ beneficio ſanata, vt docet Auguſtinus; deinde quocumque tandem modo verba intelligantur, non mentiendi actionem, ſed habitum, aut aptitudinem, ſeu propenſionem ſignificant; cum qua non ſemper ipſa coniungitur actio.

c lib. de mēd. ad Conſent. cap. 10. d Pſal. 115. e Serm. 13. de temp. f Tract. in Ioan. & in ep. ad Gal. g in Pſal. 115. h cap. 14. 5.

V. *Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.* Græcè eſt ἐν τῷ κρίνεσθαί σε. vtrobique vox ambigua eſt, & actiuam, ac paſſiuam ſignificationem admittit. actiuam probat Hieronymus [a]; cæteri ferè omnes paſſiuam: vtramque nos in paraphraſi poſuimus; ſuum tamen cuique liberum iudicium relinquimus. Actiua certè acutior, planior, & quæ facilè cunctis probetur; altera abſtruſior, & aliquanto difficilior; atque (vt dicam quod ſentio) vix etiam vera, tanta eſt hominum in iudicando tum temeritas, tum hebetudo, ac tarditas; vt interim omittatur animi perturbatio; quæ mentem à recto non inflectit modò, ſed penitùs detorquet, & inuertit. Huc ſpectat illud [b] Iſaiæ: *Iudicate inter me, & vineam meam.* Quàm multi autem diuinam iuſtitiam, bonitatem, ſapiētiam, ac prouidentiam, quo iure, quáve iniuria, non dicam, accuſant, ſed apertè damnant? Certè his iudicibus nequaquam Deus iuſtus appareat; ſed cùm ipſe iudicium exercebit ſuum, & quidem acre, & perſpicax, tum ſuæ cauſæ æquitatem ita omnibus probaturus eſt, vt nemo quamuis inimiciſſimo animo poſſit æquiſſimam illius ſententiam reprehendere.

a lib. 2. cont. Iouin. b cap. 5. 3.

VI. Verùm quid ſignificet Dauid [c], & quorſum ea ſententia efferatur, non ſatis liquet. *Tibi ſoli* (inquit) *peccaui, & malum coram te feci, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.* Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius tum Deum viciſſe putant, cùm Chriſtus vnigena Dei filius hominum iudicio damnatus eſt, ac nullius ſceleris compertus acerbiſſimæ mortis ſententiam ſubiit. Vicit enim tunc ſiue Deus Pater cùm iudicaretur in filio; ſiue ipſe filius cùm hominum iudicio ſæuiſſimam mortem obiit. Neque ea explanatio ſuperioribus non congruit. *Tibi* (inquit) *ſoli peccaui*; hoc eſt; te potiſſimùm ſumme parens, tuúmque diuinum honorem hominum flagitia lædunt: quibus tamen expiandis, ac penitus delendis Chriſti filij tui ſanguinem deſtinaſti; ex quo illud conſecutum eſt, vt dum ille iniquiſſimam hominum ſententiam ſuſtineret, tua diuina in omne genus hominum miſericordia, fides, ac promiſſorum firmitas clarior appareret. D. Thomas hanc victoriam refert ad diuinas Dauidi factas pollicitationes, ſiue illæ ad regni perennitatem, ſiue (quod placet Auguſtino) ad Chriſtum venturum pertinerent. Cùm enim homines propter Dauidis peccatum, ac diuinam maieſtatem potiſſimùm violatam, ita apud ſe ſtatuerent, & quaſi iudices ſententiam ferrent; nihil eorum, quæ Dauidi promiſſa erant à Deo præſtandum eſſe definientes; expiato tamen eius crimine, ſuáque illi gratia, ac beneuolentia reſtituta hominum iudicia Dei fallendo vicit. Paulò aliter Theodoretus, atque Euthymius verè aiunt affirmaſſe, Dauidem ſe vni Deo reum, ac noxium ſiſti. inde enim omnem eius facinoris turpitudinem, & grauitatem tamquam à capite duci, ſibique adeò iuſtè à Nathan Propheta Dei nomine, atque auctoritate ſupplicia fuiſſe intentata: quapropter ſi Deus, ipſéque Dauid coram iudice diſceptent, omnino Deum victorem, ac ſuperiorem fore, qui tam iniquè ab eo laceſſitus multò, quàm fas fuerat, aut res poſtulauerat, leuiores exigat pœnas. Gregorius [d] victorem Deum fore aſſeuerat contra quàm homines opinabantur, cùm pœnitentiá agenti noxam condonabit. Itaque apparet particulam, *vt*, non cauſam mouentem, ſed rerum euentum, & cōſecutionem ſignificare. Mitto quæ hoc loco recentiores [e] quidam comminiſcuntur, qui dum locutio-

c Pſal. 50. 5. d in Pſal. 4. pœnit. e Caietan. Pſal. 50.

L 2 nis

nis Hebraicæ vim, ac proprietatem nimis curioſè ſectantur, argutam quidem, ſed ei, qui præterita ſcelera deteſtetur, parum congruentem ſententiam exprimunt; quæ tamen ſi diligentiùs expendatur, à ſuperioribus non admodum diſcrepat. Sed hæ omnes interpretationes paſſiuam ſignificationem ſequuntur;
VII. quòd ſi probemus actiuam; *Tibi* (inquit) *ſoli peccaui*, hoc eſt, id potiſſimùm in meo ſcelere reprehendo, ac damno; quòd aduerſum te, tuámque diuinam bonitatem peccaui. inde enim factum eſt, vt ſceleris mei grauitas tum demum illuſtriùs appareat, cùm tuum in me iuſtum iudicium exercebis. Tunc enim rei veritate, atque euidentia compulſi cogentur omnes fateri iuſtiſſimam tuam aduersùs improbos ſententiam; téque adeo pœnitentiam agentibus, quam pollicitus eras gratiam reſtituere, & beatæ
B vitæ præmia rependere. Atque hæc quidem Dauid: ſed quorſum illa hoc loco Paulus? nimirum quia dixerat, Deum eſſe veracem, ac fidelem, idque noſtra confeſſione ſemper prædicandum; id hoc potiſſimùm Dauidis teſtimonio confirmat, qui ſummam Dei æquitatem, promiſſorúmque conſtantiam in extremo præſertim iudicij die cognoſcendam monet, vel certè tantam eſſe diuinarum pollicitationum fidem docet, vt nullam iuſtam hominum reprehenſionem ſubire queat.

5. SI AVTEM INIQVITAS NOSTRA, &c.)
I. At quam (quæſo) iuſtitiam iniquitas noſtra commēdare poteſt? Illámne, quæ nos tamquam noxios iuſtè punit, atque noſtrorum ſcelerum pœnas repetit?
C An eam, qua etiam nobis impiis, ac flagitioſis fidem datam præſtat? quam aliquantò poſt veritatem appellat. Vtrumque ſanè verum eſt, & inſtituto Apoſtoli conſentaneum. Mox enim de iuſtitia, qua ſontes plectit. *Nunquid* (inquit) *iniquus eſt Deus, qui infert iram?* De promiſſorum verò fide non ita multò pòſt: *Si enim veritas Dei in meo mendacio abundauit.* Igitur vtraque ſententia exponenda fuit, quin etiam tertia, quæ mihi præ cæteris probatur, vt hoc quidem loco iuſtitiæ nomine intelligamus eam, qua Deus nos iuſtos facit, quam dixerat [a] Paulus reuelari ex fide in fidem, vt nihil differat hæc ſententia ab ea, quam hac ipſa Epiſtola poſt nonnulla ſcribit. *Vbi abundauit delictū, ſuperabundauit & gratia.* Itaque ex peccato diuina iuſtitia illuſtratur. Quamuis enim
D ſcelera multiplicent improbi, & peccando ſeſe quodāmodo iuſtitiæ opponant, ipſa tamen nō paucos iuſtificat, & Deo cōciliat, vt diuina eius iuſtitia, hoc eſt, veritas, & fides, quæ hominibus gratiam, & beneuolētiam impertit, ex ipſorū improbitate magnificētiùs extollatur; quippe quæ non beneficio modò indignos, ſed quædam quaſi damnata capita æternis cruciatibus mācipanda, tanto amore proſequitur. Quod verò legitur apud noſtrum interpretem;

[a] cap. 1. huius epiſt. 17.

II. COMMENDAT, Græcè habetur *ſυνίςησι*, quod ſignificat ſtabilire, confirmare, fulcire, aut etiam commendare. Si enim Heſychio credimus, *ſυνιςάναι* apud Græcos idem valet, quod apud Latinos laudare, confirmare, adiungere, ſiue commendare. Nec diſſentit Origenes, qui poſt nonnulla explicans
E locum illum Pauli: *Commendat autem charitatem ſuam Deus*, indicat, commendare eamdem prorsùs habere vim, quam confirmare, aut amabilem reddere. Videtur autem his verbis Apoſtolus proponere tertiam dubitationem, quæ ex Dauidis ſententia ortum habet. nam ſi diuina bonitas, ac veritas (vt Dauidis teſtimonio probatum eſt) ex hominum flagitiis illuſtrior, ac glorioſior apparet, planè efficitur, Deum in impios cōtra ius ſæuire, à quibus gloriam atque honorem percipit. Id ſi verum ſit, rectè ab obtrectatoribus meis ea ſententia probatur, quam

A mihi falsò imponunt, mala eſſe facienda, vt inde boni aliquid nanciſcamur. Sed cur ait, *iniquitas noſtra?* An cùm de Iudæis agat, ſe illorum numero adiungit? An ſimpliciter hominū improbitatem intelligit, cùm tamē potiſſimùm de Iudæorū perfidia diſſerat?

SECVNDVM HOMINEM DICO; ad leniendam ſententiæ impietatem. III.
Quid enim magis impium, quàm Deum iniuſtitiæ arguere? *Secundùm* ergo *hominem* loquitur Paulus, id eſt, hominum more, qui humanis cupiditatibus ſubſunt, ſuáque tenuitate omnia metiuntur: ſic ferè Eucherius [a]. Non defuerunt tamen (vt monet Origenes) qui *aduerſus hominem* legerent; & cum ſuperioribus hunc in modum coniungerent: *Nunquid iniquus eſt Deus, qui infert iram aduerſus hominem?* Fortè enim in Græcis
B codicibus legerant *κατ' ἀνθρώπου*, quod eſt contra hominem: non *κατ' ἄνθρωπον*, quod ſignificat, ſecundùm hominem. Oecumenius legit, *ſecundùm hominem*; & ad ſuperiora refert; quaſi dicat Apoſtolus, ſe humanis rationibus de iuſtitia, ac veritate Dei diſſeruiſſe: ſed meliùs cum proximè dictis coniungitur, vt modò explicuimus; quaſi ex aliena perſona id obiecerit. ideo enim ſtatim ſubdit ſententiæ abominationem. Monet autem Origenes, quædam exemplaria non habere verbum, dico; ſed hoc nimis minutum eſt, & pendet ex ea diſtinctione, quam modò ex eodem Origene indicaui.

[a] in Quæſt. noui Teſtam.

ABSIT, ALIOQVIN QVOMODO, &c.) Re- 6.
futat quod obiicere poterant Iudæi cum quadam I.
abominatione eodem, quo paulò antè vſus erat, ver-
C bo, *μὴ γένοιτο*. quaſi dicat, apage verò, vt hoc quiſquam vlla ratione concedat. Addit autem acutam, & ſubtilem rationem, quam in elenchis maximè probant dialectici, qua ex antecedenti poſito aliquid abſurdi colligitur, vt falsò poſitum eſſe quod antecedit, ex eo intelligatur. Si enim admittat quis contra ius, faſque à Deo plecti nocentes, quòd eorum impia facinora ad Dei iuſtitiam, ac fidem illuſtrandam plurimùm valeant; quis credat, eum fore omnium mortalium iudicem, qui tam iniquè ſententiam ferat? Nam ſi Abraham alienum à Dei iuſtitia exiſtimauit qui omnem terram iudicat, vt iuſtum vnà cum impio perimat, profectò indigniſſimum erit, vt hæc iudicandi auctoritas ei tribuatur, qui in illos tam dirè ſæuiat, ex quorum vita, & mo-
D ribus honorem ipſe, & gloriam conſequatur. Nam (vt ait Oecumenius) rei natura poſtulat, vt iuſtiſſimus quiſque iudicio præficiatur. Ita videtur pro certo ponere id de quo ne Romani quidem dubitare poſſent, Chriſtum Dominum in extremo mundi die fore omnium mortalium iudicem. quippe illud in ſymbolo Apoſtolico apertè poſitum eſt, quod primis fidei rudimentis continetur, tradíque conſueuerat catechumenis antequàm baptiſmo initiarentur, cùm prima illis fidei initia proponebantur, vt docent Dionyſius [b], Clemens Romanus [c], Hieronymus [d]. Itaque cùm Apoſtolus ad fideles ſcriberet, non dubitat illos fidei præceptis optimè eſſe inſtitutos, adeóque pro certo habere Chriſtū venturum omnium iudicem. quocirca meritò videri poſſe ab-
E ſurdum, quidquid huic fidei certiſſimo decreto repugnet. nihil autem magis aduerſatur, quàm ſi Chriſtus iniuſtus atque iniquus cenſeatur, cùm ratio apertè doceat iudicem æquum ac iuſtum eſſe oportere; quem propterea philoſophi iuſtum animatum appellare ſolēt. Quis ergo credat, ait Apoſtolus, Deū fore humanarum actionum diſceptatorem ac iudicem, ſi contra ius faſque in eos ſæuiat à quibus ipſe honorem & gloriam aucupetur, cùm oporteret eum illis potius præmium ac mercedem largiri? Dixerat autem capite ſuperiori iram atque indignationem, hoc

[b] cap. 2. de Eccl. Hier.
[c] epiſt. 1
[d] Matth. 21.

hoc eſt iuſtum ſupplicium improbos manere qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent.

I. 7. SI ENIM VERITAS DEI,&c.) Non omnes eodem modo hanc ſententiam explicát. Sunt enim, qui putent, ſuperiorem argumentarionem aliis verbis repeti; ſunt qui propoſitæ dubitationis nouam confutationem eſſe contendant,& quidem ſuperiore multò acriorem, ac vehementiorem,quaſi Apoſtolus indicare velit, ſi mendacium Iudæorum, id eſt infidelitas,Dei veritatem,ac fidem illuſtrat, profectò eum,qui tanta fidelitate præditus eſt, nequaquàm peccatorem flectere poſſe, aut debere,niſi ille re vera reus ſit ſceleris,ac pœna dignus. Ita enim ex irrogato ſupplicio iuſtitiam apparere, vt ex condonatione noxæ miſericordiam: vtramque verè ad fidelitatem, ac veritatem diuinam pertinere. Cur enim puniat Deus hominem,qui nullius ſceleris arguatur? Itaque verba illa; *Quid tamquam peccator iudicor*; ſic accipienda putant. Si Deus adeo verax eſt,& fidelis; cur (quæſo) infidelem, & mendacem cruciatu ſupplicióque afficiat,niſi quia verè ille infidelis eſt,& mendax? Vt nihilominùs Deus immortalis ſuam iuſtitiam puniendo,quàm veritatem ſtando promiſſis, ac ſua fide præſtanda declaret. Sed nimirum qui à trita recedút via, ſæpè in deuiis offendunt. Quid enim (obſecro) cauſæ erat, cur contra omnium penè ſententiam hoc tam abſurdum inuentum homines docti obtruderent? cùm præſertim communis omnium explanatio mirè antecedentibus,& conſequentibus congruat? Nam cùm Paulus ſuperiori reſponſione breuiter quidem,atque argutè, ſed aliquantò obſcuriùs propoſitam dubitationem ſuſtuliſſet, rurſus eamdem reſponſionem aliquanto vberiùs, adiecta etiam obtrectatorum calumnia,ſibi repetendam duxit. Itaque dixerat,etiam ſi ſcelera noſtra vim quamdam habeant diuinam iuſtitiam illuſtrandi, non tamen propterea Deum iniuſtè in peccatores ſæuire. alioqui enim abſurdiſſimum fore, vt qui tam iniquè iudicat,orbis terræ iudex conſtituatur.

II. Et mihi quidem veroſimillimum videtur, ſpectaſſe Paulum ad illa verba Iob[a]: *Abſit à Deo impietas, & ab omnipotente iniquitas. opus enim hominis reddet ei, & iuxta vias ſingulorum reſtituet eis. Verè enim Deus non condemnabit fruſtrà, nec omnipotens ſubuertet iudicium, quem cõſtituit alium ſuper terram? aut quem poſuit ſuper orbem,quem fabricatus eſt?* Cùm igitur ita diſputaſſet, vt rem magis perſpicuam redderet,ſi veritas (inquit) Dei ſeruantis promiſſa meo mendacio, ac peccato clarior,illuſtriórque apparet, profectò tamquàm ſceleris reus dãnari nequaquàm debeo: quin potius (quod nobis obtrectatores falsò imponunt) facienda erunt mala, vt inde bona eueniant. quòd ſi iuſtè peccator plectitur, vt paulò antè dictum eſt, profectò Dei veritas nullius peccato illuſtratur, neque vllo modo quidquam mali admittendum eſt,vt inde boni aliquid colligatur. Nam ſi ex peccato aliquid boni conſecutum eſt, id profectò diuinæ bonitati, non cuiuſque ſceleris malitiæ tribuendum videtur. quocirca meritò damnantur ij, qui mala facienda eſſe contendunt, vt inde bona eueniant. Rectè namque à Boëtio[b] ſcriptum eſt: *Sola eſt diuina vis, cui mala quoque bona ſunt, cùm eis competenter vtendo alicuius boni effectum elicit. Ordo enim quidam cuncta complectitur, vt quod ab aſſignata ordinis ratione diſcedit, hoc idem licet in alium tamen in ordinem relabatur, ne quid videlicet in regno prouidẽtiæ liceat temeritati.* Tritú verò eſt illud Auguſtini[c], cùm ſit Deus ſummè bonus, meliùs tamen illum iudicaſſe de malis bona facere, quàm mala nulla permittere. Quæ cùm ita ſint, à communi interpretatione recedendum nullo modo cenſeo. Veritatem autem intelligit eam, quam paulò antè fidem appellarat,hoc eſt promiſſorum conſtantiam; mendacium verò hic vel ſimpliciter peccatum, vel infidelitatem præcipuè,& idololatriam ſignificat. Porrò Paulus ſua perſona abutitur pro quauis alia, vt rei veritatem doceat, quod in illo ſæpè aliàs licet obſeruare.

a cap. 34. 10.

b lib. 4. de cõſol. Philoſop. proſ. 6.

c Enchi. c. 11.

ET NON SICVT BLASPHEMAMVR &c. Hoc Græci (vt ſcribit Theophylactus) Paulo obiiciebant, quaſi neceſſariò ex eo conſequeretur, quod ille frequenter prædicabat, Vbi abundauit delictum,ſuperabundaſſe & gratiam. Quamquàm autem recentiores quidam hanc putant eſſe tertiam propoſitæ dubitationis reſponſionem; cæteri tamen omnes hanc periodum cum ſuperiori ratione coniungunt. Id enim tamquam abſurdum infert,facienda eſſe mala, vt eueniant bona; qua de re multa Theologi, quæ nobis in præſentia ne attingenda quidem videntur: ſed conſulendi ſunt Auguſtinus[a], & Gregorius:[b] certè Cyprianus[c] legit; *Faciamus mala dum veniant bona, quorum damnatio iuſta eſt.* Indéque colligit,catechumeno nefas eſſe intuitu futuri baptiſmi liberè peccare; quaſi omnia crimina baptiſmi ſacramento expianda ſint. Eumdem ſenſum, quamuis non eamdem prorsùs lectionem, ſecutus eſt auctor libri de ſingularitate clericorum,qui falsò Cypriano inſcribitur,ab aliis tribuitur Origeni,eóſque reprehendit, qui martyrij expectatione, quo tamquam altero baptiſmo luſtrantur vniuerſa,omnibus ſeſe flagitiis inquinabant. Quomodo autem ad vitandum maius malum minus ſit eligendum, alibi explicabitur. Clemens[d] Alexandrinus diſputans aduersùs eos, qui diuinam prouidentiam accuſant, quod bonis mala,& bona malis ſæpè eueniant: *Nunquid* (ait) *ad hos verba ſua dirigens ſcribit Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos; & non ſicut blaſphemamur, & ſicut dicunt aliqui nos dicere; faciamus mala, vt veniant bona, quorum iuſta eſt damnatio?* Et mox affert verba Malachiæ:[e] *Qui irritatis Deum ſermonibus veſtris; & dicitis, in quõnã eum irritauimus, dum vos dicitis; quicumque facit malum, bonus eſt coram Deo, & ipſe in eis complacuit; & vbi eſt Deus iuſtitiæ?* Quæ paulò quidem aliter leguntur in vulgata editione, non alia tamen ſententia. *Quorum damnatio iuſta eſt.* Et quidem meritò, ſiue quia hoc falsò imponebant Apoſtolo, qui nunquam ad Dei gloriam illuſtrandam peccandum eſſe dixerat, ſiue quia ea ſententia prorsùs eſt à recta, veráque ratione aliena. Nam quod à multis factum Loth[f] in diſputationem vocatur, qui ad præpoſteram libidinem vitandam ſtuprum filiarum ſuaſit,magnam inter Theologos dubitationem habet, aliis[g] probantibus, aliis[h] verò improbantibus. Nec mihi conſilium eſt in præſentia meam interponere ſententiam,longiorem quippe,ac ſubtiliorem ea res diſputationem poſtulat, quam alibi commodiùs (Deo benè iuuante) explicabo. Vtrum autem aliquando liceat bonum ob finem mentiri (quod hîc nonnulli quærunt) ſuo loco videro.

I. 8.

II.

a lib. de mendacio c. 9. 15. b 32. moral. c. 27. aliàs 22. Videndus item hoc loco Caiet. & decret. Conc. Tolet. 8 & d. 11. Can. Nerul. c lib. 3. ad Quir. cap. 98

d li. 3. Strom.

e cap. 2. 17 apud Septuag

f Gen. 19. 8. g Ambr. lib. 1. de Abraham cap. 6. Angel. lib. de mẽdac. cap. 7. Chryſoſt. Hom. 43. in Geneſ. A peccato excuſant. S. Th. q. 1. de malo a. 1. ad 14. Caiet. 2. 2. q. 74. a. 4. Ioa. Arbor lib. 10.

9. I. QVID ERGO PRÆCELLIMVS EOS,&c. Multis rebus initio huius capitis Iudæos præſtare dixerat: iam ſublatis omnibus dubitationibus, (quod ad iuſtificationem quidem attinet) parem ait eſſe Iudæorum,ac Gentilium conditionem, vt nihil dubitationis habere videatur quod poſt Oecumenium recentiores quidam fruſtrà percunctantur, quánam ratione hæc cohæreant cum iis, quæ initio capitis dicta ſunt, multis nominibus Iudæos Gentibus præcellere. inde namque hæc ipſa intulit Paulus. cùm enim conſtet, Iudæis credita fuiſſe eloquia Dei; ergóne (inquit Paulus) præcellimus eos? Quaſi dicat, nulla

h Aug. q. 42. in Gen. & lib. contra mendac. c. 9. Gen 19. Gloſſ. interlinear. Lyran. Thom. Angelic. Toſtatus. Lippoman. Io. Ferus Sot. de iuſt. & iur. q. 1. a. 3.

ratione credendum eſt, quod ad iuſtitiam, & gratiam conſequendam attinet, Iudæos præferendos eſſe Gentilibus; quod non ſolùm (vt nonnulli volunt) in ſtatu legis euangelicæ verum eſt, ſed etiam ſimpliciter cuiuſcumque temporis, aut ætatis reſpectu, nullis etenim humanis meritis, aut legis operibus, ſed vnius duntaxat Chriſti beneficio, ac meri-

II. torum theſauro, diuina poterat gratia conciliari. *Cauſati enim ſumus Iudæos, & Græcos omnes ſub peccato eſſe.* Græcè προῃτιασάμεθα, hoc eſt, cauſam prius reddidimus, aut cauſis paulò antè redditis oſtendimus. nam de Gentilibus id dixerat capite primo; de Iudæis verò capite ſecundo. Quòd ſi vtrique peccato obſtricti tenebantur, atque ob id æternæ damnationi obnoxij erant, nullum profectò meritum gratiæ, aut iuſtitiæ habere poterant. Sed de quo peccato loquatur Apoſtolus, ambigat fortaſſe quiſpiam: infidelitatem nonnulli intelligunt, quam paulò antè mendacium, aut iniquitatem appellarat: alij ſimpliciter quodcumque peccatum, quamuis alij alio flagitio inquinarentur: hoc enim videntur indicare quæ mox afferuntur à Paulo ex Pſalmis Dauidis. Nonnulli denique natiuam humani generis labem primi parentis vitio contractam accipiunt. Certè hæc omnia vera ſunt, mihi tamen veriſimile fit, ſpectaſſe Paulum hominis conditionem, quæ ita primæuæ noxæ vitio labefactata eſt, vt niſi diuinæ gratiæ præſidio iuuetur, iræ diuinæ, ac ſempiterni ſupplicij rea iure optimo cenſeatur. Nec quiſquam erat etiam ſi legem Moſis omni ex parte ſeruaret, qui ſuis ipſe viribus, aut meritis gratiam apud Deum conſequi poſſet. Cæterùm, quod ad verba Pauli attinet, Græcam vocem προῃτιασάμεθα Chryſoſtomus, Theodoretus, Ambroſius, Anſelmus, Sedulius interpretantur; cauſis antè redditis probauimus. Oecumenius; *Conuicimus.* Sunt qui malint reddere; *criminati ſumus.* quæ tamẽ poſtrema interpretatio admitti nullo modo poteſt. Nos certè in paraphraſi ſimpliciùs vim vocis expreſſimus his verbis, non ita pridem certa, atque euidenti ratione concluſimus, & quaſi dicta cauſa perorando demonſtrauimus. Certum enim eſt, omnes ita peccati labe debilitatos eſſe, ac fractos, vt quamdam veluti peccati neceſſitatem contraxerint: vt B. Auguſtinus,[a] & B. Thomas [b] copioſè oſtẽdunt.

a lib. de nat. & gratia. cap. 41.
b in hunc locum.

III. Sed quomodo verum eſt, omnes tam Iudæos, quàm Gentiles peccato implicitos teneri? Et quidem ſi de natiua peccati noxa loquendum ſit, ab ea certè excipi neceſſe eſt Chriſtum, & vt alibi copioſiùs oſtendam, etiam Beatiſſimam Virginem Matrem: ſin autem (quod vero ſimilius eſt) de proprio cuiuſque ac ſingulari peccato verba Pauli intelligenda ſint, non vna eſt omnium ſententia. ſunt enim qui nomine omnium, non cunctos penitus ſingillatim ſumptos; ſed vtrumque populum generatim acceptum ſignificari putent, vt hac ipſa Epiſtola multò pòſt [c] ſcribit Apoſtolus. *Concluſit Deus omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur.* Sunt qui omnes velint pro multis accipi, quemadmodum & alia multa in ſacris litteris teſtimonia explicanda ſunt. *Omnes [d] prouinciæ veniebant in Ægyptum.* Certè non penitus omnes, ſed plurimæ. *Audiens [e] autem Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo.* Nunquid etiam mulierculæ? aut pueri? aut etiam infantes? Et ruſus; *Exibat ad eum Ieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem.* Mirum ſanè, neminem prorſùs defuiſſe. Sed huic interpretationi non ſatis congruunt quæ mox afferuntur ex Dauide teſtimonia. Quamobrem Ambroſius, & D. Thomas in duos veluti populos omne humanum partiuntur; alter iuſtos, ac ſanctos; alter verò improbos, ac ſceleratos complectitur: cuncti ergo, qui ad impiorum cœtum pertinent, peccato impliciti tenentur. Hoc enim modo accipienda ſunt, quæ ſcribit Ieremias: [a] *Tunc omnes inſurrexerunt in Prophetam Domini volentes occidere eum.* Et ruſus: *Omnis autem populus non permiſit.* Quæ ſanè explanatio ſi inſtitutæ à Paulo diſputationi congrueret, qui probare contendit, omne genus hominum egere gratia Chriſti, ob tantorum virorum auctoritatem retinenda videretur, ſed quæ ſequuntur ex Dauide, latiùs aliquantò videntur patere. Non defuerunt qui de leuioribus piaculis, à quibus nemo prorſus liber, aut immunis viuit, loqui Apoſtolum arbitrarentur, ſed Dauidis verba maiorem quamdam animi peruerſitatem, & atrociora crimina reprehendere, ac damnare videntur. Omnes igitur Apoſtolus dixit eſſe ſub peccato; quia (vt paulò antè indicauimus) cuncti mortales natiuæ noxæ vitio corrupti, ac deprauati, ad malum ita propenſi ſunt, vt peccati quamdam tyrannidem ſuſtinere cogantur. Quæ verò nonnulli hoc loco afferunt de macula peccati, quæ manet etiam poſt præteritam actionem peccati, verè omnino dicuntur; ſed vereor, vt ad rem. nam qui iuſti, atque innocentes ſunt, nulla prorsùs labe fœdantur. At nemo prorſus eſt liber à tyrannide peccati, quia omnibus cum prauis cupiditatibus luctandum eſt, & coercendæ, atque edomandæ libidines, ne ad ſcelus ſuo impetu pertrahant.

d Gen. 41. 57.
e Matth. 2. 3.
c cap. 11. 32.
a cap. 26. 8.

SICVT SCRIPTVM EST, QVIA NON EST, &c. 10.

I. Ex Dauide deſumpſit Apoſtolus, ſententiam potius, quàm verba reddens. Hebræi, & Græci codices habent; *Non eſt qui faciat bonum.* Hunc Paulus vocat iuſtum, non qualem hæretici fingunt oſcitantem, ac torpentem, ſoláque fide, vel inani potius confidentia gloriantem. Negat autem Dauid, quemquam eſſe iuſtum, ſiue quia nemo ſua natura iuſtitiam habet innatam, aut penitus inſitam; qua ratione dicitur Deus ſolus habere immortalitatem; itémque ſolus dicitur ſanctus: vel quia nemo abſque peculiari diuinæ gratiæ præſidio veram poteſt iuſtitiam, aut ſanctitatem adipiſci. Qua fortaſſe ratione dixit [b] Moſes: *Dominator Deus miſericors, & clemens, qui aufers iniquitatem, atque peccata, nullúſque apud te per ſe innocẽs eſt.* Itémque Micheas: [c] *Periit ſanctus de terra, & rectus nõ eſt in hominibus.* Vel iuſtũ neminem eſſe ait, qui omni ex parte iuſtitiã colat, nuſquam offendat, nunquàm labatur, aut leuiter erret. Certè enim hoc modo dixit Salomon: [d] *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* Alibi: [e] *Non eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Vel certè καθ' ὑπερβολὴν neminem eſſe iuſtum dixit, quo modo Iacobus [f] dixit: *Linguam nullus hominum domare poteſt:* Eodémque modo eſplicanda ſunt quæ ſequuntur.

b Exod. 34. 6.
c cap. 7. 2.
d Prou. 20. 9.
e Eccleſiaſt. cap. 8. 7. 21.
f cap. 3. 8.

NON EST INTELLIGENS, &c. 11.

OMNES DECLINAVERVNT, &c. Vt enim ait 12.

I. Auguſtinus: [g] *Nemo intelligitur feciſſe bonitatem vſque ad Chriſtum, quia non poteſt quiſquam hominum facere bonitatem, niſi ipſe monſtrauerit.* Quod verò Dauid, & Apoſtolus dicunt *requirens Deum*, potius exquirens reddendum fuit, ſi vim Græcæ vocis ſpectemus. requirere enim ea dicimus quę abeſſe dolemus; ita in amico fidem, in miniſtro prudentiam interdum requirimus. Sed interpres ab auctoris ſententia non receſſit. declinaſſe autem dicuntur omnes, hoc eſt deflexiſſe à recto virtutis tramite, Græcè ἐξέκλιναν. *inutiles facti ſunt*, ait ἠχρειώθησαν, qui ex vitio, & peccato nullam veram, ac ſolidam vtilitatem capiunt. Ita Machabæi dixerunt[h], non *eſt nobis vtile relinquere legem Dei.* quod ſi quis malit ad Deum referre, ne id quidem alienum videbitur. Nam de iuſto ait Chriſtus eſſe vas vtile Domino [i], impius autẽ nullam poteſt vtilitatem afferre. quomodo autem iuſti vtiles ſint

g in Pſal. 13.
h lib. 2. cap. 2. 21.
i 2. Tim. 2. 21.

ſint Dro, ſuo loco explico. *Non eſt qui faciat bonum,*
non eſt vſque ad vnum. eo quem diximus modo ex
Auguſtini ſententia, vt meritò dixerint patres con-
cilij Arauſicani; *nemo habet ex ſe niſi mendacium &*
peccatum[a].

13. SEPVLCRVM PATENS EST GVTTVR
EORVM, &c.
QVORVM OS MALEDICTIONE, &c.
14. VELOCES PEDES EORVM, &c.
15. CONTRITIO, ET INFIDELITAS, &c.
16. ET VIAM PACIS, &c.
17. NON EST TIMOR DEI, &c. Ex Dauide qui-
18. dem, ſed alio ex loco [b] petuntur. Verùm quoniam
b Pſal. 35. Paulus ea ſuperioribus attexit, exiſtimarunt non-
nulli ad eundem cum ſuperioribus Pſalmum perti-
nere: & certè in editione Latina illi inſerta legun-
tur contra Hebræorum, & Græcorum codicum fi-
dem, idque iam olim ante Hieronymum. Nam ea
verba in eum Pſalmum interpretantur Ruffinus,
Auguſtinus, & Auctor commentariorum, qui Hie-
ronymo inſcribuntur. Hic tamen auctor verba hæc
putat excerpta ex Deuteronomio, & aliis locis,
quæ non indicat. Verùm negari non poteſt legi om-
c Pſal. 13. nia apud Dauidem, [c] vt conſtat in codicibus He-
bræis, & interpretatione Septuaginta. Quæ verò
ſequuntur ex aliis variis locis collecta ſunt, & in
vnum veluti contextum conſarcinata. Quod enim
ait, *Venenum aſpidum ſub labiis eorum*, eſt ex Dauide
d Pſal. 139. 4. in alio Pſalmo [d]. Illa verò; *Quorum os maledictione, &*
e Pſal. 9. 3. *amaritudine plenum*: eſt ex alio item Dauidis [e] loco.
Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem: par-
f Prou. 1. 16. tim ex Salomone, [f] partim ex Iſaia [g]. Deinque:
g cap. 59. 7. *Non eſt timor Dei ante oculos eorum*, ex Dauide. [h] At-
h Pſal. 35. 2. que hæc quidem ante nos obſeruauit Hieronymus [i].
i lib. 16. in Iſa. Quanquàm veteres illi hæc omnia ad eumdem Pſal-
mum pertinere exiſtimaſſe videntur, neque magno,
k Lindan. lib. 2. de opt. gen. interpret. neque pernicioſo errore, vt nihil neceſſe [k] fuerit
Hebræos accuſare, quaſi octo verſus ex Dauidis illo
Pſalmo abraſerint. Cur enim hæc illi reſecarent,
quæ nihil prorſus Chriſtianorum cauſam iuuant,
aut ipſorum perfidiam lædunt?

19. SCIMVS AVTEM QVONIAM, &c. Aptè
I. aduerſus Iudæos hæc ſubdit Apoſtolus. Conſtat
enim (inquit Ambroſius) quæ in ſacris litteris le-
gútur, ad Iudæos maximè pertinere, eorúmque mo-
res arguere, & ſcelera increpare. Sed quomodo Iu-
l Pſal. 13. dæis aptari poſſint verba illa Dauidis [l]: *Dixit inſipiens*
in corde ſuo, non eſt Deus. dubitat in præſentia auctor
Commentariorum, qui Hieronymo tribuuntur. Re-
ſpondet autem, pleroſque Iudæorũ Dei notione pra-
ctica caruiſſe, quòd quem probè mente perceperant,
non eo, quo par erat cultu, ac veneratione proſeque-
rentur, cùm præſertim nonnulli idolis diuinos hono-
res haberent; atque hoc ipſo Dei immortali quan-
tum in ipſis erat, diuinitatem adimerent. Nec verò
quemquàm mouere debet, quòd ſuperiores ſenten-
tiæ ex ſacris litteris allatæ non in lege, hoc eſt, Pen-
tateucho, ſed partim in Pſalmis, partim in Prophetis
m epiſt. ad Algaſ. q. 8. reperiantur. vt enim docet Hieronymus[m], cùm mul-
tiplex poſſit eſſe acceptio legis, hoc loco Paulus id
nomen ampliſſimè ſumpſit, vt ea cõplectitur omnia,
quæ in veteri inſtrumento continentur, quomodo
n Matt. 5. 18. accipienda ſunt illa [n]: *Iota vnum, aut vnus apex non*
o cap. 15. 25. *præteribit à lege.* Et Ioannis [o]: *Vt impleatur ſermo, qui*
in lege eorum ſcriptus eſt, quia odio habuerunt me gra-
p Pſal. 34. 19. *tis* [p]. At quàm multa ad Gentes, Babylonios, Ægy-
ptios, Idumæos, Moabitas, Ammonitas, & Tyrios
pertinent eorum, quæ ſcripta ſunt à Prophetis? ſa-
nè Apoſtolus non ſimpliciter dixit quæ leguntur in
lege iis ad quos lex pertinet ſcripta eſſe; ſed *quæ-*
cumque (inquit) *lex loquitur, iis qui in lege ſunt loqui-*

A *tur*, ſignificans legem, iis loqui, hoc eſt ad eorum
vtilitatem, atque inſtitutionem pertinere: atque ita
æquum fuiſſe, Iudæos agnoſcere ſe iuxta, ac Genti-
les peccato eſſe implicitos, atque adeò iræ diuinæ
obnoxios. Sed ſi lex potiſſimùm Iudæos alloquitur;
qua ratione colligit Paulus, etiam Gentes eſſe pec-
cato obſtrictas? Vel ſi ea lex Gentes quoque attin-
git; quid cauſæ eſſe putamus, cur illa dicatur allo-
qui præcipuè Iudæos? Vidit hunc nodum Orige-
nes, atque vt expediret, non Moſis legem, ſed eam,
quæ eſt à natura omnibus mentibus indita intelli-
git; parum (vt arbitror) ad rem, & minus verè. cur
enim diceret Apoſtolus, Gentes ſine lege eſſe, Iu-
dæos autem ſub lege, cùm nemo ſit, qui legi natura-
li non ſubſit? Quid quòd lex naturæ vix quidquàm
B contineat, vnde aptè colligatur, omnes eſſe peccato
inquinatos, cùm præſertim lex illa ignorata com-
muni naturæ labe, vix ea poſſit ſubodorari, quæ pec-
cati vim, ac naturam explicant? ſed neque Chryſo-
ſtomus, aut Anſelmus nodum ſoluunt, qui hoc te-
ſtimonio Iudæos tantùm comprehendi exiſtima-
runt, cùm peccati colluuies etiam ad Gentes, & qui-
dem maiori damno peruenerit. Quod verò ait
Theodoretus, legis ſententiam fuiſſe quidem Iudæis
prænuntiatam; ſed ea tamen omne genus hominum
comprehendi, veriſſimum quidem eſt: vereor autem
vt dubitationem tollat. nam de Iudæis nihil prorſus
probaret, ſi de ipſis non agit, cùm tamen Paulus eos
maximè peccati labe contaminatos eſſe contendat.
Ad hæc non ad ſuperiora, ſed ad ea quæ mox ſe-
quuntur, referenda ſunt; vt quoniam generalis illa
C ſententia, quæ omnes complectitur, explicata eſt,
quaſi pertineat etiam ad Iudæorum gentem, igno-
rare ipſi non poſſint, cunctos mortales peccati ve-
luti nexu implicitos teneri, ſéque adeo eodem quaſi
gurgite abſorptos, non legis operibus, ſed vnius
Chriſti beneficio gratiam, & iuſtitiam conſecutu-
ros? Sanè quidem hic videtur expeditiſſimus ſen-
ſus, qui omnem prorſus tollat dubitationem: atque
idcirco verè ſubdit, *vt omne os obſtruatur*, hoc eſt, non
Gentilium ſolùm, ſed etiam Iudæorum.

VT OMNE OS OBSTRVATVR. Non facilè II.
apparet qua ratione conſequens ſit ex eo, quòd lex
ad Iudæos pertinet, omnium ora obſtrui, mundúm-
que vniuerſum peccato implicitum, damnationi ob-
noxium degere. At primum illud allata verba pro-
D bant, quæ ſi de Iudæis intelligenda ſunt, vt profectò
ſunt, illorum in primis iactantiam retundunt, qui il-
lius Phariſæi arrogantiam imitantes, aſpernabantur
Gentiles, tamquàm ipſi iuſti eſſent, cùm tamen ſa-
crarum literarum teſtimonio appareat, neminem
eorum eſſe iuſtum, ſed omnes prorſus flagitiis irre-
titos teneri: ita omnium Iudæorum ora obſtrui di-
cuntur. Alterum, priori admiſſo, negari non poteſt.
nam de ethnicis, ne Iudæi quidem negabant, eſſe il-
los plurimis, maximiſque ſceleribus inquinatos, & ob
id ſempiternæ damnationi obnoxios. Atqui tantum-
dem de Iudæis ſcripturæ teſtimonio probatum eſt.
Quis igitur inficiari audeat cunctos mortales pecca-
ti labe contaminatos damnationi obnoxios degere?
E Videtur autem alluſiſſe Paulus ad forenſem con-
ſuetudinem, qua reus, ſi nequeat ſibi obiecta refelle-
re, ſilens ſententiam expectat, & quaſi obſtructo ore
obmuteſcit. Rectè verò ſequitur ex antecedẽtibus ſiue
particula, *vt*, cauſam motricem, ſiue ſolam conſecu-
tionem ſignificet: ideo namque ſententiæ illæ, quæ
omnes peccatores declarant, ad Iudæos ſub lege vi-
uentes pronuntiatæ ſunt, vt ipſi intelligant, ſe à com-
muni calamitate non eſſe immunes: vel cùm ſint il-
læ ſententiæ omnibus communes; planè ſequitur,
neminem eſſe liberum à peccato, adeóque omne os

tam Iudæorum quàm Gentilium obſtruitur. Quod eleganter his verbis explicat Auguſtious [a]. ait enim: *In Iudæis erat per tranſgreſſionem legis confringenda ſuperbia, qui glorianteſ de patre ſuo Abraham quaſi naturalem iactabant ſe habere iuſtitiam, & merita ſua incircumciſis cæteris Gentibus, tantò pernicioſiùs, quantò arrogantiùs præferebant: gentes autem facillimè etiam ſine huiuſmodi legis tranſgreſſione humiliarentur. Homines enim nullam ex parentibus ſuis originem iuſtitiæ trahentes, ſimulacrorum, etiam ſeruos inuenit Euangelica gratia. non enim ſicut illis dici poterat non fuiſſe illã iuſtitiam parentum ſuorum in colendis idolis quam eſſe ipſi arbitrabantur: ita Iudæis dici poterat falſam fuiſſe iuſtitiam patris eorum Abraham. Denique illi infideles de oliua ſua fracti; hi autẽ fideles de oleaſtro ſuo in oliuã eorum inſerti eſſe monſtrantur. Iudæorum ergo per legis tranſgreſſionem conterenda erat ſuperbia. Quapropter cùm eorum peccata multis ſcripturarum ſententiis Paulus exaggeraſſet, adiunxit: Scimus, quoniam quæcumque lex loquitur, iis, qui in lege ſunt, loquitur, vt omne os obſtruatur, & reus fiat omnis mundus Deo. Iudæi ſcilicet de tranſgreſſione legis; gentes verò de impietate ſine lege.* Vnde & alio loco ait: *Concluſit Deus omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur. Ita Domine, ita fac, miſericors Domine, impera quod non poſſit impleri, immò impera quod non niſi per tuam gratiam impleri poſſit; vt cùm homines per ſuas vires implere id nequiuerint, omne os obſtruatur, & nemo ſibi magnus videatur. ſint omnes paruuli, & reus fiat omnis mundus tibi, quia non iuſtificabitur ex lege omnis caro coram te.*

a in expoſit. epi. ad Galat.

III. ET SVBDITVS FIAT OMNIS MVNDVS DEO. Ambroſius: *Vt mundus* (inquit) *proſtratus Deo, ad ſuorum peccatorum indulgentiam, & Dei gratiam peruenire queat.* Theophylactus: *Vt omnis mundus reddatur condemnatus libertate, ac fiducia carens, & opis indigens alienæ.* Nos damnationi obnoxium interpretati ſumus, vt vim Græcæ vocis ὑπόδικος exprimeremus. is enim eſt apud Græcos ὑπόδικος, cui meritò δίκη debeatur: quin etiam qui iure optimo καταδίκην, id eſt, condemnationem poſtulat; idémque omnino valet, quod Latinis obnoxius, vt colligi poteſt ex [b] Gellio, & aliis. Chryſoſtomus eum eſſe apud Græcos ὑπόδικον putat, qui ſibi ipſe ad defenſionem minimè ſufficit, ſed alterius patrocinio indiget, vt ſalutem conſequatur. is enim profectò damnationi obnoxius eſt, niſi patronum nactus fuerit. Ita totus mundus omnino perit, niſi Chriſti patrocinio ſubleuetur. Quocirca rectè Auguſtinus hunc locum reddit [c]: *Vt omnis mundus reus fiat Deo, & obſtruatur omne os in laude ſua, & non aperiatur niſi in laude Dei.* Quo fit, vt qui ſententiam allatam à Paulo de leuioribus noxis explicant, aliena prorſus loquantur. de illo namque peccato accipienda eſt, quo qui peccant, damnationi obnoxij degunt.

b lib. 7. c. 17.

c lib. de gratia Chriſti ca. 8. & in epiſt. ad Galat.

20.

I. QVIA EX OPERIBVS LEGIS, &c. Duplex Hebraiſmus eſt. nam carnem poſuit pro homine, quod & fecit in Epiſtola ad Galatas [d], imitatus Iſaiã, qui alicubi [e] ſcripſit: *Videbit omnis caro ſalutare Dei.* Et, *Omnis caro fœnum.* Et Ioëlem [f], apud quem legimus: *Effundam ſpiritum meum in omnem carnem*; id eſt, in omne genus hominum. Quod verò carnem aliqui [g] accipiunt hoc loco pro hominibus, qui voluptatum illecebras ſectantur planè, videtur extra rem. Omnem verò carnem dixit non iuſtificari, vt ſignificet, neminem iuſtificari; qui eſt alter Hebraiſmus. Sic enim frequẽter loquitur Scriptura [h]: *Omnis homo ad proximum ſanguinis ſui non accedet.* Et [i]: *Omnis ſpiritus non eſt in viſceribus eius*; hoc eſt, nullus. Apud Matthæum [k]: *Non fieret ſalua omnis caro.* Apud Lucam [l]: *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.* Et alia id genus ſexcenta. Hoc verò non tam

d cap. 1. 16.
e cap. 40. 5. 6.
f cap. 2. 28.
g Origenes.
h Leu. c. 18. 6.
i Abac. 2. 19.
k cap. 24. 22.
l cap. 1. 37.

A debuit dici, quia notiſſimum, quàm quia verum non præteriri. Illud cùm difficilius, tum ſubtilius, quomodo opera legis non iuſtificent, cùm ſuperiori capite dixerit Apoſtolus; *Non auditores, ſed factores legis iuſtificari:* An hic negat quemquam iuſtificari ex operibus legis, quòd nemo ſit qui omni ex parte legis præceptis obtemperet? An quia præcepta legis, ſiue quæ ad mores, ſiue quæ ad cæremonias, ſiue denique quæ ad iudicia pertinent, ſua vi iuſtitiam afferre non poſſunt? ſanè vtrumque verum eſt. Hoc verò poſterius etiam traditur ab Auguſtino [a]. Sic autem mihi perſuadeo, opera ſimpliciter quæcũque illa tandem ſint, ſi vel fidẽ antecedant, vel ab ea ſeiungantur, ex Apoſtoli ſententia ad iuſtificationem conferendam vim nullam habere; addidiſſe tamen
B illud legis nomen (quod Moſis proculdubio legem ſignificat, quidquid aliter ſentiat Origenes) vt Iudæorum tumorem reprimeret, qui in lege, eiúſque operibus, quaſi illa gratiam, & iuſtitiam afferrent, mirè gloriabantur. Minùs autem ad inſtitutum pertinere videntur, quæ nonnulli [b] in præſentia dicunt, qui opera legis interpretantur illa, quæ pertinent ad cæremonias, vel quæ fiunt timore pœnæ. Multò aptiùs ac veriùs loquitur Auguſtious [c], opera illa intelligens, quæ quis facit ſuis viribus, vel quæ iuſtificationem præuertunt. Non pugnat autem hæc ſententia cum iis, quæ definita ſunt capite ſuperiori. ibi enim opera ponuntur eſſe coniuncta cum fide, atque idcirco aliqua ratione iuſtificant; hîc verò
C ſine fide iuſtitiam tribuere nequaquam poſſunt, vt nihil neceſſe fuerit, quoſdam in præſentia ſcholaſticas ſubtilitates curioſè ſectari. Rectè autem obſeruauit Auguſtinus [d], additum fuiſſe à Paulo; *Coram illo*, quia legis opera coram hominibus, qui internam animi faciem non cernunt, nonnullam iuſtitiæ ſpeciem largiuntur.

a lib. de ſpi. & lit. c. 8.

b Anſelm. Hug. Victor. Aymo. Amb. Theophyl. Origenes.

c in Epiſt. ad Galat.

d De ſpir. & litera c. 8.

PER LEGEM ENIM COGNITIO PECCATI. Clemens [e] Alexandrinus confert hunc locum cum diſputatione Epiphanis, qua omnia communia eſſe debere contendebat, doctéque humanas leges quia ignorationem caſtigare nõ poſſent, contra leges facere docuiſſe; tum ſubdit: *Legum enim proprietas diſſecuit diuinæ legis communionem, & arroſit non intelligens dictum Apoſtoli per legem peccatum*
D *cognoſci.* Quæ ſunt Carpocratis verba, qui ſublata rerum communione, quam diuina, & naturali lege conſtitutam putabat, idque per legem poſitiuam ortum dicebat eſſe peccatum; poſita namque diſtinctione mei, ac tui extitit furtum. Hic enim (vt Auguſtinus, & Damaſcenus docent) legem Moſis repudiabat; quamobrem Clemens rectè dicit ignoraſſe vim verborum Pauli. Quónam autem modo, aut cuius tandem legis vi cognitum eſt peccatum? Nam ante legem Moſis Caim ſuum agnouit peccatum, idémque in aliis quàm plurimis obſeruare licet. Igitur Origenes legem accipit naturalem; nec diſcrepare videntur Ambroſius, & Auguſtinus, qui ea morũ præcepta ſignificari putant, quæ lege Moſis traduntur, quæ proculdubio ſpectant ad legem naturalem. Inde verò autumant quidam ortam eſſe
E peccati cognitionem, quia propoſito ſupplicio cognitum eſt non impunè contra Deum peccari; ita Ambroſius, Oecumenius, & Theodulus; verùm Theodoretus, ac Sedulius beneficio legis ſcriptæ cognitam fuiſſe docent quorundam ſcelerum, ac flagitiorum malitiam, quæ antea ignorabatur. Quæ enim ad Dei cultum, aut res iudicandas referebantur, tantam afferebant parendi nouam neceſſitatem, vt abſque piaculo negligi, aut violari non poſſent. Addit Ambroſius cognitum fuiſſe ex lege eſſe quandam in peccato iniuriam Dei æterno ſupplicio dignam,

II.

e Strom. lib. 3 ſub init.

dignam, quod vt legis naturalis non facilè cognoſci poterat, quamquàm nonnihil etiam lex illa ſubobſcurè indicabat. nam propterea dixiſſe videtur quidam:

Si quoties peccant homines ſua fulmina mittat
Iuppiter, exiguo tempore inermis erit.

Hinc Minoëm, & Rhadamanthum apud inferos ſcelerum iudices conſtituit antiquitas, quæ tamen tam quàm puerorum, ac mulierculrum terriculamenta alicubi [a] Cicero deridet. & Iuuenalis [b]:

a 1. Tuſcul.
b Satyr. 2.

Eſſe aliquot manes, & ſubterranea regna,
Nec pueri credunt, niſi qui nondum ære lauantur.

III. Ego ſimpliciter legem Moſis intelligo ampliſſimè ſumptam, vt omnia præceptorum genera complectitur, cuius vi cognitum fuiſſe peccatum interpretor eo prorsùs modo, quo Paulus ipſe explicat, non ita multò pòſt [c]: *Peccatum* (inquit) *non cognoui niſi per legem. nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, non concupiſces.* Vt interim omittam quod (vt modò indicaui) præcepta Moſis, quæ ceremonias, & iudicia præſcribunt, multa declararunt fuiſſe peccata, quæ ſi per ſe ſpectentur, & ad naturalis legis quaſi libellam exigantur, ſunt prorſus indifferentia. Ita nullo modo negandum videtur ex lege Moſis magnam factam fuiſſe acceſſionem ei cognitioni, qua turpitudo peccati naturæ ductu comprehendebatur; id quod hoc loco Ambroſius, & Hieronymus fusè explicant. Sed quorſum hæc Paulus? Chryſoſtomus, qui proximam ſententiam; *Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro*, penitus omiſit; videtur hæc referre ad ſuperiora: perinde quaſi Paulus rationem reddat, cur omne os obſtructum fuiſſe dicatur. neque enim Iudæi ſuis flagitiis ignorationem prætexere poterunt, qui legis beneficio peccati fœditatem probè cognouerint. Verùm quoniam ea ſententia habetur in aliis omnibus codicibus, omnino retinenda eſt, ideóque longè probabilius videtur his verbis legis vtilitatem, ac fructum indicari. cùm enim negaſſet poſſe illam cuiquam iuſtificationem afferre, ne prorsùs inutilem diceret, eius ait munere peccati labem cognoſci. Cùm autem lex ſolùm præſtet (ſic enim accipiendum eſt) cognitionẽ peccati, non poteſt vllo modo iuſtitiam impertiri. Nec enim dubium eſt ſubaudiendum eſſe, tantùm, quaſi dicat Apoſtolus legem nihil præter peccati cognitionem præſtare poſſe, atque idcircò iuſtitiam nequaquàm tribuere, cùm ad iuſtificationem multò plura exigantur. quocirca Hieronymiani Commentarij; *per legem non remiſſio eſt peccati, ſed cognitio tantùm. ideo autem per legem quid ſit peccatum agnoſci dicitur, quia aut in obliuione erat lex naturæ, aut ante legem literæ leuiora quæque non cognoſcebantur eſſe peccata, cuiuſmodi ſunt, quæ aliis non nocent, vt cõcupiſcentia, & ebrietas, & alia eiuſmodi.* Et Ambroſius: *Per legem* (ait) *cognitio peccati, per fidem autem abolitio eius; ideo non lex, ſed fides ſequenda eſt.* Pro cognitione verò Græcè eſt ἐπίγνωσις, quaſi dicat agnitio. Nam, vt grammatici monent, vetera agnoſcimus, cognoſcimus noua.

c cap. 7. in quem locum Theodoret. & Aug. Serm. 4. de verbis Apoſtoli.

21. I. Nvnc avtem sine lege, &c.) Ambroſius diuinam iuſtitiam intelligit, quam ſuprà Paulus veritatem, ac fidem appellarat, reſpectu promiſſorum; præcipuè verò intuitu iuſtificationis, & condonationis peccatorum, quam per Chriſtum ſe mortalibus conceſſurum promiſerat Deus. Nec defuerunt qui iuſtitiæ nomine Chriſtum ipſum acciperent. ſic enim de illo ſcribit Ieremias [d]: *Dominus iuſtus noſter.* Hebraicè, *iuſtitia noſtra.* Et Daniel [e]: *Adducatur iuſtitia ſempiterna.* Quæ ſanè iuſtitia ſine lege dicitur manifeſtata, quia lex in aduentu Chriſti ceſſauit. vt enim ſcriptum eſt apud Lucam [f]: *Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem.* Eadem verò iuſtitia teſtificata dicitur per legem, & prophetas, *quia finis legis Chriſtus eſt in ſalutem omni credenti.* Sed melius Auguſtinus [a] iuſtitiam interpretatur eam, qua nos Deus iuſtos facit, quam ſuprà [b] dixerat in Euangelio reuelari. Sic autem ille ait: *Iuſtitia Dei non qua Deus iuſtus eſt, ſed qua induit hominem, cùm iuſtificat impium. Hæc* (inquit) *ſine lege eſt, quam Deus per ſpiritum gratiæ credenti confert ſine adiutorio legis, hoc eſt, non adiuto à lege.* Addit: *Iuſtitia ergo Dei ſine lege non ſine lege manifeſtata eſt. Quomodo enim per legem teſtificata, ſi abſque lege manifeſtata?* vt appareat, Auguſtinum iuſtitiam manifeſtatam, id eſt, declaratam, ac palàm prædicatam intelligere; illam (inquam) iuſtitiam, quæ eſt ſine lege; idque alibi planiùs docet [c]. Scribit enim: *Vſque adeo aliud eſt lex, & aliud gratia, vt lex non ſolùm nobis nõ proſit, verùm etiam plurimùm obſit, niſi adiuuet gratia, vt hæc oſtendatur legis vtilitas; quoniam quos facit præuaricationis reos, cogit confugere ad gratiam liberandos, & vt concupiſcentias malas ſuperent adiuuandos. iubet enim magis, quàm iuuat; docet morbum eſſe, non ſanat, immò ab ea potius quia non ſanatur, augetur, vt attentiùs, & ſolicitiùs gratiæ medicina quæratur. Hoc ipſum porrò ſuperbis eſt vtile, poſt legem ſub peccato arctiùs, & manifeſtiùs concludi, ne ad faciendam iuſtitiam, de liberi arbitrij quaſi propriis viribus præſumatur; ſed omne os obſtruatur, & reus fiat omnis mundus Deo, quia nõ iuſtificabitur ex lege omnis caro coram illo. per legem enim cognitio peccati; nunc autem ſine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt, hoc eſt, manifeſtum eſt, iuſtitiam hominis non ex lege, ſed ex Deo prouenire; non qua illo imperante, cognoſcendo timeatur, ſed qua illo donante diligendo teneatur, vt qui gloriatur, in Domino glorietur*, quod vel maximè ob tanti viri auctoritatem probabile eſt. Veriſimilius tamen videtur quod aſſerũt Ambroſius, & Theodoretus, quódque nos in paraphraſi explicuimus; eam dici ſine lege prodiiſſe in lucem, vt ſignificet Paulus, iuſtitiam, quam lex, & prophetæ indicabant, & pollicebantur, fuiſſe verè mortalibus collatam, idque non vi legis, ſed fidei Chriſti beneficio ſingulari, vt dicatur manifeſtata ſine lege, hoc eſt, nulla legis opera, nulla illius vi, ſed tantùm munere, ac beneficio Chriſti, atque eius fidei mortalibus conceſſæ. Pertinent ad huius loci explicationem quæ ſcribit Auguſtinus [d], cùm veluti quatuor hominum gradus diſtinguit; ante legem, ſub lege, ſub gratia, & in pace. *Ante legem* (inquit) *ſequimur concupiſcentiam carnis; ſub lege trahimur cum ea; ſub gratia nec ſequimur eam, nec trahimur ab ea, in pace nulla eſt concupiſcentia carnis.* Et multa deinceps in hanc ſententiam.

d cap. 23. 6.
e cap. 9. 24.
f cap. 16. 16.
a De ſpir. & litera c. 9.
b cap. 1. 17.
c lib. de gratia Chriſti cap. 8.
d in expoſit. quarundã propoſit. huius Epiſtolæ.

II. Testificata a lege, et prophetis. Auguſtinus, & Anſelmus argutè magis, quàm Pauli inſtituto accommodatè, teſtimonium legis à prophetarum teſtimonio diſtinguunt; vt illud facto, hoc verò vaticinio, ac prædicatione conſtet. Sed ſimpliciùs Irenæus [e], & Chryſoſtomus [f] pro eodem accipiunt, & eodem modo explicant. Teſtatur enim lex Dei iuſtitiam, primùm quidem prænuntiando; de qua re Chriſtus apud Ioannem [g]: *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi. de me enim ille ſcripſit.* Et Paulus infrà [h], verba illa, quæ leguntur in Deuteronomio [i]: *Ne dixeris in corde tuo: quis aſcendet in cœlum? id eſt, Chriſtum deducere.* Et quæ deinceps ſequuntur, putat eſſe quaſi vaticinium, & teſtimonium iuſtitiæ, quæ per fidem Chriſti mortalibus tribuitur. Deinde occultis ſymbolis eam ſignificando, atque occultè, & eminus illam indicando, vt colligi poteſt ex iis quæ ſcripta ſunt in Exodo [k], & quæ obſeruantur à Paulo in Epiſtola ad Hebræos. Denique præcipiendo, ac iubendo ſatis indicabat, veram iuſtitiam

e lib. 4. c. 67.
f Hoc loco.
g cap. 5. 46.
h cap. 10. 6.
i cap. 30. 12.
k cap. 14.

A

iuſtitiam non à ſe, ſed à Deo quærendam, ac perendam eſſe; quod apertè affirmat Auguſtinus [a]. *Lex enim* (inquit) *hoc ipſo quod iubendo, & minando neminem iuſtificat, ſatis indicabat dono Dei iuſtificari hominem per adiutorium ſpiritus.* Et alibi: *Lex docendo, & iubendo quod ſine gratia impleri non poterat, demonſtrabat homini ſuam infirmitatem, vt quæreret demonſtrata infirmitas Saluatorem, à quo ſanata voluntas poſſet, quod infirma non poterat. Et lex quidem adducit ad fidem, fides impetrat ſpiritum largiorem, diffundit ſpiritus charitatem, implet charitas legem.* Quomodo autem Prophetæ iuſtitiam teſtatentur, intelligi poteſt ex Actis [b] Apoſtolicis. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum.* Alibi [c] verò Petrus: *Reportantes finem fidei, veſtræ ſalutem animarum veſtrarum, de qua ſalute exquiſierunt, atque ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt.* Extant duo inſignia teſtimonia, alterum apud Ieremiam [d], alterum apud Ezechielem [e], quibus Auguſtinus graphicè putat deſcribi ſingularem vim, ac præſtantiam noui teſtamenti.

a li. de ſpirit. & litera c. 9.
b cap. 10. 11.
c Ep. 1. c. 1. 9.
d cap. 31. 33.
e cap. 36. 26.

B

22. IVSTITIA AVTEM DEI PER FIDEM, &c.

I. Eiuſdem rei inculcatio eſt. cùm enim dixiſſet, ſine lege eſſe iuſtitiam, nunc ait, illam beneficio fidei concedi. qua id ratione fiat, ſuo loco docui. nam de fide iuſtificante non modò hæreticis cum Catholicis; ſed neque inter ipſos Catholicos ſatis conuenit, vt in diſputationibus doceo. Indicat autem Apoſtolus in præſentia, iuſtitiam fidei latiùs patere, quàm veterem illam iuſtitiam legis. idcirco enim addit; *In omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum*, hoc eſt, tam in Gentiles, quàm in Iudæos modò Chriſti fidem complectantur, ſine qua nemo Deo placere poteſt. Dixit autem; *In omnes, & ſuper omnes*, quia omnibus propoſita eſt fides Chriſti, & rite animo concepta omnibus iuſtitiam, reliquáque ſpiritualia dona, & vitam denique ſempiternam affert. Hoc olim ſignificabat ſerpens [f] æneus, qui in ſolitudine erectus ſolo aſpectu cunctis afferebat ſalutem. Quò ſpectans Chriſtus apud Ioannem: [g] *Sicut Moyſes* (ait) *exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis; vt omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Propterea addit; *Non enim eſt diſtinctio*, quia nullo adhibito perſonarum diſcrimine, dixit Chriſtus: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Quocirca minùs rectè Theodoretus, & Oecumenius de illis verbis; *In omnes, & ſuper omnes*, philoſophantur, perinde quaſi, *in omnes*, ad Iudæos pertineat, ex quorum gente ortus eſt Chriſtus: *ſuper omnes* autem referatur ad Gentes, ad quas quaſi aliunde accerſitus Chriſtus ſuæ fidei lucem aliquando effuderit; cùm Paulus ipſe quod quidem attinet ad iuſtificationem, neget, inter Iudæos, & Gentiles vllum eſſe diſcrimen, vt indicant illa verba: *Non enim eſt diſtinctio.* Ac proinde ſubdit.

C

f Num. 21. 9.
g cap. 3. 14.

D

23. OMNES ENIM PECCAVERVNT, &c.

I. Non modò primo parente peccante, eius veluti tabe omnis poſteritas contaminata Deo erat exoſa; ſed tam Iudæi, quàm Gentiles proprijs ſceleribus diuinam in ſe iram iuſtè prouocarant. Quod verò ſubdit Paulus; *Egent gloria Dei:* Græcè eſt ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ θεοῦ. quæ nos conati ſumus perſpicuitatis gratia pluribus in paraphraſi explicare. Vox autem Græca ὑστεροῦνται ad verbum ſignificat in curſu poſt terga relinquuntur; quo fit, vt ad metam peruenire nequaquam poſſint, neque conſequi brauium. Noſter interpres hoc loco reddidit; *Egent*; quomodo legiſſe videntur Cyprianus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus. Sic apud Lucam [h] vbi Græcè de Filio prodigo ſcriptum eſt, ἤρξατο ὑστερεῖσθαι; Latinè redditur; *Cœpit egere.* Et Paulus; [a] *Cùm eſſem apud vos* ὑστερηθείς, noſter interpres dixit; Et *egerem*. ſed quam vim habeat hoc loco ob multas, ac varias interpretum ſententias, non planè liquet: nec certò conſtitui poteſt, niſi quid nomine gloriæ intelligendum ſit, paucis expediatur. Et quidem nonnulli codices Latini pro gloria habent gratia; itáque videntur legiſſe Hieronymus, [b] Cromatius, [c] Auguſtinus. [d] Certè gloria pro gratia accipiunt Theodoretus, & Sedulius. omnes verò Græci, & emendatiores Latini codices habent, gloria. Cyprianus [e] legit claritatem; nec dubium eſt, ſiue gratiam, ſiue gloriam legas, rem eandem ſignificari, id eſt, eam iuſtitiam, qua homines à Deo iuſti fiunt. illa enim propoſita eſt omnibus, quia illa omnes meritò deſtituuntur. Cur verò ea dicatur gloria, vel claritas Dei, adhuc ambigitur: Metonymiam agnoſcunt nonnulli, qui enim iuſtitiam adepti ſunt, miris Deum laudibus celebrant, ejúſque gloriam prædicant. Quocirca Anſelmus iuſtificationem gloriam Dei appellat, quia Deus ſingularem quandam, & præſtantem gloriam declarat, dum ſua beneficia liberaliter, & gratuitò nullis hominum præcedentibus meritis largitur, eorum & flagitia expians, & animos ſua diuina gratia complens; atque ita omnes dicuntur non ſua, quæ ex proprijs meritis oritur, ſed Dei gloria egere, quæ à diuina beneuolentia, ac liberalitate vnicè pendet. Parum admodum diſcrepant ij, qui gloriam Dei interpretantur, qua ſe maximè illuſtrem, & clarum palàm oſtendit, dum homines morti, ac damnationi obnoxios, ſibi conciliat, & in gratiam, atque amicitiam recipit. Hi enim omnes gloriam Dei accipiunt, quæ ipſi Deo tribuatur, & in eum aliquo modo redundet. Sunt verò qui gloriam Dei intelligant quæ à Deo quidem proficiſcitur, ſed ad vtilitatem, atque honorem hominum refertur. II. Chryſoſtomus enim, Theophylactus, & Oecumenius iuſtificationem gloriam Dei vocant, quòd ad beatorum cœtum, & ſempiternam gloriam perducat. Iraque ex eorum ſententia egent omnes quicumque tandem ſint, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles, beneficio gratiæ iuſtificantis, vt ad gloriam peruenire queant, qua cuncti deſtituuntur. Nec deſunt, præſertim ex recentioribus [f], qui gloriam explicent meritum laudis, ac præmij; denique gloriæ apud Deum. Ego nihil dubito, gloriam Dei appellari iuſtitiam, quam paulò antè Apoſtolus nominarat, quia eſt vnicum comparandæ gloriæ inſtrumentum: hac igitur gloria Dei dicuntur omnes homines propter peccatū carere, ſeu deſtitui, ſiue ſumpta metaphora à curſu dum ad illam contendunt, veluti poſt tergum relinqui. vt enim multum laborent, ac nitantur, in medio curſu viribus deſtituuntur, nec poſſunt ad metam peruenire, niſi Chriſti gratia ſubleuentur, & confirmentur. Præcedit enim gratia, qua iuſti efficimur, tum vitæ, & gloriæ ſempiternæ merita ſubſequuntur. Hoc autem eſt (vt ait Paulus) gloria Dei deſtitui, quia in curſu neceſſe eſt eos penitus deficere, antequàm pertingant ad metam, qui ſuis duntaxat meritis nituntur gratiæ præſidio deſtituti. ſic aliàs Paulus [g] curſus ſimilitudinem ſecutus: *Omnes quidem* (inquit) *currunt, ſed vnus accipit brauium.* Nec longè abeſt à vero, quod alicubi [h] docet Cyrillus, qui gloriam Dei declarat eſſe Chriſtum, cuius beneficio qui carent ſalui eſſe non poſſunt. Quidquid horum dixeris Pauli ſententia conſtat. nam ſine gratia, & beneficio Chriſti fruſtra laborant homines, aut rectè viuunt. Eſt ille namque oſtium, vt dicitur in Ioanne; & per Chriſtum *qui intrat ſaluabitur, ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet:* quod

E

h cap. 15. 14.
a 2. cap. 11. ad Cor. 9.
b lib. 1. Comment. in 1ſa. in illa verba, *& preparabitur in miſericordia ſolium.*
c in Matth. cap. 5. 6.
d de pec. mer. & remiſſ. c. 27.
e lib. 6. ad Quirin. c. 21.
f Caiet. hoc loco.
g 1. ad Cor. 9. 24.
h libr. de t. cta fide.

fusè

Digitized by Google

fuſè in illum locum probat Auguſtinus.

14 I. IVSTIFICATI GRATIS PER GRATIAM IPSIVS, &c. Cur miſeri mortales gloria Dei fruſtrantur, & viribus in medio curſu deſtituti ad laborum ſuorum metam peruenire non poſſunt? Nimirum quia ſublata gratia Chriſti nullam habent vim merendi, gratia verò liberaliter Chriſti beneficio tribuitur. Quod verò noſter interpres ait, *iuſtificati gratis*, Græcè legitur *δικαιούμενοι δωρεὰν*: ac ſi dicat, iuſtificantur autem gratis, quomodo legiſſe videtur Cyprianus[a] Hebræa phraſi, qua participia pro verbo indicatiuo non rarò vſurpantur. Gratis autem iuſtificari dicuntur homines, quia (vt ait Concilium[b] Tridentinum) *nihil eorum, quæ iuſtificationem præcedunt, ſiue fides, ſiue opera ipſam iuſtificationis gratiam promeretur. ſi enim gratia eſt, iam non ex operibus; alioquin (vt idem Apoſtolus inquit) gratia iam non eſſet gratia.* Atque hac ratione gratuita iuſtificatio merita iuſtitiæ excludit. Poteſt autem gratuita iuſtificatio aliter accipi, vt ea merita excludat, quæ ſolius naturæ viribus nitantur, quæque omnem gratiam anteuertant, quaſi dicat Apoſtolus, non poſſe nos vlla naturali actione, quæ naturæ duntaxàt viribus perficiatur, iuſtitiam conſequi, quomodo ſæpè loquitur Auguſtinus; vtrouis modo accipiatur, rectè dicimur gratis iuſtificati per gratiam ipſius. inchoatur enim iuſtificatio ex fide, fides autem eſt gratiæ donum.

a lib. 2. ad Quir. cap. 26.
b ſeſſ. 6. ca. 8.

II. *Per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Phraſi Hebræa dixit in Chriſto Ieſu; id eſt per Chriſtum. Redemptionem autem dixit Græcè *ἀπολύτρωσιν*, id eſt redemptionem captiui. vt enim obſeruauit Origenes, *ἀπολύτρωσις* dicitur pretium, quod hoſtibus pro captiuorum liberatione numeratur. Sed quomodo id in liberatione noſtra locum habeat, meritò ambigas. Erat enim genus humanum primi parentis vitio in peccati ſeruitutem, & diaboli poteſtatem redactum, & vtrique quaſi mancipium, miſeram ſeruiebat ſeruitutem, vt egregiè obſeruauit Gregorius[c] Nazianzenus: ſed rectè ille quærit, *ſi redemptionis pretium non cuiquam alij, quàm detinenti perſoluitur, quæro cui tandem oblatum eſt? & quam ob cauſam? ſi diabolo: ô indignam contumeliam, ſi non à Deo ſolum, ſed Deum quoque ipſum pro redemptionis pretio latro accipit, adeóque inſigne, & excellens tyrannidis ſuæ præmium; cuius cauſa nobis quoque parci æquum erat: ſi autem Patri, primùm quomodo id factum eſt? nec enim ab ipſo tenebamur. Deinde quæ ratio afferri poteſt, vt vnigeniti ſanguine Pater oblectetur, qui ne Iſaac quidem à Patre oblatum acceperit, ſed ariete in rationalis victimæ locum ſubſtituto, in ſacrificium permutarit?* Reſpondet autem, *Patrem quidem pretium accepiſſe, non tamen quod petierit, aut eo opus habuerit: verùm quia diuina diſpenſatio ita ferebat, & quia per humanitatem à Deo aſſumptam, homini ſanctitatem afferri oportebat, atque vt tyranno per vim ſuperato nos liberaret, atque ad ſe inter media filij opera reduceret.* Hæc ille omnino verè, & ingenioſè; vereor tamen, vt propoſitam dubitationem ſoluant. neque enim apparet qua ratione Chriſti ſanguis effuſus propriè *ἀπολύτρωσις* appellari queat. Certè olim Marcionitæ (vt auctor eſt Epiphanius[d]) hac redemptionis voce abutebantur, vt oſtenderent, homines non eſſe à Deo creatos. quis enim emit, aut pretio comparat quod ſuum eſt? At Origenes[e] nos pretio peccatorum venditos dæmoni fuiſſe ſcribit; ideóque Chriſti ſanguine redemptos: ſed huius pretij ſolutio non ei videtur facta, à quo iure ſeruitutis poſſidebamur. Auguſtinus[f] redemptionem ſine pretio intelligi poſſe affirmat, quod alij[g] vehementer probant. Itaque non defuerunt qui exiſtimarent, eam vocem, redemptionem quidem Latinè reddi, ſed non tam

c Orat. 2. de Paſchate.
d hær. 42.
e Hom. 6. in Luc.
f Quæſt. 9. in Iudic.
g Ioan. in Pſal. ... [illegible]

A continere liberationem captiui à ſeruitute, quàm condonationem noxæ, quæ, perſoluto pretio, reo plerumque remittitur: vniuerſos autem mortales obnoxios fuiſſe Deo, & reos ſupplicij ſempiterni; Chriſtum porrò, ſuo pretioſo ſanguine fuſo, ab ea cunctos noxa redemiſſe; itaque intelligi Dauidem[a] cùm dixit: *Apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio; Et ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus eius.* De qua re ſic ferè Hieronymus: *Per redemptionem, quæ eſt in Chriſto, id eſt, qua nos Chriſtus liberauit ſanguine ſuo de morte, cui per peccatum venditi fueramus, ſicut dixit Iſaias.*[b] *Peccatis veſtris venundati eſtis, & gratis venundati eſtis, & ſine pecunia redimemini. Et Paulus:*[c] *Empti eſtis pretio magno.* Itaque nonnulli rectè monent additum eſſe à B Paulo; *In Chriſto Ieſu*; vt appareret huius redemptionis pretium nullum fuiſſe aliud, præter ipſum Chriſtum, & eius ſanguinem. ſic enim ſcribit alicubi[d] Paulus: *Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro nobis.* Et Petrus:[e] *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine quaſi Agni immaculati Chriſti Ieſu, & incontaminati.* Neque omnino abs re ante nos monuerunt[f] quidam, rectè in hominum redemptione Patri non diabolo fuiſſe pretium preſolutum, tanquam Domino, qui iuſtè prouocatus eos ſeruituti addixerat dæmoni tamquàm carnifici, ac diuinæ iuſtitiæ miniſtro. Fortè alia commodior redemptionis ratio afferri poteſt, quam alibi fuſiùs explicabo. Chriſtus enim, iuſto redemptionis pretio C perſoluto, eripuit nos à miſera dæmonis ſeruitute, ſibique non ſolùm vt Deo nouo quodam titulo, ſed etiam vt homini iure redemptionis penitus ſubiecit, & vniuerſum genus hominum ſibi quodammodò vt redemptori comparauit, vt eum meritò, hoc iure cuncti mortales Dominum agnoſcant. Quamquàm autem Chriſti redemptio omnes iuſtitiæ partes expleuit, nos tamen gratis & redempti, & iuſtificati dicimur; quod ipſum pretium perſolutum à Chriſto non niſi gratuita Patris liberalitate nobis prodeſt, vt iuſtitia inter Chriſtum, & Patrem conſtet; ſed idem Deus Pater generis humani reſpectu, vna, atque eadem ſcelerum noſtrorum condonatione eximiæ cuiuſdam liberalitatis, ac miſericordiæ partes expleat. Plura in diſputationibus.

a Pſal. 129. 7.
b cap. 52. 3.
c 1. ad Cor. 6. 20.
d 1. ad Timot. 2. 5.
e 1. Ep. c. 1. 18.
f Ioa. Driedo de capt. & redempt. generis humani tract. 1. cap. 2. ad 5. arg.

25. I. QVEM PROPOSVIT DEVS PROPITIATIO- D NEM, &c. Alij propitiatorem; Græcè *ἱλαστήριον*. Quod verò ait, *propoſuit*; Græcè eſt *προέθετο*. Ambroſius vertit, *diſpoſuit*, Origenes, Chryſoſtomus, Anſelmus explicant; *antè propoſuit*; hoc eſt; ab æternitate definiuit. Addit etiam Ambroſius, *palàm poſuit.* ſed quod attinet ad vocem Græcã *ἱλαστήριον*, ea ſignificabat olim operculum Arcæ Fœderis, quod noſter interpres propitiatorium vocat, vt meliùs hoc loco propitiationem, quàm propitiatorem interpretemur, quomodo habent codices emendatiores. Videtur enim Apoſtolus (quod Origenes, ac Theodoretus monent) alluſiſſe ad antiquum illud veteris legis propitiatorium, quo Chriſtus ſignificabatur. Memoria autem lapſus videtur B. Thomas[g] cùm dixit, E vetus propitiatorium fuiſſe tabulam lapideam, quia ex Scriptura[h] conſtat fuiſſe auream. *Facies* (inquit) *propitiatorium de auro mundiſſimo.* Eius verò myſteria tradũt hoc loco Origenes, Chryſoſtomus, Theophylactus, & non ſemel Auguſtinus.[i] Ambroſius legiſſe videtur *ἱλαστήριον πίστεως*, quod equidem nuſquam memini legere. Nos placamentum explicuimus; propitiationem verò genere fœminino legunt Hilarius,[k] Proſper,[l] Gregorius,[m] Heſychius.[n] qui reddunt propitiatorem, Græcè vident ... accepiſſe genere

g 1. 2. q. 102. a. 4. ad 6.
h Exod. 25. 17.
i lib. de ſpiritu, & littera c. 13 & Quæſt. 105. in Exod.
k in Pſal. 64.
l lib. de vocat. Gent.
m Hom. 6 in Ezech.
n in Leuit.

genere maſculino, τὸν ἱλαστήριον, ὡς τὸν σωτῆρα. Certè Ioannes dixit, *Ipſe eſt propitiatio*; Græcè ἱλασμός. & fortè reſpexit ad ſacrificia propitiatoria, quæ pro

II. peccato offerri conſueuerant. Quod autem ſequitur, *in ſanguine ipſius*; referri poteſt tam ad vocem placamenti, ſeu propitiationis, quàm ad vocem fidei. Priorem ſenſum magis probauimus in paraphraſi, ne nimis anguſtè fidei materiam circumſcribamus, ſi eam ad vnam Chriſti ſanguinis effuſionem referamus. Auctores eius interpretationis habemus ſanè grauiſſimos, Chryſoſtomum, Theodoretum, Ambroſium, Anſelmum. Eſt autem in illis verbis; *In ſanguine*, non is Hebraiſmus, de quo iam ſæpius dictum; quaſi dicat, vi ſanguinis effuſi. Sic Dauid: [a] *In te eripiar à tentatione*. Et: [b] *In te inimicos noſtros ventilabimus cornu*. Et id genus alia. *Per fidem in ſanguine ipſius.* Chryſoſtomus nõ videtur legiſſe per fidem, cùm in explanatione nullum verbum faciat de fide: habetur tamen in omnibus codicibus tam Græcis, quàm Latinis, & apud Syriacum. Ambroſius legit; *propitiatorem fidei*; neſcio autem vtrùm probandum ſit (quod obſeruarunt nonnulli) aliud ſignificaſſe Apoſtolum, cùm dixit, per fidem; quàm cùm ſubdit, in ſanguine ipſius; quaſi ſanguis vim habeat faciendi, fides autem ſit veluti medium, quo Chriſti ſanguis in credentibus vim ſuam exercet. Nam cùm conſtet, ipſis etiam conſentientibus, In ſanguine ipſius eſſe hebraiſmum, quo fermè (vt aliàs monui) ſignificatur inſtrumentum: perinde eſt ac ſi dicat, per ſanguinem. Itaque crediderim, vtrumque dicendi modum eamdem vim habere, ſed ſanguinem quidem eſſe inſtrumentum, quo Deus voluit nobis ſua diuina munera concedere: fidem autem, quæ etiam ab efficientia, & merito ſanguinis Chriſti pendet, eſſe veluti manum, ſeu inſtrumentum, quo primùm nobis Chriſti merita applicantur, quamquam & ipſa Chriſti merito beneficióque tribuitur. Stultè autem æquè, atque impiè hinc colligunt hæretici, Chriſtum ita pro nobis omnibus abundè ſatisfeciſſe, vt nulla deinceps à nobis ſatisfactio ſit exigenda. fatemur enim, vim meritorum Chriſti fuiſſe infinitam, valuiſſéque ad ſatisfactionem pro omniũ mortalium ſceleribus: ſed perpetuò Eccleſia Catholica exiſtimauit, & proximè Concilium [c] Tridentinum definiuit, aliter Chriſti merita applicari in Baptiſmo, aliter in ſacramento Pœnitentiæ. in Baptiſmo quidem valere non modò ad culpæ, ſed etiam ad omnis pœnæ expiationem: in Sacramento verò Pœnitentiæ condonata culpa, nonnullam reliquam eſſe perſoluendam pœnã, quæ noſtris ſatisfactionibus redimitur, vt ſuo loco copioſiùs explico.

III. *Ad oſtenſionem iuſtitiæ.* Vel hinc maximè perſpici poteſt, quàm ambiguè Paulus tum hoc capite, tum hac tota Epiſtola, iuſtitiæ nomine vtatur. Promiſſorum fidem, & conſtantiam interpretatur hoc loco Ambroſius, ſed (vt arbitror) parum ad rem. neque enim hæc Pauli ſententia ſuperioribus ſatis aptè cohæret. Origenes, Chryſoſtomus, Theodoretus, & alij iuſtitiam explicant eam, qua Deus ipſe iuſtus eſt, ſed aliter, atque aliter. Nam Origenes quidem, & recentiores nonnulli eam iuſtitiam accipiunt, qua voluit pro hominum ſalute, Chriſtum mori, vt iuſto veluti pretio accepto hominum genus in gratiam reciperet. Sed quanquam hoc eſt veriſſimum, tamen dubito vtrum in præſentia locum habeat: hæc enim iuſtitia in ipſa Chriſti morte, & ſanguinis effuſione elucet, non ex eo declaratur, quòd eius mortis fructus, atque vtilitas, fidei beneficio à nobis percipiatur: quod tamen hoc loco docet Paulus. Chryſoſtomus verò illam iuſtitiam indicari putat, qua Deus iuſtus eſt, dum homines iuſtificat. ſic enim ille ratiocinatur.

Quemadmodum Deus, quia diues eſt, alios locupletat; quia vita mortuos ad ſuperos reuocat; quia immenſa quadam vi, ac poteſtate præditus, alios firmat, ac roborat; ita quia præclara quadam iuſtitia eminet, alios iuſtos reddit. Sed ſi hoc perinde accipiamus, quaſi Dei iuſtitia ſit extrinſeca quædam iuſtificationis noſtræ forma, impia, atque hæretica ſententia eſſet, ſi proxima iuſtificationis effectrix, vereor, vt ſit vera, cùm id potius miſericordiæ, quàm iuſtitiæ conueniat. Vt interim omittam, hanc ſententiam, non cohærere cum iis, quæ proximè ſequuntur; longiùs à vero receſſiſſe videtur Theodoretus, qui diuinam in eo iuſtitiam declarari exiſtimat, quòd Deus hominum ſcelera, atque flagitia diu patienter tulit, cùm tamen benignitatis id proprium ſit, vt aliàs ſæpè ſacræ litteræ docent. Porrò Auguſtinus, [a] IV.

quem ſequitur Anſelmus, in ſua perſtat ſententia, quam paulò antè explicuimus; quæ mihi idcirco probatur in primis, quòd antecedentibus, & conſequentibus maximè conſentanea videatur, & planam, atque apertam loci perobſcuri ſententiam reddat. ſic enim ait Paulus: omnes quidem peccato implicitì ſunt, ſed æquè omnes iuſtificantur vi redemptionis Chriſti, quem Deus propitiationẽ quodammodò eſſe voluit, idque proprij ſanguinis copioſa effuſione; vt diuina iuſtitia non ſolùm præteritorum ſcelerum tolerantia, & condonatione, ſed multò magis in præſentia ea, qua impios iuſtificat facilitate, illuſtrior clariórque euaderet. Ad eamdem igitur iuſtitiam, qua nunc Deus iuſtificat impios, declarandam placuit ipſi Deo Chriſtum quaſi vindicem, atque aſſertorem noſtræ libertatis conſtituere, eiúſque ſanguinis effuſionem pro pretio admittere, delicta, quæ quaſi iam omnino præterita, ac veluti antiquata, iteranda non ſunt, condonare; ipſam denique gratiam, qua iuſti coram Deo efficiuntur ij, qui fidem Ieſu Chriſti perceperint repræſentare. Hoc autem (vt ait Anſelmus) effuſione ſanguinis Chriſti maximè declaratur. ex ea namque conſtat non ſuis meritis, aut vi legis homines iuſtificari, ſed vnius Chriſti munificentia, ac liberalitate, cui nos per fidem copulamur. Hæc ſanè iuſtitia ante Chriſti mortem non modò Gentiles, qui Deum ignorabant, ſed etiam Iudæos, qui gloriabantur in lege, magna ex parte latebat, vt colligi poteſt ex Paulo. [b] *Iudæi* (inquit) *Dei iuſtitiam ignorantes, & ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti.* Itémque: *Iſrael ad legem iuſtitiæ non peruenit. quare? quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus.* At vbi Chriſtus pro hominum ſalute proprio ſanguine litauit, tum verò apparuit iuſtitiam noſtram non oriri ex lege, vt egregiè ad Galatas [c] colligit Paulus. *Quoniam enim* (ait) *nemo ex lege iuſtificatur, manifeſtum eſt quia iuſtus ex fide viuit.* Nam ſi lex potuiſſet veram iuſtitiam largiri, Chriſtus profectò (vt idem Paulus [d] affirmat) *gratis mortuus eſſet.*

V. *Propter remiſſionẽ præcedentium delictorum*, διὰ τὴν πάρεσιν. Ambroſius legiſſe videtur πρόθεσιν. Latinè enim reddit propoſitum, quaſi Apoſtolus de æterno illo agat decreto, quo ſtatuerat Deus mundi peccata aliquando expiare; quod etiam viſum eſt alicubi Auguſtino. [e] Et profectò tantorum virorum auctoritate, non poſſet non videri probabile, ſi ei codicum fides ſuffragaretur, nec verbi παρίημι ſignificatio, vnde dicta eſt πάρεσις, magnopere repugnat. Remiſſionem tamen, & condonationem, vel etiam eneruationem interpretati ſumus, priora illa Latinis, hoc poſtremum Græcis conceſſimus. re enim vera idem vtrique dicunt præterita delicta Chriſti beneficio fuiſſe condonata, ſed illi quidem vſu iam pene contritam rationem dicendi retinuerunt, qua remitti, aut condonari peccata dicuntur iis,

qui

[a] Pſal. 17. 30.
[b] Pſal. 43. 6.
[c] Seſſ. 14. c. 8.
[a] lib. de ſpiritu & littera cap. 13.
[b] Infra cap. 10. 3.
[c] cap. 3. 11.
[d] ad Gal. 2. 21.
[e] de ſpiritu & littera cap. 11.

qui iuſtificantur, & cum Deo in gratiam redeunt: hi verò nouam, & meo quidem iudicio ἰμφατικωτέρας locutionis formam ſecuti ſunt. nam cùm penè ſemper remiſſio, ſeu condonatio Græcè ἄφεσις dicatur, hîc autem legatur πάρεσις, quæ propriè defectionem, languorem, virium extenuationem, tabem denique ſignificat: hac illuſtri metaphora declarari putauerunt peccatorum remiſſionem Chriſti beneficio factam eſſe ad declarandam Dei iuſtitiam, quæ dum impios iuſtificat, corpus quodammodò peccatorum eneruat, ac tabefacit; quod nihil eſt aliud, quàm ea remittere, & condonare. Eadem enim metaphora vſus eſt Paulus ad eamdem iuſtificationem inſinuandam cùm ſcripſit non ita multò [a] pòſt.

[a Ephes. 6.]

VI. VT DESTRVATVR CORPVS PECCATI. B Docet itaque Apoſtolus præterita delicta, quæ vi quadam ſua premebant, ac perurgebant homines ad interitum effuſione ſanguinis Chriſti fuiſſe eneruata, ac ſuis viribus ſpoliata. nam cùm Chriſtus omnium peccata deleuit, vim profectò peccatorum eneruauit. Præcedentia verò peccata cùm dicit, non excludit à Chriſti beneficio, quidquid [b] alij ſecus ſentiant, ea hominum flagitia, quæ mortem ipſius conſecuta ſunt. Sed (vt affirmat D. Thomas) præcedentium peccatorum meminit, vt ſignificet illa neque legis naturalis, neque legis ſcriptæ viribus, ſed vnius Chriſti merito fuiſſe expiata. Vel quia minus credibile videbatur, præterita peccata, quæ Chriſti necem anteceſſerant, eius beneficio fuiſſe C condonata, vt maior vis, atque efficacitas ſanguinis Chriſti appareat, quippe cuius reſpectu etiam antequàm re vera funderetur, priſcis Patribus ſuã Deus gratiam impertierit. Vel propterea præcedentia peccata nominat, quòd illa nonniſi Chriſti morte perfectè, atque omni ex parte deleta ſunt. Cùm enim ante aduentum Chriſti ita condonarentur peccata, vt nemini tamen, quamuis iuſtiſſimo aditus pateret in cœlum, ſed omnes iuſti in lymbo, tanquam in carcere, incluſi detinerentur, cuncti deinde Chriſti morientis veluti ſanguine delibuti, cathenis, & compedibus penitùs ſoluti in cœlum euecti ſunt. Vel denique (quod magis reor) dum præterita peccata recenſet, indicat quodammodò peccati ſtatum præteriiſſe, neque æquum eſſe poſt tam D ſingulare beneficium priſtina flagitia repetere, quæ præſenti Chriſti gratia non aliter, ac luci tenebras, cedere oporteret. Nam quod nonnulli dicunt, præterita delicta intelligi, quæ fidem, ac primam hominis iuſtificationem præuertunt; quòd illa Chriſti ſanguine abſque vllo noſtro vel labore, vel merito in baptiſmo expientur cùm alia, quæ poſtea perpetrantur, luctu, dolore, ac lacrymis egeant; verum quidem eſt, & conſentaneum iis, quæ ad Hebræos [c] ſcribit Paulus; neſcio tamen, vtrùm præſenti diſputationi conueniat. Qui [d] eneruationem referunt ad ipſos peccatores quaſi illi ſint præteritis peccatis eneruati quodammodo, ac viribus deſtituti, dicunt quidem id, quod res eſt, ſed vereor, vt ad rem dicant. Quid enim pertinet ad illuſtrandam iuſtitiam, E quòd diu fuerint homines pondere peccatorũ preſſi, & eorum veluti tabe penitùs eneruati? Pertinet id quidem ad Dei benignitatem, tolerantiam, & longanimitatem prædicandam; ſed ad commendandam iuſtitiam non item. At enim propterea miſit Deus Chriſtum propitiatorem, quia videbat mundum multis quaſi ſceleribus tabefactum; ad eam verò tabem ſanandam Chriſtum tanquàm cœleſtem medicum deſtinauit, cuius curandi peritia, ac mira efficacitas hoc illuſtriùs cernitur, quo morbi vis maior, & periculoſior erat, quóque à ſalute longiùs aberat

[b Anſ. & Or... in hunc locum.]
[illegible]
[c c. 6. & 10.]
[d Chryſoſt. Theophyl. Oecumen.]

A mortale genus. ita enim dixit alibi Paulus: *Vbi abundauit delictum, ſuperabundat & gratia.* Nihil potuit verius dici, ſed non id agit hoc loco Apoſtolus. Illud enim διὰ τὴν πάρεσιν, quod noſter interpres reddidit *per remiſſionem*; finem ſignificat, quem Deus aliqua ratione per ſe quæreret, ac veluti expeteret; dum (quod mox ſubditur) præterita delicta toleraret, vt ea videlicet gratiæ deinde beneficio gloriosiùs eneruaret. Quocirca Chryſoſtomus, Oecumenius, Theophylactus interpretantur; vt efficeret remiſſionem, hoc eſt, internecionem peccatorum. Atqui ſcelerum, ac flagitiorum tabes permiſſa quidem, ac tolerata eſt, vt iuſtitia appareat, non eſt tamen finis, qui per ſe appeti, aut à Deo effici queat, niſi quis intelligat propter illam tabem ſanan- VII.
B dam quaſi illa (vt more noſtro loquamur) vim habuerit diuinam bonitatem permouendi ad ſuam gratiam, ac iuſtitiam declarandam, quomodo legimus apud Dauidem [a]: *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.* Vbi tamen Græcè legimus non διὰ, ſed ἀπὸ, vt ſe motum dicat Deus, ac veluti excitatum ab inopia pauperum, eorúmque gemitu, & clamore. Quæ ratio quamquàm non omni ex parte vim argumentationis aſſequitur, qua vtitur Apoſtolus in præſentia, poteſt tamen vtcumque admitti, niſi quòd oſtenſio iuſtitiæ non videtur referri ad tabem illam ſanandam, tanquàm ad finem: ſed contrà potiùs ſcelerum, ac flagitiorum veluti corpus ideo tabeſcit, atque eneruaC tur, vt iuſtitia Dei appareat. Integer itaque ſenſus hic erit, quia homines peccatis quodammodò obruti erant, miſit Deus redemptorem, ac medicum, qui ſalutem, ac veram iuſtitiam, & gratiam omnibus afferret, idque vt aboleret, ac penitùs extingueret peccata, quæ Deus immortalis diu tolerauerat, vt hanc ſuam iuſtitiam, qua homines iuſtos ex peccatoribus reddit, olim promiſſam, hoc tempore declararet, quæ videlicet tum demum elucet, cùm peccata nobis remittuntur, eorúmque vis frangitur, ac penitùs eneruatur. Et quo diutius nos paſſus eſt Deus premi quodammodò, atque vrgeri, hoc eadem iuſtitia clarior illuſtriórque apparet, dum nos iuſtificat, & beneficio gratiæ Chriſti vim peccatorum eneruat, & præterita quidem condooat, aduerD ſus verò futura nos partim roborat, partim armat, ne deinceps vllo ipſorum impetu ſuperemur.

[a Pſal. 11. 6.]

IN SVSTENTATIONE DEI, &c. ἐν τῇ ἀνοχῇ. Hæc verba ad ipſam tabem, & ægritudinem 26. I.
à peccatis ortam, quam paſſus eſt Deus, vſque ad Chriſti aduentum in homines deſæuire, penitùs ſanandam, atque abolendam referenda, putant ij, quos paulò antè indicaui; ſed (vt monui) neſcio quàm verè. Tametſi enim non nego, Deum re vera flagitiorum morbum, ac veluti peſtem & permiſiſſe, & longo tempore toleraſſe, vt ipſius deinde gratiæ, diuinæque iuſtitiæ vis, ac poteſtas clariùs emicaret; vero ſimilius tamen eſt, ad ipſa peccata referri; vt ſit ſenſus, miſſum à Deo Chriſtum ad expianda peccata, quæ diu tolerata ſunt, vt diuina iuſtitia, qua peccatores iuſtos facit, illuſtriùs cerneretur. E Paucis ergo colligo loci perobſcuri ſeoteotiam. Propoſuit Deus filium ſuum tamquàm placameotum, idque proprio ipſius ſanguine pro nobis effuſo, vt prodeſſet credentibus, adeóque diuina iuſtitia, qua homines iuſtificat, præteritis delictis expiandis ſeſe proderet: quæ idcirco Deus patienter tulit, vt inde illa ipſa iuſtitia clariùs poſt Chriſti aduentum eluceret, ipſoque adeo Deus non iuſtus modò, ſed fons, atque origo omnis iuſtitiæ, & ſanctitatis appareret.

AD OSTENSIONEM IVSTITIÆ SVÆ. II.
Paulò antè dixerat Græcè εἰς ἔνδειξιν, id eſt, ad

oſten

oſtenſionem; nunc verò πρὸς ἔνδειξιν, quod bellè A hoc loco quidam in aliam à ſuperiori ſententiam trahunt, ſed rerum ipſarum ἀκολουθίᾳ maximè repugnante; πρὸς enim cum accuſandi caſu id frequenter ſignificat, quod, propter, vel, cuius gratia: eáque ſignificatio huic loco optimè conuenit. Præteritorum namque ſcelerum tolerantia huius potiſſimùm diuinæ iuſtitiæ declarandæ gratia Deo placuiſſe dicitur, vt ſignificare velit Paulus, apparere quidem diuinam iuſtitiam ex præteritorum ſcelerum expiatione: ſed ea ſcelera huius rei potiſſimùm gratia tam patienter fuiſſe tolerata, vt hoc ipſo tempore legis Euangelicæ, hæc diuina iuſtitia ſuæ veluti lucis radios latiùs funderet. cùm enim perſpectum ſit, & cognitum, neque naturæ legem, neque decalogi præcepta, aut Moſis ceremonias, veram potuiſſe B iuſtitiam, vel ſanctitatem afferre; Deus Opt. Max. Chriſtum propitiatorem exhibuit, qui proprij cruoris effuſione, cuncta mortalium flagitia, atque peccata expiaret.

III. VT SIT IPSE IVSTVS, ET IVSTIFICANS EVM, QVI EST EX FIDE IESV CHRISTI. Vt iuſtitiæ nomen paulò antè aliter, atque aliter intelligi indicauimus, ita iuſtum dici hoc loco Deum, non eodem modo accipitur. Chryſoſtomus, & qui iuſtitiam intelligunt eam, qua Deus iuſtus eſt, eum idcirco iuſtum apparere dicunt, quòd tamdiu, tam multa, & tam grauia ſcelera propterea tolerauit, vt hæc diuina ſua iuſtitia cerneretur. Anſelmus: *Qui ſuſtinuit* (inquit) *ac tolerauit peccata, vt corrigerentur, iuſtus apparet dum ſupplicium infligit,* C *qui quantum in ipſo fuit dederat operam, vt abolerentur.* Ambroſius: Veritas, ac iuſtitia diuinarum pollicitationum, tum demùm enituit, cùm poſt diuturnam ſcelerum tolerantiam, & conniuentiam, fidem aliquando ſuam Deus immortalis liberauit, miſſo tandem placamento in Chriſto, qui pro cunctis mortalibus proprio ſanguine litaret. Fortè meliùs, idcirco iuſtus dicitur apparere Deus, quia Deus quamquàm hominum generi prorsùs gratuitò, ac liberaliter præteritorum flagitiorum noxam remiſit, iuſtum tamen à Chriſto pretium, & veluti præſtiti vadimonij pœnam exegit. ita iuſtificat *eum qui eſt ex fide*, vt opponat ei, qui eſt ex circumciſione, vel ex lege. de qua ratione loquendi dictum eſt ſuprà.

27.
I. VBI EST ERGO GLORIATIO TVA? D &c. Redit ad ſuperiora, vt ex paraphraſi colligi poteſt: cùm enim æquè Iudæi, atque Gentiles ſint rei, atque indignationi diuinæ obnoxij, quid habent illi, quo aduerſus Gentiles inſolentiùs glorientur? Certè omnis gloriandi occaſio per legem fidei excluſa eſt. Verùm quod attinet ad verba, Græci codices non habent *tua*, quod tamen pronomen Ambroſius, & Auguſtinus agnoſcunt. certum quidem eſt hanc orationem potiſſimùm Iudæos attingere, qui (vt ſæpè dictum eſt) legis præceptis, ac ceremoniis, mirum in modum gloriabantur, rem verò ipſam ſi putemus, geminam Auguſtinus [a] gloriationem intelligi poſſe docet, alteram laudabilem, alteram verò vitioſam. Laudabilem eam definit, quæ in Domino gloriatur. Eam ille excluſam eſſe E dicit, vbi Chriſti iuſtitia apparuit, hoc eſt expreſſam, oſtenſam, declaratam eo fermè modo, quo qui Latinè loquuntur, aurifices, & argentarios excluſores appellant. Ita enim explicanda eſſe verba Dauidis [b]: *Vt excludant eos, qui probati ſunt argento*; hoc eſt, vt illi emineant, qui diuino eloquio, veluti quodam argento, probati ſunt. Alteram verò vitioſam eſſe affirmat, quam in Iudæis maximè reprehendit Apoſtolus, qua ſiue legem, ſiue propria merita ſupra modum efferebant. Hanc autem excluſam ait eſſe, hoc eſt, exploſam, reiectam, & repudiatam. ſed vt hæc ingenioſa ſunt, atque arguta; ita quod attinet ad laudabilem gloriationem, parùm ad rem, ſiue Dauidis, ſiue Pauli locum ſpectemus. Nam vt de Dauide priùs dicam, Hebræi codices, vel ipſo interprete Hieronymo, longè aliam ſententiam reddunt. Apud Septuaginta verò legimus, μὴ ἀποκλεισθῆναι, vt non excludantur; vel affirmatiuè, τοῦ ἀποκλεισθῆναι, vt excludantur. Quæ verba cùm mirè conueniunt cum voce ἐξεκλείσθη, qua vtitur Paulus, tum nihil pertinent ad artem fuſoriam, ſed excluſionem, & repulſam omnino ſignificant. Itaque proculdubio loquitur Paulus de mala Iudæorũ gloriatione, quam excluſam dicit Chryſoſtomus, non diſſolutam, quia nihil habent, vnde poſt Chriſti aduentũ meritò glorientur. Ridiculè verò non minùs, quàm imperitè, B atque impiè ex hoc loco colligunt hæretici, excludi à iuſtificatione omnium opera, quorum cauſa gloriari quiſpiam poſſet. nam vt omittam, hæc propriè dicta eſſe contra Iudæos, qui legis operibus nonnullam gloriam aucupabantur; planè conſtat, eam ſolam gloriationem excludi, quæ ex propriis meritis propriáque iuſtitia oritur, quaſi nihil à Dei gratia pendeat. Nam alioqui ſi quis iis actionibus, quæ à diuina gratia oriuntur, aliqua ratione glorietur, rectè alibi ſcribit Apoſtolus: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Idque frequenter vſurpat Auguſtinus; & egregiè dixit Bernardus [a]: *Hæc nobis gloriatio non ſolum non prohibetur, ſed etiam ſuadetur, cùm dicitur, gloriam ab inuicem quæritis; & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non vultis.*

Subdit PER QVAM LEGEM? FACTORVM? NON, SED PER LEGEM FIDEI. An legem factorum, ſeu operum vocat legem Moſis? Certè ita ſentit Theophylactus; ſiquidem in Leuitico [b] ſcriptum eſt: *Cuſtodite leges meas, atque iudicia, quæ faciẽs homo viuet in eis.* Sed hanc ſententiam refellit, aut refellere potiùs videtur Auguſtinus [a], qui tamẽ poſt longam diſputationem concludit, legem operum dici quamlibet legem, quæ præcepta morum contineat, auxilio autem gratiæ deſtituatur. Legem verò fidei eam vocat, quæ tametſi præcepta continet, quæ ſunt re ipſa ſeruanda, ſpiritum tamen, & gratiam largitur, vt ſeruari queant. Qua ratione neceſſe eſt legem Moſis ad legem factorum pertinuiſſe: quamquàm D enim in ea lege erat lex fidei, ac fidei beneficio etiam gratia, quod etiam ante legem multis accidiſſe accepimus: quia tamẽ ea fides Chriſtum venturum ſpectabat, ab eóque tanquàm à fonte omnis gratia manabat, non illius legis propria, ſed legis Euangelicæ veluti fructus cenſebatur. Euangelium enim lex fidei meritò vocatur à Paulo, non ſolùm quia fides eſt eorum omnium, quæ Euangelio traduntur, veluti ſolum, ac fundamentum; ſed quia quidquid olim veteres Patres futurum credebant, nos, qui Chriſtum conſecuti ſumus, factum credimus. Lex igitur factorum iubet quid faciendum, fugiendúmve ſit. Lex fidei eſt ipſa fides, quæ gratiam impetrat, cuius beneficio legi obtemperatur. Vtraque autem lex poſtulat opera, ſed lex factorum E ſolùm continet præceptum, lex fidei etiam præbet auxilium. Quocirca non ſolùm lex Moſis dici poteſt lex factorum, ſed etiam Euangelium; qua ratione aliquid faciendum præcipit; lex autem fidei eſt ipſe ſpiritus fidei, quo omnes omnino iuſti gratiam aliquando impetrarunt.

ARBITRAMVR HOMINEM IVSTIFICARI, &c.) Ambroſius, *Certò* (inquit) *habemus.* 28. I.
Hieronymus; *Certi ſumus*, vel *iudicamus*. Oecumenius, *dicimus itaque*: nos in paraphraſi; Concluſimus igitur. Eſt enim particula οὖν, non γὰρ, videtúrque hæc

a de ſpiritu, & litera c. 10
b in Pſalm. 67. 31.
a Serm. 13. Cant.
b cap. 18. 5.
a De ſpi. & lit. c. 13.

hæc totius diſputationis clauſula, de qua tamen merirò quæras, quónam modo gratis iuſtificemur, ſi neceſſe eſt nos per fidem iuſtificari. Sedenim gratuita iuſtificatio non ſimpliciter omnia opera excludit, ſed ea duntaxat quæ ſuapte natura vim merendi contineant,& fiant ante gratiam, vt ſæpè docuit Auguſtinus [a], neque diſcrepat Hieronymus [b]: vel certè opera legis veteris, quæ illius legis,ac populi Iudaici propria eſſent. nullæ enim veteris legis ceremoniæ ſuapte vi inſtitiam, aut gratiam afferre poterant. Nam ſi inſtificationis nomine intelligamus vim illam,quam ad iuſtificandos homines vnus Chriſtus dicitur attuliſſe, qui (vt paulò antè dixit Paulus) redemptionis noſtræ iuſtum pretium perſoluit,ea planè liberaliter, & prorſùs gratuitò conceſſa eſt,adeo vt neque legis beneficio, nec fidei inſtrumento,neque vllius creatæ naturæ merito comparari potuerit, cùm ſit Chriſtus fons,& origo omnis meriti. Ita Paulus ad Galatas dixit: *Non iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti.* Quòd ſi iuſtificationis nomine totam illam actionum congeriem accipiamus, quibus tanquàm gradibus peruenitur ad remiſſionem peccatorum,atque iuſtitiam,ea profectò iuſtificatio ita fit omnino gratis,vt ipſa etiam fides, quæ præuenientis gratiæ beneficio primo veluti gradu diuinitùs cōceditur,gratis tribuatur. Nec enim quiſquam fidem poteſt concipere,qualem iuſtificatio poſtulat, niſi diuino gratiæ præuenientis auxilio mens eius & illuſtretur, & ad credendum mira quadam ſuauitate adducatur. Quocirca rectè Auguſtinus [c] ideo ait, hominē gratis iuſtificari, *quia & ipſa bona opera nobis ex Deo ſunt, à quo nobis & fides eſt, & dilectio.* Et alio loco [d]: *Ideo per fidem iuſtificari dicit Apoſtolus hominem non ex operibus, quia ipſa prima datur, ex qua impetrantur cætera.* Sin autem iuſtificationem ipſam gratiæ iuſtificantis infuſionem intelligamus,non pendet illa quidem ab vllo operum merito condigno, nec vi vllius actionis, quaſi à lege profectæ tribuitur, ſed poſita fide,aliiſque præparationibus liberaliter à Deo conceditur: quocirca (vt ſuprà monuimus)rectè dixit Concilium [e] Tridentinum, propterea nos gratis iuſtificari,quia nihil eorum, quæ iuſtificationem præcurrunt, vim habet merendi gratiam iuſtificantem. Quomodo autem fides iuſtificare dicatur, quantum ſatis eſſe videbatur, dictum eſt ſuprà: illud tamen in præſentia libenter monuerim,non eſſe illos audiendos, qui fidem iuſtificantem putant eſſe fidem formatam,cùm hæc fides ſit ipſa iuſtificatione,& gratiæ infuſione poſterior: ea verò fides iuſtificare dicatur homines, quæ ad Chriſtum, id eſt, eius gratiam,& charitatem perducit, vt infrà commodiore loco fuſiùs explicabitur. Interim moneo,cautè legenda,piéque explicanda eſſe verba quædam Chryſoſtomi [f]. *Iuſtitia* (inquit) *conflatur ex multis virtutibus, & vna virtus actiua non facit iuſtitiam, quemadmodum nec vna tabula perficit nauigium, nec vnus lapis domum, vna ſola virtus iuſtificat, fides, quæ eſt virtutum faſtigium.* Solam autem fidem videtur accipere eam,quæ actiones externas excludit, vel legis ceremonias,vt alibi [g] non rarò. Nam alioqui Chryſoſtomum præter fidem etiam opera poſtulare, ex multis eius locis [h] facilè quiuis deprehendat.

a lib. de gratia,& lib. arb. cap. 7. lib. de præd. ſanct. c. 7. Præfat. in Pſ. 31.& alibi.
b ep. ad Cteſiphont. vltra med.
c lib. de gratia,& lib. arb. cap. 7.
d lib. de prædeſt. SS. c. 7.
e Seſſ. 6. c. 8.
f in Pſal. 14.
g Hom. de fide,& lege naturæ. Hom. 3. ad Titum.
h Hom. 5. 25. 26. 70. in Mat. Hom. 27. 29. 31. in hāc epi. hom. 1. in prio rem ad Tim.

29. AN IVDÆORVM DEVS TANTVM,&c.)
I. Nimirum perſtat in ſententia ſua Paulus, gratiam videlicet & iuſtitiam Chriſti beneficio omnibus Gentibus eſſe propoſitam. Id primùm oſtendit ex communi omnium mortalium indigentia, cùm ſint omnes peccati labe fœdati, ac propterea iuſtæ damnationi obnoxij. Verùm quia poſſet fortaſſe quiſpiam dicere, egere quidem omnes mortales diuina

A liberalitate,& gratia, non tamen de omnium hominum ſalute diuinam prouidentiam eſſe ſollicitam: Apoſtolus eùm hoc firmiſſimo argumento refellit, tum id,quod probauerat,etiam, atque etiam confirmat diuinæ benignitatis fontes vniuerſo hominum generi patere. Cùm enim Deus omnium ſit hominum conditor, qui omnium vitas & primùm procrearit,& continenter tueatur,ac ſeruet,omnium ſalutem ſuo quodam iure procurat,& qui ab omnibus cultum, ac venerationem exigat,omnibus etiā ſuam gratiam, ac vitam ſempiternam voluit eſſe propoſitam, vt vel hinc etiam facilè colligas hominum iuſtificationem à lege Moſis, quæ ad vnam duntaxat Iudæorum gentem pertinebat, nulla ratione pendere, cùm ad illam etiam Gentes,quæ legi Moſis non
B ſubſunt,vltrò à Chriſto inuitentur. AN IGITVR (inquit) IVDÆORVM DEVS TANTVM? Id profectò ſibi quo iure, quáve iniuria Iudæi perſuadebant, qui audierant olim Deum Abrahami,Iſaac, & Iacob appellari, adeóque putabant ſua tantùm cauſa Chriſtum venturum. Hanc ergo falſam Iudæorum opinionem tacitè perſtringit Paulus. Addit verò; NONNE ET GENTIVM? Sic enim II.
ait Dauid [a]: *Rex omnis terræ Deus.* Et Ieremias [b]: *Quis non timebit te, Rex Gentium?* Neque verò inficias iuerim, quod etiam ſuprà [c] indicatum eſt, ob ſingularem erga aliquam gentem, aut nationem Dei prouidentiam poſſe Deum eius gentis præcipuo quodam nomine vocari, vt egregiè obſeruauit Clemens [d] Alexandrinus. Qua ratione eximio quodam
C modo dicebatur olim Iudæorum Deus, vt ſignificat Dauid his verbis [e]: *Deus noſter refugium, & virtus adiutor in tribulationibus.* Cæterùm diuinam prouidentiam nullius nationis, aut gentis terminis circumſcribi, ſed ad omnes penitus mortales pertinere,tam certum eſt,quàm quod catholica fide credendum ſit. Quamobrem rectè ſubdit Paulus: *Immò & Gentium,* quod vel proprio experimento compertiſſe ſe,gratulatur Petrus [f] in Actis Apoſtolicis.

QVONIAM QVIDEM VNVS EST 30.
DEVS,&c.) Hoc nimirum eſt,quod olim frequenter I.
vaticinati ſunt Prophetæ; & apertè dixit Chriſtus, duos populos in vnam Eccleſiam,ac fidem congregandos, vt fieret *vnum ouile, & vnus paſtor.* Quod autem ſpectat ad verba Pauli,Græcè legimus *δικαιώσει*,
D id eſt, iuſtificabit; Hilarius [g] tamen,& Auguſtinus [h] præſenti tempore habent,iuſtificat. Quod verò ait,iuſtificare circumciſionem ex fide,præputium verò per fidem, quamquàm Origeni,& alijs continere videtur ſubtilem quandam diſcriminis rationem,vt præpoſitio, ex, cauſam remotam;per,verò propinquam,ſeu proximam indicet; mihi tamen veriſimilior videtur Auguſtini [i] ſententia, qui nullum diſcrimen agnoſcit. nam & de Gentibus ad Galatas [k] ſcribit: *Ex fide gentes iuſtificat.* Sed ſi quod diſcrimen admittendum ſit, crediderim voluiſſe Paulum indicare,Iudæos non ex vi legis,ſed ex fide iuſtificationem aſſequi; Gentes autem, quæ nihil habebant,vnde poſſent iuſtificationē ſperare, per fidei ſuſceptionem Chriſti gratiam, & beneuolentiam
E aſſecutas.

LEGEM ERGO DESTRVIMVS PER 31.
FIDEM?&c.) Græcè eſt *καταργοῦμεν*, quod eſt irri- I.
tam,atque inanem reddimus. Pro voce autem Latina; *ſtatuimus*, Græcè dixit Paulus *ἱστῶμεν*, hoc eſt, fulcimus,ſtabilimus,ſuum illi robur, ac vim aſſerimus, quæ alioqui vacillaret, ac fluctuaret. Sed permirum videatur, qua ratione Paulus neget ſe per fidem legem abolere, aut irritam reddere, qui ad Galatas [l] dixit, *Si enim quæ deſtruxi iterum ædifico, præuaricatorem me conſtituo.* Ex mox [m]: *Ego enim per legem legi*

a Pſal. 46. 8. 71. 11.
b cap. 10. 7.
c cap. 1.
d lib. 6. ſtro.
e Pſal. 45. 1.
f cap. 10. 35.
g lib. de Synod. & in Pſ. 66.
h lib. de ſpir. & lit. c. 29.
i De ſpirit & lit. c. 29.
k cap. 3. 8.
l cap. 2. 18.
m verſ. 19.

a cap 7.22. *mortuus ſum, vt Deo viuam.* Et ad Hebræos [a]: *Tranſ-* A
lato enim ſacerdotio neceſſe eſt, vt & legis tranſlatio fiat.
b verſ. 18. Et paucis interiectis [b]: *Reprobatio quidem fit præceden-*
tis mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatem.
nihil enim ad perfectum adduxit lex. Itémque non
multò pòſt, allato Ieremiæ vaticinio, de nouo Teſta-
c cap.8.13. mento ſubiungit [c]: *Dicendo autem nouum, veterauit*
prius, quod autem antiquatur, & ſeneſcit, propè interi-
d epiſt.2.c.3. *tum eſt.* Cùm verò ſcriberet ad Corinthios [d], glo-
riam vultus Moſis per Chriſti gloriam euacuatam
fuiſſe ſignificat. Denique hac ipſa Epiſtola multa ſe
à Iudæis moleſta, atque acerba pertuliſſe comme-
morat, quòd legem videretur prorſus negligere. Il-
lud mirandum magis, quòd eam à ſe dicat per fidem
firmari, ac ſtabiliri. Nec dubium eſſe poteſt hæc
omnia ad auertendam Iudæorum inuidiam referri, B
qui pro lege Moſis pugnaciſſimè decertabant; &
e Matth.5. quod olim [e] Chriſto, idem poſtea Apoſtolis, ac vi-
f Act.6.& 7. ris [f] Apoſtolicis probro dabant, quòd legem Moſis
II. euerterent. Verùm non hæc ita Iudæorum auri-
bus dantur, vt cum veritate vlla ex parte pugnent,
modò quæ ſit horum verborum legitima ſententia
in tam diuerſa opinantiũ varietate ſtatui queat. Ori-
genes, ac Theodoretus legem aiunt præcipuè fidem
in Chriſtum præcepiſſe. Sic enim legimus in Deu-
g cap.18. 18. teronomio [g]: *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrũ*
suorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore eius,
loquetúrque ad eos omnia, quæ præcepero illi: qui autem
verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit,
h verſ.15. *ego vltor ero.* Et de eodẽ paulò antè dixerat Moſes [h]:
Prophetam de Gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me C
ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies. Hoc
autem vaticinium pertinere ad Chriſtum, aſſeueran-
i Act.3. ter dixit Beatus Petrus [i], & indicat Chriſtus ipſe
k cap.1 46. apud Ioannem [k]. *Si crederetis Moyſi, & mihi crede-*
retis. de me enim ille ſcripſit. Non igitur aboletur lex
per fidem, ſed potius firmatur. quod enim illa tanto
antè ſpoponderat, hæc re ipſa repræſentauit. Chry-
ſoſtomus, Theophylactus, Oecumenius, Auguſti-
l lib. de ſpir. & lit c.3. nus [l], B. Thomas fide putant legem ſtabiliri, quia
fides gratiæ diuinæ auxilium præbet, cuius vi ac po-
teſtate præcepta legis ſeruantur. Addit D. Tho-
mas fide Chriſtum apprehendi, qui legis ceremoniis
veluti adumbratè ſignificabatur. Denique fidei be-
neficio Euangelica conſilia proponi, quæ maiorem
tribuant facilitatem obtemperandi præceptis. Hie-
ronymus, & Anſelmus idcirco volunt legem ſtatui
per fidem, quòd fides nouum teſtamentum, circum-
ciſionem cordis in ſpiritu, ſenſum denique legis nõ
carnalem, ſed ſpiritualem afferat; quæ omnia lex [a] a Deut. c.30. Ierem. c.31.
olim aliquando futura pollicebatur. Addunt alij [b], b Cathar.
legem, fidei adminiculo veluti fulciri, quòd quæ lex
obſcurè tradebat, fides apertè ſine vlla verborum
ambage, aut figurarum vmbris explicat. Sunt qui [c] c Caiet.
dicant, idcirco à fide firmari legem, quòd fidei be-
neficio facilè quiuis intelligat, fuiſſe legem eximium
Dei donum, non autem hominum inuentum. Sed III.
quamquàm hæc verè, atque ingenioſè dicta ſunt,
propius tamen vero, & ad Pauli ſententiam expli-
candam accommodatius videtur, firmam, ac ſtabi-
lem fidei beneficio declarari legem, quòd eius vis,
ac poteſtas, ac proprium (vt ita dicam) munus intel-
ligatur. docet enim fides ex lege nihil præter pecca-
ti cognitionem hauriri poſſe, vacuam fuiſſe omnis
gratiæ, expertem roboris ac firmitatis, vno verbo, li-
teram occidentem. Vtrum verò hoc ipſum ſignifi-
cauerit Chriſtus cùm dixit [d]: *Non veni ſoluere legem,* d Matt.5.17.
ſed adimplere, alibi diſputabitur, cùm vnà cum Pau-
lo [e] de legis mutatione diſſeremus. Interim mo- e ad Heb.7. & 8.
neo, eorum [f] ſiue imperitiam, ſiue parùm ſanam f Sot. lib.2. de iuſt. & iur. q.3.art.4.
cauendam eſſe ſententiam, qui legem moralem ha-
ctenus per fidem, & Euangelium abrogatam eſſe
docent, vt quatenus à Moſe tradita eſt, habetúrque
in veteri Teſtamento nullam afferat Chriſtianis pa-
rendi neceſſitatem; cùm tamen Apoſtoli, aliique ſan-
cti Patres, cùm de moribus agunt, veteris Teſta-
menti plurima proferant teſtimonia; vt mirandum
ſit, illos auſos eſſe negare, vllum eſſe veteris Teſta-
menti locum, qui Chriſtianis imponat obtemperan-
di neceſſitatem, cùm tamen Chriſtus adoleſcenti, qui
ſalutis conſequendæ ac vitæ ſempiternæ capeſſen-
dæ rationem quærebat, legem ſeruandam eſſe re-
ſponderit. Proculdubio autem potiſſimum deca-
logum intelligebat, & præcepta morum.

Argumentum Cap. IV.

ANTEQVAM *probet Paulus quod ſuperiori capite collegerat, iuſtificari omnes homines per fidem, ſine vllo operum merito, reſpondet quæſtioni, quæ initio ſuperioris capitis propoſita erat, quænam ſit circumciſionis vtilitas, & præſtantia, cuius occaſione de Abrahami iuſtificatione diſſerit; tum ſacrarum literarum teſtimoniis oſtendit (quod ſibi propoſitum erat) iuſtitiam vni fidei acceptam ferri, nulla vel legis, vel circumciſionis habita ratione, ſed gratuitò, ac liberaliter vi ſolius pollicitationis diuinæ, quæ circumciſionem, ac legem antecedit.*

CAPVT IV.

QVID *ergo dicemus inueniſſe Abraham Patrem noſtrum ſecundum carnem?*

PARAPHRASIS.

1. QVID igitur dicemus Abraham noſtri
generis parentem, ac principem ad-
eptum eſſe, ſi eius humanas actiones, aut
ipſam etiam circumciſionem, eorúm-
que omnium vim tantummodò ſpectemus? Quã-
doquidem pro certo conſtitutum à nobis eſt, non
ex cuiuſquam actionibus quantumuis iuſtis, ac
laudabilibus, ſed vnius fidei beneficio iuſtifica-
tionem diuinitùs concedi? aut qua tandem ra-
tione exiſtimabimus iuſtificatum fuiſſe pri-
mum illum noſtræ gentis ſatorem Abrahamum?

2. ¶ Sanè ſi ille ſuis duntaxat actionibus humana vi,
& facultate editis, iuſtificatus eſt; habet ille qui-
dem nonnullam fortaſſe laudem,& cõmendatio-
nem,& vtcumque gloriari poteſt,non tamen apud
Deum immortalem,apud quem operum illa qua-
lis qualis iuſtitia,quæ hominibus magnoperè pro-
3. batur,locum nullum habet. ¶ At enim eximiam
laudem cõſecutus eſt coram Deo. Nam quid ob-
ſecro de illo ſcriptum accepimus?ſanè legimus in
libro Geneſcos credidiſſe Abrahamum Deo, íd-
que ei pro iuſtitia acceptum fuiſſe relatum.
4. ¶ Enimuerò ei, qui ſua actione aliquid promeri-
tus ſit,merces,quæ iure debetur,non gratuitò, aut
liberaliter rependetur,ſed lege iuſtitiæ perſoluen-
5. da, ac numeranda eſt. ¶ Ei autem,qui nullam ipſe
actionem exercet, ſed in eum ſolummodò credit,
qui iuſtificat impium; ſua illi fides pro iuſtitia fer-
tur accepta,eique adeo ipſa iuſtitia per fidem gra-
tis conceditur; non propterea quòd ex ſe id fidei
debeatur, ſed quia diuinæ bonitati placuit pro-
pter hominum ſalutem vltrò decernere, & con-
ſtituere,vt fides,Chriſti merita apprehendat, hoc
eſt eorum fructum percipiat, eáque ratione ve-
ram atque inhærentem iuſtitiam conſequatur.
6. ¶ Quamobrem etiam Dauid beatum inter mor-
tales pronuntiat illum, cui Deus accepto fert iu-
7. ſtitiam abſque operibus. ¶ Beati(inquit) quorum
remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum obtecta ſunt
8. peccata. ¶ Beatus vir cui Deus non fert expen-
9. ſum peccatum. ¶ Hæc igitur tam magnifica bea-
titudinis prædicatio,qua Dauid hos homines bea-
tos etiam pronuntiat; in circumciſionémne ſo-
lam,an etiam in præputium cadit? Nos ſiquidem
aſſeruimus fidem Abrahæ relatã fuiſſe acceptam,
pro iuſtitia, ipſúmque adeo planè gratis per fidem
10. iuſtificatum. ¶ At qua tandem ratione,aut quan-
do id factum putamus? Ante circumciſionémne,
cùm adhuc more gentium præputium retineret;
an verò poſtquàm circumciſione præputium re-
ſecuiſſet?Certè nõ poſt circumciſionem, ſed mul-
11. tò antè, quàm præputium amputaret. ¶ Ita dein-
ceps circumciſionem accepit pro ſigno, ac veluti
ſigillo, quo obſignaret iuſtitiam fidei,quæ ſuo tẽ-
pore recludẽda,ac reſignanda eſſet per Chriſtum,
vel quæ iam pridem in eo Dei ſingulari beneficio
præceſſerat, cùm adhuc præputium retineret, vt
ipſe Pater fieret omnium credentium, etiam eo-
rum, qui præputij circumciſionem abnuerent;
12. quibus item iuſtitia ferenda eſſet accepta. ¶ Pa-
ter autem diceretur circumciſionis non tantùm
propter eos, qui ſolam ipſius circumciſionem cõ-
plexi eſſent,ſed ob eos maximè,qui eiuſdem fidei
patris noſtri Abrahæ,quæ iam in præputio præceſ-
ſerat,veſtigiis inſiſtunt. Itáque Abraham creden-
tium Pater appellatus eſt, non modò ratione Iu-
dæorum,ſed etiam Gentilium reſpectu,cùm fides
Abrahæ æquè vtriſque poſſit eſſe communis, ne-
que in filiorum Abrahæ, aut fidelium numerum
præputio, aut circumciſione quiſquàm, ſed vna
13. tantùm fide referatur. ¶ Non enim ob legis cul-
tum,

Si enim Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum.

Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo,& reputatum eſt illi ad iuſtitiam.

Ei autem,qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam,ſed ſecundùm debitum.

Ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iuſtificat impium; reputatur fides eius ad iuſtitiam ſecundum propoſitum gratiæ Dei.

Sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iuſtitiã ſine operibus.

Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates,& quorum tecta ſunt peccata.

Beatus vir,cui nõ imputauit Domin⁹ peccatũ.

Beatitudo ergo hæc in circumciſione tantùm manet, an etiam in præputio? Dicimus enim quia reputata eſt Abrahæ fides ad iuſtitiam.

Quomodo ergo reputata eſt? in circumciſione, an in præputio? non in circumciſione, ſed in præputio.

Et ſignum accepit circumciſionis, ſignaculum iuſtitiæ fidei,quæ eſt in præputio, vt ſit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur & illis ad iuſtitiam.

Et ſit pater circumciſionis non iis tantùm, qui ſunt ex circumciſione,ſed & iis qui ſectantur veſtigia fidei, quæ eſt in præputio patris noſtri Abrahæ.

Non enim per legem promiſſio Abrahæ, aut

ſemini eius, vt hæres eſſet mundi; ſed per iuſtitiam fidei.

tum, aut obſeruationem illa ram ampla, & magni-
fica promiſſio ad Abrahamum, & ipſius poſterita-
tem pertinere cenſenda eſt, qua torius mundi
poſſeſſio, ac veluti hæreditas continetur, vltróque
promittitur, ſed ob vnam fidei iuſtitiam inter
ſuos filios, ac poſteros numeratutus dicitur om-

Si enim qui ex lege heredes ſunt, exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio.

nes orbis terræ nationes. ¶ Quòd ſi ij, qui legis 14.
præcepra ſectantur; hoc ipſo nomine, quòd legi
obtemperant, ad Abrahæ poſteritatem ſpectant,
atque in illius hæreditatis partem, ac ſocietatem
vocantur, nullus profectò erit fidei, nullus tam
eximiæ pollicitationis fructus, aut vtilitas, ſed
planè cùm fruſtra credetur, tum etiam inaniter
ampla illa promiſſio facta fuetit. Quorſum enim
mihi fidem prædices, ſi promiſſionis diuinæ fru-
ctus legi debetur? Quis verò tandem pollicitatio-
nis fructus extabit, ſi ipſa legis obſeruatio nullum

Lex enim iram operatur: vbi enim non eſt lex, nec præuaricatio.

ex ſeſe ſortitur effectum? ¶ Enimuerò lex ipſa 15.
per ſe ſumpta iram ciet, & quodammodò dam-
nationem cumulat; tantùm abeſt, vt ad hæredita-
tem aſſequendam, qui eſt promiſſionis fructus,
quemquã perducat. vbi enim nõ eſt lex, aut præce-
ptũ, ibi ἀνομία & mandati violatio locũ non habet.

Ideo ex fide vt ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini, non ei qui ex lege eſt ſolùm, ſed & ei, qui ex fide eſt Abrahe, qui pater eſt omnium noſtrùm.

¶ Propteteà autem dixi, hæreditatem propoſi- 16.
tam eſſe fidei, vt intelligamus eam pendere à gra-
tia, quæ gratis confertur, vtque promiſſio facta
vni Abrahæ illius vniuerſæ poſteritari conſtet, id
eſt non iis modò, qui ſunt ex Iudæorum natione,
& circumciſionem retinent; ſed etiam iis, qui
quamuis ſint ex Gentibus, fide tamen refetunt,
atque imitantur Abraham omnium noſtrum pa-

(Sicut ſcriptum eſt, quia patrem multarum gentium poſui te) ante Deum cui credidit, qui viuificat mortuos, & vocat ea, quæ non ſunt, tamquàm ea, quæ ſunt.

rentem, & ducem. ¶ Quemadmodum ſcriptum 17.
eſt in libro Geneſeos: Patrem multatum Gentium
conſtitui te, hoc eſt parentem cognatione quadam
ſpirituali, quæ non à virili ſemine, ſed à ſpirituali
quadam energia orta, coram Deo in pretio habe-
tur; cui quidem Abraham credidit, quíque mor-
tuos ad vitam reuocat, & ea, quæ non ſunt, æter-
na quadam præſcientia, atque anticipata præno-
tione perinde vocat, ac ſi verè eſſent, & vocanti
reſpondere poſſent. Qui denique homines nihili,
planéque contemptos, quales ſunt Gentiles, non
aliter, quàm Iudæos ad fidem adducit, quippe
qui vel vno verbo, nutúve cuncta poſſit efficere.

Qui contrà ſpem in ſpem credidit, vt fieret pater multarum gentium, ſecundùm quod dictum eſt ei: ſic erit ſemen tuum.

¶ Porrò Abraham affirmanti Deo, atque ſpon- 18.
denti contra quàm humanæ rationes ſuaderent,
magna omnino concepta animo ſpe ſine dubita-
tione credidit, próque certo habuit fore ſe mul-
tarum Gentium Patrem, iis duntaxat verbis nixus,
quæ ad ipſum diuinitus enuntiata fuerant, ſic fo-
re ipſius poſteritatem fœcundam, ac multiplici
prole numeroſam, vt cœli ſtellas, aut arenam

Et non infirmatus eſt fide, nec conſiderauit corpus ſuum emortuum, cùm iam ferè centum eſſet annorum, & emortuam vuluam Sarræ.

maris æquatura videretur. ¶ Idcirco minimè hæ- 19.
ſitans, aut fide nutans, haud conſiderauit ſuum
ipſius corpus iam effœtum, ac penè mortuum,
cùm centum circiter natus eſſet annos, vt ad ſo-
bolem, vel omnino procreandam, vel ex anu
certè qualis erat Sarra ſuſcipiendam, minùs ido-
neus videri poſſet, neque vllam Sarræ iam penè
decrepitæ, quæ proli concipiendæ, & vtero feren-

In

do

do inepta eſſet, rationem habendam eſſe putauit, quominùs diuinæ promiſſioni fidem adiungeret.
20. ¶ Neque verò aduerſùs Dei pollicitationem diffidentia, aut infidelitate diſceptauit, ſed fide roboratus Deum promittentem agnouit, eíque illam, quam par erat, gloriam tribuit.
21. ¶ Planè perſuaſum habens quidquid Deus, quauis ratione ſpopondeṙit, id verò poſſe ab eo nullo negotio re ipſa præſtari: quapropter illi quoque iure optimo, pro iuſtitia relatum eſt acceptum.
22. ¶ Id quod non ob illum tantummodò litterarum monumentis conſignatum eſt; ſed etiam noſtra omnium cauſa, quibus item acceptum ferendum eſt, credentibus videlicet in eum, qui excitauit Ieſum Chriſtum à mortuis.
23. ¶ Quem quidem morti propter ſcelera, & flagitia noſtra adiudicatum, propter noſtram verò iuſtificationẽ ad ſuperos reuocatum accepimus.

In repromiſſione etiam Dei non hæſitauit diffidentia, ſed confortatus eſt fide dans gloriam Deo.

Pleniſſimè ſciens, quia quæcumque promiſit, potens eſt & facere: ideo & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.

Non eſt autem ſcriptum tãtùm propter ipſum, quia reputatum eſt illi ad iuſtitiam; ſed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum à mortuis.

Qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.

IN CAPVT QVARTVM
EXPLANATIO.

1. I. QVID ERGO DICEMVS, &c. Cur in R præſentia de Abrahamo mentionem ingerat Paulus, quærat non immeritò quiſpiam. Chryſoſtomus dignitatem, ac præſtantiam eius iuſtitiæ declarari putat, quæ fidei beneficio, ac munere paratur; idque Abrahæ comparatione, atque exemplo, qui iuſtorum, & credentium parens appellatur. Origenes, Oecumenius, Auguſtinus [a] confirmare illum docent, quod ſuperiori capite aſſeruerat; non ex operibus, ſed ex fide hominem iuſtificari. propoſito namque (vt obſeruauit Chryſoſtomus) exemplo Abrahæ non minùs fide quàm operibus clari; oſtendit, illum nequaquam ex operibus, ſed ex fide fuiſſe iuſtificatum. Sunt qui velint probari (quod in calce præcedentis capitis dixerat;) legem operum non aboleri, aut irritam B reddi per fidem, ſed fulciri potiùs, ac ſtabiliri. demonſtrat enim, fuiſſe fidem veluti quoddam circumciſionis fundamentum. Quamquàm autem hæc omnia vt vero ſimilia admitti vtcumque poſſunt, malim tamen cum Anſelmo, explicari propoſitam ſuperiori capite quæſtionem de vtilitate circumciſionis. cùm enim duo quæſiſſet; quid Iudæus præſtaret Gentili, & quænam eſſet circumciſionis vtilitas; priorem quæſtionem luculenter, copioſéque tractauit, oſtendens, vtrique populo æquè patere aditum ad ſalutem, & propoſitam eſſe Chriſti fidem, quæ ſine operibus iuſtitiam affert. Alteram verò de circumciſione ne attigit quidem. cùm enim ſuprà nominat circumciſionem (quod non ſemel fecisse conſtat) non illud antiquum qualecumque ſacramentum, ſed Iudæorum populum intelligit, vt præputij nomine ſignificat Gentiles. Captare autem C videtur occaſionem tractandi hanc ſecundam quæſtionem ex fine capitis præcedentis. dixerat enim: *An Iudæorum Deus tantùm? Nonne & Gentium?* Sed quorſum ſpectet illationis nota, non ſatis conſtat; pendere tamen videtur hæc ſententia ex ſuperioribus hac fermè ratione: ſi omnis homo ex fide, non autem ex operibus iuſtificatur; ſi per fidei, non autem factorum legem omnis Iudæorum iactantia, & glorandi occaſio aboletur; quam (quæſo) putabimus eſſe vim circumciſionis? Quidque eius poteſtate adeptum fuiſſe cenſebimus Abrahamum generis noſtri parentem, qui omnium primus circumciſionem percepit? Ita ergo dicit: QVID ERGO DICEMVS INVENISSE ABRAHAM. II. Græcè εὑρηκέναι; vim Græcæ vocis meliùs explicat verbum adipiſcendi. quamuis enim εὑρίσκειν ſæpè dicatur quod caſu, ac fortuitò inuenitur, vnde εὕρημα lucrum inſperatum dicitur; hoc loco tamen videtur Apoſtolus de eo loqui, quod tuis laboribus quærendo inueneris. Agit enim de operibus, ac fide Abrahæ, nititúrque oſtendere, nihil illum ſuis laboribus, quaſi iure ſibi debitum aſſecutum eſſe. Neque diſplicet vulgata interpretatio, ſed illa ad hunc ſenſum reuocanda eſt, vt alia permulta quæ leguntur in ſcripturis. In Exodo [a] ait Moyſes: *Si inueni gratiam in conſpectu tuo.* Christus apud Matthæum: [b] *Inuenietis requiem animabus veſtris.* Angelus in Luca: [c] *Inueniſti gratiam apud Deum.* Denique Paulus ad Hebræos: [d] *Non inuenit pœnitentiæ locum, etiamſi cum lacrymis exquiſiſſet eam.* Videntur autem hæc omnia Hebraicam neſcio quam loquendi rationem redolere. SECVNDVM CARNEM. III. Græcè κατὰ σάρκα. in Græcis autem codicibus connectuntur hæc cum verbo εὑρηκέναι, ſenſúmque illum efficiunt, quem in paraphraſi expoſuimus; hoc eſt, quid ille vt circumciſus in ſe ipſe conſiderans ſuis humanis actionibus promeruit? Vt *ſecundum carnem* nihil aliud ſit, quàm vi operum. nam alioqui non erat Paulo propoſitum omnem Abrahæ iuſtitiæ laudem adimere, quam potiùs aſſerit, atque affirmat: id vnum negat, illum ex ſeſe, vel ſolius naturæ viribus, vel obſeruatione legis, vel ipſa denique circumciſione fuiſſe iuſtificatum. Hæc autem omnia, vt opponuntur fidei cenſentur ab Apoſtolo nomine carnis. At Latinus interpres verba illa; *ſecundùm carnem*; refert ad Abrahamum parentem noſtrum, vt dicatur Abraham Iudæorum Pater *ſecundum carnem*; hoc eſt naturali ſeminis propagatione, & quidem hanc ſententiam, & interpretationem ſequuntur Origenes, Chryſoſtomus, Oecumenius, & Auguſtinus; [e] priorem probant Theodoretus, & Ambroſius. Neque ſanè magnoperè laborandum

a in Pſal. 31. in præfa.
a cap. 33. 13.
b cap. 11. 29.
c cap. 1. 30.
d cap. 12. 17.
e Pſal. 31

botandum videtur vtro modo diſtinguas. vtrumque enim verum eſt, & Abrahamum Iudæorum eſſe parentem *ſecundum carnem*, & circumciſionem, aliáque opera, quæ fidei opponuntur, pertinere ad carnem, vt hac ipſa Epiſtola oſtendemus.

2. SI ENIM ABRAHAM, &c.) Sanè ſi quis
I. (inquit) reſpondeat, Abraham ex operibus adeptum eſſe iuſtitiam, non ego quidem inficias iuerim. oritur enim plerumque ex humanis actionibus nonnulla iuſtitia, ſiue vera, ſiue quæ hominum iudicio vtcumque probetur. Nam & iſto modo vocauit Chriſtus Phariſæorum nonnullam iuſtitiam cùm
a Matth 5.20. dixit [a]: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquàm Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Erat autem eorum iuſtitia in externis actionibus poſita; quamquàm fortaſſe falſam iuſtitiam
b cap.5 23. intellexit, de qua Iſaias [b]: *Iuſtificatis impium pro muneribus.*
c cap.16.15. Et Lucas [c]: *Vos eſtis, qui iuſtificatis vos ipſos coram hominibus.* Poſſumus etiam rudem, incboatam, & imperfectam iuſtitiam interpretari, quæ poſita erat in externa obſeruatione cæremoniarum le-
d cap.10.3. galium, de qua Paulus hac ipſa Epiſtola [d]: *ſuam iuſtitiam volentes ſtatuere.* Hæc igitur omnia pertinere poſſunt ad iuſtitiam operum. Quo nomine etiam apud Gentes multos fuiſſe virtutum externarũ laude claros accepimus; itáque qui virtutem colit, iuſtitiam retinet: humana denique officia pro virili præſtat, habet apud homines quidem gloriam, ſeu Græcè καύχημα, id eſt, gloriandi occaſionem, quippe qui ad aſſequendam iuſtitiæ laudem nonnihil de ſuo contulerit, vel (vt Oecumenius ait) aliquid effecerit, vnde meritò ab hominibus laudem, & gloriam naſciſcatur. Quæ ſanè omnia quidquid aliqui parum ſcitè hoc loco argutentur, veriſſimè dicta ſunt. At
e 1.ad Cor. 4.7. Paulus [e] ait: *Quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Quaſi verò his verbis Paulus de humana gloria, ac non potius de illa loquatur, quæ à Deo Opt. Max. quærenda, atque expectanda eſt; quam hîc excludit dum ait; *Gloriam habes, ſed non apud Deum.* Dum ergo Paulus ait; *Quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris?* illam gloriã reiicit, qua quis ſe iactat quidpiam apud Deum ſuis conatibus, ac laboribus promereri: hoc autem loco agit de gloria, ſed non apud Deum. Coniunctio porrò (*enim*) non cauſam hoc loco ſignificat, ſed Hebræorum more vim habet aſ-
f Pſal.76.12. ſeuerandi, vt apud Dauidem [f]: *Memor fui operum Domini, quia memor ero.* Quis enim, niſi planè ineptus, aut amens cauſam afferat, cur præteritorum memoriam retineat, quia in poſterum eorum recor-
g cap.9.30. dabitur? Planiùs autem apud Ioannem [g] cæcus ille ait: *In hoc enim mirabile eſt, quia vos neſcitis vnde ſit, & aperuit oculos meos.* Quaſi dicat; hoc profectò permirum eſt, vel enimuerò admiratione digniſſimum
II. eſt. NON APVD DEVM. Quid ni? Cur enim ſi quis ſine lege, adeóque etiam ſine fide peccet, Dei offenſionem incurrit; ſi bene, ac laudabiliter viuat, nihil promeretur? Ambroſius hoc loco cùm interpretatur Paulum de operibus legis Moſaicæ, tum idcirco negat illa quidquàm apud Deum habere laudis, quia legis præcepta patendi neceſſitatem afferunt, duntaxat comminatione ſupplicij: fidem contra à libero, ac ſpontaneo voluntatis aſſenſu pendere ait; ideóque fidei mercedem, ac laudem deberi apud Deum, operibus verò nihil. Huc enim perti-
h cap 17 10. nere poteſt quod apud Lucam [h] ait Chriſtus: *Cùm feceritis hæc omnia, dicite, ſerui inutiles ſumus, quod facere debuimus, fecimus.* Sed hæc Ambroſij ſentẽtia, quam
i Homil.10 in Act Apoſt. alicubi probare videtur Chryſoſtomus [i], multas, ac magnas inuoluit difficultates, tum quia nulla ratione poteſt Paulus agere de operibus legis Moſaicæ, vt erant illius legis propria, cùm Abrahæ iuſtificatio, de qua hoc loco, multis ſæculis legẽ Moſis anteceſſerit: tum quia etiam ſi lex illa vetus metu pœnæ ad obtemperandũ impelleret, non tamen liberam adimebat agendi poteſtatem; atque ita illæ qualeſcũque actiones, nulla ne humana quidem laude dignæ erant, niſi ſponte, ac liberè exercerentur. Iam verò III fuerunt qui exiſtimarent, id vnum fuiſſe Paulo propoſitum docere, externas actiones ſi ab animi, ac voluntatis imperio, iudicióque ſeiungantur, apud homines tantùm habere laudem, nullam apud Deum, quia hic mentem, atque animum præcipuè intuetur, quem illi ne eminus quidem aſpiciunt. Verùm hæc poſterior interpretatio ob id mihi probari non poteſt, quòd neque ipſi philoſophi quamuis à fide alieni, nulliſque veræ religionis præceptis informati, externas virtutum actiones honeſtas, ac laudabiles putant, niſi cum animi probitate, rectíque amore coniungantur. De qua re multa Ariſtoteles [a], & a [illegible] Ethic.
egregiè alicubi ſcribit Seneca [b] in hæc verba: *In homine id laudandum eſt quod ipſius eſt; familiam pulchram habet, & domum pulchram, multum ſerit, multum fœnerat, nihil horum in ipſo eſt, ſed circa ipſum. Lauda in ipſo quod nec eripi poteſt, nec dari, quod proprium eſt hominis; quæris quid ſit? animus, & ratio in animo perfecta. Rationale enim animal eſt homo.* Illud b Epiſt.41.
quidem libens conceſſerim, externas actiones ſi intra officij, honeſtíque fines contineantur etiam ſi interna animi virtus deſit, nonnulla hominum iudicio laude dignas videri: ſed Apoſtolus non de his actionibus agit, quæ re vera niſi cum virtutis amore, ſtudióque coniungantur, vmbram tantùm, & inane virtutis retinent ſimulacrũ; ſed de iis loquitur, quæ verè cum philoſophia virtute coniunguntur, quæ ſi fidem, & gratiam præcurrant, nullam apud Deum laudem conſequuntur. Certè hic locus mihi ſem- IV.
per difficilis viſus eſt, ac perobſcurus, in tanto præſertim interpretum ſilentio, qui vel hanc difficultatem non viderunt, vel taciti præterierunt. Nimirum (niſi ego vehementer fallor) hoc eſt illud, quod ſuperiori capite docuit Apoſtolus, cunctos mortales peccato eſſe obnoxios, & gloria Dei deſtitutos, quia, vt multum ſuis ipſi viribus connitantur, vt multum laborent, officium colant, virtutem complectantur, legibus obtemperent, omnia denique præſtent, quæ ſapientum iudicio honeſta, & laude digna putantur, hominum gratiam, & laudem aſſequi poſſunt, diuinam non poſſunt. Quod ſi verum eſt, verum erit & hoc alterum, ſi Abraham ſuis ipſe actionibus iuſtificatus eſt, eum non quidem apud Deum, ſed apud homines duntaxat laudem, & gloriam promereri; quippe ille efficere per ſe nihil potuit, quo peccati ſiue primæui labem, ſiue proprij, ac ſui noxam expiaret, adeóque iuſtus coram Deo efficeretur. Suſpicionem meam indicaui: viderint alij, an collimarim. Enimuerò quod Apoſtolus ſumere, non autem probare videtur, *ſi Abraham ex operibus iuſtificatus eſt*, eum apud homines laudem, & gloriam nonnullam duntaxat fuiſſe adeptum, non autem apud Deũ, ne tota eius argumentatio nutaret, confirmandum fuit, vel indicandum certè à quo veluti fonte, principióve penderet. Ob id enim ex operibus nemo poteſt apud Deum gloriam adipiſci, quia nullam ille humanam, quamuis alioqui laudabilem, atque honeſtam actionem probat, quæ non ab homine iuſto, ac ſibi iam grato exerceatur. vt enim rectè ſcribit Gregorius [c] Nazianzenus; quemadmodum au- d Orat. fide.
ctore Iacobo, fides ſine operibus mortua eſt, ita opera ſine fide, à qua (vt ait Auguſtinus [d]) omnis vera e epiſt. [illegible]
pietas, ac religio inchoatur, prorsùs inania ſunt, & fructu carentia. Quinetiam poſita fide, niſi ab homine

mine iuſto, & caritate prædito peragantur, neque Deo placent, neque gratiæ additamentum, neque gloriæ ſempiternæ præmium merentur: atque hoc eſt, quod his verbis ſignificat Paulus; *ſed non apud Deum.* Quocirca verè ſcripſit Clemens [a] Alexandrinus, cùm de philoſophis ageret: *Nihil ergo eis poſt vitæ finem proderit, etiamſi nunc rectè operentur, niſi fidem habeant.*

a lib. ſtrom.

3. I. QVID ENIM DICIT SCRIPTVRA, &c.) Atqui (inquit) diuinis oraculis traditum eſt, nedum apud homines, ſed præcipuè apud Deum Abrahamum fuiſſe laudatum; particula igitur (*enim*) non tam reddit cauſam eius, quod dixerat, quàm eius quod reticuerat, neceſſariò tamen intelligi volebat, & ex ipſa raciocinationis vi colligi facilè poterat; adeòque ipſa diuina oracula, quæ prædicant, Abrahamum magnam fuiſſe apud Deum laudem adeptum, eadem etiam planè explicant, qua id potiſſimùm ratione ſit conſecutus. Quid enim dicunt? *Credidit Abraham Deo.* Sed quid in hac Pauli argumentatione tacitè intelligendum ſit, nõ ab omnibus eodem modo explicatur. Origenes quidem hunc in modum Pauli argumentationem concludit. Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum. atqui Abraham magnam apud Deum gloriam habuit; id enim apertè Scriptura docet: nõ igitur ex operibus, ſed ex fide iuſtificatus eſt; ita exiſtimat hoc ſcripturæ teſtimonio aſſumptionem, quam Paulus reticuerat, confirmari. Eamdem argumentationem admittit Auguſtinus [b], ſed in eo ab Origene diſcrepat, quòd ſcripturæ auctoritate argumentationis complexionem probari putat, Abrahamum videlicet non ex operibus, ſed ex fide fuiſſe iuſtificatum. Mirum autem, cur recentioribus venerit in mentem has clariſſimorum virorum interpretationes reprehẽdere, quæ quamquàm diuerſo, vt aiunt, calle, eodem tamen ambæ tendunt, oſtendúntque quod Paulo propoſitum erat, Abrahamum non ex operibus, ſed ex fide fuiſſe iuſtificatum. Nam qui cenſet, probare Paulum quod modò dixerat, ſi Abraham ex operibus iuſtificatus ſit, non habere illum laudem apud Deum, vim argumentationis elidunt. At (inquiunt) ſcriptura dicit, eum fuiſſe iuſtificatum ex fide, itémque ſi fides defuiſſet, etiamſi plurima præſtitiſſet opera, non fuiſſe iuſtitiam aſſecuturum; audio, & vtcumque intelligo; ſed vnde iuſtificatio ex fide operum iuſtificationem excludere cenſeatur, nec Paulus indicat, nec illi docent, nec facilè oſtendere poſſunt, cùm præſertim (vt aliquanto pòſt probabimus) ex eodem illo Geneſeos loco colligat Iacobus fuiſſe Abrahamũ ex operibus iuſtificatum. Igitur opera non afferre iuſtitiam corã Deo, ponit Apoſtolus, tamquàm certum ex eo, quòd ſuperiori capite certa ratione concluſerat, omnes homines eſſe peccato implicitus, atque ideo ſuis actionibus Deum ſibi conciliare nequaquàm poſſe, vt paulò antè explicuimus.

b in Pſal. 31.

II. Sequitur. CREDIDIT ABRAHAM DEO, ET REPVTATVM EST ILLI AD IVSTITIAM. Verba ſunt ex libro Geneſeos. quod autem noſter interpres ait, *reputatum eſt illi*; Græcè legitur ἐλογίσθη αὐτῷ, nihilque aliud ſignificat, quàm in rationibus accepti, atque expenſi illud numerari; atque ita nos in paraphraſi interdum acceptum, interdum etiam expenſum ferre interpretamur; vt vel hinc appareat, in media luce eos cæcutire, qui iuſtitiã nobis à Deo imputari contendunt, verè tribui, atque concedi ita vt inſit, & ad modum inhærentis formæ afficiat, præciſè negant, vt ſuo loco fuſiùs docebo. Quod verò attinet ad locum Geneſeos [c], quem Paulus laudat, Hebraicè actiua locutione legitur. *Credidit Abraham Deo, & imputauit, ſeu reputauit ei ad iuſtitiam*, vbi neceſſariò non Abrahæ nomen, vt quidam imperitè putant, neque etiam mundi, vt alij ſomniant, perindè quaſi vel Abraham Dei iuſtitiam laudibus extulerit ob tam præclara, & magnifica promiſſa; vel mundus Abrahamum pro viro iuſto, ac probo habuerit, ſed omnino ipſius Dei nomen intelligendum eſt, qui fidem Abrahami pro magna iuſtitia habuerit. Prius enim illud eſt omnino extra rem. Quorsùm enim Paulus ad probandam iuſtificationem Abrahæ ex fide, afferat laudes, & encomia quibus ille diuinam iuſtitiam eſt aliquando proſecutus? Hoc verò poſterius inſtitutæ diſputationi, ac Pauli verbis apertè aduerſatur; quandoquidem paulò antè reiecta hominum laude, quæ humanas actiones conſequitur, diligenter inueſtigat quid laudis, & gloriæ apud Deum ſit Abraham conſecutus.

c cap. 15.

III. Verùm Paulus, & Iacobus ſecuti Septuaginta paſſiuam orationem reddiderunt, & procul dubio fidem à Deo habitam pro iuſtitia ſignificant. Neque aliter accepit Tertullianus [a], qui Græcam tranſlationem hunc in modum interpretatur: *Denique Abraham Deo credidit, & iuſtitiæ deputatus eſt ab illo.* Alibi [b]: *Abraham Deo credidit, & deputatum eſt iuſtitiæ.* Ruſſus [c]: *Abraham nullius aquæ, niſi fidei ſacramento Deo placuit.* Planiùs Irenæus [d]: *Deputatum eſt* (inquit) *illi ad iuſtitiam à Domino.* Et Cyprianus [e]: *Nam ſi Abraham* (inquit) *Deo credidit, & deputatum eſt ei ad iuſtitiam; vtique quiſquis Deo credit, & fide viuit, iuſtus inuenitur, & iam pridem in Abraham fideli benedictus, & iuſtificatus oſtenditur.* Neque aliter explicat Iuſtinus diſputans [f] aduerſus Iudæos. De hac verò Abrahæ iuſtificatione præclarè Clemens [g] Alexandrinus: *Abrahæ credenti imputata eſt iuſtitia, hic cùm ſublimis de eis, quæ in aëre eueniunt, & excelſa de eis, quæ in cælo mouentur philoſophiæ operam daret, Abram vocabatur, quod interpretatur Pater excelſus; poſtea verò vbi ſurſum in cælum proſpexit, ſiue Filium in ſpiritum (ſicut quidam exponunt) ſiue Angelum glorioſum viderit, ſiue aliter quoque Deum longè præſtabiliorem creatura, & vniuerſo eius ordine cognouerit; ipſum à notione vnius, & ſolius Dei, per adiectionem accepit, & dicitur Abraham pro phyſiologo, & naturæ contemplatore; ſapiens eſt Dei amator factus. interpretatur enim Pater electus ſoni, alias pater multitudinis. ſonat enim exaudibile verbum.* Atque hæc quidem de teſtimonio libri Geneſeos.

a lib de patien. cap. 6.
b li. 1 in Marcion. c. 2.
c lib. de Bap. cap. 13.
d lib. 3 contra Valent. c 13.
e Epiſt. 62.
f Dialo. cum Triph.
g 5. ſtrom.

IV. Sed quorſum (dicat aliquis) hæc tam longa de Abrahami iuſtificatione diſputatio? Nempe vt quod ſuperiori capite docuerat, iuſtificari hominem per fidem ſine operibus, magis ac magis ſtabiliat, obitérque ſecundam quæſtionem ſoluat; & quæ ſit circumciſionis vtilitas paucis oſtendat. At multa in hoc exemplo ab inſtituto Pauli videntur aliena. nam ſi de prima iuſtificatione loquitur, qua quis ex impio fit iuſtus, planè extra rem exemplũ Abrahæ [h] videtur afferre, qui multò antè quàm de illo allata verba proferrentur, iuſtificatus erat, vt ex eius hiſtoria colligi poteſt; Deo quippe vocanti, ſéque à Patria abducenti obtemperauerat; altare illi erexerat, & ſacrificium obtulerat, decimas Melchiſedeco perſoluerat, aliáque iuſtorũ opera quamplurima perfecerat. Qua verò ratione ex Abrahami iuſtificatione, qua ſuis ille honeſtis actionibus gratiæ incremẽtũ adeptus eſt, probare poteſt Apoſtolus, iuſtitiã gratuitò, ac liberaliter piis conferri, quando gratiæ additamentum iuſtorum meritis iure debetur? Quorsùm autem pertinet Abrahæ fides, qua nihil ille diuinum, aut ſupra naturam credidit, ſed futuræ duntaxat poſteritatis numeroſam ſobolem, & humanã quandam fœlicitatẽ ſperauit? Quo denique modo ex vno, eodémque

h Geneſ. 11. 12. 13. 14.

ſcri

Digitized by Google

A ſcripturæ loco Paulus quidem ex fide, Iacobus verò ex operibus, Abrahamum iuſtitiam aſſecutum confirmat? Equidem non ſatis probo, quod video tamen permultis placere, vniuerſim Apoſtolum tam de prima, quàm de ſecunda hominis iuſtificatione diſſerere. Neque enim intelligo, quânam ratione ſecunda iuſtificatio, id eſt, noua iuſtitiæ acceſſio ſine operibus, & omnino gratis fiat. Nec mihi poſſum facilè perſuadere, iuſtificatos, in quos (vt ait Concilium[a] Tridentinũ) *Chriſtus Ieſus tamquàm caput in membra, & tamquam vitis in palmites, iugiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur*; vllas exercere honeſtas, ac ſtudioſas actiones, quæ ſaltem à fide non prodeant, adeóque non aliquod fidei meritum concipiant.

a Seſſ.6.c.16.

V. B Neque verò crediderim quæ in vtramque partem à Theologis diſputantur in ſcholis, fuiſſe à Paolo definita, atque huic potiùs, quàm illi veluti diſceptantium familiæ adiudicata. Quod ſi (vt permulti affirmant, & non ſine ratione contendunt) ſatis eſſe dicamus, ad gratiæ meritum, ſi iuſtus bonas, ac laudabiles actiones exerceat; quis neget illum ſuarum actionum merito capere iuſtitiæ incrementum? Multò igitur illi probabiliùs loquuntur, qui cum Auguſtino, & D. Thoma admittunt ſuperiori capite, locutum fuiſſe Paulum, de prima impij iuſtificatione; hoc tamen exemplum Abrahæ ſiue de prima, ſiue de ſecunda iuſtificatione intelligatur, ad rem propoſitam maximè pertinere. nam ſi ſecundam iuſtificationem dicat fidei, non operum beneficio Abraham fuiſſe adeptum, à minori rectè probari autumant, primam iuſtificationem
C totam à fide pendere; quandoquidem ſecunda, quæ omnino exigit opera, fidei tamen præcipuè, iure optimo debetur. Sin autem de prima Abrahæ iuſtificatione ſit ſermo, planè ſequitur, eamdem in cæteris hominibus iuſtificationis rationem fore, quæ in primo parente Abraham inita fuerit. Verùm enimuero nihil dubito Paulum ſimpliciter de prima iuſtificatione accipiendum eſſe, qua quis ex iniuſto fit iuſtus. eam enim ſemper docuit fidei, non operibus tribuendam eſſe, atque idcirco cùm Abrahami iuſtificationem memorat, primam eius iuſtificationem intelligit, qua primùm iuſtus ex iniuſto effectus eſt, vel (vt ait Iacobus) *factus eſt Dei amicus*. Rectè autem confirmat, quod ſuperiori capite docuerat; iuſtificari hominem ex fide, non ex operibus; quia hac potiſſimum ratione Abraham credentium pa-
D rens, iuſtitiam eſt aſſecutus. Neque tamen credendum eſt, tum primùm fuiſſe illum iuſtificatum, cùm de illo ſcriptum eſt in Geneſi[b], *crediđiſſe illum Deo*, eíque fuiſſe ad iuſtitiam imputatum; ſed tum potiſſimum dictum eſt, quia (vt mox docebo) Chriſtus ei venturus & promiſſus, & diuinitus reuelatus eſt. Crediđiſſe autẽ dicitur Abraham (vt inſinuat Theodoretus) non tam reſpectu eius pollicitationis, quæ tum fiebat, quàm earum omnium, quæ præceſſerant, quæque ſuperioribus capitibus commemorantur, vt multis, in quibus fides Abrahæ illuſtris apparebat, diligenter enumeratis, quaſi quodam epiphonemate concludat, tantam fuiſſe fidei vim, qua Abrahamus Deo credidit, vt ſit propterea coram Deo iuſti-
E ficatus. Quæ cùm ita ſint, neceſſe eſt, omnes omnino mortales gratuitò abſque operum merito primam iuſtificationem adipiſci, quandoquidem Abraham, non ex meritis operum, ſed gratis iuſtitiam fidei aſſecutus dicitur.

b cap. 15. 6.

VI. Iam verò qui exiſtimant etiam ſecundam iuſtificationem gratuitam eſſe, quia beneficio fidei, ac reliquorum munerum, quæ liberaliter collata ſunt, ab immortali Deo comparatur; non aliter, atque ipſa beatæ vitæ aſſecutio gratuitum do-
A num appellatur[a]: rem quidem veram dicunt, ſed, vt arbitror, minùs ad rem. Faueret enim ea ſententia hæreticorum errori, qui bonorum operum, ac meritorum noſtrorum vim, penitùs de medio tollunt; & (quod caput eſt) omnino retinendum videtur, quod ſemel conſtituimus, Paulum, dum fidei tribuit iuſtificationem, de prima iuſtificatione diſputare. Quòd ſi probè ſpectentur ea, quæ diuinis pollicitationibus prophetico, vt aiunt, ſenſu includuntur, planè intelligemus, non fuiſſe Abrahami fidem rerum tantummodò corporearum, ſed Chriſti venturi, ac cœleſtis poſteritatis, diuinam quamdam expectationem, quæ gratuito ipſius Chriſti beneficio ſalutem eſſet conſecutura, vt copioſè explicat Auguſtinus[b]. Sed mirum, cur Paulus inde fi-
B dei iuſtificationem probet, vnde Iacobus iuſtitiam ex operibus nititur demonſtrare.

a ad Rom. 4.

b li. de ciu. cap. 11.

VII. Et quidem Auguſtinus[c] exiſtimauit, agere Paulum hoc loco, de prima iuſtificatione, Iacobum verò de iuſtitiæ acceſſione loqui, quæ vi operum, quæ fidem, & gratiam conſequuntur, in dies fit maior. Sed ſi in libro Geneſeos[d] agit ſcriptura de prima impij iuſtificatione, neceſſe eſt profectò, Iacobum eo teſtimonio abuti ad naturam ſecundæ iuſtificationis declarandam, atque haud ſcio, an ea verba, quibus affirmat, Abrahamum Dei amicum factum eſſe, ſecundæ iuſtificationi aptari queant. qua enim ratione dicitur factus amicus Dei, qui iam pridem erat amicus, & iuſtus? Sed quibus ea ſententia probatur, reſpondere ſolent, verè Iacobum illo ſcripturæ teſtimonio probare primã Abrahæ iuſtitiam fidei beneficio fuiſſe partam. ſed
C vt oſtendat eam iuſtitiam vi operum maiora in dies capere incrementa, perſequi deinceps quæ opera Abraham perceptæ iam iuſtitiæ veluti iacto fundamento ſuperſtruxerit. inter cætera verò commemorat oblationem filij, quæ vim habuit eximiam merendi apud Deum, quaſi verò Paulus hoc loco fidem otioſam, & languidam probet, qualem hæretici confingunt. Itaque ſemper exiſtimaui tam Paulum quàm Iacobum de prima Abrahæ iuſtificatione diſputare. Et quamquam aliter, atque aliter ſcripturæ verba explicant, vtrumque tamen verum dicere, neque vllo modo inter ſe pugnare. Nam Paulus quidem, qui fidem Chriſti, eiúſque gratiam aduerſus Iudæorum arrogantiam commendabat, iuſtificationem Abrahæ tribuit fidei, tamquam radici, ac fonti, vt ſuperiori capite oſtenſum eſt; Iacobus autem, qui
D contra eos agebat, qui ſolam, nudamque fidem iactabant, oſtendit iuſtificatum quidem Abraham ex fide, non tamen elumbi, onoſa, & languida, ſed coniuncta cum pœnitentia, ſpe, & charitate, cæteríſque actionibus, quæ ad hauriendã percipiendámque iuſtitiã animũ aptant, ac præparant. Id quod probat ex iis, quæ Abrahæ iuſtificationẽ conſecuta ſunt: non ergo intelligit opera, quę fidẽ præcurrunt, ſed quæ illam comitantur, & ſequuntur: atque ita in eiuſdẽ loci explanatione duo Apoſtoli mirè conſentiunt. nam Paulus opera excludit, quæ fidem præuertant, Iacobus fidem ſolitariam damnat, quæ pœnitentia, amoréque Dei deſtituatur.

c lib. 83. q. 97. & 76. … præfat. in … 11.

d cap. 15.

VIII. Vtrumque inſinuare videtur Gregorius[e] Nazianzenus. *Abraham* (inquit)
E *ex fide quidem iuſtificatus, & nouam, & manditam victimam, magnámque illius figuram gerentem obtulit.* Planiùs Origenes (etiamſi hæretici[f] dirumpantur:) *Quoniam* (inquit) *non ei, qui ex parte, ſed ei qui perfectè credit, fides ad iuſtitiam imputatur.* Quid eſt autem perfectè credere, niſi eam fidem omnino concipere, quam pœnitentia, ſpes, atque amor Dei conſequatur, quibus & à peccato recedimus, & quodammodò mouemur in Deum? Cæterùm grammatici[g] interpretem noſtrum immeritò reprehendunt, puta

e Orat. …

f Beza.

g Eraſm. Valla.

quòd Græcam vocem ἐλογίσθη Latinè reddidit, im-
putatum, ſeu reputatum eſt ad iuſtitiam; nec ferre
poſſunt, quòd idem verbum nunc reputatur, nunc
imputatur, nunc accepto fert Latinè tranſtulerit, pe-
rinde quaſi reputare, idem ſemper ſit, quod animo
cogitare; nec poſſit vnquàm idem valere, quod im-
putare, ſeu deputare. Verùm quidquid ſit de vſu
Latinè ſcribentium in ſacris litteris apparet hæc
non rarò pro eodem vſurpari. auctor enim vulgatæ
editionis veteris teſtamenti in interpretatione Pſal-
morum [a] hunc in modum ſcribit. *Stetit Phinees, & placauit, & ceſſauit quaſſatio, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.* Et in libris Machabæorum [b]: *Abraham nonne in tentatione inuentus eſt fidelis, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam?* Rurſus apud Iob. [c] *Vt nobis non imputetur ſtultitia.* Iacob [d] verò Ioſephum filium alloquens ait: *Ephraim, & Manaſſes ſicut Ruben, & Simeon reputabuntur mihi.* Salomon: [e] *Stultus ſi tacuerit, ſapiens reputabitur.* Denique Iſaias: [f] *Carmel in ſaltum reputabitur.* Sic in nouo teſtamento hac ipſa Epiſtola [g] paulò antè dixit Paulus: *Præputium in circumciſionem reputabitur.* Ad Corinthios: [h] *Non reputans illis delicta ipſorum.* Et ad Timotheum: [i] *Omnes me dereliquerunt, non illis imputetur.* Denique ad Philemonem: † *ſi aliquid nocuit tibi, aut debet, imputa mihi.* Et quidem idem planè eſt, quod in rationes accepti, expenſive referre, quomodo dixit Salomon: [k] *Quis imputabit tibi, ſi perierint omnes nationes terræ?* Et inter Latinos ſcriptores hoc etiam modo loquitur Seneca: [l] *Optime* (inquit) *de poſteris meruiſti, ad quos perueniet incorrupta rerum fides magno auctori ſuo imputata.* Sed ridebunt hæc omnia ſcioli noſtri, qui negant, reputare apud Latinos idem ſignificare, quod imputare; at aliter ſentit Modeſtinus, [m] *qui tamen ait, eſt aliquid quod teſtatoris vitio reputetur, vt meritò repellendus non ſit:* quinetiam nonnunquàm idem eſſe quod computare docet Vlpianus. [n] *ſumptus* (inquit) *litis tutor reputabit, & viatica.* Et Papinianus: [o] *Si nondum* (ait) *Pater dotem reputauerit, cui ſolus conuenitur reputaturus Patri, quod eo nomine præſtiterit.*

a Pſal. 105. 31.
b 1. Mach. 2. 52.
c cap. 6. 29.
d Geneſ. 48. 5.
e Prou. 17. 28.
f cap. 29. 17.
g cap. 2. 26.
h 2. ep. 2. cap. 5. 19.
i 2. Ep. 4. 16.
† vers. 18.
k ſap. 12. 12.
l in Conſol. ad Martiam.
m l. nihil in. tereſt. §. ſi cum ſlpu. ff. de eſſic. teſtam.
n l. 1. § ſi pupillus. ff. de tutel. & ration. diſtr.
o l. 2. ſed ſi nõ. dum. ff. de in. lig. & ſumpt. ſun.

4. Ei autem, qvi operatvr, &c. At quorſum?
I. Redigo ad formam dialecticam argumentum Pauli, vt rerum nexus, & conſecutio appareat. Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, ille quidem apud homines aliquam fortaſſè laudem habet, apud Deum verò nullam: atqui certum eſt, non apud homines tantùm, ſed apud Deum maximè fuiſſe laudatum. hoc enim docent verba Geneſeos: [p] *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.* Neceſſe igitur eſt, illum non ex operibus, ſed ex fide fuiſſe iuſtificatum. Et hæc quidem hactenus rectè concluſa ſunt; ſed nondum oſtenderat gratis iuſtificationem conferri, ſi fidei beneficio tribuitur. Quid enim ſi fides tanti ſit apud Deum, vt ei iuſtitia meritò debeatur? Nimirum hoc nunc agit Paulus, vt doceat non modò operibus non deberi iuſtitiam, ſed ne ipſi quidem fidei, verùm illam omnino gratuitò, ac Dei ſolius liberalitate conferri. Nam vbi actiones aliquæ apparent, atque extant, ibi rectè quis mercedis, ac debiti, iuſtæ denique compẽſationis rationem admiſerit. Vbi verò ſola fides ſine operibus ad iuſtitiam aſſequendam valet, ibi gratuita
II. ac liberalis largitio aſſerenda eſt. Sic autem ſe rem habere, non modò oſtendunt verba prolata ex libro Geneſeos, [q] ſed etiam illa quæ mox ex Dauide [r] afferuntur. Verùm cur non etiam credenti, vt operanti ſua ex iuſtitia debetur merces? An fidei merces eſt animæ ſalus, vt ex priori Epiſtola [ſ] Petri colligit Auguſtinus? [t] Certè idem Auguſtinus alio [u] loco ita de fide ſcribit. *Fides* (inquit) *eſt credere quod nondum vides, cuius fidei merces eſt videre quod credis.*

p cap. 15. 6.
q cap. 15. 6.
r Pſal. 31. 1.
ſ cap. 1. 9.
t Tract. 40. in Ioan.
u Serm. 27. de verb. Apoſtoli cap. 6.

A Quod ipſum aliis locis frequenter repetit; ſed hic ipſe [a] negat iuſtitiam fidei eſſe mercedem. *Iuſtificati* (inquit) *ex fide pacem habemus ad Deum, iuſtificati autem gratis per gratiam ipſius, ne fides ipſa ſuperba ſit, ne dicat ſibi, ſi ex fide, quomodo gratis? Quod enim ex fide meretur, cur non potiùs redditur, quàm donatur? Non dicat iſta homo fidelis, quia cùm dixerit, vt merear iuſtificationem habeo fidem. Reſpondetur ei: Quid enim habes, quod non accepiſti?* Sed vt verum fatear, tantum abeſt vt hæc verba quæſtionem expediant, vt eam magis implicent, atque inuoluant: nam ſi fidei vis ac ratio meriti negatur, quia donum Dei eſt; an non ſunt bona opera Dei bona, *qui* [b] *operatur velle, & perficere pro bona voluntate*; quique [c] *operatur omnia in omnibus?* Cur igitur Paulus illis vim merendi conce-
B dit, quibus mercedem ex iuſtitia deberi contendit, fidei verò negat? Quid quòd ipſe Auguſtinus [d] fidei nonnullum meritum aſſerit, atque affirmat? *Nec ipſa* (inquit) *remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat; neque enim nullum eſt meritum fidei.* Alibi: [e] *fides impetrat charitatem.* Et: [f] *fides meretur gratiam benè operandi.* Rurſus: [g] *Hac confeſſio meruit iuſtificationem.* Et cum ageret [h] de Iacob, & Eſau, elegiſſe ait fidem Iacob, eáque de cauſa illum prætuliſſe Eſau. *Quod enim credimus noſtrum eſt.* Et hæc ipſa verba Pauli tractans [i] ea putat intelligi de humana iuſtitia, non de diuina. *Deus enim per gratiam dedit peccatoribus, vt per fidem iuſtè viuerent, id eſt benè operarentur. Quod ergo benè operamur iam accepta gratia, non nobis, ſed illi tribuendum eſt, qui per gratiam nos iuſtificauit.* Igitur cùm tam multa hinc inde III.
C vrgere videantur, ſi in re grauiſſima ſit coniecturæ locus, ſic mihi perſuadeo non ſimpliciter, nec abſolutè rationem meriti, ac iuſtitiæ denegari fidei, ſi ipſa ſpectatur, vt eſt opus à libero arbitrio profectum gratia excitante, & adiuuante, atque etiam iuſtificante adiuto, atque informato. hoc enim ſignificat Auguſtinus [k] cùm dixit, fidem mereri gratiam benè operandi. Tum namque vt ille ait, *gratia meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici.* Sed meritum iuſtitiæ remouetur à fide, qua ratione confertur cum gratia iuſtificante, ipſaque iuſtificatione, quæ nullo modo habet rationem mercedis, vt ſuprà ex Concilio Tridentino docui; cùm præſertim fides ſit primum Dei gratuitum donum, vnde ſumitur exordium iuſtificationis, quæ idcirco liberaliter, ac non
D ex merito confertur, quia neque gratiam, quam fides impetrat, neque fidem vlla operum merita præcedunt, quibus fides, aut gratia iure debeatur. Itaque fides cum iis operibus à Paulo confertur, quæ naturæ viribus perficiuntur. nam ſi illa vi ſua gratiam tamquam præmium aſſequerentur ex iuſtitia, profectò nos iuſtificarent. Iam verò fides gratis iuſtitiam IV.
comparat non tantùm quia ſine præcedentibus meritis confertur, ſed etiam quia non ipſa ſuapte vi gratiam, & iuſtitiam parit, ſed ob ſingulare, planéque diuinum beneficium, vt alibi copioſiùs docet Paulus, & hoc loco non obſcurè indicat his verbis, quæ ſequuntur. *Credenti autem in eum, qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam ſecundùm propo-*
E *ſitum gratiæ Dei.* Eſt autem diuinæ gratiæ propoſitum eiuſmodi, *vt nullum* [l] *ſit aliud nomen ſub cælo datum hominibus* præter Chriſtum, *in quo nos oporteat ſaluos fieri*; Chriſti verò gratiæ primùm fidei beneficio coniungimur, vt aliàs ſæpè dictum eſt. Si igitur iuſtificatio accipiatur pro forma, quæ tollit peccata, & veram affert iuſtitiam, non datur merito fidei, ſiue quia non ſola fides iuſtificat, ſiue quia in homine fideli ante gratiam nullum eſt propriè meritum iuſtitiæ, quod vocant condignum; ſin autem iuſtificatio omnem motum illum ſignificat, quo tendimus

a Ep. 106.
b ad Philipp. 2. 13.
c 1. ad Cor. 12. 6.
d Epiſt. 105.
e l. 2. cont. aduerſ. leg. & prophet.
f Epiſt. 106.
g Tract. 44. in Ioan.
h de quibuſdam prop. huius Epiſtolæ prop. 60.
i propoſ. 27.
k Epiſt. 106.
l Act. 4. 12.

ſcripturæ loco Paulus quidem ex fide, Iacobus verò ex operibus, Abrahamum iuſtitiam aſſecutum confirmat? Equidem non ſatis probo, quod video tamen permultis placere, vtrumque Apoſtolum tam de prima, quàm de ſecunda hominis iuſtificatione differere. Neque enim intelligo, quânam ratione ſecunda iuſtificatio, id eſt, noua iuſtitiæ acceſſio ſine operibus, & omnino gratis fiat. Nec mihi poſſum facilè perſuadere, iuſtificatos, in quos (vt ait
a Seſſ.6.c.16. Concilium [a] Tridentinũ) *Chriſtus Ieſus tamquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites, iugiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur*; vllas exercere honeſtas, ac ſtudioſas actiones, quæ ſaltem à fide non prodeant, adeóque non aliquod fidei me-
V. ritum concipiant. Neque verò crediderim quæ in vtramque partem à Theologis diſputantur in ſcholis, fuiſſe à Paulo definita, atque huic potiùs, quàm illi veluti diſceptantium familiæ adiudicata. Quodſi (vt permulti affirmant, & non ſine ratione contendunt) ſatis eſſe dicamus, ad gratiæ meritum, ſi iuſtus bonas, ac laudabiles actiones exerceat; quis neget illum ſuarum actionum merito capere iuſtitiæ incrementum? Multò igitur illi probabiliùs loquuntur, qui cum Auguſtino, & D. Thoma admittunt ſuperiori capite, locutum fuiſſe Paulum, de prima impij iuſtificatione; hoc tamen exemplum Abrahæ ſiue de prima, ſiue de ſecunda iuſtificatione intelligatur, ad rem propoſitam maximè pertinere. nam ſi ſecundam iuſtificationem dicat fidei, non operum beneficio Abraham fuiſſe adeptum, à minori rectè probari autumant, primam iuſtificationem totam à fide pendere; quandoquidem ſecunda, quæ omnino exigit opera, fidei tamen præcipuè, iure optimo debetur. Sin autem de prima Abrahæ iuſtificatione fit ſermo, planè ſequitur, eamdem in cæteris hominibus iuſtificationis rationem fore, quæ in primo parente Abraham inita fuerit. Verùm enimuero nihil dubito Paulum ſimpliciter de prima iuſtificatione accipiendum eſſe, qua quis ex iniuſto fit iuſtus. eam enim ſemper docuit fidei, non operibus tribuendam eſſe, atque idcirco cùm Abrahami iuſtificationem memorat, primam eius iuſtificationem intelligit, qua primùm iuſtus ex iniuſto effectus eſt, vel (vt ait Iacobus) *factus eſt Dei amicus.* Rectè autem confirmat, quod ſuperiori capite docuerat; iuſtificari hominem ex fide, non ex operibus; quia hac potiſſimum ratione Abraham credentium parens, iuſtitiam eſt aſſecutus. Neque tamen credendum eſt, tum primùm fuiſſe illum iuſtificatum, cùm
b cap. 15.6. de illo ſcriptum eſt in Geneſi [b], *credidiſſe illum Deo*, eíque fuiſſe ad iuſtitiam imputatum; ſed tum potiſſimum dictum eſt, quia (vt mox docebo) Chriſtus ei venturus & promiſſus, & diuinitus reuelatus eſt. Credidiſſe autẽ dicitur Abraham (vt inſinuat Theodoretus) non tam reſpectu eius pollicitationis, quæ tum fiebat, quàm earum omnium, quæ præceſſerant, quæq́ue ſuperioribus capitibus commemorantur, vt multis, in quibus fides Abrahæ illuſtris apparebat, diligenter enumeratis, quaſi quodam epiphonemate concludat, tantam fuiſſe fidei vim, qua Abrahamus Deo credidit, vt ſit propterea coram Deo iuſtificatus. Quæ cùm ita ſint, neceſſe eſt, omnes omnino mortales gratuitò abſque operum merito primam iuſtificationem adipiſci, quandoquidem Abraham, non ex meritis operum, ſed gratis iuſtitiam fi-
VI. dei aſſecutus dicitur. Iam verò qui exiſtimant etiam ſecundam iuſtificationem gratuitam eſſe, quia beneficio fidei, ac reliquorum munerum, quæ liberaliter collata ſunt, ab immortali Deo comparatur; non aliter, atque ipſa beatæ vitæ aſſecutio gratuitum do-

A num appellatur [a]: rem quidem veram dicunt, ſed, vt arbitror, minùs ad rem. Faueret enim ea ſententia hæreticorum errori, qui bonorum operum, ac meritorum noſtrorum vim, penitùs de medio tollunt; & (quod caput eſt) omnino retinendum videtur, quod ſemel conſtituimus, Paulum, dum fidei tribuit iuſtificationem, de prima iuſtificatione diſputare. Quòd ſi probè ſpectentur ea, quæ diuinis pollicitationibus prophetico, vt aiunt, ſenſu includuntur, planè intelligemus, non fuiſſe Abrahami fidem rerum tantummodò corporearum, ſed Chriſti venturi, ac cœleſtis poſteritatis, diuinam quamdam expectationem, quæ gratuito ipſius Chriſti beneficio ſalutem eſſet conſecutura, vt copioſè explicat Auguſtinus [b]. Sed mirum, cur Paulus inde fi- a ad Rom.
B dei iuſtificationem probet, vnde Iacobus iuſtitiam ex operibus nititur demonſtrare. Et quidem Auguſtinus [c] exiſtimauit, agere Paulum hoc loco, de prima iuſtificatione, Iacobum verò de iuſtitiæ acceſſione loqui, quæ vi operum, quæ fidem, & gratiam conſequuntur, in dies fit maior. Sed ſi in libro Geneſeos [d] agit ſcriptura de prima impij iuſtificatione, neceſſe eſt profectò, Iacobum eo teſtimonio abuti ad naturam ſecundæ iuſtificationis declarandam, atque haud ſcio, an ea verba, quibus affirmat, Abrahamum Dei amicum factum eſſe, ſecundæ iuſtificationi aptari queant. qua enim ratione dicitur factus amicus Dei, qui iam pridem erat amicus, & iuſtus? Sed quibus ea ſententia probatur, reſpondere ſolent, verè Iacobum illo ſcripturæ teſtimonio probare primã Abrahæ iuſtitiam fidei beneficio fuiſſe partam. ſed b li. de ciuit. cap. 31. VII. c lib. 83. q. 76. & in præfat. in Pſ. 31. d cap. 15. 6
C vt oſtendat eam iuſtitiam vi operum maiora in dies capere incrementa, perſequi deinceps quæ opera Abraham perceptæ iam iuſtitiæ veluti iacto fundamento ſuperſtruxerit. inter cætera verò commemorat oblationem filij, quæ vim habuit eximiam merendi apud Deum, quaſi verò Paulus hoc loco fidem otioſam, & languidam probet, qualem hæretici confingunt. Itaque ſemper exiſtimaui tam Paulum quàm Iacobum de prima Abrahæ iuſtificatione diſputare, Et quamquam aliter, atque aliter ſcripturæ verba explicant, vtrumque tamen verum dicere, neque vllo modo inter ſe pugnare. Nam Paulus quidem, qui fidem Chriſti, eiuſque gratiam aduerſus Iudæorum arrogantiam commendabat, iuſtificationem Abrahæ tribuit fidei, tamquam radici, ac fonti, vt ſuperiori capite oſtenſum eſt; Iacobus autem, qui
D contra eos agebat, qui ſolam, nudamque fidem iactabant, oſtendit iuſtificatum quidem Abraham ex fide, non tamen elumbi, otioſa, & languida, ſed coniuncta cum pœnitentia, ſpe, & charitate, cæteriſque actionibus, quæ ad hauriendã percipiendamque iuſtitiã animũ aptant, ac præparant. Id quod probat ex iis, quæ Abrahæ iuſtificationẽ conſecuta ſunt: non ergo intelligit opera, quę fidẽ præcurrunt, ſed quæ illam comitantur, & ſequuntur: atque ita in eiuſdẽ loci explanatione duo Apoſtoli mirè conſentiunt. nam Paulus opera excludit, quæ fidem præuertant, Iacobus fidem ſolitariam damnat, quæ pœnitentia, VIII.
amoréque Dei deſtituatur. Vtrumque inſinuare videtur Gregorius [e] Nazianzenus. *Abraham* (inquit) e Orat. 16
E *ex fide quidem iuſtificatus, & nouam, & mandatam victimam, magnámque illius figuram gerentem obtulit.* f Beza.
Planiùs Origenes (etiamſi hæretici [f] dirumpantur:) *Quoniam* (inquit) *non ei, qui ex parte, ſed ei qui perfectè credit, fides ad iuſtitiam imputatur.* Quid eſt autem perfectè credere, niſi eam fidem omnino concipere, quam pœnitentia, ſpes, atque amor Dei conſequatur, quibus & à peccato recedimus, & quodammodò mouemur in Deum? Cæterùm grammatici [g] interpretem noſtrum immeritò reprehendunt, g Eraſm. Valla.

puta

Digitized by Google

quòd Græcam vocem ἐλογίσθη Latinè reddidit, im-
putatum, ſeu reputatum eſt ad iuſtitiam; nec ferre
poſſunt, quòd idem verbum nunc reputatur, nunc
imputatur, nunc accepto fert Latinè tranſtulerit, pe-
rinde quaſi reputare, idem ſemper ſit, quod animo
cogitare; nec poſſit vnquàm idem valere, quod im-
putare, ſeu deputare. Verùm quidquid ſit de vſu
Latinè ſcribentium in ſacris litteris apparet hæc
non rarò pro eodem vſurpari. auctor enim vulgaræ
editionis veteris teſtamenti in interpretatione Pſal-
morum [a] hunc in modum ſcribit. *Stetit Phinees, &*
placauit, & ceſſauit quaſſatio, & reputatum eſt illi
ad iuſtitiam. Et in libris Machabæorum [b]: *Abraham*
nonne in tentatione inuentus eſt fidelis, & reputatum eſt
ei ad iuſtitiam? Rurſus apud Iob. [c] *Vt nobis non im-*
putetur ſtultitia. Iacob [d] verò Ioſephum filium allo-
quens ait: *Ephraim, & Manaſſes ſicut Ruben, & Si-*
meon reputabuntur mihi. Salomon: [e] *Stultus ſi tacuerit,*
ſapiens reputabitur. Denique Iſaias: [f] *Carmel in ſaltum*
reputabitur. Sic in nouo teſtamento hac ipſa Epiſto-
la [g] paulò antè dixit Paulus: *Præputium in circumciſio-*
nem reputabitur. Ad Corinthios: [h] *Non reputans illis*
delicta ipſorum. Et ad Timotheum: [i] *Omnes me dere-*
liquerunt, non illis imputetur. Denique ad Philemo-
nem: † *ſi aliquid nocuit tibi, aut debet, imputa mihi.* Et
quidem idem planè eſt, quod in rationes accepti,
expenſive referre, quomodo dixit Salomon: [k] *Quis*
imputabit tibi, ſi perierint omnes nationes terræ? Et inter
Latinos ſcriptores hoc etiam modo loquitur Sene-
ca: [l] *Optime* (inquit) *de poſteris meruiſti, ad quos per-*
uenit incorrupta rerum fides magno auctori ſuo impu-
tata. Sed ridebunt hæc omnia ſcioli noſtri, qui ne-
gant, reputare apud Latinos idem ſignificare, quod
imputare; at aliter ſentit Modeſtinus, [m] *qui tamen*
ait, eſt aliquid quod teſtatoris vitio reputetur, vt meritò
repellendus non ſit: quinetiam nonnunquàm idem eſſe
quod computare docet Vlpianus. [n] *ſumptus* (inquit)
bene tutor reputabit, & viatica. Et Papinianus: [o] *Si*
nondum (ait) *Pater dotem reputauerit, cui ſolus conue-*
nitur reputaturus Patri, quod eo nomine præſtiterit.

4\. Ei AVTEM, QVI OPERATVR, &c. At quorſum?
I. Redigo ad formam dialecticam argumentum Pau-
li, vt rerum nexus, & conſecutio appareat. Si Abra-
ham ex operibus iuſtificatus eſt, ille quidem apud
homines aliquam fortaſſe laudem habet, apud
Deum verò nullam: atqui certum eſt, non apud
homines tantùm, ſed apud Deum maximè fuiſſe
laudatum. hoc enim docent verba Geneſeos: [p] *Cre-*
didit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.
Neceſſe igitur eſt, illum non ex operibus, ſed ex fide
fuiſſe iuſtificatum. Et hæc quidem hactenus rectè
concluſa ſunt; ſed nondum oſtenderat gratis iuſtifi-
cationem conferri, ſi fidei beneficio tribuitur. Quid
enim ſi fides tanti ſit apud Deum, vt ei iuſtitia me-
ritò debeatur? Nimirum hoc nunc agit Paulus, vt
doceat non modò operibus non deberi iuſtitiam,
ſed ne ipſi quidem fidei, verùm illam omnino gra-
tuitò, ac Dei ſolius liberalitate conferri. Nam vbi
actiones aliquæ apparent, atque extant, ibi rectè
quis mercedis, ac debiti, iuſtæ denique compēſatio-
nis rationem admiſerit. Vbi verò ſola fides ſine ope-
ribus ad iuſtitiam aſſequendam valet, ibi gratuita
II. ac liberalis largitio aſſerenda eſt. Sic autem ſe rem
habere, non modò oſtendunt verba prolata ex libro
Geneſeos, [q] ſed etiam illa quæ mox ex Dauide [r] af-
feruntur. Verùm cur non etiam credenti, vt ope-
ranti ſua ex iuſtitia debetur merces? An fidei mer-
ces eſt animæ ſalus, vt ex priori Epiſtola [s] Petri col-
ligit Auguſtinus? [t] Certè idem Auguſtinus alio [u] lo-
co ita de fide ſcribit. *Fides* (inquit) *eſt credere quod*
nondum vides, cuius fidei merces eſt videre quod credis.

A Quod ipſum aliis locis frequenter repetit; ſed hic
ipſe [a] negat iuſtitiam fidei eſſe mercedem. *Iuſtificati* a Ep. 106.
(inquit) *ex fide pacem habemus ad Deum, iuſtificati*
autem gratis per gratiam ipſius, ne fides ipſa ſuperba ſit,
ne dicat ſibi, ſi ex fide, quomodo gratis? Quod enim ex
fide meretur, cur non potiùs redditur quàm donatur? Non
dicat iſta homo fidelis, quia cùm dixerit, vt merear iu-
ſtificationem habeo fidem. Reſpondetur ei: Quid enim
habes, quod non accepiſti? Sed vt verum fatear, tantum
abeſt vt hæc verba quæſtionem expediant, vt eam
magis implicent, atque inuoluant: nam ſi fidei vis ac
ratio meriti negatur, quia donum Dei eſt; an non
ſunt bona opera Dei bona, *qui* [b] *operatur velle, & perfi-* b ad Philipp. 2.13.
cere pro bona voluntate; quique [c] *operatur omnia in* c 1. ad Cor. 12.6.
omnibus? Cur igitur Paulus illis vim merendi conce-
B dit, quibus mercedem ex iuſtitia deberi contendit,
fidei verò negat? Quid quòd ipſe Auguſtinus [d] fidei d Epiſt. 105.
nonnullum meritum aſſerit, atque affirmat? *Nec ipſa*
(inquit) *remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi*
fides hanc impetrat; neque enim nullum eſt meritum
fidei. Alibi: [e] *fides impetrat charitatem.* Et: [f] *fides me-* e l. 2. cont. aduerſ. leg. & prophet.
retur gratiam benè operandi. Rurſus: [g] *Hæc confeſſio* f Epiſt. 106.
meruit iuſtificationem. Et cum ageret [h] de Iacob, & g Tract. 44 in Ioan.
Eſau, elegiſſe ait fidem Iacob, eàque de cauſa illum h de quibuſdam prop. huius Epiſtolæ prop. 60.
prætuliſſe Eſau. *Quod enim credimus noſtrum eſt.* Et i propoſ. 27.
hæc ipſa verba Pauli tractans [i] ea putat intelligi de
humana iuſtitia, non de diuina. *Deus enim per gra-*
tiam dedit peccatoribus, vt per fidem iuſtè viuerent, id
eſt benè operarentur. Quod ergo benè operamur iam ac-
cepta gratia, non nobis ſed illi tribuendum eſt, qui per gra-
tiam nos iuſtificauit. Igitur cùm tam multa hinc inde III.
C vrgere videantur, ſi in re grauiſſima ſit coniecturæ
locus, ſic mihi perſuadeo non ſimpliciter, nec abſo-
lutè rationem meriti, ac iuſtitiæ denegari fidei, ſi
ipſa ſpectatur, vt eſt opus à libero arbitrio profe-
ctum gratia excitante, & adiuuante, atque etiam iu-
ſtificante adiuto, atque informato. hoc enim ſigni-
ficat Auguſtinus [k] cùm dixit, fidem mereri gratiam k Epiſt. 106.
benè operandi. Tum namque vt ille ait, *gratia mere-*
tur augeri, vt aucta mereatur & perfici. Sed meritum
iuſtitiæ remouetur à fide, qua ratione confertur cum
gratia iuſtificante, ipſaque iuſtificatione, quæ nullo
modo habet rationem mercedis, vt ſuprà ex Con-
cilio Tridentino docui; cùm præſertim fides ſit
primum Dei gratuitum donum, vnde ſumitur exor-
dium iuſtificationis, quæ idcirco liberaliter, ac non
D ex merito confertur, quia neque gratiam, quam fides
impetrat, neque fidem vlla operum merita præce-
dunt, quibus fides, aut gratia iure debeatur. Itaque
fides cum iis operibus à Paulo confertur, quæ natu-
ræ viribus perficiuntur. nam ſi illa vi ſua gratiam
tamquam præmium aſſequerentur ex iuſtitia, profe-
ctò nos iuſtificarent. Iam verò fides gratis iuſtitiam IV.
comparat non tantùm quia ſine præcedentibus me-
ritis confertur, ſed etiam quia non ipſa ſuapte vi gra-
tiam, & iuſtitiam parit, ſed ob ſingulare, planéque
diuinum beneficium, vt alibi copioſiùs docet Pau-
lus, & hoc loco non obſcurè indicat his verbis, quæ
ſequuntur. *Credenti autem in eum, qui iuſtificat im-*
pium, reputatur fides eius ad iuſtitiam ſecundùm propo-
E *ſitum gratiæ Dei.* Eſt autem diuinæ gratiæ propoſitum
eiuſmodi, *vt nullum* [l] *ſit aliud nomen ſub cœlo datum* l Act. 4.12.
hominibus præter Chriſtum, *in quo nos oporteat ſal-*
uos fieri; Chriſti verò gratiæ primùm fidei benefi-
cio coniungimur, vt alias ſæpe dictum eſt. Si igitur
iuſtificatio accipiatur pro forma, quæ tollit peccata,
& veram affert iuſtitiam, non datur merito fidei,
ſiue quia non ſola fides iuſtificat, ſiue quia in homi-
ne fideli ante gratiam nullum eſt propriè meritum
iuſtitiæ, quod vocant condignum; ſin autem iuſtifi-
catio omnem motum illum ſignificat, quo tendi-
mus

mus ad gratiam, habet in ea præcipuum locum fides, adeóque non poteſt cadere ſub meritum, quod ante fidem nullum eſſe poteſt. Plura quidem ſubtiliùs diſputari ſolẽt in ſcholis, in quibus non deſunt, qui iuſtificationem quidem gratis concedi velint, ſed tamen gratiam, & formam inhærentem cadere ſub meritum de condigno non negent; ſed hæc fuſiùs alibi inueſtiganda ſunt. interim dico cùm Paulus ait; *operanti merces imputatur, non ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum*; loqui de propriè dicta mercede, quæ ex iuſtitia debeatur, vt non omnino eorum ſit probanda ſententia, qui hinc colligunt, nonnullam eſſe mercedem, quæ ex gratia concedatur: ſignificat enim potius mercedem opponi gratiæ, & illam quidem operibus, hanc verò fidei reddi, vt infrà planiùs docet: quomodo ſi quis diceret, qui pretium ſoluit non accipit beneficium, ſed id, quod ſibi iure debeatur: non ſignificaret poſſe aliquod beneficium pretio emi, ſed potiùs id negaret: ita cùm Paulus ait; Ei qui operatur, merces *non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum*; ſignificat opera, id eſt, illa quæ fiunt ſine gratia poſtulare non gratiam, ſed iuſtam mercedem, ſi alioqui præmio digna ſint. intelligit autem operanti mercedem deberi ſecundum debitum ipſorum videlicet operum ſpectata natura, quæ ſi cætera non deſint ſunt ipſa per ſe mercede digna. Quocirca dixit alicubi Christus [a], *dignus eſt operarius mercede ſua*.

a Luc. 10. 7.

5. Et vero, qvi non operatvr, &c. Rectè
I. colligit Origenes, Abrahæ fidem fuiſſe perfectam, quandoquidem reputata eſt ei ad iuſtitiam. Iuſtitiam autem gratuitam intelligit, quæ non reddatur tamquam merces. Porrò verba illa; *ſecundùm propoſitum gratia Dei*; in Græcis codicibus non leguntur, non ſolùm in iis, qui nunc habentur in manibus, ſed neque olim ea legiſſe videntur Origenes, Chryſoſtomus, Theodoretus: leguntur tamen in plurimis Latinis, iiſque emendatioribus & agnoſcuntur, & explicantur tamquam verba Pauli ab Ambroſio, & auctore commentariorum nomine Hieronymi, Primaſio, atque Anſelmo, & quamuis non legerentur, ratio tamen antitheſis poſtularet, vt tacitè intelligerentur. Dixerat enim Paulus, operanti dari mercedem ſecundùm debitum; huic membro opponit hoc alterum, credenti acceptam referri fidem pro iuſtitia; quo loco vt perfecta ſit antitheſis intelligi neceſſariò debet, *non ſecundùm debitum, ſed ſecundùm gratiam*. Alludit autem Paulus ad locum Geneſeos, [b] in quo cùm Abraham percunctaretur quid ſibi pro mercede ſperandum eſſet, cùm liberis, ac poſteritate careret; Deus ipſe reſpondit, poſteritatem eius numero, ac multitudine æquaturam ſydera, atque aſtra cœli; inſinuans (vt ait Irenæus [c]) Chriſti beneficio, qui ex ipſius poſteris naſciturus erat, cunctas gentes, ac nationes ab idolorum cultu ad veram fidem traducendas, & fidelium Eccleſiam innumerabilem mortalium multitudinem ſuo complexu comprehenſuram, ita indicat ſupremam beatæ, immortaliſque vitæ mercedem, & Chriſtum ipſum, cuius munere, ac liberalitate ad illam ſempiternam fœlicitatem cunctis mortalibus aditus reſeratur. operanti igitur merces debetur ex iuſtitia, credenti autem ex gratia. Quia verò Abraham credidit Deo promittenti, ex gratia iuſtificatus eſt, ipſaque eius fides pro iuſtitia habetur, cùm alioqui fides ipſa, ſua vi iuſtitiam nequaquàm tribuat; quo fit, vt id omnino diuino munere, ac liberalitate fieri intelligatur; hoc eſt (vt ait Paulus) *ſecundùm propoſitum gratia Dei*; liberalem videlicet, ac gratuitam Dei voluntatem, qua voluit fidem eſſe iuſtitiæ, & ſalutis inſtrumentum. Porrò Ambroſius [d] vtitur hoc teſtimonio Pauli ad probandum, iuſtis mercedem, ac præmium ex iuſtitia reddi, peccatoribus autem gratiæ beneficio iuſtificationem conferri. Quomodo autem fides ſit iuſtitia partim ex ſuperioribus intelligi poteſt, partim ex diſputationibus cognoſcetur. Quod verò probauerat teſtimonio Abrahæ, & auctoritate libri Geneſeos, iuſtificari hominem gratis, non ex operibus, idem rursùs ex Dauidis ſententia confirmat. Sequitur enim.

b cap. 15. 6.

c lib. 3. cap. 9.

d lib. de pœnit. cap. 10.

Sicvt et David dicit beatitvdinem, &c. 6.

Beati qvorvm remiſſæ svnt iniqvitates, &c. 7.

Beatvs vir, cvi non impvtavit, &c. Acre 8.
profectò, & perſpicax neceſſe eſt fuiſſe Apoſtoli I.
ingenium, diuini præſertim ſpiritus luce illuſtratum: plus enim vidit, & intellexit, quàm ſola Dauidis verba, ſi ipſa per ſe ſpectentur, ſignificare videantur. Colligit autem, beatos illos à Dauide appellari, quibus Deus accepto fert iuſtitiam, quaſi dicat, eam ſibi ſolutam fatetur. eſt enim verbum ab humana conſuetudine ductum. dicitur enim creditor acceptam referre pecuniam debitori, cùm eam fatetur habere pro ſoluta, quæ actio à Iuriſperitis acceptilatio dicitur, quæ eſt imaginaria ſolutio, quæ [a] fit ſine rei interuentu, quæque ſolutioni comparatur. [b] Quæ ratio locutionis gratuitæ iuſtificationi mirificè congruit. nam quemadmodum ſi creditor pecuniam acceptam referat debitori, hic obligatione ſoluitur: ita is, cui Deus acceptam refert iuſtitiam, liber eſt à reatu ſupplicij ſempiterni: nam ipſe peccator ex ſe ſoluendo non eſt, nullóque modo poteſt, (vt alibi doceo) pro culpa ſatisfacere; Deus autem Chriſti merita ſpectans diuinæ ſuæ gratiæ beneficio pœnitentiam in animo excitat fidelium, & iis liberaliter peccata condonat: qua de re ita alicubi Auguſtinus: [c] *Confeſſio, & magnificentia opus eius: quod magnificentius (ait) quàm iuſtificare impium? ſed opus fortaſſe hominis præuenit iſtam magnificentiam Dei, vt cùm fuerit peccata confeſſus iuſtificari mereatur. deſcendit enim de templo iuſtificatus publicanus magis, quàm ille Phariſæus, quia nec oculos ad cœlum audebat leuare, ſed percutiebat pectus ſuum dicens; Deus propitius eſto mihi peccatori.* Et paulò pòſt: *Sed fortaſſe ex operibus, non inquit ex operibus, ne fortè quis extollatur. ipſius enim ſumus figmentum creati in Chriſto in operibus bonis.* [d] *Iuſtitiam enim homo non operatur niſi iuſtificatus, credens autem in eum, qui iuſtificat impium, à fide incipit, vt bona opera non præcedentia quod meruit, ſed conſequentia quod accepit oſtendant; vnde ergo illa confeſſio? Nondum quidem opus eſt iuſtitiæ, ſed delicti improbatio; ſed quomodo ſe habeat, nec in ipſa de te, homo, glorieris; vt qui gloriatur,* [e] *in Domino glorietur. quid enim habes, quod non accepiſti?* Beatum igitur dicit Dauid eum, II.
cui perpetrata flagitia Deus immortalis condonauit, & obducto veluti ſuæ gratiæ velo, prætetita ſcelera obtexit, cuique nullo modo expenſum fert peccatum. Interpretatur Paulus, hanc beatitudinem ab operibus nõ pendere; vnde hoc colligat, neque memini legere qui doceat, neque ego facilè diuinare poſſum. Quid enim Paule? Annon caderet ipſa beatitudo in eum, qui ſua aliqua actione id à Deo meritus eſſet, vt ſibi peccata remitterentur? ſunt qui putent id ex duplici verbo colligi, quo vtitur hoc loco Dauid. Primum eſt verbum remittendi, quod vt (iſti volunt) vi ſua rationem debiti excludit. Alterum imputandi, cui iuſtitiæ ratio maximè repugnat. Si quæras vnde id probent, nihil habent reſpondere. Certè Ambroſius Paulum auctorem nempe eximium ſecutus, beatos interpretatur eos, *quibus ſine labore, vel opere aliquo remittuntur iniquitates, & peccata teguntur; cùm nullum ab his pœnitentia opus exigatur,*

a l. imaginaria ff. de accept.

b l. non ſolum. §. ſi is, qui. ff. de lib. leg.

c in Pſal.

d ad Ephe. 2. 10.

e 1. ad Cor. 29.

nec

A *nec quidquam aliud flagitetur, niſi tantùm vt credant.* Poſt nonnulla verò, *Remittere* (ait) *& tegere, & non imputare vna ratio, & vnus eſt ſenſus. omnia enim*
III. *vno modo obtinentur, & donantur.* Cæterùm quòd in præſentia Ambroſius (ſi tamen is eſt auctor) opera excludat, etiam pœnitentiam, non fauet hæreticis. agit enim de iis actionibus, eàque pœnitentia, quæ fidem antecuertunt, quæ ſine dubio neque valent ad iuſtificationem, neque neceſſaria ſunt, vt
a ad Hebr. 4. alibi doceo. nam hic ipſe auctor alibi [a] ſcribit: *Magna res eſt fides, & ſalutaris, & ſine hac non eſt ſaluari poſſibile: ſed ſola fides non ſufficit, operari fidem per dilectionem neceſſarium eſt, & conuerſari dignè Deo.* Sunt verò qui tres veluti ordines eorum, qui purgantur à Dauide recenſeri affirment; quæ eſt in primis
Orat. 40. ſententia Gregorij [b] Nazianzeni. Primum enim eorum ordinem eſſe dicit, quorum peccata penitus tolluntur, quibus ſcelera dicuntur remitti & condonari: alterum eorum, qui ex parte expiantur, quorum idcirco flagitia obtegi cenſentur, quòd ea penitus ex animo non auelluntur. Tertium denique eorum, qui quamuis vitioſum aliquid perpetrarint, culpa tamen magna ex parte vacant, quòd per imprudentiam, vel certè inuiti, ac penè coacti lapſi ſint. Alij aliter apud Hieronymum. remitti enim putant baptiſmo, tegi pœnitentia, martyrio non imputari. Alij apud eundem remiſſis baptiſmo flagitiis augeri volunt charitatem in Deum, quæ cùm multitudinem operit peccatorum, tum non permittit illa deinceps imputari. ſed vnde colligant remittendi, imputandíque verba gratuitam largitionem continere, iuſtitiam, ac meritum penitus excludere; nemo hactenus docuit. Fateor tamen ſi ſpectemus remittendi vocem, eam indulgentiam, & aliquod gratuitum beneficium continere; de verbo autem imputandi, ſeu reputandi non planè conceſſerim, quod vel ex ipſorum verborum Dauidis explanatione facilè intelligi poteſt.
IV. Porro quod Latinus interpres dixit. *Beati quorum remiſſa ſunt iniquitates*; Hebræi codices vocem habent numeri ſingularis פֶּשַׁע *Peſſagh*, quæ præuaricationem, defectionem, aut rebellionem ſignificat. Septuaginta Græcè reddiderunt ἀνομίαν, quaſi contra legem, aut ſine lege: Origenis interpres iniquitatem appellat: alterum verò verbum, quo iniquitatis, ſeu iniquitatum remiſſio explicatur, Hebraicè eſt כָּסָה *caſſah*, quod propriè eſt dimittere, parcere, indulgere, tollere. Græcè eſt verbum ἀφίημι, quod planè idem ſignificat, quod auferre, amouere, tollere. Quòd verò tecta dicit peccata, non perinde accipio, quaſi verè peccata maneant, ſed tegantur tamen, quia Deus eorum nullam habeat rationem, vt volunt hæretici; ſed eo modo, quo charitas, & gratia, quaſi velum obductum vim habet operiendi, & abſcondendi peccata. ſic enim in illum Dauidis locum ſcribit Auguſtinus: *Non dixit Dauid; Beati, quorum non ſunt inuenta peccata, ſed quorum tecta ſunt peccata; tecta autem ſunt, quoniam aboluta ſunt: ſi texit peccata Deus, noluit aduertere; ſi noluit aduertere, noluit animaduertere; ſi noluit animaduertere, noluit punire. Nec ſic intelligatis quod dixit peccata cooperta ſunt, quaſi ibi ſint, & viuant. Tecta ergo peccata dixit non vt viderentur; quod autem erat Deum videre peccata, niſi punire pec-*
c Pſal. 50. 11. *cata? vnde ipſe mes dixit* [c] *alio loco: Auerte faciem tuam*
d Quæſt. 101. in Exod. *a peccatis meis.* Et [d] alibi: *Peccata per confeſſionem exprimi docet, & per gratiam, quæ data eſt Eccleſiæ aboleri, & hoc eſt tegi.*
e libr. 1. contra duas Epiſt. Pelag. c. 13. Alio verò [e] loco inducit Pelagianum ita loquentem contra Catholicos: *Dicunt etiam* (inquit) *Baptiſma non dare omnem indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, ſed radere, vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur.* Et mox reſpondet: *Quis hoc aduerſus Pelagianos, niſi infidelis affirmet? dicimus enim, baptiſma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, nec vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quaſi raſorum in capite capillorum, vnde creſcant iterum reſecanda.* Eodem pertinent quæ ſcribit B.
a lib. Regeſt. Ep. 39. Gregorius [a]: *ſi qui ſunt, qui dicunt, peccata in baptiſmate, ſuperficie tenus dimitti; quid eſt hac prædicatione infidelius, in qua ipſum fidei ſacramentum feſtinat ſoluere? in quo principaliter ad cæleſtis munditia myſterium anima ligatur, vt abſoluta radicitus à peccatis omnibus ſoli illi inhæreat, de quo dixit Dauid* [b], *mihi adhæ-*
b Pſ. 72. 28. *rere Deo bonum eſt?* Et multa deinceps in eandem ſen-
V. tentiam. Quòd ſi libeat hæc ſubtiliùs enucleare, offenſa, ſeu iniuria, quæ ineſt in peccato dicitur con-
B donari, ac remitti, actio turpis, ac rationi repugnans, quæ licèt præterierit, manere tamen intelligitur ad modum habitus, tegi dicitur, atque operiri, vt explicuit Auguſtinus, quia Deus non illum refert ad ſupplicium; reatus æterni ſupplicij dicitur non imputari, hoc eſt non expenſum ferri, quia Deus non vult ampliùs eam pœnam exigere; denique fœditas, turpitudo, & macula deleri, ablui, & abſtergi dicitur. Itaque non imputari peccatum, eſt eius nullam haberi rationem; ita vt propterea nec peccator ſit Deo exoſus, neque ſupplicio ſempiterno obnoxius. Quod dixerim propter hæreticos, qui cùm facilè admittant, iuſtis peccata non imputari, inde omnem tollunt ſatisfactionis neceſſitatem, quaſi condonata culpa, omnis etiam pœna tollatur: contra quos faciunt quæ ſcri-
C bit alicubi Auguſtinus [c] explicans hiſtoriam Natham Dauidem reprehendentis. c li. 50. Hom. 24.
Iuſtus (inquit) *eſt Deus, & odit peccata. ſi iuſtus eſt, vindicat in peccata, non poteris auferre à Domino Deo iuſtitiam; eius implora miſericordiam, ſed attende iuſtitiam. Miſericordia eſt, vt ignoſcat peccanti; iuſtitia eſt, vt puniat peccatum. Quid ergo quærens miſericordiam peccatum impunitum fore putas? Non Domine, non erit impunitum peccatum meum, noui iuſtitiam eius, cuius quæro miſericordiam: nõ erit impunitũ peccatum meum; ſed ideo nolo, vt tu me punias, quia ego peccatũ meum punio. ideo peto vt tu ignoſcas, quia ego peccatũ meũ agnoſco: delictũ enim meũ contra me eſt ſemper.*
VI. Sed his tamẽ poſitis, qua ratione hinc Paulus colligat, eũ appellari à Dauide beatũ, *cui Deus accepto fert iuſtitiã ſine operibus*; nondũ liquet. Nam &
D de exẽplo Abrahæ nõnulli dubitant, vtrùm ad gratuitã iuſtificationẽ probandã idoneè afferatur à Paulo; & de his Dauidis verbis maior videtur eſſe dubitandi ratio. nam de Abraham ſcripturæ teſtimonio vtcumque oſtenditur quod probandum ſuſceperat Apoſtolus, fuiſſe illum ex fide iuſtificatum; atque ob id liberalem fuiſſe iuſtificationem, non autem ex iuſtitia. De verbis autem Dauidis ſic planè ſentio, ex iis Paulum colligere, iuſtitiam gratuitam eſſe, quia à Deo imputatur, non autem ex operibus cuiuſquam naſcitur. reputat enim Deus iuſtitiam non vi operum, ſed ex ſua liberalitate. Nam cùm Dauid in condonatione peccati Deum tantummodò nominat, nullam verò humanæ actionis mentionem faciat, planè oſtendit, non haberi rationem meritorum, ſed
E quidquid in ea cernitur ab vnius Dei liberalitate pẽdere. Eodem enim modo hæc accipienda ſunt, vt ſuperiora, de quibus dixerat Paulus, *Abrahæ fidem reputatam fuiſſe illi ad iuſtitiam, ſed ſecundum propoſitum gratiæ Dei.* ſi igitur Dauidis verba hac eadem ratione accipiantur, planè ſequitur omnino gratis, ac liberaliter ab immortali Deo acceptam referri iuſtitiam, iniquitates remitti, obtegi peccata, denique peccatum non imputari. Itaque Paulus explicat Dauidem, quaſi intelligat referri acceptam à Deo iuſtitiam ſine operibus, vnde efficitur eſſe illam gra-

tuitam, ac liberalem. Qua verò ratione tegi dicantur peccata, ſatis ex ſuperioribus conſtat. Quod verò ad ipſam Dauidis ſententiam attinet, incredibile dictu eſt, quàm multæ ſint, quámque inter ſe diſcrepantes ſententiæ, quæ, quoniam ad inſtitutum nihil pertinent, in præſentia omittuntur.
VII. Hæreticorũ porrò huius noſtri ſæculi non eſt prætereunda veſania, qui iuſtitiam imputari nobis à Deo perinde accipiunt, quaſi aliena nobis iuſtitia extrinſecus quadam veluti iuris fictione accommodetur; adeóque volunt peccata non ita remitti, vt aboleantur, ſed tegi duntaxat, ne puniantur. Simile quiddam contra Pelagianos reprehendit Auguſtinus [a], qui (vt ipſius Auguſtini verbis docui) obiiciebant Catholicis, quaſi dicerent, non expiari peccata per baptiſmum, ſed abradi tantummodò tamquàm capillos, adeóque remanentibus eorum radicibus iterum renaſci: neque aliud perſtringere videtur Gregorius [b], cùm multis probare nititur, peccata in baptiſmo funditùs aboleri, vt paulò antè monui: ſed qua ratione Chriſti merita noſtra quodammodò cenſeantur, alibi copioſiùs docebo. Quomodo autem in iuſtificatione penitùs extinguatur peccatum, non ita multo pòſt hac ipſa Epiſtola explicabo; hîc tantùm addam verba quædam Auguſtini [c]: *Certè iuſtus eſt Deus; negari enim non poteſt: imputat autem Deus homini omne peccatum, & hoc quoque confitendum puto, quia neque peccatum eſt quidquid non imputabitur in peccatum.*

a lib. 1. cont. duas Ep. Pelag. cap. 13.
b lib. 9. Regeſti. c. 39.
c lib. de perfec. iuſt. cont. Cœleſtiũ, ratio. 14.

9. BEATITVDO ERGO HÆC, &c. Rectè
I. omnino, & ſapienter colligit Paulus tam iuſtificationem Abrahæ, quàm beatitudinem illam, quam deſcribit Dauid, neque vi circumciſionis partam, neque vni circumciſioni alligatam, ſed omnibus omnino Gentibus fuiſſe propoſitam, adeóque gratuitam eſſe; itaque à diuina liberalitate pendere vniuerſam. Neque enim Abraham ex operibus, ſed ex fide iuſtificatus eſt, ídque ante circumciſionem; neque Dauid in iuſtificatione impij vllam ait bonarum actionum habitam fuiſſe rationem. Iam verò quod noſter interpres Latinè dixit *Manet*, nihil habet in codice Græco, cui reſpondeat. ſic enim dixit Paulus; ἐπὶ τὴν περιτομὴν, quaſi dicat in circumciſionem tantùm cadit, aut conuenit, vel aliquid ſimile, vt nos diximus in paraphraſi. Theophylactus certè ſubaudit verbum, cadit, niſi fortè pro, manet, dixit vulgatus interpres, manat; ſed ex coniectura abſque auctoritate codicum nihil cenſeo immutandum, cùm præſertim Romana editio legat verbũ manet, quamuis durè omnino præpoſitio Græca ἐπὶ, accuſandi caſui iungitur. Origenes certè inter Græcos, & Ambroſius inter Latinos addunt *tantùm*; quæ vox in Græcis codicibus, qui habentur in manibus non legitur; habetur tamen in nónullis Latinis, & præcipuè Romano. Latet quidem certè Græco more in coniunctione καὶ. ſic enim Græca habent exemplaria, ἢ καὶ ἐπὶ τὴν ἀκροβυστίαν, hoc eſt; an etiam in præputium? eſt autem argumentandi genus aculeatum, ac vehemens, cùm duobus veluti extremis propoſitis; quorum alterum neceſſariò admittendum ſit, vnum ita reiicitur, vt alterum apertè concludatur. Neceſſe enim erat, Abrahæ iuſtificationem vel ante, vel certè poſt circumciſionem contigiſſe. Atqui (vt mox oſtendit Paulus) certum eſt, nondum illum fuiſſe circumciſum, cùm dicitur ex fide iuſtificatus; ſed quod noſter interpres dixit; Beatitudo hæc; Græcè legitur μακαρισμὸς, id eſt, (vt nos in paraphraſi expreſſimus) beatitudinis prædicatio. qui enim beati ſiue verè, ſiue etiam falsò prædicantur, μακαρίζεσ dicũtur apud Græcos: vera autẽ beatitudinis prædicatio iuſtitiæ, ac iuſtis conuenit; ita ij, qui vt Abraham ab omni labe peccati puri, ac iuſti prædicantur, verè etiam, ac propriè dicuntur beati, ídque beatitudine humana quæ haberi poteſt in hac vita, cui reſpondet futura. Subdit autem: DICIMVS ENIM, QVIA, &c. Sic enim inquit, paulò antè docuimus, non circumciſione, non actionibus legis, ſed vnius duntaxat fidei beneficio fuiſſe Abrahamũ olim iuſtificatũ. Nec dubitandum eſt, eodem etiam modo accipienda eſſe verba Dauidis, cùm agit de impij iuſtificatione, vt ſuprà dictum eſt, atque idcirco mox ſubdit:

Quomodo ergo reputata eſt in circumciſione, an in præputio? non in circumciſione, ſed in præputio. Ita videas, totam Pauli argumentationem rectè fuiſſe cõcluſam. non eſſe ex legis operibus, ſed ex fide expectandam iuſtificationem. nam apparet Abrahamum non ex circumciſione iuſtificatum, qui tanto antequàm circũcideretur diuino teſtimonio iuſtus prædicatur. Eſt autem vt monuimus Apoſtoli argumẽtatio vehemens, & aculeata, quæ nequeat refutari, videtúrque hoc loco circumciſionem & præputium propriè accipere. nam verè Abraham adhuc præputio præditus iuſtificatus eſt, & nondum circumciſus. Ita, vt ſuo loco dicemus, multi veteres patres, Abrahami aliorúmque multorum exemplo oſtendunt plurimos abſque circumciſione fuiſſe olim iuſtos, & Deo gratos. 10.

ET SIGNVM ACCEPIT CIRCVMCISIONIS, &c.) Priori loco eſt Græcè σημεῖον, poſteriori σφραγῖδα; ſignum vocat circumciſionis ipſam videlicet circumciſionẽ, quæ ſignum quoddam eſt, qua ratione dicimus virtutem fidei, id eſt fidem, quæ eſt virtus. Sed & nos ſacramentum Baptiſmi dicimus, & ſacramentum Euchariſtiæ, & id genus alia; quæ à Latina loquentium conſuetudine non abhorrent, ac propterea in nonnullis codicibus legimus σημεῖον ἔλαβε περιτομῆς, hoc eſt, ſignum accepit circumciſionem. Nec deſunt qui circumciſionem interpretentur ſignum initi fœderis inter Deum, & Abrahamum, ipſiúſque ſobolem, ac poſteritatem. Addunt alij fuiſſe ſignum indicans, atque aliqua ratione ſignificans dignitatem, ac præſtantiam iuſtitiæ, fidei beneficio Abrahamo conceſſæ. Neque negandum eſt, fuiſſe circumciſionem quaſi teſſeram, qua gens Hebræa à reliquis populis, ac nationibus diſtinguebatur; quod egregiè explicant Hebræorum doctiſſimi [a] Philo, & Ioſephus [b]; ex noſtris autem Iuſtinus [c] martyr, aliíque complures, quos alibi fuſiùs recenſebo. Quamuis enim Celſus Epicureus circumciſionem non aliter, atque alia pleraque Iudæorum inſtituta ab Ægyptiis deſumptam fuiſſe exiſtimarit, tamen (vt docet Origenes [d]) contra potiùs ſentiendum eſt; Ægyptios, & Cholcos, alióſque non paucos, eum ritum vnà cum aliis ab Hebræis accepiſſe, & ſuis ſuperſtitionibus, atque impietatibus miſcuiſſe. 11. I.
II. Nam quod quidam ſuperioris ſæculi ſcriptores [e] memoriæ prodiderunt Abyſſinos etiam fœminas circumcidere à pudendis detracta caruncula, non modò nouum, ſed penè incredibile videri poſſit, certè Iuſtinus fœminas circumcidi nequaquàm poſſe affirmat, indéque colligit, ſigni duntaxat cauſa datam eſſe circumciſionem, *non pro opere iuſtitia.* Irenæus [f] autem in eamdem ſententiam. *Quoniam & circumciſionem* (ait) *non quaſi conſummatricem iuſtitiæ, ſed in ſigno eam dedit Deus, vt cognoſcibile perſeueret genus Abrahæ, ex ipſa Scriptura diſcimus. Dixit enim* (inquit) *Deus ad Abraham; circumcidetur omne maſculinũ veſtrum, & circumcidetis carnem præputij veſtri, & erit in ſignum teſtamenti inter me & vos.* Deinde multa in eandem ſententiam ſubdit. Nec magnopere diſcrepant ij, qui affirmant, circumciſionem fuiſſe ſignum, ac veluti indicium circumciſionis ſpiritualis, & iuſtitiæ, quæ aliquando

Chriſti

a in lib. de Circumciſ.
b lib. 1. antiq. cap. 12.
c Dial. cum Tryph.
d lib. 5. aduerſ. Celſ.
e Iouius lib. 18.
f lib. 4. ca. 30. ſimilia ca. 28. 29. 12. 34.

Chriſti beneficio mortalibus concedenda eſſet; ita
ſanè Origenes, cuius hæc ſunt verba: *Benè circumci-
ſionem ſigni appellauit in Abraham, quia & ipſa aliud
videbatur, & aliud intelligebatur, & oſtendit quia tam
tunc carnalis illa circumciſio ſignum erat ſpiritualis, quæ
non in carne ſuſcipitur, ſed in corde.* Penè eadem alio
loco [a] ſcribit, vbi oſtendit non plus contuliſſe cir-
cumciſionem, quàm quod eſſet ſignum *veræ, ac ſpi-
ritualis circumciſionis.* Rurſus [b] cùm quæreret cauſas
circumciſionis; *Aiunt* (inquit) *Iudæi octaua diei cir-
cumciſionem eſſe præcipuam, cæteras ſuperuacaneas, &
fortaſſe propter aliquem infeſtum Iudæorū genti angelū,
inuentū eſt, qui poſſit incircūciſos lædere, circumciſos non
poſſe, quod intelligi poteſt ex libris Exodi, vbi Angelus ante
circumciſionem Eleazari, contra Moſem valuit, quo cir-
cumciſo, irrita facta eſt illius potentia.* Athanaſius [c] au-
tem: *Circumciſio* (inquit) *nihil demonſtrat, niſi depoſi-
tionem, exuuiáſque detractæ natiuitatis.* Idque probat
teſtimonio Pauli [d]. *In quo* (ait) *circumciſi eſtis cir-
cumciſione, non manu facta, in expoliatione carnis.* Pau-
lò pòſt: *Abraham enim* (ait) *vbi Deo crediderat, cir-
cumciſionem accepit pro nota, inſignibúſque eius rege-
nerationis, quæ per baptiſmum conficitur.* Rursùs pòſt
pauca: *Arbitror autem circumciſionem ideo datam eſ-
ſe ex eo enim, quod Adamo dictum fuit; Terra es, & in
terram reuertêris. Et quia propterea corpus moriebatur,
& interibat, idem eſt, quòd partem corporis, eámque cor-
poris procreatricem iuſſi ſunt mutilare.* Et paucis in-
teriectis concludit: *ſicuti ſacrificia vmbra erant rerum
futurarum, ita circumciſio particularis, totius hominis
circumcidendi adumbratio, delineatióque fuit.* Mox
videtur (inquit) *in totum circumciſio data eſſe, vt au-
ferat vituperium terreni ſtemmatis, ab Abrahamitis,
quo in poſterum non obnoxij ſimus huic maledicto; Terra
es, & in terram reuertêris.*

VI. Denique conferens cir-
cumciſionem cum baptiſmo, circumciſionem figu-
ram fuiſſe affirmat, eius regenerationis, quæ fit in
Baptiſmo. Et in eádem ſententiam apertiſſimè ſcri-
bit Epiphanius [e], qui conferens Iudaiſmum cum le-
ge Euangelica ita loquitur: *Illic circumciſio fuit car-
nalis, quæ inſeruit tempori vſque ad magnam circumci-
ſionem, hoc eſt Baptiſmum, qui circumcidit nos à pecca-
tis, & obſignat nos in nomine Dei.* Alibi verò apertiùs,
vt oſtenderet circumciſionem quidem præteriiſſe
carnalem, & quæ figuræ inſeruit ad tempus; mox
cùm attuliſſet rationes plurimas, ob quas Chriſtus
voluit circumcidi, ſubdit: *Oportebat ipſum, qui præce-
perat Abraham, vt circumcideretur ſignaculi apparen-
tis gratia, dati verò ad figuram veri, ac inuiſibilis, nunc
circumcidi, & hoc ſignaculum confirmare: fiebat enim
apparens illa circumciſio propter hæſitationem ipſius
Abraham.* Tum nonnullis interpoſitis: *At* (inquit)
*vt ne ſeruitute preſſum ſemen ab idololatris, ac incredu-
lis Ægyptiis obliuiſcatur Dei Patrum ipſius, impoſuit
ipſi, & ipſis circumciſionem carnalem, vt videntes recor-
dentur, & non negent ipſum.* Gregorius [f] verò Nyſ-
ſenus multis oſtendit, circumciſionem non attuliſſe
iuſtitiam, deinde cauſam circumciſionis explicat.
*Propterea quòd in gentes populus immiſceretur, & con-
ſuetudinem cum eis, commerciúmque iniret, circumci-
ſio data fuit, & cauſa manifeſta eſt. Nam vſus circum-
ciſionis initium cœpit ab Abraham; quem cum Deus ſu-
pra omnes illius ætatis homines dilexiſſet, ex ipſo Chri-
ſtum quoque naſciturum, quod ad carnem attinet, præ-
deſtinauit, vt id quod planè fieri voluerat, poſſet etiam
ſincerè, & abſque adulteratione fieri, ac degeneratione:
huius rei gratia opus fuit circumciſione, & reliquarum
gentium conſuetudinis fuga, vt tamquam ſeptum quod-
dam à reliquis hominibus eos lex ſepararet: vnde etiam
nato eo, propter quem hæc inſtituta, & facta ſunt, dein-
ceps quaſi ſuperuacua.* Et quæ ſequuntur. Porrò Chry-
ſoſtomus [a]: *Attende* (inquit) *quomodo poſteà tempore
procedente voluit, circumciſionem pro lege ſtatui, non
quòd ad animæ ſalutem perficere hæc poſſit aliquid; ſed vt
hoc gratitudinis indicium quaſi ſignum, & ſigillum cir-
cumferrent Iudæorum pueri; & ne liceret eis commiſce-
ri Gentium commixtionibus. Hinc B. Paulus ſignum
hoc vocat dicens: Et ſignum dedit circumciſionem ſigil-
lum. Nam quod ad iuſtitiam nihil conducat: Ecce &
hic iuſtus nondum ſtatuta circumciſione ad eamdem
peruenit virtutem.* Alibi verò cùm oſtendiſſet cir-
cumciſionem ſolummodò in ſignum fuiſſe datam,
in hunc modum concludit [b]. *Et vt euidenter ſciatis,
dilecti, quod hoc nihil ad animæ virtutem conducat, ex
his, quæ fiunt, videri poteſt. cur enim octo dierum infans
circumciditur? tempus autem definitum à miſericorde
Deo, duabus cauſis opinor. vna, vt in ætate immatura
faciliùs circumciſionis in carne moleſtiam ferre queat:
alia, vt rebus ipſis diſceremus, quod ad animæ nihil con-
ducat, ſed hoc fiat ſigni gratia.* Tum addit non poſſe
iuuare puerorum animas, quia non fit ex ipſorum
electione. Opinabatur enim vir ſanctus non poſſe
opera legis abſque propria operantis actione pro-
deſſe; quod eo ipſo loco multis probat. Tum ad ex-
tremum de circumciſione, ac Baptiſmo in hunc mo-
dum definit; *quod illic operatur circumciſio in depoſi-
tionem carnis, hoc agit Baptiſmus in depoſitionem pecca-
torum.*

V. Anaſtaſius [c] autem Epiſcopus Nicenus ean-
dem circumciſionis rationem, & cauſam affert, *ne
videlicet Iudæi cum impiis commixti corrumperent ſui
generis nobilitatem, vnde cùm in deſerto verſati eſſent
quadraginta annos, ſuperuacaneam exiſtimarunt cir-
cumciſionem, vt qui eſſent ſeparati à gentibus, & per ſe
vitam agerent. Quando autem deducti ſunt in terram
promiſſam, tunc rurſus Deus imperauit Ieſu, vt omnes
circumcideret, & ſic terræ traderet dominium. erant enim
alienigenis futuri propinqui. Quamobrem neceſſariò
opus habebant ſignaculo, quod eos ſepararet ab alienige-
nis.* Denique concludit, circumciſionem non facere
homines iuſtos.

VI. Iam verò Theodoretus [d] explicans
verba illa Pauli: *Circūciſio quidem prodeſt, ſi legem ob-
ſerues. Oſtendit* (inquit) *Paulus his verbis circumciſio-
nem carnalem inutilem eſſe, ſi non adſit ſpiritualis cir-
cumciſio. corporalis enim circumciſio ſolius locum obti-
net ſignaculi.* Et in hunc ipſum, quem nunc tracta-
mus, locum. *Audis* (inquit) *quod Paulus ait, circumci-
ſionem non eſſe iuſtitiam, ſed teſtimonium iuſtitiæ, &
ſignum fidei, quam ante circumciſionem acceperat.* Ali-
bi [e] verò eadem fermè repetit, quæ paulò antè ex
Anaſtaſio adduximus, vt alter ab altero, vel vterque
ab Irenæo, aut Gregorio Nyſſeno mutuatus videa-
tur. Neque aliter Cyrillus [f] Alexandrinus: *Quid igi-
tur, inquit, (dicet aliquis) ſibi vult circumciſio? bona ſa-
nè eſt, & vtilis amice. ſi typus eſſe credatur rei ſpiritualis.
abſurdum enim concupiſcentiarum, & voluptatum, quæ
ſcilicet ſunt in humana mente, abiectionem ſignificat,
quam per Spiritum ſanctum in nobis omnibus Chriſtus
operatur.* Eodem modo loquuntur Euſebius [g] Cæ-
ſarienſis, Theophilus [h], Oecumenius [i], Photius [k],
Elias [l] Cretenſis, & alij [m]. Denique Damaſcenus [n]
circumciſionis duas tantùm agnoſcit cauſas: alte-
ram, vt populus Hebræorum ab aliis gentibus di-
ſtingueretur; atque ita ait in deſerto omiſſam eſſe:
alteram, vt eſſet figura Baptiſmi. *Vt enim illa* (inquit)
*ſuperfluitatem inutilem amputabat, ſic per ſanctum ba-
ptiſma à peccato circumcidimur.*

VII. Iam inter Latinos
Tertullianus [o], cùm docet, circumciſionem nō pur-
gare hominem, quia plurimi abſque circumciſione
fuerunt iuſti; cum affirmat Abrahamum accepiſſe
circumciſionem, quæ eſſet in ſignum temporis il-
lius, non in ſalutis prærogatiuam. Et paulò poſt: *Præ-
uidens* (inquit) *Deus, quod hanc circumciſionem in*

a Hom 27. in Geneſ.
b Hom 30. in Geneſ. ſimilia ſcribit homil. 40. in Geneſ. & 7. in hanc epi. Homil. 14. ad Heb. Hom. de prædicatione Iudæ.
c Quæſt. 28. in 1. 1 p. tom. 6. Bibliothec. ſanctorum.
d ad Rom. 2. 25.
e Quæſt. 67. in Geneſ.
f lib. 10. in Iulianum.
g lib. 2. demonſtr. Euang. cap. 6.
h ad Rom. 2. & Ephe. [illegible]
i ad Rom. 4.
k Apud eumdem Oecumen.
l in Apolog. Greg. Naz.
m Auctor Catenæ Græcæ in Act. Apoſt. cap. 16.
n lib. 4. de fide orthod. c. 26.
o lib. aduerſ. Iud. c. 1

A *ſignum non in ſalutem eſſet daturus populo Iſrael, idcirco filium Moſis ducis futuri inſtigat circumcidi, dari enim debebat circumciſio, ſed in ſignum vnde Iſrael in nouiſſimo tempore dignoſci haberet. Denique ſicut circumciſio carnalis, quæ temporalis erat, imbuta eſt in ſignum populo contumaci, ita ſpiritalis circumciſio eſt in ſalutem populo obaudienti.* Eodem modo loquuntur Cyprianus [a], & Hilarius [b]; apertiſſimè verò Ambroſius [c] in hunc modum ſcribit: *ſignum igitur circumciſionis corporalis, veritas autem circumciſio ſpiritualis eſt; illa membrum amputat, iſta peccatum.* In hunc verò Pauli locum: *Nō ergo* (inquit) *circumciſio aliquid habet dignitatis, ſed ſignum eſt tantùm, quod ſignum ideo accipiebant filij Iſrael, vt ſcirent eius filij eſſe, qui credens Deo hoc ſignum acceperat.* Eiuſdem omnino ſententiæ B fuerunt Hieronymus [d], Proſper [e], Euſebius [f] Emiſſenus [g], Primaſius [h], Aymo, Anſelmus [i], & alij [k]. Quo magis mirandum eſt, tam affirmatè dixiſſe nonnullos ſententiam, quæ negat, circumciſionem vim habuiſſe remittendi peccatum originale, contra ſanctorum doctrinam pugnare; vt nihil dicam eam viris doctis [l] videri valdè probabilem. Accedit quod ea ſententia validis ſcripturæ teſtimoniis, & non contemnendis rationibus confirmari poteſt.

VIII. Nam (vt hinc incipiā) illo ipſo loco [m], quo primùm tradita eſt circumciſio, hoc modo loquitur Deus. *Hoc erit pactum meum, quod obſeruabitis inter me & vos, & ſemen tuum poſt te; circumcidetur ex vobis omne maſculinum, & circumcidetis carnem præputij veſtri, vt ſit in ſignū fœderis inter me, & vos; infans octo* C *dierum circumcidetur in vobis omne maſculinum in generationibus veſtris.* Et paulò pòſt: *Maſculus, cuius præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit.* Hîc primum ex communi ſententia inſtituitur circumciſio; pertinet autem (vt alibi probatum eſt) ad inſtitutionem ſacramenti iuſtificantis, vt habeat promiſſionem gratiæ, quæ hoc quidem loco nulla protſus apparet. Neque verò dicendum eſt, eam promiſſionem in comminatione mortis implicitè contineri; quia illa comminatio non ad animam, ſed ad corpus pertinet, ſignificátque infantem, qui circumciſione careat, vel in populo Dei non numerandū, vel mortem certè obiturum; quod etiam non obſcurè innuit Auguſtinus [n]. Addit etiam Hieronymus [o], mor- D tem non ipſis infantibus, ſed eorum parentibus intentari. Atque adeo Angelum in Exodo [p] voluiſſe non filium Moſis, ſed Moſem ipſum perimere, quaſi reum diuinæ legis violatæ; & quidem (vt intelligi poteſt ex Hebræis, & Græcis codicibus, itémque ex Chaldæo paraphraſte) præceptum illud ad viros refertur, non ad infantes, qui nullius legis erant capaces. Accedit, quòd huiuſmodi pœna ſæpè proponitur in lege [q] aliorum præceptorum violatoribus, cùm tamen eorum obſeruatio neque peccatum cōdonaret, neque gratiā vllo modo conferret. Quamobrem quæ de hoc præcepto pluribus locis ſcribit Auguſtinus [r], non ſunt planè neceſſaria, vt ſuo loco meliùs explicabitur. Deinde non poteſt circumciſio ad expiationem fœminarum adhiberi, cum tamen E illæ eadem primæuæ labis macula inquinatæ naſcātur, atque idcirco egeant etiam ipſæ expiatione, ne quis hoc loco imitatus Paulum exclamet; Nunquid maſculorum Deus tantùm? Nónne etiam fœminarum? Eccui igitur vero ſimile videatur ſexui virili procuratum eſſe ſacramentum, fœmineum verò ſexum penitùs neglectum? Nam ſi pro fœminis aliud ſacramentum erat diuinitus inſtitutum, præterquàm quod temere omnino fingitur; cur non idem valere poſſet ad homines expiandos? Quid autem cauſæ fingi poteſt, cur eadem noxa viros, ac

a lib. 1. aduerſ. Iud c. 8. b in Pſal. 118. lit. Mem. c ep 72 ſimilia habet li. 1. Abraham ca. 17.

d ad Galat. 5. & in Iſa. c. 3. e Part. 2. de prædicat. & promiſſ. f Serm de ſecunda Natiu. Dom. g ad Rom. 4. h ad Rom. 3. i Iſidor. in Geneſ. ca. 13. Gerſo. Tract. 9. ſuper magnificat.

k Xiſtus Senenſ. lib 5. Biblioth ſanctæ adnot 96. l Gratian de pœnit. d. 2. Can. omnis, qui diligit. Guilelm. Pariſien. Tract de fide, & lege nu. 7. Adamus Saſboat in hanc ep. cap. 4. Stapleton. in Antidotis Apoſtol. ad hunc locum Pauli. Bellar. l. 2. de ſacram à cap 14. vſque ad 16. excluſiue m Gen. 17. 10

n Quæſt. 35. in Exo. & li. 4 de bapt cont. Donat. c. 24. o ad Gal 3. p cap 4. 24.

q Exod. 12. & 30. Leui 17 18 19. 20. & 23. Num. 15. & 16

r lib. 16. de Ciuit. c. 27. lib 2. de pecc orig c. 30 & 31. lib. 2. de nupt. & concupiſ. c. 11

A fœminas inquinet, non idem tamen vtrique ſexui ſacramentum adhibeatur? Denique ex hoc loco Paulus colligit, circumciſionem fuiſſe ſignum, ac ſignaculum iuſtitiæ.

IX. Iam verò Paulus [a] Apoſtolus cùm hac ipſa Epiſtola dixiſſet, non haberi rationem circumciſionis, aut præputij, cúmque animaduerteret, Iudæos poſſe aliqua ratione indignari; mox quærens circumciſionis vtilitatem cùm vniuerſim docet neminem ex operibus legis iuſtificari, tum nominatim circumciſionem appellat ſignum, & ſigillum, vt indicet, eam fuiſſe quaſi notam, & characterem, quo Iudæi tamquàm ſerui ſtigmatici obſignarentur; deinde appellat σφραγῖδα, hoc eſt, ſigillum; vnde veteres omnes ſancti, aliíque viri docti colligunt, nihil habuiſſe circumciſionem, præter vim, ac rationem B ſigni. Alio vero [b] loco: *Circumciſio* (inquit) *nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſeruatio mandatorum Dei.* Et [c]: *In Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed noua creatura.* Quamquam fortaſſe hæc teſtimonia ad tempus legis Euangelicæ referuntur. Sed vt paucis multa complectar; quæcumque pertinebant ad legem veterem Paulus vocat [d] *infirma, & egena elementa; detrimentum* [e], *& veluti ſtercora; mandatum* [f] *inutile; valuiſſe* [g] *ad emundationem, & iuſtitiam carnis.* denique vniuerſim docet [h], *legem habuiſſe vmbram futurorum bonorum, non ipſam rerum imaginem*; ipſam verò circumciſionem appellat [i] κατατομὴν, id eſt, conciſionem, vel (vt interpretatur Chryſoſtomus) impolitam, minimèque artificioſam diſſectionem: alibi circumciſionem manu C factam in expoliatione carnis, eámque opponit baptiſmo.

X. Non me quidem præterit, facilè hæc argumenta à viris doctis contemni; quòd exiſtimēt Paulum de circumciſione loqui poſt legem Euangelicam, quo tempore non ſolùm inutilis, ſed etiam pernicioſa cenſenda eſt; vel certè id vnum voluiſſe ſignificare, circumciſionem ex ſe, &, vt loquuntur, ex vi operis nullam habuiſſe vim iuſtificandi, ſed vi tantummodò fidei annexæ, cuius reſpectu & tollebat peccatum, & gratiam conferebat: ſed (vt arbitror) neutrum admitti poteſt. Conſtat enim primùm loqui Paulum præſertim in hac Epiſtola, & in altera ad Galatas de circumciſione, vt data eſt Abrahæ, & à Iudæis retinebatur, apud quos nefas eſt cogitare, maiorem illam habuiſſe vim, quàm in ipſo primo D parente Abraham. Deinde non eſt admodum veriſimile, Paulum Apoſtolum ſcholaſticas ſubtilitates reſpexiſſe; & vt maximè de iis cogitarit, credi vix poteſt, alienam fidem maiorem habuiſſe vim, quàm nunc habeat, præterquàm quod Auguſtinus [k], vt probet ſacramentum etiam collatum à malo miniſtro, adeóque etiam hæretico validum eſſe, affert circumciſionis exemplum quam dicit validam fuiſſe etiam collatam à Samaritanis, cùm tamen illi vera fide carerēt. Accedit quod plerique veterum Theologorum Pauli auctoritate permoti fidenter aſſeuerant, legem illam veterem nihil habuiſſe præter iuſtitiam quandam legalem, & vmbram, ſeu figuram veræ gratiæ, & iuſtitiæ Chriſti. Etenim Dionyſius [l] Eccleſiam ait eſſe intermediam inter ſynagogam, & E cæleſtem patriam. Synagoga námque præter carnalia ſacramenta vmbras, & figuras præſtare nihil poterat; cæleſtis patria ſimplicem, ac nudam exhibet veritatem nullis inuolutam ſignis, aut integumentis; Eccleſia verò vnà cum ſignis corporeis ſpiritualem gratiam continet: ex quo apparet non potuiſſe circumciſionem iuſtificare. nam alioquin & ipſa præter ſigna externa habuiſſet etiā veritatem, & effectum ſpiritualem. Eodem modo loquuntur Euſebius Cæſarienſis [m], Euſebius [n] Emiſſenus, Athanaſius [o], Baſilius [p], & Theodoretus [q]; nec diſcrepat Auguſtinus [r], qui

a cap. 4. 11.

b 1. ad Cor. 7. 19. c ad Gala.

d ad Gal 4. 9 e ad Phil. 3. 7 f ad Heb 7. 18 g ad Heb. 9. 13 h ad Heb. 10. 1 i ad Phil. 3. 2

k lib. 1. cont. Creſcon. c. 31

l cap. 5. Eccl. Hierarch. p. m l. 1. demonſt. Euang. ca 10 & lib. 5. hiſt. cap 1. n Homil. in Sab. poſt 1 Domin. Quadrag. o Orat. in di. Euang. omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. p lib de Spir. ſancto c 14. q lib. 7 de curand græcar. affect. r Ep 19. q. 2 in Num lib. 19. cont Fauſt c. 13. in Pſ 73 Tract 41. in Ioan.

vniuerſim docet, vetera illa ſacramenta, atque A præcepta fuiſſe non bona, quia non poterant remittere peccatum, nec iuſtificare: & nonnullis [a] in locis nominatim agit de circumciſione. Et profectò ſi (quod certum eſt, & paulò antè monui) originali peccato etiam fœminæ obſtringuntur, cur non æquè illis expiandis ſacramentum dicamus fuiſſe adhibitum? circumciſio certè adminiſtrari non poterat, neceſſe vt ſit vel illas remedio prorsùs caruiſſe, vel plura fuiſſe ſacramenta, quæ infantibus recens natis, vel vi ſua, vel alienæ fidei opera gratiam, & iuſtitiam tribuerent. quod omnibus ſcholaſticis apertè repugnat, qui cùm doceant, antiqua illa ſacramenta nullam habuiſſe vim gratiam impertiendi, vnam excipiunt duntaxat circumciſionem. Atque hac quidem ratione ad hoc ipſum probandum duo grauiſſimi, & B antiquiſſimi Theologi vſi ſunt, Iuſtinus [b] Martyr, & Epiphanius [c]. Cur verò omiſſa fuerit totos quadraginta annos circumciſio, dum populus Iudæorum quaſi errabundus in deſerto vagaretur? An (quod indicare videtur D. Thomas [d]) credendum eſt, neminem prorsùs infantem obiiſſe? At ſimul integras familias diuinitùs fuiſſe extinctas accepimus; an aliud adhibebatur ſacramentum eadem vi, ac poteſtate præditum? At hoc maiorem quandam veteris legis dignitatem, atque excellentiam ſupra Euangelium indicaret, fuiſſetque infantium ſalus (repugnante Auguſtino [e]) multò facilior, quàm in lege Euangelica. cùm ſine Baptiſmo nulli infanti pateat aditus ad ſalutem. Denique vix poſſet conſtare inter C antiqua, & noua ſacramenta diſcrimen, quod in Côcilus Florentino, & Tridentino conſtituitur, & à Theologis fuſiùs explicatur, ſi circumcidentium fides veram poterat infantibus circumciſis gratiam impertire. Verùm huic ſententiæ non modò Auguſtinus [f], Gregorius [g], Anſelmus, Innocentius [h], atque omnis ſcholaſticorum turba, ſed etiam Catholicorum ſenſus aduerſari videtur, à quibus non eſt facilè recedendum, quamquàm tot Patrum grauiſſima teſtimonia priorem illam ſententiam ab omni ſuſ-

XII. picione, ac periculo liberare poſſunt. Quamobtem admiſſa communi Theologorum ſententia quæ omnino retinenda eſt, ad ea, quæ pro altera ſententia allata ſunt, vno verbo reſponderi poteſt, veteres Patres vna cum Paulo affirmaſſe, circumciſionem datam fuiſſe, tamquam ſignum, quia verè id ab Apo- D ſtolo traditur; ſed non negare, valuiſſe ad expiandum originale peccatum; id vnum docere non potuiſſe, vi ſua gratiam, & iuſtitiam conferre, quod eſt veriſſimum. Quid verò pro fœminis ad expiandum originariam labem adhiberetur; non ſatis conuenit inter Theologos, dum alij ad legis naturæ ſacramêtum confugiunt, alij quidpiam aliud ſuſpicantur, de quo non planè liquet. Illud negari non poteſt, labem illam communem, aliqua ratione etiam in fœminis fuiſſe expiatam. Cæterùm Paulus circumciſionem Græcè σφραγῖδα appellat, hoc eſt, ſigillum, quod veluti typo, ac figura quaſi ſigillo eam iuſtitiam obſignabat, quam Chriſtus erat aliquando allaturus, hoc eſt, veram cordis circumciſionem, ita Origenes, cui maximè fauet Apoſtolus: ait enim *ſignaculum iuſtitiæ* E *fidei quæ eſt in præputio.* quaſi dicat fuiſſe ſigillum eius iuſtitiæ, quam affert fides, qua iuſtificatus eſt Abraham, antequàm præputium reſecuiſſet, vt appareat iuſtitiam non a circumciſione pendere. poſſis etiam interpretari *ſignaculum iuſtitiæ fidei*, quia veluti ſigillo, diuinum illud diploma conſignabat, quo gratis iuſtitia Abrahæ fuerat collata; quæ eſt Chryſoſtomi, Theophylacti, & Oecumenij ſententia, quam Cyrillus [i], & Auguſtinus [k] maximè probant, quomodo autem hoc nomen noſtris nouæ legis ſacramentis tribuatur, ſuo loco videro. Qui verò circumciſionem ſigillum putant fuiſſe eius fœderis, cuius fide Abraham fuerat iuſtificatus, viderint ipſi, qua id ratione probent; nos meliores auctores habemus, quos hæreticis longè anteponimus. *Vt ſit Pater omnium credentium per præputium.* Rectè omnino Pau- XIII. lus ad excludendam Iudæorum iactantiam oſtendit Abrahamum fidei beneficio ante circumciſionem fuiſſe iuſtificatum, vt non vi circumciſionis credentium parens conſtitutus eſſe credatur; ideo enim inquit, iuſtitia, quam ex fide perceperat Abraham, cùm eſſet adhuc præputio præditus, circumciſione veluti ſigillo obſignata eſt, vt appareret, illum eſſe credentium parentem, etiam ſi quidam præputium retinerent: ſic enim Anſelmus verba illa *per præputium* refert ad credentes, quamuis etiam ad Abrahamum referri queant, qui etiam-num retinens præputium, credentium Pater declaratus eſt, quibus itidem fides ad iuſtitiam aliquando imputanda eſt. hoc enim eſt, quod ait; *Vt reputetur & illis ad iuſtitiam.* Ita videas (auctore, atque interprete Paulo) Abrahæ poſteritatem, non ſeminis propagatione, ſed fidei participatione definiendam, ac numerandam eſſe, quod Apoſtolus mox apertiùs declarat. ait enim.

Et sit Pater circvmcisionis. 12.
I. &c. Itá-ne verò? Iudæi igitur nihil ad parentem Abraham pertinent? Immò verò, inquit; idcirco enim Abrahæ iuſtitiam, circumciſio conſecuta eſt, vt ille ipſe Abraham parens eſſet etiam circumciſorum, ſi modò fidem Abrahæ imitatione exprimerent, vt ſignificet, Iudæos non ob circumciſionem duntaxat, ſed præcipuè ob fidei imitationem pertinere ad ſpiritualem Abrahæ poſteritatem, ac ſobolem. ſic enim Græcè legimus, [illegible]; hoc eſt, qui non tantùm ſunt ex circumciſione, ſed veſtigia fidei Abrahæ conteſtantur, quomodo legiſſe videtur Origenes, & omnino legit Ambroſius. ſic enim transfert; *Vt ſit Pater circumciſionis eorum, qui non ſolùm ex circumciſione ſunt, ſed etiam eorum qui inſequuntur veſtigia fidei.* Vt Iudæorum duo ſint ordines, alter eorum, qui ex Abrahamo nihil habent præter circumciſionem: alter eorum, qui præterquàm quòd circumciſi ſunt, fidem Abrahæ complectuntur. Ita Chryſoſtomus, & Græci interpretes. paulò aliter Anſelmus, qui prioré ſententiam his verbis repeti, & vberiùs putat explicari. Abrahæ namque poſteritas fidei beneficio bipartita quodam modo erit; nam & Gentiles, & plurimi Iudæorum fidem Chriſti complexi Abrahamum parentem, & veluti progenitorem agnoſcent, modò eius fidei veſtigia, quam ille adhuc in præputio conceperat, religioſè ſectentur. Verùm circumciſi non vi ſuæ circumciſionis carnalis, ſed per fidem ad Abrahæ poſteritatem pertinent, vt hac ipſa Epiſtola aliquanto pòſt [a] docebit Apoſtolus. Et ſanè huc ſpectant quæ ſcribit Irenæus [b], & Cyrillus [c] de Abrahæ circumciſione, itémque plurima quæ ſuprà allata ſunt. Nos in paraphraſi poſteriorem explanationem magis probauimus, ne cogamur (quod plerique faciunt) vel librarios accuſare, & textum Apoſtolicum immutare, vel quaslibet explanatorum coniecturas ſequi, qui plerumque (quod in prophanis auctoribus nimia quadam corrigendi libidine faciunt) ex ingenio ſacras litteras deprauant. Addam etiá ſuſpicionem meá. poteſt enim Abraham dici pater circumciſionis, qua ratione *ſignaculum iuſtitiæ fidei* nuncupatur. vt ſit ſenſus, Abrahamum, parentem eſſe eorum, qui aliquo modo iuſtitiam fidei aſſequuntur, ſiue illi ſint ex circumciſione, hoc eſt Iudæi, ſiue ex præputio, id eſt Gentiles. quæ explicatio ab Anſelmi ſententia non diſcrepat; niſi quòd

a cap. 9. 6.
b lib. 4. c. 10.
c lib. 4. in Ioan. c. 15.

vocem circumciſionis quam primo loco ponit Apo-
ſtolus, planiùs declarat. vt circumciſio ponatur pro
re ſignata, id eſt, pro iuſtitia quam obſignabat.
13. Non enim per legem, &c. Non me
I. fugit promiſſionis nomine frequenter in ſacris litte-
ris rem ipſam promiſſam ſignificari. ſic enim intelli-
a cap. 3. 16. go Paulum cùm dixit ad Galatas [a]: *Abrahæ dicta ſunt*
b cap. 6. 12. *promiſſiones, & ſemini eius.* Et ad Hebræos [b]: *Qui fi-*
c ad Hebr. 10. 36. *de, & patientia hereditabunt promiſſiones.* Itémque [c]:
Vt voluntatem Dei facientes reportetis promiſſionem. Et
d Act. 1. 4. Lucam in actis [d] Apoſtolicis: *Sed expectarent promiſ-*
ſionem Patris. Quo etiam modo certum eſt, ple-
rumque ſpem poni pro re, quæ ſperatur. ſic enim ait
e ad Rom. 8. 24. Paulus [e]: *ſpes autem, quæ videtur, non eſt ſpes.* Et
f ad Titum 2. 13. rurſus [f]: *Expectantes beatam ſpem.* ſic fides pro re, quæ
fide creditur nonnumquàm accipitur, vt indicant
g ad Ephes. 4. 5. verba illa Pauli [g]; *Vnus Deus, vna fides, & vnum ba-*
ptiſma. Sed ego tamen promiſſionem intelligo ipſam
illam pollicentis Dei actionem, qua fidem ſuam A-
brahamo, eiúſque poſteris obſtrinxit. illam enim ait
Paulus non fuiſſe factam per legem, hoc eſt ob cul-
tum legis, quæ nulla erat; ſed merito fidei iuſtifican-
tis, vt conſequens ſit eius fructum, non legi ſed fi-
dei deberi, quod paulò pòſt planiùs docebo. Sed
vtrum Paulus ſpectet id quod primùm Abrahamo
h Geneſ. 12. & 22. promittitur, cùm auocatur [h] à patria, vel cùm dici-
i Geneſ. 15. & 17. tur [i] iuſtificatus ex fide, ambigit non nemo. nam
priori quidem loco nationes omnes Abrahami nomi-
ne benedicuntur, in poſteriori verò promittitur A-
brahamo terra Chanaam, quæ tamen promiſſio (vt
k Actuum 7. Stephanus [k], & Paulus [l] interpretantur) propheti-
l ad Hebr. 11. cè ſpectabat cœleſtem illam patriam, & beatorum
regnum, vel etiam Chriſtum, & Eccleſiam: ſed
vtrum dixeris, Pauli ſententia conſtat. nam & ad Ec-
cleſiam pertinent omnes nationes, quæ Chriſti be-
neficio in ſpem cœleſtis patriæ eriguntur, & omnes
item gentes, tamquam Abrahæ proles eius benedi-
II. ctionis fructum conſequuntur. ſed quoniam promiſ-
ſio non Abrahæ ſolùm, ſed ipſius etiam ſemini facta
dicitur, vero ſimilius eſt de ea promiſſione verba
m Gen. 17. 8. Pauli accipienda eſſe, qua dictum eſt Abrahæ [m], *Da-*
bo tibi, & ſemini tuo terram peregrinationis tuæ. Sic
enim Paulus ferè ſemper ea, quæ olim in veteri te-
ſtamento contigerunt, myſticè, atque allegoricè in-
terpretatur de bonis gratuitis, & quæ ſpectant ad
vitam ſempiternam. Non puto autem, vt modò dixi,
dubitandum eſſe, loqui in præſentia Apoſtolum, non
de promiſſionis euentu (vt nonnulli volunt;) ſed de
ipſa promiſſione, vt Chryſoſtomus, & Theodore-
tus, aliíque non pauci interpretantur. Idem enim
videtur hoc loco dicere Paulus, quod in Epiſtola ad
n cap. 3. 16. Galatas [n]; *Abrahæ* (inquit) *dicta ſunt promiſſiones, &*
ſemini eius. Et mox: *Si ex lege hereditas eſſet, iá non ex*
promiſſione, Abrahæ autē per repromiſſionē donauit Deus.
Quæ verò hoc loco ſequuntur apud Paulū hanc no-
III. ſtrā ſententiā mirificè cōfirmant. *Vt heres eſſet mundi.*
Hebræorū more hæredis atque hæreditatis nomini-
bus vtitur: hæreditas enim apud Hebræos dicitur
quidquid alicui non (vt hæretici volunt) gratis cedit,
ſed ita traditur, vt eius liberam poſſeſſionem, & quaſi
o Pſ. 2. 8. dominium aſſequatur: ſic Dauid [o]: *Poſtula* (inquit)
à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſ-
ſionem tuam terminos terræ; vt non impiè modò, ſed
etiam imperitè pugnent hæretici, quia cœleſtis bea-
titudo hæreditas appellatur, eam non eſſe merce-
dem, quæ noſtris meritis debeatur. nam niſi cœci
p Pſal. 126. 3. eſſent, videre potuiſſent apud Dauidem [p] vnam,
eamdémque rem, id eſt, ſobolem, ac poſteritatem,
hæreditatem, ac mercedem appellari. *Ecce* (inquit)
hæreditas Domini filij, merces fructus ventris. Quo
minùs mirandum fuit, dictum eſſe iuſtis apud Mat-

A thæum [a], κληρονομήσατε, hæreditatem capite regni; a cap. 25.
cùm præſertim Chryſoſtomus, Theophylactus, Eu-
thymius eo loco adnotarint in verbo κληρονομεῖν hāc
vim ineſſe, vt ſignificet non quocumque modo ac-
cipere, ſed tamquàm proprium, tamquam debitum,
tantùm abeſt, vt gratis: ſic apud eundem Matthæū [b]; b cap. 5. 5.
pro mercede promittitur terræ hæreditas mitibus;
κληρονομήσουσι, id eſt hæreditate poſſidebunt terram.
Igitur Paulus Abrahæ promiſſionem interpretatur
de mundi hæreditate; nihil eſt autem aliud mundi
eſſe hæredem, quàm beatitudinem ſempiternam
adipiſci, vel Patrem omnium gentium appellari. ſic
nos infrà [c] dicimur hæredes Dei, cohæredes autem c cap. 8. 17.
Chriſti, quia per Chriſtum ſumus adoptati, & in
partem hæreditatis vocati, id eſt, in conſortium di-
B uinorum bonorum; vel (vt ait Oecumenius) iuſti
mundum hæreditate poſſeſſuri dicuntur; quia inno-
uato mundo impij quidem ſempiternis plectentur
ſuppliciis, ipſi verò vniuerſitate rerum, quæ hoc cœ-
li ambitu continentur, iucundiſſimè perfruentur. ſed
profectò ſuperiora. hæc enim mundi inſtauratio pa-
rum, aut nihil ad illos beatos pertinebit. Quid au-
tem attinet in præſentia Lutheranorum interpreta-
tionem refellere? qui iuſtos mundi hæredes aliquan-
do futuros perinde accipiunt, quaſi omnia, quæ ſub
aſpectum cadunt, ita ſint iuſtorum vſui deſtinata, vt
nefas ſit quidquàm eorum, quæ ſenſum voluptatis
titillatione demulceant, humanis cupiditatibus ſub-
ducere; ita helluones vino madidi, atque omni tur-
pitudine cooperti, ſacras litteras interpretantur, &
qui Epicuri caſtra ſequuntur, Chriſtum videlicet prę-
C dicant. *Sed per iuſtitiam fidei.* An negat fuiſſe olim IV.
Abrahæ, vt cæteris patribus in lege Moſis promiſ-
ſam beatam, ſempiternámque vitam, vel ipſum cer-
tè Chriſtum gratiæ, & gloriæ auctorem? ſanè Daui-
di dictum eſt à Domino [d]: *De fructu ventris tui po-* d Pſ. 131. 11.
nam ſuper ſedem tuam. Quod verò docuit Hiero-
nymus veteris legis promiſſiones huius mortalis vitæ
finibus fuiſſe incluſas, non eò ſpectat, vt nihil lex
illa cœleſte, nihil immortale, ac diuinum compre-
henderet, ſed quòd res alioqui ſupernaturales cor-
poreis tegumentis inuolueret. Neque negat Apo-
ſtolus, pollicitationem lege contineri, cùm certum ſit,
vt modò diximus promiſſionem olim factam Abra-
hæ de Chriſto venturo fuiſſe iteratam ac non ſe-
mel confirmatam; ſed id tantùm, docet illam Abra-
hæ primùm, deinde cæteris factam, vi iuſtitiæ fidei,
D eámque fuiſſe illius pollicitationis vim ac naturam,
vt omnem fructum, atque vtilitatem non vi legis, ſed
per iuſtitiam fidei credentibus allatura eſſet. Hanc
nos ſententiam explicuimus in paraphraſi; quæ eſt
Chryſoſtomi, ac Theodoreti, & veterum Patrum.
Conſtat enim, diuinam illam promiſſionem multis
non ſolùm annis, ſed etiam ſæculis legem præceſſiſ-
ſe, atque ita non potuiſſe fieri vi legis, verùm quia
promiſſionis fructus per legem haberi potuiſſet,
oſtendit Paulus, id nullo modo credendum eſſe, ſed
eum non aliunde, quàm à iuſtitia fidei expectandum.
Nam hoc ipſum aliis verbis docuit ad Galatas [e]. e cap. 3. 18.
Abrahæ (inquit) *dicta ſunt promiſſiones, & ſemini eius.*
Aliquanto autem pòſt: *ſi ex lege eſſet hereditas, iam*
E *non ex promiſſione; Abrahæ autem per repromiſſionem*
donauit Deus. Quaſi dicat, Abrahæ Deus gratis, ac
liberaliter pollicitus eſt hæreditatem; idcirco danda
eſt non alia ratione, quàm ex iuſtitia fidei, quæ pla-
nè gratuita eſt, & liberalis, vt paulò antè diximus. 14.
Si enim qui ex lege, &c. Paulum elinguem, I.
ac ſermone imperitum alicubi [f] vocat Hieronymus. f ad Gal. c. 5.
At cum Chryſoſtomo, aliiſque Græcis Patribus [g] g diſp. de Ep. Apoſt. c. 4.
alibi docuimus, non fuiſſe quidem illum artificioſæ,
& (vt ita dicam) prophanæ eloquentiæ pigmentis
illitum

illuſtrem; ſed eius tamen dicendi rationem adeo eſſe grauem, & ad perſuadendum accommodatam, vt ſi quis illam penitus introſpexerit, planè intelligat, nullam inueniri vel in ipſo Platone, qui à diuinitate dicendi nomen habuit, ſimilem grandiloquentiam, nullam in ipſo Ariſtotele, & Galeno, præſtantiſſimis alioqui harum rerum artificibus, magis exquiſitam, & accuratam methodum, vt verè dicere poſſimus, Pauli orationem eſſe non modò ſolidam, & ſucci plenam, ſententiarum grauitate, ac pondere admirandam, ſed enthymematum veluti neruis, atque oſſibus validam, ac robuſtam. Ita videas hoc loco non elegans ſolùm, ſed neruoſum atque efficax argumentandi genus, quo reiecto quod neceſſariò ſequitur ex aliquo antecedenti poſito ipſum, quod poſitū eſt, euertit antecedens. Nam ſi nō ex fide, ſed ex lege promiſſio conſtat, planè efficitur fidem prorsùs inutilem, ipſam verò pollicitationē irritam, atque inanē videri. Ait igitur, *ſi enim qui ex lege hæredes ſunt*, hoc eſt, ſi ob legis cultum atque obſeruationē, hæreditas tribuitur, *exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio*. Simile quiddam ſcripſit Apoſtolus in Epiſtola [a] ad Galatas, vt ſuo loco videbimus. *Teſtamentum* (inquit) *confirmatum à Deo, quæ poſt quadringentos, & triginta annos facta eſt lex non irritum facit ad euacuandam promiſſionem. ſi enim ex lege hæreditas, iam non ex promiſſione.* Iam verò non ex lege obuenire hæreditatem mox probat, cùm ait; *Lex enim iram operatur*; cùm autem dicit *fidem exinanitam*, non promiſſorum conſtantiam intelligit, vt quidam volunt, ſed eam fidem quam dixerat imputari ad iuſtitiam. Atque ita hunc locum explicat Chryſoſtomus. [b] *Promiſit* (inquit) *Deus Abrahæ, & ſemini eius daturum terram, & nepotes eius promiſſione indigni reperti ſunt, & propriis laboribus placere non potuerunt; propterea acceſſit fides, res facilis, quæ gratiam adduceret, neque in caſſum caderent promiſſiones, ideo ex fide dicit, vt ſecundum gratiam firma eſſet promiſſio; ſecundùm gratiam autem quoniam labore ſuo non poterant.* Dicit autem; *Qui ex lege*, more ſuo Apoſtolus, ſentiens de Iudæis, qui legem profitebantur: indicat autem non iis ſolùm factam eſſe promiſſionem. *Exinanita eſt fides*, κεκένωται, inanis facta eſt, inutilis, ac nullius ponderis: *Abolita eſt promiſſio*, κατήργηται, irrita facta eſt, perinde, ac ſi facta nullo modo eſſet. Rectè autē dicit, ſi ex lege ſit hæreditas, irritam fieri fidem, atque aboleri promiſſionem, quia quod ex lege tribuitur, id ex iuſtitia datur; quod verò ex fide, ac promiſſione gratuitum eſt; non poteſt autem idem eſſe ex iuſtitia, & ex liberalitate, niſi quis ſpectet pollicitationis initium: poteſt enim quis ex liberalitate quidpiam polliceri, ſed ſi exigatur conditio, ab eo adhibenda cui ſit promiſſio; vbi conditio adhibita fuerit, quod à liberalitate ortum eſt, iam pertinet ad iuſtitiam, vt copioſiùs alibi explico.

a cap. 3. 17.

b Hom. 8. in Rom.

15. LEX ENIM IRAM OPERATVR, &c. Si ex
I. lege daretur iuſtitia, irritam dixerat fore fidem, & inutilem promiſſionem, quæ fidei facta erat: nouo nunc argumento idem confirmat; tantùm enim abeſt, vt lex iuſtitiam, vel ſanctitatem afferat, vt iram potius, neque vltionem minetur. *Littera quippe* (vt alibi ſcribit [c] Paulus) *occidit, ſpiritus autem viuificat.* Quia (vt non ſemel docuit Auguſtinus) dum lex præcipit quid faciendum ſit, prohibétque contrarium, neque vllum ad rectè, laudabilitérque viuendum gratiæ ſubſidium affert, occaſionem, ac veluti materiam peccandi præbet, atque ita reos iræ, atque damnationis homines conſtituit. vt enim ait Chryſoſtomus [d]; *lex, quæ non fuerat obſeruata, puniebat.* Plurima hac de re Ambroſius. [e] Non igitur qui *ex lege hæredes ſunt*, hoc eſt non tantùm Abrahæ poſteri *ſecundùm carnem* ad hæreditatem vocati [illegible] tamen enim promiſſio Abrahæ facta proximè [illegible] ſpiciebat (vt interpretatur hoc loco Paulus) eximiam illam dignitatem, qua Abraham omnium gentium, ac nationum parens appellandus erat, idque fidei beneficio, quæ aliquando futura erat omnibus communis; tamen eminùs ſignificabat, ac veluti intimè in ſe clauſam continebat beatam, immortaléinque vitam, quam Abraham fide iuſtificatus conſecuturus erat. Proximam igitur hæreditatem, quam ſimpliciter verba ſignificabant, ſolus Abraham conſecutus eſt, qui ſolus credentium Pater nuncupatur; remotam, quæ in illa includebatur, omnes fideles, qui Abrahæ fidem, & mores imitantur, aliquando adepturi ſunt. *Lex* igitur, ait, *iram operatur*. cur ita? quia cum præcepta tradat, nec gratiam largiatur, peccandi materiam præbet, vnde meritò Deus ad iracundiam prouocatur. ſublata autem lege nullus patet peccato locus.

c 2. ad Cor. 3.

d Hom. 8. in Rom.

e in 2. ad Cor.

II. *Vbi enim non eſt lex, nec præuaricatio.* peccatum verò iuſtæ indignationi obnoxium degit. In eo autem ſemper verſari videtur Paulus, vt oſtendat, legem fuiſſe quandam veluti peccati miniſtram: dixerat paulò antè oriri ex lege cognitionem peccati, nunc addit, nullum eſſe abſque lege peccatum. Rurſus hac ipſa Epiſtola: [a] *Occaſione autem accepta peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. ſine lege enim peccatum mortuum erat.* Denique alibi: [b] *Virtus peccati lex.* Caue autem putes, ante legem Moſis, vel ſine illa nullum eſſe piaculum; ſiquidem contra naturæ legem peccaſſe gentes docuerat Paulus hac ipſa Epiſtola, in principio; nunc autem vniuerſim affirmat nullum eſſe omnino crimen ſine lege, quæ peccando violetur; atque ob id lex Moſis, quæ plurima præcepta continebat, gratiæ præſidio deſtituta, ampliſſimam tribuebat peccādi materiam. Porrò veriſſimè omnino dictum eſt, ſine lege nullum eſſe peccatum, quia (vt ſcribit Ioannes Apoſtolus [c]) peccatum eſt [illegible], quaſi dicat legis violatio: quoniam autem ante legem Moſis, erat in hominum mentibus indita lex naturæ, illius violatores rei ſceleris cenſebantur: ita Chryſoſtomus. [d] *Nullus* (inquit) *prætexat quòd ignorans virtutem negligat, vel quòd non habeat aliquem vitæ ducem, & demonſtratorem: ſufficientem enim magiſtrum habemus conſcientiam, & fieri non poteſt, vt quis illo adiumento priuetur. nam ſimul cum formatione hominis implantata eſt ſcientia faciendorum, & non faciendorum.* Et Hieronymus: [e] *Lex, quæ in corde ſcribitur, omnes continet nationes, & nullus eſt, qui hanc legem neſciat, vnde omnis mūdus ſub peccato eſt, & vniuerſi homines præuaricatores legis ſunt, & idcirco iuſtum Dei iudicium eſt.* Auguſtinus: [f] *Manu formatoris noſtri in ipſis cordibus veritas ſcripſit: Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri. hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permiſſus eſt, vt eſſet vnde iudicarentur & quibus lex non eſſet data.* Denique Proſper: [g] *Quis ambigat hanc ſapientiam humano generi ad temporalis vitæ vtilitatem ex natura à Deo condita ſupereſſe reliquiis? ſi enim nec ad iſta terrena ordinanda rationalis animi vigeret ingenium, non vitiata eſſet, ſed extincta natura.* Apparet autem Paulum nonnulla reticere, quæ neceſſariò ſubaudienda ſunt, cùm enim ait legem eſſe veluti iræ miniſtram, quia vbi non eſt lex, neque ineſſe poteſt præuaricatio: omnino ſubindicat, non iraſci Deum, aut vlciſci quemquam niſi poſito peccato, quo ſublato omnis iræ & vltionis materia tollitur.

a cap. 7. 8.

b 1. Cor. 15. 56.

c Ep. 1. cap. 3

d Hom. 54. in Geneſ.

e ad Algaſ. q. 8.

f in Pſal. 57.

g contra collat. cap. 22.

16. IDEO EX FIDE VT SECVNDVM, &c. Explo-
I. ſa altera iuſtificationis ratione, quæ ex lege petenda videbatur, alteram ſtatuit, quæ ex fide pendet, idque ex eo colligit, quòd quæ fidei beneficio tribuuntur, ea ſine accipientis merito, ſed ſolâ largientis liberalitate

litate gratuitò conceduntur; quod ex ſuperioribus intelligi poteſt. idcirco enim gratuita, ac liberalis promiſſio fuit, eáque fidei beneficio præſtatur, quia non vni tantùm Abrahæ poſteritati, ſed omnibus omnino gentibus iuſtitia promiſſa eſt, quæ fidem Abrahæ complectantur: hoc enim ſignificant verba illa; *vt ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini*: Quaſi dicat promiſſionem factam Abrahæ ad omnes gentes pertinere, quas nomine ſeminis comprehendit, alludens ad verba illa; *dabo tibi, & ſemini tuo*: quo nomine in Epiſtola ad Galatas intelligit Chriſtum, cuius fides æquè omnibus proponitur, & omnibus eſt communis. Græci codices hoc ipſum vehementiùs exprimunt. Sic enim habent: ἵνα κατὰ χάριν εἰς τὸ εἶναι βεβαίαν ἐπαγγελίαν. hoc eſt, vt ſecundum gratiam, vtque firma ſit promiſſio, quod in paraphraſi indicauimus. Addit *omni ſemini*, vt etiam gentes complectatur. Subdit ergo. *Non ei, qui ex lege eſt ſolùm; ſed & ei, qui ex fide eſt Abrahæ, qui pater eſt*

II. *omnium noſtrum.* Ideo non ſecundum legem, ſed ſecundum gratiam datur iuſtitia, vt promiſſio non ſolùm Iudæis, quibus tantummodò lex erat impoſita, ſed etiam gentibus conſtet, qui legem nullam acceperant præter eam, quam omnium mentibus natura inſculpſit. Reprehéditur autem à Grammaticis noſter interpres, quaſi perperam dixerit; *Omni ſemini, non ei, qui ex lege.* Dicendum enim fuerat; *quod*, cùm referatur ad ſemen, ſignificétque omné Abrahæ poſteritatem. nam Græcus quidem articulus ambiguus eſt, & tam maſculino, quàm neutro generi conuenit. Itaque ſunt qui [a] cenſeant, articulum Græcum τῷ non tam referre ſemé, quàm ipſum Abrahamũ, vt quemadmodum paulò pòſt Paulus duos facit Adamos, alterum terrenũ, alterum verò cœleſté, ita duos cõſtituat Abrahamos; vnũ ex circumciſione, & lege; alterum ex fide: illum eſſe Iudæorũ parentem, hunc omnium credentium Patrem. Fauere putatur huic interpretationi Græcus codex, in quo vox, *Abraham*, videtur eſſe datiui caſus, & pendere ab articulo τῷ antea poſito. nam alioqui ſi gignendi caſus eſſet, addendus erat articulus τοῦ; neque enim Græci ſine articulo caſus proferunt, ſed nego id eſſe perpetuum. nam in libro Eccleſiaſtici [b] ſcriptum eſt, Ἀρχὴ σοφίας φοβεῖσθαι τὸν κύριον. *Initium ſapientiæ eſt timere Dominum.* & Ariſtoteles ad Alexandrum dixit, σώματι μὲν ἐστι συμφέρον ῥώμη, κάλλος, ὑγεία· ψυχῇ δ' ἀνδρεία, σοφία, δικαιοσύνη. *Corpori quidem vtile eſt robur, pulchritudo, valetudo; animo verò fortitudo, ſapientia, & iuſtitia.*

III. Potuit igitur Paulus gignendi caſum ponere ſine articulo, vt ſenſus ſit, iuſtitiam propoſitam eſſe nõ ſolùm iis, qui legem amplexi ſunt (quod faciunt Iudæi) ſed etiam gentibus, qui Abrahæ fidem imitantur. Quocirca nihil eſt neceſſe duos Abrahamos confingere, ſed vnus, atque idem, qui ante circumciſionem iuſtitiam adeptus eſt, ipſam verò deinde circumciſionem accepit tamquàm ſignum, ac ſigillum perceptæ iuſtitiæ, & in poſteros tranſmittendæ. Duplicem verò habet poſteritatem, ac veluti ſobolem; alteram ſeminis, alteram fidei, duplicique nomine parens multarum gẽtium nuncupatur, & propagatione generis, & fidei imitatione. Noſter autem interpres relatiuum generis maſculini poſuiſſe videtur, non tam ſpectans vocem ſeminis, quàm rem ipſam, quæ illa voce, ac nomine ſignificatur, hoc eſt, populum Iudaicum, & Gentilem; idcirco enim ſubdit:

17. SICVT SCRIPTVM EST, QVIA, &c.)

I. Quo teſtimonio ex libro Geneſeos [c] deſumpto probat, Abrahamum fuiſſe non Iudæorum tantùm, ſed etiam Gentium parentem conſtitutũ: ſic apud Matthæum [d], & Lucam [e] Chriſtus dixit: *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham.* Et hic noſter ad Galatas [a]: *Qui ex fide ſunt, hi ſunt filij Abrahæ.* Quod verò ſubdit Paulus; *Ante Deum, cui credidit*; non eſt quidem in libro Geneſeos; ſed quorſum addatur in præſentia, non eadem ab omnibus affertur ratio. Nonnulli putant, voluiſſe Apoſtolum ſignificare diuino teſtimonio, atque auctoritate fuiſſe illam pollicitationem cõfirmatam, quaſi non alio, niſi Deo teſte factam: quæ videtur interpretatio Oecumenij. is enim hoc loco putat eſſe hyperbaton; & verba illa; *apud Deum*. cõiungi cum illis, *ſicut ſcriptum eſt*, perinde quaſi dicat, ſicut ſcriptũ eſt *apud Deum*, hoc eſt Deo teſte, vel potiùs auctore. Nec magnopere diſcrepat Origenes, niſi quòd hic ait, Abrahamum conſtitutum Patrem omnium Gentium *ante Deum*; id eſt, ab ipſo Deo, *qui vocat ea, quæ non ſunt tamquàm ea, quæ ſunt.* Sed cur Deus, qui loquitur, dicat ſe conſtituiſſe Abrahamũ Patrem multarum gentium coram Deo, vel Deo auctore? II. Certè id videtur alienum, quaſi ſignificaret, ſe alterius cuiuſpiam Dei auctoritatem interponere; vt interim omittam Græcè non eſſe ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, quod ea ſententia poſtulabat; ſed κατέναντι. Quocirca Chryſoſtomus, & Theophylactus, & Græca ſcholia ante Deum; interpretantur, quaſi ad exemplar Dei. Solet enim exemplar ex aduerſo poſitũ ſpectari, vt quemadmodum Deus natura eſt omnium gentium, ac nationum parens; ita ex altera parte Abraham per gratiam, & fidem fieret omnium Pater. Noſtram ſententiam in paraphraſi indicauimus, quam idcirco magis probamus, quòd rem, qua de agitur, propiùs attingat. Nec tamen diſplicet quod obſeruauit Anſelmus, Abrahamum appellari Patrem omnium gẽtium ante Deum, vt intelligamus, non eſſe id accipiendum de vi corporea procreandi, quorum effecta mortalium oculis ſpectantur, ſed fidei efficacitate, quæ nihil efficit humanis oculis aſpectabile, ſed quod diuino tantùm intuitu comprehendatur. Fauet Auguſtinus [b], cuius hæc ſunt verba: *Quod autem ait Ante Dominum, cui credidiſti, ſignificauit fidem in interiore homine eſſe in conſpectu Dei, non in oſtentatione hominum, ſicut eſt carnis circumciſio.* III. Quod verò ſubiungitur; *cui credidit*, apud nonnullos codices eſt credidiſti, ſed Græcè eſt ἐπίστευσε, hoc eſt, credidit, vt referatur ad Abraham; ſic Origenes, Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius; Verùm Ambroſius, & Hieronymus legunt; *credidiſti*; quaſi hoc ad eos pertineat, ad quos Paulus ſcribebat, qui iam in Deum crediderant, mutatio verò numeri multitudinis in ſingularem; cùm non eſt in ſacris literis inſolens, tum non rarò apud Paulum vſurpatur. Verùm, ſi dicendum eſt quod ſentio, malim ſiue in ſecunda perſona, credidiſti, ſiue in tertia legatur, credidit, pertinere ad Abrahamum, eſſeque veluti quandam explanationem additam ab Apoſtolo ad verba Moſis. *Patrem* (inquit) *multarum gentium poſui te ante Deum*, cui tu Abraham credidiſti; vel ex fide conſtitutus eſt Abraham pater omnium noſtrum, quemadmodum de illo ſcriptum eſt; *Patrem multarum gentium poſui te*, idque ante Deum, cui ipſe crediderat. Hanc autem poſteriorem lectionem magis probo, tum propter Græcos codices, tum propter Romanam editionem. IV. *Qui viuificat mortuos, & vocat ea, quæ non ſunt tamquam ea, quæ ſunt.* Græcè, hæc verba ſuperioribus connectuntur. Ante Deum (inquit) cui fidem habuit, viuificanti mortuos, ζωοποιοῦντος τοὺς νεκρούς. & cùm verba ipſa per ſe videãtur perſpicua, atque ob id à nobis in paraphraſi retenta ſint, ne cuiuſquàm interpretationi repugnare videremur; non eodem tamen modo ab omnibus explicãtur. Origenes enim mortuos peccatores intelligit, qui

a Oecolampadius & Eraſmus.
b cap. 1. 16.
c cap. 17. 5.
d cap. 8. 11.
e cap. 13. 29.
a cap. 3. 7.
b in Expoſit. quarund. propoſit. huius ep. propoſit. 24.

A qui ad vitam gratiæ reuocantur. Fauent [a] Auguſtinus, & Anſelmus, qui tamen poſterior propriè refert ad Iudæos. Ambroſius, Hieronymus, Oecumenius, malunt mortuos ſignificare ſenectute iam cõfectos, & corpore effœtos, atque ad gignendum ineptos, vt erat Abraham; de quo mox: *Non conſiderauit* (inquit) *corpus ſuum emortuum, & mortuam vuluam Saræ.* Chryſoſtomus de vera mortuorum ſuſcitatione Pauli verba explicat, quaſi oſtendat, credidiſſe Abrahamum poſſe Deum ſibi numeroſam poſteritatem tribuere, vt poteſt mortuos ſuſcitare. Et fortè ſpectauit ad eam Abrahæ fidem, qua (vt alibi [b] ſcribit Paulus) credidit, poſſe Deum filium extinctum ad vitam reuocare; quod eo potiſſimùm tempore ſit multarum gentium Pater conſtitutus.

B Quamquàm enim interpretes ferè de Deo id abſolutè credendum docent, vero tamen ſimilius eſt (vt ait Oecumenius) reſpexiſſe Paulum ad Abrahæ fidem, qui non ſolùm Deo mortuos excitanti credidit, ſed hoc ipſum pro certo habuit, poſſe Deum vita functos ad ſuperos reuocare, & ſuo veluti nomine

V. ea compellare, quæ nondum ſunt. Quod enim ſequitur: *Vocat ea quæ non ſunt, tamquàm ea quæ ſunt.* Multi exiſtimant Hebræorum more dictum eſſe, vt illud [c]: *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Quaſi Deus ea, quæ nondum ſunt, futura tamen ſunt aliquando anticipata quadam, eáque perfecta, & abſoluta notione præcipiat, itaque penitus comprehendat, vt imponere nomina videatur, quæ ipſorum naturæ maximè conueniant; quod eſſe munus ſapientis, ipſi etiam philoſophi tradiderunt. Credidit ergo Abraham diuinæ poteſtatis eſſe poſteros ſibi largiri, qui ſuam tùm fidem, tùm mores imitarentur; qui quamquàm nondum ſpiritum communem ducerent, nec dum vitali aura fruerentur; ſed multò pòſt ex omnibus gentibus naſcituri eſſent; iam tum tamen in diuina præſcientia, ac prædeſtinatione ipſius re vera filij dicerentur.

C Et quos viderat Deus, ſibique ante omnem æternitatem deſtinarat, ipſe quodammodo fidei lumine illuſtratus, quaſi eminùs intuens, complexus eſt. Verùm Origenes & Anſelmus. *Ea, quæ non ſunt,* interpretantur Gentiles, qui propter infidelitatem non eſſe, hoc eſt, nullo in pretio apud Deum haberi dicuntur. Sic olim dixit [d] Eſther Regina: *ne tradas Domine ſceptrum tuum iis, qui non ſunt;* id eſt, Gentibus.

D Eodem modo explicat Ambroſius [e], eos videlicet intelligens, qui genus ſuum minimè referunt ad Abraham. Chryſoſtomus ad rerum creationem retulit, qua Deus facit, vt quæ nondum ſunt, reipſa extent, atque emineant; vt inde probet, poſſe Deum præſtare quæ Abrahæ pollicebatur, cùm longè maiora, ac difficiliora aliquando effecerit: nec magnopere diſcrepat Athanaſius [f]; Græca porrò verba Pauli hæc ſunt: καλοῦντος τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα. quæ ſi ad verbum reddas, hunc efficiunt ſenſum. Vocat ea, quæ non ſunt, quaſi iam ſint: ſic enim legunt Auguſtinus [g], & Theodoretus [h]. Alio verò loco idem Auguſtinus [i]: *Vocat* (inquit) *ea, quæ non ſunt, tamquàm ea, quæ ſunt.* Hieronymus [k] paulò aliter tranſtulit.

E *Vocans ea, quæ non erant, quaſi ea, quæ eſſent;* ſed nihil (vt apparet) immutatur ſententia, vtrouis modo legas. ſiue enim ea, quæ ſunt, cum iis conferantur, quæ

VI. nondum ſunt, ſiue cum ſe ipſis antequàm ſint, nihil omnino retulerit. Itáque dicitur Deus viuificare mortuos propter Iſaac, quem ſuperis reſtitui poſſe credidit Abraham, etiam ſi iugulatus, tamquàm victima Deo ſacrificaretur; vocare autem ea, quæ non ſunt propter numeroſam poſteritatem, quæ tunc quidem temporis nulla erat. Neque verò magnopere laborãdum cenſeo, quo ſenſu vocandi verbum

A vſurpetur. ſeu enim referas ad eam vocationem, qua impij ad iuſtitiam vocantur, ſeu qua ad certum vitæ genus traducuntur, ſeu qua antè omnem æternitatem nonnulli prædeſtinantur; ſeu denique qua Deus quidpiam re ipſa ſua diuina efficacitate præſtat, rem veram, & huic loco conſentientem dixeris. nam gentes ad iuſtitiam, rectámque viuendi rationem, & Chriſti gratiam vocantur, idque re ipſa diuinæ prædeſtinationis vi, & Chriſti beneficio conſequuntur: quòd ſi æternam, ac perfectam Dei notionem ſpectes, idem omnino dixerim. Vtitur hoc teſtimonio Damaſcenus [a] ad probandum, diuinam præſcientiam eſſe quidem certiſſimam, nec falli vlla ratione poſſe; non eſſe tamen malorum futurorum cauſam; agit autem de malis culpæ, quæ diuinæ præſcientiæ

B ſubſunt, nec tamen, Deo auctore, patrantur. Idem fecerat olim Hieronymus [b].

Qvi contra spem in spem, &c. Contra ſpem (inquiunt Chryſoſtomus, & Oecumenius) humanam ſola ſpe in Deum roboratus. Rurſus, Oecumenius; *ſub ſpe* (ait) *in Deum præter ſpem propriè naturæ ſub ſpe potentiæ eius, qui promiſerat.* Alij contra ſpem priorem dum iuuenis ex iuuencula naturæ viribus nixus ſobolem ſperauit, nec tamen habuit; nunc ſenex prolem ex decrepita expectat, adeo de Dei potentia nihil dubitat. Concludit ergo Paulus contra ſpem humanam, diuina nixum ſpe, & pollicentis tum voluntate, tum poteſtate credidiſſe Abrahamum futurum ſe patrem multarum gentium. hoc enim eſt, quod ſequitur apud Paulum; vt fieret,

C *Pater multarum gentium ſecundùm quod dictum eſt, ſic erit ſemen tuum.* Quæ verba deſumpta ſunt ex libro Geneſeos [c], vbi adduntur hæc; *ſicut ſtellæ cœli.* Quæ quamquàm in nonnullis codicibus Latinis hîc etiam reperiuntur apud Paulum; in Græcis tamen, ac plurimis Latinis deſiderantur; neque ab Origene, Chryſoſtomo, Theophylacto, Ambroſio, & aliis agnoſcuntur. certè ad ſenſum magnopere pertinent, neque potuerunt ab Apoſtolo prætermitti, niſi quia ſatis eſſe putauit locũ notiſſimum indicare, quod qui nõ animaduerterunt, integrum locum adſcripſerunt, vt ſententiam Pauli illuſtrarent. Irenæus [d] quidem ſecutus Paulum, locum illum Geneſeos hunc in modum explicat. *Qui promiſſionem fecerit Abrahæ futurum ſemen eius quaſi ſtellas cœli, qui per filium ſuum*

D *Chriſtum Ieſum à lapidum cultura in ſuam nos agnitionem vocauerit.* Cæterùm Iuſtinus [e] martyr idcirco ait traditam Abrahæ præputij circumciſionem, quòd contra quàm naturalis ratio ſuaderet, crediderit ſe poſſe affecta iam ætate, liberos ſuſcipere, ex Sara ſenio iam propè confecta, cæterùm quod ait; *In ſpem credidit vt fieret Pater;* ab Anſelmo perinde accipitur, quaſi particula, *vt*, cauſam contineat hoc ſenſu, credidit, vt huius ſuæ fidei merito pater fieret. verùm meliùs crediderim, ſi accipiendum ἐξηγητικῶς, quaſi dicat, credidit ſe fore patrẽ, vt paulò antè diximus. 19.

Et non infirmatvs est fide, &c. I. At videtur magnopere dubitaſſe, qui audito prolis à ſe gignendæ vaticinio, dixit, & quidem non ſine viſu [f]: *Putaſne centenario naſcetur filius, & Sara nonagenaria pariet?*

E Illum verò peccaſſe contra fidem, aſſerunt Baſilius [g], Chryſoſtomus [h], Hieronymus [i]: quinetiam addit Chryſoſtomus, ob hæſitationem Abrahæ eius poſteros quadraginta annorum laborioſa peregrinatione, ac veluti exilio fuiſſe mulctatos; quod & recentiores nonnulli [k] probant: alij verò prorſus negant, vt Ambroſius [l], Auguſtinus [m], & alij [n]. Nec diſſentit Chryſoſtomus [o], verbáque illa admirantis fuiſſe putant, & beneficij magnitudinem ſtupentis. Sunt [p] qui citra noxam nõnullam dubitationem admittant, quaſi diuinorum verborum

[a] Dial. cont. Manich.
[b] Ierem. 2. 18. I.
[c] cap. 22. 17.
[d] lib. 3. c. 9.
[e] Quæſt. ad orthod. q. 102.
[f] Gen. 17. 17.
[g] Hom. de pœnit.
[h] Hom. de pœnit.
[i] Dial 3. cõt. Pelag.
[k] Io. Arbor. in ſua Theoſophia
[l] lib. 1. de Abraham c. 4.
[m] lib. 16. de ciuit. c. 26.
[n] Rupert. l. 5. in Gen. c. 25.
[o] Hom. 40. in Geneſ.
[p] Caiet. in Geneſ. 17. & in hunc locum.

verborum ſenſum non caperet, vel rei magnitudinem admiraretur, vt Beatiſſima Virgo [a] dixit: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Ita Abraham ſignificare voluit, rem videri adeo miram, vt humanam fidem longè ſuperet; quaſi dicat: quis facilè credat effœta iam ætate hominem, ex fœmina præſertim iam grandæua liberos poſſe procreare? atqui hoc Deo factu facillimum eſt, apud quem non eſt impoſſibile omne verbum. Certè Paulus omnem ab eo dubitationem amouet, quæ fidei aduerſetur; quem negat fuiſſe fide infirmatum, hoc eſt non hæſitaſſe, neque de diuina pollicitatione dubitaſſe: ob ea præſertim quæ paulò antè dixerat, quòd probè intelligeret Deum omnia poſſe. Videtur autem Apoſtolus duo maximè commendare in hac Abrahæ fide. alterum quòd crediderit ſe poſſe liberos procreare, alterum quòd numeroſam ſe habiturum ſobolem non dubitauit. prius illud nunc tractat, poſterius verò mox indicabit. Dicitur autem non conſideraſſe corpus ſuum emortuum: *Erant enim* (vt ait Scriptura) *ambo ſenes, prouectiq́; ætatis, & deſierant Saræ fieri muliebria.* Erat verò Abraham cùm genuit Iſaac, natus annos 99. idcirco ait, cùm ferè centum eſſet annorum. Corpus autem emortuum dicitur, id eſt, gignendi facultate deſtitutum; ſicut & Sara ſenio penè confecta, ad partum concipiendum inepta erat. Dicuntur quidem (auctore [b] Plinio) Cato, & Maſiniſſa poſt annum 80. genuiſſe, ipſéque Abraham [c] centeſimo iam anno expleto, ex Cetura liberos plures procreauit. Cæterùm reſpectu anus dicitur fuiſſe Abraham ad gignendam prolem ineptus, non item comparatione iuuenculæ, vt docet Auguſtinus [d] non vno loco, vel certè (vt mauult D. Thomas) diuinitus vtrique fœcunditas conceſſa eſt; & de Sara quidem vix licet dubitare, cùm id non obſcurè indicet Paulus ad Hebræos [e], & hoc modo explicanda videantur, quæ hoc loco ſcribit Apoſtolus; *emortuam vuluam Saræ.* Certè Ariſtoteles [f], quem [g] alij ſequuntur, viris quidem anno ætatis ſeptuageſimo, fœminis verò quinquageſimo, aut circiter procreandi facultatem deficere memoriæ prodidit.

[a] Luc. 1. 14. [b] lib. 7. [c] Gene. 25. 1. [d] lib. 16. de ciuit. c. 28. & Quæſt. 35. in Geneſ. [e] cap. 11. 12. [f] lib. 7 politic. c. 16. & de nat. animal. lib. 5. c. 14. [g] Alb. l. 5. de animal. Trac. 2. c. 1. Plin. lib. 7. c. 14.

20. I. IN REPROMISSIONE ETIAM, &c. Hoc videtur pertinere ad ſecundũ quod paulò antè indicaui, id eſt ad promiſſionem numeroſæ poſteritatis. *In repromiſſione* ergo ait, hoc eſt, neque ſuam imbecillitatem neque effœtas ſpectauit vires, neque de pollicentis poteſtate diſſeruit, aut dubitando diſceptauit, ſed confortatus eſt, id eſt roboratus fide dans gloriam Deo, interprete Oecumenio, & ante illum Chryſoſtomo Deo credens. Quod verò ait; *Non hæſitauit diffidentia*; Græcè eſt ἀπιστίᾳ, quaſi dicat incredulitate; dubitatio enim in re perſimili ex eo potiſſimùm oriri poterat, quòd diuinæ pollicitationi fidem non haberet, habita præſertim ratione magnitudinis rei; atque ob id rectè ſubdit; *ſed roboratus eſt fide.* Cùm enim quis ſibi perſuadet, rem, quæ promittitur, à promittente præſtari poſſe, neque eius verbis fidem abnegat, nihil poteſt de promiſſione dubitare. quoniam verò, quod de numeroſa poſteritate promittebatur à Deo, ex eo pendebat, quòd filium ex Sara id ætatis ſenex ſuſcepturus eſſet; meritò dixit non hæſitaſſe diffidentia, cùm tamen non deeſſent argumenta, quæ rei difficultatem oſtenderent, atque ita fidei magnitudo magnopere extollitur, cùm etiam repugnante, vt apparebat, ratione Deo pollicenti fidem habuerit. credens autem Deo, ei dicitur dediſſe gloriam, quia neque de illius veritate, neque de eius potentia vllo modo dubitauit; quod vtrumque Deo eſt glorioſum, id, quod magis explicans, ſubdit.

I. 21. PLENISSIMÈ SCIENS, QVIA, &c. A Græcè πληροφορηθείς; certiſſimè perſuaſus quæcumque promiſit Deus, illi eſſe facilia factu: quo ſanè modo ſpem Virginis confirmauit Angelus: *Quia non erit* (inquit) *impoſſibile apud Deum omne verbum*; hoc eſt, nullis certis finibus ſumma Dei poteſtas circumſcribitur. Ambigit autem Auguſtinus [a], quanam ratione poſſet Abraham cognoſcere Deum loquentem. conſtat enim, Saram, obiicienti ſibi Angelo cur riſiſſet, conſtanter negaſſe, quod factura certè non erat, ſi Deum ſe alloqui cognouiſſet, quem cuncta apertiſſimè noſſe, ignorare non poterat: quinetiam Abraham ipſe tribus Angelis tamquàm hominibus, illa humanitatis officia præſtitit, quæ eo loci commemorantur; reſpondet autem; *fortaſſis in aliquibus Deum loqui intellexit, quibuſdam diuinæ ma-* B *ieſtatis exiſtentibus, & apparentibus ſignis; ſicut in hominibus Deum ſæpe apparuiſſe Scriptura teſtatur.* Porrò de hac Abrahæ fide ita alicubi ſcribit Philo [b]: *Credidit Abrahã Deo. ad laudem eius qui credidit, dicat fortaſſe aliquis, hóccine laude dignum iudicas? quis Deo loquenti, pollicentique fidem non adhiberet etiam ſi eſſet impius & omnium mortalium iniuſtiſſimus? Huic reſpondebimus: caue, caue, ô præclare vir, ne temerè aut illum ſapientem fraudes ſuis laudibus, aut indignis perfectiſſimam virtutem, fidem tribuas, aut noſtrum ſuper hac re vincu[?]eiſ ſententiam. Nam ſi penitus ſcrutari, non ſolùm in ſuperficie volueris, comperies quàm difficile ſit, credere ſoli Deo, abſque vllo teſtimonio, propter cognationem quam habemus cum rebus mortalibus, quæ no-* C *bis perſuadent, vt credamus, ſidamúſque, gloriæ, principatui, amicis, ſanitati, roborique corporis, & cæteris plurimis. Has perſuaſiones eluere, & diffidere creaturæ per ſe infidiſſimæ, ac ſoli Deo fidere, qui ſolus vere fidus eſt: res eſt animi magni, cœleſtiſq́; non meſcati vllis rebus noſtratibus.* Quæ omnia hoc pluris in Abrahamo facienda ſunt, quòd vt dixi habent non leuia argumenta, quæ contrarium ſuaderent. De qua re plura alibi.

[a] Quæſt. 3. in Geneſ. [b] lib. quis rerum diuinarum ſit hæres.

IDEO REPVTATVM EST ILLI, &c. Quidnam reputatum eſt? Profectò fides, vt ſuprà docuit Paulus, ſiue fidei conditiones, id eſt, magnitudo, & conſtantia pro iuſtitia illi relatæ ſunt acceptæ. Nonnulli autem Græci codices non habent vocem iuſtitiæ, vulgatus habet; intelligi certè omnino debet: 22. I.

D Græcè eſt ἐλογίσθη, acceptum relatum eſt, & (vt ita dicam) in eius rationibus poſitum. Fides eius habita eſt pro iuſtitia, non quaſi non eſſet; fictione quadam pro iuſtitia habita eſt, ſed cùm verè ad iuſtitiam pertineret, pro ea in rationibus Abrahæ poſita eſt. Rectè omnino Philo [c]: *Illud quoque*, ait, *bene additur imputatam ei fidem ad iuſtitiam. Nihil enim tam iuſtum quàm fide ſincera Deo credere. Id quamuis iuſtum & naturæ conſentaneum, mirum videtur propter vulgus incredulum quos arguens ſacra ſcriptura dicit, in ſolo Deo firmum eſſe, certúmque præſidium, quantumlibet hoc mirentur homines, verorum bonorum expertes. alioqui reuera non mirabile. eſt autem opus iuſtitiæ proprium.* Dixit autem Apoſtolus ἐλογίσθη, id eſt reputatum eſt, quomodo in libro Geneſeos dixerunt Septuaginta, cùm Hebraica vox E actiuè ſonet, *imputauit.* Qua verò ratione hæc imputatio accipienda ſit, vt nihil faueat hæreticorum impietati de iuſtitia imputatiua, in diſputationibus doceo; & ex ſuperioribus intelligi non obſcurè poteſt.

[c] loco ind[i]cato.

NON EST AVTEM SCRIPTVM, &c. 23.

SED ET PROPTER NOS, QVIBVS, &c. 24.

QVI TRADITVS EST PROPTER, &c. 25. I.

Hoc eſt totius diſputationis veluti analemma; huc enim referuntur quæ hactenus allata ſunt, vt per fidem iuſtificari nos intelligamus, fidem autem tam ſigni

Digitized by Google

ſignificat, qua credimus, Chriſtum rediuiuum, ad ſuperos rediiſſe, & paſſum quidem eſſe, crucem, ac mortem toleraſſe propter noſtra flagitia, rediiſſe verò ad vitam propter noſtram iuſtificationem. ſic enim ſequitur; *Non eſt autem ſcriptum tantùm propter ipſum*: illud videlicet, *reputatum eſt illi ad iuſtitiam*. de hoc enim præcipuè agitur, *propter ipſum* autem dixit, hoc eſt Abrahamum parentem noſtrum: *ſed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum à mortuis, qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram*. Spiritus (credo) ſanctus, qui per Paulum loquebatur, iam tum præſentiens hæreticorum veſaniam, ac temeritatem, qui remiſsionem peccatorum vtcumque admittunt, veram perceptionem iuſtitiæ prorſus negant; vtrumque nos, dixit, Chriſti beneficio conſecutos. nam & peccata noſtra penitùs expiantur, ac veram, & penitus in nobis inſitam iuſtitiam accipimus. Sed cùm hæc duo ſimul coniungantur, mirum, cur Paulus alterum morti, alterum reſurrectioni Chriſti tribuat. B. Thomas [a] merendi vim morti, ac paſsioni, efficiendi energiam reſpectu vtriuſque, vtrique tribuit; ſed peccati interitum ſimilitudinem ait habere cum morte, vitam verò gratiæ cum reſurrectione; ita malunt alij ſpectaſſe Paulum hanc vnam ſimilitudinem, & remiſsionem quidem peccati Chriſti neci, gratiam, reſurrectioni ſimilem videri. ſic Origenes, Auguſtinus,[b] Anſelmus, B. Thomas.[c] Recentiores [d] quidam meritò inquiunt, paſsionis, ac mortis remiſſionem peccatorum nos aſſecutos fuiſſe, non tamen

a 3 p. q. 50. a 6 & hoc loco.

b In Pſal. 102. in Enchir. ca. 53 Serm. 2. de fer. 2. Paſch. c 3. p. q. 56. a. 2. 11.

d Caiet. & Adamus.

A re ipſa ad iuſtificationem peruenturos fuiſſe, niſi Chriſtus reſurrexiſſet à mortuis, & diuini ſpiritum cœlitùs ad Apoſtolos miſiſſet; eorúmque opera omnes gentes ad Eccleſiam conuocaſſet; quod non obſcurè his verbis ſignificat Auguſtinus.[a] *Sicut Chri*ſtus (inquit) *reſurrexit; ita & nos reſurgemus: hæc eſt fides noſtra, & quoniam ſicut teſtimonium propheticum Paulus commemorat; Iuſtus ex fide viuit; hæc eſt iuſtificatio noſtra, mortuum quippe Chriſtum, & pagani credunt; reſurrexiſſe autem Chriſtum propriè eſt fides Chriſtianorum*. Neque verò aliter ſenſiſſe credendus eſt Hieronymus, qui Chriſtum reſurrexiſſe ait, *vt iuſtitiam credentium confirmaret*. Cui totidem fermè verbis conſentit Theodoretus, & mirificè fauet B. Petrus,[b] qui cùm de Deo Patre loqueretur; *Secundùm* B *miſericordiam ſuam* (ait) *magnam regenerauit nos in ſpem viuam per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis*. Quamobrem nullo modo probanda ſunt, quæ ad hunc locum ſcribit pſeudo-Ambroſius. *Quicumque* (inquit) *ante paſſionem Chriſti baptizati ſunt, ſolam remiſſionem peccatorum acceperunt*; atque eorum zelo ſubdit, *diabolum necem Chriſti molitum eſſe. Poſt reſurrectionem verò tam illos qui priùs, quàm qui pòſt baptizati ſunt, eſſe omnes verè iuſtificatos per datam formam fidei Trinitatis, acceptóque Spiritu ſancto, qui ſignum eſt credentium, quòd ſint filij Dei*. Quæ non modò falſa, ſed perabſurda ſententia eſt, vt alibi copioſiùs oſtendam. Quo vel maximè argumento probari poteſt, eos commentarios non eſſe Ambroſij eruditione, & ſapientia dignos, meritóque cenſeri falsò Ambroſio inſcriptos.

a lib. 16. cont. Fauſt. cap. 29.

b Ep. 1. c. 1. 3

Argumentum Cap. V.

De fructu iuſtificationis diſſerit, cuius occaſione de labore totius naturæ, déque peccato originali diſputationem inſtituit; Adamum verò Chriſto opponit, & illius noxam, noxæque damnum, cum huius gratia, & gratiæ emolumento multis nominibus comparat: Chriſti denique gratiam plus multò hominum generi profuiſſe oſtendit, quàm obfuerit Adæ peccatum.

CAPVT V.

IVSTIFICATI *ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.*

Per quem & habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.

Non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribulationibus ſcientes, quòd tribulatio patientiam operatur.

Patientia autem probationem, probatio verò ſpem.

Spes autem non confundit, quia caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis.

PARAPHRASIS.

IVSTIFICATI igitur vi fidei, cum Deo 1.
in gratiam rediimus, pace inter ipſum,
& nos probè per Chriſtum Dominum
noſtrum tum conciliata, tum etiam
confirmata eam ſanè ſedulò retineamus. ¶ Per 2.
quem eadem ipſa fide hunc aditum in eam gratiam nacti ſumus, cuius vi, & poteſtate ſtamus, atque ingenti ſpe gloriæ Dei munere, ac beneficio conſequendæ ſtabiliti, ac roborati maximè glo-
riamur. ¶ Id verò non modò ſpe, aut expectatione 3.
futuræ immortalitatis; ſed etiã rebus aduerſis, quibus magnopere premimur; ſupra quàm dici, aut credi poteſt, aſſequimur, cùm nobis perſuaſum ſit
oppreſſionibus patientiam comparari. ¶ Patien- 4.
tia verò experientiam, experientia autem ſpem.
¶ Porrò ſpes nullo vnquam tempore pudore af- 5.
ficit, aut rubore aliquo ſuffundit, ſed potiùs pudorem illum, qui ex rebus aduerſis coram hominibus oriri nonnunquàm ſolet, penitùs expellit, propterea quòd diuina illa caritas, qua nos Deus ipſe cõplectitur, in corda noſtra effuſa eſt, adeóque

abundans

Digitized by Google

abundans, & exuberans apparuit per Spiritum
ſanctum, qui vnà cum ſuis diuinis muneribus
6. datus eſt nobis. ¶ Cur enim Chriſtus hanc vel
maximè ob cauſam, vt ſpem noſtram confirma-
ret, certámque redderet, & ſuam in nos bene-
uolentiam declararet, cùm ipſi ſcelerum morbis,
& languoribus oppreſſi nullis adhue viribus, nul-
liſque ſpirituali facultate præditi eſſemus, oppor-
tuno iam à Deo Patre præfixo, ac præſtituto, &
prophetarum oraculis deſignato tempore pro im-

Vt quid enim Chriſtus cùm adhuc infirmi eſſemus, ſecundùm tempus pro impiis mortuus eſt?

7. piis mortem oppetiit? ¶ Enimuerò pro homine
quopiam iuſto, vel ipſa etiam iuſtitia, aut veritate
aſſerenda, ſi nihil inde ſperandum ſit, vix quiſ-
quam mortem ſubire velit. Eius autem cauſa, à
quo quis beneficium ſperet, aut etiam aliquando
acceperit; non abſurdè forſitan quiſpiam ſuſtineat
mori. Illud enim gratuitæ beneuolentiæ, & ſingu-
laris cuiuſdam liberalitatis indicium eſſet; hoc ve-
rò grati animi officio quodammodo deberetur.

Vix enim pro iuſto quis moritur. nam pro bono forſitan quis audeat mori.

8. ¶ At Deus immortalis, qui pro nobis, non dicam,
nondum iuſtis, ſed impiis, ac ſceleratis, à quibus
non modò nulla beneficia acceperat, aut ſperare
vnquam poterat; ſed multis, ac magnis iniuriis, &
contumeliis fuerat laceſſitus, cùm adhuc peccatis
obſtricti eſſemus; Chriſtum filium ſuum certo, ac
diuino conſilio ante omnem æternitatem definito
tempore necari paſſus eſt: mirum in modum be-
neuolentiam, & caritatem eximiam in nos ſuam
filij ſui pretioſo ſanguine ſancitam declarauit.

Commendat autem caritatem ſuam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus ſecundùm tempus;

9. ¶ Itaque tam magno támque illuſtri beneficio
illo præſertim calamitoſo tempore affecti, eiúſque
pretioſo ſanguine iuſtificati; maiori nos, ſolidiorí-
que ſpe recreari oportet, próque certo habere, eius
ipſius beneficio, ac munere fore nos ab extremi

Chriſtus pro bonis mortuus eſt: multò igitur magis nunc iuſtificati in ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira per ipſum.

10. iudicij ira liberos, atque ſecuros. ¶ Nam ſi cùm
inimici eſſemus Deo immortali, per mortem filij
eius reconciliati ſumus; multò profectò magis
nunc, gratiæ, atque amicitiæ reſtituti ſeruabimur

Si enim cum inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius: multo magis reconciliati ſalui erimus in vita ipſius.

11. ipſius immortali gratia mirificè recreati. ¶ Neque
verò id ſolùm, ſed etiam gloriari nos, atque exul-
tare oportet in Deo, per Dominum noſtrum Ie-
ſum Chriſtum, per quem nos ipſi poſt ipſius in
cœlum aſcenſum fidem complexi, & eius genera-
lis reconciliationis fructum, in nobis ampliſſimum

Non ſolùm autem, ſed & gloriamur in Deo per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus.

12. aſſecuti ſumus. ¶ Nam Chriſti gratia, quæ ad om-
nes pertinet, in nos etiam redundauit, nóſque
adeo iuſtificauit, atque erexit in ſpem vitæ ſem-
piternæ; ad eum planè modum, quo per vnum pri-
mum omnium parentem, peccati labes, ac fœditas
mundum vniuerſum occupauit, eiúſque peccati
noxam ſubſecuta eſt mors, quæ ideirco omnes ho-
mines perimit, quia nemo eſt liber à culpa, ſed
cuncti mortales peccato inquinati eiuſdem ſunt

Propterea ſicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.

13. ſceleris cum primo parente participes. ¶ Si qui-
dem toto eo tempore, quod ab ipſo mundi ex-
ordio vſque ad legem Moſis interceſſit; necdum
lege vrgente aut mortem comminante omnes
homines cùm primæuo peccato implicati tene-
bantur, tum multiplici flagitiorum veluti nexu
inuoluebantur, vſque eò vt ne infantes quidem
mot

Vſque ad legem enim peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur, cum lex non eſſet.

Sed

mortem poſſent euadere ; atque ita fateri neceſſe
ſit eos natiua labe ioquinatos , mortem tamquàm
ſceleris,ac flagitij pœnam meritò ſubire,cui cæteri
homines , quamquàm propriis ſceleribus irre-
titi, nullo tamen peculiari præcepto addicebau-
tur. ¶ Et ob eam cauſam mors , quæ eſt pœna 14.

Sed regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſem etiam in eos , qui non peccauerunt in ſimilitudinem praeuaricationis Adæ , qui eſt forma futuri.

peccati ab ipſo parente Adamo ad Moſem vſ-
que , eiúſque deinceps ſucceſſores ; non aliter,
atque ipſius peccatum regnauit , adeo vt illos
etiam premeret, atque vrgeret, qui nequaquam
propria actiòne ipſum illud peccatum Adæ imita-
ti eſſent. licet enim proprio nullo ſcelere obſtrin-
gerentur ; ob naturæ tamen ſimilitudinem mor-
talitati ſubiecti erant, vt Adami primi parentis
imaginem referrent, illius (inquam) prioris Adæ,
qui typus erat alterius poſterioris, qui deinceps
erat conſecuturus. quo fit , vt quoniam peccatum
citra legem ſcriptam neminem corporeæ morti
addicit , planè fatendum ſit, omnes omnino mor-
tales , qui ante legem è . viuis excedebant , in ipſo
Adamo parente noſtro peccaſſe, diuinúmque præ-
ceptum violaſſe , ex quo poſtea ipſi etiam infan-
tes paulò antè in lucem editi , vel etiam qui pri-
mùm lucem aſpiciunt ; tum peccato inquinantur,
tum morti vi primæuæ, atque vniuerſalis labis
obnoxij degunt. ¶ Verùm longè alia ratio eſt 15.

Sed non ſicut delictum, ita & donum: ſi enim vnius delicto multi mortui ſunt , multo magis gratia Dei , & donum in gratiam vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit.

diuini muneris, & chariſmatis, quàm illius primæ
calamitatis, & offenſæ. nam ſi vno illius lapſu
multi , vel omnes potius mortui ſunt ; multò ma-
gis Dei gratia , & donum per vnius hominis Ieſu
Chriſti beneuolentiam , & caritatem in multos
redundabit. ¶ Alia item tario eſt reatus , qui ab 16.

Et non ſicut per vnum peccatum , ita & donum : nam iudicium quidem ex vno in condemnationem , gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem.

vnios offenſa profectus , omnes æquè afficit , &
diuini beneficij , quo ad Dei beneuolentiam , at-
que amicitiam iouitamur. Nam reatus quidem
ab vnius hominis noxa ortum habuit , & in om-
nium condemnationem ita propagatur,vt vel vna
primæuæ labis macula ſempiternæ morti cunctos
addicat ; gratiæ verò donum ad multa expianda
flagitia , & ad omnium iuſtificationem perficien-
dam tribuatur. ¶ Etenim ſicut vna hominis of- 17.

Si enim vnius delicto mors regnauit per vnũ, multò magis abundantiam gratiæ , & donationis , & iuſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum.

fenſa nos omnes originali iuſtitia ſpoliatos con-
demnationi , ac morti penitùs ſubiecit; ita vna eſt
iuſtificationis ratio , qua per Chriſtum Ieſum ij,
qui redundãtem illam gratiam, & iuſtitiæ donum
percipiunt , ad vitam ſempiternam deſtinantur.
¶ Nempe igitur vt per vnam offenſam , reatus il- 18.

Igitur ſicut per vnius delictum in omnes homines in cõdemnationem; ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ.

le damnationis æternæ mortales omnes obſtrin-
xit ; ita vnius hominis obedientia , quam Patri
pro noſtra iuſtificatione exhibuit, vim habet om-
nes homines ad vitalem quandam , ſeu mauis vi-
uificam iuſtificationem adducendi. ¶ Vt quem- 19.

Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi ; ita & per vnius obeditionem iuſti conſtituentur multi.

admodum vnius hominis , obedientiæ contem-
ptu multi peccatores conſtituti ſunt ; non aliter
vnius Chriſti obedientia iuſti quàm plurimi ef-
ficiantur. ¶ Iam verò ad illum morbum quo 20.

Lex autem ſubintrauit , vt abundaret delictum. vbi autem abundauit delictum , ſuperabundauit gratia.

vnius peccato contaminati vniuerſi mortales la-
borabant , etiam Moſaica lex acceſſit, qua auctior
facta eſt illa labes , atque calamitas ; ſed vbi quaſi
in immenſum vis illa peccati excreuiſſet , tum

verò è cœlo tanta gratiæ copia, atque effluentia effuſa eſt, vt peccatum non æquarit modò, ſed mul-
15. tis etiam partibus ſuperarit. ¶ Vt quemadmodum peccati regnum, atque tyrannis homines vrgebat in interitum, ita gratiæ principatus veram, ac ſolidam iuſtitiam afferret, ac vitam æternam largiretur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Vt ſicut regnauit peccatum in mortem; ita & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

IN CAPVT QVINTVM

EXPLANATIO.

5.
I. IVSTIFICATI ERGO EX FIDE, &c. Chryſoſtoous, & Theodoretus huius capitis diſputationé ad mores putant pertinere, quaſi Paulus hortetur (vt mox dicam) ad iuſtitiam, ac ſanctitatem, iam Chriſti beneficio partam religioſè retinendam; atque haud ſcio, an hoc ipſum ſenſerit Tertullianus[a], qui [a li.5.in Marcion. c. 19.] hunc proferens locum; *Monet* (inquit) *iuſtificatos, ex fide Chriſti, non ex lege pacem habere ad Deum.* Ambiguum eſt enim, vtrùm ille legerit ἔχομεν, an verò ἔχωμεν. nec conſtat, vtrùm ſignificet, Pauli admonitionem ad doctrinam, an etiam ad hortationem ſpectare. Malim ego cum Ambroſio excellentiam, ac dignitatem impetratæ iuſtitiæ declarari. Græci verò omnes codices, quos quidem ego videre potui, legunt *εἰρήνην ἔχομεν, pacem habemus*; quomodo etiam legit Ambroſius: at Origenes, Chryſoſtomus, Theodoretus, & Thenphylactus videntur omnino legiſſe (vt nonnulli vulgati codices habent, & alicubi citat [b li.2. de vocat. Gent.c.1.] Proſper[b]) *Pacem habeamus*, quibus conſentit Romana editio quam ſequimur. perinde quaſi hortetur Paulus eos omnes, qui iuſtitiam fidei beneficio aſſecuti eſſent, vt deinceps pacem colant, ac retineant, vel pacem cum Deo iuſtificationis munere initam complectantur, puróſque ſe à peccatis, & vitiis conſeruent, vt explicát Origenes, Chryſoſtomus, Theodoretus, ne diſſentiéte quidem Ambroſio, qui aliam ſequitur interpretationem: vel (vt ait Anſelmus) pacem inter ſeſe Iudæi, ac Gentiles conciliarent; neque de iuſtificationis merito, aut legis Moſaïcæ naturalis præſtantia ampliùs decertarent, vel (quod alij malunt) vt forti, conſtantique animo eſſent, & expiato iam peccati reatu, pacata, & tranquilla menſe vitam ducerent, vt pax ſit veluti iuſtificationis [c Pſ.118.165.] fructus, de qua Dauid[c]: *Pax multa diligentibus legem* [d Pro.15.15.] *tuam.* Salomoo[d] autem: *Secura mens quaſi iuge con-* [e cap.32.17.] *uiuium.* Et Iſaias[e]: *Et erit opus iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ ſilentium, & ſecuritas ſempiterna.* Et denique [f Ioan. 16. 33.] Chriſtus[f]: *Hæc locutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis.* Sed nos in paraphraſi Ambroſij lectionem ſecuti ſumus, & pacem interpretamur reconciliationem amicitiæ cum Deo, vt iuſtitiam, qua nos Deus iuſtos facit, vocet Apoſtolus ab effectu pacem, ſiue, qua nos Deo planè conciliat, quæ eſt Ambroſij ſententia, vt modò diximus; ſiue quia mentis quandam pacem, ac tranquillitatem parit, non quidem qualem vel hoc maximè teſtimonio hæretici confingunt, quæ nos penitus de diuina beneuolentia ſecuros reddat, quæque illum ſanctum timorem prorſus ex-[g 2. ad Cor. 7.15.] cludat, de quo alibi ſcribit[g] Paulus; *Cum timore, & tremore veſtram ſalutem operamini*; ſed qualem ex-[h ad Rom. 8. 16.] periuntur illi, quibus ſpiritus teſtimonium perhibet[h], *quòd ſint filij Dei.* vt dicitur infrà, quam neque mundus nouit, neque impij vllo modo habere poſſunt. Quid illa tandem ſit vſu, atque experientia percipi potiùs, quàm vlla definitione deſcribi poteſt; εὐθυμίαν philoſophi dicerent. Illam (credo) pollicebatur Dauid, cùm diceret[a]: *Orietur in diebus eius* [a Pſal.71.7.] *iuſtitia, & abundantia pacis.* Quantæ autem ſit vel dignitatis, vel vtilitatis docuit Paulus, cùm alicubi[b] [b ad Phil.4.7.] dixit *exuperare illam omnem ſenſum.* Et alibi[c]: *Gloria* [c 2. ad Cor.1.12.] *noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Et denique Ioannes[d]: *Si cor noſtrum non reprehenderit nos,* [d ep.1.c.3.21.] *fiduciam habemus ad Deum.* Fiduciam quidem non (vt hæretici mentiuntur) certam, ac minimè dubiam perſuaſionem. Rectè verò (vt obſeruauit Origenes) addidit Paulus; *ad Deum.* Hæc enim iuſtorum pax Deum præcipuè ſpectat, quem beneuolum, ac propitium habent. Cæterùm nemo vnquàm ita pacata, tranquilláque mente vitam aget, vt non multæ illi frangendæ cupiditates, multiſque obluctandum libidinibus ſit, quod ſuo loco deinceps copioſiùs Paulus oſtendet. Cur autem addat; *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*; ambigat meritò quiſpiam; Chryſoſtomus auctorem putat conſeruandæ pacis indicari. nec enim iuſtorum pax, & vitæ ſanctitas abſque ſingulari Chriſti beneficio retineri, conſeruaríve poteſt. Paulò aliter Origenes, Theodoretus, Ambroſius, cæterique non pauci, qui iuſtorum pacem Chriſti beneficio partam intelligunt, quod alibi aliis verbis ſignificat Paulus[e]. *Faciens* (inquit) *pa-* [e ad Eph.2.16.] *cem, vt reconciliet ambos in vno corpore.* Et[f]: *Vnus me-* [f 1.ad Tim.2.5.] *diator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus.* Vtrumque verè, ſed hoc poſterius magis probauimus in paraphraſi.

PER QVEM ET HABEMVS ACCESSVM, &c.) Particula &, in pleriſque Latinis codicibus deſideratur; legitur tamen in omnibus Græcis, & interprete quidem Chryſoſtomo, ſuperioris ſententiæ cauſam continet. *nam ſi per Chriſtum* (inquit) *cùm adhuc impij, & peccatores eſſemus, aditum tamen ad Dei gratiam, ac beneuolentiam Chriſti beneficio habuimus; quanto magis eiuſdem munere perceptam iam gratiã, ac iuſtitiam retinebimus?* At reiecta in ſuperiori ſententia, interpretatione Chryſoſtomi, nõ eſt integrum ei in præſentia aſtipulari. Itaque particula & (quod alibi frequenter apud Paulum obſeruabimus) vim continet ſimilitudinis, vt ſit ſenſus; quemadmodum per Chriſtum pacem aſſecuti ſumus, ita per eundem aditum, atque acceſſum habemus, vel (vt Græcè legimus) habuimus. Sic enim ſeſè Hebræi, Græcique ſolent præteritum pro præſenti vſurpare; vt apud Matthæum[g]: *Super cathe-* [g cap.23.2.] *dram Moyſis ſederunt Scribæ, & Phariſæi.* Et apud Ioannem[h]: *Medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſci-* [h cap.1.26.] *tis.* Porrò quod recentiores quidam hoc loco obſeruarunt, quia Paulus dixit, nos per fidem acceſſum habere ad Deum, præcipuè colligi gratiam, & iuſti-

riam,

tiam, qua fit homo iuſtus, non eſſe ipſam fidem, neſcio quantam vim habeat. nam ipſi quidem hæretici nullam in nobis inhærentem iuſtitiã agnoſcunt, ſed extrinſecam Chriſti iuſtitiam ita nobis autumant imputari, vt ea tantummodò iuſti extrinſeca appellatione cenſeamur, iiſdémque magiſtris, illa qualiſcumque iuſtitia, fide veluti inſtrumento ap-
II prehenditur. Dixit tamen Lutherus, aliíque ex ipſius officina, formam noſtræ iuſtificationis eſſe ſolam fidem, meritò tamen omnis illa impuriſſimorum hominum ſentina, ab eo errore receſſit, cùm nullam formam iuſtitiæ inhærentem in nobis agnoſcat. Sed Paulus ad Galatas [a] ait: *Nos autem ſpiritu ex fide ſpem iuſtitiæ expectamus*: quæ verba explicat Auguſtinus [b] vel de ſpe gloriæ, vel de ipſa ſpe iuſtitiæ, qui poſterior ſenſus magis videtur probandus. Eodem ſpectant illa [c]: *Si habuero omnem fidem, &c. caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Et Iacobus [d]: *Fides ſine operibus mortua eſt.* Et Ioannes [e]: *Qui non diligit, manet in morte, & nos ſcimus, quia tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* His addo Auguſtinum, qui ait, fide impetrari iuſtificationem. Sic autem ſcribit [f]: *Iuſtitiam, quæ ex fide eſt, impetrando ex Deo, non ex ſemetipſis præſumendo.* Et infrà: *Opus, quod quis fecerit, viuet in eo, non fit niſi à iuſtificato, iuſtificatio autem ex fide impetratur.* Alibi [g]: *Iuſtitia fit, ſed gratia fit, à Deo tibi fit, non tua fit.* Et mox de eadem iuſtificatione: *Geme, vt impetres plora, vt impetres; crede, vt impetres. quis inuocauerit nomen Domini ſaluus erit, iuſtus erit.* Denique [h] alio loco iuſtitiam collocat in caritate. *Caritas inchoata, inchoata iuſtitia eſt; caritas prouecta, prouecta iuſtitia eſt; caritas magna, magna iuſtitia eſt; caritas perfecta, perfecta iu-*
III *ſtitia eſt.* Quamobrem idem dixerim, ſignificare Apoſtolum, quod aliàs ſemper, fidem eſſe iuſtificationis initium, quippe ab illa (vt non ſemel docuit Auguſtinus) omnem veram aduersùs Deum pietatem ortum ducere. *In qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ*; firmi, & erecti, & quodammodo immobiles, permanemus, ſeu (quod Græcè legimus) ad hoc vſque tempus permanſimus. nam ipſa quidem Dei munera (vt Chryſoſtomus, & Theophylactus affirmãt) numquàm non ſtant, nec vnquam excidunt; tum verò nos manifeſtè confirmant vt forti, erectóque animo prauis cupiditatibus reſiſtamus; virtutem etiã in aduerſis colamus, à recto denique curſu, nullo impetu dimoueamur. Id præter cætera iuſtificationis gratia præſtat, quæ tametſi (vt traditur in ſcholis) ad ſingula peccata vitanda, modò præuenientis, & adiuuantis gratiæ præſidium non deſit, non eſt penitùs neceſſaria; diu tamen omnia abſque illa ſuperari nequaquàm poterunt, vt interim omittam ſacramentorum nouæ legis præcepta nonnulla, abſque iuſtificante gratia neutiquam ſeruari. Certè Petrus [i] hoc ipſum non obſcurè indicat, conteſtans, hanc eſſe veram gratiam, *in qua ſtatis*: & Paulus hac ipſa Epiſtola [k]: *Tu autem* (inquit) *fide ſtas.* Fateor tamen in præſentia non liquere, vtrùm relatiuum; *in qua*, fidem, an verò gratiam referat: Ambroſius referre credit fidem, Chryſoſtomus gratiam; ſed vtrum dixeris, Pauli ſententia conſtat. nam fide ſtamus tamquam fundamento, aut radice nixi, gratia tamquàm proxima conſtantiæ, ac perſeuerantiæ cauſa, quia (vt docet Paulus [l]) *optimum eſt gratia ſtabilire cor; gloriamur autem* (ait) *ſpe gloriæ.* Siquidem gratia ſemen gloriæ nuncupatur. Addunt verò nonnulli codices Latini; *filiorum Dei*, itáque legit Romana editio. Græca exemplaria ſimpliciter habent τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, neque eorum verborum meminerunt Chryſoſtomus, aliíque Græci Patres; nec inter Latinos Ambroſius; neque verò videntur magnopere neceſſaria, ſententiam tamen non parùm illuſtrant. Non enim ſpes noſtra diuinam gloriam, qualis in ipſo eſt, propriè ſpectat, ſed qualem nobis ſuo diuino munere impertit, tamquam filiis ad hæreditatem adoptatis. Quamobrem meritò in editione Romana, ea verba retenta ſunt. Theophylactus indicat gloriam Dei ſimpliciter ab Apoſtolo nominari, quia tametſi nobis cœleſtia illa bona diuina magnificentia obuentura ſunt, omnia tamen ad ipſius Dei immortalis laudem, & gloriam referuntur: itaque ille dixit, gloriari nos in ſpe bonorum, quæ nobis obuentura ſunt ad gloriam Dei. Origenes autem in ſpe videndi gloriam Dei, quibus mirè conſentiunt ea, quæ hac eadem Epiſtola non ita multò [a] pòſt ſcribit Apoſtolus. *Ipſa* (inquit) *creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.*

Non solvm avtem, sed et, &c. 3.

Patientia avtem probationem, &c.) 4. Tanta eſt perceptæ gratiæ vis, ac poteſtas, vt non modò firmitatem, & conſtantiam in bono largiatur; ſed etiam ita magno, forti, erectóque animo nos faciat, vt rerum aduerſarum tolerantia gloriemur potiùs, quàm vllo modo fatigemur, aut frangamur. hoc enim eſt in ſpe gloriæ immortalis percipiendæ (vt ait Bernardus [b]) ritè gloriari. *Manifeſtè* (inquit) *aduertere eſt in his verbis. Cùm præmiſiſſet Apoſtolus gloriari in ſpe, non aliud aliquid, ſed ampliùs eum addidiſſe dicendo; non ſolùm autem, ſed & gloriari in tribulationibus. nõ enim altera gloriatio commendatur, ſed additur, vbi ſpes gloriæ, vbi ipſa ſpes gloriatio requiratur, ſiquidem in tribulatione ſpes gloriæ, immò & ipſa in tribulatione gloria continetur, ſicut ſpes fructus in ſemine, ſicut & ipſe fructus in ſemine eſt.* Aduerſa porrò fortiter toleranda eſſe docent vtrumque philoſophi; in iis verò gloriari Chriſtianorum eſt proprium; licèt enim illi animi robore, atque cõſtantia in aduerſis laudem, & gloriam apud imperitam multitudinem aucupentur, inanis tamẽ illa gloriatio, ſolida verò Chriſtianorum gloria eſt; ſiue ſpe ſempiterni [c] præmij, ſiue Chriſti ducis, atque Imperatoris [d] noſtri imitatione fortiter aduerſa excipiant, & tolerent. Quod verò Paulus ait; *ſpem gloriæ*; Cyprianus penè ſemper *claritatem* reddidit. II *Scientes, quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem.* Elegans quædam gradatio eſt, quæ quamquàm inter orationis lumina, & ornamenta ab oratoribus numeratur, non eſt tamen à Scriptura penitùs aliena, vt egregiè obſeruauit Auguſtinus [e]. Tribulatio quidem ipſa per ſe non eſt effectrix patientiæ, ac ne impatientiæ quidem, ſed alterutri pro hominum conditione veluti materiam præbet. Sic enim ſcribit Bernardus [f]: *Sicut ſanctis, & electis tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio ſpem, ſpes autem nõ confundit: ſic damnandis è contrario tribulatio parit puſillanimitatem, puſillanimitas perturbationem, perturbatio deſperationem, & illa interimit.* Verùm Iacobus [g] videtur apertè Paulo repugnare. hic enim ait, ex patientia naſci probationem, Græcè τὴν δοκιμήν; ille contrà ex probatione patientiam gigni. mirum, hoc à magnis auctoribus vel non obſeruari, vel præteriri: ſed Græcè apud Iacobum legitur δοκίμιον, quod quaſi actiuè ſumptum exploratio dici poteſt, ipſámque ſignificat oppreſſionem, quæ toleratur, & pro effectu habet τὴν δοκιμήν, id eſt experientiam, interiecta tamen patientia, ac tolerantia. Nam res aduerſæ patientiam explorant, ipſa verò patientia explorata, & quodammodò durata, parit experiẽtiam, id eſt, re ipſa oſtendit animi robur, ac fortitudinem, quæ rebus arduis non frangitur. Hunc ergo rectum ordinem dixeris τὸ δοκίμιον, patientiam exercet, atque explorat, patientia,

a cap. 5. 5.
b lib. de ſpir. & lit. c. 29.
c 1. ad Cor. 13.
d cap. 2. 17.
e 1. epiſt. 3. 14.
f lib. de ſpir. & lit. c. 29.
g Serm. 15 de verb. apoſt.
h lib. de nat. & gra. c. 70.
i 1. epiſt. 5. 12.
k cap. 11. 20.
l ad Heb. 13.
a cap. 8. 21.
b Serm. 17. in Pſal. Qui habitat.
c 2. Cor. 4. 17.
d Ioan. 15. 2. & ad Gal. 2. 14.
e l. 4. de doct. Chriſt. c. 7.
f epiſt. 12. ad Abb. ſancti Nicaſij.
g cap. 1. ſuæ Epiſt. 1.

tientia,quæ rebus duris non cedit, τὴν δοκιμὴν parit; III. ſic Paulus Iacobo conſentit. Paulò aliter Beda [a]. *Patientia* (inquit) *probationem operatur, quia ille, cuius patientia non vincitur, perfectus eſt, & probatus: rurſus probatio patientiam operatur, quia facit fideles per patientiam exerceri, & per hanc fides eorum quam ſit perfecta probatur.* Non defuerunt qui apud Iacobum τὸ δοκίμιον quarti caſus (ſic enim omnino legendum ratum ἀναλογία docet) non autem primi exiſtimarent eſſe, idémque apud illum valere, quod apud hunc noſtrum τὴν δοκιμὴν: ſed à voce ὑπομονὴν, quæ ſequitur apud Iacobum, vltimam literam detrahunt, vt ſit primi caſus ὑπομονή. ita erit eadẽ cum Pauli ſententia, patientiam eſſe veluti probationis parentem. Sed non poſſum viri doctiſſimi, mihique olim, amiciſſimi contra omnium codicum fidem, & Romanæ Eccleſiæ auctoritatem ingenioſum alioqui inuentum, & acutam coniecturam probare; malóque non quidem repugnantibus, ſed tacentibus duntaxat grammaticis nonnihil inter δοκιμὴν & δοκίμιον diſcriminis admittere, quàm nimia corrigendi licentia, ſacros codices inquinare. Quam igitur Paulus vocat hoc loco θλῖψιν, Iacobus δοκίμιον appellat, quaſi vim habeat probandi, hoc eſt, explorandi, vt τὸ δοκίμιον, apud Iacobum reſpondeat πειρασμοῖς, de quibus paulò antè dixerat. *Omne gaudiũ exiſtimate, fratres, cùm in varias tentationes incideritis.* Non igitur θλῖψις, vt vult vir doctus, eſt τοῦ πειρασμοῦ mater, ſed ipſa potiùs πειρασμὸς dicenda eſt, quæ patientiam, hoc eſt, ὑπομονὴν κατεργάζεται, id eſt, perficit aut parit. Facilè amico eruditiſſimo conceſſerim, vtrumque Apoſtolum ad athleticam quandam conſuetudinem ſpectaſſe, de qua commodiori loco dicendum erit. Apparet autem operandi verbum, quod Græcè dicitur κατεργάζεται, ambiguè poſitum eſſe. tribulatio enim non efficit patientiam, ſed ei quodammodò materiam miniſtrat; patientia verò (vt recentiores nõnulli volunt) eſt vera probationis cauſa, ſiue probatio actiuè accipienda ſit, ſiue pro probationis effectu, hoc eſt pro laude, & commendatione, quæ inde naſcitur. Malim ego patientia oſtendi probationem. Sic enim omnibus perſuaſum eſt, rerum moleſtarum tolerantia, hominis conſtantiam, & probitatem declarari; quod multis olim Seneca [b], Plutarchus [c], Valerius [d] Maximus, aliique [e] non pauci tradiderunt. Experientia porrò non ipſam quidem gignit ſpem, quæ omnino præcedit; ſed (interprete Chryſoſtomo) ſpei vim, ac robur vel prodit, vel confirmat; quod ex tolerantia eorum, quæ nobis ſunt aduerſa mirum in modum augetur. IV. Denique *ſpes dicitur non confundere*, hoc eſt, non pudefacere, aut rubore ſuffundere; quod quidem Clemens [f] Alexandrinus de ipſa ſpei materia accipiendum putat, quæ pudore non afficitur, quòd ſit à contumeliis libera; ſed libentiùs de ipſo affectu, aut actione ſpei acciperem, quæ idcirco minimè pudefacit, quia rebus aduerſis exercita, & velun approbata, proindéque robuſtior, ac vegetior effecta; nunquam fruſtrabitur, aut faller. Quocirca rectè dixit Iacobus [g]: *Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis.* Et rurſus [h]: *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit* (Græcè δόκιμος γενόμενος, id eſt, vbi ſe probauerit, ac dignum laude, & gloria oſtenderit) *accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Denique Chriſtus [i] eos, qui rebus aduerſis premantur, his verbis in ſpem erigit; *Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Neque verò audiendi ſunt hoc loco qui noſtrum interpretem reprehendunt, quaſi Græcam vocem καταισχύνει, minùs Latinè reddiderit, *non confundit.* vt enim verum ſit, confundere Latinè

a Tom. 5. in fine ad locum Iacobi.

b epi. 48. lib. de prouid. & de cõſolat. ad Martiam.
c In conſola. & in l de exilio.
d lib. 18.
e Stobæus Serm. 18. 19.
f lib. 4. ſtrom.
g cap. 1. 2.
h verſ. 12.
i Matth. 5. 12.

A propriè ſignificare perturbationem illam, quæ plerumque incerto rubore, aut pudore in hominum animis excitatur; tamen haud ineptè ille ipſe rubor, aut pudor incuſſus, perturbatio, & confuſio dici poteſt. quanquam enim aliud eſt vinum bibere, aliud inebriari; quia tamen ebrietas, ex nimio potu oriri ſolet, qui hilariùs bibunt, nonnumquam in ſacris literis inebriari dicuntur. eodem planè modo quia ex pudore, animi perturbatio naſcitur, atque confuſio, pudor ipſe perturbatio, & confuſio nuncupatur: ita rectè dictum eſt à Dauide [a]; *In te Domine ſperaui, non confundar in æternum.* Et à Salomone [b]: *Nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt.* Is enim confunditur, qui ſua ſpe excidit, quique quod ſperauit non aſſequitur; atque idcirco illum ſpei ſuæ pudet, ac piget.
B Rectè verò obſeruauit Chryſoſtomus diuinã ſpem non ſolùm pollicitatione Dei, ſed cuiuſque etiam meritis, vitæque probitate, atque innocentia niti, quidquid noſtri ſæculi hæretici contrà diſputent. Neque de voce minùs Latina laborandum videtur, cùm Cyprianus Chriſtianorum diſertiſſimus confundi pro erubeſcere alicubi ſcripſerit [c]. *Chriſtus* (inquit) *in præceptis ſuis dicit: Qui confuſus me fuerit, confundetur eum filius hominis; & Chriſtianum ſe putat, qui Chriſtianus eſſe confunditur, aut veretur? Quomodo poteſt eſſe cum Chriſto qui ad Chriſtum pertinere aut erubeſcit, aut metuit?* Alibi verò hunc ipſum locum integrum profert [d] paucis mutatis. Paulò verò aliter Tertullianus [e]. *Non ſolùm autem* (inquit) *verùm*
C *etiam exultantes in preſſuris certè quòd præterea tolerantiam perficit, tolerantia verò probationem, probatio autem ſpem, ſpes autem non confundit.* Vbi cum Syro vim Græcæ vocis κατεργάζεται optimè expreſſit Latina voce; *Perficit*; nec illum puduit quòd iſtos ſciolos malè habet Græcam vocem καταισχύνει, hac Latina confundit reddere.

5. I. Spes avtem non confvndit, qvia caritas, &c. At quæ tandem caritas? An illa, qua nos Deus diligit; an qua Deum diligimus ipſi, an vtraque? Certè vtramque intelligunt Origenes, Chryſoſtomus, Theodoretus, Sedulius, Oecumenius, D. Thomas; nec dubitant vtroque modo verba Pauli aptè explicari, & argumenti vim probè conſiſtere. nam ſi de caritate accipias, qua nos Deus
D diligit, planè conſtat, nihil Deum iis denegaturum, quos tanto amore complectitur, vt illis Spiritus ſancti dona tam liberaliter, támque copioſè ſit elargitus: Scriptum eſt enim in Deuteronomio [f]: *Dilexit populos omnes, ſancti in manu illius ſunt:* ſin autem caritas accipiatur illa, qua nos Deum diligimus, certiſſimum eſt bona illa cœleſtia, quæ ſperamus, non niſi diligentibus ſe à Deo fuiſſe propoſita. Sic enim dixit [g] Chriſtus. *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam illum; & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Nec deſunt qui vnam caritatem intelligant, qua nos Deum ſupernaturali amore proſequimur: ſic enim hunc locum explicant Auguſtinus [h], Anſelmus, Oecumenius, Primaſius, Photius, cuius hæc ſunt verba: *Gloriamur in tribulationibus, quia Deum amamus. pro eo enim gaudemus ali-*
E *quid pati, quem vehementer diligimus.* Et alio quodam [i] loco ſcribit Auguſtinus: *Caritatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe, atque proximo propter Deum.* Quos ferè ſequuntur omnes Theologi poſt ſententiarum Magiſtrum: qui ſanè (vt verum fatear) aliquantò frigidiùs vim argumentationis Pauli explicant. certum enim eſt, his verbis, rationem contineri ſuperioris ſententiæ, cur videlicet ſpes ruborem non afferat; quia (inquiunt) *caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris*; hoc eſt eximium illud donum accepimus, quo Deum ſupra omnia

a Pſal. 30. 2.
b Eccl. 2. 11.
c Serm. de lapſis prope finem.
d In exhort. ad Martyr. cap. 9.
e Aduerſ. Gnoſt. c. 13.
f cap. 33. 3.
g Ioan. 14. 23.
h lib. de ſpi. & lit. c. 32.
i li. 3. de doct. Chriſt. c. 10.

creata diligimus. At videtur argumentatio (vt leuiſſimè dicam) prorsùs frigida. vnde enim conſtare poteſt, nos eſſe diuina caritate prædítos? Neque enim (vt aliàs docebimus) poteſt quis ſibi certò perſuadere citra diuinam reuelationem ſibi caritatis habitum inhærere, ſeque ideo infuſa, & ſupranaturali caritate Deum amare: quam vim igitur habere poſſunt hæc, quæ ſunt prorſus ignota ad erigendam ſpem noſtram, eámque roborandam, & confirmandam?

II. Itaque vero ſimilior videtur interpretatio Chryſoſtomi, Theophylacti, Ambroſij, Hieronymi, & aliorum, qui de diuina in nos caritate verba Pauli accipiunt, quam nos in paraphraſi poſuimus; neque dubito, hanc interpretationem inſtituto Apoſtolico magis conſentire, & ἐμφατικωτέρως ſpem noſtram confirmare. inde enim illa & erigitur, & mirum in modum roboratur, quòd intelligimus, certóque credimus, incredibilem eſſe Dei erga nos beneuolentiam, & caritatem, vt nobis immerentibus Chriſti beneficio Spiritus ſancti chariſmata liberaliſſimè cõtulerit, quam interpretationem magnoperè confirmant, quæ non ita multò pòſt ab Apoſtolo ſubduntur. *Commendat* (inquit) *caritatem ſuam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus ſecundùm tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Multò igitur magis nunc iuſtificati in ſanguine ipſius ſalui erimus ab ira per ipſum.* Hanc ſanè diuinam in nos caritatem non modò Spiritus ſancti chariſmata, quę ipſa per ſe perſpicuè cognoſcuntur, ſed etiam ipſius Chriſti mors meridiana luce clariùs oſtendunt; adeóque nos ad omnia ſperanda, & ab ipſius Dei liberalitate expectanda inuitant. Neque obeſt huic interpretationi, quod ait Apoſtolus, caritatem in cordibus noſtris eſſe diffuſam. nam ſi ſpectemus vim Græcæ vocis, effuſam potius (vt nos diximus in paraphraſi) ac liberaliſſimè declaratam, ídque conceſſis Spiritus ſancti muneribus, ſignificare voluit. vt enim ait Chryſoſtomus, caritatem ſuam Deus effudit, tum præcipuè cùm Spiritum ſanctum cœlitus ad Apoſtolos demiſit. Nec me præterit, hæreticos, qui ſpem noſtram vna Dei pollicitatione niti contendunt, hanc vnam huius loci interpretationem admittere, ſed nos Catholicos & ſanctitate, ac doctrina inſignes auctores

III. ſequimur, quos paulò antè nominauimus. Scrupulum fortaſſe cuipiam moueat quòd Concilium [a] Tridentinum cùm de iuſtificatione loquitur, hæc Pauli verba adhibet, vt oſtendat veram in nobis, ac penitùs inſitam iuſtitiæ formam infundi. Sic enim loquitur: *Quamquam enim nemo poſſit eſſe iuſtus, niſi cui merita paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti communicantur; id tamen in hac impij iuſtificatione fit, dum eiuſdem ſanctiſſimæ paſſionis merito per Spiritum ſanctum caritas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iuſtificantur, atque ipſis inhæret.* Videntur enim ſacri Concilij Patres ſecuti Auguſtinum, qui ſæpe indicare [b] viſus eſt, caritatem veram eſſe iuſtitiam, & ſanctitatem noſtram, qua filij Dei nominamur, & ſumus: ſed potuerunt Concilij Patres probabilem ſententiam ſequi, auctoribus præſertim Auguſtino, & D. Thoma, vel (quod magis reor) non tam verba Pauli explicare, quàm ſuo inſtituto aptare, atque accommodare voluerunt. Id enim veriſſimè dicitur, cum quis ex impio fit iuſtus, caritatem diffundi in cordibus noſtris, quidquid hoc loco ſenſerit D. Paulus. Neque Concilij Patres vllo modo affirmant hoc Paulum ſentire; ſed ipſius tantùm verba vſurpant ad id probandum, quod ipſis propoſitum erat oſtendere. Qui igitur ad probandos habitus, & qualitates infuſas, hoc præcipuè teſtimonio nituntur, viderint

IV. ipſi, quàm appoſitè argumententur. Qui verò in præſentia diſputant, vtrùm caritas à gratia re ipſa, totáque natura differat, planè extra rem ſcholaſticas diſputationes inculcant: non iuerim tamen inficias Cyprianum [a], qui caritatem ait, fuiſſe infuſam, non exiguam præbere occaſionem opinandi, loqui Paulum de caritate creata quæ iuſtorum animis indita eſt, vt perpetuò credidit Eccleſia, & nuper in Concilio [b] Tridentino definitum eſt. Idque etiam non obſcurè indicauit Auguſtinus [c]: *Vnde* (inquit) *iſta dilectio, id eſt caritas, per quam fides operatur, niſi vnde illa fides ipſa impetrauit? Neque enim eſſet in nobis quantumcumque ſit ex nobis, niſi diffunderetur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Quam iam verò vim ad hoc probandum habeant hæc verba Pauli, ex ſuperioribus conſtat. nam vt dixi paulò antè qui hinc habitus, & qualitates inhærentes probare ſe poſſe confidunt, plus omninò recipiunt, quàm præſtare poſſint. Certè Auguſtinus [d] definit caritatem animi motum; quamquam autem [e] alibi appellat virtutem animi, quod alij penè omnes affirmant, non tamen ex hoc loco probat. nos verò non de re ipſa diſſerimus, quæ iam apud omnes Catholicos extra controuerſiam eſt; ſed id tantùm quærimus, quantum ad id probandum valeant hæc verba Pauli. nam & illi qui caritatis auctorem dicunt eſſe ſpiritum ſanctum eo locutionis genere, quo quædam per appropriationem ſingulis perſonis tribuuntur, rem veriſſimam dicunt, ſed vtrum id queat ex hoc loco probari, aliorum eſto iudicium. tantum enim abeſt vt Apoſtolus caritatem referat ad ſpiritum ſanctum, tamquàm eius auctorem, vt potius ſpiritum ſanctũ, hoc eſt ſpiritus ſancti dona, quippe omnibus conſpicua tamquàm diuinæ caritatis effecta ponat, ex quibus nefas ſit de diuina caritate dubitare. Senſiſſe hoc viſus eſt alicubi [f] Auguſtinus, ſed ipſa rerum ἀκολουθία repugnante. Neque verò iis vllo modo aſſentior, qui diſputandi libidine veluti œſtro perciti hoc teſtimonio Apoſtoli apertè concludi exiſtimant caritatem creatam à ſpiritu ſancto re ipſa diſtingui; in quo lapſi ſunt nonnulli [g]. Quid enim attinet in re ſeria plumbeis mucronibus vti? vel Apoſtolicas ſententias peruerſa quadã pietatis ſpecie ludibrio exponere?

6. VT QVID ENIM CHRISTVS, &c. Re-
I. ctè omnino hæc ſuperioribus adnectuntur. vt enim probet ſpem noſtram firmam eſſe, ac ſtabilem, affert argumentum deſumptum à Dei caritate in omnes homines effuſa. ſed quoniam id paulò obſcuriùs dictum videri poterat, hac percunctatione, rem totam illuſtrat, & ſuperioris argumenti vim mirè confirmat. Quis enim de Dei in omne genus hominum caritate dubitare queat, qui animaduertat, Chriſtum pro impiis mortem oppetiiſſe? Quod autem ait; *cùm adhuc infirmi eſſemus*, Græcè legitur ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν: porrò ἀσθένεια interdum quidem ab effectu morbum ſignificat, eo quòd vires eneruet, ac frangat: interdum verò cùm de animo dicitur, nihil eſt aliud, quàm virium deſtitutio, & hoc quidem loco quos Paulus vocat ἀσθενεῖς, paulò pòſt impios, & peccatores appellat, qui quod attinet ad ſpiritualem animi vim, & facultatem, non modò ſunt inualidi, & imbecilles, ſed omni prorſus vi, ac poteſtate deſtituti, vt ipſa deinde iuſtificatio, ſit omni ex parte gratuitum Dei beneficium; atque ita omnis penitùs gloriandi occaſio præcludatur. Igitur nomine ἀσθενείας, ſcelerum, ac flagitiorum morbos intelligi: ἀσθενεῖς verò, id eſt, infirmos appellat homines peccatis ob-

II. noxios. Iam quod ſubditur; *ſecundùm tempus*; non ad ægros, vel flagitiis irretitos; ſed ad Chriſti mortem referendum eſt, vt docent Hieronymus [h], Theodulus, Origenes, Ambroſius, & Græca ſcholia. Porrò vox Græca καιρὸς non obſcurè ſignificat temporis articulum, & quandam opportunitatem, atque ita

a Seſſ. 6. c. 7.
b De trin. & grat. [illegible]
a In adhort. ad mart. c. 9. & lib. 2. ad Quir. c. 6.
b Seſſ. 6. c. 7. Can. 11.
c lib. de ſpiritu, & littera cap. 32.
d li. 3 de doct. Chriſt. c. 10.
e lib. de morib. Eccleſ. c. 11 lib. de not. c. 63. & conc. 20. in Pſ. 118.
f ſerm. 43. de verb. Dom.
g Mag. 1. ſent. d. 17.
h in Epiſt. ad Algaſ. q. 7.

ita Hieronymi & aliorum quos modò nominaui in- A
terpretationem, quidquid alij ſenſerint, mirè confirmat. Quomodo autem dicatur *Chriſtus mortuus ſecundum tempus*, non ſatis conuenit. Ambroſius quidem ad certum tempus, hoc eſt, ad triduum ſolùm mortuum fuiſſe intelligit; Origenes, & Theophylactus, opportunè; hoc eſt, illo ipſo tempore, cùm nos adhuc eramus impij, cúmque mors maximè videbatur neceſſaria. Hieronymus eo (inquit) tempore cùm omnes inutiles facti erant, hoc eſt (vt ait Theodulus) commodo impiimis. & opportuno tẽpore: Sedulius poſtrema ſeneſcentis mũdi ætate. denique Theodoretus præfinito, ac præſtituto ante omnem æternitatem tempore, vt ad Galatas[a] dixit Paulus: *Cùm venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum*. Hanc nos poſtremam ſententiam in paraphraſi ſecuti ſumus: vt quid igitur ait Paulus cùm nos peccatorum veluti pondere oppreſſi imbecilles, ac viribus deſtituti eſſemus pro nobis impiis præſtituto, ac præfinito tempore mortuus eſt: Græci codices, qui nunc habentur in manibus, habent ἔτι γὰρ: noſter autem interpres, quem ſequitur Ambroſius, legiſſe videtur τί γὰρ, ad quid? At Theophylactus & legit, & interpretatur ἔτι γὰρ; ſed vterque ſenſus admitti poteſt, eandémque vim habet ad ſpem noſtram confirmandam. Certè Epiphanius legit ἔτι γὰρ. ſic enim hunc locum aduerſus Marcionem recitat. ἔτι γὰρ Χριστὸς ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν ἔτι κατὰ καιρὸν ὑπὲρ ἀσεβῶν ἀπέθανε. hoc eſt; *adhuc enim Chriſtus cùm nos eſſemus debiles adhuc iuxta tempus pro impiis mortuus eſt*. Neque erat cur quiſquam Epiphanij lectionem caſtigaret, Græci præſertim auctoris exemplaria Græca ſequentis.

a cap. 4. 4.

7\. I. Vix enim pro iusto qvis, &c. Huic loco admodum per ſe obſcuro multiplex, ac varia doctorum interpretatio Cymmerias tenebras offudit. Marcion olim (vt auctor eſt Hieronymus[b]) Deũ veteris teſtamenti iuſtum appellabat, auctorem verò noui, bonum; ita pro illius honore vix quenquam mortem ſubiiſſe; at verò pro bono, id eſt, Chriſto martyres innumerabiles fortiter occubuiſſe. Sed hanc ſententiam Apoſtoli verba nullo modo admittunt, qui pro bono, ait, fortaſſe quempiam mortem ſuſtinere, quibus verbis indicat non modò id arduũ, ac difficile videri, ſed etiam admodum rarum. Alia omnia exiſtimabat Arius, qui iuſtum dicebat eſſe Chriſtum, atque ideirco iudicandi accepiſſe poteſtatem, Patrem verò bonum. ſed mirum eſt, hominem acutum non vidiſſe, hoc apertè cum Apoſtoli ſententia pugnare: quàm multi enim pro Chriſto, id eſt (vt ille interpretatur) pro iuſto obierunt? Cur ergo dicat Paulus, *pro iuſto vix quenquam mori*? Atque haud ſcio, an iſ meliùs ſentiant, & loquantur, qui iuſti nomine legem veterem, boni verò nouam ſignificari putant. nam pro illa quidem vix quenquam, pro hac verò non paucos extrema pertuliſſe. Eterum cur dicat Paulus, vix quenquam pro iuſto mori, pro bono autem forſitan quempiam mortem appetere, ſi pro Euangelij promulgatione tam multi fortiter ſanguinem, vitámque profuderunt? Nec me præterit nonnullorum arguta argumentandi ratio, E qui hæc verba Pauli perinde accipiunt, quaſi ille hunc in modum argumentationem concludat: ſi Chriſtus pro impiis mortuus eſt, quanto id magis nobis pro Deo iuſto, & bono faciendum cenſebimus? Verùm id quorſum? cùm quiduis potius agat Paulus, neque ad mortem pro Chriſto ſubeundam

II. quenquam hortetur? At Origenes, ipſéque adeo Hieronymus iuſtum, ac bonum idem omnino affirmant, atque abſolutè rem bonam, ac iuſtam ſignificare. nam pro rebus honeſtis difficulter quidem, ſed

b Ep. ad Alg. q. 7.

interdum tamen quiſpiam reperiri poterit, qui fuſo ſanguine mortem oppetat; vt hinc appareat immenſæ cuiuſdam bonitatis eſſe, atque inauditæ clementiæ pro impiis, ac ſceleratis illatam necem tolerare. Chryſoſtomus ſimpliciter hominem iuſtum, ac bonum intelligit, cui conſentit B. Thomas; *Vix enim* (inquit) *quiſquam reperiatur, qui pro iuſto liberando mortem obire velit, cùm potius ſcriptum ſit ab Iſaia:*[a] *Iuſtus perit, & non eſt qui recogitet in corde ſuo*. Dixit autem Apoſtolus, vix quenquam reperiri, quia id eſt admodum tùm difficile, tùm rarum, adeóque eximium caritatis opus, de quo Chriſtus:[b] *Maiorem charitatem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. Omnem verò humanam fidem ſuperat Chriſti caritas, & beneuolentia, qui pro impiis, B atque inimicis extrema tolerauit. Iam verò Ambroſius iuſtum à bono diſtinguit, & illum quidem exercitio, hunc verò natura dici putat, ita triplicem eſſe comparationem boni, iuſti, & impij: quamquàm enim bono iuſtus præſtat, boni tamen quippe innocentis miſerabilior conditio videtur; impium verò nemo dignum cenſet commiſeratione, ita faciliùs reperiri qui pro bono, hoc eſt, innocente ſeſe mortis periculo obuiciat, quàm pro iuſto, ne dum pro impio, cuius nemo doleat vicem. Sunt qui iuſtum intelligant hominem virtute præditum; bonum verò eum, qui eximias, atque heroicas actiones exerceat; Pauli verò ſententiam de iis accipiendam eſſe, qui ſponte ſua, certóque conſilio mortem oppetunt, vt diſpar videatur eorum conditio ab iis, qui fortiter, C ſtrenuéque pugnando in prælio occumbunt, qui quamquàm mortem pro altero obeunt, omnibus tamen conniruntur viribus, vt caput, vitámque ſuam tueantur ac ſeruent. Denique non defuerunt qui iuſtum intelligerent hominem probum, ac ſtudioſum; bonum verò liberalem, benignum, & beneficum, vt quod Græcè ait Apoſtolus ὑπὲρ τοῦ ἀγαθοῦ poſitum fuit pro ὑπὲρ τοῦ ἀγαθοεργοῦ. Quid ex his maximè probandum ſit, ex paraphraſi collige: quantam autem vim habeat, hoc argumentum Pauli ad ſpem noſtram erigendam, & confirmandam egregiè docuit Auguſtinus[c]. Ex quibus omnibus apparet, prorſùs alienas videri Eucherij[d] explanationes, quæ vnà cum ſuperioribus, quibus planè conſentiunt, reiectæ ſunt. Iam quod ait Paulus; *Audeat* D *mori*; Græcè legitur τολμᾷ ἀποθανεῖν, id nos in paraphraſi diximus *ſuſtineat mori*.

a cap. 17. 1.
b Ioan. 15. 13.
c libro .13. de Trinit. c. 9.
d In Quæſt. noui Teſtamenti in hūc locum.

Commendat avtem caritatem, &c. Vim ſuperioris rationis his verbis colligit. cùm enim eximium quidpiam ſit pro eo mori, à quo aliquando beneficium acceperis, longè tamen præſtabilius eſt, pro eo vitam profundere, à quo quamuis iuſtus, & probus ſit, nullo fueris officij genere prouocatus, at omnium longè maximum, ac præſtantiſſimum videatur, pro inimicis mortem ſubire, ita videas Chriſti caritatẽ in immenſum quodammodò excreſcere, qui pro nobis ſceleratis, ac flagitioſis ſponte acerbiſſimam necem pertulerit. hoc enim eſt, quod ait Paulus; *Commendat caritatem ſuam Deus*, hoc aliis verbis dixerat[e] Chriſtus. *ſic Deus dilexit* E *mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*. Et Ioannes[f] in ſua Canonica: *In hoc eſt caritas non quaſi nos dilexerimus Deum; ſed quoniam ipſe prior dilexit nos, & miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris*. Cæterùm nonnulla exemplaria Latina habent; *ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt*: Græca, quæ nunc habentur in manibus, non habent, nec agnoſcuntur à Chryſoſtomo[g], Irenæo[h], Ambroſio[i], Cypriano[k]; Theodoretus tamen & legit, & interpretatur. Tunc enim ... Chriſtum,

8\. I.

II.

e Ioan. 3. 16.
f Ep. 1. c. 4. 10.
g Tum hoc loco, tum Ser. 6. de myſteri. cœnæ Domini.
h lib. 3. c. 18.
i in hunc locum.
k Epiſt. 63.

Digitized by Google

ſtum pro nobis obiiſſe, cùm venit plenitudo temporis, vt ad Galatas ſcribit idem Paulus. Quanquàm autem multis, ac præclaris argumentis eximia in nos Dei beneuolentia, & caritas eluxit, nullum tamen illuſtrius Chriſti morte cenſeri debet, vt præter allata teſtimonia docet Paulus ad Philippenſes [a] his verbis: *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis.* Omnino autem hæc verba, *Chriſtus pro nobis mortuus eſt*, legenda ſunt; alioqui ſententia imperfecta, & ſuſpenſa videbitur, non tamen liquet vtrum illud *ſecundum tempus* cum præcedentibus, an verò cum ſequentibus coniungendum ſit: vtroque modo veriſsimam ſententiam pronuntiat Apoſtolus. Si nectas cum ſuperioribus, ſenſus erit, cùm nos aliquando adhuc peccatis eſſemus obſtricti, Chriſtus ſe ipſe pro nobis ſponte obtulit morti; ſi cum ſequentibus, id ſignificat quod ait Theodoretus, Chriſtum ſtatuto tempore, mortem pro nobis obiiſſe. nos vtrumque in paraphraſi indicauimus. Poſtremò obſeruauit Origenes, his non multis verbis complexum eſſe Paulum omnia genera peccatorum. nam paulò antè nos appellauit impios, eos potiſsimùm indicans, qui vero Deo contempto, idola coluerunt; cùm verò infirmos nominat, eos deſignat, qui animi quadam imbecillitate peccant: denique dum notat peccatores, eos intelligit, qui ex malitia, prauáque animi affectione perperàm, & vitioſè agunt. Hinc etiam poſsis diuinæ in nos charitatis magnitudinem agnoſcere. nam qui peccando legem Dei violaſſent, & vana hominum ſimulacra non ſine ingenti impietate diuinis honoribus coluiſſent, & vſque eò tracti viribus, atque imbecilles eſſent, vt è peccatorum cœno emergere nequaquam poſſent, tanti apud Deum fuerunt, vt pro iis ſæuiſsimam mortem perferre non dubitauerit.

a cap. 2. 8.

9. I. CHRISTVS PRO NOBIS MORTVVS EST; MVLTO MAGIS NVNC, &c. Totius argumentationis complexio eſt, & (vt oratores loquuntur) à minori confirmata. nam ſi cùm ira potiùs, atque odio digni eſſemus, tam ſingulare nobis beneficium præſtitit, quale Chriſti morte conſecuti ſumus, quid nobis in Dei gratiam, atque amicitiam admiſſis ſperandum erit? *iuſtificati* inquit *in ſanguine ipſius*. notiſſimo Hebraiſmo id eſt per ſanguinem ipſius. ſic enim ſæpè vis noſtræ iuſtificationis Chriſti ſanguini tribuitur. Sic Ioannes: dilexit nos & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. [b] Rectè autem dixit; *ſalui erimus ab ira*; hoc eſt (vt interpretatur Auguſtinus [c]) ab vltione, & vindicta, qua Deus ſontes, & peccatores punit: hinc verò intelligi facilè poteſt (quod ſæpe docet Auguſtinus) duas duntaxat futuras in extremo iudicio hominum claſſes; alteram eorum, qui ſemper cum Chriſto æuo fruentur ſempiterno: alteram eorum qui cruciatus ac damnationem æternam ſubibunt. ſi igitur Chriſti beneficio iram, & ſupplicia euademus, profectò ſpes beatæ, ac ſempiternæ gloriæ nullo nos modo fallet, aut pudore ſuffundet, atque idcirco rectè ſubdit.

b Apoc. 1. 5.
c lib. 1. de Trin. cap. 16.

10. I. SI ENIM CVM INIMICI ESSEMVS, &c. Argumentum à minori ductum. nam qui tam multa inimicis tam liberaliter præſtitit, quid faciet amicis iam, & in gratiam receptis? Pertinet autem hæc omnis argumentatio ad ſpem noſtram erigendã, & confirmandam; quod eo potiſſimum tempore, ſibi iure optimo faciendum eſſe Apoſtolus cenſuit, cùm fideles ad ſupplicia conquirerétur, & grauiſſimis cruciatibus pro fide, & Chriſtiana religione torquerentur. Aptè verò dixit, nos per mortem filij Dei fuiſſe reconciliatos; iam verò reconciliatos ſaluos fore in vita ipſius eodem prorſus modo, quo in calce ſuperioris capitis dixerat Chriſtum propter delicta noſtra fuiſſe traditum, reſurrexiſſe autem propter iuſtificationem noſtram. Pertinent autem ad hunc locum illuſtrandum quæ alicubi ſcribit Auguſtinus, [a] vbi probat, nos pluribus nominibus ipſis etiam Angelis præcellere, qui Chriſtum habemus non ſolùm Regem, & caput, quod nobis eſt cum illis commune, ſed prætetea Pontificem, ac redemptorem, quorum neutrum ad illos pertinet, qui neque expiatione, neque redemptione eguerunt. Tribuit autem reconciliandi vim Chriſti morti, vt paulò antè iuſtificationem ſanguini. hoc ſanè ſignificauerat Chriſtus, cùm apud Ioannem dixit [b], *niſi granum frumenti cadens mortuum fuerit* ipſum ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. quò etiam ſpectaſſe viſus eſt Iſaias: [d] *ſi poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum. Salui* (inquit) *erimus in vita ipſius.* ſalutem gratiæ ac ſempiternæ vitæ conſequemur.

a Tract. 112. in Ioan.
b cap. 12. 25.
c cap. 53. 10.

11. I. NON SOLVM AVTEM, &c. Redit ad id, quod paulò ante dixerat; *ſed & gloriamur in tribulationibus.* cùm enim dixiſſet gloriari nos in ſpe, itémque in tribulationibus, quibus patienter, & forti animo toleratis, diuinarum pollicitationum fructus comparatur, de ipſa ſpei certitudine hactenus diſſeruit; iam redit ad ſuperiora, vt ſignificet, non ſolùm gloriari nos in ſpe, aut rebus aduerſis, ſed etiam & quidem maximè in Deo, idque per filium eius Ieſum Chriſtum, cuius beneficio & in gratiam cum Deo immortali redimus, & ſpei noſtræ exitum, hoc eſt, vitam ſempiternam nos aliquando aſſecuturos confidimus. Quamquam non me fugit aliter ſenſiſſe Chryſoſtomum, Theodoretum, & Anſelmum, quorum primus putat hæc Pauli verba cum ſuperioribus coniungenda, perinde quaſi affirmet, nos non ſalutem ſolùm, ſed magnam in Deo gloriandi materiam Chriſti beneficio conſecutos eſſe; poſteriores duo ita hanc ſententiam accipiunt, quaſi affirmet, non ſolùm nos ſpetare ſalutem ſempiternam, ſed iam adeptos eſſe, vt in præſentia in Deo plurimùm gloriemur. Quocirca in paraphraſi ſuum cuique iudicium permiſimus, neque in vllam partem inclinauimus; hîc tamen citra cuiuſquam inuidiam noſtram coniecturam placuit indicare.

II. Sed quæ tandem ſit iſta gloriandi, ſiue occaſio, ſiue materia, non conuenit inter omnes. Chryſoſtomus inde putat nos gloriandi materiam habere, quod pro nobis Chriſtus dum adhuc peccatis obſtricti teneremur, ſanguinem, vitámque profudit. Addit Theodoretus, quòd in Dei amicitiam, ac familiaritatem admiſſi ſumus: Anſelmus ſpem futuræ gloriæ ingens putat eſſe huius noſtræ gloriationis argumentum. Certè Paulus vtrumque videtur non obſcurè indicare. addit enim *per quem nunc reconciliationem accepimus,* pignus videlicet eius fœlicitatis, quam expectamus. hoc enim modo alicubi argumentatur [d] Auguſtinus. *Qui donauit* (inquit) *impijs mortem ſuam, quid ſeruat iuſtis niſi vitam ſuam? Qui promiſit Deus eſt; & venit, vt promitteret, apparuit hominibus, venit ſuſcipere mortem veſtram, promittere vitam ſuam.* Paucis autem interiectis: *Quid tibi promiſit Deus, ô homo mortalis? Quia victurus es in æternum non credis? Crede, crede, plus eſt iam quod fecit, quàm quod promiſit. Quid fecit? mortuus eſt pro te. Quid promiſit? vt viuas cum illo. Iam quod incredibilius eſt timemus.* Et ſanè negari non poteſt magnam eſſe gloriandi materiam quòd Chriſti merito cum Deo in gratiam redimus. qua de re alicubi S. Leo [e] *exultet ſanctus, quia propinquat ad palmam, gaudeat peccator, quia inuitatur ad veniam, animetur gentilis, quia vocatur ad vitam. Dei namque filius ſecundum plenitudinem temporis quam diuini conſilij inſcrutabilis altitudo diſpoſuit, reconciliandam auctori ſuo,*

d in Pſal. 148.
e Ser. 1. de natali.

ſuo, naturam generis aſſumpſit humani; vt inuentor mortis diabolus per ipſam quam vicerat, vinceretur. In quo conflictu, pro nobis inito, magno, & mirabili æquitatis iure, certatũ eſt, dum omnipotens Dominus cum ſæuiſſimo hoſte, non in ſua maieſtate, ſed in noſtra congreditur humilitate, obiiciens ei eamdem formam, eamdemque naturam mortalitatis quidem noſtræ participem; ſed peccati totius expertem.

12. PROPTEREA SICVT PER VNVM, &c.

I. Quorſum hæc Chriſti cum primo parente comparatio ſpectet, ambigunt recentiores nonnulli. Sunt enim qui vocem illam; *propterea*; proximè præcedentibus coniungunt, vt per Chriſtum accepiſſe dicamur reconciliationem, & gratiam, quia per ipſum omnes vi ſanguinis ipſius iuſtificati ſumus. Quæ videtur ſententia Oecumenij. ſic enim ait. B *Propterea* (inquit) *ſeruabimur: propter quid? quia & hoc poſſibile eſt, & rationi conſentaneum eſt, ac conſequens. Sed vnde hæc manifeſta fient? A contrario* (inquit) *ſiquidem per vnum hominem, & peccatum introiuit & mors ipſa.* Idémque ſignificaſſe videtur Anſelmus, qui ait, *Nam quia dixerat Apoſtolus, nos eſſe per Chriſtum reconciliatos, pergit oſtendere, quòd cõuenienter per vnum obedientem ſimus reconciliati, qui per vnum inobedientem fueramus à Deo ſeparati; reconciliationem accepimus per Chriſtum, propterea, id eſt, quia per illum ſumus reconciliati.* Atque haud ſcio, an aliter explicandus ſit Auguſtinus[a] [a lib 5. cont. Iul. c. 1.], quem hoc loco ſequitur B. Thomas. putat enim reddi rationem, cur nos per Chriſtum Deo dicamur conciliati quaſi per ſecundum Adamum, C quemadmodum per primum Adamum conſtituti ſumus peccatores; vt verba huiuc in modum diſtinguenda ſint; gloriamur io Deo per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, per quem nunc reconciliationem accepimus, propterea ſicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, id eſt propterea reconciliationem accepimus per Chriſtum, ſicut per vnum, id eſt quia eodem modo per vnum hominem peccatum in hunc mun-

II. dum intrauit. Sed nimis detorta, ac violenta interpretatio videtur, ac penitùs inſolens. ſenſus enim eſſet, gloriari nos in Deo, per ſanguinem, ac mortem Chriſti, cuius beneficio reconciliationem accepimus διὰ τοῦτο, id eſt, propter hoc, quòd pro nobis ſanguinem fudit. Fuerunt qui exiſtimarent διὰ τοῦτο D poſitum eſſe pro διὰ τοῦτο ὅτι, id eſt, propterea quòd, more fortaſſe Hebræorum, apud quos בַּעֲבוּר *bangauur*, id eſt, propterea ſignificat idẽ, quod eò quòd, vel propterea quòd, vt ſenſus ſit, nos egiſſe reconciliatione per ſanguinem Chriſti, eò quòd vnius primi parentis vitio omnis humana natura fuerat inquinata. Fuerunt qui dicerent; *propterea*; ad proximè dicta referri, vt ſit ſenſus; quoniam dixi, omnes fuiſſe peccatores, & inimicos Dei, quo id apertiùs intelligatur, propterea ſciendum eſt, ſicut per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, ita mor-

III. tem, cæteráque vitæ incommoda ad omnes mortales perueniſſe. Alij cenſuerunt eſſe veluti conſectarium, quod ex ſuperioribus colligatur. nam quia per Chriſtum gratiam, & reconciliationem accepimus, E iure factum eſt, vt quemadmodum vnius primi parentis vitio humana natura labefactata eſt, & corrupta, ita vnius Chriſti merito, cunctis mortalibus ad gratiam, & amicitiam Dei aditus referetur. Quod egregiè aduerſus Pelagianos docuerat Auguſtinus[b] [b l. 4. cont. duas Epi. Pelag. c. 4.], qui totius ſubſequentis diſputationis initium inde ſumendum putat, vbi Paulus dixerat: *Si cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius, multò magis reconciliati, ſalui erimus in vita ipſius:* perinde quaſi Apoſtolus adhibita comparatione, & luculenta antitheſi inter Chriſtum, & Adamum ra-

A tionem explicet humanæ reconciliationis, quam nos ſententiam in paraphraſi vtcumque indicauimus. Sed de re tota, déque verbis ſingulis multæ, ac magnæ difficultates exiſtunt. Apparet enim hanc ſententiam ſuſpenſam quodammodò eſſe, & (vt ita dicam) pendulam. vt enim monet Origenes, aut aliquid addendum eſt, & tacitè intelligendum, aut certè pendere dicenda eſt ad illa vſque verba; *ſed non ſicut delictum, ita & donum.* IV. Quod ſi libeat integram orationem proferre, ſic (auctore Origene) ſententia explicanda eſt; ſicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertrãſiit, in quo omnes peccauerunt: ita per vnum hominem Chriſtum iuſtitia in mundum intrauit, & per iuſtitiam vita, & ita B in omnes homines vita pertranſiuit, in quo omnes iuſtificati, & viuificati ſunt. Quam ſanè interpretationem continet noſtra paraphraſis: quamquàm non dubito poſſe etiam hanc ſententiam integram, & abſolutam videri, vt ſenſus ſit: quemadmodum per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, eadem planè ratione intraſſe & mortem; atque ita in omnes homines pertranſiſſe. certum namque eſt, particulam &, more Hebraico redditionem ſimilitudinis plerumque continere, quemadmodum in oratione[a] [a Matt. 6. 10.] Dominica, *Fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra*, hoc eſt, ita *& in terra*; & apud Ioannem[b] [b cap. 6. 57.]: *ſicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem.* Et in Actis[c] [c cap. 7. 51.] Apoſtolicis: *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis ſicut Patres veſtri, & vos.* Sed ſuperio- C rem explanationem præfero, quidquid aliqui contrà ſentiant. Quòd ſi cuipiam fortaſſe durior ea interpretatio videatur, emolliri aliqua ratione poſſet, ſi quod Græca Oecumenij ſcholia faciunt, vt paulò antè diximus, ex ſuperioribus poſt vocem; propterea; nonnulla intelligantur, quaſi dicat Paulus; propterea per Dominum noſtrum reconciliationem accepimus, & iuſtitiam atque aditum ad vitam aſſecuti ſumus, ſicut per vnum hominem peccatũ in hunc mundum intrauit, & quæ deinceps ſequuntur; vt particula *ſicut*, præcedentium non ſubſequentium ſimilitudinem contineat. Neque ab hac interpretatione abhorrent Auguſtinus, & Anſelmus in præſentia, vt ſuprà indicaui. Quòd ſi libeat cum Origene affirmare, ſententiam eſſe ſuſpenſam cum eodem, D & cum Auguſtino dicere poſſumus integram comparationem abſolui paulò pòſt cùm dicit: *Igitur ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ.* Quod verò attinet ad Pauli verba. *Per vnum* (inquit) *hominem peccatum in mundum intrauit*: ſignificãs Adamum fuiſſe veram peccati cauſam, non aliter ac peccatum fuit etiam cauſa mortis. V. Quod verò addit; *per hominem peccatum* intraſſe in mundum, virum ſine dubio intelligit. quamuis enim dictum ſit à Salomone[d] [d Eccl. 25. 33.]: *A muliere initium peccati, & per illam omnes morimur*: tamen niſi Adam peccaſſet, vnius Euæ noxam nequaquàm in poſteros redundaſſet; at Adamo peccante, (vt ſcribit Auguſtinus[e] [e lib. 1. de pecc. mer. & remiſſ. c. 9.]) omnes eo ſcelere inquinati dicuntur. Quocir- E ca meritò ſuſpectæ fidei cùm multas alias ob cauſas, tum ob hanc vnam maximè cenſendi ſunt Commentarij, qui Ambroſij, Hieronymique nomine circumferuntur; quòd parum ſcitè hoc loco hominem accipiant pro nomine ſpeciei humanæ, vt vtrumque ſexum complectatur; atque adeo de Eua interpretatur, cùm tamen certum ſit, Adamum parentem noſtrũ, cum Chriſto cõparari. Sed videtur hic pſeudo-Ambroſius ſecutus Origenem, mali videlicet oui malus coruus, nec multò meliùs dixit auctor Commentariorum, qui tribuuntur Hieronymo, qui ait,

infanire

Digitized by Google

inſanire illos, qui putant antequàm Eua peccaret, iam peccatum fuiſſe in mundo. Optimè verò Auguſtinus [a] probat, vnius hominis nomine intelligi Adamum parentem noſtrum, quod ipſa Pauli verba non obſcurè ſignificant. vtitur enim maſculino genere, cùm ait, *per vnum hominem*; & eùm paulò pòſt ſubdit, *in quo omnes peccauerunt*. Accedit, quòd toto hoc capite Adam confertur cum Chriſto, vt etiam in Epiſtola ad Corinthios [b]: *ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. Peccatum in hunc mundum intrauit.*

VI. An ipſum Adæ primi parentis peccatum, quo ipſius Adæ perſona obſtricta tenebatur? An verò totius humanæ naturæ labes, quæ cunctos mortales affecit? Certè prius illud aſſeruerant olim Pelagiani, quos non ſemel Auguſtinus [c] confutat. Neque enim verum videtur, neque ad inſtitutum pertinet. nam multò anteà peccauerat Dæmó, & prior peccauerat Eua, quàm Adam, atque ita ante hominis peccatum iam peccatum erat, vt nullo modo peccatum primi parentis primum poſſit cenſeri peccatum. Accedit, quòd Apoſtolus ſubdit; *Et per peccatum mors*; quaſi dicat, eadem ratione intraſſe mortem in mundum, qua intrauerat peccatum; non intrauit autem mors ipſius ſolùm Adæ reſpectu, ſed ratione omnium hominum, qui mortem obeunt; atque ita Abel ante Adamum mortuus eſt; & omnes etiam infantes morti obnoxij degunt, quocirca mox ſubdit: *Et ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt*. Peccatum igitur intelligit, quod totam humanam naturam labefactauit. Dicitur autem intraſſe in mundum, hoc eſt (vt C ipſe Paulus explicat) penetraſſe ad omnes, qui quodammodo vnà cum Adamo peccarunt, ac proinde peccatores cõſtituti ſunt. Non me quidem præterit, hæreticos, & qui plus æquo hæreticis fauent, hanc de peccato originali apertiſſimam Pauli ſententiam, technis, & veluti tricis quibuſdam quantum in ipſis eſt eludere, qui peccaſſe quidem primum parentem, cum Dei præceptum violauit, non negant, adeóque illius peccatum in mundum intraſſe; cæterùm non aliter ad cæteros mortales, quàm imitatione fuiſſe transfuſum. ille enim peccando ſeſe mortis neceſſitate obligauit, nos item, quoniam illum peccando imitamur, mortis legibus ſubiacemus: ſed (vt ſuo loco indicabo) toto, quod aiunt, cœlo aberrant. Neque D verò audiendi ſunt ij, qui peccati nomen pro peccati effectis poſitum fuiſſe contendunt, vt videlicet ſignificent non ipſam quidem peccati labem in mundum intraſſe, ſed propenſionem, & facilitatem, qua cuncti mortales prolabuntur in peccata, & prætereà etiam mortem, ſiue moriendi neceſſitatem; quæ duo ex primi parentis peccato, tamquàm ex fonte, profluxerunt. Quorum ſententia (vt cætera omittam) hoc ipſo Pauli loco apertè refellitur; niſi quis velit, ridiculè dixiſſe Paulum, per vnum hominem peccatum in hunc mundum intraſſe, & per peccatum, id eſt, (vt ipſi interpretantur) peccandi facilitatem, ac mortem, intraſſe etiam mortem: quod quàm ſit ineptum, nemo non videt. Neque verò moriendi neceſſitas, peccandi propenſionem, aut facilitatem, ſed ipſum potiùs peccatum ſubſecuta eſt. Sic enim E dixit olim Deus [d]: *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris*. Dum autem Adam interdictum pomum guſtauit, re ipſa peccauit, etiam ſi illa, quam nunc vel inuiti cogimur experiri, careret propenſione peccandi. Et Ezechiel [e] ait: *Anima, quæ peccauerit, ipſa morietur*. Et Paulus hac ipſa Epiſtola [f]: *Stipendium peccati mors*. Et Concilium [g] Arauſicanum ſecundum, ait: *Iniuſtitiam Deo dare conuincitur qui mortem, quæ eſt pœna peccati ſine peccato, quod eſt meritum mortis, ad nos tranſiſſe dicit*. Accedit, quod idem

A Paulus non ita multò pòſt ait; *In quo omnes peccauerunt*. Et: *Per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi*. Nam qui dicunt, peccatum Adami intraſſe in mundum non aliter, quàm imitatione, & exemplo, cum Pelagianis & ſentiũt, & loquuntur; & non ita multò pòſt confutabuntur. *Et per peccatum mors*.

VII. Verè omnino. nam ſi primæuam hominis conditionem ſpectes, & fœliciſſimum illum innocentiæ ſtatum, rectè ſcriptum eſt à Salomone [a], *Deus creauit hominem inexterminabilem*: vel vt Græcè legitur, ἐπ' ἀφθαρσίᾳ, id eſt, in integritate ab interitu prorsùs aliena. Addit: *Et ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum*; Græcè καὶ εἰκόνα τῆς ἰδίας ἰδιότητος ἐποίησεν αὐτόν, hoc eſt, imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum: vel potiùs ad verbum, *proprietatis*, niſi B malit quis, quod habent nonnulli Græci codices, & magis probo, ἀϊδιότητος, id eſt, *æternitatis*; vt ſit ſenſus, hominem conditum eſſe immortalem, & quaſi quandam imaginem æternitatis. Denique ſubdit: *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum*; quippe auctore Auguſtino [b], prima hominis immortalitas fuit poſſe non mori; vt appareat, lapſos eſſe primùm philoſophos, qui (quod ſæpè repetit Seneca [c]) mortem non pœnam, ſed naturæ legem, ac neceſſitatem appellabant: deinde Ioſephum [d] Iudæum; qui exiſtimauit, ſi Adamus non peccaſſet, futurum illum vnà cum ſua poſteritate longiſſimæ quidem vitæ, & tardiſſimæ ſenectutis incommoda ſenſurũ, moriturum tamen aliquando; poſt peccatum verò vitæ ſpatia contracta, atque in anguſtum deducta. C Poſtremò Pelagianos [e], qui hominem mortali conditione creatum fuiſſe contendebant, cùm ex hoc loco Pauli, & ex libro Geneſeos conſtet, non niſi ob peccatum, mortis neceſſitatem in humanam naturam fuiſſe introductam. etenim primo parenti his verbis comminatus eſt Deus [f]. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*. Quod quamquàm de morte ſpirituali nonnulli [g] accipiunt, id tamen non Auguſtino [h] ſolùm, & ſcholæ Theologicæ, repugnat; ſed etiam conciliis [i] Arauſicano, & Tridentino [k]. Nec quenquam mouere debet, quòd non continuò illo ipſo, quo peccauit, die, mortem obierit; ſiue quia (vt tradunt Iuſtinus [l], & Irenæus [m]) *mille anni*, vt ait Petrus [n], pro vna tantùm die coram Deo cenſentur; ſiue (quod magis reor, pluribúſque [o] Theo- D logis placuit) illo ipſo die moriendi neceſſitatem cõtraxit, cœpítque laborem, ægritudines, atque his ſimilia mortalitatis effecta experiri. vt enim ſcribit B. Gregorius [p]; *Hæc noſtra vita mors eſt potiùs dicenda, quàm vita*. Et rectè Seneca [q]: *Quotidie morimur; quotidie enim demitur aliqua pars vitæ: & tunc quoque cùm creſcimus vita decreſcit; Infantiam amiſimus, deinde pueritiam, deinde adoleſcentiam: vſque ad heſternum quidquid tranſiit temporis periit. Hunc ipſum, quem agimus diem, cum morte diuidimus. Quemadmodum clepſydram non extremum ſtillicidium exhaurit, ſed quidquid ante defluxit: ſic vltima hora qua eſſe deſinimus, non ſola mortem facit, ſed ſola conſummat; tunc ad illam peruenimus, ſed diu venimus.*

VIII. NEQVE verò inficias iuerim, etiam animæ mor- E tem fuiſſe à primo parente contractam, hoc eſt, peccatum, quæ dicitur mors prima; & damnationis reatum, quæ mors ſecunda nuncupatur: ſed id mox videro, nunc verò de corporis morte cum Apoſtolo diſputo, quã fuiſſe peccati pœnã hic ipſe locus oſtendit. Quamquàm ſi hominis naturã per ſe ipsã ſpectemus, fatenr mortẽ quodammodo dici poſſe naturalẽ: eſt enim hominis natura diſſolubilis, nec poteſt abſque extrinſeco adminiculo in æuum cõſiſtere. egregiè namque ſcriptum eſt à Seneca [r]: *Mors neceſſitatem habet æquam, & inuictam. Quis queri poteſt, in ea*

con

[a] Sap. 2. 23.
[b] lib. de corrept. & gratia cap. 12.
[c] Ep. 30 & 48; de conſol. ad Marciam. & li. 6. qq. nat. extremo, & in Acceptis.
[d] lib. 1. de antiq.
[e] Hoc refert Auguſt. 1. de bapt. paruulorum c. 2 ſed deinde Pelag. argumentis Catholicorũ perſuaſus admiſit eſſe pœnam. vt Aug. l. 4. cont. duas Ep. Pelag. c. 4.
[f] Gen. 2. 7.
[g] Philo 1. 2. de Allego legis. Eucher. lib. 1. in Gen. Greg. l. 6 Reg. 1. Ep. 32. Augu. Steuch. in adnot. ad Pentat. qui tamẽ in Coſmopœia mutauit ſent.
[h] l. 13. de ciuit. cap. 12.
[i] cap. 1.
[k] Seſſ. 5. de peccat. orig.
[l] in Dial. cum Tryph.
[m] lib. 5 c. 23.
[n] 2. Ep. c. 3.
[o] Hier. qq. Hebr. Theod. q. 38. in Gen. Aug. 13. de ciui. c. 23. 11. de Gen. ad lit. c. 32. 41. de peccat. mer. & remiſſ. c. 2. Cyril. in Ioan. c. 5.
[p] Hom. 37. in Euang.
[q] Ep. 24.
[r] Epiſt. 30.

Digitized by Google

concluſione ſe eſſe, in qua nemo non eſt? Prima enim pars æquitatis, eſt æqualitas; ſed nunc ſuperuacuum eſt, naturæ cauſam agere: quæ non aliam voluit legem noſtram eſſe, quam ſuam. quidquid compoſuit reſoluit, & quidquid reſoluit componit iterum. Et[a] alibi: *Mors naturæ lex eſt, mors tributum, officiúmque mortalium.* Denique alio loco[b]: *Mors hominis natura eſt, non pœna.* Et B. Auguſtinus[c] libens fatetur, Adamum primum parentem noſtrum, antequàm Dei præceptum violaret, hactenus fuiſſe mortalem, quia mori poterat; atque hac ratione non defuerunt Theologi[d], qui mortem naturalem appellarent. ſed illud qualecumque naturæ vitium iuſtitiæ originalis beneficio, & ligni vitæ ſubſidio aut compenſabatur, aut corrigebatur. Quocirca (vt obſeruauit Auguſtinus[e]) verè dictum eſt à Salomone[f], Deum non feciſſe mortem, quia videlicet non oritur ex prima hominis conſtitutione. Cæterùm quia moriendi neceſſitatem affert, eſt pœna peccati, & Deum habet auctorem, vt alio loco dixit Salomon[g]. *Bona, & mala mors, & vita à Deo ſunt.* Neque alio modo accipienda ſunt quæ ſcribunt Patres Concilij[h] Arauſicani, & Tridentini[i].

a lib. 6 Nat. qq. extremo.
b in exceptis.
c l. 1. de pec. mer. & remiſ. cap. 2.
d Scot in 2. d. 19. Stapulenſ. in hunc locum.
e lib. retract. cap. 26.
f Sap. 1. 13.
g Eccleſiaſt. 11. 14.
h cap. 1. & 2.
i Seſſ. 5. de pec. orig.

IX. *Et ita in omnes homines mors pertranſiit*; quia mors erat pœna peccati, eo ad poſteros transmiſſo, neceſſe fuit etiam mortem æquè ad omnes pertingere, vt culpæ æqualis pœna reſpondeat, atque ob id non videtur planè otioſa particula *ita*. nam cùm dixiſſet, per vnum hominem peccatum in mundum intraſſe, & per peccatum mortem, rectè ſubdit; *Et in omnes homines mors pertranſiit*; id eſt, vt peccatum omnes afficit, ita mors premit vniuerſos. eadem quippe mors Adæ, hoc eſt moriendi neceſſitas poſt peccatum contracta cunctos ipſius poſteros vrget ad interitum, quemadmodum idem Adæ peccatum omnem ſobolem inquinauit. Quocirca rectè alicubi dixit Auguſtinus[k]; *Videte, fratres, genus humanum à prima illius primi hominis morte defluxiſſe: etenim peccatum à primo homine intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines pertranſiit: Attendite, fratres, & conſiderate verbum, pertranſiit. unde enim eſt & paruulus reus: peccatum nondum fecit, ſed traxit; etenim illud peccatum non in fonte manſit, ſed pertranſiit, non in illum, aut illum, ſed in omnes homines pertranſiit. Genuit peccatores morti obnoxios primus peccator, & primus prauaricator.* Æquè igitur in omnes mors pertranſiit non aliter, ac peccatum, ſed quemadmodum cum his Pauli verbis non pugnat priuilegium Beatæ Virginis, quæ fuiſſe creditur à peccato immunis, quamuis ad Adæ poſteritatem pertineret: ita nihil eidem ſententiæ aduerſaretur, ſi quis exiſtimaret nonnullos eximio aliquo Dei beneficio à morte liberos fore, de qua tamen re quid ſentiendum ſit, alibi videro. Cæterùm peccatum dicitur intraſſe in mundum, & mors in omnes pertranſiſſe, quia re vera omnes homines, & peccatores, & morti obnoxij primi parentis vitio conſtituti ſunt, eo planè modo, quem fusè explicat Origenes, dum omnes oſtendit in lumbis Adæ fuiſſe comprehenſos. *Omnes* (inquit) *homines, qui in hoc mundo naſcuntur, & nati ſunt, in lumbis erant Adæ, cùm adhuc eſſet in Paradiſo; & per ipſum mors, quæ ei per prauaricationem aduenit, conſequenter & in eos pertranſiit, qui lumbis eius continebantur; vnde Apoſtolus alio[l] loco dixit; ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. Ergo neque ex Diabolo, qui ante mulierem peccauerat; neque ex muliere, quæ ante virum prauaricata eſt, ſed per Adam, ex quo omnes mortales originem duxerunt, verè dicitur intraſſe peccatum, & per peccatum mors.*

k Serm. 4. de verb. Apoſt.
l 1. ad Cor. 15. 22.

X. IN QVO OMNES PECCAVERVNT. Grammatici interpretem noſtrum primùm reprehendunt, tum rem ipſam, ac ſententiam peruertunt, & corrumpunt. repetunt enim errorem Pelagianorum, quem olim non ſemel confutauit Auguſtinus[a]. nam quoniam Apoſtolus ait ἐφ' ᾧ ipſi interpretabantur; quatenus exemplo eius omnes peccauerunt. Eodem modo iſti Græcę linguæ proprietatem eam cenſent interpretationem poſtulare; ſed fateor in Græcis codicibus legi ἐφ' ᾧ, nō autē ἐν ᾧ: ſed nego linguę Gręcę proprietatē poſtulare, vt Latinè reddamus; τὸ *quòd*, vel; *in quantum*; vel, *quatenus*. Græci enim huius loci explanatores Origenes, Chryſoſtomus, Theophylactus, Oecumenius, ἐφ' ᾧ referunt ad ipſum Adam: quod paulò antè Auguſtini, Hilarij, atque Ambroſij auctoritate probatum eſt: quo peccante, cuncti mortales ſeſe peccato obſtrinxerunt, & vt cum grammaticis grammaticorum more diſputemus, apparet, præpoſitionem ἐπὶ non poſſe interdum Latinè aliter reddi, quàm per hanc alteram præpoſitionem; *in*. Ad Hebræos[b] enim ſcripſit Paulus. *Quæ non poſſunt iuxta conſcientiam perfectum facere ſeruientem*, ſolummodò in cibis, Græcè ἐπὶ βρώμασι. Et aliquantò pòſt: *Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt*. Græcè ἐπὶ νεκροῖς. Neque ipſi interpretis noſtri cenſores hæc duo Pauli loca aliter interpretantur. De re verò ipſa incredibile dictu eſt quantopere fallantur. vt enim concedamus verba Pauli hūc habere ſenſum, eò quòd omnes peccauerunt, vel in quantum, vel denique quatenus omnes peccauerunt, omnino de peccato originali accipienda ſunt, nullo autem modo de proprijs cuiuſque flagitiis, quæ ſponte à ſingulis perpetrantur. Neque enim idcirco moriuntur homines, quia propria voluntate peccant, cùm infantes, in quos peccatum non cadit, mortis legibus ſubiaceant. ſed quia vt à primo parente peccati maculam, ita moriendi neceſſitatem contraxerunt.

a Ep. 89. q. 4. Enchir. c. 25. lib. 4 contra Iulian. & l. 2. hypognoſticon.
b cap. 9. 9.

XI. Verùm quid propriè referat relatiuum; *In quo*, non ſatis conuenit; diſputat ea de re accuratiſſimè Auguſtinus[c]: & quamquàm alicubi exiſtimarit[d], referre poſſe ipſum Adami peccatum, alibi tamen eùm rem diligentiùs expendiſſet, aliter exiſtimauit; & poſt multa tandem[e] concludit etiam teſtimonio, atque auctoritate Hilarij ipſum primum parentem intelligi, in quo omnes quaſi in maſſa & continebantur, & peccaſſe cenſendi ſunt. Eandem ſententiam ſequitur Chryſoſtomus, vt paulò antè monui, quem, excepto Theodoreto, cæteri Græci imitantur. nam re vera neceſſe eſt, vel referre Adamum, vel peccatum, vel mortem; peccatum referre non poteſt, quia Græcè eſt ἐφ' ᾧ, genere maſculino, peccatum autem eſt generis fœminei; dicitur enim ἁμαρτία: nec poteſt referre mortem. licèt enim Græcè mors ſit generis maſculini; θάνατος, tamen certum eſt, non peccare homines in morte, ſed potiùs in peccato, vel propter peccatum mori; atque ita relinquitur, vt referat Adamum. Nec diſcrepat hoc loco Ambroſius, cuius ſunt illa verba, quæ Hilarij nomine proferuntur ab Auguſtino, neque (quod ſciam) in Hilarij libris vſquàm leguntur, vt ſuſpicari liceat, hos commentarios, qui Ambroſio inſcribuntur, ætate Auguſtini habitos fuiſſe Hilarij, vt viuente Caſſiodoro Gelaſij nomine circūferebātur.

c lib. 4. cont. 2. Ep. Pelag. cap. 4
d l. 1. de pec. mer. & remiſ. cap. 10.
e l. 4 cont. duas Ep. Pelag. cap. 4.

XII. Verùm magna inter Catholicos, & Pelagianos cōtentione olim certatum eſt, quánam ratione dicātur omnes homines in primo parēte peccaſſe. Pelagiani enim, quos recentiores nonnulli æquè impiè, atque imperitè imitantur, hanc Pauli ſententiam ad imitationis peccata, non ad originalem labem pertinere exiſtimabant. Quæ ſententia tùm apertiſsimè legatur in commentariis huius loci, quæ Hieronymi nomen præferunt, argumento eſſe poteſt, fœtum eſſe planè ſpurium, atque adulterinum,

auctorémque habere Pelagianæ impietatis ſectatorem, vel vt nonnulli exiſtimant ipſum Pelagium, nullo autem modo Hieronymum, quem acerrimum fuiſſe Pelagianorum hoſtem, cùm ipſius dialogi, tum Oroſij hiſtoria apertiſsimè docent. Et quoniam Auguſtini [a] teſtimonio conſtat, Pelagium in Epiſtolam ad Romanos ſcripſiſſe Commentarios, veriſimile videri poſſet, ab eo fuiſſe editos. Longè igitur aliter viſum eſt Auguſtino [b], & Patribus Concilij [c] Mileuitani, qui non ſolùm affirmant, hanc Pauli ſententiam etiam ad paruulos, qui peccare non poſſunt, omnino pertinere; ſed negant, hunc Pauli locum aliter poſſe explicari, quàm communi conſenſu acceperit ſemper Eccleſia. Eandem ſententiam repetunt Patres Concilij [d] Africani, & Tridentini [e]. Quocirca vix poteſt excuſari Theodoretus, [f] qui negat,
XIII. hoc loco Paulum agere de peccato originali, cùm alij omnes, quos citat Auguſtinus, [g] hoc potiſsimùm Pauli teſtimonio primi peccati labem in omne genus hominum fuiſſe tráſfuſam maximè confirment; ac Pelagianorum quidem interpretationem, qui hác Pauli ſententiam de imitatione primi peccati explicant, multis non vno loco refellit Auguſtinus. [h] à qua ſanè hæreticorum explanatione non admodum diſcrepat Theodoreti interpretatio, quam mirum eſt etiam quibuſdam Catholicis contra Conciliorum auctoritatem placuiſſe, cùm alioqui apertiſsima videatur Apoſtoli ſententia. nam ſi ageret Apoſtolus de imitatione peccati, non ad Adamum, ſed ad diabolum peccandi initium referendum erat, quomodo dixit Salomon: [i] *Imitantur autem illum qui ſunt ex parte illius.* Et Chriſtus apud Ioannem [k] Iudæos reprehendens: *Vos* (inquit) *ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis perficere.* Ipſéque Ioannes [l] Apoſtolus: *Qui facit peccatum, ex diabolo eſt*, exemplo videlicet, ac imitatione. Quo argumento vtuntur hoc loco Origenes, & Auguſtinus [m] aduersùs Pelagianos. Accedit, quòd non alia ratione Chriſti, atque Adami comparatio conſtat, niſi quòd Chriſtus gratiam in omnes, Adam verò peccati labem, offenſionémque transfudit: quocirca vnius vitio, atque peccato omnes morti obnoxij degunt, atque vnius beneficio Chriſti, ad vitam gratiæ reuocantur: neque aliud profectò indicare poſſunt verba illa, quæ mox ſubiiciuntur. *Iudicium ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem.* Docet enim Apoſtolus, ob vnius hominis delictum latam fuiſſe in omne genus hominum ſententiam, Chriſti verò gratiam habuiſſe vim expiandi omnium mortalium flagitia; ita apparet, omnes homines ob primi parentis culpam meritò fuiſſe damnatos. Quid, quòd non alia ratione docet intraſſe in mundum mortem, quàm peccatum? Quis verò non videat, mortem re ipſa humano generi imminere, & ſingulos de medio tollere? Cùr ergo peccatum, vnde mors ortum habet, non omnes
XIV. mortales afficiat? Quòd ſi verborum vim diligentiùs expendere libeat, reperiemus profectò, modum illum dicendi; *per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors*; poſſe quidem (vt ait Theodoretus) peccandi occaſionem, ac veluti materiam vtcúmque continere, vim tamen, & rationem exemplaris ſignificare vix poſſe, niſi quis dicat (quod eſſet ineptiſſimum) in ſingulis flagitiis eos, qui peccant, primum ſibi parentem menti obiicere, eiúſque peccatum præſenti cogitatione voluere. quamuis enim qui ſtrenuè, ac fortiter agunt, vſitata quadam dicendi forma imitari dicãtur Achillem, etiam ſi de illo ne cogitent quidem, nullo tamen pacto fortes per Achillem appellantur. Iam verò Apoſtolus non modò ait *per vnum hominem peccatum intraſſe in mundum*, ſed multos, vel potius omnes per vnum, eundémque hominem peccatores fuiſſe conſtitutos; quod de ſola imitatione intelligi nequaquam poteſt, cùm præſertim (vt apparet ex Epiſtola Iudæ) Cain potiùs tamquàm malorum dux, atque auctor, quàm Adam proponi ſoleat; nec facilè vllum ex ſacris litteris teſtimonium proferri poſſit, in quo Adam, tamquàm malè agentium, aut peccantium exemplar proponatur. Quod enim legimus apud Oſeam: [a] *Ipſi autem trãſgreſſi ſunt pactum, ſicut Adam.* Septuaginta tranſtulerunt, ſicut homo; vt ſignificet, peccaſſe illos ob humanæ naturæ imbecillitatem: quo modo neceſſe eſt interpretari eiuſdem prophetæ [b] verba: *Traham eos in funiculis Adam:* hoc eſt, eo modo, quo ſolent homines trahi. Nec deſunt qui aliter accipiant, perinde quaſi Propheta, violaſſe Iudæos pactum ſuum dicat, *ſicut Adam*, hoc eſt, quaſi hominis cuiuſpiam lex, & præceptum fuiſſet. Denique ſi Adami nomen proprium eſſe quis velit, id vnum ſignificare voluit Propheta, Iudæos non aliter Dei legem contempſiſſe, quàm olim contempſerat Adam, quamquàm ille non omnium primus peccauerit, ſed potius mulier, vt affirmauit Salomon, [c] & alibi indicat Paulus. [d] Iam verò ſi ex æquo peccatum, & mors humanum genus afficiunt, mors autem etiam infantes perimit, neceſſe eſt profectò, etiam ipſos peccati labe inquinari, cùm tamen nihil ipſi ſponte efficere, aut quemquàm imitari queant. Adde, quòd particula, *per*, Græcè διὰ, cauſam efficientem, non exemplarem ſignificat; quod cùm animaduerterent recentiores [e] interpretes, contra linguæ Græcæ proprietatem, reddiderunt, *propter*. nam cùm particula διὰ coniungitur cum gignendi caſu, idem ſemper valet, quod apud Latinos, *per*: redditur autem Latinè, *propter*, cùm iungitur quarto caſui: quod vel ex ipſorum interpretatione conſtat. nam in capite ſuperiori penè extremo ſæpius legitur διὰ cum quarto caſu, & ipſi ſemper reddiderunt, *propter*. In hoc autem capite frequentiſſimè coniungitur cum ſecundo caſu, & conſtanter, hoc loco excepto, tranſtulerunt, *per*, & in hac ipſa ſententia primùm quidem; *propter*; iterum verò; *per*; poſuerunt.

VSQVE AD LEGEM ENIM, &c. Sententia eſt omnium conſenſu obſcuriſsima: ſunt qui 13. I.
hæc de lege Moſis interpretentur; ad eam enim vſque perduraſſe dicitur peccatum, quia nullam vim ad illud expiandum habebat; quomodo explicãt hunc locum Auguſtinus, [f] Theodoretus, & Anſelmus; ſed hoc intereſt, quòd Anſelmus de ſolo originali peccato, Auguſtinus autem, & Theodoretus etiam de actuali accipiunt. Alij peccatum in mundo fuiſſe dicunt vſque ad legem, quaſi legis aduentu fuerit extinctum, ſed legem quidem Moſis intelligunt Irenæus, [g] Chryſoſtomus, Ambroſius, Photius apud Oecumenium. Origenes verò legem naturalem, quæ non ſtatim in ipſo hominum ortu humanis mentibus elucet; & tamdiu quidem ait Origenes, peccatum mortuum eſſe, quia quamuis infantes multa efficiant belluarum potiùs, quàm hominum more, eæ tamen actiones, quòd libertate careant, non poſſunt illis vitio verti. Meminit huius interpretationis etiam Auguſtinus, neque eam impugnat, aut reprehendit; ſed legis nomine ſignificari legem Moſis, non obſcurè indicat Paulus dum ſubdit: *Regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſem.* Nec facilè probanda eſt eorum ſententia (quam tamen alicubi [h] ſecutus eſt Auguſtinus) qui legem Moſis peccati veluti regno includunt, vt regnaſſe dicatur peccatum vſque ad legem, ipſa etiam lege comprehenſa: ſiquidem mox addit Paulus; *peccatum non imputabatur*,

a cap. 6. 8.
b cap. 11. 4.
c Eccleſiaſtici 25. 33.
d 1. ad Timoth. 2.
e Eraſmus.
f lib. 1. de pecc. mer. & remiſſ. ca. 10.
g lib. 5. c. 20
h In expoſitione quarundam propoſitionum huius Epiſtolæ.

tur, cùm lex non eſſet. Atque haud ſcio, an Anſelmi ſententia probanda ſit, quæ tamen viris doctis vehementer placuit, qui Paulum exiſtimat de originali tantummodò peccato diſſerere, cùm tamen re vera contineat hæc ſententia eorum, quæ modò explicuimus, verborum rationem. Probaturus enim Paulus, primi parentis vitio cunctos mortales morti eſſe obnoxios, ſumit id, quod negare nemo poterat, ante legem Moſis fuiſſe hominum plurima, eáque grauiſsima flagitia, non tamen ob illa fuiſſe quemquam humano iudicio morte mulctatum: quandoquidem diuina quidem auctoritate non niſi lege Moſis peccato pœna mortis infligitur; quamuis fortaſſe auctoritate legis humanæ plurima peccata vltimo ſupplicio digna cenſerentur. At etiam ante legem omnes omnino mortales, ne illis quidem exclusis infantibus, qui propria actione peccare non poterant,

II. mortis legibus ſubiacebant. Cùm igitur ait Paulus; *peccatum non imputabatur*, cùm lex non eſſet; non negat, ſine lege fuiſſe cognitum peccatum, aut illud eſſe contra Deum, aut adſcribi culpæ, aut vlli obfuiſſe, quidquid aliter viri magni [a] ſenſerint; ſed tantùm affirmat, nulli peccato mortem fuiſſe, tamquam pœnam diuina lege propoſitam. hoc enim interdum ſignificare imputandi verbum colligitur ex Paulo; [b] *Omnes me dereliquerunt, ne eis imputetur* hoc eſt, non illis noceat, non ob id puniantur, ita *peccatum non imputabatur, cùm lex non eſſet*; hoc eſt, non dignum cenſebatur pœna mortis. Græci codices habent ἐλλογεῖται, imputatur; idque rectè ſubditur μὴ ὄντος νόμου, id eſt, non exiſtente lege, vel cùm non eſt lex; ſed vtrouis modo eadem eſt ſententia. Meritò autem Chryſoſtomus eorum ſententiam reiicit, qui putant, hæc verba non dici à Paulo in propria perſona, ſed continere argumentum aduerſariorum, qui propoſitam à Paulo ſententiam oppugnent, atque oſtendant, non fuiſſe ante legem peccatum in mundo, atque idcirco non eſſe verum, per vnum hominem peccatum in mundum intraſſe. Nam præterquàm quòd nulla vel tenuis coniectura afferri poteſt, cur hæc aliorum nomine obiecta videantur, nemo id Paulo obiicere poterat, cum nullus ignorare poſſet, etiam ante legem Moſis plurima, eáque grauiſſima fuiſſe ſcelera perpetrata. Quamquàm autem veriſſimè dixit Chryſoſtomus, non fuiſſe mortem illatam propter priuati ſingulorum flagitia, ſi de moriendi neceſsitate loquatur, quæ eſt toti humano generi communis, tamen humano inſtituto potuit mors irrogari etiam propter priuata flagitia; ita in Geneſi [c] cum Thamar Iudæ nurus turpiter egiſſe deprehenſa eſſet, dixit Iudas, *producite eam, vt comburatur.*

III. Colligo igitur paucis more dialectico totam Pauli ſententiam, quam preſsiùs aliquantò in paraphraſi perſtrinxi; cuncti mortales primi parentis labe ſunt inquinati, vt vnà cum ipſo cenſendi ſint legem, ac præceptum diuinum violaſſe, ideóque mortis, ac pœnæ fuiſſe ſocios, qui fuerant eiuſdem culpæ participes; ac primi parentis culpa originariam quandam labem, & vnà cum illa mortis neceſsitatem hominum genus peruaſiſſe, vel hoc maximè argumento probatur: Vigebat ſanè ſcelerum, ac peccatorũ lues, & ante latam Moſis legem, nõ matura ætate modò homines, ſed ipſi etiã infantes propriæ, atque actualis labis expertes, quotidie moriebãtur. neceſſe igitur erat, communẽ eſſe aliquam noxam, cui mors tãquam pœna reſpõderet: atqui ea pœna ante legem Moſis nullis erat flagitiis vllo præcepto impoſita, & (vt maximè eſſet) nihil illa ad infantes pertinebat, nullius prorſus ſceleris compertos. Itaque fateri oportet regnum, atque imperium mortis à primæua parentis labe ortum ducere, qua omnis humana na-

A tura, vi ſeminis, ac propagationis naturalis inquinatur. Perobſcurè fateor hæc ex Pauli contextu colliguntur, ſed nos in paraphraſi ordine paululùm immutato lucem aliquam afferre conati ſumus; itáque ſententias inter ſe coniunximus, vt appareat, alteram ex altera pendere: quantum profecerimus viderint alij, quod optimum certè videbatur, ſecuti ſumus, neſcio an aſſecuti. Certè omnes vnà cum Adamo Dei legem, ac præceptum quodammodo violaſſe conſtans eſt ſanctorum Patrum ſententia. Qui verò hæc de originali peccato accipiunt, quod ante legem Moſis cognitum fuiſſe negant, quamuis tunc maximè virus effunderet ſuum, aliena prorſùs loquuntur; quorſum enim id ſpectat, aut qua ratione cum ſuperioribus, vel conſequentibus cohæret?

B Quis verò dicat, primos illos ſanctiſsimos Patriarchas hanc humani generis cladẽ latuiſſe? At inquiũt, non illã naturæ viribus, aut legis naturalis præſidio cognoſcere potuerũt: at iſto modo non vſque ad legẽ ſolùm, ſed hoc etiã tempore maximè latet. quis enim nunc ſecluſa fide, eiúſque ſupranaturali lumine cognoſcere ſe poſſe cõfidat, vnius ad nos hominis peccatũ, naturæ vitio pertinere, eiúſq; peccati pœnã, hoc eſt mortẽ, ac morbos iure cunctos mortales vrgere?

Sed regnavit mors, &c. Verſatur adhuc Paulus in eadem argumentatione, quam modò 14. L explicuimus: Ab Adam (inquit) vſque ad Moyſem peccatum vigebat, non illud ſolùm primæuum, & toti naturæ commune, ſed proprium, etiam ſingulorum, cúmque illi mors, nulla lege eſſet impoſita,

C mors tamen ipſa cunctos demerebat, & quaſi in ſuo regno dominatum, ac tyrannidem exercebat. Neque verò audiendi ſunt ij, qui mortem ſpiritalem interpretantur, hoc eſt priuationem donorum ſpiritualium, quæ mors prima vocitatur, quam quidem regnaſſe volunt vſque ad Moyſem; quia tunc primùm inſtituta ſunt ſacrificia, & ſacramenta ad diuinam gratiam conciliandam. nam abſque vlla dubitatione exiſtimandum eſt, loqui Apoſtolum de morte corporea, quam diximus eſſe peccati pœnam, quæque peccatum conſecuta eſt, ea verò vſque ad Moyſem regnaſſe dicitur, non quòd, vigente lege, vim ſuam non exercuerit, ſed quia certum eſt ante legem latam, vim mortis non aliunde, quàm ex primæuo Adæ peccato pendere potuiſſe, quo diuinum

D præceptum violatum eſt. Rectè autem obſeruauit Hieronymus [a] ex interpretatione Symmachi, mortem appellari Dominam. *Dominatorem* (inquit) *omnium populorum ſiue faciem tenebrarum ſuper omnes populos, & telam, quæ ordita ſit, ſuper omnes gentes.* Alibi verò dicitur. *Mors præualens*, quòd nulli prorſus hominum parceret. Itaque qui hoc loco diſſerunt de ſacramentis legis naturalis, déque circumciſionis poteſtate, alieno prorſus loco ſapientiam venditant: II.
ſed quod mox ſequitur; *Etiam in eos, qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ*, magnam habet dubitationem. Nam Origenes, & Ambroſius abſque negatione legunt; qui peccauerunt: duplicem verò fuiſſe huius loci lectionem docet Auguſtinus; [b] at noſtram lectionem probant ipſe Auguſtinus, Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, Athanaſius, [c] Irenæus, [d] Cyrillus, [e] Hieronymus [f]. Quorſum autem hæc verba referenda ſint, à multis ambigitur. Origenes, Irenæus [g], Auguſtinus [h], Hieronymus [i], Theodoretus, Ambroſius referunt ad eos, qui non peccauerunt, vel peccauerunt, ſi negationem tollas, ſed non eodem modo eam ſententiam explicant. Origenes regnaſſe ait, mortem in eos, qui peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, hoc eſt, qui lethale, vt ille, piaculum perpetrarunt.

mors

a Orig. Ambroſ. Anſelm. & Auguſt. 1. de pecc. mer. & remiſſ. cap. 10. & Photius.
b 2. ad Tim. 4. 16.
c cap. 38. 24.

a in Iſa. c. 25.
b l. 1. de pec. mer. & rem. c. 11. Epi. ad quæſtiones.
c Orat. contra Arrian.
d lib 1 c. 10.
e lib. 2. in Ja. cap. 20.
f in Epitaph. Nepotiani ad Heliodorum. Ep ad Paulã de obitu Bleſillæ. lib 1 contra Pelagianos.
g Præf. l. 4. c. 20.
h l. 1. de pec. mer. & rem. cap. 13.
i lib 2. cont. Pelag.

moꝛs enim in omnes quidem pertranſiſſe dicitur, ne iuſtis quidem prætermiſſis, regnaſſe tamen in impiis tantùm. Ambroſius eos intelligit in ſimilitudinem præuaricationis Adæ peccaſſe, qui verò, Deo neglecto, diuinum honorem, & cultum idolis exhibuerunt, perinde quaſi primum Adæ peccatum non longè abfuerit ab idololatria, & impietate; & hi quidem negationem auferunt: at Hieronymus retenta negatione regnaſſe mortem affirmat etiam in eos, qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, hoc eſt, omnes omnino mortales, qui quamquàm ſuo quiſque peccato inquinantur; nemo tamen eorum peccatum illud perpetrauit, quod ab Adamo commiſſum eſt, cùm pomo interdicto veſci voluit. nemo enim hominum propriè (vt aiunt Chryſoſtomus, & Theodoretus) diuinum illud præceptum Adamo impoſitum violauit. Photius apud Oecumenium eos putat non peccaſſe in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, qui ante legem Moſis, nullo accepto externo præcepto, naturæ duntaxat legem neglexerunt. Athanaſius [a] eos vult in ſimilitudinem præuaricatioois Adæ peccaſſe, qui lethaliter peccarunt, regnaſſe verò mortem etiam in eos, qui nulla lethali noxa contaminati eſſent, quales fuiſſe putantur Ieremias, & Ioannes Baptiſta. Denique Auguſtinus [b] hæc verba; qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ; exiſtimat eſſe infantium periphraſim, qui nulla propria actione, ac

III. priuato ſcelere inquinantur. Verùm Chryſoſtomus in ſimilitudinem præuaricationis Adæ coniungit cum verbo, regnauit; quaſi dicatur, mors in ſimilitudinem præuaricationis Adæ regnaſſe; id eſt, non aliter ac ipſius Adæ peccatum, & quidem etiam in infantes, qui nullius proprij ſceleris ſibi conſcij eſſe poſſunt. Et profectò hæc Chryſoſtomi ſententia non poteſt non videri probabilis; auctoritas tamen tam multorum Patrum negligi ſine piaculo non potuit, atque idcirco vtramque interpretationem in paraphraſi indicauimus. Quod verò ſpectat ad verba Pauli, regnaſſe dicit mortem, *etiam in eos, qui non peccauerunt*; Græcè καὶ, hoc eſt, non ſolùm in ipſum primum parentem Adamum, ſed etiam in eos, qui nulla propria actione, vt ille, ſeſe peccati obſtrinxerunt, vel non in eos modò, qui Adæ peccatum imitati ſunt, & cumularunt; ſed in illos etiam, qui nullo pacto peccarunt ipſi. Vtraque enim interpretatio probanda eſt, quidquid Photius apud Oecumenium argutetur. Cæterùm illud; *In ſimilitudinem præuaricationis Adæ*; Græcè dictum eſt ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι, fortè pro ἐν ὁμοιότητι, paulò aliter quàm hac ipſa Epiſtola [c] non ita multò pòſt ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς. Et ad Philippenſes [d] ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων.

IV. Itaque non mihi eorum ſententia diſplicet (quam in paraphraſi vtcumque attigi) qui hæc verba; *In ſimilitudinem præuaricationis Adæ*, finem quodammodò, quo regnum, ac tyrannis mortis referebatur, continere exiſtimant, quaſi Apoſtolus dicat regnaſſe mortem ab Adamo vſque ad Moyſem: *etiam in eos, qui non peccauerunt*; vt vniuerſi mortales non naturæ modò ſimilitudine, ſed etiam turpitudine, ac fœditate peccati primum illum parentem referrent, & quaſi exprimerent. Certè hanc ſententiam non obſcurè ſignificat Paulus in priori ad Corinthios [e] cùm ait: *Qualis terrenus, tales & terreni; qualis cæleſtis, tales & cæleſtes: ſi igitur portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis*. Hæc verò ſimilitudo, atque imago terreni Adæ poſita eſt, tum in mortalitate, atque imbecillitate naturæ, tum verò maximè in turpitudine, fœditatéque peccati. Imperitè verò faciunt ij, qui huic ſimilitudini aptant teſtimoniũ illud Zachariæ [f]: *Quoniam Adam exemplum meum*

A *ab adoleſcentia mea.* nam, vt omittam quod Septuaginta ſimpliciter pro Adam verterunt hominem, quaſi humanum exemplum ſequi ſe propheta aſſeueret; ſi nomen Adami quaſi proprium retinendum ſit, nihil aliud Propheta ſignificat, quàm ſe ab Adamo primo parente agricolandi ſumpſiſſet exemplũ.

Qui eſt forma futuri. Ambiguam Apoſtoli ſententiam, & quæ latiſſimè pateat, nos in paraphraſi nihil contraximus. quod enim Græcè legimus τοῦ μέλλοντος, ſignificare poteſt ſimpliciter id, quod futurum erat, hoc eſt, vt omnis Adæ poſteritas ſimilis eſſet prototypo, & nõ aliter atque ipſius parens, peccato, & morti obnoxia, vel Chriſtum venturũ, cuius fuerit Adam quaſi typus. priorem ſententiam ſequutus eſt Auguſtinus [a]; poſteriorem alij fermè omnes, V.

B quam etiam probat Auguſtinus [b] ipſe. Nec dubito hanc eſſe priori præferendam, & multò elegantiorem. Fuit autem Adam primus parens typus, & figura Chriſti, idque multis modis: nam vt ille fuit veluti principium, & fons omnium malorum; ita bonorum omnium auctor eſt Chriſtus; & vt ille ſuo flagitio non vni tantùm, ſed vniuerſo hominum generi obfuit; ita Chriſtus ſuam gratiam, aliáque cœleſtia, ac diuina dona cunctis mortalibus propoſita eſſe, & quodam modo lucere voluit: & vt ille vi ſeminis omnium noſtrum parens cenſendus eſt; ita Chriſtus ortu quodam ſpirituali nos ad nouum vitæ genus procreat, ac perducit: ille caput, & ſponſus fuit Euæ, quæ ab eius latere diuino quodam opificio extitit; Chriſtus item caput eſt, & ſponſus Eccle-

C ſiæ, quæ ex ipſius latere in cruce pendentis effluxit: ille è terra quodammodò Virgine, ac nulli prorſus execrationi ſubiecta abſque virili ſemine procreatus eſt; Chriſtus item ex Matre Virgine, nullóque piaculo inquinata abſque viri opera genitus eſt: & vt ille parentẽ nullum præter Deum agnouit; ita Chriſtus nullum in terris progenitorem habere voluit.

Quod ſi Pauli Apoſtoli inſtitutum, & conſilium paulò attentiùs inſpiciamus, ſimilitudo inter Chriſtum, VI.
& Adamum (quamquam in diuerſo genere) his potiſſimùm capitibus continetur. Primùm quòd vterque fuit quaſi quædam publica perſona; deinde quòd Adam quidem omnes ſuo ſcelere inquinauit; Chriſtus omnibus ad ſalutem aditum patefecit; & vt naſcendo, naturam ab Adamo veluti trahimus; ita

D dum iuſtificamur, gratiam Chriſti beneficio haurimus, & quidem dum gratiam recipimus, quandam mortis Chriſti ſimilitudinem exprimimus; quemadmodum peccando Adamum primum parentem noſtrum imitamur: Chriſti gratia abſque vllo merito noſtro tribuitur, vt ab Adamo abſque propria actione originale peccatum contrahitur: denique vt ab vno peccato primi parentis Adæ omnia flagitia orta ſunt, ita omnis iuſtitia ab vnius Chriſti meritis promanat. Dicitur autem Adam typus Chriſti (vt loquitur Auguſtinus) à contrario ſenſu; vel (vt malunt Origenes, & Ambroſius) ſimilitudo in genere vniuerſo, non autem in ſpecie conſtat. Libet autem hoc loco Irenæi [c] ſententiam quandam attexere, quæ hanc Apoſtoli argumentationem mirum in modum

E illuſtrat. *Veniens* (inquit) *lex, quæ data eſt per Moyſem, & teſtificans de peccato, quoniam peccator eſt, regnum quidem eius abſtulit, latronem, & non regem eum detegens, & homicidam eum oſtendit. Onerauit autem hominem, qui habebat peccatum in ſe, reum mortis oſtẽdens eum: ſpiritalis enim cùm lex eſſet, manifeſtauit tantummodò peccatum, non autem interemit. non enim ſpiritus dominabatur peccatum, ſed homini; oportebat enim eum, qui inciperet occidere peccatum, & mortis reum redimere hominem, id ipſum fieri, quod erat ille, id eſt, hominem.* Similia ſcribit Ambroſius [d], oſten-

P dens

a ſerm. 4. cõt. Arian.
b 1. de pecc. mer. & remiſ. cap. 11.
c cap. 8. 3.
d cap. 2. 7.
e cap. 15. 48.
f cap. 13. 5.

a l. 1. de pec. mer. & remiſ. c. 11. Epiſt. 89. q. 1.
b lib. 2. de nup. & concup. cap. 27.
c lib. 3. c. 20.
d Ep. 7. & in Pſal. 43. 1.

dens legem fuiſſe inualidam, nec potuiſſe hominum
generi afferre ſalutem.

15. Sed non sicut delictum, &c.
I. Hoc ipſum, quod modò diximus, oſtendit his ver-
bis Paulus, fuiſſe videlicet Adamum Chriſti typum,
ſed magna tamen cum diſſimilitudine; ac proinde
ait, non eſſe ſimilem rationem delicti Adæ, & Chri-
ſti beneficij: ac primùm quidem vt hanc diſſimilitu-
dinem declaret, Adami lapſum cum Chriſti iuſtitia
componit, quod etiam facit in priori Epiſtola ad Co-
a cap. 15. 22. rinthios [a], vnáque oſtendit, quæ ſit in vtroque vis
propagandi tum noxam, tum verò gratiam: Ada-
mi quidem *παράπτωμα*, id eſt non *ἁμαρτία*, ſed lap-
ſus, ſeu ruina, calamitas, & offenſa ſiue quæ ipſum
peccatum quaſi illius origo, & cauſa præuertit, vt
b Ad Eph. 2. alicubi declarat Hieronymus [b], ſiue quaſi quidpiam
conſequens comitatur, aut ſequitur. Chriſti verò
χάρισμα, id eſt, quod Deus gratificatur; ſeu etiam
δώρημα, quo ſignificatur Chriſti obedientia, vt cu-
ius iuſtificamur, atque ideo appellatur etiam *δικαίω-
μα*, vt paulò pòſt ex ipſo Apoſtolo conſtabit. Signi-
ficat igitur non fuiſſe æqualia damnum primi paren-
tis Adæ, & Chriſti in omne genus hominum benefi-
cium. Aliquantò pòſt vim vtriuſque comparat, of-
fenſæ videlicet ab Adamo propagatæ vi ſeminis, &
naturalis ortus, & Chriſti iuſtitiæ gratuito, libera-
litérque collatæ: vt enim illa omnibus obeſt, qui ab
Adamo ortum ducunt, ita hæc omnibus prodeſt,
qui in Chriſto iuſtificantur. Ipſi etiam vtriuſque cõ-
municationis fines inter ſe conferuntur. noxæ enim,
& peccati propagatio ad interitum ſpectat, gratiæ
verò collatio ad vitam ſempiternã. Has omnes com-
parationes ſimul colligẽs Apoſtolus, vtriuſque partis
membra ad ſuum veluti caput, atque originem re-
fert; Adami ſcilicet contumaciam, & Chriſti obe-
dientiam. Ad hunc autem locum ſpectaſſe credide-
c lib. de ani-ma cap. 40. rim Tertullianum [c], cùm ſcripſit: *Omnis anima eo-
uſque in Adam cenſetur, donec in Chriſto recenſeatur; tã-
diu immunda, quamdiu recenſeatur: peccatrix autẽ, quia
immunda recipiens ignominiam ſuam ex carnis ſocietate.*
II. Si enim vnius delicto, &c. Pergit
in eodem argumento, nititúrque Apoſtolus diſſi-
militudinem inter Adami peccatum, & Chriſti gra-
tiam oſtendere; ſed in ea Apoſtoli ſententia decla-
randa non exigua cernitur difficultas. nam ſi verba
Pauli ſpectemus, ſuſpicari quis poſſet, hanc Ada-
mi, & Chriſti comparationem eò ſpectare, vt do-
ceat Chriſti beneficium latiùs multò patere, & ad
plures pertinere, quàm Adami offenſam, & calami-
tatem. ſed re vera argumentum (niſi ego vehemen-
ter fallor) ductum eſt à minori, cuius hæc vis eſt,
Dei beneficium plurimùm ab Adæ noxa differre;
idque ex eo probari, quòd illud ſit longè maioris
efficacitatis, quàm Adæ primi parentis noxa. Ap-
paret autem, Adami offenſa omnes, qui ex illo na-
ſcuntur prorſus inquinari: quis dubitet igitur, Chri-
ſti gratiam, quam maioris efficacitatis eſſe diximus,
poſſe in multos redundare? Nam quod habet vulga-
tus interpres, plures, non ſignificat quod parum ſci-
tè exiſtimarunt nonnulli, Chriſti gratiam, ac bene-
ficium pluribus prodeſſe, quàm Adæ peccatum ob-
fuerit, ſed ad plures vno, hoc eſt, ad multos, vt ha-
bent Græci codices *πολλούς*. Quamquàm enim Au-
d lib 6. cont. Iul. c. 12. & l. de pec. mer. & remiſſ. c. 15. guſtinus [d] ſæpè doceat, multos pro omnibus in ſacris
litteris poni, vero tamen ſimilius eſt, multos hoc
loco ſignificare multitudinẽ, vt dicat Paulus, Quem-
admodum Adæ calamitas ab ipſo primo parente
vſque ad legem multos affecit, ac morti addixit; ita
Chriſti aduentũ multis gratiæ beneficiũ, & ſalutem
attuliſſe. Quomodo autem maioris efficacitatis fuerit
III. Chriſti gratia, quàm Adæ peccatum, non tam probat

A Paulus, quàm pro certo ponit. Multis autem id modis
indicari, vel apertiſſimè potiùs probari poteſt. nam
primi parentis quidem vitio vnam duntaxat origi-
nalem labem homines contrahunt, Chriſti verò
munificentia, ac liberalitate nullam non accipiunt
gratiam, ſiquidem (vt ſcriptum eſt à Ioanne [a]) *de ple-
nitudine Chriſti omnes accepimus gratiam pro gratia*, a cap. 1. 16.
id eſt, omnem gratiam. Neque enim probare poſ-
ſum, quam nonnulli huius loci, interpretationem
excogitarunt, *gratiam* videlicet *pro gratia* perinde à
Ioanne fuiſſe dictum, quaſi voluerit indicare, non
omnes eamdem, ſed diuerſos diuerſam gratiam ac-
cepiſſe. Scio, Paulum hac ipſa Epiſtola [b] ſcripſiſſe, b cap. 12. 3.
vnicuique diuiſiſſe Deum menſuram fidei; & in priori
ad Corinthios [c], *diuiſiones gratiarum eſſe*. Et denique c cap. 12. 4.
B ad Epheſios [d], *vnicuique datam eſſe gratiam ſecun-* d cap. 4. 7.
dùm menſuram donationis Chriſti. Sed verum id eo
loci ſignificet Ioannes, in præſentia quærimus. Aiunt
illi nos de plenitudine Chriſti accepiſſe non ipſam
plenitudinem: nihil verius. Colligunt ex ea alios
aliud percepiſſe, & hos quidem plura, illos paucio-
ra, ita vnam alicui obtigiſſe gratiam, alicui verò
aliam pro illa. Quia enim dixerat omnes accepiſſe,
ne idem omnes, vel æqualiter accepiſſe putarentur,
addidiſſe Ioannem, gratiam pro gratia, hoc eſt, non
quidem eandem omnes, neque omnes æqualem,
ſed alium vnã, alium verò pro illa non ſemper ean-
dem, nõ ſemper æqualem; ſed aliam aut maiorẽ, aut
minorem ſecundùm menſuram donationis Chriſti.
Addúntque coniunctionem *&*, idem valere, quod,
C *quamuis*, vt ſenſus ſit, de plenitudine eius nos omnes
accepiſſe, quamuis non eamdem, nec æqualem, ſed
aliam pro alia gratia. Sed primùm de hac interpre-
tatione nihil grauius dico, quàm ſubtilem, ſed no-
uam videri, atque ob id meritò eſſe ſuſpectam; de-
inde ex antecedentibus, & ſubſequentibus facilè
refelli. conſtat enim Euangeliſtam non de gratiis,
quas vocant gratis datas, de quibus quæ ſuprà attu-
limus, veriſſimè dicta ſunt ab Apoſtolo; ſed de gra-
tia, & veritate, hoc eſt caritate, & rerum diuinarum
aperta, miniméque adumbrata cognitione, quæ duo
quamquàm non æquè, eadem tamen omnibus tri-
buuntur, cùm præſertim ageret Euãgeliſta de Chri-
ſti dignitate, cúmque bonorum omnium auctorem,
ac largitorem prædicaret. Quamquam igitur vete- IV.
D res Patres alius aliam interpretationem ſecuti ſunt,
ea tamen videtur expeditiſſima, quam nos modò in-
dicauimus. Sic enim neceſſe eſt perſimilem locum
explicare apud Iob [e]. *Pellem* (inquit) *pro pelle dabit* e cap. 2. 4.
homo; id eſt, omnem pellem. Videtur enim Ioannes
dixiſſe gratiam pro gratia, ac ſi Latinè diceret, gra-
tiam aliam ſuper aliam, id eſt, copioſam, & cumula-
tam. Qua ratione dixit Amos [f] Propheta: *Percutiam* f cap. 3. 15.
domum hyemalem ſuper domum æſtiuam; hoc eſt,
omnem prorſùs domum. Significat ergo Ioannes,
nullum eſſe gratiæ munus, quod non Chriſto ferri
debeat acceptum; ita apparet gratiam Chriſti longè
fuiſſe Adami peccato cumulatiorem. Deinde Adam
vno duntaxat crimine humanum genus obligauit; at
Chriſtus pro omnibus omnium mortalium flagitiis
E abundè, fœliciterque litauit, de quo dixit Ioannes [g]: g cap. 1. 29.
Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Quam-
uis enim Græci codices, & Latini nonnulli ſingula-
ri numero habeant, peccatum mundi: tamen id (vt
obſeruauit Theophylactus) ad vim gratiæ Chriſti
augendam mirificè pertinet, vt genus omne pecca-
torum, aut quidquid in mundo eſt peccati, per eum
tolli declaret. Hebræi namque ſingulari numero
totam rei naturam, atque ingentem quamdam eius
rei copiam indicare ſolent; ſic dixit in Exodo [h] Mo- h cap. 8. 24.
ſes; *Venit muſca grauiſſima*, id eſt, magna multitudo
muſca

muſcarum, aut omne muſcarum genus. Eodem ſpectare putatur quod ſcriptum eſt in Apocalypſi [a]. *Agnus, qui occiſus eſt ab origine mundi.* quaſi affirmet Ioannes, fuiſſe Chriſtum, ſiue omnibus figuris deſignatum, (ſic enim multi non occiſum, ſed ſignatum legunt,) ſiue pro omnium hominum flagitus ſæuiſſima morte affectum. Sed vereor, vt ea interpretatio conſtet. vt enim monet Aretas, aliique non pauci verba illa; ab origine mundi; cum illis iungēda ſunt, *quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ ab origine mundi*, vt eadem ſit ſententia cum ea, quæ ſcribitur non ita multò pòſt; *quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ agni à conſtitutione* [b] *mundi.* de libro enim vitæ, ac prædeſtinatione vterque locus accipiendus videtur.

a cap. 5. 12.

b cap. 17. 8.

V. Sed, vt redeam ad Adamum, ille nos morti æternæ hactenus ſuo peccato addixit, vt beatorum gloria perpetuò cariturì eſſemus. quamquam enim non defuerunt qui peccatum originale ſempiterno igne mactandum cenſerent, multò tamen certius, ac verius eſt nullo corporeo ſupplicio torqueri. At Chriſtus ſuo nos beneficio gratiæ, ſuáque morte ab interitu ſempiterno, ſæuiſſimóque inferorum cruciatu liberauit. Ille nos in hanc pugnæ neceſſitatem impulit, vt nobis quotidie, cum vitiis, ac prauis cupiditatibus luctandum ſit, Chriſtus nos adeo ſuæ gratiæ præſidio firmat, ac roborat, vt illud ipſum certamen ſit nobis victoriæ, ac triumphi materia. Ille nos ea gratia ſpoliauit, qua non peccare, & perſeuerare poteramus, Chriſtus validiorem, robuſtiorémque largitur, qua neque peccemus, & ad extremum vſque vitæ ſpiritum perſeueremus. egregiè namque ſcriptum eſt ab Auguſtino [c], non lætiorem quidem, ſed potentiorem eſſe gratiam, quam ſuis impertit. Mox verò [d] ſubdit: *Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat, rectus acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt adiutorium perſeuerantiæ, non quo fieret, vt perſeueraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeuerare non poſſet: Nunc verò ſanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis non tantùm tale adiutorium perſeuerantiæ datur, ſed tale, vt eis perſeuerantia ipſa donetur non ſolùm vt ſine iſto dono perſeuerantes eſſe non poſſint, verùm etiam vt per hoc donum non niſi perſeuerantes ſint.* Denique Adæ iactura intra ſuam duntaxat poſteritatem includitur, ita tamen, vt etiam ex ipſa excipiendus ſit Chriſtus, ſiue quia vi Spiritus ſancti conceptus, ſiue quia Deus eſt, & Beatiſſima item Virgo, de qua (vt ait Auguſtinus [e]) *propter honorem Domini nulla prorſus, cùm de peccatis agitur, habenda eſt quæſtio. vnde enim ſcimus quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincēdum omni ex parte peccatum, quia concipere, ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum*; Chriſti verò gratia ad omne genus hominum pertinere poteſt, atque adeo etiam ad Angelos magna ex parte transfunditur. licèt enim inter Theologos diſputetur, vtrùm beatæ illæ mentes à Chriſto Domino gratiam iuſtificationis acceperint, nec quidquam in alteram partem definitum ſit; illud tamen inficiari nemo poteſt, plurima gratiæ beneficia à Chriſto tamquam à capite in Angelos redundare, quod alibi copioſiùs explicabitur; fateor quidem, aliqua ex parte Adæ peccatum maiori quadam efficacitate mortalibus obfuiſſe; cùm vi ſeminis ac naturalis propagationis afficiat vniuerſos, nec poſſit quiſquam aliundè citra miraculum, quàm ab Adamo primo parente originem ducere; Chriſti verò beneficium cùm à diuina prædeſtinatione, quæ libera eſt, tum ab humanæ voluntatis libertate pendeat, plerumque in multis deficit, qui ſponte ſua, & peccando à gratia cadunt, & excitanti gratiæ reluctantes, in peccato perſeuerant.

c lib. de corrept. & grat. cap. 11.
d cap. 12.

e lib. de nat. & grat. c. 36.

A 16. I. Et non sicvt per vnvm, &c. Perſiſtit in eodem argumento, docétque non eſſe eádem rationem illius miſeri ſtatus, & conditionis, quæ ab vnius Adæ peccato, & ſcelere orta humanum genus occupauit, & illius quam aſſecútur illi, qui beneficio Chriſti iuſtificantur. Ille ſiquidem reatus, vt cætera peccata deeſſent, vel vnus tantùm, omnes damnationi obnoxios detinebat, vnius verò Chriſti gratia nobis collata innumerabiles noxas expiat, & nos multis nominibus ſontes, penitùs iuſtos, ac ſanctos reddit coram Deo. Qua de re Auctor de operibus Cardinalibus apud Cyprianum [a]: *Ecce* (inquit) *plus potuit donum, quàm delictum; & gratia quàm peccatum.* Iam verò quod ſpectat ad verba Pauli, Græcè legitur, *δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος*, hoc eſt, *per vnum peccantem*; quomodo legunt inter Græcos Chryſoſtomus, & Theophylactus, inter Latinos Ambroſius, & Auguſtinus [b]. Quamquàm autem Latini codices nonnulli, & quidem emendatiores, legunt, *per vnum peccatum*, nihil tamen Pauli ſententia mutatur. Significat igitur, non eſſe Chriſti gratiam, Adam peccato in eo ſimilem, vt quemadmodum illud, vnius noxæ reos conſtituit vniuerſos, ita Chriſti gratia vnam illam peccati labem abſtergat, quandoquidem nullum eſt tam immane flagitium, quod nequeat Chriſti gratia expiari: Iam verò quod hoc loco Latinus interpres dixit, *donū*, Græcè dictum eſt à Paulo non *χάρισμα*, vt paulò antè, ſed *δώρημα*, vt non ita pridem à nobis obſeruatum eſt, eadem tamen res, id eſt gratia, & beneficium Chriſti ſignificatur. *Nam iudicium* II.
C *quidem ex vno in condemnationem; gratia autem ex multis delictis, in iuſtificationem.* Ratio eſt ſuperioris ſententiæ. ob id enim non eſt eadem vis, & efficacitas peccati, & gratiæ, quia vnius vitio omnes damnationi obnoxij erant, gratia verò multis nominibus reos, quantum in ipſa eſt liberat, & abſoluit. Cæterùm ex hoc Pauli teſtimonio impudens, atque impium hæretici mendacium refelli poteſt, qui cùm originale peccatum admitteret, negabat tamen nos Chriſti beneficio à Dæmonis ſeruitute fuiſſe ereptos, vt (quod rectè colligit Bernardus [c]) conſequens ſit non illum pro noſtris ſceleribus ex iuſtitia, Deo Patri ſatisfeciſſe. Hauſerat id homo impurus ex antiquioris cuiuſdā hæretici lacunis, vt (auctore Philaſtrio [d]) didicimus: ſed hunc errorem præter Bernardum damnat Innocentius [e], confutat non ſemel Auguſtinus [f]; inter Catholicos autem, qui [g] ſubtilitatis, atque acuminis laude celebres ſunt, exiſtimarunt Chriſti actiones, ſi ipſæ per ſe ſpectentur, non fuiſſe eiuſmodi, vt iuſtam Deo ſatisfactionem perſoluere poſſent, niſi grata, & liberalis Dei voluntas acceſſiſſet, quæ illas hominum generi referret acceptas. Ex quorum ſententia ſequitur Chriſti meritum non ex dignitate perſonæ, ſed ex Dei liberalitate ſatisfactionem admittentis ſpectandum eſſe, atque idcirco non ineſſe in qualibet actione Chriſti vim condignam ad ſatisfaciendum, ſed in omnibus ſimul ſumptis, totáque Chriſti vita. ita enim voluntatem Dei interpretantur, qua Chriſti ſatisfactionem admiſit. Denique eadem planè ratione naturam crea-
E tam potuiſſe pro vniuerſo hominum genere ſatisfacere autumant: non negant tamen decuiſſe, vt Chriſtus Deus, & homo pro nobis ſatisfaceret, quia licèt dignitas perſonæ vim merendi aut ſatisfaciendi non augeat, nonnullam tamen moralem congruentiam addit, eo fermè modo, quo pluris ſit imago, quæ à viro ſancto, & pio, quàm ab alio quopiam picta ſit. Deinde quia non videbatur decere, vt humana natura alium, quàm Deum ſuæ ſalutis auctorem veneraretur, vt præter cæteros docét Fulgentius [h], & Anſelmus [i], præter quàm quòd humani generis libe-

a Serm. de Paſſ.

b l 1. de pecc. mer. & rem. cap. 18.

c ep 190.

d In Catal. hæretic. idem ait Alph. à Caſtr. hær. 8.
e In reſcrip. ad S. Bernard. inter Epiſtol. eiuſdem. 194.
f li. cont. Iul. præſertim 5. & 6. lib. de perf. iuſt. ferè medio. & circa finem lib. 1. de pec mer. & remiſſ. ferè per totū. præcipuè verò c. 17.
g Scot. in 3 d. 19 q 1. Idem ſignificat in 4. d 15. quæ 1. Gabr. in 3 d. 19. q. vnica. Almain. ibid. Dur. in 3 d. 20 q 2. & in 4 d. 15 q 1 art 6 & 7. Medin cod. de pœni. tr. 3 de ſatisfact. q 1.

h l 2 ad Traſemundum Reg c. 2.
i lib. 2. cur Deus homo cap. 5.

ratorem adeo decebat eſſe à peccato alienum, vt labi aut errare planè non poſſet. Cæterùm recentiores hæretici [a] vlterius multò progreſſi negãt, Chriſtum ex æquo peccati noxam compenſaturum fuiſſe, niſi ipſos inferorum cruciatus, qui hominum flagitiis debebantur, ſponte ſubiiſſet, quos ipſum ſuſtinuiſſe putant, dum ad inferos deſcendit, (quod tamen Catholicæ fidei repugnare ſuo loco docebimus.) Ita ex eorum cum Catholicorum, tum hæreticorum ſententia efficitur, Chriſti ſatisfactionem nõ fuiſſe condignum: Iam verò quàm ſint hæc omnia ab hac Apoſtoli ſententia aliena, nihil attinet in præſentia pluribus oſtendere. Certè ſacræ literæ copioſè docent, actiones Chriſti non modò pro primæua totius naturæ labe, ſed etiam pro omnibus omnium mortalium ſceleribus cumulatiſſimè Deo patri ſatisfeciſſe. Huc ſpectant Iſaiæ [b], Hieremiæ [c], Danielis [d], Zachariæ [e], Dauidis [f] plurima, eáque perſpicua vaticinia. Eodem pertinent plurima, quæ leguntur in nouo Teſtamento, quæ ferè recenſentur à Cyrillo [g] Alexandrino. Ex hoc verò loco Pauli id apertè probant tum hoc loco Chryſoſtomus, tum verò Agapetus [h], & Leo [i] Romani Pontifices. Certè ad Epheſios [k] Paulus non ſemel hoc ipſum declarauit; *cuius* (inquit) *gratia eſtis ſaluati*. Itémque: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid eiuſmodi, ſed vt ſit ſancta, & immaculata.* Et Ioannes Apoſtolus [l]: *In hoc* (inquit) *apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera Diaboli.* Paulò verò antè [m] dixerat: *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Quocirca dicitur Chriſtus humani generis redemptor [n], vindex [o], & aſſertor noſtræ libertatis, poſtremò dilexiſſe, & [p] lauiſſe nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. His addi poſſent innumerabilia ſanctorũ Patrum [q] teſtimonia, quæ commodiori loco afferentur.

III. Conſtat autem, tum ex Anſelmo [r], tum verò ex Epiſtola ad Hebræos, Chriſti ſatisfactionem non ſolùm fuiſſe æqualem, ſed etiam multis partibus peccatorum magnitudinem, & grauitatem ſuperaſſe; quod pereleganti exemplo docet Chryſoſtomus. *Si quis* (inquit) *propter debitum decem nummorum, in carcerem coniiciatur, veniat autem alius, qui non ſolùm ſoluat illos nummos ſed etiam innumera auri talenta largiatur, vinctúmque in regalem aulam inducat, ita & nobiſcum factum eſt.* Auctor [ſ] verò de operibus Cardinalibus apud Cyprianum: *Tanta* (ait) *dignitatis redemptoris noſtri illa vna fuit oblatio, vt vna ad tollendum mundi peccata ſufficeret, qui tanta auctoritate in ſanctu introiuit in ſanguine proprio.* His addi poteſt D. Thomæ [t], & antiquorũ ſcholaſticorum ſententia certè (vt hoc etiam addam) Patres Concilij [u] Triburienſis hoc ipſum nõ obſcurè ſignificarunt, dum docent in calicis cõſecratione vinum ſignificare ſanguinem Chriſti, aquam verò populum: idcirco autem maiorem vini, quàm aquæ quãtitatem apponi, vt intelligamus, maiorem eſſe maieſtatem ſanguinis Chriſti, quàm populi imbecillitatem. Apertiſſima verò ſunt verba illa apud Cyprianum [x]: *Intelligi* (inquit) *voluit in pretio, quod pro eo datum eſt, & in eo quod ipſe dedit pro mundo, quanta fuerit diſſimilitudo, vt dubium eſſe non poſſit, quin pretij magnitudo ſuperet negotium, nec æquari poſſit damnum, quod damnatio iuſtè meruerat, obedientia Chriſti, quæ vſque ad mortem progreſſa eſt, & vltrò ſoluit quod non debebat.* Neque aliter Ruffinus [y] in expoſitione ſymboli: *Si potuit per vnum hominem* (ait) *mors introire, quanto magis per vnum hominem, qui & Deus erat, potuit vita reſtitui?* Et Athanaſius [z]:

a Caluin. lib. 2. inſtit. ca. 16. §. 10.
b cap. 42. 49.
c cap. 23. 5.
d cap. 9. 24.
e cap. 6. 9.
f Pſal. 71. 70.
g lib. 4. in Ioan. c. 42.
h Epi. ad Anthim.
i Epiſt. 81. 95. Serm. 12. de Paſſ.
k ad Ephe. 2. 5. & c. 5. 25.
l ep. 1. c. 3. 8.
m cap. 2. 2.
n ad Tit. 2. ad Heb. 9. 1. Pet. 1. Apoc. 5. Iſa. 50. 52. 1. Cor. 6. 7.
o Iſa. 49. ad Coloſſ. c. 2.
p Apoc. 1. 5.
q Clem. Alexand. l. 1. pædag. c. 6. Orig. tom. 2. in Ioã. Euſeb. Cæſa. l. 1. hiſt. cap. 1. Chryſo. hom. de fide. & leg. nat. & in hũc locum Paul. Cyril. Alex. l. 4. in Ioan. c. 8. & l. 9. c. 10. 42. l. 11. c. 18. Dial. 5. de Trini. 2. Greg. Naz. or. in Max. Philoſ. & orat. de Mach. Augu. ep. 40. c. 2. ep. 52. c. 57. lib. 10. cont. Fauſt. c. 34. l. 10. de Ciuit. c. 24. l. 18. c. 25. 47. l. 2. cont. duas ep. Pelag. c. 25. l. 1. c. 4. l. de pec. mer. & rem. c. 24. lib. de nat. & gratia in pon. Tract. 45. in Io. Leo Serm. 1. 7. de Natali. Greg. Hom. 16 in Ezech. Bernar. ſer. 12. in Cãt.
r l. 1. & 2. cur Deus homo.
ſ ep. ad Heb. c. 7. 8. 9. 10.
ſ Ser. de rat. Circumciſ.
t 3. p. q. 1. ar. 2. ad 2. q. 48. a. 8. & in 3. d. 20. q. 1. a. 1. Quo loco idem docent omnes ferme antiq. Bonau. quæ. 1. Rich. Quæ. 4. Palud. quæ. 1. ar. 2. Capr. Alenſ. 3. p. q. 1. memb. 7. q. 17 memb. 1 ar. 1. memb. 5 ar. 2. Altiſiod. l. 3. tr. 1. c. 8. Gugl. Pariſ. cur Deus homo c. 6. Abul. parad. 1. 6. 41 in Prolo. in Matt. q. 27. & Mat. 3. q. 13.
u cap. 10.
x De operib. Cardin. ſerm. de Aſcenſ.
y Artic. de Paſſ.
z l. de Incar. non longe à princ.

A *Corpus aſſumpſit, quod pro omnibus ad plenam ſatisfactionem ſufficeret, & mortem in omnibus quaſi ſtipulam igni conſumeret ſuis meritis, & ſatisfactione.* In eamdem verò ſententiam Cyrillus [a]: *Solus ſufficit, qui ſuper omnes eſt, & Deus eſt, morte ſua carnis à mundo depellens carnem.* Denique Ambroſius [b]: *Ex nobis accepit quod proprium offerret pro nobis, vt nos redimeret ex noſtro, & quod noſtrum non erat, ex ſuo nobis diuinæ largitate conferret, & ſecundùm naturam igitur ſe obtulit noſtram, vt vltra noſtrum operaretur naturam.* His mirè conſentiunt, quæ ſcribunt Ioannes [c] Pontifex, Vigilius [d] Tridentinus, & Ruſticus [e] aduerſus Acephalos. Mitto cætera, quæ ad ſcholaſticam diſſerendi ſubtilitatem magis pertinent.

IV. Illud certè in dubium reuocari non poteſt, quod hoc præcipuè B loco tradit Apoſtolus, Chriſti beneficio vniuerſa incommoda, quæ primi parentis vitio, hominum genus ſubierat Chriſti gratia, partim ſublata, & à noſtris veluti ceruicibus depulſa partim penitùs fuiſſe extincta. nam primùm illud Adami piaculum, cunctos originali iuſtitia ſpoliauit; deinde vniuerſam naturam turpitudine peccati quodam modo infecit, atque fœdauit; poſtea omnem ſuam poſteritatem Deo reddidit inuiſam, atque exoſam, præterea cunctos redegit in miſeram peccati ſeruitutem; poſt hæc Dæmonis tyrannidi miſeros mortales ſubiecit, poſtremò cunctis, mortis neceſſitatem impoſuit. his omnibus malis ſuo cœleſti beneficio Chriſtus occurrit; quod egregiè his verbis alicubi docuit Athanaſius [f]: *Eius enim fuit id, quod corruptibile erat, iterũ* C *ad incorruptibilitatem reducere, & pro omnibus id quod æquum, rationique conſentaneum erat Deo præſtare. Cùm enim Patris ſit verbum, & ſupra omnes, meritò etiam ſolus omnia recuperare potuit, & idoneus fuit, qui pro omnibus pateretur, ac apud Patrem intercederet.* Et nonnullis interiectis: *Quanto* (inquit) *rectiùs ab vndecumque illius boni Dei oratione, ac verbum actum eſt, quod genus hominum à ſe conditum, & iam in tabem deductum nequaquam contempſerit, ſed mortem, quæ ſuperinciderat, immolatione ſui corporis aboleri curauerit.* Id quod eodem libro ſæpius repetit.

V. Et quod attinet quidem ad iuſtitiam originalem, non eſt illa per Chriſtum, omni ex parte reſtituta, ſed gratia, & ſanctitas, quæ peccato ex aduerſo repugnat, ita tribuitur iis, qui iuſtificantur, vt tamen nonnulla adhuc D in illis pugna, *quæ caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem*, meritò ſit relicta, vt multis docent Hieronymus [g], & Auguſtinus [h], cùm præſertim ea pugna (vt idem Auguſtinus [i] affirmat) non iam pertineat ad peccati pœnam, ſed ad meritum victoriæque coronam promerendam. Id quod etiam non obſcurè ſignificat Concilium [k] Tridentinum. propterea enim longè maior gratiæ copia electis conceditur, vt frequenter idem Auguſtinus [l] inculcat. Porrò gratia reſtituta, omnis labes, ac turpitudo peccati penitus deletur, eodémque modo iuſti in Dei gratiam, ac beneuolentiam reuocantur, & peccati ſeruitute, & ſæua Dæmonis tyrãnide liberantur.

VI. Sed multis negotium facit mortis neceſſitas, quam diximus eſſe peccati pœnam; ea verò Chriſti bene- E ficio non videtur ſublata, cùm æquè omnes naturæ legibus ad interitum compellantur, & quidem non defuerunt qui [m] exiſtimarent ſublatam eſſe à Chriſto, mortis neceſſitatem, qua pœna peccati erat; relictam tamen, vel noua potius quadam lege introductam fuiſſe, vt Chriſti tamquam capitis noſtri mortem, nos veluti membra imitaremur. Videri autem poſſet hæc ſententia non diſſentanea ab iis, quæ de Chriſto ſacræ literæ tradiderunt: Scriptum enim eſt apud Oſeam [n]: *Ero mors tua ô mors!* Et Paulus [o] dixit: *Abſorpta eſt mors in victoriam. Vbi eſt, mors, victoria tua?*

a lib. 1. de fide ad Regin. ca. quod non Chriſti mundo fuerit ſalus.
b lib. de Incarn. c. 6.
c epi. aduerſ. Eutychem.
d lib. 1. & 3. cont. eund.
e lib. aduerſ. Acephal. in princ.
f Orat. de Incarn. verbi, eiuſque corporali aduẽt.
g li. 2. aduerſ. Pelag.
h li. 1. de ſpir. & lit. cap. vlt. lib. de nat. & grat. c. 42. 52. 54. 58. 59. 61. 64. 28 lib. 2. cont. Iul. 10 princ.
i lib. 3. cont. Iul. cap. 1. & paulo ante finem & l. 4. cont eundem ca. 2. & l. 2. de pecca. mer. & remiſſ. c. 17.
k Seſſ. 5. decr. de pecc. orig. verſus finem.
l l. 2. de pecc. mer. & rem. c. 31. lib. de cor. & grat. c. 11. & 14.
m Catharin. opuſc. de immac. B. Virg. conceptione.
n cap. 13. 14.
o 1. ad Cor. 15. 54.

mal? vbi eſt, mors ſtimulus tuus? ſtimulus autem mortis peccatum eſt, virtus verò peccati, lex. Et profectò ne- A
gare non poſſumus, ſæpè veteres Patres ita loqui, vt videantur ſignificare, mortem victam eſſe à Chriſto, eiúſque vim, aut accîſam, aut retuſam, meritò que ſublatum. Quod ſæpiſſimè inter cæteros docet Athanaſius [a]; ſed nouo quodam pacto cum Chriſto iuncto deberi hominibus mortem, & nouum videtur, & (vt leuiſſimè dicam) nulla probabilitate nititur. Quid enim dicemus de iis infidelibus, qui cùm ad Chriſti beneficium, nulla gratuita coniunctione pertineant, communem tamen vitæ exitum ſortiuntur? Certè illi Chriſti gratiæ participes fieri nequaquàm poſſunt, neque ante fidem, eorũ, quæ à Chriſti gratia, tanquam à capite fluunt, partem vllam, quę
VII. in ipſis perſeueret, capere cenſendi ſunt. Quam- B
obrem exiſtimandum eſt, moriendi neceſſitatem nõ tamquàm peccati pœnam, ſed naturæ aliquo modo debitam, poſt Chriſti mortem manſiſſe. tametſi enim in illo innocentiæ ſtatu poterat homo non mori, adeóque non fuerat neceſſariò moriturus; tamen ea immortalitas vitæ, non ab intimis naturæ principiis, ſed ab externis gratiæ præſidiis oriebatur, hoc eſt, originali iuſtitia, & iis, quæ illam comitabantur, loci videlicet amœnitate, alimentorum conditione, eximia denique ligni vitæ facultate; quibus vtique adiumentis cùm hoc tempore mortales deſtituantur, neceſſe eſt, eos huius lucis vſuram amittere, & breuiſſimam vitæ periodum cõficere: id verò iure optimo poſt Chriſti mortem retentum eſt propter eas C
præcipuè cauſas, quas commemorat Auguſtinus [b]. *Si enim* (inquit [c]) *regenerationis ſacramentum continuò ſequeretur immortalitas corporis, ipſa fides eneruaretur, quia tunc eſt fides, quando expectatur in ſpe, quod in re nondum videtur.* Et poſt nonnulla: *Cum paruulis autem baptizandis, quis non ad Chriſti gratiam propterea potiùs curreret, ne à corpore ſolueretur? Atque ita non inuiſibili præmio probaretur fides, ſed iam nec fides eſſet, confeſtim ſui operis quærendo, & ſumendo mercedem.* Ibidem verò aliam rationem affert. *Fides namque robore, atque certamine* (inquit) *in maioribus duntaxat ſtatibus, etiam mortis fuerat ſuperandus timor, quod in ſanctis martyribus maximè eminuit, cuius profectò certaminis eſſet nulla victoria, nulla gloria, quia nec ipſum omnino poſſet eſſe certamen, ſi poſt lauacrum regenera-* D
tionis iam ſancti non poſſent mortem perpeti corporalem. Et paucis interiectis: *Nunc verò maiore, & mirabiliore gratia Saluatoris in vſu iuſtitiæ peccati pœna conuerſa eſt. Tunc enim dictum eſt homini, morieris, ſi peccaueris: nunc dicitur martyri, morere, ne pecces.* Et plura deinceps in eamdem ſententiam. Alibi [d] verò. *Quamuis enim & ipſa mors carnis de peccato primi hominis originaliter venerit, tamen eius bonus vſus glorioſiſſimos martyres fecit; & ideo non ſolùm ipſa, ſed omnia ſæculi huius mala (quæ ibi enumerantur) remiſſis peccatis remanere debuerunt.* Ipſa verò mortis vis, ac ſæuitia nimium quantum Chriſti beneficio repreſſa, & ſedata eſt, quod fusè probát plurimi ſancti Patres, Athanaſius [e], Baſilius [f], Gregorius [g] Nazianzenus, Cyryllus [h], Proclus [i] Cyzicenus Epiſcopus, Tertullianus [k], Anſelmus [l], & alij. Vtrum verò hoc ſignifi- E
cent verba paulò antè allata ex vaticinio Oſeæ, & priori Epiſtola Pauli ad Corinthios, alio loco videro.
VIII. Igitur in præſentia conſtat, rectè dixiſſe Paulum, *Iudicium ex vno in condemnationem, gratiam autem ex multis delictis in iuſtificationem.* Siquidem ob vnius noxam eramus omnes, vt ſcribit Paulus ad Epheſios [m]; *Filij iræ*; ac proinde ob inolitam, ac penitùs inſitam in natura labem, ſine ob patrata propria facinora damnationi obnoxij, & priorem quidem damnationis cauſam neque paulò antè in lucem editi

infantes effugere poterant, niſi propitiato numine diuinæ gratiæ participes effecti eſſent; adeo vt non defuerint qui [a] illos corporeis, ac perennibus cruciatibus ſubiicerent, ſed (vt id verum non ſit) damnationem certè in extremo iudicio hactenus ſuſtinebunt, quòd vita, ac beatitudine carebunt ſempiterna. poſteriorem verò damnationis cauſam ij omnes habent, qui propriis ſeſe ſceleribus inquinarunt, nec ante obitum reſipuerunt. At gratia dicitur ex multis delictis in iuſtificationem, non quia re ipſa iuſtificantur omnes, ſed quia nemo ſine illa iuſtitiam aſſequitur, & quia quantum eſt ex ipſa nemo eſt, qui iuſtificari non poſſit, vt paulò poſt fuſiùs docebo.

Si enim vnius delicto mors. 18.
&c. Probauerat Apoſtolus ſi vnius hominis lapſus I.
cunctis mortalibus obeſſe potuit, plus multò Chriſti gratiam potuiſſe, quæ non vnum duntaxat piaculum, ſed omnium mortalium flagitia expiaret; nunc oſtendit, ſi potuit vnius hominis lapſus numeroſam ſobolem, atque adeo vniuerſam poſteritatem ſuam morti addicere; multo magis Chriſti gratiæ affluentiam poſſe homines ad iuſtificationem perducere, adeóque etiam in altero ſæculo ad vitam ſempiternam. Quod verò nos legimus; *abundantiam gratiæ, & donationis, & iuſtitiæ*; Græcè habetur τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης, id eſt, donationis iuſtitiæ, vt nihil neceſſe ſit (quod plerique faciunt) vocem illam *abundantiam*, ad gratiam, donationem, & iuſtitiam, quaſi ad tria diuerſa referre. Chryſoſtomus quidem, & Theophylactus Græcos codices ſequuntur: Ambroſius Latinam lectionem probare viſus eſt, niſi ſit in eius codice mendum, quod ex eo fit veriſimile, quòd eius enarratio nihilo plus vni, quàm alteri lectioni fauet. *Abundantiam* igitur *gratiæ* appellat affluentiam gratiæ iuſtificantis, quæ cùm poteſt omnium hominum flagitia delere, tum multis, ac miris modis ad iuſtificationem, partim allicit, atque inuitat, partim verò perducit, & incredibili quadam ſuauitate pertrahit; abundantia verò donationis iuſtitiæ, effuſam Dei liberalitatem indicat, quæ eximia quædam munera iuſtis, ac ſanctis impertit, vt non modò ſint diuinæ cuiuſdã gloriæ hæredes, ſed etiã excellentis dignitatis, & eiuſdẽ penè cum Deo, regni, ac maieſtatis participes. Ambiguum verò eſt, II.
quomodo accipienda ſunt verba illa; *accipientes, in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum.* nam ſi ita diſtinguas, vt illud; *in vita*; coniungas cum participio, *accipientes*, ſignificabit, iuſtos in hac vita, accepta iuſtificationis gratia regnaturos, deinde in alia per Chriſtum: ſi coniungas cum verbo, *regnabunt* (quod magis probo, & probaſſe videntur omnes, quos ego quidem viderim, tum codices, tum explanatores;) ſenſus erit; iuſtos in vita illa ſempiterna Chriſti beneficio regnaturos, itaque ita apparet ampliorem fuiſſe Chriſti gratiam, quàm Adæ peccatum. hoc enim peperit mortem, eique quodammodo in omne genus hominum imperium conceſſit; at Chriſti gratia vitam ſempiternam pollicetur, in qua nos regnaturi ſumus cum illo.

Igitur sicut per vnius deli- 19.
ctum, &c. Redit Apoſtolus ad explicandam ſi- I.
militudinem inter Adamum, & Chriſtum, quam paulò antè indicauerat; nunc verò, oſtenſa interim diſſimilitudine, apertiùs declarat. in eo verò poſita eſt ſimilitudo, quòd quemadmodum primus ille humani generis parens, ſuo ſcelere cladem intulit humanæ naturæ, atque omnibus mortis attulit neceſſitatem, ita Chriſtus omnibus ad gratiam, & iuſtitiam aditum patefecit, & vitam peperit ſempiternam. Sed mutila videtur oratio, cui aliquid omnino ſupplen-

a In Incarn. Verbi & contra Arian. orat. [illegible]

b Lib. 13. de Ci. uit. c. 4. Lib. de Trinit. & lib. 2. de pecc. mer. & remiſ. c. 34. 1 lib. de Ci. uit. cap. 4.

d Lib. 13. de Trinit.

e de Incarn. Verbi. f In Pſal. 48. g Orat. in ſan. lum. & in Orat. de obitu Gorgon. h Sel. de Naz. & in com. Eccle. i Orat. de Chriſti natiu. k De reſurr. carnis. l lib. 2. cur Deus homo.

m Eph. 2.

a Aug. in Enchir. c. 93. l. 3. de li. arb. c. 23. l. 3. de orig. animæ c. 13. l. 2. c. 5. l. 1. de pec. mer. & remiſſ. c. 16. & 28. lib. 1. de nupt. & concup. c. 2. lib. 5. cont. Iul. c. 8. ſerm. 14. de verb. Apoſt. Auct. Hypognoſt. lib. 5. Fulg. de fide ad Pet. c. 27. Greg. 9. moral. 6. Abulen. Mat. 21. q. 462

dum ſit, hunc fermè in modum, quem indicat Theo- A
phylactus. *Quemadmodum per vnius delictum irre-*
pſit peccatum ad condemnationem mortis; ita per vnius
iuſtitiam ingreſſa eſt ſalus ad iuſtificationem vitæ; vt ſit
hæc ſententia perſimilis ei, quam ſcripſit in priori ad
a cap. 15. 22. Corinthios [a]: *ſicut in Adam omnes moriuntur, ita in*
Chriſto omnes viuificabuntur: Nec enim deſunt qui
de morte, ac reſurrectione corporis hæc intelligant,
vt ſimilitudo inter Adamum, & Chriſtum omni ex
parte conſtet. etenim vt Adami vitio omnes mortem
obeunt, ita Chriſti merito omnes tam boni, quàm
mali ad vitam redibunt, Videri poſſet hæc interpre-
tatio non arguta ſolùm, ac ſublimis, ſed admodum
conſentanea iis, quæ mox ſubiiciuntur, quibus alia
quædam ſimilitudo inter Chriſtum, & Adamum ex-
plicatur. Quemadmodum namque ille ſui flagitij B
ſocios poſteros omnes habuit, ſic Chriſtus ſuæ eun-
ctos gratiæ participes effecit. Sed vt verum fatear,
mihi valdè nouum, ac durum videtur, corporum
anaſtaſim appellari à Paulo iuſtificationem vitæ; ſi-
quidem video vſurpari ab illo tres voces Græcas, δι-
καιοσύνην, δικαίωμα, δικαίωσιν; & δικαιοσύνην quidem
vocat ipſam iuſtitiam, quam nobis Deus immortalis
impertit, quáque verè iuſti ſumus eo fermè modo,
quo Ariſtoteles, cæterique Philoſophi, ac Theolo-
gi eam virtutem appellant, quæ ius ſuum cuique tri-
buit, eámque præterea ſiue virtutem, ſiue virtutum
aggregationem, quam iuſtitiam generalem nomi-
nant. Δικαίωμα verò ipſum rectè factum, hoc eſt,
quod attinet ad rem præſentem noſtræ liberationis
opus, quo Chriſtus nobis iuſtitiam, & ſanctitatem C
attulit, ac ſuo merito contulit. Δικαίωσιν denique ip-
ſam actionem tribuendi, atque impertiendi iuſtitiá.
Atque ita quomodo hæc ad reſurrectionem corpo-
II. rum transferri queant, non planè video. Quòd
ſi iuſtificationem vitæ intelligamus veram iuſti-
ficationem, quam electi conſequuntur, ac reti-
nent vſque ad extremum vitæ, cuius deinde bene-
ficio immortalitatem corporis percipient, vt iuſtifi-
catio vitæ ſit viuifica, ſeu vitalis iuſtificatio, vt dixi-
mus in paraphraſi, equidem non repugnarim, ſed
quia illa non eſt communis improbis, ſimilitudinem
non continet, quæ in eo (vt dictum eſt) potiſſimùm
cernitur, vt quemadmodum omnes ab Adamo mor-
tis contrahunt neceſſitatem, ita omnes beneficio
b l. 1. de pec. mer. & rem. ſſ cap. 13. Chriſti iuſtificationem vitæ percipiant. Itaque ma- D
lim cum Auguſtino [b] hunc locum explicare de vera
quidem iuſtificatione, ſed quæ ſit plerumque etiam
reprobis communis, quæque ob id iuſtificatio vitæ
ab Apoſtolo nuncupatur, hoc eſt, viuifica, ſeu vita-
lis iuſtificatio, quòd inuoluat vitam ſpiritalem, &
ſuapte vi (niſi quid impediat) allatura ſit aliquando
ſempiternam, ac beatam corporis vitam. Dicit autem,
omnes in Chriſto iuſtificari, ſicut in Adamo mori,
quia nemo aliter, quàm per Chriſtum vllo vnquàm
tempore gratiam, & iuſtitiam adeptus eſt, aut etiam
adipiſci poteſt; vel quia quicumque iuſtitiam aſſe-
quuntur, eam Chriſti meriti referre debent acce-
ptam. Addo ego, ſimilitudinem in eo maximè poſi-
tam videri, quòd quemadmodum omnes, qui genus
ſuum ad primum parentem Adamum referunt, hoc E
ipſo morti obnoxij degunt; ita qui in Chriſto rena-
c cap. 3. 5. ſcuntur gratiam iuſtificationis acquirunt. ſic enim
apud Ioannem [c] dixit Chriſtus: *Niſi quis renatus fue-*
rit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in re-
gnum Dei. Ita videas nullius eſſe momenti, quod à
multis obiici ſolet, videri Chriſti beneficium Adæ
detrimento longè inferius, cùm Adam re ipſa om-
nes ſuo peccato inficiat, & perimat, Chriſtus verò
non omnes eadem ratione iuſtificet. neceſſe enim eſt,
hæc inter ſeſe conferri in eo, quo ſunt inter ſe ſimi-

A lia; ſimilis autem eſt Adam Chriſto eo maximè no-
mine, quòd vterque omnium mortalium parens cõ-
ſtituitur, ſed ille quidem vi ſeminis, & propagatio-
nis corporeæ, Chriſtus verò ortu ſpiritali, ac diui-
no. *Quod natum eſt ex carne* (ait Chriſtus [a]) *caro* a Ioan. 3. 6.
eſt; quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Neque cui- III.
quam mirum videri debet hac admiſſa interpretatio-
ne, nonnullam in hac Pauli ſententia admitti homo-
nymiam, cùm morti corporeæ, vita ſpiritalis op-
ponatur. nam hoc alibi frequentiſſimè concedendũ
eſſe facilè admiſerit, qui ſacras litteras vel leuiter at-
tigerit. Apertiſſimum exemplum eſt apud Ioannem [b], b cap. 6. 58.
Non ſicut manducauerunt patres veſtri manna, & mor-
tui ſunt; ſine dubio morte corporis, tum ſubdit: *Qui*
manducat hunc panem, viuet in æternum. Accedit,
B quòd hæc vita ſpiritalis etiam pariat corporis immor-
talitatem. Subiiciam in præſentia Athanaſij [c] ſen- c de incarn. Chriſti.
tentiam, quæ ad hanc Pauli ſimilitudinem ſpectans,
rem totam ſic paucis complexus eſt. *Vbi* (inquit)
corruptum fuerat humanum corpus, eò ſuum corpus pro-
tecit Ieſus; & vbi tenebatur humana anima in morte, ibi
exhibuit humanam ſuam animam, vt ipſe inuictus à
morte tamquàm hominem ſe præſentem oſtenderet, &
ſolueret cathenas mortis vt Deus. vt vbi ſeminata fuerat
corruptio, inde exoriretur incorruptibilitas; & vbi re-
gnauerat mors in forma animæ humanæ, ibi ipſe ille
mortalis præſens immortalitatem exhiberet; atque ita
nos participes redderet ſuæ incorruptibilitatis, & immor-
talitatis per ſpem reſurrectionis ex mortuis, vt corrupti-
bile hoc indueret incorruptibilitatem, & mortale im-
C *mortalitatem, vt ſcriptum eſt, vt quemadmodum per*
vnum hominem intrauit peccatum in mundum, & per
peccatum mors; ita quoque per vnum hominem Ieſum
Chriſtum gratia regnaret per iuſtitiam, quemadmo-
dum ſcriptum eſt. Et alio item [d] loco: *Quod ſi in pec-* d de ſalutari aduentu Chriſti.
catrice natura impeccabilitas non apparuiſſet, quomodo
peccatum in carne damnari potuiſſet; neque carnem præ-
uaricationem habente, neque diuinitate peccatum ſcien-
te? Aut cur ab Apoſtolo dictum: vbi abundauit pecca-
tum, ibi ſuperabundauit gratia; non ſolùm deſcribens,
ſed naturam ſubiiciens. vt quemadmodum ab illo dictum
eſt; vt per vnum hominem peccatũ intrauit in mundum,
& per peccatũ mors; ita per vnum hominem Ieſum Chri-
ſtum gratia regnabit per iuſtitiã in vitam æternam; vt per
quam naturam peccatum progreſſus ſuos accepiſſet, per
D *eam quoque declaratio iuſtitiæ conficeretur, & ita ſolue-*
rentur opera diaboli, liberata humana natura à peccato,
& glorificaretur Deus.
Sicut enim per inobedientiam. 19.
&c. Qui ſuperiorem ſententiam de corporis reſur- I.
rectione explicant, alteram putant, his verbis ab
Apoſtolo ſimilitudinis rationem afferri; vt quem-
admodum per Adæ contumaciam multi peccatores
conſtituti ſunt, ita per Chriſti obedientiam multi iuſti
efficiantur. Nos, qui de iuſtificatione propriè accepi-
mus, eiuſdem ſententiæ planiorem explanationẽ eſſe
affirmamus: mors namque ob vnius Adæ obedientiæ
contemptum vniuerſum genus hominum occupa-
uit; at contrà vnius Chriſti obedientia noſtram vi-
uificam iuſtificationem promeruit: ita his verbis
E cauſam explicat Apoſtolus ſuperioris ſententiæ.
nam quia Adam obtemperare noluit Deo præci-
pienti, grauiſſimo ſeſe ſcelere obſtrinxit, eodémque
omnem ſuam poſteritatem obligauit, Chriſtus con-
trà quia factus eſt obediens vſque ad mortem, om-
ni nos peccati labe expiauit. neque verò cuiquam
mirum videatur, quòd multos dicat vnius Adæ vi-
tio peccatores conſtitutos, non autem omnes: ſpe-
ctauit enim Apoſtolus Chriſti ſimilitudinem; nam
non omnes Chriſti beneficio re ipſa iuſtificantur.
Vt igitur Chriſti & Adami ſimilitudo apertior, ac
diluci

dilucidior appareret, in vtroque membro ma-luit multos dicere, quàm omnes. nam ſi omnes om-nino mortales Adæ peccato implicantur, ij profe-ctò multi ſunt; Chriſti verò beneficium, etſi non omnes, quàm plurimi certè percipiunt. Paulò ali-ter explicat Auguſtinus,[a] qui multos ait, accipi pro omnibus: Eodémque modo accipit omnium iuſtifi-cationem in Chriſto, vt paulò antè docuimus. Ca-uendus autem eſt hoc loco (vt etiam ſuperiùs mo-nuimus) Theodoretus, qui multos ait conſtitutos peccatores propter Adæ peccatum non alia ratione, niſi quia eius obedientiæ contemptum, multi imi-tati ſunt, cùm tamen ipſe non aliter, atque Auguſti-nus[b] alicubi dixerit, multos interdum in ſacris litte-ris accipi pro omnibus, & ad huius rei confirmatio-nem, hæc ipſa Pauli verba proferat. Inſimulatur etiam hoc loco (ſed falsò) Chryſoſtomus, quaſi Pe-lagianorum errori apertè faueat, qui, vt intelligitur ex Auguſtino,[c] nullum putabant eſſe peccatum originale; ſed homines eadem penè conditione na-ſci, qua nati eſſent ſi Adam non peccaſſet: itaque ca-rere peccato, & iuſtitia, non tamen innocentia na-turali; quocirca infantes neque eſſe damnationi ob-noxios, neque ad expiandum vllum peccatum ba-ptiſmo luſtrari, ſed ad aſſequendum duntaxat re-gnum, hoc eſt, eximiam quandam, atque excellen-tem beatæ vitæ prærogatiuam. Porrò fomitem, & cupiditatis aculeos non modò non eſſe peccati pœ-nam, ſed magnum potiùs naturæ bonum cenſeri. Denique mortem, ac reliquas huius vitæ calamita-tes non eſſe inter ſupplicia, ſed inter naturæ neceſſi-tates numerandas. neque verò Pelagiani ſolùm, ſed alij permulti hæretici[d] naturalem infantium inno-centiam aſtruunt, communem naturæ labem peni-tùs negant: ſed adeo aperta ſunt Scripturæ teſtimo-nia, vt amentis ſit de re tam perſpicua dubitare, vel peruerſi planè ingenij hunc præſertim Pauli locum in alienos ſenſus pertrahere: hac verò de re fuſiùs in diſputationibus. Cæterùm quod dicere cœpe-ram, falsò Pelagianiſmi accuſatur Chryſoſtomus. quamquàm enim videtur negare primi parentis la-bem ad nos perueniſſe, ſed inde tantùm nos factos eſſe mortales: tamen id ſolùm contendit, non eſſe nos reos ob illud ipſum Adæ peccatum, quod ab illo patratum eſt, quod veriſſimum cenſeri debet, quandoquidem originale peccatum, vt Tridenti-num Concilium definit[e], origine quidem vnum, ſed propagatione transfuſum in omnes ineſt vnicuique proprium ac ſuum. Rectè verò ſenſiſſe Chryſoſto-mum de peccato originali in diſputationibus doceo.

a Lib. 1. de pecc. mer. & remiſ. lib. 6. contra Iulia-num cap. 1. lib. de Ci. cap. 23.

II.

b a Dulcid.

c Lib. de hæ-reſ. cap. 88. Lib. de pecc. mer. & remiſ. c. 9. l. 3. de bapt. paruul. cap. 1. l. de gratia Chriſti ſere per totum. & lib. 3. contra Iulian. cap. 5.

d Albanſes, & Albigen-ſes ex Anton. 4. Cat. 11. c. 7. §. 5. & Guido Carmelit. & Alphonſ. à Caſtro 11. peccatum. In eodem luto hæſiſſe viden-tur Abailard. ex Bernardo Ep. 190. & 188. Quo etiam Zuinglius, & Buſinus, & magna ex par-te Faber Sta-pulens. quan-quam aliquo Catholicus.

e Seſſ. 5. de-creto de pec-cato orig.

20\. Lex avtem svbintravit, &c. Dixerat

I. Apoſtolus, Chriſti obedientiam ex aduerſo reſpon-dere peccato primi parentis, potuiſſet quis ſuſpicari lege Moſis fuiſſe humani generis calamitatem ſub-leuatam. Apage verò iſtuc, ait Paulus. tantum enim abeſt, vt communibus malis quidquam lex Moſis leuamenti attulerit, vt ipſa potius magnum addide-rit calamitatis incrementum. eius enim occaſione morbus, ac virulentia peccati acriùs cœpit in omne genus hominum deſæuire. dicitur autem lex ſubin-traſſe, hoc eſt (vt ait Origenes) quaſi cum alio in-traſſe, quia vnà cum lege hominum vitio ingreſſa eſt occaſio peccandi, vel certè, παρεισῆλθεν, id eſt, ſubintraſſe, quaſi obiter, & veluti occaſione irre-pſiſſe. cuius rei Ambroſius[f] hanc reddidit ratio-nem, quòd videlicet non ordinarius, ſed veluti for-tuitus fuerit legis introitus, eo quòd in locum legis naturalis intrauerit; quæ ſanè ratio non perinde ac-cipienda eſt, quaſi ob eam vnam cauſam lex illa Moſis lata ſit; potuit enim etiam referri ad myſti-cam quamdam Chriſti cæterorúmque myſterio-

f In 5. ad Roman.

A rum noui teſtamenti prædictionem, atque ita Gre-gorius[a] Nazianzenus duplicem tantùm veterum ſacrificiorum cauſam agnoſcit; alteram, vt populus ad idololatriam propenſus, illis ritibus, ac cæremo-niis veluti quibuſdam repagulis, ab impietate cohi-beretur: alteram, vt illi qualeſcumque ritus Chriſti ſacrificium, atque oblationem eminus indicarent. Cæterùm ſimpliciùs cum Cyrillo[b] Alexãdrino ſub-intraſſe cenſenda lex eſt; quod non perpetuò dura-tura, ſed veluti pædagogus ad breuiſſimum tempus, vt alibi docet Paulus, humani generis veluti infan-tiam curatura eſſet. Cum verò Paulus ait ſubintraſſe legem, *vt abundaret delictum*, trifariam explicari po-teſt; primùm quidem vt ferè omnes intelligunt, vt non finem, aut cauſam, ſed conſecutionem, & euen-

a Orat. 24. quæ eſt 2. de Paſch.

b lib. 10. In Ioan. cap. 21.

II.

B tũ ſignificet. nam ſic planè factum eſt, vt poſita lege grauiùs homines peccarent, adeóque etiam frequen-tiùs, ſiue ob multitudinem præceptorum, ſiue quia ita ferè natura comparatum eſt, vt nitamur ſemper in vetitum, & negata cupiamus. Quod his verbis luculenter explicat Auguſtinus:[c] *Lex quamuis bo-na auget prohibendo deſiderium malum, ſicut aqua im-petus, ſi in eam partem non ceſſet influere, vehementior fit obice oppoſito, cuius molem cùm euicerit, maiore cu-mulo præcipitatus, violentiùs per prona prouoluitur. Ne-ſcio quo enim modo hoc ipſum, quod concupiſcitur, fit iu-cundius dum vetatur.* Quò pertinet etiam illud Sa-lomonis:[d] *Aquæ furtiuæ dulciores, & panis abſcondi-tus ſuauior.* Deinde vt cauſam quidem, & finem indicet, vt videlicet abundaret delictum, hoc eſt, vt

c lib. de ſpiri-tu, & littera cap. 4.

d Prou. 9. 17.

C planiùs, apertiúſque cognoſceretur, eiúſque virus ſeſe mortalibus proderet; vt enim hac ipſa Epiſto-la[e] docuit Paulus; *per legem cognitio peccati.* Poſtre-mò vt abundare delictum intelligatur legis benefi-cio, quia legis opera magis cognoſcitur, & calamitas, & imbecillitas humanæ naturæ, vnde neceſſe eſt multò magis homines deiici, multóque demiſſiùs de ſe ipſis & ſentire, & loqui, & ad gratiam feſtinare; quod ex Auguſtino[f] facilè intelligi poteſt. *Ideo* (inquit) *Chriſtus docet datam legem, vt conuinceren-tur peccatores, & ad gratiam accipiendam medicum in-uocarent, vnde ille conuictus eſt quem in ſe transfigurat Paulus Apoſtolus dicens; Infelix ego homo, quis me li-berabit de corpore mortis huius? Et quid ait optans pa-cem, pacem veram, pacem ſupernam? gratia Dei per*

e cap. 3. 20.

f In Pſal. 102

D *Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. vbi enim abun-dauit peccatum, ſuperabundauit & gratia. vnde autem abundauit peccatum? lex autem ſubintrauit, vt abun-daret peccatum: quare lege ſubintrante vt abundaret peccatum? quia nolebant ſe confiteri homines peccatores, addita lege facti ſunt & præuaricatores, &c. Ideo ergo data eſt lex, vt creſcente peccato humiliarentur ſuperbi, humiliati confiterentur, confeſſi ſanarentur.* Quod ipſum alibi multò fuſiùs docet.[g] Addit verò Apoſtolus: *ſuperabundauit & gratia.* Ex quo loco Agapetus[h] Papa, & Leo[i] item Pontifex colligunt validius fuiſ-ſe donum Chriſti ad gratiam comparandam, quàm Adæ peccatum ad inferendam mortem; quod hoc loco docet etiam Chryſoſtomus: ſed rem quidem veriſſimam, non ita tamen firmo argumento proba-

g Tract. 3. in Ioan.

III.

h Ep. ad An-tioch.

i Ep. 81. 95. & Serm. 22. de paſſ.

E uerunt, cùm alius ſit (vt ex paraphraſi cõſtat) horum verborum ſenſus: atque haud ſcio, an Pauli ſenten-tiam penitiùs ſit aſſecutus Athanaſius,[k] qui aduerbi-um illud; *vbi*; refert ad humanam naturam, quaſi do-ceat Paulus in eadem natura humana, in qua deli-ctum abundauerat, etiam gratiæ affluentiam fuiſſe ſuperfuſam, quamquàm ille non οὗ ſed ὅπου legit. At vero ſimilius videtur (quod nos in paraphraſi indicauimus) ſignificare voluiſſe Paulum, tantiſper viguiſſe legem Moſis quoad in immenſum quo-dammodo vis peccati erumperet, vt longè dein-

k Tract. de ſa-lutari aduen-tu Chriſti.

ceps affluentior Chriſti gratia appareret, quæ videtur interpretatio [a] Ambroſij, cui mirificè congruunt quæ de opportuno Chriſti aduentu ſcribunt Gregorius [b] Nazianzenus, & Gregorius [c] Nyſſenus. præclarè autem ſcripſit Auguſtinus [d]: lex minabatur, non opitulabatur, iubebat, non ſanabat, languorem oſtendebat, non auferebat, ſed illa præparabat medico venturo cum gratia, & veritate, tamquàm ad aliquem quem curare vult medicus, mittat primùm ſeruum ſuum, vt ligatum illum inueniat. Sanus non erat, & ſanari nolebat, & ne ſanaretur ſanum ſe eſſe iactabat. Miſſa eſt lex, ligauit eum, inuenit ſe reum, iam clamabat de ligatura, venit Dominus, curat amaris aliquantum, & acribus medicamentis: dicit enim ægroto, ferto, dicit tolera, dicit noli diligere mundum, habeto patientiam, curet te ignis continentiæ, ferrum perſecutionum tolerent vulnera tua. Expaueſcebas quod fuiſti ligatus, liber ille & nõ ligatus bibit, quod tibi dabat; prior paſſus eſt, vt te conſolaretur, tamquàm dicẽs, quod times pati pro me prior patior pro te, hæc eſt gratia & magna gratia. Itaque concludit Paulus.

a epiſt. 71. ad Irenæum.
b Orat. de Natali.
c Orat. item de Nat.
d Tract. 3. in Ioan.

21. Vt sicvt regnavit peccatvm, &c.

I. Gratiam vocat Græcè χάριν. intelligere autem poteſt vel ipſum Chriſti incarnati beneficium, vel (quod videtur vero ſimilius) donorum magnitudinem, ac munerum, quæ ex Chriſti incarnatione in omne genus hominum redundarunt. Cùm verò dicit regnaſſe peccatum in mortem, mortis nomine intelligit Origenes etiam Diabolum, Ambroſius mortem animi. Cæterùm hanc Adami cum Chriſto compa-

A rationem æmulatus Irenæus [a], Euam primam omniũ matrem cum Beatiſſima Virgine componit. *Sicut (inquit) enim Eua inobediens facta, & ſibi, & vniuerſo generi humano cauſa facta eſt mortis: ſic & Maria habens prædeſtinatum virum, tamen Virgo obediens & ſibi, & vniuerſo generi humano cauſa facta eſt ſalutis.* Et aliquanto pòſt: *Sic autem & Euæ inobedientiæ nodus ſolutionem accepit per obedientiam Mariæ. quod enim alligauit virgo Eua per incredulitatem, hoc Virgo Maria ſoluit per fidem.* Quam ſententiam magnopere laudat aduersùs Iulianum S. Auguſtinus [b]. *Quemadmodum enim* (inquit) *aſtrictum eſt morti genus humanum, per Virginem æqua lance diſpoſita virginalis inobedientia per virginalem obedientiam.* Neque aliter ſenſit Epiphanius [c]: *Vbi abundauit* (inquit) *peccatum,* B *ibi ſuperabundauit & gratia; & vnde illata eſt mors, inde vita proceſſit, vt vita pro morte fieret, & qui per mulierem vita factus eſt, mortem ex muliere inductam, excluderet: Et quoniam illic Eua cùm adhuc eſſet Virgo per inobedientiam tranſgreſſa eſt, è contrario per Virginem obedientia gratia facta eſt annunciato aduentu in carne de cœlo, & vita æterna.* Penè eadem, quamquam breuiùs, ſcribũt Hieronymus [d], Bernardus [e], & alij [f]. Dicit autem Apoſtolus regnaſſe peccatum in mortem, quaſi dicat, peccatum regnum, atque imperium exercuiſſe, eadémque opera attuliſſe mortem, non ſolùm animæ, ſed etiam corporis. Ita per Chriſtum Dominum noſtrum; hoc eſt eius ſingulari munere gratia regnet, per iuſtitiam in vitam æternam, quia C gratia veram tribuit iuſtitiam, & ſanctitatem, quæ eſt veluti ſemen, vnde oritur vita æterna.

a lib. 3. c. 33.
b lib. 1. c. 3.
c Hæreſ. 78.
d in epiſt. ad Euſtoch.
e Serm. 2. de laud Virg.
f Inuoc. Ser. 2. de aſſump.

Argumentum Cap. VI.

Qvoniam ſub finem præcedentis capitis dixerat Paulus; vbi abundauit delictum gratiam ſuperabundaſſe, ſequenti capite oſtendit non propterea perſeuerandum eſſe in peccato, ſed potius omnes eius vires in nobis atque impetus eneruandos, vt non modò non exerceant dominatũ, ſed ipſi potius ad meliorem frugem conuerſi, & à iugo tum peccati, tum legis veteris liberati iuſtitiæ ſeruiamus, cui par eſt, nos penitus eſſe addictos.

Capvt VI.

Qvid ergo dicemus? permanebimus in peccato, vt gratia abundet?

Abſit. qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?

An ignoratis quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus?

Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmũ in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.

Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus.

Hoc

Paraphrasis.

Qvid igitur dicemus? An quia gratiæ 1.
beneficium ipſius peccati calamitatem
non æquat modò, ſed etiam ſuperat; nobis idcirco permanendum eſt in peccato, ipſiúſque cupiditatibus ſeruiendum, vt gra-
tia auctior, & copioſior fiat? ¶ Abſit. nam qui 2.
peccati vires fregimus, & eius veluti vitam in nobis penitùs extinximus; qua ratione rurſùs illam
reuocabimus, vt in peccato viuamus? ¶ An igno- 3.
ratis quotquot Chriſto coaleſcentes, vt ipſius vim, atque energiam perciperemus, ad extinguendum peccatum baptizati ſumus, baptiſmo quidem, ſed facultate tamen à Chriſti morte accepta peremiſ-
ſe peccatum? ¶ Vnáque cum illo vi eiuſdem ba- 4.
ptiſmi, vt verè peccato mortuos fuiſſe etiam quodammodo ſepulturæ mandatos, vt quemadmodum ille ad Patris gloriam illuſtrandam, eiúſque diuina vi à mortuis excitatus eſt, ita nos noua gratiæ vita, & (vt ita dicam) immortalitate donati
reuiuiſcamus. ¶ Nam ſi mortis eius ſimilitudi- 5.
nem non imitantes ſolùm, ſed vim, ac penè ſuc-
cum

Digitized by Google

cum haurientes ipſi tamquàm trunco, nos quaſi
ſurculi inſitione quadam coaluimus; eadem pro-
fectò ratione, ipſi rediuiuo reſurgentíque coaliti
vnà cum illo reuiuiſcemus, illiúſque reſurrectio-
nis cùm imaginem referemus, tum verò maximè
6. fructum ampliſſimum conſequemur. ¶ Illud om-
nino ſcientes, veterem illum noſtrum hominem,
qua à primo parente Adamo tamquàm auctore
naturæ, vitiatus, ac labe peccati infectus, ortum
habuit ſimul cum Chriſto cruci fuiſſe affixum,
vt vniuerſa ſcelerum, ac flagitiorum colluuies, nõ
aliter, ac ſi corpus quoddam eſſet, penitus enerue-
tur, ne quiſquam poſtea reperiatur, qui ſeſe pecca-
7. ti turpiſſimæ ſeruituti ſubiciat. ¶ Qui enim in
ſe ipſo peccati vitam extinxit, is profectò planè à
peccato iuſtificatus eſt, eiúſque vinculis penitùs
8. ſolutus, ac liber. ¶ Quòd ſi quemadmodũ Chri-
ſtus corpore mortẽ oppetiit, ſic nos peccato mor-
tui ſumus, credimus vtique fore, vt etiam cum
9. ipſo vitam ducamus immortalem. ¶ Quippe cùm
certò ſciamus Chriſtum Dominum à mortuis ex-
citatum, morti deinceps nequaquam eſſe obno-
xium, neque mortis violentiæ, aut tyrannidi ſub-
10. iaceret. ¶ Etenim qui non ad expilandum modò,
ſed etiam ad perimendum, ac penitùs in nihilum
redigendum peccatum, diem ſuum obiit, is ſemel
tantùm pro omnium ſalute vita functus eſt, vt ni-
hil neceſſe ſit illum denuo mortẽ oppetere, idém-
que rediuiuus, atque immortali vita præditus
apud Deum Patrem, id eſt ad ipſius dexteram
11. triumphat. ¶ Ad eundem planè modum ratioci-
nari, atque exiſtimare debetis ipſi vos per Chriſti
Domini noſtri gratiam mortuos eſſe peccato,
Deo autem, ac iuſtitiæ viuere ipſius Chriſti me-
11. rito viuificatos. ¶ Nullo igitur modo patiamini,
peccatum in veſtro mortali corpore, ac membris
principatum exercere, quo ipſi obſequium, atque
obedientiam præſtetis corporis voluptatibus in-
13. dulgentes. ¶ Neque membra veſtra ipſius impe-
rio ſiſtite, vt ei ſint veluti iniuſtitiæ, atque impro-
bitatis inſtrumenta, & quaſi quidam ſcelerum, ac
flagitiorum adminiſtri: ſed potius ipſi vos ſiſtite
Deo, quaſi ex mortuis rediuiuos, atque immorta-
litate donatos, datéque operam, vt membra vo-
ſtra ſint ipſi, quaſi virtutis, ac ſanctitatis inſtru-
14. menta. ¶ Vobis enim, qui non ampliùs ſub nuda
lege, quæ gratiæ præſidio deſtituta, vires quodam
modo peccato ſubminiſtrabat, ſed ſub gratiæ be-
neficio viuitis, peccatum dominari nequaquam
poterit, quin potius tanto patrocinio freti, eius
omnino vires frangetis, ac penitùs profligabitis.
15. ¶ At enim? an quia non ſumus ſub lege, ſed ſub
gratia, idcirco liberi, ac ſoluti ſumus, vt peccare
nobis impunè pro noſtro arbitratu liceat? Mini-
16. mè id quidem. ¶ Quid enim? An neſcitis cui vos
tanquam ſeruos ad obtemperandum ſiſtitis, eius
verè vos ſeruos eſſe, cui paretis, ſiue peccati, quod
interitum affert ſempiternum; ſiue eius obedien-
tiæ, quæ Deo debetur, vnde vera iuſtitia exiſtit?
17. ¶ Eſt autem cur Deo optimo maximo gratiæ im-
morta

Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, & vltra non ſeruiamus peccato.

Qui enim mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato.

Si autem mortui ſumus cum Chriſto; credimus, quia ſimul etiã viuemus cum Chriſto.

Scientes, quòd Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.

Quòd enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel; quòd autem viuit, viuit Deo.

Ita & vos exiſtimate, vos mortuos quidem eſſe peccato, viuentes autem Deo in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentiis eius.

Sed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato, ſed exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viuentes, & membra veſtra arma iuſtitiæ Deo.

Peccatum enim vobis non dominabitur; non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.

Quid ergo? peccabimus, quoniam non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia? Abſit.

Neſcitis quoniam cui exhibetis vos ſeruos ad obediendum, ſerui eſtis eius, cui obeditis, ſiue peccati ad mortem; ſiue obeditionis ad iuſtitiam?

Gratias autem Deo, quòd fuiſtis ſerui peccati, obedi

obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi eſtis.

Liberati autē à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ.
Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ: ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitia in ſanctificationem.

Cùm enim ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ.
Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? nam finis illorum mors eſt.

Nunc verò liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.

Stipendia enim peccati mors, gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

mortales verè, atque ex animo agantur, quòd cùm
fuiſſetis aliquando ſerui peccati, ex corde tamen
vocanti Deo obtemperaſtis, cámque doctrinæ for-
mam complexi eſtis, quæ vobis pro typo propoſita
eſt, vt eam, quoad eius fieri poterit, imitemini, eiúſ-
que exemplari conformemini. ¶ Quocirca libe- 18.
rati à peccato, iuſtitiæ mancipati eſtis. ¶ Quòd ſi 19.
me audieritis equidem habita ratione imbecilli-
tatis, atque ægritudinis, humanæ veſtræ naturæ;
non eximias, & heroicas actiones exigam, ſed ea
duntaxat, quæ ſint humanitati, tenuitatíque veſtræ
conſentanea, ſuadebo. Nempè vt olim ſtitiſtis
membra veſtra quaſi mancipia, & impuræ nequi-
tiæ, & iniquitati ſerua, quo ſeſe flagitiorum cœno
volutarent, omni libidinum genere contamina-
rent: ita nunc ſiſtite eadem membra, vt iuſtitiæ
ſeruiant ad omnem probitatem, & ſanctimoniam
amplificandam, atque augendam. ¶ Cùm enim 20.
graui peccati iugo premeremini, nullum iuſtitiæ
ius aut imperium ſuſtinuiſtis. ¶ Quem igitur 21.
(quæſo vos) tunc fructum habebatis ex iis, quorum
cauſa nunc erubeſcitis, quippe cùm exitus amariſ-
ſimos habeant, & ad interitum ducant ſempiter-
num? ¶ Iam verò peccati iugo excuſſo, ac penitùs 22.
diſiecto, ipſíque Deo mancipati vberrimum fru-
ctum percipitis; quòd videlicet ad ſanctimoniam
induendam, & ad vitam ſempiternam rectà tendi-
tis, tamquam ad bonorum omnium extremum.
¶ Certè quidem qui peccato tamquam tyranno 23.
ſeruiunt, probè intelligunt nulla ab eo præter
mortem ſempiternam expectari poſſe ſtipendia,
cùm è contrario Dei Opt. Max. eximium, ac ſin-
gulare donum ſit vita immortalis, quæ ob Chriſti
Ieſu Domini noſtri merita tribuetur.

IN CAPVT SEXTVM
EXPLANATIO.

1.
I.

QVID IGITVR DICEMVS, &c. Interſerit Apoſtolus adhortationē quæ ſpectat ad mores, quod perpetuò facere ſolet in omnibus Epiſtolis, abſoluta diſputatione dogmatica; verùm hîc in media diſputatione multa morum præcepta tradit. Porrò peccati nomen ſæpè apud Paulum ſignificare prauam illam affectionem, quam fomitem, ſeu concupiſcentiam Theologi appellant (quod, vt ait Concilium Tridentinum, & ex peccato oritur, & plerumque peccatorum parit) vel hoc maximè caput declarat. An autem hoc ſtatim capitis initio peccatum hoc modo accipiendum ſit, fruſtra quæritur; vtrouis enim modo ſententia conſtat. is namque permanere in peccato dicitur, qui quamuis fortaſſe baptiſmo expiatus, prauis tamen cupiditatibus obtemperat, & peccatis peccata cumulat; tantùm abeſt, vt perpetrata flagitia deteſtetur, qui etiam dicitur peccato viuere; & in carne eſſe, quem nondum Chriſti ſpiritus à natiua inſitæ cupiditatis tyrannide, ac ſeruitute in libertatem filiorum Dei aſſeruit; id quod probat Tertullianus[a] ex verbis Apoſtoli, quæ non ita multò pòſt

a lib. de reſur. carnis cap. 46.

A hac ipſa Epiſtola[a] ſubiiciuntur. Contrà verò mortuus peccato, cenſendus eſt is, in quo vis illa morbida ita fracta, ac repreſſa eſt, vt fructus illos ſuos amariſſimos neutiquam pariat. Quo fit, vt peccato mori idem ſit, quod Deo viuere, vt alicubi ſcripſit Petrus[b] Apoſtolus: *Peccatis* (inquit) *mortui iuſtitiæ viuamus.* Hanc (opinor) Tertullianus[c] delinquentiam vocat, cuius vocis etiam ambiguus videtur vſus. Multò aliter accipiendum eſt, quod apud Paulum[d] nonnunquam legimus mortuum eſſe peccatis, vel in peccatis; cum enim auferendi caſu loquitur Apoſtolus, ſignificat, quempiam ſcelerum vinculis irretitum, & quaſi mortuum teneri. nam qui hoc modo peccatis moritur, præcisè nonnunquàm mortuus appellatur, carens videlicet vita gratiæ, qui ab Iſaia[e] B dicitur *ſedere in regione vmbræ mortis*; hoc eſt, in triſtiſſima veluti regione, aut ſede habitare. vt enim ait Gregorius; [f] *in vmbra mortis ſedere eſt à diuini amoris notitia in obliuione lateſcere.* Huius autem primæ ſententiæ vis egregiè explicatur ab Auguſtino,[g] qui eam ſuperioribus quaſi quandam occupationem attexit. *Volens* (inquit) *commendare gratiam, quia*

II.

a cap. 8. [illegible]
b Ep. 1. cap. 2. 24.
c de reſur. carn. c. 46.
d ad Epheſ. & ad Coloſ.
e cap. 9. [illegible]
f lib. 4. mor. cap. 17.
g de lib. [illegible], & in cap. 6.

per

per baptiſmum omnibus gentibus venit; poſtquam dixit, peccatum, & mortem per vnum hominem intraſſe in genus humanum; & per vnum hominem iuſtitiam, & vitam æternam: illum Adam, hunc Chriſtum apertiſſimè inſinuans, adiunxit, lex autem ſubintrauit, vt abundaret delictum; vbi autem abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia; ſed mox opponens ſibi ipſe quæſtionem. Quid ergo (inquit) *dicemus? Permanebimus in peccato, vt gratia abundet? Abſit. Vidit enim Apoſtolus, peruerſè poſſe accipi quod dixerat; vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia.*

1\. I. Absit. Qvi enim mortvi svmvs, &c. Omnino mortuos peccato dandi caſu dixit Apoſtolus, idque hoc loco magis probat Chryſoſtomus. Alibi [a] ſimpliciter vocat mortuos. *Mortui enim* (inquit) *eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in gloria.* Maluit autē dicere mortuos peccato, quā ipſum peccatum mortuum, vt qualis eſſe debeat iuſtorum vita ſuis velut coloribus exprimeret. Ita enim ſint oportet animo conſtituti, & comparati, vt quoties improba vis illa peccati ſuos motus excitarit, non modò non cedant ipſi, & victi dent manus, ſed tanquam mortui, ne vllum quidem titillantis voluptatis ſenſum percipiant. Talis erat Apollo Abbas apud Caſſianum, [b] qui ſe dicebat *mundo defunctum, nulloque poſſe de Cella ſepulcro, quæ ad præſentis vitæ pertinent ſtatum Fratri conferre ſolatia.* Talem deſcribit Bernardus. [c] *mortuus* (inquit) *ſi deſit, etiam ipſa ſepultura non ſentit. ſic vituperantes, vt laudantes; ſic adulantes audit vt detrahentes: immò verò nec audit quia mortuus eſt. Omnino fælix mors, quæ ſic immaculatum ſeruat, immò penitùs alienum facit ab hoc ſæculo.* Si ergo (ait Paulus) mortui ſumus peccato, hoc eſt, omnem peccati ſenſum penitus exuimus. *Quomodo viuemus in illo?* Potuiſſet etiam dicere, illi. nam quãuis (vt paulò antè diximus) aliud ſit mori peccato, aliud in peccato, tamen idem prorſus eſt peccato, & in peccato viuere. is enim peccato viuit, qui virtuti nuntium remiſit, & (vt cum Apoſtolo loquar) *iuſtitiæ mortuus eſt*, qui profectò & eſt, & viuit in peccato.

a Coloſſ. 3. 4. b Collat. 24. cap. 9. c Serm. 9. de Quadrag.

3\. I. An ignoratis, qvia qvicvmqve, &c. Sic noſter vulgatus interpres, ſic etiam legiſſe videntur Ambroſius, [d] Hieronymus, [e] Auguſtinus; [f] nec aliter inter Græcos Origenes, & Irenæus. [g] Græca, quæ nunc habentur in manibus exemplaria habent εἰς χριστὸν Ἰησοῦν, hoc eſt Chriſtum Ieſum. Formula loquendi in ſacris litteris obſeruanda; legimus enim in priori ad Corinthios: *Baptizati in Moſem*; Græcè εἰς Μωσῆν, id eſt; Moſis ductu, atque auſpicijs. In Actis [h] Apoſtolicis. In *Baptiſma Ioannis*, hoc eſt, Ioannis baptiſma & eius doctrinam profiteri. *In nomen* [i] *alicuius*, quaſi ei ſeſe baptiſmo dicare, & cõſecrare. *In vnum* [k] *corpus*, vt omnes Chriſto tanquàm capiti coaleſcant: *In remiſſionem peccatorum*, vt Chriſti ſanguine peccata abluantur; quibus omnibus dicendi modis Græca præpoſitio εἰς, & Latina *in* finalem quam vocant cauſam ſignificat. ſic Tertullianus: [l] *Iuſſit* (inquit) *ire, & docere nationes tinguendas in Patrem, & in filium, & in ſpiritum ſanctum*; quaſi ipſorum nomine, & auctoritate, & ad ipſorum gloriam. nã & apud Matthæum [m] Græcè legimus εἰς ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. eodémque modo legant omnes fermè Græci ſcriptores, cùm tamen Ruffinus, aliique Latini reddiderint in nomine; vt parum ſcitè nedum temerè grãmatici quidam aptiùs dixerint, & congruentiùs reddi hoc loco debuiſſe;

II. in Chriſtum, & in mortem. Igitur, vt redeamus ad Paulum, qui Latinum interpretem ſequuntur, *in Chriſto, & in morte* eius baptizari nos dicunt, hoc eſt, in Chriſti nomine, & inuocatione; vel vi, ac poteſtate meritorum Chriſti, vel denique baptiſmo ab ipſo inſtituto; in morte verò ipſius, id eſt, ad exprimendam, ac ſimilitudine quadam ipſius mortem referendam; ſic ſanè Origenes, & Anſelmus; in quo verò poſita ſit mortis Chriſti ſimilitudo, non omnes eodem modo exponunt. Baſilius [a] baptizari in mortem Chriſti ait eſſe veterem hominem noſtrum crucifigi, ac penitùs deſtrui corpus peccati: nec diſſentit Ambroſius; [b] ait enim. *Quid eſt baptizari in morte Chriſti? vt quomodo Chriſtus mortuus eſt, ſic tu quoque mortem deguſtes: quomodo Chriſtus mortuus eſt peccato, & Deo viuit, ita tu ſuperioribus illecebris peccatorum mortuus ſis per baptiſmum, & reſurrexeris per gratiam Chriſti: mors ergo eſt, ſed non in mortis corporalis veritate, ſed in ſimilitudine. cùm enim mergeris, mortis ſuſcipis, & ſepulturæ ſimilitudinem.* At Chryſoſtomus, & Athanaſius [c] rem eamdem, ſed alia quadam ratione accipiunt: ille namque baptiſmum cruci, peccati verò mortem Chriſti morti comparat. vt enim crux Chriſto mortem intulit corporis, ita baptiſmus nobis afferre peccati interitum. hic verò *quemadmodum* (inquit) *corpus Chriſti ſepultum in terra mundo ſalutem peperit; ſic noſtrum quoque corpus baptiſmo ſepultum nobis ipſis iuſtitiam protulit.* Crediderim ego, ſimilitudinem mortis Chriſti bifariam in baptiſmo explicari poſſe, primùm quidem quòd quemadmodum Chriſtus vita functus clauſus eſt ſepulcro, indéque poſt triduū reſurrexit; ita qui bapiſmo luſtrantur, vndis merguntur, & veluti ſepulcro clauduntur, & mox quaſi rediuiui emergunt. Deinde vt Chriſtus moriens mortalitatem quodam modo depoſuit, ac reuiuiſcens induit immortalitatem; ita nos peccatum, per baptiſmum deponimus, & ad vitam gratiæ reuocamur; vt non immeritò dixerit Auguſtinus, [d] baptiſmum non morti Chriſti, ſed ſepulturæ comparari. II. Cæterùm quod ait Tertullianus, [e] *baptizari nos non vt delinquere deſinamus, ſed quia deſiimus*; non tam ad rem ipſam, quàm ad eius, qui baptizandus eſt conſilium, & voluntatem refertur. Quocirca rectè colligit Auguſtinus, [f] infantes peccato originali obnoxios eſſe, *quia quicumque baptizantur, in Chriſti mortem baptizantur, vt videlicèt moriantur peccato, atque ita ſimiles fiant Chriſto mortuo.* Ad hoc autem ſignificandum referuntur plurimæ baptiſmi cęremoniæ, vt exorciſmus, exſufflatio, pręcipuè verò renuntiatio, qua baptizandi ſathanæ, eiúſque pompis nuntium remittunt, de qua re multa Origenes, [g] Baſilius, [h] Ambroſius, [i] Auguſtinus [k]. Dixit verò Paulus; *An ignoratis*; tacitè videlicèt increpans Romanorũ vel inſcitiam, vel ſocordiam, vt indicat Chryſoſtomus; vel (quod alibi frequenter facit,) orationi quandam veluti vehementiam, atque aculeos addit. Nonnulli porrò Latini codices habẽt; *fratres*; Græci non habent: videri poſſet id verbum additum, vel ab interprete, vel ab iis, qui ſcripturæ ſegmenta in Eccleſiaſticas preces inſeruerunt, quod ſæpè aliàs in quotidianarum precum codicibus licet obſeruare: ſed quia ſcripſit Apoſtolus nos in Chriſtum, ac mortem ipſius baptizari, non defuerunt qui Baptiſmi formam ex hoc potiſſimùm loco ſumendam ducerent. vt enim colligitur ex canonibus Apoſtolicis, [l] & Socratis [m] hiſtoria, olim nonnulli in Domini mortem baptizabant, quorum irrita fuiſſe ſacramenta, iam tum Apoſtoli definierunt. De Chriſti nomine adhuc inter Theologos certatur, ſed ea de re in diſputationibus agendum erit.

d Tom. 1. e lib. ... f ... g lib. 3. c. 17. h cap. 19. i 1. ad Cor. 1. k 1. ad Cor. 12. l lib. de baptiſm. m cap. 28.

a Reg. breu. reſp. 214. b lib. 2. de ſacram. cap. 7. c quæſt. 125. ad Antiochũ. d l. 4. de bapt. cont. Donat. cap. 22. e lib. de pœnit. cap. 6. f Enchir. cap. 11. g Hom. 12. in Num. h lib. de Spiritu ſancto c. 11. i lib. de iis, qui miniſteriis initiãtur, cap. 2. k lib. 2. de Symb. ad Cat. cap. 1. l Can. 42. m lib. 5. c. 23.

4\. I. Conſepvlti enim svmvs, &c. Ad Baptiſmi merſionem alludit, quæ mortem, ac ſepulturam Chriſti aliqua ratione ſignificat. quocirca Clemens [n] Romanus aquam ad baptiſmum adhiberi dicit pro ſepultura. Chryſoſtomus [o] ad illa verba Ioannis; [p] *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu ſancto: In aqua*

n lib. 3. conſtit. cap. 16. o Hom. 24. in Ioan. p cap. 3. 5.

aqua (ait) *tanquam in ſepulcro caput immergentibus,* A *vetus homo ſepelitur, emergentibus nouus reſurgit.* Alio vero [a] loco; *Baptiſma nihil aliud eſt, quàm interitus eius, qui baptizatur, & reſurrectio illius.* Gregorius [b] Nazianzenus: *Cùm Chriſto* (ait) *per baptiſmum ſepeliamur, & cum eo reſurgamus; cum eo deſcendamus, & ſimul etiã extollamur.* Damaſcenus [c] verò cùm de trina merſiooe diſſereret, illam docet, non ad Trinitatis ſolùm fidem, ſed ad commemorationem triduanæ commorationis Chriſti in ſepulcro referendam eſſe. Huc pertinet Canon [d] Apoſtolicus, & Epiſtola Gregorij. Deniq; Theophylactus: [e] *Quod Chriſto* (inquit) *eſt crux, & ſepulcrum, id nobis eſt baptiſma.* Rectè autem ait Paulus nos in Chriſti mortem baptizatos, & conſepultos, *cum illo per baptiſmum in mortem*, hoc B eſt ad imitandam, & quoad eius fieri poteſt, exprimendam Chriſti mortem; quod maximè facimus, dum peccatum in oobis quodammodo perimimus, vt docent Ambroſius, [f] & Auguſtinus. [g] dixit autem nos Chriſto conſepultos eſſe *per baptiſmum in mortem*, vt oſtenderet oos aqua baptiſmi, ita mergi, ac veluti ſepeliri, vt peccato mori neceſſe ſit, cùm Chriſtus cootrà noo niſi poſt mortem ſit ſepulturæ mandatus. Ideo namque nos baptiſmo ſepelimur, vt verè peccato moriamur, neque ſit inanis tantùm cæremonia, ſed verum, atque efficax ſacramentum; atque idcirco nouæ legis ſacrameota ἀντίτυπα nuocupantur, quòd res ipſas contineant, & efficiant, quæ veteribus typis includebantur, & ſint quodammodo typorum typi; ita Petrus [h] Apoſtolus baptiſmum vocat Arcæ Noëticæ ἀντίτυπον. Patres [i] multis ſuadent, vt C earum, quæ ad baptiſmum adhibeotur, ceremoniarum frequens memoria repetatur, vt inde intelligamus quæ ſit vitæ ratio, & inſtituenda, & retinenda. Porrò quod ait Auguſtious, [k] baptiſmo omnia prorſùs peccata etiam futura extingui, oon perinde accipiendum eſt (vt perperàm intelligunt hæretici) quaſi ſacrameotum pœnitentiæ de medio tollat, vel futura peccata condonari cenſeat, antequàm patrentur, ſed quòd præterita quidem baptiſmo expientur; futura verò quia non niſi baptizatis remittuntur, aliqua ratione accepta referenda eſt eorum remiſſio baptiſmo; quomodo quidquid in vita accidit hominibus, ab eorum ortu pendet, ita quidquid boni ſpiritualis accipimus vi ſacramentorum, baptiſmo, quo Chriſto naſcimur, iure tribuitur. Sic autem ſcri- D bit Auguſtinus, explicans verba illa, *mundans eam lauacro aquæ. Sic accipiendum eſt, vt eodem lauacro regenerationis, & verbo ſanctificationis, omnia prorſus mala, omnium regeneratorum mundentur atque ſanentur, non ſolùm peccata, quæ omnia nunc remittuntur in baptiſmo; ſed etiam quæ poſteriùs humana ignorantia, vel infirmitate contrahuntur non vt baptiſma quoties peccatur, toties repetatur. ſed quia ipſo, quod ſemel datur fit vt non ſolùm antea, verùm etiam poſtea, quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. Quid enim prodeſſet vel ante baptiſmum pœnitentia, niſi baptiſmus ſequeretur, vel poſtea niſi præcederet? In ipſa quoque dominica oratione, quæ quotidiana eſt noſtra mundatio, quo fructu, quo effectu diceretur: Dimitte nobis debita noſtra, niſi ab eis qui baptizati ſunt diceretur? Itémque eleemo-* E *ſynarum largitas, & beneficentia quantalibet, cui tandem ad dimittenda ſua peccata prodeſſet, ſi baptizatus non eſſet?*

II. *Quomodo Chriſtus reſurrexit per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Athanaſius, [l] Theodoretus apud Oecumenium, Theophylactus, & alij per gloriam Patris interpretatur tanquam per efficientem cauſam, ideſt, per vim, ac potentiam Patris. Certè potentia Patris groria dicitur, quia Deum glorioſum oſtendit, eiúſque præſtantiam, ac magnificentiam illuſtrat, vt diximus in paraphraſi: A omnino vero ſimilius videtur præpoſitiooem Græcam διὰ hoc loco idem valere, quod apud Latinos, propter; quomodo accipitur ſupra. [a] *Ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ propter remiſſionẽ præcedentium delictorum;* διὰ τὴν πάρεσιν; idque locus omnino poſtulat; vt ſimilitudo omni ex parte conſtet. quemadmodum enim Chriſtus reſurrexit ad Patris gloriam amplificandam, ſic nos ad nouam quandã, ac planè cœleſtem vitam inſtituendam ex aquis baptiſmi emergimus; & ita locum explicat Anſelmus, vt quemadmodum Chriſti anaſtaſi Patris gloria illuſtratur, ita etiam noſtra vitæ oouitate clarior, illuſtriórque euadat: dixit autẽ; *vt in nouitate vitæ ambulemus*, quia hic eſt baptiſmi fructus, vt mortui, & ſepulti ratione peccati cum Chriſto, ita cum illo coniungamur, vt vnà etiam cum B illo ad vitam immortalem reſurgamus. Poſita eſt autẽ hæc vitæ oouitas in gratia, & charitate, cæteriſque ſupranaturalibus habitibus, qui ritè ſuſcipiẽtibus baptiſmum iofunduntur: atque ita apparet, vi baptiſmi noo modò peccati noxam, ſed omnem poenitùs ſupplicij reatum aboleri; adeò quo nos quaſi recenter natos puram ab omni labe prorſus immunẽ vitam inchoare. Quamobrem meritò baptiſmus huius oouæ vitæ reſpectu regeneratio nuncupatur. Nec quemquam mouere debet quod alicubi dixit Tertullianus, [b] mortem peccatorum ipſam baptiſmi ſuſceptiooem præcurrere, mortem enim peccatorum intelligit illam animi morum, quo quis antequàm ad baptiſmum accedat, antè actæ vitæ ſcelera, atque flagitia deteſtatur. ob id enim eodem loco dicit nemioem C baptiſmo luſtrandum, qui oon antea fuerit corde ablutus. Neque oegandum eſt, ſæpe poſſe contingere, vt tanta ſit contritio, quæ baptiſmum præcurrit, vt gratiam, & charitatem impetret, atque adeo iuſtificet, vt exemplo Centurionis, de qoo Lucas in Actis [c] Apoſtolicis, & alicubi probat Auguſtinus. [d] Cæterùm mirari quiſpiam poſſit quòd ſecum Tertullianus pugnare videatur, qui alicobi [e] dixerit, *lauacrum obſignatio eſt fidei*; alibi: [f] *obſignatio baptiſmi veſtimentum quodammodo fides, quæ ratio erat nuda, nec potentiam habuit ſine ſua lege.* At vtrumque rectè, veréque dicitur. priori enim loco de priuata cuiuſque fide agit, eorum qui baptiſmum percipiunt, quam is, qui ad Sacramentum accedunt, neceſſariam eſſe docet: poſteriori, de fide vniuerſim ſumpta, quam D diſtinguit in eam quæ fuit olim in patribus ſub lege, & eam quæ eſt neceſſaria poſt aduentum Chriſti. prior illa priuata baptiſmo obſignatur, quia illa quodammodo perficitur; hæc verò poſterior baptiſmum obſignare dicitur, quia ei vim ac facultatem largitur. ſola enim Chriſti fides ac religio Sacramẽta habet quæ peccata abluoot, & gratiam impertiunt.

Si enim complantati facti, &c. 5.
His verbis noo tam ratio ſuperioris ſeotentiæ, quàm I.
quidpiam cum ea neceſſariò connexum continetur: æquum enim eſt, vt cum Chriſto ſepeliamur in mortem, & cum eo ad vitæ nouitatem reſurgamus. Siquidem qui mortem eius imitantur, eius reuiuiſcentis gloriæ debent eſſe participes. ducta eſt autem ſimilitudo à ſurculis, qui trunco inſiti inde ſuccum, ac vitam hauriunt. hoc enim ſignificat vox Græca E σύμφυτοι, hoc eſt, inſititij: quocirca Athanaſius; *Inſiti ſumus* (inquit [g]) *participes videlicet. nam quemadmodum corpus Domini ſepultum in terra mundo ſalutem peperit, ſic noſtrum quoque corpus in baptiſmo ſepultum, nobis ipſis iuſtitiam protulit; ſimilitudo autem ſic habet; ſicut Chriſtus mortuus eſt, & tertia die reſurrexit; ſic & nos in baptiſmo morientes reſurgemus. nam quòd infantem ter in aquam immergimus, & ter educimus, mortem, & triduanam Chriſti reſurrectionem ſignificat.* Huc ſpectant quæ ſcribit Cyrillus: [h] *Similitudo*

a Hom. 9. in c. 6. ad Hebr.
b Oration. in ſanct. lauacr.
c lib. 4. c. 10.
d Can. 49.
e lib. 1. Regeſt. Ep. 41.
f in hunc locum.
g Enchir. ca. 41.
h Epiſt. 1. ca. 3.
i Orig. Hom. 12. Num. Baſil. lib. de Spiritu ſancto c. 11. Ambr. l. de iis qui myſt. init. c. 2. Aug. l. 2. de Symb. ad Cathe. c. 1.
k l. 1. de nupt. & cõcup. c. 33.
l lib. de communi præſtantia Patris Filij, ac Spiritus ſancti.

a cap. 3. 25.
b lib. de pœnitentia c. 6.
c cap. 10.
d l. 4. de bapt. cont. Donat. cap. 21. 22.
e de pœnitentia cap. 6.
f de baptiſmo cap. 13.
g In diſtin. & interpret. ſcripta. q. 94.
h apud Oecumenium.

litudo mortis erat Chriſti mors, eo quòd non permane- A *ret ipſe in morte, ſed tertio die reuiuiſceret; reſurgerétque.* Et Oecumenius ipſe: *Vide Dei bonitatem mortis quidem Domini, quaſi per ſimilitudinem mortui ſumus, reſurrectionem autem verè participamus.* Hanc verò Pauli ſententiam, qui propter vocem σύμφυτοι, ad coniunctionem Iudæorum & gẽtium cum Chriſto referunt, peruertunt potiùs, quàm explicant. illa enim præpoſitio σὺν noſtram cum Chriſto coniunctionem ſignificat: rectè autem obſeruauit Baſilius, [a] non inutiliter in re grauiſſima adhibuiſſe Paulum tautologiam, & eiuſdem ſententiæ repetitionem. Quod verò ſpectat ad vocem σύμφυτοι,

a lib. de baptiſmo.

II. eam Tertullianus [b] transfert; *ſi conſerti ſumus*; vel (quam lectionem magis probo) *ſi conſati ſumus. Si enim* (inquit) *conſati ſumus ſimulachro mortis Chriſti,* B *ſimul & reſurrectionis erimus; per ſimulacrum enim morimur in baptiſmate, ſed per veritatem reſurgemus in carne, ſicut & Chriſtus.* Putauit enim hîc auctor, verba Pauli non modò de nouitate vitæ, quæ per fidem & gratiam inſtituitur, accipienda eſſe, ſed etiam de ea, quam poſt hanc vitam ſperamus corporum reſurrectione; quod & facit alio etiam [c] loco. Eleganter autem Origenes: *Omnis planta* (inquit) *poſt hyemis mortem, reſurrectionem veris expectat: Et Chriſto hyems fuit tempus paſſionis, & mortis, ver autem tempus reſurrectionis; nos quoque Chriſto complantati in hyeme huius ſeculi præſentis vitæ, peccatis morimur, vt futuro reſurrectionis vere inueniamur digni; fructus nunc iuſtitiæ ex Chriſti radice proferentes.* Eſt C quidem humana vita longè diſſimilis plantis, vt non ſolùm indicat [d] Iob, ſed omnes etiam prophani ſcriptores, vt Theocritus, [e] & apud Latinos Horatius. [f] qui negant ſperandum vita functis, reſurrectionem; cum prata hyeme quaſi mortua, vere denuò reuireſcant, & quodam modo reuiuiſcant. Cæterùm ſi de natura loquamur, non id omnino conſtat, cùm certiſſimè reſurrectionem corporum expectemus: quod verò attinet ad vitam ſpiritualem, rectè Apoſtolus plantarum ſimilitudinem vſurpat, rectéque loquitur Origenes. Qui verò hominem arborem inuerſam appellarunt, aliud ſpectaſſe videntur, quod ad rem non facit.

b lib. de reſur. carnis c. 47.
c lib. de pudicitia cap. 17.
d cap. 14. 7.
e in Epitaphio Bionis.
f lib. 4. carm. Ode 7.

6. HOC SCIENTES QVIA VETVS, &c. Tertullianus: [g] *Agnoſcimus* (inquit) *hominem, qui ſecundum*

I. *dum priſtinam conſeruationem vetus fuerit, corrumpi ſecundum priſtinam conuerſationem, non ſecundum carnem per interitum perpetuum.* Paulò pòſt: [h] *Hæc enim erat vita mundialis, quam veterem hominem dicit confixum eſſe Chriſto non corporalitatem, ſed mortalitatem.* Et plura deinceps: nimirum vetus ille homo, cum Chriſto crucifixus eſt: ſic enim ſcripſit Iſaias. [i] *Poſuit in eo iniquitatem omnium noſtrum.* Et Dauid [k] in Chriſti perſona: *Deus, Deus meus reſpice in me, longè à ſalute mea verba delictorum meorum.* Vt enim Adamus primus omnium parens, vt diuini pacti omnium quodammodo hominum, qui ex ipſo naſcituri erant, perſonam referebat; atque ita Dei violans præceptum omnem poſteritatem eodem veluti ſcelere contaminauit: non aliter Chriſtus voluntate Patris, Dei, atque hominum mediator conſtitutus, omnium mortalium perſonam ſuſtinens, humanis ſceleribus; atque flagitiis debitas pœnas, ſui corporis obiectu in cruce perſoluit. Itaque vetus ille homo peccato obnoxius vnà cum Chriſto ſublatus eſt in crucẽ, vt alibi copioſiùs dicetur. Quamquàm autem hic vetus homo cruci vnà cum Chriſto dicitur affixus, non tamen eius rei fructum quiſquàm percipit, niſi cùm

g l. de reſur. carnis ca. 45.
h cap. 47.
i cap. 53. 6.
k Pſal. 21. 2.

II. baptiſmi ſacramento ritè expiatur. Iam verò Chriſto moriente non diuinitas, aut animus vita functi ſunt, cùm illa ſit omnis mutationis penitus expers, hic verò ſuapte natura immortalis; igitur corpore duntaxat mortem pertulit in cruce, & cum illo corpus etiam peccati extinctum eſt. Sed quod tandem eſt corpus peccati? An peccati ius, & robur Hebræa phraſi qua corpus ac robur vna, atque eadem voce, עצם *gotſem*, appellare ſolent? Id ante nos dixit nonnemo, neque prorsùs improbo. An hæc ipſa corporis noſtri membra qua ratione peccati incentiua continent, & peccato quodammodo famulantur? ſic Origenes, Theodoretus, & Theophylactus; neque aliter capite ſequenti carnem peccati Apoſtolus nominat, quæ in peccato concepta eſt; haud profectò malè; niſi quod Theodoretus explicat corpus noſtrum otioſum fieri peccato, vt peccato non ampliùs ſeruiat; ſed meliùs quod iidem Origenes, & Theophylactus etiam obſeruant, & Chryſoſtomus, Ambroſius, atque Anſelmus probant, corpus peccati totam peccatorum congeriem intelligimus; quod quia Chriſto morienti (vt ait Paulus [a]) *concorporatum* erat, vnà cum illo cruci ſuffixum eſt: huius enim corporis veluti membra ſingula ſunt vitia, & peccata quæ à Paulo enumerantur in Epiſtola ad Coloſſenſes, [b] & fusè explicantur à Caſſiano. [c] Perſimilis autem videtur eſſe ratio dicẽdi apud Lucam: [d] *ſi oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Comparatur enim animi propoſitum & intentio cum cæteris actionibus, tamquam oculus, cum reliquo corpore. Quemadmodum autem Chriſti corpus in cruce vitam cum morte commutauit, ita omnia peccata Chriſti ſanguine quodammodo perempta ſunt non ſolùm ea ratione, qua Chriſtus dicitur pro omnibus peccatis ſatisfeciſſe Patri; ſed etiam quia peccati vim fregit, & ipſum penitus eneruauit, quod duobus modis intelligi poteſt; primùm quòd dæmonem ſcelerum omniũ auctorem, atque architectum magna ex parte debilitauit, ac repreſſit: deinde quòd vberiorem nobis, ampliorémque gratiam tribuit ad impotentes animi motus coërcendos, ipſiúſque dæmonis impetus, quibus ad peccandum impellimur, frangendos, ac ſuperandos; ita paulò pòſt ex eo, quod vetus homo noſter mortuus dicitur cum Chriſto; rectè colligit nullum eſſe reliquum peccandi locum. *Qui enim* (inquit) *mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato.* Et paulò antè: *Qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?* Quocirca aptè omnino dixit Auguſtinus: [e] *Non igitur mirum ſi de maledicto vicit maledictum, qui vicit de morte mortem, & de peccato peccatum, & de ſerpente ſerpentem. Maledicta autem mors, maledictum peccatum, maledictus ſerpens, & hæc omnia in cruce triumphata ſunt.* Rectè item argumentatur Apoſtolus: *Si mortui ſumus cum Chriſto, credimus quia ſimul etiam viuemus cum Chriſto.* Mortuus eſt quidem Chriſtus, ſed poſtmodum poſita mortalitate ad vitam rediit immortalis; eadem ratione vetus homo noſter cum Chriſto moriens, poſuit corpus peccati, id eſt, omnem prorſus vetuſtatem; reſurgens autem nouam inchoat vitam à priſtina vetuſtate liberam, atque immunem. Hoc igitur eſt deſtrui corpus peccati, vel (vt interpretatur Auguſtinus [f]) euacuari. Nec enim E omnino contemnenda eſt Theodoreti explanatio, qui (vt ſuprà monui) deſtrui corpus peccati interpretatur ſenſus, ac membra corporis noſtri, otioſa planè, ac languida reddi ipſi peccato; quod non obſcurè indicant ſequentia verba; Vt *vltra non ſeruiamus peccato.* Quod etiam optimè ſequitur, ſi corpus peccati interpretemur totam peccatorum congeriem; nam ſi corpus illud eneruatum eſt, ac mortuum; planè ſequitur, neminem poſſe illi ſeruire. quis enim mortuo ſeruiat? hoc autem videtur maximè pertinere ad libertatem legis Euangelicæ; de qua alibi plura.

a ad Eph. 2. 6.
b cap. 3. 5.
c Coll. 12. cap. 1. 2.
d cap. 11. 34.
III.
e 1. nep. ad. Gal ad finem tertij capitis
f lib. de fid & oper. c.

Q. QVI

7. I. QVI ENIM MORTVVS EST, &c. Non committam, vt quod in magnis viris reprehendo, quiſquam hæreticorum verba cum minimè res poſtulat apud me legat, quibus ipſi ſecum incredibiliter pugnant, & ſua dogmata impiè excogitata, imperitè conuellunt. Quid enim attinet his otioſorum hominum nugis chartas implere, alieno præſertim loco, quo minimè confutanda ſunt, cùm præſertim nullo labore ex aliorum commentariis transſcribere queas? Illud potius quærendum videtur, quod ab aliis partim prætermiſſum, partim non planè explicatum animaduerto, quid ſit mortuũ, & iuſtificatum eſſe à peccato. Baſilius [a] ſic ferè alicubi ſcribit: *Qui mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato, hoc eſt, abſolutus eſt, liberatus eſt, & ab omni peccato purgatus eſt, non ſolum quòd operibus ac verbis, ſed quod & ipſis cogitationum affectionibus ſit patratum.* Quæ ſanè explanatio

a lib. de baptiſmo.

B tanti viri auctoritate firmata, nequaquam eſt temerè reiicienda; fateor tamen, minùs aptè illam ſuperioribus cohærere, ac fortaſſe vniuerſim acceptam ne poſſe quidem cenſeri veram. Quis enim dicat innumerabiles improbos vita functos, ac ſempiternis ſuppliciis addictos liberos, & abſolutos eſſe à peccatis? Multo igitur aliter explicant Chryſoſtomus, & Theodoretus, qui mortuum iuſtificatum à peccato, hoc eſt, liberum, atque abſolutum, ab omni peccati iugo interpretantur, perinde quaſi loquatur Apoſtolus nõ de myſtica morte peccati, ſed de vero corporis obitu: nam quemadmodum is, qui vita functus eſt, omni prorſus actione, atque agendi facultate caret, ita liber eſt, atque immunis ab omni motu,

C & cogitatione peccati; neque poteſt vlla ratione peccare. Sed nemo inficias iuerit omnino coactè iuſtificatum à peccato accipi pro libero, atque immuni à

II. neceſſitate & poteſtate peccandi. Aptiùs fortaſſe dixeris perſiſtere Paulum in metaphora, & de morte peccati adhuc loqui, atque affirmare, quòd nemo in dubium reuocare queat, eum qui peccato mortuus ſit, iuſtificatum eſſe à peccato; cùm peccati mors (vt paulò antè dictum eſt) non modò culpæ, ſed etiam pœnæ condonationem contineat, quibus duabus rebus omni ex parte perfecta, atque abſoluta iuſtificatio conſtat. Ita Paulus confirmat (quod modò dixerat) veterem hominem crucifixum eſſe vnà cũ Chriſto, *vt deſtruatur corpus peccati, vt vltra non ſeruiamus peccato.* Quis etenim iam peccato mortuus,

D planéque iuſtificatus eodem ſeſe deinceps cœno inquinari patiatur? Laui (dixit [b] illa) *pedes meos; quomodo inquinabo illos?* Rectè autẽ cum hac Pauli ſententia congruunt aliquod ſcripturæ loca, vt illud apud Salomonem [c]: *Sicut canis, qui reuertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens, qui iterat ſtultitiam ſuam.* Ad quem locum alludens Petrus aliam addit [d] ſimilitudinem, *Et ſus* (inquit) *lota in volutabro luti.* Itémque illud apud eundem Salomonem [e]. *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum; quid proficit lauatio illius? Sic homo, qui ieiunat in peccatis ſuis, & iterum eadem faciens; quid proficit humiliando ſe?* Videndus his de rebus Gregorius [f], qui hæc, & ſimilia loca non minùs eruditè, quàm piè tractat. *Qui ergo mortuus*

b Cant. 5. 3.

c Prou. 26. 11.

d Ep. 2. c. 2. 22.

e Eccli. 34. 30.

f 3. p. paſtor. admon. 31.

E *eſt peccato iuſtificatus eſt ab illo*; hoc eſt, liber, & ſolutus à noxa; quid igitur ampliùs peccato implicetur? Sic planè locum hunc intelligere viſus eſt Clemens Romanus. [g] *Qui* (inquit) *in nomine Domini Ieſu Chriſti baptizati ſunt, non debent ampliùs peccare: vt enim mortui peccatum operari deſierunt, ſic Chriſto commortui nõ dant operam peccato.* Scio non defuiſſe qui hæc de Chriſto acciperent hunc in modum: Quemadmodum Chriſtus, qui pro noſtris ſceleribus ſe Deo patri reum ſtatuerat, dum pro omnibus mortem oppetiit, planè iuſtificatus eſt; ita qui vnà cum illo vi

g lib. 2. Conſtit. cap. 7.

A baptiſmi peccato moriuntur, planè iuſti euadunt. Sed ſuperiora & probabiliora, & Apoſtolico inſtituto magis videntur conſentanea.

SI AVTEM MORTVI SVMVS, &c. Rectè ad ſuperiorem ſententiam confirmandam. *Si mortui* (inquit) *ſumus cum Chriſto*, & peccati vitam penitùs extinximus, atque ita ab illo iuſtificati ſumus, fatendum planè eſt, nos veluti rediuiuos, ad nouam vitam rediiſſe, & quandam vnà cum illo immortalitatem conſecutos. Nec enim dubito, hæc de ſpiritali vita gratiæ accipienda eſſe, quæ eſt ei vitæ immortali perſimilis, quam Chriſtus reuocatus ad ſuperos adeptus eſt; quæ eſt interpretatio Baſilij [a]. Quamquàm Origenes, Chryſoſtomus, Theodoretus, Anſelmus, de immortali vita corporis explicant, 8. I.

a lib. de baptiſmo.

B quam iuſti aliquando aſſequentur, vt alio loco dicit [b]: *ſi commortui ſumus, & conuiuemus; ſi ſuſtinemus, & conregnabimus.* Sed hoc (vt ingenuè fatear) ab inſtituta diſputatione videtur alienum. Qui ſuperiorem ſententiã explicant de Chriſto, hic putant apertiùs indicari quinam ille ſit qui mortuus eſt & iuſtificatus à peccato. Chriſtus enim mortuus dicitur, cuius mortis ſimilitudinem exprimunt, qui iuſtificantur. Sed vt dixi ſuperiora de iis accipi qui peccato moriuntur, ita ſentiendum eſt hoc loco eoſdẽ dici cum Chriſto mori: quod ea quæ ſequuntur apertè indicant. reſpicit enim ad id quòd paulò ante dixerat: *ſi cõplantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus.* Igitur Paulus ab iis, qui

b 2. Tim. 2. 11

C iuſtificati ſunt, duo exigit; alterum, vt mortui peccato nullum eius motum, aut actionem exerceant; alterum, vt nouæ vitæ actiones edant, & vitam gratiæ beneficio partam tueantur, ac ſeruent, cum præſertim vita gratiæ (vt ait Baſilius [c]) ſuapte natura perpetua ſit, neque quantum in ipſa eſt, vllum habeat finem. Viuere autem cum Chriſto eſt non ſolùm gratiam, & charitatem retinere, & conſeruare; ſed etiam (quod paulò pòſt planiùs explicabit) vitam viuere immortalem, hoc eſt, quæ nullo impetu, nulláque vi lædi, nedum extingui poſſit, atque idcirco mox ſubdit exemplum immortalitatis Chriſti.

c lib. de baptiſmo.

SCIENTES, QVOD CHRISTVS, &c. Reſurgens dixit interpres, quod Græcè legitur ἐγερθείς. 9. I.
ratio enim Latinæ linguæ participiũ præteritum vna

D actiua voce non exprimit: itaque nos paſſiuo participio vſi in paraphraſi diximus; excitatus à mortuis; dici etiam poterat; cùm à mortuis reſurrexiſſet. nam Chriſtus rediuiuus, vitámque adeptus immortalem, nec mori poteſt, nec mortis imperio ſubiacere. Hinc Origenes [d], & Ambroſius [e] non omnino malè, & verè colligunt aliquando illum mortalitatis legibus fuiſſe ſubiectum. Sic enim ſcribit Ambroſius. *Ergo mors dominata eſt in eum, vtique qui dixit non dominabitur, oſtendit eſſe dominatam; noli tantum amittere beneficium, ô homo; propter te Chriſtus dominationi mortis ſe ſubdidit, vt te iugo dominationis exueret; ille ſuſcepit mortis ſeruitutem, vt tibi tribueret vitæ æternæ libertatem.* Nec pugnant hæc cum ſententia Chriſti apud Ioannem [f]. *Nemo tollit animam meam à me, ſed*

d In hunc locum.

e Serm. 18 in Pſ. 118. verſ. 7.

f cap. 10 18.

E *ego pono eam à me ipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Significat enim, ſe ſponte ſubiiſſe mortalitatem, & mortem, quam ſibi Iudæi machinabantur, quamquàm per vim extrinſecùs inferenda erat, non fore tamen contra eius voluntatem, qui ſponte præcipienti Patri obtemperaturus ſit. mox enim ſubdit; *hoc mandatum accepi à Patre meo.* Vt autem concedamus vi extrinſecùs illata Chriſtum obiiſſe, negare tamen nõ poſſumus eius obitum fuiſſe citra vllum miraculum naturalem. Fuit omnino magnum, eximiúmque miraculum, vt Chriſti animus iam beatus mortali cor-

poti

Digitized by Google

A poti contingeretur; hoc tamen admiſſo tam acerbo
doloris ſenſu more cæterorum mortalium deficien-
te vita exanimatus eſt, vt ſingulare omnino, plané-
que admirandum prodigium futurum eſſet, ſi con-
tra cruciatuum acerbitatem, ſeſe quodammodo du-
raſſet, ac profuſo ſanguine pertinaciter vitalem au-
II. ram hauſiſſet. Non me quidem fugit, exiſtimaſſe
quàm plurimos [a], non illum ſubeuntem excepiſſe
mortem, ſed ſponte obuiam iſſe, & quaſi cunctan-
tem prouocaſſe, neque è viuis coactum exceſſiſſe,
ſed ipſum ſeſe rebus humanis vltrò eripuiſſe: verùm
ij naturalem Chriſti mortem fuiſſe non negant, ſed
ingentem illius in omne genus hominum carita-
tem, atque animi magnitudinem prædicant; qua ſe
ſponte ſua morti obtulit, quam leui momento vita-
B re potuiſſet; quin potius iis [b] libens aſſentiar, qui vl-
tra quàm naturæ vires ferre poſſent retētam à Chri-
ſto, & quaſi reuocatam animam putant, vt mox quod
ſuperiores Theologi affirmant, illam tanquam ſan-
ctiſſimam, ac prorſus indignam, quæ ferro, aut ex-
terna vi contaminaretur, corporeis vinculis ſuo ve-
luti imperio ſolueret. Itaque ſi amota vi, ſuo potuiſ-
ſet æuo liberè frui, corporis illius conſtitutio ſenſim
mutari, vires deficere, ac vitales ſpiritus abſumi po-
tuiſſent vſque eò, vt vita aliquando cedere nullo per-
urgente morbo cogeretur. Quanquàm enim nullius
ſceleris compertus, neque primæua primi parentis
labe inquinatus mortis neceſſitati, qua pœna erat,
(auctore Anſelmo [c]) nullo modo ſuberat, qua tamen
mors humani corporis conditionem afficit, eius pro-
C culdubio dominatui, ac tyrãnidi ſubiiciebatur; at vbi
ad ſuperos rediuiuus remeauit, *iam non morietur*,
vt ait Apoſtolus; *Mors illi vltra non dominabitur*,
quia reſurgens perfectiſſimam immortalitatem ade-
ptus eſt.

10.
I. QVOD ENIM MORTVVS EST, &c. Hila-
rius [d] legit: *quod mortuum eſt peccato, mortuum eſt ſe-*
mel. Itaque omnino legendum (aliis contrà nitenti-
bus) grammatici [e] quidam contendunt, ſed nihil at-
tinet in præſentia pugnantium dicta exſcribere, qui-
bus præſertim nec ſalua gratia refragari, neque in-
tegra conſcientia conſentire queas. Noſtrum inter-
pretem ſecuti videntur Ambroſius [f], & Tertullia-
nus [g], qui alicubi hunc in modum ſcripſit: *Quod*
enim mortuus eſt delinquentia, mortuus eſt ſemel. quod
D *autem viuit Deo viuit.* Eandem lectionem probaſſe
videntur Græci interpretes, vt ipſorum Commen-
tarij indicant, eandémque ſequitur Gregorius [h]: nec
eam quiſquã improbare poteſt, qui animaduertat,
Græcam particulam, ὃ, non eſſe relatiuum neutrius
generis, ſed potius coniunctionem, ac ſi dicat; nam
quod Chriſtus mortuus eſt, id verò ad expiandum
peccatum ſemel accidit. Sic accipiunt Origenes [i],
Cyrillus [k], & Auguſtinus [l]. Perſimili dicenda for-
ma vſus eſt Apoſtolus [m], *quod autem nunc viuo in*
carne, in fide viuo filij Dei. Quod verò ait, *viuit Deo*,
non eodem modo ab omnibus explicatur. Oecu-
menius: *Viuit* (inquit) *Deo, id eſt, diuinitate, non quòd*
non viueret anima, ſed quod multò nobilius, ac firmius,
diuinitate. Chryſoſtomus (quod mihi magis placet)
E Deo viuere explicat, diuina vi, ac poteſtate, ac pro-
inde vita immortali, ac ſempiterna; ſed de ratione di-
ſtinguendi non minor eſt diſſenſio; nàm ſunt qui ita
diſtinguant: *Quod enim mortuus eſt peccato, mortuus*
eſt ſemel. Sic Anſelmus. Alij, vt Ambroſius [n]: *Quod*
mortuus eſt; ſed nihil immutata ſententia, quid opus
II. eſt de apicibus digladiari? Quid ſit mori peccato
cùm de Chriſto agitur, inueſtigandum potius vide-
tur. ſi quidem Hilarius [o] viſus eſt exiſtimare peccato
poſitum eſſe auferendi caſu, idémque valere, quod
corpus, quod non aliter appellatur peccatum, atque

[a] Athanaſ. q. 77 ad Antioc. Origen lib. 2. contra Celſ. Euſeb. l. 4. de monſt. Euãg. c. 32. Chryſo. Homil. 89. in Matth. Cypr. de Idolorum vanit. Hieron. Matth. 26. Gabr. lect. 82 in Canon.
[b] D. Thom quodlibet. 2 art. 3. Caieta. Matth. 26.
[c] l. 2. cur Deus homo c. 11.
[d] lib. 9 de Trin. ad finẽ.
[e] Iacob. Faber Stapul.
[f] Serm 18 in Pſ. 118. verſ. 7.
[g] lib. de pudicitia c. 17.
[h] lib. 9. mor. cap. 22.
[i] In hunc locum
[k] lib. 9. in Ioan c. 1.
[l] lib. 2. cont. Iul. c. 3.
[m] ad Gal. 2. 20.
[n] Serm. 18. in Pſ. 118. verſ. 7.
[o] lib. 9. de Trinit.

ipſa caro dicitur caro peccati. Ita Chriſtum peccato
mortuum eſſe, nihil aliud ſignificabit, quàm corpore
mortem obiiſſe: Nec videtur ab ea interpretatione
abhorrere Auguſtinus [a]. *Peccatum* (inquit) *Chriſto non*
inerat, & tamẽ quodãmodo mortuus eſt peccato, dum mo-
ritur carne, in qua erat ſimilitudo peccati, vt cùm ſecun-
dũ vetuſtatem in peccatis nũquam ipſe vixiſſet, noſtrã ex
morte veteri, qua in peccato mortui fueramus, reuiuiſcẽ-
tem vitã; noua ſua reſurrectione ſignaret; ipſum eſt, quod
in nobis celebratur magnum baptiſmatis ſacramentũ, vt
quicumque ad iſtam pertinet gratiam moriatur peccato,
ſicut ipſe dicitur mortuus peccato, quia mortuus eſt car-
ne, peccati ſimilitudinem habente; & viuant de lauacro
renaſcendo, ſicut ipſe de ſepulcro reſurgendo, quamlibet
corporis ætatem gerant. A paruulo enim recenter nato,
vſque ad decrepitum ſenem, ſicut nullus prohibendus eſt
à baptiſmo, ſed paruuli tantùm originali, maiores verò
iis etiam omnibus moriuntur peccatis, quæcumque malè
viuendo addiderunt ad id, quod naſcendo traxerunt.
Ocumenius verò, & Ambroſius peccatum pro pec-
catore poſitum putant, vt peccato mori idem ſit,
quod pro peccatoribus vitam profundere: vtrum-
que verè, ſed vereor, vt appoſitè. Quocirca rectiùs III.
Chryſoſtomus, & Theodoretus peccato mortuum
fuiſſe Chriſtum affirmant, quia vt extingueret, ac
penitùs de medio tolleret peccatũ, mortẽ acerbiſſi-
mã pertulit, atque ita aliter nos, aliter Chriſtus mori
peccato dicitur: Nos quidem (vt ſuprà docuimus,)
quia eius feros, & improbos motus, atque actiones,
baptiſmi præſertim ſacramento abiicimus, contrà
verò bonos mores induimus, virtutem amplecti-
mur, denique iuſti efficimur coram Deo, Chriſtus
autem quia verè idcirco obiit, vt peccati vires ener-
uaret, id quod cum duplici (vt paulò ante diximus)
ratione fecit, tum etiam plurima ad futura peccata
cauenda, gratiæ ſubſidia præſtitit, & ſacramenta re-
liquit, quibus expiari, ac deleri poſſent peccata, quæ
poſt ipſius mortem perpetrantur. Huc ſpectant ea,
quæ ſcribit Paulus in poſteriori Epiſtola [b] ad Co-
rinthios; *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis pec-*
catum fecit, vt nos efficeremur iuſtitia Dei, in ipſo. Et
Petrus [c]: *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus*
eſt. Eadem ratione aliter Chriſtus, aliter nos viui-
mus Deo; nos quidem per gratiam, ac iuſtitiã Chri-
ſti beneficio acceptam; ille autem ſemper Deo vi-
xit; ſi more noſtro de Chriſto loquẽdum ſit, quip-
pe qui ab ipſo conceptu fuerit diuinitate quodam-
modo ſanctificatus, & *plenus* (quod ait Ioannes [d])
gratia, & veritatis: ſed quia ante mortem multa no-
ſtra cauſa perfecit, ac tolerauit, vitámque ipſam pro-
fudit, tunc non Deo tantùm, ſed etiam nobis, & (vt
ita dixerim) peccato expiando, planéque perimen-
do viuebat, cuius rei gratia mortalem naturam ſuſce-
perat; at vbi ad viuos rediit, vni Deo viuit vita planè
immortali, ac diuina. Eſt autem in illo verbo; *ſemel*;
latens quædam antitheſis, ſemel quidem tantùm
mortuus eſt, viuit autem in ſempiternum; ita nos
priſtina vetuſtate contenti eám ſemel poſitam ne
denuò reſumamus. Huic loco non ineptè Gregorius
accommodat illud Iob [e]: *Si flagellat, occidat ſemel*:
quaſi vnica Chriſti mors, & ab animæ morte, id eſt,
peccato; & à corporis obitu, quæ eſt pœna peccati,
cunctos mortales liberauerit.

ITA ET VOS EXISTIMATE, &c. Exiſti- 11.
mate (inquit) Græcè λογίζεσθε, non perinde quaſi ve- I.
rum ſit, quod impiè hæretici blaſphemant, fidei ſyl-
logiſmo neceſſario, minimémque fallente concludi
nos omnium ſcelerum labe Chriſti beneficio ex-
piatos, eiuſdémque iuſtitia, qua ipſe iuſtus eſt, nobis
(vt illi loquuntur) imputata, verè eſſe iuſtos. Quid
enim ineptius, aut à Pauli ſententia magis alienum?

[a] in Enchir. c. 41. 42. 43.
[b] cap. 5. 21.
[c] ep. 1. c. 3. 18.
[d] cap. 1. 14.
[e] cap. 9. 23.

ſed quòd omnes, qui fidem Chriſti complexi ſunt, ſtatuere debent apud ſe, ita ſibi omnes vitæ rationes comparandas eſſe, vt nullum deinceps peccato locum relinquant; quippe qui certò credere debeant, Chriſti morte, ac ſanguine (quod ſuprà diximus) fuiſſe iugulatum, ſeque adeo à morte ad vitam reuocatos, vt ſoli Deo omnium parenti perpetuò viuant: nec enim probãda eſt ea interpretatio, quam indicat Oecumenius, quæ hanc Pauli ſententiam, ad corporis mortem, ac reſurrectionem refert; vt qui propter peccatum moriuntur, per Chriſtum rurſus reuiuiſcant. Longè autem illa, & verior, & aptior eſt, quam idem magis probat, vt qui mortui ſunt, & peccatum in ſe ipſis quodammodo extinxerunt, à peccatis abſtineant, & vitam inſtituant, diuinæ legi conſentaneam. Obſeruat autem Origenes, Paulum idcirco dixiſſe; *Exiſtimate*; quia re vera non agitur de morte corporea, quæ ſenſu percipi queat; ſed ita tamen cogitandum nobis eſſe, quaſi verè mortui ſimus, quod attinet ad peccandi facultatem. idem Chryſoſtomus monet: poſſis etiam addere, voluiſſe Paulum, inſinuare id frequenter apud nos reputandum, vt quàm diligentiſſimè peccata vitemus; ideo rectè ſubdit,

12. I. NON ERGO REGNET, &c. Perinde quaſi dicat, vt maximè reluctetur, & certet, ne patiamini tamen, vt regnet, hoc eſt, imperet, aut dominetur, ſed confugite ad arcem rationis, & veſtræ memores dignitatis, eius nefarium iugum à veſtris ceruicibus depellite. Videtur autem alludere ad id, quod ſuperiori[a] capite dixerat: *vt ſicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet in iuſtitiam in vitam æternam.* Conſulendi ſunt Auguſtinus[b], & Gregorius[c], ipſéque Paulus in priori ad Teſſalonicenſes[d]. Peccatum verò μιλωνυμικῶς vocat concupiſcentiam, quæ ad peccatum impellit, & à peccato ortum habet. Monet autem Chryſoſtomus, non dixiſſe Apoſtolum; *caro non viuat, neque operetur; ſed, peccatum non regnet, nō enim ait naturam tollere, ſed voluntatem corrigere venit.* Eodem ſpectant quæ Auguſtinus[e], & Gregorius[f] egregiè ſcribunt de neceſſaria pugna, quam ſuſtinere cogimur; in qua tamen quidquid hæretici mentiantur, diuinæ gratiæ præſidio adiuti vincere, ac ſuperare poſſumus: rectè namque ſcripſit Origenes: *Niſi eſſet in noſtra poteſtate, vt non regnaret in nobis peccatum, præceptum vtique non dediſſet: quomodo ergo poſſibile eſt, vt peccatum in carne noſtra non regnet? ſi faciamus illud, quod idem Apoſtolus dicit: Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, etſi ſemper mortem Chriſti in corpore noſtro circumferamus.*

a verſ. 21.
b li. e de pec. mer. & rem. c. 28 Tract. 41. in Ioann. & Serm. 11. de verb. Apoſt.
c lib. 14 Moral. c. 6.
d cap. 5.
e Serm. 41 de verbis Dom.
f lib. 14. Moral. c. 9.

II. Plura de hoc loco Caſſianus[g], quæ ad morum diſciplinã magnopere pertinent. certè dum ait: *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore;* eam intelligit libidinis vim, quæ ex peccato orta eſt. Quod verò nos legimus, *vt obediatis cōcupiſcentiis eius*, Græcè legitur εἰς τὸ ὑπακούειν αὐτῇ ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτοῦ. id eſt, ei obtemperetis, & corporeis voluptatibus indulgeatis. Quamquàm autem ſi Græca verba ſpectemus, neceſſe eſt relatiuum αὐτῇ referre ad peccatum; alterum verò relatiuum αὐτοῦ ad corpus; tamen eadem ſemper ſententia conſtat. Monet enim Apoſtolus, non eſſe parendum cupiditati, vt voluptatibus corporeis indulgeatur. Sic ferè Theophylactus, Tertullianus[h], Hieronymus[i], Auguſtinus[k], licèt alij aliter verba interpretentur. Dixit verò mortale corpus, & alibi corpus mortis, quia quãdiu morti obnoxij degimus, cupiditatum illecebris irretiri, atque implicari poſſumus: aliud autem eſt corpus peccati de quo paulò antè nonnulla diximus, & plura ſcribit Caſſianus[l]. Negat autem Paulus cupiditatibus obſequendum eſſe. nam quamdiu quidem inter mortales viuimus libidinum impetus perferre cogimur; quod fusè admodum non vno tantùm loco docuit Auguſtinus[a], ita (vt obſeruarũt Chryſoſtomus, & Theodoretus) peccati tyrannidem vel inuitos nos perpeti neceſſe eſt, titillantium videlicet cupiditatum importunos motus; regnum verò nemo niſi ſponte ſubit, qui libidini præſtat aſſenſum.

g Collat. 22. cap. 6.
h lib. de reſurr. carnis.
i lib. 14. in Iſaiam.
k l. 1. de nupt. & concup. ca. 24.
l Collat. 22. cap. 16.
a in Pſ. 15. & 65. Serm. 1 de verbis Apoſt. lib. de pugna animæ. Serm. 41. de verbis Domini.

II. Hoc autem quidquid in præſentia hæretici delirent, ita præcipitur ab Apoſtolo, vt planè conſtet, ſi diuinæ gratiæ præſidium adſit, poſſe nos peccati iugum à noſtris ceruicibus depellere, & prauis cupiditatibus non reluctari ſolùm, ſed etiam frænum inicere: quod his verbis docet Origenes, *Niſi eſſet* (inquit) *in noſtra poteſtate, vt non regnaret in nobis peccatum, præceptum vtique non dediſſet. Quomodo ergo poſſibile eſt, vt peccatum in carne noſtra non regnet? ſi faciamus illud quod idem Apoſtolus dicit, mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, etſi ſemper mortem Chriſti in corpore noſtro circumferamus.* Et aliquanto pòſt: *Vnde apparet mediam quodammodo eſſe animam inter carnem & ſpiritum, & ſi quidem iunxit ſe carni ad obediendum deſideriis peccati, efficitur vnum corpus cum ea: ſi verò iunxit ſe Deo, efficitur cum eo vnus ſpiritus.* Neque aliter ſentit Theodoretus. *Suadet ergo* (ait) *Apoſtolus, ne poteſtati peccati ampliùs aſſentiamur, & ideo non dixit; ne tyrannizet vos peccatum, ſed ne regnet in vobis. illud enim eſt illius proprium, hoc verò noſtræ mentis, & voluntatis: animi perturbationum motus, & vexatio ineſt nobis à natura, eorum autem, quæ ſunt nobis prohibita effectio à noſtra pendet voluntate. Appellans autem corpus mortale, indicat, bellum hoc non fore diuturnum, cùm enim mortis terminum acceperit, ceſſabit etiam animi perturbationum inſultus. Iubet ergo Paulus, nos non quidem abijcere peccati tyrannidem, ſed regnum: id autem fomiti immodicè inflammato appetitiones corporis nequaquàm cedere.* Et Origenes. *Vnde* (inquit) *apparet, mediam quodammodo eſſe animam inter carnem, & ſpiritum. Et ſi quidem iunxerit ſe carni ad obediendum deſideriis peccati, efficitur vnum corpus cum ea; ſi verò iunxerit ſe Deo, efficitur cum eo vnus ſpiritus.* Hinc Bernardus[b] ait, ſpiritum eſſe in quodam montis cacumine, in infimo loco carnem, mediã verò animam, quæ ſua ſponte aut carni, aut ſpiritui adhæret. Porro Gregorius[c] explicans verba Iob[d] *calcet ſuper eum quaſi Rex interitus. Huius quippe* (ait) *interitus Regnũ à diſcipulorum cordibus repellebat Apoſtolus cum dicebat, non regnet peccatum in veſtro mortali corpore. Non enim ait non ſit, ſed non regnet, quia non eſſe non poteſt, non autem regnare in cordibus bonorum poteſt.* Addit porrò Apoſtolus; *In veſtro mortali corpore*, vt cupiditatum ſedem indicet, eiúſque miſeram conditionem inſinuet. eſt enim corpus morti obnoxiũ, quod ipſum à peccato ortum eſt. & tamen, vt rectè ait Chryſoſtomus: *Adam quidem mortale nondum corpus habens cecidit, tu verò licet acceperis, quod morti ſit obnoxium, coronari tamen poteris.* Ita capite ſequenti[e] ait Paulus: *Scio, quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum.* Denique oſtendit, cur nolit peccatum regnare, ne videlicet corpus voluptatibus indulgeamus. hoc enim eſt; *Vt obediatis concupiſcentiis eius*, id eſt, corporis, vt ſupra dictum eſt: corporis autem cupiditates appellat eas omnes, quæ rectæ rationi repugnant, quæ ad Galatas[f] vocat opera carnis.

b lib. de gratia, & lib. arb.
c lib 14. mor. cap. 9.
d 18.
e verſ. 18.
f cap. 5. 19. 20.

SED NEQVE EXHIBEATIS, &c. Tractat hunc locum ſanè luculenter nõ ſemel Tertullianus[g], libido autem, ac praua illa affectio, quam hactenus Apoſtolus vocauit nomine peccati, in corporis membris ſævit in primis, quæ (vt monet Theophylactus,) cùm ſint media quædam, neque per ſe mala, neque bona, tam vitio, quàm virtuti accommodari 13. I.

g lib. de reſurr. car. c. 47. lib. de pudic. cap. 17.

modari queunt. Appoſitè autem vtitur nomine armorum, alludens ad pugnam, quæ inter carnem, & ſpiritum continenter viget, de qua aliàs plura Paulus. Huc autem ſpectat illud Baſilij [a], qui ait, etiam, atque etiam videndum eſſe, vtri certantium præbeamus auxilium, ſpirituine, an carni. nam eò abſque dubio inclinabit victoria. interim verò indicat Paulus corpus eſſe veluti animæ organum, & inſtrumentum ad laudabiles, aut ſupplicio dignas actiones exercendas: quod apertiùs docuit Baſilius [b], qui propterea negat corpori [c] præter neceſſitatem ſeruiendum eſſe, quin potius addit nimiam in corpus indulgentiam, manifeſtam eſſe inſaniam: quatenus autem corporis ratio habenda ſit, fusè docet eùm de vera virginitate [d] diſſerit. nefas igitur eſt corpus tanquàm aliquid malum damnare. vt enim ſcripſit Clemens [e] Alexandrinus: *Non rectè faciunt qui figmentum inſectantur, & corpus vituperant, non conſiderantes corporis conſtitutionem rectam factam eſſe, ad cœlum contemplandum, & inſtrumentorum ſenſuum affectionem tendere ad cognitionem, & membra, & partes aptè compoſitas ad honeſtum, non ad voluptates.* Animo quidem, ac mente peccatur. nam (vt ait [f] Iacobus Apoſtolus) *concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatũ*, ſed membris plerumque corporis peccatum perficitur, atque abſoluitur. Cohibendas ergo monet Apoſtolus animi cupiditates priùs, tum etiam membrorum

II. actiones coërcendas, ne peccato ſeruiant. Cæterùm Plato, & eum ſecutus Origenes, ac poſt Origenem Hieronymus corpus animæ carcerem appellabat, quod reprehenſum eſt à Ruffino. Certè hac de re ſic alicubi ſcribit Tertullianus [g]: *Si enim corpus Platonica ſententia carcer, cæterùm Apoſtolica, Dei templum cùm in Chriſto eſt, ſed interim animam cùm ſepto ſuo obſtruit, & obſcurat, & concretione carnis infuscat, vnde illi veluti per carneum ſpecular obſoletior lux rerum eſt.* Iam verò de corporis miniſterio hunc in modum [h] alibi ſcripſerat. *Neque enim* (de carne loquitur) *de proprio ſapit quid aut ſentit ad ſuadendam, vel imperandam peccatelam: Quid ni qua miniſterium eſt: Et miniſterium non quale ſeruus, vel minor amicus animalis nomine, ſed quale calix, vel quid aliud eiuſmodi corpus non anima. nam & calix miniſterium ſitienti eſt, niſi tamen qui ſitit, calicem ſibi accommodarit, nihil calix miniſtrabit, adeo nulla proprietas hominis in corio; nec ita caro homo tamquam alia vis animæ, & alia perſona, ſed res eſt alterius planè ſubſtantiæ, & alterius conditionis, addicta tamen animæ, vt ſupellex, vt inſtrumentum, in officina vitæ.* Huc ſpectant quæ non minùs piè, quàm eruditè de cohibendo libidinis impetu ſcribit Caſſianus [i]. Et vt aliquid ex prophanis auctoribus (vt hæreticos nouos Epicuros, & voluptatum patronos pudeat,) proferamus, eodem referenda ſunt quæ proferuntur ab Auguſtino [k], ex M. Tullio [l]: *An non cernimus* (inquit) *optimo cuique dominatum, ab ipſa natura ſumma cum vtilitate infimorum datum? Nam & Deus homini, & animus imperat corpori, & ratio libidini, atque iracundiæ, ac cæteris vitioſis eiuſdem animi partibus. Dicitur quidem animus imperare corpori, dicitur etiam libidini: ſed corpori, vt Rex ciuibus ſuis, aut parens liberis; libidini autem, vt ſeruis Dominus, quo eam coercet, & frangit: ſic Regum, ſic Imperatorum, ſic magiſtratuum, ſic patrum, ſic populorum imperia ciuibus, ſocijſve præſunt, vt corporibus animus: Domini aut ſeruos ita fatigant, vt optima pars animi, id eſt, ſapientia eiuſdem animi vitioſas, imbecilléſque partes, vt libidines, & iracundias, & perturbationes cæteras.* Pergit autẽ Apoſtolus.

III. *Sed exhibete vos Deo, tanquàm ex mortuis viuentes:* declinandum quippe à malo priùs eſt, non tamen ibi conſiſtendum, ſed quæ honeſta ſunt omni ſtudio

A complectenda: quocitea *exhibete vos* (inquit) *Deo tamquam ex mortuis viuentes;* hoc eſt, excitatos ad vitam immortalem, ac nulli mutationi obnoxiam; ſic enim ſuprà dixerat; *Chriſtus exurgens ex mortuis; iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur:* ita qui ad vitam immortalem redeunt, nullam retinent vitæ mortalis functionem. *Quò enim iam* (ait Tertullianus [a]) *ſpelunca hæc oris, & dentium ſtatio, & gulæ lapſus, & compitum ſtomachi, & alui gurges, & inteſtinorum perplexa proceritas, cum eſus, & potus locus non erit? Quò huiuſmodi membra admittunt, ſubigunt, deuoluunt, diuidunt, digerunt, egerunt? Quò manus ipſæ & pedes, & operarij, quippe actus cùm victus etiam cura ceſſabit? Quò renes conſcij ſeminis, & reliqua genitalium vtriuſque ſexus, & conceptuum ſtabula, & vberum fon-*

B *tes deceſſuro concubitu, & fœtu, & educatu?* Tum oſtẽdit hæc omnia in quamdam immortalitatem, æternitatémque transferenda non aliter, *atque animale corpus in ſpiritale tranſibit, & mortale iſtud induet immortalitatem, & corruptiuum iſtud incorruptelam, & ipſa autem liberata, tunc vita à neceſſitatibus liberabitur, & membra ab officiis.* Hac igitur ratione Paulus IV. nos reuocat à peccato ad eum planè modum, quo initio capitis dixerat; *Qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?* Huc refero illud Clementis [b] Alexandrini. *Omnibus* (inquit) *viribus tentandum eſt animam Deo ſimilem efficere, ſed ille quidem liber eſt ab omnibus humanis animi perturbationibus. propterea enim vel ſolus eſt index, quòd ſolus ſit in quem peccatum non cadit; nos autem conemur quoad eius fieri*

C *poterit, vt quam minimùm peccemus.* Et plura deinceps in eamdem ſententiam, vbi interpretis lapſus obſeruandus eſt, qui cùm quatuor gradus à Clemente numerentur eorum, qui abſtinent à peccatis, quartum omiſit; ſic autem Clementis verba Latinè reddi poſſunt. *Optimum quidem eſt nullo modo peccare, quod eſt ſolius Dei; ſecundum, nullum ex voluntariis attingere maleficus, quod eſt proprium ſapientis; tertium, in inuoluntaria non adeo multa incidere, quod iis maximè conuenit, qui benè educati ſunt; in peccatis autem non diutiſſimè immorari, vltimo loco ponatur.* Clementi mirè conſentiunt quæ ſcribit Gregorius [c] Nazianzenus. *Omni quidem* (ait) *vitio carere eiuſmodi proculdubio eſt, vt humanum modum excedat, ſolique Deo conueniat: Nihil enim de Angelis dico, ne vitiis occaſionem*

D *demus, improbiſque cõtentionibus feneſtram aperiamus: contrà perditè, ac profligatè peccare impura, & aduerſa dæmonum natura eſſe, atque eorum qui ipſius afflatu impelluntur. At verò è peccati cœno emergere, atque ad meliorem frugem redire hominum eſſe, verùm proborum claſſiſque ſalutem accepturа.* Alio [d] loco: *Illud verò magnum atque præclarum* (ait) *ne à principio quidem omnino peccaſſe, aut certè non grauiſſimè, quandoquidem omni prorſus peccato vacare ſupra humanæ naturæ modum Deus conſtituit. Proximum autem* (vt mihi videtur) *illud eſt, vt cùm in peccatum aliquod prouoluti, & caſtigati, ac deinde ſoluti fuerimus in diſciplina ſaltẽ ſenſu permaneamus, ac ſecunda ex ſecundo peccato verbera fugiamus.* Addit deinde Paulus: *Et membra veſtra* V. *arma iuſtitiæ Deo;* tantùm abeſt, vt (quod olim Pri-

E ſcillianiſtæ dixerunt) ſit humanum corpus dæmonis figmentum, quod ad Turibium egregiè improbat Leo [e] Pontifex. Aliter autem Dei militiam accipit, quàm cùm dicit: [f] *Arma malitiæ noſtra non ſunt carnalia.* Fortè eodem modo loquitur, quo cùm aliàs dixit; [g] *Per arma iuſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris.* Ibi enim inter cætera enumerat labores, vigilias, ieiunia, caſtitatem, quæ ſine corpore, aut corporis membris nulla ſunt. Vult autem Paulus, membra corporis eſſe arma, quibus Deo immortali ſiue comparanda, ſiue tuenda, augendáque iuſtitia militemus;

Q 3 quo

a Hom. de carne. b Hom. in attende. c Const. ad ascetam. d lib. de vera virginitate. e lib. 4. strom. f cap. 1. g lib. de anima cap. 53. h lib. de anima cap. 40. i Collat. 5. cap. k lib. 4. contra Iulia. l lib. 3. de rep.

a l. de reſur. carnis. ca. 60. b l. 1. pædag. cap. 2. c Orat. 26. & ſimil. ora. 40. d Oration 48. quæ eſt. 2. cõtra Iulia. e Epiſt. 91. f 2. ad Cor. 10. 7. g 2. ad Cor. 6. 7.

a l. ad Mart. cap. 3.

quomodo rectè Tertullianus.[a] *Vocati ſumus*(inquit) *ad militiam Dei viui, iam tunc cùm ſacramenti verba reſpondimus. Nemo miles ad bellum cum delicijs venit, nec de cubiculo ad aciem procedit, ſed de papilionibus expeditis, & ſubſtrictis, vbi omnis duritia, & imbonitas, & inſuauitas conſiſtit, etiam in pace, labore, & incommodis bellum pati iam ediſcunt, in armis deambulando, campum decurrendo, foſſam moliendo, teſtudinem deſicando: ſudore omnia conſtat, ne corpora, atque animi expaueſcant; de vmbra ad ſolem, & ſole ad cœlum; de tunica ad loricam, de ſilentio ad clamorem, de quiete ad tumultum. proinde vos benedicta quodcumque hoc durum eſt ad exercitationem, virtutem animi, & corporis deputate; bonum agonem ſubitura eſtis, in quo agonothetes Deus viuus eſt, Xyſtarches Spiritus ſanctus, corona æternitatis, brauium Angelica ſubſtantia, politia in cœlis, gloria in ſæcula ſæculorum.* Simile quiddam ſcripſit alicubi Hieronymus[b] hunc (vt arbitror) auctorem æmulatus. *quid facis*(inquit) *in paterna domo delicate miles? vbi vallum? vbi foſſa? vbi hyems acta ſub pellibus? Ecce de cœlo tuba canit.* Neque aliter Ambroſius,[c] qui nos athletis perſimiles eſſe debere multis oſtēdit. *Athleta ergo ſumus*(ait) *legitimè certandum eſt, multa certamina ſunt, & qui hodie victus eſt, cras ſe reparet. Antea ad brauium contenditur, poſtea ad coronam. Nunquid athleta otio vacat, cùm ſemel dederit certamini nomen ſuum? exercetur quotidie, vngitur quotidie; ipſe cibus ei agnoſtieus datur, diſciplina exigitur, caſtimonia cuſtoditur. & tu dediſti nomen tuum ad agonem Chriſti, ſubſcripſiſti ad competitionem coronæ, meditare, exercere, vngere oleo iuſtitiæ, vnguento exinanito. cibus tuus cibus ſobrietatis ſit, nihil habeat intemperantiæ, nihil luxuriæ: potus tuus parcior, nequid ebrietatis obrepat, cuſtodi corporis caſtimoniam, vt poſſis eſſe habilis ad coronam.* Faciunt autem ad hunc ipſum locũ quæ diſertè, & copioſè ſcribit Seneca.[d] *Id agere*(inquit) *debemus, vt irritamenta vitiorum quàm longiſſimè profugiamus, indurandus eſt animus, & à blandimentis voluptatum procul abſtrahendus.* Et aliquantò pòſt. *Nobis quoque militandum eſt: & quidem genere militiæ, quo nunquàm quies, nunquàm otium datur, debellandæ ſunt in primis voluptates, quæ*(vt vides) *ſæua quoque ad ſe ingenia rapuerunt. Si quis ſibi propoſuerit quantum operis aggreſſus ſit, ſciet nihil delicatè, nihil molliter eſſe faciendum.*

b Ep. ad Eliodorum. 1.

c lib. de Elia & ieiun. c. 21.

d Epiſt. 51.

14. Peccatvm enim vobis, &c. Chryſoſtomus,

I. & Theodoretus addunt; ampliùs non dominabitur; quaſi dicat, cùm antea dominatum in vobis exercuerit, dum eſſetis adhuc ſub lege, in poſterùm ampliùs non dominabitur, quia non ſub lege, ſed ſub gratia viuitis. Certum eſt autem, quidquid aliqui contrà ſentiant, agi hoc loco de lege morum; ſub ea quidam nos eſſe negat, quia nobis non tamquàm ſeruis dominatur, terrorem incutiens, aut ſupplicium intentans. Sic alicubi Paulus dixit;[e] *Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas.* Itémque[f] *ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.* Denique,[g] *Iuſto non eſt lex poſita.* Monet enim Auguſtinus[h] explicans illa verba; *In lege Domini voluntas eius*; eum eſſe ſub lege, qui lege agitur tamquàm ſeruus, eum verò eſſe in lege, qui liberè, ac ſponte viuit ſecundùm legem. eamdémque ſententiam ſequitur Caſſianus:[i] verum id quidem eſt, ſed non admodum ad rem, tametſi placuit magnis auctoribus. Sic enim explicat Auguſtinus[k] verba illa; *ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.* Neque aliter ſentit alicubi Ambroſius,[l] qui tamen hoc loco (quod magnopere probo, vt ex Auguſtini ſententia paulò pòſt docebo) ſub lege eſſe idem planè ſignificare contendit, quod ſubiacere peccato, propterea quòd auctoritate legis peccatores ſupplicij rei conſtituuntur; contrà verò cui peccatum iam condonatum eſt, quique in poſterum à peccatis abſtinet, legi non ſubeſt, quia ab illa non fit vllo modo reus. Quod ſubobſcurè indicat Chryſoſtomus his verbis; *Nos non legem habemus, quæ tantummodò præcipiat, ſed gratiam, quæ præterquam quòd priora dimittit, ad futura quoque cauenda munias*; atque ita qui non eſt ſub lege, peccato non ſeruit. Huius rei modum ac rationem explicat Auguſtinus. *Reos* (inquit) *faciebat lex iubendo, non adiuuando; gratia quippe adiuuat vt quiſque ſit legis factor, ſine qua gratia, ſub lege poſitus tantummodò erat legis auditor.* Eodem modo Paulum explicant Oecumenius, & Theophylactus; atque idcirco illis, qui ſub lege erant peccatum dominabatur, quia non vi legis, ſed gratiæ duntaxat beneficio expiatur. Hanc ego Auguſtini ſententiam ve- II.

e 2. ad Cor. 3. 17.

f ad Gal. 5. 18.

g 1. ad Tim. 1. 9.

h in Pſal. 1. 2.

i Collat. 21. cap. 30.

k l. de nat. & gratia ca. 57. l. de ſpiritu, & littera ca. 10. lib. de continentia. cap. 1. 1 l. de gratia & lib. arb. c. 12. & de Trinit. 1. in Ioan.

hementer probo, quam ille alio[a] loco non multis verbis complexus eſt. *Non ſumus* (inquit) *ſub lege, bonum quidem iubente, non tamen dante, ſed ſumus ſub gratia quæ id, quod lex iubet faciens nos amare poteſt liberis imperare.* Ad hunc ſenſum accommodanda ſunt, quæ fuſè ſcribunt B. Thomas, & alij[b] in hunc locum, qui plures explicant modos, quibus quis eſſe poteſt ſub lege. Quid autem ſit eſſe ſub gratia idem Auguſtinus[c] quàm pauciſſimis declarat; *Quia non conſentimus deſiderijs prauis in gratia ſumus, non ſub lege.* Plures verò hominum gradus paulò antè[d] conſtituerat. *Ante legem*(inquit) *ſequebantur homines concupiſcentiam carnis; ſub lege trahebantur cum ſua concupiſcentia; ſub gratia nec ſequimur concupiſcentiam, nec trahimur ab ea; in pace nulla eſt concupiſcentia carnis.* Alio verò loco fuſè declarat quid ſit eſſe ſub lege.[e] *Ecce*(inquit) *ad hoc venit Chriſtus, vt eos, qui ſub lege erant redimeret, vt iam non ſimus ſub lege, ſed ſub gratia. Ille autem dedit legem qui dedit & gratiam: ſed legem per ſeruum miſit, cum gratia verò, ipſe deſcendit: ſed vnde facti erant homines ſub lege? non implendo legem. qui enim legem implet non eſt ſub lege, ſed cum lege; qui autem ſub lege eſt, non ſubleuatur, ſed premitur à lege. omnes itaque homines ſub lege conſtitutos, lex faciebat reos, & ad hoc illis ſuper caput erat, vt oſtenderet peccata, non vt tolleret. Lex ergo iubet, dator verò legis miſeretur, & adiuuat in eo quod lex iubet, conantes homines implere viribus ſuis præcepta legis, ipſa ſua temeritate, & præcipiti præſumptione, ciciderunt, & nõ fuerunt cum lege, ſed ſub lege facti ſunt rei. & quoniam ſuis viribus implere non poterant legem, facti rei ſub lege implorauerunt liberationis auxilium, & reatus quidem legis fecit ægritudinem ſuperbis, ægritudo ſuperborum facta eſt confeſſio humilium. Iam confitentur ægroti quia ægrotant, optant, vt medicus veniat, & ſanet ægrotos, medicus autem eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui venit ſaluum facere quod perierat.* Eodem refero quæ hoc loco ſcribunt Oecumenius, & Theophylactus. Hac porrò ſententia Pauli (vt ſcribit Clemens[f] Alexandrinus) abutebantur ij, qui neſcio quam indifferentiam introducebant, quaſi conſequens eſſet, vt qui ſub gratia erant quidquid agerent, peccare non poſſent, cùm tamen Paulus verbis ſequentibus planè indicet contrarium. *Quid ergo*(ait) *peccabimus, quoniam non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia?* Quod profectò nequaquam dixiſſet, niſi de lege morum loqueretur, & peccandi facultas etiam comitaretur eos, qui in gratia viuunt. Eàdem ſententia abutuntur etiam ſuperioris ſæculi hæretici, qui idcirco negant, nos eſſe ſub lege, quod illa à nobis perfectam iuſtitiam nequaquàm exigat, quam nullus quantumuis iuſtus præſtare poteſt, de qua re alibi. Rectè itaque colligit Apoſtolus, quoniam non ſumus ſub nudo præcepto gratia deſtituto, ſed ſub gratia, quæ nobis ad benè beatéque viuendum auxilium ſuppeditat, par eſſe, iam nos à peccatis abſtinere: quod ſanè, ſi de

a lib. de continentia ca. 3.

b Caietanus.

c de quibuſdam propoſit. Ep. ad Rom. Num. 35.

d Num. 18.

e tract. 3. in Ioannem.

f lib. 3. Strom.

III.

timore

A timore ageretur, non ita aptè concludi poterat. quanquam enim multò præſtabilius eſt caritatis impulſu, quàm metu ſupplicij diuinæ legi obtemperare: quod attinet tamẽ ad ipſam, quam vocant phyſicam actionis ſubſtantiam, quid refert timore-ne pœnæ, an virtutis amore quis à flagitio reuocetur? & fortaſſe apud pleroſque plus metus ſupplicij valet, quàm ſtudium virtutis.

Q V I D E R G O P E C C A B I M V S, &c.
15. I. Viderat Paulus quid ſuæ ſententiæ ambiguitas, quid item hominum improbitas in auditorum mentibus parere poſſet. nam (quod hæretici faciunt) potuiſſet quis ratiocinari, quoniam Paulus nos negat eſſe ſub lege, omni nos præcepto prorſus ſolutos eſſe, ac liberos; & quia ſub gratia viuimus, ob veniæ facilitatem, fas eſſe nobis impunè peccare. B Auertat verò iſtuc Deus, ait: quid enim magis improbum, quàm diuina benignitate, ac liberalitate ad peccandũ abuti? Verè de impiis ſcriptum eſt à Salomone.[a] *Quia non profertur citò contra malos ſententia, abſque timore vllo filij hominum perpetrant mala*; tantò vtique deteriores, quantò diuinis beneficiis in largitoris contumeliam magis impiè abutuntur, quòd ne Ethnicis quidem philoſophis [b] tolerabile viſum fuit. Hoc nomine olim peſſimè audiuit Carpocrates, [c] qui omnia flagitia cuiuis patranda eſſe docebat, & toties moriendum, & ad ſuperos redeundum, donec omnibus ſeſe ſceleribus quiſque inquinauiſſet, itáque explicabat verba [d] Chriſti; *Non exies inde* (hoc eſt de corpore) *donec reddas nouiſſimum quadrantem*. C A quo nõ admodum diſcrepant illi qui ſub lege non eſſe, idem putant ſignificare, quod nullo præcepto teneri, ſed liberum eſſe cuique agere quidquid libeat. addo etiam illos, qui exiſtimabant nos gratiæ beneficio ad eum perfectionis gradum poſſe pertingere, vt omni penitùs lege, ac præcepti auctoritate ſoluamur: quæ omnia non modò cum Catholica fide, ſed etiam cum recta ratione apertiſſimè pugnant, vt ſuo loco planiùs, & copioſius oſtendam.

a Eccleſiaſt. 8.11.
b Seneca l. 4. de benef. cap. 13. 30. lib. 4. ... 4. 5. 6.
c apud Epiphan. hær. 27.
d Matt. 5. 26.

16. I. N E S C I T I S, Q V O N I A M C V I, &c. Quod abominando tanquam maximè abſurdum intulerat, nunc euidenti argumento confirmat, nullo vſque modo peccandum eſſe, quandoquidem (vt dixit Chriſtus apud Ioannem) [e] *qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. quia nimirum* (vt auctor eſt Gregorius [f]) D *quiſquis ſe prauo deſiderio ſubijcit iniquitatis dominio, dudum libera mentis colla ſupponit*. Et inter philoſophos Seneca [g] liberum eum definit, qui ſeruitutem effugit ſui. *Hæc* (inquit) *eſt aſſidua ſeruitus, & ineluctabilis, & per diem, ac noctem æqualiter premens, ſine interuallo, ſine commeatu. ſibi ſeruire grauiſſima ſeruitus eſt, quam diſcutere facile eſt ſi deſieris multa te poſcere, ſi deſieris tibi referre mercedem; ſi ante oculos & naturam tuam poſueris, & ætatem, licèt prima ſit, ac tibi ipſe dixeris; quid inſanio? quid anhelo? quid ſudo? quid terram verſo? nec multo opus eſt, nec diu*. Rectè igitur ait Paulus, nos ei ſeruitutem ſeruire, cui obtemperamus, ſiue peccato (ſi corporeis voluptatibus indulgemus) ſiue diuinæ legi, ſi quoad eius fieri poteſt iuſtitiam colimus, ſanctitatem complectimur, iter denique virtutis ingreſſi ad ſumma contendimus. E Faciunt ad hunc locum quæ alicubi ſcribit Seneca [h]. *Aliorum* (inquit) *aurea cathena eſt, & laxa; aliorum arcta, & ſordida, ſed quid refert? eadem cuſtodia vniuerſos circumdedit, alligatique ſunt etiam qui alligauerunt, niſi tu fortè leuiorem in ſiniſtra cathenam putas, alium honores, alium opes vinciunt; quoſdam nobilitas, quoſdam humilitas premit: quibuſdam aliena ſupra caput imperia ſunt, quibuſdam ſua; quoſdam exilia vno loco tenent, quoſdam ſacerdotia; omnis vita ſeruitium eſt*. Et [i] ille;

e cap. 8. 34.
f l. 4. Moral. cap. 42.
g epiſt. l. 32. ... Quæſt.
h l. de tranquillitate cap. 10.
i Claudian.

A *Si metuis, ſi praua cupis, ſi duceris ira,*
Seruitij patiere iugum, tolerabis iniquas
Interiùs leges, tunc omnia iura tenebis
Si poteris Rex eſſe tui.

Videtur autem Apoſtolus, duos veluti duces, aut principes conſtituere, peccatum, & legem. qui peccato obtemperant, ei miſeram ſeruitutem ſeruiunt, quæ ducit ad mortẽ, idcirco ait, *ſerui eſtis cui obeditis, ſiue peccati ad mortem*. qui verò legi & eius præceptis parẽt, legi ſeruiunt ad iuſtitiam conſequendam. hoc enim eſt quod ait, *ſiue obeditionis ad iuſtitiã*. Ita vides Paulum ſic noſtram libertatem prædicare, atque extollere, vt tamen velit, nos diuinæ legi ſeruire, non tamen ſeruitute coacta, ſed ſpontanea ac libera de qua mox.

B G R A T I A S A V T E M D E O, Q V O D. &c. 17. I.
Græcè legitur χάρις δὲ τῷ θεῷ, hoc eſt, gratia autem Deo ſit, vel habeatur. ſignificat enim, Deo immortali gratias eſſe agendas, quòd Romanorum animos ab impietate, ac nefaria ſeruitute peccati tranſtulerit ad veram religionem, & ſtudium, atque amorem ſanctitatis. Huc ſpectat illud, quod ait Auguſtinus [a]. *Quid melius* (inquit) *& animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quàm Deo gratias? Hoc nec dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi grandius, nec agi fructuoſius poteſt*. Certè olim Gentiles ob accepta beneficia, & res benè, ac fœliciter geſtas Diis gratulari, ac numini gratias agere conſueuiſſe, multorum [b] ſcriptorum teſtimonio firmatur. Iam Paulus Deo gratias agit ob Romanorum conuerſionem ad C fidem, & indicans, eos mores, ac vitam in melius commutaſſe, ait: *Fuiſtis ſerui peccati* dum impios ac nefarios Deos, hoc eſt idola coleretis, iiſque ſceleribus impliciti teneremini, quæ ferè idololatriam comitantur. *Obediſtis autem in eam formam doctrinæ*, Græcè τύπον διδαχῆς; quia (vt ſcribit Clemens [c] Alexandrinus) *doctrina hominem concinnat, atque componit: concinnans autem, & componens, naturam ei tribuit. neque intereſt an fuerit natura effectus talis, an tempore, & diſciplina transformatus: vtrumque autem tribuit Dominus; illud quidem per creationem, hoc verò per recreationem, & renouationem, quæ fit ex teſtamento*. Hæc ille. Sanè quidem admirabilis initio naſcentis Eccleſiæ fuit Chriſtianorum mutatio, dum relictis idolis Chriſtianis ſacris imbuerentur, vſque eò, vt hic D ipſe Clemens [d], quæ olim de Orpheo mendaciſſimè fabulatur antiquitas, mirifica quadam ratione Chriſtianis vſu veniſſe confirmet. Nam mores olim barbaros, atque efferatos, non modò ait Chriſtiana pietate fuiſſe manſuefactos, ſed in alios propè cœleſtes, ac diuinos penitùs immutatos. Ita legimus [e] Iacobi fratris Domini eximiam ſanctitatem etiam Iudæis admirationi fuiſſe, & barbaras gentes Chriſtianorũ probitate permotas diuini verbi præcones auidiſſimè optaſſe ſcribunt Socrates [f], Theodoretus [g], & Nicephorus [h]. Nec verò id cuiquam mirum videri debet. dicitur enim à Dauide: [i] *Lex Domini immaculata conuertens animas*. Et Paulus miram diuini verbi efficacitatem prædicat [k]. *Viuus* (inquit) *eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus, compagum quoque, & medullarum*. E De hac autem Euangelicæ doctrinæ efficacitate multa ſcribit II. Athanaſius [l], vbi ait, nullam vim habuiſſe philoſophiam ad hominum animos immutandos. *Tot enim* (inquit) *tantiſque à Græcorum philoſophis voluminibus ſcriptis, ne paucos quidem vel ex proximis locis adducere potuerunt, vt ſua de immortalitate animæ dogmata, & placita de vita ſecundùm virtutem inſtituenda, amplecti vellent, ſolus Chriſtus vilibus, citra vllam magnificentiam verbis, ac per homines nequaquàm erudita lingua,*

a Epiſt. 77.
b Briſſon. l. 1. form.
c li. 4. Strom.
d in adhort. ad Gent.
e apud Hieronym. in Catal. in Iacob.
f lib. 4. ca. 27.
g lib. 4. c. vlt.
h lib. 11 c. 27.
i Pſal. 18. 8.
k ad Hebr. 4. 12.
l de humanitate verbi

A *gue, in orbe terrarum plurimis Eccleſiis id perſuaſit, vt mortem inter contempta, immortalia in pretio haberent, & temporaria deſpicerent, æterna ſuſpicerent, nihil putarent gloriam in terra, ſolummodo autem affectarent immortalitatem.* Eodem ſpectant quæ de diuini ſpiritus efficacitate ſcribit Gregorius [a] Nazianzenus, quibus conſentiunt quæ leguntur apud Chryſoſtomum [b], & Auguſtinum [c], denique Theodoretum [d]. Eodem modo loquitur Tertullianus [e], qui Euangelicam doctrinam cum hæreticorum ſectis componit; ait autem, hæreticos carere gladio ſpiritus, ſolámque habere ſcripturarum vaginam, atque idcirco nihil poſſe efficere. Quanta verò ſit vis Chriſtianæ doctrinæ ad immutandos hominum animos, ac mores, docent illa, quæ de conuerſione Gentis Iberorum ſcribit Ruffinus [f], opera cuiuſdam puellæ captiuæ, de B qua Theodoretus [g]; quibus addi poſſunt quæ leguntur in hiſtoria [h] tripartita, & quæ memorat Victor [i] Africanus. Atque haud ſcio, an hoc fuerit olim Petro [k] per viſum indicatum, dum *vidit vas quoddam velut linteum magnum quatuor initiis ſubmitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cœli*, vocémque de cœlo miſſam audiuit io hæc verba loquentem. *Surge Petre, occide, & manduca*; gladio quippe verbi Dei Gentiles occiſuri erant Apoſtoli, atque idcirco (vt interpretatur Gregorius [l]) *mactare, & comedere præcipitur Petrus, id eſt, à peccato eos, in quo viuunt, interficere, & in ſuum corpus, hoc eſt, Eccleſiam quaſi cibum concoctum, atque immutatum cõuertere.* Sic etiam Auguſtinus [m]: *Occidendi ergo erant* (inquit) *& manducandi, id eſt, vt interficeretur in eis vita præterita, qua nõ nouerant Chriſtum, & tranſirent in corpus eius, tamquam in nouam vitam ſocietatis Eccleſiæ.* Illa quippe animantium genera efferatos infidelium mores ſignificare docent etiam Origenes [n], & Ambroſius [o]. Ait autem Paulus, eos à ſeruitute peccati liberatos, ſeruos factos eſſe iuſtitiæ, quæ ſanè ſeruitus (vt aliàs diximus) eſt quolibet principatu præſtantior, & optabilior. Addit Romanos obediſſe ex corde, quia non timore pœnæ, non aliquo humano conſilio ducti, fidem complexi erãt: *In eam* (inquit) *formam, in quam traditi eſtis*, Græcè εἰς ὃν παρεδόθητε, quod recentiores Latinè reddunt; *traducti eſtis*, cùm tamen παραδίδοσθαι ſit Latinè nõ traducere, ſed tradere. neque iis aſſentior, qui vertunt, *quæ vobis tradita eſt*; quod enim ait Apoſtolus, vim quamdam habet ſignificandi veram, ac perfectam conuerſionem. nam qui ex animo fidem complectuntur, ſeſe totos Catholicæ doctrinæ tradunt, ſéque ei, quaſi typo aptant, & conformant. Itaque ait Theophylactus: *A Deo producti eſtis*, vt ſcilicet, *iuſti habeamini, & induamini iuxta formam doctrinæ, quæ principatum, & dominatum habet in homines eam profitentes.* Significat igitur Romanos traditos fuiſſe in eam doctrinæ formam, quam audierant, & ſecuti erant. Sic autem ſubdit:

18. LIBERATI AVTEM A PECCATO, &c.

I. Non ita multò pòſt. *Liberati* (inquit) *à peccato, ſerui autem facti Deo.* Vtrumque enim Chriſtiana religio à nobis exigit, vt & peccati iugum à noſtris ceruicibus depellamus, & Deo nos perpetuò mancipemus, quo maximè Chriſtiana fides cæteris omnibus, aut philoſophorum ſectis, aut hæreticorum conciliabulis, longè antecellit, vt ex Chryſoſtomo [p], Gregorio [q] Nazianzeno, Athanaſio [r], Theodoreto [s], Tertulliano [t], Auguſtino [u] facilè intelligitur: quin etiam ſola Chriſti fides planè homines à peccato liberat, non ſolùm quia vi, ac poteſtate ſacramentorum, nullum non poteſt quamuis immane facinus expiare; ſed quia adeo omne piaculum execratur, vt ne otioſum quidem verbum permittat: Cùm tamen aliæ

[a] Orat. 44.
[b] Hom. 66. ad populum.
[c] lib. 22. de Ciuit. c. 5.
[d] lib. 9. de cu ran. Græc. affect.
[e] lib. de præſcript.
[f] lib. 10. c. 10.
[g] lib. 1.
[h] l. 2. ca. 21. l. 7. c. 39.
[i] l. 1. de perſec. Vandal.
[k] Act. 10. 11. 12.
[l] lib. 18. Moral. c. 22.
[m] Serm. 26. de diuerſis cap. 7.
[n] Hom. 7. in Leuit.
[o] Ser. 67 qui eſt. 2. de Natali Apoſt.
[p] Hom 46. ad popul.
[q] Orat. de Spir. ſancto.
[r] De humanitate verbi.
[s] l. 9. de cura. Græc. affect.
[t] de præſcrip. aduerſ. hæret.
[u] lib. 22. de Ciuit. c. 1.

penè omnes ſectæ, multis ſceleribus, ac flagitiis ſint contaminatæ, nõ ſolùm quia tolerant, ſed etiam quia probant, vt ex Arnobio [a], & Auguſtino [b] cognoſci poteſt. Doctrina autem Euangelica miram quandam ſanctitatem docet, vt ipſe Paulus ſuis in Epiſtolis, ſæpè ſignificat, dum ad Chriſtianam perfectionem hortatur. Cæterùm quod attinet ad verba, Græcè dixit Apoſtolus ἐλευθερωθέντες, quam vocem parum aptè quidam paulò pòſt vertunt manumiſſi. is enim propriè dicitur manumitti, qui à Domino libertate donatur: itaque *manumiſſio* (vt ait Vlpianus [c]) *à iure gentium originem ſumpſit, vtpote cùm iure naturali omnes liberi naſcerentur, nec eſſet nota manumiſſio, cùm ſeruitus eſſet incognita. Sed poſteaquam iure gentium ſeruitus inuaſit, ſecutum eſt beneficium manumiſſionis.* B Tunc autem *ſeruus manumitti dicebatur, cùm Dominus eius, aut caput eiuſdem ſerui, aut aliud membrum tenens dicebat, hunc hominem liberum eſſe volo, & emittebat eum manu.* Ita apud Liuium [d] Gracchus libertate donat Volones, quorum forti, ac fideli opera vſus erat in prælio contra Hannonem, his planè verbis. *Quod bonum, fauſtum, fœlixque reip. ipſiſque eſſet, omnes eos liberos eſſe iubeo.* quod dicendi genus ſæpe ab aliis vſurpatum legimus [e]. cœpit deinde manumiſſio per lictores fieri [f], *manumiſſio* (inquit) *hodie per lictores domino tacente expediri ſolet.* Quocirca Boëtius [g]: *vindicta verò* (inquit) *eſt virgula quadam quam lictor, manumittendi ſerui capiti imponens, eundem ſeruum, in libertatem vindicabat, dicens quadam verba ſolemnia.* Quæ ratio (vt apparet) inſtituto apo- C ſtolico aptari nequaquàm poteſt. non enim peccatum, aut Diabolus, ſponte ſua manumittit, ſed potiùs diuinæ gratiæ beneficio aſſeruntur homines in libertatem. itaque meliùs omnino dixit noſter interpres, *liberati* (addit) *ſerui facti eſtis iuſtitiæ*; is autem dicitur ſeruire iuſtitiæ, qui legi obtemperat, qui ſtudio virtutis, honeſtique tenetur.

HVMANVM DICO PROPTER, &c. Non hoc refero (quod nonnulli faciunt) ad modum, ac formam dicendi, quaſi in rebus diuinis vtatur Apoſtolus humanis ſimilitudinibus; ac de medio ſumptis, eámque ob rem veniam aliquo modo deprecetur; ſed ad id, quod Apoſtolus ſuadet; quod quidem eſt humanæ imbecillitati conſentaneum, atque in primis accommodatum; alioqui longè maior tum D diligẽtia, tum ſedulitas diuinis rebus debetur, quàm quæ à ſceleratis hominibus vitæ flagitioſæ impenditur. Quocirca rectè Baruc [h]: *Sicut fuit ſenſus veſter,* (inquit) *vt erraretis à Deo, decies tantùm iterum conuertentes requiratis eum.* Hanc verò locutionis formam, vt alias non paucas apud Paulum, ex Cilicum idiomate deſumptas fuiſſe docet Hieronymus [i] ad Algaſiam; & rectè omnino hac de re ſcribit Auguſtinus [k]. *Quid enim* (inquit) *eſt ſicut illud ita & hoc, niſi quemadmodum ad peccandum, nullus vos cogebat timor, ſed ipſius libido, voluptáſque peccati: ſic ad iuſtè viuendum, non vos ſupplicij metus vrgeat, ſed ducat delectatio, caritáſque iuſtitiæ? Et hæc quidem quantum mihi videtur, nondum eſt perfecta, ſed quodammodo adulta iuſtitia. Neque enim fruſtra præmitteret. Hu-* E *manũ dico propter infirmitatem carnis veſtræ, niſi quia plus aliquid dicendum fuit, ſi iam illi ferre potuiſſent, plus quippe ſeruitutis debetur iuſtitiæ, quàm peccato ſolent homines exhibere.* Quam ſententiam fuſiùs alibi [l] explicat: idémque prorsùs ſentit Gregorius [m], qui viros perfectos palmæ ſimiles eſſe docet, *quæ minor ab imis incipit, & iuxta ramos, & fructus, amplιori robore exurgit, & quatenus ab imo proficit, vaſtior ad ſumma ſuccreſcit.* Neque aliter accipit Bernardus [n], qui hanc Pauli monitionem ad homines quidẽ bonos, ſed etiam num rebus terrenis deditos,

19. I.

& rerum

[a] lib. 4.
[b] Toto lib. de Ciuit.
[c] L. 4. ff. de iuſt. & iure.
[d] lib. 24.
[e] apud Plautum in Menachm. Act. 4. Sec. 7. & penul. Terent. in Adelph. act. 5. Scen. vlt. Martial. 9. Epigr.
[f] l. manumiſſio. ff. de manum. vind.
[g] in Topica Ciceronis.
[h] cap. 4. 28.
[i] ep. 151. q. 1
[k] ep. 144.
[l] Serm. 8. verb. Apo.
[m] lib. 19. Moral. c. 25.
[n] Ad fr. de monte

& tertim adhuc ſpiritualium rudes, quique in virtutis ſtudio parum profecerint, exiſtimat pertinere. nam qui magnos habent in virtute progreſſus, verè intelligunt dictum eſſe à Leone [a] Pontifice; *In dilectione Dei nulla eſſe nimia, in dilectione autem mundi cuncta noxia, & ideo æternis bonis inſeparabiliter inhærendum, temporalibus verò tranſeunter vtendum.* Quod autem dixit noſter interpres; *exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ;* Græcè legitur τῇ ἀκαθαρσίᾳ, hoc eſt, ſerua, ac mancipia immunditiæ, atque iniquitati addicta. rectè namque ſcripſit Seneca [b]. *Alius libidini ſeruit, alius auaritiæ, alius ambitioni; omnes timori. dabo Conſularem aniculæ ſeruientem: dabo ancillulæ diuitem: oſtendam nobiliſſimos iuuenes mancipia Pantomimorum; nulla ſeruitus turpior eſt, quàm voluntaria.*

a Serm. 5. de [illegible] epist. 47.
b [illegible]

II. Porrò *iniquitati ad iniquitatem;* Hebræorum more dictum eſt, hoc eſt, ad omnem improbitatem profecti. vt enim ait Theophylactus, ſignificat his verbis Apoſtolus, *peccatis ad peccatum veluti additamentum.* Poſſis etiam hoc modo accipere, vt ſignificet Apoſtolus, eos non animo tantùm concepiſſe iniquitatem, ſed ipſa actione perfeciſſe, vt ab iniquitate mente concepta gradum fecerint ad eam, quæ re ipſa perpetratur. Eo denique modo explicari poteſt, quod ſubditur, *ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.* Mox enim addit, vt ſiſtant membra ſua, δοῦλα τῇ δικαιοσύνῃ, id eſt, ſerua iuſtitiæ in ſanctificationem, Græcè εἰς ἁγιασμόν. quid autem ſit ἁγιασμὸς, id eſt, ſanctificatio, quáque ratione comparetur, docet Baſilius [c]. *Porrò* (inquit) *ſanctificatio eſt deditum eſſe ſancto Deo ex toto, & ſine intermiſſione, in omni tempore, per curam & ſtudium eorum, quæ ipſi placent.* Aliter ſanctificationem accipit Apoſtolus cùm dixit [d]: *Hæc eſt enim voluntas Dei ſanctificatio veſtra.* Itémque: *Vt ſciat vnuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere, in ſanctificatione.* De qua re pulchrè Tertullianus [e], & nos plura ſuo loco.

c In reg. compend. explic. quæſt. [illegible]
d 1 ad Theſſ. 4.
e De velan. virg. cap. [illegible]

III. Porrò in præſentia ex Auguſtini ſententia monet Anſelmus, eſſe quampiam ſeruitutem laudabilem, contrà verò nonnullam libertatem maximè damnandam. Etenim virtuti ſeruire qualibet libertate, aut etiam imperio glorioſius eſt; contrà verò ab hac ſeruitute liberum eſſe fœdiſſima quædam ſeruitus eſt, & iuſtos quidem Reges appellari affirmant Gregorius [f], & Ambroſius [g], & egregiè alicubi [h] M. Tullius. *Nec me* (inquit) *peregrinum poſthac dixeris, ne grauiùs reſpuère; neque Regem, ne derideare, niſi fortè regium tibi videtur ita viuere, vt non modò homini nemini, ſed ne cupiditati quidem vlli ſeruias, contemnere omnes libidines,* & quæ ſequuntur. Acutè verò ab Anſelmo obſeruatum eſt dixiſſe Paulum, Romanos à peccato liberatos fuiſſe tanquàm alieno beneficio, hoc eſt, eius, de quo Chriſtus apud Ioannem [i]: *Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis;* at iuſtitiæ liberos nō liberatos, quia ea libertas quippe mala non aliunde, quàm à propria voluntate profecta eſt. Liberum námque arbitrium adeo in peccatore non perit, vt eo maximè peccent quicumque voluptatibus, & cupiditatibus indulgent, quod non vno loco luculenter docuit Auguſtinus [k]. Quò impudentiùs ineptire cenſendi ſunt hæretici, qui liberum arbitrium de medio tolli ab Apoſtolo ſomniant, quòd aliquos dicat fuiſſe peccati ſeruos: ſemper enim voluntas libera eſt nō ſolùm à violentia, ſeu coactione, ſed etiam neceſſitate, quamuis plerumque habitu, ac propenſione veluti captiua teneatur: de qua re egregiè Auguſtinus [l] in hunc modum ſcribit: *Suſpirabā* (inquit) *ligatus non ferre alieno, ſed mea ferrea voluntate, velle meū tenebat inimicus, & inde mihi cathenam fecerat, & conſtrinxerat me: quippe ex voluntate peruerſa facta eſt libido, & dum ſeruitur libidini, facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini nō reſiſtitur, facta eſt neceſſitas: quibus quaſi anſulis quibuſdam ſibimet innexis, vnde cathenam appellaui, tenebat me obſtrictum dura ſeruitus. Voluntas autem noua quaſi mihi eſſe cœperat, vt te gratis colerem, fruique te vellem, Deus; ſola certa iucunditas nondum erat idonea ad ſuperandum priorem vetuſtate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, vna vetus, alia noua; illa carnalis, iſta ſpiritualis confligebant inter ſe, atque diſcordando diſſipabant animam meam.* Et alia deinceps multa.

f [illegible] Hom. [illegible] & lib. [illegible] c. 6.
g Lib. 2. de Abraham. ca. [illegible]
h Orat. pro Sylla.
i Cap. 8.
k Ep. 47. l. [illegible] contra duas ep. Pelag. ca. 2. l. de gratia Christi ca. 41. [illegible] de pecca. [illegible] & lib. de [illegible] & lib. [illegible] c. 4. lib. [illegible] cap. 8. & [illegible]
l Lib. 8. Confeſſ. c. 5.

A

20. I. Cvm enim servi essetis, &c. Eo planè, quem paulò antea diximus, modo, quòd peccati videlicet tyrannidem miſeri ſuſtinerent, virtutis, ac iuſtitiæ præcepta, atque inſtituta negligerent: liberos autem dixit Apoſtolus iuſtitiæ dandi caſu, quos gignendi caſu ait peccati fuiſſe ſeruos; vt ſignificet, eos, qui ſeſe peccati ſeruituti fœdè mancipaſſent, nihil habuiſſe cum iuſtitia commune, ſed ab ea prorsùs fuiſſe alienos, aut potiùs auerſos, qui eam pro animi ſui libidine contemnerent, ac violarent. Itaque erat illa abſque libertate libertas, cùm indigniſſimam ſeruirent ſeruitutem; vera namque libertas deſcribitur à B. Gregorio. [a] *Magna* (inquit) *eſt ſeruitus ſæcularium negotiorum quibus mens vehementer atteritur, quamuis in eis ſponte deſudet; cuius ſeruitutis conditione carere, eſt in mundo iam nihil concupiſcere. Quaſi enim quodam iugo ſeruitutis premunt aduerſa, dum formidantur. At ſi quis ſemel à dominatione deſideriorum temporalium colla mentis excuſſerit, quadam iam etiam in hac vita libertate perfruitur, dum nullo deſiderio fœlicitatis afficitur, nullo aduerſitatis terrore coarctatur.* Hanc libertatem aliqua ratione deſcribit Seneca. [b] *Vaco* (ait) *mi Lucili vaco: & vbicumque ſum, meus ſum. rebus enim non me trado, ſed commodo: nec conſector perdendi temporis cauſas, & quocumque conſtiti loco, ibi cogitationes meas tracto, & aliquid in animo ſalutare verſo.* Et alibi: [c] *Quid eſt præcipuum? In primis liberum animum habere. Hæc res efficit non è iure Quiritium, vt ſit liber, ſed à iure naturæ.* Rurſus alio [d] loco: *In primis autem reſpuendæ ſunt voluptates: eneruant, & effœminant, & multum petunt, multum autem à fortuna pendendum eſt, deinde ſpernendæ opes. auctoramenta ſunt ſeruitutum. aurum, & argentum, & quidquid aliud fœlices domos onerat, relinquatur. non poteſt gratis conſtare libertas: hanc ſi magno æſtimas, omnia paruo æſtimanda ſunt.* Neque aliter ſenſit Socrates, qui cum quempiam interrogaſſet quémnam mortalium maximè beatum putaret, illéque reſpondiſſet eum qui quæcumque appeteret, aſſequi poſſet; illico excepit: At enimverò beatiorem puto qui nihil appetit. Meliùs illi [e] de Chriſtiana libertate. *Eam verò* (inquiunt) *libertatem ſuam* (quam lex ſpiritus, quæ eſt ipſa charitas diffuſa in cordibus noſtris, nobis affert) *Chriſtiani intelligant, non vt impleant ea, quæ in mandatis Dei exiguntur; ſed quatenus ad ea implenda non vt alij homines pœnarum metu, & imperio legis compellantur, ſed ea iam non inuiti, immò verò volentes faciant; ita vt obedientia ipſorum ſecundum animi promptitudinem, & in rectè factis lætitiam, vera libertas ſecundùm præcepti adimpletionem plena, & pia ſeruitus exiſtimetur; alioqui cupiditatibus frena laxare, & carnis curam ſecundùm eius deſideria facere, non Chriſti libertas, & ſed pernicioſa diaboli ſeruitus reputanda eſt.* Plura de hac re ſcribit hoc loco B. Thomas.

B

C

D

E

a lib. 30. moral. cap. 13.
b Epiſt. 62.
c Præf. l. 1. qq. natur.
d Epiſt. 104. [illegible]
e Patres Cōc. Moguntini. 4 cap. 10.

21. I. Qvem ergo frvctvm, &c. Egregiè hunc locum tractat Clemens [f] Alexandrinus, ex eóque colligit mortem eſſe eam animæ cum corpore coniunctionem, quæ eſt dedita peccato; contrà verò vitam, peccati carentiam, & innocentiam. Cæterùm nonnulli legiſſe videntur; *In quibus non erubeſcitis,*

f l. 4 Strom. non longe à princ.

prorsùs

prorsùs malè, & extrà rem, cùm ſcribat Apoſtolus ad fideles, qui priſtina ſcelera, atque flagitia deteſtabantur alij ſententiam ita diſtinguunt, vt interrogationem reſponſionémque contineat hunc fermè in modum. Quem fructum habuiſtis? Ea, quæ nunc erubeſcitis; ſubiectione non minùs arguta, quàm vera; quæ ſi codicum auctoritate, aut veterum ſcriptorum ſuffragio confirmaretur, non poſſet non magnoperè probari, ſed omnis antiquitas refragatur. Vtrumque tamen Clementi Alexandrino tribuitur, apud quem ego neutrum reperio. nam eo, quem paulò antè indicaui loco eâdem prorsùs ratione legit, quam nos habemus apud Paulum.

II. Rectè autem dixit, erubeſcentiam, ac pudorem eſſe veluti fructum peccatorum. vt enim ſcribit Seneca:[a] *Innumerabiles proprietates ſunt, ſed vnus effectus vitij, diſplicere ſibi. hoc oritur ab intemperantia animi, & cupiditatibus timidis, aut parum proſperis, vbi aut non audent quantum concupiſcunt, aut non conſequantur, & in ſpem toti pronnunt, ſemper inſtabiles mobiléſque. quod neceſſe eſt accidere pendentibus ad vota ſua. omni vita pendent, & vbi ſine præmio labor eſt, torquet illos irritum dedecus. tunc illos & pænitentia cœpti tenet, & incipiendi timor, ſubrepitque illa iactatio animi, non inuenientis exitum, quia nec cupiditatibus ſuis imperare, nec obſequi poſſunt: & cunctatio vitæ parum ſe explicantis, & inter deſtituta vota torpentis animi ſitus.* Et mox: *Hinc illud eſt tedium, & diſplicentia ſui, & nuſquam reſidentis animi volutatio, & otij ſui triſtis, ac ægra patientia: Vtique vbi cauſas fateri pudet, tormenta introrsùs egit verecundia, in anguſto incluſa cupiditates ſine exitu, ſe ipſa ſtrangulant. inde mœror, marcorque, & mille fluctus mentis incertæ, quam inchoata habent ſuſpenſam, deplorata triſtem: inde ille affectus otium ſuum deteſtantium, querentiúmque nihil ipſos habere quod agant.* Hinc illa apud Agellium[b] non minùs præclara, quàm breuis ſententia; *Non tanti emo pœnitere:* cùm magno pretio voluptas cuipiam comparanda proponeretur. Itémque illa Catonis apud eumdem:[c] *Cogitate* (inquit) *animis veſtris ſi quid vos per laborem rectè feceritis: labor ille vobis citò recedet: benefacta à vobis voluptas dum viuetis non abſcedet; ſed ſi quid per voluptatem nequiter feceritis, voluptas citò abibit, nequiter facti pœnitentia, & dolor apud vos ſemper manebit.* Ibidem autem ex Muſonio: *ſi per laborem honeſti quidpiam egeris, labor abit, honeſtum manet: ſi per voluptatem turpe feceris quidpiam, quod ſuaue eſt abit, quod turpe eſt manet.* Eodem ſpectant illa apud Boëtium:[d]

Habet hoc voluptas omnis:
Stimulis agit fruentem,
Apiúmque par volantum,
Vbi grata, mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morſu.

a l.1. de tranquil. vitæ. c.2.
b lib. 1. cap. 2.
c lib. 16. c. 1.
d lib. de conſol. phil.

III. Cæterùm peccatorum pudor, & erubeſcentia cùm diuinitus immittitur à Deo, aditum iuſtæ pœnitentiæ parat. Sic enim ait Ieremias:[e] *Poſtquam enim conuertiſti me, egi pœnitentiam, & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum, confuſus ſum, & erubui, quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ.* Et Ezechiel:[f] *Recordamini viarum veſtrarum peſſimarum, ſtudiorúmque non bonorum, & diſplicebunt vobis iniquitates veſtræ, & ſcelera veſtra.* Et mox: *confundimini, & erubeſcite ſuper vias veſtras.* Atque idcirco interdum conqueritur[g] Deus, quòd nolint homines impij, ac ſceleſti erubeſcere: qua de re multa Gregorius; quibus magnopere conſentiunt quæ alicubi ſcribit Plutarchus.[h] *Facinoroſa* (inquit) *conſcientia inſtar eſt vlceris in corpore, vtpote quæ pœnitentiam relinquat lancinantem iugiter, peruellentémque animum, nam cùm aliàs omnes triſtitias tollere ratio ſolita ſit, ſolam hanc pœnitentiam facit ſua ſponte incitabilem præ pudore, & quaſi mordicus impetentem ſeſe, atque excarnificantem; quemadmodum porrò qui rigente febre perfrigeſcunt, aut æſtuante exuruntur, acrius, infeſtiúſque afficiuntur, quàm qui æſtu, rigoréque exteriùs hæc eadem patiuntur: ſic obnoxiores triſtitias habent fortuna, & temeraria, vt pote aduentitiæ, quàm praua conſcientia, quæ animum intus vrit.* Quod adeo primorum parentum exemplo facilè quiuis intelligat, qui perpetrato peccato, continuò erubuerunt, ſuámque nuditatem exoſi ex ficulnis folijs perizomata compoſuerunt. Huc etiam aptari poſſunt, quæ more ſuo myſtico, ac ſpirituali ſenſu ſcribit Gregorius[a] de occurſu Iſaac venienti Rebeccæ, quæ viſo ſponſo de camelo deſcendit, ſéque pallio obtexit; pudorem enim ſignificari putat eorum, qui priſtina ſcelera deteſtantur.

e cap. 31. 19.
f cap. 16. 31.
g Ierem. 6. 15.
h lib. de tranquil. animi.
a l. 1. Moral. cap. 42.

IV. Sed non omnis pudor laudabilis, quod longa oratione docet Plutarchus.[b] Subdit verò Paulus; *Nam finis illorum mors eſt*; ſiue vt oſtendat, nullum eos ex flagitioſis actionibus percepiſſe fructum, præter mortis neceſſitatem; ſiue vt doceat, iure illos ob perpetrata facinora honeſto pudore affici, quod dum voluptates captarent, in fœdiſſimam mortem inciderint; vel enim ſpiritalem mortem intelligit, hoc eſt, inferorum cruciatus ſempiternos; quæ dicitur mors ſecunda,[c] vel ipſam certè carentiam gratiæ, & ſanctitatis. vt enim præter cæteros affirmat Philo[d] Iudæus, plerique mortui hoc ipſo dicuntur, quod ſtudium virtutis negligant, & voluptatibus ſeſe conſtringendos præbeant. *Cur enim* (inquit) *non modo mors pronuntiat, ſed morte mori? Quia videlicet mali etiam ſi ad extremum pertingant ſenium, mortui ſunt, quòd virtuti non viuant; probi verò etiamſi ſeiungantur à corpore, in æternum viuunt.* Quod enim peccatum mors ſit, probari poteſt ex illo Eccleſiaſtici.[e] *Ante hominem vita & mors, bonum & malum.* Neque aliter ſenſit B. Gregorius.[f] *Vmbra enim* (inquit) *mortis, mors carnis accipitur, quia ſicut vera mors eſt, qua anima ſeparatur à Deo; ita vmbra mortis, qua caro ſeparatur ab anima.* Nec fruſtra poſuit Apoſtolus, duo illa aduerbia *tunc* & *nunc*, vt oſtendat in præſentia quidem, ſubſequi pudorem, olim verò cum maximè voluptatibus fruerentur, etiam fructu caruiſſe.

b l. de vitioſa verecundia.
c Apoc. 2. & 20.
d lib. de profugis.
e cap. 15. 18.
f lib. 4. Moral. cap. 17.

22. I. NVNC VERO LIBERATI A PECCATO. &c. Præclara vtique antitheſi iuſtorum, & impiorum ſtatum deſcribit. Impij namque peccati, iuſti verò Dei ſerui dicuntur; illi iuſtitiæ liberi, hi liberati à peccato; illi denique & gratiæ mortui ſunt, & morti ſempiternæ obnoxij, hi verò ſanctitate præditi vitam expectant ſempiternam. Porrò vbi noſter interpres dixit *liberati, à peccato*, malè (vt ſupra monui) grammatici[g] nonnulli reddiderunt; manumiſſi. qui enim olim manumittebantur,[h] & Domini, & ſerui voluntate ſolemnibus verbis libertatem aſſequebantur, qui verò à peccati ſeruitute in filiorum Dei libertatem aſſeruntur, ſingulari quodam Dei munere ea donantur libertate. Dicuntur autem fructum habere in ſanctificationem (interprete Caſſiano) quia potiſſimùm ſpectant cordis (vt ille loquitur) puritatem. ſic enim ſcribit[i]: *τέλος verò eſt puritas cordis, quam ſanctificationem non immeritò nuncupauit, ſine qua prædictus finis non poterit apprehendi, ac ſi dixiſſet aliis verbis; habeatis quidem* [illegible] *veſtrum in cordis puritate, finem verò vitam æternam* Atque huc putat pertinere quod ait Apoſtolus:[k] *Quæ retro ſunt obliuiſcens, ad ea verò quæ ſunt priora, extendens me ipſum ad deſtinatum* (Græcè κατὰ σκοπὸν) *perſequor ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu*: Diſtinguit duo Apoſtolus, fructum nouæ libertatis, & finem; & fructum quidem vocat ſanctificationem, quæ in hac

vita

g Eraſmus.
h Briſſon l. 1. antiq. form.
i Collat. c. 5.
k ad Philip. 3. 13.

vita comparatur, finem verò vitam æternam quam A iuſti aliquando conſequentur.

13.
I. Stipendia enim peccati mors &c. Græcè quod noſter interpres dixit; ſtipendia; Paulus ſcripſit ὀψώνια, qua de voce digladiantur grammatici; & ſunt qui [a] mallent authoramentum interpretari: prorſus ineptè ac parum ad rem. ſumpta nāque videtur metaphora à militia, quia dixerat paulò ante: *Exhibeatis membra veſtra arma iuſtitiæ Deo.* Eſt autem ſtipendium verbum militare, cui Græcè reſpondet ὀψώνιον, vt ex Polybio, Dionyſio, Plutarcho, atque aliis Græcis ſcriptoribus apertè colligitur. Et qui authoramentum hoc loco probant apud Lucam [b], & apud Paulum in priori ad Corinthios [c] ὀψώνια, Latinè ſtipendia interpretantur, & authoramentum quidem aliò videtur ſpectare. B erat enim veluti pretium, quo ſe gladiatores in hæc ferè verba addicebant.

a Eraſm.
b cap.3.14.
c cap.9.7.

Vri, vinciri, ferróque necari.

ſic alibi Horatius [d]:

d l.2.Satyr.7.

quid refert vri, virgis, ferróque necari
Authoratus eas?

Quò etiam ſpectaſſe viſus eſt Seneca [e] cùm dixit, *Eadem honeſtiſſimi huius, & illius turpiſſimi authoramenti verba ſunt,*

e Epiſt.37.

Vri, virgis, ferróque necari.

ab illis qui manus arenæ locant, & edunt, ac bibunt, quæ per ſanguinem reddant, cauetur vt iſta vel inuiti patiantur: à te vt volens, libenſque patiaris. Erat autem authoramentum præmium, ſeu merces, quo gladiatores, & alliciebantur ad pugnam, & ludis quodam- C modo obligabantur; quocirca rectè dixit M. Tullius, *Mercenarius mercedem eſſe authoramentum ſeruitutis.* Et Seneca [f] de Philippo Macedonū Rege; *Hominem* (inquit) *venalis animæ, crebris authoramentis accendebat.* Alibi: [g] *Nullum ſine authoramento malum eſt. auaritia pecuniā promittit: luxuria multas, ac varias voluptates. ambitio purpurā, & plauſum, & ex hoc potentiā, & quidquid potentia poteſt, mercede te vitia ſolicitant. hic tibi gratis viuendum eſt.* Rurſus [h] alio loco: *Quid enim magnificum conſequitur ille qui meditatus eſt per intenſos funes ire? qui ſarcinæ ingenti ceruices ſupponere? Qui ſomno non ſubmittere oculos? qui penetrare in imum mare? & tamen ad finem operis non magno authoramento labor peracat.* Et cum de Claudio ſcriberet, eum narrat [i] *proximo munere inter nouos authoratos ferulis vapulare voluiſſe.*

f l.4.de beneficijs cap.24.
g Epiſt.19.
h l.2.de ira cap.12.
i In libello de morte Claud. Cæſ.

II. Itaque ſi de re ipſa contētio ſit, parum meo quidem iudicio retulerit ſtipendium-ne, an authoramentum quis dicat. quamlibet enim cuiuſuis operis mercedem, per metaphoram, authoramentum qui latinè ſcribunt vocare ſolent. etenim Plinius [k] *vindemiatorem qui ad vindemiam in grandibus, & proceris arboribus, & excelſiſſimis pergulis pendentem, operas ſuas locauerat, authoratum* vocat. ſin autem vim vocis ſpectare placeat, nihil mutandum cenſeo, cùm præſertim quæ de militia paulò antè dicta ſunt, hanc omnino vocem poſtulent, quam noſter interpres poſuit, hoc eſt, ſtipendia peccati mors; authoramentum ne ferant quidem. authorare enim eſt ſacramento adigere, ac ſtipendio obligare, ducta (vt opinor) ſimilitudine ab auctore, E in qua qui emeret auctor dicebatur, res verò coëmptæ, auctoratæ, id eſt auctori ſuo addictæ. ita Liuius [l] *pignore proditorem authoratum* ſcribit, inde auctoramentū, hoc eſt, id, quo quis obligabatur, vt ſuperiora A teſtimonia ex Seneca præſertim deſumpta apertè oſtendunt: vel certè id quod ſequitur ex authoratione, id eſt, ipſa obligatio. Quis verò dicat mortem eſſe peccati obligationem? Certè hoc modo peccatum potius mortis authoramentum dici poſſet. Neque verò quiſquam mortis obiectu quaſi propoſito præmio, vel authoramēto allicitur, tantum autem abeſt, vt metu mortis quis ad peccatum authoretur, vt co nullum fuerit aptius propoſitum argumentum ad abſterrendum primum parentē à peccato. *Quocumque* (inquit) *die comederis, morte morieris.* Igitur Apoſtolus dixit ſtipendia peccati mors. etenim impuræ illius militiæ nullum eſt præter mortem ſtipendium: quocirca rectè dixit Tertullianus [a]: *ſtipendia enim delinquētiæ mors, donatiuum autē Dei vita æterna.* retinet B namque metaphorā, & ſtipendio donatiuū adiungit, quod illud ex lege militātibus, hoc verò victoribus ex liberalitate tribueretur. Quod ſi (vt mauult Gregorius [b] Naziāzenus) ὀψώνια, interpretemur ea dona quæ ex lege Magiſtratibus tribuerētur, aptè ſtipēdia hoc loco quiſpiam dixerit. ſed mirum cur Paulus addat; *Gratia Dei vita æterna.* conſecutionis quidē certè ratio poſtulare videbatur, quemadmodum monet Auguſtinus [c], vt ſubiiceret iuſtitiæ ſtipendium *vita æterna*, vt ſua vtrique ſeruituti, aut militiæ merces reſponderet: ſed maluit vitam æternam gratiam, ac beneficium appellare; an quia Deus nulli mortalium quiſquam debere poteſt? ſic ſanè Origenes, Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, quibus conſentit Hierouymns [d]. verùm id perperàm accipiunt C hæretici, multóque aliter, quàm dictum ſit; negant illi quippe viri & ſanctitate, & doctrina præſtantes, ita Deū ex iuſtitia debere, vt omne prorſus eius beneficium excludatur; hi verò, repugnantibus omnibus Catholicis bonis, iuſtorum actionibus omnem adimunt vim merendi. Auguſtinus [e] porrò vitam æternam ob eam maximè cauſam gratiam appellari contendit, quòd merita noſtra, quibus ea tanquam præmium, ac merces redditur, diuinæ ſint liberalitatis beneficia. Quocirca rectè Chryſoſtomus. *Non dicit* (inquit) *merces benefactorum veſtrorum vita æterna, vt oſtenderet, quod non ex proprijs viribus, virtutibúſque liberati ſint; neque debitum, aut merces, aut laborum ſit retributio, ſed omnia illa ex diuino munere gratuito acceperint.* Et Proſper [f]: *Datur vnicuique ſine merito* D *vnde tendat ad meritum, & datur ante vllum laborem, vnde quiſque mercedem accipiat ſecundum ſuum laborem.* Addo ego gratiam meritò appellari, quia ſi per ſe hominis natura ſpectetur, habet illa quidem ad eam fœlicitatem nonnullam aptitudinem naturalem, non tamen ſuis ad illam viribus pertingit; nec eum finem ſibi naturaliter poſtulat, ſed planè gratis, ac liberaliter ad ſtatum ſupranaturalē euecta, diuinorum bonorum ſocietatem aſſequitur. At contrà ſiue gratiæ priuatio, ſiue etiam ſempiterni cruciatus, ita peccati merito ex iuſtitia redduntur, vt diuinæ gratificationi hactenus duntaxàt ſit locus, quòd citra condignum hominem plecti iubet. Neque verò quia dixit Auguſtinus [g], vitam æternam E eſſe gratiam, ideirco omnem meritorum mercedem negat, qui ſolùm ea merita excludit, quæ vnius duntaxat liberi arbitrij viribus nitantur. ſed hac de re ſuo loco plura.

a de reſurr. carnis ca. 47.
b Orat. in Iulian.

III.

c Epiſt.105.
d l.2.cōment. in Ezech.
e in Enchir. c. 17. Ep.105 lib. de gratia & l. arb. cap. 7. 8. in Pſal.102.
f l.2.de voca. Gent. cap.2.
g Pſ. 98. 102. Epiſt.105. lib. de gratia. & lib.arb.c.6. 9.

Argumentum Cap. VII.

*Q*VONIAM *dixerat capite ſuperiori, Chriſtianos mortuos eſſe peccato, ac legi, id hoc capite illuſtri comparatione fuſiùs probat, & luculentiùs explicat, quæque de lege indicarat, planiùs, dilucidiúſque declarans, humanæ naturæ morbum, & ægritudinem graphicè quodammodo deſcribit, & mirificè ob oculos ponit.*

CAPVT VII.

AN ignoratis fratres (ſcientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur quanto tempore viuit?

Nam quæ ſub viro eſt mulier, viuente viro, alligata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri.

Igitur viuente viro vocabitur adultera ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir eius, liberata eſt à lege viri, vt non ſit adultera ſi fuerit cum alio viro.

Itaque fratres mei & vos mortificati eſtis legi per corpus Chriſti, vt ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit, vt fructificemus Deo.

Cùm enim eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, vt fructificarent morti.

Nunc autē ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate litteræ.

PARAPHRASIS.

QVOD ſi mirum cuipiam ex vobis for- 1.
taſſe videatur id, quod paulò antè à me
dictum eſt, nos eſſe liberos à ſeruitute
legis, quæ gratiæ auxilio deſtituta, pec-
cato nos quadam ratione ſubiiciebat; libet vos
interrogare legis veteris, adeóque etiam iuris na-
turalis peritos; an ignoretis coniugij lege tantiſ-
per hominem teneri, eiúſque ſubeſſe neceſſitati
quoad ipſe vixerit? ¶ Nam fœmina quidem, 2.
quæ ſuapte natura viro ſubeſſe debet, non niſi vi-
ro cōnubij lege deuincta eſt; quòd ſi vir eius diem
obierit, omni prorſus connubij lege, quod attinet
ad illum virum, ſoluta eſt, ac libera. ¶ Proinde ſi 3.
illo viuente alteri viro adhæſerit, mœcha iure op-
timo appellabitur; at mortuo iam viro prioris
coniugii vinculo, vt modò dictum eſt expedita, ſi
alteri nubat, adulterij rea cenſeri nulla ratione
poteſt. ¶ Porrò hæc ſimilitudo à matrimonij le- 4.
ge, ac iure petita eò fratres mihi chariſſimi, potiſ-
ſimùm ſpectat vt intelligatis, vos quidem, cùm
ſtitiſſetis membra veſtra, ad obtemperandum
peccato, tum fuiſſe ipſi peccato, quaſi viro iure
connubii copulatos, vnde exiſterēt pro ſobole, ac
matrimonii prole, ſcelera, atque flagitia, quibus
aliquando fuiſtis contaminati. Iam verò quoniā
peccatum, Chriſto moriente, penè extinctum eſt;
vos quoque eius coniugii nefaria lege ſolutos, vi
eius coniunctionis, qua Chriſti corpori mirificè
coaluiſtis, alteri viro, hoc eſt, Chriſto rediuiuo, &
ab inferis excitato, vel ipſius certè cœleſti, ac pla-
nè diuino ſpiritu, iure optimo nupſiſſe, vt Spiritus
ſancti fructus, & opera laudabilia tanquàm libe-
ros Deo immortali pariatis. ¶ Cum igitur prioris 5.
cōiugij legibus adhuc teneremur, vitámque duce-
remus peccati legi, ac veluti imperio ſubiectam,
vno verbo veteri Adamo congruentem; prauæ
illæ affectiones, & animi motus ad peccatum
incitantes, quales deprauatæ naturæ vitio ab illa
nuda lege promanant, intus in membris noſtris
ſæuientes; vim ſuam exercebant, vt fructus mor-
tiferos ederemus, peccata videlicet, & flagitioſas
actiones, quibus ſtricti aliquando degebamus.
¶ Porrò iā liberi ſumus à ſeruitute legis, quo præ- 6.
terito connubio adſtringebamur mortuo vide-
licet viro, qui in nos quodammodo dominabatur,
nóſque adeo ſibi ſubiectos detinebat, vt Chriſto
deinceps in nouitate ſpiritus, eius diuina gratia
inſtaurati, & non in priſtina occidentis literæ, ac
ſæuientis peccati vetuſtate ſeruiamus, abiecto
nimirum illo miſero priſtini connubij ſtatu, quo
proles ſempiternæ morti deſtinata procreabatur,

Quid eáque

eáque præditi ſanctitate, quæ eos maximè deceat,
7. qui nouatori ſpiritui ſunt adiuncti. ¶ Quid igitur
dicemus? An exiſtimandum eſt, legem illam vete-
rem vel eſſe ipſam per ſe peccatum, vel certè pec-
cato fomitem, ac veluti patrocinium præſtare?
Abſit. nam tantum abeſt, vt lex peccatum gignat,
aut foueat, vt quàm qui maximè ei repugnet, &
aduerſetur. Sed quia lex præcipit quid faciendum
ſit, prohibétque contrarium, dum præcepta legis
negliguntur, illud neceſſariò conſequitur, vt pec-
catum alioqui latens, ac veluti abditum eruatur
in lucem, & quodammodo detegatur. nam etiam
ipſam prauam cupiditatem, quæ malorum om-
nium fons eſt. & origo, nemo planè cognoſceret,
aut perſpectam haberet, quantopere illa rectæ ra-
tioni reluctetur, niſi inter legis præcepta illud
8. etiam numeraretur, non concupiſces. ¶ Verùm
enimuerò peccatum, hoc eſt vis illa, quæ cùm à
peccato orta eſt, tum verò ad peccatum impellit,
occaſione arrepta à lege vi mandati præcipientis,
contrà obnitens; excitauit in nobis fœdas omnes
libidines, ac titillationes voluptatis. nam ſi legem
amoueas, quæ hominum menti lucem afferat, ſuá-
que auctoritate vrgeat hominem ad virtutis ſtu-
dium, atque amorem, non modò ſopitur vis illa
in nobis inſita, & ad malum propellens, ſed ipſum
etiam aliquo modo peccatum mortuum eſt, quip-
pe quod neque ita furat, ac ſæuiat, neque ſe ipſum
9. prodat, aut in lucem proferat. ¶ Qua ratione ego
(me autem cùm dico, omnes mortales intelligo)
legis ignoratione impeditus, cùm nec meum mor-
bum agnoſcerem, nec prurientes, & ad malum
prouocantes libidines animaduerterem: nullo
denique conſcientiæ ſtimulo vrgeri me ſentirem:
viuere me, planéque firma valetudine vti exiſti-
mabam; at non ita multo poſt legis cognitione
accepta, impotentes animi motus, ac rationi ad-
uerſantes obſeruare cœpi, vt excitatum penè pec-
catum, vi legis reſurrexiſſe, ſuáſque vires exercere,
10. ſéque ipſum denique prodere videretur. ¶ Ita
ego, qui dudum mihi viuere, ac ſpiritum ducere
videbar, repentè diem clauſi, deprehenſúmque eſt
legis præceptum, quod ad vitam tum largiendam,
tum propagandam inſtitutum erat mihi natura
11. vitiato, ac labefactato, cedere ad mortē. ¶ Etenim
peccatum, id eſt, peſtilens illa prauæ cupiditatis
lues, arrepta (vt paulò antè dicebam) occaſione, per
ipſum præceptum, non me ſeduxit modò, ſed etiā
12. iugulauit, & occidit. ¶ Quocirca nequis me pu-
tet legem damnare, aut tamquam peccati mini-
ſtram accuſare, aio me quiduis potius affirmare:
nam ſi lex ipſa ſpectetur, per ſe bona eſt, ipſum
verò præceptum cum primis ſanctum, iuſtum
13. atque laudabile. ¶ An exiſtimare debemus id,
quod ipſum per ſe bonum eſt, & ſanctum factum
mihi eſſe lethale, atque mortiferum? Minimè id
quidem; immò verò labes illa prauæ cupiditatis,
illius occaſione, quod optimum per ſe erat, mor-
tem intentans, mihi quoque eadem ratione inte-
ritum attulit; vt vel inde appareret quāta, & quàm
ſæua

Quid ergo dicemus? lex peccatum eſt? abſit. ſed peccatum non cognoui, niſi per legem. nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, non concupiſces.

Occaſione autem accepta peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam: ſine lege enim peccatum mortuum erat.

Ego autem viuebam ſine lege aliquando; ſed cùm veniſſet mandatum, peccatum reuixit.

Ego autem mortuus ſum; & inuentum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem.

Nam peccatum occaſione accepta per mandatum, ſeduxit me, & per illud occidit.

Itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum.

Quod ergo bonum eſt mihi factum eſt mors? Abſit. Sed peccatum, vt appareat peccatum per bonum operatum eſt mihi mortem, vt fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum.

Scimus enim, quia lex ſpiritalis eſt,ego autem carnalis ſum venumdatus ſub peccato.

Quod enim operor, non intelligo. non enim quod volo bonum, hoc ago: ſed quod odi malum, illud facio.

Si autem quod nolo illud facio, conſentio legi, quoniam bona eſt.

Nunc autem iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.

Scio enim quia non habitat in me,hoc eſt in carne mea bonum.nam velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio.

Non enim quod volo bonum, hoc facio; ſed quod nolo malum,hoc ago.

Si autem quod nolo illud facio, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.

Inuenio igitur legem volenti mihi facere bonum,quoniam mihi malum adiacet.

Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem.

Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati,quæ eſt in membris meis.

ſæua eſſet illius virulentia;& peccatum quod non
modò latebat, ſed mortuum quodammodò vide-
batur,reuiuiſceret, ac proderet ipſum ſeſe, & hu-
mana quaſi perſona aſſumpta tyrannicè deſæuiẽs
vires omnes ſuas, occaſione præcepti maximè
peccando effunderet. ¶ Etenim legem quidem 14.
ſpiritalem eſſe, ac ſpiritui conſentientem nõ igno-
ramus;ego verò miſer ſum,omniſque adeo homi-
num natura ſi per ſe ipſa ſpectetur, prauis cupidi-
tatibus implicatur,& primi parentis iniuria aliquo
pacto vẽdita eſt,vt miſeræ peccati ſeruituti ſubii-
ciatur. ¶ Nam quod impellente perturbatione, 15.
atque impotenti cupiditate victus perago, equi-
dem non approbo. neque enim quod præeunte
iudicio rationis appeto, aut appetendum, atque
eligendũ cenſeo,id etiam re ipſa præſto, ſed quod
mente, ac ratione auerſor, atque in primis dete-
ſtor,id perficio vrgẽte videlicet prauæ cupiditatis
aculeo,quæ vitio naturæ inſita nobis eſt. ¶ Atque 16.
ita dum id, quod minimè amplectendum iudico,
reuera efficio,nõ obſcurè doceo,legem,cui mens,
& ratio conſentit, opus ipſum repugnat modò,
bonam, ac iuſtam eſſe. ¶ Itaque ſi rectè, & cum 17.
ratione de re tota iudicare velimus, deprehende-
mus profectò,mala,quæ,repugnante ratione, per-
petramus, non à nobis ipſis manare, qua ratione
hominis ſumus iudicio conſilióque vtentes, ſed à
peccato,id eſt, vitioſa illa,ac deprauata cupidita-
te, quæ propter peccatum in nobis inoleuit.
¶ Nec enim ſum neſcius, haud poſſe in me qua- 18.
tenus corporis molẽ premor, & ab Adamo origi-
nem duco,vel minimum bonum reperiri.nam re-
cta quidem voluntate ſiue legis naturalis, ſiue le-
gis Moſaicæ,ſiue denique legis Euangelicæ bene-
ficio illuſtrata bonũ approbare, & amore vtcum-
que rudi, & inchoato proſequi me poſſe non infi-
cior;vt tamen id,quod bonum eſt, & vt bonum à
me approbatur, re ipſa à me perfici etiam queat,
equidem niſi ampliori gratiæ munere ſubleuer,
non aſſequor. ¶ Vt enim paulò antè dicebam, 19.
nequaquàm id ago, quod bonum eſſe ſentio,
quódque vt bonum, ac rectum agnoſco, & vt-
cumque cupio, ſed id efficio, quod cùm eſt per
ſe malum, tum verò quia eſt eiuſmodi,mihi ma-
ximè diſplicet. ¶ Atque ita rectè à me conclu- 20.
ſum eſt,ſi id facio,quod recta ratio non approbat,
non id à me ea ratione effici,qua homo ſum men-
te,atque intelligentia præditus, ſed ab inolita cu-
piditate, atque inhærente libidinum impetu pro-
ficiſci. ¶ Quocirca ad optima quæque conten- 21.
dens,comperio nefaria me peccati lege,atque ad-
iacente, ac propè dixerim inſito malo pene con-
ſtringi. ¶ Nam ſi ſpectes interiorem illum homi- 22.
nem, qui ſpiritu, ductúque Dei imbuetur, nihil
profectò amabilius, aut delectabilius Dei lege cõ-
cipi vel excogitari poteſt. ¶ Interim tamen ani- 23.
maduerto in homine exteriori, membríſque meis
legem aliam ſæuam, ac trucem, ei legi reluctan-
tem, quæ mentem ad ſuperiora, & cœleſtia eue-
hit,& attollit, adeóque repugnantem,ac reniten-
tem

Infæ

tem vſque eò, vt me penè captiuum, ac peccato-
rum illecebris irretitũ, ſibi ſubiiciat, iiſque libidi-
nibus quæ in corpore, ac mẽbris deſæuiunt quaſi
24. impoſito iugo continenter premat. ¶ Me igitur
miſerum, adeóque ærumnoſis, ac penè perpetuis
pugnis fatigatum! quis me (quæſo) ab his corporis
vinculis eripiet, quibus quaſi mancipium morti
25. deſtinatum conſtringi me ſentio? ¶ Nempe im-
mortalis Dei gratia per Ieſum Chriſtum Domi-
num noſtrum hominũ generi conceſſa, per quem
aſſecutus ſum, quod aut ſapio, aut valeo: nempe
igitur ipſe ego mente quidem Chriſti beneficio
curata, diuinæ legi, atque præceptis obtempero,
carne verò, ac ſenſu rapior à lege concupiſcentiæ
& peccati.

Infælix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius?

Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati.

IN CAPVT SEPTIMVM

EXPLANATIO.

AN IGNORATIS, FRATRES, &c. A
I. I. Lubricum ſanè locum, ac per ſe impedi-
tum coniugij ſimilitudo, & legis amphi-
bolia planè reddunt inextricabilem, co-
nandum eſt tamen, vt aliquid lucis afferamus. Igitur
Paulus, his non multis verbis, ambiguè vtitur nomi-
ne legis. nam cùm ipſo ſtatim capitis initio ſe legis
peritos alloqui dicit, propriè vſurpat, ſiue pro lege
veteri, ſiue pro lege naturæ, ſiue etiam (vt exiſtima-
uit non nemo) pro lege Euangelica. Cùm verò ad-
dit, legem tamdiu homini dominari, quamdiu ipſe
vixerit, de lege coniugij agit, qua mutuò inter ſeſe
coniuges obſtringuntur. Cùm denique tertio loco
ſubiunxit; *vos mortificati eſtis legi*; ambiguum eſt, pri-
mó-ne, an ſecundo modo legis nomine vtatur. prio-
rem fermè ſenſum ſequuntur vetuſtiores, quos me- B
mini legere, excepto Auguſtino de quo mox. Ego
cum recentioribus poſteriorem magis probo, ta-
metſi ne iſte quidem ſenſus legem veterem penitus
excludit. eſt enim redditio propoſitæ ſimilitudinis,
atque à lege coniugij petitæ: comparat autem Pau-
lus peccatum quidem viro; animi corporiſque no-
ſtri facultates, vel etiam ipſam animã vxori, ita mor-
tuo peccato (vt ſuperiori capite probauerat) rectè
concludit, Romanos lege præcedentis connubij,
quo peccato nupſerant, eſſe mortificatos, id eſt, libe-
ros, ac ſolutos, nullóque modo eius legis auctorita-
te, aut poteſtate ampliùs teneri. Vtrumque porrò
factum eſſe dicit eius coniunctionis vi, qua Chriſto
coaluerunt. tunc enim extincto peccato; vinculum
priſtini coniugij planè diſſolutum eſt. Quocirca quæ C
hoc loco de legis veteris interitu, déque præcepto-
rum diſcrimine diſputantur à multis, prorsùs vi-
II. dentur extra rem. Quòd ſi propoſitam ſimilitudi-
nem ſequamur, optimè cohærent omnia. nam paulò
pòſt aptè colligit: *Cùm igitur eſſemus in carne*; hoc
eſt, cùm prioris connubij lege teneremur; affectio-
nes peccatorum per legem exiſtentes, vigebant in
membris noſtris: quibus verbis declarat quæ tan-
dem fuerit lex illa præcedentis coniugij; ſiquidem
vt inito matrimonio vir, & vxor mutuo quodam ne-
xu, ac veluti lege ad connubij munera, & commu-
nis vitæ functiones obſtringuntur; ita cùm olim to-
tius naturæ vitio animi, corporiſque facultates, quæ
ad malum propendent, & quædam ſunt veluti pec-
cati inſtrumenta; peccato, hoc eſt, natiuæ illi vi pec-
catum cienti, quaſi viro nupſiſſent: occaſione arre-
pta à legis veteris præcepto gratiæ præſidio, ſubſi-
dióque deſtituto, tamquam connubij lege, peccatum
quidem quaſi vir agendo, corporis autem, animíque
facultates veluti vxor patiendo, ad flagitioſas actio-
nes, quaſi liberos procreandos irritabantur. Iam viro
mortuo, id eſt, perempto, ac penitus extincto pecca-
to, ſolutæ manent animi, & corporis noſtri faculta-
tes ab illa lege coniugij, hoc eſt illo (vt ita dixerim)
irritamento, quo à legis præcepto ad malum quo-
dammodo vrgebantur. Quamobrem, vt hæc con- III.
nubij ſimilitudo conſtet, viro mortuo comparatur
non lex, vt exiſtimaſſe videntur Origenes, Chryſo-
ſtomus, Ambroſius; ſed ipſum peccatum, vxori ani-
mi, & corporis facultates legi connubiali, qua vir, &
vxor ſibi mutuo obſtringuntur, nudum, ac ſimplex
præceptum morale quatenus gratia deſtitutum, vi-
gente peccato tamquam viro ad gignenda flagitia
impellebat. Quemadmodum igitur viro vita functo,
vxor lege connubij ſoluitur, ita quoniam Chriſto
moriente, eius mortis beneficio & parta gratia eſt, &
peccatum prorſus extinctum, nos quoque mortifi-
cati ſumus legi, id eſt, ab ea liberi, ac ſoluti, ea (in-
quam) lege veteri, quæ ſignificat, & quodammodò
continet ius illud vinculi coniugalis, & quæ ad pec-
catũ noſtræ naturæ vitio prouocat, & impellit. Idem
alia ratione dixerat capite ſuperiori; *Non eſtis* (in-
quit) *ſub lege, ſed ſub gratia*: iterat non ita multò pòſt;
Cùm eſſemus in carne; Et rurſum. *Vt ſeruiamus in no-
uitate ſpiritus, non in litera vetuſtate.* Viderint igitur
qui in priori coniugio legem veterem viri perſonam
ſuſtinere putant, quomodo eam ſententiam Pauli
verbis accommodent; noſtræ certè interpretationi
magnopere fauet Auguſtinus [a], qui animam dicit a De quibuſdam propoſit. Epi. ad Rom. num. 36.
conſtitui quaſi mulierem, tamquam virum paſſio-
nes peccatorum, quæ operantur in membris legem
connubij ipſam legem veterem, quæ non aufert, ſed
ſolummodò indicat peccatum. Eadem repetit alio
item [b] loco, niſi quòd peccatum intelligit illud, quod b lib 83. Quæ. q. 66.
acceſſit per legem, quod nobis quidem videtur ha-
bere potius rationem prolis, quàm viri. Parum ad- IV.
modum ab hac explanatione receſſiſſe videntur ij,
qui hominem ſecundum naturam priori coniugio
nupſiſſe putant homini veteri, eo verò Chriſti morte

A extincto, iure homini nouo in Chriſto adhæſiſſe. nam re vera vetus homo dicitur is, qui peccato ſubeſt, eique vt ita dicam, filios procreat, hoc eſt actiones prauas, ac vitioſas. Sed (vt apparet) minùs aptè vir viro nubere dicitur, atque idcirco eodem ſenſu, longéque aptiori allegoria, prior vir peccato, fœmina animi corporiſque noſtri facultatibus, ſecundus vir Chriſto comparatur; quamdiu enim eramus ſub peccato vis illius legis gratia viduatæ, nos malè vrgebat: iam verò eo Chriſti morte perempto, mortificati ſumus legi, id eſt, liberi ab ea legis vi, qua gratia ſpoliati impellebamur ad malum, atque adeo liberè Chriſto Domino tamquàm legitimo ſponſo

V. coniungimur. Ait igitur Paulus: *An ignoratis fratres (ſcientibus enim legem loquor) quia lex in homine do-*

B *minatur quanto tempore viuit?* Legis quippe peritos alloqui ſe narrat. At cuius legis? Ambroſius legem Euangelicam intellexit, quæ matrimonij vinculum perpetuum, ac planè indiſſolubile docet. Sedulius

a cap 19 & 9. naturæ legem, quæ apud Matthæum [a] inſtauratur, & declaratur à Chriſto. Theodoretus legem Moſis. Anſelmus Theodoreto, vel Sedulio aſſentitur, quod & nos fecimus in paraphraſi. Qua verò ratione (ſi de lege veteri hæc Pauli ſententia accipiatur) cum libello repudij non pugnet olim permiſſo, ſuo loco conſtabit. Dicitur autem lex in homine dominari quanto tempore viuit, ſed non liquet, ad hominis-ne vitam, an legis poteſtatem referri debeat illud verbum; *viuit*. Origenes, & Ambroſius de lege intelligunt, quæ tamdiu vim habet obligandi, quamdiu

C viuit, hoc eſt, viget, ac robur ſuum obtinet. Chryſo-

b lib. 83. Queſt. q. 66. ſtomus, Theodoretus, & Auguſtinus [b] de viri vita accipiunt; lex quippe coniugij tamdiu homini dominatur, quamdiu eſt ipſe ſuperſtes. Omnino rectè ac verè. prima namque matrimonij inſtitutio, ipſúmque adeo ius naturæ, ſi per ſe ſpectetur circumſcriptis iis, quæ hominum plerumque vitio, & naturæ corruptela non rarò contingunt, indiſſolubilem connubij nexum poſtulare videtur; id quod

c cap. 19. 6. non obſcurè indicat Chriſtus, qui apud Matthæum [c] cùm de connubij diſſolutione propoſita quæſtio eſſet, allatis primi parentis noſtri verbis mox ſubdit. *Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Et è veſtigio de libello repudij: *Ab initio* (inquit) *non fuit ſic.* Vt enim obſeruauit Chryſoſtomus, inſinuauit Chri-

D ſtus, non ſolùm naturali, ſed etiam diuina lege matrimonij vinculum adſtringi. Naturalis quidem lex in eo maximè cernitur, quod Deus ipſe immortalis fœminam viro coniunxit, vt vnà cum illo vnum veluti corpus, atque vna caro efficeretur; diuina verò

d Gen. 2. 24. lex verbis illis apparet. *Propter* [d] *hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ.* Multa hoc loco de matrimonij vinculo, de ſecundis nuptiis, de libello repudij diſputari ſolent, quæ nos in diſputationum volumen reſecimus, ne lectorem remoraremur.

2.

I. NAM QVÆ SVB VIRO EST, &c. Pergit Apoſtolus in eadem coniugij ſimilitudine, oſtenditque nuptiarum vinculum legitimè aliquando contractum, non niſi alterius coniugis obitu diſſolui.

E Sunt tamen qui hoc loco excipiendum eſſe adulterium, non tenuibus, vt ipſi arbitrantur, nixi coniecturis, ſuſpicentur. Primùm quidem dixerat Apoſtolus, ſe ſcientibus legem loqui, conſtat autem ſiue lege naturæ, ſiue lege veteri, ſiue etiam lege Euangelica ob coniugis adulterium nonnullam coniugij diſciſſionem probari. Deinde quoniam hoc loco videtur agere Paulus de fœmina nondum ritè repudiata, ſed quę adhuc ſit ſub viri poteſtate. ait enim *quæ ſub viro eſt mulier;* Græcè ὕπανδρος quaſi dicat, quæ nondum viri poteſtate, imperióque ſoluta eſt.

A Addunt, ſi verba Pauli probè intelligantur, illum id vnum affirmare, vinculum matrimonij poſt mortem non perſeuerare. Denique Pauli ſimilitudinem non perinde accipiendam eſſe, quaſi ex æquo, atque omni ex parte conueniat, cùm (vt non obſcurè indicat Auguſtinus [a]) videatur agere de muliere ob adulterium dimiſſa, quam meritò negat viuente vi- a Li. de adult. c. 3. q. ib. & c. 8.

II. ro alteri nubere iure poſſe. Sed quod attinet ad primam coniecturam, ſiue loquatur Paulus de lege naturæ, ſiue de lege ſcripta, adiecta præſertim legis Euangelicæ explicatione, ex ſuperioribus conſtat vinculum matrimonij ſua primæua inſtitutione fuiſſe penitùs indiſſolubile. Et ſi quidem tenendum ſit, Paulum alloqui legis veteris peritos, mirum eſt poſſe hanc ipſius ſententiam ad eam coniugij diſ-

B ſolutionem trahi, quæ ab adulterio ortum habebat. vt enim per ſe conſtat, lex Moſis fœminas adulteras lapidibus obruendas definiebat, atque ita vxoris obitu nuptiæ dirimebantur: & quamquam ea lex (vt alibi oſtendam) alias etiam ob cauſas repudium permittebat, tamen id (vt ait rectè Chriſtus) non tam vi legis probatur tamquam honeſtum, ac laude dignū, quàm ob hominum improbitatem tamquam minus malum tolerabatur. Quod verò aiunt, loqui Apoſtolum de fœmina repudiata quidem, ſed quæ priori viro adhuc ſit ſubiecta, obnoxiáque, probari vtcumque poteſt, ſi præſertim (quod multi, ac magni auctores exiſtimarunt) ne dato quidem repudij libello, connubij vinculum ſoluebatur: vero tamen ſimilius videtur, Græcam vocem ὕπανδρον de coniuge qui-

C dem dici, ſimpliciter tamē ſignificare hoc loco muliebrem cōditionem, qua fœmina ſuapte natura apta eſt ſubeſſe, ac parere viro; hoc enim illi à natura, Deóque naturæ auctore inditum eſt, vt ſit [b] ſub viri b Gen. 3. 16.

III. poteſtate. Cùm igitur Paulus ait; *Quæ ſub viro eſt fœmina*, perinde eſt, ac ſi dicat, fœmina, quæ viro obnoxia eſt, quæque ſuaptè ſpōte illi paret, quacumque tandem conditione ſit. Iam quod dicunt, matrimonij vinculum poſt obitum non perſeuerare, indigniſſimum eſt Apoſtolica ſententia. Quis enim dubitet coniuge vita functo, licere ſuperſtiti ſecundum inire connubium? Mulier igitur *viuente viro* (ait) *alligata eſt legi*, hoc connubij vinculo ſtringitur. *Si autem mortuus fuerit, ſoluta eſt à lege viri.* hanc legem intellexit, cum dixit *alligata eſt legi*, id eſt legi viri,

D connubij fœderi, quamquam vt mox dicam, Græci codices ſimpliciter habent, liberata eſt à lege. Porrò de ſimilitudine ab Apoſtolo allata video inter ſcriptores magna contentione certari, ſed ea de re mox plura dicenda erunt, cùm hanc ipſam rem ſuis ipſe verbis Apoſtolus expediet. Illud potius obſeruarim, ratum, ac firmum eſſe Catholicum Theologorum decretum inito iam, & conſummato coniugio, nullo iure, nulláve ex cauſa eius nexum dirimi, aut ſolui poſſe, & quidquid aliqui contrà ſentiant, parem eſſe viri, ac fœminæ huius vinculi reſpectu, conditionem, quod non modò apertè docuit olim Hieronymus [c], ſed apertiſſimè aſſerit Chriſtus apud Marcum, & Lucam, & plurium Conciliorum [d] decretis, quidquid aliqui contrà ſentiant [e], ſancitum

E eſt; Idque olim veteres fermè omnes Patres [f] miro conſenſu docuerunt. Sed cum Apoſtolo pugnare videtur; primùm multarum gentium conſuetudo, quæ matrimonia paſſim dirimit, deinde Lex Moſis, quæ libellum repudij permittebat. Præterea (quod magis mirandum eſt) Græcorum conſuetudo, quæ etiam nūc in lege Euangelica propter fœminæ adulterium ita diuortium probat, vt innocenti fas eſſe putetur ſecundum inire connubium, quod quidem ſimpliciter licere plerique canones apud Burcardū [g] indicare videntur; idque olim exiſtimare viſus

c epiſt. ... Ocean. de ... pitaph. F... læ.
d Conc. ... leuit. c. 19 ... ſican. c... Floren. in ... ſtruct. A... Trid. Seſſ. can. 7.
e Caiet. ... Matth. 1...
f Orig. ... 7. in M... Theodo... hunc lo... Auguſt. ... ſer. domi... monte ...

VI. lib. de ... & coniug... 16. 17. li... bono c... & lib. d... dult. co... Hieron. ... 19 & ep... g lib. ...

eſt Pol

Poſt [illegible] aduerſ[illegible] ſcribit Auguſtinus[a], A [illegible] od vix credi poteſt, non ita pridem duo non [illegible] es Theologi[b] affirmarunt. Nonnullam denique dubitandi rationem affert quòd matrimoniũ [illegible]um communi omnium conſenſu religionis ingreſſu, vt verò tradunt omnes Canoniſtæ, & non pauci Theologi affirmant, vſúque Eccleſiaſtico conſtat, etiam auctoritate Pontificis diſſolui poteſt; infidelium autem coniugium etiam conſummatum, ſi alter conuertatur ad fidem accedente contumelia creatori, ita dirimitur, vt ſecundum ritè iniri queat. Quæ ſi vera ſunt omnia; qua (quæſo) ratione conſiſtit, quod in præſentia ait Paulus, connubij legem tandiu vigere quamdiu vir fuerit ſuperſtes, & mulierem viuente viro, coniugij iure ita adſtringi, vt ſi [illegible] i nubat adulterij rea cenſeatur? Verùm hæc in B [illegible]putationibus expedio; illud tantùm moneo, verè omnino dixiſſe Paulum, coniugij nexum ſuapte natura ſola alterius coniugis morte diſſolui.

I ITAQVE VIVANTE VIRO, &c. Græcè, ἐὰν γένηται ἀνδρὶ ἑτέρῳ. hoc eſt, ſi fuerit alteri viro, Hebraiſmo obſeruato ab Auguſtino ex loco Leuitici[c], vbi agitur de filia ſacerdotis, quo loco noſter interpres dicit: *Si nupſerit cuilibet de populo.* Hebræi codices legũt: *ſi fuerit extraneo*; quod certè nihil eſt aliud, quàm nubere; ſic paulò pòſt ait Paulus, *vt ſitis alterius*, Græcè εἰς τὸ γενέσθαι ὑμᾶς ἑτέρῳ. quaſi dicat, vt ſitis alteri. Vxor enim in viri poteſtatem quodammodo tranſit; itaque ſponſa dum nuberet viro, tradi dicebatur. Quintilianus[d]: *Vis ſcire quid ſint nuptiæ? aſpicerillam virginem, quam pater tradidit euntem die celebri, comitante populo.* Tertullianus[e]: *Et ideo penes Iſrael illicitum eſt ad virum tradere, niſi poſt conteſtatam ſanguine maturitatem.* Sic alij loquuntur, & viri ſponſas ſibi accipere, aut iungere dicuntur. Sic Ambroſius[f]: *Iugalem ſibi accepit.* noſter autem interpres ad rei explicationem dixit, *ſi fuerit cum alio viro*, hoc eſt ſi cum alio viro coniugium inierit; quia viuente priori coniuge, ſecundæ nuptię non conſtant. Addit: *Si autem mortuus fuerit vir eius*: Græcè deſideratur vox illa, *eius*, quemadmodum & mox abundat apud Latinos nomen, *viri*; Græcè enim ſolùm legitur, *liberata eſt à lege viri*, quod verò dicitur *liberata eſt*, Græcè dicitur ἐλεύθερα ἀπὸ τοῦ νόμου, quod ſuprà dixerat κατήργηται, quod verbum ſignificat, ius fuiſſe abolitum, & antiquatum. Conſtat autem ex hoc teſtimonio Pauli, nefas fuiſſe ſemper vnam, atque eandem fœminam pluribus viris nubere. Quocirca meritò Lactantius[g] vxorum communitatem Platoni probatam multis refellit. Et Auguſtinus[h]: *Sufficiendæ* (inquit) *prolis cauſa erat vxorum plurium ſimul vni viro habendarum inculpabilis conſuetudo, & ideo vnam fœminam maritos habere plurimos honeſtum non erat. non enim mulier eo eſt fœcundior, ſed meretricia potius turpitudo eſt, vel quæſtum, vel liberos vulgò quærere.* Alibi[i]: *Non ita duobus viris viuis, ad concumbendum fœmina ſubditur, ſicut duæ fœminæ vni viro.* vt enim & ratio, & experientia docet, multorum ſeminum permixtio, vim procreandi liberos, mirum in modum retundit, atque hebetat; vt nihil dicam perire certitudinem prolis, atque idcirco ſupinam, & incurioſam fore incertorũ liberorum educationem; nec viris ius ſuum in vxores certò conſtaret, cùm tamen lege naturæ vxores viris ſeruiant, vt affirmant Hieronymus[k], Ambroſius[l], Auguſtinus[m], Auctor[n] quæſtionum veteris, ac noui Teſtamenti, & alij[o].

II Quocirca rectè cõcludit Auguſtinus[p], vnius in multos dominatum, non repugnare, multorum verò in vnum ferri non poſſe. *Nec dubitari* (inquit) *potest naturali ordine viros potius fœminis, quam viris fœminam principari, quod iam inde ab initio apertè Deus* A *ipſe ſignificauit, cùm dixit; ſub*[a] *viri eris poteſtate.* Fateor quidem, multas olim fuiſſe gentes, quæ permiſerint fœminis plures viros admittere; quinetiam apud Platonem[b] Socrates, vxorum communitatem nititur perſuadere. Quam ſententiam probat Plotinus, ſed fuiſſe eam conſuetudinem proſùs barbaram, atque ab humanitate alienam, omnium penè gentium, ac nationum conſenſu firmatum eſt. Mirari quidem certè ſatis non poſſum Lacedæmonios viros alioqui ſapientiæ laude claros, vnam viris duobus vxorem permiſiſſe, hac lege (vt ait Xenophon) vt apud vnum aſſiduè maneret, ad alterum tamen abſque eius iniuria aliquando diuerteret: quin etiam (vt præter Xenophontem aſſerunt Plutarchus,[c] & Theodoretus,[d]) Seniori viro fas erat, quem maximè B voluiſſet adoleſcentulum ad vxorem introducere: & Solon (vt Plutarchus[e] memorat) fœminæ poteſtatem facit, ſi maritus minùs virilitate valeat, eius propinquos admittere. Apud Strabonem[f] legimus, Tapiros Parthorum populos, conſueuiſſe liberis iam ſuſceptis, vxores quærendæ ſobolis gratia aliis tradere. Idémque[g] affirmat, apud Medos perhonorificum cenſeri, ſi fœminæ plurimos habeant viros; ſi pauciores ſeptem, calamitoſum. Apud Britannos plurium[h] teſtimonio memoriæ proditum eſt, vnam vxorem pluribus viris communem fuiſſe, præſertim affinibus, & cognatis: quod de Arabibus affirmat etiam Strabo.[i] Hunc ſanè morem Æthiopes Garamantici ſecuti videntur, vt Plinius,[k] Pomponius,[l] & Solinus[m] memorãt; & fortaſſe de iis loqui C tur Ariſtoteles,[n] cùm agit de populis Lybiæ ſuperioris. Verùm hæc, atque his ſimilia permulta, quæ

III

paſſim apud veteres ſcriptores leguntur, deprauatæ potius naturæ portenta ſunt, quàm rectæ rationis decreta, quæ veriſſimum id eſſe docet, quod hoc loco affirmat Paulus; adulteram eſſe fœminam, quæ viuente viro, alteri faciat copiam ſui. Itaque Catonis Vticenſis factum, qui Hortenſio vxorem ſuam conceſſit, meritò rectè ſentientibus[o] improbatur: vt nihil dicam de hæreticorum[p] impietate, qui communitatem vxorum admiſiſſe videntur. Quo nomine malè audiſſe Nicolaum Diaconum, memoriæ proditum eſt, cui addo Carpocratem, atque Epiphanem, & alios pleroſque, quorum omnium errores, vel hoc vno Pauli teſtimonio refelli poſſunt. De D Saule,[q] qui Michol Dauidis vxorem, alteri matrimonio collocauit, non eſt magnopere laborandum. Rex enim impius maleuolentiæ, atque odij ſtimulis agitatus, vt alia multa iniqua, & impia contra Dauidem molitus eſt, ita hoc etiam nefariè perpetrauit. illud magis mirum videri debet, quòd Auguſtinus[r] alicubi viſus ſit dubitare, num fœminæ viro legitimo connubio iunctæ permiſſu viri, ad vtilitatem præſertim ipſius, alteri viro ſui corporis vſum præbere fas ſit. conſtat enim, adulterium ita eſſe per ſe, ſuáque natura malum, vt nulla queat ratione honeſtari. Sed de hac Auguſtini ſententia alibi[s] plura.

4. I. ITAQVE FRATRES MEI, &c. Hactenus Apoſtolus ſimilitudinis propoſitionem explicuit, iam ſimilitudinem rei ſubiectæ accommodat, in qua plurimum veteres, ac recentiores laborant. Nam Ori- E genes, Chryſoſtomus, Ambroſius, & alij qui virum priorem vita functum interpretantur legem, fœminam à lege connubij liberam putent eſſe Iudæorum nationem, quæ Chriſto nomen dederit, eique quaſi nouo viro nupſerit. quod cùm non ſatis aptè ſimilitudini propoſitæ reſponderet, cùm Paulus dicat nos legi mortificatos, Origenes legem ipſam mortuam dicit, quod attinet ad ſenſum litteralem; Ambroſius quoad iudicia, & cerimonias, quod quãquam aliqua ratione verè dicitur, tamen Paulus non de

a Geneſ. 3. 16.
b lib. 5. de re pub.
c in Lycurgo.
d li. 9. de cur. Græc. affect.
e in vita Solonis.
f lib. 2. Geograp.
g lib. 2. ibidẽ & Æneas Syluius deſcriptionẽ Aſię c. 114.
h Bardeſſanes Syrus l. de fato. Clem. Ro. l. 9 recogn. c. 7. Euſeb. de præp. Euang. l. 6. cap. 8. Cæſar. l. 5. comment. de bel. Gal.
i lib. 16.
k lib. 5. cap. 8.
l lib. 1.
m ca. 39. aliàs 43.
n 2. Polit. c. 2.
o Strabo. l. 2. Appian. Alex. l. 1. de bel. ciu. Plutar. in Catone. Lucan. l. 2. Tertul. in Apolog. Aug. l. de bono coniug. cap. 18. li. de fid. & oper. & lib. 3. in Iulian.
p Alphonſ à Caſtro l. 4. aduerſ hæreſes, verbo coſ[illegible]. hereſ. 1. Aug. de hær. cap. 5.
q 1 Reg. c. 25.
r l. 1. de Serm. Dom. in mõte cap. 1.
s 1. cet. 7. 4.

legis morte loquitur. Itaque Chryſoſtomus putat eſſe argumentum à minori. nam ſi mulier libera eſt à lege nuptiarum mortuo viro, multo profectò magis libera erit, ſi ipſa moriatur. Hoc autem accidit nobis, qui in baptiſmi legi morimur. Verùm vt ſuprà diximus, alia videtur mens Pauli, quam nos ſuprà indicauimus; verùm in accommodatione ſimilitudinis nonnihil à noſtra ſententia recedit Auguſtinus [a]; *Cum ergo* (inquit) *tria ſint; anima tamquam mulier, paſſiones peccatorum tamquam vir, & lex tamquam lex viri, non ibi peccatis mortuis, tamquam viro mortuo liberari animam dicit, ſed ipſam animam mori peccato, & liberari à lege, vt ſit alterius viri, id eſt Chriſti, cùm mortua fuerit peccato; quod fit, cùm adhuc manentibus in nobis deſideriis, & incitamentis quibuſdam ad peccandum, non obedimus tamen, nec conſentimus, mente ſeruientes legi Dei, quia mortui ſumus peccato, morietur autem & peccatum, cùm reformatio corporis in reſurrectione facta fuerit.* Alibi [b] verò addit, nonnihil in hac comparatione videri diuerſum, quòd in illa ſimilitudine vir moritur, vt nubat mulier cui volet, & à lege viri ſoluatur; hic autem ipſa anima moritur peccato, moritur etiam legi peccati. hæc ille. Et quidem negare non poſſumus ſimilitudinis rationem poſtulare, vt Apoſtolus concludat mortuo peccato, nos lege illius ſolutos eſſe, ſed quia peccatum, id eſt, vis illa excitans, atque impellens ad peccandum, non penitus extinguitur in nobis, ſed beneficio gratiæ Chriſti, magna ex parte reprimitur, non dixit Apoſtolus, mortuum eſſe peccatum, ſed nos mortuos eſſe peccato. ſic capite ſuperiori: *Qui enim* (inquit) *mortui ſumus peccato.* quo loco mori peccato ſignificat, vt diximus, eius in nobis vires frangere, & quantum in nobis eſt eius vitam extinguere; hic autem, vt conſtet redditio ſimilitudinis, ſignificat liberum eſſe, ac ſolutum à lege peccati; ſed, vt initio huius capitis monuimus, in hac Pauli ratiocinatione obſcura videtur ſententia, cùm per ſe ipſa, tum propter varias, ac multiplices auctorum interpretationes. aliter enim vt dixi intelligit Origenes, & Ambroſius, aliter Auguſtinus; aliter denique Chryſoſtomus, Oecumenius, Hilarius, [c] Anſelmus: ſed nos ſuprà quid probabilius videatur, paucis docuimus.

II. Itaque quod attinet ad verba Apoſtoli, quod noſter interpres dixit *mortificati eſtis legi*, Græcè eſt, ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ. quod ego interpretor ac ſi dicat: lege prioris connubij, coniugis morte ſoluti, non amplius tenemini, nihilque ei viro debetis, cuius io vos auctoritas ipſius morte penitus extincta eſt. idémque omnino eſt, quod paulò pòſt repetit; *liberati ſumus à lege*, Græcè κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου. nam & paulò ante, vtroque modo de fœmina locutus erat, poſt obitum viri, & niſi ego fallor, quod dixit Apoſtolus κατηργήθημεν, opponitur verbo τὸ ἐνηργεῖτο, quo paulò antè vſus erat, cùm diceret; *paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur*; Græcè ἐνηργεῖτο, id eſt, vigebant, & quaſi ius imperij habebant, vt appareat, pro eodem accipiendum eſſe quod ait, nos liberos eſſe à lege, & legi mortificatos, id eſt, eneruatos, & quodammodò inertes, ac languidos factos. Itaque cùm dicit, Romanos legi eſſe mortificatos, ſumit id, quod capite ſuperiori dixerat, eos vi baptiſmi inſitos fuiſſe Chriſto, & quodammodò peremiſſe peccatum. quod ſi verum eſt, rectè colligit, illos eſſe liberos à lege peccati.

III. Quocirca Auguſtini ſententia qua propoſitum exemplum rei præſenti accommodat, Pauli ſimilitudinem, & argumenti vim eneruare videtur. Nam ſi anima, quæ vxoris locum habet, mortua dicitur peccato, qui (quæſo) poteſt alteri nubere? At ſi peccati vires fractæ dicuntur, & ipſum quodammodò peccatum extinctum, quod

a de quibuſdam propoſit. huius Epiſto. Num 36.

b Lib. Quæſt. q. 66. & Serm. 4. de verbis Apoſtoli.

c in Pſal. 112.

A erat loco viri; rectè anima ſoluta à lege coniugij, & peccati, nubere poteſt Chriſto, niſi quis dicat (quod indicat Theodoretus) animam quippe mortuam peccato ſolutam eſſe à lege prioris connubij, mox verò à Chriſto ad nouam vitam reuocatam, ipſi Chriſto ſecundò nubere, quod videtur innuere Chryſoſtomus. Non me tamen præterit, nonnullos triplicem quaſi hominis ſtatum conſtituere, primum vt homo ſimpliciter, ac præcisè ſumatur, qui modò ad hunc, modò ad illum ſtatum tranſeat, deinde & olim legi ſuberat, & vetus homo dicebatur, denique cùm ad gratiæ quaſi legem tranſlatus, nouus homo nuncupatur, ſed quorſum id ſpectet, in præſentia, equidem non video, dabitur ea de re commodior dicendi locus, cùm Paulus ipſe veterem, ac nouum

B hominem diſertè nominat: [a] nec minùs (vt aliàs monui) aliena ab inſtituto eorum videtur diligentia, qui multis docent, qua ratione lex vetus extincta, & mortua dicatur, cùm legis nomen in præſentia vim illam ſignificet, quæ peccatum ſtimulare, atque excitare videtur; quamquam vt ſuprà monui, ne iſto quidem modo lex illa vetus penitus excluditur, cùm vis illa peccati legis præcepto gratiæ præſidio ſpoliato, non mediocriter irritaretur. Eamdem verò ob cauſam, non magnifacienda videtur obſeruatio Theodoreti, qui ad vitandam Iudæorum inuidiam negat, Paulum (quod argumenti vis poſtulabat) intuliſſe legem eſſe mortuam; ſed nos potius legi eſſe mortificatos. Quocirca fruſtra omnino laborant hæretici,

C qui ex hoc loco Pauli argutulè (vt ſibi videntur) concludunt, omnes Chriſtianos Chriſti beneficio, ab obſeruatione legis ſolutos eſſe, ac liberos, cùm alia omnia doceat Apoſtolus in præſentia, alibi verò apertè probet diuinis, atque humanis præceptis obtemperandum eſſe. Verùm, vt redeamus ad Paulum, ait, illos à prioris coniugij vinculo penitus ſolutos alteri viro, hoc eſt, Chriſto nupſiſſe. Quod ſequitur; *per corpus Chriſti vt ſitis alterius qui ex mortuis reſurrexit*, non ſatis conſtat, vtrum de vero an myſtico Chriſti corpore, accipiendum ſit. Ambroſius, qui ſuperiora de lege Moſis explicat, verum Chriſti corpus intelligit, cum enim illud in ara crucis Deo oblatum eſt, legi illi veteri finem impoſuit. nos in paraphraſi myſticum Chriſti corpus accepimus, id eſt Eccleſiam. tum enim quiſque peccati vim frangit, &

D quodammodo perimit, cùm baptiſmo expiatus Chriſti Eccleſiæ ac fidelium numero adſcribitur. Ambroſij tamen explicatio huc trahi poteſt; Chriſtus enim moriens peccati vires eneruauit. Hoc igitur modo extincto peccato fideles alteri viro, id eſt Chriſto iunguntur. ſic enim ait Paulus [b], *deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto, qui ex mortuis reſurrexit*, cuius redíuiui vitam immortalem imitari debemus, vt ſuperiùs dixit. *Vt fructificemus* (inquit) *Deo*; hoc eſt, iuſtas, ac laudabiles actiones exercendo, Deo quaſi liberos optimo parenti procreetis. quod ſignificat in præſentia Theodoretus.

CVM ENIM ESSEMVS IN CARNE &c. 5. I.

Antiquum illud peccati connubium, noua nunc metaphora deſcribit. *Cùm eſſemus* (inquit) *in carne*,

E hoc eſt, cùm peccato carnem, eiúſque omnes cupiditates accommodabamus, *paſſiones peccatorum* παθήματα, id eſt prauę illæ affectiones, quæ per legẽ erant, id eſt, vi legis exacerbatæ, atque irritatæ, ſuo quaſi iure imperabant; & membra, ac ſenſus corporis ad perpetranda peccata, tamquam mortiferam ſobolem incitabant. Sed quid ſit fructificare morti, Græcè εἰς τὸ καρποφορῆσαι θανάτῳ, meritò quæritur. Origenes certè nomine legis hoc loco fomitem intelligit, quæ lex dicitur pecati, & mortis, ſed prorſus coactè, cùm id nequeat propoſitæ ſimilitudini, quam tet net Apoſto

a ad Coloſſ. 3. 9.

b 2 Cor. 5.

... nulla ratione aptari. proculdubio enim A ... peccatorum per legem Moſis operabantur ... membris eo modo, quem ſæpiùs diximus, quia ... præcipiebat, quod rectum erat, nec tamen ... ſubſidium præbebat. An mortem legem ve- ... intelligit, quòd eſſet veluti occaſio, &, vt alibi loquitur Paulus, miniſtra mortis? At qua tandem ratione affectiones illæ peccatorum legi veteri fructum afferre dicebantur? An ſcelera, & flagitia fructus erant legis, cui maximè aduerſabantur? Iſtud quidem impium eſſet: non negarim tamen, legem illam veterem, legem mortis iure poſſe nuncupari, ſiue quia mortem intentabat, ſiue quia gratiæ, aut gloriæ vitam parere non poterat; ſiue quia & ipſa moritura erat aliquando, & verè obiit in morte Christi; ſiue quia mortis occaſionem præbebat, cùm (vt B alibi [a] ait Apoſtolus) *littera occidat, ſpiritus autẽ viuificet*: ſed non propterea dixit Paulus, nos liberos morti peperiſſe, quod legis præcepta ſeruaremus, cùm potiùs legis obſeruatio, poſita fide, nonnullam afferret iuſtitiam Chriſti venturi merito. Itaque mortem in præſentia intelligo interitum, damnationem, perniciem ſempiternam, quod indicat Theophylactus, & alij. in illo enim nefario coniugio, prauæ actiones quaſi proles, ac liberi edebantur, quibus ſempiternus interitus rependeretur. vt enim ij, qui virtutem colunt, dicuntur afferre fructum vitæ, idest, ſtudioſas, ac laudabiles actiones, quibus vita debetur ſempiterna; ita qui peccant, fructum pariunt morti, qua digni ſunt æternis cruciatibus, quæ eſt mors æterna. Sed operæ pretium erit hic adſcribere C Tertulliani [b] verba, quibus quanquam peruerſo, ac detorto ſenſu vim tamen Paulinæ orationis luculenter expreſſit. *Quæ autem* (inquit) *ſub viro eſt mulier viuenti viro iuncta eſt; ſi autem obierit, euacuata eſt à lege viri; nempe ergo viuente viro adulterare putabitur, ſi iuncta fuerit alteri viro; ſi verò obierit vir, liberata eſt à lege, quod non ſit adultera facta alij viro: ſed & ſequentia recognoſce, quò ſenſus iſte, qui tibi blanditur euadat. Itaque* (inquit) *fratres mei, mortificamini & vos legi per corpus Chriſti, vt efficiamini alteri, ei ſcilicet, qui à mortuis reſurrexit, vt fructum feramus Deo. Cùm enim eramus in carne paſſiones delictorum, quæ per legem efficiebantur in membris noſtris ad fructum ferendum morti, nunc autem euacuati ſumus à lege mortis, in quo tenebamur ad ſeruiendum Deo in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate litteræ.* Hactenus ille. Quibus quamquam ſuum de monogamia falſum dogma aſtruere conatur, tamen ſatis apertè indicat quo ſenſu verba Pauli acceperit. Pergit igitur Apoſtolus dicens.

6. NVNC AVTEM SOLVTI, &c. Nonnulli
I codices legunt; *liberati ſumus à lege mortis*; atque ita Ambroſius, Anſelmus, aliique non pauci legem mortis interpretantur legem veterem, ob eas maximè quas paulò antè indicauimus cauſas. Nec deſunt qui legem mortis veterem illam legem appellatam putent (vt eam ſequenti capite nominat Apoſtolus) non modò quia mortem corporis intentabat, ſed etiam quia dum homines quodammodò ad peccandum vrgeret, æternæ mortis reos conſtituebat. Sunt autem (vt indicat Origenes) Græci codices, qui habeant θανάτου, idest, mortis: plures tamen legunt ἀποθανόντος; alij etiam ἀποθανόντες. quòd ſi legamus ἀποθανόντος, coniungi poteſt cùm præcedenti voce νόμου; idest, *lege*, vt ſit ſenſus, quem ſequitur Chryſoſtomus, nos eſſe ſolutos à lege iam demortua; ob viri enim obitum dixerat Paulus legem coniugij extingui, & aboleri; vel participium ἀποθανόντος abſolutè ponitur, vt apertè loquatur Paulus de lege coniugij, dicatque nos eſſe liberos à lege viri iam demortui, qua pridem viuente viro conſtricti tenebamur.

A Origenes eos codices magis probat qui habent ἀποθανόντες; itaque interpretatur, vt ſoluti dicamur ab ea lege, in qua mortui detinebamur. Sunt qui addant II.
pronomen, *ei*, ſoluti ſumus à lege ei mortui, nimirum legi, in qua detinebamur. Oecumenius pronomen *ei* refert ad peccatum. *ſoluti ſumus* (inquit) *à lege nos, qui mortui ſumus peccato in qua detinebamur.* Sed nulla mihi harum interpretationum probatur, tum quòd ſimilitudine propoſitæ non congruant. quis enim dubitat, eum, qui vita exceſſerit, lege coniugij nón teneri? Tum quia nouum, planéque inauditum ſit, vt qui peccato mortui, idest, iuſti ſunt, mortui ſimpliciter appellentur, cùm id potius nomen in peccatores conueniat. Accedit quod cùm Apoſtolus fideles vxori ſuperſtiti comparet, quæ viro B vita functo alteri nubit, non rectè diceret eos olim fuiſſe mortuos, quos paulò antè dixerat liberos morti peperiſſe. Fateor tamen, ita olim legiſſe Syrianum, qui tranſtulit *mortui ſumus*, itaque haberi in Bibliis regiis; ſed facilis fuit lapſus vnius literulæ mutatione; Quo fit, vt minimè probanda ſit eorum explanatio qui ita explicant Pauli verba, quaſi dicat, qui mortui eramus, ſoluti ſumus à lege in qua detinebamur. nec enim congruit cum ſuperioribus, vt dictum eſt: quis dicat mortuos fuiſſe illos, qui liberos procreabant? Origenis certè ſententia prorsùs eſt ab Apoſtoli mente aliena. illos enim, qui ſub lege erant, mortuos vocat. nunc lege ſolutos, qua olim detinebantur, quod à ſuperiore explicatione non admodùm diſcrepat: qui verò dicunt (quod probare C videtur Theophylactus) nos liberatos eſſe à lege, mortuos ei, in qua detinebamur, parùm aptam ſententiam reddunt. conſtat enim ex ſuperioribus, mortuum eſſe legi idem valere, quod liberum eſſe à lege. Quare ineptè diceret Paulus, nos eſſe lege ſolutos, quia mortui ſumus legi, præterquam quod (vt ſuprà dixi) non vult Apoſtolus fideles eſſe mortuos, ſed potiùs, viro mortuo, ſuperſtites Chriſto nubere, vt liberos vitæ pariant. Maneat igitur legendum III.
eſſe θανάτου, id eſt mortis, vt habent emendatiores Latini codices, præſertim nuper editi Romæ, vt ſenſus ſit, nos eſſe liberos ab eo connubio in quo prolẽ mortiferam, id eſt turpes ac flagitioſas actiones ſempiterna morte dignas edebamus. poſſumus etiam vt in paraphraſi indicauimus, eam lectionem probare D quæ habet ἀποθανόντος, idest mortui, vt referatur ad virum. ratio enim cur ſoluti ſimus à lege, hæc eſt, quia mortuus eſt vir, idest, peccatum eo, quo diximus, modo: quod quidem olim occaſione accepta à lege, viuum, ac vegetum, nos quodammodo vinctos detinebat: atque ita habent nõnulli Græci codices, & nõ pauci Latini, qui olim circũferebãtur: ſed omnino legendũ eſt θανάτου, idest, mortis, vt habet editio Romana, ſẽnſus erit quẽ diximus, nos eſſe liberatos à lege cõiugij, quę lex mortis appellatur, ſiue quia lex eſt, quæ nos viro mortuo obſtringebat, ſiue quia (quod magis placet,) lex erat connubij, ex quo liberi oriebantur morti, ac ſempiterno interitu deſtinati, vt ſuprà docuimus. Quid verò eſſe dicemus, nouitatem ſpiritus, & literæ vetuſtatem? *ita vt ſeruiamus* (inquit) E *in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate litteræ.* Origenes litteræ vetuſtatem intelligit circumciſionẽ, & antiquas legis cæremonias: Origeni conſentiunt Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius; ſed (vt antea monuimus) rem veram, alieno prorſus loco docent, cùm præſertim, quæ hic indicantur à Paulo, non tam ad legis cæremonias, quàm ad morum præcepta pertineant; Hieronymus [a] vetuſtatem litteræ appellare videtur ſtatum peccati, nouitatem verò ſpiritus, ſtatum gratiæ, atque hæc videtur veriſſima, & aptiſſima huius loci dilucidatio. nam ſi vir prior mortuus

eſt,id eſt, extinctum eſt peccati virus, atque adeo lex illius coniugij antiquata, & planè abolita, conſequens eſt, vt ab illa vetuſtate, hoc eſt, priſtina viuendi ratione recedendum ſit, vt nouo inito coniugio, nouo item viro prolem eo dignam pariamus.

7. QVID ERGO DICEMVS, &c. Legem procul
I. dubio veterem intelligit: ſed cur ita? An quia dixerat [a], *Lex ſubintrauit, vt abundaret delictum*? Et [b], *peccatum vobis non dominabitur: non enim eſtis ſub lege*? Denique paulò antè, *paſſiones peccatorum, quæ per legem erant*? Probabile videri poteſt; illud longè probabilius, quod cùm peccatum comparaſſet viro, animæ facultates vxori, legem verò huius coniugij illi irritamento, quod ex legis præceptis oritur, indicare viſus erat homines ad peccandum quodammodò vi legis incitari; atque ita lex videri poterat peccatum, id eſt, cauſa peccati, qua ratione etiam fomes dicitur interdum peccatum, ſed hoc more ſuo abominando refellit, explicátque in præſentia, qua id ratione intelligendũ ſit. Putat autem Theodoretus Paulum diuino numine plenum, voluiſſe hæreticis futuris omnem præcidere occaſionem, legem veterem damnandi cùm multa dixiſſet quæ ſi perperam acciperentur, poſſent multis fucum facere, quæ ille copiosè perſequitur. Et ſanè hæc Pauli oratio hæreticos legis veteris hoſtes apertiſſimè refellit. Itaque, *Erubeſce* (ait Tertullianus [c]) *Marcion, abſit, abominatur Apoſtolus criminationem legis; ſed ego delictum non ſcio, niſi per legem. O ſummum ex hoc præconium legis, per quam licuit delictum latere! Non ergo lex ſeduxit, ſed peccatum per præcepti occaſionem.* Itaque Theodoretus hæc dicta eſſe putat aduerſus hæreticos, qui legem veterem tamquam malam dete-
II. ſtabantur, quod etiam facit Auguſtinus [d]. Porrò legem Moſis non fuiſſe à Deo latam, ſed ab improba neſcio qua natura docuit Simon Magus, vt affirmant Epiphanius [e], Theodoretus [f], Clemens [g] Romanus; quod ipſum Auguſtinus [h] videtur tribuere Carpocrati, apertiùs [i] Cerdoni, & Marcioni [k]: quod luculentiùs conſtat ex iis quæ aduersùs ipſum diſputant Origenes, & Tertullianus. Eumdem errorem, auctore Auguſtino [l], nobilitarunt Manichæi. Ptolæmaitæ autem apud Epiphanium [m] veterem legem partim dicebant eſſe à Deo, partim à Moſe, partim à ſenioribus Iudæorum. Catani ab eodem errore non procul aberant, vt ſcribit Auguſtinus [n]. Idem Albanenſibus tribuunt Euthymius [o], & Antoninus [p]. Idem memoriæ proditum eſt de Archonticis, ac Seuerianis, quamquàm de his poſtremis aliter ſentit Nicephorus [q]. Abſit igitur, vt lex peccatum ſit, vel peccatum probet, aut foueat. Verè autem ſcripſit Auguſtinus [r]: *Eccleſia Chriſti ſponſa, dicitur mortua eſſe legi, id eſt peccato, quod legis prohibitione fit abundantius, cùm lex ſine gratia iubet non iuuat. Ergo lex ſemper eſt bona, ſiue obſit hominibus gratia vacuis, ſiue proſit gratia plenis. Quemadmodum ſol ſemper eſt bonus, quia omnis creatura Dei bona eſt, ſiue dolentibus oculis noceat, ſiue ſanos mulceat. Proinde quod eſt oculis ſanitas ad videndum ſolem; hoc eſt gratia mentibus ad implendam legem, & ſicut oculi ſani, non delectatione ſolis moriuntur, ſed illis ictibus aſperis radiorum, quibus ægri reuerberati in denſiores tenebras pellebantur: ita etiam anima, quæ per caritatem ſpiritus ſalua facta eſt, non iuſtitia legis mortua dicitur, ſed illi reatui, ac præuaricationi, in quam lex per literam, cùm gratia deſſet, ſinebat.* Plura ad legis defenſionem contra Manichæos ſcribit [ſ]. Subdit Apoſtolus: *Sed peccatum non cognoui niſi per legem*; non illud quidem, ex poſitis, ac probatis ſequitur, ſed hoc tantummodò (quod vltrò conceſſerim) iuuamento legis, peccati virus factum eſſe conſpicuum, eo videlicet, quem ſuprà [a] explicuimus, modo. *Nam concupiſcentiam* (ait Paulus) *neſciebam, niſi lex diceret; non concupiſces.* Itá-ne verò? Ante legem Moſis vis & efficacitas peruerſæ cupiditatis ignota erat? Hic quatuor exiſtunt quæ-
III. ſtiones paucis expediendæ. Prima, quæ ſit hæc cupiditas, de qua loquitur Apoſtolus. Altera, quæ lex doceat improbis cupiditatibus reluctandum. Tertia, quo tempore dicat Apoſtolus vim concupiſcendi fuiſſe ignotam. Quarta, ac poſtrema, vtrùm Paulus de ſe ipſo, an de aliis loquatur. Atque vt hinc potiſſimùm exordiar, ἐπιθυμίαν, quã noſter interpres concupiſcentiam vocat, in bonam etiam partem accipi docet in præſentia Origenes, & alicubi [b] reperit Ambroſius. At hoc loco in malam partem intelligendam eſſe nihil dubito; atque adeo illam eſſe, quæ ex conſilio profecta, libero voluntatis conſenſu probatur, cùm alioqui ſubiti cupiditatis motus pleriumque ſine peccato, & nobis inuitis exoriantur, vt non ita multò pòſt planiùs oſtendam. Sunt autem qui putent eam cupiditatem ſignificari ab Apoſtolo, quæ lege Moſis prohibetur [c], quæ eſt ſententia Ambroſij, reiecta tamẽ ab Hieronymo [d], qui prauam animi affectionem, qualiſcumque illa tandem ſit indicari exiſtimat; aliquanto latiùs interpretatur Anſelmus, & alij [e] ex Auguſtino, qui omnem peccati cupiditatem ſignificari volunt. Certè Paulus proferens legis præceptum, eam concupiſcentiam intelligit, quæ ad rei alienæ cupiditatem reſtringitur, vt videlicet inſinuet non modò furtum, & adulterium eſſe peccatum, ſed ipſam etiam intimam animi rei alienæ cupiditatem vitioſam videri, idque poſuit exempli gratia, vt oſtendat, ante legem non planè ex omni parte cognitum fuiſſe peccatum. nam cùm gentes (vt aliàs diximus multa ignorarent, eſſe peccata, tum vix in animo, & ſola cogitatione mentiſque placito culpam agnoſcebant, quod de Iudæis non obſcurè indicat Chriſtus apud Matthæum [f]. *Ego autem* (ait) *dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem, ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Apertiùs autem Ioſephus [g], in hunc modum ſcribit. *Demiror Polybium Megalopolitanum, qui vir alioqui probus ait, hunc Antiochum periiſſe, quòd conatus ſit Dianæ templi theſauros, ac donaria diripere. voluiſſe enim tantùm, ac non etiam perfeciſſe ſacrilegium, non videtur res digna ſupplicio.* Et profectò humanæ leges internos animi motus nec damnant, nec puniunt, niſi re ipſa aliquid tentatum fuerit. Cur autem Auguſtinus cupiditatem vocarit generale peccatum, diſputatur à multis: ego id non ab Auguſtino [h] tantùm, ſed etiam ab Hieronymo [i], atque Ambroſio [k] dictum eſſe mihi perſuadeo, quia nullum eſt peccatum, quod non ex praua aliqua cupiditate oriatur, vel quia omnia peccata alicuius boni vtilis, aut delectabilis appetitionem continent. Cæterùm hæretici, auctore præſertim Auguſtino, præceptum illud *non concupiſces*, de quolibet cupiditatis motu accipiunt, adeóque affirmant nullam eſſe cupiditatem à peccato liberam, quod non ſemel viſus eſt affirmare Auguſtinus [l], ſed de Auguſtini ſententia, déque re tota fuſiùs ago in diſputationibus. Interim dico præceptum illud, *non concupiſces*, referri non ad quaſlibet cupiditates, quæ ſubitò in ſentiendi facultate excitantur, prohibendas; ſed ad eas quas libera voluntas probare, ac reiicere queat. de quibus dictum eſt [m]: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* & in Eccleſiaſtico [n], *poſt concupiſcentias tuas ne eas, & à voluntate tua auertere.* Atque his quidem non modò expedita prima quæſtio, ſed etiam ſecunda penè profligata, atque ad exitum deducta videtur; neque de ea quicquam dicendum

eſſet,

a cap. 5. 20.
b cap. 26. 24.
c l. 5. aduerſ. Marcion. c. 13.
d Serm. 4. de verbis Apoſt. cap.
e Hæreſ. 21.
f lib. 1 de hæret. Fab.
g lib. 6. Conſtit. c. 20.
h lib. de hæreſ. c. 7.
i cap. 21.
k cap. 22.
l De hæreſ. c. 46. lib. 1 cont. Fauſt. & lib. cont. aduerſ. legis, & prophet.
m Hæreſ. 33. videndus eſt item hæreſ. 41. 42. 66.
n De hæreſ. cap. 38.
o 2. p. Panopliæ c. 25.
p 4. p. tit. 11. c. 7.
q lib. 4. ca. 4.
r lib. 15. cont. Fauſt. c. 8.
ſ Serm. 4. de verb. Apoſt.

a cap. 7. 5.
b Ezek. 9.
c Exod. 20. Deut. 5.
d Epiſt. Algaſ. q. 8.
e Gloſſa in hunc locum.
f cap. 5. 28.
g Lib. 12. antiq. cap. 13. Idem docet Dauid Kim. Pſal. 66. verſ. 17.
h De perfect. iuſt. tantum. 11.
i Quæſt. 3. ad Algaſ.
k in hunc locum.
l lib. de ſpir. & lit. c. 10. l. 1. de nupt. & concupiſc. c. 23. 29.
m Gene. 4. 7.
n cap. 18. 30.

eſſet, niſi diſſentientes auctorum ſententiæ nos quodammodo compellerent noſtrum de ſingulis indicare iudicium. Igitur Hieronymus [a] nonnullos ait exiſtimaſſe cupiditatem ea lege prohiberi, quæ olim Adamo impoſita eſt in Paradiſo; ea enim lege (auctore Tertulliano [b]) omnia præcepta condita recognoſcimus, quæ poſtea pullularunt data per Moyſem; videturque ea ſententia fuiſſe Methodij apud Epiphanium [c], ſed meritò ab Hieronymo [d], Chryſoſtomo, Oecumenióque refellitur. neque enim eum Pauli verbis vlla ratione cohæret. Origenes, & Hieronymus legem naturalem intelligunt, repugnantibus tamen Chryſoſtomo, & Oecumenio; & quidem rectè; agit namque Paulus de ea lege, quam dixerat irritamentum quoddam ſuppeditaſſe peccato, quámque mortuo viro antiquatam, & abolitam fuiſſe ſcribit, quod de lege naturæ nemo ſanus intelligat. Neque tamen inficias iuerim, legem naturalem nonnullam ad peccatum cognoſcendum veluti lucem attuliſſe; ſed ea tamen erat ſubobſcura, atque idcirco exemplum affert Apoſtolus prauæ cupiditatis, quæ vix vlli cenſebatur olim affinis culpæ, & fortaſſe naturalis legis cultores oon planè cognouerunt, peccatum eſſe contra Deum. Quocirca nihil dubito cum Chryſoſtomo, Oecumenio, Theodoreto, Ambroſio [e] affirmare, loqui Paulum de lege veteri. Nam ſuprà [f] dixit Apoſtolus; *per legem cognitio peccati.* Et Dauid [g]: *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Et Salomon [h]: *Quia mandatum lucerna eſt, & lex lux, & via vitæ increpatio diſciplinæ.* Dum enim docet quid agẽdum, quidve fugiendum, quaſi facem in tenebris præfert, adeóque oſtendit quà ſit gradiendum. Qua ratione dixit alicubi Dauid [i]: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumẽ ſemitis meis.* Huc pertinet aliqua ratione illud M. Tullij, *Regem eſſe legem loquentem, legem autem mutum magiſtrum.* Itaque rectè dixit Paulus; *Peccatum non cognoui niſi per legem.* Non quòd in lege naturæ penitus ignoraretur peccatum, ſed quòd lege lata per Moſem, quaſi externo indice, atque euidenti argumeoto cognoſceretur fœditas, ac turpitudo peccati; quod hoc loco indicant Chryſoſtomus, & Oecumenius. Nam quamuis in lege naturæ agnoſcebatur peccatum, vt agnouit Cain; itémque Abimelec, tamen vix pauci agnoſcebant eſſe contra Deum, aut ſupplicio dignũ, & quæ in animo includebantur (vt ſuprà dixi) vix putabantur peccata.

V. Hinc facilè tertia quæſtio diſſoluitur, nec enim poſſumus aſſentiri Methodio [k], referenti hanc Pauli ſententiam, ad primæuum illud tempus, quo cuncti mortales in ipſo primo parente Adamo continebantur, dum adhuc ille Paradiſi deliciis perfrueretur. Nec placet (quod Origenes, & Hieronymus [l] contendunt) vt infra ipſius Hieronymi verbis oſtendam, de tempore infantiæ loqui Apoſtolum, cùm nondum vigente mentis acie, temerè & abſque conſilio multa fiunt, quæ cum recta ratione pugnant; nec tamen pueris, aut infantibus vitio verti poſſunt. Malim igitur cum Chryſoſtomo, & cæteris paulò antè laudatis, locum hunc accipere de tempore illo, quod legem à Moſe latam anteceſſit. tunc enim (vt dictum eſt) multa ignorabantur, quæ cùm eſſent in tenebris, legis veluti face accedente illuſtrata ſunt. Quamquàm enim naturæ lex in hominum animis indita multa docet honeſta eſſe, alia verò turpia, plurima tamen ex naturæ principiis non ita facilè, aut perſpicuè ab omnibus deduci poterant, quæ vi legis ſcriptæ patuerunt. Addo, quòd vi legis ſcriptæ, vt ex ſuperioribus intelligi poteſt, vis illa praua ad peccatum prouocans, & quodam modo impellens ſeſe magis prodidit, atque idcirco concupiſcentiam potiſſimùm nominat Apoſtolus.

VI. Reliqua eſt quarta, & poſtrema quæſtio, in qua Chryſoſtomus, Theodoretus, & Auguſtinus [a] exiſtimarunt, loqui Paulum eorum aſſumpta perſona, qui ſub lege Moſis viuebant, & adhuc prioris connubij lege tenebantur adſtricti. Alibi verò Auguſtinus [b] totum hunc Pauli locum de homine iuſto interpretatur in lege quidem gratiæ poſito; ſed qui adhuc huius vitæ incommodis, & calamitatibus prematur, eámque putat communem eſſe antiquorum Patrum ſententiam: ſed prior tamen eius interpretatio videtur potior, & iis, quæ conſequuntur, magis conſentiens. Subdit; *Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret; Non concupiſces.* non quod abſque legis præcepto non cognoſcatur, vel appetẽdi vis, vel etiam ipſa appetitio: ſed quòd eius labes aut vitium, vt ſuprà indicaui, non planè innoteſcat. hoc autem præcepto, vt antea monui, perperam hæretici exiſtimant, vitioſam hominis naturam damnari, quaſi hoc præcepto iubeantur homines omni prorſus cupiditatis titillatione carere. fomitem enim quem Theologi appellant, verè putant eſſe peccatum, cùm tamen lex [c] de peculiari cupiditate loquatur, vt ſupra diximus: & ſi vniuerſim de cupiditate loquendum ſit, certum eſt, eas duntaxàt verè peccati rationem habere, quæ mentis ac voluntatis actionem ſequuntur. nam peccatum abſque libero rationis vſu intelligi neutiquam poteſt. Itaque primi illi cupiditatis motus, qui liberum voluntatis conſenſum præueniunt, naturales ſunt, nec cuiquam vitio verti poſſunt, vt inter Græcos docent Baſilius, [d] Chryſoſtomus, [e] Auctor [f] imperfecti, Cyrillus. [g] Inter Latinos Cyprianus, [h] Hilarius, [i] Ambroſius, [k] Hieronymus, [l] Auguſtinus, [m] Proſper, [n] Gregorius. [o] quod in diſputationibus oſtendo, & paulò poſt iterum indicabo. Sequitur autem.

8. I. Occasione avtem accepta, &c. Explicat, quod aliàs dixerat, peccatum ortum eſſe à lege, & (quod paulò antè indicauerat,) concupiſcentiam ante legem penè fuiſſe incognitam; occaſione enim legis tamquàm irritamento peccati, excitata eſt omnis humana cupiditas; ſed quomodo peccatum pepererit cupiditatem, & quam cupiditatem intelligat Apoſtolus, meritò quis ambigat. & quidem Methodius [p] peccati nomine ipſum peccati auctorem, atque architectum diabolum intelligit, qui ſua fraude, & aſtu, dum homines aduerſus legem armat, cupiditatum illecebras obiicit, vt eos in fraudem impellat. Methodium ſecuti ſunt Origenes, Ambroſius, & Oecumenius: ſed hoc intereſt, quòd ille de eo peccato agit, quo primus parens diuinum præceptum violans ſeſe, ac poſteros inquinauit; hi verò de legis Moſaycæ violatione loquuntur. ſed profectò hoc interpretamentum alienum planè à Pauli ſententia videri debet, qui proculdubio de eo peccato diſſerit, quo verè homines actione propria & ſua conſtituuntur peccatores, quod vi legis cognitum fuiſſe, ex ſuperioribus ſatis colligi poteſt.

II. Quomodo autem per legem diabolus cognoſcatur, ne diuinare quidem poſſumus; Auguſtinus [q], & Anſelmus peccatum explicant fomitem, quo ſine dubio cupiditatum æſtus, ac veluti procellæ, vrgente præſertim lege concitantur. Chryſoſtomus mauult peccati nomine ſocordiam, atque animi torporem intelligi; Hieronymus [r] peccatum id eſſe interpretatur, quod lege prohibetur. id enim hominis vitio, dum lege interdicitur, incredibilem quemdam excitat amorem ſui, atque ita humanas cupiditates vehementius inflammat. Ego peccatum propriè intelligo ipſam legis, aut præcepti violationem, quod peccatum initio capitis in hac coniugij ſimilitudine viro diximus comparari, qui liberos procreat. illud enim ſine

a 1. Apol. [illegible]

c Hæreſ. 64. [illegible]

d Ad Algaſ. [illegible]

h Prou. 6.

l Epiſt. ad Algaſ. q. 8.

a l. 1. ad Simplic. q. 1.
b l. 1. retract. c. 1. l. de prædeſt. ſanctorũ cap. 4. l. 1. cõt. 2. Ep. Pelag. c. 10. 11. l. 6. cõt. Iulian cap 11.
c Ex. 20. Deuter 5.
d de vera Virginitate.
e Hom. 19 ad pop & Hom. 17. Matth.
f Hom. 12. Matt.
g li 4 in Ioa. cap. 51.
h de ablutione pedum.
i in Pſal. 118. verſ. 29.
k l 1. de offi. c. 21. in Pſal 4. lib de Sacr. regener. apud Aug lib. 2. in Iulian
l Ep. ad Oceanum.
m l 2 de Gen. contra Manich. cap 14. l 1. retract ca. 15. l. p. 22. l. 14. de Trinit. c. 17. l. de continen. c. 7. l. 2. de Ciuit. c. 25. l. de bono coniug. cap 13. l. 1. contra 2. Ep. Pelag ca. 10 11. l 1. de nupt. & concup. c. 23. l. 6. in Iul. c. 5. 11. l. 2. de pecc. mer & remiſſ. c. 22. in Pſal. 30. in Pſ. 118. conc. 1. Tract. 41. in Ioann. Ser 6. de verb. Apoſtoli.
n l. 3. de vita contemplat. cap. 4.
o lib. 9. Epiſt. 12.
p apud Epiph. hær. 64.
q l. 1 contra 2. Ep Pelag c. 12 & lib. de nupt. & concup. cap. 21.
r ad Algaſ. q 9.

ſiue primæuum, ac natiuum, ſiue priuata cuiuſque actione patratũ, occaſione legis magis ſæuit, cùm naturæ mortaliũ inſitũ ſit, vt aduerſus ea, quæ lege prohibentur, actiùs ſtimulẽtur; quod fortaſſe ſignificare voluit Hieronymus; [a] (cuius ipſa verba ponã paulo pòſt) cùm docet quemadmodũ medicina nõ eſt cauſa mortis, ſi oſtẽdat venena mortifera, etiã ſi illis abutãtur homines ad aliorũ perniciẽ, atque interitũ: ita legẽ datam eſſe, vt peccatorũ venena indicaret, hominũ verò vitio, atque impotentia factum eſſe vt ea prauæ hominum cupiditates vehementiùs inflammarẽtur, quod ante illum dixit Ambroſius. [b] *Vt* (inquit) *qui male vtitur noxiis potionibus, cognitio earum in malum vertitur, & periculum; & quo magis venena cognouerit, hoc ſe intelligit amplius periclitari; ſic forma mandatis iis, qui legem interpretantur, vel demonſtrata, atque interdicta peccata vitare non poſſunt, mortis eſt auctor.* Et in eamdem ſententiam Auguſtinus: [c] *Propterea* (inquit) *dictum eſt peccatum occaſione accepta, per legem fuiſſe ingrauatum magis, quia deſideria prohibiti fructus dulcior eſt: vnde etiam quæcumque peccata occultè fiunt, dulciora ſunt, quamuis mortifera iſta dulcedo ſit, inde eſt, quod apud Salomonem* [d] *fallacis doctrinæ imagine ſedens mulier, & inuitans, vt ad ſe veniant inſipientes, ſcribitur dicere; Panes occultos libenter edite, & aquam furtiuam dulcem bibite; iſta autem dulcedo eſt occaſio per mandatum inuenta peccati; quæ cùm appetitur, vtique fallit, & in maiores vertit amaritudines.* Ambroſium imitatus eſt etiam Auguſtinus [e] paucis mutatis. Neque abhorret Chryſoſtomus, qui exemplum affert ægri febre æſtuãtis, cui medicus frigidæ

[a] ad Alg. q. 8.

[b] lib. 2. de Iacob, & vita beata. cap. 4.

[c] de quibuſdã prop. huius Ep. Num. 39.

[d] Prouerb. 9.

[e] in hanc Ep. n. 19.

III. potum interdicens, ſitim quodammodo acuit. Quocirca celebris eſt apud Græcos ſententia, vt loco indicato ſcribit Hieronymus; *Quidquid licet minùs deſideratur: Quo fit vt contrario ſenſu quidquid non licet fomentum, & incentiuum accipiat deſiderij. Et M. Tullius de parricidarum ſupplicio, Solonem quidquam præcepiſſe Athenienſibus negat, ne non tam prohibere, quam cõmonere videretur*, & multa quia prohibita in pretio fuiſſe accepimus, quæ vbi licere cœperint, planè conciderint. Rectè autem dixit Apoſtolus, *occaſione accepta*; humano enim vitio factum eſt, vt ex legis præcepto, improbæ cupiditates vehementiùs inflammarentur. *peccatum* (ait) *operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.* Igitur peccatum vi legis prohibentis irritatum, fœdas pepetit cupiditates. Hi enim ſunt liberi ex illo priori, ac nefario coniugio geniti. neceſſe eſt enim concipere peccatum quaſi perſonam, & illius connubij virum, qui irritamenta legis cupiditates excitat, atque inflammat; ita Paulus pereleganti proſopopœia vitam, ſenſum, ac motum tribuit peccato, adeóque vim efficiendi, atque ita corpus peccati nominat: Omnem verò concupiſcentiam intelligit Hieronymus omne prauarum affectionum, ac perturbationum genus. Chryſoſtomus cupiditatis incrementum, cui conſentire videtur Auguſtinus. [f] *Intelligendum eſt* (inquit) *non omnem fuiſſe concupiſcentiã, antequam legis prohibitione aucta eſſet. augetur enim prohibitione concupiſcentia, quando deeſt gratia liberatoris, & ideo nondum eſt omnis concupiſcentia antequam per legem prohibeatur. Cùm autem prohibita fuerit, deſiſtente* (vt diximus) *gratia, tantùm creſcit concupiſcentia, vt ita in ſuo genere omnis, id eſt, conſummata fiat, vt etiam contra legem faciat, & prævaricatione crimen accumulet.* Anſelmus omnem rei prohibitæ appetitionem intelligit; alij omnem cupiditatis gradum cogitatione videlicet, delectatione, conſenſu, re denique ipſa, vſúque probatum. Alij triplicem illam cupiditatem, de qua Ioannes; [g] *Quidquid eſt in mundo, aut concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ,* Quibus ferè cu-

[f] loco citato.

[g] Epiſt. 1. ca. 2.

A piditatibus reſpondent tria bonorum genera; delectabile concupiſcentiæ carnis, vtile concupiſcentiæ oculorum; honeſtum denique ſuperbiæ vitæ. Alij denique quidquid illo præcepto legis comprehenditur, quo rei alienæ appetitio prohibetur. plura enim illo vnico præcepto comprehenduntur, vt illo veluti exemplo poſito, idem de aliis conijci poſſit. Quæ cùm ita ſint, facilè apparet hanc Pauli ſententiam rectè cum altera Iacobi cohærere, tametſi pugnare primo ſtatim intuitu inter ſe videantur. Iacobus namque cùm de ipſa appetendi facultate loqueretur, ipſo videlicet fomite; *Vnuſquiſque* (inquit [a]) *tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus; deinde concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum; peccatum verò cùm conſummatum fuerit, generat mortem.* At IV.

B Paulus qui de ipſa cupiditatis actione, hoc eſt, appetitione loquitur; illam ait, ex peccato augeri, ac multiplicari. Quocirca rectè dixit Auguſtinus, [b] *Cùm dicit Apoſtolus Iacobus; Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus; deinde concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum, profectò in his verbis partus à pariente diſcernitur. pariens enim eſt concupiſcentia, partus peccatum, ſed concupiſcentia non parit, niſi conceperit, non concipit, niſi illexerit, hoc eſt, ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis aſſenſum.* Et quidem ipſa Apoſtoli Iacobi verba, apertè oſtendunt, eum de facultate appetendi agere, quæ tentat, cõcipit, parit peccatum, generat mortem. hinc enim Gregorius [c], Beda [d], & alij colligunt, tres eſſe concupiſcentis facultatis motus, ſuggeſtionem, delecta-

C tionem, & conſenſum; ſuggeſtione animum pulſat, delectatione allicit, & oblectat, quæ ſi mentem afficiat, & ad ſeſe quodammodò attrahat, concipit, & nonnullum quamuis leue peccatum parit: vbi verò victrix cupiditas arcem rationis occupatit, & voluntatis conſenſum expreſſerit, perficit quodammodò, & abſoluit peccatum, atque ita generat mortem. Quod luculenter explicat Cyrillus [e] his verbis: *Voluptas quædam ante omne peccatum præcurrit, & fervens cupiditas ad delicta ſolet allicere, quæ ante peccandi actum inſidet, & mentis conſenſum arripit, perſuadens facilè, hac via veniendum eſſe, quò gliſcimus.* Sed hæretici, qui omnium libidinum nefariis cupiditatibus inquinantur, adeo ſanctitatem, atque integritatem deteſtantur, vt neminem prorſus liberum, atque

D immunem putent eſſe à labe peccati, omnem quippe cupiditatis titillationem, ipſamque adeo appetendi facultatem, qua nemo quantumuis innocens carere poteſt, tamquàm piaculum damnant, & in hanc ſententiam hunc Pauli locum interpretantur: Eadémque ratione præceptum veteris legis; *Non concupiſces*, ita explicant, vt ipſas etiam ſubitas, ac minimè liberas appetitionis motiones, tanquam peccata prohibeantur, cùm tamen hoc ipſo capite oſtendat Apoſtolus primas illas cupiditatis titillationes nec liberas eſſe, nec reum ſceleris quemquam conſtituere. Quod deinde communi omnium [f] Patrum conſenſu receptũ eſt, & Eccleſiaſtica definitione ſancitum. Non negarim tamen (quod aliàs dixi) fomitem interdum appellari peccatum, tum quia or-

E tũ habuit à primæuo peccato, tũ quia eſt veluti radix, & origo omnium peccatorum. Quomodo autem accipiendum ſit quod alicubi ſcribit Auguſtinus de præcepto concupiſcendi, dicam non ita multò pòſt. Iam quod ſequitur apud Paulum: *Sine lege enim peccatum mortuum erat.* ambiguè dictum videtur. Non VI. enim mortuũ idcirco fuiſſe dicitur, vt morte Chriſti extinctum; ſed potius ſignificatur non fuiſſe cognitum, neque tam multas aut manifeſtas habuiſſe actiones, vt eius malitia probè dignoſci poſſet. Ita enim ſcribit alicubi [g] Auguſtinus: Quod ait *ſine lege pecca*

[a] cap. 1. 14.
[b] lib. 6. cont. Iulian. cap. 5.
[c] Hom. 16. in Euang.
[d] Iacobi 1.
[e] l. 4. in Ioan. cap. 51.
[f] Meth. apud Epi. hær. 64. Baſil. lib. de Virginit. circa med. Chryſ. Homil. 19. ad prop. Hom. 17. in Mat. Hom. 13. ad Rom. Auctor imp. in c. 5. Matth. ad illa verba, Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam Cyrill. lib. 4. in Ioan. c. 51. Auctor de oper. Card. Cæſ. apud Cyp. ionii ſer. de ablut. pedum Hilar. in Pſal. 118 ſerſ. 23. Ambroſ. de offic. c. 21. & 10 Pſal. 4. & in lib. de Sacr. regener. apud Aug. l. 2. in Iulianum Hier. Epiſt. ad Oceanũ Proſper l. 3. de vita contempl. c. 4. Greg. l. 9. Regeſt. Epiſt. 59. Bern. Ser. de 6. tribulat. & Serm. 58 in Cantic. Aug. lib. 2. de Gen. cont. Manich. cap. 14. & l. retr. ca. 15. Ep. 200. ad Aſcelic. lib. 14. de Trinit. et 17. lib. de conti. c. 7. lib. 5. Ciu. c. 13. lib. 10 c. 26. de bono coniug. ca. 11. lib. 1. contra 2. Ep. Pelag. cap. 13. 1. de nuptiis & concupiſ. cap. 23. lib. 6. contra Iulian. cap. 16. & 21. lib. 2. de peccator. merit. cap. 21. in Pſal. 10. conc. 3. in Pſal. 118. tract. 41. in Ioan. Serm. 6. de verbis Apoſtol.
[g] conc. Trid. Seſſ. 5. decret. de peccato originali.
[h] l. 1. cont. 2. Ep. Pelag. c. 8.

peccatum mortuum eſt, hoc ſignificat, peccatum ſine lege tanquam non ſit, latet, non apparet, penitùs ignoratur, tanquam in neſcio quibus ignorātiæ tenebris ſit ſepultum. Et quod ait, ego autem viuebam aliquando ſine lege, non aliud ſignificat, niſi viuere mihi videbar, & in eo, quod adiungit: adueniente mandato peccatum reuixit; quid eſt illud, reuixit, niſi eminuit, apparuit? Nec tamen ait vixit, ſed reuixit; vixerat enim aliquando in paradiſo, quando contra datum præceptum, ſatis apparebat admiſſum; cùm autem à naſcentibus trahitur, tanquam mortuum ſit, latet, donec repugnans iuſtitiæ malum eius prohibitione legis ſentiatur, cùm aliud aliter iubetur, atque approbatur; aliud delectat, atque dominatur, tunc peccatum quodammodo in notitia nati hominis reuiuiſcit, quod in notitia primi facti hominis aliquando vixerat. Neque aliter explicat alio quodam loco [a]. Eodem modo peccatum fuiſſe mortuum, docet Chryſoſtomus. at Oecumenius addit mortuum dici, quia non exercebat eas vires, quas experti ſunt, qui vixerunt ſub lege, qui (vt ait Ambroſius) ampliori cognitione, ac ſcientia præditi erant. Cauendus eſt autē hoc loco Auctor commentariorum, qui Hieronymo inſcribuntur, qui hunc in modum ſcribit: *Si cùm lex non eſſet, peccatum mortuū eſt, inſaniunt qui de Adam per traducem aſſerunt venire peccatum.* Quod eſt planè Pelagianum dogma. Hieronymus [b] verba Pauli de quocumque homine explicat antequàm lucem rationis aſpiciat, ac libero arbitrio vtatur, tum ea ſine lege viuit, neque vim legis naturalis agnoſcit. ſunt autem hæc eius verba: *Hanc legem* (de naturali loquitur) *noſcit pueritia, ignorat infantia, & peccās abſque mādato, nō tenetur lege peccati. maledicit patri & matri, & parētes verberat, ſed quia nondum accepit legem ſapientiæ, mortuum eſt peccatum in eo: cùm autem mandatum venit, hoc eſt tempus intelligentiæ appetentis bona, & vitantis mala, tunc incipit peccatum reuiuiſcere; & ille mori reúſque eſſe peccati. Atque ita fit vt tempus intelligentiæ, quo Dei mandata cognoſcimus, vt perueniamus ad vitam, operetur in nobis mortem, ſi agamus negligentiùs; & occaſio ſapientiæ ſeducat nos atque ſupplantet, & ducat ad mortem. Non quòd intelligentia peccatum ſit; lex enim intelligentiæ ſancta, & iuſta, & bona eſt. ſed per intelligentiam peccatorum, atque virtutum, mihi peccatum naſcitur, quod priuſquam intelligerem, peccatum naſcitur, quod priuſquam intelligerem, peccatum eſſe non noueram. Itaque ita factum, vt quod mihi pro bono datum eſt, meo vitio mutetur in malū, & vt hyperbolicè dicam, nouóque verbo vtar ad explicandum ſenſum meum, peccatum, quod priuſquam haberem intelligentiam, abſque peccato erat, per præuaricationem mādati, incipiat mihi eſſe peccantius peccatum.* Sed vt appareret hæc ſcripſit Hieronymus non tam vt Pauli ſententiam explicaret, quàm vt eius verba ſuo inſtituto aptaret. videtur tamen imitatus Origenem, qui ita planè Paulum explicat.

a Lib. Quæſt.

b Ep. ad Algaſiam q. 8.

9. I. Ego avtem vivebam, &c. Explicat quidnam ſit quod paulò ante dixerat, abſque lege peccatum fuiſſe mortuum, quia videlicèt qui ſine lege viuebant, vix ſe ad peccatum incitari animaduertebant, quod ſine cauſa Methodius apud Epiphanium refert ad innocentiæ ſtatum, quo tempore nulla videlicèt lege impoſita diabolus, quem ille peccati nomine intelligit, mortuus dicebatur, quòd ad peccandum hominem non impelleret. Nec magnoperè ab hac ſententia videtur abhorrere Theodoretus, cuius hæc verba in hunc locum leguntur. *Adam ante tranſgreſſionem non habebat metum mortis, cùm autem Deus præceptum ei dediſſet de non edendo fructum vnius arboris, ſtatim diabolus per ſerpentem acceſſit ad mulierem, & fallacibus cum ea ſermonibus vſus eſt, illa vero meſcata cùm fructus pulchritudinem aſpexiſſet, à voluptate ſuperata præceptum tranſgreſſa eſt, & vnà cum Adamo, qui etiam particeps eius fuit, mortis decretum accepit.* Sed omnino magis extra rem loquuntur ij,[a] qui hæc Pauli verba propriè de primo parente noſtro dicta eſſe opinantur, quaſi is aliquando ſine lege vixerit: poſtea verò accepto præcepto, peccatum reuixiſſe cognouerit. Nihilo verò magis Ambroſij ſententia probanda videtur, qui ante legem Moſis peccatum, hoc eſt, diabolum mortuum fuiſſe dicit, quòd quaſi de poſſeſſione ſua ſecurus, qua vniuerſum genus humanum occupabat, neminem ſolicitaret ad malum. Nec facilè conceſſerim Theodoreto, idcirco dici mortuum fuiſſe peccatum, quòd ante legem nullum potuerit eſſe peccatum, ſiue quia nunquam fuit homo exlex, cum ſemper habuerit legem naturalem inditam ipſi naturæ à Deo eius auctore, ſiue quia quod nunquam omnino fuit, ne potuit quidem aliquando mori. Quod verò Origenes, & Hieronymus (vt paulò antè diximus) hæc referant ad tempus infantiæ, planè videtur ab inſtituto Pauli alienum; quamuis idem aliquando ſentire viſus ſit Auguſtinus [b]. Itaque aſſentior Chryſoſtomo, Oecumenio, Ambroſio [c], & Auguſtino [d], qui hunc locum Pauli intelligunt de tempore, quod legem Moſis anteceſſit. tunc enim viuebat homo non quidem (vt rectè ait Chryſoſtomus) penitùs exlex, qui inſitam in animo naturæ legem haberet, ſed nullam tamen externam legem perceperat; atque ita (quod modò dicebam) ex Chryſoſtomi & Auguſtini ſententia, peccatum mortuum erat; quia non cognoſcebatur; neque (vt affirmat Oecumenius) vim omnem ſuam exercebat, quam deinde, accedente lege, vehementiùs intendit. Mirum autem cuipiam videatur quod de his Pauli verbis ſcribit Auguſtinus [e], quod ipſius verbis ſubiiciēdum cenſui. *Per illud* (inquit) *ego viuebam aliquando ſine lege, ætatem ſuā primā ab infantia, ante rationales annos voluit intelligi. per id verò quod adiungit, adueniente mandato, peccatum reuixit, ego autem mortuus ſum, iam ſe præcepti capacem, ſed non efficacem, & ideo præuaricatorem legis oſtendit. Nec moueat quod ad Philippenſes ſcripſit, ſe conſeruatum eſſe ſine querela, ſecundum iuſtitiam quæ in lege eſt. potuit enim eſſe in affectionibus prauis præuaricator legis, & tamen conſpicua opera legis implere, vel timore hominum, vel ipſius Dei, ſed pœnæ formidine, non dilectione, ac delectatione iuſtitiæ.* Mirum inquam videri poſſit cum de ſe ipſo Apoſtolus alia omnia prædicat, qui alicubi ait [f], *gratias ago Deo, cui ſeruio à progenitoribus meis in cōſcientia pura.* & alibi: [g] *ego omni conſcientia bona conſeruatus ſum ante Deum vſque in hodiernum diem.* crediderim igitur Auguſtinum hæc de Paulo explicate vt aliorum perſonam ſuſtinet, vt ſæpe aliàs. Rectè igitur ait Paulus; *Cùm veniſſet mandatū, peccatum reuixit*; Cœpit enim homo ſuam cognoſcere imbecillitatem, ac peccandi facilitatem, vnáque vi legis intellexit ſe reum eſſe ſempiterni ſupplicij ſi Dei legem violaret, quod ante legem vix quiſquam animaduertebat: itaque apparuit quodammodò peccati vita, quæ antea latebat, contra verò homo ipſe, qui viuere putabatur, mortuus propemodùm repertus eſt. rectè namque ſubdit.

a Caietanus.

b Li. cont. 2. Ep. Pelag. c. 9.

c lib. 1. de Iacob, & vita beata cap. 4.

d loco ſupra citato, vbi quod vniuerſim de omnibus dixit Apoſtolus, bene explicat, mox ſingulis accōmodat.

e lib. 1. contra duas Ep. Pelag. cap. 9.

f 2. ad Tim. 1. 3.

g Act. 23. 1.

I

Ego avtem mortvvs svm, &c. In eadem ſententia Apoſtolus perſeuerat. reuixiſſe autem rectè dicit peccatum aduentū legis, quod, vt ait Auguſtinus [h], primo parente peccante cœperat primùm viuere, mox decurſu temporis, nullo vigente externo præcepto, ac magna ex parte naturæ lege, aut oblitterata, aut obſcurata eo, quem explicuimus modo penè obierat: contra verò homo, qui ſe cupiditatum æſtu vehementiùs contra legem latam incitari 10. I.

h loco ſuperius citato.

tari ſentiebat, tum verò planè intellexit ſe verè mortuum eſſe. Videtur autem Apoſtolus aſſumere perſonam Iudæi, vel quod magis reor, hæc dicit in ſua quidem perſona, ſed ad vniuerſum humanum genus pertinent; quod quidem vt lege externa carebat liberè ſibi indulgens, vim peccati nō animaduertebat: vbi verò legem diuinitùs accepit, planè cognouit ſe eſſe veluti mortuum, cùm gratiæ præſidio deſtitutum pluribus ſeſe ſceleribus inquinari animaduerteret. Qua ratione accipienda ſunt quæ Apoſtolus alibi ſcribit [a]. *In quibus & nos aliquando conuerſati ſumus, in deſiderijs carnis noſtræ, facientes voluntatem carnis noſtræ & cogitationem. & eramus natura filij iræ ſicut & cæteri. Deus autem qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam caritatem ſuam, qua dilexit nos, & cùm eſſemus mortui peccatis conuiuificauit nos Chriſto*, quod ſuo loco planiùs conſtabit. Hæc porrò ita indefinitè de hominum genere dicuntur, cùm tamen multi fuerint & ante legem, & ſub ipſa lege omni virtutū genere exculti. Poſſunt itaque omnia iis aptari, qui cùm in lege viuerent, non tamē legi obtemperabāt, ſed ſuis cupiditatibus obſequebātur.

a ad Eph. 2. 3.

11. Rectè autem dicit inuentum eſſe mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem, quia vt inſinuant Chryſoſtomus, & Theodoretus, ſi legis, ac præcepti natura ſpectetur, ſuape vi allatura potiùs erat vitam; hominum tamen vitio factum eſt, vt quod erat per ſe vtile, ac ſalutare, afferret mortalibus perniciem ſempiternam. & ob eam cauſam nō dixit Apoſtolus, factum eſſe mandatū ad mortem, ſed inuentum; ſic enim Chryſoſtomus ſcribit: *Non dixit mors extitit, neque peperit mortem, ſed repertum eſt, hac ratione interpretans nouam, atque inopinatam rei abſurditatem, ac totū in illorum caput deflectit. nam ſi mandati ſcopum inſpicere velis; ad vitam ducebat* (inquit) *ac propterea traditum eſt; quòd ſi mors hinc euenit, eorum fuerit crimen, qui mandatum accepere, non mandati, quod ad vitam ducit. Hic verò legem quidem* (inquit) *& mandatum omnino defendit, peccati autem improbitatem refellit: Mandatum enim* (inquit) *vitam ſuppeditat, ad id autem, quod eſt deterius conuerſio mortem peperit; propterea propriè poſuit illud, inuentum eſt, vt oſtendat, aliud quidem eſſe legis inſtitutum, aliud verò quod propter peccatum accidit.* vel dixit, inuentum eſſe, quia perſpicuè cognitum eſt quantam occaſione legis hominum genus peccandi anſam arripuerit. Hæc porro non eò ſpectant, quaſi velit Apoſtolus eos qui ante legem latam peccauerunt omni noxa liberare, cùm ſuprà dixerit [b], *quicumque ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt*: ſed tantùm indicat peccati morbum non ita fuiſſe cognitum, quòd eius vis non omnino ſe proderet. quod deinde lege lata factum eſt. Quocirca rectè ſubiungit:

b cap. 2. 12.

11. I. NAM PECCATVM OCCASIONE, &c. Peccatum ferè intelligunt fomitem, de quo paulò antè dixerat; *Non ergo regnet peccatum*; & videri poteſt admodum probabilis ſententia; malim tamen propriè accipere peccatum, quod paulò antè dixerat, occaſione legis reuixiſſe, cui (vt rectè monet Origenes) pereleganti proſopopœia humanam quodammodo perſonam affingit, & humanas actiones attribuit; idcirco autē ait, hoc peccatū occaſione legis reuixiſſe, ipſique adeo legi, quæ vitam parere, & conſeruare poterat, vim quandam lethalem impertiuiſſe, quia appoſito præcepto hominem ſeduxit, & occidit. Quæ cùm ita ſint, apparet nos rectè Methodij, atque Ambroſij ſententiam reieciſſe, qui nomine peccati diabolum intelligunt. pugnaret enim alioqui hæc ſententia cum ipſo Apoſtolo, qui ſcribens ad Timotheum [c]; *Adam* (inquit) *non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in præuaricatione fuit*. hic autem ſcribit peccatum occaſione accepta per mandatum ſeduxiſſe, atque adeo peremiſſe humanum genus; vox verò Græca ἐξηπάτησε, deceptionem ſignificat, qua, quis alium à via abducit, & quaſi in errorem atque ignorationem impellit. Scitum enim illud eſt Philoſophorum, omnem qui peccat aliquo errore, aut ignoratione practica laborare. Nec dubium eſſe poteſt, dum Paulus ſe fuiſſe ſeductum atque occiſum affirmat, non tam proprio nomine, quàm communi totius humani generis vim, atque efficacitatem peccati declarare, & ſtatim humanæ naturæ, ſuis veluti coloribus exprimere cùm iugo legis etiam num ſubiecta gratiæ præſidio deſtituebatur; tunc enim littera occidebat, vt alio loco dicit [a] Apoſtolus. Id autem vitio hominum accidit, nullo autem modo ex legis natura, vt ex Chryſoſtomo, ac Theodoreto paulò antè docuimus. Itaque rectè omnino, ac verè ſcripſit Auguſtinus [b]. *Data eſt lex ad oſtendendum quantis vinculis peccatorum conſtringerentur, qui de ſuis viribus ad implendam iuſtitiam præſumebant. ſic abundauit peccatum, & concupiſcentia ex prohibitione ardentior facta eſt, & peccantibus contra legem præuaricationis crimen acceſſit.* Alias legis latæ rationes afferunt [c] Iuſtinus Martyr, Irenæus [d], Tertullianus [e], Gregorius [f] Nazianzenus, Epiphanius [g], quæ tamen non pertinent ad hunc locum. Itaque Paulus ait hominem occaſione legis à peccato fuiſſe ſeductum, atque adeo peremptum. hoc enim ſignificat cùm dicit *occaſione accepta per mandatum ſeduxit me, & per illud* (videlicet mandatum) *occidit*: hoc eſt vitam ſpiritalem ademit, quia præcepto gratiæ præſidio deſtitutus nequaquam parebat. Eius rei Auguſtinus [h] duplicem affert rationem, & quod quæ prohibentur vehementiùs appetuntur, vt ſuprà dictū eſt. & quod qui legi quoquo modo obtemperat, niſi beneficio fidei altiùs attollatur, ſibi ſoleat ſua bona tribuere, quo nomine grauiter peccat.

c Ep. 1. cap. 2. 14.
a 2. ad Cor. 3.
b de quibuſ. da propoſit. in hanc Ep.
c Dial. cum Tryphone
d lib. 4. cap. 4.
e lib. 2. cont. Marcion.
f Orat. 2. de Paſchate.
g hær. 8.
h lib. 83. qq. 66.

12. I. ITAQVE LEX QVIDEM SANCTA, &c. Rectè Paulus tacitas Iudæorum cogitationes præuertit, ne temerè ſuſpicarentur, legem quippe peccati, & mortis cauſam à ſe damnari, qui dixiſſet illam fuiſſe veluti ſicam, qua fuerit humanum genus iugulatum. Affirmat igitur, legem, ſi per ſe ſpectetur, fuiſſe ſanctam, iuſtam, ac bonam, hoc eſt, nulla reprehenſione dignam, ſed potiùs omnium prædicatione celebrandam. *Lex enim Domini* (vt ait Dauid [i]) *immaculata conuertens animas, teſtimonium Domini fidele ſapientiam præſtans paruulis: iuſtitia Domini recta lætificantes corda, præceptum Domini lucidum illuminans oculos; timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi; iudicia Domini vera iuſtificata in ſemetipſa*. Dicitur autem mādatum *ſanctum*, quòd verum Dei cultum, ac legitimas cæremonias præciperet, *iuſtum*, quòd rectam iudiciorum formā, & æquitatis plenam præſcriberet; *bonum* denique quòd honeſtatis præcepta, & humanæ vitæ officia contineret. Fateor tamen fuiſſe legem rudem, & imperfectam; nihil enim (vt ait [k] alibi Paulus) *ad perfectum adduxit*; ideóque *reprobatio facta eſt præcedentis mandati, propter infirmitatem eius, & inutilitatem*: quod multis probant Clemens [l] Romanus, Epiphanius [m], Irenæus [n], Chryſoſtomus [o], Theodoretus [p], Auguſtinus [q]. Et quidem negari non poteſt tradidiſſe illam rudem, & inchoatam Dei cognitionem, eandémque obſcuram, & vmbris, ac figuris inuolutam, quod vtcumque ſignificatum eſt Moſi iis verbis [r]: *Videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non poteris*. De quo hoc loco multa ſcribunt Origenes [f], Irenæus [t], Athanaſius [u], Gregorius [x] Nazianzenus,

i Pſal. 18. 8.
k ad Hebr. 7. 18.
l lib. 6. Conſtit. c. 20. 23.
m hær. 33. 42. 66.
n lib. 4. c. 28. 27. 31.
o Hom. 4. ad Col. & Hom. 11. ad Philippenſes.
p Ep. de vinc. decr. cap. 17.
q Omnib. libris cont. Manich.
r Exod. 33. 23.
f Hom. 12. in Exod.
t lib. 4. c. 17.
u Quæſt. 23. ad Antioch.
x Orat. 2. de Theolog.

Chryſo

Chryſoſtomus,[a] Tertullianus,[b] Auguſtinus,[c] Gregorius,[d] Marius Victorius,[e] Ioannes Maxentius;[f] faceret illud Iob;[g] *Vocem quaſi auræ lenis audiui*; Et illud Heliæ in libris Regum, qui Dominum in ſibilo auræ tenuis loquentem audiuit; quod ad imperfectam antiquorum Patrum cognitionem referunt Ambroſius,[h] & Gregorius:[i] eodem ſpectant quæ ſcribit Tertullianus,[k] qui ait, *granum in terram iaci, tum de grano oriri fruticem, de frutice arbuſculam, deinde ramos, ac frondes; inde tumorem germinis, mox florem de germine, & de flore fructum. Ita iuſtitiam fuiſſe quaſi in rudimentis in lege naturæ, deinde per legem, ac prophetas perueniſſe ad infantiam, per Euangelium denique efferbuiſſe in iuuentutem*, eamdémque ob cauſam Paulus[l] antiquam illam legẽ comparat infantiæ, ſeu pædagogiæ: quam ſimilitudinẽ maximè probant Origenes[m] & Athanaſius.[n] Accedit ad hæc,

II. quòd illius legis præcepta iuſtitiam, ſuis omnibus numeris abſolutam afferre nequaquam poterant, cùm præſertim gratiæ ſubſidium neceſſarium nõ tribuerent, vt enim ait Ioannes: *Lex per Moyſem data eſt, gratia autem, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*; de qua re multa Auguſtinus:[o] aptè enim argumentatur Paulus,[p] ſi ex lege parari potuiſſet iuſtitia Chriſti aduentum futurum fuiſſe ſuperuacaneum: denique non tam virtutis amore quàm metu ſupplicij, homines ad benè agendum incitabat. Rectè tamen, ac verè dicitur ſancta lex Moſis, quod his verbis expreſſit Iuſtinus.[q] *Moſis lex* (ait) *præſcribit quidquid naturaliter honeſtum, pium iuſtumq́; eſt data propter durum cor populi, & obſeruata ab obedientibus.* Et Gregorius[r] Nazianzenus: *Propterea* (inquit) *lex nobis in ſubſidium datur tamquam vallum quoddã inter Deum, & idola medium, & ab illis nos abduceret, ad illum verò reduceret, ac paruum quid ſub initium concedit, vt etiam quod minus eſſet, accipere poſſet. Sacrificium enim eouſque concedit, vt Deum eſſe oſtenderet, ac ſapienter nos per ua ſubalternauit ſurreptione, tamque perſuaſione exercitatos ad Euangelium traduxit.* Epiphanius[s] verò: *Lex autem à Deo ipſis data inſtar pædagogi, ſicut etiam erat lex pædagogus; corporaliter quidem diſtinctionem faciens, ſpiritualem habens expectationem.* Deinde multis oſtendit in illis cæremoniis latuiſſe ſpiritualem ſenſum, quod etiam facit Tertullianus,[t] qui cùm multa de cæremoniarum ſignificatione dixiſſet, ad extremum addit: *Quam legem non duritia promulgauit auctoris, ſed ratio ſummæ benignitatis, populi potiùs duritiam edomantis, & rudem obſequio fidem operoſis officiis dedolantis, vt nihil de arcanis attingam ſignificantiis legis ſpiritalis ſcilicet, & prophetica, & in omnibus penè argumentis figuratæ.* ſufficit enim in præſenti, ſi ſimpliciter hominem *Deo obligabat, vt nemo iam reprobare debeat, niſi cui non placet Deo deſeruire.* Similia ſcribit Clemens[u] Romanus.

13. I. QVOD ERGO BONVM EST, &c. More ſuo Apoſtolus occupatione præuertit quod ex proxima ſuperiori ſententia facilè quiuis obtendere potuiſſet. nam ſi lex ſancta eſt, & iuſta; ac ſancta præcepta complectitur; cur non ita pridem dixiſti, mandatum occaſione quadam mortem, atque interitum attuliſſe? An quod erat ipſum per ſe bonum, potuit necem afferre? minimè verò, inquit Paulus; quin potius lex iuſta, & ſancta: fecit tamen, vt peccatum, quod antea quodammodò latebat, omne verò genus hominum miſerandum in modum, partim inquinabat, partim premebat; in lucem quodammodò prodiret; atque ita hominum vitio propter inſitam cupiditatem peperit mortem; atque adeo peccatum irritamento legis prouocatum, omnem ſuam virulentiam effudit, & miſeros mortales in ſcelerum, ac flagitiorum gurgitem demerſit. Ita

A proſus Origenes, & Chryſoſtomus. *Sed peccatum vt appareat peccatum*, vt eluceſcat quantum, & quàm ſæuum, atque exitiale ſit virus peccati, *per bonum operatum eſt mihi mortem*, cùm alia omnia expectanda forent. Hic quoque proculdubio Apoſtolus non priuatim de ſe ipſo, ſed de hominum genere vniuerſo loquitur, quamuis ſe quoque cæteris adnumerare videatur. Vtitur autem (vt ſuprà monui) pereleganti proſopopœia, tribuítque peccato vitam, & actiones, *vt fiat* (inquit) *ſupra modum peccans peccatum per mandatum.* Eſt autem Græca vox ἁμαρτωλὸς, id eſt, peccator, quomodo alicubi legiſſe videtur Auguſtinus,[a] quamquàm alibi[b] hanc noſtri interpretis lectionem probat; ſententia tamen eadem ſemper eſt, vt ſignificet, peccatum quaſi grauiſſimum, & flagi- B tioſiſſimum peccatorem, innumerabilibus propemodùm flagitiis inquinari. hoc enim eſt *ſupra modum peccans*; Græcè καθ' ὑπερβολὴν, quæ eſt interpretatio non ſolùm Auguſtini locis indicatis, ſed etiam Gregorij[c] Nazianzeni, & Ambroſij,[d] ſiue quia grauius peccatum erat poſt legem, quod obſeruauit Ambroſius, ſiue quia veluti occaſione legis actiùs ad facinus homines irritabantur. Hieronymus[e] dixit; *Quomodo medicina non eſt cauſa mortis ſi oſtendat venena mortifera, licèt his mali homines abutantur ad mortem, vt vel ſe interficiant, vel inſidientur inimicis; ſic lex data eſt, vt peccatorum venena monſtret, & hominem malè libertate ſua abutentem, qui prius ferebatur improuidus, & per præcipitia labebatur, fræno legis retineat, & compoſitis doceat incedere greſſibus.* Itaque quod ait Apo- II.

C ſtolus, *per bonum*, ambiguè dictum videri poteſt. nam ſi referatur ad priora, ſenſus erit; vt per bonum, id eſt, per bonam legem, & eius veluti comparatione, aut etiam luce, & quaſi face illuſtratum peccatum appareat: ſin autem coniungatur cum ſequentibus, ea mens erit Pauli, apparuiſſe peccatum non niſi legis bonæ indicio. vtro autem modo ſentias, nihil videtur referre. Quod autem ait, *fiat*, Oecumenius *explicat*, vt detegatur, quò faciliùs fugiamus. Auguſtinus,[f] *vt appareat*. voluit quippe Deus, humanæ naturæ imbecillitatem probè cognoſci, vt deinde gratiæ medicamentum pluris fieret.

SCIMVS ENIM, QVOD LEX, &c. Legem 14. proculdubio veterem intelligit, quam ſuprà quidem I. bonam, & ſanctam dixerat; nunc autem addit, eam D eſſe etiam ſpiritualem; id verò permirum, cùm aliàs legem vocet litteram occidentem, contráque affirmet, ſpiritum eſſe auctorem vitæ. *Scimus ergo* (inquit) *quia lex ſpiritualis eſt.* Omnino verè. nam (Chryſoſtomo quidem, & Theophylacto[g] auctoribus) præcipit ea, quæ ad ſpiritualem hominem informãdum, atque inſtituendum maximè valent. imperat enim virtutis, atque honeſtatis ſtudium, vetat vitia. Addit Hieronymus, eam dici ſpiritualem, quia non niſi ab iis præſtari poteſt qui cœleſti, diuinóque ſpiritu præditi ſunt. Ab auctore Deo, qui ſpiritus dicitur, ſpiritalem legem eſſe interpretatur Theodoretus, quòd digito Dei, hoc eſt, ſpiritu Dei in tabulis lapideis ſcripta, & Moſi viro in primis ſpirituali tradita, ab eóque populo Hebræo promulgata eſt. Effectum, & E finem ſpectauit Ambroſius, quòd vnius veri Dei puriſſimi ſpiritus, & corporis penitùs expertis notionem, & cultum traderet, & falſa illa corporea numina deteſtaretur. Paulò aliter accipit Auguſtinus,[h] qui propterea legem ſpiritualem fuiſſe affirmat, quòd non poſſet niſi ab homine ſpiritali ſeruari, id eſt, eo, quem diuina Spiritus ſancti gratia & ſanaſſet, & renouaſſet. Addit D. Thomas, meritò legem II. ſpiritualem vocitari, quia cum hominis mente, & ratione, hoc eſt, hominis ſpiritu mirificè congruit. Nec magnoperè diſcrepant ij,[i] qui huius appellatio-

S rus

[q] Vid. cum Tryphone.
[r] Orat. 2. de Paſch.
[s] hær. 8.

[a] li. 1. ad Simplic. q. 1.
[b] libr. 13. de Ciuit. cap. 5.
[c] In Apolog. ad Patrem.
[d] l. de Iob. cap. 4.
[e] Epiſt. 151. ad Algaſ. q. 8.
[f] Prop. 40. in hanc Epiſt.
[g] Ioan. 4.
[h] de quibuſdã prop. huius Ep. Num. 4. ſic etiam Pſeudo-Hieronym hoc in loco.
[i] Caietanus

nit hanc potiſſimùm afferunt rationem, quòd firmando, promouendóque ſpiritui plurimùm adiumenti afferret, dum præciperet quæ facienda eſſent, prohiberétque contraria. nam ad Dei cultum, ac religionem ſacras cæremonias ad vitam benè inſtituendam, plurima præcepta morum complectebatur: Denique ſpiritualem ego legem ob id maximè fuiſſe interpretor, quòd oporteret eam diuino quodam ſpiritu interpretari, & ſequi, ne externæ litteræ veluti cortex hominem perimeret. Cùm ergo Paulus legem vocat carnalem, legis potiſſimũ cæremonias reſpicit, de quibus plura in Epiſtola ad Hebræos: cum litteram occidentem nominat, nedum ſpectat præceptum. hic verò ſpiritualem appellat, præcipuè propter finem legis, & legiſlatoris conſilium, vt ex dictis intelligitur. *Ego autem* (ſubdit) *carnalis ſum venumdatus ſub peccato.* quod intelligitur (vt ait Auguſtinus [a]) perinde quaſi vnuſquiſque peccando animam ſuam diabolo vendat, accepto tanquam pretio ipſa voluptatis dulcedine: quomodo etiam accipiunt Origenes [b], & Anſelmus: Eſt autem (vt apparet) pretium viliſſimum; ſimpliciùs intelligi poteſt vendere Hebræa phraſi, idem eſſe, quod libertatem perdere, aut ſeruitutem mancipare. Sic ſcriptum eſt in Deuteronomio [c]. *Nónne ideo quia Deus ſuus vendidit eos?* Et Dauid [d]. *Vendidiſti populum tuum ſine pretio.* ſic in libro Iudith [e]: *Propter hoc vendidit nos Deus in manibus eorum.* Et Naum propheta [f]. *Vendidit gentes in fornicationibus ſuis.* Quocirca dixit alicubi Auguſtinus [g], vendendi verbum in ſcripturis idem plerumque valere, quod tradere; vtrunque enim ſignificat vox Hebræa מכר *machar*. Qua ratione nonnulli, qui quaſi ſcelerum ſeruituti mancipati, omni ſe flagitiorum genere commaculant; dicuntur venditi, ſeu venumdati, vt faciant malum: ſic de Rege Achab ſcriptum eſt in libris Regum [h]. *Qui venumdatus eſt, vt faceret malum.* Ibidem: *Eo quod venumdatus ſis, vt faceres malum in conſpectu Domini.* Et de quibuſdam improbis in libris Machabæorum [i]. *Iuncti ſunt nationibus, & venumdati, vt facerent malum.* Qui ſanè omnes miſeram ſeruiunt ſeruitutem. Eorum ſe numero aggregare videtur Paulus, quaſi & ipſe ſit libertate ſpoliatus. Quod alicubi apertè affirmat Auguſtinus [k], qui hæc verba ipſi Apoſtolo Paulo accõmodat; quod etiam alibi facit diſputans contra Pelagianos, & hanc explicationem maximè probat non vno loco [l]. Quæ eſt ſentẽtia Primaſij, Anſelmi, D. Thomæ, qui apertè docent, hæc Pauli verba etiam conuenire iuſtis, ac perfectis; à quibus negant ſeruari legem, non quidem quoad ſubſtantiam præcepti, ſed quoad quandam perfectionem, ſpectato videlicet ipſius legis fine, qua ratione dixit alicubi Auguſtinus; præceptum, *non concupiſces*, non perfectè ſeruari, quia licet poſſimus cupiditatibus reluctari, ac vincere, in quo eſt poſita vis præcepti parendi neceſſitatem exigentis, non tamen poſſumus penitùs cupiditates extinguere, vt nunquàm in nobis etiam inuitis excitentur, qui eſt velut finis præcepti. ſic autem ſcribit Auguſtinus [m]: *Hoc lex poſuit dicendo, Non concupiſces, non quòd ſic valeamus, ſed ad quod proficiendo tendamus.* Et alibi: [n] *Multum* ait, *bonis facit, qui facit quod ſcriptum eſt: poſt concupiſcentias tuas non eas. Sed non perficit quia non implet quod ſcriptum eſt, non concupiſces. Ad hoc ergo dixit lex, non concupiſces, vt nos in hoc morbo iacere intelligẽtes medicinam gratiæ quæreremus, & in eo præcepto ſciremus, & quò debeamus in hac mortalitate conari, & quò poſſit à nobis in illa beatiſſima immortalitate perueniri.*

III. Non me tamen præterit Origenem, Chryſoſtomum, Theodoretum, Theophylactum, Oecumenium, & aliquando Auguſtinum [o]

A exiſtimaſſe loqui Paulum de ſe ipſo, ſed quaſi aliena perſona ſuſcepta, eorum videlicet, qui vel ſunt adhuc in peccato, vel certè in ſtatu quidem gratiæ, ſed ea ratione ſpectantur, quæ à primo parente Adamo vitiatam naturam ducunt: quomodo etiam explicant Ambroſius, Hieronymus [a], & Baſilius [b]. Porrò Gregorius [c] Paulum loqui putat de ſe ipſo, déque viris etiam perfectis, quibus perpetuò cum morbis, atque ægritudinibus animi luctandum eſt. Malim ego loqui Paulum in eorum perſona, qui ante legem, vel ſub lege vixerunt; ij enim ob eas, quas ſuprà attulimus, rationes iure optimo dici poterant venumdari ſub peccato, quòd gratiæ præſidio deſtituti, quadam peccandi (vt ita dicam) neceſſitate obſtringerentur: non negarim tamen id etiam aliqua ratione conuenire in hominem in lege gratiæ, ſi ſpectentur eius B naturæ vires nondum beneficio gratiæ confirmatæ: vel etiam in iuſtis, vt ſuprà docui ex Auguſtino, quia nemo iuſtus niſi peculiari beneficio, ac priuilegio diuino, poteſt penitùs omnem impotentem cupiditatẽ cohibere, quin aliquando ipſius aculeis pungatur, quamuis non ſuperetur. quod tum demum dicendum eſt, ſi quod exiſtimauit Auguſtinus, præcepto non concupiſcendi etiam illi motus qui rationem præuerterunt, aliqua ratione comprehẽdantur: quamquam longè eſt, vt ſuprà docui, probabilius non comprehendi, cùm præceptum ea tantùm complectatur, quæ à libera voluntate proficiſcuntur.

IV. Itaque quocumque tandem modo verba Pauli intelligantur, fruſtrà nituntur hæretici, qui ex hoc lo- C co concupiſcentiam, peccatum eſſe cõtendant, quorum impia, nefariáque ſententia maximè refellitur, ſi loquatur Apoſtolus (vt diximus) in perſona eorum, qui vel ante legem, vel ſub lege vixerunt. nam illi vt erant in illo ſtatu, carebant gratia, quæ datur merito Chriſti, adeóque vi legis naturalis, & ſcriptæ legi obtemperare non poterant. Denique quocumque modo præceptum de non concupiſcendo intelligatur, ait Apoſtolus, legem eſſe ſpiritualem, atque idcirco nõ eſſe cauſam peccati, quod oritur à mente, quæ carni obtemperat, quæque ſe cupiditatibus conſtringendam præbet, quomodo hæc omnis Apoſtoli diſputatio accipienda ſit, paulò pòſt aliquanto fuſiùs explicabo. Interim huc refero quod acutè dixit alicubi Caſſianus [d]. *Spiritalis enim* (inquit) *eſt lex,* D *quæ iubet nobis, vt in ſudore vultus noſtri comedamus illum panem verum, qui de cælo deſcendit; ſed nos carnales fecit venundatio illa peccati. Quod, rogo, iſtud, cuiúſve peccatum eſt? ſine dubio Adæ, cuius prauaricatione, & vt ita dicam, negotiatione, damnoſo, fraudulentóque commercio venditi ſumus. omnem enim prolem ſuam ſerpentis perſuaſione ſeductus, illicitis cibi perceptione diſtrahẽdam, iugo perpetuæ ſeruitutis addixit. Hic namque mos ſolet inter vendentem, ementémque ſeruari, vt is, qui ſe alieno cupit dominio mancipare, aliquid pretij pro iactura propriæ libertatis, & addictione perpetuæ ſeruitutis à ſuo conſequatur emptore. Quod etiam inter Adam, atque ſerpentem manifeſtiſſime videmus impletum. ille enim à ſerpẽte pretium libertatis ſuæ eſum interdictæ arboris capiens, à natura libertate diſceſſit, il-* E *lique malus ſemetipſum perpetua dedere ſeruitute, à quo vetiti pomi lethale pretium fuerat aſſecutus, quâ deinceps conditione conſtrictus non immeritò omnem poſteritatis ſuæ progeniem perpetuo eidem, cuius effectus eſt ſeruus, ſubdidit famulatu. quid enim aliud ſeruile cõiugiũ poteſt procreare, quàm ſeruos?*

V. Et profectò proprio experimento quotidie cernimus, quàm verum ſit, omne genus hominum miſertimam ſeruire peccati ſeruitutẽ. rectè namque ſcriptũ eſt à Seneca [e]: *Nullum eſt momentum, quo ſapiens non improbanda videat; quoties proceſſerit domo, per ſceleratos illi, auaróſque,*

a Propoſit. 42. in hanc Epiſt.
b Hom. 6. in Exod.
c cap. 32. 10.
d Pſal. 43. 13.
e cap. 7. 13.
f cap. 3. 4.
g Quæſt. 17. in l. Iudicum.
h 3. lib. ca. 21. 25.
i 1. lib. 1. 16.
k l. 1. cont. 2. Ep. Pelag. ca. 10.
l lib. 2. retr. c. 1 & lib. de præd. ſanctorum c. 4. & lib. 1. contra Iulian. cap. 11.
m Epiſt. 200.
n l. 1. de nupt. & concup. ca. 29.
o Propoſitio 43. & lib. 1. ad Simplic. 9.

a epiſt. 19. ad Algaſ. q. 8.
b Reg. breu. interr. 16.
c lib. 19. Moral. c. 4.
d Collat. 23. cap. 12.
e l. 1 de ira cap. 7 & 9.

que,& prodigos, & impudentes, & ob iſta fœlices incedendum erit: Nuſquam oculi eius flectentur, vt non quod indignentur, inueniant, deficiet ſi toties à ſe iram, quoties cauſa poſcet, exegerit. Hæc tot millia ad forum prima luce properantia, quàm turpes lites, quanto turpiores aduocatos habent. alius idcirco Patrem accuſat, quem demereri ſatius fuit: alius cum matre conſiſtit; alius delator venit eius criminis, cuius manifeſt. er reus eſt, & iudex damnaturus, quæ fecit eligitur, & corona pro mala cauſa, bona patroni voce corrupta. Quid ſingula perſequor? Cùm videris forum multitudine refertum, & ſepta concurſu omnis frequentiæ plena, & illum Circum, in quo maximam ſui partem populus oſtendit; hoc ſcito iſtic tantundem eſſe vitiorum, quantum hominum inter iſtos, quos togatos vides, nulla pax eſt; alter in alterius exitium leui compendio ducitur, nulli niſi ex alterius damno quæſtus eſt; fœlicem oderunt, infœlicem contemnunt, maiore grauantur, minori graues ſunt, diuerſis ſtimulantur cupiditatibus, omnia perdita ob leuem voluptatem, prædámque cupiunt, non alia, quàm in ludo gladiatorio vita eſt, cum iis de viuentium, pugnãtiúmque ferarum iſte conuentus eſt, niſi quòd illa placidæ ſunt, morsúque ſimilium abſtinent. hi mutua laceratione ſatiantur: hoc vno ab animalibus mutis differunt, quod illa manſueſcunt alentibus; horum rabies ipſos, à quibus eſt nutrita, depaſcitur: Nunquã iraſci deſinet ſapiens ſi ſemel cœperit; Omnia ſceleribus, ac vitiis plena ſunt, plus cõmittitur, quàm quod poſſit coercitione ſanari: Certatur ingenti quodam nequitiæ certamine, maior quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia eſt. Expulſo melioris, æquiorísque reſpectu, quocumque viſum eſt libido ſe impingit, nec furtiua iam ſcelera ſunt, præter oculos eunt, adeóque in publicum miſſa nequitia eſt, & in omnium pectoribus eualuit, vt innocentia non rara, ſed nulla ſit. numquid enim ſinguli, aut pauci rupere legem? Vndique veluti ſigno dato ad fas, nefáſque miſcendum coorti ſunt.

— Non hoſpes ab hoſpite tutus,
Non ſocer à genero, fratrum quoque gratia rara eſt!
Imminet exitio vir coniugis, illa mariti:
Lurida terribiles miſcent aconita nouercæ;
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Adice nunc publica periuria gentium, & rupta fœdera, & in prædam validioris quidquid non reſiſtebat abductum, circumſcriptiones, furta, fraudes, inficiationes, quibus trina non ſufficiunt fora: ſi tantum iraſci vis ſapientem, quantum ſcelerum indignitas exigit, non iraſcendum illi, ſed inſaniendum eſt. Inter cætera mortalibus incommoda, & hæc eſt caligo mentium, nec tantum neceſſitas errandi, ſed errorum amor. Hæc ex Seneca exſcripſi, tum quòd miſeram peccandi conſuetudinem & ſeruitutem mirificè explicent, tum quòd noſtri æui mores, & aulæ præcipuè vitia ad viuum penè exprimant, planéque declarent, quidnam ſit venditum eſſe ſub peccato, vel quod magis indicant verba Græca, ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν, id eſt, ſub peccatum, quaſi dicat peccati ſeruituti addictum.

15. I. Qvod enim operor, non, &c. Commoratur in eadem ſententia Apoſtolus, redditque ſuperiorum rationem. quod enim (inquit) operor, non intelligo; Græcè, οὐ γινώσκω, non approbo (inquit Augustinus [a]) non accepto, non mihi placet, nõ conſentio, non laudo. Vel hinc maximè cógnoſcitur ſeruitus peccati, de qua hîc ita ſubtiliter diſputat Apoſtolus, vt vix ab vllo percipi queat: quid autem ſit hoc quod nolens, vel ignorans Paulus agit, non planè conſtat. Auguſtinus [b] primos videtur cupiditatis motus intelligere, quos ſatis compertum eſt liberum voluntatis conſenſum præuertere; quin plerumque etiam inuitis, & nolentibus nobis inſurgere; vt idem hoc loco dicat Apoſtolus, quod alius verbis ſignificauit in Epiſtola ad [a] Galatas. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem; vt non quæcumque vultis, illa faciatis.* Chryſoſtomus, & Theodoretus de mala peccati actione accipiunt; Paulum enim in perſona peccatoris hæc dicere autumant. ignorat enim peccator quibus illecebris, ac lenociniis ad facinus perpetrandum ſit adductus, vel malitiæ veluti tenebris obcæcatus peccati turpitudinem nõ agnoſcit. Methodius apud Epiphanium [b] exiſtimat, Paulum iuſtorum perſona ſuſcepta de iis cogitationibus agere, aut inanibus, aut etiam turpibus, & inhoneſtis, quæ plerumque minimè volentibus nobis irrepunt. Anſelmus verò verba illa Pauli; *Non intelligo*, accipit perinde quaſi non cognoſcatur quænam cupiditates, cum diuinis præceptis pugnẽt.

a lib. 3. de nupt. & conc. [illegible]

b [illegible]

a cap. 5. 17.

b Hæreſ. 64.

II. Alij denique aliter: ego ſimpliciter duos veluti homines ſibi repugnãtes in ſingulis hominibus à Paulo confingi exiſtimo, vnum carnalem, alterum ſpiritalem. Quod ergo agit homo carnalis qui eſt in me, qui planè ego ipſe ſum, qua ratione ab Adamo originem duco, equidem qua ſpiritalis ſum, & in Chriſto renatus nullo modo approbo, aut tamquam à me perpetratum agnoſco, ſiue leue peccatum illud ſit, ſiue etiam mortiferum. illud enim non ab homine ſpiritali, ſed à peccati prauo incentiuo, quod in me ineſt, proficiſcitur; ita apparet, hanc Pauli orationem etiam in homines iuſtos ſuo modo cadere aliqua ratione poſſe. oam & ipſi interdum cupiditatum illecebras rationi reluctantes, vt paulò pôſt docebo, experiuntur vel inuiti. itaque rectè ſubdit: *Non enim*

III. *quod volo bonum, hoc ago; ſed quod odi malũ, illud facio.* Homo namque ſpiritualis id, quod bonum atque hooeſtum eſt, prudenter, & cum conſilio expetit; contrà verò turpe ac malum odit, ſæpè verò naturæ quadam imbecillitate ſecùs accidit, ſiue (vt vult Auguſtinus, conſentiente Anſelmo) propter ſubitas titillationes cupiditatis, ſiue, vt placet Methodio, propter irrepentes inanium rerum cogitationes: ſiue, vt Oecumenius mauult, quia peccator flagitiorum veluti pondere degrauatus ad alia flagitia pertrahitur, quæ mala eſſe intelligit; contrà verò videt meliora, probátque, & deteriora tamen ſequitur: ſiue denique, vt exiſtimarunt Chryſoſtomus, & Theodoretus, quia peccator bonum, atque honeſtum vtcumque expetit, virium tamen imbecillitate, diuinæ præſertim gratiæ præſidio deſtitutus, id quod appetit, præſtare nequaquam poteſt: ita rectè Baſilius [c] locum hunc interpretatur, vt oſtendat peccatum (quod alicubi apertiùs docet Gregorius [d]) niſi ſubita pœnitentia deleatur, ad alia deinceps facinora impetu quodam vrgere; quod planiùs ex iis, quæ mox dicam, intelligetur. Hoc ſubobſcurè indicauit alibi M. Tullius [e]. *Sunt ingeniis noſtris* (ait) *ſemina innata virtutum, quæ ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vitam natura perduceret: nunc autem ſimulatque editi in lucem, & ſuſcepti ſumus, in omni continuò prauitate verſamur, vt penè cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur; cùm verò parentibus redditi, deinde Magiſtris traditi ſumus, tum ita variis imbuimur erroribus, vt vanitati veritas, & opinioni natura ipſa cedat.* Et alibi [f]: *Multis ſignis natura declarat quid velit, ac quærat, & deſideret, obſurdeſcimus tamen neſcio quomodo, nec ea, quæ ab ea monemur, audimus.* Denique alio loco [g]: *Cùm animus cognitis, perceptíſque virtutibus à corporis obſequio, indulgentiáque diſceſſerit, voluptatémque ſicut labem aliquam dedecoris oppreſſerit, omnémque mortis, ac doloris timorem effugerit, ſocietatémque caritatis coierit, tum omnibus ſe natura coniunctũ duxerit, cultúmque Dei, & puram religionem ſuſceperit, ac exacuerit illam, vt oculorum ſic ingenij aciem ad bona diligenda, & reiicienda contraria, quæ virtus ex prouidentia eſt*

c l. de Reg. mor. Reg. 14. cap. 1.

d l. 25. Moral. c. 9. aliàs 12.

e lib. 3. Tuſc.

f in Lælio.

g lib. 1. de legibus.

S 2 appella

A *appellata prudentia: quid eo dici aut cogitari poteſt beatius?* Nam quod Caſſianus [a] bonum, quod appetimus, nec tamen perficimus, rerum diuinarum contemplationem intelligit; contrà verò malum, quod nolentes perſequimur, externarum rerum, atque actionum occupationes interpretatur, non tam Pauli ſententiam, quàm eius ſententiæ aptam accommodationem complectitur.

a Collat 23. cap. 13.

IV. Cæterùm quod attinet ad verba, Græci codices non habent bonum, neque etiam quod in emendarioribus Latinis legitur, malum, ſed ſimpliciter legunt, οὐ γὰρ ὃ θέλω, τοῦτο πράσσω, ἀλλ' ὃ μισῶ, τοῦτο ποιῶ. quomodo etiam Latinè reddidit Hieronymus [b]. Porrò peruerſa Caluini interpretatio, iniqua, atque impia meritò reiicienda eſt, qui hanc cupiditatum, ſeu appetitionum veluti pugnam in iuſtis duntaxat hominibus reperiri contendit, B qui qua iuſti ſunt, & diuino timore vtiliter coneutiuntur, & diuinam legem eo, quo par eſt, amore complectuntur, vi tamen fomitis, & prauæ cupiditatis, vt maximè nolunt, & quantum poſſunt reluctentur, in ſcelera, atque flagitia pertrahuntur. At contrà impij diuini timoris veluti repagulis effractis, diuinæque legis contemptu, ſic planè instituti, conformatique ſunt, vt non modò ſponte volentes, ac prudentes, ſed magno quodam impetu ad vitia prolabantur. Ita nefarius impoſtor vel tacitè ponit, vel apertè potiùs indicat, Dei legem ne à iuſtis quidem poſſe ſeruari; quòd cùm falſum ſit, neceſſe eſt omnem inanem huic fundamento nixam ſubſtructionem, illicò ruere. nam vt hoc etiam addam, quis eſt adeo impius, C qui niſi Caluinianum ſpiritum penitus hauſerit, non aliquando ſalubri Dei timore tangatur? adeóque nonnullam colluctantium cupiditatum pugnam in ſe ipſo animaduertat? Rectè verò monet Auguſtinus [c], non eſſe Apoſtoli verba in eum ſenſum perperam trahenda, quaſi libero nos arbitrio ſpoliet, cùm nihil ſit magis certum, magíſque exploratum, quàm quemlibet ſponte peccare. Iam verò ſequitur Apoſtolus.

b ep ad Cteſiphon.

c In hanc ep. propoſit. 44

16. SI AVTEM QVOD NOLO, &c. Omnino

I. neceſſe eſt, Paulum vel arte dialectica fuiſſe in primis inſtructum, vel excellenti quadam ingenij vi, atque acumine præditum, vel diuina quapiam argumentandi ratione incredibiliter ornatum. Egregiè namque quod latebat in ſuperiori ſententia, his paucis verbis colligit. nam ſiue homo id agat, quod mēs, D & ratio improbat, ſiue id omittat, quod faciendum eſſe naturæ ductu intelligit, tacita profectò quadam ratione fatetur, bonam, atque honeſtam eſſe legem, quæ præcipit facienda, prohibétque contraria; ſiue de lege veteri intelligatur, de qua propriè loquitur Apoſtolus; ſiue de ipſa lege naturæ, quæ vt alicubi ſcribit M. Tullius [d]. *Eſt quidem vera lex recta ratio, naturæ congruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna, quæ vocat ad officium iubendo, vetando à fraude deterret, quæ tamen neque probis fruſtra iubet, aut vetat, nec improbos iubendo, aut vetando mouet: huic legi nec propagari fas eſt, neque derogare aliquid licet, neque tota abrogari poteſt: nec verò aut per Senatum, aut per populum ſolui hac lege poſſumus, neque eſt quærendus explanator, aut interpres eius alius, nec erit alia lex Romæ,* E *alia Athenis, alia nunc, alia poſthac, ſed & omnes gentes, & omni tempore vna lex & ſempiterna, & immutabilis continebit, vnúſque erit communis quaſi magiſter, & imperator omnium. Deus ille legis huius inuentor, diſceptator, lator, cui qui non parebit, ipſe ſe fugiet, ac naturam hominis aſpernabitur: hoc ipſo luet maximas pœnas, etiam ſi cætera ſupplicia, quæ putantur, effugerit.*

d lib. de republ.

II. Ita non obſcurè Apoſtoli verba magnam vim eſſe indicant ſynderesis, & bonæ, maleue conſcientiæ, quæ quantum in vtramque partem valeat, vt noſtros reticeam longa oratione docet non vno loco Plutarchus [a]: *Facinoroſa quippe conſcientia inſtar vlceris in corpore pœnitentiam relinquit, in animo iugiter eam lancinantem, ac ſingulis fermè momentis vellicantem. nam cùm alias omnes triſtitias aut leuire, aut tollere ratio ſoleat, hanc vnam patrati ſceleris pœnitentiam ſua ſponte vehementem, & acrem ardentiùs inflammat, & incuſſo turpitudinis admiſſæ pudore, eam vehementiùs irritat, vt animum exedat, & carnificis in morem excruciet. quemadmodum enim qui rigente febre frigeſcunt, aut ea æſtuante exurūtur, acriùs afficiantur, quàm qui æſtu, frigoréve externo eadem patiuntur: ſic fortuita, ac temeraria, extrinſecus denique illata triſtitia obtuſiores, vtpote aduentitia cenſeri debent, quàm quæ ex praua conſcientia inſita, atque ingenita in animo illum exurunt, ac penè ambuſtum continenter abſumunt: adde quod ille vel ædificiorum elegantia, vel hortorum amœnitate, vel perennitate fontium, ac leni decurrentium aquarum ſuſurro, vel auri pondere, vel gemmarum pretio, vel generis nobilitate, vel imperij magnitudine, vel dicendi copia, & lepôre, nonnullum leuamentum admittunt: hæc verò in media bonorum omnium copia, &, vt ita dicam, in ſummo fœlicitatis faſtigio, animum vexat, & torquet: contrà verò animus bene acta vita ſibi conſcius, cùm puro, ac defæcato gaudio perfruitur, tum ſuauiſſima rerum à ſe honeſtè geſtarum recordatione paſcitur, ac veluti ſuauiſſimo florum, vel vnguentorum odore recreatur. quemadmodum enim (vt olim Carneadem dictitare ſolitum accepimus) odorata fruteta, quamuis acciſis ſtirpibus, aut etiam conuulſis, ad multum tamen temporis natiuam illam ſuaueolentiam retinent; ita in animo ſapientis laudabiles actiones gratam ſui memoriam, ſempérque perēnem, & quodammodò recentem relinquunt, qua vires, & facultates animi ingenti lætitia veluti præterlabenti riuo perfuſæ, ſemper quodammodò virent, & fructicantur: at quos malorum conſcientia torquet, facinoroſis hominibus perſimiles videri ſolent, qui vltimo afficiendi ſupplicio, ſuam ipſi crucem, cui ſuffigendi ſunt, geſtare coguntur, non aliter ipſi ſupplicium ſibi ſtruunt, hoc eſt ingentes calamitates, innumerabiles formidines, moleſtiſſimas denique perturbationes: quòd ſi morbi aliquam leuationem, aut medicamentum quærant, nihil profectò efficiant aliud, quàm quod phthiſi laborantibus euenire ſolet, quibus medicamenta non valetudinem, aut morbi leuationem; ſed longiorem ægritudinem, & mortem (vt ita dicam) prolixiorem afferunt. Eodem prorſùs modo non effugiunt illi quidem pœnam, ſed diuturniori tempore cruciantur, & tardiorem, prolixiorémque vindictam ſuſtinent, quæ cùm ita ſint, vel inuiti fateantur neceſſe eſt, improbè ſe feciſſe, dum bonam, honeſtámque legem aut neglexerunt, aut violarunt.*

a lib. de tranquill. animi c. 3. & l. de ſera numinis vindicta.

III. Hîc argutantur hæretici, vt probent, omnem etiam ſubitam, ac minimè ſpontaneam, aut liberam voluptatis titillationem eſſe peccatum; mens quippe Pauli legi conſentiens planè idem volebat quod lex, id eſt, omni prorſùs cupiditate carere: volebat autem iis carere voluptatis aculeis, quia eos intelligebat repugnare legi, atque adeo eſſe peccata. nam ob id dixit alicubi Auguſtinus [b]: *Quid dicis, ò lex? non concupiſces, & ego nolo concupiſcere; non implet legem infirmitas mea, ſed legem laudat voluntas mea.* Verùm ex ſuperioribus conſtat, quomodo dicat Paulus, ſe legi mente conſentire. nam ſi loquatur de hominibus iniuſtis, vim oſtendit rationis, quæ videt quid agendum, fugiendúmve ſit, ſed gratiæ præſidio deſtituta ſuccumbit cupiditati: ſin autem agat de iuſtis, ſiquidem velimus prohiberi etiam ſubitos cupiditatis motus: verè Paulus (vt ait Auguſtinus) probat rectitudinem, & ſanctitatem legis, ſed imbecillitatem naturæ non poteſt omni prorſùs cupiditate carere, quæ tamen cùm non ſpectet ad præcepti ſubſtantiam, ſed ad finem,

b Serm 5 de verb. Apoſt.

finem,non poteſt cenſeri peccatum:qua ratione intelligo quod loco indicato dixit Auguſtinus. Quòd ſi malimus,præcepto illo diuino non prohiberi minimè liberas cupiditates, quæ nobis interdum inuitis in animum irrepunt; conſentire mens dicitur legi,etiam ſi concupiſcentiæ motus aliquis exoriatur,qui minimè placeat, quia licèt is motus lege nō prohibeatur tamquam peccatum,meritò tamen diſplicet, quia ortus eſt ex peccato, & ad peccatum incitat, quod eſt contra legem; atque ita qui id non vult, quod aliqua ratione mentem allicit ad legem violandam,rectè dicitur ſuo ſuffragio legis honeſtatem,ac ſanctitatem probare. Scio, alios aliter reſpondere;ſed hæc mihi videtur expeditiſſima reſpōſio; ob id enim rectè ſubdit, ſe non ſua ſponte, aut conſilio eiuſmodi titillationes ſentire, ſed inſito naturæ vitio,quo factum eſt,vt cupiditatis aculei mentem,ac rationem non rarò præuertant.

17. L NVNC AVTEM IAM NON EGO, &c. Dixerat, hominem venundatum eſſe ſub peccato, inde ſequi,vt non quod vellet bonū, ſed quod execraretur malum,re ipſa perficeret;hoc eſt, cupiditatum aculeis pungeretur. Ex his collegerat,priuato cuiuſque iudicio legem tanquam iuſtam, ac bonam approbari, addit nunc indidem conſtare non naturæ quodā inſito,aut ingenito vitio, ſed peccati labe hominum naturæ propenſionem illam ad malum acceſſiſſe. *Non ego*(inquit)*operor illud*:non natiua videlicet propenſio, aut rationis conſilium: *Sed quod habitat in me peccatum*,primi parentis videlicet culpa contractum,& prauæ cupiditatis irritamento exaggeratum. Quamquàm autem Auguſtinus [a] aduerbium illud, *nunc*, refert ad tempus gratiæ,atque Euangelicæ prædicationis: exiſtimo tamen duntaxat pertinere ad quandam orationis continuationem,& veluti argumentandi formam, cùm hæc tota diſputatio(vt ſuprà indicaui, & planiùs infrà dicam)accipienda ſit de homine ſiue ante legem, ſiue ſub lege poſito.Fateor aduerbium nunc interdum ſignificare tempus gratiæ; nam ſic ſæpè aliàs loquitur Paulus, vt ſuprà [b]. *Nunc autem iuſtitia Dei manifeſtata eſt ſine lege*. Et [c]: *Multò magis nunc iuſtificati in ſanguine ipſius ſalui erimus ab ira per ipſum*. Rurſus [d]: *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem*. Itémque [e]: *Nunc verò liberati à peccato, ſerui autem facti Deo habetis fructum veſtrum in ſanctificationem*. Et paulò antè [f]: *Nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate literæ*. Denique [g]: *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu*. In Epiſtola verò ad Corinthios [h]. *Et ſi cognouimus ſecundū carnem Chriſtū,ſed nunc iam non nouimus*. Et ad Epheſios [i]: *Eratis aliquādo tenebræ, nunc autē lux in Domino*. hæc enim fermè loca ſignificant ſtatum,& conditionē noui Teſtamenti, ac legis Euangelicæ;alia tamen indicant conſecutionem, & continuationem quādam, vt cùm ad Corinthios ſcribit [k], *nunc autem manent fides,ſpes,caritas tria hæc*. & [l]: *nunc autem poſuit Deus membra, vnumquodque eorum in corpore ſicut voluit*. quid autem de Auguſtini ſententia exiſtimandum ſit,dicam non ita multò pòſt.

a l. 1. retract. c. 23. ... (marginal notes partly illegible)
b cap. 3. 21.
c cap. 5. 9.
d cap. 6. 19.
e ibid. 22.
f hoc ipſo cap. 6.
g cap. ſeq. 1.
h 2. ep. 5. 16.
i cap. 5. 8.
k 1. ep. c. 13. 13.
l ibid. c. 12. 18.

18. L SCIO ENIM, QVIA NON HABITAT, &c. Quid effecerit in hominum natura primi parentis peccatum, his verbis breuiter,ſed luculenter explicat;adeo enim peccati labes naturam tabefecit, vt in carne,hoc eſt, appetitionis domicilio nihil relictum ſit boni. *Et ſi autem* (inquit Tertullianus [m]) *negat Apoſtolus habitare quicquam boni in carne ſua, ſic tamen id accipiendum eſt, vt carnis non tamen ſubſtantia, ſed actus inhonoretur, dicemus quidem alibi nihil proprè carni exprobrari oportere, niſi in animæ ſigillationem, quod carnem miniſterio ſibi ſubigit*. Hac verò de re multa Caſſianus. [a] *Quia ergo* (inquit) *carnales nos fecit, & ſpinis, ac tribulis condemnauit illa prima Dei maledictio, nóſque ita iniquo, Pater noſter venundauit commercio, vt bonum, quod volumus agere, nequeamus, dum diuulſi à memoria ſummi Dei, ea, quæ fragilitatis humanæ ſunt, cogitare compellimur, dum puritatis amore flagrantes incentiuis naturalibus, quæ penitùs ignorare vellemus, etiam inuiti plerumque compungimur, ſcimus, quia non habitat in carne noſtra bonum*. Tametſi enim peccatum in anima ineſt, adeóque in ipſa ſuprema rationis arce, adeo tamen deſæuiit, ſuúmque virus diffudit,vt appetendi facultates,nefariò libidinis ardore inflammarit, & vires rationis magna ex parte perfregerit, ac debilitarit,ac propterea rectè ſubdit: *Velle adiacet mihi, perficere non inuenio*: non quidem II. quaſi à natura inſitum,aut ingenitum,ſed aut rationis quodam niſu,aut diuinæ gratiæ beneficio, quæ tamen niſi maiores vires ſubminiſtret,ægritudinem, atque imbecillitatem meam non penitùs ſubleuat, atque ita irritis votis,quod vtcumque deſidero,præſtare nequaquam poſſum. Carnis porrò nomine non tam corpus ipſum, quàm appetendi, ſentiendiúe facultatem ſignificari. Nemo (credo) inficiabitur,qui animaduerterit hanc Pauli ſententiam mirificè cum ea congruere, quæ eſt in Epiſtola ad Galatas [b]: *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem*. At quod (quæſo) bonum negat Paulus *habitare in carne*? Manichæi quidem qui naturam corpoream damnant, ne bonum quidem naturæ carni concedunt; quod hæreticorum dogma iam pridem omnium Catholicorum ſuffragio exploſum eſt. De noſtri verò ſæculi hæreticis [c] non facilè ſtatuere poſſum, inepté-ne magis, an impiè Pauli verba detorqueant, qui in ipſa ſuprema animi parte, ac ſpiritu diſſidium, & certamen inducunt, quos Deo bene fauente alibi fuſiùs refellam. Interim tantùm verba Auguſtini [d] obiicio, qui alicubi dixit cùm hunc ipſū locum Apoſtoli tractaret: *Libera eſt mens, caro captiua*. Et alibi [e]: *ſcio enim* (inquit) *quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea bonum; ſi enim nō exponeret adiungendo, hoc eſt in carne mea, aliter fortaſſe acciperetur quod dixit, in me*. Vt autē planiùs explicentur quæ ſe- III. quuntur verba; *Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio*: Neceſſe eſt liberiùs aliquanto excurrere, ac veluti ſpatiari, vt cùm ad lineas, atque in gradum redeundum erit, hæc omnis Apoſtoli diſputatio planior, ac dilucidior euadat. Etenim (vt paulò antè indicaui) nō ſatis conſtat, quam-nam perſonam Apoſtolus inducat. nam Origenes, Chryſoſtomus, Baſilius [f], Ambroſius [g], Theodoretus, Hieronymus [h], exiſtimarunt, totam huius capitis diſputationem conuenire in hominem peccato inquinatum in lege naturæ, vel certè in lege Moſis adhuc viuente. Nec abhorruit aliquādo ab hac ſententia Auguſtinus [i]; Quibus addi poteſt Caſſianus [k]. Quorum ſanè ſententia (vt nihil dicam de tantorum virorum auctoritate) non contemnendis argumentis firmatur. nec enim Paulus iuſtos appellaret carnales, quos negat in poſteriori Epiſtola ad Corinthios [l] ſecundùm carnem militare, nihilo magis venundatos diceret ſub peccato, quos alibi [m] emptos ait fuiſſe pretio. Quis verò credat de iuſtis verè dici poſſe, quod tamen Paulus affirmat; *Non habitat in carne mea bonum*; cùm eodem loco dicat Spiritum ſanctum in iuſtis habitare? Quamobrem his potiſſimùm rationibus adductus Auguſtinus, hunc ſenſum alicubi [n] quidem videri probabilem affirmauit [o]; alibi verò ſibi aliquando placuiſſe non negat. Et profectò ne illa quidem in iuſtum cadere poſſe videntur; *perficere non*

m lib. de reſurr. carn.
a Collat. 23. c. 13. 15.
b cap. 5. 17.
c Caluin. in hunc locum.
d Serm. 5. de verb. Apoſtol.
e l. 1. cont. 2. Epiſt. Pelag. c. 10.
f in reg. breu. reſp. 16.
g l. 2 de Abraham cap. 16. l. 1. de Iacob, & vita beata cap. 4. lib. de Iſaac, & anima cap. 12.
h Daniel 9. reliqui in hūc locum.
i l. 1. cont. 2. Ep Pelag. cap. 10. lib. 2. cont. Iul. cap. 11.
k Collat. 22. in fine.
l cap. 10. 3.
m 1. ad Cor 6. 20.
n l 1. cont 2. Epiſt. Pelag. cap. 10.
o libr. 6. in Iul. cap. 11.

inuenio; cùm iuſti gratiæ beneficio omnia poſſint; itémque illa; *Non quod volo bonū, hoc facio.* Denique *ſentio aliam legem in membris meis captiuantem me in legem peccati.*

IV. At nō defuerunt [a] qui totam hanc Pauli diſputationem in propria Pauli, & iuſtorum perſona interpretentur. nam quod ait Paulus, *Velle adiacet mihi*; non niſi de iuſto accipiendum eſt, qui gratia percepta poteſt velle, atque appetere bonum, neque in peccatorem conuenire poteſt id; *Iam non ego operor.* Quis enim (niſi ſit iuſtus) verè dicere poteſt, ſe non operari malum? Deinde quod ibidem ſubditur; *Nulla ergo damnatio iis, qui ſunt in Christo.* Itémque illud: *Condelector legi ſecundùm interiorem hominem.* Et: *Quis liberabit me de corpore mortis huius? gratia Dei per Christum.* Poſtremò Hieronymo [b], & aliis viſum eſt, loqui Paulū de homine in vniuerſum ſiue iuſto, ſiue etiam peccatis implicito, qui quandiu viuit, pluribus perturbationibus, & cupiditatibus agitatur. Qui priorem interpretationem ſequuntur, contendunt, eum, qui peccati conſuetudine, & longo vſu detentus, peccatorum veluti vinculis irretitur, poſſe quidē vtcumque appetere quæ honeſta ſunt, & deteſtari contraria; ſed fractis videlicet, ac debilitatis liberi arbitrij viribus, nec poſſe re ipſa officio fungi, nec ſcelera, atque flagitia vitare; itaque quod vult bonum, non facit, quin potius impetu quodam rapitur ad id quod tanquam malum deteſtatur; atque ita (vt exiſtimauit Origenes) non de quocumque peccato vt loquitur, ſed de eo, qui ſuum ſtatum, & veluti conditionem agnoſcens meliora cogitat, & ſalubriora conſilia ſpectat, quod illi legis veluti beneficio contigit, quæ peccati turpitudinem (vt diximus) veluti face prælucia demonſtrauit; atque ita quamuis & honeſtum agnoſcat, & vtcumque appetat, non poteſt tamen perfectè præſtare. hoc enim eſt, quod Græcè ait Paulus κατεργάζεσθαι. At Auguſtinus, [c] & qui cum eo ſentiunt, hanc iuſti querelam perinde explicant, quaſi cupiat ille (quod aſſequi tamen non poteſt) nulla perurgente cupiditate honeſtatem colere, & laudabiles actiones exercere, vt non de bono quocumque modo, ſed de perfecto, atque omnibus ſuis numeris abſoluto loquatur Apoſtolus. vt enim iuſtus diuino præſidio gratiæ adiutus multum nitatur, vt magnos habeat in virtute proceſſus; numquam tamen eò pertinget, vt nulla prorſus voluptatis titillatione tangatur, nulla cupiditatis illecebra ſollicitetur, id quod multò magis in eorum ſententia exiſtimandum eſt, qui de vniuerſo hominum genere Pauli ſententiam explicant. nam Caſſianus quidem, qui bonum reſtringit ad contemplationem perfectam, eamdem quidem ſubit rationem, ſed non tam Paulinæ ſententiæ explanationem; quàm (vt diximus) accommodationem complexus eſt.

V. Verùm in tanta opinionum varietate non facilè quis ſtatuere poſſit quid ſit Paulinæ ſententiæ maximè cōſentaneum, niſi de naturæ viribus boni, atque honeſti reſpectu priùs conſtet. quamquam autem ea diſputatio & pridem inter Theologos, & hac maximè tempeſtate vltro citróque hoſtili penè contentione agitatur, quàm breuiſſimè fieri poterit, eius ſaltem ſumma capita perſtringenda ſunt, vt hæc Apoſtolica ſententia rectè citra vllum errorem explicari queat. Principio igitur ſtatuo, quod viris [d] doctis magnopere placere video, quinque omnino humanæ naturæ ſtatus, ac veluti conditiones excogitari poſſe. At primus quidem ſtatus, fere à Theologis puræ naturæ, ſiue naturæ in puris dici ſolet, qua videlicet ſpectatur humana natura, qua ſuis duntaxat partibus, proprietatibus, & affectionibus naturalibus prædita eſt; iis omnibus circumſcriptis, quæ illi extrinſecus priuato cuiuſque ſtudio, aut etiam vitio, vel diuino certè gratiæ beneficio accedere, atque aduenire poſſunt. Alter verò ſtatus dicitur humanæ naturæ conſentaneus, vel aliter integræ naturæ conditio, quæ nimirum ad ea, quæ in ſuperiori ſtatu conſiderantur. ordinem quemdam addit, ac naturalium facultatum inter ſeſe congruentem ſubiectionem, ſublata videlicet diſſenſione, ac pugna, quæ inter ſuperiores, atque inferiores facultates ſuapte natura ineſſe poteſt. Hoc enim naturam rationis participem maximè decet, vt mens, & ratio vnà dominetur, ac cæteras ſibi inferiores facultates, ſi non herili, vt loquitur Ariſtoteles, politico ſaltem dominatu ſubiciat. Hanc enim ob cauſam docuit B. Thomas, [a] virtutem eſſe hominis naturæ conſentaneam, vitium verò contra naturam; quamquàm alia ex parte, qua homini cum cæteris beſtiis conuenit, negandum non eſt, quidquid ſpectat ad animam ſentientem, cuiuſmodi ſunt morbi, atque ægritudines animi humanæ naturæ congruere.

VI. Tertius porrò ſtatus innocentiæ, ſiue natiuæ, atque originariæ iuſtitiæ nuncupatur, éſtque is, in quo primùm humanæ naturæ parens à Deo conditus eſt, ad quem præter ea, quæ hactenùs enumerata ſunt, maximè pertinet eximium, ac ſingulare, ſupráque ipſius naturam primæuæ iuſtitiæ donum, cuius (vt cætera omittam) illud erat potiſſimum munus, vt ſupremæ, ac rationis compotes animi facultates Deo tanquam auctori, ac fini ritè ſubiceret, reliquas autem inferiores, cæteróſque omnes ſenſuum motus ita moderaretur, vt aduerſus rationem nunquam inſurgerent, nunquam petulantiùs exultarent; corporis verò conſtitutionem ita contineret, vt à morbo, & ægritudine liberum animi imperio facilè ſubderetur.

VII. Quartus ſtatus eſt, quem in præſentia experimur naturæ lapſæ, & corruptæ, cum primi parentis vitio (vt ſuprà docuit Apoſtolus) peccatum in omne genus hominum peruaſit, totámque naturam labefactauit, atque in deterius commutauit, in quo non modò ſecundi, tertiíve ſtatus conditio, ſiue robur, atque integritas deſideratur, ſed etiam reperitur peccatum, aut peccati effectum, hoc eſt, naturæ labes, & corruptela, quæ etiam in iuſtis ineſt, à qua peruerſæ illæ propenſiones exiſtunt, quæ cum honeſtate, & virtutis pulchritudine magnopere pugnant. Poſtremus denique appellatur ſtatus gratiæ recuperatæ, ſiue habeat integritatem illam primi, aut ſecundi ſtatus, ſiue illa penitùs careat. dicitur enim hic ſtatus naturæ ſanatæ, aut liberatæ, quando beneficio gratiæ reliquarúmque virtutum infuſarum, ad finem, ac beatitudinem ſupranaturalem rectà tendit.

VIII. Cæterùm tametſi Theologi de primo, ac ſecundo ſtatu multa diſputant, conſtat tamen, primum quidem numquam fuiſſe, ſecundum verò etiam priori admiſſo, vix, aut ne vix quidem vlli mortalium contingere potuiſſe, niſi diuinæ prouidentiæ ratio multò aliter fuiſſet inſtituta, quæ tamen humanæ naturæ in primis conſentanea videri poſſet. Iam de tertio ſtatu, in quo primi humani generis ſatores à Deo conditi ſunt, non poſſe hæc, quæ à Paulo dicuntur, vllo modo intelligi tam certum eſt, quàm otioſum probare. aberant enim ab illa hominum conditione omnes turbulenti animi motus, & concitatæ voluptatum cupiditates, quas hoc loco Apoſtolus tacitè accuſat, dum negat ſe id boni agere, quod maximè vellet, & animi vires nequaquam ait rectæ, atque honeſtæ voluntati ex æquo reſpondere. Quamobrem ſiue ſpectetur homo qua peccato obſtringitur, ſiue qua beneficio gratiæ iam iuſtus eſt, verè poteſt cum Paulo dicere; *Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio*: idque non ſolùm in lege ſiue naturæ, ſiue Moſis, ſed etiā in lege euangelica cùm ple-

rumque

a Proclus apud Epiphan. hær. 64 Aug. l. 1 contra Ep. Pelag. c. 10. l. 3 cont. Iul. c. 20 lib. 6 ca. 10. Ser. 1 de verb. Apoſtoli. Gregor. l. 10. Moral. cap. 15. & l. 5 in 1. Reg. c. 2. in hunc Caſſian. collat. 23. per totā. Anſel. in hunc locum Hier. l. 1. in Iouin. dial. 3. contra Pelag. Ep. 9 ad Salninam. Epiſtol. 2. ad Euſtochium

b lib. 2. adu. Pelag.

c lib. 2. contra Iul. cap. 25. & lib. 1. de nupt. & concup. c. 30.

d Caiet. 1. 2. q. 109. art. 2.

a 1. 2. q. 71. art. 2.

rumque iuſti laudabiles actiones exercere, quas quaſi diuinitùs maiori præſidio gratiæ iuuentur, re ipſa præſtare nequaquam poſſunt. Hoc nimirum ſignificauit Auguſtinus [a] cùm alicubi ſcripſit, *Qui ergo vult facere Dei mandatũ, & nõ poteſt, iam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc paruam & inualidam; poterit autem cùm magnã habuerit, & robuſtã.* Neque verò

a l. de gratia & lib. arb. c. 17.

IX. dubitandum eſt, etiam in homines iuſtos verè conuenire illud. *Scio quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea bonum.* Quanquã enim iuſti quã gratia prædíti ſunt, plurimis cæleſtibus bonis locupletãtur, tamen quidquid eſt in illis boni, cùm non ineſt in carne, tum verò totum gratiæ, eiúſque auctori Chriſto debetur. hoc enim modo (vt ait Auguſtinus) [b] *non viuimus nos, ſed viuit Chriſtus in nobis; ſi & ad pugnam contra concupiſcentias exercendam, & ad victoriam vſque ad conſumptionem eorumdem hoſtium capeſſendam in illo fidimus, & non in nobis. Ipſe quippe factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtificatio, & ſanctificatio, & redemptio, vt quemadmodum ſcriptum [c] eſt; Qui gloriatur, in Domino glorietur; non eſt ergo contrarium ſicut putas, vt qui dicit, viuo ego iam non ego, viuit autem in me Chriſtus; dicat etiam; ſcio, quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea bonum.* Qua verò ratione illa etiã verba; *Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio,* *referantur ſiue* (vt indicat Auguſtinus [d]) ad voluntatem, qua iuſti vellent nihil contra rationem appetere, nulláve turpis voluptatis cupiditate ſollicitari, ſiue ad boni honeſti appetitionẽ, quã (vt ſuprà diximus) nonniſi beneficio gratiæ explere poteſt homo iuſtus, tum ex iis, quæ ſuprà diximus, tum ex Auguſtini verbis paulò antè allatis facilè intelligitur, vnáque conſtat, & falli recentiores hæreticos [e], qui nihil, niſi malum etiam à iuſtis perfici poſſe contendunt, eóſque negant poſſe omni ex parte diuinæ legi obtemperare; & mentitos item olim fuiſſe poſteriores Pelagianos, qui bonarum actionum initium ita libero arbitrio tribuebant, vt omnem diuinæ gratiæ impulſum præuerteret. *Non enim* (ait Auguſtinus [f]) *non quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odi malum, illud facio; perinde ſcripſit Apoſtolus, quaſi nollet ipſe adulteriũ perpetrare, & tamen eſſet adulter, nollet eſſe auarus, & tamen coaceruandis pecuniis inſudaret; quis noſtrũ* (ait) *audeat ſe induere tali blaſphemia, vt de Apoſtolo hoc ſentiat? Non ſic intelligamus quod dixit: quaſi vellet eſſe caſtus, & eſſet adulter, aut vellet eſſe miſericors, & eſſet crudelis; aut vellet eſſe pius, & eſſet impius.* Quod ſi etiam de iuſto, qua iuſtus eſt loquatur Apoſtolus, & dicat; *Non quod volo bonum, hoc ago; ſed quod odi malum, illud facio.* De bono illo, aut malo accipio, quod aut omitti aut patrari abſque iactura gratiæ, & iuſtitiæ nonnunquàm poteſt. vt enim ait Ioannes; [g] *In multis offendimus omnes.* Et. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Et tamen iuſti nunquam vellent offendere, nunquam labi, nullum non aggredi, ac perficere bonum; neutrum tamen in hac imbecillitate naturæ præſtare poſſunt, non dicam naturæ viribus, quod eſt planè nefas, ſed ne illo quidem gratiæ præſidio

b 3. lib. 6. cont. Iul. cap. 14.

c 1. ad Cor. 1. Ierem. 9. 24.

d l. 1. de nupt. & concup. ca. 30.

e Caluinus.

f Serm. 5. de verbis Apoſtoli.

g Epiſt. 1. cap. 1.

X. ſubleuati, quod iuſtis nunquam deeſt. Cùm autem Apoſtolus ait; *Velle adiacet mihi, perficere non inuenio;* non ita audio quaſi boni appetitio naturæ viribus tribuenda ſit, & gratiam excitantem, ac præuenientem, quam vocant, præcurrat, ſed quod improbi quidem rudes quaſdam, & inchoatas boni appetitiones interdum naturæ viribus, ſæpiùs autem alicuius gratiæ beneficio concipiant, iuſti verò ea, qua prædíti ſunt, gratia plura, & maiora appetãt bona, quàm re ipſa præſtare queant. vox enim Græca κατεργάζεσθαι Latinè perficere ſignificat, non quoquo modo bonum præſtare, ſed omni ex parte officio ſatisfa-

A cere, hoc eſt magna cum facilitate, ac naturæ propenſione, nulla repugnante cupiditate; aut etiam à recto virtutis tramite nunquã deflectere, ſed eumdem ſemper curſum vſque ad finem vitæ tenere, quod ait Auguſtinus [a], ex magno beneficio gratiæ prouenire, vt τὸ θέλειν, hoc eſt, velle, quod παράκειται, id eſt, adeſt, ſit vel imperfecta, & minimè efficax voluntas, quam velleitatem appellant, vel certè voluntas, quam nondum gratia neceſſaria ſubleuat. vt enim egregiè quidam dixit, plura intelligimus, quàm velimus; plura cupimus, quàm perficere poſſimus. Quis enim eſt tam perditæ, ac profligatæ libidinis, qui caſtitatem non probet, eámque intelligat Chriſtiano nomine dignam? At re ipſa hanc virtutem colere quàm ſit difficile, corruptiſſimi noſtri

a l. 1. de nupt. & concup. ca. 30.

B ſæculi mores declarant. Non ergo ſignificat Paulus, boni cupiditatem eſſe à natura, agendi facultatem à gratia expectandam; ſed oſtendit plus gratiæ requiri ad legem ſeruãdam, quàm ad concipiendam voluntatem et obtemperandi, ob multas difficultates, quæ noſtros efficiendi conatus vel frangunt, vel retardant, in quo maximè debilitatæ dicuntur vires noſtri liberi arbitrij, vt alibi copioſiùs oſtẽdam. Pertinent ad hunc Pauli locum aliquo pacto illuſtrandum, & hæreticorum impietatem, qui liberum arbitrium tollunt, refellendam, quæ alicubi ſcribit Bernardus [b]. *Sentiens denique* (inquit Apoſtolus) *quid ex natura eſſet, quid ex gratia expectaret, aiebat; Velle adiacet mihi, perficere non inuenio. Sciebat profectò velle quidem ſibi ineſſe ex libero arbitrio, ſed vt ipſum vel*

b lib. de gratia, & lib. arbitrio.

C *perfectum haberet, gratiam ſe habere neceſſariam. ſi enim velle malum, defectus quidam eſt voluntatis, vtique bonum velle profectus eiuſdem erit; ſufficere verò ad omne quod volumus bonum ipſius perfectio. Vt ergo velle noſtrum, quod ex libero arbitrio habemus, perfectum habeamus, duplici gratiæ munere indigemus, & verò videlicet ſapere, quod eſt voluntatis ad bonum conuerſio, & pleno etiam poſſe, quod eſt eiuſdem in bonum confirmatio. Porrò perfecta conuerſio eſt ad bonum, vt nil libeat, niſi quod deceat, vel liceat perfecta in bono cõfirmatio, vt nil deſit iam, quod libeat: tum demum perfecta erit voluntas, cùm plenè fuerit bona, & bene plena.* Quanquam XI. autem hæc ita à nobis diſputata ſunt, vt quàm latè pateat hæc Pauli ſententia intelligatur; ſic tamen mihi ſemper perſuaſum fuit, ſpectaſſe Paulum eum

D humanæ naturæ ſtatum, in quo ante Chriſti aduentum miſeri mortales viuebant. quanquam enim perceperiſſent Iudæi legem Moſis ſpiritalem, & ſanctam, quia tamen illa gratiam non largiebatur, & ipſi vitio naturæ deprauatæ carnales erant, & ad malum propenſi: lege perurgente acriùs, ac vehementiùs ad peccandum incitabantur; licet autem legis beneficio intelligerent quid faciendum, quidue fugiendum eſſet, vi tamen præpotentis cupiditatis ferebantur ad malum; atque idcirco verè omnino in eorum perſona dictum eſt; *Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio;* quæ cum ita ſint, inanis eſt eorum diſputatio qui quærunt vtrùm Paulus de ſe ipſo verè hæc verba protulerit, an verò in propria quidem perſona; ſed de cæteris mortalibus locutus

E ſit: ſiquidem ex ſuperioribus intelligi poteſt, aliorum perſonam Paulum induiſſe, vt Origenes, Chryſoſtomus, Theophylactus, Theodoretus, Oecumenius, Ambroſius, cæterique penè omnes huius loci explanatores ſenſerint, quibus conſentiunt Baſilius [c], & Hieronymus [d], nec abhorruit aliquando Auguſtinus [e]: certè Gregorius [f] viſus eſt exiſtimare, Paulum de ſe ipſo loqui, & in eandem ſententiam plures videtur afferre Auguſtinus [g], quibus addi poteſt Theonas Abbas apud Caſſianum [h], & alicubi etiam Bernardus [i]. Quorum ego omnium ſententiæ ha-

c Reg. breu. reſp. 16.
d Ep. 151. ad Algaſ. q. 8.
e l. 83. Quæſt. q. 66. lib. 1. ad Simplic. q. 1.
f l. 19. Moral. in illa verba Iob & aquas appendit in ſtatera.
g lib. 6. cont. Iul. cap. 10. 11.
h Collat. 22. c. 16.
i Ser. 81. Cãt.

ctenus aſſentior, vt abſque vitio etiam viris iuſtis, atque perfectis Pauli verba vtcumque aptari poſſe non negem, vt ex ſuperioribus facilè intelligi poteſt. nam quod nonnulli volunt, Paulum ſuæ veluti internæ luctæ pertæſum, hæc de ſe propriè, ac ſingillatim dixiſſe, vt leuiſſimè dicam, parum probabiliter loquuntur; ſiue quia id ad inſtitutam diſputationem nihil omninò pertinebat, ſiue quia alieniſſimum videtur à Pauli dignitate, quod multi ſuſpicantur, grauiſſimè illum, cum voluptatis illecebris fuiſſe luctatum: quamuis enim id alicubi Hieronymus [a], Auguſtinus [b], ac B. Thomas ſignificent, quàm tamen parum veriſimile videatur, ſuo loco oſtendam; ſed redeo ad Paulum; cuius nos quidem ſententiam ita in paraphraſi expreſſimus, vt nullius explicationi præiudicaremus, adeóque ſententia Auguſtini retineri poſſet. Nam quidquid hoc loco in humana natura reprehendit Apoſtolus, ad primi parentis lapſum retulimus, tamquam ad caput noſtrorum malorum, quæ deinde conſecuta ſunt. Iam verò Maſſilienſes, qui magna ex parte Pelagianum virus hauſerant, quoniam Apoſtolus ait, *velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio*, falsò colligebant, poſſe nos bonum quidem abſque gratia inchoare, non tamen perficere: quaſi verò Paulus illam ipſam rudem atque inchoatam boni appetitionem, ſolius naturæ viribus tribuat, aut eam putet eſſe aliquod bonæ actionis initium; cùm re vera non ſine aliquo munere gratiæ nobis adſit, & quod caput eſt, ſit prorſus inefficax, neque ad gratiam impetrandam ſuapte natura referatur, neque cum illa certò coniungatur, quaſi neceſſaria illius præparatio, quam gratia ſubſequatur, vt omittam quod ait Auguſtinus [c], tum perfici bonum cùm mens nulla praua cupiditate pulſatur, quod eſt quidem in hac vita optandum: vix tamen aut ne vix quidem ſperandum. Cæterùm ſi de boni cupiditate atque actione agamus, vtrumque eſſe gratiæ beneficium, docuit Paulus cùm dixit [d]: *Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.*

a epiſt. 22. de cuſt. Virg. ad Euſtoch.
b apud B. Thom. in hūc locum.
c lib. 1. de nupt. & concup. c. 29.
d ad Philip. 2. 13.

19. I. Non enim quod volo, &c. Eamdem repetit ſententiam, quam paulò antè protulerat, atque in Græcis codicibus apertè legitur, bonum, ac malum, quæ duæ voces ſuperiori loco omiſſæ erant; quæ tamen in Latinis vtrobique leguntur; rem verò eamdem Paulus tam diligenter inculcat, vt deinde oſtendat, quàm fuerit ad hominum ſalutem Chriſti gratia neceſſaria. Omnino fatendum eſt volendi, nolendíque verba vſurpari ab Apoſtolo, non pro actione voluntatis, quam vocant abſolutam, & efficacem, ſed potiùs pro ea, quam Theologi vocant velleitatem, quę eſt frigida quædam, ac minimè efficax cupiditas, cum qua non repugnat contrariam actionem conſiſtere: ita plerumque accidit, vt qui impuræ voluptati indulget, continentiam probet, vt meritò de illo dicere poſſimus, eum velle voluntate non efficaci continenter viuere, impuræ tamen libidini ſeſe mancipare, quod perſimili voluntate nequaquàm vellet. Itaque quod ait Apoſtolus, volo, & nolo, ſimplicem complacentiam, aut diſplicentiam ſignificat. Quocirca nihil hæc contra liberum arbitrium faciunt, quod maximè inefficaci voluntate cernitur. nam alioqui verè Seneca [e] alicubi ſcripſit: *Actio recta non erit, niſi recta fuerit voluntas. ab hac enim eſt actio. rurſus voluntas non erit recta, niſi habitus animi fuerit. ab hac enim voluntas.* Agit enim de voluntate efficaci, & actuoſa quodammodò, vt alibi ſcribit [f]. *Honeſtum non eſt quod ab inuito, quod à coacto fit. omne honeſtum voluntarium eſt; admiſce illi pigritiam, querelam, tergiuerſationem, metum; quod habet in ſe optimum perdidit.* Multò igitur aliter de voluntate loquitur hoc loco Paulus, indicans quid per ſe humanæ naturæ inſit, quid item gratiæ beneficio ſperandum ſit, ac proinde ſubiungit.

e ep. 95.
f epiſt. 67.

20. I. Si autem quod nolo, &c. Non quidem malum citra hominis liberam voluntatem perpetratur; vt ineptè, atque imperitè, nedum falsò, & impiè interpretantur hæretici; ſed homo tamen qua ratione videt, & intelligit quid lex diuina poſtulet, quidque officij ratio ſuo quaſi iure flagitet, nullo ſeſe ſcelere obſtringit, ſed impetu, atque æſtu quodam libidinis abreptus, reclamante conſcientia, magna ex parte peccat. Videtur Apoſtolus eum deſcribere, qui (vt Ariſtoteles loquitur) more incontinentis peccat, in quo videlicet non omnis planè ratio deprauata eſt, & corrupta, cui etiamnum lex aliqua veritatis affulget. Nam qui in cæca vitiorum nocte verſantur, ne minimam quidem virtutis ſcintillam aſpiciunt, tales fuiſſe videntur illi de quibus loquitur Chriſtus apud Matthæum [a]. *Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum.* Itémque illi, qui apud Salomonem [b], Serò ſapiunt, & in hunc modum loquuntur; *Ergo errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis; laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus.* Et ipſe Salomon [c] alibi; *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnet.* Ita enim habet noſter interpres ſecutus Septuaginta. Huc refero quod alicubi ſcribit Seneca [d], qui peccandi quorundam ſtudium reprehendit. *In quod* (inquit) *vnum toto agimur animo, nondum perficimus, vt peſſimi eſſemus; adhuc in proceſſu vitia ſunt; inuenit luxuria aliquid noui; in quod inſaniat: inuenit impudicitia nouam contumeliam ſibi, inuenit deliciarum diſſolutio, & tabes aliquid tenerius molliúſque, quo pereat: nondum ſatis robur omne proiecimus, adhuc quidquid eſt boni moris extinguimus, leuitate, & politura corporum, muliebres munditias anteceſſimus; colores meretricios matronis quidem non induendos, viri ſumimus: tenero, & molli inceſſu ſuſpendimus gradum; non ambulamus, ſed repimus exornamus annulis digitos, in omni articulo gemma diſponitur: quotidie comminiſcimur per quæ virilitati fiat iniuria, vt traducatur, quia non poteſt exui.* Hoc morbo qui laborat, nō poteſt dicere; *Quod nolo, illud facio.* Sponte enim ſua potiùs in vitia ruit. Atqui videt quid faciendum ſit, quidque recta ratio poſtulet, videt meliora, probátque, tametſi interdum deteriora ſequitur; idque oritur ex peccato, quod ineſt in homine, hoc eſt, labe illa communi, prauáque affectione, quæ orta eſt ex peccato, & ad peccatū impellit; hoc enim eſt quod ait Apoſtolus; *Non ego operor illud, ſed quod habitat in me, peccatum.* Intelligit autem quod paulò antè dixerat: *Scio, quòd non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum. Cuncta namque* (vt ait Moſes [e]) *cogitatio cordis intenta eſt ad malum omni tempore.* Et rurſus [f]: *Senſus, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt.* Verùm quod attinet ad verba Pauli, verbum *nolo*, vt paulò antè hoc ipſo capite, non ſignificat voluntatis actionem abſolutam, & efficacem, ſed quandam vt dixi velleitatem, quam ipſa recta ratio in animo parit. Quod verò ait *facio*, idem videtur valere quod perficio. mox enim ſubiicit, *non ego operor*, Græcè κατεργάζομαι, vt vel hinc appareat, quod ſuprà dixit, perficere non inuenio, Græcè κατεργάζεσθαι, idem eſſe quod ποιεῖν. vtroque enim loco cùm dixiſſet, ὃ οὐ θέλω, τοῦτο ποιῶ: ſtatim addit, οὐκ ἔτι ἐγὼ κατεργάζομαι. hoc eſt, *non quod volo facio, & non ego operor illud.* quod idcirco obſeruatum velim, vt appareat Auguſtini ſententiam [g], argutam quidem eſſe & veram, & huic loco non incommodè aptari poſſe, non ita tamen vim ac proprietatem verborum retinere

a cap. 15. 14.
b Sap. 5.
c Prou. 18. 3.
d l. 7. natu. Quæſt. c. 31.
e Gen. 6. 5.
f Gen. 8. 21.
g l. 1. de nup. & concup. c. 27. 28. 29 & 1 cont. 2. ep. Pelag. c. 10. Ser. 5 de verb. Apoſt.

tinere. ſiquidem cùm de malo agit vtitur Paulus
Græca voce κατεργάζεσθαι, nec profectò ſignificat ma-
lum perficere omnibus prorſus numeris abſolutum,
cui videlicet non repugnet voluntas illa rudis & in-
choata boni; & cum de bono loquitur, idem verbum
non alia ſignificatione vſurpat. atque ita ſimpliciter
indicat, hominem quà ratione præditus eſt, nolle
quidem malum, ſed quà vitio deprauatæ naturæ à
cupiditate vincitur, malo ſuccumbere. contrà verò
cùm bonum aliqua ratione imperfectè appetat, im-
becillitate naturæ reipſa præſtare, atque efficere nō
poſſe. Quod ſubdit; *non ego operor illud, ſed quod ha-
bitat in me peccatum*, non excludit actionem liberi
arbitrij, quæ ſola peccatum parit, ſed primam pecca-
ti originem indicat, id eſt, vim illam morbidam, ac
luem vnde omnis turpitudo peccati oritur, quam
vt ſæpe dixi, fomitem, & concupiſcentiam Theolo-
gi vocāt. ſic enim ait Iacobus [a]: *vnuſquiſque verò ten-* a cap. 1. 14.
*tatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus, dein-
de concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum; pecca-
tum verò cùm conſummatum fuerit, generat mortem.*

21. I. INVENIO IGITVR LEGEM, &c. Origenes
integritatem locutionis, vt aliàs ſæpè apud Paulum
hoc loco deſiderat, putátque hanc totam orationem
parum conſtare; vel quòd coniunctiones abundent,
vel quòd non periodi, vt oportet, adhibitæ videan-
tur; cenſet autem hoc qualecumque incommodum,
hac maximè ratione tolli poſſe, ſi legamus hoc mo-
do: Igitur quia malum adiacet mihi volenti bonum
facere, inuenio legem Dei, & condelector ei ſecun-
dùm interiorem hominem. Sed hoc quidem non
eſt interpretari, ſed nouam, ac ſuam proferre ſen-
tentiam: aliter igitur perdifficilem (vt ipſe ait) ſen-
tentiam explanat. Inuenio (inquit) Dei legem, mihi
bonum facere volenti patrocinantem, ac mirè fa-
uentem. præcipit enim ea, quæ & facienda eſſe in-
telligo, & verò maximè præſtare cuperem, interea
tamen mihi malum adiacet. Sed, vt verum fatear,
nihilo magis, quàm ſuperior placet, cùm ſit aut æ-
què, aut etiam magis coacta, & violenta. Plurimas
eiuſdē loci explanationes affert Photius apud Oecu-
menium; quarum prima eſt: Inuenio legem, planè-
que intelligo, eam mihi volenti bonum facere, diui-
nitùs eſſe impoſitam; nihil tamen ex illa præter hoc
vnum haurire poſſum boni, quod intelligo, malum
mihi adiacere; neque me eius opera vllo pacto fieri
bonum. Altera, vt bonum cum lege coniungatur;
Græcè enim νόμος, id eſt, lex, maſculini generis eſt,
adeòque ſenſus erit, inuenio legem bonam eſſe mi-
hi volenti facere, hoc eſt, obtemperare. quòd ſi quis
ſciſcitetur, cur legi non obtemperem, in promptu
reſponſio eſt, quoniam mihi malum adiacet; huic
autem explicationi ſubſcribit Anſelmus. Tertia: In-
uenio (inquit) legem bonam illam quidem; ſed æ-
gram tamen, nullâque efficacitate præditam; quo-
niam volenti mihi facere bonum, & malum adiacet,
& illa nullo modo opitulatur. Quarta longè aliam
legis, & Euangelij rationem eſſe: nam volenti mihi
ex legis præſcripto bene agere malum adiacet; ſecùs
autem in lege Euangelica, cuius munere, & ſana-
mur, & vegetamur ad bonas, ac laudabiles actiones
exercendas. Quinta, comperio, legem bonum mihi
facere cupienti nonnullum auxilium præſtare, eius
verò auxilij neceſſitas inde deducitur, quòd mihi
malum adiacet. Auguſtinus [b]; *Inuenio* (inquit) *legem* b Li. de nupt. & concup. cap. 30.
*volenti mihi bonum facere, oſtendentem quod malum
illud mihi adiacet, non autem ipſi legi.* Nec multò ali-
ter alibi: [c] *Inuenio ergo legem* (inquit) *mihi volenti fa-* c Li. 1. cont. 2. Epiſt. Pelag. c. 10.
*cere bonum, quoniam mihi malum adiacet; illa ergo bo-
num eſt volenti facere, adiacet autem malum ex con-
cupiſcentia, cui non conſentit, qui dicit; iam non ego ope-*

A *rar illud.* Recentiores verò nonnulli hanc Pauli ſen- 21.
tentiā non de lege veteri accipiunt, ſed de inſita, at-
que ingenita praua cupiditate, vt ſit ſenſus, dum ad
optima quæque contendo, comperio me prauis
cupiditatibus, ac nefaria lege penè conſtringi, vt ni-
hil propius ſit, quàm vt affirmem inſito me, atque
ingenito malo continenter premi. Quam interpre-
tationem nos in paraphraſi ſecuti ſumus; fateor ta-
men, veteres, præſertim Græcos, de lege diuina in-
terpretari; Chryſoſtomus enim ſubaudit legem con-
ſentientem; Theophylactus fauentem volenti vide-
licet bonum facere; ait tamen, locum eſſe obſcurum,
& videri nonnihil deſiderari; denique videtur ſigni-
ficare hunc eſſe ſenſum; video legem mihi tantum
videri impoſitam volenti bonum facere. nam qui
B cupiditatis impetum ſequuntur, qui ducat ad ma-
lum, ij videntur planè exleges. Theodoretus autem
in eam Photij explanationem inclinat, quæ hanc
Pauli mentem fuiſſe docet, vt deprehenderit legem,
nullam ſibi ægro opem tuliſſe, quandoquidem ma-
lum adhuc adiacet mihi. quæ videtur etiā ſententia
Chryſoſtomi, Theophylacti, & Ambroſij. Quæ ſanè
ſententia, ſi Paulus loquatur de lege diuina, mihi præ
cæteris probatur: ſed (vt dixi) recentiorum ſententia
præferenda eſt; vt doceat Paulus ſe quidem niti, &
conari, vt bene, ac laudabiliter viuat, verùm experi-
mento deprehendere peccati ſe quodammodò lege
teneri, adeòque ſeſe ita ad malum eſſe propenſum,
quaſi congenitam, ac penitùs inſitam malitiam ha-
beat. Etenim (vt ſupra indicauimus, & monet Theo-
C doretus) loquitur de tota hominis natura, vt nondum
perceperat gratiam, ſed adhuc ſub lege poſita pec-
cato ſeruiebat. Neque huic explicationi quidquam
repugnant verba, quæ ſequuntur, cum quibus aper-
tè Paulus Dei legem nominat. pertinent enim ad
ea quæ ſubiicit, quibus duæ inter ſe pugnantes le-
ges conſtituuntur, vt mox conſtabit. Quin potius
cùm legem Dei nominatim vocat non obſcurè indi-
cat ſe hic de alia lege locutum. Hæc autem omnis
diſputatio eò pertinet, vt appareat, legem à Deo tra-
ditam non eſſe quidem per ſe malam, ſed tamen
ægram, & vacuam gratiæ, atque idcirco vim peccati
in nobis inhærentem diuinis præceptis ita reluctari,
vt nos penè inuitos rapiat ad malum. Itaque ſignifi-
cat (quod ex præcedentibus ſequitur) ſe ad bona, ac
D laudabilia contendentem peccati lege impediri, &
ab inſito malo in contraria diſtrahi. Hanc non ita
multò pòſt vocat legem menti repugnantem; intel-
ligit autem illam titillationem, & irritamentum,
quod poſito diuino præcepto, & vitio naturæ, in no-
bis experimur, hoc eſt legem prioris coniugij, quam
viro mortuo, hoc eſt extincto peccato, antiquatam
fuiſſe dixerat. quæ omnia etiam iuſtis qui in lege
Euangelica viuunt, & reluctantes cupiditates expe-
riuntur, ſuo modo aptari poſſunt. interdum enim
ab inſita concupiſcentia, vel à bono retardantur, vel
prohibentur certè, ne ita perfectè vt cuperent Deo
adhæreant. Nam corpus quod corrumpitur, aggra-
uat animam.

CONDELECTOR ENIM LEGI, &c. 22.
E VIDEO AVTEM ALIAM, &c. Rem eam- 23.
dem magis, ac magis explicat: ex his autem verbis I.
nititur Auguſtinus [a] ſuam probare ſententiam, hanc a Li. 1. cont. 2. Epiſtol. Pelag. cap. 10.
totam diſputationem pertinere ad perſonam iuſto-
rum, adeòque ipſum Apoſtolum Paulum; perinde
quaſi nequeant peccatores diuina lege delectari. At
nos contrà obiicere poſſumus non cadere in iuſtos,
quod tamen de ſe ipſo videtur Paulus affirmare, vt
cupiditatibus victi, ſeſe voluptatibus conſtringendos
præbeant. Tantùm igitur abeſt, vt hæc ſuperiori no-
ſtræ ſententiæ quidquam officiant, vt eam inuictiſſi-
contr

confirment, atque ſtabiliant: Neceſſe enim eſt (quod alibi Paulus pluribus explicat) duplicem in ſingulis, veluti hominem diſtinguere, vt hoc loco obſeruat Photius; hominem internum, quem ſcriptura mentem, ac ſpiritum, partem denique rationis compotem appellat, vt alicubi obſeruauit Athanaſius [a] alterum externum, hoc eſt corpus, & corporeos ſenſus; quilibet igitur mortalium, ſi ductum rationis ſequatur, diuina lege mirificè delectatur. tanta enim eſt virtutis ſpecies, ac pulcritudo, vt ſi oculis cerni poſſet, incredibiles (quod non-nemo dixit) ſui amores excitaret. Verè igitur de homine nondum gratiæ beneficio perpurgato, affirmat Paulus illum Dei lege oblectari, ſecundùm interiorem hominem, hoc eſt, quà ratione præditus eſt, & ad omnem virtutem penè factus. Ita Auguſtinus; [b] *Iſta condelectatio legi Dei ſecundum interiorem hominem de magna nobis venit gratia Dei, in ea quippe interior homo noſter renouatur de die in diem, cùm in ea proficit perſeueranter. non enim timor eſt torquens, ſed amor libens; ibi ſumus veraciter liberi, vbi non delectamur inuiti.* Putat enim (vt ſæpè iam diximus) hæc pertinere ad iuſtos; ſed ipſa hominis natura, quà rationis imperio paret, quáque rectam rationem ſequitur, diuina lege mirabiliter delectatur, ſaltem ſimplici complacentia, vt ſuprà oſtenſum eſt. Rationem autem vocat Apoſtolus interiorem hominem, quia eius propria actio externa functione membrorum non perficitur; de quo Petrus; [c] *Qui abſconditus eſt* (ait) *cordis homo*; non quòd anima ſola cenſenda ſit homo, vt exiſtimauit Plato; neque quòd ea (vt ſentit Tertullianus [d]) forma, atque effigie hominis prædita ſit; ſed quòd ſit hominis præcipua pars, quæ non cadit ſub ſenſum. Videt tamen aliam legem in membris, in ſenſibus videlicet, ac ſentientibus facultatibus, quæ nihil eſt aliud, quàm vis illa deprauatæ cupiditatis quam diximus ſuprà, fomitem appellari: dicitur autem lex menti repugnans, ſiue (vt Anſelmus docet) quod legitimè, hoc eſt, iuſto Dei iudicio, genus humanum premat; ſiue (vt mauult Chryſoſtomus) quia non aliter, ac lex, ad bonum impellit, ac vrget ad malum.

a de comm. eſſent. Patris, & Filij, & Spiritus ſancti c. vlt.
b l. 1. de nupt. & concup. ca. 30.
c Epiſt. 1. cap. 3. 4.
d l. de anima.

II. Rectè verò Ambroſius, [e] & Hieronymus [f] quattuor leges diſtinguunt; legem Moſis, quæ data eſt à Deo; legem mentis, quæ omnibus eſt à natura indita; legem membrorum, & legem denique peccati, quæ duæ poſtremæ idem planè ſunt; vt rectiùs videatur apud Oecumenium tres tantùm Photius numeraſſe leges; niſi quis malit legem mentis eamdem facere cum Dei lege; atque ita duas inter ſe pugnantes leges conſtituere; alteram mentis, alteram verò membrorum. dicitur autem lex membrorum non modò repugnare legi mentis, ſed etiam captiuam penè ducere, ac ſibi ſubiicere; ſiue dum elicit conſenſum, & flagitio obſtringit; ſiue dum vexat, & prauis cupiditatibus, ac voluptatum titillationibus oppugnat. Quamquam Auguſtinus [g] poſteriorem tantùm captiuitatem agnoſcit; cùm hæc putet pertinere ad iuſtos, qui quamuis voluptatum illecebris tententur, & nonnulla titillatione ſolicitentur, non præbent tamen conſenſum. Mox verò ne huic quidem explicationi penitus acquieſcens ipſam carnem ait captiuam ab hac lege teneri, quòd ſubſit prauis cupiditatibus. ſic autem ſcribit [h]: *quod autem dixit & captiuantem me ſub lege peccati, hoc eſt ſub ſe ipſa, quæ eſt in membris meis. aut captiuantem dixit captiuare conantem, id eſt ad conſentiendum implendúmque cogentem, aut potius quod non habet controuerſiam, captiuantem ſecundum carnem, quam niſi teneret carnalis concupiſcentia, quam legem peccati vocat, non vtique in ea vllum illicitum deſiderium, cui mens obedire non debeat, commoueret. Quod autem non ait captiuantem carnem meam, ſed captiuantem me, hinc factum eſt, vt ſenſus hic aliàs quæreretur, & acciperemus captiuantem velut dixiſſet captiuare conantem; ſed cur non diceret captiuantem me vbi vellet intelligere carnem ſuam? An non dictum eſt de Domino Ieſu, cùm in monumento non fuiſſet inuenta caro eius; Tulerunt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eum? num ideo non rectè dictum eſt, quia non dictum eſt, carnem vel corpus Domini mei, ſed Dominum meum?* & aliquàtò pòſt [a]: *Quamquā paulo ſuperiùs & ipſe Apoſtolus Paulus, quomodo rectè poterit de carne ſua dicere, captiuantē me ſatis euidēter aperuit. cùm enim dixiſſet, ſcio enim, quia non habitat in me, id ipſum exponens adiunxit, & ait, hoc eſt in carne mea bonum. Hæc ergo captiuatur ſub lege peccati, in qua nō habitat bonum, hoc eſt caro.* Quod igitur nonnulli ſubtiliter philoſophantur, vt membrorum legem à peccati lege diſtinguant, argutius videtur, quàm verius. Quamuis enim naturalis illa propenſio, qua appetentes hominis facultates, in ſuum bonum feruntur, ſit à natura; non tamen habet rationem legis repugnantis legi mentis, niſi vt primi parentis vitio deprauata eſt, & mentis, atque intelligentiæ actionem præuertit, eiúſque imperio reluctatur; qua ratione eadem eſt cum lege peccati; quia pertrahit hominem ad peccatum, vt intelligitur ex dictis: quocirca rectè hoc loco Auguſtinus: [b] *Quod ait Paulus. Video aliam legem in membris meis; legem peccati dicit, qua quiſque carnis conſuetudine implicitus adſtringitur, hanc repugnare ait legi mentis ſuæ, & ſe captiuare ſub lege peccati, ex quo intelligitur ille homo deſcribi, qui nondum eſt ſub gratia. ſi enim repugnaret tantùm conſuetudo carnis, & non captiuaret, non eſſet damnatio, in eo enim eſt damnatio, quod obtemperamus, & ſeruimus prauis deſideriis carnalibus. Quamuis autem exiſtant talia deſideria, ſi tamen eis non obediamus, non captiuamur, & ſub gratia iam ſumus, de qua gratia loquitur, cùm exclamauit liberatoris auxilium, vt poſſit per gratiam caritas, quod per legem timor non poterat, dicens; Infælix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et ſubiecit; Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Sed locis ſupra citatis ab hac ſententia receſſit, & ſuam poſteriorem ſententiam perpetuò retinuit.

e in Luc. cap. 19. de duob. in vno lecto.
f ad Algaſ. q. 8.
g de quibuſdam propoſitionib. huius ep. Num. 45. & l. 1 de nup. & concup. c. 30. 31.
h lib. 1. de nuptiis & concupiſ. cap. 30.
a cap. 31.
b Prop. 41.

III. Sed cur membrorum legem Paulus accuſat, quòd ſe peccati legi mancipet, ſi eadem eſt lex membrorum cum lege peccati? Potuiſſet ſanè eadem prorſus ſententia dicere, ſe à membrorum lege fieri captiuum; maluit tamen legem peccati appellare, vt indicaret, eamdem membrorum legem, qua rectæ rationi reluctatur, legem membrorum vocari, qua verò pertrahit ad ſcelus, legem dici peccati; atque vt appareat re ipſa non differre à lege membrorum, addidit *legem peccati, quæ eſt in membris meis.* Itaque Auguſtinus [c] ait: *Quod autem dixit, & captiuantem me ſub lege peccati, hoc eſt ſub ſe ipſa, quæ eſt in membris meis.* Neque enim aſſentior Oecumenio, qui vult, verba illa; *Quæ eſt in membris meis*, idcirco addita eſſe à Paulo, vt indicaret, quamuis peccati ſeruitus iniuſta ſit, ſe tamen qui ea captiuitate teneatur, non penitùs vacare culpa. membra enim ſua intelligit Paulus inferiores animi facultates, in quibus nulla prorſus culpa inhæret, quæ non niſi à voluntatis libero conſenſu oritur.

c l. 1 de nupt. & concup. ca. 30.

INFOELIX EGO HOMO, &c. ταλαίπωρος 24.
quaſi luctuoſarum calamitatum oneribus preſſus; 1.
vt ſtatus ille deplorandi matrimonij deſcribatur, quem paulò antè miſeram, atque abiectam ſeruitutem appellarat; éſtque ſuperioris diſputationis quaſi epiphonema, quo totius veluti naturæ nomine liberatorem expetit; liberatorem inquam, qui naturæ imbecillitatem erigat, & confirmet, continenti pugnæ finem aliquando afferat, & cunctos mortales à

peccati

peccati ſeruitute eripiat. ait autem; *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* hoc eſt, de hoc mortali corpore, vel de corpore huic tam miſeræ ac deplorandæ morti obnoxio. Corpus enim mortis Hebræorum more dictum accipio pro mortali corpore: ita monet Hieronymus [a]. Mortis porrò nomine Origenes peccatum interpretatur; nec diſcrepat Photius, qui corpus mortis intelligit, quod ſuis interpretationibus, quibus obnoxium degit, ſpiritalem mortem affert. Ita corpus mortis erit quod capite ſuperiori vocauerat corpus peccati, vt vult Ambroſius; vel (quod magis reor) hæc ipſa corporis membra, & facultates, quæ ſunt mortalitati obnoxiæ, aut peccati adeóque ſempiternæ mortis inſtrumenta, & vt ita dixerim, lictores, ac penè carnifices. Clemens [b] Alexandrinus confert hunc locum cum Platonis ſententia, qui corpus vſque eò contemnebat, vt philoſopho moriendum neceſſariò diceret, quò animus liberiùs philoſopharetur; quo fit vt nonnihil aliena videri poſſit Auguſtini [c] ſententia aientis, optari ab Apoſtolo eam libertatem, quam poſt communem omnium anaſtaſim iuſti conſecuturi ſunt, cùm (vt ex conſequentibus conſtat) de ea libertate loquatur, quam gratiæ beneficio in hac vita mortali iuſti adipiſcuntur: multò verò alienior, ac deteſtabilior eſt hæreticorum impura interpretatio, qui corporis mortem peccati maſſam, & congeriem accipiunt, ex qua totus homo conflatus eſt vſque eò, vt in Paulo etiam-num peccati reliquiæ manerent, quarum vinculis obſtrictus detineretur: quocirca dum ſubdit, *mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati*, fateri illum, ſe eſſe quidem Deo magnopere addictum; humi tamen adhuc repere, ac multis ſordibus inquinari: quæ ſanè omnia ex impuriſſimo illo fonte deriuantur, quo veluti hauſto, & ob id in amentiam verſi falſo ſibi perſuadent, omnes iuſtorum actiones ſceleſtas, ac flagitioſas eſſe, quod alibi à nobis refutatur: quæ cùm ita ſint, nihil erat, cur viri docti, quorum ingenio, atque eruditioni mirè faueo, de corporum reſurrectione, eorúmque varia, ac multiplici conditione in præſentia diſſererent. Hieronymus verò de hac Pauli exclamatione alicubi [d] húc in modum ſcribit: *ſi Apoſtolus vas electionis, & ſeparatus in Euangelium Chriſti, carnis aculeos, & incentiua vitiorum reprimit, & caſtigat corpus ſuum, & ſeruituti ſubijcit, ne alijs prædicans ipſe reprobus inueniatur, & tamen videt aliam legem in membris ſuis, repugnantem legi mentis ſuæ, & captiuum ſe in legem duci peccati, ſi poſt nuditatem, ieiunia, fames, carcerem, flagella, ſupplicia, in ſemetipſum reuerſus exclamat, Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? tu te putas ſecurum eſſe debere?* Inde nonnulli exiſtimãt cenſeri Paulum ſua cauſa ita exclamaſſe, quòd prauæ cupiditatis aculeis à cunis pũgeretur, & libidinis ardore æſtuaret, quòd ab Apoſtolo alieniſſimum fuiſſe ſuo loco docebo [e]. Nunc tantũ dico Hieronymum id tantùm affirmare, Paulum conſueuiſſe corpus ſuum inedia atque aſpero cultu domare, ad incentiua vitiorum reprimenda, non quòd cum illis pugnaret, & reluctantibus obſiſteret, ſed ne fortè inſolentiùs inſurgerent, quod potuit in ſumma pace, ac tranquillitate facere, quod etiam quamplurimi iuſti facere conſueuerunt. Quod verò ait Paulum vidiſſe aliam legem in membris ſuis repugnantem menti, verum omnino affirmat: ſed potuit illam videre in ſe ſpectata hominis natura, vt ſuprà dictum eſt; vel vt aliam perſonam ſuſtinebat, vt diximus.

25.
I. Gratia Dei per Iesvm, &c. Hic Græci codices nonnihil à Latinis diſcrepant. nam qui vulgò nunc habentur in manibus, habent hæc verba, εὐχαριστῶ τῷ θεῷ, gratias ago Deo; vel quod re

A idem eſt, χάρις τῷ θεῷ, gratia Deo. ſic videntur legiſſe Chryſoſtomus, Theophylactus, Theodoretus, Oecumenius, & inter Latinos Hieronymus [a]. De Origene nõ ſatis conſtat. ſunt enim qui in vtramque partem illum trahant. Quòd ſi hanc lectionem probemus, gratiarum actione veram libertatem oſtẽdit vni Chriſto liberatori, eiúſque diuinæ gratiæ acceptam referendam eſſe. Latinam interpretationem probant Ambroſius [b], Hieronymus [c], Auguſtinus [d], Caſſianus [e]; & inter Græcos Chryſoſtomus [f], Methodius [g], & Irenæus [h]; ſed vtro modo legas, quod attinet ad ſententiam, non magni refert. ſemper enim apparet, Chriſti gratiæ beneficium eſſe, ſi quis ab hac peccati ſeruitute liberetur; nam ſi Græcos ſequamur; agit Paulus Deo immortali gratias, quòd
B hominum genus vniuerſum nullo cultu, Chriſto liberatore, eripuerit ab eo ſeruitutis iugo, quo vigente lege miſerè premebatur. ſi noſtri interpretis lectionem probemus, ſubiectione, propoſitæ querimoniæ reſpondet, liberari poſſe homines à lege membrorũ beneficio gratiæ Chriſti, quod mirificè explicat Auguſtinus [i]. Quanquam vt verum fatear aliò videtur ſpectaſſe Paulus. licet enim non negem poſſe vtcumque cupiditatum impetus gratiæ munere frangi, ac mitigari, quod re ipſa experiuntur illi, qui cum prauis ſuis appetitionibus certant; qui corpus vexant, exorientes libidines domant, ſe ipſos denique in virtutis ſtudio diligenter exercent; tamen Pauli ſententiam (quod Theologi [k] acuti, atque ingenioſi monent) eam eſſe exiſtimo, vt ſignificet
C gratiæ ſubſidio mentem, animúmque firmari, & validiorem, ac robuſtiorem reddi, vt valentiùs contra ingruentes cupiditates decertet, vt non modò non cedat, ſed non rarò etiam victor euadat. Nam ſi quis graui onere depreſſo robur, ac vires ſufficiat, vt faciliùs onus impoſitum ſuſtineat, grauitatem illam, qua olim premebatur, quodammodo minuere iure dicitur: qua de re & doctè, & copioſè vt aliàs ſemper diſputat Gregorius [l]. Quod verò attinet ad variam lectionem, nos in paraphraſi Latinam lectionem ſecuti ſumus; quanquã vtraque lectio ſententiæ optimè cohæret. quin etiam ea, quæ inter ſanctos Patres apparet diſſenſio facilè conciliari poteſt. ſiue enim Paulus de ſeipſo loquatur, ſiue omnes hac ſua diſputatione complectatur, ſéque adeo, qua homo
D eſt, minimè excludat, vlcus, ac morbus naturæ, ac ſtatus priſtini ratio; non priuatæ cuiuſquam perſonæ conditio deſcribitur. Concludit autem; *Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati:* hoc eſt, mente quidem gratiæ ſubſidio roborata feror in Deum, vel multa certè, ipſa natura duce, honeſta, ac laudabilia non ſolùm probo, ſed vtcumque conſector: carne autem, hoc eſt, iis motibus, qui contra rationem inſurgũt, illa appeto, quæ ad peccatum aliquo modo referuntur; itaque carnis nomine non eas actiones intelligit, quæ corporis miniſterio peraguntur, cùm plerumque laudabiles ſint & honeſtæ, ſed prauas dumtaxat cupiditates, quibus incitamur ad malum. At quomodo id verũ eſt quod ait Paulus, ſe mente quidem Dei legi ſeruire, carne autem legi
E peccati, ſi Chriſtus [m] dixit neminem poſſe duobus Dominis ſeruire? An Paulus (quod ait Auguſtinus [n]) ſeruitutem peccati naturæ conditionem intelligit, quæ ſubitis, ac minimè liberis voluptatis titillationibus ſubeſt? An ſignificare voluit (quod acutè obſeruauit Bernardus [o]) duo eſſe in homine velut principia; alterum in carne, hoc eſt in inferioribus animæ facultatibus, vnde prauæ cupiditates exiſtant: alterum in mente, ac ratione, vnde honeſtæ, ac laudabiles affectiones exoriantur? Hinc ſanè apparet quàm verè, ac ſapienter quatuor hominum ſtatus diſtingu-

a Ep. 151. ad Algaſ. q. 8.
b Orat. de obitu Theodoſij.
c lib. 1. contra Iulianum; & hic ſi is eſt auctor.
d Serm. 41. de temp. lib. 6. contra Iulia. cap. 6.
e Collat. 23.
f in Pſal. 121. in ea verba fiat pax in virtute tua.
g apud Epiph. hær. 64.
h lib. 3. ca. 22.
i Serm. 41. de tempore, & lib. 6. contra Iul. cap. 5.
k Scot. in 4. d. 4. q. 7.
l lib. 19. Moral. cap. 4.
II.
III.
m Matt. 6. 24.
n L. 1. de nupt. & concup. c. 31. in fine.
o Ser. 81. cant.

guat Auguſtinus [a]; innocentiæ amiſſæ ſtatim in lege
naturæ, cùm ſeſe homines voluptatibus penè con-
ſtringendos præbebant; deinde in lege Moſis cum
impoſito præcepto irritata potiùs eſt, quàm lenita,
aut repreſſa cupiditas; poſtea in hac noſtra condi-
tione, & lege gratiæ, cùm aduersùs cupiditatem
luctamur, & præſidio gratiæ ſubnixi, niſi per nos ſte-
terit, fortiter ſuperamus; denique in beatitudine,
cùm extincta prorſùs cupiditate, ſumma pace, ac
tranquillitate fruemur; itaque acutè dixit [b]: *Aliud*
eſt non pugnare, & eſſe in pace vera, atque perpetua;
aliud pugnare, & vincere; aliud pugnare, & vinci, aliud
nec pugnare, ſed trahi. Alibi [c]: *Prima eſt actio ante legẽ,*
ſecunda ſub lege, tertia ſub gratia, quarta in pace. Et poſt
nõnulla: *In prima ergo actione, quæ eſt ante legem, nulla*
pugna eſt cum voluptatibus huius ſæculi. In ſecunda, quæ
ſub lege eſt pugnamus, ſed vincimur. In tertia pugnamus,
& vincimus; In quarta non pugnamus, ſed perfecta, &
æterna pace requieſcimus. At ſi velis hæc philoſopho-
rum more diſtinguere, poſſis primum ſtatum com-
parare intemperanti, ſecundum incontinenti, tertiũ
continenti, quartum temperato; & quidem nobiliſſi-
mo, ac perfectiſſimo modo. Quamobrem primum
illum hominis ſtatum deſcribens Moſes ait [d]: *Omnis*
quippe caro corruperat viam ſuam; & Deum loquen-
tem induxit. *Non permanebit ſpiritus meus in homine*
in æternum, quia caro eſt. Succeſſit minus quidem ma-
lus Moſaicus ſtatus, cùm legem haberet, verámque
Dei cognitionem, & cultum; ſed alia tamen ex
parte acriorem, ac truculentiorem pugnam ſentie-
bat, vt ex iis, quæ ſuprà Apoſtolus docuit, facilè in-
telligitur: ſed tertius hic noſter ſtatus longè fœlicior
meritò cenſetur, quia licet certandum adhuc ſit,
maximum tamen gratiæ ſubſidium ſuppeditatur,
adeo vt Auguſtinus [e] noſtram, quam à Chriſto acce-
pimus, gratiam, ſi non fœliciorem, aut lætiorem, lon-
gè tamen potentiorem dicat fuiſſe ea, quæ olim in

A ſtatu innocentiæ fuerat Adæ conceſſa. Et aliquantò
pòſt: *Maior quippe libertas eſt neceſſaria aduerſus tot*
& tantas tentationes, quæ in Paradiſo non fuerunt dono
perſeuerantiæ munita, atque firmata, vt cùm omnibus
amoribus, terroribus, erroribus ſuis, vincatur hic mun-
dus; hoc ſanctorum martyria docuerunt: denique ille
Adam & terrente nullo, & inſuper contra Dei terrentis
imperium, libero vſus arbitrio, non ſtetit in tanta fœlici-
tate, in tanta non peccandi facilitate. Iſti autem non di-
co terrente mundo, ſed ſæuiente, ne ſtarent, ſteterunt in
fide, cùm videret ille bona præſentia, quæ fuerat reli-
cturus, iſti futura, quæ accepturi fuerant, non viderent.
Et nõ multis interiectis: *ſubuentum* (inquit) *eſt infir-*
mitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabi-
liter, & inſeparabiliter ageretur, & ideo quamuis in-
B *firma nõ deficeret, neque aduerſitate aliqua vinceretur.*
Rectè igitur dictum eſt à Paulo: *Mente ſeruio legi*
Dei, carne autem legi peccati. At multa facit caro, quæ
pertinent ad mentem, laborat, ſudat, inedia ſeſe, ac
ieiuniis edomat; verum; ſed carnem intelligit Apo-
ſtolus eam, de qua dixerat: *Scio quòd non habitat in*
me, hoc eſt, in carne mea bonum: quæque prauarum
cupiditatum origo eſt, & fons. Iam verò dixerat ſe
non operari malum, ſed quòd in ipſo habitat pec-
catum; cur nunc ait ſe carne ſeruire legi peccati? An
ſupra cauſam, ac originem, ac veluti fontem malo-
rum indicat, cùm tamen nullum abſque libero con-
ſenſu ſcelus patrari queat? ſic omnino exiſtimãdum
eſt. Hic autem oſtendit proximam mali cauſam, id
eſt, voluntatis conſenſum. Cæterùm acutè & inge-
C niosè & more ſuo de hoc loco diſſerit Bernardus [a].
Auguſtinus [b] autem ita breuiter ſcribit: *Sic intelli-*
gendum eſt; mente ſeruio legi Dei, non conſentiendo legi
peccati, carne autem ſeruio legi peccati, habendo deſi-
deria peccati, quibus etſi non conſentio, nondum tamen
penitùs careo.

a Enchir. cap. 118. & l. 83. Quæſt. q. 86. in expoſit. Ep. ad Gal. & alibi ſæpè.

b in Pſal. ...

c l. 83. qq. q. 66.

IV.

d Geneſ. 6. 6.

e de corrept. & gratia cap. 12.

a Sermon. ... cant.

b l. 1. de nupt. & concup. c. 31.

Argumentum Cap. VIII.

NE fortè quæ de praua naturæ conſtitutione, capite ſuperiori Paulus diſputauerat, perperam intellige-rentur, deinceps extollit gratiæ beneficium, qua non modò peccatum omni ex parte ſuperatur, ſed erigimur ipſi nos in ſpem hæreditatis conſequendæ, ſpiritu adoptionis accepto, à quo erecti, adiuti, & confirmati, vi nulla, nullóque prorſus impetu, ab honeſto dimoueri poterunt ij, qui Chriſto penitus adhæſerint.

CAPVT VIII.

NIHIL *ergo nunc damnationis eſt ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant.*

Lex enim ſpiritus vitæ, in Chriſto Ieſu, liberauit me à lege peccati, & mortis.

Nam quod impoßibile erat legi in quo infirmabatur per carnem: Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne.

Vt iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui non

PARAPHRASIS.

NVLLA igitur ratione motus illi impuri, 1.
qui à natura deprauata ortum habent
vitio vertuntur, nulláque propterea im-
minet condemnatio ijs, qui ſunt inſiti in Chriſto
Ieſu, id eſt qui non ſecundùm carnem incedunt,
ſed ſecundùm ſpiritum. ¶ Lex namque illius vita- 2.
lis, ac viuifici ſpiritus, qui Chriſto Ieſu referri de-
bet acceptus, ipſius diuino planè munere liberauit
me à lege peccati, & mortis. ¶ Si quidem cùm lex 3.
mentis per ſe infirma, atque imbecilla, affectioni-
bus corporis ſubiaceret, nedum ægritudini carnis,
& profligatæ atque afflictæ naturæ, opem afferre
poſſet. Deus immortalis ſuo ipſius filio cœlitus
miſſo, & carni noſtræ peccato obnoxiæ planè con-
formato, idque ad peccatũ à carne noſtra penitùs
abolendum; quod ſibi ante omnem æternitatem
propoſitum erat, vt decerneret peccatum in carne
noſtra nullum deinceps ius habere, id re ipſa ali-
quando conſecutus. ¶ Vt nos ipſi qui non ſecun- 4.
dum

dum carnem, ſed ſecundum ſpiritum incedimus,
illa legis præcepta, quæ gratia ſpoliata & difficilia
erant, & peccato veluti materiam, & occaſionem
præbebant; facilia nobis iam Dei munere iuſtifi-
catis, ſubſidio gratiæ redderentur. ¶ Nam qui ſeſe
5. carni penitùs conformant, ij profectò quæ carnis
ſunt ſapiunt: qui verò ſpiritum ſectantur, ij etiam
6. ſpiritalia curant, & ſedulò meditantur. ¶ Etenim
prudentia carnis, quæ humanæ rationis ductum, &
plerumque cupiditatis impetum ſequitur, mors
quædam eſt, ſpiritus verò prudentia, quæ diuino
potiſſimum inſtinctu, impulſúque mouetur, vita,
7. & pax. ¶ Propterea quod carnis intelligentia, quæ
legi diuinæ neque ſubiicitur, neque verò (quæ eius
eſt peruerſitas,) ſubiici poteſt, inimicitias aduerſus
illum exercet, eúmque in ſeſe identidem prouocat.
8. ¶ Quo fit, vt qui carnis affectionibus, & corpo-
reis iiſdémque ſordidis voluptatibus tenentur im-
pliciti, Deo, cui omnis fœda libido exoſa eſt, pla-
9. cere nequaquam poſſint. ¶ Vos autem non eſtis
profectò ex horum improborum numero, ſed po-
tiùs inter eos recenſendi, qui ſeſe totos ſpiritui
colendo, ac perpoliendo animo tradiderunt; ſi mo-
dò in vobis diuinus ille ſpiritus ineſt. nam qui hoc
ſpiritu Chriſti deſtituitur, is nullo modo inter
Chriſti ſectatores, atque diſcipulos numerandus
10. videatur. ¶ Porrò ſi Chriſtus in nobis habitat, ſe-
démque ſuam fixit, corpus quidem, & quidquid
illud tandem eſt, quod peccati, mortíſque ſalebris
hæret, moriendi neceſſitati obnoxium degit, idque
propter ipſum peccatum, ipſiúſque vim mortife-
ram penitus inſitam, ipſe verò ſpiritus, ac mens
propter inhærentem iuſtitiam, quam parit Spiritus
ſanctus, vita præditi ſunt, quantum quidem in ipſa
11. eſt, prorsùs immortali. ¶ Quod ſi ſpiritus illius,
qui Ieſum à mortuis excitauit in vobis ineſt, ac pe-
nitùs inſidet, is profectò, qui Chriſtum ad viuos re-
uocauit, ipſis etiam corporibus veſtris morti obno-
xiis, vi eius diuini ſpiritus, qui habitat in vobis vi-
11. tam impertiet immortalem. ¶ Nempe igitur, fra-
tres, debitores ſumus non quidem carni, vt ad ip-
ſius præſcriptum vitam inſtituamus, ſed contra
potius omnia ſtudia, conatúſque noſtros vni ſpiri-
13. tui debemus. ¶ Nam ſi carni, eiúſque prauis cupi-
ditatibus obtemperaueritis, futurum profectò eſt,
vt gemina quodam modo morte moriamini, &
hac, quæ ſpiritali vitæ aduerſatur, & illa, quæ im-
pios apud inferos manet; ſin autem ſpiritu carnis
affectiones, ac petulantes motus compreſſeritis,
planè viuetis, & quidem vita, quæ oritur à gratia,
& illa deinde, quæ hanc conſequitur, cæleſti, ac
14. planè beata. ¶ Quotquot enim ſpiritu Dei du-
cuntur, eique obtemperant, atque impellenti obſe-
cundant, ij ſunt filij Dei, quorum vos cœtui aggre-
15. gandos eſſe haud equidem dubito. ¶ Neque enim
accepiſtis ſeruilem illum ſpiritū, quo metu vtique
perurgente, quaſi iugo quodam premamini, ſed
repleti eſtis ſpiritu illo adoptante, per quem id
etiam aſſecuti eſtis, vt ipſum Deum parentis nomi-
16. ne verè appellare poſſitis. ¶ Qui ſanè ſpiritus vnà

non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum.

Qui enim ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſapiunt: qui verò ſecundum ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritus, ſentiunt.

Nam prudentia carnis mors eſt, prudentia autem ſpiritus vita, & pax.

Quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo, legi enim Dei non eſt ſubiecta, nec enim poteſt.

Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.

Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu; ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis. ſi quis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.

Si autem Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatū; ſpiritus verò viuit propter iuſtificationem.

Quod ſi ſpiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, habitat in vobis; qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem ſpiritum eius in vobis.

Ergo fratres debitores ſumus non carni, vt ſecundum carnem viuamus.

Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.

Quicumque enim ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei.

Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore; ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba (Pater.)

Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro,

noſtro, quòd ſumus filij Dei.

Si autem filij, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, vt & glorificemur.

Exiſtimo enim quòd non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat.

Vanitati enim creatura ſubiecta eſt non volens, ſed propter eum, qui ſubiecit eam in ſpe.

Quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.

Scimus enim quòd omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc.

Non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis noſtri.

Spe enim ſalui facti ſumus: ſpes autem, quæ videtur, non eſt ſpes; nam quod videt quis, quid ſperat?

Si autem quod non videmus, ſperamus; per patientiam expectamus.

Similiter autem & ſpiritus adiuuat infirmitatem noſtram: nam quid oremus ſicut oportet neſcimus, ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret ſpiritus, quia ſecundum Deum poſtulat pro ſanctis.

Scimus

cum mente, ſpiritúque noſtro mirificè copulatus
teſtatur, nos eſſe Dei filios. ¶ Quòd ſi filij verè 17.
non appellamur modò, ſed etiam re ipſa ſumus,
neceſſe eſt profectò, eſſe nos itidem ad ius hære-
ditatis vocatos, vt hæredes quidem ſimus Dei,
eiuſdem verò vnà cum Chriſto hæreditatis parti-
cipes, ſi modò vnà cum illo patimur, vt vnà cum
illo gloriam aſſequamur. ¶ Ipſe enim ſic ſentio, 18.
& ſic exiſtimo, minimè eſſe paria, quæ in præſen-
tia toleramus, futuræ illi, immortalique gloriæ,
quæ nobis aliquando retecta palàm, à iuſto omniũ
iudice Deo tribuetur. ¶ Vniuerſa enim, quæ in 19.
hoc aſpectabili mundo condita ſunt, quaſi exerto
capite obſeruant, & filiorum Dei magnificam il-
lam gloriam expectant, quæ certo, ac præfinito
tempore declaranda eſt. ¶ Quippe omnia, quæ 20.
ſunt ex nihilo procreata, fluxæ, atque euanidæ cõ-
ditioni ſubiecta ſunt, non quidem ſponte ſua, cùm
potius ſuapte natura, ſe ipſa quoad poſſunt cun-
cta tueantur, ac ſeruent, ſed eius nutu, atque impe-
rio; qui hac rerum immutatione, ſuam in omne
genus hominum iuſtam iram, atque indignatio-
nem teſtatus eſt. ¶ Noluit tamen Deus mundum 21.
vniuerſum perpetua execratione inuoluere pro-
pter vnius hominis peccatum, ſed ſpem illi fecit
inſtaurationis aliquando futuræ, tum videlicet
cùm mundus ab hac ſeruitute, qua continenter ad
interitum vrgetur, in eam libertatem vindicabi-
tur, in eúmque immortalitatis ſtatum perducetur,
qui tum palàm fiet, cùm filij Dei ad ſempiternam
illam gloriam euehentur. ¶ Scimus enim, hanc 22.
rerum creatarum vniuerſitatem hactenus ſuſpira-
re, & ingemiſcere, & quodammodo parturiẽtium
dolores tolerare. ¶ Quin etiam nos, qui primitias 23.
ſpiritus, eximia videlicet illa chariſmata accepi-
mus, & primum veluti guſtum futuræ fœlicitatis
delibauimus, taciti nobiſcum ſuſpiramus ipſi, &
ingemiſcimus adoptionem expectantes, id eſt, ex-
tremam illam corporis noſtri inſtaurationẽ, quam
ſuo tempore futurã certò ſperamus. ¶ Spe nam- 24.
que ſalutem conſecuti ſumus, ſpes autem, ſi ob
oculos ponat id, quod ſperatur, ſpes nequaquam
appellari poteſt. Nam quis, quæſo, aut quam ob
rem ſperet id, quod oculis cernit, aut iam mani-
bus contrectat? ¶ Quòd ſi ea ſperamus, quæ ab 25.
aſpectu noſtro remota ſunt, nec noſtris obtutibus
ſubiiciuntur; neceſſe eſt profectò, patienter nos
expectare quæ aliquando futura ſunt. ¶ Itidẽ au- 26.
tẽ & ſpiritus ſua diuina vi, nos omni ex parte per-
uadens, vnà etiã ſubleuat infirmitates atque imbe-
cillitates noſtras; nam cùm nos rebus aduerſis op-
preſſi ancipiti cogitatione ſæpe ita diſtrahamur, vt
neque quid precãdum ſit, neque certam precandi
rationẽ teneamus; ipſe ille ſpiritus, cuius primitias
deguſtauimus, quíque nobis eam fiduciam im-
pertit, vt non vereamur Deum parentem appel-
lare, nos ad reè ſupplicandum, poſtulandúmque
impellit gemitibus inenarrabilibus. ¶ Is verò, qui 27.
omnium corda ſcrutatur Deus probè nouit quæ
preces, quæque ſuſpiria à ſpiritus ſui afflatu pro-
fici

ſiciſcantur, adeóque optimè callet, immò verò
etiam approbat eum ſenſum, qui à ſpititu cietur,
quo excitat homines, vt à Deo contendant ea, quę
28. ſunt ipſius voluntati maximè conſentanea. ¶ No-
uimus autem iis, qui diligunt Deum; iis inquam,
qui æterno Dei consilio, ac beneplacito vocati
ſunt, quæcumque eueniant, ſiue ſecunda, ſiue ad-
uerſa ad ipſorum bonum, atque vtilitatem omnia
conferre, nulláque ratione illorum ſalutem poſſe
29. impediri. ¶ Nam quos ille admirabili ſua proui-
dentia, ante omnem æternitatem approbauit, eoſ-
dem incredibili beneuolentia prædeſtinauit, vt
conformes fiant imagini filij ſui, quò ille eſſet pri-
30. mogenitus inter multos fratres. ¶ Atqui quos
prædeſtinauit, eoſdem etiam vocauit: quos autem
vocauit, illos quoque iuſtificauit: quos porrò iu-
ſtificauit, eos denique immortali gloria beauit.

Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti.

Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.

Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iuſtificauit, quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit.

31. ¶ Quid igitur habemus, quod ad hoc reſpondea-
mus? Aut quid animo deiicimur, vel de ſalute de-
ſperamus? ſi Deus à nobis ſtat, noſtrámque ipſe ſa-
lutem ſua admirabili prouidentia, atque conſilio
procurat; quis (quæſo) nobis aduerſabitur, vel di-
uino patrocinio tutos in periculum adducet?

Quid ergo dicemus ad hæc? ſi Deus pro nobis quis contra nos?

31. ¶ Is ſanè Deus immortalis, qui proprio filio non
pepercit, ſed pro nobis omnibus eum tradidit: qua
tandem ratione non etiam cum illo omnia nobis
33. gratificabitur? ¶ Quis, oro, intentabit crimina
aduersùs eos, quos ſibi Deus peculiari quadam
beneuolentia ſelegit? Deus quidem certè Opti-
mus, Maximus, ipſe eſt qui iuſtificat, tantùm ab-
34. eſt, vt accuſet, aut criminetur. ¶ Quis verò ele-
ctos condemnabit? Chriſtus profectò qua ratione
homo eſt, pro hominibus liberandis ſponte mor-
tem oppetiit, idémque ab inferis excitatus aſſidet
ad dexteram Patris, ibique optimi Patroni, atque
aduocati munere ſuæ necis perenni commemo-
ratione perfungens, noſtram apud Deum Patrem
35. cauſam agit. ¶ Quæ ſi vera ſunt omnia, atque
hoc tam ſtabili fundamento ſpes noſtra nititur:
quis (obſecro) nos ab ea caritate poterit ſeparare,
qua nos Chriſtus tanquam ſuos electos comple-
ctitur, nóſque eum tam ſingulari beneuolentia
prouocati redamamus? num oppreſſio? num angu-
ſtia? num perſecutio? num fames? num nuditas?
36. num periculum? num gladius? ¶ Vt appareat, ve-
riſſimè ſcriptum eſſe, tua cauſa diem totum occi-
dimur, habiti ſumus velut oues, mactationi deſti-
37. natæ. ¶ Immò verò in his pluſquam victores ſu-
mus, vi, & facultate ab eo accepta, qui nos eximia,
38. ac ſingulari beneuolentia proſecutus eſt. ¶ Nam
hoc præſidio, ac patrocinio fretus, ſic mihi per-
ſuadeo, ne ipſam quidem mortem, neque vitam,
neque Angelos, neque Principatus, neque Pote-
39. ſtates, neque inſtantia, neque futura. ¶ Neque
ſublimitatem, id eſt, res præclaras, & excelſas: ne-
que profunditatem; hoc eſt, ea, quæ vilia ſunt, &
abiecta, neque vllam rem aliam creatam, poſſe nos
ſeparare ab illa caritate, qua nos Deus immortalis
intuitu Chriſti Ieſu Domini noſtri ab æterno di-
lexit.

Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?

Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus qui iuſtificat.

Quis eſt qui condemnet? Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt, immo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.

Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames, an nuditas? an periculū? an perſecutio? an gladius?

Sicut ſcriptum eſt, quia propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.

Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos.

Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo;

Neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

IN CAPVT OCTAVVM EXPLANATIO.

1\. I. NIHIL ERGO NVNC DAMNATIONIS EST IIS, &c. At vnde hoc colligit Apoſtolus? An quia in fine capitis ſuperioris dixerat; *Mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati?* An quia (vt ait Auguſtinus [a]) maculæ quædam leues, ſine quibus humana vita non ducitur, neque gratiæ repugnant, neque præmium, & mercedem impediũt? An quia (vt idem [b] affirmat) quidquid adhæſerat mali, baptiſmo quodammodò ablutum, atque abſterſum eſt? Certè Auguſtinus [c] cùm exiſtimaret, impuros libidinis motus pertinere ad peccatum originale, adeóque in iis, qui nondum baptiſmo luſtrati ſunt, habere veram, ac propriam rationem culpæ; ſecùs ſentiendum in iis dixit, qui aqua baptiſmi expiati Chriſto iam fidei, & charitatis beneficio adhæſerunt. Quam ſententiam cùm perperam quidam intelligerẽt, etiam primos illos, ac ſubitos motus, qui libertatis vſum præuertunt, in infidelibus quidem lethalia peccata eſſe dixerunt, cùm re vera eadem ſit eorum reſpectu, in omnibus ratio, vel ſi quid diſcriminis excogitandum ſit, fidelium, qui iam Chriſto adhæſerunt, deterior conditio ſit; quippe quos maiora, atque diuiniora beneficia aſſecutos, ſeuerioribus ſanctitatis legibus decet eſſe aſtrictos. Itaque malim ſimpliciter verba Pauli accipere, quaſi affirmet, quod veriſſimum eſt, vi baptiſmi omnem penitùs noxam, & piaculum aboleri; tantùm abeſt, vt hæreticorum interpretatio probanda videatur, qui obtegi ſolùm, & quaſi velari peccata baptiſmi ſacramento docuerunt. vt quamquam re vera etiam in iuſtis inſunt, non tamen iis ferantur expenſa; ſed per Chriſti fidem condonentur. Addo, quòd fortaſſe Paulus non tam ſpectaſſe videtur vim Baptiſmi, quo omnis macula penitùs abſtergitur; ſed ad mores, ac vitam eorum, qui Chriſti gratia percepta, omnes ſuæ vitæ rationes ad Chriſti legem, atque præcepta exigunt, atque ita prauæ cupiditati nõ obſequuntur, nec patiuntur ſeſe pertrahi ad peccatum, vt idem videatur dicere, quod aliis verbis affirmat Ioannes [d]. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet; & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* Et rurſus [e]: *Omnis, qui natus eſt ex Deo, non peccat, ſed generatio Dei conſeruat eum, & malignus non tangit eum.*

II. Apertè autem ait; *Nihil eſt in illis damnationis, qui ſunt* (inquit) *in Chriſto Ieſu, qui non ſecundùm carnem ambulant.* Rectè omninò vtrumque additum eſt. neque enim loquitur Paulus de iis, qui ſacramentum tantummodò baptiſmi perceperunt, quos videlicet extrinſecùs duntaxat vnda abluit, non autem intus in animo gratia expiauit; ſed eos intelligit eſſe prorſus à damnatione alienos, *qui ſunt in Chriſto Ieſu*, hoc eſt, rem etiam ſacramenti adepti ſunt; neque id ſolùm, *ſed qui non ſecundùm carnem ambulant*, ſed potiùs ſecundùm ſpiritum: vt in Græcis codicibus apertè additur; μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα; non ſecundùm carnem ambulantibus, ſed ſecundùm ſpiritum. Nam ſi poſt ſuſceptum baptiſmum tam ſingulari beneficio neglecto, rurſùs ſeſe quis vitiis, ac ſceleribus contaminet, fuit ille quidem aliquando in Chriſto, vera videlicet iu- A ſtitia percepta, ſed eſt tamen damnationi obnoxius, quia carnis impetus, & prauas cupiditates ſequitur. Quamobrem Græci codices, hanc Pauli ſententiam planiùs explicant, quos Latinè ad verbum ita reddideris. Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, *qui ſunt in Chriſto Ieſu*, non ſecundùm carnem ambulantibus, ſed ſecundũ ſpiritum; vt hęc poſteriora cauſam contineant, cur nihil damnationis inſit iis, qui Chriſto adhæſerint, vel certè primam illam ſententiam aliqua ratione reſtringant, perinde quaſi non ſatis ſit ſimplici, ac nuda fide Chriſto adhærere, niſi fidem ſtudioſæ, ac laudabiles actiones comitentur. Quamobrem rectè dixit Auguſtinus [a]. *Nulla condemnatio eſt iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu. non enim damnatur niſi qui concupiſcentiæ carnis conſentit ad malum.* Quocirca B magnopere falli neceſſe eſt hæreticos, qui manere in Chriſto nihil aliud eſſe putant, quàm ſibi certò polliceri, Chriſti merita, ſibi fuiſſe communicata, atque adeo peccatis omnibus expiatis, ſe eſſe iuſtum, cum multò aliter ſacræ literæ doceant. nam Ioannes [b] ait: *Deus caritas eſt, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* Rurſus [c]: *Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare.* Et Chriſtus [d] ipſe: *Qui diligit me, ſermonem meũ ſeruabit, & Pater meus diliget eũ, & ad eum veniemus, & manſionẽ apud eum faciemus.* Itémque [e]: *Manete in me, & ego in vobis. qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multũ, quia ſine me nihil poteſtis facere.* Porrò Paulus hoc loco aliter dicit ambulare ſecũdùm carnem, quàm alibi [f] cùm dixit. *In carne ambulantes, non* C *ſecũdum carnẽ militamus.* Ibi enim in carne ambulare eſt mortalẽ adhuc vitam ducere; hîc autem ſecũdum carnem ambulare idem eſt, quod militare ſecũdum carnem; hoc eſt, genio, ac voluptatibus indulgere, & prauis cupiditatibus morem gerere. Ab his Apoſtolus damnationem excludit, hoc eſt, grauia, & lethalia peccata, non tamen leuiora, quæ dicuntur venialia, quæ non ſunt damnatione digna. Nam quod hæretici dicunt, damnationem excludi, non tamen peccatum; quia licet in iuſtis multa ſint peccata, Chriſti tamen meritis hactenus teguntur, & quaſi velantur, ne damnationis ſententiam ſubeant: indigniſſimum eſt quod pluribus refellatur, in diſputationibus tamen nonnulla attingo.

LEX ENIM SPIRITVS VITÆ, &c. Am- 2. I.
D broſio lex fidei, Chryſoſtomo, Theophylacto, & Auguſtino [g] ipſe Spiritus S. à qua ſententia non abhorrẽt Athanaſius [h], Cyrillus [i], ipſéque adeo Ambroſius [k]. alius lex Euangelij, quòd Euangeliũ verũ afferat ſpiritũ vitæ; mihi eſt idem, quod gratia, quæ cum liberat a ſeruitute peccati, tum ad benè, laudabiliterque viuendum vi quadam ſua tacitè impellit, & legem illam mentis, hoc eſt, ſynderesim, & naturalis rationis veluti facem, clariori luce perfundit, quod ſequenti ſententia planiùs explicatur. opponit enim hanc legem ſpiritus, legi peccati, & mortis, id eſt illi naturæ propenſioni, qua rapimur ad malum, de qua plura capite ſuperiori. Hanc opinor, legem pollicebatur olim Deus apud Ieremiam [l], cùm dixit: *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in cordibus eorum* E *ſcribam eam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.* Et apud Ezechielem [m]: *Dabo vobis cor nouũ,*

& ſpiri

a Serm. 6. de verb. Apoſt.
b apud Bedam.
c l. 1. cont. 2. ep. Pelag. c. 13
d ep. 1. c. 3. 9.
e cap. 5. 18.

a l. 1. cont. 2. ep. Pelag. cap. 10.
b ep. 1. cap. 4. 16.
c cap. 2. 6.
d Ioan. 14. 23.
e cap. 15. 4.
f 2. ad Cor. 10. 3.
g lib. de sp. & concup. ... lib. 83. Q. q. 67.
h lib. de Spi. ſancto.
i lib. 14. Theſaur. c. 3.
k li. 1. de Spiritu ſancto c. 4. & lib. 2. c. 10.
l cap. 31. 33.
m cap. 36.

& ſpiritum meum ponam in medio veſtrum; & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini. Hæc enim omnia de gratia intelligenda eſſe ſæpè docet Auguſtinus [a]. Quam ſanè legem ſpiritus cùm probè intellexiſſent recentiores hæretici, perperam deinde transferunt, non ad gratiam iuſtis inhærentem, ſed ad externam Chriſti iuſtitiam, quam nobis quodammodo aſſingi volunt, & imputari. Quod impium dogma alibi refutatum eſt. Græca porro Pauli Apoſtoli verba, νόμος τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς, hunc etiam ſenſum facilè admittunt, lex ſpiritus vitalis, vel lex ſpiritus, qui eſt vita; & fortè legem ſpiritus dixit Hebræorum more, quaſi legem ſpiritalem; vel (vt Chryſoſtomus, & Theophylactus malunt) legem ſpiritus, & vitæ, quaſi dicat legem ſpiritalem, & vitalem, ſeu viuificam, vt opponatur non legi Moſis, ſed legi peccati, quæ etiam dicitur lex mortis. Dicitur quidem lex Moſis lex mortis, quæ videlicet mortem minatur; atque ita Paulus alibi eam vocat miniſtrationem mortis. Sic enim ſcribit [b]. *Quòd ſi miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria.* Sed (vt dixi) hoc loco Apoſtolus legem peccati legem mortis vocat, tum quia peccatum, mors eſt quædam animæ, tum quia ad mortem ducit ſempiternam. Ait autem Apoſtolus, nos huius legis beneficio fuiſſe à lege peccati, & mortis, liberatos, quaſi dicat à lege peccati, quæ eadem eſt lex mortis. quod maximè accidit iuſtis, qui (vt ait Auguſtinus [c]) vi gratiæ robur percipiunt; ſic autem ſcribit: *Voluit Deus, ſanctos ſuos, non in viribus ſuis, ſed in ipſo gloriari, qui eis non ſolum dat adiutorium, quale primo homini dedit, ſine quo non poſſint perſeuerare, ſi velint; ſed in eis etiam operatur & velle, vt quoniam non perſeuerabunt, niſi & poſſint, & velint, perſeuerandi eis poſſibilitas, & voluntas diuina gratiæ largitate donetur: tantùm quippe Spiritu ſancto accenditur voluntas eorum, vt ideo poſſint, quia ſic volunt, ideo ſic velint, quia Deus operatur vt velint.* Poſſumus etiam duas leges diſtinguere, alteram peccati, de qua dictum eſt, alteram mortis, quaſi hoc nomine, vt aliàs, legem Moſis ſignificet; à cuius vi proculdubio nos liberat gratia Chriſti. Cur autem lex Moſis dicatur lex mortis, alibi non ſemel diximus. Rectéque ei opponitur gratia quæ eſt lex vitæ, quam Chriſtus ſuis teſtatoribus pollicetur. Huius autem legis auctor, & nomotheta eſt Chriſtus ipſe qui de ſe dicit apud Ioannem [d]: *Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis.* Iraque rectè Paulus: *Lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me.* Quod autem ait: *in Chriſto Ieſu*, referri poteſt ad ſuperiora, vt ſit ſenſus, Lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu; hoc eſt, Chriſti Ieſu beneficio, ac munere mortalibus tradita: ſiue ad ſequentia, quaſi lex ſpiritus Chriſti Ieſu opera, ac merito nos liberauerit; vtrumque veriſſimum eſt, nec magni refert, vtro modo diſtinguas. Quomodo autem liberauerit nos hæc lex ſpiritus, docet Auguſtinus [e]. *Quomodo* (inquit) *liberauit, niſi quia concupiſcentiæ reatum, peccatorum omnium facta remiſſione, lex ſpiritus vitæ in Chriſto diſſoluit, vt quamuis adhuc maneat concupiſcentia, & de die in diem magis, magiſque minuatur, in peccatum tamen non imputetur.* Altero modo nos ait liberatos cùm ſcribit [f]: *Liberauit te à lege peccati, & mortis, ne ſcilicet conſenſionem tuam ſibi vindicans, carnis concupiſcentia, in peccatum te, ac mortem pertrahat.*

a de gra. [illegible] 4. & [illegible]
b 2. ad Cor. 3.
c lib. de corrept. & gratia [illegible]
d cap. 8.
e lib. de nupt. & concup. c. [illegible]
f lib. [illegible] cont. [illegible] c. [illegible]

II.

3.
I.
NAM QVOD IMPOSSIBILE ERAT, &c. Ratio ſuperioris ſententiæ, qua explicat Apoſtolus, quomodo lex ſpiritus liberauit nos a lege peccati, & mortis. præſtitit namque id, quod lex illa Moſis præſtare nequaquam poterat. nec enim illa (vt ſæpe iam dictum eſt) quidquam ad perfectum adduxit, vt ad Hebræos ſcripſit Paulus: [a] ſic ferè vulgò interpretes Hieronymiani commentarij de lege naturæ videntur accipere. Sic enim ſcribit: *legem hoc loco vocat, non præcepta ſacrificiorum, & cætera quæ erat vmbra vſquè ad tempus Chriſti data, ſed illam, quam Dominus ipſe docuit dicens, [b] omnia quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis;* iſta eſt lex & prophetę. Crediderim ego (vt in paraphraſi indicaui) nō hîc legem Moſis, ſed legem illam mentis accipiendam eſſe, de qua plura ſuperiori capite. Quod enim illa quippe ægra, atque infirma gratiæ præſidio deſtituta, reluctantibus præſertim impuris cupiditatum aculeis, præſtare non poterat, Chriſti beneficio aſſequimur: nam ſi Græca Apoſtoli verba perpendantur, τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου, hoc ſonant, impoſſibile legis; id quod lex efficere non poterat, quippe cùm velle quidem illi adeſſet, perficere tamen haud inueniret. Prorſus verò extra rem, hoc loco philoſophatur Origenes, qui in lege Moſis ſenſum litteralem à ſpirituali diſtinguit, atque legem non potuiſſe ſenſu litterali ſeruari, quod ille exemplis confirmat, & hoc ait eſſe impoſſibile legis. ſed hoc quorſum cùm diſputet Paulus, de vi peccati eneruanda? Vera igitur fortaſſe dicit, ſed non ſuo loco. Cur autem adeo eſſet lex illa imbecilla, mox probat ſubdens, ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκός, hoc eſt, eo quod eius veluti vires frangebantur carnis illecebris, & voluptatis titillationibus. ob id enim dixerat, redigi ſe in captiuitatē peccati. Qui hoc loco nomine legis, Moſis legē intelligūt, valde laborant vt explicent cur addiderit Paulus *in quo infirmabatur per carnem*, Græcè ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκός. putāt enim ſignificari fuiſſe quidem legem illam viribus deſtitutam, non tamen ſuapte vi, ſed ob carnis imbecillitatem vt hæc ægritudo atque imbecillitas ei quaſi extrinſecus adueniret, ab humanæ naturæ conditione, quæ ob natiuam labem, viribus deſtituebatur. Verùm quamquam negari non poteſt magnam fuiſſe naturæ imbecillitatem in lege Moſis: tamē etiā ipſa lex nulla vi prædita erat, qua ex ſe poſſet aut delere peccatum, aut gratiam conferre. Sed hæc vt dixi non videntur magnopere ad hunc locum pertinere; cum ſimpliciſſima videatur explanatio vt nomine legis, legem illam mentis intelligamus, quæ agnoſcit & vtcumque amat id quod rectum atque honeſtum eſt, ſed ob carnis ægritudinem & imbecillitatem præſtare non poteſt quod ſibi faciendum cognoſcit. Sed fateri neceſſe eſt, Pauli orationem mutilam eſſe, & imperfectam, niſi dicamus, τὸ ἀδύνατον poſitum eſſe abſolutè loco ſecundi caſus, quo Græci eo fermè modo vtuntur, quo Latini caſu auferendi, vt referatur ad id, quod ſequitur non ita multò pòſt; *De peccato damnauit peccatum*; vt Latinè dicamus; quoniam lex prauis cupiditatibus debilitata, peccatum ſuperare non poterat; Deus cœlitùs miſſo filio ſuo, non ſolùm vires ſuppeditauit, ſed etiam ipſe de peccato damnauit peccatum, Græcè eſt, τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου, hoc eſt, impoſſibile legis: quaſi dicat, cùm lex viribus deſtituta nō poſſet ea præſtare, atque efficere, quæ officij ratio poſtulabat: hoc eſt, vires peccati debilitare, ac frangere: id præſtitit Deus miſſo filio ſuo in mundum, *qui de peccato damnauit peccatum.* Dixit II.
igitur *Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati.* Græcè eſt participiū πέμψας quod Latina lingua exprimere vix poteſt, niſi vel paſſiua voce, miſſo filio ſuo; vel circuitione, cum miſerit filiū ſuum: quo loco Theophylactus, & alij ſubaudiunt poſſibile, aut factu facile reddidit, neque id modò, ſed & *de peccato damnauit peccatum.* Sanè coniunctio & poſtulare videtur, vt aliquid ſubaudiatur, vt ſenſus ſit, perfecit

a cap. 7. 19.
b Matt. 7. 12.

id, quod lex efficere non poterat, & prætetea de peccato damnauit peccatum, vt omnino admittendum ſit anandapodoton & apoſiopeſis, quæ aliquid reticeat; vel ſi quis malit, ellipſis; quod non eſt apud Apoſtolum inuſitatum, vt aliàs monui. Nec dubium eſt, carnem peccati Hebræa phraſi dici carnem peccato obnoxiam. cur autem Chriſtus miſſus dicatur in ſimilitudinem carnis peccati, non conuenit inter omnes. Manichæi, atque eorum ſimiles hæretici propterea ſimilitudinem carnis peccati Chriſto tribui exiſtimabant, quòd veram ei carnem adimerent, ſpeciem duntaxàt, & ſimilitudinem quandam concederent, quos ex hoc ipſo loco argutè refellit Ambroſius [a], quòd non dicat Paulus ſimpliciter ſimilitudinem carnis, ſed ſimilitudinem carnis peccati, ideſt carnis peccatricis. Eoſdem etiam confutat Baſilius [b] allatis ex Euangelio teſtimoniis, præſertim illo ex Luca [c]. *Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Sunt qui ſimilitudinem interpretentur veram ſimilitudinem, quam habent eiuſdem naturæ indiuidua, vt duo leones, duo equi: ita enim loquitur ſcriptura [d] cum ait Adam genuiſſe filium Seth ad ſimilitudinem ſuam, hoc eſt, eiuſdem ſecum naturæ. Et Paulus [e] ipſe: *Formam* (ait) *ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*: vbi eſt eadem vox Græca *ὁμοίωμα*, quæ hoc loco, vt malè omnino in præſentia quidam Latinè tranſtulerint, ſub ſpecie: quaſi Chriſtus ſpeciem duntaxat carnis habuerit, non veram carnem, quod eſt hæreticum: erat enim vera caro ſimilis carni peccatrici, de qua alibi Paulus [f]; *Tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato*; Græcè *καθ' ὁμοιότητα*. Igitur caro Chriſti, vt docent Baſilius, & Cyrillus apud Oecumenium, Auguſtinus, [g] & Auctor [h] Quæſtionum veteris & noui teſtamenti, non erat caro, aut corpus peccati, quia (vt ait Theodoretus) cùm eamdem, quam nos haberet, naturam; non eamdem quam nos habuit ſententiam, & mentem; vel (vt ſcribit Ambroſius) non eamdem ſortitus eſt naſcendi conditionem. erat igitur Chriſti caro, quia pati, ac mori poterat, ſimilis noſtræ, quia verò libera, & aliena erat à peccato, diſſimilis: ſic Tertullianus. [i] *Ob hoc igitur miſſum filium, in ſimilitudinem carnis peccati, vt peccati carnem, ſimilis ſubſtantia redimeret; id eſt, carne, quæ peccatrici carni ſimilis eſſet, cum peccatrix ipſa non eſſet. nam & hæc erit Dei virtus, in ſubſtantia pari perficere ſalutem. non enim magnum, ſi ſpiritus Dei carnem remediaret, ſed ſi caro conſimilis peccatrici, dum caro eſt, ſed non peccati; ita ſimilitudo ad titulum peccati pertinebit, non ad ſubſtantiæ mendacium. nam nec addidiſſet peccati, ſi ſubſtantiæ ſimilitudinem vellet intelligi, vt negaret veritatem. tantùm enim carnis poſuiſſet, non & peccati. cùm verè tunc ſic ſtruxit carnis peccati, & ſubſtantiam confirmauit, id eſt, carnem, & ſimilitudinem ad vitium ſubſtantiæ retulit, id eſt, ad peccatum.* Quibus mirificè conſentiunt quæ hoc loco ſcribit Ambroſius. *Hæc eſt* (ait) *ſimilitudo carnis, quia cum eadem caro ſit, quæ & noſtra, non tamen ita facta in vtero eſt, & nata, ſicut & caro noſtra. eſt enim ſanctificata in vtero, & nata ſine peccato, & neque ipſe in illa peccauit. in cauſa enim ſimilis eſt, non in qualitate peccati ſubſtantia: propterea ergo ſimilem dixit, quia de eadem ſubſtantia carnis, non eamdem habuit natiuitatem, quia peccato ſubiectum non fuit corpus Domini, expiata eſt autem à Spiritu ſancto caro Domini, vt in tali corpore naſceretur, quale fuit Adæ ante peccatum.* Porro ex his Pauli verbis Auctor commentariorum qui Hieronymi nomen præferunt, duo colligit, quorum alterum Catholicum dogma eſt, alterum cautè accipiendum eſt. ait enim: *cum autem ait Deum miſiſſe filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, demonſtrat*

a lib. 1 de pœnit. cap. 2.
b Epiſt. 65.
c cap. 24. 39.
d Gen. 5. 3.
e ad Philipp. 2. 7.
f ad Hebr. 4. 15.
g l. 14. contra Fauſt. cap. 4.
h Quæſt. 40.
i lib. 5. in Marcion.

A *ante incarnationem fuiſſe filium, contra Photinum, qui negabat Chriſto fuiſſe ante carnem.* Atque hoc quidem verè & catholicè dictum eſt. mox autem ſubdit; *ſuſcepit autem filius carnem, quæ ad peccandum eſſet procliuior, ipſe tamen abſque peccato eam ſuſcepit; idcirco dicitur veniſſe in ſimilitudinem carnis peccati.* Hoc autem ſi de ſingulari indiuiduáque Chriſti carne accipiatur, planè falſum atque impium eſt, cum caro illa vi Spiritus ſancti, in vtero Virginis concepta, vt nullum habuit aut habere potuit peccatum; ita prorſus caruit fomite, atque incentiuo peccati. quod ſi de ipſa natura, & humanæ carnis ſpecie intelligatur, vtcumque tolerandum videtur. hoc eſt enim ſimilitudo carnis peccati, quia eiuſdem naturæ ac ſpeciei fuit cum carne peccatrice. Quorſum autem addat III.

B Paulus particulam; *&*, ſubdens, *& de peccato damnauit peccatum*; multos incredibiliter torquet. Sed ſi verum ſit quod paulò antè diximus, addito quod tacitè intelligitur, habet ea particula non exiguam vim & energiã: ſenſus eſt enim vt paulò antè dixi, Chriſti beneficio non ſolùm vires fuiſſe legi mentis noſtræ ſuppeditatas, ſed etiam peccatum fuiſſe penitùs ſuperatum, ac tyrannide ſpoliatum. Sunt tamen qui putent Hebræorum more poſitum eſſe participium pro præterito, atque ita hanc eſſe Pauli mentem: cùm lex mentis eſſet infirma, *miſit Deus filium ſuum, in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum.* Ego neutri ſententiæ præiudico, ſed vtramque probabilem cenſeo, prior tamen plures,

C & antiquiores habet auctores. Porrò quid ſit, *de peccato damnauit peccatum*; mira contentio. qui enim *περὶ ἁμαρτίας* referunt ad verbum *κατέκρινε*, non eodem modo explicant. ſunt qui putent, Paulum ſignificare voluiſſe, Deum peccati damnaſſe ipſum peccatum in carne, & quod iniquè vim attulerit Chriſto, quale eſt illud apud Ioannem; [a] *Arguet mundum de peccato, περὶ ἁμαρτίας, quia non crediderunt* (inquit) *in me.* Subtiliter ſanè, atque acutè, & fortaſſe etiam non malè; idque placuit Chryſoſtomo, & Theophylacto; neque magnopere diſcrepat Ambroſius, niſi quòd peccatum interpretatur ſathanam, qui cùm in Chriſto grauiſſimè peccarit, illo ipſo ſuo peccato damnatus eſt, diciturque peccatum carne damnatum, quia tam graui ſcelere in Chriſti carne patrato,

D damnationis ſententiam retulit: quod pſeudo-Hieronymo non diſplicet. Auguſtinus [b] plures affert huius loci explanationes. nam primùm damnaſſe Chriſtum putat de peccato peccatum: quia ſua carne, quæ erat ſimilitudo carnis peccati, peccatum aboleuit: quod quibuſdam recentioribus mirificè placet. Addit deinde, quod non pauci probant, priori loco peccati nomen Hebraiſmo non ignoto pro victima, atque hoſtia pro peccato poſitum eſſe; quod videtur placuiſſe Origeni. nam alicubi Paulus de Chriſto dixit: [c] *Eum, qui peccatum non nouit, pro nobis peccatum fecit*; id eſt, *hoſtiam pro peccato.* Quod multis ſcripturæ teſtimoniis confirmatur. nam alicubi [d] legitur; *cur non comediſtis hoſtiam pro peccato.* Hebraicè: *cur non comediſtis peccatum in loco ſancto.* Et apud Oſeam. [e] *Peccata populi comedent.* Sic enim Cyrillus, IV.

E Theodoretus, & Theophylactus explicant. Sic apud Latinos piaculum nunc pro ſacrificio expiationis, nunc pro ſcelere expiando ponitur: nam pro ſacrificio vſurpatur ab Horatio. [f]

téque piacula nulla reſoluent.

Et Virgilius [g]:

Duc nigras pecudes, ea prima piacula ſunto.

Pro ſcelere ſeu flagitio idem Virgilius. [h]

Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.

Denique idem Origenes priori loco peccatum Iudæorum intelligit, quo Chriſtum occiderunt. illo

enim

a cap. 16. 8.
b l. 3. cont. 2. Ep. Pelag. c. 6.
c 2. ad Cor. 5. 21.
d Leu. 10. 17.
e cap. 4. 8.
f lib. 1. carm. Ode 28.
g l. 6 Æneid.
h Ibidem.

Digitized by Google

enim peccato, Chriſtus omnium peccata deleuit. A Multò aliter peccatum accipit Anſelmus, qui de peccato (ait) hoc eſt morte quæ orta eſt à peccato, damnauit peccatum. ſed (vt verum fatear) penè omnes interpretationes, non niſi violenter Pauli verbis aptari poſſunt. igitur ſecutus Cyrillum[a], & Græca ſcholia, omnino referendum puto περὶ ἁμαρτίας ad participium πέμψας, putóque, eo nomine ſignificari natiuam illam labem in carne inhærentem; quam ſæpè Paulus vocauit peccatum, vt non ſemel iam diximus; & pluribus locis oſtendit Auguſtinus[b]; ad quam abolendam Chriſtus carnem aſſumpſit; quam ſententiam vtcumque in paraphraſi expreſſimus. Præpoſitio verò περὶ quæ multis negotium faceſſit, aptè coniungi cum verbo πέμπω etiam ex prophanis Scriptoribus oſtendi poteſt; ſic etiam Thucydi- B des[c], καὶ πρὸς τοὺς Ἀθηναίους πέμπετε μὲν περὶ τῆς Ποτειδαίας, πέμπει περὶ ὧν. & Xenophon[d], πεποιημένας δ' ἐχρῆσαν ἢ τοὺς Λακεδαιμονίους περὶ συμμαχίας. interdū, &c. Interdum etiam (quod maximè ad rem facit) ponitur pro ὑπὲρ, & vt cætera deſint omnia idem valeture pro ἵνα, & apud Latinos, ob, vel, propter: probat illud apud Ioannem[e], περὶ καλοῦ ἔργου οὐ λιθάζομέν σε, ἀλλὰ περὶ βλασφημίας. id eſt, *de bono opere nō lapidamus te, ſed de blaſphemia*; propter blaſphemiam enim, ſe in illum lapides iacere mentiebantur. ſenſus igitur Pauli eſt: *Miſit Deus filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati*, & quidem propter peccatum, vt ipſum videlicet aboleret in carne quod re ipſa præſtitit. Nouum fortaſſe hoc cuipiam videatur, ſed non

V. propterea minus verum, cùm præſertim reddatur C Apoſtoli oratio facilis, & expedita. Quod enim (inquit) legi erat impoſſibile, ideſt, abolere peccatum mittens Deus filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, idque non ob aliam cauſam, niſi propter peccatum, re ipſa damnauit, hoc eſt, extinxit, & aboleuit peccatum. Qua admiſſa ſententia, apparet peccatum vtroque loco accipi propriè & eadem ſemper ſignificatione, vt nihil neceſſe ſit (quod nonnulli faciunt) confugere ad Origenis[f] & Auguſtini[g] obſeruationem, veriſſimam illam quidem, ſed nullo modo in præſentia neceſſariam, qua monent idem plerumque verbum, in eadem ſententia propriè ac metaphoricè vſurpari. quod multis exemplis probari poteſt. Quòd ſi pertinaciter quiſpiam hanc noſtram interpretationem reiiciat, equidem contētioſus, aut D pugnax videri nolim; non tamen antiquorum auctoritate penitùs deſtituor, quin potiùs contendo nullam ex aliis interpretationibus, huic noſtræ præferendam videri. nam qui peccati nomine victimam, ſeu hoſtiam pro peccato intelligunt, quorum ſententia putatur omnium probabiliſſima, vt verum dicant, hoſtiam, & oblationem peccati nomine plerumque vocari; neſcio tamen, vtrum facilè viris doctis probare poſſint, particulam illam περὶ latinè, de, eam admittere ſententiam, quam ipſi aſtruunt: nec memini me apud vllum, ſiue Græcum, ſiue Latinum auctorem perſimilem dicendi formam vſquā legiſſe. nam quod aliqui dicunt hanc Pauli ſententiam perſimilem eſſe ei, qua quis dicere poſſet Cæſarem de E barbaro milite viciſſe barbatos, apud eos tantùm lego, apud alios non lego, quod multò magis aduerſus alias interpretationes valet. Quamobrem ſi placeret illud de peccato coniungere cum verbo damnauit, Chryſoſtomi, ac Theodoreti interpretamentum præferrem, vt Chriſtus dicatur de peccato damnaſſe peccatum, quaſi fictam perſonam peccato adſcribat, & reum ſceleris damnatum dicat, ea dicendi ratione, qua Ioannes[h] (vt ſuprà monui) de ſpiritu Sancto dicit; *Ille arguet mundum de peccato.* Ad quam ſententiam magna ex parte accedit Hilarius[a], niſi quòd peccati nomine, quod poſteriori loco ponitur, diabolum intelligit. Cæterùm noſtra

VI. interpretatio multò videtur planior, & ſacris litteris maximè conſentanea: Non raro enim præpoſitio περὶ ponitur loco ὑπὲρ, hoc eſt, ſignificat propoſitum, ſeu finem, vt apud Marcum[b], *qui pro multis effundetur*, Græcè περὶ πολλῶν. & apud Petrum[c], *Chriſtus ſemel pro peccatis mortuus eſt*; græcè περὶ ἁμαρτιῶν. nam vt omittam cætera, ſi dicamus Chriſtum damnaſſe peccatum, quaſi ſceleris reum, aut victima ſui corporis peccatum expiaſſe, non ſatis apparet, quo modo cohæreant illa, quæ ſequuntur, *Vt iuſtificatio legis impleretur in nobis.* At ſi dicamus miſſum fuiſſe Chriſtum à Deo Patre, ad abolendum peccatum, illúmque verè peccati vires fregiſſe; aptè ſequitur tanquam horum omnium finis. *Vt iuſtificatio legis impleretur in nobis.* Chriſtus enim carnem aſſumpſit ad abolendum peccatum, idque re ipſa non debilitauit ſolùm, ſed extinxit, vt quod lex mentis præſtare ipſa non poterat, gratiæ beneficio perficeretur. hoc enim eſt iuſtificationem legis impleri in nobis, vt mox dicam.

VT IVSTIFICATIO LEGIS, &c. Eſt 4.

(vt modò dicebam) veluti finis, quò ſuperiora refe- I.

runtur: eſt autem Græcè δικαίωμα, quod Chryſoſtomus, ac Theophylactus finem, ac legis ſcopum eſſe volunt, nec diſſentiunt plurimi Latinorum. ſed cuius legis iuſtificatio accipiēda ſit, nō ſatis cōuenit. Latini ferè legis Moſaïcæ iuſtificationē accipiunt, illam videlicet, quam lex vel pollicebatur, vel præſcribebat, & quodammodo in ſuis quærebat. Sunt qui ipſum legis præceptum legis δικαίωμα appellari putent, quomodo ſuprà[d] Paulus dixit, præputium legis iuſtificationes cuſtodire, δικαιώματα τοῦ νόμου; quod proculdubio ſi de lege Moſis ſermo ſit, longè videtur probabilius; legis enim δικαίωμα impletur in nobis, quibus Chriſti beneficio, & vi gratiæ perceptæ facilis eſt legis obſeruatio; cùm paulò antè dixiſſet; *Quod impoſſibile erat legi.* lex enim, quæ præcepta tradebat, gratiam ad ea obſeruāda nequaquam præſtabat. Verùm, vt ſuprà monui, de lege mentis Paulum interpretor. & iuſtificationem legis intelligo id, quod lex mentis iuſtè præſcribit, quod re ipſa idem eſt, quod præceptum legis, vt modò dicebam; vt appareat, toto, quod aiunt, cœlo errare huius æui noſtri hæreticos, qui temerè, ac impudenter affirmant, commentum eſſe à ſenſu Pauli penitùs alienū, ſi quis dicat, iuſtos Chriſti ſpiritu renouatos poſſe legem ſeruare. Paulus enim non modò id affirmat, ſed ait etiam perfectè ſeruari. hoc enim eſt, quod noſter interpres dixit. *vt iuſtificatio legis impleretur in*

nobis: græcè πληρωθῇ. Eadémque ratione eorum ex- II.

ploditur ſanè quàm importuna cantilena, qui externam Chriſti iuſtitiam nobis imputari contendunt, intimè noſtram nobis inhærere pernegāt; cùm Paulus apertè dicat iuſtificationē legis in nobis impleri, *qui non ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum*: ambulare enim (vt ait Euthymius[e]) idem eſt, quod operari. *Oportet* (inquit[f] Chriſtus) *me hodie, & cras, & ſequenti die ambulare. Qui ſequitur me non ambulat in tenebris.* Itémque[g]: *Ambulate dum lucem habetis.* Et apud Zachariam[h]: *confortabo eos in Domino, & in nomine eius ambulabunt. Spiritu*[i] *ambulate, & deſideria carnis nō perficietis.* Et[k] *qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare.* Dauid[l] etiam: *Beati immaculati in via; qui ambulāt in lege Domini.* Et Ezechias apud Iſaiam[m]. *Obſecro, Domine, memēto, quaſo, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim.* Sic ambulare cum Deo, coram Deo, & in vijs eius, & id genus alia penè ſexcēta. Perurtiō igitur hæretici,

a In Ioan. lib. 9. cap. 25. b lib. de nupt. & concup. cap. 23. & lib. 1. retract. c lib. 1. de lib. arb. cap. 18. c lib. 1. d lib. 6. Cyrop. cap. 14. e cap. 10. 33. f lib. 6. in Epiſt. ad Rom. g lib. 1. de conſenſu Euang. cap. 4. h cap. 16. 8.

a in Pſal. 67. b cap. 14. 24. c Ep. 1. c. 4. 18. d cap. 2. 26. e Luca 13. f Ioan. 8. 12. g Ioan. 12. 35. h cap. 10. 12. i Gal. 5. 16. k 1. Ep. Ioa. cap. 2. 6. l Pſal. 118. 1. m cap. 38. 3.

hæretici, ſecundùm ſpiritum ambulare nil aliud eſſe volunt, quàm credere: illorum verò impudentiſſima eſt, atque impia blaſphemia, qui ambulare ſecundùm carnem eos dicunt, qui peregrinationibus ſuſceptis loca Deo ſacrata, & ſanctorum reliquias perluſtrant; cùm pertineat id ad pietatis, ac religionis officia, vt alibi copioſiùs oſtenditur. ſignificat igitur eos perfectè legem obſeruare, qui ductum, atque impulſum ſpiritus ſequuntur, contráque petulantes cupiditates comprimunt, vt, verè cum Apoſtolo [a] dicere poſſint. *In carne ambulantes non ſecundum carnem militamus.* ex quibus verbis apparet ex Apoſtoli ſententia aliud eſſe ambulare in carne, aliud ſecundum carnem; ille enim dicitur ambulare in carne, qui hanc mortalem vitam ducit, & more cæterorum hominum viuit: ambulare autem ſecundum carnem eſt, voluptatum illecebris duci, genio indulgere & gulæ, & cæteris vitiis inquinari, atque ita non multò pòſt hoc ipſo capite ait: *ſi enim ſecundum carnem vixeritis moriemini, ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.*

a 2. ad Cor. 10. 3.

5.
I.
Qvi enim secvndvm carnem, &c. Rationem affert, cur iuſti legi mentis facilè obtemperent. nam qui ſeſe cupiditatibus mancipandos tradunt, ij nihil ſublime, nihil boneſtum, aut laudabile percipiunt; contra verò qui mentis legem ſequuntur, qui omnia ſua conſilia honeſtate, officióque metiuntur, ij ex virtutis ſtudio, atque amore incredibilem capiunt animo voluptatem. Quod autem attinet ad verba, quod noſter interpres dixit, *ſapiunt,* Græcè eſt φρονοῦσιν, nec repetitur apud Græcos in fine ſentẽtiæ, quamquàm neceſſariò intelligitur, quod noſter interpres addit, *ſentiunt,* idémque omnino valet quod φρονοῦσι. Quid autem intelligat Paulus nomine ſpiritus, ambigit nonnemo. Anſelmus Spiritum ſanctum accipit; Theodoretus Spiritus ſancti gratiam: ego crediderim ſpiritum idem eſſe, quod mentem, quomodo aliàs dixit Paulus [b]. *Caro concupiſcit aduersùs ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem.* Et. *Si ſpiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus.* Nemo tamen erit ſecundùm ſpiritum, cui non diuinus ſpiritus afflauerit. Hinc apparet eſſe ſecundum carnem, & eſſe ſecundùm ſpiritum, ſtatum, & conditionem hominum ſignificare: ſapere autem ſecundùm carnem, vel ſecundùm ſpiritum, actionem, quaſi dicat Apoſtolus, quemlibet eas actiones exercere, quæ ſunt ſibi conſentaneæ; quomodo dixit Chriſtus [c]. *A fructibus eorum cognoſcetis eos; nunquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus? ſic omnis arbor bona fructus bonos facit; mala autem arbor malos fructus facit; non poteſt arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.* Nam Auguſtinus [d], Auctor imperfecti [e], Chryſoſtomus [f], Theophylactus, & alij hominem habentem bonam, vel malam voluntatem, bonam, vel malam arborem interpretantur, illum diceret Apoſtolus eſſe ſecundùm ſpiritum, hunc ſecundùm carnem; illum ſapere quæ ſunt ſpiritus, hunc ſentire quæ ſunt carnis. His conſentanea ſunt quæ alibi dixit Chriſtus Iudæos alloquens [g]: *Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere.* Huc aliqua ratione referri poteſt quod ſcribit Ariſtoteles [h]: *qualis vnuſquiſque eſt, talis finis ſibi videtur, taléque habet rerum iudicium.* Origenes ſuo morbo perpetuo laborat, atque ita hoc loco, ambulantes ſecũdum carnem Iudæos intelligit, qui legem veterem ad literam interpretantur; ambulantes autem ſecundum ſpiritum, qui ſenſum ſpiritualem inueſtigant. Verùm hoc nihil ad Pauli inſtitutum: aliàs neque malè, & appoſitè dicitur. verè enim Iudæi litteræ plerumque nimis adhærẽt, quæ licet nũquam negligenda ſit; ſæpe tamen, ad interiora, ac ſubrmiora vocat; nonnunquam etiam ipſe literalis ſenſus poſtulat, vt à vocum proprietate recedamus, alioqui quis poteſt, vt ille dixit, rurſus in ventrem matris redire, & renaſci; quis ſibi propter regnum cælorum virilitatem adimat?

b ad Gal. 5. 17 verſ. 25.
c Matt. 7. 16.
d lib. de gratia Chriſti ca. 18. 19.
e Hom. 19.
f Hom. 24.
g Ioan. 8. 44.
h lib. 3. ethic.

Nam prvdentia carnis, &c. Græcè φρόνημα, quod à ſuperiori verbo φρονεῖν deducitur, ſapientiam, prudentiam, aut etiam animi affectum interpretari poſſumus. quemadmodum enim dixerat ſapere, aut ſentire quæ ſpiritus, aut quæ carnis ſunt; ita φρόνημα carnis, & ſpiritus nominat, ſed carnis quidem affectio mors eſt. perimit enim vitam ſpiritus; hæc verò *vita, & pax;* illa ſiquidem mortem affert, hæc verò vitam iuſtitiæ, & mirificam quandam animi pacem, & tranquillitatem. *Pax enim multa* (ait Dauid [a]) *diligentibus legem tuam.* Ad carnis prudentiam pertinet illud, quod ait Chriſtus apud Lucam [b]. *Prudentiores filij huius ſæculi in generatione ſua ſunt filiis lucis.* Agit enim de villico iniquo, qui priſtinam fraudem noua fraude cumulauit, vt ſibi conſuleret. Ad eam prudentiam pertinet, quidquid callidè ad vitæ commoda, & voluptates excogitatur; quo in genere ius dominandi primas tenet. Hûc enim refero, quod olim vſurpatum eſt à quodam, *ſi violandum eſt ius, regnandi cauſa violandum eſt.* Quo in genere quantopere peccetur à multis, piget dicere. Hi ſanè omnes ſunt prudentes ſecundùm carnem, eorum tamen prudentia *mors eſt,* quia videlicet affert mortem, atque interitum ſempiternum: vt ſpiritus prudentia contra *vita* dicitur, *& pax,* quia vitam affert, & pacem. Sunt autem huiuſmodi locutiones non ſine tropo. cauſa enim ponitur pro effectu, ſicut aliàs effectus pro cauſa. nam prudentia carnis mors dicitur, cum ſit cauſa mortis: ſic prudentia ſpiritus, vita & pax, quia vitam & pacem parit. ita nos ſuprà diximus fomitem dici peccatum, quia oritur à peccato, & ad peccatum excitat. ſic docet Auguſtinus [c], ita enim ait. *Sicut linguam dicimus non ſolùm membrum, quod mouemus in ore dum loquimur, ſed etiam illud quod huius membri motum cor ſequitur: id eſt formam tenorémque verborum, ſecundum quem modum dicitur alia lingua Græca, alia Latina: ſic non ſolùm peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum. libera enim voluntate & ab ſciente committitur, ſed etiam illud, quod iam de huius ſupplicio conſequatur neceſſe eſt.*

6.
I.

a Pſal. 118. 165.
b cap. 16. 8.
c lib. 5. de lib. arb. c. 19.

Qvoniam sapientia carnis, &c. Quam ſuprà prudentiam dixerat interpres, hic maluit dicere ſapientiam, cùm tamen vtrobique ſit eadem vox φρόνημα, quæ vox ad eam ſignificationem aptanda eſt, quam habet verbum φρονεῖν. ſuprà autem dixit interpres, ſapiunt. Cæterùm quamuis in multis Latinis codicibus & Romana editione legatur *inimica,* eſt tamen Græcè ἐχθρά: quæ vox cùm præcedat Græcè φρόνημα, non ſatis videtur congruere, quia dicendum fuerat ἐχθρὸν, quod nuſquam legitur. Igitur multo id dicitur ἐμφατικωτέρως, vt non ſolùm inimica, ſed ipſa ſit inimicitia, ſed eadem ſemper eſt ſententia. At plurimi Latini codices, quos Ambroſij, & Hieronymi Commentarij ſequuntur, habent inimica, ſecuti (ni fallor) Græcæ, & Latinæ vocis affinitatem. nam ibi ſolius accentus mutatio, hic verò vnius litterulæ detractio potuerunt hanc diuerſitatem inducere. Certè Theophylactus aliter, quàm nos legiſſe videtur. ait enim affectum carnis Deo eſſe inimicum, cogitationémque carnalia affectantem inimicam Deo, niſi fortè vitium eſt interpretis. Rectè autem explicat Auguſtinus [d], qua ratione ſapientia carnis ſit in Deum inimicitia, nec diſſimulat Paulus, qui ſubdit: *Legi enim Dei non eſt ſubiecta, nec enim poteſt;* non quidem quòd qui carnalis eſt mutari

7.
I.

d Serm. 6 verb. Apoſt.

tari nequeat, ſed quia (vt aiunt Auguſtinus [a], & Photius apud Oecumenium) prudentia carnis quamdiu talis eſt, legi Dei ſubiici nequit; ſicut qui in carne ſunt Deo placere non poſſunt: eo prorsùs modo, quo alibi dixit [b] Paulus. *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei; ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere.* Sic Chriſtus [c] dixit: *Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ.* Et Iacobus [d]: *Qui voluerit amicus eſſe ſeculi huius, inimicus Dei conſtituetur.* Vt ridiculi meritò habendi ſint ij, qui ſingularem quandam, atque eximiam ſanctitatem profitentur, vt tamen non humanis modò, & vtcumque tolerandis affectionibus obtemperent, ſed prauis, atque improbis cupiditatibus ſeruiant, & contra Apoſtoli ſententiam calicis Chriſti, & dæmoniorum participes ſe eſſe poſſe confidant: quorum eo deteſtabilior vitæ ratio cenſenda eſt, quo magis eorum vitia apparent in vulgus, & inanem illam, ac fucatam mentitæ virtutis ſpeciem, deterrima comparatione infamant, nimirum tam peruerſæ cupiditatis oſtentatio, nihilo plus cum affectatæ ſanctimoniæ laude cohæret, quàm cum candore nigredo, aut cum glaciali niue ignis feruor. Quamobrem verendum eſt, ne illud aptè in eos conueniat, quos ex Platone refert Plutarchus [e]; *Extremæ peruerſitatis eſſe, cùm prorſus iniuſtus vacet ad id tantùm nisi, vt vir bonus eſſe videatur.* Sapienter enim à quodam dictum eſt, maiorem eſſe malitiam cùm quis bonitatis verba imitatur; itémque malum, vbi bonum ſe eſſe ſimulat, tum verò peſſimum fieri.

8. QVI AVTEM IN CARNE SVNT, &c.

I. Non malè quidam cauſam ſuperioris ſententiæ afferri putant, vt particula δὲ poſita ſit loco cauſalis γὰρ, perinde ac ſi Apoſtolus diceret, ſapientia carnis legi Dei ſubiecta eſſe non poteſt, *quia qui in carne ſunt*, eiúſque prauas impulſiones ſequuntur, nó modò non placent Deo, ſed ne placere quidem poſſunt. illa enim eſt recta viuendi ratio, vt irritamenta vitiorum quàm longiſſimè fugiamus; indurandus eſt animus, & blandimentis voluptatum procul abſtrahendus, non implendum corpus, non ſaginandum, nec voluptatis titillationibus irritandum, ſed enitendum potiùs, vt perturbatione careas, & verá, æqualem, ſolidam, intrepidam, & nunquàm ſui tædium ſenſuram ex vna virtute capias voluptatem. Sapienter enim dixit olim Archytas [f] Tarentinus, nullam peſtem in mundo capitaliorem eſſe, quàm corporis voluptatem. hinc enim patriæ proditiones, hinc cum hoſtibus clandeſtina colloquia naſci; nullum denique ſcelus, nullum magnum facinus eſſe, ad quod ſuſcipiendum non libido voluptatis impellat; ſtupra verò, & adulteria, & omne flagitium, nullis aliis illecebris excitari, niſi voluptate.

II. Argutè verò, vt alia Diogenes, eos, qui per luxum in coquos, nepotes, ſcorta, & adulatores facultates ſuas profunderent, ſimiles dicebat arboribus per præcipitia naſcentibus, quarum fructus non homines perciperent, ſed coruis, vulturibus, ac beſtiis cederent. At non mentitur Paulus. *Qui in carne* (inquit) *ſunt, Deo placere non poſſunt.* Rectè verò Auguſtinus hunc locum explicans ait [g]: *Sic dictum eſt prudentiam carnis non poſſe legi Dei eſſe ſubiectam, quemadmodum ſi diceretur, glacialem niuem, calidam eſſe non poſſe; nullo enim pacto, quamdiu nix eſt, calida eſſe poteſt; ſed quemadmodum illa nix calore reſoluitur, & deſinit nix eſſe, vt poſſit caleſcere; ſic illa carnis prudentia, id eſt, conſuetudo facta cum carne, cùm fuerit mens noſtra illuminata, & ad arbitrium diuinæ legis totum hominem ſibi Deus ſubiecerit pro illa conſuetudine animæ mala, facit conſuetudinem bonam, ex quo duæ illæ arbores, bona arbor, & mala arbor, quas enumeraſti, veriſſimè dictum eſt à Domino, quòd fructus ſuos habeant, id eſt, neque bonam poſſe dare malos fructus, neque malam bonos, quamdiu mala eſt. Accipiamus duos homines, bonum hominem, & malum hominem; quamdiu bonus eſt, malos fructus dare non poteſt; quamdiu malus eſt, bonos fructus dare non poteſt.* Pene eadem alibi [a] iterat. In eandem verò ſententiam Photius, *Ne turberis* (inquit) *cùm audis; neque enim poteſt, ſiquidem non hoc dicit, quòd carnalem habens affectum, numquàm Deo placere poſſit; ſed dum in eo perſeuerat, nequaquam Deo ſubdi poteſt; alioquì quomodo plerique reſipiſcentes ſaluati ſunt? Etenim non dixit, quòd homo illi addictus, Deo ſubdi nequeat, ſed ipſi affectus, qui praua ſunt actiones, quas etiam licet deſerere.* Loquitur igitur Paulus de vitio, aut vitioſis hominibus, quamdiu in ſcelere perſeuerant. nam, vt alicubi ſcribit Auguſtinus, *volenti Deo ſaluum facere nullum humanum reſiſtit arbitrium.* Id adeò Pauli ipſius exemplum apertiſſimè docet, de quo Auguſtinus [b] hunc in modum ſcribit: *Quid volebat Saulus, niſi vt inuaderet, & traheret, vinciret* (ſic enim lego, & non vinceret) *& necaret Chriſtianos? quàm rabida voluntas, quàm furioſa, quàm cæca! qui tamen vna deſuper voce proſtratus, occurrente vtique tali viſo, quo mens illa, & voluntas refracta ſæuitia retorqueretur, & corrigeretur ad fidem, repentè ex Euangelij mirabili perſecutore, mirabilior prædicator effectus eſt.*

9. VOS AVTEM IN CARNE, &c.

I. Non ſemper Apoſtolus eadem ſententia vtitur voce carnis, atque ita ambiguè dicuntur aliqui eſſe in carne. nam cùm dixit: [c] *In carne ambulamus; ſed non ſecundùm carnem militamus*; ſignificat vitam ſe adhuc mortalem ducere. Itémque: [d] *Quod autem nunc viuo in carne, & permanere in carne neceſſarium propter vos.* Sic ſuprà: [e] *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundùm carnem.* Et infrà: [f] *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem, & qui ſunt cognati mei ſecundùm carnem.* Nihil enim hæc ſignificant aliud, quàm corpoream hanc vitam, vt ſuprà monui. At in præſentia eſſe in carne eſt, viuere, ac ſapere ſecundùm carnem. Paulus igitur quod vniuerſim dixerat de toto hominum genere Romanis priuatim attribuit. *Vos* (inquit) *in carne non eſtis*; eo videlicet modo, quo carnis appellatio habetur infamis. *Non permanebit* (inquit [g]) *ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt.* Et: *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam.* Et Dauid. [h] *Recordatus eſt, quia caro ſunt.* Et Paulus non ita multò antè: [i] *Cùm enim eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris.* Et alibi: [k] *In quibus nos omnes aliquando conuerſati ſumus in deſideriis carnis noſtræ.* Rurſus: [l] *Fruſtrà inflatus ſenſu carnis ſuæ, cui opponitur eſſe in ſpiritu. Quod* [m] *enim natum eſt ex ſpiritu ſpiritus eſt.* Et Paulus: [n] *Si ſpiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus. ſi tamen* (ait) *ſpiritus Dei habitat in vobis*; Græcè eſt εἴπερ; videtúrque, ſi præſertim Origeni, & Ambroſio credimus, quaſi dubitationem iniicere: at Chryſoſtomus, & Theophylactus, & apud Oecumenium Photius obſeruarunt, particulam εἴπερ interdum apud Apoſtolum affirmantis eſſe, idémque valere, quod apud Græcos ἐπείπερ, & apud Latinos ſanè; aut ſiquidem, aut quandoquidem; vt ad Theſſalonicenſes: [o] *Si tamen iuſtum eſt apud Deum retribuere retributionem iis, qui nos tribulant.* Et ſanè Paulus illis, ad quos ſcribit, ſolet vt plurimùm benè ominando tribuere Spiritum ſanctum; *Templum* [p] *Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Itémque: [q] *Habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris.* Addit verò: *ſi quis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.* Qui enim ſpiritu Chriſti deſtituuntur, ij non pertinent ad Chriſti viua membra. Dicitur autem ſpiritus Chriſti ſiue quia diuina ſpiritus perſona à Patre, Filióque manat, ſiue quia ſpiritus

a Serm. 6. de verb. Apoſt. & 83. Quæſt. q. 66. & de verb. Apoſt. Serm. Tract. in Ioan.
b 1. epiſt. ad Cor. 2. 14.
c Matt. 6. 24.
d cap. 4. 4.
e Libro, Quod non poſſit ſuauiter viui ſecundùm Epicurum.
f M. Tull. in Catone.
g De Adulterinis Coniug. l. 6.
a l. 83. Quæſt. q. 66. & Serm. 6. de verbis Apoſtoli.
b l. 1. ad Simplic. q. 2.
c 2. ad Cor. 10. 3.
d Gal. 2. 20.
e cap. 1. 3.
f cap. 9. 5.
g Geneſ. 6. 3.
h Pſal. 77. 39.
i cap. 7. 5.
k ad Eph. 2. 3.
l Coloſſ. 2. 18.
m Ioan. 3. 6.
n Gal. 5. 25.
o Epiſt. 2. cap. 1. 6.
p 1. ad Cor. 3. 17.
q ad Epheſ. 3. 17.

Spiritus ſancti chariſmata Chriſti merito Eccleſiæ
conceſſa ſunt. Hoc autem eſt præcipuum inhabitan-
tis Spiritus ſancti effectum, vt nos Chriſto caritate
conіungat; ſic enim dixit Ioannes. [a] *In hoc cognoſci-
mus quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis, quoniam
de Spiritu ſancto dedit nobis: & de caritate dixit, Deum
eſſe caritatem, & qui manet in caritate in Deo manere,
& Deum in illo.*

a 1. Canon. c. 4. 11.

10. I. Si avtem Christvs, &c. Non dubito
idem eſſe, Chriſtũ in nobis eſſe, quod ſpiritum Chri-
ſti in nobis habitare: quemadmodum ergo ſuperiori
ſententia dixerat eos, qui ſpiritu Chriſti carent, nul-
lam habere in Chriſti corpore myſtico vitæ parti-
culam; ita nunc è contrario affirmat, eos, qui Chriſti
ſpiritu concepto ei tamquàm capiti quaſi viua mem-
bra coniunguntur corpore quidem, hoc eſt, inferio-
rum facultatum reſpectu eſſe quodammodò mor-
tuos, quippe, turbulentis perturbationibus ſedatis, &
cupiditatibus aut reſtinctis, aut certè temperatis,
nullas vitioſæ vitæ actiones exercere: reſpectu verò
ſpiritus non modò viuere, ſed ita viuere, vt verè iuſti
ſint, ſibique propriam, ac ſuam inhærentem iuſti-
tiam obtinent. Hoc igitur eſt quod ait: *Corpus quidem
mortuum eſt propter peccatum*, quia vis illa morbida
peccati Chriſti gratia debilitatur, ac frangitur, vt di-
xerat capite ſuperiori nos mortificatos eſſe legi; quod
vt explicat Chryſoſtomus, pertinet ad illud iuſtorum
ſtudium, quo impotentes libidinum motus conti-
nenter reprimunt, & aſſidua corporis vexatione do-
mant. Iam de hoc loco hunc in modum diſſerit Au-
guſtinus. [b] *Hoc dictum eſt ne ideo putarent homines vel
nullum vel paruum ſe habere beneficium de gratia Chri-
ſti, quia neceſſariò morituri ſunt corpore. Attendere quip-
pe debent corpus quidem adhuc peccati meritum gerere
quod conditioni mortis obſtrictum eſt, ſed iam ſpiritum
cœpiſſe viuere propter iuſtitiam fidei, qui & ipſe in ho-
mine fuerat quadam morte infidelitatis extinctus. Non
igitur, inquit, vobis parum muneris putetis eſſe collatum,
per id quod Chriſtus in vobis eſt, quod in corpore propter
peccatum mortuo, iam propter iuſtitiam veſter ſpiritus
viuit, nec ideo de vita quoque ipſius corporis deſperetis.*
Cæterùm Latini codices nonnihil à Græcis variant.
plurimi enim Latinorum habent; *ſpiritus autem viuit:*
Græci penè omnes ζωὴ, id eſt, *vita*. Et ſanè Auguſti-
nus [c] Latinorum Princeps penè ſemper, cum Græcis
legit *vita*. Eodem etiam modo legunt Hilarius, [d] &
Ambroſius, ſuffragãtibus vetuſtis Latinorum exem-
plaribus: Græci penè omnes habent *vita*; Irenæus, [e]
Athanaſius, [f] Baſilius, [g] Chryſoſtomus, Theophyla-
ctus. Origenes tamen, & Theodoretus inter Græ-
cos: Anſelmus, & alij non pauci inter Latinos ma-
lunt legere, *viuit*; Et quidem, vt obſeruauit Theo-
phylactus, efficacius videtur ſi Paulus dicat ſpiri-
tum eſſe vitam, quàm ſi tantummodo aſſerat eum
viuere, priori enim modo non ſolùm ei tribuit actio-
nem vitæ, ſed etiam alios ad vitam reuocandi. Quod
ſi loquatur Apoſtolus de Spiritu ſancto, vt volunt
Irenæus, Athanaſius, Chryſoſtomus, Hilarius, Am-
broſius, Auguſtinus, planè ita legendum videtur. de
ſuo enim ſpiritu dixit Chriſtus. [h] *ſpiritus eſt, qui viui-
ficat, caro non prodeſt quidquam.* Origenes autem,
Theodoretus, & alij, qui Paulum accipiunt de hu-
mano ſpiritu, quâ carni ex aduerſo reſpondet, aptius
cenſuerunt, vt Paulus dicat, eum viuere, cùm dixiſ-
II. ſet, corpus eſſe mortuum. Equidem aſſentior Orige-
ni, & alijs quatenus verba Pauli de noſtro ſpiritu ex-
plicant; de voce verò non magnopere certandum
reor, ſiue quia præſertim in Græcos codices facilè
potuit vnius litterulæ vel adiectione, vel detractio-
ne mendum irrepere, ſiue quia Hebræorum more
potuit Paulus nomen ponere pro verbo, atque ita

b li. 1. de pec. mer. & rem. cap. 7.
c de quibuſdam prop. in hanc Epiſtolam. in Pſ. 71. l. 24. contra Fauſt. cap. 2. lib. 13. de Ciuit.
d lib. 8. de Trinit.
e lib. 5. ca. 10.
f lib. de Spirito ſancto ad Serap.
g lib. de Spiritu ſancto. ca. 34.
h Ioan. 6. 54.

A idem erit ſpiritus vita, & ſpiritus viuit; vt habet Ro-
mana editio, quæ meritò cæteris præferenda eſt. qua
fortaſſe ratione explicanda ſunt verba illa Chriſti
apud Ioannem. [a] *Verba* (inquit) *quæ locutus ſum vobis,
ſpiritus, & vita ſunt*; hoc eſt ſpiritualiter ſunt intelli-
genda, eo videlicet ſpiritu, qui vitam largiatur; ſpiri-
tum enim, & vitam Hebræorum more dixit, pro ſpi-
ritu viuificante, ſeu viuente. Denique viuere dixit
ſpiritum propter iuſtificationem, Græcè δικαιοσύνην.
Irenæus tamen, Hilarius, Auguſtinus iuſtitiam le-
gunt, ſed eadem prorſus ſententia, viuit enim ſpiritus
propter iuſtificationem diuino Chriſti beneficio
perceptam, quæ ſanè iuſtificatio veram, & expreſſam
iuſtitiæ formam nobis inhærentem affert, vt appa-
reat, quidquid aliqui contrà ſentiant, loqui Paulum
B non de corporis vita, quam iuſti habituri ſunt ali-
quando immortalem, ſed de animæ vita ſpiritali,
quæ à Chriſti gratia, caritate, & Chriſtiana iuſtitia
pendet. ratio autem antitheſis poſtulat, vt quod pau-
lò antè dixit διὰ ἁμαρτίαν, & quod nunc ait διὰ δι-
καιοσύνην, eâdem ratione interpretemur, per, vel,
propter; vtrobique enim eadem particula διὰ, eam-
dem continet rationem cauſæ ſiue conficientis, ſiue
(vt aiunt) formalis, vt quamuis hæretici verſent ſeſe,
ac torqueant in omnem partem, neceſſariò faten-
dum ſit, vt peccatum eſt cauſa mortis; ita iuſtitiam,
quam efficit in nobis Spiritus ſanctus, eſſe cauſam vi-
tæ: vt autem peccatum, id eſt, vis illa peccatum
ciens, in nobis ineſt; ita iuſtitia in nobis inhæret. inde
mors, hinc vita exiſtit; ſed vt oſtenderet Paulus vim,
C atque efficacitatem ſpiritus, id eſt, mentis noſtræ in-
ſtauratæ, ac ſanatæ; non dixit, ſpiritum viuere, ſed eſſe
vitam, vt paulò antè dixerat, prudentiam carnis eſſe
mortem, prudentiam verò ſpiritus vitam, & pacem:
quæ verò ſequuntur ſine dubio pertinent ad ſpiri-
tum Chriſti.

Qvod si spiritvs eivs, &c. Quoniam 11.
dixerat, corpus mortuum eſſe, ſi Chriſtus habitat in I.
nobis, oſtendit nunc, mortem illam corporis eſſe
mortem quamdam vitalem, quippe cui in altero ſæ-
culo debeatur glorioſa quædam anaſtaſis, qua cor-
pora nunc quidem mortalia immortalitate donentur.
Qua verò ratione dicat ſuſcitatum fuiſſe Ieſum ab
eo, cuius ſpiritus habitat in nobis, hoc eſt, à Deo,
alibi videro. Interim moneo, non de qualibet reſur-
D rectione eſſe Pauli verba accipienda, ſed de reſurre-
ctione iuſtorum, de qua Chriſtus apud Ioannem. [b]
Procedent qui bona egerunt in reſurrectionem vitæ. Ita-
que non ij tantùm reſurgent, qui ſpiritum Dei ha-
bent; ſed illi ſolùm ad vitam æternam reſurgent: alij
ad interitum ſempiternum, quæ dicitur à Chriſto re-
ſurrectio iudicij; illorum igitur corpora viuificare
dicitur ſpiritus, quos ad illam vitam immortalem, &
ſempiternam reuocabit. Ex hoc autem loco colligit
Clemens [b] Alexandrinus, corpus hoc noſtrum mor-
tale, & caducum eſſe animæ ſepulcrum, fore autem
templum, cùm ab hoc diuino ſpiritu excitabitur.
Non eſt autem dubium, hoc loco Paulum loqui de
diuino ſpiritus numine; quod enim paulò antè dixe-
rat: *ſi Chriſtus habitat in vobis*; nunc eadem mente
E dicit: *ſi ſpiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis habi-
tat in vobis*; deſcribens Patrem, vt oſtendat tum Tri-
nitatis perſonas, tum earum diuinam περιχώρησιν, qua
diuelli inter ſeſe, ac ſeparari non poſſunt, de qua
Chriſtus apud Ioannem: [d] *Ego in Patre, & Pater in
me eſt.* Ea ſiquidem vis eſt huius περιχωρήσεως, vt di-
uinæ illæ perſonæ ob eamdem, planèque indiui-
duam naturam ſeſe mutuò concomitentur. In vtero
Virginis vna Verbi hypoſtaſis humanæ naturæ ſub-
eſt. In Euchariſtiæ ſacramento eadem perſona filij,
corpus, & anima Chriſti, cui hypoſtaticè nectitur
miro

a cap. 6. 64.
b cap. 5. 29.
c lib. 3. Strom.
d cap. 14.

miro quodam modo, & (vt loquuntur) per concomitantiam ſequitur, ſed reliquæ duæ diuinæ perſonæ non modò non excluduntur, ob immenſitatem diuinæ naturæ, quæ omnia ambit, & nuſquam abeſt, ſed etiam ob illius naturæ ſimplicis vnitatẽ tamen neceſſariò adſunt, vt ex vna aliam rectè colligas, non tamen omnes eodem modo, vt allata exẽpla demonſtrant. nec enim Pater, aut ſpiritus ſanctus humanam naturam hypoſtaticè aſſumpſerunt, aut eorum perſonæ corpus, & ſanguinem Christi naturaliter, ac proximè concomitantur, ſed poſita illa, de qua diximus, ſimplicis indiuiduæque naturæ vnitate à filio Pater, & Spiritus ſanctus ſeiungi non poſſunt vſque adeo, vt ſi (quod eſt tamen prorſus abſurdum, ac penitus impoſſibile) fingamus Deum ſua immenſitate non eſſe vbique, exui tamen incarnationis in vtero Virginis, & per conſecrationem in Euchariſtiæ ſacramento tota Trinitas, re ipſa adeſſe cenſenda eſſet. Nec dubium eſt, in auguſtiſſimo Euchariſtiæ ſacramento peculiari quadam ratione ſanctiſſimam Trinitatem religioſè coli, quidquid de modo in Theologorum diatribis diſputetur. Iam verò in

II. cæteris rebus creatis quæ diuina poteſtate efficiuntur trium perſonarum vim indiuiduam cerni ambigere nemo poteſt. Et quoniam diuinæ perſonæ ideo in nobis inſunt, quia nonnihil efficiunt, idque efficientia æquè tribus communi, neceſſe eſt, omnes diuinas perſonas peræquè in nobis ineſſe, quod reſpectu vnionis hypoſtaticæ, & diuinæ concomitantiæ in Euchariſtiæ ſacramento eſt longè ſecùs, in vtroque enim myſterio primario repetitur perſona filij, & modo quodam ſingulari ac proprio, nullâque ratione reliquis duabus communi; cæteræ tamen conſecutione quadam neceſſaria ob vnitatem naturæ filij perſonam comitantur. Quod igitur Paulus de Chriſto dixerat, nunc de Spiritu ſancto affirmat. *Propter inhabitantem* (inquit) *ſpiritum eius in vobis.* Græcè, διὰ τὸ ἐνοικοῦν: Quanquam Athanaſius [a] legendum docet, διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος; cùm tamen Macedoniani διὰ τὸ ἐνοικοῦν legendum contenderent, ne cogerentur admittere Spiritum ſanctum non aliter, ac Patrem, & filium mortuos ſuſcitare. Athanaſius [b] autem aliàs ſemper legit, διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος. quin etiam ait [c]; *Vos enim eſtis* (Macedonianos alloquitur) *qui ſanctis Pauli ad Hebræos Epiſtolæ inſcriptionem corrupiſtis, & Epiſtolæ ad Romanos contextum deprauaſtis, cùm dicitis ſcriptum non eſſe, διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος πνεύματος ἐν ὑμῖν, ἀλλὰ διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτοῦ πνεῦμα.* hoc eſt, *per ſpiritum eius inhabitantẽ in vobis; ſed propter ſpiritum eius inhabitantem.* Certè Syriacus legit, per inhabitantem ſpiritum eius: Græci codices, quos quidem ego videre potui, conſtanter habent, διὰ τὸ ἐνοικοῦν, vt ſignificent cauſam mouentem, quaſi Deus propter inhabitantem ſpiritum vocaturus ſit iuſtorum corpora ad immortalitatem; ita ſanè legit editio Romana, à qua non eſt recedendum; quamquàm auctoritas Athanaſij, qui aliter legiſſe vetuſtiſſimos codices affirmat, non eſt contemnenda. Antiquorum codicum fidem ſecutus eſt penè ſemper Auguſtinus [d]; ſed Chryſoſtomus, cæterique Græci explanatores vulgatos codices ſequuntur.

a Dial. 1. de Trin.
b de ... Patris, et filij, & Spiritus ſan. & Dial. ... de Spiritu ſancto.
c Dial. 1. de Trin.
d l. 4. de Gen. ad lit. cap. 12. l. 2. de Gen. ... l. 1. de ... & ... cap. 4.

12. Ergo fratres, debitores. &c.

I. Quoniam dixerat mortalia corpora viuificanda propter inhabitãtem ſpiritum, hoc eſt vt (interpretatur Chryſoſtomus) perſeuerantem, & vſque ad mortem permanentem, rectè colligit ſi ad hanc vitam peruenire cupimus; ea verò non niſi ſpiritus cultoribus tribuitur; *Ergo fratres debitores ſumus non carni*; hoc eſt nequaquam debemus carni obtemperare, ſed obſequi potiùs ſpiritui. Videtur autem negationem

A poſtpoſuiſſe, cùm dicendum fuiſſet; non ergo, fratres, debitores ſumus carni, ſicut apud Ioannem [a] legimus. *Deſcendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam*: hoc eſt, non deſcendi de cælo, vt faciam voluntatem meam. Interim docet ſolutos nos eſſe, ac liberos ab illo, veluti ſeruitutis nexu, quo pridem ſub lege effrænatis cupiditatibus eramus obſtricti; quò pertinere videntur illa, quæ de humani generis redẽptione alibi [b] ſcripta ſunt à Paulo. *Non eſtis veſtri; empti enim eſtis pretio magno.* Et rurſum [c]: *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, vt & qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit.* Quid autem ſit non eſſe nos carni debitores, non explicat dicens; *vt ſecundùm carnem viuamus*: idem eſt viuere ſecũdùm carnem, quod ſecundum carnem ſapere,

B & ambulare. quod hac ipſa Epiſtola aliis verbis declarat [d]. *Carnis curam ne feceritis in deſideriis.* Et ad Corinthios [e]: *in carne ambulantes non ſecundùm carnem militamus.* Denique ad Galatas [f]: *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis.* Neque magnopere laborandum cenſeo, vtrùm nomine carnis totus homo intelligatur, qui tamen ſuis cupiditatibus obtemperat, vt exiſtimauit Auguſtinus [g]; an illa pars inferior, quæ ſpiritui reluctatur, ſententia ſemper eſt eadem, niſi quòd hæc poſterior explicatio magis cohæret ſuperioribus. Dixit autem Apoſtolus, nos non eſſe debitores carni, *vt ſecundùm carnem viuamus*; ſi ſpiritus eius, qui ſuſcitauit Chriſtum, habitat in nobis; nam ſpiritus ille vitam largitur ſpiritualem, ac cœleſtem; quo

C fit, vt actiones eſſe debeant ſpirituales omnino, planéque cœleſtes; vt enim ſæpè argumentatur Baſilius [h]; *quorum natura vna eſt, eadem ſunt actiones, quia actio naturam ſequitur.* Viuendum igitur, atque agendum ſecundùm ſpiritum. nam ſi ſpiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus; quem enim ad finem ducat nos caro, mox explicans ſubdit.

a cap. 6. 38.
b 1. ad Cor. 6. 20.
c 2. ad Cor. 5. 15.
d cap. 13. 14.
e Epiſt. 2. cap. 10. 3.
f cap. 5. 24.
g l. 14. de Ciuit. cap. 2. 4.
h in Pſal. 1.

13. Si enim ſecundum carnem, &c.

I. Superioris illationis euidens ratio, & confirmatio. ob id enim carni non eſt obtemperandum, quia tantùm abeſt, vt id ad vitam aſſequendam quàm maximè cupimus aliquid valeat, vt potius mortem afferat ſempiternam. Eſt autem hæc ſententia ei perſimilis, quam Chriſtus [i] dixit: *Qui odit animam ſuam, perdet eam; & qui perdiderit animam ſuam propter me,*

D *inueniet eam*: quæ, vt ait Auguſtinus, gemino poteſt ſenſu accipi: primùm quidem, vt ſignificet qui vitam, id eſt, beatam ac ſempiternam amat, quique corporis gloriam expetit, eum hanc vitam corpoream ſponte ſua perdere, hoc eſt, affligere, vexare, vno verbo, ſpiritui dicto audientem reddere. Deinde cum verè diligere vitam ſuam, qui multa ei ſubtrahit, nihilque prorſus concedit, quod cum officio, ac recta ratione pugnet; is enim dicitur vitam perdere, hoc eſt, illam præ virtutis amore nauci facere. ſic dixit ad Galatas [k]: *Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis.* Pollicetur igitur Paulus vitam iis, qui viuunt ſecundùm ſpiritum. ſic Chriſtus apud Ioannem [l] dixit ſe id reſuſcitare, quod accepit à Patre, quia non omnibus gloriam immortali-

E tatis impertit, etiamſi omnes à mortuis reuocet. Itaque Theophylactus [m] duplicem reſurrectionem diſtinguit, alteram, quam vocant generalem, & communem, quæ dicitur ἀνάστασις, alteram iuſtorum propriam, quæ vocatur ἐξανάστασις. Quod verò ſpectat

II. ad reliqua verba Pauli, Græcè μέλλετε ἀποθνήσκειν legitur, quod Latinè reddidit noſter interpres, *moriemini.* Cyprianus [n] vertit, *Incipietis mori.* Theodoretus addit *ſecundùm carnem moriemini.* Reddi poſſet, *futurum eſt, vt moriamini.* Quod ego interpretor non de morte corporis, quæ etiam iuſtos, ac ſpirituales opprimit

i Ioan. 12. 25.
k cap. 5. 16.
l cap. 6 39.
m Ioan. 6.
n de Zelo. & liuore. ſic etiā Irenæus. lib. 5. cap. ...

opprimit, ſed de morte animæ tum prima tum ſecunda. Diſputant plerique in præſentia, cur cùm hæc Apoſtoli ſententia veriſſima ſit, plures tamen ſint voluptatis amatores, quàm qui ex præſcripto rationis vitam, moréſque componant: ſed ea res alibi à nobis copioſiùs explicatur. Interim tantùm dico, multa eſſe irritamenta vitiorum, multas voluptatis illecebras, quæ demulcent mortalium animos, & tranſuerſos agunt. *Vim* (inquit Seneca[a]) *Annibalis hyberna ſoluerunt, & indomitum illum niuibus atque Alpibus virum, eneruarunt fomenta Campaniæ; armis vicit, vitiis victus eſt; nobis quoque militandum eſt, & quidem genere militiæ, quo nunquam quies, nunquam otium datur. Debellandæ ſunt in primis voluptates, quæ vt vides ſæua quoque ad ſe ingenia rapuerunt; ſi quis ſibi propoſuerit quantum operis aggreſſus ſit, ſciet, nihil delicatè, nihil molliter eſſe faciendum. effœminat animos amœnitas; amœna ſine dubio aliquid ad corrumpendū vigorem poteſt regio, quamlibet viam iumenta patiuntur, quorum dura in aſpero vngula eſt, in molli paluſtrique paſcuo ſaginata, citò ſubteruntur. & fortior miles ex confragoſo venit; ſegnis eſt vrbanus, & verna: nullum laborem recuſant manus, quæ ad arma ab aratro transferuntur, in primo deficit puluere ille vnctus; & nitidus; ſeuerior loci diſciplina firmat ingenium, aptúmque magnis conatibus reddit. Quid mirum igitur ſi voluptatibus diffluant, ſi ſeſe vitiis conſtringendos præbeant, ſi denique ſint corporis veluti mancipia qui nimia felicitate luxuriant? qui cultu, ornatúque corporis cum meretricibus certant, qui peregrina ſupellectili conclauia confarcinant? qui argentum, atque aurum calcant? qui integra patrimonia ſingulis cœnis verant? qui muliebres munditias vincunt? qui quod in fœminis reprehenditur crinem viri calamiſtis criſpant, qui cæteros pilos penitùs abradant, quaſi exuere virilitatem geſtiant, qui vnguētis delibuti, ac nitidi vrbem circumeunt? Qui* denique omnia ad corpus, & huius vitæ commoda referunt, vix autem de ſempiterna, immortalíque vita cogitationem vllam ad punctum temporis ſuſcipiunt?

a Epiſt. 51.

14. QVI ENIM SPIRITV. Filios Dei ſpiritu
I. Dei agi nihil eſt aliud, quàm ita viuere, ſuáſque omnes actiones ita componere, vt filios Dei decet: hoc enim eſt, quod ait Ioannes[b]: *Videte qualem dilectionem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus.* Quanti autem ea appellatio facienda ſit, quámque vim habeat diuina illa ſpiritus energia, quæ nos ad bonum vocat, atque impellit, ſuo loco videro. Tractat hunc locum, & ſuperiorem Auguſtinus[c]; ait autem: *Non ſunt filij Dei ſi non aguntur ſpiritu Dei; ſi autem ſpiritu Dei aguntur, pugnant, quia magnum habent adiutorem. non enim Deus ſic nos ſpectat pugnātes, quomodo ſpectat populus venatores; populus venatori fauere poteſt, periclitantem adiuuare non poteſt.* Rurſus: *Dicit mihi aliquis, ergo agimur, non agimus. Reſpondeo, immò & agis, & ageris, & tunc benè agis, ſi à bono agaris: ſpiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adiutor eſt, ipſum nomen adiutoris præſcribit tibi, quia & tu ipſe aliquid agis.* Et paucis interiectis: *Nemo adiuuatur, ſi ab illo nihil agatur. quotquot enim* (inquit) *ſpiritu Dei aguntur, hi filij Dei ſunt non littera, ſed ſpiritu; non lege præcipiente, minante, promittente, ſed ſpiritu exhortante, illuminante, adiuuante.* Et contra[d] Pelagium, & Cœleſtium: *Profectò vt agant quod bonum eſt, ab illo aguntur, qui bonus eſt.* Denique[e] alibi ad hunc ipſum locum alludens: *Sed potius intelligant, ſi filij Dei ſunt, ſe agi, vt quod agendum eſt agant, & cùm egerint illi à quo aguntur gratias agant. aguntur enim, vt agant, non vt ipſi nihil agant; & ad hoc eis oſtenditur quid agere debeant, vt quando id agunt, ſicut agendum eſt, id eſt, cum dilectione, & delectatione iuſtitiæ: ſuauitatem, quā de*dit Dominus, vt terra eorum daret fructum ſuum, accepiſſe ſe gaudeant. Rectè autem monet Chryſoſtomus non dixiſſe Paulum eos eſſe filios quicumque Spiritum ſanctum acceperunt, ſed qui ſpiritu Dei aguntur. *Quia ad comparandam filiorum hæreditatem non ſatis eſt diuino ſemel imbui ſpiritu, niſi eius ducatu, perpetuò regamur, cùm nauclerus ſit animæ noſtræ & auriga, & ductor agens nos in prælium contra ſpiritales nequitias in cœleſtibus.* Quare non audiendi ſunt hæretici, qui ita nos agi putant, vt ipſi nihil agamus, quaſi libero arbitrio prorsùs careamus. nam agendi verbū idem plerúmque ſignificat quod duci: quod enim Matthæus[a] dicit, *Ductus eſt Ieſus à ſpiritu in deſertum*, agendi verbo expreſſit Lucas[b]; *Agebatur à ſpiritu*: ducimur igitur, atque agimur, ſed nobis conſentientibus, & liberè diuinæ motioni reſpondentibus; ita tamen maluit loqui Apoſtolus, vt vim, atque efficacitatem diuinæ gratiæ oſtenderet; quod explicans Proſper[c]: *Plus eſt* (inquit) *proculdubio agi, quam regi; qui enim regitur aliquid agit, & ideo regitur, vt rectè agat: qui autem agitur, agere ipſe aliquid vix intelligitur, & tantum præſtat voluntatibus noſtris gratia ſaluatoris, vt non dubitet Apoſtolus dicere; quotquot ſpiritu Dei aguntur, hi filij Dei ſunt, nec aliquid in nobis libera voluntas meliùs agere poteſt quàm vt illi ſe commendet, qui malè agere non poteſt.*

d 1. Ep. 3. 1.
c Serm. 47. de verb. Domini & Serm. 13. de verb. Apoſt.
d li. de gratia Chriſti ca. 23.
e lib. de corrept. & gratia cap. 2.
a cap. 4. 1.
b cap. 4. 1.
c lib. ſent. ex Auguſt. Num. 810.

15. NON ENIM ACCEPISTIS, &c. Grego-
I. rius Nazianzenus[d] tres numerat claſſes eorum, qui ſalutem conſequūtur, ſeruorum videlicet, mercenariorum, ac filiorum; ſerui plagas metuunt, mercenarij præmium, ac mercedem duntaxat ſpectant; filij Patrem verentur, & amant, quia idipſum laudabile eſt, ac per ſe expetendum. At Apoſtolus inter ſeruos, ac filios nihil agnoſcit medium; niſi enim ego vehementer fallor, illos, qui mercedis intuitu Deum colunt, & amant, à filiorum numero non excludit, idcirco ſubitò hæreditatē nominat. *Si autem* (inquit) *filij, & hæredes.* quid autem ſit ſpiritus ſeruitutis apud Apoſtolum, ambigat fortaſſe non nemo. nam Chryſoſtomus, & Theodoretus legem veterem ſignificari hac maximè ratione contendunt, quòd Spiritus ſanctus in lege veteri nulli fuerit datus. At Auguſtinus[e], & Anſelmus omnino Spiritum ſanctum accipi volunt, qui olim quidem timorem incutiebat, vt ſcriptum eſt in Deuteronomio:[f] *Quis det talem eos habere mentem, vt timeāt me?* Nunc autem amorem, & caritatem infundit. ſic enim alibi ſcriptum eſt ab Apoſtolo: *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Et Paulus ipſe varias, ac multiplices ſpiritus Sancti actiones recenſet. *Hæc* (inquit[g]) *omnia operatur vnus, atque idem ſpiritus; diuidens ſingulis prout vult.* Tametſi enim loquitur de gratiis gratis datis, tamen eadem ratio eſt in cæteris affectionibus, quæ referuntur in Deum: nam & Iſaias[h] cùm de Chriſto ageret, inter cætera Spiritus ſancti chariſmata, timorem Domini recenſet, *Et replebit eū* (inquit) *ſpiritus timoris Domini.* Filialem quidem timorē intelligit, quem Propheta[i] canit, *Sanctum eſſe, & permanere in ſæculū ſæculi.* ſed is tamen ſublata conditione ſeruili eiuſdē naturæ eſt cū eodem timore, quem Paulus appellat *ſpiritum ſeruitutis.* Omnino autem parū ab Hæreticorū errore ab- II.
fuerit is, qui neget diuinæ gratiæ beneficio ſupplicij plerumque metu fidelium mentes ad pœnitentiam, & iuſtificationem excitari, cùm ſcriptum[k] ſit; *Timor Domini expellit peccatum.* Neque is ſpiritus penitus abhorret à lege euangelica, cùm Chriſtus apud Matthæum[l] dixerit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam.* Nec rursùs dubitandum eſt ſpiritum adoptionis

d Orat. quæ eſt cōtra Iul. & Orat. 40. de bapt.
e Serm. 13. de verbis Apoſtoli.
f cap. 5. 29.
g 1. ad Cor. 12. 11.
h cap. 11. 3.
i Pſal. 18.
k Eccl. 1.
l cap. 10.

ptionis omnibus eſſe communem, qui diuinæ gratiæ participes fiunt, & à Deo quodammodo adoptantur, vt oſtendit Athanaſius [a] contra Arrianos; atque ita ſæpè [b] Angelos ipſos vocari legimus filios Dei, quamuis memoria lapſus aliter exiſtimare viſus ſit alicubi [c] Chryſoſtomus. Neque inficiari poſſumus Patres veteris legis fuiſſe gratiæ participes, vt Paulus [d] ipſe affirmat, ac multis probant Chryſoſtomus, [e] Athanaſius, [f] Cyrillus, [g] Cyprianus. [h] Cur verò dicitur ſpiritus adoptionis datus poſt Chriſtum in lege euangelica? An quia filiatio illa rudis quodam modo erat, & inchoata, vt indicat Paulus in Epiſtola [i] ad Galatas, non magnopere diſtans à ſeruitute? Ita ſenſerunt Chryſoſtomus, [k] Cyrillus, & Theophylactus. An quia illa ipſa gratia pendebat à Chriſto noui teſtamenti auctore? Certè Paulus non obſcurè ſignificat plurimùm intereſſe inter ſtatum eorum, qui ſub lege viuebāt, & noſtrum, qui poſt euangelium promulgatum Chriſti fidem complexi ſumus, ſiquidem illos ancillæ filio comparat, nos verò filio liberæ. *Non ſumus* (inquit) *ancillæ filij, ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberauit.* Noſtra itaque adoptio veterum Patrum adoptione longè quidem perfectior eſt, ſed ipſa tamen perfici adhuc poteſt, illa videlicet adoptione, de qua hoc ipſo capite ſcribit Apoſtolus; *Adoptionem filiorum expectantes redemptionem corporis noſtri.* Quemadmodum enim hæc noſtra adoptio liberauit nos à ſeruitute legis, cùm Paulus [l] dicat nos eſſe in libertatem vocatos; ita adoptio, quam expectamus ab interitu, atque interitus periculo eripiet. *Liberabitur enim* (ait Paulus non ita multò pòſt) *à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Quæ cauſa fuit, vt olim veteris teſtamenti Patres etiamſi iuſti ex hac vita migrarent, non poſſent tamen illico ad cœleſtem patriam peruenire, ſed tantiſper cogerentur expectare, donec Vnigena Dei filius factus primogenitus in multis fratribus, aditum in cœlum reſeraret. Rectè igitur ait Paulus. *Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore*; hoc eſt, interprete Chryſoſtomo, ſpiritum ſeruorum ad timendum, vt timore pœnæ ſolùm diuinæ legi obtemperetis: ait autem; *iterum*; non quaſi aliàs Romani ſpiritum timoris acceperint, aut (quod alij malunt) quòd perpetuò timor amorem præcurrat, ſed quòd euangelij promulgatio non ſit legis veteris promulgationi ſimilis: eſt enim lex, de qua Ieremias. *Ecce* (inquit [m]) *dies veniũt, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus nouum, non ſecundùm pactum, quod pepigi cum Patribus eorum.* Et mox: *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.* Itaque negat Apoſtolus ſpiritum euangelij perſimilem eſſe ſpiritui legis antiquæ: illum vocat ſpiritum ſeruitutis, hunc verò (vt obſeruauit Oecumenius [n]) non ſpiritum libertatis, vt ratio antitheſis poſtulare videbatur; ſed quod eſt longè diuinius, *ſpiritum adoptionis*;

IV. addit, *filiorum*, quæ tamen verba in Græcis codicibus non habentur, vbi ſimpliciter legimus πνεῦμα υἱοθεσίας, id eſt, *ſpiritum adoptionis.* Non erat tamen cur hoc loco grammatici Latinum interpretem tam ſeuerè, atque acriter perſtringerent, quaſi aliquid addiderit de ſuo, & minùs aptè expreſſerit; nam quòd adoptioni addiderit nomen filiorum, rectè factum videtur; ſiue quia olim Græci codices eam vocem habebant, ſiue quia vim adoptionis planiùs, atque apertiùs voluit explicare. Quod verò pueriliter quærunt paſſiuè-ne, an actiuè adoptionis nomen ſumendum ſit, & vtrouis modo contendunt malè filiorum adoptionem appellari, cùm nullo modo filij adoptẽt, ſed alieni potius adoptentur in filios; indigniſſimum eſt, quod noſtra confutatione refellatur. Quemadmodum enim rectè dicimus liberorum procreationem, quòd liberi procreentur, cur non eadem analogia fas ſit dicere filiorum adoptionem, cùm filij adoptentur? At (inquiunt) non adoptantur liberi, vt creantur Magiſtratus; verùm Cicero, [a] *Lucinia* (inquit) *filius Craſſi teſtamento adoptatus, & filius quidem eius is, qui hunc minorem Scipionem à Paulo adoptauit.* Nec minùs noſtro interpreti licuit adoptionem filiorum dicere, quàm iuriſperitis de liberorum adoptionibus in iure ciuili titulum inſcribere; vt enim qui in Senatum cooptabantur, rectè dici poterant ſenatores cooptati; ſic in alienam familiam aſciti, adoptati filij, & adoptiui dici poterant. Quocirca B. Ambroſius [b] adoptandos liberos genitalibus filiis comparat. & Iſocratis [c] interpres; *dignum* (ait) *eſt legi ſuccurrere, qua nobis filios adoptamus.* Sed quid multis opus eſt? M. Tullius: [d] *Vt hæc* (inquit) *adoptio filij quã maximè veritatem illam ſuſcipiendorum liberorum imitata eſſe videatur.* Et Pomponius. [e] *Adoptiones* (ait) *nõ ſolùm liberorum, ſed & quaſi nepotum fiunt.* Accedit, quòd adoptio apud Latinos auctores latiùs patet, quàm vt ad filios tantùm pertineat; nam & herbas, & ſurculos adoptatos Latini ſcriptores dicunt, hoc eſt, inſertos: vt igitur vis Græcæ vocis υἱοθεσίας exprimeretur, rectè additum eſt; adoptionis filiorum: nomen verò Dei quamquam Græcè non legitur, nec habetur in editione Romana; tamen in nonnullis Latinis codicibus non fruſtra adiectum eſt, vt conſtaret quiſnam eſſet is, qui nos ſibi in filios adoptaret, vnaque appareret, quantopere hæc filiorum appellatio differat, ab ea, qua verbum Patris vnicus dicitur Dei filius naturalis, de qua re plura Epiphanius, [f] quod vſque adeo verum eſt, vt cùm de Chriſto Deo, & homine loquimur, ſimpliciter, & abſolutè Dei filium naturalem appellemus, diuinæ nimirum hypoſtaſis reſpectu, de qua re Hilarius. [g] *Multi enim* (inquit) *nos filij Dei, ſed non talis hic filius eſt; hic enim & verus, & proprius eſt filius origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; natiuitate, non creatione.* Pergit deinde Apoſtolus; *In quo clamamus Abba Pater.* More autem Hebræorum addita præpoſitione; *In*; inſtrumenti, atque intermediæ cauſæ rationem, ac poteſtatem explicat, vt aliàs non ſemel monuimus, vt mirum ſit quid in mentem venerit quibuſdam cauſam efficentem interpretari: tametſi enim Spiritu ſancto auctore, clamamus, vocamúſque Deum Patrem, nec poteſt quiſquam, vt alibi docet [h] Paulus, *dicere Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto* tamen id non proximè à Spiritu ſancto efficitur, ſed vi gratiæ, quæ eſt veluti intermedia cauſa inter Deum, & liberum arbitrium; itaque in Spiritu ſancto clamamus *Abba Pater*; quia vi, ac poteſtate ab illo accepta Deum Patrem appellamus, & gratia quidem, cum libero arbitrio coniuncta, ſi cum Deo rerum omnium auctore conferatur, minùs quidem propriè, aliqua tamen ratione diuinum quoddam inſtrumentum dici, atque appellari poteſt. Quòd verò geminata voce dixerit Apoſtolus: *Abba Pater*, neque nouum, neque à ſcripturæ conſuetudine alienum eſt; ſic enim orauit aliquando Chriſtus apud Marcum: [i] *Abba Pater, omnia tibi poſſibilia ſunt.* Et rurſus Paulus ipſe ad Galatas: [k] *Miſit* Deus (inquit) *filium ſuum in corda noſtra, clamantem Abba Pater.* Origenes, atque Ambroſius poſteriorem Græcam vocem ad prioris Syriacæ explicationem additam putant perinde, ac ſi diceret Abba, id eſt, Pater; ſed cur vtramque vocem poſuerit Apoſtolus non ſatis explicant. Chryſoſtomus, & Theodoretus Syriacam, ſeu Chaldaicam vocem ob id retentam eſſe putant, quòd vellet Apoſtolus indicare legitimam fuiſſe adoptionem, quia Abba apud Syros vox balbutientium

a de Claris Orat. — b Ep. ad Horont. 19. — c Orat. 17. — d in Orat. pro Dom. ſua — e l. adopt. ff. de adoption. — f Hæreſ. 73. — g lib. 3. de Trinit. ante medium. — h 1. ad Cor. 12. 3. — i cap. 14. 36. — k cap. 4. 6. — l ad Gal. 5. — m cap. 31. 31.

tium infantium eſt, qua primùm parentum aures demulcent, qualis eſt apud Latinos Pappas, vox infantium peculiaris. Meliùs (ni fallor) ſenſit Auguſtinus, [a] cui ſubſcribit Anſelmus, non nullo id factum eſſe myſterio, vt videlicet ſignificaretur, filiorum adoptionem Iudæis æquè, ac Gentilibus eſſe communem. Vt enim auctor eſt idem Auguſtinus, [b] qui olim in veteri teſtamento Spiritus ſancti gratiam adepti ſunt, ad nouum quadam ratione pertinebant ob illam, de qua paulò antè diximus, inchoatam adoptionem. Sunt qui malint epitaſim eſſe Hebræis familiarem, nunc eandem vocem iterantibus, nunc alia idem pollente reddentibus, qualia ſunt. *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine; & Deus meus, Deus meus, & ficus bonas, bonas, & Dominus, Dominus noſter*; nam priori quidem loco eſt nomen Dei tetragrammatum, יהוה *iehoua*, poſteriori verò commune nomen *Adonai* אדני. Mirum autem videri poteſt, cur Auguſtinus Abba Græcam vocem eſſe dixerit, [c] cùm planè conſtet eſſe Syriacam, vt linguarum peritiſſimus Hieronymus obſeruauit; ſed ſuſpicor librariorum vitio mundum eſſe apud Auguſtinum, & pro Græco vocabulo reponendum eſſe Syriacum. Nolim tamen, quemquam exiſtimare, hanc Apoſtoli ſententiam hæreticis fauere, qui legem ab euangelio hac potiſſimùm ratione diſtinguunt, quòd lex quidem, opera ad iuſtitiam flagitet: euangelium verò nihil exiſtat præter fidem; ita legem terrorem incutere, euangelium plenum eſſe ſolatij. nam huius Epiſtolæ [d] initio vnà cum Apoſtolo docuimus, non paucas comminationes euangelio contineri, quibus legis Dei violatores, vtili admodùm timore in officio retinentur. Itaque ſi euangelij nomine doctrinam euangelicam accipimus, ea profectò iuſto timore non vacat. Quòd ſi euangelium ipſam euangelij, & noui teſtamenti gratiam ſignificet, hoc propriè à lege differt, quòd lex id tantùm quod agendum, fugiendúmue ſit, docet; euangelium verò vim præſtat obtemperandi, vt non ſemel docuit Auguſtinus. [e]

VI.

[a] Serm. 11 de verb. Apoſtoli lib. de ſpiritu, & littera. ca. 11 & lib. 1 de conſ. euang. cap. 4.

[b] lib. de ſpiritu, & littera cap. 36 lib. de pecc. mer. & rem. ſſ cap. 11 & Epiſt. 120

[c] Epiſt. 178.

[d] cap. 1.

[e] toto lib. de ſpiritu, & littera & Epiſt. 200. ad Anſel.

16. I. IPSE ENIM SPIRITVS TESTIMONIVM, &c. Græci codices, qui nunc circumferuntur, nullam habent coniunctionem, ſed ſimpliciter, *ipſe ſpiritus*. Veriſimile eſt autem noſtrum interpretem nonnullam legiſſe coniunctionem, vel cauſalem γὰρ, vel certè copulatiuam καὶ, quæ plerumque Hebræorum more, cauſæ vim obtinet. Neceſſe eſt enim, hanc omnino ſententiam cum ſuperiori, vel tanquam cauſam, vel tanquam illius effectum coniungi: nam ſi cauſam contineat, perinde eſt, ac ſi Paulus dicat; hinc planè fit, vt audeamus Deum Patrem compellare, quia ſpiritus ipſe teſtatur, nos eſſe filios Dei, ſiue potius ipſe in nobis hanc vocem edit, qua Patrem Deum imploramus, qui nimirum, vt hoc ipſo capite dicitur non ita multo pòſt, *Pro nobis poſtulat gemitibus inenarrabilibus*. Quod ſi effectum ſignificat, vim, atque efficacitatẽ ſpiritus declarat; *planè* (inquit) *ſpiritum adoptionis filiorum accepimus, clamantem Abba Pater*. Hæc namque eſt illius ſpiritus vis atque efficientia, vt nos eſſe Dei filios ſuo teſtimonio probet. Non dubium autem eſt eundem ſpiritum intelligi, de quo dixerat; accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum. Quocirca neutiquam audiendi ſunt illi, qui ſpiritus nomine ſignificari volunt ipſa euangelij verba, de quibus Chriſtus apud Ioannem [f]: *Verba* (inquit) *quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt.* Nam ſi de ſingulis hominibus intelligi velint, non ſatis apparet, quánam ratione verba Chriſti ſingillatim ſpiritui noſtro teſtificentur, quemlibet noſtrum filium eſſe Dei. Quòd ſi quis ad vniuerſum Chriſtianorum genus referendũ putet, quibus fas eſt Deum Patrem appellare; nihilo certè, minus eãdem appel-

[f] cap. 6. 64.

A lationem, lex Moſis vſurpandam docebat. Etenim apud Iſaiam [a] veteres Patres loquuntur. *Tu enim Pater noſter, & Abraham neſciuit nos, & Iſrael ignorauit nos; Tu Domine Pater noſter, redemptor noſter, à ſæculo nomen tuũ.* Et in Deuter. [b] dixit Moſes: *Nunquid nõ ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creauit te?* Et apud Ioannẽ [c] ita loquuntur Iudæi. *Nos ex fornicatione nati non ſumus, vnũ Patrem habemus Deum.*

[a] cap. 63. 16.

[b] cap. 32. 6.

[c] cap. 8. 41.

II. Sunt qui hæc malint de diuinis quibuſdam principiis accipi, quæ ſacris literis cõtineantur, qualia ſunt; *facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam; diligentes ſe diligit*, & ſi quæ ſunt alia eiuſdem generis; nam qui ſibi conſcius eſt ſeſe conari, & facere quantum poteſt, ſéque adeo Deum diligere; is apertè cognoſcit, ſe filium eſſe Dei, ſed non facilè admiſerim

B primum illud principiũ; *facienti quod in ſe eſt Deum non denegare gratiam*, de quo in Theologorũ exedris incredibili contentione vltrò, citróque certatur, colligi ex diuinis ſcripturis; eo verò admiſſo, non continuò admittendum eſt, poſſe quemquam certò cognoſcere, ſe niti, adeóque facere quidquid poteſt, vel ſe Deum diligere eo, quo neceſſe eſt modo, vt à Deo tamquàm filius diligatur: neque omnino iis aſſentior, qui diuini ſpiritus teſtimoniũ addita quadam conditione, accipiendum eſſe affirmant, quaſi teſtetur, illos ſolummodò fore ſaluos, & tamquam filios hæreditatem adituros, qui tamen vſque ad finem perſeuerauerint, diuinæque legi omni ex parte obtemperauerint; ſiquidem non tam videntur affirmare, nos eſſe Dei filios, quod hic Apoſtolus docet,

C quàm aliquando fore ſi perſeuerauerimus; neque verò id ad iuſtos magis, quàm ad impios pertineret, qui ſi reſipiſcant, & cum Deo in gratiam redeant, inte poſſunt hæreditatẽ expectare; nam ad Caim dixit Dominus [d], *Nónne ſi benè egeris, recipies?* Et Iſaias [e]: *Si fuerint peccata veſtra, vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana munda erunt, ſi volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.* Similia leguntur apud Ieremiam [f], & Ezechielem [g]. Itaque ſpiritus adoptionis ipſum adoptantem ſpiritum ſignificat, qui nos adoptat, & quodammodo in ius, & familiam, noménque Dei transfert, is autem ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro. verùm quoniam Græcè legimus συμμαρτυρεῖ, quod ad verbum ſonat, conteſtatur; non de re

[d] Gen. 4. 7.

[e] cap. 1. 18.

[f] cap. 31

[g] cap. 18.

III.

D modò, ſed etiam de ipſa vi vocis diſputatio orta eſt: ac de voce quidem negant grammatici noſtrum interpretem rectè Græci verbi ſignificationem expreſſiſſe; dicẽdum enim fuiſſe atteſtatur: reddi namque id propriè dici, quod refertur, vel quod debetur. At Celſus [h]: *Reddẽdi* (inquit) *verbum quamquàm ſignificatum habet retro dandi, recipit tamen & per ſe dandi ſignificationem.* Mitto illa reddere certiorem, probum, doctum, otioſum, & his ſimilia penè ſexcenta, quæ apud probatos auctores paſſim leguntur. Itaque licuerit ſanè noſtro interpreti elegantiæ præſertim, ac nitoris minimè ſtudioſo, dicere, *Teſtimonium reddit*; pro atteſtatur: ſed de re ipſa ob Græcæ vocis συμμαρτυρεῖν proprietatem, maior exorta eſt cõtentio: ſunt enim qui duo veluti teſtimonia coniun-

[h] l. verb. ſſ de verb. ſignific.

E gi putent, alterum propriæ cuiuſque conſcientiæ infirmum, atque inualidum, alterum diuini ſpiritus firmum, ac validum, quod alij aliter explicant. Cæterùm non defuerunt hæretici, qui vnum internum ſpiritus iudicium, ac teſtimonium probarent, verbum ſcriptum tamquàm litteram occidentem penitus reiicerent, abſurdo planè, & ſtolido commento; in quos illud Ezechielis [i] iure conueniat. *Væ prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident.* Quis autem credat Anabaptiſtæ deliranti, iactantique ſe diuini ſpiritus impulſu ad fœdas ple-

[i] cap. 13. 3.

rumque

IV. rumque libidines excitari? Verùm Origenes tum demum hoc diuinum in nobis teſtimonium ſpiritui noſtro exhiberi dicit, cùm ſuprema animi noſtri pars vſque adeò diuino amore inflammatur, vt nullo ſupplicij metu, ſed vnius Dei beneuolentiæ reſpectu, diuinæ legi obtemperat. Ambroſius, & Anſelmus cùm nos Deum imitamur, Chriſtique veſtigia ſectantes, eius virtutum exempla, quantum fieri poteſt noſtris actionibus exprimimus. Theodoretus, & Oecumenius referunt hoc teſtimonium diuinum, ad ſacram Scripturam, quæ palàm prædicat iuſtos, hoc eſt, Dei gratia præditos, filios eſſe Dei. Sedulius, & Auguſtinus [a] Spiritum ſanctum mortalibus diuino munere conceſſum teſtari aſſeuerant eos, qui tam eximium, támque excellens Dei beneficium acceperint, iure inter Dei filios numerandos eſſe. Chryſoſtomus diuinum hoc teſtimonium præberi exiſtimat hoc ipſo, quod nos excitat ad orandum, & appellandum Deum Patrem; hoc enim modo vnà cum ſpiritu noſtro, hoc eſt, mente & ratione, qua Deum, diuinámque opem imploramus, nos eſſe Dei filios, teſtatur: idque vel interno quodam voluptatis ſenſu, quo mẽtem noſtram Spiritus ſanctus perfundit, vel certè illa ipſa deprecandi cõfidentia: vtroque enim modo ſpiritus quidem quaſi agendo, mens verò noſtra quaſi patiendo, dum diuinam impreſſionem excipit, & agendo ei conſentit, teſtantur nos eſſe Dei filios. Nec diſplicet quod alicubi monet Ambroſius [b], Spiritum ſanctum ſpiritui noſtro cõteſtari nos eſſe Dei filios dum humanam mẽtem mira oblectatione delibutam in ſpem erigit, atque ad orandum excitat, atque inflammat. Porrò quanta ſit huius diuini teſtimonij vis, in diſputationibus expedio. Et in Epiſtola poſtenoti ad Corinthios plura dicam ad illa verba; *vos ipſos probate ſi eſtis in fide*. Interim moneo non pauca de hoc teſtimonio tradi ab Ambroſio [c], Auguſtino [d], Gregorio [e], Bernardo [f].

a Serm. 11. de temp. Apoſt.
b epiſt. 11. ad Oront.

17. SI AVTEM FILII, ET HÆREDES, &c.

I. Dixerat Apoſtolus, debitores nos eſſe, non vt ſecundum carnem viuamus, ſed ſecundùm ſpiritum, idque ex eo probare, quòd Chriſti ſpiritus in nobis habitaret, qua ratione argumentandi vſus erat in Epiſtola ad [g] Galatas: *Si ſpiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus*. Mox addiderat ſecundam rationem ductam ab effectu: *Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini, ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis*. Dehinc tertiam, quòd perhonorificum ſit ſpiritu filiorum Dei præcepto Deum patrem appellare, eiúſque actiones quoad eius fieri poterit imitari, atque exprimere, ſeque adeo tanto parente filios non indignos declarare. Denique præmij magnitudinem proponit, quia qui filij ſunt, ius habent hæreditatis. *Si filij* (inquit) *& hæredes*. Coniunctio enim copulatiua, pro illatiua ponitur. Sic etiam ad Galatas [h]: *Si filius, & hæres per Chriſtum*. Et [i]: *Si commortui ſumus, & conuiuemus; ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus*. Aptè verò hæreditatis nomine vtitur, quippe alludens ad ius adoptionis: qui enim in alienam familiam aſciſcuntur, iure adoptionis ad hæreditatem adoptantis vocantur. Cæteroqui Hebræorum more quælibet rei cuiuſpiam poſſeſſio hæreditas nuncupatur. Sic Salomon [k]: *Hæreditas ad quam feſtinatur in principio, in nouiſſimo benedictione carebit*. Et Dauid [l]: *Qui dicunt, hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei*. Itémque [m]: *Iuſti autem hæreditabunt terram*. Fateor tamen nonoullam hîc eſſe ad veram hæreditatem analogiam, tum propter adoptionis ius, de quo dixi; tum quia quemadmodum hæreditati locus nõ eſt, niſi poſt obitum teſtatoris, ita nemini ad beatam vitam patebat aditus ante Chriſti mortem, cuius ſanguine nouum Teſtamentum ſancitum eſt, vt

g cap. 5. 25.
h cap. 4. 7.
i 2. ad Tim. 2. 11.
k Prouerb. 20.
l Pſal. 82. 13.
m Pſal. 36. 29.

A ad Hebræos [a] ſcribit Paulus. *Ideo* (inquit) *noui Teſtamenti mediator eſt, vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant qui vocati ſunt æternæ hæreditatis*. Atque huc refero quod ait Petrus [b]: *Regenerauit nos in ſpem viuam, per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſcibilem conſeruatam in cœlis in vobis, qui in virtute Dei cuſtodimini per fidem, in ſalutem paratam reuelari in tempore nouiſſimo*. Et rurſus Paulus [c]: *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti, vt iuſtificati gratia ipſius hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ*.

II. Quamobrem Auguſtinus [d]: *Vnam* (inquit) *cum ſanctis Angelis ciuitatem habebimus, à Domino poſſidebi-* B *mur, hæreditas eius erimus, & ipſe hæreditas noſtra erit; quoniam ei dicimus* [e], *Dominus pars hæreditatis meæ*. Et de nobis dictum [f] eſt: *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*. Negare tamen non poſſumus cœleſtis beatitudinis aſſecutionem, ab analogia humanæ hæreditatis multis nominibus recedere; nam primùm (vt idem Auguſtinus [g] affirmat) gaudere ſolet Pater, cùm vnicum filium ex aſſe hæredem inſtituit, ne ſi in plures diuidatur hæreditas, filius pauperior euadat: Deus autem vnicum, quem habebat filium, miſit in mundum, vt eſſet primogenitus in multis fratribus, pluréſque haberet adoptione fratres, & eiuſdem participes hæreditatis: nec metuit plures habere hæredes, cùm ipſis hæreditas C ita diuidatur in plures, vt non minuatur in ſingulis, ſed ſuam ſemper retineat integritatem. Deinde eodem Auguſtino [h] auctore, hoc maximè ab humana hæreditate differt, quòd Pater nõ poſſidet vnà cum filiis hæreditatem, ſed quia moriens non poteſt eam ſecum auferre liberis poſſidendam relinquit. At Dei filij vnà cum Deo poſſident hæreditatem, quinetiam aliam nullam præter Deum ipſum hæreditatem agnoſcunt. Quamobrem rectè idem Auguſtinus [i]: *Ne perdas* (inquit) *cœleſte patrimoniũ, ne amittas Chriſtum cohæredem, quia victurus es in æternum cum eo, qui te fecit hæredem. non enim talis te fecit hæredem, cui mortuo ſuccedas, ſed cum quo in æternum viuas*. Et alibi [k]: *Tanta eſt caritas in illo hærede, vt voluerit habere cohæredes. Hæc autem hæreditas non minuitur copia poſ-* D *ſeſſorum, non fit anguſtior numeroſitate cohæredum; ſed tanta eſt multis, quanta paucis; tanta ſingulis quanta omnibus*, atque hoc eſt quod addit Apoſtolus, *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*.

III. Subdit verò: *Si tamen compatimur, vt & conglorificemur*. vel, vt habent Græci codices, *ſi quidem compatimur*; vt ſit veluti conditio potiundæ hæreditatis, quod tamen cum ipſa hæreditatis natura aliquo modo pugnare videtur. nam ſi iure hæreditario tamquàm filij vitam beatam petimus, quid opus eſt meritis? Cùm præſertim dixerit [l] Paulus: *Gratia Dei vita æterna*. Sic ſanè argutantur hæretici, qui aduerſus iuſtorum merita, impiè iuxta, atque imperitè decertant; ſed cunctis Catholicis perſuaſum eſt, vitã beatam aliter, atque aliter hæreditatem, & mercedẽ vocari. Sic enim dixit Paulus [m]: *Scientes, quòd à Domino accipietis retri-* E *butionem hæreditatis*, vbi vtrumque nomen expreſſit Apoſtolus, & Chriſtus apud Matthæum [n]. *Poſſidete* (inquit) *regnum*. Mox merita recenſens; *Eſuriui enim, inquit*; & quæ ſequuntur. Græci verò codices habent κληρονομήσατε, id eſt, hæreditate poſſidete. Et iure quidem adoptionis plurimis tanquam filiis deberi, adeóque reddi hæreditatem, negari planè non poteſt; infantibus enim, qui baptiſmo expiati, ſubitò eripiúturè viuis, non tanquàm meritorũ merces, ſed tanquàm filiorũ hæreditas tribuitur vita beata: itémque iis, qui in extremo vitæ pœnitentiæ ſacramento

a cap. 9. 15.
b ep. 1. c. 1. 3.
c ad Tit. 3. 5.
d Serm. 119. de temp.
e Pſal. 15. 5.
f Pſal. 2. 8.
g Serm. 119. de temp.
h Serm. 13. de verb. Apoſt.
i in Pſ. 116.
k in Pſ. 149.
l ad Rom. 6. 23.
m ad Coloſſ. 3. 24.
n cap. 25. 34.

vi tantùm ipſius ſacramenti perpurgati, & ex ope- A
re, vt aiunt, ſolummodò operato iuſtificati, ad cœ-
tum beatorum euocantur: Propria enim in illis me-
rita recenſeri nulla poſſunt, adeóque hæreditario
iure duntaxat beantur, niſi quis velit (quod etiam
IV. veriſſimum eſt) Chriſti meritis iure deberi. Cæte-
rùm Tertullianus[a] hunc locum Pauli his ferè ver-
bis ſuo modo interpretatur. *Si quidem compatimur
vt & glorificemur: reputo enim non dignas eſſe paſſiones
huius temporis ad futuram gloriam, quæ in nos habet
reuelari.* Nec multo aliter Cyprianus[b]. *Siquidem* (in-
quit) *compatimur, vt commagnificemur.* Rectè verò
hæc verba coniungit, compati, & conglorificari. Sic
enim ſemper Paulus[c] colligit, eos, qui Chriſti pa-
tientiam imitantur, fore etiam gloriæ, ac beatitatis
participes: ita hac ipſa Epiſtola. *Si enim* (inquit) *com-* B
*plantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul &
reſurrectionis erimus.* Et mox[d]: *Si autem mortui ſumus
cum Chriſto, credimus, quia ſimul viuemus cum Chri-
ſto.* Et ad Corinthios[e]: *Sicut ſocij paſſionum eſtis, ſic
eritis & conſolationis.* Quemadmodum igitur Chri-
ſtus ipſe, qui (vt ait Apoſtolus[f]) iure hæreditatis
omnia, propter diuinam hypoſtaſim diuina bona
poſſidere poterat, voluit tamen ſui ſanguinis pretio
nõnullam illius hæreditatis particulam, hoc eſt cor-
poris gloriam, & nominis amplitudinem, tamquàm
mercedem, ac præmium comparare, vt ſcriptum eſt
apud Lucam[g]. *Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare
in gloriam ſuam.* Ita nobis etiam, atque etiam labo-
randum eſt, vt rebus aduerſis fortiter tolerãdis ean-
dem beatam vitam, non vt filiorum hæreditatem C
modò, ſed vt iuſtitiæ coronam adipiſcamur: ſic enim
alicubi[h] ſcriptum eſt. *Per multas tribulationes oportet
nos intrare in regnum Dei.*

18. EXISTIMO ENIM, QVOD, &c. Metue-
I. bat videlicet Apoſtolus, ne malorum magnitudine,
aut calamitatum multitudine Romanorum animi
deterrerẽtur, atque ob id addit: ſi cuncta, quæ in hac
vita perferri poſſunt mala cum cœleſti beatorum
gloria conferantur, multis partibus eſſe illius ma-
gnitudine inferiora: quod alibi his verbis expreſſe-
rat[i]; *Id quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tri-
bulationis noſtræ; ſupra modum in ſublimitate æternum
gloriæ pondus operatur in nobis.* Quod verò noſter in-
terpres dixit; *exiſtimo*; Græcè eſt λογίζομαι, id eſt, re-
puto, vt ait Tertullianus; vel rectâ ratione colligo, & D
concludo. ſic denique perſuaſum habeo. Quod verò
ſubdit, *paſſiones huius temporis non eſſe condignas*, non
eò ſpectat, vt meritum, quod Theologi appellant
condignum, prorſus neget, ſed vt oſtendat ſi ipſæ
per ſe iuſtorum actiones, cum beata vita conferan-
tur, neque ratione ſubſtantiæ, neque ratione eorum,
quæ ipſis adiunguntur immortali beatorum gloriæ
ex æquo reſpondere: ob id enim communi Theo-
logorum conſenſu receptum eſt, iuſtorum remu-
nerationem eſſe vltra condignum, quandoquidem
omnis ratio meriti nititur beneficio gratiæ. Quocir-
ca non immeritò (vt ſæpe docuit Auguſtinus[k]) ap-
pellatur illa vita beata nunc miſericordia, nunc gra-
tia, & hanc ipſam ob cauſam in præſentia hanc ſen-
tentiam ſuperiori adiungit, vt oſtendat etiam ſi ad E
aſſequendam immortalem, beatámque vitam neceſ-
ſe ſit aduerſa tolerare, non propterea tamen vim, ac
naturã hæreditatis perire, cùm bona illa ſempiterna
multis partibus ipſam actionum dignitatem, ac præ-
ſtantiam antecellant. Neque enim de actionibus
agit, quæ manant à gratia, ſed quæ ipſæ per ſe ex ipſa-
rum dignitate ſpectantur; quo nomine hoc Pauli te-
ſtimonio nixus etiam indignas nominat Auguſti-
II. nus[l]. Hanc etiam ob cauſam negant plerumque
ſancti Patres, merita deberi ex natura, ſed ex gratia;

a li. de reſur. carnis c. 40. & in Scorp. aduerſ Gnoſt. cap. 13.
b De adhort. martyr. cap. 8. ep. 56. lib. 4. ad Quir. c. 13.
c cap 6. 5.
d verſ. 8.
e ep. 2. c. 1. 7.
f ad Heb. 1. 2.
g cap. 24. 26.
h Act. ca. 14. 21.
i 2. ad Cor. c. 4. 17.
k ep. 105 Enchir. cap. 107. lib de correp. & gratia c. 13. de gratia, & lib. arb c. 8.
l lib 83 Quæ. q. 65. & lib. 1 de Ciuit. c 11

A ſic enim loquitur Origenes[a]. Neque aliter interpre-
tor quod ait Baſilius[b], & aduerſus merita iuſtorum
ab hæreticis obiici ſolet. *Manet* (inquit) *ſempiterna
requies illos, qui in hac vita legitimè certauerunt, non
ob eorum merita factorum, ſed de munificentiſſimi Dei
gratia, in qua ſperarunt*; hoc enim ferè modo à meri-
torum oppugnatoribus Latinè redduntur, cùm ta-
men Græcè ſic habeant, οὐ κατὰ ὀφείλημα τῶν ἔργων
ἀποδιδόμενα, ἀλλὰ κατὰ τοῦ μεγαλοδώρου θεοῦ. quorum
hæc eſt ſententia: beatam illam vitam legitimè cer-
tantibus, reddendam non iuxta meritum actionum,
ſed potius iuxta munificentiſſimi Dei debitum; hoc
enim ἀπὸ τοῦ κοινοῦ intelligendum eſt; vt videatur Ba-
ſilius idem planè docere, quod aduerſus Pelagianos
ſexcentis locis inculcat Auguſtinus, nulla eſſe liberi
B arbitrij merita, ſi gratiæ beneficium ſecludatur: ſic
enim loquitur locis paulò antè indicatis, & alibi[c]
frequenter. Accedit, quòd nonnulli vim humani
meriti attenuant, quòd bonis actionibus noſtris non
paucæ leuiores noxæ admiſceantur, quomodo dixit
Hilarius[d]: *Non enim illa ipſa iuſtitia opera ſufficerent
ad perfectæ beatitudinis meritum, niſi miſericordia Dei
etiam in hac iuſtitia voluntate humanarum demutatio-
num, & motuum non reputet vitia. Spes igitur in mi-
ſericordia Dei in ſæculum ſæculi.* Denique S. Pro-
ſper[e], S. Gregorius[f], & S. Bernardus[g] diuinæ miſe-
ricordiæ, non autem meritis noſtris vitam æternam
deberi autumant, quòd merita gratiam non præcur-
rant, ſed ſequantur. Rectè autem dixit Apoſtolus
non eſſe paſſiones huius temporis condignas ad fu-
C turam gloriam, non autem ad eas pœnas redimen-
das, quæ expiatis iam flagitiis iure debentur; id enim
in pleriſque iuſtis fortaſſe verum non eſſet; legimus
enim apud Iob[h]: *Vtinam appenderentur peccata mea,
quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in ſtate-
ra; quaſi arena maris hæc grauior appareret.* Ex ſatisfa-
ctionibus autem ſanctorum vnà cum Chriſti meri-
tis Eccleſiaſticum theſaurum conflari, fide Catholi-
ca credimus. Neque excludit, vt diximus, dignitatem
merìti, ſed operum æqualitatem, vt colligitur ex Au-
guſtino[i]. Acutè verò alicubi ſcribit Bernardus[k].
*Non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad præteri-
tam culpam, quæ remittitur; non ad præſentem gratiam,
quæ immittitur; non ad futuram gloriam, quæ promitti-
tur nobis.* Futuram verò gloriam nominat ad iuſto-
D rum ſpem, cùm præſertim rebus aduerſis premun-
tur, erigendam, & confirmandam, ideóque mox ad-
dit; *quæ reuelabitur in nobis.* Latet enim nunc illius
vitæ iucunditas, & diuinorum bonorum præſtantia:
at cœleſti illo hominum mentibus infuſo lumine
quaſi fugatis tenebris, & ignorationis nocte depul-
ſa, perſpicuè conſpicietur, vt docet Auguſtinus[l] non
vno loco.

NAM EXPECTATIO CREATVRÆ, &c. 19.
Græcè ἀποκαραδοκία, id eſt, ſollicita, & vehemens ex- I.
pectatio: illuſtri enim proſopopœia ſenſum, ac mo-
tum rebus omnibus creatis impertit, ita paulò pòſt:
Vanitati enim creatura ſubiecta eſt non volens. Item:
Propter eum, qui ſubiecit eam in ſpe. Omnino autem
videtur innuere Paulus, ob primi parentis pecca-
E tum hanc rerum vniuerſitatem in deteriorem ſta-
tum fuiſſe conuerſam, & iam inde ab initio naſcen-
tis mundi, ſpectare cœpiſſe alterum ſtatum immor-
talitatis, quem tum demum aſſequetur, cùm à mor-
tuis cuncti mortales reuocabuntur, & hic omnis
aſpectabilis mundus innouabitur. Interim tempori,
ac mutationi obnoxia ortum, & occaſum ſubinde
experitur, & penè dixerim patienter, fortíque ani-
mo tolerat, vt optimam aliquando conditionem, &
ſtatum conſequatur. Quid nos igitur facere æquum
eſt, quos propriè cœleſtia illa, ac planè diuina bona
manent,

a lib. 2. in ep. ad Rom.
b in Pſal. 114.
c Conc. 2. in Pſ. 70. Ser. 15. de verb Apoſtol. & lib de gratia, & lib. arb. cap 6. 7. 8. 9.
d in Pſal. 51.
e li. 1. de voc. Gent. cap. 17. alias 5.
f l. 9. Moral. 14. & in Pſal. vlt pœnit.
g Serm. 1. de Annunc. Ser. 15. in Pſ. 90 & Ser. 61. & 68. in Cant.
h cap. 6. 2.
i Serm 15. de Verb. Apoſt. Serm. 17 de ſanctis, & ſer. 2. de Feſt. omnium ſanctorum.
k in Pſ. Serm. 10.
l Ser. 44. de ſanctis, & in Pſal. 30.

manent, quæ Dei filiis iure debentur? Certè Hilarius [a] longinquam creaturæ expectationem interpretatur, vt indicet iam pridem, hoc eſt, à mundi exortu expectationem cœpiſſe, Theophylactus frequentem; alij ſolicitam, & vehementem expectationem; vt nos. omnes certè interpretationes Pauli ſententiæ congruunt; neque à vi vocis abhorrent. Non me tamen clàm eſt, de creaturæ nomine ambigi inter doctores. Chryſoſtomus [b] enim res duntaxat corporeas, vt cœleſtes orbes, & elementa intelligit; Origenes [c], Gregorius [d] Nazianzenus, Cyrillus [e], Theodoretus [f], etiam Angelos, & beatas mentes cõprehendi putant: aliqua ex parte his omnibus conſentit Ambroſius [g]; Chryſoſtomo verò Irenæus [h], Hilariúſque [i] ſubſcribũt. Nec defuerũt qui creaturæ nomine hominem ipſum intellexerint, vt apud Marcum [k]; *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et ad Coloſſenſes [l]; *Prædicatum eſt in omni creatura, quæ ſub cœlo eſt.* Quæ videtur ſententia Auguſtini [m], Gregorij [n], & Anſelmi [o]. Certè negare non poſſumus, locum eſſe valdè impeditum, & lubricum, vt obſeruauit Auguſtinus [p], & errores inde exorti haud obſcurè ſignificãt. nam qui ab Origine nomen acceperũt, cùm creaturæ nomine quidquid eſt infra Deum ſignificari exiſtimarent, totum hunc Pauli locum etiam ad Angelos accommodabant, eóſque idcirco volebant vanitati ſubiectos eſſe, quòd peccare adhuc poſſent, & gemendo reſurrectionem expectarent, quòd nondum beata vita perfruerentur. Qui verò Manichæos ſequuti ſunt, etiam corporibus inanimis vitam, & ſenſum, adeóque etiam dolorem, ac gemitum tribuebant: ſed Angelos quidem aut peccare poſſe, aut beata vita carere, tam falſum eſt, quàm quod maximè Catholicæ fidei aduerſatur. Verumtamen quamuis Auguſtino [q] non placeat, hoc loco creaturæ nomine Angelos comprehendi ob eas maximè rationes, quas ipſe indicat, & ſubtiliùs tractat B. Thomas; non tamen abſurdè quis dicat hactenus hanc Pauli orationem ad Angelos pertinere, quòd omnes auctore Paulo, *ſunt adminiſtratorij ſpiritus propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis.* Quam ob cauſam & ipſi, ſi ipſorum natura ſpectetur, circumſcriptis muneribus gratiæ, & gloriæ diuinitus acceptis, humanæ vanitati penè inuiti ſubiiciuntur, & hominum improbitatem tolerant, adeóque quodammodo ingemiſcũt, & reſurrectionem immortalem auidiſſimè expetunt. Iam qui creaturæ nomine ſolummodò hominem ſignificari volunt, ſeceſſione facta, duas in claſſes abiere: ſunt enim qui de homine iuſto, ſunt qui de homine, vt homo eſt, Pauli ſententiã explicent. De iuſto accipit Gregorius [s], quem recentiores ſequuntur; iuſti namque inuiti huius vitæ mutationibus, & calamitatibus ſubiiciuntur, & non ſine gemitu futuræ immortalitatis gloriam præſtolantur. Qui verò hominem, qua homo eſt, hoc loco accipiunt, Auguſtinum [t], & Anſelmum [u] auctores habent; neque omnino extra rem inuitum illum ſubiici vanitati affirmant, & gemendo expectare adoptionem filiorum: quis enim volens, ac libens pœnam ſubeat? Quis verò non auidiſſimè appetat, adeóque expectet promiſſam immortalitatem? Verùm quamquàm hæc vtcumque probabiliter, viris præſertim ſanctiſſimis, doctiſſimiſque affirmantibus, admitti poſſunt; eorum tamen mihi magis ſententia arridet, qui creaturæ nomine, res omnes corporeas accipiũt, quibus Apoſtolus ad maiorem ſententiæ maieſtatem, ſenſum, & motum attribuit eo, quem paulò antè diximus, modo; ſiue, vt ait Ambroſius [x], futuræ gloriæ magnitudinem indicare velit; ſiue, quod magis reor, ex hoc probet futuram illam gloriam nobis aliquando reuelandam, quòd illa ſuo quodammodo etiam ad res corporeas pertineat. Sic enim ait Iſaias [a]. *Erit lux Lunæ, ſicut lux Solis; & lux Solis erit ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum in die quando alligauerit Dominus vulnus populi ſui.* Et alibi [b]: *Ecce ego creo cœlos nouos, & terram nouam.* Et Ioannes [c] in Apocalypſi: *Vidi cœlos nouos, & terram nouam.* Et rurſus: *Ecce noua facio omnia.* Siue cœleſtia corpora quippe mortalia, & caduca in extremo mundi occaſu interitura ſint, vt Græcorum [d] plurimi exiſtimarunt: ſiue meliorem aliquam conditionem, & ſtatum conſecutura, vt neque pauciores, neque minoris auctoritatis Theologi [e] tradiderunt. Neque obeſt quod nonnulli obiiciunt, ſcripturas ſacras explicandas eſſe propriè, ac ſine figuris, niſi cùm res ipſa aliud neceſſariò poſtulat: hic autem nullam apparere figuræ neceſſitatem, cùm poſſit hæc Pauli ſententia commodè explicari de iuſtis: nihil (inquam) hoc obeſt, quia illæ figuræ quoad eius fieri poteſt vitandæ ſunt, quæ verba à proprio ſenſu abducunt; quæ verò retenta verborum proprietate ſententiam illuſtrant, aut ampliorem reddunt, vbi commodè admitti poſſunt, magnoperè probandæ ſunt; talis eſt proſopopœia, quæ hoc loco magnam vim addit orationi. Atqui ea expectatio improbis non conuenit, qua improbi ſunt, fateor, ſed quà homines ſunt, nihilominus expectant, quàm cœlum & aſtra, & cætera, quæ ſenſu, ac vita carent. Quòd verò ſpectat ad Pauli verba; *expectatio creaturæ*; Hebræorum phraſi creaturam expectantem ſignificat, quemadmodum & illud ad Hebræos [f]: *Introductio melioris ſpei*, id eſt, ſpes melior introducta. Et apud Matthæum [g]: *Cùm videritis abominationem deſolationis*; id eſt, deſolationem, & vaſtitatem abominandam. *Reuelationem porrò filiorum Dei*, dixit Apoſtolus ad illam ipſam gloriam declarandam, quam modò dixerat in nobis reuelandam; de qua Ioannes [h]. *Nunc filij Dei ſumus, ſed nondum apparuit quid erimus; nos ſcimus, quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus.*

VANITATI ENIM CREATVRA, &c. Vani- 20.
tatem dixiſſe videtur Apoſtolus pro eo, quod mox I.
ſubdit; *liberabitur à ſeruitute corruptionis*, vel ſi Græcæ vocis vim ſequamur, carentiam finis ſonat. certè Salomon [i] cuncta, quæ fiunt ſub ſole, vanitatem vanitatum appellauit. Et Dauid [k]: *Vniuerſa vanitas omnis homo viuens.* Ridicula verò non minus, quàm impia eſt Origenis [l] ſententia, qui vanitatem interpretatur corpora mortalia, in quæ animæ olim ſolutæ corporibus, tanquàm in ergaſtula detrudantur. Otioſum verò eſſet tam ineptam, & inanitatis plenam refutare ſententiam. Cæterũ B. Gregorius [m] cùm oſtendiſſet, iuſtos quandiu in hac mortali vita verſantur, multis moleſtiis premi, cum Sapiens [n] dicat: *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam; & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem*, ſubdit, rectè Paulum dixiſſe: *Vanitati enim creatura ſubiecta eſt nõ volens: quia homo, qui ingenitæ conſtantiæ ſtatum volens deſeruit, preſſus iuſtè mortalitatis pondere, nolens mutabilitatis ſuæ corruptioni ſeruit.* Putat enim, hæc verba Apoſtoli, de humana natura intelligenda eſſe; quod etiam ſenſerunt alij, vt ſuprà monui, & recentiores [o] magnoperè probant. Dixit autem, *non volens*; vel (vt volunt Hilarius [p], Hieronymus [q], Auguſtinus [r]) non ſponte, vel (vt indicat D. Thomas) repugnante natura; vel (vt Theophylactus) quia non propter ſe, ſed propter hominem cõdita ſunt vniuerſa, vel quòd hæc rerum conditio, ſi cum futuræ beatitudinis ſtatu conferatur, nullo modo videatur optãda, vt hîc etiam proſopopœiæ ſeruiatur. His addo hominum flagitia adeo eſſe contra Deum rerum omnium conditorem, vt ipſæ res creatæ etiamſi ſenſu, & cogitatione careant; eorum tamen impietatem pene inuitæ ſuſtineant,

V 3

a lib. 12. de Trinit.
b In hunc locum.
c In hunc locum.
d Orat. 1. de ...
e lib. 6. theſa. c. 7. & lib. 14. cap. 1.
f In hunc locum.
g ...
h lib. 5. contra hæreſ.
i lib. 12. de Trinit.
k cap. vlt. 15.
l cap. 1. 23.
m lib. 83. Quæſt. q. 67. de quibuſdam propoſ. ...
n in hunc locum.
o In hunc locum.
p lib. 83 Quæſt. q. 67.
q De quibuſdam propoſ. huius epiſt. & lib. 83. Quæſt. q. 67.
r ad Hebr. 1. 14.
s lib. 4. Moral. cap. 30.
t De quibuſdam propoſ. huius epiſt. & 83. Quæſt.
u In hunc locum.
x Ep. 2...

a cap. 30. 26.
b cap. 65. 17.
c cap. 21. 1.
d Iuſt. Mart. q. 93. 94. 95. ad Orth. Ho. 1. in Exam. quẽ inter Latinos ſequitur Ambr. li. 1. in Exam. Greg. Nyſſ. lib. de creat. hom. c. 24. Chryſoſt. Theod. Theo. Oecumen. in hunc locum.
e Hieronym. in Iſa. cap. 51. & 65 Auguſt. lib. 20. de Ciuit. c. 24. Gregor. li. 17. Moral. cap. 5. Et inter Græcos Epiphan. ſeu potius Procu. & Method. apud ipſum hæreſ. 64. Oecum. 2 pet. c. 3. Schol. cum Magiſt. 4. diſtinct. 48.
f cap. 7. 19.
g cap. 24. 15.
h Ep. 1. ca. 3. 2.
i Eccleſ. 1. 2.
k Pſal. 38. 6.
l l. 1. Periarc. c. 7. lib. 2. c. 9. & Hom. 4. in Ezech. Meminit Hierony. Epiſt. ad Auit. Epiph. hæreſ. 64. videturque ad eam alludere Auguſtinus lib. 83. Quæſt. q. 67.
m l. 4. Moral. c. 32 alias 40.
n Sap. 9. 15.
o Catterinus, Caietanus.
p lib. 12. de Trinit.
q Epiſtol. ad Auit.
r in 83. Quæſt. q. 67.

neant, & repugnante natura flagirioſis hominibus ſeruiant. Hinc Tertullianus [a] ad hunc locũ alludens, ait: *Vnde eam & Apoſtolus inuitam, ait vanitati ſucci-diſſe, vanis plurimum vſibus, tum turpibus, & inuſtis, & impijs ſubuerſam.* Nonnihil etiam dicit aduerſus Hermogenem [b]. *Cum reuelatio* (inquit) *filiorum Dei redemerit conditionẽ a malo vtique vanitati ſubiectam, cum reſtituta innocentia, & integritate conditionis, pecora conduxerint beſtijs, & paruuli de ſerpentibus luſerint.* Qui proculdubio de rebus omnibus creatis Paulum explicat: tribuitur autem etiam rebus inanimis voluntas, vt apud Ioannem [c]. *Spiritus vbi vult ſpirat:* de vento enim loquitur, vt alibi doceo. Addit: *ſed propter eum, qui ſubiecit eam in ſpe.* ſperare quidem certè proprium eſt intelligentis naturæ, ſed admiſſa proſopopœia, aut metaphora etiam rebus inanimis vtcunque tribuitur. Rectè namque Dauid [d]: *Oculi omnium in te ſperant, Domine*; intelligit enim etiam beſtias. Et [e] Iob: *Lignum habet ſpem: ſi præciſum fuerit, rurſum vireſcit.* Res igitur mutæ vanitati ſubiectæ ſuut inſtaurationis futuræ ſpe propoſita: ſæpe enim ſpes pro re ſperata accipitur. Sic Dauid. [f] *Quoniam Dominus ſpes eius eſt.* Rurſus. [g] *Tu es ſpes mea.* Et Paulus: [h] *Confugimus ad tenendam ſpem.* Et Ouidius [i] alicubi dixit, *Anni ſpem*, id eſt, quod in anno ſperatur.

a lib. de coron. militis c. · b cap. 21. · c cap. 3. 8. · d Pſal. 144. 15. · e cap. 14. 7. · f Pſal. 32. 6. · g Pſal. 141. 6. · h ad Hebr. 6. 18. · i 15. Metamorph.

21.
I.
QVIA ET IPSA CREATVRA, &c. Pereleganter tractant hunc locum inter Græcos Origenes; [k] & Gregorius [l] Nazıãzenus: inter Latinos verò Ambroſius, [m] & Auguſtinus. [n] Particula porrò; *&* magnopere fauet noſtræ ſententiæ, qua diximus rebus corporeis hanc totam Pauli ſententiam conuenire. Perinde enim eſt, ac ſi dicat: Non homo duntaxàt, ſed ipſa etiam cœleſtia corpora, atque elementa ab hac ſeruitute aliquando liberabuntur: nam quod hanc particulam Auguſtinus refert etiam ad infideles, atque impios, probari poſſet, niſi creaturæ nomine, quæ vanitati ſubiicitur, comprehenderentur iuſti. Apparet enim ex cauſali initio poſita hanc ſententiam ſuperioris veluti cauſam continere: ſeruitutem verò corruptionis poſuit Apoſtolus Hebræorum more pro ſeruitute corruptibili, cui mox opponit libertatem gloriæ, hoc eſt, libertatem glorioſam. Quamquam Ambroſius ſimpliciter legiſſe videtur, in libertate filiorum Dei: vt ſenſus ſit, creaturam liberandam à ſeruitute corruptionis, cùm filij Dei ſtatum immortalitatis adipiſcentur. Nec diſcrepat Theodoretus, niſi quòd addit; libertatem gloriæ. Chryſoſtomus præpoſitionem, *in*; perinde accipit, ac ſi cauſæ vim contineat, vt creaturam liberandam à ſeruitute cenſeat libertatis filiorum Dei reſpectu. Quemadmodum enim regij pueri nutrix, cùm puer principatum aſſequitur, principis intuitu regiorum bonorum particeps effecta, in maximam dignitatem attollitur: ita hæc omnia creata, quæ iuſtorum vtilitati ſerulunt, illis ad immortalitatis gloriam euectis non exiguam eiuſdem gloriæ, & beatitudinis partem capiunt. Nec deſunt qui particulam, *in*, referant ad imitationem, quaſi omnia create, quoad eius fieri poteſt, iuſtorum beatitudinem imitentur. Denique alij hanc rerum creatarum libertatem inter ornamenta beatitudinis iuſtorum recenſent, non aliter ac regiæ domus apparatus ad regium ſplendorem, magnopere pertinent. Quamquàm autem proprius beatorum locus erit cœlum, tamen hæc etiam inferior mundi pars, quaſi eiuſdem domus infimum cœnaculum ſi magnificentiùs ornetur, domus totius dignitatem non mediocriter auget. Sed multis perdifficile videtur cœlum, & aſtra; quæ cenſentur ab interitu aliena à ſeruitute corruptionis poſſe liberari, & mira quadam ſubtilitate mutationem quamlibet corruptionis nomine ſignificari poſſe contendunt. Sed tanto nimirum acumine nihil opus eſſe videtur; ſeruitutem enim corruptionis intelligit Paulus obſequium, quod res vniuerſæ creatæ rebus caducis, ipſique homini mortali quodammodo præſtant inuitæ: cœleſtia namque illa corpora rerum omnium ortum, atque interitum ſuo motu, ac perenni agitatione fouent, & conſeruant. Ab hac igitur ſeruitute corruptionis tum demum veluti manumiſſa libera erunt cùm filij Dei immortalitatis gloriam aſſequentur.

k Hom. 1. in Ezech. · l Orat. 1. in Iul. · m lib. de Elia c. 15. & Ser. 82. · n in Pſal. 125.

22.
I.
SCIMVS ENIM, QVOD, &c. Perilluſtri clauſula totam præcedentem proſopopœiam concludit: rebus inanimis gemitum, & doloris ſenſum impertiens; Græca porrò verba συστενάζει καὶ συνωδίνει ſic ferè reddi poſſunt, congemiſcit, & comparturit, perinde quaſi vel omnes ſimul res creatæ, communi quodam doloris ſenſu gemitum edant, vel vnà certè cum hominis dolore, ac gemitu ſenſum ipſæ quoque coniungant ſuum. Certum autem eſt, olim Græcos codices variaſſe: Hieronymus [a] enim legiſſe videtur; *congemiſcit, & parturit.* Auguſtinus [b] legit; *congemiſcit, & dolet:* alij *congemiſcit, & condolet.* Ambroſius, [c] *congemiſcit, & comparturit;* Cyrillus, [d] & Heſychius [e] cum noſtro interprete legiſſe videntur; *ingemiſcit, & parturit*; quod ipſum intelligitur ex commentarijs huius loci nomine Ambroſij. Cæterùm ſi omnis creaturæ nomine etiam Angeli comprehendantur (vt Origenes, & Ambroſius [f] ſenſerunt, non diſſentiente Theodoreto) nihilò plus eis dolor aut gemitus conuenit, quàm cœlo, & aſtris, aut cæteris rebus vita, ſenſúque carentibus; tametſi enim illi ſuapte natura & gaudere, & mœrore affici poſſunt, quia tamen beati iam ſunt, & immenſa voluptate perfuſi, nullo vel leuiſſimo doloris ſenſu eorum poteſt fœlicitas infuſcari: dicentur igitur ingemiſcere, ac parturire ea metaphora, qua Deus ipſe *tactus dicitur* [g] *dolore cordis intrinſecus.* Nam qui beatiſſimo Dei amore flagrant, Dei honore & gloria mirè oblectãtur: contrà verò iniuria, & contumelia offenduntur, adeo vt ſi doloris ſenſu affici poſſent, incredibiliter cruciarentur. Quod ipſum de rebus inanimis ſuo etiam modo exiſtimandum eſt; vt enim paulò antè diximus, ita omnia ſuapte natura, vnius Dei immortalis gloriam, atque honorem quærunt; contrà que quidquid ei repugnat, perditè oderunt, & abominantur, vt perinde quaſi cognitione prædita ſint, flagitioſis hominibus, nonniſi per vim ſeruire compellantur. Quam ob cauſam quamdiu quidem tam miſeræ ac deteſtabili ſeruituti ſubiiciuntur, ingemiſcunt, & parturientium more vociferantur. Itaque cùm addat hoc loco Paulus generis vniuerſi notam, & omnem creaturam nominet, ſi (vt voluit Auguſtinus) de homine duntaxàt loquatur, eius explicandi ratio vtcumque probanda videtur, quam ſecutus eſt etiam Gregorius; [h] qui omnis creaturæ nomine ſignificari hominem dixit: &, ſi ampliſſimè accipiatur, vt ne beatas quidem mentes excludat; poteſt (vt ex ſuperioribus conſtat, omninoque affirmant Chryſoſtomus, & Oecumenius) reiectis malè ſentientium erroribus, ea ſententia rectè verbis Apoſtolicis vt modò dixi aptari. Quod ſi de rebus duntaxàt corporeis loquatur Apoſtolus, nota illa, quæ genus vniuerſum indicat, ad ea tantùm; quæ ſub ſenſum cadunt, reſtringenda eſt; & mihi quidem ex omnibus ſententiis explicatis, duæ potiſſimùm cæteris præferendæ videntur, quæ hanc Pauli ſententiam quamampliſſimè interpretantur, & vel hæc omnia, quæ ſub aſpectum cadunt, vel etiam beatas mentes comprehendunt. ſed quod ſpectat ad parturiendi verbum, celebris eſt in ſacris litteris metaphora ad exprimendũ maximum, & penè extremum dolorẽ.

a Iſai. 24. & Alibi. · b de quibuſdã propoſ. Ep. Rom. 53. lib. 83. Quæſt. q. 67. · c Epiſt. 21. · d lib. 5. theſaur. cap. 7. · e lib. 5. in Leuit. · f Epiſt. 21. · g Gen. 6. · h Hom. 1. in Euang.

Eandem vſurpat [a] Paulus. *filioli* (inquit) *quos iterum parturio, donec formetur in vobis Chriſtus.* Ita [b] Chriſtus. *Mulier cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius; cùm autem peperit, iam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum.*

13. NON SOLVM AVTEM, &c. Græcè non legitur pronomen, *illa*; additum videtur ab interprete
I. perſpicuitatis gratia, quo ſenteotia eſſet apertior. Hinc autem maximè apparet, ſuperiorem ſententiam vix poſſe de homine ſiue iuſto, ſiue etiam impio, aut natura tantùm conſtante intelligi: nam quod ait Auguſtinus [c] tres hominis facultates, naturalem, ſenticotem, & rationis participem omnis creaturæ nomine deſignari, illáſque omnes ingemiſcere, & parturire; cùm verò nunc addit Paulus; *ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes* poſtremam tantùm rationis compotem indicare, eámque ſpiritus primitiis præditam eſſe, quod diuini ſpiritus gratiam perceperit, longè videtur argutius quàm vt Apoſtolicę ſimplicitati conueniat. Itaque ex duabus ſententiis nobis ſuperiùs probatis, ſi, quod valdè veriſimile videtur, hæc Paulus augendo, & amplificãdo dixit, longè tum probabilior, tum Pauli inſtituto magis conſentanea videri debet, quæ aſpectabilia duntaxat corpora vanitati vult eſſe ſubiecta, & ingemiſcere, ac parturire, donec à ſeruitute corruptionis liberentur. Hac enim admiſſa interpretatione, aptè ſequitur; Neque verò res corporeæ duntaxàt; quæ quaſi per vim ſeruituti ſubiciuntur; ſed oos ipſi qui diuino ſpiritu percepto, à peccati iugo, & ſeruitute immunes ſumus, taciti ingemiſcimus, ac parturimus. Cuius ſanè ſententiæ vis omnis penitùs perire videtur, ſi ſuperiora etiam ad beatas mentes pertineant. Quid enim mirum videri poſſet, Apoſtolum, aut eius ſimiles torqueri, & cruciari propter hominum ſcelera, atque flagitia, ſi eam ipſam ob cauſam etiam beatæ mentes tanto afficiuntur dolore? Itaque ſic mihi perſuadeo, Nazianzeni, Origenis, Cyrilli, & Theodoreti ſententiam abſque vllo errore explicari, & defendi poſſe, propiùs tamen à veritate, & à mente Pauli abeſſe Chryſoſtomum, & cæteros, qui aſpectabilia tantùm corpora hoc looo ſignificari contendũt. Porrò Ambroſij Commentarij noo primitias ſpiritus, ſed receptaculum ſpiritus legunt, incertum quid potiſſimùm ſecuti ſint. nam Græca vox ἀπαρχὴ, qua hic vſus eſt Apoſtolus, primos fructus, primámque oblationem, & vniuerſim cuiuslibet rei initia, & primordia ſignificat. Non tamen apertè conſtat, quos potiſſimùm indicare velit Paulus; An eſt Apoſtolorũ periphraſis, qui quáquàm perceptis præcipuis Spiritus ſancti donis, hanc tamen mortalitatis conditionem gementes ſuſtinent, & ad futurã gloriam mentis quodã impetu impulsúque ferũtur? An primitias, ſeu primordia ſpiritus vocat primum guſtũ fœlicitatis æternæ, quo res inanimæ carẽt, ſoli Chriſtiani percipiunt? Prius illud aſſerit Ambroſius [d], cui fermè recentiores ſubſcribunt: hoc verò poſterius magis probant Chryſoſtomus, Theodoretus, & Cyrillus [e]; quod nonnullis re-
II. centioribus magis probatur. Equidem tametſi haoc poſteriorem interpretationem, cui maximè fauet Auguſtinus [f], non penitùs reiicio, priori tamen ſententiæ libentiùs ſubſcripſerim, & quòd argumentatio plus multo ponderis, ac momenti habeat, & quòd oratio, & dicendi forma plus grauitatis. Nos (inquit) Apoſtoli, quorum ſingularia munera diuinitus accepta iure miramini, huius tamen mortalitatis moleſtiſſima ſeruitute penè oppreſſi, vnà cum cæteris rebus creatis ex animo dolemus, & ingemiſcimus. Vſus eſt autem Apoſtolus primitiarum nomine ſiue (vt ait Theodoretus) futurorum bonorum reſpectu; ſiue (vt alij malunt) ad indicandam præſtantiam atque excellentiam diuinorum bonorum, quæ Apoſtolis collata ſunt; vel denique ſignificat Apoſtolos, omniũ primos, diuini ſpiritus charitatem percepiſſe. Ambigat verò quiſpiam, quid Paulus potiſſimùm ſignificare velit, dum primitias nominat; an maiorem Apoſtolis, atque ampliorem gratiæ copiam aſſerit? ſanè quidem hoc videtur indicare Oecumenius; quos peculiariter Chriſtus elegerat; & vt ait Paulus [a], primos in Eccleſia collocauit, vt meritò Beatus Thomas cæteris omnibus ſanctis infra Virginem, ſanctitate, & merito præferendos, neque cuiquam ad Apoſtolicum ſanctitatis gradum aſpirare fas eſſe cenſeat. Rectè verò vſus eſt Apoſtolus metaphora ducta à primitiis. nam aliàs id frequẽter facit, vt cùm Chriſtum vocat [b] *primitias reſurgentiũ*. Et *Fortunatum, & Achaicum primitias* [c] *Achaia.* Et [d]. *Quod elegerit vos Deus primitias in ſalutem.* Et Ioannes in Apocalypſi [e]; *Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo & agno.* Addit III. verò: *Intra nos gemimus*, hoc eſt; quamuis noſtro Apoſtolico munere prompto animo, atque hilari fungamur, taciti tamen nobiſcum ipſi continenter ingemiſcimus; adoptionem verò perfectam videlicet, ſuiſque omnibus numeris abſolutam, vocat ipſam hæreditatis poſſeſſionem, quam mox ſequentibus verbis declarat; *Redemptionem corporis noſtri.* Cùm enim liberabitur à mortalitate, morbo, lãguore, cæteriſque incommodis, tum perfectam adipiſcetur beatitudinem, qui eſt extremus adoptionis finis. Vſus eſt autem Paulus voce redemptionis, quemadmodum & Lucas cùm dixit [f]: *His autem fieri incipientibus, reſpicite, & leuate capita veſtra; quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Tunc autem (vt ait Auguſtinus [g]) reipſa conſequemur, quòd nunc ſpe tantummodò expectamus, atque ob eam cauſam rectè ſubdit.

24. SPE ENIM SALVI FACTI SVMVS, &c.
I. Confirmatio eſt antecedentis ſententiæ; expectamus (inquit) in futuro ſæculo corporis redemptionem vt explicant Chryſoſtomus [h], & Ambroſius [i]; quamuis enim magna, & humana fide maiora diuinitus accepiſſe videamur; ſpe tamen ſolemmodò animi, corporiſque perfectam ſalutem expectamus, quod luculenter explicat Auguſtinus [k], qui hunc locum confert cum altero eiuſdem Apoſtoli, in quo nos ait per lauacrum regenerationis, ſaluos eſſe factos. Caſſianus [l] certè. *ſpes* (ait) *quæ mentem noſtram de præſentibus auocant vniuerſas corporis voluptates cæleſtium præmiorum expectatione contemnit.* Luculenter verò Gregorius [m]; *Electus quiſque* (inquit) *tantò fidentius ſpe tendit ad præmium, quantò nunc robuſtiùs perdurat ad laboris incrementum. qui ſi decurſus præſentis temporis penſat, dies cum operibus numerat, ne à labore vacua tranſeant, vitæ momẽta formidat, aduerſis gaudet, paſſione reficitur, mærore refouetur, quia ſubſequentis vitæ præmiis tantò ſe remunerari largiùs conſpicit, quanto pro amore illius quotidianis ſe mortibus verius impendit. Hinc namque eſt quòd Ciues ſupernæ patriæ conditori eius Pſalmiſtæ* [n] *vocibus dicunt: Propter te mortificamur tota die. Hinc Diuus Paulus* [o] *ait; Quotidie morior propter veſtrã gloriam, fratres. Hinc iterum dicit* [p]: *Ob quam cauſam hæc patior, ſed non confundor: ſcio enim, cui credidi, & certus ſum quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem. ſancti igitur viri quot labores nunc veritati commẽdantes exhibent, tot iam remunerationis pignora intra ſpei cubiculum clauſa tenent.* Cùm verò ſubiungit Paulus; *ſpes autem quæ videtur non eſt ſpes*, ſpei nomine rem ipſam, quæ ſperatur, intelligit, quemadmodum etiam ad Titum [q] *expectantes beatam ſpem*: Tum ad declarandam ſpei naturam ſubnectit; *Nam quod videt quis, quid ſperat?* At vident qui in ſtadio currunt brauium propoſitum, & tamen ſperant. Ao loquitur Paulus de ſpe Theologica, quæ tendit in Deum,

a ad Epheſ. 4
b 1. ad Cor. 15. 20.
c 1. ad Cor. 16. 15.
d 2. ad Theſſal. 2. 13.
e cap. 14. 4.
f cap. 21. 28.
g in Pſal. 37.
h in hunc locum.
i Epiſt. 22.
k Serm. 21 de verb. Apoſt.
l Coll. 11. c. 6.
m lib. 8. Moral. cap.
n Pſal. 43. 22.
o 1. ad Cor. 15. 31.
p 2. ad Tim. 1. 12.
q cap. 2. 13.

quem qui vider,& contemplatur, tenet,ac poſſidet, atque ita ſperare nullo modo poteſt? Vereor, vt id poſſit Pauli verbis omni ex parte aptari: itaque vero ſimilius eſt, vniuerſim loqui Paulum de ſpe,cuius ea eſt ratio, vt eorum poſſeſſionem excludat quæ ſperantur,adeo vt eorum poſſeſſio nec iam habeatur,& nonnullam difficultatem inuoluat. Perinde igitur eſt, ac ſi Paulus dicat, nam quod quis iam poſſidet, ac tenet,quid ſperat? Quod ita prorſus verum eſt,vt alieubi dixerit D. Thomas [a]; animas iam beatas, ne ſperare quidem ſui corporis immortalitatem,& gloriam, quòd eam iam ſibi iure debitam certa expectatione quodammodò poſſideant. Maior autem vis ineſt in verbis Græcis, quorum hic eſt ſenſus,quod enim quis iam intuetur,& cernit, cur adhuc ſperet? ſic enim ferè Philoſophi ſpem definiunt, vt ei duntaxat futura quæque nonnullam difficultatem habeant adnexam ſubiiciant; idque Gregorius [b] Nyſſenus his verbis confirmat: *Spes enim ad id, quod non adeſt, duntaxat adhibetur.* Ariſtoteles [c] autem: *ſpem dixit eſſe cum rerum ſalutarium cogitatione, cùm propè adſint, neque terrorem afferant, vel certè longè abſint.* Quo fit, vt quoniam Deo nihil eſt expectandum, neque arduum, aut difficile nulla ratione ei poſſit ſpei ratio conuenire. Mox autem Paulus totam hanc veluti digreſſionem concludens,ait.

a 1.2 q.18.ar.3.ad 4.
b li.de anim. & reſurreƈt.
c lib. 2. ad Theod.c.3.

25. Si avtem qvod non,&c. Dixerat,filios Dei beatam illam, ac perennem immortalitatis
I. gloriam manere, adoptionis quidem iure paratam; rerum tamen aduerſarum tolerantia, & Chriſti patientis imitatione conſequendam: id quoniam difficile, ac permoleſtum videri poterat, molliendum quodammodo fuit, & pluribus argumentis leniendum.id quod miro artificio præſtitit Paulus;primùm enim cùm dixit; *ſi compatimur, vt conglorificemur*, fidelium animos Chriſti patientis exemplo propoſito incredibiliter excitat;quod & ipſe Chriſtus non ſemel fecit; ſcriptum namque eſt apud Matthæum [d]. *Qui non tollit crucem ſuam, & ſequitur me,non eſt me dignus.* Et rurſus [e]: *Si Patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domeſticos eius?* Et apud Ioannem [f]: *Si mundus vos odit,ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit.* Eſt igitur ingens aduerſa patientium ſolatium, quòd non ſolùm Chriſti exemplum ſequantur, ſed vnà cum eo dura,& aſpera ſuſtineant. nam ipſe Apoſtolus fideles olim, non ipſum Chriſtum iam in cœlo regnantem inſectabatur,& tamen audiuit ſibi Dominum exprobrantem [g]. *Saule,Saule, quid me perſequeris?* Addit deinde præmij magnitudinem, cùm ait. *Vt conglorificemur.* indicat enim, patientiæ noſtræ præmium perſimile fore ei præmio, quod aſſecutus eſt Chriſtus. qua de re ſcribit Ioannes [h]. *Cariſſimi,nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus, ſcimus,quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus,quia videbimus eũ ſicuti eſt.* Et Chriſtus ipſe: *Vado* (inquit [i]) *parare vobis locum; & ſi abiero,& parauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipſum,vt vbi ſum ego, & vos ſitis.* Ipſas deinde moleſtias perferendas mercedis præſertim cõparatione imminuit,atque extenuat, dum paulò antè ſcripſit; *Exiſtimo enim,quòd non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*

d cap.10.38.
e verſ.25.
f cap.15.18.
g Act.9.4.
h 1.ep c.3.2.
i Ioan.14.2.

II. Interim verò moleſtiarum breuitatem indicat, dum eas appellat paſſiones huius temporis, quæ videlicet breuiſſimo temporis lapſu abſoluantur. Contrà verò præmij fructum declarat,eúmque ad nos priuatim pertinere oſtendit, dum affirmat, futuram gloriam expectari quidem ab omnibus rebus creatis,reuelandam tamen eſſe in nobis, hoc eſt, ad noſtram potiſſimùm vtilitatem, & excellentiam. Id quod illo etiam nomine extollit, atque amplificat,quòd eiuſmodi futura ſit ea gloria, qualis filiorum dignitatem maximè deceat,atque ob id ait, hác mundi machinam filiorum reuelationem expectare,hoc eſt,eam bonorum poſſeſſionem, qua filij Dei diuinorum bonorum hæredes declarentur. Huius porrò felicitatis magnitudo atque præſtantia inde etiam non mediocriter augetur, quòd quamquam filiorum eſt propria, ad omnia tamen creata magna ex parte pertineat. Atque ob eam cauſam iam inde ab initio naſcentis mundi, omnis creatura ingemiſcit,ac parturit,& longiſſima, miniméque interrupta expectatione,ad hoc vſque tempus eam præſtolatur. Accedit quòd ſi corporis obiectu dura, acerba, ac moleſta perferenda ſunt, ipſi etiam ſuum debetur decus; ob id enim ait; *expectantes redemptionem corporis noſtri*, id eſt, ſingularia illa munera,quibus extra mortalitate ad cœleſtem, atque immortalem gloriam euocabitur. Denique addit; *ſpe nos eſſe ſaluos factos*, qua ſupra quàm dici poteſt confirmati,magno, atque ingenti animo quæuis acerba, & dura deuoramus. Hoc autem eſt,quod proximè colligit Paulus. *Si autem quod non videmus, ſperamus,per patientiam expectamus*: Nam & Iacobus perſimili vſus [a] eſt argumento. *Patientes* (inquit) *eſtote,fratres, vſque ad aduentum Domini: Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & ſerotinum.* Et Paulus ipſe ad Hebræos [b]. *Patientia* (ait) *vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem Dei facientes, reportetis repromiſſionem.* Omnino autem parum ſcitè hanc Pauli argumentationem tamquàm minùs firmam reprehendunt argutuli neſcio qui, perinde quaſi non liceat à ſpe patientiam colligere, ſi alias etiam virtutes tamquàm neceſſarias inferre quis poſſit; nam & fortitudo, & magnanimitas, & conſtantia, & ſi quid aliud hoc rerum genere continetur patientiæ nomine ab Apoſtolo comprehenditur; quamquam non ignorabat poſſe illa ſubtiliùs diſtingui, ſed id ad inſtitutam diſputationem nihil pertinebat. Patientiam tamen potiſſimùm nominat, quod ea maximè, immo præſertim naſcentis Eccleſiæ, cunctis eſſet fidelibus neceſſaria.

a cap 5.7.
b cap.10.36.

Similiter avtem et spiritvs,&c. 26.
Quorſùm potiſſimùm referenda ſit particula illà, I.
ſimiliter,non ſatis liquet. Origenes enim ad verbum ingemiſcendi refert hoc ſenſu, non modò omnis creatura ingemiſcit, ſed etiam nos primitias ſpiritus habentes, ſimiliter etiam ſpiritus ipſe gemitibus inenarrabilibus poſtulat pro nobis. Omninò coactè, & parum ad rem,cùm non tam dicatur ſpiritus noſtra cauſa ingemiſcere, quàm noſtram infirmitatem adiuuare. Anſelmus ad ſpem putat pertinere; dixerat enim, ſpe nos ſaluos eſſe factos,eáque confirmatos per patientiam expectare:addit igitur, *ſimiliter & ſpiritus adiuuat infirmitatem noſtram*, hoc eſt, non ſolùm ſpes,ſed etiam ſpiritus vires nobis ſufficit ad res aduerſas perferendas: quod viris doctis non penitùs ſatisfacit. Non defuerunt qui cum ſuperioribus hæc coniungenda ducerent. dixerat enim,ſpiritum, qui Chriſtum ab inferis excitauit, viuificare mortalia corpora noſtra, & ſuum veluti domicilium in nobis collocare. Rurſùs eumdem ſpiritum tribuere ius adoptionis,deinde eumdem conteſtari, nos eſſe Dei filios,nunc addit. *Similiter autem & ſpiritus adiuuat infirmitatem noſtram*: hoc eſt,non ſolùm omnia illa facit,ſed etiam adiuuat infirmitatem noſtram. Addunt aliqui præcipuè pertinere ad illum locum, in quo dixerat. *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum Dei,in quo clamamus Abba Pater.* Vt in præſentia ita loquatur Apoſtolus: ſpiritus, quem paulò antè dixi tribuere nobis vim, & poteſtatem Deum Patrem appellandi,is cadé ratione noſtram in rebus aduerſis

perfe

perferendis imbecillitatem adiuuat, & precandi ſtudium promouet, nóſque adeo ad vtiles, & ſalutares gemitus, & ſuauiſſimas interdum lacrymas impellit.

II. Sed quiſnam ſit hic ſpiritus, non planè conſtat. Certè Gregorius [a] Nazianzenus, Origenes [b], Chryſoſtomus [c], Theodoretus [d], Ambroſius [e], Oecumenius [f], Tertullianus [g], Hilarius [h], Auguſtinus [i], Gregorius [k] ipſum Spiritum ſanctum tertiam Trinitatis perſonam intelligunt, qui cùm ſit bonorū omnium auctor, cùm ægritudinem, atque imbecillitatem noſtram ſubleuat, tum poſtulare pro nobis dicitur eo prorsùs modo, quo loquebatur in Apoſtolis, id eſt, ad orandum, & loquendum impellere; & orantes, ac loquentes quodammodò mouere. Quam ſanè ſententiam mirè probat Auguſtinus [l]. Nec defuerunt qui ipſa ſpiritus dona interpretari mallent, ac ſi dicamus orandi donum orare, docendi verò docere. Hoc placuit Theodoreto, Theophylacto, Oecumenio. Chryſoſtomus verò mentem humanam accipit, quæ precandi donum acceperit. Sunt qui hoc ad Angelum tutelarem referant, ſed à communi veteri Theologorum ſententia non cenſeo recedendum: ſpiritus enim ſanctus gratiæ beneficio vel ſubito immiſſo, vel infuſo, atque ingenito nos & ad perferendas huius vitæ moleſtias adiuuat, & confirmat, & ad preces ritè rectéque fundēdas vehementer inflāmat. Neque improbo (quod obſeruarunt nonnulli) priorē huius ſententiæ partem, quæ præſidium Spiritus ſancti, atque in rebus aduerſis auxilium pollicetur, ad ſuperiora illa referendam videri, vbi Paulus legem veterem, & ſpiritum ſeruitutis ab Euangelio, atque adoptionis ſpiritu diſtinguit. Illa quippe lex nullū gratiæ præſidium ſubminiſtrabat, ſpiritus verò gratiæ imbecillitatem noſtrā ſubleuat, & diuino ſuo auxilio firmat, ac roborat. Vbi egregiè Auguſtinus [m] liberam noſtræ voluntatis actionem non obſcurè indicari ſignificauit, quia nemo rectè dicitur adiuuari, qui nihil ipſe ſponte agat, aut moliatur.

III. Porrò quod noſter interpres ſingulari numero dixit, *infirmitatem*, conſentit iis, quæ leguntur apud Origenem [n], Damaſcenū [o], Ambroſium [p], Auguſtinum [q], fateor tamen Græcos codices nunc numero multitudinis habere; *Infirmitates noſtras*; illas videlicet, quas agendo, patiendóque, & cogitando, orando, loquendo denique experimur: Nam quod attinet quidem ad precandi ſtudium. *Quid oremus* (inquit Paulus) *nos neſcimus*, addit verò; *ſicut oportet*: quæ quidem hoc potiſſimùm nomine aptè ſuperioribus attexuntur; vel quia hac maxima ratione Spiritus ſanctus noſtram imbecillitatem adiuuat, quòd nos ad precandum excitat, atque inflammat, in quo plurimùm ineſt præſidij ad conſequendam ſalutem ſempiternam, vel certè quod tantùm abſit, vt ipſi nobis præſidio, ſeu adiumento eſſe poſſimus, vt ne id quidem intelligamus, quibus potiſſimùm auxiliis nobis opus ſit ad benè, beatéque viuendum. *Neſcimus* (inquit Auguſtinus [r]) *quid oremus, tum quia quod futurum ſperamus, & quò tendimus, nec dum nobis apparet, tum maximè quia in præſenti vita poſſunt multa nobis videri proſpera, quæ ſunt aduerſa, & aduerſa quæ ſunt nobis proſpera: nam & tribulatio quando accidit ſeruo Dei, vel ad emendationem eius, vel ad probationem videtur nonnumquàm minùs intelligentibus inutilis: verùm ſi referatur ad illud* [ſ]; *Da nobis auxilium de tribulatione, & vana ſalus hominis intelligitur, quia plerumque nos Deus per tribulationes adiuuat, & fruſtra ſalus optatur, quæ aliquando aduerſa eſt, cùm huius vitæ amore, ac delectatione implicat animam, vnde eſt illud* [t]; *Tribulationem, & dolorem inueni. Dicens, inueni, ſignificauit vtilem ſibi, non enim rectè gaudemus nos inueniſſe, niſi quod quærebamus tamquàm vtile. Ergo quid oremus, ſicut oportet, neſcimus: Deus autem nouit & quid nobis in hac vita expediat, & quid poſt hanc vitam daturus ſit nobis.* Alibi [a] verò: *Adhuc eſt fortaſſe quod quæras, cur Apoſtolus dixerit: quid enim oremus, ſicut oportet, neſcimus: neque enim vllo modo credendum eſt vel ipſum, vel quibus iſta dicebat, Dominicam neſciſſe orationem: cur ergo putamus hoc eum dixiſſe, quod nec temerè potuit, nec mendaciter dicere? Niſi quia moleſtiæ, tribulationeſque temporales plerumque proſunt vel ad ſanandum tumorem ſuperbiæ, vel ad probandam, exercendámque patientiam, cui probatæ, & exercitatæ clarior merces, vberiórque ſeruatur, vel ad flagella, & abolenda quæcumque peccata, nos tamen neſcientes quid iſta proſint ab omni tribulatione oramus, & optamus liberari*; & multa deinceps in eamdem ſententiam.

a Epiſt. 121.

IV. Sed de voce illa; *vt oportet*, ambigit nonnemo, cui potiſſimùm orationis parti iungenda videatur. Sunt enim qui cum antecedentibus coniungant; *Quid oremus, ſicut oportet*: hoc eſt, quid, quo tempore, quo loco, quóve animi propoſito, ſeu conſilio à Deo petendum eſt, neſcimus. Ita planè Origenes, & Chryſoſtomus: alij non admodum diuerſa, vt apparet, ſententia connectunt cum verbo; *neſcimus*; vt neget Apoſtolus ſcire nos eo modo, quo ſcire, & cognoſcere oporteret, quid à Deo bonorum omnium largitore petendum ſit, vel ignorare nos multa, quæ ſpiritus latenter quadam ratione in nobis flagitat. Et profectò ex hoc maximè intelligimus Spiritum ſanctum noſtræ imbecillitati opitulari, quia, vt explicat Chryſoſtomus, in iis etiam, quæ cuiuis peruia, & facilia videntur, qualis eſt oratio ſuam opem auxiliúmque non negat; vel vt ait Theodoretus, ideo noſtram ægritudinem ſubleuat, & ſuſtentat, quia ita noſtras preces inſtituit, vt vim, & robur ad mala toleranda petamus, non vt rebus aduerſis eripiamur; vel denique, vt indicat Oecumenius, ſignificare voluit Paulus, egere nos maximè adminiculo Spiritus ſancti, quia malis, atque incommodis huius vitæ penè oppreſſi planè ignoramus quid à Deo petendum ſit, quidve nobis vtile, aut noxium videatur. At Chriſtus apud Matthæum [b] orandi formam, & rationem præſcripſit; & de tempore quidem apud Lucam [c] dixit: *Oportet ſemper orare, & numquàm deficere.* Verùm (vt Ambroſius, [d] & Auguſtinus [e] tradiderunt) quamquàm vniuerſim orandi rationem ignorare nemo poteſt, multis tamen modis peccando labi, atque errare poſſumus, ſiue praua aliqua cupiditate inflammati, ſiue errore deluſi, ſiue denique plurimarum rerum obſcuritate præpediti. Quocirca rectè dixit Auguſtinus, [f] tum maximè votis noſtris annuere Deum cùm quæ malè petimus non impetramus, malè autem proculdubio petimus, cùm id petimus, quod ſaluti noſtræ repugnat, ſiue ſit bonum apparens quod appetimus; ſiue aliquid, quod videtur aduerſum à quo cupimus liberari; nam ipſe Paulus [g] ter Dominum rogauit, vt ab eo auferretur tentatio, nec tamen impetrauit. Nec impetrarunt quod petebant filij Zebedæi, [h] cùm id ad ambitum, & honoris improbam cupiditatem pertineret. Itémque cùm ignem cœlitùs mitti cuperent in Samaritanos, [i] cùm zelus, & indignatio modum excederet. In iis verò quæ per ſe ſunt expetenda, vt eſt gratia, & gloria, errari poteſt ſi aliter petantur, quàm Deus ante æternitatem præfinierit: nam interdum poſtulat quis quod pertinet ad coniugium, cùm Deus ad cœlibatum deſtinarit: itaque ſpiritus quid quóque modo orandum ſit, docet.

b cap. 6. 7.

c cap. 18. 1.

d Hoc loco.

e Epiſt. 121.

f Tract. 6. in Ioan Ep 121. cap 6. de quibuſdam prop. huius Epiſtol. Num. 51.

g 2. ad Cor. 12. 8.

h Matt. 20. 22.

i Luc. 9. 55.

II. Cæterùm quod ait Apoſtolus: ſpiritus poſtulat pro nobis; Græcè eſt ὑπερεντυγχάνει, quod frequenter Auguſtinus reddit; *interpellat*. Habet autem occultam quamdam vim, & quaſi principatum ſignificat, quia Spiritus

ſanctus

a Ep. 105. ſic Sp. 121. ca. 15. ſic Greg. l. 9. Moral. ca. 12.

ſanctus (vt loquitur Auguſtinus [a]) poſtulandi inſpirat affectum, & effectum. Ineptè verò colligebant Arriani, & Macedoniani ex hoc loco, Spiritum ſanctum non eſſe Deum, quod poſtulare gemitibus inenarrabilibus ſit alienum à natura, & perſona diuina. Non enim ipſe per ſe ſpiritus ingemiſcit, aut poſtulat, ſed ad ingemiſcendum, & poſtulandum monet: vel certè ſpiritus dicitur poſtulare gemitibus inenarrabilibus, vt ait Ambroſius, [b] metaphoricè, quomodo dicitur Deus dolere, iraſci, & id genus alia facere, quæ ſunt à diuina natura penitùs aliena: ſed in quo poſita ſit metaphora, non explicat; nec meo quidem iudicio facilè explicari poteſt, niſi dicamus (quod ait Auguſtinus) ſpiritum ad gemitum excitare; vel vt alij malunt, in nobis tanquam inſtrumentis gemere, quod paulò pòſt docebo. Ita videas inanem fuiſſe Arrianorum, & Macedonianorum conatum, qui ex hoc loco Spiritus ſancti diuinitatem oppugnabant, quos eleganter more ſuo perſtringit [c] Leo Pontifex. Dicuntur autem orantium gemitus innenarrabiles vel ipſius ſpiritus reſpectu, qui miris, atque occultis modis mentes hominum ad orandum excitat & inflammat; vel propter occultos, & inexplicabiles modos, & mortalibus prorsùs ignotos, quibus Deus electos ſuos ad vitam æternam perducit; vel quia internus ille caritatis ardor Spiritus ſancti opera excitatus humana fide, atque omni creata efficacitate maior eſt; vel denique quia incredibilis in hominum animis exiſtit perfruendæ beatitudinis cupiditas, vt ex eodem Auguſtino facilè intelligitur. Quamobrem rectè Tertullianus [d] *ineloquaces* dixit: quaſi quos nemo loquendo explicare queat. Ambroſius [e] inenarrabiles ait eſſe, quia cæleſtes ſunt. Auguſtinus [f] inenarrabiles interpretatur, *quia quod petimus, & deſideramus, quale illud ſit ignoramus; quod enim ſperamus non videmus.* Crediderim, dici inenarrabiles, quia oriuntur à diuino ſpiritu, cuius vis, atque efficacitas non planè à nobis percipi, nedum explicari poteſt. Neque ab hac interpretatione abeſſe putandi ſunt ij, qui (vt modò indicaui) Spiritum ſanctum in nobis tamquàm inſtrumentis poſtulare, adeóque miris modis ingemiſcere contendunt; modò intelligant, eſſe nos inſtrumenta libera, quæ ita mouenti Deo præbemus aſſenſum, vt integrum tamen, ac liberum ſit, etiam diſſentire, vt alio loco copioſiùs docebo. Suſpicor autem, quod hoc loco dicit Apoſtolus de gemitibus, ad ſuperiora ſpectare: *Sed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus*: quaſi ſignificet, hos internos gemitus eſſe preces, ac vota, quæ, ipſo auctore ſpiritu, Deo quotidie fiunt à viris Apoſtolicis, qui primitias ſpiritus perceperunt.

b Epiſt. 22.

c Serm. 1. de Pentec.

d lib. de Trinitate, ſeu potius Nouatianus.

e Epiſt. 22.

f Epiſtol. 121. cap. 15.

27. I. Qui autem scrutatur, &c. Hæc porrò quorſum? An vt oſtendat gemitus Spiritus ſancti tametſi mortalibus ignoti, atque inexplicabiles ſint, Deum tamen, qui occulta cordium ſcrutatur, latere nequaquam poſſe? ſanè quidem hoc ratio conſecutionis poſtulat, quidquid Chryſoſtomus, atque Oecumenius aliter ſenſiſſe videantur. Quod verò attinet ad verborum interpretationem, quod noſter interpres habet, *Scit quid deſideret ſpiritus*, Græcè legitur, *οἶδε τί τὸ φρόνημα*: hoc eſt, nouit quis ſit ſenſus ſpiritus: Auguſtinus [g] vertit: *quid ſapiat ſpiritus.* Anſelmus verbum illud; *ſcit*; explicat, vt idem valeat, quod approbat; haud fortaſſè malè, hoc enim indicat ratio ſubſequens. *Quia ſecundum Deum poſtulat pro ſanctis.* quibus verbis fere explicatur id, quod paulò antè dixerat, *Quod oremus, ſicut oportet.* Nihil eſt enim aliud orare, ſicut oportet quàm ſecundùm Deum poſtulare pro ſanctis. Itaque Anſelmi interpretatio cum aliorum explicatione non pugnat, ſed ponius ex illa aliquo modo ſequitur. Nouit enim Deus (vt aiunt Chryſoſtomus, & Ambroſius) quid deſideret ſpiritus, & cuiuſmodi ſint illius gemitus, & propterea approbat, *quia ſecundùm Deum poſtulat pro ſanctis*, vt coniúctio cauſalis propriè vim cauſæ contineat, vt exiſtimat Anſelmus. Quod ſi nihil præter cognitionem tribuamus Deo, particula, *quia*, non indicat cauſam, ſed explicationem, quaſi dicat; nouit Deus quid ſpiritus deſideret, planéque intelligit, eum ſecundùm Deum poſtulare pro ſanctis. *ſecundùm Deum* autem poſtulare dicitur non quidem (vt malè exiſtimauit Origenes) ratione ſuæ diuinitatis, quòd tertia Trinitatis perſona, nequaquam humanam naturam aſſumpſerit, ſed quia (vt Chryſoſtomus, Theodoretus, atque Ambroſius affirmant) quia ea contendit à Deo quæ ei grata ſunt. Quod autem ait; *poſtulat*; Græcè eſt *ἐντυγχάνει*, eodémque modo intelligitur, vt in ſuperiori ſententia, quamquam ibi Græci verbi compoſitio maiorem quamdam emphaſim habet. Ambroſius, [a] & Auguſtinus [b] legunt; *interpellat*; alij *intercedit*; ſed eadem ſemper ſententia conſtat. Quid verò ſignificent verba illa; II.
pro ſanctis, non eodem modo explicatur. Chryſoſtomus, & Oecumenius pro ſanctis inquiút, hoc eſt, vt ij, pro quibus orant, ſancti ſint. Alij intercedit, aut interpellat ſanctorú loco, qui niſi à Spiritu ſancto excitarentur, nequaquam orarent. Alij (quod magis placet) ſanctos ad orandú impellit, & per ipſos aliqua ratione ſupplicat; idque pro ipſorú vtilitate & cómodo, quæ eſt Auguſtini, atque Anſelmi ſententia. Qui verò ſint ſancti, de quibus hoc loco agit Apoſtolus, ab alijs aliter explicatur. nam Origenes quidem eos intelligit, qui ab impietate ad Chriſti fidem traducti ſunt, hoc enim inter Chriſtum, & Spiritum ſanctum intereſſe docet, quod Chriſtus pro impiis ſanguinem, vitámque profudit; ſpiritus autem ſanctus non niſi pro ijs poſtulat, qui abiurata impietate veram Chriſti fidem complexi ſunt. Origenem ſequutus eſt Ambroſius, [c] ſed nimis vt arbitror Spiritus ſancti efficientiam anguſtè definiunt. Oecumenius ſanctos eos omnes intelligit pro quibus ſpiritales homines oránt; ſiue quia precatione ſpiritus ipſi quodammodo ſancti efficiuntur, ſiue quia ſanctitatem expetunt, ſiue denique quia pro iis ſancta, & Deo grata poſtulántur.

a Epiſt. 22.
b Ep. 121. c. 15.

c Epiſt. 22.

28. I. Scimus autem quoniam, &c. Non fruſtra is, qui ſcrutatur corda, nouit quid deſideret ſpiritus, & quid ſecundùm Deum poſtulet; ſed compertum præterea nobis eſt, illum diligentibus Deum omnia in ipſorum bonum promouere. Itaque oratio, quæ auctorem habet Spiritum ſanctum, efficax eſt, ſiue impetret quæ petit, ſiue ſecus; omnia enim ad vtilitatem eorum cedunt, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt. Auguſtinus [d] tamen, qui hanc Pauli ſententiam quaſi ab hoc loco auulſam ſimpliciter explicat, aliò trahit, vt ſuo loco dicam. Apparet autem ex Græcis codicibus, Pauli orationem eſſe ambiguam; ait enim, *πάντα συνεργεῖ εἰς ἀγαθόν*, quæ rectè ab interprete noſtro Attica dialectico Latinè redduntur; *Omnia cooperantur in bonum*, id eſt, adiumento ſunt. Origenis interpres tranſtulit *collaborãt*. Commentarij, qui Ambroſio inſcribuntur, *procedunt*; Ambroſius [e] ipſe, *concurrunt*. Poſſunt etiam actiuam admittere interpretationem: Omnia Deus cooperatur in bonum. Et quamquam quod attinet ad ſententiam, parum, aut nihil retulerit vtro modo interpretere: cùm certum ſit, non niſi Deo potiſſimùm auctore, cuncta diligentibus Deum adiumento eſſe: tamen ſi dicendum eſt quod ſentio, actiua interpretatio multò planior, ac ſimplicior, & antecedentibus, & ſequentibus magis conſentanea videtur, quam ex antiquioribus probant Auguſtinus, [f] & Theodoretus

d l. de corrept. & gratia c. 1. & ſoliloqu. c. 21. Ep. 121 & lib. 13 de Trinit.

e lib. 6 Exam. cap. 8.

f li. de corrept. & gratia. c. 9

a Hoc loco.
b Caietan. & alij.

doretus; [a] ex recentioribus verò non pauci. [b] Ne-
que verò à legitimo Pauli ſenſu receſſit vulgatus in-
terpres, cùm eius interpretationem ſequantur inter
Grçcos Origenes, & Chryſoſtomus, inter Latinos au-
tem Ambroſius, & Hieronymus. Nec quemquam
mouere debet quòd dicatur Deus, qui eſt rerum om
nium auctor, cooperari nobis, tum quia non eſt id
c cap. vlt. 20.
nouum; ſcribit enim Marcus [c]: *Illi autem profecti præ-*
d 1 ad Cor. 15. 10.
dicauerunt vbique Domino cooperante. Et ipſe Paulus [d]:
Abundantius (inquit) *illis omnibus laboraui, non autem*
ego, ſed gratia Dei mecum. Tum quia certum eſt liberi
noſtri arbitrij concurſum, & actionẽ requiri; vt enim
e li. de gratia. & lib. arb. c. 17.
ſcribit Auguſtinus [e], *Ille parua dare cœpit caritatẽ, qui*
præparat voluntatẽ, qui cooperãdo perficit, quod operando
incipit, quoniã ipſe, vt velimus, operatur incipiens, qui vo-
lentibus cooperatur perficiens. Et paucis interiectis: *Vt*
ergo velimus, ſine nobis operatur, cùm autẽ volumus, & ſic
volumus, vt faciamus, nobiſcum cooperatur, tamen ſine
illo operante, vt velimus, vel cooperante cùm volumus ad
bona pietatis opera nihil valemus. de operante illo vt ve-
f Philip. 2. 13.
limus dictum [f] *eſt; Deus eſt enim, qui operatur in nobis*
& velle. De cooperante illo cùm iam volumus & volendo
facimus; Scimus (inquit) *quoniam diligentibus Deum*
omnia cooperantur in bonum. Quid eſt omnia, niſi & ipſas
terribiles, ſæuaſque paſſiones? Et profectò negari non
poteſt, agere in præſentia Paulum tam de rebus ſe-
g lib. 13. de Trinit. Epiſt. 121 in ſolil. c. 28 lib. de cor-rept. & gratia cap. 9.
cundis, quàm de aduerſis; quanquam Auguſtinus [g]
etiam flagitia, & prædeſtinatorum peccata comple-
ctitur, omninò verè, ſed vtrum ad mentẽ Pauli, nunc
h Ser. de fallacia præſentis vitæ.
non dico. Illum certè, ſecutus eſt Bernardus: [h] *Vſquè*
adeo (inquit) *in hunc modum omnia nobis cooperantur*
in bonum; vt inter hæc omnia etiam ea, quæ nihil
ſunt, numerentur, moleſtia, morbus, & ipſa etiam
mors, & peccatum, quæ quidem conſtat naturam ali-
II. *quam non eſſe, ſed naturæ corruptionem.* Addit Pau-
lus, *iis, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti*;
quibus verbis ſuperiorem ſententiam declarat; di-
ligentibus quidem Deum, Deus ipſe omnia coo-
peratur in bonum, non tamen omnibus, ſed iis dun-
taxàt, qui ſecundùm propoſitũ vocati ſunt ſancti. Fa-
teor tamen poſtremam illam vocem, ſancti, pluribus
apud Auguſtinum locis non haberi, eam tamen ag-
i lib. 6. exam. cap. 8.
noſcit Ambroſius [i], ipſeque adeo Auguſtinus [k] non
k l. 2 retract. cap. 21 li. 4. de doctr. Chriſt. cap. 20.
vno loco. At quinam ſunt ſecundùm propoſitum
vocati, vel vt Græcè legimus, κατ̀ πρόθεσιν? An ipſorum
qui vocantur propoſitum & conſilium diuina voca-
tio ſpectat? Ita ſanè Origenes, Chryſoſtomus, Theo-
l Cyrill. Hieroſ. catech. 1. in princ.
doretus, Oecumenius, & alij [l] non pauci. ſed id qui-
buſdam ſciolis hac noſtra calamitoſa ætate adeo non
probatur, vt ſi quis fortè non id tanquàm Pelagia-
num dogma deteſtetur, eum protinùs impietatis no-
mine in capitis fortunarúmque diſcrimen vocare non
vereantur. Verùm non hæc propterea dixi, quod eo-
rum mihi probetur ſententia, qui bonarum actionũ,
liberique arbitrij vſus prænotionem, diuinæ præde-
ſtinationis cauſam, aut rationem, aut ſi ita volunt, ne-
ceſſariam, & præcurrentem conditionem appellant.
Apage, vt quiſquam me quidem auctore, hæc tam
aliena, támque parum apoſtolicæ doctrinæ conſen-
III. tanea, aut ſentiat, aut doceat, aut ſcribat; ſed ſi quis
plurimos ſanctorum Patrum, & non ignobiles au-
ctores ſequútus de diuina prædeſtinatione aliter ſen-
tiat, quàm Auguſtinus, & ſanctus Thomas docue-
runt, non ego illi continuò aqua & igne interdicen-
dum cenſeam. Eſt quiddam quod ex aduerſo cum
pietate pugnat; id verò deteſtari neceſſe eſt eum, qui
nolit Catholicæ fidei lineas tranſilire. ſunt plurima
de quibus in vtramque partem fas ſit diſſerere, & opi-
nari, ſi præſertim vtraque ſententia & magnos, & claſ-
ſicos habeat defenſores. Hic nego abſque piaculo, vel
apertiſſima inſcitiæ nota ad fidei cenſores prouocare

A quemquam poſſe. Nam modò quis excludat meri-
tum, aut efficacem cauſam in hominum voluntate,
humani denique arbitrij actionem, quæ omnem præ-
uenientem, atque excitantem gratiam, & primam
Dei vocationem pręuertat, cui Deus ſiue ex condigno
ſiue duntaxàt ex congruo vocationis beneficium
quaſi aliqua ratione debitum perſoluat, etiamſi præ-
deſtinationem non ad gratiam, ſed gloriam referat,
eiúſque veram cauſam admittat, iuſtorum merita,
quæ Dei dona ſunt, aut aliter de prædeſtinatione ſen-
tiat, quàm doceant quidam, qui Auguſtini ſe, ac Diui
Thomæ doctrinam tradere profitentur; is profectò
neque cum Pelagio ſentit, neque gratuitam, & libe-
ralem Dei vocationem, & excitantem gratiam vllo
modo excludit. Iſtis credo iudicibus, fidei cenſori-
B bus ſiſtendi damnandique eſſent complures tum
Græci, tum Latini Patres, qui & ante exortam hæ-
reſim Pelagij, & poſt illam, aliquod eſſe dixerunt
humanæ voluntatis propoſitum, quod Deus ſpectet,
& remuneretur. Atqui ante Pelagium dixit Cyrillus
Ieroſolymitanus [a]. *Liberalis eſt Deus, & pronus ad* a Catech. 1.
beneficentiam, expectat tamen cuiuſlibet propriam vo-
luntatem; propterea ſubiecit Apoſtolus ſecundum propo-
ſitum vocatis ſanctis: propoſitum cùm adeſt proprium,
vocatum te facit. Eodem modo loquitur Origenes,
qui bonum hominis propoſitum ait eſſe vocatione
prius; & addit ſalutis cauſam non in Dei præſcientia,
ſed in cuiuſque propoſito, & actione poſitam eſſe.
Neque aliter ſentiunt Chryſoſtomus, Theodoretus,
& alij. quid autem ſibi Hilario, qui alicubi [b] ait: *Eſt* b in Pſal. 118. littera He.
C *ergo a nobis cùm oramus exordium, vt munus ab eo ſit.* Et
alibi [c]: *Voluntas noſtra hoc proprium ſe habere debet, vt* c litt. Nun.
velit Deus incipienti incrementum dare. Exorto verò Pe-
lagiano errore, cum Pelagiano diſputans Hieronymus [d], *vt noſtrum* (inquit) *ſit orare, illius tribuere quod* d lib. 1. cont. Pelag. nõ longè à princip.
rogatur: noſtrum incipere, illius perficere: noſtrum offerre
quod poſſumus, illius implere quod non poſſumus. Hæc,
atque his ſimilia quatenus probanda ſint, ſuo loco
doceo. plurimum enim à Pelagiano errore differunt,
quandoquidem Auguſtinus contra Pelagianos ac
Maſſilienſes diſputans, vel omnes vel plurimos ex iis
ſecum de Chriſti gratia ſentire contendit. Iam quid
illud ſit, quod in homine requiritur, quóque modo cũ
gratia comparetur, meritò quæritur ne vel cum Pe-
lagio, vel cum ſemipelagianis à rectæ fidei decretis,
D atque Apoſtolicis ſanctionibus recedatur; ſed non id
in præſentia explicandum nobis eſt, dabitur commo-
dior ea de re diſſerendi locus, tantùm monuiſſe volo,
non eſſe illorum ſententiam Pelagianæ impietatis in-
ſimulandam, qui aliquam diuinæ prædeſtinationis
rationem, aut cauſam mouentem in hominum volun-
tate diuina gratia adiuta requirunt, quod faciunt ij,
qui paulò antè eius interpretationis auctores laudati
ſunt, quæ hoc loco propoſitum hominum intelligit,
& ſuperioris ſententiæ explicationem hac veluti pe-
riphraſi contineri docet. Iis enim (inquiunt) omnia
Deus cooperatur in bonum, qui ita vocati ſunt, vt
eorum prius propoſitum nouerit, cùm tamen alij plu-
rimi ſine hac prænotione vocati miſerè pereant, &
rebus aduerſis oppreſſi in deteriora prolabantur. Ma-
E lim ego cum Ambroſio, Hieronymo, & Auguſtino
propoſitum pro diuino conſilio, eiúſque volun-
tatis beneplacito accipere: quod inter Græcos vi-
deo placuiſſe Theophylacto, ſic enim ait: *Vocauit te*
cùm longè abeſſes, ſibique te proprium fecit, quanto magis
vocatum te ſuſcipiet? vocatus eſt autem homo ſecundum
propoſitum, hoc eſt, ſecundum peculiare Dei conſilium, ac
deliberationem: non enim ſufficit vocatio, alioqui omnes
ſeruati eſſent, verùm voluntatis, ac deliberationis diuinæ
neceſſitas hic iuxtà requiritur. Sic etiam loquitur per-
petuò Paulus. nam hac ipſa Epiſtola [e]; Vt *ſecundum* e cap. 9. 11.
electio

Digitized by Google

electionem propoſitum Dei maneret non ex operibus, ſed ex vocante te. Itémque ad Epheſios [a]: *Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ*. Denique ad Timotheum [b]: *Vocauit vocatione ſua ſancta non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum, & gratiam*. Verùm Ambroſiani, & Hieronymiani commentarij propoſitum Dei interpretantur volútatem, qua decreuit ad fidem iuſtificantem vocare illos, quos credituros præſciuit; perinde quaſi Deus vocet quidem permultos, qui diuinæ vocationi reluctentur, adeóque fruſtrà vocentur; neminem tamen non vocet eorum, quos certò credituros præſciuit. Atque ita his verbis ſuperiorem ſententiam explanari autumant. Multò autem aliter Dei propoſitum explicat Auguſtinus [c], voluntatem videlicet efficacem, qua Deus ante omnem æternitatẽ quoſdam elegit, vt gratiam, & ſanctitatem, adeóque etiam ſalutem ſempiternam re ipſa adipiſcantur. Itaque cùm duplicem ſtatuat [d] vocationem, alteram communem, alteram prædeſtinatorum propriam; hanc poſteriorem ſimpliciter, atque abſolutè vocationem ſecundùm propoſitum appellat, eam verò hoc loco intelligendam eſſe ex eo probat [e], quod Paulus ſubdit; *Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit*. Porrò hæc Dei æterna voluntas multis ſolet nominibus in ſacris litteris deſcribi; interdum enim dicitur εὐδοκία, id eſt, bona voluntas, vt ad Philippenſes [f]: *Deus eſt* (inquit) *qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate*. Huc refero quod apud Lucam [g] ait Chriſtus: *Complacuit Patri veſtro dare vobis regnum*. Et apud Matthæum [h]. *ſic placitum eſt ante te*. Interdum appellatur conſilium, vt ad Epheſios [i]; *Qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ*, Græcè κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ. Aliàs dicitur miſericordia, vt ad Titum [k]. *Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit*. Quod igitur ait Chriſtus [l]; *Multi vocati, pauci electi*; explicat Auguſtinus [m], multos eſſe vocatos non vocatione ſecundùm propoſitum, ſed vocatione illa cõmuni: electos autem vocatos eſſe vocatione ſecundũ propoſitum; de qua illud Iſaiæ [n] intelligendum eſt: *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet*. Itémque illud, quod apud Ioannem [o] ait Chriſtus. *Hæc eſt voluntas eius, qui miſit me, Patris; vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in nouiſſimo die*. Et alibi [p]: *Quos dediſti mihi non perdidi ex eis quemquam*.

V. Iam verò quoniam in præſentia Paulus inſinuat, vocationem eſſe aliquam ſecundum propoſitum, aliquam verò non item, quæri ſolet à multis quânam ratione hæ duæ vocationes diſtinguantur: conſtat autem, neutram vocationem ortum habere ex prænotione bonarum actionum, quæ ipſam vocationem præuertant, cùm certum ſit, omnia bona noſtra ortum habere à gratia præueniente, & excitante, quia ſine illa nihil prorſus boni poſſumus, vt ſuo loco fuſius probabitur. Quoniam verò vocatio ſecundum propoſitum actuoſa eſt, & efficax, qui eam reiiciat, aut ei vllo modo refragetur, magna quæſtio eſt, quid illa tandem ſit, & in quo potiſſimùm poſita, quidque neceſſariò habeat adnexum, quáque ratione cum libera actione voluntatis conſiſtat; ſed quoniam ea longiorem poſtulat diſputationem, ſeorſim ſuo loco explicanda erit. Iam verò recentiorum quorundam expendenda ſententia videtur, qui totum hunc Pauli locum de omnibus fidelibus explicant, quos ab Apoſtolo contendunt dici electos, & vocatos ſecundùm propoſitum: ita accipiunt quod ait Paulus hac ipſa Epiſtola [q]. *Credenti autem in eum, qui iuſtificat impium, fides reputatur ad iuſtitiam ſecundùm propoſitum gratiæ Dei*. Ruſus [r]: *Vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret*. Et ad Epheſios: [ſ] *Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ*. Et mox: *In quo nos ſorte vocati ſumus prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*. Et ad Timotheum [a]: *Qui nos liberauit, & vocauit vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tempora ſecularia*. Quòd ſi contendant omnes fideles verè gratuitò, ac liberaliter fuiſſe vocatos, ſed ea beneplacito diuinæ voluntatis, næ ego libens aſſentior; ſi quæ hoc loco dicuntur ab Apoſtolo, negent ad quandam peculiarem electionem, ac dilectionem ſpectare, quæ non ſit omnibus communis, non poſſum viris doctis aſſentiri. Meminiſſe enim oportet illius præcepti ab Auguſtino [b] traditi, vt cùm de prædeſtinatione agimus, ita cum auditoribus loquamur, quaſi illos è prædeſtinatorum numero eſſe credamus, quod ille proculdubio ab Apoſtolo didicerat, qui ita ſemper auditores, ac diſcipulos ſuos alloquitur, quaſi minimè dubitet, illos eſſe prædeſtinatos; itaque hoc loco omnes fideles Romanos alloquitur, quaſi illi prædeſtinati ſint, ſemperque de omnibus fidelibus eodem modo loquitur, cùm præſertim ipſa etiam vocatio ex nonnullo propoſito oriatur, qualisqualis illa ſit, vt ſuo loco docebo. Itaque vt concedamus hæc pertinere ad omnes fideles, certè ita ad illos referuntur, quaſi ad numerum prædeſtinatorum pertineant, quia ex Apoſtoli, & Auguſtini ſententia, ſi vocatio ad gratiam, & quidem perſeuerantem, eſt liberalis, & gratuita; cùm eam gratiam ſequatur neceſſariò gloria, prædeſtinatio ad gloriam, tamquã id, quò gratia refertur, erit etiam liberalis: & quia gratia datur ſine meritis, eadem ratione præfinitur abſque prænotione meritorum. Vult igitur Apoſtolus docere, tam Iudæos, quàm Gentiles vocari ad fidem, & gratiam ex liberalitate diuina, quæ ſingula, quæ decurſu tẽporis fiunt, ante omnem æternitatem præfiniuit. Fateor tamen Auguſtinum diſtinxiſſe vocationem quandam ſecundum propoſitum, à vocatione quadam communi, quam dicit non ſecundùm propoſitum, quia finem vltimum non aſſequitur. ſed hac de re fuſiùs alibi docendum erit.

29. I. NAM QVOS PRÆSCIVIT, &c. Superioris ſententiæ vehemens, atque elegans quædam probatio eſt. adhibita enim gradatione, oſtendit nihil poſſe accidere electis, quod eorum beatitudinem interuertat, aut perdat: relatiuum autem *quos*, eos ſine dubio refert, quos antè dixerat vocatos ſecundùm propoſitum. Niſi quis malit (quod eodem tamen recidit) poſitum eſſe abſolutè, vt generatim ſententia proferatur, pertineátque ad eos omnes, qui diuinæ prouidentiæ conſilio ante omnem æternitatem probati ſunt, qui proculdubio ſuo tempore ſecundùm propoſitum vocantur; quod enim paulò antè dixit κατὰ πρόθεσιν, quod peculiare Dei conſilium, atque decretum interpretati ſumus; id nunc πρόγνωσιν nominat; quod enim ait; quos præſciuit, non ad ſolam mẽtem refero, ſed etiam ad voluntatem, qua aliquos approbauit; quod fuſiùs explico ſuo loco, vbi de prædeſtinatione diſſero. interim tamen eorum ſententiã probare non poſſum, qui cùm relatiuum *quos*, referre putent illos qui ſecundum propoſitum vocati ſunt omnino ad mentem, atque intelligentiam putant pertinere, vt ſenſus ſit eos, qui præcogniti ſunt, tamquam ſecundùm propoſitum vocati, fuiſſe prædeſtinatos: in quo miror acutos homines non adnimaduertiſſe vocationem ſecundùm propoſitum eſſe prædeſtinationis effectum, neceſſe vt ſit, huius vocationis prænotionem eſſe prædeſtinatione poſteriorem; atque ita omnis gradationis lepos, & vis penitùs perit. Quòd ſi præſcientiam ad ipſas duntaxàt perſonas

a cap. 1. 5.
b Ep. 2. c. 1. 9.
c lib. de corrept. de gratia cap. 9. lib. 2. contr. 2 Epiſt. Pelag. cap. 9. & alibi.
d l. de corrept. & gratia cap. 7. lib. de prædeſt. ſanctorum cap. 16. in princ.
e de quibuſdam prop. huius Epiſtol. Num. 11.
f cap. 2. 13 & ad Epheſ. 1. 11.
g cap. 12. 32.
h cap. 11. 26.
i cap. 1. 11.
k cap. 3. 5.
l Matt. 20. 16. & 22. 14.
m Epiſt. 59.
n cap. 46. 10
o cap. 6. 39.
p cap. 18. 9.
q cap. 4. 5.
r cap. 9. 11.
ſ cap. 1. 5.
a Ep. 2. c. 1. 9.
b lib. de bono perſeuer. c. 22.

nas referant, næ illa quidem prædeſtinationem præcurrit ita neceſſariò, vt non ſecùs plerumque poſſit accideré, vt in diſputatione de prædeſtinatione planiùs doceo. Nam qui dicunt, prænotionem, de qua hoc loco Apoſtolus loquitur pertinere ad ſcientiam, quam vocant abſolutam, ſed eſſe præfinitione poſteriorem, cùm Deos idcirco quidpiam futurum videat, quia priùs definiuit, vt ſit, & hunc putant eſſe Apoſtoli ſenſum, omnia cooperari in bonum iis, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt. quia quos Deus præſciuit conformes fieri imagini filij ſui, eos priùs tales præfinierat, vt præfinitio cauſa ſit, cur illi vocentur ſecundùm propoſitum, & cur futuri præſciātur fore conformes imagini Filij ſui, ne videntur quidem Pauli mentem penitus aſſecuti. neque enim hoc modo vis gradationis retinetur, & frigida apparet ratio, cur omnia vocatis ſecundùm propoſitum in bonum cedant. perinde enim eſt ac ſi dicat, id propterea accidere, quia Deus id præfiniuit, & quia poſita præfinitione id futurum cognouerat; quæ eſt omnino frigida ratio. id enim ipſum fortaſſe quærat quis, cur id ita Deus præfinierit. Itaque dicendum omnino, prænotionem idem eſſe, quod propoſitum, ſiue dilectionem, aut electionem. hæc enim omnia re idem ſunt, ſola ratione diſtinguuntur, & ratio ſuperiorum apertiſſima erit. cur enim omnia vocatis ſecundùm propoſitum vſui ſunt? Quia ſunt prædeſtinati. nam ſine dubio ij prædeſtinati ſunt, qui ſecundum propoſitum vocantur vocatione efficaci, quæ adnexam habeat perſeuerantiam: ſed plura contra hanc ſententiam dicam paulò pòſt.

II. Iam pridem autem Pelagianorum hæreſis exploſa eſt, quam redolere videntur commentarij huius Epiſtolæ, qui Hieronymi nomine circumferuntur; ille enim auctor, quicumque tandem ſit, prædeſtinare idem eſſe ait, quod præſcire; & addit. *Ergo quos prauidit conformes futuros in vita, voluit vt fierent conformes in gloria.* Sed & alibi[a] Paulus, & ſæpè Auguſtinus[b] reclamat; ſi præſertim aliquid præſcire dicatur Deus in nobis, quod noſtrum planè ſit, ſiue gratiam præcurrat, ſiue ſequatur; haberet enim prædeſtinatio cauſam in nobis, eáque cauſa quippe à gratia non pendens eam nobis conciliaret; quod Auguſtinus tamquàm Pelagianum damnat, vt alibi doceo. Origenes quidem, & Ambroſius, qui præſcientiam prædeſtinationis cauſam hoc loco videntur agnoſcere, aliter prædeſtinationem intelligunt, quam definiat Auguſtinus. Hic verò viſus eſt aliquando[c] præſcientiam prædeſtinationi ita permiſcere, vt prædeſtinatio præſcientiam inuoluere videatur; de cuius ſententia alibi copioſiùs diſputandum erit. Non negarim certè, præſcientiæ nomine ipſam nonnumquàm prædeſtinationem ſignificari, vt non ſemel Paulus,[d] & interdum etiam Petrus,[e] ipſeque adeo Auguſtinus[f] ſignificant, ſed aptior omnino, & congruentior Pauli ratio videatur, ſi præſcientiæ nomine intelligamus ſcientiam, quam vocant approbationis; quomodo loquitur Dauid.[g] *Nouit Dominus viam iuſtorum.* Et Iſaias:[h] *Tu enim Pater noſter, & Abraham neſciuit nos, & Iſrael ignorauit nos.* Et Chriſtus apud Matthæum:[i] *Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem, quia numquàm noui vos.* Itémque:[k] *Neſcio vos.* Et apud Lucam:[l] *Neſcio vos, vnde ſitis.* Et fortaſſe huc ſpectat quod ait Paulus;[m] *Eum, qui non nouerat peccatum.* Quod tamen aptiùs aliter explicatur, vt conſtabit ſuo loco. Et proculdubio hoc ſenſu multa accipienda ſunt in ſacris litteris. *Nouit*[n] *Dominus dies immaculatorum.* Et.[o] *Iam non eſt propheta, nos non cognoſcet ampliùs.* Itémque:[p] *Declinantem à me malignum non cognoſcebam.* Quo loco ait Auguſtinus; *Quid eſt non cognoſcebam? Id eſt, non approbabam, non* A *laudabam, non mihi placebat. Cognoſcere enim inueniimus in ſcripturis aliquando dici pro eo, quod eſt placere nobis.* Ita Deus olim dixit[a] ad Moſem. *Teipſum noui ex nomine.* Et Ieremiæ:[b] *Priuſquam te formarem in vtero noui te.* Et apud Amos:[c] *Tantummodò vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ.* Chriſtus autem apud Ioannem:[d] *Cognoſco oues meas.* Et mox: *Sicut nouit me Pater, & ego agnoſco Patrem.* Denique Paulus:[e] *Nunc autem cùm cognoueritis Deum, immo cogniti ſitis à Deo.* Et rurſus.[f] *Cognouit Dominus qui ſunt eius.* Huic verò noſtræ ſententiæ fauent Origenes, & Sedulius; nec dubito eam eſſe theologicæ doctrinæ maximè conſentaneam; quin etiam hoc modo crediderim, intelligenda eſſe verba Petri,[g] quibus Chriſtum ait, fuiſſe præcognitum ante mundi B conſtitutionem; ſine dubio enim loquitur de Chriſti æterna prædeſtinatione. Monet autem hoc loco Origenes, ſcientiam Dei non eſſe cauſam rerum, ſed potiùs ideo Deum futura cognoſcere, quia futura ſunt; quod videtur pugnare cum Auguſtini[h] ſententia, qui ait, omnia creata non ideo cognoſci à Deo, quia ſunt, ſed potius ideo eſſe, quia cognoſcuntur à Deo. ſed vt rectè docét Theologi, vtrumque alia atque alia ratione verum eſt: Auguſtinus enim loquitur de ſcientia practica, quæ habet adnexam volentis actionem: Origenes verò de ſcientia abſolutè, atque ſimpliciter accepta: quomodo etiam loquuntur Iuſtinus[i], Chryſoſtomus[k], Damaſcenus[l], Cyrillus[m] Alexādrinus, Hieronymus[n], Boëtius[n], Beda[p], & ipſe Auguſtinus[q]. cum Auguſtino prioribus locis C ſentire videtur Gregorius[r]. Iam verò quod ſequitur.

III. *Et prædeſtinauit*; preſſè omnino theologico more accipiendum eſt, vt ex Diuo Thoma[ſ], & noſtris diſputationibus intelligi poteſt: ex quo apparet (vt paulò antè monui) minùs probandam eſſe quorumdam ſubtilitatem, qui dum nimiùm videri volunt arguti, Pauli ſententiam peruertunt. Cùm enim præſcientiam ad ſolam mentem, atque intelligentiam referant, & futurorum euentuum prænotionem interpretentur, eam tamen præfinitione, ſeu prædeſtinatione ordine quodam poſteriorem eſſe contēdunt: idque vel ex eo nō ſine magno, vt ipſi volunt, myſterio colligunt; quod Apoſtolus prætermiſſo pronomine demonſtratiuo, quod ſemper ſequentibus verbis adiungit, ſimpliciter dixit; quos præſciuit, & præ- D deſtinauit. Si enim dixiſſet; quos præſciuit, hos & prædeſtinauit, eumdem viſus eſſet ordinem probare, quem poſtulant ea, quæ ſequuntur: quos prædeſtinauit, hos & vocauit. Atque ita quemadmodum prædeſtinatio eſt vocatione antiquior, ita præſcientia prædeſtinationem ſaltem ordine præcurreret. Itaque hunc Pauli ſenſum eſſe exiſtimant: Quos præſciuit conformes fieri imaginis filij ſui, & prædeſtinauit, hoc eſt, etiam priùs prædefiniuit, quàm præſciret, cùm prædefinitio ſit cauſa prænotionis futuri euentus. Quod autem magnopere mirere huius interpretationis maieſtatem, & myſteria ſupra quàm credi poteſt extollunt, vbi (vt verum fatear) nihil non prophanum, aut populare video. Quod enim Apoſtolus ait. Quos præſciuit, & prædeſtinauit, E perinde prorſùs accipiendum eſt, ac ſi dixiſſet; quos præſciuit, illa nimirum approbationis ſcientia, quæ dilectionem adnexam habet, hos & prædeſtinauit, vt præſcientia ſi de Deo hominum more loquendum ſit; veluti deliberantis, nec dum tamen ſtatuentis, aut decernentis videatur: præfinitio autem, ſeu prædeſtinatio fixum, atque immobile, ac penitùs irreuocabile decretum contineat. Cùm enim vi ſcientiæ abſolutæ cuncta, Dei quæ eſſe poſſunt menti obiiciantur, intelligimus quædam (vt more noſtro loquamur) liberam Dei voluntatem quaſi oblectare, atque

X allico

a ad Epheſ. 1.
b lib. de prædeſt. SS. c. 17.
c lib. de bono perſeuer. cap. 17 & lib. 6. Hypognoſt. in initio.
d ad Rom. 11. & 2. ad Tim. 2.
e Ep. 1. cap. 1.
f lib. de bono perſeuer. c. 18.
g Pſal. 1. 6.
h cap. 63. 16.
i cap. 7. 23.
k Matt. 25. 12.
l cap. 13. 25.
m 2. ad Cor. 5. 21.
n Pſal. 36. 18.
o Pſal. 73. 9.
p Pſal. 100. 4.

a Exod. 33. 12.
b cap. 1. 5.
c cap. 3. 2.
d cap. 10. 14.
e ad Galat. 4. 19.
f 2. ad Tim. 2. 19.
g Ep. 1. cap. 1.
h lib. 5. de Trinit. cap. 13. & lib. 6 ca. 10. & lib. 5. de Ciu. cap. 6.
i Quæſt. 58. ad Gent.
k Hom. 60. in Matt.
l lib. cōt. Manich. non longe à fin.
m lib. 6. Ioan. cap. 10.
n in Ezech. c. 2. & Iere. 26.
n li. 5. de conſol. p. 3.
p Tom. 8. in l. Quæſt. q. 13.
q lib. 5. de ciuit. c. 10. prope fin.
r lib. 20. Moral. c. 23. alias 24.
ſ 1. p. q. 23. a. 4.

A allicere ad ſeſe, quam approbationis ſcientiã appellamus. Hinc exiſtit prædefinitio, quæ eo planè ordine, quo recenſentur à Paulo, præſcientiam ſubſequitur, & comitatur, non quaſi altera ſit alterius cauſa, ſed quòd ea ſit intelligentiæ, volũtatiſque ratio, vt illius functio præcurrat, huius verò ſequatur. Neque enim prædefinitio certa, ac minimè fallax eſſe poſſet, niſi præcurrentis ſcientiæ lumine, ac veluti face illuſtrata ſplendeſceret. Verum autem ea ſcientia ſit rerum abſolutè, an ſub conditione futurorum, ſuo loco expedio; certè ante prædeſtinationem nullam requiri abſolutam ſcientiam viſionis, alibi doceo. ſed longè

IV. maior dubitatio eſt quid ſignificent illa verba; *Conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Qua in re mirum eſt quantopere inter ſe huius loci explanatores diſſentiant. B nam Origenes ipſam filij diuinitatem interpretatur, cuius ſimilitudo nobis aliqua ratione tribuitur, cùm ſapientia, iuſtitia, veritas, cæteræque virtutes diuinitus conceduntur. Idem rurſùs Chriſti animam, imaginem filij interpretatur, cui nos tum demum reddimur ſimiles, cùm eius virtutes imitamur, & quoad eius fieri poteſt exprimimus; ſic enim alicubi ſcribit [a] Paulus: *Elegit nos, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius.* Et alibi: [b] *Sicut portauimus imaginem terreni, ſic portemus & imaginem cœleſtis.* Theodoretus refert ad gloriam corporis; ſcribit enim alicubi Paulus: [c] *Saluatorem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Hieronymus, & Ambroſius de gloria, & beatorum præmio C accipiunt, vt quos Deus præſciuerit mores, & vitam Chriſti expreſſuros, eos ad eiuſdem beatitudinis ſocietatem deſtinarit. Longiùs aliquanto receſſiſſe ab inſtituto videntur Athanaſius, [d] & Baſilius, [e] & aliqua etiam ratione Cyrillus, [f] qui omnes filij imaginem Spiritum ſanctum eſſe affirmant: quocirca Athanaſius, & Baſilius prædeſtinatos, aiunt eſſe electos, vt integritate, & ſanctitate vitæ Spiritui ſancto ſimiles efficiantur. Quæ ſanè omnes interpretationes diuerſo quidem calle, eòdem tamen tendere videntur, vt oſtendant his verbis prædeſtinationis finẽ, vel, vt loquũtur in ſcholis, obiectum declarari. ſed alij quidem referunt ad gloriam, alij ad gratiam, vt in diſputationibus doceo: ſimpliciter tamen in præſentia Chryſoſtomo aſſentior, qui filij ſimilitudinem poſitam in eo cenſet, vt prædeſtinati quamdam filij ra- D tionem, & ſimilitudinem referant, & quemadmodum Chriſtus eſt natura Dei filius, ita ipſi adoptione Dei Filij nuncupentur, vt omnino aptè ſubdat Apoſtolus; *vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Nam quemadmodum ait Cyrillus; [g] *Cùm Chriſtus, qui natura Deus erat, hominum natura ſuſcepta, frater noſter effectus eſt, tum verè primogenitus in multis fratribus appellari cœpit; quòd multos gratiæ beneficio Dei filios effecerit.* Tractat hunc locum cùm eleganter, tum copioſè Fulgentius [h] ad Monimum. Poſtremò obſeruo, hinc colligi (quod ſuo loco copioſiùs doceo) prædeſtinationem proximè quidem referri ad gratiam, quæ facit nos Dei Filios adoptione, ac propterea ſimiles imagini veri, ac naturalis filij; remotè E tamen (quidquid aliqui contrà ſentiant) ſpectare finem beatam vitam, ad quam gratia ſuapte natura homines ducit: nam alioqui ſtulta, ac prorſùs non ſolùm Deo, ſed quouis ſapiente indigna eſſet prædeſtinationis ratio, ſed id tribueret quod per ſe refertur ad finem, nec de fine quidquam cogitaret, cùm tamen appetitio finis ratio ſit cur media quærantur. Vult igitur Deus prædeſtinatione ſua multos facere filios adoptiuos, vt eos habeat vnà cum filio naturali in cœlo hæredes. Non me quidem fugit alia propemodum innumerabilia ad huius loci explana-

a ad Epheſ. 1. 4.
b 1. ad Cor. 15. 49.
c ad Philipp. 3. 21.
d Ep. ad Serap. 1. de ſpiritu ſancto. & in alt. ad eũd. ſpiritum ſanctum nõ eſſe creaturam.
e lib. 5 contra Eunom.
f lib 33. theſ. cap. 5.
g li. 10. theſ. cap. 4.
h lib. 1. c. 8. 11.

A tionem afferri poſſe, quæ meritò à viris doctis requirantur, ſed ea ita pertinent ad Pauli ſententiam explicandam, vt præcipua prædeſtinationis capita non attingant ſolùm, ſed omnem eorum difficultatem contineant, vt præſtet omnino ea penitus intacta relinquere, quàm ſtrictim breuitérque perſtringere, ac non pro rei dignitate expedire. certè enim non defuerunt qui Græcorum ſententiam cum Auguſtini ſententia conciliare aliter, atque aliter conati ſint, vt in diſputationibus fuſiùs doceo. Hìc tantùm ſumma capita indicaui, quæ ad hunc locum vtcumque illuſtrandum facere videbantur.

QVOS AVTEM PRÆDESTINAVIT, &c. 30.
I. Effecta meo quidem iudicio prædeſtinationis recenſet, ſi præſertim hæc omnia ita accipiantur, vt in ſin- B gulis verbis intelligantur illa ſuperiora; *Secundum propoſitum.* Quos (inquit) prædeſtinauit ſecundùm propoſitum vocauit; itémque ſecundum propoſitum iuſtificauit iuſtitia, quæ ad extremum vſque ſpiritum perſeueret, vt deinde certò beata vita reſpondeat. Rectè namque Auguſtinus [a] ait: *Quos enim prædeſtinauit, ipſos & vocauit, illa ſcilicet vocatione ſecundùm propoſitum, non ergo alios, ſed quos prædeſtinauit, ipſos & vocauit, nec alios, ſed quos ita vocauit, ipſos & iuſtificauit, nec alios, ſed quos prædeſtinauit, vocauit, iuſtificauit, ipſos & glorificauit; illo vtique fine, qui non habet finem.* Alio verò loco [b]. *Hæc vocatio eſt ſecundum propoſitum, hoc eſt ſine pœnitentia.* Nec quemquam mouere debet, quòd hæc omnia tamquàm præterita deſcribantur à Paulo, cùm tamen multa adhuc futura ſint; C indicare enim voluit Apoſtolus rei certitudinem, & prophetarum more res futuras, tamquàm ſi præteriiſſent, narrat. Adde, quòd in multis prædeſtinatis, qui iam vita functi erant reipſa hæc omnia iam præterierant. Quod verò attinet ad verba Pauli, nonnulli vulgati codices habent; Magnificauit, quomodo legit Ambroſius, Græcè tamen legitur ἐδόξασε, hoc eſt, glorificauit, illa videlicet cœleſti beatorum gloria, qui eſt vltimus prædeſtinationis finis. Quamquàm Ambroſius, Hieronymus, Gregorius inter Latinos; Chryſoſtomus, Theophylactus, Theodoretus, Theodulus inter Græcos, gloriam intelligunt, qua Dei filij verè fiunt, ac nominantur: quæ ſanè interpretatio mirè congruit Græcæ voci ἐδόξασε, quæ ſignificat celebrare, laudibus extollere, & magnificè D prædicare. De cœleſti verò beatitudine, gloriáque immortali hunc locum explicant Origenes, Auguſtinus [c], & Fulgentius [d], vtro autem modo intelligas, præclarum prędeſtinationis effectum numerat Apoſtolus; ſed priori quidem modo eumdem cum iuſtificatione, qua adoptamur in filios; poſteriori verò iuſtificationis finem, & prædeſtinationis terminum; quem qui [e] negant inter prædeſtinationis effecta numerandum, ſubtiliùs loquuntur, quàm veriùs; fatemur enim prædeſtinationem eſſe præparationem eorum, quæ referuntur ad finem, ſed quæ gratia finis expetuntur, ea vim quandam finis effectricem continent; tritum autem illud eſt, quod cauſam efficiat, id etiam ſuo modo parere quod efficitur à cauſa, ita agens quod materiam præparat, formam non E ſolùm parit, ſed vera dicitur eius cauſa, quod inde exiſtit, cõpoſiti. Ita cùm gratia ſuaptè natura ſit propter gloriam, ſi prædeſtinatio eſt cauſa gratiæ perſeuerantis, erit cauſa gloriæ, & voluntas dandi gloriam, ſi ſit efficax, erit ad modum finis, cauſa cur gratia prædeſtinetur. Cæterùm Paulus vt prædeſtinationis, & eorũ quæ prædeſtinationem neceſſariò cõſequuntur firmitatem, & conſtantiã indicaret, ſimúlque oſtẽderet, quàm verè paulò antè dixerit, Deum diligentibus ſe omnia cooperari in bonum; ſubdit. 31.

I. QVID ERGO DICEMVS, &c. Quid igitur

a lib. de prædeſt. SS. c. 17.
b ep. 19. q. 4.
c lib. de prædeſt. ſanct. ca. 17. & Serm. 17 de verb. Apoſtol.
d li. 1. ad Monimum. c. 11.
e Durand. 1. d. 41. q. 2. n. 10.

mali

mali metuendum eſt iis, qui tam firmo, & valido, A
tamque honorifico Dei patrocinio fouentur, vt exi-
mio quodam modo electi ſint, ſecundum propoſi-
tum vocati, iuſtificati & ad beatorum gloriam deſti-
nati? Quis verò hæc inficiari queat? Quod ſi Deus à
nobis ſtat, quem aduerſarium metuemus? Itaque ſi
tanta eſt diuinæ in nos beneuolentiæ efficacitas, nihil
profectò mali formidandum relinquitur. Loquitur
autem Paulus in prima perſona, non ſolùm vt ſigni-
ficet (quod nonnulli opinantur) ſe de numero præ-
deſtinatorum eſſe; verùm etiam vt eam veluti lo-
quendi legem præſcribat, quam viſus eſt probare
a lib. de dono perſeuer. cap. 22. Auguſtinus [a], vt cùm de prædeſtinatione loquimur,
veluti benè ominando, primam perſonam exprima-
mus, contra verò tertiam, cùm de reprobatione agi-
mus. Neque verò Apoſtolus dum ita loquitur, om- B
nem à nobis pugnam, ac omne penitùs certamen
b ad Epheſ. 6.12. amouet, cùm alibi dixerit [b]: *Non eſt nobis colluctatio
aduerſùs carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus Principes,
& poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarũ harum.*
c ep. 1. c. 5. 8. Et Petrus [c]: *Sobrij eſtote, & vigilate, quia aduerſarius
veſter Diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens
quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide.* Sed vt oſten-
d Pſal. 33. 20. dat nihil eſſe metuendum; quia, vt ait Dauid [d]; *Multæ
tribulationes iuſtorum; ſed de his omnibus liberauit eos
Dominus, cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, vnum ex
illis non conteretur.* Nulla eſt enim tanta vis, quæ vin-
cere, aut ſuperare poſſit prædeſtinatos; & idcirco di-
e ep. 1. c. 2. 19. xit Ioannes [e]: *Exierunt ex nobis, ſed non erant ex nobis,
quia ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum.* C

32. QVI ETIAM PROPRIO FILIO, &c. Hoc
I. nimirum eſt, quod ſupra [f] dixerat Paulus, maximè
f cap. 5. 8. Dei in nos caritatem commẽdare. Ita Christus apud
g cap. 3. 16. Ioannem [g]: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum
vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipſum non pe-
reat, ſed habeat vitam æternam*, id enim factum eſt ob
eximium Dei in homines amorem, vt in eum locum
explicant Chryſoſtomus, & Amphilochius. Creſcit
autem Dei in nos amor, primò quia ipſe prior dile-
h ep. 1. c. 4. 19 xit nos, vt ait Ioannes [h]; deinde quia Deus homines
diligit, à quibus tanta diſſimilitudine diſtat, vt nulla
conciliandi amoris cauſa intercedere videatur, tertiò
quòd homines amet multis ab illis vltrò laceſſitus
iniuriis; quartò quòd non modò Iudæos, quibus
Chriſtus ex fœdere aliquid debere videbatur, ſed
omnes etiam Gentiles beneuolentia complectitur;
quintò quòd amoris, & beneuolentiæ ergò non vile
quidpiam, aut abiectum, aut quidlibet quamuis ma-
gnum, ſed vnicum, atque apprimè charum filium
largitus eſt; poſtremò quòd non quauis ratione fi-
lium dedit, ſed tamquàm mancipium, aut fugitiuum
ſeruum neci, & cruci addixit: quocirca rectè Chri-
i Ioan. 15. 13. ſtus [i], *Maiorem caritatem nemo* (inquit) *habet, vt ani-
mam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* (ita enim legen-
dum eſſe dempta particula; quàm; Græci, & Latini
emendatiores codices docent) vt oſtendat non po-
tuiſſe ſe maiorem oſtendere caritatem, cùm nulla ſit
ea caritate maior, qua quis ad animam, ac vitam pro
amico fundendam impellitur. Sed vulgatum erro-
rem, codicum vitio decepti magni auctores ſecuti
ſunt. At pro inimicis ſi quis moriatur (quod fecit
k Ser. de Fer. 4. hebdom. ſanct. Chriſtus) eius caritatem Bernardus [k] putat eſſe ma-
iorem. Verùm Chriſtus amicos vocat quos ipſe
amat, non à quibus diligitur: ſic Iudam alloquens;
Amice (inquit) *ad quid veniſti?* Huc igitur ſpectans
Paulus, vt eandem ſententiam confirmet, electis
omnia cedere, ait, in bonum; *qui etiam* (inquit) *proprio
filio ſuo non pepercit.* Hilarius [l] obſeruat, appellari
l li. 6. de Trinit. circa fin. m lib. aduerſ. Praxea c. 30. Chriſtum proprium Dei filium, quaſi explicare ve-
lit Apoſtolus naturalem eſſe vnius Dei filium, nul-
lique alij communem. Tertullianus [m] autem hunc

A locum Pauli confert cum illo Iſaiæ [a]. *Et Dominus* a cap. 53.
eum tradidit pro delictis noſtris. Sic enim ille legit,
quod & facit Clemẽs [b] Alexandrinus, pro quo Hie- b li. 1. Pædag. cap. 8.
ronymus vertit: *Et poſuit in eo iniquitatem omnium
noſtrum* [c]. Alibi verò idem Tertullianus hinc colli- c lib. de fuga in perſec. ca. 12.
git indignum eſſe, fugam perſecutionis pretio redi-
mi: *Quam* (inquit) *indignum Deo & diſpoſitionis eius,
qui filio ſuo non pepercit pro te vt fieret maledictum pro
nobis, quia maledictus qui pependerit in ligno, qui tam-
quam ouis ad victimas ductus eſt, & tamquam agnus
ante tondentem, ſic non aperuit os, ſed poſuit dorſum ſuũ
in flagella, maxillas autem in palmas, & faciem nõ auer-
tit à ſputaminibus, & inter iniquos deputatus eſt, &
traditus eſt in mortem, mortem autem crucis.* Cæte- II.
rùm non peperciſſe dicitur filio, quòd ab eo pro-
B miſſi pro nobis vadimonij fidem exegerit, & iuſſe-
rit noſtris quodammodo ſceleribus debitas pœnas
perſoluere, cuius illa vox eſt apud Dauidem [d]. *Deus,* d Pſal. 21. 2.
*Deus meus vt quid dereliquiſti me, longè à ſalute mea
verba delictorum meorum?* Itémque [e] alibi: *Quæ non* e Pſal. 68 5.
rapui tunc exſoluebam. Eſt porrò hoc argumentandi
genus vehemens, atque acre (quod aiunt) à maiori;
nam ſi filium ſuum tanta cum caritate noſtra omniũ
cauſa morti addixit, quid poteſt eſſe tam magnum,
támque pretioſum, quod nobis à diuina liberalitate
denegetur? Quamquàm autem plerique Græci co-
dices verbũ habent præteriti tẽporis ἐχαρίσατο, id eſt,
donauit, qui tamẽ nunc habentur in manibus habẽt
futuro tẽpore χαρίσεται, id eſt, donabit, quomodo in-
C ter Græcos legiſſe videntur Chryſoſt. & Theophyl.
inter Latinos Ambroſius, nihil immutata ſententia.
At Chriſtus nõ pro prædeſtinatis modò, ſed pro cũ-
ctis mortalibus ſanguinẽ vitámque profudit: enim-
verò propterea nemini prorſus aditum præcludit ad
ſalutem, nec quemquam deſerit, à quo nõ priùs ipſe
deſeratur. Vt vel hinc etiam vis argumenti magno-
pere augeatur. nam ſi nihil neceſſarium ad ſalutem
reprobis denegatur, quid de prædeſtinatis cenſen-
dum erit? Illis profectò omnia largitur dum ſecun-
dùm propoſitum vocat, iuſtificat, & ad ſempiternam
gloriam perducit. *Omnia veſtra ſunt* (ait Paulus [f]) f 1. ad Cor. 3. 22.
vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei. Ac prædeſtina-
torum quidem omnia meritò eſſe dicuntur, quibus
(vt ait Auguſtinus [g]) plura largitus eſt, quàm primis g l. de corrept. & gratia c. 11. 12.
D olim parentibus. dederat enim illis, vt poſſent benè
velle, electis donat etiam vt velint; illis vt poſſent
perſeuerare, his vt re ipſa perſeuerent, & non niſi
perſeuerantes ſint; illis denique poſſe ſalutem con-
ſequi, his vt re vera ſalui fiant. Atque ita non quidem
lætiore, ſed tamẽ longè validiore gratia præditi ſunt
prædeſtinati. Quomodo autem cuncti mortales me-
ritorum Chriſti participes fiant, vberiorem poſtulat
diſputationem, quam ſuo loco expedio. Nullo certè
modo audiendi ſunt qui contrà quam fides Catho-
lica doceat, Chriſtum pro ſolis prædeſtinatis mor-
tem obiiſſe affirmant. nam alioqui quæ cauſa erat,
cur Apoſtolis præciperet, vt omnes omnino gentes,
ac nationes Euangelica doctrina erudirent, & Chri-
ſtianis ſacris imbuerent, ſi ad eos Chriſti beneficium
nihil pertinebat? An quia ex omnibus gentibus ali-
E qui ſunt prædeſtinati? Id quidem verum, ſed (vt ali-
bi doceo, nemo erit in extremo iudicio, qui iure que-
ratur, ſe non potuiſſe conſequi ſalutẽ, aut vitare pec-
cata, quibus ſe aliquando obſtrinxit. Itaque omnia
quidem electis, ac prædeſtinatis donauit, quorum
vtilitati, & gloriæ omnia creata ſuo quodam modo
ſeruiunt, ſed nõ ſingula ſingulis, vt alibi docet Apo-
ſtolus, cùm varia eſſe fidelium munera docet, omni-
bus tamen ſingillatim, ac propriè largitus eſt poſſe
fidei, & diuinæ vocationi præbere aſſenſum, poſſe
iuſtitiam, & ſalutem conſequi; poſſe perſeuerare:

prædeſtinatis hæc omnia reapſa largitur. Cæterùm
mors Chriſti, eiúſque pretioſiſſimi ſanguinis ſingu-
laria merita ad omne genus hominum pertinent,
nemóque mortalium eſt qui non aliquid à Chriſti
morte percipiat, vel percipere certè poſſit, vt alibi
copioſiùs doceo, vt meritò illud de Chriſto affirme-
a Pſal. 18. 6. tur [a]: *non eſt qui ſe abſcondat à calore eius.*

33. Qvis accvsabit, &c. At poterant Ro-
I. mani obiicere reos fieri Chriſtianos, & ad tribunalia
rapi, multorum flagitiorum inſimulari, infanticidij,
promiſcuæ libidinis, anthropophagiæ, ſacrilegij de-
nique atque impietatis; ſed nimirum tantum abeſt
(ait Paulus) vt hæc electorum gratiam, qua apud
Deum plurimum valent, aut violent, aut labefactet,
vt hoc ipſo nomine, quod contra ius, fáſque pro
Chriſti nomine tam multa tolerant aduerſa mirifico
iuſtitiæ præconio apud Deum celebrentur. Quod ſi
contingat (quod aliquando euenire poſſe, quidquid
hæretici vociferentur, nemo Catholicorum inficia-
tur) electos peccare, ne propterea quidem cuiuſ-
quam criminationi obnoxij eſſe debent, cùm diuino
planè Chriſti beneficio priſtinam iuſtitiam, & ſan-
ctitatem adipiſcantur. Quamquam autem Origenes
hæc aduerſus Dæmonem mortalium calumniato-
rem, & accuſatorem fratrum (vt ſcribitur in Apoca-
b cap. 12. 10. lypſi [b]) dicta eſſe putat, quia tamen ampliſſima eſt
Pauli ſententia non ita preſsè, atque anguſtè acci-
pienda eſt, vt alij etiam calumniatores excludantur.
Eorum verò nullo modo probanda ſententia eſt qui
κατὰ pro ὑπὲρ poni putant, vt ſenſus ſit: quis accuſa-
tionem instituet pro electis Dei ad ipſorum videli-
cet defenſionem aduersùs inimicos? Id enim non
modò violentum, ac durum, ſed prorſus abſurdum,
& à Pauli mente alienum videtur. Cur enim ſubdat,
Deus, qui iuſtificat? Quos autem iuſtificat Deus iu-
ſtificatione ſecũdum propoſitum niſi electos? Quòd
ſi illi à Deo iuſtificantur, quorſum illis aduocati pa-
trocinium accerſas? Quorſum in aduerſarios accuſa-
tionem inſtituas? Fateor tamen non exiguam videri
in horum verborum diſtinctione ambiguitatem. Et-
c lib. 3. de doctr. Chriſtiana c. 3. enim Auguſtinus [c] duplici interrogatione priora
duo membra ita coniungit, vt altero percunctatio-
nem, altero acrem, & vehementem reſponſionem
contineri exiſtimet. *Quis* (inquit) *accuſabit aduerſus*
electos Dei? Deus, qui iuſtificat? Quaſi tacitè reſpon-
deat, id omnino videri abſurdum, cùm nihil magis
cum criminatione, atque accuſatione pugnet, quàm
iuſtificatio. Eodémque modo duo ſequentia mem-
bra coniungit & explicat. *Quis eſt, qui condemnet?*
Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt? magis autem qui reſur-
rexit? qui eſt in dextera Dei? qui & interpellat pro no-
bis? Vt ſemper tacita negatione reſpondendum vi-
deatur. Ad eundem modum & diſtinxiſſe, & Pauli
mentem accepiſſe viſus eſt Ambroſius, qui Deum,
qui nos iuſtificat, accuſare nos poſſe negat, aut Chri-
ſtum nos damnare, qui ea nos caritate ſit proſecutus,
vt pro noſtra ſalute mortem obierit, & ad ſuperos
reuocatus noſtram apud Patrem ſuæ mortis com-
memoratione cauſam fideliter agat. At Origenes
prætermiſſa priori interrogatione abſque vlla re-
ſpõſione, vt tacita negatio intelligatur, has duas ſen-
tentias ita coniungit; *Deus, qui iuſtificat, quis eſt, qui*
II. *condemnet?* Vt tacitè ſubaudiatur nullus. Cætera ve-
rò, quæ ſequuntur non tamquam à percunctante,
ſed tamquam ab enunciante dicta eſſe ſignificat.
d lib. 10 de Trinit. Nec videntur diſcrepare Chryſoſtomus, & Theo-
e lib. 4 de doctr. Chriſtiana c. 26 phylactus inter Græcos, neque inter Latinos Hila-
f lib. 7. regeſt. epiſt. 13. rius [d], Auguſtinus [e] ipſe, & Gregorius [f]. Fauere vi-
g lib. 10. in Leuit. c. 40. detur etiam Cyrillus [g], qui tamen locum hunc bre-
uiter attingit. Sed in hac diſtinctionis varietate ea-
dem meo iudicio ſententia conſtat, quam nos in pa-

A raphraſi expreſſimus. Et profectò ſiue hoc, ſiue illo
modo interpretere, magna eſt omnino huius ſen-
tentiæ vis, ſeu interrogationem ſæpius ingeminet,
ſeu argumentorũ congerie concludat, neminem fo-
re, qui electos criminetur, aut condemnet. Neque
verò abſurdum videri debet, ſi negare videatur Pau-
lus, Deum eſſe electorum criminatorem; non enim
id ſimpliciter, & præcisè dicit, ſed illum ait iuſtifi-
care, hoc eſt, non modò ſua ſententia iuſtos declara-
re (quod ipſum maximum eſſet aduerſus quamlibet
criminationem præiudicium) ſed veram iuſtitiam,
& ſanctitatem largiri, vt conſequens ſit, nullum re-
linqui criminationi locum. perinde enim eſt, ac ſi
dicat: Quis poſſit electos accuſare, quos Deus iuſtos
fecit, & ſanctos? Sic enim alibi [a] ait. *Elegit nos in ipſo* a ad Eph. 1. 4
B *ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & imma-*
culati in conſpectu eius in caritate. Siue igitur his ver-
bis. *Deus qui iuſtificat*, interrogationis notam addas,
ſiue ſecus, hæc videtur ſententia. Quis audeat ele-
ctos à Deo in iudicium vocare? Deus, qui iuſtificat?
Id quidem abſurdum. cur enim iuſtificet? Deo verò
iuſtificante, hoc eſt, veram iuſtitiam largiente, quis
poteſt eſſe reliquus accuſationi locus? Quod ſi abſ-
que interrogatione pronunties, ſenſus erit; Quis ac-
cuſabit aduerſus electos Dei? Deus quidem certè
illos iuſtificat, atque iccirco nulla eis criminatio, nul-
la accuſatio obeſſe poterit. Quod ipſum de ſequen-
tibus ſententiis facilè dixerim, vt mox oſtendam. Il-
lud autem in præſentia monuerim, quamquàm Au-
guſtinus [b] ad Simplicianum viſus eſt hunc locum ex- b li. 1. qu. 2.
C plicare de electione ad gloriam, quam putat meri-
torum prænotione, ac præſcientia niti; propiùs ta-
men vero videri, loqui Paulum de electione ad
gratiam, & iuſtificationem vnde prædeſtinationis
effecta ortum habent; de ſententia autem Auguſtini
ſuo loco agendum erit.

Qvis est, qvi condemnet, &c. Si 34.
priorem Auguſtini diſtinguendi rationem ſequa- I.
mur, ex iis, quæ modò diximus, conſtare poteſt ho-
rum verborum ſenſus. adhibita enim percunctatio-
nis nota, acriùs negat, Chriſtum condemnaturum,
qui tam ſedulo pro nobis patroni, atque aduocati
munere fungatur: ſed ea tamen ſublata, nihilominùs
elegans ſententia eſt; vt enim (quod modò dictum
eſt) Deo iuſtificante, non dicam Deus, ſed ne vllus
D quidem alius accuſaturus eſt; ita nemo condemnare
poteſt eos, qui Chriſti patrocinio apud Patrem de-
fenduntur: non dubium tamen eſt, multum orationi
lucis acceſſurũ, ſi tam in ſuperiori, quàm in hac ipſa
ſententia vox vna addita eſſet, itáque Paulus dixiſ-
ſet. Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus eſt,
qui iuſtificat. Quis eſt, qui condemnet? Chriſtus eſt,
qui mortuus eſt. Nam apud Græcos quidem ma-
gnam lucem afferunt articuli, & verbi reticentiam
quodam modo explent. Commemorat autem Pau-
lus Chriſti mortem, anaſtaſim, conſeſſum ad Patris
dexteram, & denique precandi ſtudium. Quomodo
autem nunc apud Patrem Chriſtus pro nobis pre-
ces fundat, alibi videro. Interim quicquid illud tan-
dem ſit, ad Chriſti humanitatem pertinere ambigi
E non poteſt: Ita enim Origenes [c], Gregorius [d] Na- c Hom. 9. in Leuit.
zianzenus, & Ambroſius [e] interpretantur, niſi quòd d Orat. 4. de Theol.
Origenes fines exceſſiſſe videtur; qui tamen (quod e In hunc locum.
facit Bernardus) piè poteſt explicari, vt fletus, & la-
crymæ Chriſti non re ipſa, ſed quadam commemo-
ratione diuinis obtutibus obiiciantur non aliter, at-
que ipſa crux, & mors Chriſti ſemper coram Deo
adeſſe intelligitur, & miris quibuſdam vocibus di- f Ruper. lib. 9 de diuin. offic. c. 1.
uinam miſericordiam implorare; ita enim quidam [f] g apud Oecumen. in hunc locum.
Chriſti orationem interpretatur: neque aliter acci-
pio quod ait Cyrillus [g], preces illas, quas pro ſuis
viuens

uiuens Christus Parri obtulerat, etiam in cœlo perſeuerare: qua item ratione probari poſſunt quæ in hanc ipſam ſententiã ſcribunt Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius. Sunt quidem, qui ex hoc loco aduerſus hæreticos ad ſtatuendam ſanctorum deprecationem argumententur, ſed neſcio quàm validè, quandoquidem illi Christum mediatorem eſſe non negant, per quem habemus acceſſum ad Patrem; de ſanctis alia omnia, quos citra Christi iniuriam deprecatores adhiberi non putant, aliáque inania afferunt argumenta, quæ in ſanctis nonnullam ſpeciem habere videntur, quamquam inanem, ac futilem; in Christo planè nullam. Sed ea de re nos alibi plura.

35.
I. QVIS ERGO NOS SEPARABIT, &c. Rectè Auguſtinus [a] totum hunc Pauli locum profert tamquam exemplum ornatæ, & vehemẽns orationis; ornatus enim maximè cernitur in gradationibus ſimiliter deſinentibus, & cadentibus, eiuſdem vocis iteratione, & contrariis; vis verò, & vehementia, ſeu acrimonia ex comparibus aſyndetis, & frequenti interrogatione oritur, quæ ſi quis diligentiùs perſcrutari velit, facilè in præſentia magnam horum omnium copiam reperiet, quibus addi poſſunt inciſa, & magnifica quædam eorum cõmemoratio, quæ à Paulo, tamquàm numine afflato, nihilque humile cogitante, pronuntiata videntur. Verùm quod ad rem attinet, ambigi poteſt vtram caritatem intelligat Paulus, illam-ne, qua nos Deus diligit, an verò qua nos Deum amore, beneuolentiaque complectimur. Hanc ferè poſteriorem omnis antiquitas accipit, ita enim explicant Origenes, Chryſoſtomus, Theodoretus, Athanaſius [b], Baſilius [c], Taſaſius [d], Cyprianus [e], Hilarius [f], Ambroſius [g], Hieronymus [h], Auguſtinus [i], Bernardus [k], Anſelmus [l]. Recentiores malunt de priori caritate accipere, hoc ſolo nomine minùs probandi, quod non bonos, hoc eſt, hæreticos auctores habeant. Cæteroqui magnopere videtur iis, quæ à Paulo enumerata ſunt, cohærere. Si enim Deus nos prædeſtinauit, vocauit, iuſtificauit, glorificauit, noſtrúmque patrocinium aduerſus omnes calumniatores ſuſcepit, nec proprio quidem filio pepercit, ſed pro nobis eum acerbiſſimis cruciatibus, & ſæuiſſimæ morti obiecit; conſequens profectò eſt, vt tantam eius in nos, támque firmam, & conſtantem beneuolentiam, & caritatem eſſe fateamur, vt nulla prorſus ratione ab ea poſſimus excidere. Et quidem nos hanc interpretationem in paraphraſi ita probauimus, vt alteri nihil præiudicatum velimus, quam tot Patrum auctoritate firmatam libenter amplectimur. Neque enim illi audiendi ſunt, qui noſtram in Deum caritatem Græca voce ἀγάπη ſignificari poſſe negant. nam Ioannes [m] cùm de hominum in Deum amore loqueretur; *Cognoui* (inquit) *vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis*, vbi Græcè eſt ἀγάπη. Neque non cohæret cum ſuperioribus. dixerat enim, diligentibus Deum omnia cooperari in bonum, aliáque non pauca electorum beneficia recenſuerat, quæ nunc quaſi firma retinacula quædam eſſe docet, quibus obſtricti à Dei amore, & caritate diuelli non queant; atque ita quam hic appellat dilectionem Chriſti, paulò pòſt vocat dilectionem Dei, quæ eſt in Chriſto, quod vtrumque

II. æquè poteſt in hanc, aut illam partem accipi. Cæterùm illationis nota in Latinis codicibus abundare videtur, neque illam agnoſcit Tertullianus, qui totum hunc locum hunc in modum alicubi deſcripſit [n]. *Quis* (inquit) *ſeparabit nos à dilectione Chriſti? Preſſura, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an machæra? Secundùm quod ſcriptum eſt, tui cauſa mortificamur tota die, deputati ſumus vt pecora*

a lib. 4. de doct. Chriſtiana c. 20.
b Apolog. de fuga ſua.
c Reg. breu. 257. & 199.
d Cent. 3. de caritate.
e ep. 8 & 26.
f in Pſal. 118. lit. e.
g In hunc locum.
h epi. ad Algaſ. q. 9.
i lib. de mor. Eccleſ. c 11.
k Serm. de dupl. bapt.
l In hunc locum.
m Euang. c 5.
n in Scorp. ad uerſ. Gnoſt. c. 13.

A *iugulationis, ſed in omnibus iſtis ſuperuincimus pro eo, qui nos dilexit. perſuaſum enim habemus, quòd neque mors, neque vita, neque ſpiritus, neque ſublimitas, neque profunditas, neque alia conditio poterit nos à Dei dilectione ſeparare, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Quia igitur Græci codices illatione carent, ambigit non nemo, ſuperioribús-ne coniungenda ſint, an ab iis diuellenda, quæ hoc loco dicuntur à Paulo. Viſum eſt enim Theophylacto, hæc eſſe ſeiungenda, vt ea veluti quadam exclamatione ſubitò pronuntiata ſint, appareátque Paulum ob amoris diuini erga nos magnitudinem extra ſeſe quodam modo raptum, hanc tam ſingularem conſtantiam, atque animi magnitudinem declaraſſe. Quod ſi à ſuperioribus pendent, non malè illationis nota perſpicuitatis

B gratia adiecta eſt, quam nos in paraphraſi indicauimus, quòd eam habeat Romana editio. Illud quamquàm minoris momenti prætermittendum non eſt, Ambroſium legiſſe, vt habent noſtri codices, *à caritate Chriſti*, Origenem verò *à caritate Dei*. Enumerat autem plurima moleſtiarum genera, prætermiſſis rebus ſecũdis, quæ quamquàm plerumque animum prauè demulcent, ac deliniunt, non tamen ferè recenſentur in malis. Dixerat autem Paulus, omnia electis in bonum verti, non igitur à Dei caritate auocare poterit *tribulatio*, in qua gloriandum eſſe non ſemel docuit [a] Apoſtolus; *non anguſtia*, quia non ita multò ante docuerat [b], multis ſe quidem, ac magis moleſtiis premi, nullas tamen in anguſtias compelli: *non fames, aut nuditas*, quas pro magno beneficio

C commemorat [c] *Vſque in hanc horam* (inquit) *& eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur. Non periculum*; multa enim ſe ſubiiſſe pericula alicubi magnificè prædicat [d]: *Non denique gladius*; quo mortalem hanc ſibi vitam eripi vehementer cuperet, cum diceret [e]. *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.*

36.
I. SICVT SCRIPTVM EST, &c. Hæc ſumpta ſunt ex Pſalmo [f] Dauidis, in quo recenſentur mala quibus olim veteres Patres pro fide, ac religione miſerè vexati ſunt, vt ſignificet Paulus, nulla poſſe ratione prædeſtinatos à caritate ſeiungi, etiamſi tam multa cogantur aduerſa tolerare, vt veterũ Patrum conſtantiam, & malorum tolerantiam exæquent, aut etiam ſuperent. Illi enim illo ipſo Pſalmo dicebant. *Hæc omnia venerunt ſuper nos, neque obliti ſumus te, &*

D *iniquè non egimus in teſtamento tuo; & non receſſit retro cor noſtrum.* Nec diſplicet, quod monet Irenæus [g], voluiſſe Paulum tacitè indicare calamitatum breuitatem, dum huius vitæ ſpatium diei cõparat; diem enim poſuit pro toto vitæ tempore, in quo rebus aduerſis iuſti plerumque vrgẽtur. Cæterùm quod noſter interpres dixit; *Mortificamur*, Græcè legimus θανατούμεθα, hoc eſt, morti tradimur. nam cùm de moderandis animi affectionibus, & effrænatis cupiditatibus frangendis ageret, vbi noſter interpres dixit [h], *Mortificate membra veſtra*; Græcè legimus νεκρώσατε, hanc enim ferè ſolẽt Eccleſiaſtici ſcriptores mortificationem appellare. Hoc igitur loco morti deſtinatos ſignificat, vt de Apoſtolis alibi ſcribit [i]: *Puto enim* (inquit) *quod Deus nos Apoſtolos nouiſſimos*

E *oſtẽdit, tanquam morti deſtinatos*; Græcè ἐπιθανατίους. Quod verò ait; *oues occiſionis*; non qualemcumque occiſionem ſignificat, ſed certo veluti conſilio deſtinatam: vox enim Hebræa propriè mactationem ſonat, cùm videlicet lanius contrectat, & explorat pecudem, num idonea ſit, quæ iuguletur: nec abhorret Latinæ linguæ proprietas. ſic enim dixit quidam; *Mactata veniet lenior hoſtia.* Et propriè quidem mactare de hoſtiis dicebatur, quæ antequam immolarentur thure, ac vino perfundebãtur, vnde mactum eſſe taurum dicebant thure, vel vino, cumulatam

a ad Rom. 5. & 2. ad Cor. 12.
b 2 Cor. 4. 8.
c 1. ad Cor. 4. 11.
d 2. ad Cor. 11.
e ad Philipp. 1. 23.
f Pſal. 43. 22.
g lib. 2. c. 11.
h ad Coloſſ. 3. 5.
i 1. ad. Cor. 4. 9.

hoſtiam,& magis anctam, & quidem quaſi victimas A olim martyres idolis ſuis immolabant Gentiles, quod & multò antea prædixerat [a] Chriſtus *Venit hora, vt omnis, qui interficit vos arbitretur ſe obſequium præſtare Deo.* Græcè λατρείαν προσφέρειν, quæ ratio dicẽdi propriè ad ſacrificium pertinet, quaſi velit indicare Gentiles Chriſtianorum ſanguine idolis litaſſe. λατρεία enim Dei cultum ſignificat, quale eſt ſacrificium, & ipſum ſacrificium προσφορὰ græcè dicitur. Significat igitur, Apoſtolos reliquóſque Martyres veluti victimas eſſe morti deſtinatos, ſic dixit Moſes illis, qui idolorum cultores occiderant; *conſecraſtis manus veſtras hodie Domino vnuſquiſque in filio, & fratre ſuo;* quaſi dicat, pulcherrimè, ſiue egregiè, ac proſperè litaſtis.

a Ioan. 16. 2

37. L. SED IN HIS OMNIBVS, &c. Rectè hoc colligitur ex ſuperioribus; ſi enim vis nulla ſeparare nos B poteſt à caritate Dei, aptè ſequitur, vt victoriam de aduerſariis reportemus. Maior autem quædam vis eſt in Græca voce ὑπερνικῶμεν, quam ad verbum commodè reddas, ſuperuincimus, vt plus aliquid intelligendum ſit, quàm ſi diceret, vincimus. Chryſoſtomus, & Theophylactus id referunt ad vincendi facilitatem. addiderim ego premij magnitudinem; *non enim* (vt dixit [b] Apoſtolus) *ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Non ergo eo tantùm nomine illuſtris eſt victoria noſtra, quòd fortiter obſiſtimus, & aduerſariorum impetus frangimus, & ſuperamus; ſed etiá, quia ingens eſt huius victoriæ præmium. Id verò non noſtris viribus, ſed ab eo accepta poteſtate præ- C ſtamus, qui tanta nos beneuolentia, & caritate complectitur. ita enim explicant Origenes, Chryſoſtomus, Theophylactus, Oecumenius [c], Baſilius [d], & Auguſtinus [e]; Ambroſius tamen refert ad finem, non ad cauſam efficientem, vt Chriſti amore infractos dicat, & conſtanti animo in rebus aduerſis perſeuerare illos, qui Dei in ſe amorem, & beneuolentiam conſiderant: Quid mirum (inquit) ſi ſerui moriantur pro bono Domino, quando Dominus mortuus eſt pro ſeruis & malis? Vincunt ergo beneficia, & exhortatur animum ad perſeuerandum propter eum, qui dilexit nos, ſed prior ſententia magis videtur ad rem; qui enim magnifica quædam de electis prædicauerat, more ſuo gloriam omnem transfert ad Chriſtum bonorum omnium largito- D rem. Hoc etiam poſtulat Græcæ locutionis vis, διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος. præpoſitio enim διὰ addita gignendi caſui efficientem cauſam ſignificat; atque ita etiam ſenſit Proſper: [f] cùm verò finem indicat, quartum caſum poſtulat; vt mirum ſit, Ambroſium, & ante illum Cyprianum [g] hunc Pauli locum de fine intellexiſſe. Superuincunt igitur electi quæcumque in vita accidere poſſunt moleſta, dura, atque acerba; quinetiam gratiæ cæleſtis beneficio, vt obſeruauit Baſilius, [h] vltrò mala acceſſunt; id quod feciſſe Iob obſeruat Origenes; [i] qui præter mala ſibi à dæmone illata, ſponte ſua veſtimenta ſcidit, & vulnerum ſaniem dura teſta radebat, vt videlicet gratiæ vires, quauis dæmonis moleſtia, atque oppugnatione ſuperiores eſſe ſignificaret. Idem de ſe ipſo teſtatur E Ignatius. [k] *De Syria* (inquit) *vſque ad Romam pugno ad beſtias in mari, & terra, nocte diéque ligatus cum decem leopardis, (hoc eſt, militibus) qui me cuſtodiunt; quibus & cùm benefeceris, peiores fiunt: iniquitas autem eorum mea doctrina eſt, ſed non idcirco iuſtificatus ſum. Vtinam fruar beſtiis, quæ mihi ſunt præparatæ, quas & oro mihi veloces eſſe ad interitum, & ad ſupplicia, & allici ad comedendum me, ne ſicut & aliorum Martyrum non audeant corpus attingere. Quòd ſi venire noluerint, ego vim faciam, ego me vrgebo, vt deuorer. Ignoſcite mihi filioli, quid mihi proſit, ego ſcio: Nunc incipio Chriſti eſſe diſcipulus, nihil de his, quæ videntur, deſiderans, vt Ieſum Chriſtum inueniam. Ignis, crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diuiſio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantùm Chriſto fruar.*

b ſupra verſ. 18.

c in hunc locum.
d de Spiritu ſancto ad Amphil. cap. 8.
e lib. 22. de Ciuit. cap. 21. & lib. 4. de doct. Chriſtiana. cap. 20.

f lib. 1. de vocat. Gent. c. 9.

g Exhor. ad martyr. cap. 6. & li. 1. ad Quirin. cap. 18.

h in Pſal. 114.
i lib. 2. in Iob.

k Ep. ad Ro.

CERTVS SVM ENIM, QVIA, &c. Multa hoc loco attingit Paulus, quæ alio loco vberius explicanda ſunt: interim breuiter moneo Græcam vocem πέπεισμαι, qua alibi ſæpè vtitur Paulus, [a] nõ penitùs certam, ac minimè dubiam, ſed valdè probabilem perſuaſionem ſignificare; atque ita Ambroſius, [b] & Hieronymus [c] hoc loco legunt; *confido.* Sunt qui intelligant non quidem ſcientiæ, ſed fidei certitudinem. caue autem, putes fidei diuinæ certitudinẽ B eſſe. neque enim id fides diuina credendum proponit, quæ potius ſuadet, metuendum ſemper eſſe, & vt alibi docet Apoſtolus, cum timore, ac tremore ſalutem procurandam; neque enim poteſt quiſquam ſibi perſeuerantiam certò polliceri; ideo alibi monet Apoſtolus, *qui ſtat, videat ne cadat*, & id genus alia ſexcenta leguntur in ſacris litteris; quin etiam in Apocalypſi [d] ſcriptum legimus. *Habeo aduerſum te pauca, quòd caritatem tuam primam reliquiſti. memor eſto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Eſt autem hic locus ei valdè ſimilis, qui legitur in Canticis. [e] *Fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio; lampades eius lampades ignis, atque flammarum: Aquæ multæ non poterunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam. ſi dederit homo* C *omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* Eodem aliqua ratione pertinent, quæ ſcribit Ioannes [f]. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* Quæ tamen non perinde accipienda ſunt, quaſi iuſti, aut prædeſtinati (quod hæretici ſomniant) peccare non poſſint; ſed quòd iuſti hoc ipſo, quòd iuſtitia, & gratia præditi ſunt, eo quidem ex capite nec peccent, nec peccare poſſint, quæ eſt Auguſtini explicatio; quamquam [g] alibi non poteſt peccare (inquit) hoc eſt, non debet, vel non licet ei peccare; vel, vt ait Oecumenius, dicitur non poſſe peccare, quia non vult, quomodo Ioſeph dixit, [h] ſe non poſſe improbæ fœminæ conſentire. A priori Auguſtini explicatione non ad- D modum diſcrepat Hieronymus; [i] qui ait, iuſtum quamdiu filius Dei eſt peccare non poſſe: alij dicunt non poſſe peccare ita vt peccant. Certum autem eſt hæc omnia ſignificare vim, atque efficacitatem diuinæ gratiæ, quæ ita prorſus iuſtorum voluntates poſſidet, vt (quod ait Auguſtinus) non ſolùm vſque ad finem perſeuerare poſſint; ſed non niſi perſeuerantes ſint. Porrò Paulus mortem, & vitam commemorat, quaſi alterum extremum malorum, alterum bonorum omnium, quæ expetuntur, maximum. Non igitur ſi obeundum ſit, metu mortis deterrentur electi; nec vita ſi redimenda, aut conſeruanda ſit tanti erit, vt pro ea Chriſti amor deſeratur. Addit; *Neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes*, indicans, ne in iis quidem mentibus corporibus ſolutis tantam E eſſe vim, vt electorum caritatem expugnare queant, ſiue id de perditis, ac damnatis Angelis, vt ſępe aliàs: [k] ſiue (vt mauult Chryſoſtomus [l]) de beatis mentibus accipiat; poteſt enim id pertinere ad quandam hyperbolem, ſicut & illud. [m] *ſed licet nos aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquàm quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Addit; *Neque inſtantia, neque futura*; hæc enim maximè mouent. nam præterita quia ſola recordatione attingunt animum, perexiguam habent mouendi vim: præſentia verò, & quæ iam imminent maximè mouent, ſiue aliquò impellendus

38. L.

a ad Hebr. 6. 2. ad Tim. 1. ad Theſſ. 1. & infra hac. ip. Ep. cap. 15.
b in hunc locum & opuſc.
c Epiſtol. ad Algaſ. q. 8.

d cap. 2. 4.

e cap. vlt. 6.

f Ep. 1. c. 3.

g lib. de nat. & gratia c. 14.

h Gen. 39.

i lib. 2. contra Iouinian.

k ad Epheſ. vlt. & ad Coloſſ. 2.
l lib. 1. de cõpunct. cordis
m ad Gal. 1. 8.

lendus ſit animus, ſiue alicunde reuocandus.

40. NEQVE FORTITVDO, NEQVE ALTI-
I. TVDO, &c. Fortitudo apud Græcos non legitur, nec videtur eam vocem agnoſcere Auguſtinus[a]; legit tamen illam Hieronymus[b], ſed omittit virtutes. nam Græcam vocem δυνάμεις non virtutes, vt noſter interpres, ſed poteſtates tranſtulit. Ambroſius paulò aliter totum hunc locum legiſſe videtur; hoc eſt, *Neque mors, neque vita, neque Angelus, neque virtus, neque altitudo, neque profundum, neque præſentia, neque futura, neque alia creatura.* Ex quo liquet, pro fortitudine, quæ apud nos non ſuo loco poni videtur, illam poſuiſſe virtutem Angelis proximam; eámque referre ad vim miracula patrandi. Cæterùm principatuum nō meminit, quamquàm Origenes attigiſſe vtcumque videtur, non admodum tamen in cæteris recenſendis ſolicitus, quod & facit Augu- B ſtinus[c], qui pauca quædam enumerat. Porrò altitudinem, ac profundum explicat Theodoretus cœleſte regnum, & gehennam. illius enim promiſſio, & huius comminatio à Christi gratia ſeparare non poſſunt; Oecumenius autem res ſecundas, & aduerſas interpretatur; alij aliter, qui de amore, quo iuſti Deum diligunt hæc omnia accipiunt, cùm poſſint etiam intelligi de amore quo iuſtos Deus immortalis complectitur. Quid autē ſit ſeparari à caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu, nō conuenit inter doctores. nam Chryſoſtomus, & Hieronymus ad propriam, ac ſuam Pauli ardentiſſimam caritatem referunt. Ambroſius & alij ad eam caritatem, qua prædeſtinati Deum complectuntur, alij ad diuinam in nos beneuolentiam, quam Deus maximè in nos per Chriſtum declarauit, aut Chriſti beneficio dum nos vocaret, & C iuſtificaret in corda noſtra liberaliter effudit. Vtraque autem interpretatio (vt paulò antè diximus) admitti poteſt, & (niſi ego fallor) altera ex altera ſequitur; nec enim quiſquam verè Deum diligit, qui non priùs à Deo diligatur; nec deſerit quemquam Deus, aut ſua beneuolētia indignum iudicat, qui non priùs
II. à Dei amicitia receſſerit. Pertinent autem hæc omnia ad amoris magnitudinem declarandam non ſine

A aliqua hyperbole, vt dictum eſt; nam, vt ait Chryſoſtomus, *hic amantium mos eſt, vt amorem ſuum ſilentio tegere nequeant, ſed neceſſarijs ſuis, & caris efferunt & produnt, & flammas ſuas intra pectus cohibere non poſſunt.* Et vt ait Bernardus[a], *cauſa amandi Deum, Deus eſt, modus ſine modo diligere.* Neque verò hæc ab Apoſtolo idcirco diſputantur, ſiue quia tollat liberū arbitrium, ſiue quia cuiquam certitudinem perſeuerantiæ citra diuinam reuelationem polliceatur: ſed (vt dixi) vim, & efficacitatem diuinæ gratiæ indicat, quæ quomodo cum humana libertate conſiſtat, ſuo loco fusè diſputatur à nobis. hic tantùm verba quædam Proſperi ſubiiciam; is enim ait.[b] *Quamuis ergo quod ſtatuit Deus nulla poſſit ratione non fieri, ſtudia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propoſitum liberi arbitrij deuotio relaxatur, cùm implēdæ voluntatis* B *Dei ita ſit præordinatus effectus, vt per laborem operum, per inſtantiam ſupplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum: & qui bona geſſerint, non ſolùm ſecundùm propoſitum Dei, ſed etiam ſecundùm ſua merita coronentur.* Quod ſi Apoſtolus de ſe ipſo, déque ſui ſimilibus loquitur, qui erant in gratia confirmati, omnia mirè cohęrenter ita ſentiunt Origenes, & Hieronymus[c]; Hilarius[d] hæc de martyribus accipit. Ego crediderim hæc de omnibus iuſtis ſuo modo explicari poſſe, quos nulla penitùs creata vis poteſt ad peccatum impellere, ſi ipſi nolint. Quocirca rectè dixit Ambroſius[e]; *Nemo tibi* (ait) *Chriſtū poteſt auferre niſi te illi ipſe auferas.* Et in hunc locum, *confidentia hæc*, inquit, *de ſponſione Chriſti eſt qua promiſit in tribulatione adiuuare ſibi dicatam fidem.* Et in eandem ſententiam Bernardus[f]; *Attende* (ait) *quanta enu-* C *merauit Apoſtolus. eius enim verba ſunt, minime tamen adijciens, nec nos ipſi, nimirum hæc eſt libertas, qua Chriſtus nos liberauit, vt nulla penitus creatura auellere nos aut vim facere poſſit. ſolùm id deſerere poſſumus propria voluntate abſtracti, & illecti à propria concupiſcentia præter hanc enim nihil eſt, quod timeamus.* Eodem refero quod ſcribit Chryſoſtomus, qui multis docet, neminem lædi, niſi à ſe ipſo. Quid de certitudine gratiæ ſentiendum ſit, alibi dixi.

a lib. de gratia, & lib. arb. cap. 17.
b Ep. ad Algaſ. q. 9.
c de quibuſdam prop. in hanc Epiſt.

a de diligēdo Deo in principio.
b lib 2. de vocat. Gen. c. 10.
c Ep. ad Hedib q. 9.
d in Pſal. 63.
e in Lucam.
f Ser. de dupl. Bapt.

Argumentum Cap. IX.

VISVS erat Apoſtolus quædam dicere cōtra legem, ac Iudæorum nationem, plura his tribus ſequentibus Capitibus dicturus. igitur huius Capitis initio ſuam in Iudæos beneuolentiam, & caritatem declarat, tum, quod Epiſtolæ initio indicauerat de Iudæorum reiectione, Gentiúmque vocatione ſubtiliter, & curioſè diſſerit: oſtenditque Iudæorum abiectionem neque cum pollicitatione, neque cum diuina iuſtitia pugnare; & nonnullam interim rationem affert cur Iudæi Euangelij gratiam non ſint aſſequuti; atque ita tacitè, & quodammodo obliquè totam prædeſtinationis, ac reprobationis rationem explicat, quamquam alij aliter ſentiunt.

CAPVT IX.

VERITATEM dico in Chriſto, non mentior teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea in ſpiritu ſancto:

Quoniam triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo.

Optabam ego enim ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem,

Qui ſunt Iſraelitæ, quorum adoptio eſt filiorum,

PARAPHRASIS.

EQVIDEM verè hoc poſſum vobis,
Chriſto teſte, affirmare; neque vllo mo- 1.
do mentiar, vel ipſa mea conſcientia,
quæ Spiritum ſanctum ducem, ac moderatorem ſequitur, magnopere comprobante.
¶ Hoc, inquam, poſſum affirmare, magna me triſtitia affici, ac mœrore; animúmque meum perpe- 2.
tuo quodam angore, cruciatúque torqueri. ¶ Optarim enim ego ipſe, ſi fieri poſſet, à Chriſto, qua- 3.
ſi deuotum caput, abdicari; probris & contumeliis affici, in vltimas terras amandari, aut etiam internecioni tradi pro fratribus meis, idest iis, qui me quodammodo ſanguinis cognatione attingāt.
¶ Quique ſunt ex genere Iſraelitico, ad quos pre- 4.

cipuè pertinebant,tum ius adoptionis,tum illa in-
ſignis , ac perilluſtris diuinæ præſentiæ teſſera,
quæ arca continebatur ; cui diuina Maieſtas inſi-
debat : fœderis item tabulæ, quæ ad morum præ-
cepta , legiſque conſtitutio , quæ ad iudicia,& ſa-
cros ritus, diuinique cultus cæremonias refere-
bantur:ipſæ denique promiſſiones, quæ ſuperiora
5. omnia conſequebantur. ¶ Qui denique ad illos
primos parentes genus referunt ſuum , quique
digni habiti ſunt, ex quibus Chriſtus humanam
ſibi naturam, inter mortales naſcens, copularet,
qui alioqui ſi perſonam,diuinámque naturam ſpe-
ctes, verè Deus eſt, parentum ſuorum cùm anti-
quiſſimus,tum præſtátiſſimus; omnium gentium,
ac nationum voce, & prædicatione in omnem
6. æternitatem iure optimo celebrandus. ¶ Quam-
quam autem ego magnopere diſcrucior, & pro
ipſorum ſalute ſum ſollicitus ; certò tamen ſcio
fieri nulla ratione poſſe,vt diuina pollicitatio irri-
ta,atque inanis euadat. Sic enim mihi perſuadeo
non omnes qui ab Iſraele parente noſtro geniti
ſunt,eos ad Iſraeliticam gentem re ipſa pertinere.
7. ¶ Nec quicumque cognatione ſanguinis, Abra-
hamum attingunt, eos illico inter veros, ac ger-
manos ipſius filios recenſendos eſſe. verùm id vni
Iſaac tamquam proprium,ac ſuum,iure reſeruari,
quem tanquam legitimum hæredem,omnis anti-
quæ illius benedictionis, & pollicitationis fructus
8. manet. ¶ Vt non qui humano ſemine ab eo orti
ſunt, ij continuò diuinæ pollicitationis participes
fiant:ſed ij duntaxat verè filij Abrahæ cenſeantur,
qui diuinitus electi, vocatíque ſunt, vt ad illam
9. celeſtem promiſſionem pertineant. ¶ Sic enim
habent promiſſionis verba,hoc ipſo tempore,ver-
10. tente anno, veniam, & erit Saræ filius. ¶ Neque
verò id ſolùm apparet exemplo Abrahæ, ſed etiã
idipſum oſtendi poteſt ex altero ab Iſaac parente
11. item noſtro deſumpto. ¶ Cùm enim Rebecca,ex
ipſo vno Iſaac concepiſſet, geminúmque fœtum
in vtero haberet, antequàm partus ederetur in
lucem; cùm neuter illorum infantium quidquam
adhuc boni, malíve egiſſet, vnde meritorum di-
ſtinctione niti poſſet electio, qua diuinum conſi-
lium,animíque propoſitum firmaretur; nec quiſ-
quam laudabilium actionum meritum poſſet ob-
tendere;ſed vt Dei decretum ipſius tantùm diui-
na volũtate,nullóque ſubnixum reſpectu, ad ipſo-
rum actiones etiam futuras firmum ac fixum ma-
12. neret. ¶ Quo quidem altero præterito, alterum
ante omnem æternitatem elegit; non quidem ex
operibus, ſiue iam præſtitis, quæ nulla erant,ſiue
præcognitis,quorum nulla eſt habita ratio; ſed ex
ipſa, vt dictum eſt, libera vocantis voluntate, &
conſilio Iſaac prætulit Eſau, qui prior in lucem
editus eſt; itaque illud exſtat diuinitus Rebeccæ
editum ab oraculo reſponſum, Maior ſeruiet mi-
13. nori. ¶ Itémque apud Malachiam multò pòſt
ſcriptum legimus; Iacob dilexi, Eſau autem odio
14. habui. ¶ Cùm hæc igitur ita ſe habeant, num
poterit quiſquam Deo Opt. Max. iniuſtitiæ ali-
cuius

rum,& gloria,& teſtamentum, & legiſlatio,& obſequium,& promiſſa:

Quorum patres, & ex quibus eſt Chriſtus ſecũdum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, Amen.

Non autem quòd exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Iſrael ſunt, ij ſunt Iſraelitæ:

Neque qui ſemen ſunt Abrahæ,omnes filij:ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen:

Id eſt,non qui filij carnis,hi filij Dei: ſed qui filij ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine.

Promiſſionis enim verbum hoc eſt: ſecundum hoc tempus veniam:& erit Saræ filius.

Non ſolùm autem illa: ſed & Rebecca ex vno concubitu habens,Iſaac patris noſtri.

Cùm enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret.

Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei,quia maior ſeruiet minori.

Sicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.

Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas apud Deum? Abſit.

Moyſi

cuius notam inurere: Apage, quis iuſtitiæ rationem
exigat, vbi vna dűtaxat diuina liberalitas, & miſe-
ricordia cuncta perficit? id ſanè ſacræ literæ non
obſcurè prædicant, quæ mortalium ſalutem, vni
miſericordiæ tribuunt.

Moyſi enim dicit, miſerebor cuius miſereor, & miſericordiam præſtabo cuius miſerebor.

¶ Nam in Exodo exſtat 15.
oraculum ad Moſen diuinitus miſſum. Miſerebor,
cuius miſertus fuero, & commiſerabor, quē com-
miſeratus fuero.

Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.

¶ Nempe igitur cuiuſpiam ele- 16
ctio, non ab ipſius humana voluntate, & cogitatio-
ne animiue conatu; neque bonis ac ſtudioſis actio-
nibus, ſed ab vnius Dei miſerentis voluntate pro-
ficiſcitur.

Dicit enim ſcriptura Pharaoni. Quia in hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te virtutem meam, & vt annuntietur nomen meum in vniuerſa terra.

¶ Quod item in iis, qui reprobantur, 17.
in quibus diuina vis, ac poteſtas elucet, haud abſi-
mili ratione intelligendum eſſe, vel ex eo perſpici
poteſt, quod in ſacris literis, Pharaoni dictum eſſe
accepimus. Ad hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam
in te poteſtatem meam; & vt annuncietur nomen
meum in omni mundi plaga.

Ergo cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.

¶ Itaque ſic omni- 18.
no colligere licet Deum immortalem cuius vult
miſereri; quem autē libuerit, indurare.

Dicis itaque mihi, quid adhuc queritur? voluntati enim eius quis reſiſtit?

¶ Quod ſi 19.
ita ſe res habeat, & diuinæ voluntati cuncta tri-
buenda ſint, quid ergo (dicat aliquis) cauſæ eſſe di-
cemus cur Deus hominibus ſuccenſeat? Quem
enim quæſo diuinæ illius voluntati poſſe obſiſtere?

O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit: quid me feciſti ſic?

¶ Immò verò (ſubiiciā ego) quis es tu, quicumque 20.
hæc ita diſputas, qui poſſis ex aduerſo Deo re-
ſpondere, aut diuinarum actionum rationem exi-
gere? Num dicet figmentum fictori ſuo; Cur me
hunc in modum efformaſti?

An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?

¶ An non habet fi- 21.
gulus poteſtatem in lutum, vt ex eadem maſſa fa-
ciat aliud quidem vas ad honeſtos, aliud verò ad
ſordidos, fœdos, & impuros vſus?

Quòd ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum.

¶ Quis verò 22.
Deum immortalem iniuſtitiæ vel impietatis inſi-
mulabit? aut illi diem dicet, ſi ad oſtendendam
ſuæ iuſtitiæ veritatem, ſuámque vim, ac poteſta-
tem palàm declarandam, multa cum lenitate, &
tolerantia pertulit vaſa iræ apta, & penè compo-
ſita ad interitum?

Vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam.

¶ Contrà verò vt palàm omni- 23.
bus ingentes gloriæ ſuæ diuitias in vaſa miſericor-
diæ pateſaceret, ea ad vitam ſempiternam, glo-
riámque beatorum deſtinauit?

Quos & vocauit nos non ſolum ex Iudæis, ſed etiam ex Gentibus.

¶ Horum porro 24.
de numero electorum auguror nos eſſe, quos Deus
Optimus Maximus non ex Iudæis modò; verùm
etiam ex Gentibus ad fidem adduxit, & Eccleſiæ
ſuæ diuinitùs aggregauit.

Sicut in Oſea dicit: vocabo non plebem meam plebem meam, & non dilectam dilectam, & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam.

¶ Huc enim pertinere 25.
arbitror quod apud Oſeam ſcriptum eſt; Popu-
lum, qui meus non erat, populum meum vocabo;
& eam nationem, quæ dilecta non erat eximia ca-
ritate complectar, quæque expers miſericordiæ
videbatur, ſingularem quandam miſericordiam
conſequetur.

Et erit in loco vbi dictum eſt eis, non plebs mea vos: ibi vocabuntur filij Dei viui.

¶ Itémque futurum planè eſt, vt 26.
quo loco populus inerat à Deo prorsus alienus, &
veræ religionis expers, ibi viuentis, atque immor-
talis Dei plurimi filij ex illo ipſo populo nume-
rentur.

Iſaias autem clamat pro Iſrael. Si fuerit numerus filiorum Iſrael tamquàm arena maris, reliquiæ ſaluæ fient.

¶ Iſaias autem de Iſraelitarum gente in 27.
hæc verba ratiocinatur: Etiam ſi fuerit numerus
filiorum Iſrael arenæ maris numero æqualis, reli-
quiæ ſaluæ erunt.

Verbum enim conſummans, & abbreuians in æquitate; quia verbum abbreuiatum faciet Dominus ſuper terram.

¶ Etenim Deus ſubductis, vt ita 28.
dicam, & ad calculum reuocatis rationibus, ſum-
ma cum iuſtitia, & æquitate numeroſiſſimam mul-
titudinem

Et

titudinem in anguſtum, breuémque numerum
deducet. ¶ Vt verum appareat quod paulò antè
29. dixerat Iſaias; Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet
nobis ſemen, quaſi Sodomæ, & Gomorrhæ ſimiles
eamdem ſententiam ſubiiſſemus. ¶ Quid igitur
30. ex hac tota diſputatione colligendum nobis erit?
Profectò nihil aliud, niſi gentes quæ iuſtitiam non
ſectabantur, iuſtitiam aliquando aſſequutas eſſe, &
31. eam quidem iuſtitiam, quæ oritur ex fide. ¶ Contrà verò Iſraelitas legem, quæ ipſorum opinione
iuſtificare putabatur, auidè conſectantes, veræ iu-
ſtitiæ adipiſcendæ rationem nequaquam inueniſ-
32. ſe. ¶ Quid ita? Certè non aliam ob cauſſam, niſi
quòd non ipſa fide, ſed legis operibus ritinetentur.
Offenderunt enim in Chriſtum, quem complecti
noluerunt; & ad illum veluti ad lapidem alliſi con-
33. triti ſunt. ¶ De hoc ipſo lapide ſcriptum eſt; Ecce,
ego ponam in Sion lapidem offendiculi, & petram
ſcandali: quiſquis autem in illum crediderit, non
pudefiet.

Et ſicut prædixit Iſaias: niſi Dominus ſabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus, & ſicut Gomorrha ſimiles fuiſſemus.

Quid ergo dicemus? quòd gentes, quæ non ſectabantur iuſtitiam apprehenderunt iuſtitiam; iuſtitiam autem, quæ ex fide eſt.

Iſrael verò ſectando legem iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non peruenit.

Quare? quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus; offenderunt enim in lapidem offenſionis.

Sicut ſcriptum eſt: Ecce pono in Sion lapidem offenſionis, & petram ſcandali, & omnis, qui credit in eum, non confundetur.

IN CAPVT NONVM

EXPLANATIO.

1. VERITATEM DICO, &c. Hoc loco
I, iuramenti quamdam formulam omnes
fere commentarij agnoſcunt, iuramenti
rationem non omnes eodem modo ex-
plicant. Mihi primùm videtur Paulus inuocare Chri-
ſtum ſuæ aſſertionis teſtem, dum ait; *veritatem dico
in Chriſto Ieſu, non mentior.* Deinde vt obſeruat Hie-
ronymus [a] diuino Chriſti teſtimonio addit propriæ a Epiſt. ad Algaſ. q. 9. & Ep. ad Hedib. q. 10.
conſcientiæ teſtificationem, diuina Spiritus ſancti
auctoritate ſubnixam, quod ipſum placuiſſe videtur
Oecumenio. Cur autem Apoſtolus ſacramenti re-
ligionem adhibuerit, cauſſa non vna affertur. Nam
Origenes quidem paulò, vt videtur, durius, id refert
ad ea confirmanda, quæ mox ſequuntur. neque enim
veriſimile videri poterat eum, qui tam arcto carita-
tis nexu Chriſto adhæreſceret, vt, quod capite ſupe-
riore dixerat, nulla vi ab eo diuelli, ſepararive poſſet;
tam ſubitò tamen, támque impensè optare pro fra-
tribus ſuis anathema fieri à Chriſto. Chryſoſtomus
eodem quidem refert: ſed idcirco iuramenti firmi-
tate Apoſtolum ſuam hanc ſententiam ſtabiliſſe ait,
quòd incredibilem penè in Iudæos beneuolentiam,
& caritatem ſuam ſignificaturus erat, qui pro illis à
Chriſto anathema eſſe percuperet. Sunt qui id fa-
ctum velint quòd Paulus Iudæis videri poſſet ſuſpe-
ctus, qui nonnullorum improbitate, circumciſionis
hoſtis, & toti nationi infenſus apud multos habere-
tur. Ego faciliùs mihi perſuaſerim ſacramenti aucto-
ritatem adhibitam tùm propter ea, quæ iam ſupe-
riùs dixit, quæ nonnullam in Iudæos odij præbe-
rent ſuſpicionem; tùm propter ea, quæ conſequun-
tur, quæ multis, ac magnis difficultatibus implicita
2 ſunt, cúmque non mediocriter Iudæos perſtringant,
iuſtam præbent occaſionem iurandi. Quoniam verò
quæ de Gentium electione, & Iudæorum reiectione
dicenda ſunt, magnis obſcuritatis tenebris impli-
cantur; nec facilè cuiuis perſuaderi poſſunt, meritò
affirmat diuini ſpiritus ſibi auram afflate; ſuæque con-
II. ſcientiæ veluti teſtem adeſſe. Ait autem ſe veritatem

A dicere, quod eſt Apoſtolotum, Deique verbi præco-
num maximè proprium; quod egregiè ſuo exemplo
docuit Chriſtus, qui apud Ioannem [a] dicebat; *Si ve-* a cap. 8. 46.
ritatem dico vobis quare non creditis? Id etiam egre-
giè præſtitit Ioannes, [b] qui Herodem increpans aie- b Matth. 14.
bat; *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Nec me-
tuendum eſt illud, *Veritas odium parit.* Verè namque
dixit Chriſtus; [c] *Si mundus vos odit, ſcitote quia me* c Ioan. 15. 18.
*priorem vobis odio habuit. &, ſi de mundo eſſetis, mun-
dus quod ſuum erat diligeret: quia verò de mundo non
eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mun-
dus.* Sapienter omnino alicubi dixit Seneca; [d] *Tunc* d Epiſt. 19.
*incipit medicina proficere, vbi in corpore alienato dolo-
rem tactus expreſſit. Dicam etiam inuitis profutura ali-
quando, aliqua ad vos non blanda vox veniet; & quia
verum ſinguli audire non vultis, publicè audite.* Pro-
B pterea dixit ſapiens; [e] *Meliora ſunt vulnera diligentis,* e Prou. 27. 6.
quàm fraudulenta oſcula odientis. Sed *magna* (vt lo-
quitur Seneca [f]) *faſtigia, magna laborant inopia; &* f lib. 6. de benef. cap. 30.
*omnia poſſidentibus deeſt qui verum dicat: & hominem
inter mentientes ſtupentem, ipſáque conſuetudine, pro
rectis blanda audiendi ad ignorantiam veri perductum
vendicet à conſenſu concentúque falſorum*; adeo ſunt
omnia aſſentationibus plena, vt ne ipſi quidē diuini
verbi concionatores, ab aſſentandi ſtudio videantur
alieni. Sed redeo ad Paulum: Dixit autem; *veritatem
dico, & non mentior.* Hebræorum more, qui negatio-
nem affirmationi addunt, quæ aſſeuerationem au-
geat. Sic legimus [g] de Samuele. *Indicauit ei Samuel* g 1. Reg. cap. 3. 18.
vniuerſos ſermones, & non abſcondit ab eo. Et apud Io- h cap. 1. 3.
C annem: [h] *Omnia per ipſum facta ſunt; & ſine ipſo factum
eſt nihil.* Itémque: *Confeſſus* [i] *eſt, & non negauit.* De- i cap. 1. 20.
nique: [k] *Vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed ha-* k cap. 3. 16.
beat vitam æternam.

QVONIAM TRISTITIA, &c. Hoc nimi- 2.
rum affirmanti Paulo non facilè credidiſſent ij, qui I.
illum à Iudæorum gente alienum eſſe prædicabant;
ita iuriſiurandi religione confirmandum fuit. Tri-
ſtitiam verò ac dolorem commemorat, non ſubitum,
& qui

& qui facilè leniatur; ſed acerbitate quidē magnum, diuturnitate verò perſeuerantem. eſt autem hoc eximiæ cuiuſdam caritatis argumentum: quod opportunè ſignificauit Paulus, tum propter ea, quæ iam dixerat de lege veteri iam extincta: tum verò maximè propter ſequentem diſputationem in qua de Iudæorum execratione, non pauca dicturus eſt. Porro particula illa *Quoniam*, vt ex Græco codice conſtat, non cauſam continet, ſed conſequutionem, & continuationem ſignificat, eſt enim Græcè ὅτι. Illud autem quod à nonnullis obſeruatur, triſtitiam ad animum, dolorem verò ad corpus pertinere, cùm minutum eſt, tum parum ad rem. Græcè enim pro triſtitia apud noſtrum interpretem, legimus λύπη, quam animi contractionem, ægritudinem, dolorem & triſtitiam interpretantur. Pro dolore verò eſt apud Græcos; ὀδύνη; ideſt, cruciatus, qui tam ad animum, quàm ad corpus pertinere poteſt. Nec facilè quiſquā ad corpus, dolorem Pauli referre poteſt, cum is apertè dicat, *Et continuus dolor cordi meo*; vt mœrorem & angorem animi ſignificet. Iudæorum enim cæcitas, cor Pauli exedebat, & mirabiliter cruciabat; cùm eos maximè cuperet diuinæ gratiæ, cœleſtiúmque bonorum fieri participes: quod eſt rectè, ac ſapienter amantis proprium: optima enim qui verè amat, amico deſiderat, ſi ſecus accidat, triſtitia mœroreque afficitur.

3. I. OPTABAM EGO IPSE, &c. Pro eo quod interpres dicit; *optabam*; Græci codices habent ηὐχόμην, quod alij vertunt; optarim; vel etiam; optaſſem; aut; optarem. Non enim hæc ad id tempus referenda ſunt, quo Paulus Eccleſiam oppugnabat, vt mox oſtendam. Anathema verò vox Græca eſt, ſcribitúrque nunc per η: aliàs per ε: neque enim iis aſſentior, qui aliud eſſe putant ἀνάθημα, aliud verò ἀνάθεμα. vtrumque verò auctore Photio [a], à verbo ἀνατίθεσθαι, quod eſt quaſi ſeparare, ac ſeponere, deducitur: nullo autem modo, vt alii diuinant, à verbo ἀνωτίθεσθαι, quod eſt ſurſum ponere: alioqui enim ἀνώθεμα dicendum fuerat, non ἀνάθεμα, ſeu ἀνάθημα, quamobrem, vt Theodoretus, & Chryſoſtomus affirmant, quæ Deo conſecrantur, quia à prophanis ſegregata ſunt, Anathemata dicuntur, quaſi Deo deuota, ſeparata, atque intacta, quæ Photius atticè ait, ἀναθήματα dici: communi verò lingua ἀναθέματα. Hinc Chryſoſtomo, item & Photio auctoribus, qui ab eccleſia abſtracti, & fidelium conuictu mulctati ſunt, quaſi extorres, & eiecti anathemata appellantur, tanquam inferis deuota, & dicata capita: quos veteres olim ſacros, id eſt, homines execrandos vocitabant. Nam qui dicunt in nouo teſtamento ſcribi ἀνάθεμα, & ſignificare execrationem: in veteri verò ἀνάθημα, & eſſe donum Deo oblatum, planè ſomniant, auctore præſertim Iuſtino [b] martyre, qui docet quid ſit: ἀνάθημα, hoc eſt, quod eſt Deo dicatum, & deſtinatum: quódque in communem vſum ampliùs non conuertitur: aut id, quod à Deo per malitiam eſt eſt alienatum. addit καθάθεμα eorum eſſe qui ſe pacto quodam anathemathiſantibus coniungunt. quò ſpectans Auguſtinus [c] *Anathema*, inquit, *eſt deteſtabile aliquid & abominabile. Vt enim nihil inde victor in vſus ſuos auferret, ſed totum in pœnam luendam voueret, hoc erat anathemare, quod vulgò dicitur deuotare.* Quanquam Græcam huius vocis originem non planè attingere viſus eſt. Qui verò anathema putant eſſe vocem Hebræam, ne audiendi qoidem ſunt. Auguſtinus [d] certè non vocem, ſed rem ipſam voci ſubiectam propriam eſſe dicit Hebræorum, quam illi ſua lingua חֵרְמָה *chormah* vocant. ſignificat autem חֵרְמָה *chormah* occiſionem, perditionem, deuaſtationem, quæ omnia Græca voce ἀναθέματος ſignificari ſcribit

a apud Oecum.
b Quæſt. [illegible]
c Quæſt. 42. [illegible]
d lib. 19.

Hieroymus [a], à quo non admodum diſcrepat Theophylactus. Iam quoniam Deo dicata Græci vocabant ἀναθήματα quaſi ſepoſita, & ſeparata; iis verò ornari ſolerent templa, factum eſt, vt templorum ornamenta anathemata dicerentur. Ita apud Lucam [b] quidam dicebant templum Salomonis bonis lapidibus & donis ornatum eſſe. Græcè ἀναθήμασι; hinc ſimilitudine quadam conuiuiorum ornamenta dicebantur anathemata: & (quod magis mirere) Clemens [c] Alexandrinus aurea ornamenta muliebrium ſandaliorum appellat ἀναθήματα. II. Cæterùm anathema à ſeponendo dictum tùm in bonam tum in malam partem accipi poſſe ex ſuperioribus intelligitur. Cùm verò in malam partem accipitur, execrationem quandam, & deteſtationem ſignificat. Sic Petrus apud Marcū [d] cœpiſſe dicitur anathematiſare, & iurare. Et Paulus [e]. *Nemo in ſpiritu Dei loquens, dicit anathema Ieſum.* Et rurſus [f]; *Anathema maranatha.* Denique alibi [g]: *ſi quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* Ita vox; ſacer; apud Latinos vtramque in partem vſurpatur. interdum ſignificat Deo dicatum; aliàs execrandum, vt; [h] *Auri ſacra fames.* Et illud: *Inteſtabilis & ſacer eſto.* ſic etiam dicitur *morbus ſacer*, id eſt, deteſtandus. Quid ergo opter hoc locū Paulus magna quæſtio eſt. ſunt [i] autē qui hæc referant ad id tempus, quo Paulus aduerſus Chriſtianos ſæuiebat, ex quo tanquam euidenti argumento probari poſſe exiſtimant, eximiam quandam, ac ſingularem Pauli propenſionem in Iudæos, quos non minori animi affectu, quàm ſanguinis propinquitate attingebat, vt facilè perſuadeat ſe illorum cauſa, magno animi angore cruciari, quòd illos videat à diuinæ vocationis gratia eſſe alienos. Perinde igitur eſſe putant ac ſi dicat: Poteſtis mihi iurato credere, magna me triſtitia, & mœrore affici, ob Iudæorum à Chriſto alienationem, & infidelitatem: quod vel iniurato facilè credatis, ſi reputetis ipſi vobiſcum quanta eos caritate complectar, qui quondam cæca errorum nube obuolutus: adeo rem Iudaicam aduerſus exorientem Chriſti fidem promouebam: vt me pro Iudæorum ſalute, atque incolumitate, próque eorum ſacris, & auita religione, ſponte deuouerem. ſed niſi vehementer fallor, ſententia eſt prorſus aliena, vt in pręſentia monet Diuus Thomas. quid enim eſt anathema fieri à Chriſto? an ab eo tanquàm quidquam execrabile, diris quod aiunt deuoueri? ſanè id & impropriè, & ineptè diceretur ab eo, qui Chriſtum pro ingenti piaculo habebat. neque id vllum eſſet beneuolentiæ argumentum, erga Iudæos. Quis enim magnifaciat, ſi quis cupiat pro aliorum ſalute, monſtro cuipiam videri deteſtandus? Tum verò Apoſtolus magnum beneuolentiæ argumentum commemoraret, ſi aliquo ſe bono, & commodo priuaret, III. ſed quid tandem illud eſt, ei eſſe exoſum, quem tu inprimis abomineris? Anathema fieri à Chriſto ſignificat diuiſum, ac ſeparatum eſſe ab eo? Id verò multo minus ad rem facit: æquè enim omnes Iudæi Chriſtum oderant, & deteſtabantur; neque erat cur id tanquam pro magno beneuolentiæ in ſuos argumento commemoraret, tamen præſertim aſſeueratione, iuriſiurandi religione firmata: cùm quidquid eo tempore aduerſus Chriſtianos Paulus moliebatur, non tam pro Iudæorum, quàm pro ſua ipſius ſalute, atque incolumitate faceret. Itaque Hieronymus [k] hoc Pauli deſiderium comparat cum deſiderio Moſis, cùm dixit; *Aut [l] dimitte eis hāc noxam; aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Putat enim vtrumque corporis mortem expetiſſe pro populi ſibi commiſſi ſalute, atque vtilitate. Eam explicationem ſequitur Hilarius [m]. Nec videtur quidquid dicat Chryſoſtomus à vocis ſignificatione abhorrere: olim

a ad Gal. 1. & Ep. ad Algaſ. quæſt. 9.
b cap. 21. 5.
c lib. 2. pædag. cap. 11.
d cap. 14. 71.
e 1 ad Corin. 12. 3.
f cap. 16. 22.
g ad Gal. 1. 8.
h Virgil. Æneid. 3.
i Ambroſ. & Hieronym. in hunc locum Gloſſ. Anſel. Caietan. & alij.
k ad Gal. 1. & Epiſt. ad Alg. q. 9. & ad Hedib. 10.
l Exod. 32. 32.
m Pſal. 8.

olim enim qui dicebantur, ſacri & deteſtabiles, placando numini tanquam victimæ morti deſtinabantur, ac proinde ἀναθήματα, ſeu etiam ἀναθέματα, id eſt, ad mortem ſeparati dicebantur: & Hebraicè voce illa חרמה *chormah* exprimebatur. Ita in libro Num. [a] *Percuſſit eos vſque chormah*; & [b] *vocauit nomẽ loco illius chormah, id eſt anathema*. Sic in libris [c] Regum vbi nos legimus, *Dimiſiſti virũ dignũ morte*. & apud Micheã [d] vbi noſter interpres habet: *Vir quærit fratrem ſuum ad mortem*, vtrobique Hebraicè habetur; חרם *cherem*, ab eadem radice à qua eſt חרמה *chormah*. Et ſanè ſi propriè Septuaginta eam vocem reddiderunt, anathema: ſatis conſtat deuotas Deo ciuitates, & internecioni traditas, Hebraicè חרמה *chormah* ſæpe [e] nuncupari. Quæ cùm ita ſint, nihil erat cur Chryſoſtomus hanc interpretationem, quam etiam probat Eucherius [f], irriſione contemptúque dignam cenſeret; cùm proculdubio probabilitate non careat. Quanquam non nego ſi de morte tantùm agat Apoſtolus,

a cap. 14. 45.
b cap. 21. 3.
c 1. Reg. 20. 42.
d cap. 7. 2.
e Numer. 21. 3. Ioſ. 6. Zac. 14. Mal. 4.
f in quæſt. noui teſtam.

IV. durius omnino additum videri illud *à Chriſto*. Illud verò perperam à nonnullis, Chryſoſtomo obijci animaduerto: malè illum, & contra ſcripturæ auctoritatem negare, vllum eſſe eximiæ caritatis argumentum; ſi quis pro aliorum ſalute ſeſe morti deuoueat: quod Chryſoſtomus ne ſomniauit quidem: tantùm enim dicit, non magnum id videri in Paulo, qui quotidie pro hominum ſalute cum morte luctaretur, adeo vt mors illi non pro magno malo timenda: ſed potius tanquam malorum leuamentum, & finis optanda videretur; cùm præſertim dicat ille, optaſſe ſe anathema eſſe à Chriſto, cui tamen moriens maximè adhæreſceret. Quæ ſanè ratio mihi quidem videtur oſtendere Hieronymi interpretationem, quanquam vim vocis *anathematis* vtcumque explicat, huic tamen loco non omni ex parte congruere, niſi qua ratione oſtendit animum Pauli ad extrema patienda paratum, pro ſalute fratrum; quod hîc quidem potiſſimum affirmat de Iudæis [g]: alibi autem idem profitetur de gentibus. *Ego*, inquit, *libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ego ipſe pro animabus veſtris.* Et fortè illud *à Chriſto* explicari poſſet; à Chriſto ſiue iudice ſiue auctore, ſiue certè ab eo tãquam à permittente, quomodo Iſaias [h] Chriſtum dicit percuſſum à Deo & humiliatum. Chryſoſtomus [i] autem, Theophylactus, Theodoretus, Oecumenius, Anſelmus, aliique [k] non pauci optaſſe exiſtimant Paulum non quidem ſimpliciter, ſed adhibita conditione, ſi Deo placeret; vel id eſſet vtile Iudæis, ad aliquod tempus beatorum fælicitate carere. Optarim, inquit, ego pro fratrum meorum ſalute, extrema quæque pati; & ſi fieri poſſet aut id rerum natura vel ratio pateretur, etiam aliquandiù à Chriſto diuelli & ſeparari, eiuſque aſpectu iucundiſſimo conſuetudinéque carere. Hanc ipſam ſententiam aliis verbis expreſſiſſe Paulum in Epiſtola ad Philippenſes: *Mihi enim viuere*, ait, *Chriſtus eſt: & mori lucrum. Quòd ſi viuere in carne hic mihi fructus operis eſt, & quid eligam ignoro: coarctor autem è duobus deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto multo magis melius: permanere autem in carne neceſſarium propter vos.* Hanc interpretationẽ vnà cum ſuperiore Hieronymi in paraphraſi indicauimus: nullo tamen modo credendum eſt optaſſe Paulum iure propter culpam à Chriſto diuelli, tum quia ſuperiori capite dixerat ſe à Chriſto nulla poſſe ratione ſeiungi; tum quia crimen nulla ratione honeſtè appeti poteſt; cùm ex aduerſo pugnet cum caritate. Nam quod apud Caſſianum [l], ait Abbas Theonas, & probaſſe videntur Chryſoſtomus [m], & Photius, hoc Pauli deſiderium citra culpam, etiam ad interitum ſempiternum referri, perinde quaſi ob diuini amoris vehementiam,

g 2. ad Cor. 12. 15.
h cap. 53.
i Tum hoc loco tum libro 1. de cõpunct. cord. & hom. 1. & 2. de laudib. Pauli.
k S. Thomas in hunc loc. & 2. 2. q. 27. art. 8. ad 1. & q. 182. art. 2. Greg. Nazian. Orat. 44. quæ eſt de Pentec. & ibid. Nicetas Richi. Victor. de grad. violent. carit. in fine.
l Collat. 23. cap. 6.
m Tum hic, tum hom. de laudib. Pauli 3. & 4.

A optaret ipſe ſolus perire, potius quàm, vt eum ingenti Dei immortalis contumelia, Iudæi æternis cruciatibus deſtinarentur, quod plurimi vehementer contra Dei bonitatem blaſphemabant, quia Iudæos olim ſibi gratos, & acceptos repudiaſſet: adeo non probo vt exiſtimem à Pauli mẽte videri magnopere abhorrere: non enim ille de Chriſti gloria, ſed de Iudæorum ſalute videtur eſſe ſollicitus. Quatenus autem

V. caritatis ardor protendatur, & quibus finibus cùm refertur ad proximos circumſcribẽdus ſit Theologi docent. Certè hoc ſubindicat Gregorius [a] Nazianzenus. *Adeo inquit vos amplector, atque exoſculer, adeo concinnam hanc veſtram, & compoſitam veſtem reuereor, & colorem eum quem vobis vita ſingularis affert, & ſacros hos cœtus, & anguſtam virginitatem, ac*

B *purgationem, & in Pſalmorum cantillatione, pernoctationẽ, & propenſum in pauperes, ac fratres, & hoſpites ſtudium, atque amorem, vt anathema etiã pro Chriſto eſſe, ac nonnihil vt damnatus perpeti non recuſem modò nobiſcũ adiungamini, & cõmunibus animis Trinitatem celebremus.* Quo loco Nicetas hoc modo explicat non ſolùm Theologi, ſed Pauli verba, quem ait non aliter ac Moyſem aliorum ſalutem propriæ ſaluti prætuliſſe, idque ait eſſe ſummæ caritatis, ſic etiam alij [b]: quod tamen proculdubio, circumſcripto peccato intelligendum eſt. ſi præſertim quod Chryſoſtomus, Ambroſius, & Hieronymus monent, hanc Pauli mentẽ non tam ad Iudæorum ſalutem, quàm ipſius Dei gloriam referamus. Eam enim proculdubio maximè ſpectabat, qui pro fratribus anathema eſſe cupiebat.

C Iam quod Photius [c] expetiſſe Paulum ſe pro fratribus, eorumque ſalute, adhuc à fide Chriſti alienum eſſe, verum theologicæ doctrinæ, & ei caritati, qua Paulus in Deum flagrabat, conuenire queat, alibi videro. Non defuerunt, qui hæc verba ad hyperbolem pertinere putarent, quod ſæpe aliàs in ſacris litteris accidit. ita enim intelligenda ſunt verba illa Dauidis [d]; *Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.* Itemque illa regis [e] Manaſſes: *Peccaui ſuper numerum arenæ maris.* Neque aliter accipio, quod ſcriptum eſt in libris Regum [f], Regnante Salomone tantam fuiſſe argenti copiam quantam lapidum. Addam ad hæc omnia ſuſpicionem meam, quam neſcio an alij probaturi ſint. non mihi facilè perſuaſerim loqui Paulum de bonorum ſpiritualium

D iactura, quam caritas ne per aliorum quidem ſalute admittit. ſed id optaſſe tantùm quod erat ignominiæ & dedecoris. Cùm enim Iudæorum flagitia dignos illos redderent, qui tanquam anathemata, & deuota capita haberentur: hanc pœnam pro ipſorum ſalute libenter ſe ſubiturum ſcribit Apoſtolus, modò illi vitam conſequerentur ſempiternam. Auctores habeo huius meæ coniecturæ primùm Clementem [g] Romanum, qui ad hunc locum Pauli alludens, *ſi fieri*, inquit, *poteſt delictum alterius ſibi tanquam proprium vendicet, atque ei qui deliquit dicat: Te modò fac conuertas, & ego mortem pro te ſuſcipiam, vt pro nobis Dominus mortem ſuſcepit. Bonus quippe Paſtor animam ſuam dat pro ouibus.* Deinde Originẽ, qui ait: *Ego didici à magiſtro, & Domino meo, quia qui vult animam ſuã*

E *ſaluam facere, perdet eam. Quid ergo mirum ſi Apoſtolus pro fratribus ſuis anathema fieri velit, qui ſciat eum qui in forma Dei erat exinaniſſe ſe de ea, ac ſuſcepiſſe formam ſerui, & factum eſſe pro nobis maledictum? Quid ergo mirum ſi cùm Dominus pro ſeruis maledictum ſit factum, ſeruus pro fratribus anathema fiat?* Item Beat. Gregorium [h] Nazianzenum, qui cùm de Pauli caritate ageret hæc inter cætera ſcribit; *Quin etiam maius aliquid, pro ſuis ſecũdum carnẽ fratribus auſus eſt, vt ipſe quoque aliquid audeam hoc dicens, eos ad Chriſtum loco ſui introduci pro ſua caritate optat. ô ingentẽ animi præſtantiam!*

a Oratio 43. quæ eſt de Pentec.
b Ricard. Victor. de grad. viol. cat.
c apud Oecumen.
d Pſal. 68.
e 2. Paral. ca. 36.
f lib. 3. cap. 10. 27.
g lib. 2. conſti. Apoſt. cap. 20.
h Orat. 1.

ſtantiam! ô ingentem ſpiritus feruorem! Chriſtum qui noſtra cauſſa maledictum factus eſt, qui infirmitates noſtras ſuſcepit, & morbos portauit imitatur; aut, vt moderatius dicam, primus poſt Chriſtum eorum cauſſa etiam tamquam impius, aliquid perpeti nõ recuſat, modo ipſi ſalutem conſequantur. Quibus verbis comparat hoc factũ Pauli cum facto Chriſti, qui, vt idem Paulus ſcribit[a], *redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*: quia noſtrorũ ſceletum pœnas ſui corporis obiectu perſoluit. ſiquidem, vt ſcriptom eſt apud Iſaiam[b]; *Poſuit in eo Deus iniquitatem omnium noſtrum*: cùm tamen Chriſtus nullo modo fuerit affinis culpæ, quam neque contraxit, neque vnquam admiſit. Fauet huic ſentẽtiæ Origenes[c]: *Ego* (inquit) *didici à magiſtro Domino meo, quia qui vult animam ſuam ſaluam facere, perdet eam, & qui perdiderit eam, inueniet eam. Quid ergo mirũ ſi Apoſtolus pro fratribus ſuis anathema fieri velit, qui ſciuit eum qui in forma Dei erat, exinaniſſe ſe de ea, ac ſuſcepiſſe formam serui, & factum eſſe pro nobis maledictum? Quid ergo mirũ ſi cùm Dominus pro ſeruis maledictum ſit factum, ſeruus pro fratribus anathema fiat?*

VII. Optat igitur Paulus eſſe anathema, non aliter ac fuit Chriſtus maledictum: & vt idem Gregorius Nazianzenus[d] alibi interpretatur, nonnihil vt damnarum perperi, hoc eſt probra, contumelias, obiurgationes, & execrationes tamquam anathema ſuſtinere. Conſueuiſſe enim eos qui quaſi anathemata ab eccleſia expellebantur, publicè obiurgari docet Apoſtolus Paulus[e] cùm agit de flagitioſo quodam. *Sufficit* (ioquit) *illi, qui eiuſmodi eſt, obiurgatio hæc quæ fit à pluribus.* Quod ipſum colligitur ex Clemeote[f] Romano. cùm coim ageret de eiecto; *Quod eiectum eſt*, ait, *conuerte. id eſt eum qui in peccatis fuit, & vt obiurgaretur ex eccleſia eiectus eſt.* Quod etiam olim apud Gentiles aliqua rationo fuiſſe in vſu ex multis intelligi poteſt. De Athenienſibus indicat M. Tullius.[g] Heſychius[h] autem Athenis fuiſſe ait execrationis templum, cuius meminit Ariſtophanes.[i] Execrationis porro formam deſcribunt Euripides[k], & Plato[l]. Nonnulla etiam hac de re obſeruarũt Plinius[m], Lucaous[n], Tacitus[n], Cæſar[p], Plutarchus[q], Cicero[r], Horatius[ſ], Liuius[t], & inter noſtros Minutius[u] Fœlix. Quinetiam recentiores[x] nonnulli execrationis ritum, & certa verba obſeruarunt. ex Theologis[y] viſum eſt quibuſdã eam fuiſſe initio Geneſeos[z] leuiter adumbratam, quum ob violatum Dei præceptum non ſioe probro, & acerba quadam irriſione eiectus eſt Adam ex horto deliciarum. Aliis[a] in leproſorum eiectione, de qua in libro Numerorum[b]. Hæc igitur anathematis probra Paulus pro Iudæorum ſalute perferre cupiebat, omninòque veriſimile eſt hac voce voluiſſe illum exprimere id quod ſignificat vox Hebræa חֵרֶם *chormah*, quaſi cuperet tamquàm Deo deuotum, & conſecratum caput pro Iudæorum ſalute diras, atque execrationes ſubire. Quæ videtur fuiſſe Hieronymi ſententia, quod ij qui tamquàm execrabiles ab hominum conuictu exterminarentur tamquam omnibus inuiſi, morti atque internecioni obnoxij degerent. quod aliqua ratione exemplo Caim iodicatum videtur[c]; patrati namque ſceleris conſcientia tactus; *Ecce* (inquit) *eiicis me hodie à facie terræ; & à facie tua abſcondar; & ero vagus ac profugus in terra: omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.* Certè Clemens[d] Alexandrinus air nos eſſe ἀνάθημα τῷ θεῷ ὑπὲρ χριστοῦ, id eſt Deo dicatos, & conſecratos, ſpectans videlicet aliam ſignificationem de qua ſuprà dictũ eſt.

VIII. Quid autem ſibi vellet Moſes, cùm ſe de libro vitæ deleri poſtulabat,[e] aut noxam populo condonari, perſimili aut etiam maiori ſententiarum varietate ambigitur. Eorum certè nullo modo ferenda impudentia eſt, qui volunt animi perturbatione, & cæco mentis furore agitatum, ea minus prudenter aut modeſtè effudiſſe; neque ſatis potuiſſe perſpicere quid loqueretur, ac diceret; cùm ſatis conſter miram in eare Moſis caritatem, atque amorem in ſuos, ab omnibus prædicari, atque extolli. Philo[a] profectò Hebræorum doctiſſimus; magnum ait fuiſſe non quidem audaciæ, ſed fiduciæ argumentum. *Viri namque vera ſapientia, & pietate praſtantes amici Dei ſunt, libertas autem loquendi cognata eſt amicitiæ. alioqui cum quo liberè loquemur, ſi cum amico non licet? Rectè igitur in ſacris litteris Moſes amicus Dei celebratur, vt quoties audacius loquitur amicitiæ potius id tribuatur, quàm arrogantiæ; nam arrogantiæ eſt temeritas; amici verò fiducia.* Æquiores videntur illi, qui eum hyperbolicè loquutum fuiſſe putant, quanquam ne ipſi quidem collimarunt. Sunt[b] qui exiſtimeot eum ſe de albo ducum Iſrael amoueri petiiſſe;[c] vel de iuſtorum catalogo iuſſu Dei conſcripto, vel[d] de viuentium numero. Multas præterea interpretationes alij[e] comminiſcuntur. Cæterùm Auguſtinus;[f] Moſem air ſingulari quadam ſecuritate, & confidentia, ita loquutum, quaſi certò ſibi polliceretur veniam ſe populo impetraturum, vt certum erat ſe de libro viueotium abradi, ac deleri nõn poſſe. Chryſoſtomus[g] autem & Bernardus,[h] eum volunt petiiſſe ſeparationem à Deo, & beatorum conſortio; quod vtrum Theologis probetur, aut quomodo accipiendum ſit, ſuo loco videro. Ita igitur erga fratres ſuos, hoc eſt Iudæos affectus erat Paulus, de quibus mox ſubdit: *Qui ſunt cognati mei ſecundum carnem*, Græcè συγγενεῖς, vt Iudæos propriè deſcribat, quod etiam poſtea apertiùs facit, cùm alioqui, fideles omnes olim fratres appellarentur. Mirum autem hoc loco videri debet, quod obſeruauit Baſilius,[i] abhorrere à ratione caritatis, ſi quis propenſiùs aut ardentiùs appetat ſalutem eorum, qui ſibi ſanguinis cognatiooe coniuncti ſunt, quàm alienorum. Paulum verò oon tam hoc loco ſpectaſſe cognationem, & ſanguinem, quàm quod Iudæi eſſent ex genere Iſrael, & tot, ac tantis à Deo beneficiis cumulati, quæ deinceps commemorantur. Neque enim id receptæ Theologorum ſententiæ ſatis congruit, quæ docet ordinem caritatis, atque amoris ſupranaturalis non pugnare cum eo ordine, quem natura præſcribit; quin potius eum ordinem confirmare, ac propterea dixiſſe[k] alibi Paulum, *Si quis ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.* Verùm hoc alibi fuſiùs, vbi etiam diſputaodum erit qua ratione voluntas feratur in ea, quę ſunt impoſſibilia.

4. I. QVI SVNT ISRAELITÆ, &c. Iudæi non ab Abraham Abrahamitæ, ſed ab Iſrael Iſraelitæ dicti ſunt. Iſrael autem dictus eſt Iacob ab euentu[l], quòd ille fortiter cum Deo pugnaſſet. quo tempore emarcuiſſe dicitur eius femur, vt id eſſet indicium Chriſti ex eius progenie naſcituri. Recenſet autem hoc loco Paulus octo Iudæorum priuilegia, quorum primum eſt adoptio. ſic enim abſolutè legitur in Græcis codicibus, & apud Auguſtinum.[m] Illi quippe dicti ſunt peculiari quadam ratione Dei filij. vniuerſus enim populus ille, quia verum Deum cognoſcebat, & religioſè colebat, filius primogenitus appellatur. *Filius* (inquit[n]) *meus primogenitus Iſrael.* Et Iſaias:[o] *Filios enutriui, & exaltaui.* Non negarim tamen ſiue reſpectu fidei, ſiue reſpectu cultus & ceremooiarum fuiſſe filiationem illam rudem & inchoatam, & quodammodo ad ſeruitutem acceſſiſſe, vt indicat Paulus[p] cùm ait; *Quandiu filius paruulus eſt, nihil differt à ſeruo cùm ſit dominus omnium.* Alterum priuilegium exprimitur oomine gloriæ, ſeu claritatis, vt legit Cyprianus.

a lib. quis rerum diuin. ſit hæres.
b Caiet. Exo. 32.
c Hier. Abuleas in Exod. cap. 32.
d Hiero. loco not. & Ionæ 1. & in Pſ. 68.
e Burgenſ. in Addit. ad poſtil. Lyran Ex. 32 addit. 8. Lyran. ibid. Exo. 32. Abulẽſ. ib. q. 44. Euth. Pſ. 68. B. Gregor. 7. Mor. c. 10.
f Quæſt. 47. in Exod.
g lib. de compunct. cord. & lib. 3. de prou.
h Serm. 32. in Cant.
i Reg. breui. reſp. 190.
k 1. ad Timo. 5. 8.
l Gen. 32. 28.
m lib. 5. contr. Fauſtum. c. 3.
n Exod 4. 22.
o cap. 1. 2.
p ad Gal. 4. 1.

priamus. [a] Eo verò ſignificari putant nonnulli [b] ſignorum ac prodigiorum, denique [c] beneficiorum Dei tum multitudinem, tum excellentiam; vnde populus ille meritò gloriabatur. Ego in paraphraſi ſimpliciter interpretatus ſum arcam fœderis, quæ, vt conſtat [c], ſæpe dicitur gloria Domini. Hoc enim loco enumerari videntur ea omnia quæ in pretio erant apud Iudæos, vt ex iis, quæ ſequuntur colligi facilè poteſt. Arca autem præcipuo in honore erat; quippe quæ Dei Maieſtatē & gloriam referret. Tertiū dicitur teſtamentū, vel vt habet Romana editio, teſtamenta; ſic enim legit Auguſtinus, [d] & ſic habent Græci codices διαθῆκαι, & Hieronymus, [e] qui vnum accipit teſtamentum in littera, alterum in ſpiritu. Ego ſimpliciùs malim intelligere duas teſtamenti tabulas, quibus præcepta morum continebantur; quæ eſt Anſelmi explicatio. Quartum legiſlatio, hoc eſt præcepta, quæ pertineant ad iudicia, de quibus Dauid; *Iudicia* [f] *ſua non manifeſtauit omni nationi.* Itémque; *Qui annunciat iuſtitias, & iudicia ſua Iſrael.* Quintum, obſequium, Græcè λατρεία, idem cultus, & religio, & quidquid pertinet ad ceremonias ſacras. Cyprianus [g] pro obſequio famulatū dixit. Cum noſtro interprete legit Auguſtinus [h]. Sextū, promiſſio quæ cōtinebat prœmia iis propoſita, qui legi obtēperarent.

c lib. 2. contra Iud. cap. 5.
b Chryſoſto. Theod. & Anſelm.
e 1 Reg. 4. & alibi Eſai. 36.
d lib. 12. cont. Fauſt. cap. 3.
e Epiſtol. ad Algaſ. q. 9.
f Pſ. 147. 20.
g lib. 2. contra Iud. cap. 6.
h lib. 12. cont. Fauſt. cap. 3.

QVORVM PATRES, &c. Duo poſtrema
5. beneficia his verbis continentur, ſeptimum vide-
I. licet, & octauum. Et quidem ſeptimum iis verbis explicatur, *Quorum patres*, videlicet ſunt integerrimi ſanctiſſimique viri; quibuſcum Deus non ſemel loquutus, numeroſam poſteritatem promiſit, de quibus ait Moſes in Deuteronomio [i]; *Dilexit patres tuos, & elegit ſemen eorum poſt eos.* Itémque: [k] *Patribus tuis conglutinatus eſt Dominus, & amauit eos, elegitque ſemen eorum poſt eos.* Et apud Malachiam [l]: *Dilexi vos, inquit Dominus.* Octauum indicatur illis verbis, *Ex quibus Chriſtus*: ex illis enim ortum duxit cùm inter mortales natus eſt. Quanquam enim non deſunt qui verba illa *ex quibus Chriſtus* referant ad patres, quaſi dicat Iudæos genus ſuum ad illos parentes referre, ex quibus Chriſtus ortus eſt. coniunctio tamen quæ apud Græcos & plurimos Latinos codices intercipitur, planè indicat membrum eſſe per ſe diſtinctum, quomodo accipiunt Græci Patres, præcipuè Irenæus [m], & Latinorum non pauci, Tertullianus [n], Hilarius [o], Ambroſius [p], Auguſtinus [q], Anſelmus [r]. Crediderim tamen olim Græcos etiam codices variaſſe. Nam Cyprianus [f], & Gregorius [t] coniunctionem non agnoſcunt. & ſanè vtraque interpretatio probari poteſt. Græci autem & Latini codices qui nunc habentur in manibus, retinent coniunctionem. Addit deinde Paulus: *Qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.* vt interpoſita diuinitatis maieſtate diuini iudicij ſeueritatem Iudęos reprobantis confirmaret, vt auctor eſt Hieronymus, [u] & vt tradit Athanaſius [x], hac ratione obliquè Iudæorum perfidiam perſtringat. Ait autem Chriſtum eſſe Deum ſuper omnia benedictum. nam quod alicubi Hilarius [y], & Cyprianus [z] in præſentia Dei nomen omittant, vel librariorum vitio factum eſt, vel certè propterea quòd non integrum locum proferunt: nam alioqui Hilarius hinc maximè Chriſti diuinitatem probat. Quod & inter Græcos facit Athana-

i cap. 4. 37.
k cap. 10. 15.
l cap. 1. 2.
m lib. 3. cap. 8.
n lib. de Trinit.
o lib. 8. de Trinit.
p in hunc locum.
q li. 2. de Trinit. cap. 13.
r hoc loco.
f lib. 2. in Iud. cap. 6.
t Hom. 8. & 15. in Ezech.
u Epiſtol. ad Algaſ. q. 9.
x Orat. 2. cōt. Arrian.
y in Pſal. 122.
z lib. 2. cont. Iud. cap. 6.

II. ſius. Dicitur autem Deus *ſuper omnia benedictus*. ita enim legunt Hilarius [a], Ambroſius [b], & Hieronymus [c], vt ſignificet Paulus Chriſtum quippe Deum, rebus omnibus creatis præſtare, excluſis videlicet, interprete Ambroſio, diuinis perſonis. Neque ſine cauſſa, vt monet B. Gregorius [d], dixit Chriſtum eſſe Deum benedictum ſuper omnia, non inter omnia, cùm extra numerum rerum creatarum ſit. Non ſatis autem probo quod legiſſe videtur Irenæus [e]: *ſuper omnes.* Nam ex hoc loco olim veteres Patres [b] Chriſti diuinitatem, verámque humanitatem probabant. Ex quibus omnibus apparet longè à Pauli mente illos aberrare, qui perperam locum ita diſtinguunt, vt Dei quidem maieſtas celebretur; nihil tamē ea prædicatio pertineat ad Chriſtum; ſed id tantùm declaret Deum eſſe ſuper omnia celebrandum, qui tot, támque eximia & præclara beneficia in Iudæos cōtulerit. Cæterùm quorſum hæc recenſeantur à Paulo, Chryſoſtomo [c] cum Baſilio [d] non conuenit. ille enim putat hæc pertinere ad Gentilium blaſphemiam, qui alienum à Dei bonitate exiſtimabant eſſe vt Iudæos, quos tam multis beneficiis cumulauerat, ad extremum repudiaret. cuius auertendæ gratia dixerat Paulus cupere ſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus. Hic verò cui Hieronymus [e] & Ambroſius [f], alíique non pauci conſentiunt enumerari putat tamquam iuſti doloris, & triſtitiæ cauſas. Non immeritò autem hoc loco Origenes aduerſus nonnullos antiquos hæreticos Chriſti diuinitatem aſſerit, & in eos inuehitur qui Chriſtum hominem ſolummodo fuiſſe contendebant, ne plures Deos admittere viderentur. Id tamen admiratione dignum videri poteſt, quia ipſe Origenes perperàm de Chriſti diuinitate alibi [g] ſenſit. Suſpicari autem quiſpiam poſſet hîc illum errores priſtinos reuocaſſe, niſi Hieronymus aduerſus Ruffinum negaret vllum extare in eius libris locum, in quo catholicè ſcripſerit, iis de rebus, de quibus in libris de principiis impiè loquutus erat. Itaque ſuſpicantur aliqui fuiſſe hunc locum ab Hieronymo, alióve interprete mutatum, qui initio operis non diſſimulet ſeſe quædam adiecisse de ſuo, quíque tanta plerumque libertate eſt vſus, vt Græcos codices cum Latinis non raro conferat. Nullo autem modo recentiorum quorundam III.
impudentia ferenda eſt, qui negant hunc Pauli locum, vim vllam habere aduerſus Arrianos, cùm apertiſſimè Chriſti diuinitatem probet. Dicitur enim Chriſtus (qui ſecundum carnem ortum ducit à Patribus) *ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.* Nam quod aiunt in Græcis codicibus deſiderari vocem, Deus, facilè refelli poteſt. Legunt enim Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, & alij. Apud Cyprianum [h] autem, licet olim in aliquibus exemplaribus deprauatis non legeretur, nunc tamen in emendatioribus legitur; legendúmque eſſe ipſa rerum conſequutio perſuadet, ne fruſtra hæc verba attuliſſe videatur, qui contra Iudæos Chriſti diuinitatem probare nititur, quod ipſum dixerim de Hilario [i], qui hoc Pauli teſtimonio, & aliis probat Chriſtum eſſe Deum. Quamquàm autem alio conentur hæc verba trahere, vt ad Chriſti diuinitatem non pertineant; apertè tamen confutantur ab Ambroſio, qui ad hunc locum ita prorſus ſcribit: *Si quis non putat de Chriſto dictum qui Deus eſt, det perſonam de qua dictum eſt. De Patre enim Deo, hoc loco mentio facta non eſt. ſed quid mirum ſi in hoc loco Chriſtum Deum ſuper omnia aperta voce loqueretur, de quo alia in Epiſtola hunc ſenſum tali ſermone firmauit, dicens* [k]; *Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Hæc ſunt omnia ſuper quæ Deus Chriſtus eſt. neque enim, exceptis his, ſunt aliqua, vt non ſuper omnia Deus Chriſtus ſit, nec poteſt genu flecti ab omni creatura niſi Deo.* Oecumenius autem, & Theophylactus ex hoc loco contra Arrium argumentantur. Sic Nouatianus [l], Hilarius [m], Auguſtinus [n]. Irenæus [o] autem vtramque Chriſti naturam ex hoc loco probat.

a lib. 3. c. 18.
b Iren. loco indic. Athan. ep. ad Epict. & Hilar. lib. 8. de Trin. Tertull. lib. de Trin. Auguſtin. 16. contr. Fauſt. cap. 15.
c In hunc locum.
d Reg. breu. reſp. 190.
e ad Algaſ. q. 9.
f In hunc locum.
g Tom. 5. in Ioan. & relatus Hieron. in ep. ad Aui. & in lib. de principiis.
h lib. 2. in Iud. c. 6.
i Pſal. 122.
k ad Philip. 2. 10.
l lib. de Trin.
m lib. 8. de Trinit.
n lib. 16. cont. Fauſt. c. 15.
o lib. 3. c. 18.

NON AVTEM QVOD EXCIDERIT, &c. 6.
Quamquàm (inquit) ita diſputo, non ſum tamen ne- I.
ſcius

ſcius etiam ſi plurimi Iudæorum pereant, diuina tamen promiſſa rata eſſe ac firma. Verùm de ipſis Pauli verbis, eórumque connexione non minor quàm de ipſa ſententia lis oritur. eſt enim Græcè gemina particula οἷον δ', quæ non exiguam pariunt difficultatem. Et ſunt qui particulam οἷον intactam reliquerint, vt feciſſe videtur noſter interpres qui reddit. *Non autem quod exciderit.* Sunt qui vertendum fuiſſe exiſtiment, *Non autem velut exciderit verbum Dei.* vt ſenſus ſit; Non perinde cupio anathema eſſe pro fratribus meis, quaſi exiſtimem irrita facta eſſe Dei promiſſa, vt aperta includatur ellipſis. Et hoc quidem modo explicare videtur Photius. Chryſoſtomus, *non hoc* (inquit) *dico quòd Dei verbum, hoc eſt diuina promiſſio exciderit.* Theodoretus paulò aliter, B *quamuis Iudæi contradicant, ipsique exciderint, non tamen excidit verbum Dei.* Nec defuerunt qui librariorum vitio mendum irrepſiſſe ſuſpicentur; & pro coniunctione δ' reponendam eſſe τε; vt οἷόν τε perinde ſit quod Latinè; *potis eſt*; ſeu; *poſſibile eſt*; atque adeo hunc efficere ſenſum; non quòd potis ſit diuina promiſſa excidere. Sed vtro modo interpreteris, eadem de ſententia, & mente Pauli diſſentio eſt. Etenim vulgus interpretum ſic ferè accipit, vt ſignificet Paulus quamuis plerique Iudæorum, ſua culpa reiecti ſint, non tamen propterea irritam fuiſſe diuinam pollicitationem, quæ non ſanguinis cognationem, ſed fidei coniunctionem cum parente Abrahamo ſpectat. Alij exiſtimant Paulum ſignificare voluiſſe, non eò referri, quæ paulò antè dixerat, quaſi ipſe memoria lapſus, non recordetur diuinis oracu- C

II. lis Iudæorum repulſam apertiſſimè contineri. Ego iis aſſentior qui ſpectaſſe Paulum autumant ad ea, quæ ſuperiùs dicta ſunt. Dixerat enim dolere ſe vehementer, ob Iudæorũ interitum, quibus olim Deus tam multa beneficia contulerat, & longè plura pollicitus erat, quæ non tamen perinde accipit, quaſi de diuinæ pollicitationis firmitate, & conſtantia dubitandum ſit, cùm verbum Dei, vt ſcriptum eſt apud Tobiam [a], nunquam excidat, ac ne excidere quidem vlla ratione queat. Cur verò conſtans, & firma ſit diuina promiſſio; tametſi plurimi Iudæorum pereunt, mox explicans ait; *Non enim omnes qui ex Iſrael, ij ſunt Iſraelitæ.* Quamuis enim Græcè vtrobique legatur nomen Iſrael, hoc eſt non omnes qui ſunt ex Iſrael, hi ſunt Iſrael, priori tamen D loco virum, poſteriori gentem ſignificat. Neque id rarum in ſacris literis. nam & Iudas, & Iacob nõ pro hominibus tantùm, ſed pro Hebræorum gente non rarò vſurpantur. Quòd ſi quis vtrobique contendat pro gente, & vniuerſa natione accipi, non equidem magnopere repugnarim. Erit enim ſenſus. Non omnes qui ſunt ex Hebræorum gente pertinere ad veros Iſraelitas, quibus diuina oracula, cœleſtem hæreditatem pollicentur. Nonnullam enim Iſraelitarum diſtinctionem indicare viſus eſt Chriſtus, cum apud Ioannem [b] dixit; *Ecce verè Iſraelita, in quo dolus non eſt.* Sequitur autem Apoſtolus in præſentia allegoriam, vt etiam in Epiſtola ad Galatas [c], aggreditúrque diſputationem omnium difficillimam, vt E oſtendat diuinas promiſſiones non fuiſſe irritas, cùm aliis pereuntibus, alij ſuffecti ſint, illos porrò, qui perierunt, non pertinuiſſe docet ad veros Iſraelitas, ſed potius illos, qui illorum loco aſciti ſunt: vt enim ſcriptum eſt in libro Geneſeos [d], ea diuina promiſſio ad vnum Iſaac pertinebat. Cæterùm de interpretatione nominis Iſraelis, non video inter viros doctiſſimos conuenire. Philo [e] namque, Origenes [f], Euſebius [g], Chryſoſtomus [h], & alij, quos interdum ſequutus eſt Hieronymus [i], quaſi ſpectatorem, ſeu cõtemplatorem interpretantur. At Ioſephus [k] & Hie-

a cap. 14.

b cap. 1. 47. c cap. 4. 22. d cap. 19. 21. e lib. de [illegible] Abel & Cain. & lib. de [illegible] b [illegible] de Abrah. f hom. 2. in [illegible] Cant. g [illegible] h [illegible] i [illegible] k lib. 1. Ant. [illegible]

A ronymus [a] à fortitudine deductum putant; quos ſuuat Tertullianus [b] diſputans aduerſus Marcionem. *Et alius* (inquit) *inſcribitur in nomine Iſraelis. Quid enim ſapientius, & incontradicibilius confeſſione ſimplici, & exerta in martyris nomine cum Deo inualeſcentis, quod eſt interpretatio Iſraelis?* Origenes verò paulò aliter: *de genere* (inquit) *Iſrael multi ſunt, ſed non omnes Iſrael appellantur. Iſrael namque Deum videndo appellatus eſt. Sic & ipſe Iacob dicit. Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea. Ergo quia vidit Deum, Iſrael appellatus eſt: qui verò non vidit eum qui dixit, qui me videt, videt & patrem, Iſrael non poteſt dici.*

a In quæſt. Heb. in Gen. b lib. 4. in Marcion.

NEQVE QVI SEMEN, &c. Latini codices 7.
emendatiores cum Romana editione, non pauci cum I.
B Græcis conueniunt, adhibéntque coniunctionem; *quia*; quomodo legit Ambroſius inter Latinos, & Photius inter Græcos. vtro verò modo legas, eadem conſtat ſententia. Non enim quia filij ſunt Abrahæ omnes continuò ad hæreditatem vocantur ſiue Dei, vt exiſtimat Theodoretus; ſiue ipſius Abrahæ, vt Photius, Anſelmus, & alij opinantur. Qui enim ſunt germani Abrahæ filij, ij meritò inter Dei filios recenſentur. Quod ſignificaſſe videtur Chriſtus apud Ioannem [c] cùm dixit; *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.* Et Paulus [d] ad Galatas; *Qui ex fide ſunt, ij ſunt filij Abrahæ.* Id quod ſequentia verba magis declarant, quæ deſumpta ſunt ex libro Geneſeos [e]. *Sed in Iſaac* (inquit) *vocabitur tibi ſemen.* Nam quemadmodum germana Abrahæ poſteritas, non ab Iſmae- C le ancillæ filio; ſed ab Iſaac ex Sara genito, ortum ducebat; ita ſpiritalis Abrahæ ſoboles, quæ ad cœleſtem hæreditatem vocatur, ortum quendam diuinum habet gratiæ ac fidei beneficio, non aliter atque Iſaac diuinitus promiſſus, & genitus eſt. Atque hos quidem Paulus veros Iſraëlitas, & ſpiritale ſemen Abrahæ vocat. Vocabitur autem, dixit more Hebræo, pro eo quod eſt; erit. Sic apud Iſaiam [f]. *Vocabitur nomen eius Emmanuel.* Et apud Lucam [g]: *Vocabitur Altiſſimi filius.* Vtrobique enim idem valet quod, erit. Mox autem ſubdit.

c cap. 8. 37. d cap. 3. 7. e cap. 21. 12. f cap. 7. 14. g cap. 1. 32.

ID EST, NON QVI FILII, &c. Explicat 8.
Paulus allegoricum, & ſpiritalem allati teſtimonij I.
ſenſum. cùm enim Deus Abrahæ poſteritatem pollicebatur, non tam ſpectabat numeroſam illam filio- D rum procreationem, quàm fidelium multitudinem, qui illius fidem, & iuſtitiam imitaturi erant. Quemadmodum igitur etiam ſi Abraham plures liberos ſuſceperit, vnius tamen Iſaac poſteri, ad hæreditatem pertinent; ita non omnes, qui Abrahamo progenitore glorientur, filij Dei ſunt: ſed potius illi ſemen Abrahæ iure optimo cenſentur, qui ſpiritalis promiſſionis fructum cõſequuntur. Promiſſionẽ autem intelligit, ſenſu allegorico, cœleſtis beatitudinis, quæ fideles, & iuſtos manet. Hanc porrò allegoriã fuſiùs perſequitur in Epiſt. ad Galatas [h], vbi Iſaac ait natum ſecundum ſpiritum, Iſmaelem verò ſecundum carnem: illum ex libera; hunc verò ex ancilla. Dicitur autem Iſaac natus ſecundum ſpiritum, quia vi ſupranaturali conceptus, ac genitus eſt; cùm alioqui pa- E rẽtes ad procreandam ſobolem inepti eſſent. Quocirca meritò fuit typus eorum, qui gratiæ beneficio à Deo adoptantur. de quibus dixit [i]; Ioannes apud Matthæum: *Potens eſt Deus ex lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Contra, alij fruſtra genus ſuum ad Abraham referunt: de quibus idem Ioannes [k]; *Et nolite dicere patrem habemus Abraham.* Duas igitur Apoſtolus Abrahæ poſteritates diſtinguit. alteram ſecundum ſpiritum; alteram verò ſecundum carnem. ad illam ait pertinere diuina promiſſa; ad hanc non item, atque ita confirmat Iudæos, qui tantùm

h cap. 4. 22. i cap. 3. 9. k eodem loco apud Matth.

ſecundum carnem pertinent ad poſteros Abrahæ, A à diuinis pollicitationibus excidiſſe, neque vllo modo pertinere ad veros Iſraelitas, vt fuſiùs deinceps, apertiùſque oſtendet, Eam autem ob cauſam diuinæ promiſſionis verba commemorat. Continet autem hæc ſententia explicationem eorum verborum; *Sed in Iſaac vocabitur tibi ſemen.* Id eſt non ij verè cenſentur Abrahæ filij, qui corporea procreatione ab illo geniti ſunt; ſed ij qui diuina promiſſione ſenſu ſpirituali ac myſtico comprehendũtur. hi verè æſtimantur in ſemine, hoc eſt illo ſemine continentur, de quo dictum eſt. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Iam de promiſſione ſubdit.

9. Promissionis enim, &c. Teſtimonium
I. deſumptum eſt ex libro Geneſeos [a], vbi Deus Abrahæ filium pollicetur, naturali quidem ſemine procreandum: ſed ea tamen parentum ætate, quæ ad gignendos liberos diuino, ac ſupranaturali ſubſidio egeret. Atque ita is filius duplici nomine parentem Abraham agnoſcebat, tum quia ab illo re vera genitus erat; tum quia eidem fuerat diuina liberalitate primùm quidem promiſſus, deinde etiam re ipſa conceſſus. Quamquam autem non defuerunt qui hoc exemplũ, itémque alterum, quod mox ſequitur, eò putét pertinere, quaſi velit Apoſtolus docere tametſi multi Iudæorum pereant, diuinum tamen verbum nequaquã excidiſſe, vero tamẽ ſimilius eſt id quidem Paulo propoſitũ eſſe; probationem verò nõ tam ab exemplis, quàm à ratione duci, quæ in duobus exemplis tacitè continetur. Cùm enim Deus C Iſmaëlem ab hæreditate repulerit, admiſſo Iſaac, qui diuinitus fuerat & promiſſus & genitus: apertè indicauit ſpiritalem Abrahæ hæreditatem, non ſanguinis cognationi, ſed diuino conſilio, atque electioni deberi. Siquidem Abraham cùm diuinæ pollicitationi fidem habuiſſet, eum filium adeptus eſt, cui omnis hæreditas cederet; adeóque non obſcurè indicauit ſpiritalem ſobolem ſuam, fidei beneficio ad cœleſtem hæreditatem vocandam eſſe. Quæ ob hanc ipſam cauſam ſoboles dicitur tum ſpiritalis; tum etiam promiſſionis diuinæ. quod copioſiùs docet Paulus in Epiſtula ad Galatas [b]. Probat igitur cœleſtem beatitudinem non ſanguinis cognatione; ſed fidei beneficio promerẽdam, idque olim ait in duobus Abrahæ filus; itémque in gemina Iſaaci prole D fuiſſe ſignificatum. Cæterùm, quod ait; *ſecundum tempus*, Græcè κατὰ καιρὸν τοῦτον, hoc eſt opportuno tempore. Exiſtimo enim reſpexiſſe Paulum ad verba Angeli qui dixit [c]; *veniam ad te tempore iſto, vita comite, & habebit filium Sara vxor tua.* Indicat enim eodem ipſo tempore, anno vertente fore vt Sara pariat. quin Septuaginta addunt εἰς ὥρας, quaſi dicat eadem ipſa hora. Hoc autem anni ſpatium videtur Apoſtolus appellare opportunum tempus. Affirmat autem Angelus ſe reuerſurum, quod Scriptura non narrat. credendum tamen eſt id factum eſſe, vt promiſſionis veritas conſtet. Iiſdem planè verbis quibus vſus eſt Angelus, promiſit [d] Eliſæus filium cuidam fœminæ: *in tempore iſto, & in hac eadem hora, ſi vita comes fuerit, habebis in vtero filium.*

10. Non solvm avtem, &c. Alterum pro- E
I. fert exemplum ad eandem ſententiam confirmandam. cùm enim ex vno parente Iſaac, vnico partu gemini orti eſſent, Eſau quidem reiectus eſt, Iacob autem ad hæreditatem vocatus. Videtur autem aliquid ampliùs hoc ſecundum exemplum probare. In ſuperiori namque vnus Iſaac diuinitus promiſſus erat; in hoc autem vterque filius, Iſaaci precibus diuinitus conceſſus eſt. Sic enim legimus in libro [e] Geneſeos; *Deprecatúſque eſt Iſaac Dominum pro vxore ſua, eo quòd eſſet ſterilis; qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ.* Itaque priori exemplo indicat Apoſtolus ad cœleſtia bona conſequenda in ſanguinis cognatione nihil eſſe præſidij: in hoc verò altero, ne in parentum quidem meritis, ſed in vna duntaxat Dei gratia ſpem eſſe collocandam; vt non ſemel docuit Auguſtinus [a]. Cæterùm quod attinet ad verba, Latinus interpres addidiſſe videtur particulam; *illa*, vel vt nonnulli codices habent; *illi*. quod & fecit ſuperiori capite, cùm dixit, *non ſolum autem illa, ſed & noſipſi primitias ſpiritus habentes*, ad molliendam (vt arbitror) Græcam loquendi formulam, οὐ μόνον δὲ, quam tamen hac ipſa Epiſtola [b] illæſam retinuit, *non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus.* Vt autem diximus in paraphraſi, aliquid ſubaudiendum eſt, vt ſignificet eodem pertinere hoc ſecun- B dum exemplũ, quaſi etiam Rebecca promiſſionem habuerit, vel etiam ex illa, vt ex Sara Abrahæ proles gignatur. Quod verò ſequitur, *ex vno concubitu*, non admodum cum Græcis codicibus, qui nunc habentur in manibus, nec cum Chryſoſtomo conſentit. Sic enim habent, ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα, hoc eſt ex vno habens concubitum, quod perinde eſt ac ſi diceret; cùm ex illo vno concepiſſet. Sed Irenæus Græcus auctor, itémque Origenes ex interprete planè hoc modo legunt; *Ex vno concubitu habens. Cum Rebecca*, (inquit Origenes) *ex vno concubitu Iſaac geminos concepiſſet; nondum partu editi, neque vllis actibus puerorum, boni, maliue inter homines habiti, erga Iacob diuina habetur electio.* Eodem etiam modo habent Hie- C ronymus [c], Auguſtinus [d], Ambroſius [e], Anſelmus [f]. Nec de ſententia quidquam mutatur. Si enim dicas ex vno Iſaac patre noſtro, concubitum habens, vt Græca verba ſonant, ſenſus hic erit, quem ſequitur Chryſoſtomus; cùm ex vno Iſaac concepiſſet, vel cùm vni Iſaac nupſiſſet, ſeu connubio iuncta eſſet; ſeu etiã ex vno Iſaac cubile habens; quod verecundè dictum eſt, pro eo quod eſt; concepiſſet. Neque aliud ſignificat noſter interpres; *ex vno concubitu habens patris noſtri Iſaac*, id eſt fœtum, vel ſobolem illius vnius congreſſu conceptam. Fateor tamen Græcam vocem ἑνὸς maſculini generis non poſſe cum voce κοίτην, quæ fœminini generis eſt cohærere. ac proinde aptiùs fortaſſe, hoc eſt grammaticorum legibus congruentiùs, quod nonnulli codices habent, ver- D tendum videbatur; *Ex vno concubitum habens Iſaac patre noſtro*, vt cõcubitum habere idem ſit, Hebræorum idiotiſmo, quod ſemen retinere. Solent enim fere Hebræi dicere, virum cùm liberis dat operam, dare fœminæ concubitum: nam vbi in Leuitico legimus [g]; *Cum vxore proximi tui non coibis*; Septuaginta legunt, οὐ δώσεις κοίτην σπέρματος, non dabis cõcubitum ſeminis tui. Et in libro Numerorum [h], vbi noſter interpres dixit; *Sin autem declinaſti à viro tuo, atque polluta es, & cõcubuiſti cum altero viro*; Septuaginta habent, ἔδωκέ τις τὴν κοίτην αὐτοῦ ἐν σοὶ, hoc eſt dedit quis concubitum ſuum in te. Ita dixit Paulus de fœmina κοίτην ἔχουσα, id eſt concubitum habens, hoc eſt, cùm concepiſſet, ídque ex vno viro Iſaac.
Vult autem Paulus parentum fiduciam adimere, II.
quam Iudæi magnificabant; atque idcirco duos fra- E tres proponit iiſdem parentibus genitos, atque vno prorſus die natos, quod argumenti vim incredibiliter auget. In ſuperiori enim exemplo reſponderi potuiſſet; Ideo Iſmaelem hæreditatis fuiſſe expertem, quòd eſſet ancillæ filius. Hoc verò exemplo apertè concludit, liberos iiſdem parentibus ortos, eodémque partu in lucem editos, non fuiſſe tamen omnes ad eandem bonorum ſocietatem admiſſos. Neque verò magnopere laborandum videtur (in quo tamen video turbas à plurimis excitari) vnó-ne planè concubitu, an verò pluribus, gemini fuerint

pro

[a] cap. 18. 10.
[b] cap. 4. 2.
[c] Gen. 18. 10.
[d] lib. 4. Reg. cap. 4. 16.
[e] cap. 25. 21.
[a] lib. 1. ad Simpl. q. 2. & lib. de Conf. cap. 27.
[b] cap. 5. 3.
[c] Malach. 1.
[d] lib. 1. ad Simpl. q. 2. & epiſt. 105. & aliis.
[e] in hunc locum.
[f] In hunc locum & de correct. & præd. & grat. cap. 7.
[g] cap. 18. 20.
[h] cap. 5. 20.

procreati; ſiue quia res ipſa phyſica eſt, ſiue quia ad Pauli inſtitutum nihil pertinet. Quod ſi legamus *vno concubitu*, nō vnum planè congreſſum, ſed vnius duntaxat viri connubium, vnum cubile, aut thorum intelligo; aut, ſi quis malit, vnum duntaxat virile ſemen; ac ſi Paulus dicat. Cùm Rebecca ex vno ſolummodo patris noſtri Iſaac cubili, ſeu thoro, ſeu connubio, ſeu denique ſemine concepiſſet. Illud potius non exiguam habet difficultatem, quòd cùm mutila videatur oratio, non ſatis liquet quid ſupplendum ſit. Irenæus [a] certè addit à verbo, reſponſum accepit. cùm enim attuliſſet exemplum Saræ, cui dictum eſt à Deo, *Secundum hoc tempus veniam, & erit Sara filius*; addit: *non ſolùm illa hoc diuinum oraculum accepit; ſed etiam Rebecca, cùm ex vno Iſaac geminam concepiſſet prolem, diuinum accepit reſponſum.* B Quod quale ſit mox explicat. Alij participium ἔχουσα poſitum eſſe putāt pro ἐχούσης, gignendi caſu, vt ſenſus ſit; Non ſolùm autem Sara, verùm etiam cùm Rebecca ex vno eodémque patre noſtro Iſaac grauida eſſet, etiam tum cùm nondum nati eſſent liberi, neque quidquam boni, malive egiſſent, *vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, Maior ſeruiet minori.* Hic iudicium non interpono meum; tantùm habeo affirmare apertam eſſe ellipſim, quæ ex antecedentibus & ſequentibus facilè explicari poteſt. Nos in paraphraſi quod commodiſſimum, atque expeditiſſimum videbatur poſuimus.

a lib. 4. c. 18.

11. I. CVM ENIM NONDVM, &c. Auguſtinus [b] de hoc loco fusè ac ſubtiliter diſputat; videtur tamen C ambigere vtrum hæc verba; *vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret*; antecedentibus, an verò cōſequentibus adnectenda ſint. Si priorem connexionem ſequamur, ſenſus erit; Antequàm illi quidquam boni malive egiſſent, vt inde *ſecundum electionem propoſitum Dei maneret*; hoc eſt, cùm nullam adhuc bonam, malámve actionem exercuiſſent, vt ipſarum actionum intuitu, merito eius electio fieret qui benè egiſſet. *Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt; Maior ſeruiet minori.* quandoquidē nulla bene agentis electio eſſe poterat. Si poſterior magis placeat, erit hic alter ſenſus, quē in paraphraſi ſequutus ſum, vt videlicet decretum quod ſola Dei electione, liberóque conſilio nititur firmum eſſet, ac ratum, *non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, &c.* Certè Au- D guſtinus cùm alias ſemper poſteriorem ſenſum ſequatur; ibi tamen cùm non eſſet de gratia contra Pelagium inſtituta quæſtio, priorem videtur magis probare, ac propterea aliter verba Pauli diſtinguenda cenſet hunc fermè in modum, *cum nondum nati eſſent, neque aliquid boni aut mali egiſſent, vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret; non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, quia maior ſeruiet minori.* Ait enim: *Non ergo ſecundum electionem propoſitum Dei manet, ſed ex propoſito electio, id eſt, non quia Deus inuenit opera bona in hominibus quæ eligat; ideo manet propoſitum iuſtificationis, ſed quia illud manet, vt iuſtificet credentes, ideo iam inuenit opera quæ eligat ad Regnum cœlorum nam niſi eſſet electio, non eſſent electi, nec rectè diceretur; Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Non ta-* E *men electio præcedit iuſtificationem, ſed electionem iuſtificatio nemo enim eligitur niſi iam diſtinctus ab eo qui reiicitur.* Et paulò pòſt: *Hic autem quod ait; Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei quia maior ſeruiet minori, non electione meritorum, quæ poſt iuſtificationem gratia proueniunt, ſed liberalitate donorum Dei voluit intelligi, ne quis operibus extollatur. Et illud quod ait Paulus ad Epheſios; Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, non video quomodo ſit dictum, niſi præſcientia.* Et ſub finem quæſtionis: *Quod ſi* (inquit) *electio hic fuit aliqua, vt ſic intelligamus quod dictum eſt, Reliquiæ per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt, non vt iuſtificatorum electio fiat ad vitam æternam, ſed vt eligantur qui iuſtificantur, certè ita occulta eſt hæc electio, vt in eadem conſperſione nobis prorſus apparere non poſſit, aut ſi apparet quibuſdam, ego in hac re infirmitatem meam fateor.* At multò aliter alibi [a] ſcripſit, itáque diſtinxit, vt nunc diſtinguimus, vt verba illa, *vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret*, cum ſequentibus coniungantur, hoc ſenſu, *non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, quia maior ſeruiet minori*, idque, *vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret.* Porrò de hac ſua ad Simplicianum diſputatione agens idem Auguſtinus [b], ait ſe ita de gratia, & libero arbitrio diſſeruiſſe, vt gratia vinceret, quia verè in ea vim gratiæ, atque efficacitatem tuetur: non tamen ita accuratè vim diuinæ electionis explicuit, vt poſtea fecit, cùm, exorta Pelagianorum hæreſi, aduerſus ipſam ſubtiliter, atque acriter diſputauit. Maneat igitur hunc locum ita eſſe diſtinguendum, verbáque illa; *vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret*; ita à ſuperioribus pendere, vt tamen poſterioribus nectenda ſint. ideo enim dixit Apoſtolus; *Antequàm quidquam boni, vel mali agerent*, electionem qua dictum eſt; *Maior ſeruiet minori*; non ex operibus, ſed ex vocantis liberalitate, ſecundum Dei propoſitum, & conſilium firmam eſſe, & ratam; ipſámque adeo electionem Dei, propoſito omni ex parte reſpondere. Docet proinde Apoſtolus ex duobus geminis nullo actionum merito minorem maiori fuiſſe antelatum. Particula autem; *enim*; non tam ſuperiorum quàm eorum quæ mox conſequuntur cauſam continet: idcirco enim non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei. *Maior ſeruiet minori*; quia ipſi nondum nati erant, nec quidquam boni aut mali egerant. Nec ſanè fruſtra cùm dixiſſet Apoſtolus, geminos nondū fuiſſe natos, addidit, Nec boni, malive quidquam egiſſent. Siue vt obſeruauit Auguſtinus [c] ad refellendam quorundam inſaniam, qui animas ante corpora exiſtere, & bene, aut malè viuere opinabantur; ſiue vt ad hiſtoriam alluderet, quæ legitur in libro Geneſeos [d], cùm gemini materno adhuc vtero incluſi mutuò collidebantur, adeóque in ipſorum ortu alter alterius plantam carpebat, ne quis fortè harum actionum reſpectu electionem factam eſſe ſuſpicaretur; ſiue (quod magis reor ad augendam argumenti vim, planiúſque indicandum vnius Dei libero conſilio & voluntate factam fuiſſe electionem. At enim potuerunt non quidem præcedentia, ſed ſubſequētia merita diuinitus præſciri, atque ita antequam quidquam boni, malive egiſſent, non ex vocante, ſed ex futurorum meritorum prænotione potuit Iacob ab Eſau ſegregari. Viderunt non pauci argumenti vim, ſed nemo (quod ſciam) difficultatem expediuit. nam qui prædeſtinationem ex meritorum prænotione ortam eſſe putāt, audiendi non ſunt, vt alibi pluribus oſtendo. Qui verò vaticinium illud; *Maior ſeruiet minori*; non de futuro tantùm, ſed etiam de præſenti tempore interpretantur, quaſi iam tunc cùm nondum nati eſſent, maior minoris ſeruituti ſubiectus, & veluti mancipatus eſſet, vt aliquid dicere videantur, nihil prorſus dicunt. tunc enim neuter re ipſa aut imperabat, aut ſeruiebat, ac ne imperare quidem aut ſeruire poterat; ius verò imperandi, aut obſequendi neceſſitas, etiam in præſens ex futurorum meritorum præſcientia imponi poterat. Itaque Theodoretus, Chryſoſtomus, III. Photius, Ambroſius, aliíque non pauci, propoſitum interpretantur humanæ voluntatis prænotionem, vt ſecundum electionem propoſitum Dei manere perinde dictum ſit, atque electionem factam eſſe non

b lib. 1. ad Simplic. q. 2.

a lib. de prædeſt. ſanct. ca. 16. 17. 18.

b lib. 2. retract. c. 1.

II.

c li. 2. de pec. Origen. cont. Pelag. & Cæleſt. c. 31.

d cap. 25. 22.

diuinæ præſcientiæ quæ futuras hominum voluntates & conſilia ante omnem æternitatem penitus introſpexit. Sed nemo non videt hanc, quamuis grauiſſimorum auctorum, ſententiam cum Apoſtoli verbis ex aduerſo pugnare: ille namque propoſitum Dei nominat, ipſi verò humanas voluntates intelligunt. Apoſtolus ait, ex vocante, non ex operibus alterum alteri fuiſſe prælatum; ipſi ex meritorum præſcientia id factum affirmant. Veroſimilius loquuntur iidem quos modò nominaui (Theodoreto excepto) qui propoſitum quidem liberum diuinæ voluntatis decretum intelligunt; electionem tamen ex futurorum prænotione pendere autumant; quibus aliqua ex parte conſentire videtur Auguſtinus [a], qui nullam electionem videtur agnoſcere, niſi in iis qui eliguntur, vel re ipſa inſit aliquid vel futurum certè præſciatur, cuius reſpectu eligantur. Verùm vt ſuo loco pluribus doceo, abſque vllo etiam futurorum meritorum reſpectu libera poteſt electio conſtare; eáque in prædeſtinatione diuina neceſſariò aſſerenda eſt. Nam vt Theologi docent, ea eſt liberi arbitrij vis, vt ex duobus penitus æqualibus alterum alteri, vt libuerit, præferre queat. Nam procul dubio Deus quàm plurimos mundos creare potuiſſet, hunc tamen maluit, cùm in eo nihil eſſet quod magis Dei ad ſe voluntatem alliceret; & quod indicat Auguſtinus [b], potuiſſet Deus alias ſtellas, & plures Soles creare, & lunam Soli æquare, cùm tamen ſpontè, ac liberè aliter fecerit. neque enim vlla erant in Sole merita quibus clariori luce quàm Luna dignius videretur. Itaque Auguſtinus [c] ipſe concedit eſſe poſſe electionem ex ſola libera voluntate abſque vllis eligendorum meritis. Quamobrem crediderim Paulum ad excludenda præterita, aut præſentia merita dixiſſe antequàm nati eſſent, aut boni aliquid, aut mali egiſſent. Ne verò futurorum meritorum præſcientiæ locum relinqueret, addidiſſe. *Non ex operibus, ſed ex vocante*, quaſi diceret nullo prorſus operum intuitu, ſed ex ſola libera Dei voluntate dictum eſt; *Maior ſeruiet minori*. Porro ex hoc loco non malè Auguſtinus [d] colligit animas ante corpora non habuiſſe liberum arbitrium, neque bonas, aut malas actiones egiſſe, in quo olim cùm Platonicis errаſſe videtur Origenes.

a lib. 1. ad Simpl. q. 2.
b lib. 1. ad Simpl. q. 2.
c Epiſt. 105.
d lib. 2. de pecc. orig. cap. 31.

12.
1. NON EX OPERIBVS, &c. His verbis tacitè inuoluitur id, quod in tota hac oratione ſubaudiendum eſt, *non ex operibus, ſed ex vocante*, id eſt, abſque vllo operum reſpectu, neque præteritorum quæ nulla eſſe poterant antequam naſcerentur, neque futurorum quæ nullo modo ſpectata ſunt, minorem maiori prætulit Deus, atque idcirco reſponſum edidit in hæc verba, *maior ſeruiet minori*; quæ verba deſumpta ſunt ex libro Geneſeos [e], maioris autem nomine ſignificatur Eſau, qui non ætate, ſed dignitate, & præeminentia maior dicitur, vt indicat vox Hebræa, quæ ſpectare videtur non tam Eſau perſonam, quàm populum & gentem ab eo prognatam. ſic enim legimus apud Moſem; *Duæ gentes ſunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populúſque populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori.* Quod quidam [f] ad literam, tum demum perfectum eſſe docent, cùm Dauid [g] Idumæos, qui ab Eſau ortum ducunt, tributarios fecit. Quæ fuit etiam ſententia Auguſtini [h], & aliorum; ſed cùm poſtea, iugo excuſſo, ſeſe in libertatem vendicaſſent, rurſus ab Hyrcano ſubiugati, circumciſione percepta, in vnam gentem coaluerunt, vt auctor eſt Ioſephus. [i] quo factum eſt vt profani ſcriptores Idumæos pro Iudæis accipiant, cùm tamen Idumæi ad Eſau, Iudæi ad Iacob genus ſuum referant. Neque verò abnuerim interdum Iudæam per contemptum, ſed ad vim nominis exprimendam vocari Idumæam. Sic enim loquitur Iſaias [a]: *Quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra?* nam nomine Edom ſignificat Idumæam, nomine Boſra Hieruſalem. Et Amos; [b] *Vt poſſideant reliquias Idumææ*; cùm tamen de reliquiis Iudæorum loquatur, qui ad Chriſtum conuertendi ſunt. Sed multò deinde perfectiùs præſtitum eſt id quod hoc vaticinio ſignificatur, cùm innumerabilis gentium multitudo, ipſúmque adeo Romanum Imperium Chriſti iugo colla ſubdiderunt; idque præcipuè Spiritus ſanctus ſpectauit.

e cap. 25. 23.
f Lyran. Gen. 25. 23.
g 2. Reg. 8. 14.
h quæſt. in Gen. 70.
i lib. 14. antiq. cap. 17.
a cap. 63. 1.
b cap. 9. 12.

13.
1. SICVT SCRIPTVM EST, &c. ex Malachia [c] deſumptum teſtimonium, quod longè poſt de electione Iacob ad Paleſtinæ poſſeſſionem dictum eſſe conſtat, myſtica diſputatione ab Apoſtolo ventilari affirmat Hieronymus [d]. Myſticum porrò ſenſum intelligit latentem in rerum hiſtoria, quem alij propheticum appellant, & Paulus ad Galatas allegoricum vocat, cùm tamen ſit maximè proprius, præcipuéque à Spiritu ſancto ſpectetur, alioqui tota Pauli diſputatio claudicaret. Vt autem ſæpe dictum eſt, promiſſio facta Abrahæ cæteriſque patribus, quæ proximè caduca illa, & terrena bona complectebatur; primariò ad hæc ſpiritalia, & cœleſtia pertinebat, atque idcirco, qui ad illa vocati ſunt, & electi, eadem ratione ad hæc diuina, quæ gratuito, & liberaliter tribuuntur, referendi ſunt. Nam & Iſaac proximè quidem ratione hereditatis paternæ, & futuræ poſteritatis Iſmaeli; eodémque modo Iacob prælatus eſt Eſau. Atque ex hoc quidem teſtimonio confirmatur quod paulò antè diximus, hæc vaticinia, non tam ad ſingulares perſonas; quàm ad gentes, & nationes, ex illis ortas pertinere.
II. Cæterùm quod attinet ad verba illa; *Sicut ſcriptum eſt*; Hieronymus [e] referenda putat tum ad librum Geneſeos, vnde prius teſtimonium ſumptum eſt; tum ad librum Malachiæ, vnde petitum eſt poſterius: malim ad librum Malachiæ pertinere; cuius tamen verba ad illuſtrandum teſtimonium ſumptum ex libro Geneſeos, ſpectant. Rectè verò monet Hieronymus horum duorum fratrum nominibus gentes, ac nationes ſignificari, quæ ex illis ortæ ſunt; in quibus duæ hominum claſſes indicantur; quorum altera prædeſtinatos, altera reprobos complectitur. Nam vt monet idem Hieronymus [f], quamuis hæc propriè atque hiſtoricè intelligatur de bonis corporeis, atque adeo de hæreditate, ac poſſeſſione Palæſtinæ: tamē vt ſæpe nos etiam monuimus, ad ſpiritualia ac cæleſtia bona transferuntur ab Apoſtolo; quæ illis caducis bonis myſticè, ac propheticè ſignificabantur. Nec dubium eſt hæc à Paulo potiſſimum accommodari, ad ſignificandam gratuitam gentium vocationem ad gratiam & iuſtitiam, & deiectionem Iudæorum, quidquid de duobus illis fratribus ſentiendum ſit, hoc eſt illi prædeſtinati, ſiue reprobi fuerint. quanquam enim de prædeſtinatione Iacob nō videtur vllo modo dubitandum cum ab Apoſtolo [g] in catalogo ſanctorum numeretur, de Eſau tamen vix quidquam poteſt in alterutram partem certi affirmari: certè Malachiæ verba, de terrenis caducisque bonis accipienda eſſe ſenſu vt loquuntur hiſtorico Hieronymo aſſentior. in quo quia propheticus ſeu myſticus latebat, rectè Apoſtolus argumentatur cùm de vocatione & electione agit. Nam quemadmodum Iacob bonorum caducorum reſpectu prælatus eſt Eſau: ita populus gentilis quod attinet ad fidem & gratiam præpoſitus eſt Iudaico: & ad eum pertinent, olim factæ promiſſiones parenti Abrahæ vt ad cæleſtia ac diuina bona referebantur. Nam quemadmodum Iacob potior eſt habitus Eſau, & Iſaac Iſmaele, nullis eorum præcedentibus meritis: ita nullo ſuo merito populus

c cap. 1. 2.
d Malach.
e Malach. 1.
f Ep. ad Hedib. q. 10.
g ad Hebr. 11. 21.

populus gentilis vocatus eſt ad fidem. Nec dubium eſſe poteſt, quamquàm non agit Paulus de prædeſtinatione, ac reprobatione illarum perſonarum, quæ nominantur, ſed de populorum vocatione, reiectionéque; vt oſtendat etiamſi Iudæi pereant, non fuiſſe propterea irritas diuinas promiſſiones; eandem tamē eſſe rationem in cuiuſque prædeſtinatione, ac reprobatione vt omnes veteres Patres exiſtimarūt; licet nō omnes eodem modo vtriúſque rei naturá explicent. Huius porrò dilectionis, & odij, de quo Malachias & Paulus, ipſo Apoſtolo reclamante, nonnulli cauſam referunt ad futurorum prænotionem: quos meritò in præſentia reprehendit Beatus Thomas; qui tamen dilectionis nomine prædeſtinationem, odij verò reprobationem, hoc eſt æterni ſupplicij decre-
B tum accipiens, illam negat ex bonorum operum præſcientia oriri; hanc verò facilè admittit ex prænotione futurorum ſcelerum tanquam ex cauſſa pendere. Alij [a] dilectionem & odium ad æternam prædeſtinationem, & reprobationem referunt; ſed dilectionem quidem voluntatem ſuppeditandi auxilia efficacia: odium verò eorundem negationem interpretantur. Nec defuerunt [b] qui prophetæ verba & Pauli ſententiam de terrenis, & caducis bonis tantummodò explicent; vt dilexiſſe dicatur Deus Iacob, quia ei frugiferam terram largitus eſt; odio verò habuiſſe Eſau, quia aſperrimos mōtes incolendos conceſſit. Quod ſanè verum eſſe indicant verba quæ apud Malachiam ſequuntur; *Poſui*, inquit, *montes eius in ſolitudinem, & hæreditatem eius in dracones*
III. C *deſerti*. Verùm, vt dixi in hoc veluti cortice, nucleum ſpiritualis ac prophetici ſenſus latere incluſum veterum penè omnium conſtans ſententia videtur: ſed hoc intereſt; quod alij quidem hæc quæ de Iacob, & de Eſau ſcripta ſunt à Paulo, de prædeſtinatione, ac reprobatione interpretantur, vt meritorum præſcientiam vtriuſque cauſam eſſe cōtendant: alij verò præter vnam Dei voluntatem, nullam in electis, aut reprobis cauſam agnoſcant, vt alibi fuſiùs oſtendemus. Priorem ſententiam ſequutus eſt aliquando Auguſtinus [c], qui cùm animaduerteret apertè hoc loco excludi opera, fidem cuiuſque cauſſam fuiſſe dicit electionis. Idem ſentit auctor [d] libri de prædeſtinatione Dei. Planiùs, atque apertiùs docuerunt Hieronymus [e], & Ambroſius, qui præſcientiam pu-
D tant electionis fuiſſe cauſſam. Sic omnino Græci Patres, Origenes, Chryſoſtomus, Theophylactus, Oecumenius, Irenæus [f], Baſilius [g], Damaſcenus [h]; & Latini Tertullianus [i], Philaſter [k], Anſelmus. Idéque ſenſiſſe omnes Gallos teſtantur Proſper [l], & Hilarius [m]. Poſteriorem complexus eſt Auguſtinus, præſertim poſt exortam hæreſim Pelagij. Video autem pleroſque ex recentioribus in huius loci explicatione vehementer errare, cùm negent propoſitum eſſe Apoſtolo oſtendere vocationem ad fidem, & gratiam; ſeu electionem eſſe ex Dei ſola voluntate, nulla habita ratione operum humanorum; ſed ſolùm voluiſſe Paulum excludere opera externa, præſertim legis, quibus Iudæi potiſſimùm gloriabantur; cùm tamen Apoſtolus ſimpliciter dicat; *antequàm quidquam boni facerent aut mali*. Quæ verba amplis-
E ſima ſunt, & ad actiones internas potiſſimùm referuntur; in quibus propriè ineſt bonitas, & malitia moralis. Neque vlla cauſſa erat cur Paulus cùm de duobus illis infantibus ageret, legis opera excluderet, illis in quæ nulla eſſe poterant qui tanto ante legem, & nati ſunt, & vita functi. Accedit quòd ſimilitudo figuli aliquid proculdobio amplius probat, quàm externorum operum non haberi rationem. Neque erat cur diceret Paulus; *numquid iniquitas apud Deum*, vel, *ô homo, tu quis es qui reſpondeas Deo? & numquid dicit figmentum, Cur me feciſti ſic?* Denique non exclamaſſet; *ô altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius?* Hæc enim omnia indicant Apoſtolum agere de re aliqua abdita, atque occulta, cuius humana ratio afferri nequeat; qualis eſt electio diuina, quæ nulla ex operum præſcientia oritur. Nam ſi ſolùm voluiſſet excludere opera legis, res non videbatur adeo difficilis, atque obſcura; neque vſus eſſet Apoſtolus exemplis Iſaac, & Iſmaelis, neque Eſau & Iacob, in quibus opera legis præuideri non poterant, cùm omnes vixerint, obierintque ante conditam legem, vt dictum eſt. Nam qui dicunt Paulo propoſitum eſſe oſtendere Deum in conferenda ſalute, gratia iuſtificationis, ac Spiritus ſancti
B donis; non habere rationem operum externorum, ſed tantùm fidei, & interni affectus in Deum & Chriſtum; ſi putent fidem, & hunc internum affectum, naturæ viribus haberi: viderint qua ratione à Pelagiano errore ſe expediāt; ſi velint ex ſola Dei voluntate atque electione dari quibus Deus dare voluerit, eodem illos reuolui neceſſe eſt, vt gratuitam electionem à Paulo aſſeri concedant. quod planiùs in diſputationibus oſtendo. Reſtat igitur vt ſequamur poſteriorem Auguſtini ſententiam. Qua verò ratione dicatur Deus odiſſe Eſau, qui tamen in libro Sapientiæ [a] nihil dicitur odiſſe eorum, quæ fecit, explicat Auguſtinus, qui locum hunc Pauli luculenter tractat [b]. Cæterùm vtrum myſtico an literali ſenſu hæc Pauli diſputatio accipienda ſit, quærit Hierony-
C mus [c], & nos ſuo loco pluribus diſſeremus. Interim dico quocunque tandem modo Pauli diſputatio accipienda ſit, eam aptè ad cuiuſque prædeſtinationem, ac reprobationem transferri. Fateor tamen teſtimonium Malachiæ ab Apoſtolo allatum cum ſuperioribus ita connecti, vt extremæ parti ſuperioris ſententiæ tantùm reſpondeat: non autem priori. dixerat enim in priori parte non ex operibus, ſed ex vocante, & ad hoc nullo modo pertinet quod ſequitur; *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui*. nec enim ſignificat Eſau ſine cauſſa fuiſſe exoſum, ſiue reprobatio cauſſam habeat, ſiue ſecus: ſed confirmat & explicat quod mox in poſteriori parte ſequitur: *Maior ſeruiet minori*. Hoc enim eſt quod ait Malachias, *Iacob dilexi, Eſau odio habui*. propterea hic, licet maior, illi quam-
D uis minori, ſeruiet; quaſi odium ſolum ſignificet minorem amorem, qua ratione intelligendum eſt quod ſcriptum eſt in libro Geneſeos [d] ex interpretatione Septuaginta; *videns Deus quòd odio haberet Liam*. vbi noſter interpres dixit *deſpiceret Liam*. hoc eſt minùs quàm Rachelem diligeret, eodémque modo accipiendum videtur, quod eſt apud Lucam [e]; *ſi quis venit ad me, & non odit patrem ſuum*, ſignificat enim interprete Gregorio [f] amorem parentum, ac propinquorum diuino amori poſtponendum. quomodo autem odium in reprobatione accipiendum ſit, in diſputationibus planiùs explico, vbi totum hoc caput vberiùs explanabitur. ſolum in præſentia moneo non pugnare hæc verba prophetæ cum Salomonis ſententia [g]: qui negat Deum quidquam creatum
E odio habere, vt egregiè explicat Beatus Thomas, [h] & ante illum multa de hoc loco ſcripſit Auguſtinus [i].

QVID IGITVR DICEMVS, &c. Occupatio ex ſuperioribus orta. quia enim abſque vllo reſpectu ad bonas malaſve actiones, alter alteri præfertur, & alter alteri quaſi ſeruus ſubiicitur, aliqua primo intuitu apparet iniuſtitiæ ſpecies; quæ nulla profectò eſſet ſi fides, aut opera vel præterita, vel præuiſa electioni cauſſam præbuiſſent: & facilè vnico reſponſo omnem dubitationem Apoſtolus ſuſtuliſſet, ſi operum habitam fuiſſe rationem exiſtimaſſet, 14.

a Caiet. hoc loco.
b Caiet. hic loc.
c in hac Ep. prop. 60.
d cap. 2.
e Hie. & Ep. ad Hedib. q. 10.
f lib. 4. c. 70. 71. 72. 76.
g homil. in Pſal.
h lib. 2. c. 10.
i adu. Marc.
k de hæreſi.
l lib. de vocat. cap. 2.
m in Epiſtola ad Aug. ante libros de prædeſt. ſanct.
a cap. 11. 25.
b li. 1. ad Simpl. q. 2.
c Malach. 1. & ep. ad Hedib. q. 10.
d cap. 29. 31.
e cap. 14. 26.
f Hom. 37. Euang.
g Sap. 11.
h 1 p. q. 23. art. 3. ad prim.
i li. 1. ad Simpli. q. 2.

At dicit electionem idcirco nulla cum iniuſtitia coniungi, quia pertinet ad miſericordiam, quæ gratis ac liberaliter impenditur. Itaque ait. *Abſit.* Quaſi dicat nihil minùs quàm iniuſtitia Deo tribui poteſt. Aptè verò ad huius loci explanationem ſcribit Auguſtinus [a]. *Hic erat* (inquit) *locus vt doceret quod iſti ſentiunt. futura enim Deus opera præuidebat, quando minori maiorem ſeruiturum eſſe dicebat. Non autem hoc Apoſtolus dicit, ſed potius ne quiſquam de ſuorum operum audeat meritis gloriari, ad Dei gratiam & gloriam commendandam voluit valere quod dixit. Cùm enim dixiſſet, Abſit vt ſit iniquitas apud Deum, tamquam ei diceremus, Vnde hoc oſtendis, cùm aſſeras non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſſe, Maior ſeruiet minori? Moyſes enim dicit* (inquit) *Miſereber cui miſertus ero, & miſericordiam præſtabo, cui miſericors fuero. Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Vbi nunc merita? vbi opera vel præterita, vel futura tamquam liberi arbitrij viribus adimpleta vel adimplenda? nónne apertam protulit Apoſtolus de gratuita gratia, hoc eſt vera gratia commendatione ſententiam? Nónne ſtultam fecit Deus hæreticorum ſapientiam? Quid autem agebatur, vt hoc Apoſtolus diceret, vt eorum geminorum commemoraret exemplum? quid perſuadere moliebatur? quid inculcare cupiebat? Nempe hoc quod ipſorum oppugnat amentiam, quod ſuperbia non capiunt, quod ſapere nolunt, qui ignorantes Dei iuſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti.* Certè hæc Apoſtoli verba meo quidem iudicio eorum ſententiam apertiſſimè refellunt, qui præſcientiam, cauſam putant fuiſſe cur Iſaac Iſmaeli, & Iacob fuerit Eſau prælatus: nam ſi ea ſententia eſſet aliqua ratione probanda, nihil erat cur Apoſtolus metueret, ne quis Deum iniuſtitiæ argueret, quis eum iniuſtitiæ nomine reprehendat, qui bonis bona, malis mala rependat? At ſi nullo habito reſpectu ad cuiuſque actiones, alius quidem honore afficiatur, alius verò penitus negligatur, cùm alioqui par ſit vtriuſque cōditio, tum verò nonnulla iniuſtitiæ ſpecies primo ſtatim intuitu ſeſe menti obiicit. Ac propterea Paulus huic iuſtæ dubitationi quæ ex ſuperiori diſputatione oritur, occurrendum duxit. Nam hac ipſa [b] Epiſtola vbi agit de extremo iudicio; *Qui reddet* (inquit) *vnicuique ſecundum opera ſua.* Hoc autem loco reſpondit nullum eſſe iniuſtitiæ locum; quandoquidem in his quæ liberaliter tribuuntur, nemo iniuſtitiam reprehendere poteſt, quæ verò hactenus dicta ſunt ſpectare ad beneficentiam, liberalitatem, ac miſericordiam diuinam, ac propterea ſubnectit.

a epiſt. 101

b cap. 2. 6.

15\. I. Moysi enim dicit, &c. Confirmat Moſis teſtimonio diuinam electionem liberalitati, ac miſericordiæ tribuendam eſſe. Eſt autem teſtimonium deſumptum ex libro Exodi [c]. & quidem ſi Hebræa verba expendantur, magnam omnino vim habent ad id probandū, quod Apoſtolus ſibi propoſuerat oſtendendū: ſignificāt enim diuinam in homines miſericordiā planè gratuitam, ac liberalem eſſe, ac ſi diceret Deus, interprete Hieronymo, Miſerebor, cui miſereri voluero. quomodo intelligēda ſunt illa in libris [d] Regum: *Eo quò iturus ſum*; hoc eſt quò ire decreui. eſt enim Hebraiſmus admodum frequēs, quo eadem ſententia iiſdem, vel idem ſignificantibus verbis iteratur. ex quo apparet non eſſe eorum probandam ſententiam, qui verba Moſis perinde accipiunt, quaſi Deus eorum ſe miſereri affirmet, iiſque miſericordiam impertiat, quos miſeratione dignos prænouerit; cùm tamen nemo ex ſeſe miſericordia dignus cenſeri queat, vt copioſiùs alibi docebo, monetque in præſentia D. Thomas. Certū enim eſt neminem ex ſe, ſuiſque duntaxat meritis, à libero arbitrio profectis, dignum eſſe gratia, & miſericordia. Vtrum verò prænotio futurorum meritorum quæ gratiæ beneficio futura ſint, quempiam reddat gratia dignum, alia quæſtio eſt, de qua in diſputationibus dicendum erit. Illud interim moneo, non ſatis idoneè eorum ſententiam confutari, qui id affirmant, cum iis qui ea merita negant eſſe prædeſtinationis cauſam, cum ſint eiuſdem prædeſtinationis effecta: quandoquidem finis licet ab agente efficiatur, habet veram rationem cauſæ mouentis. hanc enim ſolam cauſam admittunt, qui prædeſtinationis cauſam aſſerūt. Sed vt dixi plura in diſputationibus, cum de prædeſtinationis cauſis agemus. Et quidem ſi Chryſoſtomo, Theodoreto, Oecumenio, & Theophylacto credimus, verba Moſis de Iudæorum cæde intelligenda ſunt, qua Deus idololatriam vltus eſt; & qua alios quidem peremit, aliis verò pepercit. Eodémque planè modo Græca verba accipienda ſunt, quæ Paulus ex interpretatione Septuaginta protuliſſe videtur. Sed vereor vt hæc eorum ſententia probanda ſit. Nam ſi id admittatur, non ſatis videtur probare Apoſtolus, quod ſibi propoſuerat, non fuiſſe iniuſtam electionem Iſaac, reiecto Iſmaele, atque iuſtè Iacob imperio præpoſitum, Eſau verò ſeruituti ſubiectū, cùm in iis vel eligendis, vel reiiciendis nulla actionū ſit habita ratio. Siquidē cùm Deus idololatriæ crimē vltus eſt, omnes æquè peccarant, atque ideo ſupplicio digni erāt, & iuſtitiæ quidē fuit quòd alios peremit; miſericordiæ verò quòd aliis pepercit. At cur innoxios, atque inſontes reiicit? cur Eſau nondum natum ſeruituti ſubiicit? Igitur vt admittamus, (quod tamen concedi non poteſt) verba illa dicta fuiſſe occaſione illius vltionis, ſimpliciter, atque abſolutè probata ſunt, docénque Deum pro ſuo arbitratu liberalitatem, ac miſericordiam exercere. Dicta verò ſunt cùm Moyſi diuinitus ſingulare beneficium conceſſum eſſet, vt Deum prætereuntem cerneret. Qua in re incarnationis myſterium indicabatur, quod maximè pertinet ad miſericordiam, & [illegible] omnis miſericordiæ fons, & origo; propterea paulò antea dictum fuerat Moſi: *Oſtendam tibi omne bonum*, mox ſubdit, miſerebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit; ſignificans gratiam munera de quibus egerat, ex ſua tantùm liberalitate cōcedi abſque vllo meritorum reſpectu. Origēnes certè totum hunc locum vſque ad illa verba; *O homo, tu quis es?* contradicentis perſonæ, non ipſi Paulo tribuendum cenſet, omnino coactè, & parum ad rem. Hieronymus [a] verò quæſtionem ex multis ſcripturarum teſtimoniis conſertam, agitari putat; & penè idem cum Origene ſentit, cùm tamen particula; *Enim*, apertam proximè præcedentium cauſam & rationem contineat. Nam cùm negaſſet iniuſtitiam eſſe apud Deum, è veſtigiò rationem reddens, *Moyſi enim inquit, miſereber, cuius miſereor, &c.* Quod acutè obſeruauit Auguſtinus [b]. *Sed quare* (inquit) *abſit? An propter opera, quæ futura præſciebat amborum? imò & hoc abſit. Moyſes enim dicit, Miſerebor cui miſertus ero; & miſericordiam præſtabo cui miſericors fuero.*

c cap. 33. 19.

d 2. Reg. 15. 20.

a epi. ad Hedib. q. 10.

b epiſt. 105.

II. Verùm cùm inter plures conueniat hæc dici ex Pauli ſententia, & perſona, quorſum tamen ſpectent non eodem ab omnibus modo explicatur. nam Chryſoſtomus, Hieronymiani Commentarij, & alij eò referri docent, vt probet Apoſtolus diuina conſilia, atque abditas, & penitus occultas rerum cauſas, humano ingenio non eſſe curioſè perueſtigandas. Quis enim explicet cur Deus Iacob dilexerit, Eſau verò odio habuerit? Cur item vni miſericordiam impertiat, alterum verò iuſtè puniat? Sed quorſum id pertineat, non facilè quiſquam expediat, cùm præſertim particula; *Enim*, cauſam reddat ſuperiorum. Neque id nunc agit Apoſtolus, qui, omnium conſenſu, de

gentium

gentium vocatione, & Iudæorum eiectione diſſerit, & vtriuſque vnam Dei liberam voluntatem cauſſam eſſe docet. Denique neque iis, quæ conſequuntur, aptari poteſt ea explicatio. ſubdit enim, *Non volentis, neque currentis; ſed miſerentis eſt Dei.* Superiora verò prorſus viderentur extra rem. Nam ſi Paulus vellet oſtendere diuinæ electioni cauſſas eſſe abditas atque occultas, quid opus erat obiicere; *Numquid iniquitas apud Deum?* Itaque propiùs abeſt à vero & Pauli mente Auguſtini ſententia, qui hanc totam Pauli diſputationem, eò ſpectare cenſet (quod ipſius verba non obſcurè ſignificant) vt oſtendat, nullam eſſe diuinæ electionis iniuſtitiam, etiamſi abſque vllo meritorum reſpectu, hunc quidem eligat, illum verò reiiciat. atque adeo hominum iuſtificationem ac ſalutem, non ad diuinam iuſtitiam, ſed ad ſolam miſericordiam referendam eſſe. Nam ad miſericordiam pertinet, non ſolùm prædeſtinatio, ſed etiam vocatio, iuſtificatio, & ipſa etiam quodammodò beatæ immortaliſque vitæ largitio: tametſi enim hæc nonnumquam dicitur corona iuſtitiæ, aliàs tamen appellatur gratia, quia merita quibus ex iuſtitiæ aliqua ratione debétur, gratis ac liberaliter conceſſa ſunt; vt meritò dixerit Auguſtinus, cùm Deus coronat merita noſtra, nihil aliud quàm ſua dona coronat. Quocirca

a Epiſt. 150. 10.

quidquid ſecus exiſtimarit Hieronymus,[a] propoſitæ querimoniæ qua diuina iuſtitia quodammodo accuſabatur, egregiè reſpondet, oſtenditque totum hoc non ad iuſtitiam, ſed ad miſericordiam pertinere. Quomodo accipiendum ſit quod loco notæ ait Hieronymus, non gentes eligi, ſed hominum voluntates, alibi videro. Cæterùm quod attinet ad verba, Hebraicè maiorem quamdam vim habent. priori enim loco eſt vox חָנֹתִי *channoti*, quæ ſignificat beneuolentia, & fauore proſequi: at poſteriori eſt רִחַמְתִּי *rechamti*, quæ idem valet quod miſereri, vt appareat diuina beneficia non ex iuſtitia, ſed ex liberalitate ac miſericordia concedi. ea verò geminatio Hebræis valdè conſueta vehementiam quamdam indicat, vt paulò antè ex Hieronymo docuimus. Quamobrem quod ait Anſelmus, argutum magis videtur quàm ad rem. Ait enim, *Miſerebor vt credat, cuius miſerebor vt votem; ſeu miſerebor vt operetur, cuius miſerebor, vt credat; vel miſerebor vocando, cui miſerebor prædeſtinando, & miſericordiam præſtabo. vitam perennem dando, cui miſerebor bona opera largiendo, vel miſerebor inſpirando bonam voluntatem, cui miſerebor ſecundum prædeſtinationem, & miſericordiam præſtabo ſecundum bonæ voluntatis executionem, dando gratiam ad omne opus bonum peragendum, cui miſerebor peccata dimittendo.* Sunt enim hæc omnia verè dicta, ſed non videntur ad mentem Pauli.

16. I. IGITVR NON VOLENTIS, &c. Vera & omnino certa præteritæ diſputationis clauſula, neminem eligi ſuo merito, ſed vnius Dei beneplacito, quidquid in præſentia Theodoretus aliique non pauci contendant. nec probo quod Origenes, Chryſoſtomus, & Hieronymus affirmant hæc eſſe contradicentis verba: nec placet quod ait Theodoretus, eſſe quidem hæc Pauli verba; ſed exaggerari quæſtionis difficultatem, non diſſolui, cùm tamen, vt docet Auguſtinus[b], cui conſentit Ambroſius[c], rectè hoc dictum ſit, *vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam; & nolentem præuenit, vt velit; volentem ſubſequitur ne fruſtra velit.* Neque verò, vt idem Auguſtinus[d] ait, tollit liberum voluntatis arbitrium; *ſed non ſufficere, ait, velle noſtrum niſi adiuuet Deus, miſericordes nos efficiendo, ad benè operandum per donum Spiritus ſancti, ad hoc referens quod ſuperiùs dixit; Miſerebor cui miſertus ero, &c. Quia neque velle poſſumus,*

b li. 83. quæſt. 68. & lib. 1. ad Simpl. q. 2. c Epiſt. 24. d Enchiridi. [illegible] c. 32.

niſi vocemur, & cùm poſt vocationem voluerimus, non ſufficit voluntas noſtra, & curſus noſter, niſi Deus & vires currentibus præbeat, & perducat quò vocat. Manifeſtum eſt ergo non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſſe Dei, quod bene operamur, quamquàm ibi ſit etiam voluntas noſtra, quæ ſola nihil poſſet. Verùm de hoc dicendi modo, quo in præſentia vtitur Apoſtolus, magna eſt inter theologos diſſenſio. Anaſtaſius[a] quippe hæc verba dicta eſſe putat propter Eſau, qui cùm maximè vellet, atque auidiſſimè cuperet paternam benedictionem, eam ob cauſſam ad venationem feſtinauit; at illa benedictio diuina miſeratione & liberalitate Iacob obtigit. Sed non dubiò eſt aliquid præterea ſignificare voluiſſe Apoſtolum, quo maximè propoſitæ quæſtionis explicatio contineatur. Sunt igitur qui phraſim Hebræam in præſentia agnoſcant, qua illi, cùm quidpiam alteri præferunt, non illud magis, hoc minùs affirmare ſolent; ſed illud affirmant omninò, hoc præcisè negant. Vt apud Matthæum[b], *Miſericordiam volo, non ſacrificium.* non reiicit quidem ſacrificium, ſed miſericordiam præfert. Rurſus[c]; *Non eſtis vos qui loquimini; ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.* At proculdubio dum concionarentur Apoſtoli, ipſi loquebantur; ſed diuini ſpiritus impulſu acti. Et apud Ioannem;[d] *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me Patris.* id eſt magis Patris quàm mea. Quam dicendi rationem ſecutus videtur Chryſoſtomus, qui hæc verba Pauli perinde accipit, ac ſi dixiſſet, non tam volentis hominis, quàm miſerentis eſt Dei. Neque, vt arbitror, abhorret Gregorius[e] Nazianzenus. *Etenim* (inquit) *cùm illud audies, Non eſt volentis, neque currentis; ſed miſerentis Dei, idem tibi exiſtimandum cenſeo. quoniam enim nonnulli ſunt qui ob rectè facta ita animis efferuntur, vt id totum ſibi ipſis adſcribant, nec quidquam creatori, & ſapientiæ eorum auctori, ac bonorum omnium ſuppeditatori acceptum ferant, his verbis docet Paulus, quòd ipſum etiam rectè velle diuino auxilio indigeat; immò, vt rectiùs loquar, voluntas quoque ipſa & electio eorum, quæ recta, & cum officio coniuncta ſunt, diuinum quoddam beneficium eſt; atque à Dei benignitate manans: ideirco ait; Non volentis, id eſt, non ſolum volentis, nec currentis ſolùm; ſed etiam miſerentis Dei: ita quoniam velle quoque ipſum à Deo eſt, optimo iure totum Deo aſſignauit. Quantumlibet curras, quantumlibet certes, opus habes eo, qui det coronam. Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam. Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilant qui cuſtodiunt eam. Scio, inquit, quòd nec leuium curſus eſt, nec bellum potentium, nec pugnantium victoria, nec proſperè nauigantium portus; ſed Dei eſt & victoriam afferre, & incolumem ſcapham in portum perducere.* Quibus omnibus indicare videtur quidquid homines conentur, aut laborent, plus multò diuinæ beneficentiæ, quàm ipſorum induſtriæ tribuendum eſſe. At reclamat non ſemel Auguſtinus[f]: *Non ideo,* (inquit) *dictum eſſe putandum eſt, non volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei, quia niſi eius adiutorio, non poſſumus adipiſci quod volumus, ſed ideo potius quia niſi eius vocatione vocati non volumus; ſed ſi vocatio iſta eſt effectrix bonæ voluntatis, vt omnis eam vocatus ſequatur; quomodo verum eſt illud quod in Euangelio ſcriptum eſt, Multi vocati, pauci electi? Si hoc autem verum eſt, & non conſequenter qui vocatus eſt, vocationi obtemperat, atque vt obtemperet in eius poſitum eſt voluntate, rectè etiam dici poſſet; Non miſerentis Dei, ſed volentis, & currentis eſt hominis; quia miſericordia vocantis non ſufficit, niſi vocati obedientia conſequatur.* Et alibi.[g] *Si rectè dictum eſt; non volentis hominis, ſed miſerentis eſt Dei, quia id voluntas hominis ſola non implet; cur non & è contrariò rectè dicitur non miſerentis eſt Dei*

II. a Quæſt. 59. in ſcript.

b cap. 9. 13.

c Matt. 10. 20.

d cap. 7. 16.

e Orat. 31. in dictũ Euang. Matth. 19.

III. f li. 1. ad Simplic. q. 2.

g Ench. c. 32.

eſt Dei.ſed volentis eſt hominis, quia id miſericordia Dei nō implet? Quod nullus Chriſtianus dicere audebit. Tum ſubdit; *Reſtat vt propterea rectè dictum intelligatur, non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, vt totum Deo detur qui hominis voluntatem bonam & præparat adiuuandum, & adiuuat præparandum: præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, ſed non omnia; quæ autem non præcedit, ipſa in eis eſt, & ipſa: Nam vtrumque legitur in ſanctis eloquiis, & miſericordia eius præueniet me; & miſericordia eius ſubſequetur me. Nolentem præuenit vt velit, volentem ſubſequitur ne fruſtra velit.* Auguſtini ſententiam ita explicat B.

a in hunc locum.
Thomas[a], vt cuncta idcirco Deo tribuenda eſſe affirmet, quia Deus eſt præcipuus, & primarius auctor qui ſua vocatione efficit in nobis bonam voluntatem.

b lib. 1. ad Simp. q. 2.
Rectè namque dixit Auguſtinus[b]; *Quia non præcedit voluntas bona hominis vocationem Dei, ſed vocatio Dei præuenit bonam voluntatem hominis: propterea vocanti Deo rectè tribuitur, quod bene volumus, nobis verò tribui non poteſt quod vocamur.* Et alio[c] loco:

c lib. de bono perſeu. c. 6.
Tutiores viuimus, ſi totum Deo damus; non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus. His conſentiunt ea quæ ſcribit Optatus[d] Mileuitanus:

d lib. 2. aduer. Parmen.
Eſt (inquit) *Chriſtiani hominis quod bonum eſt velle, & in Deo quod bene voluerit currere: ſed homini non eſt datum perficere, vt poſt ſpatia, quæ debet homo implere, reſtet aliquid Deo vbi deficienti ſuccurrat, quia ipſe eſt ſolus perfectio.* Cætera ex diſputationibus theologicis petenda ſunt. Senſus igitur Apoſtoli eſt neque Iudæos ex operibus legis, neque Gentiles vlla ſua actione potuiſſe vocationem promereri: actiones enim liberi arbitrij merito curſui comparat, vt alibi frequenter.

IV. Interim ſat fuerit admonere aduerſus huius ſæculi hæreticos, ita de diuina prædeſtinatione hæc Pauli verba accipienda eſſe, vt ea poſita, ad iuſtificationem liberi arbitrij conatus, atque actio ſuo etiam modo concurrat; itáque concurrat, vt, quod egregiè

e Seſſ. 6. cap. 5.
docuerunt Patres Concilij[e] Tridentini, diſſentire poſſit, ſi velit, etiam poſita quacumque vocatione, aut efficaci diuinæ gratiæ motione, in quo actio libertatis, quo ad exercitium poſita eſt, quidquid alij contra diſputent. Quomodo autem cum efficacitate diuinæ gratiæ conſiſtat libertas, mox ex Auguſtino docebo.

f de nat. & grat. cap. 32
De ea namque ſcribit Auguſtinus[f]. *Ibi operamur & nos, ſed illo operante cooperamur, quia miſericordia eius præuenit nos.*

g de gratia & lib. arb. ca. 15.
Alibi[g] verò explicans verba illa Pauli; *Non ego, ſed gratia Dei mecum. Per hoc* (inquit) *intelligitur nec gratiam Dei ſolam, nec ipſum ſolum; ſed gratiam Dei ſimul cum illo.* Denique

h Serm. 15. de verb. Apoſt.
alio[h] loco; *Eſſe poteſt* (ait) *iuſtitia Dei ſine voluntate tua; ſed in te eſſe non poteſt, niſi per voluntatem tuam.* Mitto alia pene ſexcenta, quæ apud eundem Auguſtinum leguntur.

i Tractatu de grat. & l. arb.
Addam vnum Bernardi[i] teſtimonium tam apertum vt nulla poſſit tergiuerſatione eludi. *Quod à ſolo Deo* (inquit) *& ſoli datur libero arbitrio, tam abſque conſenſu non poteſt eſſe accipientis, quam abſque gratia dantis.*

k lib. de ſpir. & lit. cap. 34.
Docuit autem Auguſtinus[k], & diuinæ gratiæ vim, & humanæ libertatis vſum probè conſiſtere. *Voluntas* (inquit) *bona, qua volumus credere, non ideo tantùm diuino muneri tribuenda eſt, quia in libero arbitrio eſt, quod nobis à Deo naturaliter concreatum eſt: verùm etiam quia viſorum ſuaſionibus agit Deus, vt velimus & vt credamus ſiue extrinſecus, per Euangelicas exhortationes, vbi & mandata legis aliquid agunt, ſi ad hoc admonent hominem infirmitatis ſuæ, vt ad gratiam iuſtificantem credendo confugiat. ſiue intrinſecus vbi nemo habet in poteſtate, quod ei veniat in mentem; ſed conſentire, vel diſſentire propria voluntatis eſt. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat; neque enim credere poteſt quolibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio cui credat: profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia eius præuenit nos. Conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt. Quæ res non ſolùm non infirmat illud Apoſtoli dictum: Quid habes, quod non accepiſti? verùm etiam confirmat. accipere quippe, & habere anima non poteſt dona, de quibus illud dicitur, Niſi conſentiendo, ac per hoc quid habeat & quid accipiat Dei eſt:* accipere autem & habere vtique *accipientis, & habentis eſt.* Quæ ſanè omnia vt veriſſimè ex Auguſtini ſententia dicantur; ſimpliciſſima tamen huius loci explicatio eſt, quā in paraphraſi poſui, vt doceat Apoſtolus electionem ac primam vocationem ita eſſe gratuitam, ac liberalem, vt nihil ſibi poſſit quiſquam ex liberi arbitrij viribus arrogare. Ob id enim Apoſtolus cum de geminis ageret, præcipuè addit, *cum non damnati eſſent, aut aliquid boni egiſſent vel mali:* quaſi dicat cum nulla ipſorum actio ſpectari poſſet. vt hinc maximè doceat neque Iudæos, neque Gentiles fuiſſe ex meritis, ſed ex vna Dei liberalitate ad gratiam & Chriſti fidem vocatos. Atque ita hæc omnis Apoſtoli diſputatio magnam vim habet contra ſemipelagianos, qui primam vocationem, à nonnulla liberi arbitrij actione præuerti impiè ſentiebant, vt planiùs doceo in diſputationibus.

17. DICIT ENIM SCRIPTVRA, &c. Deſumptum eſt hoc teſtimonium ex libro Exodi[a]. quo loco

I.

a cap. 9. 16.
Hebræa verba ſic propriè Latinè reddi poſſunt; feci vt exiſteres, vel ſtare te feci. Septuaginta interpretati ſunt, *ſeruatus es.* Vulgatus interpres, *Poſui te*, Paulus Græcè dixit ἐξήγειρα σε, hoc eſt excitaui. Sunt tamen qui interpretentur *Eduxi te, & ad regnum extuli.* Ita Photius apud Oecumenium. Nec deſunt qui ea voce ſignificari putent idem quod, *Obfirmaui.* Chryſoſtomus & Ambroſius ſequuti interpretationem Septuaginta, cui maximè fauet Chaldaica paraphraſis, & Hebræorum ſententia, ſeruatum fuiſſe Pharaonem dicunt, quòd cùm ob multa, & maxima ſcelera digniſſimus eſſet morte; illum tamen Deus ſuperſtitem atque incolumem ſeruauit. Addit Ambroſius ex vulgato interprete, excitatum fuiſſe Pharaonem, quòd pene iam coram Deo mortuus; fuerit tamen ad viuos quaſi reuocatus. Sic enim vulgò dicere conſueuimus, eum qui præſens mortis periculum euadit, eum denuò vel natum eſſe, vel tunc ab inferis reuocatum. Anſelmus; *Excitaui te* (inquit) *id eſt, non te feci malum, ſed cùm malus eſſes, ſignis atque prodigiis quaſi ſopitum excitaui, vt in malitia perſiſteres, ac deterior fieres. Hoc enim iuſtum eſt vt qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc; neque id temerè, ſed vt te indurato, oſtendam virtutem meam.* Poſſet etiam explicari, vt ſignificet fuiſſe Pharaonem commotum, & prouocatum à Deo, vt contra populum Dei ſurgeret. Sic

b lib. 2. cap. 36. 22.
enim legimus in libris Paralipomenon[b]; *Suſcitauit Deus ſpiritum Regis Perſarum.* quod videtur inſinuare Auguſtinus, qui verbum illud, *Excitaui*, ita interpretatur. *Excitaui te* (inquit) *vt contumaciùs reſiſteres imperio meo, non tantùm permittendo, ſed multa etiam tam intus, quàm foris operando, quæ per occaſionem maioris tibi contumaciæ cauſſa forent.* Sanè quod attinet ad vim verbi, Pauli interpretatio præferenda eſt. Is enim ipſe ſpiritus, qui primùm per Moyſen, ore deinde Pauli loquebatur.

II. Illud, quod ad rem ſpectat, quódque in ſcholis multi vel non animaduertunt vel diſſimulant, videtur in primis obſeruandum; eandem putaſſe Apoſtolum reprobationis, & prædeſtinationis eſſe rationem. Cum enim protuliſſet Malachiæ teſtimonium Dei affirmantis ſe Iacobum dilexiſſe, odio verò habuiſſe Eſau, mox autem Moſis auctoritate, deſumpta ex libro Exodi, amorem Iacob vni beneficentiæ, ac liberalitati diuinæ tribuendum eſſe

eſſe docuiſſet; idem de odio Eſau hoc eiuſdem Mo- A
ſis oraculo confirmat. Quemadmodum enim pro-
pterea voluit Deus exiſtere Pharaonem, ad regnum
promoueri,& penè incredibili ſæuitia atque imma-
nitate in Iudæorum nationem debacchari, vt eſſet ve-
luti materia diuinæ poteſtatis exercendæ, & maie-
ſtatis declarandæ; ita etiam eundem, aut perſimilem
ob finem reiectus eſt Eſau: ac propterea mox ſubdit
Paulus; *Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.*
Quod verò ait Paulus, *vt oſtēderem virtutem meam*;
Græcè *δύναμιν μου*, robur, fortitudinem,& potentiā
intelligo, vt Hebræa verba in Exodo ſignificant.
Quamobrem Oecumenij ſententia minùs videtur
probanda, qui Dei longanimitatem intelligit, qua
malos diu tolerat. Cæterùm magnopere falluntur
ſuperioris noſtrique æui hæretici, qui ideo Pharao- B
nem excitatum interpretantur, vt ſua malitia atque
improbitate Deum ad iram atque indignationem
prouocaret, eiúſque iuſtam iram, & vltricem po-
tentiam experiretur, quaſi Deus per ſe cupiat
ſcelerum vltionem, & hominem ad ſcelera im-
pellat, vt iuſtam habeat vlciſcendi materiam. Quo
nihil fingi poteſt à diuina bonitate magis alie-
num, quæ non vult mortem peccatoris, ſed magis vt
conuertatur, & viuat. Qua verò ratione dicatur
Deus excæcare vel indurare, in diſputationibus
explico, & mox Paulus ipſe attingit. Certum enim
eſt nullius ſceleris Deum eſſe, aut eſſe poſſe auctoré,
vt alibi fuſiùs probo. Excitaſſe igitur dicitur Deus
Pharaonem, vt oſtenderet in illo virtutem, hoc eſt
vim ac poteſtatem ſuam, eo modo quo dicitur excæ- C
care,& indurare, vnde illud ſequitur, vt diuina om-
nipotentia clariùs eluceſcat. Rectè namque ſcriptum
eſt à Boëtio [a]; *Sola eſt diuina vis, cui mala quoque bona*
ſunt, cum competenter eis vtendo, boni alicuius elicit ef-
fectum. ordo enim quidam cuncta complectitur, vt quod
ab aſſignata ordinis ratione diſceſſerit, hoc idem licet in
alium, tamen in ordinem relabatur. ne quid in prouiden-
tiæ regno liceat temeritati. Non igitur Deus auctor
fuit malitiæ Pharaonis, ſed cùm deſtitutus diuinæ
gratiæ præſidiis multis ſeſe ſceleribus inquinarit, di-
uinæ potentiæ illuſtrandæ materiam præbuit. Cur
autem à Deo deſtitutus ſit, nulla præter vnam Dei
voluntatem quærendam eſſe rationem Apoſtolus
docet, qui propterea mox ſubdit; *Ergo cuius vult mi-*
ſeretur, & quem vult indurat. Itaque Auguſtinus hoc D
Pharaonis exemplum, ad gratuitam, ac liberalem
Dei vocationem ſtabiliendam, referri putat. ſic enim
ſcribit [b]: *Pharaonis exemplum & documentum ſubii-*
cit Apoſtolus, quo probaret, quod ſupra dixerat: igitur non
volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei: tanquam
ei diceretur, vnde hoc doces? reſpondet: ſcripturam dixiſ-
ſe Pharaoni. ad hoc excitaui te, vt oſtendam in te poten-
tiam meam. vtique hic oſtendit, quod non volentis, neque
currentis, ſed miſerentis eſt Dei, concluditque ita: ergo
cuius vult miſeretur, & quem vult indurat, cùm ſupe-
riùs non vtrumque dictum ſit. neque enim quomodo di-
ctum eſt, non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt
Dei: ſic etiam dictum eſt, non volentis neque contemnen-
tis, ſed obdurantis eſt Dei. vnde datur intelligi, quod in-
fra vtrumque poſuit. ergo cuius vult miſeretur, & quem E
vult indurat: ita ſententiæ ſuperiori poſſe congruere, vt ob-
duratio Dei ſit nolle miſereri. vt non ab illo irrogetur ali-
quid quo ſit homo deterior, ſed tantùm quo ſit melior non
erogetur; eodémque modo alibi ſcribit [c].

18. Ergo cuius vult, &c. Vtriuſque ſupe-
I. rioris ſententiæ vera, atque peroblcura complexio
eſt, de qua plura in diſputationibus dicenda ſunt.
Certè cum videatur primo quidem intuitu abſurda,
vel potius impia, Origenes, Chryſoſtomus, Theodo-
retus, Theophylactus, Oecumenius, & inter Lati-
A nos Hieronymus & Ambroſius, vt paulò antè indi-
caui, exiſtimarunt non ex Apoſtoli ſententia, ſed ex
aduerſarij, & contradicentis perſona, vt quædam ſu-
periora, dici. Verùm vt paulò antè monui, ipſa diſ-
putationis ratio poſtulat, vt hæc omnia in perſona
Pauli dicta eſſe intelligantur. Quamuis enim libens
Chryſoſtomo conceſſerim non reſpondiſſe Paulum
propoſitæ quæſtioni (*Numquid iniquitas eſt apud*
Deum)? directè, vt aiunt, & humana ratione, abomi-
nando tamen reiecit abſurdam, atque impiam illatio-
nem, & ſcripturæ teſtimoniis quid ſentiendum eſſet
oſtendit. Illud verò Chryſoſtomo nequaquam aſ-
ſentior, quod his verbis: *Cuius vult miſeretur, & quem*
vult indurat; nouam proponi quæſtionem exiſtimat,
cùm nota illationis apertè oſtendat complexionem
B eſſe ex ſuperioribus deductam. Nec me fugit quid II.
ex hoc loco impiè iuxta, atque imperitè colligant
hæretici: ſed quia longiorem poſtulant diſputatio-
nem, commodiori loco refellentur: interim ponam
Auguſtini [a] verba: *Igitur*, inquit, *non volentis, neque*
currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Deinde vt etiam iudi-
cium commendaret, quoniam, in quo non fit miſeri-
cordia, non iniquitas fit, ſed iudicium, (non eſt quippe
iniquitas apud Deum) continuò ſubiecit, atque ait: Di-
cit enim ſcriptura Pharaoni: Quia ad hoc te excitaui, vt
oſtendam in te potentiam meam, & vt annuncietur no-
men meum in vniuerſa terra. Quibus dictis ad vtrum-
que concludens, id eſt, ad miſericordiam, & ad iudicium,
inquit: Ergo cuius vult miſeretur Deus, & quem vult
obdurat. Miſeretur ſcilicet magna bonitate, obdurat nul-
C *la iniquitate, vt nec liberatus de ſuis meritis glorietur,*
nec damnatus niſi de ſuis meritis conqueratur. Sola enim
gratia redemptos diſcernit a perditis, quos in vnam per-
ditionis concreuerat maſſam ab origine ducta cauſſa
communis. Hoc autem, qui eo modo audit, vt dicat, Quid
adhuc conſequitur? Nam voluntati eius quis reſiſtit?
Tanquam propterea malus non videatur eſſe culpandus:
quia Deus cuius vult miſeretur, & quem vult obdurat,
abſit vt pudeat nos hoc reſpondere, quod reſpondiſſe vi-
demus Apoſtolum, O homo, tu quis es vt reſpondeas Deo?
Eodem pertinet quæ ſcribit auctor [b] libri de præde-
ſtinatione & gratia; *Quem vult*, inquit, *indurat ibi*
paululum humana mentis intentio verbi nouitate con-
funditur. ſed non ita intelligendum eſt quaſi Deus in ho-
mine, ipſam quæ non eſſet duritiam cordis operetur. Quid
D *enim aliud eſt duritia, quàm Deo obuiare mandatis?*
Aliquantò [c] autem pòſt: *Cuius vult miſeretur, & quem*
vult indurat. quaſi diceretur: cuius vult miſeretur, &
cuius non vult non miſeretur. Itémque hoc ipſum rurſus
intelligat quaſi diceretur: Cui vult donat, & à quo vult
debitum poſcit. Denique hoc ipſum apertiſſimè de-
clarant quæ ſcribit Auguſtinus [d] cùm hæc ipſa verba
tractaret, *Miſeretur*, inquit, *gratuito dono, obdurat au-*
tem iuſtiſſimo merito. Quibus mirabiliter conſentiunt
quæ alibi [e] ſcribit: ſed alio [f] quodam loco: *Deum ob-*
durare, ait, eſt nolle miſereri, vt non ab illo irrogetur ali-
quid homini, quo fiat deterior, ſed tantùm non erogetur
ei id, quo melior exiſtat. Et poſt nonnulla: *Non ideo*
putetur Deus cogere quemquam peccare, quòd quibuſdā
peccantibus miſericordiam iuſtificationis ſuæ non largi-
E *tur. Et ob id dicatur obdurare quoſdam peccatores, quia*
non eorum miſeretur: non autem quaſi impellat eos ad
peccandum. eorum autem non miſeretur, quibus miſeri-
cordiam non eſſe præbendam, æquitate occultiſſima, & ab
humanis ſenſibus remotiſſima iudicat: inſcrutabilia enim
ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Denique [g]:
Obdurat Deus deſerendo, & non adiuuando: quod occul-
to iudicio facere poteſt, iniquo non poteſt. Scio Hierony-
mum [h] alioſque nonnullos aliter hæc verba expo-
nere, ſed fuſiùs hæc in diſputationibus explicanda
erunt. tantùm nunc dico, indurationém hoc loco ab
Apo

a Lib. de conſol. philoſ. proſa 6.
b Lib. ad Simplic. q. 2.
c Epiſt. 105. de pœna & l. [illegible]
a in Enchyr. cap. 99.
b cap. 4.
c cap. 6.
d Epiſt. 105.
e lib. 83. qq. q. 68 & lib de nat. & gratia cap. 1
f lib. 1. ad Simplic. q. 2. & tract. 53. in Io.
g tract. 53. in Ioan.
h Epiſt. 150. q. 10.

Apoſtolo accipi, pro illa prima Dei voluntate, qua ſtatuit cor non emollire: cur enim ex duobus æquè impiis, ac ſceleratis alterum ad pœnitentiam ſuæ diuinæ gratiæ beneficio pertrahat: alterum deſerat, vt deterior fiat ac penitùs pereat, nulla præter vnam Dei voluntatem quærenda ratio eſt, ac propterea ait Paulus, *cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.* Qui autẽ aliter hunc Pauli locum conátur explicare, in eos ſeſe laqueos inducũt, ex quibus non facilè expediri queant. coguntur enim dicere, deſeri & indurari ingratos: miſericordiam tribui iis, qui Chriſti fidem complectuntur, quaſi fides miſericordiam præcurrat, quod cum aliquando dixiſſet Auguſtinus, poſtea meritò damnauit, quòd animaduerteret prorſus eſſe Pelagianum.

19.
I. DICES ITAQVE MIHI, &c. Græcè, τί ἔτι μέμφεται. De Deo autem loquitur. Cur, inquit, Deus de hominibus, & Pharaone præcipuè conqueritur? Cur ſuccenſet, & iraſcitur? Cur denique, ſcelera atque flagitia accuſat? Vehemens ſanè, atque acris argumentatio, quæ cum ſuperioribus mirè connexa eſt. Non enim vt imperitè quidam exiſtimarunt, querendi verbum quæſtionem, aut inquiſitionem ſignificat, ſed querimoniam potius, & expoſtulationem, vt ex Græcis codicibus conſtat. Videtur autem hæc Pauli interrogatio eodem ſpectare quo illa apud Salomonem[a]: *Inſipientia viri violat vias eius, Deum autem cauſatur in corde ſuo.* Sic enim legit, Græcos codices ſequutus, Beatus Auguſtinus: ſæpe autem, & quidem grauiter queritur Deus de peccatoribus, eorúmque tum ſocordiam tum ingrati animi vitium vehementer accuſat, vt apud Iſaiam[b]: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi.* Et apud eundem[c]: *Vtinam attendiſſes Iſraël mandata mea: facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & iuſtitia tua, ſicut gurgites maris, & quare moriemini domus Iſrael?* Rurſus[d] Ezechiel: *Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem impij: ſed vt conuertatur impius à via ſua, & viuat.* Apud Ieremiam[e]: *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas.* Denique apud Matthæum[f]: *Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti?* Itaque quod ait Apoſtolus; *Quid ergo queritur,* ſupplendum eſt, *Deus.* Addit autem Auguſtinus[g]: *Conqueritur Deus iuſtè de peccatoribus, tanquam de iis quos peccare ipſe non cogit, ſimul etiam vt ij quorum miſeretur, hanc quoque habeant vocationem, vt cùm conqueritur Deus de peccatoribus, illi compungantur corde, vt ad eius gratiam conuertantur, & ſic impleatur quod ſcriptum eſt, iuſtus manus ſuas lauat in ſanguine peccatoris, id eſt mundatur ab operibus malis per timorem Dei, cùm videt ſupplicia peccatorum.* Hoc igitur quærit in præſentia Apoſtolus, vt in paraphraſi diximus, cur Deus ſuccenſeat peccatoribus, ſi omnia tam bene quàm malè ab ipſius voluntate pendent. Vtinam autem Paulus huic quæſtioni planiùs, dilucidiúſque reſpondiſſet. Nam quæ affertur ſimilitudo deſumpta à figulo, cautum & prudentem lectorem requirit, ne vel liberum noſtrum arbitrium ſenſu, ac motu ſpoliari quis putet, vel Deum æquè malorum ac bonorum auctorem eſſe impiè ſuſpicetur. Quod autem ait Apoſtolus; *Voluntati enim eius quis reſiſtit?* deſumptum videtur ex illo Iſaiæ[h]; *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* Vel[i]; *Vltionem capiam, & non reſiſtet mihi homo.* Voluntas enim, quam Theologi abſolutam & efficacem vocant, eiuſmodi eſt in Deo, vt impediri nulla ratione queat. quam alicubi Auguſtinus[k] fatum à Stoicis appellari contendit. Idem mox probat Homeri teſtimonio, qui tales ait eſſe quotidie hominum mentes, quales eſſe voluerit Iuppiter Deorum, hominúmque pater. ita dixit olim Mardochæus[a]: *Domine, Domine Rex omnipotẽs, in ditione enim tua cuncta ſunt poſita, & non eſt, qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati ſi decreueris ſaluare Iſrael.*

20.
I. O HOMO, TV QVIS ES, &c. Græcè additur particula μενοῦνγε, hoc eſt, atqui, ſeu quinimò: ad augendam orationis vehementiam, & acrimoniam, quaſi dicat, immo verò quis es tu, qui ita diſputas, qui negas Deum iuſtè de mortalibus conqueri, cùm tibi potius etiam, atque etiam cogitandum ſit quomodo conquerenti Deo ſatisfacias; non autem quomodo eius iudicia curioſè inueſtiges? Aut, vt obſeruauit Chryſoſtomus, vim Græcè vocis expendens, quid ex aduerſo Deo reſpondeas? quamobrem non videtur Photius hoc loco Pauli mentem attigiſſe, qui quaſi dilemmate eius argumentationem concludit. *Aut enim,* (inquit) *voluntatem Dei oppugnas, aut non. ſi oppugnas, cur vociferaris, voluntati eius quis reſiſtet, cum ipſe oppugnando maximè reſiſtas? Quod ſi non oppugnas, quid eſt cur contradicas? aut ex aduerſo reſpondeas?* Meliùs omnino Origenes, hæc dicta eſſe putat ad retundendam improbam quorumdam temeritatem, qui diuina iudicia, atque abdita myſteria curioſiùs inueſtigant. Eorum porro nullo modo ferenda eſt audacia, qui vt ſcribit Auguſtinus[b], negant hæc verba ſcripta eſſe à Paulo, ſed à quopiam neſcio quo interpoſita. Longè verò deteriùs aduerſus eundem Apoſtolum peccarunt ij qui propterea hiſce verbis Paulum exclamaſſe contendunt, quòd ſoluendæ quæſtioni par non eſſet.
II. Cæterùm magna eſt in hac Pauli exclamatione emphaſis, & tacita quædam antitheſis. vt enim ſcribit Beatus Gregorius[c]: *Reſpondere Deo non poſſe conuincitur, qui homo nominatur, qui per hoc quòd de humo ſumptus eſt; iudicia ſuperna diſcutere dignus non eſt.* Et Origenes apertè monet ſi quis modeſtè diuina myſteria inueſtiget, non eſſe hac reprehenſione caſtigandum, etenim alibi Apoſtolus[d] rationem affert cur ſit in vaſis tanta diuerſitas; ſed hanc reſponſionem ad eos arguendos afferri ab Apoſtolo, qui diuinas actiones accuſant, & de diuina ſapientia potentiaque obloquuntur, idque aliqua ratione ſignificat Græca vox ἀνταποκρινόμενος, quaſi dicat, ex aduerſo reſpondens, idque ſtudio contradicendi, obtrectandíque. Itaque rectè ait Theophylactus, *videri quomodo cohibeat importunam curioſitatem, frenúmque imponat? Erudient nos vt diſcamus quid Deus ſit, & quid homo. Tu quis es? nónne imperiũ, & principatum cum eo partiris? Nónne iudex es eorum, quæ ipſum oporteat facere? Nam explorare quid ſic deceat, vel non deceat, eſt eius, qui ex aduerſo reſpondeat, opponatúrque Deo. Verum haudquaquam ita faciendum, ſed obtemperandum eſt iis quæ Deus fecerit, quomodocumque etiam ſe habuerit.* Rectè verò ſubdit: *Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit: quid me feciſti ſic?* Illuſtri quippe metaphora oſtendit non poſſe quemquam iure Deum accuſare, cùm penes eum ſit libera in omne genus hominum poteſtas. eſt autem metaphora deſumpta ex ſacris litteris. In libro namque Sapientiæ[e] ſcriptum eſt: *Sed & figulus mollem terram premens laborioſè fingit ad vſus noſtros vnumquodque vas, & de eodem luto fingit quæ munda ſunt in vſum vaſa: & ſimiliter quæ his ſunt contraria. horum autem vaſorum quis ſit vſus iudex eſt figulus.* Et apud Iſaiam[f]: quò potiſſimùm ſpectaſſe viſus eſt Apoſtolus: *Væ qui cõtradicit factori ſuo, teſta de Samiis terræ. Numquid dicit lutum figulo ſuo, Quid facis? & opus tuum abſque manibus eſt.* Denique apud Ieremiam[g]: *Numquid ſicut figulus iſte non potero vobis facere, Domus Iſrael? ait Dominus. Ecce ſicut lutum in manibus figuli, ſic vos in manu mea, Domus Iſrael.* Verùm qua ratione hæc interrogatio cum proxima ſententia cohæreat, meritò ambigas: qui enim modò di-

xctat

a Prou. 19.
b cap. 65. 2.
c cap. 48. 18.
d cap. 18. 23.
e cap. 2. 13.
f cap. 23. 37.
g li. 1. ad Simplic. q. 2.
h cap. 46. 10.
i cap. 47. 3.
k lib. 5. de ciuit. cap. 8.
a Eſth. 13. 9.
b lib. 83. q. q. 68.
c lib. 9. Mor. cap. 8.
d 2. ad Tim.
e cap. 15. 7.
f cap. 45. 9.
g cap. 18. 6.

xerat videri iniquam Dei querimoniam aduerſus homines, quos ipſe pro ſuo libito indurat, quid cauſæ erat cur è veſtigio ſubiiceret eſſe homines quaſi vaſa in manu figuli: quæ in quemlibet vſum pro artificis voluntate fingi poſſunt? Nec enim diceret quiſpiam id abſurdum videri, vt quem voluerit Deus liberè induret; ſed illud potius vix poſſe ab iniuſtitia vindicari, quod cùm Deus immortalis ſit ipſe humanæ improbitatis, atque impietatis auctor, hominum tamen ſcelera, atque flagitia tam ſeuerè, atque acerbè plectat. Itaque hac, vt opinor difficultate permoti Theodoretus, & Photius inter Græcos, Hieronymus [a] inter Latinos, hanc figuli ſimilitudinem perinde accipiunt, non quaſi Deus figulo, nos verò vaſis ſimiles ſimus; ſed contrario planè ſenſu, vt ſignificet Apoſtolus non agere Deum cum hominum genere vt figulum cum luto. *Quid enim*, inquit Hieronymus, *agis ô homo qui Deum quaſi in iudicium vocas, eiúſque iuſtitiam incuſas? Planè hoc ipſo tui libertatem arbitrij declaras, qui liberè poſſis Dei conſilio acquieſcere, aut eius rationes peruestigare, aut etiam ſi velis, carpere & reprehendere Nam ſi alioqui exiſtimas te quaſi mutum ac ſtolidum inſtrumentum, libertate carere, atque adeo luto eſſe perſimilem in manu figuli, redargui facilè poteris hoc maximè argumento, quod fictilia muta cùm ſint, nequaquam aduerſus figulum diſceptant; tu verò cum Deo diſputas. Accedit quòd figulus pro ſua libertate quocumque modo, & quemlibet in vſum, voluerit lutum fingit & format; Deus autem æquè omnes arbitrij libertate donauit; & cunctis liberam fecit poteſtatem benè, maléve agendi.* Verùm quàm ſit hæc explanatio à mente Pauli aliena, vel ex eo colligas, quod eius verbis, non niſi multis adiectis, & quidem non ſine vi aptari queat, præter quàm quod, vt ex ſuperioribus intelligi poteſt, videtur omnino Paulus ad ea ſcripturæ loca alludere, quibus Deus figulo comparatur. Non multum tamen ab hac ſententia diſcrepat Photius, [b] qui figmentum ait, ab artifice ſciſcitari nequaquam poſſe, cur ſe hoc vel illo modo fingat; quippe ſenſu, & libertate carens. *tu verò, inquit, homo cum Deo diſputas, nec diuinis conſiliis penitus acquieſcis.* Putat autem hic auctor hæc verba à proximè ſequenti ſententia diſtinguenda eſſe: quod aliis videtur ſecus. Quorum ſententia non ſolùm probabilior, ſed ſimpliciter vera cenſenda eſt. Quod vt planiùs intelligatur, ſequentia explicanda ſunt. Ait igitur.

a Ep. ad Hedib. q. 10.

b apud Oecum. in locu.

21. AN NON HABET POTESTATEM, &c.
I. Aptè, vt apparet ex ſuperioribus, nectuntur; idcirco enim etiamſi loqui poſſet vas fictile, immeritò artificem accuſaret; quia figulus ex eadem argilla humore macerata temperatáque, pro ſua libertate quidlibet effingere atque efformare poteſt. Quam ſanè ſimilitudinem prorſus extra rem Methodius apud Oecumenium, ad vniuerſam hominum naturam transfert, perinde quaſi in extremo mundi die; alij ad beatam vitam, & immortalem gloriam; alij ad interitum ſempiternum excitandi ſint; cùm omnino de huius vitæ conditione diſputet Apoſtolus. Multò verò minus eorum probanda videtur ſententia, qui ex materia prima cunctos mortales effictos eſſe dicunt; cùm ſi ſola ſpectetur natura, omnes ad beatam vitam conditi ſint, vt alibi copioſiùs doceo, quo maximè refellitur hæreticorum impietas, qui ante omnem æternitatem, alios ad immortalem, ac ſempiternam vitam, alios ad interitum fuiſſe dicunt diuinitus deſtinatos. Quamobrem Auguſtinus, & Chryſoſtomus ad diuinam prædeſtinationem, & reprobationem pertinere putant; aliter tamen, atque aliter. Nam Auguſtinus [c] quidem hominum genus propter primæuum Adæ peccatum, argillæ vitiatæ comparat; vnde alij quaſi vaſa honorifica, ad gratiam & gloriam deſtinentur, alij tanquam fœda, & ignominioſa, ad interitum, & necem ſempiternam referantur; idque vnius Dei ita præfinientis conſilio, & voluntate. Ita exiſtimat Auguſtinus ex Pauli ſententia nullam eſſe quærendam rationem; nullámque excogitari poſſe in ipſis hominibus cauſſam quamobrem hic quidem eligatur, & prædeſtinetur: ille verò reiiciatur, ac reprobetur.

c Ep. 59. & [illegible]

II. At verò Chryſoſtomus, qui prædeſtinationis, ac reprobationis cauſſam in hominibus agnoſcit, figuli ſimilitudinem hanc vnam ob cauſſam ab Apoſtolo adhibitam fuiſſe cenſet, vt oſtendat quidquid Deus faciat, non poſſe iure homines aut conqueri, aut aduerſus diuinam iuſtitiam diſputare. Et profectò, vt quæ longiorem poſtulant diſputationem ſuum in locum reiiciantur, hæc Pauli ſententia ſuam retinet veritatem, ſi genus humanum cum Deo immortali, tanquam cum Domino abſoluto conferatur. Nec enim iure queruntur homines quòd alij mares, alij fœminæ; alij firma, alij perdita ac profligata valetudine; alij integro, & perfecto, alij mutilo truncatóque corpore; alij nobiles; alij de plebe infima; alij denique diuites, & opulenti; alij contra extrema inopia laborantes ſint. Hac enim ratione rectè Deus fictori, mortales verò figlinis comparantur. Quamquam autem hæc omnia mala, atque incommoda, quæ in hominum genere cernuntur, ad iuſtam originariæ labis pœnam pertinere non immeritò cenſentur: tamen etiam ſi abſque vllo peccato mortalibus accidiſſent, cùm magna ex parte ſint cæteris animantibus communia, nullam aduerſus Deū iuſtam querimoniam, aut accuſationem admitterent. Vtrum autem hoc ipſum concedi poſſit in iis quæ ſpectant ad beatam vitam, & interitum ſempiternum, non facilè apparet; nec ſatis conſtat quæ dicantur vaſa in honorem, & quæ in contumeliam, niſi priùs ſequens ſententia explicetur, quæ propoſitæ ſimilitudinis tacitam quamdam redditionem continent. Tantùm hic moneo hominum naturam reſpectu bonorum ſupranaturalium, rectè maſſæ comparari, ſiue argillæ. nam quemadmodum argilla ſi conferatur cum figura, quæ opificio artificis inducenda eſt, nullam habet actionem, qua hanc potius quàm illam figuram poſtulet: ita homines ſi cum gratia conferantur, nihil habent ex ſe cur ea digni cenſeri queant. at verò non eſt hæc ſimilitudo omni ex parte probanda, ſi de hominum iuſtificatione agendum ſit, cùm enim argilla à figulo fingitur ac formatur, nihil illa agit, ſed tantùm patitur, & artificis motum excipit: liberum verò arbitrium dum homines iuſtificentur, vt egregiè concilij Tridentini Patres [a] definiunt, *non mere paſſiuè* ſe habet, ſed nonnihil agit, & diuinæ vocationi quam reiicere poteſt liberè conſentit. Vt minimè illi audiendi ſint, qui liberum arbitrium ligno, penicillo, aut calamo ſimile dicunt eſſe, quæ ſunt inſtrumenta prorſus inanimata, ac proprio motu carentia, quod eodem loco eiuſdem Concilij patres à libero arbitrio alienum eſſe docent, & non ſemel Auguſtinus affirmat [b] conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſſe.

a Seſſ. 6. cap. 5. & can. 4.

b de ſpiritu & littera c. 34.

22. QVOD SI DEVS VOLENS, &c.
I. Cùm modò de figulo & figlinis ageret, vaſa honoris & vaſa contumeliæ nominauit. Iam verò cùm rei propoſitæ ſimilitudinem aptat, vaſa iræ, & miſericordiæ appellat. Rurſus fictorem dixit figlina fingere alia quidem in honorem, alia verò in cōtumeliam; Deum verò ait in multa patientia ſuſtinere vaſa iræ, vt oſtēdat diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ: quod fit vt videatur Apoſtolus argumentari à maiori. Si enim, inquit, Deus immortalis ad modum plaſtis, aut figuli, alios quidem tamquam fœdis vſibus ad-

dicta figlina abiiceret, alios autem tamquàm ſpeci-
oſa, & honorifica vaſa honeſtis muneribus deſtina-
ret, ocmo iure ſummi artificis ſapientiam ſua vten-
tis poteſtate reprehenderet; quantò id ioiòus liceat
cùm ex humano genere primi parentis ſcelere con-
taminato, tamquàm ex corrupta, vitiatáque argilla,
improbos homines quaſi vaſa ſordida, & inquinata
patienter tolerat, alios verò tamquam figlina regiæ
menſæ præparata, mirifica ſua benignitate & miſe-
ricordia perpurgat, atque ornat? Itaque rectè ait vo-
luiſſe Deum oſtendere iram, hoc eſt iuſtitiam ſuam
declarare in vaſa iræ: in vaſa verò miſericordiæ diui-
tias gloriæ, hoc eſt gloriæ ſuæ magnitudinem. Atque
hæc quidem interpretatio cum Apoſtoli verbis fa-
cilè accommodatur; tum verò maximè propoſitam
quæſtionem expedit: neque enim vllus iuſtæ que-
rimoniæ relinqueretur locus, etiam ſi Deus abſolu-
ta dominantis poteſtate cum hominum genere vte-
retur; & alios quidem reiiceret, alios autem eligeret,
non aliam ob cauſſam, niſi quia ſibi ita liberet; atque
vt ait Chryſoſtomus, hoc tantummodo adhibita fi-
ctoris ſimilitudo ſignificat, tantùm abeſt, vt quid-
quam (quod hæretici mentiuntur) de arbitrij liber-
tate detractum indicet. quod ex ipſis Apoſtoli ver-
bis non obſcurè colligo: ait enim voluiſſe Deum
oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam; &
ob eam cauſſam, *ſuſtinuit*, inquit, *in multa patientia*.
Græcè μακροθυμίᾳ, hoc eſt multa animi lenitate per-
tulit improborum hominum ſcelera, atque flagitia.
II. Subdit autem, *vaſa iræ apta in interitum*. Græcè κα-
τηρτισμένα. at à quo? à ſeipſis (inquiunt aliqui) &
propria voluntate compoſita. Certè καταρτίζεσθαι de
iis dicitur, quæ multarum partium compoſitione
fiunt; & qui plura in vnum componit, dicitur καταρ-
a cap. 6. 1. τίζειν. & ad Galatas [a] καταρτίζετε dixit Paulus meta-
phoricè pro eo quod eſt apud medicos luxata mem-
b cap. 4. 21. bra in ſuum locum reſtituere. Matthæus [b] autem
Apoſtolos reficientes retia vocat καταρτίζοντας, quaſi
reſarcientes, vt omnino videatur ſignificare artificis
efficientiam, quicumque tandem artifex conſtitua-
tur, ſed abſit vt dicatur Deus malorum artifex, aut
c hoc loco. effector. Chryſoſtomus [c] rem per ſe difficilem im-
pedit potiùs quàm expediat. vas enim iræ appellari
dicit ab Apoſtolo ἀπηρτισμένον ὅποθεν καὶ παρ᾽ ἑαυτοῦ εἰς
ἀπώλειαν, id eſt perfectæ iniquitatis effectum à ſeipſo,
ac ſuapte ingenio. Idcirco vaſa iræ dicuntur tolerari,
ſuſtineri, ac ferri. At vis aſſumptæ ſimilitudinis omni-
no perit, ſi vaſi molitionem, aut effectionem ſui tri-
buimus; quânam enim ratione verum erit, quod ait
Paulus, *An non habet poteſtatem figulus ex eadem maſ-
ſa facere aliud vas quidem in honorem; aliud in contu-
meliam*, ſi ipſa ſe vaſa contumeliæ quaſi architectan-
tur, ipſa ſe vaſa iræ ad interitum fabricantur? An alia
ſunt vaſa in contumeliam, alia vaſa iræ? At nouum,
id eſt & inauditum. Sed vaſa contumeliæ à figulo
fabrefiunt, non à ſeipſis. An κατηρτισμένα dixit Apo-
ſtolus pro ἀπηρτισμένοις, id eſt perfectis, ac ſuis nume-
ris abſolutis? Certè quod noſter interpres apud Lu-
d cap. 6. 40. cam [d] vertit: *Perfectus autem omnis erit, ſi ſit ſicut ma-
giſter eius*: Græcè dixit Euangeliſta, κατηρτισμένος. Et
e 1. ad Corin. 1. 10. Paulus [e]: *Sitis autem perfecti*, Græcè, κατηρτισμένοι. Et
Baſilius, πᾶσι μέρεσι τῆς ἀρετῆς κατηρτισμένος, omnibus
virtutis partibus, ſeu numeris abſolutus. An retinen-
da eſt noſtri interpretis ſententia, qui apta, id eſt ac-
commodata interpretatur? Nec verò id alienum à
f cap. 10. 5. Paulo videri poteſt, qui ad Hebræos [f] dixit, σῶμα δὲ
κατηρτίσω μοι, corpus aptaſti mihi. Et Gregorius Na-
zianzenus, εἰς προφητείαν καταρτιζόμενον, id eſt com-
poſitum, & concinnatum ad prophetiæ donum per-
cipiendum; vt dicatur Deus feciſſe quidem vaſa con-
tumeliæ, dum naturam condidit: ſuſtinuiſſe verò illa

A facta vaſa iræ, & ad interitum accommodata ſua
ipſorum culpa, quod ſuprà diximus ex Chryſoſto-
mo. Qua tamen de re quid ſentiendum ſit, planiùs
explico, cùm de prædeſtinatione diſſero. Nunc tan- III.
tùm dico quod ait Apoſtolus, ἤνεγκεν ἐν πολλῇ μακρο-
θυμίᾳ, id eſt pertulit multa animi lenitate, patientia,
& longanimitate, ſatis apertè indicare in impiis, qui
vaſis contumeliæ, atque iræ comparantur; ad figuli,
hoc eſt opificis artificium, non nihil aliunde acceſ-
ſiſſe. In vaſis tamen miſericordiæ tametſi, vt obſer-
uauit Chryſoſtomus, aliquid etiam cernitur, quod
ab ipſis proficiſcatur; fictoris tamen, id eſt Dei mo-
litio, & architectatio primas tenet ob vim & effi-
cacitatem præuenientis, & excitantis gratiæ. Ideó-
que rectè ſubditur, προητοίμασεν εἰς δόξαν, id eſt, *prepa-
B rauit in gloriam*; cùm de vaſis iræ contrà dicat ἤνεγκεν;
quod verbum apud Græcos anceps eſt. Auguſtinus [a] a Quæſt. 11 Exod. lib. 11. contra Fauſt. ca. 2. & lib. 2. contra duas ep. Pelag.
enim interpretatur, attulit; quaſi poſt longam expe-
ctationem, & patientiam, tandem ad ſupplicium, &
iuſtam pœnam adduxerit, & veluti in medium pro-
tulerit. Origenes verò, Chryſoſtomus, Theophyla-
ctus, Ambroſius. Suſtinuit, inquiunt, ac ſi dicat per-
tulit, ac tolerauit. Itaque Damaſcenus [b]; *Solus* (in- b lib. 4. ca.
quit) *profectò ipſe eſt vniuerſorum opifex, ſed non ipſe
honorabilia, aut ignominioſa ſtruit vaſa; ſed propria
vniuſcuiuſque voluntate, ac delectu*. Et Oecumenius.
*Non quod hos quidẽ bonos, alios verò malos faciat Deus,
nequaquam. Sed cuncta Dei opera bona ſunt, & quod
ad ſe attinet, hoc eſt iuxta ſuum ipſius conſilium ac vo-
luntatem, omnes vellet probos eſſe, ſtudioſos, ac fideles,
C ſed veluti ex poteſtate quam habet Deus, vt faciat quæ
voluerit, hoc ab ipſo dictum eſt. pulchrè autem ac decen-
ter omnia facit, quamquam nos cauſas ignoramus. Quòd
ergo ipſe non perdat illa vaſa, omnino manifeſtum eſt;
ſe ipſa enim ad interitum aptauerunt. perdidit tamen il-
la, poſtquàm ſeipſa prepararunt, poſtquàm ad extremum
malitiæ procurrerũt, poſtquàm ab eius longanimitate ni-
hil auxilij acceperunt*. Quæ proculdubio eò ſpectant,
vt doceant Deum non eſſe cuiquam malitiæ aucto-
rem, atque idcirco hanc Pauli ſimilitudinem non eſ-
ſe perinde accipiendam quaſi vaſa honoris intelli-
gantur boni, vaſa verò contumeliæ improbi; ſed illa
quidem prædeſtinatos, hi verò reprobos ſignificent,
vt ex Auguſtini ſententia docuimus. Cum enim ex
maſſa perditionis, vt ille loquitur, quidam eligantur,
D quidam relinquantur; huius diuinæ electionis præ-
ter diuinam voluntatem, cauſa nulla quærenda eſt,
in hominibus, quamuis Deus plures habeat ratio-
nes, quas nemo mortalium inueſtigare poteſt. Quo-
circa rectè dixit Auguſtinus [c], *quem trahat, & quem* c Tract. 26. in Ioan.
*non trahat, quare illum trahat, & illum non trahat, noli
velle iudicare, ſi non vis errare. ſemel accipe, & intellige,
non traheris? ora vt traharis*. Cæterùm vaſa iræ ſibi eſ-
ſe interitus ſui iuſtiſſimam cauſam, ex ipſo Apoſto-
lo [d] docet Theophylactus. Dixit enim: *Tu autem ſe-* d Hac ipſa ep. c. 2.
*cundum duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas
tibi iram in die iræ*. Et Oecumenius ait, ea iuſtam in ſe
Dei iram prouocaſſe. Quod verò attinet ad nomen IV.
vaſis, quod Græcè dicitur, σκεῦος, non tantùm ſigni-
ficat rei cuipiam excipiendæ aptum inſtrumentum,
E ſed quidquid pertinet ad vſum domeſticum, & fa-
miliarem ſupellectilem, vt patet apud Athenæum [e], e lib. 14.
qui ex cuiuſpiam ſententia inter vaſa numerat tri-
podem, ollam, lucernam, acteam, ſcamnum, ſpon-
giam, lebetem, lazanum, oleariam, trullam, ſportam,
cultrum, catinum, calicem, acum. Denique non mo-
dò ſacræ literæ, ſed etiam profani ſcriptores vaſis
nomine quælibet inſtrumenta intelligunt. Quia ta-
men Paulus vtitur metaphora ducta à figulo, credi-
derim nomen vaſis propriè accipi. Porro videtur
oratio pendula atque ſuſpenſa. *quod ſi Deus* (inquit)
volens

volens oſtendere iram, & quæ ſequuntur; quibus nihil reſpondet, quod ſententiā claudat. Quocirca Theodoretus ſupplendum putat, *quod ſi aueas ſcire cur cùm plurimi peccent, hos Deus puniat, illos beneficio afficiat: ſcito id eò ſpectare, vt poſt longam, ac diuturnam patientiam iram atque indignationem exerceat in impios; erga iuſtos, & ſanctos miſericordiam, & beneficentiam ingentem declaret ſuam.* Alij ſubintelligunt ſi velit Deus in alios quidem iram, in alios autem miſericordiam exercere. Nec deſunt qui ſuppleant; quid dicetis, aut quid reſpondebitis? Quæ eſt Anſelmi, aliorúmque ſententia. Certè Auguſtinus [a] repetenda putat verba illa ſuperiora. *Tu quis es, qui reſpondeas Deo?* Quis enim poteſt iure reprehendere Deum, qui cùm patienter tulerit hominum improbitatem, ad extremum impios, & in malo obſtinatos iuſto ſupplicio afficit; bonos verò beneuolentia, & caritate complectitur? Qua verò ratione iuſtitia, & miſericordia, ad diuinam prædeſtinationem, & reprobationem pertineant alibi videro.

a lib. 1. ad Simpl. q. 2.

23. I. VT OSTENDERET DIVITIAS GLORIÆ, &c. Pendent hæc ex ſuperiori ſententia, & cum illa neceſſariò nectenda ſunt. Nam qui vaſa iræ ſuſtinuit in multa patientia, ad iram, & potentiam ſuam declarandam; idem vaſa miſericordiæ præparauit in gloriam, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ. vtroque enim nomine celebratur à Propheta diuina Maieſtas dum ait [b]: *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi, Domine.* Ita inſinuat Apoſtolus primariam prædeſtinationis & reprobationis cauſam, vt videlicet in reprobis iuſtitia; in electis verò miſericordia illuſtretur diuina; quanquam deinde cùm de ſingulis agitur, nulla ſit quærenda ratio, cur hunc quidem prædeſtinet, illum verò reprobet. Rectè enim ſcripſit Auguſtinus [c]: *Quem trahat, & quem non trahat, quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare, ſi non vis errare. Semel accipe, & intellige. Non traheris? ora vt traharis.* Illud porro, quod & ſuprà indicaui, obſeruatione dignum videtur, vaſa quidem miſericordiæ à Deo præparari; hoc eſt propenſa quadam voluntate eligi, & ad cœleſtia bona, quas diuitias gloriæ appellat Apoſtolus, capeſſenda, atque in omne æuum perfruenda, præparari: vaſa verò iræ ſuſtineri duntaxat, & patienter tolerari; vt tacitè inſinuare videatur Apoſtolus quod ſæpe iam indicaui, hominum genus argillæ vitiatæ & corruptæ comparari; quam Auguſtinus imitatus Apoſtolum, maſſam perditionis appellat. Quod vt planiùs doceo in libris de prædeſtinatione, non tam propter ipſam primæuæ labis noxam, quàm propter eius noxæ effecta interpretor. Inde enim attenuatæ ſunt liberi arbitrij vires; inde prauæ cupiditates inflammatæ, totáque, vt loquitur Concilium Tridentinum, hominis natura, in deterius commutata eſt. Ex hac autem diſtinctione vaſorum, vt obſeruauit non nemo [d], duo quædam conſequuntur. alterum prædeſtinatos, atque electos certò fore ſaluos, reprobos, contra, damnandos: alterum, non lædi tamen hominis liberum arbitrium; ſed quemlibet ſponte ſua, ac liberè bona, maláve eligere. Quomodo autem hæc duo cohæreant, magna cõtentione inter Theologos certatur. Sed neſcio quomodo, in hac veluti Syrte, ſeu vortice naufragium fecerunt omnes ſuperioris ſæculi hæretici, dum pro libera, & efficaci Dei electione fatalem quamdam neceſſitatem aſtruunt; & vim quamdam diuinæ gratiæ ex ſe ipſa adeo efficacem prædicant, vt ei refragari, aut reluctari nefas ſit: & dum diuinæ gratiæ vim ſupra modum extollunt, humanam iugulant, & perimunt libertatem. Hoc ipſum olim Maſſilienſes obiiciebant Auguſtino, cùm eius ſententiam minus rectè interpretarentur, vt ex

b Pſal. 100. 1.

c Tract. 26. in Ioan.

II.

d Caietan. in hic Pauli locum.

A Fauſto [a] intelligi facilè poteſt. Atque haud ſcio an eandem Auguſtini ſententiam perſtringat Hieronymus [b] cùm ſcribit; *Legi* (inquit) *in cuiuſdam Commentariis ſic reſpondiſſe Apoſtolum, vt magis implicauerit, quàm ſoluerit quæſtionem. ait enim ad id quod propoſuerat; Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas eſt apud Deum? Et non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei. & cuius vult miſeretur, & quem vult indurat. & voluntati eius quis poteſt reſiſtere? Ad iſta putat ſic Apoſtolum reſpondiſſe. O homo, qui terra & cinis es, audes tu facere quæſtionem Deo, & vas fragile atque teſtaceum, rebellas contra figulum tuum? Nunquid figmentum poteſt dicere ei qui ſe finxit; Quare me ſic feciſti? An figulus poteſtatem non habet, ex eadem luti maſſa facere aliud vas in honorem, & aliud in contumeliam?* B *Æterno igitur ſilentio conticeſce, & agnoſce fragilitatem tuam, & Deo ne moueas quæſtionem, qui fecit quod voluit, vt in alios clemens, in alios ſeuerus exiſteret.* Ceterùm Auguſtinus [c] oſtendit nullam poſſe Deo iniuſtitiam obiici. *Sit hoc* (inquit) *in mente noſtra, ſobria pietate, ac ſtabili fide fixũ atque immobile, quod nulla eſt iniquitas apud Deum. Atque ita etiam firmiſſimè credatur, quòd Deus cuius vult miſeretur, & quem vult obdurat, hoc eſt cuius vult non miſeretur, eſſe alicuius occultæ atque ab humano ingenio inueſtigabilis æquitatis, quam & in ipſis rebus humanis, terreniſque contractibus animaduertere licet.* Et multa deinde in hanc ſententiam, quæ alibi copioſiùs expendo. Et alio [d] loco. *Quærimus* (inquit) *meritum obdurationis, & inuenimus. meritò namque peccati vniuerſa maſſa damnata eſt.* C Et aliquanto poſt: *Quibus miſericordiam Deus non impertitur, vt non impertiatur merentur.* Alibi [e]: *Propter illud, quod inconcuſſum tenetur, non eſſe iniquitatem apud Deum, neminem obdurari, niſi malis eius meritis nouerimus, quamuis nullus iuſtificetur ſuis meritis præcedentibus.* Rurſus [f]: *Quando audistis quod dicit Apoſtolus, Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat, in eo quem permittit ſeduci, vel indurari, mala eius merita credite.* Denique [g]: *Inueſtigabilis eſt miſericordia qua cuius vult miſeretur, nullis hominum præcedentibus meritis. Inueſtigabilis quoque eſt veritas & iuſtitia, qua quem vult indurat, propter videlicet præcedentia eius merita, ſed cum eo cuius miſeretur plerumque communia.*

a De gratia & lib. arb.

b epiſt. 150. q. 10.

c lib. 1. ad Simpl. q. 2.

d epiſt. 105.

e epiſt. 105.

f lib. de grat. & lib. arb. ca. 23.

g lib. de bono perſeu. ca. 12.

24. I. QVOS ET VOCAVIT, &c. De vaſis miſericordiæ loquitur, D vtitúrque relatiuo maſculini generis, ipſos ſpectans homines, qui vaſorum nomine ſignificantur: quæ eſt Hebræis frequens conſuetudo. Sic apud Matthæum [h]: *Docete omnes gentes, baptizantes eos.* Contrà in libro Geneſeos [i]: *Simeon, & Leui, fratres, vaſa iniquitatis bellantia.* Habent quidem nonnulli codices, tum Græci, tum Latini, vt Romana editio. *Quos & vocauit nos.* videtúrque pronomen nos additum Hebræorum more, qui ſæpe poſt relatiuum, repetunt id quod antecedit, vt apud Lucam [k]: *Ab eo autem, qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo.* Niſi quis malit appoſitione quadam voluiſſe Paulum declarare quinam eſſent illi, qui inter miſericordiæ vaſa recenſendi eſſent. *Quos* (inquit) *vocauit*, id eſt nos. ne quis autem putaret ad E Iudæos tantũ pertinere vocationem, & prædeſtinationem diuinam, ſtatim addit; *Non ſolùm ex Iudæis, ſed etiam ex Gentibus.* Veriſimile autem eſt alluſiſſe Paulum ad id, quod ſuperiori capite dixerat. *Quos prædeſtinauit, hos & vocauit.* Eſt enim prædeſtinatio æterna; vocatio certo tempore tribuitur: & prædeſtinatio præparat, quod re ipſa vocatio largitur. Videtur autem hæc veluti tonus ſuperioris diſputationis concluſio, quæ ad hoc præcipuè tota refertur, vt oſtendat vocationem ad fidem eſſe planè gratuitam, atque à Dei liberalitate pendere, quæ ante omnem

h cap. vlt. 19.

i cap. 49. 5.

k cap. 19. 26.

A meritorú reſpectum ita prædeſtinauit, ſuóque tempore id re ipſa præſtiiit, quod ante omnem æternitatem præfinierat. Vtrumque docuit exemplo geminorum Eſau & Iacob; quorum alter abſque operum intuitu electus eſt, alter reiectus. Quoniam verò id potiſſimùm Paulo propoſitum erat oſtendere, non ſolùm Iudæos, ſed etiam Gentiles ad Chriſti gratiam, & vocationem pertinere, non vnum affert ſcripturarum teſtimonium ad eam rem confirmandam, atque ideo ſubdit.

25. I. SICVT IN OSEÆ DICIT, &c. Teſtimonium ex Oſeæ vaticiniis deſumptum eſt, vbi Hebræa, non alio tamen ſenſu ſic habent; *Seminabo eam mihi in terram, & miſerebor eius, quæ fuit abſque miſericordia: & dicam non populo meo, Populus meus es tu: & ipſe dicet, Deus meus es tu.* B Itaque Apoſtolus nõ ipſa verba Prophetæ, ſed ſententiam expreſſit. Tametſi autem Origenes & Theodoretus referunt ad Iudæos, qui quòd ad idololatriam defeciſſent, deſierant eſſe populus Dei, reuocari ad fidem, denuò pertinent ad Eccleſiam Dei: tamen communis Patrum ſententia præferenda eſt, ſpectare ad populum gentilem, qui ad fidem dicitur conuertendus: quod apertè hoc loco ſentit Apoſtolus; itáque eum explicat Chryſoſtomus. *Quæ enim* (inquit) *non fuerit populus, apertum eſt, nimirum Gentes, & quæ non fuerit dilecta eadem ſcilicet; verumtamen prædixit illas & populum futuras, & dilectam, & filias Dei.* Idem iterat alio [a] loco. De Petro mouetur quæſtio, qui vt ſcribunt Euſebius [b], Didymus, Alexandrinus, Oecumenius & alij, C eam Epiſtolam ſcripſit ad Iudæos qui crediderant; de quibus tamen hæc ipſa verba ex Oſeæ vaticinio profert. At ſcriptam illam Epiſtolam ad Eccleſias à Petro fundatas, eiuſdem Epiſtolæ initium indicat. In iis multos fuiſſe Gentiles, cùm ratio perſuadet, tum indicat [c] Auguſtinus, qui ait hæc Prophetæ verba intelligi ab Apoſtolis (nec dubium eſt, eum loqui de Petro, & Paulo) de Gentium conuerſione. Quod apertiùs ſignificant Chryſoſtomus [d], Theophylactus [e], Oecumenius [a], Theodulus [e], Ambroſius [e], Proſper [f], Anſelmus [g] & alij. Neque verò laborandum eſt, vt omnia quæ hoc loco dicit Paulus in vaticinio Prophetæ inueniantur. Nec enim apud Oſeam legimus; *Dilectam*, nec; *miſericordiam conſequutam*. Quin etiam Græci codices nec D hoc quidem loco habent; *Et non miſericordiam conſequutam, miſericordiam conſequutam.* Nec legiſſe videntur Origenes, Chryſoſtomus, Theophylactus, Ambroſius, Auguſtinus [h]. Porrò quod attinet ad verba; in Oſeæ dicit; auferendi caſu ἐν τῷ Ὠσηὲ, quaſi dicat in eius oraculis, aut vaticiniis; & fortaſſe alludit ad initium [i] eius prophetiæ. *Principium loquendi Domino in Oſea*, quod videtur Hebræorũ more dictum, quaſi per Oſeam. quomodo etiam poſſumus explicare Apoſtolum, vt hæc à Domino dicta eſſe ſignificet per Oſeam.

26. I. ET ERIT IN LOCO, &c. Alterum eſt teſtimonium ex eodem Propheta deſumptũ, ad eandem gentium vocationem pertinens. In regionibus namque ad quas, ne Dei quidem nomen penetrarat, multi tamquam Dei filij verum Deum parentem agno- E uerunt. Hoc enim eſt, *Vocabuntur filij Dei viui.* Ioannes [k] item dixit, *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius.* Tractat eleganter hunc locum Irenæus [l]. *Filios* (inquit) *ſuos nominauit Propheta nõ miſericordiam conſequuta, & non populus. Vt quemadmodum Apoſtolus ait; Fiat qui non populus, populus. & ea, quæ non eſt miſericordiam conſequuta, miſericordiã conſecuta. Et in loco eliberata in quo vocabatur non populus, ibi vocabuntur filij Dei viui. Id quod à Propheta typice per operationem factũ eſt, oſtendit Apo-*

a in Pſal. 82. 116.
b lib. 1. hiſt. cap. 4.
c lib. 22. con. Fauſt. c. 89 & lib. 18 de Ciuit. c. 28.
d Vide illum in expoſit. Pſ. 22. & 116. quãuis Hom. 16. in hanc epiſt. aliud ſignificet.
e hoc loco.
f lib. 2. de vocat. gent. c. 18.
g hoc loco.
h lib. 1. ad Simpl. q. 2. & lib. 22. contr. Fauſt. c. 84.
i cap. 1. 2.
k cap. 1. 12.
l lib. 4. ca 37. prope finem.

A *ſtolus verè factum in Eccleſia à Chriſto.* Quin etiam, quod itidem facit Origenes [a], eodem transfert, Moſis cum Æthiopiſſa coniugiũ. Suſpicor autem mendũ eſſe apud Irenæum. Quid enim, quæſo, eſt, *& in loco eliberata?* Græcè quidẽ legimus ἐν τῷ τόπῳ οὗ, quaſi dicat, quod ſequens verbũ declarat; in loco vbi tamquàm populus à Deo alienus habebatur. Si igitur Irenæus eliberatã dixit, pro eo quod eſt, ſine liberis, more paraphraſtis, eam vocẽ addidit; quæ nõ legitur in propheta, vt cum præcedenti ſententia continuaret, & ſignificaret Eccleſiam ex Gentibus congregatam; quæ olim fuerat expers miſericordiæ, miſericordiam adeptam eſſe: & quæ alicubi vbi nullus Dei populus nominabatur, veluti ſterilis, & abſque liberis fuerat, numeroſam aliquando Deo immortali ſo- B bolem peperiſſe. Omnino pro, *eliberata*; legendum videtur; eliberatæ. hoc enim poſtulat ratio loquutionis, vt ſenſus ſit; In loco eius, quæ liberis carebat, vbi vocabatur non populus, ibi vocabuntur filij. Sic Petrus [b]: *Et erit in loco vbi dicetur eis, non populus meus vos, dicetur eis, filij Dei viuentis.* Ruſus: *Qui aliquando non populus Dei, nunc autem populus Dei: qui non conſequuti ſunt miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſequuti.*

ISAIAS AVTEM CLAMAT, &c. Redit ad id quod priori loco dixerat, electos ex Iudæis & ex Gentibus eſſe vocandos. Et Gentium quidem vocationem gemino Oſeæ teſtimonio firmauerat, nunc Iudæorum electionem Iſaiæ auctoritate probat. Is enim propheta interprete Hieronymo [c], de- C ſcribens decem tribuum in patriam reditum, cum pauciſſimi ex innumerabili multitudine in patriam redierint, prophetice Iudæorum conuerſionem indicauit. Dixit autem reliquias ſaluas fore; vbi Septuaginta habent, τὸ ὑπόλειμμα ἀποστρέψει. Hic verò Apoſtolus, quod idem planè eſt, τὸ κατάλειμμα σωθήσεται. Nec dubium eſt, interprete Paulo, hoc prophetæ vaticinium de Iudæorum conuerſione accipiendum eſſe. Significat enim pauciſſimos conuertendos, atque ita Hebræorum more reliquias appellat. Sic Amos [d]: *Vt poſſideant reliquias Idumææ.* Et Micheas [e]: *In vnum conducam reliquias Iſrael.* Vbique enim eſt vox Hebræa שְׁאֵרִית *ſcerith*, quam Hieronymus nunc reſiduum, nunc reliquias reddit. Videtur autem Apoſtolus reliquiarum ſeu reſidui nomine ta- D citè intelligere, ſemen, ſumpta metaphora à plantis, aut ſegetibus, in quibus ſemen vltimo loco relinquitur. Sic enim locum videtur interpretari Euſebius [f] Cæſarienſis. *At verò* (inquit) *quia poſtquàm illis hæc conuenerunt, & chorus Apoſtolorum, & qui ex Hebræis in Chriſtum crediderunt, fœcundi inſtar ſeminis, ex illis ipſis ſeruati ſunt, & per vniuerſam terrã, atque in omne genus hominum penetrantes, omnem ciuitatem, ac locum, & regionem proprio, atque Iſraelitico ſemine impleuerunt. Adeo quidem vt ex illis quaſi ſpica, quæ in nomine ſaluatoris noſtri fundata ſunt Eccleſiæ, ſint enatæ, meritò diuinus Propheta iis minis, quibus contra illos eſt vſus, adiungit: Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma facti eſſemus, & ſicut Gomorrha ſimiles fuiſſemus.* Et in eandem ſententiam Auguſti- E nus [g]: *Quod hic, ait, reliquiſſet nobis ſemen, hoc ibi reliquiæ ſaluæ fient: cæteri autem tamquam perditionis vaſa, debito ſupplicio perierunt. Et vt non omnes periſſent ſicut Sodoma, & Gomorrha, non meritum eorum fecit, ſed gratia Dei relinquentis ſemen, vnde alia meſſis in toto orbe conſurgeret.* Rectè autem ſemini comparantur, qui ex Hebræorum gente Chriſti fidem complexi ſunt: quemadmodum enim in ſtirpibus, quæ alioqui extinctæ videbantur, vi ſeminis rurſus reuiuiſcunt, & propagantur; ita vera Dei religio per Apoſtolos eorúmque ſimiles efflorefcere cœpit, & ingentem

veluti

a Homil. 1. Cant.
b ep. 1. c. 2.
27. I.
c ad Hedib. q. 10.
d cap. 9. 12.
e cap. 2. 12.
f lib. 2. demonſt. Euang. c. 16.
g lib. 1. ad Simpl. q. 2.

veluti comam toto terrarum orbe diffudit. Porro quidquid ex aliquo reſiduum eſt, reliquias appellare licet. Virgilius [a]: -- *Troas reliquias Danaûm.* Sophonias: *Reliquiæ* [b] *populi mei.* Hieronymus [c]: *Congregabo reliquias gregis de omnibus terris.* Hinc menſæ reliquiæ, vt apud Matthæum [d]: *Tulerunt reliquias decem cophinos.* Et apud Lucam [e]: *Sumens reliquias dedit eis.* In hominibus verò liberi, aut hæredes, qui parentibus extinctis, aut maioribus vita functis hæreditatem adeunt, dicuntur reliquiæ. Apud Tobiam [f]: *Reliquiæ, quæ ſuperſunt ſeminis mei.* Et in libris [g] Regum: *Dimittam* (inquit ille) *reliquias hæreditatis meæ.* Denique Dauid [h]: *Quoniam ſunt*, ait, *reliquiæ homini pacifico.* Sed Eccleſiaſtica conſuetudine, quæ ſuperſunt ex viris ſanctitate præſtantibus, reliquiæ nuncupantur. Quod ab vſu, & conſuetudine ſcriptorum veterum nequaquam abhorret. Nam Plinius de transferendis ſepulcrorum reliquiis, ad Traianum ſcripſit. Et Suetonius [i]: *Monumentum* (inquit) *quod liberti eius è lapidibus templo Capitolini Iouis deſtinatis, filio conſtruxerat, diruit per milites, oſſáque & reliquias quæ inerant mari miſit.* Cæterùm vt ad Paulum redeam, cur tam pauci ex Iudæorum natione, ſalutem conſequuturi ſint, ſequentibus verbis rationem reddit. *Verbum autem conſummans, & abbreuians in æquitate.* De quibus mox: Liber autem in præſentia adnotare quod video placuiſſe Origeni [k] & Euſebio [l] Cæſarienſi, duo fuiſſe olim Abrahæ parenti diuinitus promiſſa: alterum ipſius poſteros cæli ſyderibus pares futuros: alterum, arenam maris æquaturos. Ac priori quidem pollicitatione veteres illos prophetas, & Chriſti Apoſtolos deſignari: quos Chriſtus ipſe lucem mundi appellat; vt non immeritò ſyderum ſplendori comparentur: poſteriori verò reprobos indicari, qui rebus terrenis dediti, iure optimo cum puluere conferuntur.

18. VERBVM ENIM CONSVMMANS, &c.

I. Verba ſunt Iſaiæ prophetæ eodem ipſo loco ex interpretatione Septuaginta, nam Hebræa quidem paulò aliter habent, ſed vtrobique ambiguum eſt, quid his verbis ſignificetur, penè omnes, quos ego quidem videre potuerim, de Chriſto incarnato, & Euangelica prædicatione explicāt. De Chriſto, Anacletus [m], Cyprianus [n], Hieronymus [o]: de Euangelio Origenes [p], Euſebius [q], Baſilius [r], Chryſoſtomus [s], Theodoretus [t], Photius [t], Tertullianus [t], Cyprianus [u], Hieronymus [x], Auguſtinus [y]. vtrique ſuam ſequuntur rationem. Nam qui de Chriſto explicant, idcirco verbum abbreuiatum nuncupant, quod vt ait Apoſtolus, diuinitatis maieſtatem quodammodo exinaniuit. Quam rationem ſequitur etiam Bernardus [z]. Alij quod tribus tantummodò annis, paulò plus, inter mortales verſatus eſt; & pauciſſimos ex Iudæis ad fidem conuertit. Qui verò de Euangelica doctrina intelligunt, aliam atque aliam rationem probant. Baſilius enim Euangelium putat eſſe velut legis compendium, quod ab iis conſummari, abbreuiarique dicitur, qui re ipſa præſtant, quæ Euangelio continentur: cui interpretationi magna ex parte ſubſcribunt Procopius [a], & Ambroſius [b]. Alij ferè omnes verbum abbreuiatum ad Euangelium referunt, quod veteris legis amplitudinem in pauca quodam modo contraxerit. Quoniam vt ait Tertullianus [c]: *Sermonem decisum faciet Dominus compendiatum. eſt enim nouum Teſtamentum, & legis laciniosis oneribus expeditum.* Et poſt multa [d]: *Ideo ipſius erit præceptum in Euangelio qui illud rectè & præſtruxit, & deſtinxit, & ad arbitrium diſciplinæ ſuæ diſpoſuit, & meritò in compendio ſubſtruxit, quoniam & alias receſſum ſermonem facturus in terris Dominus, id eſt Chriſtus prædicabatur.* Et in eamdem ſententiam Euſebius [e]. *Ipſe* (inquit) *Dominus contrahens & perficiens per totum terrarum orbem euangelicam prædicationem perſpicuè ſignificans, in qua omni Moſaico ambitu ſublato, qui imaginibus & ſignis, & corporalibus adorationibus conſtabat, breuitate præditum Euangelij verbum, in omnes homines emiſſum prophetiæ veritatem comprobauit.* Neque aliter Chryſoſtomus. *Non opus eſt* (inquit) *longo circuitu ſiue laborum, ſiue fatigationis, quæ ex operibus ſit legalibus; ſed cum multa breuitate ſalus erit. Tale ſiquidem quoddam eſt fides, quæ breuibus verbis ſalutem complectitur.* Et Auguſtinus [a]: *Hoc ipſum verbum conſummatum & breuiatum, nec obſcurum Deus eſſe voluit, ne non vacaret legere ideo apertum, ne dicam non mihi licuit intelligere.* Vnus tamen Photius [b] aliorſum traxit: conſummatum quippe verbum intelligit, quia Euangelio non ſuccedet aliud Euangelium, vt legi veteri lacinioſæ, vt loquitur Hieronymus, breuiſſimum ſucceſſit Euangelium. Quæ ſanè omnia & verè & ingenioſè dici non nego; ſed quomodo cum ſuperioribus ſiue apud Paulum, ſiue apud Iſaiam cohæreant nondum intelligo. II.

Nam ſi fidei doctrina ad pauca veluti capita reuocata eſt, accedente præſertim diuinæ gratiæ adminiculo, facta eſt multo lege veteri facilior. Illam enim meritò Apoſtoli [c] *iugum* appellant *quod neque nos, neque patres noſtri portare potuerunt*: Suum autem Euangelium Chriſtus *iugum ſuaue* vocat [d], *& onus leue.* Quocirca tantum abeſt vt hæc ſit idonea ratio cur pauci ſaluandi ſint, vt potius ex ea inferendum fuerit plurimos fore ſaluos, tanta videlicet præceptorum tum breuitate, tum facilitate ſubleuatos. Quod verò dicitur de Chriſto incarnato, qui breuiſſimo tempore inter homines vixit; & pauciſſimos Iudæos ſuis præceptis imbuit, cùm non videtur magnopere ad rem pertinere, tùm nouam quæſtionē, & eam quidē grauiſſimā excitat, quid cauſſæ fuerit, quamobrē vis illa meriti Chriſti, multis nominibus infinita, tā paucis re ipſa profuerit, cùm poſſet (quod videri poterat honorificentius) omnes penitus mortales liberare. Itaque recentiores verbum abbreuiatum, & conſummans, ſalutem abbreuiatam, vt ſic dixerim, explicant: verbum enim more Hebræorum, pro facto, ſeu re geſta accipiunt. vt illud; *Non*[e] *eſt impoſſibile apud Deum omne verbum.* Itémque; *Videamus hoc verbum quod factum eſt, quod fecit Dominus.* Igitur contraxiſſe dicitur Deus ſalutem, & in anguſtum deduxiſſe, cùm ex decem tribubus ſeruitute oppreſſis, pauciſſimos iuſſit in priſtinam libertatem reuocari: idque ſumma cum æquitate, iuſtiſſimóque iudicio perfectum eſt. Quo facto, interprete præſertim Apoſtolo, exiguus eorum numerus indicatur, qui ex Iudæorū natione Chriſti beneficio ſalutem cōſequuturi erant ſempiternā. Quam quidem ſentētiam idoneam quippe ſuperiorum rationem continentem in paraphraſi indicaui; quámque verba, quæ ex interpretatione Septuaginta affert Paulus, non modò ferunt; ſed meo iudicio omnino flagitant. hoc eſt enim; λόγον συντελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ ποιεῖν, hoc eſt rationes perfectè accuratéque ſubducere, & exiguā quandam ſummā iuſtè colligere. Idem autē more Hebræorum bis repetit cùm ſubdit, *Quia verbum abbreuiatum faciet Dominus ſuper terram*, & ſuperiora magis confirmat, & eorum rationem reddit. Exiguam, inquit, ſummam colliget, quia rem in anguſtum deducet. Hæc placuit indicare; quæ ſi doctis, probiſque viris probabuntur, erit quod Deo gratiæ agantur immortales: ſin ſecus aliorū certè ſtudia ad meliora inueſtiganda excitauerit. Quiddam ſanè ſimile rerum ἀκολουθία poſtulat.

19. I. ET SICVT PRÆDIXIT ISAIAS, &c. Ex eodem quidem propheta, ſed alio ex loco deſumptum

 teſtimo

a Æneid. 1. b cap. 2. 9. c cap. 23. 3. d cap. 14. 20. e cap. 14. 43. f cap. 13. 16. g 2. Reg. 14. h Pſal. 36. i in Domit. cap. 5. k Super Gen. l lib. 2. de demonſt. Euang. cap. 2.

m in epiſt. n lib. 2. ad Iud. o in cap. 10. Iſa. p hic. q lib. 2. demonſt. Euang. cap. 40. r lib. 2. de Bapt. s hoc loco. t lib. 4. cont. Marcion. cap. 1. u de Orat. Domin. x in Iſa. y Tract. in Ioan. lib. 2. ad Simpl. q. 2. & de diſciplina Chriſtiana c. z Serm. de natiu.

a Iſaiæ. b in cap. 5. ad Galat. c lib. 4. in Marcion. cap. 1. d cap. 33. e lib. 2. Demonſt. Euang. cap. 12.

a lib. de diſciplina Chriſtiana cap. 3. b apud Oecum. c Act. 15. 10. d Matt 11. 29. e Luc. 1. 37. cap. 2. 15.

teſtimonium, quod fortaſſe indicauit Apoſtolus verbo illo; *Prædixit*. eſt enim Græcè προείρηκεν, quod priùs dicere propriè ſignificat, quaſi dicat, ante ſuperiora ſcripſit aut vaticinatus eſt. Scripta[a] ſunt enim hæc ipſo ſtatim initio eius vaticinij. Referenda ſunt autem prophetæ verba non ad Sodomorum, Gomorrhæorúmve culpam, ſed pœnam: quemadmodum enim illi omnes ad vnum igne cœlitus miſſo abſumpti ſunt; ita vniuerſa Hebræorum natio peritura erat, niſi Dominus Sabaoth reliquias veluti pro ſemine, ſaluas eſſe voluiſſet. Quas enim paulò antè reliquias appellarat, nunc nomine ſeminis exprimit. Atque ita Euſebius[b]. *At verò quia poſtquàm* (de Iudæis agit) *hæc euenerunt, & chorus Apoſtolorum, & qui in Hebræis in Chriſtum crediderunt, fœcundi inſtar ſeminis ex illis ipſis ſeruati ſunt; & per vniuerſam terram, atque in omne genus hominum penetrantes, omnem ciuitatem ac locum, & regionem proprio, atque Iſraelitico ſemine impleuerunt, adeo quidem vt ex illis, quaſi ſpica, quæ in nomine Saluatoris noſtri fundatæ ſunt Eccleſiæ, ſint enatæ, meritò diuinus propheta in minis, quibus contra illos eſt vſus adiungit, Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen.* Et in eamdem ſententiam Auguſtinus[c]: *Quod hic* (ait) *reliquiſſet nobis ſemen, hoc ibi reliquiæ ſalua fierent. Cæteri autem tamquam perditionis vaſa debito ſupplicio perierunt; & vt non omnes perirent ſicut Sodoma & Gomorrha, non meritum eorum fecit, ſed gratia Dei relinquentis ſemẽ: vnde alia meſſis toto orbe conſurgeret.* Apoſtolus igitur, ſequutus Septuaginta, Hebræorum vocem שריד quæ ad verbum reſiduum, vel reliquum ſignificat retento atque explicato vero ſenſu, ſemen reddidit. Quos imitatus eſt Hieronymus, cùm intelligeret ſe à vero ſenſu non recedere, quamuis verbi proprietatem negligeret; vt pudeat nouos interpretes aliter vertere. Porro, *Sabaoth*, apud Hebræos Dei nomen eſt, quod hoc quidem loco apud Prophetam retentum eſt à Septuaginta; aliàs autem reddi ſolet παντοκράτωρ, id eſt, omnipotens, interdum τῶν δυνάμεων, hoc eſt virtutum. Solus Aquila vertit τῶν στρατευμάτων, id eſt exercituum. Latinus interpres integram vocem Hebræam retinuit; quod in multis aliis fecit. Aptè autem cum ſuperioribus hæc coniunguntur. Iuſtè enim ait Apoſtolus pauciſſimos Iudæorum voluit Deus eſſe ſaluos propter inſignem eorum improbitatem, ob quam digni erant qui ad internecionem vſque vniuerſi necarentur. quod Sodomæ[d] & Gomorrhæ impietatem non æquaſſent modò, ſed multis etiam partibus ſuperaſſent. Ideóque acerbiori etiam pœna plectendi erant, niſi qui omnia poteſt, omnipotentiam ſuam, paucis quibuſdam parcendo, declaraſſet. Ita quorum vitam & mores imitati eſſent, eorum ſupplicio iuſtè fuiſſent mactati.

a cap. 1. 9.

b lib. 2. demonſtr. Euãg. cap. 16.

c li. 1. ad Simplic. q. 2.

d Thren. 4. 6. & Ezech. 16. 46. 48. 49. 53. 57.

30. I. QVID ERGO DICEMVS? &c. Colligit pereleganti ſubiectione quid ex ſuperioribus vaticiniis cõſequatur. Vt enim obſeruauit Auguſtinus[e], interrogatio cum reſponſione coniungitur. *Niſi enim* (inquit) *poſt percũctationem, quæ dictum eſt: Quid ergo dicemus? reſponſio ſubnciatur, quia gentes quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam, textus conſequens non cohærebit.* Nec abhorret ab hac ſententia Theophylactus: nam quia Apoſtolus Oſeæ teſtimoniis confirmauerat gentes ad fidem & gratiam eſſe vocandas, aptè infert eas quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehendiſſe iuſtitiam, & eam quidem non humanis meritis, ſed fidei, & gratiæ beneficio ſubnixam: Interrogando autem infert, quod facit ad orationis vehementiam. *Quid ergo* (ait) *dicemus?* Quaſi dicat, Ita planè dicendum, & concludendum eſt. Suprà autem contrario planè ſenſu eodem dicendi genere vſus eſt. *Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas eſt apud Deum?* Quaſi dicat nullo modo id admittendum eſt. Dicuntur autem gentes non ſectatæ iuſtitiam, quia qualicumque tandem virtute morum præditæ eſſent; nunquam tamen niſi ſupra naturam diuinitus adiutæ veram & ſolidam iuſtitiam aſſequi poterant: neque quandiu ſuis ipſæ duntaxat viribus nitebantur, ad eam poterant aſpirare. Præterquàm quod maxima earũ pars quiduis aliud potius quàm veram iuſtitiam expetebant. Nam vt ſæpe docet Auguſtinus, fides inchoat iuſtitiam. quia igitur gentes à fide erant alienæ, meritò dicuntur à iuſtitia auerſæ. Eas igitur ait ad iuſtitiam verámque Chriſti fidem fuiſſe vocatas; quod Oſeæ vaticinium prædixerat.

e lib. 3. de doctr. Chriſt. c. 3.

31. I. ISRAEL VERO SECTANDO, &c. Dixerat pauciſſimos Iudæorum fore ſaluos: quia tamen illi hoc maximè ſuſcipere, ac profiteri videbantur, ſe verum Deum piè, & religioſè colere, cuius ſe legibus, & præceptis obtemperare, ſacrificia, & cerimonias ritu ſolemni peragere, conſequens eſt eos qui iuſtitiam ſectari maximè videbantur, fructu iuſtitiæ prorſus deſtitui; quod Iſaiæ verba ſuperiùs allata ſignificant, quæ paucos docent fore ſaluos. Dicit autem Iudæos ſectari legem iuſtitiæ, hoc eſt Hebræorum more legem ipſorum opinione iuſtificantem: vel legem iuſtitiæ iuſtitiam legis intelligit: quam videlicet lex præcipiebat & præſtare poterat; hanc nimirum Iudæi vſque adeo ſectabantur; vt inde veram iuſtitiam & ſanctitatem ſperarent. ſunt tamen qui legem iuſtitiæ veram & Chriſtianam iuſtitiam interpretentur, quam vtcumque Iudæi obtemperando Moſis præceptis, & quærebant, & ſperabant. Nam cùm vera fide præditi eſſent, vtique veram iuſtitiam percipere potuiſſent, ſi ſuam fidem ad Chriſtum venturum accõmodaſſent, & cùm iam natum cõplexi eſſent. Atque huc omnis ſuperior diſputatio referebatur: electio namque Iacob, & depulſio Eſau gentium vocationem & Iudæorum abiectionem ſignificabat.

32. I. QVARE? QVIA NON EX FIDE, &c. Cauſſam explicat cur Iudæi ſectantes iuſtitiam eam minimè ſint adepti. Illi ſiquidem poſthabita fide Chriſti venturi, quæ vnà poterat illis prodeſſe, ſpem omnem ſuam in ſuis illis legis ceremoniis, & ſacrificiis collocabãt, quæ circumſcripta fide prodeſſe nihil poterant. Dixit autem Apoſtolus; *tamquam ex operibus*; Græcè additur, legis. Sed eius vocis nullum extat veſtigium apud Ambroſium & Auguſtinum. Theophylactus, ſequutus Chryſoſtomum, indicare videtur ne fuiſſe quidem Iudæorum opera, verè legis opera. *Obſerua* (inquit) *quomodò non dixit: Ex operibus legis, ſed vult ex operibus legis. vt oſtendat quod non ſeriò ſint operum talis cura, cæterùm ſimulatione quadam, & hypocriſi ea fecerint.* itaque videtur legiſſe vocem illam legis. Malim ego ſiue legis opera, ſiue ſimpliciter opera legas, particulam ὡς non excludere veras actiones, ſed id potius indicare, quod ſuprà dixi, in illis actionibus, ſpes omnes ſuas ſitas habuiſſe Iudæos, quaſi eorum duntaxat vi gratiam & iuſtitiam aſſequi poſſent. Quod non obſcurè indicare viſus eſt Auguſtinus[a]. *Quare?* (inquit) *quia non ex fide, ſed tamquàm ex operibus, id eſt tamquam iuſtitiam per ſemetipſos operantes, non in ſe credentes operari Deum.* hoc enim toto hoc capite agit Apoſtolus, vt doceat veram iuſtitiam, ac ſanctitatem non poſſe propriis viribus comparari, ſed ea liberaliter gratiæ beneficio concedi. Ideo ait Iudæos à vera iuſtitia excidiſſe: quia illam ex operibus, id eſt, vi operum conſequi ſe poſſe ſperabant. In eo igitur Iudæi peccabant, vt capite ſequenti luculentiùs explicat Apoſtolus, quòd exiſtimarent, ſuis ſe actionibus etiam ſi cætera deeſſent

a lib. de ſpir. & lit. cap. 19.

ſent omnia, gratiam & iuſtitiã aſſequi poſſe. Subdit autem, *Offenderunt enim in lapidem offenſionis.* ac ſi dicat; idcirco Iudæi plus æquo ſuis actionibus tribuentes, fide neglecta, Dei iuſtitiam adipiſci nequiuerunt; quia in medio veluti ſtadio ad lapidem impegerunt, atque ita ad metam nequaquam peruenire potuerunt. Verè autem Iudæi veluti ad lapidem impegerunt, cùm Chriſti humanam naturam, & imbecillitatem, humilem, atque abiectam conditionem contempſerunt; vitæ præcepta atque inſtituta non neglexerunt modò, ſed multis nominibus reprehendere, atque accuſare conati ſunt: atque idcirco addit.

33. SICVT SCRIPTVM EST, &c. Eſt enim teſtimonium deſumptum ex vaticiniis Iſaiæ, duobus tamen ex locis contextum. Initium enim hoc eſt: *Pono in Sion lapidem.* Itémque extremum videlicet: *Et omnis qui credit in eum non confundetur.* ſumpta ſunt ex capite XXVIII. Quod verò in medio interſecitur hoc eſt, *lapidem offenſionis, & petram ſcandali*, ex capite eiuſdem prophetæ VIII. petitum eſt. Vtrumque autem teſtimonium pertinere ad Chriſtum, tum hic Pauli locus, tum etiam in ſua priori Epiſtola[a] præcipuè docuit Petrus. Dicitur porrò Chriſtus lapis offenſionis, ſeu offendiculi, & petra ſcandali, Hebræorũ more, pro lapide offendente, & petra ſcandalizante: idque non ſine metaphora, quam alij quidem geminam, alij verò ſimplicem putant, neque ſcandalum aliud eſſe volunt quàm offendiculum. Certè grammatici ſcandalum idem eſſe putant, quod apud Græcos σκανδάληθρον, idque nihil aliud eſſe quàm lignum incuruum, ſeu paxillum, quo tendicula, ſeu decipula ſuſtinetur, cui infigi, vel alligari ſolet eſca, vt fera eam arrodens, & paxillum emouens, ipſam decipulam, ſubita in ſe ruina euertat. Verùm quod apud prophanos auctores, vel nullus, vel perexiguus eſt huius vocis vſus, non facilè ſtatui poteſt quam vim habeat, ſi ſacras litteras, & ſcriptores item ſacros amoueas. vtrumque ſæpe legimus coniungi, vt hoc ipſo loco, & apud Iſaiam, itemque apud Petrum: quamquam apud Iſaiam Septuaginta legunt. λίθου προσκόμματι οὐδὲ ὡς πέτρας πτώματι, hoc eſt lapidis offenſionis, & petræ ruinæ: vt Paulus qui petram ſcandali dixit, videatur ſcandali nomen accipere pro ruina, alludens ad decipulam de qua modò diximus. Eodémque modo videtur ſenſiſſe Petrus, niſi quis minã referat ad eos, qui in lapidem ruunt, & conteruntur, & comminuuntur. Qua ratione apud Lucam[b] dicitur Chriſtus *poſitus in ruinã & reſurrectionem multorũ.* Neque aliter intellexiſſe videtur Hieronymus[c]. *Qui erit*, inquit, *credẽtibus in ſanctificationem, incredulis autem in lapidem offenſionis, & petram ſcandali, duabus ſcilicet domibus Iuda, & Iſrael. præcipuè autem in laqueum, & in ruinam habitantibus in Ieruſalem, in quo impingent plurimi, & cadent, & conterentur, & peccatorum ſuorum irretiti ducentur in captiuitatem.* Nec deſunt qui σκάνδαλον idem eſſe velint quod σκῶλον, atque ita in libro[d] Iudith, vbi Græcè legimus καὶ ἔθηκεν ἐν τοῖς πεδίοις σκάνδαλα, proculdubio obſtacula, & obices interpretari neceſſe eſt, niſi quis malit exiſtimare laqueos aut tendiculas fuiſſe obiectas. & quod legimus apud Dauidem[e]. *fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributiones, & in ſcandalum.* Pro ſcandalo Aquila tranſtulit, σκῶλον, ideſt offendiculum, & impedimentum, quod in via occurrit; & vox Hebræa offendiculum potius ſignificat: quamquam etiam laqueum, aut decipulã latinè ſonare poteſt.

II. Sed vt vt ſit dicitur Chriſtus lapis offenſionis, & petra ſcandali reſpectu eorũ, qui non crediderunt; ſiue quia eius occaſione grauiùs lapſi ſunt, non aliter atque illi qui in itinere impingunt, ſiue quia eorum impietatem grauiſſimis, atque acerbiſſimis ſuppliciis vltus eſt Chriſtus, vt ſignificat Matthæus[a] dum ait, *Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur; ſuper quem verò ceciderit conteret eum.* Et Lucas[b]: *Non relinquent in te* (inquit) *lapidem ſuper lapidem.* Et fortaſſe nonnullum inter offendiculum, & ſcandalum diſcrimen indicat nominum diuerſitas. Dicitur enim lapis offenſionis, Græcè λίθος, quod eſt commune nomen, & quemlibet etiam exiguum lapillum ſignificat: petra verò non niſi ingenti ſaxo conuenit. offendimus autem ad exiguos lapides qui in via occurrunt: ad ingentia verò ſaxa nemo, niſi cæcus impingit. cùm verò de alto ruunt, opprimunt, & occidunt. Quod videtur ſignificaſſe Auguſtinus[c], dum ait Iudæos offendiſſe in Chriſtum, cùm erat exiguus lapis; opprimendos autem in die iudicij, cùm iam ſit factus ingens petra. ſic autem ſcribit: *lapis enim ille adhuc paruus erat: meritò & paruum contempſerunt, contemnendo offenderunt, & offendendo quaſſati ſunt: reſtat vt & conterantur. Hoc enim de lapide illo dictum eſt; Qui offenderit in lapidem illum, conquaſſabit eum, ſuper quem venerit conteret eum. Aliud eſt conquaſſari, aliud conteri: conquaſſari minus eſt quàm conteri. ſed neminem conterit excelſus veniens, niſi quem conquaſſauerit humilis iacens. Modò autem antequàm veniat Dominus noſter, humiliter iacuit Iudæis, & offenderunt in illum, & conquaſſati ſunt. Veniet poſteà in iudicio ſuo clarus atque altus, magnus, & potens, & non infirmus vt iudicetur, ſed fortis vt iudicet, & conterat eos, qui conquaſſati ſunt in eum offendendo. Lapis enim offenſionis & petra ſcandali non credentibus ipſe eſt.* Alio[d] verò loco: *Ipſe eſt lapis de quo ipſe dixit, Quicumque offenderit in lapidem illum conquaſſabitur. ſuper quem verò venerit lapis ille, conteret eum. Offenditur in iacentem, venit autem ſuper eum, cùm venerit de alto iudicare viuos & mortuos. Væ Iudæis, quia cùm iaceret humiliter Chriſtus, offenderunt in eum. Non eſt, dicunt, homo iſte à Deo, qui ſoluit Sabbatum. ſi filius Dei eſt, deſcendat de Cruce. Inſane, iacet lapis, & ideo rides? ſed cum rides cæcus es, cum cæcus es, offendis, cum offendis conquaſſaris, cum conquaſſatus fueris, illo modo iacente, poſtea, veniente deſuper, cõtereris.* Quamuis autem hæc ingenioſè atque acutè dicta ſint; non iis tamen aſſentior qui petram ſcandali, petram mentem interpretantur. Nam licet petra apud Græcos magnum vtcumque ſaxum ſignificet, non tamen ſcandalum id ſignificat quod iſti dicunt. Nam Tertullianus[e] alicubi, *Scandalum*, inquit, *niſi fallor, non bona res, ſed mala exemplum eſt ædificans ad delictũ.* Ferri poſſent ſi ruinam interpretarentur, quomodo ſupra diximus, cùm de decipula quæ in feram euertitur, & eam opprimit. Nam fortè hoc modo accipit Apoſtolus, cùm alludat ad locum Iſaiæ de quo diximus, certè ſcandalum pro offendiculo ponitur. Subdit autem Paulus, *Omnis qui credit in eum non confundetur.* hoc eſt non pudefiet, vt diximus in paraphraſi, Hebraica verò exemplaria apud Iſaiam habent. *Qui crediderit non feſtinabit*, vel vt vertit Hieronymus. *Non feſtinet.* Quocirca exiſtimarunt nonnulli Septuaginta interpretes, quos hoc loco ſequutus eſt Apoſtolus, aliter in Hebræis codicibus legiſſe, quàm Hieronymum, quod non caret probabilitate: id enim aliis pleriſque locis neceſſariò admittendum videtur. Quod ſi ſecus accidit, ne tum quidem à vero prophetæ ſenſu cenſendi ſunt receſſiſſe, cùm planiùs dixerint quod ille obſcurè ſignificarat. Etenim ad ſignificandam diuinæ promiſſionis certitudinem negat Iſaias credenti feſtinandum eſſe: qui enim hæſitant, & de rerum exitu ſunt ſolliciti, feſtinare ſolent, vt rei euentum videant, & explorent. Igitur Septuaginta dicunt in eandem prorſus ſententiam

a cap.2.6. b cap.2.34. c Iſai.8. d cap.13. e Pſal.68.23.

a cap.21.44. b cap.19.44. c In Pſal.45. Serm. 40. de verb. Domini. d Serm.40.de verb.Dom. e lib. de vel. Virg cap.2.

ſecuros eſſe debere eos qui Chriſti fidem complexi ſunt, eùm certum ſit eos nequaquam poſſe pudefieri, vt conſequens ſit nullo pacto illis eſſe feſtinandum. Quamobrem quod Iſaias metaphoricè, & quaſi per cauſſam antecedentem indicat, id propriè & in ipſo effectu explicant Septuaginta.

Argumentum Cap. X.

IVDÆOS, quos viſus erat non leuiter perſtrinxiſſe, amicè, benignéque excuſat, quaſi bono quidem ſtudio moueantur, minus tamen prudenter agant, qui neglecta iuſtitia fidei, ſuam quæ poſita eſt in obſeruatione legis velint ſtatuere. atque ita de vtraque iuſtitia ex veteris teſtamenti auctoritate fusè, doctéque diſputans pluribus oſtendit veram, perfectámque iuſtitiam, quæ oritur ex fide, nō ſolùm Iudæis, ſed etiam Gentibus eſſe propoſitam, atque idcirco quia Chriſti beneficio omnibus pateat aditus ad ſalutem; cunctis mortalibus Euangelium prædicandum, & promulgandum eſſe.

CAPVT X.

FRATRES, voluntas quidem cordis mei, & obſecratio ad Deum ſit pro illis in ſalutem.

Teſtimonium enim perhibeo illis, quod æmulationem Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam.

Ignorantes enim iuſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti.

Finis enim legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti.

Moyſes enim ſcripſit, quoniam iuſtitiam, quæ ex lege eſt, qui fecerit homo viuet in ea.

Quæ autem ex fide eſt iuſtitia, ſic dicit, ne dixeris in corde tuo; quis aſcendet in cælum? id eſt Chriſtum deducere.

Aut quis deſcendet in abyſſum? hoc eſt Chriſtum à mortuis reuocare.

Sed quid dicit ſcriptura? prope eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus.

Quia

PARAPHRASIS.

FRATRES, ego quidem magna animi 1.
propenſione, ac ſtudio ergà Iudæos afficior, próque eorum ſalute aſſiduas ad Deum preces fundo: tantúmque abeſt; vt quæ hactenus de eorũ repulſa à me dicta ſunt, ex odio, aut maleuolentia prodierint, vt continen-
ter eorum cauſa vota faciam. ¶ Hoc enim de ipſis 2.
verè, & quidem ex animo affirmare poſſum, recto illos Dei zelo commoueri, & diuinarum rerum ſtudio duci raros, vetera illa ſacra, & ceremonias religiosè retinendas, adeóque Euangelicam fidem tamquam iis omnibus adverſam, repudiandam eſſe: negate tamen non poſſum, eorum hac qui-
dem in re prudentiam magnopere requirendam 3.
videri. ¶ Siquidem Dei ignorantes iuſtitiam, quæ nos verè iuſtos reddit, & ſuam neſcio quam, quæ legis doctrina, & propriis ipſorum actionibus nititur præ ſe ferentes, & quodammodo prædicantes Deo immortali vera ſeſe iuſtitia imbuendos
nequaquam præbuerunt. ¶ Nam finis, & perfe- 4.
ctio legis Chriſtus eſt, à quo iuſtitiam ſperare debent omnes, qui diuinæ fidei præceptis obtemperant: ad illum quippe vniuerſa lex Moſis referebatur, cuius beneficio, ac munere expectanda erat iuſtitia, quam legis Moſaicæ ſacra, & ceremoniæ eminus indicabant, & tacitè quodam modo pollicebantur, præſtare tamen, aut per ſeſe re ipſa
præbere nullo modo poterant. ¶ Moſes certè iu- 5.
ſtitiam, quæ eſt ex lege, his ferè verbis deſcribit. Qui præſtiterit, inquit, ea quæ lege præcipiuntur, viuet per illa. ſic enim legimus in libro Leuitici. cuſtodite leges meas, atque iudicia, quæ faciens homo viuet in eis, hoc eſt, ſuppliciũ euadet, quod
legis violatoribus imminet. ¶ Quæ verò ex fide 6.
eſt iuſtitia illis verbis vtcumque indicari poſſet, quibus olim Moſes legem cuiuis peruiam, & cognitu facilem eſſe affirmauit: quòd nimirum eſſet apertè, perſpicuéque omnibus propoſita. ait autem ad hanc facilitatem declarandam; ne dixeris in corde tuo, quis aſcendet in cœlum? hoc eſt vt
Chriſtum ex alto deducat? ¶ Aut quis in abyſſum 7.
vſque penetrabit, eo videlicet conſilio, vt Chri-
ſtum ab inferis reuocet? ¶ Quid verò ſequitur? 8.
Propè, inquit, verbum eſt in ore tuo, & in corde tuo. verbũ (inquam) illud fidei, quod prædicamus.

¶ Nempe

9. ¶ Nempe ſi ore tuo confeſſus fueris Dominum
Ieſum, & ex corde credideris eum ab inferis fuiſ-
ſe excitatum, hac fide tamquam ſalutis initio, ac
10. radice fore te ſaluum confidito. ¶ Corde nam-
que fides ipſa concipitur, quæ eſt ad iuſtitiam aſ-
ſequendam inſtrumentum diuinitus inſtitutum:
ore autem ipſius fidei confeſſio proditur, quæ ad
eandem ſalutem comparandam plurimum habet
11. momenti. ¶ Diuinarum namque litterarum ora-
culis proditum eſt: quiſquis in illum credit, eum
nullo vnquam tempore pudefieri, aut ſuæ fidei
11. fructu fraudari. ¶ Nullam enim eſſe Iudæos inter,
& Græcos diſtinctionem, quando idem eſt om-
nium Dominus, qui affluenter, ac liberaliter cœ-
leſtes ſuas opes effundit in quoſuis homines, qui
ſuum nomen, ac numen ritè, religioſéque implo-
13. rant. ¶ Sic enim ſcriptum accepimus. Quicum-
que nomen Domini inuocauerit, ſiue is Gentilis,
ſiue Iudæus ſit, fore ſaluum. quocirca mirari nemo
iure poteſt, quòd ego Gentibus Euangelium pro-
mulgem, cùm ipſæ etiam ad eorum numerum
pertineant, qui ad inuocandum nomen Domini
14. inuitantur. ¶ At hi miſeri Gentiles, ac Barbari
quomodo, quæſo, inuocabunt eum, in quem non-
dum crediderint? quomodo autem credent in
eum, de quo nondum quidquam audierint? quo-
15. modo verò audient, ſi nemo eis prædicet? ¶ Quo-
modo tandem prædicauerit quiſquam, niſi à Deo
miſſus fuerit? Diuinitus autem hoc Euangelicæ
prædicationis munus demandatum eſt mihi, vt
iure illud vſurpare queam, quod ſcriptum eſt
apud Iſaiam; Quàm ſpecioſi pedes euangeli-
16. zantium pacem, euangelizantium bona! ¶ Sed
obiiciat fortaſſe quiſpiam ex ipſo Iudæorum po-
pulo, cui potiſſimum Chriſtus à patre deſtinatus
erat, ne omnes quidem, ne dicam pauciſſimos au-
ſcultaſſe Euangelio. Equidem non nego, hinc ve-
rò tantum abeſt, vt fides Chriſto liberatori abne-
ganda ſit, vt vel hoc maximè argumento conſtet
eum eſſe Meſſiam in lege promiſſum, quippe de
quo multo antè vaticinati ſunt Prophetæ, fore il-
lum etiam inter ſuos penè ignotum. Iſaias enim
cùm de Chriſto ſermonem haberet: Domine, in-
quit, quid noſtris ſermonibus fidem habuit? quod
perinde eſt, ac ſi diceret paucos admodū credi-
17. diſſe. ¶ Ergo fides ex auditu, auditus autem à Dei
pendet imperio, cuius auctoritate mittuntur illi,
18. qui Euangelium prædicant. ¶ Verùm ſciſcitari
poſſet quiſpiam, an non audierint Hebræi illi, qui
hactenus Euangelio reluctantur? immò verò non
poſſunt non audiſſe, quandoquidem in omnem
terram Apoſtolicæ prædicationis fama peruaſit,
& ad extremos orbis terræ fines Apoſtolorū verba
penetrarunt, qui poſthabita Iudæorum perfidia
Gentilium conuerſioni ſtrenuam operam naua-
19. runt. ¶ Rurſum alius forſan percunctabitur, num-
quid Iſrael cognouerit Chriſti fidem ad ſalutem
eſſe neceſſariam, eámque etiam Gentibus parere?
Equidem non meis, ſed diuinorum oraculorum
verbis reſpondebo. Primùm certè Moſes dicit:
ego

Quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum ſuſcitauit à mortuis; ſaluus eris.

Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.

Dicit enim ſcriptura. Omnis, qui credit in illum, non confundetur.

Non enim eſt diſtinctio Iudæi, & Græci: nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum.

Omnis enim quicumque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.

Quomodo ergo inuocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante?

Quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur? ſicut ſcriptum eſt: quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizãtium bona!

Sed non omnes obediunt euangelio: Iſaias enim dicit. Domine, quis credit auditui noſtro?

Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.

Sed dico. nunquid non audierunt? & quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Sed dico: nunquid Iſrael non cognouit? primus Moyſes dicit. Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem; in gentem inſipientem, in iram vos mittam.

Iſaias

Iſaias autem audet, & dicit. Inuentus ſum à non quærentibus me, palam apparui iis, qui me non interrogabant.

Ad Iſrael autem dicit. Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem,

Ego ad æmulationem vos prouocabo per gentem, quæ gentis nomine videtur indigna, per gentem (inquam) intelligentiæ expertem vos ad iram pro-
uocabo. ¶ Iſaias deinde vlteriùs progreſſus au- 20.
daciùs loquitur. Inuentus ſum, inquit, ab iis, qui me non quærebant; conſpicuus factus ſum iis, qui de
me ne interrogabant quidem. ¶ Aduerſus Iſrae- 21.
lem autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum rebellem, & contradicentem.

IN CAPVT DECIMVM
EXPLANATIO.

1, I. FRATRES, VOLVNTAS QVIDEM CORDIS MEI, &c. Quod noſter interpres dixit *voluntas quidem cordis mei.* Græcè eſt, *ἡ μὲν εὐδοκία τῆς ἐμῆς καρδίας*, hoc eſt propenſa quædam voluntas, ac mutua beneuolentia, qua fit vt alij aliorum commodis ſtudeant. Auguſtinus [a], quod & apud Lucam [b] fecit noſter interpres, Latinè dixit bonam voluntatem. Apparet autem, quidquid aliqui contra ſentiant, Græcam vocem *εὐδοκίαν* non Deo tantùm, ſed etiam hominibus conuenire. Chryſoſtomus interpretatur *σφοδρὰν ἐπιθυμίαν*, id eſt vehemens deſiderium, cui Theodoretus, & Oecumenius conſentiunt. addit autem ad amoris magnitudinem exaggerandam, *cordis mei*, perinde quaſi ſinceram erga Iudæos caritatem, non fictam, aut ſimulatam declaret. Ab ea oritur precandi ſtudium, quo fauſta, & fœlicia omnia optantur iis, quos ex corde diligimus. Precatur autem Paulus ea, quæ valent ad ſalutem; ſic enim monet Iacobus: [c] *Orate pro inuicem, vt ſaluemini.* vt vel hinc intelligamus hæc ſimpliciter, atque abſolutè à Deo petenda eſſe, quibus animæ ſalus continetur. At cur, dicat aliquis, pro Iudæorum ſalute precatur Apoſtolus, qui ſuperiori capite dixerat eos fuiſſe reiectos? At non penitus omnes repulſam tulerant: pauci quidem, ſed nonnulli tamen fidem, & gratiam, adeóque ſalutem erant percepturi. nec ſecluſa diuina reuelatione ſcire poterat Paulus, quinam ex Iudæis ad prædeſtinationē, quíve ad reprobationem pertinerent. quocirca *ſub iſto incerto*, vt ſcribit Auguſtinus [d], *ex caritate adhibenda eſt correctio. cuius exitus ignoratur, & pro illo cui adhibetur, orandum eſt vt ſanetur.* Et rurſus [e]: *Neſcientes enim* (inquit) *quis pertineat ad prædeſtinatorum numerū, quis non pertineat; ſic affici debemus caritatis affectu, vt omnes velimus ſaluos fieri. hoc quippe fit, cùm ſingulos quoſque vt occurrerint, cum quibus id agere valeamus, ad hoc conamur adducere, vt iuſtificati ex fide pacem habeant ad Deum. quam prædicabat etiam Apoſtolus cùm diceret* [f]: *Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obſecramus pro Chriſto reconciliari Deo.* Et nonnullis interiectis ait: *Ad nos ergo, qui neſcimus quiſnam ſit filius pacis, aut non ſit, pertinet nullum exceptum facere, nullúmque diſcernere, ſed velle omnes ſaluos fieri, quibus prædicamus hanc pacem. Neque enim metuendum eſt, ne perdamus eam, ſi ille cui prædicamus, non eſt filius pacis ignorantibus nobis. ad nos enim reuertetur, id eſt nobis proderit hæc prædicatio, non & illi: ſi autem ſuper eum pax prædicata requieuerit, & nobis, & illi. Quia ergo nos, qui ſalui futuri ſunt neſcientes, omnes quibus prædicamus hanc pacem, ſaluos fieri velle Deus iubet, & ipſe in nobis hoc operatur diffundendo iſtam caritatem in corda noſtra per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. poteſt etiam ſic intelligi, quòd omnes homines Deus vult ſaluos fieri, quoniam nos facit velle.* Coniungit autem Apoſtolus duo, bonam voluntatem, & obſecrationem, quorum alterum ab altero oritur: non eſt enim amor otioſus, ſed pro eorum, quos diligit ſalute ſolicitus eſt. Nam vt ait Gregorius [a], *operatur magna ſi eſt, ſi verò operari renuit, amor non eſt.* Itaque rectè dixit vehementi ſe deſiderio teneri ſalutis ipſorum, quia ex eo naſcitur precandi ſtudium. ita occultè eorum ſuſpicionem amouet, qui cùm viderent Apoſtolum tam acriter in Iudæos inuehi, exiſtimare poterant eum ex indignatione, atque odio in illos commoueri, cùm tamen perfecta illos beneuolentia, & caritate complecteretur.

a de quibuſd. propoſi. huius Epiſt. b cap. 2. 14. c cap. vlt. 16 d de corrept. & gratia c. 14. e cap. 15. f 2. ad Cor. 5. 20. a Homil. 30. Euang.

TESTIMONIVM ENIM PERHIBEO ILLIS, &c. Græcè legimus *ζῆλον θεοῦ.* fateor (inquit) 2. I.
ſtudio illos legis, ac diuini cultus teneri, non tamen prudenter agere. Aemulationem reddit hoc loco interpres, aliàs zelum, vt in libris Regum [b]. *Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum.* Alibi verò [c] vt hîc *æmulationem. Æmulor enim vos Dei æmulatione.* ſed ſiue Græcæ, ſiue Latinæ vocis varius, ac multiplex videtur vſus. Vt enim Philoſophi [d] tradunt, ineſt zelus in amore amicitiæ, cum quis mouetur contra ea, quæ nocent amicis: itémque in amore concupiſcentiæ, cùm quis fertur vehementi quodam impetu aduerſus ea, quæ eius boni, quod appetitur, aſſecutionem, ſeu oblectationem impediunt. Certè Cyprianus [e] zelum à liuore, atque inuidia non diſtinguit. quamquam autem latiùs patet zelus, quàm zelotypia; interdum tamen præſertim cùm Deo tribuitur, vix ab ea diſtinguitur. dicitur enim Deus zelotypus, ſiue zelotes, & caritas, qua Deum diligimus, cum zelotypia coniungitur. Quod enim legimus in Canticis [f] Canticorum. *Fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio*: Græcè eſt ζῆλος; vox autem Hebræa zelotypiam magis ſignificat. Siue igitur Græcam vocem retineas, & Latino more dicas zelum, ſiue æmulationem, ſiue etiam ſtudium; parum omnino retulerit. ſignificat enim Apoſtolus ardorem quendam animi, quo Iudæi cupiebant legis ceremonias retineri, & veterem illum Dei cultum non conſeruari ſolùm, ſed etiam propagari. itaque nihil erat cur noſter interpres à Grammaticis carperetur, neque eorum interpretatio reiiceretur, qui ſtudium
interpretantur. Nam æmulatio quidem dupliciter di- II.
citur, vt & in laude, & in vitio ſit imitatio: quippe virtutis æmulatio dicitur: & ægritudo cùm quis caret eo quod cupit, & alius potitur, ad æmulationē etiam

b 3. Reg. 19. 10 c 2. ad Corin. 11. 2. d Ariſtot. 2. rhet. cap. 6. e de zelo, & liuore. f cap. 8. 6.

perti

pertinet; ſed illam quidem vitioſam, quæ riualitati ſimilis ſit. Quia igitur æmulantis eſt angi alieno bono, quod ipſe non habeat, cùm Iudæi, ſtudio tuendæ, & amplificandæ religionis non mediocriter angerentur; rectè dicuntur habere Dei æmulationẽ. nam & hoc modo accipiendum eſt quod ait Moſes[a];

[a] Num. 11. *Quid æmularis pro me!* habet enim zelus, ſeu æmulatio indignationem quandam ex amore profectam, quòd rem, aut perſonam, quam diligimus, cõtemni, aut aliqua moleſtia affici videamus. Sed huic ſiue ſtudio, ſiue æmulationi, & zelo deerat iudiciũ, & prudentia, ſiue quia ea ſcire, & cognoſcere negligebant, ſiue quia modum excedebant, ſiue denique quia cùm poſſent veritatis lucem aſpicere; animi quadam peruicacia in ſuis tenebris hærebant. Quo eodem errore implicitum ſe aliquando fuiſſe ſcribit Apoſtolus[b].

[b] ad Gal. 1. *Perſequebar*, inquit, *Eccleſiam Dei, & expugnabam illam abundantiùs æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum.* Et rurſus[c].

[c] ad Phil. 3. *Secundùm æmulationem perſequens eccleſiam Dei.* Huic porrò loco perſimilem affirmat eſſe Auguſtinus illam Chriſti apud Ioannem[d] prædictionem.

[d] Tract. 91. in Ioan. *Omnis qui interficiet vos, arbitrabitur ſe obſequium præſtare Deo: ſed hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me.*

III. Obſeruat autem in præſentia Theodoretus miſcuiſſe Apoſtolum laudẽ cum vituperatione, vt veluti quadam eſca hamum obduceret. Nec mihi diſplicet, quod apud Iſaiam[e] obſeruauit Theodoretus Græcus auctor: vbi enim noſter interpres habet,

[e] cap. 26. *videant & confundantur zelantes populi*; Septuaginta tranſtulerunt, *zelus apprehendet populum ineruditum.* Quod ille de hoc Iudæorum zelo interpretatur. Huic Paulinæ ſententiæ affinis eſt altera apud Chryſoſtomum,

[f] Hom. 4. in Matth. *Equidem*, inquit[f], *laudo, quòd fratrum doloris ignauiam, & admiror zelum: vellem vos zelum temperare miſericordia; zelus enim veniam negans potius furor eſt, quàm zelus, & admonitio miſericordia carens, tortura quædam eſt.* Et hoc loco rectè monet Origenes ſcientiam cum zelo coniungendam. *non multum*, ait, *prodeſt habere zelum Dei, & non habere ſcientiam Dei: denique Iudæi putantes zelum ſe Dei habere, ſacrilegi extiterunt in filium Dei, quia non ſecundùm ſcientiam zelati ſunt, vt Phinees.* Denique Ambroſius[g].

[g] in Pſal. 118. ſer. 18 in illa verba. Tabeſcere me fecit zelus tuus. *eſt*, inquit, *zelus ad vitam, & eſt zelus ad mortem: ad vitã zelus eſt diuina præcepta ſeruare, & amore Domini eius cuſtodire mandata, vt fecit Phinees, de quo legimus in Numeris.* vtinam autẽ multi hæc duo coniungerent; non enim tam multa in eccleſia fierẽt, quæ multorũ animos vehementer perturbant, magno cum rei Chriſtianæ detrimento. Perfectum ſanè zelum deſcribit Gregorius[h].

[h] Hom. 12. in Ezech. *Quid*, ait, *per ſartaginem ferream, niſi ſpiritalis zeli fortis frixura ſignatur? omnis quippe ſpiritalis zelus doctoris animam frigit, quia valdè cruciatur dum infirmos quoſque æterna deſerere, & rebus temporalibus delectari concupiſcit. Quàm bene Paulus ſartaginem ferream ſumpſerat, cùm zelo animarum cruciatus dicebat; quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? ipſum ſuum cor, quod animarum zelo ſuccenderat, quid aliud quam ſartaginẽ fecerat, in quo amore virtutum contra vitia ardebat? quod enim vrebatur, ſartago erat: inardeſcebat enim, & coquebat, quia incendebatur amaritudine, ſed virtutum alimenta præparabat ex ſua afflicta cogitatione. Sed quid eſt quod eandem ſartaginem propheta inter ſe, & ciuitatem, murum ferreum ponit; niſi quod idem fortis zelus, qui nunc in mente doctoris agitur, in die extremi iudicij inter eum, & animam, quam è vitiis zelatur, teſtis eſt? vt & ſi audire is, qui docetur, noluerit; doctor tamen pro zelo, quem exhibet, de auditoris negligentia reus non ſit. Murum ergo ferreum inter ſe, & ciuitatem ponit, quia vltionis tempore inde doctor à damnationis periculo muA nitur, vnde nũc per zelum cuſtodiæ cordis frixuram patitur. nullum quippe omnipotenti Deo tale eſt ſacrificium, quale eſt zelus animarum: hinc enim Pſalmiſta ait: zelus domus tuæ comedit me. Quantum verò frixura cordis, quæ ſpiritali zelo agitur omnipotentem Deum placat; apertè oſtenditur cùm offerre per legem ſimila in ſacrificium iubetur, de qua ſcriptum eſt, in ſartagine oleo conſperſa frigetur, offerétque eam calidam in odorem ſuauiſſimum Domino ſacerdos, qui patri iure ſucceſſerit, & tota cremabitur in altari. Nunc enim ſimila in ſartagine frigitur, cùm munda mens iuſti per zeli ſancti ardorem crematur, quæ conſpergi oleo præcipitur, id eſt caritati miſericordiæ miſceri, quæ in conſpectu Omnipotentis Domini ardet, & lucet. conſpergatur ergo oleo mens, quæ in ſartagine frigitur, quia in ſancti zeli diſtrictione neceſſe B eſt vt ex miſericordiæ virtute & ardeat, & clareſcat.* Et multa deinceps.

Ignorantes enim iuſtitiam 3.
Dei, &c. Hæc ratio eſt, cur dixerit deſiderari in ſtu- I.
dio Iudæorum iudicium, & ſcientiam; in hoc enim turpiter errant, quòd Dei iuſtitiam ignorant: illam, inquam, qua Deus gratuitò per Chriſti fidem homines iuſtos reddit, & propriam ac ſuam, quæ à lege, & operum merito oriri putatur pertinaciùs ſtatuunt: atque ob eam cauſam à vera Dei iuſtitia, hoc eſt vt interpretatur Auguſtinus[a], à Dei gratia exciderunt.

[a] lib. de grat. & li. arb. c. 12.

Perſimili errore lapſi ſunt multò poſt Pelagiani, qui nimia meritorum confidentia Chriſti gratiæ vim, & poteſtatem eleuabant. eſt autem in Pauli verbis mira quædam vis, & tacita quædam ſenſu magis, quàm C verbis conſtãs *ἐναντίωσις*, & in Græcis quidem codicibus repetitur iuſtitiæ vox, redditúrque oratio eiuſdem vocis traductione feſtiuior: Dei verò iuſtitiæ opponitur propria, & ſua. quod verò ait Iudæos quærere ſuam ſtatuere iuſtitiam, iis aduerſatur, quæ mox ſubiiciuntur. *Iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti.* Rectè autem obſeruauit Chryſoſtomus[b], dum ait Paulus,

[b] hoc loco.

ſuam quærentes ſtatuere; tacitè indicare ambitum quendam, & oſtentationem, vt non tam ſtatuerint, quàm videri voluerint legis iuſtitiã conſtituere: vnde argutè colligit, vtráque illos iuſtitia caruiſſe. nam re vera, vt ait Auguſtinus[c], Phariſæorum doctrina,

[c] Serm 45. de verb. Dom.

& conſuetudo præcipiebat gloriam, ab inuicem quærere, gloriam quæ ab inuicem expectare, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non quærere. cúmque toD tum hunc locum Pauli protuliſſet, ſubdit: *Ignorare ergò Dei iuſtitiam; & ſuam velle conſtituere, hoc eſt ab inuicem gloriam expectare, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt non requirere, hoc eſt fermentum Phariſæorum.* Iuſtitiam porrò Dei vocat Apoſtolus, non qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua homines iuſtos facit: ſic enim loquitur Auguſtinus[d].

[d] l. de ſpiritu. & litera c. 9.

Iuſtitia, inquit, *Dei non qua Deus iuſtus eſt, ſed qua induit hominem cùm iuſtificat impium.* Quæ ſanè iuſtitia non ſolùm complectitur ſcelerum, & flagitiorum expiationem, ſed veram tribuit ſanctitatem, & facultatem largitur obtemperãdi præceptis.

Finis enim legis Christvs, 4.
&c. Aptè omnino, ac verè. nam cùm lex illa tota re- I.
ferretur ad Chriſtum, cuius vnius beneficio cunctis mortalibus iuſtitia diuinitus promiſſa eſt; quid mi E rum ſi hac iuſtitia deſtituantur illi, qui Chriſto vel ignorato, vel neglecto vni duntaxàt externæ legi adhæreant, vera iuſtitia contempta? Perinde enim eſt ac ſi Apoſtolus dicat, idcirco Dei iuſtitiam non ſunt aſſecuti, quia lex illa per ſe ipſa iuſtitiam tribuere non poterat, ſed hactenus tantummodò probanda erat, quòd ad Chriſtum quaſi pædagogus perducebat, à quo vera iuſtitia expectanda erat. Ita Chryſoſtomus, Auguſtinus[e], & Anſelmus, iuſtitiam Iudæorum propriam interpretantur, quòd illis ſuis viribus legi omni ex parte obtemperare ſe poſſe confiderent, cùm

[e] Tract. 26. in Ioan.

verò

vetè abſque fide id præſtare nequaquam poſſent. Addit Chryſoſtomus legis iuſtitiam fuiſſe laborioſam, cùm iuſtitia fidei ſit facilis, & expedita, quippe quę vnius Dei beneficio, & munere tribuatur. Theodoretus, & Oecumenius eius appellationis cauſam nullam aliam agnoſcunt, niſi quòd iam lex, cùm hæc Apoſtolus ſcriberet, penitus erat extincta. Alij iuſti-

a cap. 5. 20.

tiam eam intelligũt de qua Chriſtus apud Matthæũ [a]: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.*

b cap. 15. 3.

Et alibi [b]. *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditiones veſtras?* ſed ſimpliciùs dicendum eſt, Iudæorum iuſtitiam eſſe, quam illi ſola legis obſeruatione, ſuiſque omnino viribus abſque Chriſto, aut eius fide aſſequi ſe poſſe ſperabãt. Quantopere autem fallerentur his verbis docet Apoſto- B lus, quibus oſtẽdit veterem illam iuſtitiam, vim omnem habuiſſe à Chriſto, quem lex illa ſpectabat vel tanquam finem, quò referenda ſunt omnia, vel vt ait Chryſoſtomus, tanquam formam, à qua quodam-

II.

modo abſolueretur, & perficeretur. Itaque Chryſoſtomus, & Photius colligunt, nullam potuiſſe abſque Chriſti fide, haberi iuſtitiam: addit verò Anſelmus, ne potuiſſe quidem abſque fide Chriſti omni ex parte obſeruari. Theodoretus inutilem ait fuiſſe legis obſeruationem, niſi perduceret ad fidem Chriſti tãquam ad extremum. Quocirca exiſtimaſſe videntur hi omnes, quos modò nominaui, Chriſtum dici finẽ legis reſpectu legis moralis, cuius obſeruatio tum demum nonnullam afferebat iuſtitiam, ſi cum fide Chriſti coniungeretur. Nec dubito multò id ad Pau- C li ſententiam propiùs accedere, quàm quod alij affirmant, qui Chriſtum finem legis interpretantur, quod illius ceremonijs, & ſacrificiis penitus extinctis, noua ſacra, & ritus inſtituerit, quæ videtur ſen-

c lib. 9. in Iulian.
d lib. 2. cont. aduerſ. leg. & proph: cap. 7.
e Hom. 16. in Ezech.

tentia Cyrilli Alexandrini [c], Auguſtini [d], & Gregorij [e], vera quidem, ſed quæ ad Pauli inſtitutum non magnopere pertineat. Bifariam autem poteſt accipi, quod ait Apoſtolus, Chriſtum eſſe finem legis: primùm quòd ea lex Chriſtum ſpectaret tanquam extremum, à quo expectanda eſſet iuſtitia, vel ſanctitas, quam lex vi ſua largiri nõ poterat, quanquam ad illã referretur, quod eſt, vt philoſophi docent, omnibus legibus commune, vt ciues reddant iuſtos, ac bonos: deinde vt Chriſtus finis legis dicatur, quòd eam perficiat, ſuiſque omnibus numeris expleat, quod Chri- D

f cap. 5. 17.
g cap. 8. 3.

ſtus ipſe apud Matthæum [f] inſinuat dum ait, *non veni ſoluere legem, ſed adimplere.* Ita Paulus ſuprà [g] dixit, *quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati*, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis. Atque hoc poſtremum aliqua ratione magis poſtulat vox Græca τέλος. nam quod perfectum eſt atque omnibus ſuis numeris abſolutum, Græci τέλειον dicunt.

5. I.

Moyses enim scripsit, &c. Paulò aliter habent Græci codices, non mutata ſententia; *Μωσῆς γὰρ γράφει τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου, ὅτι ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος, ζήσεται ἐν αὐτοῖς.* Deſcribit Moſes iuſtitiam, quæ ex lege eſt, quòd qui ea fecerit homo, viuet per illa. Hanc lectionem ſequuntur Chryſo- E ſtomus, Theophylactus, Oecumenius, Ambroſius,

h de ſpiritu & littera, ca. 20.

Auguſtinus [h], & alij Latini noſtram interpretationem laudant, & explicant, eique ſuffragari videtur Origenes: ſenſus eſt, eum, qui ſeruauerit præcepta legis, fore liberum à legis ſeueritate, quæ mortis com-

i cap. 3. 12.

minatione terret: quod ipſum in epiſtola ad Galatas [i] ſcripſerat Apoſtolus. Videtur autem Paulus alludere

k cap. 18. 5.

ad verba Moſis quæ habentur in Leuitico [k]. *Cuſtodite leges meas, atque iudicia, quæ faciens homo viuet in eis.*

l cap. 20. 11.

Quiddam ſimile legitur apud Ezechielem [l]. *Iudicia* A *prodiderunt, quæ faciens homo viuet in eis.* Negare tamen non poſſumus vulgatam interpretationem obſcuriorem videri, & à Græcis verbis nonnihil recedentem: ſed quoniam cùm de re conſtat, puerile eſt de verbis altercari; de ipſa potius ſententia differendum videtur. Siue igitur Moſes, ſiue ipſa, vt alij malunt, iuſtitia intelligatur loquens, qui hæc (inquit) perfecerit *homo, viuet in eis.* an vita ſpirituali? ita ſanè Chryſoſtomus, & Oecumenius, qui tamen addunt, quia nemo ſine Chriſto omni ex parte legi poterat obtemperare? Iudæos, qui Chriſti fide contempta legi colendæ operam dabant, iuſtitiæ, adeóque vitæ ſpiritalis fuiſſe expertes. Neque aliter accepiſſe videtur Clemens [a] Alexandrinus. *Cùm autem dicit, qui* a li. 6. Strom.

fecerit homo, viuet in eis, & ipſorum Hebræorum correctionem, & proximorum noſtrorum, & noſtram exercitationem, & perfectam ipſorum vitam dicit, & noſtram. Quod non perinde accipio, quaſi veteris legis præcepta vitam ſpiritalem pollicerentur, & afferre poſſent (quod nonnulli opinantur) ſed quod ad fidem Chriſti percipiendam veluti aditum pararent, atque adeo fidei beneficio ſpiritualem vitam largirentur: vel certè, quod ait Auguſtinus, de iis loquitur, qui fide Chriſti concepta legi obtemperant, & veram iuſtitiam aſſequuntur: ſic enim ſcribit [b]: *Ideo proponitur iuſtitia legis, quod qui fecerit ea, viuet in illa, vt cùm quiſque infirmitatem ſuam cognouerit non per ſuas vires, neque per litteram ipſius legis, ſed per fidem conciliantis iuſtificatorem, faciat legis iuſtitiam, & viuat in ea.* Fateor tamen propiùs ad Pauli mentem accedere II.

b l. de ſpirit. & litt. ca. 29.

quod aiunt Origenes, Theodoretus, Ambroſius, & Anſelmus, vitam, quam lex vetus pollicetur, vitam eſſe mortalem, vt vel hinc appareat quid interſit inter legis, & fidei iuſtitiam. iuſtitia enim legis corporis duntaxat vitam afferre poteſt, fidei verò iuſtitia etiam animæ tribuit ſalutem. hoc autem ipſum quod lex vitam mortalem pollicetur, duplicem habet interpretationem. vel quòd legis ſeueritas, quæ ſui violatoribus mortem minatur, non habeat quod plectat, atque adeo vitam largiatur, quam nõ adimat, vel quòd vitam quietam, ac tranquillam acturus ſit ille, qui legi obtemperat: cùm in Leuitico [c], & in Deuteronomio [d] plurima cõmoda polliceatur Deus iis qui legi paruerint. Itaque Origenes. *Iuſtitia Dei* (inquit) *non tantum vitam præbet, ſed æternam vitam: illa verò, quæ ex lege eſt, iuſtitiam faciens homo non dixit quod viuet in æternum, ſed tantùm quod viuet in ea, vitam ſcilicet corporalem, ac temporalem.* Cæterum quod ait Chriſtus [e] *ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* & Paulus ſuprà [f]: factores legis apud Deum iuſtificari, de iam iuſtis intelligenda ſunt, qui beneficio gratiæ, legi obtemperant. Nam ſi etiam ſpiritali vita viuent, vt modò ex Auguſtino docuimus. ex ſuperiori autem, & hoc capite colligimus triplicem ab Apoſtolo iuſtitiam diſtingui; iuſtitiam legis, ſiue iuſtitiæ legem, & iuſtitiam quę ex lege, ſiue Iudaicam, demum iuſtitiam Dei, ſiue iuſtitiam fidei. Prima iuſtitia continet ea, quæ lege morum præcipiuntur, quæ ſine Chriſto haberi non poteſt, atque idcirco dixit Apoſtolus [g] ſupra Chriſtum in ſimilitudinem carnis peccati veniſſe vt iuſtificatio legis impleretur in nobis. Iuſtitia ex lege eſt externa tantùm quædam iuſtitia, quam quis viribus liberi arbitrij præſtare poteſt, de qua Paulus ad Philippenſes [h]. *vt inueniar*, inquit, *in illo non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt.* de qua item hoc loco dicit, *qui fecerit homo viuet in ea.* Denique iuſtitia fidei, ſeu Dei eſt vera iuſtitia, qua iuſti ſumus coram Deo, & cœleſtis beatitudinis hæredes. Quocirca Auguſtinus [i]: *tantũ* inquit, *inter legem diſtat, & gratiam, vt cùm lex eſſe non dubitetur à Deo, iuſtitia tamen, quæ eſt ex lege non*

c cap. 26.
d cap. 28.
e Matt 19. 17.
f cap. 2. 13.
g cap. 8. 3.
h cap. 3. 9.
i lib. de gra. Chriſti c. 13.

ſit à Deo

A *ſit à Deo:ſed ea iuſtitia, qua per gratiam conſummatur, ex Deo eſt*. Iuſtitia enim ex lege dicitur quæ fit propter legis mandatum; iuſtitia autem ex Deo dicitur quæ datur per gratiæ beneficium, vt non ſit terribile, ſed ſuaue mandatum. Porro hanc triplicem iuſtitiam alibi [a] idem Auguſtinus luculenter diſtinguit, & explicat.

a 3.contr.2. epiſt.Pel.c.7.

6. Qvæ avtem ex fide est ivstitia, &c.

7. Avt qvis descendet in abyssvm, &c.

8. Sed qvid dicit Scriptvra? &c.

I. De iuſtitia fidei hæc accipienda ſunt, quæ ex Deuteronomio proferuntur. magna verò quæſtio eſt, & perobſcura, proprió-ne, & vt loquuntur, hiſtorico ac litterali ſenſu, an verò myſtico, & allegorico proferantur à Paulo. Sunt enim qui adduci putent proprio, ac vero ſenſu, quem Moyſes indicauit. ſunt qui B velint quandam eſſe tantummodò illuſionem, perinde quaſi iuſtitia fidei, ſi ipſa per ſe loqueretur, illis verbis vti poſſet. poſteriorem ſententiam recentiores [b] quidam probaſſe videntur. priorem ſecuti ſunt Chryſoſtomus, & Theodoretus, à quibus non admodum diſſentiunt Photius, Oecumenius, & Theophylactus, itémque Auctor commentariorum, qui Hieronymi nomen præferunt, qui quod Moſes dixerat de lege transferri putant à Paulo ad iuſtitiam fidei. Certè ſi Moſes de tota lege veteri loquitur, quod multi volunt, vix poſſe videtur aliter explicari Paulus, quàm ſenſu myſtico, & ſpiritali, aut certè quod mox dicam, prophetico, & quodam modo remoto, quia vt ſcribit Auguſtinus [c], tota illa lege veteri, quaſi quibuſdam figuris, & vmbris noua ſignificabatur: ſin autem, quod alij malunt, loquitur Moſes de peculiari mandato conuerſionis in Deum, de quo ibi dixerat. *Et reuertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua*; non eſt neceſſe Paulum myſticè, aut ſenſu prophetico hæc ad iuſtitiam fidei tranſtuliſſe. cùm enim præceptum illud ad veram iuſtitiam aſſequendam referatur, ſenſu proprio, ac litterali videtur Moſes loqui de Chriſto, cuius beneficio obtemperatur illi præcepto, & iuſtitia vera comparatur, eodémque prorſus ſenſu à Paulo verba illa afferuntur. ita oſtendit veram fidei, ac Dei iuſtitiam ab ipſa lege Moſis indicari.

b Adamus in hunc locum. Caiet. Deuter. 30 & in hunc locum, et & Iſidor in locum Deuter. Chriſtiano & aliis ſubſcripta.

c Quæſt. 14. in Deuter.

C

II. Equidem ſi quidquam coniectura aſſequor, verba Moſis proximè legem illam veterem ſpectare mihi facilè D perſuaſerim, nec tamen continuò in hac Pauli ſententia ſimplicem allegoriam, aut applicationem admiſerim; ſed in eam potius ſententiam propenſior ſum, quæ in illo veluti hiſtorico, & litterali ſenſu, alterum propheticum, magiſque proprium latuiſſe exiſtimat. Neque eorum ſatis probo interpretationem, qui hæc de vno conuerſionis præcepto accipienda putant: quamuis enim Moſes paulò antè poſuiſſet verba quædam, quæ videntur ſpectare ad præceptum conuerſionis, ac pœnitentiæ, certum tamen eſt, eum de illa conuerſione loqui, quæ vniuerſæ legis obſeruationem complectitur. ait enim: *Si reuerſus fueris ad Dominum Deum tuum, & obedieris eius imperiis in toto corde tuo, & tota anima tua.* Quemadmodum igitur præceptum illud pœnitentiæ, ſeu E potius caritatis Chriſti beneficio ſeruandum erat, ita & vniuerſa lex. atque ita de tota lege loquitur Moſes, eodémque modo eius verba profert Paulus. nam cùm, vt paulò ante dixit Apoſtolus, Chriſtus ſit finis, ac veluti forma perficiens legem, illius præceptis legalis iuſtitia proximè continebatur, cuius veluti cortice Chriſtianæ iuſtitiæ nucleus claudebatur. loquitur enim Moſes de iuſtitia legis, quæ quod attinet ad præcepta, palàm omnibus expoſita erat, ad Chriſtum tamen, & iuſtitiam fidei referebatur, quam

A tamquam finem ſpectabat, à quo ipſa perficienda, ſuiſque omnibus numeris abſoluenda erat: tantum abeſt, vt cum ea pugnet, aut hæc iuſtitia fidei illam excludat, quod æquè ineptè, atque imperitè hæretici mentiuntur. Quemadmodum igitur non poterant Iudæi legis difficultatem prætexere, cùm omnia eſſent apertè, perſpicuéque propoſita; ita facilis, atque omnibus expoſita eſt iuſtitia fidei, quæ Chriſti beneficio habetur: qua ratione interpretor verba Auguſtini [a]. *Et quod dicitur* (inquit) *ad Iſrael in Deuteronomio, ſi piè, ſi ſanctè, ſi ſpiritaliter intelligatur, hoc idem ſignificat, quia vtique cùm hoc teſtimonium commemoraſſet Apoſtolus, propè eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo, quod hic habes in manibus tuis: in corde enim ſunt ſpiritales manus hoc eſt, inquit, verbum fidei, quod prædicamus. Conuerſus ergo quiſque ſicut ibi præcipitur ad Dominum Deum ſuum ex toto corde ſuo, & ex tota* B *anima ſua; mandatum Dei non habebit graue. quomodo enim eſt graue, cùm ſit dilectionis mandatum? oſtendit enim neque Iudæis grauem, aut moleſtam fuiſſe legem, qui Deum ex toto corde diligerent, & in nouo teſtamento ob ſuauitatem, & dulcedinem caritatis peruiam, & facilem eſſe iuſtitiam fidei.* Nec dubium eſt permulta eſſe in lege veteri ſimilia vaticinia, quæ proximè verum aliquem ſenſum habeant hiſtoricum, in quo tamen lateat remotior quidam ſenſus propheticus, potior tamen, & ad quem potiſſimùm Spiritus ſanctus ſpectarit, quomodo multa cogimur interpretari in Pſalmis de Dauide, quæ tamen præcipuè pertineant ad Chriſtum. Itaque tota hæc Apoſtoli oratio non ad III. C remouendam infidelitatem, & perfidiam, vt exiſtimarunt Chryſoſtomus, Oecumenius, Anſelmus, neque ad arcendam curioſitatem, vt putauit Theodoretus; ſed eò tantummodò refertur, vt oſtendat facilem, & in promptu eſſe iuſtitiam fidei. cùm enim illa vnius Chriſti merito tribuatur; ne exiſtimes, inquit Paulus, hoc à te exigi, vt in cœlum aſcendas, vt inde Chriſtum euoces, vel in abyſſum penetres, vt inde illum ad vitam reuoces, cùm ſatis ſit ſi illum hominum cauſa hominem factum eſſe credas, & vita functum ad inferos penetraſſe, mox rediuiuum remeaſſe ad ſuperos. Neque verò magnopere retulerit, vtrum quis verba illa, *ſic dicit*, referat ad ſcripturam, vt exiſtimat Theodoretus, vel ad ipſam iuſtitiam, quæ quaſi loquens illuſtri proſopopœia inducatur. D Et profectò Auguſtinus [b] propiùs vero exiſtimat ipſam iuſtitiam loquentem induci. Itaque cùm Apoſtolus ait: *Sed quid dicit ſcriptura?* vox illa, *ſcriptura*, in Græcis codicibus non habetur, neque ſi ſequamur Auguſtini ſententiam, vllo modo eſt neceſſaria; putat enim ille ſubintelligi iuſtitiam fidei, quæ paulò antè loquebatur, verùm legitur in Romana editione. Quod verò ait, *propè eſt verbum in ore tuo*; ſi ſpectes litteram ſignificat facilem fuiſſe legem non cognitu ſolùm, ſed etiam factu. quocirca vt obſeruarunt Auguſtinus [c], & Theodoretus [d], Septuaginta addiderunt; *Et in manibus tuis facere illud.* Verbum autem fidei, & vera iuſtitia non eſt aliunde quæſita, aut ingenti aliquo labore comparata, ſed poſita diuina gratia in cuiuſuis animo, & voluntate ſita eſt, atque ita E admodum facilè, vt Chryſoſtomus, & Theophylactus obſeruant, paratur ſalus. Cæterùm quod ſpectat ad verba, Chriſtum inquit deducere, Græcè κατα-γαγεῖν; quod quidem verbum, vt cætera, quæ ſequuntur, non tam ad corporis motum, quàm ad animi cogitationes referenda ſunt, vt ſit ſenſus, noli vel de Chriſti ad nos aduentu, vel de eius ad vitam reditu, aliiſve incarnationis myſteriis dubitare; vt ex iis, quæ ſequuntur, intelligi facilè poteſt. *Hoc* (inquit) *eſt verbum fidei, quod prædicamus.* huc videlicet prophetìcè referebatur ſententia Moſis, ac proinde ſubdit:

a li. de nat. & gratia c.60.

b l. de ſpiritu & litt. ca 29.

c Quæſt. 54. in Deuter.

d Quæſt. 38. in Deuter.

9. I. QVOD SI CONFITEARIS IN ORE TVO, &c. Hæc eſt quam Apoſtolus prædicat, Chriſtianæ iuſtitiæ facilitas: quid enim eſt tam homini proclive, quàm credere? quod, vt ait Auguſtinus [a], *Ita habet quilibet in poteſtate, vt cùm quiſque vult credat; & cùm credit volens credat: abſurdum enim eſt, vt quiſquam credat ſi noluerit, aut non credat ſi voluerit. quid eſt enim credere, niſi conſentire verum eſſe quod dicitur? conſenſio autem vtique volentis eſt, atque idcirco fides in poteſtate eſt.* Sed nihil-ne ad ſalutem præter vnam fidem, & fidei confeſſionem requirit Apoſtolus? affirmant hæretici, ſed noſtris diſputationibus confutantur, vbi de fide iuſtificante agimus. hæc autem Pauli verba oſtendunt tantùm, diſcrimen inter legis, & fidei iuſtitiam: illa enim nihil affert niſi terrena bona, hæc verò ſalutem ſempiternam, ſi cætera videlicet neceſſaria non deſint. Ita Paulus verba Moſis interpretatur, vt appareat non ſatis videri probabilem eorum ſententiam, qui ſolùm quandam verborum accõmodationem admittunt. periret enim omnis argumenti vis, quo Apoſtolus facilitatem iuſtitiæ, quæ eſt ex fide ſcripturæ teſtimonio, atque auctoritate nititur probare. obiicerent enim Iudæi, nihil minus voluiſſe Moſem ſignificare, quàm quod ille contenderet. Cæterum quod ait, *ſi in corde tuo credideris, quòd Deus illum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris*: non ſignificat Chriſti reſurrectionem tantùm, & nihil præterea credendum eſſe; ſed id potiſſimum indicauit, quod erat creditu difficillimum, ac propterea præcipuo quodam ſtudio inculcandum, vt in Epiſtola priori ad Corinthios fuſiùs oſtendit Apoſtolus, vt ob eam cauſam cùm Petrus de cooptando duodecimo Apoſtolo in ſacrum collegium ageret, teſtem dixit reſurrectionis eſſe quærendum; vt interim omittam quod alibi docui, iuſtificationem peculiari quadam ratione reſurrectioni adſcribi.

[a] de Spiritu & litt. c. 31. 32.

10. I. CORDE ENIM CREDITVR AD IVSTITIAM, &c. Meminerat Paulus Moſis teſtimonio cordis, & oris: & illi quidem fidei aſſenſum, huic verò eius confeſſionem tribuerat, tamquam inſtrumẽta ſalutis; id nunc quodam veluti axiomate confirmat, & analemmate colligit, corde, inquit, fides concipitur, ore verò fidei profeſſio editur, & vtrumque tamen aliter, atque aliter valet ad ſalutem. Fides quidem tamquam iuſtificationis neceſſarium inſtrumẽtum, quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo: fidei verò profeſſio, ſi res poſtulet, eſt non rarò ad ſalutem neceſſaria. dixit enim Chriſtus ipſe apud Matthæum [b]: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cœlis eſt.* Et apud Lucam [c]: *Qui erubuerit me, & ſermones meos, hunc filius hominis erubeſcet cùm venerit in maieſtate ſua.* Quamobrem meritò Epiphanius [d] eorum impietatem confutat, qui fas eſſe putabant ſalua fide, quæ corde concepta retinetur vrgente metu; aut periculo mortis, extrinſecùs, aut ore, aut etiam actione fidem abiurare. Quinetiam Origenes [e] indicat Baſilidis, eiúſque ſectatorum impium fuiſſe dogma pro fidei confeſſione martyrium nequaquam eſſe ſubeundum. Addit verò Euſebius [f] exiſtimaſſe Baſilidem non eſſe religioni ducendum, ſi quis idolothytis veſceretur, quin abſque vlla religione inſtante tyranno fidem abiurandam. Nec magnopere ab ea impietate abfuit factum Origenis, qui, vt ſcribit Epiphanius [g], ne præpoſteram libidinem ſuſtinere cogeretur; thure idolis ſe potius operaturum dixit. Ita olim qui fidei confeſſionem desererent, negatores; qui contra conſtanter retinerent, confeſſores appellabantur. Et confeſſorum quidem iam inde ab Ignatio frequens eſt apud veteres mentio. cùm enim martyrum nomen in ſcholis Theologorum, iis duntaxat tribuatur, qui mortem pro Chriſto oppetiiſſent; olim tamen, ætate præſertim Tertulliani, & Cypriani etiã in illos conueniebat, qui à nominis Chriſti confeſſione nulla tormentorum atrocitate abduci potuiſſent, quos Tertullianus martyres deſignatos appellat [a]. Cõfeſſorum porrò nomen aliter olim fuiſſe acceptum, quàm nunc Tertulliani, & Cypriani ſcripta declarant. Sunt qui ſynonymum eſſe putant cum martyre, & negari non poteſt confeſſoris nomen in martyres omnino verè, atque aptè cadere; ſed latiùs aliquanto patere indicat Cyprianus, qui interdum ad martyres tantùm, interdum etiam ad martyres, & confeſſores ſcribit, & pluribus in locis tãquam de diſtinctis loquitur. nam honorem [b] martyrum, & confeſſorum pudorem nominat [c]: de Moyſe quodam ait: *Tunc confeſſore, nunc autem & martyre* [d]. confeſſionem vocis à paſſione corporis, & paſſionis teſtimonio diſtinguit. Et [e] quidam confeſſorum, alij martyrum titulo decorantur. Quid verò inter vtrumque nomẽ interſit, indicare videtur dum ait [f] ſe ſcripſiſſe, ſiue iam tortis fratribus, quos martyres interpretor, ſiue adhuc vt torquerentur incluſis, quos confeſſores accipio. nam martyres eos eſſe, qui iam ſupplicia ſubiiſſent, indicant illa apud Cyprianum [g], *Martyres non propter aliud martyres fiunt, niſi vt non ſacrificantes teneant Eccleſiæ vſque ad effuſionem ſanguinis ſui pacem, ne cruciatus dolore ſuperati perdendo pacem perdant ſalutem.* Et [h] eos, qui torti nõ eſſent, voce tamen glorioſa Dominum confeſſos eſſe docet. Itaque martyres, confeſſores omnes dici poterant, confeſſores nonniſi martyres deſignati, confeſſi verò martyres, qui etiam ſupplicia citra mortem perpeſſi eſſent. Hac ratione Hieronymus [i], Hilarium Pictauienſem Epiſcopum, confeſſorem ſuorum temporum appellat, quòd pro fide catholica in Phrygiam relegatus fuiſſet. Ruffinus tamen [k] Paphnutium, & ſocios, qui oculo effoſſo, ac ſiniſtro poplite præciſo, ad metalla damnati erant, confeſſores vocat, hoc eſt, vt ego interpretor, martyres cõfeſſos. In quo numero cũ aliquando fuiſſet Hoſius Cordubenſis in extrema ſenectute, auaritiæ morbo corruptus, ad negatores defecit, vt ſcribit Iſidorus [l].

[b] cap. 10. 32.
[c] cap. 9. 26.
[d] hæreſ. 19.
[e] Hom. 1. in Ezech.
[f] lib. 4. hiſt. cap. 7.
[g] hæreſ. 64.
[a] lib. ad martyres in initio.
[b] epiſt. 10.
[c] ep. ad Anto. Presbyt.
[d] ep. 7. & 72.
[e] in Synod. Carthag.
[f] epiſt. 15.
[g] epiſt. 10.
[h] epiſt. 15.
[i] epiſt. ad Magnum, & epiſt. ad Marcellã de Pſ. 126.
[k] lib. 1. c. 17.
[l] de Scriptoribus Eccleſ. cap. 5.

DICIT ENIM SCRIPTVRA. OMNIS, &c. 11. I.
Ex vaticinio Iſaiæ [m] deſumpta ſunt hæc. *Qui credit* (inquit) *non feſtinet*, vt ſuperiori capite diximus. Accedit autem Paulus tamquam propheticæ ſententiæ explanator, qui de fide in Chriſtum interpretatur. & quod Iſaias obſcuriùs dixit, *non feſtinet*, vel *non feſtinabit*; planiùs, atque apertiùs ait Apoſtolus, *non confundetur*, id eſt non pudefiet. Feſtinatio namque ex animi quadam fluctuatione oritur ob imminens periculum. qui verò credit, éſtque in fide conſtans, & perſeuerans, placido, tranquillóque animo omnia expectat, & nihil metuit, nullóque ingruenti periculo concutitur, vt feſtinare cogatur, quod eſt confundi, & pudefieri. Quod quidem potiſſimùm erit in extremo iudicij die, de quo in hunc modum ſcribit Ambroſius. *Cùm examen cœperit fieri, omnium rerum in die iudicij, & omnia falſa commenta, vel dogmata in confeſſionem deduci; tunc in Chriſtum credentes tripudiabunt videntes omnibus manifeſtari, quia quod crediderunt verum eſt, & prudens, quod putabant ſtultum. aſpicient enim inter cæteros, ſe ſolos glorioſos, & prudentes, qui æſtimati fuerant contemptibiles, & ſtulti.* Quod ipſum luculenter docet Salomon dum ait [n]: *Tunc ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum.* Sed in hac etiam vita qui credit non confunditur; nihil enim eſt, quod erubeſcat; quamuis multa ab infidelibus obiiciantur. atque vt omittam falſa crimina callidè excogitata, numquam deprehenſa; olim

[m] cap. 28. 16.
[n] Sap. 5. 1.

certè martyrum cōſtantia irridebatur: ſed *quidam*, ait Tertullianus[a], *dementiam exiſtimant, quòd cùm poſſimus & ſacrificare in præſenti, & illæſi abire manente apud animum propoſito, obſtinationem ſaluti præferamus.* Hæc infideles: ſed rectè Tertullianus. *Datis ſcilicet conſilium, quo vobis abutamur. Sed agnoſcimus vnde talia ſuggerantur. quis totum hoc aguet, & quomodo nunc aſtutia ſuadendi, nunc duritia ſæuiendi, ad conſtantiam noſtram deiciendam, ille ſcilicet ſpiritus dæmoniaca, & angelica paratura, qui noſter ob diuortium æmulus, & ob Dei gratiam inuidus, de mentibus veſtris aduerſus nos præliatur.* Et poſt multa cum noſtra dogmata cum philoſophorum placitis, ac poetarum figmentis contuliſſet. *Hæ ſunt* (inquit[b]) *quæ in nobis ſolis præſumptiones vocātur, in philoſophis, & poetis ſummæ ſcientiæ, & inſignia ingenia; illi prudentes, nos inepti, illi honorandi, nos irridendi, immò eo amplius & puniendi.* Porro quod attinet ad Iſaiæ teſtimonium, Hebræi & Græci codices non habent notam vniuerſalem *Omnis*, neque in Hebræis legitur *in ipſo.* Septuaginta tamen habent ἐπ' αὐτῷ, quod hoc loco legit Apoſtolus, qui prophetæ mentem diuinitus aſſecutus, eius ſententiam aptiſſimè expreſſit. Ac propterea ſubdit.

a in Apolog. c.27.
b cap.49.

12. I. Non enim est distinctio Iudæi, et Græci, &c. Dixerat omnibus fidei beneficio propoſitam eſſe gratiam, & iuſtitiam: id nunc apertiùs declarans ait, ſe cùm omnes dixit tam Iudæos, quàm Græcos intellexiſſe, cùm nulla ſit apud Deum nationum diſtinctio, nullum Iudæorum, aut Græcorum diſcrimen. id probat Apoſtolus ex iure dominij: eſt enim Deus æquè Iudæorum, ac Græcorū Dominus; atque ita iure dominij omnium ſeruorum ſaluti, atque incolumitati conſulit, quod etiam ſupra[c] ſignificauerat dicens. *An Iudæorū Deus tātùm? nonne & Gentiū? immò & Gentium.* Alio verò[d] loco perſimili vtitur argumento. *Vnus Deus, vnus & mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus.* Addit alterum argumentum. *Diues* (inquit) *in omnes, qui inuocant illum*, magna videlicet opulentia præditus, magniſque opibus præſtans, vt verendum minimè ſit, ne non poſſit omnibus opem ferre. Itaque acutè Apoſtolus remouet ea, quæ ſibi tacitè obiici potuiſſent. aut enim Deus Gentiles à ſalute arceret, quod ſuo illi dominio nequaquam ſubeſſent, vel quod iis ſua gratia opitulari non poſſet. atqui neutrum dici poteſt. eſt enim omnium Dominus, & quidem copioſus, & diuitiis affluens, quæ nulla ratione poſſunt exhauriri. meritò autem quis ambigat, hæc ne de Deo patre, atque adeo tota Trinitate, an verò etiam de Chriſto homine accipienda ſint; ſed profectò hæc etiam omnia in Chriſtum conueniunt etiam quâ homo eſt, & humanæ libertatis vindex, atque aſſertor: nam id ei ratione vnionis potiſſimùm debetur, & ipſe pro hominum ſalute mortem oppetens eximium quendam in omnes mortales dominatum, atque imperium aſſecutus eſt, vt meritò dixerit apud Matthæum[e]. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* Idémque Chriſtus verè diues dici poteſt, ſiue diuitiis affluens, qui ſibi omnia à Patre tradita fuiſſe dicebat. Porro *Deus diues in omnes, qui inuocant illum* idcircò appellatur quia illos duntaxat ſuarum diuitiarum participes facit. Illi autem rectè inuocant nomen Domini, qui viua in illum fide credentes, ſpes omnes ſuas in illo ſitas & locatas habent.

c cap.3.29.
d 1 ad Tim. cap.2.5.
e cap. ult.

13. I. Omnis enim quicumque invocaverit nomen, &c. Non planè qui voce duntaxat nomen Domini appellauerit; etenim ſcriptum eſt à Dauide[f]. *Clamauerunt, nec erat qui ſaluos faceret ad Dominum, nec exaudiuit eos.* Et Chriſtus

f Pſal.17.42.

A apud Matthæum[a]: *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Illi rectè inuocabant, de quibus Dauid[b]. *Moyſes, & Aaron in ſacerdotibus eius, & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius.* Et Ieremias[c]. *Nomen ſanctum tuum inuocatum eſt ſuper nos.* Denique hoc modo accipio illud, quod in libro Geneſis[d] de Enos filio Seth ſcriptum eſt. *Et ipſe cœpit inuocare nomen Domini.* Eſt autem hoc teſtimonium, quo vtitur Apoſtolus, deſumptum ex vaticinio Ioelis[e] prophetæ, apud quem ex vulgato interprete totidem verbis legitur: ibi enim propheta penè hoc idem docet, quod hoc loco Apoſtolus, nulli ad ſalutem aditum patere niſi ei, qui fidem Chriſti complexus fuerit: ſubdit enim quia in monte Sion, & Ieruſalem erit ſaluatio; in ſola enim Ec- B cleſia Dei eſt vera ſalus, ibi verè inuocatur nomen Domini, non voce tantùm, ſed vera pietate, ac vitæ ſanctimonia, quidquid hæretici contra muſſitent. Nam propterea Eccleſia dicitur ſancta, tum quòd in ea duntaxat ſit vera ſanctitas, tum quòd licèt complectatur etiam improbos, numquam tamen ſanctitate deſtituitur. Omnis igitur, qui rectè inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Ad hunc locum alludens Nouatianus[f], probat Chriſtum eſſe Deum, qui poſſit ſe inuocantibus ſalutem tribuere, vt videatur hæc intelligere de Chriſto; quod inſtituto Apoſtolico maximè congruit, qui fidem Chriſti ad ſalutem neceſſariam eſſe contendit. quod ipſum oſtendit Ioel, qui ſola Chriſti fide, eiúſque cultu iudicij ſeueritatem vitari poſſe confirmat. quod enim interpres di- C xit, ſaluus erit, Hebræi codices habent, euadet, effugiet. de hac autem inuocatione alibi ſcribit[g]: *Sanctificatis in Chriſto Ieſu vocatis ſanctis cum omnibus, qui inuocant nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

a cap.7.21.
b Pſal.98.6.
c cap.14.20.
d cap.4.26.
e cap.2.32.
f lib. de Trin. ca.14.
g 1.Cor.1.

Quomodo ergo invocabunt, &c. 14.
Quomodo vero prædicabunt, &c. 15.
Difficile eſt hanc ſententiam ſuperioribus attexere. I.
Chryſoſtomus videtur eam referre ad Hebræorū excuſationes refellendas, quaſi illi inſcientiā, aut ignorationē obtendere nequeant: ſed, vt arbitror, non admodum probabiliter; id enim ſatis fuerat paulò antè ſcripturæ teſtimoniis refutatū. alij exiſtimant vniuerſim deſcribi ordinē, quo quis ad ſalutem cōſequendam cōformatur, totámque hanc orationem tam ad Iudæos, quàm ad Gentiles pertinere: ſed quorſum? D neque enim id locus poſtulabat. Omnino igitur crediderim pertinere hæc ad Gentiles, & occupatione quadam Paulum apud Iudæos purgare ſeſe, quòd Gentilibus prædicet Euangelium, quódque in iis ad fidem adducendis omnem ſuam operam, atque induſtriam collocet. nam qui paulò antè dixerat Græcis æquè, ac Iudæis aditum ad ſalutem fuiſſe reſeratum, vt etiam Gentibus verbum fidei pateſiat, vt omnes omnino mortales inuocent nomen Domini. *Quomodo* (inquit) *inuocabunt, in quem non crediderunt?* vt igitur Gentiles credant neceſſe eſt iis Dei legem prædicare, vt mirandum non ſit, cur ego pro Gentilium ſalute ſolicitus iis tam ſedulò Euangelij lucem præferam. Vtitur autem Apoſtolus pereleganti gradatione: inuocationi enim ſubiicit fidem, E fidei auditum; vt enim paulò pòſt ſubdet, fides auditione concipitur; concepta autem iam fide diuinum numen rite imploratur. & quidem id rectus ordo poſtulat; nec enim quidquam appeti poteſt, quod non ſit antea mente perceptum, & cognitum. Duo igitur, quæ hoc loco à Paulo recenſentur, ad mentem, atque intelligentiam pertinent, vt audiat, hoc eſt, vt percipiat, & complectatur, & vt credat, id eſt auditis, & cognitis præbeat aſſenſum. itaque neceſſe eſt rerum diuinarum notiones primùm menti obiici, & cœleſti, ac diuino lumine illuſtrari, quod ferè

A accidit dum Euangelicæ prædicationi aures præbentur; mox diuinitùs mens colluſtrata, fidem concipit, deinum eius, quem bonorum omnium auctorem, & largitorem eſſe credit, opem, atqoe auxilium

II. implorat. Porrò eorum reſpectu, qui Euangelium promulgant, duo item docet Apoſtolus eſſe neceſſaria, alterum, vt diuina auctoritate mittantur; alterum, vt ſuo munere rite fungantur, & Euangelium prædicent. Confert nonnemo [a] hanc Apoſtolicam gradationem eum ea, quæ eſt apud Oſeam. *Dominus* (inquit Propheta) *exaudit cœlos, & cœli exaudiunt terram, & terra exaudiunt triticum, & vinum, & oleum, & hæc exaudiunt Iezrahel.* Nam re vera quamquam obſcurè idem videtur, ordine tamen contrario ſignificare Propheta, quod hîc docet Apoſtolus; nam

B Apoſtolos cœleſtibus illis corporibus proportione quadam reſpondere vel ex hoc loco Pauli facilè colligas; ſubdet enim non ita multò pòſt. *In omnem terram exiuit ſonus eorum*, quæ de æthereis globis ſcripſit Dauid; Paulus autem de Apoſtolis interpretatur. Deus igitur cœlos exaudit dum eis veluti cupientibus, atque expetentibus poteſtatem facit, vt largiſſimos imbres effundant, adeóque Apoſtolis ampliſſimam tribuit Euangelij prædicandi facultatem, vt eo veluti cœleſti imbre Gentilium animos fœcundent. Porrò cœli exaudire dicuntur terram, quæ ſua ariditate cœleſtem pluuiam, quaſi quibuſdam conceptis votis optare videtur: atque ita barbaræ natiooes, & diuinæ gratiæ prorſus expertes, planè indicabant diuinæ gratiæ rore ſe plurimùm

C indigere. Deinde terra triticum, & vinum, & oleum exaudit, dum iis vim quandam tacitè ſufficit, vt veluti ex animi ſententia creſcant, & horrea, atque cellaria compleát; ita Gentilium mentes ſeſe ad fidem, & iuſtitiam concipiendam diuinæ gratiæ beneficio aptant, atque accommodant. Denique triticum, vinum, & oleum exaudiunt Ieſrahel, hoc eſt Dei populum, dum illum bonorum omnium copia, atque affluentia explent; oon aliter fides, cæteráque cœleſtia dona, eorum, qui ad fidem adducti ſunt, animos inflammát, vt toti ferantur in Deum, ſéque illi omni ex parte ſubiiciant. Quod igitur propheta ait, triticum, vinum, & oleum exaudire Ieſrahel, interpretatur Apoſtolus Gentes inuocare nomen Domini, quod apud illum terra dicitur exaudire triticum,

D apud Paulum eſt credere. quod cœli terram exaudiunt, apud Paulum eſt prædicare, vt Gentes audiant. poſtremò cum Deus dicitur exaudire cœlos, hoc eſt mittere Apoſtolos vt prædicent. Hæc autem omnia ad maiorem orationis vehementiam interrogando pronuntiat. *Quomodo* (inquit) *inuocabunt, in*

III. *quem non crediderunt?* Hoc eſt eum planè inuocare non poſſunt, in quem non credunt. *Aut quomodo credent, quem non audierunt?* nec enim quiſquam credere poteſt in eum, cuius ne fando quidem nomen audiuit. *Quomodo audient ſine prædicante?* audiri quippe, aut cognoſci nequaquam poteſt, quod non eſt aptè, atque idoocè menti obiectum. atque hæc quidem ad Gentes pertinent, quæ ſequuntur autem ad Apoſtolos. *Quomodo* (inquit) *prædicabunt, niſi mittantur?* Græcè ἀποστελῶσι, vt videatur ad Apoſtoli

E nomen, atque officium alludere: nec enim quiſquam auſit Apoſtolicum prædicandi munus vſurpare, niſi id ſibi diuinitus cõcedatur. eſſe autem munus Apoſtolicum ſibi præcipuè diuina liberalitate creditum, allato ſcripturæ teſtimonio confirmat. *Quàm ſpecioſi* (inquit) *ſunt pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona!* Eſt autem teſtimonium deſumptum ex Iſaia, & Nahum Prophetis: ſic enim ait Iſaias [b]. *Quàm pulchri ſuper montes pedes annuntiantis, & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis ſalutem, dicentis Sion regnabit Deus tuus.* At verò Nahum [a]: *Ecce ſuper montes pedes euangelizantis, & annuntiantis pacem, celebra Iuda feſtiuitates tuas, & redde vota tua, quia non adiiciet vltra, vt pertranſeat in te Belial, vniuerſus interiit.* Sed videtur Paulus magis reſpexiſſe ad locum Iſaiæ, qoem profert iuxta Hebraicam veritatem, cui noſtra, & Pauli interpretatio cõſentit, niſi quòd vox Hebræa videtur ſignificare propriè deſiderabiles, ſeu appetibiles; Paulus autem, & noſter interpres dixerunt *pulchros, ſeu ſpecioſos.* quod enim appetendum eſt, pulchrum, ſeu bonum eſſe ſolet: ita enim Ariſtoteles bonum definit [b], qood omnia appetunt, & quæ pulchra ſunt, ſui cupiditatem excitãt; vt Ariſtoteles quærenti cur pulchra appetantur, meritò reſponderit, cæci eam eſſe quæſtionem. Nec deſunt Græci codices, in quibus legitur ὡς ὡραῖοι, id eſt quàm ſpecioſi, ſeu pulchri. Septuaginta tamen habent ὥρα, quæ vox ambigua eſt. Si enim cum aſpiratione ſcribatur, horam ſignificat, id eſt partem breuiſſimam temporis, quomodo videtur accepiſſe Tertullianus [c], qui ait: *quàm tempeſtiui pedes!* neque aliter intellexiſſe videtur Ambroſius [d], qui *Tamquam maturitas* (inquit) *in montibus.* Et rurſus Tertullianus [e]. *Adſum* (ait) *dum hora eſt in montibus, vt euãgelizans auditionem pacis, euangelizans bona.* Eadem vox anni partem ſignificat, vernum præcipuè tempus, & metaphoricè pulchritudinem: vnde ὡραῖον pulchrum dicitur, & ἐξώρα̃ιοι appellantur illi, quorum flos ætatis iam præteriit. Quamobrem Cyrillus [f] interpretatur: *vt ver pura*

C *luce micens ſuper montes*; & ad Chriſtum refert, de

IV. quo proximè locutus erat Propheta. Quòd ſi abſque aſpiratione ſcribatur, idem valet quod cura, & ſolicitudo: quò fortaſſe commodiùs trahas Ambroſij interpretatiooem, qui maturitatem dixit, quaſi dicat feſtinationẽ, & ſollicitudinem aduentus Chriſti: nam locum illum Iſaiæ intelligi de Chriſto, quæ proximè præcedunt verba, tam perſpicuè, apertéque declarant, vt ne cæci quidem dubitare queant. Sed ambigunt tamen noo pauci qua ratione hæc, quæ afferuntur à Paulo, cum ſuperioribus nectenda ſint. Origenes enim, Cyrillus, atque Ambroſius ita coniungunt. *Ecce* (inquit) *qui loquebar adſum quaſi hora in montibus, vel quaſi maturitas, aut inſtar veris, & vt pedes annuntiantis pacem, & annuntiantis bonum.*

D Tertullianus [g] à ſuperioribus diſtinguit, & Paulum ſecutus de Apoſtolis explicat, cui Septuaginta interpretatio mirè fauet. *Sicut hora* (inquit) *ſuper montes, ſic pedes euangelizantis.* quanquam ob numerum ſingularem, vt mox dicam, poſſit etiam de Chriſto accipi. Nec deſunt qui aliter prophetæ ſententiam diſtinguant, & alteram quidem partem ad Chriſtum, alteram ad Apoſtolos referant. *Adſum* (inquiunt) *qui loquebar quaſi hora in montibus.* atque hæc quidem de Chriſto, mox de Apoſtolis. *quàm pulchri pedes euangelizantis!* ſed Apoſtolus cæteris omnibus præferendus eſt. cùm enim intelligeret loqui prophetam de regno Chriſti, déque eius aduentu ad cunctos mortales liberãdos; (quod cùm ipſius morte, tum verò Euangelij promulgatiooe peragendum

E erat) explicat totum illum locum de Chriſto: qua ratione myſticè vnà cum Apoſtolis quoddam veluti corpus conflabat, vt ſenſus ſit. Ego (inquit Chriſtus,) qui pridem ore prophetarum loquebar, mox adero. tum Propheta hoc veluti audito nuntio exhilaratus; quàm pulchri, exclamat, viſentur Chriſti pedes in montibus annuntiantis, & prædicantis pacem, vt Chriſti quidem pedes intelligat Apoſtolos, qui eius Euangelium, atque adeo Chriſtum ipſum ad omnes gentes pertulerunt. Quemadmodum enim pedibus feruntur homines, quocumque pergunt, ita

Chriſti

a Rupert. Oſ. c. 2.
b cap. 52. 7.
a cap. 1. 15.
b 1. Ethic. c. 1.
c lib. 5. cont. Marcion. cap. 2. 5. quinti tuſi.
d epiſt. ad Ireu.
e lib. 4. aduerſ. Marc. cap. 13.
f lib. 5. in Iſ.
g lib. 5. in Marcion.

A Chriſti fides, ac nomen Apoſtolorum prædicatione ad omnes gentes penetrauit, ac proinde de Paulo in
a cap. 9. 5. Actis [a] Apoſtolicis dixit ipſe Chriſtus. *Vas electionis eſt mihi iſte*, hoc eſt egregium inſtrumentum, *vt portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filiis Iſrael.* Nec mirum eſt, quod ſingulari numero dixit Propheta, numero multitudinis explicari à Paulo: Propheta enim id ſpectauit, quod eſt in Euangelica
b Matth. cap. 10. 19. prædicatione primarium. dixit enim Chriſtus [b]: *Cùm autem tradent vos nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Et Paulus [c]: *Neque*
c 1. ad Cor. 3. 7. *qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incre-*
V. *mentũ dat Deus.* Hoc verò loco, cùm de ſuo Apoſtolico munere ageret, quod ſibi cum aliis commune
B erat, numero multitudinis vſus externam Apoſtolorum prædicationem indicare voluit. Commendat autem Iſaias Apoſtolos tamquam Chriſti pedes à pulchritudine, cùm poſſet alias non paucas laudes percenſere; idque vt opinor, ad amorem concilian-
d in Phædro. dum; vt enim ait Plato [d]. *quæ pulchra ſunt, hominum in ſe amorem mirificè excitant.* Crediderim autem hanc Pauli laudem præcipuè quidem duci à pulchritudine, alia tamen omnia complecti, quæ ad pedum laudem ſpectant: nam fortaſſe propterea vſus eſt Apoſtolus Græca voce ὡραῖοι, quæ licèt ſpeciem, ac venuſtatem ſignificet; tamen ſi Græcos ſcriptores conſulamus, ὡραῖος, tempeſtiuum ſignificat, vt poſſis etiam ad pedum velocitatem, ac celeritatem
C referre. nam de diuini verbi prædicatione dixit Da-
e Pſal. 17. 15. uid [e]: *velociter currit ſermo eius.* quæ verba Theodoretus explicat de veloci promulgatione Euangelij: &
f cap. 8. 1. quod ait [f] Iſaias: *Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis: Velociter ſpolia detrahe, citò prædare*, explicat Baſilius de prædicatione Euangelij, quæ Apoſtolorum opera citò terrarum orbem peruaſit. Quocirca Apoſtolorum pedes dicuntur ὡραῖοι, ideſt tempeſtiui, quaſi dicat veloces, quomodo explicat
g lib. 1. demonſt. Euág. cap. 1. Euſebius [g], quia perexiguo tempore Euangelij lucem omnibus penè gentibus intulerunt. Et Ambro-
h in Pſal. 118. Ser. 17 in illa verba Greſſus meos dirige. ſius ſpecioſos ait [h] eſſe Apoſtolorum pedes, quia exiguo tempore magnos fecerunt progreſſus. Poſſis etiam ad robur, ac fortitudinem transferre, quia omnes obices, ac difficultates ſuperarunt. Itaque Hie-
i Pſal. 17. 34. D ronymus [i] ad illa verba: *Qui perfecit pedes meos quaſi ceruorum. Cerui* (inquit) *calcant ſpinas, ſyluáſque tranſiliunt, ſic iuſti ſuperant ſpinas peccatorum, & ſyluas infidelitatis tranſiliunt, donec ad montem Dei perueniant.* Denique ad nitorem, ac munditiem aptare queas,
k Hom. 32. in Ioan. vt Origenes [k], Theodoretus [l], & Gregorius [m], qui
l Hoc loco. *per pedes* (ait) *euangelizantium affectus Apoſtolorum*
m in Pſal. 7. Pœnit. *intelligimus, qui ſpecioſi erant, quia non ſua commoda quærebant, ſed auditorum vtilitatem: ſpecioſi erant, quia terreni lucri inquinamenta ex ipſo ſuæ operationis inceſſu non contrahebant tunc enim corporeos pedes habere ſpecioſos dicimur, quando nulla cœnoſæ viæ labe fœdamur.*
n Cant. 5. 3. de quibus illud rectè accipias [n]. *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Nam de Apoſtolis, vt ob-
o Ioan. 13. 10. ſeruat Theodoretus, dixit olim Chriſtus [o]: *Qui lotus*
E *eſt non indiget, niſi vt pedes lauet.* Denique hoc loco ait Origenes. *Illi ſunt decori, & ſpecioſi pedes, qui ambulant per viam vitæ, ſecundùm illum, qui dixit, Ego ſum via, intellige decoros, & ſpecioſos Euangelizantium pe-*
VI. *des, qui per talem viam merentur incedere.* Dixit autem pedes euangelizantium pacem, & euangelizantium bona, quia vt ait Origenes, licèt euangelizare idem ſit, quod bonum, & lætum nuntium afferre, fieri tamen poteſt, vt bonum, ac lætum nuntium, non bene quiſpiam afferat: non quidem vt idem Origenes inſinuat, quia falſa, & impia dogmata prædicet,

A ſed alias ob multas cauſas, quibus in prædicandi munere peccari poteſt, vt alio loco explicat Paulus. Accedit, quòd Hebraicum verbum apud prophetam tam lætis, quàm triſtibus nuntiis commune eſt; Apoſtolus tamen omnia prophetæ verba retinuit, & nuntium, quod re vera erat, pro euangelio accipit. Sed percunctabitur quiſpiam quam vim habeat hoc teſtimonium ad probandum quod volebat Paulus, fuiſſe Apoſtolos, & ſe præcipuè à Deo miſſos. Video autem nonnullos parum conſtanter, in huius loci explicatione verſari. cùm enim non negent pedes ſignificare Apoſtolos, hîc aiunt pro via, & curſu eorum, qui mittuntur accipi: non poſſe autem cuiuſquã iter, aut profectionem laudari niſi diuinitùs inſtituatur, quod cur non æquè in ipſos Apoſtolos, qui
B mittuntur conuenire poſſit, equidem non video: itaque planiùs, vt arbitror, ac veriùs dici poteſt, validum eſſe prophetæ teſtimonium. cùm enim de Chriſto intelligatur, atque eius ad mortales aduentu, qui diuinitus promittebatur; non alia profectò, quàm ipſius Dei auctoritate per certos, ac deſignatos nuntios prædicari poterat. Ait igitur Paulus neminem poſſe Chriſti fidem prædicare, niſi accepta diuinitùs auctoritate: ſubaudiendum autem eſt miſſos eſſe à Deo Apoſtolos, ſeque adeo Gentium Apoſtolum deſtinatum iuxtà Iſaiæ vaticinium. *Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.*

SED NON OMNES OBEDIVNT EVAN- 16.
GELIO, &c. Tametſi permulti Latini codices præ- I.
ſenti tempore legunt *obediunt*, Græcè tamen ver-
C bum eſt præteriti temporis, ὑπήκουσαν; quod tamen non rarò pro præſenti vſurpatur, ſi præſertim manentem, ac perſeuerantem actionem ſignificet, vt illud apud Matthæum [a]: *ſuper cathedram Moyſi ſede-* a cap. 23. 2.
runt Scribæ, & Pharisæi. Quod verò ad rem ipſam attinet, conuenit fermè inter omnes, hæc verba perinde accipienda eſſe, quaſi à Iudæis obiiciantur: ſed hoc intereſt, quod Chryſoſtomus de ipſis Iudæis duntaxàt, Origenes autem, & Anſelmus de omnibus in vniuerſum accipienda putant: ſic autem Chryſoſtomus explicat. Chriſtus profectò ad Iudæorum præcipuè ſalutem procurandam miſſus eſt, atqui nõ omnes, ſed potius pauciſſimi eius fidem complexi ſunt: argumento igitur eſt, non fuiſſe illum Meſſiam olim à Deo promiſſum. reſpondet autem Paulus,
D vel ex hoc ipſo rectè colligi fuiſſe illum Meſſiam, quandoquidem tanto antea Iſaias prædixerat admodum paucos illi adhæſuros. Hoc enim Iſaiæ vaticinium ad hoc ipſum probandum afferri, auctores ſunt Origenes, Chryſoſtomus, Theodoretus. vaticinatus eſt enim Iſaias admodum paucos Chriſto Domino nomina daturos. Eodem fermè modo ſcribunt alij, niſi quòd non de Iudæis ſolùm, ſed de omnibus etiã Gentibus loquuntur. Non me tamen fugit, recentiores quoſdam exiſtimaſſe nullam hîc eſſe cuiuſquam dubitationem, ſed potius continuatam Pauli orationem. nam particula illa *enim* quæ cauſam reddit ineptè adhiberetur ſi Apoſtolus dubitationi reſponderet. Verùm Theodoretus adhibet priori loco interrogationem. *Sed non omnes* (inquit) *obediunt*
E *euangelio?* mox ſimpliciter ſubdit; Iſaias dicit, *Domine, quis credidit auditui noſtro?* Ego verò ſuſpicor priorem illam interrogationis notam librariorum vitio irrepſiſſe; omiſiſſe verò Theodoretum particulam *enim*, ſiue quia in aliquo codice deſiderabatur, ſiue quia non putauit ad ſententiæ explicationem magnopere pertinere: nihil autem immutatis Pauli verbis communem ſententiam, quam veriſſimam cenſeo; facilè quis explicet, ſi quod ſæpè aliàs faciendum eſt, aliquid ſubintelligatur. obiicientibus enim Iudæis non omnes Chriſti fidem complexos eſſe,

A nil mirum reſpondet Apoſtolus, tantúmque abeſt, vt id quidquam Chriſti dignitati officiat, vt id potius ei tamquam vero hominum liberatori, maximã fidẽ cõciliet. id enim olim de Chriſto diuinitus vaticinatus erat Iſaias [a]. dixit autem: *Non omnes obediunt Euangelio*, vt oſtendat quod aliàs diximus, fidem ſpontaneam, ac liberam eſſe, neque humana ratione, aut euidenti demonſtratione conſtare, neceſſe vt ſit ad mentis, atque intelligentiæ aſſenſum, voluntatis quoque propenſionem accedere. Porrò Iſaiæ verba habentur etiam apud Ioannem. *Propterea* (inquit)[b] *non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias: Domine quis credit auditui noſtro?* Quo loco euangeliſta non potuiſſe ait illos credere, non quidem ſimpliciter, & abſolutè, ſed ex hypotheſi, & neceſſitate, vt loquuntur in ſcholis, conſequentiæ. B Poſito enim diuino vaticinio, cui falſum ſubeſſe non poterat; Iudæorum perfidia conſecutura erat, quæ tamen non ideo conſecuta eſt, quia fuerat diuinitus prænũtiata, ſed contra potius, quia ſpõte, ac liberè futura erat, tãto antea diuinis oraculis eſt cõſignata. Quod autem ait, *quis credidit auditui noſtro?* more prophetico accipiendũ eſt: auditum enim, ſeu auditionem ſcriptura vſurpat pro re quæ auditu percipitur, aut audienda proponitur. ita Abacbuc [c]: *Domine audiui auditionẽ tuam, & timui*. Et Abdias [d]; *Auditum audiuimus à Domino*. nam vt ſcribit Paulus [e], *Multifariam, multiſque modis olim Deus Patribus locutus eſt*: quos egregiè explicat Gregorius [f], & nos alibi indicauimus. Certè Apoſtolus vt etiam Iſaias, de externo auditu loqui videtur; C vterque enim ſignificat paucos eſſe, qui iis fidem adiungant, quæ auribus exceperant. Itaque quod ait ex Iſaia Apoſtolus, duplicem parit ſenſum; quorum primus eſt: quis credidit auditui noſtro, hoc eſt iis, quæ nos prophetæ & Apoſtoli à te diuinitùs audiuimus? quem ſenſum indicat Ambroſius. Alter ſenſus eſt. quis credidit iis, quæ nobis docentibus audierunt? hunc probat Chryſoſtomus, neque improbat Ambroſius: ſententia ſemper eſt eadem.

a cap. 53. 1.
b cap. 12. 16.
c cap. 3. 2.
d verſ. 1.
e Hebr. 1. 1.
f lib. 18. Mor. cap. 2.

17. I. Ergo fides ex auditu, &c. Affert hunc locum Clemens [g] Alexandrinus, & auditum menti tribuit ex ſententia Epicharmi, qui dixit: *Mens videt, mens audit, cætera ſurda & cæca ſunt*. Eiuſdem philoſophicæ ſententiæ iiſdem propemodum verbis meminerunt Ariſtoteles [h], & Plutarchus [i]; ex noſtris autem Tertullianus [k], & Theodoretus [l], D cui affine eſt illud Eccleſiaſtici [m]. *ſi dilexeris audire, ſapiens eris*. Aliter autem accipi videtur hoc loco auditus, quàm proximè ſuperiori ſententia, & Iſaiæ teſtimonio: ibi enim auditus, vt modò dixi, ipſum ſermonem, & orationem ſignificat; ſiue quia, vt ait Ambroſius, prophetarum, atque Apoſtolorum ſermo quibuſdam veluti mentis auribus à Deo fuerat exceptus; ſiue quia, vt mauult Chryſoſtomus, nec prorſus improbat Ambroſius, externis audientium auribus percipiebatur. hoc verò loco ipſam audiendi actionem indicat. ex eo enim, quod quis diuina myſteria percipit, diuino afflante numine, fidem cõcipit: ſic enim legimus in Actis [n] apoſtolicis de Lydia purpuraria, *cuius Dominus aperuit cor, vt intenderet his, quæ dicebantur à Paulo*. E Et [o] alibi Paulus ipſe. *Fides donum Dei eſt, vt nequis glorietur*. Quod verò ſubditur *per verbum Dei*, ſiue (vt nonnulli codices etiam Græci, atque Origenes habent) Chriſti; quomodo habet editio Romana; materiam nonnulli intelligunt prædicationis, quæ aure percipienda eſt: alij Dei mittentis mandatum interpretantur, quorum mihi ſententia magis placet: tantùm abeſt, vt hæreticorum amentia probari vlla ratione queat, qui ſolum euangelium ſcriptum, (quod cum hæc ſcriberet Paulus nondum erat omni ex parte perſcriptum,) accipi volunt. videtur namque Apoſtolus ſuperiori gradationi reſpondere, qua dixerat: *Quomodo audient ſine prædicante? quomodo prædicabunt niſi mittantur?* Iam ſubdit: Fidem concipient audiendo doctrinæ euangelicæ prædicationem, ea verò prædicatio antecedentem cauſam habet mandatum Dei mittentis ad prædicandum. Nec enim fruſtra queritur Deus apud Ieremiam [a]: *Non mittebam prophetas, & ipſi currebant*. Quod in hæreticos mirè conuenit. non ergo auditus per verbum eſſe dicitur, quaſi per materiam, ſed tamquam per cauſam; alioqui auditus, ipſaque adeo, quæ auditione concipitur, fides ſubſtratam habet materiam verbum Dei, vt complectitur ea, quæ ſunt diuinitùs reuelata, ſiue illa ſcripta ſint, ſiue traditione accepta, ſiue denique eccleſiaſtica, præſertim apoſtolica auctoritate definita: quæ ſi credenda ſunt, priùs auditu percipi neceſſe eſt; auditus autem non per verba, ſed ipſa potius verba, auditione ad mentem tranſmittuntur, ac verbo Dei præcipiente, ac mandante Apoſtoli prædicarunt, quibus tum Iudæi, tum Gentiles, non aures tantùm, ſed animi etiam aſſenſum præbuerunt. quòd ſi legamus *per verbum Chriſti*, videri poſſet Apoſtolus ſpectaſſe illa Chriſti verba, quibus Apoſtolos affatus [b] eſt. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*.

g li. 2. Strom.
h Problem. 11. Sect. 33.
i li. 2. de fort. Alex.
k lib. de anima cap. 8.
l lib. 1. de curand. græcan. affect.
m cap. 6. 34.
n cap. 16. 14.
o ad Epheſ. 2. 8.
a cap. 23. 21.
b Matth. 28.

18. I. Sed dico, nunquid non audierunt, &c. Vtrum de Iudæis, an de Gentilibus loquatur, ambigi poteſt. ſed non eſt operæ pretium in præſentia recenſere, quæ in vtramque partem minutè magis, C quàm appoſitè diſputantur; ſunt enim hæc ingentium voluminum farcimina ad ſpecioſas bibliothecas conſtipandas. rem paucis expedio. ſuperiora illa, in quibus Iſaiæ teſtimonio probat Apoſtolus non omnes euangelio obtemperare; ad Iudæos pertinere aſſerit Chryſoſtomus, & ipſo tacente res loquitur; nec enim Iſaias de alia, quàm Iudæorum natione agit cùm ait [c]: *Quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt?* ſubiecit deinde Paulus, quæ in omnes æquè conueniant. *Fides ex auditu, auditus per verbum Dei*. His ſubnectuntur verba, de quibus quæſtio eſt inſtituta. *Nunquid non audierunt?* verùm paulò pòſt ſermonem eſſe de Iudæis apertius eſt, quàm vt egeat probatione. igitur cur hæc pauca de Gentibus interſerat, cauſa nulla videtur. D Quamobrem Chryſoſtomo libens aſſentior, qui argumento à minori colligi putat non poſſe Iudæos excuſari, quod Euangelicam doctrinam non audierint, cùm eius fama, nomẽnque ad remotiſſimas etiã gentes, ac nationes peruaſerit. finge enim de Iudæorum gente loqui Iudæum quempiam, res erit facilis & expedita. Quid tu, ait Iudæus, affirmas fidem hauriri ex auditu, cùm tam multis ex Iudæis non credant? nunquid eos audiuiſſe negabis? Ego verò, inquit Paulus, non ſolùm id non inficior, ſed planè contendo; eos hoc nomine excuſari nullo modo poſſe, cùm iam pridem de Sion exiuerit lex, & verbum Domini de Ieruſalem, ipſique Apoſtoli cùm à Iudæis repulſam tuliſſent, in omnes mundi plagas diſperſi, orbi terrarum vniuerſo lucem euangelij prætulerint, E quam nemo Iudæorum potuit ignorare. Hic Iudæus: iſto modo igitur, ait, Iſraelitas à Dei cognitione, atque euangelij fide repellis, perinde quaſi à Deo neglecti fuerint, & prædeſtinatorum numero excluſi. Tum Paulus ad declinandam inuidiam non ſuis, ſed oraculorum verbis reſpondet, quibus nouæ quæſtioni, de qua capite ſequenti, aditum parat. Equidem, inquit, nihil auſim affirmare: Moyſem atque Iſaiam hac de re diſſerentes propono: ſed de verbis, quæ conſequuntur; *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, non II.

c cap. 53. 1.

minor

minor eſt difficultas. conſtat enim Dauidem à quo deſumpta ſunt, de corporibus cœleſtibus ea dixiſſe[a], quæ ſuo modo Dei maieſtatem, & diuinitatẽ prædicẽt. Fuerunt autem qui ad hoc ipſum probandũ exiſtiment adhibitum fuiſſe ab Apoſtolo Dauidis teſtimonium, ſi quidem cùm Iudęi vehementer Paulum repreheoderent, quòd ſalutem olim à Deo Iudæorum nationi promiſſam, cũctis mortalibus vulgaret; arbitrantur his verbis eum percunctati, omngentes, & barbaræ nationes Dei cognitione ſint penitus deſtitutæ, eumdémque Dauidis verbis indicare, etiam illis, duce natura, ad Dei cognitionem, & cultum fuiſſe aditum patefactum. æthereos enim globos, & collucẽtia ſydera, ſua luce vbique diffuſa admirabilẽ Dei ſapientiam, & in omne genus hominũ prouidentiam, quaſi quibuſdam vocibus declarare. atque huic interpretationi fauere putantur, quæ mox ſubiiciuntur: *ſed dico, nunquid Iſrael nõ cognouit?* ac ſi dicat: Quidquid ſit de aliis gentibus, ac nationibus, ecqoid exiſtimandum eſt, Dei fidem Iudæos potuiſſe latere? & videri poſſet ſententia vtcumque probabilis, niſi apoſtolicæ diſputationis ſeriem, & orationis veluti filum intercideret. vt enim paulò antè diximus, cùm tota hæc Pauli diſputatio ad Iudæos pertineat; nihil erat cur de gentibus, earúmque naturali cognitione Dei mentionem faceret, cùm præſertim illa ad pietatem aduerſus Deum, & veram iuſtitiam aſſequendam, vel parum, vel omnino nihil præſidij afferret.

a Pſal. 18. 5.

III. Quamobrem propiùs à vero eorum ſententia abeſt, qui myſtico, atque allegorico ſenſu, quæ de cœleſtibus corporibus dicta ſunt à Dauide ad Apoſtolos transferri exiſtimant: nam qui contendunt proprio, & litterali ſenſu de Apoſtolis, & apoſtolica prædicatione loqui Dauidem; amandi quidem ſunt, ob eximium veræ pietatis ſtudium, minùs tamen eorum probanda eſt induſtria, quòd in ſacris litteris explicandis proprium, & litteralem à myſtico, & allegorico ſenſu non ſatis commodè diſtinguunt. Quanquam enim plerumque Sancti Patres locum illum Dauidis ita explicant, vt de Apoſtolis, & Apoſtolica doctrina loqui Dauidem ſignificent; tamen alibi apertè docent ad cœleſtia illa corpora proximè ſpectaſſe, quod luculenter declarat Chryſoſtomus[b] his verbis: *Quomodo igitur narrant? dic mihi. vocem non habẽt, os non poſſident, ipſis nõ eſt lingua; quomodo igitur narrant? Per ipſum aſpectum. cùm enim videris pulchritudinem, magnitudinem, celſitudinẽ, ſitum, formam per tantum temporis permanere, tanquam vocem audiens, & ad aſpectum diſcens, adoras eum, qui tam pulchrum, & admirabile corpus creauit. tacet cælum, ſed ipſius aſpectus vocem tuba clariorem emittit per oculos, non per aures nos docens. hic enim ſenſus à natura eſt illo certior, & manifeſtior. ſi enim per libros docuiſſet, & litteras; litterarum quidem peritus ſcripta didiciſſet, neſciẽs verò nihil inde adiutus abiiſſet, ſi quis alius nõ induxiſſet: & diues quidem librum emiſſet, pauper autem emere nõ potuiſſet. Rurſum vocem quidem illam per litteras ſignificatam ſciens intus poſitam noſſet, Scytha verò, & Barbarus, & Indus, & Ægyptius, & omnes lingua carentes illa, nihil docti abiiſſent, hoc autem de cælo dicere non licet, ſed & Scytha, & Barbarus, & Indus, & Ægyptius, & omnis homo ſuper terram incedens, hanc vocem audiet; non enim per aures ſed per oculos in mentem incidit noſtram. viſibilium autem participatio eadem, neque differens, ſicut linguarum. In hunc pariter librum & idiota, & ſapiens intueri poterunt, & pauper, & diues, & quocumque quis venerit, in cælum reſpiciens, ſufficientem capiet doctrinam ex aſpectu. Quod quidem & ipſe propheta innuens, & demonſtrans, quod vocem creatura Barbaris emittit & Græcis, & omnibus vniuerſaliter hominibus, ſic intelligi facile dicebat. Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum. Quod autem dicit tale eſt. non eſt gens neque lingua, quæ hanc vocem intelligere non poſſit.*

b Hom. 9. ad pop. Antioch.

IV. Itaque quæ Arnobius, Caſſiodorus, Auguſtinus, aliique veteres Patres in eum pſalmum ſcripſerunt; myſtico potius, & allegorico, quàm litterali ſenſu accipienda ſunt. Non negarim tamen, auctore præſertim Paulo, hunc myſticum ſenſum præcipuè fuiſſe Spiritui ſancto propoſitum, atque idcirco dici poſſe verum, ac proprium ſeoſum, ſed propheticum, eadémque ratione quæ eodem loco de lege Dei dicuntur ad legem euangelicam magis, quàm ad veterem illam Moſis referenda eſſe, quod eruditè aduerſus Iudæos docet Iuſtinus[a] Martyr. Verùm hac admiſſa interpretatione, quæ myſtico, ſeu prophetico ſenſu de prædicatione apoſtolica, & de euangelij promulgatione verba Dauidis interpretatur; ingens oritur quæſtio, quánam ratione verè potuerit affirmare, omnibus gentibus fuiſſe euangelium propoſitum, cùm oe hac quidem noſtra ætate id videatur verum, cùm ingens terrarum tractus, priſcis mortalibus penitus ignotus quorundam tum orientali, tum occidentali nauigatione deprehenſus apertè declaret, ne euangelij quidem famam, aut oomen ad illas vſque gentes perueniſſe. Accedit quod ex Origene, Dorotheo, Euſebio, Hieronymo, Iſidoro, aliiſque eccleſiaſticis ſcriptoribus apertè colligitur, quinam, & quibus in regionibus Apoſtoli euangelij lucẽ intulerint. Beatus enim Petrus euangelium prædicauit in Iudæa, in Syria, Galatia, Cappadocia, Ponto, Aſia, Bithynia, Italia: Paulus (vt ipſemet hac epiſtola ſcribit[b]) ab Hieroſolyma in circuitu vſque ad Illyricum, poſtea Romæ, & in oonulla Italiæ parte, & in Hiſpania; Iacobus Zebedæi in Iudæa, & vt fertur, in Hiſpania: Ioannes in Iudæa, & in Aſia minori, & nonnihil etiam Romæ: Andreas in Scythia Europæa, in Epiro, io Thracia, & in Achaia; Iacobus frater Domini in vrbe Hieruſalem: Philippus in Scythia, & in Phrygia: Bartholomæus in India citeriori, & in maiori Armenia: Matthæus in Æthiopia: Thomas apud Parthos, Medos, Perſas, Brachmanes, Hyrcanos, Bactros, & Indos: Simon in Meſopotamia: Iudas in Ægypto, & ambo poſtea in Perſide: Matthias in interiori Aethiopia: Barnabas vnà cum Paulo in Syria, & in multis Europæ, & Aſiæ regionibos, ac deinceps in Cypro. Quæ cùm ita ſint, quid cauſæ eſſe dicemus, cur de Apoſtolis dixerit Paulus. *In omnem terram exiuit ſonus eorum?* Chryſoſtomus[c] certè, Euthymius[c], & Theophylactus[c] exiſtimarunt tempore Apoſtolorum omnes vbique gentium populos, ac natiooes aliqua ex parte euangelicæ prædeſtinationis luce fuiſſe perfuſos, idque ante euerſionem Hieruſalem, quæ imperantibus Veſpaſiano, & Tito contigit. Nec diſſentit pſeudo-Ambroſius, qui hunc ipſum locum tractans, euangelij formam ad omnia orbis terræ loca penetraſſe confirmat. In eandem ſenteotiam ſcribit Hilarius[d]. Beatus autem Hieronymus[e] ſua ætate ait, apud omnes gentes promulgatum fuiſſe euangelium, vel certè non ita multò pòſt promulgandum. Fauent huic ſententiæ quæ Paulus ipſe non ſemel ſcribit[f]. *Fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo*, & ad Coloſſenſes[g]: *Verbum Dei in vniuerſo mundo fructificat & creſcit ſicut & in vobis*. At contra Origenes[h], & Auguſtinus[i] noo ſolùm negant, ſed multis probant, ne ſua quidem ætate in omnem terrarum orbem Chriſti euangelium fuiſſe perlatum. Recentiores Theologi[k], præcipuè qui ſubtilioribus diſputationibus aſſueti ſunt, vtramque ſententiam benignè interpretantes quodammodò miſcent, ac temperant, vt famam quidem, &, vt ita dixerim, odorem ad omnes nationes peruaſiſſe exiſtiment; ipſam tamen prædi-

a Dial. cum Tryphon.

b cap. 15. 19.

c Matth. 24.

d in Matth. can. 25.

e Matth. 24.

f Rom. 1. 8.

g cap. 1. 6.

h Tract. 28. in Matth.

i lib. de vnit. Eccleſ. cap. 15. lib. de nat. & grat. cap. 2. & Epiſt. 80. quæ eſt ad Heſychiũ.

k B. Thomas in hunc locum. Abul. Matth. 24. Caietan. in hunc locu, tum etiã Mat. 24. Sotus. in hunc locum.

cationem,&doctrinam non item: fore tamen vt ante ſeneſcentis mundi extrema, ad omnes gentes,& vniuerſas mundi plagas perueniat. Ego ſi quidquam iudicando valeo, ne noſtra quidem ætate credide-rim Euangelium omnibus gentibus, ac nationibus patuiſſe. quid autem in poſterum futurum ſit, malo ingenuè fateri neſcire me, quàm temerè diuinare.

a cap. 24. 14.

nam quod affertur ex Matthæo [a]: *Et prædicabitur hoc Euangelium in vniuerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio*; non de mundi interitu, ſed de vrbis Hieruſalem euerſione intelligendum eſſe, Marci & Lucæ eiuſdem rei narratio probat, neceſſe vt ſit, tum illa Matthæi, tum hæc, quæ in manibus habemus Pauli verba non ſine aliquo ſchemate intelligere, ſiue totum pro maxima parte ponatur, ſiue ὑπερβολικῶς plus multo dicatur,

B

b cap. 2. 1.

quàm re vera ſit. Ita legimus apud Lucam [b], iuſſu Auguſti vniuerſum orbem fuiſſe deſcriptum, quod non niſi de orbe Romano intelligi poteſt; & in actis Apoſtolicis fuiſſe dicuntur in vrbe Hieruſalem die Pentecoſtes, omnes quæ ſub cœlo ſunt nationes, hoc eſt maximam nationum multitudinem, ac varietatem. Nec dubitandum eſt ad hyperbolem pertinere,

c cap 21. 25.

quod in calce ſui Euangelij ſcribit Ioannes [c]; ſi cuncta Chriſti miracula ſingillatim ſcribenda ſint, ne ipſum quidem *mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* quomodo etiam accipienda ſunt quæ ſcribit Apoſtolus tum ad Romanos, tum ad Coloſſenſes. vel certè ad vniuerſum mundum penetraſſe ſignificat Euangelij famam, non tamen ipſam doctrinam, ac fidem. ita videtur loqui Ambroſius. *Quia*

C

vbique (inquit) *audita eſt, & peruenit ad omnem locum prædicatio nominis Chriſti: vbi enim præſentia hominis prædicantis defuit, ſonus tamen, & fama peruenit, ſicut peruenerat opinio factarum virtutum, in Ægypto ad*

d Ioſ. 2. 9.

omnes gentes teſte Raab [d] *meretrice.* Igitur ſat fuerit Paulo Apoſtolo, vt probet non poſſe Iudæos ignorationem obtendere, ſi oſtendat maximam orbis terræ partem Chriſti nomen, atque doctrinam inaudiſſe. Vt igitur redeam ad verba Dauidis, in quæ intenderam, pro ſono Hebræi codices habent regulam, ſeu lineam, & amuſſim, vt de orbibus cœleſtibus, denique eorum mirabili conuerſione proximè ſcripta eſſe à Propheta dubitandum non ſit, ita tamen, vt auctore Paulo ſubſit alius allegoricus ſenſus, qui vt dixi, propheticus, & primarius dici poteſt:

D

cui magnopere fauent quæ ſubiiciuntur de Chriſto, ſub nomine ſolis, & de lege Chriſti, de qua ait: *Lex Domini immaculata.* & quæ ſequuntur, quæ in legem Euangelicam mirè conueniunt.

19.
I.
SED DICO, NVNQVID ISRAEL NON COGNOVIT, &c. Quorſum hæc ſpectent, iure quæras. nam Chryſoſtomus, & Oecumenius (Origenem vt arbitror ſecuti) exiſtimarunt, vt ſuperiora de gentibus, ita hæc de Iudæis accipienda eſſe, qui non modò vt gentes famam, noménque Euangelij perceperint; ſed eius omnem vim penitus perſpectam, & cognitam habuerint. Sed, vt in paraphraſi indicaui, aliò videtur ſpectaſſe Paulus. neque enim dubium erat perueniſſe ad Iudæos Chriſtianum no-

E

men, atque Euangelicam doctrinam; ſed illud potius ambigi poterat, num intelligerent Iudæi, etiam Gentibus, atque exteris nationibus Euangelij lucem affulſiſſe. id quod nunc acri, & vehementi interrogatione percunctatur Apoſtolus, & duplici ſcripturæ teſtimonio apertè declarat legem Euangelicam omnibus gentibus eſſe propoſitam. Id igitur, ait Paulus, ignorare non poſſunt. id enim duo veteris inſtrumenti lumina apertiſſimè declarant, Moyſes, & Iſaias. *Primus* (inquit) *Moyſes*, Hebræorum more poſitiuo pro comparatiuo vſus; refertur enim ad po-

A

ſteriorem Iſaiam. *Ad æmulationem vos adducam.* Græcè παραζηλώσω, ad æmulandum prouocabo, aut inuidentiæ ſtimulis vrgebo, *in non gentem, & in gentem inſipientem.*

a cap. 32. 21.

in Deuteronomio [a] meliùs dixit *in gente* conſueto Hebraiſmo, quo efficientiam inſtrumenti præpoſitione *in* ſexto caſui iuncta ferè exprimimus, vt aliàs dixi. *non gentem* autem infideles nominat, aliàs vt in libro [b] Heſter dicit, eos, qui nō ſunt:

b cap. 14. 11.

nam qui Dei cognitione caret, deterius habet, quàm ſi omnino non eſſet, vt indicat illud Chriſti [c]. *Væ*

c Matt. 26. 1.

homini illi, per quem filius hominis tradetur; bonū erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille. Cæterùm hoc teſtimonium deſumptum eſt ex Deuteronomio [d] ex interpretatione Septuaginta, prouocare autem dicitur

d cap. 32. 21.

Deus ad æmulationem, hoc eſt iram, & indignationem, quia gentes fidem, ac religionem Chriſtianam

B

complectebantur: quod noſter interpres his verbis expreſſit; *Et ego prouocabo eos, & irritabo illos.* Theodoretus ſic prorſus accipit [e]. *Vos* (inquit) *vno Deo derelicto multas, falsáſque admiſiſtis ſuperſtitiones, ita & ego vno abiecto populo multis gentibus ſalutem aperiam: ſed vos colentes qui nulli ſunt, nullo modo fieri poterit, vt vobis aliquid ſint; ego verò gentes alioqui ſtultas reddam omnino ſapientes, & eruditas, ita vt videntes inuidia rumpamini.*

e Quæſt. 41. Deuter.

Idque omnino poſtulare videntur Hebræa verba, quæ eadem penitus ſunt, cùm populus dicitur Deum ad iram prouocare: & contra cùm Deus Iudæos dicitur irritare, videtúrque ab hominū conſuetudine ſumpta oratio. vnde eſt illud Comicum [f]: *Vbi illa nominauerit Phædriam, tu Pamphylam.*

f Terent. in Andr.

C

ISAIAS AVTEM AVDET, ET DICIT, &c. 20.
Hoc Iſaiæ [g] teſtimonio idem apertiùs probat, quod I.
ſuperiori ex Deuteronomio deſumpto. hoc enim eſt

g cap. 65. 1.

ad æmulationem prouocare in non gente, id eſt ſui notionem, alienis gentibus ac nationibus impertiri; vnde futurum erat, quod modò dicebam, vt illi magnopere indignarentur, quod re ipſa accidiſſe appareret ex Actis Apoſtolicis, cùm Iudæi indignè ferrent Gentilium conuerſionem. Non videtur autem Apoſtolus codices Hebræos, neque omni ex parte Septuaginta interpretationem ſecutus. Hebræa enim ad verbum ita reddi poſſunt. *quæſitus ſum ab iis, qui non interrogauerant; & inuentus ab iis, qui non quæſierant me.* Septuaginta verò: *Manifeſtus factus ſum non interrogantibus me, inuentus ſum ab iis, qui me non*

D

quærebant. Quamquam Cyprianus [h], & Hieronymus [i] fermè legunt, vt hoc loco Paulus, niſi quod priori loco habent, *manifeſtus factus ſum*, poſteriori verò *inuentus ſum.* Quod verò ait Paulus: *Iſaias autem audet*, Græcè eſt ἀποτολμᾷ, hoc eſt tamquam fiducia ſumpta ab eo, quod priùs dixerat Moſes, etiam cum vitæ diſcrimine auſus eſt ita dicere. Porrò non malè ex hoc loco Auguſtinus colligit, prædeſtinationem non ex meritis, ſed vnius duntaxat Dei liberalitate perfici; ſic enim videmus pleroſque ne cogitantes quidem ad Deum ſubitò conuerti, alios verò, qui in virtutis ſtadio fœliciter currere videbantur, in medio curſu deficere. Non videtur autem interpres leges grammaticæ magnopere curaſſe cùm dixit, inuentus ſum à non quærentibus. dicendū enim

h lib. 1. cont. Iud. c. 11.
i in Iſaiam.

E

videbatur repertus: ea enim reperimus, quæ non quæſita ſeſe nobis obiiciunt; inuenimus autem ſtudio, ac labore quæſita. ita quidam [k]: *Tu non inuenta reperta es.* quamquam non omnino perpetuum eſt. nam non ſolùm conſilio, ſed etiam caſu aliqua inueniri dicuntur. More autem Hebræorum idem bis dicit. nam quod ait, *palàm apparui iis, qui me non interrogabant*, idem eſt cum ſuperiori; *inuentus ſum à non quærentibus me.* palàm autem ſe apparuiſſe dicit, omiſſis videlicet vmbris, & figuris, quibus lex Moſis plena erat.

k Ouid. in metam.

21. AD ISRAEL AVTEM DICIT,&c. Hæc huius capitis elauſula Iudæorum abiectionem,& re-
I. probationem declarat. quod autem air *ad Iſrael*, recte accipitur pro eo,quod eſt aduerſus Iſrael,ſiue de Iſraelitis,ooo enim propriè Iudæos alloquitur. Græcè eſt πρὸς. Sic ad Hebræos [a]. *Et ad Angelos quidem*
a cap. 1. *dicit*, quaſi dicat de Aogelis: & apud Lucam [b], *ait*
b cap. 19. *Ieſus ad eum*, Zachæum intelligit, hoc eſt de eo; ſubdit enim: *Quia hodie ſalus huic domus facta eſt*. Videtur autem, vt obſeruauit Origenes, ſecutus Apoſtolus Septuaginta, qui vocem illam *contradicentem* perſpicuitatis graria addidiſſe videntur. Significat autem populum rebellem, immorigerum, & peruicacem. Extendere porro manus eſt, opitulantis more præſto eſſe, & miſero, atque afflicto opem ferre. Origenes, Hieronymus, & Auguſtinus, hanc manuum expanſionem interpretantur de Chriſto, qui

A in eruce panſis manibus, gentes quodam modo ad ſui complexum prouocat, cùm fruſtra Iudæos prouocauerit. nam proximè dixerat. *Ecce ego, ecce ego ad gentem, quæ non inuocabat nomen meum.* Pertinet enim expanſio manuum ad elemeotiam, & pietatem: quocirca Hieronymus [a]: *Significant expanſæ ma-* a Iſa. 65.
nus, & parentis clementiam ſuos filios in ſinum recipere geſtientis. Niſi quis malit quod idem affirmat donantis liberalitatem indicare, *quod nihil eis petentibus denegarit.* Meritò autem Iudæos populum vocat non credentem, & contradiceotem: nam vt ait Hieronymus, *cùm beneficiis Domini vinceretur, & vltra hominem ſigna conſpiceret, loquebatur. Iſte non eiicit Dæmonia, niſi in Beelzebub principe Dæmoniorum. Et iterum: Samaritanus es tu, & dæmonium habes. Et rurſum:*
B *cum ſis homo facis te ipſum Deum. Et alibi: Iſte homo non eſt à Deo, qui ſabbatum non cuſtodit.* Et multa alia.

Argumentum Cap. XI.

NEGAT, *Iudæos penitùs à Deo fuiſſe reiectos; ſed interea dum ipſi in perfidia perſeuerant, gentes ad fidem, & gratiam vocari; ad extremum ipſos etiam ad Chriſtum aliquando conuertendos, vt olim ſacra Prophetarum oracula tradiderunt, idque non ſine abdito, atque abſtruſo diuinæ prouidentiæ conſilio.*

CAPVT XI.

DICO *ergo, nunquid Deus repulit populum ſuũ? abſit. nam & ego Iſraelita ſum ex ſemine Abraham, de Tribu Beniamin.*

Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit. an neſcitis in Elia quid dicit ſcriptura: quemadmodum interpellat Deum aduerſum Iſrael?

Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua ſuffoderunt, & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam.

Sed quid dicit illi diuinum reſponſum? reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal.

Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt.

Si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia

PARAPHRASIS.

SI igitur vera ſunt quæ ſuprà commemo- 1.
taui, percunctari libet in præſentia, num
Deus Opt. Max. populum pridem ſuum,
ita prorſus abiecerit, atque ablegarit à ſeſe, vt ne-
mo omnino ex illo ad ſalutem ſempiternam ca-
peſſendam admittatur? Abſit verò, vt hoc quiſ-
quàm ſuſpicetur; Nam & ego, qui de futura beati-
tudine non planè deſpero, Iſraelita ſum, non pro-
ſelitus, ſed ex ſemine Abrahæ, & Tribu Beniamin
progenitus. ¶ Non abiecit profectò Deus popu- 2.
lum ſuum, quem quidem ante omnem æternita-
tem delectum complexus erat; idque ex ſacris lit-
teris petito exemplo facilè probari poteſt. An non
recordamini quid de Elia ſacris ſit litteris conſi-
gnatum? Quóque modo illum diuina ſcriptura
eum Deo loquentem, & quadam ratione Iſraelem
criminantem inducat? ¶ Domine (inquit) Pro- 3.
phetas tuos occiderunt, & altaria tua ſuffoderunt;
ego verò relictus ſum ſolus, & impij tamen, atque
nefarij, idolorum cultores vitæ meæ inſidiantur.
¶ Sed operæ pretium eſt animaduertere quid ei 4.
diuinitùs reſponſum fuerit; perfeci (inquit) vt ſu-
perſtites ſint ſeptem virorum millia, qui veram re-
ligionem, fidémque retinentes idolo Baal genua
non flexerunt. ¶ Non abſimili ratione in præſen- 5.
tia quædam veluti ſegregatio, & reſeruatio facta
eſt, qualem gratuita Dei electio poſtulabat: nam
quemadmodum cùm penè vniuerſam Iudæorum
nationem impius idolorum cultus occupaſſet, non
paucos tamen Deus immortalis ſuæ gratiæ bene-
ficio ab illa impietatis contagione immunes, inte-
gróſque ſeruauit; ita nunc ex innumerabili Iu-
dæorum multitudine, qui euangelio ſeſe oppo-
nunt, & reluctãtur, nonnullos liberaliter planéque
gratuitò ſelegit, qui fidem Chriſti, & religionem
complectantur. ¶ Quod ſi gratiæ beneficio factum 6.
eſt,

eſt, profectò non ex operibus, operúmue merito,
alioqui gratia nequaquàm rectè, aut verè gratia
dici, appellariue poſſet; ſin autem ex operum me-
rito, nullus eſt gratiæ locus; cæteroqui enim opus
ipſum per ſe vim, & meritum operis non obtine-
7. ret. ¶ Quid igitur? ſanè quod Iſrael magno ſtu-
dio, diligentiáve perquirit, id ipſe minimè aſſecu-
tus eſt vniuerſus, ſed electi quidem adepti ſunt,
cæteri verò occalluerunt, & quandam cæcitatem
mentis, ac denſas ignorationis tenebras contraxe-
8. runt. ¶ Sicut ſcriptum eſt, ac diuinis oraculis pro-
ditum; Dedit eis Deus ſpiritum ſoporis, oculos vt
non videant, & aures vt non audiant in hodier-
9. num vſque diem. ¶ Et Dauid ait quodam loco;
Fiat ipſis menſa eorum pro laqueo, & tendicula,
10. & offendiculo, & talione. ¶ Obtenebrētur oculi
eorum, vt nihil penitus cernant, & terga eorum
11. ſemper incurua. ¶ Quæro igitur iam nunc, vtrum
illi ita impegerint, vt penitùs conciderent? Apage,
ſed ita exiſtimare debemus, per eorum lapſum, ac
ruinam gentibus ad ſalutem aditum fuiſſe reſera-
tum, vt ipſi (quod olim fuerat à Moſe prænuntia-
12. tum) ad æmulationem prouocarentur. ¶ Quòd ſi
eorum calamitas & ruina mundum, vt ita dixerim,
multarum gentium, ac nationum conuerſione lo-
cupletat, ipſorúmque adeo imminutio multitudi-
nem Gentium incredibiliter auget, quantò puta-
mus ipſorum plenitudinem & copiam, cùm vide-
licet fidem vniuerſi complectentur, fœcundiorem
13. fore ad gentes conuertendas? ¶ Nam (quod vobis
gentibus dictum volo) quatenus quidem Apoſto-
lus ego ſum gentium, dabo diligenter operam, &
quantum potero adnitar, vt gnauiter obeam mu-
nus mihi impoſitum, & pro virili miniſterium
14. meum illuſtrabo. ¶ Vt experiar, num aliqua ra-
tione ad æmulationem prouocare queam Iudæos
mihi ſanguine iunctos, & periculum faciam num
aliquos ex ipſis ad ſalutis æternæ viam capeſſen-
15. dam pertrahere poſſim. ¶ Nam ſi ex iſta Iudæo-
rum calamitate hoc orbis terræ reportauit lucri, vt
fieret reconciliationis cum Deo particeps; quid
(quæſo) aliud ex ipſorum fœlicitate ſperandum
erit, quàm vt illis, etiam communicato gaudio, ac
fidei bono, mundus vniuerſus quadammodo reui-
16. uiſcat? ¶ Neque verò exiſtimare quiſquam debet,
generis, aut ſanguinis vitio fuiſſe Iudæos ab im-
mortali Deo reiectos. Nam quemadmodum panes
primitiarum ritè oblati reliquis frugibus quam-
dam veluti ſanctimoniam impertiunt, ita ſi paren-
tes Iudæorum quaſi primitiæ quædam ſancti fue-
runt, idem profectò de tota reliqua maſſa exiſti-
mandum eſt; & ſi illi veluti radix ſanctitatem reti-
nuerunt, cùm neceſſe ſit truncum, & ramos ſuæ
radici reſpondere, profectò ſucceſſoribus tanquàm
quibuſdam ramis eandem ſanctitatem quaſi ſuc-
17. cum, vitámque tranſmittent. ¶ Quod ſi (li-
bet enim gentes quaſi præſentes alloqui) vt pro-
poſitam trunci, ac ramorum ſimilitudinem reti-
neam, nōnullis ſurculis exciſis, tu cùm veluti olea-
ſter eſſes, inſitus es pro ipſis, & particeps radicis,
& pin

gratia iam non eſt gratia.

Quid ergo? quod quærebat Iſrael, hoc non eſt conſecutus: electio autem conſecuta eſt, cæteri verò excæcati ſunt.

Sicut ſcriptum eſt. Dedit illis Deus ſpiritū compunctionis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant vſque in hodiernum diem.

Et Dauid dicit. fiat menſa eorum in laqueum, & in captionem, & in ſcandalum, & in retributionem illis.

Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua.

Dico ergo: nunquid ſic offenderunt, vt caderent? abſit. ſed illorum delicto ſalus eſt gentibus, vt illos æmulentur.

Quod ſi delictum illorum diuitiæ ſunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ gentium; quāto magis plenitudo eorum?

Vobis enim dico gentibus: quamdiu quidem ego ſum gentium Apoſtolus; miniſterium meum honorificabo.

Si quomodo ad æmulandum prouocem carnem meam, & ſaluos faciam aliquos ex illis.

Si enim amiſſio eorum reconciliatio eſt mundi; quæ aſſumptio niſi vita ex mortuis?

Quòd ſi delibatio ſancta eſt, & maſſa: & ſi radix ſancta, & rami.

Quòd ſi aliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem cum oleaſter eſſes inſertus es in illis, & ſocius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es.

Noli

Noli gloriari aduerſus ramos, quòd ſi gloriaris, non tu radicem portas, ſed radix te.

Dices ergo; fracti ſunt rami, vt ego inſerar.

Benè: propter incredulitatem fracti ſunt, tu autem fide ſtas: noli altum ſapere; ſed time.

Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat.

Vide ergo bonitatem, & ſeueritatem Dei: in eos quidē qui ceciderunt, ſeueritatem, in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate, alioquin & tu excidêris.

Sed & illi ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur: potens eſt enim Deus iterum inſerere illos.

Nam ſi tu ex naturali exciſus oleaſtro, & contra naturam inſertus es in bonam oliuam; quanto magis ij, qui ſecundum naturam inſerentur ſuæ oliuæ?

Nolo enim vos ignorare fratres myſterium hoc (vt non ſitis vobis ipſis ſapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Iſrael donec plenitudo Gentium intraret.

Et ſic omnis Iſrael ſaluus fieret, ſicut ſcriptum eſt. veniet ex Sion qui eripiat, & euertat impietatem à Iacob.

Et hoc illis à me teſtamentum, cùm abſtulero peccata eorum.

Secundum euangelium quidem inimici propter vos; ſecundùm electionem autem chariſſimi propter patres.

Sine pœnitentia enim ſunt dona, & vocatio Dei.

Sicut enim aliquando & vos non credidiſtis Deo, nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis propter incredulitatem illorum.

Ita & iſti nunc non crediderunt in veſtram miſericordiam, vt & ipſi miſericordiam con

& pinguedinis oleæ factus. ¶ Non eſt, quod ad- 18.
uerſus ramos glorieris. nam ſi gloriari volueris, il-
lico redarguêris; non enim tu radicem ſuſtines,
ſed radix potius te ſuſtentat. ¶ At dices fortaſſe, 19.
Iudæi tanquam rami exciſi ſunt, vt ego, qui genti-
lis, & veluti oleaſter erã, trunco insererer. ¶ Non 20.
inficior, ſed illi propriæ infidelitatis vitio fracti, &
auulſi ſunt, tu verò fide ſtas. noli ergo animo ef-
ferri, noli te magnificentiùs circumſpicere, ſed po-
tiùs metue, ne fortè ipſe quoque abſcindaris.
¶ Si enim Deus naturalibus ramis nequaquam 21.
pepercit, vide etiam, atque etiam ne idem tibi
quoque vſu veniat. ¶ Agnoſce igitur qua benigni- 22.
tatem, qua ſeueritatem Dei; & ſeueritatem qui-
dem in eos, qui ceciderunt, benignitatem verò in-
teipſo, qui loco ipſorum inſitione coaluiſti, ſi ta-
men ea te benignitate continenter præbeas non
indignum, alioqui etiam tu excidêris. ¶ Immò 23.
verò illi ipſi, qui iam veluti rami à trunco reuulſi
videntur, niſi in ſua infidelitate permanſerint, dé-
nuò natiuo trunco inſerentur, poteſt enim Deus
rurſùs illos inſerere. ¶ Nam ſi tu, qui ex naturali 24.
exſectus es oleaſtro, & præter naturam in veram,
ac germanam oleam inſitus, ſuccum inde vitámq-
que ducis, quanto id magis illi aſſequentur, qui
veluti naturales rami pridem exciſi, natiuæ rurſus
oleæ inſeruntur? ¶ Nolim enim ignorare vos, fra- 25.
tres, hoc myſterium (ne plus nimio vobis placea-
tis, & inſolentiùs extollamini) hanc, qua de agi-
mus, obdurationem, quæ aliqua ex parte contigit
Iſraëli, neque omnibus in vniuerſum communem
eſſe, & tantiſper quorundam animos occupare,
dum gentium, quæ ad Chriſti caſtra confugiunt,
definita à Deo multitudo expleatur. ¶ Quo dein- 26.
ceps vniuerſa Iſraelitarum natio Chriſtianis ſa-
cris perceptis ſalua fiat, vt ſcriptũ eſt apud Iſaiam,
Veniet ex Sion ille dudum expectatus liberator,
& impietates Iacob abolebit. ¶ Et hoc illis à me 27.
fœdus ſancietur, cùm abſtulero peccata ipſorum:
nec enim Chriſtus aboleuiſſe dicendus eſt Iu-
dæorum impietates, qui paucos admodum diſci-
pulos ad euangelij fidem perduxerit: verùm cùm
diuinis oraculis nequeat ſubeſſe falſum, exiſti-
mare debemus omnes aliquando Iudæos ad ve-
ram Chriſti fidem traducendos. ¶ Itaque nunc 28.
quidem quod attinet ad euangelium, ob veſtram
ipſorum ſalutem, vel eius certè occaſione inimici
Deo facti ſunt; quod verò ſpectat ad diuinum, at-
que æternum Dei conſilium, ipſorum parentum
reſpectu diliguntur, quibus edita ſunt oracula, &
data fides de illorum fœlicitate ſempiterna, qui-
bus nefas ſit temerè aſſenſum abrogare. ¶ Cùm 29.
præſertim dona, & vocatio Dei eiuſmodi ſint, vt
ipſorum eum pœnitere nequaquam poſſit; neque
vlla ratione vel reuocari, vel irrita, aut inania, eſſe
queant. ¶ Quemadmodũ enim vos ipſi aliquan- 30.
do non paruiſtis Deo, nunc autem iſtorum contu-
macia, atque alienatione miſericordiam eſtis con-
ſecuti. ¶ Sic iſti nunc euangelio non obtempe- 31.
rant, vt eius benignitatis, quam vos adepti eſtis
exem

exemplo prouocati, aliquando tandem miſericor-
32. diam & ipſi conſequãtur. ¶ Concluſit enim Deus,
vt ita dixerim, omnes in coutumacia, ſiue Iudæos,
ſiue Genriles, vt in omnes ingentem ſuam miſeti-
33. eotdiam oppottunè effundat. ¶ O abditas, peni-
túsque occultas, & ab humanis ſenſibus remotas
diuinæ ſapientiæ, ſcientiæque diuitias, quàm ptot-
ſus inſcrutabilia ſunt Dei Optimi Maximi iudi-
eia, & quàm imperueſtigabiles conſiliorum ipſius
34. tationes? ¶ Quis enim (quæſo) cognouit abditos
diuinæ mentis receſſus? Aut quis fuit ei à conſilio?
35. ¶ Aut denique quis prior in eum libetalitatem
exeteuit, vnde meritò temunetationem expectet?
36. ¶ Nam ab ipſo certè, tanquam ab auctote, ac per
ipſum quaſi conſeruatotem, & cuſtodem omnia
exiſtunt, & ad ipſum tanquam ad extremum
referunt vniuerſa. Ipſi ſit gloria in ſecula. Amen.

conſequantur.
Concluſit enim Deus omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur.

O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius?

Quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit?
Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?

Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Ipſi gloria in ſecula. Amen.

IN CAPVT VNDECIMVM
EXPLANATIO.

1.
I. DICO ERGO, NVNQVID, &c. A
a Pſal. 73. 1. Perſimilem quæſtionem olim Dauid[a] inſtituerat, *Vt quid* (inquit) *Deus repuliſti in finem? Iratus eſt furor tuus ſuper oues paſcuæ tuæ.* Quanquam enim reſpexiſſe videtur propheta ad euerſionem vrbis, & templi direptionem, ſpectare tamen potuit prophetice hanc ipſam, de qua loquitur Paulus, Iudæorum abiectionem: Particula verò, quæ vim habet illationis, ad ea Scripturæ teſtimonia refertur, quæ in calce ſuperioris capitis poſita ſunt. Si enim Deus pro Iudæis Gentiles ad fidem vocat, nunquid igitur (ait) conſeqnens eſſe dicemus, fuiſſe Iudæos omnes ad vnum abiectos? Affert autem hæc interrogandi forma, quæ eſt admodum Paulo familiaris, plurimum lucis, & acrimoniæ reſpondet more ſolito abominando, totus enim in B eo eſt Apoſtolus, vt ſcandalum, & offenſionem Iudæorum amoueat, qui Chriſto fidem tanquam vero Meſſiæ abnegabant, quòd pauci admodum Iudæorum eius euangelicæ doctrinæ aſſenſum præbuiſſent. Quin etiam nonnulli exiſtimare potuiſſent, Paulum eius eſſe ſententiæ, vt omnem Iudæorum gentem à Deo penitùs fuiſſe reiectam affirmaret. Abſit igitur (inquit) quomodo enim id verum eſſe dixerim, cùm ipſe ex Iudæis ortus euangelicam doctrinam tam conſtanter profitear? Addit autem ad maiorem orationis vehementiam ſe eſſe Iſraelitam
b cap. 8. 7. 8. non ſpiritu tantùm, vt multi de quibus ſuprà[b]; neque quaſi proſelytum, Iudæorum duntaxàt ſacris imbutum, ſed illis ſanguine, & cognatione connexum, C Abrahami ſemine procreatum ex tribu Beniamin, quæ erat omnium infirma, & cæteris numero, ac multitudine longè inferior, vt veriſimile ſit, plures ex aliis tribubus euangelij lucem aſpexiſſe. Itaque ſuo primùm exemplo docet non fuiſſe omnem Iudæorum gentem, ac nationem abiectam, aut diuino gratiæ præſidio deſtitutam, quandoquidem ipſe Iudæorum penè poſtremus Chriſti ſacra, fidémque ſuſceperit. Mox addit rationem à diuina prædeſtinatione deſumptam, ait enim.

2.
I. NON REPVLIT DEVS, &c. Non alienum exiſtimarim à vero, alluſiſſe Paulum ad illud Dauidis[a]. *Non repellet Dominus plebem ſuam; & hæreditatem ſuam non derelinquet, quoadusque iuſtitia conuertatur in iudicium, & iuxta illam omnes, qui recti ſunt corde.* Quo loco Propheta negat, iuſtis vllo vnquam tempore diuinum patrocinium defuturum, ſed eos tantiſper ait diuexari, atque interim m[.]ificè erigi, & recreari in aduerſis, quouſque diuina tandem iuſtitia ſui iudicij ſeueritatem in improbos exerceat, itáque ſe ſua luce prodat, vt omnes, qui corde ſunt recto, fateri cogantur, diuina iudicia ſemper eſſe æquiſſima. Quamuis igitur (ait Paulus) videatur Deus Iudæis infenſus, non propterea tamen omnem illam gentem à ſe abiecit, cùm præſertim aliter diuina ſua prædeſtinatione decreuerit. *Non repulit* (inquit) *plebem ſuam, quam præſciuit*, Græcè ὃν
a Pſ. 93. 14.
B προέγνω, vt aliquãto ſuprà[b] dixerat. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit.* Quamobrem Auguſtinus[c] interpretatur, præcognouit; hoc eſt, ſua æterna beneuolentia complexus eſt: quod multo antea ſignificauit Origenes[d], qui hoc modo explicat illud Ioannis[e], *Cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ.* Itemque illud Matthæi[f]; *Nunquam noui vos.* & quod alibi ait Paulus[g]: *Nouit Dominus qui ſunt eius.* Certè Chryſoſtomus ſuam retinet ſententiam, vt præſcientiam meritorum, antiquiorem eſſe putet electione tanquam eius cauſam, ſeu rationem. Oecumenius aliò trahit quaſi Deus priuſquàm gentes ad fidem vocaret, plebem ſuam cognouiſſe dicatur. ſed Auguſtini ſententia præferenda eſt: præſciuit enim Deus plebẽ C ſuã approbando ac deſtinãdo. Itaque dicitur non repuliſſe plebẽ ſuam, nõ quidem penitùs omnem, cùm plurimos in perfidia deſertos fuiſſe conſtet; ſed eam, quam præſciuit, decreuit, ac ſtatuit ad fidem adducere, ſuíſque diuinis muneribus ornare. Quocirca minimè audiendi ſunt illi qui plebem dicunt non deſtitutam, quam præſciuit, hoc eſt, quàmplurimis beneficiis affecit; hoc enim ad omnem Iudæorum nationem pertinet, quæ tamen fidem complexa non eſt vniuerſa. Quod autem ſimpliciter affirmando dixerat, Eliæ exemplo firmat; *An neſcitis* (inquit) *in Elia quid dicit ſcriptura?* Hiſtoria ſumpta eſt ex libris Regum[g]. Dicit verò Paulus; *In Elia*, Eliæ credo hiſtoriam

b cap. 8. 29.
c lib. de bono perſeuer. cap. 18.
d Tom. 2. in Ioannem.
e cap. 10. 14.
f cap. 7. 23.
g 2. ad Tim. 2. 19.
g 3. Re. 19.

Iſraelem intelligit, ſeu vt alij explicant de Elia. Dicitur porrò Elias interpellare Deum; Græcè ἐντυγχάνει, hoc eſt, vt interpretatur Ambroſius, puſtulare, vel (quod magis reor) ſuam gentem apud Deum accuſare. ad verbum enim latinè quis dicat, colloquitur cum Deo contra Iſrael, conquerens videlicet, quòd Iſraelitæ, occiſis prophetis, & ſuffoſſis altaribus, ſibi quoque mortem intentarent, qui vnus diuini cultus aſſertor ſupereſſe videbatur. Nec prorſus aliena eſt Latinæ vocis ſignificatio: interpellare enim præſertim apud noſtrum Latinum interpretem idem eſt, quod rogare. Quod enim Paulus ait [a]; ſpiritus poſtulat πνεῦμα ὑπερεντυγχάνει, Auguſtinus interpretatur, interpellat; ſed contrario ſenſu; illic enim ſignificat benè precari; hic autem contra malè ominari, aut etiam cooqueri, & quaſi criminari. Græci codices addunt participium λέγων, hoc eſt, dicens; quod quidem alij cum ſequentibus iungunt, vt ſit ſenſus; dicens, Domine Prophetas tuos occiderunt, &c. Alij cum verbo *interpellat*, quaſi dicat; Elias interpellat aduerſus Iſraelem dicens, ſed vtro modo diſtinguas, eadem eſt ſententia, commemorat enim Apoſtolus Eliæ verba Iudæorum perfidiam accuſantis.

[a Rom. 8. 26.]

3. I. Domine Prophetas tvos, &c. Hæc ſunt Eliæ conquerentis verba, quæ maximè impios Achab, & Iezabel perſtringunt; quorum iuſſu, atque auctoritate occiderant Iudæi Prophetas, qui populum docebant, & diuinis præceptis, atque inſtitutis informabant, altaria verò in odium diuini cultus, ac religionis ſubuerterant. Videtur Apoſtolus ordinem verborum paulùm immutaſſe; nam in libris Regum legimus, *altaria tua deſtruxerunt, Prophetas tuos occiderunt*; vt appareat, ſpectaſſe illum, non tam verba, quàm ſenſum, qui etiam ordine mutato integer perſeuerat. ait autem Elias, ſe ſolum relictum fuiſſe, non quòd omnino ſolus eſſet, ſed ſolus ſeſe proderet, ac palàm profiteretur, veri Dei cultum, ac religionem, quod alij non audebant. Itaque Deus Prophetæ reſpondet, alios permultos reliquos in fide, ac religione conſtantes, quamuis fortaſſe non auderent, aut non poſſent nefario Regum, atque impiorum conatui reluctari. Neque enim ſemper (vt Theologi docent) publica fidei confeſſio eſt neceſſaria, ſed fas eſt (quod etiam in nouo teſtamento plerique laudabiliter fecere) clàm Deum colere, modò nihil fiat, quod pietati, aut religioni repugnet.

4. I. Sed qvid dicit illi, &c. Impia Baalis ſuperſtitio, ſeu potiùs idololatria tum maximè vigebat. Theodoretus [b] autem, & recentiores nonnulli putant Baal eſſe nomen omnibus diis Gentium commune, ab Hebræo verbo בָּעַל *banghal*, quod ſignificat dominari, ſeu præeſſe. Quocirca ſunt [c] qui affirment Baal Punica lingua, quæ Hebraicæ eſt affinis, ſignificare Deum, qui deinde à variis adiacentibus multiplicem nominis inflexionem ſortitur: interdum [d] enim dicitur Beelphegor, quòd in monte Phegor coleretur: ab Acharonitis [e] Beelzebub, quaſi muſcarum Deus, quòd ad ſacrificiorum nitorem plurimæ muſcæ conuolarent. At non rarò [f] certum, & peculiarem Deum ſignificare videtur; quem Ioſephus [g] Deum Tyriorum, Hieronymus [h] Sidoniorum, alij Babyloniorum eſſe volunt. Et ſunt qui [i] affirment, Sidonios accepiſſe à Babyloniis. Saturnum enim, & Solem apud Aſſyrios Belum appellari; quod etiam affirmant Suidas, & Euſebius [k], quibus conſentit Hieronymus [l]. Nec deſunt qui [m] Iouem Saturni filium dicant Belum eſſe apud Babylonios, quod etiam affirmat Auguſtinus [n]. Sæpè verò numero multitudinis legimus Baalim, ſiue quòd pluribus locis coleretur, ſiue ob multitudinem ſimulacrorum.

II. Curuare autem genua ante Baal eſt adorationis cultum

[b Interr. 2. in 4. Reg.]
[c Serrar. & alii.]
[d Num. 25. 3.]
[e 4. Reg. 1. 2.]
[f Stabe. & alii, 3. Reg. 16. 31.]
[g lib. 8. antiq. cap. 4.]
[h in Ezec.]
[i Serrar. & alii.]
[k in præpar. Euang.]
[l lib. 2. in Ose.]
[m Proclus.]
[n Quæst. 16. in Iudic.]

A adhibere, quanquàm olim non apud Romanos modò, ſed alias etiam gentes hic antiquiſſimus videtur fuiſſe mos, vt dextra manu labris admota, & ad oſculum relata capite ſubmiſſo corpus dextrouerſus circumagerent, quod aliqua ratione in adoratione ciuili vſurpamus; de quare ſic Plinius [a]. *In adorando dexteram ad oſculum referimus, totúmque corpus circumagimus, quod in læuum feciſſe Galliæ religioſius credunt. Fulgetr... poppyſmis adorare conſenſus gentium eſt.* De motu corporis ad dextram Plautus in Curculione: *Quò me vertam neſcio; ſi Deos ſalutas, dextrouerſum cenſeo.* Quò etiam ſpectant quæ ſcribit Suetonius [b] his verbis: *Idem miri in adulando ingenij primus Caium Cæſarem adorare vt Deum inſtituit, cùm reuerſus ex Syria non aliter adire auſus eſſet, quàm capite velato, circumuertenſque ſe, deinde procumbens.*

[a lib. 28. ca. 2]
[b in Vitel. ca. 2.]

B Id Plutarchus [c] inter Numæ inſtituta recenſet. *Adorantem* (Inquit) *in orbem ſeſe circumagere.* Et paulò pòſt: *Conuerſio autem illa inter precandum, fertur ea quidem motum vniuerſi exprimere, ſed vero propius eſt, quoniam Deûm templa ad ſolem orientem ſpectant, eum, qui precatur, inde ſe in orbem circumuertere, dum ad Deum redeat, eóque voti ſui perfectionem indicare, niſi potius, quod Ægyptiorum nota obſcurè repræſentant, idem hoc Numæ inſtitutum declarat, videlicet nihil in rebus humanis ſtabile, ideóque conueniens eſſe, vt quocumque modo vitam noſtram Deus torqueat, atque reuoluat boni conſulamus.* Idémque alibi memorat [d] circa tumulos parentum circumagi liberos conſueuiſſe, quod mortuis diuinus cultus deberi exiſtimarent, vt non obſcurè indicat Tertullianus [e]: extant apud eundem

[c in Numa.]
[d Quæſt. Cent. Roman.]
[e in Apolog.]

C non pauca [f] exempla. Quinetiam Liuius [g] de Camillo hunc in modum ſcribit: *Conuertentem ſe in hanc venerationem traditur memoria prolapſum cecidiſſe.* Nec ſanè aliter accipio Valerij Flacci [h] verba:

Vt dextrum pariter vertantur in orbem.

Et Lucretij [i].

Nec pietas vlla eſt velatum ſæpè videri
Vertier ad lapidem.

[f in Camil. & in Marcel.]
[g lib 5.]
[h lib. 7. Argonaut.]
[i lib. 5.]

III. Porrò de oſculo manus, res videtur antiquiſſima; ſic enim intelligo, quod legimus apud Iob [k]. *Si vidi ſolem cùm fulgeret, & Lunam incedentem clarè ſi oſculatus ſum manum meam ore meo, quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum.* Et in libris Regum, vbi hæc ipſa Eliæ hiſtoria, de qua hoc loco

[k cap. 31. 26.]

D Paulus recenſetur. *Quorum genua non ſunt incuruata ante Baal; omne os, quod non adorauit eum oſculans manum.* Quamobrem Hieronymus [l] illud Dauidis [m], quod Hebraicè dicitur נַשְּׁקוּ־בַר *naſciekubar*, id eſt, *oſculamini filium*; vertit; *adorate purè.* Minutius [n] verò Fœlix: *Cæcilius* (inquit) *ſimulacro Serapidis viſo, vt vulgus ſuperſtitioſum ſolet, manum ori admouens, oſculum labiis preſſit.* Lucianus autem eiuſdem conſuetudinis non ſemel meminit [o]; quinetiam Euſtathius [p] προσκυνεῖν interpretatur hunc in modum, quaſi dictum ſit παρὰ τὸ κύειν, ὅ ἐστι φιλεῖν. quò fortaſſe ſpectauit Silius Italicus cùm dixit.

[l Apologet. 2. in Ruf.]
[m Pſal. 2. 12.]
[n in Octau.]
[o de ſacrif. de ſaltat. in Encom. Demoſt.]
[p Odyſſ. 5.]

Et dextram vt numen adorant.

Apuleius [q] autem: *Si fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratia manum labris admouere.* Huius verò ritus peculiarem quamdam formam alibi deſcribit [r].

[q Apologet. 1.]

E *Admouentes* (inquit) *oribus ſuis dexteram priore digito in erectum pollicem reſidente, vt ipſam prorſus Deam Venerem religioſis adorationibus venerabantur.* Addunt alij [s] frontem genio conſecratam, atque ideo Deum venerantes frontem tangere. Et Plinius [t] ſcribit; *Poſt aurem dextram Nemeſios locum eſſe, quo veteres tacto ore proximum à minimo digitum referre conſueuerant veniam ſermonis à Diis expoſcentes.*

[r li. 4. de Aſino aureo.]
[s Serui. Æn. 3.]
[t lib. 11. c. 45.]

IV. Procubuiſſe verò, & flexiſſe capita adorantes præter ea, quæ ſupra attulimus ex Suetonio, indicat

BB Liuius

a lib. 30. — A

Liuius [a], qui de Carthaginenſium legatis hunc in modum ſcribit. *Vbi in caſtra, & prætorium peruenerunt, more adorantium accepto credo ritu ex ea regione ex qua oriundi erant, procubuerunt.* Et Lampridius [b]:

b in Alexan.

Si quis (inquit) *caput flexiſſet, aut blandius aliquid dixiſſet, vel abijciebatur, vel ridebatur.* Et hoc eſt, quod idẽ paulò pòſt ſcribit, Alexandrum ſe adorare vetuiſſe. Hunc enim honorem in ſalutationibus potentiorum exhiberi conſueuiſſe declarat Arnobius [c]. *Salutet* (inquit) *acclinis ancilla, aut ſeruuli trepidationes imitatus, video quid agatur, & huiuſmodi honorationis officio.* Et ne profana duntaxat colligam, quod legimus apud Oſeam [d]. *Vitulos adorant*; ſunt qui ex Hebræo vertant, *Oſculantur vitulos.* Quinetiam ita olim interpretatum eſſe Aquilam, auctor eſt Hieronymus.

c lib. 7. adu. Gent.

d cap. 13. 2.

e cap. 41. 40. — B

Et illo loco Geneſeos [e]: *Ad tui oris imperium cunctus populus obediat*; alij reddunt. *Super os tuum oſculabitur omnis populus.* Hieronymus porro ad hanc ipſam conſuetudinem refert id, quod legitur apud Exechielem [f]. *Et applicant ramum ad nares ſuas*; Id quidam referunt ad ſilentium, quo diuina colenda ſunt. nam quod ait Dauid [g]: *Te decet hymnus Deus in Sion*; alij ex Hebræo legunt; *Tibi, ô Deus, ſilentium laus in Sion.* Et illud prouerbij loco circumfertur, *Deum ſilentio cole.* Hinc ille [h]. *Hunc fida ſilentia ſacris.* Quò ſpectans Lactantius [i]. *Hinc* (ait) *fida ſilentia ſacris instituta ſunt ab hominibus callidis, vt populus neſciat quid colat.* Hoc igitur eſt curuare geoua, ideſt, adorationis cultu venerari. ſignificat igitur Deus fuiſſe non paucos, qui nefario ſeſe idolorum cultu non polluiſſent ait autẽ id dictũ eſſe à Deo; hoc enim ſignificat Græca vox χρηματισμός, id eſt, diuinum reſponſum, quũquam interpres apud Matthæũ [k] eamdem vocẽ ſimpliciter reddidit, reſponſum, ſed ex antecedẽtibus, & conſequẽtibus planè conſtabat diuinũ eſſe reſponſum. Obſeruant autẽ Chryſoſtomus, & Auguſtinus [l] vocẽ *reliquus*, quaſi indicet fuiſſe id ſingulare gratiæ beneficium.

f cap. 8. 17.

g Pſal. 64. 12.

h Virg. lib. 1. Æneid.

i lib. 5. diuin. inſtitu.

k cap. 2. 12.

l lib. de bono perſeuer. c. 18.

5.
I.

Sic ergo et in hoc tempore, &c. Codices Latini non pauci habent; *Reliquiæ ſaluæ factæ ſunt*; quomodo legiſſe videtur Origenes, & omninò legit Ambroſius; nec magnopere repugnat Auguſtinus [m], qui tamen alicubi [n] eam lectionem non agnoſcit, vt veriſimile ſit, aliquando fuiſſe additam ab Auguſtino explicationis gratia; hic enim proculdubio videtur ſenſus. Quod autem noſter interpres dixit, *reliquiæ factæ ſunt*; Græcè legitur λεῖμμα γέγονεν.

m lib. 1. ad Simplic. q. 2.

n lib. de bono perſeu. ca. 18.

D

reſpicit enim ſuperiora verba; *reliquus mihi*; appoſitè autem ait reliquias eſſe factas, quaſi (vt interpretatur Theophylactus) reiectis paleis, pura grana reſideant: λεῖμμα enim Græcè dicitur quod relictũ eſt. Et apud Pythagoréos id vocabatur quod è duobus ſegmentis minus erat; quam fortè ſimilitudinẽ ſequutus Apoſtolus λεῖμμα appellat exiguum eorum numerũ, qui ſalui fiunt ex innumerabili multitudine pereuntium Iudæorum. longè autem aliud eſt λῆμμα apud Septuaginta, Symmachum, & Theodotionem: videtur hoc reſpõdere Hebrææ voci מַשָּׂא *maſſa*; quod onus, ſeu aſſumptionem ſonat: & Baſilio [o], Cyrillo [p], & Theophylacto [q] omnem vaticinationem ſignificat: quod videlicet vaticinium à Deo accipiatur: Chryſoſtomo [r] verò, eidémque Theophylacto [ſ], & Theodoreto [ſ] eſt repentina aſſumptio à Deo ad vaticinandum. ſed quoniam Hebræorum phraſi aſſumptio, ſeu eleuatio pro re aſſumpta, & eleuata ponitur, vbicũque legimus in Prophetis Latinè onus, Græcè feriòè ſemper ſcribitur λῆμμα; quæ vox apud prophanos auctores interdũ ſignificat quidquid accipitur, opponitúrque τὸ δόμα τι, & ob eam, quam diximus cauſam vaticinio conuenit: Quamquàm etiam λῆμμα eſt veluti titulus, & argumentum rei, quæ tractatur; qua ratione dixit Martialis [t]:

o Iſai. 1.

p Malach. 1.

q Naum. 1.

r Iſa. 1.

ſ Naum. Aba. & Malac. c. 1.

E

t lib. 4. Ep. 19.

A

Lemmata ſi quæris cur ſint adſcripta, docebo,
Vt ſi malueris lemmata ſola legas.

Et alibi.

Vnida cùm poſcas Epigrammata mortua ponis
Lemmata.

Vt ſit apud Prophetas λῆμμα nonnumquam titulus vaticinij explicandi. Nec me præterit, λήμματα apud M. Tullium [a] eſſe ſumptiones, quæ in ratiocinationibus, atque argumentationibus aſſumuntur. Verùm hæc omnia ad rem nihil pertinent, volui tantùm monuiſſe, ne quod nonnullis accidiſſe memini analogia, quæ eſt inter λεῖμμα & λῆμμα, cuiquam imponeret.

a lib. 2. de diuinat.

II.

Redeo igitur ad Paulum, qui reliquias factas eſſe ſcribit ſecũdùm electionem gratiæ; hoc eſt phraſi Hebraïca ſecundùm electionem gratuitam.

B

Quod verò ad rem attinet, mirum quid Origeni venerit in mentem duplicem diſtinguere ordinem eorum, qui ſalutem conſequentur, quorum alij ſolam fidem colant, alij addant præterea laudabiles actiones; quos ait pertinere ad electionem gratiæ, quia proculdubio cæteris præferuntur, qui ſola fide ſalutem conſequuntur; ſed (vt alio loco oſtendo) ſola fides quippe ſine operibus mortua nequit afferre ſalutem. Chryſoſtomus gratuitam electionem accipit, quæ bonorum quidem meritorum prænotionem ſequatur, gratiæ tameo beneficio fiat. Auguſtinus verò liberalem prorsùs, & gratuitam Dei electionem intelligit, quam nulla meritorum præſcieotia præcurrat, quod planiùs alibi explico. Interim tantùm dico nonnullos viros Catholicos, &

C

doctos electionem gratiæ, etiam ex Chryſoſtomi, Græcorúmque ſenteotia, qui eam ex prænotione aliqua interpretantur fieri, repugnare quidem Auguſtini ſententiæ non negant; putant tamen eſſe piam, & Catholicam ſententiam, & ab errore Pelagij prorsùs alienam; idque hunc in modum explicant. Si quis ſtatuiſſet prorsùs liberaliter precioſa munera diſtribuere, præſciréque poſſet quinam manus porrecturi eſſent ad ea munera capienda, ſi cùm intelligeret eam manus extenſionem neque ex condigno, neque ex congruo mereri ea dona, vellet tameo liberaliter dare, ea largitio eſſet quidem ex illa prænotione; nihilo tamen minus gratuita dicenda eſſet, ac liberalis; Ita colligunt, ſi Deus vellet iuſtificare quos viribus liberi arbitrij vidit conſenſu-

D

ros, cùm ille motus liberi arbitrij nec vim vllam merendi, nec efficacitatem babeat, gratis tamen, ac liberaliter iuſtificaret, eáque dici poſſet electio gratuita. Quorum ſtudium, quod Græcos, aliόſque veteres Patres ab errore Pelagij vendicant, magnopere laudo, cùm eos vix poſſim ab imprudentia excuſare, qui eos erroris, atque impietatis dãnant. Vtrùm autem ea ſententia probanda ſit, ſuo loco videro; ita enim explicant illud; facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam.

III.

Vt igitur redeam ad Paulum, ſi reliquias ſaluas factas eſſe legamus, non tam de prima ſalute, hoc eſt, iuſtificatione, quàm de ſecunda, hoc eſt, beata vita accipio; vt enim nemo niſi beneficio gratiæ iuſtificatur, ita nullus abſque eiuſdem gratiæ præſidio vitam conſequitur ſempiternam.

E

Certè ita legiſſe videntur Origenes inter Græcos, & plurimi Latinorum, Ambroſius, Hieronymus [b], Auguſtinus [c], Proſper [d]. Neque tamen propterea ſequitur beatam vitam dari ſine meritis, quod hæretici contendunt; quia, vt alibi, auctore Auguſtino, doceo, ex gratia oriuntur merita: nec ipſa iuſtificatio, quamquam non cadit ſub meritum, non tribuitur tamen penitùs otioſis, ſed gratiæ reſpondentibus: electio autem gratuita eſt, & liberalis, non ſolùm reſpectu gratiæ iuſtificantis, ſed etiam reſpectu gloriæ, vt ſuo loco fuſiùs probo. Nam qui gratuitam electiooem

b lib. 16. in Iſa. & lib. 1. Micheæ c. 2.

c Quæſt. 148. in Geneſ. lib. 1. ad Simpl. q. 2. & lib. de dono perſeu. cap. 18.

d lib. 1. de vocat. Gent. ca. 18.

gratiæ

gratiæ præſtant, gloriæ negant; non ſatis cohærenter loquuntur, & ab Auguſtini ſententia magnopere recedunt.

6. I. SI AVTEM GRATIA, &c. Antitheſis eſt operum, & gratiæ, perinde quaſi quod eſt ex operibus nequeat eſſe ex gratia; & quod ex gratia procedit, nō pendeat ex operibus. Et quidā cùm in Latinis codicibus altera pars deſideretur, integra legitur in Græcis, εἰ δὲ χάριτι, οὐκ ἔτι ἐξ ἔργων, ἐπεὶ ἡ χάρις οὐκ ἔτι γίνεται χάρις· εἰ δὲ ἐξ ἔργων, οὐκ ἔτι ἐστὶ χάρις, ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκ ἔτι ἐστὶ ἔργον. Verùm hanc poſteriorem partem vix vllus Latinorum explanatorū agnoſcit, neque ex Græcis eius meminerūt Origenes, aut Chryſoſtomus, eā tamen explicāt Oecumenius, & Theophylactus. Certè quod attinet ad ſententiam, non videtur neceſſaria; cùm enim dicit Apoſtolus; *Si gratia, non ex operibus, alioqui gratia iam non eſt gratia*; planè ſignificat gratuitæ liberalique largitioni repugnare id, quod ex merito debetur, vt poſterioris partis ſententia in priori intelligatur. Hic autem hæretici triumphum canunt, quaſi ratio meriti penitùs tollatur, de qua re plura alibi. Certè Auguſtinus pro operibus merita operum ſubſtituit, quaſi ab actionibus humanis, vim & efficacitatem excludat gratiam promerendi, quia non ex meritis gratia, ſed ex gratia potiùs (vt loquitur Auguſtinus) omnis ratio meriti proficiſcitur: itaque qui Chryſoſtomi, cæterorúmque Græcorum ſentētiam probabilem putant; ita laudabilium actionum prænotionem diuinæ electioni præponunt, vt in ipſis tamen actionibus nullam vim, aut efficientiam meriti ſitam eſſe velint, quamquam ego (quod plerique tamen non admittunt) ſententiam illam multorum diſputationibus celebrem ita accipio, vt ab Auguſtini ſententia non admodum diſcrepare videatur, ſi prænotionem non abſolutam, ſed conditione affectam intelligamus, nullámque in illa collocemus neque rationem cauſæ, neque vim merendi, neque denique vllam efficacitatem, cùm eadem prorsùs ratione in iis, qui pereunt, atque adeo extra numerum electorum ſunt, opera futura præuideri potuerint, & fortaſſe etiam in nonnullis præuiſa fuerint, quod in libris de prædeſtinatione conſtabit.

II. Verùm quod ſpectat ad hanc Pauli ſententiam, non aſſentior Origeni, à quo non videtur diſcrepare Chryſoſtomus, qui de legis duntaxat operibus hunc Pauli locum explicat, cùm ea ſententia multò latiùs pateat, omnémque humanam actionem quamuis ſtudioſam, ac laudabilem excludat. Neque eorum mihi ſententia omni ex parte probatur, quis putant, idem prorſus valere apud Auguſtinum, mereri gratiam, & mereri prædeſtinationē gratiæ. Nam quamuis in hac materia ſubiecta, hæc ratio admittenda ſit; cum gratia ſit principium meriti, nec quiſquam gratiam conſequatur, qui non fuerit ad illam ante æternitatem prædeſtinatus: tamen non repugnat, aliquid prædeſtinari ante certam prænotionem meritorum, quod tamen non ſit niſi ex meritis concedendum. Ita ferè multi admittunt omnino gratis fuiſſe Beatiſſimam virginem prædeſtinatam Chriſti matrem; cum tamen non negent eam aliquo modo ſaltem ex congruo meritā eſſe, vt re ipſa fieret Chriſti domini mater; ita gratis Deus prædeſtinare poteſt electos ad gloriam, quam tamen vult illos ſuis meritis conſequi, quæ gratiæ beneficio tribuuntur. Prædeſtinatio igitur gratuita eſt, ſed vt refertur ad gloriam; ad eius aſſecutionem poſtulat merita, vt verò gratiam ſpectat, omnia merita præuertit. quia alioqui gratia non eſſet gratia. electio autem ad gloriam, ad gratiam pertinet, gloriæ verò collatio habet rationem iuſtitiæ. Iam quod attinet ad verba, vox, *gratia*, vt ex Græcis codicibus conſtat, nō eſt nominandi, ſed auferendi caſus. eſt enim Græcè χάριτι, atque ita nonnulli Latinè reddunt, *quod ſi per gratiam, iam non ex operibus*; coniungitur enim hæc ſententia cum ſuperiori hunc in modum, reliquiæ per electionem gratiæ factæ ſunt; quod ſi electio per gratiam facta eſt, iam non ex operibus. Cæterùm ſæpe Auguſtinus vtitur hac ſententia diſputans contra Pelagium, vt oſtēdat, omne meritum pendere à gratia: eadémque ſententia Concilium [a] Tridentinum probat iuſtificationem gratuitam eſſe, ac liberalem, nihilque eorum, quæ iuſtificationem præcurrunt, vim habere illam promerendi; quia quidquid ad iuſtificationem valet, liberaliter à Deo ita inſtitutum eſt, vt ſit futuræ iuſtitiæ præparatio, non quia id rerum natura poſtulet, ſed quia ita Deo viſum eſt, quomodo olim à ſerpentum veneno Iudæos ænei ſerpentis aſpectu curari voluit, cùm tamen, ſi res ipſæ ſpectentur, nulla inter illas proportio cernatur.

[a] Seſſ.6.c.8.

7. I. QVID ERGO? QVOD QVÆREBAT, &c. Colligitur ex ſuperioribus non fuiſſe quidem Iudæos penitùs excluſos, magnam tamen ipſorum partem non ſine ſua culpa à gratia excidiſſe, non abſimili ſententia (vt obſeruat Chryſoſtomus) ab ea, quam ſupra [b] poſuerat, cùm dixit: *Iſrael ſectando legem iuſtitiæ ad legem iuſtitiæ non peruenit*; Tantumdem enim valent hæc verba: *Quod quærebat Iſrael, hoc non eſt conſecutus.* Sectando enim veterem illam iuſtitiam legis præceptis comprehenſam, veram fidei iuſtitiam aſſequi nequaquam potuit. Quod ſequitur; *Electio autem conſecuta eſt*: continet (vt obſeruauit Theophylactus) non inelegantem enallagem Hebræis familiarem, qui circumciſionem pro circumciſis, præputium pro iis, qui circumciſi nō ſunt; vocationem pro vocatis; tranſmigrationem pro iis, qui ſolum vertere compelluntur, frequenter dicunt; eadem ratione dixit hoc loco Paulus electionem pro electis. Nec dubito eadem loquendi forma accipienda eſſe quæ ſunt apud Oſeam [c]: *Vobis iudicium eſt, quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi.* Sic enim in eum locum ſcribit Hieronymus. *Speculatores* (inquit) *& principes vos conſtitui, vt populum regeretis errantem; vos autem facti eſtis laqueus, & non tam ſpeculatores, quàm venatores appellandi.* Significans populum, cui præerant, quémque verbis, & exemplo corruperant, ſpeculationem appellari; quod apertiùs docet Cyrillus [d]. Nec tamen Theodori Antiocheni, Theodoreti, Theophylacti, denique Chaldæi paraphraſtis interpretatio penitùs reiiciēda eſt, qui ipſos prophetas, quos non ſemel Deus ſpeculatores vocat, ſpeculationis nomine ſignificari autumant; quomodo Chriſtus à Paulo dicitur [e] factus nobis à *Deo ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio*, quia videlicet nos ſapientiam docet, iuſtitiam, ſanctitatem, poſtremò verā libertatem impertit. Et Dauid [f] Deum, ſuam fortitudinem appellat, à quo videlicet vim & robur hauriat, ſic frequenter ſpem ſuam, patientiam, expectationem nominat. Et olim Iacob [g] Deum patris ſui Abraham, timorem Iſaac appellat, quem videlicet Iſaac metuebat, & religioſè venerabatur.

[b] cap.9.31. [c] cap.5.1. [d] In eum locum. [e] 1 ad Cor. 1.30. [f] Pſal.17.1. [g] Gen.31.42.

II. Quod ſequitur. *Cæteri excæcati ſunt*; Græcè eſt ἐπωρώθησαν, quod quidem eſt callum, ac duriciem obducere, vt conſtat apud Marcum [h], & Ioannem [i]; apud illum enim legimus; *Contriſtatus eſt ſuper cæcitate cordis eorum*; Græcè ἐπὶ τῇ πωρώσει τῆς καρδίας αὐτῶν, vbi noſter interpres legiſſe videtur, πηρώσει. Apud hunc verò: *Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum*; vbi poſteriori loco pro indurauit, Græca habent πεπώρωκεν αὐτῶν τὴν καρδίαν. Verùm quod ad rem attinet, Theologi πώρωσιν & πήρωσιν confundunt, quòd re vera idem ſint, iidémque prorsùs obdurato, & excæcato corde dicantur. Nos Græcæ

[h] cap.3.5. [i] cap.12.40.

vocis propriam ſignificationem in paraphraſi reti-
nuimus, quamuis noſter interpres cæcitatem malit,
a cap. 6. 52. quàm duritiem dicere; nam apud Marcum [a]: *Erat*
enim (inquit) *cor eorum obcæcatum.* ἦν γὰρ ἡ καρδία αὐ-
b verſ. 25. τῶν πεπωρωμένη: hoc ipſo capite paolò pòſt, *Cæcitas ex*
c cap. 4. 18. *parte contigit.* πώρωσις. Denique ad Epheſios [c]; *Propter*
cæcitatem cordis ipſorum. Quamquàm Septuaginta in
d cap. 7. 3. Exodo [d] cùm agitur de induratione Pharaonis pro-
priè duritiem, ſuo verbo expreſſerunt, σκληρυνῶ (in-
quit) τὴν καρδίαν αὐτοῦ. *indurabo cor eius.* Cæterùm
monet hoc loco Ambroſius, populum Iudæorum
tres fuiſſe diuiſum in partes, quarum prima dum vi
legis iuſtitiam ſectatur, ſuo fine fruſtrata eſt; altera
pars ad reliquias pertinet, quæ ſalutem conſecutæ
ſunt; tertia, & poſtrema eos complectitur, quos di-
cit fuiſſe excæcatos, ſed prima illa pars ad hoc ter-
tium membrum referenda eſt, vt omnino duæ tan-
tùm partes cenſendæ ſint; alij enim iuſtitiam fidei
beneficio adepti ſunt, alij in perfidiæ tenebris peri-
erunt.

Sicvt scriptvm est, &c. Negat Ori-
I. genes ſibi vnquam in ſacris litteris hanc ſenten-
tiam, quam Paulus memorat occurriſſe; idcóque
verba illa; *Sicut ſcriptũ eſt*; ſuperioribus nequaquam
aduexit. Quod verò pertinet ad ſequentia verba
Paulum excuſat, quaſi dum ſcripturæ verba profer-
re vellet, nonnihil de ſuo addiderit, & ſententiæ po-
tiùs, quàm verborum rationem habuerit. At quid-
e cap. 29. 10. quid ille dicat, proferuntur verba Iſaiæ [e], ex duplici
tamen Prophetæ loco; nam in altero quidem ſcri-
bit Iſaias [e]: *Miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis,*
claudet oculos veſtros, prophetas, & principes veſtros, qui
f cap. 6. 10. *videat viſiones, operiet.* In altero verò [f]: *Excæca cor po-*
puli huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude,
ne fortè videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, &
corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum. Por-
rò priorem locum protulit Apoſtolus ex interpre-
tatione Septuaginta, niſi quòd illi pro verbo ἔδωκεν,
quo vtitur Paulus, poſuerunt ἐπότισεν, id eſt, potauit,
vt ſit perpetua allegoria: paulò antè enim ſomni &
potus mentionem fecerat. Cæterùm vox Hebræa
תַּרְדֵּמָה *tardemah* ſoporem, & altiſſimum veternum
ſignificat, quam ſignificationem Græcæ voci κατα-
νύξεως aptari poſſe ſignificat nonnemo, qui κατάνυξιν
interpretatur ἡσυχίας, hoc eſt, quietem, & otium, ſeu
torporem, aut etiam ſomnum; nam Herodianus ali-
cubi dixit κατάνυξιν alicui præparare, hoc eſt, ſom-
num conciliare, quod neſcio vtrum linguæ Græcæ
periti admiſſuri ſint. κατανύττω enim, ceu κατανύσσω eſt
idem, quod pungendo penetro, compungo veluti
aculeis, aut acu; ſic in Actis Apoſtolicis; *Audientes*
autem compuncti ſunt corde; Græcè κατενύγησαν τῇ
καρδίᾳ. Neque verò eorum interpretatio placet, qui
κατάνυξιν ſpiritum zelotypiæ volunt eſſe, quo per-
petuò torqueantur Iudæi, & quaſi quibuſdam acu-
leis crucientur, quòd videant Eccleſiam ex gentibus
collectam quotidie efflorеſcere, ſuam verò ſynago-
gam ad interitum ſpectare; id enim eſt à propheti-
ço ſenſu alieniſſimum. Sed Chryſoſtomus, Theo-
phylactus, Oecumenius auctores ſunt πνεῦμα τῆς
κατανύξεως mentem eſſe in malo pertinacem, & ob-
firmatam, vt inde auelli nequeat. Anſelmus ſecutus
Grecæ vocis proprietatem ſpiritum interpretatur
ſtimulantem, & impellentem ad malum. Heſychius
quietem, & arctiſſimum ſoporem, quod magis (vt
g Geneſ. 2. & 15. dictum eſt) Hebrææ vocis proprietas poſtulat: eam
h 1 Reg. 26. enim vocem Septuaginta nunc [g] ecſtaſim, nunc [h]
II. ſtuporem interpretantur. Certè apud Dauidem [i]
i Pſal. 29. 13. quod ille dixit ſecutus proprietatem Hebrææ vocis,
Vt cantet tibi gloria mea, & non ſilebit; Septuaginta
reddiderunt μὴ κατανυγῶ, noſter verò interpres; *Et*

A *non compungar*; vt hoc quidem loco non compungi
idem ſit, quod cantando non defatigari, aut non do-
lere, quod interdum nimio cantu fatigari ſoleant, &
dolore fauces; vnde ſubſequitur ſilentium. Alibi ve-
rò; *Oſtendiſti* (inquit [a] Dauid) *populo tuo dura, potaſti* a Pſal. 59. 5.
nos vino compunctionis, hoc eſt, vino ſoporifero, & ſtu-
porem inducente. Videntur enim Septuaginta, quos
Paulus imitatus eſt, ſpiritum compunctionis à con-
trario ſenſu appellare ſpiritum ſoporis, perinde qua-
ſi is ſpiritus adeo hominem à ſenſibus auocet, vt
nulla compunctione, vellicatione, aut morſu excuti,
aut excitari queat, vt ſpiritus compunctionis ſit, qui
compunctioni reſiſtit. Si hæc noua explanandi ratio
certum, & idoneum haberet auctorem, aut aptum
exemplum, nihil meliùs deſiderarem, cùm præſer-
B tim quæ ſequuntur verba magnopere eam confir-
ment. *Oculos* (inquit) *vt non videant, & aures, vt non*
audiant. Cyprianus [b] autem reddit, *ſpiritum tranſpun-* b epiſt. 55.
ctionis [c]. Alibi verò ſpiritum videtur intelligere, qui c De ora. Dominic.
ita pungat & diuexet, vt cruciatus acerbitate men-
tem à ſenſibus abſtrahat, & loco moueat; ſic enim
ait; *Iniuſte ſibi placentes, & tranſpuncta mentis aliena-*
tione dolentes, Dei præcepta contemnunt, medelam vul-
neris negligunt, agere pœnitentiam nolunt, ante admiſ-
ſum facinus improuidi, poſt facinus obſtinati. Hæc vo-
lui, in re adeo obſcura: liberum cuique iudicium re-
linquo. In paraphraſi dixi ſpiritum ſoporis: certè
quocumque modo ſpiritum compunctionis acci-
pias, ſtuporem, aut mentis hebetudinem, & tardita-
tem, animum denique in malo obduratum ſignifi-
C cat; ita Paulus Iſaiæ locum interpretari videtur, allu-
dens interim ad verba Moſis in Deuteronomio [d]: *Et* d cap. 29. 4.
non dedit (inquit) *vobis Dominus cor intelligens, & ocu-*
los videntes, & aures, quæ poſſunt audire vſque in præ-
ſentem diem. Nec obſcurè inſinuat præſentem Iu-
dæorum cæcitatem vetuſtiſſimo Moſis oraculo fuiſ-
ſe prænuntiatam, & antiqua illa parentum ipſorum
peruicacia non obſcurè indicatam; inde enim de-
ſumpta ſunt verba illa, *vſque in hodiernum diem*, quæ
malè nonnulli ab Apoſtolo addita fuiſſe putant.

Et David dicit, fiat, &c.

Obscvrentvr ocvli eorvm, &c. 9.
Petitum eſt hoc teſtimonium ex libro Pſalmorum [e], 10.
ſequitúrque Paulus interpretationem Septuaginta, I.
nonnihil immutatam; nam apud illos tantùm legi- e Pſal. 68. 23.
D tur εἰς παγίδα, id eſt, laqueum; Paulus addit εἰς θήραν,
hoc eſt, *captionem*: item apud illos, εἰς ἀνταπόδοσιν,
Paulus autem dixit ἀνταπόδομα, ſententia prorsùs ni-
hil mutata. Putatur autem Dauid alluſiſſe ad aucu-
pium, quo eſca deluſæ aues, laqueo conſtringuntur.
Menſam porrò ex Origenis ſententia legem vocat,
de qua Salomon [f]: *Sapientia ædificauit ſibi domum, &* f Prou. 9. 2.
poſuit menſam. Vt autem volunt Chryſoſtomus, &
Theophylactus, menſa ſignificat quidquid illis cor-
di fuerat, & voluptatem aliquando attulerat; alij ma-
lunt menſæ nomine indicari Chriſti doctrinam, alij
Chriſti crucem, in qua cum illi tamquam in conui-
uio miſerabiliter lætarentur, eius deinde vim vel in-
uiti experti ſunt. Ego Origeni libens aſſentior, niſi
quòd legis nomen ampliſſimè patere, & vniuerſam
E ſacram ſcripturam complecti exiſtimo, quam dum
Iudæi perperam interpretantur, multis errorum ve-
luti laqueis irretiti tenentur. Nec diſplicet eorum
ſententia, qui menſam Agni Paſchalis, id eſt, ſacrum,
& ſolemne conuiuium intelligunt: dum enim ex
omnibus fermè locis in vrbem Ieruſalem ad ſacras
illa ceremonias innumerabilis Iudæorum multitu-
do confluxiſſet, repentè Romanorum exercitu cir-
cumdati miſerandam obſidionem ſuſtinuerunt, vt ex
Ioſepho [g] facilè colligitur. Ita Apoſtolus antiquo g lib. 7. de bello Iudaic. cap. 17.
Dauidis teſtimonio præſentem Iudæorum impie-
tatem

tarem perſtringit. Re vera namque Dauidis vaticinium ad ea tempora, quæ Chriſtum conſecuta ſunt, referendum videtur. Quòd ſi Hebræos codices ſequamur, oratio aliquanto plus venuſtatis, & acrimoniæ habebit. *Fiat* (inquit) *illis menſa ſua laqueus*; quaſi dicat, iis prorsùs rebus pereant, quibus voluptatem, & oblectationem quærunt; vel (quod, vt dixi, magis probo) diuina ſcriptura, in qua ſe putant vitam beatam conſequi poſſe, fiat illis, quaſi pedica qua illaqueentur; ſiue quia ipſi dum ſacras litteras perperam interpretantur, pluribus erroribus implicantur; ſiue quia illius auctoritate arguuntur, & quaſi capti obſtringuntur, vt hiſcere planè non poſſint. Tum ſequitur: *Et quod ad pacem in offendiculum*; hoc eſt, illic impingant, vbi pacem ſperant, quaſi dicat iis in B rebus interitum, & perniciem offendant, quas ſibi ſperabant fore ſaluti. Addit Apoſtolus; *In captionem*; ſeu venationem, alludens ad inſidias, & retia, quibus feræ capiuntur: *Et in ſcandalum* nam re vera multa, quæ legunt in ſcripturis, ſunt illis pro offendiculo, & Chriſti prædicatio (vt alibi ait Paulus) eſt illis ſcandalum. *Et in retributionem illis*; dignam enim compenſationem tulerant ſuæ perfidiæ, cum bonis omnibus ſpoliati, & in exilium acti miſeram ſeruiūt ſeruitutem. *Obſcurentur oculi eorum, ne videant*, cæcis errorum nubibus inuoluti. Quod verò nos dicimus. *Dorſum eorum ſemper incurua*. Hebræi ſua voce fac nutare, ſeu vacillare dicunt; dorſi autem incuruatio virium imbecillitatem, ac defectionem indicat, non aliter, ac nutatio, ſeu vacillatio, hæc tamen ad ſeruitutem referunt Hieronymus, & Euthymius, quòd C ſerui ferè & bello capti oneribus ferendis deſtinentur. Hoc enim ipſum ſeruitutis iugum miſerè experiuntur Iudæi, vt ſuo loco copioſius doceo.

II. I. DICO ERGO, NVNQVID, &c. Græci codices ſimpliciter habent, μὴ ἔπταισαν, nunquid offenderunt? noſter interpres addidit, *ſic*; alij malunt addere, *ideo*, ſed dum hi videri volunt arguti, Pauli ſententiam peruertunt. non enim quærit Paulus vtrum idcirco offenderint Iudæi, vt penitùs perirent. cui enim, niſi planè deſipiat, id in mentem veniat ſuſpicari? Sed illud potius percunctatur, num Iudæorum lapſus ſit perpetuus, & ſempiternus, vt ſine vlla ſpe ſalutis prorsùs intereant. Quod autem ait Paulus; *vt caderent*, euentum rerum potius, & conſecutionem, quàm finem, & deſtinationem D ſignificat, quod ſæpè aliàs fatendum eſt: interim qui euentum à deſtinatione nequeunt diſtinguere, eos neceſſe eſt in magna rerum ignoratione verſari. Id adeo ipſorum argumenta declarant, quibus apertiſſimè colligunt, ſi euentum à deſtinatione Dei ſeparemus Deo vel conniuente, vel inuito non pauca fieri, quaſi verò quidquid Deo volente, id eſt, ipſo non inuito fit, id etiam ex deſtinatione oriatur. Perpetrantur quotidie inter mortales innumerabilia flagitia, quæ ſi dicas Deo inuito, ac nolente fieri, planè deſipias; *voluntati enim eius quis reſiſtat?* Eſſe autem hominum ſcelera à Deo deſtinata iure optimo negat Damaſcenus [a], qui ea ſolùm concedit eſſe præuiſa, non item certo conſilio, præfinita. In ſcholis E porrò Theologicis incredibili penè ſubtilitate auſi ſunt quidam nonnulla adhibita diſtinctione, etiam peccata materialis (vt ipſi loquuntur) actionis reſpectu, diuinæ præfinitioni ſubiicere, quod quale ſit alibi videro; multis certè viris doctis nullo modo probatur; cæterùm peccata, qua peccata ſunt, à Deo præfiniri præcisè, ac ſimpliciter hæretici tantùm admittunt, qui non minus proditionem Iudæ, quàm Pauli vocationem Deo auctori nefariè iuxta, & impetitè tribuendam putant; quos (vt cætera omittam) Patres Concilij Arauſicani [b], & Tridentini [c] apertè

a l.2.c.29.

b cap. vlt.
c Seſſ.6.can.6

A refellunt. Atqui ſi ad permiſſionem (inquiunt) tanquam ad aſylum cōfugias, eodem reuoluaris neceſſe eſt, vt vel neges Deum omnia poſſe, ſi inuitus permiſit, vel volentem permiſiſſe fateatis. Quid (quæſo) hoc eſt aliud, quàm non modò rerum, ſed etiam verborum inſcitiam prodere? Redeamus, quæſo, ad initium. quæſtio erat num euentum à deſtinatione diſtinguere oporteret; ego cum theologis affirmo, hæreticus negat. II. Euentum dico Deo volente quidem, ſed tantùm permittente, hoc eſt, non prohibente, & non impediente accidere: Deſtinationem eſſe diuinæ voluntatis abſolutum, & efficax, penitúſque irreuocabile decretum. Non intelligis adhuc quid ſit permiſſio? paucis accipe. Eſt illa diuinæ voluntatis actio, aut actionis ſimilitudo, qua liberè ſuis B viribus humanam libertatem, cæteráſque inferiores cauſas relinquit, atque ita fouet, vt ipſarum naturæ congruit, quam quidem futurorum omnium præſcientia, atque prænotio partim antecedit, partim ſubſequitur. Putas quidquid Deo volente fit, id etiam illo deſtinante fieri? Falleris, vt poſt Damaſcenum ſentiunt omnes, qui rectè ſapiunt; & ante illum Græcorum non pauci, & Latinorum antiquiſſimi docuerunt. Velitatio fuerit iſta, ad iuſtum te prælium ſuo loco prouoco: interim redeo ad Paulum, qui Iudæorum caſum negat fuiſſe eiuſmodi, vt interimat, & perniciem afferat ſempiternam. Sic enim ait Origenes. *Ipſum* (inquit) *Iſraelis lapſum dicit talem fuiſſe, non vt illi caderent, ſed vt delicto ſuo ſalutem gentibus darent.* Neque aliter Auguſtinus [a]. *Ergo* (ait) *nunquid* C *deliquerunt vt caderent? Abſit, ſed illorum delicto ſalus eſt gentibus; non ideo dicit, quia non ceciderunt, ſed quia caſus ipſorum non fuit inanis, quoniam ad ſalutem gentiū profecit. Non ergo ita deliquerunt, vt caderent, id eſt, vt tantummodo caderent, quaſi ad pœnam ſuam ſolùm; ſed vt hoc ipſum quo ciciderunt prodeſſet gentibus ad ſalutē.* Illorum autem delicto dixit. Græcè παραπτώματι III. paulò pòſt, ſi delictum illorum, Græcè παράπτωμα, delictum poſuit noſter interpres; ego lapſum, caſum, calamitatem, ruinam potius intelligo, vt ſit antitheſis inter τὸ παράπτωμα καὶ τὴν σωτηρίαν, ſicut paulò pòſt inter τὸ ἥττημα καὶ τὸ πλήρωμα. Non enim Iudæi ita penitùs ceciderunt, vt funditùs interirent, ſed ille qualiſcumque ipſorum caſus, & calamitas gentium ſaluti aditum patefecit, eorúmque imminutio, ac ve- D luti contractio, multitudinem, & plenitudinem gentium fidei Catholicæ peperit. Eadem tamen ſententia retinetur, etiamſi peccatum, ſeu delictum interpretemur; inde enim orta eſt Iudæorum imminutio, vt loquitur Paulus. Quemadmodum autem peccatum Latinè lapſus, offenſa, & caſus dicitur; ita etiam Græcè παράπτωμα. Qua ratione ſcripſit Paulus ad Galatas [b], ἐὰν καὶ προληφθῇ ἄνθρωπος ἔν τινι παραπτώματι, cui ſtatim reſpondet καταρτίζετε, hoc eſt, inſtaurare, aut luxatum confirmare, vel lapſum erigere. Omnino autem mihi verò valde ſimile videtur, eandem antitheſim retineri paulò pòſt inter ἀποβολὴν & πρόσληψιν, vt idem ſit τὸ παράπτωμα, τὸ ἥττημα, ἡ ἀποβολή; item nihil aliud ſit σωτηρία quàm τὸ πλήρωμα ἢ ἡ πρόσληψις. Afflicti ſunt igitur Iudæi ad tempus, non E penitùs abiecti, vt pereant. Tractat hunc locum Clemens [c] Alexandrinus; cùm enim ſuperiora Moſis, & Iſaiæ teſtimonia attuliſſet: *Vides* (inquit) *cauſam vocationis gentium apertè à Propheta dictam eſſe populi inobedientiam, & contradictionem; deinde in his quoque Dei oſtenditur bonitas, dicit enim Apoſtolus; ſed eorum delicto ſalus eſt gentibus ad hoc, vt eos æmulatione prouocarent, vt ipſi etiam pœnitentiam agerent.* Minuta verò & pueriles eorum videtur diligentia, qui particulam ἀλλὰ, Latinè *ſed*, negant aduerſandi vim habere, ſed poni pro eo, quod eſt, *immò verò*, quin potius, aut

a de quibuſd. ſenten. huius Ep.

b cap. 6. 1.

c li. 2 Strom. non longe à princ.

quidpiam ſimile. cùm enim Apoſtolus abominando reieciſſet, quod percunctando quæſierat, negaſſétque ita impegiſſe Iudæos, vt prorſus corruerent, rectè ex aduerſo ſubiungit quid ex illo lapſu conſecutum ſit; Non fuit (inquit) Iudæorum lapſus ad ipſorum interitum, ſed potiùs ad gentium ſalutem, & iuſtificationem. Verùm quorſum ſpectent verba illa; *vt illos æmulentur*; non ſatis liquet: ſunt enim qui de Iudæis, ſunt qui de gentibus accipiant; nec deſunt qui legant in numero ſingulari; æmuletur; vt videtur legiſſe olim Origenes, qui refert ad fidem, & ſalutem gentium; quæ viſua æmulationem, aut zelotypiam quamdam in Iudæorum animis excitauit; alij ad Deum ipſum, qui gentium conuerſione Iudæorum ſtudia prouocauit; ſed nunc quidem Latini codices numero multitudinis legunt, vt illos æmulentur, quod Photius de Iudæis intelligit, quaſi illi fidem, & iuſtitiam gentium incredibili ſtudio imitaturi eſſent; quod Anſelmo non diſplicet; qui tamen de ipſis gentibus etiam explicari poſſe contendit, quaſi ipſæ priſcam Iudæorum fidem, & ſanctitatem æmulaturæ eſſent. Multò autem aliter Origenes, Chryſoſtomus, Theodoretus, & Ambroſius hunc locum explicant, qui æmulandi verbum ad Gentes quidem referunt, ſed alio longè diuerſo ſenſu quem Græcum verbum facilè admittat. cùm enim Apoſtolus Græcè dixerit εἰς τὸ παραζηλῶσαι αὐτούς, planè conſtat illud αὐτούς non niſi ad Iudæos referri poſſe, quaſi dicat Apoſtolus ad prouocandum Iudæos, ſeu Iudæorum ſtudia excitanda, quam ſententiam in paraphraſi vtcumque expreſſimus, quod planiùs ipſe Apoſtolus paulò pòſt ſignificat. Diuino igitur conſilio voluit Deus, vt Iudæorum caſus gentibus ſalutem afferret, quò Iudæorum animi ad gentium fidem imitandam prouocarentur.

V. Qua verò ratione Iudæorum delictum gentibus ſalutem attulerit, non ſatis feliciter explicat Anſelmus; ait enim Iudæos quippe Chriſti liberatoris impios parricidas, iuſto fuiſſe exilio diuinitus mulctatos: quocirca illos per orbem terrarum vniuerſum effuſos, ſacras litteras, quibus fides Catholica nititur, veluti quamdam cæleſtis luminis facem, cunctis nationibus prætuliſſe. Sed (vt apparet) delictū pro flagitio, & peccato accipit, cùm (vt dictum eſt) lapſum, & caſum ſignificet. Igitur Iudæorum calamitas gentium ſalutem peperiſſe dicitur, quod cùm ipſi euangelicæ doctrinæ, quà negarent aſſenſum, quà pertinaciſſimè obluctarentur, Apoſtolos Euangelij præcones perpulerunt, vt ipſis neglectis gentium ſalutem procurandam ſuſciperent; quæ eſt interpretatio Chryſoſtomi, & aliorum fermè omnium Pauli, & Barnabæ teſtimonio, atque auctoritate firmata; ſic enim illi in Actis Apoſtolicis [a]. *Vobis* (inquiunt) *oportebat primùm loqui verbum Dei; ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ; ecce conuertimur ad gentes. ſic enim præcepit nobis Dominus; poſui te in lucem gentium, vt ſis in ſalutem vſque ad extremum terræ.* Huc poteſt aliqua ratione ſpectare quod legitur apud Iob: *Conteret* [b] *multos innumerabiles, & ſtare facit alios pro eis;* quem locum perelegauter more ſuo explicat Gregorius [c], indéque colligit electorum numerum eſſe certum. Sic in Apocalypſi [d] ſcriptum eſt; *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Certè hoc indicauit Chriſtus, cùm apud Matthæum dixit: *Dico autem vobis, quòd multi ab oriente, & occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno cælorum filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores.* Quem in locum ita Cyprianus [e]: *Oſtendit* (inquit) *quia antea filij regni Iudæi erant, quando & filij Dei eſſe perſeuerabant, poſtquam ceſſauit circa illos nomen paternum, ceſſauit & regnum.* Qua de re egregiè more ſuo philoſophatur Gregorius [a] ad illa verba Iob [b]: *Qui tranſtulit montes, & neſcierunt hi, quos ſubuertit in furore ſuo.* Hæc tamen omnia non perinde accipienda ſunt, quaſi gentes, non alia ratione ad fidem traduci potuerint, quàm poſita Iudæorum ruina; vel (quod longè deterius eſſet) quaſi Deus, qui ſalutis gentium auctor fuit, idem etiam fuerit cauſa, cur Iudæi peccarint, cùm ſit vtrumque falſum, atque impium, ſed hæc fuit (vt ſupra monui) conſecutio, non deſtinatio. Quod ſi de Iudæorum peccato agendū ſit, fuit illud omnino duplex; primum, quòd Chriſtum Dei filium occiderint; alterum, quòd Apoſtolos Chriſti fidem promulgantes à ſe repulerint.

a cap. 13. 46.
b cap. 14. 24.
c lib. 25. Mor. cap. 10. 11.
d cap. 3. 11.
e de Oratio. Dom.
a lib. 11. Mor. cap. 2.
b cap. 9. 5.

QVOD SI DELICTVM ILLORVM, &c. 12.

I. Argumento à minori concludit Paulus Iudæorum conuerſionem, quam aliquando futuram non obſcurè indicat; magnam acceſſionem allaturam ad gentium fidem. Hinc apparet, veriſſimè dictum eſſe non ſemel ab Auguſtino, eam eſſe diuinam ſapientiam, bonitatem, ac potentiam, vt ex malis bona colligat. meliùs enim iudicauit de malis bona facere, quàm mala nulla permittere; permiſit igitur Iudæos deficere, vt ita ſuæ bonitatis fontes gentibus aperiret. Eſt autem obſeruanda non inelegans antitheſis, quam paulò antè indicaui: artificioſè porrò Iudæorum animos ſubleuat, vnáque confirmat, quod non ſemel dixerat, non fuiſſe Iudæorum nationem penitus abiectam; quandoquidem futurum ſignificat, vt omnes Chriſto nomina dent, quod ſub finem mundi futurum creditur. Delictum autem illorum diuitias mundi fuiſſe dicit, quia illorum lapſus (vt ſæpè iam dictum eſt) aditum ad ſalutem gentibus reſerauit: Mox verò diminutionem eorum appellat exiguum eorum numerum, qui Chriſto nomina dederunt; ſic fermè omnes explanatores; verùm quoniam Græca vox ἥττημα calamitatem, aut cladem ſignificat, referri poteſt non ad eos, qui fidē complexi ſunt, ſed ad totius gentis ruinam, vt idem ſignificet quod παράπτωμα, & Hebræorum more idem repetat; nam diuitiæ mundi, & diuitiæ gentium idem planè ſunt; vel cladem eorum intellexit, qui pereunt. Verùm quoniam quod ſequitur τὸ πλήρωμα multitudinem eorum ſignificat, qui Chriſto adhæſuri ſunt; à communi ſententia, quam ſecutus ſum in paraphraſi, non puto recedendum: maluit autem plenitudinem Iudæorū dicere, quàm conuerſionem; vt ſignificet (auctore Chryſoſtomo) vniuerſos aliquando tandem diuinitus tactos ad Chriſti caſtra conuolaturos. Mundi porrò nomine gentiles, & barbaras omnes nationes ſignificat, quæ Euangelicæ doctrinæ mira alacritate adhæſerunt.

VOBIS ENIM DICO GENTIBVS, &c. 13.

SI QVOMODO AD ÆMVLANDVM, &c. 14.

I. Gentes alloquitur Apoſtolus; ſed quorſum, iure quis ambigat. ſunt enim qui cauſam afferri putent, cur tam magnificè de gentium conuerſione ſit locutus, perinde ac ſi dicat nemini mirum videri debet, cur gentium conuerſionem tantopere extollam; cum enim gentium Apoſtolus diuinitùs ſim conſtitutus, enitendum mihi ſummopere eſt, vt gnauiter commiſſam mihi prouinciam obeam, eámque exornem, & quoad eius fieri poteſt, celebrem, atque illuſtrem reddam; vt vel hac ratione Iudæorum ſtudia prouocem ad gentium fidem imitandam. Alij exiſtimant hanc Pauli orationem tacitam quandam excuſationem continere apud gentes, ne qui earum Apoſtolus habebatur, ad Iudæos deficere putaretur, & interim gentes monere, ne Iudæos contemnerent. Sed priorem ſententiam præferendam eſſe non dubito; hoc enim apertè indicant illa verba. *Si quomodo ad æmulationem prouoco carnem meam.* Cæterùm

quod

quod noſter interpres dixit, quamdiu, Græcè eſt
ἐφ' ὅσον, quod quidem Origenes ad tempus refert,
dubitátque, vtrum accipiendum ſit, perinde quaſi
Apoſtolus dicat; quamdiu ſuperſtes ſum; quoad vi-
uam. nam poſt obitum quidem ſuum non ſolùm
gentium, ſed & Iſraelitarum, & aliorum fortaſſe in-
uiſibiliũ apoſtolatum neſcio quem illum meditari,
omnino coactè & præter rem. vis certè Græcæ vocis
non neceſſariò refertur ad tempus, nam apud Mat-
a cap. 25. 40. thæum [a] dixit Chriſtus, *Quamdiu feciſtis vni de his
fratribus meis minimis*; Græcè ἐφ' ὅσον. Accipi autem
debet pro eo, quod latinè dicimus *quatenus*; quomo
do hoc etiam loco accipiendum eſſe nihil dubitu.
Quatenus enim (inquit Paulus) gentium mihi pro-
curatio demandata eſt, munus mihi commiſſum
exornabo, Græcè δοξάσω, ideſt, illuſtrabo, vel
(vt legit Auguſtinus) glorificabo, danda videlicet
opera, vt quàmplurimi Gentiles fidei veritatem ag-
noſcant, & complectantur, vt nonnullus inde fru-
ctus etiam in Iudæos redundet. hac enim ratione
ſuam prædicãdi prouinciam maximè illuſtrem red-
dit Apoſtolus, quòd eorum, qui ſibi commiſſi fue-
rant, ita curam, & adminiſtrationem ſuſcipiat vt Iu-
dæos tamen non negligat, quibus etiam, vi ſui mu-
neris nõnihil debebat. ſic enim de illo in Actis Apo-
b cap. 9. 15. ſtolicis [b] ſcriptum legimus. *Vas electionis eſt mihi iſte,
vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & fi-
II. lijs Iſrael.* Hæc igitur (vt ait Chryſoſtomus) cauſa eſt,
cur gentes, ac ſuum miniſterium commendet, quia
cùm ſit gentium Apoſtolus, hac ratione putauit Iu-
dæorum ſtudia excitanda: nam quod Ambroſius, &
Anſelmus autumant, Pauli miniſterium eo maximè
illuſtrari, quod non ſolùm Gentium, ſed etiam Iu-
dæorum ſalutem procuraret; paulò videtur alienius,
cùm apertè videatur reſpexiſſe ad id, quod maximè
agebat, vt gentes conuerterentur ad Chriſtum, vt di-
ctum eſt. Subdit autem: *ſi quomodo ad æmulandum
prouocem carnem meam, & ſaluos faciam aliquos ex il-
lis*; Græcè παραζηλώσω, de quo verbo iam multa di-
cta ſunt; eſt enim imitandi, & æmulandi ſtudiũ pro-
uocare. do (inquit) operam, vt quàmplurimos mor-
talium ad Chriſti fidem traducam: vt vel hac ratione
Iudæorum ſtudia excitem, & ſi fieri poſſit nonnul-
los ex iis pertraham ad ſalutem. Vocat autem Iudæos
carnem ſuam, vt hac molliſſima voce cùm ſuam in
illos caritatem declaret, tum eos ſibi blandè conci-
liet. ſignificat enim ſe ſanguinis cognatione illis eſſe
connexum. Acutè verò obſeruauit Chryſoſtomus,
addidiſſe Paulum; *Si quomodo prouocem*, vt tacitè
Iudæorum peruicaciam perſtringat.

15.
I. Si enim amissio eorvm, &c. Amiſ-
ſionem Græcè ἀποβολὴν appellat Apoſtolus abie-
ctionem, ſeu reiectionem. & Auguſtinus quidem
c lib. 9 cont. alicubi [c] reiectionem legit. Aſſumptionem verò
Fauſtum c. 2. Græcè πρόσληψιν, adiunctionem intelligit, qua vi-
delicet Iudæi fidelium numero aliquando aggrega-
buntur. Idem autem videtur dicere, quod paulò an-
tè, Iudæorum caſum, & calamitatem peperiſſe gen-
tibus ſalutem, & exiguum Iudæorum numerum, qui
Chriſto adhæſerunt, diuitias attuliſſe mundo, hoc
eſt, magnam gentium multitudinem Chriſto conci-
liaſſe. hoc idem ſignificat in præſentia, cùm ait; amiſ-
ſio eorum reconciliatio eſt mundi. Quod verò ſub-
ditur: *Quæ aſſumptio niſi vita ex mortuis*? ſi Origeni,
Ambroſio, Chryſoſtomo, Theodoreto, & Anſelmo
habenda eſt fides, ad omnium mortalium commu-
nem anaſtaſim refertur. nam ſi ad mundi occaſum
omnis Iudæorum natio Chriſti fidei præbitura eſt
aſſenſum; quid aliud reliquum erit, niſi vt expleto
iam prædeſtinatorum numero, cuncti mortales re-
uiuiſcant? Atque ita quemadmodum Iudæorum

A abiectio gentium conuerſioni occaſionem præbuit;
ita eorumdem conuerſio ad Chriſtum, occaſio quæ-
dam futura eſt reſurrectionis omnium mortuorum.
Verè omnino, ſed quod in paraphraſi indicauimus,
videtur ſimplicius & rerum conſecutioni magis con-
ſentaneum. Nam ſi exiguo credentium Iudæorum
numero locupletatus quodammodo dicitur mun-
dus, vbi omnis eorum multitudo ad Chriſtum acceſ-
ſerit, tùm verò omnis videbitur mundus quaſi ex
mortuis ad vitam reuocatus. Non diſplicet autem
quod inſinuat Ambroſius, hactenus dici mundum
ad vitam reuocari, quia ſuſcepta fide & vera Chriſti
religione, gratiæ, & iuſtitiæ vitam aſſequitur; tunc
enim erit planè vnum ouile, & vnus paſtor.

Qvod si delibatio, &c. Græca vox eſt 16.
B ἀπαρχὴ, qua voce Septuaginta [a] ſignificant id, quod I.
Hieronymus vocat primitias, & primitiua, vt vero a Num. 15. & alibi.
ſimillimum videatur reſpexiſſe aliqua ratione Pau-
lum ad panes primitiarum, de quibus agitur in Leui-
tico [b]; vt quemadmodum illorum panum oblatio b cap. 23. 14.
quodammodo reliquam omnẽ maſſam apud Iſrae-
litas expiabat, vt præclara deinde conſcientia pinſere
eis, & coquere liceret, ita totus populus, quaſi quæ-
dam maſſa ab ipſius parentibus Abraham, Iſaac, Ia-
cob tanquam primitiis nonnullam, vel ſanctitatem,
vel ſanctitatis præparationem conſequatur; vt mirum
ſit veniſſe in mentem Theophylacto ἀπαρχὴν inter-
pretari ζύμην. quid enim vinoſo, & corrupto tritico,
cum bona conſperſione? Neque verò placet, quòd
nonnulli frumentum intelligũt, vnde maſſa, ſeu con-
C ſperſio conficitur: meliùs omnino dixit noſter in-
terpres, *Si delibatio ſancta*. quod enim primò ex maſ-
ſa conficitur, Deo olim Hebræorum more libabatur;
ſed (ni fallor) metaphora ab arboris radice de-
ſumpta quibuſdam impoſuit, qui non aliter maſſam
à delibatione, quàm arborem à radice oriri putant,
cùm eòdem quidem vtraque ſimilitudo ſpectare vi-
deatur, ſed alia tamen, atque alia ratione, vt mox di-
cam. Certè alluſiſſe videtur Paulus ad locum Nu-
merorum [c]: *Cùm veneritis* (inquit) *in terram, quam* c cap. 15. 19.
*dabo vobis, & comederitis de panibus regionis illius, ſepa-
rabitis primitias Domino de cibis veſtris, ſicut de areis
primitias ſeparabitis, ita de pulmentis dabitis primitiua
Domino.* Quo loco Hieronymus primitias, & primi-
tiua tranſtulit; Septuaginta verò ἀπαρχὴν; & quod ille
D cibum, & pulmentum vertit, illi dixerunt φύραμα; qua
vtraque voce Græca vtitur hoc loco Paulus. Ad hunc
locum alludens Gregorius [d] Nazianzenus, ἐξ ἁγίας d Or. 10. quæ eſt in fun. Cæſ.
(inquit) ἀπαρχῆς ἅγιον φύραμα. & Damaſcenus [e] de e lib. 3. cap. 2.
Chriſto ait: ἀπαρχὴν γὰρ ἀνέλαβε τοῦ ἡμετέρου φυράματος.
& paulò pòſt, ἀπαρχὴν προσλαμβανόμενος τοῦ ἀνθρωπείου
φυράματος. Nam cum Paulo Apoſtolo vterque de
humana natura quaſi de maſſa pinſita, & ſubacta lo-
quitur. Ipſe verò Apoſtolus ſupra [f] φύραμα pro maſ- f cap. 9.
ſa figuli vſurpat; quomodo dixit Plutarchus φυρᾶσαι
πηλὸν, hoc eſt, lutum ſubigere. Qua verò ratione
hoc Pauli teſtimonio abuterentur Valentini diſcipuli
ad inania ſua dogmata confirmanda, docet Irenæus [g], g lib. 1. cap. 1.
& ex illo Epiphanius [h]. Cæterùm cùm Apoſtolus h Hæreſ. 31.
duas afferat ſimilitudines, non ſatis conuenit, eodém II.
E ne vtraque referenda ſit, an ſuus cuique ſenſus ſin-
gillatim reſpondeat: nam Ambroſius quidem, &
Anſelmus vtriuſque metaphoræ eundem putant eſſe
ſenſum, & delibationem, ſeu primitias Apoſtolos,
& eos, qui primi ex Iudæis fidem complexi ſunt,
indicare putant, quòd hac ipſa Epiſtola [i] dixerit Pau- i cap. 8. 23.
lus, Apoſtolos primitias ſpiritus percepiſſe; ita Pauli
argumentum erit, ſi Apoſtoli, cæterique Iudæi, qui
Chriſto nomina dederunt, ſanctitatem, & iuſtitiam
adepti ſunt, iique fuerunt veluti cuiuſdam maſſæ
primitiæ, profectò reliqui omnes, qui ipſi maſſæ

comparantur, æquè ad fidem, & iuſtitiam capeſſendam cenſeri debent idonei. Paulò aliter Theodoretus, qui primitias ex maſſa delibatas Chriſtum ipſum ſanctitatis auctorem, radicem verò ſanctos Patres veteris Teſtamenti interpretatur. Sunt qui delibationem malint ſignificare primos, qui Chriſto nomina dederunt; radicem verò primos Iudæorum parentes; vt Eccleſia oleæ comparetur, in bono ſolo plantata, quæque in Chriſto altas habet radices, id eſt, Patriarchas, & Prophetas: rami ſunt omnes fideles: rami exciſi ſunt Iudæi perſiſtentes in perfidia: inſiti ſunt gentiles, qui fidem Chriſti complexi ſunt. At Chryſoſtomus, quem nos in paraphraſi ſequuti ſumus, vtramque metaphoram eodem ſenſu explicat, & primitias atque radicem primos Iudæorum parentes, Abraham, Iſaac, & Iacob, cæteróſque Patriarchas, & Prophetas intelligit, maſſam verò, & arboris ramos vniuerſam Iudæorum gentem, vt argumentatur Paulus hunc fermè in modum. Si primi Iudæorum parentes Chriſti fidem complexi ſunt, quid eſt, cur exiſtimandum ſit, reliquam Iudæorum nationem prorsùs eſſe à Chriſto alienam? Cùm æquũ potiùs ſit, & rationi in primis conſentaneum, maſſam quidem primitiis, arboris verò truncum, & ramos radici reſpondere? Et quidem primitiarum nomine Hebræorũ parentes potius ſignificari, quàm Apoſtolos, & eos, qui primi fidem complexi ſunt, indicat oleæ ſimilitudo, quæ (vt diximus) eodem pertinet, olea verò Eccleſiam proculdubio ſignificat, quæ veluti radicem habet primos illos Patriarchas, à quibus veluti truncus extitit, cui cuncti fideles tamquam rami adhærent. Idem igitur ſignificat radix, quod primitiæ; idémque rami, quod maſſa, & ſenſus eſt: Si delibatio ſancta eſt, eius profectò ſanctitatis particeps erit & reliqua maſſa; & ſi radix ſancta, eiuſdem ſanctitatis vim etiam rami percipient. Ita Ambroſius: *Manifeſtum eſt, quod vnius ſubſtantiæ eſt, vnum eſt, ac per hoc non poteſt delibatio ſancta eſſe, & maſſa immunda, delibatio enim de maſſa eſt.* Neque aliter ſenſit Theophylactus. *neceſſe eſt* (inquit) *primitiis, hoc eſt fermento maſſam, & radici ramos aſſimilari:* vbi tamen malè, vt monui, primitias fermentum interpretatur.

III. Neque verò ſanctitatem hîc propriè intelligit Apoſtolus, quaſi Iudæos, quos paulò antè reiectos fuiſſe dixerat, ſanctos, & iuſtos nihilominus eſſe affirmet, ſed ſanctitatẽ intelligit aptitudinem quamdam ad ſanctitatem: quomodo ſanctitas accipitur à nõnullis in priori ad Corinthios,[a] cùm dixit: *alioqui filij veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt.* Nam quod B. Auguſtinus[b] maſſam interpretatur non eos, qui ſanguinis propagatione ortum ducunt ab Abraham; ſed eos, qui eius fidem, & iuſtitiam imitantur, veriſſimam quidem ſententiam continet, ſed vereor, vt ad mentem Pauli: cui propoſitum eſt oſtendere, nihil eſſe in Iudæorum natione, ſi naturã ſpectes, cur debeat Deo eſſe exoſa. nam cùm ex illa prodierint patres ſanctiſſimi, cur non eadem ratione reliqua multitudo eiuſdem ſanctitatis poſſit eſſe particeps? Si præſertim ſanctitatis nomine, vt modò dixi, quædam aptitudo quaſi remota ad capeſſendam ſanctitatem ſignificetur, cum alioqui certum ſit, vt Auguſtinus affirmat, nullius ſanctitatem, aut iuſtitiam ad alios poſſe pertinere. Si Chriſti ſanctitatem excipias, qui eſt fons & origo omnis ſanctitatis, de vnius plenitudine omnes accepimus, quod ipſum non perinde accipiendum eſt quaſi Chriſti ſanctitas ipſa nobis, vt volunt hæretici imputetur, vel ab illo ad nos permeet, ſed quòd ſuo merito omnis ſanctitas & iuſtitia tribuatur. Æmulatus eſt hanc Pauli metaphoram Gregorius[c] Nazianzenus. cùm enim de Patre loqueretur: *Pater quidem* (inquit) *ex*

a cap. 15.
b epiſt. 106.
c Orat. 10.

A *oleaſtro in fructiferam oliuam pulchrè inſitus, pinguedinique vſque adeo particeps factus, vt aliorum quoque inſito ipſi commiſſa, & animarum cura mandata ſit.* Alludit enim ad id, quod alibi[a] de Patre ſuo narrat. *Ex radice ortus eſt minimè laudabili, nec ad pietatem rectè comparata (non enim priorum me pudet poſtremis confidentem) nec in Dei domo plantata; verùm admodum abſurda, & prodigioſa ex duabus rebus maximè contrarijs, hoc eſt, gentili errore, & legali vanitate conflata, quorum vtriuſque partes quaſdam fugiens, ex quibuſdam partibus conflata, & conſtituta eſt: etenim illius quidem idola, & ſacrificia reijcientes, ignem, & lucernas colunt: huius autem ſabbatum, & ieiunam quandam à nonnullis cibis abſtinentiam venerantes circumciſionem aſpernantur, atque humiles, atque abiecti homines* B *Hypſiſtariorum nomen ſibi tribuunt, ac ſoli omnipotenti venerationem adhibent.* Ab hac enim hæreſi Gregorij Pater ad veram fidem traductus, rectè dictus eſt ex oleaſtro in legitimam oleam inſitus. Videntur autem illi hæretici Hypſiſtarij appellati, quaſi excellentiſſimi, de quibus tamen apud veteres nulla mentio, niſi quòd de Euphemitis, ſeu Meſſalianis ſimile quiddam ſcribit Epiphanius[b].

a Orat. 19.
b lib. 3. hær. 2.

17. Qvod si aliqvi ex ramis, &c.

18. Noli gloriari adversvs ramos, &c.

I. Admirabilis planè atque diuina eſt ſapientia Pauli. nam qui viſus erat Iudæos deprimere, & Gentiles præ illis extollere, gentium nunc faſtum, & tumorem, ſi quis fortè irrepat, artificioſè comprimit. Perſtat autem in ſuſcepta metaphora radicis, C & trunci; & Iudæorum quidem gentem oleæ, gentiles autem oleaſtro comparat. ait igitur; quid ſi nonnulli ex Iudæis tamquam oleæ rami exciſi ſunt? vbi aliquos ait exciſos, ne vniuerſam arborem reſectam, aut etiam auulſam quis ſuſpicetur: nam de tota Iudæorum natione dixerat olim Ieremias[c]. *Oliuam vberem pulchram, fructiferam, ſpecioſam vocauit Dominus nomen tuum:* Fractos autem ait eſſe nonnullos ramos, eos videlicet, qui cùm ex oraculis Prophetarum Chriſti aduentum præſtolarentur, cum tamen iam præſentem non agnouerunt modò, ſed etiam nefariè, atque impiè oppugnarunt; ita cùm fide Chriſti venturi trunco adhæreſcerent, noua perfidia concepta detruncati ſunt. De Gentilibus verò: *Tu verò* (inquit) *cùm oleaſter eſſes*, Græcè ἀγριέλαιος, D id eſt, ſylueſtris, & agreſtis olea; inſertus es in illis certè non exciſis, aut auulſis, quia alioqui ſurculi inſiti ad radicem oleæ non pertinerent, cùm tamen id maximè contendat Paulus. Videtur igitur reſpexiſſe ad reliquos ramos, qui alijs fractis remanſerunt ipſi in trunco, quibus adiuncti ſunt inſititij, de quibus hîc agitur, vt ἐν idem valeat, quod σὺν, quaſi dicat; inſitus es, vt vnà cum alijs oleæ ramis ex eodem trunco, atque radice ſuccum haurias. Vel ſi ramos exciſos intelligere placeat de quibus proximè locutus eſt, in illis, idem erit, quod pro illis, id eſt, loco ipſorum, vt nos diximus in paraphraſi: Græci namque ἐν φαρμάκου ᾗ, id eſt, vice medicamenti, vel pro medicamento eſſe dicere conſueuerunt.

II. Porrò noſter interpres dixit; *inſertus es*, non tam Latinorum E more, qui inſitum potius dixiſſent, quàm veterum Eccleſiaſtica conſuetudine; ſic enim loquuntur Ambroſius[d], Hieronymus[e], Auguſtinus[f]. inſitus igitur es, quaſi fiſſo arboris ramo ſurculus, vel tamquam ſtolo, qua ſe protulit gemma perterebrato cortice, quam inoculationem, ſeu emplaſtrationem Latini vocant. Quocirca rectè ſubdit. *Et ſocius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es.* Nam, vt ſcribit Auguſtinus[g], oleaſter factus eſt particeps pinguedinis oliuæ, non olea facta eſt particeps amaritudinis oleaſtri. Pinguedinem verò Græcè πιότητα vocat ſuccum,

c cap. 11. 16.
d lib. 8. in Lucam.
e Abac. 1.
f epiſt. 120.
g Tract. 116. in Ioan.

&c ali

& alimentum,quod à radice trahitur. Egregiè verò obſeruauit Ambroſius contra communem agriculturæ rationem accidere, vt agreſtis,ac ſterilis arboris ſurculus,aut ſtolo generoſo trunco inſitus, illius ſucco non vegetetur ſolùm, ſed ita prorsùs perficiatur,vt ſimiles trunco fructus edat; ita ſocius radicis, & pinguedinis factus eſt oleaſter, vt deinceps non quales olim amaros,& agreſtes fructus edat, ſed legitimas, & oleaginas baccas proferat. Quocirca Auguſtinus [a] *oleaſter factus eſt particeps pinguedinis oliuæ, non olea facta eſt particeps amaritudinis oleaſtri.* Noli igitur gloriari (ait Apoſtolus) aduerſus ramos, ſiue fractos,ſiue auulſos à trunco, ſiue eos, quibus adiunctus es, vt ea, quæ ſequuntur, planiùs explicant. Ait enim; *Quod ſi gloriaris,non tu radicem portas, ſed radix te.* Si inſolenter agas, & aduerſus Iudæos glorieris,ineptè,ac planè ſtultè facis: quamuis enim Iudæorum nonnulli tamquam rami ex arbore auulſi,reiecti ſint,tu tamen ita radici hæres,vt inde auelli facilè queas;neque iure ſupra cæteros Iudæos, qui fidem amplexi ſunt,efferri potes, quippe illi natiuæ radici hærent,tu aliunde accerſitus inſitus es. Itaque ad tumorem,atque arrogantiam tuam reprimendam obiicietur tibi eſſe Iudæos, veluti natiuos ramos trunci illius,atque radicis, vnde tibi tamquam inſitio ſuccus ſuggeratur. Etenim Iudæi ante Chriſti aduentum ad veram Eccleſiam pertinebant, veráque Chriſti venturi fide prædìti, trunco legitimæ oliuæ hærebant; vbi verò Chriſtum præſentem abiecerunt,exciſi ſunt, & à trunco auulſi;ideo meritò ramis fractis comparantur:vt vel hinc appareat,illos non eſſe à Chriſti fide repellendos,cùm potius maximè ad illam ſint vocandi. *Quod ſi gloriaris*(ait)*non tu radicem portas,ſed radix te.* Gentiles priſcis Patribus nihil tribuere poſſunt, ſed contrà potius veram ab iis fidem perceperunt, atque ita ad eorum ſpiritualem poſteritatem meritò pertinent. Ita hæc omnis oratio eò pertinet, vt gentilium tumor deprimatur.

a cap. 116. in Ioan.

19. I. Dices ergo,&c.Hæc eſt nonnulla gloriandi occaſio,potuiſſent enim Gentiles dicere, qualeſcumque tandem olim ipſi fuerint,iam ſe Chriſti beneficio fuiſſe in oleam inſitos,ipſóſque adeo Iudæos ob idipſum exciſos,atque auulſos,vt inſitioni, atque inoculationi locus eſſet,qua ipſi infererentur, ita videri poſſent ſua nonnulla merita prædicare; contrà verò Iudæorum flagitia, & impietatem criminari. Cæterùm quod ait;*vt ego inſerar*, conſecutionem, vt monui, non deſtinationem ſignificat. ex eo enim, quòd Iudæi à fide exciderunt, & Apoſtolicam prædicationem reiecerũt,factum eſt,vt gentibus Euangelica doctrina promulgaretur, & non pauci Chriſto aggregarentur. Neque ſanè defuiſſet diuinæ ſapientiæ alia ratio adducendi Gentiles ad fidem, ſi Iudæi Chriſtum complexi fuiſſent, ſed diuino planè conſilio hæc prouidentiæ ratio probata eſt,vt omnino fateri neceſſe ſit, præfinitionem diuinam, non omni prorſus prænotione antiquiorẽ eſſe. Sed præuerti ſcientiam rerum ſub conditione futurarum,vt cùm Deus vi huius ſcientiæ rerum omnium ſeries atque ordines ſpectet, qui quibuſque poſitis futuri eſſent,eum præ cæteris eligat, quem infinita ſua ſapientia maximè probarit. Itaque cùm Iudæis in perfidia perſiſtentibus gẽtes vocatæ ſint ad fidem,nonnulla eſſe videbatur gloriandi ratio, cui tamen ſapienter occurrit Paulus dum ait.

20. I. Bene propter incredvlitatem, &c. Fuerunt ſanè(inquit) ob ſuam perfidiam Iudæi exciſi, atque à trunco auulſi; tu qui olim Gentilis, atque infidelis eras; nullo tuo merito,ſed vnius fidei beneficio,quæ tibi diuinitus conceſſa eſt trunco hæres; quæ igitur poteſt eſſe gloriandi materia? Tantùm verò abeſt, vt iure poſſis tibi quidquã arrogare, vt magnopere potius debeas eſſe ſolicitus, ne à fide excidas, atque ita à trunco reſeceris. igitur ſi ſapis *noli altum ſapere*;Græcè ὑψηλοφρόνει, id eſt, ne efferaris, ne tibi placeas, aut ſuperbè & arroganter circumſpicias. De qua re Baſilius [a],qui eum altum ſapere definit,qui ſeipſum extollit, qui propter rectè facta de ſe ipſo magnificè ſentit, quem eundem inflatum eſſe ait, iuxtà illud Pauli [b]; *Ne vnus aduerſus alterum inflетur. Time*, autem addit, Græcè φοβοῦ,ad animi demiſſionem, & modeſtiam, nonnullam denique ſolicitudinem excitans. Hìc metuunt hæretici, ne aliquis ipſis metus admittendus ſit, quo de ſua ſalute,quaſi à fide, & gratia cadere poſſint, neceſſariò debeant eſſe ſoliciti,atque idcirco timoris nomine religioſum Dei cultum ſignificari putant; omnino contra ſententiam Pauli, qui quò referendus ſit hic metus, mox his verbis declarat.

a Reg. breu. 16.

b 1. ad Cor. 4.6.

Si enim Devs natvralibvs, &c. 21. I.
Hæc eſt iuſti metus cauſa; debet enim quiſque eſſe ſolicitus, ne fortè gratiæ præſidio deſtitutus in impietatem prolabatur,& iuſtam Dei iram, atque offenſionem incurrat: Huc enim ſpectant illa [c]. *Qui ſtat, videat ne cadat.* Itémque [d]: *Conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris.* *Ne fortè*,Græcè eſt μή πως; quaſi dicat;ne quo modo,aut ne quà fiat, vt neque tibi Deus pareat. Quod autem noſter interpres addidit, fortè, ſententiam nihil mutat.

c 1. ad Cor. 10.12.

d ad Gal.6.1.

Vide ergo bonitatem, &c. Nimirum hæc duo ſunt,quæ in prædeſtinationis,ac reprobationis myſterio celebranda eſſe, perpetuò docet Auguſtinus, illam Dauidis [e] ſententiam laudans. 22. I.
Miſericordiam,& iudicium cantabo tibi, Domine. Illam quidem erga prædeſtinatos, hoc verò in reprobos; quod ipſum inſinuauit Apoſtolus cùm ſupra [f] dixit: *Quòd ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum,vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Bonitatem autem dixit, Græcè χρηστότητα, quaſi dicat beneficentiam, ſeu benignitatem, quæ eſt animi quædam propenſio ad benemerendum de aliis, cui opponit ſeueritatem; Græcè ἀποτομίαν, quaſi dicat reſectionem,quæ pars quædam iuſtitiæ videtur, quæ ita ſcelera vlciſcitur,vt nihil de ſupplicio remittat, ſed reſecet,atque exigat omnia ad viuum;quæ quamquam re vera Deo non ineſt,qui(vt Theologi docent)ſupplicium irrogat citra condignum, ineſſe tamen aliqua ratione videtur, cùm hominum ſcelera, atque flagitia punit. Indicat igitur Paulus eximiam fuiſſe Dei benignitatem in Gentiles, quos Eccleſiæ ſuæ aggregauit; contrà verò nonnullam ſeueritatis ſpeciem aduerſus Iudæos, quos propter ipſorum facinora à ſe quodammodo abdicauit. Addit porrò: *Si permanſeris in bonitate*; Græcè χρηστότητα, *alioquin & tu excideris.* Alloquitur enim Gentilem, eique proponit Dei benignitatem, & ſeueritatem; ita vt Dei in ſe bonitatem agnoſcens,in ea perſeueret;ne & ipſe quaſi adulterinus ramus recidatur. Sed quid ſit in bonitate permanere,iure quæras. Et Clemens [g] quidem Alexandrinus fidem Chriſti interpretatur; vt permanere in bonitate nihil aliud ſit, quàm fidem ad extremum vſque vitæ ſpiritum conſtanter retinere; propiùs verò loquitur Anſelmus,qui gratiam & bona opera intelligit,ſed neuter(vt arbitror) collimauit; cùm enim ſit eadem vox hoc loco, quæ paulò antè,cùm de Deo ageretur,neceſſe eſt omnino eamdem Dei bonitatem intelligi;vt permanere in bonitate dicatur is, qui vitam moréſque ſuos ita componit,vt meritò illum Dei benignitas, ac beneficentia

e Pſal 100. 1.

f cap. 9. 22.

g li.1. pædag. cap. 8.

perpetuò comitetur. vt enim docuit Auguſtinus, ne-
minem Deus deſerit, niſi priùs ipſe deſeratur; nec
priùs eſt vltor, quàm ſit homo peccator. Id autem
fit, dum fides reliquæque virtutes, quibus Chriſtiana
iuſtitia conſtat, & retinentur, & excoluntur.

23. SED ET ILLI SI NON PERMANSE-
I. RINT, &c. Hæc idcirco dicta videntur à Paulo,
tum vt maiorem metum, & ſolicitudinem geotibus
incutiat; tum etiam vt doceat non eſſe Iudæos ipſo-
rum præſertim ſpectata natura, Deo immortali exo-
ſos; eorum duntaxat infidelitatem iuſtam Dei iram
prouocaſſe, quam ſi exuant, atque euangelicæ do-
ctrinæ aſſenſum præbeant, poſſe illos in priſtinam
dignitatem facilè reuocari, & rurſus trunco inſeri, à
quo fuerāt auulſi. Nec ſanè mirum reſectos ſurculos
in eamdem rurſus arborem vtiliter inſeri. id enim
etiam in re ruſtica vſu venire docet Plinius, qui ali-
a lib.17.c.17. cubi ſcripſit [a]. *Caſtaneam ſuo-metipſo ſurculo inſitam,*
vnico tamen exemplo, idque in agro Neapolitano, vt mi-
nus mirandum ſit, Iudæos, qui natiuæ oleæ olim ad-
hæſerant, mox reſectos iterum in eamdem oleam
inſeri poſſe; atque hoc eſt, quod ait Paulus. *Potens*
enim eſt Deus inſerere illos; planè potens, qui ſuæ di-
uinæ gratiæ efficacitate hominum corda immutat,
& quocumque voluerit, flectit, & inclinat, vt alibi
b cap.18.27. doceo. Ita Chriſtus apud Lucam [b] dixit: *Quæ impoſ-*
ſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum. Et
c cap.14.36. apud Marcum [c]: *Abba Pater, omnia tibi poſſibilia ſunt.*
d cap.3.9. Et Ioannes apud Matthæum [d]: *Potens eſt Deus de la-*
pidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Hac ratione Au-
guſtinus ooo rarò prædeſtinationem ad diuinam
omnipotentiam refert: & certè Paulus ipſe dum
Chriſtianos ad cædem quæreret, reſectus erat à trun-
co, rurſus tamen mirabiliter inſitus eſt.

24. NAM SI TV EX NATVRALI, &c. Acri,
I. ac vehementi argumentatione confirmat quod mo-
dò dixit, poſſe Iudæos iterum in oleam inſeri, idque
à minori; nam ſi tu (inquit) gentilis cognatione ſan-
guinis alienus à gente Hebræorum potuiſti inſitio-
ne coaleſcere in eam oleam ſpecioſam, & fœcun-
dam, quanto id magis iis ramis eueniet, qui non ita
pridem ab ea arbore erant exciſi? Gentiles porrò na-
turali oleaſtro comparat, ſiue quia (vt ait Auguſtinus)
e ad Eph.2.3. vitium pro natura inoleuerat, vt meritò Paulus [f] om-
f Sap.12.10. nes natura filios iræ appellet; & ſapiens [e] naturalem
vocet malitiam Cananæorum, ſiue quia primi paren-
tis vitio deprauata natura, & peruerſa conſuetudine
vehementiùs ad malum propenſa adeo ſponte ſua
præceps fertur in malum, vt meritò dixerint Con-
g cap.22. cilij [g] Arauſicani Patres, neminem habere ex ſe niſi
mendacium, & peccatum. Hîc autem naturalis olea-
ſter contra naturam dicitur in oleam inſitus; vel, vt
habent Græca exemplaria παρὰ φύσιν, id eſt, præter
naturam, ſiue repugnante, ac reluctante natura, cùm
fides ſupranaturalis naturæ vires, & facultates ſupe-
ret, ſiue quod magis reor, præter inſitionis, aut em-
plaſtrationis naturam. duplici enim nomine hæc
oleaſtri in legitimam oleam inſitio, à vera, & natu-
rali inſitione differt, quòd agricolationis præcepta
doceant bonarum arborum ſurculos in minus gene-
roſos truncos inſeri, quod hîc accidit ſecùs; ſurculi
enim oleaſtri inſeruntur in bonam oleam. Accedit
quòd ſurculus inſitus ſuccum quidem, & vitam tra-
hit à trunco, fructus tamen fert ſuæ, non trunci na-
turæ conſentaneos: quod hîc longè aliter videmus
accidere: oleaſter enim in oleam inſitus, oleaginos
(vt diximus) fructus parit. Si igitur hæc, quæ viden-
tur contra naturam fieri potuerunt, quanto faciliùs
præſtari poterit id, quod rei natura quodam modo
h li.6.Strom. flagitat? Tractant porrò locum hunc & copioſè, &
i lib.3.ca.10. eleganter Clemens [h] Alexandrinus, & Irenæus [i], ex

A quibus multa hauriri poſſunt, quibus hæc Pauli ſen-
tentia maximè illuſtretur.

NOLO ENIM, VOS IGNORARE, &c. 25.
Immoratur Paulus in eadem re, quam tam vehe- I.
menter, támque frequenter inculcat, vt Gentilium
ſpiritus interim comprimat, & Iudæorum beneuo-
lentiam retineat, quos ait, neque omnes neque
omnino fuiſſe à Deo abiectos, ſed permiſſos tātiſper
excutire, quoad qui ſunt ex gentibus prædeſtinati,
Chriſto aggregentur; tum demùm reliquos Iudæos
omnes fore ſaluos. Hoc autem appellat myſterium;
placuit autem interpreti Græcam vocem retinere,
quod & alibi non rarò facit. eſt autem myſterium,
interprete Chryſoſtomo, τὸ ἀπόῤῥητον, ἢ θαυμαστόν,
καὶ ἀγνοούμενον, id eſt ineffabile, admirabile, & igno-
B tum, ſeu occultum, quæ interpretatio maximè huic
loco conuenit. Vnde autem myſteria dicta ſint, ex-
plicat Clemens [a] Alexandrinus; quod & alij non a in adhor. Gent.
indiligenter faciunt: nam Euſebius [b] ἀπὸ τοῦ μύσους b lib.2. præp Euang. cap.
deducit, id eſt, ab execratione, ſeu abominatione, quæ
circa Dionyſium accidit, quem ferunt ex inceſtu Io-
uis cum filia Proſerpina procreatum; quam etymo-
logiam parum ſcitè Theologus neſcio quis maximè
ridendus ipſe deridet, omnis quippe Græcæ erudi-
tionis ignarus, malè tanquam cæcus de coloribus
iudicat. Alij à Myonte Attico, quem Apollodorus in
venatione interiiſſe ſcribit. *Poſſunt* (inquit Clemens)
& aliter intelligi myſteria, quaſi μυθήρια, id eſt, venan-
tes fabulæ, quod maximè barbarorum animos venentur
tanquam amentes, & nimia ſuperſtitione inſanos. Ne-
C que verò audiendi ſunt ij, qui apud Clementem non
μυθήρια, ſed μαςήρια legunt; cùm in Græco etymo-
logico ſcriptum ſit μυςήρια, μυτήρια, μῦθος γὰρ ὁ λό-
γος. alij malunt dici ἀπὸ τοῦ μύειν, quod eſt claudere,
quod de oculis, & de ore dicitur, quaſi à prophanis
quidem non niſi clauſis, & conniuentibus oculis ſpe- c li.6.Æneid.
ctanda ſint; ab initiatis verò clauſo ore, arcto quippe d lib.17.Met. Ouid. Sylus
ſilentio occultanda, neque prophanis vllo modo Ital.lib.17. Iu
prodenda. Quocirca μύστης, dictus eſt is, qui initia- uenal. Sat. 2.
tur, & qui myſteria tractat; ita myſteria dicuntur ar- Claud. li.1. de
cana, & abdita, & quæ ſilentio occultari debeant. ita rap. Proſerp.
olim ſolemni voce prophani ſacris arceri conſueue- Titus Calf. Ecloga 2. Hor.
rant, vt illud apud Virgilium [c]; *Procul, ô procul eſte* ode 1. lib 3.
prophani; quod aliis prope ſexcentis [d] locis obſeruare Agel. lib. vlt. cap. vlt. Macrob. lib. 1 in ſom. Scip. c. 2.
licet; vt non immeritò dixerit Tertullianus [e], impias e Apolog.
D initiationes ſemper arcere prophanos, vt apud Lucia- f in Pſeudõ.
num [f] in primis conſtat: neque id ſolùm, ſed ſilentio g lib 5.
erant myſteria premenda, vt aliis effari, aut prodere h in Auguſt.
nefas eſſet; quo nomine Alcibiades abſens, auctore i Ouid lib. 1. & 2. de arte amandi. Virg. lib 6. Æneid. Hor Ode 2.li. 3. Claudia. de bello Getico. Galen. lib 7. de virt. ſimpl. medicam. Phi loſtrat li 4. de vita Apollon. Plutarch. Lectori. l. 5. diui. inſtit. Arnob. lib. 2. 5. aduerſ. Gentes.
Iuſtino [g], Athenis inſimulatus eſt, quod initiorum
ſacra nullo magis, quàm ſilentio ſolemnia enuntiaſ-
ſet; &, vt ſcribit Suetonius [h], cùm Auguſtus Athe-
nis olim initiatus Romæ pro tribunali de priuile-
gio ſacerdotum Atticæ Cereris cognoſceret, & ſe-
cretiora quædam proponerentur, dimiſſo cōcilio, &
circumſtantium corona ſolus diſputantes audiuit, ne
videlicet prophanis initia vulgarentur: quò referri
poſſunt ſexcēta, quę apud veteres ſcriptores [i] legūtur.
Quæ cùm ita ſint, Clemens [k] Alexandrinus ex Pla- II.
tone oſtendit myſteria fuiſſe occulta, nec niſi ini- k li. 5. Strom.
E tiatis nota, quibus fas erat quæ myſteriis tradeban-
tur, inter ſe vulgare, vt ex Cicerone [m], & Luciano [l] l prima Tuſcul.
intelligitur. Eodem planè modo de myſteriis tan- m in nauigio, ſeu votis.
quàm de rebus abditis, & occultis locutus eſt olim
Marcus [n] Tullius; cùm ſilentio quidpiam, tanquam n l.3. de Orat.
myſterium celandum dixit. Neque aliter hoc loco
loquitur Theodoretus ſecutus Chryſoſtomum [o]: o 1 ad Cor. 4. & 2. ad Cor. 1.
quin etiã ſic accipio illud Chriſti apud Matthæum [p]: p cap. 13. 11.
Vobis datum eſt noſſe myſteria regni Dei: itémque il-
lud Pauli [q]. *Si nouerim myſteria omnia.* Quo etiam q 1. ad Cor. 13. 2.
modo accipiendum reor quod legitur in libro Iu-
dith:

a cap. 2. 2.
b cap. 27. 24.

dith [a]: *Habuit cum eis myſterium conſilij ſui.* Et in Eccleſiaſtico [b]: *Denudare amici myſteria:* hoc eſt, quæ abdita, & occulta eſſe debent. Ita hoc loco Paulus myſterium appellat rem arcanam, & penitùs occultam. Nec me tamen clam eſt, poſſe etiam myſterij nomẽ oriri ἀπὸ τοῦ μυεῖν, quod eſt à verbo μυέω, quod Latinè dicitur initio, & ſacris imbuo, vt myſteria Latinè ſint initia [c], vt Iunonis, vel Dianæ initia. Sic Plato apud Clementem [d] Alexandrinum vocat nonnullos initiatos. Et Mar. Tullius. *Reminiſcere.* (ait) [e] *quoniam initiatus es quæ traduntur myſteriis.* Et Tertullianus [f], Baptiſmum vocat initiationem. Martialis [g] autem Chriſtianos ait per myſteria fuiſſe initiatos. Denique Ambroſius librum ſcripſit de iis, qui myſteriis initiantur: ſed hoc loco, vt dixi, arcanum atque abditum diuinæ prouidentiæ conſilium ſignificat; eſt enim occultiſſimum, cur cæcitas aliqua ex parte, & ad certum tempus Iudæorum mentes occuparit, cur item eorum cæcitas occaſio fuerit euangelicæ lucis perferendæ ad Gentiles. Sub finem deinde mundi (vt ait hoc loco) Chryſoſtomus, & Auguſtinus [h], Elia prædicante Iudæi conuertendi ſint. Id verum verum ſit, diſputatur à multis. à Chryſoſtomo, & Auguſtino ſtat Beatus Thomas cum magna ſuorum parte: at non deſunt qui plurimos quidem conuertendos affirment, de omnibus aut taceant aut negent: quæ videtur ſententia Theodoreti, Theophylacti, Oecumenij, quam magis probat Beatus Gregorius [i]: atque haud ſcio, an ipſe etiam Auguſtinus [k]. Fateor, Hieronymum [l] alicubi hanc Iudæorum conuerſionem tanquam fabulam Iudaicam deridere: alibi [m] tamen aliter ſentit. Certè Origenes, & Ambroſius priori Chryſoſtomi ſententiæ fauere videntur, quanquam ille de toto hoc myſterio nonnihil dubitat. Ad hunc porrò locum illuſtrandum non parum valent quæ ſcribit Proſper [n]: *Non omnis (inquit) Iſrael reprobatus eſt, nec omnis electus eſt ſed partem cæcitas voluntaria auertit, partem ſibi illuminatio gratuita reſeruauit; & tamen de eis ita ſermo habetur, vt & ii, qui pereunt, & in iis qui ſalui fiunt nulla totius generis videatur facta diſcretio: nam cùm legitur ſecundùm euangelium inimici quidem propter vos, ſecundùm electionem autem dilecti propter Patres, ita locutio ſonat, tanquam eoſdem dicat dilectos, quos dixit inimicos: ſed hanc caliginem Apoſtolus ipſe detergit dicendo: quia cæcitas ex parte in Iſrael contigit, vt vnum genus in duas ſpecies intelligeremus eſſe diuiſum, & omnem hominem, omnem plenitudinem, omnem Iſraelem non ſemper ad vniuerſitatẽ, ſed plerumque ad partem eſſe referendũ.* Itaque cùm ait Apoſtolus, omnis Iſrael: nõ neceſſariò omnes penitus Iudæi intelligendi ſunt, ſed maximam partem poſſumus interpretari: idque videtur ſimilius vero, quanquam contraria ſententia probabilitate non caret, vt mox planiùs conſtabit.

c apud Clem. 2. de leg.
d li. 5. Strom.
e li. 1. Tuſcul.
f li. de preſcrip.
g Ep. ad Toloſ. cap. 4.
h lib. 20. de Ciuit. cap. 29.
i Hom. 12. in Ezech.
k lib. 20. de Ciuit. cap. 21.
l Iſai. 11.
m Ierem. 14. Ep. ad Algaſ. & in Matth. cap. 17.
n lib. 2. de vocat. Gent. c. 2.

26.
I. ET SIC OMNIS ISRAEL, &c. Sunt qui omnem Iſraelem poſitum eſſe putant, quaſi antithetum eius, quod paulò antè dixerat. Cæcitas ex parte contigit in Iſrael; vt illud, ex parte, non ad tempus, vt exiſtimauit Ambroſius, ſed ad perſonarum numerũ referatur, vt Chryſoſtomus, Theodoretus, & Auguſtinus [o] voluerunt. Non omnis igitur Iudæorum natiu cæcitatis eſt tenebris inuoluta, ſed magna eius pars, aut omnis ea gens luce veritatis aliquando percepta ſalutem conſequetur. Quæ tamen Pauli verba (vt alicubi obſeruauit Proſper [p]) non ad eoſdem homines, ſed ad eiuſdem gentis homines referuntur. quo loco ſignificat, omnes Iudęos conuertendos: quod etiam pręter eos, quos paulò antè laudaui, affirmat Hilarius [q]. Neque verò audiendi ſunt ij, qui [r] omnem Iſraelem myſticè accipiunt pro vniuerſa fidelium multitudine tam ex Gentibus, quàm ex Iudęis congregata: ſiquidem plenitudini gentium, quæ & ipſa ad myſticum Iſraelem pertinet, verum ſine dubio Iſraelem ex aduerſo opponit [a]: atque ita valdè veriſimilis fit eorum ſententia, qui omnes Iudæos aliquando ad Chriſtum conuertendos affirmant. Porro ad hoc confirmandum affert Apoſtolus Iſaiæ [b] teſtimonium: *Veniet ex Sion qui eripiat, & auertat captiuitatem à Iacob.* Quo loco, interprete Paulo Apoſtolo, Iſaias beneficio Chriſti venturi pollicetur Iudæis ſcelerum expiationem, & ſalutem: quod cùm viuente Chriſto, ipſóque adeo naſcentis Eccleſiæ exordio, nonniſi pauciſſimis contigerit, qui Euangelio fidei aſſenſum præbuerunt, colligit Apoſtolus, omnes aliquando fore ſaluos. Quod verò attinet ad verba Prophetæ, ſecutus videtur Apoſtolus tranſlationem Septuaginta, qui legunt. *Et veniet de Syon Redemptor*: quanquam nonnulli codices habent: *propter Syon*: quæ poſterior lectio propiùs abeſt ab Hebraica veritate, quę ſignificat: Syoni, hoc eſt, Hebræorum genti venturum liberatorem. Idque vehementer placuit Origeni, aliiſque recentioribus, qui Hebræos codices expendunt. non deſunt tamen qui contendant, vim Hebrææ vocis hanc etiam admittere interpretationem, vt de Syon liberator ſit expectandus. Certè Græci codices non omnes eodẽ modo legunt, quin etiam Origenes indicat Hebręos variaſſe. Cæterùm quod hoc loco ait Paulus; *Qui eripiat, & euertat impietatem à Iacob:* Septuaginta paulò aliter habẽt. *Veniet* (inquit) *Syon, qui liberabit; & auertet impietates Iacob.* Quod argumẽto eſt vulgatos Pauli codices Librariorum incuria vitiatos eſſe; & pro, auertat, legendum auertet: quod vox Græca ἀποστρέψει omnino flagitat. Eodémque modo numero multitudinis legendum eſt, impietates, quod & habent Septuaginta, & Græcè Paulus ſcripſit ἀσεβείας. Denique totus hic locus eum Septuaginta tranſlatione mirè congruit: retenta tamen vulgata lectione, quam habet editio Romana, ſententia nihil mutatur.

o Epiſt. 59.
p lib. 1. de vocat. Gent. c. 3.
q in Pſal. 58.
r Aug. Ep. 59. Theodor. hoc loco.
a ita Origen. Chryſoſt. Ambroſ. Hilarius Pſal. 58.
b cap. 59. 20.

ET HOC ILLIS A ME, &c. Priora verba, *Et hoc illis à me teſtamentum*, habentur apud Iſaiam 27.
eodem loco, iiſdémque verbis à Septuaginta expreſ- I.
ſa ſunt: Verùm quoniam reliqua, quæ ſequuntur, *Cùm abſtulero peccata eorum*, eo loco non habentur: fuerunt qui exiſtimarent nouum eſſe teſtimonium ex alio Iſaiæ [c] loco deſumptum. *Et iſte* (inquit Propheta) *omnis fructus vt auferatur peccatum eius.* At Origenes, quem alij ſequuntur, priora quidem illa: *Et hoc illis à me teſtamentum*; ad ſuperiorem Iſaiæ locum pertinere contẽdit; poſteriora verò, *Cùm abſtulero peccata eorum*; addita fuiſſe à Paulo more paraphraſis, aut explanatoris, cui me etiam facilè aſſenſorem præbeam; fauẽtibus præſertim Hieronymo [d], & Chryſoſtomo [e]. Addidit autem Paulus poſteriora verba vt oſtendat quale futurum ſit pactum ſeu teſtamentum. Porrò teſtamentum dixit noſter interpres pro Græca voce διαθήκη, quam Septuaginta ponunt ad exprimendam vim Hebraicæ vocis ברית *berith*: quam ſcioli neſcio qui tanquam minùs rectam interpretationem carpunt, malúntque cũ Hieronymo pactum, ſeu fœdus interpretari. Qua de re alibi plura.

c cap. 27. 9.
d Iſai. 59.
e in hunc locum.

SECVNDVM EVANGELIVM, &c. Deſideratur in præſentia verbũ, ſunt; innotatur enim 28.
Paulus in eo, quod iam diu premit Iudæos tantiſper I.
exoſos eſſe Deo, dum gentes ſalutem aſſequantur. aptè autem hoc ſubiicit poſt allatum Iſaiæ teſtimonium; cùm enim illud vaticinium Iudæis polliceretur ſalutẽ, potuiſſent illi inde colligere, non fuiſſe Chriſtum eum liberatorem, de quo loquebatur Iſaias, cùm ipſi eſſent à Deo alieni. Atqui (ait Paulus) quod olim

olim vaticinatus eſt Propheta, ſuo tandem tempore A eueniet; interim verò myſterium illud, de quo ſuprà mentionem feci, perficitur; nam ſi ſpectemus præſentem euangelij ſtatum, cui Iudæi fidem abnegant, ſunt illi Deo exoſi, idque vel propter Gentilium ſalutem, vel certè per eorum ſalutis occaſionem. At ſi ad diuinæ prædeſtinationis conſilium mẽtis aciem referamus, Deo ſunt in primis grati, & chari, atque ita vaticinij veritas conſtans eſt, & rata: ſunt enim (vt aliàs monui) de gente, ac Iudæorum natione hæc omnia intelligenda. nam qui ætate Pauli viuebant, & euangelicæ doctrinæ reluctabantur, niſi qui fortè reſipuerint, ad æternam prædeſtinationem nequaquam pertinebant. perinde igitur eſt, ac ſi dicat Apoſtolus; nonnulli ex Iudæis, qui nunc viuunt, Deo B ſunt exoſi; gens verò vniuerſa, electa fuit à Deo, neque omni ex parte reiecta eſt.

II. Quanquam quod attinet ad Apoſtoli verba, non conuenit inter doctores, quomodo accipienda ſint illa; inimici, & chariſſimi; ſunt enim qui ad eoſdem omnino Iudæos referant, qui alio, atque alio reſpectu, amore, atque odio ſiue Dei, ſiue etiam ipſius Pauli digni ſint. Certè Chryſoſtomus non ſatis explicat de odio-ne Dei, an Pauli intelligat; eoſdem tamen Iudæos ob indignationem aduerſus gentes odio dignos, ſed parentum, ac progenitorum reſpectu beneuolentia complectendos eſſe ait. Planiùs loquitur Theodoretus; exiſtimat enim, Paulum partim odio, partim beneuolentia Iudæos proſequi: odio quidem, quòd illi Gentilium conuerſioni reluctentur, & ſibi eorum inſti- C tutioni operam danti miris modis obtrectent: beneuolentia verò cùm reſpicit eorum parentes, quos Deus ex omnibus gentibus, ac nationibus delegerat, quibus veram religionem, ſacra, & ceremonias tribueret. Nec multum diſcrepat Ambroſius, niſi quòd non priuatim de Paulo, ſed vniuerſim de Eccleſia loquitur, quæ nunc quidem pro hoſtibus Iudæos habet, quos acerrimos aduerſarios experitur: magno tamen cum gaudio tanquam chariſſimos propter eorum maximè progenitores, tum demum complectetur, cùm Chriſto nomina dabunt. Origenes verò, & Auguſtinus [a] alios inimicos, alios verò chariſſimos eſſe putant, ſed reſpectu Dei. & Origenes quidem Iudæos ait, ſecundùm euangelium Deo eſſe inimicos, quòd euangelio nõ crediderint: illos verò, D qui fide aliquando percepta ſalui futuri ſunt, parentum ipſorum intuitu gratiſſimos eſſe Deo, quod priſcam parentum fidem imitentur. Auguſtinus autem illos ait Dei eſſe inimicos, qui Chriſto necem attulerint, vnde ſalus gentium exorta eſt: Qui verò ex Iudæorum gente prædeſtinati ſunt, Deo immortali eſſe gratiſſimos, propter eorum parentum ſingularem fidem, & ſanctitatem. Sed haud equidem dubito, tam odium, quàm amorem Dei reſpectu accipiendum eſſe, & ad vnum, atque eundẽ Iudæorum populum, alia tamen, atque alia ratione referendum, vt paucis in paraphraſi, & ſupra indicaui. Populus enim Iudæorum, qui pridem ad Dei Eccleſiam pertinebat, repudiata euangelij fide, quam Gentiles complexi ſunt, Dei inimicitiam atque odium contraxit. Quo- E niam verò olim in ſuis parentibus diuinitùs fuerat à Deo electus, non penitùs abiectus eſt, ſed bona eius pars, quæ ad diuinam prædeſtinationem pertinet, ſingulari, atque eximia quadam beneuolentia adducetur ad ſalutem.

III. Cæterùm quod ait, *propter vos*: Auguſtinus [b] explicat: propter veſtram ſalutem, vt vos gentiles prius ĩ fidẽ Chriſti complecteremini. Chryſoſtomus aliter: occaſione (ait) fidei veſtræ, nam Iudæi indignè ferebant, gentes ad euangelicam gratiam vocati: addit: *ſecundùm electionem chariſſimi propter Patres.* quia priſcos Patres Deus elegerat, iisque

[a] lib. de prædeſt. SS. c. 6.

[b] lib. de prædeſt. SS. c. 16.

poſterorum ſalutẽ pollicitus erat. Ita apud Oſeam [a]. *Quaſi vuas* (inquit) *in deſerto inueni Iſrael, quaſi prima poma ficulnea in cacumine eius vidi patres eorũ.* De quo ita planè Cyrillus [b] Alexandrinus: *Res enim rara, & difficilis inuentu in ſolitudine eſt botrus, inuentus tamen ſemel ab eo, qui omnia videt, deſideratiſſimus, & vt decerperetur gratiſſimus. in ficubus autem dulciſſimum, quod præ aliis matureſcit, eſt præcox, & præcurrens, & in cibum gratus. Ita enim* (inquit) *vidi Iſrael, inueni autem ſic Patres illorum: etenim idololatræ, & ſuperſtitioſi erant omnes, qui Aſſyriorum terram habitabant: vnde* (vt dixi) *quaſi in deſerto botrus, & quaſi præcox fructus in ficu diuinus Abraham decerpebatur: valdè autem rectè præcocibus ficis comparatur Abraham: nam præmatura ſequuntur & alia. ob id hanc vocationem ſortiebatur, quia ad veſtigia eius ſubſecutura erant etiam aliæ gentes, quæ adhuc quaſi nondum matureſcebant: itaque præcox fructus erat Abrahã principium vocationis gentium.* Hæc ille, nec multò aliter Hieronymus [c].

SINE POENITENTIA, &c. Proximæ ſuperiori 29. ſententiæ euidens, atque efficax ratio, pridem loquit I. Deus, hoc eſt, ante omnem æternitatem populum Iſraeliticum elegerat, eique vt Iſaiæ teſtimonio docuimus, ſalutem ſpoponderat ſempiternam: Atqui Deum immortalem ſuſcepti ſemel conſilij pœnitere nequaquam poteſt; neceſſariò igitur fatendum eſt Iſraelitici populi reliquias ſaluas aliquando futuras. ait autem, ſine pœnitentia eſſe dona Dei, & vocationem, Græcè ἀμεταμέλητα, quaſi dicat (vt alicubi C Auguſtinus interpretatur) impœnitenda; quæ videlicet pœnitentia mutari, aut reuocari non poſſunt; quæ eſt Chryſoſtomi, Theodoreti, & Auguſtini [d] ſententia; quam nõ perinde accipio, quaſi ea ſit conditio, aut natura donorum, vt mutationem, aut reuocationem non admittant, ſed potius quod Dei conſilium, atque decretum viciſſitudinis, aut reſipiſcentiæ nullum relinquat locum; quod de abſoluto, atque efficaci diuinæ voluntatis decreto audio: nam multa in ſacris litteris tanquam immutata, & magna ex parte reuocata leguntur, quæ non niſi poſita aliqua conditione diuinitùs erant præfinita, vt alibi copioſiùs doceo. nam ſi ipſa Dei dona ſpectemus, in iis proculdubio hominum vitio cernuntur interdum mutationes, cùm non rarò iuſti à gratia, & caritate D excidant, atque ob id metaphoricè, atque impropriè ipſi etiam Deo pœnitentia tribuitur. nam apud Moſem [e] ita loquitur Deus: *Pœnitet me feciſſe hominem.* Et apud Ieremiam [f]: *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo quod locutus ſum aduerſùs eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem ei.* Et multò apertiùs apud Oſeam [g]: *Et hæc neſciuit, quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal: idcirco conuertar, & ſumam frumentum meum in tempore ſuo, & liberabo lanam meam, & linum meum, quæ operiebant ignominiam eius.* Eodem pertinent quæ de iuſtis ſcribit Ezechiel [h], quò ſpectaſſe viſus eſt ille, qui [i] dixit:

O faciles dare cuncta Deos, eadémque tueri
E *Difficiles.*

Loquitur autem hoc loco Apoſtolus de diuina electione, ac prædeſtinatione, quæ ſine dubio fixa eſt atque immutabilis, ac tam ex Iudæis, quàm ex gentibus, qui prædeſtinati ſunt, certò ſalutem conſequentur, vt ſuo loco copioſiùs doceo. Porrò illam gratiæ certitudinem, quam hæretici ſomniant, hæc Pauli verba nullo modo confirmant. Eſt autem à II. mente Apoſtoli prorsùs aliena Ambroſij interpretatio, & non omni ex parte vera, qui Dei dona eſſe ſine pœnitentia docet, quia Baptiſmus abſque luctu, & dolore gratiam conferat, & ſalutem: non enim

Bapti

[a] cap. 9. 10.

[b] lib. 3. in Iul. non procul à fine.

[c] Iere. 24. & Oſea 9.

[d] Epiſt. 59.

[e] Gen. 6. 7.

[f] cap. 18. 8.

[g] cap. 2.

[h] cap. 18. 3. & deincep.

[i] Lucan. lib. 1.

Baptiſmum quærere gemitum, aut planctum, aut opus aliquod, niſi ſolam ex corde profeſſionem. Etenim (vt apparet) nihil id pertinet ad Pauli inſtitutum, nec præteritæ diſputationi vllo modo cohæret. Nec facilè admiſerint Theologi, nullam penitùs in Baptiſmo pœnitentiam requiri, ſi infantium Baptiſmum excipias. nam adultis nonnullam præteritorum ſcelerum deteſtationem, & rudem, atque inchoatam pœnitentiam, quam attritionem vocant, eſſe neceſſariam tam certum eſt, vt qui id neget, non leuiter contra fidem peccet: niſi fortè quod ſentit D. Thomas) pœnitentiæ nomine externam ſatisfactionem intelligas, quæ in Baptiſmo non requiritur, vt in pœnitentia, cùm non ſolùm Baptiſmus expiet culpam, ſed omnem etiam penitùs pœnæ reatum abſtergat; idque indicare voluit Ambroſius, vt oſtendat poſt Baptiſmum ritè ſuſceptum nullam videri neceſſariam ſatisfactionem pro flagitiis ante Baptiſmum patratis, cùm cætera poſt Baptiſmum redimenda ſint corporis afflictatione, aliiſque pœnis ſponte ſuſceptis, vel igne purgatorio excoquenda: ſed quamquàm id verè dicitur, non tamen videtur ad rem.

30. SICVT ENIM ALIQVANDO, &c.

31. ITA ET ISTI NVNC NON, &c. Con-
I. firmat Apoſtolus, quod modò dixerat, ſine pœnitentia eſſe Dei dona. Adeo (inquit) hoc verum eſt, vt immutabili Dei decreto Iudæorum perfidia nihil poſſit officere; nam ſi Gentilium impietas nihil obfuit, quominùs vt erat diuinitùs præfinitum, diuinæ illis beneficentiæ fontes paterent, cùm tamen illa Iudæorum infidelitate & diuturnior, & multò deterior videretur, nihil erit profectò Iudæis metuendum propter præſentem infidelitatem. Cùm autem Latinus interpres dixit; *propter incredulitatem*; Græcè eſt τῇ τούτων ἀπειθείᾳ, eadem planè dicendi forma, quæ paulò pòſt vſurpatur τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει, vos (inquit) illorum perfidia ad ſalutem inuitamini, vt dictum eſt in Actis Apoſtolicis[a]. *Quia repellitis illud, ecce conuertimur ad gentes*; ita illi veſtra miſericordia prouocati ad fidem conuertentur, ſenſus eſt; ſicut illorum defectio vobis aditum reſerauit ad ſalutem, ita veſtra fides, quam Dei benignitate, ac miſericordia conſecuti eſtis, prouocabit illos vt reſipiſcant, ſeque præbeant non indignos, qui à Deo recipiantur. Quod ergo dixit noſter interpres; *In veſtram miſericordiam*; perinde eſſe videtur, ac ſi dixiſſet; veſtrā miſericordiam æmulantes, aut veſtra miſericordia excitati. Ambroſius certè legit; *In veſtra miſeratione*, nec multò aliter Auguſtinus[b]; *In veſtra miſericordia*; quaſi Græcè legerint ἐν τῷ ὑμῶν ἐλέει. quæ lectio ſi admittatur, longè alius erit ſenſus, Gentibus videlicet per Dei miſericordiam ad fidem vocatis, Iudæos in infidelitate perſtitiſſe; ſed neſcio quomodo conſequens ſit quod mox ſubditur, *vt & ipſi miſericordiam conſequantur*; neque enim hic aut deſtinatio, aut euentus facilè admitti poteſt. Theophylactus ſecutus (opinor) Chryſoſtomum, indicare videtur quod nos in paraphraſi poſuimus, & paulò antè diximus; docet enim Chryſoſtomus, vtrumque populum viciſſim fuiſſe à fide alienum, & ad gratiam vocatum: dum enim Gentiles in impietate perſiſterent, Iudæi Moſis miniſterio diuinam legem perceperunt; mox verò Gentibus ad euangelium vocatis, Iudæi auerſi à Deo in perfidia perſtiterunt; denuò gentium exemplo reuocandi ad fidem, ita viciſſim alteri per alteros ſeruati ſunt.

a cap. 13. 46.
b lib. de grat. & lib. arb. c. 22.

32. CONCLVSIT ENIM DEVS, &c. Hæc eſt
I. totius veluti diſputationis clauſula quam initio huius Epiſtolæ probauerat. videtur autem noſter interpres legiſſe Græcè τὰ πάντα, non vt nunc habemus

A τοὺς πάντας: cum noſtro interprete ſenſiſſe videtur Irenæus[a]; at Auguſtinus[b] Græcos ſecutus legit; *omnes*, hoc eſt, tam Iudæos, quàm Græcos. Porrò quid ſit, Deum concluſiſſe omnes in infidelitate, aliter Chryſoſtomus, aliter Origenes explicant. ille enim, quem ſequitur Theodoretus, idem eſſe putat concludere hoc loco, quod conuincere. Hic verò & meo quidem iudicio rectiùs permiſiſſe ait, Deum omnes infidelitatis veluti carcere includi, & quaſi quibuſdam vinculis conſtringi, vt non facilè exire queant. Simile quiddam dixit in Epiſtola ad Galatas[c]. *Concluſit* (inquit) *Scriptura omnia ſub peccato, vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus*. quod quale ſit ſuo loco videro. Verùm quod in præſentia ait Paulus: *omnes*; vel (quod eſt vehementiùs) *omnia*, fuiſſe
B in infidelitate concluſa, *vt omnium miſereatur*, non planè de omnibus ſingillatim ſumptis accipiendum eſt, ſed de ipſis duntaxàt hominum generibus; Scholaſtici dicerent de ſingulis generibus, non de ſingulis generum. Neque enim omnes prorſùs mortales in infidelitate perſtiterunt, ſed ex ſingulis hominum generibus non pauci: nec rurſus omnes miſericordiam ſunt aſſecuti, ſed tam ex Iudæis quàm Gentibus permulti.

a lib. 3. ca. 22.
b lib. 21. de ciuit. cap. 18 & lib. de gratia, & li. arb. c. 22.
c cap. 3. 22.

. O ALTITVDO DIVITIARVM, &c. Du- 33.
rum, & quodammodo abſurdum videri poterat, I.
quod modò dixerat, Deum concluſiſſe omnia in infidelitate: atque ob id (vt ait Auguſtinus[d]) admirationis plenus Apoſtolus hunc in modum exclamat. Pro altitudine verò Græcè eſt βάθος: quæ vox profun-
C dum potius ſignificat: ſed altitudo apud Latinos etiam ad profunditatem refertur: altum enim mare non ineleganter pro mari profundo vſurpare ſolent. Eſt autem in his verbis mira quædam amplificatio ad exaggerandam diuinæ ſapientiæ præſtātiam & excellentiam. Dixit autem more Hebræorum altitudinem diuitiarum pro altis, ac profundis diuitiis. Diximus autem alibi, diuitiarum nomen apud Paulum ſignificare copiam, & abundantiam, ambiguum verò eſſe poteſt, quomodo ſequentia verba diſtinguenda ſint, & ſuperioribus nectenda. Ambroſius enim, Auguſtinus[e], & Anſelmus altitudinem diuitiarum pro altis, & profundis diuitiis accipiunt: diuitias autem intelligunt ſapientiæ, ac ſcientiæ Dei. Origenes verò, Theophylactus, & Theodoretus altitudinem, ſeu
D profunditatem tribus ſequentibus vocibus accommodant, vt admiretur Apoſtolus profunditatem diuitiarum, itémque profunditatem ſapientiæ, & ſcientiæ: quam explicationem recentiores quidem magnopere probant, & diuinas quidem referunt ad miſericordiam, & bonitatem Dei, cuius paulò antè mētionem fecerat Apoſtolus: nam alibi[f] diuitias bonitatis nominat, & diuitias[g] gratiæ. Scientiam porrò II.
Dei cognitionem intelligunt, qua futura omnia antequàm ſint mente percipit, & comprehendit. Sapientiam denique interpretantur prudentiam, ſeu potius prouidentiam, qua admirabili conſilio cuncta adminiſtrans, omnia ſapienter diſponit. Hæc enim tria alibi expreſſè diſtinxiſſe Paulum, cùm ſcripſit[h]: *ſecundùm diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in nobis in*
E *omni ſapientia, & prudentia*. Vtraque ſententia probabilis eſt. Auguſtino certè fauere videtur Hilarius[i], qui tantummodò legit: *O profundum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei!* Tertullianus[k] autem vbique *profundum diuitiarum* exclamat: ſed ſi quid tamen coniectura valeo, prior ſententia præferenda videtur, quam (niſi fallor) probat Chryſoſtomus, qui diuinarum nomen cum altitudine coniungens hac maximè ratione exaggerari à Paulo ſapientiæ, ac ſcientiæ Dei magnitudinem putat, quòd duabus vocibus vſus ſit, altitudinis, & diuitiarum, quæ plurimum ad emphaſim faciunt.

d lib. de gratia, & lib. arb. cap. 22.
e loco ſuperiùs citato.
f ad Rom. 2. 4.
g ad Eph. 2. 7.
h ad Eph. 1. 7.
i in Pſal. 119.
k lib. aduerſ. Hermog. cap. 45 in fine. lib. 2. aduerſ. Marcion. cap. 2 & lib. 5. cap. 14.

Digitized by Google

ciunt. Et ſanè hoc videtur in præſentia agere Paulus, & diuinæ prouidentiæ conſilium in Iudæorum, & Gentium ſalute procuranda admirari: ob id enim ſubdit: *Quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius?* Quam ſententiam putat Hieronymus [a] deſumptam eſſe ab Iſaia, vbi ait Propheta, *Non eſt inueſtigatio ſapientiæ eius.* Quod verò attinet ad interpretationem verborum, quod Græcè eſt ἀνεξερεύνητα, Ambroſius [b], & Auguſtinus [c], interpretantur *inſcrutabilia.* Tertullianus [d]: *ininuentibilia.* Alibi [e]: *inueſtigabilia.* Eſt autem in ea voce (vt Chryſoſtomus, & Theophylactus obſeruant) emphaſis: non enim ſolùm nequeunt diuina iudicia comprehendi, ſed ne inueſtigari quidem ſcrutando poſſunt. Ac proinde ſubdit: *Inueſtigabiles viæ eius:* Græcè ἀνεξιχνίαστοι, hoc eſt, inuueſtigabiles, quomodo legit Hieronymus, & Tertullianus, qui nunquam aliter interpretatur: ſignificat enim non eſſe Dei vias eiuſmodi, vt inueſtigari queant; & fortaſſe apud Cyprianum [f], & apud Auguſtinum [g] legendum eſt, *inueſtigabiles,*

a Iſai. 40.
b lib. 4 de fide cap. 6.
c lib. de grat. & l. arb. c. 22.
d lib. aduerſ. Hermog. c. 45.
e l. 2. in Marcion cap. 2.
f li. 3. ad Quirin. cap. 53.
g Epiſt. 105.

34. I, Qvis enim cognovit, &c. Hæc eſt cauſa, cur dixerit, diuina conſilia ne inueſtigari quidem poſſe: nemo enim eſt, qui Dei ſenſum, vel (vt habent Græci) mentem perceperit, aut diuinorum conſiliorum adyta penetrarit: ſumpta autem videtur ſententia ab Iſaia. is enim ait [h]: *Quis adiuuit ſpiritum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit, & oſtendit illi? Cum quo iniit conſilium, & inſtruxit eum, & docuit eum ſemitam iuſtitiæ, & erudiuit eum ſcientiam, & viam prudentiæ oſtendit illi?* Secutus eſt autem Apoſtolus more ſuo interpretationem Septuaginta, ſimile quiddam legitur in libro Sapientiæ [i]. *Quis enim* (inquit) *hominum poterit ſcire conſilium Dei, aut quis poterit cogitare quid velit Deus?* Et aliquantò poſt. *Senſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris ſpiritum ſanctum tuum de altiſſimis?* Addit: *Aut quis conſiliarius eius fuit?* Ad explicationem ſuperiorum: qui enim ſunt à conſiliis, adhibentur ad arcana imperij cognoſcenda. Vt ergo oſtendat, non poſſe quemquam abdita Dei conſilia cognoſcere, negat apoſtolus, vllum fuiſſe illi à conſiliis. Iſaias autem hæc videtur dixiſſe, vt oſtendat, neminem eſſe, cuius opera Deus indigeat, aut cuius conſilio iuuari queat. Quò fortaſsè etiam referri poteſt hæc apoſtoli ſententia, vt indicaret quæ mox ſequuntur. Hinc apparet, quàm ſit inane Aſtrologorum ſtudium, qui ex aſtrorum aſpectu, & collocatione colligere ſe poſſe putant diuinæ prouidentiæ conſilia, & quid de futuris ſit diuinitus conſtitutum. Multa hoc loco nonnulli congerunt de diuinæ ſcientiæ præſtantia, & nobilitate; alij de humani ingenij imbecillitate, déque myſteriorum diuinorum obſcuritate, & difficultate diſputant, ſed parum (vt arbitror) ad rem. Itaque libens ea miſſa facio.

h cap. 40. 13.
i cap. 9. 13.

35. I, Avt qvis prior, &c. Qui diuitiarum nomen ad bonitatem, & miſericordiam diuinam referunt, ſuperiorem ſententiam de ſapientia, & ſcientia diuina explicant; hanc verò de bonitate, & miſericordia, quam ex eo maximè ab Apoſtolo laudari putant, quòd immerentibus, ac prorsùs indignis beneficiat. Ego crediderim, latentem quamdam his verbis contineri occupationem, cùm enim diuina conſilia in Gentium, & Iudæorum ſalute inſcrutabilia eſſe dixiſſet, potuiſſet forſitan quiſquam dicere, merito ſuo alios quidem vocari, alios verò reiici; hoc verò Paulus hac ſua interrogatione confutat. Quis (inquit) gloriari poteſt, ſe Deo primùm quidpiam liberaliter tribuiſſe, vt iuſtam ab eo mercedem, & compenſationem ſuo veluti iure exigat? Perſimilem ſententiam lego apud Iob [k]: *Porrò ſi iuſtè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* Alibi verò [l]. *Quis antea dedit mihi, vt reddam ei? Omnia, quæ ſub cælo ſunt, mea ſunt.* Quibus conſentiunt illa [a]: *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Nemo igitur iuſtè poteſt Deum accuſare, quòd hunc quidem iuſtificet, alium verò negligat, cùm nemini quidquã prorsùs debeat. Porro Ambroſius [b] legiſſe videtur Græcè προσέδωκεν, ſiue προσέδωκεν, quod eſt ſuperaddere, vt oſtendat diuina filij generatione nihil patris diuinitati, quæ ſibi ſufficiẽs eſt, acceſſiſſe; ſed vis Paulinæ ſententiæ omnino poſtulat προέδωκεν, hoc eſt, prior dedit: cui rectè reſpondet quod ſequitur καὶ ἀνταποδοθήσεται, id eſt, reddetur ei. Tertullianus nunc [c], *tradidit*, nunc [d], *porrexit*, interpretatus eſt. Nihil hæc Pauli ſententia meritorum noſtrorum vim, atque efficacitatem lædit: quamuis enim iuſti cum Apoſtolo dicere poſſunt; *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus Iudex;* tamen etiam veriſſimum eſt (quod hoc loco ait Paulus) neminem Deo quidquam priùs dediſſe; nam, vt aliàs ſæpè dixi, cùm Deus coronat merita noſtra, nihil coronat (auctore Auguſtino) niſi dona ſua; dedit ille priùs nobis gratiam, vnde oritur omnis merendi facultas: ita Deus multa largitur, nihil ab hominibus accipit, vt in eum meritò cadat, quod de Artaxerxe Longimano ſcribit Plutarchus [e], qui cùm ſibi vitio daretur quòd alteram manum haberet altera largiorem, reſpõdiſſe fertur, id ſibi tamquam optimo Principi à natura tributum, vt dextram haberet ad largiendum protenſam, ſiniſtram verò ad accipiendum contractam. Sic apud Danielem [f]. *Non accipiam de domo tua vitulos.* Faciunt ad huius loci explicationem quæ alicubi ſcribit Gregorius [g]. *Bonum quippe, quod agimus & Dei eſt, & noſtrum; Dei per præuenientem gratiam, noſtrum per obſequentem liberam voluntatem; ſi enim Dei non eſt, vnde ei gratias in æternum agimus? rurſum ſi noſtrum non eſt, vnde nobis retribui præmia ſperamus? Quia ergo non immeritò gratias agimus, ſcimus quòd eius munere præuenimur, & rurſum quia non immeritò retributionem quærimus, ſcimus quòd ſubſequente libero arbitrio bona elegimus, quæ ageremus.* Et paulò antè dixerat: *Nemo ergo Deum meritis præuenit, vt tenere eum quaſi debitorem poſſit, ſed miro modo æquus omnibus conditor, & quoſdam prælegit, & quoſdam in ſuis prauis moribus iuſtè derelinquit.* Eòdem pertinent quæ pereleganter ſcribit Auguſtinus [h]. *Debitor nobis factus eſt Deus non aliquid à nobis accipiendo, ſed quod ei placuit promittendo nobis: aliter enim dicimus homini, debes mihi quæ dedi tibi, & aliter dicimus Deo, debes mihi quæ promiſiſti mihi: tu nihil dediſti, & tamen exigis; bonitas enim eius, qui promiſit, dabit, ne in malitiam fides conuertatur, qui enim fallit, malus eſt. Quid igitur nos Deo poſſumus dicere? An redde mihi, quia dedi tibi? Quid dedimus nos Deo, cùm totum quod ſumus, & quod habemus donum ab illo habeamus, dicente præſertim Apoſtolo, quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Illo igitur modo tantùm poſſumus exigere à Domino noſtro, vt dicimus ei, redde quod promiſiſti, quia fecimus quod iuſſiſti, & hoc ipſum quod fecimus, tu feciſti, quia nos laborantes iuuiſti: nemo ergo dicat; Ideo me vocauit Deus, quia colui eum, quomodo enim coluiſſes eum, ſi vocatus ab eo non fuiſſes? Si propterea te vocauit Deus, quia tu coluiſti eum, ergo tu priùs dediſti Deo, & Deus retribuit tibi, nónne iſtam tibi vocem adimit Apoſtolus dicens, Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?*

k cap. 35. 7.
l cap. 41. 2.
a 1. Paral. 29. v. 14.
b lib. 4. de fide. cap. 4.
c lib. aduerſ. Hermog. c. 17.
II,
d lib. 4. aduer. Marcion. cap. 14.
e In Apoph. Pop. Rom.
f Dan. 4.
g lib. 33. Moral. c. 10. 21.
h Serm. 16 de verb. Apoſt.

36. I. Qvoniam ex ipso, &c. Probat, nihil Deum ab hominibus accepiſſe, vt quidquam illis debeat, quòd ipſe ſit rerum omnium auctor. Nec dubium eſt hæc verba de tota Trinitate accipienda eſſe; quæ eſt Origenis, Athanaſij [i], Hilarij [k], Auguſtini [l], aliorúmque ſententia: quamquam Baſilius [m], Ambro

i lib. 4. cont. Arium.
k lib. 8. de Trinit.
l lib. 17. de Trin. c. 6.
m l. de Spir. ſancto c. 5.

Ambroſius [a], & alij [b] de filio explicant. Quocirca multorum Theologorum theoria de Patre & Filio, & Spiritu ſancto magna ex parte refellitur ex verbis Græcis, ἐξ αὐτοῦ, δι᾽ αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν. quæ, vt colligitur ex noſtra paraphraſi, indicant, Deum eſſe auctorem, conſeruatorem, ac finem omnium rerum. Quamquàm enim Origenes inter Græcos, & omnes fermè Latini legunt; *In ipſo*; Baſilius tamen, & Theodoretus legunt; *In ipſum*; quia Græci codices habent εἰς αὐτὸν, quomodo etiam legit Chryſoſtomus, & alij Græci. Origenes autem ſingula hunc in modum explicat; *ex ipſo* (inquit) *hoc ipſum, quod ſumus indicat; per ipſum autem, quod per eius prouidentiam diſpenſamur in vita; in ipſo verò, quod perfectio omnium, & finis in ipſo erit tunc, cùm erit Deus omnia in omnibus.* Tertullianus hinc colligit [c], Deum omnia condidiſſe ex nihilo. Nouatianus autem ita ferè philoſophatur [d]. *Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, A nam & imperio eius omnia, vt ex ipſo ſint; & verbo eius digeſta, vt per ipſum ſint; & in iudicium eius recidunt vniuerſa, vt dum in ipſo expectant libertatem, corruptione depoſita, in ipſum videantur eſſe reuocata.* Porrò Bernardus eleganter Dei deſcriptionem explicat [a]. *Quid* (inquit) *eſt Deus? ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ex quo omnia creabiliter, non ſeminabiliter. per quem omnia, ne alium auctorem, atque alium opificem arbitreris: in quo omnia, non quaſi in loco, ſed quaſi in virtute. Ex quo omnia, tamquam vno principio auctore omnium; per quem omnia, ne alterum inducatur principium, artifex; in quo omnia, ne tertium inducatur, locus. Ex quo omnia, non de quo, quia non eſt materia Deus.* Mitto alia multa, quæ poſt D. Thomam recentiores ſectantur: taceo quæ Baſilius [b] de particulis ἐξ, & διὰ curioſè obſeruat. Ipſi igitur (ait Paulus) ſit gloria in ſæcula. Ita huius Epiſtolæ theoria diuino præconio clauditur.

a De fide ... 4. & lib. de Spiritu ſancto cap. 10. b Hilarius in 11. cap.
c Serm. Hermog. cap. 17.
d lib. de Trinit.
a lib. 5. ad Eugen.
b lib. de Spiritu ſanct. in initio.

Argumentum Cap. XII.

*A*BSOLVTA *theorica diſputatione, morum præcepta aggreditur. Hortatur autem hoc capite fideles, vt ſeſe totos diuino cultui mancipent; ac ſuæ vocationi pro virili reſpondeant, vnuſquiſque ſuo munere ritè fungatur; alij aliis quaſi eiuſdem corporis membra ſeſe aptent, atque accommodent, & caritatis vinculo mutuò nectantur.*

CAPVT XII.

*O*BSECRO *itaque vos fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.*

Et nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in nouitate ſenſus noſtri, vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.

Dico enim per gratiam, quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos: non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem: & vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei.

Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent.

Ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.

Habentes autem donationes ſecundum gratiam,

PARAPHRASIS.

OBSECRO itaque vos, fratres, per Dei 1.
miſerationes illas immenſas, quibus vt
hactenus longa oratione diſſerui, ſalu-
tem conſecuti eſtis, vt veſtros corpo-
reos affectus, & malas cupiditates mactetis ipſi,
vóſque adeo totos, veſtráque corpora ſiſtatis Deo
tamquam hoſtiam in primis ei gratam, & acce-
ptam, eíque ſpiritalem cultum, & venerationem
adhibeatis. ¶ Neque vos quæſo ad huius ſæculi 2.
figuram, ſeu characterem accommodetis, vt vide-
licet veſtrarum cupiditatum impetum ſequamini,
quod faciunt ij, qui huius vitæ terminis omnia
circumſcribunt; ſed potius per eam mentis inſtau-
rationem, quam fidei beneficio iam aſſecuti eſtis,
in nouas cogitationes, & ſtudia transformemini,
vt hac ratione apti reddamini ad intelligendum
quid tandem illud ſit, quod à vobis iuſtificatis ma-
ximè requirat Deus, quódque ipſi magis gra-
tum ſit, beneplacitum, & acceptum, vno verbo,
omni ex parte perfectum. ¶ Enimuerò per eam 3.
gratiam quæ mihi conceſſa eſt, edico cuiuis ver-
ſanti inter viuos cuiuſcumque ille gradus, & con-
ditionis ſit, ne ſibi nimium placens efferatur, aut ſe
magnificentiùs extollat, aut denique ſapiat ſupra
quàm ſapere oportet, ſed modeſtè de ſe ipſo ſen-
tiat, & omnino ſapiat quatenus opus ſit, ſeque in-
fra fines fidei, reliquorúmque diuinorum mune-
rum, quæ ſibi à Deo diuinitùs conceſſa ſunt, ni-
hilo plus arrogans ſibi, moderatè contineat.
¶ Quemadmodum enim in vno corpore mul- 4.
ta membra habemus, non autem omnia mem-
bra eadem actione, muneréue funguntur. ¶ Ita 5.
multi Chriſti gratia in vnum veluti myſticum
corpus coaleſcimus, ſingillatim autem alij alio-
rum membra ſumus. ¶ Perſimilique ratione alia, 6.

atque alia dona habemus pro ea, quam quiſque
gratiam accepit. Siue igitur prophetiam quis ha-
bet, is vel futura vaticinando, vel obſcuriora ſa-
crarum litterarum loca interpretando, pro fidei
proportione vtatur; vt neque vaticinando ina-
nia ſectetur auguria, neque interpretando con-
7. tra fidem loquatur. ¶ Si verò miniſterium, aut
Eccleſiaſticam functionem accepit, eadem planè
moderatione in ſuo munere, ac miniſterio verſe-
tur: ſi docendi quis officium aſſecutus eſt, is ſanè
8. docendo occupetur. ¶ Qui adhortandi faculta-
tem, adhortetur; qui Eccleſiæ bonis, opibúſque
collectis diſtribuendis præeſt, id porrò bona fide,
liberaliter, & candidè faciat, neque cuiuſquā per-
ſonam reſpiciat: qui cæteris præfectus eſt, diligen-
tia vtatur, cui egenorum, ac miſerorum cura com-
miſſa eſt, ea cum hilaritate defungatur, vt & ipſe
alacris ſit, & nullo modo ſe aliis, quos ſolari debet,
9. tetricum, ac moroſum præbeat. ¶ Atque hæc qui-
dem ad ſingulos. Cæterùm, vt iam alloquar vni-
uerſos; Eſto primùm inter vos mutua caritas, &
beneuolentia minimè ficta, aut ſimulata; deinde
date operam, vt ſitis omnes abhorrentes à malo,
10. & bono quodammodò agglutinari. ¶ Fraterna
caritate alij ad alios prupenſi, honore alij aliis præ-
11. euntes. ¶ Studio minimè pigri, ſpiritu feruentes,
12. Domino ſeruientes. ¶ Spe gaudentes, in afflictio-
13. ne tolerantes, perdurantes in oratione. ¶ Sancto-
rum Chriſtianorum fratrum inopiam ſubleuan-
14. tes, hoſpitalitatem ſectantes. ¶ Benè precamini
iis, qui vos inſectantur, nullóque modo eos exe-
15. cramini. ¶ Gaudete cum gaudentibus, flete cum
16. flentibus. ¶ Eodem inter vos animo mutuo affe-
cti, non elatè de vobis ipſi ſentientes, ſed humili-
bus obſecundantes: nolite verò per arrogantiam
plus æquo vobis tribuere, perinde quaſi aliena
prudentia, aut conſilio nullo modo egeatis.
17. ¶ Nulli prorsùs malum pro malo rependite, daté-
que operam, vt quæ agitis bona, & honeſta, non
ipſi Deo tantùm, verùm etiam cunctis mortalibus
18. Græcis, Iudæíſque probentur. ¶ Salua autem pie-
tate, ac iuſtitia nitimini quantum poteſtis, vt nul-
lam cuiquam diſſidij vel minimam occaſionem
præbeatis, ſed cum omnibus pacem, & amicitiam
19. perpetuò colatis. ¶ Quod ſi quis forrè aliqua vos
ratione violauerit, cauete (ô mihi cariſſimi fratres)
ne veſtram ipſi iniuriam vlciſcamini, quin potius
irato parcite, quem tamen, niſi reſipiſcat, ira Dei
manet, cùm ſcriptum ſit; mihi eſt vltio, ego repen-
20. dam, dicit Dominus. ¶ Itaque ſi egeſtate preſſus
inimicus tuus eſurit, illum tu benignè, indulgen-
térque recrea, & cibū miniſtra; ſi verò ſitit, potum
tribuito: hoc enim ſi feceris, illū beneficiis ita ob-
rues, vt veluti ignitis carbonibus cūgeſtis in ipſius
caput, amoris, & caritatis igne penè inflāmes; me-
ritis deniq; , ac lenitate tua victū pro inimico ami-
21. cum facies. ¶ Ne patiaris igitur te ab iniuria, ſeu
cōtumelia ſuperari, vt par pari reſeras; ſed da ope-
rā, vt bene de inimico merēdo, malè facta beneſa-
ctis cōpenſes, eiúſque malitiā tua vincas bonitate.

tiam, quæ data eſt nobis, differentes: ſiue prophetiam ſecundum rationem fidei.

Siue miniſterium in miniſtrando, ſiue qui docet in doctrina.

Qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in ſimplicitate, qui præeſt in ſolicitudine, qui miſeretur in hilaritate.

Dilectio ſine ſimulatione, odientes malum, adhærentes bono.

Charitate fraternitatis inuicem diligentes, honore inuicem præuenientes.

Solicitudine non pigri, ſpiritu feruentes Domino ſeruientes.

Spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi inſtantes.

Neceſſitatibus ſanctorum communicantes, hoſpitalitatem ſectantes.

Benedicite perſequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere.

Gaudere cum gaudētibus, flere cum flentibus.

Id ipſum inuicem ſentientes, non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes, nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos.

Nulli malum pro malo reddentes, prouidentes bona non tantùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.

Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes.

Non voſmetipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ, ſcriptum eſt enim. mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus.

Sed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius.

Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.

IN CAPVT DVODECIMVM EXPLANATIO.

I. OBSECRO ITAQVE VOS, FRATRES, &c. Commemorata ſuperiori capite diuina liberalitate, ac munificentia, per eam nunc Romanos obteſtatur, vt ſibi, ſuiſque cupiditatibus imperent, eáſque quoad eius fieri poteſt, menti, ac rationi ſubiiciant. Obſecrat autem per Dei miſericordiam, hoc eſt, pro eo quanti illos facere oportebat, diuinam, & liberalem prorsùs gratiam, & miſericordiam, qua iuſtitiam adepti, adoptati in filios, vitæ denique beatæ hæredes inſtituti erant; atque vt id faciliùs impetret, fratres illos appellat non ſolùm, quia id erat olim omnibus credentibus commune nomen, ſed vt fraternam beneuolentiam, & caritatem in illos declaret ſuam. Vtitur autem non modò illuſtri, ſed admodum apta metaphora à ſacrificiis deſumpta. Eſt autem exhibendi verbum, quod Græcè eſt παραστῆσαι, ad rem, de qua nunc agitur, in primis accommodatum: exhibetur enim quod antè promiſſum re ipſa præſtatur, aut quod priùs occultum in lucem profertur. Chryſoſtomus, & Theophylactus indicant de iis propriè dici, qui equos ad bellum Imperatori præbent. Si ſpectemus igitur, nos in Baptiſmo voluptatis illecebras, & prauas cupiditates abiuraſſe, nóſque totos Chriſto dicaſſe, mirè congruit exhibendi verbum, quo monemur id præſtare, quod profeſſi, & polliciti ſumus. Quò ſpectans Tertullianus [a] ait, *Nos quidem neque expaneſcimus, neque pertimeſcimus ea, quæ ab ignorantibus patimur, cùm ad hanc ſectam vtique ſuſceptæ conditione eius pacti venerimus, vt etiam animas noſtras auctorati in has pugnas accedamus, ea quæ Deus repromittit, conſequi optantes, & ea quæ diuerſe vitæ comminatur pati timentes.* Et alibi [b]: *Denique vt à baptiſmate ingrediar aquam adituri ibidem, ſed & aliquanto priùs in Eccleſia ſub Antiſtitis manu conteſtamur, nos renuntiare Diabolo, & pompæ, & Angelis eius.* Aliquanto autem pòſt negat [c] Chriſtiano ſacramento militare poſſe ſuperaddi. *Credimúſne* (inquit) *humanum ſacramentum diuino ſuperduci licere, & in alium Dominum reſpondere poſt Chriſtum?* Hoc non ſemel à recens baptizatis exigit Auguſtinus, alíique Patres, qui catechumenos, & neophytos inſtituunt.

[a] ad Scapul. cap. 1.
[b] lib. de corona mil. c. 3.
[c] cap. 11.

II. Et quoniam neceſſe eſt animi moderationem externis plerumque actionibus declarare, non malè exhibendi verbum adhibetur, vt quod in anima quaſi occultum, atque abditum erat, proferatur in lucem. Quemadmodum autem qui olim equos Imperatori ad bellum præbebant, non illos deinceps ad priuatos vſus reuocabant: ita qui ſemel cœleſti ſe Imperatori ad bellandum aduerſus Diabolum præbuit, ſubducere ſeſe, & Diaboli obſequiis denuò accommodare nequaquam debet. Poſtremò quoniam conſtat alludere Paulum ad veterum ſacrificiorum morem, quo Sacerdos cremandam victimam altari imponebat, rectè monet vt fideles exhibeant corpora ſua hoſtiam; vt nihil dicam de profanis, atque impiis Gentilium ſacrificiis, quibus (vt alij [d] ante nos obſeruarunt) moris erat non ſine magno apparatu ſuis idolis ſacrificare, hoſtiæ quippe probari, duci, admoueri, ſtare, feriri, cadere, cædi, mactari, immolari dicebantur. Porrò non ſimpliciter Paulus per Dei miſericordiam obteſtatur, ſed numero multitudinis, *per Dei miſerationes*: Græci enim codices (cōſentientibus Chryſoſtomo, & Theophylacto) habent διὰ τῶν οἰκτιρμῶν; quo loco Origenes emphaſim ad indicandam immenſam Dei miſericordiam obſeruauit. Vult autem offerri Deo corpora hoſtiam quidem, ſed viuentem, hoc eſt, myſticam quandam hoſtiam, ſiue vt diſtinguat ab antiquo Iudæorum ſacrificio, quo victima mactabatur; ſiue vt moneat (quod obſeruauit Chryſoſtomus) non eſſe propria corpora iugulanda; ſiue denique vt hoc qualecumque ſacrificium ab eo diſtinguat, quo ſeſe martyres pro Deo morti deuouebant. Itaque rectè Origenes ad priſcas olim Iudæorum victimas ſpectans, de hoc ſacrificio hunc in modum ſcribit: *Tunc vnuſquiſque immolat vitulum, cum ſuperbiam corporis vincit: tunc arietem iugulat, cum ſuperat iracundiam: tunc in holocauſtum offert hircum, cùm libidinem vincit; tunc denique columbas, ac turtures immolat, cùm vagos ac lubricos cogitationum reſecat volatus.* Hæc ille.

[d] Iuſtinianus ... [illegible]

III. Verùm aliò verba Pauli trahunt Ambroſius, & Gregorius [a], vt viuentem hoſtiam intelligat corpora virtutibus ornata. quæ enim vitiis ſubdunt, & ſceleribus obſtringuntur, mortua quodammodo cenſentur; ſic enim alicubi ſcripſit [b] Paulus: *Exiſtimate vos mortuos eſſe peccato, viuentes autem Deo.* Et Petrus [c]: *Vt mortui peccato, iuſtitiæ viuamus.* Quod vt verum ſit, non ſatis huic loco aptatur; virtutes enim, & vitia non tam in corpore, quàm in animo inſunt: at Paulus de corpore, & corporearum affectionum moderatione loquitur, quod eſt quoddam ſacrificij genus, quod (vt ait Baſilius [d]) Chriſtianis omnibus eſt commune: omnes enim Chriſtianos alloquebatur Petrus, cùm diceret [e]: *Ipſi tamquam lapides viui ſuperædificamini domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, offerentes ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum.* Siſtitur ſanè hæc noſtrorum corporum hoſtia primùm quidem (vt Origenes, & Chryſoſtomus docent) cùm petulantes libidinum motus comprimimus, impotentes animi perturbationes frænamus, cupiditarum impetus frangimus; denique (vt ait Apoſtolus [f]) mortificamus membra noſtra, quæ ſunt ſuper terram. Et ipſe quidem cæteris ſuo exemplo præibat, qui corpus ſuum caſtigaret [g], & in ſeruitutem redigeret, deinde (vt explicat Auguſtinus [h]) cùm corpus eiúſque membra ad exercendas ſtudioſas, & laudabiles actiones adhibemus. Hoc igitur eſt hoſtiam viuentem exhibere. Eſt autem Græcè θυσία, quæ vox licèt propriè ipſam ſacrificandi actionem ſignificat, nonnunquã tamen idem valet, quod θῦμα, ideſt victima, ſeu hoſtia. rectè autem interpres hoſtiam dixit, non victimam; victima enim erat, quæ pro habita victoria offerebatur, de qua Ouidius [i]:

Victima, quæ cecidit dextra victrice vocatur.

Hoſtia verò, quæ pro arcendis hoſtibus immolabatur, de qua idem.

Hoſtibus à domitis hoſtia nomen habet:

quam Feſtus ab hoſtio, id eſt, ferio, dictam putat; ſacrificium tamen ait fuiſſe quod Laribus immolabant, quod ab iis hoſtes arceri putarent. quia igitur quamdiu viuimus, in certamine ſumus, & cum atrociſſimis hoſtibus dimicandum nobis eſt, meritò hoſtiam, non victimam dixit. IV. Addit verò, *ſanctam*, hoc eſt vni Deo dicatam; vt enim docet ſanctus Auguſtinus [k], vni Deo ſacrificium debetur, quod autem

[a] Hom. 22. in Ezech.
[b] ad Rom. 6. 11.
[c] Ep. 1. c. 2. 5.
[d] Reg. breu. 265.
[e] Ep. 1. ca. 2. 5.
[f] ad Coloſſ. 3. 5.
[g] 1. ad Cor. 9. 27.
[h] libr. 10. de Ciuit. cap. 6.
[i] l. 4. Faſtorũ.
[k] libr. 10. de Ciuit. cap. 21.

Deo conſecratur, ſanctum dicitur. vult igitur Deo vero offerri corpora, eiúſque vnius intuitu domari, & rationis imperio ſubdi; ne (quod plerique mortalium faciunt) dæmoni, vel inani honorum cupiditati, vel impuris etiam voluptatibus litemus: quocirca mox ſubdit: *Deo placentem*; quod videlicet (vt Auguſtinus [a], & Gregorius [b] docent) caſta, & pura conſcientia offeratur: ſpectare enim ſolet Deus animum potius, quàm opus externum, aut rem ipſam oblatam. reſpexiſſe enim dicitur Dominus [c] ad Abel, & ad munera eius, priùs videlicet ad mentem, atque offerentis animum. Placet hoc loco Tertulliani [d] verba ponere, qui ex hoc Pauli loco corporum anaſtaſim non malè confirmat. *Hæc erunt* (inquit) *corpora noſtra, quæ Romanos obſecrat exhibere hoſtiam viuam, ſanctam, placabilem Deo. Quomodo viuam, ſi peritura ſunt? Quomodo ſanctam, ſi prophana ſunt? Quomodo placabilem, ſi damnata ſunt?* Vbi placabilem dixit more ſuo, quod Græcè eſt εὐάρεςον. Poſtremò ad ſuperiora adiungit, *rationabile obſequium veſtrum*, Græcè λογικὴν λατρείαν, quaſi dicat; ſi mactata corpora veſtra Deo immolaueritis, non beſtias iugulantes, vt olim, ſed prauos affectus comprimentes; tum demum victimam Deo gratam, & rationabile obſequium, id eſt, cultum, venerationem, ac penè dixerim ſacrificium, non corporeum, ſed ſpiritale offeretis; ſic Petrus [e] λογικὸν γάλα, ſpiritale lac appellat quod ratione, ac mente guſtatur, vt diſtinguatur hæc hoſtia ab iis ſacrificiis, quibus pecudes immolabantur.

V. Acutè verò Chryſoſtomus ait rationabile obſequium dici quòd res ſit animi, ac ſpiritalis, & pro templo quidem eſſe hominis pectus, pro pecude corpus, hoc eſt affectiones & actiones corporis, pro igne Dei caritatem. Neque aliter explicant Hieronymus, & Origenes, quamquam hic aliter etiam interpretatur, quaſi is ſit rationalis cultus, cuius certa ratio reddi poſſit; quod etiam indicat Theophylactus, qui ſignificari putat quidquid nobis agendum ſit certa ratione gerendum; à quo non admodum diſcrepat vulgata concionatorum interpretatio, qui vel ignorata, vel neglecta Græcæ vocis proprietate, rationale obſequium moderatum, & cum ratione temperatum intelligunt, ne quis præter modum corpus ſuum vexet, & debilitet. Ambroſius ad iuſtitiæ modum refert. *Vt autem* (inquit) *obſequij noſtri affectum habere poſſimus, ſeruata iuſtitia, pudorem cuſtodiamus, nihil enim perficit pudor; nec rationabilis poteſt videri, neglecta iuſtitia*: ſed his omnibus commune eſt vt rationabile obſequium appoſitione quadam ad ſuperiora referant, quod & facit Theodoretus, qui hoſtiam ratione vtentem intelligit, vt à priſcis ſacrificiis differat. Baſilius [f] autem, & Gregorius [g] Nazianzenus quidpiam à ſuperioribus diuerſum eſſe putant, quorum ille obſequium rationabile vocat, quod moderatè prudentérque ad Dei gloriam præſtatur; à quo non admodum diſcrepat Anſelmus, qui bonas, & laudabiles actiones certa cum ratione faciendas docet. Perinde quaſi duo præcepta tradantur hoc loco ab Apoſtolo, alterum vt corpora noſtra tamquam hoſtiam Deo ſiſtamus, alterum vt nihil non certo conſilio, rectáque ratione agendum ſuſcipiamus. & quamquam vtrumque apoſtolica diſciplina dignum eſt, prior tamen ſententia præſenti loco eſt magis conſentanea. Hîc autem interprete Niceta, ſpiritale, ac myſticum ſacrificium interpretatur, quod legali ſacrificio opponitur, quódque à Deo ſolùm expoſcitur, ab omnibus ſcilicet fidelibus; nam mox de ſacrificio Euchariſtico agit, ne illud putent hæretici à Theologo excludi, quod impiè hæreticus interpres hoc loco ſomniat, qui quærit vbinam ſit miſſatica illa Chriſti oblatio pro viuis, & mortuis, quaſi omnia vno loco dicenda ſint. Certè Theologus poſt myſticum corporis noſtri ſacrificium, mox de Euchariſtico, vel vt iſte loquitur, miſſatico ita ſcribit; *quo tandem modo externum ſacrificium illud magnorum myſteriorum antitypum ipſi offerre auderem, aut quomodo ſacerdotis habitum, & nomen ſubire?*

2. I. Et nolite conformari, &c. Ad animum putant nonnulli hoc ſecundum Apoſtoli præceptum pertinere, ſuperius autem ad corpus, quæ eſt apertiſſima ſententia Auguſtini [a]. cùm enim ex ſuperiori Pauli præcepto collegiſſet, multò magis animi ſacrificium Deo placere; oſtendit hoc loco, Apoſtolum agere de animæ ſacrificio, quod etiam alibi [b] confirmat; malim ego eſſe ſuperioris ſententiæ explicationem, vt hoc videlicet ſit offerre Deo corpora hoſtiam viuentem non conformari huic ſeculo, ſed reformari in nouitate ſenſus. vt enim paulò antè diximus, non tam loquitur Apoſtolus de externis corporis membris, quàm de prauis affectionibus animi, quæ pecudum inſtar iugulandæ, & mactandæ ſunt. Ait igitur Apoſtolus, ita membra corporis, & affectiones animi componite, vt non ſitis huic ſæculo conformes, ſed renouemini potiùs in nouitate ſpiritus. Quòd ſi quis ſuperiora de corporis membris intelligat, hæc poſſunt ad idem referri; omnis enim externa corporis moderatio oriri debet ab animo, & cum ea coniungi, ne externus ille cultus ad auram popularem referatur, quod eſt huic ſæculo conformari. Quod autem noſter interpres ait, *Nolite conformari huic ſæculo*; Græcè eſt μὴ συσχηματίζεσθε. Mox verò quod ſequitur: *ſed reformamini in nouitate ſpiritus*; Græcè μεταμορφοῦσθε. obſeruauit autem Chryſoſtomus, mundi figuram, hoc eſt, σχῆμα, appellari, vt etiam alibi [c] cùm dixit; *præterit figura huius mundi*; Græcè σχῆμα, quod ſit extrinſecus accerſita, & quaſi mentitis coloribus picta, atque idcirco minus ſtabilis, ac perſeuerans: contrà verò virtutis forma, Græcè μορφὴ appellatur, quod natiuam habet ſpeciem, & colorem, atque idcirco ſtabilem, & permanentem. Id minùs rectè, cùm nonnulli perciperent μορφὴν putant eſſe partem illam ſubſtantiæ, quam philoſophi Latinè formam, Græcè εἶδος nominant; cùm tamen Ariſtoteles in categoria qualitatis σχῆμα & μορφὴν pro eodẽ accipiat, & inter qualitates numeret. Significat igitur Chryſoſtomus, σχῆμα eſſe externum habitum, & figuram extrinſecus inductam; μορφὴν verò nõniſi naturalem, & propriam: quod tametſi haud ſcio, an ſit perpetuò verum; nam de Chriſto ſcribit Matthæus [d] μετεμορφώθη quod Latinus interpres reddidit; *Et transfiguratus eſt*; cùm ſignificet externam duntaxàt figuram mutaſſe, vt ſcriptum eſt apud Lucam [e], τὸ εἶδος τοῦ προσώπου αὐτοῦ ἕτερον. *ſpecies vultus eius altera*.

II. Illud probandum magis rectè, Apoſtolum his paucis verbis duo iuſtitiæ præcepta complexum eſſe, quæ olim fuerant à Dauide indicata cùm dixit [f]: *Declina à malo, & fac bonum.* Eodémque ſenſu dixit Iacobus [g]: *Religio munda, & immaculata hæc eſt apud Deum, & Patrem viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire, ab hoc ſæculo.* Et Ioannes [h]: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt.* His enim (vt ait Auguſtinus [i]) perfectum ſacrificium continetur, quod ipſi nos ſumus. Non dixit autem Apoſtolus non eſſe in hoc mundo viuendum, neque omnem penitùs mundi vſum prohibet, ſed id tantùm interdicit, ne huius mundi figuram, & quaſi ſpeciem induamus, ne nos ad mundi mores, & conſuetudines accommodemus. Sæculum autem, aut mundum intelligit quidquid ſpectat ad terrenam ſapientiam, de qua Iacobus [k]: *Eſt enim ſapientia terrena animalis, & diabolica*; quam profitebantur illi, de quibus alibi Paulus:

a lib. de vera & falſa pœnitentia cap. 15.
b lib. 7. regeſt. epiſt. 126
c Geneſ. 4. 4.
d de reſur. carnis cap. 47.
e Ep. 1. ca. 2. 2.
f Reg. breu. 2. 30
g Apolog. 1.
a lib. 10. de Ciuit. cap. 6.
b lib. 22. de Ciuit. cap. 16.
c 1. ad Cor. 7. 31.
d cap. 17. 2.
e cap. 9. 29.
f Pſal 36. 27.
g cap. 1. 27.
h 1. Can. cap. 2. 15.
i lib. 10. de Ciuit. cap. 6.
k cap. 3. 15.

a Rom. cap. 8. 5. b Philip. 3. 19.

A Paulus [a]: *Quæ carnis ſunt ſapiunt*. Et [b]: *Quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt.* Contrà verò reformari in nouitate ſenſus eſt, mores & vitam ad Chriſti exemplar conformare. Quocirca Paulus nouam interdum creaturam, vitæ nouitatem, & nouum hominem nominat. peccatum enim, & ea, quæ ex peccato oriuntur ad vetuſtatem, & veterem hominem pertinent: contrà verò gratia, reliquæque actiones laudabiles, ac honeſtæ, quibus Dei beneuolentia conciliatur, ad vitæ nouitatem, & nouum homi-
III. nem referuntur. Itaque dixit Paulus [c]: *Deponite veterem hominem ſecundùm priſtinam conuerſationem, qui corrumpitur ſecundùm deſiderium erroris: renouamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis.* Et in hac Epiſtola [d]. *Quomodo* (inquit) *Chriſtus ſurrexit à mortuis, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Rurſus [e]: *Vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate litteræ.* Tractat hunc locum Cyprianus [f], & hunc in modum legit. *Oro ergo vos fratres per miſericordiam Dei, vt conſtituatis corpora veſtra hoſtiam viuam, ſanctam, placentem Deo, nec configuremini ſæculo huic, ſed transformamini in renouatione ſenſus ad probandum quæ ſit voluntas Dei bona, & placens & perfecta.* Addit enim mox Apoſtolus: *vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta.* Simile quiddam alibi dixit Paulus [g]: *Probantes quid ſit beneplacitum Deo.* Itémque [h] alibi. *Caritas veſtra magis ac magis abundet, vt*
C *probetis potiora.* Probare autem eſt non modò cognoſcere quid Deo maximè placeat, ſed etiam id ex animo complecti, eóque mirum in modum oblectari: quod Dauid his ferè verbis expreſſit [i]: *Guſtate, & videte quoniam ſuauis eſt Dominus.* Cæterùm ſunt qui paulò [k] aliter legant, vt probetis videlicet *quæ ſit voluntas Dei, quod bonum, & beneplacitum, & perfectum*: vt non ad voluntatem Dei, ſed ad id quod ſupra dictum eſt, referantur, ſenſuſque ſit, bonum beneplacens & perfectum eſſe, vt offeramus Deo corpora noſtra hoſtiam viuentem, & abiecta huius ſæculi figura, nouam ſenſus, ac ſpiritus formam induamus, & Dei voluntatem ex animo complectamur. at noſtri interpretis ſententiam ſequuntur Clemens [l] Ale-
D xandrinus, Baſilius [m], Chryſoſtomus [n], Cyprianus [o], Hieronymus [p]. Ambiguitati locum fecit additus articulus τὸ ἀγαθὸν, quod quidem bifariam accipi poteſt, vel vt voluntatem à voluntate diſtinguat, vel vt totum id referat, quod præceſſit. Priorem interpretationem non omnes eodem modo explicant: Origenes certè, & Chryſoſtomus bonam, & beneplacentem Dei voluntatem intelligunt euangelium, qua diſtinguitur à lege veteri. illam quippe Iudæorum imbecillitati diuina voluntas indulſit; legem verò euangelicam tanquam perfectam, ſibique inprimis gratam, cunctis gentibus propoſuit: ita Chriſtus apud Matthæum, quæ lege veteri præcipiebantur dixit: *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis*: Mox verò de euangelica lege ſubdens: *Ego autem dico vobis.* quaſi dicat, illud quidem vtcumque permiſſum, ac
E toleratum fuit, hoc verò ex animo præcipitur, ac perpetuò retinendum imperatur. Addit Origenes: ad voluntatem Dei etiam pertinere, quæ ab irato Deo proficiſcuntur; vult enim plerumque hominum ſcelera vlciſci, ſed voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta, non ex iracundia, aut odio, ſed ex bene-
IV. uolentia, & caritate proficiſcitur. Porrò Hieronymus hanc Dei bonam voluntatem ab ea ſeiungit, qua aliquid minùs perfectum hominibus conceditur, eo in genere ſunt ſecundæ nuptiæ, & vno verbo quidquid lactis nomine ab Apoſtolo [q] comprehen-

c Ephes. 4. 22. d cap. 6. 4. e cap. 7. 6. f Epiſt. 57 & lib. de exhort. ad martyr. c. 8. g ad Epheſ. 5. 10. h ad Philip. 1. 9. i Pſal. 33. 9. k Orig. Ambr. in hunc locum. Aug. Ep. 8. & 112. & lib. de Ciuit. c. 6. l Stromat. m Reg. breu. 196. n hoc loco. o Epiſt. 57. & lib. de exhort. martyr. cap. 8. p lib. 1. cont. Iouin. q 1 ad Cor. 3. 2.

A ditur. Baſilius verò Dei bonam voluntatem explicat, qua nos ad bonum excitat, atque inflammat: beneplacentem, qua omnes bonæ actionis conditiones exigit: denique perfectam, quia non qualecumque à nobis opus requirit, ſed omnibus ſuis numeris abſolutum, atque perfectum. Mitto quod in præſentia ait Anſelmus, tres hominum ſtatus deſignari, incipientium, proficientium, & perfectorum, vel coniugatorum, continentium, & virginum. Enimuerò Ambroſius, qui totam ſuperiorem ſententiam complectitur, quidquid ſuprà dixerat Apoſtolus, cultum ait eſſe bonũ, beneplacentem, & perfectũ, vt ſenſus ſit, contendite hæc præſtare, quæ à me dicta ſunt; hoc enim eſt cùm per ſe bonũ, atque honeſtum, tum inprimis Deo gratum, atque omni ex parte perfectum.
B Cæterùm ſi Græca verba diligentiùs inſpiciantur, propiùs à vero abeſſe videtur prior interpretatio, vt bona, beneplacens, & perfecta Dei dicatur voluntas, qua nos ad optima quæque & perfectiſſima non inuitat ſolùm, ſed diuino ſuo nomine quodammodo impellit. Hanc porrò voluntatem probant, & complectuntur, qui ſæculi figura prorsùs abdicata nouitati ſpiritui, hoc eſt, Chriſti imitationi ſeſe conformant. Quod enim ait noſter interpres: *vt probetis*: Græcè legitur εἰς τὸ δοκιμάζειν: quod finem ſignificat, vel certè modum, & veluti conditionem quæ ſacrificium, & cultum comitatur: nam ſi finem indicari dicas, ſenſus erit: hæc ita vobis præſtanda ſunt, vt apti reddamini ad percipiẽdam, amplectendámque Dei bonam voluntatem, beneplacentem, & per-
C fectam. Si modum, & conditionem malis, perinde erit, ac ſi dicat Apoſtolus: hæc ita vobis præſtanda ſunt, vt interim ex animo complectamini hanc ipſam Dei voluntatem bonam, beneplacentem, & omni ex parte perfectam, quia vt alibi ait Apoſtolus [a], *hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio noſtra.* a 1. Theſſ. 4. 3.

Dico enim per gratiam, &c. Quod vniuerſim dixerat quærendam Dei bonam voluntatem, beneplacentem, & perfectam, incipit nunc ſingillatim explicare, vel certè declarat id, quod initio dixerat, humanos affectus mactandos eſſe, & ea quaſi hoſtia Deo litandum: hinc igitur primùm exorditur, mactanda dixi corpora veſtra, & omnes animi affectiones veluti ſacrificandas; iam primo loco ſeſe offert iactantia, ſeu arrogantia. ad hanc enim 3. I.
D edomandam, penitúſque frangendam hoc Apoſtolicum præceptum refertur, particulam autem, *enim*, græcè γὰρ, quidam poſitam putant pro illatiua οὖν, latinè, igitur, quaſi hæc ex iis, quæ ſupra poſita ſunt, neceſſariò ſequatur. ego non video, cur quidquam ſit mutandum; poſſunt enim hæc, vt dixi, ad ſuperiorum explicationem pertinere. *Per gratiam* Dei (inquit) *quæ data eſt mihi.* Origenes, & Ambroſius peritiam, ac ſapientiam diuinam intelligunt, quam ad erudiendas nationes diuinitus hauſerat, de qua alibi [b] dixerat. *Sapientiam loquimur inter perfectos*: quæ mihi explicatio admodum placet. Origenes alteram addit vt gratia intelligatur, qua Paulus aliorum ſibi animos conciliabat, ita vt omnibus mirè gratus eſſet; quocirca eius oratio plurimam habebat auctorita-
E tem. hanc ob cauſam ad Corinthios [c] ſcribit: *Per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant.* Chryſoſtomus, & Theodoretus gratiam Spiritus ſancti interpretantur. Crediderim gratiæ nomine ipſum munus Apoſtolicum indicari: ſic enim alibi ſcribit [d]: *Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc.* Et alibi [e]: *Cognouerunt gratiam, quæ data eſt mihi inter gentes.* Et hac Epiſtola [f]: *Per gratiam, quæ data eſt mihi, vt ſim miniſter.* Addit: *Omnibus, qui ſunt inter vos.* Chryſoſtomus omnes omnino fideles intelligit: quod veriſſimum

b 1. ad. Cor. 2. 6. c 1. ad Cor. 10. 33. d ad Epheſ. 3. 8. e ad Gal. 2. 9. f cap. 15. 15.

 cenſeo;

cenſco: nam quod ait Origenes, de iuſtis loqui Apo- A ſtolum, qui verè dicuntur eſſe, quia in Deo viuunt, ſubtilius eſt, quàm verius. Sapiuor enim pluſquam oportet arrogantes, qui ſibi plus ſapere videntur, quàm re vera ſapiant. *Sapere autem ad ſobrietatem*, Græcè *σωφρονεῖν*, eſt cum moderatione ſapere, quod in eo videtur poſitum, ne plus oobis arrogemus, quàm habeamus ipſi, rum ne in eo ipſo, quod re vera in oobis ineſt, inſolentiùs gloriemur. Nec diſplicet, moderationem in eo poſitam eſſe, vt iis ſtudiis intenti ſimus, quibus ad modeſtiam erudiamur. Quam cum Chryſoſtomo, & Theophylacto rectè appellare poſſumus *ταπεινοφροσύνην*. poſſis etiam intelligere, eos plus ſapere quàm oporter, qui nimia ſcientiæ cupiditate diuina myſteria curioſiùs perſcrutantur. Origenes, vel eius potiùs interpres, & B Auguſtinus [a] ſobrietatem ad temperātiam referunt, niſi temperantiam pro moderatione accipiant, quomodo videtur accipere Origenes, qui modum omnibus actionibus neceſſariū intelligit. Irenæi [b] interpres prudentiam videtur intellexiſſe; Hieronymus [c] ad pudicitiam detorquet, non planè extra rem; nam *σωφρονεῖν* opponit Ariſtoteles [d] *τὸ ἀσελγαίνειν*, quod eſt petulanter, ac proterue agere, aut libidinoſè viuere: ſed verba quæ ſequuntur, moderationem, ſeu modeſtiam indicant ſignificari, quam non ineptè Irenæi interpres prudentiam appellauit; idcirco enim ſubditur: *Vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei*; hoc eſt, vt interpretantur Chryſoſtomus, & Ambroſius, moderatè ſapiat vnuſquiſque, ſeque intra fines muneris ſibi diuinitus C conceſſi, abſque vllo faſtu, aut arrogantia contineat.

a epiſt. 47.
b lib. 5. c. 20.
c lib. 1. aduer. Iouin.
d 2. Rhet.

III. Poteſt autem hæc Pauli oratio vel de moderatione ſcientiæ, vel certè de modeſtia vniuerſim accipi. Priorem ſenſum probaſſe videtur [e] Baſilius; ſic enim ait: *Cùm duo ſint mortalium ordines, vnus eorum, quibus gubernatio aliorum credita eſt; alter eorum, quibus ordinatum eſt vt obſequantur, & obediant, pro varietate chariſmatum arbitror priores debere omnia ſcire, vt quoſuis placita Dei doceant, cuicumque oſtendentes quæ ſibi conueniant, paratis ſemper ad ſatisfactionem de ea, quæ in nobis eſt, fide reddendam. Aliorum verò quiſquis memor Apoſtoli dicentis; Non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem, quæ ſe concernunt diligenter diſcat, & ſapiat, nihil amplius per curioſitatem inueſtigans, vt dignus reddatur voce Domini; Eugè ſer-* D *ue bone, & fidelis.* Poſteriorem ſecuti videntur Origenes, & Theodoretus, quorum ille ait, totum hunc locum ad illos pertinere, qui ex oleaſtro oleæ nuper inſiti inſolentiùs agerent, & aduerſus ramos ex olea defractos arroganter, & ſuperbè ſeſe gererent: hic verò hunc in modum ſcribit, *Modeſtiam, ſeu moderationem, Græcè σωφροσύνην, mentis ſanitatem appellauit, docens, ſuperbiam eſſe morbum mentis, ſuum autem Dominum eſt imitatus: Dominus enim in ſacris Euangeliis eos, qui humilitatem poſſederint, primos eſſe beatos pronunciauit; Beati* (inquit) *pauperes ſpiritu, ipſorū enim eſt regnum cælorum. Hanc autem omnibus legem ſtatuit, & diuitibus & pauperibus, & ſeruis & dominis, & viris & mulieribus. Hoc enim ſignificat illud; Omnibus inter vos*, vt paulò antè dixi ex Chryſoſtomi ſenten- E tia. Eſt autem quod ſpectat ad voces non inelegans annominatio. Sic enim habent Græci codices *ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν*; Latina interpretatio; *plus ſapere, quàm oportet ſapere*; vel, vt reddit Hilarius [f], *ſuperſapere.* Cùm verò ait; *Vnicuique ſicut diuiſit Deus*, Origeni nonnihil videtur deſiderari, perinde quaſi dicat, vt cuſtodiat vnicuique ſicut diuiſit menſuram fidei. Alij orationis vitium notant; Ego malim eſſe veluti moderationis deſcriptionem; ita (inquit) ſeſe quiſque ad modeſtiam, animique moderationem

e Reg. breu. q. 215.
f lib. 10. de Trinit.

A componat, vt nihilo plus ſibi arroget, quàm quod cuique fuerit diuinitus conceſſum, hoc eſt (quod ſupra ex Ambroſij ſententia diximus) intra fines eorum, quæ ſibi conceſſa ſunt, ſeſe contineat. Porrò fidei nomine Origenes, Chryſoſtomus, & Theodoretus quodlibet munus gratiæ intelligunt; Irenæus [a] autem, & Auguſtinus [b] propriè fidem. Non deſunt qui fidei nomine quodlibet munus, ſeu (vt Eccleſiaſtici loquuntur) talentum accipi velint; quodcumque autem dixeris, eadem ſententia conſtat, nemini quidquam eſſe ſupra vires tentandum.

a lib. 5. c. 20.
b epiſt. 47.

Sicvt enim in vno corpore, &c. 4.
Ita mvlti vnvm corpvs in, &c. 5.
Superioris ſententiæ explicatio eſt ſumpta ab hu- I.
mano corpore ſimilitudine: quemadmodum enim B in humano corpore ſingula membra intra ſui muneris fines, & veluti cancellos ſeſe continent; ita fideles ſuas partes tueri debent ſinguli, nec quiſquam in alienum, vt ita dicam, patrimoniū inuolare, quod maximè modeſtiæ, & moderationis officium eſt. Corporis verò ſimilitudo, atque analogia mirè placuit Apoſtolo, quam propterea alia, atque alia ratione frequenter vſurpat [c]. In ea porrò tria ſpectari poſſunt, quæ fidelium multitudini, hoc eſt Eccleſiæ, & Chriſti myſtico corpori optimè congruunt: nam primùm corpus vnum eſt, itémque vna eſt Eccleſia: deinde in vno eodémque corpore plura ſunt, & inter ſe diuerſa membra; ita in Eccleſia multi ſunt gradus, & fidelium conditiones: denique membrorum munera & actiones ſingulis aptè reſpondent; ita cer- C tæ ſunt, ac definitæ cuiuſque Eccleſiaſtici muneris functiones, ſed quorſum hanc ſimilitudinem in præſentia adhibeat Apoſtolus, iure quæras. Theodoretus refert ad caritatem. *Appoſita* (inquit) *ſimilitudo de caritate; vnaquæque enim pars corporis non eſt ſibi ſolùm vtilis, ſed communem affert vtilitatem; ita etiam conuenit eum, qui aliquam gratiam accepit, apertè ſcire ſe hoc donum communis vtilitatis gratia accepiſſe. Corpus enim vnum ſunt ij, qui crediderunt, membrum autem vſum noſtrum, & id, quod nobis opus eſt, ſupplet.* Verùm non tam hoc ſpectauit Paulus, quàm variam, ac multiplicem membrorum functionem, cui fidelium chariſmata, de quibus mox proportione reſpōdent. Quamquam non nego habitam etiam rationem eius coniunctionis, & nexus, quo ſeſe membra D mutuis officiis iuuant, vt alibi [d] apertiùs ſignificauit, cùm dixit; *Nunc autem multa quidem membra, vnum autem corpus; non poteſt autem oculus dicere manui, opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarij.* Tacitè autem hac ratione ſignificat quanta debeat eſſe fidelium modeſtia, atque animi moderatio, cùm nemo ſibi planè ſufficiat, ſed aliorum quiſque opera, & adminiculo egeat. Quomodo autem fideles omnes vnum corpus myſticum efficiant, alibi doceo.

c 1. ad Cor. 12. ad Epheſ. 1. 4. 5. ad Coloſſ. 1. 2.
d 1. ad Cor. 12. 20.

Habentes avtem donationes, &c. 6.
Plerique Latini codices, prætermiſſa Græca coniun- I.
ctione δὲ, ſententiæ lepôrem, atque etiam vim magna ex parte ſuſtulerunt. cùm enim dixiſſet Apoſtolus eſſe nos membrorum inſtar adeo coniunctos, vt E alter alterius opera indigeat, ne quis confuſionem, perturbationémve aliquam ſuſpicetur, addit, verum id quidem eſt, ſed ita tamen, vt ſuum quiſque munus proprium, & functionem certam retineat. Porrò qui eam coniunctionem expunxit, exiſtimaſſe videtur hanc ſententiam à ſuperioribus non pendere, cùm tamen tota pendeat, & ad corporis, & membrorum ſimilitudinem explicandam referatur; præſertim ad tertiam illam corporis proprietatem, qua ſuū cuique membro munus tribuitur: ponitur autem participium Hebræorū more pro verbo, quaſi dicat;

habe

[a] 6. 6. habemus autem, vt hac ipſa Epiſtola [a]. *Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt.* Et alibi [b]: *ſpes noſtra firma ſit pro vobis, ſcientes, quòd ſicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis*, atque ita neceſſe eſt coniungere participium cum verbo præcedenti, *ſumus*, neque quidquam ſubaudire, quod nonnulli exiſtimant. Dixit autem habere nos donationes, Græcè χαρίσματα, quaſi dicat, munera gratis, & liberaliter conceſſa, idque, vt obſeruauit Theophylactus, ad tumorem, atque arrogantiam comprimendam: Dei enim (inquit) donum eſt, non tuum vel opus, vel rectè factum, quod accepiſti. Dixit porrò ſecundùm gratiam, Græcè κατὰ χάριν, non gratiam iuſtificantem intelligens, ſed gratuitam, ac liberalem Dei largitionem gratiam appellans: nam vt ipſa munera liberaliter cōceſſa gratiæ nomine comprehendit. Sic enim ad Corinthios [c] ſcripſit, *diuiſiones gratiarum ſunt*; vbi Græcè legimus χαρισμάτων, quaſi dicat gratuitorum munerum. Cùm igitur hoc loco dicat chariſmata conceſſa ſecundùm gratiam, vim vocis explicare voluit, id eſt, munera gratis, ac

[b] 2. ad Cor. 1.

A

[c] 1. Cor. 12. 4.

B

II. liberaliter tributa. Cæterùm vt ignauiam, & ſegnitiem aliorum excitet ſubdit, *ſiue prophetiam ſecundùm rationem fidei*, vt gratiam oſtendat non temerè effundi, ſed pro fidei analogia cuique concedi. Ita videtur indicare Theophylactus, verba illa; *ſecundùm rationem fidei*, non reſtrictè de prophetia, ſed amplè de omnibus muneribus accipienda eſſe. Quod ipſum tamen non perinde intelligendum eſt, quaſi fides ita noſtra ſit, noſtrique liberi arbitrij actio, vt gratiæ beneficentiam, & liberalitatem excludat, cùm ſit gratiæ munus primarium: quo fit vt inanis, & planè ſuperuacanea eorum videatur induſtria, qui multum laborant, vt hanc ſententiam à ſuperiore ſeiungant; admiſſo enim Hebraiſmo, quo participium pro verbo ponitur, apertiſſima, & ſimpliciſſima ſentētia cōſtat; ſi omnis hæc oratio, & diuinorum munerum enumeratio cum ſuperioribus coniungatur hoc fermè modo: ſumus enim (inquit Paulus) eiuſdem veluti corporis membra, mutuòque reſpectu nos connexi, ita tamen vt membrorum inſtar alias, atque alias functiones quiſque exerceat. Loquitur autem Apoſtolus de iis potiſſimùm muneribus, quæ ad eas gratias pertinent, quæ à Theologis gratiæ gratis datæ nuncupantur; atque ob eam fortaſſe cauſam Græcè dixit χαρίσματα, vbi Græcæ locutionis lepos, & energia obſeruari poteſt; ait enim χαρίσματα κατὰ τὴν χάριν, hoc eſt, dona iuxta gratiam data; vno verbo munera gratuitò, ac liberaliter conceſſa pro largientis

C

D

III. beneuolentia, & caritate. Dixit autem donationes differentes, ſeu diuerſas; quaſi dicat alia, atque alia dona, ne dicat maiora, aut nobiliora, quòd inuidiam potuiſſent excitare: nec enim abhorret à vero, quod in parabola apud Matthæum [d] legitur; *Vnicuique ſecundùm propriam virtutem*, eandem ſententiam habere, quam hoc loco expreſſit Paulus. Hilarius namque, Auctor imperfecti, & Theophylactus propriam cuiuſque virtutem fidem intelligunt. Hieronymus, & Beda cuiuſque vim, & conatum, quo ſe quiſque ad gratiam percipiendam præparat, atque accommodat; nam quidquid horum dixeris, fateri neceſſe eſt munera diuinitùs ſecundùm gratiam concedi. nam qui propriam cuiuſque virtutem naturam eſſe volunt, quod nihil tam noſtrum vocare poſſimus, ſitque omninò valdè veroſimile, Deum immortalem in ſuis diuinis muneribus diſtribuendis naturæ vniuſcuiuſque rationem habere; mihi quidem, vt leuiſſimè dicam, alieniſſimum videtur. nam quod attinet ad iuſtificationem, id eſt prorsùs hæreticum, vt egregiè oſtendit Auguſtinus [e], qui cùm hæc de re diligenter, accuratéque diſſereret, his verbis diſputationem fermè concludit. *Non enim* (inquit) *habeo quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam ſalutarem, ſi ad examen huius electionis aliqua cogitatione permittor, niſi vel maius ingenium, vel minora peccata, vel vtrumque, addamus etiam, ſi placet, honeſtas, vtileſque doctrinas. Quiſquis ergo fuerit quam minimus peccatis irretitus, atque maculatus (nam nullus quis poteſt?) & acer ingenio, & liberalibus artibus expolitus, eligendus videtur ad gratiam: ſed cùm hoc ſtatuero, ita me ridebit ille, qui infirma mundi elegit, vt confundat fortia, & ſtulta mundi, vt confundat ſapientes, vt eum intuens, & pudore correptus ego irrideam multos, & præ quibuſdam peccatoribus caſtiores, & præ quibuſdam piſcatoribus oratores. Nónne aduertimus multos fideles noſtros ambulantes viam Dei ex nulla parte ingenio comparari, non dicam quorumdam hæreticorum, ſed etiam mimorum? Item nónne videmus quoſdam homines vtriuſque ſexus in coniugali caſtitate viuentes ſine querela, & tamē vel hæreticos, vel paganos, vel etiam in vera fide, & vera Eccleſia ſic tepidos, vt eos miremur meretricum, & hiſtrionum ſubitò conuerſorum, nō ſolùm patientia, & temperantia, ſed etiam fide, ſpe, caritate ſuperari?* Hæc ille. Quòd ſi ſermo ſit de gratiis gratis datis, ne in his quidem naturæ videtur habenda ratio; ſiquidem Iſaias adhibitis ex altari carbonibus repentè fit eloquens, & qui linguæ tarditatem, & infantiam prætexebat Moyſes, Pharaonis Deus ſubitò conſtituitur. Vt omittam Salomoni ſupra ætatem, & penè dicam naturæ captum, ſapientiam diuinitùs fuiſſe infuſam, ipſi Apoſtoli, Eccleſiæque magiſtri planè oſtendunt etiam repugnante natura, diuini ſpiritus vi, & facultate mortalium opera plurima fieri: propiùs à vero abſunt ij, qui verba illa; *vnicuique ſecundùm propriam virtutem* non ad aliquid in parabola ſignificandum, ſed ad explendam parabolæ narrationem ex conſuetudine hominum, ex quibus parabola ſumebatur, adhibita fuiſſe contendunt. quia enim ſolent homines bona ſua ſeruis non temerè, & æqualiter, ſed pro cuiuſque facultate, ac fide diſtribuere, dixit Chriſtus, hominem illum peregrè proficiſcentem alij quinque, alij duo, alij vnum talentum tradidiſſe vnicuique ſecundùm propriam virtutem; non quòd Deus ſecundùm propriam cuiuſque virtutem gratiæ munera diſpertiat; in eo enim non eſt parabola ad rem ſignificatam accommodanda, ſed quod id homines, de quibus Chriſtus loquebatur, facere ſoleant. voluit enim in parabolis veroſimilia & fieri ſolita narrare, etiamſi nihil ad parabolæ finem pertinerent.

[d] cap. 25. 15.

E

[e] lib. 1. ad Simplic. q. 2.

A

B

C

D

IV. Verùm Paulus in præſentia rem veriſſimam dicit, hæc omnia cæleſtia chariſmata ſecundùm gratiam dari, inde vis omnis, ac poteſtas benè agendi proficiſcitur, vt alibi doceo, in iis præſertim, quæ ſuperant naturæ facultatem. Addit verò prophetiam fidei, proportione reſpondere, quæ tamen ipſa non niſi diuino munere, ac beneficentia haberi poteſt. Sed in quo poſita ſit fidei analogia, non ſatis cōſtat; interpres Origenis indicare videtur analogiam idem eſſe, quod paulò antè dixerat, menſurā; quod tamen non perinde accipiendum eſt, quaſi prophetia fidei magnitudini reſpondeat, ſed quod pro fidei proportione concedatur. Ambroſius explicat, ſecundùm operationem fidei, vt videatur Græcè legiſſe non ἀναλογίαν, ſed ἐνέργειαν. Cicero ἀναλογίαν interpretari ſolet conuenientiam. Fidei verò nomine non virtus theologica, ſed ea potius fides ſignificatur, de qua Apoſtolus [a]; *Alteri* (inquit) *datur fides*, loquitur enim de gratiis gratis datis: fidei igitur menſuram (vt Origenes, Chryſoſtomus, & Theodoretus explicant) ſequitur prophetia, ſiue illa futurorum prædictione, ſiue ſcripturarum interpretatione contineatur, vel vt ait Ambroſius, *vaticinandi ratio pro*

E

[a] 1. ad Cor. 12. 11.

magnitu

magnitudine fidei accipientis concedatur; vel denique vt voluit Anſelmus, omnis vaticinatio intra fidei dogmata, tanquam intra ſuos legitimos cancellos includitur. Et ſanè (vt in paraphraſi indicauimus) hęc videtur fuiſſe Pauli mens, vt Chriſtianorum vaticinia, fidei canones nulla ratione tranſiliant: prophetiæ verò nomine auctore Theodoreto, non ſolùm futurorum prænotionem, ſed etiam occultorum cognitionem intelligit: quinetiam (vt alibi doceo) diuinarum ſcripturarum, fideique dogmatum interpretationem non rarò Apoſtolus prophetiam appellat: ita olim multi in Eccleſia prophetæ munere fungebantur, hoc eſt, ſacras litteras interpretabantur; quò pertinent illa [a]: *Æmulamini chariſmata meliora, magis autem vt prophetetis.*

a 1. ad Cor. 14. 1.

7. I. SIVE MINISTERIVM, &c. Fruſtrà, ni fallor, digladiantur recentiores, dum alij aliquid ſupplendum cenſent; alij totum hunc locum à ſuperiori verbo pendere exiſtimant; ſententia mihi videtur eadem, nec alia quàm quæ à nobis in paraphraſi expoſita eſt: non modo enim Apoſtolus plurimas gratias gratis datas recenſet, ſed ſingulis etiam ſuos veluti fines præſcribit. Quemadmodum igitur dixerat, prophetiam fidei proportione reſpondere; ita nunc miniſterium intra adminiſtrationis terminos includit. Quid autem miniſterij nomine accipiendum ſit, non ſatis liquet. Theodoretus enim pro prædicandi functione accipit, Chryſoſtomus autem ampliſſimè interpretatur, vt quamlibet functionem eccleſiaſticam complectatur. Ego (ſi quidquam iudicando valeo) mâlim prophetiam, & miniſterium, græcè διακονίαν, eſſe veluti duo ſumma genera chariſmatum, quorum illud quidem eas gratias complectatur, quæ referuntur ad mentem, atque intelligentiam, fidem, interpretationem ſermonum, facultatem loquendi variis linguis, & ſi quæ ſunt aliæ eiuſdem ordinis; hoc verò ea omnia ſuo ambitu claudat, quæ externo corporis motu, atque opificio peraguntur; vt quæcumque in præſentia ab Apoſtolo enumerantur, ad alterum ex his duobus capitibus referenda ſint. Neque tamen inficias iuerim, multa, quæ priori genere continentur, interdum miniſterij nomine deſcribi; nam de prædicationis munere in Actis [b] Apoſtolicis, ſcriptum legimus; *Nos autem miniſterio verbi intenti erimus.* Sed propriè tamen miniſterium latinè, græcè διακονία, Eccleſiaſticas functiones ſignificat, de quibus plura ſuo loco. Qui igitur miniſterij functionem accipit, ſui muneris leges obſeruet, idque omnino præſtet, quod miniſterij ſibi demandati ratio poſtulat: quod cùm in iis, quæ ſequuntur, ſæpius inculcet Apoſtolus, non immeritò exiſtimauit Origenes, pendere omnia ex ſuperiori illa ſententia, qua Paulus dixerat; *Non plus ſapere, quàm oportet ſapere.* pugnat enim, vt diximus, contra arrogantiam, prudentérque monet, ne quis ſibi plus arroget, quàm ſui muneris, functioniſque ratio patiatur; id quod ſingillatim hac longa enumeratione in multis declarat. Non placet autem quod nonnulli in præſentia docent, de ſola ſacramentorum adminiſtratione Pauli verba accipienda eſſe; quamquàm illa præcipua functio proprios, ac ſuos miniſtros flagitat, & quidem vt plurimum initiatos.

b cap. 6. 4.

II. Porrò quod ſequitur; *Siue qui docet in doctrina*; ad prius genus illud refertur, quod prophetiæ nomine ſignificari diximus; quemadmodùm & illud, quod mox ſubiiciet; *Qui exhortatur in exhortando.* Doctori igitur præcipit, ne doctrinæ fines prætergrediatur, hoc eſt, ne inania, curioſa, & inutilia, ne dicam, noxia, & pernicioſa doceat. Eò enim pertinet quod ſcriptum eſt à Salomone [c]: *Sicut qui mel multùm comedit; non eſt ei bonum: ſic qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria.* Vt enim ait B. Gregorius [a]: *Dulcedo mellis ſi pluſquam neceſſe eſt, ſumitur, vnde delectatur os, inde vita comedentis necatur. Dulcis quoque eſt requiſitio maieſtatis, ſed qui plus hanc ſcrutari appetit, quàm humanitatis cognitio permittit, ipſa hunc eius gloria opprimit, quia velut immoderatè mel ſumptum perſcrutantis ſenſum dum non capitur, rumpit.* Paulo verò antea dixerat: *Sancta Eccleſia in omne, quod veraciter ſapit, ſenſum ſuum humiliter deprimit, ne ſcientia infletur, ne in requiſitione occultorum tumeat, & perſcrutari aliqua, quæ vltra vires ſunt illius, præſumat. Vtiliùs etenim ſtudet neſcire quæ perſcrutari nõ valet, quàm audacter definire quæ neſcit.* Eodem pertinent illa [b]: *altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris; ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus; non eſt enim tibi neceſſarium ea, quæ abſcondita ſunt, videre oculis tuis. In ſupernacuis rebus noli ſcrutari multipliciter; plurima enim ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi; multos enim ſupplantauit ſuſpicio illorum, & in vanitate detinuit ſenſus illorum.* Itémque alibi [c]: *Melior eſt homo, qui minuitur ſapientia, & deficiens ſenſu, quàm qui abundat ſenſu, & tranſgreditur legem Altiſſimi.* III. In eamdem verò ſententiam ſcripſit Proſper [d]: *Non ſunt ſcrutanda quæ Deus occulta eſſe voluit; quæ autem manifeſta fecit, non ſunt negligenda, ne & in illis illicitè curioſi, & in his damnabiliter inueniamur ingrati. De altitudine diſcretionis Dei non conturbabitur cor humilitatis noſtræ, ſi firma, & ſtabili fide tenebit omne iudicium Dei iuſtum eſſe ſecretum, vt vbi inueſtigari non poteſt, quare ita iudicet, ſufficiat ſcire quis iudicet. Lauda, & venerare quod agitur, quia tuum eſt neſcire, cur agitur.* Non deſunt autem qui nimia doctrinæ cupiditate elati *veritatem* (vt quidam [e] dixit) *non in veritate ſed in vanitate quærant, quaſi eam inueniant, non ad veritatem, ſed ad vanitatem, & quod miſerrimum eſt, in verbis vitæ lucra mortis negotientur.* Hinc multiplices hæreticorum lapſus, atque errores profectos eſſe indicat Chryſoſtomus [f], itaque ob id importunam curioſitatem ſapientibus fugiendam eſſe docet. Auguſtinus [g] autem omnem animam curioſam indoctam eſſe ſcripſit. Rectè igitur monet Paulus, vt qui docet, doctrinæ fines ne excedat.

c Prou. 25. 27.

a lib. 14. moral. ca. 11 alias 14.

b Eccl. 3. 22.

c cap. 19. 21.

d Lib. de vocat. gent.

e Rich. Vict.

f Hom. 23 in Io. …

g Lib. 9 de Christiano cap. 4.

8. I. QVI EXHORTATVR IN EXHORTANDO, &c. Theodoretus doctrinam ad diuinorum dogmatum explicationem, exhortationem verò ad morum inſtitutionem refert: vtramque attigit Paulus cum dixit [h]; *Qui prophetat hominibus, loquitur ad ædificationem, exhortationem, & conſolationem.* Nam, vt ego interpretor, in præſentia exhortationis nomine ex vi Græcæ vocis etiam conſolationem complexus eſt. Qui igitur exhortandi munus accepit, certas etiam adhortandi, conſolandique leges ſequitur: ea enim proponere debet, quæ vim habeant auditorum animos promouendi, & populares ſenſus quocumque res poſtulat inflectendi, vt vel hinc appareat, hanc eſſe diuerſam à ſuperiore functionem. Sunt enim non pauci doctrina, eruditionéque præſtantes, qui tamen adhortandi facultate, & orationis, vt ita dicam, acrimonia deſtituantur; atque ob id minùs idonei ſint ad exhortandum. Eos autem, quibus hæc facultas diuinitùs conceſſa eſt, monet Apoſtolus, vt in exhortando verſentur, græcè ἐν τῇ παρακλήσει, hoc eſt, in exhortatione, vt ad audientium vtilitatem omnem ſuam orationem accommodent, iis prætermiſſis, quæ ad promptam, & inanem ſermonis apparatum, ad vulgi denique aures demulcendas, & populares plauſus captandos referuntur. Videas autem hoc noſtro ſæculo plurimos in vtroque genere non leuiter peccare; nam qui docendi munere funguntur, ea plerumque tractant, quæ neque ipſi rectè percipiunt, neque qui audiunt intelligere vllo modo poſſunt,

h 1. ad Cor. 14. 3.

A poſſunt, cùm præſertim nullam poſſint auditoribus afferre vtilitatem. Qui verò populares ſermones habent ad plebem cum par eſſet eos ad inflammandos auditorum animos, omnes orationis neruos conuertere, ita ſubtiliter, & curioſè coram mulierculis de rebus diuinis diſſerunt, quaſi in ſcholis verſentur, vtrique ſui muneris fines tranſiliunt, & ab hoc Apo-

II. ſtolico præcepto longiſſimè aberrant. Cæterùm explicatis iis, quæ pertinent ad prophetiam, paucis perſtringit ea, quæ miniſterio continentur. *Qui tribuit* (inquit) *in ſimplicitate.* Hæc ferè de præfectis ærario Chriſtianorum, quibus communia bona diſtribuenda commiſſa erant, accipienda ſunt, qui videlicet collectas pauperũ inopiæ ſubleuandæ pro cuiuſque indigẽtia atque egeſtate diſtribuebãt, de quibus accipio quod ſcriptum eſt in actis[a] Apoſtolicis. *Factũ eſt*

a cap. 6. 1.

B *murmur Græcorũ aduerſus Hebræos, eo quòd deſpicerẽtur in miniſterio quotidiano viduæ eorum.* ſiue ipſę ad menſarum miniſterium minimè admitterentur; ſiue ipſis neceſſaria nequaquam ſuppeditarentur, cui deinde muneri apoſtolica auctoritate ſuffecti ſunt Diaconi, vt ex eodem ipſo loco apertè conſtat, & fuſiùs tradunt Clemens[b] Romanus, Origenes[c], Cyprianus[d], Hieronymus[e]. Hanc Apoſtolorum inſtitutionem imitatus Euariſtus primus ſtatuit, vt ſeptem Eccleſiæ Romanæ Diaconi, viduis, pupillis, cæteriſque pauperibus ex theſauris Eccleſiæ, & oblationibus fidelium vitæ ſubſidia miniſtrarent: quibus deinde Fabianus vrbis regiones diſtribuit, cùm antea omnes omnibus promiſcuè conſulerent: prætereáque certa loca attribuit, quæ diaconiæ, & pauperum hoſpitalia dicebantur. His igitur, qui huic muneri præ-

b Epiſt. ad Iacobum, & lib. 7. conſt. cap. 4. 16.
c Tract. 13. in Matt.
d lib. 3. Ep. 9. & li. 3. Ep. 14.
e Epiſt. 85. ad Euag. & in Ezech. ca. 48.

C ſunt, præcipit ſimplicitatem: quid autem ſimplicitas ſit explicat B. Gregorius[f], ait enim, ſimplicitatem in ſcriptura interdum ſignificare ſtoliditatem, ſi præſertim ſolitariè ponatur: aliàs verò virtutem: vt cùm dicitur Iob *ſimplex* [g] *& rectus.* Et cùm apud Matthæum[h] columbæ ſimplicitatem imitari monemur. Alibi[i] verò quorumdam nimiam ſimplicitatem damnat. Et Chryſoſtomus[k] in ſimplicitate cauendam eſſe ait ſtultitiam: in prudentia verò malignitatem. Hîc credo, ſimplicitatẽ opponi dolo, & fraudi: id enim cauere debet qui communia bona diſtribuit, ne perſonarum reſpectu à iuſtitiæ præſcripto, vel latum, quod aiunt vnguem recedat, ſed bona fide

f li. 4. Regiſt. Epiſt. 2.
g cap. 1. 1.
h cap. 10. 16.
i lib. 4. Moral. cap. 2.
k Hom. 36. in 1. ad Cor.

D cuncta adminiſtret. Extat ea de re apud Clementem[l] Apoſtolicum præceptum diuinis ſcripturarum teſtimoniis firmatum. Putat autem Theodoretus, ad ſimplicitatem pertinere, ne quis inanem gloriam, aut populi plauſus captet: Quod etiam placuit Origeni, Chryſoſtomo, & Ambroſio. Commentarij, qui nomine Hieronymi circumferuntur, addunt ſimplicitatem in eo poſitam videri, vt nemo in pauperum mores, & vitam curioſiùs inquirat, nec deſunt qui eam maximè ſimplicitatem commendent, quæ ita aliorum inopiæ conſulit, vt nihil inde turpe, nihil inhoneſtum quærat. Eſt etiam eorum laudanda ſimplicitas, qui non quærunt, ſit-ne is, cui dandum eſt, propinquus, an extraneus, amicus, an prorſus ignotus: ſed an dignus ſit, an indigeat, an id futurum ſit è

l lib. 2. Conſt. Apoſt. ca. 4. 1.

E republica, an ſecus. Denique non abnuerim ad ſimplicitatem pertinere, ne quis humanam remunerationem expectet, *Demus* (inquit Seneca[m]) *beneficia, non fœneremus: dignus eſt decipi qui de recipiendo cogitauit, cùm daret.* Pertinet hoc præceptum ad eos præcipuè, qui rebus Eccleſiaſticis præſunt, qui ſacerdotia diſtribuunt, quibus hæc ſimplicitas eſt in primis neceſſaria: ne quid eorum, quæ pauperibus tribuẽda ſunt, in ſua, ſuorúmque priuata cõmoda auertant: ne aliis neglectis, alios minus fortaſſe dignos, ne dicam prorſus indignos ſupra modũ extollãt: nihil denique

m li. 1. de benef. cap. 1.

A non dicam turpe, ſed ne humanum quidem ſpectẽt, verùm vnius Eccleſiæ vtilitatem, Deique immortalis honorem, & gloriam quærant: illud verò potiſſimùm intelligant, non ſolùm ſacrorum canonum, ſed diuinę potiſſimũ legis præſcriptum in rebus omnibus eſſe ſequendũ. Mox verò Paulus; *Qui præeſt in*

III. *ſolicitudine.* Quibus ſanè verbis ſecũda diaconiæ functio explicatur, quæ ad eos pertinet, qui cæteris præficiuntur. Huic verò tanquam pernecesſariã præcipit ſolicitudinem, græcè legitur ἐν σπουδῇ; quod ſtudium, & diligentiam propriè ſignificat: ſolicitudo enim alibi à Paulo[a] dicitur μέριμνα. *ſollicitudo* (inquit) *omnium Eccleſiarum.* Hîc igitur ſtudium, & diligentiam requirit, hoc eſt, aſſiduam, & vehementem ad rem quampiam applicatam magna cum vo-

a 2. ad Cor. 11. 28.

B luptate animi occupationem, & mentis quandam celerem, atque expeditam agitationem, & peruigilem diligentiam; quò pertinent illa, quæ apud eundem Apoſtolum[b] leguntur. *Tu verò vigila, & in omnibus labora, opus fac euangeliſtæ; miniſterium tuum imple.* Poſtremò cõcludit: *Qui miſeretur in hilaritate.* Quæ videtur tertia quædã diaconiæ functio. de qua tamen non omnes eodem modo ſentiunt, & loquũtur. Sunt enim qui vniuerſim de liberalitate, déque miſericordiæ operibus explicent, quaſi nihil noui contineat, ſed primam diaconiæ functionem vberiùs explicet: quæ videtur Theodoreti ſententia: ita enim ſcribit: *beneficentia autem lætitiam adiungit erogationis, bonorúmque communicationis lucrum oſtendens: ſolent enim gaudere qui lucrantur: hoc enim dicit ſcribens ad*

b 2. ad Tim. 4. 5.

C *Corinthios: non ex triſtitia, aut ex neceſſitate: Hilarem enim datorem diligit Deus*: Certè hoc ipſum olim præceperat[c] Sapiens. *Declina pauperi ſine triſtitia aurem tuam, & redde debitum tuum, & reſponde illi pacificè in manſuetudine.* Et alibi[d]: *In bonis non des querelam, & in omni dato non des triſtitiam verbi mali: nónne ardorem refrigerabit ros? ſic verbum melius, quàm datum.* Denique alio loco[e]: *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* ſic etiam videtur ſenſiſſe Chryſoſtomus. *Quomodo enim* (inquit) *eum, qui in triſtitia eſt, refocillabis, ſi tu doles?* Et in eandem ſententiam dixit Seneca[f]. *Nemo libenter debet quod non accepit, ſed expreſſit.* At propiùs abſunt à vero, qui hanc benefi-

c Eccleſ. 4. 8.
d cap. 18. 15.
e cap. 35. 11.
f li. de benef. cap. 1.

IV. centiæ actionem ad eos potiſſimùm referunt, qui ægris curandis, eorúmque moleſtiis ſubleuandis, præerant. His enim hilaritas quædam, & alacritas

D pernecesſaria eſt, ne ægrotantium querimoniis, & moleſtis interdum voluntatibus tædio afficiantur, néue morbi tetras plerumque affectiones perhorreſcant. Erat porrò ea non poſtrema Epiſcoporum cura, de qua Clemens[g] hunc in modum ſcribit: *Vos igitur Epiſcopi eſtote ſoliciti de alendis pupillis, vt nulla in parte illis deeſſe videamini, ac pupillis quidem præbete quæ decent parentes: viduis verò quæ maritos, maturis coniugio date coniuges, artifici opus, imbecillo miſericordiam, hoſpitibus tectum, eſurienti cibum, ſitienti potum, nudis indumentum, ægrotis viſitationem, incluſis in cuſtodia auxilium. Sit autem præ cæteris maior cura de orbis, vt nihil eis deſit. de virgine quidem pupilla quoad veniat ad ætatem maturam viro, eámque fratri in ma-*

g li. 4. Conſt. Apoſt. cap. 2.
h Conc. Calced. in Ep. ad Valẽt. & Martian. Auguſt. act. 1. Conc. Epaun. ca. 18. Turon. 2. cap. 10. & 11. Cabillon. 1. can. 6. Mogunt. 1. can. 18. Biterren. can. 18. Cyprian. li. 3. Ep. 6. In. 24. Cõc. Aurelia. 1. can. 16. Cõc. Aruernen. Cõc. Aurelia. 3. can. 21. Toletan. 3. can. 8. Toletã 4. can. 31. 37. Gratian. 16. q. 7. per multa capita. & d. 81. Can. Epiſcopus.
i li. 2. ad vxorem cap. 4.
k de cultu fœminarum ca. 11.

E *trimonio collocetis: puero pupillo ſuppeditate victum, & quo artem quampiam diſcat.* Et plura deinceps in eãdem ſententiam. Eodem ſpectant plurimi veterum Conciliorum canones[h]. Conſueuerunt autem fideles olim ægros inuiſere, quod his verbis indicat Tertullianus[i]. *Quis enim ſinat coniugem ſuam viſitandorum fratrum gratia vicatim aliena, & quidem pauperiora quæque tuguria circumire? quis in carcerem ad oſculari vincula martyris reptare patietur?* Et alibi[k]: *Aut imbecillis aliquis ex fratribus viſitãdus.* Hæc enim procul dubio de infirmorum viſitatione accipienda ſunt,

vt alij

vt alij ante nos monuerunt: Ita Auguſtinus ſcripſit de viſitatione infirmorum; & eos quidem viſitandos probat Cyprianus [a] teſtimonio Eccleſiaſtici [b]: *Ne pigriteris viſitare infirmum;ex his enim in dilectione firmaberis.* Et Chriſti Domini apud Matthæum [c]: *Infirmus fui,& viſitaſtis me.*

a l.3 ad Quirin. num. 109.
b cap. 7. 35.
c cap. 25. 36.

DILECTIO SINE SIMVLATIONE, &c.

9.
I. De ſingulis functionibus eccleſiaſticis (quæ tamen etiam ad alios aliqua ratione pertinerent) hactenus præcepta dedit; nunc ea perſequitur, quæ attingunt vniuerſos. exigit autem in primis ſynceram, & germanam, nullo autem modo fucatam, & ſimulatam dilectionem: Hebræorum verò more verbum ſubſtantiuum reticuit; vt enim ex Clemente [d] Alexandrino intelligitur, ſubaudiendum eſt verbum; ſit; *Et non ficta* (inquit) *caritas ſit in nobis, & odio habentes malum adhæreamus bono.* Quæ ſit autem ficta, & ſimulata dilectio, docet Ioannes [e] dum ait, *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua; ſed opere & veritate.* Nec enim vera eſt eorum dilectio, qui ſpecioſis duntaxàt verbis multa pollicentur, re verò ipſa præſtant nihil; de quibus rectè Gregorius [f]. *Probatio dilectionis exhibitio eſt operis.* & Chriſtus [g] ipſe. *Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt, qui diligit me.* Et rurſus, *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit. Operatur quippe magna amor, ſi eſt; ſin autem operari renuit, amor non eſt,* ait Gregorius. ficta item, & ſimulata eorum dilectio eſt, qui ſuam beneuolentiam, & caritatem magnificè prædicant, cum tamen animo ſint maximè alieno; quos apud Matthæum [h] perſtringens Chriſtus ait. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Vera igitur beneuolentia, & caritas eſt, quæ ex animo profecta aliorum commodo, & vtilitati ſtudet. Rectè enim apud Plutarchum [i] dixit quidam; *In parandis amicis adhibendam eſſe ſermonis comitatem, & in officiis præſtandis vtilitatem.*

d li. 2. Strom.
e Ep. 1. c. 3. 18.
f Homil. 30. Euang.
g Ioan 14. 21.
h cap. 15. 8.
i in Lacon. Apophtheg.

II. Neque verò Chryſoſtomo aſſentior, qui de amore proximi hanc ſententiam accipit. Propiùs ad mentem Pauli acceſſiſſe videntur Origenes, Ambroſius, & Anſelmus, qui etiam caritatem aduerſus Deum comprehendi exiſtimant: neceſſe enim eſt, Deum ex animo diligere, & caritatem rebus ipſis, & laudabilibus actionibus oſtendere: vt enim ait Ioannes [k]: *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo?* Et Iacobus [l]: *Si frater, aut ſoror nudi ſunt, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis, in pace calefacimini, & ſaturamini, non dederit autem ea, quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit?* Sed Origenes quidem & Ambroſius caritatem ſine ſimulatione definiũt eam quæ vnum duntaxàt ſpectat Deum. verè omnino: eſt enim Deus diligendus gratia ſui, & proximi vnius Dei reſpectu amandi ſunt. Puto tamen propriè veram ac ſinceram caritatem commendari, quæ verè id ſit, quod præſefert, quæque ex animo Deum, ac proximos diligit. Addit verò Paulus ad caritatem veram, & perfectam declarandam: *audientes malum, adhærentes bono.* Quo loco Chryſoſtomus vim Græcarum vocum expendens, emphaſim, & vehementiam quamdam obſeruat: Græcè enim dixit Paulus ἀποστυγοῦντες, quod rectè Latinè dixeris, *abhorrentes,* ſeu, *abominantes:* quod eſt vt ait Theodoretus, vehementi quodam odio proſequi. Rurſus vbi noſter interpres habet, adhærentes bono: græcè legitur κολλώμενοι τῷ ἀγαθῷ, id eſt agglutinari. Obſeruat autem Origenes (quod & facit Tertullianus [m]) non ſatis eſſe ad virtutem (vt ille dixit [n]) *vitium fugere,* ſed ſtudioſè, atque honeſtè viuendum eſſe. Itaque rectè Theodoretus; *Vitium* (inquit) *vehementer odiſſe, bonorum autem operationi valdè coniungi præcepit affe-*

k Ep. 1. cap. 3. 17.
l cap. 2. 15.
m li. 5 aduerſ. Marcion. ca. 20.
n Horat.

A *ctione non aliter ac glutine quopiam vnientes.* Huc credo pertinet illud Iſaiæ [a]: *Glutino bonũ eſt;* vt ait S. Bern. [b] *fideles duplici inter ſeſe veluti glutino in beata vita cohærent, cognitionis plena, & perfectæ dilectionis; tanto ſiquidem maiori ad ſe inuicem dilectione copulantur, quãto ipſi caritati, quæ Deus eſt, viciniores aſſiſtunt: ſed nec vlla ſeparare eos ab inuicem ſuſpicio poteſt, vbi nihil omnino, quod in altero ſit, alterum latere patitur, penetrans omnia radius veritatis.* Cæterùm huius glutinis vim alibi idem Bernardus luculenter explicat [c]. *Mihi* (ait Sanctus) *adhærere Deo bonum eſt: immediatè ei coniungi non poſſumus: ſed per medium aliquod poterit fieri fortaſſis iſta coniunctio, & ne diutiùs vos protraham, tria ſunt vincula, quibus ei aſtringimur: & primum accipite*
B *funes, ſecundum clauos ligneos, vel ferreos, tertium gluten. Primum aſtringit fortiter, & durè: ſecundum fortiùs, & duriùs: tertium ſuauiter, & ſecurè. Fune quodammodo alligatus eſt redemptori: ſi quis forsè dum vehementiori tentatione turbatur, proponit ſibi honeſtatis intuitum, memoriam promiſſionis, & hoc interim ſe fune retinet, ne propoſitum penitus abrumpatur, durum profectò vinculum, & moleſtum, ſed & periculoſum nimis & quod diu tenere non poſſit, ſiquidem putreſcunt funes, & pudoris vinculum aut obliuiſcimur, aut abrumpimus citò. Eſt autem qui clauis configitur Domino maieſtatis, quem timor Dei ligat, qui non expaueſcit ad vultus hominum, ſed ad memoriam gehennalium tormentorũ, & hic quidem peccare non metuit, ſed ardere. Duriùs tamen, & fortiùs primo imprimitur, quia cùm ille va-*
C *cillet in propoſito, iſte propoſitum non amittit. Tertius verò glutine ei conglutinatur, id eſt, caritate, qui tã ſuauiter, quàm ſecurè ligatus adhærens Deo vnus ſpiritus eſt cum eo.* Cuius amoris vim alibi multis idem Bernardus deſcribit, dũ ea verba explicat [d]: *Num* [e] *quem diligit anima mea, vidiſtis?*

a cap. 41. 7.
b Serm. 1. in dedic. Eccl.
c Ser. de trip. cohæren.
d Ser. 79. in Cant.
e Cant. 3. 3.

III. Atque hæc quidem ex communi interpretum ſententia; placuit tamen addere hoc loco ſuſpicionem meam, quæ ſi viris doctis probabitur, operæ pretium tulero: ſin minùs, aliorũ fortaſſe ſtudia ad meliora inueſtiganda excitauero. Etenim quoniam de fraterna caritate, & dilectione mox plura dicit; veniebat mihi in mentem hoc præceptum Apoſtolicum non de caritate, quæ eſt virtus, ſed de Agape perantiquo Chriſtianorum conuiuio accipiendum eſſe, de quo plura Clemens
D in Apoſtolicis [f] conſtitutionibus, & nos alibi. Cùm enim de liberalitate, & beneficentia in pauperes diſſeruiſſet Apoſtolus, non immeritò de hoc conuiuio præcipit. Aptè autẽ dicit, vt ſit ab hypocriſi, & ſimulatione alienũ, ſpectans videlicet Chriſti præceptum apud Lucam [g]. *Cùm facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites, ne fortè te & ipſi reinuitent, & fiat tibi retributio; ſed cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi; retribuetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum.* Hunc enim locum de Agape accipiẽdum eſſe apertè docet Clemens [h] Romanus. fictè autem quodammodo, & ſimulatè inuitat, qui vel honoris ſtudio, & gloriæ cupiditate ducitur, vel commodum,
E aut priuatam vtilitatem aucupatur; ita docet abhorrendum eſſe à malo, vt nihil turpe, nihil vitioſum cogitetur; ſed bonas potius, & laudabiles cogitationes ſuſcipiendas, iis in primis conſentaneas, quæ traduntur à Clemente. *Ad conuiuium* (inquit) *quod Agape dicitur, & Euangeliſta δοχὴν appellauit, qui aniis inuitare voluerit, ei, quam diaconi aſſuetam eſſe ſciant, mittant ſæpè: ſeponunt verò in conuiuio paſtori quod conſuetum eſt, primitias dico illius epuli tanquam Sacerdoti, quamuis non adſit in conuiuio, idque in honorem Dei, qui ei ſacerdotium mandauit: quantum verò cuique impertitur altero, tanto plus Diaconis impertiatur. Preſby-*

f li. 2. cap. 28.
g cap. 14. 12.
h li. 2. Conſt. Apoſt. cap. 28.

teris

teris autem ſi aſſiduè in ſtudio docendi verbum Dei laborauerint, ſeponatur dupla etiam portio in gratiam Apoſtolorum Chriſti, quorum locum tenẽt tanquam conſiliarij Epiſcopi, & Eccleſiæ corona: ſunt enim conſilium, & ſenatus Eccleſiæ. Si autem lector eſt, is partem vnam in honorem prophetarum accipiat. Item cantor, & ianuæ cuſtos: vnicuique igitur dignitatis honorem Laici habeant, qui in iis quæ dantur, deceat; & qui reuerentia erga vitam illius, cum datur adhibendæ conueniat. Caueant verò, ne facilè obſtrepant ei, qui præeſt; quin potius quæ volent per miniſtros, idest, per Diaconos ſignificent, cum quibus audaciùs, ac fidentiùs agant. De eadem verò hunc in modum ſcribit Tertullianus [a]:

a Apol. ca. 39.

IV. *Cœna noſtra de nomine rationem ſui oſtendit; vocatur enim ἀγάπη id quod dilectio penès Græcos eſt. Quantiſcumque ſumptibus conſtet, lucrum eſt pietatis nomine facere ſumptum; ſiquidem inopes quoque refrigerio iſto iuuamus, non quâ penès vos paraſiti affectant ad gloriam famulandæ libertatis, ſub auctoramento ventris inter contumelias ſaginandi: ſed quâ penès Deum maior eſt contemplatio mediocrium, ſi honeſta cauſa eſt conuiuij, reliquum ordinem diſciplinæ de cauſa æſtimate quid ſit, de religionis officio nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ admittit. Non priùs diſcumbitur, quàm oratio ad Deum præguſtetur. editur quantum eſurientes capiunt, bibitur quantum pudicis eſt vtile, ita ſaturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe: ita fabulantur, vt qui ſciant Dominum audire; poſt aquam manualem, & lumina, vt quiſque de ſcripturis ſanctis, vel de proprio ingenio poteſt, prouocatur in medium Deo canere; hinc probatur quomodo biberit. Æquè oratio conuiuium dirimit. inde diſceditur non in cateruas cæſionum, neque in claſſes diſcurſationum, nec in eruptiones laſciuiarum, ſed ad eamdem curam modeſtiæ & pudicitiæ, vt qui non tam cœnam cœnauerint, quàm diſciplinam.* Alibi [b] verò *Immò* (inquit) *& quæ iuſta ſunt, caro non amittit per curam Eccleſiæ, & Agapem fratrum.* Loquitur autem de cura eorum, qui in vinculis, & cuſtodiis detinebantur. Extant ea de re Conciliorum Canones [c]. Neque abſimilis ratio à Clemente Alexandrino [d] deſcribitur. *In conuiuio* (ait) *nobis inuicem pſallendo propinamus noſtram incantantes cupiditatem, & Deum glorificantes propter copioſam donationem eorum, quibus vtuntur, & fruuntur homines, & quod perpetuò ſuppeditata fuerint nutrimenta, ad augmentum corporis, & animi.* Quinetiam in Epiſtola Iudæ, vbi noſter interpres habet; *In epulis ſuis*, græcè legimus ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν; mirandum vt ſit cur Clemens [e] Alexandrinus eos videatur perſtringere, qui cœnulas, & prandia, & epulas ἀγάπας nominant.

b Lib. ad mart. cap. 2.
c Conc. Gangren. cap. 11. Laodicen. c. 28.
d Lib. 2. Strom.
e Lib. 2. Pædag. cap. 1.

V. Olim certè Fauſtus Manichæus [f] Catholicis obiiciebat, quòd veterum ſacrificia in agapes vertiſſent: quod refellens Auguſtinus [g] ait. *Nec ſacrificia eorum vertimus in agapes, ſed ſacrificium illud, quod paulo antè commemoraui, intelleximus, dicente Domino, Miſericordiam volo, & non ſacrificium: agapes enim noſtra pauperes paſcunt ſiue frugibus, ſiue carnibus.* Et paulò pòſt: *Quoniam plerumque in agapibus etiam carnes pauperibus erogantur, miſericordiam Chriſtianorum ſimilem dicitis ſacrificiis paganorum.* Neque verò propterea noſtrum interpretem reprehendo, qui *dilectionem tranſtulit.* legi enim apud Cyprianum [h], *agapem, & dilectionem fraternam religioſè, & firmiter exercendam.* Et Hieronymus [i], ipſéque etiam Tertullianus [k] apagem pro eleemoſyna, & dilectione vſurpant. Nec videri debet Apoſtolicum præceptum protsùs alienum; ait enim, ἡ ἀγάπη ἀνυπόκριτος, hoc eſt, ſit agape ab hypocriſi, & ſimulatione aliena; hoc enim ipſum apertiùs declarans Hieronymus [l] ait: *Cùm manum egenti porrexerint, buccinant, cùm ad agapem vocauerint, præco conducitur.* Vt videatur Apoſto-

f apud Aug. lib. 20. contra Fauſt. cap. 20.
g lib. 20. contra Fauſt. ca. 20.
h Lib. 3. ad Quir. cap. 3.
i Epiſt. ad Euſtoch.
k Lib. ad mart. cap. 2. & lib. 4. aduerſ. Marcionem.
l Ep. ad Euſtoch.

A lus alluſiſſe ad Chriſti præceptum [a]. *Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus.* Et mox: *Cùm facis eleemoſynam, noli tuba canere, ſicut hypocritæ faciunt.* Si igitur (ait Apoſtolus) apage ab hypocriſi, & ſimulatione aliena. Nam qui vulgi plauſus, & auram popularem appetunt, non tam egentibus benefaciunt, quàm facere ſe ſimulant. Quocirca rectè ſubdit Apoſtolus, *Odientes malum, adhærentes bono*; *quaſi dicat*; miſericordiam, & caritatem colentes, ſtudium verò inanis gloriæ penitùs abiicientes. Atque hæc quidem ex mea coniectura. Cæterùm à communi explanatione, non niſi doctioribus approbantibus, recedendum puto.

a Matt. 6. 1.

CARITATEM FRATERNITATI, &c. 10.

I. Hæc Apoſtoli ſententia coniecturæ meæ in primis fauet. nam ſi ſyncetam, miniméque fucatam tum in Deum, tum etiam in proximos caritatem commen-

B dauerat, quid cauſæ erat, cur nunc fraternæ caritatis præcepta inculcaret? At ſi ſuperiora ad agapem referas, rectè qui de liberalitate, & beneficentia præceperat, mox de caritate, quæ animo continetur & cæteras externas actiones parit, mentionem facit. *Cæterum pro caritate fraternitatis*; (ſic enim lego, non caritatem) Græcè habetur τῇ φιλαδελφίᾳ εἰς ἀλλήλους φιλόστοργοι, quaſi dicat, fraterna caritate ad mutuum inter vos amorem propenſi. Chriſtianorum verò caritas rectè φιλαδελφία dicitur; quod vt obſeruarunt Ambroſius [b], & Auguſtinus [c], is beneuolentiæ, & caritatis nexus, quo fideles inter ſeſe aſtringuntur, fraternam caritatem longè ſuperat; ac proinde vſus

C eſt Apoſtolus nomine φιλοστόργου, qua naturalis illa propenſio ſignificatur, quo parentes in liberos, & rurſus liberi in parentes ſuapte natura feruntur. Non igitur qualemcumque amorem exigit, ſed vehementem, acrem, & incitatum, vt alicubi explicat Baſilius [d]. Quamquam autem vulgari interpretis ſententiam non modò Ambroſius, cæteríque Latini, ſed etiam Clemens Alexandrinus, Origenes, Baſilius, & Chryſoſtomus ſequuntur; ſi tamen hæc ſententia ſuperiori coniungatur, vt eam alicubi Clemens [e] Alexandrinus nectendam putat, nihil ad noſtram coniecturam ſtabiliendam aptiùs poſſet cogitari: ſic enim ille legit. *Non ficta* (inquit) *caritas ſit in nobis, & odio habentes malum adhæreamus bono, & fraternitati.* Quaſi dicat, abiecta inanis gloriæ cupiditate veram,

D & ſolidam caritatem, & fraternam beneuolentiam retinete. Vim porro Græcæ locutionis more ſuo vtcumque expreſſit Tertullianus [f]. *Amore* (inquit) *fraternitatis inuicem affectuoſi.* Nec ſanè contemnenda eſt eorum ſuſpicio, qui Latinum interpretem dixiſſe putant; *caritate fraternitatis inuicem diligentes*; cui emendatiores codices ſuffragantur: vitio autem librariorum vnius litterulæ adiectione irrepſiſſe in nonnullos codices, caritatem. Hac verò poſita bene- II.

uolentia, & propenſa in proximos voluntate, non erit difficile primas alteri cedere, vt mox ſubuicit Paulus. *Honore inuicem præuenientes.* Sic enim Chryſoſtomus, & Theodoretus accipiunt, quamquam alij honoris nomine ſubſidium intelligunt: hoc enim maximè fraternæ caritati conuenit, vt certatim ſeſe

E mutuò præſtandis officiis præuertant. Vtraque explicatio probari poteſt; nihilo enim minùs ad caritatem pertinet, vt nemo ſibi præripiat honorem, ſed alteri potius modeſtè cedat, déque alio meliùs ſentiat, quàm de ſe ipſo. Neque abhorret vox Græca προηγούμενοι. etenim προηγεῖσθαι ſignificare videtur potiorem, aut meliorem ſententiam habere: aliàs ducem eſſe; & hoc quidem loco Theophylactus exponit προφθάνειν, προλαμβάνειν, id eſt, anticipare, aut præuertere; hoc enim eſt (vt ait Theodoretus) veræ amicitiæ indicium, puram, & ſynceram animi propen-

b Serm. 9.
c Serm. 37. de verb. Apoſt.
d Reg. breu. 248.
e lib. 2. Strom. nõ procul ab init.
f lib. 5. in Marcion. cap. 14.

ſionem ad ea, quæ honeſta ſunt, oſtendere; nam & Chriſtus monet [a], vt inuitatus ad nuptias vltimo loco accumbat. Quò ſpectaſſe hoc loco Apoſtolum, auctor eſt Origenes; hoc enim ad conſeruandam, & augendam caritatem plurimùm valet; contra verò honoris cupiditas rixas, & contentiones parit.

a Luc. 14. 8.

11. SOLICITVDINE NON PIGRI, &c. Rectè

I. ſolicitudinem amori, & beneuolentiæ ſubiungit; eſt enim amor ſemper cum ſedulitate coniunctus: ita olim acutè dixit Salomon [b], *Ne dicas amico, vade, & reuertere, cras dabo tibi, cùm ſtatim poſſis dare*. Et Seneca [c]. *Beneficium* (inquit) *moroſè datum ſimile eſt pani lapidoſo, quem eſurienti neceſſe eſt eſſe acerbum.* Idémque [d] quod ſuprà commemoraui. *Nemo libenter debet quod non accepit, ſed expreſſit.* Quorſum autem hæc ſedulitas referenda ſit, non facilè apparet; nec enim placet, quod ait Oecumenius, cum ſuperiori ſententia coniungi, vt ſedulò ac diligenter alij alios honore præueniamus, id enim ſatis indicauerat Paulus voce illa Græca προηγούμενοι. Ab Oecumenio verò non multum diſcrepat Chryſoſtomus, qui ſtudium, & ſolicitudinem ad fraternam caritatem, & beneuolentiam refert. Origenes, Theodoretus, & Ambroſius diuinæ caritatis ſedulitatem accipiunt. Equidem ad omnia ſuperiora libenter referrem, vt in mutuis beneuolentiæ officiis præſtandis, ſedulitas, & diligentia adhibeatur quemadmodum & ſpiritus quidam ardor, de quo mox; *ſpiritu feruentes*; is enim, vt ait Baſilius [e], *ſpiritu feruens eſt, qui ardenti ſtudio, & inexplebili cupiditate, & aſſidua diligentia voluntatem Dei facit in caritate Chriſti Ieſu Domini noſtri conuenienter illi, quod ſcriptum eſt; In mandatis eius volet nimis.* Itaque feruorem in tribus poſitum eſſe indicat: primùm in ardenti ſtudio, ac vehementi cupiditate; deinde in quodam inexplebili deſiderio, de quo Chriſtus [f], *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam*: poſtremò in aſſidua diligentia, quæ nunquam defatigetur.

b Prou. 3. 28. c lib. 2. de benef. d lib. cap. 1. e Reg. breu. 259. f Mat. 5. 6.

II. Hoc etiam ad ea pertinet omnia, quæ à Chriſtiano homine perficiuntur. Dicit autem *ſpiritu feruentes*, quia vt ait Auguſtinus [g], *Spiritus ignis eſt, quo feruet caritas, vnde Dominus ait* [h]: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt ardeat?* Et alio loco Paulus [i]: *Spiritum nolite extinguere.* Certè ſpiritu feruentes alicubi deſcribuntur à Bernardo [k]. *Quidam* (inquit) *ad omnia viæ, & vitæ huius exercitia non ſolùm ambulant, ſed & currunt, immò potiùs volant, vt eis & vigiliæ breues, & cibi dulces, & panni ſuaues, labores non ſolùm tolerabiles, ſed & appetibiles videantur.* Rurſus alibi [l]: *Nimirum aduertere potes in omnibus ferè religioſis congregationibus viros repletos conſolatione, ſuperabundantes gaudio, iucundos ſemper, & hilares, feruentes ſpiritu, die ac nocte meditantes in lege Dei, crebrò ſuſpicientes in cælum, & puras manus in oratione leuantes, ſolicitos obſeruatores conſcientiæ, & deuotos ſectatores bonorum operum, quibus amabilis diſciplina, dulce ieiunium, vigiliæ breues, labor manuum delectabilis, & vniuerſa denique conuerſationis huius auſteritas refrigerium videatur.* Subdit deinde Paulus, *Domino ſeruientes*: quo loco Græca exemplaria, quæ nunc habentur in manibus habent καιρῷ; & olim quoſdam codices ita habuiſſe teſtis eſt Origenes, id eſt, tempori; quomodo inter Latinos legit Ambroſius, qui communem lectionem reiicit, quaſi minùs videatur hoc nominatim præcipere, cùm hæc omnia ad diuinum cultum referantur: ſed Origenes, Chryſoſtomus, Theodoretus, aliique Græci legunt τῷ κυρίῳ, quomodo legendum eſſe affirmat Anſelmus; quanquam autem vtraque lectio congruam ſententiam contineat, cùm ſine dubio plerumque tempori ſeruiendum ſit; magis tamen ad mentem Pauli videtur eſſe, vt legamus: *Domino ſeruientes.* Hæc enim ratio eſt cur ſedulitas, & diligentia adhibenda ſit, & ſpiritus feruor retinendus, quod quæcumque proximorum cauſa fiunt, Deo præſtentur. Quamobrem meritò Hieronymus [a] eos reprehendit, qui, *Seruientes tempori*, legunt. Certè Clemens [b] Alexandrinus, Sophronius [c], & Baſilius [d], Domino ſeruientes, legerunt. Quocirca rectè hoc loco Theophylactus. *Cùm fratrū amator fueris, adeóque dilectionem habueris, idque genus alia, quæ paulò antè commemorata ſunt, tum ſeruies Domino; In ſe ipſum enim transfert quæcumque fratri tuo præſtiteris.* Ita ſignificat officia, quæ proximis exhibentur vnius Dei reſpectu, atque intuitu præſtanda eſſe.

g in Pſal. 118. h Luc 12. 49. i 1. ad Theſſ. 5. 19. k Serm. 3. de aſcenſ. l Serm. 6. de aſcenſ. a epi. 102. ad Marc. b li. 1 Pædag. cap. 10. c In vita Mariæ Ægypt. d in Moral. reg. 63. c. 2.

12. SPE GAVDENTES, &c. *Certè* (inquit Augu-

I. ſtinus [e]) *de futuris gaudent, & ideo patientes in tribulatione ſunt.* Et quoniam dixerat Paulus, Domino ſeruiendum, rectè monet ſpectanda eſſe futura, quorum certa expectatione gloriandum eſſe alibi dixerat [f]: *Gloriamur* (inquit) *in ſpe gloriæ filiorum Dei: & gloriamur in tribulationibus ſcientes, quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem ſpem, ſpes verò non confundit.* Denique [g]: *Id quod momentaneum eſt, & leue tribulationis noſtræ ſuprà modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur.* Eodem ſpectant illa Chriſti apud Matthæum [h]; *Gaudete, & exultate in illa die, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Hæc porrò ſpes animum in aduerſis confirmat, vt intelligitur ex Iacobo [i] Apoſtolo. *Patientes eſtote, fratres cariſſimi, vſque ad aduentum Domini: Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat humorem temporaneum, & ſerotinum.* Ita Apoſtoli [k] *ibant gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Et eam ob cauſam dixit Iacobus [l]: *Omne gaudium exiſtimate, fratres, cùm in varias tentationes incideritis.* Tametſi enim gaudium oritur ex re præſenti, Chriſtianæ tamen ſpei certitudo facit, vt quę futura exſpectantur, pro præſentibus habeantur. Addit verò; *Orationi inſtantes*, Græcè προσκαρτεροῦντες, quæ vox aſſiduam ſonat inſtantiam: valet autem precandi ſtudium & ad ſpem confirmandam, & augendam, & amplificandam patientiam. Ita ſemper conſueuit Eccleſia cùm rebus aduerſis premeretur ad precandi ſtudiū, tamquàm ad ſacram anchoram cōfugere; ſic enim olim monuerat Dauid [m]: *Inuoca me in die tribulationis, eruā te, & honorificabis me.* Itaque Dionyſius [n] Areopagita. *Ante omnem actum* (ait) *& in Theologia maximè ab oratione nobis inchoandum eſt, non vt vbique, & nuſquàm non præſentem virtutem attrahamus, ſed vt memoria diuinarum rerum, atque inuocationibus piis nos ipſos illi dedamus, atque iungamus.* Ea de re non pauca ſcribit Iuſtinus [o] Martyr: illa verò Tertulliani [p] obſeruatione digniſſima ſunt. *In cælum* (inquit) *ſuſpicientes Chriſtiani manibus expanſis quia innocui, capite nudo, quia non erubeſcimus, ſine monitore, quia de pectore oramus, precantes ſumus omnes ſemper pro omnibus Imperatoribus vitam illis prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcumque hominis, & Cæſaris vota ſunt.*

e in Pſal. f ad Rom. 5. 2. g 2. ad Cor. 4. 17. h cap. 5. 12. i cap. 5. 7. k Act. 5. 41. l cap. 1. 2. m Pſal. 49. 15. n De diuinis nominib. c. 3. o Apolog. 2. pro Chriſtian. p in Apolog. cap. 30. vide etiam cap. 31. & 39. & l. ad Scapul.

13. NECESSITATIBVS SANCTORVM, &c.

I. Origenes ait, in quibuſdam codicibus Latinis legi; *Memoriis vt meminerimus* (inquit) *ſanctorum, ſiue in collectis, vt illis benefaciamus, ſiue vt eorum recordatione proficiamus.* Vtrumque autem ſenſum complexi ſunt Ambroſius, & Hilarius [q]; neque abhorrent ab ea lectione Clemens [r] Romanus, Euſtratius [ſ] Conſtantinopolitanus, Optatus [t] Mileuitanus, & Petrus [u] Chryſologus. At Chryſoſtomus, & Theophylactus legunt;

q Aduerſ. Conſtant. r lib. 8 Conſt. cap. 48. ſ lib. de operat. anim. poſt mortē; citans meminit Photius in ſua Biblioth. t lib. 2 cont. Parmen. u Serm. 120.

legunt, *neceſſitatibus*; addúntque dixiſſe Apoſtolum, non ſubueniendum, ſed communicandum neceſſitatibus, quia qui bene aliis faciunt, plùs accipiunt, quàm largiantur; pecuniam enim tribuunt, ſed fiduciam hauriunt in Deum. Fortè ad hunc locum allufit Tertullianus [a], vbi negat *communicandum aduerſus fides diſciplinam nationibus, & idolicis rebus.* Quamquam autem alteram illam lectionem nō penitùs improbo, vulgatam tamen retinendam cenſeo, cui magis cohæret quod mox ſubditur; *Hoſpitalitatem ſectantes.* Itémque: *Benedicite perſequentibus vos,* & quæ ſequuntur. Eſt enim hoc beneficentiæ genus in primis laudabile; quódque in veteri Eccleſia religiosè & colebatur, & retinebatur, vt apparet ex Euſebio [b] Cæſarienſi, cùm de Melitone Sardicenſi mētionem facit; itémque Chryſoſtomo [c], & Auguſtino [d]. Certè Origenes ea de re hunc in modum ſcribit: *Digne hoſpitalitatis magnificentiam vno ſermone comprehendit, dicens enim, hoſpitalitatem ſectandam, non illud ſolùm oſtendit, quod venientem ad nos hoſpitem ſuſcipiamus, ſed requiramus, & ſolicitè ſimus, & ſectemur, & perquiramus vbique hoſpites, necubi fortè in plateis ſedeant, aut extra tectum iaceant.* Et Hieronymus [e] in eandem fermè ſententiam. *Domus* (inquit) *Epiſcopi omnium commune debet eſſe hoſpitium; laicus enim vnum, aut duos, aut paucos recipiens implebit hoſpitalitatis officium, Epiſcopus, niſi omnes receperit, inhumanus eſt.* Denique S. Gregorius peregrinos etiam cogendos eſſe, & penè inuitos ad hoſpitium compellendos affirmat. Celebratur ab Hieronymo Xenodochium Pammachij his planè verbis [f]. *Audio te Xenodochium in portu feciſſe Romano, & virgam de arbore Abraham in Auſonio plantaſſe littore, quaſi Æneas noua caſtra metaris, & ſuper vndam Tyberis, vbi ille cogente quondam penuria, cruſtis fatalibus, & quadris patulis non pepercit, tu viculum noſtrum, id eſt, domum panis ædificas, & diuturnam famem repentina ſaturitate compenſas.*

a lib. de idololatr. cap. 14. b lib. 4. hiſt. cap. 26. c Homil. 41. in Gen. d Serm. 9 de tempore, & lib. de quinque hæreſib. e ad Titum. f Epiſt. ad Pammach.

14. BENEDICITE PERSEQVENTIBVS, &c.
I. Hoc præceptum Apoſtolus ſe alicubi [g] re ipſa præſtitiſſe confirmat. *Maledicimur* (inquit) *& benedicimus, perſecutionem patimur, & ſuſtinemus, blaſphemamur, & obſecramus.* Et de omnium Magiſtro Chriſto Domino ſcripſit Beatus Petrus [h]; *Qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur.* Quamquàm autem benedicere interdū idem eſt, quod laudare, hîc ſanè valet idem, quod bene precari: quo etiam modo eam vocem vſurpari apud Latinos, vt cætera omittam indicat illud M. Tullij [i] teſtimonium. *Cui benedixit vnquam bono? Benedixit? Immò quem fortem, & bonum ciuem non petulantiſſimè eſt inſectatus?* At enim Paulus ipſe in Actis Apoſtolicis [k] captus Ieroſolymis, & iuſſus à ſummo Pōtifice alapa cædi, malè precatus dixit: *Percutiet te Deus, paries dealbate.* Sed Auguſtinus [l], & Beda [m] non tam execrationem, quàm vaticinium fuiſſe affirmant. Nec deſunt qui verba Pauli non imprecando, ſed aſſerendo dicta eſſe contendant. Addit more Hebræorum: *Benedicite, & nolite maledicere,* & quod affirmando præceperat, id rursùs adhibita negatione prohibet. Illud in præſentia monuerim, benedicendi verbū in ſacris litteris ambiguam, & multiplicem habere ſignificationem: interdum enim ſignificat bene precari; quod Latinè dicunt, bona verba dicere, fauſta, & fœlicia ominari, quod ferè ſalutantes ſiue in congreſſu, ſiue in digreſſu facere ſolent, quomodo accipio quod legitur in libro Geneſeos [n] de Iacob, qui cùm ingrederetur ad Regem, & ab eo recederet, ei benedixiſſe dicitur, hoc eſt, fauſta precatus.
II. Ambigitur de loco Iob [o]; nam ſcriptum legimus, Iobum pro filiis ſacrificia obtuliſſe, *ne fortè peccarint filij, & benedixerint Deum in cordibus ſuis.* Paulò pòſt: *Niſi in faciem benedixerit tibi.* Denique [a]. *Benedic Deo, & morere.* Quibus affine eſt illud quod legitur in libris [b] Regum. *Benedixit Naboth Deum, & Regem.* Quibus omnibus locis recentiores quidam ab hac ſignificatione nequaquàm recedendum putent, vt Deo, aut Regi benedicere nihil aliud ſit, quàm iis vale dicere, & eorum amicitiæ nuntium remittere: quod non modò nouum, ac planè inſolens, ſanctorúmque Patrum ſententiæ repugnans, ſed penitus falſum videtur: quid enim (quæſo) hoc eſt aliud, quàm antiphraſim aſſerere, quam tamen iſti, vt oppugnent, hæc tam abſurda comminiſcuntur? Qui amicum ſalutat, quíque ab eo recedit, benè precari ſolet, fateor, ſed qui ab eo diſcedit, cui offenſus ſit, non ſolet beneprecari, niſi fortè per antiphraſim: ſic enim ſtatuo benedicere adeuntis, abeuntiſve ſalutationem ſignificare, quemcumque receſſum etiam ab inimico quem perditum velis nullo modo, niſi per antiphraſim execrationem, deteſtationémque benedictionem appelles. Itaque primo illo loco apud Iob, crediderim, benedicere in malam quidem partem accipi, ſignificare tamen, quodlibet etiam leue piaculum mente duntaxat conceptum, quæ eſt Origenis, Baſilij, Polychronij, Olympiodori, Hieronymi, Bedæ, aliorúmque multorum ſententia, quam indicant Septuaginta, & alicubi [c] probat Chryſoſtomus: altero verò loco Origenes, Dydimus, Philippus, Hieronymus, Beda, omnéſque alij paulò antiquiores antiphraſim agnoſcunt, cum quibus errare præſtat, quàm cum iſtis ſciolis argutari: Fauorem tuum (ait Gregorius [d]) etiam maledicendo contemnet. His addo, qui inſtar omnium eſſe poſſit, Auguſtinum [e]: quod ipſum de poſtremo loco, & perſimili in libris Regum ſentiendum eſt. Hîc autem propriè ſuadet Apoſtolus, vt dicantur bona verba; conuitia, & contumeliæ, execrationes, ac blaſphemiæ procul abſint. Quatenus autem hæc Pauli verba vim præcepti contineant diſputat Auguſtinus [f] non vno loco, itemque D. Thomas [g]; nam certum eſt quòd Chryſoſtomus [h], & Auguſtinus [i] monent amorem inimici, non conſilium Euangelicum, ſed præceptum eſſe diuinum hactenus quidem vt non liceat inimicum odio proſequi, aut ei coram & neceſſaria beneuolentiæ officia denegare. Cætera à Theologis noſtríſque diſputationibus petēda ſunt; nam quæ hæretici hoc loco ſcribunt, ne attingenda quidem videntur.

g 1. ad Cor. 4. h 1. Pet. 2. i Orat. pro Sext. k Act. 23. l lib. 1. de ſer. Domini in monte c. 19. m in Actis. n Gen. 47. o Iob 1.

a cap. 2. 9. b lib. 3. ca. 21. c Homil. in Iob, & Abrah. d lib. 2. c. 6. e lib. contra Mendac. cap. 20. f lib. de Mendac. ad Conſent. ca. 15. in ep. ad Marcel. In Enchir. ca. 73. & de Ser. Domini in monte. g 2. 2. quæ. 25. h lib. de compunct. cordis. i Serm. 61 de tempore.

15. GAVDERE CVM GAVDENT, &c. Græco
I. more infinitum pro imperatiuo vſurpat. *Gaudere* (inquit) *cum gaudentibus;* hoc eſt, gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Quod ſanè præceptum Apoſtolicum tum demum ad Chriſtianam caritatem pertinet, cùm merirò quis aut gaudet, aut luget; quis enim dicat iis eſſe gratulandum, qui [k] *lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis?* Cæterùm Chriſtianæ caritatis ratio poſtulat, vt proximorum ſiue bona, ſiue mala pro noſtris ducamus. Neque verò alienum cenſeri debet (quod in præſentia obſeruat Chryſoſtomus) longè difficilius eſſe gaudere cum gaudentibus, quàm cum lugentibus lugere: etenim plerumque lacrymas, amicorum calamitas vel ab inuitis exprimit, res verò ſecundæ nō rarò etiam in amicorum animis inuidiæ ſtimulos excitare ſolent; tantùm abeſt, vt veræ, ſolidæque lætitiæ materiā afferant. Meritò igitur Apoſtolus vtrumque præcipit, vt amicorum res ſecundas, & aduerſas eo, quo ipſi, animo ſiue hilari, ſiue triſti excipiamus. Porrò quod attinet ad verba Græca, Paulus vſus eſt infinito, & ita olim Latinè legiſſe videntur Hieronymus [l], & Auguſtinus [m]. Ambroſius verò hoc qui-

k Prou. 2. 14 l epiſt. 26. ad Ruſticum. m lib. 4. de doct. Chriſtia. cap. 20.

a ad Virg. lapſ. c. 1.

dem loco legit, vt habet vulgatus interpres, alibi[a] A verò legit imperandi modo; gaudete, ſed vt dixi Græca loquendi ratio vim continet modi imperandi, vt latinè ſubaudiendum ſit verbum, oportet, vel quidpiam ſimile.

16. I. IDIPSVM INVICEM, &c. Sequitur hæc ſententia ex proximè ſuperiori; nec enim ficta, aut ſimulata lætitia, nec rurſus fictus, aut ſimulatus debet eſſe mœror, ſed idem debet eſſe animi ſenſus, atque eadem prorsùs affectio voluntatis; tametſi enim verbum Græcum φρονεῖν plerumque ad mentem, atque intelligentiam refertur, non rarò tamen pertinet ad voluntatem; ſic enim alibi dixit[b] Paulus. *Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu*; Græcè φρονείσθω. neque id difficile erit, ſi aliena bona vel mala tamquàm cuiuſque propria ſpectentur. Et quidem B agere Paulum non tam de mentis, atque intelligentiæ ſenſu, quàm de affectione voluntatis, indicant illa verba εἰς ἀλλήλους, quæ noſter interpres reddit, inuicem, vt eadem ſit amicorum ſententia, & animorum, voluntatúmque conſenſio. Rectè autem ſubdit. *Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes*; nam qui plus æquo ſibi arrogant, quique ſe magnificentiùs circumſpiciunt, haud ita facilè aliorum ſenſa, & voluntates ſequuntur. Cùm igitur Apoſtolus eandem vellet eſſe fidelium omnium ſiue mentem (vt vult Chryſoſtomus, conſentiente Anſelmo) ſiue voluntatem, vt exiſtimauit Origenes, Chriſtianam in primis humilitatem, atque animi demiſſionem requirit; atque idcirco ait, *Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes*. Pro humilibus autem græcè legi- C mus ταπεινοῖς, hoc eſt, abiectis, atque infimæ ſortis hominibus, quales ſunt, interprete Chryſoſtomo,

II. ignobiles, pauperes, & plebeij. Quod verò noſter interpres dixit, *conſentientes*; Græcè legimus συναπαγόμενοι, quaſi dicat, *obſecundantes, & accommodantes*, quod B. Paulinus[c] *humilibus congruere* interpretatus eſt. *Addit verò, nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos*; nam qui ſibi multum ſapere videntur, ij fere humiles, atque abiectos negligunt, & contemnunt, neque aliorum ſententiæ acquieſcunt, aut voluntati obtemperant. Quocirca dixit Salomon[d]. *Ne ſis ſapiens apud temetipſum*. Eum porrò apud ſemetipſum ſapientem eſſe ſcribit Origenes, qui cùm verè prudentia ſit penitùs deſtitutus, ſibi tamen quaſi ſapientiſſimo blanditur. At Chryſoſtomus[e], & Theo- D doretus[f] eum apud ſemetipſum prudentem eſſe ſignificant, qui ſua ſibi conſilia ſufficere putat, atque idcirco aliorum ſententias facilè negligit, & contemnit, de quo Salomon[g]; *Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri? Magis illo ſpem habebit inſipiens*. Ambroſius verò eum apud ſemetipſum prudentem appellat, qui vtilitatis aliorum penitùs oblitus ad priuata ſua commoda, omnes ſuos conatus, & conſilia refert. Quod ante illum dixerat Baſilius explicans verba Iſaiæ[h]: *Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes*. Quo tamē loco Hieronymus, ipſéque Baſilius[i] alibi ſibimetipſis prudētes, aut ſapientes eos eſſe cenſent, qui diuina voluntate poſthabita, humanæ duntaxat rationis, & creatæ ſapientiæ facem ſequuntur. Quæ ſanè omnia huic E Apoſtolicæ ſententiæ ſuo modo aptari poſſunt; nam re vera quocumque tandem modo ſapiens quis, apud ſemetipſum cenſeatur, non facilè ſuam ſententiam aliorum ſententiæ ſubiciet, neque aliorum votis, aut cupiditatibus obſequetur. Rectè igitur Paulus; *Nolite (ait) prudentes eſſe apud voſmetipſos*. Ita enim dum tumorem, & arrogantiam comprimit, & Chriſtianam caritatem conciliat, & vlciſcendæ iniuriæ ſtudium, & cupiditatem coercet.

17. I. NVLLI MALVM, &c. Hoc in primis humanæ

b ad Phil. 2.

c In epiſt. ad Auguſt.

d Prou. 3. 7.

e Tom hic. cum Hom. 9. de laud Paul.

f in præſent.

g Prou. 26. 12.

h cap. 5. 21.

i Reg. breu. reſp. 260.

A prudentiæ aduerſari videtur; illa enim iniurias vlciſci præcipit, quod in præſentia Apoſtolus prohibet. Rectè autem obſeruauit Origenes, eum, qui malum pro malo reddit, grauiùs peccare eo, qui ſimpliciter alterū lædit; hoc enim interdum ex ignoratione proficiſcitur; illud nonniſi ex corrupta, & deprauata voluntate. Et in eandem fermè ſententiam Oecumenius. *Si vituperandus* (inquit) *ac miſer eſt, qui malum facit; quare non fugis malorum imitationem? ſed vt te vlciſcaris, obnoxiū conſtituis temetipſum, ac ſocium impietatis.* Porrò quod ſpectat ad rem ipſam, certum eſt, Apoſtolum in præſentia agere de priuatis perſonis. nam qui Principis, vel magiſtratus perſonam ſuſtinent, eos neceſſe eſt publica ſcelera iuſto ſupplicio vlciſci. Ita Paulus reum inceſtus Dæ- B moni tradidit[a], Elymam magum ſubita cæcitate vltus eſt. Petrus Ananiam, & Sapphiram illico de medio ſuſtulit. Et alibi Paulus ait, Reges, eorúmque magiſtratus eſſe flagitiorum vindices, & vltores. Quod ſequitur: *Prouidentes bona non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus*. Paulò aliter legitur in Græcis codicibus, qui nunc habentur in manibus: deſiderantur enim verba illa; *non ſolùm coram Deo, ſed etiam*. Itaque Chryſoſtomus, & Theodoretus ſimpliciter legunt. *Prouidentes bona coram omnibus hominibus*. Quibus cōſentire videtur Oecumenius, qui hanc ſententiam ita cum ſuperiori connectit, vt non ſatis eſſe dicat non reddere mala pro malis, ſed oportere quoque iis, qui nobis malè faciunt, bona procurare: quemadmodum ſuprà dixe- C rat. *Benedicite, & nolite maledicere*. Cæterùm Baſilius[b], & qui ab illo vix vnquàm recedit Ambroſius hunc locum eo prorsùs modo legunt, quo tranſtulit noſter interpres, vt argumento ſit, olim exemplaria Græca ea omnia habuiſſe, quæ in Latinis codicibus leguntur. Certè Hieronymus[c] Græcæ linguæ peritiſſimus hæc verba; *Non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus*; tamquàm Apoſtoli verba ex hoc loco profert: ita de ſe ipſo ſcribit Paulus ad Corinthios[d]: *Prouidemus* (inquit) *bona non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus*. Sed quorſum addantur, ambigat fortaſſe quiſpiam, quòd ad Pauli inſtitutum non magnopere pertinere videantur. Verùm cùm vellet Apoſtolus caritatis II. præceptum erga proximos commendare, negat, ma- D lum pro malo reddendum, ſed contra potiùs bonis actionibus ita eſſe ſtudēdū, vt non ſolùm nos noſtráque omnia inſpectori omnium Deo probemus, ſed etiam cunctis mortalibus ſiue Iudæis, ſiue Græcis ſatisfaciamus. Potuiſſet enim quiſpiam dicere, quod plerique non infrequenter vſurpare ſolent, nihil in animo odij, nihil maleuolentiæ hærere, Deum ſe ſuæ conſcientiæ teſtem habere. Cæterùm ſe inimicis benefacere nullo præcepto cogi. *Atqui* (ait Paulus) *non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus*, prouidenda eſſe bona, vt omnes videlicet intelligant, omni ex parte officio eſſe ſatisfactum. Itaque danda opera eſt, ne ſiue dum aliquid agimus, ſiue dum omittimus, aliorum offenſionem incurra- E mus; neceſſe eſt enim caritatem etiā externis actionibus prodere, ſiue quia aliter caritas eſſe non poteſt, ſiue quia nonnumquam leuiſſima de cauſa nonnulli offenduntur, quorum imbecillitati conſulendum eſſe ipſa etiam caritas perſuadet. Adde, quòd ſi cuncta recta ratione metiamur, id nobis & ad honeſtatem præclarum, & ad vtilitatem non importunum videri poſſit. Meritò enim Philippi Macedonum Regis clementia miris laudibus celebratur[e], qui cùm obtrectatur cuidam ſuo, quem de medio tollendum amici ſuadebant, fortè in via occurriſſet, nō illū modò humaniſſimè eſt allocutus, ſed mox etiam

a 1. ad Cor. 5.

b Reg. breu. reſp. 26.

c epiſt. 45.

d epiſt. 2. cap. 8. 21.

e Plutar. de cohib. ira.

muneribus plurimis ad eum miſſis,ita hominem de-linijt, ac penitus immutauit, vt ſuarum laudum egregium præconem reddiderit. Acutè enim quidam [a] oblatrantibus, & rebellantibus canibus offulam obiiciendam eſſe dicebat,ſignificans,maledicos, ac inſectatores beneficiis eſſe vincendos. Omnino autem (vt olim neſcio quis [b] ſapienter pronunciauit) venia vltione melior eſt,illa namque mitis eſt ingenij,hæc ferini.

a Alphonſ. reg. Arag. à Panorm. lib. de dict. & fact.

b Pub. Mimus apud Senecam lib. 11.

8. SI FIERI POTEST,&c.Sunt qui hæc priora
I. verba;*ſi fieri poteſt*, cum ſuperioribus coniungant,vt ſenſus ſit,bona non ſolùm coram Deo,ſed etiam coram omnibus hominibus procuranda eſſe , ſi fieri poſſit;prorſus ineptè:neque enim verendum eſt , ne non poſſimus tum coram Deo , tum etiam coram omnibus hominibus bona procurare : longè meliùs ad ſequentia referuntur,quæ eſt ſententia Origenis, Chryſoſtomi,Theodoreti,Hilarij [c], Ambroſij , Gregorij [d],cæterorúmque veterum Patrum. Cùm enim præcipiat Apoſtolus , pacem cum omnibus hominibus retinendam,id verò non ſit in cuiuſuis poteſtate,meritò duas addit conditiones,quarum altera eſt; *Si fieri poteſt*;interdum enim , ſi de religione,de pietate,de iuſtitia agatur,iniqua molientibus acriter repugnandum eſt , adeóque cum impiis , ac nefariis hominibus nequaquam pax eſt retinenda. Altera; *Quantum* (inquit) *in vobis eſt*. Sunt enim plerique natura adeo peruicaces , atque proterui,vt nulla ratione leniri,aut placari queant. Cum his igitur pax, quoad eius fieri poteſt,retinenda eſt. Quod tum demum fiet ſi nulla eis iuſtæ querimoniæ præbeatur occaſio. Quamobrem rectè ſcriptum eſt à Theophylacto. *Nonnunquam* (inquit) *fieri non poteſt,vt pacem quiſpiam complectatur , cùm de pietate certamen fuerit.ais igitur , quod tui eſt officij facias , nec cuipiam occaſiones prebeas bellorum , vel tumultuum : ſin pietatem debellari , impugnarique conſpexeris,fortiter conſiſte pro veritate dimicans ; non homini quidem infenſus , ſed impietati, illum ipſum miſerans, ipſámque duntaxat impugnans. Hac vtique ratione dicebat Dauid* [e]. *Cum his,qui oderant pacem , eram pacificus;cùm loquebar illis , impugnabant me gratis.* Quantum enim in ipſo erat,pacem colebat;aliorum vitio fiebat , vt ex vtraque parte vera , atque integra pax nequaquam exiſteret. Hoc verò potiſſimum Principibus,ac magiſtratibus tum ciuilibus,tum Eccleſiaſticis neceſſarium videtur,vt quoad eius fieri poſſit,lenitatem , ac manſuetudinem colant,pœnas , & ſupplicia non niſi coacti adhibeant.

c in Pſal. 118.

d 3.par.paſt. c. 22. [illegible]

e Pſal. 119.

19. NON VOSMETIPSOS DEFENDEN-
I. TES, &c. Non hîc Apoſtolus iuſtam defenſionem prohibet,ſed vltionem , & vindictam:eſt enim Græca vox ἐκδικοῦντες, quaſi dicat , vindicantes. nam & mox vindicta;Græcè dicitur ἐκδίκησις. Neque tamen propterea Latinus interpres reprehendendus eſt; qui non hoc loco ſolùm, ſed etiã alibi [f] defendere dixit pro vlciſci,ſeu vindicare;nam, vt omittam id eſſe maximè Eccleſiaſticæ conſuetudini conſentaneum, non abhorret ab vſu Latinè ſcribentium : Nonius quippe Marcellus , defendere (inquit) eſt vindicare, ac depellere, vt probat illud Ennij ; *Serua ciues, defende hoſtes*,& illud Virgilij,*Solſtitium pecori defendite*.Quinetiam Agellius [g]; *Defendere* (ait) *& offendere inter ſeſe aduerſa ſunt, & defendere ſignificat quod Græcè dicitur ἀπομάχεσθαι, id autem eſt auertere, atque depellere*.Itaque quoniam qui vlciſcitur,iniuriam ſibi illatam conatur à ſe depellere , non immeritò dicitur ſe defendere. Quò proculdubio ſpectaſſe viſus eſt Tertullianus [h] , dum locum illum Deuteronomij [i] , quem in præſentia Apoſtolus laudat, hunc in modum interpretatur ; *Mihi defenſam , & ego defen-*

f Iudith 11.

g lib. 11.

h lib. 4. in Marc. c. 16.

i Deut. 32. 35.

dam , dicit Dominus. Loquitur autem Apoſtolus, quidquid aliter ſenſiſſe viſus ſit Ambroſius , de priuatis perſonis,quibus nefas eſt vlciſci iniurias ; quod etiam Philoſophi [a] , qui de morum diſciplina rectè ſenſerunt,vltro profitentur. Et Quintilianus [b]: *Dicam nunc* (ait) *quàm iniqua ſit inuicem iniuriæ compenſatio,quámque non ſolùm legi aduerſa,ſed etiam paci: barbarorum mos eſt populorum , quos procul omnis iuris humani ſocietate ſummotos proxima belluis natura efferauit : Nos ideo Magiſtratus , legéſque à maioribus noſtris accepimus,ne ſui quiſque doloris vindex ſit , & aſſidua ſcelerum cauſa ſe refellant , ſi vltio crimen imitabitur. Damnum accepiſti:erat lex,forum,iudex,niſi ſi vos iure vindicari pudet.* Et in eamdem ſententiam Seneca [c]. *Non enim* (inquit) *vt in beneficiis honeſtum eſt merita meritis repenſare,ita iniurias iniuriis. Illic, vinci turpe eſt, hic vincere. Inhumanum verbum eſt , & quidem pro iuſto receptum , vltio , & à contumelia non differt , niſi ordine. Qui dolorem regerit tantùm excuſatiùs peccat. Marcum Catonem in balneo quidam percuſſit imprudens ; quis enim illi ſciens faceret iniuriam? Poſtea ſatisfacienti Cato, Non memini* (inquit) *percuſſum me. Melius putauit non agnoſcere , quàm ignoſcere. Nihil inquis poſt tantam petulantiam mali factum eſt? Immò multum boni.cœpit Catonem noſſe. Magni animi eſt iniurias deſpicere. Vltionis contumelioſiſſimum genus eſt,non eſſe viſum dignum,ex quo peteretur vltio. Multi leues iniurias altiùs demiſere dum vindicant. Ille magnus , & nobilis eſt, qui more magnæ feræ latratus minutorum canum ſecurus exaudit.* Paulò pòſt. *Sæpè autem ſatius fuit diſſimulare , quàm vlciſci.potentiorum iniuria hilari vultu non patienter tantùm ferenda ſunt : facient iterum,ſi ſe feciſſe crediderint. hoc habent peſſimum animi magna fortuna inſolentes ; quos læſerunt, & oderunt. Notiſſima vox eſt eius, qui in cultu Regum conſenuerat; cùm illum quidam interrogaret , quomodo rariſſimam rem in aula conſecutus eſſet,ſenectutem; Iniurias* (inquit) *accipiendo,& gratias agendo.* Et alibi [d]. *Ille ingens animus,& verus æſtimator ſui,non vindicat iniuriam, quia non ſentit.vt tela à duro reſiliunt cum dolore cædentis ſolida feriuntur ; ita nulla magnum animum iniuria ad ſenſum ſui adducit:frangitur eo,quod petit. Quanto pulchrius velut nulli penetrabilem telo omnes iniurias contumeliáſque reſpuere ? Vltio , doloris confeſſio eſt; non eſt magnus animus, quem incuruat iniuria. Aut potentior te,aut imbecillior læſit : ſi imbecillior,parce illi;ſi potentior, tibi.* Idem verò alio quodam loco [e]: *ſatius eſt ſanari iniuriam , quàm vlciſci. multum temporis vltio abſumit; multis ſe iniuriis obiicit,dum vna dolet.* Hoc verò vlciſcendi ſtudium à principe viro alienum eſſe alibi [f] docet. *Vltio* (inquit) *duas res præſtare ſolet,aut ſolatium affert ei,qui accipit iniuriam , aut in reliquum ſecuritatem: Principis maior eſt fortuna , quàm vt tali ſolatio egeat,manifeſtiórque vis , quàm vt alieno malo opinionem ſibi virium quærat. Hoc dico cum ab inferioribus petitus, violatúſque eſt. nam ſi quos pares aliquando habuit,infra ſe videt, ſatis vindicatus eſt.* Dixerat autem paulò antè [g] magni animi eſſe iniurias in ſumma potentia pati , nec quidquam eſſe glorioſius principe impune læſo. Vt minus mirandum ſit Lactantium Firmianum dixiſſe,non tantùm inferre iniuriam non oportere , ſed ne illatam quidem vindicare, vt ſit in nobis perfecta innocentia. Valeat igitur impia illa ſententia,cuius meminit Agellius [i] : *Veterem ferendo iniuriam , inuitat nouam*; niſi quis de iniuria publica, déque Principis aut Magiſtratus vindicta accipiat, quomodo accipienda ſunt quæ Seuerus Princeps, & Alexander Mammææ apud Herodianum [k] dicunt. Sed præcipua laus hæc Chriſtianorum , de quibus Tertullianus [l]: *Cui bello non idonei,non prompti fuiſſemus,etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur?*

a Plato in Critone. Arrian. in Epict. lib. 2. cap. 10. in fi. Apul. lib. de philoſ.

b Declam. 13.

II.

c lib. 2. de ira cap. 32.33.

d lib. 3. de ira cap. 5.

e lib. 3. de ira cap. 27.

f lib. 1. de clement. cap. 21.

g cap. 20. in fine.

h in Epith. diuin. inſtit. c. & lib. 6. inſtit. cap. 18.

III.

i lib. 17 c. 14.

k lib. 3. & 6.

l Apolog. cap. 37.

A *ſi non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret, quàm occidere. potuimus & inermes, nec rebelles, ſed tantummodo diſcordes diuortij inuidia, aduerſus vos dimicaſſe.* Et Cyprianus [a]: *Quamuis nimius, & copioſus noſter populus, non tamen aduerſus violentiam ſe vleiſcitur: patitur.* Non ergo Paulus rem nouam, aut inauditam præcipit, dum vltionem prohibet. Aptè autem cariſſimos compellat Romanos, quòd rem arduam, & naturæ quodammodo repugnantem ſuadeat, quod vim propulſare omnibus pene animantibus inſitum à natura videatur, vt non immeritò iuri naturæ tribuatur [b], vt cuique vim vi repellere liceat: quod alij [c] iuri gentium adſcribunt. Quod ego quidem partem quandam iuris naturalis interpretor, vt alibi doceo. Aptè verò ad pacem retinendam hoc Apoſtoli conſilium ſpectat: quemadmodum enim actio B iniuriarum, lites, & contentiones, immò etiam plerumque bella parere conſueuit; ita earum vel tolerantia vel diſſimulatio, omnia inimicitiarum ſemina prorſùs extinguit. Quod vſqueadeo verum eſt, vt legem illam priſtinam talionis ad pacem, & mutuam beneuolentiam retinendam transferat Tertullianus [d]. *Non enim* (inquit) *iniuriæ mutuò exercendæ licentiam ſapit, ſed in totum cohibendæ violentiæ proſpicit, vt quia à duriſſimo, & infideli in Deum populo, longum, vel etiam incredibile videretur à Deo expectare defenſam edicendam poſtea per Prophetam: Mihi defenſam, & ego defendam, dixit Dominus: interim commiſſio iniuriæ metu vicis ſtatim occurſura repaſtinaretur, & licentia retributionis prohibitio eſſet prouocationis; vt ſic improbitas aſtutia ceſſaret, dum ſecunda permiſſa prima C terretur, & prima deterrita, nec ſecunda committitur: quia & alias facilior timor talionis per eundem ſaporem paſſionis. Nihil amarius, quam id ipſum pati quod feceris alijs.*

IV. Cùm igitur dixiſſet Apoſtolus; *Non voſmetipſos defendentes, cariſſimi;* addit; *ſed date locum iræ.* Quæ ſanè verba Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, & Auguſtinus [e] de ira diuina explicant, quaſi moneat Paulus, patienter ferendas eſſe iniurias, eáſque diuino iudicio permittendas, qui iuſtas aliquando pœnas ab hominibus repetet. Meminit huius explanationis Origenes, nec tamen eam reiicit; ſed vt verum fatear, non ſatis videtur ad Pauli mentem. Chriſto etenim magiſtro, non ira, aut vindicta imprecanda eſt inimicis, ſed contra potius deprecanda. Itaque aliorum omnium communis ſententia eſt, D Pauli verba de ira inferentis iniuriam accipienda eſſe. Quid ſit autem dare locum iræ, non eodem modo ab omnibus explicatur. Origenes id tum demum fieri putat, cùm quis iniurias illatas patienter ſuſtinet, vt nihil aliud ſit dare locum iræ, quam (quod paulò antè dixerat) non eſſe vltionem expetendam. In quam ſententiam rectè ſcribit Ambroſius [f]: *Non reſpondeas irato ad iracundiam ſuam, ne culpam excutet. Si lapides teras, nonne ignis erumpit? Si te contumacia reſpondentis mouerit, & peruerſitas impulerit ad indignationem, ſi non poteris mitigare mentem tuam, reprime linguam tuam.* Paulò aliter intelligit Baſilius [g], itémque Ambroſius [h], & Anſelmus; dare enim locum iræ putant eſſe, iram præſentiam fugere, & ſeſe ab illius conſpectu ſubducere. *Dedit* itaque Ambro- E ſius, *locum iræ. Iacob indignanti fratri pie ceſſit, & abeſſe maluit, & peregrinari, quam excitare fratris indignationem.* Addit aliquid longè perfectius Baſilius, qui dare locum iræ idem eſſe exiſtimat, quod ſeſe paratum ad maiora ferenda exhibere, vt Paulus idem prorſùs ſignificet, quod olim apud Matthæum [i] dixerat Chriſtus. *Non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in maxillam dexteram, præbe ei & alteram.* Ego ſimpliciter in paraphraſi dare locum iræ interpretatus ſum, irato parcere, vt ſit ſuperioris ſententiæ

A explicatio, quaſi dicat Apoſtolus, nolite iniurias perſequi, ſed æquo potius, & patienti animo tolerate. Cauete autem ne iraſcentis animum nouo conuitio aut contumelia vehementiùs inflammetis, ſed veſtra potius patientia illius furorem exſaturate, memores non fore vos inultos; quandoquidem Deus ipſe dixit; *Mihi vindicta, & ego retribuam.* Quamquàm enim nonnulli codices habent; *mihi vindictam;* Græci tamen, & emendatiores Latini nominandi caſu habent, *vindicta.* Non me tamen fugit Tertullianum [a], & Hilarium [b] accuſandi caſu legiſſe *nunc defenſam, nunc vindictam;* ſed illi ſententiam potius, quàm verba ſecuti ſunt. Hæc ſanè lectio propiùs abeſt ab Hebraico fonte. Cæterùm quod ad ipſam ſententiam attinet, ſi de iniurijs propria auctoritate vin- V.
B dicandis agatur, fruſtrà ambigitur, ſit ne hoc præceptũ, an verò cõſilium; adeo enim nefas eſt priuata auctoritate iniurias vlciſci; vt ne Principi quidẽ fas ſit, aut proprias, aut alienas iniurias, niſi publicæ vtilitatis cauſa, publicáque auctoritate vlciſci. Qua de re ſapiẽter Seneca [c]: *In iniurijs* (inquit) *vindicãdis, hæc tria lex ſecuta eſt, quæ Principes quoque ſequi debent, aut vt eum, quem puniunt, emendent, aut vt pœna eius cæteros meliores reddant, aut vt ſublatis malis*, ſecuriores cæteri viuant. De quibus puniendi cauſis quædam ſcitu non indigna diſputantur apud Agellium [d]. Si poſteriorem Baſilij interpretationem probemus, vt dare locum iræ ſit ſe paratum præbere ad grauiora perferenda, Auguſtini [e] moderatio ſequenda eſt, qui animum, & voluntatem ſemper, rem ipſam, non item C flagitari exiſtimat.

SED SI ESVRIERIT, &c. Superiorem ſententiam non ſolùm confirmat, ſed etiam amplificat; 20. I.
vult enim inimicorum neceſſitatibus à fidelibus conſuli: Græcè autem pro ſed ſi; legitur ἐὰν οὖν, hoc eſt ſi igitur, vt ſit illatio ex ſuperiori ſententia. nam ſi non licet iniurias perſequi, & inimicos vlciſci, conſequens profectò eſt, vt eos eiuſdem nobiſcum naturæ participes agnoſcamus, iíſque humanitatis officia non denegemus: vt enim alicubi docet Auguſtinus [f], multa ſunt erga inimicos, officiorum genera, vt conſtabit paulò pòſt. Quod autem ait; ciba illum; Græcè eſt ψώμιζε, quod quidem verbum emphaſi non caret; eſt enim perhumaniter, & indulgenter, paſcere, & quaſi fruſtatim, & minutatim cõciſo cibo, D quod ferè in conuiuijs inciſores faciunt. Quod verò additur, *ſi ſitit, potum da illi*, in nonnullis Græcis codicibus deſideratur: quid legerit Origenes, non ſatis liquet. Certè Chryſoſtomus, Theophylactus, & Ambroſius ea verba agnoſcunt, & explicant. Pertinet autem hoc Apoſtoli præceptum ad Chriſtianæ caritatis perfectionem; vt enim ſcribit Auguſtinus [g], nonnulla perfectio eſt, nolle eum lædere à quo ſis læſus: longè maior, ſi lædenti facilem te, & paratum exhibeas ad grauiora perferenda; maxima denique ſi lædenti benefacias. Quod ſequitur: *Hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput eius*: deſumptum II.
eſt ex prouerbiis [h] Salomonis: vnde tota hæc Pauli ſententia hauſta videtur. Chryſoſtomus autẽ, Theodoretus, & Theophylactus, auctor [i] imperfecti, &
E Eucherius [k] ſecuti Origenem ferè, referunt ad illam vſtionem, qua inimicus aduritur, cùm illius beneficentiam, ac liberalitatem expetitur, cuius iram conuitio, ſeu contumelia prouocauit. Ad quam ſententiam procul dubio pertinet, quod, auctore Auguſtino [l], quem ſecutus eſt Beda [m], nonnulli dixerunt, inimicis benefaciendum, vt dum illi in ſua peruicacia, atque improbitate perſeuerant, acriùs apud inferos igne ſempiterno crucientur: quod tamen à caritate eſſe alieniſſimum, nemo non videt. Multò igitur meliùs Hieronymus [n], Ambroſius, Auguſtinus [o],

Marginal notes:
a ad Demetrianum.
b M. Tullius lib. 1. off. Ioſeph. l. 3. de bello Iud. cap. 21. Vlpian. l. 1. §. eum, qui ff. vnde vi, & de vi armata.
c Tribon. l. vt vim ff. de iuſt. & iur. Hermogenian. l. ex hoc iure ff. eod. Æmilius Prob. in Themiſt. Liu. lib. 41. Saluſt. de bello Iugurt.
d Tertull. lib. 2. aduerſ. Marc. cap. 18.
e in Pſal. 78.
f lib. 1 off. cap. 21.
g Reg. breuior. cap. 144.
h 1 off. 21.
i cap. 5.
a lib. 2. cont. Marcion. c. 18. & lib. 4 ca. 16.
b in Pſal. 118.
c L. 1. de clem. cap. 22.
d lib. 6. c. 14.
e l. 1. de Serm. Dom. in Monte cap. 34 & ſequent. Ep. 5. ad Marcellinum.
f lib. de Serm. Dom. in Monte ſub finem.
g loco ſuprà citato.
h cap. 25.
i Homil. 5 Matt.
k in Quæſt. noui Teſt.
l Serm. 8 de temp.
m in Prouerb. Salom. cap. 25.
n Ep. ad Hedib. q. 7.
o lib. 1 de Ciuit. Dei.

néinque Eucherius, qui ardorem caritatis intelligũt, quo neceſſe eſt inimici animum inflammari, dum eius, quem ipſe lædit in ſe beneficentiam, & liberalitatem experitur; nam, vt ait Sanctus Auguſtinus [a]: *Nulla eſt maior prouocatio ad amandum, quàm præuenire amando: nimis enim durus eſt animus, qui ſi vlteriò dilectionem non vult impendere, etiam nolit rependere.* Et Hieronymus [b]: *Quando enim inimicis noſtris præbemus beneficia, malitiam eorum noſtra bonitate ſuperamus, & mollimus duritiam, iratúmque animum ad mollitiem, & beneuolentiam flectimus, atque ita congregamus carbones ſuper capita eorum, de quibus ſcriptum eſt ſagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatoriis, vt quomodo de altari carbo ſublatus, prophetæ labia purgauit, ita & inimicorum noſtrorum peccata purgentur. & vincamus in bono malum, & benedicamus maledicentibus.* Certè hoc apertiſſimè indicat Salomon, dũ ait, *Prunas enim congregabis ſuper caput eius, & Dominus reddet tibi.* Quaſi dicat; huius tuæ beneficentiæ & liberalitatis ampliſſimam à Deo mercedem percipies. Quò ſpectaſſe viſus eſt [c] Tertullianus, qui alludens ad locum Deuteronomij, de quo paulò antè Paulus mentionem fecit. *Patientiam* (inquit) *mihi, & ego patientiam remunerabo.* Porrò quod attinet ad verba Cypriaous [d] ita hunc locum refert, *Carbones viuos ſuperfundes in caput eius.* Protulit autem Paulus more ſuo ex interpretatione Septuaginta verba Salomonis.

21. Nolite vinci, &c. Eandem ſententiam
I. confirmat, ſeu potiùs alijs verbis aliáque metaphora iterat: ſignificat enim, dandam operam eſſe, ne quis iniuriæ impatiens eodem, quo inimicus malitiæ genere inquinetur, quaſi qui iniuriam vlciſcitur, ab improbitate vincatur: ſed potius ait, beneficentiæ, ac beneuolentiæ officijs victoriam quære, vt appareat plus eſſe virium in tua virtute, quàm in alterius improbitate: dum enim carbones ignis congeris in caput inimici, glorioſiſſimam victoriam conſequeris. Itaque ſapienter Seneca [a]: *Quomodo* (ait) *aduerſus feras munimenta conquiris, quomodo aduerſus ſerpentes: ſic aduerſus inimicos auxilia circumſpice quibus illos aut arceas, aut compeſcas, aut, quod optimum eſt, places. Bonitate contende* (inquit Auguſtinus [b]) *contra illum, & eſt ſalubre certamen, ne ſint duo mali.* Vicit [c] autem hoc modo lenitate ſua Dauid Saulis improbitatem. Vicit [d] & auctore Valerio, Marcus Tullius Gabinium, & Vatinium ſibi olim inimiciſſimos. illum namque repetundarum reum ſummo ſtudio defendit, à quo pridem Conſule vrbe expulſus fuerat: hunc verò dignitati ſuæ ſemper infeſtum duobus publicis iudicijs tutatus eſt non modò ſine vllo crimine leuitatis, ſed etiam cum magna humanitatis laude, quia ſpecioſiùs iniuriæ beneficijs vincuntur, quàm mutui odij pertinacia penſantur. Idem feciſſe Neronem, qui Thraſeam ſibi inimicum à calumnijs defendit, ſcribit Plutarchus [e]: contrà [f] verò malè Scipionem audiſſe memorat, quod cùm in Herculis dedicatione epulum ſplendidè paraſſet, Mummium Collegam parum ſibi amicum excluſiſſet. Eodem ſpectant illa [f] apud eundem. etenim ferocem nonmodò mulier aprum, verũ & puellus ſcalpitãns tenera manus flectit faciliùs, quã palæſtes quilibet. Illud autẽ à Theodoſio præclarè dictum à Nicephoro [g] commemoratur: cùm enim quidam ex familiaribus ei diceret, neminem ab eo morte mulctatum, qui illum iniurijs affeciſſet, reſpondit, vtinam ad vitam reuocare poſſem eos, qui iam dudum mortui ſunt. Igitur vincere in bono malum nihil aliud eſt, quàm iniuriam beneficio compenſare. Contrà verò vincitur bonum à malo, ſi conuitio, vel contumelia laceſſitus vltionem quærat. Vt enim ait Ambroſius [h], *vindicare ſe non fortis, ſed animi potius eſt timidi, atque abiecti.*

a ad ſ. remed.
b ep. 9 ad Algaſ.
c lib. de patient.
d lib. 3 ad Quir.

a de remedijs fortuitorum.
b In Pſal. 36.
c 1. Reg. 24. 26.
d lib. 4. cap. 2.
e in Politicis.
f de cohiben. ira ſub finem.
g lib. 14. hiſt. cap. 3.
h lib. 1 de off. cap. 36.

Argumentum Cap. XIII.

Officia eorum, qui ſubſunt erga eos, qui præſunt, & præſidentium præſertim principum auctoritatem deſcribit, vt Chriſtianorum moribus compoſitis, ciuilem quoque rempublicam, & politicam adminiſtrationem inſtituat. Denique caritatem in proximos in primis ſuadet, qua vniuerſa quodammodo legis præcepta continentur: ita ad omnium bonorum ſtudium, & ſedulam pietatem quaſi depulſis tenebris priſtinæ impietatis, & luce veritatis oborta Romanorum animos vehementius excitat, atque inflammat.

CAPVT XIII.

Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: nõ eſt enim poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt à Deo ordinatæ ſunt.

Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.

Nam principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa.

PARAPHRASIS.

Omnes omnino mortales ſupereminentibus poteſtatibus ſubiecti ſunto; nulla 1.
eſt enim prorſus poteſtas, quæ nõ à Deo ortum habeat, ab eóque tanquam fonte manet, vnde cuncta mortalium bona proficiſcuntur. quæ verò à Deo poteſtates exiſtunt, eæ profectò tum inter ſeſe, tum eorum, qui parent, comparatione certo ſunt ordine conſtitutæ, diſtributæque.
¶ Itaque qui ſeſe poteſtati opponit, Dei præ- 2.
ſcripto, atque ordinationi reſiſtit: qui autem hoc ſe piaculo contaminant: ipſi profectò ſua pertinacia, non in humano ſolùm, ſed multo magis in diuino tribunali iuſtę damnationis ſententiam accipient.
¶ Accedit quod principes, & magiſtratus 3.
benè ac laudabiliter viuentibus, quales vos eſſe non dubito: nullum metum, aut terrorem incutiunt; qui bonis, atque honeſtis ciuibus nullo modo ſunt formidandi, ſed iis tantummodo, qui cùm

turpem,& flagitioſam vitam inſtituerint, multá-
que identidem ſcelera perpetrent: meritò ſemper
à iudice,magiſtratúque iuſtum ſupplicium formi-
dant. Si quis igitur liber eſſe cupit à metu ſupe-
perioris poteſtatis,aut principis:is me auctore,be-
nè,ac laudabiliter viuat, & non modò nihil erit,
quod metuat à magiſtratu,ſed meritò ab illo lau-
4 dem, aut etiam præmium conſequetur. ¶ Eſt
enim princeps Dei miniſter magno cuiuſque bo-
no,ſiue quòd vnumquemque in officio contineat,
ſiue quòd ad bonarum artium ſtudium ſua au-
ctoritate impellat. Quòd ſi peruersè quiſpiam
egerit, meritò ei metuendum erit; nec enim ſibi
temerè princeps gladium vſurpat, quaſi eo legiti-
mè vti nequaquam poſſit, ſed diuinitus habet in
omnes ſontes vitæ, necíſque poteſtatem, cùm ſit
Dei Opt.Max. quidam veluti miniſter ac vindex,
per quem ille iuſtè iratus vlciſcitur impios, & fla-
5. gitiosè viuentes. ¶ Quamobrem cùm ita ſeſe res
habeat,neceſſe eſt magiſtratui ſubiici non tantùm
metu pœnæ, ſed etiam ne conſcientia contuma-
ciæ,atque inobedientiæ vitio inquinetur,cùm ne-
fas ſit eius poteſtati reluctari, cui nos Deus voluit
6. eſſe ſubiectos. ¶ Atque hanc ipſam ob cauſam
dum tributa perſoluitis hanc, de qua agimus,pa-
rendi neceſſitatem te ipſa profitemini, agnoſcitiſ-
que magiſtratus tamquam Dei miniſtros,eorúm-
que poteſtatem in eo maximè verſari, vt pacem,
honeſtatémque publicam tueantur, vóſque adeo
ipſorum ſtudio,ac diligentia tranquillè viuatis.
7. ¶ Reddite igitur omnibus id,quod debetis, & cui
tributum præſtandum eſt, ei tributum perſoluite,
itémque vectigal cui vectigal debetur; cui timor
8. timorem; cui denique honor honorem. ¶ Nolite
committere, vt vlli quidquam debeatis præter
mutuam beneuolentiam, & caritatem: hoc enim
veluti ære alieno,id eſt caritatis officiis neceſſe eſt
nos ſemper obſtringi. nam qui proximum verè,
atque ex animo diligit; is quidquid lex præcipit
9. vita,ac moribus præſtitiſſe dicendus eſt. ¶ Siqui-
dem illa,non mœchaberis, non occides,non fura-
beris, non falſum teſtimonium dices, & ſi quod
aliud eſt diuinum mandatum, in hoc vno præce-
pto ſummatim comprehẽditur; vt nimirum ſuum
quiſque proximum non aliter, atque ipſe ſeſe di-
10. ligat. ¶ Caritas quippe proximum nullo afficit
malo,ac ne patitur quidem, vt qui ea præditus ſit,
quidquam omnino perpetret mali.itaque vna ca-
11. ritas facit, vt lex tota perfectè ſeruetur. ¶ Quod
verò paulò antè dicebam, non committendum
vobis, vt vlli mortalium præter mutuam carita-
tem quidquam debeatis, id maximè nunc perſpe-
cta opportunitate vos etiam, atque etiam moneo,
quòd videlicet iam tempeſtiuum ſit nos à ſomno
expergiſci; nunc enim multò propiùs abſumus à
ſalute, quàm cùm prima fidei rudimenta percepi-
12. mus. ¶ Nox fuit illa quondam, quæ præceſſit,
cùm in cæcis ignorationis, atque infidelitatis te-
nebris verſabamur, orto verò veluti die,noua ve-
ritatis lux mentibus noſtris affulſit. abiiciamus
igitur

Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. ſi autem malum feceris, time:non enim ſine cauſa gladiũ portat. Dei enim miniſter eſt vindex in iram ei,qui malum agit.

Ideo neceſſitate ſubditi eſtote non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.

Ideo enim & tributa præſtatis: miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſeruientes.

Reddite ergo omnibus debita; cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem,cui honorem honorem.

Nemini quidquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem impleuit.

Nam non adulterabis, non occides,non furaberis, non falſum teſtimonium dices,non concupiſces:& ſi quod eſt aliud mãdatum, in hoc verbo inſtauratur; diliges proximum tuum ſicut te ipſum.

Dilectio proximi malum non operatur: plenitudo ergo legis eſt dilectio.

Et hoc ſcientes tempus, quia hora eſt iam nos de ſomno ſurgere: nunc enim propior eſt noſtra ſalus,quàm cùm credidimus.

Nox præceſſit, dies autem appropinquauit: abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.

Sicut

Sicut in die honeſtè ambulemus non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione.

Sed induimini Dominum Ieſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſideriis.

igitur priſtina ſcelera, atque flagitia, reliquáſque
actiones cæca nocte ac denſis tenebris dignas; &
nouos mores, nouámque viuendi rationem meri-
dianæ luci congruentem inſtituamus. ¶ Perindé- 13.
que vt in clariſſima luce vitæ noſtræ rationes cõ-
ponamus, prorſus alieni à comeſſationibus, &
ebrietatibus, à ſcortationibus, atque impuris libi-
dinibus, omnibus denique litibus, & inuidentiis.
¶ Quin potius date operam, vt veluti cœleſti, ac 14.
diuino paludamento ipſo Chriſto Domino in-
duamini, & prauis omnibus cupiditatibus bellum
indicite: ita prorſus animo conſtituti, vt nullam
ſtatuatis carnis habendam eſſe rationem, ad nefa-
rias libidines explendas, aut impuras appetitiones
ſaturandas.

IN CAPVT DECIMVM TERTIVM EXPLANATIO.

I. I. OMNIS ANIMA, &c. Ioſephus [a] auctor eſt apud Iudæos fuiſſe quandam ſectam Gaulonitarum à quodam Iuda Gaulonita ortam, quem indicare videtur Gamaliel [b] nomine Iudæ Galilæi; quæ negabat cenſum, & obedientiam Cæſari deberi; qua occaſione permoti Phariſæi à Chriſto quærunt, liceat ne Cæſari cenſum perſoluere, an non: eodem vel perſimili errore deluſi, malè Chriſtianam libertatem interpretantes, fuerunt olim, qui exiſtimarent eos, qui Chriſto nomina dediſſent, legibus ciuilibus ſolutos eſſe, ac penitus liberos à principum poteſtate. itaque malè olim audiebant Chriſtiani apud infideles, quaſi principibus, ac magiſtratibus minùs eſſent obſequentes. Quocirca Clemens [c] Alexandrinus, & B. Auguſtinus [d] affirmarunt, hanc vnam non poſtremam fuiſſe cauſam, cur gentiles principes in Chriſtianæ fidei cultores tantoperè deſæuirent: quamobrem auctore Chryſoſtomo, inani ſparſo rumore percrebuerat Apoſtolos, atque Euangelij præcones rerum eſſe nouatores, eorúmque ſtudia, & conatus ad infringendas leges ciuiles, & regna, atque imperia euertenda ſpectare. Hanc igitur falſam, atque impiam ſuſpicionem Paulus in præſentia amolitur, cui conſentit Polycarpi oratio apud Euſebium [e]. *Sic* (inquit) *inſtituti ſumus, vt principibus, & poteſtatibus à Deo ordinatis honorem debitum præbeamus.* Quod ipſum multis olim docuerant Iuſtinus [f] martyr, Tatianus [g], Quadratus [h], Tertullianus [i], & alij, qui pro fide Chriſti aduerſus gentes voce, aut ſcripto decertarunt. ſunt autem præclara Tertulliani [k] verba. *Igitur* (inquit) *quod attinet ad honores Regum, vel imperatorum ſatis præſcriptum habemus, in omni obſequio eſſe nos oportere, ſecundùm Apoſtoli præceptum: ſubditos magiſtratibus, & principibus, & poteſtatibus; ſed intra limites diſciplinæ quouſque ab idololatria ſeparamur. Propterea enim & illud exemplum trium fratrum præcucurrit, qui aliàs obſequentes erga regem Nabuchodonoſor, honorem imaginis eius conſtantiſſimè reſpuerint, probantes idololatriam eſſe quidquid vltra humani honoris modum, ad inſtar diuinæ ſublimitatis extollitur. Sic & Daniel cætera Dario ſubnixus tamdiu fuit in officio quamdiu à periculo diſciplina vacaret: nam id ne ſubiret, non magis leones regios timuit, quam illi regios ignes.* Alibi verò.

A *Sic & circa maieſtatem Imperatoris infamamur, tamen nunquam Albiniani, nec Nigriniani, vel Caſſiani inueniri potuerunt Chriſtiani, ſed & iidem ipſi, qui per genios eorum in pridie vſque iurauerant, qui pro ſalute eorum hoſtias & fecerant, & vouerant, qui Chriſtianos ſæpè damnauerant hoſtes eorum ſunt reperti. Chriſtianus nullus eſt hoſtis nedum Imperatoris, quem ſciens à Deo ſuo conſtitui, neceſſe eſt, vt & ipſum diligat, & reuereatur, & honoret, & ſaluum velit, cum toto Romano imperio quouſque ſeculum ſtabit, tamdiu enim ſtabit. Colimus ergo & Imperatorem, ſic quomodo & nobis licet, & ipſi expedit, vt hominem à Deo ſecundum, & quidquid eſt à Deo conſecutum, & ſolo Deo minorem. Hoc & ipſe volet: ſic enim omnibus maior eſt, dum ſolo vero Deo minor eſt, ſic & ipſis Diis maior eſt, dum & ipſi in poteſtate* B *ſunt eius. Itaque & ſacrificamus pro ſalute Imperatoris, ſed Deo noſtro, & ipſius, ſed quomodo præcepit Deus pura prece.* Eodem ſpectant permulta, quæ idem ſcribit in Apologetico [a]. Ait igitur Apoſtolus. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* vulgato hebraiſmo animam pro homine ponens, vt nihil opus ſit ſubtilitates Origenis ſectari, quæ vt arguæ fortaſſe cuipiam videri poſſint, longiùs tamen abſunt à vero. Cæterùm quod attinet ad verba, paulò aliter legiſſe videntur Irenæus [b], Tertullianus [c], Ambroſius; quaſi Apoſtolus dixerit; *Omnibus poteſtatibus ſublimioribus* debere nos eſſe ſubiectos, qui tamen ſenſum potius, quàm verba ſpectaſſe videntur. Fateor loqui Apoſtolum præcipuè de politica principum poteſtate, vt Irenæus [d], Baſilius [e], Chryſoſtomus [f], Auguſtinus [g], C cæterique pene omnes veteres ſcriptores obſeruarunt. Sed eadem ratione Eccleſiaſticorum præſulum auctoritatem, poteſtatémque firmari, Baſilio præſertim, & Bernardo auctoribus: nihil equidem dubito, vt alibi fuſiùs oſtendo, vbi etiam eorum cauillos expediam, qui Chryſoſtomi præcipuè auctoritate, perſonas Eccleſiaſticas laicæ iuriſdictioni iure diuino ſubiiciūt. tantùm dico nihil illos iuuare verba Chryſoſtomi: nam ille alibi apertè dicit Diaconum ipſo etiam Imperatore maiorem habere auctoritatem. non igitur illi ſubeſt, niſi quis maiorem minori ſubeſſe (quod eſt abſurdiſſimum) arbitretur. ita autem ſcribit [h]. *Si Dux igitur quiſpiam, ſi Conſul ipſe, ſi quis diademate ornatur indignè adeat, cohibe, & coerce; maiorem*

II.

a lib. 1. antiq. cap. 2. b Act. 5. c l. 4. Strom. d Conc. 1. in Pſalm. e lib. 4. hiſt. cap. 14. f Apolog. 2. ad Antonin. g Orat. ad Gent. h Orat. cont. el Gent. i in Apolog. Lib. de idolol. l ad Scapul. k Lib. de idolol. cap. 15.

a cap. 31. 32. 33. 34. 35. b lib. 5. c. 24. c in Scorp. c. 13. d lib. 5. c. 24. e de conſtit. monach. c. 23. f Hoc loco hom. 23. g Epiſt. 54. ad Maced. h Homil. in Matth.

iorem tu illo habes poteſtatem. Quod igitur hoc loco dicit: *Etiam ſi Apoſtolus ſis, ſi Euangeliſta, ſi Propheta, ſiue quiſquis tandem fueris, neque enim pietatem ſubuertit iſta ſubiectio*; non pugnat cum ſuperioribus. nam quamuis hæc Pauli diſputatio, potiſſimùm inſtituta ſit propter principes laicos; tamen ſententia Apoſtoli ampliſſima eſt, & ad omnes omnino poteſtates refertur: atque ita rectè dixit Chryſoſtomus neminem excipi ab hac ſententia, quia re vera nemo eſt, qui ſuo ſuperiori non debeat eſſe ſubiectus, quicumque

III. ille tandem ſit. Quocirca Hieronymiani Commentarij, Anſelmus, Primaſius, Symmachus, & Hormiſda Romani Pontifices ad Anaſtaſium Imperatorem, Nicolaus ad Michaelem Imperatorem, Leo IX. ad Michaelem Patriarcham, & alij etiam de Eccleſiaſticis poteſtatibus hunc locum explicant. Valeant igitur hæretici, qui pro iure, quàve iniuria ex hoc loco non minus ſtultè, quàm impiè contra Eccleſiaſticam poteſtatem inuehuntur, cùm tamen quidam ex ipſis etiam tyrannis nefariè dominatum occupantibus obtemperandum cenſeant. Nam vt demus de principum politica poteſtate Apoſtolum agere, etiam ſi dicat omnem animam ei poteſtati eſſe ſubiectam, de ea proculdubio intelligit, qui ad illam rempublicam pertinent: nam alioqui quis dicat Regem Galliæ ſubiici Hiſpanorum Regi, vel contra? Quoniam igitur neceſſe eſt intelligere quemlibet ſubiectum ſuo legitimo principi obtemperare debere; conſequens eſt Eccleſiaſticos quidem ſuis Antiſtitibus eſſe ſubiectos: ſed illud non liquet, vtrum laicis ac politicis principibus ſubſint, quod in diſputationibus videro. tantùm hîc adſcribam verba Ignatij[a], quibus ad hunc Apoſtoli locum ſpectans eius veluti paraphraſim ponit: *Principes* (inquit) *ſubditi eſtote Cæſari, milites principibus, Diaconi preſbyteris vt ſacrorum adminiſtratoribus, preſbyteri verò, & Diaconi, atque omnis clerus ſimul cum omni populo, & militibus, atque principibus, ſed & Cæſares obediant Epiſcopo, Epiſcopus verò Chriſto, ſicut Patri Chriſtus, & ita vnitas per omnia ſeruatur.* Illud planè acutè dictum videri poteſt, quod video non nemini vehementer placuiſſe ἐμφατικώτερον dictum eſſe ab Apoſtolo, *omnis anima*, quàm ſi dixiſſet omnis homo, vt videlicet intelligamus non modò res noſtras, & corpora, ſed ipſos etiam animorum motus iuſtis, ac legitimis principum imperiis ſubiiciendos eſſe, ſed vereor vt ſatis ſit ad Apoſtoli mentem, qui quamquam græcè ſcribebat, non paucos tamen hebraiſmos interſerebat, & Hebraico idiotiſmo, vt ſuprà dixi, animam pro homine poſuit, quod

IV. eſt in ſacris litteris frequentiſſimum. Poteſtates autem ſublimiores appellat græcè ὑπερεχούσας, quaſi dicat præcellentes, quæ iure imperio potiuntur, legitiméque auctoritate vtuntur. *Non eſt* (inquit) *poteſtas niſi à Deo.* quo ſuperioris ſententiæ ratio continetur, quæ proculdubio æquè latè patet vt illa, neque aliter eam accipit Theophylactus. poteſtates, ait, omnes à Deo ſunt inſtitutæ, ſiue patris in filium, ſiue viri in vxorem, vel ſi quas alias dixeris, ſiue cæteras omnes, quas eſſe vel inter bruta animantia conſtat, quales apum, anſerum, & piſcium ſunt, & eiuſmodi veriſimile eſt reſpexiſſe Paulum ad locum Salomonis[b]. *Quoniam* (inquit) *data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo.* græcè κράτησις καὶ δυναστεία, quo loco multa dicenda eſſent contra quorumdam parum ſanum (ne quid grauius dicam) conatum, qui nituntur defendere omnem politicam poteſtatem proximè eſſe à Deo, neque poſſe ab vllo vel reſtringi, vel mutari, ſed ea de re copioſiùs alibi. nunc tantùm dico illos, eum hæreticis, id eſt Eccleſiæ, ac veritatis hoſtibus, ſtudia coniungere. Certè idcirco magiſtratibus parendum eſt, quia auctoritatem diuinitùs acceperunt. Porrò ad hunc locum illuſtrandum valent quæ luculenter alicubi[a] ſcribit Irenæus. *Sicut ergo* (inquit) *in principio mentitus eſt, ita & in fine mentiebatur dicens. Hæc omnia mihi tradita ſunt, & cui volo do ea non enim ipſe determinauit huius ſeculi regna, ſed Deus: regis enim cor in manu Dei Et per Salomonem ait verbum per me reges regnant, & poteſtates tenent iuſtitiam. per me principes exaltantur, & tyranni terræ. Et Paulus Apoſtolus hoc ipſum ait. Omnibus poteſtatibus ſublimioribus ſubiecti eſtote; non eſt enim poteſtas niſi à Deo, quæ autem ſunt, à Deo diſpoſita ſunt.* Neque verò huic apoſtolicæ doctrinæ repugnat, id quod legimus apud Oſeam[b] prophetam. *Ipſi regnauerunt, & non ex me, principes extiterunt, & non cognoui*; ſiue quia vt Hieronymus, Theodoretus, & Theophylactus explicant, accuſat Deus nimiam decem tribuum facilitatem, quæ Deo inconſulto, abiecto Roboam Salomonis filio, regiam poteſtatem ad Ieroboam tranſtulerant: tametſi enim id aliquando futurum diuinis fuerat oraculis pronuntiatum, non tamen id continuò, vnius populi auctoritate iure fieri potuit; nam & Chriſtum Iudæis prodendum vaticinia non pauca prædixerant: rectè tamen de proditore ſcriptum[c] eſt. *Væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur.* Siue quia vt Cyrillus, ipſeque Theophylactus affirmant, non abſolutam ſuam voluntatem, ſed permiſſionem duntaxàt ſignificare voluit, qua paſſus eſt regnum Roboam in duas dynaſtias ſecari. vt interim omittam loqui Apoſtolum, de ipſa per ſe poteſtate abſolutè ſumpta, & à perſonis quodammodo auulſa; prophetam verò perſonas, & rationes ſiue comparandi, ſiue tribuendi poteſtatem accuſare. Subdit apoſtolus: *Quæ autẽ ſunt*, hoc eſt, vt habent Græci codices ἐξουσίας, id eſt poteſtates à Deo ordinatæ ſunt: vt vel hinc appareat mendũ nonnullorum codicum, in quibus legitur, *Quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt.* Con- V.

ſulendi ſunt, quod attinet ad ortum præeminentium poteſtatum, Origenes[d], Irenæus[e], Auguſtinus[f], Gregorius[g], Bernardus[h], dicuntur autem ordinatæ, hoc eſt certo ordine diſtributæ, atque inter ſeſe collocatæ, vt Theodoretus interpretatur, vt aliæ aliis præſint, quemadmodum ille dixit apud Matthæum[i], *Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, & habeo ſub me milites.* Nam auctoris imperfecti, & hæreticorum interpretatio eo loco admittenda non eſt, qui pro ὑπ᾽ ἐξουσίαν, id eſt *ſub poteſtate*, legendũ putant ἐπ᾽ ἐξουσίᾳ, hoc eſt *in poteſtate*, ſenſu planè peruerſo, & prorſus contrario: indicat enim ſe ſub Chiliarcho, vel ſub Imperatore militare, & tamen militibus ſibi ſubiectis & ſeruis præterea ſuis ſe poſſe imperare, vt inde probet facile eſſe Chriſto, qui nullius ſubeſſet imperio per alios facere quidquid vellet: quæ eſt Chryſoſtomi, Auguſtini, Bedæ, aliorúmque ſententia. Quamquam vt verum fatear, totam hanc clauſulam, *Quæ autem ſunt à Deo ordinata ſunt*, Origenes non videtur agnoſcere, nec deſunt qui à ſciolo quopiam interprete adiectam fuiſſe ſuſpicentur. quod proculdubio non vacat temeritate, cùm Chryſoſtomus, cæterique omnes Græci, qui illum ſequuntur, eam explicẽt. Crediderim autem poteſtates à Deo dici ordinatas, Græcè τεταγμένας, non ob eam ſolùm cauſam, quam paulò antè ex Theodoreto indicaui, ſed etiam quòd ſua ſint auctoritate ſancitæ quaſi diuina voluntate cõſtitutæ, certa denique lege, & ratione ſubnixæ, vnde rectè colligat Apoſtolus quod mox ſubdit: *Itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*, eo fermè modo, quo τεταγμένον dicitur καθῆκον, id eſt conſtitutum, ſeu ſtatutũ, latinè officium. Quod verò Pau- VI.

lus in præſentia dicit, omnem poteſtatem eſſe à Deo, alibi Petrus paulò obſcuriùs ſignificat his verbis[k]: *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ.* græcè πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει

a Epiſt. 9. ad Philadelph.

b Sap. 6. 4.

a lib. 5. ca. 24.

b cap. 8. 4.

c Matt. cap. 26. 24.

d Hom. 4. in lib. Iud.

e lib. 5. ca. 24.

f l. 1. de Ciuit. cap. 21.

g 1. part. paſt. cap. 1.

h de conuerſ. ad cleric. cap. 17.

i cap. 8. 9.

k 1. Ep. 2.

ἀνθρωπίνῃ κτίσει, quaſi dicat creaturæ, ſeu ordinationi, aut conſtitutioni humanæ, ad humanam videlicet ſocietatem tuendā, & conſeruandam diuinitus quidem, ſed hominum opera, conſilióque inſtitutæ: idcirco vocat humanā creaturam. vt enim ait Auguſtinus[a], *Etiam nocentiū poteſtas non eſt niſi à Deo. ſic ſcriptum eſt loquente ſapientia*[b]*: Per me Reges regnant, & tyranni per me tenent terram. dicit & Apoſtolus: non eſt poteſtas niſi data à Deo. dignè autem fieri in libro Iob ſcriptum*[c] *eſt: Qui regnare facit, inquit, hypocritam hominem propter peruerſitatem populi. & de populo Iſrael dicit Deus*[d]*. Dedi eis regem in ira mea. iniuſtum enim non eſt, vt improbis accipientibus nocendi poteſtatem, & bonorum patientia probetur, & malorum iniquitas puniatur: nam per poteſtatem diabolo datam, & Iob*[e] *probatus eſt, vt iuſtus appareret, & Petrus tentatus*[f] *eſt ne de ſe præſumeret, & Paulus*[g] *colaphizatus ne ſe extolleret: & Iudas*[h] *damnatus, vt ſe ſuſpenderet.* Acutè omnino argumentatur Baſilius[i]. *Si igitur qui mundo huic præſunt, & ex lege humana illam imperandi poteſtatem habuerunt, iis diuina lex pietatis cultores tantopere voluit eſſe ſubiectos, & quod maius eſt, quorum vita tota tunc erat impietas: quam magna tandem ei à pietatis cultore præſtanda obedientia eſt, qui à Deo conſtitutus præſes ſit, & imperandi poteſtatem à Dei legibus accipit, & quomodo defendi poteſt eum Dei ordinationi non reſiſtere, qui antiſtiti reſiſtat ſuo?* Loquitur autem Baſilius de Monachis, quos ait ex ſententia Pauli ſubiici principibus, quia olim ætate Baſilij inter laicos cenſebantur, quamuis vnus, aut alter ex iis presbyter eſſet qui cæteris ſacramenta miniſtrabat. Quocirca Ambroſius[k] ait primum Euſebium Vercellenſem adiunxiſſe clericatui monachatum in occidēte, quæ olim diuerſa erant.

[a] de ciuit. Dei lib. 5. c. 21. [b] Prou. 8. [c] cap. 34. [d] Oſeæ 13. [e] cap. 2. [f] Matth. 26. [g] 2 ad Cor. 12. [h] Matth. 27. [i] in reg. ſuſ. diſp. cap. 25. [k] lib. 10. Ep. 82.

2. I. ITAQVE QVI RESISTIT POTESTATI, &c. Eandem ſententiam aliis verbis dixit Beatus Petrus[l]. *Quia*, inquit, *ſic eſt voluntas Dei.* quam enim hîc Apoſtolus appellat Dei ordinationem, græcè διαταγὴν, eam Petrus vocat Dei voluntatem, græcè θέλημα: vtrobique autem Dei præceptum interpretari poſſumus. nam qui leges humanas violant, non modò aduerſus principes, & legiſlatores, ſed etiam in Deum tanquam primarium omnis poteſtatis auctorem peccant: atque idcirco meritò ſubdit; *qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Hinc apparet qua ratione proximè dixerit, non eſſe vllam poteſtatem, quæ non ſit à Deo. nam in poteſtate quatuor ſpectari poſſunt, ipſa imperandi ratio, qua vnus alteri præeſt, & imperat, applicatio poteſtatis, vis & auctoritas ipſius poteſtatis, denique vſus. primum illud, hoc eſt ratio imperandi, atque obtemperandi eſt à Deo tanquam naturæ auctore, qui hominum generationem, ac mentem indidit, qua homines probè intelligunt, ſine aliquo principatu non poſſe hominum ſocietatem conſeruari, neque rempublicam adminiſtrari: vſque adeo vt ſi ſtatus innocentiæ perſeueraſſet, in eo aliquis principatus, & ordo ſuperioris, atque inferioris futurus fuiſſet: proximè tamen id oritur ab ipſa naturæ lege, quæ ſingulis præcipit quid agendum, quidue fugiendum ſit. Applicatio à Deo dicitur eſſe, ſiue quia vult hunc vel illum regnare, vel permittit alioqui vt aliquando ſuffragio populi, aliquando per vim, vel iure hæreditario, aliaue humana ratione euehatur quis ad regnum. Ipſa verò imperandi auctoritas his aut illis finibus circumſcripta, ab humana voluntate tota pendet, atque idcirco alia atque alia eſt amplior, vel anguſtior pro natura, & qualitate regni, vel imperij. Vſus denique humanus eſt, & interdum bonus, nonnunquam etiam malus. ſola eccleſiaſtica poteſtas à Deo proximè pendet, qui ſacerdotibus tribuit poteſtatem remittendi peccata, & conficiendi corpus Chriſti, & alias perſimiles facultates conceſſit Epiſcopis, & Romano Pontifici claues regni cælorum, hoc eſt ſupremam quandam in Eccleſia poteſtatem. Hac igitur poteſtate Eccleſiaſtica excepta, nulla eſt inter homines alia poteſtas, quæ ſuam vim atque auctoritatem proximè à Deo acceperit, & verè affirmare poſſit, ſibi hoc vel illud facere diuina auctoritate licere, cum Magiſtratibus ſuos cuique poteſtatis fines ſupremi principes præſcribant. ipſi verò alio iure, non omnes eandem auctoritatem habent. Nam alia ratione Rex Galliæ, alia Rex Hiſpaniarū, longè alia Reges Poloniæ, & Hungariæ imperant. Denique omnes gentes ac nationes ſuis Principibus eam poteſtatem permittunt, quam mores & conſuetudines regionum, & iura populorum maximè flagitant. vt neceſſe ſit eos qui aliter ſentiunt, & ſcribunt, vel magna rerum ignoratione laborare, vel aſſentandi ſtudio lineas tranſilire.

[l] 1. Ep. 2. 15.

II. Damnationem autem æterni ſupplicij ſententiam accipit Anſelmus: at Chryſoſtomus, cuius ſententiam in paraphraſi ſecuti ſumus, tam humani, quàm diuini iudicij pœnam intelligit: vtrobique enim contemptores legum iure puniuntur. Nec magnopere abhorret ab hac interpretatione Irenæus[a]. *Quoniam enim* (inquit) *abſiſtens à Deo homo in tantum efferauit, vt etiam conſanguineum hoſtem ſibi putaret, & in omni inquietudine, & homicidio, & auaritia ſine timore verſaretur: impoſuit illi Deus humanum timorem (non enim cognoſcebant timorem Domini) vt poteſtati hominum ſubiecti, & lege eorum adſtricti aliquid aſſequantur iuſtitiæ, & moderentur ad inuicem in manifeſto poſitum gladium timentes, ſicut Apoſtolus ait.* & quæ deinceps ſequuntur. Ex quibus colligit, mentitum eſſe diabolum cùm apud Matthæum[b] dixit ſe mundi regna cui voluerit tradere. Quod ipſum egregiè inſinuat Auguſtinus[c]. *Non tribuamus* (inquit) *dandi regni, atque imperij poteſtatem niſi Deo vero, qui dat fœlicitatem in regno cælorum ſolis piis, regnum verò terrenum & piis & impiis, ſicut ei placet, cui nihil iniuſtè placet.* Id quod deinceps bonorum, malorúmque principum allatis exemplis multis confirmat, quæ ſunt conſentanea iis quæ partim Origenes[d], partim Theophilus[e] Antiochenus hac ipſa de re non ineleganter ſcripſerunt, vt erubeſcant hæretici, qui negant principum leges ad animam, aut conſcientiam vllo modo pertinere, cùm earū vis diuina auctoritate nitatur, vt ex ſuperioribus colligitur.

[a] lib. 5. ca. 24. [b] cap. 4. 9. [c] lib. 5. cap. 21. [d] Hom. 4 in Iudic. [e] lib. 1 & 2. ad Autoly.

III. Porrò quod noſter interpres dixit *damnationem*, græcè eſt κρίμα, quod propriè iudicium ſonat: neceſſe eſt autem reos in iudicio iuſtè damnari. Quod denique dixit *acquirūt*, græcè legitur λήψονται, quod eſt futuri temporis: vt non immeritò obſeruauerit Ambroſius, ſi quis fortè hominum iudicia effugiat, niſi reſipiſcat, diuini iudicij ſententiam non euaſurum. De tyranno, ſiue qui per vim, & contra fas imperium occupauit, ſiue qui contra ius auctoritate abutitur: dubitarunt quidam licerét-ne ei reſiſtere, an verò etiā ipſi parendum ſit. & quidem in iis, quæ contra legem diuinam præcipiuntur, nullius auctoritati cedendum exemplo ſuo docuerūt Apoſtoli, qui in actis Apoſtolicis[f] dixerunt: *Si iuſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire, quàm Deū, iudicate.* rurſus[g]: *obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.* Et Auguſtinus cùm poſuiſſet hæc verba Pauli ſubdit[h]: *ſed quid ſi illud iubeat, quod non debeas facere? hic ſanè, contemne poteſtatem, timendo poteſtatem, ipſos humanarum rerum gradus aduertite. Si aliquid iuſſerit curator, nonne faciendum eſt? tamen ſi contra proconſulem iubeat, non vtique contemnis poteſtatem, ſed eligis maiori ſeruire. Nec hinc debet minor iraſci, ſi maior prælata eſt. rurſum ſi aliquid ipſe proconſul iubeat, & aliud iubeat*

[f] cap. 4. 19. [g] cap. 5. 29. [h] Serm. 6. de verb. Dom. cap. 8.

iubeat Imperator: numquid dubitatur iſto contempto illi eſſe ſeruiendum? ergo ſi aliud Imperator, & aliud Deus, quid iudicatis? ſolue tributum, eſto mihi in obſequium recte, ſed in idolo. in idolo prohibet, quis prohibet? maior poteſtas. da veniam. tu carcerem, ille gehennam minatur. Huc pertinent quæ ſupra ex Tertulliano attulimus. quòd ſi ea præcipiat, quæ ſunt rationi conſentanea, quæ reipublicæ vtilia cenſentur, quandiu quidem toleratur, parendum eſſe docuit Chriſtus, cùm Cæſari tributum perſoluendum docuit, qui tamen nonniſi per vim dominabatur Iudæis. Quòd ſi quis contra leges, & humana, diuináque iura imperium adminiſtret, qui propriè tyrannus dicitur, vt monet Plato [a], quíque vt ait Philo [b], ſine ratione cuncta facit, & quod alibi [c] idem ſcribit, pro iure, & æquo quod faciunt Reges, iniquitatem, ac vim in rempublicá inducit: is abutitur poteſtate, indignúſque eſt principis nomine, neque ei contra ius naturale, aut diuinum vllo modo parendum eſt. vtrum autem fas ſit cuiuis etiam priuato eum regno, ac vita priuare: alia quæſtio eſt, de qua fuſiùs in diſputationibus. Hic tantũ moneo: in Concilio Conſtantienſi* meritò fuiſſe eum articulum damnatum, quo impius hæreticus nefariè docebat cuiuis priuato in quemlibet tyrannum fas eſſe vim ac manus inferre.

a in polit. ſiue de reg.
b lib. de confuſ. ling.
c l. 2. allegor.
* Seſſ. 15.

3. I. Nam principes non svnt, &c. Vel ex hoc loco apparet in ſuperiori ſententia reſpexiſſe Paulum præcipuè ad iudicium futurum Dei, cuius iram contumacia in principes, & imperij detrectatio iuſtè prouocat. cauſalis enim particula, quæ hoc loco ponitur, non tam ſuperiorum rationem reddit, quàm nouum indicat argumentum, aut certè ſuperioris corollarium. prima enim ratio cur principibus obtemperandum ſit, à ſeueritate diuini iudicij petitur: altera ab ipſa pœna, quam princeps & iuſtè comminatur, & interdum infligit. non eſt (inquit) princeps conſtitutus à Deo, vt bonos terreat, quales eſtis vos: ſed vt iniecto ſupplicij metu, malos à ſcelere reuocet. Cæterum Græcorum verborum planiſſima interpretatio eſt. Principes non ſunt terror bonorum operum, ſed malorum. Tertullianus [d] tranſtulit. *Non ſunt timori bono operi, ſed malo.* ſignificat autem non eſſe principes ab honeſtè, & laudabiliter viuentibus formidandos: neque enim pœnam, aut ſupplicium benefactis intentant, ſed potius ſceleribus, atque flagitiis. Neque verò hæc perinde accipienda ſunt, quaſi vno ſupplicij metu princeps ſibi cõmiſſos populos in officio cõtineat, cùm certiſſimũ ſit, vt Marcus [e] olim Antoninus dixit, nihil eſſe quod Imperatorẽ Romanũ meliùs commendet gentibus, quàm clementiam. *Hæc* (inquit) *Cæſarẽ Deum facit: hæc Auguſtũ conſecrauit; hæc patrem tuũ* (vxorẽ Fauſtinã alloquitur) *in primis pij nominis ornauit.* Ex quibus palàm fit, in principe non minus commendari clementiam, & lenitatem, quàm iuſtitiam. Rectè enim Seneca: [f] *Principes* (ait) *pietate & iuſtitia Deos fieri.* Et Tacitus [g]: *addidítque* (ait) *præcepta, vt non dominationem, & ſeruos, ſed rectorem, & ciues cogitaret, clementiámque, atque iuſtitiam quantò ignotiora Barbaris, tantò tolerantiora capeſſeret.* Neque aliter Plinius dum ſcribit [h]. *Optimum quemque principem niti, & contendere decere, vt poſt ſe quoque reipublicæ proſit, moderationis ſcilicet, iuſtitiæque monumentis.* Et alibi [i]: *Egregiè facis, quòd iuſtitiam tuam prouincialibus multa humanitate commendas: Et ſanè fruſtra ſe terrore ſuccinxerit, qui ſeptus caritate non fuerit.* [k] alio verò loco idem Plinius memoriæ prodidit. *Quoniam armis arma irritantur, metúſque & terror infirma ſunt vincula caritatis.* Et rurſus [l]: *Malè vim ſuam poteſtas aliorum contumelijs experitur, malè terrore veneratio acquiritur, longéque valentior amor ad obtinendum quod velis, quàm timor,*

d in Scorp. c. 14.
e apud Vulc. Gallic. in Audio Caſſio. Videndi Lamprid. in Elio gab. Spartian. in Adriano Iul. Capitol. & Xiphylin. in Antonino, Pio.
f l. de morte Claudij.
g l. 12. annal.
h in Paneg. Traian.
i lib. 6. Ep. 5.
k in Paneg. ad Traian.
l lib. 8. Epiſt. vlt.

A *ideóque meliùs fides, quàm ferrum tueatur principem, pluſque diligi, quam timeri Cæſarem deceat.* Denique vt alia penè ſexcenta omittam, præclarè apud Caſſiodorum [a] Theodoricus Rex. *Inclinari,* inquit, *precibus noſtra nouit humanitas, nec pro affectu pietatis fines poteſt iuſtitiæ cuſtodire. benigni quippe principis eſt ad clementiæ commodum tranſilire terminos æquitatum, quãdo ſola eſt miſericordia, cui omnes virtutes cedere honorabiliter non recuſant.* Verùm non quid principi faciendum ſit, ſed quid ſubiectis in principe ſpectandum, docet in præſentia Paulus; maieſtatem quippe vereri, auctoritatem ſuſpicere, poteſtatémque timere neceſſe eſt. atque idcirco diuinam principibus auctoritatem aſſerit, & quos diuinus reſpectus non emollit, ac ſubigit, ſupplicij comminatione deterret. II.

a lib. 11. variarum.

B ſunt (inquit) principes, non boni operis timori, ſed mali. tum ſubdit: *Vis autem non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudẽ ex illa.* Eſt enim princeps, vt ait Petrus [b], *miſſus ad vindictam malefactorũ, laudẽ verò bonorum.* Obſeruat autẽ Auguſtinus [c], aliud eſſe habere laudem à poteſtate, aliud à poteſtate laudari: & quidẽ fieri poteſt, vt quis à principe laudetur, etiam ſi nulla ſit prorſus laude dignus: at is dicitur habere laudem à principe, qui ita ſeſe gerit, vt ſiue laudetur, ſiue laude careat, rectè tamen iudicantium ſententia, laude dignus cenſeatur. Acutè verò alicubi monet [d] Gregorius, nõ ideo bene eſſe agendum, vt poteſtas huius mundi nulla timeatur, aut gloria tranſitoriæ laudis ſumatur. *ſed cùm infirmam mentem ad tantum robur aſcendere non poſſe penſaret, vt & prauitatem*

b Ep. 1. cap. 2. 14.
c de quibuſdam propoſit. huius Epiſt.
d 1. p. Paſt. cap. 4.

C *vitaret ſimul & laudem: prædicator egregius et admonendo aliquid obtulit, & aliquid tulit. concedendo enim leuia, ſubtraxit acriora, vt quia ad deferenda cuncta ſimul non aſſurgeret, dum in quodam ſuo animus familiariter relinquitur, à quodã ſuo fine labore toleretur.*

4. I. Dei enim minister, &c. Græcè bis repetitur vox *διάκονος*: paulò verò pòſt vbi noſter interpres habet *miniſtri enim Dei ſunt*, græcè legimus λειτουργοί, vt diaconia, & liturgia non munere, ſed ratione diſtinguantur: videtur enim illa latiùs aliquantò patere, vt alibi doceo. Dicitur autem princeps, ſeu magiſtratus Dei miniſter non ſimpliciter, *ſed tibi in bonum:* ideo enim à Deo conſtituti ſunt vt populos ſibi commiſſos ad benè, beatéque viuendum promoueant, & ab iis quoad eius fieri poteſt mala omnia

D depellant. quippe eos Deum imitari maximè decet, cuius imaginem quandam inter mortales referunt, *qui [e] ſolem ſuũ oriri facit ſuper bonos, & malos: & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos.* & parentum in liberos pietatem, atque indulgentiam ad principes potiſſimùm pertinere alicubi docuit [f] Xenophon: bonum enim principem nihilo ait differre à bono patre, qui liberis quoad eius fieri poteſt, bona omnia procurat. illúdque Ariſtotelis [g] communi omnium rectè ſentientium ſuffragio comprobatum eſt, hoc inter legitimum principem, & tyrannum potiſſimùm intereſſe: quòd bonus princeps populi ſibi crediti commodum, & vtilitatem quærit: contrà verò tyrannus ad ſe ipſum, & priuatas ſuas rationes omnia refert. quod priùs à Platone [h] dictum videtur. itaque rectè Cle-

e Matt. 5. 45.
f li. 8. de Cyri inſtit.
g lib. 5. polit. cap. 10.

E mens [i] Alexandrinus Hebræorum populo regem ſibi olim flagitanti: *Deus immortalis regem* (inquit) *populo non humanum pollicetur dominum, ſed quendam ſe inſolentem daturum eis minatur tyrannum, libidini, & voluptati deditum, qui veſtras* (ait) *filias accipiet in vnguentarias, & coquas, & panificas, tanquam qui belli lege eas inuaſerit, non qui ſequatur pacificam reipublicæ adminiſtrationem.* Et in eandem ſentẽtiam Beda [k]: *Non qualis* (inquit) *eſſe debeat moderatus, & iuſtus Imperator exponit, cuius in Deuteronomio perfectio docetur: ſed potius rector improbus, à quo auſteritate*

h in Polit. ſeu de reg.
i lib. 1. pædag. cap. 4.
k lib. 2. expoſ. in lib. 1. Reg. cap. 2.

ritate ſubiectos ſit oppreſſurus intimat. Quod ipſum A
aperte docuit Beatus Thomas [a], & multò antea
ſcripſerat Ioſephus [b], qui totam illam Samuelis orationem, rerum futurarum vaticinium, non legem
II. fuiſſe affirmat. Itaque princeps miniſter Dei dicitur in bonum, atque vtilitatem populi diuinitus conceſſus. idque potiſſimùm ſpectandum eſt principi, vt ſubiectis benefaciat, eóſque beneficiis demereatur; ob id enim perantiquo titulo *εὐεργέται οἱ ἄρχοντες* appellari ſolent, vt etiam Chriſtus apud Lucam [c] indicauit: eſt enim auctore Philone [d] Dei proprium *εὐεργετεῖν*, id eſt benefacere, cuius imaginem quamdam principes referunt tum maximè, cùm populo ſibi commiſſo prodeſſe ſtudent, quod planiùs explicans: *Sunt enim* (inquit [e]) *principes vt verum fatear, publici parentes ciuitatum, ac gentium quotquot boni ſunt, nec cedunt pietati naturalium: contra qui in ſubditorum detrimentum abutuntur potentia, nequaquam principes, ſed hoſtes appellandi ſunt, cùm agant hoſtilia.* Cúmque oſtendiſſet ſpeciem quamdam principatus eſſe in omni genere vitæ: *Hi omnes* (ait) *& prodeſſe poſſunt, & obeſſe; debent tamen id velle, quod eſt melius, præſtat autem iuuare quoſcumque poſſis pro viribus; nam præceptum vulgò tritum, Deum ſequere, non aliud ſignificat, quandoquidem ille cùm vtcumque poſſit, mauult benefacere, vt liquet, ex mundi creatione, atque regimine.* Dictum eſt autem, à priſcis etiam ethnicis [f] vſurpatum, & noſtris [g] mirè laudatum, & Ambroſius quidem ait eſſe dictum vnius è ſeptem Græciæ ſapientibus, quod itidem affirmat Clemens, & addit ſumptum fuiſſe à facto Abrahæ, quem Ambroſius ait dictum ſapientis ſua actione præuertiſſe. Quod verò ſequitur: *Si autem malum feceris, time*; ſuperiori ſententiæ reſpondet, in qua dixerat. *nam principes non ſunt timori boni operis, ſed mali*: inde enim rectè ſequitur iis, qui malè agunt, principum poteſtatem iure optimo formidandam eſſe. Sapienter enim olim dixit Pythagoras [h] *οἱ μὴ κολάζοντες τοὺς κακοὺς, βούλονται ἀδικεῖσθαι τοὺς ἀγαθούς.* hoc eſt, qui improbos non puniunt, volunt bonos fieri iniuſtos: ſed quæ ſit ſeruanda in ea re moderatio, tradit Seneca [i]. *Parcendum* (inquit) *eſt etiam improbis ciuibus non aliter, quàm membris languentibus: & ſi quando miſſo ſanguine opus eſt ſuſtinendum eſt, ne vltra quàm neceſſe ſit incidas.* Eodem ſpectant quæ ſcribit Gregorius [k] Nazianzenus. *Cum Chriſto imperium geris, cum Chriſto munus hoc adminiſtras. ab illo gladium accepiſti non tam, vt eo vtaris, quàm vt minêris, ac terreas. quare tibi videndum eſt, vt illum tamquam denarium quoddam purum, & integrum ei, qui dedit, ſerues.* Addit Paulus: *Non enim ſine cauſa gladium portat*, hoc eſt non fruſtra, non te-
III. merè. Gladij porrò nomine vitæ, necíſque poteſtas ſignificatur: itaque apud Romanos lictores virgas, & ſecures conſulibus præferebant, quod deinde Imperatores vſurpare conſueuerant. poſtmodùm verò præfecto prætorio gladium tamquam inſigne poteſtatis traditum fuiſſe, vel ex eo conſtat, quod Traianus Suræ, quem prætorio præficiebat, gladium tradidiſſe fertur, hæc adiiciens verba: *Accipe hunc gladiũ, vt eo ſi benè imperauero pro me; ſin malè, in me vtaris.* quò alludens Sidonius Apollinaris hunc in modum ſcribit [l]:

Si præfectura quantus moderetur honorem
Vir quæras, tendit patulos qua Gallia fines.
Vix habuit mores ſimiles, cui teſte Senatu,
Ipſe etiam tractum commiſerat Vulpius enſem.

Nec dubito eòdem ſpectare quæ alicubi ſcribit Caſſiodorus [m]: *Renouamus certè* (inquit) *dictum illud celeberrimum Traiani. Sume dictationem. Si bonus fuero, pro republica, & mihi; ſi malus, pro republica in me.* Quod enim Traianus de gladio dixit, ille veluti *παρῳδῶς* de dictatione ſcribit. cur autem non ſine cauſa magiſtratui ſit gladius attributus, rationem mox reddit his verbis. *Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit.* Cùm enim publicæ vtilitatis ratio poſtulat, vt ſupra indicatum eſt, hominum ſcelera, atque flagitia princeps vlciſci debet, in quo tamen ipſo clementiæ, atque humanitatis habendam eſſe rationem docuit Seneca [a]. *Seruare* (inquit) *proprium eſt excellentis fortunæ, quæ numquam magis ſuſpici debet, quàm cùm illi contingit idem poſſe, quod Diis, quorum beneficio in lucem edimur tam boni, quàm mali. Deorum itaque ſibi animum aſſerens princeps, alios ex ciuibus ſuis, quia vtiles, bonique ſunt, libens videat, alios in numerum relinquat: quoſdam eſſe gaudeat, quoſdam patiatur.* Et poſt plurima [b]: *Hæc diuina potentia eſt gre-* B *gatim, ac publicè ſeruare, multos autem occidere, & indiſcretos, incendij, ac ruinæ potentia eſt, ne alioqui ſi factas ſibi non remiſerit iniurias, præterquàm quòd Deum non ſit imitaturus; de ſe potius, quàm de ſubditis ſumat ſupplicium, cùm ipſis amiſſis debilior vtique futurus ſit.* Cæterùm quod ait: *Dei miniſter eſt*; tam de malo, quàm de bono principe accipiendum eſt; nam apud Iſaiam [c] loquitur Dominus. *Aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe eſt*: malorum enim principum opera & bonos exercet, & improbos vlciſcitur. quod verò attinet ad verba, græcè eſt *διάκονος*, referríque videtur ad poteſtatem: Sed quia poteſtatis nomine eum, qui præditus eſt poteſtate, ſignificat; rectè interpres maſculino genere reddidit miniſter, vt non fuerit neceſſe Grammaticos hoc loco cauillari, & pro mi- C niſtro latinè reddere miniſtram: certè quòd dixit. *Non enim ſine cauſa gladium portat*, de homine, non de ipſa poteſtate neceſſariò intelligitur.

IDEO NECESSITATE SVBDITI ESTOTE, I.
&c. Omnino videtur interpres aliter græcè legiſſe, 5.
quam nunc vulgati codices habeant: ſententia tamen eadem eſt; *ἀνάγκη* (inquit) *ὑποτάσσεσθαι*, hoc eſt neceſſitas eſt ſubeſſe, latinè neceſſe eſt omnino ſubeſſe; non enim ea res eſt indifferens. quod ipſum ſignificat noſter interpres cùm dixit, *Neceſſitate ſubditi eſtote*, hoc eſt. Sic habetote principibus, ac magiſtratibus, vos neceſſariò debere eſſe ſubiectos: id enim lex diuina præcipit, vt Iuſtinus [d] martyr, Tertullianus [e], Ambroſius [f], Hieronymus [g], Auguſtinus [h], Leo [i], Gregorius [k], & Bernardus [l] affirmant. Non D deſunt qui legunt, *neceſſitati ſubditi eſtote*, vt ſenſus ſit. æquo animo eam neceſſitatem ſuſtinete, quæ vos principibus, ac magiſtratibus ſubiicit. Sed vox Græca *ἀνάγκη*, vt nunc quidem ſcribitur, eſt apertè nominandi caſus, atque idcirco eum ſenſum non admittit. Scio Origenem neceſſitatem ad eos duntaxàt detorquere, qui ſeſe nondum penitus peruicerunt, quíque nondum virtutis, vt ita dicam, apicem ſunt aſſecuti: ſed vt antea monui, ſententia eſt prorſus aliena. Sed ne collimaſſe quidem planè videntur Auguſtinus, & Anſelmus, qui neceſſitatem huius vitæ ſtatum, & conditionem interpretantur, qua multis rerum neceſſitatibus vrgemur. quarum reſpectu principum, & magiſtratuum opera neceſſaria videatur: nam ſim- II.
pliciſſima eſt, apertiſſimáque Apoſtoli ſententia, ne- E ceſſariò obtemperandum eſſe Principibus, idque duplici ex cauſa: ob id enim ſubdit: *Non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Iram autem, vt interpretatur Theodoretus, poſuit Apoſtolus pro ſupplicio: rudiores enim ſupplicij ferè metu in officio continentur. Ita Perſarum reges ſuppliciorum acerbitate auctoritatem ſibi apud ſuos conciliaſſe accepimus [m]; à qua ſeueritate Artaxerxem abhorruiſſe his verbis Ammianus Marcellinus [n] teſtatur: *Artaxerxes* (inquit) *Perſarum ille Rex potentiſſimus, quem, Macrochira vnius membri longitudo commemorauit, ſupplicio-*

a 2.2. q. 105. a. 4.
b lib. 6. antiq. c. 4.
c cap. 22. d lib. de nom. mut.
e 1 lib. de cong. quaer.
f Cleobul. de Senec. de benef. ...
g Clem. Alex. ... Ambr. lib. de fuga. ... Abraham c. 2.
h apud Stob. ...
i lib. 1. de clem. cap. 5.
k Orat. 17.
l 1. 1. Epig. 2. carm. 9.
m lib. 1. Variar. Ep. 15.

a lib. 1. de clem. cap. 5.
b cap. 26.
c cap. 10. 5.
d Apolog. 2.
e l. de anima.
f lib. 5 Ep. 32.
g Epiſt. 31 ad Ripar.
h Epiſt. 10.
i Ep. ad Leon. Auguſt.
k 3. p. paſt. cap. 4.
l Ser. 66. Cant.
m Senec. lib. 3. de ira c. 20. Strab. lib. 6. Geograph. Diodor. Sicul. lib. 5 bibliot. C. Tacit. l. 12. annal. Curt. l. 5 hiſt. Cæſar. lib. 7. de bello Gallico Theodoret. l. 5 hiſt. Eccl. cap. 19. Tripart. li. 10. cap. 30.
n cap. 30.

rum varietates, quas natio ſemper exercuit cruda lenitate genuina caſtigans thiaras ad vicem capitum quibuſdam noxiis amputabat, & ne ſecaret aures more regio pro delictis ex galeris fila pendentia pracidebat, qua temperantia morum ita tolerabilem eum fecit, & verecundum, vt aduentantibus cunctis multos, & admirabiles actus impleret Gracis ſcriptoribus celebratos. Nam re vera vt

a L. vnica. C. de emend. ſeruorum.

Conſtantinus Imperator alicubi [a] ſcripſit, *immanium barbarorum ſauitia eſt, aut pracipitandum mandare, aut veneni virus infundere, aut dilaniare pœnis publicis corpus, ferarum vnguibus latera, perſequendo, vel exurendo oblatis ignibus membra, aut denique tabeſcentes artus, atro ſanguine, permiſta ſanie defluentes, propè in ipſis adigere cruciatibus, vitam relinquere.* Quòd ſi interdum ſontes punire neceſſe eſt, in eo ipſo, vt ait

b lib. 1. de clem. c. 11. 12.

Seneca [b], plurimùm Rex à tyranno differt. *quid intereſt* (inquit) *inter tyrannum, & regem? ſpecies enim ipſa fortuna, ac licentia par eſt, niſi quod tyranni ex voluptate ſauiunt, reges non niſi ex cauſa, ac neceſſitate. quid ergo? non reges quoque occidere ſolent? Sed quoties id fieri publica vtilitas perſuadet, tyrannis ſauitia cordi eſt. tyrannus autem à rege diſtat factis, non nomine.*

c cap. 19 eiuſd. iii lib.

Alibi [c] regiam poteſtatem ait oportere eſſe non noxiam, ſed ad naturæ legem compoſitam. *Natura enim* (inquit) *commenta eſt regem, quod & ex aliis animalibus licet cognoſcere, & ex apibus, quarum regi ampliſſimum cubile eſt, medióque ac tutiſſimo loco.* Tum poſt multa, quæ ad eius maieſtatem pertinent, addit: *Hoc tamen maximè diſtinguitur, iracundiſſima, ac pro corporis captu pugnaciſſima ſunt apes, & aculeos in vulnere relinquunt: rex ipſe ſine aculeo eſt: noluit illum natura nec ſauum eſſe, nec vltionem magno conſtaturam petere, telúmque detraxit, & iram eius inermem reliquit. exemplar hoc magnis regibus ingens. Quòd ſi vt alius viſum, ſuum quoque rex aculeum habet; quia tamen vt ait Ariſtoteles [d], eo non vtitur, etiam carere exiſtimatur.*

d lib. 5. hiſt. animal. ca. 21.
e l. de clem. cap. 5.

Itaque veriſſimè dictum eſt ab eodem [e]. *Non decet regem ſava, nec inexorabilis ira: non multum enim ſupra eum eminet qui ſe iraſcendo exaquat.*

III. Conſcientiam verò Ambroſius refert ad futuri iudicij diem, cùm propria conſcientia quemlibet vel accuſabit, vel defendet. Simpliciùs explicat Auguſtinus, qui eos ait propter conſcientiam ſubiici magiſtratibus, qui vnam ſequuntur virtutem, & honeſtatem; qui denique id vnum cauent, ne ſe vlla ſceleris macula contaminent. quomodo dixit B. Petrus [f]: *Hac eſt enim gratia, ſi propter cōſcientiam Dei ſuſtinet quis triſtitias*, hoc eſt ne vllo ſeſe piaculo inquinet, néve iuſtam in ſe Dei iram prouocet. Non me quidem clam eſt conſcientiam aliò à nonnullis detorqueri, perinde quaſi Paulus principum obedientiam ſuadeat, propter aliorum conſcientiam, hoc eſt ne alij offendantur: ſed ea interpretatio adeo videtur à Pauli inſtituto aliena, vt noſtra refutatione non egeat. Hinc rectè colligunt theologi, vt planiùs in diſputationibus doceo, humanas principum leges afferre tantam parendi neceſſitatem, vt abſque ſcelere violari non queant. Porrò indicare videtur hoc loco Apoſtolus, quod neſcio quis gentilis Poëta [g] his carminibus ſignificauerat.

f Epiſt. 1. cap. 2. 19.
g Horatius.

Oderunt peccare mali formidine pœna:
Oderunt peccare boni virtutis amore.

Priores imitantur illi, qui iudicum ſeueritatem reformidant; poſterioribus verò ſimiles ſunt qui metu conſcientiæ legibus, & magiſtratibus obtemperant.

6.
I. IDEO ENIM ET TRIBVTA PRÆSTATIS, &c. Nouo argumento auctoritatem principibus, & magiſtratibus aſſerit, ideo, inquit, tributa perſoluitis, eóque argumento planè ſignificatis publicam eorum veluti maieſtatem vos & agnoſcere, & venerari. Meminit autem tributorum Apoſtolus, quòd inter cætera id etiam Chriſtianis obiiceretur,

A quòd tributorum, & vectigalium ſolutionem recuſarent. Quamobrem Iuſtinus [a]: *Vectigalia* (inquit) *& collationes eis, qui à vobis ſunt ordinati exactoribus pra omnibus vbique inferre contendimus, quemadmodum ſumus ab eo inſtituti: illo namque tempore accedentes quidam percunctati ſunt ex illo, an Caſari vectigalia pendere oporteat, qui reſponſum hoc ab eo retulere. Dicite* (inquit) *mihi, cuius imaginem nummus habet? qui vbi dixiſſent, Caſaris: reddite igitur, ait, qua Caſaris ſunt Caſari, qua Dei Deo. Perinde nos ſolum Deum adoramus, & vobis in rebus aliis lati inſeruimus. Imperatores, ac principes hominum eſſe profitentes, & ſimul precantes, vt cum imperiali poteſtate, ſanam quoque mentem obtinere comperiamini.* Et in eandem ſententiam Tertullianus [b]: *Sed catera vectigalia, gratias*

a in Apolog. ad Anton.
b in Apolog. cap. 42.

B *Chriſtianis agunt ex fide dependentibus debitum, qua alienum fraudando abſtinemus, vt ſi ineatur quantum vectigalibus pereat fraude, & mendacio veſtrarum profeſſionum, facilè ratio haberi poſſit; vnius ſpeciei querela compenſata pro commodo caterarum rationum.* Præſtari autem dicit tributa, *quia miniſtri Dei ſunt, in hoc ipſo ſeruientes.* Miniſtri verò Græcè dicuntur λειτουργοὶ, de qua voce alibi dixi; ſignificat enim publicos miniſtros. Quod ſequitur. *In hoc ipſum ſeruientes,* II.
Græcè eſt προσκαρτεροῦντες. qua voce vſus eſt etiam capite ſuperiori, cùm dixit. *Orationi inſtantes.* quaſi dicat, in hoc ſedulò incumbentes, vt videlicet magiſtratus intelligant, nō ſe leue pondus ſuſtinere: propterea enim non malè noſter interpres, ſeruitutem appellat. Quamobrem meritò Romani Pontifices,

C qui ſupremam habent in homines poteſtatem, ſeruos ſe ſeruorum Dei nuncupant: neque enim omnino perperam dixit quidam, qui principatū ſplendidam ſeruitutem vocauit. Deſidem porrò, & otioſum ſeruum iure optimo Chriſtus in Euangelio damnat, quò fortaſſe ſpectans Apoſtolus dixit προσκαρτεροῦντες, quam vocem Auguſtinus [c] vertit *perſeuerantes*, vt in eo ſtudio, & ſedulitate, qua principes cœperunt, vſque ad extremum perſeuerent; ſunt enim qui benè præeſſe incipiunt, ſed in peruerſam deinde, atque improbam mentem tranſuerſi acti, vt de Saule legimus [d], ab inſtituto curſu deficiunt. Atque huc fortaſſe referenda ſunt, quæ apud Matthæum [e] dixit Chriſtus. *Quicumque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter: & qui voluerit inter*

c l. 4. de doct. Chriſtian. c. 20.
d 1. Reg. 15.
e cap. 20. 26.

D *vos primus eſſe, erit veſter ſeruus.* Quæ verba vt obſeruauit auctor imperfecti, potiſſimùm pertinent ad Eccleſiaſticos Antiſtites, qui ideo præſunt, vt omnibus ſeruiant. qua de re egregiè Gregorius Nazianzenus. nec aliter accipienda ſunt quæ ſcribit Petrus [f]. *Neque dominantes in cleris.* quocirca Hieronymus [g]: *Illud dico, quòd Epiſcopi Sacerdotes ſe eſſe nouerint, non dominos. honorent clericos quaſi clericos, vt & ipſis à clericis honor quaſi Epiſcopis deferatur.* Et Cyrillus [h]: *Hi qui in Chriſto ſunt ſcopum expilatorum, quos Dominus per Iſaiam coarguit, non ſibi proponunt.* Itaque ſcribit Euſebius [i], Paulum Samoſatenum meritò à Patribus Concilij Antiocheni reprehenſum, quòd ſe inſolenter extulerit, & ſæcularium honorum gradus ſibi aſſumpſerit, & Decurio potius, quàm Epiſcopus nūcupari voluerit.

f ep. 1. c. 5.
g epiſt. 2.
h lib. in Iſa. or. 1.
i lib. 7 hiſt. cap. 14.

E Neque verò hæc eò pertinent, vt omnem Eccleſiaſticis adimam principatum: ſcio enim alicubi dixiſſe [k] Gregorium Nazianzenum, ſe principatum gerere, & quidem ſæculari maiorem: & Auguſtinum Apoſtolorum ſucceſſores principes appellare, de quibus Dauid [l]: *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij: conſtitues eos principes ſuper omnem terram.* Sed indicare volui quod ait Hieronymus [m]: *Regem praeſſe nolentibus, Epiſcopum volentibus, illum terrore ſubiicere, hunc ſeruitutis donari; illum cuſtodire corpora ad mortem, hunc animas ſeruare ad vitam.* Multò magis

k Orat. ad popul. tim. percuſſum, & præfid. iraſcen.
l Pſal. 44. 17.
m epiſt. 3.

magis igitur Eccleſiaſtici Antiſtites dicendi ſunt miniſtri, quàm ſæculares principes, aut magiſtratus.

6. REDDITE ERGO OMNIBVS DEBI-
I. TA, &c. Ex ſuperiori diſputatione rectè colligit principibus, & magiſtratibus id eſſe reddendum, quod iure debeatur: & præter obedientiam quidem, de qua hactenus diſſeruit; duo quædam bonorum genera præſtanda eſſe docet, alterum ad externa, alterum ad animi, corporiſque bona ſpectat. atque externa quidem, quæ fortunæ bona appellantur, tributorum, & vectigalium iure principibus deberi affirmat: atque idcirco ait: *Cui tributum tributum, cui vectigal vectigal.* Prius illud Græcè dicitur φόρος, alterum τέλος: & illud quidem pro regione, ſeu agris, hoc verò pro mercibus penditur, vt obſeruarunt Ammonius, & Phauorinus. Equidem tria olim apud Romanos tributorum, ſeu vectigalium genera reperio: tributum, vectigal, & capitationem. tributum quidem, idem quod ſtipendium appellari Pomponius ait, idque à contributione, quòd militibus tribuatur, vt Feſtus[a], & Vlpianus[b] tradiderunt. At Varro[c] tributum inquit ea pecunia, quæ populo imperabatur appellata eſt, quòd tributim à ſingulis pro ratione cenſus exigeretur. Et ſanè Plato[d] tributa ea maximè ratione imponenda cenſet, cuius rei gratia olim quidem cenſores[e], deinde verò peræquatores ciuium cenſibus exquirendis inſtituti ſunt. Vbi verò Auguſtus cum populo prouincias partitus eſt, tributa appellata ſunt ea, quæ bello victæ prouinciæ populo quotannis pendebant: quæ verò ad belli ſubſidia Cæſari perſoluebantur, ſtipendia ſunt vocata: quæ cauſa eſt cur tributa à ſtipendiis, prædiáque tributaria à ſtipendiariis ſeparentur[f]. Legimus autem in iure ciuili[g] alia eſſe tributa pro prædiis, aut mouentibus, alia pro perſonis, ſeu capitibus. illa dicuntur[h] ſoli, hæc verò capitis, inde tributoria[i] cauſa. At vectigal dicitur[k] quod fiſco, vel reipublicæ portorij nomine penditur, id eſt pro mercibus, quæ vel inuehuntur, vel euehuntur.

II. Fuiſſe autem olim vectigalium tria genera, indicat Vlpianus[l]: decumarum videlicet, quæ ex frumento, vino, oleo, minutiſque frugibus exigebantur: ſcripturæ, quæ ex paſcuu: portorij, quæ ex mercibus exportandis vel importandis percipiebantur. Appianus[m] autem Alexádrinus auctor eſt, Romanos colonis dediſſe agros colendos, quos bello ſibi quæſierant, eóſque graſſantis belli iniuria, incultos fuiſſe relictos: ex quibus coloni annua vectigalia publicè perſoluebant, partem ſcilicet decimam ſeminum, fructuum verò omnium, quos ex arboribus percepiſſent, quintam. Certam item pecorum vectigalium rationem perſcripſerant, quod ſtipendiarium vectigal dicebatur, id eſt auctore[n] M. Tullio certum, ac definitum. Sed vt dixi propriè vectigalia portoria ſunt, quæ in itinere præſtari[o] ſolēt. Sunt tamen & alia vectigalium loco, veluti viceſima hæreditatum, & manumiſſorū centeſima, ducenteſima, quinquageſima rerum venalium: item redditus[p] ex metallis, ſalinis, picariis, cretæ fodinis, cotoriis, quæ onera prædiorum nequaquam dici poſſunt. Erat etiam olim vectigal, priuatus cuiuſque cenſus: ſic enim dixit M.[q] Tullius; *Ex meo tenui vectigali detractis ſumptibus cupiditatis etiam aliquid redundabit.* Et Paulus[r] iuriſconſultus. *Caſa* (inquit) *arundinis, vel pali compendium, ſi in eo quoque fundi vectigal eſſe conſueuit, ad fructuarium pertinet.* Vniuerſim autem tam tributa, quàm vectigalia cōmuni nomine in iure ciuili functiones publicæ, executiones, ſeu præſtationes, munerum denique ſiue realium, ſiue perſonalium collationes appellantur[ſ]. Capitatio denique capitis tributū[t] erat, quamquam aliàs capitatio annonariam functionem, ſeu præſtationem ſignificat, quæ pro menſura agrorum, próque iugorum, & capitum, quibus coluntur, & arantur numero, imponebatur, de qua Saluianus[a]: *Vt cùm poſſeſſio* (inquit) *ab his abſceſſerit, capitatio non diſcedat*, quamquam & hæc ſtipendij nomine ſignificatur, vt intelligitur ex Tertulliano, qui alicubi ait: *Sic agri tributo onuſti viliores, capita ſtipendio cenſa ignobiliore.* De hoc autem ſiue tributo, ſiue cenſu accipio, quam legimus apud Matthæum[b] quæſtionem Chriſto propoſitam, vtrum Cæſari liceret cenſum perſoluere, & quod de orbis deſcriptione ſcriptum eſt apud Lucam[c]. Siquidem auctore Ioſepho[d], Cyrinus vir conſularis in Syriam miſſus fuiſſe dicitur, vt ſingulorum facultates cenſeret, quo tempore Iudas Gaulonites, de quo in Actis Apoſtolicis ingentem in populo ſeditionem concitauit, quaſi Iudæis non liceret, prophanis regibus tributa præſtare. Plura his de rebus Iuriſconſulti[e], & alij[f].

III. Igitur Paulus in præſentia præſtanda ait tributa, & vectigalia, ne excluſo quidem cenſu, ſeu capitatione, quam alterutro nomine comprehendi ex ſuperioribus conſtat. Idem repetit Clemens[g] Romanus. *Timebis regem, ait; ſcis enim Domini eſſe electionem: magiſtratus eius honorabis, vt Dei miniſtros: ſunt enim vindices omnis iniuriæ, & ſoluite eis animo non ingrato vectigal, & tributum, omnémque penſionem.* Addit verò Apoſtolus: *Cui timorem timorem, cui honorem honorem.* vt nō externum duntaxat obſequium, ſed animi etiam internum cultum, atque obedientiam magiſtratibus deberi confirmet. At dixit Chriſtus apud Matthæū[h], Dei filios à tributis præſtandis liberos eſſe, atque immunes: quem locum explicās Auguſtinus[i] ait: *Quod dixit; ergo liberi ſunt filij in omni regno; intelligendum eſt liberos eſſe regni filios, id eſt non eſſe vectigales: multò ergo magis liberi eſſe debent in quolibet regno terreno filij regni illius, ſub quo ſunt omnia regna terræ.* Sed quod attinet ad Chriſti teſtimonium, ſi probanda ſit Hilarij ſententia; agitur eo loco de tributo illo ſacro quod in vſum templi ab ipſo Deo ſingulis capitibus impoſitum erat[k]: perſoluebant enim didrachmum, hoc eſt ſicli dimidiam partem. quod ſi verum eſt, non facilè ad tributa, aut vectigalia, quæ regibus ſoluuntur, transferri poteſt. nam qui putant ſolutionem illam didrachmi, de qua Matthæus, pertinere ad illum cenſum, quem ſingulis Iudæis Auguſtus impoſuit, cùm auctore Luca, iuſſit orbem Romanum deſcribi, perinde quaſi eundem cenſum ſibi perſolui iuſſerit, quem templo olim pendebant, leui quod aiunt manu repelli poſſunt. nam eodem ipſo Matthæo[l] auctore, capitatio, quæ Cæſari ſoluebatur, denario æſtimabatur: denarium autem drachmæ Atticæ pondere æqualem fuiſſe conſtat: nec facilè probari poteſt, didrachmum ab Auguſto Iudæis fuiſſe impoſitum; cùm Ioſephus[m] ſcribat, poſt euerſum templum iuſſiſſe Veſpaſianum, vt didrachmi tributum, quod olim Iudæi templo ſoluebant, ſingulis deinceps annis in Capitoliū deferretur. Quod enim dicunt conſueuiſſe Iudæos duos denarios argenteos in ſingula capita perſoluere commoditatis cauſa in duas partes diuiſo tributo, Romanos verò nullum alium impoſuiſſe cenſum Iudæis, quàm quem olim templo pendebant; tam facilè confutari poteſt, quàm temerè abſque vlla certa vel ratione, vel coniectura affirmatur.

IV. Itaque cùm eo loco apertè didrachmum nominetur, & Chriſtus pro ſe, & Petro ſolui iuſſerit ſtaterem, id eſt quatuor drachmas; longè probabilius eſt cenſum illum, qui ex legis præſcripto ſanctuario pendebatur, ſubacta à Pompeio Iudæa, ſiue eius ipſius, ſiue vt alij malunt Auguſti imperio, ærario Romano fuiſſe perſolutum, quem deinde Veſpaſianus, vt ſcribit Ioſephus[n], iuſſit omnibus Iudæis

a li.5 de prouidentia.
b cap.22.12.
c cap.2.1.
d lib.2.antiq. cap.1.
e Petrus Gregor. Syntag. iuris.l.3 à c.3. & deinceps.
f Alex. ab Alex.lib.4. genial.dierum cap 10.
g lib.7. Cōſt. cap 17.
h cap.17.26.
i lib.1.quæſt. Euang.q.23.
k Exod.30.13
l cap.22.19.
m lib. 7. de bell. Iudaico cap.26.
n lib.7 de bello Iudaico cap.26.

A vbique gentium poſitis eſſe commiunem. Atque ita Hilarius re ipſa verum dicit, didrachmum legis auctoritate fuiſſe Iudæis impoſitum: ſed deinde vt ait Hieronymus, fiſco Romano ceſſit, & à Romanis Quæſtoribus exigebatur. Vtrouis autẽ modũ Chriſtus ab eo perſoluendo erat immunis: nam ex Hilarij quidem ſententia rectè ſe Chriſtus liberum, atque immunem dicit à tributo diuinitùs impoſito, cùm eſſet Dei naturalis filius. Idémque quamquam non ita perſpicuè ex Hieronymi opinione colligitur eo planè modo, quo Auguſtinus loco indicato argumentatur. nam ſi filij regum immunes ſunt à tributis, quanto æquius eſt immunem eſſe eum, qui eſt filius Dei immortalis, adeóque Rex Regum, & dominantium Dominus? Numero enim multitudinis B ad ſe vnum ſingillatim ſignificandum vſum fuiſſe Chriſtum, neque nouum, neque inſolitum videri debet. Itaque neque Matthæi, neque Auguſtini teſtimonium, cum hac Apoſtoli ſententia vllo modo pugnat, vt interim eorum [a] interpretationem omittam, qui Auguſtinum de myſtico vectigali loqui exiſtimant, quo ſe plerique Dæmoni iniquè obſtringunt.

a Sixt. Senen. lib. 6 Biblior. adnot. 76.

V. Addit ad extremum Apoſtolus: *cui timorem timorem, cui honorem honorem*, vtrumque enim principibus, ac magiſtratibus iure debetur habita præſertim ratione poteſtatis, de qua initio dixerat: *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Quamquam autem præſtat amari principem, quàm timeri; nonnullus tamen eis debetur timor, is videlicet, qui cultum, & venerationem pariat. Quocirca optimè timor cum C honore coniungitur, de quo Petrus [b]: *Regem* (inquit) *honorificate.* Et in eandem ſententiam Ignatius [c]. *Honora* (inquit) *fili Deum, & regem: honora Deum vt auctorem vniuerſorum, & Dominum: Epiſcopum autem vt ſacerdotum principem, & imaginem Dei ferentem.* Tertullianus [d] autem. *Colimus* (ait) *Imperatorem ſic quomodo nobis licet, & illi expedit, vt hominem à Deo ſecundum ſolo Deo minorem.* Tanta porrò eſt magiſtratuum maieſtas, vt cùm paterno iure nihil videatur ſanctius, nihil antiquius: illud tamen magiſtratuum dignitati plurimum cedat. Cùm enim Fabio illo [e] Maximo iam ſene, filius illius Conſul factus eſſet, multiſque audientibus orationem habuiſſet, parens conſcenſo equo præcedere cœpit: id iuuenis animaduertens lictorem miſit, qui patrem iuberet D equo deſcendere. id tum plerique mirari, non pauci etiam tacitè reprehendere. at Fabius equo deſiliens non habita ætatis ratione accurrit ad filium, eúmque complexus; *Euge* (inquit) *fili ſapis, qui intelligas, & quibus imperes, & quàm magnum magiſtratum ſuſceperis.* Debentur autem hæc duo auctore Origene, Deo primùm, quem timere, & amare ſummopere debemus: deinde principibus, qui Dei quandam ſimilitudinem inter homines referunt. Ita iam inde ab initio naſcentis Eccleſiæ, in liturgia pro regibus preces Deo fundi conſueuerunt, vt colligitur ex Tertulliano [f], Ambroſio [g], Auguſtino [h], Clemente [i] Romano, Baſilio [k], Chryſoſtomo [l], Arnobio [m], Cyrillo [n] Ieroſolymitano, & aliis recentioribus.

b epiſt. 1. c. 2. 17.
c epiſt. ad Smyrn.
d ad Scapul.
e Plutarch in Apopht. Liuius lib 4. decad. 3.
f Apolog. ca. 32.
g 4. de ſacra. cap. 4 & 1. ad Tim. 2.
h epiſt. 59.
i lib. 8. Conſtit. c. 12.
k In ſua liturgia.
l 1. Tim. 2. & in liturg.
m lib. 4 cont. Gent.
n Catech myſtag. 5.

8. Nemini qvicqvam debeatis, &c.

I. E Ampliſſimo veluti analẽmate ſuperiora aut colligit, aut nouo additamento amplificat: ita enim obſeruat Auguſtinus [o], *quaſi ſingula ſingulis aptè reddantur, modulato ſermonis curſu, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem, atque hæc* (inquit) *membratim fuſa clauduntur, etiam ipſo circuitu, quem duo membra connectunt: nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis.* Eſt autem ſi Græca verba ſpectes, anceps quodam modo ſententia: cùm enim Græcè legamus ὀφείλετε, incertum eſt, an ſit præſentis temporis, & indicandi

o lib. 4. de doct. Chriſtia. cap. 20.

A modi, an verò imperandi: poteſt enim ſic accipi: perſoluite vnicuique quod debetis, quo perſoluto debere deſiſtis. At ſola caritas deberi non deſinat, ſed ſemper ita perſoluatur, vt nihilo ſecius ſemper debeatur, nec ſit vllus bene merendi finis. Nec ſanè aliter accepiſſe videntur Origenes, Chryſoſtomus, & Theophylactus. verùm aliter Ambroſius intellexit, quaſi ſuperiora ad magiſtratus ethnicos, quales tum omnes erant, ſine controuerſia referantur quæ ſequuntur *nemini quicquam debeatis.* Et deinceps ad Chriſtianos. *Soluite illis* (inquit) *quod debetis. cæterùm Chriſtianus Chriſtiano nihil debet præter mutuam caritatem, quam ita ſinguli ſingulis præſtant, vt nunquam debere deſinant.* Debet igitur quilibet Chriſtianus caritatem proximo, etiam ſi illam maximè ſoluat. cari- B tas enim vt ait Auguſtinus [a], *cùm redditur non amittitur, ſed potius reddendo multiplicatur*, vt quod de gratia non nemo dixit aptè in caritatem congruat. *alia* (inquit) *eſt gratiæ, atque pecuniæ habendæ ratio; nam pecuniam qui habet non refert. qui verò refert, non habet: gratiam verò is maximè habet, qui refert.* ita qui caritatem præſtat eam maximè debet. *Qui enim* (ait) *diligit proximum, legem impleuit.* Græcè legimus nunc quidem ἕτερον, id eſt alterum, quem noſter interpres, vt re vera eſt, proximum intellexit; niſi forſitan olim legebatur ἑταῖρον, hoc eſt ſodalem, vnde hæteriæ, id eſt ſodalitates, de quibus Plinius [b] ad Traianum. *Quod ipſum*, ait, de Chriſtianis agens, *facere deſiiſſe poſt edictum meum, quo ſecundùm mandata tua hæterias eſſe vetueram.* eos intelligit Chriſtianorum con- C uentus, qui apud veteres in vſu erant. Dicitur autem qui proximum diligit legem implere, eo modo, quo ad Galatas [c] ſcriptum eſt. *Omnis lex in vno ſermone impletur. Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Itémque [d]: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Et Chriſtus ipſe apud Matthæum [e]. *Hæc* (inquit) *lex eſt, & prophetæ.* Et vt ait Auguſtinus [f]: *implere legem nihil aliud eſt, quàm ita viuere, vt lex præcipit.* Dixit autem Apoſtolus, *impleuit* more Hebræorum, qui præteritum pro præſenti non rarò vſurpant, vt apud Matthæum [g]. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi* hoc eſt ſedent, aut contingit eos ſedere. Sed quomodo verum ſit, eum, qui proximum diligit, legem implere; non eodem modo ab omnibus explicatur. nã Origenes nomine D proximi Chriſtum intelligit, quem qui diligit, Deum atque hominẽ nobis in primis proximũ diligit. *In his autẽ duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & prophetæ.* Sed id videtur à Pauli mente prorsùs alienum, cùm appareat illum de iis officiis agere, quæ hominibus præſtari ſolent, quæ ferè ſecundæ tabulæ præceptis continentur. Itaque Auguſtinus aliquando exiſtimauit [h], ab hoc tamquam principio pendere vniuerſam legem. Alibi [i] verò non diligi ait proximum verè, vt lex præcipit, niſi propter Deum diligatur, hac autem ratione etiam diligi Deum, duobus autem illis præceptis vniuerſam legem comprehendi. Nec deſunt qui exiſtiment loqui Paulum de præceptis ſecundæ tabulæ, vt quæ ſequuntur non obſcurè indicant: ſic enim ait certè Ioannes [k], ex amore proxi- E mi colligi docet amorem Dei: ſic enim ait; *Qui non diligit fratrem ſuum, quem videt; Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere? & hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.*

a epiſt. 5. ad Celeſtin.
b lib. 10. epiſt. 98.
c cap. 5. 14.
d cap. 6. 2.
e cap. 7. 12.
f lib. 17. cont. Fauſt. c. 6.
g cap. 23. 2.
h lib. 2. de Serm. Dom in monte.
i lib. 8. de Trinit. c. 8.
k epiſt. 1. c. 4. 20.

Nam non advlterabis, &c. Quod noſter interpres ait *inſtauratur*, Græcè dixit Apoſto- 9.
lus ἀνακεφαλαιοῦται, quod alicubi [l] Auguſtinus interpretatur propriè recapitulatur, hoc eſt breuiter, & ſummatim continetur, & quodam veluti compendio comprehenditur. Ambroſius legit cõſummatur. I.

l epiſt. 59.

Sed

Sed Chryſoſtomus vim Græcæ vocis, proprietatémque expendens; ait Paulum non dixiſſe ſimpliciter impletur, ſed ἀνακεφαλαιοῦται, hoc eſt conciſè, ac breuiter vniuerſum præceptorum opus perficitur: virtutis enim principium, ac finis eſt dilectio. Hanc habet radicem, hanc materiam, hunc verticem: mox verò addit non ſimplicem, ſed vehementem quandam caritatem exigi: non enim, ait, ſimpliciter dicit, diliges proximum tuum, ſed addit, *ſicut te ipſum*. Porrò ſi de ipſo diligendi præcepto agamus; illo vno cætera tamquam compendio comprehendi dicuntur, quod qui verè, atque ex animo proximum diligit, nulla eum ratione lædit, adeó que adulteria, homicidia, furta, cætera que flagitia, quæ contra proximorum ſalutem, aut bona perpetrantur; mirum in modum auerſatur, & odit; contrà verò nullum humanitatis, ac beneficentiæ officium prætermittit: quod ipſum de præcepto diligendi Deum ſuo modo intelligitur eorum præceptorum reſpectu, quæ referuntur ad Deum. ipſa verò dilectio plenitudo legis appellatur, ſiue quia ab illa lex pendet vniuerſa, ſiue quia lex omnis ad caritatem refertur tamquàm ad extremum, ſiue denique quia caritas omnibus præceptis ſingulare quoddam, atque eximium ornamentum affert, & in ſuo quæque genere perficit, atque abſoluit. Quocirca qui proximum diligit, ita eſt animo conſtitutus, vt cæterarũ virtutum omnium actiones facilè exerceat. quomodo dixit Chriſtus apud Ioannem [a]. *Qui diligit me, mandata mea ſeruabit*. ita enim eſt animo comparatus, vt nihil eorũ prætermiſſurus ſit, quæ Deo grata eſſe intelligit: nihilque eorum admittit, quæ nouit ipſi diſplicere: hoc eſt enim amare, bene velle amico. Quocirca meritò dixit Paulus [b]. *Caritas benigna eſt, patiens eſt, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non irritatur, non cogitat malum*. Alibi [c] verò: *Finis præcepti caritas*. Denique [d]: *Omnia veſtra in caritate fiant*. Quæ ſanè Pauli ſententia adeo vera eſt, vt ipſi etiam philoſophi à vera fidei luce alieni eam quodam modo ſubolfeciſſe videantur: Ariſtoteles enim dixit [e] vera amicitia ciuitates contineri, nec opus eſſe iuſtitia, ſi veram homines amicitiam colant. quod totidem fermè verbis repetens M. Tullius, ſi ſe homines mutuò diligant, ne leges quidem videri neceſſarias affirmauit. Rectè igitur dixit Apoſtolus, omnia legis præcepta, quæ ſpectant ad ſecundam tabulam, hoc eſt ad proximos, vnico præcepto dilectionis proximi velut epilogo comprehendi. quod idem affirmare poſſumus de præceptis, quæ referuntur ad Deum, quæ præcepto caritatis, quo Deus diligitur continentur, vt meritò dixerit; *plenitudo legis eſt dilectio*. Ita Chriſtus apud Matthæum de his duobus præceptis dixit [f]. *In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & prophetæ*.

a cap. 14. 23.
b 1. ad Cor. 13. 4.
c 1. ad Tim. 1. 5.
d 1. ad Cor. 16. 14.
e lib. 8. Ethic. cap. 1.
f cap. 22. 40.

10.
I.
DILECTIO PROXIMI MALVM NON OPERATVR, &c. Græci codices hoc loco variant: alij enim legunt dandi, alij gignendi caſu, quo ferè modo Latini legiſſe videntur. & priori quidem modo, quem Chryſoſtomus, & Theophylactus ſequuntur, ſignificat Apoſtolus eum qui caritate ſit præditus, nemini obeſſe mortalium. quò videtur alluſiſſe Tertullianus cùm dixit [g], *totam creatoris diſciplinam principali præcepto eius concluſit: diliges proximum tamquam te*. At ſi legamus cum Latinis gignendi caſu, *dilectio proximi*, ſenſus erit multo amplior, eum ſcilicet, qui ſit caritate imbutus, nihil omnino præter rationem, aut officium facere: non enim patitur caritas, vt quiſquam flagitioſè viuat. Cæterùm quia Apoſtolus dilectionem, ſeu caritatem legis perfectionem appellat; Marcion hæreticus, vt alicubi [h] obſeruauit Origenes, perperam exiſtimauit, nouum præceptum caritatis tantam habuiſſe vim, vt omnia Decalogi præcepta penitùs antiquarit, cùm tamen hoc ipſo ex loco perſpicuè intelligatur non illa quidem tolli, ſed caritatis veluti additamento perfici, atque abſolui. At ſuperioris æui hæretici hac ipſa Apoſtoli ſententia ſubnixi, adeo putant caritate legem perfici, vt quia caritas perfecta eſſe non poteſt, ne poſſit quidem lex omni ex parte ſeruari. Sed ea de re dabitur alibi commodior diſputandi locus. interim ſatis habeo Concilij Tridentini canonem indicare. *Si quis* (inquit [a]) *dixerit Dei præcepta homini etiam iuſtificato, & ſub gratia conſtituto eſſe ad obſeruandum impoſſibilia; anathema ſit*. Certè ex hoc loco apparet (quod iidem hæretici nefariè mentiuntur) non omne opus iuſti peccatum eſſe, quandoquidem caritas legem perficit.

g lib. 4. aduer. Marcion. c. 16.
h lib. 1. com. in Roman.
a Seſſ. 6 can. 18.

11.
I.
ET HOC SCIENTES TEMPVS, &c. Ad ſuperiorem admonitionem reſpicit, qua dixerat: *Nemini quidquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis*. hoc, inquit, eo vobis magis præſtandum eſt, quòd temporis opportunitatem ignorare non poteſtis, vel quod magis reor, id vobis tantò impenſius commendamus, quod temporis opportunitatem probè nouerimus. hora enim eſt qua euigilandum ſit à ſomno. Itaque pronomen *hoc*, quod ante nos alij obſeruarunt non poteſt referri ad tempus, quod eſt apud Græcos maſculini generis, ſed vim quamdam habet amplificandi, & exaggerandi. Nam Cyrillus [b], & Leontius [b] obſeruarunt opportunum cuiuſque rei gerendæ tempus horam appellari: ſic ſæpè apud Ioannem [c]. *Nondum venit hora mea*. Et [d]; *venit hora quando neque in monte hoc, neque Ieroſolymis adorabitis patrẽ*. Rurſus [e]: *Venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem filij hominis*. Et in Apocalypſi [f]: *Venit hora iudicij eius*. Et paulò pòſt [g]: *Venit hora vt metatur*. Eſt autẽ hebraiſmus neſcio an cuique ignotus. Vſus eſt autem Apoſtolus, vt planiùs conſtabit non ita multò pòſt, metaphora deſumpta à nocte, & die: non enim ſomno, atque otio, dies verò vigilia, negotióque tranſigitur. non dubium autem eſt ſomnum metaphoricè, & quodammodo myſticè accipi pro ignoratione, torpore, deſidia, adeóque improbitate, vt & illud Salomonis [h]. *Vſque quò piger dormis? quando conſurges de ſomno tuo?* Itémque illud Apoſtoli. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis*. Solet autem Apoſtolus vitam in vitiis actam ſomnum appellare. ita alibi [i] dixit: *Omnes enim vos filij lucis eſtis, & filij diei, non ſumus noctis, neque tenebrarum: igitur non dormiamus ſicut & cæteri, ſed euigilemus, & ſobrij ſimus: qui enim dormiunt, nocte dormiunt*.

b in Cathen. Græca. Ioa. 7.
c Ioan. 2. 4.
d Ioan. 4. 21.
e Epiſt. 5. 25.
f cap. 14. 7.
g verſ. 15.
h Prou. 6. 9.
i 1 ad Theſſ. 5. 5.

II.
Ambiguum autem eſt quid ſignificare velit Apoſtolus cùm ſubdit: *Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quàm cùm credidimus*: nam ſi Græca verba ſpectemus, νῦν γὰρ ἐγγύτερον ἡμῶν ἡ σωτηρία, ſunt qui ita latinè reddendum putent; propior eſt nobis ſalus, vel propiùs nobis adeſt, vt vox ἡμῶν coniungatur cum præcedenti voce ἐγγύτερον: alij cum ſequenti malunt connectere, vt propiorem dicat noſtram ſalutem: vtro autem modo dixeris, parum admodum refert, cùm eadem ſemper ſententia conſtet. Salutem porrò Photius apud Oecumenium intelligit vitæ finem, Oecumenius ipſe iudicij diem: Ego ſalutem futuræ gloriæ malo accipere, quam hac ipſa Epiſtola redemptionem corporis noſtri appellauit. Hinc igitur auctore Theophylacto colligit Apoſtolus addendum potius aliquid ad antiquum ſtudium, quàm quidquam de priſtino conatu detrahendum, ne ad metas, quod aiunt, adhæſiſſe videamur. Quod verò Apoſtolus dicit, propiorem eſſe nunc nobis ſalutem, quàm cùm credidimus; bifariam accipi poteſt, vel vt fiat comparatio cum veteri teſtamento, quod Chriſti venturi, futuræque ſalutis fide, atque

expectatione potiſſimùm nitebatur : vel cum ipſo naſcentis Eccleſiæ, nouique teſtamenti initio, quo Euangelicæ fidei lux affulgere cœpit, quo etiam vtroque modo explicari poſſunt quæ ſequuntur. Quod ſpectat ad verba, quod ait interpres, *hora eſt iam nos de ſomno ſurgere :* Græcè ſcripſit Apoſtolus, ἐξ ὕπνου ἐγερθῆναι; quo loco non ſatis aptè quidam vertendum putant, *à ſomno expergiſci*, cùm plus aliquid ſit, à ſomno ſurgere, quàm expergiſci: nam quidam expergefacti, adhuc lecto hærent, neque ſurgunt, ſed rurſum ſomnum captant, & vt quidam [a] ait, *dulces accerſunt ſomnos :* at qui ſurgit à ſomno, planè illum excutit, & ſe ad opus accingit. hoc igitur exigit Apoſtolus, vt omnis planè negligentiæ, torporiſque ſomnus fugetur.

a Statius. 5. Sylu. 5.

12. NOX PRÆCESSIT, &c. Lubricum, ac pe-
I. riculoſum locum miro quodam artificio Apoſtolus tractat: nam quod dixerat, principibus obtemperandum eſſe, multis argumentis confirmat : primùm ab auctoritate diuina his verbis : *Non eſt poteſtas niſi à Deo, & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Deinde à principis maieſtate, cùm dixit eſſe illum Dei miniſtrum. ad hæc à metu ſupplicij. *Non enim* (ait) *ſine cauſa gladium portat.* quibus addit metum diuinæ vltionis, quæ multò eſt ſeuerior, longéque maiorem vim, & efficacitatem habet. quam rationem mirabiliter extollunt Iuſtinus [b] martyr, Tertullianus [c], Auguſtinus [d]. propterea addit Apoſtolus: *non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Neque his contentus commendat caritatem, cui nihil eſt difficile : atque ita dicit; *Nemini quidquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis.* præterea remouet omnia vitia quæ ſunt virtuti contraria, cùm ait : *Abiiciamus opera tenebrarum.* poſtremò ſuadet omnem virtutem his verbis; *& induamur arma lucis.* Verùm poſſet quiſpiam obiicere, contra Apoſtoli ſententiam factum eſſe vt eccleſiaſtica poteſtas de ciuili, ac politica poteſtate non parum detraxerit; nam ab eius auctoritate omnes eccleſiaſtici eximuntur: multa item bona ab illis ſubtrahuntur, quæ eccleſiaſticis tribuuntur. excipiuntur etiam eccleſiaſtici à tributis, vectigalibus, aliiſque publicis functionibus: quæ omnia politicam iuriſdictionem magna ex parte imminuunt, cùm præſertim ipſi etiam laici plerumque magis parere debeant eccleſiaſticis, quã principibus laicis, cùm ſacri canones leges ciuiles abrogent, iiſque auctoritatem adimant. Atqui hæc omnia quamuis videantur politicam poteſtatem aliqua ratione minuere; tamen vera eam roborant, perficiunt, atque ſtabiliunt, quandoquidem illam ad finem ſupranaturalem aptant, & quodammodo præparant. Ita principum auctoritas proculdubio non parùm detraxit de poteſtate paterna, & herili, cùm multa iure naturæ licerent patri in liberos, & domino in ſeruos, quæ iure ciuili non licent: ſed quia hæ poteſtates ſub principis maieſtate magnum accipiunt ornamentum, non cenſentur imminutæ. Sic etiam in arte, ſculptor multa ex lapide, & ligno aufert, vt ſtatuam formet: ſed quidquid hac ratione aufertur lignum, aut lapidem perficit, atque ornat. verùm hac de re plura ſuo loco. nunc redeo ad Paulum, qui opera tenebrarum abiicienda monet.

b Apolog. 2.
c Apolog. ca. 45.
d in Pſal. 118. in illa verba à verbis tuis trepidauit cor meum.

II. Verum quod interpres latinè dixit *præceſſit*, græcè eſt προέκοψε, id eſt progreſſa eſt, ſeu proceſſit, quomodo legiſſe videtur Origenis interpres: noctem verò Chryſoſtomus, Theophylactus, Oecumenius, Ambroſius præſentem vitam intelligunt, ſi conferatur cum futura, quæ diei nomine ſignificatur. eſt enim hæc vita tenebris plerumque & cæca errorum caligine inuoluta. quæ dicitur proceſſiſſe, ſeu progreſſa eſſe, quòd ſit maxima ex parte peracta : ac proinde

A vt explicat Chryſoſtomus, *ſi nox definit, dies verò aduenit, exerceamus quæ huius, non quæ illius ſunt: nam & in temporalibus iſtud fit. quando enim noctem ad diluculum vſque properare videmus, garrientémque hirundinem audimus, proximum ſibi quiſque excitamus, & licèt nondum prorſus nocturna ſoluta ſint tenebræ, quoniam tamen quod reliquum eſt tranſit : ſolicitando alius ad alium diem factum eſſe dicimus, & quidquid diurni eſt temporis induti, à ſomniis liberati excuſſo prorſus ſopore facimus ne non paratos orta dies inueniat. atque ita nondum ſolis exorto iubare exurgere, & ad facienda contendere incipimus. Quod igitur in temporalibus vt commemoratum eſt facimus, iſtud & hic faciamus. exuamus phantaſias, liberemur ab huius vitæ ſomniis, excutiamus profundum mentis ſoporem; induamúrque loco veſtimen-*
B *ti virtutem.* Et in eamdem ſententiam Theophylactus fingens exempli cauſa noctem eſſe duodecim horarum: peractis, inquit, decem dicimus nox proceſſit, hoc eſt ad finem iam ſpectat · vt hac ratione ſignificare videatur Apoſtolus, magnam huius vitæ partem præteriiſſe, & mundi extremum imminere: atque adeo diem illum, qui neſcit occaſum. Alij noctem intelligunt ſuperiorem illam veteris teſtamenti ætatem, qua fidei veritas vmbris, & figuris veluti quibuſdam nocturnis tenebris inuoluta tenebatur: illa enim iam progreſſa eſt, atque ad exitum perducta exorta iam euangelij luce, & iuſtitiæ ſole omnibus illuceſcẽte. Cyprianus [a] denique & Ambroſius noctem interpretantur, priſtinam vitã perfidia, atque improbis moribus inquinatam. *Apoſtolus Paulus* (ait
C Cyprianus) *inſtruens, & monẽs, vt qui illuminati Chriſti lumine tenebras nocturnæ conuerſationis euaſimus, in factis, atque in operibus luminis ambulemus : ſcribit, & dicit; nox tranſiuit, dies autem appropinquauit.* Et noctem quidem tranſiſſe affirmant etiam Ambroſius [b], & Hieronymus [c] : omnino autem legendum eſt *appropinquauit.* non vt perperam habent nonnulli codices, *appropinquabit.* eſt enim græcè ἤγγικεν, præteriti temporis, quod elegantiùs Latinè reddas incolumi ſenſu præſenti tempore appropinquat, ſiue in proximo eſt. quocirca rectè concludit Paulus. *Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Non caret autem emphaſi abiiciendi verbum; quæ enim abiicimus penitus repudiamus non ampliùs reſumpturi. Perſimilem ſententiam ſæpiùs inculcat
D Apoſtolus: alicubi [d] enim dixit; *Iam non ambuletis, ſicut & gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris habentes obſcuratum intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ eſt in illis.* Et poſt nonnulla [e]: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Denique alio loco [f]. *Non in paſſione deſiderij, ſicut & gentes, quæ ignorant Deum.* Si igitur vt exiſtimant Athanaſius [g], Baſilius [h], Chryſoſtomus [i], Auguſtinus [k], tota hæc vita nocti comparatur, reſpectu illius diei, qui poſt extremum iudicij diem beatis omnibus illuceſcet. *opera tenebrarũ* vitioſæ, flagitioſæque actiones cenſendæ ſunt, contrà verò *arma lucis* ſtudioſæ, ac laudabiles functiones, quæ illo fœliciſſimo beatorum die vſui eſſe poſſunt. Neque aliter *opera tenebrarum*, aut *arma lucis* explicanda ſunt, ſi Cypria-
E num [l], Ambroſium [m], ipſúmque Auguſtinum [n], & Theodoretum [o] ſequamur : nam cùm noctem intelligant vel tempus legis Moſaicæ, vel vitam in infidelitate peractam, abiicere neceſſe eſt priſtina vitia tanquam opera tenebrarum, eámque vitæ, morúmque rationem inſtituere, quæ Chriſti præſentiæ tanquam meridianæ luci conueniat. Quod ipſum dixerim in Gregorij [p] ſententia, qui diem beatam vitam interpretatur, noctem verò tempus legis Moſaicæ: hoc verò tempus aduentus Chriſti auroræ comparat. quamquam vt verum fatear, quocumque tandem modo

III.

a Ser. de zelo & liuore.
b lib. 5. de ſex. cap. 4. & Serm. 32.
c Epiſt. 150 proc. à prin. & Matth. 14. Eodem modo legunt Aug. Epiſtol. 120. & Oreg. 29. mor. cap. 2.
d ad Epheſ. 4. 17.
e ad Epheſ. 5. 8.
f 1. ad Theſſ. 4. 1.
g in quæſt. ad Antioch. q. 90.
h Eſaia 11.
i in hunc locum Hom. 24.
k Epiſt. 40.
l lib. de zelo, & liuore
m in Pſal. 45. & Serm. 32. de temp.
n de quibuſdam propoſit. huius Epiſt.
o in hunc locum.
p 29. Moral. cap. 2.

modo noctem intelligas: neceſſe eſt diem accipere pro eo tempore, quod Chriſti aduentum conſecutum eſt, de quo alibi [a]. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Rectè autem peccata opera dicuntur tenebrarum: nam egregiè ſcripſit Iob [b]. *Ipſi fuerunt rebelles luminis, neſcierunt vias eius, nec reuerſi ſunt per ſemitas eius. mane primo conſurgit homicida, interficit egenum, & pauperem: per noctem verò erit quaſi fur. oculus adulteri, obſeruat caliginem, dicens non me videbit oculus, & operiet vultum ſuum, perfodit in tenebris domus, ſicut in die conduxerant ſibi: & ignorauerunt lucem. ſi ſubitò apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis, & ſic in tenebris quaſi in luce ambulat.* Arma autem lucis ſtudioſas, ac laudabiles actiones, vt dixi vocat, de quibus aliàs [c]: *Induite armaturã Dei.*

a 2. Cor. 6.
b Iob. 24. 13.
c ad Epheſ. 6. 11.

13. 1. SICVT IN DIE HONESTE AMBVLEMVS, &c. Aptè omnino: nox enim pudore vacat, orta verò luce verecundiùs ſeſe homines gerunt, moréſque & actiones ad hominum iudicia componunt. honeſtè igitur ait ambulandum, hoc eſt compoſitè, ſeu modeſtè, vel vt ait Cyprianus [d], *decenter.* Ad hunc locum alluſiſſe videtur Tertullianus [e] cùm ait: *an autem & Apoſtolus xerophagias norit, qui maiora celebrauerat ſitim, & famem, & multa ieiunia, qui ebrietates & comeſſationes recuſauerat.* Et poſt multa [f]. *Cùm præmiſiſſet*, inquit, *Apoſtolus non in ebrietatibus nec in comeſſationibus, adiunxit nec in cubilibus, & libidinibus.* Denique [g] alibi ait, *impudicitia fundamenta ab Apoſtolo effoſſa, cùm ebrietates, & comeſſationes compeſcit.* Cùm autem de hoc Apoſtoli loco ageret Auguſtinus, hæc ad verbum ſcribit. *Cùm enim Apoſtolus tria breuiter genera vitiorum deteſtanda, & vitanda vno in loco poſuerit, de quibus innumerabilium vitiorum exurgit ſeges, vnum horum quod ſecundo loco poſuit acerrimè in eccleſia vindicatur, duo antẽ reliqua, idest primum, & vltimum tolerabilia videntur hominibus, atque ita paulatim fieri poteſt, vt nec vitia iam putentur. ait enim vas electionis: non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & dolo, ſed induite vos dominum Ieſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in concupiſcentiis. Horum ergo trium cubilia, & impudicitia tam magnum crimen putantur, vt nemo dignus non modò eccleſiaſtico miniſterio, ſed ipſa etiam ſacramentorum communione videatur, qui ſe iſto peccato maculauit. & rectè omnino. ſed quare ſolum? Comeſſationes enim & ebrietates ita conceſſa, & licita putantur, vt in honorem etiam beatiſſimorum martyrum, non ſolùm per dies ſolemnes, quod ipſum quis non lugendum videat, qui hæc non carnis oculis inſpicit? ſed etiam quotidie celebrentur.* Et multa deinceps in eandem ſententiam, quibus oſtendit ebrietates, & comeſſationes à Chriſtiana diſciplina maximè abhorrere.

d de zelo, & liuore.
e lib. aduerſ. pſych. cap. 9.
f cap. 17.
g lib. de pud. cap. 17.

II. Quod autem ait Apoſtolus: *Non in comeſſationibus*, græcè eſt κώμοις, eſt autem κῶμος Græcis temulentiæ deus, de quo Ariſtophanes [h], Xenophon [i], & Philoſtratus [k]. eo etiam nomine conuiuium procax, & iuuenile interdum appellatur: quin etiam impuræ cantilenæ, & laſciuæ ſaltationes κῶμοι apud Græcos dicũtur, vnde comœdiam dictam volunt. & quidem qui coronati, ac benè poti, in alienum conuiuium non ſine tibicine petulantiùs irruebant, κωμάζειν dicebantur. quemadmodum apud Platonem, Alcibiades in Agathonis conuiuium irrupit. Comeſſationes autem apud Latinos pro intempeſtiuis conuiuiis vſurpantur; nam de Demetrio ſcribit Liuius [a], illum poſt cœnam ſodalibus dixiſſe; *Quin comeſſatum ad fratrem imus?* Et Suetonius [b] de Domitiano; *Conuiuabatur frequenter, ac largè, ſed penè raptim: certè non vltra ſolis occaſum, nec vt poſtea comeſſaretur.* Idémque [c] de Vitellio. *Epulas triſariam ſemper, interdum quadriſariam diſpertiebat in ientacula, & prandia, & cœnas, comeſſationéſque.* Et Seneca cùm agit [d] de Caio Cæſare Caligula. *Sicut Caius Cæſar (ait) qui iratus cælo quòd obſtreperet Pantomimis quos imitabatur ſtudioſius, quàm ſpectabat, quódque comeſſatio ſua fulminibus terreretur fulminibus parum certis.* Iam verò Epicharmus [e] apud Athenæum rectè monet. *E ſacrificio* (ait) *epulum, ex ſacrificio compotatio: quod feſtiuum meo iudicio fuit: e compotatione petulans comeſſatio, è comeſſatione animi impotentia, ex hac lis apud iudices, è lite condemnatio, è condemnatione compedes, mulcta, ſyderatio.* Cæterùm Apoſtolus nimium comedendi, bibendíque ſtudiũ damnat, & mox etiam ebrietatem deteſtatur. *non enim*, vt ait Chryſoſtomus, *bibere prohibet, ſed præter menſuram bibere, neque vino ſimpliciter vti, ſed cum ebrietate vti vetat.* Poſt comeſſationes & ebrietates, cubilia, & impudicitias nominat: vt enim ſcribit Hieronymus [f], *eſus carniũ, & potus vini ventríſque ſaturitas ſeminariũ libidinis eſt.* Et quidã [g]: *ſine Cerere & Libero friget Venus.* Neque verò molles, & delicatos lectos hoc loco reprehendit Apoſtolus, tametſi vitio non carent; ſed ſcortationes ſignificat: ideóque mox addit, *& impudicitiis*, græcè ἀσελγείαις, quæ vox pleniorem, & atrociorem petulantiam ſignificat, vt alibi copioſiùs doceo. nã græcè pro cubilibus ſcripſit Apoſtolus κοίταις; at κοῖται plurali numero ab Heſychio explicantur γυναικῶν ἐπιθυμίαι, quaſi dicat fœminarum appetitiones, cùm videlicet fœminæ ad concubitum appetuntur: nam & κοίτην pro concubitu ſupra [h] vſurpauit Apoſtolus. Addit præterea; *Non in contentione, & æmulatione*: vel vt loco indicato legit Auguſtinus, *& dolo*: quanquam græcè eſt vox ζῆλος, de qua aliàs: nam hæc etiam ex nimio potu plerumque oriuntur.

h in Pluto.
i in Sympo.
k in Icon.
a li. 10. de bel. Maced.
b in Domit. c. 21.
c in Vitell. cap. 13.
d lib. 1. de ira ad finem.
e lib. 2.
f lib. 2. in Iouin.
g Terent. in Eunuch. act. 4. Scen. 5.
h cap. 9.

14. I. SED INDVIMINI DOMINVM, &c. Hebræorum more induendi verbo ad copiam, & abundantiam ſignificandam vtitur, quale eſt illud Dauidis [i]. *Induti ſunt arietes ouium.* Quo loco Hieronymus vertit, *veſtientur greges agnis.* Et quod ſequitur: *valles abundabunt frumento*, Hebræa ad verbum ſonant, *valles veſtientur frumento.* Induere ergo Chriſtum eſt omnibus modis Chriſti vitam, moréſque repræſentare. *qui enim Chriſtũ induit*, ait Chryſoſtomus, *omnem ſimul in vniuerſum virtutem habet.* Denique cõcludit, *carnis curam ne feceritis in deſideriis.* exceſſum enim, vt ait Chryſoſtomus, damnat, non vſum neceſſarium. Eſt nonnulla cura, ſeu prouidentia, vt vox Græca πρόνοια ſonat, habenda corporis, non tamen ita, vt ipſius cupiditatibus ſeruiatur: quod egregiè explicat Gregorius [k] tractans locum illum Iob [l], *Clamorem exactoris non audit. Quæ igitur*, inquit, *fieri in deſiderio prohibetur, in neceſſitate conceditur.*

i Pſal. 64. 14.
k lib. 30. Mor. cap. 14. alias 22.
l cap. 39. 7.

Argumentum Cap. XIV.

VIm ac poteſtatem Chriſtianæ libertatis declarat, quam in eo poſitam eſſe docet, vt priſtinis legis Moſaicæ ceremoniis, & inanibus ciborum, dierúmque obſeruationibus non ſubiaceat. Ad tollendas autem gliſcentes Iudæos inter, & Gentiles contentiones; negat eos, qui probè ſunt in fide, & religione inſtituti, contemnere debere alios, qui minùs firmam conceptam habent animo de rebus fidei ſententiam. Denique ſcandala, & aliorum de aliis iudicia propoſito Dei ſupremo iudicio caſtigat: ſuarum enim cuique actionum reddendam eſſe vni Deo rationem, cui niſi quis ſe probet; fruſtrà hominum laudem, aut commendationem quærere. pacem interim ſuadet, & concordiam.

CAPVT XIV.

INFIRMVM autem in fide aſſumite non in diſceptationibus cogitationum.

Alius enim credit ſe manducare omnia, qui autem infirmus eſt, olus manducet.

Is, qui manducat, nō manducantem non ſpernat; & qui non manducat, manducantem non iudicet: Deus enim illum aſſumpſit.

Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat, aut cadit: ſtabit autem: potens eſt enim Deus ſtatuere illum.

Nam alius iudicat diem inter diem: alius autem iudicat omnem diem: vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet.

Qui ſapit diem, Domino ſapit, & qui manducat, Domino manducat; gratias enim agit Deo: & qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo.

Nemo enim noſtrum ſibi viuit, & nemo ſibi moritur.

Siue

PARAPHRASIS.

QVon ſi quiſpiam in vobis ſit nondum 1.
ſatis fidei præceptis imbutus, illum vos
vltrò expetite, atque adiungite vobis,
non tamē ad certamina diſputationum
inaniter ineunda, vt variis ac perplexis verborum
contentionibus, incertior diſcedat, quàm venerit:
aut perturbata conſcientia reſiliat. id quod ſubiectis
exemplis intelligi planiùs poterit. ¶ Nam 1.
alius quidem fide probè informatus perſuaſum
habet veſcendum eſſe quibuſuis, alius contra fidei
non adeo magna, aut firma cognitione præditus,
ne fortè contingat vetitis cibis inquinari, oleribus
contentus, cæteris abſtinet cibis. ¶ Iam qui 3.
neglecta legis antiquæ ſuperſtitione, atque inani
ciborum delectu, qualem lex illa Moſis præcipiebat;
quibuſlibet liberè veſcitur, ne pro nihilo habeat
eum, qui nonnullis abſtinet. qui verò vetita
non audet attingere, aut guſtare, ratus delectum
illum ciborum in lege Euangelica retinendum;
eum ſanè, qui liberè veſcitur, ne cōdemnet: hunc
enim Deus ſua vtique beneuolentia non indignū
iudicauit, cui etiam Spiritus ſancti chariſmata impertiuit.
¶ Ecquem verò, aut cuius tandem aucto- 4.
ritatis eſſe te putas, qui alienum famulum condemnas?
proprio certè ille domino ſtat, aut cadit, cique
vni aut peccat, aut rectè viuit: immò verò ſtabit.
nam Deus, qui illum ſibi aſciuit, facilè poteſt
illum ſtabilire, ac firmiorem reddere, vt neque is,
qui liberè veſcitur omnibus abſque delectu, libertate
ſua abutatur ad luxum: neque ille, qui nondum
firmus eſt fide, perpetuò nutet, ac fluctuet.
¶ Affine eſt huic exemplo, quod in dierum obſer- 5.
uatione contingere nonnunquam ſolet: nam alius
quidem Iudaico more dierum diſcrimina obſeruans,
nonnullos tamquam feſtos, & ſolemnes quibuſdam
veluti prophanis præfert: alius verò peræquè
omnes dies æſtimat, nullúmque agnoſcit
inter eos diſcrimen. In hac profectò cauſa, in animo
ſuo quiſque planè certus eſto, de ſe potiùs,
ſuáque conſcientia, quàm de aliorum conſiliis, &
actionibus ſolicitus. ¶ Qui diem obſeruat, qui- 6.
que item non obſeruat, vtrique Deo probare ſe
debent, ad cuius honorem hunc ſuum qualemcumque
cultum referunt; quíque iudicabit recténe
illi faciant, an ſecus. Quod ipſum dicendum
eſt de illo, qui liberè cibis vtitur, itémque de eo,
qui abſtinet: vterque enim Deo gratias agit cui ſe
maximè probat. ¶ Nullus enim noſtrum, ſibi ipſe 7.
viuit, & nullus ſibi ipſe moritur: æquum enim eſt
Chriſtia

Chriſtianos omnes vitæ ſuæ actiones, quinetiam
mortem ipſam, ad vnius Dei gloriam referre, at-
que adeo in rebus indifferentibus nihil præter
8. vnius Dei honorem ſpectare. ¶ Nam ſiue huius
lucis aura fruimur,& ſpiritum ducimus, Domino
profectò viuimus: ſiue diem extremum claudi-
mus, Domino morimur, neceſſe vt ſit ſiue viua-
9. mus, ſiue moriamur, nos Domini eſſe. ¶ Hanc
enim potiſſimam ob cauſam Chriſtus & mortem
oppetiit, & denuò reuiuiſcens vitam quandam
immortalem adeptus eſt, vt & mortuis, & viuenti-
10. bus dominetur. ¶ Tu verò quiſquis es, cur fra-
trem condemnas tuum? aut cur eum pro nihilo
habes? omnes quippe ante Chriſti tribunal ſiſten-
di ſumus, vt ab illo tamquàm à cõmuni omnium
11. iudice iudicemur. ¶ Scriprum namque eſt in Iſaiæ
vaticiniis; Viuo ego, dicit Dominus, quia mihi ſeſe
flectet omne genu, omníſque lingua meam diui-
nam maieſtatem iuſtis laudibus celebrabit, & ex-
12. tollet. ¶ Nempe igitur vnuſquiſque noſtrum non
de aliorum vita, aut moribus, ſed de ipſo, ſuíſque
13. actionibus rationem reddet Deo. ¶ Ne igitur de-
inceps aliorum alij facta iudicemus, ſed hic potius
adhibete iudicium, vt ne fratri obiiciatis offendi-
culum, quo à fide Chriſti quaſi minùs religioſa, &
ſi Deo placet, etiam impura veſtra libertate reuo-
cetur, aut ſcandalum, quo veſtro exemplo prouo-
catus etiam reluctaute conſcientia aliquid agat?
14. ¶ Equidem noui, & Chriſto Domino magiſtro,
atque auctore perſuaſum habeo, nihil eſſe per ſe,
ac natura ſua, vel etiam legis veteris edicto im-
purum, aut inquinatum, ſed pro cuiuſque opinio-
ne, atque ſententia fieri nonnihil impurum, & pro-
15. pè dixerim inquinari. ¶ Verùm ſi propter eſcam
frater tuus triſtitia, moleſtiáve afficitur, ipſe pro-
fectò niſi abſtineas, Chriſtianæ caritatis legi ne-
quaquam obtemperas. at vide quæſo ne illum
16. perdas, pro quo Chriſtus mortuus eſt. ¶ Néve
bonum noſtrum, id eſt laus illa pietatis, ac religio-
nis Chriſtianæ malè audiat, vel impiorum obtre-
17. ctationibus, & maledictis obiiciatur. ¶ Non enim
præcipua religionis noſtræ ratio in eſca, & potu,
aut eſculentorum diſcrimine poſita eſt, ſed potiùs
in cultu iuſtitiæ, & pacis, in gaudio denique, quod
in Spiritu ſancto ex pace, & concordia proficiſci-
18. tur. ¶ Nam qui pacem, & iuſtitiam colens Chri-
ſto ſeruit, tum gratus Deo, tum etiã cunctis mor-
19. talibus charus eſt. ¶ Sectemur igitur quæ ad pa-
cem tum conciliandam, tum retinendam faciunt,
& quæ ad fidem ac religionem propagandam ma-
20. ximè valent. ¶ Noli quæſo cibi cauſa opus Dei
deſtruere: omnia quidem, quæ à Deo creata ſunt,
pura cenſentur; ſed malum eſt homini, ſi quamuis
optimo cibo cum aliorum offendiculo veſcatur.
21. ¶ Quinimò honeſtum, ac laudabile eſt non veſci
carnibus, & vino abſtinere, eáque prorſus abiice-
re, in quibus frater tuus impingit, aut offenditur,
aut in animi angorem, & mentis hæſitationem
22. adducitur. ¶ At enim certò perſuaſus es apud
temetipſum nullum eſſe ciborum diſcrimen. eſto
ſanè,

Siue enim viuimus Domino viuimus; ſiue morimur Domino morimur: ſiue ergo viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus.

In hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, vt & mortuorum, & viuorum dominetur.

Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare ſpernis fratrem tuum? omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti.

Scriptum eſt enim, viuo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.

Itaque vnuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo.

Non ergo ampliùs inuicem iudicemus, ſed hoc iudicate magis ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum.

Scio, & confido in Domino Ieſu, quia nihil commune per ipſum, niſi ei, qui exiſtimat quid commune eſſe, illi commune eſt.

Si enim propter cibum frater tuus contriſtatur; iam non ſecundùm caritatem ambulas. noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt.

Non ergo blaſphemetur bonum noſtrum.

Non enim eſt regnum Dei eſca, & potus, ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in ſpiritu ſancto.

Qui enim in hoc ſeruit Chriſto, placet Deo, & probatus eſt hominibus.

Itaque quæ pacis ſunt ſectemur, & quæ ædificationis ſunt in inuicem cuſtodiamus.

Noli propter eſcam deſtruere opus Dei. omnia quidem ſunt munda, ſed malum eſt homini, qui per offendiculum manducat.

Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut ſcandaliZatur, aut infirmatur.

Tu fidem habes? penes te ipſum habe coram Deo. Beatus qui non iudicat ſemetipſum in eo,

in eo, quod probat.

ſanè, ſed tuæ conſcientiæ, & Dei teſtimonio eſto contentus: nihil enim neceſſe eſt iſtam tuam confidentiam aliis prodere cum proximorum detrimento. Bearus qui in iis, quæ probat, & amplectitur non condemnat ſe ipſum, ſed abiectis, vel contemptis dubitationibus, & ſcrupulis libera, & bona conſcientia ſe ſuſtentat.

Qui autem diſcernit, ſi mãducauerit damnatus eſt, quia non ex fide: omne autem, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.

¶ Qui verò anceps eſt, & ambigit, & tamen veſcitur, condemnatus eſt, quia non bonam opinionem ſequitur: quidquid autem fit hæſitante conſcientia, neque certa perſuaſione præeunte, qua putetur licere quod fit; peccatum eſt. 23.

IN CAPVT DECIMVM QVARTVM EXPLANATIO.

1. I. INFIRMVM AVTEM IN FIDE, Non de eo, puto, loquitur, qui hæſitat, aut dubitatus de rebus, quæ fide credendæ proponuntur: hunc enim alienum prorſus eſſe à fide, ſi ſponte nutet, theologi affirmant, quod io eo pereat omnis ea, quam vocant rationem formalem fidei. igitur eum, qui non eſt Chriſti doctrina penitus imbutus, qui multa ignorat, in pleriſque hæret, in aliis hallucinatur, vocat Apoſtolus in fide infirmum, quem docet inſtituendum, confirmandúmque eſſe, non curioſis diſputationibus implicandum. Quis autem cenſendus ſit hoc loco in fide infirmus, non conuenit inter omnes: Chryſoſtomus enim, Theodoretus [a], Hieronymus [a], Ambroſius, Anſelmus eum eſſe putant; qui cùm antea Iudæus eſſet, Chriſti fidem complexus erat, & priſtinum Iudæorum morem in delectu ciborum retinendum eſſe cenſebat: quamquam Ambroſius nonnullis etiam ex Gentilium errore conuerſis idem perſuaſum fuiſſe autumat. At Clemens [b] Alexandrinus, Baſilius [c], & Auguſtinus [d], eum quidem intelligunt, qui ſacra Iudæorum olim ante Baptiſmum coluerat, ſed non tam de cibis legalibus, quàm de idolothytis hæſitantem, vt hoc loco eadem quæſtio agitetur, quæ in epiſtola ad Corinthios [e]: quamquam Baſilius [f] non excludit diſputationem de cibis legalibus, vt veriſimile ſit, hunc qualemcumque in fide parum inſtructum ſiue Iudæum, ſiue etiam Gentilem, tam de cibis legalibus, quàm de idolothytis hæſitaſſe. Mitto enim Origenis interpretationem ſubtilem illam quidem, & acutam; huic tamen loco minùs congruentem, qui ciborum nomine doctrinam ſignificari putat, eo planè modo, quo alio loco Paulus [g] ait. *Tanquam paruulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis*: vt rudes, & minùs apti ad ſubtiliora dogmata percipienda dicantur *non manducare carnes, & abſtinere à cibis*; vno verbo infirmos eſſe in fide. Sed vt dixi, ſententia extorta videtur, nullóque modo probabilis. Eorum verò explicatio, qui infirmum in fide interpretantur illum, qui abſque ieiunio, & ciborum abſtinentia in virtutum ſtudio proficere ſe poſſe diffidit; quaſi de Diuina liberalitate minùs rectè ſentiat, non modò à Pauli mente videtur aliena, ſed cum fide catholica non omni ex parte conſentit. Qui enim ieiunia, & abſtinentiam colunt, eámque adhibent ad ſtudium

a lib. 2. contra Iouin.
b li. 2 pædag. cap. 1.
c Reg. breu. reſp. 64.
d de quibuſdam propoſit. huius Epiſt.
e Ep. 1 cap 8.
f in Mor reg. 14. cap. 1.
g 1. ad Cor. 3. 1.

A capeſſendæ perfectionis, non propterea de diuina liberalitate, ac munificentia diffidunt. Neque verò exiſtimandum eſt eos, qui olim de Iudaico ciborum delectu, déque idolothytis ambigebant, ob id fuiſſe à fide alienos, quòd de iis dubitarent, quæ pertinent ad fidem Catholicam: cùm enim initio naſcentis eccleſiæ non eſſent, omnia penitus explorata, ſalua fide; nonnulla poterant in dubium reuocari. Igitur Apoſtolus eos, qui minùs in fide inſtructi ſunt, à peritioribus aſſumi, id eſt adiungi, & in contubernium admitti, aut etiam in diſciplinam recipi mandat, non tamen *in diſceptationibus cogitationum*, hoc eſt non ad diſputationes contentioſas. Græca verba multiplici interpretationi occaſionem præbuerunt. Ait enim Paulus, *μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν*, quæ Au-
B guſtinus ita interpretatur; *non in diiudicationibus cogitationum. Non diiudicemus* (inquit) *cogitationes infirmorum, quaſi ferre audeamus ſententiam de alieno corde, quod non videtur.* Alij non ad diiudicationes diſputationum, alij non ad certamina diſputationum; noſter interpres, *non in diſceptationibus cogitationum.* omnino ſenſus eſt blandè, ac leniter inſtituendos, eórumque imperitiam patienter tolerandam, non temerè quidquam in alterutram partem definiendum. Poſſet etiam hic locus ad antiquiſſimum Eccleſiæ morem, & ab ipſis Apoſtolis profectum pertinere, de quo alicubi Baſilius, qui docet eam eſſe Chriſtianæ doctrinæ rationem, vt non omnia paſſim omnibus tradenda ſint, ſed alia etiam imperitiſſimis proponenda, quædam verò quaſi recondita peritioribus
C reſeruanda. Sic Chriſtus imperitæ multitudini neceſſaria duntaxàt explicabat, Apoſtolis verò etiam illa, quæ ad caritatis apicem, & Chriſtianæ pietatis perfectionem valerent: turbis parabolas, Apoſtolis parabolarum myſteria interpretabatur.

ALIVS ENIM CREDIT, &c. Hinc oriuntur diſceptationes, quòd alij aliter opinantur, & peritiores quidem, abſque diſcrimine fas eſſe putant quibuslibet eduliis veſci, citra vllum Iudaicum delectum, ne quis hæreticorum more eccleſiaſticam abſtinẽtiam tanquam ſuperſtitioſam vel irrideat, vel contemnat. Non dixit autem edere omnia, quaſi poſſit vnus cuncta vorare, ſed græcè Apoſtolus dixit *φαγεῖν πάντα*, hoc eſt quælibet atque diſtinctione, diſcriminéve guſtare. quod in Actis [a] apoſtolicis cæleſti viſo indicatũ eſt Petro, cùm iuſſus eſt ex omnibus 2. I.

a cap. 10. 14.

bus quadrupedibus, & volatilibus liberè veſci. quo tamen viſo vt ipſe Petrus intellexit, aliud quiddam ſignificabatur, quod ad Gentilium conuerſionem pertinebat. *Qui autem* (inquit) *infirmus eſt, olus manducat*: ita enim legendum eſſe indicant Græci codices, quos ſequuntur Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, Hieronymus,[a] Auguſtinus. ſunt tamen qui legendum putent *manducet*, quos ſequi videtur Ambroſius: ſic enim ait. *Olera manducet, hoc eſt ſinite infirmum, nec carnibus veſci ſuadeatis, ne conſcientiam ſuam polluat, dum contra eam agit.* Nec magnopere abhorret Anſelmus; cùm enim nullum herbæ genus lege Moſis interdiceretur, contra verò multa carnium genera prohiberentur, qui puros, ait, cibos ab impuris diſtinguere nequibat, ne fortè per imprudentiam legem violaret, omni genere carniũ abſtinens oleribus veſcebatur, ſuperſtitioſa quidem, ſed ferenda tamen, atque etiam aliqua ex parte probanda religione: ac propterea Paulum infirmo permittere, vel potius præcipere, vt olus manducet. Sed profectò Apoſtolorum præſertim ætate vix quiſquam ex Iudæis conuerſus de Iudaico ciborum delectu ambigere poterat, cùm tam perſpicuè omnia ſint in lege præſcripta. Cæterùm quod ad ipſam ſententiam attinet, Origenes putat olera hoc loco ſignificare faciliora Chriſtianæ religionis dogmata, quæ etiam à rudioribus facilè percipi queant; ſed ſuo ille more dum myſticos ſenſus nimis auidè perſequitur, aliena & peregrina fidelibus obtrudit, &, quod deterius eſt, interdum etiam abſurda, & parùm ſana confingit. Chryſoſtomus verò, & Theodoretus cùm exiſtiment Paulum de oleribus propriè, & carnibus loqui: idcirco putant infirmos olim in fide abſtinuiſſe à carnibus, atque oleribus veſci conſueuiſſe, quòd eos qui ex Iudaiſmo conuerſi erant ad fidem, puderet coram fidelibus ex gentilitate conuerſis abſtinère à carne ſuilla: atque ob id ſpecie religionis, & abſtinentiæ omnes penitus carnes reſpuiſſe. ſed mirum eſt Iudæos conuerſos ad fidem tam fuiſſe verecundos, qui tamen Gentiles, qui Chriſto nomina dederant, aut reprehenderent, aut accuſarent, quòd Iudaicos ritus non ſequerentur, neque ciborum vllum more Iudaico diſcrimen agnoſcerent, cùm præſertim conſtaret eos, qui olim Iudæi fuiſſent, veterum illum ciborum delectũ retinere. Accedit quòd potuiſſent priuatim liberè veſci quibus libuiſſet abſque arbitris, atque adeo pudore nullo, vt interim omittam, adeo fuiſſe perſpectum omnibus Gentilibus Iudæos, qui ſe Chriſto aggregaſſent, priſtinum ciborum vſum adhuc retinere, vt vel ob eam potiſſimum cauſam, non leues inter ipſos diſceptationes ortæ eſſent. At Auguſtinus exiſtimauit carnes Diis, vel potius idolis impiè oblatas publicè vnà cum aliis propoſitas fuiſſe venales. Itaque cùm plerique ignorarent quænam prophanæ, quæve nefariis ſacris pollutæ eſſent: ab omnibus vniuerſim abſtinebant, ne vllo ſeſe piaculo inquinarent. Id in multis accidere potuiſſe non nego, de omnibus paſſim non facilè conceſſerim: cùm priuatim ſibi carnes parare plurimi poſſent, quibus abſque vlla religione veſci liceret. longè autem minùs probabile videtur quod affirmat Ambroſius, exiſtimaſſe nõnullos nefas eſſe Chriſtianis, carnibus veſci, quod id genus cibi abominandum eſſet. vt enim fuerit hæc quorundam philoſophorum inanis ſuperſtitio: Apoſtolorum certè temporibus, non potuit tam peruerſa opinio fidelium mentes occupare. Indicat quidem perſimilem errorem Clemens[b] Romanus. verùm id multò pòſt apertè docuit Tatianus, & ab eo profecti Encratitæ, de quibus Euſebius[c], qui addit eos ortum habuiſſe à Saturnino, & Marcione, & omnium pro-

a Eccleſ. 2.

b lib. 6. con apoſt. c. 10.

c lib. 4. hiſt. c. 27.

A ſus animatorum abſtinentiam prædicaſſe. quos multò pòſt Manichæi, Priſcillianiſtæ, aliique non pauci ſecuti ſunt. Quamobrem exiſtimo Paulum Apoſtolum in præſentia non tam affirmare id, quod reuera fieret, quàm quod fieri probabiliter poſſet, vt miram quandam religionem, & pluſquàm ſuperſtitioſam, hac veluti amplificatione declaret. adeo enim quidam prophanis carnibus ſibi abſtinendum cenſebãt, vt cenſere certè poterant, vt ad omnem penitus dubitationem tollendam, ſi fortè neceſſitas vrgeret, oleribus duntaxàt veſcerentur. Sed pietatis intuitu deinceps qui ſe Deo religioſè vouiſſent, à carnium eſu temperabant, de quibus Epiphanius[a]. *Sunt* (inquit) *qui ab omnibus carnibus abſtinẽt, quadrupedibúſque & volatilibus, ac piſcibus, ouo item, & caſeo.* Et B Caſſianus[b] ſecundum genus abſtinentiæ in monacho commendari ait, vt caſtiget, ac refrænet deſiderium carnis. idem indicant Auctor de duplici martyrio, & Hieronymus[c]. quin etiam (quamuis diſrumpantur hæretici) Clemens[d] Romanus omnibus Chriſtianis in hæc verba præcipit: *Abſtinete his diebus* (ſcilicet ante Paſcha) *vino & carne.* Cyrillus[e] item Hieroſolymitanus: *Ieiunio* (inquit) *ſtudemus, à vino & carne nos abſtinemus.* Et id genus alia permulta leguntur apud veteres, quæ delectum aliquẽ ciborum probant ab Eccleſia fuiſſe receptum ad ciborum deteſtationem, quod hæretici mentiuntur.

a in compendio. in fine.

b lib. 5. c. 23.

c ep. ad Furiã de vid.

d lib. 5. con. c. 27.

e Catech. 3.

3. I.

IS QVI MANDVCAT, &c. Vtriſque id quod maximè deceat, præcipit Apoſtolus. perfectis quidem, & probè in religione, ac fide inſtructis, vt rudiores & minùs peritos ne contemnant, aut nihili C faciant. hæc enim eſt vis Græcæ vocis ἐξουθενείτω: hoc verò doctis, & peritis hominibus maximè congruit, qui præ ſe alios magna ex parte deſpiciunt, quippe vt alibi ait Apoſtolus[f], *ſcientia inflat.* Contrà verò rudibus & imperitis procliue eſt temerè de aliorum actionibus iudicare, ſi præſertim inani ſuperſtitione animum imbuerint. Illos igitur monet Apoſtolus, ne peritiores iudicent, aut damnent, quaſi liberioris conſcientiæ, & minus quàm deceat religioſos: atque idcirco ait. *Qui non manducat, manducantem non iudicet.* hoc eſt non reprehendat, aut damnet. Ad hũc omnino locum pertinent quæ alicubi ſcribit Auguſtinus[g]. *Illo* (inquit) *tempore multi iam firmi in fide, & ſcientes ſecundùm ſententiam Domini, quòd non macu-* D *larent ea, quæ in os intrant, ſed quæ exeunt, indifferenter ſumebant cibos, ſalua conſcientia: quidam verò infirmiores abſtinebant à carnibus, & à vino: vt ne vel neſcientes inciderent in ea, quæ idolis ſacrificabantur: omnis enim tunc immolatitia caro in macellis venundabatur, & de primitiis vini libabant gentes ſimulachris ſuis, & quædam in ipſis torcularibus ſacrificia faciebant. iubet ergo Apoſtolus & his, qui ſalua conſcientia talibus vtebantur, non ſpernere infirmitatem illorum, qui ſe à talibus cibis, & potu abſtinebant: & illis infirmis ne eos, qui carnibus veſcebantur, & vinum bibebant, tanquam pollutos iudicarent.* Eius porrò præcepti hanc mox Apoſtolus reddit rationem. *Deus enim illum aſſumpſit.* At de vtro intelligenda ſint hæc verba, ambigat fortaſſe non nemo. videri enim poſſent pertinere ad Iu- E dæos, & infirmos, quos propterea negat Apoſtolus contemnendos eſſe, quòd ſint à Deo vocati, & in ſuorum numerum adſcripti. Cæterùm Chryſoſtomus, & Theodoretus referunt ad conuerſos ex gentibus, qui liberè quibuſlibet cibis veſcebantur: eos autem ait Apoſtolus, non eſſe temerè iudicandos, quòd illos Deus ſua beneuolentia non indignos iudicarit. dixit autem græcè προσελάβετο, eodem prorſus verbo, quo initio capitis vſus erat, cùm dixit: *Infirmum autem in fide aſſumite.* græcè προσλαμβάνεσθε, hoc eſt veſtra beneuolentia complectimini, itémque

f 1. Cor. 8. 1.

g in inchoata his ius ep. ex.

veſtro

veſtro illos cœtui aggregate. Mox autem ſubdit.

4. I. Tv qvis es, qvi ivdicas,&c. Hanc ſententiam Chryſoſtomus,& Theodoretus referunt ad gentiles, qui Iudæos tanquam minùs eruditos contemnebãt, ſed vereor vt probè: nam vt omittam ordinem ſententiæ perturbari; quid cauſæ erat, cur Iudæos,quos paulò antè negligi vetuerat,nunc prohibeat iudicari? Propiùs igitur à mente Pauli abeſt, ſi de Iudæis intelligas,quibus præceperat ne gentiles iudicarent,quòd & ipſi digni habiti eſſent,qui Chriſti fide ſuſcepta baptiſmo luſtrarentur. Cùm igitur inter Chriſti ſeruos numerentur etiam gentiles;quid tu Iudæe (ait Apoſtolus) alienum ſeruum iudicas? Iſtuc quippe eſſet falcem (quod aiunt) in alienam meſſem immittere, Dominorum enim eſt in ſeruos animaduertere ſi peccent. Porrò Ariſtoteles docuit[a], ſeruum eſſe veluti partem domini, quamuis ab eius corpore ſeiunctam. rectè igitur ſequitur: *domino ſuo ſtat, aut cadit*, quaſi dicat: videat herus vtrum peccarit, an ſecus: vtrumlibet enim agat, id domini bono, vel damno cedit: ſed ne videatur Apoſtolus aliqua ratione admittere peccati reos eſſe illos, qui liberè quibuſlibet cibis veſcantur: ſubdit: *ſtabit autem*, hoc eſt non cadet, non peccabit, non offendet, idque propterea quòd *potens eſt Deus ſtatuere illum*. Suſpicari enim fortaſſe poterant Iudæi, Gentiles, qui liberè omnia eſculenta vſurparent, aut ad impietatem Gentilium defeciſſe, aut inibi certè eſſe. At contrà Apoſtolus: *ſtabit* (inquit), & ad finem vſque perſeuerabit. *potens eſt enim Deus ſtatuere illum*, non perinde quaſi certam, aut neceſſariam perſeuerantiam polliceatur, ſed vt bene ſperandum doceat, propoſita diuina beneuolentia, quæ Gentiles ad fidem adduxit, & potentia, quæ illos poteſt, in ſuſcepta religione ſtabilire, & confirmare. quod Auguſtinus his verbis declarat. *Noc de ipſa* (inquit[b]) *perſeuerantia bona voluit Deus ſanctos ſuos in viribus ſuis, ſed in ipſo gloriari, qui eis non ſolùm dat adiutoriũ, quale primo homini dedit, ſine quo non poſſint perſeuerare, ſi velint. ſed in eis etiam operatur & velle, vt quoniam non perſeuerabunt, niſi & poſſint, & velint: perſeuerandi eis poſſibilitas, & voluntas diuinæ gratiæ largitate donetur.* Et multa deinceps in eandem ſententiam. Eodem autem loco hanc Pauli ſententiam prædeſtinatis accõmodat: ait enim. *Quamuis ergo de omnibus regeneratis, & piè viuentibus loqueretur Apoſtolus dicens: Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? ſuo domino ſtat, aut cadit: continuò tamen reſpexit ad prædeſtinatos, & ait. ſtabit autem: & ne hoc ſibi arrogarent. potẽs eſt enim Deus*, (inquit) *ſtatuere eum. ipſe itaque dat perſeuerantiam, qui ſtatuere potens eſt eos qui ſtant, vt perſeuerantiſſimè ſtent, vel reſtituere qui ceciderint: Dominus enim erigit*[c] *eliſos*. Denique totum hunc locum alicubi tranſtulit[d] Tertullianus. *Quidam* (ait) *credit omnia manducanda eſſe, quidam autem infirmus olera veſcitur: qui manducat, ne nullificet non manducantem. Tu quis es, qui alienum ſeruum iudicas? & qui manducat, & qui non manducat, Deo gratias agit.* Quod ait, *Domino ſuo ſtat, aut cadit*, ad Deum proculdubio pertinet, qui neque à noſtris actionibus quidquam capit vtilitatis, neque iis vllo modo læditur: bona tamen, quæ ſuæ gratiæ beneficio nituntur, nobis accepta refert: mala verò expenſa fert, quaſi ex illis aliquid commodi, atque vtilitatis; ex his damni, ſeu detrimenti capiat. dum autem ait, *ſtabit*, ſignificat poſſe quempiam abſque piaculo quibuſlibet liberè veſci, quaſi dicat: tu illum temerè damnas. quaſi ſeſe ſcelere obſtringat: tamen fieri poteſt vt ille innoxiè veſcatur: neque enim dubitandum eſt poſſe Deum ab omni labe integrum, ac purum ſeruare: quin docet hoc de diuina bonitate ſperandum, & de prædeſtinatis illud pro certo habendum eſt, non paſſurum Deum, illos ita cadere, vt pereant.

a lib. 1. polit.

b de corept. & gra. c. 12.

c Pſal. 145. 8.

d lib. de ieiu. aduerſ. Pſych. § 12.

5. I. Nam alivs ivdicat diem, &c. Alterum eſt Iudaicæ ſuperſtitionis exemplum, neceſſe vt ſit particulam *nam* non continere ſuperiorum cauſam, ſed potius ſententiæ continuationem: eſt enim græcè μὲν, non γὰρ, ſignificat alium quidem diem, iuxta diem iudicare, hoc eſt exiſtimare aliquid intereſſe inter hunc, & illum diem, alium contra iudicare omnem diem, hoc eſt perinde de quouis die ſentire. Auguſtinus ita legit[a]: *alius quidem iudicat alternos dies, alius iudicat omnem diem*. Quo loco etiam peregrinam, & prorſus alienam ſententiæ explicationem adhibet, quaſi homines iudicent diem inter diem, Deus verò iudicet omnem diem: quæ explanatio huic loco vix poteſt aptari, neque Apoſtolus Deum hominibus æquaret, quod tamen facit dum dicit, *alius iudicat diem inter diem, alius iudicat omnem diem*. Hieronymus verò, *Alius*, inquit[b], *iudicat diem pluſquam diem*, vt παρὰ accipiatur pro ſupra, ſiue vltra, quomodo negari non poteſt interdum accipi apud Græcos. frequentiùs relationem ſignificat, vt veteri prouerbio indicatur, πορφύραν παρὰ πορφύραν, id eſt purpuram iuxtà purpuram: ita hoc loco Paulus ἡμέραν παρ᾽ ἡμέραν, *diem iuxta diem*: nam qui confert, & quaſi componit, alterum alteri præfert: ita hic de quo in præſentia Paulus, Iudaica dierum obſeruatione diẽ diei præfert: ſic ad Hebræos[c]: *Quanto differentius præ illis nomen hæreditauit*. græcè διαφορώτερον παρ᾽ αὐτοὺς. rurſus[d], *Amplioris gloriæ præ Moyſe*, παρὰ Μωυσῆν. Et apud Latinos quidã[e], *cum ſe poſt putaſſe omnes res præ parente intelligo*. Nam quod Origenes, Chryſoſtomus, Theodoretus, Ambroſius, & Anſelmus de ieiunio alternis diebus, aut etiam quotidie à quibuſdam obſeruato, comminiſcuntur, vt non penitus reiicio, ita nec temerè probandum puto; quod multò magis de Theodoreti altera explicatione intelligendum cenſeo, qui conuerſos ex Iudæis certis duntaxàt diebus ſuilla abſtinuiſſe dicit, cùm alij cunctis diebus abſtinendum putarent. Placet magis auctore Hieronymo[f] hanc ſententiam de

II. Iudaica dierum ſuperſtitione accipiendam eſſe: ſed cùm duplex eſſet apud Iudæos dierum obſeruatio, altera quæ feſtos, & profeſtos dies, altera quæ ſtatutis quibuſdam diebus peculiarem quendam ciborum delectum colebat; Hieronymus de priori obſeruatione intelligit, de qua alibi Paulus[g]; vt is dicatur iudicare *diem inter diem*, qui pluris vnum diẽ, quàm alium æſtimat, & alium rebus agendis, alij præfert, idque ex veteris legis præſcripto. Oecumenius autem & Ambroſius de legali ieiunio malunt accipere, quod legis auctoritate, certis quibuſdam diebus nonnulli ſeruabant, vt Nazaræi diebus purificationis vino, aceto, atque vuis abſtinebant, quæ tamen aliis diebus liberè vſurpabant, & Iudæi vniuerſi ſeptem azymorum diebus fermento abſtinebant. vtra autem ſententia præferenda ſit non facilè dixerim; nam Hieronymi quidem auctoritas, tanti eſt apud me, quanti par eſt eſſe eum, cui in ſcripturarum explanatione omnis antiquitas primas dedit. Oecumenij verò, Ambroſiique ſentẽtia vel inde maximè probabilis videri poteſt, quòd toto hoc capite agit Apoſtolus de ciborum delectu: de feſtis verò, profeſtiſve diebus ne vllum quidem verbum facit. Quod verò hæretici, & noui euangelij buccinatores, hinc ſumant occaſionem calumniandi eccleſiaſtica ieiunia, & feſtos dies, quos Catholici colunt; ſuo ingenio faciunt, quo peruersè, ac perperam omnia interpretantur: quod pluribus doceo ſuo loco. Quod verò ſubditur, *vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet*: cùm per ſe valdè eſt obſcurum, tum multiplici interpretum

a de quibuſ. prop. huius epiſtol.

b li. 2. aduer. Iouin.

c cap. 1. 4.

d cap. 3. 3.

e Terent. in Heaut. act. 5. ſcen. 5.

f l. 2. cõt. Iou.

g ad Gal. 4. & Coloſſ. 2.

Digitized by Google

pretum explicatione redditur penè inextricabile. A nec dubium eſt vulgatam interpretationem magnam præbuiſſe occaſionem perperam intelligendi hanc Pauli ſententiam: perinde quaſi in iis, quæ enumerata ſunt, liberam faciat quidlibet ſentiendi poteſtatem, & ad omnia propemodum hominum conſilia transferenda videatur. quomodo Ambroſius dixit: *vnuſquiſque ſuo conſilio remittatur.* Et Auguſtinus. *quantum humano intellectus, vel vnicuique homini conceſſum eſt, tantum audeat iudicare.* Et tamen longè aliter ſentiendum videtur. Abundare enim in ſuo ſenſu, hominis præfractæ, & obſtinatæ mentis eſt. quamuis autem Baſilius[a], & Chryſoſtomus in rebus liberis, atque indifferentibus ſuum cuique iudicium permitti exiſtiment; tamen ſi in rebus omnibus liberis, tutò quis poteſt ſuo iudicio niti, & ſuo arbitratu viuere, denique vt ait noſter interpres, in ſuo ſenſu abundare: cur in Deuteronomio[b] præcepit Deus, ne ſuo quiſque conſilio, prudentiáque ducatur? Cur negat Sapiens[c] ſuæ prudentiæ nitendum? cur Sancti Patres eos tantopere reprehendunt, ac damnant, qui neglectis aliorum conſiliis ſuo iudicio, ſapientiáque metiuntur vniuerſa? cur denique in ſacris litteris, tam frequenter ac ſedulò monemur, ne prudentes, aut ſapientes ſimus in oculis noſtris? quid verò poteſt hac temeritate pernicioſius cogitari?

a in Mor. reg. 34. cap. 6.
b cap. 12.
c Prou. 3. 5.

IV. Hæretici ſanè perinde hunc locum accipiunt, quaſi permittat Apoſtolus, vt ſuo quiſque arbitratu viuat, ſuum conſilium ſequatur, ſuo denique iudicio penitus acquieſcat. Ita vt omittam cætera, probabit Apoſtolus Iudaicas obſeruationes, quas alibi acriter reprehendit, tantum abeſt vt permittat, quas etiam Clemens Romanus apertè damnat[d] tanquam à fide Chriſti alienas. ita non ſatis videtur probanda eorum explanatio, qui putant Apoſtolum ſuam cuique ſententiam liberè permittere, tam iis, qui liberè quibuslibet veſcebantur, quàm iis qui carnibus abſtinebant: nimiam enim licentiam concedere videretur, ſi præſertim aliqua menti ſuperſtitio adhæſerat. Igitur expendenda eſt vis Græcæ locutionis, *ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω*, ideſt in animo ſuo planè certus eſto. eſt enim *πληροφορεῖσθαι*, certiorem reddi, vel vt ſic dixerim, certiorari: quomodo Paulus ſcribens ad Timotheum[e] dixit *τὴν διακονίαν σου πληροφόρησον*, id eſt miniſterij tui plenam facito fidem. vt videatur Apoſtolus in præſentia docere nihil eſſe aggrediendum, aut tentandum, quod non priùs certa, aut admodum probabili ratione honeſtum, ac laudabile iudicetur, hoc eſt quod theologi tradunt, dubia, vel hæſitante conſcientia nihil eſſe perficiendum. ait igitur *vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet*, hoc eſt ſedulò, ac diligenter animo, & cogitatione diſpiciat, quid agat, quidve omittat, quid ſpectet, quóve conſilia ſua, & actiones referat. Vt enim obſeruauit Tertullianus[f], ſciebat *quoſdam caſtigatores, & interdictores victus incuſare, qui ex faſtidio, non qui ex officio abſtinerent; probare verò qui in honorem, non qui in contumeliam creatoris.* Quod ipſum olim in Canonibus[g] apoſtolicis licet obſeruare. Atque hac ratione probari vtcumque poteſt, quod hoc loco ait Chryſoſtomus, permiſiſſe Paulum tanquam rem indifferentem, fidelium iudicio, vt videlicet etiam, atque etiam cogitent quid agant, quóque conſilio quidpiam aggrediantur: nam re vera philoſophi, atque hæretici nefariè, atque impiè à quibuſdam cibis abſtinebant: Iudæi inaniter, ac ſuperſtitioſè: Chriſtiani, & ij præcipuè qui ſe Deo deuouerunt, religioſè ac piè. Quod autem attinet ad Græca verba dixit Apoſtolus *ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ*, vt mentem, atque intelligentiam ſignificet certa minuméque dubia ſcientia cogitationéque imbuenda.

d lib. 6. conſt. cap. 26.
e Epiſt. 2. c. 4.
f cont. Pſych.
g Can. 51. de quo Zonar. Balſam. & monac. Blaſtharas cap. 19.

Q VI S A P I T D I E M, &c. Hic Græci codices 16.
olim variaſſe creduntur: nam Origenes[a], Ambro- I.
ſius, & Auguſtinus legiſſe videntur, vt habet noſter interpres. *qui ſapit diem, Domino ſapit.* Chryſoſtomus verò, Theodoretus, & Oecumenius legunt, & explanant alteram partem. *& qui non ſapit diem, Domino non ſapit.* Quod ex Græcis codicibus, nonnullis etiam Latinis additum fuiſſe comperio, & quidem non ſine magna coniectura: ſic enim paulò poſt ait. *Qui manducat Domino manducat, & qui non manducat Domino non manducat.* Vtramque autem ſuperſtitionem Paulus attingit, quam paulò antè indicauerat: & quæ poſita erat in delectu ciborum, & quæ in dierum obſeruatione verſabatur. ait igitur, qui diem ſapit, græcè *ὁ φρονῶν*, aliter, opinor, quàm apud B Matthæum[b], & Marcum[c] *οὐ φρονεῖς τὰ τοῦ θεοῦ, ἀλλὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων*, Non ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum. Et ſuprà[d], *οἱ γὰρ κατὰ σάρκα ὄντες τὰ τῆς σαρκὸς φρονοῦσιν, οἱ δὲ κατὰ πνεῦμα, τὰ τοῦ πνεύματος*. vbi rectè interpretati ſumus, ſapiunt, hoc eſt carnali, vel ſpirituali prudentia præditum eſſe, vel ad illam certè ſapientiam animum intendere: nam eorum interpretatio, qui apud Euangeliſtas dicere malunt, non ſentis, quàm non ſapis; neſcio an ſit probanda: non ſapere enim, quæ Dei ſunt, aliud profectò videtur eſſe, quàm non ſentire. Eadem ratione ad Philippenſes[e], *τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες, qui terrena ſapiunt*: & ad Coloſſenſes[f], *τὰ ἄνω φρονεῖτε, μὴ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſunt ſuper terram.* His enim omnibus locis eodem modo interpretari malim ſapere, C quàm cogitare, aut curare: vt ſignificet Apoſtolus animum, vel cogitationem adiungere. At hoc loco quid, quæſo, eſt diem ſapere? an quod placuit Auguſtino, & Anſelmo humana tantùm iudicare? Sanè Auguſtinus in ſua ſententia perſeuerat, de qua tamen dixi quid ſentirem: an ſibi ſapere certum aliquem diem cæteris diebus anteferendo? mihi quidem certè id duriuſculum videtur, cùm præſertim mox ſubiiciat, *Domino ſapit.* An ad colendum peculiari religione diem aliquem præ cæteris animum intendere? id probaſſe videntur illi qui, ſapiunt, interpretantur curant, idémque putant eſſe quod paulò ante dixerat. *alius iudicat diem inter diem.* Fortè vtro- II.
que meliùs dici poteſt, aliquam de certo die opinionem concipere, quaſi religioſiùs colendus ſit, vel D non colendus: aut aliquo die potiùs, quàm alio abſtinendum videatur: hoc enim videtur eſſe *ἡμέραν φρονεῖν*; *Domino* (inquit) *ſapit.* cui vt dixit, reſpondet apud Græcos ex aduerſo hæc altera ſententia, *καὶ ὁ μὴ φρονῶν τὴν ἡμέραν, κυρίῳ οὐ φρονεῖ, Qui non ſapit diem, Domino non ſapit.* Et profectò ratio poſtulare id videtur, quamquam in affirmatione vnius partis, alterius negationem includi non nego. vterque igitur ſiue qui diem ſapit, ſiue qui non ſapit, ſi rectam rationem ſequatur, Deo bonorum conditori placet, eúmque ſui conſilij auctorem, ac ducem habet, tametſi fortè alioqui decipitur: etenim errantem conſcientiam, fallentémque ſententiam, ſequendam eſſe, cùm corrigi, mutaríve non poteſt, Theologi affirmant, quod fuſiùs alibi doceo. Vel ſapere, aut non E ſapere dicuntur Domino, eo planè modo, quo paulò antè dixerat, *Domino ſuo ſtat, aut cadit.* hoc eſt ſiue quis ſapiat, ſiue non ſapiat; non humano cuiuſque, ſed diuino tantùm iudicio definiendum eſt: vt hæc omnis Apoſtoli diſputatio, ad humana iudicia cohibenda referatur: vt enim ſcribit Auguſtinus[g], de manifeſtis iudicandum, non de occultis: manifeſta verò ſunt quæ non poſſunt bono animo fieri, vt ſunt ſtupra, blaſphemiæ, furta, & huiuſmodi, de quibus iudicare nobis permittitur dicente Apoſtolo[h]; *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, iudicare? non de iis, qui*

a lib. 2. cont. Celſum.
b cap. 16. 23.
c cap. 8. 33.
d cap. 8. 5.
e cap. 3. 19.
f cap. 3. 2.
g li. 2. de Ser. Dom. in monte cap. 18.
h 1. Cor. 5. 12.

FF *intus*

Sede à dextris meis donec ponam inimicos tuos ſcabel- A
a cap. 49. 6. *lum pedũ tuorum.* Et Iſaias [a]: *Ecce dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. Hæc dicit Dominus, in tempore placito exaudiui te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tui, & ſeruaui te, & dedi te in fœdus populi, vt ſuſcitares terram, & poſſideres hæreditates diſſipatas, vt diceres his, qui vincti ſunt, exite: & his qui in tenebris, reuelamini.* In eandem verò ſententiam
b cap. 7. 13. Daniel [b]. *Aſpiciebam in viſione noctis, & ecce cum nubibus cœli quaſi filius hominis veniebat, & vſque ad antiquum dierum peruenit, & in conſpectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ſeruient ei. poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur.* Denique Chriſtus ipſe apud Ioan-
II. nem [c]. *Confidite* (inquit) *ego vici mundum.* Hanc igi- B
c cap. 16. 33. tur poteſtatem mortis, reſurrectioniſque ſuæ merito à Patre ſibi datam eſſe dicit, tum quia licèt eam aliunde haberet; nouo ſibi titulo debitam non iure ſolùm, ſed etiam vſu aſſecutus eſt. quod & alio loco
d ad Phil. 2. 8. inſinuat Apoſtolus cùm ait [d]: *Humiliauit ſemetipſum Dominus Ieſus Chriſtus vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & in-*
e li. 4. aduerſ. Eutych. *fernorum.* Qua quidem poteſtate interprete Vigilio [e] ad propagandos regni ſui fines Apoſtolos ad omniũ gentium conuerſionem miſit. Cæterùm de Chriſti regno, ac dominio plura in diſputationibus. Verùm quod attinet ad verba, Græci codices habent, καὶ ἀπέθανε, καὶ ἀνέστη, καὶ ἀνέζησεν. hoc eſt mortuus eſt, reſur- C
rexit & reuixit. Theophylactus autem legit ἔζησεν. id eſt vixit. Ambroſius ita Latinè reddidit. *in hoc enim Chriſtus & vixit, & mortuus eſt, & reſurrexit.* Nõnulli codices olim habuerũt, *in hoc Chriſtus & mortuus eſt, & reuixit.* Qua ratione legiſſe Origenem eius com-
f lib. 2. c. 20. mentarij indicant. Irenæus [f] eodem modo legiſſe videtur, quo Ambroſius. denique Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius noſtræ interpretationi fauent. Ordo item verborum ſubſequentium non eſt idem apud omnes: vulgati enim codices habent, *mortuorum, & viuorum dominetur.* alij contra, *viuorum, & mortuorum:* ſed vulgata lectio præferenda videtur, vt quemadmodum priùs dixerat Chriſtum obiiſſe, deinde reſurrexiſſe, ita priùs mortuos, deinde viuos nominet, cùm priùs ſit mori, quàm viuere in Chriſto.

10.
I. TV AVTEM QVID IVDICAS, &c. Dixerat ſuperiùs, *Qui manducat, non manducantem non ſpernat; & qui non manducat, manducantem non iudicet.* Iam vtrumque ex ſuperiori diſputatione arguit. Quid enim (inquit) tu qui non manducas, fratrem tuum iudicas, ſi hæc iudicandi poteſtas vni Chriſto debetur? tu verò qui manducas, quid fratrem tuum ſpernis, qui æquè ac tu pertinet ad regnum Chriſti? Ita omnino locum explicat Ambroſius. *Tu autem* (inquit) *quid iudicas fratrem tuum in non edendo? aut tu quare ſpernis fratrem tuum in edendo?* Vt enim antea diximus, qui liberè quibuſlibet veſcebantur, ſcientia veluti elati eos, qui abſtinebant, nauci quo- E
dam modo faciebant: at contra qui abſtinebant, ſuperſtitione quadam cæteros tamquam minùs religioſos tacitè incuſabant. vtroſque Apoſtolus meritò reprehendit. fratrem autem dum nominat iuſtæ reprehenſionis cauſam tacitè ſubindicat; nefas enim eſt fratrem quippe ſibi æqualem aut contemnere, aut quaſi reum damnare. quamobrem rectè ſubdit: *Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti.* Omnium (inquit) noſtrûm iudici æquè ſiſtendi ſumus. Vt enim aiunt Hieronymus, & Primaſius, aduentus Chriſti *& viuos inueniet, & mortuos ſuſcitabit.* Tri-

A bunal autem Chriſti nominat, ſimilitudine ducta ab humanis iudicibus, & magiſtratibus, qui ſoli pro tribunali ſedere dicebantur. Auctore autem Iſidoro, tribunal locus erat ſublimis, & editus, in quo conſidentes magiſtratus ius dicebant, cuius formam deſcribit Vitruuius [a]. Itaque Iuriſconſulti [b] eum, qui a lib. 5. c. 1. b l. 1. §. penul. ff. de iud. c. 1. ff. de re iudic.
ius dicat, tribunali præeſſe, aut pro tribunali cognoſcere affirmant. Hinc igitur ducta ſimilitudine, quia Chriſtus cunctis mortalibus conſpicuus erit, & intimos animi receſſus ſuæ cognitionis luce peruadet, quaſi pro tribunali hominum cauſas diiudicaturus dicitur.

SCRIPTVM EST ENIM, VIVO EGO, &c. 11.
Iſaiæ [c] teſtimonio probat quod modò dixerat, omnes I.
ante tribunal Chriſti ſiſtendos eſſe, vt dum tem cer- c cap. 45. 24.
B tam diutiùs reget, à priuatis iudiciis in rebus præſertim indifferentibus, vehementiùs reuocet. Immutat autem Apoſtolus nonnihil Iſaiæ verba: ille enim ait. *Per memetipſum iuraui, dixit Dominus.* Paulus autem ipſa propemodum iuramenti verba, & formam exprimit. *Viuo ego,* inquit. quaſi Deus per ſuum caput, & vitam iuret, quo vt alibi ait Paulus [d], nihil d ad Heb. 6. 16.
ſanctius, nihil diuinius concipi, aut cogitari poteſt. Pertinent autem vel Paulo interprete Iſaiæ verba ad extremum Chriſti iudicium, quo in vnum omnes cogentur nationes; vt præteritæ vitæ, Chriſto iudici rationem reddant: hoc enim eſt omne genu Deo flecti, id eſt Deum principem, ac Dominum agnoſcere, quod magis explicant, quæ ſequuntur: *& omnis lingua confitebitur Deo.* Chriſtum enim verum eſſe
C Deum, etiam Barbari, & infideles vel inuiti agnoſcent, & prædicabunt. flectere autem genua dixit, vt ſupplicantium geſtum exprimeret: olim enim genibus nixos Deum precari conſueuiſſe Gentiles veterum [e] non pauca monumenta declarant, vt hac ratione ſignificaret eos, qui in vita Chriſtum vel non e Ouid. lib. 4. Faſt. Liu. lib. 26. Apul. lib. 6. de aſi. aur.
agnouerant, vel contempſerant, eius miſericordiam ſupplices imploraturos, ſed tamen fruſtra. Eſt autem hoc loco ſermo de iudicio extremo, cui Chriſtus præerit, de quo ipſe apud Ioannem [f]. *Pater non iudi-* f cap. 5. 22.
cat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant Patrem.

ITAQVE VNVSQVISQVE NOSTRVM, &c. 12.
Hanc ipſam ob cauſam omnes ante Chriſti tribunal I.
ſiſtendos dixit, vt ſuarum quiſque actionum Chri-
D ſto iudici, veróque Deo rationem reddat. neque verò huic ſententiæ aduerſatur quod alibi docet Paulus cùm de præpoſitis agens; *Obedite* (inquit [g]) *præpo-* g ad Hebr. 13. 17.
ſitis veſtris, & ſubiacete eis. ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri. Hoc enim ipſum ad Præſulum vitam, atque officium pertinet, vt aliorum mores, vitámque probè inſtituant, & ſi fortè à recto virtutis tramite deflectant, in viam reuocent: nec tamen illi ipſi, qui priuatim peccarint, iuſtam pro peccati magnitudine, & grauitate ſententiam effugient, vt alibi copioſiùs oſtendam. Hoc enim qui aliis præeſt recipere, ac polliceri videtur, ſe ſuæ adminiſtrationis rationem redditurum, ſiue ſuo muneri deſit, ſiue omnes eius partes expleat. itaque Salomon [h]: *Quoniam* (inquit) *data eſt à Deo* h Sap. 6. 4.
E *poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur, quoniam cùm eſſetis miniſtri regni illius, non rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundùm voluntatem Dei ambulaſtis, horrendè, & citò apparebit vobis, quoniam iudicium durißimũ in his, qui præſunt, fiet: exiguo enim conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.* Quòd ſi animaduerterent qui tam impudenter honores, ac dignitates Eccleſiaſticas ambiunt; longè profectò maiori ſtudio, ac diligentia infulas, & purpuras, & omnes publicas functiones re-

 cuſarent,

veteri quidquam poterat commune, aot immundum cenſeri, ſed typo, ſeu ſignificatione, multa erant in lege Moſis, quibus tamquàm prophanis, atque immundis abſtinendum erat: hoc autem diſcrimen Chriſti beneficio ſublatum eſſe affirmat Apoſtolus: ſed addit. *niſi ei, qui exiſtimat quid commune eſſe, id commune eſt.* quo loco particula *niſi*, Græcè εἰ μὴ, idem valet, quod ſed, vt ſenſus ſit Chriſti beneficio ſublatum eſt ciborum diſcrimen, olim lege Moſis conſtitutum: atque idcirco nihil eſt commune, aut immundum. Sed ſi quis etiam falsò ſibi perſuadeat aliquid eſſe prophanum, & ab iis abſtinendum neceſſariò erit, quæ iudicat eſſe immunda, non quidem vi legis præcipientis, ſed ſua ipſius perurgente conſcientia: qua de re plura alibi. pergit autem Apoſtolus.

15. I. SI ENIM PROPTER CIBVM, &c. Hactenus rixas, & contentiones, & temeraria iudicia Apoſtolus reprehendit: iam ſcandala, atque offendicula damnat hac potiſſimum ratione, quòd Chriſtianam caritatem maximè violent, & pietati, & religioni in primis repugnent. Poſſunt autem plura recenſeri argumenta, quibus nititur Apoſtolus Romanos à ſcandalis reuocare. Primum autem ex eo ducitur, quod ſcandalum ſit maximè contra caritatem. Sic autem ait. *Si enim propter cibum frater tuus contriſtatur.* Græcè λυπεῖται, id eſt dolet, vel moleſtia afficitur, ſiue qoòd putet legẽ Dei violari, ſiue quòd exiſtimet negligi ſe, & pro nihilo haberi; *iam non ſecundum caritatem ambulas*: non enim (vt ait Hieronymus) *diligis proximum, ſicut te ipſum, ſi non illius vitam cogitas ſicut tuam.* Dicuntur enim hæc contra Gentiles, qui quibuſlibet liberè veſcebantur, & vt ſupra indicauit Apoſtolus, eos qui abſtinerent negligebant, & quodammodo nihili faciebant. Particula autem *enim* nõ cauſam continet, eſt enim Græcè δὲ, id eſt autem, vt ſenſus ſit. Si autem, vel ſi verò frater tuus contriſtatur. quomodo autem, & quatenus ſcandalum contra caritatem pugnet, conſule theologorum diſputationes. Mox verò ſecundum addit argumentum, quo crimen vehementer exaggerat, & amplificat. *Noli* (inquit) *cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt.* quaſi dicat. vide verò tu, qui liberè quibuſlibet oblatis veſceris (ſic enim cum Chryſoſtomo, & Theodoreto accipio, quidquid ſecus ſenſerit Ambroſius) Vide, inquã, quàm te graui ſcelere obſtringas, qui pro leuiſſimo cibo, quo facilè, nullóque tuo damno carere poſſes, eum perdas, pro cuius ſalute Chriſtus ipſe ſanguinem, vitámque profudit: vt vel hinc intelligas quanti proximorum ſalus facienda ſit, quæ Chriſti liberatoris indicio tanti fuit.

16. I. NON ERGO BLASPHEMETVR, &c. Tertium hoc eſt argumentum: idcirco enim aliena ſcandala vitanda ſunt, ne obtrectationibus Chriſtiana libertas, & pietatis laus temerè obiiciatur. nam qui adhuc in fidei dogmatibus non ſatis inſtructi ſunt; liberum vſum ciborum nequaquam probant, ſed vehementer potius accuſant, & damnant, neceſſe vt ſit hanc Chriſtianorum libertatem, atque à veteris legis ceremoniis immunitatem apud rudes, & imperitos malè audire. Porrò hanc libertatem *bonum noſtrum*, vel vt Græcè legitur *veſtrum*, hoc eſt Chriſtianæ religionis laudem, & gloriã appellat: ita enim Chryſoſtomus, & Theophylactus explicant. Origenes bonum nomen intelligit, alij fidem, vt Theodoretus, alij doctrinam, vt Ambroſius, alij ipſum ciborum vſum, qui per ſe bonus eſt, vt Anſelmus: alij denique ſpem futuri præmij, aut perfectam, & abſolutam pietatem. ego libertatem malui accipere ipſo Paulo auctore; qui perſimilem ſententiam alibi [a] ſcripſit. *vt quid enim iudicatur libertas mea ab aliena conſcientia? ſi enim ego cum gratia participo, quid blaſphemor pro eo, quod gratias ago?* Cur enim, inquit, patiar Chriſti beneficium probris, & maledictis proſcindi hoc ſolo nomine, quod liberè quibuſlibet eſculentis veſcor, etiamſi alioqui piè, ac religiosè, & cum gratiarum actione menſæ accumbam? quaſi dicat. id quidem excuſari nulla ratione poteſt, cùm ſit in primis bono Chriſtianæ religionis nomini, atque exiſtimationi conſulendum. Eſt igitur hoc argumentum à communi bono deſumptum, quod plurimi faciendum eſſe nemo non videt.

a 1 ad Cor. 10.29.

NON EST ENIM REGNVM DEI, &c. 17. I. Quartum eſt argumentum, quo probat Apoſtolus, ſcandalum eſſe vitandum: non enim tanti eſt liber ciborum vſus, vt in eo omnis Chriſtianæ religionis vis, ac veluti neruus collocandus videatur. Quamuis quam autem regnum Dei in ſacris litteris non vno ſemper modo accipitur; hoc tamen loco Auguſtino [a] auctore ſignificat id, quo ad regnum cæleſte perducimur, quóque Deus dicitur in nobis regnare. Neque verò, vt ait Hieronymus, per eſcam iuſtificamur, neque vt Baſilius docet, ſi ipſa per ſe ciborũ abſtinentia ſpectetur; quidquam confert ad ſalutem, cùm plerumque qui eſculentis liberè veſcuntur, pietate, ſanctitatéque pares ſint, aut etiam ſuperiores iis, qui abſtinent. Rectè namque dictum eſt ab Auguſtino [b] non vſum ciborum, ſed concupiſcentiam refrænandam eſſe: nec intereſt quid alimentorum, vel quantum pro congruentia hominum, & perſonæ valetudinis neceſſitate quis capiat, ſed quàm facilè, & læto animo careat his, quibus vel oportet, vel neceſſe eſt carere. Perinde igitur eſt, ac ſi Apoſtolus dicat quod alibi ſcripſit [c]. *Eſca nos non commendat Deo: neque enim ſi manducauerimus abundabimus, neque ſi non manducauerimus deficiemus.* Significat enim eſum ciborum, aut abſtinentiam, ſi per ſe ſpectentur, ad Dei gloriam promerendam, cùm ſint res per ſe, ſuáque natura indifferentes, nihil valere. Non me fugit abuti hæreticos ad oppugnanda eccleſiaſtica ieiunia hoc Apoſtoli teſtimonio: ſed quid ea de re ſentiendum ſit, fuſiùs alibi explico. Hîc tantùm moneo quæ per ſe indifferentia ſunt, legis auctoritate ad honeſtatem, vel etiam ad turpitudinem flecti poſſe. Ad hunc porrò locum his verbis Tertullianus [d] allusit. II. *Et ſi claues macelli tibi tradidit, permittens eſui omnia ad conſtituendum idolothytorum exceptionem; non tamen in macello regnum Dei incluſit, nec enim, inquit, eſus, aut potus eſt Dei regnum.* Clemens [e] autem Alexandrinus ex hoc loco colligit non omnem cibi abſtinentiam Deo probari, cùm nonnulli in honorem idolorum abſtineant, quorum exempla extant non pauca apud Apuleium [f]: quibus addi poſſunt illi, de quibus alio [g] loco Paulus. *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet.* Et de Athletarum abſtinentia nonnulla ſcribit Plato [h]. Addit in quo regnum Dei poſitum ſit. *Sed iuſtitia* (inquit) *& pax. & gaudium in Spiritu ſancto.* Hæc nimirum ſunt, quæ nos Deo conciliant: nam de iuſtitia quidem Chriſtus ipſe apud Matthæum dixit [i]: *Primùm quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius.* Quo loco non regni iuſtitiam, ſed ipſius Dei, hoc eſt quam ille præſcripſit iuſtitiam quærendam docet, niſi quis malit ἐξηγητικῶς ipſum regnum Dei iuſtitiam Dei appellari, vt ibi Chriſtus idem doceat, quod hoc loco Apoſtolus. Ita iuſtitiam non virtutẽ illam moralem intelligit, quæ ius ſuum cuique tribuit; ſed iuſtitiam Chriſtianam, vnde iuſti & ſancti dicuntur, quæ fide, ſpe & caritate maximè conſtat: pacem verò eam nominat, de qua Chriſtus apud Ioãnem [k]: *Pacem relinquo vobis, pacẽ meam do vobis.* de qua tamen tot ferè ſunt ſententiæ, quot III.

a 1. 2. Quæſt. Euang. cap. 11.
b li 2 Quæſt. Euang. cap. 12.
c 1 ad Cor. 8. 8.
d li de ieiun. aduerſ. Pſych. cap. 15.
e lib 1. Strom.
f in Aſino aureo.
g 1. ad Cor 9. 25.
h in Protag. & lib 8. de leg.
i cap. 6 31.
k cap. 14. 27

capita. Sunt enim qui pacem internam, id eſt animi tranquillitatem intelligant, qua fit vt animus nullis rebus aduerſis de ſuo ſtatu deiiciatur. Nec deſunt qui pacem cum Deo, & cum proximo conſenſionem accipiant: de qua poſteriori præcipuè loquuntur Cyprianus[a], Ambroſius[b], Auguſtinus[c]; de priori Theodorus Heracleotes[d], Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius præcipuè agi contendunt: Cyrillus & Leontius ipſum Spiritũ ſanctum ſignificari putant. Mitto mirabilem Gregorij ſententiam, qui duplicem pacem ſignificari à Chriſto autumat; alteram mundi breuem, fallacem, lubricam, quam Chriſtus ſe non dare, ſed relinquere Apoſtolis dicit, id eſt abiicere, ac prætetire; alteram ſpiritualem, diuinam, diuturnam, ſtabilem, quam ſe illis affirmat dare. Eorum porrò ſententiam haud ſatis probare poſſum, qui Hebraica phraſi nihil præter ſalutationem, rerúmque omnium proſperarum precationem indicari arbitrantur. aut ſi precationem, ſalutationémque quis eſſe contendat; illo profectò modo accipienda eſt, quo Paulus alicubi[e] dixit: *Pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras.* vt non ſolùm benè precetur, neque hanc ipſam pacem expetat modò, ſed etiam largiatur. quam ego quidem illam eſſe interpretor, quam alibi[f] Paulus inter Spiritus ſancti fructus recenſet, quæque oritur ex caritate. Eadémque ratione gaudium illud intelligo, quo Spiritus ſancti beneficio iuſtorum mentes perfunduntur, de quo alio loco Paulus[g]. *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete.* Propterea enim addit in præſentia. *Gaudium in Spiritu ſancto*, vt eorum cauſa gaudendum eſſe ſignificet, quæ à Spiritu ſancto proficiſcuntur, & ad illum quodammodo referuntur.

a lib. 2 cont. Iudæos, & li. de vnit. Eccl. b li. 2. de Iacob, & vita beata cap. 1. de Ioſeph Patr. c. 11. & Ser. 17 in Pſal. 118. c Serm. 57. de verb. Dom. & 168. & 169 de temp. d 3 p. paſſ. ca. 32. e ad Philipp. 4. 7. f ad Galat. 5. g ad Philipp. 4. 4.

18. I. Qvi enim in hoc servit Christo, &c. Aliqui interpretantur *in hoc*, hoc eſt in Spiritu ſancto more Hebræo, quaſi dicat per Spiritum ſanctum, qui non de cibis digladiatur, ſed ea potiſſimùm ſectatur, quæ ad iuſtitiam, pacem, & ſpiritale gaudium pertinent. at græcè legimus ἐν τούτοις, id eſt in his, vt ſignificet iuſtitiam, pacem, & gaudium, quomodo accipiunt Chryſoſtomus, & Theophylactus refragante Ambroſio, & inter Græcos Origene, qui vt modò dixi, referunt ad Spiritum ſanctum. Verùm vtro modo quis accipiat, perſpicua videtur Apoſtoli ſententia: ponit enim diſcrimen inter res indifferentes, quales ſunt eſca, & potus; & res, quæ per ſe ſunt ad ſalutem neceſſariæ, quales ſunt iuſtitia, & pax: ſunt enim poſteriores quidem ita cum regno Dei, hoc eſt iuſtorum gratia, & beatorum gloria per ſe connexæ, vt negligi, aut omitti abſque cæleſtis regni iactura non queant, contrà verò priores liberum poſſint (ſi per ſe ſpectentur) habere vſum: non enim vt ait Anſelmus, eſca, aut potus ad Dei regnum ſuapte natura referuntur. Quod idcirco dixerim, vt appareat hanc Pauli doctrinam minimè aduerſari legibus eccleſiaſticis de abſtinentia, & delectu ciborum, vel aliarum rerum indifferentium obſeruatione: quinetiam illud addiderim, vt egregiè obſeruauit D. Thomas, rerum indifferentium vſum etiam citra legem vltrò, ac ſponte ſuſceptum, ſi qua ratione ad animi bona aut acquirenda, aut conſeruanda referatur, non modò vtilem, atque laudabilem, ſed plerumque etiam neceſſarium videri, vt copioſiùs ſuo loco doceo. Itaque qui iuſtitiam, & pacem ſectatur, Chriſto ſeruit, Deo placet, atque hominibus probatur. Videntur autem hæc omnia ad eos pertinere, qui promiſcuum ciborum vſum adeo pertinaciter retinebant, vt nullam ſcandali, aut offenſionis aliorum rationem haberent, quod alio etiam loco docuit Apoſtolus cùm dixit[a]. *Eſca nos non commendat Deo.* quæ omnia ſiue de promiſcuo vſu ciborum, ſiue de ipſa per ſe abſtinentia accipiantur, tantùm ſignificant indifferentium rerum eam eſſe naturam, vt quia non ſemper cum laude, atque honeſtate coniunguntur, poſſint nonnunquam, atque etiam interdum debeant proximorum cauſa omitti, quod ſecus accidit in iis, quæ per ſe referuntur ad beatam vitam.

a 1. ad Cor. 8. 4.

19. I. Itaqve qvæ pacis svnt, &c. Egerat, vt diximus, Apoſtolus de diſcrimine inter res indifferentes, & eas, quæ per ſe, ac neceſſariò ad Dei regnum referuntur: inde colligit non adeo Chriſtianam libertatem retinendam eſſe, vt rudiores offendantur, ſed potius vrgenda, & premenda eſſe ea, quæ ad iuſtitiam, & pacem referũtur, & in rebus ipſis indifferentibus id potiſſimùm ſequendum, quod aliis prodeſſe poſſit: hoc namque eſt, quod ait Apoſtolus. *Et quæ ædificationis ſunt:* more enim ſuo ædificare vſurpat pro eo, quod Latini dicerent prodeſſe, aut bonum cuiuſpiam promouere. additur in pleriſque Latinis codicibus *cuſtodiamus*, quod verbum in Græcis, nec apud Chryſoſtomum, neque Theophylactum legitur, nec videtur ad explendam ſententiam neceſſarium: aptéque omnia, quæ hac oratione comprehenduntur, pendere poſſunt ex verbo ſectemur. ait autem: ſectemur ea, quæ pacis ſunt, itémque illa, quæ ſunt ædificationis inuicem, hoc eſt quibus vltrò, citróque ad virtutis ſtudium promouemur.

20. I. Noli propter escam, &c. Repetit quod paulò antè dixerat. *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt.* Hîc autem aliis verbis. *Noli propter eſcam deſtruere opus Dei.* Noli, inquit, committere, vt tuo promiſcuo ciborum vſu imbecilliorum animi aut in fide hæſitent, aut ad iram prouocentur, aut alia quapiam ratione contra Chriſtianam caritatem, & religionem peccent. Ità deſtruere opus Dei eſt proximum ab inſtituto virtutis curſu reuocare, aut retardare: indicat enim proximorum ſalutem, atque vtilitatem eſſe opus Dei; ſic enim alibi ſcripſit[b]. *Dei agricultura, Dei ædificatio eſtis.* Rurſus[c]: *In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu ſancto: non enim propter eſcam Eccleſia eſt, ſed eſca propter Eccleſiam.* Ne quis autẽ obtendat quemlibet cibum ſuapte natura bonum eſſe, quod ſuperiùs dixerat, nihil eſſe Chriſti beneficio commune, iterat nunc, aliis tamen verbis. *Omnia quidem* (inquit) *ſunt munda.* quaſi dicat, non perinde hæc diſputo, ac ſi mecum ipſe pugnem, & qui paulò antè docuerim nihil eſſe apud Chriſtianos commune, aut immundum; nunc mei veluti oblitus Iudaicum ciborum delectum probem: affirmo enim, atque cõtendo omnia eſſe per ſe quidem munda, ſed eos tamen reprehendo, & damno, qui ſua libertate, & promiſcuo ciborum vſu ad aliorum perniciem, atque interitum vtuntur. Nec enim ij liberi, aut immunes ſunt à noxa, qui per offendiculum, id eſt cum proximorum ſcandalo quibuſlibet veſcuntur. Ita apparet veram, & apoſtolicam ſententiam regia, quod aiunt, & militari via incedere, neque vllo modo ad hæreticorum, aut Iudæorum diuerticula deflectere: nam contra Iudæos, & veteres hæreticos docet Apoſtolus omnia eſſe ſuapte natura bona, nihilque cenſendum aut per ſe, aut Chriſtianæ legis præſcripto commune, vel immundum. Et rurſus aduerſus huius noſtri ſæculi nouatores nimiam gulæ licentiam, ne dicam libertatẽ, coërcet: adeo enim aliorum ſaluti ſtudendum eſſe docet, vt eam vnam ob cauſam à nonnullis abſtinendum eſſe affirmet: malum quippe, hoc eſt peccatum eſſe ait, ſi quis enim aliorum ſcandalo veſcatur, & ob eam ipſam cauſam ſubiicit.

b 1. ad Cor. 3. 9. c ad Epheſ. 2. 20.

21. I. Bonvm ets non mandvcare car

CARNEM, &c. De ipſo ciborum genere vniuerſim loquitur, vt faciliùs idem de ſingulis formis acciperetur. gratum, inquit, Deo eſt, ſi quis non modò ſuilla, aut alio quouis carnis genere lege Moſis interdicto, ſed omnino carne abſtineat, ſi illius eſu proximus aliqua ratione impingat: quod ipſum de vini potu ſentiendum eſt. vno verbo honeſtum, ac laudabile eſt iis omnibus tum eſculentis, tum poculentis carere, quæ in alterius detrimentum vergere aliqua ratione poſſunt. Vtitur autem Apoſtolus triplici verbo, offenditur, ſcandalizatur, infirmatur, græcè προσκόπτει, ἢ σκανδαλίζεται, ἢ ἀσθενεῖ. Quod autem ait Apoſtolus προσκόπτει, latinè dicere poſſumus impingit, ſiue, vt legit Ambroſius offendit: quod tum fieri nonnulli exiſtimant, cùm malè quis de eo, qui liberè quibuſlibet veſcitur, tacitè ſuſpicatur, aut iudicat, & ſecum ipſe illum damnat. quod verò ſubdit σκανδαλίζεται, quamquã Chryſoſtomus, & Theophylactus penè idem eſſe putant, quod προσκόπτει, tamen ſcandalizari videtur is, qui cùm impegerit in malum aliquod exemplum, illo veluti impulſu ad lapſum propendet, aut certè viribus deſtituitur, & inualidus redditur, aut etiam in eiuſdem ſceleris ſocietatem pertrahitur. Denique quod addit ἀσθενεῖ, ſignificat eum qui in dubitationem aliquam adductus, incipit nutare, vt leui momento impelli poſſit ad malum. Quocumque igitur modo proximorum animi lædantur, boonm eſt cibo abſtinere. Quo loco obſeruauit Origenes, tametſi Apoſtolus abſtinentiam ſolùm ad vitandum ſcandalum commendat: eandem tamen eſſe rationem de ciborum vſu: etenim accidere interdum poteſt, vt alicuius abſtinentia offendiculum, ſeu ſcandalum proximis obiiciat, perinde quaſi Iudaicam ſuperſtitionem, aut hæreticorum impietatem probare videatur: qua ratione olim eccleſiaſtico canone ſacris interdictum eſt iis, qui hæreticorum more die dominico ieiunarent.

II.
I. TV FIDEM HABES? &c. Tacitæ dubitationi reſponderat cùm dixit, omnia quidem eſſe munda, ne quis eum ſuſpicaretur Iudæorum ſuperſtitioni adhærere, ſed in eo vitium eſſe dixerat, quod cibus alioqui per ſe mundus, cum aliorum offendiculo vſurparetur, meritóque addiderat carnibus, vinóque abſtinendum, ne cuiquam vel damnum inferatur, vel periculum creetur; iam tacitæ alteri dubitationi occurrit; ne quis enim obiiciat errores minimè fouendos videri, ſed potius veritatem vbique prædicandam, aptè Paulus: *Tu*, inquit, *fidem habes?* hoc eſt probè in fide inſtitutus planè intelligis fas eſſe quibuſlibet liberè veſci? Hanc ſanè fidei ſcientiam habeto tibi, & vnius Dei cuncta cernentis teſtimonio acquieſce. Omnino autem viuidior ſermo erit, ablato relatiuo, quod & Græci codices, & emendatiores Latini omittunt. Nec dubito duriorem eſſe eorum diſtinctionem, qui verba illa apud temetipſum (quod video placuiſſe Anſelmo) ad ſuperiora referunt, vt dicat Apoſtolus, *Tu fidem habes apud temetipſum?* meliùs omnino Chryſoſtomus, Theophylactus, Ambroſius, cæteríque fermè omnes, qui cum ſequentibus coniungunt, penès te ipſum habe coram Deo. Placet autem quidquid aliqui ſecus ſentiant, illis verbis *Tu fidem habes?* addere interrogationis notam, quam Græci codices cum Chryſoſtomo, & aliis, itémque emendatiores Latini omnino habent, vt ſit ſenſus: An te fidem habere gloriaris? eam-ne mihi ſcientiam obiicias? habeto ſanè illam tibi, neque illam hominibus temerè vendita, ſed vni tantùm Deo proba. Quamquam autem Chryſoſtomus ad comprimendam inanem gloriam hæc putat pertinere; veriſimilius tamen eſt eodem ſpectare, quò ſuperiora, ne quis videlicet hac ſua ſcientia,

A eum aliorum detrimento abutatur: atque ita his verbis concludit. *Beatus qui non iudicat ſemetipſum in eo, quod probat.* quæ ſententia incredibilem penè habet non in ſenſu modò, ſed etiam in verbis varietatem. nam quod attinet quidem ad verba, Auguſtinus [a] affirmatiuè legiſſe videtur. *Beatus qui iudicat ſemetipſum in quo probat.* ſed mendum eſſe librariorum emendatiores codices nuper editi, ipſaque Auguſtini interpretatio declarant. Athanaſius autem, *Beatus*, inquit [b], *qui nil iudicat in eo, quod probat.* Cyprianus [c]: *Beatus qui non iudicat ſeipſum in eo, quod probat alium.* Chryſoſtomus denique, Theodoretus, Ambroſius, cæterique omnes, interpretis noſtri lectionem ſequuntur, ſed de ſenſu mira diſſenſio. II.

a de quibuſ propo. huius epiſt.

b quæſtio. ad Antio. q 127.

c lib de ſing. cleric. ſi tamen is eſt auctor.

B Origenes ſic accipit: Beatus qui cùm ſemel probauerit, nullum eſſe cibum communem, ſtabilis in eo perſeuerat, nec rurſus dubitationibus implicatur, nec ſe iudicat aut condemnat, & qui ſemel probauit vitam integram, & caſtam; non ſe rurſum quodammodo damnans libidinibus inquinat. Athanaſius [d]: *Quando*, ait, *per diſpenſationem feceris aliquid, quod ad ſalutem fratris tui ſpectat; etiamſi id omnes inſenſant; tua verò conſcientia te non condemnat, beatus es.* At Chryſoſtomus, qui ſuperiora verba contra inanem gloriam dicta eſſe exiſtimauit, hæc proximè ſequentia hunc in modum explicat. *Beatus*, inquit, *qui a propria conſcientia non accuſatur: quid enim prodeſt ſi omnes te laudent exterius, tua verò te conſcientia reprehendat, & damnet?* Theodoretus hunc in modum intelligit: *Beatus qui non diſcernit cibum, quem approbat*

d loco citato.

C *ad edendum, ſed nihil putat eſſe commune, aut inquinatum, nullúmque agnoſcit ciborum diſcrimen.* Atque hæc quidem Græci, quorum explanationes, vt per ſe verbis aptari poſſe non nego, ita huic loco præcedentium, & ſubſequentium habita ratione minùs aptè congruere videntur: itaque Cyptianus: *Beatus*, inquit, *qui quod laudat in alio, non arguit in ſe.* paulò aliter Ambroſius: *Beatus qui quod facit, non iudicat apud ſe non eſſe faciendum: qui enim aliter ſentit faciendum, quàm facit, damnabilis eſt.* Denique Auguſtinus, & Anſelmus ſic accipiunt: Beatus qui in fide, quam approbat, hoc eſt qua credit promiſcuè quibuſlibet veſcendum eſſe non iudicat ſe, hoc eſt non ſe damnabilem facit, eò quòd ſua illa fide vtatur cum proximorum ſcandalo. Hæc veteres Patres. Recentio- III.

D res quidam, qui ſuperiora ad perfectos pertinere exiſtimant, hanc ſententiam ad imperitos, & minùs perfectos referunt, illúmque beatum prædicari affirmant, qui peccata, & tranquilla conſcientia quidpiam aggreditur, modò rectam fidem, & legem ſequatur: vt videatur Apoſtolus tacitè Iudæos perſtringere, qui quamquam falſò exiſtimabant legis ceremonias retinendas; neceſſe tamen erat eos vehementer angi, & animo commoueri, quòd plurimos animaduerterent aliter ſentire. Multò aliter accipiunt ij, qui beatum illum prædicari affirmant, qui non ſuo priuato conſilio, ſed aliorum iudicio, atque ſententia aliquid eligit, vel reiicit. ſed quòd iſti de imperitis, atque imperfectis hæc accipienda putant, audiendi noo ſunt: tametſi enim Paulus vtroſque

E inſtituit, hæc tamen tam longa, támque ſubtilis diſputatio potius ad perfectos, quàm imperfectos pertinet. Dixi quid alij ſentiant, & poſſem cuilibet integrum permittere de re tota iudicium, cùm præſertim laudabilius plerumque ſit cum viris grauiſſimis quidpiam ignorare, quàm temerè in rebus difficillimis proferre ſententiam; experiar tamen vtrum aliquid dicere poſſim magis ad mentem Pauli. Igitur vt antea monui, quidquid ſecus exiſtimet Chryſoſtomus, Gentiles & eos, qui fidei dogmata habebant perſpecta, & cognita, his verbis caſtigat,

docétque beatum eſſe illnm, qui non ſibi blanditur, A aut plus æquo placet, ſe denique virum iuſtum, aut ſanctum exiſtimat, quod certa ratione ductus boni aliquid aggrediatur, & perficiat: vt iudicare ſe ipſum idem ſit, quod ſtatuere, ac definire ſe rectè facere, & ob eam cauſam tacitè gloriari, atque extolli. ita alio loco de ſe ipſo locutus[a] eſt Paulus: *Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die, ſed neque me ipſum iudico: nihil enim mihi conſcius ſum. ſed non in hoc iuſtificatus ſum. qui autem iudicat me, Dominus eſt.* ita ſe ipſum iudicare idem valet, quod de ſe ipſo ſententiam ferre, & quia præclara conſcientia ſuſtentetur ſe iuſtum prædicare. Atque hac quidem ratione non niſi ad perfectos, & diuinarum rerum ſcientia informatos pertinere poteſt. Quòd ſi quis tamen contendat hæc ad Iudæos, & minùs in B fide eruditos referenda eſſe, is dicetur iudicare ſe ipſum, hoc eſt damnare ſe ipſum, qui aliquid agit, de quo tamen ambigit verum liceat, an ſecus. multò verò magis qui reclamante, atque renitente conſcientia aliquid aggreditur, contra verò non ſe iudicat, aut damnat in eo quod probat: qui ita aliquid boni aggreditur, vt certò priùs ſibi perſuaſerit ſe nihil agere contra Dei legem, aut proximorum ſalutem, atque ita præclara conſcientia ſuſtentatur.

a 1 ad Cor. 4.3

23. I. Qvi avtem discernit, &c. Qui ſuperiorem ſententiam ad Iudæos, atque infirmos referant, hanc alij ex aduerſo opponunt, vt ſit ſenſus. Ille beatus eſt, qui nihil dubia conſcientia aggreditur, at contra qui hæſitat, atque hæret, qui huc, illuc ancipiti cogitatione diſtrahitur, qui denique quod C non ſatis habet perſpectum, & cognitum, aggreditur, & perficit, is proculdubio damnatus eſt. etenim grauiter peccat, & magno ſeſe piaculo obſtringit. Qui verò ſuperiorem ſententiam de firmis, ac peritis accipiunt, hanc ad rudes, & imperitos pertinere non dubitant; illi enim ſunt qui nutant. hoc autem eſt, quod Græcè ait Apoſtolus, διακρινόμενος, quaſi dicat; qui ita diſcernit, atque diiudicat, vt anceps ſit, & ambigat: quomodo vocem illam explicant Chryſoſtomus, & Theophylactus, non diſſentiente Ambroſio. *Qui ambigit* (ait Theophylactus) *nec confidenter edit, condemnatus eſt. quam ob rem? non quia immundus erat cibus, ſed quia non credidit mundum eſſe, atque attigit eſcam ceu immundam.* Et in eandem propè ſententiam Ambroſius: *non vtique ex fide edit, qui edendum negat, & edit.* Quod autem ait Apoſtolus, *quia non ex fide*, non de fide theologica accipiendum eſt; ſed vt Chryſoſtomus, & Theophylactus intelligunt, de ea certitudine aut ſcientia, qua ſibi quiſque certò perſuadet honeſtum aliquid eſſe, vel turpe, qua etiam ratione accipitur fidei nomen paulò antè cùm dixit: *Tu fidem habes? penes te ipſum habe coram Deo.* Omnino autem quam hîc vocat fidem, in Epiſtola ad Corinthios[a] ſcientiam nominat. *De eſcis autem* (inquit) *quæ idolis immolantur, ſcimus quia nihil eſt idolum in mundo, & quod nullus eſt Deus niſi vnus.* Dicit autem eum peccare, qui cum hæſitatione B veſcitur iis, de quibus dubitat, liceát ne veſci, quia non ex fide, hoc eſt non ex certa perſuaſione, ſed ex dubia, & nutante conſcientia: atque idcirco rectè ſubdit: *Omne, quod non eſt ex fide peccatum eſt.* Quæ II. ſententia magnam otioſis hominibus diſputandi materiam præbuit. Prætermiſſa autem Auguſtini[b] explicatione, de qua plura ſuo loco dicenda erunt, quæ multas, & vtcumque probabiles peperit explanationes, vt apparet ex Origene[c], Proſpero[d], & Anſelmo, & alijs: ego Chryſoſtomo, Theodoreto, Theophylacto, Oecumenio, atque Ambroſio libens aſſentior, qui fidei nomine, vt modò indicaui, certam, ac minimè dubiam animi perſuaſionem intelligunt, cui nefas ſit repugnare, quam alij ſimpliciter conſcientiam, ſeu potiùs conſcientiæ præſcriptum C nominant: nam quidquid aliter fit, quàm ſua cuique conſcientia faciendum præcipiat, peccatũ eſt. Quantam autem vim habeat hoc Pauli teſtimonium ad vitam, & actiones infidelium prorſus damnandas; ſuo loco videro. Hîc ad extremum moneo Græca ſcholia, itémque Chryſoſtomum, & Theodoretũ, & alios addere hoc loco nonnulla, quæ in calce huius Epiſtolæ apud Latinos legũtur. & profectò hoc quidem loco prorſus extra rem videntur aſſuta; initium enim capitis ſequẽtis cum his verbis aptè cohærent: ſi verba illa interſeras, prorſus erunt aliena, & diſſentanea. at ſi in fine legantur, vt habent Latini codices, pro huius Epiſtolæ coronide erunt.

a 1 Cor. 8.
b lib. 4. cont. Iulian. c. 3. & 4.
c Tom. hoc in loco, tom. lib. 1. in Iob. d lib. 1. de voc. Gent. c. 3. lib. 3. de vita contempl. c. 1 & lib. ſent. num. 106.

Argumentum Cap. XV.

IN eodem perſtat argumento, præcipuè verò peritiores alloquitur, & ſalua iuſtitia proximo quoad eius fieri poſſit obſecũdandum docet propoſito Chriſti exemplo, quem circumciſionis miniſtrum appellat, quamuis illum gentes alacriùs complexæ ſint. denique Romanis ſuum pollicetur aduentum, cùm Ieroſolyma rediens proficiſcetur in Hiſpaniam.

CAPVT XV.

DEBEMVS *autem nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere.*

Vnuſquiſque veſtrum proximo ſuo placeat in bonum ad ædificationem.

Etenim Chriſtus non ſibi placuit, ſed ſicut ſcriptum eſt. Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me.

Quæcum

PARAPHRASIS.

1. DEBEMVS autem nos qui cæteris peritiores, maioríque ſcientia, & fidei cognitione præditi ſumus, rudiorum & minùs inſtructorũ imbecillitates æquo animo ferre, ac nullo modo nobis ipſis indulgere, aut noſtra commoda ſectari, aut denique animo noſtro morem gerere. ¶ Itaque vnuſquiſque noſtrum proximo indulgeat potius, eíque morem 2. gerat, & hactenus obſecundet, vt aliquam ei ſpiritalem afferat vtilitatem. ¶ Neque enim Chriſtus, 3. quem vobis ad imitandum tamquam præſtantiſſimum exemplar propoſitum eſſe oportet, ſibi ipſe indulſit, aut ſuis commodis conſuluit; ſed illud potius

potius re ipſa præſtitit , quod antiquis oraculis
ſcriptum eſt. Conuicia eorum,qui conuitiantur
4. tibi,inciderunt in me. ¶ Etenim quæ tantò antea
in veteri inſtrumento litterarum monumentis cõ-
ſignata ſunt,ad vitæ noſtræ eruditionem,morúm-
que inſtitutionem referuntur vniuerſa , vt per pa-
tientiam,eorúmque commemorationem , quæ ſa-
cræ litteræ magna cum animi voluptate nobis ob
oculos ponunt,dum eorum afferunt exempla, qui
res aduerſas forti conſtantíque animo pertule-
runt; per ipſum deniqueſolatium, atque oblecta-
tionem , qoam ex ſcripturarum lectione maxi-
mam haurire,& percipere poſſumus;ſpem firmam
concipiamus , æternæ aliquando vitæ conſequen-
5. dæ. ¶ Deus autem, qui patientiæ,& conſolationis
eſt auctor,ipſe ſua qua nihil non poteſt , vi , pote-
ſtatéque faciat , vt eodem animo inter vos mutuò
affecti ſitis,vtque ſedatis , ac penitus ſublatis con-
tentionibus idem in Chriſto Ieſu & ſentiatis , &
6. appetatis. ¶ Vt in idem ,quodam modo conſpi-
rantes vno veluti ore Dei immortalis, ac Domini
noſtri Ieſu Chriſti parentis ſempiternam gloriam
7. prædicetis. ¶ Propterea aſſumite, atque adiungi-
te vobis alij alios,& ope,cõſilióque fouete. quem-
admodum & Chriſtus non dedignatus eſt nos ſi-
bi aſciſcere , quos gloriæ Dei , atque illius beatæ
8. vitæ faceret eſſe participes. ¶ Hæc enim diſputa-
tionis noſtræ clauſula ſit, Chriſtũ Ieſum, vt Deum
veracem eſſe oſtenderet , & patribus olim ſæpius
iteratas pollicitationes confirmaret , ex Hebræo-
rum gente humana natura ſuſcepta , publica fun-
ctione in populo Iſraelitico,circumciſóque, vſum
9. aliquando fuiſſe. ¶ Sed ita tamen,vt illius benefi-
cio,eiúſque muneris fructu Gentiles nequaquam
excluderẽtur, ſed potiùs ipſi etiam pro ea miſeri-
cordia, qua ſibi Euangelium promulgatum eſt,
Deo gratias agant immortales , eiúſque laudes
perpetuò celebrent , vt diuinis oraculis proditum
eſt. Confitebor tibi inter gentes , & nomini tuo
10. pſallam. ¶ Et rurſum alio loco : Gaudete gentes
11. cum populo eius. ¶ Alibi quoque : Laudate Do-
minum omnes gentes , & collaudate eum omnes
12. populi. ¶ Itémque Iſaias : Erit radix Ieſſe,inquit,
& qui exurgat ad imperandum gentibus. in ipſo
cunctæ nationes ſpes omnes ſuas collocabunt.
13. ¶ Faxit verò Deus , in quo ſpes noſtræ ſitæ , fixæ-
que ſunt , quíque vnus hanc ſpei noſtræ certitu-
dinem , & firmitatem cordibus noſtris infudit , vt
omni gaudio, & ſpe Spiritus ſancti vi,& beneficio
14. abundetis. ¶ Perſuaſum autem habeo & hoc de
vobis,fratres mei , videor mihi liberè poſſe polli-
ceri, ipſos per vos omni probitatis genere eſſe or-
natos,atque omni prorſus cognitione imbutos,ita
vt abſque mea opera poſſitis vos mutuò monere.
15. ¶ Audaciùs verò ſcripſi vobis , fratres mihi cariſ-
ſimi,aliqua fortaſſe ex parte , veluti commonefa-
ciens vos propter eam gratiam , quæ mihi à Deo
bonorum omnium largitore diuinitus conceſſa
16. eſt.¶ Idque in eum finem , vt ſim publicus mini-
ſter, ac veluti Sacerdos Ieſu Chriſti apud Gentes,
operans

Quæcumque enim ſcripta ſunt ,ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam, & conſolationem ſcripturarũ ſpem habeamus.

Deus autem patientiæ , & ſolatij det vobis idipſum ſapere in alterutrum ſecundùm Ieſum Chriſtum.

Vt vnanimes vno ore honorificetis Deum , & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Propter quod ſuſcipite inuicem , ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos in honorem Dei.

Dico enim Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei ad confirmandas promiſſiones Patrum.

Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum, ſicut ſcriptum eſt. Propterea confitebor tibi in gentibus Domine , & nomini tuo cantabo.

Et iterũ dicit: Lætamini gentes cum plebe eius.
Et iterum. Laudate omnes gentes Dominum, & magnificate eum omnes populi.
Et rurſus Iſaias. Erit radix Ieſſe, & qui exurget regere gentes, in eum gentes ſperabunt.

Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio , & pace in credendo , vt abundetis in ſpe , & virtute Spiritus ſancti.

Certus ſum autem fratres mei & ego ipſe de vobis, quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione, repleti omni ſcientia, ita vt poſſitis alterutrum monere.

Audaciùs autem ſcripſi vobis, fratres, ex parte tanquam in memoriam vos reducens propter gratiam quæ data eſt mihi à Deo.

Vt ſim miniſter Chriſti Ieſu in gentibus ſanctificans euangelium Dei , vt fiat oblatio
gen

gentium accepta,& ſanctificata in Spiritu ſancto.

Habeo igitur gloriam in Chriſto Ieſu ad Deum.

Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus in obedientiam gentium verbo, & factis.

In virtute ſignorum,& prodigiorum, in virtute ſpiritus ſancti:ita vt ab Ieruſalem per circuitum vſque ad Illyricum repleuerim Euangelium Chriſti.

Sic autem prædicaui Euangelium hoc non vbi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem.

Sed ſicut ſcriptum eſt. quibus non eſt annuntiatum de eo,videbunt; & qui non audierunt intelligent.

Propter quod & impediebar plurimum venire ad vos, & prohibitus ſum vſque adhuc.

Nunc verò vlteriùs locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis iam præcedentibus annis.

Cùm in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero quòd præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, ſi vobis primùm ex parte fruitus fuero.

Nunc igitur proficiſcar in Ieruſalem miniſtrare ſanctis.

Probauerunt enim Macedonia,& Achaia collationem aliquam facere in pauperes ſanctorum,qui ſunt in Ieruſalem.

Placuit enim eis,& debitores ſunt eorum.nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt Gentiles, debent & in carnalibus miniſtrare illis.

Hoc igitur cùm conſummauero,& aſſignauero eis fructum hunc; per vos proficiſcar in Hiſpaniam.

Scio autem quoniam veniens ad vos in abundantia benedictionis Euangelij Chriſti veniam.

Obſecro ergo vos fratres per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per charitatem ſancti

operans euangelio Dei, vt oblatio gentium grata
fiat Deo, & Spiritus ſancti munere miram quandam concipiat ſanctitatem. ¶ Habeo igitur vnde 17.
per Chriſtum Ieſum gloriari queam, non quidem
in rebus caducis,atque mortalibus;ſed in iis, quæ
ad Deum pertinent. ¶ Non enim fas mihi eſt,aut 18.
vlla prorſus ratione auſim quidquam loqui, quod
non effecerit Chriſtus per me;qui mihi omnibus in
rebus, omnibúſque modis ita ſemper affuit, vt
etiamſi maximè velim, tamen dicere planè non
queam, quid ille mea opera non peregerit, vt gentes Euangelij lucem aſpicerent, quibus quidem ad
obedientiam adducendis vſus ſum diuina ſpiritus
facultate tum verbis,tum etiam factis. ¶ Et quod 19.
caput eſt magnitudine, & efficacitate ſignorum,
diuinorúmque prodigiorum, adeo vt ab Ieruſalem, & circumiacentibus regionibus vſque ad Illyricum, munus prædicãdi Euangelij Chriſti obierim. ¶ Ita porrò ambiens hoc Euangelicæ prædi- 20.
cationis munere defungi, vt non alibi verba facerem, quàm vbi Chriſtus nominatus non eſſet, ne
ſuper alienum fundamentum ædificarem. ¶ Sed 21.
potiùs mea opera perfectum eſt id,quod olim prophetarum vaticiniis proditum fuerat. quibus non
eſt annuntiatum de eo,illi videbunt,& qui non audierunt intelligent. ¶ Quapropter hac ipſa de 22.
cauſa, plurimis occupationibus præpeditus, cùm
ſæpè ad vos venire cogitarem; nunquam tamen
re ipſa quod maximè optabam, perficere potui.
¶ Nunc autem cùm peragrata Achaia, & Mace- 23.
donia, nullum ampliùs habeam locum in his regionibus vacuum,in quo non iecerim Euangelicæ
prædicationis fundamenta, à multis autem annis
deſiderio tenear veniendi ad vos. ¶ Quando- 24.
cumque in Hiſpaniam proficiſcar; dabo operam,
vt ex itinere vos viſam; ſperóque fore, vt iſthac
præteriens veſtro conſpectu fruar, & per vos in
Hiſpaniam deducar;ſi priùs tamen veſtra conſuetudine, colloquióque ex parte fuero recreatus, &
quodammodo expletus. ¶ Interim tamen non- 25.
nihil adhuc ſupereſt perficiendum: neceſſe eſt
enim me Ieroſolymam proficiſci, hoc ſanctis impendens officij, vt pecuniam in ipſorum vſus collectam, ad eos perferam. ¶ Placuit enim Mace- 26.
doniæ, & Achaiæ nonnihil in ſubſidium ſanctorum,qui Ieroſolymis egeſtate premuntur benignè
conferre. ¶ Placuit (inquam)eis; quinetiam ſe id 27.
illis debere intelligunt, quoniam ſi gentes ſpiritualium bonorum ipſorum,participes effectę ſunt;
profectò & ipſæ debent in iis,quæ ad corpus tuendum,fouendúmque ſpectant, illis opem ferre, eorúmque inopiam, & egeſtatem ſubleuare. ¶ Hoc 28.
igitur munere vbi perfunctus ero, eíſque obſignatum reddidero, quidquid illud fuerit ſubſidij, atque emolumenti, iſtàc in Hiſpaniam proficiſcar.
¶ Scio verò mecum ad vos aduentum futurum 29.
maximè frugiferum: ſpero namque fore tunc,vt
Deus vobis cumulatiſſimè impertiat myſteriorum
euangelicorum cognitionem. ¶ Precor autem 30.
vos fratres, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum,

ſtum,& per caritatem ſpiritus , vt mecum quo-
dammodo certetis , veſtris pro me apud Deum
precibus in eo,quod mihi imminere ſentio grauiſ-
ſimo certamine.¶ Vt liber euadam ab iis , qui re-
31. belles ſunt in Iudæa ,vtque miniſterium hoc meũ,
erga vrbem Ieruſalem gratum , & iucundum ſit
ſanctis. ¶ Vt eũ gaudio diuino annuente numine
32. veniam ad vos,vnáque ſimul recreemur. ¶ Deus
33. autem pacis amator,atque auctor,vos omnes per-
petuò tueatur,ac ſeruet. Amen.

ſancti Spiritus , vt adiuuetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum.

Vt liberer ab infidelibus,qui ſunt in Iudæa,& obſequij mei oblatio accepta fiat in Ieruſalem ſanctis.

Vt veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei,& refrigerer vobiſcum.

Deus autem pacis ſit cum omnibus vobis. Amen.

IN CAPVT DECIMVM QVINTVM EXPLANATIO.

1. I. DEBEMVS AVTEM NOS FIRMIORES, &c. Miro quodam artificio Romanos ad meliora ſtudia promouet:nam cùm paulò antea docuiſſet, tenuiorum ſcandala vitanda eſſe , iam vlteriùs aliquanto progreſſus eorum imbecillitates conſilio, atque opera quoad eius fieri poſſit ſubleuandas monet. Quod autem ait noſter interpres *Nos firmiores*, græcè legitur οἱ δυνατοὶ;ideſt nos , qui potentes ſumus , aut qui validiſſimus. ſunt qui poteſtates eccleſiæ interpretentur , quales ſunt Epiſcopi, aut Presbyteri:ſi ſententiam ſpectes,omnino verè;eorum namque publici muneris ratio poſtulat , vt aliorum imbecillitates ſuſtineant : ſin autem de Pauli mente agatur , crediderim eum vniuerſim loqui , & firmiores infirmis oppoſuiſſe : apparet enim in Græcis verbis non inelegás ſchema;οἱ δυνατοὶ τὰ ἀσθενήματα τῶν ἀδυνάτων.nã B quod ſpectat ad vim Græcæ vocis βαστάζειν , ſumpta metaphora eſt à baiulis,qui oneribus ferendis deſtinãtur; vt non immeritò Baſilius[a] hinc colligat eum, qui operam dat , vt alius reſipiſcat , non leue pondus ſubire. *Grauis*, inquit ,*res eſt peccatum.& ſuo pondere animam ad inferni profundum detrahit. Hoc autem inter nos viciſſim alij ab alus tollimus,atque amputamus, quotieſcumque operam damus,vt reſipiſcant qui peccant;* Putat enim portare , vel ſuſtinere idem eſſe, quod curare:idque Iſaiæ[b] teſtimonio probat,qui de Chriſto ſcripſit : *Languores noſtros ipſe tulit , & dolores noſtros ipſe portauit. non quòd in ſe*,inquit,*hæc ille ſuſceperit,ſed quòd eos in quibus hæc erant curauerit;etiam hoc in loco pœnitentiæ modus & ratio conueniet , per quam rationem qui infirmiores ſunt à valentioribus adhibita diligentia curabuntur*.Omnino verè,& ſapienter;ſpe- C ctaſſe enim videtur non tam actionem geruli, quam propriè ſignificat βαστάζειν , quàm actionis finem: dum enim tollit onera,&perfert,remouet,& aufert à loco ad locum : ita qui ſua opera facit,vt alter reſipiſcat , ab eo quodam modo peccatum remouet , & aufert.Verùm Apoſtolus ipſam videtur geruli actionem reſpexiſſe , dum infirmorum imbecillitates ferendas monet. quamuis enim (inquit) id graue , ac moleſtum ſit; caritatis tamen ratio à nobis exigit, vt rudiorum , & infirmiorum imbecillitates perferamus.

II. Nec planè alienum videri debet,ſi aliam verbi βαστάζειν ſignificationem ſequamur , quam indicat D Suidas,vt idem ſit,quod explorare , & appoſita manu rei cuiuſpiam pondus exquirere. pertinet enim ad eos , qui ſunt peritiores tentare , atque experiri num poſſint imperitorum inſcitiam erudire. atque A ita in præſentia docet Paulus peritioribus periculum faciendum eſſe vtrum rudes & imperitos inſtituere, atque informare queant, adeóque ab illis errores, aut inanes dubitationes amouere. Porrò cùm dixit Paulus: *Debemus autem nos firmiores*, ſe ipſum peritioribus, atque eruditioribus adnumerat : non aliam ob cauſam , vt obſeruauit Chryſoſtomus,niſi vt hac ratione,ſua auctoritate doceat,ritus Iudaicos eſſe negligendos.Quod verò ſequitur:*Et non nobis placere*, perinde accipio,ac ſi dicat nec noſtra commoda,aut vtilitates perquirere,quod ij maximè faciunt,qui ſua ſcientia contenti ſua tantùm curant,nullámque alienæ vtilitatis rationem habent ; quin potiùs alios vſque adeo negligunt , vt etiam cum eorum ſcandalo, aut damno, ſuis priuatis vtilitatibus ſeruiant.

VNVSQVISQVE VESTRVM PROXIMO, 2.
&c. Duo ſunt veræ iuſtitiæ præcepta ; recedere I.
à malo,& bonum, atque honeſtum complecti. de priori plura capite ſuperiori tradiderat Paulus : docuit enim dirimendas contentiones , amouenda iudicia , vitanda ſcandala. iam de altero incipit diſputare. *Vnuſquiſque* (inquit) *veſtrum proximo ſuo placeat*, hoc eſt obſecundet , & morem gerat,ſeque ei quantum poteſt accommodet. variant autem hoc loco Græci , Latiníque codices : ſunt enim qui habent coniunctionem γὰρ , alij δὲ : Latini habent veſtrum , Græci ἡμῶν,id eſt noſtrum : illi rurſus proximo addunt pronomen ſuo , quo Græci carent: quos ſecutus Ambroſius ſimpliciter legit, *Vnuſquiſque proximo placeat*. Ego non magnopere laborarim, vtrum γὰρ,an verò δὲ legendum ſit ; poteſt enim & reddi ratio , cur nemo ſibi placere debeat , hoc C eſt omnia ad ſua commoda referre, quia placendum eſt proximo , eiúſque commodis ſtudendum. Poteſt item hæc ſententia poſtremis ſuperioris ſententiæ verbis ex aduerſo reſpondere , quaſi dicat,nemo ſibi placere debet , ſed id potiùs curandum eſt , vt quilibet noſtrum proximo ſuo placeat. Addit autem *in bonum ad ædificationem*;nam alioqui ſimpliciter placere hominibus nemo debet , cùm ſcriptum[a] ſit; *Qui hominibus placent,confuſi ſunt,quoniam Deus ſpreuit eos*. Placere autem oportet in bonum ad ædificationem:non enim quæcumque bona proximo quocumque modo optanda,& procuranda ſunt,ſed quæ D valeant ad gratiam , & gloriam conſequendam , vt Apoſtolus loquitur ad ædificationem, græcè οἰκοδομὴν, quod nomen eſt apud Apoſtolum[b] frequentiſſimum, illud tamen anguſtè nimis interpretantur ij, qui ad vnam doctrinam pertinere exiſtimant: quid

a Baſil. in reg. breu. 177. & 178.

b Iſai. 53. 4.

a Pſal. 52. 6.

b 1. ad Cor. 3. ad Gal. 2. ad Epheſ. 2.

quiquid enim alteri quoquo modo prodeſt, eiúſque animum in virtutis ſtudio promouet, & inflammat, facere dicitur ad ædificationem. Non igitur ſatis eſt, vt obſeruauit Theophylactus, proximo placere in bonum, ſed apta, congruentique ratione, opportuno item tempore faciendum eſt, vt prodeſſe queas, nullo verò pacto obeſſe; omnia quippe proximo debemus officia, quibus illum ad meliorem ſemper frugem excitemus. Ducta eſt autem ſimilitudo ab ædificiis, quòd fidelium cœtus ſit veluti templum, aut ciuitas, de qua Iſaias [a], & Ioannes [b] in Apocalypſi, & hic noſter alicubi [c], ſe vocat architectum, & hoc ipſo capite non ita multò pòſt. *Ne ſuper alienum*, inquit, *fundamentum ædificarem.* Denique Petrus [d]: *Nos, ait, tanquam lapides viuos ſuperædificari.* ſed de his plura Baſilius [e].

a c. 14.
b c. 21.
c 1. ad Cor. 3.
d ep. 1, c. 2. 5.
e Reg. breui. q. 17.

3.
I.
Etenim Christvs non sibi placvit, &c. Chriſti exemplum, quod magnam vim habet, ante oculos ponit, qui nulla priuatæ vtilitatis habita ratione ſeſe totum impendit. qui verò ſibi placent, & quidquid agunt, proprio commodo metiuntur, græcè dicuntur φίλαυτοι. Monet autem Origenes vitium φιλαυτίας, hoc præcipuè loco damnari. Eſt autem familiare Apoſtolo Chriſti exemplum proponere: cùm enim hortaretur ad caritatem; *ambulate*, inquit [f], *in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos*: cùm miſericordiam ſuaderet. *Chriſtus*, ait [g], *cùm eſſet diues, propter vos egenus factus eſt, vt illius inopia vos diuites eſſetis*: cùm humilitatem doceret, *Hoc*, inquit [h], *ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu, qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Poſtremò cùm ad patientiam, & rerum aduerſarũ tolerantiam hortaretur, in hunc modum ſcribit [i]: *Aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta.* Non ſanè Chriſtus ſibi placuit, qui humanam ſuam voluntatem Deo Patri etiam cum propriæ vitæ iactura penitus ſubiecit. *Pater mi*, inquit [k], *ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: veramtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* alibi verò [l] dicit: *Deſcendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me patris.* Quod autem ſubiicit; *ſed ſicut ſcriptum eſt, improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me*; neceſſariò exigit, vt aliquid ſubaudiatur. Chriſtus, inquit, non ſibi placuit, ſed contra potiùs proprio commodo neglecto ſuas omnes actiones, ipſámque adeo vitam ad aliorum vtilitatem retulit, ſicut ſcriptum eſt. Sumptum eſt autem teſtimonium ex Dauide [m]: ſcripta enim videntur in perſona Chriſti, quæ eo loco cecinit Dauid. vocat autem improperia, vel execrationes, & contumelias, vt ſenſus ſit; probra quæ in te Deum parentem meum impij contumelioſè iactabant, in me conuerſa ſpõte, ac libens excepi, & patiẽter, atque æquo animo tuli, vel hominũ flagitia. periode quaſi dicat, humani generis ſcelera, quibus iram tuá prouocabant; mei corporis obiectu expiaui. vt idẽ ſignificet, quod Iſaias [n]: *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.* Ad quem locum alludens Petrus: *Peccata noſtra*, inquit [o], *ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* vt vel hinc appareat quantopere delirent hæretici, qui nihil ſe reperire affirmant in crucifixi contemplatione, quo ſe ſuſtentẽt. Multò enim aliter Auguſtinus, qui alicubi [p] hæc ſcripſit: *Tuta, & firma requies eſt mihi in vulneribus Saluatoris. ſecurus illic habito, patent mihi viſcera per vulnera. quidquid ex me mihi deeſt vſurpo mihi ex viſceribus Domini mei, quo-*

f ad Ephe 5. 2.
g 2. ad Cor. 8.
h ad Phil 2. 6.
i ad Hebr. 12.
k Mat. 26. 39.
l Ioan 6. 38.
m Pſal. 68. 10.
n c. 53. 4.
o e. 1. c. 2. 24.
p In man. c. 21.

A *niam miſericordia affluunt, nec deſunt foramina, per quæ effluant: per foramina corporis patent mihi arcana cordis.* Et rurſum [a]: *Non poſſum terreri magnitudine peccatorum, ſi mors Domini in mentem venerit, quoniam peccata mea illam vincere non poſſunt. claui, & lancea clamant mihi, quòd verè reconciliatus ſum Chriſto, ſi eum amauero.* Et rurſum luculentiùs Bernardus explicans verba illa [b]: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur. Tu quoque*, inquit, *ſi ſapis, imitaberis ſponſæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam carum faſciculum de principali tui pectoris, nec ad horam patieris auelli, amara illa omnia, quæ pro te pertulit, ſemper in memoria retinens, & aſſidua meditatione reuoluens.* Et poſt nonnulla: *Hæc meditari dixi ſapientiam, in his iuſtitiæ mihi perfectionem conſtitui, in his* B *plenitudinem ſcientiæ, in his diuitias ſalutis, in his copias meritorum. ex his mihi interdum potus ſalutaris amaritudinis, ex his rurſum ſuauis unctio conſolationis. hæc me erigunt in aduerſis, in proſperis reprimunt, & inter læta triſtiáque vitæ præſentis via regia incedenti tutum præbent vtrobique ducatum: hinc inde mala imminentia propulſando.* Quamobrem rectè ſubdit Apoſtolus.

a cap. 24.
b Cant. 1. 12.
c Ser. 43. in Cant.

4.
I.
Qvæcvmqve enim scripta svnt, &c. Græci codices non habent ſimpliciter *ſcripta*, ſed vtrobique præſcripta, προεγράφη, quaſi dicat antea ſcripta, quomodo interpretatur hunc locum non ſemel Auguſtinus [c]: ſignificat enim hæc priùs ſcripta, quàm fierent, aut certè mortalibus pateſierent. Promiſſio namque præcedit, res ſubſequitur: ſcriptura promittit quod poſtea exhibebitur. Eandem C lectionem ſecuti ſunt Chryſoſtomus, & Theophylactus, ſed alio, vt opinor, ſenſu; nam Paulus ipſe ad Galatas [d] ſcripſit: *Ante quorum oculos Ieſus Chriſtus proſcriptus eſt.* græcè προεγράφη: vt mihi quidem ſignificare voluiſſe videatur Apoſtolus ea, quæ in veteri teſtamento leguntur, perſcripta eſſe, hoc eſt ad imitandum propoſita: nam & exemplar dicitur interdum præſcriptum. Nec dubitandum eſt quin Origenes, & eum ſecutus Ambroſius eodem modo legerint, quorum ille præpoſitionem πρὸ tum ad figuras veteris teſtamenti, tum ad prophetarum vaticinia refert. meminit etiam Ambroſius promiſſionum, vt Auguſtinus vaticiniorum. videtur enim Paulus agere de vaticiniis prophetarum, quæ nobis propoſita ſunt, vt mores vitámque noſtram, ad eorum præ- D ſcriptum inſtituamus. quamquam (vt ait Chryſoſtomus [e], *ex vniuerſa ſcriptura magnam poſſumus capere vtilitatem: ſuorum enim*, inquit, *quiſque vulnerum remedia ex diuinis ſcripturis eligat, & ſi non totum curat, partem ſaltem hodie, partem cras, deinde totum abluet. quin & de pœnitentia, de confeſſione, & de eleemoſyna, & de iuſtitia, & de continentia, & de omnibus multa inueniet exempla.* Quod verò ſpectat ad ſententiam, video pleroſque exiſtimaſſe hæc Pauli verba quandam veluti cauſam, vel rationem continere, cur hac epiſtola ſæpè ſcripturarum teſtimoniis vſus ſit: ſed id mihi quidem & nimis durum, & prorſus alienum videtur, magíſque placet quod ait Chryſoſtomus ad proximum Chriſti exemplũ referri, vt ſignificet, quanquam Dauidis verba propriè de Chriſto intel- E liguntur, eſſe tamen poſteritati conſignata, vt ipſius exemplum nobis ad imitandũ proponeretur. Neſcio tamen vtrum iis aſſentiar, qui putát Chryſoſtomum verba illa Dauidis perinde accipere, quaſi dicta ſint in perſona patris Chriſtum alloquentis. *Non* (inquit) *Chriſtum tantummodò opprobriis affectum oſtendit, ſed & patrem. Opprobria ſiquidem*, inquit, *opprobrantium tibi, inciderunt in me.* æquè enim verum eſſe poteſt quod ait Chryſoſtomus, ſiue illa verba ſint Chriſti ad Patrem, ſiue Patris ad ipſum. Miror autem cur Ambroſius non ad noſtram doctrinam, ſed in no-

c ep. 119 & 8. 13 con Fauſ. c. vlt.
d cap. 3. 1.
e Ath.

ſtram

ſtram confirmationem legerit: eſt enim græcè ſcri-
ptum, εἰς τὴν ἡμετέραν διδασκαλίαν. ſignificat autem
διδασκαλία doctrinam, ſeu diſciplinam, & inſtitutio-
nem. Perſimili ratione Chriſtus Iudæos ad peruol-
uendas ſcripturas prouocauit. *Scrutamini*(inquit [a])
[a] ...5.38. *ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam
habere, & illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.*
Et Petrus [b]: *Habemus* (inquit) *firmiorem propheticum*
[b] ...1.19. *ſermonem, cui benefacitis attendentes tanquam lucernæ
lucenti in caliginoſo loco.* Hanc ſacrarum litterarum
præſtantiam, atque vtilitatem multis extollit [c] Iuſti-
[c] ...ad Autol... nus, qui earum lectionem quamuis eruditis poëta-
rum, & philoſophorum ſcriptis anteferendam docet.
[d] ...Tryph. Alibi [d] verò: *Propheta*(inquit)*ſoli veritatem & ſcine-
runt, & prolocuti ſunt hominibus, nec veriti quemquam
nec reueriti: non decepti opinionibus, ſed ea tantùm effati,
quæ audierunt viderúntque repleti ſancto ſpiritu. manent
eorum ſcripta etiam hodie: licet lectori ex his vtilitatem
II. *capere maximam.* Poſt hæc verò ſubiicit Paulus, *vt
per patientiam, & conſolationem ſcripturarum ſpem ha-
beamus.* Hic nimirum eſt doctrinæ diuinitus traditæ
finis, vt quæ quis aliquando didicit ad morum vſum,
& diſciplinam transferat. Duo autem ſunt Chriſtia-
næ vitæ in primis neceſſaria: patientia in rebus ad-
uerſis perferendis, & conſolatio, quam ex futurorum
bonorum expectatione percipimus. ambiguitas au-
tem Græcæ vocis παρακλήσεως fecit, vt Ambroſius la-
tinè redderet exhortationem, quaſi ſcripturarum le-
ctio non modò patientiam doceat, ſed ita ad illam
adhortetur, vt etiam perſuadeat. verùm quoniam
Paulus penè ſemper ſolatium cum patientia coniun-
git; malim etiam hoc loco παράκλησιν conſolationem,
ſeu ſolatium, quàm exhortationem interpretari. Por-
rò his duabus potiſſimum rebus, patientia, & conſo-
latione ſpes noſtra in primis confirmatur. Hac enim
ipſa epiſtola dixit Paulus. *ſi compatimur, vt conglori-*
[a] 2 Cor. 1. *ficemur.* Et ad Corinthios [a]. *ſicut abundant paſſiones
Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio
noſtra.*

5. Devs avtem patientiæ, &c. Re-
I. dit nunc Paulus ad id, quod ſibi præcipuè propoſi-
tum erat, vt diſſentientes inter ſe fideles ad pacem,
& concordiam reuocaret. Itaque Deum patientiæ,
ſolatiique precatur, vt ipſorum animos conciliet, vt
id ipſum ſapiant, græcè τὸ αὐτὸ φρονεῖν, in idem planè
ſtudium, & cogitationem intendere. quod mox di-
cit; *vnanimes vno ore honorificetis Deum.* Hoc ſæpè
exigit Apoſtolus, vt idem omnes ſapiant, & dicant,
ne ſint inter eos ſchiſmata, & contentiones, quod
cùm in rebus omnibus, tum verò in primis in iis, quæ
ad mores, & dogmata pertinẽt, neceſſarium videtur,
vt alio loco copioſiùs doceo. Quo magis mirandum
eſt potuiſſe cuipiam in mentem venire id ſolum ra-
tum, firmúmque habendum eſſe, quod cuique pri-
uatim menti obiiceretur. quæ enim poteſt eſſe ma-
ior humanæ vitæ perturbatio, atque confuſio? quæ
eſt autem humana reſpublica, in qua ſublatis legi-
bus, inſtitutiſque maiorum id cuique liceat, quod
ipſe per ſe, ſuáque auctoritate æquum, ac iuſtum cen-
ſuerit? Quod ſi in ciuili, & humana republica ferri
id nullo modo poteſt; quid ſentiendum eſt de repu-
blica Chriſtiana diuinitùs inſtituta? Dixit autem ſa-
pere, quod non ſolùm ad mentem, atque intelligen-
tiam, ſed etiam pertinet ad voluntatem, vt eadem ſit
ſententiarum, ac voluntatum conſenſio. atque ita
rectè ſubiicit.

6. Vt vnanimes vno ore, &c. Ex ani-
I. morum cõſenſu, & conſpiratione oritur, atque exiſtit
Dei Opt. Max. gloria non vulgaris, id in præſentia
breuiter indicat Apoſtolus. Videtur autem Latinus
interpres legiſſe græcè ὁμόθυμοι, non autem ὁμοθυ-
A μαδὸν, quæ vox vnanimiter reddi debuerat: ſed ad
ſententiam quidem parum admodum refert, vtro
modo legas, vel interpretere. Certè Chryſoſtomus,
aliique Græci legiſſe videntur, vt nunc habent vul-
gati codices ὁμοθυμαδὸν. Erunt autem fideles vno
planè animo, ſi quod modò dixit, *id ipſum ſapiant in
alterutrum ſecundùm Ieſum Chriſtum*, hoc eſt ſi eiuſ-
dem ſint omnes ſententiæ iis in rebus, quæ ad fidem,
religionem, & cultum Dei pertinent, idque *ſecun-
dùm Ieſum Chriſtum*, hoc eſt vt eos in primis decet,
qui ſeſe in Chriſti diſciplinam tradiderint, quique
eius fidem, & doctrinam profitentur. Hi profectò
vno veluti animo, vnóque prorſus ore Deo exhibent
honorem. addit autem Paulus, *Deum, & Patrem Do-
mini noſtri Ieſu Chriſti*. non quòd duos, vt olim hæ-
B retici, Deos diſtingueret, alterum veteris, alterum
verò noui teſtamenti; ſed potiùs, vt eumdem vtriuſ-
que fœderis Deum, atque auctorem eſſe oſtenderet:
quem enim veteres Iudæi legis, & veteris inſtrumen-
ti auctorem colebant, eundem Paulus *Domini noſtri
Ieſu Chriſti* patrem eſſe affirmat. honorem igitur ex-
hibendum dicit Deo & patri Domini noſtri Ieſu
Chriſti, hoc eſt Deo Opt. Max. eidémque Chriſti
Domini parenti: vt coniunctio &, quod ſæpè aliàs,
vim habeat non coniungendi, ſed explanandi.

Propter qvod svscipite invi- 7.
cem, &c. Hæc eſt longioris diſputationis veluti I.
quædam complexio: redit enim ad id, quòd ſupe-
rioris capitis initio dixerat, eodémque Græco verbo
vtitur προσλαμβάνεσθε ἀλλήλους, id eſt aſſumite inuicem,
C & mutua vos ope, conſilióque fouere. Superiori
autem capite dixerat. *Infirmum autem in fide aſſumite.*
græcè προσλαμβάνεσθε. addit in præſentia *inuicem*,
quaſi dicat, alius alium, ſiue quis Iudæus ſit, ſiue gen-
tilis. Modum item præſcribit his verbis: *ſicut & Chri-
ſtus ſuſcepit vos*, dum ſcilicet pro veſtris ſceleribus,
atque flagitiis, mortem oppetiit, vt pro hominum
genere proprio ſanguine Deo Patri litaret. addit, *in
honorem Dei.* græcè δόξαν, hoc eſt in gloriam, vt ſi-
gnificet Paulus hanc mutuam beneuolentiam, & ca-
ritatem in Dei gloriam redundare. Quamquam au-
tem ſi philoſophos conſulamus, honor à gloria non
parum differt, & latinè loquentium conſuetudo ali-
ter de honore, aliter de gloria & loquendum, & ſen-
tiendum docet; alicubi [a] tamen Hieronymus glo- [a] Malac. 1.
D riam ab honore non magnopere diſtinguit. *Quod
autem*(inquit)*gloriam diximus, vel honorem, & apud
Græcos δόξα, & apud Hebræos* כבוד *chabod vnum ver-
bum eſt, ſed nos pro Latinæ linguæ proprietate honorem
poſuimus.* Sed vt nihil dicam de voce Hebræa, cer-
tum eſt apud Græcos aliud eſſe δόξαν quam Latini
gloriam; aliud τιμὴν quam honorem interpretantur.
Sed hoc loco vtro modo dixeris, ad ſententiam qui-
dem nihil propè retulerit. Illud magis ad huius loci II.
explicationem quærendum videtur, quónam hæc
verba referenda ſint. Origenes enim, & Anſelmus
proximis verbis connectunt, hoc fermè modo. Sicut
Chriſtus ſuſcepit vos, & filiorum Dei numero ag-
gregauit, vt veſtra animorum conſenſione apud
omnes gentes, aut nationes Dei gloria illuſtretur:
quibus fauet Chryſoſtomus, cuius ſunt hæc verba.
E *Suſcipite*(inquit)*inuicem ſicut Chriſtus ſuſcepit vos, vt
per hanc vnitatem Dei honor manifeſtetur iuxtà illud
Ioannis* [b]*, vt omnes vnum ſint, vt credat mundus, quia* [b] cap. 17. 21.
tu me miſiſti. Nec diſcrepant Theophylactus, aliique
Græci. Ambroſius verò cum priori parte coniun-
git. *Suſcipite vos inuicem in honorem Dei, id eſt ne no-
men Dei in vobis aſſumptum euacuetur: multum enim
religioni detrahitur ex diſcordia eorum, qui ſub vno mi-
litant Chriſtiano nomine.* Ego in paraphraſi & nume-
ro, & dignitate Græcorum permotus poſteriori parti

attexui, ſed alio quodam ſenſu, vt dicatur Chriſtus fideles aſſumpſiſſe in gloriam Dei, vt eos videlicet beatæ vitæ, & immortalis illius gloriæ participes redderet. Et quidem Græca vox δόξα non modò eum ſenſum admittit, ſed hoc quidem loco flagitare videtur. Quid enim, quæſo, eſt, Chriſtus vos aſſumpſit in gloriam Dei, niſi ad vitam immortalem, & ſempiternam beatorum gloriam aditum reſerauit? videtur enim gentiles potiſſimùm alloqui, qui cùm longiſſimè abeſſent ab expectatione beatæ vitæ; Chriſti tamen ſingulari beneficio in fidelium numerum cooptati iure optimo ſperare poſſunt immortalitatem.

8. Dico enim Christvm Iesvm, &c.
I. Hinc maximè confirmari exiſtimo noſtram quam modò expoſuimus ſententiam: hac enim veluti diſputationis clauſula oſtendit Apoſtolus vtrumque populum, hoc eſt gentilem, & iudaicum in eandem fidei ſocietatem fuiſſe vocatum, ſed alia tamen atque alia ratione. nam iudaici quidem populi fuit Chriſtus quodammodo miniſter. græcè διάκονος, idque vt diuinarum pollicitationum veritatem firmaret; in populum verò gentilem, vt mox dicet, miſericordiam, & liberalitatem, exercuit. ait igitur Paulus, *Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis*; nam
a cap. 10. 45. & ipſe Chriſtus apud Marcum [a] ait: *Filius hominis*
b cap. 22, 27. *non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.* Et apud Lucam [b]: *Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat.* Porro circumciſionis nomine vulgata minimèque ignota figura Iudæos intelligit, quorum idcirco dicitur fuiſſe miniſter, tum quia ex eorum gente, ac ſtirpe humanam ſibi naturam copulauit, tum quia per ſe ipſe Euangelica præcepta illis tradidit. id autem factum eſſe dicit *propter veritatem Dei ad confirmandas promiſſiones patrum*: vt videlicet appareret Deum eſſe veracem, eiúſque promiſſa rata, firmaque eſſe. pollicitus enim erat Deus miſſurum ſe ex Abrahæ poſteritate, ac Dauidis ſobole, humani generis liberatorem, qui Iudæorum gentem, diuinis præceptis imbueret, & informaret: ſcriptum námque
c cap. 18. 15. eſt in Deuteronomio [c]: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus.*
d cap. 2. 3. *ipſum audies.* Et apud Iſaiam [d]: *Docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis illius, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* Et ne cuncta recenſeam, apud Ioelem [e]: *Filiæ Sion lætamini in Domino*
e cap 2. 23. *Deo veſtro, quia dedit vobis doctorem iuſtitiæ.* Chriſtus
f cap. 15, 24. ipſe apud Matthæum [f]. *Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael.* & alia penè ſexcenta. Cæterùm quod noſter interpres ait: *dico enim*, græcè legitur λέγω δὲ, id eſt dico autem. quam verò Apoſtolus hîc veritatem appellat, fidem Latini, veracitatem theologi, ſeu fidelitatem nominant: pertinet enim ad promiſſorum veritatem, & conſtantiam.

9. Gentes avtem svper misericor-
I. dia, &c. Oſtendit quánam ratione etiam gentes ad Chriſti fidem, & Euangelicam doctrinam fuerint admiſſæ. Ait autem Iudæos propter veritatem diuinorum promiſſorum fuiſſe ad Euangelium vocatos: contra verò gentes ob ſolam Dei miſericordiam.
g ad Epheſ. 2. 12. Huc enim ſpectant illa, quæ alibi ſcribit [g] Paulus cùm de gentibus loqueretur: *Eratis* (inquit) *hoſpites teſtamentorum promiſſionis ſpem non habentes.* Quo-
h in Pſal. 14. circa Hieronymus: *Duo* (inquit [h]) *ſunt credentes populi, vnus de gentium populo, alter de Iudæorum: Iudæis repromiſſum eſt quod veniret Saluator: nobis autem, qui extranei ſumus, à lege Dei non eſt repromiſſum. Miſericordia igitur eſt in populo gentium, veritas in populo Iudæorum, quia quod repromiſſum eſt venit, hoc eſt quod repromiſſum eſt patribus, completur in filiis, hoc eſt iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt. pax miſericordia, caritas iuſtitia*

eſt. Pendet autem hæc ſententia ex ſuperiori verbo dico, quod in præſentia repetendum videtur: opponitque Paulus miſericordiam promiſſis; nam in his ius quoddam ineſſe videtur, miſericordia verò meram habet, & quidem gratuitam beneuolentiam: iure enim expoſtulat cui pollicitus ſis, niſi fidem datam præſtiteris, plus tamen affert voluptatis, quod præter ſpem nihil cogitanti tribuitur. Miro igitur II.
artificio Paulus modeſtiam, & quandam in Iudæos animi lenitatem exigit à gentibus, dum diuinam in illas clementiam, & miſericordiam prædicat, cùm Iudæis, quoddam quaſi ius promiſſorum reſpectu concedere videatur: vt enim obſeruauit Chryſoſtomus, hac maximè ratione perſuadere nititur Iudæorum imbecillitates æquo animo à gentibus eſſe tolerandas, quod non obſcurè indicat etiam Auguſtinus, qui propterea ait Apoſtolum paulò antè dixiſſe Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis, vt intelligerent gentes ea fide, qua iam credebant omnia eſſe munda mundis, non debere ſe Iudæis inſultare, qui imbecillitate quadam, & nimio metu perterriti carnibus abſtinebant. Nec verò quemquã mouere debet modus ille dicẽdi, quo vſus eſt vulgatus interpres *ſuper miſericordia*: eſt enim Græcè eadem præpoſitio ὑπὲρ, quæ poſita eſt in ſuperiori ſententia: ita enim hoc loco ait Apoſtolus, ὑπὲρ ἐλέους, id eſt pro miſericordia, vel propter miſericordiam, vt paulò antè ὑπὲρ ἀληθείας, hoc eſt propter veritatem. Neque verò eorum ſubtilitas in præſentia neceſſaria videtur, qui infinitum δοξάσαι poſitum eſſe putant pro imperatiuo, cùm, vt dictum eſt, rectè pendeat à verbo dico, vel ſi quis malit à præpoſitione εἰς, vt ſenſus ſit, Chriſtum fuiſſe miniſtrum circumciſionis, tum ad confirmandas promiſſiones patrũ, tum etiam vt Gentes diuinam miſericordiam expertæ diuinas laudes celebrarent, ac ſi Græcè dixiſſet εἰς τὸ βεβαιῶσαι τὰς ἐπαγγελίας τῶν πατέρων, τὰ δὲ ἔθνη ὑπὲρ ἐλέους δοξάσαι τὸν θεόν, vt Chriſtus ſuo miniſterio vtrumque ſpectaſſe videatur. quamuis enim promiſſio Chriſti venturi ad ſolos Iudæos pertineret; non rarò tamen gentium conuerſio promittitur, non quidem ipſis gentibus, ſed populo Iudæorum, ad quem prophetarum oracula pertinebant. Recenſet autem in præſentia Apoſtolus plura Scripturæ teſtimonia, quæ de gentium vocatione apertè vaticinantur. Primum autem teſtimonium eſt ex Dauide: *Propterea* (inquit [a]) a Pſal. 17. 50 & 2. Reg. 22
confitebor tibi in gentibus Domine, & nomini tuo cantabo. 50.
Quibus verbis confeſſio, & cantus mirè congruunt liberalitati, & miſericordiæ; eſt enim confeſſio gratulationis, & laudis ſiue Dauidis verba ſint, ſiue etiam filij Deum patrem alloquentis.

Et itervm dicit, &c. Vnde hoc teſti- 10.
monium deſumptum ſit, ambigunt nonnulli, ſed vi- I.
dentur omnino verba Moſis in Deuteronomio [b] iu- b cap 32.
xta Septuaginta interpretationem: ſic enim illi habent ad verbum, εὐφράνθητε ἔθνη μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ, quæ ſunt ipſa verba Pauli. vaticinatur autem Moſes gentes fide, ac religionis profeſſione vnà cum Iudæorum populo coniungendas, atque idcirco ad diuinas laudes celebrandas inuitat. Quòd ſi quis malit Hebræorum codicum fidem ſequi, & veteris interpretis interpretationem probare; pertinet nihilominùs hoc teſtimonium ad gentes. *Laudate* (inquit) *gentes populum eius.* à quo videlicet fidei veluti incunabula, & Chriſtianæ doctrinæ rudimenta accepiſtis.

Et itervm lavdate, &c. Tertium eſt 11.
de gentium vocatione teſtimonium [c], quod maximè I.
ad inſtitutum pertinere videtur; eodem enim ipſo c Pſal. 116.
loco miſericordia, & veritas nominantur: ſubdit namque Dauid: *Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius, & veritas Domini manet in æternum.*

Quod

Quod autem ſpectat ad verbum *magnificate*, Græcè Apoſtolus dixit ἐπαινέσατε; Origenes legiſſe videtur μεγαλύνατε. monet enim in Pſalmo, pro magnificate ſcriptum fuiſſe collaudate. Certè Ambroſius, qui illum penè ſemper imitatur, legit *magnificate*: ſed quocumque tandem verbo vti libeat, gentes ad fidem traductæ ad diuinas laudes prouocantur.

12. ET RVRSVS ISAIAS AIT, &c. Hîc etiam
I. more ſuo ſequitur Apoſtolus interpretationem Septuaginta: noſtri [a] enim codices paulò aliter habent. [a Isaia.] ſed quod attinet ad ſententiam, certum eſt ad vocationem gentium pertinere; agit enim propheta de aduentu Chriſti, cuius beneficio gentibus ad ſalutem aditus reſeratus eſt. radicem autem Ieſſe nominat Chriſtum, quòd ad Dauidem, eiúſque patrem Ieſſe genus ſuum referat. alibi [b] dicit ſeſſurum illum B ſuper ſolium Dauid. quò ſpectans Angelus dixit [c]: [b Isa.] [c Luc.1.] *Dabit illi Deus ſedem Dauid patris eius.* quomodo autem cum noſtra interpretatione Septuaginta cohæreant, non erit difficile explicare. nam quod ex Hebræo tranſtulit B. Hieronymus, *qui ſtat in ſignum populorum*, Septuaginta vt vim metaphoræ exprimerent, reddiderunt vt habet hoc loco Apoſtolus. *qui exurget regere gentes.* nam quemadmodum vexilliferi indicato vexillo milites ad ſigna vocant, & hac ratione milites quodam modo regunt; ita Chriſtus quaſi vexillifer, gentes ad ſua caſtra conuocat, & ad beatam vitam dirigit: ſic enim Chriſtus ipſe dixit apud Ioannem [d]: [d Ioan.3.] *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis, qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* C Quod idem Hieronymus ait, *ipſum gentes deprecabuntur*, Septuaginta, & Paulus dixerunt, *in ipſum gentes ſperabunt*: quia qui deprecatur proculdubio ſperat; quod ipſum dicendum, ſi cum aliis ex Hebræo transferamus *requirent*. nemo enim quærit quod nõ ſperat ſe inuenturum: plura aliàs. nunc verò ſat fuerit indicare, non temerè Apoſtolum, tam multis teſtimoniis gentium vocationem ſtabiliſſe: vt enim paulò antè gentibus perſuaſerat moderationem, & facilitatem, in perferendis Iudæorum imbecillitatibus; ità nunc Iudæos à priſtino illo errore reuocat, quo falsò opinabantur non eſſe gentiles ad fidem Euangelicam admittendos: quod quàm ſit à vero alienum, allata teſtimonia apertiſſimè probant. Nec video cur recentiores quidam malint hæc omnia D aliò detorquere, perinde quaſi probare velit Apoſtolus ſola miſericordia, fuiſſe gentes ad Chriſti fidem vocatas. veriſſimè enim ſcriptum eſt à Chryſoſtomo; hæc omnia ideo à Paulo adduci, *vt oſtendat, vniri vtroſque populos oportuiſſe, ſimúlque Deum glorificare. Interim* (ait) *& eum, qui ex Iudæis erat contrahens, ne aduerſum iſtum erigeretur, videns ab omnibus prophetis vocari gentes; & eum qui ex infidelibus erat ad modeſtiam reuocans, dum oſtendit illum maiori gratiæ obnoxium eſſe.* Quamquam enim vt paulò antè monui, vterque populus gratiæ beneficio, ad fidem, & iuſtitiam vocatur; tamen Iudæorum reſpectu, erat quoddam fidelitatis ius, quia iis proximè Chriſtus promiſſus erat: at Gentiles tametſi, vt ſuprà oſtenſum eſt, pertinebant ad diuinas promiſſiones, ſi myE ſtico, ac ſpiritali ſenſu explicandæ eſſent, tamen ab iis proximè non comprehendebantur, vt illæ Chriſti præſentiam pollicebantur, qui tantùm miſſus eſt ad oues [e] quæ perierunt domus Iſrael. [e Matth.15.]

13. DEVS AVTEM SPEI REPLEAT, &c.
I. Concludit precatione quadam ſuperiorem diſputationem. appellat autem Deum ſpei occaſione ſumpta à proximè præcedentibus verbis. *in eo* (inquit) *gentes ſperabunt.* pertinet igitur hæc precatio ad gentes, quibus precatur gaudium, & pacem propter fi- A dem ſuſceptam: æquum enim eſt eas magnopere lætari tam eximio accepto beneficio. decet etiam eas pacem, & concordiam colere, nullóque modo Iudæos contemnere. Non me tamen præterit Chryſoſtomum gaudium referre ad expellendam, vt ille ait, *mæſtitiam, qua ſeſe mutuò Iudæi, & Gentiles afficiebant*, ſed veriſimilius videtur huiuſce gaudij materiam eſſe, beneficij percepti magnitudinem. Inde enim oritur conſtantia in fide, quæ ſpei quandam certitudinem parit. Porrò Deum ſpei appellat, hoc eſt ſpei auctorem. quò verò gaudium, & pax referenda ſint, indicat cùm dicit: *vt abundetis in ſpe, in virtute Spiritus ſancti*: vt videlicet ſpes veſtra maiora in dies capiat incrementa. Quod verò additur *virtute Spiritus ſancti*, recentiores quidam perinde accipiunt, quaſi optet Apoſtolus acceſſionem, non modò ſpei, ſed etiam facultatis diuini ſpiritus. Fauent Latini codices nonnulli, in quibus legitur coniunctio *&. vt abundetis in ſpe, & virtute Spiritus ſancti.* Verùm Chryſoſtomus, quem non pauci ſequuntur, quia in Græcis codicibus nulla legitur coniunctio; *virtute Spiritus ſancti* explicat, quaſi dictum ſit: vt ſpes veſtra maiores quotidie progreſſus faciat, idque vi, & poteſtate Spiritus ſancti. Si rem ſpectes, vtrúque verum eſt, ſed Chryſoſtomi ſententia mihi magis arridet. Quid autem ſit abundare in ſpe non videtur curioſiùs inquirendum, cùm certum ſit, etiam virtutes theologicas diuinitùs mentibus inditas, ſuum in dies habere poſſe incrementum, vt indicat Eccleſiaſtica illa precatio. *Da nobis fidei, ſpei, & caritatis augmentum.*

CERTVS SVM AVTEM, &c. More ſuo Pau- 14.
lus poſt monita, & conſilia adiicit laudem. itaque I.
rectè Chryſoſtomus: *Quoniam* (inquit) *ſermonem multis locis acerbiorem fecerat, rurſus deinceps medetur non aliter finiens, quam inceperat. exorſus quippe dixit: Gratias ago Deo meo, quòd fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo. hic verò dicit; quoniam pleni eſtis bonitate.* Ciuili igitur, & familiari oratione mitigat quod ſuperiùs dixerat, ne monitor importunus videatur: oſtendit enim non ſe ignaros erudire voluiſſe, ſed officij duntaxat familiariter commonefacere. ait autem *certus ſum*, Græcè πέπεισμαι, hoc eſt, vt ait Chryſoſtomus, *non audiui, ſed perſuaſus ſum, & non opus habeo, vt iſtud diſcam ab alio, quaſi dicat, quod monui, vt infirmos ſuſcipiatis, vt dimittatis, vt opus Dei* D *non deſtruatis, non ideo feci, quòd crudeles vos, & fratrum oſores putem, nam ſiquidem, quòd pleni eſtis bonitate.* eſt enim Græcè ἀγαθωσύνης, noſter tamen interpretes legiſſe videtur ἀγαπωσύνης. Sed Chryſoſtomus, & Theophylactus, bonitatem, & legunt, & explicant virtutem vniuerſam, cuius ambitu caritatem in primis contineri nemo inficiabitur. Repletos autem omni ſcientia dicit, vt alij alios monere, atque inſtituere queant. Græci codices vt ex Chryſoſtomo, & Theophylacto liquet, hîc variant; quidam enim habent ἄλλος, alij ἄλλους: certè Ambroſius videtur legiſſe ἀλλήλους; & quidem ſenſus videtur perſpicuus: tantum (inquit) valetis ſcientia, & caritate, vt citra admonitionem meam poſſitis vos inuicem, ſi ſit E opus, monere. Neque diſſimulare licet (quod nonnulli obſeruarunt) Græcas illas voces καὶ αὐτοί, hoc eſt *& ipſi*, non eſſe penitùs otioſas; referuntur enim ad ipſum Paulum admonentem: quaſi dicat; etiam ſi ego vos non commonefacerem, ipſi vos inuicem admonere poſſitis.

AVDACIVS AVTEM SCRIPSI VOBIS, &c. 15.
Pendent hæc ex ſuperioribus, atque hunc ſenſum I.
habent. quamuis mihi certum exploratúmque eſſet, nulla vos mea admonitione egere, cùm poſſitis ipſi id muneris inter vos mutuò præſtare; liberiùs

tamen, ac familiariùs aliquanto ſcripſi vobis commonefaciendi gratia potius, quàm docendi. *Vide verò* (ait Chryſoſtomus) *humilem animum Pauli, vide ſapientiam, quomodo & profundam fecerit inciſionem per ea, quæ iam antea dixit, & poſtquam quæ voluit correxit multo rurſus vtatur remedio. Ad remittendum quippe contentionem illorum, vnum hoc ſufficit etiam præter illa, quæ dicta ſunt, quod audaciùs ſcripſiſſe ſe fatetur.* [a cap.6.9.] *Hoc & ad Hebræos* [a] *ſcripſit dicens: Perſuaſi ſumus autem meliora de vobis dilecti, tametſi ad eum modum loquimur.* [b ep.1.c.11.2.] *Et ad Corinthios* [b] *iterum eodem modo ſcribit. Laudo vos* (inquit) *quòd in omnibus mei memores eſtis, & traditiones ita ſeruatis, quemadmodum vobis illas tradidi. Galatis* [c] *verò ſcribens dixit.* [c cap.1.] *Confido de vobis, quod nihil aliud ſenſuri ſitis. Vbique verò in illius Epiſtolis conſiderationem iſtam copioſè licet inuenire: hic tamen plus etiam quam alibi. Erant ſiquidem Romani maiore dignitate præditi, vnde oportebat tumidam illorum mentem ſedare non ſolùm ſtringendo, ſed & remittendo. nam diuerſimode hoc facit, vnde & hic dicit. audaciùs ſcripſi vobis, vt neque hoc contentus adiecit ex parte, hoc eſt paulatim. nec hic conſiſtit, ſed quod dicit veluti ſubmonefaciens vos.* Certè enim ſi de tota hac Epiſtola Apoſtoli verba intelligantur, nonnulla liberius ſcripſit initio præfert in Epiſtolæ de ſtulta philoſophorum ſapientia, de inani idolorum cultu, de præpoſtera libidine, quæ non idcirco commemorauit, quòd illos contemneret, ſed quòd multum illis fideret tanquam peculiaris gentium Apoſtolus; plus enim apud illos audemus, quos familiariùs
II. amamus. Cæterùm quod Latinè dixit vulgatus interpres, *tanquam in memoriam vos reducens*, Græcè dixit Apoſtolus ὡς ἐπαναμιμνήσκων. Ambroſius autem interpretatur *tanquam vos cōmonefaciens.* Chryſoſtomus *ſubmonefaciens. non dicit* (inquit) *veluti docens vos, neque veluti admonens vos, ſed veluti ſubmonefaciens vos, hoc eſt modicum quid admonens, vel moderatè admonens.* Theodoretus, *veluti* (ait) *repetens, atque in memoriã reuocans, quæ vobis perſpecta, & cognita eſſe non ignorabam* quidquid horum dixeris, nihil videbitur à Pauli mēte alienum. Illud verò pluſquam alienum cenſeri debet, quod video tamen recentioribus quibuſdam vehementer probari, ἐπαναμιμνήσκων idem eſſe, quod memorem, quaſi dicat Paulus; ſcripſi vobis tanquam vitæ veſtræ memor. quod non ſolùm frigidè dictum videtur, ſed etiam Græcæ voci magna ex parte repugnat. ἐπαναμιμνήσκω enim ſignificat memoriam reuoco, vel identidem reminiſci facio, ſeu in memoriam reduco, vel identidem commonefacio. Addit *propter gratiam, quæ data eſt mihi à Deo.* Quod Chryſoſtomus refert ad modeſtiam, atque vtilitatem. *quaſi dicat* (inquit) *honorem hunc, non à me ipſo rapui: nec me vltrò obtruſi, ſed mihi quamuis indigno diuinitùs eſt demandatus.* Adderem ego id etiam ad molliendam ſuperiorem monitionem ſpectare. non enim, inquit, temerè quaſi in alienam poſſeſſionem inuaſi, ſed hoc à me muneris mihi crediti, atque à Deo impoſiti ratio flagitauit, ac tantùm non extorſit. vt verè dictum ſit à Chryſoſtomo, hunc velut Epiſtolæ calcem cum exordio mirificè congruere. *De throno quippe* (ait) *præceptorio, & hic & illic, deſcendens tanquam fratribus amicis, & æqualibus diſſerit, id quod vtique potiſſimùm doctoris eſt, nimirum ſermonem iuxta auditorum captum, & commodum varie, ubinde tra lare.*

16. Vt sim minister Christi Ie-
I. sv, &c. Hæc eſt explicatio muneris diuinitus Paulo conceſſi. Quid ergo? tibi-ne gratia aliqua ſingularis diuinitùs conceſſa eſt? & verò maxima, vt ſim nimirum miniſter Chriſti in gentibus. Vocat autem ſe Chriſti miniſtrum, Græcè λειτουργὸν, id eſt publicum

A miniſtrum ſacrorum, reſpiciens ad id, quod mox ſequitur, ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον, hoc eſt operante Euangelio, quaſi Euangelium ſit res diuina, & ſacrificium Deo oblatum: quod quale ſit mox explicat. *vt fiat* (inquit) *gentium oblatio accepta.* nam gentes, quæ Euangelica prædicatione ad Chriſti fidem adducuntur, victimas vocat Apoſtolus, quibus ſe Deo litare affirmat: quò alluſiſſe videtur diuinum oraculum, cùm in Actis [a] Apoſtolicis Petro dixit. *Occide, & manduca*; ſignificabat enim gentium conuerſionem, myſticè verò ἱερουργεῖν dicitnam de vero ſacerdotio, & ſacrificio alia ratio eſt. [a cap.10.b.] Auguſtinus pro *ſanctificans*, vt habet noſter interpres, legit [b] *conſecrans*, quod magis ad rem diuinam ſpectat. [b De quibuſdam prop. hæc in cap.8.] Voluit enim Paulus prædicationem Euangelij, rem videri
B in primis ſacram, ac veluti victimam Deo gratiſſimam. Imperitè verò iuxta, atque impiè faciunt ij, qui ex hoc loco colligunt nullum eſſe aliud Eccleſiæ ſacrificium præter vnam Euangelij prædicationem. Nam quemadmodum Dauid laudes, quæ Deo decantantur, ſacrificium appellauit; ita in præſentia Paulus Euangelij prædicationem hoſtiam, ſeu oblationem nominat. Et hoc ipſo capite verſus finem cùm agit de collectis, quas Ieroſolymam perlaturus erat, vtitur Græco verbo λειτουργίας, quemadmodum ſuprà monuimus. Beneficentia enim, ac liberalitas in pauperes ſacrificij quoddam genus eſt, vt alibi [c] ſignificat Paulus. [c ad Hebr.13.16.] *Beneficentiæ* (inquit) *& communionis nolite obliuiſci, talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* II.
Videtur autem prædicatio Euangelij cum ipſa ſa-
C crificandi actione, & veluti apparatu, ac ritu comparari; gentes verò, quæ Chriſto aggregantur, victimæ, ſeu hoſtiæ. atque idcirco ſubditur: *vt fiat oblatio gentium accepta, ſanctificata in Spiritu ſancto.* Tunc enim gentes verè tanquam victimæ Deo offeruntur, cùm Spiritus ſancti impulſu fidem concipiunt, & baptiſmo ritè expiantur. Deſideratur enim in Græcis codicibus, & in nonnullis Latinis coniunctio *&*, quæ tamen ſi legatur ſententiam nihil immutat, cùm poſſit vt aliàs ſæpe accipi ἐξηγητικῶς; ita oblatio accepta, & ſanctificata in Spiritu ſancto, ſignificabit hoſtiam acceptam, hoc eſt ſanctificatam. Hic eſt muneris Apoſtolici præcipuus fructus: non enim Apoſtolica dignitas tam honoris priuati, quàm publicæ ſalutis gratia inſtituta eſt. Obſeruat autem Chryſo-
D ſtomus, non ſola fide opus eſſe, *ſed conuerſatione ſpirituali, vt ſemel datum ſpiritum contineamus.* Porrò Apoſtolicum munus dici poteſt λειτουργία, ἀρχὴ, ἐπιμέλεια, διακονία. hæc enim omnia publicum miniſterium ſignificant, niſi quod, vt ait [d] Ariſtoteles, ἀρχὴ imperioſius quiddam ſignificat; ideóque ſacris, & [d lib.4.polit. cap.15.] Eccleſiaſticis functionibus minùs congruit. Iſaias [e] [e cap.11.] tamen, quem non ita multò pòſt laudat Apoſtolus, ἀνιστάμενος, ait, ἄρχειν ἐθνῶν, exurget ad imperandum gēntibus. Et Gregorius [f] Nazianzenus de ſuo epiſcopali munere hunc in modum ſcribit: [f Orat.17.] *An me liberè loquentem æquo animo feretis? nam vos quoque imperio meo, ac throno lex Chriſti ſubiicit. imperium enim nos quoque gerimus, addo etiam præſtantius, ac perfectius: niſi verò æquum eſt, ſpiritum carni faſces ſubmittere, &*
E *cæleſtia terrenis cedere*, vt alio loco dixi.

Habeo igitvr gloriam, &c. Vtique, 17. I.
ait Oecumenius, gloriari poteſt Apoſtolus propter ea, quæ in gentibus patrauit. *Gloriatio verò mea.* ait ex perſona Pauli, *non eſt in me, hoc eſt in viribus meis, & potentia, ſed in Chriſto Ieſu. etenim ſi quid dixero, aut gloriatus fuero, nihil aliud audebo dicere, quàm ea, quæ per me Chriſtus effecit.* Ait autem Apoſtolus habere ſe non quidem δόξαν, ſed καύχησιν, hoc eſt gloriandi materiam, & quidem in Chriſto Ieſu, & in iis, quæ ad Deum ſpectant. Alibi enim dicit [g]: *Qui gloriatur, in* [g 2 ad Cor.10.17.]

Domino

Domino glorietur. Et rurſus [a]: *Pro huiuſmodi gloriabor, pro me autem nihil.* Itémque [b]: *Abſit mihi gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Gloriandi porrò materiam vocat labores, & moleſtias, pro Chriſti fide toleratas, quas fusè recenſet in poſteriori Epiſtola ad Corinthios.

[a] 2. ad Cor. 12. 5. [b] ad Gal. 6.

18. NON ENIM AVDEO ALIQVID, &c.

19. I. IN VIRTVTE SIGNORVM, &c. Gloriationis materiam ſubindicat, vnáque oſtendit nihil ſe de rebus ſuis magnificentiùs prædicare, atque extollere; ſed ſimpliciter, & candidè ea narrare, quæ ſuo veluti miniſterio, atque opera Chriſtus perfecerit. Ambroſius tamen hanc ſententiam periode accipit, quaſi nihil non ſit à Chriſto Pauli opera præſtitum. *Gloriam* (inquit) *habere ſe dicit apud Deum, per Chriſtum Ieſum: credens enim, & ſeruiens Chriſto* B *Ieſu in conſcientia pura meritum ſibi fecit apud Deum patrem in tantum, vt nihil deeſſe dicat, quod non per illum operatus ſit Chriſtus ad exhortationem gentium.* Ac mox: *Seruiens enim Chriſto gloriam habet ad Deũ, in tantum vt indigere non habeat aliquid diuina virtutis, quod ſibi præſtitum non ſit à Deo: ſed omnia ſe, quia idoneus inuentus eſt diſpenſator, conſecutum*, quæ ad cõuerſionem gentium, per ſignorum virtutem proficerent. Simpliciùs omnino, atque, vt arbitror, aptiùs explicat Origenes, quaſi dicat Apoſtolus: nolim alienorum factorum laudem mihi arrogare, tantùm ea dicam, quæ per me Chriſtus efficit, vel vt habet editio Romana, efficit. Poſſis & aliam explicationem addere: non auſim quidquam loqui de rebus à me geſtis, tamquam vi, & poteſtate mea, ſed tantùm de C iis loquor, quæ per me Chriſtus effecit, vel efficit. Vtramque poſteriorem explanationem cõplectuntur, & miſcent Chryſoſtomus, & Theophylactus: nihil (inquit) iacto quod ipſe non fecerim; immò quod feci, non ego feci, ſed Chriſtus per me. Itaque quod ait: *non enim audeo*, Græcè eſt τολμήσω, hoc eſt non ſuſtinuerim, aut in animum induxerim meum. Quod ad ea refert, quæ proximè dixerat, cùm ſe gloriandi materiam habere ſcripſit: ita vim ſui muneris, & præſtantiam declarat, & omnem faſtus, ſiue arrogantiæ ſuſpicionem amouet. Vt autem obſeruat Chryſoſtomus, ſui veluti ſacerdotij, electioniſque ſymbola enumerat, verba, facta, Spiritus ſancti vim, ſignorum, & prodigiorum efficientiam, ipſam denique Euangelij promulgationem plurimis regioni- D

II. bus factam. Neque verò fruſtrà Paulus verbo ſubiicit facta; hæc enim vt exiſtimauit Chryſoſtomus, ad mores, vitæque ſanctitatem pertinent, quæ ſi cum Euangelij prædicatione coniungantur, incredibilem quandam vim habent pertrahendi homines ad fidem: itaque Hieronymus ſcribit [e]: Iacobi Ieroſolymitani Epiſcopi, ac fratris Domini ſanctitatem, ipſis etiam Iudæis miraculo fuiſſe: quin etiam litterarum monumentis proditum [d] eſt, fama ſanctitatis Chriſtianorum permotas aliquando barbaras gentes vltrò Chriſtianos concionatores aduocaſſe. Porrò Origenes ſigna à prodigiis hoc ait differre, quòd prodigia & aliquid mirabile contineant, & euentum præterea futurum iudicent: ſigna verò nihil præter admirationem habeant; ſcriptura tamen, vt idem E monet, hoc aliquando diſcrimen obſeruat, ſæpius negligit. ſubiicit autem Apoſtolus ſignorum, prodigiorúmque efficientiæ vim Spiritus ſancti, ſiue vt habent Græci codices, quos ſequuntur Origenes, Chryſoſtomus, & Theophylactus, ſpiritus Dei, ſiue vt oſtendat quæcumque ſupra naturam effecta ſunt, diuini ſpiritus vi, ac poteſtate fuiſſe patrata: quomodo dixit aliquando Chriſtus, ſe in ſpiritu Dei Dæmones fugare; ſiue, quod magis probo, vt tacitè indicet gentium conuerſionem non tam externa prædicatione, aut ſignorum effectione, quàm interno diuini Spiritus afflatu fuiſſe peractam: quod alio loco Paulus ipſe his verbis declarat [a]: *Neque qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus.* Quamobrem aptè ſubdit; *ita vt ab Ieruſalem per circuitum, vſque ad Illyricum repleuerim euangelium Chriſti.* Cuius rei hiſtoriam deſcribit in Actis apoſtolicis Lucas [b]. Arabiam enim, Damaſcum, Antiochiam, plurimas Aſiæ vrbes, & extremas Macedoniæ partes euangelij luce perfudit. Damaſco enim in Arabiam profectus triennium totum in ea regione poſuit: mox Damaſcum rediens Ieroſolymam vnà cum Barnaba profectus eſt: inde Cæſarea abiit Tarſum, vnde accerſitus à Barnaba venit Antiochiam, inde Ieroſolymam rurſus deſtinatur lega- B tos: reuerſus autem Antiochiam ibi diuinitus Apoſtolus renuntiatus gentium conuerſioni operam nauat, & peragrata Seleucia Cypro, Pamphylia, Piſidia, Lycaonia, tertiò Ieroſolymam peruenit: inde verò comitibus Sila, & Barnaba peragrauit Syriam, Ciciliam, Phrygiam, Galatiam, Miſiam: poſtea verò Troade vocatus in Macedoniam, & Europam ingreſſus luſtrauit Bœotiam, Achaiam, Epirum, reliquáſque regiones, vſque ad Illyricum. Hoc igitur eſt quod ait ſe repleuiſſe euangelium: omnes enim in euangelio promulgando partes impleuit, nihilque eorum omiſit, quæ ad euangelij præconem pertinebant, vel etiam repleſſe dicit euangelium, hoc eſt plurimos mortales ad Chriſtum aggregaſſe: vt videatur ad illam ſagenam euangelicam alludere, C quæ bonis, maliſque piſcibus impleta eſt: vel ad illud apoſtolicum rete tam multis piſcibus oppletum, vt ad littus pertrahi vix poſſet. Porrò Illyricum regio eſt inter Italiam, Germaniam, Thraciam, Macedoniam, & Epirum, quæ ab altero quidem latere Adriatico ſinu, ab altero Danubio clauditur. ea nunc Sclauonia, & aliqua ex parte Boſna dicitur [c].

[a] 1. ad Cor. 3. 7. [b] Act. 13. 18. 17. 18. [c] vide Strab. lib. 7. & Volater. lib. 8.

20. I. SIC AVTEM PRÆDICAVI EVANGELIVM, &c. Paulò aliter accipienda videntur Græca verba; οὕτω δὲ (inquit) φιλοτιμούμενον εὐαγγελίζεσθαι, hoc eſt ſic autem adnitens, ſiue vt in paraphraſi diximus, ambiens euangelium promulgare; non vbi nominatus eſt Chriſtus, vbi vt obſeruauit Chryſoſtomus, ſui muneris dignitatem, & præſtantiam amplificat, quod non ſolùm tot populis euangelium prædicauit, D ac perſuaſit, *ſed quod neque ad eos abiit, qui priùs fuerant edocti, vſque adeo ſcilicet abſtinuit, quominùs alienis ſe diſcipulis ingereret, gloriaq́; gratia, quod faciebat faceret, vt & ſtudio voluerit eos maximè docere, qui nondum audierant de Chriſto; non enim dicit, vbi nondum crediderant, ſed vbi nondum nominatus eſt Chriſtus, id quod plus eſt.* Non igitur exiſtimauit Chryſoſtomus, quod ei falsò nonnulli imponunt, gloriæ cauſa tanto ſtudio abſtinuiſſe Paulum ab iis, qui iam Chriſtum audierant, quin potiùs id apertè negat, & vt mox oſtendam, contrarium docet. Exiſtit autem hoc loco duplex non admodum facilis quæſtio: prior quomodo verum ſit Paulum non prædicaſſe euangelium niſi apud eos, qui Chriſti nomen nondum audierant: poſterior, quid ſignificet Apoſtolus cum ait: E *Ne ſuper alienum fundamentum ædificarem.* Priorem ſatis commodè expedire ſe poſſe nonnulli exiſtimarunt cùm dicerent Paulum euangelium gentibus promulgaſſe, quæ nullam veteris legis notionem acceperant, atque adeo ne Chriſti quidem nomen audierãt. Alij, quibus ego libenter aſſentior, de Chriſtianæ fidei promulgatione, atque euangelij prædicatione accipiunt. cùm enim Paulus incredibili ſtudio Chriſtianæ religionis propagandæ flagraret, eas potiſſimùm gentes, ac nationes ſibi erudiendas depoſcebat, quæ nihil adhuc de Chriſto inaudiſſent:

[e] in Catal. Script. [d] Socrat. lib. 4. c. 17. Theodoret. lib. 4. c. 23. Niceph. lib. 11. cap.

ita priori quæſtione expedita aditus ad poſteriorem A explicandam aperitur: vt enim ſcribit Chryſoſtomus, hæc dicens oſtendit ſe quàm alieniſſimum eſſe ab inanis gloriæ ſtudio; tantum abeſt, vt exiſtimarit Apoſtolum gloriæ cupiditate ductum noluiſſe alieno fundamento ſuperextruere: ſed quódnam ſit alienum fundamentum non ſatis liquet. Ambroſius pſeudoapoſtolorum, atque hæreticorum falſa dogmata intelligit. At Galatis prædicauit Apoſtolus, quorum animos pſeudoapoſtoli errorum nube nonnihil infuſcarant, vt nihil dicam errorum fibras penitùs euellendas fuiſſe potiùs, quàm vt fundamento, cui fidei doctrina ſuperextruenda eſſet, conferendæ viderentur. Origenes verba illa *ne ſuper alienum fundamentum ædificarem*, de alieni laboris gloria explicat, quaſi dicat; ne alienæ prædicationis gloriam ſurripere, atque vſurpare viderer. Nec diſcrepat Anſelmus: Chryſoſtomus autem pro gloria mercedem ſuſtinuit. *Alienum* (inquit) *fundamentum dicit non iuxtà perſonæ qualitatem, neque iuxtà prædicationis naturam, ſed ſecundùm mercedis rationem. alioqui prædicationes ipſæ alienæ non erant, niſi quantum ad mercedem pertinebat, merces enim laborum, qui ab aliis deſudati ſunt, aliena erat Paulo.* Mitto illos, qui alienum fundamentum fuiſſe putant legem veterem, quæ reſpectu quidem doctrinæ, ſiue fidei nullo pacto dici poterat aliena, cùm illa Chriſtum, & Chriſtianæ fidei myſteria & polliceretur, & multis modis indicaret. Quæ cùm ita ſint, verba illa. *Ne ſuper*

III. *alienum fundamentum ædificarem*; non perinde accipio, quaſi cauſam, aut finem contineāt, ſed rationem C duntaxàt, & vt ait dicam, formam prædicationis apoſtolicæ deſcribant: tanto, inquit, ſtudio tenebar euangelij promulgandi, vt ad eas gentes, ac nationes incredibili alacritate contenderem, ad quas ne fando quidem Chriſti nomen perueniſſet, neque me vllo modo aliis euangelij præconibus adiungerem, vt hac ratione Chriſti nomē, ac fides & citiùs, & latiùs propagaretur: ſiquidem hæc à me muneris mei ratio poſtulare videbatur, qui gentium conuerſioni Apoſtolus eſſem deſtinatus, probéque intelligerem ex oraculis prophetatum cunctas orbis terræ nationes Chriſto eſſe aggregandas. Quod igitur aliorum opera perfectum eſſet: non modò non improbaui, ſed potiùs ratum habui, atque ob id ipſum, ad alias gentes me conuerti, vt hac ratione gentium conuerſio D maiores faceret progreſſus, & maturiùs expleretur: nam alioqui ſuperuacaneum videri poterat, in iis erudiendis ſtudium, atque operam ponere, qui iam ab aliis Chriſtiana ſacra, & Catholicæ fidei dogmata percepiſſent. interim oſtendit, quàm fuerit ab iis contentionibus alienus, quas in epiſtola ad Corinthios acriter reprehendit. Sui verò conſilij mox rationem reddens ſubdit.

21. SED SICVT SCRIPTVM EST, &c. Iſaiæ [a]
I. teſtimonio probat rectam ſe prædicandi euangelij
a cap. 52. 14. rationem iniiſſe. multò enim, inquit, antea vaticinatus erat Iſaias, gentes à fide Chriſti alieniſſimas, euangelica doctrina imbuendas. itaque qui gentium Apoſtolus renuntiatus eſſem, eas mihi potiſſimùm gentes inſtruendas, atque informandas delegi, quæ E aliis intactæ, & Chriſtianæ diſciplinæ penitus eſſent expertes. Iſaiæ porrò vaticinium intelligitur de gentibus, quæ legis Moſaicæ ne nomen quidem audiuerant, quæque à veri Dei cognitione prorſus erant alienæ: ſed more ſuo Paulus præſenti inſtituto accommodat. Neque enim Iſaias de Pauli prædicatione ſingillatim agebat, ſed vniuerſim Gentilium conuerſionem prænuntiabat: ſuo verò inſtituto Paulus vaticinium accommodat, perinde quaſi id ſe ſpectaſſe dicat, vt iis euangelij lucem proponeret, qui

A nondum Chriſti nomen audiſſent: hac enim ratione ſe gentium Apoſtolum eſſe intelligebat, vt eos ad fidem perduceret, qui adhuc eſſent gentilitatis errore implicati. Fauere tamen videntur hæc verba eorum ſententiæ, qui alienum fundamentum legem veterem intelligunt: ſed vt dixi non videtur lex illa Moſis rectè appellanda alienum fundamētum, cùm maximè Chriſti fidem ſuaderet, niſi fortè Apoſtolus alienum fundamentum intelligat, quod ab aliis iactum eſt videlicet prophetis: at hoc ipſo fundamento in Iudæorum ſynagogis ſæpè vſus eſt Apoſtolus. Quamobrem ille verba Iſaiæ ſuo inſtituto accommodat, retento tamen verò ſenſu.

PROPTER QVOD ET IMPEDIEBAR, 22.
&c. Ad huius loci explanationem non mediocriter I.
B pertinent quæ alicubi ſcribit Baſilius [a]. *Eorum* inquit, *qui in Domino rectè agunt alia mentis propoſito & iudicio abſoluuntur, alia per corpus perficiuntur, vel ſtudioſo opere, vel tolerantia. Quæcumque in animi ſita ſunt propoſito, illa nullo modo poteſt impedire: voluntas quippe hominis ſubiacet ſolius Dei imperio. iis verò, quæ corporali operatione perficiuntur, ſæpenumero permittit etiā Deus accidere impedimentum ad probandum, vel arguendum eum qui impeditur, vt vel ſi bonum propoſitum mouet, arguatur: quales ſunt ij, de quibus ſcriptum* [b] *eſt, ad tempus credunt. aut ſi in bono perſeuerauerit, probatus reddatur in virtutum ſtudio, ac diligentia, ſicut Apoſtolus, qui cùm ſæpè ſtatuiſſet proficiſci ad Romanos, impeditúſque toties fuiſſet, nihilominus à propoſito non deſtitit donec illud impleret.* Cur verò tantopere

a Reg. breu. 173.

b Luc. 8.

C optaret vrbem Romam videre, quæ iam ab aliis Apoſtolis erudita fidem conceperat, quærat fortaſſe quiſpiam, cùm hoc videatur pugnare cum iis, quæ modò de ſuo euangelizandi ſtudio dixerat. nam, quod nonnulli dicunt veniſſe illum Romam, non prædicandi gratia, ſed tantùm animi cauſa, vereor vt probari poſſit. Quamquam enim verum eſt, quod initio huius epiſtolæ dixerat, magnam ſe ex Romanorum conſuetudine ſperare voluptatem, atque animi oblectationem; ibidem tamen addit cupere ſe ex illa vrbe vberem meſſem colligere, quemadmodum ex cæteris gentibus collegerat: ſe enim Græcis, & Barbaris, ſapientibus, & inſipientibus lucem euangelij debere; denique promptum ac paratum eſſe ad proponendum euangelium ipſis etiam Romanis.
D Quæ cùm ita ſint quod in præſentia ait Paulus, ita ſe II.
promulgando euangelio ſtudium, atque operam poſuiſſe, vt non alios Chriſtiana fide imbuendos ſuſciperet, niſi eos, qui nullam Chriſti notionem percepiſſent, non perinde accipiendum eſt, quaſi nuſquam omnino verbum fecerit, vbi lux euangelij aliena opera affulſiſſet: etenim Antiochiæ ſæpè de fide, ac religione diſſeruit, vbi tamen non pauci, iam Chriſto nomina dederant: ſed vt arbitror, id vnum voluit ſignificare, ſe eas præcipuè gentes fidei præceptis inſtituendas ſuſcepiſſe, quæ alioqui planè rudes, atque integræ eſſent. Itaque vt plurimùm iis in regionibus euangelium promulgauit, vbi nemo ante illum fidei iecerat fundamenta. Iam verò plerique Latini codices habent hæc verba: *Et prohibitus ſum*
E *vſque adhuc.* quæ græcè non habentur, videntúrque ex initio huius epiſtolæ huc tranſlata, vt habet editio Romana. Quod verò noſter interpres dicit *plurimùm*, græcè eſt *τὰ πολλὰ*, hoc eſt ſæpiùs. Sed vtro modo legas idem eſt ſenſus. Rectè autem monet Chryſoſtomus, hinc percipi poſſe magnitudinem deſiderij, quō Paulus tenebatur videndi Romam. de quo alicubi Athanaſius [c] hunc in modum ſcribit. *Vt væ illi eſt, qui non euangelizat, ita ipſe Paulus docens, & prædicans euangelium, pro gaudio, & corona diſcipulos ſuos habebat. quapropter ſtudium fuit ſancto viro,*

c epiſtol. ad Dracont.

vſque

vſque ad Illyricum illud prædicare, neque ſegneſcere, aut omittere quin Romam iret, & in Hiſpanias aſcenderet, ut pro grauiore labore maiore frueretur mercede laboris. Ipſeque Chryſoſtomus [a]. *Poſtquam Paulus* (inquit) *Romam ingreſſus eſt, ibi quanta cum modeſtia annuntiat veritatem, quanta cum libertate obſtruit ora impiorum! verùm nec ibi ſtare contentus etiam in Hiſpaniam percurrit.*

23. NVNC VERO VLTERIVS, &c.

24. 3. CVM IN HISPANIAM, &c. Hæc nihil continent noui præter ea, quæ ſuperiùs dicta ſunt. Ait autem nullum ſibi locum reliquũ eſſe vacuum, in quo poſſit ipſius induſtria cum fructu deſudare: quandoquidem in iis iam regionibus omnes Euãgelici præconis partes expleuerat: quamobrem locum quærebat, quem Euangelicæ doctrinæ luce perfunderet. Quod noſter interpres dixit, *Ex multis iam præcedentibus annis*. Græcè legitur ſimpliciter ἀπὸ πολλῶν ἐτῶν, id eſt à multis annis, quod de futuris annis intelligi nequaquam poteſt. *Cum in Hiſpaniam proficiſci cœpero*, quaſi dicat, ſimulatque vel vbi primùm, vel denique quandocumque. Quæri autem in præſentia ſolet, an re ipſa Paulus in Hiſpaniam profectus ſit, quod hic pollicetur. & non ita multò pòſt repetit: id enim video inter doctos viros diſputari, vt initio fuſiùs [b] docui. breuiter autem hic nonnulla perſtringenda ſunt, quæ ad huius loci explanationem faciũt. ſiquidem Innocentius [c], qui ſolum Petrum in occidentalibus Eccleſiis prædicaſſe ſcribit, id videtur negare. Apertè negat Gelaſius [d], cuius teſtimonio, atque auctoritate permotus Beatus Thomas id longè probabilius exiſtimauit. D. Thomam ſequuntur ſui [e]. At contra Hiſpanienſem Pauli profectionem omnis penè antiquitas videtur adſtruere. id in primis aſſeueranter tradunt Hippolytus [f], Dorotheus [g], Athanaſius [h], cuius paulò antè verba poſui, Cyrillus [i], Hieroſolymitanus, Epiphanius [k], Chryſoſtomus [l], Theodoretus [m], Sophronius [n]: qui omnes ita de hac profectione Hiſpanienſi loquuntur, vt nullum videantur reliquiſſe ambigendi locum. His addi poſſunt plurimi Latini Patres: quamuis enim Hieronymus alicubi [o] de hac Hiſpanienſi peregrinatione dubitare videatur, alibi [p] tamen apertè affirmat. quod & faciunt Iſidorus [q], Gregorius [r], Beda [s], Anſelmus [t], & Martyrologia [u], aliique complures [x]. Sed certum eſt non potuiſſe Paulum eo, quo ſtatuerat tempore, quódque in præſentia indicat, in Hiſpaniam proficiſci, cùm profectus Ieroſolymam fuerit à Iudæis apud Romanum Præſidem accuſatus, & inde Romam in vinculis ad Cæſarem tranſmiſſus. verùm quoniam non ita multò pòſt vinclis ſolutus plures adhuc annos ſuperſtes fuit, potuit ante obitum plures regiones luſtrare. Nec veriſimile eſt cùm, vt ait Oecumenius, tantopere Hiſpaniam viſere, & euangelicis præceptis imbuere deſideraret, nouem circiter annorum ſpatio id neglexiſſe. Quanquam enim ad Philippenſes, & Philemonem, & denique ad Hebræos indicare videtur poſt ſua vincula, alias ſe regiones peragraſſe, cùm de Hiſpania ne verbum quidem faciat: tamen cùm ſatis illum temporis habuiſſe conſtet, ſiue mox à vinculis, ſiue aliquanto pòſt potuit in Hiſpaniam proficiſci. Neque verò cum hac ſententia Gelaſii pugnat epiſtola, non ſolùm quia in re hiſtorica hiſtoricorum potior eſt auctoritas, quàm aſſerentis non tamen definientis Pontificis, vt ante nos dixit non nemo: verùm etiam quoniam id tantùm Gelaſius ſignificauit, Hiſpanienſem Pauli profectionem non tum fuiſſe ſuſceptam, cùm Paulus proficiſci decreuerat: atque ita cùm hæc ad Romanos ſcribit nulla fuiſſe ratione mentitum, etiam ſi quod apud ſe ſtatuerat, aliis occupationibus diſtentus præſtare non potuerit. De Innocentio maior videtur difficultas, cùm ille apertiſſimè aſſerat occidentales regiones nonniſi à Petro euangelicis præceptis fuiſſe imbutas. Verùm præterquam quod non eſt illa Romani Pontificis definitio, ſed priuati hominis argumentatio, atque ſententia: exiſtimare quis poſſet ſignificare voluiſſe Pontificem non tam Petrum per ſeipſum Hiſpanias, reliquáſque occidentales regiones luſtraſſe, & Chriſtianis inſtitutis informaſſe, quàm Petri Romanæque Eccleſiæ doctrinam in eas tantummodò regiones penetraſſe, atque idcirco Romanæ eccleſiæ conſuetudines, & eccleſiaſticos ritus iis eſſe retinendos. quod ſi verum eſt, nihil prohibet, quin etiam Paulus nonnullam in ea re operam præſtare potuerit, cùm nihil æquè ſit apud veteres patres vulgatum, quàm Romanam Eccleſiam Apoſtolorum Petri, & Pauli ſanguine, atque inſtitutione fuiſſe fundatam. Adde, quod fortaſſe Innocentius idcirco negat alios Apoſtolos præter Petrum in occidentalibus regionibus docuiſſe; quia nemo aliorum eccleſias fundauit, Epiſcopos inſtituit, ritus eccleſiaſticos tradidit. Neque enim contenderim Paulum tam breui commoratione aliquid horum efficere potuiſſe. Non diu autem in Hiſpania Paulum commoratum fuiſſe valdè veriſimile videtur, tum quòd aliarum eccleſiarum neceſſitates illum reuocarent, tum etiam quòd non eam rei benè gerendæ materiam, atque opportunitatẽ repererit, quam ſperabat. Iam verò quod ſpectat ad verba græcè Apoſtolus Σπανίαν, quo permoti nonnulli exiſtimarunt Græcos vna littera fraudare Hiſpaniam: & ſunt qui ob rerum vitæ neceſſariarum penuriam, ita vocatam exiſtiment, eòque pertinere, quod ſcripſit Horatius, *dura tellus Iberiæ*. cùm tamen Solinus dicat: *Hiſpania terrarum comparanda optimis: nulli poſthabenda frugum copia, ſiue ſoli vbere ſiue vinearum prouentus reſpicere, ſiue arborarios velis. omni materia affluit, quæcumque aut pretio ambitioſa eſt, aut vſu neceſſaria. argentum, vel aurum ſi requiras habet: ferrariis numquam deficit, non cedit vitibus, vincit olea.* Mitto quæ Plinius, & Strabo de Hiſpaniæ fertilitate ſcribunt: certè Strabo, Plutarchus, Galenus ἰσπανίαν ſcribunt, Apoſtolus autem Σπανίαν dixit ſecutus Hebræos, apud quos סְפָרַד dicitur: vnde fortè manauit vox Latina Heſperia.

25. 1. NVNC IGITVR PROFICISCAR, &c. Græcè διακονῶν τοῖς ἁγίοις, hoc eſt *miniſtrans ſanctis*, poſt pauca: *obſequij mei oblatio* ἡ διακονία μου. denique ad Corinthios [a], miniſterium huius officij, græcè λειτουργίας, vt διακονία hoc loco & λειτουργία, pro eodẽ accipi videantur. Sanctos autem appellat, vt ait Sedulius eos, *qui erant in Ieruſalem, & omnibus ſuis diſtractis, & ante pedes Apoſtolorum depoſitis orationi, contemplationi, doctrinæque vacabant.* Ridicula autem eorum videtur obſeruatio, qui rectè dicunt vſum fuiſſe Paulum voce illa Græca διακονία, quod munere fungatur diaconorum, ad quos propriè ſpectabat egentium neceſſitatibus conſulere. etenim diaconorum munus erat collectas iam eleemoſynas pro cuiuſque neceſſitate diſtribuere. At Apoſtoli vniuerſæ multitudini vndecumque poterant ſubſidia curabant, vt alio loco commodiùs oſtendam. Cæterùm græcè dixit Apoſtolus δὲ, pro qua particula Latinus interpres dixit *igitur*: fortaſſe ipſe aliter legerat, & vtraque particula ſenſui accommodatur, & continuationi ſeruit.

26. 1. PROBAVERVNT ENIM MACEDONIA, &c. Profectionis Ieroſolymitanæ cauſam reddit, vnaque oſtendit vndè nam eleemoſynas collegerit. Quod autem noſter interpres ait, *probauerunt*, græcè eſt εὐδόκησαν, vnde εὐδοκία, & ſignificat non ſolùm

a 2. Cor. 9. 12.

probare, ſed etiam ex animo probare, indicans hoc liberalitatis, & beneficentiæ munus benè, atque ex animo placuiſſe. in eo enim, vt non ſemel ait Seneca, liberalitatis laus poſita eſt. vt vltrò etiam nõ poſcenti beneficia impendantur. Collationem porrò Græcè dixit κοινωνίαν, id eſt communionem, ſiue communicationem, vt ciuili veluti vocabulo ſignificet, non tam id eſſe beneficium, quàm communem cenſum, cùm opus ſit aliis impertiri. Cæterùm *In pauperes ſanctorum*; Hebræorum more dixit, hoc eſt in pauperes ſanctos; vel in pauperes, qui ſanctorum de numero eſſent.

27. I. PLACVIT EIS, ET DEBITORES, &c. Quaſi pugnantia videtur iungere Apoſtolus, εὐδόκησαν, hoc eſt vehementer placuit, & ὀφειλέται, id eſt debitores ſunt. Etenim qui ſponte, ac liberaliter affert, non videtur debere, atque ita gratuitam erga homines Dei beneficentiam appellare ſolet εὐδοκίαν. Sed videtur vtrumque non temerè addidiſſe, alterum quidem ad promptam, ac liberalem voluntatem ſignificandam, alterum verò vt oſtenderet Gentilium liberalitatem, gratæ, memoriſque voluntatis officium eſſe: quod & alibi etiam docet. Cur autem humanæ vitæ ſubſidia debeantur, explicat cùm ſubdit: *Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt Gentiles, debent & in carnalibus miniſtrare illis.* quomodo verò Gentiles participes facti ſint rerum ſpiritualium, atque ob id Iudæis obnoxij degant, multiplex afferri poteſt ratio. prima, quòd ex Iudæis ortus eſt Chriſtus humanæ ſalutis auctor: quocirca Chryſoſtomus: *Illis* (inquit) *qui ex Iudæis ſunt omnia erant promiſſa, ex ipſis eſt Chriſtus, vnde & dixit* [a], *ex Iudæis eſt ſalus.* Altera, quòd ex iiſdem profecti ſunt Prophetæ, Apoſtoli, cæterique diuini verbi præcones, & magiſtri, quam cauſam idem Chryſoſtomus, & Hieronymus attigerunt. *Ex illis* (inquit Chryſoſtomus) *ſunt Apoſtoli, ex illis Prophetæ, ex illis omnia bona de quibus omnibus participauit orbis.* Hieronymus autem: *Doctores* (inquit) *ex ipſis habebant, & ſocij facti fuerunt radicis pinguedinis oliuæ, ideóque vnuſquiſque in quo abundat debet alteri impertire.* Tertia, quòd ipſorum exemplo, doctrináque proficiebant. Quarta, quòd fidei, & religionis reſpectu fratres erant, atque idcirco alter alterius onera perferre debebant. Quinta, & poſtrema, quòd eorum precibus apud bonorum omnium largitorem Deum promouebantur.

[a] Ioan. 4. 22.

28. I. HOC IGITVR CVM CONSVMMAVERO, &c. Hoc promiſit quidem Paulus, ſed præſtare tamen non potuit: nam vt ex Actis Apoſtolicis intelligitur, pro capite illi decertandum fuit, & inde catenis vinctus Romam miſſus eſt. Quod ait Latinus interpres, *conſummauero*, Græcè dicitur ἐπιτελέσας, hoc eſt perfecero. Quod autem ait *aſſignauero*, Græcè habetur σφραγισάμενος, quaſi dicat obſignatum reddidero: veriſimile enim eſt, ne quid in priuatum vſum auertere crederetur, obſignatam pecuniam detuliſſe. Fructum autem appellat, auctore Chryſoſtomo, vt ſignificet vtilitatis plurimum ex ea largitione, in ipſos largitores redundare. idipſum more ſuo repetit Theophylactus. ita pronomen *eis* non refertur ad ſanctos, ſed potiùs ad Gentiles. id ſi verum eſt, obſignare eis dicitur Paulus, ſeu obſignatum reddere fructum largitionis ipſorum, quia in cœleſtes veluti theſauros eius liberalitatis fructum condiderat, & quaſi in tuto collocarat certo tempore aliquando repræſentandum.

29. I. SCIO AVTEM QVONIAM, &c. Græcè pro abundantia benedictionis Euangelij Chriſti legimus ἐν πληρώματι εὐλογίας τοῦ εὐαγγελίου, hoc eſt in plenitudine benedictionis Euangelij Chriſti. Quibus verbis duplici vtitur Apoſtolus Hebraiſmo: altero, cùm dicit in plenitudine, ſeu abundantia, pro eo, quod Latini dicerent, cum plenitudine: altero, cùm ait plenitudine, ſeu abundantia benedictionis, hoc eſt plena, & abundanti benedictione. Verùm quid hæc benedictio ſignificet, incredibili varia opinantium diſſenſione certatur. Sunt qui benedictionem eleemoſynam interpretentur, perinde quaſi modeſtè, & verecundè Apoſtolus hortetur Romanos, vt Græcorũ pietatem, & liberalitatẽ imitentur. Sic enim alibi [a] locutus eſt Paulus; & quod Euangelij nomine dabatur, εὐλογία dici conſueuerat. Quinetiã veteres eleemoſynã, quæ verbis amicis tribueretur, perſimili tropo εὐλογίαν appellarunt, quo conuiuium pauperibus dari ſolitum, ἀγάπην. Admitti poſſet eruditorũ hominum explanatio, niſi hæc benedictio diceretur à Paulo benedictio Euangelij, vel vt alij legunt Euangelij Chriſti. Nã ſi cum Origene, Ambroſio noſtróque interprete ſimpliciter legamus in benedictione Chriſti, tolerabilior erit interpretatio. Theodoretus benedictionem intelligit pericula quæ in Romano itinere Euangelij cauſa ſubiturum ſe, iam tum diuini ſpiritus afflatu præuiderat: quod ſequẽtia verba magnopere confirmant, dum aduerſus infideles Iudæos Romanorum preces, & apud Deum ſuffragia implorat. non omnino extra rem. Ambroſius vim ſignorum, atque miraculorum. Chryſoſtomus Chriſtianarum virtutum ornamenta, quibus Romani præditi erant. Origenes, & Anſelmus diuinorum chariſmatum, cùm multitudinem, tum verò etiam præſtantiam, quam ſuo aduentu Romanis acceſſuram confidit. atque hanc poſteram expoſitionem in paraphraſi ſecuti ſumus.

[a] 2. ad Cor. 9. 12.

30. I. OBSECRO ERGO VOS FRATRES, &c. Iam tum præſagiebat animus quæ ſibi aduerſa Ieroſolymis eſſent obuentura, de quibus Lucas in [b] Actis Apoſtolicis. Obteſtatur autem per Dominum Ieſum, vt ſe apud Deum precibus iuuent: Græcè συναγωνίσασθαι, quo verbo docet precandi ſtudium eſſe veluti quoddam certamen, quo quaſi per vim à Deo extorquemus quod cupimus: id quod inſigni illa lucta Iacobi cum Angelo iampridem ſignificabatur, de qua ſcriptum eſt in libro Geneſeos [c]. *Ecce* (inquit) *vir luctabatur cum eo vſque manè*; Id egregiè obſeruatum eſt ab Origene: συναγωνίσασθαι inquit, *Apoſtolus dixit oſtendens quaſi agonem haberet, certaménque orationis*: quamquam ille eos, qui orant nõ cum Deo pugnare, ſed cum Dæmone inire certamen exiſtimat: *ſubdit enim aduerſantibus ſibi ſine dubio illis de quibus dicebat, non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores, tenebrarum harum, aduerſus ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.* Eodem pertinent quæ alibi ſcribit idem Origenes [d] cùm de pugna populi Iſraelitici cum Amalecbitis ageret. *Nobis etiã* (inquit) *pugna eſt aduerſus Amalech, hoc eſt aduerſus principes, & poteſtates, & rectores tenebrarum harum. Eleua & tu manus ad Deum, imple mandatum Apoſtoli* [e], *ſine intermiſſione orate, & tunc fiet quod ſcriptum eſt* [f]. *quia ſicut vitulus ablingit in campis herbam virẽtem, ita ablinget populus hic populum, qui ſuper terram eſt: per quod vt à maioribus accepimus, indicatur populum Dei non tam manu, & armis, quàm voce, & lingua pugnare, id eſt orationem ad Deum fundendo.* Neque abhorrent illa, quæ leguntur in Canticis [g]. *Quid videbis in Sunamite niſi choros caſtrorum?* Videri enim poſſent hæc, vt in eum locum monet Theodoretus, planè pugnantia, cum nihil magis alienum ſit a caſtris, quàm chori ſymphoniacorum: ſed ſanctorum Eccleſia dum preces ad Deum fundit muſicis quodam modo numeris cælitum aures demulcet, ea-

[b] cap. 20.
[c] cap. 32. 24.
[d] Hom. 11. ſuper Exod.
[e] 1. ad Theſſal. 5.
[f] Num. 22.
[g] cap. 7. 1.

démque

démque opera armatos veluti milites è caſtris educit. Rectè igitur Paulus Romanos obſecrat, vt ſecum, ſuis ad Deum precibus certare ne deſiſtant, idque *per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per caritatem ſancti Spiritus.* Multorum enim preces magnam vim habent apud Deum. Monet autem Origenes[a] etiamſi preces inferioris eſſe meriti videantur, non eſſe tamen à prouectioribus negligendas.

[a] Hom. 2. in [illegible]

31. I. Vt liberer ab infidelibvs, &c. Hanc ob cauſam precum ſuffragia poſtulat. *vt* (inquit) *liberer ab infidelibus, qui ſunt in Iudæa.* Incredibile enim dictu eſt quàm multa Paulus ab Iudæis perferre coactus ſit, vt ex Actis Apoſtolicis, aliiſque Pauli Epiſtolis perſpici poteſt. Et fortaſſe iam tum animo præſenſerat, quæ illi diuinitùs fuiſſe iudicata ſcribit Lucas. Addit alteram cauſam. *Et obſequij mei* (inquit) *oblatio.* Græcè *διακονία μου, accepta fiat in Ieruſalem ſanctis.* Græci codices indicant verba aliter coniungenda. *Vt oblatio* (inquit) *mea, ſeu miniſterium, quod eſt in Ieruſalem*, hoc eſt *erga Ieruſalem*, ſit ſanctis gratum, & acceptum.

32. I. Vt veniam ad vos in gavdio, &c. Hæc eſt tertia cauſa, cur Romanorum ſuffragia apud

A Deum tam ſedulò ac diligenter expetat, vt videlicet rebus in Iudæa fœliciter confectis, magno cum gaudio, atque animi voluptate Romam perueniat. ſuo autem more Apoſtolus vulgatum retinet Hebraiſmum, *vt veniam ad vos in gaudio*, hoc eſt cum gaudio, & lætitiæ plenus. *Per voluntatem Dei*, annuente videlicet, & probante numine. Latini dicerent; bonis auibus, & fœlicibus, aut ſecundis auſpiciis. addit: *& refrigerer vobiſcum*, hoc eſt refociller dum veſtros videam in virtute progreſſus, vóſque ex me Chriſtianæ fidei incrementa cognoſcatis, quod initio Epiſtolæ dixerat, *ſimul conſolari in vobis per eam, quæ inuicem eſt, fidem veſtram, atque meam.*

Devs avtem pacis, &c. Concludit mo- 33. I.
ralem diſputationem pia, atque eleganti precatione:
B optat enim Romanis Dei patrocinium, ac præſentiam, vt illos videlicet tueatur, ac ſeruet, & ad optima quæque promoueat. Aptè verò Deum pacis auctorem appellat: cupiebat enim lites ſedare, & contentiones extinguere, quas paulò ante cõmemorauerat. vocat autem Deum pacis, hoc eſt pacis auctorẽ, ſeu pacificatorem, ſeu etiam amatorem pacis, cui videlicet diſſenſiones, & pugnæ probari nullo modo poſſunt.

Argumentum Cap. XVI.

Nonnvllos *Romanis commendat, plurimos nominatim ſalutat, aliorum nomine ſalutem dicit. ab hæreticis, & ſchiſmaticis cauendum monet; gratiarum denique actione, fauſtáque imprecatione Epiſtolam concludit.*

CAPVT XVI.

Commendo autem vobis Phœben ſororem noſtram, quæ eſt in miniſterio eccleſiæ, quæ eſt in Cenchris.

Vt eam ſuſcipiatis in Domino dignè ſanctis, & aſſiſtatis ei in quocumque negotio veſtri indiguerit: etenim ipſa quoque aſtitit multis, & mihi ipſi.

Salutate Priſcam, & Aquilam adiutores meos in Chriſto Ieſu.

(Qui pro anima mea ſuas ceruices ſuppoſuerunt, quibus non ſolus ego gratias ago, ſed & cuncta eccleſiæ gentium.)

Et domeſticam eccleſiam eorum. Salutate Epænetum dilectum mihi, qui eſt primitiuus Aſiæ in Chriſto.

Salutate Mariam, quæ multum laborauit in vobis.

Salutate Andronicum, & Iuniam cognatos, & concaptiuos meos, qui ſunt nobiles in Apoſtolis, qui & ante me fuerũt in Chriſto.

Salutate Ampliatum dilectiſſimum mihi in Domino.

Salutate Vrbanum adiutorem noſtrũ in Chriſto Ieſu, & Stachyn dilectum meum.

Salutate Apellem probum in Chriſto.

Salutate eos, qui ſunt ex Ariſtoboli domo. Salutate

PARAPHRASIS.

Commendo autem vobis Phœben 1.
ſororem noſtram Eccleſiæ Cenchrenſis ſedulam, ac diligentem miniſtram.
¶ Vt illam excipiatis in Domino, ea qua 2.
par eſt caritate eam recipi à ſanctis, eíque adſitis quacumque in re ipſi veſtra opera vſui eſſe poterit: multis enim ipſa, mihique etiam ipſi hoſpitium præbuit, & ſemper eius ædes hoſpitibus, ac pere-
grinis quaſi publicè patuerunt. ¶ Salutate Pri- 3.
ſcam, & Aquilam adiutores meos in Chriſto Ieſu.
¶ Qui pro ſalute, ac vita mea ſuam ipſorum cer- 4.
uicem oppoſuerunt, quibus non ego ſolus gratias ago, ſed omnes Eccleſiæ gentium eo ſe nomine plurimùm illis debere & agnoſcunt, & fatentur.
¶ Saluere item iubeo priuatam Eccleſiam, quæ in 5.
ipſorum domo eſt. Porrò Epæneto mihi percaro, meo nomine ſalutem dicite: quem meritò Aſiæ primitias in Chriſto appellare poſſum, ſiue quia primus inter omnes Chriſto nomen dedit, ſiue quia vir quippe primarius eminet inter omnes.
¶ Saluere item iubeo Mariam, quæ plurimùm 6.
noſtra cauſa laborauit. ¶ Salutem meo nomine 7.
dicite Andronico, & Iuniæ cognatis meis, & olim vnà mecum captiuis, qui profectò ſunt valdè inſignes, eorúmque nomen inter Apoſtolos viget, quinetiam ante me fidem Chriſti complexi ſunt.
¶ Salutare Ampliatum dilectum mihi. ¶ Salu- 8.
tate Vrbanum adiutorem noſtrum in Chriſto, 9.
itémque Stachyn mihi in primis carum. ¶ Salu- 10.
tem dicite Apelli in re euangelica probato, & nul-
la re prorſus corrupto. ¶ Iubeo item ſalutẽ om- 11.
nes

nes Ariſtoboli domeſticos. Salutate Herodionem
cognatum meum, itémque Narciſſi familiam;eam
inquam, quæ Chriſto adhæſit. ¶ Iubeo quoque
12. ſaluere Tryphænam,& Tryphoſam, quæ laborant
in Domino: nec non Perſidem mihi chariſſimam,
quæ multos, ac magnos labores in Domino tole-
rauit. ¶ Ex me ſalutem dicite Rufo ſelecto in Do-
13. mino, eiúſque matri, quam non aliter, ac meam
matrem,obſeruo,& colo. ¶ Salutate Aſyncritum,
14. Phlegontem,Hermam,Patrobam, Hermen, cæte-
róſque fratres, qui vnà cum illis ſunt. ¶ Salutate
15. Philologum, & Iuliam, & Nereum, & ſororem
eius,& Olympiadem, & denique ſanctos omnes,
16. qui cum iis viuunt. ¶ Denique vt aliquando con-
cludam, ſalutate alij alios oſculo ſancto: nam vos
quidem omnes cunctæ Eccleſiæ Chriſti ſaluere
iubent. ¶ Precor autem vos fratres, vt obſeruetis
17. diſſidiorum,& ſcandalorum auctores, quique alia
comminiſcuntur,aut promulgant dogmata,ei do-
ctrinæ repugnantia, quam vos pridem didiciſtis,
& eorum conſuetudinem, &.familiaritatem,addo
18. etiam colloquium, aſpectúmque vitetis. ¶ Nam
qui eiuſmodi ſunt, Domino Ieſu Chriſto nequa-
quam ſeruiunt, ſed potiùs ſuo ventri:ſuáque blan-
diloquentia,& aſſentatione, corda hominum mi-
nimè malorum ſeducunt. ¶ Veſtræ porrò obe-
19. dientiæ fama ad omnes fermè gentes penetrauit:
itaque quod ad vos attinet, eſt profectò quod ma-
gnopere gaudeam, cupio tamen vos in rebus qui-
dem bonis, atque honeſtis cautos eſſe, & pruden-
tes;in malis autem planè innocentes. ¶ Iam verò
20. Deus immortalis princeps, atque auctor pacis ci-
tò(vt auguratur animus) ſathanam conteret, vo-
biſque ſuppeditabit. Gratia Domini noſtri Ieſu
21. Chriſti ſit vobiſcum. ¶ Salutem vobis dicunt Ti-
motheus adiutor meus,& Lucius,& Iaſon, & So-
22. ſipater cognati mei. ¶ Ego verò Tertius Ama-
nuenſis,qui hanc epiſtolam ſcripſi, vos plurimùm
in Domino ſaluere iubeo. ¶ Salutem vobis dicit
23. Caius hoſpes meus, immò verò totius Eccleſiæ.
itémque Eraſtus vrbis procurator, & Quartus de-
24. nique frater. ¶ Graria Domini noſtri Ieſu Chri-
ſti vobis omnibus adſit, ſempérque opituletur.
25. ¶ Soli autem ſapienti Deo per Ieſum Chriſtum
26. gloria ſit immortalis in ſæcula. ¶ Ei inquam, Deo,
qui poteſt vos ſtabilire iuxta euangelicam meam
prædicationem, & præconium Ieſu Chriſti, eiúſ-
que myſterij reuelationem, quod ante omnem
æternitatem arcano quodam ſilentio inuolutum
27. claudebatur. ¶ Nunc autem rerectum, & pate-
factum eſt, & per ſacra prophetarum oracula ex
imperio æterni Dei declaratum, vt omnes omni-
no gentes ad Chriſti fidem traducantur. Amen.

*lutate Herodionem cognatum meũ. Saluta-
te eos, qui ſunt ex Narciſſi domo, qui ſunt
in Domino.*

*Salutate Tryphanam, & Tryphoſam, quæ la-
borant in Domino. Salutate Perſidem cha-
riſſimam, quæ multũ laborauit in Domino.*

*Salutate Rufum electum in Domino, & ma-
trem eius, & meam.*

*Salutate Aſyncritum, Phlegontem, Hermam,
Patrobam, Hermen, & qui cum eis ſunt,
fratres.*

*Salutate Philologum, & Iuliam, Nereum, &
ſororem eius, & Olympiadem, & omnes,
qui cum eis ſunt ſanctos.*

*Salutate inuicem in oſculo ſancto: ſalutant vos
omnes Eccleſiæ Chriſti.*

*Rogo autem vos fratres, vt obſeruetis eos, qui
diſſenſiones, & offendicula præter doctri-
nam, quam vos didiciſtis, faciũt, & decli-
nate ab illis.*

*Huiuſcemodi enim Chriſto Domino noſtro
non ſeruiunt, ſed ſuo ventri, & per dulces
ſermones, & benedictiones ſeducunt corda
innocentium.*

*Veſtra enim obedientia in omnem locum di-
uulgata eſt. gaudeo igitur in vobis: ſed vo-
lo vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices
in malo.*

*Deus autem pacis conterat ſathanam ſub pe-
dibus veſtris velociter. gratia Domini no-
ſtri Ieſu Chriſti vobiſcum.*

*Salutat vos Timotheus adiutor meus, & Lu-
cius, & Iaſon, & Soſipater cognati mei.*

*Saluto vos ego Tertius qui ſcripſi epiſtolam
in Domino.*

*Salutat vos Caius hoſpes meus, & vniuerſa
eccleſia. Salutat vos Eraſtus arcarius ciui-
tatis, & Quartus frater.*

*Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omni-
bus vobis.*

*Soli ſapienti Deo per Ieſum Chriſtum, cui ho-
nor, & gloria in ſæcula ſæculorum.*

*Ei autem qui potens eſt vos confirmare iuxta
euangelium meum, & prædicationem Ieſu
Chriſti ſecundùm reuelationem myſterij
temporibus æternis taciti.*

*(Quod nunc patefactum eſt per ſcripturas
prophetarum ſecundùm præceptum æter-
ni Dei ad obeditionem fidei) in cunctis
gentibus cogniti. Amen.*

IN CAPVT DECIMVM SEXTVM EXPLANATIO.

1. I. COMMENDO AVTEM VOBIS, &c. Hinc Phœbæ traditã fuiſſe hanc epiſtolã Romã perferendam indicat Græca ſubſcriptio. Cum igitur illa epiſtolam redditura eſſet, meritò prima omnium commendatur. Parum verò ſana, ne quid acerbius dicam, eorum videtur ſententia, qui hanc fœminam Pauli vxorem fuiſſe autumant, ſororem verò appellari, quòd vſu coniugij viro conſentiente abſtineret: vt enim alibi oſtendo, Paulus perpetuò cælebs fuit, tametſi non deſunt qui aliter opinentur. Erat igitur Phœbe, vt ait Paulus, in miniſterio Eccleſiæ Cenchreſis, græcè ſcriptũ eſt διάκονον τῆς ἐκκλησίας, vel quia ſuppeditaret neceſſaria victui, vt vult Theophylactus (id enim pertinere ad Diaconos, & ſuperiori capite indicauimus, & ex Actis apoſtolicis [a] colligitur) vel quia vt mauult Chryſoſtomus, id erat nomen dignitatis, ſeu officij, vt etiam exiſtimant Origenes, Hieronymus, Anſelmus, Primaſius, Sedulius, & alibi[b] non obſcurè indicat Paulus. Sanè in ſacris Canonibus ſæpè nominantur Epiſcopæ, presbyteræ, diaconiſſæ, hypodiaconiſſæ. Has Cataphrygæ, & Pauliamiſtæ hæretici, vt colligitur ex Ambroſio, ſacris eſſe initiatas falſò exiſtimabant: quod ipſum ſenſiſſe Acephalos, auctor eſt nonnemo[c]: eundémque errorem ſecundicuntur Peputiani, Priſcilliani, Collyridiani. At plerumque Epiſcoporum, presbyterorum, ac diaconorum vxores iis nominibus appellari tam certum eſt, vt negari prorſus nequeat: vt enim ſuo loco docebimus, olim etiam coniugati initiabantur. Hoc modo accipitur Epiſcopa in Concilio Turonenſi[d] ſecũdo, itémque presbytera[e], neque aliter in Concilio Altiſiodorenſi[f], & Laodiceno[g], quod ipſum plerumque de diaconiſſis, & hypodiaconiſſis intelligẽdum eſt: & presbyteram pro presbyteri vxore accipiunt Baſilius[h] & Gregorius[i]. Apud Athanaſium[k] autem presbytera ſimpliciter fœminam ſeniorem ſignificat. Photius[l] certè monet presbyteram à diaconiſſa diſtingui, idque auctoritate Concilij Nicæni, Laodiceni, Chalcedonenſis: nam diaconiſſæ olim erant fœminæ ab Epiſcopo ad certa quædã munera deſtinatæ, vt ex Concilio Chalcedonenſi[m], & Vnotmatienſi[n] intelligitur: quibus nubere non licebat, vt ex eodẽ Concilio Chalcedonẽſi, & Aurelianenſi[o] conſtat, de quibus Theodoretus[p], Epiphanius[q], & Clemens Romanus[r], aliique[s] non pauci meminerunt. Eas certè Concilium Nicænum[t] inter laicas fœminas recenſet, quod item faciunt Tertullianus[u], & Epiphanius[x]: ac non fuiſſe earum ſacram ordinationem intelligitur ex pluribus Conciliis[y]. Olim quidẽ certè ſolẽni aliquo ritu initiabantur, quę manus impoſitio dicebatur[z]: vt non immeritò ſcripſerit Paulus[a] debere illas incedere habitu ἱεροπρεπεῖ, quaſi dicat religioſo, & ſacro, vel qui ſacratas fœminas deceat. & Clemens Romanus[b] diaconiſſam ait eligendam fidelem, & ſanctam, vt miniſtret mulieribus. paulò autẽ poſt[c] in eodem ordine collocat cum diaconibus. alio loco[d] vult eligi Virginem, vt viduam & ex viduis antiquioribus, quæ vt minimum nata eſſet annos quadraginta: quod deinde probarunt plurima Concilia[e]. At Valentinianus[f], & Theodoſius Auguſti volunt eſſe quinquagenariam. Paulus[g], & Clemens[h] ſexagenariam. Iuſtinianus[a] antiqua iura reſtituit quod attinet ad ætatem, & nuptiarum iterationem. Porrò ordinationis diaconiſſarum meminit non ſemel Tertullianus[b]: Nicephorus[c] autem, & Sozomenus[d] ſcribunt fuiſſe Elpidium Epiſcopum exauthoratum, quòd Nectariam periurij damnatam ad diaconiam admiſerat. Epiphanius[e] certè negat ſe vllas diaconiſſas initiaſſe; illuſtres tamen diaconiſſæ in vita Chryſoſtomi nominantur. II. De earum porrò muneribus, & functionibus præter ea, quæ leguntur apud Paulum[f], & Clementem[g], hæc ſcribit Epiphanius[h]: *Miniſtrarum quidem, quæ diaconiſſæ appellantur, ordo eſt in Eccleſia, ſed non vt ſacrificent, nec tale quidpiã aggredi permittantur, verùm reuerentiæ muliebris gratia propter balnea, & laborum affectionúmque viſitationem, vt nudatum mulieris corpus non a viris, ſacrum facientibus circumſpiciatur, ſed a miniſtrante muliere, cui præcipitur à ſacerdote, vt curam gerat ad tempus indigentis mulieris in tempore denudationis corporis ipſius*[i]. Alibi verò. *Diaconiſſæ*, inquit, *conſtituuntur in miniſterium mulierum ſolùm propter reuerentiam, ſi opus fuerit balnes gratia, aut inſpectionis, & viſitationis corporum.* Non videtur autem eorum vllo modo probanda ſentẽtia, qui inſpectiones, de quibus Epiphanius, fuiſſe putãt ad explorandam virginũ integritatem, cùm referẽtur tantummodò ad corpora curanda: nam ad cognoſcendam virginitatem obſtetrices fuiſſe adhibitas colligitur ex Cypriano[k], & Ambroſio[l]. Legimus quidem in vita Chryſoſtomi, nonnullas diaconiſſas conſueuiſſe etiam Epiſcopos hoſpitio excipere. Verùm id cum ſuperioribus non pugnat: nam mihi quidem valdè vero ſimile videtur, diaconiſſas aliquot opulentas, viros etiam eximios, atque in dignitate conſtitutos peregrè præſertim venientes excipere interdum conſueuiſſe, eorúmque pedes abluere: ſic enim de vidua ait Paulus[m], *ſi ſanctorum pedes lauit.* Sed quemadmodum diaconorum officium ad menſarum procurationem primùm inſtitutum factum eſt ſacroſanctum in miniſterio liturgiæ; ſic etiam diaconiſſarum munus olim penè prophanũ, aliquo modo cœpit ad eccleſiaſticas functiones pertinere. Nam Ignatius ad Antiochenos ſcribens ſalutat diaconiſſas, ſanctarum portarum cuſtodes, quæ quodammodò imitabantur illas, quæ vt ſcribitur in Exodo[n], ad oſtia tabernaculi excubabant: quarum meminit Hieronymus[o], quaſque filij Heli violaſſe dicuntur[p]: & veriſimile eſt ex earum numero fuiſſe Annam illam, quam Lucas[q] commemorat. Idipſum colligitur ex Clemẽte[r]: cùm enim ageret de ſacrificio Miſſæ, *Maneant*, inquit, *oſtiarij ad introitus virorũ illos cuſtodiẽtes: diaconiſſæ ad introitus fœminarũ more nauticorum cuſtodum.* Alio verò[s] loco formam precandi deſcribit, qua diaconiſſæ initiari conſueuerant, poſtmodum diaconiſſas adhibitas fuiſſe ad fœminarum tum catecheſim, tum miniſterium baptiſmi indicant patres Concilij Carthaginenſis[t]. Iuris canonici[u] periti exiſtimant fuiſſe etiam adhibitas ad homilias in Eccleſia legendas, vel etiam ad recitandum euangelium in precibus matutinis. Quamquam autem diaconiſſæ, vt ex Clemente[x] docuimus, è virginibus, ac viduis eligebantur, admittebantur[y] tamen etiam coniugatæ ſi continentiam ſponderent. Neque verò omnes viduæ continuò erant diaconiſſæ

a Nouel. 123. apud Grat. d. 28. can. nemo.
b li. ad vxor & lib. de caſt. adde grat. 1. q. 7. cap. ſi quis omnem.
c lib. 9. ca. 45.
d lib. 4. c. 24.
e Ep. ad Ioan. Ieroſolym.
f 1. ad Tim. 5.
g lib. 3. Conſt. cap. 15.
h Hæreſ. 79.
i in compend. doct. in fine
k li. 1. epiſt. 11.
l epiſt. 64. ad Siagr.
m 1. ad Tim. 5. 10.
n cap. 38.
o lib. 1. aduer. Iouin.
p 1. Reg. ca. 2.
q cap. 2.
r lib. 2. Conſt. cap. 61.
ſ lib. 8. cap. 19. 20.
t Carthag. 4. cap. 12.
u 27. q. 1. can. diaconiſſam.
x lib. 6. Conſt. cap. 17.
y 4. Synod. can. 44.

[a lib. 1. Con... cap. 7.] ... præcipit ... [a], vt viduæ non modò A Epiſcopis, ac reliquis mini...is, ſed etiam diaconiſſis ſe præbeant obſequentes. neque diaconiſſæ eædem erant cum monialibus, aut ſanctimonialibus fœminis, quandoquidem Iuſtinianus [b] diaconiſſam, quæ deliquerit, præcipit in monaſterium detrudi. Quinetiam conſtat [c] diaconiſſas propria bona retinuiſſe, & potuiſſe teſtamentum condere; communi tamen nomine diaconiſſas, ac viduas interdum ſanctimoniales vocari colligitur ex Concilio Carthaginenſi [d]. Phœben igitur diaconiſſam fuiſſe Pauli verba apertè indicant, & Origenes, Chryſoſtomus, aliíque non pauci affirmant. Illam Apoſtolus præcipit recipi in Domino dignè ſanctis. Chryſoſtomus explicat, vt decet ſanctos excipi. nos in paraphraſi ea caritate excipiendam diximus, qua ſolent ſancti peregrinos excipere, hoc eſt honeſtè & honorificè. Addit: *Et aſſiſtatis ei in quocumque negotio veſtri indiguerit.* B vt veſtram ei operam, ſi res poſtulet, non denegetis. idque ex eo confirmat, quòd ipſa ſibi, & plurimis aliis nullo vnquã tẽpore defuerit. *etenim*, inquit, *ipſa quoque aſtitit multis, & mihi ipſi.* hoc eſt enim quod ait Paulus.

[b Nouel. 123. §. presbyt. & §. vlt. repetit. Grat. 27 q. 2. cap. ſi quis diaconiſſam.] [c l. gener. C. de ſacroſ. Ecc. l. ſi quis. C. de Epi. & cleric.] [d Carthag. 4. cap. 12.]

2.
1. VT EAM SVSCIPIATIS IN DOMINO, &c. Quanta olim caritate excipi ſolerent peregrini, non obſcurè hic Pauli locus indicat: multò autem apertiùs probant illa, quæ quamquam calumniando impius Lucianus [e] commemorat, in eum finem literæ ſolebant commendatitiæ dari, ne fraudi locus eſſet, vt alibi fuſiùs doceo. Hanc igitur Phœben & ab officio, & à pietate Paulus commendat, & ante C omnes nominat. Quamobrem rectè Chryſoſtomus. *Vide*, inquit, *quantum illam honoret: nam illam & ante reliquos omnes commemorat, & ſororem vocat. Non eſt autem modici momenti Pauli ſororem vocari. dignitatem quoque adiicit, miniſtram illam vocans.*

[e Dial. pereg.]

3. SALVTATE PRISCAM, &c.

4. QVI PRO ANIMA MEA, &c.

1. Origenes Priſcam eandem eſſe putat, quam Lucas in Actis Apoſtolicis Priſcillam nominat, cuius vir erat Aquila Ponticus genere, religione tamen, & origine ſtirpis Iudæus. De his quæri ſolet, quomodo ſcriptum ſit à Luca totondiſſe ſe in Cenchris: nam apud Lucam variant codices: nonnulli enim legunt numero ſingulari, *totonderat in Cenchris*, vt referatur ad Paulum, quem Hieronymus [f], & Auguſtinus [g] affirmant Beda [h] aſſentiente ex voto totondiſſe capillum, D quanquam referri poteſt ad Aquilam proximè nominatum. Chryſoſtomus tamen legit numero multitudinis, vt pertineant etiam ad Priſcillam, de quo magnopere dubito cùm detonderi fœminam turpe ſit, vt alibi doceo. Vocat autem adiutores ſuos in Chriſto Ieſu, hoc eſt in re euangelica. Addit, *Qui pro anima mea ſuas ceruices ſuppoſuerunt.* Non ſatis liquet quónam id tempore acciderit, creditur tamen contigiſſe, cùm vnà eſſent Corinthi, & coram Præſide Gallione aduerſus Iudæos Apoſtolus diſceptaret. Qua de re hunc in modum ſcribit Chryſoſtomus. *Igitur dicet fortaſſe aliquis, hac de cauſa eos diligis, & amas? quam maximè, quia & ſi id vnum egiſſent, ingenti laude digni erant. Qui enim ducem* E *exercituum ſaluum facit, & milites facit ſaluos: qui medicum liberant, & laborantes morbis ad ſanitatem reduxit: qui gubernatorem è fluctibus eripuit, nauem totam ex vndis liberauit: ſic vtique qui magiſtrum orbis ſaluarunt, & pro eo, próque illius ſalute ſanguinem ſuum effuderunt: orbis quoque totius fuerũt benefactores.* Atque idcirco rectè ſubdit Paulus: *quibus nõ ſolus ego gratias ago, ſed & cunctæ Eccleſiæ gentiũ.* quæ Paulo videlicet magiſtro fidem Chriſtianam perceperant. Fieri etiam potuit, vt adfuerint Paulo in illo diſcrimine Epheſino, de quo Lucas [i] in Actis Apoſtolicis. Illud Origenem non mediocriter mouet, quánam ratione hi duo coniuges Romæ eſſe potuerint, cùm Claudius Imperator Iudæos omnes vrbe expulerit, vt præter Suetonium [a], & Oroſium [b] memorat Lucas [c]. ſed dum Paulus in oriente verſaretur, illáſque eccleſias Chriſtianæ fidei præceptis imbueret, ceſſante ſæuitia potuerunt illi Romam redire: conſtat enim Paulum cùm ad vrbem veniſſet, multos ibi offendiſſe Iudæos, vt Lucas ipſe teſtatur [d]. Porrò vt obſeruauit Chryſoſtomus, perhonorificum fuit fœminas ſua opera nonnihil Apoſtolo ſiue præſidij, ſiue adiumenti attuliſſe. *Nec veretur* (inquit) *vas illud benedictionis mulierem coadiutricem ſuam vocare, ſed & gloriatur in eo, naturam quippe fœmineи ſexus non aſpicit, ſed voluntatem coronat. quid ſplendori huic adæquari poterit?* Paulò autem pòſt addit Priſcillam, & Aquilam integrum biennium Paulum in hoſpitio habuiſſe. Tametſi autem Aquila hic noſter Ponticus erat genere, & religione Iudæus; longè tamen ab eo diuerſus eſt, qui cùm & Iudæus eſſet, & natione Ponticus, & Aquilæ nomine cenſeretur, vetus teſtamentum in Græcam linguam tranſtulit, & ſub Adriano à Chriſtiana fide defecit. Hos igitur ſaluere iubet vnà cum omnibus domeſticis. ſubdit enim.

[f ep. ad Aug.] [g ep. 19. ad Hieronymum] [h Retract. de Act. apo. c. 18.] [i cap. 19.] [a In Clau. c. 25.] [b l. 7. cap. 6.] [c Act. 18.] [d Act. 28.]

ET DOMESTICAM ECCLESIAM, &c. 5.
Quæ de familia in præſentia dicuntur pertinent ad 1.
ſuperiora, & pendent à verbo *ſalutate* antea poſito: non ſolùm enim Aquilæ, & Priſcillæ, ſed etiam vniuerſæ eorum familiæ ſalutem dicit Apoſtolus. Porro Epænetum Dorotheus ſcribit [e] creatum fuiſſe Epiſcopum Carthaginenſem, cuius tamen apud Africanos nulla mentio. Primitiuum autem appellat Ambroſio interprete, quòd inter ſuos primas teneret. Chryſoſtomus, Theodoretus, & Anſelmus aliam afferunt cauſam. quòd omnium primus Chriſtiana ſacra ſuſceperit. id magis vox Græca ἀπαρχὴ indicat, vt ad veteris legis primitias alluſiſſe videatur Apoſtolus: Quamquam autẽ Græci codices, qui nunc habentur in manibus, habent Ἀχαΐας, Origenes tamen legiſſe videtur Ἀσίας, & nonnulli Latini codices ita legunt: eodémque modo ſæpè citat Hieronymus. Certè Apoſtolus Stephanam, & Fortunatum primitias Achaiæ vocat [f]: vt non ſit improbabile hoc loco Achaiam, pro Aſia fuiſſe ſuppoſitam, niſi quis dicat plures Achæos vno, eodémque tempore Chriſto nomina dediſſe, atque idcirco cunctos primitiarum nomine cenſeri. Cæterùm ſi Aſiæ nomen retinendum ſit, vt habet Romana editio, eam Aſiæ minoris partem intelligere neceſſe eſt, in qua eſt Epheſus.

[e In ſyn.] [f 1. ad Cor. 16.]

SALVTATE Mariam, &c. Hanc fuiſſe etiam 6.
diaconiſſam, vt duas ſequentes Tryphænam, & Tri- 1.
phoſam, ſuſpicari quis poſſit, nihil tamen certi affirmare auſim: neque aliter de Perſide ſentiendum puto; nam de Iulia quidem, & Olympiade, ſi tamen hoc eſt fœminæ, ac non potius viri nomen, nihil habeo ſcribere. Hanc porrò Mariam ſuſpicantur nonnulli Mariam eſſe illam Caſſobolitem, ad quam Ignatius ſcribit, quamquam in illa ipſa epiſtola πάνσοφον, id eſt omnium rerum gnatam appellat: & in altera [g] πολυμαθεστάτην, id eſt omnibus diſciplinis maximè excultam. Variant autem hoc loco codices tam Græci, quàm Latini: Origenes, Theophylactus, & Ambroſius, ne diſſentiente quidem Chryſoſtomo videntur legiſſe εἰς ἡμᾶς, hoc eſt in nos. quaſi illa, pro Paulo ſolicita aliquando fuerit, & laborauerit. alij legunt εἰς ὑμᾶς, hoc eſt in vos, aut erga vos, in veſtro videlicet negotio, & vt ego interpretor, veſtra ſalute procuranda, quod longè videtur veroſimilius: cùm enim mulier Romana eſſet Paulo in Aſia degenti, aut Palæſtinam, cæteráſque finitimas regiones peragranti, præſto eſſe non potuit, niſi fortè illum

[g Ad Heron. Diac.]

illum ſua liberalitate aliquando recreauit. propiùs abeſt à vero laudari Mariam ob toleratos labores in erudiendis, & confirmandis fidelibus, aut etiam opibus ſuſtentaodis: quod explicans Chryſoſtomus ait: *Non laudari ab armillis, nec à monilibus, neque ab Eunuchis, & ancillis, nec à veſtibus auro intertextis, ſed à perpeſſis pro veritate ſudoribus: nam dicit, quæ multum laborauit erga vos. non erga ſe ipſam ſolum, neque erga propriam virtutem, ſed quod multæ mulieres nunc quoque faciunt, & ieiunantes, & humi iacentes, ſed & erga alios Apoſtolorum & Euangeliſtarum ſuſcepit curſu.* Tum docet non licere quidem mulieri publicè docendi munere fungi, poſſe tamen priuatim etiam viros erudire. Mox verò addit: *Et non dicit, quæ multa docuit, ſed quæ multum laborauit, oſtendens quod cum ſermone, & alia, quæ exiguntur, adminiſtrauerit: nimirum quæ attinent ad pericula, pecunias, peregrinationes. Erant enim mulieres illæ leonibus feruentiores, participantes & cum Apoſtolicis in laboribus prædicationis gratia ſubeundis, vnde & ſimul peregrinabantur cum illis, & reliqua adminiſtrabant.*

7. I. SALVTATE ANDRONICVM, &c. Idem Dorotheus, quem paulò antè nominaui, affirmat Andronicum factum in Pannonia Epiſcopum, ſed vtrum eo tempore Pannunia Chriſtum agnouerit, aut fidem complexa ſit, adhuc ambigo: neque enim de eo quidquam apud hiſtoricos memini legere. De Iunia autem, ſiue vt alij legunt, Iunio nihil habeo certi affirmare: tantùm ſuſpicor Iuniam (ita enim habet Romana editio) fuiſſe Andronici vxorem. Hos Paulus appellat cognatos non quidem ſanguine, ſed genere, quòd etiam ipſi Iudæi eſſent. nominat autem concaptiuos, quòd olim vnà ſecum fuiſſent in vinclis, ſed vbi, aut qua ratione id contigerit, alij diuinent, me quidem non pudet fateri eius rei meriſſimam inſcientiam, & ignorationem. Dicuntur inter Apoſtolos nobiles, græcè ἐπίσημοι, id eſt inſignes, nequis ad generis nobilitatem referat. dicuntur autem inter Apoſtolos inſignes, ſiue quòd iudicio Apoſtolorum, ac teſtimonio probatiſſimi cenſerentur; ſiue quia vt affirmat Origenes, & ſubindicant Chryſoſtomus & Theodoretus, apoſtolico munere fungerentur. Et ille quidem ait fuiſſe illos ex numero ſeptuaginta duorum diſcipulorum, vt videatur legiſſe Iunium, aut exiſtimaſſe certè vtrumque eſſe virum. Hîc verò fœminæ dignitatem miratur, quæ Apoſtoli nomen adepta ſit. *Papè* (inquit) *quanta fuerit mulieris huius philoſophia, vt & apoſtolica appellatione digna ſit habita.* Denique addit: *Qui etiam ante me fuerunt in Chriſto*, hoc eſt ante me Chriſti fidem complexi ſunt. Quod vt obſeruat Chryſoſtomus, non exiguam laudem continet, ſiue Andronici, & Iuniæ ob credendi facilitatem, ſiue ipſius Pauli ob inſignem modeſtiam, & Chriſtianam humilitatem.

8. I. SALVTATE AMPLIATVM, &c. Græcè legimus Ἀμπλίαν, quem fuiſſe Odiſſæ Epiſcopum ſcribit Hippolytus[a]. Quod ait noſter interpres, *dilectiſſimum mihi*, græcè legimus ſimpliciter ἀγαπητόν, hoc eſt carum, & dilectum mihi, quæ vt obſeruauit Chryſoſtomus, non eſt exigua laus. *Erat enim* (inquit) *dilectio Pauli propter Deum innumera habens bona. Si enim magnum eſt à Rege diligi, à Paulo diligi quantinam eſt encomij? neque enim niſi multam virtutem poſſediſſet in amorem ſui ipſum attraxiſſet. Sciebat enim in malitia, & iniquitatibus viuentes non ſolùm non diligere, ſed & anathematizare, vt quando dicit*[b]: *Si quis non diligit Dominum Ieſum Chriſtum, anathema ſit.* Et[c]: *Si quis vobis euangelizauerit præterquàm quod accepiſtis, anathema eſto.*

a de Septuag. diſcip.
b 1. ad Cor. 16.
c ad Gal. 1.

9. I. SALVTATE VRBANVM, &c. Vrbanum in Macedonia fuiſſe Epiſcopum idem Hippolytus auctor eſt. Stachy verò Byzantinam eccleſiam à Petro Apoſtolo creditam fuiſſe memorant. Cæterùm quid adiumenti Paulo Apoſtolo attulerit Vrbanus, neſcire me ingenuè fateor; veriſimile eſt in promulgando euangelio opem illi tuliſſe.

10. I. SALVTATE APELLEM, &c. De Apelle nihil memini legere, niſi quod hic Apoſtolus illum probum græcè δόκιμον, hoc eſt probatum vocat in Chriſto, illuſtri ſanè præconio: vt enim ait Chryſoſtomus, *huius laudi nihil par eſt nimirum irreprehenſibilem eſſe, nihilque prorſus in rebus ad Deum pertinentibus damni dare: cùm enim dicit, probatum in Chriſto, omnem virtutem recenſet.* In præſentia verò Origenes addubitat num hic Apelles ille ipſe Apollo Alexandrinus cenſendus ſit, vir in ſacris litteris eruditus, cuius mentio fit in Actis[a] apoſtolicis. De Ariſtoboli familiaribus mirum apud veteres ſilentium. vnus Ambroſius docet hunc congregaſſe domi ſuæ fideles, quia verò ipſe vel abſens erat, vel vita functus, Paulus ſalutat eos, qui ſunt in ipſius diſciplina. Græco autem more dixit, qui ſunt ex Ariſtoboli, hoc eſt domo, familia, vel ſchola: aliquid enim horum neceſſariò ſupplendum eſt. Sic dixit Horatius: *Ventum ad Veſtæ*, vt intelligamus templum, ſeu fanum. Ait autem Chryſoſtomus, hos non nominatim appellari quòd cæteris fortaſſe pares non eſſent, vel certè ob multitudinem, ad vitandum tædium ſat eſſe exiſtimauit Apoſtolus genus ipſum indicare, & plures vno verbo complecti. Cæterùm Ariſtobolum miſſum Epiſcopum in Britanniam, Græci[b] autumant. ego nihil auſim affirmare, cùm multò pòſt Eleutherius Romanus Pontifex Chriſtianæ fidei magiſtros Fugatium, & Damianum, in Britanniam miſerit, vt eam inſulam adhuc à fide alienam Chriſtianis ſacris expiarent, ac præceptis imbuerent: quamuis enim Nicephorus[c], & Dorotheus[d] Britanniam à Petro fidei rudimentis eruditã fuiſſe ſcribunt, id tamen nullo antiquitatis teſtimonio firmát.

a cap. 18.
b Menolog. Græc. die 15. Martij.
c lib. 2 hiſt. cap. 40.
d in ſynopſi.

11. I. SALVTATE HERODIONEM, &c. De Herodione nihil poſſum affirmare, niſi fuiſſe illum Iudæum, quippe ob id Apoſtolus cognatum vocat. Eodem verò modo loquitur de Narciſſi domo, quo paulò antè de Ariſtoboli familia, ſeu ſchola. addit autem *qui ſunt in Domino*, ſubindicans in ampla familia, non omnes fuiſſe fideles. Hunc Narciſſum presbyterum fuiſſe ſcribit Ambroſius, qui officio peregrini fungeretur; & fideles monitis, & conſiliis confirmaret. Suſpicati certè ſunt nonnulli, hunc fuiſſe Narciſſum Claudij Imperatoris libertum, penes quem, vt ſcribunt Suetonius[e], Tacitus[f], & Dio[g], rerum ſumma erat. Sed ratio temporum, id nequaquam pati putatur, quòd is initio imperij Neronis, auctore Tacito[h] odio Agrippinæ de medio ſit ſublatus, biennio fermè antequam hanc epiſtolam Apoſtolus ſcriberet; quaſi verò vnà cum illo omnis etiam eius familia extincta ſit, ac non potuerit hominis ditiſſimi, potentiſſimique memoria, poſt eius obitum ad plures annos vigere, & familiares ab eo tamquam inſigni, atque illuſtri appellatione nomen ſortiri: nam ob hanc ipſam fortaſſe cauſam familiæ non ipſi Apoſtolus ſalutem dicit: nihil tamen pro certo auſim affirmare.

e in Claud. cap. 28.
f lib. 12.
g lib. 60.
h lib. 13.

12. I. SALVTATE TRYPHÆNAM, &c. De Tryphæna, & Tryphoſa paulò antè dixi nullum exſtare earum mentiooem, quæ ad manus meas peruenerit, niſi quod in actis Theclæ memorantur tamquam nobiles fœminæ Iconienſes, à Paulo Apoſtolo Chriſto aggregatæ. Tantùm monet Chryſoſtomus, *non modicum eſſe encomium in operibus copioſè verſari, & non ſolùm operari, ſed & laborare.* De Perſide, quam Apoſtolus cariſſimam, græcè ἀγαπητὴν

vocat, idem Chryſoſtomus dicit à multo labore cõmendatam. ſubdit enim; *quæ multùm laborauit in Domino.* A

13\. I. Salvtate Rvfvm, &c. Huic Rufo quemadmodum & cæteris, qui deinceps nominantur, Dorotheus [a] certas Eccleſias attribuit; ſed auctoris fides nutat. De hoc, eiuſque matre hunc in modum ſcribit Chryſoſtomus. *Item & hic vniuerſa bona, quando & filius talis eſt, & mater talis, & domus plena benedictione, ac radix fructui conueniens. Neque enim ſimpliciter dicit matrem illius ſed & meam. an non multæ virtutis teſtimonium mulieri huic exhibet?*

a in Synopſi.

14\. I. Salvtate Asyncritvm, &c. Hos exiſtimat Chryſoſtomus abſque encomiis nominari, quòd ſint cæteris inferiores. putantur autem hi omnes ad vnam, eandémque familiam pertinere, quod ſubindicare viſus eſt Paulus, cùm addit: *& qui cum eis ſunt, fratres.* B ſignificans eos omnes vnam vitam ducere. Porrò Origenes [b], Euſebius [c], & Hieronymus [d] exiſtimant, Hermam auctorem eſſe libri, qui inſcribitur Paſtor, cuius non rarò mentio fit apud veteres [e]. Id ſi verum eſt, admitti non poteſt quod ſcribit Damaſus, libri Paſtoris auctorem fuiſſe fratrem, vel vt alij malunt, familiarem Pij primi Pontificis; neceſſe enim eſſet eum vltra centum vixiſſe annos, ſi Paulo notus fuit. floruit enim Pius circa annum Domini centeſimum quinquageſimum. Certè Pius affirmat Hermam doctorem fidei, & ſcripturarum ſua ætate illuſtrem fuiſſe, multáque ab Angelo ſibi paſtoris ſpecie viſo excepiſſe dictata, & inter cætera, vt Paſcha die dominico celebraretur. Eius porrò libri auctoritas tanta fuit, vt à nonnullis inter ſacros, & canonicos libros numeraretur. C Reiicitur tamen à Gelaſio [f], Athanaſio [g], Theodoreto [h], Euſebio [i], Hieronymo [k], qui duo poſtremi vtilem librum eſſe cenſent, non tamen diuinæ auctoritatis. Quòd ſi Damaſi, & Pij narratio probanda ſit, hic Hermas illius libri auctor eſſe nequaquam poteſt. De Patroba, & Herme, quem alij Mercurium interpretantur, certi nihil habeo.

b hoc loco.
c lib. 3. hiſt. cap 3.
d de ſcrip. Eccleſ.
e Clem. Alex lib 6. Strom Orig Hom. 8. in Num. Hom. 10. in Ioſue. Num. 38. in Luc. lib. 1. 2. & Periarch. Athan. de incar. verb. ſub initiu Irenæus lib 4. c. 17. Caſſian. Collat. 13. cap. 12. Hieron Oſe 7. Ruffin. in Symbolo.
f in ep. Sancto Romano d. 15.
g in Synop. & lib. de decr. Nicen. Syno.
h lib 1. hiſt. cap 18.
i lib. 3. hiſt. cap 3.
k in Catal.

15\. I. Salvtate Philologvm, &c. Neque quidquam de his aut affirmare, aut negare poſſum, ſed pro Olympiade græcè dixit Apoſtolus Ὀλυμπᾶν. Apparet enim virum eſſe, non fœminam, & hi omnes ad vnum, eandémque familiam videntur pertinere. Digna verò admiratione eſt Pauli beneuolentia, & caritas, qui tam multos ſingillatim nominatímque tam officioſè ſalutet, eorúmque in ſe ſiue D officia, ſiue beneficia grata commemoratione recenſeat. Ne quem verò prætetiiſſe videatur vniuerſos complectens ait.

16\. I. Salvtate invicem, &c. Modum Chriſtianæ ſalutationis ponit, quod alio loco Paulus [l], nec non etiã Petrus [m] facit. eandem ſalutationis formam præcipit Ignatius [n] Apoſtolis ſuppar. Sanctũ autẽ vocant oſculum non modò caſtũ, atque integrum, ſed à mutua quadã, eáque diuina caritate profectum: quo diſtinguebatur ab eo quod apud Gentiles inter amicos in vſu erat. Fuiſſe enim cùm ſibi familiares occurrerent oſculum vſurpatum ex [o] Suetonio colligo, qui eam ſalutandi conſuetudinem lege lata à Tyberio antiquatam fuiſſe ſcribit, ſed irrito, vt apparet, E conatu, cùm imperante Domitiano, eius ſalutationis mentionem faciat Martialis [p], ſed frontem ſuauiabant. Quale autem ſit ſanctum oſculum declarat Clemens Alexandrinus [q], *dum dignè,* inquit, *guſtatur regnum, ore modeſto, & clauſo, beneuolentiam animo oſtendamus, per quod maximè ſe exerit manſuetudo morum.* Huic eſſe ait duo oſcula contraria; alterum quo celatur odium in animo conceptum, alterum impudicum ſanctitatem ſimulans, & quaſi phalangia ſolo tactu venenum infundens. Porrò de phalangiis ſic Plinius cùm de araneis loquitur [a], *Phalangia ex iis appellantur, quorum noxij morſus corpus exiguum, varium, acuminatum, aſſultim ingredientium.* Et Xenophon: *phalangia* (inquit [b]) *vbi homines ore comprehenderint doloribus eos cõficere, & a ſenſu mentis abſtrahere: ita etiam à pulchris oſculantibus oſculo aliquid, quod non videtur, venas immitti:* vt credibile ſit Xenophontis ſententiam à Clemente fuiſſe expreſſam.

l 1. ad Cor. 16. 2. ad Cor 13.
m ep. 1. cap. 5
n ep. ad Antioch & ad Tarſen.
o in Tyber cap 14.
p lib 7 Epig. ad Lin & lib. 11. ad Baſſ
q li 1 pædag cap. 11 ſub. fi.

II. Caſtum ſanè, atque adeo ſanctum erat oſculũ apud Hebræos, quod ſalutationis gratia peregrè venientibus dabatur. Exempla plurima extant in ſacris litteris [c]. Olim verò Perſæ pares quidem oſculo ſalutabant, inferioribus manu ſolummodò genas tangebant, cognatos verò ſi diu abfuiſſent ſæpius oſculabantur. interdum erat venerationis indicium, vt cùm B Heſter virgam Regis ſuauiatur. Tertullianus [d]; *Oſcula* (inquit) *propinquis offerre neceſſitas erat, vt ſpiritu indicarentur.* alludens, opinor, ad id, quod ſanxerat Cato, vt ſuæ cognationis mulieres viri oſcularentur, explorandi gratia num temetum olerent. Cæterùm retinuiſſe hunc oſculandi morem priſcos Chriſtianos, ad mutuam caritatem declarãdam indicat idem Tertullianus: dum enim virgines reuocat à publico congreſſu. *Quantum velo* (inquit [e]) *bona mente conatur, neceſſe eſt publicatione ſui periclitetur, dum percutitur oculis incertis, ac multis, dum digitis demonſtrantium titillatur, dum nimium amatur, dum inter amplexus, & oſcula aſſidua concaleſcit.* Verùm enimuerò oſculum ſanctum de quo Apoſtolus, erat non modò pudicum, & innocens, ſed etiam religioſum. itaque C rectè Origenes; *Monet* (inquit) *Paulus primùm vt caſta ſint oſcula, quæ in Eccleſiis dantur, deinde vt ſimulata non ſint.* Et poſt pauca: *Oſculum,* ait, *verè fidele primò caſtum ſit, deinde pacem in ſe, ſimplicitatémque habeat in caritate non ficta.* Athenagoras [f] autem tam accuratè docet temperandum oſculum, ſeu potiùs adorationem ſalutationis, ne ſi quo modo pauxillum mens polluta fuerit ab æterna nos vita proſcribat verbum.

a lib. 11. c. 24.
b li. 1. de dic. & fact. Socr.
c Gen. 27. 29 & 33. Exod. 4 & 18. Ruth 1. 1 Reg. 10. 2 Reg. 14. Iob 9 & 31. Marc. 14. Luc. 7. & 15. Act. cap. 20
d in Apolog.
e lib de virg. vel. cap.
f Orat. ad Chriſtian.

III. Adhibitum porrò fuiſſe oſculum ad ſacras preces auctor eſt Iuſtinus Martyr [g]. *Precibus,* ait, *abſolutis mutuo nos inuicem oſculo ſalutamus.* Vt enim ſcribit Cyrillus [h] Ieroſolymitanus, *hoc oſculum animos mutuò conciliat, & omnem malorum obliuionem illis ſpondet. ſignum igitur eſt reconciliationis animorum, vniuerſæque iniuriarum memoria deleta.* Et poſt pau- D ca: *Igitur oſculum hoc, quo in ſacris vtimur, reconciliatio eſt, atque idcirco ſanctum, de quo Paulus: ſalutate vos inuicem in oſculo ſancto.* Quamobrem meritò Tertullianus eos reprehendit [i], qui cùm ieiunarent oratione habita cum fratribus, *ſubtrahunt oſculum pacis. Quod eſt* (inquit) *ſignaculum orationis? quando autem magis conferenda cum fratribus pax eſt, niſi cum oratione commendabilior aſcendit, vt ipſi de noſtra operatione participent, quam auderent de ſua pace fratri transfigere? quæ oratio cum diuortio ſancti oſculi integra? quem Domino officium facientem impendit pax? quale ſacrificium eſt, à quo ſine pace receditur?* Ex quibus veriſſimum eſſe intelligimus quod obſeruauit Auguſtinus [k], cùm oſculo ſancto pacis precationem illam coniungi conſueuiſſe, quæ iis verbis exprimi- E tur, quibus etiam-num vtitur Eccleſia, hoc eſt *pax tecum:* ait enim; *Poſt ipſam* (orationem Dominicam intelligit) *dicitur pax vobiſcum, & oſculantur ſe Chriſtiani in oſculo ſancto, quod eſt ſignum pacis, ſi quod oſtẽdunt labia, fiat in conſcientia, id eſt quomodo labia tua ad labia fratris tui accedunt, ſic cor tuum à corde eius non recedat.* Meminit & huius conſuetudinis Chryſoſtomus [l], ſed aliam affert rationem, quòd nimirum ori Chriſtianorum ex Euchariſtiæ perceptione ſanctitas quædam accedat, qualem in templis veneramur, atque idcirco quaſi templo Dei ſacra oſcula figantur.

g Apolog. ad Anton.
h Catech. 5. Myſtag.
i lib. de orat.
k ſerm. 83 de diuerſ.
l Hom. 30. 2. ad Cor.

ſigantur. Alibi [a] verò ea de re nonnulla etiam ſcribit, & communem affert rationem, ex mutua caritate deſumptam. *Ideo* (inquit) *in myſterus inuicem ſalutamus, vt multi vnum efficiamur.* Ambroſius verò de oſculo ſancto hunc in modum ſcribit [b]. *Hac oſcula non carnalia, ſed ſpiritualia ſunt, quæ complexu corporum animos copulant, non deſiderio carnis* [c]. Alibi autem oſculum appellat mutui amoris indicium.

a Rom. 17. in ...
b Hoc loco.
c lib. 6. in Luc.

IV. Quamobrem huius antiquiſſimæ conſuetudinis vt in Miſſæ ſacrificio pacis oſculum detur, meminerunt vetuſtiſſimi Patres Dionyſius [d] Areopagita, Gregorius [e] Nazianzenus, Chryſoſtomus [f], Hieronymus [g] autem ſui temporis cõſuetudinem his verbis deſcribit: *Quiſquam ne* (inquit) *tibi inuitus communicat? quiſquam ne extenta manu vertit faciem, & inter ſacras epulas Iudæ oſculum porrigit?* Quibus conſentiunt, quæ ſcribit Paulinus [h] Nolanus: *Tunc ambo* (inquit) *nexi ad inuicem dextras damus in oſculo pacis ſacra.* Et Iſidorus [i]: *Quarta* (ait) *poſt hæc infertur pro oſculo pacis, vt caritate omnes reconciliati inuicem digni ſacramento corporis, & ſanguinis Chriſti conſocientur, quia non recipit diſſenſionem cuiuſquam Chriſti indiuiſibile corpus.* Quo fit vt eorum [k] probanda nulla ratione ſententia videatur, qui huius conſuetudinis auctorem faciunt Leonem II. cùm multò antè Leonem dixerit Innocentius [l] I. *Pacis oſculum dandum eſſe poſt confecta myſteria, vt appareat populum ad omnia, quæ in myſterus aguntur, atque in Eccleſia celebrantur, præbuiſſe conſenſum, ac finita eſſe pacis ſignaculo concludenda demonſtrentur.* Vt tolerabiliùs locuti videantur illi, qui [m] affirmant inſtituiſſe Innocentium, vt poſt confecta, & conſecrata myſteria pacis oſculum daretur ante communionem: nam vt apparet ex Chryſoſtomo olim poſt communionem pacis oſculum dabatur: quod ipſum ex verbis Iuſtini, & Tertulliani intelligi poteſt. Sed ſi dicendum eſt quod ſentio, non tam Innocentius id primùm ſtatuiſſe, quàm quod iam vſu receptum erat ratum habuiſſe, ſuáque auctoritate confirmaſſe mihi perſuadeo. nam Auguſtinus eius æqualis apertè aſſerit poſt orationem dominicam pacis oſculum dari conſueuiſſe: ita autem loquitur, vt non de recenti inſtituto, ſed de antiqua [n] conſuetudine agere videatur. ſuſpicor recentius inſtitutum eſſe: dandi oſculum pacis obiecta ſacra aliqua tabella ad oſculandum, quòd vitia aliqua irrepſiſſent mutuis oſculis frequentandis, quæ tamen non promiſcuè viris, ac fœminis vulgabantur, quandoquidem, vt alibi oſtendo, viri ſeorſim à fœminis in templis orabant.

d de Eccleſ. Hierarch. ca. de ... e Orat. de ... f ... g Epiſt. ... h ad Carmel. ... i lib. de diuin. offic. ... k ... l Epiſt. ad Decent. m ... n De oſculo pacis in miſſa ...

V. Vt igitur redeam ad Paulum, in oſculo ſancto ſalutare iubet fideles, ſiue Hebræa phraſi, quaſi dicat, cum oſculo ſancto, ſiue præpoſitio *in* tempus ſalutationis ſignificet, tum videlicet cùm oſculo ſancto Eccleſia dimittebatur. Hinc autem ait Origenes manaſſe eum morem, qui nunc eſt in Eccleſia, quo ſeſe mutuò fideles pacis oſculo ſalutant. Addit deinde Apoſtolus: *Salutant vos omnes Eccleſiæ Chriſti.* Non quòd omnes tunc adeſſent, ſed quòd omnium, quos quidem ipſe erudierat animum perſpectum haberet, & cognitum: vt vel hinc intelligas Romanæ Eccleſiæ, fideíque famam ad omnes eas perueniſſe. niſi quis malit Eccleſiarum nomine priuatas familias ſignificari, quemadmodum & paulò antè domeſticam familiam Priſcillæ, & Aquilæ ſalutare iubet: quaſi dicat, ſalutant vos omnes Corinthiorum familiæ.

17. I. Rogo avtem vos fratres, &c. Pſeudoapoſtolos tangit, quos in tota Epiſtola cauendos monet, eos præſertim, qui ex circumciſione erant, qui ieiunia, & abſtinentiam oppugnantes, neomenias, & ſabbata, cæteroſque dies feſtos ventris gratia prædicabant. Eſt autem hæc, vt ait Chryſoſtomus, blanda quædam adhortatio, cauta tamen, & prouida. *Obſecro* (inquit) *vos, vt obſeruetis*, hoc eſt diligenter ſatagite, vt cognoſcatis, & perſcrutemini eos, qui diſſidia, & offendicula gignunt contra eam doctrinam, quam à viris Apoſtolicis didiciſtis. *Iſta ſiquidem*, ſubdit Chryſoſtomus, *potiſſimùm eſt Eccleſiæ ſubuerſio in partes ſcilicet diuiſam eſſe: hac Diaboli ſunt arma: hoc pacto omnia ſurſum, ac deorſum voluuntur, donec enim vnitum fuerit Eccleſiæ corpus, nullum valet habere introitum Sathanas: verum à diſſidus naſcitur offendiculum. vnde autem diſſidia? ab eo quòd ventri, aliiſque affectibus ſeruitur: nã qui tales ſunt*, inquit, *Deo non ſeruiunt, ſed ſuo ventri. Itaque non erunt offendicula, non erunt diſſidia, niſi dogma quoddam excogitatum fuerit, contra Apoſtolicam doctrinam.* Eſt autem hoc ſine dubio egregium præceptum perſimile illi, quod à Chriſto olim traditum eſt apud Matthæũ [a]. *Attendite* (inquit) *à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium.* Falſos enim Prophetas falſos doctores intelligit, id eſt omnes hæreticos. Et alibi [b] Paulus: *Obſeruate* (inquit) *eos, qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram.* Et rurſus: *Videte canes, videte malos operarios, videte conciſionem.* Denique: *Multi enim ambulant, quos ſæpè dicebam vobis nunc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt.* Vult autem Romanos perceptæ iam fidei toto, quod aiunt, pectore adhærere, vt quemadmodum dixit ad Galatas [c], *etiam ſi Angelus euangelizet præter id, quod accepiſtis, anathema ſit.* Eſt enim hoc veriſſimum Catholicæ doctrinæ argumentum, ſi cum Apoſtolicis traditionibus congruat, vt ſuo loco copioſiùs trado. Non dixit autem, vt ait Chryſoſtomus, *aggredimini, & manus conſerentes pugnis decertate, ſed declinate ab illis.* Sic alibi [d]: *Subducite* (inquit) *vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non ſecundùm traditionem, quam acceperunt à nobis.* Ad Titum [e] autem: *Hæreticum* (inquit) *hominem poſt vnam & ſecundam correptionem deuita.*

a cap. 7. 15.
b ad Philip. 3. 17.
c cap. 1. 8.
d 2. ad Theſſ. 3. 6.
e cap. 3. 10.

Hvivscemodi enim Christo, &c. 18.
Hæc eſt ratio, cur falſorum dogmatum magiſtri vitandi ſint. nam & à Chriſto auocant, & belluarum more ſuis cupiditatibus ſeruiunt, & denique innocentes fallunt, & decipiunt. Ad Philippenſes dixit eadem planè ſententia: *Quorum Deus venter eſt.* Deſcribit autem Iudæorum conditiones, ſed in iis ſuis veluti coloribus hæreticorum mores exprimit. *Per dulces* (inquit) *ſermones & benedictiones*, Græcè χρηστολογίας καὶ εὐλογίας, quaſi dicat blandiloquentia, & aſſentatione. Etenim vt ſcribit Irenæus [f], *ſuadenter quidem illi illiciunt per verborum artem.* Et Epiphanius ratiocinationum technas obiicit. Et Tertullianus [g] de iiſdem ſuo modo ſcribens ait: *Illos errones importunè inculcaſſe illud: quærite, & inuenietis. quo anxia carioſitate Catholicorum animos ſpreta Eccleſiæ doctrina ad inueſtigandum alium Deum retroactis ſæculis ignotum concitarent.* Et Chryſoſtomus: *rectè autem* (inquit) *dicit Apoſtolus per blandiloquentiã, obſequium quippe illorum in verbis hæret; mens verò talis non eſt, ſed dolo referta.* Idque pereleganti ſimilitudine docet [h] Irenæus. *Error enim* (inquit) *ſecundùm ſemetipſum non oſtenditur, ne denudatus fiat comprehenſibilis, ſuaſorio autem coopermento ſubdolè adornatus, & ipſa veritate* (ridiculum eſt dicere) *veriorem ſemetipſum præſtat, vt decipiat exteriore phantaſmate rudiores, quemadmodum à meliore nobis dictũ eſt de huiuſmodi, quomodo lapidem pretioſum ſmaragdum magni pretij, apud quoſdam vitream in eius contumeliam per artem aſſimilatam, quando adſiſque non adeſt qui poteſt probare & artificium arguere, quod ſubdolè ſit factum. Cum enim commixtum fuerit æramentũ argento, quis facile poterit*

f Præf. lib. 1.
g lib. de præſcript.
h Præf. lib. 1.

rudis cùm ſit hoc probare? Et in eandem ſententiam Tertullianus: *Nihil* (inquit [a]) *magis curant, quàm occultare quod prædicant, ſi tamen prædicant qui occultant.* Eorum verò præpoſteram morum diſciplinam elegantiſſimè deſcribit Epiphanius. *Calceamenta quidem* (ait) *capiti circumdant, coronam autem pedibus, & cingulum aureum circa ventrem, reliquum verò veſtitum, odonia videlicet, aut braccas apud quoſdam appellatas manibus induunt, annulos autem pedibus. ita erronea, & inordinata eſt diſpoſitio eorum, qui ignorantiam poſſident.* Nec diſſimilia ſunt quæ alicubi ſcribit Hieronymus. *Quando vrgeri cœperint, aut ſcribendum illis fuerit, miras ſtrophas videas, ſic verba temperant, ſic ordinem vertunt, & ambigua quæque concinnant, vt & noſtram, & aduerſariorum confeſſionem teneant, vt aliter hæreticus, aliter Catholicus audiat.* Denique rectè de his ſcripſit Irenæus [b]: *Similia enim loquentes fidelibus ſicut prædiximus, non ſolùm diſſimilia ſapiunt, ſed & contraria, & per omnia plena blaſphemiis, per quæ interficiunt eos, qui per ſimilitudinem verborum diſſimile affectionis eorum in ſe attrahunt venenum, ſicut quis aqua mixtum gypſum dans pro lacte ſeducat, per ſimilitudinem coloris, ſicut quidam dixit ſuperior nobis de omnibus, qui quolibet modo deprauant quæ ſunt Dei, & adulterant veritatem Dei, lacte gypſum malè miſcetur.* Eodémque modo rectè in illos conueniat, quod veteri prouerbio tritum eſt, *lethale mulſum.* Nil igitur mirum quod Apoſtolus dicat. *per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentium.* Græcè vt dixi χρηστολογίας & εὐλογίας, blandiloquentiam, & aſſentationem interpretati ſumus: nam εὐλογία, quæ ad verbum benedicentia dici poſſet, ſine dubio hoc loco pro aſſentatione ponitur, vt ſit veluti explicatio, ſeu exaggeratio τῆς χρηστολογίας. Quod verò noſter interpres dicit, *corda innocentiū*, Græcè eſt τῶν ἀκάκων, quod magis ſignificat ſimplices, & minimè ſubdolos, vno verbo fraudis, ac ſuſpicionis expertes: nam innocentiæ quidem nomen Cicero ait Græcis deeſſe. itaque nos in paraphraſi diximus homines minimè malos, ſimplices fortaſſe quis dicere potuiſſet.

a lib. aduerſ. Valent. c. 1.

b lib. 1. c. 19.

19. VESTRA ENIM OBEDIENTIA, &c.
I. Chryſoſtomo occupatio videtur. *Non hæc* (inquit) *ideirco à me diſputantur, quaſi de veſtra fide, ac ſapientia dubitem, ſat enim ſcio omnium præſertim teſtimonio, veſtraque obedientiæ prædicatione confirmatus, nihil eſſe de vobis metuendum, ſed potiùs multis nominibus gratulandum. volo autem vos* (inquit) *ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo.* Quibus verbis, vt ait Chryſoſtomus, acutè quidem, ſed occultè tamen, & tacitè illos perſtringit; non obſcurè ſignificans aliquos ex illis nônihil fuiſſe commotos: ob id enim ait ſapientes illos eſſe debere in bono, ne decipiantur, contra verò *ſimplices in malo, ne decipiant.* An hoc eſt, quod ait [c] Chriſtus. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ?* An quod alibi ait [d] idem Paulus. *Nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote?* An quod rurſus alio loco [e] ſcribit. *Videte fratres quomodo cautè ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed quaſi ſapientes redimentes tempus quoniam dies mali ſunt?*

c Matt. 10. 16.
d 1. ad Cor. 14. 20.
e ad Eph. 5. 15

20. DEVS AVTEM PACIS, &c. Precationem
I. addit Apoſtolus. aptè verò Deum pacis appellat, qui vellet diſſidia, & contentiones dirimere. *Conteret* (inquit) *Deus*: eſt enim Græcè συντρίψει, *Sathanam ſub pedibus veſtris.* ita ſpero fore, & opto. Sathanæ verò nomine Chryſoſtomus & Theodoretus Diabolum ipſum intelligunt diſſidiorũ auctorem. Origenes quemlibet contradicentem, & repugnantem. Sathanæ enim nomen apud Hebræos idem valet, quod apud Latinos aduerſarius; atque ita in libris [f] Regum. *Non erat Sathan*, hoc eſt hoſtis, qui contradiceret. quid autem prohibet vtrumque hoc loco

f lib. 3. c. 4. 4.

A accipi? Tunc enim rectè Sathan conteritur, cùm veritatis oppugnatores conuertuntur. Quod verò attinet ad verba Pauli, Græci codices olim variaſſe videntur. nunc enim vt dixi, verbum habent futuri temporis συντρίψει; itáque legiſſe videntur Origenes, & Chryſoſtomus. Cæterùm alio loco Origenes [a] ipſe, Theodoretus, & Hieronymus [b] eo modo legiſſe videntur, quo noſter interpres, qui quaſi deprecando dixit *conteras*, niſi in Latinis codicibus mendum eſt: nonnulli enim codices habent *conteret.* Quod ſequitur aperta eſt beneprecandi forma, de qua aliàs. aptè autem ſuperioribus adnectitur; vt enim Sathan cõteratur, gratiæ præſidiũ eſt in primis neceſſarium.

SALVTAT VOS TIMOTHEVS, &c. Adſcribit ſalutationes eorum, qui ſecum aderant dum
B Epiſtolam ſcriberet. Timotheum autem primo loco nominat, ad quem duas Epiſtolas ſcripſit, de quo plura ſuo loco. adiutorem autem vocat Græcè συνεργὸν, hoc eſt in eodem opere laborantem, Euangelium promulgando. Huic addit Lucium, Iaſonem, & Soſipatrem, quos cognatos ſuos appellat. Non aſſentior autem Origeni, qui cognatos eos appellari putat, quos Paulus Euangelica prędicatione Chriſto pepererat; malo, vt ſuprà, referre ad nationem Iudæorum. Nec mirum eſt Aquilam & Priſcillam, quamuis Iudæos, cognatos non nominari, cùm videlicet omnibus noti eſſent. Porrò Lucium eundem eſſe cum Luca Euãgeliſta, auctor eſt Origenes, quod nonnulli ea coniectura probant, quòd in Actis [c] Apoſtolicis Lucas cum iiſdem, qui hoc loco recenſen-
C tur, Paulum ſecutus ſit. Verùm in Actis Iaſonem non lego, Soſipatrem, vel Sopatrem lego. Et quidem quamuis Hieronymus [d], affirmet Lucam fuiſſe totius peregrinationis Pauli comitem indiuiduum; tamen Irenæus [e] ſubindicat non priùs Paulo adhæſiſſe, quàm ille Troadem veniſſet, videtúrque colligi ex hiſtoria Lucæ [f]: tum enim primùm de Paulo in prima perſona loqui cœpit, cùm ſemper antea in tertia ageret. Alij putant eſſe Lucium illum Cyrenenſem, qui vnà cum Barnaba, Simone, & Manahen in Actis Apoſtolicis [g] nominatur. Iaſon autem creditur ille fuiſſe, qui in Actis Apoſtolicis [h] pro Sila, & Paulo populi ſeſe furori obiecit: niſi quis malit Iaſonem eſſe illum Cyprium genere, quem Lucas vocat antiquum diſcipulum; hos enim duos Iaſones fuiſſe
D diuerſos ex eo probant, quòd alter in Syria, alter in Tarſo Ciliciæ Epiſcopus fuit.

SALVTO VOS EGO TERTIVS, &c. Fateor in nonnullis codicibus legi Terentium, ſed Græcè habetur Τέρτιος; itáque legunt Chryſoſtomus, & Theophylactus: Ambroſius autem monet Tertium appellari nomine, non numero. Fuit autem in hac quidem Epiſtola Pauli Amanuenſis, poſtmodum verò Iconij Epiſcopus teſte Amphilochio, qui ei in Epiſcopatu ſucceſſit. Dicit autem *ſe Epiſtolam ſcripſiſſe in Domino*, hoc eſt propter Dominum, vel certè verba illa referenda ſunt ad verbum *ſaluto*, vt ſe dicat in Domino ſalutẽ adſcribere. De hoc meminerũt Diodorus [i] Tarſenſis, & Dorotheus [k], idémque de eius Epiſcopatu ſcribunt, quod Amphilochius.

E SALVTAT VOS CAIVS, &c. Caium, opinor, illum intelligit, quem ad Corinthios [l] ſe baptizaſſe ſcribit. hunc eundem eſſe putant, ad quem Ioannes Apoſtolus tertiam Epiſtolam ſcripſit, quem Athanaſius [m] Ioannis Euangelium ipſo Euangeliſta dictante ſcripſiſſe affirmat. Eundem Dorotheus poſt Timotheum Epheſi Epiſcopum fuiſſe ſcribit. Hunc Paulus ſuum, atque vniuerſæ Eccleſiæ hoſpitem appellat, quòd eius domus omnibus vltrò, citróque euntibus pateret. Videtur autem hic fuiſſe Corinthius, vel Corinthi certè habitaſſe. In Actis autem

Apo

Apoſtolicis Caius [a] quidam Macedo, & alter [b] quidem Derbæus nominantur. Porrò Chryſoſtomus magnificentiſſimis verbis huius Caij liberalitatem extollit. *Vides* (inquit) *qualem illi coronam texat de tanta illius hoſpitalitate teſtificans, integrámque Eccleſiam in domum illius congregans.* Hoſpitem enim hic pro hoſpitio ſuſcipientem dicit, hoc eſt Græcè ξένον pro ξενοδόχον. tum ſubdit. *Audiens verò, quòd Pauli fuerit hoſpes, non ſolùm liberalitatis gratia ipſum celebrabis, ſed & eius diligentia, qua vitam piè inſtituit. Niſi enim dignus virtute Pauli fuiſſet, apud eum vtique ille minimè hoſpitatus fuiſſet. qui enim multa præceptorum Chriſti tranſcendere etiam ſtuduit, vtique hanc illius legem tranſgreſſus non eſt, qua iuſſi ſunt Apoſtoli exquirere hoſpites dignos, ad quos diuerterent.* Cum hoc Caio Eraſtum coniungit, quem vocat ciuitatis arcarium. Græcè legimus οἰκονόμος τῆς πόλεως. quæſtorem aliqui interpretantur, aut ærario præfectum. Certè in iure [c] arcarij ſunt arcæ præfecti prætorio præpoſiti. à prætoriana enim arca dicti ſunt arcarij, in quam ſpecies annonariæ cōferebantur. Præfecturam quippe prætorianam triticeas copias procuraſſe Ammianus [d] Marcellinus, Aurelius Victor [e], Zoſimus [f], Boëthius [g], Caſſiodorus [h] tradiderūt. Quin etiam arcarij præter curam annonariā tributis præerant [i], aliiſque titulis, qui arcales dicebantur [k], quod in arcam præfectoriam congererentur. Legimus & in libro Heſter [l] arcarios gazæ regiæ. *appendam* (inquit) *arcariis gazæ tuæ decem millia talentorum*, hoc eſt præfectis regiorum theſaurorum. Suberant autem arcarij præfecto prætorio, vnde arcarius præfectorum non ſemel à Caſſiodoro appellatur [m]. Hic igitur erat arcarius ciuitatis, quòd publicam pecuniam curaret, aut etiam ſeruaret. Theophylactus fuiſſe putat proſpectorem, & vrbis præfectum: ſed hoc qualecumque munus ad rem pecuniariam ſpectare præter ea, quæ paulò antè attulimus, ipſum Græcum nomen οἰκονόμος, non obſcurè indicat. Denique nominatur Quartus frater, ſiue ipſius Eraſti frater, ſiue hoc nomine indicatur eius fides: omnes enim fideles fratres appellabantur, quamquam veriſimilius eſt Eraſti fratrem dici; nam ſi referamus ad eam Apoſtolicam conſuetudinem, qua fratres appellantur ij, qui eiuſdem fidei, & ſacramentorum communione iunguntur; quid cauſæ eſſe dicemus, cur cùm omnes quos nominauit Chriſto nomina dediſſent, hunc vnum appellet fratrem?

24. GRATIA DOMINI NOSTRI, &c. Eadem
I. verba paulò antè poſita ſunt, atque ob eam cauſam hoc loco in nonnullis codicibus deſiderantur, neque ab Origene, Ambroſióve leguntur: contrà verò Chryſoſtomus, & Theophylactus cùm ſuperiori loco omiſiſſent, hîc exponunt, Paulique conſilium laudant, qui Epiſtolam gratiæ nomine & auſpicatus ſit, & concluſerit. at non eſt à Pauli conſuetudine, eiúſque caritatis ardore iſthæc verborum iteratio aliena, quæ amoris magnitudinem in primis declarat. Sunt qui putent cùm tota Epiſtola ſcripta ſit à Tertio, hæc quæ ſubiiciuntur vſque ad finem manu Pauli fuiſſe conſcripta. Ego neutram in partem quidquam poſſim definire.

25. EI AVTEM QVI POTENS EST, &c.

26. QVOD NVNC PATEFACTVM, &c.

17. SOLI SAPIENTI DEO PER IESVM, &c.
I. Hæc verba in pleriſque Græcorum codicibus non habentur: in quibuſdam in fine capitis quarti decimi collocantur. at Origenes maius aliquid auſum fuiſſe Marcionem narrat, qui non modò nonnullas Pauli epiſtolas totas reiecerit, quaſdam truncarit, mutilaritque; verùm etiam totum hoc, & quidquid eſt ab extremo capitis quartidecimi vſque ad finem huius epiſtolæ tanquam apoſtolica grauitate indignū reſecarit. Sed quid attinet in præſentia hæreſim iam pridem exploſam, nouis argumentis refellere? Illud mirandum potiùs, cur hæc poſtrema huius epiſtolæ clauſula non eodem ſemper loco poſita ſit, & non ſatis ſuperioribus cohærere, ipſáque per ſe conſtare videatur. Nam ſi retinendum ſit relatiuum *cui*, quod mira conſtantia in omnibus Græcis, Latiniſque codicibus legitur, ſuperiora omnia verbo carēt, atque ideo pendulā, miniméque abſolutam ſentētiam reddunt. Ambroſius quidem extrema ſuperioribus cōnectit hoc ſenſu, vt ei qui potens eſt vos confirmare, ſoli ſapienti Deo per Chriſtū Ieſum ſit honor, & gloria in ſæcula. ſed, vt apparet, nullā habet rationem relatiui *cui*: at Auguſtinus [a], quem magnus Aquinas ſecutus eſt, putat quidē ſublato relatiuo expeditiorem eſſe ſententiam, eo tamen admiſſo poſtrema cum ſuperioribus ita eſſe coniungenda, vt ſoli Deo gloria ſit, cui ea per Ieſum Chriſtum quodam modo parta eſt. quam nos ſententiam vtcumque in paraphraſi expreſſimus, vt hac ratione Paulus epiſtolæ finem imponat, ſoli ſapienti Deo gloria ſit per Chriſtum in ſæcula, vt relatiuum, *cui* ad Deum ipſum referatur. ſit, inquam, illi Deo gloria, cui per Chriſtum gloria debetur immortalis. nam qui dicunt Græcum relatiuum ᾧ poſitum eſſe loco αὐτῷ, quaſi dicat ſoli ipſi Deo, diuinare potiùs videntur, quàm Apoſtoli explanare ſententiam. Itaque fatendum eſt hic præter hyperbaton eſſe etiam ellipſim; & orationem non admodum perfectam, quod ab Apoſtoli conſuetudine non abhorret, qui dum ſcriberet diuino afflatus numine, plura mente complectebatur, quā oratione explicaret. Nec deſunt qui in relatiuo *cui* hebraiſmum agnoſcant in ſacris litteris frequentiſſimum, cùm expreſſo antecedente ſubditur tamen relatiuum, vt ad Epheſios [b]. *Ei autem, qui potens eſt omnia facere, ſuperabundanter, & cetera ipſi gloria.* vbi abundat *ipſi*. Et Petrus [c]. *Qui cùm malediceretur non maledicebat.* Et ſubdit. *qui peccata noſtra ipſe portauit in corpore ſuo.* Dauid [d] autem non ſemel: *Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum.* Rurſus [e]: *omnis gloria eius filiæ Regis ab intus.* Itémque [f]. *Cuius participatio eius in idipſum.* Adde, quòd in nonnullis Græcis codicibus dicitur deeſſe: certè in bibliis regiis non legitur. ei igitur (inquit) qui potens eſt vos *confirmare iuxtà euangelium meum, & prædicationem Ieſu Chriſti.* hoc eſt qui poteſt vos confirmare in euangelio meo, in ea euangelica doctrina, quam ego promulgo, & in reuelatione arcani myſterij incarnationis videlicet Chriſti, gentium vocationis, & totius humani generis liberationis. hoc enim eſt myſterium, quod Apoſtolus vocat temporibus æternis tacitum, hoc eſt abditum, atque occultum, vt alibi [g] etiam dixerat. æterna enim tempora appellat ſæcula omnia, quæ ab exordio mundi ad illam vſque ætatem lapſa erāt, quæ ad Titum [h] vocat *tempora ſæcularia.* Idem verò myſterium ait eſſe reuelatum per ſcripturas prophetarum ſecundum præceptum æterni Dei, id eſt iuxtà imperium æterni Dei, quo voluit per Apoſtolos, prophetarum oracula explicari, atque adeo myſterium in illis occultum in lucem euocari in eum finem, vt omnes gentes fide Chriſti percepta legi euangelicæ obtemperent. Deo igitur immortali, eiúſque parenti Virgini ſit laus, & gloria ſempiterna. Amen.

II.

a lib. 3. cont. Maxim. c. 13.
b cap. 3. 20.
c Ep. 1. cap. 2. 23.
d Pſal. 18. 4.
e Pſal. 44. 14.
f Pſal. 121. 3.
g Epheſ. 3.
h cap. 1. 2.

FINIS EXPLANATIONVM in D. Pauli Epiſtolam ad Romanos.

IN PRIOREM EPISTOLAM BEATI PAVLI APOSTOLI AD CORINTHIOS.

ARGVMENTVM.

CORINTHVS Corinthiacæ prouinciæ metropolis, vt recentiores ſcriptores tradunt;vt verò vetuſtiores volunt, Achaiæ vrbs,olim nobiliſſima, & vt Florus ait Achaiæ caput,Græciæ decus,inter duo maria, Ionium, & Ægæum, quaſi ſpectaculo expoſita erat, Iſthmo Peloponneſi imminens, negotiatorum frequentia inclyta. Quæ quoniam poſita erat in anguſtiis, atque in faucibus Græciæ ſic, vt terra clauſtra locorum teneret, & duo maria maximè nauigatione diuerſa penè coniungeter(cùm pertenui diſcrimine ſepararentur)Bimaris à Poëtis appellatur. Ea ob legatos Romanorum contumelioſè acceptos à Lucio Mummio Imp. ſolo æquata eſt, & deinde ab Auguſto reſtituta,& vt ſcribit Pauſanias[a],Romanorum colonia effecta eſt,plurimùm tamen à priori magnificentia diſtabat. a lib. 2.
Ea igitur Vrbs Chriſti fidem Paulo Apoſtolo primùm docente complexa eſt, quo tempore ea contigerunt,quæ Lucas in Actis[b] Apoſtolicis commemorat,& in præſentia obſeruat Chryſoſtomus. b cap 18
Deinde verò aliorum concionatorum copioſa,atque ornata oratione plùs nimio delectata,veluti in partes,ac factiones diſciſſa, tumultuari cœpit, dum alij Paulum, alij alios ſuos quiſque magiſtros cæteris anteponendos eſſe contenderent; non pauci autem ſapientiæ,& eloquentiæ laude clari Paulum tamquam minùs diſertum,atque orationis lenociniis, & ornamentis deſtitutum, vel deſpicerent, vel non magni certè faciendum eſſe cenſerent. Ita inani quadam philautia tumidi, & inter ſe diſſidentes adeò non profecerunt, vt nihil propius fuerit, quàm vt à fide deficerent. Nam & quiſpiam inter ipſos fœdo, atque omnibus modis abominando inceſtu nouercam polluerat, alij idolothytis per nimiam licentiam, ac proteruiam non ſine aliorum offenſione veſcebantur, plurimi apud Iudices à fide alienos, Chriſtianos fratres in iudicium vocabãt, comam viri turpiter nutriebant, Agapes, & populares cœnas in Eccleſia cum pauperum, qua neglectu,qua contemptu frequentabant, ob ſancti ſpiritus diuina chariſmata ſibi copioſè collata ſuprà modum elati nimium ſibi placebant,ſéque magnificentiùs circumſpiciebant, denique de omnium mortalium anaſtaſi nonnihil addubitabant. His igitur gliſcentibus malis,atque periculis hac Epiſtola ſua occurrit Paulus, eóſque tum beneuolè monet,tum etiam interdum acriter perſtringit: orationis ſuæ formam, totámque docendi rationem explicat: nonnullis ſibi propoſitis quæſtionibus reſpondet, & excreſcentia vitia(in vſu præſertim ſacroſanctæ Euchariſtiæ)caſtigans, illos ad ſui imitationem hortatur:Chriſtianam humilitatem,& caritatem in Deum ſupra omnia extollit; fidẽ reſurrectionis confirmat; demum ad eleemoſynam Ieroſolymitanis fratribus erogandam etiam atque etiam inflammat. Data eſt autem hæc Epiſtola non Philippis, vt habet Græca ſubſcriptio,ſed potiùs Epheſi,vt docet Oecumenius & ex Actis Apoſtolicis intelligi poteſt.

Argumentum Cap. I.

BLANDE' *ſeſe in Corinthiorum animos inſinuans,ipſorum laudes, & diuina in illos collata beneficia commemorat, iiſque diuinorum chariſmatum,& multitudinem,& præſtantiam gratulatur; ita tamen vt maiora ſemper in dies expectare,atque adeo ab immortali bonorum omnium auctore Deo ſperare ſe dicat. Tum adhortans ad animorum conſenſionem, mutuámque concordiam retinendam, indicat ſe nonnulla de diſſidiis inter ipſos nuper exortis cognouiſſe, quæ tanquam ab inani ſapientiæ, & eloquentiæ ſtudio profecta acerbiùs reprehendit: quòd nihil magis Euangelicæ doctrinæ, & prædicationi repugnet, quàm diſſidium, & concertatio.Itaque quidquid hominum iudicio,ſententiáque eximium, ac ſpecioſum videatur, id verò iudice Deo,humile,atque abiectum cenſeri docet,& quam cæci mortales ſapientiam ſuſpiciunt, & admirantur, ea nihil apud Deum imperitius, aut ſtultius fingi poſſe.*

CAPVT I.

PAVLVS *vocatus Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei , & Soſthenes frater.*

Eccleſiæ Dei , quæ eſt Corinthi ſanctificatis in Chriſto Ieſu , vocatis ſanctis,cum omnibus qui inuocant nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti in omni loco ipſorum & noſtro.

Gratia vobis , & pax à Deo Patre noſtro , & Domino Ieſu Chriſto.

Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Ieſu.

Quod in omnibus diuites facti eſtis in illo, in omni verbo,& in omni ſcientia.

Sicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis.

Ita vt nihil vobis deſit in vlla gratia , expectantibus reuelationem Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Qui & confirmabit vos vſque in finem ſine crimine,in die aduentus Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem filij eius Ieſu Chriſti Domini noſtri.

Obſecro autem vos fratres per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti , vt idipſum dicatis omnes , & non ſint in vobis ſchiſmata : ſitis autem perfecti in eodem ſenſu,& in eadem ſententia,

Signifi

PARAPHRASIS.

PAVLVS vocatione Apoſtolus Ieſu Chri- 1.
ſti,idque non vllo ſuo præcurrente mè-
rito,ſed per vnius gratuitam Dei volun-
tatem,vnà cum Soſthene fratre ciue in-
ter Corinthios primario , ac Synagogæ Principe,
qui eiuſdem eſt cum Paulo ſententiæ, & volunta-
tis , ſalutem dicit. ¶ Eccleſiæ Dei,quæ eſt Corin- 2.
thi ſanctificatis in Chriſto Ieſu , eiúſque diuino
nomine ac merito fide Chriſtiana imbutis , quos
Deus ſpontanea,liberalíque ſua bonitate , ac mu-
nificentia ſibi ſegregauit , & ad ſanctitatis quan-
dam veluti profeſſionem vocauit, vno verbo vni-
uerſis, qui vbique locorum inuocant nomen Do-
mini noſtri Ieſu Chriſti,Domini,inquam,noſtri,&
ipſorum. ¶ Gratiámque & pacem à bonorum 3.
omnium fonte Deo Patre noſtro , & Domino Ie-
ſu Chriſto,eadem cum Patre natura,efficientia,ac
maieſtate prædito,magna animi cõtentione ſum-
miſque votis precatur. ¶ Equidem veſtra cauſa 4.
gratias ago Deo meo ſemper ob ea diuinæ gratiæ
munera & cœleſtia Spiritus ſancti chariſmata,quæ
data ſunt vobis per Chriſti Ieſu merita,idque cœ-
leſti,planéque liberali ipſius largitate,ac beneficẽ-
tia, qua in omnes quidẽ fideles,ſed in ſuos præci-
puè diuinas ſuas opes effudit , cùm vos ad fidem
mea olim opera vocauit. ¶ Propterea quòd in 5.
omnibus planè negotiis , omniúmque gentium
linguis ipſius liberalitate , ac ſingulari munificen-
tia abundare vos omnes video,omni orationis ge-
nere,omníque ſcientia , diuinarúmque rerum co-
gnitione. ¶ Quod ſatis apparet ex eo,quòd firma 6.
in vobis,& quidem perſpicua , & luculenta ſint il-
la omnia Spiritus ſancti dona , quæ cùm Euange-
lium Chriſti quodammodo ſanciunt , & confir-
mant,tum verò eius præſentiam,ac diuinam pote-
ſtatem , ipſius Euangelij teſtificatione, aliiſque ſi-
gnis,ac prodigiis apertè declarãt. ¶ Adeo vt nul- 7.
lo penitus cœleſti munere , vel muneris particula
deficiamini , interim dum alterũ Ieſu Chriſti Do-
mini noſtri aduẽtum expectatis, quo diuina ipſius
maieſtas , atque authoritas cunctis mortalibus pa-
tefiat. ¶ Siquidem magnoperè mihi perſuadeo 8.
fore,vt ille ipſe Deus immortalis,qui vos ſuis mu-
neribus locupletauit,etiam, atque etiam vos diui-
næ ſuæ gratiæ præſidiis confirmet vſque ad extre-
mum vitæ ſpiritum , vt omni penitùs noxa,culpá-
que carentes ad ſupremum illum diem Domini
noſtri Ieſu Chriſti , eiúſque ſecundum ad nos ad-
uentum , perſeueretis. ¶ Fidelis quippe Deus eſt, 9.
adeóque conſtans , & verax, à quo vocati eſtis ad
fidem,ac religionem Chriſtianam, hoc eſt, in ſo-
cietatem , & communem quendam vſum diuino-
rum bonorum, quæ filij ipſius Ieſu Chriſti Domi-
ni noſtri diuino planè beneficio cunctis mortali-
bus proponuntur. ¶ Obſecro autem vos fratres 10.
per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idem &
ſentiatis omnes , & loquamini , neque diſſidiis,
aut concertationibus digladiemini inter vos ; ſed
eadem omnino mente , atque ſententia in vnum

veluti

veloti corpus coagmentati , & quaſi compacti
11. conſpiretis. ¶ Certior enim factus ſum à dome-
ſticis Chloës (matronæ nomen id eſſe videtur)gli-
ſcere inter vos non modicas contentiones,& lites.
12. ¶ Hoc eſt vnumquemque veſtrum ſuũ ſibi quaſi
certum auctorem,ac ducem depoſcere,vindicaré-
que:alios quidem Paulum,alios Apollo, alios Ce-
pham , alios denique Chriſtum;perinde quaſi mi-
niſtros ipſi Chriſto æquare velint, vel eos ab ipſo-
rum magiſtro, ac principe,& ſalutis auctore diuel-
13. lant. ¶ Num diſpertitus eſt Chriſtus,ac velnti diſ-
cerptus , & in partes diſſectus ? Cur igitur vnam
Chriſti religionem,ac fidem in varias quaſi ſectas,
ac factiones abrumpitis ? Num pro vobis (vt hoc
exempli gratia dicam)Paulus affixus eſt cruci?aut
14. in nomen Pauli baptiſmo luſtrati eſtis ? ¶ Ego ve-
rò immortales Deo meo gratias ago , quòd nemi-
15. nem veſtrum baptiſmo expiaui. ¶ Nequis mihi
iure poſſit obüceте meo me nomine quemquam
baptizaſſe ; nam ſi Criſpum , & Caium excipias,
16. ¶ Itémque Stephanæ familiam (hos enim paucos
me baptiſmo abluiſſe non inficior) equidem haud
ſcio an quemquam alium ſacto fonte luſtrauerim.
17. ¶ Non enim miſit me Deus, vt baptizandi mune-
re fungerer,ſed vt,non quidem dicendi peritia, ne
inanis crux Chriſti reddatur; ſed diuina quadam,
ac prorsùs abdita ſapientia inſtructus Euangelium
cunctis gentibus, ac nationibus promulgarem.
18. ¶ Nam illa planè doctrina , quæ de Chriſto eiúſ-
que in terris œconomia à nobis traditur , atque il-
lud noſtrum orationis genus,quo vtimur, dum ſa-
lutem vobis per Chriſti crucifixi mortem diuini-
tus allatam proponimus iis quidem , qui pereunt,
nihil aliud eſſe videtur,niſi ſingularis amentiæ, at-
que ſtultitiæ perſpicuum indicium , & argumen-
tum. Nobis autem, qui ſalutem aſſequuti ſumus,
re vera mirificum eſt , atque eximium immenſæ,
ac diuinæ poteſtatis teſtimoniũ , quam Deus ipſe
electorum ſalute procuranda maximè declarauit.
Quæ ſanè non ita emineret , & quaſi in tenebris
emicaret,ſi vel ab humanarum artium , vel creatæ
ſapientiæ , vel vllius denique rei interituræ ſubſi-
19. dio, præſidióve penderet. ¶ Siquidem ſcriptum
eſt ab Iſaia Propheta,qui Euangelicæ doctrinæ, &
Apoſtolicæ prædicationis gloriam non tamquam
futuram prædixit,ſed veluti præſentem,diuino af-
flatus numine deſcripſit , ſapientum ſapientiam
abolebo, & intelligentium intelligentiam de me-
10. dio tollam. ¶ Vbi quæſo es quiſquis ſapientiæ
laude clares? Vbi te appello multarum litterarum
cognitione prædite , & terendis libris exercitate?
Vbi denique quiſquis es , qui in huius mundi ar-
canis perſcrutãdis,& ſubtiliſſimis quibuſque quæ-
ſtionibus explicandis omnem ætatem conſumis?
Nónne Deus huius mundi ſapientiam ad apertiſ-
ſimam , vt ita dicam, inſaniam deduxit?Res ſanè
ita perſpicua eſt,vt negari,aut in dubium reuoca-
11. ri nõ queat. ¶ Quandoquidem enim miſeri mor-
tales ex hac mundi fabrica,atqu eſtructura, & ad-
mirabili tantæ molis opificio , in quo ſingularis
illa

Significatum eſt enim mihi de vobis fratres mei ab iis,qui ſunt Chloës , quia contentiones ſunt inter vos.

Hoc autem dico , quòd unuſquiſque veſtrum dicit : Ego quidem ſum Pauli , ego autem Apollo,ego verò Cepha,ego autem Chriſti.

Diuiſus eſt Chriſtus?Nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis ? aut in nomine Pauli baptizati eſtis?

Gratias ago Deo quòd neminem veſtrum baptizaui ,niſi Criſpum,& Caium.

Ne quis dicat , quòd in nomine meo baptizati eſtis.

Baptizaui autem & Stephanæ domum : cæterum neſcio,ſi quem alium baptizauerim.

Non enim miſit me Chriſtus baptizare , ſed euangelizare : non in ſapientia verbi , vt non euacuetur crux Chriſti.

Verbum enim crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt , iis autem qui ſalui fiunt , id eſt nobis,Dei virtus eſt.

Scriptum eſt enim,Perdam ſapientiam ſapientium,& prudentiam prudẽtium reprobabo.

Vbi ſapiens ? vbi ſcriba ? vbi conquiſitor huius ſæculi ? Nónne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi?

Nam quia in Dei ſapientia nõ cognouit mundus per ſapientiam Deum , placuit Deo per ſtultitiã prædicationis ſaluos facere credẽtes.

Quo

illa Dei ſapientia ioſculpta eſt, & omnium oculis
quodammodò propoſita, Deum vniuerſitatis arti-
ficem, atque architectum non agnouérunt; ille ipſe
booorum omnium parens gratuita illa ſua, atque
immeoſa bonitate impulſus decreuit ſtulta quo-
dãmodò minìméque diſerta, aut erudita Euangelij
prædicatione pertrahere ad ſalùtem eos, qui cre-
didiſſent.

Quoniam, & Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt.

¶ Nam Iudæi quidem rebus admirabi- 22.
libus aſſueti, quæ in lege veteri diuinitus olim
contigerunt, ſigna, & prodigia expetunt, Græci
verò vnam diuinarum, humanarúmque rerum
ſapientiam, quam in deliciis habent, ſuſcipiunt, &
admirantur.

Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum: Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam.

¶ Nos porrò prædicamus, colen- 23.
dúmqoe omnibus proponimus Chriſtum affixum
cruci, quem Iudæi, quaſi pro offendiculo abomi-
nantur, Græci autem perinde ac rem ſtultitiæ ple-
nam, & à recta ratione, iudicióque alienam deſpi-
ciunt, atque contemnunt.

Ipſis autem vocatis Iudæis, atque Græcis Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam.

¶ Cùm tamen re vera 24.
iis, qui ad diuinam, eámque efficacem vocationem
pertinent, ſiue illi Iudæi ſint, ſiue Græci, Chriſtus
Dominus Deus, & homo, religioſo cultu, diuiná-
que caritate complectendus videatur, hoc vel ma-
ximè nomine, quod in illo mira Dei potentia, ſa-
pientiáque eluceat.

Quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus; & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus.

¶ Illa enim crux, quæ homi- 25.
num iudicio ſtultitia quædam putatur, atque
amentia, quæ Deo indigna, & ab illa ſupremâ ma-
ieſtate aliena videri poſſit, cuiuis humanæ ſapien-
tiæ longè anteferenda eſt. Et ſi qua fortè humano
ingenio Dei imbecillitas deprehendatur, ea iure
optimo, quouis ereato robore validior, poteotiór-
que cenſetur, quæ omnem ſibi Philoſophorum
ſapientiam, & Regum, atque Imperatorum poten-
tiam penitus ſubiecit.

Videte enim vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles.

¶ Videtis enim opinor, 26.
fratres, quæ ſit vocationis veſtræ ratio, quíque ex
vobis præcipuè vocati ſint; oon eoim multi eſtis
ſapientes eo ſapientiæ genere, quod hominum
oculos ſua quodammodo luce perſtringit; qui cor-
poris mole oppreſſi, ac penè obruti, cæleſtis ſa-
pientiæ lucem, atque ſplendorem, ne aſpiciant
quidem; non multi, qui opibus, & auctoritate va-
leant, non multi geoere, & maiorum natalibus
clari.

Sed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia.

¶ Verùm quæ ſtulta putantur inter homi- 27.
nes elegit Deus, vt ſapientes pudefaciat, & quo-
dam veluti rubore ſuffundat. Illa item, quæ ſunt
infirma in mundo Deus adamauit, vt ea, quæ ro-
buſta ſunt pudore afficiat.

Et ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, vt ea, quæ ſunt, deſtrueret.

¶ Denique quæ om- 28.
nium iudicio ignobilia cenſentur inter homines,
quæque pro nihilo habentur, prætulit Deus, & ea,
quæ quòd nullius pretij videantur, nequaquàm in
rerum eſſe natura exiſtimantur, ſapienter elegit;
vt ea, quæ maximè eminent, atque extant, quæque
incredibilem ſui admirationem apud homines
pariunt, mira quadam, planéque inaudita ratione
in nihilum redigat. Ita cernimus Apoſtolos, cæte-
róſque Diſcipulos Chriſti, neque nobiles, neque
diuites, neque humana ſapientia præditos, omnem
philoſophorum ſcientiam, diuitum gloriam, ac
Principum potentiam ſuperaſſe, & quod magis
mirandum eſt, rudes, atque imperitos ad Chriſti
fidem traductos, & virgines, puerósque imbelles,

Vt non

de Tyran

de tyrannis, ac morte, ipſóque adeo inferorum
29. Principe triumphaſſe. ¶ Vtque hoc potiſſimùm
pacto nullus omninò mortalium ægritudinis, at-
que imbecillitatis naturæ ſuæ probè conſcius, vel
minimam gloriæ particulam apud Deum audeat

Vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius.

30. aucupari. ¶ Omnis quam veſtra dignitas, fratres,
omniſque gloriandi occaſio, atque materia extra
vos eſt; in Chriſto enim Ieſu reſidet, ab eóque
pendet vno, qui datus eſt nobis à Deo, vt vi, ac
merito ipſius omnem ſapientiam conſequamur,
quæ quidem hoc nomine verè digna ſit, quáque
Deum, eiúſque arcana contemplari poſſimus, quæ
ne acutiſſimi quidem mortalium, vel leuiter attin-
gere, aut ſuſpicari potuerunt. Vera item iuſtitia,
ſanctitatéque imbuamur, vt quod fruſtrà pollicita
eſt omnis Philoſophia, & quæcumque in mundo
religiones (veriùs ſectæ) viguerunt, id tandem gra-
tuitò, ac liberali vnius Chriſti beneficio adipiſca-
mur, ac modis omnibus verè iuſti, & ſancti ſimus,
& habeamur. Poſttemò vt per eum iuſtificati, &
ſanctificati certam redemptionem tandem ali-

Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.

31. quando conſequamur. ¶ Vt quod ſapienter ſcri-
ptũ eſt à Ieremia; qui gloriatur, in Domino, nullo
autem modo in ſe, ſuíſque opibus, viribus, ſapi-
entia, aut denique in ſe ipſo glorietur.

Vt quemadmodum ſcriptum eſt: Qui gloriatur, in Domino glorietur.

IN CAPVT PRIMVM
EXPLANATIO.

1.
1. PAVLVS VOCATVS APOSTO- A
LVS, &c. More ſuo, & veteri conſuetu-
dine initio Epiſtolæ ſcribentis nomen
apponit. quod qui ad auctoritatem per-
tinere putant, vt aliàs monui, apertè ſalluntur; hæc
enim erat priſca omnium ſcribentium conſuetudo.
Meritò ſanè, vt monet Oecumenius, ſe Apoſtolum
Ieſu Chriſti vocat, vt ipſo ſtatim Epiſtolæ initio Co-
rinthios non leuiter perſtringat, qui alios ſibi Magi-
ſtros depoſcebant. Sint alij cuius tandèm libuerit
Diſcipuli; ego me Chriſti Apoſtolum, ac diſcipulum
eſſe profiteor; vóſque adeo toto, quod aiunt, cælo
erratis, ſi ab alio, quàm à Chriſto veram ſperatis ſa-
pientiam, & felicitatis aſſequendæ rationem. Ob-
ſeruant autem Chryſoſtomus, Ambroſius, & Theo-
doretus non ſine cauſa addidiſſe Paulum, ſe per B
Dei voluntatem Apoſtolum eſſe vocatum, vt indi-
caret ſe Dei iuſſu, atque imperio miſſum eſſe ad gen-
tes, & interim tacitè eos pungeret, quos vt ait Am-
broſius. *Neque Chriſtus miſerat, neque verum erat
quod docebant.* Simul etiam oſtendit conſenſionem
Dei Patris cum Ieſu Chriſto filio eius, & ſuæ ſingu-
laris vocationis meminit, quæ ad auctoritatem con-
ciliandam plurimùm valet, vt alibi pluribus oſten-
II. dit. Denique indicat ſibi quandam promulgandi
Euangelij neceſſitatem impoſitam eſſe, quod item
alibi planius explicat. Quod verò ait, vocatus, Græ-
cè eſt κλητὸς, quod vt alias dixi, nomen eſt, quo in-
dicat, quidquid ſit ſe Dei vocationi debere. Eodem
modo paulò pòſt ait *vocatis ſanctis*, græcè κλητοῖς
ἁγίοις. Coniungit autem Soſthenem fratrem, quem
Theodoretus Corinthium fuiſſe putat, cuius Lucas

A meminit in actis [a] Apoſtolicis, vt hanc rationẽ Co- a cap.18.17.
rinthiorum beneuolentiam ſibi magis conciliet,
quod etiam inſinuant Commentarij Hieronymo in-
ſcripti. Monet Chryſoſtomus pertinere id ad Pauli
modeſtiam, & Chiſtianam humilitatem, qui eum ſi-
bi penè æqualem faciat, à quo tanto aberat interual-
lo. ſi tamen hic erat ille, de quo ſcribit Lucas, non
erat penitùs contemnendæ auctoritatis; cùm Prin-
ceps Synagogæ appelletur. Additur porrò Soſthe-
nes, non quaſi ille Pauli ſocius dictando, ſeu ſcriben-
do fuerit, ſed quod vnà eſſet cum illo, eadémque
ſentiret, quæ hac Epiſtola Paulus ſcribit. ídque ad
beneuolentiam parandam valet, quod nobilis eo-
rum ciuis ipſo ſtatim Epiſtolæ principio ſalutatio-
nem adſcribat. Neſcio autem, vtrum memoria lap-
B ſus ſit Chryſoſtomus, qui Paulum Corinthi ante
Gallionis Proconſulis tribunal cæſum fuiſſe ſcribit,
an librariorũ vitio Paulus pro Soſthene poſitus ſit.
Soſthenem quippe verberibus affectum ſcribit Lu-
cas [b], de Paulo id nuſquam legitur. Hunc igitur b act.18.17.
Soſthenem vnà ſecum coniungit, vt dixi, vt viri no-
men apud ſuos faciat fidem, & intelligant Corinthij
quidquid hac Epiſtola continetur, non modò eſſe
ex Pauli ſententia, ſed propè ex ipſius Soſthenis ore
miſſum. Fratrem autem illum appellat, fidei, ac reli-
gionis reſpectu, cùm alioqui Diſcipulus eſſet, & au-
ditor. Cætera eodem ferinè modo leguntur in Epi-
ſtola ad Romanos.

ECCLESIÆ DEI, QVÆ EST, &c. Ait 2.
Ambroſius propterea Paulum Eccleſiæ ſcribere, 1.
quia adhuc ſingulis Eccleſiis rectores non erant in-
ſtituti: vel quia monita & conſilia, quæ hac epiſtola
conti

continentur vniuerſim ad omnes pertinent. Eccleſiam verò nominat, vt Chryſoſtomus, & Theodoretus affirmant, vt tacitè inſinuet conſenſionem, & coniunctionem animorum eſſe neceſſariam. Eccleſiam autem Dei dicit, non huius, aut illius, ſed Dei; ita Corinthios tacitè ferit, qui ſe hominibus addixerant, & ab iis nomen ſumebant, vt planiùs dicet paulò pòſt, *Quæ*, inquit, *eſt Corinthi*, vt ſignificet oportere, Corinthios eiuſdem eſſe animi, & voluntatis: *Nomen enim Eccleſiæ*, ait Chryſoſtomus, *non eſt nomen ſeparationis, ſed vnionis, & concordiæ, & conſenſus.* Addit *ſanctificatis in Chriſto Ieſu*, ἡγιασμένοις, explicans quam intelligat Eccleſiam, eorum videlicet, qui Bapriſmo luſtrati, veram à Chriſto ſanctitatem, & gratiam perceperunt. Ad Romanos paulò aliter, vocat enim illos Dei dilectos. Hic autem, vt monet Chryſoſtomus, baptiſmi ſacramentum indicat, quod etiam monet Hieronymus, & Primaſius. putat autem Chryſoſtomus, hoc ad Corinthiorum tumorem reprimendum referri, quaſi eis priſtinas ſordes in mentem reuocet, à quibus baptiſmi lauacro abluti erant. Mox autem ſubdit *vocatis Sanctis*, quaſi qui profeſſione ſancti ſint; Non enim quauis ratione ſanctificati dicuntur, ſed ita vt profiteantur etiam ſanctitatem: id autem ſanctum eſt, quod Deo deuotum, & conſecratum, qua ratione cùm Chriſtiani olim ſeſe baptiſmo Deo deuouerent, & addicerent, ſancti ſimpliciter appellabantur. Sic infrà, Vir infidelis ſanctificatus dicitur per mulierem fidelem; & mulier infidelis per virum fidelem: ipſi denique filij, qui ex iis naſcuntur, ſancti vocantur quòd pertineant ad Eccleſiam Dei, tanquam & ipſi ſint etiam Deo dicati. Porrò ſancti, fideles vocantur, qui primùm Dei vocatione, ac munere ſanctitate imbuuntur, deinde hominum nuncupatione, quæ tamen cum re ipſa conſentiat. *Cum omnibus*, inquit, *qui in-*

II. *uocant nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Rectè id poſitum putant Chryſoſtomus, & Theodoretus, vt indicet omnium vbique gentium vnam eſſe Eccleſiam, perinde quaſi Catholica Epiſtola ſit, & ad omnes pertineat fideles, vel ad eos certè, qui erant in Achaia, cuius Metropolis erat Corinthus, vt antiquiores coſmographi cenſuerunt. Sed quia nominatim Corinthios reprehendit, atque inſtituit, ſunt qui putent hæc omnia eſſe veluti quandam periphraſim eius Eccleſiæ, quæ erat Corinthi. Hinc opinor Catholicarum Epiſtolarum appellatio manauit, quæ ſeptem illis Apoſtolicis, quæ in nouo Teſtamento Paulinas ſubſequuntur, iam pridem tribuitur: quanquam etiam Canonicæ dici ſolent, quod ad ſacrarum litterarum Canonem pertineant: ſic olim Synodicæ litteræ, quæ ad omnes fideles mitterentur, Catholicæ vocati conſueuerant, aut etiam encyclicæ. *Qui inuocant*, inquit, *nomen Domini.* In Epiſtola ad Romanos [a] citantur ex Ioële [b] hæc verba. *Omnis qui inuocauerit nomen Domini ſaluus erit.* At Chriſtus apud Matthæum [c] ait, *Non omnis, qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cælorum.* Rectè; vera enim fide, & charitate inuocandus, & colendus eſt, idque non voce tantum, ſed tota animi contentione, vt rectè hoc loco obſeruauit Primaſius. Commentarij porrò, qui Hieronymi nomine circumferuntur, monent proprium eſſe ſacerdotum inuocare Dominum, idque probant ex illo loco. *Et Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius, quem Sacerdotem fuiſſe illa res probat, quia & Sacerdoti ſucceſſit, & hoſtias offerebat de quo etiam ſecundum hiſtoriam dictum eſt. Suſcitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui quamuis non ſit ex genere Aaron, tamen de Tribu Leui eſſe in Paralipomenon legitur, quia ipſe hunc conſtituit, qui & illum. ita enim Aaron elegit, vt alios poſteà eligendi non*

a cap. 10.13.
b cap. 2.32.
c cap. 7. 21.

A *amiſerit poteſtatem*, quæ eiſdem fermè verbis leguntur in commentariis Primaſij. Quæ omnia, idcircò ad verbum deſcripſi, vt indicarem, non immeritò ſuſceptam eſſe eorum commentariorum fidem. Neque enim hæc diceret Hieronymus, qui alibi [a] ait: *ſimúlque noſcendum quod Samuel Leuita, non ſacerdos, non pontifex fuerit.* quod ipſum fuſè probat Auctor quæſtionum veteris teſtamenti [*], quorum auctoritate nos alibi probauimus, Samuelem nullo modo fuiſſe ſacerdotem. quamuis nō negem plures ex antiquis patribus aliter ſenſiſſe: Nam Samuelē appellant ſacerdotem Ignatius [b], Athanaſius [c], Chryſoſtomus [d], Cyprianus [e], Auguſtinus [f], ſed & ſcriptura [g] apertè conſtat eum fuiſſe Leuitam, non autem ſacerdotem. Nec diceret Hieronymus, propriū

B eſſe ſacerdotum inuocare Dominum, cùm ſit omnibus fidelibus commune. Denique addit Apoſtolus: *In omni loco ipſorum, & noſtro.* Ambiguum autem III. eſt, vtrum relatiua *ipſorum, & noſtro*, vel vt magis ſonant Græca *ſuo, & noſtro*, referenda ſint ad Dominum, an verò ad locum. Sunt qui putent coniungenda cum Domino, vt ſenſus ſit, qui inuocant nomen Domini noſtri, non ſolùm autem noſtri, ſed etiam ipſorum, adeóque etiam noſtro. & ſanè Græci codices maximè fauent. ſic enim habent κυρίου ἡμῶν αὐτῶν τε καὶ ἡμῶν: Domini noſtri, illorúmque & noſtri. Huius opinionis putant aliqui fuiſſe Chryſoſtomum, qui mea quidem ſententia indicat, & cum Domino, & cum loco coniungi poſſe. Sic enim ait. *In omni loco & ipſorum, & noſtri. Nam & ſi ea litera ſolùm*

C *ſcripta ſint ad Corinthios, meminit tamen omnium fidelium, qui ſunt in terra, oſtendens, quòd, quæ eſt in toto orbe terrarum Eccleſiam oportet eſſe vnam, licèt multis locis ſeparatam. & multò magis eam quæ eſt Corinthi. Si autem locus ſeparat, ſed Dominus eos coniungit, cùm ſit communis.* Poſt multa verò vtramque explicationem apertiſſimè docet his verbis, *Nam quoniam dixit, nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, ne videretur ſeparare apud inſipientes, rursùs ſubiungit, Domini, & noſtri & ipſorum; & vt fiat clarius quod dico, ſic legam, vt eſt ſenſus. Paulus & Soſthenes Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, & omnibus, qui inuocant nomen Domini, & noſtri, & ipſorum in omni loco, & Romæ, & vbicumque ſint, gratia, & pax &c. Aut ſic rurſus, quod & verius exiſtimo. Paulus, & Soſthenes*

D *ſanctificatis Corinthi, vocatis ſanctis cum omnibus inuocantibus nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti in omni loco, & ipſorum, & noſtri.* Theodoretus autem, Theophylactus, & apud Oecumenium Photius omnino coniungunt cum Domino. *Illud autem*, ait Theodoretus, *ſui, & noſtri, cum Domino coniunctum eſt, & nos, qui ſcribimus, & vos, qui acceptis litteris fruimini, vnum Dominum habemus Chriſtum.* Syriacus apertè coniungit cum loco, *in omni loco ipſorum*, ait, *& noſtro.* Ambroſius, & alij Latini non videntur magnoperè laborare vtro modo quis explicet. Ego, vt ingenuè fatear, malim cum Theodoreto ad Dominum referre, vt ſignificet Apoſtolus, vnum eſſe fidelium omnium Dominum, quocumque tandem loco illi viuant, atque ita tacitè Corinthiorum diſſenſiones

E perſtringat, qui peculiares ſibi Magiſtros aſciſcebant, quorum nomine, & auctoritate ita gloriabantur, vt alij alios præ ſe contemnerent. qui autem cum loco coniungunt, & noſtrum locum intelligunt Hieruſalem, quòd Iudæi nephas eſſe putarent alibi adorare, prorſus aliena loquuntur; neque enim ita loqueretur Apoſtolus, qui Iudaicas cæremonias ſexcentis locis docuit fuiſſe antiquatas.

Gratia vobis, &c. Eadem eſt ſalutationis forma, quæ in Epiſtola ad Romanos, vt etiam mox eidem Epiſtolæ initium à gratiarum actione. Vtrumque 5. I.

a l. 1. in Iſa.
* tom. 4. q. 46.
b ep. ad Magneſianos.
c hom. de ſo. mente.
d hom. 2. in ep. 2. ad Tim.
e epiſt. 65.
f l. 17. ciuit. 4. & l. 2. retr. 43.
g 1 Reg. 2. & c. 2. & 1. par. 6. 34.

quę Apoſtolicum eſt, vtrumque digniſſimum Paulo, A
qui nihil æquè, ac Chriſti gratiam extollit. Rectè
verò, vt monet Chryſoſtomus, cum gratia pax con-
iungitur, quia pax ex gratia naſcitur, pacem quippè
cum Deo abſque gratia habere non poſſumus, &
vtrumque optat Apoſtolus; vt etiam pacem illam ſi-
gnificet, quæ inimicitias, & diſſenſiones ab homi-
num ſocietate remouet. vt enim pax, quæ nos Deo
conciliat, oritur à gratia, ita pax, qua cum proximis
coniungimur, gratiam tuetur, ac ſeruat. Ait autem
gratiam, & pacem eſſe à Deo Patre noſtro, & Domi-
no Ieſu Chriſto, quamquam in Græcis codicibus
ambigua videtur oratio, cùm poſſit ſignificare pacẽ,
& gratiam eſſe à Deo Patre noſtro, &c. Patre item
Domini noſtri Ieſu Chriſti. Sed vt monui in Epiſto-
la ad Romanos, ſenſus Latini interpretis & verior B
eſt, & communior. Suſpectus autem mihi eſt locus
in Commentariis, qui tribuuntur Ambroſio. *Ne* (in-
quit) *quia dixerat, qui inuocant nomen Domini noſtri*
Ieſu Chriſti, Patris aut nomen, aut donum tacuiſſe vide-
retur, & ſuſpicionem fortè aut occaſionem daret vnionis;
docet quidem Chriſtum rite inuocandum, ſed omnem
gratiam eſſe Patris, vt & duos, qui vnum ſunt per diui-
nitatem oſtenderet, & Patris auctoritatem præferret.
Videtur enim corruptus locus, quod facilè credide-
rim, cùm non ſatis aptum habeat ſenſum. Videtur
ſanè Apoſtolus rectè dixiſſe, à Deo Patre & Do-
mino Ieſu Chriſto, quia gratia, & pax à Deo vt pri-
mario auctore, à Chriſto vt mediatore pendent. De
hoc porrò Pauli loco, ita Tertullianus[a]. *Quod non*
vtique ſalutem præſcribit eis quibus ſcribit, ſed gratiam, C
& pacem, non dico quid illi cum Iudaico adhuc more,
deſtructori Iudaiſmi. Nam & hodie Iudæi *in pacis nomi-*
ne appellant, & retro in ſcripturis ſic ſalutabant: ſed intel-
ligo illum deffendiſſe officio ſuo prædicationem creatoris,
quàm maturi pedes euangelizantium bona, euangeli-
zantium pacem. Euangelizator enim bonorum, id eſt
gratiæ Dei, pacis eam præferendam ſciebat. Hæc cum à
Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu adnunciant, commu-
nibus nominibus vtatur competentibus, noſtro quoque
ſacramento; non puto diſpici poſſe, cur Deus Pater &
Dominus Ieſus prædicetur, niſi ex accedentibus, cui ma-
gis competant. Primè quidem Patrem Dominum præ-
ſcribo, non alium agnoſcendum, quàm & hominis, &
vniuerſitatis creatorem, & inſtitutorem. Porrè Patri
etiam Domini nomen accedere, ob poteſtatem, quod & D
filius per Patrem capiat. Dehinc gratiam, & pacem non
ſolùm eius eſſe, à quo prædicabantur, ſed eius, qui fuerit
offenſus. nec gratia enim ſit niſi offenſæ: nec pax niſi belli.
& populus autem per diſciplinæ tranſgreſſionem, & om-
ne hominum genus per naturæ diſſimulationem, & de-
liquerat, & rebellauerat aduerſus creatorem. Cæterùm
quod ait conſueuiſſe olim Iudæos pacis imprecatio-
ne ſalutare, multis poteſt ſcripturæ teſtimoniis pro-
bari[b].

a Lib. 5. in Marcion. cap. 5.

b Gen. 43. 23. Deut. 20. 10. Iud. 6. [illegible] 19. 20. 1. Reg. 9. [illegible] Ibid. 11. 13. Tob. 12. 17.

4. I. Gratias ago Deo meo, &c. Ad be-
neuolentiam conciliandam valdè opportunum ini-
tium eſt; vt enim ait Theodoretus, qui eos acerbiùs
caſtigaturus erat, blanda oratione ipſo ſtatim Epi-
ſtolæ initio illos nonnihil delinit, vt aſperiori medi-
camento, quodammodo præparet. Quod tamen E
longiſſimè abeſt ab aſſentatione. ita enim Corin-
thios laudat, vt nihil tamen præter, aut ſupra verita-
tem dicat, & quod caput eſt, Deum bonorum om-
nium auctorem prædicet. Quamquam autem gra-
tiam Corinthiis gratulatur, eodémque eam nomine
deſcribit, quo gratiam illam, quam illis vnà cum pa-
ce à Deo precatus eſt; vix tamen puto de eadem gra-
tia loqui; precatur enim gratiam iuſtificationis, de
qua multa in præſentia Chryſoſtomus. Hic autem,
ex quorumdam ſententia, gratię nomine beneficium

A vocationis intelligit, qua vocati ſunt ad fidem Chri-
ſti, & ad ſuſcipiendam veram religionem. Quam
quidem gratiam collatam dicit *in Chriſto Ieſu*, hoc
eſt, merito Chriſti. Ita enim Chryſoſtomus. *Et per*
quem (inquit) *datu eſt? num per me, aut per alium Apo-*
ſtolum? nequaquam, ſed per Ieſum Chriſtum. Hoc enim
eſt illud, in Chriſto Ieſu. Vide quemadmodum, in, ſæpè
eſt pro, per. Sic omnino locum explicat Ambroſius.
Quæ gratia (inquit) *ſic data eſt in Chriſto Ieſu, quia hoc*
conſtitutum eſt à Deo, vt qui credit in Chriſtum, ſaluus
fiat ſine opere. Sola fide, gratis accipiens remiſſionem pec-
catorum. Quæ tamen verba non perinde accipienda
ſunt, quaſi omnia prorſus opera excludantur, & ſola
fide iuſtificemur; ſed quod legis opera, aut quæ vi
ſolius liberi arbitrij perficiuntur, nequeant ſine fide
B iuſtitiam afferre, cùm ſola fides, qua Chriſto adhæ-
reſcimus veram poſſit iuſtitiam parere, vt aliàs do-
cui. Sed, vt ingenuè fatear quod ſentio, mihi fit lon-
gè veriſimilius non ſolum hæc accipienda de gratia
vocationis, ſed potiſſimum de donis gratuitis, dé-
que gratiis gratis datis, vt non obſcurè ſignificat
Theodoretus. *Propter data enim* (ait) *eis dona egit gra-*
tias: idem apertè docet Oecumenius: *donis* (inquit)
plurimum intumeſcebãt. hunc ergo innuit ſenſum. ſi non
veſtris bonis operibus, ſed Chriſti munere donum acce-
piſtis, quid intumeſcitis? Hieronymus, ac Primaſius
potiſſimùm referũt ad ſcientiæ donum. Certè paulò
pòſt Apoſtolus Corinthios laudat, quòd Spiritus
ſancti muneribus affluerent. Illa autem pertinere ad
explicationem gratiæ, quam hic nominat, docet
C Theodoretus.

Qvod in omnibvs, &c. *Haſunt*, inquit 5.
Theodoretus, *ſpecies donorum ſpiritus. Diuites* (ait) I.
facti eſtis. Plenos ſignificat, copioſos, abundantes,
more ſuo, qui omnem affluentiam, & copiam diui-
tiarum nomine ſignificare conſueuit. Obſeruat au-
tem Chryſoſtomus vocem *In omnibus*. Græcè ἐν
παντὶ, hoc eſt in omni, vt ſubaudiatur gratia. *Cùm*
gratia, inquit Chryſoſtomus, *ſint, & diuitiæ, & Dei*
diuitiæ, & in omnibus, & per vnigenitum, cogita the-
ſaurum ineffabilem. Ambroſius legit: *In omnibus di-*
tati eſtis, eodem planè ſenſu Hieronymus: *In omni-*
bus virtutibus (ait) *per ſapientiam, quæ amicos Dei, &*
Prophetas conſtituit. Item aliter: hoc dicendo Apoſto-
lus oſtendit eos, quando ad fidem Chriſti acceſſerunt,
D *omni gratia tunc ditatos.* Quod deinde Apoſtolus
planiùs explicans ſubdit. *In omni verbo, & in omni*
ſcientia. Græcè ἐν παντὶ; paulò antè ſimpliciter dixe-
rat ἐν παντὶ, ſed alia ſignificatione. Hic enim indicatur
id quo Corinthij dicuntur affluere, atque idcirco
Hebræorum idiotiſmo præpoſitio ἐν, abundat, quo-
modo ſæpe aliàs[a]; paulò antè verò ſignificat in omni
gratia, vel etiam omni ex parte, vel omnino, vel in
omni negotio. An autem particula παντὶ hoc loco
ad genus vniuerſum; an ad integritatem, ac perfe-
ctionem referenda ſit, haud ſatis conſtat; vtroque
enim modo vſurpari ſolet ab Apoſtolo. Equidem
hoc loco genus vniuerſum ſignificari malim, cùm
de integritate, aut perfectione totius, agat paulò poſt.
Animaduertit Chryſoſtomus optimè Apoſtolum
E coniungere ſcientiam cum verbo Dei: *eſt enim ſcien-*
tia abſque verbo, & eſt ſcientia cum verbo. Sunt enim
multi, qui ſcientiam quidem habent, verbum autem non
habent, vt idiotæ, & qui non poſſunt exprimere, quæ ha-
bent in mente. Sed vos (inquit) *non eſtis eiuſmodi, ſed ad*
intelligendum & dicendum eſtis idonei. Suſpicor omne
verbum ſignificare omnium linguarum facultatem,
vel etiam omnem rectè docendi rationem. Omnem
verò ſcientiam referri ad ſacrarum litterarum cogni-
tionem: vtrumque autem rectè coniungitur; ſcien-
tia enim abſque dicendi facultate quædam eſt in-

a Epheſ. 2. 1. Tim. 6. Iac. 1.

A fantia; orationis verò copia, & elegantia abſque ſcientia, battologia quædam eſt, & inanis garrulitas. Commendantur igitur Corinthij, quòd diuino beneficio vtroque Spiritus ſancti munere præſtabant; quod, vt apparet, eximiam Corinthiorum continet laudem, qua illorum animos demulcet. quos paulò pòſt acerbiùs eſt reprehenſurus. Ita Dominus in
[a cap. 2. & 3.] Apocalypſi [a] priùs Epiſcopos laudat, deinde ſeueriùs obiurgat.

6. I. SICVT TESTIMONIVM, &c. Hæc omnia parentheſi conclud͂eda eſſe cenſet Oecumenius, vt aduerbium καθὼς idem valeat, quod δι' ὧν, *id eſt quibus confirmatum eſt teſtimonium Chriſti in vobis, quo magis enim ſacris, ac diuinis muneribus abundatis, hoc teſtatior redditur Euangelij veritas.* Hunc ſenſum
B ſequutus eſt Theophylactus, nec magnoperè abhorret Ambroſius; nam Chryſoſtomus cæteris videtur præluxiſſe. *Non per externam* (inquit) *philoſophiam, neque per externam eruditionem, ſed per Dei gratiam, diuitiaſque, & ſcientiam, & verbum ab eo datum potuiſtis diſcere decreta veritatis, & confirmari ad teſtimonium Chriſti, hoc eſt ad prædicationem.* Alij putant hunc eſſe planiſſimum ſenſum. Ita vos eſtis diuites, & rebus omnibus inſtructi ad proferendum, & promulgandum Euangelium, vt illud in aliis confirmetur non aliter, atque in vobis firmatum eſt. Videtur autem argumentum eſſe ab effectis ad cauſam; quia enim conſtat, vos habere dona ſpiritus; idcirco affirmo, vos abundare omni ſcientia, & facultate dicendi quæ à donis tamquàm à cauſa pendent; vel potiùs
C à genere vniuerſo ad ſingularem aliquam formam; quaſi dicat multis, ac magnis argumentis probatum eſt, vos ita eſſe cunctis Spiritus ſancti muneribus repletos, vt nullo prorſus deſtituamini; neceſſe igitur eſt, vos ſcientia, & dicendi peritia abundare, vt teſtimonium Chriſti tum in vobis, tum etiam in aliis confirmetur. Appellat autem, vt etiam capite
II. ſequenti adnotabimus, Euangelium Chriſti teſtimonium. Ita enim ſcribit Theodoretus: *Teſtimonium autem appellat Chriſti prædicationem. Qui enim prædicant quodammodo teſtantur.* Ita enim ſignificat
[b cap. 24. 14.] Chriſtus apud Matthæum [b]: *Prædicabitur Euangelium hoc in omnibus gentibus in teſtimonium illis.* Et
[c cap. 4. 33.] Lucas in actis [c] Apoſtolicis: *Virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Domini noſtri Ieſu*
D [d ep. 1. ca. 1. 1.] *Chriſti.* Et Ioannes [d]: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annuntiamus vobis.* Ita etiam explicant Photius, & Oecumenius; quin Photius incarnationis Myſterium, ipſaque Spiritus ſancti dona Chriſti teſtimonium appellari poſſe putat, quæ omnia, vt apparet, Euangelij nomine ſignificari certum eſt: cùm Euangelium nihil aliud contineat, quàm humanæ ſalutis myſterium, incarnationis beneficio peractum: hoc igitur Euangelium confirmatum dicit. Confirmationem porro Euangelij intelligit Theodoretus admirabilia ſigna, & prodigia, quibus Euangelicæ fidei veritas mirificè ſtabilita eſt, & roborata. Et quid͂e hoc apud
E [e cap. vlt. 20.] Marcum [e] non obſcurè ſignificatur; cum enim Apoſtoli accepiſſent à Chriſto docendi, ac prædicandi auctoritatem. *Illi autem* (inquit) *profecti, prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Sed cùm verbum, & ſcientiam tantùm nominauerit Apoſtolus, & ab illis Chriſti teſtimonium confirmatum eſſe doceat, veriſimilius videtur, eam confirmationem intelligendam eſſe, quæ vi ſapientiæ, & dicendi facultate perficitur: niſi quis dicat verbi nomine, etiam intelligi vim patrandi miracula, quæ plerumque ſolo verbo

A efficiuntur. Quæ enim mox ſubduntur ab Apoſtolo, veluti analemmate omnia Spiritus ſancti chariſmata complecti videntur, perinde quaſi duobus illis generibus, quæ nominatim expreſſit, cætera contineantur omnia. Sic enim ſubdit.

ITA VT NIHIL VOBIS, &c. Ita accipio 7.
perinde quaſi non ad quantitatem diſcretam, vt paulò antè, ſed ad continuam referatur: non modò, vt I.
nullum in Corinthiis Spiritus ſancti donum deſideretur, ſed nullius prorſus doni particula. Non tamen hæc intelligo de ſingulis, ſed de tota Corinthiorum Eccleſia. Quærit autem Chryſoſtomus, ſi tales fuerunt Corinthij ab initio; cur eos Apoſtolus non ita multò pòſt appellet carnales [a]? *Non potui* (inquit) [a cap. 3.]
vobis loqui tãquàm ſpiritualibus, ſed tamquàm carnali-
B *bus.* Et reſpondet: *Num ergo dici poteſt, quòd cùm ab initio credidiſſent, & chariſmata, ſeu gratuita dona eſſent aſſequuti (æmulabantur enim & zelo erant incenſi) euaſerunt poſtea negligentiores? Aut ſi hoc non ita habet, dicendum eſt, quod non omnibus, neque hæc, neque illa dicuntur; ſed illa quidem iis, qui erant obnoxij criminationibus; hæc autem iis, qui erant laudibus inſignes.* Poſt nonnulla addit: *Aut ea dicit iis, qui adhuc ſunt probi; erant enim illic multi ſancti, qui ad miniſterium pauperum ſe conſtituerant. & fuerant primitiæ Achaiæ, ſicut oſtendit in fine. Alioqui etiam ſi laudes non ſint valdè affines veritati; certo tamen conſilio inſerta ſunt, vt quæ viam muniant ad ea, quæ ſunt dicenda.* Verùm ego ſimpliciùs dicerem, laudari quidem Corinthiorum Eccleſiam, ab his Spiritus ſancti muneribus, quibus
C ornata erat; non pugnare tamen, quòd eos Apoſtolus carnales appellet, quòd, vt alibi docui, poſſint illa Spiritus ſancti munera cum peccato cõſiſtere: quod apertiſſimè docuit Chriſtus, cum dixit [b]: *Multi di-* [b Matth. 7. 22.]
cent, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia numquàm noui vos. Poterant igitur Cotinthij Spiritus ſancti muneribus abundare, & nonnihil tamen pati humani, vnde contentiones, & diſſenſiones exiſterent. Illud certè veriſſimum eſt, quod idem Chryſoſtomus obſeruat, laudes, & encomia ad Dei gratiam, & liberalitatem extollendam referri; Quæ verò in Corinthiis reprehenduntur, humanam imbe-
cillitatem declarare. Cæterùm, quod ait: *Vt nihil vo-* II.
bis deſit in vlla gratia: Græcè eſt ὑστερεῖσθαι, de quo
D verbo diximus in Epiſt. ad Romanos. hic certè videtur ſignificare nulli ſecundi, vel inferiores ſitis. Pro gratia verò non eſt hoc loco χάρις, ſed χάρισμα, quod donum potiùs ſignificat, vt aliàs monui. Addit *expectantibus reuelationem Domini noſtri Ieſu Chriſti*, quæ eſt periphraſis illius extremi diei. non multò
aliter ad Philippenſes [c], & ad Titum [d] iudicij diem [c cap. 1. 10. & 2.] [d cap. 2. 13.]
deſcripſit. Ad Romanos autem dixit: *Reuelationis* [e] [e cap. 2. 5.]
iuſti iudicij Dei. Frequenter autem vtitur nomine ἀποκαλύψεως, quod eſſe nomen proprium ſacrarum
litterarum alicubi docet Hieronymus [f]. Monet au- [f ad Gal.]
tem Ambroſius futurum iudicium ita deſcribi, *quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus reuelabitur tam fidis, quam infidis, vt cognoſcant increduli, ac ſciant verum eſſe, quod credere noluerunt, & pereant: fidi verò gau-*
E *deant plus boni inuenientes, quàm putauerant.* Chryſoſtomus reuelationem appellari dicit, quia etſi non videtur, verè tamen eſt, & adeſt, & tunc apparebit. Theodoretus perinde accipit quaſi ſignificet illos ita eſſe in fide confirmatos, vt nihil de fidei capitibus dubitent, ſed certiſſimè expectent Chriſti ſecundum aduentum. eius verò mentionem idcirco fieri putat Chryſoſtomus, vt Apoſtolus Corinthios deterreat, oſtendátque nihil prodeſſe egregia initia, ſi in medio curſu, vel etiam in extremo peccetur: ſed vſque ad finem perſeuerandum in bene cœptis, & aliquid

potiùs

potiùs addendum quotidie ad priora bona, quàm quidquam detrahendum. Ita concludit. *Tolerantia ergo opus eſt: ideo enim accepiſtis miracula, vt firmi maneatis, ac ſtabiles.* Egregiè verò obſeruatum eſt ab Ambroſio iudicij diem rectè ab illo expectari, qui circumſpectus, & ſolicitus eſt. quod inſinuaſſe viſus
12.36. eſt Chriſtus cùm apud Lucam [a] dixit: *Et vos ſimiles hominibus, expectantibus Dominum ſuum quando reuertatur à nuptiis; vt cum venerit, & pulſauerit, confeſtim aperiant ei.*

8. Qvi confirmabit vos, &c. Confir-
I. mandos illos ait à Chriſto, vt vſque ad extremum perſeuerent ſine crimine. Ita, vt obſeruat Chryſoſtomus, vbi eos commemoratione iudicij perterrefecerat, rurſus leni oratione demulcet. Pollicetur enim eis Chriſti gratiam affuturam, modò ipſi non eam à ſe abiiciant. *Confirmabit* (inquit) *vſque in finem;* idque vt ait Hieronymus, per doctrinam. Sic enim
Pſal. 118. ait Dauid: *Confirma* [b] *me in verbis tuis.* Et rurſus: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.* Addo ego diuinæ gratiæ præſidium, quod, vt
lib. de gr. & lib. arb. loquitur [c] Auguſtinus, *in nobis operatur incipiens, idemque cooperatur perficiens.* Addit ſine crimine. Græcè ἀνεγκλήτους, id eſt inculpatos, & quos nemo iure reprehendat; idque in illo die, quo omnia perſpicua erunt, & aperta. Rectè autem dixit inculpatos, nõ innocentes, quia hoc vix pauciſſimorum erit: illud autem neceſſarium eſt omnibus, qui beatam
d Apoc. 21.27 vitam aſſequuturi ſunt, quia nihil *coinquinatum* [d], *& immundum intrabit in illam.* Obſeruat etiam Chryſoſtomus non temerè tam frequenter Ieſu Chriſti nomen ab Apoſtolo vſurpari, vt pulcherrimi, ſuauiſſimique nominis commemoratione eorum deprimat tumorem, & morbi virus exhauriat. Idem autem paulò antè dixerat huius nominis iteratione, cùm neque Apoſtoli, neque magiſtri mentionem faciat, eos pungere, vt veluti digeſta crapula erigant ſeſe, & intelligant quem maximè cupere, & colere debeant. Idem verò Chryſoſtomus, & Theodoretus monent, cùm Paulus ait, Sine crimine, tacitè indicare eos aliquo eſſe facinore, & crimine inquinatos. *Latenter autem* (ait Chryſoſtomus) *eos accuſat. dicere enim confirmabit, & ſine crimine. oſtendit eos & ad huc labare, & criminis eſſe obnoxios.* Et Theodoretus: *Quod autem dixit ſine crimine, oſtendit eos tunc fuiſſe*
II. *criminibus obnoxios.* At verò Ambroſius alia omnia collegit ex his verbis. Putat enim eos potiùs laudari, quòd de eorum conſtantia, & perſeuerantia minimè diffidat. *Alacri* (inquit) *animo confiſus de ſpe illorum ſecurus eſt, quia inuiolati vſque ad futurum iudicium erunt. Qui enim inter tot diſcrimina ſenſuum, & perturbationes diuerſitatum immutari minimè potuerunt, proculdubio in eodem manſuros ſe oſtendunt. Cùm hos laudat, illos, qui errore pſeudoapoſtolorum deprauati fuerant, inuitat: dum enim horum fidem prædicat, illos ad pœnitentiam vocat.* Quæ ſanè ſententia multò videtur ad veritatem propenſior: Hic enim Epiſtolæ ingreſſus videtur ad laudem Corinthiorũ ſpectare, neque abſurdũ eſt eos, qui ſtant, & minimè labant, confirmari, ne ingruẽtibus periculis nutare incipiant; nam qui liber eſt, atque immunis à culpa, in eodem ſtatu, ac vitæ, morúmque integritate conſeruari poteſt. Illud autem non admiſerim, quod video tamen placuiſſe nonnullis, his verbis contineri pollicitationem diuinæ prædeſtinationis, quaſi Apoſtolo diuinitus ſignificatum fuerit Corinthios eſſe prædeſtinatos, idque ipſe his verbis inſinuet. Neque enim facilè admittendum eſt hoc ita vniuerſim de Corinthiorum Eccleſia fuiſſe Apoſtolo reuelatum, nec quod diuinitus cognouiſſet, tam facilè pronunciaturum fuiſſe: cum præſertim metuendum eſſet, ne eius rei

A cognitio deſidiam potiùs, & ſocordiam in Corinthiorum animis pareret, quàm ſolicitudinem, & diligentiam, quæ videtur ab Apoſtolo deſiderari. Neque verò eorum mihi probari poteſt ſententia, quæ à ſuperiori verbis tantùm diſcrepat, quæque affirmat, Corinthios ita roborandos, ac ſtabiliendos, vt quamquàm interdum labantur, in ſupremo tamen iudicij die, immunes ab omni labe, planéque innoxij deprehendantur. Quid enim hoc eſt aliud, quàm eſſe prædeſtinatos? Confirmandos igitur ait Apoſtolus, hoc eſt affuturam illis diuinam gratiam, quæ illos in ſuſcepto vitæ inſtituto confirmet, modò ipſi nõ reluctentur, neque præſentem gratiam abiiciant. Non exiſtimo tamen loqui Apoſtolum de confirmatione eo modo, quo illam in ſcholis definiunt
B Theologi, quæ cùm perſeuerantia minimè interrupta neceſſariò coniungitur; ſed confirmationem intelligit diuinæ gratiæ præſidium, cui qui ex æquo reſpondet, integer vſque ad finem perſeuerat. Ac proptereà ſubdit.

Fidelis Devs per qvem, &c. Græcè 9.
eſt πιστὸς, hoc eſt verax, & conſtans, qui præſtat quod I.
pollicetur. At cur? Quia nimirum non vocat, vt perdat, ac deſerat. Si igitur vos vocauit, ſperanda vobis ſunt omnia, quæ ad finem aſſequendum neceſſaria ſunt. Neque enim ille quemquam deſerit, niſi priùs ipſe deſeratur: vtitur autem Apoſtolus hoc voce, non eadem ſemper ſignificatione. Aliàs enim πιστοὶ dicuntur qui credunt, & fidem diuinam amplexi ſunt, vt contrà ἄπιστοι dicuntur illi, qui fide diuina carent.
C At verò fidelis ſermo in Epiſtolis ad [a] Timotheũ, eſt a 1. cap. 4. 9. 2. cap. 2. 11.
ſermo minimè fallax, ſed certus, & indubitatus. Itaque hoc loco fidelis dicitur Deus, vt Chryſoſtomus, Ambroſius, Theodoretus & Theophylactus interpretantur, quia fidem præſtat, & ſtat promiſſis. *Quis enim* (ait Ambroſius) *ambigat de promiſſis, & fide Dei?* Poteſt autem hæc Dei veritas, & fidelitas referri ad ſuperiora, vt ſit ſenſus. Spero fore, vt vos Deus confirmet, atque ſtabiliat, quoniam fidelis eſt, & vos in ſocietatem filij ſui vocauit. Poteſt etiam referri ad ſubſequentia, quaſi dicat, nolite metuere; Deus, qui vos vocauit in ſocietatẽ filij ſui, omnia vobis neceſſaria abunde ſuppeditabit, cùm ſit fidelis: Vtrouis autem modo accipias, eadem eſt ſententia. Ait autem. *Per quem vocati eſtis in ſocietatem filij eius.* Deum
D Patrem intelligit, de quo dixit Chriſtus [b]. *Nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Obſer- b Ioan. 6. 44.
uat ſanè hoc loco Hieronymus, hæc Pauli verba fa- II.
cere contra Arrianos, qui minorem eſſe filium volunt, quòd per ipſum omnia facta dicuntur, quaſi particula, *per*, vt aliàs monui, inſtrumenti vel miniſtri actionem ſignificet, cùm hoc ipſum cadat in Patrem, per quem in ſocietatem filij eius fideles vocantur. Omninóque malè Arriani filium vocant miniſtrum præceptorum Patris, quod per ipſum omnia facta ſint; nam eam ob ipſam cauſam dicendus eſſet Pater filij miniſter, cùm per eum vocati ſint fideles in filij ſocietatem. Idem omnino monet Theodoretus. *In Patre* (inquit) *poſuit, per quem impudentia hæreticorum ora obſtruens, & docens, quod non paruitatem*
E *ſignificat.* Idipſum indicauerat Chryſoſtomus; *nam quoniam, per ipſum, & in ipſo frequenter dixit de filio, ne exiſtimarent, quòd tamquam minoris eius meminerit, id Patri attribuit.* Idem prorſus apud Oecumenium ſcribit Photius. Pro ſocietate autem Græcè eſt κοινωνία, quaſi dicat, in conſortium, ſiue communionem. Hanc autem communionem interpretatur Chryſoſtomus ex ipſomet Paulo [c]. *Si ſuſtinemus, &* c 2. Tim. 2. 12
conregnabimus; ſi commorimur, & ſimul viuemus. Alij explicant vocari in ſocietatem filij, nihil eſſe aliud, quàm vocari ad Chriſtum, quomodo intelligenda

 videntur

A videntur illa apud Ioannem [a]. *Vt & vos*(inquit) *ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum Patre, & cum filio eius Ieſu Chriſto.* Quam ſententiam non obſcurè indicat Ambroſius. Cùm enim dixiſſet, nos eſſe Dei filios adoptatos, credentes in Chriſtum, ſubdit: *hoc enim nobis donat quod credimus, vt quia credimus Chriſtum filium eſſe Dei, hoc nos eſſe incipiamus, manſuri in eadem dignitate, ſicut manet Chriſtus, quem credimus filium Dei. Communio enim fraternitatis eſt, vt quomodo fidem Dei incolumem in hac cauſa nobis futuram oſtendit; ita nos non diffidentes, & perfidi inueniamur, ſed perſeuerantes in adoptione.* Ex quibus apparet, ſocietatē filij ex ſententia Ambroſij, nihil eſſe aliud, quàm adoptionem filiorum Dei, qua ſumus quodámodò fratres Chriſti, qui ob hanc cauſam primogenitus in multis fratribus appellatur. B

III. Monet autem Photius [b], nihilo minùs vocari nos per filium ad Patrem quàm per Patrem ad filium. *Nemo* (inquit) *venit ad filiū, niſi Pater traxerit eum, quemadmodum neque ad Patrem quiſquam venit, niſi cui reuelauerit filius.* Mihi certè hæc Ambroſij ſententia vehementer probatur, quam video placere etiam Primaſio, & Anſelmo, vt Apoſtolus gratuletur Corinthiis vocationem ad fidem, & gratiam Chriſti, qua veluti adoptionis iure Dei filij, & Chriſti fratres cenſentur, vnde omnis diuinorum bonorum communio, & participatio ſperanda eſt. Propterea enim vt paulo antè dixi, Deum fidelem appellauit; vt enim ait Chryſoſtomus: *Si verus eſt, & fidelis, ea etiam faciet, quæ promiſit. Promiſit autem ſe facturum nos ſocios filij vnigeniti: nam ad hoc quoque nos vocauit, ſunt enim* C *eius dona huiuſmodi, & Dei vocatio, vt in ea non cadit pœnitentia.* Rectè autem monet idem Chryſoſtomus, fore vt diuina promiſſa aſſequamur, niſi per nos ſteterit, quomodò olim Iudæi bona ſibi promiſſa neglexerunt. *Nemo ergò* (inquit) *in Deum culpam conferat; nam quod non crediderint, non fit ex eo, qui vocat, ſed ex iis, qui reſiliunt. At oportebat* (inquit) *vel inuitos adducere. apage, non enim vim affert, nec cogit* (ſeu potiùs neceſſitatem affert; eſt enim Græcè ἀναγκάζει) *Quis enim ad honores, & coronas, & conuiuia, & dierum feſtorum cœtus vocat inuitos, & trahit vinctos? nemo eſt.* Et multa deinceps in eamdem ſententiam, eorum ſiue tarditatem, ſiue peruicaciā accuſans, qui multiplices diuinæ vocationis rationes neglexerunt, eorúmque excuſationes doctè, atque eruditè refellens. D

10. Obsecro avtem vos, &c. Hactenus
I. fermè præfatus eſt Apoſtolus, nunc rem ipſam aggreditur, & ab obteſtatione orditur. Obteſtatur autem Corinthios per ſuauiſſimum Ieſu Chriſti nomen. Vt enim monet Chryſoſtomus rem aggreſſurus magnis plenam periculis, & quæ ſatis erat ad Eccleſiam funditus conuellendam leni, ac blanda oratione vtitur. Obſecrat enim, & quidem per Chriſtum, perinde quaſi non hoc ſibi ſumat, vt ſolus impetrare, aut perſuadere queat quod maximè cupit. *Quid eſt autem* (inquit) *obſecro per Chriſtum? Chriſtum aſſumo ſocium, & eius nomen atque auxilium, quod nomen iniuria affectum fuit, & contumelia.* Id autem eo putat pertinere, vt pudorem incutiat, quod E etiam docet Theodoretus. *Adhortationi* (inquit) *nomen Domini coniunxit id enim erat quod ab eis pro nihilo habitum abolebatur: cum enim oporteret eos ab ipſo appellari, ab iis, qui illis præerant denominationes aſſumebant.* Omnem autem Corinthiorum Eccleſiam alloquitur, monétque vt idem omnes ſentiant, & loquantur, vt veluti vnius, & eiuſdem corporis membra, in vnum coagmententur, & coaleſcant. Ad Romanos [e] dixerat τὸ αὐτὸ φρονεῖν, hoc eſt idem ſentire, aut ſapere: hic autem primum quidem monet, vt

A idem dicant, quod ſpectat ad ſermonem, mox autem, ne ſermo fictus ſit, & ſimulatus, eandem optat mentem, & ſententiam. *Et non ſint* (inquit) *in vobis ſchiſmata.* In Epiſtola ad Galatas [a] dicuntur διχοστασίαι, id eſt diſcordiæ, vel diſſidia, quæ ſunt animorum, ac voluntatum diſſenſiones, quas ibidem Paulus ab hæreſibus diſtinguit. Non poſſum tamen probare, quod hoc loco dicit hæreticus interpres, qui ſchiſma ait eſſe diſſenſionem voluntatum, cùm alij aliis hominibus, vel externis ritibus ita ſunt addicti, vt quamuis alioqui in ipſis religionis capitibus conſentiant, animis tamen ſint abalienati, & factiones quaſdam ineant: hæreſis verò nomine declarari propriè certam quandam factionem doctrinæ cauſa exortam; nimis enim anguſtè vim, ac rationem ſchi- II.
B ſmatis definit, quæ vt latiſſimè patet quamlibet diſſenſionem voluntatum, & animorum diſiunctionem complectitur, vt intelligitur ex Auguſtino [b], Iſidoro [c], & aliis [d]. Sic inter Iudæos [e], qui variis modis facta Chriſti interpretabantur, dicitur fuiſſe ſchiſma. Sed hac de re plura Epiphanius [f], & Cyprianus [g], & nos alibi. Itaque Apoſtolus ſchiſmata, id eſt ſectiones, diſſenſiones, & diſſidia vetat: hæc enim, vt ait Chryſoſtomus, vnitatem ſoluunt, ac perimunt. *Quod enim* (inquit) *integrum aliquando fuit, ſi in multa diuidatur, non modò non erunt multa, ſed etiam quod vnum erat interit.* Hunc locum adducit Tertullianus [h], vt oſtendat Euangelicam doctrinam eſſe penitùs ſui ſimilem, & probè cohærentem, neque vllam eſſe inter Catholicos doctores pugnam in iis rebus, quæ C ad fidem pertinent, quod alibi copioſiùs oſtenſum eſt. Subdit: *Sitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia*: Græcè κατηρτισμένοι ἐν τῷ αὐτῷ νοῒ, καὶ ἐν τῇ αὐτῇ γνώμῃ. quaſi dicat, eadem mente, & eadem ſententia. Perfectos autem dicit, Græcè κατηρτισμένους, id eſt in vnum coaptatos, quaſi vnum perfectum corpus conſtituentes, in quo nullum ſit membrum mutilum, aut mancum, aut inæquale: quod omnino rectè dicitur iis, quorum diſſenſiones animorum, & ſchiſmata reprehenduntur. Interpres Oecumenij dixit compoſitos; ipſe autem Oecumenius interpretatur compoſitos, & perfectos. Neque ſatis huic loco congrueret, ſi perfectos intelligeret quis eos, qui omnibus numeris abſoluta virtute præditi ſint; mox enim explicat Apoſtolus in quo putet poſitam eſſe D perfectionem, hoc eſt, vt idem ſentiant, & intelligant. Ambroſius pro ſententia legit *Scientia*: habent enim aliqui Græci codices γνώσει, quomodo fortaſſe legit Ambroſius, quem ſequutus eſt Anſelmus. At Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, aliique Græci legunt γνώμῃ, hoc eſt ſententia, eámque lectionem agnoſcunt inter Latinos [i] Hilarius, & III. Auguſtinus [k]. Suſpicor irrepſiſſe mendum, ex eo, quod paulò antè dixit Apoſtolus ἐν πάσῃ γνώσει, id eſt, *in omni ſcientia*. At ibi Apoſtolus agit de abundantia ſcientiæ, & eruditionis; hic autem de conſenſu, & conſpiratione, denique concordia. *Fieri autem poteſt* (vt ait Chryſoſtomus) *vt intelligentia, & cogitatio conſonet, nequaquam autem ſententia; vt quando eamdem habentes fidem, non ſumus vniti caritate, nam* E *ſic in intelligentia quidem, & cogitatis ſumus vniti, ſententia autem nequaquam.* Inde enim oriebantur inter Corinthios ſchiſmata, non quòd in fidei decretis diſſiderent, ſed quòd humana contentione diuiſa eſſet ſentētia. Itaque plus exigit Apoſtolus, quàm velit Primaſius, qui ita explicat, *vnum ſentiatis, vel profiteamini, & ſi vnum ſentiatis, & proferatis, tunc poteritis eſſe perfecti*: conſtat enim agere Apoſtolum de animorum concordia, & conſpiratione voluntatum, quæ repugnat diſſenſionibus, quas reprehendit, atque ita locum explicat Anſelmus, qui tamen plures

expla

[a] 1. ep. c. 1. 3.
[b] apud Oecumen.
[e] Rom. 15. 5.
[a] cap. 4. 20.
[b] lib. 2. de hæreſ. Pauli. cap. 1. con. Creſcon.
[c] lib. 8. Etymol. c. 3.
[d] Pelag. lib. 24. q. 1. cap. Schiſma.
[e] Ioan. 9. 16.
[f] hæreſ. 1.
[g] lib. 1. ep. 11. & lib. 4. ep. 2.
[h] lib. de præſcript. c. 26.
[i] Pſal. 132.
[k] lib. de bapt. contr. Donat. cap. 10.

explanationes affert. Verùm quoniam Græcè dixit A
Apoſtolus ἐν αὐτῷ νοΐ, καὶ ἐν τῇ αὐτῇ γνώμῃ. ſunt qui intelli-
gant mentem ſignificari voce νοΐ, ſententiam verò,
id eſt γνώμην, eſſe iudicium, & approbationem rei
mente perceptæ, cui quis firmiter adhæreat, vt vi-
deatur Apoſtolus requirere in iis, quæ mente, atque
intelligentia comprehenduntur conſenſionem, in iis
verò, quæ referũtur ad actionem, conſpiratioñe vo-
luntatum, quod videtur inſinuaſſe Chryſoſtomus, vt
indicant verba ſuperiùs allata. Prius illud erroribus,
atque hæreſibus aduerſatur, hoc verò poſterius pro-
priè repugnat ſchiſmati; conſtat enim γνώμην Græ-
cè non rarò pro voluntate, conſilio, ſeu propoſito
accipi.

11. I. Significatvm est enim mihi, &c.
Cur ſchiſmata, & diſſidia vetet, paucis explicat, ſe B
namque inaudiſſe ait, gliſcere inter illos diſſenſio-
nes, & ſectas. Et ne temerè criminatoribus fidem
habuiſſe credatur, certos teſtes nominat. *Significa-
tum* (inquit) *mihi eſt ab iis, qui ſunt Chloes.* Ambigitur
autem, ſit-ne Chloës loci, an perſonæ nomen. Et
apud veteres quidem Ambroſius ita hac de re ſcri-
bit: *Aliquibus videntur homines eſſe manentes, & fru-
ctificantes in fide Chriſti: aliquibus videtur locus eſſe, vt
puta ſi dicatur ab iis, qui ſunt Antiochiæ. aliquibus au-
tem videtur fœmina fuiſſe Deo deuota, cum qua multi
eſſent colentes Deum, quibus fides nõ negaretur, vt quod
deferrent de Corinthiis verum eſſet.* Theophylactus
Chloëm familiæ Corinthienſis nomen eſſe putat, vt
intelligas eius gentis aliquos fuiſſe, qui Paulo Co-
rinthiorum diſſidia ſignificarint. Apud Chryſoſto- C
mum, & Theodoretum mirum ea de re ſilentium.
Ego fœminæ nomen eſſe facilè mihi perſuadeo; ita
a lib. 3. Od. enim lego apud Horatium [a].

Me nunc Creſſa Chloë regit,
Dulces docta modos, & cythara ſciens.

Et Martialis ad Chloëm item ſcribit. Quemadmo-
b Ro. 16. dum igitur ad Romanos [b] dixit ἐκ τῶν ἀριστοβούλου
gentiles illius, ac familiares ſignificans, ita hic ab iis,
qui ſunt Chloes, id eſt à domeſticis Chloes. Pruden-
ter autem familiæ nomen expreſſit, delatorum verò
nomina reticuit, ne quid illis conflaret inuidiæ, quod
ſapienter monuit Chryſoſtomus. Voluit autem fa-
II. miliam indicare, ne fingere putaretur. Quærit autem
Hieronymus, quem ſequitur Primaſius, an licuerit
Paulo delatoribus credere, cùm ſcriptum ſit: *Non* D
credas auditui vano. Et rurſus; *quæ viderint oculi tui,
loquere.* Et reſpondet, Paulum hoc diuino munere
fuiſſe præditum, vt abſens noſſet quid in ſingulis
Eccleſiis ageretur. Id enim indicat ipſe in Epiſtola
c 2. ad Coloſſenſes [c]. *Etſi* (inquit) *corpore abſens ſum, ſed
ſpiritu præſens, gaudens, & videns ordinem veſtrum.*
Quæ totidem verbis repetit Primaſius, vt mihi ve-
nerit in mentem vereri, ne illorum Commentatio-
rum auctor aliquis ſit Primaſio poſterior, niſi quis
malit Primaſium ab illo mutuari; ſunt enim inter-
dum non modò ſententia, ſed etiam verbis tam ſi-
miles quàm ouum ouo, ſed ad rem. Cum igitur
Apoſtolus ſciret Corinthios ita planè agere, vt à fa-
miliaribus Chloes audierat; non temere credidit.
Equidem facilè mihi perſuaſerim hoc etiam tam E
eximium, & ſingulare munus Paulo fuiſſe conceſ-
ſum. Sed vtrum perpetuo hæc illi facultas adeſſet,
neutram in partem quicquã auſim affirmare. Quod
ſi Corinthiorum diſſidia nõ illi diuinitùs patuerunt,
probis tamen, ac fide dignis viris ſerio affirmantibus
meritò credidit. Neque enim inanis oblocutio cen-
ſenda eſt, cùm quidpiam ex caritate præſuli, atque
antiſtiti defertur, qui & corrigere poſſit quod cor-
rigendum eſt, & omninò citra noxam prodeſſe. Il-
lud fortaſſe maiorem dubitationem habeat, vtrum
æquum fuerit etiam genus delatorum indicare. Ta-
metſi enim neminem priuatim nominauit, indicata
tamen familia, aut domo, nonnullam illi conflaſſe
videtur inuidiam. Sed prudenter admodum ſe geſſit
Apoſtolus, vt ex Chryſoſtomo docui, quia ad fa-
ciendam fidem, familiam nominat, perſonas non ex-
primit. Significatum autem ſibi ait, *quia contentiones
ſunt inter vos.* Noluit dicere ſchiſmata, ne eos acrius
pungeret; ſed contentiones dixit, vt leuiori vocabu-
lo crimen extenuaret. Ita omnino Chryſoſtomus,
vt delatoribus conſulat, maluiſſe, inquit, contentio-
nes ponere, quàm ſchiſmata. Ipſum porro conten-
tionis genus explicans, è veſtigio ſubiicit.

Hoc avtem dico, qvod, &c. Hæ ſunt 12.
igitur contentiones: quæ quaſi lues quædam vni- I.
uerſam Corinthiorum Eccleſiã depaſcebant: neque
enim nunc lites, & diſſentiones priuatas attingit.
Quæritur autem, an verè ita ſe res haberet, vt alij
Paulum, alij Apollo, alij verò Cepham, alij denique
Chriſtum ſibi ducem, ac magiſtrum depoſcerent.
Certè Chryſoſtomus, Theodoretus, cæterique Græ-
ci Patres, & inter Latinos Ambroſius, & Hierony-
mus docent, hæc nomina veluti exempli gratia po-
ſita eſſe, ne cogeretur Apoſtolus Pſeudoapoſtolo-
rum nomina prodere, & interim oſtenderet, ſi nefas
erat his ſummis Apoſtolis tamquàm magiſtris glo-
riari, multò minùs licere ex aliis Pſeudoapoſtolis
gloriolam aucupari. Hanc ſententiam ex eo potiſſi-
mum firmant, quòd hac ipſa Epiſtola non ita multò
pòſt ait. *Hæc [a] autem fratres, transfiguraui in me, &* a cap. 4. 6.
*Apollo propter vos, vt in nobis diſcatis, ne ſuprà quàm
ſcriptum eſt, vnus aduerſus alium infletur pro alio*; ne-
que ea loquendi ratio à ſcripturæ conſuetudine ab-
horret. Siquidem mulier illa Thecuitis [b], & Nathan b 2 Reg. 14. 6.
Propheta alienis, & fictis perſonis cum Dauide [c] de c cap. 12. 1.
priuatis ipſius rebus egerunt. Accedit quòd nulla
ratione videtur veriſimile, his Apoſtolis auctoribus
ſeditiones illas, & diſſenſiones fuiſſe inuectas. At re-
centiorum ferè communis ſententia eſt, verè Pau-
lum de ſe ipſo, deque his magnis Apoſtolis agere;
quòd videlicet in Eccleſia Corinthiorum permulti
eſſent, qui priuato quodam ſtudio hunc, aut illum
ex his, qui nominantur, cæteris præferrent. Et pro-
fectò cùm tam frequenter Apoſtolus ſeſe deiiciat,
deque rebus ſuis tam demiſsè loquatur, mirum ſi
cuiquam probabile videri queat, eum de aliis, quàm
de ſe, cæteriſque nominatim expreſſis agere. Nam
quis credat, Corinthios Apoſtolis penitus neglectis,
alios ſibi aſciſcere potuiſſe magiſtros, eorúmque
nomina glorioſiùs prædicare? Quid verò cauſæ
eſſet, cur tanta aſſeueratione affirmaret, ſe paucis ex-
ceptis, neminẽ apud Corinthios baptizaſſe? Certè id
prorſus extrà rẽ videretur, niſi eos tacitè increparet,
qui ſe Pauli diſcipulos, & ſectatores inaniter iacta-
bant. Quod verò transfiguraſſe ſe ait in ſe & Apollo,
aliò pertinet, vt ſuo loco docebo: fateor enim Pau-
lum & Apollo ibi duntaxat exempli gratia nomina-
ri. Erant igitur apud Corinthios, qui Paulo magi- II.
ſtro gloriarentur; alij, qui Apollo: illum ſine dubio
intelligit de quo ſcribit Lucas [d]. Fuiſſe enim, ait, na- d Act. 18. 24.
tione Iudæum, patria Alexandrinum, virum diſer-
tum, & in ſacris litteris exercitatum: Illum Aquila, &
Priſcilla diligentiùs in fide Chriſti inſtitutum, ſuis
commendatitiis litteris, proficiſcentem in Achaiam
proſequuti ſunt. Hic igitur poſt Apoſtolum Paulum
Corinthi Euangelium promulgauit, & quia pluri-
mùm valebat dicendi facultate, multorum ſibi ani-
mos mirè conciliauit vſque eo, vt à quibuſdam ipſi
Paulo præferretur. Ita de eo ſcribit Lucas [e]: *Factum* e Act. 19. 1.
*eſt autem cùm Apollo eſſet Corinthi, vt Paulus, peragra-
tis ſuperioribus partibus, veniret Epheſum.* Sed quod

illico ſubditur: *Ego verò Cephæ*; multis negotium faceſſit: nam Corinthi ante Paulum Apoſtolum, Petrus non fuit. Scribit enim Paulus ad Romanos[a] ſe alieno fundamento nihil ſuperſtruxiſſe. An poſt illum ante hanc diſſenſionem venerit, ambigi poteſt. Sunt enim qui negent, idque Apoſtoli teſtimonio confirmant, qui de ſe ipſo dicit: *Ego plantaui, Apollo rigauit*, at de Cepha ne verbum quidem, qui tamen & ipſe, non aliter, atque Apollo rigaſſe dicendus erat. Quid ergo Corinthiis cum Cepha? quid cum Chriſto? Salutis, inquit, auctorem agnoſcebant, & venerabantur. Rectè; ſed Petrum Apoſtolorum Principem, primarium fidei interpretem ſupremum Eccleſiæ caput eſſe audierant: ad illum igitur, tamquàm ad ſuperiorem Apollo, & Paulo ſuam fidem referebant, vt alij tamquàm ad fontem, reuocabant B ad Chriſtum. Probabile. Sed cùm Dionyſius[b] Corinthi Epiſcopus affirmet Corinthiorum Eccleſiam ab vtroque Apoſtolo fuiſſe inſtitutam, cur Petrus ante hanc contentionem, & ſchiſma eò venire non potuerit, cauſam nullam video. At non dixit Paulus, rigaſſe illum, quod ipſe plantauerat, vt rigaſſe dicit Apollo. Verum. Sed cùm aliquid amplius videatur eſſe plantare, quàm rigare, tanti fuit apud Paulum Petri auctoritas, vt qui ſibi aſſumpſiſſet quod erat præſtantius, id quod minus videbatur, Petro tribuere non ſit auſus, maluit igitur de illo ſilere, quàm minùs digna proferre. Quod verò ſequitur. *Ego verò*

III. *Chriſti*. Perinde accipitur à Chryſoſtomo, quaſi Paulus ipſe priuato nomine, ac ſuo loquatur; vt ſuo exemplo oſtendat, Corinthios vno duntaxat Chri- C ſto niti debere, ab eóque ſalutem expectare. Ita ſenſus erit, alij, quem maximè voluerint ſibi magiſtrum atque ducem ſeligant; ego quidem neminem agnoſco præter vnum Chriſtum. Quaſi idem dicat, quod alibi ſe ab vno Chriſto Euãgelium percepiſſe. Chryſoſtomi auctoritas plurimùm apud me valet, ratio non item. *Neque enim* (inquit) *eos reprehenderet Apoſtolus, qui ſe Chriſti diſcipulos eſſe affirmarent.* Fateor in eo non peccaſſe Corinthios, quòd vni Chriſto ſalutem ferrent acceptam; ſed in eo errare poterant, quòd Chriſti miniſtros, non pro miniſtris agnoſcerent, ſed ipſi propemodum Chriſto liberatori æquarent, aut ita ſibi vni Chriſto adhærendum putarent, vt eius Apoſtolos, ac miniſtros penitùs negligerent. Accipio igitur non aliter, ac ſuperiora tamquam Co- D rinthiorum verba, qui vnum Chriſtũ admittebant, de eius miniſtris non magnopere laborabãt. Quo maximè nomine reprehendendi ſunt huius noſtræ ætatis hæretici, qui Chriſtum mediatorem ita ſolitariè prædicant, vt cæteros omnes, quamuis iam beatos non modò negligant; verùm etiam deſpiciant, & contemnant. Quinetiam illud addiderim (quamquàm alio animo, & conſilio) illos tamen hanc Corinthiorum diſſenſionem imitari, qui vt Ambroſius, & Auguſtinus[c] obſeruant, ſpecioſa ab auctoribus ſuis nomina aucupantur, de quibus ita ſcribit Iuſtinus[d]: *Sunt diſtincti cognominibus.* Hanc autem fuiſſe hæreticorum conſuetudinem, & quaſi teſſeram Irenæus[e], Athanaſius[f], Chryſoſtomus[g], & Lactantius[h] affirmant. Optimè verò Hieronymus[i]. *Sicubi* (ait) *audieris eos, qui dicuntur Chriſti non à Domino Ieſu Chriſto,* E *ſed à quopiam alio nuncupari, vt puta Marcionitas, Valentinianos, Monteuſes, ſiue Campuas, ſcito non Eccleſiã Chriſti, ſed Antichriſti eſſe Synagogam.* Malignè au-

IV. tem hæc detorquentur ad eos, qui in philoſophorum exhedris, aut Theologorum diatribis Thomam, aut Scotum, aut Albertum, aut Durandum priuato quodam ſtudio ſequuntur, & ab iis nonnullam appellationem ducunt, vt hi quidem Thomiſtæ, illi Scotiſtæ, quidam Albertiſtæ, nonnulli denique Durandiſtæ vocitentur. Non enim hic agitur de religionis, aut fidei magiſtris, à quibus ſalus expectanda ſit; ſed de ſubtili quadam diſſerendi ratione, quæ ſiue in rebus philoſophicis, ſiue etiam theologicis, quæ extra fidei periculum in vtramque partem agitari queunt, citra piaculum, vel probari, vel refelli pro cuiuſque arbitrio poſſe putatur. Neque aliter de ordinum, ac religionum ducibus, atque inſtitutoribus ſentiendum eſt; tametſi enim alij Baſilium, alij Benedictum, alij Dominicum, atque alij Franciſcum ſequuntur; non ita tamen eos duces agnoſcunt, vt non eoſdem ſummo Imperatori Chriſto ſubiectos eſſe intelligant, & hactenus tantùm iis ſeſe addicant, quia leges Euangelio conſentientes ſuis ſectatoribus impoſuerunt. At Corinthij, aut miniſtros Chriſto æquabant, aut certè cum vnum Chriſtum retinerent, Apoſtolos, & verbi Dei præcones non magni faciebant, aut nimio quodam contentionis ſtudio, quaſi inter ſe pugnantes exiſtimabant. Itaque Theodoretus: *Admodum* (inquit) *ſcitè, & prudenter Chriſti nomen cum aliis connumerauit, oſtendens abſurdum quod ex eo ſequitur, quod ſcilicet Dominum & ſeruum in eodem ordine, & loco habent.* Nec omnino malè Oecumenius reprehendi Corinthios ait, non quòd aliqui ſe Chriſti eſſe dicerent, ſed quòd nõ omnes eandem loquendi formam vſurparent: idem probat Primaſius. Quærit præterea Chryſoſtomus, cur Paulus ſe Petro præpoſuerit, & reſpondet contrà potiùs factum eſſe; *nam per amplificationem produxit orationem, ne exiſtimaretur hoc facere per inuidiam, & per æmulationem eis auferre honorem: propterea ſeipſum quoque primum poſuit; nam qui ſe primum reiicit, ac reprobat, non hoc facit eo quòd amet honorem, ſed eò quòd valdè deſpiciat huiuſmodi gloriam. Ipſe ergo totam ſuſcipit irruptionem, & tunc ponit Apollo, & deinde Cepham. Non ergo ſeipſum extollens hoc facit, ſed in iis quæ fieri non oportebat per propriam perſonam, primùm facit correptionem.*

DIVISVS EST CHRISTVS, &c. Acris, 13.
& vehemens eſt interrogatio, & valdè ad obiurgan- I.
dum accommodata. Eſt enim oratio indignationis plena, ſed quomodò cum ſuperioribus cohæreat, non ſatis apparet. Theodoretus ait, exiſtimaſſe nonnullos, hæc eſſe affirmatiuè pronuntianda, vt ſenſus ſit Chriſtus, hoc eſt myſticum Chriſti corpus, & Eccleſia iſto modo diuiditur, & in partes ſecatur. Sed communis Græcorum, ac Latinorum ſententia eſt, ſi Ambroſium excipias, hæc interrogatiuè eſſe enuntianda. Eſt enim vt ait Chryſoſtomus, interrogatio, quæ magnam contineat abſurditatem, te tamen vera indicat eos, qui ita & ſentirent, & loquerentur, corpus Chriſti diuidere, eo planè modo, quo diuidunt Hæretici, qui ſchiſmata in Eccleſia concitant. Quomodo autem hæc reprehenſio in Corinthios cadat, ex ſuperioribus intelligi poteſt, cùm alij Paulum, alij Apollo, alij Cepham, alij denique Chriſtum ſequi ſe profiterentur, quaſi non eadem eſſent omnium dogmata, neque omnes vni Chriſto æquè ſubiecti eſſent. Qui ſuperiora de Pſeudoapoſtolis intelligunt, faciliùs rem explicant. Illi enim proculdubio, vt docet Ambroſius, hæreſes, & multiplices ſectas in Corinthiorum Eccleſiam inuexerant. *Corinthij* (inquit) *diuerſorum hæreticorum nominibus ſubici cœperant, vt viderentur loco Chriſti homines venerari, qui dum diuerſa de Chriſto accipiunt, diuidunt Chriſtum.* Sed quoniam oſtenſum eſt loqui Apoſtolum de his præconibus Euãgelij, quos nominat hac potiſſimum ratione diuidere Chriſtum exiſtimandi ſunt, quod ita ſuum quiſque præceptorem ſequerentur, vt contentiones, & pugnas excitarent, perinde quaſi Chriſtus, hoc eſt Chriſtiana religio in partes diſſecta eſſet.

a 15. 20.
b apud Euſeb. l.4. Hiſt. c.24.
c l. de vnico baptiſ.
d dialog cum Tryphon.
e l.1. cap. 20.
f Or. 2 in Arri.
g H. 15 in Act. Apoſtolor.
h l. 4. cap 10.
i 9. in Luciferianos.

eſſet. *Diuiditur corpus*, ait Primaſius, *cùm membra diſſentiunt*, quaſi Chriſtum poſitum putet pro eius corpore myſtico. Poſſis etiã ita explicare, quaſi pro magno abſurdo inferat Paulus, ſi contentiones, & ſchiſmata in ſchola Chriſti admittantur, quomodo ſi quis diceret Socratem, aut Platonem eſſe diui-
11. ſum, & in plures ſectas diſpertitum. Subdit: *Numquid Paulus pro vobis crucifixus eſt?* Hoc eſt, vt ait, Theodoretus. *Nunquid dominij, & poteſtatis habet Chriſtus in ſocios, & collegas? Nec ſuo nomine mortẽ ſuſtinuit?* Vt appareat ita Corinthios ſuis adhęſiſſe mãgiſtris, quaſi illis ſalutem acceptam referendã putarent. Rectè autem Chryſoſtomus, & Oecumenius obſeruant meminiſſe Apoſtolum crucis, non autem creationis, quia ſalus à Chriſti cruce pẽdet. Vult igitur Corinthiis perſuadere id quod erat, omniũ mortalium ſalutem ab vnius Chriſti cruce expectandam eſſe; ſe verò non pro hominum ſalute fuiſſe cruci affixum: Quod tametſi æquè poterat de Apollo, & Cepha affirmare; maluit tamen de ſe dicere, vt Chriſtianam modeſtiam, atque humilitatem ſuo exemplo doceret. At in Epiſtola ad Coloſſenſes [a] ita loquitur Apoſtolus. *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia.* Et ad Galatas [b]. *Stigmata Domini in corpore meo porto.* Denique ad Timotheum: *Omnia ſuſtineo propter electos, vt & ipſi ſalutem conſequantur.* Sed vt aliàs docui vnius Chriſti ſanguis peccata omnium mortalium expiauit; aliorum verò Martyrum valuit ad exemplum, quod egregiè explicat Leo Pontifex [c]. *Effuſio enim, ait, pro iniuſtis ſanguinis iuſti tam potens fuit ad priuilegium, tam diues ad pretium, vt ſi vniuerſitas captiuorum in redemptorem ſuum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent.* Et poſt nonnulla: *Quamuis enim conſpectu Domini multorum Sanctorum pretioſa mors fuerit, nullius tamen inſontis occiſio propitiatio fuit mundi. Acceperunt iuſti, non dederunt coronas, & de fidelium fortitudine exempla nata ſunt patientiæ, non dona iuſtitiæ.* Neque tamen inficias iuerim, ſanctorum merita potuiſſe aliquid aliis non ſolùm impetrare, ſed etiam promereri, cùm illa omnia Chriſti meritis niterentur, & ab illis vim potiſſimam merendi, ac ſatisfaciendi tanquam à fonte haurirent. Sed quoniam ea de re ſuo loco copioſiùs differendum eſt, nihil in præſentia addendum puto. Pergit autem Paulus, & ad eandem rem magis amplificandam ſubiicit. *Numquid in nomine Pauli baptizati eſtis?* Quaſi dicat. Numquid meo baptiſmo expiati eſtis? Aut, Nunquid ego vim expiandi peccata tribuere potui baptiſmo? Quo loco obſeruat Chryſoſtomus, hominem quidem baptizare, ſed non ſuo nomine. Non igitur quærendum eſt quis baptizet, ſed quis inuocetur in baptiſmo, hoc eſt cuius nomine atque auctoritate baptiſmus conferatur. Ita olim Auguſtinus [d]; *Quid per columbam didicit* (de Ioanne loquitur) *ne mendax poſteà inueniretur* (*quod auertat à nobis Deus opinari,*) *niſi quandam proprietatem in Chriſto talem futuram, vt quamuis multi miniſtri baptizaturi eſſent, ſiue iuſti ſiue iniuſti, non tribueretur ſanctitas baptiſmi, niſi illi ſuper quem deſcendit columba, de quo dictum eſt: Hic eſt, qui baptizat in ſpiritu ſancto; Petrus baptizet, hic eſt, qui baptizat: Paulus baptizet, hic eſt, qui baptizat. Nam ſi pro diuerſitate meritorum baptiſma ſanctum eſt, quia diuerſa ſunt merita, diuerſa erunt baptiſmata, & tanto quiſque aliquid meliùs putatur accipere, quanto à meliore videtur accepiſſe.* Rectè igitur argumentatur Ambroſius; *Si Chriſtus pro nobis mortuus eſt, quomodo gratiam eius, & beneficium hominibus imputamus ad eius iniuriam? Si credentes in Chriſtum baptizamur, vt nomine eius iuſtificemur, quid eſt, vt fides huius hominis nobis au-*

a cap. 1. 24.
b ad Gal. cap. ult.
c Ser. 11. de paſſ.
d Tract. 6. in Ioan.

A *ctores faciamus, immemores cœptæ credulitatis?* Neſcio autem quàm aptè ex hoc loco colligant quidam olim initio naſcentis Eccleſiæ conſueuiſſe fideles vnius Chriſti nomine baptizari. Quanquam enim non defuerunt Theologi, magni tum nominis, tum auctoritatis, qui id vltrò conceſſerint, vel potiùs magnopere contenderint; mihi tamen ea ſententia, vt alibi doceo, probari nullo modo potuit. Nam quæ à nonnullis argutè, auctore Ambroſio, diſputantur in ſcholis, ſubtiliter excogitata videntur, ſed nõ admodùm ſcripturis conſentanea, nec ſatis firmo fundamento nituntur, cùm baptiſmus in nomine Chriſti collatus intelligatur is, qui à Chriſto fuit inſtitutus, & cuius vi Chriſto fideles coniunguntur. Quocirca rectè Damaſcenus [a] dixit *in Chriſtum baptizatum eſſe,* B *nihil aliud indicat, quàm in eum credendo ſalutifera aqua tingi*, & perſimili ratione dixit Baſilius [b] baptizari in ſpiritu ſancto non eſſe idem, quod baptizari ſola Spiritus ſancti perſona nominata, ſed idem quod baptizari vi Spiritus ſancti gratiam, & ſanctitatem tribuentis. Et Cyprianus [c] cùm attuliſſet verba Petri [d]: *baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti:* Subdit, *Ieſu Chriſti mentionem facit Petrus, non quaſi Pater omitteretur, ſed vt Patri quoque filius adiungeretur. Denique vbi poſt reſurrectionem à Domino Apoſtoli ad gentes mittuntur in nomine Patris, ac Filij, & Spiritus ſancti baptizare gentibus iubentur. Quomodò ergo quidam dicunt baptizatum in nomine Ieſu Chriſti, remiſſionem peccatorum conſequi poſſe quando ipſe Chriſtus gentes* C *baptizare iubeat, in plena, & adunata Trinitate?* Eodem modo loquitur Fulgentius [e]. *Propterea, inquit, omnis qui in nomine Patris, ac Filij, & Spiritus ſancti ſacramento ſanctæ regenerationis abluitur, non niſi in Chriſti morte, ac nomine baptizatur.* Auguſtinus [f] verò ait ex verbis Petri [g] non poſſe colligi non fuiſſe illos baptizatos in nomine trium perſonarum, etiam ſi vna tantũ exprimatur; ſicut cum dicitur, [h] *Omnia per ipſum facta ſunt*; non excluditur Spiritus ſanctus, cùm vna perſona diuina aliam non excludat. Origenes [i] porrò apertè ait, non haberi verum baptiſma, niſi ſub nomine Trinitatis. idem aſſerit Chryſoſtomus [k]. idem Theophylactus: fauet canon Apoſtolorum, in quo damnantur qui baptizabant in morte Chriſti, ſeu Domini. Subditur autem, *non* D *enim dixit nobis Dominus, in morte mea baptizate, ſed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Alibi plura.

a l. 4. de fide cap. 10.
b lib. de ſpi. cap. 12.
c ep. 73. ad Iubaian.
d Act. 2. 38.
e l. 3 de Incar. & gra Chriſt. cap. 11.
f l. 3 con Maximin. c. 17.
g Act. 2. 38.
h Ioan. c. 1.
i l. 5 in ep ad Rom cap. 6.
k hom 30. in 2. ad Cor.
l Luc vlt.
m 40. al. 50.

GRATIAS AGO DEO MEO, QVOD, &c. 14.
NE QVIS DICAT, QVOD IN NOMINE, &c. 15.
BAPTIZAVI AVTEM, ET STEPHANÆ 16.
DOMVM, &c. Oecumenius mouet, Apoſtolum I.
Deo gratias agere, quòd baptizandi munere non ſit perfunctus, nõ quaſi id malũ, aut reprehendendum ſit; ſed quòd non præbuerit occaſionem ſuſpicandi, ſe quaſi ſuo nomine, atque auctoritate baptizare. Chryſoſtomus putat, hæc referri ad reprimendum Corinthiorum tumorem, qui fortè gloriabantur, quòd ab hoc potiùs, quàm ab illo baptiſmo eſſent expiati, atque ita tacitè, vt ait Ambroſius, *Baptizantes, & baptizatos caſtigat, qui ad iniuriam Saluatoris baptiſmatis eius gratiam hominibus deputabant illis diſ-* E *ſimulantibus gloriæ cauſa.* Sed ſimpliciter cauſam explicat ipſe Paulus, cur Deo gratias agat. *Ne quis*, inquit, *dicat, quòd in nomine meo baptizati eſtis.* Inde enim periculum imminebat, ne vim baptiſmi Chriſti non ſolùm imminuerent, ſed penitùs abrogarent. Ait autem: *Gratias ago Deo meo.* Ita enim habent nonnulli Latini Codices: Græci non habent, *meo*, neque emendatiores Latini, nec legit Ambroſius: Hieronymus tamen legit, ſed ad ſenſum nihil refert. Quod ait, *Ne quis dicat quòd in nomine meo baptizati*

eſtis. Græcè eſt εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα ἐβάπτισα id eſt, *in nomen meum*: ſic paulò antè. *In nomen Pauli*, & penè ſemper hoc modo loquitur ſcriptura, vt aliàs monui. Pro eo, quod Latinus interpres dixit, *Baptizati eſtis*; Græcè ſcriptum eſt ἐβάπτισα, hoc eſt baptizauerim, ſed eodem planè ſenſu. Græci conſtanter legunt, ἐβάπτισα: Latini fermè omnes, *Baptizati eſtis*: Auguſtinus [a] tamen alicubi Græcis conſentit. Certè in ſuperiori loco vbi ait; *Aut in nomine Pauli baptizati eſtis*. Mira eſt inter Latinos, & Græcos codices conſenſio; eſt enim Græcè ἐβαπτίσθητε, hoc eſt baptizati eſtis.

a l. 3. contr. Creſcon. c. 11.

II. Excipit tamen Apoſtolus Criſpum, & Caium, vtrumque Corinthium, & Criſpum quidem principem ſynagogæ, de quo Lucas [b]: *Criſpus autem* (ait) *archiſynagogus credidit Domino, cum omni domo ſua*. Caium verò hoſpitem ſuum, de quo in Epiſtola ad Romanos [c]: *Salutat vos Caius hoſpes meus, & vniuerſa Eccleſia*. Addit: *Baptizaui autem & Stephanæ domum*. Huius meminit in Epiſtolæ fine. *Noſtis* (ait) *domum Stephanæ, & Fortunati, quoniam ſunt primitiæ Achaiæ*. Erat autem hic vir, nomine Stephanas. Addit: *Cæterùm neſcio, ſi quem alium baptizauerim*. Addunt aliqui codices, *veſtrûm*, ſed in Græcis ſimpliciter legitur, *alium*. An memoriæ diffiſus ita loquitur? An eſt modeſtiæ, & prudentiæ argumentum? Certè verumque eſſe poſſe non dubito; neque enim Apoſtoli quamquàm Spiritu ſancto pleni, omnem penè humanitatem exuerant, vt nihil illis memoria excidere, nihil eos vnquam latere poſſet; præſertim cùm de rebus humanis ageretur; nam cùm Euangelium promulgarent, & voce, aut ſcripto fidei dogmata explicarent, ita illis vis diuini ſpiritus aderat, vt naſquam hærerent, aut hæſitarent, nedum memoriæ lapſu errarent, aut deficerent. Quamquàm autem hoc ita eſſe non nego; propiùs tamen vero crediderim Apoſtolicæ modeſtiæ fuiſſe, ne videretur aut Corinthios non magni facere, aut certè baptizandi munus parui pendere. Ne quis autem putaret Apoſtolum hoc nomine reprehendendum, quòd æquè videatur munus eſſe Apoſtolicum baptizare, ac prædicare, cùm apud Matthæum dixerit Chriſtus [d]: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*. Confeſtim addit.

b Act. 18. 8.
c cap. 16. 23.
d cap. vlt. 19.

17. NON ENIM MISIT ME CHRISTVS, &c.

I. Certè de Paulo præcipuè dictum eſt in Actis Apoſtolicis [e]. *Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Iſrael. Quod erat* (inquit *Chryſoſtomus*) *laborioſius, & multa indigens perpeſſione, & tolerantia, & ferreo animo, & quod omnia continebat hoc erat, & ideo tractat Paulus*. Addit autem, baptizaſſe illum nonnullos, quia non erat illi id vetitum; cæterùm euangelizare non eſſe cuiuſuis: baptizare autem poſſe quemlibet, qui ſacerdotio ſit initiatus, & ſi neceſſitas poſtulet ne initiatus quidem, atque adeo etiam fœmina nec baptizat. Notat hunc locum Tertullianus [f], quod ex illo quidam hæretici à Quintilla profecti probarent, baptiſmum eſſe reijciendum. *Cur enim tinxit Caium, & Criſpum, & Stephanæ domum? Quamquam etſi non eum miſerat Chriſtus ad tinguendum, tamen alijs Apoſtolis præceperat tinguere. Verùm hæc pro conditione tunc temporis ad Corinthios ſcripta ſunt, quoniam ſchiſmata, & diſſenſiones inter illos mouebantur, dum alius Paulo deputat, alius Apollo; propter quod pacificus Apoſtolus, ne ſibi omnia defendere videretur, nõ ad tinguendum* (ait) *ſe miſſum, ſed ad prædicandum; nam & prius eſt prædicare, poſteà tinguere*. Prædicandi autem munus non modò præſtantius eſt, vt ait Theodoretus, ſed ingentem requirit ſapientiam, & proprium Apoſtolorum munus eſt. Itaquè Petrus [g] cum Cornelium euangelicis præceptis imbuiſſet, eum baptiza-

e cap. 9. 15.
f lib. de Bapt. cap. 14.
g Act. 10. 34. & ſeqq.

A ri iuſſit, facturus ipſe, ſi alij defuiſſent. Quo factum eſt, vt hoc docendi munus habitû perpetuò ſit Epiſcoporum proprium, vt ſapienter à Concilij [a] Tridentini patribus declaratum eſt: cùm tamen hoc noſtro ſæculo non admodum id vſurpent Epiſcopi. Subdit Apoſtolus: *Non in ſapientia verbi*. Sic enim ſemper alias, *Sermo* [b] *meus* (ait) *& prædicatio mea non eſt in humana ſapientia verbis*. Rurſus [c]: *Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia*.

a Seſſ. 5. ca. 2. de reform. & Seſſ. 24. ca. 4. de reform.
b Infra c. 2. 4.
c 2. Cor. 10. 4.

II. Omnis igitur vis, atque efficacitas euangelicæ doctrinæ Dei verbo tribuenda eſt. De qua re multa Athanaſius [d], Gregorius [e] Nazianzenus, Chryſoſtomus [f], Auguſtinus [g], & Theodoretus [h]. Hanc porrò vim negat Tertullianus [i], ineſſe hæreticorum doctrinæ. Egregiè verò Clemens [k] Alexandrinus. B *Quomodo* (inquit) *dicuntur inanes amigdalæ, non in quibus nihil eſt, ſed in quibus id, quod ineſt, eſt inutile; ita etiam hæreticos dicimus, qui ſunt inanes Dei conſiliorum, & Chriſti traditionum, & amareſcunt non ſecùs, atque agreſtia amigdala ſic enim, vt Paulus ait, euacuatur crux Chriſti, ſi verbum Dei eloquentiæ ornamentis prophanetur*. Huc ſpectat, vt obſeruat Origenes [l], lingua illa aurea (ſic enim habent Septuaginta) vbi noſter interpres [m] legit *regulam*, quam ſuſtulit Acham: ſignificat enim eloquentiam, quam Dei verbum pro anathemate habet. Id, quod apertè indicant illa, quæ de Theopompo, ac Theodecte, ſeu Theodoto memoriæ prodiderunt Ioſephus [n], Ariſteas [o], & Euſebius [p], qui cum eſſent nobiles in primis ſcriptores, & ornatiùs neſcio quid ex ſacris litteris deſcribere conarentur, illum qui- C dem aiunt ſubita amentia, hunc verò cæcitate correptum ab incepto deſtitiſſe. Sic Theodoretus [q] obſeruat ſponſi labra non immeritò lilijs comparari, quia vt lilia nullo externo ornamento, ſed proprio, ac ſuo natiuo candore nitent, & aliorum oculos ad ſe trahunt, ita diuinum verbum externis lenocinijs, ac veluti orationis calamiſtris non eget. Ac ne humana quidem ſapientia magnoperè deſiderat eloquentiam; vt enim quidam [r] dixit à philoſopho non eſt eloquentia requirenda, ſi tamen afferat, non eſt aſpernanda.

d de hum. verb.
e Orat. de Spiritu ſancto.
f Hom. 4. ad pop.
g 12. de Ciu. cap. 5.
h l. 9. de curan. Græc. affect.
i l. de præſcript.
k li. 7. ſtrom.
l in lib. Ioſ.
m Ioſ. c. 7.
n li. 12. antiq. c. 2.
o l. de interp. leg.
p l. 8. de præp. Euan. c.
q in cap. 5. Cant.
r M. Tull.

III. Egregiè verò Clemens [ſ] Alexandrinus elocutionem veſtibus, res verò ipſas carnibus, & neruis comparat. Itaque Apoſtolus negat, ſe adhibuiſſe humanæ eloquentiæ apparatum, *vt non euacuetur crux Chriſti*. Rectè enim ſcribit Theodore- D tus, *ſi eloquentia, & dicendi facultate vſi eſſemus, non oſtenſa eſſet potentia eius, qui crucifixus eſt; omnes enim exiſtimaſſent eos, qui crediderant facundia, & dicendi arte captos fuiſſe. Eorum autem, qui prædicant imperitia eos vincens, qui ſe de eloquentia iactitant, & magnificè circumſpiciunt, virtutem crucis apertè indicat. Prædicatio Chriſtiana non indiget pompa, & cultu ſermonis: ideóque piſcatores homines imperiti electi ſunt, qui euangelizarent*. Idem omnino lõga oratione docet Chryſoſtomus: *Nam ſi imperitus erat Paulus, vicit autem Platonem, præclara ſicut dixi fuit victoria. Accepit enim omnibus illius diſcipulis perſuaſit, & eos ad ſe adduxit, vnde fuit perſpicuum, quòd non humana ſapientia fuerit prædicatio, ſed Dei gratia*. Poſt nonnulla verò: *Illi enim rudes, & agreſtes, & imperiti expugnarunt ſa-* E *pientes, & potentes; & tyrannos, & qui gloriabantur diuitijs, & gloria, & omnibus externis, perinde ac ſi non eſſent viri. Vnde eſt perſpicuum, quòd ſit magna crucis potentia, & quòd humanis viribus hæc non fierent: non enim humanam habent naturam, quæ fiunt, ſed erant ſupra naturam quæ gerebantur*. Aliquantò autem pòſt: *Conſidera autem piſcator, tabernaculorum contextor, publicanus imperitus, illiteratus, cùm veniſſent ex regione Palæſtina procul ſita; philoſophis, oratoribus, & ijs, qui magna dicendi facultate erant præditi, expulſis omnibus, eos paruo temporis ſpatio vicerunt, cùm multis periculis,*

ſ 1. Strom.

culis, populis, & regibus reſiſtentibus, ipſa pugnante natura, temporis antiquitate, & longa acriter aduerſante conſuetudine dæmonibus armatis, & Diabolo ſtante in acie, & nihil non mouente, vicerunt (inquam) *reges, principes, populos, gentes, barbaros, Græcos, philoſophos, oratores, ſophiſtas, & qui ſoluta ſcribunt oratione, leges iudicia, varia ſupplicia, innumerabile, & omne genus mortis. Sed tamen hæc omnia refellebantur, & cedebant loquentibus piſcatoribus, non ſecus ac puluis tenuis, qui vehementium ventorum ferre non poteſt impetum. Interim verò meditemur hoc caput, quod non eſt paruum, & dicamus quomodò fortes vicerunt imbecilli duodecim vniuerſum orbem terræ, nō iis ſolum armis vtentes, ſed nudi pugnantes aduerſus benè armatos. Dic enim ſi viri duodecim rei militaris ignari, non ſolùm inermes, ſed etiam corpore debiles impetu facto in innumerabilem, & armatam militum aciem, ab illis quidem nihil mali paſſi eſſent, neque innumerabilibus telis appetiti eſſent ſauciati, in nudo autem corpore iacula habentes infixa, omnes ſtrauiſſent non armis vtentes, ſed manu ferientes, deinde alios quidem interemiſſent, alios autem captiuos abduxiſſent, ipſi nullis acceptis vulneribus; diceret-ne aliquis eſſe humanum quod geſtum eſt? Atqui Apoſtolorum trophæum eſt illo longè admirabilius.* Hæc idcirco tam fusè commemoraui, vt appareat, quod in præſentia docet Apoſtolus, humanæ ſapientiæ præſidiis Chriſti crucem euacuari, hoc eſt inanem reddi: id enim inane dicitur quod non eſt ſolidum, ſed ſpecie
IV. blanditur. Voluit igitur Apoſtolus Euangelium Chriſti eſſe puriſſimum, & ab omnibus humanis adminiculis vacuum, ne quid inde ſibi vindicare poſſet humanum artificium. Quamobrem rectè Auguſtinus apud Bedam: *Non elegit* (inquit) *reges, aut Senatores, philoſophos, aut oratores, immò verò elegit plebeios, pauperes, indoctos, piſcatores. Petrus piſcator, Cyprianus Orator, niſi fideliter præcederet piſcator, non humiliter ſequeretur orator.* Alibi [a] verò: *Dominus,* (inquit) *noſter Ieſus Chriſtus volens ſuperborum frangere ceruices, non quæſiuit per oratorem piſcatorem, ſed de piſcatore lucratus eſt imperatorem. Magnus Cyprianus orator, ſed prius Petrus piſcator, per quem poſteà crederet non tantùm orator, ſed etiam imperator.* Ait igitur Apoſtolus non ſe prædicaſſe in ſapientia verbi; Græcè *ἐν σοφίᾳ λόγου*, id eſt in eruditione ſermonis. *σοφὸς* enim Græcè non ſolùm ſapientem, ſed etiam elegantem, & eruditum ſignificat. Poſitum eſt autem *in* loco, *per*, Hebræorum more, vt aliàs non ſemel monui. Hæc idcirco tam copioſè recenſui non quòd omnem penitus humanam eruditionē, & eloquentiam à Chriſti doctrina reiiciendam putem. ſcio enim quantùm Eccleſiæ profuerit ſapientiſſimorum virorum ſcientia, cum ſingulari orationis copia coniuncta; ſed vt oſtendam eorum non ſatis probandam induſtriam eſſe, qui cùm ſacras litteras, hoc eſt, Dei verbum, & ſacroſancta oracula explicanda ſuſceperint, ita in iis verſantur, ac ſi Homerum, aut Virgilium explanarent. Ita videas impleri paginas carminibus Poetarum, & eorum plerumque, quorum vel ignoraſſe nomina præſtitiſſet, vix quidquam legas, quod non
V. ſit de media gentilitate deſumptum. Nec me fugit plurima in veterum ſcriptis reperiri, quæ ad ſacrarum litterarum explanationem, non ſolùm vtilia, ſed prorsùs neceſſaria videantur, ſiue hiſtoriæ ſeriem, ſiue priſcas conſuetudines, ſiue etiam elocutionum vim, ac proprietatem, ſiue denique morum præcepta quæras. Quocirca Baſilij, Gregorij, Nazianzeni, Cypriani, Hieronymi, Auguſtini, aliorúmque ſimilium omnium ſæculorum memoria, & prædicatione commendanda eſt diligentia, qui prophanæ eruditionis ornamenta quaſi aurum, atque argentum Ægyptiorum ad illuſtrandam Theologicam diſciplinam, tamquam ſanctuarium conficiendum tranſtulerunt, quique de media Philoſophia ſumptis argumentis hæreticos veluti gladio Goliathi iugularunt. Sed quid de iis dicas, qui Theologi, ac ſacræ ſcripturæ interpretis perſona ſuſcepta medicum agunt, architectum, mathematicum, aut poëtam? Qui prophana hinc inde conquirunt, vt ſua volumina expleant? qui niſi humanam eruditionem oſtentent, nihil ſibi ſapere videntur? qui ſi Deo placet; pro diuinis oraculis, mendaciſſimos ſcriptores venditant? qui denique muti ſint, ſi aliena detraxeris? id profectò nihil eſt aliud, quàm non dicam miſcere ſacra prophanis, ſed puriſſimos diuini verbi latices fœdiſſimo cœno inquinare, aut quod longè deterius eſt, adulterina pecunia mercaturam exercere, vel merces ipſas corrumpere, & adulterare. At Paulus ipſe poetarum teſtimonia profert; non nego, & ſuo loco commodè afferri poſſe libens conceſſerim, non vt iis volumina in immenſum creſcant, ſed vel vt locum aliquem illuſtrent, vel argumenti vim magis augeant, vel etiam interdum, vt iucunda quadam varietate lectorem oblectent: ſic in conuiuiis cupediæ, bellaria, & tragemata adhibentur, non vt famem expleant, ſed vt conuiuio nihil deſit, & ſuauitate delectent. eorum mihi ſcripta vehementer placent, quos video plura ſciſſe, quàm ſcribere, qui non pompam explicant, ſed quod ad rem faciat, breuiter ac dilucidè docent; vt prodeſſe velle; non populo placere videantur. Sed redeo ad inſtitutum.

VERBVM ENIM CRVCIS PEREVN- 18.
TIBVS, &c. Oſtendit vim, & efficacitatem crucis I.
Chriſti, hominum vitio interdum inanem reddi, ne cuipiam mirum videretur quod modò dixerat; crucem Chriſti euacuari. Pereuntibus igitur, ait, Chriſti crux, & Euangelij prædicatio mera videntur ſomnia, vel potiùs ineptiæ: ſpectant enim illi orationis illecebras, verborum phaleras, & orationis pigmenta, aut etiam, ſi Deo placet, argutias diſſerendi, quorum nihil in Euangelica prædicatione cernitur. Quamobrem rectè ait Hieronymus. *Prædicatio crucis nō intelligentibus virtutem Dei, ſtultitia videtur Dei Filium dicere crucifixum.* Nam vt ait Chryſoſtomus, *laborantibus, & deliquium animi patientibus, etiam ſalubres cibi ſunt inſuaues, non quidem propter ſui naturam, ſed propter illorum morbum.* Pereuntibus igitur crux Chriſti ſtultitia videtur. Quocirca Paulus in actis [a] Apoſtolicis, cùm in Areopago Chriſtianæ religionis dogmata explicaret, plurimorum riſu exceptus eſt; & cùm coram Feſto iiſdem de rebus diſſereret [b], exclamauit Feſtus, *Inſanis Paule. multæ te litteræ ad inſaniā conuertunt.* Sed vt ait Ambroſius; *Manifeſtum eſt quia quibus crux Chriſti ſtultitia eſt, in perditione ſunt, videlicet inferorum ſupplicijs obnoxij degūt.* Fusè autem hoc loco Chryſoſtomus diſſerit de Chriſtianæ religionis myſteriis, quæ ſunt magna ex parte ab humana ratione alieniſſima; non quidem, quòd cum recta ratione pugnent, ſed quòd humanæ imbecillitatis captum longè ſuperent. Subdit autem Apo- II.
ſtolus: *His, qui ſalui fiunt, id eſt nobis, Dei virtus eſt:* Qui credunt; vim, & efficacitatem Chriſtianæ doctrinæ experiuntur, & probè intelligunt, certò enim ſciunt, nihil eſſe in Chriſtiana doctrina repugnans, quod à Philoſophorum ſophiſmatis, aut hæreticorum calumniis, non facilè vindicetur. Quamquam enim Chriſtianæ fidei dogmata magna ex parte humanam rationem ſuperant, non ſunt tamen contrà rationem, neque à philoſophis, aut hæreticis ita oppugnari poſſunt, vt non facilè cuiuis appareat ea idoneè refelli. Poſtulant illa quidem fidem diuinam qua Deo affirmanti ſimpliciter credatur, ſed hoc ipſum, vt ſuo loco probatum eſt à nobis, non modò

non

a Tract. 7. in Ioan.

a cap. 17. 32.

b Act. 26. 24.

non repugnat humanæ rationi, ſed eſt illi potiùs in primis conſentaneum, quandoquidem ipſa ſcientia, quam Philoſophi tanti faciunt, eſt fidei quodammodò immixta, vt copioſè docent Arnobius [a], Clemens [b] Alexandrinus, & Auguſtinus [c]. Tritum enim illud eſt, oportet addiſcentem credere. Pythagoras fidem à ſuis auditoribus exigebat, & principiorum, vnde omnis ſcientia manat, eſt quaſi quædam fides. Epicurus vt ait Clemens [d] Alexandrinus cogitationis anticipationem, id eſt πρόληψιν, fidē eſſe dicebat, neminem verò poſſe nec quærere, nec dubitare, neque vero opinari, ſed nec probare, aut arguere abſque anticipatione. Idque verè dictum eſſe confirmat Clemēs ex illo Iſaiæ [e], ex interpretatione ſeptuaginta. *Niſi credideritis nō intelligetis.* Addit præterea teſtimonia Heracliti, Platonis, & Euthydemi, & cōcludit, abſurdum eſſe à Chriſto magiſtro probationes exigere, neque eius dictis fidem habere. Cui mirificè conſentiunt ea, quæ ſcribit Baſilius [f]. Qui fidem vocat theologiæ noſtræ principium. & Cyrillus [g] Alexandrinus fidem ait eſſe initium cognitionis noſtræ. Idem confirmat Origenes [h]. Denique ea, quæ quotidiano experimento comprobantur à paucis ſola fide creduntur à plurimis, ipſaque adeò honorum ſocietas abſque fide conſeruari non poteſt; nam & inſulas fortunatas, & remotiſſimas vaſti Oceani regiones Indiarum, ij omnes credunt, qui non viderunt, hoc eſt mortalium pars maxima; parentes autem, à quibus geniti ſumus, fide ſublata nemo poteſt agnoſcere. Itaque ſi fidem tollas, qua homo homini credit: lucem, ac ſolem eripere videaris; quominùs mirandum eſt, ſi Deo immortali Chriſtianæ fidei dogmata aſſerenti credendum dicimus, vt interim omittam non deſtitui fidei noſtræ myſteria, ſuis firmamentis ac rationibus, de quibus alio loco. Perſpicuè verò intelligunt fideles, verè olim dictum eſſe à Dauide [i]. *Lex Domini immaculata conuertens animas.* Et quod alibi dixit Apoſtolus [k]. *Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ; ac ſpiritus, compagum quoque, ac medullarum & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis.* Quamobrem Tertullianus [k] acutè dixit, hæreticos non poſſe gentiles ad Chriſtum traducere, quia ſolam habent ſcripturarum vaginam, carent autem gladio ſpiritus, in quo poſita eſt omnis vis, & efficacitas euangelicæ doctrinæ. Fideles igitur vim crucis Chriſti intelligunt, ac veluti proprio experimento, cognoſcunt, quippe norunt Chriſti cruce, mortem eſſe ſuperatam, ſeque eius beneficio ab interitu ſempiterno

III. ereptos ad immortalem vitam perduci. Addit autem Apoſtolus. *Id eſt nobis.* Græcè ſimpliciter legitur σωζομένοις ἡμῖν, hoc eſt nobis, qui ſalutem conſequimur, vt perſpicuitatis gratia additum videatur ab interprete, *id eſt*, nihil immutata ſententia. Ambroſius ſimpliciter habet: *His autem, qui ſalui fiunt, Dei virtus eſt.* Græcè δύναμις, vt opponatur infirmitati, & imbecillitati. Corinthij enim diuitiis videbantur inſolentes, non aliter ac Romani imperij gloria, & laude bellica tumidi erant. Addit hoc loco Oecumenius Chriſti crucem, credentibus non modò eſſe Dei virtutem, ſed etiam ſapientiam; quia in illa maximè elucet Dei potentia, Deíque ſapientia: potentia quidem, quòd Chriſtus in cruce moriens, ſua morte ſuperauit mortem: ſapientia verò, quod hac admirabili ratione, mortale genus ab interitu liberauit. Ita paulò pòſt dicit. *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam, ipſis autem vocatis Iudæis, atque Græcis Chriſtum Dei virtutem, ac Dei ſapientiam.*

19.
I. Scriptvm est enim, perdam

A ſapientiam, &c. Teſtimonium eſt apud Iſaiam [a], quod more ſuo profert Apoſtolus, non ex Hebræis codicibus, ſed ex interpretatione Septuaginta, ſententiæ tamen veritate, atque integritate retenta. Nam Hebræi quidem codices ita latinè ab interprete redduntur. *Peribit enim ſapientia à ſapientibus eius, & intellectus prudentium eius abſcondetur:* Septuaginta verò: *Et perdam* (inquiunt) *ſapientiam ſapientium, & intellectum, ſeu prudentiam prudentium, abſcondam.* Græcè κρύψω, cuius loco Apoſtolus dixit ἀθετήσω, id eſt de medio tollam, ſiue abolebo; & vt ait noſter interpres, *reprobabo.* Ita oſtendit Iſaiæ vaticinium ad euangelica tempora pertinere. Atqui (ait Hieronymus [b]) in ſacris litteris ſcriptum eſt: *Omnis ſapientia à Domino Deo eſt.* Quam igitur ſa-

B pientiam abolendam, dicit Propheta? Abuſum humanæ ſapientiæ intelligit Hieronymus; quod etiam inſinuat Clemens [c] Alexandrinus, qui eorum ſapientiam reiici docet, qui ſibi nimium placent. Et Dionyſius [d] Areopagita ita de Apollophane loquitur. *Verùm & ipſe Apollophanes diuinis aduerſus diuina nefarie vtitur; nam per hanc rerum ſcientiam, quæ ab ipſo philoſophia ritè nominatur, & à Paulo beatiſſimo ſapientia Dei appellatur, ad auctorem omnium, & eiuſmodi quoque ſcientiæ parentem oportebat viros philoſophos ſubuehi.* Et in eamdem ſententiam Auguſtinus [e]. *Non enim* (inquit) *ſuam in eis perdit, & reprobat, quam ipſe donauit, ſed quam ſibi arrogant, qui non habent ipſum.* Demque Ambroſius: *Perdit ſapientiam ſapientium, dum quæ illi negant poſſe fieri facit, & reprobat in-*

C *tellectum prudentium, cùm Deum, quem incurioſum dicunt, aggreſſum probat ea, quæ ſtulta putant, vt Dei filius incarnatus de virgine crucifigeretur pro humana ſalute, quod factum verè teſtatur virtute, non verbis.* Cæterùm Iſaiæ teſtimonium ad tempora noui Teſtamenti pertinere docet Hieronymus in illum locum. II. *Non quod Deus* (inquit) *ſit inimicus ſapientiæ, cuius pater eſt, & per quem omnis eſt in hominibus ſapientia; ſed cum additamento poſuit, vt in Hebraico eſt, ſapientium populi, & prudentium illius, id eſt populi Iudæorum. Et re vera grande miraculum Deus fecit in populo poſt aduentum Domini ſaluatoris, vt vno, atque eodem tempore arderet Ieruſalem, templúmque corrueret, & omnis magiſtrorum ſcientia tolleretur.* Transfert igitur Apoſtolus Prophetæ verba etiam ad ſapientiam philoſo-

D phorum, de qua plura deinceps ſcribit. Ex hoc autem loco aduerſus Marcionem colligit Tertullianus [f] Chriſtum, eiúſque crucem non eſſe à creatore alienam. Sic enim ſcribit. *An crucem Chriſti ſtultitiam eſſe perituris, virtutem autem, & ſapientiam Dei ſalutem conſequuturis. Et vt oſtenderet vnde hoc eueniret, adiecit. Scriptum eſt enim, Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium irritam faciam. Si hæc creatoris ſunt, & quæ ad cauſam crucis pertinent,* ſtultitiam deputat; ergo & crux, & per crucem Chriſtus ad creatorem pertinebit, à quo prædicatum eſt quod ad crucem pertinet. *Aut ſi creator, quia æmulus idcirco ſapientiam abſtulit, vt crux Chriſti ſcilicet aduerſarij ſtultitia deputetur, & quomodo poteſt aliquid ad crucem Chriſti non ſui creator pronuntiaſſe, quem*

E *ignorabat, cùm prædicabat? Sed & cur apud Dominum optimum, & profuſæ miſericordiæ alij ſalutem referunt, credentes crucem virtutem, & ſapientiam Dei eſſe, alij perditionem, quibus Chriſti crux ſtultitia reputatur, ſi non creatoris eſt aliquam populi, & humani generis offenſam detrimento ſapientiæ atque prudentiæ mulctaſſe?*

Vbi sapiens, vbi conqvisitor, &c. Alludit ad alium Iſaiæ [g] locum, qui ex Hebræo ita in vulgatis codicibus habet. *Vbi eſt litteratus? vbi legis verba ponderans? vbi doctor paruulorum?* Videtur autem Apoſtolus non tam voluiſſe verba, quam 20. I.

[a] lib. 2. cont. Gentes.
[b] li. 2. Strom. in princ.
[c] l. 13. de Trinit. c. 13. lib. 3. cōt. Academ. cap. 10. lib. de vera relig. cap. 24. lib. 2. de ord. cap. 4.
[d] lib. 2. Strom.
[e] cap. 7. 9.
[f] in Pſal. 115.
[g] lib. 4. in Io. cap. 29. & 12. & 7 cont. Iulianum.
[h] lib. 1. cont Celſum.
[i] Pſal. 18.
[k] ad Heb. 4. 12.
[k] l. de. Præſc.
[a] cap. 29. 14.
[b] Eccl. 1. 1.
[c] l. 1. & 5. Strom.
[d] epiſt. 7.
[e] lib. 10. de ciu. cap. 28.
[f] li. 5 in Marcion. cap. 5.
[g] cap. 33.

ſenſum Prophetæ exprimere. Nam neque cum Hebræis codicibus, neque cum interpretatione Septuaginta Pauli verba conſentiunt. ſic enim illi legunt: *Vbi ſunt grammatici? vbi conſultores? vbi eſt qui numerat eos, qui nutriunt paruum, & magnum populum?* Nec dubium eſt, Prophetæ verba præcipuè ad Iudæorum populum referri; ita enim locum explicat Hieronymus. *Vbi ſunt* (inquit) *Scribæ, & Phariſæi, qui legis verba trutinantes infœlicem populum decipiebant? quos nunc paruulos ſcriptura cognominat, paruulos ſenſu, paruulos intelligentia.* Apoſtolus tamen accommodatè ad Iudæorum conſuetudinem, tam de Iudæis, quàm de gẽtilibus loquitur. Ita hunc locum accepit Tertullianus[a]: *Poſt Euangelium*, inquit, *nuſquam inuenias, aut Sophiſtas, aut incantatores, aut coniectores, aut magos, niſi planè punitos. vbi ſapiens? vbi litterator? vbi conquiſitor huius æui? nónne infatuauit Deus ſapientiam huius ſæculi? Nihil ſcis mathematice, ſi neſciebas te futurum Chriſtianum: ſin ſciebas, hoc quoque ſcire debueras, nihil tibi futurum cum iſta profeſſione. ipſa te de periculo ſuo inſtitueret, quæ aliorum climacterica præcanit. Non eſt tibi pars, neque ſors in iſta ratione. Non poteſt regna cœlorum ſperare, cuius digitus aut radius abutitur cœlo.* Et aduerſus Marcionem idem penè indicat. pro eo autem, quod Latinus interpres dixit *Scriba*, Græcè eſt [Greek], vt apud Matthæum[b]; *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, ſapientes, & ſcribas.* Cùm tamen de Apoſtolis, reliquiſque diſcipulis loqueretur. erant autẽ apud Hebræos ſcribæ quos illi ſua voce [Hebrew] *Sepherim* vocant publici notarij, quorum officium erat, cùm publicas tabulas conficere, tùm ſacrarum litterarum volumina integra & incorrupta ſeruare, eorúmque ſenſum interpretari. Ita ſignificat Hieronymus[c]. *Obſerua*, inquit, *iuxta Apoſtolum ſcribentem ad Corinthios, varia eſſe dona Diſcipulorum Chriſti; alios prophetas, qui futura prædicant, alios ſapientes qui nouerint quando debeant proferre ſermonem; alios ſcribas, in lege doctiſſimos.* Et in libris regum[d] Saphan ſcriba librum legis iubetur recitare. Et Artaxerxes[e] dicitur dediſſe *litteras Eſdræ ſacerdoti, Scribæ erudito in ſermonibus, & præceptis Domini & cæremoniis eius in Iſraël.* Et apud Matthæũ haud obſcurè ſignificatur docendi munus penes Scribas fuiſſe. Alicubi[f] enim ait Euangeliſta. *Admirabantur turba ſuper doctrina eius; erat enim docẽs eos, ſicut poteſtatem habens, & non ſicut ſcribæ eorum, & phariſæi.*[g] Alibi Chriſti Diſcipuli Scribarum ſententiã proferunt, quaſi doctorum, ac magiſtrorum populi: *Quid ergo*, inquiunt, *ſcribæ dicunt, quòd Eliam oportear primùm venire?* Et Chriſtus[h] ipſe idem apertiùs ſignificauit cum dixit: *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi.* Itaque iidem erant legis periti, de quibus Lucas[i]: *Phariſæi autem, & legis periti conſilium Dei ſpreuerunt.* Et alibi. *reſpondens autem*, inquit Lucas, *quidam ex legis peritis.* Et mox Chriſtus. *Et vobis legis peritis, væ, quia oneratis homines oneribus, quæ portare non poſſunt, & ipſi vno digito veſtro non tangitis ſarcinas.* Qui verò apud Matthæum[k] *legis doctor* appellatur apud Lucam[l] dicitur, *quidam Scribarum.* Scribæ igitur apud Hebræos erant, qui conſulti de rebus perplexis, ac dubiis, ex Oraculis ſcripturarum reſpondere cõſueuerant. Porro de Iudæorum ſcribis plura Hieronymus[m], & Epiphanius[n]. Nos igitur ſcribam pro litterato, ac in litteris verſato accipimus, ſequuti Tertullianum. Neque enim penitus aſſentior Theophylacto, qui ſapientem ad philoſophos, Scribam autem ad Iudæos refert: quamquam idem docuerat Theodoretus: vt enim paulò antè dixi, quæ Iſaias de Iudæorum gente vaticinatus eſt, ea ſuo modo Apoſtolus, ad gentes transfert, quod idem etiam quaſi ſecundariò ſignificarit Spiritus ſanctus. Quòd

a In lib. de Idol. cap. 9.
b 23. 34.
c In Matth. cap. 23.
d 4. Reg. 22. e 1. Eſdræ cap. 7. 11.
f cap. 7. 28.
g cap. 17. 10.
h Matth. 23. 2.
i cap. 7. 30. & 11. 45.
k cap. 22. 35.
l cap. 10. 25.
m [?]
n [?]

A ſi libeat hæc diſtinguere, ſapientem eum vocari crediderim, qui humanarum, diuinarúmque rerum ſcientiam profitetur, quem alicubi verbis magnificentiſſimis deſcribit Seneca[a]. *Animus*, inquit, *intuens vera peritus fugiendorum, ac petendorum, non ex opinione, ſed ex natura pretia rebus imponens, toti ſe inferens mundo, & in omnes eius actus contemplationem ſuam mittens, cogitationibus, actionibúſque intentus: ex æquo magnus, ac vehemens, aſperis, blandiſque pariter inuictus, neutri ſe fortunæ ſubmittens, ſupra omnia, quæ contingunt accidúntque eminens, pulcherrimus cum decore, cum viribus ſanus, ac ſiccus, imperturbatus, intrepidus, quem nulla vis frangat, quem nec attollant fortuita, neque deprimant.* Alibi verò[b] plures ſapientiæ definitiones affert. *Quidam*, inquit, *ſapientiam ita finierunt, vt dicerent eam diuinorum, & humanorum* B *ſcientiam. Quidam ita, ſapientia eſt noſſe diuina, & humana, & horum cauſas.* Scribam verò eum, qui docendi munus ſubeat, interpretor: conquiſitorem verò, græcè [Greek], huius ſæculi diſputatorem, & curioſum naturæ inueſtigatorem intelligo; quamquàm Ambroſius propriè aſtrologum interpretatur. *Conquiſitor*, ait, *ſæculi hic eſt, qui à conſtellationibus agi mundum, & duodecim ſignis, ortus, & occaſus fieri decernit calculis, nihil omnino ſine certo motu putans poſſe fieri.* Sed Theodoretus cõquiſitorem eum eſſe putat, qui diſſerẽdi arte valeat. *Nónne*, inquit, *ſtultã fecit Deus ſapientiam huius mundi?* Græcè pro eo, quod eſt; ſtultam fecit, legitur [Greek], quod Tertullianus dixit, *Infatuauit.* Quomodò in Epiſtola ad Romanos[c] de ſapientibus dixit, *ſtulti facti ſunt*, Græcè [Greek], quaſi dicat, *infatuati ſunt.* Dicitur autem Deus infatuaſſe ſapientiam huius mundi, quia illam abſque fide nihil prodeſſe oſtendit, vel quia fidei luce, propoſita philoſophorum errata, & delitamenta patefecit. Ita Clemens[d] Alexandrinus *Horum* (inquit) *ſapientum cognouit Deus cogitationes, quòd vanæ ſunt: nemo ergo glorietur humana præcellens cogitatione. Rectè enim ſcriptum eſt[e]. Ne glorietur ſapiens in ſapientia ſua.* Cæterùm, quod attinet ad locum Apoſtoli, Chryſoſtomus, & Ambroſius hæc dicta putant, non ſolùm contrà Gentiles, ſed etiam contra Iudæos, quod Theodoretus, & Theophylactus, etiam inſinuant, ſed antecedentia, & ſubſequentia perſpicuè videntur indicare hæc ad Gentiles pertinere, qui ſapientiæ ſtudio dediti, fidei Chriſtianæ doctrinam, tanquàm ſtultitiam irridebant; contrà verò Iudæi ea vehementèr offendebantur. vt paulò pòſt apertiſſimè ſcribit Apoſtolus; atque hanc noſtram ſententiam maximè confirmant ea quæ mox ſequuntur.

NAM QVIA IN DEI SAPIENTIA, &c. Fidem Euangelicam ſapientiæ ſucceſſiſſe docet, vt appareat eum de humana philoſophia, & ſapiẽtia loqui. Monet autem Theodoretus, tres hoc loco ſapientias ab Apoſtolo indicari; nec multum ab ea ſententia abhorret Hieronymus. Prima autem ſapientia eſt ea, quam philoſophi ſtultitiam exiſtimabant, de qua plura non ita multò pòſt, quæ eſt ſapientia Chriſti liberatoris noſtri. Secunda, quæ in rerum creatarum contemplatione poſita eſt. Tertia, quæ à natura, & naturæ conditore Deo ſingulis hominibus indita eſt, qua mente, & ratione præditi ſumus, bonarum artium, ac diſciplinarum ſcientiam aſſequimur, agenda denique, & fugienda diſtinguimus. Cùm igitur ait; *quia in Dei ſapientia*, illam ſapientiam intelligit, de qua dixerat in Epiſtola ad Romanos[f]. *Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.* Hoc eſt rerum admirabilium, quæ in hoc mundo cernuntur, diligentem, atque accuratam inſpectionem. Cautè porrò legendus eſt Clemens[g] Alexandrinus, qui cùm hunc locum Apoſtoli explicaret

a ep. 67.
b Ep. 90.
c cap. 1. 22.
d 1. ſtrom.
e Hierem. 9.
21.
I.
f cap. 1.
g 1. ſtrom.

caret, indicare videtur, nonnullos naturali dumtaxat
ſcientia, & cognitione fuiſſe iuſtificatos. ſic enim
ſcribit. *Iis enim qui à philoſophia fuere iuſtificati, au-*
xilium tanquam theſaurus reconditur: nunc autem eſt
vtilis ad Dei cultum, ac pietatem iis, qui fidem colligunt
per demonſtrationem, & quæ ſequuntur in hanc ſen-
tentiam, de quibus plura alio loco. Neſcio autem
a lib. 1. ſtrom. vtrum probanda ſit eiuſdem Clementis[a] altera ſen-
tentia, qui putat loqui Paulum de ſapientia Iudæorũ
quæ per Prophetas eſt annuntiata. *Non cognouit*, in-
quit, *mundus, nempè per ſapientiam, quæ per Prophetas*
loquitur, ipſum ſcilicet Deum, ipſi Deo viſum eſt per præ-
dicationem ſtultitiæ, quæ Græcis ſcilicet videtur eſſe ſtul-
titia, ſaluos facere credentes; nam vt ſæpè iam monui,
videtur Apoſtolus apertè loqui de gentilibus, qui vt
mox dicet, ſapientiæ ſtudio deditierant. In hac igitur
ſapiẽtia, humana videlicet philoſophia, qua nihil præ-
clarius, vt quidam dixit, mortalibus conceſſum eſt,
dicitur mundus non cognouiſſe Deum per ſapien-
tiam, hoc eſt humanæ mentis, atque intelligentiæ vi.
Quo loco egregiè Tertullianus[b], mundi nomine
b l. 5. in Marc. cap. 5. hominem, qui ſit in mundo intelligendum putat *ex*
forma ſimplici loquelæ humanæ, qua plerumque id quod
continet, ponimus pro eo, quod continetur; Circus clama-
uit, & forum locutum eſt, & baſilica fremuit: id eſt qui
in his locis rem egerunt. Igitur quia homo non Deus mun-
di in ſapientia, non cognouit Deum, quem cognoſcere
debuerat, & Iudæus in ſapientia ſcripturarum, & omnis
gens in ſapientia operum; ideo Deus idem, qui in ſapien-
tia ſua non erat agnitus, ſtatuit ſapientiam hominum
ſtultitia repercutere, ſaluos faciendo credentes quoſque
in ſtultam crucis prædicationem. Eodem modo Dei
ſapientiam explicant Chryſoſtomus, Theodoretus,
Ambroſius, Hieronymus. Quod addit. *Per ſapien-*
tiam, non temerè additum eſt, vt multi putant, ſed,
vt ait Theodoretus, vim illam intelligit Paulus, qua
præditi ſumus intelligendi, & cognoſcendi, quæ
menti obiiciuntur: quaſi dicat, quod idem Theodo-
retus ſcribit: *Oportebat quidem homines naturali, à*
Deo accepta cognitione per creaturas, tanquam per pe-
dum veſtigia deduci, & earum opificem adorare; ſed
quoniam nullam ex his vtilitatem accipere voluerunt,
benignus, ac clemens Deus eis alia ratione ſalutem pro-
curauit, & per eam, quæ à ſtultis ſtultitia vocatur, eos ab
errore liberauit. Penè eadem ſcribit Ambroſius. Putat
autem Chryſoſtomus, his verbis declarare Apoſtolũ
quánam ratione Deus ſapientiam perdiderit. *Quo-*
niam docuit ad ſuſcipiendam Euangelij prædicationem,
neque in ſapientia quidquam poſitum eſſe præſidij, neque
imperitum ab inſcitia lædi, & quod longè admirabilius
eſt, quódque humanæ mentis, atque intelligentiæ aciem
fugit; imperitia longè eſt aptior, ac promptior ad fidem
ſuſcipiendam, quàm ſapientia. Paſtor enim & ruſticus
citiùs eam ſuſcipiet, & abſque vlla diſputatione ſeſe Deo
ſubiiciet. Sic ergo perdidit ſapientiam. Et aliquantò pòſt,
Quid eſt autem ſtultam fecit? Stultam oſtendit ad fidem
comprehendẽdam; quoniã enim ob eam ſe valdè efferebãt,
& ſibi placebant, eam citò refellit. Quænam eſt enim ſa-
pientia, cùm bonorũ caput non inueniat? fecit ergo eam ap-
parere ſtultam, quoniam illa prior ſeipſam redarguit. Si
enim quando rationibus licebat inuenire, nihil oſtendit:
nunc quando res afferuntur maiores, quomodò aliquid po-
terit efficere, quando ſola opus eſt fide, & non facundia?
ſtultam ergo eam oſtendit Deus. Myſticè more ſuo hoc
c ho. 2. in Ge. idem docuit Origenes[c] cum recenſens hiſtoriam
Abimelech, quem Deus non permiſit attingere Sa-
ram vxorem Abraham. *Videtur ergo mihi* (inquit)
quòd hic Abimelech formam teneat ſtudioſorum, & ſa-
pientum ſæculi, qui philoſophiæ operam dantes, licet non
integram, & perfectam regulam pietatis attigerint, ta-
men ſenſerint Deum patrem, ac regem eſſe omnium, id eſt
A *qui genuerit, & regat vniuerſa: iſti ergo quantum ad Ethi-*
cam, id eſt moralem philoſophiam ſpectat, etiam puritati
cordis operam dediſſe aliquatenus comprobantur. & omni
animo, omnique ſtudio diuinæ virtutis inſpirationem quæ-
ſiſſe. ſed hanc non permiſit Deus contingere eos. Quod
ſequitur apud Paulum, *Placuit Deo*, Græcè eſt, *εὐδό-*
κησεν ὁ θεός, quod Tertullianus latinè dixit, *Boni duxit*
Deus. Quomodo Latini ſcriptores dicere ſolent bo-
ni conſulere, & æqui boni facere. Eſt autem hic di-
cendi modus Tertulliano[a] familiaris, & niſi ego a li. 5. in Marcione c. 5.
fallor, proprius ac ſuus. Eodem enim libro[b], ait. b cap. 12.
Ac propterea debere boni ducere, abeſſe potiùs à corpore,
& eſſe cum domino, vt & mortem excipiamus. Et rur-
ſum[c]: *Quomodo autem boni duxit omnem plenitudinem* c cap. 19.
in ſemetipſo habitare. Stultitiam porro prædicationis,
B fidem euangelicam vocat, non quia re vera ſtulti-
tia ſit, vt ait Chryſoſtomus, ſed quod perfidis, atque
impiis ſtultitia videatur, cùm tamen re vera ſit qua-
libet humana ſapientia præſtantior. *Placuit* (inquit
Ambroſius) *Deo prædicationem ordinare, quæ illis ſtul-*
titia videretur, vt credentes quæ illi diffidunt, ſalui fierent,
illis damnatis. viciſſitudo ergò hæc eſt per quam Dei con-
ſilio falſum à vero damnatur. Verùm quoniã Apoſto- IV.
lus indicare videtur cauſam proponendæ fidei Euan-
licæ fuiſſe gentilium inſcitiam, & tarditatem, qui ex
rebus creatis Deum conditorem non agnouerunt,
iure quæras, fuerit-ne hæc vera ratio, atque vnica
cauſa quæ ad hoc Deum impulerit: an verò rerum
tantùm ſeries, & nexus, & vt ita dicam, conſequutio
cenſenda ſit. Nam ſi veram, atque vnicam cauſam
C quis eſſe dicat, conſequens videtur non eſſe fidem,
& rerum diuinarum ſupranaturalem cognitionem
ſuapte natura ad ſalutem neceſſariam: atque adeo
Angelos, & ſi qui fortè ante aduentum Chriſti ex
hac mundi fabrica, atque eius admirabili ordine, ac
ſpecie Dei cognitionem adepti ſunt, ſupranaturali
fide non eguiſſe, cum tamen apertiſſimè dicat Apo-
ſtolus[d]: *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Nam qui il- d ad Hebr. 11. 6.
lam naturalem Dei, diuinarúmque rerum cognitio-
nem fidei nomine appellandam putant, parum ca-
tholicè, multoque minus theologicè & ſentire, &
loqui videntur. Qui verò illam qualemcumque Dei
ſcientiam diuinæ gratiæ beneficio, atque ope, vel
auctã, vel confirmatam, vel etiam diuinitùs conceſ-
ſam, fidem ſupranaturalem vocant, non quidem ex
D parte rei cognitæ, ſed ratione (vt aiunt) medij, cau-
tiùs omnino loquuntur. Quatenus autem ea ſen-
tentia probãda, aut reiicienda ſit, alibi doceo. Quòd
ſi ſolam conſequutionem, ac rerum nexum, ac or-
dinem fuiſſe dicas, nulla relinquitur quæſtio, nul-
luſque dubitandi locus. Nam Deus immortalis cum
probè intelligeret quid hominum ingenia naturæ
viribus aſſequi poſſent, quidque verè cognitione
ac ſcientia comprehenſuri eſſent, vel re ipſa præſti-
turi, cùm eos ad vitam beatam, ac finem ſuprana-
turalem condidiſſet, rerum quoque diuinarum ſu-
pranaturalem ſcientiam, id eſt fidem, quæ diuinæ
tantùm auctoritate niteretur, voluit eſſe neceſſa-
riam, quam tamen certo quodam ordine daturum
ſe ante omnem æternitatem decreuit. Itaque pri-
E mum naturæ duntaxàt legi hominum genus permi-
ſit, vt ex rerum, quæ natura conſtant, inſpectione ad
ſummum rerum omnium auctorem, ac architectum
mentem, & cogitationem erigeret: deinde in lege
ſcripta Prophetarum oraculis altiùs aliquanto eue-
xit: poſtremò in lege Euangelica vnigeniti filij ſui
inſtitutione, & vt ita dicam, pædagogia, fidem ſu-
pranaturalem, ad ſuam veluti maturitatem perduxit,
& ſuperiores duas leges partim illuſtrauit, & ad fa-
ciliorem commodioremque vſum reuocauit, partim
etiam antiquauit, nullo tamẽ tempore diuinæ gratiæ
ſubſi

ſubſidium mortalibus denegatum eſt, quin potiùs A
ſemper Chriſti venturi merito multi diuinitus illu-
ſtrati,veram iuſtitiã adepti ſunt,quod his verbis lucu-
lenter explicat Proſper [a]. *Elaboratum eſt enim quan-*
a li.de voc. gen.cap.10. *tum Dominus adiuuit,vt non ſolùm in nouiſſimis diebus,*
ſed etiam in cunctis retro ſeculis probaretur gratiam Dei
omnibus affuiſſe prouidentia quidem pari,ſed multimodo
b ep.ad Deme. li. *opere,diuerſaque menſura*.alibi dixerat [b]. *Adhibita enim*
ſemper eſt vniuerſis quædam ſuperne menſura doctrina,
quæ & ſi parcioris occultiorisque gratia fuit; ſufficit ta-
men ſicut Dominus iudicauit, quibuſdam ad remedium,
omnibus ad teſtimonium. Rurſus [c] cùm dixiſſet omnes,
c cap.2. qui Deo placuerunt ſpiritu gratiæ fuiſſe diſcretos.
Quæ (inquit) *& ſi parcior antea, atque occultior fuit,*
nullis tamen ſæculis ſe negauit, virtute vna, quantitate
V. *diuerſa, conſilio incommutabili, opere multiformi.* Ve- B
rùm hac de re plura ſuo loco: nunc tantùm dico
fidei legi naturæ ita ſucceſſiſſe non aliter, ac nocti
ob neceſſariam connexionem ſuccedit dies. Ad
d 1.Strom. non procul à fine. hunc locum alludens Clemens [d] Alexandrinus ait:
Cum enim ad ea quæ ſunt comprehendenda, imbecilla
eſſet anima, & diuino magiſtro egeremus, deorſum mit-
titur ſeruator bonæ poſſeſſionis, & doctor, & ſuppeditator,
arcanum magnæ prouidentia, ſanctúmque ſignum, &
iudicium. Tum ipſa Pauli verba profert. Porro de
e Ser.4.cont. Arian. hac humana ſapientia explicat Athanaſius [e] quod di-
f Prou.8.22. ctum eſt à Salomone [f] in perſona ſapientiæ. *Domi-*
nus creauit me ad opera ſua. additque hanc eſſe velu-
ti quandam imaginem ſapientiæ increatæ, quam *ſi*
homines in ſe ipſis habeant, cognoſcent veram Dei ſa-
pientiam, & ipſi agnoſcentur, quoniam Dei imaginem in C
ſe poſſident. De eadem verò mundi ſapientia ita lo-
g Ser.1.de Natiu. quitur [g] Leo Pontifex, cùm hæc ipſa Pauli verba
protuliſſet. *Mundo ergo id eſt prudentibus mundi ſa-*
pientia ſua cæcitas facta eſt, nec potuerunt per illam co-
gnoſcere Deum, ad cuius notitiam non niſi in ſapientia
ſua acceditur, & ideò quia mundus de vanitate ſuorum
dogmatum ſuperbiebat, in eo conſtituit Dominus ſal-
uandorum fidem, quod & indignum videretur, & ſtul-
tum, vt deficientibus hominibus opinionum præſum-
ptionibus, ſola Dei gratia reuelaret, quod comprehendere
humana intelligentia non valeret. Cùm igitur ait Apo-
ſtolus; *Quia in Dei ſapientia non cognouit mundus per*
ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædica-
tionis ſaluos facere credentes; perinde loquitur, ac ſi
quis diceret, quia nox ad actiones humanas minùs D
erat vtilis, placuit Deo diurnam lucem inſtituere, vt
humanæ vitæ officia rectè peragerentur.

22. QVONIAM ET IVDÆI SIGNA, &c.
I. Tametſi veteres fermè Patres, quæ paulo antè ad-
uerſus humanam ſapientiam dicta ſunt ab Apoſtolo,
tam ad Iudæos, quàm ad gentiles pertinere putant;
ex hoc tamen loco adducor vt credam illa ad gen-
tiles tantum pertinere, cùm his verbis vtriuſque gen-
tis propria veluti vitia diſtinguat: & Iudæis quidem
prodigiorum curioſam appetitionem tribuat; Græcis
autem, id eſt gentilibus inanis ſapientiæ cupidita-
tem. Accedit quòd paulò poſt Chriſti crucem Iu-
dæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam
fuiſſe docet, vt appareat Gentilium ſapientiæ ex alte-
ra parte reſpondere ſtultitiam, Iudæorum verò ſi- E
gnis opponi ſcandalum. Ac fuiſſe quidem Iudæos
rerum admirabilium, ac prodigiorum appetentes,
omnes fermè ſacræ litteræ docent. Nam Moyſes ipſe
præcipienti Deo, vt Pharaonem alloqueretur, &
Iudæorum gentem, ex Ægypto eductam in Palæſti-
næ poſſeſſionem induceret, non priùs obtempera-
uit, quàm ſignis, atque prodigiis confirmaretur, &
patrandi miracula mirificam quandam acciperet po-
teſtatem. Ita deinceps ſingulis penè ſæculis viri ad-
mirabiles extiterunt, qui multa, eáque præclara ſu-

A pra naturam efficerent, vt populum, aut ab errore
& impietate reuocarent, aut à miſera ſeruitute in
priſtinam libertatem aſſererent. Itaque cùm Chri-
ſtus ipſe inter mortales viueret, & cæleſtem doctri-
nam, veræque fidei præcepta traderet, & quod
Chriſtus ipſe dixit, mira quædam efficeret, *quæ nemo*
alius fecit; Iudæi tamen non modò cupidè, ſed etiam
importunè ſigna flagitabant. *Volumus* [a] (inquiunt) *à* a Matt.12.38.
te ſignum videre [b]. Aliàs autem certum ſigni genus b Luc.11.16.
poſtulabant, cùm ſignum de cœlo quærerent. Et
profectò fuiſſe Iudæos rebus miris, & quæ diuinitus
fierent maximè aſſuetos, illa Dauidis verba haud
obſcurè ſignificant. *Signa* [c] *noſtra non vidimus, iam* c Pſal.73.9.
non eſt propheta, nos non cognoſcet amplius. Mitto illa,
quæ quotidie in templo ſupra naturam contigiſſe
B Hebræorum magiſtri conſtanter affirmant, quæ poſt
aduentum Chriſti non ſine ingenti prodigio fieri
deſierunt. Porro argutè ſcripſit Philo [d]; miracula d li.1.de vita Moſis.
quamuis ſpecie ſua, reque ipſa omnem creatam effi-
cientiam ſuperent; eſſe tamen *Dei ludicra collata cum*
ſeriis operibus, vt eſt creatio cæli cum fixis, erraticiſque
ſyderibus. Non igitur ſapientiæ ſtudium ad Iudæos II.
magnopere pertinebat, quorum qui optimi erant,
diuinarum ſcripturarum ſtudio, vt ſcriptum eſt in
libris Machabæorum [e], mirum in modum oblecta- e 1.12.9.
bantur, cæteri verò inanes phariſæorum traditiones,
ne dicam ineptias; per ſummam ſuperſtitionem ſe-
ctabantur. Nam de Iudæorum ſtudiis ita ſcribit Phi-
lo [f], *mos enim erat certis temporibus, præcipuè ſabbatis,* f lib.3.de vita Moſis.
vt antè dixi, operam dare ſtudio ſapientiæ, principe do-
C *ctoris vice fungente præmonſtrantéque officia, ſubditis*
autem in honeſtate proficientibus, moreſque, vitámque
corrigentibus. Quæ conſuetudo à maioribus per manus
accepta, hodieque durat apud Iudæos tempore illo dicato
eruditioni, contemplationique rerum naturalium. Nam
deſtinata oppidatim ſacris precationibus loca, quæ pro-
ſeuchas vulgus nominat; quid aliud ſunt, quam ſcholæ in
quibus prudentia, fortitudo, temperantia, iuſtitia, pietas,
ſanctitas, omniſque virtus diſcitur quæcumque ad hu-
mana, diuináque negotia requiritur. De ſynagogis agit
vbi lex Moſis explicabatur, quem Iudæi incredi-
bili ſtudio colebant, vt idem Philo [g] alibi ſcribit, g li.de legat. ad Caium.
quibus conſentiunt quæ ſcribit Ioſephus [h] aduerſus h lib.1.
Appionem. Græcorum proprium erat ſapientiæ ſtu-
dium, quo illi mirabiliter capti Chriſtianæ fidei ſim-
D pliciratem tamquam ineptam, & ſtultam irridebant.
Hanc ob cauſam, ait Apoſtolus, Iudæos ſigna petere,
Græcos ſapientiam quærere. Ex quibus verbis ap-
paret Græcorum nomen, quod aliàs monui, genti-
les ſignificare: quomodo frequentiſſimè, tum in
hanc Epiſtolam, tum etiam alibi loquitur Chry-
ſoſtomus.

NOS AVTEM PRÆDICAMVS CHRI- 23.
STVM, &c. Obſeruat hoc loco Chryſoſtomus, in- I.
credibilem fuiſſe Pauli Apoſtoli ſapientiam, qui mi-
rificè oſtendat, quomodò Deus ſingula ſingulis ritè
oppoſuerit. Nam quoniam Iudæi, ſignis, ac prodigiis
addicti erant, neque de Dei potentia diffidebant, ac
proptereà ſigna quærebant, qualia olim viderant;
audita cruce, & morte Chriſti, quod erat imbecilli-
E tatis argumentum, tantum abeſt, vt diuinam fidem
animo conceperint, vt magnoperè potiùs offenſi
fuerint. Atque illis quidem Chriſti crux, vt rectè ait
Chryſoſtomus; *non modo non eſt ſignum, ſed ſigni pe-*
remptio, & non ſolùm non videtur eſſe oſtenſio virtutis,
ac potentiæ, ſed etiam probatio imbecillitatis. Itaque verè
dicit Paulus: *Nos autem prædicamus Chriſtum cruci-*
fixum, Iudæis quidem ſcandalum. Iam quoniam Græci
nihil præ ſapientia magnifaciunt, in euangelica præ-
dicatione cùm audiunt Dei filium pro hominum
ſalute in crucem fuiſſe ſublatum, & id genus alia

multa humana fide maiora, quæque omnem philoſophicam rationem longè ſuperant, meras nugas, & fabulas putant: quocirca Paulus ait, Chriſtum crucifixum Græcis eſſe ſtultitiam. Aptè verò vtrumque dicitur; nam Iudæi diuinæ, ac ſupranaturali fidei aſſueti, qui multa ſuprà naturam à Deo facta eſſe non ignorabant, nihil poterant alienum à ratione iudicare, quod diuina vi factum eſſe crederent. De re igitur ipſa dubitabant; nec abſque ſigno, ac prodigio ſibi perſuaderi patiebantur eum, quem ipſi quaſi legis euerſorem in crucem egerant, Dei eſſe filium, & humanæ libertatis vindicem, & aſſertorem. Græci verò quidquid de Chriſto Chriſtiana fides ſentiendum proponit, prorſus abſurdum, atque à recta ratione alienum putabant. Sed vtri grauiùs pecca-

II. rent, meritò quæri poteſt: certè Iudæi plura ſigna viderant, quàm quæ eſſent ad fidem concipiendam neceſſaria. Ita enim dixit aliquando Chriſtus: *ſi opera non* ª *feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non*

a Ioan. 15. 24. *haberent. Nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Græci verò, qui omnia humana ratione metirentur, in eo non leuiter peccarunt, quòd Chriſtianæ fidei dogmata non ea, qua par erat diligentia, expenderunt, vt alibi copioſiùs doceo. Nam, & ipſi idonea habuerunt argumenta, quibus ad fidem adduci commodè poterant, niſi nimiùm humanæ ſuæ ſapientiæ tribuiſſent. Quocirca non dubium eſt quodam ex capite grauiùs peccaſſe Iudæos, qui ſuis diuinis oraculis, quæ Chriſtum, & Chriſtianam religionem pollicebantur fidem abnegarunt, quãquàm ex alia parte Gentilium infidelitas eo grauior videbatur, quòd penitus, atque omnibus planè modis à fide eſſet aliena, nihilque admitteret eorum, quæ Euangelio continentur, ſed vt in ſcholis traditur, omnino grauiùs peccarunt Iudæi. At hoc maximè clariùs elucet, diuina tum potentia, tum ſapientia, quod ſcandalum, & ſtultitia crucis Iudæorum peruicaciam, & inanem Græcorum ſapientiam ſuperauit. Idcirco enim ſubdit Apoſtolus.

IPSIS AVTEM VOCATIS IVDÆIS, &c.

24. I. Hoc profectò, vt monet Chryſoſtomus, ſingularis eſt, planéque diuinæ tum potentiæ, tum ſapientiæ argumentum, vt ex contrariis contraria eruantur. *vt ſi cus (inquit Chryſoſtomus) eorum, qui iactantur fluctibus, & portum deſiderant, non portu oſtenſo, ſed alia maris parte ſæuiore poſſit efficere, vt libenter ſequatur; aut Medicus eum, qui eſt vulneratus, & cupit medicamenta, ſi non per medicamenta, ſed vrendo profiteatur ſe ſanum redditurum, ad ſe attrahat. Hoc eſt enim magnæ virtutis. Ita etiam Apoſtoli, non ſignis, aut ſapientia, ſed rebus, quæ his planè videntur contraria, hoc eſt ſcandalo, & ſtultitia crucis tamquam ingenti potentia, ac diuina ſapientia Iudæos, & Græcos ſuperarunt.* Sic olim Chriſtus cæcum ᵇ admoto luto, quo non curari, ſed

b Ioan. 9. 6. exaggerari cæcitas, atque effici potius poterat, à cæcitate liberauit. *Quo modo ergo* (ait Chryſoſtomus) *per lutum cæcum curauit; ita etiam orbem terræ per crucem adduxit, quod quidem erat additio ſcandali, non ſcandali ablatio. Ita etiam fecit in creatione, per contraria confirmans, & ſtabiliens contraria. Arenis quidem certè mare muniuit infirma validum, & forte frenans: aqua terram impoſuit, efficiens, vt grauis, & denſa veheretur à molli & fluida per Prophetas rurſus paruo ligno, vt ferrum in altum emergeret, & enataret, effecit; ita etiam cruce quoque orbem terrarum attraxit. Quo modo enim aqua portat terram; ita etiam crux portat orbem terræ: Magnæ ergo virtutis, & ſapientiæ eſt argumentum perſuadere per contraria.* Cæterùm cùm ait

II. Chryſoſtomus, terram aquæ eſſe impoſitam, & à molli, ac fluida vehi, non de toto aquæ elemento loquitur, quod potiùs terræ fuiſſe impoſitum & indi-

A cat Moyſes ª, & ratio docet, & experimento proba- a Gen. 1. 9.
tur: ſed de aquis loquitur, quæ terræ viſceribus incluſæ interdum erumpunt, & fontes, ac flumina efficiunt. Ita rectè colligit Theodoretus vnam, atque eamdem Chriſti crucem, & Euangelicam doctrinam, ſapientiam eſſe, & ſtultitiam, potentiam, & imbecillitatem: ſtultitiam quidem, & imbecillitatem Græcis, atque Iudæis, qui in perfidia perſeuerant: potentiam verò, ac ſapientiam tam Iudæis, quàm Græcis, qui Chriſto nomina dederint. Etenim ſol iis, qui integros, & valentes oculos habent, luce ſua pulcherrimum rerum omnium aſpectum, & quaſi ſpectaculum præbet, ægris autem oculis ſuo ſplendore non exiguam moleſtiam affert. Itaque rectè exclamauit Leo ᵇ Pontifex: *O admirabilis potentia* b Serm. 8. de paſſ.

B *crucis, ò ineffabilis gloria paſſionis, in qua, & tribunal Domini, & iudicium mundi, & poteſtas eſt crucifixi.* Dixerat autem non ita multò antè. *Cùm ergo Dominus lignum portaret crucis, quod in ſceptrum ſibi conuerteret poteſtatis, erat quidem hoc apud impiorum oculos grande ludibrium, ſed manifeſtabatur fidelibus grande myſterium.* Et paulò pòſt: *Crux omnium fons benedictionum, omnium eſt cauſa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.* Monet autem Theodoretus, ſa- III.
pientiam, & potentiam vocari ab Apoſtolo, non diuinitatem Chriſti, ſed crucis prædicationem, cùm Arriani olim, & Eunomiani ex hoc loco probare conarentur, verbum Patris ſapientiam eſſe creatam, de qua loquitur Salomon in Prouerbiis ᶜ. *Dominus* c cap. 8. 22.

C *poſſedit me initio viarũ ſuarum, antequam quidquam faceret:* vbi Septuaginta legunt, *Dominus creauit me.* Quamquàm enim inficiari nõ poſſumus, Dei verbũ rectè Patris ſapientiam nuncupari; hoc tamen loco certiſſimum eſt, loqui Apoſtolum de prædicatione crucis Chriſti, in qua mira Dei potentia, & ſapientia elucet; quam rectè Leo ᵈ Pontifex credentium gloriam, & non credentium pœnam nuncupauit. Idemque ad hæc Pauli verba reſpiciens, in hunc modum ſcribit ᵉ. *Chriſtiana igitur ſpes, dilectiſſimi, vera ratio, & principalis cauſa crux Chriſti eſt, quæ licet Iudæis ſit ſcandalum, gentibus autem ſtultitia, nobis tamen Dei virtus eſt, Deique ſapientia.* Hoc enim eſt, quod ait Apoſtolus. *Ipſis autem vocatis Iudæis, atque Græcis.* Græcè eſt, αὐτοῖς δὲ τοῖς κλητοῖς. hoc eſt, iis, qui vocati- d Serm. 9. de paſſ. e Serm. 8. de paſſ.

D oni, qua vocati ſunt, perfectè reſpondent; quique ſe à Deo verè fuiſſe vocatos, re ipſa oſtendunt. Indicat autem iiſdem Iudæis, & Græcis ſi fidem complectantur, crucem Chriſti Dei eſſe virtutem, ac ſapientiam.

QVIA QVOD STVLTVM EST DEI, &c. 25.
Tertullianus ᶠ aduerſus Marcionem. *Quod eſt autem* I.
(inquit) *ſtultum Dei ſapientius hominibus, niſi crux, &* f lib. 4. ca.
mors Chriſti? Quid infirmum Dei fortius homine, niſi natiuitas, & caro Dei? Cæterùm ſi nec natus ex Virgine Chriſtus, nec carne cõſtructus, ac per hoc neque crucem, neque mortem verè perpeſſus eſt, nihil in illo fuit ſtultum. & infirmum, nec iam ſtulta mundi elegit Deus, vt confundat ſapientiam, nec infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, nec inhoneſta, & minima, & con-

E *temptibilia, quæ non ſunt, id eſt, quæ non verè ſunt, vt confundat quæ ſunt, id eſt, quæ verè ſunt.* Fateor quidẽ hæc dicta eſſe à Paulo, de Chriſtianæ fidei prædicatione, præcipuè verò de Chriſti cruce, ac morte, de qua paulò anteà dixerat eſſe Iudæis ſcandalum, & gentibus ſtultitiam. Negari tamen non poteſt, hanc ſententiam ab hoc loco auulſam multò patere latiùs; nam & ipſe Tertullianus non ita multò pòſt ſtulta, & infirma vocat ſacrificia veteris legis, totámque illam ſacrorum procurationem. *Nihil enim* (inquit) *à Deo diſpoſitum eſt verè modicum, & ignobile,*

bile, & contemptibile; ſed quod ab homine. apud creatorem autem etiam vetera ſtultitia, & infirmitati, & inhoneſtati, & puſillitati, & contemptui deputari poſſunt. Quid ſtultius, quid infirmius, quàm ſacrificiorũ cruentorum, & holocauſtomatum nidoroſorum à Deo exactio? quid infirmius, quàm vaſculorum, & grabatorum purgatio? quid inhoneſtius, quàm carnis tam erubeſcentis alia dedecoratio? quid tam humile, quàm talionis indictio? quid tam contemptibile, quàm ciborum exceptio? Sed (vt dixi) ſtultum, & infirmum ad crucem refert Apoſtolus. Monet autem Chryſoſtomus, ſtultum, & infirmum appellari, non quòd verè huiuſmodi ſit, ſed quòd videatur, ſiue Iudæis, ſiue Græcis. Hoc autem ita eſſe probat Chryſoſtomus. *Quod enim per ſyllogiſmos non potuerunt efficere philoſophi, hoc rectè fecit, quæ videbatur eſſe ſtultitia.* Eodem modo locum explicant Theodoretus, Ambroſius, & Hieronymus, cum præſertim Apoſtolus paulò pòſt dicat Chriſtum factum eſſe nobis iuſtitiam, ſapientiam, & re-

II. demptionem. Cæterum Dionyſius [a] Areopagita ad hunc Pauli locum alludens, in hunc modum ſcribit: *Non enim ſolùm Deus præter modum plenus eſt ſapientia, & intelligentiæ eius non eſt numerus, verùm etiam omnem actionem, intelligentiam ac ſapientiam ſuperat; quod cùm eximiè intellexiſſet, diuinus verè vir communis noſter, ac præceptoris ſol. Quod ſtultum eſt* (inquit) *Dei ſapientius eſt hominibus, non ſolùm, quod omnis humana cogitatio, error eſt quidam, ſi cum diuinarum, abſolutiſſimarúmque intelligentiarum firmitate, ſtabilitatéque comparetur; ſed etiam quod eſt hoc in more poſitum Theologis, vt in Deo quæ ſunt, priuationis, contrario ſenſu dicant; ſic & non affectabile dicunt ſcripta diuina lumen ſplendidiſſimum, & eum, qui multis laudibus ornandus eſt, multáque nomina habet, inexplicabilem, carentémque nomine; & qui omnibus præſens eſt, atque ab omnibus inuenitur, vt ita dicam, incomprehenſibilem, & inueſtigabilem. Hoc igitur modo etiam nunc diuinus Apoſtolus ſtultitiam Dei laudare dicitur, dum id, quod in ea rationi contrarium, & abſurdum videtur, ad veritatem, quæ exprimi verbis non poteſt, omnique ratione eſt antiquior, refert.* Quibus verbis ſummus ille vir ſtultum Dei interpretatur id, quod cùm minimè humana ratione comprehendi queat, ab imperitis hominibus, aut inani ſapientia tumidis ſtultum, atque abſurdum iudicatur. Quamobrem rectè Chryſoſtomus ſtultitiam crucis Chriſti cunctis hominibus ſapientius eſſe docet, quia cùm in rebus leuiſſimis diu, atque irrito conatu laborarint philoſophi, illa res grauiſſimas, eaſdémque difficillimas, quæ ad pietatem, ac religionem pertinerẽt, cunctis fermè mortalibus ita penitùs perſuaſit; vt rudes, & agreſtes homines reddiderit ipſis etiam philoſophis ſapientiores. *Quamobrem* (inquit Chryſoſtomus) *quandò me ſtultum quidem dixerit Græcus, ſe ipſum ſupra modum ſtultum oſtendit, quando ego, qui apud eum exiſtimor eſſe ſtultus, ſapiente cernor ſapientior.* Eadem ratione infirmum Dei dicitur, quod Iudæorũ opinione imbecillitatis argumentũ cenſetur, quod quidem fortius eſt hominibus; eadem enim crux vniuerſum terrarũ orbem perſuaſit, cunctos mortales ſibi ſubiecit; & cum innumerabiles principes, dynaſtæ, ac tyranni crucifixi nomen conarentur extinguere, crux tamen de omnibus triumphauit. Quamobrem ad hunc locum reſpexiſſe videtur Athanaſius [b], cùm alicubi ſcripſit; *Imbecillitatem Dei vocat ſenſum Apoſtolorum, qui homines erant idiotæ, & illiterati, & tamen breui totum orbem occupantes, reges, & ſatrapas, ſapientes, & potentes, principes deuicere.* Qua in re proculdubio crucis Chriſti gloria mirificè illuſtratur; quod (vt ait Leo [c] Pontifex:) *Eius gloria cœlo, terráque co-*

III. *ruſcat.* Porrò quod ad verba Apoſtoli attinet, obſeruat Auguſtinus [a] non abeſſe ab hac ſententia amphibologiam, cùm incertum ſit an hominibus, ſit dandi, an auferendi caſus, quod incommodum vitari potuiſſe putat; ſi dicas fortius eſt quàm homines, & ſapientius eſt, quàm homines: quo ſanè modo ipſe alibi citat [b]. Certè alibi [c] ad hunc reſpiciẽs locum, ita ſcribit: *Hæc ſtultitia Dei, & ſtultitia prædicationis multos lucrabitur ad ſalutem. Si Deus demiſit ſe ad noſtram imbecillitatem, vt fortes redderet, quid nouum, ſi ſe demiſit ad noſtram ſtultitiam, vt ex ſtultis redderet ſapientes?* Ad hanc porro ſtultitiam indicandam pertinent illa, quæ de Dauide leguntur [d]. *Poſuit* (inquit) *Dauid ſermones iſtos in corde ſuo, & extimuit valdè, & immutauit os ſuum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in oſtia portæ, & defluebant ſaliuæ eius in barbam.* Itaque Achis dixit. *Vidiſtis hominem inſanum?* Quæ omnia Auguſtinus [e] Chriſto mirificè accommodat. Cæterùm ignominiam crucis Chriſtianæ fidei veritati non abeſſe, luculenta oratione diſputans aduerſus gentes probat Arnobius [f]. *Pythagoras* (inquit) *Samius ſuſpicione dominationis iniuſta, viuus concrematus in phano eſt. numquid ea, quæ docuit vim propriam perdiderunt, quia non ſpiritum ſponte, ſed crudelitate appetitus effudit? Similiter Socrates ciuitatis ſuæ iudicio damnatus, capitali affectus eſt pœna. Numquid irrita facta ſunt quæ ſunt ab eo de moribus, virtutibus, & officiis diſputata, quia iniuria expulſus è vita eſt? Innumerabiles alij gloria, & virtute, & exiſtimatione pollentes acerbiſſimarum mortium experti ſunt formas, vt Aquilius, Trebonius, Regulus, nunquid idcirco poſt vitam iudicati ſunt turpes, quia non publica lege fatorum, ſed mortis aſperrimo genere lacerati, excruciatíque perierunt. Nemo vnquam innocens malè interemptus infamis eſt, nec turpitudinis alicuius commaculatur nota; qui non ſuo merito pœnas graues, ſed cruciatoris perpetitur ſæuitatem, & tamen, ò iſti, qui hominem nos colere vita functum ignominioſa ridetis! Nónne Liberum, & vos patrem membratim ab Titanis diſſipatũ ſanorum cõſecrationi aptatis? nónne Æſculapium medicaminum repertorem poſt pœnas, & ſupplicia fulminis cuſtodem nuncupauiſtis, & præſidem ſanitatis, valetudinis, & ſalutis? Nónne ipſum Herculem magnum ſacrificiis, hoſtiis, & thure inuitatis incenſo, quem ipſi vos fertis viuum arſiſſe poſt pœnas, & concrematum in funebribus buſticetis? Nonne illum Atyn Phrygem abſciſſum, & ſpoliatum virum magnæ Matris in adytis Deum propitium, Deum ſanctum Gallorum conclamatione teſtamini? Nónne ipſum Romulum patrem Senatorum manibus dilaceratum centum, & Quirinum eſſe Martium dicitis, & ſacerdotibus, & puluinaribus honeratis, & in ædibus adoratis ampliſſimis, & poſt hæc omnia cœlum aſcendiſſe iuratis? Aut igitur ridendi & vos eſtis, qui homines grauiſſimis cruciatibus interemptos Deos putatis, & colitis; aut ſi certa eſt ratio, cur id vobis faciendum putetis, & nobis permittite ſcire, quibus iſtud cauſis rationibúſque faciamus.* His porrò admodum cõſentanea ſunt, quæ de noſtrorum martyrum gloria, déque Apoſtolicæ doctrinæ efficacitate longa oratione diſſerit Chryſoſtomus.

VIDETE ENIM VOCATIONEM VE- 26.
STRAM, &c. Ex ſuperioribus colligit dignitatem, I.
ac præſtantiam Chriſtianæ vocationis; cùm enim quod ſtultum eſt Dei, ſit ſapientius cunctis mortalibus; quod item infirmum, & imbecillum omni humano robore ſit validius, conſentaneum eſt, vt ij, qui ad fidem vocantur; ſint etiam opinione hominum inſipientes, imbecilli, & ignobiles. magiſtros enim haberi voluit cœleſtis doctrinæ, indoctos, & imperitos: & rudes, & agreſtes primùm ad fidem adduxit; nam vt ait Chryſoſtomus, *quod dogmata adeo ſapientia, & omnibus ſapientiora ſuſceperint indocti, hoc fert te-*

[a] 1ib. 7. de diuin. nom.
[b] In queſt. ad Antioch. q. 114.
[c] Serm. 8. de paſ.
[a] lib. 3. de doctr. Chriſtian c. 13.
[b] lib. 12. con. Fauſt c. 23.
[c] epiſt. 102.
[d] 1. Reg. 21. 13
[e] in tit. Pſal. 33.
[f] lib. 1. aduer. gentes.

ſtimonium

ſtimonium de maxima magiſtri ſapientia. Ne verò putentur penitùs excludi ſapientes, potentes, ac nobiles, non dixit, vt obſeruat Theodoretus. *Nullus ſapiens, nullus potens, nullus nobilis, nam ex iis etiam erant, qui crediderant, ſed nō multi, erant enim plures ex pauperioribus.* Et profectò ſic ſe res habet; nam Chriſtus apud [a] Matthæum dixit: *pauperes euangelizantur*, alludens ad id, quod olim vaticinatus eſt Iſaias [b], cùm dixit in perſona Chriſti. *Euangelizare pauperibus miſit me.* Ita enim loquitur Chriſtus apud Lucam [c]. Nam, vt ait Irenæus [d], *neque Herodes, nec ſummi ſacerdotes, nec primi, qui præerant, neque clari de populo, accurrerunt ei, ſed e contrario, qui erant in viis mendici ſedentes, ſurdi, & cæci, & qui à reliquis conculcabantur, & contemnebantur, quemadmodum & Paulus ait. Videte enim vocationem veſtram, fratres, quoniam non multi ſapientes apud vos, nec nobiles, nec fortes, ſed quæ fuerunt contemptibilia mundi elegit Deus.* Idem planè (B) ſignificat parabola apud Lucam [e]. Iratus quippe pater familias, qui cœnam magnam parauerat, cùm eam ab inuitatis negligi, & contemni animaduerteret, ſeruo ſuo dixit. *Exi citò in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.* Quamobrem verè ſcripſit alicubi Hieronymus [f]. *Difficile homines potentes, & nobiles, & diuites, & multo his difficiliùs eloquentes credunt Deo.* Et Chryſoſtomus: *Qui eſt* (inquit) *ſapiens ſecundùm carnem, is eſt plenus multa amentia, & is eſt maximè ſtultus, quando corruptam doctrinam noluerit eiicere. Et quomodò ſi quis medicus voluerit aliquos artem docere, iis quidem, qui pauca ſciunt, & contrà atque ars poſtulat ea tenere cōtendunt, non ſuſtinuerint, vt facilè diſcant:* (C) *qui autem nihil ſciunt, quæ dicuntur maximè admiſerint; ita etiam hic vſu venit; indocti enim & imperiti magis ſunt perſuaſi: ſummam enim non habebant arrogantiam, nempe vt ſe putarent eſſe ſapientes, qui enim ſunt valde ſtulti, ii ſunt, qui maximè permittunt ratiocinibus, quæ non licet inuenire, niſi per fidem. Quomodò enim ſi cùm faber ærarius candens ferrum è fornace extrahit, ille manu contendat hoc facere, eum extremæ damnabimus amentiæ; ita etiam philoſophi, qui hoc per ſe inuenire contenderint fidem probro affecerunt.* Alicubi verò exclamauit Auguſtinus [g]. *Abſit enim vt in tabernaculo tuo præ pauperibus accipiantur perſonæ diuitum, aut præ ignobilibus nobiles, quando potiùs infirma* (D) *mundi elegiſti, vt confunderes fortia, & ignobilia huius mundi elegiſti, & contemptibilia, & ea quæ non ſunt tamquam quæ ſunt, vt ea quæ ſunt euacuares.* Alibi [h]: *Surgunt indocti, & cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis noſtris ſine corde, ecce vbi voluntamur in carne, & ſanguine? Non multi* (ait) *potentes, nō multi nobiles.* nam ii quoque, ait Chryſoſtomus, *ſunt faſtu pleni, ad perfectam autem, & accuratam Dei cognitionem nihil eſt æquè inutile, atque arrogantia, & affixum eſſe diuitiis. Efficiunt enim vt in admiratione habeant præſentia, & futurorum nullam habeant rationem, & aures obſtruant*

II. *propter curarum multitudinem.* Cæterùm, quod attinet ad verba prima, quod interpres dixit, *videte*, Græcè eſt βλέπετε, quæ vox anceps eſt, & reddi etiam Latinè poteſt, videtis. Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, & apud Latinos Hieronymus cum (E) vulgato interprete conſentiunt. Ambroſius æquè ambigua voce Latinè dixit, *intuemini.* Sententia ſemper eſt eadem. Sapientes autem dixit, *ſecundum carnem*, non eo modo, quo alibi carnis prudentiam nominat, ſed ſapientes ſecundum carnem eos intelligit, qui humanam ſapientiam profitētur. Ambroſius autem aſtrologos potiſſimùm accipit, qui ſtellarum motus inſpiciunt, & decernunt. *Potentes*, eodem Ambroſio interprete, eos ſignificant, *qui ſunt ſecundum carnem prudentes: qui ideò fortes dicuntur, quia paſſio-*

a cap. 11. 5.
b 61. apud Lucam.
c cap. 4. 18.
d l. 2. c. 14.
e cap. 14. 21.
f Ionæ. 1.
g lib. 8. confeſſ. c. 4.
h cap. 8.

(A) *nem crucis Chriſti infirmam aſſerunt; iniquitas enim fortis, & vincere ſibi videtur ad tempus.* At meliùs Chryſoſtomus eos interpretatur, *qui diuitiis, atque opibus maximè florent, qui ſibi propterea nihil non poſſe videntur.* Denique nobiles eos explicat Ambroſius, qui longam auorum, & progenitorum ſeriem recenſent, & maiorum ſuorum antiquitate, & claritudine gloriantur.

SED QVÆ STVLTA SVNT MVNDI ELEGIT DEVS, &c. 27.

ET IGNOBILIA MVNDI, ET CONTEMPTIBILIA, &c. Superiorum ratio eſt. Ideò 28. I. namque ad fidem vocati non ſunt multi ſapientes, potentes, ac nobiles; quia Deus ſtulta imbecilla, & ignobilia, non quidem, quæ re ipſa eiuſmodi eſſent; (B) ſed vt ait Theodoretus, quæ hominum opinione putarentur talia, elegit. *Vera enim ſtultitia eſt non dicendi imperitia, ſed carentia fidei, & imbecillitas, atque ignobilitas, non paupertas, ſed morum improbitas. Vniuerſorum autem Deus doctos, per indoctos, & per pauperes diuites vicit; & per piſcatores orbem terrarum piſcatus eſt.* Eodem etiam modo loquitur Chryſoſtomus, ac propterea non dicit Apoſtolus ſimpliciter, ſtulta, ſed *quæ ſtulta ſunt huius mundi*; hoc eſt quæ ſapientes, & philoſophi huius mundi ſtulta putant. Nam vt ait Hieronymus: *Qui in ſe ipſis non confidebant, neque ab his humanis præſidiis tumebant, faciliùs fidem conceperunt.* Atque hæc infirma vocari exiſtimat, quæ à Deo diuinitus ad fidem traducta ſint. Chryſoſtomus inſinuat hæc de Apoſtolis accipienda eſſe, qui cùm (C) humiles, & abiecti eſſent, philoſophos ſuperarunt. Eodem modo explicat Theodoretus. Quamquàm autem vtramque explicandi rationem probabilem eſſe non nego, illam tamen præferendam puto, cùm agat Apoſtolus de Corinthiorum vocatione ad fidem, quaſi illos inter ſtulta atque infirma mundi numeret, quomodo hunc locum explicat Gregorius [a]. cùm enim hæc ipſa Apoſtoli verba protuliſſet, continuò ſubdit: *ipſa namque ſanctæ Eccleſiæ principia litterarum perhibentur ignara, vt videlicet cunctis prædicatoribus ſuis redemptor oſtenderet quòd ad vitam credentes populos, non ſermo, ſed cauſa ſuaderet.* Et paulò antè dixerat, *ad agnitionem fidei priùs ſtulta mundi collecta ſunt, vt poſtea aſtuta eius etiam vocarentur.* Quamobrem alienum prorsùs videtur, quod ait (D) Ambroſius, ſtulta mundi eſſe, virginem peperiſſe, & Dei filium crucifixum. De his enim loquutus videtur ſuprà, cùm dixit: *Quod ſtultum eſt Dei.* Itémque: *Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes.* Elegiſſe itaque dicitur ſtulta, *vt confundat ſapientes.* Si de Apoſtolis loquitur, rectè ſubiicit Chryſoſtomus, *Erubeſcere philoſophos, cùm ſe ab imperitis vinci ac ſuperari animaduertunt. Si de iis, qui credunt, multo magis pudefiunt, cùm audiunt ruſticos, & mulierculas de rebus diuinis lōgè meliùs diſſerere, quàm eos, qui humanam ſapientiā vendutāt.* Sic olim beatiſſima Catharina virgo & martyr quinquaginta philoſophos omnium artium, ac diſciplinarū præſidiis inſtructos diſputando ſuperaſſe dicitur, & ad Chriſtum traduxiſſe. Idipſum de aliis multis dici poteſt, (E) de quibus rectè intelligas illud Dauidis [b]. *Loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu regum, & nō confundebar.* Addit: *Et infirma mundi, vt confundat fortia.* II. *Pauperes* (inquit Chryſoſtomus) *abiectos, nullius nominis, & auctoritatis. Vt confundat fortia.* Quod tum accidit, vt Chryſoſtomus monet, cùm gentiles Chriſtianos vident dæmonibus imperare, morbos curare, mortuos ad vitam reuocare. Eodem ſpectant, quæ ſequuntur. *Et ea, quæ non ſunt, vt ea, quæ ſunt deſtrueret.* hoc eſt, quæ nihili ſiunt, perinde ac ſi non ſint, vt ea, quæ maximè ſunt inania redderet, antiquaret,

oblite

a 1. Moral.
b Pſal. 118. 46.

obliteraret. Ita planè factum videmus; victa etenim philoſophia, & omnis idololatria penitùs euerſa. Quamobrem rectè obſeruarunt Clemens [a] Alexandrinus, Baſilius [b], Cyrillus [c], Auguſtinus [d] veram philoſophandi rationem acceſſione fidei non exigua accepiſſe incrementa. Quæ enim naturæ viribus percipi, & cognoſci poſſunt longè faciliùs, ac planiùs fidei beneficio comprehenduntur. Quotus enim quiſque eſt, qui rationum momenta, & argumentorum vim penitùs perſpiciat? quid quod nō niſi longo tempore, & non exiguo labore philoſophorum dogmatum firmamenta, planè cognoſci, & comprehendi queunt? Adde permultos errores rebus philoſophicis admiſceri, quibus omnibus incommodis vna fides medetur. Huc accedunt alia propemodum innumerabilia, quæ ad rerum naturas inueſtigandas maximè valent, quæ cùm humano ingenio ne diuinari quidem potuiſſent, diuina fidei luce illuſtrata paruerunt, vt mirum non ſit, exiſtimaſſe nonnullos [e] circumſcripta fide non modò rudem, & inchoatam, ſed planè truncam, ac mutilam humanarum rerum ſcientiam videri. ipſi namque philoſophi admittunt multa vix tenuiter delibari, plurima etiam ignorari, quæ tamen diuinitùs cognoſci poſſe non negant, vt ex Lactantio [f] intelligi facilè poteſt. Ita videas de alia vita, deque animarum ſtatu, & conditione ſomniare Platonem [g], & de humana fœlicitate Ariſtotelem [h] diuinare. Huc ſpectant multa, quæ apud philoſophos leguntur, quæ tametſi immutata ſunt, & fabulis, atque erroribus immixta; tamen à diuinitùs traditis, & prophetarum oraculis accepta eſſe grauiſſimi ſcriptores [i] tradiderunt, quin etiam affirmarunt nonnulli [k], omnes artes, ac diſciplinas à prophetis eſſe profectas. Certum namque, & exploratum eſt, prophetas omnibus philoſophis multò eſſe antiquiores, vt facilè intelligi poteſt ex Clemente [l] Alexandrino, Iuſtino [m] martyre, Euſebio [n], Tertulliano [o], Lactantio [p], Auguſtino [q]. Nam, vt omittam Moſen, quem omni Græca antiquitate vetuſtiorem eſſe, nefas eſt dubitare; quem etiam Dijs gentium antiquiorem fuiſſe accepimus, quid exiſtimandum eſt de Abrahamo, tanto illo ſuperiore, à quo multa poſteros didiciſſe, quæ ille diuinitùs cognouerat, inficiari nemo poteſt? Itaque veriſſimè dictum eſt ab Apoſtolo, elegiſſe Deum ſtulta, & infirma, ignobilia, cōtemptibilia mundi, & quæ non ſunt, vt ea, quæ his contraria videntur, partim pudefaciat, partim etiam ad nihilum redigat.

a 1. Strom. in fine. b in Pſ. 115. c lib. 4. in Io. c. 30 & lib. 7. in Iulian. d lib. 12. de Trin. c. 15 l. 3. cont. Acad. c. 20. lib. de vera relig. c. 24. lib. 2. de Ord. c. 4. vide D. Thom. 1. cont. Gentes. ca. 4. & 5. e Henric. 1. p. ſum. art. 4. q. 5. f lib. 1. 2. 4. 5. g in Phæd. h lib. 10. Ethic. in fine. i Clem. Alex. ad hortat. ad gent. & lib. 2. Strom. Iuſtin. in Pæræner. ad gent. Euſeb. lib. 11. & 12. de præp. Euāgel. Theodo. lib. 1. de curand. Græcan. affect. Tertul. in Apolog. c. 45. Aug 8. de ciu. c. 11. & 18. cap 17. k Clem. Alexād. loco cit. Euſeb. l. 10. de præp. c. 6. l lib 1 Strom. m in Pæræne. ad Gent. & in Apolog. n li. 10. præp. cap. 12. o Apolog. ca. 19. p lib. 4. c. 5. q lib 18. de ciu. c. 37.

29. I. VT NON GLORIETVR OMNIS CARO, Diuini conſilij rationem explicat, quam nos ſuprà non ſemel attigimus, quámque Chryſoſtomus mirificè illuſtrat. Id enim egit Deus, vt diuina ipſius vis, & Chriſtianæ fidei efficacitas perſpicuè cognoſceretur, nihil autem ſiue hominum nobilitati, ſiue dignitati, ac diuitiis, ſiue ingenij acumini, ſiue magnitudini doctrinæ, ſiue denique eloquendi facultati tribueretur. Hoc enim eſt quod ait in præſentia Apoſtolus. *Vt non glorietur omnis caro in conſpectu Dei.* Poteſt autem, hoc tam de Apoſtolis, & Euangelij præconibus, vt vult Theodoretus, quàm etiam de iis, qui fidem initio naſcentis Eccleſiæ perceperunt, rectè accipi; neutri enim gloriari poſſunt, aut ſibi tribuere, vel quod philoſophos ſuperarint, & idololatriam penitùs extinxerint, vel quòd ſuis meritis, ſuæque dignitatis reſpectu, ad Chriſtianam fidem, & religionem ſint vocati. *Omnia enim* (vt ait Chryſoſtomus) *propter hoc facit Deus, vt nihil nobis imputemus, vt omnia Deo adſcribamus.* Vnde colligit tacitè perſtringi Corinthios, qui verbi Dei miniſtris plus æquo tribuerent, cùm tamen nihil æquè Deo curæ fuiſſe videatur, quàm vt homines intelligerent, non poſſe

A ſe ſuis duntaxàt viribus ſalutem, & beatitudinem conſequi. Quod autem ait Apoſtolus: *Omnis caro,* Hebræorum more dictum eſt, pro eo, quod Latini dicerent *Nulla caro.* Ita enim frequenter loqui ſolet ſcriptura. ſic Dauid [a]: *Non dominetur mei omnis iniuſtitia.* Et Chriſtus apud Matthæum [b]. *Et niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro.* Et Paulus ipſe ad Romanos [c]: *Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo.* Denique ad Epheſios [d]: *Omnis ſermo malus de ore veſtro non procedat.* Carnem autem, non ſolùm pro homine poſuit, ſed pro qualibet re creata: ita diuinitias, opes, nobilitatem, & ſcientiam complectitur; nihil enim horum ſibi quiſquā tribuere poteſt, *in conſpectu eius*, hoc eſt, coram Deo. Græca enim exemplaria variant; nam apud
B Chryſoſtomum, & Theophylactū legimus. ἐνώπιον θεοῦ, in conſpectu Dei: vulgati codices habent ἐνώπιον αὐτοῦ. in conſpectu eius; ſed ad ſententiam nihil prorſus refert vtro modo legas. Rectè porrò hoc additum videtur, vt ſignificet, quamuis hæc ab hominibus laudari, ac magni fieri ſoleant, nullo tamen eſſe in pretio apud Deum; vel quod magis videtur ad rem, Dei cauſam, & Chriſtianam religionem nihil ab iis fuiſſe adiutam, atque adeò nullam eius laudis particulam ad illa redundare. Negat ergo Apoſtolus, poſſe quemquam mortalium ſibi quidquam coram Deo arrogare: quod præcipuè Corinthios proculdubio perſtringit, vt ea, quæ ſequuntur apertiùs indicant.

a Pſal. 118. 133. b cap. 24. 22. c cap. 3. 20. d cap. 4. 29.

EX IPSO AVTEM VOS, &c. Optimè om- 30.
C nino Chryſoſtomus, Theodoretus, & Ambroſius, I.
hæc non de creatione, ſed de vocatione ad fidem, explicant, quaſi dicat; Nolite putare, vos cuiuſquam opera, aut efficientia, ad fidem fuiſſe traductos; nihil enim externa doctrina, aut prædicatio efficere potuiſſet, niſi Deus in animis veſtris diuinæ ſuæ gratiæ vim exercuiſſet, & fidem diuinitùs indidiſſet. De illo namque ſcripſit Ioannes [e]. *Quicumque receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo nati ſunt.* Hæc autem idcirco commemorari Chryſoſtomus putat, vt quoniam dixerat, non poſſe quemquam in rebus creatis gloriari; oſtendat in quó nam omnis Corinthiorum gloria collocanda ſit; quod apertius paulò pòſt Apo-
D ſtolus explicabit. Oſtendit enim, quod obſeruat Theodoretus, non eſſe quidem ad fidem vocatos nobiles, potentes, aut ſapientes, ſed eos tamen, qui vocati ſunt, hoc ipſo magnam diuinitus adeptos eſſe nobilitatem. Rectè autem addidit: *In Chriſto Ieſu*, vt ſignificet æquè omnes, non ab hoc, aut illo, ſed ab eodem parente Deo genitos eſſe; idque *in Chriſto Ieſu*, vt quod monet Theodoretus, non ab hominibus, ſed ab ipſo Chriſto nomen, & appellationem ſortiantur, *qui factus eſt nobis ſapientia à Deo*, hoc eſt, quo auctore, bona omnia conſequuti ſumus; & primùm quidem ſapientiam, non illam humanam quam philoſophi iactitant, ſed diuinam. Ait autem (vt monet Chryſoſtomus) Chriſtum factum nobis eſſe ſapientiam, vt oſtendat magnitudinem, & abun-
E dantiam ſapientiæ; ipſe enim Chriſtus, qui eſt fons, & origo ſapientiæ, atque adeò ſapientia ipſa, nobis ſemet ipſum largitus eſt. Eodem modo, *factus eſt nobis iuſtitia, ſanctificatio, & redēptio.* Dedit enim (vt ait Theodoretus) *remiſſionem peccatorum, & iuſtitia dignatus eſt, & ſanctos effecit à diaboli tyrannide liberatos.* Quamobrem rectè dixit Ambroſius: *ſiue quòd redempti ſumus, ſiue quòd ſanctificati, id eſt ab opere carnis, & idolorum immunditia purgati, ſiue quòd, iuſtificati (iuſtum eſt enim creatorem colere, cæteris ſpretis) ſiue quòd ſapientes per id, quod mundanos dicimus imperitos,*

e cap. 1. 12.

II. *peritos, totum hoc Dei beneficium eſt per Chriſtum.* Ob- A
ſeruat autem Chryſoſtomus, præclarè Apoſtolum
ordinem retinuiſſe. *Prius enim* (inquit) *nos fecit ſa-
pientes liberatos ab errore, & tunc iuſtos, & ſanctos, Spi-
ritu ſancto diuinitùs conceſſo, & ſic ab omnibus malis
nos liberauit, adeo vt ſimus eius, & eius eſſentia, & fides.*
a 2. Cor. 5. 21 Idem verò monet, alibi [a] dixiſſe Apoſtolum nos
factos eſſe iuſtitiam in Chriſto. *Eum* (inquit) *qui non
nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos eſſemus
iuſtitia Dei in ipſo.* Nunc autem dicit, ipſum nobis
factum eſſe iuſtitiam, cuius videlicet nos participes
eſſe poſſumus. Eadem loquendi ratione ſæpe vtitur
b Pſal. 26. 1. ſcriptura, vt Dauid [b]: *Dominus illuminatio mea, &*
c eccl. 44. 1. 7. *ſalus mea.* Et Sapiens [c]: *Et in tempore iracundiæ factus
d ep. 1. c. 2. 2. eſt reconciliatio.* Denique Ioannes [d]. *Ipſe eſt propitiatio
pro peccatis noſtris.* Tractat hunc locum elegantiſſi- B
e Ser. 22. can. mè Bernardus [e], & ſuo more ingenioſè explicat. *Di-
cendum* (inquit) *& hoc, quia fruſtrà huius ſæculi ſa-
pientes de quatuor virtutibus tam multa diſputauerunt,
quas tamen apprehendere omnino nequiuerant, cùm
illum neſcierint, qui factus eſt nobis à Deo ſapientia, do-
cens prudentiam, & iuſtitia delicta donans, & ſanctifi-
catio in exemplum temperantiæ continenter viuens, &
redemptio in exemplum patientiæ fortiter moriens. For-
ſitan dicit aliquis, cætera benè conueniunt, ſed ſanctifica-
tio ad temperantiam minùs propriè referri videtur. Ad
quod reſpondetur primùm id eſſe continentiam, quod
temperantiam, deinde vſitatum in ſcripturis, ſanctifica-
tionem pro continentia ſeu munditia poni. Denique quid
ille apud Moyſem tam crebræ ſanctificationes aliud erãt,
quam quadam purificatione hominum temperantium C
ſe à cibo, à potu, à concubitu, hiſque ſimilibus? Sed audi
ipſum præcipuè Apoſtolum, quam familiare habeat, vel
vti, vel vſurpare ſanctificationem in hoc ſenſu. Hæc eſt
f 1. Theſ. 4. 3. (inquit [f]) voluntas Dei ſanctificatio veſtra, vt ſciat
vnuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctifica-
tione, & non in paſſione deſiderij. Non enim vocauit vos
Deus in immunditiã, ſed in ſanctificationem. liquet quòd
ſanctificationem pro temperantia ponit. Educto itaque in
lucem, quod ſubobſcurum videbatur, redeo ad id, vnde
digreſſus eram. Quid vobis cum virtutibus, qui Dei
virtutem Chriſtum ignoratis? vbi nam (quæſo) vera pru-
dentia, niſi in Chriſti doctrina? vnde vera iuſtitia, niſi
de Chriſti miſericordia? vbi vera temperantia, niſi in
Chriſti vita? vbi vera fortitudo, niſi in Chriſti paſſione?
Soli ergo, qui eius doctrina imbuti ſunt prudentes dicen- D
di ſunt: ſoli iuſti, qui de eius miſericordia veniam pecca-
torum conſequuti ſunt: ſoli temperantes, qui eius vitam
imitari ſtudent: ſoli fortes, qui eius patientiæ documenta
fortiter in aduerſis tenent. In caſſum proinde quis labo-
rat in acquiſitione virtutũ, ſi aliunde ea ſperanda putat
quàm à Domino virtutum, cuius doctrina ſeminarium
prudentiæ, cuius miſericordia opus iuſtitiæ, cuius vita ſpe-
culũ temperantiæ, cuius mors inſigne eſt fortitudinis.* Re-
ctè autem additũ eſt à Paulo, *Factus eſt nobis ſapientia
à Deo*, vt oſtẽdat diuina volũtate ad nos veniſſe Chri-
ſtum, vt eius in nos beneuolentiã agnoſcamus. Quòd
ſi nonnulli codices non habent *à Deo*, librariorum
incuria factum id eſſe credendum eſt, cùm legatur in
Græcis codicibus, & apud veteres explanatores.

A VT QVEMADMODVM SCRIPTVM EST, 31.
&c. Dixerat, vt non glorietur omnis caro, ſignifi- I.
cans neque in rebus humanis, neque in ſe ipſo cui-
quam eſſe gloriandum; iam teſtimonio Ieremiæ in
Domino gloriandum eſſe confirmat. Sic enim ſcri-
bit Ieremias [a]. *Hæc dicit Dominus, non glorietur ſa-* a cap. 9. 23.
*piens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudi-
ne ſua, & non glorietur diues in diuitiis ſuis, ſed in hoc
glorietur, qui gloriatur ſcire, & noſſe me, quia ego ſum
Dominus, qui facio miſericordiam, & iudicium, & iu-
ſtitiam in terra: hæc enim placent, mihi ait Dominus.*
Apparet autem, non tam voluiſſe Paulum verba
Prophetæ exprimere, quàm eius ſententiam indica-
re. Ita enim gloriandum ait Propheta in ſcientia, &
cognitione Dei, vt tamen indicet, non homini arro-
B gandam, ſed vni Deo omnem gloriam tribuendam
eſſe. Ita rectè colligit Hieronymus: *Omnem [b] ho-* b Ierem. 9.
*minum auferri ſuperbiam, dum & ſapientia, fortitudo,
& opes eorum reputantur in nihilum, eàque ſola ſtatui-
tur gloriatio, vt ſciat, & intelligat, quod ipſe ſit Domi-
nus.* Et paulò pòſt: *Vbi ſunt ergo, qui dicunt, hominem
proprio regi poſſe arbitrio; & ſic datam liberi arbitrij po-
teſtatem, vt Dei miſericordia tollatur, atque iuſtitia?*
Quibus ſanè verbis non obſcurè ſignificat nihil eſſe
libero arbitrio tribuendum: quod alibi etiam ſigni-
ficat Apoſtolus, dum his ipſis verbis allatis, *qui [c] au-* c 2. Cor. 10.
tem gloriatur, in Domino glorietur, ſubdit: *Non enim* 17.
*qui ſe ipſum commendat ille probatus eſt; ſed quem Deus
commendat. Dignum eſt autem* (ait Ambroſius) *quod
dicit ſanctus propheta, vt in Domino glorietur, quia non
C poterit confundi, qui gloriatur in Domino: Opera enim
eius, & magnificentia in rebus geſtis apparent.* Rectè II.
porrò ad hunc locum reſpexiſſe videtur Apoſtolus,
vbi ſapientia, fortitudo, ac diuitiæ, præcipua homi-
num bona reiiciuntur tamquam indigna, quibus
gloriemur cùm ipſe multus ſit, in Græcorum ſa-
pientia, cæteriſque humanis bonis deiiciendis. *Pro-
pterea* (inquit Chryſoſtomus) *etiam valde inuectus eſt
in ſapientiam Græcorum, vt hoc ipſum perſuaderet homi-
nibus ſicut etiam iuſtum eſt in Deo gloriari. Quando
enim ii nobis ipſis, quæ ſuprà nos ſunt quæſierimus, nihil
eſt nobis ſtultius, nihil imbecillius.* Et paulò pòſt: *Tuum
ergo nihil eſſe dixeris, ſed in omnibus in Deo glorieris:
nulli vnquam homini aliquid acceptum feras.* Et mox,
*Qui didicerit in Domino gloriari, nunquam extolletur,
D ſed ſemper erit modeſtus, & in omnibus erit gratus: res
autem Græcorum non ita ſe habent, ſed ſibi omnia tri-
buunt: quamobrem homines quoque in Deos referunt,
adeo præcipites eos egit amentia, & arrogantia.* Longa
deinde oratione probat quidquid olim Apoſtoli in
promulgando Euangelio, fidéque propaganda, præ-
clarè geſſerint, diuinæ gratiæ efficacitati, non huma-
næ ſapientiæ, aut induſtriæ tribuendum eſſe. Cæte-
rùm multa de hac ſententia ſcribit Auguſtinus diſ-
putans aduersùs Pelagianos, qui tantùm libero ar-
bitrio tribuebant, vt plurimùm diuinæ gratiæ detra-
herent; vt alio loco planiùs doceo. Multa item ſcri-
bit Bernardus [d], quæ tamen ad morum inſtitutio- d Ser. quoſ
nem potiùs, quàm ad huius ſententiæ explicatio- de his verbis
nem pertinent. qui gloriatur.

Argu

Argumentum Cap. II.

*I*NCHOATAM *diſputationem proſequitur contra verborum lenocinia, & orationis ornamenta, ſuóque exemplo oſtendit qualis eſſe debeat oratio, quæ doctrinam euangelicam, diuinique verbi prædicationem deceat, hoc eſt vera, ſolidaque ſapientia plena, & diuini Spiritus ſancti aculeis in primis inſtructa; eam quidem minus probari iis, qui nihil diuinum, aut ſublime cogitant; eorum tamen animos peruadere, qui ſacro numine repleti abdita diuinitatis myſteria perſcrutantur.*

CAPVT II.

ET ego, cùm veniſſem ad vos (fratres) veni non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ, annuntians vobis teſtimonium Chriſti.

Non enim iudicaui, me ſcire aliquid inter vos niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.

Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos.

Et ſermo meus, & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis.

Vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.

Sapientiam autem loquimur inter perfectos: ſapientiam verò non huius ſæculi, neque principum huius ſeculi, qui deſtruuntur.

Sed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſecula, in gloriam noſtram.

Quam nemo principum huius ſeculi cognoui: ſi enim

PARAPHRASIS.

EGO IGITVR, qui tamen aliquid poſ- 1.
ſe videor vobis, cùm venirem ad vos,
fratres, non arte dicendi, & orationis ap-
paratu, neque ſapientiæ præſidio inſtru-
ctus veni, vt Euangelij myſterium, quo Deus ſuam
diuinam ſapientiam, ac maieſtatem teſtatam eſſe
voluit, & cuius ipſe vnus auctor eſt, ac teſtis, vobis
annuntiarem. ¶ Non enim mihi quidquam dele- 2.
gi, cuius apud vos eximiam ſcientiam profiterer,
niſi vnicum Ieſum Chriſtum, eúmque pro homi-
num ſalute crucifixum, cuius incarnationis, atque
humanæ liberationis myſteria, quæ ad ſalutem
ſempiternam aſſequendam neceſſaria ſunt, cunctis
externæ eruditioni, atque eloquentiæ longè ante-
ferenda putaui, eáque ſimpliciter, ac ſine fuco
explicanda cenſui, vt ipſorum dignitas, vis ac ma-
ieſtas per ſe elucerent, omnibus peregrinis orna-
mentis deſtituta. ¶ Itaque apud vos magna cum 3.
demiſſione, atque humilitate Chriſtiana, eximióque timore, tremoréque veræ modeſtiæ comiti-
bus fui, & humili orationis genere vſus ſum, tan-
tum abeſt, vt inanem vllum eloquentiæ, aut ex-
ternæ ſapientiæ ſplendorem conſectarer. ¶ Ne- 4.
que verò oratio, & prædicatio mea prophanæ ſa-
pientiæ probabilia argumenta, vel verborum flo-
ſculos, & rhetorum enthymemata humano inge-
nio, atque induſtria ad perſuadendum excogitata
redolebat, ſed veris, ac firmis rationibus nite-
batur, quæ cùm rem certò, apertéque conclude-
rent, tum ſpiritualem, ac diuinam potentiam,
ſapientiámque facilè demonſtrarent. ¶ Ne fi- 5.
des veſtris mentibus indita, noſtráque oratione,
veluti inſinuata, ab humana ſcientia, & argumen-
torum momentis, ſed ab vnius Dei diuina vi, ac
poteſtate pendeat, qua miris, & occultis modis in
hominum animis agit mentem, atque intelligen-
tiã cœleſti luce perfūdens, & ſuauiter excitans, at-
que adiuuans voluntatem. ¶ Porro nos veram, ac 6.
cœleſtem ſapientiam perfectis tradimus, quibus
ſapit quod annunciamus, quique ſoli poſſunt hoc
ſapientiæ genus adamare, quod cæteri mortalium,
cæco quodam errore deluſi pro amentia, & ſtul-
titia habent. Tradimus inquam ſapientiam, non
huius ſæculi, neque eorum, qui primas in hoc ſæ-
culo tenent, quique ab hominum memoria mo-
mento fermè temporis abolentur. ¶ Sed ſapien- 7.
tiam Dei, in myſterio latentem, id eſt abditam
illam, atque abſconditam, quam Deus immor-
talis ante omnem æternitatem in gloriam noſtrã
prædeſtinauerat. ¶ Quam nemo principum ſæ- 8.

 culi

euli huius, ideſt dynaſtarum, pontificum, ac ma-
giſtratuum, vel eminus tantum aſpexiſſe creditur:
nam ſi qua ratione illam cognitione comprehen-
diſſent, intellexiſſéntque, quid Chriſti mors tum
in hac mortali, tum in alia ſempiterna vita paritu-
ra eſſet; nequaquam profectò gloriæ Dominum
tam nefariè, atque impiè egiſſent in crucem.
9. ¶ Sed nos quidem cùm fidem Chriſti, doctrinam-
que proponimus, illud in primis docemus, quod
ſcriptum eſt. Quæ oculus non vidit. neque auris
audiuit, neque humano ingenio excogitata ſunt,
aut excogitari poſſunt: illa videlicet, quæ Deus ea,
qua par eſt ſe caritate diligentibus propoſita eſſe
10. voluit, atque parata. ¶ Nobis autem, ſiue vniuer-
ſim fidelibus, ſiue verbi Dei præconibus (inter
quos ſingulari Dei munere numerandus ſum) ad-
huc mortalitate fungentibus diuina illa maieſtas
per Spiritum ſanctum ſuum patefecit: nihil enim
eſt in Deo tam profundè ac penitùs abditum, quò
diuinus ſpiritus non penetret, atque peruadat.
11. ¶ Nam quis (quæſo) nouit ea, quæ ſunt in humana
mente recondita, niſi ſpiritus, id eſt, mens, atque
intelligentia, quæ in ipſo homine ineſt, & vnà do-
minatur? Ita profectò quæ Dei ſunt, & ad illius ſi-
ue naturæ maieſtatem, ſiue occultam prouiden-
12. tiam pertinent, nemo nouit niſi ſpiritus Dei. ¶ Sa-
nè quidem non eo nos ſpiritu afflati ſumus, qui
doceat ea, quæ mundus curat, & quorum ſponte
ſua ſunt homines capaces; ſed illo, qui nos ad Deũ
vſque ſubuehat, cuius vi ſcrutemur, atque intelli-
gamus ſalutis noſtræ myſterium, alioqui imperue-
ſtigabile: denique ſciamus, quæ nobis Deus ingen-
13. ti munificentia, ac liberalitate largitus eſt. ¶ Quæ
quidem nos etiam prædicamus non creata, ſed di-
uina quadam eloquentia, nõ humano ingenio aut
ſtudio, ſed ſingulari ſancti Spiritus munere com-
parata verba: videlicet rebus accommodantes, vt
ſicut ſpiritualia ſunt quæ docemus, ita etiam ſpiri-
14. tuale ſit noſtrum docẽdi genus. ¶ Homo quidem
non alia, quàm naturali animi luce, & cognitione
præditus, non ea percipit, quæ ſunt ſpiritus Dei:
quippe illa pro ſtultitia habet, nec ea poteſt vlla
ratione conſequi, quia vi & afflatu ſolius ſancti
Spiritus diiudicantur, & ab aliis ſecernuntur, vt
15. internoſci, ac certò comprehendi queant. ¶ At
qui diuino ſpiritu cœlitus eſt imbutus, intelligit
ille quidem, & perſpicit vniuerſa, quàm ſint hæc
omnia, quæ ſub ſenſum cadunt, mortalia, & cadu-
ca: contrà verò quæ ſpectantur, ſempiterna, & im-
mortalia: ipſe verò à nemine diiudicari, aut con-
16. demnari poteſt. ¶ Quis enim nouit mentem Do-
mini, vt quaſi collatis conſiliis, quid ei agendum
ſit certò præſcribat? Atque adeo poſſit ſpiritualem
arguere, aut condemnare? Nos verò mentem, ac
ſpiritum Chriſti, vtcumque accepimus, qui nobis
arcana illa alioqui abdita, & occulta, atque huma-
næ imbecillitati penitùs inſcrutabilia, omnémque
adeò veritatem patefecit.

ſi enim cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.

Sed ſicut ſcriptum eſt: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit; nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum.

Nobis autem reuelauit Deus per ſpiritũ ſuum: ſpiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.

Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Ita & quæ Dei ſunt, nemo cognouit, niſi ſpiritus Dei.

Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.

Quæ & loquimur non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes.

Animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur.

Spiritualis autem iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur.

Quis enim cognouit ſenſum Domini, qui inſtruat eum? Nos autem ſenſum Chriſti habemus.

IN CAPVT SECVNDVM EXPLANATIO.

1. I. ET EGO CVM VENISSEM AD VOS,&c. Quomodò hæc cùm ſuperioribus nectenda ſint, non omnes eodem modo explicant. ſunt qui referant ad id quod ſuperiori capite dixerat. *Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare*: quaſi ſuam euangelizandi rationem exponat, qui non fucatam,& calamiſtratam orationem, neque diſſerendi acumen ſequutus ſit, ſed rerum,ac ſententiarum dignitatem,præcipuè verò Chriſtianam modeſtiam, & humilitatem. Id viſus eſt aliquo modo ſubindicare Chryſoſtomus, ſed alio (ni fallor) conſilio; id enim tantùm ſignificat,quod nemo inficiabitur, Apoſtolicæ prædicationis veluti formam deſcribi. Cæterùm huius capitis initium,cum proximè dictis coniungit: cùm enim docuiſſet Deum elegiſſe ſtulta, vt cófundat ſapientes;oſtendit nunc non rudes modò,& imperitos vocari:ſed etiam ſuo exemplo Euãgelij præcones imparatos eſſe, ſiue ab eloquentia,ſiue ab humana ſapientia. *Non ergo* (inquit) *linguæ oſtentans facundiam, neque externis armatus rationibus annuntio Dei teſtimonium*. Eodem planè modo ſentit,& loquitur Hieronymus. *Nam quia* (ait) *dixerat non debere illos humanam ſapientiam,& eloquentiam admirari, id ſuo exemplo confirmans ſubdit: Et ego quaſi ſtultus, ignobilis, infirmus, qui penè humano iudicio nihil ſum, non veni ad vos in ſublimitate ſermonis, & ſapientia.* Quod ipſum docet Theodoretus; niſi quòd ſermonem interpretatur eloquentiam, ſapientiam verò artem dicendi. Paulò aliter Ambroſius. *Quoniam* (ait ſuperiùs) *gradatim formam diſciplina noſtra oſtendit,nunc ſe non aliter illis tradidiſſe probat, quam quæ ſuprà docuit;quia & in humilitate ſermonis, & in ſtultitia prædicationis, ſicut mundo videtur locutus eſt illis de Chriſto myſterium*. Quæ ſanè omnia,& probabiliter dicuntur, & inſtituto Apoſtolico admodum videntur conſentanea. Itaque ait Apoſtolus: *Et ego cùm veniſſem ad vos,fratres*: quaſi dicat, quam vobis verbis deſcripſi docendi, ac prædicandi rationem, apud vos re ipſa expreſſi. Veni (inquit) *non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ*, Græcè καθ' ὑπεροχὴν λόγου. Ambroſius legit;*cum eminentia*. Intelligit autem eloquentiam, & exquiſitam quamdam rerum humanarum ſcientiam. Annuntians (ait) vobis teſtimonium Chriſti, Græcè μαρτύριον; Ambroſius legit μυστήριον: re autem vera idem eſt. Hoc enim teſtimonium nihil aliud eſt,quàm ipſum Euangelium,quod dicitur teſtimonium Dei, vel(vt alij legunt)Chriſti; Dei quidem, quia illo Deus ſuam diuinam maieſtatem teſtatur hominibus,vel quia illius eſt auctor, & teſtis,eius veritatem firmiſſimis argumétis comprobans:Chriſti verò,quia plurima de illo continet teſtimonia, eiúſque incarnationis myſterium explicat: quam ob cauſam alibi diximus Apoſtolos teſtes re-

II. ſurrectionis Chriſti nuncupari. Rectè autem hoc loco Ambroſius proprium ait eſſe hæreticorum, & pſeudoapoſtolorum eloquentiæ laudem, & inanis ſapientiæ gloriam aucupari. Vt enim quidam [a] dixit: *Nihil eſt tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile,nihil tam horridum,tam incultum, quod non ſplendeſcat oratione,& tamquam excolatur*. Itaque multos accepimus fuiſſe hæreticos eloquentia, & ſapientiæ ſtudio claros, qui multis mortalibus monſtra quædam,& errorum porténta perſuaſerint. Quamobrem non malè Tertullianus [a] omnem dixit hæreſim, à philoſophia ſubornari, & alicubi philoſophos, patriarchas nominat hæreticorum. Loquitur [b] ille quidem,vt aliàs diximus, de impia quorumdam philoſophandi ratione; ſed tamen hoc facilè quiuis intelligit, nos verè ſuperiori capite dixiſſe, non eorum valde probandam eſſe ſcribendi rationem, qui ſacrorum librorum commentarios prophana eruditione inquinant;à quibus ſi demas poëtarum carmina,& humanioris litteraturæ argutulas quaſdam obſeruationes, non ſine ingenti ſtudio, ac magno labore hinc inde conquiſitas, ingentia ipſorum volumina ad pauciſſimas paginas redigas. Mitto illos, qui vt popularibus concionibus ſeruiant, & à plebeis declamatoribus cum admiratione ferantur;nouas,inauditas,abſurdas, ac prorſus alienas explicationes confingunt,quæ deinceps, magna cum ingenij oſtentatione,effundantur, & dum ingenti cum plauſu excipiuntur, ab imperita multitudine doctis ſtomachum moueant, quibuſdam etiam riſum,nonnullis commiſerationem excitent; cùm interea, neque doceant imperitos, neque peccatorum ſordibus inquinatos ad meliorem mentem, & ſaniora conſilia traducant. Nihil horum Paulus,ſe ad ſuam prædicationem adhibuiſſe affirmat, quem vtinam Chriſtiani concionatores aliquando imitentur.

a lib. de præſcr. cap. 7.

b lib. aduerſ. Hermog. 18.

NON ENIM IVDICAVI ME SCIRE, &c. Dixerat non ſe eloquentiæ ornamenta aut elaboratam rerum ſcientiam oſtentaſſe; deinceps explicat qualem doctrinam profeſſus ſit, & quo dicendi genere vſus. Ac de ſcientia quidem nihil ait ſe aliud ſcire profeſſum eſſe,quàm Ieſum Chriſtum, & hunc quidem cruci affixum; nimirum ſcientiam ſuam nominat eam, quam dixerat Græcis quidem ſtultitiam, Iudæis autem ſcandalum videri. Hoc enim eſt totius Euangelicæ doctrinæ argumentum,in quo (vt ait Auguſtinus [c]) includuntur omnia,quæ ad fidei myſteria, & ad rectam vitæ rationem inſtituendam pertinent. Quamobrem non prorſus ineptè Chaldæi crucem vocant מַשְׂכָּל *maſcal*, hoc eſt eruditionem & intellectum, quòd ſit quaſi quidam liber cæleſtis, ac planè diuinæ ſapientiæ plenus. Meritò igitur Paulus, ſe vnum tantùm Chriſtum crucifixum ſcire profitetur; non temerè autem adiecit, *inter vos*; quaſi dicat noluiſſe ſe apud illos variam, ac multiplicem iactare ſcientiam, quia apud alios interdum cùm res poſtularet vſum eſſe accepimus. Nam in actis Apoſtolicis cùm eſſet Athenis cum Epicureis, ac Stoicis diſputauit: ſic enim ait Lucas [d]. *Diſputabat autem in Synagoga cum Iudæis,& colentibus, & in foro per omnes dies ad eos,qui aderant. Quidam autem Epicurei, & Stoici philoſophi differebant cum eo.* Sed apud Corinthios vnum ſe Chriſtum ſcire profeſſus eſt, quod incarnationis myſteria abſque artificio, ornatúque verborum ſibi tradenda, atque explicanda docuiſſet: & quod caput eſt,eius ſibi ſequenda, terendáque veſtigia propoſuiſſet, qui probè didiciſſet iam inde ab initio ſuæ vocationis ad Chriſtum ſe vas eſſe electum, vt portaret eius nomen inter gentes, vnaque cognouiſſet, quanta oporteret pro eius nomine pati. Propterea obſeruat Theodoretus aptè dixiſſe Paulum, *Iudicaui*, indicat enim potuiſſe ſe de- 2. I.

c de fide & oper. cap. 10.

d Act. 17. 17

theo

theologia, ſeu diuinitate apud eos verba facere; ſe tamen eis incarnationis doctrinam dumtaxat tradidiſſe, quia in morte, atque cruce Chriſti, omnem ſuam gloriam ſitam haberet. Et Chryſoſtomus non negat Paulum plura potuiſſe tradere, quàm quæ tradidiſſet; ſed id diuini conſilij fuiſſe affirmat; hoc enim Paulus volebat vnum, quod Chriſto placeret. *Illud ergo* (ait) *iudicaui, me nihil ſcire, dictum eſt, vt diſtinguatur ab externa ſapientia, & ei opponatur. Non enim veni connectens ſyllogiſmos, nec ſophiſmata, neque aliquid aliud dicens, quam Chriſtum eſſe crucifixum.* Et fortaſſe (vt inſinuat Gregorius[a]) Corinthiorum ſe captui accommodauit, qui ſublimiora myſteria non facilè perciperent.

a Hom. 9. in Ezech. ad finem.

II. Sed profectò Chryſoſtomi ſententia mihi valdè placet, vt dicat Apoſtolus ſe vnum ſciſſe Chriſtum crucifixum, vt excludat pompam verborum, orationis ornatum, & prophanam eruditioné. nam veroſimilimum eſt propoſuiſſe Corinthiis ea fidei myſteria, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, ſed oratione ſimplici, ac minimè fucata, vt qui non plauſum in theatro quæreret, ſed Corinthiorum ſalutem. Et profectò vis Græcæ locutionis ſimile quiddam indicare videtur; ſic enim habet, *οὐ γὰρ ἔκρινα τοῦ εἰδέναι* quaſi ſignificet, non exiſtimaui me alicuius eſſe pretij ob id, quòd ſcirem aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, hoc eſt (vt ait Hieronymus) *non ſum gloriatus in aliquo, niſi in Chriſto.* Videtur Apoſtolus, quod obſeruauit non nemo, conſueta ſcripturæ phraſi, id dicere, ſe neſcire, quod aliis non eſt prodendum: ſic Chriſtus dixit filium hominis nedum Angelos diem iudicij neſcire, quod nulli mortalium, vel certè, non paſſim omnibus, eius diei aduentum proditurus eſſet. Neque abhorrent ab hac ratione dicendi, qui latinè loquuntur, dixit enim quiſpiam. *Neſcias quod ſcis, ſi ſapis:* hoc eſt; vide ne cuiquam dixeris, quod ſcis, ſed ita prorſus te gere, ac ſi omnino neſcires. Quamquàm autem hæc fere ad incarnationis myſterium referuntur, non perinde tamen accipio quaſi Apoſtolus apud Corinthios ea reticuerit, quæ ad Chriſti diuinitatem ſpectarent; ſed vt ait Chryſoſtomus, cum Corinthiis humiliùs loquitur, quàm cum aliis; vt eorum faſtum, & tumorem deprimat, oſtendátque veram Chriſtianorum gloriam, in cruce Chriſti poſitam eſſe. Nec dubito (vt dixi) nomine Chriſti crucifixi euangelicam prædicationem ſignificari, omniáque eius myſteria fidelibus neceſſaria: hæc tamen, quæ pertinent ad crucem Chriſti potiſſimùm nominari, quòd ea maximè cum humana ratione pugnare viderentur, & eam ſtultitiam redolerent, de qua capite ſuperiori plura dixerat. Huc pertinet quod olim ſuis alumnis præcepit beatiſſimus Franciſcus, quod Tridentina[b] Synodus cenſuit Chriſtianis concionatoribus inculcandum, *vt ea doceant, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem annuntiando fidelibus cum breuitate, & facilitate ſermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, vt pœnam æternam euadere, & cæleſtem gloriam conſequi valeant.*

b Seſſ. 5. ca. 2. de reformat.

3.
I. Et ego in infirmitate, et timore. &c. Chryſoſtomus hæc putat pertinere ad exaggerandam vim, atque efficacitatem Chriſtianæ doctrinæ, quæ cùm deſtitueretur eloquentiæ neruis, & humanæ ſapientiæ præſidiis, & quod caput eſt, vehementiſſimè ab aduerſariis, non argumentis ſolùm, ſed etiam minis, ac terroribus oppugnaretur; omnes tamen difficultates ſuperauit, & non modò ſtat, ſed maiores in dies radices agit. Chryſoſtomum ſequitur Theodoretus, nec diſcrepat Ambroſius; vt infirmitatem, timorem, ac tremorem commemorare videatur Apoſtolus, vt oſtendat quantum à tumore, & arrogantia abfuerit; qui multis potius periculis

A obnoxius ſibi metueret, ſuæque ſaluti conſulere cogeretur, quamquàm fortaſſe cum ait, *in infirmitate*, græcè *ἀσθενείᾳ*, Hebræorum idiotiſmo poſitum videtur, *in*, pro, cum, vt cum infirmitate veniſſe intelligatur. Infirmitatem autem opponit eminentiæ ſermonis, ac ſapientiæ; vt ſignificet genus dicendi humile, & omnis fuci, & ornamenti expers: Eiuſmodi enim fuiſſe Pauli elocutionem non ſemel affirmat Hieronymus[a], qui tamen vehementem, & acutam eſſe non negat: hyperbatis certè abundat propter rerum copiam, vt ait Irenæus[b]. Itaque in eo vim quamdam eloquentiæ agnouit Auguſtinus[c]; ipſe tamen alicubi[d] ſe imperitum vocat ſermone, non ſcientia: atque ita ſuam elocutionem vocat infirmitatem. Addit *cum timore, ac tremore*, vt indicet pericula, quibus expoſitus erat, vt meritò timere, ac formidare cogere-

a ad Phil. 5. ep. 10. et. 151. q. 1.
b lib. 3. cap. 7.
c lib. 4. de doct. Chriſtiana.
d 2. Cor. 11.

B tur; adeo non poterat plauſum, & gloriam ornata, politáque oratione, aut ſubtili, atque elaborata diſputatione captare. Quòd ſi libeat hæc diſtinguere, timorem ad animum, tremorem ad corpus referendum videtur: ita magno plerumque timore premebat, ait, vt cogeret toto corpore contremiſcere. neque cum virtute fortitudinis pugnabat; nam & fortis in magnis periculis nonnihil metuit, ſed non propterea à cœptis deſiſtit: ſic Chriſtus mortem timuit, ſed fortiter pro noſtra ſalute, ac ſponte ſubiit.

Et sermo mevs, et prædicatio 4.
mea, &c. De ſua docendi, ac prædicandi ratione I.
agit, quam negat fuiſſe pigmentis illitam, ſed potius exilem, ac tenuem, diuina tamen vi, ac efficacitate

C prædıtam. Quam ob cauſam Hieronymus appellare ſolet Paulum elinguem, ac ſermone imperitum. Chryſoſtomus, & alij Græci docent, non vſum quidem fuiſſe illum fucatæ eloquentiæ pigmentis: cæterùm illi germanæ, maſculǽque facundiæ ornamenta minimè defuiſſe, quæ præſertim, vt aliàs monui, non in verborum floſculis, aut orationis pigmentis, ſed in enthymematum, vi & argumentorum copia, & efficacitate poſita ſunt. quæ, vt Ariſtoteles docuit, ad perſuadendum plurimum valent, & ad eloquentiæ laudem maximè pertinent. Certè cum ita de ſe loquitur Apoſtolus animi moderationem declarat ſuam, cum qua coniungit timorem, ac tremorem, quaſi modeſtiæ comites, quod illum dialecticorum, & ſophiſtarum apparatum, vel rhetorum pompam, faſtus quidam, ac tumor conſequatur, qui penè ſem-

D per cum his artibus coniungitur. Porro qualis debeat eſſe euangelici præconis oratio, luculenter oſtendit Athanaſius[e]: *Si* (inquit) *Eccleſia eſſet auditorium rhetorum, opportuna res eſſet eloquentia; ſed quia certamen de moribus, & de fructificatione propoſitum eſt, & cælum eſt quod expectatur, non lingua requiritur, ſed mores boni.* Quod autem ait. *In perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis*, haud ſatis ſcio, an *πειθοῖς* II.
λόγοις verborum floſculos, atque ornamenta, & orationis lumina, an verò probabilia argumenta vocet, quæ *πιθανὰ* vel *ἔνδοξα* à Philopono, & aliis appellantur; quæ ingenij acumen, & quandam diſputandi ſolertiam præſeferunt. Sanè ad Coloſſenſes[f] *πιθανολογίαν* ſophiſtis tribuere videtur, qui dialecticorum calliditatem imitantes paralogiſmis, ac mentienti-

e Hom. de ſemente non procul ab initio.
f cap. 2.

E bus rationibus minùs doctis, & imperitis imponunt. Et quidem cùm hoc loco *πειθοῖς λόγοις* opponat *τῇ ἀποδείξει*, veriſimile omnino eſt agere Apoſtolum, non tam de lepôre, & elegantia ſermonis, quàm de diſputandi, & concludendi ſubtilitate: quam enim vocat *ἀπόδειξιν*, eam negat à diatribis philoſophorum petitam, in quibus vndecumque ad perſuadendum argumenta conquiruntur; & magno cum apparatu, ac pompa proferuntur; ſed *oſtenſionem* ait eſſe diuino ſpiritu, eiúſque cæleſti facultate ſubnixam;

atque

A atque ob id facilè potuiſſe multos ad Chriſti fidem perducere: quocircà paulò pòſt, addit, fidem non eſſe poſitam in hominum ſapientia; ſed in diuini ſpiritus facultate. ſi quis tamen hæc ad ornatum, & pigmenta verborum referre malit, non magnoperè repugnarim. Ad hunc opinor locum reſpiciens Clemens Alexandrinus [a] ait: *Sed quemadmodum vel ſine litteris fidelem poſſe eſſe dicimus, ita quæ in fide dicuntur non poſſe intelligere eum, qui non didicerit confitemur.* Quibus ſanè verbis indicat, quod nos alibi probauimus, externis diſciplinis, ſi opportunè, ac moderatè adhibeantur fidei noſtræ myſteriis non exiguam lucem afferri. Oſtenſionem porrò ſpiritus, & virtutis, interpretari poſſumus, ipſam Pauli prædicationem, dum multos Chriſto aggregabat, efficacitatem, ac vim diuini Spiritus in eo loquentis indicaſſe. Ita

a 1. ſtrom.

B enim dixerat olim Chriſtus [b], *non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Et rurſus: *dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri*: vel certè id refert ad ſigna, & prodigia, quibus doctrina Apoſtolica confirmabatur: vel denique ipſam diuinorum oraculorum explicationem intelligit, quæ non niſi à Spiritu ſancto poterat proficiſci, de qua ita Origenes [c]. *In adiiciendum diſciplinam noſtram habere quandam demonſtrationem propriam diuiniorem, quàm ſint Græcorum demonſtrationes, quam Apoſtolus nominat demonſtrationem ſpiritus, & virtutis, vt pote ſpiritu per prophetiam fidem aſtruente iis, quæ de Chriſto feruntur: virtute verò per prodigia, quæ facta credimus.*

b Matt. 10. 20.
c 1. cont. Cel.

5. C Vt fides veſtra non ſit, &c.
l. Verè omninò fidem negat in ſapientia hominum ſitam eſſe, neque enim illa humanis rationibus nititur. vt enim ait Clemens [d] Alexandrinus: *Sine litteris fidelis eſſe quis poteſt, & quæ fide traduntur intelligere qui non didicit.* Alibi [e] explicans Iſaiæ [f] verba: *Oculus non vidit, Deus abſque te, &c. nouo* (ait) *oculo, noua aure, nouo corde quæcumque audiri, & videri poſſunt, ſunt per fidem, & intelligentiam comprehendenda.* Ibidem docet, fidem præſtantiorem eſſe ſcientia, cùm paulò antè probaſſet, fidem non niti ſenſu, vel demonſtratione, ſed diuina tantùm reuelatione: & ob eam cauſam rectè Gregorius [g] Nazianzenus, à fide remouendas (ait) diſputationes: quod longiſſima oratione docet Auguſtinus [h], & affert illud Iſaiæ [i], ex interpretatione Septuaginta. *Niſi credideritis, non intelligetis:*

d 1. ſtrom.
e lib. 2.
f cap. 64.
g orat. contra Iulian.
h Hom. 32. in hom.
i cap. 7.

D pulchrè verò [k] Hilarius: fides (inquit) *habet obedientiæ meritum, non cognitæ veritatis fiduciam*: eamque mulris à cognitione diſtinguit: diſputans [l] autem aduerſus Conſtãtium, negat fidem poſitã eſſe in quæſtionibus philoſophicis: alio loco [m] ſcribit fidem habere meritũ vbi eſt ignorantia, eamdémque [n] eſſe facilem, & ſine quæſtionibus; denique [o] effectum fidei vocat incomprehenſibilia credere. quibus omnibus conſentaneum eſt, quod contendit Cyrillus [p] Alexandrinus, qui docet, ante fidem non eſſe diuinorum cognitionem, illo Iſaiæ vaticinio nixus: *Niſi credideritis, non intelligetis.* alio [q] loco fidei probationem vocat liberam.

k in pſal. 118.
l lib. 3.
m 1. 10. de Tri.
n 1. 10 de Tri.
o 1. 2 de Trin.
p de Pauna Fil. vniuer. 4. in Io.
p & 1. 7 con. Iulian.
q Dial. 2. de Tri.

E Multò verò apertiùs Baſilius, qui partim [r] ait, fidem nulla fulciri ratione, ſed actione ſpiritus, [s] partim nulla naturali neceſſitate aut ratione induci. Chryſoſtomus [t] verò fidem in iis neceſſariam eſſe dicit, quæ humanam rationem ſuperant. Protrita verò ac vulgata eſt, ac plurimis non adnotata ſolùm, ſed decantata ſententia, quam alicubi protulit Gregorius [u], & repetit Bernardus [x]: *Fides non habet meritum cui humana ratio præbet experimentum*; non pendet igitur fides à ratione, neque humanis argumentis nititur, quod in præſentia affirmat Apoſtolus: iuuatur tamen, illuſtratur, explicatur, defenditur, artibus ac diſciplinis humano ingenio comparatis. Id copioſè probant

r pſal. 15.
s in reg. breu.
t hom. 4. in
u hom. 26 in
x epiſt. 190.

A Clemens [a] Alexandrinus, Origenes [b], Baſilius [c], Hieronymus [d], Gregorius [e] Nazianzenus, & alij. Et Hieronymus quidem humanarum litterarum ſcientiam, & eruditionem Ægyptiorum ſupellectili comparat, quam Hebræi ex Ægypto aſportarunt. Gregorius verò Nazianzenus acriter in Iulianum inuehitur, quòd ille callidè Græca eruditione Chriſtianos ſpoliare niteretur, vt faciliùs bonis artibus deſtituti in fraudem atque errorem impellerentur. Itaque Apoſtolus meritò ſcientiæ oſtentationem vitauit, fidem diuina ſpiritus vi Corinthiis ſe perſuaſiſſe affirmat. *vt fides*, inquit, *veſtra non ſit in ſapientia humana, ſed in virtute Dei. Hæc verba,* ait Origenes [f], *quid aliud ſibi volunt, quàm non ſatis eſſe, vt verum ſit, & na-*

a 1. ſtrom.
b lib. 1 cont. Celſ. & apud Euſeb. lib. 5. Hiſt. cap. 10.
c orat. de vtil. capien. ex profanis auctor.
d ep. ad Mag. Orat.
e orat. 1. in Iulian.
f Con. Cel.

B *tum ad mouendos animos hominum quod diſcimus, niſi doctori diuinitus conceſſa ſit vis quadam, & dictis eius adſit gratia cœleſtis energia*, idque teſtimonio Dauidis firmat, qui ait [g]: *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa.* Et Oecumenius hæc Pauli verba enarrans, ait; *Etenim ſi per humanam fuiſſet ſapientiam, ſuſpicio fortaſsis habere potuiſſet quòd per eloquentiam ſuperaſſet: nunc verò cùm per ſigna ſit, & virtutes, certitudinem conciliat fidei: ſiquidem demonſtratio, quæ per opera eſt, & ſigna, firmior eſt ea, quæ ex verbis traditur.* Vt videatur vnà cum Chryſoſtomo, & Theophylacto etiam hoc loco Dei virtutem intelligere vim patrandi miracula, de quibus fusè diſputat Chryſoſtomus, oſtendens, cur poſt prima illa Eccleſiæ exordia miracula non fiant: ſed malo cum Origene, virtutẽ Dei cœleſtis gratiæ vim interpretari, quæ eſt aperta ſen-

g Pſal. 67. 12.

C tentia Hieronymi, & Theodoreti. Quamuis enim miracula plurimùm valeant ad fidem perſuadendam, ipſa tamen fides cœleſti lumine infunditur, & inſeritur in hominum mentibus: quocirca dicitur Deus aperire, & illuminare cor. ita enim in actis apoſtolicis de Lydia purpuraria ſcribit Lucas [h]: *Et quadam mulier nomine Lydia purpuraria ciuitatis Thyatirenorum colens Deum audiuit, cuius Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo.* quem locum expendens Auguſtinus [i] ait: *Hoc donum cœleſtis gratiæ in illam purpurariam deſcenderat, cui* (*ſicut ſcriptura dicit in actibus Apoſtolorum*) *Deus aperuerat ſenſum eius, & intendebat in ea, quæ à Paulo dicebantur: ſic enim vocabatur, vt crederet.* Idem verò alibi ait, *fidem in Dei ſchola ipſo docente concipi.* Sic enim ſcribit [k]: *Valde remota eſt*

h cap. 16. 14.
i 1. de præd. ſanct. cap. 20.

D *à ſenſibus carnis hæc ſchola, in qua pater auditur, & docet, vt veniatur ad filium.* Expendit autem verba Chriſti apud Ioannem [l]. *Hoc eſt opus Dei, vt credatis.* Similia docet aduerſus Pelagium, & Cæleſtinum. [m] Nam id ſemper agit Auguſtinus, vt doceat fidem eſſe donum Dei, & diuina vi in hominum animos infundi. *Hic enim ait: Ea de cauſa non permiſit Deus nos vti eloquentia, vt veſtra fides eſſet ab omni ſuſpicione remota, vt quæ non dicendi vehementia inducta, ſed ſpiritus virtute adducta ſit.* Nam hac ipſa Epiſtola [n] docet Apoſtolus non hominum opera fidem concipi; ait enim, *Neque qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus.* Quæ verba apertè ſignificant vim diuinæ gratiæ, quæ fidem largitur.

k 1. de præd. ſanct. cap. 8.
l cap. 6. 29.
m de gratia Chriſti ca. 14.
n cap. 3. 7.

E Sapientiam autem loquimur, &c. Mirum cum paulò antè dixerit Apoſtolus, ſe nihil ſcire, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum, cur nunc ſe dicat ſapientiam tradere inter perfectos. 6.
Abutebantur hoc Pauli teſtimonio Valentiniani, vt l.
indicat Irenæus [o], quaſi vellet ſignificare Paulus ſe voce tradidiſſe veritatem, quam noluiſſet litteris committere: inde ſcripturas non magni faciebant, quaſi non ſyncerè editæ eſſent. Manichæi verò vt docet Auguſtinus [p], deteriùs etiam hunc locum interpretabantur: perinde quaſi aliter Paulus verbo docuiſſet, quàm ſcripſiſſet. Auguſtinus porrò ita ſcribit: *Quis*

o lib. 1. ca. 2.
p lib. 2. cont. aduerſ. leg. & proph. cap. 2.

bit: *Quis non hoc monſtrum, non dico ſenſus Chriſtianus, ſed qualiſcumque humanus exhorreat? Primò enim conſiderandum eſt quàm ſe fraudulentiſſimum, & mendaciſſimum profiteatur, qui mentientem putat, & laudat Apoſtolum.* an igitur ſapientiam vocat illam ipſam Chriſti crucem, quam vulgi & infidelium opinione ſtultitiam appellarat? Sanè quidem ita omnes veteres interpretantur, quorum ſententiam paucis explicans Theodoretus ait; *Quoniam prædicationem priùs ſtultitiam appellauit, ea vtens appellatione, quam afferebant infideles, neceſſariò oſtendit, eam eſſe, & dici ſapientiam ab iis, qui ſinceram, & perfectam fidem ſuſceperunt.* Dixerat enim capite ſuperiori: *quod ſtultum eſt Dei ſapientius eſt omnibus hominibus.* Atque ita crux, quæ ſtultis, atque imperitis hominibus, hoc eſt, à fide alienis ſtultitia videtur; re vera, & eorum, qui rectè ſapiunt iudicio admirabilis, ac planè diuina ſapientia cenſetur, quæ quia non eſt cuiuis facilis, ac peruia, nonniſi perfectis tradi poteſt. Itaque ait: *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Græcè ἐν τοῖς τελείοις. Sæpius autem diximus hoc perficiendi verbo frequenter vti Paulum, ſignificatione ad rem ſubiectam accommodata. Hic autem perfectos videtur eos appellare, qui fidem

a orat. 1. in Iulian.

ac baptiſmum perceperunt. Gregorius enim [a] Nazianzenus baptiſmum vocat τελείωσιν, quaſi initiationem, ſeu conſecrationem. Et apud Dionyſium [b]

b apud Suid. in com. ling. Græc.

δύναμις τελεταρχικὴ vis diuina dicitur, quæ in ſacramentis agit: idémque Gregorius [c] alibi, τελεστὴς (ait) ὁ βαπτιστὴς, quaſi diceret, qui baptiſmo initiabat. Et

c orat. 19. in fun. patr.

d ora. in Machab.

alio loco [d], martyrio defunctos vocat τοὺς τελειωθέντας δι᾽ αἵματος: hinc τελετὴ ipſa initiatio, ſeu initianditatio, quam Auguſtinus [e] conſecrationem interpretatur: alibi [f] aliquid ampliùs ſignificat, vt ſæpius monuimus. Quod ſi ſapientiæ nomine Chriſtum crucifixum intelligit, mirum, cur dicat hanc ſe ſapientiam tradere ſolis perfectis, id eſt, baptiſmo luſtratis, cùm tamen id eſſet omnibus infidelibus proponendum, tanquàm neceſſariò credendum, antequam baptiſmo initiaretur. Atque ita Philippus in actis Apoſtolicis ab Eunucho fidei aſſenſum priùs exigit, antequam eum baptizet: explicuerat autem myſterium crucis, & mortis Chriſti arrepta occaſione à vaticinio Iſaiæ, quod Eunuchus habebat in manibus, neque poterat abſque interprete per ſe ipſum intelligere. An hæc pertinent, vt Clemens [g] Alexandrinus exiſtimat ad antiquam illam conſuetudinem veterum philoſophorum non omnia tradendi

e lib. 10. de ci. uit.

f inf. c. 14. & ad Phil. 3.

g lib 1. ſtrom.

III.

in vulgus, ſed quædam in myſteriis retinendi? Certè initio naſcentis Eccleſiæ non ſubitò cunctis omnia abſque delectu tradebantur, vt alicubi monet Ambroſius [h]. alloquens enim eos, qui iam baptiſmo expiati erant, *Nunc* (inquit) *de myſteriis dicere tempus admonet, atque ipſam ſacramentorum rationem edere, quam ante baptiſmum, ſi putaſſemus inſinuandam, nondum initiatis prodidiſſe potius, quàm edidiſſe æſtimaremur.* His

h li. de iis qui myſt. init. c. 1.

i 1. ſtrom nõ procul. ab initio.

conſentanea ſunt, quæ ſcribit Clemens [i] Alexandrinus: *Diuinis autem* (ait) *myſteriis, & ſancta illa luce impertiri illos cõceßit, qui ea poſſunt capere: iam verò nondũ reuelauit multis, quæ non erant multorum, ſed paucis, quibus ſciebat conuenire, & qui ea poſſent accipere, & ex eis informari.* Baſilius [k] autem de arcana quadam doctrina ſcribit his verbis: *Quàm minimè curioſo, ac ſollicito ſilentio Patres noſtri conſeruarunt. rectè illi vtpotè docti myſteriorum reuerentiam, & auctoritatem ſilentio cuſtodire.* Et poſt nonnulla: *Ad eundem modum etiam hi, qui ab initio res Eccleſiaſticas ſanxerunt Apoſtoli, & Patres in occulto, ac ſilentio myſteriis auctoritatem conſeruarunt: neque enim omnino myſterium eſt, quod ad populares, ac vulgares aures affertur.* Et in eandẽ ſententiam Tertullianus [l], *à quibus* (inquit) *prodi potuit? ab ipſis enim reis non vtique enim vel ex forma omnibus myſteriis ſilentii*

k lib. 1. ad Amphiloch.

l in Apol. c. 7.

fides adhibeatur, Samothracia, & Eleuſynia reticentur: quantò magis talia. Ambigo, an huc etiam ſpectent illa, quæ ſunt apud eundem [a]. *Communes enim* (ait) *ſenſus, & ſimplicitas ipſa, & compaßio* (συμπάθειαν intelligit) *ſententiarum, & familiaritas opinionum, eòque fideliores exiſtimantur, quia nuda, & aperta, & omnibus nota deſinunt: ratio autem diuina in medulla eſt, non in ſuperficie, & plerumque amula manifeſtis.* Itaque vt

a 11 de ſtia cat.

aliàs docui olim catechiſtæ præcipua Chriſtianæ religionis capita, rudi quadam, ac ſimplici ratione catechumenis explicabant, quæ deinde iam initiatis copioſiùs, atque vberiùs explanabantur. Hanc poſteriorem diuinorum myſteriorum traditionem ſapientiam vocat Apoſtolus, quam non niſi perfectis exponit, hoc eſt, iis qui iam baptizati eſſent, vt ſuprà diximus, vel etiam quod alij malunt, confirmationis ſacramento, veluti ad pugnam contra dæmones inſtructis, de quibus ita loquitur Dionyſius [b] Areopagita: *Sed & ipſi* (ait) *qui ſacratißimo regenerationis myſterio conſecrantur aduentum Sancti ſpiritus conſummans inunctio largitur vnguenti.* Et Irenæus [c] hæc ipſa Apoſtoli verba proferens: *Sapientiam* (inquit) *loquimur inter perfectos, dicens perfectos eos, qui acceperunt Spiritum ſanctum, & omnibus loquuntur linguis per Spiritum Dei, quemadmodum & ipſe loquebatur.* ſed vt verum fatear, ſuperiorem ſententiam præfero: quid enim opus erat, Chriſti myſteria illis explicare, qui Spiritu ſancto accepto, rerum diuinarum ſcientia imbuti erant? quamquàm & hi poterant in nonnullis Apoſtolorum opera indigere: & fortaſſe tales erant Corinthij, quos indicat Apoſtolus plurima (ne dicam omnia) Spiritus ſancti chariſmata percepiſſe. Ne quis autem ſapientiam intelligeret qualem philoſophi profitebantur: addit; *Sapientiam verò non huius ſæculi, neque principum huius ſæculi, qui deſtruuntur.* Neque enim Socraticam, aut Ariſtotelicam philoſophiam tradit, aut aliam quamlibet humanam diſciplinam, quam huius ſæculi ſapientes vel inuenerunt, vel illuſtrarunt. Principum autem huius ſæculi dixit, græcè τῶν ἀρχόντων τοῦ αἰῶνος τούτου. Quos autem huius ſæculi principes vocet, non ſatis conuenit: ſunt enim qui dæmones intelligant, quos alibi Apoſtolus principes mundi huius, & rectores tenebrarum appellat: alij Iudæorum principes: ego ſimpliciùs crediderim, homines ſapientia, atque opibus claros deſcribi; ita enim ſenſit Chryſoſtomus. *Principes autem* (ait) *ſæculi hic non dicit aliquos dæmones, vt ſuſpicantur aliqui, ſed eos, quorum magna eſt auctoritas, qui gerunt magiſtratus, & principatus obtinent, qui rem exiſtimant præclaram, & pro qua ſit ſuſcipiendum certamen, philoſophos, & oratores, & orationum ſcriptores, ipſi enim dominatum obtinebant, & ſæpe fiebant ductores populi.* Sic etiam ſenſit Theodoretus: *Principes autem* (ait) *huius mundi appellat ſophiſtas, poëtas, philoſophos, & oratores, vt qui ex eloquentia in hac vita ſint clari, & illuſtres.* Eodem planè modo explicat Hieronymus; nec video, cur aliter hæc verba explicanda ſint; maior enim difficultas erit in iis verbis, quæ paulò pòſt ſequuntur. *Quam nemo principum huius ſæculi cognouit.* Obſeruat autem Chryſoſtomus huius ſæculi principes dici, quoniam vltrà præſens ſæculum non procedit eorum imperium, quamobrem ſubiunxit etiã. *Qui deſtruuntur*, hoc eſt abolentur; quod tàm ad ſæculum, quàm ad principes referri poteſt: hæc .n. ſine dubio abolentur. Non committam, vt quiſquã hoc loco deſideret, quod obſeruatum legi ab Origene [d], qui ex his verbis Pauli colligit triplicem ſapientiam, Dei, huius mundi, & principum huius mundi. Sapientiam porro Dei in myſterio abſconditam, ait eſſe Chriſtum carne, & humana natura circumdatum, de quo alibi ſe plura dicturum pollicetur. Sapientiæ verò huius

b cap. 4. de eccleſ. hier.

c lib. 4. c. 6.

d li. 3 peri. cap. 3.

mundi

Digitized by Google

mundi nomine intelligit humanas diſciplinas, quæ ad Dei cognitionem non aſſurgunt, qualis eſt poëtica, vel grammatica, vel rhetorica, vel geometria, vel muſica, cum quibus adnumeranda eſt fortaſſis etiam medicina. Sapientiam denique principum huius mundi vocat Ægyptiorum ſecretam, quam dicunt, & occultam philoſophiam, & Chaldæorum aſtrologiam, itémque Iudæorum, qui ſcientiam excelſi pollicentur; & multiplicem, ac variam Græcorum de diuinitate ſententiam. Principes autem huius mundi intelligit dæmones, de quorum artibus, ac dolis fusè diſputat. His autem conſentanea ſunt quæ ſcribit Tertullianus [a]. *Nam, & illi* (inquit) *qui ea conſtituerunt, damnati in pœnam mortis deputantur: illi ſcilicet Angeli, qui ad filias hominum de cælo ruerunt, vt hæc quoque ignominia fœminæ accedat. Nam cum & materias quaſdam bene occultas, & artes pleraſque non bene reuelatas, ſæculo multò magis imperito prodidiſſent (ſiquidem & metallorum opera nudauerant, & herbarum ingenia traduxerant, & incantationum vires promulgauerant, & omnem curioſitatem vſque ad ſtellarum interpretationem deſignauerant) propriè, & quaſi peculiariter fœminis inſtrumentum iſtud muliebris gloriæ contulerunt: lumina lapillorum, quibus monilia variantur, & circulos ex auro, quibus bracchia arctantur: & medicamenta ex fuco, quibus lanæ colorantur: & illum ipſum nigrum puluerem, quo oculorum exordia producuntur.* Porro nigrum puluerem illum, credo intelligit, de quo Plinius [b]. *Oua* (inquit) *formicarum ſupercilia denigrare cum muſcis trita tradunt.*

a lib. 1. de hab. mulier. c. 2.
b Li. 30. cap. 15.

7. I. SED LOQVIMVR DEI SAPIENTIAM, &c. Dixerat non ſe tradere humanam ſapientiam; explicat nunc quam ſapientiam intelligat. Et primum quidem ait ſe docere *ſapientiam Dei*, hoc eſt diuinam cælitus traditam, quæ omnem humanæ mentis vim, & intelligentiam ſuperat, quod eſt omnibus noſtro fidei myſteriis commune: ſunt enim omnia diuinitus reuelata, quacumque tandem ratione ad nos peruenerint; vt enim in ſcholis traditur, fides noſtra non hominem, aut Angelum, ſed vnum Deum habet primarium auctorē; *Spiritu ſancto* [c] *namque inſpirati locuti ſunt ſancti Dei*: & Paulus ipſe, Chriſtum in ſe loqui profitetur. *An experimentum* (inquit) *quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus?* Addit deinde: *in myſterio*: quod ambiguum eſt, quomodò accipiendum ſit. ſunt enim qui putant, coniungi cum verbo ſapientiam; quaſi dicat, ſapientiam in myſterio poſitam, abditam, & occultam. Ita inſinuat Chryſoſtomus, qui de tota Chriſti doctrina intelligit; quam idcirco myſterium appellari dicit, quoniam neque Angelus, neque Archangelus, neque vlla alia poteſtas creata incarnationis myſteriū nouerat priùs, quàm factum eſſet: & huc putat pertinere quod ſcribit Apoſtolus ad Epheſios [d]. *Vt innoteſceret principatibus, & poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.* Et multa deinceps in eamdem ſententiam. Ita etiam Theodoretus. *Non hoc* (inquit) *dicit quod in myſterio loquimur, ſed ſapientiam, quæ eſt in myſterio abſconſa, hominibus afferimus.* Eodem modo explicat Ambroſius, atque haud ſcio, an ita Paulum intellexerit Tertullianus [e]. *Hanc dicit ſapientiam in occulto fuiſſe, quæ fuerit in ſtultis, & in puſillis, & in honeſtis: quæ latuerit etiam ſub figuris, allegoriis, & ænigmatibus reuelanda poſtmodum in Chriſto poſito in lumen nationum à creatore promittente per Iſaiæ vocem, patefacturum ſe theſauros inuiſibiles, & occultos.* Fauent ipſa Apoſtoli verba. mox enim ſubdit, *quæ abſcondita eſt.* Græcè ἀποκεκρυμμένην, quaſi dicat, in myſterio abſconditam, vt ſignificet ſe illa myſteria patefacere, quæ olim erant in lege typis, atque ænigmatibus inuoluta. Alij malunt *in myſterio* coniungi

c 2. Petri 1.
d cap. 3.
e lib. 5. contra Marcion. c. 6.

cum verbo *loquimur*; vt ſenſus ſit, loquimur non propalam, aut paſſim, ne ſimus offendiculo, neque inter quoſlibet, ne proiiciamus *margaritas* [a] *ante porcos*; ſed ſecretò, & inter perfectos, neque quamlibet ſapientiam, ſed illam arcanam recōditam atque abſtruſam. Ita planè legiſſe videtur Origenis [b] interpres; ſic enim ait: *loquitur Dei ſapientiam in myſterio, quod abſconditum eſt.* Neque ſecus legit Auguſtinus [c]; niſi quod Græci codices habēt, τὴν ἀποκεκρυμμένην, id eſt, *quæ abſcondita eſt*; non autem quod abſconditum. Ad eumdem etiam modum (vt habent Græci codices) citat hunc locum Hieronymus [d]. *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt.* Atque ita omnino hunc locum citat Ambroſius [e]. Ego neutri ſententiæ præiudicatum velim, ſed libentiùs amplector priorem, tum quia Græcis explanatoribus magis probatur; tum quia non ſatis intelligo, quidnam ſit loqui in myſterio ſapientiam abſconditam, cùm præſertim dixerit Chriſtus [f]: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.* Addo quòd cùm paulò antè dixit Apoſtolus ſe loqui ſapientiam inter perfectos, ſatis perſpicuè ſignificauit, non ſe dare ſanctum [g] canibus, neque proiicere margaritas ante porcos. At ſi dicamus tradidiſſe Apoſtolum ſapientiam, quæ erat abſcondita in myſterio, facilè intelligimus totam Euangelij prædicationem, præcipuè verò illa capita, quæ ſpectant ad Chriſti incarnationem, crucem, mortem, reſurrectionem, denique hominum ſalutem, incarnatio enim magnum omnino ſacramentum eſt, de quo Paulus [h] alibi, *Sacramentum hoc magnum eſt* (Græcè μυστήριον) *ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia.* Latebat enim olim in lege veteri, multiſque typis, atque vmbris quaſi incluſa tenebatur; vt non immeritò dixerit Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos, etiam num Iudæorum, qui in perfidia perſeuerant oculos veluti velo inuelatos hanc ſapientiam non videre. Ita Tertullianus [i]: *Sed de ſignificantius obumbrata, in quibus ſapientia Dei delitēſcebat inter perfectos narranda ſuo in tempore, propoſita vero in propoſito Dei ante ſæcula.* Neſcio autem, verum rectè quidam ex hoc loco colligant incarnationis myſterium eiuſmodi eſſe, vt ne Angelus quidem cognoſcere poſſit, illud eſſe poſſibile; nam cùm de hominibus, qui ab effectis cauſas inueſtigant, id neceſſariò fatendum ſit, de Angelo non facilè admiſerim: cùm enim mentes illæ ſolutæ corporibus omnem creatam naturam penitus comprehendant, planè intelligunt, quid inter naturam, & hypoſtaſim interſit; minimèque eas latet, hæc duo ita inter ſe conferri, vt alterum ab altero, ſalua, atque incolumi natura, ſeiungi, ac ſeparari queat, vimque hypoſtaſis eſſe huiuſmodi, vt non repugnet eius omnem actionem aliena præſertim infinita potentia, atque efficacitate præſtari: quo admiſſo, quod eſt beatis mentibus notiſſimum, vel cæci vident potuiſſe diuinam hypoſtaſim, humanæ perſonæ vicariam (vt ita dicam) operam præſtare. At dicitur ad Epheſios [k]: *Sacramentum abſconditum à ſæculis.* Ad Coloſſenſes [l]. *Myſterium abſconditum à ſæculis, & generationibus.* Quis hæc negat? nam quis vnquàm diuinare potuiſſet humanam aliquando naturam Deum ſibi hypoſtaticè copulaturum? aut eius myſterij cauſas quis vnquàm inueſtigare potuiſſet? Ita verè dicunt ſancti Patres fuiſſe hoc myſterium ſecluſa diuina reuelatione penitùs ignotum. Hieronymus [m], Euſebius [n], Ambroſius [o], Leo [p], Chryſoſtomus [q], Auguſtinus [r], Cyrillus [f], Dionyſius [t], qui tamen plerumque de humana cognitione loquuntur. Afferunt quidam alia argumenta quæ non habent magnam vim. Subdit: *Quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram.*

a Matt. 7. 6.
b lib. contra Celſum.
c apud Bedā.
d ad Gelat. 1. 30.
e li. 3. de fide cap. 3.
II.
f Matt. 10. 27.
g Matt. 7. 6.
h Ephe. 5. 32
i li. 5. in Marc. cap. 6.
III.
k cap. 3. 5.
l cap. 1. 26.
m Iſai. 49.
n li. 5. demonſ. Euang cap 4.
o hoc loco.
p epiſt. 10. 11.
q Homil. de Io. Bap.
r epiſt. 3. ad Voluſ.
ſ lib de Incar. vnig cap 7.
t c. 7. de diu. nom. & cp 4.

æquum eſſet crucis myſterium ab iis potiſſimùm cognoſci, qui in ſacris litteris, & priſcorum vatum oraculis verſati eſſent, ſi illos tam abditum myſterium latuit; nemo profectò cæterorum illud agnoſcere vllo modo potuit. Rectè igitur dicit Apoſtolus: *Quam nemo principum huius ſæculi cognouit.* Quia ſi illi, à quibus in crucem ſublatus eſt, & inter quos aliquandiu vixit, illum non cognouerunt; multò id profectò verius de aliis affirmari poteſt, qui vix, aut ne vix quidem eius nomen audierant. Porrò Tertullianus [a], quod hoc loco ait Apoſtolus, principes huius ſæculi non cognouiſſe ſapientiam, de qua hic loquitur, ſignificat olim fuiſſe prænunciatum. *Porro* (inquit) *cùm & prædicatum ſit non agnituros eos Chriſtum, ideóque etiam perempturos, iam ergo ipſe erit & ignoratus, & interemptus ab illis, in quem ita admiſſuri prænotabantur.* Obſeruat autem Theodoretus Dominum gloriæ dici crucifixum; non quòd cruciatus, aut mors diuinitatem violarint, aut vllo modo læſerint, ſed vt ſignificet parricidij, ac ſacrilegij à Iudæis perpetrati grauitatem; qui ipſum Dei filium patri æqualem humanitatis reſpectu vita ſpoliarint. Idiomatum enim (vt Theologi loquuntur) communicatio facit, vt proptèr vnam, atque eamdem hypoſtaſim eidem Chriſti perſonæ humana non ſecus, ac diuina tribuantur. Itaque rectè Ambroſius: *Dominus tamen* (ait) *maieſtatis crucifixus dicitur, vt mori neſciat; ſed quia verbum caro factum eſt, id eſt Dei filius incarnatus homo factus eſt, ipſi adſcripta eſt mors, quia Iudæi non ipſam carnem perſequuti ſunt, ſed eum, qui operabatur per carnem: ac per hoc, quamuis Dominus maieſtatis mortem ignoret, quantum tamen ad Iudæorum votum pertinet, & ad principum huius ſæculi, Dominum occiderunt in carne.* Cæterùm hanc ipſam Iudæorum ignorantiam attigit Petrus in Actis [b] Apoſtolicis. *Et nunc* (ait) *fratres, ſcio quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri.* Chryſoſtomus autem rectè monet, Dominum gloriæ opportunè appellari. *Nam quoniam crux videtur eſſe probri, & ignominiæ, oſtendit crucem eſſe magnam gloriam;* dixerat autem vocari ab Apoſtolo ſapientiam Chriſtum, & crucem, & prædicationem.

a lib. 3. in Marc. c. 6.

b cap. 3. 17.

IV. Horum autem verborum occaſione diſputatur à multis, vtrum Iudæi, qui Chriſto necem attulerunt, Chriſtum cognouerint, an ſecus. Certè in iis aliquam admittendam eſſe ignorationem, dubitari non poteſt; hoc enim ſignificauit Chriſtus ipſe moriens, cùm dixit; *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciũt.* Idem indicat Petrus, qui in [c] Actis Apoſtolicis ita Iudæos affatur. *Scio, quod per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri.* Et Paulus [d]: *Qui enim habitabant Ieruſalem, & principes eius hunc ignorãtes, & voces prophetarum, quæ per omne ſabbatum leguntur iudicantes impleuerunt, & nullam cauſam mortis inuenientes in eo, petierunt à Pilato, vt interficerent eum.* Fauent hæc ipſa verba, quæ hoc loco ſcribit Apoſtolus: & certè valdè veriſimile videtur, non cognouiſſe Iudæorum principes, Chriſtum eſſe Dei filium naturalem, quamquam aliter ſenſiſſe videtur Origenes [e], Auctor [f] imperfecti, Beda [g], Anſelmus [h], qui tamen nituntur illo maximè teſtimonio, quo agricolæ in parabola apud Matthæum [i] dicunt; *Hic eſt hæres, venite occidamus eum.* Verùm cùm illa verba dicta ſint in parabola, non facilè conſtare poteſt quam vim habeant, cùm non ſit neceſſe ſingula, vt ſunt in parabola, rei ſignificatæ aptare: accedit quod ſignificare poſſunt, Iudæos mortem Chriſto conflaſſe, quòd ſe filium Dei diceret, vt in libro Sapientiæ [k] ſcriptum eſt. *Filium Dei ſe nominat morte turpiſſima condemnemus eum:* vel ſignificant, cùm fore omnium principem, qui omnium ad ſe animos conuerteret, vt Iudæi dicebant. *Omnes* [l] *credent in eum: totus mundus vadit poſt eum:* vel indicant, quòd multi de populo credebant, quódque facilè ipſi etiam principes cognoſcere potuiſſent, cùm non pauci id crediderint affirmanti Chriſto, & prodigiis confirmanti, idque indicat Iuſtinus [a] martyr. Neque adduci poſſum, vt credam, Iudæorum Pontifices cognouiſſe planè Chriſtum eſſe Meſſiam, quamquàm interdum ancipiti cogitatione fluctuabant: quod colligitur ex Ioanne [b]: *Cum tanta* (inquit) *ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum, vt ſermo Iſaiæ Prophetæ impleretur, excæcauit oculos eorum:* nonnulli tamen credebant, de quibus idem Ioannes [c]: *Verumtamen ex principibus multi crediderunt in eum, ſed propter Phariſæos non confitebantur, vt è Synagoga non eiicerentur; dilexerunt enim magis gloriam hominum, quam Dei.* Neque video, quid huic ſententiæ obiici poſſit, quam princeps [d] Theologorum luculenter probat. non tamen eorum ſcelus, ac flagitium excuſatur, qui odij, atque inuidiæ ſtimulis incitati, innocentem, ac iuſtum, nullius flagitij compertum occiderunt.

c Act. 3. 17.

d Act. 13. 27.

e Tract. 29. in Matth.

f Hom. 40.

g Marc. c. 12.

h eod. loco.

i cap. 21. 24.

k cap. 2. 20.

l Ioan. 12. 19

a q. 140.

b cap. 12. 37.

c ibid. 42.

d D. Thom. 3 p. q. 47. a. 5.

9.

I. Sed sicvt scriptvm est, &c. Quorſum autem hæc addantur, & quomodò cum ſuperioribus nectenda ſint, non facilè explicari poteſt. Nonnulli codices Latini non habent, *ſed*, Græci habent: nec video, cur debeat remoueri, quamquam in explicanda connexione multi laborant. Sunt qui particulam, *ſed*, ad ea referant, quæ paulò antè dixit. *Quam nemo principum huius ſæculi cognouit;* vt ſenſus ſit, illam ſapientiam trado, quam nemo principum cognouit, ſed ne cognoſcere quidem potuit, cùm in illam conueniat id, quod ab Iſaia [e] ſcriptum eſt. *Oculus non vidit, neque auris audiuit,* &c. Probabile. Sunt tamen alij, qui malint ita connectere: Non loquimur ſapientiam huius ſæculi, ſed illam, de qua ſcriptum eſt. *Nec oculus vidit, nec auris audiuit.* Verùm quoniam dixerat, ſapientiam eſſe abſconditam in myſterio, & addiderat non fuiſſe ab huius ſæculi principibus cognitam, magis placet cum proximè ſuperioribus coniungi, quaſi dicat, tantùm abeſt, vt hæc ſapientia ab huius ſæculi principibus cognita fuerit. vt de illa verè liceat affirmare quod ſcriptum eſt apud Iſaiam Prophetam: *Oculus non vidit, nec auris audiuit,* &c. Videtur autẽ (vt monet Chryſoſtomus) non tam ſpectaſſe Paulum verba ipſa prophetæ, quàm ſententiam: Non probo tamen, quod ille ait, hanc ſententiam eamdem videri cum illa [f]. *Quibus non annunciatum eſt de ipſo videbunt, & qui non audierant intelligent.* Multò verò minùs admittendum eſt quod idem Chryſoſtomus, & Theodoretus affirmant, veriſimile videri hanc ſententiam ſcriptam fuiſſe in libris, qui perierunt; Paulum verò eruditiſſimum, & qui diuino numine afflatus eſſet, potuiſſe cuncta cognoſcere, quæ etiã in libris abolitis ſcripta eſſent. Conſtat enim reſpexiſſe Paulum ad Iſaiæ locum, vt monet Ambroſius, quamquàm, vt dixi, ſententiam potiùs, quàm verba expreſſit. Ex Hebræo enim ita legit noſter interpres. *A ſæculo non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te.* Septuaginta verò hunc in modum habent. *A ſæculo non audiuimus, neque oculi noſtri viderunt præter te, & opera tua, quæ facis expectantibus miſericordiam tuam.* Itaque rectè Hieronymus [g]: *Paraphraſim* (ait) *huius teſtimonij quaſi Hebræum ex Hebræis aſſumpſiſſe Apoſtolum Paulum de authenticis libris in Epiſtola, quam ſcribit ad Corinthios, non verbum ex verbo reddentem, quod facere omnino contemnit, ſed ſenſuum experimentem veritatem, quibus vtitur ad id, quod voluerit roborandum.* Vt non immeritò repudianda ſit Origenis [h] ſententia, quam tacito nomine perſtringit Hieronymus, qui

e cap. 64. 4.

f Iſa. 52. 15.

g Iſa. 64.

h Tract. 15 in Matth.

Potuiſſent Corinthij obiicere, ſi hæc diuina ſapientia A tam eſt abdita, & occulta, vt omnem humanæ mentis aciem effugiat, cur fruſtrà in ea perdiſcenda laboramus? quid verò te eam traditurum iactas? Hac igitur occupatione reſpondet Apoſtolus. *Nobis* (inquit) hoc eſt Apoſtolis, ac verbi Dei præconibus, *per ſpiritum ſuum reuelauit.* Sic enim dixerat Chriſtus [a]: *Cùm autē venerit ſpiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Et rurſus [b]: *Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis. Non igitur* (ait Chryſoſtomus) *per externam ſapientiam hæc didicimus; illa enim tamquam ancilla ad diuinitatis adyta non admittitur.* Videtur autem Apoſtolus, non tantùm de ſe ipſo (vt nonnulli putant) ſed de omnibus Euangelij miniſtris loqui. Quamquàm B negandum non eſt, illum (vt indicat Ambroſius) de ſe præcipuè verba facere, tacitéque indicare, fuiſſe ſe eximia quadam rerum diuinarum ſciētia imbutum: quod ipſe non obſcurè alibi ſignificat, dum ſuas reuelationes commemorat. Itaque ait Ambroſius. *Hic ergo ſingularis Apoſtolus eſt, qui hanc gratiam conſequutus eſt, quia Trinitatis myſterium a nullo ſic potuit explanari; vnde & vas electionis diuino iudicio vocatus eſt;* Chriſti igitur myſterium Spiritus ſancti beneficio Apoſtolus cognouit. Non facilè tamen admiſerim, quod nonnulli putant, inſinuare voluiſſe Paulum diuinam illam reuelationem, qua vt ipſe loquitur [c], *raptus in paradiſum vidit arcana verba, quæ non licet homini loqui;* hîc enim agit de diuina quidem ſapientia ignota principibus huius ſæculi, ſed quam C ipſe diuino afflatus numine palàm doceret. Perceperat autem hanc diuinam ſapientiam, primùm quidem fidei beneficio; erat enim ex illis, quos Pater docet, adeóque didicerat, & ad Chriſtum venerat: deinde ſingulari, ac proprio Prophetiæ munere, quo ab ipſo Chriſto, vt ipſe ait, Euangelium didicerat, nulla ope humana adiutus, quia non ab homine, neque per hominem fuerat in Apoſtolorum collegium aſcitus, & ad promulgandum Euangelium deſtina-

II. tus. Ne quis autem ſuſpicaretur, hanc cæleſtem, diuinámque ſapientiam adeo eſſe occultam, vt ne ab ipſo quidem ſpiritu explicari potuerit. Subdit: *Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.* Monét enim Chryſoſtomus, & Theodoretus, ſcrutandi verbum non indicare ignorationem, ſed exquiſitam, & D accuratam cognitionem. nam & paulò poſt eodem verbo vtitur cùm de Deo loquitur. De quo item legimus: *Scrutans* [d] *corda, & renes Deus,* qui intimos animi receſſus peruadit, ac luſtrat. Quocirca Cyrillus [e] cùm hunc Pauli locum explicaret. *Omnia* (inquit) *quæ vnigeniti ſunt ſpiritus nouit, non diſciplina quadam, ne miniſter filij eſſe intelligatur, ſed vt ſpiritus eius.* Et mox: *Sine diſciplina igitur omnia ſciens, quæ ſunt eius, ex quo, & in quo eſt ſanctus reuelat, ſicuti vult.* Ex quo loco contra Græcos apertè colligo, Spiritum ſanctum, ex Cyrilli ſententia, procedere à filio; nam Spiritum ſanctum filij eſſe dicit, ac noſſe omnia quæ ſunt filij. Sic etiam alibi [f]. Rectè autem colligit Ambroſius, quod hîc tribuit Apoſtolus ſpiritui, nulli prorſus naturæ creatæ conuenire. *Quia enim* E (inquit) *de Deo eſt hic ſpiritus, omnia nouit Dei; profunda autem ideo ait, quia omnem virtutem, & præſcientiam eius nouit, quod omninò creaturæ impoſſibile eſt.* Atque ita non malè quidam ex hoc loco colligunt, Sancti ſpiritus diuinitatem, nam (vt ait Chryſoſtomus) indicat diuinam ſpiritus ſcientiam æquari ſcientiæ Dei, cum (vt vult Hieronymus) abdita, atque occulta Dei conſilia penitùs introſpiciat. Quod autem ait: *Profunda Dei.* Græcè eſt τὰ βάθη, quaſi dicat profunditates, & quæ ſunt maximè abdita, & penitus abſtruſa, qualia ſunt quæ à libero Dei conſilio pendēt, quæ pertinent ad diuinam prædeſtinationem; & alia quàm plurima, quæ intra illum ſacroſanctum diuinarum perſonarum ſenatum incluſa, nulli patent, niſi cui Deus ſingulari priuilegio aliquid patefaciat, excipio animam Chriſti, cui omnes Theologi id citra controuerſiam concedunt, vt omnia diuina conſilia intueatur: de beatis autem quid ſentiendum ſit, dicam paulò pòſt.

a Io. 16. 13.
b 14. 26.
c 2 Cor. 12. 4.
d Ier. 17. 10.
e lib. 10. in Ioan. 4.
f li. 13. Theſ. cap. 4.

QVIS ENIM HOMINVM SCIT QVÆ, 11. I.
Per elegantem ſimilitudine oſtendit, Spiritum omnia noſſe, quæ pertinent ad diuinā naturā, cum habeat vt naturam, ſic ſcientiam, & rerū omnium abſolutiſſimā comprehenſionem cum Patre, ac Filio communem. Oſtendit enim cognitionem ſpiritus nō aliter diuinę B cognitioni exæquari, ac ipsā hominis cognitionē ipſi humanæ menti. Et Theodoretus, ita ſpiritus nouit ea quæ Dei ſunt, ſicut nos noſtras ſcimus cogitationes. *Quis enim* (inquit) *hominū ſcit quæ ſint hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt?* Quaſi dicat. Quēadmodū nemo mortalium alieni animi ſenſa cognoſcere poteſt, ſed id tantùm permiſſum eſt menti, ac rationi, quæ cuique intima, & propria eſt; ita etiam quæ abdita ſunt, & occulta in Deo, non niſi in ſpiritu Dei cognoſcuntur. Nihil hîc de Angelis loquitur Apoſtolus, de quibus diſputant Theologi; vtrum humanas cogitationes ſuapte naturâ intelligant, an ſecus. Neutri certè ſententiæ Apoſtolus fauet, vt mirum ſit cuiquam veniſſe in mentem, ex hoc loco probare humanas cogitationes etiam beatis mentibus occul- C tas eſſe, ac penitus ignotas. Nam ſi ſimpliciter Apoſtolus negaret humanæ voluntatis motiones ab vllo, præterquàm ab ipſo earum auctore cognoſci poſſe, planè ſequeretur etiam ipſi Deo eſſe incognitas; quod non ſolùm abſurdum eſt, verùm etiam impium. Igitur de humana ſcientia, & cognitione loquitur; nam re vera nemo poteſt alterius cogitationes intueri. Ita enim ſcriptum eſt apud Prophetam [a]: *Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud?* Porro quod ſequitur: *Ita quæ Dei ſunt nemo cognouit, niſi ſpiritus Dei;* quamuis vniuerſim proferatur, vel de hominibus tantùm accipiendum eſt eodem modo, quo ſuperiora, vel certè non poteſt diuinam verbi perſonam excludere. Vt enim in ſcholis docent Theologi, dictiones excluſiuæ nul- D lam vim habent excludendi diuinas perſonas; cùm enim filius eiuſdem ſit cum Patre, ac Spiritu naturæ, eadem prorſus ſcientia præditum eſſe oportet. Mihi certè valdè fit veriſimile, loqui Apoſtolum de hominibus vt doceat, neminem poſſe diuina myſteria, & libera conſilia cognoſcere, niſi ſit diuino numine, ac ſpiritu afflatus. Quærunt Theologi in ſcho- II. lis; vtrùm beati, qui Deum intuentur, qualis eſt in ſe ipſo, eius diuina conſilia cernant, quæ idem planè ſunt omnia cum ipſius eſſentia. Et quamquam in vtramque partem multa ſubtiliter, ingenioſéque dicuntur, illud tamen mihi ſemper maximè placuit quod video probari Dionyſio [b], ex vi beatitudinis, ac viſionis omnia libera Dei conſilia non cognoſci; adeò vt non careat temeritate, ſi quis aliter opinetur. tamen beatos aliqua videre, pro certo videtur affirmare Bernardus [c]; cùm enim attuliſſet verba Dauidis [d]: *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluntatem Domini* (ſic enim ille legit) ſubdit: *Quid ni ibi videatur cor Dei? quid ni ibi probetur quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta? Bona in ſe, placens in effectibus, beneplacens in fruentibus; perfecta perfectis, & nihil vltrà quærentibus. Patent viſcera miſericordiæ; patent cogitationes pacis, diuitiæ, ſalutis, myſteria bonæ voluntatis, benignitatis arcana, quæ clauſa mortalibus*

a Hierem. 17. 9.
b cap. 7. & 9. cæleſtis Hier.
c lib. 5. de conſid. cap. 4.
d Pſal. 26. 4.

mortalibus, etiam ipſis electis ſuſpecta fuit. Quæ ſanè omnia de ipſa beata cognitione accipienda ſunt, & vt arbitror de iis maximè conſiliis intelligenda videntur, quæ ſpectant ad prouidentiam, ac prædeſtinationem electorum. Modus non facilè explicari poteſt; certum tamen videtur, poſſe Deum eiuſmodi viſionem, ac lumen gloriæ beatis tribuere, vt hæc diuina conſilia intueantur, vt ſunt in ſe, & vt ſunt idem cum ſua diuina eſſentia, quod alibi vberiùs explicandum erit: tantùm nunc affirmo, veriſſimè ab Apoſtolo dictum eſſe, non poſſe quemquam cognoſcere *quæ Dei ſunt* excepto Deo, & cui diuinus ſpiritus patefecerit. Cæterùm hæc Pauli verba paulò obſcuriùs ad filij perſonam transfert Tertullianus [a], quem omnia, quæ à Patre audiuerat, mortalibus annuntiaſſe dicit. Spiritum autem hominis appellat mentem, & intelligentiam, quæ eſt expers materiæ, & à corporis concretione ſecreta; tametſi coniungitur corpori, vt vera eius forma, atque adeo eius opera, atque adminiculo indiget. Porro quod attinet ad humanarum cogitationum cognitionem, & ſcientiam nonnulla diſputat Auguſtinus [b], cui non ſatis liquet, vtrum ab Angelis comprehendantur; ſed ea de re Theologi [c] plura.

a lib. aduerſ. Praxeam cap. 8. & 19.
b li. 2. retrac. cap 10.
c d. Th. 1. p. q. 57.

12. Nos autem non spiritum mundi, &c. Quoniam dixerat, ſpiritum cognoſcere etiam quæ in Deo abdita ſunt, & occulta, & ſuprà etiam docuerat, Apoſtolos à Spiritu ſancto edoctos, rectè colligit ſpiritum, cuius opera, atque auxilio res ſacras, ac diuinas Apoſtoli cognouerant fuiſſe, non ſpiritum humanum, ſed diuinum; atque adeo mirum non eſſe, ſi diuina myſteria alioqui occulta, & abſtruſa in lucem proferant. Quibus verbis, vt ait Theodotetus, obliquè oſtendit, Spiritum ſanctum non eſſe quidpiam creatum. *Oſtendit* (inquit) *Spiritum ſanctum non eſſe rerum creatarum partem, ſed ſuam habere à Deo ſubſtantiam, hoc enim dicit; Nos autem non ſpiritum mundi accepimus pro eo, quod eſt creatum ſpiritum, nec per Angelum rerum diuinarum reuelationem hauſimus, ſed ipſe, qui à Patre procedit ſpiritus, nos docuit, quæ erant occulta myſteria.* Ambroſius paulò aliter ſpiritum mundi accipit. *Hinc* (inquit) *ſcimus, quia ſpiritum, qui de Deo eſt accepimus, quia mundi ſpiritus non poteſt ſcire, quæ ab hoc nobis inſinuata ſunt.* Illico autem explicans quis ſit ſpiritus mundi, ſubiicit: *Spiritus tamen mundi hic eſt, per quem arripiuntur phanatici, qui ſine Deo ſunt. Eſt enim inter mundanos ſpiritus potior, vnde ſolet coniecturis quæ mundi ſunt, diuinare, quem Pythonem appellant; hic eſt enim, qui per veriſimilia fallitur, & fallit; hic eſt, qui per Sybillam loquutus eſt, ſenſum noſtrorum ſequutus, locum volens inter cæleſtes habere.* Quocirca ſpiritum huius mundi intelligit dæmonem, quod mihi videtur durius, quemadmodum & illud, quod addit Sybillas à dæmone fuiſſe agitatas, & de rebus diuinis oracula, & v[illegible]cinia edidiſſe; cùm tamen multa in Sybillinis oraculis legantur, quæ non niſi diuinitus cognoſci potuerunt; & ob eam cauſam earum oracula à viris ſanctiſſimis in pretio habentur, vt alibi copioſiùs doceo. Malo igitur cum Hieronymo, ſpiritum huius mundi eum intelligere, quo quis ad humana, & quæ ſub ſenſum cadunt cognoſcenda, atque amanda impellitur, de quo fortaſſe loquitur Propheta [d], cùm dicit: *Væ prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident.* Suum enim ſpiritum vocat ſpiritum humanum, ſenſum, & cogitationem deprauatam. Itaque Paulus ait, non ſe humani ſpiritus impulſu moueri, non ſua ſe ſomnia, & figmenta narrare, ſed diuino Spiritus ſancti inſtinctu impelli, eóque præceptore didiciſſe, *quæ à Deo donata ſunt nobis*; hoc eſt hanc fidem, & doctrinam, quam tradimus. *Non enim* (ait Ambroſius) *hæc poſſemus ſcire ſi mundi ſpiritum haberemus, quia non poteſt ea, quæ ſunt Dei ſcire mundi ſpiritus. Senſum enim Dei nemo nouit, niſi qui de Deo eſt ſpiritus Dei: inferiora enim non poſſunt ſuperiorum ſcire conſilium, neque creatura conditoris ſui dignoſcere voluntatem.* Quæ cùm ita ſint, non loquitur Apoſtolus de peculiari aliqua reuelatione, ſed de communi fidei illuſtratione, de qua hunc in modum Bernardus [a]. *Reuelat ergo filius ſeipſum, cui vult, reuelat & Patrem, reuelat autem ſine dubio per oſculum, hoc eſt per Spiritum ſanctum, Apoſtolo teſte, qui ait: Nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum at verò dando ſpiritum per quem reuelat, etiam ipſum reuelat, dando reuelat, & reuelando dat. Porro reuelatio, quæ per Spiritum ſanctum fit, non ſolum reuelat ad agnitionem, ſed etiam accendit ad amorem, dicente Paulo* [b]: *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Quæ igitur per fidem reuelata ſunt, ea intelliguntur donata; quamquàm etiam fides docet alia multa gratiæ dona fidelibus eſſe conceſſa, vt Auguſtinus [c], & alij [d] affirmant. Sed quæ confeſtim ſequuntur apertè indicant illa eſſe donata, hoc eſt diuinitùs patefacta, quæ Apoſtoli cæteris prædicabant. Videtur autem loqui Paulus non modò de ſe ipſo, ſed de aliis omnibus Dei verbi præconibus, quibus ita erat fides diuinitùs infuſa, vt etiam eſſet docendi perſuadendique facultas ſuperaddita. Quæ cùm ita ſint, planè extra rem loqui videntur illi, qui hæc ita accipiunt; perinde quaſi Apoſtolus inſinuet, poſſe aliquos ſuam fidem cæteráque ſupernaturalia dona cognoſcere, ne ipſa quidem gratia iuſtificante excluſa; quod vtrum verum ſit, ſuo loco diſputatum eſt. Certè ea res valdè inſignem, ac peculiarem reuelationem poſtulat, cùm tamen (vt dictum eſt) loquatur Apoſtolus de ea communi reuelatione, vel quæ fit omnibus fidelibus, vel iis potiſſimum olim facta eſt à quibus erat apud gentes Euangelium promulgandum; illi enim perſpicuè cognoſcebant diuina myſteria, quæ ſibi diuinitùs patefacta erant, quæque aliis explicanda videbantur: quomodò olim in ſpiritu dixit Dauid [e]: *Credidi, propter quod loquutus ſum*: Ad quæ verba reſpiciens Paulus [f] ita alicubi ſcribit, *habentes eumdem ſpiritum fidei credimus, propter quod & loquimur.*

d Ezech. 13. 3.
a Serm. 8. in Cant.
b Rom. 5. 5.
c Tract. 74. in Io. & Auct. ep. 7. Bernar. Serm. 1.
d S. Tho. & Caiet.
e Pſal. 115. 10.
f 2. Cor. 4. 13.

13. Quæ etiam loquimur non in doctis, &c. Relatiuum *quæ*, ad ea proculdubio refertur, quæ cælitus donata eſſe dixerat; at non ſua priuata Dei munera, nec ſuam fidem, aut gratiam prædicabat, ſed Chriſtianæ doctrinæ myſteria, quæ fuerant diuinitùs patefacta. Quocirca rectè ait Ambroſius: *Vt hinc manifeſtum ſit, ſcire nos, quæ à Deo nobis donata ſunt, quia hæc, & loquimur, vt & alij diſcant per doctrinam ſpiritualem; prædicatoribus enim, id eſt Apoſtolis inſinuata diuinitus ſunt quæ traderēt populis, & addiſcerent principes huius ſæculi quid admiſiſſent mali.* Et Cbryſoſtomus hoc ipſum ſignificat, & præterea colligit tantum inter apoſtolicam, & humanam ſapientiam intereſſe quantum inter Platonem, & ſpiritum ſanctum; illi enim externos Oratores habent magiſtros, nos autem Spiritum ſanctum. Eodem modo loquitur Hieronymus. atque ob id ait Apoſtolus: *Quæ etiam loquimur.* Quaſi dicat, quæ donata ſunt nobis, id eſt reuelata, non vt ea apud nos occulta retineremus, ſed vt palàm cunctis mortalibus proponeremus. *Non in doctis humanæ ſapientiæ verbis.* Non enim (vt ait Theodotetus) diuina myſteria humana ſapientia indigent; ipſa enim per ſe cum ſua pulchritudine placent, tum occulta, atque diuina quadam vi inſinuant ſeſe in credentium animos. Accedit quod, vt ſuprà docuimus, ipſe diuinus

nus ſpiritus eximiam quamdam vim dicendi, ac perſuadendi impertit. Quod paulò ante dixerat: *Non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis*; nunc dicit: *Non in doctis humanæ ſapientiæ verbis*: vt eodem modo de oratione ad perſuadendum comparata, vel de acutis enthymematibus, ac rationibus poſſis accipere. Quamquam enim tum doctrina, tum etiam eloquentia, ad diuina myſteria explicanda, populóque tradenda interdum cum laude, & magna vtilitate adhibetur; res tamen ipſæ per ſe diuini numinis facultate audientium animos afficiunt; & mentem, atque intelligentiam fide imbuunt, & vt paucis cuncta complectar; ab impietate ad veram religionem, & cultum traducunt. Quod ſequitur: *Sed in doctrina*

II. *ſpiritus*, paulò aliter habetur in Græcis, ἐν διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου, hoc eſt, in doctis Spiritus ſancti. Quaſi dicat. Non in doctis verbis humanæ ſapientię, ſed in doctis verbis Spiritus ſancti, quæ diuinam doctrinam redoleant, quæque diuini numinis afflatu percepta ſint, Auguſtinus [a] ita legit: *Non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed docti ſpiritu*; ſentiens quæ Apoſtolus doceret, à Spiritu ſancto didiciſſe: quæ eſt ſententia Chryſoſtomi, Theodoreti, Theophylacti, Ambroſij, Hieronymi. Non poſſum autem iis vllo modo aſſentiri, qui vnà cum hæreticis impiè, ac nefariè theologos carpunt, qui in tradendis, atque enucleandis Chriſtianæ doctrinæ decretis multa ex Ariſtotelica philoſophia mutuantur. Imitantur nimirùm hi veteres hæreticos, qui theologicam doctrinam miris modis exagitabant, vt de Paulo Samoſateno ſcribit Euſebius [b]; de Arrianis Athanaſius [c], de Neſtorio Socrates [d]; de Petro Abailardo Bernardus [e]. Non nego tamen reprehendi, meritóque damnari [f] curioſam, & importunam diuinorum myſteriorum perueſtigationem, quam Baſilius, Epiphanius, & Hieronymus cum ſacrilegio comparant, ſed eam perueſtigationem, & curioſitatem meritò patres accuſant, quæ cum dubitatione, & nimia confidentia, & philoſophico ſupercilio coniungitur. Nam qui ſe putat omnia poſſe humano ingenio conſequi, quiue cuncta humana ratione metitur, facilè labitur, & multis, grauiſſimiſque erroribus implicatur, ob id enim ſcriptum eſt: *Qui*

III. *ſcrutator maieſtatis opprimetur a gloria*. Cæterùm humanas diſciplinas plurimum habere momenti ad fidei dogmata illuſtranda, declaranda, defendenda ex ſanctorum Patrum [g] ſententia ſupra indicauimus. Itaque videmus in ſacris litteris, extare non pauca argumenta à rerum natura deſumpta: nam Chriſtus apud Matthæum [h]; ex liliis, atque auibus diuinã prouidentiam confirmat: itemque [i] alibi ſubtili argumentatione Saducæos confutat, apud Lucam [k] humanis rationibus ſpem orantium confirmat, & Iudæorum calumniam refellit oſtenditque, *ſe in digito Dei eiicere dæmonia*. Denique apud Ioannem [l], non pauca in eandem formam affert. Quocirca multa tradunt ſancti Patres, quæ humanarum diſciplinarum vſum valdè vtilem, & plerumque etiam neceſſarium eſſe confirmant. Alicubi enim Ambroſius [m] quod dictum eſt Petro: *Duc in altum, & laxate retia in capturam*; perinde explicat, ac ſi iubeat de rebus diuinis ſubtiliter diſputare, & hæreticos argumentis ſuperare. Et Hieronymus [n], quæ in Deuteronomio de puella alienigena in vxorem ducenda præcipiuntur, de humana ſapientia intelligit, quæ interdum ad fidei defenſionem vſurpanda eſt. Caſſiodorus [o] autem verba illa quæ ſunt apud Salomonem in Canticis. *Si murus eſt, ædificemus propugnacula argentea*, ita accipit, quaſi ſignificet fidei doctrinam externarum diſciplinarum ornamentis illuſtrandam eſſe. Itaque initio naſcentis Eccleſiæ magno ſemper

A io pretio habiti ſunt ij, qui res diuinas ingenti cum eruditionis, & doctrinæ laude fidelibus explicuerunt: quales fuiſſe olim Panthenum Clementem, & Origenem [a] accepimus, qui ſcholæ Alexãdrinæ magno cum fidelium fructu præfuerunt. Mitto alios qui incredibili penè ſubtilitate, atque humanarum diſciplinarum apparatu de rebus diuinis diſſeruerunt; vt Dionyſius Areopagita, Athanaſius, Baſilius, Gregorius Nazianzenus: & inter Latinos Hilarius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, aliique non pauci, qui vel contra gentiles, vel contra hæreticos, philoſophiæ, atque humanæ ſapientiæ præſidiis inſtructi dimicarunt. Hinc theologia, quæ ſcholaſticã dicitur, magnum cepit incrementum: cui Auguſti-

B nus [b] id tribuit, quo fides ſaluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. Neque verò ea ſcientia ita diuinam fidem gignit quaſi humana ratiocinatione fides nitatur; ſed quod plerumque vtile ſit aduerſus philoſophos argumentis agere, quibus appareat ipſorum decreta cum humana ratione pugnare; contra verò, fidei dogmata cum eadem ratione mirificè conſentire. Accedit quod cùm fidei myſteria humanæ mentis vim longè ſuperent, neceſſe eſt ea perſpicuè, apertéque explicari, & humanæ mentis imbecillitati aptari. Itaque Clemens [c] Alexandrinus, rectè dixit, vt ægro medicum, ita ægro animo doctoris induſtriam videri neceſſariam. Iam verò concepta in animo fides, hac humana eruditione magnoperè ex- IV.

C colitur, vt colligitur ex iis, quæ ſcribit Euſebius [d] cũ agit de Ignatio, itémque cùm de Papia [e] ſcribit, qui hoc maximè ſtudio fideles in Chriſtiana religione retinebat, quod fuiſſe proprium Epiſcoporum munus apoſtolica traditione conſtat, atque hac ratione docuit alicubi [f] B. Thomas argumẽta, quæ fidem cõſequuntur, non eius meritum minuere, ſed potius augere. Accedit quod plurimùm valent ad fidem defendendam, non ſolùm contra hæreticos, ſed etiam aduerſus Iudæos, & Gentiles; & eadem ratione mirum in modum confirmatur. Quamobrem quæ hoc loco de humana ſapientia dicit Apoſtolus non perinde accipienda ſunt quaſi ea penitùs ſit aſpernanda, ſed quòd fidei, diuinæque doctrinæ vis non ab ea petenda ſit, ſed à diuini ſpiritus efficacitate haurienda: quod interdum diuinitus inſi-

D gni aliquo miraculo oſtenſum eſt, vt cùm in concilio Niceno [g] importuna philoſophi arrogantia indocti Epiſcopi ſimplicitate, fracta & ſuperata eſt. Doctrinam porro ſpiritus, non illam intelligit, quam ſibi quiſque confingit, ac ſomniat, ſed quam diuino ſpiritu traditam ſcriptis ſiue etiam per manus acceptam Eccleſia complexa eſt. Quod ſequitur: *ſpiritualia ſpiritualibus comparantes*; Chryſoſtomus, & Theophylactus ita accipiunt, quaſi doceat Apoſtolus euangelica myſteria ex veteris teſtamenti typis illuſtranda, & confirmanda eſſe, vt comparantes, græcè συγκρίνοντες, idem valeat, quod componentes, hoc eſt vnum cum alio conferentes; vt ſi qua exiſtat dubitatio vnus ſcripturæ locus alio clariori illuſtretur: vt exempli cauſa ait Chryſoſtomus: *Dico Chriſtum* V.

E *reſurrexiſſe, natum eſſe ex Virgine, adduco teſtimonia, typos ac figuras, & demonſtrationes: Ionæ in ceto moram, & quæ poſtea extitit liberationem: ſterilium partus Saræ, & Rebeccæ, & cæterarum: arborum in Paradiſo germinationem non deiectis ſeminibus, non demiſſis imbribus, non ſulco proſciſſo, futura enim effingebantur, & deſcribebantur tanquàm in vmbra prioribus, vt ea crederentur cùm aduenissent. Et rurſus oſtendo, quomodò homo è terra, & quomodò ex ſolo viro mulier, & nuſquam coitus, quomodo ipſa terra prodiit ex nihilo, vbique ad omnia ſufficiente opificis potentia. ita ſpiritualibus ſpiritualia com-*

a epiſt. 130.

b lib. 7. hiſt. cap. 28.

g Clem. Alex.

a Euſeb. lib. 5. hiſt cap. 10. & 11. & lib. 6. cap 3.

b lib. 14. de Trinit. cap. 1.

c lib. 1. pæd. cap. 1.

d lib 3. hiſt. cap. 16.

e cap. 10.

f 2. 2. q. 2. a. 10.

g Ruffinus.

paro,& nuſquàm externa egeo ſapientia,neque rationibus, neque confirmationibus. Idem planè ſentiunt Theodoretus, & Oecumenius, quod quamquàm verè dici non nego;vereor tamen, vt ſit ad rem, vt enim ea diſputandi ratio apud Iudæos, qui vetus teſtamentum admittebant, non exiguam vim habere poterat;ita apud gentiles præſertim philoſophos,qui æquè vtrumque teſtamentum reiiciebant, omnino nullam. niſi fortè vbi diuinitùs fidem concepiſſent ad eos confirmandos hæc veteris, nouique teſta-

VI. menti conſenſio adhiberetur.Itaque Ambroſius aliter explicat;ait enim:*ſpiritualibus,id eſt,hominibus,qui mundanam prudentiam refutant,ſpiritualia comparare, hoc eſt,ſpiritualem efficaciam tradere, quæ myſterio fidei continetur ad illuminandos ſenſus beneuolorum hominum; credentes enim, quæ mundi ſapientia ſtulta indicat,ſpirituales ſunt.* B Eodem modo interpretatur Hieronymus,nec magnoperè diſſentit B. Thomæ fauere videtur Cyrillus [a], qui in illa verba Iſaiæ, *Et peperimus ſpiritum ſalutis*,in hunc modū ſcribit. *Quadrare*(vt dixi)*poteſt hæc oratio Prophetis, & ſanctis Apoſtolis, & Euangeliſtis, qui ſuperna myſtagogia ditati, ornatique miniſterio, & veluti intelligibili ſemine accepto,ſpiritum ſalutis in terra pepererunt,nimirùm doctrinam ſpiritualem, quæ vitæ æternæ conciliatrix eſt, & procuratrix. Solet enim ſcriptura diuina ſpiritum ſæpè nominare aliquorum ſcripta,& probare* (inquit) *ſpiritus an ex Deo ſint. nam in Spiritu ſancto ſalutaris prædicatio reſonat,& in ſpiritu mundi,quæcumque ſunt veritati repugnantia. Scribit enim diuinus Apoſtolus de ſe* C *ipſo,aliiſque ſanctis. Nos autem non accepimus ſpiritum mundi huius, ſed ſpiritum ex Deo, vt videamus quæ ſunt à Deo nobis donata.* Atque hæc quidem explanatio ſuperioribus videtur magis conſentanea; docet enim Apoſtolus, non ſe tradere dogmata philoſophica,ſed ea,quæ diuinitùs acceperat. Verùm quoniam proximè dixerat, *non ſe loqui in doctis humanæ ſapientiæ verbis,ſed in verbis doctis à Spiritu ſancto*;malim ſequi eum ſenſum,quem in paraphraſi indicaui, vt dicat Apoſtolus ſe rebus ſpiritualibus ſpiritualia verba aptare,atque adeo ea negligere, quæ ad pompam, & oſtentationem faciunt;hoc enim ſemper vrget Apoſtolus propter ſeditiones inter Corinthios excitatas:nam etiam inter Gentiles [b], qui ſapientiſſimi babebantur,nimis comptam, & ornatam orationem magnoperè reprehendunt,ac damnant. D Quoniam igitur doctrina Euangelica ſpiritualis eſt, ſpiritualem poſtulat eloquentiam, hoc eſt orationem ſponte fuſam,ac minimè fucatam. Sunt qui referant ad miracula, quaſi dicat Apoſtolus fidei dogmata, diuinæque legis myſteria,quæ ſpiritualia ſunt, ſpiritualibus argumentis,hoc eſt ſignis, atque prodigiis confirmari, quod cùm agatur de genere docendi, quo Apoſtoli Euangelicam doctrinam tradebant, non eſt prorsùs improbabile: vt enim Chriſtus ipſe prædixerat; multa miracula ediderunt Apoſtoli ad fidei dogmata ſtabilienda: ſigna autem ſpiritualia meritò dicuntur, quia diuina Spiritus ſancti vi perficiuntur.

a Iſa.26.10.

b Plutarc. in Politic. & de liberis educand. & l. de aud. poetic. Sen. ep.11.40. 96.101,115. & 116.

14.
I. ANIMALIS AVTEM HOMO NON PERCIPIT,&c. Qui vocem illam, *ſpiritualibus*,ad hômines referunt,facilè hæc cum ſuperioribus nectūt; ob id enim dixit Apoſtolus ſe ſpiritualibus ſpiritualia loqui,quia ea animalis homo non percipit, atque idcirco ei fruſtra proponerentur. Ita Ambroſius,& Hieronymus: ſed ſi de rebus accipias, vt accipiendam diximus, hæc eò videntur ſpectare, vt tacitè Corinthios obiurget,doceàtque proprium eſſe animalis hominis ea ſectari, quæ vulgus admiratur, quæque ſenſum potiùs oblectant, quàm animum ſolida doctrina imbuant: quocirca ea,quæ ſpiritua- A lia ſunt,negligit,& contemnit;contrà verò ſpiritualis probè nouit, quid inter ſpecioſa, & vtilia interſit. Animalem autem hominem eum intelligit, qui naturæ dumtaxat ductum ſequitur: Græcè dicitur ψυχικός, quo nomine per contumeliam, Tertullianus vbi ad hæreſim defecit, Catholicos appellabat: aduerſum quos librum ſcripſit de ieiuniis,vt omnino perperam à nonnullis pro pſychicis phyſici ſubſtituti ſint. Itaque non malè Caſſianus [a] tres apud Apoſtolum hominis ſtatus diſtinguit, carnalem, animalem,ſpiritualem: hæc enim tria hominum genera enumerantur hoc loco.De carnali dixit [b] Apoſtolus: *Tamquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam; nec dum enim poteratis,ſed nec adhuc nunc poteſtis, adhuc enim carnales eſtis. cùm enim ſit* B *inter vos zelus;& contentio;nónne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis?* Animalem porro, & ſpiritualem hominem hoc loco explicat. *Animalis* (inquit)*non percipit ea,quæ ſunt ſpiritus Dei. Animalem* (inquit Theodoretus) *hominem appellat, qui eſt contentus propriis cogitationibus, & ſpiritus doctrinam non admittit, ſed nec poteſt intelligere.* Paulò aliter Ambroſius: *Animalis* (inquit) *homo pecoribus ſimilis ſenſum ſuum in terram deprimit,ideóque non aſſequitur niſi quæ videt,nec putat aliquid poſſe fieri,quàm quomodò ſcit; ideo quidquid aliter audit quàm norit ſtultum iudicat.* Certè antitheſis ratio poſtulat, vt animalis homo intelligatur is, qui humana ratione omnia metitur,nihílque admittit,niſi quod ſenſuum adminiculo mente percipitur; quem (vt ait Chryſoſto- C mus)in multis falli,ac decipi neceſſe eſt.nam quemadmodum qui turrim quadrāgularem eminus aſpiciunt,oculorum proſpectu decepti, rotundam putant, ita qui res à ſenſibus noſtris remotiſſimas ſolius humanæ rationis intuitu contemplatur, miſerandum in modum fallitur. Itaque rectè ſubiicit II.
Apoſtolus:*Stultitia enim eſt illi*:putant enim quæ ſupra naturam ſunt, ea cum recta ratione pugnare, in quo(vt ingenuè fatear)nō mediocriter errant plurimi hoc noſtro ſæculo philoſophi, qui tametſi Chriſtianam fidem profitentur, inani tamē philoſophandi ſtudio deluſi,non imprudenter ſolùm, ſed etiam falsò,ac parùm piè cùm quidpiā accidit, quod aliter à philoſophis, aliter ex Chriſtianæ fidei decretis definiatur; illud dicunt ex vera philoſophia,rectæque D rationis præſcripto, hoc ex fidei principiis ſentiendū eſſe; quaſi veræ philoſophiæ præcepta verū aliquid eſſe doceāt,quod cum recta fide pugnet,vt verum cum vero cōtendat:quos meritò Lateranenſe [c] Concilium reprehendit,ac damnat. Cæterùm,quod ait Apoſtolus, *ſtultitia enim eſt illi*, Græcam phraſim ſequutus eſt, qua (vt aliàs monui) pluralia nomina generis neutrius, ſæpe cum ſingulari verbo coniunguntur,Latinè dixiſſet. Quæ ille pro ſtultitia habet; ſubdit: *Et non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinantur.* Cùm careat ſpiritu,intelligere non poteſt ea, quæ ſine ſpiritu non cognoſcuntur. nam vt ait Chryſoſtomus,quæ dicuntur à diuini verbi præconibus, fide indigent,nec humanis argumentationibus comprehendi queunt. Eorum namque ma- E gnitudo, & dignitas longo interuallo imbecillitatem humanæ intelligentiæ ſuperat.Porrò quod ſubdit,*ſpiritualiter examinantur*, Græcè eſt ἀνακρίνεται, quod Ambroſius vertit, *iudicatur*, & refert ad hominem animalem, qui dum humanam ſequitur rationem, & fidem abnegat, ſpiritualiter condemnatur. Quo etiam modo explicandi ſunt nonnulli codices, qui habent ſingulari numero, *examinatur*:at proculdubio Latinè dicendum erat,*examinantur*,refertur enim ad ea, quæ ſunt ſpiritus, quæ(vt modò dicebam) Græco more cum verbo ſingularis nu-

a Coll.4.c.19.

b Infra.c.3.

c Seſſ.

meri coniunguntur; quamquam fortaſſe non eſt hic alius ſenſus improbandus, non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter iudicatur; quaſi dicat hoc ipſum intelligere non poteſt; ſe ſpiritualiter iudicari, vel ea, quæ ſpiritus ſunt, ſpiritualiter eſſe iudicanda. Sed quod in paraphraſi diximus, planius, ac ſimplicius videtur.

15. I. SPIRITVALIS AVTEM IVDICAT OMNIA, &c. Rectè ex ſuperioribus colligitur, qui enim ſpiritu Dei, & fide diuina præditi ſunt, cùm probè intelligunt ſpiritualia, & diuina, tùm etiam præclarè cognoſcunt, quatenùs humanæ rationes probandæ ſint, quantámque vim habeant, atque ita omnia ſuo iuſto pondere metiuntur. Id confirmat exemplo Chryſoſtomus; qui enim oculorum acie præditus eſt, videt ea, quæ ſibi ante oculos ponuntur; ſiue illa ad ſe ipſum, ſiue ad alium quempiam cæcum pertineant, quæ cæcus cernere non poteſt; hoc eſt intuetur, & ſua, & aliena. at quæ ſua ſunt, hoc eſt ſpiritualia, animalis homo, quaſi cæcus cernere non poteſt. Itaque ſpiritualis homo omnia iudicat, & intelligit: contrà verò ipſe à nemine iudicatur, quia ſpiritualia ab iis, qui ſpirituales non ſunt, cerni non poſſunt. Ambroſius hæc de extremo iudicio explicat. *Spiritualium* (inquit) *exemplo infidelitas diiudicabitur, ipſi autem à nemine iudicabuntur. Quis enim condemnet vera dicentem? Cùm autem conſtet, omnes inimicos fidei falſa tenere pro veris, accuſatio illorum in irritum iam deducta eſt, veri iudicio condemnata, quia qui non crediderit* (inquit Dominus) *iam iudicatus eſt.* Theodoretus de doctrina hunc in modum declarat. *Qui enim* (inquit) *gratia ſpiritus dignus eſt habitus, ipſe quidem ad alios docendos ſufficit; aliorum verò doctrina non indiget.* Hieronymus. *Iudicat* (inquit) *vana eſſe, in quibus carnales homines delectentur, & ipſe ita ſe agit,*
II. *vt à nemine iudicetur.* Addit alteram explicationem, quam nos primo loco poſuimus, & cæteris præferendam ducimus. Iudicare autem Chryſoſtomus idem eſſe ait, quod arguere, quod abſque perfecta cognitione fieri non poteſt. Igitur ſpiritalis omnia nouit. Scit enim (ait Chryſoſtomus) *quæ futura ſunt in alia vita, immortalia eſſe, ac ſempiterna, ſiue iuſtorum bona, ſiue impiorum ſupplicia. Ipſi verò à nemine iudicatur*, quia cùm animalis homo non percipiat ea, quæ pertinent ad ſpiritum, ne poteſt quidem ſententiam ferre de eo, qui viuit ex præſcripto diuini ſpiritus. Acutè autem Bernardus [a] ad hunc reſpiciens locũ de ſpirituali hunc in modum ſcribit: *Trina quadam conſideratione opus ſuum præueniet: primùm quidem, an liceat, deinde, an deceat, poſtremò, an expediat. Nam etſi conſtet in Chriſtiana vtique philoſophia, non decere niſi quod licet; non expedire niſi quod decet, & licet; non continuò tamen omne quod licet, decere, aut expedire conſequens erit.* Ita ſignificat hominem ſpiritualem ea omnia diligenter expendere, ac iudicare quæ poſſunt in deliberationem cadere. Sunt qui iudicandi verbum, cùm ſpiritualis dicitur à nemine iudicari, accipiunt pro verbo condemnandi, quaſi aliis verbis dicat Apoſtolus idem, quod ſcripſerat ad Romanos [b]. *Nihil ergo damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant:* hos enim videtur hoc loco vocare ſpirituales, de quibus ad Galatas [c] dixerat *Vos, qui ſpirituales eſtis, eiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis.* Chryſoſtomus ait à nemine arguitur, quia in eius doctrinam à nemine inquiritur, ſic etiam Photius: *Quod à fidelibus idem ſentientibus argui non poſſit, non ab infidelibus, quos facilè refellit.* Verùm ex hoc loco hæretici probare nituntur, quemlibet priuato ſuo ſpiritu poſſe ſcripturas interpretari, & de rebus fidei iudicare, neque egere vllo externo iudice, aut magiſtro: quaſi verò ipſi

a lib. de conſid. c. 4. b Rom. 8. 1. c Galat. 6. 1.

A ſpirituales cenſendi ſint, aut non apertè conſtet, ipſos etiam verè ſpirituales non pauca ignorare, vt ignorauit Heliſæus [a]. *Dominus* (inquit) *celauit à me, & non indicauit mihi.* Quomodò igitur ſpiritualis omnia iudicet, & ipſe à nemine iudicetur, dictum eſt paulò antè: iudicat enim tam cæleſtia, quàm terrena; tam diuina, quàm humana, & vtrorumque vim, ac poteſtatem cognoſcit, & quæ præferenda ſint probè intelligit.

16. I. QVIS ENIM COGNOVIT SENSVM DOMINI, &c. Quidam codices perperam hoc loco habent, *ſicut ſcriptum eſt*, cum videatur Apoſtolus alludere ad locum Iſaiæ, quem ex Hebræo ita tranſtulit Hieronymus [b]: *Quis adiuuit ſpiritum Domini, aut conſiliarius eius fuit, & oſtendit illi? Cum quo*
B *iniit conſilium, & inſtruxit eum, & docuit eum ſemitam iuſtitiæ, & erudiuit eum ſcientiam, & viam prudentiæ oſtendit illi?* Simile quiddam legitur etiam in libro ſapientiæ [c]. *Quis enim hominum poterit ſcire conſilium Dei, aut quis poterit cogitare quid velit Deus?* Sed Græci codices, & emendatiores Latini ſimpliciter habent: *Quis cognouit ſenſum Domini?* Sed quorſum hæc pertineant non facilè dixerim. Sunt enim qui eò putent pertinere, vt ſcripturæ teſtimonio confirmet, quod dixerat, animalem hominem non percipere ea, quæ ſunt ſpiritus Dei. Ita videntur ſentire Ambroſius, & Hieronymus, & niſi egofallor, idem inſinuant Chryſoſtomus, Oecumenius, Photius, & alij, qui hyperbaton agnoſcũt. Theodoretus aliter accipit; vult enim confirmari,
C quod ſuprà dixerat, diuinam doctrinam humanæ ſapientiæ adminiculo non egere; quocirca ne ſpirituales quidem animalium ſcientiam deſiderare. Ego neutri ſententiæ præiudicatum velim: priorem tamen magis probo; quaſi dicat, nolite putare, me aliquid noui, aut abſurdi dixiſſe, cùm negaui, animalem hominem ea cognoſcere, quæ ſunt ſpiritus Dei. ſed vtrique tertiam longè antepono; continent enim hæc verba proximæ ſuperioris ſententiæ rationem. dixerat enim, ſpiritualem omnia iudicare. ipſum autem à nemine iudicari: difficile id videri poterat, atque abſurdum. Quis enim prohibet, ſpiritualem, & fidelem ab animali, atque infideli iudicari? Probat id, quod dixerat Apoſtolus; quia (vt eſt in oraculis Iſaiæ) nemo cognouit ſenſum Domini;
D quo fit, vt nemo ex animalibus cæleſtis, ac diuinæ diſciplinæ ſit capax. non profert autem integrum Iſaiæ locum, ſed more ſuo ex translatione Septuaginta ea tantùm attigit, quæ ad rem præſentem pertinent. Locus apud Septuaginta ita habet: *Quis cognouit mentem Domini, aut quis conſiliarius eius fuit, qui doceat eum? aut cum quo conſilium iniit, & inſtruxit illum?* At Paulus prima tantùm, & extrema verba poſuit, intermediis relictis. Pro ſenſu autem græcè eſt νοῦν, hoc eſt mentem, cui reſpondet relatiuum, qui; eſt enim apud Græcos νοῦς maſculini generis; quaſi dicat; quis nouit mentem Domini, qua erudiatur? Quem ſenſum exprimunt nonnulli codices vulgatæ editionis, qui legunt: *Qui inſtruat eum.* quamquàm alij legunt; *Aut quis inſtruxit eum?* qui
E magis accedunt ad interpretationem Septuaginta. Nam quod habet vulgatus interpres, magis videtur accedere ad id, quod ſcriptum eſt in libro Sapientiæ. Renamque vera ſi eo modo Græca interpretemur, aliud videtur exprimere Apoſtolus, quàm dixerint Septuaginta: illi enim perinde interpretantur Iſaiam quaſi ille quærat, quis potuerit Deo conſilium dare, eúmque aliqua ratione erudire; vt ſignificet, neminem eſſe, cuius opera, aut conſilio Deus indigeat. Hic verò Paulus, neminem ait eſſe animalium hominum, qui viribus humanis

diuinam

a 4. Reg. 4. 27. b 40. 13. c 9. 13.

II.

diuinam ſapientiam aſſequi poſſit, eiúſque præceptis informari; vnde efficitur, non poſſe eos, qui hac ſapientia careant, homines ſpirituales iudicare. Itaque quod ait: *Quis enim cognouit ſenſum Domini, qui inſtruat eum?* hunc facit ſenſum; qui ſpiritualem iudicare, aut condemnare velit, cognoſcat oportet diuinæ ſapientiæ vim, vt quæ ſunt illi minùs conſentanea reprehendat, & damnet; & rectam viuendi rationem præſcribat, at quis eſt carnalium hominum, & eorum, qui mortalia, & caduca duntaxat aſpiciunt, qui hoc poſſit efficere, vt ipſi quodammodo ſpiritui à Deo præcepta tradat? quaſi dicat nemo prorſus id poteſt. Ita relatiuum, *eum*, referendum eſt ad Deum, quod neceſſariò dicendum eſt in interpretatione Septuaginta. Neſcio vtrum idem relatiuum referri poſſit ad hominem ſpiritualem, quem paulò antè nominauit hoc ſenſu, quis nouit ſenſum Domini; vt corrigere, atque erudire poſſit virum ſpiritualem, quem dixi à nemine iudicari? Certè ſi hic ſenſus probandus ſit, fatendum erit, omnino verba, ſiue Iſaiæ, ſiue Salomonis per accommodationem rei propoſitæ aptari. Saltem poſteriora; nam priora ſuum legitimum ſenſum retinent. Priorem ſenſum in paraphraſi ſecuti ſumus, qui videtur argutior, & vehementior. Nam qui vitam, moréſque ſpiritualium, hoc eſt eorum, qui ita viuunt, vt lex Chriſtiana præcipit, accuſatis quodammodo Deum, eius legis auctorem reprehendit, eíque præcepta tradit, aut certè conſilium dat, & eius legem aliqua ratione carpit, quod animali homini nulla ratione conuenit. Subdit: *Nos autem ſenſum Chriſti habemus* græcè *νοῦν*, id eſt mentem, quaſi dicat, nos fideles, & ſpirituales diuinam ſapientiam cœlitùs accepimus, idque beneficio Chriſti, atque idcirco tanquam ſpirituales à nemine poſſumus iudicari; cognoſcimus enim quid nobis credendum, quídue agendum Deus præcipiat. niſi quis malit de Apoſtolis accipere, quod in paraphraſi indicauimus; illis enim omnia diuina myſteria patefacta ſunt.

Argumentum Cap. III.

QVONIAM *ſub finem præcedentis capitis dixerat, quoſdam minùs aptos eſſe ad diuina myſteria percipienda, ad hunc numerum aliqua ratione Corinthios pertinere docet, quod vel ex ipſorum concertatione colligit, de qua rurſus diſputans, ait, hæredum eſſe vni Chriſto, tanquàm ſalutis auctori; miniſtrorum verò proprium eſſe, iacto Chriſti fundamento, ſuperſtruere ædificium: ita vt intelligant, ſui quemque laboris fructum, ac mercedem, definito aliquando tempore relaturos.*

CAPVT III.

ET *ego, fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus tanquàm paruulis in Chriſto.*

Lac vobis potum dedi, non eſcam; nondum enim poteratis: ſed nec nunc quidem poteſtis; adhuc enim carnales eſtis.

Cùm enim ſit inter vos Zelus, & contentio: nónne carnales eſtis? & ſecundùm hominem ambulatis?

Cùm enim quis dicat: ego quidem ſum Pauli. Alius autem, ego Apollo: nónne homines eſtis? Quid igitur eſt Apollo? quid verò Paulus.

Miniſtri eius, cui crediſtis, & vnicuique ſicut Dominus dedit.

PARAPHRASIS.

EGo porro, fratres, ita coram vos allo- 1.
cutus ſum, & Chriſtianæ doctrinæ præ-
ceptis imbui, vt nequiuerim tamen vo-
biſcum agere tamquam cum ſpiritua-
libus, ſed ita mihi temperanda oratio neceſſariò
fuerit, perinde quaſi cum adhuc carnalibus mihi
ſermo eſſet, id eſt cum iis, qui veluti infantes eſſent
in Chriſto. ¶ Atque idcirco lactis hauſtu alen- 2.
dos vos duxi, non ſolido alimento, hoc eſt prima
tantùm Chriſtianæ religionis initia, & veluti rudi-
menta tradidi: neque enim ad molliendam, confi-
ciendámque eſcam firmis, vt par erat, viribus, ac
robore præditi eratis, ac ne nunc quidem ad id
ſatis idonei videmini. Ita namque comparati era-
tis, vt fruſtra vobis perfectiora Chriſtianæ doctri-
næ capita explicaturus eſſem, quæ ne nunc ſa-
tis commodè percipere poſſe videmini. ¶ Nam 3.
(vt ingenuè fatear) adhuc vos carnales eſſe
iudico; cùm enim ſint inter vos liuor, & con-
tẽtio, & diſſidia gliſcant in dies; quis negare poſſit,
vos eſſe carnales; & humani iudicij imbecillitati
adhuc obnoxios? ¶ Enimuerò cùm dicat quiſpiam 4.
ex vobis: Ego quidem ſum Pauli diſcipulus, alter
verò; ego ſum Apollo, & priuatos vobis magiſtros,
ac duces aſciſcatis; nónne adhuc carnales eſtis?
¶ Quid, quæſo, eſt Paulus; quid item Apollo? 5.
ſanè nihil aliud, niſi ipſius Chriſti miniſtri, quorũ
opera, atque labore ad fidem perducti eſtis, & di-
uinæ gratiæ facti participes: qui ſanè miniſtri, quã-
tum cuique Deus impertiuit, pro ſua virili in
euangelica doctrina tradenda, vobiſque erudien-
dis, ac

dis,ac euangelicis præceptis informandis labora-
6. runt. ¶ Equidem ſi dicendum ſit quod res eſt, ni-
hil auſim mihi arrogate præter obſequium,& mi-
niſtri functionem.Ego igitur,qui prima fidei fun-
damenta ieci,quodammodò plantaui : Apollo ve-
rò, qui deinceps iſtam Eccleſiam inſtituendam
ſuſcepit aliqua ratione rigauit : quidquid verò in-
crementi in vobis cernitur, ad vnum Deum tan-
7. quam auctorem referendum eſt. ¶ Nihil igitur
eſt is,qui plantat, nihil item ille qui rigat, ſed om-
nia à Deo bonorum omnium auctore profecta,illi
vni accepta referenda ſunt, qui vegetat ipſe per ſe
8. & dat incrementum. ¶ Is verò, qui plantat, & is,
qui rigat non inter ſeſe diſſident, aut diſſentiunt,
quod vos videmini ſuſpicari; ſed idem planè, at-
que vnum ſunt, eodémque labores, conatúſque
ſuos dirigunt : vnuſquiſque verò mercedem reci-
piet ſuam labori,atque operi,ex æquo reſponden-
9. tem. ¶ Nos quippe Dei ſumus adminiſtri, atque
eiuſdē operis quodammodò participes,& adiuto-
res. Quocircà vos neque vnius Pauli, aut vnius
duntaxat Apollo, ſed æquè vtriuſque eſtis diſci-
puli, & auditores,cùm ambo illi vnum planè, at-
que idem ſint in Chriſto : re autem vera, neque
Pauli, neque Apollo ſectatores ſimpliciter dicen-
di eſtis,niſi fortaſſe quatenus illi ſunt Dei miniſtri.
nam alioqui verè ipſius eſtis Dei, veluti aruum,
aut ſeges,quam ipſe excoluit,vel etiam ædificium,
10. quod in filio ſuo quodammodò exſtruxit. ¶ Ego
ſanè pro eo munere,quod mihi gratuitò, ac libe-
raliter collatum eſt, vt peritus architectus illius,
quæ in vobis eſt,ſpiritualis ſubſtructionis,primum
ieci fundamentū:alius verò eſt,qui parietes erigit,
atque ædificat.Porro cuique etiā atque etiam per-
ſpiciēdum eſt quidnam, quáue ratione ſuperædifi-
11. cet.¶ Nam fundamentū quidem aliud ponere ne-
mo poteſt præter id,quod iactū eſt à nobis, quód-
que nihil eſt, quàm Ieſus ipſe Chriſtus,cuius vo-
bis fidem,doctrinámque complectendam propo-
12. ſuimus. ¶ Quòd ſi quis huic firmè iacto funda-
mento ſuperſtruxerit congruentem doctrinam, &
docendi rationem,quæ frugifera ſit, ac meritò ha-
beatur in pretio, quaſi aurum, argentum, lapides
precioſi,vel contra prauam, & vitioſam, quæ ad
pompam, & oſtentationem referatur, & alioqui
inutilem ſuperædificet,veluti ligna,fœnum,ſtipu-
13. lam. ¶ Cuiuſque opus aliquando proferetur in
lucem;dies enim illa, quæ cuique extremum affe-
ret occaſum, omnia patefaciet : nam cùm ipſum
opus conflagratione præcurrente illuceſcet,atque
acri Dei iudicio proferetur in lucem, tum quale
omnino ſit ignis purgatorij experimento patefiet.
14. ¶ Si quis igitur eiuſmodi materiam ſolidam, ac
firmam ſuperædificauerit, quæ vim ignis toleret,
atque illæſa,inuiolatáque permaneat,is ſui laboris,
atque induſtriæ fructum ampliſſimum capiet, &
iuſtam ab immortali Deo mercedis compenſa-
15. tionem accipiet. ¶ Cuius autem ædificium exu-
ſtum, crematumque fuerit,quod ex ea materia
conſtet,quæ ignis ardorem perferre poſſit; ne ille
operis

Ego plantaui, Apollo rigauit, ſed Deus incrementum dedit.

Itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat:ſed, qui incrementum dat Deus.

Qui autem plantat, & qui rigat vnum ſunt. Vnuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.

Dei enim ſumus adiutores: Dei agricultura eſtis,Dei ædificatio eſtis.

Secundum gratiam Dei,quæ data eſt mihi, vt ſapiens architectus fundamentum poſui: alius autem ſuperædificat:Vnuſquiſque autem videat quomodo ſuperædificet.

Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id,quod poſitū eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.

Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc,aurum,argentum, lapides pretioſos,ligna,fænum,ſtipulam.

Vniuſcuiuſque opus manifeſtū erit;dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur: & vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit.

Si cuius opus manſerit quod ſuperædificauit, mercedem accipiet.

Si cuius opus arſerit detrimentum patietur: ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.

Neſcitis

Neſcitis quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis?

Si quis autem templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.

Nemo ſe ſeducat: ſi quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens.

Sapientia huius mundi ſtultitia eſt apud Deũ. ſcriptum eſt enim: Comprehendam ſapientes in aſtutia eorum.

Et iterũ: Dominus nouit cogitationes ſapientium, quoniam vanæ ſunt.

Nemo itaque glorietur in hominibus.

Omnia enim veſtra ſũt, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue vita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura: omnia enim veſtra ſunt.

Vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.

operis, ac laboris iacturam faciet; ipſe tamen igne
illo expiatus, ſalutem conſequetur. ¶ An neſci- 16.
tis, vt in ædificij metaphora perſiſtamus, vos eſſe
præclarum, & ſactoſanctum Dei templum, cœle-
ſti, ac diuino artificio extructum, atque adeo Spi-
ritum ſanctum ſedem in vobis ſuam, tanquàm in
domicilio ſibi conſecrato, collocatam habere?
¶ Quod ſi quis eò temeritatis, atque impietatis 17.
progredi auſus fuerit, vt Dei templum violet, iſtã-
que Eccleſiam diſſidiis, ac ſeditionibus diſtrahat,
hũc perdet profectò Deus: ſic enim habetote tem-
plum Dei, quod quidem eſtis vos, modis omnibus
eſſe auguſtum, & ſacroſanctum. ¶ Nullus quæſo, 18.
veſtrum ſibi ipſe imponat, ſéque blandiendo, ac
veluti aſſentando ſeducat: ſi quis ſibi videtur inter
vos ſapere, huius videlicet ſæculi humana, & (vt
ita dicam) carnali ſapientia, is (me auctore) dedi-
ſcat, ac ſtultus fiat oportet, & hanc, quam nos tanti
facimus Chriſti ſtultitiam induat, vt verè aliquan-
do ſapiens euadat. ¶ Hæc enim huius mundi ſa- 19.
pientia, quæ prædicatur, atque admirationi eſt in-
ter homines, re vera apud Deum iuſtiſſimum re-
rum æſtimatorem, nihil eſt aliud, quàm mera ſtul-
titia: ſcriptum eſt enim; Sapientes ipſorum verſu-
tia, atque vafritie capit; hoc eſt, illos reprehendit,
& recta argumẽtatione redarguit, vel eorum quaſi
arcem munitiſſimam expugnat, vel eos veluti fu-
gientes apprehendit, vel quaſi captiuos in ſeruitu-
tem mancipat, & veluti vinculis conſtringit. ¶ Et 20.
rurſum, nouit Dominus vanas, ac prorſus inanes
eſſe ſapientum cogitationes, ſiue dum ſuam ſa-
pientiam inſolentiùs prædicant, ſéque magnifi-
centiùs circumſpiciunt, ſiue dum imperitam mul-
titudinem ſuperſtitioſa atque impia Deorũ mul-
titudine, & nefario cultu imbuunt. ¶ Nemo igi- 21.
tur ob cuiuſquam hominis, ſiue patrocinium, ſiue
auctoritatẽ ſibi placeat, aut ab alienis nominibus
gloriam aucupetur. omnia namque veſtra ſunt. &
quidquid diuini verbi præcones, ſiue ab ingenio,
ſiue ab arte, aque doctrina, ſiue denique à diuino
Spiritus ſancti munere præſtare poſſunt, id totum
ad veſtram vtilitatem à Deo immortali conceſ-
ſum eſt: nulla prorſus igitur res creata, vllam me-
retur laudem, aut gloriam, quæ tota vni Deo de-
betur. ¶ Quod vſque adeo verũ eſt vt ipſi etiam 22.
magiſtri cœleſtis doctrinæ ad vnam veſtram vtili-
tatem à Deo ſint inſtituti, vt meritò affirmare poſ-
ſim, ſiue Paulum, ſiue Apollo, ſiue Cepham, ſiue
mundum, ſiue vitam, ſiue mortem, ſiue præſen-
tia, ſiue futura, omnia inquam eſſe tanquàm ad-
minicula vobis deſtinata. ¶ Vt eorum ſubſidio 23.
adiuti planè intelligatis, vos eſſe veluti Chriſti
peculium, Chriſtum verò Dei Patris vnicum fi-
lium, & ad Chriſtum Dominum humani generis
liberatorem, & à Chriſto ad Deum verum, ac bo-
norum omnium auctorem ſubuehamini

IN CAPVT TERTIVM
EXPLANATIO.

1. I. ET EGO FRATRES, NON POTVI VOBIS LOQVI, &c. Potuiſſent (vt ait Chryſoſtomus) excipere Corinthij, ſuperuacaneam videri tam longam, támque acrem, ac vehementem Pauli reprehenſionem; neque enim ſe Platonis, aut Pythagoræ, aut denique aliorum philoſophorum dogmata profiteri, ſed Chriſtianæ fidei, atque doctrinæ capita religioſiſſimè retinere: quocirca nihil opus eſſe tanto impetu in humanam ſapientiam inuehi. Atqui ait Apoſtolus, Fateor non vos eſſe à Chriſti fide alienos; ſed tamen (vt verum dicam) non video vos in ſpirituali doctrina eos feciſſe progreſſus, quos maximè optarem: quæ cauſa fuit, vt diuinæ ſapientiæ fontes, cùm apud vos eſſem, non vobis penitus aperuerim. Non eſt igitur, quòd hanc meam orationem, quaſi minùs neceſſariam incuſetis; videmini enim nonnihil humani rumoris, ac ſpiritus retinere, vt tanti mali radix, atque origo euellenda fuerit. Neque verò meam docendi rationem reprehendere poteſtis, qui rudimenta tantùm Chriſtianæ doctrinæ tradiderim; abdita verò Chriſtianæ ſapientiæ myſteria reticuerim; datum eſt enim id veſtræ imbecillitati. *Et ego igitur* (ait) *fratres non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus.* Dixerat enim ſub finem præcedentis capitis ſpiritualem omnia iudicare, à nemine verò ipſum iudicari: nunc ait, eos à ſpiritualis viri ſtatu, & conditione longiſſimè abeſſe, cùm fuerint, adeóque ſint adbuc caroales. Ait autem: *Non potui vobis loqui tanquàm ſpiritualibus.* non dixit, non ſum locutus, aut nolui loqui; ſed *non potui loqui*, tum ne ſubiret inuidiam, tum etiam, vt eorum faſtum, & tumorem deprimeret; nam ſi externa ſapientia, magnos illi ſpiritus feciſſet, eam ſatis ſuperiori oratione deiecit, cùm eam ſtultitiam nuncupauit; ſin autem ob Chriſtianæ doctrinæ peritiam magnificentiùs extollebantur, hunc faſtum, atque inſolentiam, his verbis reprimit, quibus eos docet inter poſtremos ſedere, tantùm abeſſe, vt gloriari queant. Et quidem (vt ait Chryſoſtomus) triplici ratione eorum arrogantiam caſtigat: primum quòd rerum maximarum ignoratione laborent: deinde quòd ipſorum culpa factum ſit, vt quæ ſunt in Chriſtiana doctrina perfecta non agnouerint; poſtremò quòd ne nunc quidem ad ea capeſſenda apti, atque

II. idonei videantur. Quòd autem initio diuina myſteria percipere non poſſent, naturæ fortaſſe imbecillitati, & conditioni tribuendum videbatur. atqui ne hoc ipſum quidem admittit Apoſtolus: ait enim, non ſe potuiſſe fidei myſteria planiùs explicare, quòd illi eſſent carnales: & vt eos magis perſtringat, addit poſt tantum temporis ne poſſe quidem illos ad altiora, & perfectiora promoueri. Carnales igitur hoc loco vocat Apoſtolus Corinthios, quod permirum videri poteſt, cùm initio Epiſtolæ eos mirificè commendarit, iiſque multiplicia Spiritus ſancti munera gratulatus ſit, ſed vt Chryſoſtomus docet, multa ſunt Spiritus ſancti chariſmata, quæ poſſunt cum improbitate conſiſtere; nam vt eſt apud Mat-

1ꝫ 7.11. thæum [a], non pauci operarij iniquitatis, & dæmones effugare, & futura prædicere, & mortuos ad vitam reuocare poſſunt: nam & Balaam, & Pharao, & Nabuchodonoſor, & Caiphas quamquàm multis

A ſcelerum maculis cooperti, futura tamen diuinitùs aliqua ratione præſenſerunt. Cur autem illos carnales vocet, hunc in modum explicat Ambroſius. *Propterea* (inquit) *quod adhuc ſæculi voluptatibus ſeruiebant, carnales erant, quamuis iam baptizati eſſent, & Spiritum ſanctum accepiſſent; tamen quia poſt baptiſmum ſtatim ad veterem hominem fuerant reuerſi, cui abrenuntiauerant, dicuntur carnales.* Nec multùm abhorret Hieronymus; putat enim Corinthios reprehendi, quòd gratiam, quam ab initio credentes acceperant, ſua culpa amiſiſſent. Theodoretus paulò mitiùs explicat; carnales enim ait appellari, *quod iis, quæ ad hanc vitam pertinent curis angerentur, & ad ea, quæ præclara videbantur hiarent, & aſpirarent; atque ad diuitias, & eloquentiam ſuorum magiſtrorum attenderent.* Ego duplici nomine eos dici

B carnales exiſtimo: primum quòd eſſent in ſpiritu quaſi adhuc teneri, & delicatuli infantes, vt mox Paulus ipſe explicat: deinde (quod ex illo conſequitur) quia adhuc in illis deprauata naturæ vis, quæ caro dicitur, magna ex parte dominabatur; à carne enim lites, & contentiones exoriuntur, vt ad Galatas [a] ſcripſit Apoſtolus. At Caſſianus [b] carnales videtur interpretari eos, qui ex aduerſo ſpiritualibus obiiciuntur, qui videlicet corporis voluptatibus indulgent, & flagitiis, atque ſceleribus polluuntur, ſiue illi gentiles ſint, ſiue initiati: & inter carnalem quidem, & ſpiritualem virum, tamquam inter medium putat eſſe animalem, non aliter, atque inter feruorem, & frigiditatem teporem intercipi. Quæ

a cap. 5. 17.

III.

b Coll. 4. c. 19.

C quidem ſententia, quamuis ab illo non prorſus ineruditè explicetur; & quod attinet ad trimembrem diſtinctionem ſuperiori capite vtcumque à nobis probata ſit, vereor tamen ſi ſingulorũ membrorum explicationem ſpectemus, vt huic Apoſtoli loco ſatis congruè aptari queat: ille namque carnalem hominem eum eſſe inſinuat, qui à rebus diuinis ita penitus abhorret; itáque omnia humana ratione metitur, vt nihil eminens, nihil excelſum admittat, ſed quidquid ſupra naturam, ſupráque rationem videtur, pro ſtultitia habeat, atque adeo ſit animali longè deterior, ac deteſtabilior. At verò cum Apoſtolus appellet Corinthios carnales, qui Chriſto nomina dederant, & Chriſtianam fidem complexi erant, aliquid profectò minus ſignificare voluit quàm ſi eos animales vocaſſet, *nam anima-*

D *lis quidem homo* (vt dixit Apoſtolus) *non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei*, ſiue illa magna ſint, ſiue parua. Adde quod Caſſianus indicat animalem hominem eſſe eum quem Ioannes [c] nomine tepidi deſcribit, & periculoſiùs laborare docet quàm ſi omnino frigidus eſſet. At Corinthij licet carnales, cæleſtis tamen diuinæque doctrinæ rudimenta percepetant, & non aliter, atque infantes Chriſtianæ fidei lac vtcumque deguſtarant. Itaque crediderim vt ſuperiori capite animalem hominem ſpirituali oppoſuit; ita nunc eidem ſpirituali obiicere carnalem: atque ita ob eas, quas diximus cauſas Corinthij dicuntur carnales, præſertim verò quòd non ea penitus exuiſſent, quæ ſunt humanitatis, id eſt carnis propria. Tametſi enim ſpirituales hactenus dici poterant, quòd (fide percepta) plurima diuini ſpiritus chariſmata aſſequuti erant, in eo tamen naturæ

c apoc. 3. 15.

IV.

MM quodam

quodam impetu abrepti, partim tumorem, partim A etiã iram, atque indignationẽ, diſſidia denique immiſcuerant, quæ ſunt natiuæ labis, hoc eſt carnis vitia. Addit: *Tanquam paruulis in Chriſto.* Explicans cur eos carnales dixerit, loquutus ſum (inquit) vobis tanquàm carnalibus, hoc eſt tanquam paruulis in Chriſto: hæc enim cum ſuperioribus iungenda eſſe conſtat ex Græcis codicibus; ſic enim habent, *ὡς νηπίοις ἐν χριστῷ*, quæ nullo modo cum ſequentibus cohærent, in quibus eſt aperta mutatio caſus. *γάλα* (inquit) *ὑμᾶς ἐπότισα.* Quamquàm Ambroſius cum ſequentibus apertè coniungit; ita enim legit: *Quaſi paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam.* Quomodo etiam legit Clemens [a] Alexandrinus; ita enim habet; *Lac vobis potum dedi, tanquàm infantibus in Chriſto, non cibum.* Et paulò pòſt ita verba diB ſtinguit, vt ita legendum ſit: *Lac vobis potum dedi in Chriſto.* & paruo interiecto ſpatio ſubiungamus, *tanquàm infantibus.* Sed (vt dixi) Græca exemplaria, quæ nunc habentur in manibus apertè refragantur. Igitur idem eſt, carnales, & paruulos eſſe in Chriſto. Pueri enim, ſeu potius infantes naturæ duntaxat ductu mouentur, nihil altum, aut ſublime ſapiunt: ita Corinthij (vt ait Ambroſius) *accepta fide, quæ eſt veluti ſpiritualе ſemen, nullum fructum Deo dignum fecerant, vt perfectionis verba mererentur addiſcere; ſed quaſi paruuli imperfectionis ſenſibus ſtudebant.* Clemens [b] autem Alexandrinus carnales intelligit, qui recenter inſtituebantur, erántque catechumeni, & adhuc infantes in Chriſto. *ſpiritales enim eos, qui ſancto Spiritui iam crediderunt, appellauit;* C *carnales autem eos, qui per auditionem recens ſunt inſtituti, nec adhuc ſatis expurgati, quos meritò adhuc carnales dicit, vt qui æquè atque gentes ea, quæ erant carnis cogitabant: vbi enim inter vos æmulatio, & lis, an non carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis?* Sequutus eſt enim hoc loco Apoſtolus, quod eſt in infantibus imperfectum, ſiue corporis, ſiue animæ reſpectu; nam alibi [c] contra facit: *Nolite* (inquit) *pueri effici ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote.* ita etiam Petrus [d]: *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & inuidias, & omnes detractiones ſicut modò geniti infantes rationabile, ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutem, ſi tamen guſtaſtis, quoniam dulcis eſt Dominus.* Cùm igitur, vt apparet eoſdem vocet Apoſtolus carnales, & D paruulos in Chriſto, neceſſe eſt vtramque vocem ad idem ſignificandum adhiberi, vt carnalis non ſignificet ſtatum hominis adeo perditum, vt Caſſianus indicat. Nam Clementis Alexandrini explicatio arguta quidem & ſubtilis accommodata eſt, quæ tamen huic loco non conueniat, cum iam Corinthij, qui tamen dicuntur carnales, eſſent baptiſmo initiati.

[a] lib. 1. pæd. cap. 6.
[b] lib. 1. pæd. cap 6.
[c] Infra ca. 14. 20.
[d] Ep. 1 ca. 2. 1.

2. I. LAC VOBIS POTVM DEDI, NON ESCAM, &c. Quoniam dixit Corinthios eſſe infantes, rectè addit ſe illos lacte, non ſolido cibo paruiſſe. Vocat autem lac rudem, & imperfectam rerum diuinarum ſcientiam, quæ catechumenis tradi ſolet, vt in Epiſtola ad Hebræos [e]. *Facti eſtis* (inquit) *quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo: omnis enim* E *qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ; paruulus enim eſt: perfectorum autem eſt ſolidus cibus eorum qui ipſa conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni, & mali.* Imitatur autem Apoſtolus (vt ait Theodoretus) optimum parentem, *qui recens natis infantibus præbet conuenìens nutrimentum;* & vt vult Ambroſius, *quaſi medicus ſpiritualis, ac diuinus vnicuique ſecundùm vires eius tradit, ne per imperfectionem, & imperitiam de rebus ſpiritualibus ſcandalum quis patiatur.* Ita Tertullianus [f]: *Tyrocinium* (ait) *noua, & tum maximè orientis Eccleſiæ, quam lacte ſcilicet educabat, nondum ſolido cibo validioris doctrinæ:* quamquàm ille Apoſtoli verba aliò trahit, & quidem perperam, vt ſuo loco docebo. Hoc ipſum non potuit inficiari Clemens [a] Alexandrinus, qui tamen (vt mox dicam) locum Pauli nonnihil detorquet. *lac* (inquit) *vobis potum dedi, cognitionem dicens vobis infudi, quæ ex catecheſi data eſt, quæ nutrit ad vitam æternam.* Fateor tamen aliter lactis nomine vſum eſſe Petrum [b]: eo enim ſignificat doctrinam Euangelicam, vel vniuerſam, vel eius perfectiſſima capita, vt non ſemel interpretatus eſt B. Auguſtinus [c]: ita etiam accipit Clemens [d] Alexandrinus. *Perfectum* (inquit) *alimentum eſt lac perfectum, & ad finem, qui numquàm eſt ceſſaturus deducit; quocirca in quiete quoque idipſum lac, & mel promittitur. iure enim rurſus iuſtis* B *lac Dominus pollicetur, vt apertè verbum eſſe vtrumque oſtendatur α, & ω, principium, & finem: verbum inquam quod lac allegoricè dicitur. Tale quid Homerus vel inuitus diuinat, iuſtos homines γαλακτοφάγους, hoc eſt qui lacte veſcuntur, appellans.* In eo tamen fallitur, quòd hanc lactis ſignificationem huic loco putat conuenire: quod probat ex Græco verbo *ἐπότισα*, id eſt potum dedi: *Eſt* (inquit) *ſymbolum, & ſignum perfectæ participationis; qui enim perfecti ſunt dicuntur bibere, infantes autem ſugere, ſanguis enim meus* (inquit *Dominus*) *verus eſt potus: num ergo cùm dixit lac potum dedi, ſignificauit perfectam in verbo lacte lætitiam, veritatis ſcilicet cognitionem?* Quod ſequitur apud Apo- II.
ſtolum, *non ſolido cibo; nondum enim poteratis*, refert C ad ſcieotiam, & cognitionem beatorum, quam vocat ſolidum cibum. Sed apertiſſimè conſtat, lactis nomine ſignificari hoc loco prima Chriſtianæ religionis tyrocinia, & doctrinæ rudimenta; ſolidum autem cibum perfectiora, & nobiliora præcepta, vel etiam conſilia. At dixerat Apoſtolus [e], ſe perfectis, hoc eſt baptiſmo expiatis, ita enim interpretati ſumus, ſapientiam tradere: an illa ipſa ſapientia ſuis quaſi gradibus diſtinguitur, aut tribuitur in partes, vt alia rudibus, alia prouectioribus proponenda videantur? Sanè ita luculenter hunc locum explicat Gregorius [f] Nazianzenus: *Quidam enim* (inquit) *lactis alimonia opus habent, hoc eſt ſimplicioribus, & elementaribus doctrinis: nimirum qui puerili animi habitudine ſunt, recénſque (vt ſic dicam) compacti, nec viri-* D *lem ſermonis cibum ferunt, quem ſi quis ipſis præter vires admouerit, eius pondere oppreſſi fortaſſe, atque obruti animo ad id quod tranſmiſſum eſt attrahendum, ſibiqùe accommodandum haud ſatis virium habente, quemadmodum nec corpore in cibis materia conſtantibus, priſtinas etiam eorum vires labefactabit. Alij quòd ſenſus ad verum à falſo internoſcẽdum, ac ſecernendum exercitatos habeant; ac proinde ſapientia ea, quæ inter perfectos exponitur, ſublimiorique, & firmiori cibo indigeant. Si quis lac illis propinet, oleribúſque, hoc eſt infirmorum cibo eos alat, moleſte animo id laturi ſint: ac meritò ſanè, vtpote nihil Chriſtiani roboris colligentes, nec laudabile illud augmentum capientes, quod ſermo diuinus affert, eum qui pulchrè alitur in virum perficiens, atque ad ſpiritualis ætatis menſuram ducens.* quo E loco Elias Cretenſis lac interpretatur ea omnia, quæ in doctrina, tum ad actionem, tum ad dogmata pertinente ſimpliciora ſunt, iiſque qui tam ad virtutem, quæ in actione, quàm ad ſcientiam, quæ in contemplatione ſita eſt, adhuc inſtituuntur apta, & congrua. Itaque Clemens [g] Alexandrinus ait, Paulum lacti III.
oppoſuiſſe ſolidum cibum, vt ſignificet cibum, & lac eiuſdem eſſe ſubſtantiæ, hoc eſt eamdem habere nutriendi vim. *eadémque ratione* (inquit) *verbum, vel eſt remiſſum, laxúmque, aut mite, vt lac: vel concretum, & coactũ, vt cibus. Verum enimuerò ſi ſic acceperimus poterit*

[e] cap. 5. 12.
[f] lib. de Monogam. ca. 11.
[a] lib. 1 Pædag. c. 6. ſic & lib. 5. Strom.
[b] Ep. 1. c. 2. 2.
[c] in Enchir. cap. 11. & tract. 98. in Ioan. & tract. 1. in 1. Canon. Ioan.
[d] lib. 1. Pæd. cap. 6.
[e] cap. ſuperiori.
[f] Orat. 1.
[g] lib. 1. pæd. c. 6.

terit a nobis lac intellige prædicatio , quæ plurimùm eſt diffuſa: cibus autem fides, qua à catecheſi in fundamentum coacta eſt, & conuerſa , quæ cùm ſit auditione ſolidior, cibo aſſimilatur in ipſa anima corpus effecta: Et deinde multa dicit de Euchariſtia, vt non facilè videas quomodo hic filo nectat filum. poſt multa : *natura* (inquit) *ſanguinis eſt fluxus lactis , & fons nutrimenti eſt lac , quo etiam mulier oſtenditur , & verè peperiſſe & eſſe mater:* & mox: *ſi in Chriſto ſumus regenerati, qui nos regenerauit, proprio lacte nutrit, nempe verbo: quidquid enim generauit id, quod generatur alimentum protinus præbere eſt conſentaneum.* Ita videas Clementem plures lactis explicationes afferre, hanc autem, quam modò indicaui , ab hoc loco Apoſtolico non abhorrere. Ait igitur Apoſtolus, *lac vobis potum dedi, non eſcam :* Græcè γάλα ὑμᾶς ἐπότισα ϗ οὐ βρῶμα,
B quo loco videtur Apoſtolus ἀκυρολογίαν neglexiſſe: quis enim potat hominem cibo ? Quocirca Theophylactus hunc enarrans locum addidit, προσήνεγκα, id eſt obtuli , vt hoc referatur ad cibum; ἐπότισα verò ad lac. Alij (vt hanc ſermonis abſurditatem vitarent) ita Latinè reddunt: lactis potu vos alui, & non cibo. Subdit: *Nondum enim poteratis, ſed nec nunc quidem poteſtis.* Aliquid neceſſariò ſubaudiendum eſt: quaſi dicat , non poteratis ſolido cibo veſci , ac ne nunc quidem poteſtis. Perſtat autem Apoſtolus in metaphora ; nequeunt enim infantes ſolidiorem eſcam comminuere, neque concoquere, atque idcirco ex ea nō modò nullum perciperent emolumentum, ſed fortaſſe etiam perniciem, & interitum.

3. I. C ADHVC ENIM CARNALES ESTIS, &c. Ex his perſpicuè apparet eoſdem eſſe apud Apoſtolum hoc loco infantes, & carnales. Perſtringit autem vehementer eorum temeritatem , qui querebantur non ſe dudum audiſſe quæ decent perfectos, & eos qui iam in Chriſtianæ virtutis ſtudio magnos habent progreſſus , cùm ne tunc quidem ad ea percipienda ſatis idonei viderentur. Obſeruat autem Chryſoſtomus non obieciſſe Paulum intemperantiam , impuram libidinem, & inceſtum , quibus eos admodùm eſſe carnales apertiſſimè probare poterat: id enim nunc non agit , ſed ab iis leuioribus argumentatur , quæ primùm cupiebat ab eorum animis euellere , quod hoc faciliùs initio præſertim Epiſtolæ, ac libentius eſſent audituri; cùm id potiſſi-
D mùm ſpectaret, vt eorum diſſenſiones, litéſque cōponeret. Opportunè autem colligit Chryſoſtomus. *Si zelus facit carnales , reſtat iam vt omnes valdè eiulent, & ſaccum induant, & cinerem ſubſternant: quis enim eſt liber ab hac animi perturbatione? niſi ex me, de aliis quoque coniecturam facio. Si zelus facit carnales, & non ſinit eſſe ſpirituales , etiam ſi prophetent , & alia faciāt mirabilia, quando nec tanta adfuerit gratia , quónam in loco noſtra collocabimus , cùm non eo ſolo , ſed aliis etiam eo maioribus ſumus constricti ?* Eadem ratione rectè colligit omnes animi perturbationes mirum in modum veritatem infuſcare , & tenebris quodammodò inuoluere : quocirca omnibus animi
II. morbis , atque ægritudinibus oportere vacuum , & liberum eſſe eum, *qui venaturus eſt veritatem.* Porro
E zelus Græca vox eſt, quæ in ſacris litteris admodum videtur ambigua : nam interdum ſignificat laudabile, atque honeſtum ſtudium , quo quis alterius virtutis imitandæ , aut etiam ſuperandæ accenditur : ita hac ipſa Epiſtola [a] : *Æmulamini charismata meliora.* ζηλοῦτε δὲ, rurſus [b] : *Æmulamini ſpiritualia* , ζηλοῦτε. paulò pòſt. *Æmulatores eſtis ſpirituum*, ζηλωταί : ſub finem capitis. *Æmulamini prophetare*, ζηλοῦτε τὸ προφητεύειν. Et in altera Epiſtola [c] : *Veſtra æmulatio prouocauit plurimos*; ζῆλος. Et ad Galatas [d]. *Bonum autem æmulamini*, ζηλοῦτε: ad Titum [e] verò: *Sectatorem bonorum operum* , ζηλωτήν aliàs ſanctam quamdam zelotypiam, quæ nō à cuiuſuis, ſed ab eorum amore duntaxar proficiſcitur, quos non noſtri, ſed ipſorum cauſa diligimus. *Æmulor* [a] *enim vos Dei æmulatione.* ζηλῶ γὰρ ὑμᾶς ζήλῳ Θεοῦ: nonnunquam amorem ſui , cui ſancta illa zelotypia prætexitur. In Epiſtola ad Galatas [b]. *Æmulantur vos non benè, ſed excludere vos volunt, vt illos æmulemini.* ζηλοῦσι, & ζηλοῦτε. Quamquàm poſteriori loco ſignificare videtur ſtudiū imitandi, quaſi dicat , illi ſimulāt eximium quemdam in vos amorem , ac zelotypiam, cùm tamen nihil quærant aliud, niſi vt vos habeant diſcipulos, & ſectatores: aliquando animi quemdam æſtum , qui oritur ex indignatione ex iis concepta, quæ indignè fiunt aduerſus eum quem amamus , vel aduerſus homines nobis caros, atque cōiunctos. *Veſtram* [c] *æmulationem pro me*, ζῆλον: & ad Coloſſenſes [d]. *Habent multum laborem pro vobis:* Græcè ζῆλον. Nonnumquam zelus reſpicit Deum, & interdum quidem commendatur, vt in poſteriori ad Corinthios [e]: *Sed indignationem* , ζῆλον: & in Apocalypſi [f] : *Æmulare ergo, & pœnitentiam age*, ζήλωσον οὖν, ϗ μετανόησον: nōnunquam verò reprehenditur , vt in Epiſtola ad Romanos [g] : *zelum Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam:* ad Philippenſes [h]. *Secundùm æmulationem perſequens Eccleſiam Dei.* κατὰ ζῆλον. ad Galatas [i] : *Abundantiùs æmulator exiſtens*, ζηλωτὴς: in Actis [k] Apoſtolicis: *Æmulatores ſunt legis*, ζηλωταὶ τοῦ νόμου: rurſus [l] æmulator legis. ζηλωτὴς. hinc metaphoricè ad Hebræos dixit Apoſtolus [m]: *Ignis æmulationem* , vbi Græcè eſt vox ζῆλος. Atque hæc quidem de zelo , cùm in bonam partem accipitur , at non rarò in malam partem, liuorem, & inuidiam ſonat, vt ſæpè in Actis [n] Apoſtolicis. *Repleti ſunt zelo*: rurſus [o]. *Patriarchæ æmulantes Ioſeph.* ζηλώσαντες: & [p] *videntes autem turbas Iudæi repleti ſunt zelo* : eadémque ratione [q] : *Zelantes autem Iudæi.* denique ad Romanos [r]: *Non in contentione, & æmulatione.* ζήλῳ. Hoc igitur loco *cùm ſit inter vos zelus* , liuorem , atque inuidiam ſignificat: & eadem hac [s] Epiſtola. *Caritas non æmulatur.* οὐ ζηλοῖ. & in ſequenti [t] Epiſtola, itémque ad Galatas [u]. accipio æmulationes eodem ſenſu , quo & Iacobus [x] dixit : *Vbi zelus , & contentio.* Vox item Hebræa, de qua Hieronymus [y], eamdem fermè apud illos vim habet , & vſum ; eſt enim indignatio quædam ex amore profecta, quam noſter interpres interdum zelum, interdum æmulationem reddit. Sic Ioel [z] Propheta. *Zelatus eſt Dominus terram ſuam*; quam videlicet viderat ab hoſtibus durè tractari : Et [a] Sophonias : *In igne zeli eius deuorabitur omnis terra* : eódemque modo Dauid [b]: *Accendetur velut ignis zelus tuus* : porrò Zacharias [c]. *Zelatus ſum Hieruſalem & Sion zelo magno.* Sic etiam Nahum [d]. *Deus æmulator, & vlciſcens Dominus*: in libro etiam Numerorum [e]. *Quid æmularis* (ait Moſes) *pro me?* vbi eſt eadem vox Hebræa. Quod autem legitur apud Ezechielem [f]; *Idolum zeli* , Hieronymus interpretatur ſtatuam Baal, quia ad æmulationem, & zelum Dominum prouocabat , iuxta illud, quod eſt in Deuteronomio [g]. *Ipſi me prouocauerunt ad zelum in eo, qui non erat Deus, & ego prouocabo eos ad zelum in gente , qua non eſt.* quamquàm non ignoro , Hebræam vocem aliter à Septuaginta reddi. Itaque zelum hoc loco pro liuore , & inuidia ponit Apoſtolus , quod ſæpe etiam accidit apud prophanos auctores. Græci porrò codices habent ζῆλος, ϗ ἔρις, ϗ διχοστασίαι, id eſt, *æmulatio, contentio, factiones : vt zelus* quidem referatur ad inuidiam , & liuorem, *contentio* verò ad iram, & verborum pugnas, *factiones* denique ad ſeditiones , & ſchiſmata. Inde colligit Apoſtolus Corinthios eſſe carnales. *Nonne* (inquit) *carnales eſtis?* Ità-ne verò carnales erant omnes etiam illi, ad quos

III.

Marginal notes: a ſup. 12. 31. b cap. 14. 1. c 2. Cor. 9. 2. d cap. 4. 18. e cap. 2. 14. — a 2. Cor. 11. 2. b cap. 4. 17. c 2. Cor. 7. 7. d cap. 4. 13. e cap. 7. 11. f cap. 3. 19. g cap. 10. 2. h cap. 3. 6. i cap. 1. 14. k cap. 21. 20. l cap. 22. 3. m cap. 10. 27. n cap. 5. 17. o 7. 9. p 13. 45. q 17. 5. r cap. 13. 13. s cap. 13. 4. t 2. ad Cor. 12. 20. u cap. 5. 20. x cap. 3. 16. y Ezech. 8. z cap. 2. 18. a cap. 1. 18. b Pſal. 78. 5. c cap. 8. 14. d cap. 1. 2. e cap. 11. 29. f cap. 8. 5. g cap. 32. 21.

pertinent illa, quæ ſunt initio Epiſtolæ: *In omnibus* A
diuites facti eſtis in omni verbo? an hæc pertinent ad
paucos, vt etiam illa? an ea, vt dictum eſt de gratiis,
quas vocant gratis datas, intelligi oporteret? an deni-
que hæc non pugnant, vt non aduerſantur Eccle-
ſiam eſſe ſanctam, & in illa tamen viuere multos
ſceleribus coopertos? ita potuit Eccleſia Corinthio-
rum à Spiritus ſancti muneribus commendari, quòd
non pauci iis affluerent, nec falsò carnalis appellari;
quod plerique in partes, ac factiones diſciſſi eſſent.
Addit: *Et ſecundum hominem ambulatis.* κατὰ ἄνθρω-
πον. explicuimus in paraphraſi quid hoc loco ſit, ſe-
cundum hominem incedere; hoc eſt humano ad-
huc iudicio, & quodammodo carnali agi, ac moueri.
Alias videtur ea ratione dicendi Paulus declinare
a cap. 3. 32. inuidiam, vt hac ipſa [a] Epiſtola. *Si ſecundum hominem* B
ad beſtias pugnaui: aliàs ſuſpicionem blaſphemiæ, vt
b cap. 3. 6. ad Romanos [b]: *Numquid iniquus eſt Deus, qui infert*
iram? ſecundùm hominem dico: non rarò ſignificat ſe
docendi cauſa aliquid proferre, de communi homi-
c cap. 3. 15. num vſu, & quaſi de medio petitum, vt ad Galatas [c]:
Fratres ſecundum hominem dico: interdùm indicat pu-
gnam, quæ eſt inter hominum doctrinam, & Dei
d cap. 9. 8. auctoritaté; ſic infrà [d]. *Numquid ſecundum hominem*
e cap. 1. 11. *hoc dico?* Et ad Galatas [e]. *Euãgelium, quod euangeliza-*
tum eſt, non eſt ſecundũ hominem. ita hoc loco: *Secun-*
dum hominem ambulare, eſt humano ſenſu duci, ſalu-
taribus Chriſtianæ doctrinæ præceptis neglectis.

CVM ENIM QVIS DICAT; EGO QVI-
I. DEM, &c. Immoratio eſt, & planior eiuſdem rei ex-
plicatio. Dixerat, inter illos eſſe zelum, & conten- C
tionem, id planiùs explicat ipſas indicans factiones,
cùm alij ſe Pauli ſectatores iactarent, alij ſe Apollo
magis addictos eſſe profiterentur. Quod non per-
inde accipiendum eſt quaſi alterum alteri, vel ſa-
pientia, vel dicendi facultate præferrent, neque enim
id tantoperè Apoſtolus reprehendendum putaret;
ſed ex hac veluti ſectione indignationes, & conten-
tiones oriebantur, quod cùm Chriſtiana caritate ma-
ximè pugnat. Nonnulli verò Latini codices habent.
Nónne homines eſtis? ita legunt Ambroſius & Hie-
ronymus: ita etiam legiſſe videtur interpres Theo-
doreti: itáque habet Romana editio. Græci codices,
qui nunc vulgò circumferuntur, habent οὐχὶ σαρκικοὶ
ἐστέ, hoc eſt: nónne carnales eſtis? ſed vtroque modo
eadem ſententia conſtat: quemadmodum enim pau- D
lò antè dixit: *Ambulare ſecundum hominem*, ſignifi-
cans humanam imbecillitatem; ita etiam nunc car-
nales, ſeu homines appellat, hoc eſt rebus humanis,
f Pſal. 4. 1. ac terrenis addictos. Sic Dauid [f]: *filij hominum vſque*
quò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis
g Matt. 16. 23 *mendacium?* Et Chriſtus [g] ipſe: *Non ſapis ea, quæ Dei*
ſunt, ſed quæ hominum: illos igitur homines dicit (ſi
hos codices ſequamur) vt molliùs feriat, ne iterum
repetat acerbiorem vocem. *carnales eſtis*, & quo-
dammodò explicat, quod dixerat, *ſecundum hominem*
ambulatis. *Etenim* (vt ait Ambroſius) *ſicut glorians*
in Deo, & de ipſo omnem gratiam ſperantes, Dij dicun-
tur a Deo adoptati; ita & in homine gloriantes, & ho-
mines, & carnales dicuntur ſententia Dei concluſi, qui
h Pſal. 81. 7 *ait. Ego dixi* [h], *Dij eſtis; vos autem ſicut homines morie-* E
mini. Obſeruat autem idem Ambroſius poſuiſſe
Paulum primo loco ſuum nomen, ne fortè putaretur
per inuidiam perſonas perſtringere: interim oſten-
dit, pertinere id ad maximam Dei contumeliam,
Quando (inquit) *Deo prædicato gloria datur hominibus:*
quid ergo ait minùs eſt à gentilitate, dum adhuc aliquid
de hominibus ſperatur? Perſtat autem Theodoretus in
ſua ſententia, & Pauli, atque Apollo nomina exem-
pli ſolummodò cauſa poſita eſſe exiſtimat; de qua
i cap. 1. tamen re plura diximus ſuprà [i].

QVID IGITVR EST APOLLO, &c. 5.
Paulatim morbi cauſam indicat; non enim (vt paulò I.
antè dixi) de miniſtrorum dignitate, vt ſæpè fit, con-
tentio erat; ſed ſpes ſuas Corinthij in ſuo quique ma-
giſtro collocabant, vt penè à Chriſto deficere vide-
rentur: quamobrem rectè quærit Apoſtolus, quid-
nam ſit Paulus, quid verò Apollo, vt iis quamuis
ſummis Apoſtolis, & Euangelij præconibus tantum
tribuendum videatur. Græci codices etiam hoc loco
priùs nominant Paulum, deinde Apollo: contrà ve-
rò Latini: id verò ad rem ipſam nihil pertinet, niſi
quod veriſimilius eſt retinuiſſe Apoſtolum eun-
dem ordinem, quem ſuperiùs poſuerat. Explicare
autem incipit hoc loco, quænam ſint miniſtri par-
tes, *miniſtri* (inquit) *eius, cui credidiſtis.* & quidem vo-
cat eos miniſtros, Græcè διάκονοι, vt quod ait Theo-
doretus alium indicet eſſe Dominum, à quo ſalus,
bonáque omnia ſperanda, atque expectanda ſint:
quod quidem (vt monet Chryſoſtomus) *per ſe ma-*
gnum eſt, & non exigua mercede dignum, ſed ſi referã-
tur ad exemplar, & ipſum bonorum fontem, nihil planè
cenſeri debet: non enim qui bona miniſtrat, ſed qui ea
præbet, & donat, is eſt, qui beneficio afficit. Mox verò
idem monet Chryſoſtomus non dixiſſe Paulum
Euangeliſtas, ſed miniſtros, perinde quaſi non ſo-
lùm Euangelium promulgarint, ſed alia etiam ad
Corinthiorum vtilitatem non pauca præſtiterint.
Quomodo etiam in Epiſtola ad Romanos [a] Chri- a cap. 15. 8.
ſtum vocat circumciſionis miniſtrum, quia non mo-
dò Hebræos docuit, ſed plurimis beneficiis ornauit,
vt miniſtri nomen latius pateat, & plura complecta-
tur, quàm nomen Euangeliſtæ; *hoc enim* ait Chryſo-
ſtomus, *ſolùm eſt ſermonis, illud verò etiam facti.* Se-
quitur in Latinis codicibus. *Eius cui credidiſtis*, vt re- II.
feratur ad Chriſtum, in quo ſpem omnem locandam
eſſe inſinuat. Græci autem codices habent δι' ὧν ἐπι-
στεύσατε, hoc eſt *per quos credidiſtis*; vt miniſtrorum
operam indicet. non illi quidem vos ad finem ad-
duxerunt; ſed quæ credenda eſſent ſimpliciter pro-
poſuerunt, fidem verò Deus ipſe cœlitus in animos
indidit. Latini tamen codices conſtanter habent, *mi-*
niſtri eius, cui credidiſtis. Sed quæ ſequuntur magis
fauent Græcis codicibus. *Vnicuique* (inquit) *ſicut Do-*
minus dedit. Quaſi dicat: miniſtri pro ſua quique vi-
rili, próque ea facultate, quam diuinitùs acceperunt,
in Euangelica doctrina tradenda laborarunt: ita etiã
locutus eſt in Epiſtola ad Romanos [b]. *Et vnicuique* b cap. 12. 3.
ſicut diuiſit Deus menſuram fidei: ita indicat nihil ha-
bere miniſtros, quo poſſint ipſi gloriari, cum omnia,
quæ habent Deo ſint accepta referenda: quocirca
qui plus tribuunt miniſtris, quàm eorum muneris
ratio poſtulet, plurimùm Deo detrahunt, quem par
eſt bonorum omnium auctorem, & agnoſci, & præ-
dicari. Cæterùm, quod Latini codices habent. *Quid*
igitur eſt Paulus, aut Apollo? Græci habent τίς, hoc
eſt *quis*, nihilo mutato ſenſu: ſed Latinorum codi-
cum lectio acrior eſt, ac vehementior.

EGO PLANTAVI, APOLLO RIGAVIT, &c. 6.
Miniſtrorum munera diſtinguit, ſumpta metaphora I.
ab agricolis, quorum munus eſt plantare, & irrigare.
Quomodò autem hæc Euangelicæ doctrinæ apten-
tur, hunc in modum explicat Ambroſius: *Plantare eſt*
euangelizare, & ad fidem attrahere: rigare verò bapti-
zare ſolemnibus verbis; peccata autem dimittere, & ſpi-
ritum dare, Dei ſolius. *Si ergo effectum ſalutis Deus*
dat, nulla gloria in hac re, hominis eſt. Sed quamquam
id verè vtcumque dicitur; non puto tamen huic lo-
co aptari commodè poſſe: neque enim Apollo ba-
ptizandi munere duntaxat functus erat; ſed potius
non ſine eloquentiæ laude, Euangelium promulga-
uerat. Itaque Chryſoſtomus, Theodoretus, & Hiero-
nymus

oymus plantare, & rigare ad prædicandi munus referunt: ſed quia priùs plantare oportet, quàm rigare, Paulus, qui Euangelicæ doctrinæ prima iecerat fundamenta, rectè plantaſſe dicitur, Apollo autem, qui iam fidei præceptis imbutos morum diſciplina informauit, irrigaſſe quodammodò videtur. Vtitur frequenter Auguſtinus hoc Apoſtoli teſtimonio aduerſus Pelagianos, vt doceat præter externã doctrinam, neceſſariam eſſe cœleſtis gratiæ vim, quæ intus animum moueat, ac pertrahat ad fidem, atque ad omne virtutis ſtudium promoueat: quod proculdubio, hoc de agricultura ſumptum exemplum mirificè illuſtrat; vt enim multum ſudet, & laboret agricola; nihil tameo efficit, niſi ſolum cœleſti imbre fœcundatum, & ſolis calore vegetatum vim concipiat, qua plantis ſuccum, & incrementum ſuppeditet. Si igitur labor, & induſtria agricolæ cum ſolis, cœlique actione conferatur, longè proculdubio inferior cenſenda eſt; atque ita quidquid diuini verbi miniſtri moliuntur & efficiunt, in nihilum planè recidit, niſi diuinæ gratiæ præſidio roboretur, ac vegetetur: quamobrem rectè colligit Apoſtolus.

7. I. ITAQVE NEQVE QVI PLANTAT EST ALIQVID, &c. Monet Chryſoſtomus hæc, quæ potuiſſent alios miniſtros non leuiter pungere, reddi leuiora quòd ſe primo loco Paulus nominarit: Ego (inquit) qui plantaui nihil planè ſum. Eſt autem proculdubio hyperbole, cùm re vera miniſtri opera non ſit penitùs ſuperuacanea. Quamuis enim (vt ait Ambroſius) interdum Spiritus ſanctus abſque vllius miniſtri opera animum excitet, vt fidem concipiat, & gratiam, ac iuſtitiam conſequatur; vt plurimum tamen neceſſe eſt Euangelium promulgari: ita enim indicat Paulus in Epiſtola ad Romanos [a]. *Quomodo ergo inuocabunt in quem non crediderunt? aut quomodò credent ei, quem non audierunt?* quocirca ipſis interdum miniſtris tribuuntur illa, quæ ipſorum opera, gratiæ beneficio peraguntur, atque ita Paulus [b] ipſe, Corinthios his verbis affatur. *In Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui.* Et ad Galatas [c] ſcribit: *Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Chriſtus in vobis*; miniſtris tribuit procreationem liberorum, quæ tamen eſt propria Dei, de quo ſcribit Iacobus [d]. *Voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius*: eadémque ratione ad Timotheum ſcribit Apoſtolus [e]. *Attende tibi, & doctrinæ, inſta in illis, hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.* Atqui ſalus ab vno Deo pendet; tribuitur tamen miniſtris, quorum conatus diuina gratia promouet, & eos præcurrit, comitatur, & ſubſequitur, vt copioſiùs ſuo loco docebo. Meritò tamen ait, tam qui plantat, quàm qui rigat nihil eſſe, quia (vt ait Theodoretus) niſi Deus adiuuet, & opituletur, noſter labor eſt inanis: quod illuſtri exemplo ex Actis [f] Apoſtolicis pento confirmat Auguſtinus [g], ita enim ſcribit Lucas: *Die autem ſabbatorum egreſſi ſumus foras portam iuxta flumen, vbi videbatur oratio eſſe, & ſedentes loquebamur mulieribus quæ conuenerant, & quædam mulier nomine Lydia purpuraria Thyatirenorum colens Deum audiuit: huius Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo:* dum igitur Paulus verba faceret intus in animo Lydiæ purpurariæ ſanctus Spiritus egit, ſuáque diuina vi eam docilem reddidit, & obſequẽtem: eam ob cauſam rectè dixit Hieronymus: *Niſi Deus incrementum dederit, ſine cauſa laboramus, nos mercenarij ſumus in alieno agro, alienis vtimur ferramentis, nihil habemus proprium, niſi mercedem noſtri laboris.* Obſeruat autem Chryſoſtomus, hanc Pauli orationem mirum in modum valere ad Corinthiorum animos leniendos; qui enim

a cap.10.14.
b ſuprà 4.15.
c cap.4.19.
d cap.1.18.
e 1.cap.4.16.
f cap.16.14.
g li.de præd. ſanct.c.20.

A ſe vſque adeo deiicit, quique de ſuis conatibus tam demiſſe & ſentit, & loquitur; planè oſtendit animum ab humanæ laudis, & gloriæ cupiditate alienum: atque ita indicat, non ſe aliorum gloriam imminuere, vt quidquam ſibi arroget.

8. I. QVI AVTEM PLANTAT, ET QVI RIGAT, &c. Valdè appoſitè hæc addit Apoſtolus: potuiſſent enim reſpondere Corinthij, ſe quidem agnoſcere Paulum, & Apollo, cæteróſque eiuſdem ordinis diuini verbi præcones nihil eſſe aliud, quàm Euangelij miniſtros, ſed tamen non exiguum apparere inter illos diſcrimen, & alium plura poſſe, atque adeò efficere, quàm alium, at præuertens Apoſtolus, omnes (inquit) miniſtri, qua miniſtri ſunt, in idem planè conueniunt: eodem omnes labores, B conatúſque ſuos dirigunt: id autem ex eo colligit Chryſoſtomus, quòd nihil poſſunt abſque Deo, qui dat incrementum: & in eamdem ſenrentiam Theodoretus. *Vnum* (inquit) *ſunt, quatenus alteri ſubſeruiunt; ambo enim ſeruiunt diuinæ altitudini.* Neque aliter Ambroſius: *Vnum ſunt, quia ambo mercenarij ſunt, quamuis diuerſa ſint illorum officia: omnes videlicet alienum negotium agunt, nemo ſuum.* Ex quo ſequitur, quod maximè cupit Apoſtolus, non eſſe inhærendum perſonis. Quòd ſi hac noſtra tempeſtate animaduerterent Religioſi ordines, quamuis nominibus, cæremoniis, inſtitutis maximè inter ſe diuerſi, non tam multas inter ſe quotidie lites, & concertationes excitarent, & incredibili ſtudio, atque contentione promouerent: omnes enim re vera C vnum ſunt, vnum, atque eumdem Dominum colunt: eiuſdem fidem, ac religionem promouent; omnes denique ſuam, cæterorúmque mortalium ſalutem procurant. Paulus igitur, omnes miniſtros vnum eſſe docet, ne ab iis velut auctoribus quiſquam ſibi cognomentum aſciſcere, & factiones audeat excitare. *Vnuſquiſque autem* (ait) *propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem.* Ne quis II.
putaret, quia dixerat, miniſtros eſſe vnum, vnam item eſſe omnium mercedem, & præmium, non hoc (inquit) dico vnum ſunt ſi ſpectemus Deum, cui ſeruiunt, ſi finem, quem quærunt, id eſt mortalium ſalutem: ſed non idem eſt omnium labor, non eadem ſedulitas, ac diligentia, atque idcirco non idem erit præmium, ſed cuiuſque labori proprius, D ac ſuus reſpondebit fructus. Obſeruat autem Theodoretus, non temerè dixiſſe Apoſtolum, *Secundum ſuum laborem, iuſtus enim iudex non opus, ſed laborem reſpicit*: laborem autem intelligo niſum, & conatum voluntatis, & caritatis impulſum: inde enim Theologi augeri potius meritum docent, quàm ex operis dignitate, vt alibi fuſiùs explico: quamquàm ipſa etiam operis dignitas magnopere ſpectatur, ſuámque vim merendi habet, vt hoc loco monet Ambroſius: *Quia maior* (inquit) *eſt qui euangelizat, quàm qui baptizat, ideo diſcreuit mercedes illorum.* Neque verò hoc pugnat cum Euangelica [a] parabola, in qua E vnus, atque idem diurnus denarius omnibus perſoluitur, quorum tamen diſſimilis, ac penitùs inæqualis fuerat labor. is enim denarius eſſentialem, quam vocant, beatitudinem ſignificat, quæ in vnius Dei contemplatione poſita eſt: ſed in illa ipſa beatitudine plures eſſe gradus inficiari non poſſumus; nam ob id dixiſſe videtur Chriſtus apud Ioannem [b]: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.*

a Math.20.8.
b cap 14.2.

9. I. DEI ENIM SVMVS ADIVTORES, &c. Quos vocauerat miniſtros, nunc vocat adiutores, qui Græcè dicuntur συνεργοὶ. non eget Deus hominum opera; quis hoc non videt? Sunt tamen ipſius miniſtri verè συνεργοὶ, quia eum agente, ac perficiente Deo ipſi etiam verè agunt, quamuis aliquid

ſit in nobis, quod à ſolo Deo perficiatur: nam (vt ex Auguſtino) docent Patres [a] Concilij Arauſicani. *Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nihil autem boni facit homo, quod non facit Deus, vt faciat homo.* Monet autem Chryſoſtomus, hæc idcirco à Paulo commemorari, vt eorum, qui docent, ac præſunt Eccleſiæ tueatur auctoritatem, quam penitùs infringere, ac labefactare viſus erat, cùm dixit, nihil eſſe eum, qui plantat, aut qui rigat: nunc addit, eos aliquid efficere; nituntur enim perſuadere Chriſtianam fidem, & ob eam cauſam non exiguos labores ſuſcipiunt. Theodoretus hinc Arrium, & Eunomium confutari poſſe monet, *qui ne filium quidem συνεργὸν appellari poſſe concedunt; ſed ὑπουργὸν, hoc eſt ſubſeruientem, ſeu ſuboperantem nominant; diuinus autem Apoſtolus etiam veritatis prædicatores Dei coadiutores, & cooperatores appellat, ſed verbum quidem Patri cooperatur tanquàm filius eiuſdem prorſus naturæ poteſtatis, & actionis particeps: miniſtri verò tanquàm ſerui, qui diuino imperio, & voluntati obtemperant.* Ita Dionyſius [b]: *vniuſcuiuſque enim* (inquit) *eorum, qui in hierarchia cooptati ſunt, in eo poſita perfectio eſt, vt pro ſua quiſque virili parte ad Dei imitationem contendat, & id quo nihil diuinius eſt, Dei, vt ſacra ſcriptura loquitur, fiat adiutor, diuinámque in ſe actionem quantùm poteſt oſtendat.* Ambroſius legit: *Dei enim ſumus operis adiutores*: refert autem id ad Apoſtolorum perſonam, *quos conſtat* (inquit) *Dei eſſe adiutores, quia vicarij ſunt Chriſti.* Sed proculdubio ad omnes Dei verbi miniſtros pertinēt; qui (vt ait Hieronymus) *non in potentia, ſed in verbo adiuuant, vt Dei ager colatur & templum extruatur.* Subdit: *Dei agri-*

11. *cultura eſtis*: græcè γεώργιον, quaſi dicat agricolatio: id enim ſignificat in quo excolendo laborat agricola. Rectè autem animus aruo comparatur, virtutes, ac dona herbis, aut ſeminibus, quæ in agro bene culto, ac ſubacto plantantur, aut ſeruntur: ſic illa in canticis [c] horto comparatur. *Hortus* (inquit) *concluſus, fons ſignatus.* Hac autem comparatione docet Chryſoſtomus, inſinuare Apoſtolum non licere Corinthiis ab agricolis nomen, & appellationem trahere, ſed à Deo, cuius illi ſunt miniſtri. Non enim ager dicitur eſſe agricolæ, ſed patrisfamilias: ita etiam ædificatio non eſt architecti, ſed domini. Addit. *Dei ædificatio.* Vnde colligit Chryſoſtomus tacitè commendari vnionem, atque concordiam. *Si autem* (inquit) *eſtis ædificatio, non oportet eſſe diuulſos: nam non fuerit hoc ædificatio, ſi eſtis agricultura, nō oportet diuidi, ſed muniri vna ſæpe concordia.* ad hanc metaphoram deſumptam ab agricultura ſæpè alluſit Cyprianus [d]: ſed illa videntur perelegantet dicta. *Floribus eius nec lilia, nec roſæ deſunt.* Ædificij porro metaphoram omnium primus videtur propoſuiſſe Chriſtus, qui apud Matthæum [e] dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Et Petrus [f], non aliter ac Paulus: *& ipſi* (inquit) *tanquàm lapides viui ſuperædificamini, domus ſpiritualis*: & alicubi Ambroſius [g] ait, idem fuiſſe ſignificatum in domo illa euāgelica [h], *quæ ædificata eſt ſuper petram, & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit; fundata enim erat ſuper petram.* Quamobrem rectè ex his Apoſtoli verbis colligimus, Apoſtolos, & qui Apoſtolorum munere funguntur, agricolis, atque architectis eſſe perſimiles: ita Chriſtus, apud Matthæum [i] Eccleſiam vineæ, eius verò præſides agricolis comparauit, à quibus Deus tanquam paterfamilias fructus exigit.

10.
I. SECVNDVM GRATIAM DEI, QVÆ DATA EST MIHI, &c. Prætermiſſa metaphora deſumpta ab agricultura perſequitur eam, quæ ducta eſt ab ædificiis. Vt autem Pauli ſententia planiùs intelligatur, fingendum eſt duos architectos, duas domos, aut ædificia extruere, alterum quidem prudenter ex pretioſa firmáque materia, quæ igni reſiſtat; alterum verò ex vili, ac fragili, quæ facilè ignem concipiat: illam ſignificat nomine auri, argenti, ac lapidum pretioſorum; alteram verò per lignum, fœnum, ſtipulam: ſi vtrique domui admoueatur ignis, prior quidem domus illæſa permanet, poſterior igne abſumetur. hac igitur poſita ſimilitudine, *Secundum* (inquit) *gratiam Dei, quæ data eſt mihi.* Prudenter omnino, vt Chryſoſtomus, Theodoretus, Ambroſius, Hieronymus, aliíque penè omnes obſeruant, gratiam ſibi datam commemorat, ne iactantiæ crimen incurrat, vt qui mox ſapientem architectum ſe nominet. Non inficior (inquit) me quaſi gnarum, & peritum architectum, firmum, ac ſtabile in vobis Chriſtianæ doctrinæ ieciſſe fundamentum; ſed quidquid ego conatus ſum, aut perfeci, diuinæ gratiæ tribuendum eſt: illa mihi ſcientiam, ac prudentiam impertiuit: illa ſuffecit vires: illa denique opus inchoauit, & perfecit, ego miniſtri operam non ſubduxi. Monet autem Chryſoſtomus, dum Paulus fundamentum nominat, eos tacitè vnionis, & concordiæ commonefacere, qui debeant omnes vni, atque eidem fundamento inhærere. Theodoretus fundamentum perinde accipit, ac ſi dicat ſe omnium primum Corinthiis Chriſti Euangelium promulgaſſe. *Alius autem* (inquit) *ſuperædificat.* Tacitè 12.
Corinthiorum magiſtros, & concionatores perſtringit, quòd curioſa potiùs, & humanas argutias conſectarentur, quàm ea, quæ diuinæ ſapientiæ conſentanea eſſent, vt planiùs docebit infrà. *Alius* (inquit) *ſuperædificat.* Quiſquis ille ſit, qui poſt meum diſceſſum ad vos venit, vt vos in Chriſtiana fide, doctrináque erudiret; is (inquam) quia fidei non aduerſatur, rectè dicit ſuperædificare: addit enim ſua ad ea, quæ à me dicta ſunt, *vnuſquiſque autem videat quomodò ſuperædificet.* Quicumque apud vos de rebus diuinis verba facit, etiam, atque etiam videat quid loquatur, quam docendi rationem ſequatur, quid denique iacto fundamento ſuperimponat. Quamuis autem hæc non exiguam Apoſtoli laudem contineant, videntur tamen neceſſariò, & non ſine magnæ modeſtiæ laude dicta: neceſſariò quidem propter ea, quæ deinceps dicturus eſt, modeſtè autem, quia (vt dixi) diuinæ gratiæ omnia tribuit. Quod etiam capite ſuperiori ſignificauerat cùm dixit: *Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis*: Fatetur enim, ſe diuinitus accepiſſe diuinorum myſteriorum ſcientiam, qua fretus, ſe quaſi ſapientem architectum fundamentum poſuiſſe narrat; cui quoniam alios ait ſuperædificaſſe, non obſcurè ſignificat, quod ait Ambroſius, eos retenta fide, Chriſtianæque doctrinæ veritate curioſa fortaſſe, & nonnihil aliena protuliſſe in medium, ex quibus diſſidia, & contentiones ortum habuerint. Itaque ait videndum eſſe cuique quánam ratione ſuo munere fungatur, vt vel hinc appareat non hæreticos modò, & Chriſtianæ doctrinæ corruptores meritò eſſe reprehendendos, ac damnandos; ſed eos etiam, qui tametſi cum ſana doctrina non pugnant, diſſenſionum tamen ſemina iactant; quod planiùs ex iis, quæ conſequuntur, intelligi poterit.

FVNDAMENTVM ENIM ALIVD NEMO 11.
POTEST, &c. Apparet Apoſtolum de iis agere, I.
qui rectam de Chriſto fidem retinebant: hoc enim vocat fundamentum, cui reliquum ædificium imponitur, Chryſoſtomus, & Theophylactus, fundamenti

[a] Conc. Arauſic. 2. cap. 20.
[b] de Cœleſt. hierar. cap. 1.
[c] cap. 4. 12.
[d] epiſt. 9.
[e] cap. 16. 18.
[f] ep. 1. c. 2. 5.
[g] tract. de 42. manſion. mā. 28
[h] Matth. 7. 25.
[i] cap. 21. 33.

damenti nomine intelligunt fidem, ſed informem: alij fidem viuam. ſed quomodò huic fundamento ſuperextruatur aurum, argentum, lapides pretioſi, lignum, fœnum, ſtipula aliter, atque aliter explicatur, vt paulò pòſt docebo: verùm quod attinet ad fundamentum, non eſt dubium intelligi Chriſtum, quem Apoſtolus prædicauerat, ideſt fidem, ac doctrinam Euangelicam, quæ eſt fundamentum totius ædificij ſpiritualis. Cæterùm hæc Pauli ſententia viſa eſt Auguſtino[a] adeo difficilis, vt non auderet

a de fide & oper. c. 15.

ipſe dicere, quid de illa exiſtimaret; ſic enim alicubi ſcribit: *Hæc ſententia in his deputanda eſt quæ Petrus dicit eſſe in ſcriptis eius quædam difficilia intellectu, quæ non debent homines peruertere ad proprium ſuum interitum.* & poſt nonnulla[b]: *Hic à me fortaſſe quæratur de*

b cap. 16.

ipſa Pauli Apoſtoli ſententia, quid ego ſentiam, & quonam modo intelligendam putem, fateor hic me malle audire intelligentiores, atque doctiores: alibi verò[c]; *Dicam*

c ad Dulcitium q. 1.

(inquit) *quàm breuiſſimè potero etiam ipſe quid ſentiam de illa ſententia Pauli Apoſtoli ad intelligendum difficili, dummodò illud, quod ad meam profeſſionem attinet, præcipuè teneatur, quòd de hac me malle dixi audire meliores:* & oſtendit Chriſtum dici fundamentũ, ideſt fidem Chriſti, quæ per dilectionem operatur, cui tamẽ fundamento non videtur poſſe ſuperædificari lignum, fœnum, ſtipula, itaque meliùs intelligimus Chriſtum, ideſt, eius fidẽ, ac doctrinam, vt diximus. Sæpè autem legimus Chriſtum eſſe fundamentum; nam ad Ephesios[d] ait, Eccleſiam *fundatam eſſe ſuper*

d cap. 2.

fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu. Quomodò autem lapis angularis ad fundamentum pertineat, video à multis curioſè inueſtigari; neſcio, an à quoquam ſit penitus explicatum: ſed in epiſtola ad Ephesios conabimur lucem aliquam pro noſtra tenuitate afferre. In præſentia autem ait Apoſtolus, non poſſe aliud fundamentum poni, ſiue quia (vt dictum eſt) de iis agit, qui à recta fide non aberrabant; ſiue quia ſi quis eſſet, qui aliud, quàm Chriſtum, eiúſque fidem prædicaret, is non ſuperædificare, ſed ædificium potiùs diruere, & fundamenta ſubuertere dicendus eſſet. Quod ipſum meo quidẽ iudicio in omnes hæreticos cõuenit: tametſi enim nihil illi niſi Chriſtum crepant, & tertio quoque verbo eius merita, & infinitam ſatiſfaciendi vim importunè inculcant: quia tamen impia ipſorum dogmata cum Chriſti fundamento nõn cohærent, nullum illi ædificium ſtruunt, niſi fortaſſe turrim Babylonicam: quocirca rectè dixit Tertullianus, hæreticos, & ſi maximè Chriſto glorientur, eſſe tamen prorſus ſine Chriſto. Videtur autẽ hoc loco Apoſtolus alludere ad Iſaiæ

e cap. 28.

vaticinium[e], quo Deus pollicetur, ſe poſiturum in fundamẽtis Sion *lapidẽ pretioſum*, quod luculenter

f 5. contra Marcion. cap. 6.

alicubi explicat Tertullianus.[f] Nã (inquit) *quod architectum ſe prudentem affirmat,* (Apoſtolus) *hoc inuenimus ſignificari depalatorem diſciplinæ diuinæ à creatore, per Iſaiam: Auferam enim* (inquit) *à Iudæa inter cætera & ſapientem architectum. Et nunquid ipſe tunc Paulus deſtinabatur de Iudæa, ideſt de Iudaiſmo auferri habens in ædificationem Chriſtianiſmi poſiturus vnicum fundamentum, quod eſt Chriſtus? quia & de hoc per eumdem prophetam creator: Ecce* (inquit) *ego inuicio in fundamenta Sionis lapidem pretioſum, honorabilem, & qui in eum crediderit, non confundetur: niſi ſi ſtructorem ſe terreni operis Deus profitebatur, vt non de Chriſto ſuo ſignificaret, qui futurus eſſet fundamentum credẽtium in eum, ſuper quod prout quiſque ſuperſtruxerit, dignam ſcilicet vel indignam doctrinam, ſi opus eius per ignem probabitur, ſi merces illi per ignem rependetur, creatoris eſt: quia per ignem iudicatur veſtra ſuperædificatio, vtique ſui fundamenti, ideſt ſui Chriſti.* Loquitur igitur Apoſtolus, vt

A Chryſoſtomus, Theophylactus, Ambroſius, & Hieronymus[a] interpretantur, de miniſtris Euangelicis, qui poſito Chriſti fundamẽto, veluti ſuperſtruebant alia, atque alia, vt mox dicet: quamquam non deſunt qui aliter explicant, vt confeſtim patebit. Hæc tamen ſentẽtia antecedentibus, & conſequentibus maximè cohæret, atque adeo præferenda videtur omnibus. Quod attinet ad verba, puerile eſt, quod obſeruant nonnulli in Latinis codicibus. alij enim habent quod eſt Chriſtus, vt referat fundamentum, alij qui eſt Chriſtus. nihil de ſententia perit. priorem lectionem habet editio Romana; poſteriorem nonnulli Græci codices magis indicãt.

a non ſolum hic, ſed lib. 2. in Iouinian.

SI QVIS AVTEM SVPERÆDIFICAT, 12
&c. Locus eſt admodum celebris, & multorum diſ- I.
B putatione nobilitatus, qui ex eo aduerſus hæreticos ignem purgatorium probari poſſe contendunt: ſed ea de re peculiaris inſtituenda eſt diſputatio. Nunc tantùm laborandum nobis eſt, vt ex verbis obſcuriſſimis verum Pauli ſenſum eruamus. ac nemini quidem dubium eſſe poteſt, totum hunc locum eſſe metaphoricum, ſumptam autem eſſe metaphoram ab ædificiis, eſſe verò potiſſimùm ſermonem de fundamento, architecto, & ſtructoribus, denique materia. Sed quorſum hæc metaphora ſpectet, vt cœperam dicere, non eadem eſt omnium ſententia. Siquidem Origenes, Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, cùm de huius ædificij materia agunt, de omnibus fidelibus, déque bonis, aut prauis actionibus expli-
C cant. Origenes[b] enim ita de hoc loco diſſerit: *Mihi* (inquit) *videntur terni ſtatores pro eo dici quòd triplex eſt hominibus peccandi via: aut enim in facto, aut in dicto, aut in cogitatione peccatur, & ideo terni ſtatores per ſingulos quoſque dicuntur, qui tres iſtas in nobis peccandi obſideant vias, & ſpeculẽtur ſemper, atque in inſidiis agant, vt aut ille ex miſero homine ſermonem malum eliciat, aut ille iniquum opus extorqueat; aut ille cogitationem peſſimam rapiat. Denique & ſemen verbi vbi cadit, & deperit, triplex deſcribitur locus: vnus ſecus viam refertur, qui conculcatur ab hominibus, alius in ſpinis, alius in pretioſis: & è contrario terra bona afferre dicitur triplicem fructum; vel centeſimum, vel ſexageſimum, vel triceſimũ: triplex namque eſt etiam benè agendi via, nihilominùs enim, vel opere, vel cogitatione, vel verbo boni aliquid agi-*
D *tur. Hoc enim ſignificat Apoſtolus cùm dicit: Qui autem ædificat ſupra fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos triplicem bonorum iudicans viam, ſubiungit nihilominus triplicem etiam malorum, cùm dicit, ligna, fœnum, ſtipulam. Iſti ergo terni ſtatores ſunt Angeli nequam de exercitu Pharaonis, qui ſtant in huiuſcemodi viis, obſeruantes vnumquemque noſtrùm per hæc agere in peccatum, quos demergit Dominus in rubrum mare, & igniti eos in iudicij die fluctibus tradet, ac pœnarum pelago eeget, ſi tu Deum ſequens de eorum te poteſtate ſubtraxeris.* Hieronymus[c] autem ſimpliciter de malè, ac benè factis explicat; *Cùm videris*, inquit, *nos* (de diabolo loquitur) *ſuper fundamentum Chriſti ædificare fœnum, ligna, ſtipulam, tunc ſupponit incendium; ædificemus ergo aurum, argentum, lapides pretioſos, & tentare non*
E *audebit.* Chryſoſtomus autem non ſolùm hanc ſententiam ſequitur, ſed aliam apertè refutat. *Ædificium autem* (inquit) *mihi videntur eſſe actiones: quamquam dicunt quidam, hoc ipſum dictum eſſe etiam de doctoribus, & diſcipulis, & de corruptis hæreſibus, ſed id, quod dicitur, hoc non admittit; nam ſi hoc eſt, quomodò opus quidem perit, qui autem ædificat ſaluus erit, vel per ignem? auctorem enim magis perire oportet, nunc autem inuenietur maiores luiſſe pœnas is qui fuit ædificatus. nam ſi doctor quidem fuit auctor vitij, dignus eſt, qui maiores luat pœnas. Quomodò ergo ſaluus erit? ſin autem non fuit*

b Hom. 6. in Exod.

c lib. 2. con. Iouin.

II.

 auctor

a d.1 Ruſus [a]. *Dum tempus habemus, operemur bonum.* A
Contrà futura vita dicitur dies, ac tempus Domini [b]:
b 74.1. *Cùm tempus accepero, ego iuſtitias iudicabo:* & [c] *veniet*
c 2.2. *dies Domini, dies tenebrarum, & caliginis:* neque faci-
lè io hac vita merita mortalium cognoſcuntur, cùm
tàm bona, qoàm mala ſint æquè bonis, atque im-
probis communia. Denique omnes de iudicij, ſiue
obitus cuiuſque die accipiuot. Et Theodoretus qui-
dem: Dies (inquit) pro eo quod eſt dies iudicij: quo-
modò eoam intelligunt Theophylactus, & Aoſel-
mus, ille ſiquidem ſimpliciter, atque abſolutè dici-
tur dies Domini, eáque dies, tamquàm ſingularis
deſignari videtur Græco articulo, quem hoc loco
diximus adhiberi, eáque præcipuè omnia dicitur de-
clarare, quia tam bonæ, quàm malæ actiones profe-
rentur in lucem. Denique ille dies ignis conflagra- B
tione præeunte, erit formidabilis; quod hoc loco in-
ſinuat Apoſtolus, cùm dicit: *Quia in igne reuelabitur*,
ſiue de vero igne, qui iudicium præcedit, intelligas,
ſiue de ipſo iudicio, quod ignis inſtar omnia palàm
II. faciet, & ſua veluti luce illuſtrabit. Verùm alij non
intelligunt diem illum extremum, quo cuncti mor-
tales ante Chriſtum iudicem ſiſtendi ſunt, ſed diem
cuiuſque vitæ ſupremum; nam poſt extremum iudi-
cij diem nullus erit ignis purgatorij vſus, nulla ex-
piatio, ſed in ipſo cuiuſque obitus die, quaſi in me-
ridiana luce apparebit quid geſtum ſit in vita, mer-
cede, aut ſupplicio dignum: nuoc igitur multa quaſi
in tenebris latent, vbi verò primus alterius vitæ dies
illuxerit, *vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit*; perſpi-
cuè enim omoes intelligent, quid rectè, quid item
perperam geſtum ſit in vita; illa enim dies declara- C
bit, & cuncta ſua luce illuſtrabit. Ego neutri ſenten-
tiæ præiudicatum velim. nam ſi de iodicij extremo
die accipiamus, dicendum erit, non fore quidem ſal-
uos, quòd tunc igne expiandi ſint, ſed quòd priùs
fuerint igne expiati: ſi de obitu cuiuſque, res videtur
planior, & quæ nullis difficultatibus ſit obiecta, niſi
quòd malos habet auctores, id eſt hæreticos. Quod
ſequitur: *Quia in igne reuelatur*, eſt enim Græcè ἀπο-
καλύπτεται, qui referunt ad diem iudicij, de igne illo
accipiunt, qui Chriſti iudicis aduentum præcurret,
quaſi dies ille extremus, ignis incendio præeunte,
reuelandus ſit: neque obeſt quod vtatur Apoſtolus
tempore præſenti, cùm de die futuro agat, quia præ-
ſens tempus, non ſemper actionem certi temporis D
ſignificat, ſed quæ inſtet, aut quæ fieri ſoleat, aut
d cap.11. certa ſit, vt apud Matthæum [d]: *Tu es, qui venturus*
es. Græcè ἐρχόμενος, præſentis temporis, *veniens*. Ve-
rùm ego coniungo cum præcedentibus, vt ſenſus ſit.
Vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit; tum adhibita pa-
renthesi (dies enim declarabit) manifeſtum inquam
erit, quia in igne reuelatur; quia hæc eſt ignis natura,
vt exploret, & declaret quæ ſiot ſolida, ac pura me-
talla, quæ item impura, & adulterina; tum de igne al-
terius vitæ ſubdit: *Et vniuſcuiuſque opus quale ſit ignis*
probabit. Græcè δοκιμάσει, hoc eſt experimento do-
III. cebit. Ambigi autem poteſt qualis hic ignis cenſen-
dus ſit, nam quod aliqui de igne moleſtiarum, ac ve-
xationum accipiunt, iam ſuprà reiectum eſt: de igoe,
quo apud inferos cruciantur improbi, intelligi nul- E
lo modo poteſt; non enim ignis ille tam explorat,
aut illuſtrat, quàm torquet, & ſcelera vlciſcitur. ne-
que admitti poteſt, quod nũ oemo ſuſpicatur, ignem
illum ſignificari, qui diem iudicij præuertet; ille
e Pſal.96. enim ignis Dei hoſtes exuret. Sic eoim ait Dauid [e]:
Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu
inimicos eius. Nec facilè explicari poteſt, quánam
ratione ignis ille actiooes humanas exploraturus ſit.
ſunt qui ignis oomioe hoc loco intelligant diuini
iudicij ſeueritatem, quæ actiones humanas exami-

nabit, atque expendet. Sic Ambroſios [a], Sedulius, a Pſ.118 Cōci. 20.
& alij recentiores. Fauent ſcripturæ teſtimonia: hoc
enim ſignificat Daniel [b]. *Fluuius igneus egredietur de* b cap. 7. 10.
ore eius. item Malachias [c]: *Ipſe quaſi ignis conflans*. de- c cap. 3. 2.
nique Paulus [d]: *Deus noſter ignis conſumens eſt*. Ve- d ad Heb. 12. 29.
rùm hac admiſſa ſententia neceſſe eſt fateri pauciſ-
ſimis verbis Apoſtolum admodum ambiguè ignis
nomen vſurpaſſe, nam paulò pòſt de igne purga-
torio abſque dubio loquitur. Itaque malim accipere
de igne purgatorio; nam quemadmodum de huma-
na docendi ratione metaphoricè locutus eſt, com-
parans eam materiæ, quæ vel reſiſtat igni, vel ab eo
comburatur; ita perſtans in metaphora, de igne pur-
gatorio loquitur, quaſi eam materiam exploret, de
quo paulò pòſt. Neqoe verò quemquam mouere IV.
debet quòd videatur Apoſtolus in præſentia affir-
mare tam bona, quàm mala igne explorari; quod
de purgatorio igne intelligi nullo modo poteſt. nam
quidquid ſit de purgatorio igne (de quo mox diſpu-
tandum erit, verús-ne ignis cenſendus ſit, an meta-
phoricus) eo ſolo nomine tam bona, quàm mala
igne dicuntur exploranda; quod lignum quidem,
fœnum, ſtipulam ignis exuret; aurum, argentum, la-
pides pretioſos ne attinget quidem: quomodo [e] e Num. 5. 14.
aqua zelotypiæ probare dicebatur eius mulieris
innocentiam, quam non lædebat; ita ignis purga-
torius bonas iuſtorum actiones probare dicitur,
quia illas relinquet intactas. Non igitur qui aurum,
argentum, lapides pretioſos ſuperexſtruuot funda-
mento, ignis vim experiuntur; cùm certum ſit, vt
præter cæteros docent Hieronymus [f], & Augu- f lib. 2 in Iouinian.
ſtinus [g], noo omnes igne purgatorio expiandos, ſed g in Pſal. 37
quia noo læduntur ab igne, vt alij; eorum actiones
dicuntur igne probatæ. Impiè verò faciunt ij, qui
inter eos, qui lignum, fœnum, ſtipulam ædificabant
Dionyſium Areopagitam cæleſtis hierarchiæ aucto-
rem numerant, quem falsò Corinthiorum Epiſco-
pum fuiſſe putant; longè enim alius eſt Dionyſius
Corinthiorum Epiſcopus, de quo ſcribit Euſebius [h], h lib. 4. hiſt. cap. 22.
qui præclaras, ac diuinas ſuas vigilias noo ſolùm iis,
quibus præfuit, ſed aliis etiam aliarum Eccleſiarum
incolis affatim impertierit: & ſanè Catholicis ſuis
Epiſtolis, quas ad Eccleſias exarauit omnibus per-
multum vtilitatis attulit, qui tamen ab hac inani
verborum pompa, & eruditionis oſtentatione lon-
giſſimè videtur abfuiſſe.

SI CVIVS OPVS MANSERIT, &c. Hoc 14.
eſt, qui aurum, argentum, & lapides pretioſos ſu- I.
perſtruxerint, quæ ab igne lædi noo poſſunt, illi
ſuorum laborum mercedem ampliſſimam conſe-
quentur. *Doctor*, inquit Theodoretus, *qui ea docuerit,*
quæ oportet, non luet pœnas, ſed ſalute dignus habebitur:
hoc enim eſt, cuius opus manſerit mercedem accipiet: illa
enim opera manere dicuntur, quæ recta ſunt, quæque nul-
la labe aſperguntur. Mercedem autem dicit, vt ſigni-
ficet præmium ſingulare, & eximium: nam vt ſcri-
ptum eſt [i]: *Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, tanquàm* i Dan. 12 3.
ſtellæ fulgebunt in perpetuas æternitates. Manebunt au-
tem eorum opera, qui aurum, argentum, & lapides
pretioſos ſuperſtruxerint, hoc eſt, qui Chriſtianam
doctrinam præclarè tradiderint. Nam de verbo Dei
dixit Dauid [k]: *Eloquia Dei, eloquia caſta, argentum igne* k Pſal. 11.7.
examinatum, purgatum ſeptuplum. hi videlicet nihil
habebunt, quod igne purgandum, aut excoquen-
dum ſit, quia nihil ſpectarunt aliud, niſi diuinam
gloriam, & proximorum vtilitatem: ad quos per-
tinent illa: *Euge* [l] *ſerue bone, & fidelis, quia ſuper pauca* l Matt. 25. 21.
fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam: intra in gaudium
Domini tui.

SI CVIVS OPVS ARSERIT, &c. Hoc 15.
ſpectat ad eos, qui ſuperædificant lignum, fœnum, I.
ſtipu-

ſunt, & quos agens ſtrictim rota,& indefeſſa vertigo,& quos tenax inter ſe denſitate conſtrictos adhærens corpori corpus includat, vt & abſumat incendium, & grauet ferrum,& ſe cruciet turba multorum:& deinceps alia multa in eandem ſententiam, quæ dempta metaphora,aliena prorſus,& abſurda,ac poëtarum fabulis ſimillima videantur. Denique Damaſcenus[a]. *Tradentur* (inquit) *peccatores in ignem æternum, non materialem,qualis eſt apud nos, ſed qualem nouit Deus.* Quòd ſi de damnatorum igne hæc dicuntur,eadem profectò multò probabiliùs de igne purgatorio affirmari poterunt:atque ita Græci Patres in Concilio Florentino palàm dixerunt, non ſe purgatorium ignem agooſcere,& cùm Synodus[b] purgatorium eſſe neceſſariù admittendum definiret, ignem ne nominauit quidem:eam ob cauſam non defuerunt inter Theologos[c] qui contenderent nullum eſſe verum ignem purgatorium,aut damnatorum.

Cæterùm ſacræ litteræ tam frequenter nominant ignem; vt vix metaphoræ locus relinquatur, cùm præſertim abſque vllo incommodo verborum proprietas retineri queat. Itaque Clemens[d] Alexandrinus auctoritate Ephesij philoſophi, ex philoſophia expurgationem admittendam docet, quæ fit

IV. per ignem eorum,qui malè vixerunt, quam ἐκπύρωσιν,ideſt exuſtionem, ſeu inflammationem poſtea vocarunt Stoici: Idipſum repetit Iuſtinus[e] martyr adhibito etiam teſtimonio Sybillæ:& aliquantò pòſt eius ignis æternitatem probat ex Deuteronomio[f]. Eodem ſpectare videtur, quod alicubi ſcribit Tertullianus[g]: *Dei quidem cultores apud Deũ ſemper, ſuperinduti ſubſtantia propria æternitatis;prophani verò,& qui non integri ad Deum in pœna æquè iugis ignis,habentis ex ipſa natura eius diuinam ſcilicet ſubminiſtrationem incorruptibilitatis. Nouerunt & philoſophi diuerſitatem arcani,& publici ignis:ita longè alius eſt, qui vſui humano, alius qui iudicio Dei apparet, ſiue de cœlo fulmina ſtringens,ſiue de terra per vertices montium eructans. Non enim abſumit quod exurit,ſed dum erogat, reparat:adeò manent montes ſemper ardentes, & qui de cœlo tangitur ſaluus eſt,vt nullo iam igni decinereſcat,& hoc erit teſtimonium ignis æterni,hoc exemplum iugis iudicij,pœnam nutrientis:montes vruntur,& durant: quid nocentes,& Dei hoſtes?* Neque aliter Minutius[h] Fœlix. *Et tamen admonentur* (inquit) *doctiſsimorum hominum libris illius ignei fluminis,& de Stygia palude ſæpius ambientis ardoriſque cruciatibus æternis præparata.* Addit: *illic ſapiens ignis membra vrit, & reficit,carpit, & nutrit,ſicut ignes fulminum corpora tantùm tangunt, nec abſumunt,ſicut ignis Ætnæ montis, & Veſuuij, & ardentium vbique terrarum flagrant,nec eroganturi;ita pœnale illud incendium non damnis ardentium paſcitur,ſed in exeſa corporum laceratione nutritur.* Similia ſcribunt Lactantius[i], & Pacianus[k]:at Gregorius Nazianzenus[l]: *Noui* (inquit) *prætereà ignem non purgatorium,ſed afflictiuum,ſiue ſodomiticum, qui ſuper omnes pluit peccatores, ſulphure,ac tempeſtate permixtus, ſiue qui paratus eſt diabolo, & angelis eius, ſiue qui ante faciem Domini incedit.* Baſilius[m], Hieronymus[n],& Iſidorus[o] igoem illum ſempiternum præditum quidem (aiunt) vrendi facultate,luce tamen, & ſplendore carere. Gregorius[p] quęrit,quànam ratione torqueantur animæ,& ſpiritus ab igne corporeo. alibi[q] autem ignem illum ait, reprobos corporaliter exurere,nec ſtudio tamen humano ſuccendi, neque lignis nutriri. Iam Auguſtinus[r] ſexcentis locis ignem corporeum videtur aſſerere: quamquam alicubi[ſ] affirmat,neminem mortalium ſcire poſſe vbi, aut qualis futurus ſit ignis.

V. Itaque ſic primùm mihi perſuadeo, nullo modo eos eſſe audiendos,qui adeo putant, certa fide credendum eſſe,ignem illum fore corporeum;vt eum, qui ſecus ſentiat,impietatis, ac perfidiæ reũ eſſe non dubitent; Nam ſacræ litterę ignem quidẽ nominant, ſed eadem etiam ratione addunt vermem, quem cùm omnes metaphoricè explicent,cur non eadem ratione liceat ignem interpretari,cùm non raró eædẽ ſacræ litteræ (Auguſtino[a] explanarote) ignem pro vexatione,moleſtia,& cruciatu vſurpent? nam cùm Chriſtus[b] dixit. *Ignem veni mittere in terram*; & cum Ioannes[c] ait: *Ille vos baptizabit in Spiritu ſancto,& igne*,denique cùm lex Domini dicitur[d] ignea, non niſi metaphoricè ignis accipi poteſt, vt egregiè obſeruauit Gregorius[e] Nazianzenus. Adde, quòd nihil eſt adhuc ab Eccleſia in alterutram partem ſacroſancta auctoritate definitum; nam,vt paulò antè oſtenſum eſt,in Concilio[f] Florentino,aſſeritur quidem purgatorium,ſed de igne, ne verbum quidem. Veteres autem Patres, vt ex ſuperioribus conſtat, ſeceſſionem fecerunt, & qui ignem illum corporeum videntur aſſerere;obſcurè, & magna ex parte populariter loquuntur, & qui maximè hac de re diſputauit Auguſtinus, videtur anceps,ac dubius,& Gregorius nunc hoc,nunc illo modo loquitur. Denique multi ignem nominant(vt loquitur ſcriptura) nec planiùs explicant, ignémne verum, an metaphoricum intelligant. Et quidem ſcripturas ſacras, quæ de igne loquuntur explicationem metaphoricam admittere indicat ingens Theologorum pugna de illius ignis natura,vi,ac poteſtate; & cùm multa de inferno metaphoricè dicantur, cur non etiam ignis metaphoram contineat, ſiue in ſacris litteris,ſiue apud ſanctos Patres: certa ratio afferri nulla poteſt,cùm præſertim Chryſoſtomi, & Cypriani verba plurima metaphorica complectantur,& Auguſtinus[g] totam illam hiſtoriam, quæ eſt apud Lucam[h] diuitis, & Lazari metaphoricè explicandam cenſeat. Quamuis autem ignis ſempiternus paratus dicatur[i] Diabolo, & Angelis eius ſiue ante mundum conditum,adcóque ante ipſorum Angelorum creationem,ſiue etiam poſt ipſorum lapſum, non neceſſariò fatendum eſt;illum eſſe corporeum; quo fit, vt imperitè,& imprudenter faciant ij, qui hanc ſentẽtiam,cuiuſcũque illa tandem ſit,erroris,ac impietatis damnant: longè enim aliud eſt, quod à Hieronymo[k] in Origene reprehenditur. Origenes enim nulla extrinſecus adhiberi ſupplicia exiſtimabat,ſed ſola ſcelerum conſcientia, & recordatione impios torqueri putabat, non aliter, ac corpus febris ardore interdum æſtuat. Ita enim loquitur Hieronymus[l]: *ignis quoque gehennæ,& tormenta, quæ ſcriptura ſancta peccatoribus comminatur non poſuit in ſupplicijs,ſed in conſcientia peccatorum,quando Dei virtute,& potentia omnis memoria delictorum ante oculos noſtros ponitur,& veluti ex quibuſdam ſeminibus in anima derelictis,vniuerſa vitiorum ſeges exoritur, & quidquid feceramus in vita,vel turpe, vel impium,omnis eorũ in conſpectu noſtro pictura deſcribitur, ac proteritas voluptates,mens intuens conſcientiæ punitur ardore, & pœnitentiæ ſtimulis confoditur.* Alibi[m] verò: *Quia igitur ſunt plerique qui dicunt in futura pro peccatis eſſe ſupplicia,nec extrinſecus adhibenda tormenta,ſed ipſum peccatum,& conſcientiam delicti eſſe pro pœna, dum vermis in corde non moritur, & in animo ignis accenditur, in ſimilitudinem febris, quæ non torquet extrinſecus ægrotantem,ſed corpora ipſa corripiens punit,ſine cruciatuum forinſecus adhibitione. Has igitur perſuaſiones* Hieronymus,*& decipulas fraudulentas,verbáque inania* appellat, *& vacua*: qui verò ignem corporeum negant, extrinſecus adhiberi ſupplicia vltro fatentur: eaque ignis oomine ſignificari, quod vſtio grauiſſimum, & acerbiſſimum cruciatum afferat.

a lib. de fid. & op. c. 16 lib. de 8. qq. ad Dul. q. 1.
b Luc. 12. 49.
c Mat. 3. 11.
d Deute. 33. 2.
e orat. in ſan. lauacr.
f ſeſſ. vlt.
g li. 8. de Ge. ad lit. c. 5 & lib. 21 de ciu. cap. 10.
h cap. 16.
i Matt. 25. 41.
k in ep. ad Pammachium & ad Epheſios 5.
l ep. ad Auitũ
m ad Eph. 5.

VI. Verùm longè probabilius eſt, inferni, & purgatorij ignem eſſe corporeum, & miro quodam modo animos corpore ſolutos torquere: tum quia id omnis fermè Theologorum ſchola magis probat, tum quia ſcripturæ, & ſancti Patres ſimpliciùs explicaotur. Accedit quòd iſto modo maximè recedimus ab errore Origenis: cùm enim neceſſe ſit admittere ſupplicia extrinſecus adhibita, niſi concedamus ignem eſſe corporeum, vix poteſt excogitari quidnam illud ſit, quod ignis nomine ſignificetur. Porro de igne purgatorio ita ſcribit Gregorius Nazianzenus [a]. *In altero auo igni fortaſſe baptizabantur, qui poſtremus eſt baptiſmus, non ſolùm acerbior, ſed & diuturnior, qui craſſam materiam inſtar fœni depaſcitur, vitiique omnis leuitatem abſumit.* Neque enim aſſentiot Nicetæ, qui hæc putat de extremo iudicio accipienda eſſe: nam vt concedam iudicij diuini ſeueritatem ignis nomine ſignificari: non tamen de illa ſeueritate diceret Gregorius, illam eſſe diuturnam, neque abſumere leuitatem vitij, ſiquidem ipſa ſcelera vlciſcitur; ignis autem purgatorius vitiorum rubiginem abſtergit. Verùm quoniam de eius ignis natura non ſatis conſtat, meritò dixit Apoſtolus *Quaſi per ignem*: indicans fore illum ignem ab hoc, quem nos ignem nominamus, longè diuerſum. Qua de re nõ ſatis inter Theologos conuenit: Sunt [b] enim qui dicant eſſe quidem eiuſdem naturæ ignem, differre tamen materia, quod externo cuipiam corpori adhæreat, quale eſt ſulphur, à quo recipit quãdam obſcuritatem, quod tamen vix intelligi poteſt quale ſit: nam ſi ignis ille materiam habet à noſtratis ignis materia diſtinctam, aliam etiam formam habeat neceſſe eſt, atque adeo tota natura differat: quòd ſi corpus, cui adhæret ſit illi pro pabulo, infinitã materiam igni ſempiterno parare neceſſe eſt, cùm tamen Gregorius explicans verba Iob, ignem illum non ſuccendi affirmet, quod pabulo non indigeat. Alij putant ignem illum eumdem eſſe cum elementari, cuius domicilium eſt inter aërem, lunæque globum: eum verò deſcenſurum aiunt, ſuóque incendio inflammaturum cætera elementa, & in inferno in omnem æternitatem permanſurum. Quod fortaſſe ſuſpicatus eſt Origenes, qui ſæpe [c] ait, omnes tam bonos, quàm malos poſt hanc vitam ignem gehennæ ſubituros, ſed bonos tamen abſque læſione euaſuros: cui affine eſt quod affirmant Baſilius [d], Lactantius [e], Hilarius [f], Ambroſius [g], Hieronymus [h], qui cunctos mortales igne extremæ conflagrationis exurendos cenſent, illum verò ignem apud inferos permanſurum, vt recentiores [i] affirmant, qui hanc maximè ſententiam probant. Verùm ego illam falſam, ac prorſus abſurdam exiſtimo: primùm enim de igne purgatorio, quo plerique iam ex piati ſunt, & alij quotidie expiantur, intelligi nulla ratione poteſt: deinde non apparet; quomodò nunc Dæmones apud inferos igne torqueantur. Cæterùm quod de extrema mundi conflagratione dicitur, quamuis à nonnullis irrideatur, non eſt prorſus à recta ratione alienum: ignis enim ille, quo mundus conflagraturus dicitur, vel ignis elementaris deſcenſu conflabitur, vel ex incendio radiorum ſolis in media aëris plaga excitabitur, coëuntibus calidiſſimis, ac denſiſſimis radiis, veluti in concauum, & chalybeum ſpeculũ; vel denique alia ratione mundus incendio abſumetur. Cæterùm, quod plerique

VII. volunt, cunctos homines extremo incendio attingendos; Auguſtino [k] non placet, qui ſanctos fore ait ab illo incendio liberos, qui corporis agilitate ſeſe facilè poterũt in ſublimem aëris regionẽ attollere [l]. Alibi verò contra errorem Origenis doctè, copioſéque diſputat: itaque exiſtimant alij, ignem illum eiuſdem eſſe naturæ cum noſtro, hoc tantùm differre, quod ſplendore carebit; ita enim ſcribit Baſilius [a]: *Exiſtimo autem quod ignis ad ſupplicium diabolo, & Angelis eius paratus, Domini voce interciditur, quoniam duo ſunt in igne potiſſima, vſtiua vis, & illuſtratoria. vis prior ignis acerrima quidem ad pœnas irrogandas repoſita eſt his, qui vſtione ſunt digni: altera nempe ſplendiſtui ſui luminis diffuſiua velut ſortito ſuccedet iis, qui claritate perfruituri ſunt gaudij perennis. Vox itaque Domini intercidentis flammam ignis, ac diuidentis, ita vt obſcurus quidem ſit ignis ſupplicij, vt verò comburendi careat lux illa refocillationis.* Eiuſdem ſenteotiæ videtur Chryſoſtomus [b]. *Non habet* (inquit) *lumen, aut vllam luminis claritatem*: & aliquanto pòſt; *neque ipſi alios videntes, neque aliorum viſibus apparentes, ſed in tanta multitudine ſolitarios nos eſſe putantes, ſiquidem tenebræ, & abſentia luminis non nos ſinet proximos noſtros agnoſcere; ſed veluti ſi ſolitarius vnuſquiſque noſtrum patiatur, ſic afficietur oppreſſus caligine tenebroſa.* Denique Gregorius [c] in illa verba Iob: *Vbi vmbra mortis, & nullus ordo: vmbra mortis eſt* (inquit) *obſcuritas diuiſionis, quia damnatus quiſque cùm æterno igne ſuccenditur, ab interno lumine tenebratur. Natura verò ignis eſt, vt ex ſeipſo, & lucem exhibeat, & concremationem, ſed tranſactorum vltrix illa flamma vitiorum concremationem habet, & lumẽ non habet*: & aliquanto pòſt [d]. *Quamuis ille ignis, & ad conſolationem non lucet, & tamen, vt magis torqueat ad aliquid lucet*: & mox [e]. *Nam ſequaces quoque ſuos reprobi in tormento flamma illuſtrante viſuri ſunt, quorum amore deliquerunt*; idque probat exemplo diuitis [f] pro fratribus deprecantis. Verùm ſiue lucem habeat, ac ſplendorem, ſiue omnino careat, certè mihi perſuadere non poſſum eadem natura ignem illum præditum eſſe cum noſtro; tum quia multò acriùs, ac vehementiùs vrit, vt affirmant omnes Sancti, tum quia abſque vllo pabulo extra ſuum locum in omnem æternitatem perdurabit: quod igni noſtro citra miraculum conuenire non poteſt. Accedit, quòd hic noſter ignis neque animam attingit, nec poteſt ſpiritum lædere, quod vtrumque præſtat ignis ille ad ſupplicia deſtinatus. Quocirca hoc mihi videntur ſignificare voluiſſe veteres illi Patres, qui ignem illum negant fore corporeum, quaſi dicant, alterius fore naturæ ab hoc noſtro lõgè diuerſæ, atque adeo viuaciorem, & horribiliorem: idque ipſum indicare voluiſſe crediderim Apoſtolum, dum ait, *Saluus erit*, non per ignem, ſed quaſi per ignem.

Nescitis qvia templvm Dei estis, &c. Eandem ædificij metaphoram ſequitur, & quoniam hactenus de architecto, ſtructoribus, & materia non pauca dixerat; nunc de ipſo ædificio agit. Corinthiorum autem Eccleſiam templum Dei vocat, eiúſque appellationis quaſi rationem afferens ſubiicit, *Et Spiritus ſanctus habitat in vobis?* Ob id enim meritò quis templũ Dei dicitur, quia Spiritus ſanctus in eo, quaſi in proprio domicilio habitat. Dicitur autem Deus in ſuis fidelibus, præcipuè verò in iuſtis, habitare. itaque ſcriptum eſt in Leuitico [g]. *Ponam tabernaculum meum in medio veſtri, & non abiiciet vos anima mea: ambulabo inter vos, & ero Deus veſter, vóſque eritis populus meus.* & Chriſtus apud Ioannem [h]: *ad eum veniemus, & apud eum manſionem faciemus.* ſic Chriſtus apud Ioannem [i] corpus ſuum templum vocat, quia, vt alibi ait Paulus [k], *in eo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Itaque rectè monuit Cyrillus in illum Ioannis locum: *aliter Chriſti, aliter fidelium, ac iuſtorum omnium corpora templum appellari: Chriſti, quidem, quia corporaliter ac verè; aliorum quia ſpiritualiter, & per gratiam in illis Deus habitat*: nam quod Paulus ait, σωματικῶς, 16.

ab Hilario

a orat. 19.
b Sot. in 4. d. 50.
c hom. 1. in pſ. 36. & lib. 8. in ep. ad Roma. & ho. 13. in Hierem.
d in Iſa c. 4. & 9.
e lib. 7. c. 22.
f in pſ. 118. in illa verba cõcupiui deſiderare &c.
g in pſ 36. & in pſ. 118. in illa verba Vide humilitatem meam, & eripe me.
h Amos 1.
i Ludo Viues lib. 20. de ciu. cap. 16.
k lib. 20. de ciu. cap. 18.
l lib. 21. de ciu. cap. 26. 27.

a in Pſ. 28.
b Hom. 4. ad Hebræos.
c Moral. 9.
d cap. 46.
e cap. 47.
f Luc. 16.
g cap. 26. 11.
h cap. 14. 23.
i cap. 2. 19.
k ep. ad Col. 2. 9.

ab Hilario [a], Cyrillo [b], Primaſio [c], & Theophylacto A
ita explicatur quaſi dicat verè, ac naturaliter: eodémque modo de Chriſti corpore, tanquam de templo loquuntur Epiphanius [d], & Ambroſius [e]. Fidelium verò corpora ob inhabitantem gratiam templa dicuntur. Sic infrà [f]: *Membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt.* itemque [g]: *Et*
II. *vos eſtis templum Dei viui.* Verùm cùm hactenus de Magiſtris, ac doctoribus egerit, nunc ad ipſos auditores, id eſt Corinthiorum Eccleſiam orationem conuertit, oſtenditque diſſenſionum, ac factionum auctores, ſectatoréſque multò grauius peccare, quàm ipſos doctores: illorum enim piaculum ad nonnullam oſtentationem, & iactantiam pertinere: diſſidia verò, & ſeditiones inter fratres quoddam eſſe ſacrilegij genus, quod templum Dei violat, vt B
mox dicet. Vtitur ſanè Apoſtolus acri, & vehementi interrogatione, vt magis Corinthiorum animos permoueat. Adeóne (inquit) rerum eſtis ignari, adeo in Christiana diſciplina rudes eſtis vt ignoretis, vos eſſe quodammodò Dei templum, & Spiritus ſancti ſedem? valdè autem appoſitè Apoſtolus in eadem metaphora perſiſtens, cùm doctores, ac magiſtros Euangelicos templi, ac domus extructoribus comparauerit, auditores ſimiles ait eſſe ædificio, quod idcircò ſtat, ac perſeuerat, quia lapides, & cæmenta, calce inter ſe coniuncta, & coagmentata, firmitatem quandam ſortiuntur, quæ coniunctio ſi diſſoluatur, facilè omnis ſtructura collabitur; eadem ratione fideles tanquàm lapides caritate inter ſe mirum in modum vinciuntur, ſi ea factionibus, ac ſeditionibus C
violetur, ſpirituale ædificium ſtare non poteſt: huc autem ſpectat hæc omnis Apoſtoli oratio, vt paulò pòſt planiùs conſtabit. Ad hunc locum reſpiciens
h lib. 5. cap. 6. Tertullianus [h] hunc in modum aduerſus Marcionem argumentatur. *Neſcitis* (ait) *quòd templum Dei ſitis, & in vobis inhabitet Spiritus Dei? ſi homo, & res, & opus, & imago, & ſimilitudo, & caro per terram, & anima per afflatum creatoris eſt tuus, ergo in alieno inhabitat Deus, Marcion, ſi non creatoris ſumus; ſi templum Dei quis vitiauerit, vitiabitur vtique à Deo templi. vltorem intentans, creatorem intentabit.*

17. SI QVIS AVTEM TEMPLVM DEI, &c.
I. Alio verò loco Tertullianus [i], acutè, vt ſolet æditi lib. de cultu fœm. cap. 1.
tuam, atque antiſtitem huius templi pudicitiā eſſe dicit. *Nam cum omnes* (inquit) *templum ſimus Dei illato in nos, & conſecrato Spiritu ſancto, eius templi aditua, & antiſtes pudicitia eſt. quæ nihil immundum, nec prophanum inferri ſinat; ne Deus ille, qui inhabitat inquinatam ſedem offenſus derelinquat.* Obſeruant Theodoretus, Ambroſius, & alij ex hoc loco colligi, Spiritum ſanctum eſſe Deum. Chryſoſtomus autem, itémque Ambroſius, hanc Pauli orationem tacitè ad eum referri putant, qui ſeſe (vt dicet paulò pòſt) nefario inceſtu polluerat; ſed vt verum fatear, cùm initio etiam ſequentis capitis de miniſtris Euangelicis diſputationem ad finem vſque proſequatur, veroſimiliùs crediderim ad eos potiùs pertinere, qui factiones, & diſſidia, aut parerent ipſi, aut fouerent: illi namque magnam proculdubio Dei templo contumeliam faciunt, vt meritò Dei templum violare dicantur. Itaque licet hoc loco tres obſeruare ſimilitudines, primam ſumptam ab agricultura, quæ tantum bonos concionatores complectitur, qui plãtant, aut rigant, & denique agrum, & vineam dominicam excolunt: alteram ab architectura petitam, quæ tum ad bonos, tum ad malos miniſtros, & verbi præcones refertur, cùm alij iacto fundamēto bonam, & congruentem, alij contrà alienam materiam ſuperimponant: tertiam à templi corruptoribus ductam, quæ malos dumtaxat concionatores, aut etiam auditores complectitur; Nam concinnatores ſua oratione ſeditiones concitare poſſunt, & auditores ſuis rumoribus excitare, vel fouere, atque ita templum Dei corrumpere. De his ergo ſiue magiſtris, ſiue auditoribus ait. *qui templū Dei violauerit, diſperdet illum Deus.* Eſt autem græcè non inelegans vocum alluſio; ſic enim ait, εἴ τις τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ φθείρει, φθερεῖ τοῦτον ὁ θεός. Significat autem apud Græcos φθείρω quod apud Latinos, corrumpo: quomodò corrumpi dicitur virgo, aut res ſacra; vt non malè quidam hoc loco dixerint, ſi quis templum
Dei prophanat. Hilarius [a] ita latinè reddidit: ſi quis a in Pſal. 64.
templum Dei corruperit, corrumpet & hunc Deus. Quam lectionem non ſemel probaſſe viſus eſt Au-
guſtinus [b]. Violare autem Dei templum myſticum, b lib. contra ep. Manich. c. 19. & Serm. 16. de verb. Domini.
is rectè dicitur, qui oratione ſua diſſidij, ac diſſenſionis eſt auctor, aut alia ratione fidelium cœtum in partes ſcindit, nam vt ait Theodoretus: *Si templo, quod ex lignis extructum eſt, honorem quem par eſt tribuimus, multò eſt vtique iuſtius Deo conſecrare templa ratione prædita.* Fateor quidem hac ipſa Epiſtola [c] pri-
uata cuiuſque corpora templa Spiritus ſancti appellari, ſed in præſentia templum Dei accipio fidelium c cap. 6. 19.
multitudinem: in qua proculdubio ineſt Deus tanquàm in templo, *templum enim* (inquit) *Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos:* quod non ad ſingulos, ſed ad vniuerſam multitudinem pertinere exiſtimo. Et idcirco mox ſubiicit.

NEMO SE SEDVCAT, SI QVIS, &c. Qui ſu- 18.
periora putant, de inceſtu accipienda eſſe, vt Chry- L.
ſoſtomus, cenſent in præſentia Apoſtolum ad contentiones, & concertationes redire. At planior videtur ſenſus, ſi hæc cum ſuperioribus nectantur, quaſi pertineant ad idem argumentum; vt quoniam templi Dei prophanatoribus ſupplicium intentauerat, nunc rationem explicet, qua quis ab eo ſe crimine, aut expiet, aut purum, atque integrum ſeruet. Etenim, cùm diſſidia, & contentiones à nimio humanæ, atque inanis ſapientiæ ſtudio ortum duxerint, ab ea Corinthios reuocare nititur Apoſtolus, & propterea ait. *Nemo ſe ſeducat:* tacitè ſignificans, in humana ſapientia latere quodammodò dolum, & eos ſeduci, atque à recto ſalutis tramite auocari, qui nimio eius ſapientiæ amore capiantur. Meritò autem inanem mundi ſapientiam damnat, non ſolùm quia D
(vt ait Tertullianus [d]) *ex philoſophorum ſemine ſunt* d apolog. ca. 47.
hæreſes, qui alibi dixit [e], *De philoſophorū ingeniis omnem* e lib. aduerſ. Hermog.
hæreſim animari; ſed etiam quia, vt idem docet, *Philoſophus eſt animal gloriæ, venaléque rumorum mancipium:* & rurſus [f]: *Philoſophi affectant veritatem, & affectando corrumpunt, qui gloriam captant.* & aliquantò pòſt: f apol. ca. 47.
Philoſophi gloriæ ſolius, & eloquentiæ libidinoſi. Inde oriuntur contentiones, & hæreſes, vt idem auctor alibi [g] docet, qui ita hæretico affatur. *Diſcede ab* g l. 5. in Marcionem & lib. de reſur. cap.
ethnico hæretici, redde illi ſenſus ſuos, quia nec ille de tuis inſtruitur, quid cæco duci inniteris? Similia ſcribunt Cyrillus [h] Hieroſolymitanus, & Lactantius, quibus h Catecheſ. 18.
conſentiunt quæ habet Hieronymus [i], apud quem i ep. ad Cteſiph.
hæc verba leguntur [k]. *Omnia* (inquit) *dogmata torum* k in Nahum Proph.
(de hæreticis loquitur) *cùm frigeant, & volare non* E
poſſint, ſedem ſibi, & requiem inter Ariſtotelis, & Chryſippi ſpineta reperiunt. Igitur Apoſtolus, qui diſſidia, & contentiones reprehendit, meritò ſuadet, hoc inanis ſapientiæ ſtudium, eiúſque oſtentationem vitanda eſſe. Itaque *ſi quis* (ait) *videtur inter vos ſapiens* II.
eſſe in hoc ſæculo, non ait ſi ſit ſapiens, ſed ſi videtur; quaſi indicet, non eſſe huius ſæculi ſapientiam, veram ſapientiam, ſed vmbram potiùs ſapientiæ, & inane quoddam ſimulacrum. Vocat autem ſapientiam huius ſæculi interprete Theodoreto, *quæ à ſpiritus gratia deſerta eſt, quæque ſolis humanis rationibus,*

& cogitationibus vtitur: quam certum eſt per ſe ſum-
ptam ad bene, beatéque viuendum nihil valere, vt
ipſi etiam philoſophi non negant, qui volunt philo-
ſophiam cum virtute coniungi, vt alicubi diſertè, &
a epiſt. 19.
doctè oſtendit Seneca[a]. Quoniam autem hanc ſa-
pientiam contemnendam docet, meritò ſubdit,
ſtultus fiat, vt ſit ſapiens, rationem indicans veræ ſa-
b lib. 3. ad Quir. cap. 69.
pientiæ conſequendæ, vel (vt ait Cyprianus[b]) in-
ſinuat, non in ſapientia mundi, nec in eloquentia
eſſe regnum Dei, ſed in fide Crucis, & in virtute
conuerſationis; *ſtultus ergo* (inquit) *fiat, vt ſit ſapiens*:
hoc eſt, vt ait Ambroſius, *ſapientiam mundi fugiat, vt
ſtultus ab ea iudicetur, & tunc erit prudens, quia ſtul-
tus ſæculo prudens eſt Deo, dum credit, Deum feciſſe,
quæ ratio mundi non capit*. Qua ratione rectè alicubi
c lib. de carne Chriſti cap. 4. & 5.
ſcripſit Tertullianus[c], quæ pertinent ad Chriſti
humanam naturam, *turpia, ſtulta, atque indigna vi-
deri Deo, ſi de noſtro ſenſu iudicemus Deum. Sed cir-
cumſpice, Marcion, (ſi tamen non deleſti) ſtulta mundi
elegit Deus, vt confundat ſapientiam*: & paulò pòſt
enumerans quæ ſtulta videri poſſint, Chriſti ortum
ex Virgine, & cætera, quæ pertinent ad naturæ im-
becillitatem commemorat; & mox addit: *Sunt planè
& alia tam ſtulta, quæ pertinent ad contumelias, & paſ-
ſiones Dei*. & poſt multa concludit. *Sed non eris ſa-
piens, niſi ſtultus ſæculo fueris, Dei ſtulta credendo*; illam
d cap. 1.
enim ſtultitiam intelligit de qua ſuprà dixit[d]: *Pla-
cuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere cre-
dentes.*

19. SAPIENTIA ENIM HVIVS MVNDI, &c.
I. Verè omnino huius ſæculi ſapientia ſtultitia dicitur.
Non ſolùm enim (vt ait Chryſoſtomus) nihil pro-
deſt, ſed multum etiam obeſt: quinetiam, vt monet
e lib. de carne Chriſti cap. 4.
Tertullianus[e], ipſa illa philoſophorum ſapiētia plu-
rima continet abſurda, & à recta ratione aliena. Ita-
f in parænet. ad Gent. & in lib. de Monar.
que Iuſtinus[f] martyr Platonis de Deo ſententias
tanquàm ineptas, & impias perſtringit, quem tamen
g lib. 5. Strom.
Clemens[g] Alexandrinus multa ait à Moſe accepiſſe.
Ariſtoteles, qui philoſophorum habitus eſt ſapien-
tiſſimus, negaſſe dicitur diuinam prouidentiam ad
h li. 5. Strom.
ea pertinere, quæ ſunt infrà Lunam; vt Clemens[h]
i de errot. Ariſt.
Alexandrinus, Iuſtinus[i] martyr, Tatianus[k], Gre-
k Orat. cont. Gent.
gorius[l] Nazianzenus, Epiphanius[m], & Ambroſius[n]
l Orat. 2. de Theol.
docuerunt. Qui[o] verò eum maximè excuſare co-
m in cōpend. doctrin. non procul ab initio.
nati ſunt, vltrò concedunt, eum ſingularia à diuina
n lib. 1. offic. cap. 13.
prouidentia exemiſſe: idem alicubi[p] apertè negat,
o Themiſt. in paraph. li. 12. metap. Auerr. ibid. Alexan. lib. de fato & lib. 1. natur. quæſt.
Deum curam habere fortuitorum: denique[q] Deum
p lib. de bona fort.
cæleſti orbi ciendo, tanquàm motorem affigit, eíque
q lib. 12. Metaph.
reliquas mentes penè facit æquales, quæ ſunt om-
nia prorſus abſurda, vt interim omittam alia philo-
ſophorum ſomnia, delirantium potius, quàm rectè
philoſophantium inuenta. Nam de Diis, quàm mul-
ta confinxerint, non modò impia, atque ſacrilega,
ſed etiam inania, puerilia, ac ridicula, qui aduerſus
gentes ſcripſerunt, luculenter oſtendunt, & nos
etiam in diſputatione de idololatria non pauca in-
r lib. de carne Chriſti cap. 4.
dicauimus; *& tamen*, vt ait Tertullianus[r], *apud ſæ-
culi ſapientiam faciliùs creditur Iuppiter taurus factus,
aut cygnus, quàm verè homo Chriſtus penes Marcio-
nem*.
II. Nequis autem affirmanti Paulo fidem abneget,
ſcripturæ teſtimonio confirmat. *Comprehendam* (in-
quit) *ſapientes in aſtutia eorum*: verba ſunt ex libro
ſ cap. 5. 13.
Iob[ſ]. *Qui apprehendit* (ait) *ſapientes in aſtutia eorum,
& conſilium prauorum diſſipat*. Sunt autem verba non
Iobi, ſed Eliphaz, cuius teſtimonio vſus eſt Apoſto-
lus; non quia diuinam habeat auctoritatem, ſed tan-
quam verè, ac ſapienter dictum probauit, vt aliàs
poëtarum ſententias proferre ſolet. paululum au-
tem verba immutauit, vt ſuo inſtituto accommoda-
ret. Comprehendam (ait) ſapientes in aſtutia eo-
rum: græcè pro comprehendam dixit Apoſtolus
A δρασσόμενος, hoc eſt, qui comprehendit. eſt enim
δράττω idem quod prehendo, ſeu manu comprehen-
do; & aliquando idem valet, quod amplector, quia
manibus, & brachiis amplectuntur. Septuaginta apud
Iob dixerunt καταλαμβάνων, quo loco Olympiodorus
interpretatur ὁ ἐλέγχων, id eſt qui arguit, ac reprehen-
dit: quomodo hunc Pauli locum citat Cyprianus[a], a De bono patient. & 3. ad Quir.
neque aliter accipit Ambroſius: nam re vera Deus
ſapientiam huius mundi arguit, ac reprehēdit, quam
potiùs ſtultitiam eſſe probat, neque hic ſenſus ab-
horret à voce Hebræa לכד *lucad*, qua vſus eſt Iob,
cuius vim expreſſerunt Septuaginta. Videtur enim
vox illa ſignificare vrbium expugnationem, vt qua
ratione vrbes armis expugnantur; ita rationum mo-
mentis inanis mundi ſapientia ſuperetur, & quaſi
B expugnetur. re namque vera Philoſophorum ſa-
pientia quaſi gentilium arx muniuiſſima victa, atque
expugnata in Eccleſiæ poteſtatem venit, & quaſi
ſeruituti ſubiecta eſt; vt fidei Chriſtianæ, & Catholi-
cæ doctrinæ ſeruiat. Poteſt etiam ſignificare idem,
quod fugientem comprehendit, ſeu apprehendit:
nam cùm philoſophia Chriſtianæ religioni maximè
obſiſteret, ac reluctaretur, Deum verum, eiúſque
cognitionem quodammodò fugiebat, ſed eſt ali-
quando à Deo apprehenſa, & veluti laqueis con-
ſtricta, ne denuò fugeret, aut laberetur. Quod
ſi quis metaphoram ductam putet à venatoribus,
qui laqueis feras implicant, non repugnabo. Quod
ſequitur *in aſtutia eorum*, Græcè πανουργίᾳ αὐτῶν,
more Hebraico dictum puto, quaſi illa ipſa impio-
C rum aſtutia ſit veluti inſtrumentum, & quaſi ha-
mus, aut laqueus, quo ipſi comprehendantur; et-
enim plerumque Deus declarat illorum artes fuiſ-
ſe veluti laqueos, quibus ipſi ſeſe induerint. Poſſis III.
etiam aliter accipere, vt illi dicantur in aſtutia de-
prehenſi, quomodo interdum rei in ipſo facino-
re deprehenduntur: quaſi qui negare non poſſint,
ſe inani quadam ſpecie ſapientiæ fuiſſe deluſos; ex
ipſis enim philoſophiæ, atque humanæ ſapientiæ
principiis, & idololatriæ apertiſſimè refellitur, &
multa Chriſtianæ religionis dogmata confirman-
tur, qua ratione ſuis ipſorum laqueis comprehen-
duntur. Quamuis autem πανουργία apud Ariſtote-
lem[b] ſit minùs laudabilis ſolertia, ac ferè malam in b lib. 6. Ethic.
partem accipiatur; tamen tum ipſe, tum etiam Baſi-
D lius[c] laudabilem quandam πανουργίαν agnoſcunt, c Initio Prouerb.
quæ dicitur δεινότης, quæ eſt ſolertia, quam Salo-
mon magnopere laudat: Et Paulus[d] ipſe ſe vocat d 2. ad Cor. 12. 16.
πανοῦργον, vbi noſter interpres dixit, *cum eſſem aſtutus,
dolo vos cepi*. Certè in libro Geneſeos[e], vbi agitur de e cap. 3.
ſerpente, qui à noſtro interprete dicitur *callidior
cunctis animantibus*, vox Hebræa eſt ערום *gharum*,
quam Aquila, & Theodotio πανοῦργον, Septuaginta
verò φρονιμώτατος interpretantur; id eſt prudentiſſi-
mum, ſed prudentia, quæ in callido, verſipelle, at-
que aſtuto ſimilitudinem, & analogia quadam in-
eſt. Ita contrà aſtutia pro prudentia ponitur. Sic Sa-
lomon[f]: *Vt detur paruulis aſtutia*, Græcè eſt πανουρ- f Prou. 1.
γία. An verò hîc pro vafricie, & calliditate; an pro
prudentia ponatur, ſi quiſpiam quærat, quia de ſa-
E pientibus ſermo eſt; equidem reſpondeam ad pru-
dentiam referendam videri: ſi quis tamen ad aſtu-
tiam reuocet, non magnopere repugnabo, vtrum-
que enim ſententiæ Apoſtolicæ æquè conuenit,
neutrum apertè conſtat. Quamuis enim philoſo-
phi, qui idolorum ſuperſtitionem irridebant, dolo
malo imperitæ multitudini imponebant; non tamen
videtur Apoſtolus id agere in præſentia, qui potius
ipſam ſapientiam eiúſque oſtentationem perſtringit,
qua fermè pſeudoapoſtoli abutebantur, atque Euan-
gelicam doctrinam quodammodò prophanabant.

20. Et iterum Dominus novit, &c.
I. Aliud eſt teſtimonium ſumptum à Dauide [a], vbi noſter interpres ait: *Dominus ſcit cogitationes hominum,quoniam vanæ ſunt.* Quamuis enim Dauid ſimpliciter hominum cogitationes nominet,interpretatur tamen Apoſtolus Dauidem,quaſi de ſapientibus loquatur; nam & de illis dixit in Epiſtola ad Romanos [b]. *Euanuerunt in cogitationibus ſuis,& obſcuratum eſt inſipiens cor eorum; dicentes enim, ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt:* itaque tanto antè videtur Dauid dixiſſe, quod hoc loco ſcribit Apoſtolus; ſapientiam huius ſæculi ſtultitiam eſſe apud Deum; hoc enim ſignificat,cùm dicit, nouiſſe Deum hominum cogitationes vanas eſſe,hoc eſt inanes,ac ſtultas. Quoniam verò diuina ſcientia falli, aut errare non poteſt,neceſſe eſt id re vera eiuſmodi eſſe,quale à Deo cognoſcitur:ita videtur Apoſtolus, vel idem iterare quod dixerat verbis Iob, vel certè illa verba dicta ſunt contra inane philoſophorum ſtudium, quo ſibi multum ſapere videbantur, hæc verò ad illam calliditatem referuntur, qua licet probè cognoſcerent, vel cognoſcere certè poſſent, non eſſe plures Deos, ad continendam tamen multitudinem in officio, idololatriam fouebant: vel quod magis probo pſeudoapoſtolos perſtringant, quòd inanem philoſophorum iactantiam imitantes, ſuam ſiue ſapientiam, ſiue eloquentiam, ſiue vtrumque glorioſiùs
II. oſtentarent. Quocirca rectè dixit non ita multò antè Apoſtolus; *Qui gloriatur,in Domino glorietur.* Non enim gloriandum eſt in rebus humanis, quamuis hominum iudicio, atque opinione laude dignæ videantur; cùm ſæpe accidat,vt hominum iudicia fallantur, & ea probent, ac magnifaciant, quæ apud Deum æquiſſimum rerum æſtimatorem nullo ſunt in pretio, vt accidit in humana ſapientia, quæ tantum abeſt, vt Deo probetur, vt pro ſtultitia,atque extrema dementia habeatur. Rectè porro ait Chryſoſtomus: *Quando autem ſapientia,quæ eſt infinita,hæc de ipſis ſtatuit, & tales pronuntiat,quam aliam eorum amentiæ quæris probationem?* Nam hominum quidem iudicia ſæpe falluntur: Dei autem ſententia nec reprehendi vnquam poteſt nec corrumpi, ac propterea talis quiſque cenſendus eſt, qualem illum Deus cenſet; neceſſe vt ſit eos vehementer falli, qui ex diuitiis,aut honoribus, aut humanis artibus, homines ſpectant; cùm hæc non ſolùm extrinſeca ſint, ſed etiam eiuſmodi, quæ diuino iudicio nauci ſiant; ita beatiſſima Virgo apud Lucam [c]. *Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui:depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles: Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes.*

[c] cap.1.51.

21. Nemo itaqve glorietvr in ho-
I. minibvs, &c. Colligit quod maximè perſuadere nititur,quòque hæc omnis diſputatio refertur. Rectè autem ex ſuperioribus pendet;nam quoniam, vt ait Ambroſius, *humanæ cogitationes, & conſilia improuida,& infirma ſunt,non eſt gloriandum in homine, ſed in Deo,cuius conſilium retractari non poteſt: quidquid enim homines ſine Deo ſapiunt, ſtultum eſt.* Addit Chryſoſtomus, hæc propterea à Paulo commemorari, vt oſtendat nulla prorſus in re creata gloriandum eſſe,tum quia externa ſapientia noxia eſt; tum quia ſpiritualia chariſmata nemo ſibi ſuis propriis viribus comparauit;ſed à Deo liberaliter accepit. neque aliter locum explicat Hieronymus. *Non enim in humana tantùm ſapientia nec in nobis quidem ipſis, ſed in eo,cuius & ipſi ſumus,gloriandum eſt.* Quod ſequitur: *Omnia enim veſtra ſunt,* ita explicat Chryſoſtomus quaſi doctorum faſtum perſtringat: oſtendit enim quidquid ſiue doctrinæ, ſiue facultatis diuinitus acceperint;id totum ad auditorum vtilitatem referri,& in ipſorum gratiam à Deo fuiſſe conceſſum. Eodem modo interpretantur Ambroſius, & Hieronymus, vt eadem ſit ſententia cum illa, quam Epiſtola ſequenti repetit [a]: *Omnia autem propter vos:* itémque: *Nos autem ſeruos veſtros per Ieſum:* Et denique capite ſequenti. *Sic nos (inquit) exiſtimet homo,vt miniſtros Chriſti,& diſpenſatores myſteriorum Dei.* Si igitur quidquid valent, aut poſſunt miniſtri veſtræ ſeruit vtilitati; quid in illis gloriamini? *Et ſi enim* (ait Chryſoſtomus) *propter vos,à Deo tamen bonorum omnium fonte profecta ſunt vniuerſa.* Pertinet quidem hæc Apoſtoli oratio ad Corinthios,qui ſuorum II.
magiſtrorum præclara ornamenta ſuſpiciebant, atque admirabantur,& inde ad ſe magnam laudis, & gloriæ partem deriuabant, quos Paulus tacitè caſtigat: ſed longè profectò maiorem vim habet aduerſus Eccleſiæ præſules,& Euangelij miniſtros,ſi fortè opibus,ſiue honoribus, ſiue auctoritate, ſiue denique ſcientia ad faſtum, atque arrogantem oſtentationem abutantur, nec animaduertant quidquid habent,& valent, quidquid denique ſibi diuinitus tributum eſt,ad vnius largitoris gloriam,atque Eccleſiæ,& ſubiectorum vtilitatem referendum eſſe;nam Eccleſiaſticæ quidem diuitiæ non ſunt ipſorum propriæ, ſed Dei, qui eas cultui ſacro,& pauperum inopiæ ſubleuandæ voluit eſſe dicatas;quin etiam ipſi, vt mox ſubdet Apoſtolus, & egregiè obſeruauit Chryſoſtomus, ſunt eorum, quibus præſunt veluti ſerui, quorum ſalus, atque vtilitas ipſis etiam cum vitæ diſcrimine procuranda eſt: quo in genere cùm multa dici poſſunt ex ſacris litteris,& Theologorum placitis petita,tum illud pro certo ſtatuendum eſt ſi qua cernantur ab hoc veluti canone aliena; magnopere verendum eſſe ne, qui mortalia,atque caduca, ſempiternis, atque cœleſtibus potiora ducūt,& illis perpetuò careant,quæ negligunt, & his quibus tantoperè adhærent iuſto Dei iudicio, atque ſententia ſpolientur. Ad eandem igitur rem magis,ac magis illuſtrandam ſubiicit.

[a] cap 4.15. Ibid.5. verſ.1.

Sive Pavlvs, sive Apollo, &c. *Doctores* (ait Theodoretus) *& Apoſtoli gratiam Apoſtolicam, & promulgandi Euangelij auctoritatem propter eos,qui audiunt,diuinitus acceperunt.* Nominat autem eos, quorum potiſſimùm cauſa diſſidia orta erant, Paulum, Apollo, Cepham: Chryſoſtomus ſuam retinet ſententiam,& hæc nomina exempli cauſa poſita putat. Hæc autem rerum enumeratio eò proculdubio pertinet, vt Corinthiorum animos à rerum creatarum admiratione auocet, & ad Deum bonorum omnium auctorem laudandum, & colendum attollat:quaſi dicat, videte quantum Deo bonorum omnium largitori debeatis:ſi quid in Paulo, Apollo, aut Cepha ſuſpicitis, & admiramini,id totum à Deo profectum eſt,& veſtræ,vobis ſalutis cauſa, conceſſum: quid verò Dei tantùm præcones,atque Euangelij miniſtros nomino? mundus hic vniuerſus, & quidquid ampliſſimo cœli ambitu clauditur, vobis permiſſum eſt;nam,vt ait Ambroſius; *Mundus vtique noſter eſt, ſed vt de illo ſecundū Dei voluntatem ſentiamus, & decretos curſus eius in Dei voluntate ponamus.* Alij mundū noſtrū eſſe dicunt,quia ab illo vitæ ſubſidia,& ornamenta quotidiè capimus; perinde quaſi explicet Apoſtolus,quod ſuprà ſcripſit [b],ac mox repetit, *omnia veſtra ſunt.* Addit: *ſiue vita,* non ſolùm præſens(vt ait Theodoretus,ſed etiam futura, & vita quidem præſens (interprete Ambroſio) *conceſſa nobis eſt,vt illam modeſtè, & cum Dei gloria tranſigamus,* præcipuè verò (vt ego exiſtimo, vt honeſtis,ac laudabilibus actionibus immortalem nobis vitam conſequamur, qua deinde in omnem æternitatem perfruamur. *Siue mors.* Chryſoſtomus de Apoſtolo-

22. I.

[b] verſ.21.

rum morte accipit, qui propter fideles, & propter eorum ſalutem adeũt diſcrimina, & ſi opus ſit, mortem oppetunt. eandem ſententiam ſequitur Theodoretus: verùm Ambroſius de priuato cuiuſque obitu explicat, vt ſi pro Chriſto moriendum ſit, non ſolùm libenti, ſed etiam hilari animo vitam profundamus. Sed Chryſoſtomi ſententia magis videtur inſtituto Apoſtolico conſentanea; continent enim hæc omnia rationem, cur dixerit, non eſſe in hominibus gloriandum. Addit: *Siue præſentia*, quibus (vt ait Ambroſius) ita vtendum eſt, vt nuſquam labamur, nuſquam offendamus: *Siue futura*, quibus aliquando fruendum nobis eſt: atque ita colligit Theodoretus. *Quæcumque videntur, omnia ad veſtrum vſum fabricata ſunt, & quæ expectantur, veſtra cauſa parata ſunt.*

11. Ex hoc loco rectè probat Tertullianus [a], rerum diſpoſitionem propter hominem inſtitutam eſſe, non contrà. *Sed enim* (ait) *Apoſtolus ſcribens, ſiue mundus, ſiue vita ſiue mors, ſiue futura, ſiue præſentia omnia veſtra ſunt, eoſdem conſtituit hæredes etiam futurorum.* Et [b] alibi, hæc omnia ab vno Deo conditore pendere oſtendit. *Habes* (inquit) *in præteritis, omnia veſtra ſunt ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas: ſiue mundus, ſiue vita ſiue mors: ſiue præſentia, ſiue futura: adeo omniũ Deum creatorem facit: à quo & mundus, & vita, & mors, quæ alterius Dei eſſe non poſſunt.* Quod autem ſubditur: *Ab eo igitur inter omnia & Chriſtus*: non de eius diuinitate, ſed de humana tantũ natura accipio; ne quis Arrij impietatem Tertulliano tribuat tanto illo antiquiori. Quod ſequitur in Latinis codicibus: *Omnia enim veſtra ſunt*, abſque vlla particula cauſali, legitur in Græcis, quomodo etiam inter Latinos legit Ambroſius; habent enim hæc vim confirmandi, perinde quaſi dicat, omnia inquam veſtra ſunt, vt in paraphraſi indicauimus, hoc eſt, veſtris vſibus deſtinata. Neſcio quàm verè quidam de electis, ac prædeſtinatis accipiunt, quaſi dicat Apoſtolus, omnia eſſe electorum, ac prædeſtinatorum: nam primùm cùm alloquatur Corinthiorũ Eccleſiam vniuerſam, non videtur veriſimile Paulum exiſtimaſſe omnes Corinthios fuiſſe prædeſtinatos; deinde id videretur ab inſtituto Apoſtoli prorſùs alienum, cùm (vt dictum eſt) oſtendat, nulla in re creata gloriandum eſſe, ſed vni Deo gratiam referendam, qui omnia ad noſtram vtilitatem conceſſit, vt Chriſto adhæreamus, atque eius meritis Deo coniungamur: itaque rectè ait Theodoretus: *Quando omnia vobis à Deo conceſſa ſunt, oportet vos Domino Chriſto coniungi, qui eſt omnium bonorũ ſuppeditator, & per ipſum Deo vniuerſorũ*, quod apertè indicat Apoſtolus, cùm dicit.

23. Vos autem Christi, &c. *Quomodo*

I. (inquit Ambroſius) *hæc omnia iudicio noſtro conceſſa ſunt, & ſubiecta; ita & nos Chriſto ſubijci oportet; quippe cui omnia accepta referamus.* Obſeruat autem Chryſoſtomus, aliter nos eſſe Chriſti, aliter Chriſtum Dei, aliter denique mundum noſtrum: nam nos quidem Chriſti ſumus, vt qui ab eo, & naturam, & gratiam hauſimus, Chriſtus autem Dei, non tamquàm opus, vt ſomniauit Arrius, ſed tamquàm vera, & germana proles; noſter porro dicitur mundus, vt qui propter nos ſit procreatus. Eodem modo loquitur Theodoretus *Nos enim* (inquit) *Chriſti ſumus, vt hominis quidem membra, vt Dei verò effecta, & opera. Chriſtus autem eſt Dei, non vt creatura, ſed vt Dei proprius filius, ex eo natus ſecundum diuinitatem*, qui, vt apparet, hæc Pauli verba de Chriſti diuinitate intelligunt: & Chryſoſtomus quidem Chriſtum ait eſſe Dei, *vt qui ipſum habeat cauſam, & auctorem eo quòd ſit Pater.* Sic enim plurimi Græcorum loquuntur, qui, repugnante Latinorum conſenſu, non ſolùm admittunt, Patrem eſſe principium filij, quod etiam Latini concedunt; ſed appellant etiam cauſam, vt Baſilius [a], Damaſcenus [b], Gregorius [c] Nazianzenus, Gregorius [d] Nyſſenus, Chryſoſtomus [e], Clemens [f] Romanus, Theodoretus [g], & alij. Inter Latinos autem Hilarius [h] alicubi ſcripſit, Patrem eſſe auctorem filij, negat tamen filij generationem habere cauſam [i]: alibi affirmat Spiritum ſanctum eſſe à Patre, ac filio, tamquàm ab auctoribus. At Latini Patres nomen cauſæ, aut auctoris non facilè admittunt, principij non omnino recuſant, ſed apertiſſimè negant, Chriſtum eſſe αὐτόθεον, hoc eſt Deum à ſe ipſo, quod impudentiſſimè dixit nequiſſimus hæreticus [k]: aſſerunt enim, *eſſe Deum de Deo, lumen de lumine.* Vtrum autem Pater veram habeat rationem principij, an etiam cauſæ, diſputatur in ſcholis inter Theologos: certè hoc loco malim, quæ Apoſtolus ſcribit de humana Chriſti natura accipere, vt illa apud Dauidem: *Aſtiterunt reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius*: II. quomodo etiam loquitur Petrus in Actis [l] Apoſtolicis. *Certiſſimè ſciat ergo omnis domus Iſrael, quia & Dominum eum, & Chriſtum fecit Deus hunc Ieſum, quem vos crucifixiſtis.* Et rurſus [m]: *Deus autem, qui prænunciauit per os omnium prophetarum, pati Chriſtum ſuum, impleuit ſic.* Denique Apoſtoli ad Dauidis locum alludentes dixerunt [n]: *Conuenerunt enim in ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti*; his enim omnibus locis Chriſtus dicitur Dei, quippe ab illo verè vnctus, & diuinitatis veluti vnguento delibutus. Quæ ſi admittatur ſententia, multò minùs hoc teſtimonio abuti poſſunt Arriani aduerſus Catholicos; erit enim ſenſus Apoſtoli, fideles Chriſti eſſe, quia illius merito fidem, & gratiam adepti ſunt, Chriſtum verò Dei, quia eius voluntate, ac diuino conſilio humana illa natura, & cœleſtibus, planéque diuinis muneribus locupletata eſt, & diuinæ hypoſtaſi copulata.

a de reſurr. cap. 59.

b 5 con Marcion. c. 6.

l cap. 2.

m cap. 3.

n cap. 4.

Argu

Argumentum Cap. IV.

*I*Nania *hominum iudicia negligenda eſſe, vnum diuinum pertimeſcendum, docet: ita neminem iure poſſe, aut debere efferri ſupra ſeſe, quamuis multis, ac magnis muneribus præſtet. Interim Corinthiorum tumorem ironicè perſtringens, de ſe ſuóque miniſterio humiliter, ac demiſſè loquitur; ita tamen, vt eximiam caritatem in illos ſuam declaret. Eorum denique erga ſe beneuolentiam partim requirit, partim confirmat, ſuúmque aduentum breui pollicetur.*

CAPVT IV.

SIc *nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.*

Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur.

Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die; ſed neque me ipſum iudico.

Nihil enim mihi conſcius ſum: ſed non in hoc iuſtificatus ſum; qui autem iudicat me, Dominus eſt.

Itaque nolite ante tempus iudicare, quoaduſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium; & tunc laus erit vnicuique à Deo.

Hæc autem, fratres, transfiguraui in me, & Apollo propter vos, vt in nobis diſcatis, ne ſupra quàm ſcriptum eſt, vnus aduerſus alterum infletur pro alio.

Quis enim te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?

PARAPHRASIS.

ATQVE vt de Chriſti miniſtris verè di- 1.
cam quod ſentio, ſic prorſus exiſtimo;
de nobis quidem nihil aliud mortalibus
ſentiendum, aut loquendum eſſe, quàm
quod deceat Chriſti miniſtros, quibus peculiari
Dei munere diuinorum myſteriorum adminiſtra-
tio credita eſt. ¶ Quod porro ſupereſt, illud in 2.
primis peruidendum eſt, vt quibus hæc tam grauis
adminiſtratio demandara eſt, nemo eorum ſuo
muneri deſit; ſed vt par eſt Deo primùm, tum mu-
neri ſibi credito, fidum ſe quiſque exhibeat. ¶ Ego 3.
verò ſi de me ipſo loquendum ſit, veſtrum om-
nium, aut cuiuſuis mortalium iudiciũ flocciſacio,
quin etiam ita ſum animo comparatus, vt de me
ipſo nihil auſim ſtatuere; nec quidquam mihi ſu-
mere, aut arrogare: nec mihi ipſi vllo modo fido,
aut meæ de actionibus, rebúſque meis ſententiæ
penitus acquieſco, vt qui probè norim quàm ſit
hominum natura ſui ipſius adulatrix, & in ſuis vi-
tiis cæcutiat. ¶ Tametſi enim nullius mihi rei 4.
conſcius ſum, cuius me iure pœniteat, probè ta-
men noui non propterea me Dei iudicio iuſtum
eſſe cenſendum, ſed alia mihi coram illo iuſtitia
opus eſſe, quæ illi iuſtiſſimo æſtimatori probetur.
Quocirca illi vni æquiſſimo iudici, me penitus ex-
cutiendum, ac iudicandum permitto. ¶ Quam- 5.
obrem nolite quæſo ante tempus de aliorum vita,
aut meritis ſententiam ferre, ſed expectate dum
veniat Iudex omnium Dominus, qui diuini ſui
luminis ſplendore omnia complens in lucem, &
conſpectum omnium proferat, quæ nunc tenebris
inuoluta, veluti cæca nocte occultantur; & abdita
conſilia cordium admirabili quadam ratione pa-
tefaciet; & tunc ſua quemque laus, & vituperatio
apud Deum manebit. ¶ Hæc autem, fratres, quæ 6.
hactenus à me diſputata ſunt, quodam veluti ſche-
mate, veſtra cauſa perinde diſſerui quaſi in me,
atque Apollo conuenirent, vt noſtro veluti exem-
plo diſceretis, nihil ſentire de vobis ſuprà id, quod
ſcripſi initio huius capitis, cùm dixi nihilo plùs
cuiquam noſtrum tribuendum eſſe quàm Dei mi-
niſtris debeatur; vt ne alius pro alio aduerſus alium
intumeſcat, aut etiam indignetur. ¶ Quis enim 7.
eſt, qui te quiſquis es ſegreget, aut eximat à cæte-
rorum grege, aut ita præſtantem reddat, vt præ
te cæteri pro nihilo habendi ſint. cuius tandem
ſuffragio, hæc tibi tanta dignitas tribuitur, qua te
cæteris anteponendum putas? Hominis profectò,
& non Dei. Atqui falluntur humana iudicia. Cur
igitur tantopere tibi places? Sed fac homines iu-

dicando minimè falli,aut decipi poſſe. Quid tan-
dem habes,quod non ab ipſo Deo immortali, bo-
norum omnium largitore acceperis, & quaſi pre-
cario poſſideas? Quòd ſi aliunde omnia accepiſti,
cur perinde gloriaris, quaſi à te ipſo cuncta poſſi-
8. deas, nec re vera ab alio acceperis? ¶ Verùm
enimuerò ſi quæ de vobis ad me perlata ſunt vera
eſſe mihi perſuadeam, videor iure poſſe me ita de
vobis ſentire, quaſi bonis omnibus expleti ſitis, &
ſupra modum locupletari, atque adeo abſque no-
bis,veluti in veſtro regno verſemini:atque vtinam
ſanè regnum adepti eſſetis, vt nos aliquando vnà
9. vobiſcum regnare poſſemus. ¶ Quòd ſi ita opor-
tet metiri miniſterij dignitatem, vt vos hactenus
feciſtis;nos profectò, tametſi diuinitus ad Apoſto-
latum vocati ſumus, non ad verbi diuini admini-
ſtrationem, ſed ad mortem erimus à Domino,
quaſi mortalium abiectiſſimi, & velut beſtiarij de-
ſtinati, idque poſt acerbiſſimas ærumnas, & cala-
mitates,ac moleſtiſſimas ignominias,quibus velu-
ti in theatro ſpectaculum exhibuimus mundo,hoc
eſt mentibus ab omni materiæ concretione ſegre-
10. gatis;& cunctis hominibus ludibrio expoſiti. ¶ Et
quidem nos à vobis, veſtríque ſimilibus cenſemur
ſtulti propter Chriſtum, vos autem omnium penè
ſententia prudentes in Chriſto: nos ægri, atque
infirmi;hoc eſt rerum aduerſarum, tum magnitu-
dine, tum multitudine obruti, ac penè oppreſſi;
vos autem validi, ac robuſti, ſecundo videlicet re-
rum curſu fruentes, ac bonis omnibus circumfuſi:
vos denique illuſtres,& omnium voce, ac prædi-
catione celebres;nos contra probris, & cõtumeliis
11. cooperti. ¶ Et ſanè hoc verè poſſum, atque ex
animo affirmare, nos ad hoc vſque tempus famæ,
ac ſiti non mediocriter laborare, nudos propemo-
dum incedere,ab omnibus excludi, atque in vlti-
mas terras amandari, & colaphis cædi, hoc eſt
quaſi mancipia,& maſtigias probris, & cõtumeliis
affici, incertis denique ſedibus continenter vagari.
12. ¶ Manuum opificio vitam ægerrimè tolerare,
conuitiis affectos bene precari, aduerſa denique
13. forti, ac patienti animo, tolerare. ¶ Probris, &
contumeliis appetitos ad preces confugere;atque
(vt paucis multa complectar) veluti purgamenta
mundi factos eſſe, & omnium (vt ita dicam) ra-
14. mentum ad hanc vſque diem. ¶ Neque ſanè hæc
idcirco ſcribo, vt vos pudore ſuffundam;quorſum
enim id apud vos agam?ſed id potiùs mihi propo-
ſitum eſt, vt vos filios meos dilectos amanter mo-
neam, doceámque veram Chriſtianæ doctrinæ
15. tradendæ rationem. ¶ Et ſi enim decem millia,
aut eo ampliùs pædagogorum habueritis in Chri-
ſto,qui vos erudiant, cæleſtíſque doctrinæ præce-
ptis imbuant,nõ multos certè,mihi credite,habue-
ritis patres, qui vos paterna caritate complectan-
tur;quod de me ipſo verè poſſum affirmare; in
Chriſto enim Ieſu per euangelium ego vos genui,
& ipſius Eccleſiæ ſummo Dei beneficio aggrega-
16. ui. ¶ Obſecro igitur vos, & per eam, qua vos be-
neuolentia proſequor; etiam, atque etiam obte-
ſtor

Iam ſaturati eſtis,iam diuites facti eſtis: ſine nobis regnatis: & vtinam regnetis, vt & nos vobiſcum regnemus.

Puto enim, quòd Deus nos Apoſtolos nouiſſimos oſtendit, tanquam morti deſtinatos, quia ſpectaculum facti ſumus mundo, & Angelis,& hominibus.

Nos ſtulti propter Chriſtum, vos autem prudentes in Chriſto: nos infirmi, vos autem fortes:vos nobiles,nos autem ignobiles.

Vſque in hanc horam & eſurimus,& ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus.

Et laboramus operantes manibus noſtris:maledicimur, & benedicimus;perſecutionem patimur,& ſuſtinemus.

Blaſphemamur,& obſecramus, tanquàm purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema vſque adhuc.

Non vt confundam vos hæc ſcribo, ſed vt filios meos chariſſimos moneo.

Nam ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto,ſed non multos Patres: nam in Chriſto Ieſu per Euãgelium ego vos genui.

Rogo ergo vos,imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.

Ideo

Ideo miſi ad vos Timotheum, qui eſt filius meus chariſſimus, & fidelis in Domino: qui vos commonefaciet vias meas, quæ ſunt in Chriſto Ieſu, ſicut vbique in omni Eccleſia doceo.

Tanquam non venturus ſim ad vos, ſic inflati ſunt quidam.

Veniam autem ad vos citò ſi Dominus voluerit: & cognoſcam non ſermonem eorum, qui inflati ſunt, ſed virtutem.

Non enim in ſermone eſt regnum, ſed in virtute.

Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis?

ſtor: vt meam viuendi, docendíque rationem; ne-
glectis iis, quæ ad inanem pompam, atque oſtenta-
tionem referuntur, ſpectādam vobis, atque imitan-
dam proponatis. Nam ego quoad eius fieri potuit,
Chriſtum mihi tanquam exemplar imitandum 17.
propoſui. ¶ Et ob eam cauſam miſi ad vos Ti-
motheum, qui eſt filius mihi cariſſimus, ac fidelis
miniſter in Domino, qui vobis in memoriam re-
uocabit, quæ ſit meæ vitæ ratio in Chriſto, quæ-
que maximè doceam, iiſque Eccleſiis proponam,
quas fidei præceptis imbuendas, Chriſtianiſque 18.
moribus informandas ſuſcepi. ¶ Cæterùm perin-
de quaſi nunquam ſim ad vos rediturus quoſ-
dam ex vobis ſupra modum elatos eſſe, accepi.
¶ Sed omnino, ſi Deo placuerit veniam ad vos,
non ita multò pòſt, & obſeruabo, ac diligentiùs,
attentiúſque perſpiciam non iſtorum eloquentiā,
& orationis apparatum, & elegantiam, ſed ſpiri-
tualem docendi, agendíque facultatem. ¶ Non 19.
enim in eloquutionis nitore, aut ſermonis cultu,
aut verborum floſculis ſitum eſt Dei regnum, &
Chriſtianæ religionis profeſſio, ſed in Spiritus ſan- 20.
cti vi, ac poteſtate. ¶ Quid vultis? ſic enim libet
vos interrogare. Quid (inquam) vultis? aut vtrum
è duobus eligitis, vt quaſi vltor virga, aut flagello
inſtructus veniam ad vos? an verò præditus cari-
tate, & ſpiritu lenitatis?

IN CAPVT QVARTVM
EXPLANATIO.

1, I. SIc nos existimet homo, &c. A Quoniam multa dixerat Apoſtolus vitanda eſſe diuini verbi miniſtris, nunc docet in quo poſita ſit eius muneris ratio, vt neque ipſi plus ſibi ſumant, quàm par eſt, nec facilè à ſubiectis contēnantur. Interim verò (vt obſeruat Chryſoſtomus) ipſi Deo, ac Domino, non autem miniſtris inhærendum docet. Ne autem quis putaret, voluiſſe Paulum aliis Euangelij præconibus quidquam detrahere, de ſe ipſo, déque ſuo munere priuatim agit. *Sic nos* (inquit) *exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti*: Græcè λογιζέσθω, quaſi dicat ratiocinando apud ſe ſtatuat, ita ſibi perſuadeat. alij codices habent, æſtimet, nihil mutata ſententia. Pro, *miniſtros*, autem quod dixit Latinus interpres, græcè ſcripſit Apoſtolus ὑπηρέτας, quæ B vox famulos ſignificat, quos Ariſtoteles[a] organa vocat animata, quòd rationem quamdam habeant inſtrumenti. Quemadmodum enim inſtrumentum ab artifice mouetur; ita miniſter imperium ſequitur Domini. *Et tanquàm inſtrumentum* (inquit) *ante inſtrumenta eſt omnis miniſter; nam ſi poſſet vnumquodque inſtrumentum, iuſſa accipiens, ac præſentiens peragere ſuum opus, ſicut quæ Dædali aiunt, aut Vulcani tripodas, quos Poëta inquit, per ſe diuinum certamen ſubiiſſe. Sic pectines ipſi texerent, & plectra citharam pulſarent: nihil opus eſſent nec architectis miniſtri, nec Dominis ſerui*; ita igitur Apoſtolus Euangelij præcones ὑπηρέτας vocat, niſi quis malit ὑπηρέτας pro publicis miniſtris poni, quod aliàs λειτουργοὺς Paulus ſolet appellare; niſi quòd, vt dixi in Epiſtola ad Romanos, λειτουργία quan-

a Polit.

A dam præfert publici muneris functionem, non ſine auctoritate; ὑπηρεσία verò quodlibet miniſterium ſignificat, vt allata verba Ariſtotelis docent. Simplex igitur obſequium ſibi tribuendum putat Apoſtolus, ne quis eum exiſtimet liuoris, aut inuidiæ ſtimulis agitari; ac propterea addit paulò pòſt; *Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die.* Ita Gregorius[a] Nazianzenus: *huius medicinæ miniſtri, & auditores ſumus quicumque aliis præſidemus.* addit. *Et diſpenſatores myſteriorum Dei*: Græcè οἰκονόμους, quod (vt ait Chryſoſtomus) additum eſt, vt oſtendat non eſſe omnibus omnia paſſim tradenda, ſed videndum quid quemque deceat audire. Poſſis etiam addere, voluiſſe Paulum indicare eſſe Apoſtolos rei alienæ adminiſtratores, cuius rationem ſint aliquando reddituri, vt Pauli modeſtia, atque animi demiſſio in primis appareat, qui non plu- B ris fieri voluerit, quàm qui rem adminiſtret alienam. Et quidem hoc fidelis miniſtri proprium eſt, ſic Paulus, Barnabas, vt obſeruat Theodoretus, cùm ſibi quaſi Diis immortalibus à Lycaonibus ſacrificia offerri animaduerterent: *Viri*[b] (inquiunt) *quid hæc facitis? Et nos mortales ſumus ſimiles vobis homines.* Et Petrus ad pedes ſuos procidentem Cornelium ſubitò erexit. *Surge*[c] (inquit) *& ego ipſe homo ſum.* Viderint igitur Eccleſiaſtici miniſtri quem ſibi cultum, ac venerationem depoſcant: & intelligant, ſe miniſtros, ac diſpenſatores eſſe, non Dominos. Ita Petrus[d]: *Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei: Si quis loquitur, quaſi ſermones*

a Orat. 1.
b Act. 14. 15.
c 10. 26.
d Ep. 1. c. 4. 10.

Dei, ſi quis miniſtrat, tamquam ex virtute, quam admi-niſtrat Deus, Quibus verbis duo præcipua miniſtrorum munera recenſet, alterum docendi, alterum verò adminiſtrandi res Eccleſiaſticas: & hæc quidem adminiſtratio latiſſimè patet, & ea omnia complectitur, quæ à præſulibus Eccleſiaſticis maximè requiruntur: eam verò Apoſtolus adminiſtrationem appellat, quemadmodum hoc loco Paulus miniſtros Chriſti vocat, ſpectarût enim fortaſſe ad illud, quod

a cap.12.42. Chriſtus Dominus dixit apud Lucam [a]. *Quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens?* Græcè οἰκονόμος: propterea enim ſubiicit Apoſtolus: *Hic iam quæritur*

III. *inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur.* Verùm hac de re copioſiùs in præſentia non eſt agendum; neq enim me fugit, pleroſque mortalium aſſentandi ſtudio, atque ambitionis ſtimulis agitatos plus tribuere Epiſcopis, cæteriſque Eccleſiæ miniſtris, quàm eorum muneris ratio patiatur; cùm tamen planè certum, atque exploratum ſit, nihilo plus in res Eccleſiaſticas licere, quàm quod fas ſit miniſtro, qui rem domini ſibi creditam adminiſtrat, redditurus aliquando rei benè, maléve geſtæ rationem. Neque ij vllo modo audiendi ſunt, qui quemquam mortalium cenſent alio iure rebus Eccleſiaſticis præeſſe, vel plus vlli conceſſum eſſe, quàm quod adminiſtra-

b Caiet. 2. 2. q.43.art.8. tionis ratio poſtulat, vt egregij [b] Theologi docuerunt. Quis enim quemquam à iuſtitiæ diſtributiuæ lege, aut exemit, aut eximere potuit? quis autem dubitat cunctos mortales auditurōs aliquando; *Redde*

c Luc.16.2. *rationem* [c] *villicationis tuæ.* Sed redeo ad Paulum, Miniſtros ille Chriſti appellat, & myſteriorum Dei diſpenſatores; ſic enim habent Græci codices, non vt perperàm legunt Latini quidam, miniſteriorum. eo porro nomine ea omnia complectitur, quæ fidelibus non ſolùm explicanda ſunt, vt rectam fidem concipiant, & honeſtè, ac laudabiliter vitam inſtituant; ſed etiam quæ ad eorum ſalutem, vel expiationem adhibentur, qualia potiſſimùm ſunt ſacramenta, quæ propriè Græcè μυστήρια nuncupantur; hæc enim omnia ad Apoſtolicum munus pertinere nemo dubitat. Certè Ambroſius, & alij hæc potiſſimùm accipiunt de ſacramentis, quæ propriè myſteria dicuntur; ſed non perinde accipio, quaſi hoc ſolùm ad munus Apoſtolicum pertineat, quod, vt dixi, multò latiùs patet, longéque plura præſtare de-

IV. bet. Sunt verò alia non pauca, quæ ad hanc Eccleſiaſticam adminiſtrationem referenda ſunt; de quibus alibi diſputandum erit; nam & leges Eccleſiæ miniſtri plerumque condunt, eáſque vel mutant, vel interpretantur, vel earum ſeueritatem mitigant, vel priuatim quoſdam, vt rerum neceſſitas exigit, ab earum eximunt poteſtate. Qua in re quid potiſſimùm ſeruandum ſit, quæque diſpenſationis ratio ſequen-

d l. 3 de cōſid. ad Eug. da, egregiè docet alicubi Bernardus [d]. *Quid* (inquit) *prohibes diſpenſare? non, ſed diſſipare. Non ſum tam rudis, vt ignorem poſitos vos diſpenſatores, ſed in ædificationem, non in deſtructionem. Denique quæritur, inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur; vbi neceſſitas vrget excuſabilis diſpenſatio eſt; vbi vtilitas prouocat, diſpenſatio laudabilis eſt. vtilitas dico communis, non propria. nam cùm nihil horum eſt, non planè fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.* Hic enim, vt apparet, de diſpenſatione loquitur, non vt eſt rerum Eccle-

e apud Theoph. §. rectè inſtit. manda & C. Theod. de his, quę cū diſpens. contrahunt. ſiaſticarum adminiſtratio, ſed vt eſt iuris, ac legum relaxatio; ſic enim minùs latinè iuris canonici periti loqui ſolent, cum alioqui diſpenſatio apud Latinos ſit curatio, ſeu procuratio cuiuſpiam rei, vnde diſpenſatores pecuniarum dicti ſunt [e].

2.

I. Hic iam qværitvr inter, &c. Aptè omninò hoc addit Apoſtolus, vt intelligant Corinthij quid potiſſimùm à miniſtris Euangelicis exigendum ſit; vt videlicet cum fide, atque integritate ſuo munere fungantur. Duo autem potiſſimùm pertinent ad fidem, ſeu fidelitatem; alterum reſpectu Domini; alterum verò eorum reſpectu, quorum vſui, atque vtilitati commiſſa adminiſtratio eſt: Fidus autem miniſter Domino ſuo debet honorem, & gloriam, quod ij minimè præſtant, qui popularem auram ſectantes, eloquentiæ, aut inanis ſapientiæ laudē quærunt, at contrà fidelem ſe olim præbuit Ioab, qui, vt eſt in libris Regum [a], cùm vrbem obſideret,

a lib.2.c.12. Dauidem his verbis monuit. *Capienda eſt Vrbs aquarum. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obſide ciuitatem, & cape eam, ne cùm à me vaſtata fuerit vrbs, nomini meo adſcribatur victoria.* Is verò, quos erudiendos, atque informandos miniſter ſuſcepit, cùm ſanam, ac ſolidam doctrinam, tum cætera omnia debet quibus ad beatam vitam aſſequendam perduci queant. Hæc igitur miniſtro ſpectanda, & quærenda ſunt; cætera, vel aliena vel ſuperuacanea

b Matth.24.45. Luc.12.42. cenſentur. Ita Chriſtus [b] fidelem, ac prudentem ſeruum mercede dignum iudicat. *Quis enim* (inquit) *eſt fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* Fidelis quippe is eſt, qui vt ait Chryſoſtomus) *non ſibi vſurpat, nec vendicat quæ Domini ſunt; ſed ſe gerit tamquam diſpenſatorem, cuius proprium eſt ſua fide commiſſa rectè adminiſtrare, neque Domini beneficia ſibi tribuere.* Fidelis omni-

c cap.3. no diſpenſator erat Petrus, qui cùm in Actis [c] Apoſtolicis greſſum claudo reſtituiſſet. *Viri* (inquit) *Iſraelitæ quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute, aut poteſtate fecerimus hunc am-*

d cap.15.10. *bulare?* Et Paulus cùm hac [d] ipſa Epiſtola multa de ſe ipſo magnifica prædicaſſet, continuò ſubiecit: *Non ego, ſed gratia Dei mecum.* Quocirca Chryſoſtomus (quod in animo Eccleſiaſticorum miniſtrorum inſculpendum potiùs videtur, quàm auribus inculcandum) *Ad magnam* (inquit) *perueniſti auctoritatem, & aliquando Eccleſiaſticam aſſecutus es adminiſtrationem, ne ingentes ſumas ſpiritus, non tu acquiſiſti gloriam, ſed Deus ea te induit. Parce ergo, tamquam aliena, ea non abutens, neque vtens ad ea, quæ non decet, neque intumeſcens, neque eam tibi vendicans, ſed exiſtima, te eſſe pauperem, & inglorium; neque enim ſi purpura regia tibi ſeruanda eſſet tradita, oporteret abuti veſte, & eam corrumpere, ſed ei, qui eam dedit conſeruare diligentiùs.* Eodem planè modo loquitur Theodoretus. *Fidelis* (inquit) *eſt, non vt Domini dignitatem arripiat, ſed vt Domino beneuolentiam conſeruet.* Cæte- II.

rùm, quod ait Latinus interpres: *Hic iam quæritur,* Græcè eſt ὃ δὲ λοιπὸν ζητεῖται, hoc eſt quod ſupereſt, aut quod reliquum eſt quæritur, ſiue deinceps, ſiue poſthac quæritur: videtur verò interpres legiſſe ὧδε, non autem ὃ δὲ. Quod autem ait *quæritur.* perinde eſt, ac ſi dixiſſet, ſpectatur, aut requiritur: denique quod ait: *inter diſpenſatores*, Græcè eſt ἐν τοῖς οἰκονόμοις, id eſt diſpenſatoribus, non enim hæc perinde accipienda ſunt quaſi inter diſpenſatores id diſputetur, ſed quòd id potiſſimùm ab illis requiratur. Di-

e 1 ep.4.10. ſpenſatores autem dixit, vt Petrus [e]. *Sicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.* Græcè οἰκονόμοι. Sic

f l.5. polit. cōtra ead. Ariſtoteles [f] de principe, qui rectè rempubl. adminiſtrat. οἰκονόμος, ἀλλ' οὐ τύραννος τῷ δόξει. Diſpenſator (ait) non tyrannus videbitur eſſe: quod maximè pertinet ad miniſtros Eccleſiaſticos, quibus (vt ait

g 1 ep.5.3. Bernardus) *interdicitur dominatus,* ait enim Petrus [g], *non dominantes in cleris.* Sunt itaque ſacrorum Antiſtites diuinorum myſteriorum diſpenſatores, nec quidquam, vel ad honorem illuſtrius, vel ad dignitatē magnificētius, ſibi iure arrogare poſſunt, quàm vt cœleſtis imperatoris diſpenſatores nuncupentur: quod illis nomen meritò tribuitur analogia ducta à

diſpo

diſpcoſatoribus principum. Nam (vt ait Varro [a]) ab ære pendendo diſpenſator dictus eſt; quocirca, vt paulò antè monui, qui principum pecunias curant, & theſaurorũ adminiſtrationem gerunt, diſpenſatores appellantur [b]. Talis, credo, erat ille, qui ab interprete apud Lucam [c] villicus nominatus eſt, Græcè οἰκονόμος. & Eccleſiæ antiſtites ſacris, & cœleſtibus theſauris adminiſtrandis præſunt; ſiue Chriſtianæ doctrinæ præceptis tradendis, & dogmatibus explicandis; ſiue ſacramentis adminiſtrandis, aliiſque ſimilibus functionibus exercendis.

a lib. de ling. Latina lib. 4.
b C. Gad. ad Romanos cap. 16. 23.
c Luc. 16.

3. I. Mihi avtem pro minimo est, &c. Appoſitè ad ea, quæ paulò antè diſputauerat, hoc additum videtur. Vt enim initio huius Epiſtolæ dixi, nonnulli apud Corinthios Paulo, quaſi minùs diſerto detrahebant: hic igitur ait Apoſtolus, ſe humana iudicia nihiliſacere; eadémque opera (vt Chryſoſtomus, Theodoretus, aliique Græci affirmant) liberam iudicandi licentiam caſtigat, quod vitium ait Chryſoſtomus omnibus penè inſitũ eſſe, apud Corinthios verò fuiſſe vulgare. Idem verò addit, non eſſe hanc orationem ab arrogantia profectam; ſed eò tantùm referri, vt doceat, humano iudicio nihil poſſe cuiquam accedere, nihil detrahi; nam vt acutè obſeruauit Bernardus [d], diuinum tantùm iudicium iuſtam de cuiuſque merito ſententiam fert; cæteri falli, ac decipi facilè poſſunt, atque vt plurimùm errant. *Pro minimo* (igitur ait) *mihi eſt, vt à vobis iudicer*, quaſi dicat; iudicium de me veſtrum naucifacio. Quod ſequitur, *aut ab humano die*, expenditur ab Hieronymo [e]: diem autem pro iudicio Ciliciũ idiotiſmo poſitum indicat: quod niſi verum eſt (quod video à viris doctis in dubium vocari, nec pertinaciùs alterutram in partem aſſerendum videtur) diem certè Apoſtolus ſacrarum litterarum more, pro iudicio vſurpauit. Et ſunt, qui velint, cùm ſuperiori capite dixit, *dies enim Domini declarabit*; diem poſuiſſe pro iudicio. Nam & qui Latinè loquuntur, diem dicere ſæpè pro eo vſurpant, quod eſt in iudicium quempiam vocare. quamquã Græcæ phraſis perſimile exemplum adhuc requiro. certè Photius Græcus auctor pro iudicio accipit. *Nihil* (inquit) *mea refert, ſiue à vobis iudicer, ſiue ab humano die, id eſt, quouis alio.* Humanum autem diem dixit, vt opponat diei Domini, quo ſupremum erit omnium iudicium: vnde deſumpta eſt analogia denominandi humanum diem. An hîc pertineat, quod ait Ieremias [f], *diem hominis non deſideraui*, aliorum malo, quàm meo iudicio definiri: ſanè ita exiſtimant nonnulli, qui putant Prophetam affirmare ſe vaticinando ab aliis irriſum, ab aliis autem reprehenſum fuiſſe, ſe tamen omnia contempſiſſe, neque vnquam hominum approbationem, aut laudem expetiuiſſe, vt humanus dies hîc humanam laudem, ac fauorẽ ſignificet, neque aliter putant accipiendum, quod hoc loco ſcribit Apoſtolus. Gregorius [g] diem hominis apud Hieremiam interpretatur ſecundum, ac fœlicem rerum humanarum curſum: quod ipſum indicauit Auguſtinus [h], nam quod vtrobique Theophylactus monet, diem poni pro aliqua eminenti dignitate; neque temerè

d Serm. de triplici iud.
e epiſt. ad Algaſ. q. 10.
f Ierem. 17. 16.
g lib. 4. Mor. c. 17. alias 14.
h in Pſal. 36. concio. 2.

II. probandum, nec penitus reiiciendum puto. Porro quod ait Theodoretus, diem poni pro humanæ vitæ breuitate, non video quorſum pertineat. Ambroſius autem, cur dies pro iudicio ponatur hac fermè ratione explicat. *Humanũ ergo diem cùm dicit, ſignificat & diuinũ, in quo iudicaturus eſt Chriſtus; quia ſicut iuriſcõſulti, ſeu pontifices, quos vocãt ſacerdotes, certos dies, quibus iudicatur decreuerunt; ita & dies Domini definitus eſt, quo iudicaturus eſt mundum.* Videtur enim alludere ad dies, quos olim veteres faſtos, ſeu nefaſtos dicere cõſueuerant; de quibus ita [i] ille cecinit.

i Ouid. l. 1. Faſtorum.

Ille nefaſtus erit, per quem tria verba ſilentur:
Faſtus erit, per quem lege licebit agi.

Obſeruat autem Chryſoſtomus additum ab Apoſtolo, *aut ab humano die*; ne videretur Corinthios contemnere, aut acriùs pungere, quaſi illorum iudicium nihili faceret. *Nam ſi dixiſſet à vobis tantum, & ſiluiſſet cætera, hoc ſatis fuiſſet ad eos mordendos, vt qui fuiſſent deſpecti: nunc autem eo quòd ſubiunxerit neque ab humano die, plagæ medicamentum exhibuit, vt qui eis dederit ſolatia contemptionis.* Eodem etiam refert quæ ſequuntur. *Sed neque me ipſum iudico*: quibus verbis etiam oſtendit, nihil de ſe arroganter prædicare. Neque ipſi (inquit) mihi fido, nec meo de me ipſo, rebúſque meis iudicio, ſententiæque acquieſco; & quidem rectè; humanum quippe iudicium ignoratione plerumque errare poteſt, proprium verò amore ſui ſibique blandiendi ſtudio inquinari. Hinc acutè Bernardus [a] colligit triplex eſſe iudicium, diuinum, humanum, ac proprium, & ſingulorum vim, ac poteſtatem fusè explicat; quæ quia ad mores pertinent, in præſentia omittuntur.

a Serm. de triplici iud. & Ser. 29. paru.

Nihil enim mihi conscius svm, &c. 4. I.
Quia dixerat ſe non proprio iudicio ſatis fidere, eius nunc rei rationem reddit. Tametſi (inquit) nullius me ſceleris conſcientia arguit, non propterea tamen me ſubitò iuſtum, ac innocentem pronuntiarim. *At enim* (ait Chryſoſtomus) *quoniam* (inquit) *potuit aliena in re peccaſſe, cùm tamen non ſe peccare animaduerteret*; Nam (vt ait Propheta [b]) *delicta quis intelligit?* propterea ſubdit; *ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo: Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.* De hoc autem loco ita alicubi ſcribit Baſilius [c]: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum: quod idem eſt, ac ſi diceret: Multa delicta committo, quæ committere non intelligo. propter hanc cauſam etiam propheta ait, delicta quis intelligit?* Et Hieronymus [d] cùm hæc Apoſtoli verba protuliſſet, addit; *qui hoc dicebat, nullius vtique peccati ſibi conſcius erat, ſed quia legerat, delicta quis intelligit? Et,* [e] *ſunt viæ, quæ videntur viro iuſtæ, nouiſſima autem earum reſpiciunt in profundum inferni. Et iterum:* [f] *Omnis vir videtur ſibi iuſtus, Deus autem corda hominum dirigit; idcirco temperabat ſententiam; ne fortè per ignorantiam deliquiſſet.* Et Ambroſius in eamdem ſententiam: *Apertum* (inquit) *eſt, quia conſcientiam puram habens, ſollicitus de ſe non erat; ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Nunc humiliat ſe, & loquitur vt homo, qui poſſit culpam incurrere neſcius.* Paucis autem interiectis, addit: *Quis enim homo eſt, quem non aliquid lateat? interdum enim aliquid vtile putamus, quod inutile eſt; nec enim omnia membra, aut latera conuerſationis humanæ deſcripta habemus: ab iis autem, quæ grauia ſunt apertè prohibiti ſumus. nam quadam cauſa nos fallere ſolent ex cauſis aliquibus orta, vt quod non eſt vtile putemus vtile, quod leue quidem eſt, quia propoſitum liberum eſt.* Gregorius [g] verò: *Idcirco* (ait) *in eo, quod nihil mihi conſcius ſum, iuſtificatum me abnego, quia ab eo qui me iudicat examinari me ſubtiliùs ſcio: diſſimulanda ergo ſunt, quæ exteriùs fauent, reprimenda quæ interiùs perſtrepunt; declinanda, quæ quaſi neceſſaria inuoluunt; & tamen in iis omnibus adhuc diſtricti examinis flagella metuenda, quia & ipſa noſtra perfectio culpa non caret, niſi hanc ſeuerus iudex in ſubtili lance examinis miſericorditer penſet.* Et poſt multa eadem Pauli verba explicans [h]. *Ac ſi diceret, rectè egiſſe me recolo, attamen de meritis non præſumo, quia ad eius examen vita noſtra ducitur, ſub quo noſtra fortitudinis oſſa turbantur.* Porro qui ita Paulum interpretantur cùm de leuibus noxiis loquuntur, II.
tum iuſtitiam accipiunt omni ex parte perfectam, & ſuis omnibus numeris abſolutam, quæ ne leuiſſimum quidem piaculum admittat: de qua interprete

b Pſal. 18. 13.
c l. de conſtit. monaſt. cap. 1.
d li. 2. aduerſ. Pelag. non longe à princ.
e Prouerb. 14. 12.
f Prouer. cap. 21. 2.
g lib. 5. Mor. cap. 7. alias 8.
h cap. 22.

a Pſal. 142. 2.
b coll. 22. cap. 7.

prete Auguſtino [a], dixit Dauid. *Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* Ita planè alicubi Caſſianus [b]: *Nullus* (inquit) *ita circumſpectus in huius mundi poteſt eſſe conflictu, vt eum ſaltem rara, vel leuia peccatorum tela non feriant: quia impoſſibile eſt, vt non aut ignorantia, aut negligentia, aut vertiate, aut obreptione, aut cognitione, aut neceſſitate, aut obliuione peccetur. Nam & ſi ad tam praecelſum quis virtutum culmen aſcenderit, vt Apoſtolicum illud non iactanter exclamet; Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die, ſed neque me ipſum iudico; nihil enim mihi conſcius ſum: ſciat ſe tamen abſque peccato eſſe non poſſe. Neque enim fruſtra idem doctor adiunxit, ſed non in hoc iuſtificatus ſum: id eſt non ſi ego iuſtum me eſſe credidero, veram continuò iuſtitiæ gloriam poſſidebo, vel quia me conſcientia mea nullius peccati reprehenſione compungit; idcirco nullis ſordis contagione fuſcatus ſum, multa enim meam conſcientiam latent, quæ cùm ſint mihi incognita, vel obſcura, Deo nota, atque manifeſta ſunt, ideóque ſubiicit; qui autem me iudicat Dominus eſt: id eſt ab illo ſolo, quem ſecreta cordium non latent, verum iudicij in me profertur examen*: quæ propterea libens deſcripſi, quia egregiam huius loci paraphraſim continent. Res quidem ipſa ad fidem catholicam pertinet; nam Concilium [c] Mileuitanum, & Tridentinum [d] definierunt citra priuilegium non poſſe quemquàm in tota vita omnia leuiora peccata vitare: id, quod ſacræ litteræ non obſcurè ſignificant [e]. *Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno*: Locutus autem erat de condonatione peccati. rurſus [f]: *Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens*: Salomon [g] autem: *Septies in dies cadit iuſtus, & reſurgit.* Alibi [h]. *Non eſt homo, qui non peccet*: apertiſſimè verò Ioannes [i]: *ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*: denique Iacobus [k]: *In multis offendimus omnes.*

c Can. 6.
d Seſſ. 6 can. 23.
e Pſal. 31. 6.
f Pſal. 142. 2.
g Prouer. 14. 16.
h Eccl. 7. 21.
i ep. 1. c. 1. 8.
k cap. 3. 2.

III. Accedit quòd non ſolùm ex animi modeſtia, & Chriſtiana humilitate, ſed omnino verè, atque ex animo omnes iuſti dicere poſſunt, *dimitte nobis debita noſtra.* Quod ſæpè inculcat Auguſtinus, & poſt Cōcilium Mileuitanū definit Tridentinum [l]; idémque docent Hieronymus [m], & Auguſtinus [n]: confirmāt quinque Epiſcopi ad Innocentium, Concilium [o] Africanum, Baſilius [p], Cyprianus [q], Hilarius [r], Ambroſius [s], Gennadius [t], Gregorius [u], Bernardus [x]. Non deſunt tamen, qui putent hæc verba Pauli non de vera iuſtitia, qua coram Deo quis dicitur iuſtus, de qua negant potuiſſe Paulum dubitare, ſed de iuſtitia accipienda eſſe, qua quis ab hominibus iuſtus, vel iniuſtus iudicatur: quaſi dicat Paulus, tametſi nihil mihi penitùs conſcius ſum, non propterea tamen iuſtus à vobis iudicor. Quæ mihi ſententia nullo modo ferenda videtur; agit enim in præſentia Apoſtolus de fideli miniſtro, ac diſpenſatore, déque eius integritate quaſi Deo probaturus eſt: vnaque oſtendit hominum iudicio, atque opinione non eſſe de euiuſqnam merito, aut ſanctitate iudicandum; cùm hoc iudicium vni Deo reſeruetur, de quo mox ſubdit: *qui autem iudicat me Dominus eſt*: quòd ſi de illa iuſtitia loqueretur, de qua poſſunt homines ſententiam ferre, quæ tota pendet ab externis actionibus, quæ ſenſibus obiiciuntur, non eius profectò iudicium vni Deo permitteret. perinde igitur eſt, ac ſi dicat: illi, quorum vos eloquentiam, atque eruditionem ſuſpicitis, & admiramini, non propterea rite munere Apoſtolico fungi cenſendi ſunt, quòd veſtro ſuffragio tollantur in cœlum; neque ego ob eloquentiæ, & cōtemptæ orationis neglectum, quaſi meo muneri deſim, iure poſſum à vobis damnari; iſta enim iudicia veſtra nullo ſunt in pretio apud Deum, nihil, quod attinet ad iuſtitiam, vel tribuere poſſunt miniſtris, vel auferre:

l Seſſ. 6. c. 11.
m trib. libris contrà Pelagianos.
n de ſpiritu, & littera c. 2.
o cap. 82. 83.
p Hom. de pœnitentia.
q lib. 3. ad Quirinum.
r Pſal. 1 8.
ſ in Lucam cap. 1. & lib. de fuga ſæculi cap. 1.
t lib. de Eccl. dogm. cap. 31.
u lib. 18. Mor. cap. 4. & l. 21. Mor. 9.
x lib. de præcepto, & diſpenſatione.

A ac ne ego quidem, tametſi nihil agnoſco, quod iure in me reprehendi poſſit, de me ipſo tamen nihil poſſum ſtatuere, ſed integer Dei iudicio ſiſtendus ſum, vt mea ſiue iuſtitia, ſiue iniuſtitia proferatur in lucem. IV. Quamquàm enim iure poterant Corinthij de concionatorum eloquentia, atque doctrina iudicium facere, in eo tamen peccabant, & humani iudicij fines prætergrediebantur, quod ex his rebus prorſus externis, quæque nullam habent cum vera iuſtitia, & ſanctitate connexionem, de cuiuſque merito ſententiam ferebant: hoc autem Paulus, neque aliorum hominum, neque proprio cuiuſquam iudicio definiri poſſe contendit. At Paulus de ſua iuſtitia dubitare non poterat; id enim diuinitùs ei patefactum fuiſſe, penè pro certo ab omnibus po-
B nitur. Sit ſanè ita; hæc tamen non idcirco dicit, quaſi de ſua iuſtitia dubitet, ſed vt oſtendat eam, neque ab aliorum, neque à ſuo priuato iudicio pendere: nec enim ille iuſtus erat, quia nihil in ſe ipſo reprehenſione dignum animaduertebat; cùm (vt ſuprà dictum eſt) multa poſſint interdum eſſe in aliquo reprehendenda, quæ quis non agnoſcit. Accedit quod, vt mox ipſe explicat, hæc de ſe ipſo quaſi exempli gratia diſputat, & fortaſſe vniuerſim cuiuſlibet miniſtri perſonam induit; vt cùm ad Romanos ſcripſit [a]: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* quæ in aliena perſona dici nemo dubitat; quamuis quamnam induat
C perſonam ambigat non nemo. Itaque verè ſubdit: *Qui autem iudicat me Dominus eſt*: ille quippe (vt ſcribit Hieremias) corda, & renes ſcrutatur, hoc eſt intimos animi receſſus peruadit, ac penetrat, & abdita, atque occulta conſilia perſpicuè intuetur. Paulò aliter more ſuo, retenta tamen eadem ſententia hunc locum latinè reddidit Tertullianus [b]. *Mihi autem* (inquit) *in modico eſt, vt à vobis interroger, aut ab humano die; neque enim conſcius mihi ſum.*

a cap. 7. 23.
b de pudic. cap. 14.

5. I. ITAQVE NOLITE ANTE TEMPVS IVDICARE, &c. Hæc omnino ſuperiorem noſtram ſententiam maximè confirmant; nam ſi de humana iuſtitia loqueretur, quæ hominibus probari poteſt, non profectò tantopere iudicandi licentiam coërceret. De vera itaque iuſtitia, quæ Deo placeat, dé-
D que cuiuſque apud Deum merito loquitur, & ob eam cauſſam ait, *nolite ante tempus iudicare*. Et certum proculdubio eſt, non prohibere Apoſtolum eorum iudicia, qui non ſolùm publicam poteſtatem, ſed publicam etiam habent iudicandi neceſſitatem, quales ſunt iudices, magiſtratus, & principes, cuiuſmodi etiam fuerunt Apoſtoli, & ſunt in Eccleſia Epiſcopi, eorum ſucceſſores. Illud etiam certum non prohibuiſſe de apertis iudicare; quis enim ſi videat patrantem cædem, aut alienam vxorem contrectantem, non iudicet grauia eſſe flagitia? Fortè igitur reſpexit Apoſtolus ad id, quod apud Matthæum [c] dixit Chriſtus: *Nolite iudicare, & non iudicabimini*; ita enim eum locum explicant Baſilius [d], Chryſoſtomus [e], Anaſtaſius [f], Hieronymus [g], Au-
E guſtinus [h], Beda [i], & alij; vetat enim Chriſtus de rebus dubiis temerè proferre ſententiam; & ex rebus externis, de animi virtute, ac merito iudicare. Sic etiam Iacobus [k]: *Qui iudicat fratrem detrahit legi, & iudicat legem.* Et Paulus [l] ipſe. *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat, aut cadit*: Et profectò (vt Theologi docent) non poteſt à culpa excuſari, qui temerè de proximo ſuo iudicat: hoc eſt de iis, quæ non ſunt perſpicua, & aperta, ſententiam fert. Itaque rectè Chryſoſtomus. *His enim* (inquit) *non dicit de peccatis, de quibus conſtat, ſed de eo, quod hunc*

c cap. 7. 1.
d in reg. breuior. 164.
e Hom. 24. Mat.
f Quæſt. 81.
g Matt. 7.
h lib. 2. Serm. dom. in monte & 1 … de tēt …
i Matt. 7.
k cap. 4. 11.
l ad Rom. 14. 4.

culpa

A *vel illum, iſti aut alteri præferrent, & eorum vita facerent cõparationes, is enim ſolus ſcit ea exactè & accuratè iudicare, qui eſt noſtra ſecreta iudicaturus.* Eodem modo explicat Baſilius[a]: cõgruit cum Apoſtoli ſententia: quod alicubi ſcribit Seneca[b]: *Simplicitate opus eſt, & benigna rerum æſtimatione, vt nihil, niſi quod in oculos incurret, manifeſtúmque erit credamus.* Sed illa planè aurea ſunt, quæ in hanc ſententiam ſcribit Auguſtinus[c]: *quod de occultis hominum aliquando, immò aſſiduè non vera ſentimus, id pertinere arbitror ad tentationem humanam, ſine qua duci iſta non poteſt vita, ac proinde eſſe ignoſcendum nobis, modo de rebus ipſis rectè ſentiamus, & amemus, quod amandum eſt: & deteſtemur, quod deteſtandum eſt.* Et aliquantò pòſt. *Quamquam & in his rerum tenebris humanarum, ideſt cogitationum alienarum, & ſi ſuſpi-*

a in regul. fus. reg. 14. & in regul. breu. quæſt. 104. b lib. 3 de ira cap. 14. c lib. 3. cont. Pet. in ...

B *tiones vitare non poſſumus, quia homines ſumus, iudicia tamen, ideſt definitas, firmáſque ſententias cohibere debemus, neque ante tempus quidquam iudicare, donec veniat Dominus, & illuminet abſcondita tenebrarum.* Itaque alibi ſcribit[d]: *cùm Chriſtus dixit, nolite iudicare: nihil aliud nobis præcepit, niſi vt ea facta, quæ dubium eſt quo animo fiant in meliorem partem interpretemur.* Et in eandem ſententiam Bernardus[e]: *Etiamſi* (inquit) *perperam quid factum deprehendas, nec ſic iudices proximum, magis autem excuſa: excuſa intentionem ſi opus non potes: puta ignorantiam, puta ſubreptionem, puta caſum.* Verùm vt meam hac de re ſententiam paucis aperiam; illa ego iudicia in præſentia damnari exiſtimo, vt inſinuat Chryſoſtomus, quibus de cuiuſquam meritis comparatione facta iudicium fertur: præſer-

d ſermone in mon. lib. 2. cap. 18. e ſerm. 40. in Cant. ſub finem.

C tim cum ex rebus planè humanis, atque externis coniectura ſumitur. Cùm enim vera virtus, & iuſtitia ſita in animo ſit: nemo poteſt abſque temeritate de illa iudicare; quocirca rectè dixit Sapiens[f]: *ſpirituum ponderator eſt Dominus.* expectandum igitur eſt tempus, quo Chriſtus iudex adueniat: *qui illuminabit abſcondita tenebrarum.* hoc eſt ea quæ occultè fiunt, & remotis arbitris in tenebris peraguntur. Pulchrè Gregorius[g]: *Quiſquis enim, ait, cogitatione à rectitudine exorbitat, in tenebris peccat: Nos ergo tantò minùs debemus aliena corda audacter reprehendere, quanto*

f Prou. 16. 2. g lib. 1. mor. cap. 5. alias 3.

III. *ſcimus, quia viſu noſtro non poſſumus aliena cogitationis tenebras illuſtrare. Et manifeſtabit conſilia cordium,* ipſas etiam cogitationes in lucem proferet: quæ proculdubio de aduentu Chriſti iudicis intelliguntur, vt

D nomen, *Dominus*, ad Chriſtum ipſum referendum videatur. Quamquam Tertullianus de Deo Patre accepiſſe videtur; ita enim ſcribit[h]: *Et occulta tenebrarum ipſe illuminabit, vtique per Chriſtum, qui Chriſtum illuminationem repromiſit; ſe quoque lucernam pronuntiauit, ſcrutando corda, & renes. ab illo erit & laus vnicuique, à quo & contrarium laudis vt à iudice.* Cùm igitur omnia perſpicua, & aperta erunt, ſua cuique laus erit non quidem ab hominibus, ſed à Deo: hoc enim eſt quod ait: *Tunc laus erit vnicuique à Deo*; vt ex hoc intelligamus, improbos ſuum etiam manere ſupplicium. Quamobrem rectè in præſentia ſcribit Ambroſius in die iudicij nihil fore occultum, *eorum, quæ geſta, aut cogitata ſunt: ſed omnia nudabunt, & tunc laus erit benè agenti, vel cogitanti.*

h lib. 5. in Marc. 7.

E Sunt qui putent, quoniam ſæpè Apoſtolus mercedis nomine non ſolùm præmium, ſed etiam ſupplicium complectitur, ita etiam nomine laudis in præſentia ſignificare etiam reprehẽſionem. Mihi fateor id videri non ſolùm durum, ſed etiam nouum, ac prorſùs abſurdum: mercedis enim nomen vtramque ſignificationem non ineptè admittit: nam Romanæ eloquentiæ parens alicubi ſcripſit[i]: *Nam iſtuc nihil dolere non ſine magna mercede contingit immanitatis in animo, ſtuporis in corpore.* Et Paulus[k]: *Mercedem, quam oportuit erroris ſui, in ſemetipſis recipientes.* Et ad Hebræos[a]: *Omnis præuaricatio, & inobedientia accepit iuſtam mercedis retributionem.* Laudem verò pro vituperatione vſurpari niſi fortè per antiphraſim, nemo credo vnquam dixit: malim igitur exiſtimare prudenter Paulum laudis tantùm mentionem feciſſe, vt ex hoc membro contrarium intelligi queat; cùm præſertim Corinthij non malè de quoquam opinarentur; ſed temerè alium alij præferrent, vt de maiori vel minori laude tantùm videretur eſſe contentio: perinde quaſi dicat Apoſtolus, ſuam cuique laudem eſſe reddendam maiorem aut minorem, non vt homines, ſed vt Deus ipſe iudicauerit.

i 3. Tuſcul. k ad Rom. 1. 27. a cap. 2. 2.

6. I. HÆC AVTEM FRATRES, TRANSFIGVRAVI, &c. Chryſoſtomus, cæteríque quos ſuprà

B nominaui, qui Pauli, & Apollo nomina adhibita fuiſſe putant, vt liberiùs aduerſus pſeudoapoſtolos inueheretur, vt eo loco monui, his potiſſimùm verbis, nituntur, quaſi doceat Apoſtolus ſe his nominibus abuſum ad quorundam iactantiam retundendam. ſed quoniam verè diximus non de pſeudoapoſtolis, ſed de legitimis Euangelij miniſtris, uſque potiſſimùm, quos nominauit, Paulum eſſe locutum, integrum nobis non eſt hanc ſententiam ſequi: ſunt igitur, qui exiſtiment hæc Apoſtoli verba de iis accipienda eſſe, quæ ſuperiori capite dixerat, *quid igitur eſt Apollo, quid verò Paulus?* ego addiderim huc etiam pertinere, quæ in fine ſuperioris capitis dixit: *omnia veſtra ſũt, ſiue Paulus, ſiue Apollo.* Denique quod ait initio huius capitis. *Sic nos exiſtimet homo,*

C *vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei;* hæc (inquit), quæ vniuerſim ad omnes pertinent, *Transfiguraui in me, & Apollo,* græcè μετεσχημάτισα, quaſi dicat, quæ hactenùs dixi perinde à me propoſita ſunt quaſi in Pauli, & Apollo perſonam caderent; cùm tamen inter ipſos ſumma eſſet conſenſio voluntatum, & animorum conſpiratio, & neuter illorum aduerſùs alterum liuore, vel indignatione cõmoueretur: Idq́ue (inquit) *propter vos*; vt hinc videlicet intelligatis, quid de aliis omnibus ſentiendum ſit: vtque *in nobis*; ſic enim omnino legendum eſt, non *in vobis*; hoc eſt noſtro exemplo Chriſtianam humilitatem; & veram Chriſtianæ doctrinæ tradendæ rationem diſcatis, ne ſuprà quàm ſcriptum eſt, *vnus aduerſus alterum infletur pro alio.* Quæ verba

D paulò ſunt obſcuriora, & aliquantò aliter habentur in Græcis; τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν, ἵνα μὴ εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς μὴ φυσιοῦσθε κατὰ τοῦ ἑτέρου. hoc eſt, *ne quis ſupra id, quod ſcriptum eſt, de ſe ſentiat, vt ne hic illius, ille huius nomine intumeſcat alius aduerſùs alium.* Quid autem ſit: *ſupra quàm ſcriptum eſt*; non ſatis conſtat. Chryſoſtomus refert ad id, quod eſt in Euangelio[b]. *Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem, quæ in oculo tuo eſt, non conſideras?* itémque; *nolite iudicare, & non iudicabimini.* Theodoretus[c] ad alium Marci[d] locum: *Qui vult in vobis eſſe primus, ſit omnium vltimus:* alij ad illud, quod eſt apud Lucam[e]. *Principes gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos benefici vocantur:* alij denique aliter. ſed niſi mea me fallit opinio, reſpexit Apoſtolus ad id, quod

b Mat. 7. 3. & Luc. 6. 41. c vel. 39. d cap. 10. 44. e cap. 22. 25.

E ſcripſit initio huius capitis. *Sic nos æſtimet homo, vt miniſtros Chriſti.* Nolo igitur, vt quidquam ampliùs ſentiatis de nobis, aliiſque doctoribus, quàm quod paulò antè à me ſcriptum eſt, miniſtros illos eſſe Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Ita nemo cuiuſquam nomine gloriabitur: nemo autem aduerſus alium commouebitur, neque diſſidia aut contentiones excitabit: vt quemadmodum docet Chryſoſtomus, hoc Pauli præceptum, non ad magiſtros, ſed auditores pertineat. Non igitur eorum probanda videtur ſententia, qui hæc ita diſtinguũt;

vt quod

vt quod ait, *ne ſupra id, quod ſcriptum eſt ſentiat*; ad A magiſtros referatur: quod ſequitur, ad diſcipulos; planior enim erit ſententia, ſi tota de diſcipulis accipiatur, vt neque propter magiſtri dignitatem plùs alii tribuant, quàm miniſtri, & diſpenſatoris ratio patitur, neque eius cauſa inſolentiùs efferantur, & aduerſus alios commoueantur, vnde diſſidia & contentiones exiſtant. Atque hoc apertè videntur indicare verba illa, *vt in nobis diſcatis*. Obſeruat Chryſoſtomus metaphoram verbi φυσιοῦσθε, quod noſter interpres dixit, infletur: quemadmodum enim tumor in membris corporis morbum indicat, ita etiam elatio animi deprauatam voluntatem oſtendit: nam vt idem Chryſoſtomus ſubiicit, *verbi Dei concionatores ideo in Eccleſia inſtituti ſunt, vt quaſi periti medici animi morbis, atque ægritudinibus medeantur*: B *quòd ſi eorum occaſione morbi potius vim & incrementum capiant, quid hoc eſt aliud, quàm Chriſti inſtitutionem penitus euertere?*

7. I. QVIS ENIM TE DISCERNIT? &c. Mirum eſt quàm frequenter Auguſtinus [a] aduerſus Pelagianos hoc Pauli teſtimonio vtatur, vt oſtendat neminem vi liberi arbitrij à *perditionis* (vt ille loquitur) *maſſa* ſecerni: quod quàm ſit Apoſtoli inſtituto conſentaneum facilè intelliget is, qui ſuperiora cum ſequentibus contulerit. Magnum planè fuit Auguſtini ingenium, doctrina planè ſingularis, & admirabilis; itaque non auſim dicere, illum hac ſententia ſexcentis locis abuſum eſſe, ſed vt erat acutus, & perſpicax vidit ex his Pauli verbis apertè colligi, quod ipſe aduerſus Pelagianos contendebat. C Nam ſi hæc, de quibus in præſentia agit Apoſtolus, planè gratuitò à Deo concesſa ſunt, multò id profectò magis de prædeſtinationis gratia exiſtimandum eſt, quæ eſt omnium gratiarum maxima, & prima, & radix, atque origo cæterarum, quæ prædeſtinatis conceduntur. Quo igitur Apoſtoli verba referenda ſint, in paraphraſi perſpicuè cernitur; de humano enim iudicio diſputarat, eo fortè (inquit) cæteris præſtare, ac eminere videberis. Sit ita. Falli tamen poteſt hominis iudicium: ſed fac eſſe veriſſimum: fac tibi inſint omnia, quæ hominum ſuffragiis tribuuntur, an non ſunt illa Dei dona vltrò tibi liberaliter collata? Si ergo illi bonorum omnium largitori ſunt omnia accepta referenda, quæ tibi quæſo relicta eſt gloriandi occaſio? quis te ab alio- D rum numero ſegregat? quis te aliis præfert? Itaque duo Paulus in præſentia docet; alterum non poſſe quemquam ſibi facilè perſuadere, ſe cæteris præcellere, cùm hominum iudicia ſæpè fallantur, & à diuino iudicio deſciſcant. alterum, vt verè de nobis, & ſentiant homines, & loquantur, atque ob diuina munera ſuſpiciant: non eſſe tamen cur quiſquam ſibi blandiatur, & placeat, aut ſupra cæteros efferatur, cùm nihil ſibi proprio ſtudio, ac labore comparauerit; ſed cuncta diuina munificentia, ac liberalitate cœlitùs acceperit. An autem poſſit ad ea omnia accommodari hæc Pauli ſententia, ad quæ ab Auguſtino transfertur, alio loco videro. Iam verò, quod ait, *quis te diſcernit*; græcè eſt διακρίνει: quaſi dicat diiudicat. Ambroſius contra eos dictum putat, qui quòd ab aliis baptizati eſſent, ſe aliquid plùs cæteris accepiſſe putabant. Theophylactus inter- E pretatur *iudicat*, ſequutus (vt arbitror) Chryſoſtomum, qui planè eadem dicit, quæ nos paulò antè docuimus; putátque hunc eſſe ſenſum: *Quis eſt qui te diſcernit: hoc eſt tanta laude, & gloria dignum iudicat? nónne homines, & plerumque etiam imperiti? Falli igitur, ac decipi poſſunt. ſed fac te meritò laudari, ne ſic quidem iure potes extolli, aut ſupra cæteros efferri*. Theodoretus; *Quæ te* (inquit) *pars elegit? non omnium doctor vo-*

A *tarum?* Eodem penè modo Oecumenius. *Quæ te pars elegit, & laude dignum iudicat?* Certè hæc pertinere ad magiſtros, & doctores omnium fermè ſcriptorum ſententia firmatum eſt. Veriſimile autem videtur, Corinthios quorundam eloquentia, & doctrinæ ſubtilitate captos, plùs illis, quàm Paulo, vel Apollo tribuiſſe: itaque Paulus ad eorum retundendam, reprimendámque arrogantiam. *Quis te* (inquit) *diſcernit?* hoc eſt, quis te præſtantiorem cæteris prædicat? quaſi dicat, humanum vtique teſtimonium, quod eſt, vt minimùm fallax, & vel ignoratione decipi, vel fraude mentiri poteſt. Tum ſubdit: *Quid habes, quod non accepiſti?* Eſto ſanè vera eſſe hominum de te iudicia, verè tuam eloquentiam, & ſapientiam extollant, & cunctis mortalibus antepo- B nant: certè quidquid illud eſt quod iſti in te ſuſpiciunt, & admirantur, nihil aliud profectò cenſeri debet, quàm diuinæ munificentiæ, ac liberalitatis beneficium, vt planè nihil habeas, quod non à Deo acceperis. Et mox rectè. *Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Neque enim vllam tibi particulam laudis, aut gloriæ ex his potes arrogare, quæ non tua tibi induſtria, aut labore comparaſti, ſed veluti precario ab alio accepiſti. Eos igitur reprehendit Apoſtolus, qui ſe ſupra cæteros miniſtros, ac diſpēſatores efferebant, quaſi maiori aliqua dignitate præditi eſſent, vel eos certè, qui quòd nobiliorem, vt ipſi putabant, magiſtrum ſortiti eſſent, ſe plus aliquid accepiſſe gloriabantur, quàm cæteri: vtroſque ergo (ait) etiamſi verè opinarentur ſe cæ- C teris præſtare, non poſſe tamen iure gloriari, cùm quidquid illud eſſet, quo excellere videbantur ſingulare Dei beneficium eſſet vltrò, ac liberaliter nullo ipſorum merito conceſſum. Cæterùm διακρίνειν plura in ſacris litteris ſignificat: aliquando enim idem eſt, quod dubitare, ſeu hæſitare: nonnunquam anteponere, ac pręferre: interdum differre: aliàs excellere. ita hac ipſa Epiſtola [a]: *Non diiudicans corpus Domini*: μὴ διακρίνων, quaſi dicat, nihilo plùs illi tribuens, quàm aliis cibis. Hoc autem loco idem videtur valere, quod ſeparat, & ſupra alios extollit. Ex hoc autem loco Tertullianus [b] colligit, virginitatem quippe eximium, ac ſingulare Dei munus, non eſſe oſtentandam: neque abſimili ratione potuit Auguſtinus aduerſus Pelagianos argumentari, non eſſe D in liberi arbitrij viribus gloriandum, quandoquidem quidquid ad benè beatéque viuendum efficere poteſt, diuinæ gratiæ beneficio tribuendum eſt, quæ vi ſua, *& velle* [c] *& perficere pro bona voluntate largitur*.

8. I. IAM SATVRATI ESTIS, IAM, &c. Ironia eſt vehementiæ plena, nec ſine aculeo. Alloquitur autem vniuerſam Corinthiorum Eccleſiam; *Iam* (inquit) *ſaturati eſtis*, expleti videlicet eleganti, ac perpolita magiſtrorum oratione; nihil ampliùs reſtat, quod cuiuſquam opera diſcatis; patent vobis diuinæ ſapientiæ fontes, vnde explere poſſitis omnem ſciendi cupiditatem: *Diuites facti eſtis*, & quodammodò *regnatis*; ſic enim de iis loqui ſolemus, quos rebus omnibus affluere, & quodammodò beatos eſſe arbitramur. Mox autem corrigens ironiam ſubdit, *Et vtinam regnetis*, quaſi dicat, vtinam hæc E omnia verè poſſem de vobis, veſtráque fœlicitate prædicare: ita enim tacitè indicat, longè illos abeſſe ab iis conditionibus, quas enumerauerat. Eſt autem hæc oratio tota, vt apparet, metaphorica, & triplici quidem metaphora, à triplici humanæ naturæ cupiditate deſumpta, mirificè illuſtrat hanc ſuam ſententiam. *Saturati* (inquit) *eſtis*, ducta ſimilitudine à cibi potúſue cupiditate, quæ eſt in animantibus vehementiſſima, cui perſimilem in Corinthiis fuiſſe indicat

a præcipuè de prædeſt. ſanctorum c.5.

a cap.11.

b lib. de vel. virg. c.13.

c Philip. 2.

indicat, curioſa cognoſcendi appetitum. *Iam diui-
tes facti eſtis.* Altera metaphora eſt ab auri, argenti-
vè appetitione ſumpta, quæ plerumque hominum
animos ſuprà quàm dici poteſt occultè exedit,
atque exurit. *Denique ſine nobis regnatis.* Terna
eſt metaphora petita à dominandi ambitu, qui
ſolet quorumdam animos magnoperè inflamma-
re. Oſtendit autem his omnibus metaphoris, eſſe
illos omni ex parte expletos: bonis omnibus cir-
cumfluere, atque abundare: nihil eſſe, quod vltra
expetant. Verùm quoniam res multò aliter ſe ha-
bebat; *vtinam* (inquit) *regnetis, vt & nos vobiſcum re-
gnemus*: ſuam videlicet in illos beneuolentiam de-
clarat, vt qui ſe eorumdem bonorum, quibus illi af-
fluunt, participem eſſe fateatur; ſunt enim (vt vete-
ri prouerbio circumfertur) amicorum omnia com-
munia. Obſeruat autem Chryſoſtomus particulam,
II. (*iam*) quaſi dicat tam citò, ipſo ſtatim initio, quod
neutiquam videbatur probabile; ita indicat, ſe hæc
ironicè dicere: qua ratione, & illa contrario ſenſu
dicta ſunt in Apocalypſi[a]. *Diues ſum, & locupletatus,*
[a cap. 3. 17.] *& nullius egeo*; qui tamen re vera *miſer* (erat) *& miſe-
rabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Putat autem Chry-
ſoſtomus, hanc orationem æquè ad magiſtros, ac
reliquos auditores pertinere: quod etiam nos paulò
antè monuimus; nam vtrique neſcio, quo tumore
videbantur elati. Cæterùm, quod ait; *Sine nobis regna-
tis*, græcè eſt ἐβασιλεύσατε, id eſt regnaſtis, vel regnum
adepti eſtis: & rurſus; *Et vtinam regnetis*. eſt eadem
vox ἐβασιλεύσατε: quaſi dicat: *regnaretis*. Quibus ver-
bis (vt obſeruat Ambroſius) verè ſe Patrem decla-
rat, qui filiis etiam ingratis optima quæque optat.
Tertullianus[b] hoc loco obſeruat liberam obiurgan-
[b lib. de pudic. cap. 14.] di auctoritatem. *Cæterùm* (inquit) *libertas quàm aper-
ta obiurgationis, quàm exerta acies machæra ſpiritalis:
iam ditati eſtis, iam ſaturati eſtis, iam regnatis.* Inter-
pretatur autem Ambroſius, quid ſignificet Apoſto-
lus, cum ait. *Vt & nos vobiſcum regnemus. Regnare* (in-
quit) *eſt de ſpe, & promiſſis Chriſti ſecurum eſſe, & gau-
dere in iis, quæ aduerſa propter nomen Chriſti accidunt.*
Simpliciter crediderim voluiſſe Apoſtolum indi-
care, ſe eorumdem bonorum participem futurum.

9. PVTO ENIM, QVOD DEVS NOS, &c. Chry-
I. ſoſtomus, Theodoretus, aliíque Græci exiſtimant
Paulum in inchoata ironia perſiſtere; vt ſenſus ſit,
ſi vos rebus omnibus affluitis, & ſine nobis regnatis,
conſequens profectò eſt, vt nos Apoſtoli quaſi mor-
talium poſtremi, veluti beſtiarij, morti viuamus
obnoxij. Veſtra profectò gloriatio hoc indicare vi-
detur, quaſi nos iudicio, ſententiáque veſtra extre-
mi, atque infimi mortalium ſimus, & velut fæx ho-
minum huc illuc iactemur, neque vllo certo loco
conſiſtere poſſimus, niſi fortè feris dilaniandi obii-
ciamur. Ad rei autem indignitatem augendam
(vt animaduertit Chryſoſtomus) non dixit nos
abſolutè ſumus nouiſſimi; ſed *Deus nos fecit nouiſſi-
mos*: neque ſatis habuit dixiſſe nouiſſimos; ſed ad-
didit, *Et morti deſtinatos*: ita magnopere ſeſe, ſuúmque
munus deprimit, ac deiicit. Sed cùm dicat, *nos Apo-
ſtolos nouiſſimos*; non ſatis intelligitur vtrùm de ſe
ipſo tantùm (vt ſignificat Ambroſius) an verò de
aliis etiam loquatur. Sunt enim, qui de Paulo, ac
Barnaba accipiant, qui omnium poſtremi (vt eſt in
[c cap. 13. 2.] Actis[c] Apoſtolicis) in collegium apoſtolicum ſunt
cooptati: nec deſunt qui vniuerſim de Apoſtolis
omnibus intelligenda putent. Ego (vt verum fatear)
quæ in præſentia dicit Paulus, non dubito ad omnes
Apoſtolos pertinere poſſe: omnes quippe probris,
& contumeliis afficiebantur, & pro Chriſti nomine
multa tolerabant aduerſa, vt morti quodammodo
deſtinati viderentur. Verùm quoniam hæc dicit, vt

A ſeſe, ſuúmque munus extenuet, & Corinthiorum
tumorem caſtiget, longè veriſimilius videtur de ſe
vno hæc voluiſſe affirmare, omnino que, vt mea
quidem fert ſententia, alludit ad id, quod ſcriptum
eſt in Actis[a] apoſtolicis: *Ego enim oſtendam illi quan-* [a cap. 9. 16.]
ta oporteat eum pro nomine meo pati. ait igitur: *Nos no-
uiſſimos oſtendit*, ἐσχάτους ἀπέδειξεν, extremos, omnium II.
minimos, & abiectiſſimos, & (vt ait Chryſoſtomus)
maximè infames. *Deſtinatos* autem *morti*, græcè
dixit ἐπιθανατίους, quam vocem rectè noſter inter-
pres expreſſit, cùm dixit *morti deſtinatos.* Oecume-
nius explicat *ad nihil vtiles, niſi vt necentur.* Sentit
(opinor) Apoſtolus de iis, qui more Romano in-
cluſi caueis, ſpectante populo beſtiis obiiciebantur;
ita apertè accipit Tertullianus[b]: *Et puto* (inquit) [b li. de pudic.
B *nos Deus Apoſtolos nouiſſimos elegit, velut beſtiarios, quo-* cap. 14.]
*niam ſpectaculum facti ſumus huic mundo, & angelis, &
hominibus, & purgamenta huius mundi facti ſumus om-
nium peripſema.* Verùm quoniam de beſtiariis alibi
plura dicenda ſunt, nihil addam in præſentia. Certè
Apoſtolus abiectiſſimis mortalibus ſe comparat, vt
hac ratione Corinthiis pudorem iniiciat. Quo loco
Chryſoſtomus ſingularem Pauli prudentiam ob-
ſeruat, qui cùm res, ac tempus poſtulant, nunc ſeſe
deiicit, nunc ſua præclara facinora magnificentiùs
prædicat. Addit: *ſpectaculum facti ſumus mundo, ange-
lis, & hominibus.* Hæc proculdubio verè, atque ex
animo citra omnem ironiam à Paulo dicuntur. Græ-
cè pro ſpectaculo dixit θέατρον: olim enim nocen-
tium ſupplicium, pro ſpectaculo populo exhibeba-
C tur. Hunc locum ita alicubi recitat Hieronymus[c]; [c ad Galat. 4.]
Mutabat (inquit) *Paulus vocem ſuam, & in hiſtrionum
ſimilitudinem factus; ſiquidem theatrum, mundo, & an-
gelis, & hominibus, habitum in diuerſas figuras vertebat,
& voces; non quod id eſſet, quod ſe eſſe ſimulabat, ſed quòd
id tantùm videretur eſſe, quod cæteris proderat.* At cur
ſe mundo ſpectaculum dicit, & Angelis, & homi- III.
nibus? an aliquid præterea in mundo reperitur, præ-
ter angelos, & homines, cui facultas inſit ſpectandi?
Vidit hoc Tertullianus diſputans aduerſus[d] Mar- [d lib. 5. cap. 7.]
cionem. Cùm enim ille mundi nomine Deum
mundi ſignificari contenderet, quia ſi homines, qui
in mundo ſunt ſignificaſſet, non etiam homines
poſtmodum nominaſſet; reſpondet Tertullianus:
Immò (inquit) *ne ita argumentareris, prouidentia Spiri-
D tus ſancti demonſtrauit quidnam dixiſſet. Spectaculum
facti ſumus mundo, dum Angelis, qui mundo miniſtrant,
& hominibus, quibus miniſtrant.* Indicat enim explica-
tionis gratia additum eſſe, & angelis, & hominibus;
vt intelligatur quid mundi nomine ſignificare vo-
luerit: quaſi dicat. ſpectaculum facti ſumus mundo,
id eſt angelis, & hominibus. Eodem planè modo
locum explicat Ambroſius: Hieronymus autem
mundi nomine intelligere videtur improbos, &
peccatores; quaſi dicat: ſpectaculum facti ſumus,
non ſolùm improbis hominibus, ſed etiam angelis,
& viris iuſtis. Nec dubium eſt de omnibus homini-
bus loqui Apoſtolum, ex quibus (vt ait Theodore-
tus) *alij quidem hoc ſpectaculo lætantur, alij contrà com-
miſeratione mouentur, ſed auxilium ferre non poſſunt.*
E Quo loco animaduertit Chryſoſtomus, dum ſe
Paulus deiicit, ac deprimit, tacitè indicare ea, quæ
abiecta eſſent, ac vilia, digna tamen cenſeri, quæ ab
angelis ſpectentur. *Noſtra* (inquit) *lucta, & certamina
ſunt eiuſmodi, vt digna ſint, quæ ſpectentur ab angelis.* Al-
ludit ad hunc locum Gregorius[e] Nazianzenus. [e Orat. 1.]
Quemadmodum (inquit) *ſpectaculum eſſet, & angelis, &
hominibus, medius inter homines ac Deum conſtitutus, pro
illis videlicet dimicans, huic autem peculiarem populum
conciliāns.* Et poſt multa: *Ac ſpectaculum nouum facti
ſumus non angelis, & hominibus; vt ille athletarum for-*

tiſsimus Paulus, aduerſus principatus, & poteſtates certam;ſed omnibus propemodum improbis,& omni tempore, ac loco, & quæ deinceps ſequuntur. In hoc autem ſpectaculo, quamquàm Apoſtoli corpore quidem occumbebant;inſignem tamen de dæmone,eiuſque ſatellitibus victoriam reportabant.

NOS STVLTI PROPTER CHRISTVM, &c.
10. I. Quæ ſequuntur vſque ad illa verba;Non vt confundam vos hæc ſcribo; multa continent verè de Apoſtolo,eiúſque munere dicta: multa item, quæ pertinent ad Corinthios, in quibus eſt perpetua ironia, non ſine ſtomacho. Vtitur autem perelegant antitheſi, quæ de rhetorum ſchola petita videri poſſit. *Nos*(inquit)*ſtulti propter Chriſtum*; illa ſcilicet ſtultitia,de qua ſuprà dixerat; hoc eſt quæ hominum iudicio ſtultitia cenſetur; cùm re vera ſit ſuprema quædam,& diuina ſapientia. Nam ita etiam hac noſtra tempeſtate vſu venire ſolet; vt qui verè, atque ex animo Chriſto adhærent, paupertatem colunt, Chriſtianam humilitatem profitentur, impuras voluptates aſpernantur, opes, & honores contemnunt; deſipere,ac delirare cenſeantur. Itaque ex hac falſa hominum opinione verè dixit: *Nos ſtulti propter Chriſtum*;quia(vt ait Ambroſius)*Amantes Chriſtum ſtulti ſunt mundo*. Hæc erat olim Apoſtolicæ vitæ ratio, quam exemplo potiùs, quàm vllo docendi genere poſteris præſcripſerunt: ſed auctoritatem apoſtolicam plurimi audiſſimè concupiſcunt: mores,& vitam non item. Ex aduerſo ait: *Vos autem prudentes in Chriſto*. Niſi hæc ironicè dicerentur, magnam omnino laudem continerent; oſtendit enim tametſi inania quædam ſectabantur, non tamen receſſiſſe à Chriſto, atque idcirco, vt ait Theodoretus, *ne eos acriùs pungeret,non ſolùm dixit prudentes; ſed addidit in*

a ad Rom 16. *Chriſto.* Nam, vt alibi ſcribit [a]: *Prudentia carnis mors eſt,& ſapientia carnis inimica eſt Deo. Nos infirmi, vos autem fortes*. Infirmum ſe dicit,quod probris,& contumeliis ſubinde afficeretur: quòd multa aduerſa toleraret: contrà verò fortes dicit eſſe Corinthios, quòd rebus ſecundis vterentur: ita Chryſoſtomus; *Nos*(inquit)*angimur,& perſecutionem patimur,vos autem ſecuri in otio, & in magna rerum, quæ ad vitam pertinent,abundantia viuitis*: denique; *Vos nobiles,nos autem ignobiles*,aut humana nobilitate,& claritudine natalium,aut,quod magis reor,hominum prædicatione celebres. Eſt enim græcè ὑμεῖς ἔνδοξοι. id eſt clari, & glorioſi, & in pretio habiti: quibus ex aduerſo reſpondet. *Nos autem ignobiles*. hoc eſt obſcuri, contempti,& penè dicam,infames: neque enim hæc de Pauli ſtirpe, aut genere accipienda ſunt, ſed de hominum opinione, qui ita de apoſtolica vita indicabant. Nam quid de Pauli natalibus ſentiendum ſit,alibi docui.

11. I. VSQVE IN HANC HORAM ET ESVRIMVS,&c. Statum, & conditionem apoſtolicæ vitæ deſcribit. Non ſemel (inquit)aut iterum; nec raro, ſed perpetuò ad hanc vſque horam his anguſtiis premimur: fame,ac ſiti laboramus: in ſumma egeſtate viuimus: vix corporis nuda tegimus, quæ omnia ſummam rerum inopiam declarant. Addit grauiora. *Et colaphis cædimur*. Græcè κολαφιζόμεθα: propriè ne, an metaphoricè? certè enim in poſteriori

b 2. ad Cor. 12. 7. Epiſtola [b] metaphoricè dixit. *Angelus ſathanæ, qui me colaphizet*. Et quidem ex ſola antitheſis ratione intelligi non poteſt;nam alibi [c] verbera, & virgas ſe

c infrà cap. 11. 24. 25 pertuliſſe narrat;colaphos ne nominat quidem. Ambroſius de iniuriis interpretatur: nec ferè aliter Oecumenius; quod (vt arbitror) eſt admodum probabile;per contumeliam enim alapis; & colaphis cædi ſolent,qui maximè contemptui habentur. Ita apud

d cap. 26. 67. Matthæum [d] de Iudæis Chriſto illudentibus legimus, *tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt. alij autem palmas in faciem eius dederunt*. Et apud Marcum [a]: *Cœperunt quidam conſpuere eum,& velare faciem eius, & colaphis eum cædere: & miniſtri alapis eum cædebant*: Denique apud Ioannem [b]: *Vnus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu*. Quibus locis palma,atque alapa idem videntur ſignificare: hoc eſt cùm quis extenſa, aut dilatata manu percutit; colaphus autem compreſſa manu, & pugno impingitur: ita Iuuencus [c] presbyter, & Sedulius [d], colaphos, & palmas, aut alapas apertè videntur diſtinguere: & colaphos quidem compreſſa manu,ac pugno infligi indicant illa apud Comicum [e]; cùm enim dixiſſet: *Ne mora ſit,quin pugnus continuò in mala hæreat*; Non multò pòſt adiecit: *Homini miſero plus quingentos colaphos impegit mihi*: Et rurſus [f]: *Omnes dentes labefecit mihi: præterea colaphis tuber eſt totum caput*. Sed quoniam non conſtat Paulum colaphis propriè fuiſſe cæſum,præſtat, quæ hoc loco dicit metaphoricè accipere. *Inſtabiles ſumus*. Græcè ἀστατοῦμεν,incertis ſedibus vagamur,certam ſedem non habemus. *Fugabantur enim* (vt ait Ambroſius) *ne diu in eodem loco manentes plures Chriſto aggregarent*.

a cap. 14. 65. b cap. 18. 22. c lib. 4. d lib. 4. e Terent. in Adelph. Act. 2. Sce. 1. f Sce. 2.

ET LABORAMVS OPERANTES MANIBVS, &c. 12. I. Hoc etiam inter alia vitæ incommoda recenſet Apoſtolus, quòd opificio manuum vitam tolerare cogeretur. Certè in Actis [g] Apoſtolicis fuiſſe dicitur ſcenofactoriæ artis: qua de re, quoniam plura hac ipſa Epiſtola ſuo loco infrà dicenda erũt, nihil prætereà addendum videtur: illud tamen moneo, quod obſeruatum eſt à Chryſoſtomo, hæc contra eos facere,qui neque laborare, neque pericula adire volunt. ſed cenſus Eccleſiaſticos percipere. Cur autem opificia exercerent Apoſtoli, duplicem affert Ambroſius rationem. *Ideò* (inquit) *& manibus operabantur, quia non ſolùm gratiam apud homines non habebant,verum etiam ab iis accipere indignum erat,qui erroris ſtudebant, ſicut dicit in Pſalmo* [h]; *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum, quia & libertatem arguendi amittit, & peccat qui ab eo accipit, qui ideo dat ne corripiatur*. Addit *maledicimur*: Græcè λοιδορούμενοι, id eſt malè audimus; *& benedicimus*. Maledictis appetiti benè precamur obtrectatoribus noſtris;quod proprium eſt Chriſtianæ religionis; ita enim alibi docet [i] Paulus. *Benedicite*(inquit) *& nolite maledicere*. Quod eſſe cum ſingulari virtute coniunctum, etiam gentiles philoſophi cognouerunt; alicubi enim ſcribit Plutarchus [k], *Suauius nihil eſſe, nihil etiam concinnius, quàm ſi poſſis æquo animo ferre conuicia*: idémque affirmat, docuiſſe Platonem melius eſſe iniuriam pati,quàm facere, magiſque eum offendi qui lædat,quàm qui læditur. Quod Plato [l] luculenter probat,& confirmat Ariſtoteles [m],& acutè more ſuo Seneca [n]. *Non enim* (inquit) *vt in beneficiis honeſtum eſt merita meritis repenſare, ita iniurias iniuriis. illic vinci turpe eſt, hic vincere: inhumanum verbum eſt, & quidem pro iuſto receptum, vltio,& à contumelia non differt, niſi ordine, qui dolorem regerit tantum excuſatius peccat*. Hactenus quidem illi progreſſi ſunt,vt non vlciſcendas iniurias dicerent; ſed non hic conſiſtit Chriſtiana pietas, quæ à Chriſto præceptore didicit,diligendos inimicos,benefaciendum iis,qui nos oderunt; orandum denique pro iis qui maledicunt,& calumniantur. *Perſequutionem patimur,& ſuſtinemus*. Hoc eſt fortiter agimus,nec deſpondemus animo. Hæc autem (vt animaduertit Chryſoſtomus) ſtulta videntur, atque inepta,cùmque, qui hæc mala patiatur apud huius ſæculi amatores,non modò ægrum,& imbecillem doceut, ſed contemptibilem, & propemodùm infamem reddunt;atque ita quod vniuerſim poſuerat Apoſtolus,

g cap. 18. 3. h Pſal. 140. 5. i ad Rom. 12. 14. k lib. de audienda poeſi. l in Gorgia. m lib. 5 Ethic. cap. 4. n lib. 2. de ira c. 34.

hac

hac enumeratione penè per ſingula explicuit.

Blasphemamvr, et obsecramvs,&c.

13. I. Quod paulò antè dixerat, maledicimur: Græcè λοιδορούμενοι, hoc eſt malè audientes, vt referatur ad eos, qui de Apoſtoli vita, & moribus detrahebant. Quod verò hoc loco dicit βλασφημούμενοι, ad conuitia ſpectat, quæ plerumque coram audire cogebatur; & conuiciatoribus contra ipſe benè precabatur. *Tanquàm purgamenta* (ait) *huius mundi facti ſumus.* Græcè περικαθάρματα; Nonnulli codices habent περικαθάρματα, Ambroſius [a] luſtramenta vertit: & certè καθάρματα olim dicebantur ij, quos Latini ſacros vocant, quorum capite ciuitatis, aut gentis ſcelera luebantur; quique apud infideles auertendæ Deorum iræ mactabantur. Sunt igitur qui putent, ad hanc conſuetudinem reſpexiſſe Paulum, vt περικαθάρματα, vel καθάρματα rectè poſſimus piacula interpretari: quò fortaſsè referenda ſunt Chriſti verba [b]: *Venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo.* Sic olim in theatris vociferabantur gentiles contra Chriſti martyres. *Tolle magos, tolle impios, tolle ſacrilegos.* Cæterùm περικαθάρματα, & καθάρματα rectè vocamus fæces, ac ſordes, quæ ex re quapiam lurida repurgantur; denique quicquid inutile relinquitur re quapiam repurgata. atque ita Tertullianus [c] hunc locum exprimit. *Purgamenta huius mundi facti ſumus omnium peripſema.* Vox enim Græca περίψημα ſuperiora videtur explicare; ſignificat enim ramentum, ſiue ſcobem, aut (vt volunt Græca ſcholia) vilem panniculum ad abſtergendum ſudorem, aut vulnerum ſordes, aut peniculum, aut ſoleæ ſuppactum corium, aut puluerem; quem calcamus, aut denique quod in mare abiicitur, vt nauis incolumis ſit: quaſi dicat ſumus veluti mundi fæx, réſque ſordidiſſima, quã omnes meritò auerſentur. Theophylactus idem eſſe putat περικάθαρμα & περίψημα, nempè ἀποσμήγματα, id eſt quod abſtergitur; περιψᾶν enim idem valere, quod apud Latinos abſtergere. Neque Chryſoſtomus vllum facit diſcrimen. Certè Suidas περίψημα vocari ſcribit hominem iugibus obnoxium malis, quin etiam addit, veterem fuiſſe conſuetudinem, vt ſi quid mali premeret, quotannis vnum aliquem iactarent in mare, quaſi Neptuno ſacrificantes, his verbis adiectis, περίψημα ἡμῶν γένου, eſto noſtrum peripſema, id eſt ſalus, ſiue redemptio: aſſerit enim Iſychius apud Græcos pretium, quo captiuus, aut vita cuiuſpiam redimitur
II. περιψήματα dici. Eodem ſpectat quod quidam [d] aiunt olim homines, qui in peſtilentia, fame, aliòve quopiam malo, quod iram numinis denuntiaret, ad expiandam ciuitatem, Diis immolabantur, καθάρματα appellari conſueuiſſe: quod Maſſilienſibus in vſu fuiſſe ſcripſit non nemo [e]; cùm enim illi peſte laborarent è pauperioribus quiſpiam alendũ ſe anno integro offerebat publicis, & purioribus cibis, deinde verbenis, veſtibúſque ſacris ornatus, per vrbem circumducebatur adiectis execrationibus, vt in eum inciderent omnia mala ciuitatis. Sed (vt verum fatear) non mihi facilè perſuaſerim, reſpexiſſe Paulum ad hanc tam impiam, & nefariam conſuetudinem; ſed potuit tamen ſe καθάρματα, & περίψημα appellare, quaſi execrandum caput, quòd inuiſus, & exoſus eſſet omnibus, quòd haberetur veluti piaculũ: quomodo alibi [f] dicit cupere ſe anathema fieri pro fratribus, & in ſequenti [g] Epiſtola non recuſat ſuperimpendi pro Corinthiis. Quòd ſi hoc ſpectauit Apoſtolus, non eo profectò ſenſu ſe καθάρματα aut περίψημα vocat, quaſi ſit pretium redemptionis, aut expiationis mundi; plus enim ſibi videretur arrogare, quàm Apoſtolicam modeſtiam deceat; cùm tamen hæc potiùs ad ſe deprimendum referãtur. Spectare igitur potuit execrationes, quæ in καθάρματα & περίψημα coniiciebantur. verùm cùm velit Apoſtolus indicare extremum ſui contemptum, apud eos, qui nondum initiati eſſent, veroſimilius eſt voluiſſe ſordes, & purgamenta ſignificare; cùm præſertim Plinius [a] purgamenta vocet, quæ mare reiicit ad littus. Et ſe quidem non ſine tropo, purgamenta vocat, vt quidam ſordidum hominem ſterquilinium appellat, & paſſim ſcelus pro ſcelesto ponitur. Facti ſumus igitur (ait) veluti extrema hominum fæx, & veluti reiectamentum, quod nullum prorſus habeet vſum. Quamquàm autem non videtur hoc abſque hyperbole dictum, re tamen vera mirificè explicat ſtatum, & conditionem Apoſtolorum, qui apud gentiles nullo prorſus in pretio habebantur, ſed hominum quodammodò quiſquiliæ cenſebantur. Itaque Theodoretus hunc enarrans locum, ait. *Nihil differimus ab iis, quæ in domibus tamquàm ſuperflua abiiciuntur, vel oleribus, vel teſtis, aut putaminibus, vel aliis eiuſmodi; ita nos viles, & abiectos plurimi exiſtimarunt.* 11

14. I. Non vt confvndam vos,&c. Orationis acrimoniam, ac vehementiam deprecatur, non enim ſuperiora aculeis carent. Ait itaque non ea ſe oratione vſum, vt eos acerba, & aculeata oratione perſtringeret, aut pudore ſuffunderet; ſed eo tantùm conſilio, vt illos quaſi filios cariſſimos paternè moneret. Atqui verba, quibus erat vſus (vt monet Chryſoſtomus) maximum poterant, atque adeo debebant pudorem inicere; cur igitur Apoſtolus id negat? An quod verbis fecerat, ſe re ipſa feciſſe inficiatur, quia non malo animo fecerat? An quia non ita locutus erat, vt eos pudefaceret, ſed vt errantes in viam reuocaret, ſuáque admonitione oſtenderet, quod illis faciendum eſſet? Ita ſanè Chryſoſtomus. *Hæc* (inquit) *eſt optima curatio, cùm verbum dixeris, addere, quæ ex mente procedit, excuſationem; nam non dicere quidem non licebat, quoniam manſiſſent incorrepti; cùm dixiſſet autem rurſum, plagam relinquere incuratam graue erat, ac moleſtum.* Ita ſæpè medicus facere conſueuit; cùm enim morbi vis adeo malignè ſerpit, & corpus exedit, vt ſectione, vſtionéve curanda ſit, rectè ille ſecans, atque vrens dicere poteſt, non ſe id facere, vt dolorem incutiat, licet vtrumque magno cum dolore adhibeatur, ſed vt periculo occurrat, & ſæuienti morbo medeatur. Idem porro Chryſoſtomus animaduertit, magna cum prudentia Apoſtolum dolorem illarum lenire, & abſtergere pudorem; ſe enim ait monendi gratia ea ſcripſiſſe, neque id tamquàm Apoſtolum, aut doctorem, ſed tamquàm patrem feciſſe: fuiſſet enim illud auctoritatis, hoc autem pietatis, ac beneuolentiæ. Neque dixit ſe increpare, vel reprehendere, ſed monere, vt appareat, eum non ſibi apud illos imperium vſurpare, ſed ſingularem beneuolentiam ſuam declarare, dum ſe quidem patrem, illos autem filios cariſſimos vocat: quam ob cauſam rectè ſubdit.

15. I. Nam si decem millia pædagogorvm,&c. Quid inter alios, qui apud Corinthios Euangelium promulgarant, & ſe interſit, paucis declarat; illos ſiquidem pædagogos, ſe verò patrem appellat. Ita Theodoretus. Rectè autem obſeruauit Chryſoſtomus, nihil Apoſtolum de eorum auctoritate detrahere, ſed potius perhonorificè de illis loqui; neque enim eos aſſentatores, multóque minùs ſeductores vocat, ſed pædagogos, quorum proprium eſt alienos liberos educare, atque inſtituere. At ego (inquit) ſum pater, quia vos in Chriſto genui: ab illis igitur iure doctrinam, atque eruditionem requiritis; ego verò paternam vobis beneuolentiam, & caritatem debeo. Dicitur verò Apoſtolus Corinthios

a Serm. 8. in pſal. 118.
b Ioan. 16.
c lib. de pud. cap. 13.
d Tornerus & Stephanus.
e Seru. Æn. 3.
f ad Rom. cap. 9.
g cap. 12.
a lib. 32. cap. vlt.

in Chriſto genuiſſe, quia primus omnium legem illis Euangelicam promulgauit, eóſque ſua oratione ad fidem adduxit. Cæterùm, quod ait *in Chriſto Ieſu ego vos genui*; vel hoc ipſum ſignificat, ſe illos Chriſto aggregaſſe, vel certè Chriſti beneficio, diuinóque eius auxilio ſe illis fidem perſuaſiſſe, quod eſt Apoſtolicæ modeſtiæ, ne id ſibi ſumere ſuæque vel doctrinæ, vel dicendi rationi tribuere videatur: quaſi dicat, mea opera Chriſtus Dominus ad ſuam vos fidem pertraxit. Porrò quod ait: *Si decem millia pædagogorum habeatis*, ingentem quamdam multitudinem ſignificat; quomodo Latini dicere ſolent, ſexcentos, aut mille. Verè autem pædagogorum multitudinem concedit, patrum numerum negat; plures enim habere pædagogos nihil prohibet; multos autem habere patres nemo poteſt, ſiue quia id non patitur rerum natura, ſiue quia non multi eſſe poſſunt,

II. qui paterno amore eoſdem proſequantur. Meritò autem, qui fidem animis noſtris inſeruot, patres appellantur; ſiquidem nos quodammodò denuo procreant, & in nouam quaſi vitam pariunt: ita alibi

a ad Gal. 4. 19. Paulus [a] dicit: *Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur in vobis Chriſtus.* Qua ratione Tertullia-

b lib. 5. in Marc. c. 8. nus [b] fideles hominum filios, id eſt, Apoſtolorum à Dauide exiſtimauit appellari; tractans enim illum

c Pſal. 67. 19. Dauidis [c] locum: *Aſcendens in altum*, in hunc modum ſcribit, *Aſcendit in ſublimitatem, id eſt, in cœlum, captiuam duxit captiuitatem, id eſt, mortem, vel humanam ſeruitutem. dedit data filiis hominum, id eſt, donatiua, quæ chariſmata dicimus. Eleganter filiis hominum ait, non paſſim hominibus, nos oſtendens filios hominum, id eſt verè hominum Apoſtolorum. in Euangelio enim, inquit, ego vos generaui: & filij mei, quos parturio rurſus.* His enim poſtremis verbis alludit Ter-

d cap 4. 19. tullianus ad Apoſtoli verba in Epiſtula ad Galatas [d], quæ paulò antè produxi; nam Apoſtoli verè patres appellari poſſunt eorum, quos Chriſto pepererint.

e Serm. 1. de natal. Apoſt. Quocirca Leo [e] Pontifex rectè, ac verè ſcripſit. *Iſti enim ſunt viri, per quos tibi Euangelium Chriſti, Roma, reſplenduit, & quæ eras magiſtra erroris, facta es diſcipula veritatis: iſti ſunt patres tui, verique paſtores, qui te regnis cœleſtibus inſerendam multò meliùs, multóque fœlicius condiderunt, quàm illi, quorum ſtudio prima mœnium tuorum fundamenta locata ſunt.* Meritò proinde ſacrorum antiſtitis patres ſpirituales appellamus, eóque illos cultu, atque honore proſequimur, qui parentibus iure debetur.

16. I. Rogo ergo vos, imitatores mei eſtote, &c. Aptè ex ſuperioribus colligit; decet enim filios parentum mores imitari. Vt autem obſeruauit Chryſoſtomus, magnam his verbis Paulus confidentiam oſtendit, nihil dubitans de ſua viuendi ratione, quam cæteris imitandam propoſuit. Qua in re negat, eum ſeſe arroganter geſſiſſe, ſed id vnum indicaſſe, virtutis imitationem facilem eſſe, atque expeditam: quin potius eximiam, atque ſingularem præ ſe fert modeſtiam, qui cum poſſet paterno iure imperare, rogare, & obſecrare maluit. *Ob beneuolentiam* (inquit Ambroſius) *ſanctis Apoſtolis, qui obſecrat filios, vt imitentur patrem, hoc eſt, ſponte rogat ægros, vt recipiant medicinam.* Videtur autem Chryſoſtomus hoc loco legiſſe, quod nunc non habetur in Græcis codicibus, nec legitur apud Ambroſium, *ſicut ego Chriſti*; ait enim Chryſoſtomus, hæc addita eſſe ad indicandam imitationis facilitatem. *Ne mihi* (inquit) *dixeris non poſſum te imitari, tu es doctor, & magnus: non enim tantum inter me, & vos intereſt, quantum inter Chriſtum, & me; ſed tamen ego illum ſum imitatus.* Romana editio Chryſoſtomum ſequitur, & legit *ſicut & ego Chriſti*. Addit autem aliter Paulum mouere Epheſios, quos ſubitò ad Dei imitationem pronocat. *Eſtote* [a] (inquit) *imitatores Dei*, hic autem Corinthiorum imbecillitati ſeſe accommodaſſe, neque tamen ab imitatione Chriſti penitus receſſiſſe: *Nam qui* (inquit) *exactum, & accuratū ſignaculum eſt imitatus, imitatus eſt archetypum.* Inde multis oſtēdit, quàm accuratè Paulus Chriſtum ſit imitatus. Cæterùm qua in re Apoſtolus ſui imitationem exigat, his verbis explicat Ambroſius. *In his tamen* (ait) *ſui illos imitatores vult eſſe, vt ſicut hic multa extra pro ſalute eorum ab incredulis paſſus eſt, & non ceſſit, dummodò per dies, & noctes euangelizaret illis donum gratiæ Dei, ita & illi manentes in fide eius, & doctrina, non reciperent falſorum Apoſtolorum praua commenta, ſed perſiſterent contemnentes opprobria aut detractiones, vt patri ſuo ſpirituali inuiolatum ſeruarent affectum.*

a cap. 5. 1.

Ideo miſi ad vos Timotheum, &c. 17.

Quoniam Corinthios ad ſui imitationem excitauerat, nec poterat ipſe coram cum illis agere, Timotheum ſe miſiſſe dicit, à quo poſſent vitæ ſuæ, morúmque rationem recognoſcere: & vt ait Theodoretus, vna, atque eadem opera, tum in Corinthios, tum etiam in Timotheum beneuolentiam, & caritatem declarat ſuam. *Ideo* (inquit) *ne vel inſcitiam, vel obliuionem meæ inſtitutionis quiſquam mihi obtendat, miſi ad vos Timotheum.* Addit verò non vulgarem commendationem. *Qui eſt* (inquit) *filius meus cariſſimus, & fidelis in Domino.* Vtrumque ad eius laudem, ac prædicationem, & ad auctoritatem illi conciliandam plurimùm valet: prius enim illud Pauli in Timotheum caritatem indicat, hoc autem poſterius, vitæ integritatem, & fidem: illud facit, vt patris nuntius amicè, beneuoléque excipiatur: hoc verò, vt ei morem gerant, ſéque dicto audientes præbeant. Obſeruat autem Chryſoſtomus, magnam eſſe Timothei laudem, quòd fidelis dicatur in Domino; hoc eſt in iis, quæ pertinent ad Dominum. *Si autem* (inquit) *in rebus, quæ ad victum pertinent eſſe fidelem, eſt laus, & encomium, multò magis in rebus ſpiritualibus:* citra culpam igitur ac reprehenſionem quippè fidelis in Domino res adminiſtrabit. *Qui vos* (inquit) *commonefaciet vias meas*: Græcè ἀναμνήσει, quaſi dicat in memoriam reuocabit vias meas, quas aliquādo coram vidiſtis: vias autem ſuas interpretatur Chryſoſtomus, *vitæ diſpenſationem, & adminiſtrationem, pericula, mores, leges, conſuetudines, regulas Apoſtolicas*, & alia omnia, quæ ſuprà commemorauit. Idem verò Chryſoſtomus, & Theodoretus monent, dixiſſe Paulum. *Commonefaciet vias meas*, non ſuas, vt probet, illum eſſe fidelem quod modò dixerat. Addit Theodoretus, non dixiſſe Apoſtolum: *docebit, ſed in memoriam reuocabit; indicans illos aliàs cognouiſſe Apoſtolicæ vitæ rationem; ſed, vt humana imbecillitate accidit, vel temporis diuturnitate, vel alia quapiam ratione, obliuioni tradidiſſe.* Suam autem vi- II.
uendi rationem duplici ex capite non leuiter commendat, primùm, quòd ſit Chriſti doctrinæ, ac fidei in primis conſentanea, *quæ ſunt* (inquit) *in Chriſto Ieſu*: deinde, quòd eam ſequendam, atque imitandam omnibus Eccleſiis proponat; *ſicut vbique*, ait, *in omni Eccleſia doceo*: ita oſtendit non ſe priuata, aut occulta dogmata tradere; nihilque ſe apud illos ſingulare, aut nouum propoſuiſſe, ſed quę eſſent omnibus, tum neceſſaria, tum communia. Hoc enim eſt Catholici doctoris proprium non noua inuenta ſectari, aut abſtruſas, & priſcis patribus incognitas ſacrarum litterarum explicationes excogitare. Quod egregiè grauiſſimis verbis in Concilio Tridentino [b] defini- b ſeſſ. 4.
tum eſt. *Ad coercenda* (inquit) *petulantia ingenia decernit, vt nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacram ſcripturam ad ſuos ſenſus contorquens con-*

tra

tra enim ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione ſcripturarum ſanctarum, aut etiam contra vnanimem conſenſum patrum, ipſam ſcripturam ſacram interpretari audeat; etiamſi huiuſmodi interpretationes nullo vnquàm tempore in lucem edendæ forent. Qua ratione Baſilius, & Gregorius Nazianzenus, magnoperè commendantur, quòd in ſacris litteris explicandis id maximè ſequerentur, quod à priſcis patribus accepiſſent.

18. I. TAMQVAM NON VENTVRVS SIM AD VOS, &c. Hic veluti in intima vulneris penetrans aliùs ferrum infigit, quorumdam perſtringens arrogantiam, qui (vt ait Chryſoſtomus) magiſtri abſentia ad inſolentiam abuterentur, & veluti principatum appeterent. Theodoretus tamen hæc putat ad eum tacitè pertinere, quem capite ſequenti turpis, ac nefarij inceſtus accuſat; quod mihi aliquanto videtur durius; quamquàm enim ſcelus illud grauiſſimum erat, non video tamen quomodò de illo rectè dici queat ἐφυσιώθησαν, hoc eſt *inflati ſunt*, aut intumuerunt. Placet igitur Paulum agere de quibuſdam in vniuerſum, qui per tumorem ſe ſuprà cæteros efferebant, de quibus ita loquitur Ambroſius. *Indignabantur* (inquit) *quidam Corinthiorum, quia non ibat ad illos in deſiderio, ſed ſuperbia, quòd quaſi indignos illos haberet, cùm magis Apoſtolo hoc ſtudium fuerit, vt de indignis faceret dignos.* Atqui ego potiùs crediderim, quibuſdam ob Pauli abſentiam, elatos creuiſſe ſpiritus, qui quaſi non eſſet ampliùs rediturus Apoſtolus, cæterorum ſe magiſtros ferebant. nam, & capite ſequenti, eùm grauiſſimum obiecisſet inceſtum, ſubiicit. *Et vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis.* ita autem loquitur, vt neminem nominatim exprimat, ſed tantùm dicat, quoſdam hoc vitio laborare. Certè Tertullianus[a] commotum, ait, fuiſſe Apoſtolum propter eum, qui ſe inceſtu polluerat; ſed in alios etiam acriùs inuehi. *Sed illic* (inquit) *magis ſtabo, vbi Apoſtolus magis feruet, vbi ipſe fornicator alijs quoque negotium fecit, quaſi non ſim venturus ad vos, inflati ſunt quidam; veniam autem citiùs, ſi permiſerit Dominus, & cognoſcam non ſermonem eorum, qui inflati ſunt, ſed virtutem. Non enim in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute. Et quid vultis? veniam ad vos? in virga, an in ſpiritu lenitatis? Quid enim ſuberat? Auditur in vobis in totum fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec in gentibus, vt vxorem patris ſui quis habeat. Et vos inflati eſtis, & non luxiſtis potiùs, vt auferatur de medio veſtrum, qui tale facinus admiſit?* Sed ipſa verba Apoſtoli (vt mox dicam) ſatis apertè indicant, alios quoſdam fuiſſe, qui propter ſermonis elegantiam ſeſe magnificè circumſpicerent, & ſuprà cæteros efferrent, idque potiſſimùm, quod ſibi perſuaderent non ampliùs Corinthum Apoſtolum eſſe venturum. At ille ſubdit.

a De pudicitia.

19. I. VENIAM AVTEM AD VOS CITO, &c. Si propterea quidam inter vos magnos, atque elatos ſpiritus induunt, quòd me putent non iſtuc aliquanto rediturum, omnem ſanè faſtum, & arrogantiam deponant; affuturum enim me propediem ſpero, ſi Domino placuerit. Hoc autem (vt ait Chryſoſtomus) *ſatis videbatur eſſe minarum*; nam, vt ait Hieronymus, *inanem quis poteſt ſapientiam apud imperitum vulgus iactare, quoad aliquis adſit, qui eius poſſit arrogantiam deprimere; veráque, & ſolida ſapientia verborum ſonitum comprimere.* Venturum igitur ſe pollicetur Apoſtolus, adiecta tamen conditione, *Si Dominus voluerit*; quæ quamuis non ſemper exprimatur, poteſt tamen, ac debet vbique tacitè intelligi; ſed Apoſtolus, pro ſua pietate, ac religione eam frequenter exprimit, vt ad Romanos[b]: *Si quo modo tandem aliquando proſperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos.* Et ad Hebræos[a]: *ſi quidem permiſerit Deus.* Et Iacobus[b] eos perſtringit, qui hanc conditionem omittunt. *Pro eo* (inquit) *vt dicatis, ſi Dominus voluerit.* Addit: *Et cognoſcam non ſermonem eorum, qui inflati ſunt, ſed virtutem.* Ex quibus verbis colligit Chryſoſtomus arrogantiæ cauſam, non aliunde profectam eſſe, quàm ex doctoris abſentia, idémque inſinuat, non hæc pertinere ad ſcortatorem, cuius non virtutem, ſed grauia ſcelera cogniturus erat. Suſpicor igitur ob ſermonis elegantiam, & ſcientiæ opinionem fuiſſe quoſdam immoderatiùs elatos, quos hac oratione perſtringit, dum ſe non ſermonem, ſed virtutem cogniturum dicit. Non quærit autem ſermonem, vt ait Chryſoſtomus, *quia res noſtra, non in ſermone, ſed in virtute ſunt poſitæ.* Pro virtute autem eſt græcè δύναμις, quæ eſt vis, & facultas agendi. Hanc igitur expetit Apoſtolus, non eloquentiam; plus enim in actione, quàm in oratione poſitum eſt momenti; quod vt ita dicam, ipſa propemodum natura indicat, quæ geminas homini manus, vnam duntaxat linguam largita eſt; quòd plura nobis agenda, quàm dicenda ſint, & Christus[c] ob hanc ipſam cauſam dixiſſe videtur; *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis eſt*: meritóque illud obſeruatum eſt à multis, quod de Chriſto ſcripſit Lucas[d]: *Quæ cœpit Ieſus facere, & docere*; vt ſuo exemplo oſtenderet plus actioni, quàm orationi ſtudij, atque operæ impendendum eſſe. Itaque Apoſtolus ait, ſe non ſermonem, ſed virtutem cogniturum: ita eos tacitè caſtigat, qui (vt ait Chryſoſtomus) toti erant in oſtentatione eloquentiæ, & humanæ ſapientiæ.

b cap. 1. a.

a cap. 6. 3.

b cap. 4. 15.

c Matt. 7. 21.

d Act. 1. 1.

20. I. NON ENIM IN SERMONE, &c. *Non ſatis eſt* (inquit Theodoretus) *ad ſalutem regnum Dei prædicare, ſed etiam ea conuenit facere, quæ regno digna ſunt.* Videtur enim legiſſe regnum Dei, vt habent nunc Græci codices, neque aliter accipienda eſt Romana lectio, quæ ſimpliciter habet Regnum; & proculdubio Dei regnum ſignificat. Chryſoſtomus, & Theodoretus fidei Chriſtianæ aſſenſum, non ſermonis cultu, & orationis elegantia, ſed ſignorum, ac prodigiorum vi, ac poteſtate exprimi aſſirmant; hic enim pro virtute, Græcè etiam legitur δυνάμει; itaque regnum Dei fidei perſuaſionem interpretantur. *Per ſigna* (inquit Chryſoſtomus) *non per linguæ facundiam vicimus, & quòd diuina ſit noſtra doctrina, & regnum cælorum annuntiemus, maximum argumentum præbemus ſigna, quæ quidem facimus virtute ſpiritus. Si ergo magni quidam eſſe volunt, qui nunc ſunt inflati, cùm adfuero oſtendam, an aliquam talem habeant virtutem: neque verborum faſtum mihi proferant; ars enim illa nihil ad nos.* Et Ambroſius. *Vt ſicut* (ait) *regnum Dei non ſplendore verborum commendatur, ſed virtute ſignorum; ita & hi non verbis nudis, ſed virtute operum ſpiritualium dignos ſe oſtenderent ab Apoſtolo viſitari.* Mihi Theodoreti ſententia magis placet, quam etiam ſequuntur Commentarij nomine Hieronymi. *Oſtendit enim* (inquiunt) *nihil prodeſſe doctrinam abſque inſtitutæ operibus ei, qui non faciat, quæ facienda perſuadet.* Itaque cùm paulò antè dixit Apoſtolus: *Et cognoſcam non ſermonem, ſed virtutem.* Exploraturum ſe dicit, non quàm diſertè, & ornatè loquantur, ſed quàm honeſtè, ac laudabiliter viuant: non quàm magna dicendi copia affluant, ſed quanta præditi ſint bene agendi facultate: atque ita ſubdit, non eſſe Dei regnum, id eſt gratiam, & gloriam *in ſermone, ſed in virtute*; hoc eſt in ea vi, ac facultate, qua mouemur ad agendum. Quòd ſi libeat regnum Dei ipſam Chriſti doctrinam interpretari; rectè etiam dicit Apo- II.

ſtolus non eſſe illam poſitam in ſermone, ſed in virtute; hoc eſt in vi, & efficacitate ſpiritus, de quo dixit Chriſtus [a]: *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Et de Stephano ſcribit B. Lucas [b]. *Et non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui loquebatur.* Poſſis etiam virtutem accipere pro bene agendi facultate; vt ex ſententia Ambroſij paulò ante dixi; Oratio enim ſi honeſta vita, ac moribus deſtituatur, elumbis quodammodò eſt, & pene exanguis, & mortua. Quamobrem rectè dixit Gregorius [c] Nazianzenus:

a Matt. 10. 20.
b Act. 6. 10.
c In carmin. tetraſt.

Vel ne doceto, vel docete moribus,
Illa trahas me ne manu, pellas at hac.
Erit loquendum, ſi probè viuas, minùs;
Sermone non tam, quàm manu pictor docet:

B quo loco Nicetas, Orationem ait & vitam, duas eſſe veluti manus, quæ ſeſe mutua opera iuuant: quòd ſi ab oratione diſſideat vita; perinde eſt, ac ſi quis vna quidem manu quempiam trahat, altera verò repellat: cui finitimum eſt illud prouerbium, altera manu aquam, altera ignem ferre: quod is, qui bene loquitur, malè autem viuit, id moribus refellat, quod lingua perſuadet. Quamobrem idem Nazianzenus [d] Baſilium laudat, quòd actionem, cum oratione coniunxiſſet, quod veritatis doctrina imperfecta quædam res ſit, ſi actione deſtituatur. Et Elias [e] Cretenſis: *Neque enim* (inquit) *ſermo ad optima quæque tantam cohortandi vim habere ſolet, vt actio.*

d Orat. 20. de laudib. Baſil.
e ad orat. 1. Greg. Nazianzeni.

21. QVID VVLTIS? IN VIRGA, &c. Quoniam
I. ſe ad eos venturum dixerat, dat illis optionem, vtrú C malint, iudicis-ne ſeueritatem, an lenitatem parentis. Habet autem hæc oratio, vt ait Chryſoſtomus, *& multum terroris, & plurimùm etiam lenitatis.* terrorem quidem incutit pœnæ, ac ſupplicij comminatio, lenitatem pollicetur ſpiritus manſuetudinis. Vtrumque autem eſt caritatis, & beneuolentiæ; nam, vt ait Gregorius [f] Nazianzenus, præſul Eccleſiaſticus ſedulum, ac diligentem medicum imitetur oportet; qui interdum ignem, & ferrum, & aſperiora medicamenta adhibet, aliàs molliter, ac leniter vulnera tractat; ita etiam ille nonnunquam lenitate, ac manſuetudine animos demulcet, aliàs reluctantes, & refractarios pœna, ac ſupplicio coërcet. Petit igitur Apoſtolus vtrum malint ſeueritatem ſupplicij, an lenitatem, & manſuetudinem; vt vel hinc appareat exercuiſſe olim Apoſtolos vlciſcendi, & puniendi D ſcelera auctoritatem. Hoc ſignificat nomen virgæ. Quærit autem Chryſoſtomus quid ſit *in virga*; & reſpondet; *in caſtigatione, & ſupplicio; hoc eſt de medio tollam, & exſecem. quod quidem Petrus fecit* [g] *in Saphira, quod ipſe in Elyma* [h] *mago.* Eſt enim hoc eximiæ cuiuſdam auctoritatis, ac poteſtatis, de qua ſequenti Epiſtola [i] hunc in modum ſcribit. *Prædixi, & prædico, vt præſens, & nunc abſens iis, qui ante peccauerunt, & cæteris*

f Orat. 1.
g Act. 5. 10.
h Act. 13. 11.
i cap. 13. 2.

A *omnibus, quoniam ſi venero, iterum non parcam.* Loquitur enim Apoſtolus de ea poteſtate, de qua in ſequenti Epiſtola [a] dicit. *Parati ad vlciſcendum omnem inobedientiam.* Et quidem Auguſtinus [b] vocat *virgam ferream propter iuſtitiam, & propter rigorem; cùm virga corrigantur boni, mali verò confringantur.* Hæc autem virga indicata videtur à Dauide [c], *Virga directionis; virga regni tui*; vt enim ſcribit Epiphanius [d], tranſtulit Deus in Eccleſiam ſuam regiam, & ſacerdotalem poteſtatem. *Manet enim* (inquit) *thronus ipſius, & regni eius non erit finis, & ſedet ſuper thronum Dauid; ita vt regnum Dauid vnà cum pontificatu tranſtulerit, ac largitus ſit ſeruis ſuis; hoc eſt pontificibus Catholicæ Eccleſiæ.* Subdit: *In virga veniam ad vos, an in caritate, & ſpiritu manſuetudinis?* quaſi verò virga, & II.

a cap. 10. 6.
b Hom. 1. in Apocal.
c Pſal. 44. 7.
d hæreſ. 29.

B vltio non orietur ex caritate. *Et quidem* (ait Chryſoſtomus) *caritatis, ſed caritas quidem primario ſupplicium refugit, & non niſi neceſſitate compulſa ſcelera vlciſcitur; ad lenitatem autem, ac manſuetudinem eſt ipſa per ſe ſuapte natura propenſa.* Cùm igitur parcit, proprio veluti munere fungitur: cùm verò pœnam, aut ſupplicium irrogat, alienam veluti perſonam induit, in illo ipſo tamen, eius, qui plectitur, quod proprium eſt caritatis, vtilitatem ſpectat, & ſalutem: qua ratione dixit Salomon [e]: *Qui parcit virgæ odit filium ſuum.* Igitur Apoſtolus caritatem hoc loco poſuit pro lenitate, ac manſuetudine, & ob eam cauſam illicò addidit: *Et ſpiritu manſuetudinis.* Tametſi enim, vt ait Chryſoſtomus, eſt ſpiritus manſuetudinis, & ſpiritus auſteritatis, & ſeueritatis; maluit tamen Apo-C ſtolus ſpiritum manſuetudinis appellare, vt diuini ſpiritus propriam veluti indolem indicaret; eſt enim illius proprium miſereri, ac parcere; nam vt ait Sapiens [f]: *Suauis eſt ſpiritus Domini. Eſt enim* (inquit) *in illa ſpiritus intelligentiæ ſanctus, vnicus, multiplex, ſubtilis, diſertus, mobilis, incoinquinatus, certus, ſuauis, amans bonum, acutus, quis nihil vetat benefacere, humanus, benignus, ſtabilis, certus, ſecurus.* Obſeruat autem Chryſoſtomus Pauli ſapientiam, qui cùm vtriuſque, hoc eſt ſeueritatis, & manſuetudinis liberum haberet vſum; voluit tamē id in auditorum ſuorum relinquere poteſtate. *Quid vultis* (inquit) *res eſt in vobis poſita;* re namque vera (vt idem Chryſoſtomus monet) in noſtra poteſtate ſitum eſt, vt vel præcipites ruamus in gehennam, vel ad beatorum ſedem euolemus: D hoc enim Deus voluit. *Ecce enim* (inquit [g]) *ignis, & aqua, ad quod voles extendes manum tuam; & ſi volueritis* [h], *& me audieritis bona terræ comedetis.* Et multa deinceps in hanc ſententiam ſubdit, quæ plurimùm valent ad quorumdam torporem excitandum, & ad hæreticorum impietatem refellendam, qui vires liberi arbitrij ita penitùs extinguunt, vt nullam ei relinquant in vtramque partem libertatem.

e Prou. 13. 24.
f Sap. 7. 22.
g Eccleſiaſtici 15. 17.
h Eſa. 1. 19.

Argumentum Cap. V.

*P*RÆTER EA *quæ hactenus Apoſtolus in Corinthiis reprehenderat, illud grauiſſimum videbatur, quod eorum neſcio quis impotenti libidine inflammatus ſacrilego inceſtu nouercam polluerat. Tam igitur nefarium facinus acriter increpat Apoſtolus ſua, qua præditus erat auctoritate, coram vniuerſa multitudine hominem damnat, & ſacris myſteriis arcet; qua occaſione arrepta Corinthiorum tumorem, atque arrogantiam deprimit; ſuadétque quanta maxima diligentia fieri poſſit, improborum conſortia, & conſuetudines vitare.*

CAPVT

CAPVT V.

OMNINO *auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris ſui aliquis habeat.*

Et vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis, vt tollatur de medio veſtrum qui hoc opus fecit.

Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicaui vt præſens, eum, qui ſic operatus eſt.

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, congregatis vobis, & meo ſpiritu, cum virtute Domini noſtri Ieſu.

Tradere huiuſmodi ſathanæ in interitum carnis vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Non eſt bona gloriatio veſtra. Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?

Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis azymi. Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.

Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis, & veritatis.

Scripſi

PARAPHRASIS.

TAMETSI incredibile videtur, omnino 1.
tamen, ac verè perlatum eſt ad me, inter
vos ſcortationem eſſe, & eam quidem
eiuſmodi, quæ vſque adeo ab hominum
conſuetudine abhorreat, vt ne inter gentes qui-
dem à Chriſti fide alienas nominetur; vt quis vi-
delicet nouercæ nefario, atque inceſto concubitu
commiſceatur. Ecquis autem aliquando ſibi per-
ſuadere potuiſſet tam dirum apud vos nefas im-
punè patrari, quod inter barbaras nationes ne fan-
do quidem audiatur? ¶ Et vos interim elati eſtis, 2.
vóſque ipſos quodammodò admiramini, atque
ſuſpicitis, ac non potiùs (quod æquitatis, & Chri-
ſtianæ religionis ratio flagitabat) luctu, ac lacry-
mis conſternati; dediſtis operam, vt tolleretur de
medio veſtrum is qui tam immane facinus, tam
impudenter, atque impiè patrauit. ¶ Enimuerò 3.
ego abſens quidem corpore, animo verò, & cogi-
tatione præſens, iam perinde, ac ſi re vera præſens
fuiſſem, eum quem non puduit poſt auditum, &
admiſſum Euangelium, palàm in media Eccleſia
tantum ſcelus patrare, diuina veluti ſententia iam
damnatum cenſui. ¶ Vobis in nomine Domini 4.
noſtri Ieſu Chriſti in vnum coactis, eáque poteſta-
te, quæ mihi à Domino noſtro Ieſu Chriſto, Eccle-
ſiæque ſuę, atque eius præſidibus relicta eſt, cenſui,
inquam, planéque ſtatui. ¶ tradendum eſſe ſatha- 5.
næ vt hac vel maximè ratione cum ipſe pudore,
triſtitiáque affectus ſapere dicicerit, caro, quæ in
hoc præcipitium miſerum abripuit, non quidem
funditùs pereat, ſed iuſta afflictione dometur, &
perpetrati flagitij pœnas luat, ſpiritus autem, qui
videbatur in certamine prorſus ſuccubuiſſe, ite-
rum ſeſe erigat, nec penitùs aboleatur, ſed illius
petulantia edomita, & quodammodò incerempta,
ipſe ſuperſtes maneat, & ſaluus fiat in die illo Do-
mini Ieſu. ¶ Vos certè immeritò, atque omnino 6.
haud bona ratione gloriamini; quaſi præ cæteris
excellatis, cùm inter vos crimen adeo graue ad-
miſſum ſit. An neſcitis (quod vel ipſo rerum vſu,
atque experimento facilè quiuis intelligat) exigua
fermenti particula maſſam vniuerſam fermẽtari?
Atque adeo improborum conſuetudine, atque
conuictu vos non leuiter inquinari? ¶ Si ſapitis 7.
igitur vetus fermentum abolete, vt noua maſſa
eſſe poſſitis. Sic enim vobis perſuaſum eſſe debet,
vos eſſe azymos, & fermenti expertes, quales olim
veteres Hebræi eminùs indicabant, dum paſcha-
lem agnum cum azymis ſacrificabant. Etenim
Chriſtus, quod nouum, ac noſtrum paſcha eſt pro
nobis, noſtráque ſalute ſacrificatus eſt, vt quod
agnus paſchalis quaſi typus ſignificabat, ipſe ex-
primeret, & eadem ratione docet, nos vitæ, mo-
rúmque innocentia priſcos illos azymos referre.
¶ Quamobrem feſtum agitemus, nõ quidem ve- 8.
teri, aut malitiæ, aut nequitiæ fermento adhibito
(huc enim mea omnis ſpectat oratio, atque hæc
fermenti ſimilitudo) ſed potiùs azymis ſinceris, ac
veris, hoc eſt caſtis, atque integris moribus, atque

9. ab omni prorſus labe puris, & alienis. ¶ Scripſi aliàs vobis, ſi meminiſtis (exiſtimo autem Epiſtolam apud vos extare) ne vlla vobis cum impuris
10. ſcortatoribus, ſcortiſve eſſet conſuetudo. ¶ Ac profectò non perinde hoc à me accipi volo, quaſi omnino interdictum vobis ſit cum huius mundi ſcortatoribus verſari, aut cum auaris, aut cum rapacibus, aut cum idolorum cultoribus: nam alioqui ſi ab huiuſmodi hominum conſortio prorſus vobis abſtinendum ſit, ex hoc profectò in nouum aliquem mundum vobis erit commigrandum.
11. ¶ Iam verò de iis ego ſcortatoribus ad vos ſcripſi, qui in ſinu Eccleſiæ verſantur, ne videlicet iis cōmiſceamini, & ſi quis ex fratribus verè ſit ſcortator, aut auarus, aut idololatra, aut conuiciator, aut ebrioſus, aut rapax, cum huiuſmodi ne cibum qui-
12. dem ſumendum eſſe cenſeo. ¶ Sic planè mea verba accipi volo. Quid enim mea intereſt, etiam de extraneis, qui ab Eccleſiæ finibus longè abſunt, neque lucem Chriſtianæ fidei aſpiciunt, iudicare? Nonne de iis, qui in Eccleſia viuunt vos ipſi iudi-
13. catis? ¶ De extraneis verò, qui ad Eccleſiam non pertinent, vnus Deus iudicat, nobis res noſtræ curandæ ſunt. Itaque ſi me vultis audire, abiicite iſtum ſceleratum à veſtro cœtu, neque diutiùs patiamini, eius vos conſuetudine, conuictúque inquinari.

Scripſi vobis in Epiſtola: ne commiſceamini fornicariis.

Non vtique fornicariis huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut idolis ſeruientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exiſſe.

Nunc autem ſcripſi vobis non commiſceri; ſi is, qui frater nominatur, eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum eiuſmodi nec cibum ſumere.

Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, iudicare? Nonne de iis, qui intus ſunt, vos iudicatis?

Nam eos, qui foris ſunt, Deus iudicabit: Auferte malum ex vobiſipſis.

IN CAPVT QVINTVM

EXPLANATIO.

1. I. OMNINO AVDITVR INTER VOS FORNICATIO, &c. Sunt qui exiſtiment, inchoandum eſſe hoc caput ab vltima ſuperioris capitis ſententia. *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in caritate, & ſpiritu manſuetudinis?* Ita ſanè Oecumenius, & alij quidam [a], qui hæc putant, perinde eſſe accipienda, quaſi dicat Apoſtolus; Vos videritis, vtrùm mihi vobiſcum agendum ſit; nam præter ea, quæ hactenus commemoraui, quæ per ſe magna, & grauia ſunt, auditur etiam nefaria quædam, & inaudita turpitudo, quæ grauiſſimo ſupplicio digna videtur. Sed aliter omnino diſtinguunt Chryſoſtomus, Theodoretus, Ambroſius, Hieronymus: parum autem ad ſententiam refert vtrum quis malit. *Omnino*, igitur ait, vt eum ſuperioribus coniungantur, quaſi dicat; Quæſiui à vobis, vtrum mihi iudicis ſeueritate, an lenitate patris, ac manſuetudine vtendum putetis; ego quidem lenitatem libenter præfertem, ſed ad ſuperiora, quæ hactenus indicaui, aliud quiddam accedit longè grauiſſimum, quod quamquàm vix credibile videtur, certum tamen eſt, atque exploratum. hoc enim indicat particula *omnino*, non dubio, aut incerto rumore, ſed certo nuntio, vel cōſtanti fama ad me perlatum eſt, vt nullus relinquatur dubitandi locus. Ita Photius in ea voce emphaſin obſeruat, quaſi dicat, nihil eſt hoc ſcelere vulgatius, nulla poteſt tergiuerſatione celari; res eſt omnibus perſpecta, & cognita. *Auditur* (inquit) *fornicatio*: Græcè *πορνεία*, quod eſt ge-

a Caiet.

A neris nomen, vt aliàs diximus. Videtur autem modeſtiæ cauſa Apoſtolus ſceleris proprium nomē reticuiſſe, criminis tamen grauitatem oſtendit, vt monet Theodoretus, cum ait *auditur*; quaſi dicat, rem adeo eſſe abſurdam, vt ne audiri quidem inter eos debuerit. *Et talis* (ait) *fornicatio, qualis nec inter gentes.*
II. Græci codices addunt *ὀνομάζεται*, id eſt, nominatur; vt non modò res ipſa, ſed ne nomen quidem audiatur inter gentes. An-ne omninò? Atqui Arabas, ac Perſas matres, filias, ac ſorores ad cōnubium admittere conſueuiſſe auctores ſunt Strabo [a], Quintus [b] Curtius, Lucianus [c], Tertullianus [d], Euſebius [e], Minutius [f] Fœlix, Auctor [g] imperfecti in Matthæum, Chryſoſtomus [h], Theodoretus [i], Laertius [k], Clemens [l], Bardeſanes [m], Auguſtinus [n], Hieronymus [o],
B Plutarchus [p]: Idem de Aſſyriis teſtatur Lucianus [q]; de Parthis Lucanus [r], de Medis, & Æthiopibus Hieronymus [s], qui idem affirmat de Indis, & Scotis, de Ægyptiis Ptolemæus [t], Diodorus [u], Plutarchus [x], Iuſtinus [y], Minutius [z] Fœl. de Hybernis, & item Scotis Strabo [a], de Nauta regione Quintus [b] Curtius, & Chryſoſtomus [c]: neque ab his coniugiis abhorruiſſe Athenienſes, auctor eſt Minutius [d]: id Cimoni tribuit Æmilius [e] Probus, quod ipſum affirmat Plutarchus [f]. Porro has inceſtas nuptias Chryſippo placuiſſe ſcribit in eius vita Laërtius, quem videtur alicubi perſtringere Chryſoſtomus [g]: idem de Stoicis, & Epicureis affirmat Theophilus [h] Antiochenus. Qua igitur ratione dicere potuit Apoſtolus, hoc eſſe fa-

cinus

a lib. 15. ad calcem. b lib. 7. c de Sacrific. d in Apolog. cap. 9. e li. 1. de præp. Euang. c. 9. & lib. 6. c. 9. f in Octau. g Hom. 1. h Hom. 1. de Pentecost. ad finem. i li. 1. de Græcar. affect. & lib. 9. k in Pyrrhon. l lib. 3. stromat. m lib. de fato. n Quæst. 4. in Leuit. o li. 2. in Iouin. p lib. de fort. Alexand. q Dial. de Sacrific. r lib. 8. s lib. 2. cont. Iouin. t lib. 4. quadripart. u lib. 1. x de Iside, & Osiride. y lib. 24. z in Octau. a lib. 4. b lib. 8. c Hom. 1. in 2. ad Cor. d in Octau. e in Procem. de Imper. & in vita Cimo. f in vita eiusdem Cimon. & lib. de Scto nomine ... g Hom. de S. Babyla. h lib. 3. ad Autolyc.

cinus inter gentes inauditum? Sed fac, potuiſſe Apoſtolum hæc omnia ignorare: an potuit eum latere, quod de Rubem primogenito Iacob ſacræ [a] litteræ memoriæ prodiderunt? certè hoc illi exprobrans pater dixit: *Effuſus es ſicut aqua, non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius.* An Apoſtolus oon de vniuerſis gentibus loquitur? at de quibus? Fateor mihi hac quidē in re nondū liquere, ac ne ſatis quidem lucere. Nam de Romanis vel Romanorū legibus, eum agere non ſatis videtur probabile; quorſum eoim apud Græcos? ſuas enim cuique genti leges, ac mores permiſiſſe Romanos teſtes ſunt Iudæi, qui redacti in prouinciam ſuis tameo legibus, & inſtitutis viuebant. Hyperbolem verò, vt aliàs ſæpè in ſacris litteris admittam; hic tamen non penitus probo; verè enim hæ inceſtæ ouptiæ, cum ipſa penè hominis natura pugnant, vt [b] Antiochi Seleuci filij exemplū non obſcurè ſignificat. Quamuis enim pater nouercam filio permiſiſſet, filius tamen, qui inceſtum amorem, etiam vſque ad periculum mortis celatum voluit; non obſcurè indicat quid natura ipſa de re tam turpi ſentiendum doceat. An priſcæ illæ barbarorum conſuetudines recentribus vel moribus, vel legibus correctæ erant? certè non multò pòſt Apoſtolorum ætatem geotiles infanticidia, & inceſtos concubitus Chriſtianis obiiciebant, quaſi huiuſmodi congreſſus deteſtandos eſſe arbitrarentur, & inter nefaria crimina recenſerent. Teſtantur id Tertullianus [c], Iuſtinus [d], Tatianus [e], Athenagoras [f], Minutius [g], Theophilus [h] Antiochenus, Saluianus [i]. Et quidem apud Romanos Claudio imperante [k] priſca ouptiarum ſeueritas laxata magna ex parte videtur; oon tamen hactenus progreſſum eſt, vt nouercam ducere liceret; id enim adeo videtur cum oatura pugnare, vt ipſæ etiam [l] belluæ à perſimili congreſſu abhorrere videantur. Verè igitur dixit Apoſtolus nouercale connubium, aut inceſtum potius etiam inter gentes videri inauditum.

III. An autem ille nouercam ſibi matrimonio coniunxiſſet, an verò libidinis tantùm explendæ gratia adhibuiſſet, non conueoit inter auctores. vtrumlibet certè oefarium erat. Porro apud Marcum [m] habere vxorem fratris ſignificat ei connubio iungi, hac ipſa autem Epiſtola [n] ambiguè dixiſſe videtur Apoſtolus: *Propter fornicationem autem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquaque ſuum virum habeat:* poteſt enim ſignificare, vxore, aut viro ſuo liberè vtatur, vel certè ouptias contrahat, vt ſuo loco planiùs explicabitur. Verùm quoniam Apoſtolus ſcortationem appellat, vero ſimilius eſt, nefariam fuiſſe conſuetudinem: nam ſi verum eſt eiuſmodi nuptias etiam ioter gentes fuiſſe inauditas, noo admodum videtur veroſimile, eum qui non ita pridem Chriſto nomen dederat, inceſtum iniiſſe cōnubium; illud probabilius, vel impotenti libidine victum, vel nimia familiaritate allectum, vel fœminæ blanditiis delinitum, ſceleri præbuiſſe aſſenſum. Porro quantoperè hic nefarius concubitus inter fideles deteſtandus ſit, indicat ille Triburienſis [o] Concilij canon. *Si quis* (inquit) *cum nouerca ſua dormierit, neuter ad coniugium peruenire poteſt: Similiter ſi quis cum filiaſtra ſua, vel cum ſorore vxoris ſua dormierit obſeruandum eſt:* prohibentur enim, qui tam oefario inceſtu ſeſe polluerint, inire nuptias, adeóque perpetuæ cōtinentiæ legibus ſubiiciuntur. Obſeruant autem Chryſoſtomus, & Theodoretus, noluiſſe Apoſtolum nouercæ nomen exprimere, ſed vxorem patris dixiſſe, vt ſceleris grauitatem exaggeraret; illa quippe impurè abuſum ſcribit, quæ loco matris eſſe debebat; cui tamquàm parenti honorem, ac venerationem debebat. Neque verò exiſtimandum eſt, hoc

A quidquid fuit ſceleris, patre adhuc ſuperſtite fuiſſe admiſſum; cùm enim id longè turpius, & grauius fuiſſet ad rei fœditatem declarandam; non dubium eſt, Apoſtolum commemoraturum fuiſſe. Quantopere autem olim apud Hebræos hæ nuptiæ deteſtandæ eſſent, ex Leuitico [a] facilè colligitur; capite namque plectendæ erant, ſed multis vouis crimen obiiciendum noo videbatur. Cur igitur tam acerbè omnis Corinthiorum Eccleſia increpatur? Verùm oon reprehendit Corinthios, quaſi eodem ſcelere obſtricti eſſent, ſed quòd facinoris turpitudinem, & grauitatem, vel non agnoſcerent, vel diſſimularent, & cùm ratio poſtularet, vt luctu, ac lacrymis rem tam indignam proſequerentur, tumore potius, atque ſuperbia elati pro nihilo eam facere

B viderentur. Quocirca ſubdit:

2. ET VOS INFLATI ESTIS, ET NON, &c.

I. Tantum (inquit) abeſt, vt vos huius rei cura, & ſollicitudo tangat, vt perinde, ac ſi nihil prorſus accidiſſet mali, doctoris veſtri (vt Chryſoſtomus, & Theodoretus interpretantur) eruditionem, atque eloquentiam magnificeotiùs extollatis; & propterea præclarè de vobis, & ſentiatis, & loquamioi. Videntur autem Chryſoſtomus, & Theodoretus indicare eum, qui ſe inceſtu polluerat doctorem fuiſſe, ac magiſtrum; ita enim loquitur Chryſoſtomus. *Nam ſi ad comparationem quidem alicuius ſapientis, qui fortè fuit fornicatus dixiſſet, magnum eſſe chariſma, ſeu donum ſpirituale, nihil magnum feciſſet; cæterum etiam abſque peccato docere, & pronuntiare, nihil eſſe*

C *externam ſapientiam; hoc erat oſtendere, eam eſſe admodum vilem, & abiectam. Quamobrem cùm ſic priùs feciſſet comparationem; tunc etiam meminit eius lapſus, & cum illo quidem non vult diſſerere, & in hoc ſummam oſtendit infamiam.* Planiùs autem hoc ſignificat Theodoretus. *Non fert* (inquit) *legem contrariam, non enim dixit, cur non eieciſtis; ſuperius namque prohibuit iudicare doctores; ſed cur non luxiſtis, Deum orantes, vt ab eius pernicie liberaremini?* Ego de hac re nihil certi aut explorati habeo; vix tamen credo fuiſſe illum ex iis ſapientibus, quos hactenus Apoſtolus tacitè perſtrinxit. Quicumque tamen ille tandem fuerit extrà controuerſiam eſt, adeo fuiſſe publico illo

D crimine infamem; vt meritò debuiſſent Corinthij è cœtu ſuo illum exterminandum curare: eam enim ob cauſam dicit Apoſtolus: *Et non magis luctum habuiſtis; vt tollatur de medio veſtrum, qui hoc opus fecit.* Sic enim fere publica peccata viri ſancti deflere conſueuerunt: ſic Moſes [b] idololatriam populi deplorauit: ſic idem Moſes, & Aaron ſeditionem Coræ, & Datan defleuerunt [c]: ſic Ioſue [d] furtum Achan: ſic Ieremias [e] propter populi Iudaici ſcelera lacrymas vbertim fundebat; vt videatur Apoſtolus obliquè primores populi attingere, ad quos totius multitudinis nonnulla cura pertinebat.

II. Non arbitror autem, cùm ait Apoſtolus, *vt tollatur de medio veſtrum*, agere de ſententia, aut auctoritate, ſed de nonnulla ſolicitudine, qua eos oportebat omnia conari, vt ille de medio tolleretur. Ita Chryſoſto-

E mus. *Et non dixit, & non magis eieciſtis, ſed ſicut in morbo aliquo, & peſte, luctu opus eſt, & intenſa ſupplicatione, vt tollatur* (inquit) *& oratione ad hoc vti oportet, & omnia facere, vt iſte abſcindatur. Neque eos accuſat, quòd non ſibi ſignificauerint, ſed quòd non luxerint, vt de medio tolleretur, oſtendens, hoc oportuiſſe fieri etiam abſque doctore, propter delicti euidentiam.* Et Theodoretus: *Sed cur* (ait) *non luxiſtis Deum orantes, vt ab eius pernicie liberaremini?* Quod eo libentiùs obſeruarim cōtra hæreticorum imperitam iuxta atque impiam calumniam, qui Eccleſiaſticam adminiſtrationem popularem eſſe contendunt, & fidelium cœtui neminem

a Gen. 35. 22. & 49. 4.
b apud Val. Max. l. 5. c. de amor. erga lib. & indulg.
c in Apolog. cap. 9.
d Dial. cum Tryph.
e aduerſ. Græc.
f in Legat.
g in Octau.
h lib. 3 ad Autolic.
i lib. 4 de gubern.
k C. Tacit. li. 12. annal.
l Lyſmachi. Petrus Lib. de hom. c. 13.
m cap. 6. 18.
n cap. 7. 2.
o apud Gratianum 32. q. 7 cap. ſi quis cum nouerc.
a cap. 18. 7. 20. 11.
b Exod. 32. 11.
c Num. 16. 22.
d Ioſ. 7. 7.
e cap. 9. 1.

minem, niſi populi ſuffragio, atque ſententia abijciendum putant. Neque enim, vt mox planiùs docebo, permittit populo auctoritatem iudicandi, ſed Corinthiorum Eccleſiam reprehendit, quòd publicum malum publico luctu non ſit proſequuta: æquum enim erat, cunctos tam graui malo vehementiùs commoueri, & diuinam opem primùm, & deinde etiam antiſtitum auctoritatem implorare.

III. *Vt tollatur* (inquit) *de medio veſtrum*, quaſi ſacrum, ac diris deuotum caput, eique ſactis interdicatur. Cuius etiam rei apud Gentiles non obſcura extant indicia; qui viam erranti non demonſtraſſet apud Athenienſes deteſtationi ſuberat, vt auctor eſt alicubi M. Tullius [a], apud quos fuiſſe templum execrationis aſſerit Iſychius [b], & ex Ariſtophane [c] colligitur: tem deſcribunt Euripides [d], & Plato [e]: de Inſula Taprobana ſimile quiddam ſcribit Plinius [f]. *Regem* (inquit) *ſi quid delinquat morte mulctari, nullo interimente; ſed auerſantibus cunctis, & commercia etiam ſermonis negantibus.* De Germanis idem penè Tacitus [g]: *Nec aut ſacris adeſſe, aut concilium inire ignominioſo fas.* Apud Romanos diris quidam deuoueri dicebantur; quod accidiſſe Craſſo in Parthos proficiſcenti affirmant Plutarchus [h], Lucanus [i], Cicero [k], Minutius [l] Fœlix. *Quæ dirarum obnunciatione neglecta, eas impreſationes meruit, quas irriſit.* Dirarum verò meminit etiam Plinius [m]. Sed egregiè Liuius [n], *qui victus acie exceſſiſſet, eum ne quis vrbe, tecto, menſa, lare, reciperet diram execrationem in populares, obteſtationémque, quàm ſanctiſſimam potuerunt aduerſus hoſpites compoſuerunt.* Alibi [o]: *His adhortationibus execratio dira adiecta, ſi quem à propoſito ſpes, mollitiáue animi flexiſſet.* Denique cùm de Philippo Macedone ageret [p], *huius atrocitas facinoris nouam velut flammam regis inuidia adiecit, vt vulgo ipſum, liberóſque eius execrarentur.* Qua de re etiam Horatius [q]: *Diris agam vos, dira deteſtatio nulla expiatur victima.* Dionyſius [r] autem Halycarn. ait licuiſſe olim diris deuotum impunè occidere. De Gallis autem hæc ſcribit Cæſar [f]. *Si quis aut publicus, aut priuatus eorum decreto non ſtetit, ſacrificiis interdicunt, hæc pœna apud eos eſt grauiſſima, quibus ita eſt interdictum, hi numero impiorum, ac ſceleratorum habentur. His omnes decedunt, aditúmque, ſermonémque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque his petentibus ius redditur, neque honos vllus communicatur.* Apud Hebræos leproſi ab hominum conuictu arcebantur: nonnulli etiam atrocioris criminis rei, ſynagoga pelli conſueuiſſe ex Ioannis Euangelio [t] didicimus. De Eſſenis ſcribit Ioſephus [u], *deprehenſos in peccatis, à ſua congregatione depellunt, & qui taliter fuerit cōdemnatus miſerabili plerumque morte conſumitur illis quidem ſacramentis, ac ritibus obligatus, neque capere ab aliis oblatum cibum poteſt, herbas verò more pecudum decerpens, & fame exeſus, per membra corrumpitur, ob quod etiam plurimos plerumque miſeratı extremum ſpiritum agentes receperunt.* Persimili igitur modo iam inde ab initio naſcentis Eccleſiæ receptum eſt, vt qui grauiori aliquo crimine non ſine aliorum offenſione obſtrictus eſſet, conſuetudine, conuictúque fidelium pelleretur. De qua quidem conſuetudine, ita alicubi Tertullianus [x]. Certè (inquit) *fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus denſamus. Ibidem etiam exhortationes, caſtigationes, & cenſura diuina: nam & iudicatur magno cum pondere, vt apud certos de Dei conſpectu; ſummúmque futuri iudicij præiudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, vt à communicatione orationis, & conuentus, & omnis ſancti commercij relegetur.* Alibi [y]: *Sic & homicidij interdictio oſtendit mihi lanistam quoque ab Eccleſia arceri.* Et rurſus [z]: *Hæc cùm ita ſint fideles gentilium matrimonia ſubeuntes ſtupri reos eſſe conſtat, & arcendos ab omni communicatione fraternitatis ex literis Apoſtoli dicentis, cum eiuſmodi nec cibum ſumendum.* Multa etiam ea de re ſcribit Cyprianus, quæ ſuo loco commemorabuntur. Interim hæc pauca indicare viſum eſt, vt appareat, quod hoc loco dicit Apoſtolus ab vniuerſa Eccleſia ritè fuiſſe vſurpatum.

3. I. EGO QVIDEM ABSENS CORPORE, PRÆSENS, &c. Adeo graue, & publicum erat malum, vt quod inſinuant Chryſoſtomus, & Theodoretus, apertè verò docet Ambroſius, neque teſtibus opus eſſet, neque vlla tergiuerſatione factum celari poſſet. Itaque pro ea, qua pollebat auctoritate Apoſtolus in impium fert ſententiam. *Ego* (inquit) *licet abſens corpore, præſens tamen ſpiritu.* Commentarij nomine Hieronymi hanc ſpiritus præſentiam eo modo accipiunt, quo olim dixit Eliſæus [a] ad Giezi: *Nónne ſpiritus meus tecum erat in via?* perinde quaſi ſe omnia intueri ſignificet, quæ apud Corinthios fierent. Quo etiam modo intelligit Chryſoſtomus, eodémque Eliſæi exemplo confirmat: idque munus ait eſſe diuini ſpiritus, *cùm faciat omnia eſſe ſimul, & vnà; & efficiat ea etiam, quæ ſunt procul ſcire.* Cui ſententiæ fauent illa, quæ ſcribit Apoſtolus ad Coloſſenſes [b]. *Et ſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu vobiſcum ſum gaudens, & videns ordinem veſtrum.* Et ſi hoc verum eſt, non tamen certum: itaque Ambroſius de auctoritate explicat. *Abſens* (inquit) *facie, præſens autem auctoritate ſpiritus, qui nuſquam abeſt:* hoc enim ad ferendam ſententiam ſatis eſſe videbatur. *Iudicaui* (inquit) *vt præſens*; quod Chryſoſtomus refert ad ſignificandum firmi animi propoſitum, perinde quaſi omnem defenſioni, aut excuſationi locum præcludat. *Ne mihi* (inquit) *dixeris dilationes, & prorogationes, nihil enim aliud fieri oportet; properauit enim Apoſtolus peſtem ſubito auertere, ne reliquum corpus depaſceret.* Ita eos auctoritate deterret, & dum ſontem vlciſcitur, cæteros in officio continet. Eant nunc, & vociferentur, ſiue hæretici, ſiue Catholici parum ſani, non eſſe penes Eccleſiaſticos præſules iudicandi ferendique ſententias poteſtatem: negent poſſe, quemquam laicum damnari; contendant iuris ciuilis ordinem neſcio quem ſi parum cum ſacris canonibus conſentiant naturali, ac diuina lege niti, neque vllo vnquam tempore prætermitti poſſe. Hæc ſanè Apoſtoli ſententia ea omnia apertiſſimè refellit; nam ſe primùm iudicis auctoritate decernere, ac ſtatuere affirmat, deinde reum apertè in graui ſcelere deprehenſum non modò non auditum, ſed ne appellatum quidem damnat: denique nulla iuris ſolemnitas, nulli teſtes adhibentur, nec vllus iuris ordo cernitur.

II. Quæ non idcirco à me commemorantur, perinde quaſi cenſeam ſacros canones iuriſque ordinem ab iis præſcriptum ab Eccleſiaſticis iudicibus paſſim negligi poſſe, cùm probè intelligam rectam iudicandi formam, à ſacris canonibus præſtitutam ſumma religione colendam, ac retinendam eſſe; ſed vt oſtendam, ſi quis auctoritate canonum ſit potior, eorum præceptis non ita penitùs ſubeſſe, vt ſi res poſtulet, hanc apoſtolicam iudicandi rationem nequeat imitari, quod (Deo benè iuuante) fuſiùs alibi docebo. Illud interim monuerim, ex hoc loco facilè conſtare, cenſuræ eccleſiaſticæ rationem, ſacrorum canonum auctoritate nonnihil ab aliquot annis fuiſſe immutatam: nam olim quidem erat etiam præteritorum delictorum pœna grauiſſima, vt ex B. Cypriano [c], aliiſque [d] antiquis patribus intelligitur, quod alibi planiùs oſtendam, nunc autem nonniſi in contumaces, ac rebelles fertur, qui Eccleſiæ præceptis obtemperare recuſant:

a lib. 3. de offic.
b in Lexic.
c in Horis.
d in Oreſte,
e lib. 9. de leg. ad fin.
f lib 6. c. 22.
g lib de mor. Germ.
h in eius vita.
i li 3. Pharſal.
k lib. 1. de diuinat.
l in Octau.
m lib. 28. c. 2.
n lib. 36.
o lib. 27.
p lib. 40.
q Epo. Ode 5.
r lib. 2.
f lib. 6. de bel. Gal.
t cap. 9. & 16.
u lib. 2. de bello Iuda. cap. 7.
x Apolog. ca. 39.
y lib. de Idololatr. cap 11.
z lib. 2. ad vxor. cap. 2.
a 4. Reg. 5.
b ad Coloſ. cap. 2.
c epiſt. 1 alibi.
d Aug. li. contra epiſt. Parmen. c. 3. lib. de corr. & gratia, ca.

recuſant: negántque qui de his rebus accuratiùs, ac
ſubtiliùs diſputant, poſſe quemquàm ob præteri-
tum peccatum eccleſiaſtica cenſura damnari, quæ
verè ac propriè cenſura ſit. Id fateor canonibus re-
centioribus præſcriptum videri, qui trinam moni-
tionem requirunt: ſed olim aliam fuiſſe rationem
non dubito, quod facilè ex priſcis canonibus meri-
dianaluce clariùs conſtat. Nam vt ait Auguſtinus [a],
a Lib. de cor. & grat. ca. 15. *paſtoralis neceſſitas habet, ne per plures ſerpant dira con-
tagia, ſeparare ab omnibus ſanis morbidam*, vt hoc loco
facit Apoſtolus. Accedit quod olim quidem qui
grauiùs deliquerant à fidelium congreſſu ſacra ſy-
naxi, & commuoibus precibus arcebantur, vt illo
veluti pudore, ac dolore excitati reſipiſcerent, &
cũ Deo, eiúſque Eccleſia in gratiam redirent. Non
puto tamen, eam cenſuram inferri conſueuiſſe pro
occultis criminibus, quod hac noſtra ætate in gra-
uioribus criminibus meritò vſurpatur, ſed pro iis,
quæ produiſſent in lucem, & ad hominum cogni-
tionem perueniſſent cum aliorum offenſione, qua-
le erat hoc tam graue facinus in conſpectu totius
Eccleſiæ admiſſum. Quæ ſanè omnia luculenter
ostendit Auguſtinus [b] ex hoc ipſo Apoſtoli loco;
b Lib. 3. cont. ep. Parmen. cap. 2. Negat enim, cenſuram Eccleſiaſticam infligendam
eſſe niſi cùm *cuiuſque crimen notum eſt omnibus, &
omnibus execrabile apparet*: tunc enim fore ſalutarē,
*cùm ille & timore percutitur, & pudore ſanatur, cùm ab
vniuerſa Eccleſia ſe anathematizatum vidēs, ſociam tur-
bam, cum qua in delicto ſuo gaudeat, & bono inſultet,
non poteſt inuenire*. Ait igitur Apoſtolus, ſe decre-
uiſſe iam eum, qui ſeſe tam graui piaculo inquinaſ-
ſet ſacris arcendum eſſe, & pro ſua auctoritate mox
in illum fert ſententiam.

4 IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV
CHRISTI, &c.

5 TRADERE HVIVSMODI SATHANÆ, &c.
1 Indicat Apoſtolus qua auctoritate ſententiam ferat;
nam qui ſuperiori capite dixerat: *Sic nos exiſtimet ho-
mo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum
eius*, nullam ſibi maiorem in præſentia arrogat au-
ctoritatem: atque idcirco ait: *In nomine Domini noſtri
Ieſu Chriſti*: hoc eſt (vt Chryſoſtomus, & Theodo-
retus interpretantur) ipſo quaſi Domino præſide,
atque ſententiæ auctore. Indicat tamen Chryſoſto-
mus, nonnullos hunc locum aliter diſtinguere, vt
hæc verba, *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti*: cum
ſuperioribus coniungantur hunc in modum. *Eum,
qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti*.
vt ſit ſenſus; Eum qui tanta contumelia Chriſti no-
men affecit; eum qui percepta iam fide, à Chriſto
cognomen traxit, & tamen tam dirum nefas patra-
uit, *tradere ſathanæ, &c.* Sed prior ſententia cùm
planior, ac ſimplicior eſt, tum verò meo iudicio ap-
tior, vt ſeorſus ſit. *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti
congregatis vobis*; hoc eſt (vt ait Chryſoſtomus) *ipſo
nomine vos congregāte, pro quo conuenitis*: & vt ait Theo-
doretus, his verbis Paulus omnes in nomine Do-
mini coëgit, ne quis humanam, aut eiuſdem pote-
ſtatem ſuſpicetur. Et mihi quidem valde fit veriſi-
mile, ſpectaſſe Paulum ad id, quod Chriſtus in Euā-
c Matth. 18. 20. gelio [c] dixit. *Vbi enim ſunt duo vel tres congregati in
nomine meo, ibi ſum in medio eorum*. Congregari au-
tem in nomine Chriſti, Chryſoſtomus, & Euthy-
mius interpretantur propter Chriſtum, vt qui con-
gregantur nihil præter Chriſtum, eiúſque gloriam
quærant: alij Chriſti inuocato nomine: vtrumque
verè, atque aptè. accommodatior fortaſſè interpre-
tatio ſit, ſi Chriſti nomine congregari nihil aliud
eſſe dicamus, quàm Chriſti auctoritate, eiúſque
perſonam gerentes conuenire: quæ maximè inter-
pretatio huic loco congruit, quamquàm Græca lo-

A quendi ratio non eſt eadem vtrobique, quod tamen
(vt arbitror) ſententiæ nihil officit. Quod verò
Chriſtus in eorum medio ſe eſſe affirmat, refero non
tantùm ad gratiam, quæ eſt omnibus iuſtis commu-
nis, neque ad patrocinium ſolùm, quo ſine dubio
eos maximè tuetur, ac ſeruat, qui ſuo nomine con-
gregātur; ſed potiſſimùm ad auctoritatem. Quaſi
dicat: Ego in medio eorum tanquàm ſupremus iu-
dex ſedeo, eorúmque ſententiam, quam meo nomine
pronuntiant, ratam habeo. Itaque rectè hoc loco
Theodoretus. *Ipſum* (inquit) *etiam Dominum præſi-
dere, & ſententiam proferre oſtendit, & lictori tradere,
& fines præſcribere*. Vt appareat hæreticos toto errare
cælo, qui vniuerſæ multitudini auctoritatem tri-
buunt ferendi ſententiam in ſontes. Quamquàm
B enim hoc loco Apoſtolus vult Eccleſiam Corin-
thiorum congregari, nullam tamen ei iudicandi tri-
buit auctoritatem: ſed ipſe ſententiam fert, & illis
promulgandam permittit, cùm ipſe abeſſet: atque
idcirco ait: *Iudicaui, vt præſens*, Et mox: *In nomine Do-
mini congregatis vobis, & meo ſpiritu*: vt indicet ſe iu-
dicem eſſe, & pro ſibi tradita poteſtate agere. Qua
ratione intelligendum eſt, quod hoc loco ait Chry-
ſoſtomus, qui indicare videtur, fieri Corinthiis po-
teſtatem tradendi hominem ſathanæ: ſic enim acci-
pio, quaſi illi non ſuo iure, ſed Pauli nomine, atque
auctoritate, vel potius ipſius Chriſti poteſtate fa-
cturi eſſent, quod Apoſtolus imperat. itaque rectè
dixit Ambroſius, *non omnium conſenſu, & præſentia,
ſed virtute Domini Ieſu, id eſt ſententia, cuius legatione
C fungebatur Apoſtolus, abiiciendum illum de Eccleſia cen-
ſuit*. Quod ipſa verba Pauli non obſcurè ſignificant;
ait enim, cogendos eſſe Corinthios in nomine Do-
mini, & ſuo ſpiritu. Ita enim Græca verba accipio,
ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου, καὶ τοῦ ἐμοῦ πνεύματος: ſpiri-
tum autem ſuum Chryſoſtomus eodem modo ac-
cipit, vt paulò antè, quaſi ſignificet, ſe ibi quaſi præ-
ſentem affuturum, atque omnia cogniturum. Ma-
lim ego cum Theodoreto donum, ſeu gratiam ſpi-
ritus intelligere, qua videlicet, Paulus parem cæteris
Apoſtolis auctoritatem adeptus erat, quaſi velit eos
in vnum conuenire, & Chriſti primùm nomine, &
ſuo iuſſu, atque imperio. Ne quis autem exiſtima-
ret, Paulum ſibi humanam aliquam auctoritatem
vſurpare, ſubdit; *Cum virtute Domini noſtri Ieſu*. Im-
D pero (inquit) vobis auctoritate à ſpiritu accepta,
vtórque poteſtate, quam mihi Chriſtus Dominus
conceſſit. Quod autem ait: *cum virtute Domini*, eſt
græcè σὺν τῇ δυνάμει, vt vel hinc appareat quàm ſit
puerile, atque inane in fidei dogmatibus voculas, &
ſyllabas conſectari; quis enim neget, ſupremam eſſe
Chriſti Domini auctoritatem, eiuſdémque diuinam
vim, etiamſi præpoſitio σὺν, qua vtitur in præ-
ſentia Paulus, ſocietatem quamdam videatur indi-
care? id enim non eſt apud Græcos perpetuum, ſed
interdum non comitem ſignificat, ſed potiùs fau-
torem, & auctorem, vt cum dicimus σὺν ταῖς μούσαις,
id eſt muſis adiuuantibus; σὺν τῷ θεῷ, id eſt fauente
Deo. Quod verò Apoſtolus Corinthios in vnū cogi
imperat, auidè arripitur ab hæreticis, quaſi eorū ſuf-
E fragio hominem damnaſſe videatur, vt ſcilicet non
nihil de præſulum auctoritate, ac poteſtate decidant,
eámque cum populo communicent: ſed vt paulò
antè monui, ea de re alibi commodiùs agendum
erit. Interim dico cogendam fuiſſe Eccleſiam, vt
ſententia Apoſtoli auctoritate prolata, omnibus no-
ta fieret, & is, qui publico facinore infamis erat,
publica ignominia, & ſupplicio afficeretur. Cæterùm III.
Eccleſia Corinthiorum, nihil præter obſequium
imperanti Apoſtolo præſtitit. *Tradere* (inquit) *huiuſ-
modi ſathanæ*. Quod paulò antè dixerat *de medio tol-*
h id

h, id nunc explicat vehementiori metaphora: eodem enim hæc pertinere indicat omnis antiquitas. Sic Tertullianus [a]. *Inceſto verò nec dilectionem, quam ſcilicet auferri iuſſiſſet de medio ipſorum*: & paulò poſt. *Vt ex hoc argumentetur fornicatorem, immò inceſtum illum, non in perditionem ſathanæ ab Apoſtolo traditum, ſed in emendationem*: & paulò pòſt. *Illu* (inquit) *traditus ſathanæ, id eſt, extra Eccleſiam proiectus, erudiri haberent, blaſphemandum non eſſe.* & pòſt multa [b]: *Qui poſt baptiſma, & introitum ſacerdotum reformatus, denuo reſumit ſcabra, & maculas carnis, & abiicitur extrà ciuitatem in locum immundum, deditus ſcilicet ſathanæ in carnis interitum, nec ampliùs readificatur in Eccleſia poſt ruinam*: vbi tamen error Montani cauendus eſt. Alibi aliis nominibus hanc cenſuram nominat: alicubi [c] enim vocat *anathema*: interdum [d] ait quoſdam *arceri ab Eccleſia, & communione fraternitatis, & relegari in perpetuum diſſidium.* nonnunquam [e] *communione interdicere*, aliàs [f] *communicatione depellere*, denique [g]: *ſummouere à limine, & omni tecto Eccleſiæ: dare extra Eccleſiam: ſacramento benedictionis exautorare* Sic etiam Cyprianus multis nominibus hanc pœnam deſcribit. *Arcere* (inquit [h]) *à communicatione, non communicare.* rurſus [i] *eiicere, & de Eccleſia pellere, à communione* [k] *cohibere*; *eiicere* [l] *Eccleſia. & excludere*, & hac pœna damnatum vocat [m], *abſtentum*: hanc pœnam, & cenſuram *ſpiritualem gladium* appellat [n]: Hieronymus [o] *mucronem.* excommunicationis deinde nomen obtinuit, quod hoc ſupplicio damnati à *cæleſti pane* (vt ait Cyprianus [p]) *prohiberentur*: vel quòd *conſuetudine, conuictúque hominum mulctarentur*, vt indicat Auguſtinus [q]. Non dubito igitur hæc de cenſura, & excommunicatione accipienda eſſe, quemadmodum & illa in priori ad Timotheum [r]. *Quos tradidi* (inquit) *ſathanæ, vt diſcant non blaſphemare*, nam quod quidam aiunt, hanc traditionem, ſathanæ perſimilem eſſe ei, qua Iob olim ſathanæ permiſſus eſt: vel qua Ananias [ſ] à Petro, & Elymas [t] à Paulo damnati leguntur, quaſi corporis afflictatione, aut morbo à dæmone vexandi eſſent, prorſus videtur extra rem.

a de pudi. c. 1.
b c. 20. in fin.
c in Scor. c. 1.
d lib. ad vxorē, c. 1. & lib. de præſcript. cap. 10.
e lib. 4. in Marcion.
f lib. de monog.
g lib. de pudicitia.
h Ep. 28.
i Ep. 40.
k Ep. 41.
l Ep. 47.
m Ep. 18. 55.
n Ep. 82.
o Epiſt. 1.
p de oratio. Domini.
q lib. de fide & oper. c. 26.
r cap. 1. 20.
ſ act. c. 5. 1.
t act. 13. 10.

IV. Quid ſignificet quod ait Apoſtolus *ad interitum carnis*, non ita multò pòſt videro. Certè hîc agitur de cenſura Eccleſiaſtica, quæ ſpiritualis pœna eſt, quæ ad eius, qui peccauit, ſalutem refertur. Conſueuiſſe autem dæmonem eos, qui ſacris prohibiti eſſent, miris modis vexare, affirmarunt non pauci, vt mox conſtabit; ſed iidem tamen hic agi de cenſura Eccleſiaſtica, conſtanter omnes affirmant, & præter veterum communem ſententiam hanc interpretationem magnoperè probat Auguſtinus [u]. Cur autem qui hac cenſura perculſi ſunt ſathanæ traditi dicantur, Hilarius [x] duas affert rationes, alteram quòd qui peccatis obſtrictus eſt, *Deo vacuus diabolo pateat*; ſed videtur hoc potiùs ſpectare ad id, quod longè eſſe diuerſum affirmat Tertullianus [y]: *vt angelus ſathanæ ei traderetur*; videretúrque latiùs multò patere, quàm vt eos tantùm comprehenderet, qui ſactis arcentur: alteram igitur rationem affert, quòd illi tamquam à Chriſto alieni, & Eccleſia pulſi, diaboli dominationi traduntur. Quod ſignificauit Theodoretus Græcus [z] auctor. *Quod verò ait, tradere ſathanæ, non hoc dixit tamquàm id facere ipſe per ſe decreuiſſet, ſed quòd per abiectionem ab Eccleſia, & alienationem à Deo in poteſtatem ſathanæ veniret.* Et Theodoretus: *Ex hoc loco* (inquit) *docemur, quòd eos, qui ſegregantur, & ab Eccleſiaſtico corpore ſeparantur, inuadit diabolus, eos gratia deſtitutos inueniens.* Et Hieronymus [a]. *In veteri lege quicumque ſacerdotibus non obtemperaſſet, aut extra caſtra poſitus lapidabatur à populo, aut gladio ceruice ſubiecta, contemptū expiabat cruore: nunc verò inobediens ſpirituali mucrone*

u lib. 1. cont. Parmen. c. 2.
x in Pſ. 118.
y lib. de pudic. cap. 13.
z apud Gogn[a]eum.
a Epiſt. 1.

A *truncatur, aut eiectus de Eccleſia rabido dæmonum ore diſcerpitur.* Idem alibi hanc cauſam vocat *virgam Apoſtolicam, & ferream, qua confringitur vas iniquie, & traditur in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat.* Porrò Gregorius [a] Nyſſenus multa de hac ſētentia ſcribit; quam docet etiam in alia vita plurimùm obeſſe. *Si haberes* (inquit) *oculos apud animæ eſſentiam, oſtendiſſem tibi ſegregati figuram, & habitum condemnati, cuius collum premitur grauiſſimis vinculis, & nullum membrum habet liberum, aut ſolutum. Et vtinam intra huius vitæ terminos circumſcriberetur ſupplicium Nunc autem ſi quid humanitus contigerit, & mors repentè tanquam fur nocte aduenerit, ſcias tibi quæ illic ſunt iſſe clauſa. Sunt diligentes, & non ludentes ianitores regni: vident animam ferentem ſigna ſegregationis, non ſecus at-*
B *que quempiam, qui ſordida, & implexa coma arguit carcerem, eámque eiciunt à via, quæ tendit ad ea, quæ ſunt bona, & pulchra: concedunt, vt videat ordines iuſtorum, & angelicam lætitiam. Miſera autem tunc ſæpe conqueretur de ſuo malo conſilio; fléńſque, lugens, & eiulans, perpetuò erit in tetro, & mœſto loco abiecta, tanquàm in angulo, & nunquàm deſinet, & nullam admittet conſolationem, luctum extendens in æternum.* Et aliquanto pòſt: *Ne Epiſcopalis arrogantiæ exiſtimes eſſe ſegregationem; lex eſt patria; vetus eſt regula Eccleſiæ, quæ cœpit à lege, & fuit confirmata in gratia. Conſidera Sanctum Paulum in reos emittentem ſententias ſegregationis; & iuuenem Corinthium eo curantem medicamento, qui ſathanicè nouercæ inſano erat captus amore.* Multa in eandem ſententiam ſcribit Origenes [b], qui etiam docet,
C quando hæc ſententia animæ obſit, quando verò nihil noceat; Nam tam ſeueram ſententiam nōn niſi magna adhibita moderatione ferendam docent Gregorius [c] Nazianzenus, Ambroſius [d], Hieronymus [e], Chryſoſtomus [f], Auguſtinus [g], Gregorius [h]. Itaque Paulus hunc ſathanæ tradendum cenſet; *In interitum* (inquit) *carnis*, quod Chryſoſtomus interpretatur perinde factum, vt olim in Iob, ſed non eandem ob cauſā; *nam illic quidem pro ſplendidioribus coronis, hic autem pro ſoluendis peccatis, vt eum flagellet malo vlcere, aut morbo alio.* Et mox: *Porro autem hoc quoque fiebat, quod Deo videbatur, vt caſtigaretur eius caro: nam quoniam ex ſaturitate, & deliciis carnis, naſcuntur cupiditates, eam caſtigat.* Quibus verbis indicare videtur, quod apertè aſſerit Hieronymus, vel
D auctor commentariorum, qui ipſius nomine inſcribuntur; *ita tradi ſatanæ, vt arripiendi illum corporaliter habeat poteſtatem.* Ambroſius ſignificat, interitum carnis abolitionem ſignificare peccati. ait enim: *Quamquam omnia peccata carnalem hominem præſtent; hoc tamen ſpecialiter deſiderium carnis eſt, quo ſordibus maculata anima à libidine carnis. fit caro, ſicut & corpus rectè gubernatum, ſpirituale appellatur.* Ego etedidêrim olim iis, quibus ſacris interdiceretur ob crimē publicum, publicā etiam pœnitentiā imponi conſueuiſſe, quæ procul dubio grauitati criminis reſpondebat. Ob hanc igitur iniunctam pœnam interire dicitur caro, quod iidem commentarij Hieronymi nomine his verbis declarant. *Siue ſic quiſque pro meritis ſuis de Eccleſia pellitur, & ſathanæ traditur poteſta-*
E *ti, vt dum caro eius per pœnitentiam afflicta, quendam interitum patitur, ſpiritus conſeruetur*; inchoatur enim cilicio, cultúque in primis horrido, & aſpero, ieiunio, atque inedia, aliáque corporis afflictatione à ſeipſo perpetrati flagitij pœnas ſumere, & hac ratione caro quodammodò interire dicebatur, quia ipſius petulantia, atque efferata impotentia frangebatur, & quodammodò mactabatur. Quoniam verò græcè dixit Apoſtolus ὄλεθρον τῆς σαρκός, quaſi dicat perniciem carnis, ſignificare poteſt, vt perdatur caro, id eſt prauæ appetitiones comprimantur, & [illegible]

a in orat. aduerſ. eos, qui ægrè ferunt reprehen.
b Homil. 5. in Leuit. & in 14. in Luca.
c in Apolog. 2. & Orat. [illegible] diſputat. ſe[illegible]
d lib. 2. de pœn. cap. 25.
e in cap. 2. Ezechiel 14.
f Homil. [illegible] ad pop. Antioch.
g Epiſt. [illegible]
h Hom. [illegible] Euang.

[illegible]

Digitized by Google

ſaluus fiat, & gratiam amiſſam recuperet. Ad hunc A
locum alludens Tertullianus [a]: *Sic igitur* (ait) *& in-*
ceſtum fornicatorem non in emendationem, ſed in perdi-
tionem tradidit ſathanæ, ad quem iam ſuper ethnicos
delinquendo tranſierat; vt diſcerent fornicandum non
eſſe. Denique in interitum, inquit, carnis, non in cru-
ciatum; ipſam ſubſtantiam damnans per quam exci-
derat, quæ exinde iam perierat baptiſmate amiſſo:
quo loco hæreſi iam infectus Apoſtoli verba prauo,
atque hæretico ſenſu detorquet, cùm Chryſoſto-
mus, Tatianus, Ambroſius, aliique omnes de cor-
poris vexatione, non de interitu explicent. Quod
VI. ſequitur: *vt ſpiritus ſaluus fiat*, illo ipſo loco Tertul-
lianus perperam explicat. *Vt ſpiritus* (inquit) *ſaluus*
ſit in die Domini: & de hoc enim quæratur ſi ſpiritus ho-
minis ipſius ſaluus erit. Ergo ſaluus erit ſpiritus tanto ſce- B
lere pollutus, propter hoc perdita carne, vt ſaluus ſit in
pœna. Ergo pœnam ſine carne cenſebit contraria interpre-
tatio, ſi reſurrectionem carnis admittimus. Supereſt igitur,
vt eum ſpiritum dixerit, qui in Eccleſia cenſetur, ſaluum,
id eſt integrum præſtandum in die Domini ab immundi-
tiarum contagione, eiecto inceſto fornicatore; cùm certiſ-
ſimum ſit ex communi omnium interpretum ſen-
tentia de priuato hominis ſpiritu Apoſtolum ſen-
tire, ſiue ſpiritum pro anima, ſiue pro gratia ſpiritus
accipiamus. Nam vtramque explicationem indicat
Chryſoſtomus. *Vt ſpiritus* (inquit) *ſaluus fiat; hoc eſt*
anima; non quòd ea ſola ſalua ſit, ſed quòd hoc conſtet,
quòd ſi illa ſit ſalua abſque vlla contradictione corpus quo-
que ſit futurum particeps ſalutis. factum eſt enim mortale
propter ipſam, quæ peccauerat, & ſi ipſa ſe iuſtè geſſerit, C
rurſum & ipſum multam aſſequetur gloriam. Aliqui au-
tem ſpiritum dicunt eſſe chariſma, ſeu donum gratuitum,
quod extinguitur nobis peccantibus; ne hoc ergo fiat (in-
quit) *puniatur, vt ea ratione melior effectus attrahat*
gratiam, & inueniatur illam ſaluam exhibens in illo die.
Quam poſteriorem ſententiam probat Theodore-
tus; *ait enim traditum ſatanæ, vt corpus ſolùm caſtiget;*
anima verò ex diſciplina, ſalutare medicamentum con-
ficiat. Spiritum autem hic vocat, non animam, ſed do-
num, ſeu gratiam; hæc enim omnia (inquit) *facio, vt id in*
eo ſeruetur vſque ad aduentum ſaluatoris noſtri. Eodem
tamen modo cum Tertulliano explicat Ambroſius.
Tradit (inquit) *contaminatum ſupradictum ſatanæ, vt*
Spiritus ſanctus ſaluus ſit in hominibus Eccleſiæ in die D
iudicij; niſi enim eiectus eſſet, non fieret ſaluus ſpiritus
Eccleſiæ in die iudicij. Sed vt aliàs monui, illorum
commentariorum auctor valdè ſuſpectus eſt, haud
enim dubiè de ipſius damnati ſpiritu, vel de gratia
loquitur Paulus. Tertulliani verò explicatio Ca-
thaphrygarum dogma redolet, quaſi is, qui poſt ba-
ptiſmum lapſus erat, non poſſet iterum cum Deo
in gratiam redire. Quamobrem ex hoc loco Chry-
ſoſtomus, & Theodoretus colligunt, hanc Eccleſia-
ſticam cenſuram rectè medicamento comparari.
b Hom. 8. in [illegible] Quod egregiè alicubi explicat Origenes [b]. *Peccauit*
quiſpiam (inquit) *& poſt peccatum poſtulat communio-*
nem; ſi ei conceditur quod rogat, in incommodum om-
nium venia procedit, & laxatis frænis, ſceleribus pandi-
tur via. Sin verò cum rationabili deliberatione, non vt
miſericors, nec rurſum vt crudelis iudex, ſed & quaſi E
vir prouidens, & de omnium ſalute pertractans, conſi-
derauerit populi damnum in vnius venia, haud dubium
eſt, quin faciat eiici vnum de Eccleſia, vt multos ſaluet
incolumes. Age nunc, conſidera mihi & medicum, ſi ceſſa-
uerit à ſectione eius vulneris, quod ſecandum eſt, ſi non
vſſerit id, quod indiget cauterio, videlicet propter dolores,
qui ex talibus remediis conſequuntur, quomodò creſcat
infirmitas, & in deterius vetus humor exuberet; ſi verò
(vt ita dicam) temerarius ad vulnus ſector acceſſerit, &
inuſſerit plagam curat eum, qui ſecatur, & vritur, quia

A *paululum ſeueritatis aſſumpſit, licet viſus fuerit ægrotan-*
ti ad horam non miſereri: & deinceps multa in eam-
dem ſententiam, vt alibi copioſiùs oſtendo. Obſer- VII.
uat autem Chryſoſtomus, non dixiſſe ſimpliciter
Apoſtolum, *vt ſpiritus ſaluus fiat*; ſed addidiſſe, *in die*
Domini Ieſu, illius videlicet diei commemoratione
eum ait excitare Corinthios, vt illi quidem alacriùs
medicamentum adhibeant, eiectus verò pœnam
æquiori animo ſubeat. Græci codices ſimpliciter
habent τῦ κυρίε ἰησῦ: Romana editio, *in die Domini*
noſtri Ieſu Chriſti. Veterem porrò anathematis ve-
luti formam deſcribit Syneſius [a], qui cùm Andro- a epiſt. 58.
nicum Pentapolitanæ prouinciæ præfectum, &
Tonantem magiſtratum gerentem ſæuis cruciati-
bus reos torquere animaduerteret, vidiſſétque eos
B admonitionibus neglectis peiora minari, in eos ſen-
tentiam tulit in hæc verba: *Poſtquàm non amplius ad-*
monendus eſt homo, ſed velut inſanabile membrum à no-
bis reſecandus; vt ne ſocietate, etiam quod ſanum eſt, ſimul
corrumpatur: nam inquinamentum facilè diſtribuitur; &
qui tangit ſceleſtum, particeps ſit reatus illius. oportet au-
tem mente, & corpore puros Deo eſſe: propter hæc Ptole-
maidis Eccleſia ad omnes vbique terrarum ſorores ſuas
hæc demandat, Andronico, & ſuis, & Tonanti, & ſuis nul-
lum templum Dei aperiatur; omnis ſacer cœtus, omne ſa-
crum templum concluſum ſit. Non eſt diabolo portio in
paradiſo: qui etiam ſi clandeſtinè ingreſſus fuerit, expella-
tur. Admoneo igitur, & priuatum quemque, & princi-
pem, vt ne ſub eodem tecto cum ipſo habitet; neque eam-
dem menſam participet: ſacerdotes autem præcipuè, qui
C *neque viuentes ipſos alloquantur, neque mortuos ſimul*
deducant. Si verò quis velut paruæ ciuitatis Eccleſiam re-
probarit, & excommunicatos ab ipſa ſuſceperit, veluti ne-
ceſſe non ſit pauperi obedire, is ſciat, ſe ſcindere Eccleſiam,
quam vnam Chriſtus eſſe vult. Talis autem ſiue leuita,
ſiue presbyter eſt, ſiue Epiſcopus, à nobis in Andronici ſorte
locabitur, & neque porrigemus ipſi dexteram, neque vn-
quam de eadem menſa cum ipſo cibum capiemus: mul-
tùm enim aberit, vt in arcano myſterio communionem
habituri ſimus cum his, qui cum Andronico, & Tonante
ſortem habere voluerint.

NON EST BONA GLORIATIO VESTRA, 6.
&c. Redit ad Corinthiorum tumorem reprimen- 1.
dum. Vos (inquit) magnificè vos circumſpicitis, ve-
ſtráque bona ſupra modum extollitis, cùm tamen
D re vera lugendum vobis potiùs ſit, quàm vlla ex
parte gloriandum. Chryſoſtomus exiſtimat idcirco
hæc à Paulo dici, quòd Corinthij, qui hunc inceſtu
pollutum ſibi doctorem delegerant, eiúſque ſapien-
tiam in cœlum ferebant; hac ſua veluti aſſentatione
tenebras illi offudiſſent, ne ſceleris turpitudinem
agnoſceret, & ſalubriora conſilia ſpectaret. Id ſi
verum non eſt, (nec enim, vt ſuprà monui, quid-
quam auſim in alterutram partem definire) certè
Corinthiorum arrogantiam retundit, qui ſe egre-
gios magiſtros nactos eſſe gloriarentur. eos certè
Ambroſius ait tacitè perſtringi, quòd in tam graui
flagitio, tam publicè patrato penitus ſilerent, neque
vllum pœnitentiæ remedium adhiberent. *Non eſt*
inquit ergo *bona gloriatio veſtra.* Quaſi dicat, peruer-
E ſa, & mala eſt. Auguſtinus [b] autem indicat, in qui- b lib. 2. contra Parm. cap. 2.
buſdam Latinis codicibus ſcriptum fuiſſe. *Bona eſt*
gloriatio veſtra, quod ironicè dictum putat, cum qua-
dam indignatione, & acerbitate: quaſi dicat, Meritò
gloriamini, qui tanto in periculo poſiti non ani-
maduertitis quid vobis immineat mali. Vtro au-
tem modo legas, idem erit omninò ſenſus. Nec du-
bium eſt; hanc potiſſimum orationem primores po-
puli attingere, & eos, ad quos communis boni ſol-
licitudo, ac prouidentia aliquo iure ſpectabat; nam
(vt ait Ambroſius) exemplo Heli ſacerdotis, qui fi-

 liorum

A liorum flagitia neglexit, iuſtum Dei ſupplicium formidare meritò debebant, quòd tam nefarium facinus paterentur inultum. Subdit Apoſtolus. *Neſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?* Indicat enim vt ait Chryſoſtomus, vnius delicto totam poſſe multitudinem inquinari; ſerpunt quippe vitia, & exemplo ſuo nocent ſi ſint impunita. *Et ſi* (inquit Chryſoſtomus) *illius eſt peccatum, ſi tamen negligatur, poteſt totum corpus Eccleſiæ corrumpere; nam quando ii, qui primus peccant, pœnas non dederit, citò alij quoque eadem peccata admittent, oſtendens, quod non de vno ſolo, ſed de tota Eccleſia agitur, & periculum ſubitur.* Addit Hieronymus, interdum Deum propter vnius peccatum in populum Iudæorum ſæuiſſe.

II. Aptè verò fermenti metaphora aſſumitur. vt enim illud, quamuis modicum ſit totam maſſam immutat; B *ita* (inquit Ambroſius) *vnius peccatum, quod cognitum non arguitur, multos contaminat, immo omnes, qui norunt, & non deuitant, aut cum poſſint arguere, diſſimulant: non enim ſibi videtur peccare, quando à nullo corripitur, aut vitatur.* Alludit ad hunc locum Tertullianus [a]: *Et ita* (inquit) *in Chriſto quaſi aliam inueniens diſpoſitionem ſolius, & puræ benignitatis, vt diuerſa à creatore, facilè nouam, & hoſpitam argumentatus eſt diuinitatem in Chriſto ſuo reuelatam, modicóque exinde fermento totam fidei maſſam hæretico acore decepit.* Eadem ſimilitudine de re quidem diuerſa, ſed non abſimili ratione vſus eſt Chriſtus [b]. *Attendite à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis:* alibi [c] bonam in partem. *Simile* (inquit) *eſt regnum cælorum fermento, quod acceptum* C *mulier abſcondit in farina ſatis tribus.* Apoſtolus verò hanc eamdem ſententiam ad idem planè ſignificandum iiſdem prorſus verbis repetit in Epiſtola [d] ad Galatas. Habet enim fermentum duas proprietates: alteram, quòd acrimonia ſua maſſam corrumpit; alteram, quòd auget, ac dilatat: & ratione quidem prioris, in malam partem accipitur, & vitium, ſeu prauam doctrinam ſignificat: reſpectu verò poſterioris, regno cœlorum ſimile dicitur. Hoc loco in malam partem accipitur, vt Athanaſius [e] apertè docet: quærit enim cur dicat Paulus, *modicum fermenti totam maſſam corrumpit;* & reſpondet: *Hoc* (inquit) *propter malos, & peruerſos homines dicit, nam quemadmodum vetus fermentum exiguum qui-* D *dem eſt; multum autem farinæ fermentari facit; ad eumdem modum malus homo, qui in ſe nutrit malitiam, impartit etiam aliis, & fit ſcandalum, multóſque lædit. Propterea rurſus dicit, expurgate itaque vetus fermentum, vt noui ſitis; hoc eſt expellite malum, & prauum ex vobis, aut vos ab ipſo recedite, quandoquidem omnis malitia inquinat hominem.* Et profectò vt ait Seneca [f]: *Serpunt vitia, & in proximum quemque tranſiliunt, & contactu nocent. Itaque vt in peſtilentia cauendum eſt, ne corruptis iam corporibus, & morbo flagrantibus aſſideamus, quia pericula trahemus, afflatúque ipſo laborabimus; ita in amicorum legendis ingeniis, dabimus operam vt quam minimè inquinatos aſſumamus. initium morbi eſt ægris ſana miſcere.* Hac eadem metaphora vſus eſt Oſeas [g], fermenti nomine ido- E lolatriam ſignificans. *Quieuit* (inquit) *paululum ciuitas à commiſtione fermenti donec fermentaretur totum.* Quod autem ait: *Totam maſſam corrumpit,* græcè eſt φύραμα ζυμοῖ, hoc eſt fermentat.

a lib. 1. in Marcion. cap. 2.
b Matt. 16. 11.
c cap. 13. 31.
d cap. 5.
e in quæſt. ad Antioch. q. 12.
f lib. de tranq. animi cap. 7.
g cap. 7. 4.

7. Expvrgate vetvs fermentvm, &c.

I. Græci codices addunt illationis notam, οὖν, id eſt expurgate igitur, vt à ſuperioribus pendeat; quod ad ſenſum attinet, nulla eſt mutatio. Putat autem Chryſoſtomus, hæc non ſolùm dici de eo, qui impura libidine contaminatus erat, ſed de omnibus improbis, quos tacitè innuit. *Non enim* (inquit) *fornicatio* A *ſolùm eſt vetus fermentum, ſed etiam omne vitium.* Ambroſius etiam ad malam doctrinã refert. Theodoretus vetus fermentum vocat, quod fuit ante baptiſmum, *à quo iubet Apoſtolus ſeparari, & eſſe non fermentatos, nullas illius reliquias habentes.* Nec multò aliter Hieronymus. *Nihil* (inquit) *in vobis conuerſationis priſtinæ relinquatis, quod ſinceritatem poſſit naturæ corrumpere.* Rectè omnia, ac verè; quidquid enim Chriſtianam diſciplinam, & morum honeſtatem corrumpere, ac vitiare poteſt, id ſedulò amouendum docet Apoſtolus. Obſeruat autem Chryſoſtomus, non ſimpliciter dixiſſe Paulum, Purgate, ſed expurgate; hoc eſt accuratè, & perfectè purgare; vt nulla ſit eius vmbra, & reliquiæ. *Vt ſitis* (ait) *noua conſperſio.* Græcè νέον φύραμα, quod paulò antè di- B xerat maſſam. Eadem autem videtur metaphora, qua vſus eſt ad Romanos [a], cùm dixit. *Si delibatio ſancta, & maſſa.* vt enim ibi totam Iudæorum gentem, ita hîc Corinthiorum Eccleſiam, maſſæ nomine ſignificauit: quod etiam feciſſe Gregorium, & Damaſcenum ibi monuimus.

II. Cæterùm conſperſionis voce vſus eſt alicubi Tertullianus [b]. *Supereſt* (inquit) *de conſummatione, & diſpenſatione mercedis, vbi totam meſſem* (*ſic enim omnino legeris, non maſſam*) *Achamoth ſeminis ſui preſſerit, dum colligere in horreũ cœperit, vel cùm ad molas delatum, & defarinatum in conſperſionis aluearia abſconderit, donec totum confermentetur, tunc conſummatio vrgebit.* Continuata enim allegoria Tertullianus primùm de demerendis frugibus, tum de conuehendis in horreum, deinde mo- C lendis, pinſendiſque agit. Itaque quod Irenæus [c] idem argumẽtum tractans, dixit, *Cum vniuerſum ſemen perfectum fuerit,* Tertullianus more ſuo his verbis expreſſit; *vbi totam meſſem preſſerit.* Quod autem olim deprauatè *conſperſionis ſalutaria* quidam codices habebant, omninò rectè mutatum eſt, vt ſit *conſperſionis aluearia.* Quis enim vel diuinando intelligat, quænam ſint *conſperſionis ſalutaria?* at *conſperſionis aluearia*, vaſa eſſe piſtoria ad maſſam ſubigendam, nemo eſt qui ignoret; nam mactra, quæ Græcè κάρδοπος dicitur, quia concaua eſt, alueus appellari ſolet; vnde aluearia Tertullianus deduxit [d]. Alibi alludens ad filiorum Iſraelis egreſſionem ex Ægypto. *Profectionem* (ait) *filiorum Iſraelis, creator etiam illis ſpoliis aureorum, & argenteorum vaſculorum, & ve-* D *ſtium, præter oneribus cõſperſionum offarcinatam eduxit ex Ægypto.* Quod enim Græcè legitur τὸ σταῖς conſperſionem dixit, quam B. Hieronymus ex Hebræo farinam conſperſam tranſtulit, antequàm fermentetur. vt enim adnotauit Nonnius Marcellus, ita Græci vocant farinam aqua maceratam, manibúſque ſubactam, quæ fermenti acorem nondum contraxerit: vult igitur Apoſtolus, vt Corinthij conſperſionis ſinceritatem, non ſolùm doctrina (vt ait Ambroſius) ſed multò magis moribus imitentur, & exprimant. Nouam autem conſperſionem dicit, recentem indicans conſperſionem: longiori enim mora conſueuit etiam ipſa aceſcere, & corrumpi. Addit: *Sicut eſtis azymi,* innuens (vt ait Chryſoſtomus) non multos fuiſſe inquinatos, ſed plurimos manſiſſe inte- E gros, atque incorruptos.

III. Quoniam verò azymorum meminerat, quibus olim Iudæi veſcebantur, cùm agnum paſchalem immolarent; perſiſtens in allegoria, ſubdit. *Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Nolite (inquit) mirari ſi vos azymis ſimiles eſſe velim: quemadmodum enim olim Hebræi non ſine azymis paſchalia agebant, ita nobis verum paſcha celebrandum eſt adhibitis azymis; id enim iure ſuo exigit Chriſtus, qui quaſi nouum paſcha immolatus eſt patri. Repetit totum hunc locum Tertullianus [e]. *Expurgate* (inquit) *vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio,*

a cap. 11. 16.
b lib. adu. Valentin.
c lib. 1. cap.
d lib. 4. in Marcion. c.
e l. 5. in Marcion. c.

conſperſio ſicut eſtis azymi. Ergo azymi figuræ erant noſtræ apud creatorem. ſic & paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Quare paſcha Chriſtus, ſi non paſcha figura Chriſti per ſimilitudinem ſanguinis ſalutaris, & pecoris Chriſti? Quid nobis, & Chriſto imagines induit ſolemnium creatoris, ſi non erant noſtræ? Quo etiam modo aduerſus Marcionem argumentatur Epiphanius [a]; & ex vtroque rectè colligas azymos panes noſtri, agnū verò paſchalem Chriſti fuiſſe typum. Apparet autem paſcha hoc loco pro victima paſchali accipi, quod ſæpe accidit in ſcripturis. nonnulli codices habent ὑπὲρ ἡμῶν, hoc eſt pro nobis immolatus eſt. Sed neque Chryſoſtomus, neque Theodoretus horum verborum vllam faciunt mentionem, quamquàm Græci codices Chryſoſtomi, cùm Pauli verba proponunt, ea legunt. Latini codices, qui putātur emendatiores non habent: neque Ambroſius, neque Hieronymus legunt. Sed ſiue addas, ſiue ſecus; certum eſt, Chriſtum ſeſe pro nobis Deo Patri obtuliſſe. Non videtur autem audiendus quiſquis ille ſit, qui nomen Ambroſij profert, qui ait, paſchæ immolationem ſignificare, non tranſitum, cùm, vt aliàs dixi, certum ſit, vocem eſſe Hebræam, quæ tranſitum ſignificat, vt vel ex hoc mihi facilè perſuadeam nulla ratione hos commentarios Ambroſij eruditionem redolere, vt nihil dicam de humili dicendi ſtylo ab Ambroſij grauitate, & grandiloquentia alieniſſimo. Illud potiùs obſeruandum videtur, quod ait, Chriſtum fuiſſe immolatum; vt non malè colligas Euchariſtiæ ſacrificium, vt indicant Origenes [b], Chryſoſtomus [c], & Ambroſius [d].

a Hæreſ. 42.
b [illegible] c [illegible] d [illegible]

8.
I. ITAQVE EPVLEMVR NON IN FERMENTO, &c. Græcè eſt ἑορτάζωμεν, id eſt diem feſtum celebremus. Theophylacti interpres, itémque Chryſoſtomi: *Ferias* (inquit) *aut feſtum celebremus*. Et Ambroſius; *Feſta* (ait) *celebremus*. Sic etiam interpres [e] Origenis. Vulgatus autem, cùm in azymis aperta eſſet alluſio ad eſum agni paſchalis, epuli mentionem fecit; nam, & feſtis diebus ad maiorem lætitiam declarandam lautiora ſolent apparari conuiuia: itaque Pater ille familias apud Lucam [f] ait: *Epulari autem, & gaudere oportebat, quia frater tuus mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus eſt.* Quemadmodum igitur in illo antiquo epulo, cùm agnus paſchalis immolabatur, fermentum penitùs abolendum erat; ita omnem priſtinam malitiam abiiciendam monet Apoſtolus, & ad feſtum conuiuium noſtrum azymos panes adhibendos, id eſt ſinceritatem, & veritatem, vt illa ad mores, hæc verò ad doctrinam referatur. Obſeruat autem Chryſoſtomus apud Chriſtianos, qui tam eximia, ac ſingularia beneficia à Deo acceperunt, perennes eſſe dies feſtos. *Omne* (inquit) *tempus eſt tempus diei feſti Chriſtianis propter ſumma bona, quæ data ſunt. Epulemur* (igitur ait) *non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ*. Fermentum vetus appellat Apoſtolus quidquid prauum, & vitioſum primæua parentum noſtrorum labes in humanam naturam inuexit: exhilaremus quidem nos, & diem feſtum agamus; ſed ita tamen, vt prauis cu-
II. piditatibus nequaquam fræna laxentur. Addit: *Neque in fermento malitiæ, & nequitiæ*. Græcè κακίας καὶ πονηρίας, id eſt malitiæ, & verſutiæ, vt illa referatur ad mores, hæc verò ad ingenij calliditatem: vtrumque enim alieniſſimum eſt à Chriſtiana diſciplina; nam aduerſus improbitatem quidem, ſeu malitiam dixit Chriſtus [g]: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* contrà calliditatem verò [h]: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Ac propterea ſubiicit; *Sed in azymis ſinceritatis, & veritatis.* ſubaudiendum enim videtur panibus, quos autem panes azymos intelligat; ſtatim explicans ait, *ſinceritatis, & veritatis*, vt improbitati reſpondeat ſinceritas, nequitiæ veritas. Celebrandus igitur eſt nobis feſtus dies ſincero, ac vero corde: itáque rectè ait Chryſoſtomus: *Quemadmodum non de corporeo fermento loquutus eſt Apoſtolus; ita neque corporei panes azymi quærendi ſunt. Quocircà licet corporeum fermentum nequeat azymum fieri, hic tamen, quod eſt fermentatum, ſi veterem malitiam exuat, fieri poteſt fermenti expers.* Idem autem docet, fermentum vetus appellari quidquid eſt turpe, ac fœdum, & denique cum recta ratione pugnat: & hanc Pauli orationem maximè ait ad ſacerdotes pertinere, *qui ſinunt intrinſecus eſſe multum fermenti veteris, non expurgantes ex terminis, hoc eſt ex Eccleſia auaros, & raptores, & quidquid eiicietur ex regno cælorum.* His igitur vitiis excluſis, exigit Apoſtolus (vt monet Ambroſius) integram puramque vitam, omniſque doli, ac fraudis prorſus expertem.

e Homil. in Luc.
f Luc. 15.
g Matth. 5. 20.
h Matth. 10. 16.

9.
I. SCRIPSI VOBIS IN EPISTOLA, NE, &c. Scripſi (inquit) vobis in Epiſtola: at qua? Chryſoſtomus, Theodoretus, Hieronymus, & alij hanc ipſam Epiſtolam intelligunt. Et Chryſoſtomus quidem hoc refert ad id, quod paulò antè ſcripſit Apoſtolus. *Et vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis, vt tollatur de medio veſtrum, qui hoc opus fecit.* Et rurſus. *Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio.* Potuiſſent enim ſuſpicari, oportere illos omnium improborum hominum conſuetudinem vitare, præcipuè verò infidelium; quod quia difficile, ac permoleſtum videbatur, adhibet moderatam quamdam explicationem. Theodoretus verò Paulum ait reſpexiſſe, quod paulò antè dixerat. *Neſcitis, quòd modicum fermentum totam maſſam corrumpit?* quorum ſcriptorum auctoritas hanc explicationem probabilem reddit; quæ tamen alioqui, ſi per ſe ipſa ſpectetur, non admodum videatur veroſimilis: Etenim ſiue reſpiciamus ea, quæ indicantur à Chryſoſtomo, ſiue quæ Theodoretus adnotauit, ea ſunt eiuſmodi, vt non niſi coactè de iis, qui ſunt extra Eccleſiam, intelligi queant. Quamobrem mihi valdè ſit probabile, quod inſinuat Ambroſius, ſcripſiſſe Apoſtolum aliam quampiam Epiſtolam, qua monuerit eos, vt improborum impuram conſuetudinem, ac familiaritatem vitarent, quæ quoniam obſcuriùs dicta videri poterant, ea nunc explicat, ſeque ait, nō de gentilibus, & iis, qui extra Eccleſiam ſunt, ſed de iis tantummodò loquutum eſſe, qui inter fideles viuerent, à quibus maximè propter conſuetudinem, & conuictum metuendum erat: videtur autem ea Epiſtola penitùs interiiſſe, adeo vt nulla ipſius extet memoria. Scripſerat autem in ea qualicumque Epiſtola inter cætera, ne ſe commiſcerent fornicariis: Græcè πόρνοις, id eſt ſcortatoribus, aut etiam ſcortis; Græca enim vox tam viris, quàm fœminis videtur eſſe communis, qui ſint corpore proſtituto. Corinthij namque proſtabant, non puellæ ſolùm, ſed etiam catamiti: quamquàm (vt dixi) ſunt qui πόρνον non ſolùm ſcortatorem, ſed etiam ſcortum, ſignificare exiſtiment; putant enim deductam eſſe vocem à Græco verbo πέρνω, quod eſt vendo, quod magis conuenit ſcortis.
II. Pro eo verò, quod Latinus interpres dixit, *Ne commiſceamini*, Græcè eſt συναναμίγνυσθαι, quod videtur ſignificare denuò cōmiſceri: quaſi inſinuet, id eos facere conſueuiſſe, antequàm Chriſto nomina darent. Verùm Clementis [a] Alexandrini interpres aliter legiſſe videtur, ſic enim Latinè hunc locum reddidit. *Scripſi vobis in Epiſtola non fornicari cum fornicatoribus*; quaſi diſſuadeat ſcortationem: quod tamen non ſatis videtur ad rem; neque enim loquitur Apoſtolus de turpi

a lib. 3. Strom.

cum ſcortis conſuetudine; quaſi illos ab impura li-
bidine reuocet, ſed conſuetudinem, & familiarita-
tem cum ſcortatoribus interdicit: quod intelligeret,
difficillimum eſſe, ſi ad inſitos in animo cupiditatis
igniculos externæ illecebræ accedant, ardorem libi-
dinis extinguere, atque adeo lapſum eſſe procliuem.
Sed quoniam, vt erant tunc hominum mores toto
ferè orbe terrarum deprauati, & corrupti; negat
Apoſtolus, ſe id ita vniuerſim intellexiſſe quaſi
etiam à gentilium commercio abſtinendum cenſe-
ret. Itaque Theophylactus ſequutus Chryſoſto-
mum, ita verba Apoſtoli explicat. *Scripſi vobis, ne
commiſceamini ſcortatoribus, aut ſcortis: quod tamen
nolim ita accipi, quaſi iubeam vitari conſuetudinem om-
nium ſcortatorum huius mundi, ſed ſi quis dictus frater
ſit eiuſmodi, hic adeo vitandus eſt, vt nec cibum cum eo
capi velim: hoc enim eſt, quod ſubdit.*

10. I. NON VTIQVE FORNICARIIS HVIVS
MVNDI, &c. Ambroſius ſignificat occurrere in præ-
ſentia Apoſtolum prauæ Corinthiorum interpreta-
tioni, quaſi exiſtimarent illi, prohibuiſſe tantùm
Apoſtolum impuram gentilium conſuetudinem: cæ-
terùm ſi quis Chriſtianus eo nomine malè audiret,
non eſſe vitandum. Atqui Apoſtolus hoc ſe potiſſi-
mùm præcepiſſe affirmat, vt à fratrum conſuetudi-
ne abhorrerent, qui ſeſe fœdis voluptatibus inqui-
naſſet: illud ne præcipi quidem poſſe in tanta infi-
delium multitudine, & morum licentia. Addit
Chryſoſtomus, hac ratione Apoſtolum tacitè indi-
care non ſe id præcepiſſe, quaſi de Corinthiorum
virtute diffideret, & eiuſmodi præceptum iis reſer-
uaſſent, qui plus in Chriſtiana virtute profeciſſent;
ſed propterea quòd ſit eiuſmodi, vt, quæ tunc erat
temporum conditio, nulla ratione præſtari poſſet.
Itaque ait: *Non vtique fornicariis huius mundi*, Græ-
cè τοῦ κόσμου τούτου, quaſi dicat, non omnino, aut non
in totum ab omnibus huius mundi fornicariis, vt
huius mundi fornicarios poſuerit pro impiis, & in-
fidelibus, & opponantur fratribus, de quibus paulò
pòſt. Ita enim Chriſtus [a] ad Apoſtolos dixit. *Vos de
mundo non eſtis: ſi de mundo eſſetis, mundus quod ſuum
erat, diligeret: nunc verò quia de mundo non eſtis, pro-
pterea odit vos mundus.* Aut auaris. Græcè πλεονέκταις,
de qua voce aliàs dixi: ſignificat enim eos, qui plùs
appetunt, quàm quod iuſtitiæ, & æquitatis ratio pa-
titur. *Aut rapacibus, aut idolis ſeruientibus:* quæ vitia
apud infideles paſſim vulgabantur. Cur autem id
II. non præceperit, rationem reddens ſubdit: *Alioqui
debueratis de hoc mundo exiſſe. Si hoc vobis* (inquit
Chryſoſtomus) *ita ſeruandum foret; in alium quem-
dam mundum præſtaret commigrare, nam in hoc qui-
dem horum omniũ conſuetudo vitari nequaquàm poſ-
ſet.* At aliter Ambroſius: *Si vos eiuſmodi precepto, atque
admonitione eguiſſetis, præſtitiſſet profectò iam pridem
vita fungi; compendium eſt enim*, ait, *malè agentibus, ſi
citiùs moriantur, quàm ſi diutiùs in peccatis verſentur.*
Eodem modo Hieronymus: *Melius* (inquit) *vobis fue-
rat ex hac luce migraſſe, quàm indigere per commoni-
tionem à gentium conſortio ſeparari.* Itaque Chryſo-
ſtomus exiſtimat, Paulum his verbis ſignificare præ-
ceptum de vitandis infidelibus, non potuiſſe tradi,
eo quòd obſeruari nequaquam poſſet. Ambroſius
verò, & Hieronymus indicant ſignificari potiùs cõ-
trariũ; noluiſſe Apoſtolum id præcipere, quia Chri-
ſtiana pietate exiſtimabat indignum, quòd quilibet
fidelis ita animo comparatus eſſe deberet, vt mori
potiùs mallet, quàm infidelium conſuetudine inqui-
nari. Aliam explicationem indicat Hieronymus,
quaſi Apoſtolus non prohibuerit conuictum, & fa-
miliaritatem cum infidelibus, quòd eos Chriſtiano-
rum colloquiis, & vitæ exemplis proficere poſſe in-
telligeret, & ad Chriſti fidem adduci; nam alioqui
mortem priùs fidelibus oppetendam fuiſſe. *Sin au-
tem* (inquit) *mori debueratis, quos idcircò præcipuè vi-
uere interim Deus voluit, quò cohabitatione veſtra pro-
ficerent infideles.* Ego Chryſoſtomi ſententiam ma-
gis probo; cùm enim ex antecedentibus, & conſe-
quentibus appareat, loqui Paulum de cenſura Ec-
cleſiaſtica, qua improbi reliquorum conuictu, & cõ-
ſuetudine prohibentur, rectè Apoſtolus ſuam ſen-
tentiam interpretatur, qua dixerat, impuram homi-
num conſuetudinem vitandam eſſe: loqui enim ſe ait
de fidelibus; nam cùm omnia tũc temporis infideli-
bus plena eſſent, eorum conuictum, & conſuetudi-
nem vetare, nihil aliud eſſe videbatur, quàm fideles
ex hoc mundo amandare. Et ad idem confirman-
dum, poſtea ſubdit: *Quid enim mihi de iis, qui foris
ſunt iudicare?* quaſi dicat, non poſſe ſe in infideles
ſententiam ferre, quòd ad Eccleſiæ iudicium non
pertineant.

NVNC AVTEM SCRIPSI VOBIS NON, &c. 11.
Explicat ſuam ſententiam. Quoniam (inquit) quod I.
optandum erat, impetrari non poteſt, nec præcipien-
dum videtur; id imperaui, quod eſt omnino neceſſa-
rium, & factu facile; vt à fratrum conſuetudine re-
cedatis, qui ſuo exemplo aliis obſunt. *Scripſi* (inquit)
igitur vobis, ſi quis frater nominatur, Chriſtianis vide-
licet ſacris imbutus. Nonnulli Latini codices ad-
dunt, *inter vos*, quod Græci codices non habent, nec
ad ſenſum videtur neceſſarium: nec legitur in edi-
tione Romana: non obeſt tamen. *Si quis autem* (ait)
nominatur frater. Græcè ὀνομαζόμενος, quod partici-
pium referunt quidam [a] ad ſubſequentia; vt ſit ſen-
ſus: ſi quis fratrum nominatur inter vos ſcortator,
aut auarus, id eſt, his nominibus malè audit. Chryſo-
ſtomus tamen, & Theodoretus, & alij coniungunt
cum fratre: quaſi dicat; ſi quis cùm appelletur frater
his vitiis laboret. Miror autem quid venerit in men-
tem argutulis quibuſdam ſciolis, Pauli orationem
quaſi perturbatam, & minimè cohærentem hoc lo-
co carpere; cùm facilis ſit & expedita. *Scripſi* (inquit)
*vobis, non commiſceri cum eo, qui cùm frater ſit, eſt ta-
mẽ his grauiſſimis ſceleribus coopertus. Scripſi* (inquam)
non commiſceri, hoc eſt, *cum eiuſmodi nec cibum ſu-
mere*; vt explicet quid ſit *non commiſceri*, hoc eſt cum
eo nullam habere vitæ conſuetudinem. Videtur au- II.
tem Apoſtolus præcipuè crimina indicare, quæ tem-
pore illo Apoſtolico fidelium conuictu, & conſue-
tudine mulctabantur. *Cum eiuſmodi* (inquit) *nec ci-
bum ſumere.* Adeo (inquit) cenſeo, ſi quis Chriſtia-
nus huiuſmodi flagitiis ſit infamis, non oportere
cum eo commercium habere, vt ne menſam quidem
communem eſſe velim; vt hac maximè ratione ille
pudore affectus reſipiſcat, & interim caueatur, ne
cæteros ſuo exemplo corrumpat. *Cum fratre* (inquit
Ambroſius) *prohibet cibum ſumere; cum infideli autem
non prohibuit, quippe cùm dicat* [b]*: ſi quis vos vocat cum
infidelibus ad cœnam, & vultis ire, omne quod appoſi-
tum fuerit manducate.* Expedit hunc locum Augu-
ſtinus [c]. *Quomodo* (inquit) *Apoſtolus ne malis Chriſtia-
nis admiſceamur, prohibet, & tamen alio in loco docet, ſi
quis vos vocauerit ex infidelibus, & volueritis ire, omnia
quæ apponuntur vobis manducate nihil interrogantes,
hîc autem cum eiuſmodi nec cibũ quidem ſumere per-
mittit?* Et reſpondet; *in hac velut anguſtia quæſtionis
non aliquid nouũ, aut inſolitum dicam, ſed quod ſanitas
obſeruat Eccleſia, vt cùm quiſquam fratrum, id eſt Chri-
ſtianorum intus in Eccleſiæ ſocietate conſtitutorum, in
aliquo tali peccato fuerit deprehenſus, vt anathemate
dignus habeatur, fiat hoc vbi periculum ſchiſmatis nul-
lum eſt, atque id cum ea dilectione, de qua ipſe alibi
præcipit dicens, vt inimicum non eum exiſtimetis, ſed*
cor-

a Ioan. 15. 19.
a Theoph. & Oecum.
b Infra.
c Lib. 3 co. Parmen. c.

corripite vt fratrem; non enim eſtis ad eradicandum, ſed ad corrigendum. Et poſt nonnulla: *Ad hoc enim, & ipſe Apoſtolus ait: ſi quis frater nominatur: in eo quippe, quod ait, ſi quis, nihil aliud videtur ſignificare voluiſſe, niſi eum poſſe tali modo ſalubriter corrigi, qui inter diſſimiles peccat, id eſt, inter eos, quos peccatorum ſimilium peſtilentia non corrumpit: in eo verò, quod ait, nominatur, hoc nimirum intelligi voluit, parum eſſe, vt ſit quiſque talis, niſi etiam nominetur, id eſt famoſus appareat; vt poſſit omnibus digniſſima videri, quæ in eum fuerit anathematis prolata ſententia.* Ex quibus apparet, Auguſtinum intellexiſſe participium ὀνομαζόμενος, quod latinè dixit interpres *nominatur*, vt coniungatur cum ſequentibus: quaſi dicat, qui nominatur ſcortator, aut auarus, indicans non niſi propter publicum crimen anathematis ſententiam ferendam eſſe. Quod antiquam Eccleſiæ conſuetudinem ſpectat, quam paulò ante indicaui, quæque hac etiã
III. tempeſtate in publicis iudiciis ſeruatur. Verùm ſciſcitari quiſpiam poſſet, quánam ratione queat quiſquam Chriſtianus eſſe idololatra, cum hoc ipſo à fide Chriſti recedat; reſpondet Chryſoſtomus, *fortaſſe accidere potuiſſe, vt quis, more Samaritanorũ, ſe vtrumque præſtare poſſe exiſtimaret, & Chriſtum colere, & tamen idolis nonnihil tribuere, præſertim in eſu idolothytorum*, de quibus infrà fuſiùs diſputabit. Nam olim (vt colligitur ex Tertulliano [a]) ad idolorum cultum deteſtandum, multa cenſebantur ad idolorum cultum pertinere, quæ abſque flagitio vſurpari poſſunt. Addit: *aut maledicus*. Græcè λοίδορος, id eſt conuiciator, qui conuiciis, ac contumeliis alios appetit, atque ita rixas, & contentiones excitat. *Aut ebrioſus*, qui compotationibus oblectatur, qui ſeſe mutuis prouocationibus ad æquales hauſtus inuitant: qui denique ebrietatem ſectantur. Græcè μέθυσος. *Aut rapax*, qui aliena etiam per vim abripit.

a lib. de idololatria.

12. QVID ENIM MIHI DE IIS, QVI FORIS,
I. &c. Rectè Chryſoſtomus, eos qui intus ſunt Chriſtianos, eos verò, qui ſunt foris infideles, & Græcos ſignificare docet. Ait autem Apoſtolus, Eccleſiaſticam iudicandi auctoritatem Eccleſiæ fines nequaquàm egredi, atque adeo infideles Eccleſiaſtico iudicio non ſubeſſe. ac proinde ait. *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt iudicare*, hoc eſt, quid ad me attinet infideles & à noſtro contubernio alienos iudicare? *non habeo* (inquit Theodoretus) *in eos poteſtatem*: Nec (vt ait Ambroſius) *perfidos Epiſcopus iudicare poteſt. Si quis autem fidelis his flagitiis, quæ numerata ſunt deprehendatur obſtrictus, non ſolùm ſacris arcetur, ſed etiam communi menſa prohibetur.* Quod verò attinet ad verba Apoſtoli, Ambroſius legit. *Quo enim mihi*; Græcè tamen eſt τί γάρ μοι, id eſt, quid enim mihi. Mox autem confirmat, quod dixerat. *Nonne de iis, qui intus ſunt vos iudicatis?* Quaſi dicat: vos etiam per vos ſatis intelligitis, Eccleſiaſticam poteſtatem Eccleſiæ finibus circumſcribi, & quaſi intra cancellos includi. Fatemini enim veſtro exemplo inter fideles bonos, à malis eſſe ſecernendos, cùm tamen de infidelibus nemo ſit magnopere ſollicitus: vt iudicare hoc loco idem ſit, quod pro condemnato habere; qui autem hominis conſuetudinem vitat, verè illum habet pro condemnato: quod ſi ethnici, atque infideles, propter flagitia, quibus interdum ſunt cooperti, prorſus vitandi ſint; quánam, quæſo, ratione adducentur ad Chriſtum? itaque illi ferendi ſunt, vt ſaniora aliquando conſilia ſuſcipiant. Ob id enim Chriſtus Euangelij miniſtros luci [b], ac ſali comparauit, vt errorum tenebris fugatis, veritatis luoien effundant; & quæ vitiorum, veluti tabe, deprauata, & corrupta ſunt, quaſi ſalis confricatione Euangelica doctrina, & Chriſtianis exemplis curentur: quod ſi

b Matth. 5. 13. 14.

A ſalem amoueas; quánam, quæſo, ratione ſalietur quod eſt inſulſum? Obſeruat autem Chryſoſtomus, non hæc eò ſpectare, vt indicet Apoſtolus, ſe curam infidelium penitùs neglexiſſe, cùm re vera tantùm doceat eos auctoritati, & poteſtati apoſtolicæ non ſubeſſe: nam alioqui ſtrenuè laborabat, vt eos ad Chriſti caſtra perduceret, vt poſtquàm fidei præbuiſſent aſſenſum, Chriſtianis præceptis imbueret, & ad omnem pietatem informaret: quamdiu autem fidei reluctabantur, nullam in eos ſibi arrogabat auctoritatem. At nunc non pauci Romano Pontifici etiam in infideles auctoritatem tribuunt, quaſi eos poſſit rerum ſuarum dominio, imperióque priuare; idque aliquando factum fuiſſe contendunt: ego nihil dubito eccleſiaſticam Pontificis po-
B teſtatem Eccleſiæ finibus circumſcribi, nec quidquam poſſe iure ſuo in infideles ſtatuere: quòd ſi gentiles Chriſtianam fidem oppugnent, probris, & contumeliis afficiant; tum iure defenſionis ad propulſandas iniurias, contra illos agere poteſt, vt alibi copioſiùs oſtendo: alioqui dixit Apoſtolus. *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, iudicare?* Non me fugit, quod egregiè ſcripſit B. Thomas [a], poſſe Eccleſiam iure ſuo, eximere fideles ab infideliũ dominio, ac poteſtate: verum id cum hac Apoſtoli ſententia nihil pugnat; id enim poteſt Eccleſia iure defenſionis, ac protectionis quo fideles tueri ac defendere non ſolùm poteſt, ſed etiam debet cùm eos videt, ſub infidelium imperio periclitari. Atque idcirco ſubdit non ſemper Eccleſiam hoc ſuo iure
C vti, ad vitandum ſcandalum. Sed redeo ad Apoſtolum; qui ſanè potuiſſet fidelibus præcipere, ne vllam cum infidelibus conſuetudinem haberẽt, quod nunc magna ex parte eccleſiaſticis legibus cautum eſt; ne videlicet cum iis connubia ineantur, atque id genus alia; ſed duo in præſentia dicit Apoſtolus; alterum, non poſſe ſe infideles damnare eo planè modo quo fidelem inceſtu pollutum, Eccleſiaſtica cenſura perculit; quod eſt veriſſimum: alterum, ne potuiſſe quidem fidelibus præcipere, vt infidelium conuictum, conſuetudinémque vitarent, non quaſi ea poteſtate careret, quam nunc meritò Eccleſia vſurpat; ſed quòd eo quidem tempore, id non ſolùm difficile videretur, ſed prorſus eiuſmodi vt vix fieri poſſet. *alioqui enim* (inquit) *debueratis ex hoc mũdo*
D *exiſſe*: in tanta enim gennhuin multitudine fuiſſet eiuſmodi lex, non ſolùm parum congrua, ſed valde incommoda, & quæ vix poſſet obſeruari.

a 2. 2. q. 10. ar. 10.

NAM EOS, QVI FORIS SVNT DEVS, &c. 13.
Explicat quod modò dixerat ſe non poſſe gentiles I.
iudicare; quoniam inquit illi ad Eccleſiam non pertinẽt, permittantur ſanè diuino iudicio, quæ ad Eccleſiam ſpectant, & ad bonam fidelium adminiſtrationem nobis ſedulo curanda ſunt: *auferte* igitur *malum ex vobis ipſis.* Hoc eſt tollite ſceleſtum, vt ad hominem referatur; eſt enim græcè τὸν πονηρόν. Obſeruat autem Auguſtinus [b], hac ratione dicendi ſacram ſcripturam ſignificare capitale ſupplicium, cui in Eccleſiaſtico iudicio, anathematis ſententia quadam ex parte reſpondet. Alibi [c] tamen *malum* hoc
E loco poſitum putat pro malitia. Perinde quaſi ſcriptum ſit τὸ πονηρόν: nihilque aliud putat indicare Apoſtolum, quàm quod ad Epheſios ſcriptum eſt, veterem hominem eſſe exuendum. Sed vtrumque (vt verum fatear) parum videtur huic loco congruere; nam vt Chryſoſtomus, & Theodoretus monent, docet Apoſtolus infideles diuino iudicio permittendos; fidelibus autem dandam operam eſſe, vt improborum hominum conſuetudine abſtineant: idque probat allatis ex Deuteronomio [d] verbis; ibi enim ſcriptum eſt: *Auferes malum de medio tui.* Sed

b Quæſt. in Deuter. ca. 18.

c lib. 3 contra Parm. c. 1. & 2.

d cap. 21. 1.

multò tameo aliter intelligitur in præſentia Apoſtolus: ibi eoiio præcipit Deus impios lapidibus obrui; hic verò tantiſper monet fidelium ſocietate mulctandos, quoad reſipiſcant; vt appareat omnnò peruersè, & ad hæretica dogmata hunc locum à Tertulliano inuerti. Adeo enim putat, impios à fidelium conuictu, conſuetudinéque arcendos, vt nullus deinde pateat pœoitentiæ locus; ita [a] enim ſcribit: *Quid ſi & hic reſpondere concipias, adimi quidem peccatoribus, vel maximè carne pollutis communicationem, ſed ad præſens, reſtituendam ſcilicet ex pænitentia ambitu ſecundùm illam clementiam Dei, qua mauult peccatoris pœnitentiam, quàm mortem. Hoc enim fundamētum opinionis veſtræ* (Catholicos alloquitur) *vſquequaque pulſandum eſt. Dicimus itaque clementia diuina ſi ita eſſe competiſſet demonſtrationem ſui etiam poſt fi-* B *dem lapſis, ita Apoſtolus diceret, nolite communicare operibus tenebrarum, niſi pœnitentiam egerint: & cum talibus ne cibum quidem ſumere, niſi poſteaquàm caligas fratrum volutando deterſerint. Et qui templum Dei vitiauerit, vitiabit illum Deus, niſi omnium focorum cineres in Eccleſia de capite ſuo excuſſerit. Debuerat enim qua damnauerat proinde determinaſſe, quo nam vſque & ſub conditione damnaſſet, ſi temporali, & conditionali, & nōn perpetua ſeueritate damnaſſet.* At proculdubio loquitur Apoſtolus de ſceleratis, atque improbis, qua eiuſmodi ſunt, nam hunc ipſum ſcortatorem, quem damnandum cenſuit, vt ſuo loco videbimus, poſt

[a] lib. de pudic. cap. 18.

A peractam pœnitentiam ſacris, & fidelium ſocietati reſtituendum monet. Quamobrem iure quærit II. Chryſoſtomus, cur olim quidem apud Hebræos capite plecterētur improbi; in Eccleſia verò ſegregentur quidem ab aliorum conſortio; ſed ad pœnitentiam excitentur; & duas huius rei affert rationes; alteram, quòd fideles ad maius quoddam certamen prouocantur; atque ob id maiori indigent patientia: alteram, quòd fideles poſt Chriſti aduentum impunitate ſcelerum faciliùs corriguntur; illi contrà ad grauiora flagitia prouocarentur. Quod alicubi ſignificat Salomon[a]. *Quia non profertur* (inquit) *ſtatim contra impios ſententia, filij hominum abſque vllo timore perpetrant mala.* Porro ex hoc Tertulliani loco noſtra ſententia confirmatur, qua ſupra diximus eos, B qui anathemate ferirentur, propter publica peccata pœnitentiæ legibus ſubiici coolueuiſſe; huc enim ſpectat, quod ille dicit; *caligas fratrum volutando deterſerint.* Solebant enim pœnitentes præ foribus templi, ad genua fidelium ingredientium aduolui, vt eos apud Antiſtitem deprecatores haberent. Eodémque pertinent illa; *niſi omnium focorum cineres in Eccleſia de capite ſuo excuſſerit*; nam cinerem pœnitentium capitibus imponi conſueuiſſe, alibi doceo. Atque hoc videtur, vt dixi, ſignificare voluiſſe Apoſtolus, cùm dixit, *ad interitum carnis*: iſto enim modo adhibitis ieiuniis, atque aliis corporis afflictationibus, corporis contumacia frangebatur.

[a] Eccleſiaſt. 8. 11.

Argumentum Cap. VI.

QVIA obiter auaritiam nominauerat, arrepta occaſione Corinthios vehementiùs increpat, quod inter ſeſe litibus, & ciuilibus contentionibus operam darent, eáſque apud iudices infideles actitarent. Deinde illos ab iniuria, & contumelia inferenda, aliíſque patrandis ſceleribus reuocat, propoſita ſpe beatæ vitæ, ad quam nulli impio aditus patet. Poſtremò de ſcortationis turpitudine, & grauitate pauca differit.

CAPVT VI.

AVDET aliquis veſtrum habens negotium aduerſus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud ſanctos?

An neſcitis, quoniam ſancti de hoc mundo iudicabunt? Et ſi in vobis iudicabitur mundus, indigni eſtis, qui de minimis iudicetis?

Neſcitis quoniam Angelos iudicabimus? quāto magis ſæcularia?

Sæcularia igitur iudicia ſi habueritis: contemptibiles, qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum.

Ad

PARAPHRASIS.

EO-NE audaciæ proceſſiſtis, vt vos non 1.
pudeat quempiam exiſtere inter vos,
qui cùm aduerſus alterum fratrem litem intentet; ſuſtineat iudicio experiri
ſub iniuſtis, atque infidelibus iudicibus, & non
magis ſub ſanctis, hoc eſt fidelibus, & Chriſtianis?
¶ An ignoratis (quod tamen me docente ſæpius 2.
vos audiſſe inficiari non poteſtis). futurum aliquando, vt ſancti cunctos mortales in extremo
mundi die iudicent? Quòd ſi veſtrum iudicium
ſubiturus eſt mundus, veſtræque ſententiæ prorſus acquieturus, indigní-ne eſtis, qui minimis, infimiſque iudiciis præficiamini? ¶ An non noſtis, 3.
nos de dæmone ipſo, eiúſque ſectatoribus angelis
ſententiam eſſe laturos? Tantùm profectò abeſt,
vt quæ ad huius vitæ vſum pertinent, & mortalia
ſunt, & caduca, eiuſmodi iure cenſeantur quæ à
nobis iudicari non queant. ¶ Itaque ſi de rebus 4.
corporeis, quæque ad hanc mortalem vitam ſiue
tuendam, ſiue ornandam referuntur, ciuiles concertationes exiſtant; quid neceſſe eſt iudices infideles adire? Equidem malim iudices ac diſceptatores conſtitui potiùs à vobis eos, qui minimi pretij ſunt inter vos; neque enim hæc bona tanti ſunt,
quin vel infimi quique ex fratribus iis controuerſiis

ſiis dirimendis idonei eſſe poſſint. ¶ Hæc idcirco
5. à me cõmemorantur, vt hanc potiſſimùm ob cau-
ſam, iuſtum vobis pudorem incutiam; nam re vera
eccui credibile videatur neminem eſſe inter vos
tanta ſapientia, ac prudentia præditum, ne vnum
quidem, qui fratrum ſuorum lites componere, &
9. contentiones dirimere, aut ſciat, aut velit? ¶ Sed
profectò ita ſe res habet (quod non ſine ma-
gno animi ſenſu, ac dolore dico;) frater cum
fratre iniuſtè iudicio experitur, & alter alte-
rum ad iudices infideles, & à Chriſtiana reli-
7. gione alienos trahit. ¶ Sanè quidem magna ani-
mi impotentia eſt, & vt ſemel dicã, non leue cri-
men, quòd inter vos controuerſias, in foro diſce-
ptandas, & ciuiles contentiones iudicis auctori-
tate compenſandas, non ſine graui infidelium of-
fenſione habeatis. Cur enim potius iniurias non
æquo animo fertis? Cur non damnum, ac bono-
rum iacturam boni conſulitis? Neque enim igno-
rare poteſtis ipſi hæc omnia caduca, & mortalia
bono aliorum ſpirituali, vtilitatíque longè eſſe
8. poſthabenda. ¶ Atqui multò aliter ſe res habet;
ipſi enim vos fratribus veſtris iniuriam infertis,
vos illorum bona fraude ac dolo interuertitis, &
citra vllum ſiue pudorem, ſiue timorem damno
9. afficitis. ¶ An ignoratis impios, ac ſceleſtos homi-
nes cœleſti regno, & paterna Dei immortalis hæ-
reditate excludi? Nolite quæſo, vano errore delu-
di, ſed ſic prorſus habetote, neque ſcortatores, ne-
que idololatras, neque mœchos, neque cinædos,
neque qui præpoſtera maſculorum venere vtun-
10. tur. ¶ Neque fures, neque auaros, neque ebrioſos,
neque conuitiatores, neque rapaces regni Dei
11. poſſeſſionem conſequuturos. ¶ Et hæc aliquando
quidam fuiſtis, eiuſmodi penè ſceleribus inqui-
nati; ſed (quæ Dei benignitas fuit) ab his veluti
ſordibus abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, verám-
que iuſtitiam adepti, ſacro baptiſmo Chriſti Do-
mini Ieſu nomine, atque auctoritate luſtrati, diui-
nóque ſpiritu, ſingulari Dei liberalitate percepto.
12. ¶ Verumtamen (vt alia tranſeam) omnia quæ in-
differentia ſunt, & in vtramque partem trahi fa-
cilè poſſunt, mihi profectò licent; non tamen om-
nia continuò ad eum finem aſſequendum, quem
expetimus, rectà conducunt; omnia, vt dixi, mihi
liceant: at ego contrà ita ſum animo comparatus;
vt non patiar me rei cuiuſpiam abblandiẽtis ſerui-
tute premi, vt ea cùm libuerit non facilè carere
13. poſſim: ¶ Porro eſcæ implendo ventri deſtinatæ
ſunt, & venter eſcis ſarcinatur; Deus autem im-
mortalis, & hunc, & illas abolebit aliquãndo, cor-
pus verò veſtrum non ideirco conditum eſt, vt
ſcortationi; ſed potiùs Deo immortali, ac Domi-
no noſtro ſeruiat, contrà verò, & iuris, & æquitatis
ratio poſtulat, vt Deus ipſe corpori veſtro præſit,
14. & pro imperio dominetur. ¶ Deus autem & Chri-
ſtum Dominum reuocauit ab inferis, & nos diui-
na ſua vi ac poteſtate, tametſi corpora noſtra pe-
16. riiſſe videntur, rurſus ad ſuperos excitabit. ¶ An
non noſtis, corpora veſtra eſſe quodammodò

Ad verecundiam veſtram dico, ſic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit iudicare inter fratrem ſuum?

Sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles?

Iam quidem omnino delictum eſt in vobis, quòd iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?

Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis; & hoc fratribus.

An neſcitis quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? nolite errare: neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri.

Neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.

Et hæc quidam fuiſtis: ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri.

Omnia mihi licẽt, ſed non omnia expediunt: Omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate.

Eſca ventri, & venter eſcis: Deus autem hũc, & has deſtruet: corpus autem non fornicationi, ſed Domino, & Dominus corpori.

Deus verò & Dominum ſuſcitauit, & nos ſuſcitabit per virtutem ſuam.

Neſcitis, quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti,

faciam membra meretricis? Abſit.

An neſcitis, quoniam qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne vna.

Qui autem adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt.

Fugite fornicationem. Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat.

An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri.

Empti enim eſtis pretio magno. Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.

membra Chriſti, cui tanquàm capiti, non modò
omnes Angeli cunctique mortales ſubiiciuntur;
ſed præcipuè fideles omnes, atque in primis iuſti
adhæſerunt, & myſtica quadam ratione agglutinantur?
Num igitur adeo quiſpiam deſipiet, vt
Chriſti membra tollat, & impuræ voluptatis illecebris
captus faciat, vt ſint ſcorti membra? Apage.
¶ Sed num latet vos qui ſcorto nefariè copulatur, 16.
cum fieri cum illo vnum quodammodò corpus?
Sanè ita olim ſcriptum eſſe accepimus; cùm de
maris, ac fœminæ commiſtione ſermo eſſet, fient
qui duo erant caro vna. ¶ At qui verè, & ex ani- 17.
mo agglutinatur Domino, eique ſeſe penitùs addicit,
vnus planè ſpiritus efficitur cum illo, & eiuſdem
propemodũ naturæ fit particeps, atque adeo
nihil mortale, aut caducum cogitat: tantùm abeſt,
vt ſeſe voluptatibus conſtringendum præbeat.
¶ Sic igitur ſtatuite apud vos omni ſtudio, atque 18.
animi contentione ſcortationem vobis eſſe fugiendam:
quidquid enim ab hominibus peccatur,
citrà corporis iniuriam, aut contumeliam fit; qui
verò ſcortatur, quia impuris, ſordidiſque membris
vtitur, fœdáque oblectatione polluitur, omnes denique
animi corporiſque vires frangit; meritò dicitur
proprium, ac ſuum corpus inquinare. ¶ An 19.
non noſtis, corpus veſtrum templum eſſe Spiritus
ſancti, qui quadam ratione, ſedem ſuam in vobis
collocauit, ex quo illum baptiſmo expiati, cœlitùs
à Deo percepiſtis? itaque oportet vos eſſe Deo ſic
penitùs addictos, vt veſtri iuris nequaquàm ſitis.
¶ Nam pretio, & quidem magno empti eſtis. Æ- 20.
quum igitur eſt, vos Deo immortali tum corpore,
tum etiam ſpiritu omnem honorem, & gloriam
exhibere, cùm hæc omnia ipſius Dei ſint beneficia.

IN CAPVT SEXTVM
EXPLANATIO.

1. I. AVDET ALIQVIS VESTRVM, HABENS, &c. Meminerat paulò antè Apoſtolus auaritiæ, qua dixerat pleroſque dignos videri, qui fidelium conſuetudine arceantur; hac igitur arrepta occaſione, vbi aduerſus impuram, ac nefariam libidinem hactenus inuectus eſſet, eos reprehendit, ac damnat, qui ciuiles controuerſias, coram gentilibus agitarent. Quod ſanè permirum videri debet, cùm ad Romanos [a] ſcripſerit, omnem animam ſublimioribus poteſtatibus ſubiectam eſſe; quòd ſi ita eſt, nõ ſatis apparet, cur tantoperè reprehendendi ſint Corinthij, qui legitimos magiſtratus adeant, etiamſi illi gentiles ſint, vt ius ſuum repetant. Itaque cùm hoc loco Apoſtolus hoc ſolo nomine acriter Corinthios caſtiget; fuerunt qui exiſtimarent, cum magna Corinthiorum pars Chriſto Domino adhæſiſſet, reliqua gentilem adhuc ſuperſtitionem, atque impietatem retineret, ſuos cuique parti iudices, ac magiſtratus fuiſſe præpoſitos, vt alij quidem Chriſtianorum,

[a] cap. 13. 1.

A alij verò gentilium cauſas, & controuerſias dirimerent: itaque meritò eos ab Apoſtolo accuſari, qui neglectis Chriſtianis iudicibus, coram infidelibus lites intentarent. Sed vtrùm id verum ſit, adhuc ambigo, nec mihi facilè perſuadere poſſum Corinthiorum vrbem, iam tum in duas veluti republicas fuiſſe diuiſam, ſiue quia Romani magiſtratus, & præſides id nulla ratione paſſuri erant; ſiue quia ipſi Corinthij non facilè hanc magiſtratuum multitudinem, ac diuerſitatem admiſſuri videbantur: neque rem alioqui abſurdam, rectæque ciuitatis adminiſtrationi planè repugnantem abſque grauiſſimi auctoris teſtimonio auſim affirmare. Accedit, quòd hoc ipſo loco Apoſtolus non obſcurè ſignificat, nullum Chriſtianorum iudicandi munere perfungi; mirum enim B ait, eſſe, ſi nemo inter illos reperiatur, qui litibus dirimendis ſit idoneus; & addit, infirmos quoſque, atque abiectiſſimos potiùs iudicijs præficiẽdos, quàm gentiles magiſtratus adeundos: denique ſi ea iudicum, ac magiſtratuum diſtinctio fuiſſet in ciuitate, ſit

ſui cuique fines præſcribi oportuiſſet, ne alij in alienam poſſeſſionem inuaderent, atque in alienum velut patrimonium inuolarent; nam ſi cuique liberum fuiſſet, quos mallet adire, quorſum illa iudicum diſtinctio pertineret? Itaque alij hæc ab Apoſtolo idcirco ſcripta eſſe putant, vt Eccleſiaſticum veluti tribunal conſtituat: quod fuiſſe apud veteres Chriſtianos ſacroſanctum, multis probari poteſt.

II. Verùm cùm ille æquè omnes fideles alloquatur, & de miniſtris Eccleſiæ ne verbum quidem faciat, mihi longè probabilius videtur hæc non tam dici de legitimis iudiciis, quæ à magiſtratibus publiciſque iudicibus exercerentur; quàm de ſponte ſuſceptis, ſeu potius publica Eccleſiæ auctoritate conſtitutis, & ad lites dirimendas, & controuerſias componendas adhibitis; ne cogerentur fideles, gentilium tribunalia non ſine ſcandalo adire. quod in rebus quidem ciuilibus iam inde ab initio naſcentis Eccleſiæ, ita ferè vſurpari conſueuit; vt quoniam Epiſcopus Eccleſiaſticorum criminum iudex erat, & quæ Eccleſiaſtica cenſura corrigenda eſſent, ſuo iudicio, ſententiáque ſtatuebat; idem etiam ciuiles controuerſias ſedaret: quod ex Clemente perſpicuè cognoſcitur; ſic enim ille in conſtitutionibus[a] Apoſtolicis. *Pulchra quidem* (inquit) *Chriſtiani hominis laus eſt cum nemine litigare: ſin autem alicuius opera, aut tentatione quapiam factum fuerit, vt incidat ei lis, det operam, vt dirimatur, quamuis opus ſit aliquid damni facere, & ne adeat ad iudicium gentilium, immò ne patiamini, vt ſæculares magiſtratus de cauſis veſtris iudicent, per eos enim diabolus ſtudet, vt famulis Dei probrum etiam excitet: quaſi non habeatis vos quempiam ſapientem, qui poſſit inter vos ius dicere, aut controuerſiam dirimere.* Paulò[b] autem pòſt oſtendit id potiſſimùm præpoſitorum eſſe munus: Et paucis[c] interiectis iudicij Eccleſiaſtici, tùm in rebus ciuilibus, tùm etiam cùm de criminibus vindicandis agitur, formam præſcribit. video tamen parum cum hac ſententia conuenire, quæ idem Clemens[d] ſcribit ad Iacobum fratrem Domini. *Te quidem* (ait) *oportet irreprehenſibiliter viuere, & ſummo ſtudio niti, vt omnes vitæ huius occupationes abiicias, ne fideiuſſor exiſtas, ne aduocatus litium fias, néve in vlla aliqua occupatione prorſus inueniaris mundialis negotij occaſione perplexus. neque enim iudicem, aut cognitorem ſæcularium negotiorum hodie te ordinare vult Chriſtus, vti ne præfocatus præſentibus hominum curis, non poſſis verbo Dei vacare, & ſecundùm veritatis regulam ſecernere bonos à malis.* Certè Auguſtinus plurimùm ſe ciuilibus cauſis cognoſcendis occupari conqueritur[e]. *Teſtem* (ait) *inuoco ſuper animam meam, quoniam mallem per ſingulos dies certis horis quantum in benè moderatis monaſteriis conſtitutum eſt, manibus operari, & certas horas habere ad legendum, & orandum, quàm tumultuoſiſſimas perplexitates cauſarum alienarum pati de negotiis ſecularibus, vel iudicando dirimendis, vel interueniendo præcidendis. Quibus nos moleſtiis idem affixit Apoſtolus, nec vtique ſuo, ſed eius, qui in eo loquebatur, arbitrio, quas tamen ipſum perpeſſum fuiſſe non legimus; aliter enim ſe habet Apoſtolatus eius diſcurſus; Nec dixit, ſecularia igitur iudicia ſi habueritis ad nos deferte, aut nos conſtituite ad iudicandum, ſed eos, qui contemptibiles ſunt in Eccleſia, hos inquit collocate. Ad reuerentiam vobis dico, ſic non eſt inter vos quiſquam ſapiens, qui poſſit inter fratrem ſuum iudicare, ſed frater cum fratre iudicatur, & hoc apud infideles. Sapientes ergo, qui in locis conſiſtebant fideles, & ſanctos, non qui hac, atque illac propter Euangelium diſcurrebant, talium negotiorum examinatores eſſe voluit. Vnde numquàm de illo ſcriptum eſt quòd aliquando talibus vacauerit, a quibus nos excuſare non poſſumus, etiam ſi contemptibiles nos ſimus, quia*

A *& hos collocari voluit ſi ſapientes defuiſſent, potiùs quàm negotia Chriſtianorum deferrentur ad forum; quem tamen laborem non ſine conſolatione Domini ſuſcipimus pro ſpe vitæ æternæ, vt fructum feramus cum tolerantia.* Quibus verbis non ſolùm Auguſtinus, ſe fidelium cauſas iudicaſſe commemorat, ſed tam grauem, támque moleſtum laborem Apoſtoli auctoritate ſe ſubiiſſe affirmat: quaſi quòd hoc loco ſcribit Paulus ad Epiſcopos potiſſimùm pertineat: neque ſanè ab hac ſententia abhorret in præſentia Ambroſius, qui ideo fratrem iudicem eligendum ab Apoſtolo præcipi aſſeuerat, quia adhuc rector Eccleſiæ illorum non erat ordinatus. Certè Gregorius[a] Nyſſenus de magno illo Gregorio Neocæſarienſi ſcribit hunc in modum: *Ne ſæcularium quidem, ac temporalium con-*
B *trouerſiarum aliud vllum iudicium ſibi magis ratum, ac firmum, maioriſve auctoritatis eſſe probabant; ſed omnis quæſtio, diſceptatióque & omnis intricatus, difficiliſque negotiorum nexus, illius conſiliis, & admonitionibus reſoluebantur, & dirimebantur:* Et multa deinceps in eandem ſententiam. De Sancto Ambroſio teſtatur Beatus Auguſtinus[b], adeò illum fuiſſe externarum cauſarum cognitione diſtentum, vt vix reſpirandi daretur facultas. Ipſe verò Ambroſius[c] ad hunc, opinor, Pauli locum reſpiciens ſibi ait, cognoſcendarum cauſarum impoſitam eſſe neceſſitatem.

III. Sed vt arbitror non tam id viri ſancti Epiſcopali iure ſibi arrogabant; ſed etiam litigantium ad ſe confugientium voluntati morem gerebant: id enim non ſemel ſignificat Auguſtinus[d]. *Maligni homines*
C (inquit) *efflagitant, aut certè infirmos premunt, vt cauſas ſuas ad nos deferre compellant: quibus dicere non audemus; dic homo: quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem inter vos? conſtituit enim talibus cauſis eccleſiaſticos Apoſtolus cognitores.* Et paulò pòſt. *Igitur noſcant obedientes fideles, qui pro ſuis ſæcularibus cauſis non rarò nos quærunt, & iudicio noſtro facillimè acquieſcunt, nec nos conterunt litigando, ſed obtemperando potius conſolantur.* alibi verò[e]: *Et homines quidem* (ait) *cauſas ſuas ſæculares apud nos finire cupientes quando eis neceſſarij fuerimus, ſic nos ſanctos, & Dei ſeruos appellant, vt negotia terræ ſua peragant: aliquando agamus & nos negotia ſalutis noſtræ, & ſalutis ipſorum. Non de auro, non de argento, non de pecoribus, pro quibus rebus quotidie ſubmiſſo capite ſalutamur, ſed vt diſſenſiones hominum terminemus.*
D Quæ ſanè fidelium conſuetudo cauſas, & controuerſias ciuiles ad Epiſcopos deferendi ita percrebuerat; vt Epiſcopi labori pares eſſe non poſſent. Itaque Synæſius Epiſcopus Ptolemaidis ea de re his verbis alicubi[f] ſcribit: *Priſcum ſæculum eoſdem tulit ſacerdotes, & iudices: nam & Ægyptij, & Hebræorum gens multo tempore ſacerdotes reges habuerunt: deinde, vt mihi videtur, cùm diuinum opus humano modo perageretur, ſeiunxit Deus vitæ conditiones, & alius ſacerdos, alius dux effectus eſt; alios enim ad materiam direxit, alios ſibi ipſi collocauit. Ordinatum quidem eſt, vt illi quidem in rerum negotiis, nos autem in precibus verſaremur: quod verò bonum eſt, ab ambobus exigit Deus. Quid igitur reducis? Quid ſeparatum à Deo coniungere conaris? qui neque vt gubernemus, ſed falsò vt gubernemus, expetis.*
E *Quare quid miſerius fieri poteſt? Opus eſt tibi præfecto? ito ad procuratorem legum reipublicæ. Opus habes aliqua re Dei? ito ad ſacerdotem ciuitatis.* Et aliquantò pòſt. *Otio opus eſt ei, qui cum philoſophia ſacerdotio fungitur. Non condemno Epiſcopos, qui in rerum negotiis verſantur; ſed magis miror eos, qui vtrunque poſſunt: mea facultas non eſt duobus Dominis ſeruire. Si verò ſunt aliqui, qui neque à condeſcenſu læduntur, poterunt ſanè & ſacerdotio fungi, & ciuitatum præfecti eſſe. Radius enim ſolis ſi cum ſtercore verſabitur purus manet, non inquinatur; ego verò cum idem hoc fecero, fontibus, & mari opus habeo.*

Porro

a lib. 2. c. 45.
b cap. 46.
c cap. 47. & deinceps vſque ad cap. 53. incluſiuè.
d ep. 1. ad Iacob. fratrem Domini. Habetur. 11. q. 1. c. te quidem.
e lib. de op. Monach. c. 20.

a in vita Gre. Thaum.
b lib. 6. confeſſ. cap. 3.
c epiſt. 49 ad Marcel. Sor.
d in Pſal. 118. conc. 24.
e ep. 147 ad Proculian.
f epiſt. 57.

Porrò hæc tam multis præfari libuit: & ex veterum A monumentis deſcribere, quod intelligam non exiguam eſſe in huius loci explicatione difficultatem; cùm (vt ex ſuperioribus conſtat) Ambroſius, & Auguſtinus hinc colligant Epiſcopis impoſitam eſſe neceſſitatem fidelium controuerſias decidendi. Nec deſunt, qui hoc maximè Pauli teſtimonio probare ſe poſſe confidant factam eſſe Epiſcopis poteſtatem ciuiles cauſas definiendi. Ego (vt alibi planiùs doceo) ſic mihi ſemper perſuaſi, eccleſiaſticam poteſtatem ſpiritualem quidem eſſe, ac ſupranaturalem, ſuapte tamen vi, etiam humana, & ciuilia negotia complecti, in iiſque tantum poſſe, quantum recta Eccleſiæ adminiſtratio poſtulat. Id quoniã Apoſtolus probè nouerat, iis quoque rebus peragendis leges præſcribit, præcipitque, vt ſi de iis contentiones B exiſtant (quas æquum eſſet à Chriſtianorum cœtu penitus abeſſe) per iudices à fidelium cœtu conſtitutos ad iuris, & æquitatis normam componantur. Quos idcirco Chryſoſtomus arbitros appellat, vel quod abſque forenſi ſtrepitu, atque apparatu priuatim inter fideles iudicia exercerent, vel quòd non à publicis magiſtratibus, ſed communi Eccleſiæ conſenſu, vt apoſtolica auctoritate controuerſiis dirimendis præfecti eſſent; vt vel ex hoc loco liquidò appareat, eos magnopere falli, qui fas eſſe negant eccleſiaſticis præſulibus res humanas, ac ciuiles attingere; quod in ipſa verborum explicatione paulatim oſtendam. Ait igitur Paulus.

§V. *Audet aliquis veſtrum habens negotium aduerſus alterum iudicari apud iniquos, & non apud ſanctos?* iure Apoſtolus hanc C veluti magnam impudentiã reprehendit, primùm quia (vt paulò pòſt dicit) hoc ipſum non vacabat culpa, quòd lites, & contentiones haberent. deinde quòd hoc qualecumque crimen apud gentiles atque infideles proderent: tum quòd cùm facilè poſſent fidelium opera omnes contentiones dirimi, mallent tamen in foro coram infidelibus iudicibus decertare. Propterea rectè dixit: *Audet aliquis veſtrum.* Eſt autem græcè τολμᾷ, quaſi dicat. Miror eſſe quemquam ex vobis, qui poſſit ſibi in animum inducere, vt apud ethnicos iudices pro re pecuniaria contendat? Obſeruat autem Chryſoſtomus, vt frequenter alias miram Pauli prudentiam, qui non ſtatim lites, & contentiones damnet, ſed illud reprehendat, D quod abſque multorum offenſione fieri non poſſe videbatur, vt externis iudicibus vterentur. *Nam quomodo* (inquit) *non eſt abſurdum aduerſus puſilli animi amicum, inimicum accipere arbitrum, & conciliatorem?* Græcè autem dixit καταλλάττειν λαμβάνειν, vt non tam de magiſtratu, quàm de conciliatore, & pacificatore intelligas ob eam cauſam, quam paulò antè indicaui, quod non tam ex rigore iuris, quàm ex æquo & bono, diſſidentes conciliaret. Et ſubdit: *Quomodò autem non pudore ſuffunderis, nec erubeſcis, quando ſedet Ethnicus iudicans Chriſtianum?* Monet autem, non dixiſſe Apoſtolum, apud infideles, ſed *apud iniquos*; indicans (quod etiam Theodoretus, & Ambroſius animaduertunt) iudices eſſe non ſolùm infideles, ſed etiam iniuſtos, & legum euerſores. E *Apud iniquos*, autem ait, græcè ἐπὶ τῶν ἀδίκων, hoc eſt ſub iniquis; ſic enim ferè poſtulant verba Græca, & vſus rectè loquentium. Eodem modo. *Et non apud ſanctos*, id eſt ſub ſanctis; *apud quos* (vt ait Ambroſius) *legum auctoritas viget, & legis Dominus timetur.* Porrò ex hoc loco non malè Clemens [a] Alexandrinus colligit ſuaderi ab Apoſtolo Chriſtianæ perfectionis apicem, & iniuriarum condonationem, aut etiam obliuionem. *Non conſtituit enim* (inquit) *eum, qui eſt præditus cognitione, ex hoc ſolùm, quòd magis iniuria afficiatur, quàm afficiat; ſed enim docet etiam obli-* — a li.7.Strom.

A *uiſci acceptæ iniuriæ, nec permittens malè precari ei, qui fecit iniuriam. Scit enim, Dominum quoque apertè iuſſiſſe orare pro inimicis; Dicere enim, eum, qui eſt affectus iniuria iudicio contendere apud iniuſtos, nihil eſt aliud, quàm velle videri vicem reddere, & velle iniuriam referre, quod quidem eſt ipſum quoque ſimiliter facere iniuriam. Dicere autem, aliquos velle apud ſanctos, iudicio contendere, oſtendit eos, qui petunt precibus, vt iis, qui fecerunt iniuriam par pari reſeratur, & eſſe quidem prioribus ſecundos meliores, ſed nondum planè obedientes, niſi iniuriæ perfectè obliniſcentes ex doctrina Domini precentur etiam pro inimicis.* Sanè hoc ad Chriſtianæ vitæ perfectionem maximè pertinere non ſemel monuit Apoſtolus.

AN NESCITIS QVONIAM SANCTI, &c. Oc- 2. B currit (vt ſcribit Chryſoſtomus) tacitæ excuſationi, I. quam videbatur afferre poſſe Corinthij. Siquidem cùm ij, qui Chriſto nomina dederant, vt Paulus ipſe hac Epiſtola affirmauit, rudes eſſent, magnáque ex parte imperiti, & ignobiles; indignum, & periculoſum videbatur eorum iudicio, ſententiáque acquieſcere: at excipit Apoſtolus, fore ſanctos totius mundi iudices; deque rebus grauiſſimis laturos eſſe ſententiam, atque idcircò, non poſſe Corinthios eos cenſere indignos; qui de rebus minimis contentiones, & lites componant. Vnde colligit magnam rei indignitatem. *Tu ergo* (inquit Chryſoſtomus) *qui et eos aliquando iudicaturus, quomodò nunc ſuſtines ab illis iudicari?* Ambroſius obſeruat pronomen, *hoc. de hoc mundo*: ait noſter interpres, *iudica-* C *bunt*; ipſe autem legit, hunc mundum, Græci tamen codices ſimpliciter habent τὸν κόσμον, id eſt, *mundum*; Sanctos autem (ait Ambroſius) iudicaturos mundum, quia eorum comparatione apparat infideles, atque impios errare; vt iudicare, poſitum ſit hoc loco pro condemnare: quomodo nonnulli accipiunt, quod ſcriptum eſt in libro Sapientiæ [a]; *Iudicabunt iuſti nationes, & dominabuntur populis.* Et Chriſtus apud Matthæum [b]; *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Erunt quippe ſancti quaſi aſſidentes Chriſto iudici, eiúſque ſententiam non ſolùm vitæ exemplo (vt voluit Ambroſius) ſed veluti ſuo ſuffragio comprobantes. Hic enim locus maximè poſtulat, vt nõnulla ſanctis iudicandi poteſtas tribuatur; nam ſi Paulus ſolùm de D exemplo, & comparatione vitæ loqueretur, omnis argumenti vis penitus interiret. Argumentatur autem à maiori; nam ſi ſancti digni habiti ſunt, qui totius mundi iudices conſtituantur; quis poteſt eos indignos cenſere, qui infimis, minimiſque iudiciis præficiantur? Fore autem ſanctos in extremo iudicio vnà cum Chriſto iudices, & Chriſti auctoritate, & hoc Apoſtoli teſtimonio apertiſſimè probatur: illud inter Theologos ambigitur, omnéſ-ne ſancti II. ſint futuri iudices, aut quibus potiſſimum id honoris, ac dignitatis tribuendum ſit: certè Chriſtus hoc videtur propriè, ac priuatim polliceri iis, qui omnia reliquiſſent. *Amen* (inquit [c]) *dico vobis, quòd vos, qui reliquiſtis omnia, & ſequuti eſtis me, in regeneratione cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſede-* E *bitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Et apud Lucam [d] ita Apoſtolus affatur: *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo; & ſedeatis ſuper thronos, iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Sed Chriſtus quidem Apoſtolis iudicum thronos, & iudicandi poteſtatem pollicetur; Paulus autem indefinitè ſanctos mundum ait iudicaturos; perinde quaſi omnibus planè ſanctis hæc auctoritas iudicandi concedenda ſit. Quod ſi iudicium comparationis tantùm accipiatur, quæ eſt pluri-

a cap.3.8.
b cap.19.28.
c Matt.19.27.
d cap.22.29.

morum

morum[a] ſententia, non ſolùm ſancti, ſed plerique A etiam impij iudicium exercebunt. Quomodò dixit Chriſtus Niniuitas, & reginam auſtri condẽnaturos Iudæorum nationem: quin etiam omnes omnino iuſti ſuo, (vt ita dicam) ſuffragio Chriſti iudicis ſententiam approbabunt: quam iudicandi rationem inſinuare videtur Ambroſius[b]. Omnino autem aliquid magis proprium, ac peculiare ſanctis tribuendum eſt, quod neceſſariò Chriſti verba apud Matthæum, & Lucam, & hic ipſe locus Pauli poſtulat: hoc eſt dignitas, quædã aſſidendi Chriſto iudici, vt Baſilius[c] colligit ex Iſaiæ verbis: *Veniet ad iudicandum Dominus cum ſenibus populi ſui*: idque etiam indicat Daniel[d]. *Aſpiciebam* (inquit) *donec throni poſiti ſunt*. & Ioannes[e] in Apocalypſi. *In circuitu ſedis ſedilia viginti quatuor, & ſuper thronos viginti quatuor ſeniores ſedentes.* Quẽ- B admodum autem thronus maieſtatis Chriſti conſtare creditur ex nubibus, quæ magna circumfuſæ luce ſpectabuntur in aëre; ita etiam perſimili ratione ſanctorum throni concipiendi ſunt. Addunt[f] alij, neceſſariam eſſe quandam etiam iudiciariæ actionis participationem, quam in eo primùm poſitam eſſe nonnulli[g] putant, vt ſancti perſpicuè eorũ, qui iudicandi ſunt conſcientias luſtrent, penitúſque perſpiciant: deinde etiam illis ipſis ſpectandas, cognoſcendáſque proponant, & quodammodò videantur ſentẽtiam à iudice Chriſto propria auctoritate prolatam promulgare: niſi quis malit, eos fore eius diſceptationis participes, quæ ſententiam neceſſariò prævertit, dum cuiuſque merita, & crimina C expenduntur: quam iudicandi rationem indicare viſus eſt Chriſtus cùm dixit[h]. *Nolite putare, quòd ego accuſaturus ſim vos apud Patrem. Eſt qui accuſet vos Moyſes, in quo ſperatis*; accuſare enim Moſes dicitur populum Iudæorum, non quaſi in iudicium vocet; ſed quòd ſupremo iudici aſſidens, populi ſcelera accuratiſſimè expendat, atque exaggeret. Et quidem iudicio comparationis ſancti omnes iudicaturi ſunt improbos; iudicio verò approbationis non ſolũ improbos, ſed etiã ſanctos, adeóque ſeipſos iudicabũt. Cæterùm alia peculiaris, magiſque propria iudicandi auctoritas, ſiue proferendi ſententiam, ſiue iudicandorum cauſas diſquirendi, non omnibus ſanctis communis, ſed aliquorum propria erit: Nam id apertè verba Chriſti ſignificant apud Matthæum, D & Lucam. Quamquam quod ait, quoſdam ſeſſuros in thronis, non eodem modo ab omnibus explicatur: quod enim nonnulli[i] affirmant, id fore duodecim Apoſtolorum proprium, meritò ab Auguſtino[k], & Beda[l] refellitur; neceſſe enim eſſet excludi Paulum, qui tamen paulò pòſt ait, ſe Angelos iudicaturum: atque ita duodecim thronos perinde accipiunt, quaſi numerus finitus pro infinito poſitus ſit, eamdémque iudicandi dignitatem iis omnibus communem eſſe volunt, qui vitam apoſtolicam imitantur. Ii[m] verò audiendi nullo modo ſunt, qui eos omnes iudicaturos dicunt, qui Eccleſiæ auctoritate in ſanctorum numerum ſunt relati. Sunt[n] qui E exiſtiment iudicandi auctoritatem iis omnibus tribuendam, qui ſponte paupertatem complexi ſunt: quod tamen non perinde accipiendum eſt, quaſi ſola paupertatis profeſſio eam dignitatem conſecutura ſit, ſed quòd illa ſit veluti religioſæ perfectionis fundamentum: perfectis autem religioſis auctoritas iudicandi debeatur; vt non immeritò dixerint[o] quidam, qui Chriſtianam perfectionem adepti ſint cum Chriſto iudicaturos. Itaque Martyres vnà cum Apoſtolis cæteriſque ex omnibus ordinibus, qui perfectionem aſſequuti ſunt, Chriſto iudici aſſidebunt. quanta autem debeat eſſe perfectio fruſtrà quæritur; id enim Deo tantùm perſpectum eſt, & notum. Quod igitur ait Apoſtolus. *Neſcitis quoniam ſancti de hoc mundo iudicabunt*: Non perinde accipio quaſi omnes ſancti hoc modo iudicaturi ſint, vt modò explicuimus. Exiſtimo enim, de vera, ac propria iudicandi actione loqui Apoſtolum, non de comparatione ſolùm, aut approbatione; nam alioqui (vt paulò antè dixi) vis argumenti nulla eſſet. Subdit. *Et ſi in vobis iudicabitur mundus.* Græcè eſt κρίνεται, ideſt iudicatur: quod plerique referunt ad iudicium comparationis. Ita Ambroſius: *Iudicatur* (inquit) *hic mundus in nobis, ſi opus perfidorum hominum non imitatur in nobis.* Nec videntur diſcrepare Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Hieronymus: ſed Auguſtinus, qui legit in futuro, *iudicabitur*, refert ad futurum iudicium, de quo ſuprà diximus: quod etiam intelligi poteſt, quamuis legamus in præſenti *iudicatur*. Dicitur enim mundus iudicari à ſanctis, quia iam nunc ſancti ſunt modo explicato mundi iudices deſignati, quaſi dicat veſtro iudicio mundus ſubiectus eſt. *In vobis* autem poſitum eſt more hebræo, quaſi dicat, per vos. Hæc igitur eſt argumenti vis. Si vos mundi iudices conſtituti eſtis, quis non videat, abſurdiſſimum eſſe, ſi indigni cenſeamini qui de rebus minimis iudicia exerceatis? Meritò autem minima appellat hæc caduca bona, quæ fouendo, ornandóque corpori ſeruiunt. Arqui Chriſtus ſupremus omnium iudex apud Lucam[a] humanum iudicium recuſat. cùm enim IV.
quidam eius auctoritatem implorarer, *magiſter* (inquit) *dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem*, reſpondit: *Quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem ſuper vos?* non rectè igitur à ſpiritualis iudicij poteſtate argumentatur Apoſtolus ad auctoritatem iudicandi in rebus corporeis. Hoc argumento plurimi hac tempeſtate abutuntur, ad infringendam, atque imminuendam vim Eccleſiaſticæ poteſtatis; ſed quoniam ea de re plura alio loco dicenda erunt, nunc tantum moneo argumenti Apoſtolici vim rectè cõcludere eos, qui mundi iudices ſint conſtituti, non poſſe videri indignos, qui humanis iudiciis præſint, ſi ab iis præficiantur, qui hanc habent auctoritatem, vel qui iure poſſunt eorũ ſeſe iudicio ſubiicere. Nec Chriſtus negauit, ſe dignum eſſe, qui de rebus terrenis, ac caducis iudicaret; ſed noluit iudicium exercere, non quòd iure non poſſet, ſed quòd eius muneris dignitatem ea functio minùs deceret: venerat enim ille, nõ quaſi humanarũ, ac ciuilium legum adminiſtrator, ſed tanquàm nouæ legis auctor, quique non bona terrena, ſed cœleſtia, ac diuina ſuis ſectatoribus polliceretur. Itaque rectè omninò colligit Apoſtolus. *ſi in vobis iudicabitur mundus, indigni eſtis, qui de minimis iudicetis?* ἀνάξιοί ἐστε κριτηρίων ἐλαχίστων, hoc eſt, indigni eſtis minimis iudiciis? vt adhibeatur interrogationis nota, quaſi id Apoſtolus maximè abſurdum putet. Theodoretus minima interpretatur, quæ ſpectant ad pecunias, & rem familiarem. Photius κριτήριον accipit pro foro iudicijs deſtinato, ſeu pro tribunali, in quo iudicia exercentur, atque ita verba Pauli accipit, quaſi affirmando dicta ſint, ſi hunc mundum, & Angelos iudicabitis, indigni profectò eſtis, qui abiecto illi foro, aut tribunali gentilium ſubiiciamini. Sed acrior multò, vehementiórque videtur oratio ſi interrogando inferat Apoſtolus. *Si in vobis*, hoc eſt, per vos *iudicabitur mundus*; ſi veſtro iudicio mundus ſubiicietur, indigni cenſemini, qui minimas fratrum controuerſias dirimatis, & lites componatis? quaſi dicat, id profectò valdè videtur à ratione alienum. Ac propterea ſubdit.

NESCITIS QVONIAM ANGELOS, &c. Hoc 3.
Angelorum iudicium ad extremum mundi diem 1.
pertinere communis eſt omnium ſententia, Chryſoſtomi

ſoſtomi, Theodoreti, Ambroſij, Anſelmi, & aliorum. Illud non ſatis conuenit inter omnes, quóſnam angelos iudicandos intelligat Apoſtolus; nam quod non ſemel ait Origenes[a] bonos, ac beatos Angelos ex iis iudicandos, quæ beatitudine iam percepta, benè, vel malè geſſerunt, niſi piè explicetur, vt alicubi conatur Beatus Thomas[b], falſum, atque impium dogma continet. Quamquàm enim aderunt omnes Angeli tam boni, quàm mali extremo illi iudicio, & omnes ſaltem iudicio approbationis iudicandi[c]; beati tamen, vt peccare non poſſunt, ita nullum ſupplicium formidabunt, quod mali penitus ſubibunt. Id videtur colligi ex verbis Petri[d]. *Si enim* (inquit) *Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reſeruari*; cui conſentiunt verba Iudæ in epiſtola ſua. *Angelos* (inquit) *qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed reliquerunt ſuum domicilium in iudicium magni Dei, vinculis æternis ſub caligine reſeruauit.* Ex quibus verbis colligit Auguſtinus, Angelos in iudicio iudicandos; ſic enim alicubi[e] ſcribit, *peccaſſe quoſdam Angelos, & in huius mundi ima detruſos, qui eis velut carcer eſt, vſque ad futuram in die iudicij vltimam damnationem Apoſtolus Petrus*[f] *apertiſſimè oſtendit.* Alibi. *Scriptura, quæ neminem fallit dicit Deum eis non pepercisse, & ſic ab illo eſſe inter impios prædamnatos, vt carceribus caliginis inferni retruſi traderentur ſeruandi, atque vltimo iudicij dè puniendi, quando eos æternus ignis accipiet, vbi cruciabuntur in ſæcula ſæculorum.* Et ne longum faciam idem frequenter repetit[g]. Perſimilem ſententiam ex Andrea Apoſtolo recitat Abdias[h], vnde manaſſe videtur eorum[i] ſententia, qui negant dæmones igne corporeo nunc torqueri, quo tamen poſt diem iudicij cruciandi ſint. Quæ ſententia ſi neget, dæmones iam inde ab initio ſempiternis ſupplicijs fuiſſe addictos; atque adeo perſpicuè cognoſcere, ſe in omnem æternitatem cruciandos, apertiſſimè refellitur ex ſacris litteris; ſic enim ait Ioannes in Apocalypſi[k]. *diabolus qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris, vt & beſtia, & pſeudopropheta cruciabuntur die, ac nocte, in ſæcula ſæculorum.* Illud tamen fatendum eſt, iudicandos illos eſſe in die iudicij, vt hoc loco ſignificat Apoſtolus. Quocirca Clemens[l] Romanus, ait, *venturum Chriſtum in throno regni ſui, ad condemnandum deceptorem mundi diabolum, & ad tribuendum vnicuique pro actionibus ſuis*: quod ipſum affirmat Lactantius[m]. Iudicabuntur autem etiam ab hominibus eo, quem explicuimus, modo: ait enim Ambroſius eodem genere iudicandos angelos à nobis, quo & mundus iudicabitur: improborum quidem dæmonum damnatio iuſta omnium ſanctorum ſuffragio probabitur, non aliter, ac ſanctorum angelorum beatitudo. Neque obeſt, quòd illi quidem iam ſint ſupplicio addicti; hi verò beata vita perfruantur; nam hoc ipſum de quamplurimis hominibus fatendum eſt, quorum alij iam pridem inferorum cruciatibus cruciantur, alij beatorum cœtui aggregati ſunt; qui tamen omnes iudicis ſententiam in extremo illo die accipient. Rectè igitur ait Apoſtolus: *Neſcitis quoniam*

11. *Angelos iudicabimus?* vnde colligit, *quanto magis ſæcularia?* Sæcularia autem vocat, quæ paulò antè dixerat, *minima*. græcè hoc loco legitur βιωτικά, hoc eſt, quæ ad victum, facultates, & ad vitæ vſum pertinent. Photius ita planè concludit: *Si Angelos iudicaturi ſumus, quantò magis idonei erimus, ad contentiones, & rixas de rebus ad vitam necessarias ortas componendas?* mox verò idem βιωτικά interpretatur ſæculares, & communis nobiſcum naturæ homines: *Nam ſi Angelos* (inquit) *hoc eſt ipſos incorporeos dæmones iudicare poſſumus, quantò magis affines, & contubernales?* Sed

A prior interpretatio potior eſt; nam non ita multò pòſt, cùm ait interpres. *Sæcularia iudicia ſi habueritis*; vtitur Apoſtolus eadem voce, βιωτικὰ μὲν οὖν κριτήρια ἐὰν ἔχητε; vt omnino videatur intelligere res iſtas mortales, & caducas. Qui autem hoc loco angelos poſitos eſſe putant pro ſacerdotibus, alieoa protſus loquuntur: veros enim angelos interpretantur omnes patres; plurimi tamen malos duntaxat intelligunt, cùm iudicare poſitum putent pro condemnare; ita Tertullianus: cùm enim de dæmonibus[a] loqueretur. *Hi ſunt nempe angeli, quos iudicaturi ſumus: hi ſunt angeli, quibus in lauacro renuntiamus.* Et mox de muliebri cultu, quem à dæmonibus inuentum ſcribit. *Hæc ſunt vtique* (ait) *per quæ ab homine iudicari meruerunt. Quid ergo faciunt apud iudices ſuos res*

B *eorum? Quod eſt commercium damnaturis cum damnandis? opinor quod Chriſto, & Belial. Qua conſtantia tribunal illud aſcendimus decreturi aduerſus eos, quorum munera appetimus?* Sic etiam de malis angelis explicant Chryſoſtomus, Theodoretus, Ambroſius, & alij. Et veriſimile eſt, hoc voluiſſe Paulum ſignificare; verum tamen eſt ea, quam explicuimus ratione etiam bonos angelos iudicandos.

SÆCVLARIA IGITVR IVDICIA SI, &c. 4.

Qui hoc loco κριτήρια fora, & curias, & omnino loca 1.
in quibus agantur cauſæ interpretantur, longiſſimè videntur abeſſe à vero; loquitur enim Apoſtolus de iudicij, vel contentionis materia, ideſt, ſi controuerſias, aut contentiones diſceptandas habueritis. *Sæcularia* autem eodem modo intelligo, vt paulò antè.

C Contentiones porro intelligit de rebus domeſticis, quæ ad vitam tuendam, & ornandam referuntur. Si ergo hæc iudicia agitanda ſint, *contemptibiles* (ait) *qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum.* Non planè ita faciendum cenſet, ſed hunc in modum (vt ait Theodoretus) argumentatur. *Qui eſt* (inquit) *omnium abiectiſſimus, ſit præſtantior iis, qui apud illos intelligentes, & docti exiſtimantur*: neque enim iubet, eos iudicare qui ſunt in Eccleſia abiectiſſimi. Chryſoſtomus hyperbolem eſſe ait, & hûc in modum Pauli argumentum explicat. *Fortaſſe dicet quiſpiam, nullum eſſe inter vos ſapientem, neque qui ad diſcernendum, & iudicandum ſit idoneus, & quid tum? nam & ſi nullus* (inquit) *ſit ſapiens, vos minimis permittite*: quaſi dicat, illos quippe iuſtos, & ſanctos rectiùs iudicaturos, quàm

D infideles, quos paulò antè vocauerat iniquos, à quibus æquum iudicium ſperare ſtultum videtur. Non igitur ita faciendum præcipit, ſed hæc bona mortalia, & caduca negat tanti eſſe, vt non quiuis de plebe de iis poſſit ſententiam ferre, vt apertè indicant quæ ſequuntur. Atque ex his facilè quis intelligat, non loqui Apoſtolum de legitimis iudiciis, quæ à magiſtratibus, publiciſque iudicibus auctoritate publica exercentur; ſed de iis qui communi conſenſu deſignati eſſent ciuilium controuerſiarum diſceptatores; Ex hoc enim loco apparet Apoſtolum ius & auctoritatem in res humanas, & politicas vſurpare, qui præcipiat, vt fideles fratrum lites decidant, quod deinceps vt ex ſuperioribus conſtat, omnes fermè Epiſcopi ſuo iure frequentarunt. Neque id pu-

E blicæ iudicum, & magiſtratuum auctoritati repugnat; nemo enim cogitur magiſtratum adire, ſi aliunde poſſit ſua iura pacificè tueri. quod tum maximè accidit, cùm Eccleſiæ auctoritate controuerſiæ componuntur. Quod ait *Contemptibiles*; græcè eſt ἐξουθενημένους, ideſt, contemptos, & pro nihilo habitos. Quod verò ait interpres; *Conſtituite*: græcè II
dixit Apoſtolus, καθίζετε, quod alicubi Auguſtinus[b] legit, *Collocate*; Ambroſius hæc perinde ab Apoſtolo dici putat, quaſi Corinthiorum ſocordiam reprehendat, qui imperitos ex fratribus iudices eligerent

Marginal notes:
a Hom. 11. 20. 24. num. & Ho. 11. in Luc.
b 1. p. q. 113. a. 7. ad 4.
c Ita Bonau. in 4. d. 47. ar. 1. queſt. 4. Ricard. ibid. artic. 1. q. 6.
d Ep. 2. c. 2.
e lib. 11. de ciuit. cap. 33.
f lib. 21. c. 23.
g q. 10. in lib. Numer. & in Pſ. 148. & tra. 95 in Ioan. & libro de nat. boni. c. 33.
h lib. 8
i Iuſt. in Dial. cum Tryph. Irē lib. 5. c. 23. Euſeb. lib. 4. hiſt. c. 17 aliàs 18. Niceph. li. 4. cap. 18.
k cap. 12. 20.
l lib. 7. conſt. cap. 33.
m lib. 7. c. 26.
a lib. de hab. muliebr. c. 2.
b lib. Fauſt.

gerent. At rectiùs (vt dixi) Chryſoſtomus, & Theodoretus loquuntur: neque enim id agit Apoſtolus, vt intelligant Corinthij, quos debeant iudiciis, & ſedandis controuerſiis præficere; ſed ne Chriſtiani litigent apud impios, ſed quemlibet potiùs vel abiectiſſimæ conditionis Chriſtianum ad ciuiles controuerſias ſedandas adhibeant, quàm adeant tribunalia impiorum. Tantùm autem abeſt, vt abiectos, & contemptos præficiendos cenſeat, vt hac ipſa oratione non obſcurè indicet, optimos quoſque deligendos: quod neceſſariò faciendum eſſe philoſophi docent. Ait autem Auguſtinus[a]. *Hac igitur in dominationibus, ac ſeruitutibus clara iuſtitia eſt, vt qui excellunt ratione, excellant dominatione: quod cùm in hoc ſæculo per iniquitatem hominum perturbatur, vel per naturarum carnalium diuerſitatem, ferunt iuſti temporalem peruerſitatem, in finem habituri ordinatiſſimam, & ſempiternam fœlicitatem.* Et de principe quidem ait Ariſtoteles, oportere eum, qui cæteris præeſt eſſe veluti Deum inter mortales. De ſacrorum verò antiſtite ſcripſit alicubi Gregorius[b] Nazianzenus, tantùm illum ſubiectis ſibi populis præſtare debere, quanto paſtor ouibus, hoc eſt homo pecudibus antecellit: itaque Deus grauiſſimum populo Iudæorum ſupplicium minatur apud Iſaiam[c] his verbis. *Auferet à Hieruſalem, & à Iuda validum, & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ, fortem, & virum bellatorem, iudicem, & prophetam, & ariolum, & ſenem principem ſuper quinquaginta, & honorabilem vultu, & conſiliarium, & ſapientem de architectis, & prudentem eloquij myſtici, & dabo pueros principes eorum, & effæminati dominabuntur eis.*

a quæſt. in Gen.
b Orat. 1.
c cap. 3.

5. I. Ad verecundiam veſtram dico, &c. Hæc magnopere confirmant ſuperiorem explicationem traditam. *Ad verecundiam* (inquit) *veſtram dico.* non quòd ita ſentiam, aut quòd vobis hoc præcipiam, ſed vt pudore ſuffundamini, quaſi nemo ſit inter vos ad id muneris aptus. Eccui enim hoc credibile videatur, neminem inter vos reperiri ad hæc ciuilia iudicia idoneum? indicat enim, multos eſſe inter fideles qui id rectè præſtare queant. Hoc verò (vt obſeruat Chryſoſtomus) vehementia interrogationis indicat: qui præterea addit, magnam emphaſim eſſe in iis verbis. *Qui poſſit iudicare inter fratrem ſuum.* *Nam quando* (inquit) *frater cum fratre iudicio contendit intelligentia, & ſolertia, non eſt opus litis arbitro, cùm affectio, & cognatio magnam opem afferat ad ſoluendam huiuſmodi contentionem.* Porro non modò Auguſtinus[d], ſed etiam Chryſoſtomus ex hoc loco colligit, ad ſacerdotem pertinere diſſidentes fratres conciliare. *Eſt enim* (inquit Chryſoſtomus) *admodum turpe ſi ne fratribus quidem ſacerdos eſſe poſſit auctor reconciliationis, ſed neceſſe ſit currere ad externos.* Quod eo libentiùs admonui, ne quorumdam putida diligentia cuipiam fucum faciat; fateor enim, quòd ſcioli iſti contendunt, non agere Apoſtolum de Eccleſiaſticis iudiciis, neque de Eccleſia loqui, quæ clericos, & ſacrorum miniſtros complectitur. Illud etiam non grauatè conceſſerim, quod ſæpè iam monui, loqui Apoſtolum de iudicibus ab Eccleſia conſtitutis; ſed vt initio huius capitis indicaui, omnis penè antiquitas ita Pauli locum interpretata eſt, & longo vſu, ac diuturna conſuetudine firmauit Auguſtini ſententiam: hoc potiſſimum munus eſſe Epiſcopi, vt fratrum contentiones dirimat, litéſque componat. Cur autem in præſentia ne nominetur quidem Epiſcopus, ex Ambroſij ſententia paulò antè docuimus; nondum enim in ea Eccleſia Epiſcopus erat conſtitutus, atque idcirco abſurdum ait eſſe, *ſi domi contentio exiſtat ad externos confugere, & arcanorum myſteriorum theſaurum, qui*

d de ope. mon. cap. 20.

A *in Eccleſia reconditur, foras effundere.* Tractat hunc locum B. Gregorius[a], hunc planè in modum. *Contemptibiles* (inquit) *qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum; ac ſi apertè dicat, qui minoris meriti ſunt in Eccleſia, & nullis magnorum donorum virtutibus pollent, ipſi de terrenis negotiis iudicent, quatenus per quos magna nequeunt, bona minora ſuppleantur: quos & contemptibiles nominat, & tamen ſapientes vocat cùm dicit. Sic non eſt ſapiens inter vos quiſquam, qui poſſit iudicare inter fratrem ſuum? Qua ex re quid colligitur, niſi vt hi terrenas cauſas examinent, qui exteriorum rerum ſapientiam perceperunt? Qui autem ſpiritualibus donis ditati ſunt, profectò terrenis non debent negotiis implicari, vt dum non coguntur inferiora bona diſponere, exercitati valeant bonis ſuperioribus deſeruire.* Eadem planè verba leguntur in commentariis, quæ nomine Sedulij circumferuntur; vt vehementer ſuſpicer, eos eſſe pſeudographos, & falsò Sedulio inſcribi, cùm ſit ille Gregorio longè antiquior; nec veroſimile videatur, Gregorium ea à Sedulio mutuatum eſſe, cùm planè Gregoriani ſtyli ſimplicitatem redolcant, qui more ſuo hæc Apoſtoli verba, non tam ad ſcribentis mentem, quàm aptè ad mores informandos, explicat. Gregorium tamen plerique Latinorum ſequuntur; ſed Chryſoſtomi, & Theodoreti interpretatio magis eſt ad mentem Apoſtoli. Cæterùm quod ait: *Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit iudicare inter fratrem ſuum?* Græcè eſt ὃς δυνήσεται διακρῖναι ἀνὰ μέσον τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ, quaſi dicat, iudicare in medio fratris tui: vt ſit ſenſus; qui poſſit medius inter fratres intercedere, eóſque inter ſe diſſidentes conciliare. Porro ex hoc Pauli loco colligit Anacletus[b], ciuiles controuerſias Epiſcopi ſententia definiendas, quod ſua deinde auctoritate ſanxit Theodoſius[c] in hæc verba. *Quicumque* (ait) *litem habens ſiue petitor fuerit, vel initio litis, vel decurſis temporum curriculis, ſiue cùm negotium peroratur, ſiue cùm iam cœperit promi ſententia, ſi iudicium elegerit ſacroſanctæ ſedis antiſtitis illicò ſine aliqua dubitatione, etiam ſi alia pars refragetur, ad Epiſcoporum iudicium cùm ſermone litigantium dirigatur.* Hæc erat olim Chriſtianorũ principum pietas, & in Eccleſiaſticos præſules obſeruantia, quorum nunc dignitas, atque auctoritas ab hæreticis palàm oppugnatur, à Catholicis, quo iure, quáue iniuria ſuprà, quàm credi poteſt deprimitur. D obſeruandum autem eſt, Imperatorem hæc ſua lege declarare, quod ipſo iure iam fidelibus licebat, quódque vſu Eccleſiaſtico receptum erat: illud eſt priuilegium ab Imperatoris liberalitate profectum; quod iudicio iam conſtituto, litéque coram legitimis iudicibus conteſtata, etiam altera parte reclamante fas eſſe voluit ad Eccleſiaſticum Iudicem confugere, quod alioqui non videbatur licere, vel certè non paſſim in vſu erat.

a lib. 19 Mor. cap. 21.
b epiſt. 1.
c 11. q. 1. cap. quicumque.

Sed frater cum fratre, &c. Duplex crimen obiicit, vt ait Chryſoſtomus. Primum, quòd frater fratri litem intendat: alterum, quòd id faciat apud gentiles. Hinc colligit Tertullianus[d], nefas eſſe Chriſtiano litigare. Clemens[e] Alexandrinus ex hoc loco probat, non eſſe iniurias perſequendas: ſed ille Pauli mentem non videtur aſſequutus, hic autem Chriſtianæ diſciplinæ, atque officij perfectionem indicat, quam optari ab Apoſtolo non iuerim inficias, vt paulò antè indicaui. Sed hoc loco aliud quiddam ſpectaſſe videtur; agit enim, vt mox planiùs conſtabit, de litibus iniuſtis, quæ dolo malo agitantur. Porro Ambroſius ambigit, an apud ethnicum arbitrum, an verò apud legitimum magiſtratum, ac iudicem cauſas agerent. Theodoretus (quod eſt longè probabilius) de gentili magiſtratu accipit: ſic enim ſcribit. *Sciendum eſt autem hæc non repugnare* 6. I.

d lib. de cor. mil. cap. 11.
e li. 7. Strom.

in, quæ ad Romanos ſcripta ſunt; neque enim iubet reſiſtere magiſtratibus, ſed præcipit, vt qui iniuria affecti ſunt non vtantur magiſtratibus: Eligere enim aut iniuria affici, aut de ea re ab iis cognoſci, qui ſunt eiuſdem fidei pendet ab eadem ſententia. Rei autem indignitatem oſtendit, cùm ait, *ſed frater cum fratre iudicio contendit*, cùm ratio fraternitatis poſtulet, vt res quamuis ardua, ac difficilis, amicè, ac beneuolè inter fratres componatur, vt minimè neceſſe ſit externorum opem implorare: nam quod iure ſanguinis inter fratres, qui eodem patre geniti ſunt meritò reprehenderetur; id multò magis deteſtandum eſt apud eos, qui caritatis vinculo aſtringuntur; cùm nihil magis cum caritate pugnet, quàm odium, diſſidium, & contentio. Quod ait. *Frater cum fratre in iudicio contendit*: Græcè eſt κρίνεται. quaſi dicat, iudicatur, iudicio experitur, litigat. Quod ſequitur; *& hoc apud infideles*; Græci codices, qui vulgò habentur, habent ἐπὶ τῶν ἀπίστων: quomodo etiam legunt Chryſoſtomus, Theodoretus, Ambroſius: alij Græci codices habent τῶν ἀδίκων, id eſt *apud iniuſtos*; vt tacita quædam ſit antitheſis, qualis etiam ſuperiùs. quaſi dicat; qui ad iudicium confugit iuſtum quærit; Iudex enim (vt ſcribit Ariſtoteles) iuſtum eſt animatum; qui verò ab iniuſto quærit id, quod iuſtum eſt, apertè deſipit: ſed nihil eſt opus iſta ſubtilitate: non enim propterea reprehenduntur fideles, quòd gentilium tribunalia adirent, quia illi ſint iniuſti, ſed quòd minùs deceat ob leuiſſimas cauſas ad illorum tribunalia vltrò confugere, quod ex cõſequentibus perſpicuè intelligitur.

7. IAM QVIDEM OMNINO DELICTVM EST,
I. &c. Itáne verò litigare omnino delictum eſt? Quid igitur tam multa inter fideles iudicum tribunalia inſtituta ſunt? Ambroſius, & Hieronymus ſimpliciter putant eſſe peccatum; & Hieronymus quidem ait eſſe contra Chriſti præceptum, Ambroſius verò, *peccatum ait eſſe, ſi frater cum fratre litiget; cùm danda opera ſit, vt concordes ſint quaſi germani, maximè cùm fides noſtra paci ſtudeat: quamquam enim Chriſtianus litigare non debet, tamen ſi graue quid fuerit, & quòd contemni non poſſit, cauſam ad Eccleſiam deferat, ne & damnum ad præſens, & offenſionem fortè incurrat.* Quibus verbis videtur indicare, litigare peccatum eſſe, ſi ſub iudice infideli iudicio contendatur. Clemens[a] Alexandrinus (vt non ſemel monui) hæc de actione iniuriarum intelligit. Sed niſi ego fallor vis omnis eſt in græca voce: ſiquidem græcè eſt non παράπτωμα, quod peccatum ſignificat; ſed ἥττημα ἀπὸ τοῦ ἡττᾶσθαι, quod eſt ſuccumbo, cedo, frangor: non tam igitur crimen, aut peccatum, quàm animi quamdam impotentiam, & ægritudinem ſignificat. Itaque Apoſtolus, magnam ait eſſe imbecillitatem animi, quod fideles res ſuas abſque iudicis, aut magiſtratus opera componere nequeant, ſed eò indignationis ferantur, vt coram iudice de rebus minimis diſceptandum ſit. Hunc ſenſum in paraphraſi expreſſimus; nam plerumque fideli litigandum eſſe docet aperta ratio, alioqui enim iuſti improborum rapinis, ac latrociniis paterent: itaque Eccleſiaſtici iura Eccleſiæ interdum tueri coguntur, quæ alioqui abſque lite iniuſtè peterent. Neque hîc metuendum eſſe ſcandalum affirmat D. Thomas[b], niſi fortaſſe ſcandalum puſillorum ſedandum ſit. nam quod dicitur Phariſæorum contemnendum eſt. Itaque pro libertate Eccleſiaſtica viri ſancti fortiter, ſtrenuéque pugnarunt, & ſanguinem, ac vitam profuderunt. Ambroſius certè contra Auxentium coram imperatore pro baſilicis mira conſtantia, atque animi magnitudine certauit: Et B. Thomas Cantuarienſis mori maluit, quàm pati leges Eccleſiaſticæ libertati repugnantes. Non igitur ſimpliciter litigare peccatum eſt, ſed ex odio, atque indignatione, iniuſtè denique litigare graue peccatum eſt. Quamquam fortaſſe Corinthij re maximè malè vitioſè abutebantur, vt indicant quæ ſequuntur. Sed rectè ait Chryſoſtomus; *eo ipſo quod iudicio contenditur, vterque malè audit, niſi aliunde excuſetur is, qui in iudicium vocatur, & quodammodo trahitur inuitus. Quare* (inquit) *non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?* Animi imbecillitati fortitudinem, & conſtantiam opponit; quæ eſt (vt ait Theodoretus) perfectorum propria, qua illatas iniurias, non ſolùm æquo, ſed etiam magno animo ferunt. Oſtendit autem multiplex eſſe, vt ait Chryſoſtomus, ἔγκλημα, hoc eſt crimen, ſeu vitium, primum quòd neſciant perferre iniurias, alterum quòd etiam ipſi iniuriam inferant; tertiò, quòd cauſæ cognitionem infidelibus permittant: poſtremò quòd hæc omnia accidant inter fratres. II. Si hæc Pauli verba ſignificent iniurias æquo animo ferendas, nec vllo modo per iram, atque indignationem, & odium vlciſcendas, planè vim præcepti continent, de quo multa Chriſtus apud Matthæum: ſin autem ita ferendas velit iniurias, vt nullo modo eas liceat propulſare, aut earum compenſationem apud iudicem petere, non tam continet præceptum, quàm arduum, ac difficile perfectionis conſilium: quod interdum (vt paulò antè monui) ne videtur quidem ſeruandum. Certè Auguſtinus[a] ita hunc Pauli locum explicat; quaſi litigare ſit ſemper vt minimùm leue peccatum. *Nam & hoc* (inquit) *poſſet putari, iudicium habere aduerſus alterum, non eſſe peccatum; ſed tantummodo id extra Eccleſiam velle iudicari, niſi ſequentus adiungeret. Iam quidem delictum eſt inter vos, quia iudicia habetis vobiſcum: & ne quiſquam hoc ita excuſaret, vt diceret iuſtum ſe habere negotium, ſed iniquitatem ſe pati, quam velit à ſe iudicum ſententia remoueri; continuò talibus cogitationibus, vel excuſationibus occurrit, atque ait: Quare non magis iniquitatem patimini? Quare non potiùs fraudamini? Vt ad illud redeatur, quod Dominus[b] ait: Si quis voluerit tunicam tuam tollere, & iudicio tecum contendere, dimitte illi & pallium. & alio[c] loco: Qui abſtulerit* (inquit) *tua, noli repetere. Prohibuit itaque ſuos de ſecularibus rebus cum aliis hominibus habere iudicium. Ex qua doctrina dixit Apoſtolus, eſſe delictum.* III. Quòd ſi ex Auguſtini ſententia hæc Apoſtoli verba à Chriſti verbis pendent; videndum eſt quo ſenſu dictum ſit à Chriſto. *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram, & ei qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei, & pallium; & quicumque te angariauerit mille paſſus, vade cum illo, & alia duo.* Certum enim eſt, Chriſti verba partim habere vim præcepti, partim conſilij; præcepti quidem, ne vindictam quæramus, vtque potiùs alteram cædenti maxillam præbeamus, id eſt alteram accipiamus iniuriam, quàm vt acceptam vlciſcamur: denique vt animo parati ſimus ad remittendum de iure noſtro, quotieſcumque id Chriſtiana caritas, & Dei gloria videbitur poſtulare; conſilij autem rationem induit quoties neque caritas, neque Dei gloria id à nobis exigit, ad nos penitùs vincendos, & omnes prauarum cupiditatum fibras euellendas ea omnia facimus, quæ loco indicato à Chriſto Domino exprimuntur. Quocirca Auguſtinus[d] ipſe negat, Chriſtum, alióſque viros perfectos ea penitus ſeruaſſe; nec enim Chriſtus[e] alteram cædenti maxillam præbuit, ſed modeſtè ſe defendit. *Si bene* (inquit) *locutus ſum, quid me cædis? ſi autem malè, teſtimonium perhibe de malo.* Paulus[f] verò non modò non ſe cædendum præbuit, ſed ei qui ſe cædi iuſſerat ita reſpondit,

a lib. 3 Strom.

b 2. 2. q. 41. ar. 1.

a in Enchi. cap. 78.

b Matt. 5.

c Luc. 6.

d lib. 2. de Ser. Dom. in mõte.

e Ioan. 18.

f Act. 23.

dit, vt imprecationem etiam adderet. *Percutiet te*
(ait) *Deus paries dealbate: & tu ſedens iudicas me ſe-*
IV. *cundùm legem, & contrà legem iubes me percuti.* Ita-
que Paulus hæc videtur præcepiſſe Corinthiis, quòd
fideles non ſine aliqua offenſione gentilium, atque
adeò non ſine piaculo cauſas coram ethnicis magi-
ſtratibus agerent: Quocirca Chriſtianæ caritatis ra-
tio poſtulare videbatur, vt damnum, & iniuriam po-
tiùs paterentur, quàm gentiles magiſtratus adirent
cum eorum offenſione, & ſcandalo: nam (vt ait Au-
guſtinus [a]) *hæc omnia idcircò præcipiuntur, vt vincatur*
bono malus, imò in homine malo vincatur bono malum,
& homo liberetur à malo, non exteriore & alieno, ſed in-
timo ac ſuo, quò grauiùs, & pernicioſiùs, quàm cuiuſuis
hoſtis extrinſecus, immanitate vaſtatur. Qui ergo vincit
bono malum, patienter amittit temporalia commoda, vt
doceat quàm pro fide, atque iuſtitia contemnenda ſint,
quæ ille nimis amando fit malus: ac ſic iniurioſus ab eo
ipſo, cui fecit iniuriam, diſcat qualia ſint, propter quæ fe-
cit iniuriam, atque in concordiam, qua nihil eſt vtilius
ciuitati, pœnitens acquiratur, victus non ſæuientis viri-
bus, ſed beneuolentia patientis. Tunc enim rectè fit, cùm
videtur ei profuturum eſſe propter quem fit ad operan-
dam in eo correctionem, atque concordiam. Hoc certè
animo faciendum eſt, etiam ſi alius exitus conſequatur.
Et deinde multis explicat verba Chriſti, concludítque
iſta præcepta magis ad præparationem cordis,
quę intùs eſt pertinere, quàm ad opus, quod in aper-
to fit, vt teneatur in ſecreto animi patientia cum be-
neuolentia; in manifeſto autem id fiat, quod eis vi-
detur prodeſſe poſſe, quibus benè velle debemus.
Hac igitur ratione verba Pauli intelligenda ſunt; vt
delictum omninò ſit, fratrem fratri litem intendere
cum iactura caritatis, & pacis; ídque coram infideli-
bus iudicibus, cum ipſorum admiratione, & ſcanda-
lo. Nihil enim erat, quod magis olim admirarentur
infideles in Chriſtianis, quàm caritatem mutuam, &
ſingularem inter ipſos beneuolentiam. cùm igitur
diſſidia, & contentiones fratrum animaduertebant,
neceſſe erat famam, atque exiſtimationem Chriſtia-
næ religionis non mediocriter lædi. Quod autem
ait; *fraudem patimini*, Græcè legitur ἀποστερεῖσθε, id eſt
damno afficimini, ſeu fraudamini; præſtat enim non-
nullam horum bonorum, quæ ſpectant ad corpus,
iacturam facere, quàm vllam præbere iuſtæ offen-
ſionis occaſionem.
8. Sed vos iniuriam facitis, et, &c. Has
I. opinor lites iniuſtas, & iniquas reprehendit Apo-
ſtolus. vix (inquit) excuſari poſſetis à crimine, ſi vo-
bis illatas iniurias coram infidelibus iudicio perſe-
queremini, cùm omnia potiùs toleranda eſſent, quàm
vt Chriſtianorum mores, ac vitam apud infideles in
inuidiam vocaretis, atqui res multò ſe aliter habent:
vos potiùs fratribus iniuriam facitis: vos illos iniquè
in iudicium vocatis. Ambroſius hæc putat ad eos
pertinere, *quorum iniuſtitia iurgia nata erant; quia non*
ſolùm per fraudem admiſſam rei erant; ſed & partem
habebant delicti illorum, qui iniuria, ac fraude coacti
iudices infideles adibant. Ego crediderim eos maxi-
mè accuſari, qui contra ius, fáſque lites intentabant.
Et hoc (inquit) *fratribus:* quod ad exaggerandam rei
indignitatem pertinet; vt enim alicubi docuit Ari-
ſtoteles, beneficia non aliter atque iniuriæ non ſo-
lùm ex rebus ipſis, ſed etiam ex perſonæ conditione
ſpectantur, vt alio loco docui. Iniuria igitur afficere
fratrem, cui caritatem, & beneuolentiam debeas,
grauius peccatum eſt, quàm lædere alienum. Cæte-
rùm, quod ait interpres: *Et hoc fratribus:* Græcè ſcri-
ptum eſt καὶ ταῦτα, quaſi dicat, *& hæc*; vt referat ad in-
iuriam, & fraudem. Latinus autem interpres ita la-
tinè dixit, quaſi dicat Apoſtolus: Iniuria afficitis, &

A fraudatis: atque id facitis aduerſus fratres, quod ne
aduerſus hoſtes quidem ferendum eſt. Ita hoc loco
Hieronymus, vt fratris nomen emphaſim quamdam
habeat; nam vt ait Theodoretus. *Graue piaculum eſt*
alieno iniuriam facere, multò autem grauius neceſſario.
Ambroſius hinc colligit, multò etiam grauiora po-
tuiſſe credi de Corinthiis. *Quid enim* (inquit) *aliis*
facere credatur, qui non parcit ſuis?
An nescitis, qvia iniqvi, &c. 9.
Neqve fvres, neqve avari, &c. Quo- 10.
niam de iniuria, & fraude locutus erat, quæ duo vi- I.
tia maximè cum iuſtitia pugnant; rectè ſubiicit iniu-
ſtitiæ ſupplicium; illa ſiquidem regno Dei excludit.
Ita autem loquitur. *An neſcitis quoniam iniqui re-*
gnum Dei non poſſidebunt? vt oſtendat illos non ex
B ignoratione peccare, atque idcirco grauiori ſuppli-
cio dignos videri. Quod autem ait: *Non poſſidebunt,*
Græcè eſt κληρονομήσουσι, id eſt, non ſortientur hære-
ditatem: quo genere loquendi ſæpè vtitur Apoſto-
lus, vt aliàs monuimus. Hoc autem accipiendum eſt
de iniquis, qui non reſipiſcunt, neque ſcelera ſua
pœnitentia expiant; nam alioqui, vt ait Ezechiel [a]. [a cap 18.21.]
Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis,
quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, &
fecerit iudicium, & iuſtitiam, vita viuet, & non morie-
tur: omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non re-
cordabor: in iuſtitia ſua, quam operatus eſt, viuet. Sub-
dit: *nolite errare*; quod (vt ait Chryſoſtomus) eos po-
tiſſimùm perſtringit, qui Dei benignitatem, atque
miſericordiam prædicant vſque eò, vt ſibi perſua-
C deant, & cæteris quoque perſuadere nitantur omnium
impunitatem ſcelerum ſeſe nullo negotio ab illo cõ-
ſequuturos; propterea ait, *Nolite errare; eſt enim ex-*
tremi erroris, & deceptionis bona ſperare, cùm tamen in
vita contraria facias, & de Deo ea ſuſpicari, quæ ne de
homine quidem cogitaueris. Huc autem putat, pertine-
re quod ſcriptum eſt à Dauide [b]. *Exiſtimaſti iniquè,* [b Pſal.49.21.]
quòd ero ſimilis tui: arguam te, & ſtatuam contra fa-
ciem tuam. Eadem ratione Hieronymus: *Nolite erra-*
re (inquit) *putantes vobis ſolam fidem ſufficere ad ſalu-*
tem; cùm omne peccatum permanens excludat a regno:
additque hanc enumerationem perſimilem eſſe ei,
quæ eſt in Epiſtola ad Galatas [c], cùm ait: *Manifeſta* [c cap.5.19.]
D *ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, con-*
tentiones, & his ſimilia, quæ prædico vobis, quoniam qui
talia agunt regnum Dei non conſequentur. Hic autem
eadem ratione primo loco nominat *fornicarios*, Græ-
cè πόρνους, quaſi dicat, ſcorta ſiue ſcortatores, quod
præcipuè facit contra Græcos, qui ſimplicem ſcor-
tationem negant eſſe eiuſmodi flagitium, quòd ex-
cludat à regno. *Neque idolis ſeruientes*; qui quoquo
modo idolorum cultui fauent: *Neque molles:* Græcè II.
μαλακοὶ, quam vocem Latini explanatores aliena
prorſus interpretatione peruertunt, qui molles eos
eſſe putant, quos Latini maſtupratores appellant,
quaſi qui manu ſtuprum perficiant. meliùs Græci
μαλακοὺς putant τοὺς ἀφροδισιαζομένους, ex altera parte re-
ſpondere, quòd illi fœda patiantur, quæ iſti pera-
gũt. Itaque rectè catamitos interpretere, quos etiam
E Græci κιναίδους nominant, viros effœminatos, ac mol-
les; & (vt ait Quintilianus) parùm viros; qui turpiter
obſecundant: olim ita vocari quod fœdo, parímque
virili corporis motu geſticularent, ac ſaltarent, ſiue
quòd ad cantum mouerent effœminatè corpus, ſiue
quòd pudendas corporis partes irritarẽt, mouerẽnt-
que, ἀπὸ τὸ κινεῖν τὰ αἰδοῖα, ſiue quòd vacarent pu-
dore, quaſi κενοὶ αἰδοῦς. quòd ſi cinædi non propriè
catamitos ſignificant, certè commune nomen eſt
vtcumque effœminatis, quos verecundè Latinus in-
terpres molles vocat, eos ſignificans, qui muliebria
patiuntur. His ſubiiciuntur: *Maſculorum concubitores:*

Græcè *ἀρσενοκοῖται*, quorum eſt improbitas maxima, a Gen.19.24. quam olim Deus [a] aduerſus Sodomitas cœleſti igne vltus eſt. *Neque fures:* qui aliena clam ſurripiunt. *Neque auari:* Græcè *πλεονέκται*, de qua voce aliàs dixi. *Neque ebrioſi, neque maledici.* Quo loco ait Chryſoſtomus, multos Paulum reprehendere, tamquàm nimis aſperũ, qui ebrioſum, & maledicum cum adultero, & muliebria paſſo, & maſculorum concubitore numeret: cùm tamen ſint illa quidem crimina grauiſſima; hæc verò leuiora cenſeantur. Reſpondet autem, ebrietatem, & maledicentiam nequaquàm eſſe peccata leuia; cum Chriſtus eum, qui fratrem vocet fatuum gehennæ addicit, & populus Iudæorum ebrius, ac temulentus grauiſſima ſcelera perpetrauit. Addit non agi nunc de ſupplicio, ſed de captentia regni. Pariter igitur ait hic, & ille à regno excidunt: an autem in gehenna aliquam ſint habituri pœnam differentem, nõ eſt præſentis temporis quærere. Eodem modo loquitur Theodoretus. *Minora autem* (ait) *peccata cum maioribus coniunxit, quoniam non de ſupplicio, ſed de regno loquitur.* Cæterùm ebrioſos intelligit Apoſtolus, non qui ſemel, aut iterum b Prou 23.30. inebriantur, ſed qui ſtudent, vt ait ſapiens [b] *calicibus epotandis*, quíque genio indulgent, & gulæ ſeruiunt: quod graue piaculum eſſe ſuo loco oſtendo. Maledicos autem, obtrectatores, & calumniatores interpretor, qui aliorum vitam, ac mores quo iure, quáve iniuria carpunt, & infamiæ labe aſpergunt. Poſtremo loco collocat rapaces, qui per vim aliena bona rapiunt.

11. I. Et hæc quidam fuiſtis, sed, &c. Ne peccatorum memores quæ ante baptiſmum admiſerant, ſpem ſalutis penitùs abiicerent, hæc addita fuiſſe monuit Theodoretus. Chryſoſtomus autem hæc ait pertinere ad exaggerandam Dei in Corinthios beneficentiam, qui ab impuris flagitiorum ſordibus non modò abluti, ſed iuſtitiam, & ſanctitatem, plurimáque diuini ſpiritus munera Chriſti beneficio adepti eſſent. *Et hæc* (inquit) *quidam fuiſtis.* Ita enim habent Græci codices *τινὲς*; itáque legunt Chryſoſtomus, & Theophylactus: itáque omninò legendum cenſet Oecumenius. *Hæc* (inquit) *multi habebant, indicans, aliquos eorum tales fuiſſe, non omnes; nam & inter gentes quidam inueniebantur benè morati, & iuſtitiam colentes. Deo tamen per ſe iuuante, vel per Angelorum miniſterium.* Ita etiam legit Ambroſius. *Et hæc* (inquit) *quidam fuiſtis, ne omnibus hoc adſcribere videretur. At certè omnes ab his criminibus immunes faceret, ſi taceret.* Malè igitur Latini quidam codices habent. *Et hæc quidem fuiſtis.* Oecumenius ſubaudiendum putat *ἔχοντες*, quaſi dicat more Græco fuiſtis habentes. ſed non video, cur id videatur neceſſarium; nam quemadmodum dixit; *neque fornicarij, &c.* ita rectè ſubdere potuit; *ſed hæc quidam fuiſtis*, quaſi dicat: quidam ex vobis eiuſmodi fuerunt; id eſt fornicarij, idololatræ; & quæ deinceps ſequuntur: ſi vitia tantùm nominaſſet, tum rectè poterat admitti quod ait Oecumenius, nunc autem, non tam vitia, quàm vitiis, ac ſceleribus implicatos enumerat.

II. Illud nnn malè ab eodem obſeruatum eſt, non hæc de omnibus Corinthiis accipienda eſſe; ſed de quibuſdam, vt paulò antè monui. Ne autem videretur hæc exprobrando dixiſſe, vnde illi indignari meritò poſſent, continuò ſubiecit. *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis.* Quibus verbis mirificè extollit Dei munificentiam, ac liberalitatem; qui non ſolùm Corinthios peccatis ſoluerit, ſed cœleſtibus, planéque diuinis muneribus locupletarit, ornarítque. Addit: *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri.* Quæ niſi fallor ita accipienda ſunt, vt priora illa. *In nomine D. N. Ieſu Chriſti*; baptiſmum indicent, qui Chriſti nomine, hoc eſt A auctoritate, atque imperio tribuitur, & præteritæ vitæ maculas penitùs abluens, gratiam, & iuſtitiam largitur; poſteriora verò, *Et ſpiritu Dei noſtri*, referantur ad Spiritum ſanctum, qui olim fidelibus non ſine externo ſigno diuina ſua chariſmata tribuebat. Ambroſius tamen hæc omnia de baptiſmo explicat. *Hæc omnia* (inquit) *beneficia puritatis in baptiſmate conſequenti noſcuntur, quod eſt fundamentum Euangelicæ veritatis. Illic enim omnibus peccatis depoſitis abluitur credens, iuſtificatur Domini nomine, & per ſpiritum Dei noſtri Deo filius adoptatur.* Quomodo etiam intelligit Hieronymus. *Abluti* (inquit) *in nomine Chriſti, ſanctificati per ſpiritum Dei.* Ego meam indicaui ſententiam; nemini tamen præiudicatum velim.

B Omnia mihi licent, sed non omnia, &c. Quorſum hæc ſpectent, iure quis quærat. 11. I. Non enim ſatis cum ſuperioribus videntur cohærere, niſi quis dicat, quod video penè omnibus placere, nouam quaſi diſputationem inchoari, atque hunc eſſe ad ſequentia tranſitum. Et ſunt qui putent, tacitè Apoſtolum de ſua docendi conſuetudine diſputare, qua victum ab auditoribus recuſabat: Quaſi dicat, non dubito id mihi licere, quod cæteris Apoſtolis, ſed nolo me cuiuſquam poteſtati ſubiicere, vt ſignificet eum, qui ab alio munera accipit, ei quodammodò ſubdi, & ſua penè libertate ſpoliari; ſed vt arbitror nimis videtur coacta explicatio. Cur enim id nunc tam paucis ingerat, de quo fuſiùs dicturus eſt ſequenti Epiſtola? Cur verò ſubitò con- C trà ſcortationem diſſerat? Crediderim igitur, Paulum contra quorundam ſententiam agere, qui rerum à Deo creatarum liberum vſum defendebant, adeóque nullam voluptatem aſpernandam putabát, quòd eſſet naturæ conſentanea, & res à Deo in eum vſum conditæ videantur, vt iis homines oblectentur. Et omnino veriſimile eſt hæc à ſuperioribus aliqua ratione pendere; nam lites, & contentiones Corinthiorum de his rebus erant, quæ ſpectant ad corpus, & ad vitam tuendam referuntur, quæ iure repeti poſſe videbantur. Eſto igitur, ait Apoſtolus, liceat vobis ea ſedulò curare, quibus corpus indiget; ſed videndum eſt quatenus. Itaque Chryſoſtomus putat, hæc pertinere ad helluones, & eos qui gulæ, ac ventri ſeruiunt. Quaſi dicat: licet cibum ſumere, D & potu ſitim extinguere, ſed id cum luxu, ac profuſione non expedit. Et mox: *Eſt quidem* (inquit) *in poteſtate tua cibo, ac potu recreari, ſed vide ne per libidinem, ac impotẽtiam eius te nimiæ cupiditatis quaſi mancipium conſtringendum præbeas: nam qui ad id, quod oportet ea vtitur, ipſe eam habet in poteſtate. Qui autem exit ad exuperationem, & immoderationem, nõ eſt ampliùs dominus, ſed eius ſeruus, voracitate & ingluuie tyrannidem in eo exercente.* Quocirca Chryſoſtomus hæc intelligit de iis quæ vocantur indifferẽtia, quæque bene ac malè vſurpari poſſunt, ſed modum adhibendum monet; *Eſt* enim (vt [a] ille dixit) a Horat.

modus in rebus; ſunt certi denique fines,
Quos vltra, citráque nequit conſiſtere rectum.

Alij malunt hæc ad ſuperiora pertinere, quibus monuerat non eſſe litigandum: Atqui dicere poterant E Corinthij, nihil extare in Euangelio, quo prohibeantur ius ſuum in iudicio repetere, cùm igitur Corinthij abluti, ſanctificati iuſtificatique ſint, liberè poterunt ea vſurpare, quæ præceptis Euangelicis non vetantur. Vtrouis autem modo dicas, non facilè apparet quæ ſit his verbis ſubiecta ſententia. Theodoretus hæc verba. *Omnia mihi licent:* legenda putat adhibita interrogatione, cui ſtatim interrogationi reſpondeat Apoſtolus, *ſed non omnia expediunt, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate.* Tum addit. *Hoc dicis,*

te non

te non viuere ſub lege, & te eſſe tui iuris & in tua poteſtate, & habere liberum eligendi arbitrium, ſed non ſemper tibi conducit tua vti poteſtate. Quando enim turpe aliquid, & inhoneſtum perpetraueris, libertate priuaberis, & peccati ſeruus efficieris. Eodem modo loquitur Oecumenius. *Vtique* (inquit) *omnia quidem tibi licent, quoniam à Deo creatus es liberum habens arbitrium, at non temerè faciendum eſt, quaſi tibi conduceret edere ſcilicet de idolothytis,* de quibus [a] infrà. Quam

a cap. 10. b lib. 2. offic. 9. explicationem leuiter alicubi attigit Ambroſius [b]; commentarij tamen, qui eius nomen præferunt, eam

II. confutant. Superiores autem omnes, quod ait Apoſtolus, *Omnia mihi licent,* valdè impropriè de libero arbitrio interpretantur: perinde quaſi licere dicatur id, quod eſt in liberi arbitrij poteſtate poſitum; cùm tamen multa dicantur non licere, quæ pro liberi arbitrij facultate vſurpari poſſunt: quicquid enim lege prohibetur, nullo modo licet. Et Bernardus [c]

c De conſid. ad Eug. lib. 3. ... prudenter dixit ſpectandum in ſingulis quid liceat, quid deceat, quid expediat: nihil autem apud Chriſtianos decere, aut expedire poſſe, quod non liceat, hoc eſt quod non lege permittatur. Quis autem dicat, ſcortationem, furtum, adulterium, & id genus alia licere, quia poſita ſunt in liberi arbitrij poteſtate? *Quomodò licet* (ait Ambroſius) *quod prohibetur?* Itaque de iis loquitur Apoſtolus, quæ benè, ac malè vſurpari queunt, qualia erant indicio ſua repetere, aut cibo, ac potu vitam tueri. Hæc (inquit) omnia ſi per ſe; ac ſuapte natura ſpectentur, etiam fidelibus licent; ſed non tamen expediunt; videndum enim eſt, quatenus iis vti liceat: vt enim hæc ipſa Epiſtola docebit, non licet veſci cibo cum aliorum offenſione, & ſcandalo, nec vnquam licet indulgere gulæ, aut genio, quaſi ventri ſeruias. Hoc enim eſt, quod ait: *Sed ego ſub nullius redigar poteſtate;* nam qui ſeſe deliciis explet, qui voluptatibus habenas laxat, non is profectò indicat ſe hæc omnia habere in poteſtate, ſed illorum potiùs poteſtas mancipatum ſe eſſe declarat; ob id enim ventri, & gulæ nonnulli ſeruire dicuntur, qui genio & voluptatibus indulgent. Eſt autem in Græcis verbis non inelegans alluſio; ἔξεστιν, id eſt, licent; ἐξουσιασθήσομαι, ſub poteſtate redigar: quaſi dicat: omnium mihi poteſtas eſt; ego verò ſub nullius poteſtaté me redigi patiar. Cęterùm hanc eamdem ſententiam iiſdem propemodùm ver-

d cap. 10. bis repetit [d] hac ipſa Epiſtola. *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant: nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius.* Et ſimile quiddam dixerat in Epiſtola ad Roma-

e cap. 14. nos [e]: *Omnia quidem ſunt munda, ſed malum eſt homini, qui per offendiculum manducat.* Pertinere autem hanc Apoſtoli ſententiam potiſſimùm ad vſum cibi, & potus indicant ea, quæ modò attuli, quibus eadem penè ſententia continetur, ſed planiùs quæ ſequuntur; ait enim.

13. Esca ventri, et venter escis, &c.

I. Dixerat Apoſtolus, non omnia expedire, ſignificans rebus indifferentibus moderatè vtendum eſſe; id nunc exemplo confirmat, quod ad rem propoſitam maximè facit. *Eſca* (inquit) *ventri,* vel potiùs; *eſca,* eſt enim Græcè βρώματα. Igitur *eſca ventri, & venter eſcis.* Quaſi dicat; eſcæ ventri implendo, & venter eſcis concoquendis deſtinatus eſt. Oecumenius; *edacitas amorem* (inquit) *habet ad gaſtrimargiam, & hæc ad illam; nec poſſunt hæc ad Chriſtum nos tranſmittere, ſed ad ſe inuicem mittunt eos, qui ipſis credunt; nempe illa ad hanc, & hæc ad illam.* Hieronymus ad ciborum vſum refert, ſed ſubaudiendum putat hactenus tantùm cibis vtendum, vt non impuras cupiditates excitent, & nefarias pariant libidines. Chryſoſtomus ventrem hic intelligit ingluuiem, vt ſenſus ſit, *cibis*

A *cum ingluuie intercedit amicitia; & ipſi cum eis; non poſſunt ergo* (inquit) *nos ducere ad Chriſtum, ſed ad ſe trahunt; eſt enim grauis, & belluina affectio, & ſeruos reddit, & vt ei ſeruiant efficit. Quid ergo alimentis attonitus inhias, ô homo?* At Theodoretus hæc accipit de legitimo vſu. *Si vis* (inquit) *in his vti libertate, vtere; propter ventrem enim cibos creauit: ſciendum eſt autem eos quoque finem accepturos.* Et profectò veroſimilius eſt, ventrem hîc propriè accipi pro ea corporis parte, in quam cibi ingeruntur; eſt enim græcè κοιλία, atque ita ſenſus erit, vt ait Hieronymus, licere quidem ventrem eſcis implere, modò nimius cibus non ſit veluti incentiuum libidinis. Potius *hæc* (inquit) *ſe mutuò irritant, & expetunt, ipſe enim cibi appetitus, qui in ventriculo eſt alimenta requirit, rurſúmque ipſa ali-*

B *menta appetitum, qui in nobis eſt irritant, & excitant. Deus autem vtraque in reſurrectione ocioſa, & inutilia efficiet.* Vt autem oſtendat Apoſtolus, quamuis liceat veſci cibis, non eſſe tamen in iis poſitam humanam fœlicitatem, ſubdit: *Deus autem hunc, & has deſtruet.* Græci codices ad maiorem orationis vehementiam coniunctionem ingeminant, *& hunc & has deſtruet.* Romana editio habet vt nos legimus, *hunc & has deſtruet.* Putat verò Photius, hoc eſſe veluti vaticinium, quo ſtatus futuræ immortaliſque vitæ deſcribatur, quæ nullis egebit cibis, nullúſque propterea erit vſus ſtomachi ad concoquendas eſcas: quocirca non oportere de iis, quæ aliquando inutilia futura ſunt nimis eſſe ſolicitum: addit verò eſcas, & ventrem accipi poſſe, vt ſignificent inex-

C plebilem edendi cupiditatem: quod ſequitur; *Deus autem hunc, & has deſtruet:* eſſe veluti execrationem; quaſi dicat. Hæc Deus aliquando abolebit, & à nobis auferet, depellet à nobis voracitatem & ventris ingluuiem. At proculdubio ſignificat Apoſtolus, horum vſum aliquando in futura vita extinguendum. Philoſophi, qui nihil, aut parum admodum de futura immortalitate cogitabant; idcirco voluptates corporis fugiendas, vitandáſque exiſtimabant, quòd breui omnis voluptas periret. *Voluptas* (ait Seneca [a]) a lib. 7. de beneficiis ca. 2.
fragilis eſt & breuis, faſtidio obiecta: quo auidius hauſta eſt, citiùs in contrarium recedens, cuius ſubinde neceſſe eſt aut pœniteat, aut pudeat: in qua nihil eſt aut magnificum, aut quod naturam hominis Diis proximi deceat: res humilis, membrorum turpium ac vilium miniſterio ve-

D *niens, exitu fœda. Deſtructio ventris* (inquit Ambroſius) *eſt, cùm edendi ceſſat officium: eſca verò deſtructio tunc erit, quando ſteterit natiuitas;* hoc eſt (vt ego interpretor) quando per ſe natura abſque alimento integra, atque incolumis perſeuerabit. Quocirca Theodoretus. *Poſt ſepulcrum enim* (ait) *cibi ſunt hominibus ſuperflui: porro autem vita quoque futura, eorum nihil habet: quemadmodum enim nec vxores ducunt, nec nubunt, vt eſt vox Domini; ita etiam nec comedunt, nec bibunt.* Nam quæ de cibo, potúque cœlitibus præbendo, aut oracula prophetarum, aut Chriſtus in Euangelio, aut denique Ioannes in Apocalypſi commemorant non ſine metaphora de perfectâ illius beatæ vitæ iucunditate, & gaudio accipienda ſunt. Porro Chryſoſtomus ſuam tenens ſententiam, non

E ventrem, ſed immodicam appetitionem, neque alimentum, ſed delicias deſtruendas ait. Sed paulò pòſt ſubdit: *Quidam autem dicunt, quod dictum eſt, eſſe prophetiam; ſignificare autem ſtatum, qui eſt in futuro ſæculo, & quòd illic non liceat nec comedere, nec bibere.* Ex qua ſententia colligit. *Si eſt autem* (ait) *habiturus finem pro proportione, & ſymmetria conuenientem: multò magis oportet abſtinere ab immoderatione.* Quæ cum ita ſint apparet, non magnopere ad rem facere, quod hoc loco ſcribit Ambroſius, qui putat hæc dici à Paulo aduerſus pſeudoapoſtolos, qui nimis audè victum

Digitized by Google

à fidelibus quærebant, cùm tamen ipſe, cui id maximè licebat, hac vti noluerit poteſtate: id enim nũc non agit, vt ex ſuperioribus, & ex conſequentibus intelligi facilè poteſt. Certè Clemens [a] Alexandrinus multa ex hoc loco colligit contra irritamenta gulæ, eos non leuiter perſtringens, qui conuiuia, & [a lib. 2. pædag. cap. 1.]
13. prandia ἀγάπας appellabant. Quod autem ait, *deſtruet*, græcè eſt καταργήσει, quaſi dicat euacuabit, vt legit Auguſtinus [b]; & hac ipſa Epiſtola [c] dixit Latinus interpres, *Siue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur, ſiue prophetiæ euacuabuntur*, vbi eſt eadem vox Græca; nullus enim (vt dictum eſt) in altera vita erit ciborum, aut ventris vſus, quod eſt euacuari, ſeu deſtrui. Subdit: *Corpus autem, non fornicationi, ſed Domino, & Dominus corpori*: hoc eſt interprete Chryſoſtomo, non ideo corpore conſtamus, vt impuris libidinibus ſeruiamus, nec ventre præditi ſumus, vt cibo, potúque diſtenti torpeamus, ſed potius vt Chriſto tamquàm capiti adhæreamus, vt ab eo deinde immortalitatem conſequamur. Hæc autem ideo dixit Apoſtolus, ne quis ſuſpicaretur, quia nullum ventris fore vſum dixerat; eadem ratione corpus etiam deſtruendum. Tantùm verò (inquit) abeſt, vt hoc verum cenſeatur, vt contra potiùs, quia Chriſti membrum eſt, immortalitate donandum ſit. Non igitur obſcœnis voluptatibus fœdandum eſt corpus, ſed id potiùs conandum, vt Chriſto Domino ſeruiat; vt ab eo deinde, quam par eſt mercedem, hoc eſt immortalitatem conſequatur. Ita enim ſcribit Ambroſius: *Quid Dominus corpori? quia immortalitatem reſuſcitato præſtabit. Corpus enim Deo dicatum dono ſpiritualis remunerabitur merito ducis; id eſt animi.* Paulò aliter Hieronymus: *Non fornicationi* (inquit) *ſed Domino corpus exhibeatur, & Dominus corpori copulabitur. Dominus enim nobiſcum eſt quandiu fuerimus cum illo. Si dereliquerimus eum, & ille nos derelinquet.* Vtrumquè verè dicitur; ſed quod ait Ambroſius magis videtur ad rem, vt quæ ſequuntur apertè indicant. [b lib. 1. de adult. coniug. cap. 14.] [c cap. 13. 8.]

14. DEVS VERO, ET DOMINVM SVSCITAVIT,
I. &c. Hæc rectè ſuperioribus adduntur; nam quia dixerat *corpus non fornicationi, ſed Domino, & Dominus corpori*; explicat quid corpori à Domino præſtandum ſit, vt appareat quæ paulò antè dixerat de alimentis, & ventre abolendis, ad futuram vitam pertinere. Quid (quæſo) igitur Dominus corpori noſtro præſtabit? Nempe vt Chriſtum caput noſtrum ab inferis ad vitam immortalem reuocauit; ita nos rediuiuos immortalitati donabit. Itaque (vt ait Ambroſius) explicat quod obſcuriùs dixerat, *Et Dominus corpori*, & exemplo Dominicæ reſurrectionis confirmat. Idque omnino rectè; nam (vt ſcribit Chryſoſtomus) *ſi corpus noſtrum erit Chriſti membrum, eique fide, & caritate adhærebit, ſequetur profectò caput ſuum, & vnà cum illo immortalitatis gloria perfruetur.* Quocirca ad hunc locum reſpiciens Tertullianus [d]: *Deus autem* (ait) *& Dominum ſuſcitauit, & nos ſuſcitabit per virtutem ſuam, propter corporis ſcilicet nexum cum illo.* Obſeruat autem Theodoretus, Chriſtum humanitatis reſpectu à Deo dici ſuſcitatum; qui tamen vt Deus nos ſuſcitabit. *Suſcitatus eſt enim Chriſtus Dominus, & nos etiam ſuſcitabit qui illum ſuſcitauit Deus, eius qui ſuſcitatus eſt virtute.* Itaque quod ait Apoſtolus, *Per virtutem ſuam*; refert ad Chri- [d de pudic. cap. 16.]
II. ſtum: quod etiam facit Ambroſius. *Virtus enim Dei* (inquit) *Chriſtus eſt.* Putat autem illud: *Per virtutem ſuam*, tam ad noſtram, quàm ad Chriſti reſurrectionem pertinere, vt ſenſus ſit; Deus per virtutem ſuam Dominum ſuſcitauit, & nos ſuſcitabit. Nec enim dubium eſt, Chriſtum Dominum, qua Deus erat vnà cum Patre, ac Spiritu, corpus ſuum reuo-

A caſſe ad vitam; ſic enim ipſe loquitur apud Ioannem [a]. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Et alio loco [b]: *Ego pono animam meam, vt iterum ſumam eam, nemo tollit eam à me; ſed ego pono eam à me ipſo. & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Et Lucas in Actis Apoſtolicis [c]. *Quibus* (inquit) *præbuit ſe ipſum viuum.* Quemadmodum igitur Chriſtus ſua diuina vi, ac facultate ſe ipſum ab inferis excitauit; ita eadem nos ad vitam reuocabit, vt alibi copioſiùs doceo. Rectè autem monet Oecumenius, Apoſtolum quæ patris ſunt tribuere filio; & rurſus quæ filij eadem ratione Patri concedere; nam apud Ioannem [d] ſcriptum eſt. *Quæ pater facit, hæc & filius facit.* Quoniam igitur ſumus Chriſti membra, excitato capite neceſſe eſt [a cap. 2. 19.] [b Ioan. 10. 17.] [c cap. 1. 3.] [d cap. 5. 19.]
B cætera quoque membra reſurgere. Obſeruat autem Chryſoſtomus meritò Apoſtolum, cùm de reſurrectione ageret, diuinam vim; græcè δύναμιν nominaſſe; vt rei admodum difficili fidem faceret, cùm præſertim de re futura loqueretur. Ego ſimpliciter crediderim, tam noſtram, quàm Chriſti reſurrectionem Deo patri tribui, eiúſque diuinæ omnipotentiæ; quod (vt ait Chryſoſtomus) diuinitati Chriſti nihil detrahit: vt enim Deo patri tribuitur creatio, quæ tamen eſt tribus diuinis perſonis communis; ita etiam eidem tribuenda videtur reſurrectio, de qua fusè diſputat in præſentia Chryſoſtomus, qui propterea putat Paulum eius mentionem feciſſe, vt rem creditu difficillimam quacumque obiecta occaſione confirmaret. Aptè autem reſurrectionis
C commemoratio ſuperioribus attexitur; vt enim Apoſtolus ab impuris voluptatibus reuocet, immortalitatis ſtatum proponit, quem maximè expetere debemus; atque adeo ab impuris voluptatibus abſtinere, quæ ad interitum nos ducunt ſempiternum.

NESCITIS QVONIAM CORPORA VESTRA, 15.
&c. Chryſoſtomus exiſtimat, hanc orationem ad I.
eos pertinere, qui inter Corinthios integri, & caſti permanſerat; vt eos videlicet confirmet, ne voluptatis illecebris deliniti ſeſe impuro ſceleri conſtringendos præbeant: interim tamen illum ait, ſcortatori ſtimulos addere. Loquitur autem tanquàm cum ingenuis, & rei indignitatem, ac turpitudinem, & criminis grauitatem oſtendit. *Neſcitis* (inquit) *quo-*
D *niam corpora veſtra membra ſunt Chriſti?* Obſeruat Chryſoſtomus hanc ſimilitudinem frequenter à Paulo vſurpari, ſiue ad indicandam Chriſti in nos caritatem, ſiue vt noſtram dignitatem exaggeret, & extollat. Hoc ergo loco nobilitatem noſtrorum corporum declarat; Chriſto enim tãquàm capiti membra adhærent; vnde eximiam quamdam dignitatem, & præſtantiam trahunt. Atque ex hoc capite mirum in modum impuræ voluptatis turpitudinem, ac fœditatem oſtendit. Quamquàm enim Chriſtus corporis ſui myſtici caput eſt, præcipuè ratione animæ, cui impertit gloriam, ſiue gratiam, ſiue fidem; tamen ſecundariò reſpicit etiam corpora, quæ ſunt animæ inſtrumenta, iiſque largitur vim & facultatem, qua facilè ſeſe animæ imperio ſubiiciant, atque
E idcirco meritò dixit Apoſtolus, corpora noſtra eſſe membra Chriſti: quod primùm quidem veriſſimè dicitur de beatis, quorum corpora ſuam etiam beatitudinem Chriſti meritò expectant, deinde de fidelibus, qui Chriſto fide adhærent, & pro fidei confeſſione parati ſunt pericula, & vitæ diſcrimina adire; tum de iuſtis, qui *exhibent membra ſua ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.* quod igitur ait Apoſtolus, vt minimùm ad omnes fideles pertinet; nam qui carent fide, remotè ſolùm, & facultate quadam pertinent ad corpus Chriſti; quia poſſunt ei fide, &

caritate

caritate coniungi. Quoniam verò Corinthij iam A fideles erant, & multi ex illis etiam iuſti, iure optimo eorum corpora membra Chriſti appellantur. *Tollens ergo* (ait) *membra Chriſti, faciam membra meretricis?* Nihil eſt (ait Chryſoſtomus) hac dictione terribilius. Et quidem (vt monet Theodoretus) ſcelus valdè auxit, membra noſtra membra Chriſti appellans. *Non ampliùs* (inquit) *tua ſunt, ſed Chriſti: quomodò ergo ea facis membra meretricis?* Nam (vt ait Hieronymus) qui meretrici commiſcetur, Chriſti membra tollit, hoc eſt, ſe à Chriſti corpore abſcindit, & quodammodò Chriſti corpus membratim diſcerpit. Vt autem Apoſtolus rem doceat eſſe abominandam, rectè ſubdit, *Abſit*. quaſi dicat: iſtud verò nec mente quidem concipiatur, ſed longè abſit B à cogitationibus noſtris: quiduis potiùs tolerandum videtur, quàm vt tam immane facinus, vel ſola mente concipiatur. Alludit ad hunc locum Tertullianus [a]. *Sed nec tuum* (inquit) *Apoſtolum ſinere coniungi proſtituta, membra Chriſti*. Et alibi [b]: *Auferens membra Chriſti, faciam membra fornicaria?* Monet autē Chryſoſtomus, magnam eſſe in verbis Apoſtoli vim: *Non enim dixit. Tollens membra Chriſti, coniungam cum meretrice, ſed quod grauius, & acerbius eſt, faciam membra meretricis?* Quomodò autem id fiat, mox explicat cum ait.

a li. 4. in Marcion. b lib. de pudic. cap. 16.

16. I. An nescitis qvoniam qvi, &c. Ad ſuperiora confirmanda hæc ſunt neceſſariò addita: nam quoniam dixerat, non eſſe membra Chriſti meretricio complexu maculanda, & veluti meretricis membra conſtituenda, quod abſurdum videri poterat; id nunc planiùs explicat, oſtenditque ex meretricis congreſſu vnum quodammodò corpus effici ex duobus: idque allato teſtimonio ex libro Geneſis [c], quod tamen de coniugio viri ac fœminæ dictū eſt. Qua verò ratione Apoſtolus, quod de legitimo connubio ſcriptum eſt à Moſe, transferat etiam ad meretricios complexus, iure à multis quæritur. Hieronymus. *Quomodò* (inquit) *cum vxore licitè, ita & illicitè cum meretrice vna caro efficitur per amorē*. Chryſoſtomus à rei natura id deſumptum putat. *Nequaquā enim* (inquit) *permittit coitus, vt duo ſint duo, ſed ambos vnum facit*. Penè idē ait Theodoretus. *Hoc* (inquit) *& illud rei natura idem eſt: per legitimū autem & illegitimū oſtenditur differentia*. Ambroſius. *Qui contaminationi* (ait) *ſe admiſcet, vnum fit cum eo, cui ſe admiſcet: fornicatio enim ambos vnum facit, vt quomodò in natura, ſic in macula vnum ſint*. Sed vt verum fatear, rem ipſam omnes quodammodò attingunt, rei rationem non ſatis explicant. Qui igitur hæc ſubtiliùs, atque accuratiùs perſcrutantur, maris ac fœminæ commiſtionem eius aiunt eſſe naturæ, vt perpetuam, ac neceſſariam duorum corporum coniunctionem exigat, quod verè, ac ſimpliciter in legitimo coniugio ineſt. In aliis autem illegitimis complexibus quadam ex parte reperitur, quod ego refero ad ſeminis commiſtionem, vt qui eo modo coniunguntur, prolis gignendæ reſpectu in vnum veluti corpus, & eandem carnem coeant. Coniuges igitur mutuò ſibi E corpora tribuunt nexu perpetuo, ac penitùs vſque ad mortem indiſſolubili: cæteri, qui tantùm voluptati indulgent, ad breue tantummodò tempus. Igitur Apoſtolus ſcripturæ teſtimonio confirmat, quod dixerat, eum qui meretrici coniungitur, vnū cū ea fieri. Et ſanè verba Geneſeos, quæ hoc loco ab Apoſtolo adducuntur, noſtræ explicationi mirè fauēt. *Erunt* (inquit) *duo in carne vna*, græcè εἰς σάρκα μίαν, id eſt, in carnem vnam, quomodò ſæpè legunt Tertullianus, & Hieronymus [d], vt hebraico idiotiſmo nihil aliud ſit duo eſſe in carnem vnam, quàm è duobus vnum quidpiam tertium exiſtere. Sexuum igitur

c cap. 2. 24.

d lib. 1. cont. Hieron. de monog.

A tur commixtio duo corpora coniungit ad vnum quidpiam efficiendum, atque ob id rationem habent vnius integræ perfectæque cauſæ, adeóque inter illos inita debet eſſe amoris, ac beneuolentiæ coniunctio, vt in duobus corporibus ſit vna, atque eadem mens, & voluntas. Quod quamquam minùs perfectè, ſuo tamen modo in illis vſu venit qui nefariè coniunguntur, & fiunt quodammodò ſibi inuicē membra. Id olim veteres (vt obſeruauit [a] Plutarchus) impari numero ſignificarunt, quo maximè vtebantur in nuptiis; quia is numerus in partes æquales diuidi non poteſt, ſed ſemper aliquid commune relinquit; eamdémque ob cauſam (vt idem monet) qui ſponſam introducebant, dicere iubebant: vbi tu Caius, & tu Caia; ita enim cum viro paciſcebatur, B vt omnia communia eſſent, & pariter imperarent.

a In problem.

17. I. Qvi avtem adhæret Domino, &c. Antitheſis eſt ſuperiorum, *Qui adhærent* (inquit) *meretrici, vnum corpus efficitur*, vel potius eſt, græcè enim legitur ἓν σῶμά ἐστιν: *qui verò adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt*. Meretrici opponit Dominum; cùm enim paulò antè dixit, *Tollam ergo membra Chriſti, & faciam membra meretricis?* carni verò ſpiritum. Itaque rectè Theodoretus. *Meretrici adhærens* (ait) *membra tua facis membra meretricis: Domino autem per ſpiritum coniunctus, membra, Chriſti membra facis*. Quorſum autē hoc dicat Apoſtolus, nemo (quod ſciam) ſatis explicat. Sunt qui exiſtiment, voluiſſe Apoſtolum indicare longè arctiorem coniunctionem eſſe Chriſti cum fidelibus, quàm viri cum vxore: quod ſi ne- C fas eſt, vxore neglecta adire pellicem, multò minùs licebit Chriſti coniunctione contempta adhærere meretrici. Sed de viri coniūctione cum vxore, ne verbum quidem, neque Paulus de eorum tantùm ſcortatione loquitur, qui pellices amant, ſed ſimpliciter quamlibet ſcortationem damnat, eiúſque turpitudinem, ac fœditatem ex eo probat, quòd qui meretrici agglutinatur, Chriſti membra meretricis membra facit; & in vnum propemodum corpus cum illa coaleſcit. Itaque Hieronymus perinde hæc dicta putat, quaſi docere velit Apoſtolus, quomodò per opera carnis fit caro, ita per opera Dei fieri ſpiritum. Quod vt verum eſſe non nego: ita non ſatis intelligo, quorſum id in præſentia ab Apoſtolo commemoretur. Ambroſius: *In omnibus* (inquit) *bene* D *agentibus ſpiritus Dei eſt communis cum Deo & cum hominibus*. Quod cùm obſcurè dictum eſt, tum non facilè dixerim, quorſum pertineat. Chryſoſtomus hæc verba miro ſilentio præterit. Suſpicor igitur, quia Paulus verba Moſis protulerat, quæ de viri, ac fœminæ coniunctione dicta erant, voluiſſe hæc obiter addere de noſtra ſpirituali coniunctione cum Deo, quæ tametſi ad inſtitutam diſputationem non magnopere pertinent, non ſunt tamen ab ea penitùs aliena. Dixerat corpora noſtra membra eſſe Chriſti, ea verò ſi ſcorto adhæreant, eius fieri membra, propter illam vnitatem corporis, quæ ex illa coniunctione exiſtit, quæ in rebus quidem corporatis perſimilis eſt ei coniunctioni, quæ oritur in rebus ſpiritualibus, cùm quis Deo penitùs adhæret. Dicitur autem qui Deo adhæret, vnus effici ſpiritus, II. quia diuinæ voluntati ita penitùs ſubiicitur, vt nihil velit, quod cum Dei voluntate aliqua ratione pugnet, vt mira ſit voluntatum conſenſio, & conſpiratio. Eleganter more ſuo de his verbis diſſerit Bernardus [b], oſtenditque illis miram quamdam ſignificari coniunctionem cum Deo, quam experiuntur illi, *qui Deo adhærent inſtar vnius illorum, qui in caritate manent ac per hoc in Deo manent, & Deum in ſe manducantes Deum, & manducati à Deo: nam de tali adhæſione puto dictum, qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt*.

b 71 Ser. in Cant.

Fieri autem dicitur vnus ſpiritus cum Deo (inter- A
prete Oecumenio; quia nihil terrenum, aut mortale cogitat; vel quia opera diuini ſpiritus Deo coniungitur; vel (vt ait Photius) quia vnius quodammodò naturæ, totúſque ſpiritualis efficitur, neque impuris cupiditatibus tangitur, neque ſcinditur in partes, Deo ac mammonæ ſeruiens, ſed vni Deo penitùs adhæret, eique ſe totum dedicat, atque addicit. Et quidem meritò; nam rectè dixit Primaſius: *Quomodo qui carnis opera facit, caro eſt; ita qui Dei opera facit, vnus ſpiritus eſt.* Quò ſpectant illa Chriſti apud

a cap 1.6. Ioannem [a]. *Quod natum eſt ex carne caro eſt: Quod*
b lib 8. de Trin. *natum eſt ex ſpiritu ſpiritus eſt.* Et Hilarius [b]. *Spiritua-les* (inquit) *omnes ſumus, ſi in nobis eſt ſpiritus Dei.* Et
c cap 8.8. Paulus ad Romanos [c] ait. *Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt; vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpi-* B
ritu, ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis: ſi quis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius; ſi autem Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus verò viuit propter iuſtificationem.

18. FVGITE FORNICATIONEM; OMNE PEC-
I. CATVM, &c. Ex his apparet, quæ de coniunctione cum Deo modò dicta ſunt, obiter poſita eſſe; redit enim Apoſtolus ad deteſtandam ſcortationem. *Fugite* (inquit) *fornicationem. non dixit* (ait Chryſoſtomus) *abſtinete à fornicatione, ſed fugite, hoc eſt: ſtudium ponite, vt à malo liberemini.* Et Theodoretus: *Non dicit odio habete, & auerſamini, ſed fugite; ſciens quàm ſit acre, & vehemens hoc peccatum: ei enim fugiendo repugnandum eſt.* Rectè omninò, ac verè id monuit C
Theodoretus; conuenit enim inter omnes impuræ voluptatis titillationibus non eſſe importuna contentione, conatúque reluctandum, ſed omnes eius illecebras quàm diligentiſſimè fugiendas; vt ex Caſ-
d lib.6. c.3.& colla.1.c.4. ſiano [d] facilè diſcimus. Suadet enim vigilantia, & ſobrietate, victu, cultúque in primis horrido, & aſpero, inedia, atque ieiuniis, reliquáque corporis afflictatione, denique ſolitudine contra eius impetus decertare. Porrò Ambroſius: *fugiendam morte fornicationem* (ait) *per quam filij Dei fiunt filij diaboli.* Atqui hoc æquè poteſt de omnibus aliis ſceleribus, atque
e cap.1 8.4. flagitus verè affirmari: nam (vt ait Ioannes [e]) *Qui facit peccatum ex diabolo eſt.* Videtur igitur Apoſtolus hanc veluti complexionem ex ſuperiori argumentatione colligere: nam quoniam dixerat, eum qui D
meretrici miſcetur, tollere Chriſti membra, eáque facere membra meretricis, illáque nefaria coniunctione vnum quodammodò exiſtere corpus, aptè concludit fugiendam eſſe ſcortationem, quippe quæ tam graui contumelia, ac probro proprium corpus afficiat: hoc enim ſignificant quæ ſequuntur. *Omne peccatum* (inquit) *quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt; qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat.* Quibus verbis huius ſceleris grauitatem mirum in
II. modum amplificat. Sed multa videntur eſſe peccata præter ſcortationem, quæ cum corporis contumelia coniunguntur: nam, vt omittam vinolentias, ebrietates, & ingurgitationes fœditatis, ac turpitudinis plenas, ex quibus innumerabiles morbi, atque ægritudines exiſtunt; quid dicemus de iis, qui ſibi ma- E
nus inferunt, ſéque aut vulneribus fœdát, aut membris truncant, aut etiam ſibi mortem inferunt? Atqui Apoſtolus non ita ait alia peccata eſſe extra corpus, vt illud nullo modo attingant; ſed id tantùm indicat nullam eſſe corporis humani maiorem contumeliã, quàm quæ à ſcortatione proficiſcitur. Et quidem Chryſoſtomus, cætera peccata ait partem aliquam corporis violare; ſcortatione verò totum corpus fœdari, perinde ac ſi ſordibus totum aſpergeretur: idque ex eo probat, quòd *auarus, fraudulen-*

A *tus, aut raptor, etiam ſi his ſceleribus ſe pollutum intelligat, non quærit tamen balneum; at verò rediens à concubitu cum meretrice, tamquam totus effectus immundus venit ad lauandum: ita turpiorem quandam exiſtimationem ex hoc peccato habet conſcientia.* Idem ſcribit Theodoretus. *Qui enim* (inquit) *vel innumerabilia alia peccata committit, & iuriſiurandi fidem frangit, & maledicto, ac blaſphemia linguam polluit, & in ea, quæ ad ſe non pertinent, inuadit, non vſque adeo peccati ſenſum accepit: qui autem libidinis ſeruus fuerit, ſtatim poſt peccatum malum ſentit, & ipſum corpus abhorret, & auerſatur, & ideo lauacris etiam vtentes corpus purgant, ea ratione ſe probrum eicere exiſtimantes.* Eodem prorſus modo loquuntur Oecumenius, & Theophylactus. Addit Oecumenius, cætera vitia à prauis
B animi cupiditatibus ortum ducere, vt ab ira, vel ab inani laudis, & gloriæ appetitu; hoc verò vitium, *in ipſo corpore fontes ſui habet ardoris.* Seuerianus apud eumdem, ſcortatorem ait in *propriam peccare ſubſtantiam humani corporis, & in ipſam eiuſdem corporis formationem, iniuriam exercens in corporis noſtri officinam.* Ambroſius rem ita explicat. *Quia cætera peccata, etſi per corpus generantur, non tamen animum ita carnali concupiſcentia faciunt obſtrictam, & obnoxiam, quemadmodum commiſceri facit animam cum ipſo corpore vſus libidinis, agens in opere carnalis fornicationis: quia in tantum agglutinatur animus corpori, vt in ipſo momento nihil aliud cogitare homini liceat, aut intendere, quia ipſum mentem captiuam ſubdit ipſa ſubmerſio, & abſorbitio libidinis, & cõcupiſcentia carnalis.* Hie-
C ronymus [a]: *Quidquid* (inquit) *egerimus, in alios agimus: fornicatio non ſolùm conſcientiam fornicantis, ſed & corpus maculat.* a epiſt.ad Amand.
Auguſtinus de ſpiritali ſcortatione intelligit: Oecumenius & plures Patrum ſententias, & multas affert huius loci explanationes. Nam ex Seueriano, præter eam quam ſuprà attuli, aliam indicat, vt proprium corpus intelligat corpus Chriſti, cuius dixerat Apoſtolus nos eſſe membra; idque ad exaggerandam huius ſceleris turpitudinem, & grauitatem: ex Athanaſio ſcortatorem (ait) in corpus ſuum peccare, quia eius vires eneruat, & extenuat, quod quamuis alia etiam vitia interdum faciant, illa tamen extrinſecùs quodammodò feriunt, ſcortatio in ipſo corpore exoritur, & eius vires debilitat, & frangit: Nec multò aliter Photius. Quæ ſanè omnia
D oſtendunt, hoc flagitium iure optimo dici fieri non ſolùm in animum, ſed etiam in proprium corpus.
Mea ſentẽtia breuiter hæc eſt: alia crimina, & peccata idcircò dici eſſe extra proprium corpus, quia licet pleraque corporis opera perpetrentur, & illud nonnulla ignominia afficiant; id tamen quidquid eſt in illis turpitudinis, ac fœditatis, cum probro, & ignominia ſcortationis conferri nullo modo poſſe; tum quia iis membris perficitur quæ turpia, atque obſcœna appellantur; tum quia (vt paulò antè dixit Apoſtolus) fœdo, atque abominando nexu, corpus cum ſcorto coniungit. Quocirca rectè ſubdit. *Qui autem fornicatur in corpus ſuum peccat:* illud ſiquidem contumelioſè abutitur; quomodò etiam ad Romanos [b] dixit. *Vt contumeliis afficiant corpora ſua.* Dici- III.
b cap.1.24
E tur autem in corpus ſuum peccare, non quòd in Deum non peccet; inde enim omnis malitia maximè pendet; ſed peculiari quadam ratione hoc peccatum dicitur eſſe in corpus. Hieronymus [c] ait peccari in corpus, *dum templum Chriſti ſit corpus meretricis:* addit quod maximè probat Oecumenius peccari in corpus, quia fit vxori iniuria, quæ vxor eſt viri corpus; atqui Apoſtolus non agit de adulterio, quod non ſine vxoris iniuria patratur, ſed de quacũque ſcortatione, quia etiam illi pollui poſſunt, qui vxorem non habent. Ambroſius: *Oſtendit* (inquit) c epiſt.ad

grauiſsi

grauiſſimum eſſe peccatum, quia ex hoc omne deperit corpus; in cæteris autem peccatis portio perit, non totum. Quod multis explicat. Videtur autem inſinuare etiam nomine corporis ſignificari vxorem. Nouatianus, vt idem Ambroſius affirmat, ſcortatorem nõ in ſuum, ſed in Chriſti corpus peccare aiebat, vt inde colligas, eum peccare in Spiritum ſanctum, contra quem alibi nobis diſputandum erit. Quorundam etiam affert ſententiam, qui ideo ſcortatorem in corpus ſuum peccare exiſtimabant, quia cùm ſit Eccleſiæ membrum, in Eccleſiam peccat, cuius eſt membrum: ſed hoc ipſum de cæteris peccatis non abſimili ratione dici poteſt. Peccare igitur in proprium corpus (vt vno verbo expediam) dicitur is, qui meretrici coniungitur, aut alia quapiã ratione ſcortatur; quod, vt paulò antè dixi, inſigni quodam probro totum corpus afficiat: quod vel inde apparet, quod nemo eſt tam impudens, aut effrons, vt dum ſimili vo-
IV. luptati indulget, latere non cupiat. Portò Tertullianus [a] mirè hoc loco hallucinatus nimio illo ſuo cõtinentiæ ſtudio, & monogamiæ laude deceptus, [a lib. de Monogam.] *Omne* (inquit) *delictum, quod admiſerit homo, extra corpus eſt; qui autem adulteratur, in corpus ſuum delinquit. Adulteratur autem ſicut ſupra praſtruximus, qui aliam carnem ſibi immiſcet, ſuper illam priſtinam, quam Deus aut coniunxit in duos, aut coniunctam deprehendit.* Quod autem Apoſtolus ait. *Qui fornicatur;* more ſuo dixit Tertullianus *adulteratur;* ille ſiquidem eodem illo ſuo errore deceptus adulterium vocat, etiam ſimplicem ſcortationem. Sic enim paulò antè dixerat. *Adulterium eſt cùm quoquo modo disiunctis duobus alia caro, immò aliena miſcetur, de qua dici non poſſit, hæc eſt caro ex carne mea, & hoc os ex oſſibus meis:* niſi fortè maluit vti adulterij nomine, quòd fornicationis nomen illo æuo nondum eſſet in vſu; multò enim pòſt vox illa apud Latinos obtinuit, ducta à fornicibus, in quibus ſcorta quæſtum facere conſueuerant. Sunt autem hæc omnia magnopere obſeruanda, hoc præſertim noſtro infelici æuo, de quo verendum eſt, ne iure quis vſurpet illud quod ſcriptum eſt in libro Geneſeos [b], *Omnis* [b cap. 6. 12.] *quippe caro, corruperat viam ſuam.* Siquidem omnis penè ætas, & hominum conditio adeo libidinis æſtu, atque ardore inflammatur, vt qui ab impura voluptate abhorreat, ab ipſa mortalitate alienus cenſeatur. Ita facilitas peccandi, licentiam peperit, licentia conſuetudinem, cõſuetudo pudorem ſuſtulit, eóque res adducta videtur, vt tantum non putetur licere, quam in præſentia Apoſtolus tantopere deteſtatur.

19. AN NESCITIS, QVONIAM MEMBRA, &c.
I. Obſeruat Theodoretus dixiſſe Apoſtolum primùm quidam fideles eſſe templum Dei [c]. *Neſcitis, quòd* [c cap. 3. 16. 17.] *templum Dei eſtis?* & paulò poſt. *Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos* [d]. [d Ibid. ipſo cap. 3.] Deinde corpora noſtra eſſe membra Chriſti. *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti?* nunc ait, eſſe templum Spiritus ſancti, ex quibus colligit Trinitatis æqualitatẽ. Idem ſignificat Ambroſius. *Superius* (inquit) *templum Dei dixit; hic templum Spiritus ſancti, quia in ſubſtantia hoc eſt Spiritus ſanctus quod Deus.* Græcè dixit Apoſtolus non μέλη, id eſt membra, ſed σῶμα, id eſt corpus. Ambroſius legiſſe videtur σώματα: neque aliter legit Hieronymus [e], qui Latinè habet corpora: Latini tamen codices magno cõſenſu habent, membra. [e l. 2. aduerſ. Iouin.] Certè Auguſtinus [f] hunc locum citans, ita ait: *Neſcitis* [f Epiſt. 66.] *quia corpora veſtra templum ſunt in vobis Spiritus ſancti?* vt veriſimile omnino ſit, Græcos olim codices variaſſe. Eadem autem templi metaphora vſus eſt Chriſtus, cùm de ſuo corpore loqueretur [g]. [g Ioan. 2. 19.] *Soluite* (inquit) *templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Paulus autem non ſolùm hac Epiſtola, ſed etiam ſequenti [a] hanc metaphoram probauit. [a 2. ad Cor. 6. 16.] *Vos enim* (inquit) *eſtis templum Dei viui.* Sed aliter Chriſtus, aliter nos templum Dei ſumus, vt optimè monet Cyrillus [b]. [b Ioan. 2.] Ille ſiquidem ſuapte natura verè Dei templum appellari poteſt ob inſitam diuini verbi hypoſtaſim; nos non niſi ob gratiam immanentem. Itaque Gregorius Nazianzenus Chriſtianos appellat [c] templum Dei viui, Chriſtique in ſpiritu habitaculum: idémque [d] nos ait eſſe *viua viuentis Dei templa, victimas viuas, holocauſta ratione prædita, ſacrificia perfecta, Deos denique Trinitatis adorata beneficio.* [c Orat. 1.] [d Orat. 25.] Quàm autem hoc honorificum, & glorioſum ſit, explicat Elias [e] Cretenſis. [e ad Orat. 1. Naz.] *Quantum autem* (ait) *& quale ſit Dei templum, atque ipſius domicilium eſſe, norunt qui diuino beneficio illud conſequuti ſunt. Nam ſi magnum eſt ſanctum templum ingredi, atque ad ſacra adyta penetrare, quanto tandem illud maius eſt Dei templum fieri?* Paulò autem pòſt explicat, quánam ratione quiuis noſtrum Dei templum fieri queat, *Quin nos quoque* (ait) *Dei templum exiſtemus, ſi improbam omnem cogitationem ex animo eiecimus, ſi mentis ſedem diabolicis operationibus clauſam, atque inuiam reddamus.* Et quidem Apoſtolus non obſcurè Spiritus ſancti diuinitatem declarat; dum ei templum deberi ſignificat. Obſeruat autem Chryſoſtomus non dixiſſe ſimpliciter, *Templum ſunt Spiritus ſancti;* ſed addidiſſe, *Qui in vobis eſt;* vt Corinthiorum animos erigat, ſignificans quàm benè de illis ſentiat. II. Addit Ambroſius interim moneri Corinthios, vt corpora ſeruent impolluta, quo Spiritum ſanctum inhabitantem retineant. Neque his contentus Apoſtolus addit, *Quem habetis à Deo.* Quibus verbis (vt monet Chryſoſtomus) illorum dignitatem extollit, vnáque deterret, tum muneris magnitudine, atque præſtantia, tum etiam largientis munificentia, atque liberalitate. Subbit: *Et non eſtis veſtri.* Quæ verba Chryſoſtomus perinde accipit, quaſi Apoſtolus quamdam bene viuendi neceſſitatem imponat. *Ne mihi* (inquit) *dixeris te tui eſſe iuris, ac libero arbitrio præditum, & idcircò poſſe quidquid tibi libuerit; etenim liberum tibi arbitrium non adimo, nec te libera eligendi poteſtate ſpolio; ſed id tantùm affirmo, iſtam tuam libertatem certis legibus eſſe aſtrictam; téque adeo Domini imperio penitus eſſe ſubiectum.* Et ne quis miretur, cur Apoſtolus noſtram liberam voluntatem alterius imperio dixerit eſſe ſubiectam; ſubdit.

EMPTI ENIM ESTIS PRETIO MAGNO, &c. 20.
Manifeſtum eſt (ait Ambroſius) *quia qui emptus eſt* I.
non eſt ſui arbitrij, ſed eius, à quo emptus eſt, vt non ſuam ſed illius faciat voluntatem. Theodoretus autem hæc ait, ab Apoſtolo opponi ſuperioribus, cùm dixit; *Omnia mihi licent;* docet enim, libertatem noſtram Dei legibus eſſe aſtrictam. Hæc autem omnis oratio ad inanes hominum voluntates coërcendas refertur. *Quid enim eſt illud* (ait Chryſoſtomus) *non eſtis veſtri? Et quid per id vult aſtruere? Vt nos muniat, & nobis caueat ne peccemus, neque ſequamur mala, & abſurda animi deſideria: multa enim volumus mala, & abſurda, ſed ea oportet arcere, & reprimere, nam poſſumus: ſi autem non poſſumus, ſupernacanea eſt admonitio. Vide ergo quomodò munierit, tutúmque reddiderit: nam cùm dixiſſet: non eſtis veſtri; non dicit, ſubiecti eſtis neceſſitati, ſed empti eſtis pretio.* Et paulò pòſt: *Illud autem; Empti eſtis pretio, noſtrum eſt proprium, & præcipuum. In memoriam enim reuocat magnitudinem beneficij, & modum ſalutis; oſtendens, quòd cùm eſſemus alienati, empti ſumus, & non abſolutè, ſed pretio.* Vnde rectè colligas, quod obſeruat Hieronymus, non licere nobis noſtro arbitratu viuere, ſed omnes vitæ noſtræ rationes ad illius voluntatem componendas,

A nendas, qui nos pretio emit. Neque verò quiſquam mirari debet, cur dictum ſit à Paulo, *Empti eſtis pretio*, cùm nihil abſque pretio emi poſſe videatur. Pertinet enim id ad emphaſim quandam, & ius dominantis amplificandum: ita etiam repetit capite ſequenti. *Pretio empti eſtis.* Latini codices habent, *Pretio magno*; itáque legit Romana editio; cùm tamen in Græcis ſimpliciter ſcriptum ſit, ἠγοράσθητε γὰρ τιμῆς, id eſt. *Empti eſtis pretio*: quomodò legunt Origenes[a], Chryſoſtomus[b], Ambroſius[c], Theophylactus. Et profectò non magnopere ad rem videtur ſpectare magnitudo pretij, cùm tantùm doceat Apoſtolus, non eſſe Corinthios penitùs ſui iuris, cùm empti pretio ſint, adeóque in illius ius, & poteſtatem tranſlati, à quo empti ſunt. addidit tamen *pretio magno*. id fortaſſe ſpectans, quod ait Petrus[d]: *Scientes* (ait) *quòd non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis; ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti.*

II. Hoc igitur poſito ſubdit, *Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.* Quæ (vt ait Chryſoſtomus) eò pertinent, *vt non corpore ſolùm fugiamus fornicationem, ſed etiam in ſpiritu animæ nihil mali cogitemus, neque gratiam abigamus.* Græci codices nō habent, *portate*; ſed tantùm legunt δοξάσατε, id eſt *glorificate*, ſeu (vt ait Ambroſius) *clarificate*. Addunt tamen Græci codices, quod Latini non habent ἐν τῷ πνεύματι ὑμῶν ἅ τινά ἐστι τοῦ Θεοῦ, hoc eſt: *& in ſpiritu veſtro quæ ſunt Dei.* Quomodò legunt Chryſoſtomus, & omnes Græci; qui propterea non modò corporis integritatem, & caſtimoniam commendari putant, ſed etiam animi candorem, ac ſinceritatem; vt corpore, & animo Dei quamdam imaginem præferamus. Etenim (vt aiunt Chryſoſtomus, & Theodoretus) & animarum, & corporum opifex, & creator Deus eſt, qui non ſolùm ea fecit, ſed etiam à diaboli poteſtate liberauit. *Oportet ergo* (ſubdit Theodoretus) *vos & per corpus, & per animam ipſum glorificare, illa & facientes, & dicentes, quæ omnes linguas ad laudandum, boniſque verbis proſequendum moueant.*

a Hom. 6. in Exod.
b Hom. 12. in hunc locum. & 15. in Matt.
c Tom. hic, tum lib. 2. de Cain, & Abel cap. 3. & lib. 2. Epiſt.
d 1. ep. 1. cap. 1.

Quamobrem videtur ille ſpiritum interpretari animam; quod etiam ſentit Chryſoſtomus, qui tamen addit, nonnullos exiſtimare ſpiritum idem valere quod gratiam, ſeu donum: *Nam ſi illud ſit apud nos Deus glorificatur; erit autem ſi habeamus cor mundum.* Sed prior explicatio mihi magis arridet. Alludit ad hunc locum Tertullianus[a]. *Quod ſciam* (inquit) *non ſumus noſtri, ſed pretio empti: & quali pretio? ſanguine Dei. lædentes igitur carnem iſtam eum lædimus.* Et alibi[b]. *Sic & cùm aliquas laudis operas carni indicit, Glorificate, inquit, & tollite Deum in corpore veſtro: certus & hos conatus ab anima agi, idcirco tamen & carni eos mandat, quia & illi fructum repromittit.* Sic etiam alibi[c]. *Quem coram toto mundo Chriſtus emit, immò & manumiſit.* Et paulò pòſt: *Sanguine empti, ſanguine numerati nullum nummum pro capite debemus, quia caput noſtrum Chriſtus eſt.* Ex hac autem totius capitis diſputatione ita ratiocinatur Chryſoſtomus. *Vide quomodo in Chriſto omnia abſoluit; quomodo nos in cœlum extulit. Membra eſtis Chriſti* (inquit) *templum eſtis ſpiritus; ne ſitis ergo membra meretricis: non enim corpus veſtrum probro afficitur, non eſt enim corpus veſtrum, ſed Chriſti.* Porro hæc omnia plurimùm valent ad diuinam in nos benignitatem declarandam, qui & nos à dæmonis poteſtate eripuerit, & ſibi miro modo coniunxerit; vt non ſimus ampliùs ſub diaboli tyrannide: ſed in bonis Dei; & (vt ita dicam) in patrimonio Chriſti. Et Ambroſius. *Manifeſtum eſt* (inquit) *quia qui emptus eſt, non eſt ſui arbitrij, ſed eius, à quo emptus eſt; vt non ſuam, ſed illius faciat voluntatem; & quia caro pretio empti ſumus, propenſius Domino noſtro ſeruire debemus; ne offenſus, à qua nos redemit, morti nos reddat.* Alioqui (vt Hieronymus addit) *emptionis pactum reſcindere videtur quiſquis conculcauerit ius teſtamenti, & à ſeruili conditione alienus eſt, qui libertate ſua voluntatis non impeditur*: hoc eſt (vt ego interpretor) qui eam diuinæ legis præceptis non penitus ſubiicit: hoc enim eſt (vt monet Ambroſius) glorificare, & portare Deum in corpore diuinæ legi, eiúſque præceptis obtemperare.

a li. 2. ad vxo. cap. 3.
b lib. de reſur. car. cap. 16.
c lib. de fuga in perſec. cap. 12.

Argumentum Cap. VII.

NONNVLLIS *quæſtionibus ſibi à Corinthiis propoſitis incipit reſpondere. Cœlibatum, ac virginitatem coniugio longè anteponit. Matrimonium, eiúſque vſum non modò permittit, ſed etiam ad vitandum ſcortationis, impuræque libidinis periculum magnoperè ſuadet: eo verò periculo ſublato cupere ſe ait, eſſe omnes ſimiles ſui. Coniugia fidelium cum infidelibus, ſi citrà creatoris contumeliam conſiſtere queant, dirimenda negat. Denique rebus omnibus moderatè vtendum docet, & ad humanarum rerum contemptum hortatur.*

CAPVT VII.

DE quibus autem ſcripſiſtis mihi: bonum eſt homini mulierem non tangere.

Propter fornicationem autem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquæque ſuum virum habeat.

vxori

PARAPHRASIS.

CÆTERVM, vt ad ea reſpondere incipiam, de quibus ad me per litteras ſcripſiſtis, equidem ſic primùm cenſeo, commodum ſanè, ac perhonorificum fore, ſi quis ea ſit animi conſtantia, & corporis integritate, vt omni prorſus abiecta coniugis conſuetudine, caſtimoniam ſibi perpetuò, ac virginitatem vxore conſentiente, colendam ducat; vt vel hinc appareat, eos mortalium fœliciſſimos eſſe cenſendos, qui à nuptiis, & venereis voluptatibus penitùs abſtinent. 1.
¶ Verùm, vt humanæ imbecillitatis, veſtríque periculi probè conſcius, ne quis impuro ſcelere contaminetur, auctor ſum vobis, vt ſuam 2.
quiſque

quiſque vxorem,& proprium quæque fœmina vi-
rum ad honeſtum coniugij. vſum ſanctè retineat,
3. & opportuno tempore adhibeat. ¶ Porrò vir vxori
debitam beneuolentiam exhibeat , reliquáque
coniugij munera præſtet ,quæ iure à viro exigun-
tur; nec abſimili ratione viciſſim vxor viro ea ne
deneget, quæ connubij lege iure optimo debet.
4. ¶ Sanè quidem vxor proprium corpus in ſua ip-
ſius poteſtate non habet, ſed ex nuptiarum ini-
to fœdere, illud viro penitùs permiſit ; contrà
vir ſui item corporis poteſtate ſpoliatus , eam
5. omnem vxori conceſſit. ¶ Videte igitur etiam,
atque etiam,ne alius alium ſuo iure fraudetis, niſi
fortè communi conſenſu ad aliquod certum tem-
pus tantiſper ab vſu coniugij abſtinendum cen-
ſeatis,dum ieiuuio ac precibus vacetis, rurſum ta-
men liberis operam daturi,ne ſatanas vos in frau-
dem inducat ab incontinentia, atque impotentia
6. veſtra,arrepta occaſione. ¶ Hæc autẽ non perinde
accipi volo, quaſi hanc vobis legem neceſſariò
imponam : neque enim hæc ego ex animo præci-
pienda duco ; ſed humanæ conditionis memor ad
grauiora mala vitanda , hoc vobis vtcumque per-
7. mittendum cenſeo. ¶ Nam ego quidem ſi ex ani-
mi mei ſententia fingendi mihi homines eſſent ;
omnes planè mortales mei ſimiles eſſe optarim;
ſed video non idem omnes poſſe,ſed vnumquem-
que proprium , ac ſuum à Deo munus accepiſſe
aliud ſanè , atque aliud ; adeo vt hic quidem hoc
modo,ille verò ſecus,& longè alia quapiam ratio-
8. ne comparatus ſit, & animo conſtitutus. ¶ Itaque
ſi meam requiritis ſententiam, coniugij quidem
expertibus , & iis , qui nuptiarum fœdere ſoluti
ſunt ſuadeo , quod bonum illis, atque vtile fore
non dubito , vt eam viuendi rationem comple-
9. ctantur,quam ego iam pridem profiteor. ¶ Quòd
ſi cupiditatum æſtu,atque impotenti libidine vin-
cuntur, nec voluptatum illecebris deliniti , caſtè,
atque integrè ſe viuere poſſe ſperant ; me quidem
auctore matrimonio iungantur ; ſatius enim mul-
to eſt legitimum inire coniugium , quàm libidinis
ardore ita exuri , vt te voluptati conſtringendum
10. præbeas. ¶ Iis autem, qui nuptiarum fœdere ob-
ſtricti tenentur , non mea tantùm ſententia , ſed
Domini ipſius præcepto denuntio, vt ſanctitatem
connubij ad extremum vſque vitæ ſpiritum per-
petuò colant,neque vxor à viro ſibi vnquam rece-
dendum putet,aut vir ſibi fas eſſe perſuadeat,vxo-
11. ri nuntium remittere. ¶ Quòd ſi (vt ferè fit),diſ-
ſidij,& diſſenſionis aliqua exiſtat cauſa adeo gra-
uis,vt femina virum ſibi deſerendum cenſeat ; id
ſibi velim perſuadeat,alterum è duobus neceſſa-
riò eligendum , vt aut abſque connubio cælibem
vitam ducat,aut cum viro redeat in gratiam. Vir
autem intelligat , non eſſe vxorem facilè dimit-
12. tendam. ¶ Cæteris autem ego quidem meam
aperio ſententiam,quamuis ea de re nihil prorſus
Chriſtus Dominus apertè , nominatimque præ-
ſcripſerit ; ſi quis ex fratribus vxorem habet infi-
delem, illa verò ſponte ſua eius conſuetudinẽ , &

Vxori vir debitum reddat, ſimiliter autem & vxor viro.

Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.

Nolite fraudare inuicem, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi : & iterum reuertimini in id ipſum, ne tentet vos ſatanas propter incontinentiam veſtram.

Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm imperium.

Volo enim , omnes vos eſſe ſicut me ipſum: ſed vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius verò ſic.

Dico autem non nuptis, & viduis: bonum eſt illis ſi ſic permaneant, ſicut & ego.

Quòd ſi non ſe continẽt , nubant : melius eſt enim nubere quàm vri.

Iis autem, qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego , ſed Dominus , vxorem à viro non diſcedere.

Quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat.

Nam cæteris ego dico, non Dominus : ſi quis frater vxorem habet infidelem , & hæc conſentit habitare cum illo , non dimittat illam.

nendas, qui nos pretio emit. Neque verò quiſquam mirari debet, cur dictum ſit à Paulo, *Empti eſtis pretio*, cùm nihil abſque pretio emi poſſe videatur. Pertinet enim id ad emphaſim quandam, & ius dominantis amplificandum: ita etiam repetit capite ſequenti. *Pretio empti eſtis*. Latini codices habent, *Pretio magno*; itáque legit Romana editio; cùm tamen in Græcis ſimpliciter ſcriptum ſit, ἠγοράσθητε γὰρ τιμῆς, id eſt. *Empti eſtis pretio*: quomodò legunt Origenes[a], Chryſoſtomus[b], Ambroſius[c], Theophylactus. Et profectò non magnopere ad rem videtur ſpectare magnitudo pretij, cùm tantùm doceat Apoſtolus, non eſſe Corinthios penitùs ſui iuris, cùm empti pretio ſint, adeóque in illius ius, & poteſtatem tranſlati, à quo empti ſunt. addidit tamen *pretio magno*. id fortaſſe ſpectans, quod ait Petrus[d]: *Scientes* (ait) *quòd non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis; ſed pretioſo ſanguine quaſi agni im-*

a Hom. 6. in Exod.
b Hom. 18. in hunc locum. & 55. in Matt.
c Tum hic, tum lib. 2. de Caim, & Abel cap. 3. & lib. 2. Epiſt.
d ep. 1. cap. 1.

II. *maculati Chriſti*. Hoc igitur poſito ſubdit, *Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro*. Quæ (vt ait Chryſoſtomus) eò pertinent, *vt non corpore ſolùm fugiamus fornicationem, ſed etiam in ſpiritu animæ nihil mali cogitemus, neque gratiam abigamus*. Græci codices nō habent, *portate*; ſed tantùm legunt δοξάσατε, id eſt *glorificate*, ſeu (vt ait Ambroſius) *clarificate*. Addunt tamen Græci codices, quod Latini non habent ἐν τῷ πνεύματι ὑμῶν ἅτινά ἐστι τοῦ Θεοῦ, hoc eſt: *& in ſpiritu veſtro quæ ſunt Dei*. Quomodò legunt Chryſoſtomus, & omnes Græci; qui propterea non modò corporis integritatem, & caſtimoniam commendari putant, ſed etiam animi candorem, ac ſinceritatem; vt corpore, & animo Dei quamdam imaginem præferamus. Etenim (vt aiunt Chryſoſtomus, & Theodoretus) & animarum, & corporum opifex, & creator Deus eſt, qui non ſolùm ea fecit, ſed etiam à diaboli poteſtate liberauit. *Oportet ergo* (ſubdit Theodoretus) *vos & per corpus, & per animam ipſum glorificare, illa & facientes, & dicentes, quæ omnes linguas ad laudandum, boniſque verbis proſequendum moueant.*

A Quamobrem videtur ille ſpiritum interpretari animam; quod etiam ſentit Chryſoſtomus, qui tamen addit, nonnullos exiſtimare ſpiritum idem valere quod gratiam, ſeu donum: *Nam ſi illud ſit apud nos Deus glorificatur; erit autem ſi habeamus cor mundum*. Sed prior explicatio mihi magis arridet. Alludit ad hunc locum Tertullianus[a]. *Quod ſciam* (inquit) *non ſumus noſtri, ſed pretio empti: & quali pretio? ſanguine Dei. lædentes igitur carnem iſtam eum lædimus*. Et alibi[b]. *Sic & cùm aliquas laudis operas carni indicit, Glorificate, inquit, & tollite Deum in corpore veſtro: certus & hos conatus ab anima agi, idcirco tamen & carni eos mandat, quia & illi fructum repromittit*. Sic etiam alibi[c]. *Quem coram toto mundo Chriſtus emit, immò & manumiſit*. Et paulò pòſt: *Sanguine empti, ſanguine numerati nullum nummum pro capite debemus, quia*

a lib. 2. ad vxor. cap. 3.
b lib. de reſur. car. cap. 16.
c lib. de fuga in perſec. ca. 12.

B *caput noſtrum Chriſtus eſt*. Ex hac autem totius capitis diſputatione ita ratiocinatur Chryſoſtomus. *Vide quomodo in Chriſto omnia abſoluit; quomodo nos in cælum extulit. Membra eſtis Chriſti* (inquit) *templum eſtis ſpiritus; ne ſitis ergo membra meretricis: non enim corpus veſtrum probro afficitur, non eſt enim corpus veſtrum, ſed Chriſti*. Porro hæc omnia plurimùm valent ad diuinam in nos benignitatem declarandam, qui & nos à dæmonis poteſtate eripuerit, & ſibi miro modo coniunxerit; vt non ſimus ampliùs ſub diaboli tyrannide: ſed in bonis Dei, & (vt ita dicam) in patrimonio Chriſti. Et Ambroſius. *Manifeſtum eſt* (inquit) *quia qui emptus eſt, non eſt ſui arbitrij, ſed eius, à quo emptus eſt; vt non ſuam, ſed illius faciat vo-*
C *luntatem; & quia caro pretio empti ſumus, propenſius Domino noſtro ſeruire debemus; ne offenſus, à qua nos redemit, morti nos reddat*. Alioqui (vt Hieronymus addit) *emptionis pactum reſcindere videtur quiſquis conculcauerit ius teſtamenti, & à ſeruili conditione alienus eſt, qui libertate ſua voluntatis non impeditur*: hoc eſt (vt ego interpretor) qui eam diuinæ legis præceptis non penitus ſubiicit: hoc enim eſt (vt monet Ambroſius) glorificare, & portare Deum in corpore diuinæ legi, eiúſque præceptis obtemperare.

Argumentum Cap. VII.

*N*ONNVLLIS *quæſtionibus ſibi à Corinthiis propoſitis incipit reſpondere. Cælibatum, ac virginitatem coniugio longè anteponit. Matrimonium, eiúſque vſum non modò permittit, ſed etiam ad vitandum ſcortationis, impuræque libidinis periculum magnoperè ſuadet: eo verò periculo ſublato cupere ſe ait, eſſe omnes ſimiles ſui. Coniugia fidelium cum infidelibus, ſi citrà creatoris contumeliam conſiſtere queant, dirimenda negat. Denique rebus omnibus moderatè vtendum docet, & ad humanarum rerum contemptum hortatur.*

CAPVT VII.

DE quibus autem ſcripſiſtis mihi: bonum eſt homini mulierem non tangere.

Propter fornicationem autem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquæque ſuum virum habeat.

vxori

PARAPHRASIS.

1. CÆTERVM, vt ad ea reſpondere incipiam, de quibus ad me per litteras ſcripſiſtis, equidem ſic primùm cenſeo, commodum ſanè, ac perhonorificum fore, ſi quis ea ſit animi conſtantia, & corporis integritate, vt omni prorſus abiecta coniugis conſuetudine, caſtimoniam ſibi perpetuò, ac virginitatem vxore conſentiente, colendam ducat; vt vel hinc appareat, eos mortalium fœliciſſimos eſſe cenſendos, qui à nuptiis, & venereis voluptatibus penitùs abſtinent.
2. ¶ Verùm, vt humanæ imbecillitatis, veſtríque periculi probè conſcius, ne quis impuro ſcelere contaminetur, auctor ſum vobis, vt ſuam

quiſque

quiſque vxorem,& proprium quæque fœmina vi-
rum ad honeſtum coniugij vſum ſanctè retineat,
3. & opportuno tempore adhibeat.¶ Porrò vir vxori
debitam beneuolentiam exhibeat , reliquáque
coniugij munera præſter ,quæ iure à viro exigun-
tur ; nec abſimili ratione viciſſim vxor viro ea ne
deneget, quæ connubij lege iure optimo debet.
4. ¶ Sanè quidem vxor proprium corpus in ſua ip-
ſius poteſtate non habet, ſed ex nuptiarum ini-
to fœdere , illud viro penitùs permiſit ; contrà
vir ſui item corporis poteſtate ſpoliatus , eam
5. omnem vxori conceſſit. ¶ Videte igitur etiam,
atque etiam,ne alius alium ſuo iure fraudetis, niſi
fortè communi conſenſu ad aliquod certum tem-
pus tantiſper ab vſu coniugij abſtinendum cen-
ſeatis,dum ieiunio ac precibus vacetis, rurſum ta-
men liberis operam daturi,ne ſatanas vos in frau-
dem inducat ab incontinentia, atque impotentia
6. veſtra,arrepta occaſione. ¶ Hæc autē non perinde
accipi volo, quaſi hanc vobis legem neceſſariò
imponam : neque enim hæc ego ex animo præci-
pienda duco ; ſed humanæ conditionis memor ad
grauiora mala vitanda , hoc vobis vtcumque per-
7. mittendum cenſeo. ¶ Nam ego quidem ſi ex ani-
mi mei ſententia fingendi mihi homines eſſent ;
omnes planè mortales mei ſimiles eſſe optarim;
ſed video non idem omnes poſſe,ſed vnumquem-
que proprium , ac ſuum à Deo munus accepiſſe
aliud ſanè , atque aliud ; adeo vt hic quidem hoc
modo,ille verò ſecus,& longè alia quapiam ratio-
8. ne comparatus ſit, & animo conſtitutus. ¶ Itaque
ſi meam requiritis ſententiam, coniugij quidem
expertibus , & iis , qui nuptiarum fœdere ſoluti
ſunt ſuadeo , quod bonum illis , atque vtile fore
non dubito , vt eam viuendi rationem comple-
9. ctantur,quam ego iam pridem profiteor. ¶ Quòd
ſi cupiditatum æſtu,atque impotenti libidine vin-
cuntur, nec voluptatum illecebris deliniti , caſtè,
atque integrè ſe viuere poſſe ſperant ; me quidem
auctore matrimonio iungantur ; ſatius enim mul-
to eſt legitimum inire coniugium , quàm libidinis
ardore ita exuri , vt te voluptati conſtringendum
10. præbeas. ¶ Iis autem, qui nuptiarum fœdere ob-
ſtricti tenentur , non mea tantùm ſententia , ſed
Domini ipſius præcepto denuntio, vt ſanctitatem
connubij ad extremum vſque vitæ ſpiritum per-
petuò colant,neque vxor à viro ſibi vnquam rece-
dendum putet,aut vir ſibi fas eſſe perſuadeat,vxo-
11. ri nuntium remittere. ¶ Quòd ſi (vt ferè fit),diſ-
ſidij,& diſſenſionis aliqua exiſtat cauſa adeo gra-
uis,vt femina virum ſibi deſerendum cenſeat ; id
ſibi velim perſuadeat,alterum è duobus neceſſa-
riò eligendum , vt aut abſque connubio cælibem
vitam ducat,aut cum viro redeat in gratiam. Vir
autem intelligat , non eſſe vxorem facilè dimit-
12. tendam. ¶ Cæteris autem ego quidem meam
aperio ſententiam,quamuis ea de re nihil prorſus
Chriſtus Dominus apertè , nominatimque præ-
ſcripſerit ; ſi quis ex fratribus vxorem habet infi-
delem, illa verò ſponte ſua eius conſuetudinē , &

Vxori vir debitum reddat, ſimiliter autem & vxor viro.

Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet,ſed mulier.

Nolite fraudare inuicem,niſi fortè ex conſenſu ad tempus,vt vacetis orationi : & iterum reuertimini in id ipſum,ne tentet vos ſatanas propter incontinentiam veſtram.

Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundùm imperium.

Volo enim , omnes vos eſſe ſicut me ipſum: ſed vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo,alius quidem ſic,alius verò ſic.

Dico autem non nuptis,& viduis:bonum eſt illis ſi ſic permaneant, ſicut & ego.

Quòd ſi non ſe continēt , nubant : melius eſt enim nubere quàm vri.

Iis autem, qui matrimonio iuncti ſunt,præcipio non ego , ſed Dominus , vxorem à viro non diſcedere.

Quòd ſi diſceſſerit,manere innuptam,aut viro ſuo reconciliari.Et vir vxorem non dimittat.

Nam cæteris ego dico,non Dominus : ſi quis frater vxorem habet infidelem , & hæc conſentit habitare cum illo , non dimittat illam.

conuictum amat, & pacificè, amicéque cum illo
viuit, nullámque creatori contumeliam facit, ne

Et ſi qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum.

illam vllo modo repudiet. ¶ Viciſſim autem fe- 13.
mina, quæ vito infideli nupta eſt, qui tamen ſuas
nuptias non renuit, cæteráque coniugis officia
beneuolè præſtat, ne illum deſerat, aut ab eius cō-

Sanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem: & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filij veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt.

iugio vllo pacto recedat.. ¶ Sic enim habetote, 14.
eiuſmodi coniugia nullo modo cenſenda eſſe im-
pura, ſed eorum vſum alterius coniugis ſanctita-
te perpurgari, fieríque ſanctitatis eiuſdem quo-
dammodò participem, ipſúmque adeo infidelem
ad veram iuſtitiam, ac ſanctitatem percipiendam
paulatim aptari; nam ſi ſecus eſſet, & huiuſmodi
coniugia illegitima cēſerentur, liberi veſtri impuri
eſſent; hoc eſt adulterini, vel alieni à vera ſanctita-
te, quæ baptiſmo percipitur, cùm tamen re vera
ſancti, ideſt legitimi, & iure baptiſmo luſtrandi.

Quòd ſi infidelis diſcedit, diſcedat: non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater, aut ſoror in huiuſmodi, in pace autem vocauit nos Deus.

¶ Quòd ſi is qui minimè fidelis eſt, à fideli con- 15.
iuge recedere velit, neque vnà cum fideli vitam
degere, diſcedat ſanè: frater & ſoror huiuſmodi in
rebus ſeruituti ſubiecti non ſunt; vt cogantur infi-
deliū impietatem ſequi, aut Creatoris contumeliā
ſuſtinere, aut alia quapiam ratione cum ſuæ ſalutis
diſcrimine prioris connubij iura retinere. Verùm
ad pacificam, & tranquillam vitam vocauit nos
Deus, quæ nulla eſſe poteſt, vbi inter fidelem, at-
que infidelem alienatio voluntatum intercedit.

Vnde enim ſcis mulier, ſi virum ſaluum facies? Aut vnde ſcis vir, ſi mulierem ſaluam facies?

¶ Ecquid enim noſti, ô vxor, an virum tuis mori- 16.
bus, atque exemplis poſſis aliquando ad ſalutem
ſempiternam perducere? aut vir, ecquid potes ali-
qua ratione diuinare, an vxori tuæ poſſis aliquan-
do, aut conſilio, aut vitæ exemplo ſalutem affer-

Niſi vnicuique ſicut diuiſit Dominus, vnūquemque ſicut vocauit Deus, ita ambulet, & ſicut in omnibus Eccleſiis doceo.

re; an non? ¶ Id quidem certum, atque explora- 17.
tum eſt, diuino munere vnumquemque certo
vitæ generi addictum muneribus ad id pertinen-
tibus, pro diuina liberalitate idoneè eſſe inſtructū;
id verò reſtat vnum, vt qualem vnumquemque
voluerit eſſe Deus, talem ſe quiſque exhibeat, di-
uinæque vocationi pro virili reſpondeat. Hæc
eſt ea doctrina, quam omnibus Eccleſiis trado.

Circumciſus aliquis vocatus eſt? non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus eſt? non circumdatur.

¶ Circumciſus aliquis ad Chriſtum vocatus eſt? 18.
Ne rurſum attrahat, aut ſuperducat præputium;
quaſi ſuæ illum ſortis, aut conditionis pœniteat;
& contrà vocatus eſt aliquis adhuc præputio præ-
ditus, circumciſionem nullo modo admittat; &

Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſeruatio mandatorum Dei.

Iudaicos ritus, ac cæremonias conſectetur. ¶ Nam 19.
(vt ſemel dicam) circumciſio, quæ manibus ho-
minum corporeis membris adhibetur, nihil eſt;
hoc eſt, per ſe ipſa ſpectata res eſt indifferēs; nul-
lámque vim habet ad gratiam, & gloriam conſe-
quendam; nullius item momenti eſt præputium:
hoc eſt, ſiue ex Iudæis quis, ſiue ex gentilibus con-
uertatur ad Chriſtum, nihil penitus refert; ſed
magnificienda eſt præceptorum Dei obſeruatio.

Vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat.

¶ Porro vnuſquiſque ſuo ſit gradu contentus, in 20.
eáque vocatione permaneat, in qua vocatus eſt;
neque ſuam conditionem deteſtetur, quaſi minùs
aliquid conſecutus ſit, quàm cæteri, aut pauciora
habeat ad gratiam, & iuſtitiam aſſequenda adiu-

Seruus vocatus es? non ſit tibi curæ: ſed & ſi potes

menta. ¶ Seruitutem ſeruiens vocatus es? noli 21.
ea de

ea de re anxiè ſollicitus eſſe, quaſi ea ſit Chriſtianis
indigna cōditio: ſed eo te potiùs ſolare, quod à mi-
ſera peccati, ac mortis ſeruitute ſis per Chriſtū ma-
numiſſus, quamuis in hac vita ſeruias quādiu Deo
viſum fuerit. Quare etiā ſi poſſis liber fieri, illo tuo
ſtatu contentus eſto, & ad tuā ſpiritualem vtilitatē
vtere. ¶ Etenim ſic vobis perſuaſū eſſe debet, qui-
22. cumque conditione ſeruili Chriſto nomē dederit,
libertū eſſe Domini. Et perſimili ratione qui cùm
eſſet ingenuus Chriſtiana ſacra ſuſcepit, Chriſti
Domini ſeruum eſſe. ¶ Pretio quippe emptos vos
23. eſſe, & paulò antè dixi, & nunc libens itero. Nolite,
quæſo, cuipiam mortaliū impiam ſeruitutē ſeruire:
id eſt nulli prorſus praua iubenti obtemperate, ſed
oſtendite, vos maiori, ac diuiniori Chriſti imperio
parere, qui vos ſibi ſui ſanguinis pretio ſeruos
comparauit. ¶ Hæc igitur ſit huius diſputationis
24. claułula. Suam vnuſquiſque conditionem, & ſta-
tum agnoſcat, planéque intelligat, nullum eſſe ho-
minum genus, cui beneficio Chriſti non pateat
aditus ad ſalutem. Perinde igitur ac miles coram
duce ſtationem ſeruare ſolet, ſic vos apud Deum
eſtote: conſtantes in eo quiſque vitæ genere, cui
vos ille deſtinauit, perpetuò ſcilicet memores, vos
in eius conſpectu continenter verſari, ab eóque
cæleſtia, atque immortalia bona expectare, qua-
25. cumque tandem conditione ſitis. ¶ De virginibus
autem præceptum quidem Domini quod impo-
nam, nullum habeo; ea tamen de re meam vobis
ſententiam, conſiliúmque aperiam: quippe Chriſti
beneficio aſſequutus videor, vt quamquam mor-
tali conditione & natus ſum, & viuo, dignus tamen
videar, quamdiu munere Apoſtolico fungor, cui
26. iure optimo habenda ſit fides. ¶ Exiſtimo igitur
cælibem vitam eſſe in primis commodam, & op-
portunam propter neceſſitatem, qua ſancti aſſiduè
vrgeri ſolent, qui perpetua agitatione iactati, ſic
prorſus fluctuant, vt eorum miſera conditio mini-
mè videatur ad coniugium accommodata, ſiue
propter moleſtias, atque ærumnas, quæ nuptias
comitari ſolent; ſiue denique propter huius vitæ
miſeram conditionem, & breuitatem, quæ nos ad
cæleſtia meditanda, ſedulóque expetenda, horta-
tur: itaque cælebs vita multis nominibus videtur
27. eſſe coniugio præferenda. ¶ Atqui vxori addictus
es & iure coniugij obſtrictus? Ne quæras diuor-
tium: contrà; cælebs adhuc es, nullóque nuptiali
fœdere obligatus? noli vxorem appetere, & coniu-
28. gij leges ſubire. ¶ Quòd ſi etiam vxorem duxeris,
non tu quidem peccaſti, quomodò non peccauerit
etiam virgo, ſi nupſerit: hoc tamen affirmare poſ-
ſum, eos, qui matrimonij iugo colla ſubdiderint,
carnis afflictionem, ac plurimas, eáſque grauiſſi-
mas moleſtias toleraturos. Ego verò imbecillitati
veſtræ conſultum maximè cupio, vt propterea
29. præoptem, vos coniugio minimè indigere. ¶ Iam
verò quoniam tempus eo adductum eſt, vt prope-
modum finis omnium immineat, & quæ futura
ſunt iam propè cernantur oculis; id vnum moneo,
vt qui vxoribus copulati ſunt, perinde ſe gerant,
atque

potes fieri liber, magis vtere.

Qui enim in Domino vocatus eſt ſeruus, libertus eſt Domini: ſimiliter qui liber vocatus eſt, ſeruus eſt Chriſti.

Pretio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum.

Vnuſquiſque in quo vocatus eſt, fratres, in hoc pemaneat apud Deum.

De virginibus autem præceptum Domini non habeo: conſilium autem do, tanquàm miſericordiam conſecutus à Domino, vt ſim fidelis.

Exiſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe.

Alligatus es vxori? noli quærere ſolutionem. ſolutus es ab vxore? noli quærere vxorem.

Si autem acceperis vxorem, non peccaſti: & ſi nupſerit virgo, non peccauit. tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi. Ego autem vobis parco.

Hoc itaque dico, fratres tempus breue eſt, reliquum eſt, vt & qui habent vxores, tanquàm non habentes ſint.

Et qui flent, tanquàm non flentes: & qui gaudent, tanquàm non gaudentes: & qui emunt, tanquàm non poſsidentes.

Et qui vtuntur hoc mundo, tanquàm non vtantur: præterit enim figura huius mũdi.

Volo autem vos ſine ſolicitudine eſſe. qui ſine vxore eſt ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo.

Qui autem cum vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt.

Et mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.

Porro hoc ad vtilitatem veſtram dico: non vt laqueum vobis iniiciam, ſed ad id, quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi.

Siquis autem turpem ſe videri exiſtimat ſuper virgine ſua, quod ſit ſuperadulta, & ita oportet fieri; quod vult faciat: non peccat ſi nubat.

Nam qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſsitatem, poteſtatem autem habẽs ſuæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde ſuo, ſeruare virginem ſuam, bene facit.

Igitur & qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit; & qui non iungit, meliùs facit.

Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir eius viuit: quòd ſi dormierit vir eius, liberata eſt: cui vult nubat: tantùm in Domino.

Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundùm meum conſilium: puto autem, quòd & ego ſpiritum Dei habeam.

atque ſi eis omnino carerent; hoc eſt iis non ita
adhæreant, perinde quaſi earum coniunctio perpetua
futura ſit, nec patiantur ſe earum cauſa his
caducis, mortalibúſque rebus penitus implicari,
aut plus æquo voluptatibus indulgeant. ¶ Et qui 30.
premuntur aduerſis, non aliter ſint animo conſtituti,
ac ſi nihil mali perferrent: qui verò rebus ſecundis
vtuntur, ne inſolenti gaudio exultent, ſed
moderationẽ animi præſeferant: qui mercimoniis
vacant, vt rem familiarem augeant, ita viuant,
quaſi nihil obtineant. ¶ Et qui vtuntur hoc mun- 31.
do, rebúſque creatis oblectantur, ne perperam, aut
præpoſterè iis ad pompam, & luxum abutantur;
præterit enim huius (vt ita dicam) mundi forma,
ſpecie quidem blanda, ſed re ipſa multas ob cauſas
repudianda. ¶ Opto autem, vos (fratres) abſ- 32.
que ſollicitudine eſſe. Porro qui cælibem vitam
agit, cœleſtia, ac diuina meditatur, ſedulóque inuigilat,
atque omni animi contentione laborat, vt
ſeſe Deo probet, eíque vni tantummodò placeat.
¶ Qui verò nuptias celebrauit, cõnubij iure quo- 33.
dammodo compellitur ea curare, atque agere,
quæ ad hanc mortalem vitam pertinent, idque
potiſſimùm ſpectat, vt vxori ſatisfaciat, cui placere
cupit: atque ita in varias partes, ac diuerſas curas,
& cogitationes diſtrahitur. ¶ Multùm autem 34.
intereſt inter fœminam iam viro nuptam, & virginem
nuptiarum expertem. Nam hæc quidem ea
curat, quæ Domino grata ſunt, dátque operam, vt
ſanctitatem, tum corpore, tum animo aſſequatur:
illa verò curat ea, quæ ſunt mundi, in eóque plurimùm
laborat, vt placeat viro. ¶ Ego verò ob 35.
hanc potiſſimùm cauſam hæc ad vos ſcribo, vt
quid vobis conducat, perſpicuè oſtendam, & quaſi
ob oculos ponam; non vt offendiculum, aut laqueum
vobis iniiciam; ſed vt indicem quánam ratione
honeſtè, & aptè cæteris omnibus curis, ac
ſollicitudinibus abiectis, vni Domino adhæreſcatis.
¶ Cæterùm ſi quis turpe ſibi, atque indeco- 36.
rum putat, ſi virgo domi ſuæ conſeneſcat, & florem
ætatis perdat, periculum autem ſcortationis
vitandæ, cogat eam connubio iungere, agat ſanè,
vt libet; nec enim propterea peccat, ſed tutò poteſt
illam viro tradere. ¶ Qui verò ſtatutũ, ac de- 37.
liberatum cum animo ſuo habet, quíque nulla adactus
neceſſitate, nullóque puellæ periculo compulſus,
liberè poteſt ſuo arbitratu, quod maluerit
conſilium de filia capere, & virginem vult eam
ſeruare, vt apud ſe pridem ſtatuerat, omnino benè
facit. ¶ Itaque (vt paucis concludam) qui filiam 38.
matrimonio locat, bene facit; qui verò eius virginitatem
integram, atque illæſam eſſe vult, longè
proculdubio meliùs facit. ¶ Porro vxor lege con- 39.
nubij tamdiu tenetur, quamdiu vir ipſius eſt ſuperſtes.
Si ille diem obierit, ipſa lege ſoluta liberè
poteſt nubere cui libuerit, modò vt in Domino
nubat. ¶ Multò tamen fœlicior erit (mea quidem 40.
ſententia) ſi cælebs, & ſecundi cõiugij expers permanſerit:
puto autem me quoque non aliter, atque
alios Apoſtolos diuino ſpiritu præditum eſſe.

IN

IN CAPVT SEPTIMVM EXPLANATIO.

1. I. DE QVIBVS AVTEM SCRIPSISTIS MIHI, &c. Quæſierant Corinthij (vt ait Theodoretus) an oporteret eos, qui legitimo connubio iuncti eſſent, vbi baptiſmo percepto nomina Chriſto dediſſent, ab eius vſu penitus abſtinere: vel (vt ait Chryſoſtomus) an fœminæ congreſſus penitus eſſet Chriſtiano viro repudiandus. Atqui hoc toto capite tres Apoſtolus quæſtiones tractat, quæ videri poſſunt à Corinthiis propoſitæ. Prima eſt de vſu coniugij; altera de iis, qui cum infidelibus olim connubia contraxerant, tertia de virginitate. Iam primam quæſtionem aggreditur. *De quibus* (inquit) *ſcripſiſtis mihi.* Subaudiendum eſt, reſpondeo, vel ita ſentio, vel aliquid ſimile. Ambroſius autem putat, hanc primam quæſtionem excitatam fuiſſe à pſeudoapoſtolis, qui nuptias per hypocriſim, vt puriores cæteris viderentur, ſpernendas docebant. Vtut ſit, quæſierunt Corinthij quid Apoſtolus de vſu coniugij inter Chriſtianos ſentiret: ille autem reſpondet: *Bonum eſt homini mulierem non tangere.* Græcè ſcriptum eſt, καλὸν: Hieronymus [a] ſic interpretatur, perinde quaſi in eo bonorum genere collocetur, quæ non niſi vitio opponuntur. Hinc enim argumentatur, malum eſſe attingere mulierem, vt ſi quis diceret bona eſt temperantia, ergo intemperantia, mala. *Si bonum* (inquit) *eſt non tangere vxorem, malum igitur eſt tangere, cum bono malum ſit contrarium.* Atqui id cùm acerbius dicitur, tum non omnino verè. Nam Auguſtinus [b] ex Philoſophorum ſententia non negat, inter bonum, & malum intercipi quædam media, quæ indifferentia dicuntur; quæque benè, ac malè vſurpari poſſunt: niſi fortaſſe quis (quod ipſe Hieronymus alicubi affirmat) interpretetur bonum quidem commodum, atque vtile, malum autem incommodum; vt quoniam Paulus dixit, commodum, atque vtile eſſe non attingere vxorem; colligat Hieronymus contrarium eſſe incommodum, & inutile, non autem vitium, aut peccatum. Itaque Hieronymus [c] ipſe, ſycophantas ait eſſe illos, qui ſe dicerent nuptias damnaſſe; neque enim quidquid malum dicitur, & opponitur vtili, continuò peccatum eſt. Nec deſunt qui bonum Hebræorum more, pro comparatiuo poſitum putent; quaſi dicat, melius eſt, id eſt, commodius, vtilius, laudabilius mulierem non tangere. Sic Chriſtus apud Matthæum [d]. *Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille*, hoc eſt, melius, quaſi dicat, præſtitiſſet non naſci. Et Dauid [e]: *Bonum eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine.* Et apud Lucam [f], vbi noſter interpres dixit, *Optimam partem*, Græcè ſcriptum eſt τὴν καλὴν μερίδα, *bonam partem*, quaſi dicat, meliorem.
II. Verùm quoniam nihil ſequitur, cum quo fiat comparatio (quamquam poteſt contrarium ſubintelligi) veroſimilius videtur quod ait Chryſoſtomus, ſimpliciter affirmare Apoſtolum, commodum, ac laudabile eſſe vſu coniugij abſtinere, idque vniuerſim de toto hominum genere, ne quis de ſolis ſacerdotibus accipiat. Nam etiam inter philoſophos multa in vtramque partem de vxore ducenda diſputata ſunt, nec defuerunt qui plurimis, firmiſſimiſque rationibus nuptias diſſuaderent. Extat enim ſapientis cuiuſdam ſententia in hæc [g] verba: *Mulier viri naufragium eſt,*

a l. 1. cont. Iouin. & in Apolog.
b epiſt. 89.
c in Apolog. pro libris cõt. Iouin.
d cap. 26. 24.
e Pſal. 117. 8.
f cap. 10. 24.
g Stob. ſer. 66.

A *domus tempeſtas, quietis impedimentum, vitæ captiuitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, ſumptuoſum bellum, bellua conuiua, ſolicitudo confidens, leæna complectens, exornata Scylla, animal malitioſum, malum neceſſarium.* Quod autem ait, *mulierem*, Hieronymus [a] alicubi tranſtulit *vxorem*; non ſolùm enim ambiguitas Græcæ vocis γυναικὸς id patitur, ſed hoc loco, vt arbitror, etiam poſtulat: agit enim Apoſtolus de maritis, quibus ait vtile eſſe vxores non tangere. Græcè ἅπτεσθαι, quaſi dicat negotium, ſeu commercium habere. Ita enim apertè loquitur Xyſtus [b]: *Quo ergo* (ait) *tactu hominem mulierem non attingere bonum eſt? Publico, an communi, quo aut codicem, aut tabulas, aut aliquid neceſſitatis cauſa contingimus? Non credo, ſed ſecundum vſum coniugij: nam, vt puto, & ſimplici tactu*
B *fœminas, & Chriſtus, & eius Apoſtoli, & ſanctorum quique tetigerunt.* Qua in re videtur Hieronymus [c] aduerſus Iouinianum acriùs vrgere, quàm Pauli ſententia patiatur, dum ex hoc loco probare nititur etiam in mulieris contactu periculum eſſe. *Non dixit* (inquit) *bonum eſt vxorem non habere, ſed bonum eſt mulierem non tangere, quaſi & in tactu periculum ſit, quaſi qui illam tetigerit non euadat, quæ virorum pretioſas animas rapit, quæ facit adoleſcentium euolare corda. Alligabit quis in ſinum ignem, & non comburetur, aut ambulabit ſuper carbones ignis, & non ardebit? Quomodò igitur qui ignem tetigerit ſtatim aduritur, ita viri tactus, & fœmina ſentit naturam ſuam, & diuerſitatem ſexus intelligit.* Et paucis interiectis: *Vnde & noſter Ioſeph, quia tangere volebat eum Ægyptia* [d], *fugit*
C *ex manibus eius, & quaſi ad morſum rabidiſſimæ carnis, ne paulatim virus ſerperet, pallium quod tetigerat, abiecit.* Quamquàm enim id veriſſimum eſſe non inficior, quod omnes fermè Patres affirmant, qui de ſeruanda virginitate agunt; non id tamen Paulus ſpectaſſe videtur, vt rectè Auguſtinus adnotauit. Sed videtur Hieronymus ſequutus ad verbum Tertullianum [e], qui de monogamia diſſerens, ita ex hoc loco Pauli argumentatur. *Bonum* (inquit) *homini mulierem non contingere, ergo malum eſt contingere. Nihil enim bono contrarium, niſi malum.* Et alibi [f]. *Bonum ait eſſe ſimpliciter abſque vlla comparatione, non ſolùm mali, ſed etiam alterius boni.* Sed ille (vt aliàs monui) nimio caſtitatis amore incenſus lineas tranſiliuit. Tangere igitur Apoſtolus hoc loco dixit pro eo,
D quod eſt liberis operam dare; nam ipſo Tertulliano teſte, quem Hieronymus libenter ſequitur, vtque omnes deinde Græci cum Chryſoſtomo docuerunt, loquitur Apoſtolus de viris coniugatis, idque longa oratione Xyſtus [g] probat. Crediderim tamen ſpectaſſe Paulum ad Corinthiorum naturam, quos fuiſſe ſalaciſſimos, & Veneri ſupra modum deditos teſtatur omnis antiquitas, ſic enim ſcribit de illis Strabo [h]: *Phanum Veneris Corinthi ita fuit locuples, vt plures quàm mille habuerit ſacrorum famulas meretrices, quas Deæ viri, mulieréſque dedicarunt.* Dio [i] verò apertiſſimè ſcribit, Corinthum ſupra cæteras Græciæ vrbes in Venerem fuiſſe pronam: vt omittam quæ in eamdem ſententiam ſcribunt Herodotus [k], & Iuſtinus [l]. Suidas [m] autem hæc præcipuè lit- III.
E teris conſignauit. *Cotys dæmon apud Corinthios colitur præſes effœminatorum, & impudicorum, ſiue illi ob turpem quæſtum, ſiue ob fœdam libidinem, aliáve de cauſa pudi-*

a in Ezech. cap. 10.
b lib. de Caſtit.
c lib. 1.
d Gen. 39. 12.
e lib. de Monog. c. 3.
f In adhort. ad caſtit. c. 3.
g lib. de caſtit.
h lib. 8.
i in Corinthiaca.
k In Clio.
l lib. 21.
m in verbo κότυς.

pudicitiam proſtituant, cuiuſmodi ſunt Chlyſthenes, & Timarchi. Quocirca Apoſtolus magna adhibita moderatione de continentia inter coniuges diſſerit. *Bonum* (igitur ait eſſe) *vxorem non tangere*, quod eſt cōtinentiam colere: qua de re ita alicubi Tertullianus [a]: *Quot ſunt, qui conſenſu pari inter ſe matrimonij debitum tollunt? Voluntarij ſpadonibus pro cupiditate cœleſti ſaluo matrimonio abſtinentia toleratur, quanto magis adempto.* Et alibi [b] hanc vocat honeſtam in occulto matrimonij diſſimulationem. Denique [c] de caſtis coniugibus, *qui* (inquit) *ex conſenſu contumeliam communem iam recuſauerunt.* Et Cyprianus [d]: *Adhuc habeo* (ait) *quod mirari, cùm videam de Chriſtianis pleroſque maritos pariter & vxores continentiam deſtinantes, domicilia ſingularia magis eligere, vt conſenſu communium votorum, ſine irritatione præſentia, & concordante ſeceſſu valeant obtinere.* Et poſt nonnulla: *Grande miraculum, vt virginum caritas, virgines faciat velut coniuges credi, & coniugum caritas coniuges faciat, virgines æſtimari. Ecce vera dilectio, quæ in coniugalitate diuidit, vt in caſtitate coniungat. Ecce ſancta dilectio, quæ coniugalibus ad communem laudem inducit abſentiam. Hi pro certo ſeſe inſeparabiliter diligunt, qui vt triumphos ſibi inferant, à ſe ipſis diſcedunt; quibus nec crimen, nec natura, nec Dominus, nec Apoſtolus poteſtatem vnius interdixit, aut tulit; ſed pro tuendis paribus votis ſemota vnanimitate abſentari caritas perſuaſit.* Hoc igitur coniugum conſilium laudat Apoſtolus; vt enim ait Tertullianus [e], quidam apud Corinthios erant, qui in matrimonio, ac fide deprehenſi verebantur, *ne non liceret eis matrimonio ſuo exinde vti, quia in carnem ſanctam credidiſſent.* Rectè autem ex hoc loco argumentatur Xyſtus [f]. *Si bonum eſt homini ſuſceptam in matrimonio fœminam non contingere, quanto melius eſt omninò non noſſe? facilius enim quis quod non habuerit, nec cogitauerit, quàm quod habuerit, ſpernet. nemo enim iuxta ignem poſitus extraneus eſt à calore.* Obſeruat autem Auguſtinus [g], hoc eſſe Apoſtoli conſilium, non præceptum: quamquam Tertullianus aliter viſus eſt interpretari, quod & fecit Clemens [h] Alexandrinus: qui hanc Pauli ſententiam ad eos putat pertinere, qui non contenti liberorum procreatione, alienas voluptates conſectantur.

[a] lib. 1. ad vxorem. c. 6.
[b] De reſurr. carn. c. 18.
[c] de vel. virg. cap. 11.
[d] de Singul. cleric.
[e] lib. de Monog. c. 11.
[f] lib. de caſtit.
[g] in Enchir. cap. 121.
[h] lib. 3 Strom. propè finem.

2. Propter fornicationem avtem, &c.

I. Expendit Tertullianus [i] verba illa *propter fornicationem autem*, & colligit vſum coniugij ex indulgentia permitti. *Nam ſi quædam* (inquit) *videntur voluntatem Dei ſapere, dum à Deo permittuntur, non ſtatim omne, quod permittitur ex mera, & tota voluntate procedit eius, qui permittit. Ex indulgentia eſt quodcumque permittitur: quæ etſi ſine voluntate non eſt, quia tamen aliquam habet cauſam in loco, cui indulgetur, quaſi de inuita venit voluntate paſſa cauſam ſui; quæ cogit voluntatem* [k]. Alibi: *Bonum eſt homini* (inquit) *mulierem non contingere; ſed propter fornicationem vnuſquiſque vxorem ſuam habeat, vir vxori, & vxor viro debitum reddat. Huius boni fibulam, quis illum neſciat inuitum relaxaſſe, vt fornicationi obuiam iſſet? Quam ſi cui indulſit, vel indulget, vtique conſilium remedij ſui infregit, & tenebitur iam frænandis continentia coniugiis, ſi fornicatio, ob quam permittuntur, non timebitur: Non autem timebitur quæ ignoſcitur: & tamen ignouiſſe ſe profitetur matrimonij vſum non imperaſſe.* Eodem fermè modo Hieronymus [l]: *Quale autem* (ait) *illud bonum eſt, quod conditione deterioris conceditur? Numquam enim ſubieciſſet, vnuſquiſque vxorem ſuam habeat; niſi præmiſiſſet, Propter fornicationes autem. Tolle fornicationes, & non dicet, vnuſquiſque vxorem ſuam habeat: velut ſi quis definiat, Bonum eſt triticeo pane veſci, & edere puriſſimam ſimilam; tamen ne quis compulſus fame comedat ſtercus bubulum, concedo ei vt veſcatur & hordeo. Num idcirco frumentum non habebit puritatem ſuam ſi fimo hordeum præferatur? Bonum eſt illud naturaliter, quod comparationem non habet mali, quod prælatione alterius non obumbratur.* Quamquàm alibi [a] Hieronymus non ſe ait, *de coniugibus exponere, ſed de coitu ſimpliciter diſputare; quòd ad comparationem pudicitiæ, & virginitatis, & angelicæ ſimilitudinis bonum ſit homini mulierem non tangere.* Sed (vt paulò antè dixi) hæc omnis Apoſtoli oratio ad eos pertinet, qui connubio adſtricti ſunt, quibus ob ſcortationis periculum, vſum coniugij permittit: quod quidem paulò ſeueriùs accepiſſe videtur Xyſtus [b], qui ait, hac ſublata cauſa non conceſſurum fuiſſe, ſed veluti morbo medicamentum adhibuiſſe, quod valenti moleſtum futurum eſſet, nedum neceſſarium.

[i] Adhort. ad caſtit. c. 3.
[k] lib. de pudic. c. 16.
[l] lib. 1. aduerſ. Iouin.
[a] Apolog. ad Pammach.
[b] lib. de caſtit.

II. Quod autem ait interpres: *propter fornicationem*, Græcè eſt διὰ δὲ τὰς πορνείας, id eſt propter fornicationes autem, vt loco indicato dixit Hieronymus. Indicat enim Apoſtolus, quod ſuprà monuimus, fuiſſe Corinthios ad voluptatem procliues: *Vnuſquiſque* (ait) *ſuam vxorem habeat, & vnaquæque ſuum virum habeat.* Si de maritis, & coniugatis loquitur, quæ eſt omnium fermè Patrum ſententia, virum, & vxorem habere nihil erit aliud, quàm vti coniugio: vt videatur Apoſtolus tacitè indicare, eorum coniugum laudandum eſſe conſilium, qui communi conſenſu integrè, caſtéque viuunt. Sed Corinthiorum imbecillitati parcens fas eſſe ait legitima coniuge vti; qua ſententia admiſſa, nihil habent hæretici, quod aduerſus virginitatem, & continentiam obiiciant. Eſt autem hæc Græcorum omnium, & Hieronymi, plurimorúmque Latinorum ſententia. Id enim (vt dictum eſt) quæſierant Corinthij, an poſt baptiſmum vſus coniugij permittendus eſſet. Nam cùm ex Apoſtolica [c] definitione gentibus inter cætera ſeuerè præciperetur, vt ſcortationem vitarent; dubitauerant nonnulli, num idem de vſu coniugij ſentiendum eſſet; reſpondet autem Apoſtolus, non eamdem eſſe rationem. Quòd ſi malit quis vniuerſim hæc accipienda eſſe, vt habere vxorem idem ſit, quod ducere; ne tum quidem Apoſtoli verba vim præcepti ſimpliciter continerent; nam cur connubium ſuadeat explicat cùm ait: *Propter fornicationem.* nam illo periculo ſublato, bonum eſt mulierem non tangere. Et paulò pòſt hæc ait ſe ſcribere *ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm imperium*: vt iis, qui ſe poſſe diffidunt à mulierum conſuetudine cohibere, quique ſcortationem, aut fœdius aliquod impuræ libidinis genus admiſſuri eſſent, nō tam imperat, quàm ſuadet, vt vxorem potiùs ducant, quàm ſeſe nefariis flagitiis inquinent. Quòd ſi quis vrgeat, Græcam vocem ἐχέτω imperandi modi eſſe; ne id quidem hæreticis fauet, quaſi præceptum Apoſtolicum ad omnes pertineat, etiam ſacerdotes. nam vt in ſcholis Theologi docent, qui impotenti libidinis æſtu agitantur, neque continentiæ remedia adhibere aut poſſunt, aut volunt, ad ineundum coniugium, vt à flagitio arceantur, ipſo propemodum iure compelluntur, niſi grauiori, & ſanctiori caſtitatis vinculo obſtringantur, vt ſunt ij, qui ſacris ordinibus initiati ſunt, vel religionis voto obligati: qui cùm ſint ſeuerioris diſciplinæ legibus aſtricti, luctari cum prauis cupiditatibus debent, & quam Deo vouerunt continentiam integram, atque inuiolatam ſeruare.

[c] Act. 15.

III. Obſeruat autem Ambroſius coactum fuiſſe Apoſtolum vſum coniugij Corinthiis ſuadere, ne quid contra legem admitterent. *Qui enim* (inquit) *fieri poſſet, vt hi ab vxoribus ſuis ſe abſtinerent, quos in tantis vitiis reperit? Ideo ergo non permittit, ne ab licitis ſe abſtinentes inconceſſa præſumerent; ſicut faciunt Manichæi.*

nichai. Non me latet multa hoc loco argumentari A hæreticos, vt negent impotentem impuræ voluptatis cupiditatem alia poſſe ratione vinci, ac ſuperari, quàm ſi quis coniugium ineat; ſed ea de re non eſt otium in præſentia diſputare. Certè viri ſanctiſſimi, qui de colenda virginitate ſcripſerunt, multa præcepta tradunt, quæ ad frangendas impotentis libidinis vires plurimum habeant momenti: illud Comici vulgatiſſimum eſt. *Sine Cerere, & Baccho friget Venus.* Aſpero igitur corporis cultu, veſtitúque, inedia, & ieiunio, cæteraque corporis afflictatione voluptatis illebræ ſuperantur, & diuino annuente numine caſtitas illibata ad extremum vſque vitæ ſpiritum retinetur. Obſeruat autem Theodoretus cõmunem eſſe ac prorſus eamdem legem viris, ac fœminis, quandoquidem communis eſt vtriſque natu- B ra. Addit autem opportunè feciſſe Apoſtolum fornicationis mentionem, quòd illam capite ſuperiori acriter perſtrinxiſſet. Quomodo autem vſus coniugij admittendus ſit, pluribus diſputationibus ſuis docent Theologi, quos adito ſi lubet. Hic tantum Gregorij Nazianzeni verba adſcribam, quibus elegantiſſimè fas eſſe docet, poſt baptiſmum & inire

a Orat. 40. coniugium, & iam inito caſtè vti [a]. *Matrimonij vinculis aſtrictus es? baptiſmo quoque conſtringere: hunc tibi contubernalem adiunge, pudicitiæ cuſtodem innumeris Eunuchis, & ianitoribus tutiorem. Nondum carni copulatus es? ne baptiſmi perfectionem extimeſcas, puritatis ubi ratio etiam inito matrimonio conſtabit: in me hoc periculum recipio, ego harum nuptiarum conciliator, ego auſpex; nec enim quia honoratior eſt virgini-* C *tas, idcirco turpe, & ignominioſum eſt matrimonium.* Quò pertinere poſſunt quæ fusè admodum ſcribit

b Hom. 32. auctor imperfecti in Matthæum [b], vbi explicat ver-
c Matth. 19. ba Chriſti, *non omnes capiunt verbum hoc* [c]; oſtendit enim omnes quidem capere poſſe, non tamen omnes velle; quamquàm cautè legendum eſt, quod ait volentibus gratiam non denegari; non enim accipi poteſt de gratia præueniente, ſeu excitante, ſed de concomitante, & ſubſequente.

3. I. VXORI VIR DEBITVM REDDAT, &c. Græcè dixit Apoſtolus [illegible], hoc eſt, debitam beneuolentiam reddat. Quod de vſu coniugij modeſtè & verecundè dictum omnes interpretantur. Chryſoſtomus autem non [illegible], id eſt beneuolentiam; ſed τιμὴν, hoc eſt honorem legit. Clemens [d] D tamen Alexandrinus ſimpliciter legiſſe videtur [illegible], id eſt debitum, vt habet noſter interpres. Certè Theophylactus de beneuolentia ſimpliciter explicat: ſed Chryſoſtomus, Theodoretus, Ambroſius, & alij debitam ſiue beneuolentiam, ſiue etiam honorem ad legitimum vſum connubij referunt:

e 1 Pet. 3. quò putant ſpectare quod ſcribit Petrus [e]. *Viri ſimiliter cohabitantes ſecundum ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem, tanquàm & coheredibus gratiæ vitæ, vt non impediantur orationes veſtræ.* Quamquàm verba Petri latiùs patere exiſtimo, & cætera coniugij officia complecti, non tamen vſu coniugij excluſo, quem moderandum ait, vt interpretatur Hieronymus [f], ne precandi E ſtudium impediat. Monet autem Theodoretus legis Euangelicæ auctoritate æquo iure tam viris, quàm fœminis coniugij fidem neceſſariam eſſe, quidquid humanæ leges viris permittant; id verò hoc loco ab Apoſtolo explicari, dum idem omnino viris, ac fœminis præcipit; de qua re apertiùs infrà loquitur, cùm ait. *Nolite fraudare inuicem.* Porro Chryſoſtomus obſeruat vocem, *debiti. Propterea enim* (inquit) *debitum appellauit, vt oſtenderet nullum eſſe ſui Dominum; ſed eſſe inter ſe alterum alterius ſeruos. Quando ergo videris te tentari à fornicatione dic: corpus non eſt* A *meum ſed vxoris. Hæc etiam dicat mulier iis, qui volunt ad eius euertendam pudicitiam agere cuniculos: non eſt meum corpus, ſed mariti.* Paulò poſt autem quærit, cur hoc loco virum, & fœminam æquales faciat, cum alibi [a] à viris quidem beneuolentiam in vxores, à fœminis autem timorem exigat; Et reſpondet, hîc agi de pudicitia, & temperantia, vbi eadem lex vtrique coniugi poſita eſt, cùm in aliis vir quidem præſit, fœmina verò ſubſit. Adeo verò exiſtimauit Auguſtinus, corpus vxoris in viri eſſe poteſtate, vt alicubi [b] dubitauerit, poſſit ne vxor (conſentiente viro) alteri commiſceri. Sic enim ſcripſit: *Quamquam nonnullæ cauſæ poſſunt exiſtere vbi & vxor mariti conſenſu pro ipſo marito hoc facere debere videatur, ſicut Antiochiæ factum eſſe perhibetur ante quinquaginta* B *fermè annos*, cúmque hiſtoriam narraſſet, quæ præfecto Acindino contigerat, quo virum in carcere detinente, vxor vt virum à periculo mortis eriperet, ipſo conſentiente, ſe alteri commiſcuit, ſubdit: *Nihil hîc in alteram partem diſputo, liceat cuique æſtimare, quod velit; non enim de diuinis auctoritatibus deprompta hiſtoria eſt, ſed tamen narrato hoc facto, non ita reſpuit hoc ſenſus humanus, quod in illa muliere viro iubente commiſſum eſt, quemadmodum antea, cùm ſine vllo exemplo res ipſa poneretur, horruimus.* Et quidem meritò Auguſtinus exhorruit, cum id ſine exemplo audiſſet. Nam ipſum etiam exemplum magnopere deteſtandum videtur, nec enim mulier adulterium, viro præcipienti obtẽperare iure potuit, nec vir ſine ſcelere præcipere, aut permittere. Cæterùm quod C mox ſubiiciet Apoſtolus, virum habere poteſtatem corporis vxoris ſuæ; non perinde accipiendum eſt, quaſi vir corpore vxoris pro ſuo arbitratu vti iure queat: multa enim ſunt, quæ inter coniuges abſque grauiſſimo ſcelere admitti nullo modo poſſunt. Intra igitur legitimas connubij leges vir dicitur habere vxorij corporis poteſtatem, & contrà vxor corporis viri. Pertinet autem ad iura connubij (vt mox dicet Apoſtolus) vt fidem ſibi mutuò præſtent. Vtrum autem alter alteri in vſu coniugij quouis tempore obtemperare cogatur; ſubtiliùs ab iis indagatur, qui theologicas quæſtiones explicant, aut de Chriſtianæ vitæ officiis diſſerunt: nec dubium eſt ſæpe eſſe interpretationi, & exceptioni locum.

a ad Col. c. 3.

II.

b li. 1. de Ser. Dom. in monte cap. 16.

D MVLIER SVI CORPORIS POTESTATEM, &c. Propterea debitum reddendum dixit, quia vir vxori eſt penitus addictus, & vxor viro. Nam quoniam (vt ait Theodoretus) vir, & vxor in vnam quodammodò carnem coëunt, iure vxoris corpus mariti poteſtati ſubiici, & rurſus viri corpus vxoris poteſtati ſubeſſe voluit. Quamquàm autem (vt dictum eſt, & Chryſoſtomus, cæterique Patres affirmant) eadem ſit coniugibus continentiæ lex; tamen loco indicato obſeruat Auguſtinus, olim in lege veteri, & ante legem Moſis aliam fuiſſe in viro rationem) cui plures ducere vxores (Deo permittente) licebat: tunc enim non ita fœmina poteſtatem habebat in viri corpus, ſicut vir in corpus vxoris: nunc autem cum ius connubij ad ſuam primæuam conditionem à Chriſto Domino reuocatum eſt: ita duo ſunt E in carne vna, vt æqua ſit vtrique in alterum poteſtas, quod quidem ſpectat ad vſum coniugij, & liberorum procreationem. Obſeruat autem idem Theodoretus, Apoſtolum priori loco de fœmina, quàm de viro locutum eſſe, qunniam fœminæ priùs & magis quàm viri continentiam complecti conſueuerunt. Adde turpius videri adulterium in fæmina, quàm in viro; tametſi enim non nego grauiùs in eodem genere peccare virum, quàm fœminam, vt ingenioſè Theologi docent: tamen quia fœminam magis decet verecundia, & pudor, & ex 4. I.

A ſeminum commixtione incerta proles plerumque exiſtit, maxima quædam ex ipſius adulterio iniuria viri oritur, cùm præſertim (vt obſeruauit non nemo [a]) pluris ſit viri corpus quàm fœminæ: hæc enim vbi ſemel concepit vix eſt apta conceptui; at vir plures fœminas poteſt fœcundare. rectè igitur Apoſtolus fœminas monet, nefas eſſe illis per ſpeciem continentiæ ſui corporis vſum legitimo coniugi petenti denegare, aut (quod longè deterius eſſet) alieno tradere. Ob eam cauſam ait Hieronymus ſi alter coniugum velit continenter viuere abſque alterius conſenſu, id ei nullo pacto licere: quòd ſi vterque conſentiat, id videtur in primis laudabile, & Deo gratum, quæ eſt omnium Theologorum receptiſſima ſententia, totius Eccleſiæ Catholicæ conſenſu firmata. Extant apud hiſtoricos permulta exempla:

B eximium ac ſingulare commemoratur à Gregorio [b] Turonenſi: eóque nomine à Gregorio [c] Nazianzeno miris laudibus extollitur Gorgonia ipſius ſoror, quòd continentiæ amore incenſa in eandem ſententiam virum ſuum blandè adduxerit, & vterque continentiam in coniugio coluerint. Ex his autem Apoſtoli verbis colligit Ambroſius, neque viro neque mulieri vllo modo fas eſſe corpus ſuum alteri tradere. *Inuicem enim* (inquit) *ſibi debitores ſunt in hac cauſa, ne peccandi detur occaſio.*

II. Cæterùm quamuis interpres mulierem latinè dixit, exploratum tamen eſt, Paulum de vxore loqui, quomodò non ita multò antè dixerat: *Vnuſquiſque ſuam vxorem habeat*; hoc eſt vt ait Hieronymus [d], *ſua vtatur, quam habebat antequàm crederet.*

C Non facilè autem dixerim quorſum pertineat quod in præſentia monet Chryſoſtomus. *Quid ſi* (inquit) *corporis poteſtatem non habet maritus aut vxor, multo magis pecuniæ.* Neque enim credendum eſt voluiſſe Chryſoſtomum inficiari, virum eſſe dominum bonorum tanquàm patremfamilias; ſed fortaſſe de vxore loquitur, quæ non habet dominium bonorum, quæ ſpectant ad virum; vel (quod magis probo) dominium negat eorum reſpectu, quæ ſtatus neceſſitati ſuperſunt; vt ſignificet (quod omnes veteres patres miro conſenſu affirmant) ea, quæ ſuperflua ſunt indigentium neceſſitati ſubleuandæ ipſo penè iure naturæ deberi.

D Itaque plerumque dicere ſolent Patres, quæ in arca recondantur pauperum eſſe; & qui ea indigentibus deneget furti reum eſſe: quod quomodò accipiendum ſit à Theologis explicatur. Verendum tamen eſt, ne dum plerique ſubtiles videri volunt, & arguti, plus æquo hominum cupiditati, atque auaritiæ indulgeant: valdè enim videtur abſurdum, diuitum parietes, currus, atque equos ſerico auróque nitere, & innumerabiles pauperes vix nuda corporis tegere: canes, & accipitres ad venandum ſplendidè ali, & viros, fœmináſque fame enecari: ſed hæc aliàs. Illud interim monuerim valdè alienam, & coactam videri huius loci explicationem, quam tradit Xyſtus [e]; Sic enim ſcribit. *Quid eſt illud, mulier ſui corporis poteſtatem non habet, &c. Niſi quod prouocante alterutro, & vim quodammodo alterinſecus inferente nullus vnquam corporis ſui motum caſta ſufficit patientia cuſtodire, & dum nunquam continentes exiſtunt, ſemper orationis, & communicationis*

E *bono mutuò fraudantur inſtinctu, quod præcipuè continentibus habere conceditur, eodem Apoſtolo dicente. Nolite fraudare inuicem, id eſt paruo tempore incontinentes eſſe, vt largiore ſpatio orationi vacare poſſitis, & iterum ad ipſum reuertimini. Poſt orationis ſcilicet continentiam ad matrimonij vſum eos redire permiſit, ſi tamen incontinentiæ neceſſitas exegiſſet.* Quo loco duo quædam ab Apoſtoli ſententia videntur aliena. Primum, virum aut fœminam non habere poteſtatem

A ſui corporis refert ad impotentes libidinis motus, quos nemo ab altero prouocatus habeat in poteſtate, cùm tamen ſatis conſtet ex communi Patrum ſententia ius connubij explicari, quo coniuges alter in alterius corpus poteſtatem habet: alterum, quod diutius orationi vacandum cenſet, & ab vſu coniugij abſtinendum, cùm apertè ſignificet Apoſtolus, ſe ex indulgentia ipſorum imbecillitatis habita ratione contrarium ſuadere, vt ex ſuperioribus facilè colligitur. Quam autem poteſtatem vir, & vxor habeant in adminiſtratione familiæ, alibi videro.

§. I. NOLITE FRAVDARE INVICEM, NISI, &c. *Quid hoc eſt?* (inquit Chryſoſtomus) *ne contineat, inquit mulier inuito marito; neque maritus nolente vxore. Quare? quoniam ex hac continentia magna naſcuntur*

B *mala, nam & adulteria, & ſtupra, & domorum euerſiones ſæpè hinc orta ſunt. nam ſi etiam habentes ſuas vxores, fornicantur; multò magis ſi eos priuaueris hoc ſolatio.* Eodem modo explicat Theodoretus; neque aliter Ambroſius, & Hieronymus. Quod autem ait interpres. *Nolite fraudare*, græcè eſt ἀποστερεῖτε, id eſt nè frauderis: is autem propriè fraudare dicitur (vt monet Chryſoſtomus) qui rem debitam ſubtrahit, idque inuito, aut per vim coacto. Qua in re idem Chryſoſtomus ait, plures fœminas grauiſſimè peccare, quæ per ſpeciem continentiæ affines ſunt omnibus ſceleribus atque flagitiis, quæ ab impudicis viris perpetrantur, vt interim omittantur domeſtica diſſidia, & familiares contentiones. Porrò Clemens Alexandrinus [a] expendit vocem illã, *nolite fraudare,*

C *oſtendens* (inquit) *matrimonij debitum eſſe liberorum procreationem. Quod idem in iis, quæ præcedunt oſtendit, dicens. Mulieri vir debitum reddat, ſimiliter autẽ mulier quoque viro.* Sẽtit autẽ Apoſtolus, procliues eſſe Corinthios ad voluptatẽ; quocirca non putat eſſe tutum ſæpiùs, aut diutiùs ab vſu cõiugij abſtinere: quocirca id moderatè permittendum ratus addit: *Niſi fortè ex conſenſu*; id enim (vt dictum eſt) laude dignum videtur. neque id auſus eſt eorum liberæ voluntati permittere; ſed tempus quodammodò indicauit. *Vt vacetis* (inquit) *ieiunio, & orationi*, τῇ νηστείᾳ; græcè καὶ τῇ προσευχῇ. Ita fermè omnes Græci codices, & nonnulli Latini, quamquàm ieiunij non memine-

D rũt Chryſoſtomus, & Theophylactus quos ſequitur Romana editio. Ad hunc locum reſpiciens Hieronymus [b]. *Oro te* (inquit) *quale illud bonum eſt, quod orare prohibet? Quod corpus Chriſti accipi non permittit?* Et paucis interiectis. *Iubet idem Apoſtolus in alio [c] loco, vt ſemper oremus: Si ſemper orandum eſt, nunquam ergo coniugio ſeruiendum: quotieſcunque vxori debitum reddo, orare non poſſum.* Mox verò proferẽs verba Petri [d]. *Ecce* (inquit) *eodem ſenſu, quia eodem & ſpiritu impediri dicit orationes officio coniugali.* Et poſt nonnulla: *Cernis quale coniugium inter viros, vxoréſque præcipiat? Cohabitantes iuxta ſcientiam, vt nouerint quid velit, quid deſideret Deus, vt tribuant honorem vaſculo muliebri. Si abſtinemus nos à coitu, honorem tribuimus vxoribus: ſi non abſtinemus, perſpicuum eſt honori contrariam eſſe contumeliam.* Sed videtur Hieronymus reſpexiſſe vim Græcæ vocis σχολάζητε, quam obſeruat Chryſo-

E ſtomus; non enim dixit abſolutè, vt oretis, ſed vacetis, quòd ea res deſideret animum ab omnibus aliis curis vacuum, & liberum. Quocirca rectè colligit Origenes [e]; ſacerdotibus, quibus aſſiduè ſacrificandum eſt, perpetuæ caſtitatis legem impoſitã eſſe. *Vereor* (inquit) *aliquid dicere, quod ex ſermonibus Apoſtolicis intelligi datur, ne fortè videar aliquos contriſtare: nam ſi oratio mihi ſicut incenſum offertur in conſpectu Domini, & eleuatio manuum eius ſacrificium eſt veſpertinum; dicit autem Apoſtolus iis, qui in coniugio ſunt; nolite fraudare inuicem, niſi fortè ex conſenſu ad tempus,*

[a] Scotus in 4.
[b] lib. de glor. conf. cap. 32.
[c] Orat. 11.
[d] lib. 1 aduer. Iouin.
[e] lib. de caſtitate.
[a] lib. 3 Strom.
[b] lib. 1 contra Iouin.
[c] 1 Theſſ. 5.
[d] 1 Pet. cap. 3.
[e] Hom. 23 lib. Numer.

tempus, vt vacetis orationi, & iterum in id ipſum ſitis; A *certum eſt quia impeditur ſacrificium indeſinens iis, qui coniugalibus neceßitatibus ſeruiunt: vnde videtur mihi, quòd illius eſt ſolum offerre ſacrificium indeſinens, qui indeſinenti, & perpetuæ ſe deuouerit caſtitati.* Addit Apoſtolus: *Et iterum reuertimini in id ipſum, ne tentet vos ſatanas propter incontinentiam veſtram.* Imbecillitati enim humanæ (vt ait Theodoretus) id conceſſit; Ne autem videretur, hanc quaſi legem præſcribere, cauſam addit, vt ait Chryſoſtomus; *ne tentet vos ſatanas propter incontinentiam veſtram.* Quod ait: *Reuertimini in id ipſum*, græcè eſt, ἐπὶ αὐτὸ συνέρχεσθε, ideſt ad idem, quaſi eodẽ thalamo, ac toro vti permittat, quos ieiunij, & orationis cauſa iuſſerat eſſe ſeparatos. Origenes legiſſe videtur [illegible]: ait enim *ſitis*: quo etiam modo non ſemel legiſſe vide- B tur Auguſtinus.[a] *Propter incontinentiam* autem dictum eſt, ſiue reſpectu alterius tantùm, ſiue vtriuſque: græcè verò eſt τὴν ἀκρασίαν ὑμῶν, quam rectè etiam intemperantiam dixeris. Putat autem Chryſoſtomus, id propterea additum eſſe ab Apoſtolo, ne quis fortaſſe omnia noſtra peccata dæmoni auctori tribuenda putaret; tametſi enim ille multa menti obiicit vt ad flagitium alliciat, noſtræ tamen prauæ cupiditates veluti ex interuallo flamma concepta, libidinis ardorem excitant, & impetu facto, præcipites agunt. Ex quo apparet, hæc non pugnare cum prima huius capitis ſententia, cùm dixit: *Bonum eſt homini mulierem non tangere*; nam vt ait[b] Tertullianus, illud fuit primariæ, & abſolutæ voluntatis, C hoc verò (vt mox Apoſtolus dicet) ad indulgentiam pertinet, quæ voluntas quidem eſt, ſed poſita aliqua conditione, qualis fermè voluntas eſt eorum, qui metu tempeſtatis, ne fluctibus hauriantur, iacturam faciunt: ita Apoſtolus, ne Corinthij libidinis impetu ſuperati turpes, & inhoneſtas ſectentur voluptates, vſum coniugij ſuadet. Propterea continuò ſubdit.

HOC AVTEM DICO SECVNDVM INDVLGENTIAM, &c. Non refero hæc ad id, quod dixerat, *niſi fortè ex conſenſu, vt vacetis orationi*; ſed ad id, quod proximè præcedit. *Et iterum reuertimini in id ipſum, ne tentet vos ſatanas propter incontinentiam veſtram.* Niſi quis malit eum Occumenio coniungere cum iis, quæ ſuperiùs dixit. *Nolite fraudare inuicem. Neque enim* (inquit) *ſicut non occides, non adulterium* D *committes, ita nunc quoque, ne defraudent inuicem præceptum aliquod eſt, vt laude dignus ſit; qui hoc agit, tanquam legem complens. Ex permiſſione* (inquit) *hoc dixi; demittens me ad imbecillitatem veſtram. Hæc enim ſententia eodem recidit.* Quod autem ait. *Ex indulgentia*, græcè eſt κατὰ συγγνώμην: quaſi dicat, *ſecundum ignoſcentiam, aut ſecundùm veniam.* Non deſunt tamen codices, qui habeant κατὰ γνώμην, ideſt *iuxta conſilium, ſiue ſententiam.* Quaſi dicat meam vobis ſententiam aperio, & quod optimum factu ſit, breuiter indico. Verùm cùm ſequatur ἐπιταγὴν, ideſt *præceptum*, meliùs legitur συγγνώμην, ideſt *indulgentia, & venia.* præceptum enim neceſſitatem imponit, idque exigit, quod eſt ſimpliciter neceſſarium: venia, ſiue indulgentia aliquid concedit, quod videtur non omni ex E parte iuri congruere. Itaque rectè dixit Theodoretus in iis, quæ ad continentiam ſpectant, indicaſſe Apoſtolum id, quod eſt perfectum: minora conceſſiſſe, quaſi imbecillitatis medicamenta: Nam quid potiſſimùm expetat, & ab iis requirat, mox indicat ſuo exemplo propoſito: hæc autem indulgentia (vt ait Ambroſius) ad vitandam fornicationem refertur. Ex hoc porro loco colligunt Auguſtinus[c], Gregorius[d], Anſelmus[e], vſum coniugij oblectationis gratia non poſſe citra culpam ſuſcipi. Quamobrem in eandem ſententiam ſcripſit Beatus Hieronymus[a]; *Liberorum in matrimonio opera conceſſa ſunt: voluptates autem, quæ de meretricum capiuntur amplexibus in vxore damnata ſunt.* Et alibi[b]: *Adulter eſt in ſuam vxorem amator ardentior.* Quæ tamen non perinde accipienda ſunt, quaſi lethalem noxam contineant, vt alibi copioſiùs doceo: itaque commentarij, qui Hieronymo inſcribuntur, hæc (aiunt) tanquam paruulis permitti; quòd Tertullianus[c] ait eſſe ex voluntate minori: quamquàm hic (vt verum fateat) nimium videtur pronectus, ſiue diſputationis ardore, ſiue amore continentiæ, qui dixerit, hanc Apoſtoli indulgentiam ab humano ſenſu profectam, atque adeo, qui hac indulgentia vtatur, contra potiorem Dei voluntatem facere, ideóque peccare. *Ergo*, inquit, *ſi ideo declarauit vti ſecteris quod magis vult; ſine dubio niſi ita facis contra voluntatem eius ſapis, ſapiendo contra potiorem eius voluntatem, magiſque offendis, quàm promereris; quod vult quidem faciendo, quod mauult reſpuendo. Ex parte delinquis, non tamen promereris: porro & promereri nolle, delinquere eſt.* Et aliquantò pòſt: *In primis autem non videbor irreligioſus, ſi quid ipſe profitetur continentiæ magis appetenda didicerim. Iam animaduertam omnem illam indulgentiam nuptiarum de ſuo, id eſt de humano ſenſu, non de diuino præſcriptu induxiſſe.* Sed cùm hic liber ab hæreſi iam infecto conſcriptus ſit, nil mirum videri debet, ſi paulò liberiùs ac licentiùs loquatur.

VOLO ENIM OMNES VOS ESSE, &c. Seipſũ 7.
tanquam præclarum imitationis exemplum pro- 1.
ponit Apoſtolus, quod illi familiare eſſe monet Chryſoſtomus. Spectant autem hæc ad id declarandum, quod paulò antè dixit, ſe id ex indulgentia, hoc eſt benigna, & facili conceſſione permiſiſſe; ídque accommodatè ad ipſorum imbecillitatem, & incontinentiam. Cæterùm, vt ait Tertullianus[d], *quid bono melius ſit accipimus ab Apoſtolo, permittente quidem nubere, ſed abſtinentiam præferente, illud propter inſidias tentationum, hoc propter anguſtias temporum.* Et aliquantò pòſt. *Cæterùm nuſquam ita nuptias permittit, vt non potiùs ad ſuum exemplum nos eniti malit. Fœlicem illum, qui Pauli ſimilis extiterit.* Mira eſt autem quorumdam impudentia, qui ex hoc loco vnde omnis antiquitas apertè deprehendit Paulum fuiſſe cælibem; perperam colligunt, eum habuiſſe vxorem. At multò aliter Tertullianus, qui de Paulo ita alicubi[e] ſcribit. *Ipſo Domino ſpadonibus aperiente regna cælorum, vt & ipſo ſpadone, ad quem ſpectans & Apoſtolus, propterea & ipſe caſtratus, continentiam maluit.* Et pòſt multa[f]. *Cæterùm malebat, omnes id eſſe, quod & ipſe.* loquitur autem de continentia: *nam ita dixerat*[g] *paulò antè. Nuptiis autem denuntio, non ego, ſed Dominus, oſtendit illa, quæ ſuprà dixerat non dominica auctoritatis fuiſſe, ſed humanæ æſtimationis. At vbi ad continentiam reflectit animos. Volo autem vos ſic eſſe omnes.* Alibi verò[h] apertiùs: *Cùm nos verò ad exemplum ſuum hortatur, vtique oſtendes quid nos velit eſſe, id eſt continentes; pariter declarat quid nos eſſe nolit.* Et vniuerſim[i] de omnibus Apoſtolis, Petro excepto, idem affirmat. *Petrum ſolum inuenio maritum, per ſocrum; monogamum præſumo; per Eccleſiam, quæ ſuper illum ædificata, omnem gradum ordinis ſui de monogamis erat collocatura. Cæteros cùm maritos non inuenio, aut ſpadones intelligam neceſſe eſt, aut continentes.* Et Occumenius. *Virgo erat Paulus, & quia dixerat: Cuperem omnes eſſe, vt ego ſum: dicit nunc, quòd manere virginem donum Dei eſt, non quod res noſtro egeat ſtudio; multùm enim laborat quiſpiam, in hoc vt dignus habeatur dono.* Atqui ſcioli iſti contendunt legendum eſſe; *volo enim*: ſic namque habent Græci codices: θέλω γὰρ: & cùm de maritis loquatur, neceſſariò inferri putant

Margin notes:
a lib. 9. de Gen. ad lit. c. 7. & lib. contra Fauſt. c. 8. & lib. 10. Confeſſionum c. 30.
b in exhort. ad caſt. cap. 3.
c de bono coniug. & lib. 5. ad Iulian. c. 7. … ad Bonif. … lib. 5. … pro… 32. q. 4. … hunc loc.
a ad Epheſ. 5. refert c. liberorum 32. queſt. 4.
b lib. 1. contra Iouin.
c de hor. caſt. cap. 3.
d libro. 1. ad vxor. c. 3.
e lib. de monog. cap. 3.
f cap. 11.
g cap. 3.
h in exhort. ad caſt. cap. 4.
i de mon. c. 8.

tant Paulum etiam ſe inter coniugatos numeraſſe, A Certè Hieronymus[a] legit, *Volo autem. Vis ſcire* (inquit) *quid velit Apoſtolus, iunge quod ſequitur. Volo autem omnes homines eſſe ſicut me ipſum. Beatus, qui Pauli ſimilis erit. Fœlix, qui audit Apoſtolum volentem, non ignoſcentem. Hoc* (inquis) *volo. hoc deſidero, vt imitatores mei ſitis. ſicut & ego Chriſti. Ille virgo de Virgine de incorrupta incorruptus: nos quia homines ſumus, & natiuitatem Saluatoris non poſſumus imitari; imitemur ſaltem conuerſationem. illud diuinitatis eſt, & beatitudinis, hoc humanæ conditionis eſt, & laboris.* Eodem modo legunt Cyprianus[b], Ambroſius[c], Auguſtinus[d]. Sed fac legendum eſſe, *Volo enim*, quomodo legit editio Romana: vnde colligis Paulum habuiſſe vxorem? mihi quidem certè hunc locum attentiùs, accuratiúſque ſpectanti, aut cæcus, aut prorſus B amens videtur is, qui non animaduertat; peruicax, aut planè impius, qui ſi viderit, non fateatur, quod omnis antiquitas obſeruauit. Dixerat Apoſtolus, ſe vſum coniugij ex indulgentia permittere, indicans ſe magis probare continentiam: cur probet, rationem reddit. Perueliin (enim inquit) vos omnes meam viuendi rationem imitari ab omni fœminæ congreſſu prorſus alienam: quod veriſſimum eſſe affirmant Ignatius[e], Chryſoſtomus[f], Theodoretus[g], Epiphanius[h], Hieronymus[i], Auguſtinus[k], Hilarius[l]. Fateor Clementem[m] Alexandrinum nonnullis Pauli verbis commotum aliter exiſtimaſſe; ſed quam vim habeant, ſiue quæ ad Philippenſes[n], ſiue quæ hac ipſa[o] Epiſtola ſcripta ſunt, ſuis locis oſtédimus. Græci codices qui vulgò circúferuntur ſic ha- C bent: θέλω γδ πάντας ἀνθρώπους, id eſt volo enim omnes homines. Romana editio habet omnes nos. Iam quoniam rem difficilem proponere ſe intelligebat, ſubdit. *Sed vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo.* Quibus verbis eos, qui matrimonio iuncti ſunt, mirum in modum conſolatur: Donum autem (interprete Theodoreto) vocat connubium: quippe eo, diuinitùs conceditur gratiæ ſubſidium, quo coniugalis continentia integrè ſeruetur. Ambroſius, & Hieronymus ſimpliciter donum accipiunt, quod cuique tribuitur à Deo: quamquàm vterque exiſtimat donum cuiuſque voluntati, ac deſiderio reſpondere; cùm re vera potius ſignificet Apoſtolus, à diuina liberalitate pendere, quæ ſingulis diuina ſua beneficia pro ſua voluntate largitur. Præcipuè autem cauenda videntur hæc Ambroſij verba. *Vnuſquiſque iuxta votum ſuum donum Dei habet; vt ſi velit ipſius nutu Dei poſſibilitatem conſequatur.* Et poſt nonnulla: *Poſtquam dixit, vnumquemque proprium donum habere à Deo, oſtendit in qua re melius eſt eſſe propenſiorem, quia in eo adiuuatur quis, quod videtur auiditate mentis appetere.* Et poſt pauca: *Quòd ſi impulſu carnis perſeuerare ſe viderint non poſſe, quia nec ſunt promptiores in eo ipſo, vt adiuuentur à Deo* (*illum enim Deus iuuat, quem videt tota virtute contendere*) *nubant vtique ſi vri timent*, cauenda inquam dixi hæc verba, ne fortè ab argutulo quopiam ad Pelagianum ſenſum trahantur: neque enim exiſtimo voluiſſe Ambroſium ſignificare diuinæ gratiæ beneficium à libero noſtro arbitrio anteuerti, ſed eum credo ſignificat vberiori auxilio adiuuante promoueri, qui excitanti gratiæ, ac diuinæ vocationi maiori niſu, conatúque reſponderit. Ait itaque Apoſtolus. *Alius quidem ſic, alius verò ſic.* Siquidem alij cœlibatum perpetuum diligunt, ſunt qui malint vxorem ducere, nec deſunt, qui lege connubij ſoluti viduitatem colant. Quæ omnia diuina quidem munera ſunt, ſed aliud alio maius, aliud alio præſtantius.

[a] lib. 1. aduer. Iouin.
[b] lib. 3. ad Quir. c. 32.
[c] In hunc locum.
[d] De oper. Monach c. 4.
[e] epiſt. 6
[f] hoc loco, & lib de virgin.
[g] Hic & Dialog. 1.
[h] Hær 58.
[i] 1 contr. Iouin. & ep. 22. ad Euſtoc.
[k] lib de grat & lib arb ca. 4. lib de opere Monac. ca 4. lib. de adult. coniug. cap. 4.
III.
[l] In Pſal 127.
[m] lib 3 Stro.
[n] cap 4.
[o] cap 6.

8. Dico avtem non nvptis, &c. Alteram
I. aggreditur quæſtionem, vel potius eiuſdem quæ- A ſtionis alteram partem, de iis, qui nondum nuptias celebrarant, itémque de iis, qui morte cõiugis connubij vinculo ſoluti erant: hoc enim cum ſuperiori quæſtione magnam videbatur habere cõnexionem: nam ſi laudabile eſt, eos qui matrimonio iuncti ſunt, caſtam & continentem ducere vitam; multò profectò laudabilius erit, ne inire quidem coniugium. Alloquitur igitur Apoſtolus cælibes, ſiue illi nondum nuptias experti ſint, ſiue experti quidem aliàs, in præſentia tamen liberi ſint, ac ſoluti. Quod igitur ait. *Dico autem non nuptis*: Græcè ἀγάμοις, hoc eſt, non coniugatos, & cœlibes alloquor. Theophylactus Græcè legit ταῖς ἀγάμοις, & de fœminis intelligit, quarum aliæ innuptæ ſint, & virgines, quæ cõiugia non ſunt expertæ, aliæ viduæ. At Chryſoſto- B mus, Theodoretus, Ambroſius, & Hieronymus ad vtrumque ſexum referunt; idque apertè Theodoretus affirmat. *Nemo autem exiſtimet* (ait) *eum viris quidem cœlibatum, poſt matrimonium autem continentiam ſolis mulieribus ſtatuere: vtraque enim docet vtrumque ſexum.* Quod autem ait τοῖς ἀγάμοις ad viros, ταῖς χήραις, ad fœminas refert, & in vtroque ſexu eos comprehendi iubet, tum qui nuptias nunquam contraxerunt, tum qui obitu coniugis connubij vinculo ſoluti ſunt; vt hæc ad continentiæ commendationem omnis pertineat oratio. Itaque ſiue viri, ſiue II. mulieres quacumque tandem ratione, coniugij lege ſoluti ſint, exemplo Apoſtoli ad perpetuam continentiam prouocantur. *Bonum* (inquit) *eſt, ſi permaneat ſicut & ego.* Vt neceſſe ſit quidquid hæretici vo- C ciferentur, fuiſſe Apoſtolum non modò cœlibem, & continentem, ſed penitus à coniugio alienum; & præter eos, quos paulò antè nominaui, etiam Ebion infenſiſſimus hoſtis Apoſtoli, eum fatetur Chriſto nomen dediſſe, antequàm nuptias celebraret. Sic enim de Ebioneis ſcribit Epiphanius[a]. *Paulum* (inquit) *accuſare non erubeſcunt per confiċta quædam verba ex maleficio, & errore pſeudoapoſtolorum ſuorum, Tarſenſem quidem ipſum, velut ipſe etiam confitetur, & non negat) dicentes, verùm ex Græcis ipſum fuiſſe aſſerentes, occaſione accepta ex loco ob veritatis ſtudium ab ipſo dicto. nempe Tarſenſis ſum non ignobilis vrbis ciuis. Deinde aſſerunt ipſum eſſe Græcum, & ex patre Græco: aſcendiſſe autem Hieroſolymam, & per tempus illic manſiſſe, concupiuiſſeque filiam ſacerdotis in vxorem* D *accipere, & huius gratia proſelytum, & acceſſoriam factum eſſe, & circumciſum eſſe. deinde cùm puellam aſſequutus non eſſet, ira concitatum eſſe, & contra circumciſionem ſcripſiſſe, & contra ſabbatum, & legem.* Quod hæreticorum commentum hactenus à nobis admittendum videtur, quod omnes Chriſtianæ virtutis hoſtes Paulum coniugij prorſus expertem Chriſto nomen dediſſe affirmant. Neque verò exiſtimandum eſt, quemquam adeo inſanire, vt Paulum inter Iudæos cælibem duxiſſe vitam, vbi verò Chriſtiana ſacra ſuſcepit, ſeſe nuptiis implicaſſe dicat. Itaque iubet Apoſtolus, eos, qui lege coniugij non tenerentur, ſuam vitæ rationem imitari. Nam ex his etiam verbis colligit Theodoretus, Paulum fuiſſe virginem, ac nuptiarum penitus expertem. *Rurſum* (in- E quit) *ſe ipſum oſtendit eſſe de multitudine eorum, qui coniugati non ſunt, neque enim merito quiſquam ipſum inter viduas producet, cùm adoleſcens adhuc fuerit, cum vocatione dignus habitus eſt.*

[a] Hæreſ.

Qvod si non se continent, nvbant, 9.
&c. Græca vox γαμῆσαι tam viris, quàm fœminis I.
communis eſt, vt hæc etiam ſententia ad vtrumque ſexum pertineat. *Si vim* (inquit Chryſoſtomus) *vehementer ſuſtineas, & æſtum libidinis, per me licet ab ea moleſtia liberum te reddas, & coniugium ineas.* Et Ambroſius: *Quòd ſi impulſu carnis perſeuerare ſe viderint non*

A *non poſſe, quia nec ſunt promptiores in eo ipſo, vt adiuuentur à Deo, nubant vtique, ſi vri timent.* Monet autem Theodoretus, vſtionem non vocari ab Apoſtolo cupiditatis moleſtiam, *ſed animæ mancipationem, & ad id, quod eſt deterius, inclinationem.* Confeſtim autem hoc planiùs explicans ſubdit. *Quod autem dicit eſt eiuſmodi, melius quidem eſt, & vos cui coniugalis conſuetudo nondum obtigit, & vos qui coniuncti quidem fuiſtis, ſed morte eſtis diſiuncti, eligere continentiam; ſin autem cupiditatis impetum ferre non poteſtis, ſed ad hoc ſuſtinendum certamen imbecillo animo eſtis, quoniam ad ea, quæ honeſta, & pulchra ſunt, non habetis alacre, & ardens animi propoſitum nulla lex prohibet, quominus matrimonium contrahatis.* Idem fermè indicare videtur Chryſoſtomus. *liberare* (inquit) *à laboribus, & ſudoribus, ne fortè euertaris.* B Idem omnino ſentit Clemens [a] Alexandrinus. *Ne animam tuam in ignem inicias, noctu & interdiu reſiſtens, & timens, ne à continentia excidas. nam cùm in reſiſtendo occupata fuerit anima, à ſpe eſt diuiſa. Apprehende ergo* (inquit his verbis Iſidorus in moralibus) *robuſtam mulierem, ne à Dei gratia excidas, & cùm ignem in ſemine extreneris, cum bona eres conſcientia.*

[a] 3. lib. Strom.

II. Eadem planè verba repetit Epiphanius [b], quæ tamẽ apud vtrumque nonnihil videntur deprauata; indicant tamen, vri non ſolùm eſſe, quod hæretici vociferantur, ardore libidinis æſtuare, & eum praua cupiditate continenter luctari, ſed voluptatis aculeis adeò vrgeri, vt ſuccumbas: quod paucíſſimis verbis ſignificaſſe videtur Ambroſius. *Vri verò* (inquit) *eſt deſiderijs angi, vel vinci: cùm enim voluntas calori carnis conſentit, vritur;* C *nam deſideria pati, & non vinci, illuſtris viri eſt, & perfecti.* Et Hieronymus [c]. *Melius eſt* (inquit) *nubere, quàm vri, id eſt melius eſt maritum ducere, quàm fornicari.* Atqui non apta videtur comparatio, cùm inire coniugium res ſit indifferens, quæ rectè perfici poteſt: ac vri; hoc eſt illecebris voluptatis capi, ac deliniri, ſemper malum eſt. Verùm acutè reſpondet Ambroſius: Non ideo dixit, *Melius eſt enim nubere, quàm vri, quaſi bonum ſit vri, ideo nubere melius; ſed conſuetudinem ſequutus eſt; ſolemus enim dicere, melius eſt lucrum facere, quàm damnum.* Nec minùs argutè Hieronymus [d]: *Ideo* (ait) *melius eſt nubere, quia peius eſt vri: tolle ardorem libidinis, & non dicet, quia melius eſt nubere.* D *Melius ſemper ad comparationem deterioris reſpicit, non ad ſimplicitatem incomparabilis per ſe boni: velut ſi dicerent; melius eſt vnum oculum habere, quàm nullum.* Et paulò pòſt: *Suſpecta eſt mihi bonitas eius rei, quam magnitudo alterius mali, malum cogit eſſe inferius.* Quibus verbis imitatus videtur Hieronymus Tertullianum, qui ad vxorem hæc olim [e] ſcripſit. Quod denique ſcriptum eſt, *Melius eſt nubere, quam vri: Quale hoc bonum eſt* (oro te) *quod mali comparatio commendat? vt ideo melius ſit nubere, quia deterius eſt vri. At enim quantò melius eſt neque nubere, neque vri?* Et alibi [f]: *Denique cùm dicit: melius eſt nubere, quàm vri: quale id bonum intelligendum, quod melius eſt pœna? Quod non poteſt videri melius, niſi peſſimo comparatum? Bonum illud eſt, quod per ſe hoc nomen tenet, ſine comparatione non dico mali, ſed etiam boni alterius: vt ſi & alio bono comparatum adumbretur, remaneat nihilominus in boni nomine.* E *Cæterùm ſi per mali collationem cogitur bonum dici, non tam bonum eſt, quam genus mali inferioris, quod ab altiore malo obſcuratum ad nomen boni impellitur. Auſer denique conditionem, vt non dicas melius eſt nubere, quam vri, & quæro, an dicere audeas, melius nubere, non adiiciens quo melius ſit. Fit ergo iam non melius, & dum nõ melius nec bonũ, ſublata conditione, quæ dum melius illud facit alio, ita bonũ haberi cogit. Melius eſt vnũ oculum amittere, quàm duos; ſi tamen diſcedas à comparatione mali vtriuſque, non erit melius vnum oculum habere, quia nec bonum.* Ruſus [a] alibi eadem propemodum repetit, qui alibi [b] hoc loco aduerſus Catholicos abutitur. *Quoties* (inquit) *volunt nubant, ne mœchia, & fornicationi ſuccidere cogantur: quoniam melius eſt nubere, quàm vri: nimirum propter continentiam incontinentia neceſſaria eſt, incendium ignibus extinguetur.* Denique alibi [c]: *Innuptis quoque, & viduis bonum eſſe dicit exemplo eius perſeuerare. Si verò deſicerent nubere, quia præeſt nubere, quàm vri. Quibus* (oro) *ignibus deterius eſt vri, concupiſcentiæ, an pœnæ? Atquin ſi fornicatio habet veniam, non erit concupiſcentia eius: Apoſtoli autem magis eſt pœna ignibus prouidere. Quod ſi pœna eſt quæ vrit, ergò veniam non habet fornicatio, quam manet pœna.* B Quo loco videtur vſtionem interpretari pœnam, quæ ſcortationi debetur. Quod apertè aſſerunt Hieronymiani commentarij, quod quamquàm mihi parum videtur ad rem, non eſt tamen contra omnium veterum opinionem, quod falsò dixit non nemo. Nec videtur hæc loquendi ratio aliena à veterum conſuetudine. Sic enim dixit alicubi [d] poëtarum princeps.

Vritur infelix Dido, totáque vagatur
Vrbe furens.

Et alibi.

[e] *Formoſum paſtor Corydon ardebat Alexim.*

Et ſapiens [f]. *Anima* (inquit) *calida quaſi ignis ardens non extinguetur, donec aliquid glutiat; & homo nequam in ore carnis ſuæ non deſinet, donec incendat ignem;* loquitur enim non modò de libidinis æſtu, ſed de illo C ardore, quo inflammata voluntas iam anhelat ad ſcelus.

III. Hęc idcirco tam copioſè recenſui, vt hæretici, qui nuptias adeo hoc teſtimonio extollunt, vt eas etiam ſacris initiatis, & voto ſolemni continẽtiæ obſtrictis imperent, perſpicuè cognoſcant quomodo hæc verba intellexerint veteres; & quale tandem bonum cenſeatur coniugium, ſi ſcortationi præfertur. Quáquàm hoc ipſum (vt ſuprà monui) de iis intelligitur, quibus integrum eſt connubium inire: nam qui alio ſanctiori vinculo aſtringuntur, habent quo impuræ libidinis impetus frangant, & æſtus reſtinguant. At loquitur Apoſtolus vniuerſim de iis, qui cælibes ſunt, non nego; ſed eos alloquitur, quibus fas etat inire nuptias. Quibuſdam nuptias eſſe interdictas indicat alibi [g] Apoſtolus, cùm de nonnullis D ita ſcribit: *Adoleſcentiores autem viduas deuita; cùm enim luxuriatæ fuerint in Chriſto nubere volunt habentes damnationem; quia primam fidem irritam fecerunt.* Fieri igitur poteſt, vt aliquæ nubentes damnationem habeant: non igitur omnibus fas eſt matrimonio copulari, ſi præſertim fides ſit alio vinculo obſtricta. Eodem pertinent, quæ ſcribit Auguſtinus [h]. *Nemo poſitus in monaſterio frater dicat, recedo de monaſterio, neque enim ſoli qui ſunt in monaſterio peruenturi ſunt ad regnum cælorum, & illi, qui ibi non ſunt ad Deum non pertinent; reſpondetur ei; ſed illi non vouerunt; tu vouiſti, tu retro reſpexiſti; meminiſſéque debent vxoris Loth, quæ liberata eſt à Sodomis, & in via poſita retrorſum reſpexit, vbi reſpexit ibi remanſit.* Et ibidem alludens ad verba Pauli. *Quid eſt* (inquit) *primam fidem irritam fecerunt? Vouerunt, & non red-* E *diderunt.*

10. I. IIS AVTEM, QVI MATRIMONIO, &c. Hactenus de prima quæſtione; à Corinthiis propoſita ex ſua ſententia diſſeruit Apoſtolus; iam addit corollarium, in quo agit de repudio; cùm enim illud paſſim à gentibus vſurparetur, & apud Iudæos lege permiſſum eſſet, quæ ſi erant Corinthij; nunquid fas etiam eſſet Chriſtianis aliqua de cauſa vxori nuncium remittere? Putántque nonnulli fuiſſe inter Corinthios, qui exiſtimarent, coniugia fidei repugnare;

[b] Hær. 31.
[c] in Apolog. ad Pammac.
[d] in Apolog. ad Pammac.
[e] lib. 1. c. 3.
[f] lib. de Monog. c. 3.
[a] in exhort. ad caſt. cap. 3.
[b] lib de pud. cap. 1.
[c] eodem lib. cap. 10.
[d] Virg. 4. Æneid.
[e] Eclog. 2.
[f] Eccleſiaſtic. 23.
[g] ep. 1. ad Timoth. 5.
[h] in Pſal. 75.

guæ; atque idcirco eã non admitterent, vel à baptiſmo dirimerent, cui quæſtioni non alia ratione reſpondet Apoſtolus, quàm propoſita Chriſti doctrina. Ait igitur. *Iis autem, qui matrimonio iuncti ſunt*, græcè τοῖς δὲ γεγαμηκόσι, hoc eſt *coniugatis*; vel vt ait Cyprianus; *eis quæ nupſerint*. Quamquam enim apud Græcos eſt genus maſculum, eo tamen etiam comprehenditur fœmineum. Vtitur autem præcipiendi verbo, quòd non ſuam, ſed Domini ſententiam explicaret, quæ rem omnino neceſſariam contineret, & ob eam cauſam; *Præcipio* (inquit) *non ego, ſed Dominus*. Alludit autem Apoſtolus ad Chriſti verba apud

a cap 5. 12.

Matthæum [a]. *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari, & qui dimiſſam duxerit, adulterat.* Et alibi [b]. *Quicumque dimiſerit vxorem ſuam niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimiſſam duxerit, mœchatur.* Ex quibus verbis tria videntur poſſe colligi, de quibus ſuo loco diſputandum [c] eſt. Primum, non niſi propter ſcortationem poſſe coniugem ſe ab alterius conſuetudine ſeiungere; quod tamen ex eo loco non rectè colligi perſpicuè videor alibi oſtendiſſe: alterum, nefas eſſe cuiquam alterius vxorem à viro ſeiunctam, illo ſuperſtite, ducere: tertium, ac poſtremum, non licere ei, qui à ſe vxorem dimittit, quamdiu illa vixerit, nouum inire coniugium: quæ duo multis loco indicato confirmauimus. Ex hac igitur Chriſti doctrina, rectè monet Apoſtolus, ne vxor à viro diſcedat; aut ſi diſceſſerit, cælibem vitam ducat. Ad hunc autem locum alludens Tertullianus [d]. *Atquin* (ait) *& Chriſti Apoſtolus, cum præcipit mulierem à viro non diſcedere, aut ſi diſceſſerit manere innuptam, aut reconciliari viro, & repudium permiſit, quod non in totum prohibuit, & matrimonium confirmauit, quod primo vetuit disiungi, & ſi forte disiunctum voluit reformari.* Alibi [e]: *Interea & diuortium prohibens, pro eo aut viduitatis perſeuerantiam, aut reconciliationem pacis dominico præcepto aduerſus mœchiam procurat, quia qui dimiſerit vxorem præter cauſam mœchiæ, facit eam mœchari, & qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur.* Quamquam autem Apoſtolus ſeparationem permiſerat tori, orationis, & ieiunij gratia; nũc dum eam prohibet (vt monet Theodoretus) ſecum nullo modo pugnat: ibi enim eos alloquitur, qui non aliam ob cauſam, niſi cõtinentiæ gratia ſeiungi, ac ſeparari volunt: hic autem iis legem ſtatuit, qui ob alias contentiones, atque diſſidia diuortia quærunt; quibus firmum, ac penitus indiſſolubile coniugij vinculum proponit, & quidem adhibita (vt dictum eſt) Chriſti Domini auctoritate. Obſeruat autem Chryſoſtomus, eamdem prorſus vim habere illa, quæ ſuo nomine Apoſtolus denuntiat, atque ea, quæ à Domino præcepta eſſe dicuntur, in quo (vt paulò antè monuimus) lapſus videtur Tertullianus.

b cap. 19. 9.

c in epiſt. ad Rom. cap. 7.

II.

d li. 5 in Mat. cap 7.

e li de pudic cap 16.

II. I.

QVOD SI DISCESSERIT MANERE INNVPTAM, &c. Non ergo poteſt viuente viro alteri copulari; quæ eſt omnium antiquorum ſententia, à qua temerè quidam Catholici receſſerunt, malos omnino ſequuti auctores ſuperioris ſæculi hæreticos. Explicat itaque Apoſtolus Chriſti Domini præceptum, de quo dixerat etiam in Epiſtola [f] ad Romanos. Multa de hoc loco Auguſtinus [g]; & copioſiùs expoſuimus in Epiſtola ad Romanos. Rectè autem monet Chryſoſtomus, eamdem legem hoc loco viro, ac fœminæ imponi, vt infrà planiùs oſtendam. Ambroſius tamen Apoſtoli verba perinde accipit, ac ſi de iis loquatur, qui propter virorum mores importunos ab iis recedunt. Quod etiam ſignificat Chryſoſtomus. *Nam quoniam* (inquit) *& propter continentiam, & propter alias occaſiones, & puſilli*

f cap. 7.

g lib. 1. de Ser. Dom. in mõte cap. 13. & 15.

A *animi ſcrupulos contingebat fieri diuiſiones; meliùs quidem* (inquit) *erat omnino non fieri; ſed ſi factum ſit, maneat vxor cum marito, & ſi non concubitu, eo tamen quòd nullum alium virum adducat.* Significat enim Apoſtolus (vt monet Tertullianus [a]) matrimonij vinculum perpetuum eſſe, quod hoc ipſo capite planiùs explicat non ita multò pòſt. Ad hunc locum alludens Euariſtus [b], ſi tamen is cenſendus eſt auctor, *Vxori* (inquit) *non licet dimittere virum ſuum, vt alteri ſe viuente eo matrimonio ſociet, aut eum adulteret, licèt fornicatus ſit vir eius; ſed iuxta Apoſtolum, aut viro ſuo reconciliari debet, aut manere innupta.* Et Patres concilij [c] Mileuitani. *Placuit* (inquiunt) *vt ſecundum euangelicam, & apoſtolicam diſciplinam, neque dimiſſus ab vxore, neque dimiſſa à marito alteri coniun-*

a lib de pudic. cap. 16.

b epiſt. 2.

c cap. 17.

B *gantur, ſed ita maneant, aut ſibimet reconcilientur.* Eodem modo loquitur Hieronymus [d], neque aliter ſentit Auguſtinus [e]. Nec dubium eſt, quidquid hæretici contrà ſentiant, loqui Apoſtolum (vt docet Auguſtinus) de iuſto diuortio, quod tamen ait, coniugij vinculum non ſoluere, vt fuſiùs oſtendi in Epiſtola ad Romanos [f]; vbi hac de re fuſiùs diſſerui. Quamquam autem non deſunt, qui hæc Pauli verba ad ſolam fornicationem reſtringant, habeántque grauiſſimos auctores, quos ſequantur, Hieronymum, Auguſtinum, & alios; non tamen aliorum repudianda eſt ſententia; qui alias etiam huius diuortij cauſas admittunt. Quamuis enim hæc ſententia minimè placeat hæreticis; non deſtituitur tamen magnorum virorum teſtimonio: nam præter Chry-

d ep 147 ad Amand. & in Apol. pro lib. cont. Iouin.

e lib. 2. de adult. coniug. propè finem.

f cap. 7. 2.

C ſoſtomum, & Ambroſium, quos paulò antè nominaui, id apertiſſimè aſſerit Theodoretus. *Hic autem* (inquit) *iis legem ſtatuit, qui de aliis rebus contendunt, & conatur quidem firmum, & infractum ſeruare matrimonij vinculum. ſe autem ad eorum, qui ſeparantur, imbecillitatem demittens, & ea ratione prohibens, ne matrimonium disiungatur; cum enim alteri coniugi prohibeat vtramque partem ad prius matrimonium redire compellit.* Subdit: *Et vir vxorem ne dimittat.* Quæ proculdubio Apoſtoli verba non aliter intelligenda ſunt, quàm verba Chriſti, excepta videlicet fornicationis cauſa. Qua verò ratione aliæ cauſæ diuortij admittantur, atque vſu fidelium receptæ ſint, ſuo loco explicui. Cæterùm cautè legenda ſunt quæ in præſentia ſcribit auctor commentariorum, qui Am- II.

D broſio tribuuntur. *Si continere ſe* (inquit) *non poteſt, quia pugnare non vult contra carnem, viro reconcilietur; non enim permittitur vt nubat, ſi virum ſuum cauſa fornicationis dimiſerit, aut apoſtaſia, aut impellente laſcivia vſum quærat vxoris inuertere, quia inferior non omnino hac lege vtitur, qua potior.* Et paulò pòſt. *Et virum* (inquit) *vxorem non dimittere, ſubauditur autem, excepta fornicationis cauſa; & ideo non ſubiecit dicens ſicut de muliere, quòd ſi diſceſſerit, manere ſic, quia viro licet ducere vxorem, ſi dimiſerit vxorem peccantem; quia non ita lege conſtringitur vir, ſicut mulier; caput enim mulieris vir eſt.* Quæ omnia quàm ſint à veritate aliena, vel ex eo conſtat, quod certum eſt multo aliter ſenſiſſe Ambroſium [g]; vt vel hinc appareat, hos commentarios (vt aliàs monui) nullo

g lib. 1. de Abr. cap. 4. & l. 8. in Luc. initio.

E modo eſſe Ambroſij. Eodem modo benignè explicanda ſunt quæ ſcribunt hoc loco Chryſoſtomus, & Baſilius ad Amphilochium [h]. Ille namque videtur inſinuare connubij vinculum adulterio penitus ſolui; hic verò viris, qui à coniugibus ob adulterium relicti ſunt, facere videtur poteſtatem aliud ineundi coniugium, fœminis non item, quod à Catholicis admitti nullo modo poteſt. Ingens tamen (vt paulò antè indicaui) dubitatio exoritur ex verbis Chriſti, qui exceptione fornicationis adhibita, videtur concedere matrimonij diſſolutionem propter adul-

h Can. 8.

terium. Itaque tria illa, quæ paulò antè indicaui, quàm breuiſſimè expedienda viderentur, niſi de loco Matthæi fuſiùs in Epiſtola[a] ad Romanos dictū[b] eſſet.

[a disputa... ad c. 7.] [b p. 7. 2.]

12. I. Nam cæteris ego dico, non Dominvs, &c. Quid ergo negant hæretici quidquam verbo Dei addendum? Non habuit hæc Paulus ex verbo Dei, & tamen non dubitat ea ſuadere, ac proponere fidelibus: nimirum intelligebat, multa ſibi licere, quæ disertè verbo Dei ſcripto non comprehenderentur. Sic infrà: *præceptum Domini non habeo, conſilium autem do.* Certè hoc pertinet ad ſecundam quæſtionem propoſitam à Corinthiis, in qua explicandum erat, quid iis agendum ſit, qui coniugi infideli iuncti ſunt. Monet autem Theodoretus loqui Apoſtolum de iis, qui antè fidem ſuſceptam matrimonia inierant, & deinde altero in infidelitate permanente, alter Chriſto nomen dediſſet. Non enim poteſtatem facit, vt fidelis mulier infideli nubat, vel contrà vir fidelis vxorem ducat gentilem; ſed tantùm iubet fideles infidelium coniugum imbecillitatem tolerare, propoſita ſpe ſalutis ipſorum. Exigit autem Apoſtolus conditionem. *Et hæc* (inquit) *conſentit habitare cum illo*: hoc eſt non illum auerſatur, neque illum in fraudem impellit; nam ſi conetur pertrahere ad infidelitatem, aliter ſentiendum erit, vt paulò pòſt conſtabit. Tractans hunc locum Tertullianus*, ait: *Hanc monitionem fors fidelibus innuptis ſimpliciter intelligendam putent, etiam infidelibus nubere licere; qui ita interpretantur. Abſit vt ſciens ſe circumſcribat. Cæterùm manifeſtum eſt ſcripturam iſtam eos fideles deſignare, qui in matrimonio gentili inuenti à Dei gratia fuerunt, ſecundùm verba ipſa, Si quis (inquit) fidelis vxorem habet infidelem. non dicit vxorem ducit infidelem; oſtendit iam in matrimonio agentem mulieris infidelis, mox gratia Dei conuerſum perſeuerare cum vxore debere: ſcilicet propterea, ne qui fidem conſequutus putaret ſibi diuertendum eſſe ab aliena iam, & extranea quodammodò fœmina*: quod ipſum mox eadem prorſus ratione de fœmina præcipit. Porrò à multis in quæſtionem vocatur, ſit-ne hoc Pauli præceptum adeo neceſſariū, vt imponeret eo ſaltem tempore omnibus parendi neceſſitatem. Sanè id affirmant Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, Ambroſius, aliique nō pauci recentiores: atqui fermè omnes Theologi in ſcholis negant, liberúmque putant fuiſſe fideli ab infideli coniuge recedere; non quod matrimonium diſſoluatur, vt multis aduerſus Pollentium probat Auguſtinus[c], & definit Innocentius[d]. Sed quia Apoſtolus noluit onus imponere, quod vel nō oritur ex rei natura, vel nō fit à Chriſto Domino impoſitum, dixit ſe priuato nomine id ſcribere, non Domini auctoritate, quaſi velit conſiliū tunc tēporis opportunū fuiſſe, nō perpetuum præceptū. Vtrùm autem potuerint Apoſtoli imponere præcepta quæ vim haberent diuinam, & eſſent prorſus indiſpenſabilia alibi expedio. quòd ſi Tertullianus hoc voluit ſignificare cùm dixit, Apoſtolum hæc ſcripſiſſe humano ſenſu, non videtur reprehendendus: quamquàm modus ipſe loquendi non admodum probatur; ſequebatur enim Paulus, cæterique Apoſtoli non humanum ſenſum, ſed diuini ſpiritus impulſum, quo maximè mouebantur cùm Epiſtolas canonicas, hoc eſt verbum Dei ſcriberent. Tunc enim erant quaſi Dei internuntij, vt de Moſe affirmant Clemens[e] Alexandrinus, Origenes[f], & Hieronymus[g], Irenæus[h], Auguſtinus[i], Beatus Thomas[k], & alij[l]. nec pugnant Chryſoſtomus[m], & Theodoretus[n], qui aiunt Apoſtolum dixiſſe non eſſe hoc Domini præceptum, quia nuſquàm

[* lib. 2. ad vxor. cap. 2.] [c lib. 1. de adulterinis coniug. c. 18.] [d cap. Iudæorum. de diuortiis.] [e–n: illegible marginal references]

A legitur ſcriptum; nam proculdubio id Apoſtolo Spiritus ſanctus afflauit, vt eo tempore opportunum.

13. I. Et si qva mvlier habet virvm, &c. Quærit Chryſoſtomus, cur fornicatio det iuſtam repudij cauſam, infidelitas autem non item; cùm tamen (vt loquitur Chryſoſtomus), longè minus peccatum ſit fornicatio, quàm infidelitas. Huius porrò rei cauſam ad vnam Dei beneficentiam reuocat. *Deus* (inquit) *ſuis valdè parcit, hoc etiam facit in ſacrificio, dicens, dimitte ſacrificium, & reconciliare fratri tuo: hoc etiam in eo qui decies mille talenta debebat; nam illum, qui ipſi debebat decies mille talenta non puniit, de eo autem, qui à conſeruo centum exigebat denarios ſumpſit ſupplicium.* Quibus verbis indicat,

B permiſiſſe Deum ob fornicationem diuortium, non autem propter infidelitatem, quòd illa eſſet in coniugem contumelia: Faciliùs autem Deum ſuas iniurias condonare, quàm quæ fiunt in proximos. Cæterùm ex iis, quæ conſequuntur apparet, hæc de iis infidelibus accipienda eſſe, quæ cum fidelibus coniugibus pacificè, & tranquillè viuunt abſque iniuria, & contumelia creatoris. Hoc autem initio naſcentis Eccleſiæ valdè erat opportunum, tum ne fides exoſa eſſet infidelibus, tum quia ſpes erat traducendi gentiles ad Chriſtum. Nam (vt paulò antè monui) hoc apoſtolicum conſilium non habebat vim præcepti, nec ita omnibus faciendum erat, ſi præſertim periculum eſſet in illo conuictu, vel nulla ſpes eſſet conuerſionis coniugis; quæ erat potiſſima

C cauſa, cur hoc Paulus conſilium daret, cùm præſertim infidelitas coniugis non dirimat connubij nexum, neque vllam afferat fœditatem. Ita accipienda ſunt Pauli verba, cùm dicit. *Et hæc conſentit habitare cum illo*; nam ſi ſecus eſſet, & infidelis coniugem niteretur ad impietatem reuocare: hoc Apoſtoli conſilium non haberet locum. Quæ cauſa fuit, vt multis Conciliorum canonibus coniugia cum infidelibus ſeuerè prohibeantur propter periculum. Quamobrem rectè Photius Paulum interpretatur, cùm dixit: *Et hæc conſentit habitare cum illo*: quaſi intelligat animi propenſionem in infideli ad fidem percipiendam, atque ita nullum eſſe periculum contumeliæ creatoris; nō eſſe autem de fidelis conſtantia dubitandum, cùm hoc animo, conſilióque

D cum infideli commoratur, vt ſuo exēplo, & adhortatione ad Chriſtum illum adducat. Nam quoniam de iis, qui nuper ad fidem acceſſerunt, meritò Eccleſia dubitare poteſt, hanc cum infideli coniuge commorationem non tolerat; intelligit enim, hoc Apoſtolicum conſilium temporibus ac perſonis fuiſſe accommodatum. Cur autem hoc ſuadeat Apoſtolus, mox explicans ſubdit.

14. I. Sanctificatvs est enim vir infidelis, &c. Sūt qui hæc de ſanctitate cōiugij interpretentur, quaſi dicat Apoſtolus coniugem fidelem ex conſuetudine cum infideli non pollui; plus enim valere ad matrimonij ſanctitatem alterius coniugis fidem, quàm obſit alterius infidelitas. Itaque ſenſus erit; vſus coniugij fidelis cum infideli ſanctus eſt; quippe qui nulla lege prohibeatur; & filij quoque

E ſancti ſunt, id eſt nulla labe fœdari, quāuis ex impari matrimonio nati ſint. Quē ſenſum indicat ſub obſcurè Chryſoſtomus. *Atqui* (inquit) *ſi is, qui meretrici adhæret eſt vnum. perſpicuū eſt, quòd etiā quæ adhæret idololatræ vnum eſt corpus. vnū quidem eſt corpus, ſed nō fit immunda, ſed vincit munditia mulieris viri immunditiam, & rurſus munditia viri fidelis vincit immunditiam mulieris infidelis.* Cautè autem legenda ſunt quæ mox ſubdit de fornicatione. *Quoniam* (inquit) *hic ſpes eſt fore vt per matrimonium ſalua ſit pars quæ perit: illic autem*

autem (hoc eſt fornicatione) *iam ſolutum eſt matrimonium*; vnde ſubdit, totam perire matrimonij puritatem. Et paulò pòſt: *Præterea* (inquit) *ille quidem poſt fornicationem maritus non eſt maritus: hæc autem mulier licet ſit cultrix idolorum non amittit ius mariti* hæc (inquam) omnia cautè legenda ſunt; ne quis fortè ſuſpicetur adulterio ſolui coniugium. tantum enim ſignificat adulterium contra matrimonij vinculum eſſe, & adulterum, contra matrimonij iura peccare, & fœdera violare; quod non facit infidelitas. Rectè autem explicat Chryſoſtomus, quid ſit ſanctificari virum vel fœminam infidelem per fidelem. *Sanctificatus enim* (inquit) *eſt vir infidelis per vxorem, tanta eſt copia ſua munditia. Quid ergo? Sanctus-ne eſt Græcus ethnicus? nequaquam: non dixit enim ſanctus eſt, ſed ſanctificatus eſt per mulierem. Hoc autem dixit, non vt eum oſtenderet eſſe ſanctum, ſed vt ex abundantia mulieri eximeret metum, & illum adduceret ad deſiderium pietatis; non eſt enim immunditia corporum quorum eſt coniunctio, ſed liberi arbitrij, & cogitationum*. Paulò aliter videtur loqui Theodoretus. *Sanctificatus eſt enim vir infidelis in vxore, & ſanctificata vxor infidelis in marito, hoc eſt, habet ſpem ſalutis.* Simile quiddam indicat Ambroſius. *Habere* (inquit) *illos beneficium bonæ voluntatis oſtendit; quia horrorem nominis Chriſti non habere ad tuitionem officij pertinet, in quo ſignum ſit Crucis quo mors victa eſt; ſanctificatio enim eſt.* Igitur hîc ſanctificationem coniugis non intelligit Apoſtolus eam, qua qui fit verè iuſtus, & ſanctus; ſed qua vſus coniugij honeſtatur, & quæ nullam ſpem affert ſalutis, quæ eſt veluti remota quædam, vt ita dicam, præparatio ad fidem; nam de infidelium conuerſione ad Chriſtum, paulò pòſt agit: *Alioqui* (ait) *filij veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt.*

II. Quia dixerat, coniugium fidelis ſactitate, quodammodò ſanctificari, rectè infert filios non eſſe immundos, ſed ſanctos: quod Hieronymus interpretatur fideles fieri, & pertinere ad Eccleſiam, quod etiam ſubindicat Theodoretus. *Sin autem* (ait) *aut ipſe, aut ipſa in morbo permaneat, ſemen illius erit ſalutis particeps.* Ambroſius aliò trahit: videtur enim ſignificare, fore illegitimos filios eorum, qui coniugem infidelem repudiarent, qui citra contumeliam creatoris viuere vellet cum fideli. *Immundi* (inquit) *eſſent filij eorum, ſi dimitterent volentes habitare ſecum; eſſent enim adulteri, ac per hoc filij eorum ſpurij, ideo immundi, nunc autem ſancti ſunt, quia ſub creatoris veneratione nati ſunt propenſiore ex parte; quia ſicut quidquid per dicationem idolorum fit, immundum eſt; ita quidquid ſub Dei creatoris profeſſione fit, ſanctum eſt.* Perperam igitur Pauli verba interpretantur ij, qui hæc ad puerorum iuſtitiam, & ſanctitatem referunt: quaſi fidelium liberi nulla originaria labe infecti naſcantur, quod fuit olim Pelagianorum dogma, de quo alibi fuſiùs dicendum erit. Quòd ſi liberè dicendum ſit, quod ſentio, Ambroſij ſententia mihi videtur ad veritatem propenſior; neque enim facilè crediderim gentiles olim paſſuros eſſe, vt liberi ſi qui ex viro, aut fœmina gentili orirentur, Chriſtiana ſacra ſuſciperent. Fuit quidem id Chriſtianorum principum auctoritate piè, ac religioſè ſancitum, vt qui liberi ex impari coniugio naſcerentur, baptiſmo luſtrati, ad Eccleſiam pertinerent: ſed quo tempore Paulus ſcripſit, cùm vbique infideles dominarentur, longè alia videtur fuiſſe ratio. Cæterùm, quod attinet ad verba per fœminam, & per virum, græcè legitur ἐν τῇ γυναικὶ καὶ ἐν τῷ ἀνδρὶ, in fœmina, & in viro more hebraico, vt aliàs ſæpè monui. Quomodo hunc locum citat Auguſtinus[a]. *Sanctificatus eſt enim* (inquit) *vir infidelis in vxore fideli, & ſanctificata eſt mulier fidelis in fratre fideli.* & paulò pòſt addit, fratrem appellari Chriſtianum, ſanctificatum autem interpretatur purificatum; quia ſequitur; alioqui filij veſtri immundi erunt; videtur enim etiam ipſe loqui de legitimo vſu coniugij, ex quo legitima proles gignitur. Ita videas fidei ſacramento non ſolui coniugij legitimum vinculum, quod alibi fuſiùs docui.

a lib. 1. de ſer. Do. in mon.

15. Qvod si infidelis discedit, discedat, &c. *Pars* (inquit Theodoretus) *quæ credit, non det occaſionem diuortio: Sin autem pars, quæ laborat velit diuertere, ea innocens, & nullis affinis reprehenſioni.* Chryſoſtomus tamen videtur indicare tum demum fideli ab infideli recedendum eſſe, ſi ad impietatem pertrahatur ab infideli. *Si iubet* (inquit) *te ſacrificare, aut eſſe ſociam impietatis propter matrimonium, aut recedere; meliùs eſt, vt diuellatur matrimonium, quàm pietas.* Vtrouis autem modo coniugium dirimatur, fidelis, vt ait Ambroſius, non erit reus diſſoluti matrimonij: *maior enim Dei cauſa eſt, quàm matrimonij. Non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater, aut ſoror in huiuſmodi:* hoc eſt (vt notat Ambroſius) *non debetur reuerentia coniugij ei, qui horret auctorem coniugij.* Meliùs commentarij nomine Hieronymi, *Non enim ita adſtrictus eſt frater ia lege coniugij, vt infideli quacumque ratione ſeruire cogatur, & eius cauſa interire.* Quocirca rectè poſt Euangelij promulgationem propter contumeliam creatoris cenſet Eccleſia connubia fidelium cum infidelibus penitus diſſolui, quod Ambroſij commentarij apertiſſimè docent. *Non enim* (inquit) *ratum eſt matrimonium, quod ſine Dei deuotione eſt, ac per hoc non eſt peccatum ei, qui dimittitur propter Deum, ſi alij ſe iunxerit. Contumelia enim creatoris ſoluit ius matrimonij, circa eum qui relinquitur, ne accuſetur alij copulatus. Infidelis autem diſcedens, & in Deum, & in matrimonium peccare dignoſcitur, quia noluit ſub Dei deuotione habere coniugium. Itaque non eſt ei fides ſeruanda coniugij, qui ideo receſſit, ne audiret auctorem eſſe Chriſtianorum Deum coniugij*: ita hunc locum explicant canones[a] recentiores, itáque in Eccleſia vſu receptũ eſt. Diſcedere autem cenſetur infidelis quoties non vult cum fideli viuere citrà creatoris contumeliam, vel conatur fidelem ad impietatem pertrahere, vel omnino renuit Chriſtianam fidem complecti: nam quoniam (vt ſuprà dixi) Eccleſia cenſuit huiuſmodi conſuetudinem cum infidelibus periculoſam eſſe, atque ob eam cauſam eam fidelibus interdixit: conſequens eſt, vt ad fidem conſeruo poteſtas fiat à priori coniugio recedendi, & ſecundum cum fideli ineundi, vt alibi copioſiùs oſtendo. Subdit. *In pace autem vocauit nos Deus.* Atqui obijcit Theodoretus dixiſſe Chriſtum[b]. Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: *non veni pacem mittere, ſed gladium. veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum; & filiam aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſus ſocrum ſuam, & inimici hominis domeſtici eius.* Reſpondet autem, non pugnare Apoſtolum cum verbis Chriſti; ſignificat enim tantummodò, doctrinam Euangelicam nullam rebus humanis afferre perturbationem, aut confuſionem, ſed potiùs veram Dei gratiam, & pacem mortalibus elargiri: Chriſtus autem negat ſe pacem illam attuliſſe, quam mundus probat & amat, hoc eſt in rebus malis concordiam, & conſpirationem. Nam alioqui veram pacem Chriſtum allaturum & prophetæ vaticinati[c] ſunt, & angeli[d], illo nato promolgarunt: & ipſemet ſe dare, ac relinquere palàm affirmauit[e]. *Pacem* (ait) *meam relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Quæ eſt ſententia Hieronymi[f], Chryſoſtomi[g], Auctoris[h] imperfecti, Gregorij[i],

a c. quam. & c. iudæos. de diuort.

b Mat. 10. 34.

c Iſa. 9. & 11. ...

d Luc. 2.

e Ioan. 14. ...

f Mat. 10.

g Hom. 36 in Matth.

h Hom. 26

i ep. paſt. ... 23.

Bedæ

Matth.10. Bedæ [a], Theophylacti [a]. Vt interim omittam, non ita accipiẽda eſſe verba Chriſti, quaſi ille fuerit diſſidij, aut belli auctor inter pareotes & liberos, cæteráſque bumanas neceſſitudines; ſed quòd illius Euangelij occaſiooe diſſenſiooes, atque diſcordiæ excitandæ eſſent. Quomodo alibi dixit [b]: *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant.* Et Simeon apud Lucam [c]. *Poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorum.* Accedit quòd Chriſtus de gladio ſpirituali loquitur, qui parentes & cognatos contemnendos docuit, quoties Chriſtianæ perfectionis curſum vel impedirent, vel retardarent. Ita apud Lucam dixit: *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem ſuam, & vxorem, & filios, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Hæc autem ſpiritualis pugna, veram ac ſpiritualem pacem parit, & veram, quam Chriſtus attulit, quæ citra fidem baberi noo poteſt. Non placent igitur viri, & vxoris diſcordiæ præſertim cauſa religionis: qua de re multa ſcribit Tertullianus [d], coniugia cum iofidelibus diſſuadens, quorum multa receuſet abſurda, atque pericula, quæ non ſolùm domeſticæ paci, & quieti repugnant, ſed non parum pietati obeſſe poſſunt: quæ cauſa fuit, vt Eccleſia coniugia cum infidelibus omnino prohibuerit, adeóque ſi ineantur, nulla atque irrita eſſe voluerit, vt alibi copioſiùs doceo.

b Ioan 9. 39.
c cap.2.34.
d lib. 2. ad vxor.

16. VNDE ENIM SCIS MVLIER, SI VIRVM,
I. &c. Hæc ad ſuperiora illa referuntur; quibus monuerat Apoſtolus, non eſſe ab infideli recedeodum ſi velit pacificè cum fideli viuere. Huc enim illud Apoſtolicum conſilium ſpectat, vt infidelis Chriſtiani coniugis conſuetudine, atque exemplo ſenſim adducatur ad fidem. Noli (inquit) animum deſpondere, noli ſpem abiicere; patienter age, admone, perſuade, conſilióque & exemplo ad optima quæque prouoca. *Res quidem* (ioquit Chryſoſtomus) *incerta eſt, bene tamen ſperandum eſt*; cùm præſertim (vt ait Theodoretus) Deum habeas, qui prompto, atque alacri ſtudio tuo, opem ferat. Animaduertit autem Chryſoſtomus, nullius eſſe doctoris tantam docendi vim, quæ id poſſit efficere, quod apud virum præſtare poteſt Chriſtianæ mulieris conſuetudo, ſi eam ſe erga virum præbeat, quam lex Chriſti maximè requirit: quod ipſum de viro reſpectu fœminæ intelligendum eſt. Quocirca rectè ſcribit Primaſius: *Sæpe contingit, vt lucrifieret per mulierem; ideo ait B. Petrus, vt ſi qui non credunt verbo, per mulierum conuerſationem ſine verbo lucrifiant, vt cùm viderint ex ebrioſis ſobrias, ex ſuperbis humiles, dicant, verè lex Dei eſt, quæ ſic potuit mutare mores inſolitos.* Sic olim vxor Chriſtiana Clodoueum Regem Francorum Chriſto aggregauit; ſic Monica B. Auguſtini mater virum ad Chriſtianam religionem adduxit; vt interim omittam integerrimam, caſtiſſimámque virginem Cæciliam, quæ viro ſuo, viríque fratri fidem Chriſti perſuaſit: alia ſexcenta afferri poſſent eiuſmodi; ex quibus appareat verè dixiſſe Paulum, noo eſſe fideli de coniugis infidelis ſalute deſperandum. Hinc facilè colligas tametſi coniugia fidelium cum iofidelibus iure diuino naturali prohibentur, oon eſſe tamen eodem iure penitus irrita; nam connubium poſt ſimplex caſtitatis votum, iure diuino naturali prohibetur, nec tamen eſt penitus irritum; non pugnant enim cum primario matrimonij fine; & vt hoc loco indicat Apoſtolus, nonnullam poſſunt afferre vtilitatem. Quocirca olim ætate Hieronymi, & Auguſtini cùm frequenter vſurparentur, non cenſebantur irrita, tametſi culpa non vacarent, vt idem Hieronymus [e], & Auguſtinus [f] affirmant: non poteſt tamẽ negari aduerſari bonæ, prolis educationi, & pacifico

e lib.1.cont. Iouin.
f lib. de fide, & oper. 19.

A conuictui, ac domeſticæ conſuetudini, vt multis oſtendit Tertullianus. Atque ita non immeritò Tertullianus [a], Hieronymus [b], Theophylactus, Anſelmus, Sedulius, & alij, quod ait Paulus paulò pòſt, *tantùm in Domino*, explicant, quaſi præcipiat, vt mulier tantùm Chriſtiano viro nubat: de qua re non ita multò pòſt: Interim Paulus negat abiiciendam ſpem ſalutis coniugis infidelis, cuius rei rationem explicans ſubiicit.

a lib. 2. ad vxorem.
b lib. 1. cont. Iouin.

NISI VNICVIQVE SICVT DIVISIT DO- 17.
MINVS, &c. Græci codices hoc loco variant. Qui- I.
dam enim habent εἰ μὴ, id eſt niſi; alij ἢ μὴ, id eſt, an non, vt referatur ad ſuperiora, & ſit ſenſus. Vnde ſcis vis, vtrum mulierem ſaluam facies, an non? Ita diſtinxiſſe Seuerianum aſſerunt Græca ſcholia, nec B abhorret ab ea diſtinctione Theophylactus; iodicat enim duplicem eſſe poſſe huius loci diſtinctionem. Prior eſt, qui ſcis, an afferre poſſis ſalutem fœminæ, néc-ne? mox verò quaſi ex abrupto ſubdatur, *Vniquique ſicut diuiſit Dominus*, & tam ad fœminam, quàm ad virum referatur; quaſi dicat; non eadem omnibus ſunt conceſſa munera; ſed ſuum cuique deſtinatum eſt: altera verò diſtinctio, vt poſt ſuperiora, hæc noua ſeotentia ſequatur. Niſi vnicuique ſicut diuiſit Dominus, ſic maneat: quaſi dicat; nihil aliud tentetur aut ooiretur ob alterum infidelem, tantùm vt cuique ſua ſors obtigit, ita maneat Atque hanc diſtinctionis rationem ſuperiori præfert; quam ſubindicant Chryſoſtomus, & Theodoretus: Ambroſius de ratione diceodi non admodum ſolicitus C ſententiam ita explicat: *Diuiſit vnicuique Dominus quando ſaluetur; hoc eſt; ſcit quando poſſit credere, & ſuſtinet illum; & hic docet expectandos eos, nec ſcandalum de his pati debere, quia cuſtodienda eſt ſpes illorum.* Nec multum ab eo diſcrepant Hierooymiani commentarij: ſunt qui ita legant; Qui ſcire poſſis ſeruaturus-ne ſis, vel ſeruatura coniugem, niſi vnuſquiſque ſic permanſerit, vt vocatus eſt? vt hæc verba; niſi vnicuique ſicut diuiſit Deus, referantur ad id, quod multò pòſt ſequitur. *Vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat.* Recentiores interpretes hanc ſententiam à ſuperioribus diſtinguunt, vt εἰ μὴ. perinde valeat, quaſi dicas, vtcumque ſit, vel in ſumma. Qua ratione loquendi vti fermè ſolemus cum omiſſis, quæ incerta ſunt, ad id redimus, D quod exploratum eſt, atque extra controuerſiam poſitum. Quam Græcæ locutionis formam expreſſiſſe videtur comicus poëta [c]. *Gaudebam* (inquit) *ecce autem de integro. niſi quidquid eſt volo ſcire, atque hominem conuenire.* Quoniam igitur Paulus rem dubiam dixerat, ſperandam videlicet infidelis coniugis ſalutem ſubdit. Vtcumque hoc ſit maneat vnuſquiſque vt illi tribuit Deus, & vt vocatus eſt, quicumque taodem ſequatur exitus. Dixi quæ apud alios II.
legi, è quibus faciliùs habeo dicere quid non probem, quàm quod mihi maximè videatur ad rem. Nam vt à poſtrema receotiorum interpretatione exordiar, qui eam aut excogitarunt, aut ab alijs inuentam probarunt, non ſatis videntur animaduertiſſe duo dixiſſe Apoſtolum, alterum, *Vnicuique ſicut* E *diuiſit Dominus*; alterum, *Vnumquemque ſicut vocauit Deus, ita ambulet.* Nec videntur hæc duo eodem pertinere, quod tamen eius interpretatioois auctores pro certo ponunt. Neque ſatis ſcio, vtrùm allatum exemplum ex comico Poëta ad rem pertineat: eſt enim apud illum ſermo interruptus, quippe eius, qui de re dubia ſecum ipſe deliberaret; & cùm illi plura in mentem venirent, tandem ſtatuit hominem conuenire; itaque cùm ait. Niſi quidquid eſt volo ſcire, perinde eſt ac ſi dicat; Sed quidquid eſt volo ſcire. Qua ratione illa etiam explicatio refellitur, quæ

c Terent in Adelph.

hæc Apoſtoli verba; *niſi vnicuique ſicut diuiſit Dominus*. refert ad verbum, permaneat; etenim verbum illud cum ſequenti ſententia rectè coniungitur; cum hac verò non ita. Quamobrem aut altera ex Theophylacti explicationibus probanda eſt, aut quod Syriaco interpreti placuiſſe video, εἰ μὴ poſitum eſt pro ἀλλὰ, vt ſignificet; *ſed vnicuique ſicut diuiſit Dominus*; vt ſubaudiatur, agendum, vel acquieſcendum, vel quidpiam ſimile; vt ſenſus ſit. Grato animo excipiendum eſt quidquid Deus largitur: ſi fidem tibi non coniugi largitus eſt, id æquo animo ferendum, ſperandúmque fore, vt coniugi etiam, cùm ei maximè placuerit, ſuam diuinam gratiam impertiat. Et mox ſubdat. *Vnumquemque ſicut vocauit Deus, ita ambulet.* Hoc eſt danda vnicuique opera eſt, vt ſuæ vocationi ex æquo reſpondeat; indicans B (vt ait Theodoretus) quæ ſuperiùs dixerat, ad eos pertinere, qui poſt initum coniugium fidem Chriſti complexi erant. Quibus ait ita ambulandum, vt à Deo vocati ſunt; hoc eſt, quoniam ita vocati ſunt, vt coniux tamen in infidelitate permaneat, diuinæ voluntati acquieſcant, nec coniugem quamuis infidelem deſerant. Quod ſi codicum autoritas ſuffragetur, mihi maximè placet quod ait Seuerianus, vt ἢ μὴ idem ſit, quod, an non; & ſuperiori ſententiæ adiungatur. Vnde ſcis vir ſi mulierem ſaluam facies an non? tum ſubdatur. Vnicuique ſicut diuiſit Dominus; vt ſit quædam veluti γνώμη, qua Apoſtolus tacitè ſpem fidelium confirmet, aſſerátque fore id, quod Deo maximè placuerit, qui ſua diuina munera vnicuique impertit prout libet, & hunc quidem C priùs, illum poſteriùs ad fidem, & gratiam adducit, deinde ſubdat: *Vnumquemque ſicut vocauit Dominus, ita ambulet.* Quaſi dicat, Deus largitur gratiam, quam voluerit vnicuique, & quando libuerit: noſtræ partes ſunt diuinam vocationem agnoſcere, eámque qua par eſt, animi alacritate complecti. Poſſis etiam ſimpliciter hoc modo interpretari. Quid enim ſcis, vtrùm poſſis coniugi ſalutem afferre, an ſecus; *niſi vnicuique ſicut diuiſit Deus?* hoc eſt; id tantùm ſcire potes, id euenturum, quod vnicuique Deus præfiniuit: & vnumquemque diuinam vocationem efficacem ſequuturum; vt hæc omnis oratio pendeat à ſuperiori verbo: *Vnde ſcis*, & interrogando exprimatur: quod autem ſequitur, *ſicut in omnibus Eccleſiis doceo*; referatur ad omnia ſuperiora, præ- D ſertim ad id, quod dixerat, non eſſe recedendum à

III. coniuge infideli. Hæc in re perobſcura mihi in mentem venerunt: viderint alij an collimarim; conatum me certè non inficior. Subdit. *Et ſicut in omnibus Eccleſiis doceo.* Noſter interpres legiſſe videtur ἅπαξ, cùm tamen Græci codices nunc habeant οὕτως, id eſt, ſic: quaſi dicat. quod vobis præcipio, vbique omnibus Eccleſiis trado. Ambroſius idem videtur legiſſe cum noſtro interprete: Chryſoſtomus hæc verba non videtur agnoſcere; ſed nec Theodoretus ea attingit. Syriacus: *Atque adeo* (inquit) *in omnibus Eccleſiis doceo*: ſed res non eſt magni momenti: indicat Apoſtolus ſe idem vbique docere. Pro eo autem, quod Latinus interpres dixit, *doceo*, græcè eſt διατάσσομαι, id eſt, ordino, inſtituo, præſcribo. Intelligo E autem, Apoſtolum in omnibus Eccleſiis docere, ſuam cuique vocationem ſtudioſè retinendam, & dandam eſſe diligenter operam, vt quam quiſque vitæ rationem ſemel arripuerit, eam conſtanter ad extremum vſque vitæ ſpiritum retineat, neque ſubinde conſilium mutet; vel (vt mauult Oecumenius) reſpicit, quod modò dixerat, ne fidelis coniugem infidelem deſerat, ſi velit ſecum pacificè viuere; vt ſignificet nihil ſe illis proprium ac ſingulare præcipere, ſed quod ſit omnibus fidelibus commune.

A Prior explicatio faciliùs ſequentibus aptatur, quæ alioqui quaſi ex abrupto ſubiciuntur.

Circvmcisvs aliqvis vocatvs est, 18.
&c. More ſuo Apoſtolus excurrit ad alia, quæ ad I.
propoſitam quæſtionem non pertinent, & de conſtantia, ac firmitate in vocatione retinenda copioſiùs diſſerit, occaſione accepta ab iis, quæ modò dixerat: *Vnumquemque ſicut vocauit Deus, ita ambulet. Credidiſti* (inquit Chryſoſtomus) *cùm eſſes circumciſus, permane circumciſus: hoc enim eſt, Vnicuique ſicut diuiſit Deus; hæc enim non ſunt impedimento ad pietatem.* Et Ambroſius, *hoc eſt, quod dixit, vt ita ambulet ſicut vocatus eſt; vt Iudæus factus Chriſtianus non putet, ſe fore indignum, quia præputium non habet, dans gloriam præputio.* Porrò Hieronymi commentarij negant B Paulum hoc loco de corporis circumciſione, ac præputio loqui, nec enim diceret: *Non adducat præputium*; cùm reſectum ſemel præputium non poſſit denuò adduci; ſed hæc ait, ad eos pertinere, qui in infideli, vel fideli coniugio vocati ſunt. At non ſolùm dura, ſed prorſus abſurda videtur explicatio; nec enim Paulus diceret circumciſionem nihil eſſe, quod tamen mox ſubicit. At in libris Machabæorũ [a] legimus, Iudæos quoſdam more gentium vixiſſe, & feciſſe ſibi præputia; de quibus ita ſcribit Ioſephus [b]: *Menelaus* (inquit) *& Tobiæ filij ſeceſſerũt ad Antiochũ dicẽtes, ſe velle relictis patriis inſtitutis, ac legibus religionem regis, & græcanicos ritus aſſumere, rogauerúntque eum, vt ſibi permitteret gymnaſium Ieroſolymis extruere. Quo impetrato, adduxerunt ſibi præputia, vt nudi quo-* C *que non eſſent Græcis diſſimiles, & contemptis omnibus patriis ritibus, imitabantur mores exterarum gentium.* Itaque Apoſtolus Græcè dixit μὴ ἐπισπάσθω, id eſt, non attrahat. Indicat enim Cornelius [c] Celſus cutem adduci poſſe, vt glans vel natura, vel amputatione nudata rurſus operiri queat. Qua de re hunc in modum ſcribit Epiphanius [d]. *Qui à Iudæis ad Samaritas profugiunt, rurſus circumciduntur: ſimiliter & qui è Samaritis ad Iudæos transfugiunt. At hoc adhuc grauius eſt, quod etiam à circumciſione præputiati fiunt arte quadam medica per inſtrumentum attractorium ſpathiſterem appellatum infernam membrorum cuticulam attrahi ſinentes, ſuturámque admittentes, & glutinatoriis circumdatis præputium rurſus ſuperinducunt.* Idem ſignificat Oecumenius, ait enim: *Veriſimile eſt* D *aliqua cura fieri poſſe, vt reuertatur circumciſio in id, quod olim erat, & ad ipſam quis recurrat, ac glorietur.* Verùm Hieronymus [e] hoc videtur vel ignoraſſe, vel certè non crediſſe verum; ait namque. *Neque enim poteſtatis noſtræ eſt adducere poſt circumciſionem, iuxta eos qui in Machabæorum libro dicuntur ſibi feciſſe præputia, quod de naſcentibus filiis, non de patribus dicitur.* Quocirca hunc Pauli locum interpretatur eo planè modo, quem ex cõmentariis, qui ipſius nomen præferunt, paulò antè indicaui. *Circumciſus* (inquit) *aliquis vocatus eſt, non adducat præputium; quod mihi,* ſubdit *videtur aliis verbis dicere, abſque vxore vocatus eſt, & credidit, non ducat vxorem; vel e contrario, habens vxorem in Chriſtum, nequaquam diuortium faciat. Quem ſenſum non ſolùm in circumciſione & in* E *præputio, ſed in libertate, ac ſeruitute cuſtodit, vt liberos vocet virgines & continentes, ſeruos, qui vxori debitum reddant.* Quam explicationem quod attinet ad ſeruitutem, & libertatem, ſumpſiſſe videtur ex Origene [f]. *Quod enim* (ait) *ad nuptiarum, vel caſtitatis præcepta commemoratio ſeruitutis ac libertatis aſſumitur? ſed nos ſenſum Pauli ita intelligimus, quòd ſeruum dicat eum, qui iugali conditione conſtrictus eſt, quia mulier non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir eius, & vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed eius mulier, propter quod, & in aliis dicit de eis, qui non eſt ſeruitutis ſubie-*

Etiſ

[a] a lib. 1. c. 1.
[b] b lib. 12. antiq. c. 6.
[c] c lib. 7. c. 25.
[d] d lib. de menſ. & ponderib.
[e] e in ſ... c.
[f] f in ep. Rom. ...

A *ſlus frater, vel ſoror in talibus, ſcilicet, quòd in aliis eos ſeruituti ſciret eſſe ſubiectos. Eſt ergo ſeruus vocatus, qui in coniugio poſitus venit ad Chriſtum.* Sed non dubito, de vera circumciſione, veróque præputio Paulum loqui, ſiue præputium reuocari poſſit, ſiue ſecus, vt alicubi[a] affirmat Origenes, vbi hunc Pauli locum ex iis eſſe putat, qui in ſacris literis nequaquàm ex verborum ſonitu, aut hiſtorico ſenſu explicandi ſunt. *Sed forteaſſis* (ait) *extra hæc videntur eſſe litera Pauli Apoſtoli. Et quid eſt, quod dicit? Circumciſus aliquis vocatus eſt, non adducat præputium. Quod primò quidem ſi quis diligentiùs conſideret, non videtur ad ea dictum, quæ ei propoſita in manibus habebantur; ſermo namque ei erat de nuptiis, & caſtitate præcipiens, & videbantur vtique hæc in tali cauſa ſuperfluò memorata. Secundò verò quid obeſſet, ſi obſcœnitatis vitandæ cauſa eius, qua ex circumciſione eſt poſſet aliquis reuocare præputium. Tertiò quod certè fieri id omni ex genere impoſſibile eſt.* Nec dubito, hæc aliqua ex parte verè dici; non enim mihi poſſum perſuadere, ſpectaſſe Paulum ita circumciſionem, & præputium corporeum, vt prohibeat ne rursùs arte medica præputium adducatur, vnde recutiti Iudæi dicebantur, quod Eſau auctore excogitatum ſcribit Epiphanius: Sed hic ducta ſimilitudine ſuadet, vt qui ex Iudaiſmo vocatus eſt ad Chriſtum; atque ita circumciſus eſt, non ſuam conditionem deploret, quaſi melior conditio ſit eorum, qui cùm gentiles eſſent, Chriſto adhæſerunt, nec ſi quis gentilis Chriſto nomen dederit, Iudæorum ritus, & cæremonias complectatur. C Neque verò hæc Apoſtoli diſputatio ab inſtituto videri debet aliena; cùm enim cuique ſuam retinendam dixerit conditionem, diuinæque vocationi pro ſuo cuique ſtatu reſpondendum; rectè exemplo circumciſionis, & præputij, ſeruitutis & libertatis ſuam ſententiam & illuſtrat, & confirmat. Siue igitur adduci poſſit præputium, ſiue id cum rei natura pugnet, Apoſtoli ſententia conſtat.

19. L. Circvmcisio nihil est, et præpvtivm, &c. Hoc eſt circumciſio diuinæ gratiæ, & ſempiternæ ſalutis reſpectu nihil habet momenti, neque hoc quidem nomine præputio præſtat. Siue igitur ex hac, ſiue ex illa gente ſit quiſpiam Chriſto aggregatus, nihil omnino retulerit; nec enim D proponuntur circumciſi, ſed tam ab illis, quàm à gentilibus exigitur obſeruatio mandatorum Dei. *Fides quippè* (vt ait Ambroſius) *Deum conciliat, ſi bonis operibus approbetur.* Non igitur negat vim vllam eſſe circumciſionis, ſi per ſe ſpectetur; nam & olim Iudæorum nationi nonnullam afferebat vtilitatem, & nunc contrà plurimùm obeſt, ſi quis eam ritu Iudaico velit vſurpare. Id igitur ſolummodò affirmat Apoſtolus, æquè poſſe Iudæos, atque gentiles fidei Chriſtianæ beneficio ſalutem conſequi ſempiternam, modò diuinam legem ex animo complectantur: cætera nec obſunt, nec proſunt. Photius apud Oecumenium, quædam ait, per ſe, ac ſuapte natura bona eſſe, etiamſi nullo præcepto ſcripto imperentur, qualis eſt iuſtitia, cæteræque virtutes, atque actiones per ſe honeſtæ: alia verò non alia ratione E bona cenſeri, niſi quia externa aliqua lege præcipiuntur; cuiuſmodi ait fuiſſe multa in lege, indicans in eo genere collocari circumciſionem. Quin etiam eadem circumciſio, vt ritu Iudaico percipiebatur, nouæ legis præcepto vetatur: quod idem de reliquis ſacrificiis dici poteſt, quibus nouæ legis ſacramenta ſucceſſerunt. Qui ergo bis initiatus eſt, non debet ritus Iudaicos appetere, ſed gaudere potius, quòd veritatis lucem aſpexerit. Atque hæc procuIdubio eſt Pauli ſententia ſignificans, non eſſe magnopere laborandum de iis rebus, quæ ad gratiam, & iuſtitiam conſequendam non referuntur. Idem omninò dicere coguntur ij, qui circumciſionis nomine cœlibatum, ſeu continentiam, præputio verò vſum coniugij ſignificari putant; in vtroque enim hominum genere Chriſti fides, & diuina gratia vim ſuam obtinet, modò quis ſibi non deſit, neque diuinæ gratiæ reluctetur. Ad hoc autem poſtulat Apoſtolus obſeruationem mandatorum Dei; hoc enim ſignificat, cùm dicit: *Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſeruatio mandatorum Dei.* Quaſi dicat: hæc ad iuſtitiam aſſequendam nihil habent momenti, ſed in primis neceſſaria eſt obſeruatio mãdatorum Dei, ſic etiam dixerat Chriſtus petenti quid facto opus eſſet ad aſſequendam vitam ſempiternam[a]. *Si vis* (inquit) *ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Porrò hunc B locum obſeruare debent noui Euangelij præcones, vel potiùs perturbatores, atque euerſores, qui fidem illam ſuam, vel inanem potiùs confidentiam tantopere extollunt, vt ab illa vna ſalutem ſperandam eſſe contendant; cùm tamen hîc Apoſtolus apertiſſimè poſita fide, mandatorum obſeruationem requirat. Noli proinde (ait) anxius eſſe, ſiue circumciſus ſis, ſiue præputio præditus, modò diuinis præceptis obtemperes, ſperare potes ſalutem. Quocirca rectè infert.

Vnvsqvisqve in qva vocatione, &c. 20. I. Quod paulò antè dixerat, *Vnumquemque ſicut vocauit Deus, ita ambulet*, hoc apertiùs dicit. *Vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat:* quod & paulò pòſt aliis verbis repetit. *Vnuſquiſque* C *in quo vocatus eſt* (*fratres*) *in hoc permaneat apud Deũ.* Qua olim ſententia abutebantur quidam, quos Tertullianus acriter alicubi[b] caſtigat. *Tum* (ait) *quod & de ſcripturis audent argumentari, dixiſſe Apoſtolum, vt quiſque fuerit inuentus, ita & perſeueret. Poſſumus igitur omnes in peccatis perſeuerare ex iſta interpretatione; nec enim quiſquam noſtrum non peccator inuentus eſt, cum Chriſtus non alia ex cauſa deſcenderit, quàm peccatorum liberandorum.* Nulla verò eſt hominum conditio, quam Chriſtus ſuæ diuinæ gratiæ luce non perfundat, aut cui ad ſalutem neceſſaria deneget. Ob eam cauſam præcurſor Chriſti Ioannes ſua cuique hominum generi præcepta[c] tradit: Nam pu- D blicanis interrogantibus quid ſibi faciendum eſſet, vt ſalui fierent, reſpondit; *Nihil ampliùs, quàm quod conſtitutum eſt vobis faciatis.* Militibus verò idem ſciſcitantibus ait: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris.* Neminem hortatur, vt ſui ſtatus conditionem deſerat; ſed cuique conſentanea præcipit: nam publicanis quidem imperat, ne plus exigant, quàm conſtitutum ſit, hoc enim modo Græcam vocem πράσσειν interpretantur Origenes[d], Gregorius[e] Nazianzenus, Theophylactus[e], Euthymius[f], & inter Latinos Ambroſius[g]; erat enim illis conſtitutum quantum tributi exigere deberent: Militibus autem cædes, calumnias, auaritiam, ſeu latrocinia prohibet, quæ genus illud hominum maximè reddant infame. Eadem ratione Apoſtolus monet vnumquemque, vt ſuo muneri ſatiſ- E faciat, nec ſit de aliis rebus ſollicitus: poſſe enim quemlibet in quauis vitæ conditione conſequi ſalutem. Neque verò hæc perinde accipienda ſunt, quaſi non ſit alius ſtatus alio melior, aut nefas ſit perfectiora complecti, ſed vt nemo deſperet, aut deſpondeat animo, quaſi aliqua hominum conditio diuinæ gratiæ præſidio penitùs deſtituta ſit. Nam[h] qui *Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos,* cunctis mortalibus vult ſuæ benignitatis fontes patere; & quantum in ipſo eſt, *vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, & vt ait Proſper, & nos alibi docemus,

a 4. Le-[illegible]

a Matt. 19. 17

b lib. de Idolat. c. 5.

c Luc 3. 11.

d Hom. 23. in Luc.

e Orat. 27. quæ eſt in Iulian.

f Luc 3.

g Ibid. & Serm. 7.

h Matt. 5. 45.

omnibus ſæculis, atque ætatibus homines ad ſuam gratiam alia, atque alia ratione excitauit. Iam verò Apoſtolus id rurſus alio exemplo confirmat.

21. SERVVS VOCATVS ES? NON SIT, &c.
I. Chryſoſtomus, Theodoretus, Ambroſius, Hieronymus, aliique non pauci de vera ſeruitute accipiunt: at Origenes [a], quem alicubi [b] ſequitur Hieronymus, ſeruitutem pro coniugio poſitam putat. Ita autem ſcribit Hieronymus. *Es ſi habet* (inquit) *vxorem, & illi alligatus es, & ſolutis debitum, & non habes tui corporis poteſtatem, atque vt manifeſtiùs loquar, ſeruus vxoris es, noli propter hoc habere triſtitiam, nec de amiſſa virginitate ſuſpires, ſed etiam ſi potes cauſas aliquas inuenire diſſidij, vt libertate pudicitiæ perfruaris, noli ſalutem tuam cum alterius interitu quærere: habeto paulìſper vxorem, nec præcurras morantem, expecta dum ſequitur. Si egeris patienter, coniux mutabitur in ſororem.* Non nego, hanc eſſe explicationem admodum probabilem; ſed non video, cur neceſſe ſit à verborum proprietate recedere, quam quoad eius fieri poſſit in ſacris litteris retinendam eſſe conſtans omnium Catholicorum ſententia. Itaque cùm ſeruitutem nominet Apoſtolus, & mox etiam liberi, ac liberti mentionem faciat, omnino videtur de propria ſeruitute loqui. Docet autem (vt monet Theodoretus) gratiam non agnoſcere differentiam ſeruitutis, & dominij, ne quis exiſtimet ſeruitutem indignam eſſe, quæ fidei lucem aſpiciat. *Ne* (igitur ait) *ſit tibi cura:* quaſi dicat; noli mœrere, noli eſſe ſollicitus, quaſi nequeas ſalutem conſequi; ſed *ſi potes* (inquit) *fieri liber, magis vtere.* Quidam (inquit Chryſoſtomus) hunc locum ita accipiunt, vt de libertate agat, perinde quaſi ſuadeat, vt ſi ſeruus aſſequi poſſit libertatem, ne negligat; ſed, vt ipſe rectè monet, hoc potius videtur cum Apoſtoli ſententia pugnare: ſignificaret enim, fugiendam eſſe ſeruitutem, cùm tamen potiùs doceat, eam fidei ac diuinæ gratiæ nihil obeſſe: monet igitur potiùs, vt æquo animo ferat ſeruitutem, cùm illa eum nullo modo lædat, ſed ſi ſapiat etiam proſit. Itaque Chryſoſtomus, Theodoretus, Ambroſius interpretantur, quaſi Apoſtolus hortetur ſeruum fidelem, vt ſeruitutem ſibi commodam, atque vtilem ducat. *Etiam* (inquit Chryſoſtomus) *ſi ſit in tua poteſtate, vt manumittaris, & liber fias, permane potiùs ſeruiens:* addit Theodoretus, *& expecta remunerationem*, additque hanc eſſe hyberbolem non temerè, aut ſine cauſa ab Apoſtolo adhibitam; ſuadet enim per ſpeciem pietatis ac religionis ſeruitutem non eſſe fugiendam: quod ipſum affirmant commẽtarij nomine Hieronymi: quinetiam (vt obſeruat Ambroſius) addidit Apoſtolus, *Magis vtere*; ne cùm audiſſet *ſeruus vocatus es? non ſit tibi curæ*; fieret in Domini obſequio negligentior; atque ita Chriſti fides in inuidiam vocaretur. Itaque hortatur, vt bene, ac fideliter Domino ſeruiat; quod alibi [c] præcipit Apoſtolus. Et Petrus [d]. *Serui* (inquit) *ſubditi eſtote dominis, non tantùm bonis, & modeſtis, ſed etiam dyſcolis.*

II. Erat autem hoc præceptum ea ætate in primis neceſſarium; nam ſcribit B. Hieronymus, initio naſcentis Eccleſiæ infideles dominos exiſtimaſſe ſe à ſeruis fidelibus contemnendos eſſe: contra verò fideles nonnullos ſibi perſuaſiſſe indignum eſſe eos, qui Chriſti ſanguine redempti eſſent, & diuinam adoptionem adepti, cuiquam mortalium ſeruitutem ſeruire. Quam ob cauſam tam frequenter Apoſtoli ſeruos monent, vt dominos vereantur, iis ſedulò obtemperent, ac fideliter ſeruiant. Quod obſeruatum velim ab iis, qui penes infideles negant poſt Chriſti aduentum vllius rei verum eſſe dominium, ſed omnium rerum, ac perſonarum dominatum à Chriſto Domino ſuæ Eccleſiæ, atque ipſi ſupremo Eccleſiæ præſidi fuiſſe traditum. certè Apoſtolus, non ſolùm hoc loco, ſed alibi ſemper ſeruos monet, vt dominos infideles agnoſcant, ac vereantur, quod ait iuſtũ ac ſanctum eſſe, non dicturus profectò, niſi eos veros, ac legitimos fuiſſe dominos cognouiſſet: vt enim alibi doceo, non modò id præcipit ad vitandam offenſionem, & ſcandalum: ſed quia id ratio iuſtitiæ poſtulat. Neque propterea Chriſti Vicario, cui impensè faueo, quidquam detractum velim; quo potiùs eius ſupremam poteſtatem tantam eſſe affirmo, & pluribus ſuo loco oſtendo, vt maior in terris concipi nulla queat, cui non modò cuncti fideles, etiam dynaſtæ, principes, ac monarchæ tamquam Chriſti oues ſupremo paſtori diuino iure ſubſint, eiúſque cenſura corrigi, & coërceri; ſed ipſi etiam Ethnici aliqua ratione eius auctoritate oppugnari, ac deprimi, iuſtéque dominio ſpoliari iure optimo poſſint; ſed ita ſummam Romani Pontificis auctoritatem agnoſco, ac libens fateor, vt nimio aſſentandi ſtudio (quod plerique faciunt) nihil legitimis dominis, veriſque principibus detractum velim, memor eius, quod Eccleſia canit: *Non eripit mortalia, qui regna dat cœleſtia.* Quæ verba potiſſimùm de infideli rege dicta ſunt, & Bernardi hac in re ſententiam ſequor, cuius verba alibi [a] deſcripſi. Quod autem ait: *Sed etſi potes fieri liber, magis vtere*, non eò ſpectat, vt libertatem diſſuadeat, ſed (vt monet Oecumenius) docet, ſeruitutem adeo fidei, ac religioni non officere, vt etiam interdum conducat ad diuinam gratiam promerendam, vel (vt ait Photius) ſignificat non eſſe de ſeruitute vllo modo laborandum. *Ne ſit* (inquit) *tibi cura, quin etiam ſi potes aliquo ſtudio, ac cura fieri liber ſine hoc, & potius vtere ſeruitute, & neque ita in vllo eris minor domino; communis enim Domini libertus es, ſicut & ille.* Et Primaſius: *Quia Deus* (ait) *conditiones non reſpicit, ſed mentem, & voluntatem, ne dicat, quomodo poſſum Deo placere, qui ſeruus ſum?*

22. QVI ENIM IN DOMINO VOCATVS EST, &c.
I. Hæc (vt paulò antè dixi) nõ obſcurè ſignificant, Apoſtolum loqui de vera, & propria ſeruitute. Ait autem, eum qui ſeruili conditione Chriſto nomen dederit, eſſe Chriſti Domini libertum. Theodoretus autem libertum ait appellari, qui ex ſeruis natus ſit, cùm tamen Vlpianus iur. conſ. libertum definiat eum, quem quis ex ſeruitute ad ciuitatem Romanam perduxit, quem Græcè Apoſtolus ἀπελεύθερον vocat. Idque videtur huic loco magis congruere, quaſi ſignificet eum, qui à ſeruitute vocatus ſit ad fidem, Chriſti eſſe libertum, quòd ſit à ſeruitute peccati quodammodò liberatus; vt videatur Apoſtolus, non ad quoſlibet libertos alluſiſſe, ſed ad eos, quos Iuriſconſulti orcinos libertos nominant: quemadmodum enim illi liberti orcini dicebantur, qui teſtamento manumiſſi erant, quaſi teſtatoris ad orcum demiſſi, liberti; ita ſerui, qui fide percepta Chriſto adhæſiſſent, eius veluti teſtamento manumiſſi erant; hoc eſt, ab impia dæmonis, ac peccati ſeruitute liberati; in iis enim non regnat peccatum in ipſorũ mortali corpore, vt ad Romanos ſcribit [b] Apoſtolus, ad ſeruiendum concupiſcentiis eius: hoc enim præſtat diuina gratia in baptiſmo percepta, vt quamuis maneat in renatis prauæ cupiditatis ardor ad pugnæ exercitationem, nõ tamen tyrannicè imperet, ſi quis gratiæ qua decet ſolicitudine, induſtriaque reſpondeat. Itaque vt oſtendat Apoſtolus, nihil omnino referre qua quis conditione fidem, ac religionẽ Chriſtianam complectatur, eum qui humanam ſeruitutem ſeruiat libertum ait eſſe Chriſti: contrà verò liberum, & ingenuum, eiuſdem Chriſti ſeruum: ita non ſolùm oſtendit (vt obſeruat Oecumenius) æquam eſſe conditionem domini, ac ſerui, ſed quodammodò

a ad Rom. 1.
b in Apolog. ad Pam. pro lib. cont. Iou.
c ad Rom. 12. 11. ad Eph. 6. 5. Coloſſ. 3. 22 & ad Tit. 2. 9.
d ep. 1. c. 2. 18.
a diſp. 1. de monarc. ep. cap. vlt.
b cap. 6. 12.

dammodò præfert ſeruos, quos ait libertos eſſe effectos, cùm dominos ſeruos dicat. Quod eò ſpectat, vt ſeruorum abiectam conditionem conſoletur: nam re vera tam ſerui, quàm domini ipſi Deo per baptiſmum ſunt in ſeruitutem mancipati, ſed ſerui quidem reſpectu infidelitatis prǽteritæ meritò dicuntur liberti; domini verò, vt cōferuntur cum Deo, cuius ſacris initiati ſunt, Dei ſerui nūcupantur: quod etiam de ipſis ſeruis affirmari poteſt; quo modo & ipſi domini non abſimili ratione comparatione præ-
11. teritæ vitæ, liberti vocari poſſunt. Origenes in ſua perſtans ſenteotia, hæc de cōiugio explicans in hunc modum ſcribit. *Is ergo, qui pro nexu coniugij ſeruus vocatus eſt, libertus eſt Domini; libertus enim neque ex integro liber, neque ex integro ſeruus eſt appellatus: Si in cæteris virtutibus liber fuerit, ſi fidei, patientiæ, miſericordiæ, iuſtitiæ tenuerit libertatem, libertus Domini appellatur, vtpote qui pro actione virtutis liber ſit, & pro coniugali neceſſitate ſit ſeruus. Liber verò eſt, qui ſine vxore per puritatem continentiæ venit ad Chriſtum, qui tamen ſeruus Chriſti efficitur, dum ex integro virtutibus ſeruit.* Sed proculdubio veroſimilius eſt, hæc ad veram & propriam ſeruitutem pertinere. Mirificè autem his verbis (vt dixi) ſeruos conſolatur, quos non ſolùm reſpectu fidei, & gratiæ liberis, & ingenuis æquat, ſed penè etiam præfert: nam illos quidem vocat Chriſti libertos, hos autem eiuſdem Chriſti ſeruos: & ſeruus quidem refertur ad dominum, libertus autem ad patronum, cui nonnulla debet obſequia. Si igitur ſerui ſuam conditionem agnoſcant, intelligent ſe Chriſti beneficio veram eſſe adeptos libertatem, ſiquidem liberi ſunt à peccati, & diaboli ſeruitute, & à prauarum cupiditatum tyrannide: liber verò, & ingenuus, qui ſeruis dominatur, agnoſcat ſe ſub Domini imperio ſubeſſe: quocirca rectè illi liberti, hic verò ſeruus dici poteſt: quæ tamen Chriſti ſeruitus (vt alibi dixi) eſt quouis imperio, ac regno nobilior, & honorificentior. Meritò autem eos, qui ab infidelitate erepti ſunt, libertos vocat, etiamſi humanam adhuc ſentiant ſeruitutem; quia etiam olim gentiles Philoſophi, præſertim Stoici omnes improbos, ſeruos vocabant, ſapientes autem liberos, & ingenuos: qua ratione etiam dixit Salo-
a Eccl. 10. 28. mon [a]: *Seruo ſapienti liberi ſeruiunt.* Subdit.

13. I. Pretio empti eſtis, nolite, &c. Colligit tam ſeruos, quàm liberos Dei eſſe ſeruos, atque ob eam cauſam alienus eſſe debere à ſeruilibus moribus, quibus ferè obnoxij ſunt, qui hominibus ſeruiunt. Pertinet igitur hoc (vt monet Chryſoſtomus) tam ad liberos, quàm ad ſeruos; vtrique enim pretio empti ſunt, hoc eſt, Chriſti pretioſo ſanguine. Quod verò addit; *Nolite fieri ſerui hominum*: non pugnat, vt animaduertunt Theodoretus, & Oecumenius, cum ſuperioribus, etenim fieri poteſt ex Chryſoſtomi ſententia, vt quis ſit ſeruus conditione, non tamen moribus, ac vita, & contra non rarò accidit, vt qui liber eſt, & ingenuus ſeruitutem ſeruiat. *Qui enim propter Deum* (inquit) *omnia fecerit, non ſimulauerit, nec fuerit hypocrita, nec quidquam egerit, vt oculis hominum ſeruiat, hoc eſt hominibus ſeruientem eſſe liberum.* Hac ratione erat olim Ioſeph ſeruus, non tamen hominum ſeruus, ſed in ea ſeruitute erat omnium mortalium maximè liber, qui nefariæ dominæ non obtemperauit, nec improbæ cupiditati ſeruiuit. Rurſus, qui ſe hominibus malè præbet obſequentem, qui gulæ, libidini, auaritiæ, aut impotenti dominandi cupiditati ſeruit, quamuis ingenuus, ac liber videatur, miſeram tamen ſeruitutem ſeruit. Eiuſmodi erat olim Ægyptia Ioſephi domina, quam veriùs ſeruam, & ancillam impuræ libidinis dixeris. Itaque cùm ait Apoſtolus: *Nolite fieri ſerui hominum*, non humanam ſeruitutem fugiendam docet, quam paulò antè æquo animo ferendam dixerat; ſed eam ſeruitutem deteſtatur, qua quis vitiis, ac ſceleribus mancipatur; vt Chryſoſtomus, & alij interpretantur: vel (vt ait Ambroſius) eam, qua ſe quis humanis ſuperſtitionibus ſubiicit: vel ſimpliciter dixit; *Nolite fieri ſerui hominum*, quomodo ad Epheſios [a] dixit. *Non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes; ſed vt ſerui Chriſti facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſeruientes ſicut Domino, & non hominibus*: quod etiam iiſdem propemodùm verbis repetit ad Coloſſenſes [b]. Atque hæc quidem (vt ait Chryſoſtomus) eſt vera libertas, quæ ne in ſeruitute quidem poſita opprimi poteſt. Hac ratione erant olim fideles gentilibus admirationi, quod animaduerterent in ſeruis non ſeruiles, ſed ingenuos mores, & vitam libero homine dignam. Ex hoc autem loco ita argumentatur Tertullianus [c]. *Sed tu iam redemptus es à Chriſto, & quidem magno: ſeruum alienum, quomodo ſæculum manumittet? Et ſi libertas videtur, ſed & ſeruitus videbatur. Omnia imaginaria in ſæculo, & nihil veri; nam & tunc liber hominis eras redemptus à Chriſto, & nunc ſeruus es Chriſti, licet manumiſſus ab homine. Si veram putes ſæculi libertatem, vt & coronam conſignes, rediſti in ſeruitutem hominis, quam putas libertatem: amiſiſti libertatem Chriſti, quam putas ſeruitutem.* Loquitur enim contra illos, qui gentilium mores & conſuetudines repetebant: illos autem ait neglecta Chriſti ſeruitute, quæ re vera ſumma libertas eſt, rurſus ſe impietatis nefariæ ſeruituti mancipare, quam falsò libertatem putarent.

a cap. 6. 6.
b cap. 3. 22.
c de cor. Mil. cap. 13.

Vnuſquiſque in quo vocatus eſt, &c. Concluſio eſt totius ſuperioris diſputationis, qua ſecundam Corinthiorum quæſtionem expediuit, adhibita longiuſcula digreſſione de hominum conditionibus; idemque prorſus dicit, quod paulò antè, vt vnuſquiſque maneat in ſua vocatione. 24. I. Dixi (inquit) de coniugatis, de circumciſis, de ſeruis; idem omnino de omnibus ſentiendum iudico, vt vnuſquiſque ſtatum, & conditionem ſuam agnoſcat, planèque intelligat, nullam eſſe hominum conditionem, cui beneficio Chriſti non pateat aditus ad ſalutem. Non temerè autem addit Apoſtolus: *Apud Deum*: Significat enim quamuis homines non eodem modo de liberis, aut ſeruis, aliiſque hominum generibus ſtatuant, apud Deum tamen eadem omnes conditione cenſeri, nullúmque apud illum eſſe perſonarum reſpectum. Quod autem legimus in noſtris codicibus: *fratres*: optimè Græcis reſpondet, qui numero multitudinis legunt ἀδελφοί; quomodò omnino legerat Ambroſius; ſunt tamen, qui latinè legant: *frater*: quaſi græcè ſcriptum ſit ἀδελφὸς, vt ſit ſenſus. Vnuſquiſque in quo vocatus eſt (frater) in eo maneat apud Deum: hoc eſt; quo in ſtatu Chriſtiana ſacra ſuſcepit, & fratrum numero aggregatus eſt, in eo permaneat. Itaque vt obſeruat Theodoretus, huius digreſſionis peroratio cum proœmio conſentit, & (vt alij monent) ex proprietate Hebraici ſermonis idem omnino iterat, quod paulò antè dixerat. *Vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat*: atque ita oſtendit quanti id faciendum exiſtimet, & quantopere id velit eſſe commendatum, vt monet Ambroſius. Cætera, quæ ad hunc locum pertinent, præſertim quæ de fidelium cum infidelibus coniugio dicenda videbantur, breuiter paulò antè expedita ſunt: quæ autem longiorem diſputationem poſtulant à Theologis petenda ſunt: nos alibi noſtram indicauimus ſententiam, de qua ſæpiùs nobis coram ſummo Pontifice Clemente VIII. ac pluribus Cardinalibus diſputandum fuit, cúmque plerique alij Theologi aliter ſentirent; vi

tandem argumentorum perſuaſi noſtræ ſententiæ miro conſenſu cuncti ſubſcripſerunt. Peruicimus licere Pontifici facultatem facere fideli, ſi iuſta cauſa ſubſit, vt cum infideli, atque hæretica coniugium ineat, & quidem cum hæreticis, in regionibus palàm infectis ea connubia nullo religionis metu à viris Catholicis paſſim vſurpari, alij ante nos ſcripſerunt, ſiue quia id potuit conſuetudo permittere, ſiue quia Eccleſia, cum illi non ſint nominatim ſacris prohibiti, videatur tacitè concedere: certè valida eſſe ac rata nemo Catholicus dubitat. Atque hactenus quidem Apoſtolus de ſecunda quæſtione, ſibi à Corinthiis propoſita copioſè diſſeruit: iam aggreditur tertiam.

25. I. De Virginibus autem præceptum, &c. Quæſierant Corinthij ab Apoſtolo quid de puellis virginibus faciendum cenſeret, impetanda ne illis videretur perpetua virginitas, an verò legitimo tempore nuptui tradendæ eſſent; ita oſtendit Apoſtolus, ſe hactenus de iis tantùm egiſſe, qui nuptias experti erant, ſiue viri, ſiue fœminæ eſſent, hoc autem loco de virginibus incipit diſputare. Ait igitur. *De virginibus præceptum Domini non habeo.* Neque enim in veteri lege vllum extat de virginitate præceptum, ac ne eo quidem tempore virginitas perpetua probari conſueuerat: nam quæ olim virgines in templo cuſtodiebantur, vt legitur in libris Machabæorum [a], non perpetuò virginitatem colebant, ſed ſuo tempore viris tradebantur, vt de Beatiſſima Virgine memoriæ proditum eſt, quæ tamen omnium prima ſuam Deo virginitatem voto conſecrauit. Nullum autem Deus virginitatis præceptum impoſuit, ne videretur (vt ait Ambroſius) coniugium, cuius ipſe fuerat auctor, damnare: nec enim ad omnes præceptum poterat pertinere: nulla autem excogitari poteſt ratio, cur quibuſdam virginitas lege præcipiatur, cæteris coniugij libertas permittatur. Et Hieronymus [b]. *Ecce* (inquit) *Apoſtolus profitetur de virginibus Domini ſe non habere præceptum, & qui cum auctoritate de maritis, & vxoribus iuſſerat, non audet imperare quod Dominus non præcepit: & rectè; quod enim præcipitur, imperatur: quod imperatur neceſſe eſt fieri: quod neceſſe eſt fieri, niſi fiat pœnam habet. Fruſtrà enim iubetur quod in arbitrio eius ponitur, cui iuſſum eſt. Si virginitatem Dominus imperaſſet, videbatur nuptias condemnare, & hominum auferre ſeminarium, vnde & ipſa virginitas naſcitur.* Itaque Chriſtus apud Matthæum [c] cùm de virginitate verba faceret: *Non omnes* (inquit) *capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt.* Et paulò pòſt: *Sunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum. qui poteſt capere, capiat.*

II. Quæ verba hæreticorum princeps [d] ſuperiori ſæculo perinde accepit, quaſi non ſint adhortantis, ſed potiùs reprehendentis. Quaſi dicat Chriſtus: vos exiſtimatis, bonum eſſe carere vxore; ideo enim dixiſtis; *non expedit nubere*; ego autem veto, ne quiſquam id facere tentet, niſi certus ſit ſe id capere poſſe, hoc eſt, ſine vxore viuere: ita bonus Euangelij interpres non putat, Chriſtum quod Apoſtoli dixerant ſuo ſuffragio, atque auctoritate probare, ſed reprehendere; eóſque temerarios, ac cæcos fuiſſe exiſtimat, qui bonum eſſe crediderint, vxorem non ducere: nimirum dæmone magiſtro nihil boni ſapere didicerat, atque impura libidine corruptus, ne id quidem vidit, quod vel cæci apertiſſimè cernere potuiſſent. At multò aliter Hieronymus [e], vt quiuis facilè intelligat, quid inter Catholicam mentem, & hæreticorum veſaniam interſit. *Proponit* (inquit) *ἀγωνοθέτης præmium, inuitat ad curſum, tenet in manu virginitatis brauium, oſtendit puriſſimum fontem, & clamat: qui ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui poteſt capere, capiat.* Atque vt concedamus, capiendi verbum eo loco (quod tamen non neceſſariò concedendum eſt) perinde valere, ac ſi dixiſſet apprehendere, conſequi, obtinere, quæ videtur interpretatio Hieronymi, Chryſoſtomi, Theophylacti, Euthymij; tamen non inde ſequitur verba eſſe prohibentis; ſed potiùs contrà cohortátis, & prouocantis, vt Hieronymus ait, *ad brauium.* Fatemur quidem quod & Hieronymus ait, ideo dixiſſe Chriſtum: *Qui poteſt capere, capiat*, quia non omnibus tam ſingulare munus continẽtiæ diuinitus conceſſum eſt; ſed quod lege non præcipitur, magna cum laude ſuadetur, quod & eo loco Chriſtus, & in præſentia facit Apoſtolus.

III. *Conſilium autem* (inquit) *do*: græcè, γνώμην δὲ δίδωμι, quaſi dicat; ſententiam meam dico, quod mihi optimum videtur propono, vt aliquid interſit inter γνώμην & βουλήν: dum tamen Apoſtolus ſuam ſe ait præſcribere ſententiam, quid aliud quàm conſilium dat? *Non legem* (ait Theodoretus) *fero, ſed conſilium do.* Etenim Deus cùm quæ ſunt ſecundùm naturam præcepiſſet adhortatur ad ea, quæ ſunt ſupra naturam, quæ tamen ipſo ſtatim naſcentis Eccleſiæ exordio plurimæ puellæ diuino gratiæ præſidio adiutæ præſtiterunt. nam, vt omittam quæ de Martha Lazari ſorore memoriæ prodita ſunt, quæ apud Maſſiliam virginum collegium inſtituiſſe fertur; & quæ de regia puella, quæ Matthæo Apoſtolo, & Euangeliſta auctore Deo virginitatem vouit. Ignatius de virginibus multa ſcribit; ita enim ad Philippenſes [a]. *Saluto* (inquit) *collegium virginum, & cœtum viduarum*, & ad Smyrnenſes [b]: *Saluto & eas, quæ in perpetua degunt virginitate, & viduas.* Conſueuiſſe autem illas ſeſe Deo conſecrare, docet ad Antiochenos [c] his verbis: *Virgines agnoſcant cui ſe ipſas conſecrarunt*: ad Heronem [d] verò. *Virgines ſerua, vt pretioſa Chriſti monilia*: & ad Tarſenſes [e]. *Eas, quæ in virginitate ſunt, honorate ſicut ſacras Chriſti; viduas pudicas vt ſacrarium Dei veneremini.* Hieronymus autem, & Epiphanius affirmant Clementem Romanum honorificè de virginibus ad Eccleſias ſcripſiſſe; ita namque alicubi ſcripſit Epiphanius [f]. *Ipſe Clemens ipſos* (Ebioneos intelligit) *per omnia redarguit in epiſtolis, quas ſcripſit, encyclicis, quæ in ſanctis eccleſiis leguntur, quod alium habeant characterem, fides ipſius Ebionis, & ſermo; ab his, quæ ab illis ſub nomine ipſius in circuitionibus corrupta ſunt: ipſe enim virginitatem docet, & illi non admittunt.* Hieronymus [g] autem, cùm de virginibus agit. *Ad has* (ait) *& Clemens ſucceſſor Apoſtoli Petri, cuius Paulus Apoſtolus meminit, ſcribit epiſtolas, omnémque penè ſermonem ſuum de virginitatis puritate contexuit; ac deinceps multi apoſtolici, & martyres, & illuſtres, tam ſanctitate quàm eloquentia viri quos ex propriis ſcriptis noſſe perfacile eſt.*

IV. Fuiſſe autem virginum ſtatum, ac numerum admodùm frequentem, affirmat Iuſtinus [h] Martyr. *Permulti* (ait) *profectò ſexus vtriuſque, & ſexaginta, & ſeptuaginta nati annos, qui à pueris diſciplinam Chriſti ſunt ſectati, incorrupti, & cælibes perdurant, & glorior me per omne genus hominum noſtrorum tales monſtrare poſſe.* Et Cyprianus [i]: *Iam* (inquit) *refertus eſt orbis, impletus eſt mundus eorum, qui capere continentiam poſſunt, more ſpadonum viuentes, caſtrati ad regnum Dei.* De quibus & hæc addit: *Flos eſt ille Eccleſiaſtici germinis, decus, atque ornamentum gratiæ ſpiritualis, læta indoles, laudis & honoris opus, integrum, atque incorruptum; Dei imago reſpondens ad ſanctitatem Domini; illuſtrior portio gregis Chriſti. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Eccleſiæ matris glorioſa fœcunditas, quantóque plus copioſa virginitas numero ſuo addit; tanto plus gaudium matris augeſcit.* Ait itaque Apoſtolus, non habere ſe de vir

[a] lib. 2 cap. 1.
[b] lib. 1, contr. Iouin.
[c] cap. 19. 11. 12.
[d] Caluin.
[e] lib. 1. cont. Iouin.

[a] epiſt. [b] epiſt. [c] epiſt. 11. [d] 11. [e] epiſt. [f] Hæreſ. [g] lib. 1. aduer. Iouin. [h] In apolog. ad Antoninum. [i] de hab. virg.

de virginitate Domini præceptum, conſilium autem A dare, tanquam de re agat in primis laudabili, quæ, vt ait Hieronymus [a], etiam apud gentiles magno eſſet in pretio, quod longa oratione probat. Addit verò Paulus. *Tanquàm miſericordiam conſequutus à Domino, vt ſim fidelis.* Quod bifariam intelligi poteſt. Primùm quidem, vt ſignificet ſe id à Domino conſequutum, vt dignus cenſeatur, cui fides habenda ſit, quod bona fide ſuadeat, hoc eſt enim πιστὸς, ideſt fidus, cui tutò credas. Quæ eſt interpretatio Theodoreti, Ambroſij, Hieronymi. *Sum* (inquit Theodoretus) *conſiliarius fidedignus, per multam Domini miſericordiam vocatus, & cui credita eſt prædicatio.* Et Ambroſius: *Conſilium* (inquit) *do, non quod diſpliceat, neque quod adulatione fucatum ſit, quia ad hoc gratiam conſequutus eſt, vt idoneus ſit in dandis conſilijs ſalutaribus.* Denique Hieronymus: *Fidelis* (ait) *Domini mei ſeruitio ſemper occupatus.* Deinde vt dicat B Apoſtolus ſe conſequutum miſericordiam, vt ſit fidelis in integritate corporis, & virginitate ſeruanda; nam cùm cælibem eum fuiſſe paulò ſuperiùs indicatum ſit, valdè videtur probabile, eum, qui adoleſcens Chriſto nomen dederit, poſt fidem ſuſceptam quidem integrum planè fuiſſe, antea verò nec nuptiis implicitum, neque vllo impuro flagitio inquinatum. Siquidem; vt ipſemet affirmat, profeſſione Phariſæus erat, quorum vitæ ratio his ferè verbis ab Epiphanio [b] deſcribitur. *Quidam enim ipſorum cùm ſe exercebant, præſcribebant decennium, aut octennium, aut quadriennium virginitatis, & continentiæ, & frequentiùs orantes crebriùs certamen hoc aggrediebantur; vt ne videlicet corporale quid eis accideret, aut clandeſtinè per ſomnia triſtis corporis defluxio contingeret. Et alij ex ipſis aſſeres ſibi ipſis parabant dodrantis tantùm latitudine; & in his ſe ad veſperam locabant, vt ſi quis dormiſſet, in pauimentum decideret, & rurſum excitaretur ad orationem per hoc, quòd vigilantem vitam haberent quantum fieri poſſet. Alij lapillos ex aquis collectos ſibiipſis ſternebant, vt dum his pungerentur, non in profundum ſomnum deferrentur, ſed vigilantiam ſi ipſis parare cogerentur. Alij ſpinas pro ſtrato habebant ob eandem cauſam. Ieiunabant bis in ſabbato ſecunda, & quinta die.* His addo quæ ſcribit Ioſephus [c]. *Vita autem* (inquit) *ab illis ſic erat inſtituta, vt eorum victus ſimplex eſſet, nullìſque mollitus delicijs.* Qui igitur hanc vitæ rationem ſequebatur nullis profectò ſeſe impuris voluptatibus contaminabat: ſed ea de re plura ſuprà attigimus, & ſanctorum teſtimoniis firmauimus. ſimplicior, ac planior, & huic loco accommodatior videtur prior interpretatio; vt ſe dicat Apoſtolus miſericordiam conſequutum, vt ſit fidelis: hoc eſt gratiam muneris apoſtolici, cui Deus ita ſuæ diuinæ gratiæ præſidio, diuinique ſpiritus numine adeſſet, vt neque ſponte mentiri, neque humano errore labi, aut decipi poſſent, qui eo munere præditi eſſent, vt dum fidei dogmata proponerent digniſſimi cenſerentur, quibus abſque vlla exceptione fides haberetur.

[a] Aduer. Iouin. 1.
[b] Hær. 16.
[c] lib. 18. antiq. cap. 2.

16. Existimo ergo, hoc bonvm esse, &c.
1. De virginitate loquitur. Monet autem Theodoretus verbum illud; *exiſtimo* additum eſſe, non quòd E Paulus dubitaret, vtrum virginitas bonum eſſet, & bonorum omnium optimum, ac præſtantiſſimum; *Sed ne adhortatio legem neceſſitatis imponeret.* Addit verò Ambroſius virginitatem appellari bonum; quia nihil eſt tam præclarum, atque vtile, quàm virginitas: non igitur dubitando dixit. *Exiſtimo*: ſed potiùs affirmando. Dixit autem *bonum*, græcè καλὸν, ideſt, commodum, vtile, pulchrum, atque honeſtum. Quod addit: *Propter inſtantem neceſſitatem*; græcè ἐνεστῶσαν; vocant autem Græci ἐνεστῶτα præſens tempus, quos imitatus Fabius appellauit, *inſtans*. Ambroſius; *Virginitatem* (ait) *commendari ad vitam præſentem, dum neceſſitates temporis neſcit, quas partum coniugatio, & mærores partus, ſimúlque orbitates filiorum ignorat*; Legit enim ipſe; *propter præſentem neceſſitatem.* Præſentem autem neceſſitatem, non ſolùm intelligit (vt quidam putant) illius temporis Apoſtolici conditionem, ſed etiam totam hanc præſentem vitam. Quod videtur Apoſtolus paulò pòſt explicare cùm dicit: *Hoc autem dico (fratres) tempus breue eſt*; perinde quaſi indicare velit, huius vitæ breuitatem non permittere, vt curis, ac ſollicitudinibus impliçemur, quæ ſunt coniugibus neceſſariæ: de quibus paulò pòſt fuſiùs agit. Oecumenius inſtantè neceſſitatè interpretatur *vrgentes rei vxoriæ difficultates*: quod etiam B viſus eſt ſignificare Ambroſius. Photius ærumnas, & calamitates temporis apoſtolici. Primaſius neceſſitatem ſiue cuſtodiendi iuſtitiam, ſiue carendi mundi ſollicitudine. Nos in paraphraſi probabiliores ſententias indicauimus. Addit: *Quoniam bonum eſt homini ſic eſſe*: hoc eſt, in virginitate. Dixit autem *Bonum homini*; græcè ἀνθρώπῳ, vtrumque ſexum complectens: idque (vt ait Ambroſius) non ſolùm propter eximiam mercedem, quam virgines in beatorum domicilio conſequentur: ſed etiam propter huius vitæ tranquillitatem, & quietem: nam (vt quidam [a] dixit) *in carne præter carnem viuere non terrena vita eſt, ſed cæleſtis.*

[a] auctor Ser. de aſſumpt. Vir. qui tribu. Hierony.

Alligatvs es vxori, noli qværere, &c. Mirè hæc omnia cum ſuperioribus conſen- 27. 1.
G tiunt: Dixerat enim, vnicuique in ſua vocatione perſiſtendum, nunc addit coniugio ſocietatis permanendum eſſe in connubio, neque diuortium vllo modo quærendum. Hoc enim videtur ſignificare Græca vox λύσις, quod etiam dixerat Chriſtus apud Matthæum [b]. *Quos ergo* (ait) *Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Atqui ſalubre conſilium videri poterat, ſi coniuges communi conſenſu cœlibatum colerent, aut vterque religioſum ſtatum complecteretur; verùm Apoſtolus, quid ea de re ſentiret, paulò antè explicuit, cùm ad aliquod tempus ieiunij, & orationis gratia abſtinendum docuit: alioqui propter incontinentiæ periculum, dandam eſſe operam liberis. Ambroſius verò hanc Pauli ſententiam eò trahit quaſi ne ob crimen quidem adulterij recedendum à D coniuge moneat. *Frequenter enim* (inquit) *ſuas dimittentes ſub tegmine continentiæ, alias decipiunt, refrigeſcente propoſito.* Verùm ego exiſtimo, hæc omnia pertinere ad conſilium, & hoc quidem primum membrum diſſuadere diuortium, quomodò interpretatur Tertullianus [c]: *Obligatus es* (inquit) *matrimonio*, ne quæſieris abſolutionem: Et alibi [d] *vinctus es vxori, ne quæſieris ſolutionem*: alio item [e] loco: *Iunctus es vxori, ne quæſieris ſolutionem, vt mœchia locum non det.* Quibus locis indicat hæc verba Pauli eodem pertinere, quò illa ſuperiora. *Seruus vocatus es, non ſit tibi cura &c. Circumciſus vocatus es*, & quæ ſequuntur. Quod verò ſequitur. *ſolutus es ab vxore, noli quærere vxorem*: refertur ad conſilium virginitatis, ſeu continentiæ: poteſt enim pertinere tam ad eos, qui virgines ſunt, quàm ad eos, qui cum experti ſint nuptias E earum vinculo ſoluti ſunt, ac liberi, quibus monet; vt cælibem vitam agant, vt intelligant (quod monet Ambroſius,) hoc Deo magis placere; & hominem à ſeruitutis quadam neceſſitate liberare: modò ita connubio abſtineat quis, vt nefariis voluptatibus nullo modo capiatur. Et ad eos quidem, qui connubio ſoluti eſſent, hunc in modum Tertullianus [f] accommodat. *Abſolutus es matrimonio, ne quæſieris obligationem: nam & ſi non delinquas contrahendo, carnis tamen preſſuram ſubſequi dicit: quare facultatem continentia*

[b] cap. 19. 6.
[c] lib. 1. ad vx. cap. 7.
[d] lib. de monog. c. 11.
[e] lib. de pudi. cap. 16.
[f] ad Vxorem. lib. 2. cap. 7.

uentiæ, quantum poſſumus non diligamus. Quam pri- A *mum obuenerit imbibimus: vt quod in matrimonio non valemus, in viduitate ſectemur. Amplectenda occaſio eſt, quæ ademit quod neceſſitas imperabat* [a] alibi. *Cæterùm de ſecundo matrimonio ſcimus tamen Apoſtolum pronunciaſſe: ſolutus es ab vxore, ne quæſieris vxorem, ſed & ſi duxeris, non delinques, proinde tamen & huius ſermonis ordinem, conſilio ſuo, non de diuino præcepto introducit: multùm autem intereſt inter Dei præceptum, & conſilium hominis:* Et rurſus [b]. *Solutus es ab vxore, ne quæſieris vxorem.* Sed nimis anguſtè Pauli verba interpretatur, cùm ad ſecundum coniugium duntaxat pertinere exiſtimet; nam alloquitur etiam virgines, de quibus paulò antè dixerat, non ſe quidem habere Domini præceptum, ſed tamen ſuadere id, quod optimum putet, vt videlicet integri, purique B permaneant.

a In exh. ad caſt. c. 4.

b lib. de Monog. c. 11.

28. I. SI AVTEM ACCEPERIS VXOREM, NON, &c. Sententiæ, & conſilij ſui rationem explicat; ne quis enim exiſtimaret, ita probari continentiam, vt nuptiæ damnentur ſubdit, ſi quis vxorem ducat, aut ſi qua virgo nubat nullum eſſe piaculum. Hic hæretici triumphant, & clericorum, ac monachorum cōnubia hac Apoſtoli ſententia ſtatuere ſe poſſe gloriantur, quaſi Apoſtolus vniuerſim pronuntiet, eos, qui coniugio copulentur, etiamſi virginitatem, aut continentiam voto Deo obligarint, nullo flagitio inquinari: cùm tamen certum, exploratúmque ſit de iis duntaxat Apoſtolum agere, qui nulla lege, nullóque continentiæ voto obſtricti ſunt: nam quid ſentiendum ſit de iis, qui religioſa vota Deo nuncuparunt, & Paulus alibi non obſcurè indicat; & nos fuſiùs ſuo loco docemus. Porro Tertullianus [c] hæc de iis explicat, qui ante fidem ſuſceptam ſoluti lege connubij primas à baptiſmo nuptias celebrant. *Si autem* (inquit) *acceperis vxorem, non deliquiſti, quia ante fidem ſoluto ab vxore non numerabitur poſt fidem ſecunda vxor, quæ poſt fidem prima eſt: à fide enim ipſa vita noſtra cenſetur, ſed hic parcere ſe dicit illis, alioquin preſſuram carnis ſubſequuturam pro anguſtiis temporum impedimenta matrimonij recuſantibus.* Et Hieronymus, hæc verba expendens: *Si autem* (inquit) *acceperis vxorem, non peccaſti: aliud eſt non peccare, aliud benefacere.* Et poſt nōnulla: *Ac ne videretur in eo, quod dixerat: Et ſi nupſerit virgo non peccauit, rurſum cælibes ad nuptias prouocare, ſtatim ſe refrenauit, & aliud* D *inferendo infirmauit quod conceſſerat, dicens. Tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi. Qui ſunt iſti, qui tribulationem carnis habebunt? quibus ſuprà indulſerat, Si acceperis vxorem, non peccaſti, etſi nupſerit virgo, non peccauit; tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi. Nos ignari rerum putabamus nuptias ſaltem carnis habere lætitiam, ſi autem nubentibus etiam in carne tribulatio eſt, in qua ſola videbantur habere delicias; quid erit reliquum propter quod nubant, cùm & in ſpiritu & in anima & in ipſa carne tribulatio ſit?* Paulò antè apertè dixerat non loqui Apoſtolum de virgine, quæ ſeſe Deo dicauit. *Et ſi nupſerit* (ait) *virgo, non peccauit: non illa virgo, quæ ſemel Dei cultui dedicauit; harum enim ſi qua nupſerit habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit. ſi autem hoc de* E *viduis dictum obiecerit, quanto magis de virginibus præualebit, cùm etiam his non liceat, quibus aliquandò licuit? Virgines enim, quæ poſt conſecrationem nupſerint, non tam adulteræ ſunt, quàm inceſtæ.* Addere potuiſſet etiam (meo quidem iudicio) & ſacrilegæ. Eodem prorſus modo loquitur Chryſoſtomus. *Non* (ait) *de ea loquitur, quæ elegit virginitatem, ipſa enim iam peccauit, nam ſi viduæ habent iudicium, quæ ſecundis iunguntur nuptiis, ſi ſemel elegerint viduitatem, multò magis virgines.* Penè eadem Photius apud Oecu-

c de Monog. cap. 11.

A menium, & Theodoretus hoc loco; & Epiphanius [a], & Baſilius [b], & Hieronymus [c]. Accipiamus igitur verba Pauli de viris, ac fœminis, quibus nulla lex coniugij, aut ſanctior nexus imponitur; illi namque ſi coniugium ineant, nullo modo peccant: *non enim peccat, qui quod conceſſum eſt, facit*; vt Ambroſius loquitur. Verùm Photius apud Oecumenium, non putat, hæc coniungenda eſſe cum iis, quæ proximè dicta ſunt. *Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem*, ſed cum ſuperioribus per hyperbaton. *Bonum eſt homini ſic eſſe*: exiſtimat enim abſurdum videri, ſi Apoſtolus ſecundas nuptias permittat. *Magnum* (inquit) *eſt peccatum, ſi is, qui ſolutus eſt ab vxore, aliam ducat.* Quod non perinde accipiendum eſt, quaſi omnino ſecundas nuptias damnet; non enim de eo loquitur, B qui coniuge vita functa ſolutus eſt lege connubij, ſed de illo, qui vxori aliqua ex cauſa nuntium remittit: ſiquidem ait, alioqui hanc Pauli ſententiam pugnaturam cum ſuperiori, cùm dixit: *Quod ſi deceſſerit manere innuptam.* nam qui diuortium fecit viuente priore vxore, alteram ducere non poteſt. Sunt tamen, qui Photium de ſecundis nuptiis interpretentur, eúmque ita locutum autument, quod primis Eccleſiæ naſcentis temporibus ſecundæ nuptiæ non tam probarentur, quàm tolerarentur: adeo vt clericos, qui eis interfuiſſent, puniendos cenſerent, & ipſi bigami, quod etiam nunc retinetur, ſacris ordinibus prohiberētur: quin etiam in Concilio Neocæſarienſi [d], & Concilio Laodiceno [e], ineuntibus ſecunda coniugia iniungitur pœnitentia, & Ambro- C ſius [f] apertè ait, ſecundas nuptias non eſſe bonas: Auctor imperfecti in Matthæum [g] eas ſcortationis nomine cenſet; Hieronymus [h] eas apertè damnat. Verùm quod attinet ad ſecundas nuptias, eas Montanus, & Cataphrygæ execrabantur, vt Auguſtinus [i] affirmat. Itémque Catari ex eodem [k]: quem errorem penitus imbibit Tertullianus [l], idque illi apertè tribuit Auguſtinus [m]: probauit deinde Nouatus, vt ex Concilio [n] Nicæno colligi poteſt. Porrò de ſecundis nuptiis agit ſub finem huius capitis Apoſtolus, nec licet Catholico dubitare, eas citrà piaculum à fidelibus vſurpari, vt ſæpè Hieronymus affirmat, & ex verbis Pauli colligit Auguſtinus, & alij, vt ſuo loco oſtendam, Quamquàm negari non poteſt, olim viſas parum Chriſtianæ perfectioni congruere, atque D adeo quòd impotentem quemdam libidinis æſtum indicarent, aliqua cenſura fuiſſe multatas, & à viris ſanctis interdùm aſperioribus verbis fuiſſe perſtrictas. Sed quod attinet ad præſentem locum, nihil dubito Photium accepiſſe verba Pauli de eo, qui diuortio tantùm ab vxore ſolutus eſt, quem certum eſt magno ſcelere obſtringi, ſi viuente vxore aliam ducat. Et profectò ſi ea verba hunc duntaxat ſenſum admitterent, quod ait hoc loco. *Si vxorem duxeris, non peccaſti*, nullo modo intelligi de illo poſſet, qui diuortium fecit. Atqui cæteri omnes coniungunt hanc ſententiam cum proximè ſuperiori, vt intelligat Apoſtolus eum, qui quoquo modo liber eſt ab vxore, hoc eſt, qui vel illam nondum duxit, vel ea certè vita functa expers eſt coniugij, ſi vxorem du- E cat, nullo ſcelere inquinari. *Tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi*: Græcè eſt τῇ σαρκὶ, hoc eſt carne, quaſi dicat in eo, in quo voluptatem, & oblectationem quærunt, multa cogentur dura, atque aſpera tolerare. Quibus verbis omnia coniugij incommoda paucis perſtrinxit, quæ plurima recenſeri ſolent, vt indicat alicubi Hieronymus. Qui igitur nuptias contrahent, multis proculdubio difficultatibus implicabuntur: quamobrem auctor eſt Hieronymus [o], clariſſimum oratorem dixiſſe. *Qui non litigat, cælebs eſt*: addit inuentum eſſe monimentum

ſepul

a Hær. ...

b de Baſil. virgin.

c lib. 1. cont. Iouin.

d cap. 3 & 7.

e cap. 1.

f lib. de vid.

g Hom. 32.

h lib. 1 & 2. cont. Iouin.

i lib. de hær. cap. 26.

k cap. 38.

l lib. de Monog.

m lib. de hær. cap. 26.

n Can. 8.

o lib. 1. c. Iouin.

ſepulcri, in quo conditi erant vxor, & maritus. *Hoſpes, miraculum, hic vir, & vxor non litigant.* *Hæc* (inquit) *idcirco protuli, vt eaſus oſtenderem nuptiarum, à quibus omnibus prædicta immunis, ac libera eſt.* Multis autem matrimonij incommoda recenſens; *Fertur* (inquit) *aureolus Theophraſti liber de nuptiis, in quo quærit, an vir ſapiens ducat vxorem, & cùm definiſſet, ſi pulchra eſſet, ſi bene morata, ſi honeſtis parentibus, ſi ipſe ſanus, ac diues ſic ſapientem aliquando inire matrimonium, ſtatim intulit, hæ autem in nuptiis rarò vniuerſa concordant.* *Non eſt ergo vxor ducenda ſapienti: primùm enim impediri ſtudia philoſophiæ, nec poſſe quemquam libris, & vxori pariter inſeruire: multa eſſe, quæ matronarum vſibus neceſſaria ſint, pretioſæ veſtes, aurum, gemmæ, ſumptus, ancillæ, ſupellex varia, lectica, & eſſeda deaurata: deinde per noctes totas garrulæ conqueſtiones: illa ornatior procedit in publicum, hæc honoratior ab omnibus: ego in conuentu fœminarum miſella deſpicior. cur aſpiciebas vicinam? Quid cum ancillula loquebaris? de foro veniens, quid attuliſti?* Et poſt nonnulla. *Attendenda ſemper eius eſt facies, & pulchritudo laudanda, ne ſi alteram aſpexeris ſe exiſtimet diſplicere, vocanda domina: celebrandus natalis eius: iurandum per ſalutem illius: vt ſit ſuperſtes optandum: honoranda nutrix eius, & gerula, ſeruus, patrinus, & alumnus, & formoſus aſſecla, & procurator calamiſtratus, & in longam, ſecurámque libidinem exſectus ſpado, ſub quibus nominibus adulteri delitescunt.* Et multa deinceps. Eodem prorſus modo loquitur Primaſius: *ſub maledicto* (inquit) *ſi Euæ ſubiicientes, quæ ideo in partu maledictionem accepit, quoniam ſciebat Deus, incontinentes futuros homines, vt vel metu doloris à libidine temperarent. adiciuntur etiam vagitus infantium, filiorum mortes, nec non & abortus.* Oecumenius vno verbo omnia complexus eſt. *Mœrores* (ait) *qui ſunt in coniugio.* Has igitur moleſtias, atque id genus alia coniugij incom-

III. moda vocat Apoſtolus tribulationem carnis. Quod autem ait Latinus interpres: *Huiuſmodi*; Græcè eſt τοῖς τοιούτοις, vt referatur non ad tribulationem, ſed ad virum, & fœminam, qui coniugium ineunt. Porrò ex hoc loco quidquid hæretici obganniant, apertè colligitur, quædam eſſe Euangelica conſilia, quæ nemo cogatur neceſſariò cōplecti, ſed liberè poſſit vtramuis partem ſequi, modò conſilij auctorem, aut ipſum conſilium non contemnat. Ait enim Apoſtolus, fas eſſe tam viris, quàm fœminis matrimonio copulari; cùm tamen paulò antè dixiſſet. *Volo omnes eſſe, ſicut & ego; & de virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do.* Et paulò pòſt repetit. *Qui matrimonio iungit virginem ſuam benè facit; & qui non iungit, meliùs facit.* Denique de vidua: *Bonum autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundùm meum conſilium.* Subdit. *Ego autem* (inquit) *vobis parco.* Ambroſius, & Hieronymus hæc referunt ad virgines: quaſi dicat, dum vobis ſuadeo virginitatem, & perpetuam continentiam parco, quia vos libero ab iis moleſtiis, quæ vobis in coniugio perferendæ eſſent. *Parcit* (inquit Ambroſius) *quando ad hæc magis prouocat, quæ tribulationes carnis, & ſolicitudines memoratas excludunt.* Addit autem & aliam interpretationem, vt parcere dicatur, *cùm permittit, & non contradicit volentibus, quod oneroſum oſtendit.* Quam poſteriorem explicationem probare videtur Theodoretus. *Et paternam* (inquit) *beneuolentiam aperuit, & cælibatus vtilitatem oſtendit.* Quaſi dicat: mallet quidem Apoſtolus, eos eſſe continentes, & cælibes, ſed indulget tamen eorum imbecillitati. Ita interpretatur Tertullianus[a]. *Veruntamen* (inquit) *eiuſmodi preſſuram carnis habebunt, cum parcere ſe eis dicit.* Et alibi[b]: *Quod etſi duxeris vxorem, & ſi nupſerit virgo non peccat, preſſuram tamen carnis habebunt huiuſmodi, & hic parcendo permittit.* Itaque idem hoc loco dicit Apoſtolus, quod paulò antè, cùm ſcripſit. *Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundùm imperium.* Nos in paraphraſi priorem explicationē ſecuti ſumus, vt parcere dicatur Apoſtolus, dum propoſitis nuptiarum incommodis, eos ad cælibatum hortatur, quàm breuiſſimè indicat Oecumenius. *Parco* (inquit) *tanquam filiis, & cupio vos liberos eſſe, ac ſine mœrore.* Ex quibus omnibus apparet, non modò falsò ſed etiam impiè hæreticum neſcio quem ex Apoſtoli ſententia colligere fœliciorem quidem eſſe cælibatum, & continentiam, coniugium verò totius; cùm tamen apertiſſimè dicat Paulus, meliùs facere eum, qui virginem ſuam à nuptiis, & coniugio liberam ſeruat. Vt autem obſeruat Hieronymus[a]. *Vbi bonum, & melius eſt, ibi boni, & melioris non vnum eſt præmium; & vbi non vnum præmium, ibi vtique dona diuerſa. Tantùm eſt igitur inter nuptias, & virginitatem quantùm inter non peccare, & benefacere, immò (vt leniùs dicam) quantùm inter bonum, & melius.* Neque verò obiicienda ſunt nobis virginitatis, & cœlibatus pericula, ſiue quia penè eadem, & longè plura, atque adeo maiora coniugium comitantur; ſiue quia non ſola ab Apoſtolo commendatur virginitas, quæ otio deſidiáque langueſcat, ſed quæ eam vitæ rationem ſequatur, quæ tuendæ, conſeruandæque virginitati ſit accommodata; quam plurimi doctiſſimi, ſanctiſſimíque viri deſcribunt. Quamobrem ad hunc locum alludens Hieronymus[b]. *Ego autem* (inquit) *vobis parco, ſic ait obtendo carnis tribulationem, quaſi non maiora ſint, propter quæ nubere non debeatis.*

19. HOC ITAQVE DICO (FRATRES) TEMPVS, &c.

I. Quoniam virginitatem, & cælibatum prætulerat nuptiis, atque coniugio, ita tamen, vt liberam cuique vtrum mallet eligendi reliquerit poteſtatem, à breuitate & conditione temporis ſumpto argumento ſuam de virginitate ſententiam confirmat. Hoc autem (inquit) dico, quaſi innuat ſe paucis colligere, quod fuſiùs explicuerat. Omnino hæc eſt mea ſententia, quam temporis conditio magnoperè commendare videtur. Quod autem ait interpres. *Tempus breue eſt*; græcè habetur, ὁ καιρὸς συνεσταλμένος, quod Hieronymus[c] alicubi latinè reddidit, vt noſter interpres. Ibidem autem pòſt multa. *Tempus* (ait) *in collecto eſt*: quomodò perpetuò legit Tertullianus[d]. *Tempus* (inquit) *in collecto eſt; ſupereſt, vt qui matrimonia habent, tanquàm non habentes agant*: ſic alibi[e] penè ſemper. Sunt qui putent, hæc coniungenda cum ſequentibus hoc modo. ὁ καιρὸς συνεσταλμένος τὸ λοιπόν, quaſi dicat: tempus complicatum eſt in poſterùm; non modò vt temporis breuitatem declaret, ſed vt indicet rerum omnium finem, atque exitum imminere. Sic prorsùs Theodoretus. *Hæc eſt* (ait) *vita tendit ad finem propè eſt præſentis temporis conſummatio.* Neque aliter explicat Theophylactus: inter Latinos autem Ambroſius idem planè ſentit. *Finem* (inquit) *mundo imminere ſignificauit.* Quæ interpretatio ſi probanda ſit, quod ſequitur, *vt qui habent vxores*; rei conſequutionem ſignificabit; quaſi dicat, omnis hæc vita breuis eſt, vt ſi quid etiam voluptatis in matrimonio inſit, negligendum planè videatur ob hoc ipſum, quòd breui dilapſurum ſit. Ita commentarij nomine Hieronymi. *Tempus vitæ noſtræ modicum aſſerit, vt doceat voluptatem, quæ cito finitur, non magnopere appetendam, ſed magis concupiſcendum eſſe æternum præmium caſtitatis.* Neque ab hac ſententia Latina interpretatio abhorret, quam nos in paraphraſi ſequuti ſumus. Senſus enim eſt, à temporis breuitate Apoſtolum argumentari, vt oſtendat coniugij voluptates, & commoda non eſſe magnifacienda. Huc pertinent quæ eleganter

ſcribit

a In exhort. caſtit. c. 4.
b De pudic. cap. 16.
a li. 1. in Iou.
b eodē loco.
c lib. 1. cont. Iouin.
d li. 1. ad vxor. cap. 5.
e libr. 5. in Marc. cap. 7. & 8 in exhor. ad caſt. cap. 6. & lib. de monog. cap. 3 & 11 & de pudic. cap 16.

ſcribit Seneca[a]. *Omnia*(inquit) *feres conſtanter, ſi cogitaueris, nihil intereſſe inter exiguum tempus, & longum. Horæ ſunt, quas perdimus, puta dies eſſe, puta menſes, puta annos, perdidimus illos, nempe perituros. Quid (oro te) refert num perueniam ad illos? Fluit tempus, & auidiſſimos ſui deſerit, nec quod futurum eſt meum eſt, nec quod fuit: in puncto fugientis temporis pendeo, & magni eſt modicum fuiſſe?* alibi[b]. *Ideo peccamus, quia de partibus vitæ omnes deliberamus, de tota nemo deliberat. ſcire debet quid petat ille, qui ſagittam vult mittere, & tunc dirigere, ac moderari manu telum. Errant conſilia noſtra, quia non habent quò dirigantur. ignoranti quem portum petat nullus ſuus ventus eſt: neceſſe eſt multum in vita noſtra caſus poſſit, quia viuimus caſu.* Itaque rectè Apoſtolus. *Tempus* (ait) *breue eſt*; qui enim vitæ breuitatem cogitat, facilè omnia contemner. Quod autem ait: *Vt qui habent vxores, tanquàm*

a lib. 6. natur. quæſt. cap. 32.

b epiſt. 72.

II. *non habentes ſint*: non pugnat cum iis, quæ initio capitis dixerat. *Propter fornicationem autem vnuſquiſque vxorẽ ſuam habeat*; Itémque. *Et rurſum reuertimini in idipſum, ne tentet vos ſatanas.* Illa enim (vt ſuo loco diximus) coniugum officia explicant, hoc verò loco (vt ait Chryſoſtomus) ita vxore vtendum monet, vt illa Chriſtianæ vitæ curſum nullo modo retardet; hoc eſt, ne nimia rerum humanarum ſollicitudo mentem à Deo auocet. Itaque non referuntur hæc ad vſum coniugij, quaſi iubeat eos vxorio complexu abſtinere, ſed quod ex ſequentibus planiùs conſtat, indicat non eſſe his rebus caducis, & terrenis voluptatibus penitùs adhærendum; &, vt ait Oecumenius, monet Corinthios, vt non ita ſint vxoribus addicti, vt eis ad explendas cupiditates, & libidines ſaturandas obſequantur. Atque ita rectè Primaſius hæc omnia, quæ infrà Lunam ſunt cœleſtium, atque immortalium bonorum comparatione, flocci eſſe facienda docet; idque ait, Pauli verba ſignificare. Argutè verò quidam hoc loco eos ait cum Apoſtoli ſententia ex aduerſo pugnare, qui cum coniugio ſoluti ſint, perinde tamen venereis voluptatibus laxant habenas, ac ſi legitimas vxores haberent: quod eos potiſſimum tangit, qui cum cœlibem vitam, & connubio ſolutam agant & vxoribus careant, contra fas tamen, ac ius omni libidinum genere inquinantur. cùm igitur vxores non habeant, tanquàm habentes ſunt, quod eſt planè conſiliis Apoſtolicis contrarium. De hoc autem Apoſtoli loco ita alicubi ſcribit Hieronymus[c]. *Tempus breue eſt, reliquum eſt vt qui habent vxores ſic ſint, tanquam non habentes: nequaquàm iam de virginibus diſputo, quos nulla ambiguitas eſt eſſe fælices; ad maritos venio; tempus breue eſt, Dominus propè eſt: etiam ſi nongentis viueremus annis, vt antiqui homines; tamen breue putandum eſſet, quod haberet aliquando finem, & eſſe ceſſaret. Nunc verò cùm breuis ſit, non tam lætitia, quàm tribulatio nuptiarum; quid accipimus vxores, quas cogemur citò amittere?* Et aliquantò pòſt. *Inter cætera mundi opera, & nuptiæ prætéribunt; neque enim erunt poſt reſurrectionem coniugia. Si autem mors finis eſt nuptiarum; cur neceſſitatem non in voluntatem vertimus? Et quod inuitis extorquendum eſt, cur non ſpe præmiorum offerimus Deo?* Et poſt multa Ioniniano obiicienti antiquum illud præceptum, *creſcite, & multiplicamini, & replete terram* reſpondet. *Nobis autem, quibus dicitur tempus in collecto eſt, ſupereſt vt qui habent vxores ſic ſint, quaſi non habeant, aliud præcipi, & virginitatem à Saluatore virgine dedicari.*

c lib. 1. aduer. Iouin.

30. Et qui flent, tanquam non flen-
I. tes, &c. *Nemo* (inquit Theodoretus) *nec paupertatem defleat, nec propter diuitias inſoleſcat, & ſibi magnoperè placeat*; nam (vt ait Ambroſius) *qui ſpectat imminentem mundi finem, magnopere in rebus aduerſis re-*

creatur. Ait igitur Apoſtolus, temperandum à lacrymis, & futura bona ſperanda. *Et qui gaudent* (ait) *tanquàm non gaudentes*; ne videlicet qui ſecunda vtuntur fortuna, nimia lætitia efferantur. Videtur autem Apoſtolus fletum quidem pro rebus aduerſis, gaudium verò pro ſecundis, ac proſperis accepiſſe, vt vtraque non magni facienda doceat: ita effectum pro cauſa ponit, quomodo etiam Chriſtus apud Lucam[a]. *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis.* *Parcamus lacrymis* (ait Seneca[b]) *nihil proficientibus, faciliùs enim nos illis dolor iſte adiiciet, quam illas à nobis reducet, qui ſi nos torquet non adiuuat, primo quoque tempore deponendus eſt, & ab inanibus ſolatiis, ac amara quadam libidine dolendi animus recipiendus eſt. Nam lacrymis noſtris, ni ratio finem fecerit fortuna non faciet. Omnes agedum mortales circumſpice; larga vbique flendi, & aſſidua materia eſt. Alium ad quotidianum opus laborioſa egeſtas vocat; alium ambitio nunquam quieta ſolicitat. alius diuitias, quas optauerat metuit, & voto laborat ſuo; alium ſolicitudo, alium labor torquet, alium ſemper veſtibulum obſidens turba. Hic habere ſe dolet liberos, hic perdidiſſe: lacrymæ nobis deerunt antequàm cauſa dolendi. Non vides qualem vitam nobis rerum natura promiſerit, quæ primum naſcentium hominum fletum eſſe voluit: hoc principio edimur, huic omnium ſequentium annorum ordo conſentit, ſic vitam agimus; ideóque moderatè id fieri debet à nobis, quod ſæpe faciendum eſt, & reſpicientes quantum à tergo rerum triſtium immineat, ſi non finire lacrymas, at certè reſeruare debemus. Nulli parcendum eſt rei magis, quàm huic, cuius tam frequens vſus eſt.* Quæ omnia mirè conſentiunt cum hac Apoſtoli ſententia. *Qui flent, tanquàm non flentes, ſint.* Quaſi ſuadeat res omnes aduerſas moderatè ferendas. *Et qui emunt, tanquàm non poſſidentes.* Ne videlicet hæc caduca bona magni fiant, quaſi noſtra fœlicitas in his rebus poſita ſit. Quod ait interpres *poſſidentes*: græcè eſt κατέχοντες: quaſi dicat, non perpetuò poſſidentes, vel II. magnopere, ac valdè detinentes, vt nimiam adhæſionem animi reprehendat, cùm nemo poſſit hæc caduca perpetuò poſſidere. Neque verò eo ſpectant Apoſtoli verba, vt bona omnia, quæ dicuntur fortunæ, abiicienda doceat; ſed ne eiuſmodi bonis quodammodo ſeruiamus, quod olim monuit Dauid[c]. *Diuitiæ ſi affluant nolite cor apponere.* Et Paulus alibi[d]. *Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum.* Ne quis autem miretur hoc Apoſtoli conſilium, adſcribam in præſentia pauca quædam ex Seneca[e]. *Si in medio* (inquit) *vrbium fremitu collocati ſumus, ſtet ad latus monitor, & contra laudatores ingentium patrimoniorum, laudet paruo diuitem, & vſu opes metientem.* Alibi[f]. *Sciamus* (ait) *omnia æquè leuia eſſe, extrinſecus diuerſas facies habentia, introrſus pariter vana; nec inuideamus altiùs ſtantibus quæ excelſa videntur prærupta ſunt. Illi rurſus, quos ſors iniqua in ancipiti poſuit, tutiores erunt ſuperbiam detrahendo rebus per ſe ſuperbis, & fortunam ſuam, quàm maxime poterunt, in planum deferendo. Multi quidem ſunt, quibus neceſſariò hærendum ſit in faſtigio ſuo ex quo non poſſunt niſi cadendo deſcendere. Sic olim ferme philoſophi hæc omnia, quæ ſub aſpectum cadunt, ſiue bona, ſiue mala ſint, propter breuitatem vel fortiter ferenda, vel facile contemnenda docuerunt.* Huc pertinere poteſt, quod ait Salomon[g]: *Spes impij tanquam lanugo, quæ à vento tollitur, & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur; & tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt, & tanquam memoria hoſpitis vnius diei prætereuntis.* Et Iob[h]: *Dies mei velociores fuerunt curſore. fugerunt, & non viderunt bonum, pertranſierunt quaſi naues poma portantes; & ſicut aquila volans ad eſcam.* Pergit deinde Apoſtolus.

a cap. 6.

b lib. de conſola. cap. 14.

c Pſal. 61.

d epiſt. 1. ad Tim. 6.

e epiſt. 94.

f lib. de tranq. vitæ c. 10.

g Sapien. 5. 15.

h cap. 9.

31. I. Et qvi vtvntvr hoc mvnoo, tanqvam, &c. Vniuerſim omnia ferè rerum genera complectitur, & mundi nomine id omne ſignificat, quod hoc cœli ambitu continetur, vt ſenſus ſit, qui fortunæ bonis aboodant, iis ita ſeſe oblectent, vt tameo ad pompam, & luxum non abutantur: Sic enim græcè ſcriptum eſt; *καὶ οἱ χρώμενοι τῷ κόσμῳ τούτῳ ὡς μὴ καταχρώμενοι*. quaſi dicat, vtentes tamquàm non abutentes. Theodoretus confert hunc locum cum verbis Ezechielis[a], qui reprebendit eos, qui pulchra paſcua depaſcebant, & reliqua pedibus conculcabant, puram aquam bibebant, & reliquam pedibus conturbabant, vt videatur propriè abuſum accipere, in malam videlicet partem: ac fortaſſè abuſum hîc vocat Apoſtolus vſum nimis acrem, ac vehementem, cùm quis totus quodammodò in eo eſt, quales ſunt ij, qui rerum humanarum copia (vt ſignificat Ambroſius) gloriantur, & extolluotur. Multa io hanc ſententiam Seneca[b]. *Præterit enim* (inquit) *figura huius mundi*: græcè *σχῆμα*, & cum noſtro quidem interprete ſentiunt Græca ſcholia; interpretantur enim *παρέρχεται*: eodem modo explicat Hieronymus. *Mundus* (inquit) *tranſit, quo vniuerſa clauduntur, immò figura, & conuerſatio huius mundi quaſi nubes præterit.* Alij idem putant eſſe quod fallit, ſeu decipit, dum blanda videlicet ſpecie homines allicit. Alij denique ſignificare putant tranſuerſum agit, vt idem ſit, quod *παραγέται*: ſed Græcorum interpretatio præferenda eſt, quam hunc in modum Theodoretus illuſtrat. *Non ampliùs* (ait) *agricultura & nauigatio, non regna, & imperia, non ampliùs ſeruitus, & dominium, non ampliùs artes & ſcientiæ, non ampliùs paupertas, & diuitiæ; ex his enim, & quæ ſunt eiuſmodi conſtat vita præſens: Hoc etiam dicit Iſaias futura prædicens. Et erit ſeruus tamquàm dominus eius, & ancilla tanquàm domina, & qui emit tanquam qui vendat; & qui debet tanquam qui non debet; futura enim vita habet aliam rerum differentiam.* Obſeruant autem Ambroſius, & Theophylactus, non temerè dixiſſe Paulum præterire figuram huius mundi; græcè *παράγει*, quaſi ſignificet (vt vult Theodoretus) præter inanem ſpeciem nihil habere mundum ſolidi, aut eminentis, vel (vt mauult Ambroſius) non mundi perire ſubſtantiam, ſed formam: ipſum enim mundum quotidie ſeneſcere. Tertullianus[c]. Præterit (inquit) habitus huius mundi; nam re vera quidquid hoc mundo clauditur, fucatum eſt. Quocirca rectè Seneca[e]. *Miramur* (inqoit) *parietes tenui marmore indutos, cum ſciamus quale ſit, quod abſconditur, oculis noſtris imponimus: & cum auro tecta perfundimus, quid aliud, quàm mendacio gaudemus? ſcimus enim ſub illo auro fœda ligna latitare. Nec tantùm parietibus, aut lacunaribus ornamentum, ornamentum tenue prætenditur; omnium iſtorum quos incedere altos vides bracteata fœlicitas eſt. Inſpice, & diſces ſub illa tenui membrana dignitatis quantum mali lateat.* Rectè igitur ex hoc argumentatur Apoſtolus, oulla prorſus re abutendum eſſe; hoc eſt, nimia quadam animi propenſione rebus caducis adhærendum; neque eoim is abuſus intelligendus eſt, quem ita defioit Boetius[d]. *Vtimur* (inquit) *his, quæ nobis vtentibus permanent: his verò abutimur, quæ nobis vtentibus pereunt, vt equo, & veſte vtimur, itémque amico, qui cum nobis eſt familiaritas: vino, frumento, oleóque abutimur. Quam ob cauſam dixit Cicero; non debet ea mulier, cui vir bonorum ſuorum vſumfructum legauit, cellis vinariis, & oleariis plenis relictis putare id ad ſe pertinere: vſus enim, non abuſus, legatus eſt.* Nego igitur, has iuriſperitorum ſubtilitates ſpectaſſe Paulum; ipſius enim ratio, qua affirmat, mundi figuram prætorire, abuſum potiùs ſuadere videtur, qui earum rerum eſſe dicitur, quæ ipſo

a Ezech. 34. 18.
b epiſt. 58. 83. 113. 116. 119. lib. 1 de ira c. 21. & deinc.
c de cul. fœminarum c. 9. & de reſurrect. carn. cap. 4.
e Epiſt. 116.
d in Topi. Ci.

A vſu abſumuntur: & tamen vſum rerum permittit, abuſum vetat. Itaque Oecumenius: *abuſum* (dicit) *nimiùm vti mundana voluptate, puta deliciis, diuitiis, ac potentatu, ſeu imperio, ſignificans: hoc eſſe, non vti eo, ſicut decet. Neque enim ob id in mundum adducti ſumus, vt hæc faciamus; nã in bonis operibus creati ſumus: qui ergo his in quibus formatus eſt relictis etiam alio modo vtitur mundo, abutitur ipſo.* Rectè autẽ hunc abuſum diſſuadet, *quia præterit figura huius mundi*; quidquid enim cœli ambitu cootinetur, non ſolùm breue eſt, ſed magna ex parte inane: quocircà dixit Dauid[a]. Vniuerſa vaoitas omnis homo viuens. Et Salomon[b]. vanitas vanitatum, & omnia vanitas, & afflictio ſpiritus.

32. I. Volo avtem vos sinu solicitvdine, &c. Continentiæ, ac virgioitatis commoda B comparatione coniugij paucis perſtringit. *Volo* (inquit) *vos ſine ſolicitudine eſſe*: vt enim ait Ambroſius. *Diminuta ſolicitudine ſæculi in Dei rebus propenſius vigilatur.* Solicitudinem autem eam intelligit, qua rebus humanis plus æquo adhæreſcimus, & in diuerſa diſtrahimur, de qua multa eleganter ſcribit Plutarchus[c]. Quomodo autem eſſe quis poſſit abſque ſolicitudine, indicat cùm dicit. *Qui ſine vxore eſt, cogitat quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo.* græcè *ἄγαμος*, vt tam virginem, quàm eum complectatur, qui expertus aliquando ooptias, cælebs eſt; & cùm rerum caducarum nimiam ſollicitudinem reprehendit; cœleſtis vitæ ſolicitudinem commendat. Ita ad Philippenſes[d]. *Nihil ſoliciti ſitis, ſed in omni oratione, & obſecratione petitiones veſtræ innoteſcant apud* C *Deum.* & ad Epheſios[e]; *ſoliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis*: qua ratione etiam dixit Michæas[f]. *Iudicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te; vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam, & ſolicitum ambulare cum Domino Deo tuo.* Cæterùm humanarum rerum ſolicitudinem etiam Petrus[g] remouendam docet. *Omnem* (ait) *ſolicitudinem veſtram proiicientes in eum, quoniam ipſi eſt cura de vobis*, & Chriſtus apud Matthæum[h]. *Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini.* & poſt nonnulla. *Nolite ergo ſoliciti eſſe dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur; hæc enim omnia gentes inquirunt; ſcit enim pater veſter, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, &* D *hæc omnia adiicientur vobis*: Nimiam eoim ſolicitudinẽ reprehendit, vt alibi docui. Ita etiam olim dixit[i] Dauid: *Ego autem mendicus ſum, & pauper, & Dominus ſolicitus eſt mei.* Cæterùm nimiam rerum corporearum ſolicitudinem etiam Philoſophi reprehendũt, vt ex Seneca de tranquillitate vitæ, & Plutarcho de animi trãquillitate intelligi poteſt. & Plutarchus quidem eos, qui nimia ſolicitudine fatigantur, ſimiles ait eſſe nauſeantibus ex mari, qui etiamſi ſubinde locum mutent, non tamen proficiunt: itémque comparat ægrotãtibus, qui morbi acerbitate fatigati, optima quæque faſtidiunt, ac reſpuunt, neque vllam partem capiunt quietis. Igitur qui lege connubij ſolicitus eſt quæ Domini ſunt: hoc eſt, vt interpretatur Cyprianus[k]. *Cælebs cogitat ea, quæ ſunt Dei, quomodò* E *placeat Deo: id vnum quærit, ac ſatagit, vt ſe Deo probet, cuiúſque gratiam ineat.* Quod ait noſter interpres, *ſolicitus eſt*, græcè ſcripſit Apoſtolus *μεριμνᾷ*, quod nonnulli vertunt, curat. Cyprianus, & Ambroſius interpretati ſunt cogitat: ſtudium certè, ac diligentiam ſignificat: Hieronymus[l] à noſtro interprete nihil omnino diſcrepat. Cæterùm ex hoc loco nitebantur probare Tatiani ſectatores, matrimonium eſſe reiiciendum, quod à rerum diuinarum ſtudio, Deique cultu auocet, vt conſtat ex Clemente[m] Alexandrino, qui tamen reſpondet, eos etiam, qui iure

a Pſ. 38. 6.
b Eccle. 1. 2.
c lib. de tran. animi.
d cap. 4. 6.
e cap. 4. 3.
f cap. 6. 8.
g Epiſt. 1. c. 5
h cap. 6. 25.
i Pſ. 39. 18.
k de hab. virg
l 1. con. Iouin.
m lib. 3. ſtrom

connubij

connubij aſtricti ſunt, poſſe ipſis coniugij muneribus ritè obeundis ſanctitatem colere, diuinámque gratiam, ac beneuolentiam adipiſci: quanquam cælibes longè ſunt expeditiores, quippe alijs domeſticis curis ſoluti, ac liberi.

33. I. Qvi avtem cvm vxore est, &c. Intueamur (ait Hieronymus [a]) curarum virginis, mariti que diſtantias. Virgo Domino, maritus vxori placere deſiderat, & vt vxori placeat ſolicitus eſt de iis, quæ ſunt mundi, quæ cum mundo vtique tranſitura ſunt, & diuiſus eſt in multas ſcilicet ſolicitudinum partes, miſeriarúmque diſtractus. Eodem modo loquitur Theodoretus. Oſtendit (ait) breuiter differentiam ſolicitudinis eius, qui eligit iugum matrimonij, & eius qui cælibatum amplectitur. De quo argumento multa ſe ſcripſiſſe ait Hieronymus, cum aduerſus Heluidium diſputaret, & cùm præcepta virginitatis traderet[b]. Cura namque vxoris, & filiorum (vt ait Ambroſius) cogitatio mundi eſt: nam inter cætera multa ſolent viri parum honeſta admittere, ne vxoribus diſpliceant. Quod adoleſcens ille apud Eſdram [c] luculenta oratione probat, & Salomon [d] ait. Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum eſt, & ſagena cor eius. Vincula ſunt manus illius; qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator eſt, capietur ab illa. Reſtat igitur quod idem monet Ambroſius, vt amputata ſolicitudine rei vxoriæ, quæ ſola in mundo cæteris grauior eſt, ad Deum promerendum animus erudiatur, ſi tamen hac ſpe animus his moleſtiis ſe exuat, vt Deo magis ſeruiat; alioqui (vt ait Apoſtolus) diuiſus eſt: & tamen Chriſtus ait apud Matthæum [e]. Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire; & quidam dixit, non poſſe ſe ſimul vacare vxori, & philoſophiæ. Quòd ſi vxor ducenda ſit, verè omnino præcipit Seneca [f]: Duc benè inſtitutam, nec maternis inquinatam vitiis: non cuius auriculis vtrimque bina patrimonia dependeant: non quam margarita ſuffocent: cui minus ſit in dote, quam in veſte: quam in patente ſella circumlatam per vrbem populus ab omni parte æquè, vt maritus inſpexerit: cuius ſarcinis domus non ſit anguſta: hanc facilè ad mores rediges, quam nondum corruperunt publici. Nam ſi cum vxoris ambitione, atque ſuperbia luctandum ſit domeſticum bellum alitur. At Apoſtolus ſimpliciter nuptias ait, quales tandem ſint, curis eſſe obnoxias, & à Dei cultu non leuiter hominem auocare; ideo dicit, virum coniugatum diuiſum eſſe. In Græcis porrò codicibus longè alius videtur ſenſus: verbum enim μεμέρισται non ad ea, quæ præcedunt, ſed ad ſubſequentia referendum videtur; ſic enim habent. μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος. hoc eſt, diuiſa eſt, ſiue diuiſa ſunt vxor, & virgo: vt ſit ſeorſus, longè diuerſo ſtudio vitæ tenentur, vt mox explicat. in eam ſententiam interpretatur Theophylactus. At Chryſoſtomus, & Theodoretus hic planè muti ſunt. Hieronymus interdum cum Græcis ſentit, interdum Latinam interpretationem probat: nam aduerſus Heluidium hunc locum ita recitat: Tempus breuiatum eſt: reliquum eſt, vt qui habent vxores ſic ſint quaſi non habeant: & mox: Qui ſine vxore, cogitat ea, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum vxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt huius mundi, quomodò placeat vxori: & diuiſa eſt mulier, & virgo. & paulò pòſt: Diuiſa eſt dicens mulier, & virgo. Vide (inquit) quanta felicitatis ſit, quæ & nomen ſexus amiſerit: eodem modo legit, cùm ad Euſtochium ſcribit [g]. Verùm aduerſus Iouinianum [h] in hunc modum habet. Nunc (inquit) illud breuiter admoneo in Latinis codicibus hunc locum ita legi. Diuiſa eſt virgo, & mulier, quod quamquàm habeat ſuum ſenſum, & à me quoque pro qualitate loci ſic ediſſertum ſit, tamen non eſt apoſtolicæ veritatis: ſiquidem Apoſtolus, qui ita ſcripſit, vt ſuprà tranſtulimus, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodò placeat vxori, & diuiſus eſt: & hæc ſententia definita tranſgreditur ad virgines, & continentes. Ambroſius vtramque lectionem probaſſe videtur: ita enim eius vetuſtiores codices habent. Qui autem cum vxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt huius mundi, quomodò placeat vxori, & diuiſus eſt, diuiſa eſt mulier, & virgo, & mox explicans ſubdit. Diuiſa non vtique natura, ſed actu: indicans, Paulum ſentire diuerſum eſſe ſtudium mulieris, & virginis. At [a] alibi cum Latinis codicibus ſentit: quod & facit Auguſtinus [b]. Baſilius [c] autẽ cum Græcis legit. Diuiſa eſt mulier, & virgo: vt argumento ſit, tam Græcos, quàm Latinos codices olim variaſſe. Certè vtraque lectio veram habet ſententiam: nam & maritus diuiſus eſt, & in plures cogitationes diſtractus, & longè diuerſum eſt virginis ſtudium, & vxoris. Nos in paraphraſi vtramque ſententiã complexi ſumus: Syriacus Græcos ſecutus eſt.

34. I. Et mvlier innvpta, et virgo cogitat, &c. Hieronymus [d] mulierem innuptam, & virginem idem putat ſignificare. Non omnis (inquit) innupta, & virgo eſt quæ autem virgo, vtique & innupta eſt: quanquam ob elegantiam dictionis poſuerit idipſum altero verbo repetere. Mulier innupta, & virgo, vel certè definire voluiſſe quid eſſet innupta, id eſt virgo, ne & meretrices putemus innuptas nulli certo matrimonio copulatas. At verò Auguſtinus innuptam interpretatur viduam. Ambroſius, qui legit, diuiſa eſt mulier, & virgo, aliter explicat: ſentit enim, loqui Apoſtolum de vxore. Hic (inquit) Apoſtolus virginem poſt mulierem poſuit, vt mulierem, non virginem ſignificaret: per hoc enim voluit oſtendere, virginem liberam à tædiis, & laboribus, quos patitur mulier viro copulata. Quomodò etiam accepiſſe videtur hunc locum Tertullianus [e]. Cæterùm (inquit) hic quoque potuit conſtituere differentiam inter virginem, & mulierem; ſicut alibi dicit. Diuiſa eſt mulier, & virgo: igitur quæ non diuiſit tacendo inalterauit & paulò pòſt. Diuiſa eſt (inquit) mulier, & virgo. Quare? Quoniam innupta, id eſt virgo cogitat ea, quæ ſunt Domini, vt ſit ſancta & corpore & ſpiritu: nupta autem id eſt, non virgo, cogitat quomodò placeat viro. Verùm codices Latini nunc habent. mulier innupta, & virgo, vt neceſſe ſit vel cum Hieronymo vtrumque referre ad virginem: vel cum Auguſtino innuptam de vidua interpretari. Vtraque enim mulier à coniugio libera, cogitat quæ Domini ſunt: hoc eſt, tota eſt in rebus diuinis, idque vnum cogitat, quánam ratione ſe Deo maximè probet. Vt ſit (inquit) ſancta, & corpore, & ſpiritu. Dum enim (ait) Ambroſius) ſpe cæleſtium mariti: & filiorum ſolicitudinem non ſuſcipit, de Domino cogitat, quomodò propoſitum Deo deuotum cuſtodiat, ſi tamen in corpore mundo, animus terrena abiiciens cæleſtibus ſtudiat: animus eſt enim, qui aut ſignificat, aut polluit corpus. Quid enim prodeſt corpus mundum habere, & animam pollutam, cum merito animæ, aut honoratur corpus, aut damnatur? Oecumenius. Vt ſancta (inquit) ſit & corpore, & ſpiritu; corpore quidem (inquit) propter caſtitatem; ſpiritu verò propter familiaritatem ad Deum, & ſpiritus paracleti inhabitationem. Hieronymiani commentarij: Corpore (inquiunt) ab vſu coniugali; ſpiritu à rerum mundanarum ſolicitudine, dum tota diuino ſeruitio mancipatur. Hoc autem (vt ait Auguſtinus [f]) accipiendum eſt ſecundum ampliorem ſanctitatem innuptarum, quam nuptarum, cui merces etiam debetur amplior ſecundum quod iſto bono illud eſt melius, quia & hoc ſolum cogitat fœmina quomodò placeat Deo. Quæ autem (inquit) nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodò placeat viro. Quod de viro coniugato dixerat, hoc etiam affirmat de vxore; cogitat enim quæ mundi ſunt. lege quippe (ait Ambroſius) maritali conſtricta ſolicita eſt quomodò impleat ius maritalis officij, ſubdita mundanis cogitationibus

a 1. con. Iouin.
b ad Euſtoch.
c lib. 3. cap. 4.
d Eccle. 7. 27.
e cap. 16. 13.
f de remedio fortuit.
g de cuſtodia virgin.
h lib. 1.
a lib. de vid.
b lib. de bono viduit. c. 2.
c lib. de virg.
d 1. con. Iou.
e lib. de virg. vel. cap. 4.
f lib. de ſ. virg. cap.

II. *tibus.* Colligit autem ex hoc loco Hieronymus [a] ma-
a li.1.100. gnam virginis fœlicitatem; *vt nihil*(ait)*aliud eſſet, vt*
nulla merces virginem amplior ſequeretur, ſufficeret ei
hæc ſola prælatio, cogitare quæ Domini ſunt: Statimque
docet, quæ ſit ipſa cogitatio, *vt ſit ſancta, & corpore,*
& ſpiritu. Nonnullæ quippe ſunt virgines carne non ſpi-
ritu, quarum corpus integrum eſt, & anima corrupta,
ſed illa virginitas hoſtia Chriſti eſt, cuius nec mentem
cogitatio, nec carnem libido maculauit. è contrario, quæ
nupta eſt, cogitat quæ mundi ſunt, quomodò placeat viro;
ſicut qui vxorem habet, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quo-
modò placeat vxori; ſic nupta res mundi cogitat, quomo-
dò placeat viro. Porro Hieronymi commentarij aptè
hoc loco quærunt. *Quæ ergo virum non habet, & ta-*
men quæ mundi ſunt cogitat, cui placere deſiderat. Non-
ne incipiet illi nuptæ præponi, quæ cogitando mundana
complacet vel marito, cùm hæc nec marito, quem non
habet, poſſit placere, nec Deo? Huc pertinet quod alicu-
bi ſcribit Plutarchus [b]. Cùm enim Dionyſius Siciliæ
b Laconi-cis. tyrannus filiabus Archidami ſplendidas veſtes, ma-
gnóque pretio emptas miſiſſet, recuſauit accipere,
dicens. *Vereor ne hoc amictu puellæ mihi turpes videan-*
tur. Intellexit vir prudens virgines nullo cultu meliùs
ornari, quàm ſimplici: porro ſericis, gemmis, & auro de-
honeſtari magis, quàm ornari; propterea quòd veſtium
luxus arguit animum parum ſobrium; & intuentium
animos ad libidinem ſolicitat citiùs, quàm ad honeſtam
opinionem. Decet autem, vt virgo, tota & vndique virgo
ſit, nec vlla ex parte det corruptæ mentis ſignificationem.
Quantò id magis Chriſtianas virgines decet? Hoc
autem indicat Apoſtolus, cùm ait, *vt ſit ſancta corpore*
& ſpiritu.

35. Porro hoc ad vtilitatem veſtram
I. dico, &c. De hoc loco ita diſſerit alicubi Hierony-
c li. aduerſ. Iouin. mus [c]. *Ac ne forſitan putaretur onus grauiſſimum cu-*
ſtitatis nolentibus imponere, ſtatim iungit cauſas ſuaden-
di, & ait: Hoc autem ad vtilitatem veſtram dico, non vt
laqueum vobis iniiciam; ſed vt ad id, quod honeſtum
eſt, & intentè facit ſeruire Domino abſque vlla diſtractio-
ne vos adhorter. Tum ſubdit. *Proprietatem Græcam*
Latinus ſermo non explicat. Allatis autem Græcis ver-
bis, ſubnectit. *Vnde & in Latinis codicibus ob trãſlatio-*
nis difficultatem hoc penitùs non inuenitur. Itaque ſunt
qui Græca verba ita latiòè reddant. *Hoc autem ad id,*
quod vobis conducibile eſt, dico, non vt laqueum vobis
iniiciam; ſed vt quod honeſtum, ac decorum eſt ſequa-
mini, & adhæreatis Domino abſque vlla diſtractione.
Eſt autem hæc occupatio quædam, quæ tum ſupe-
rioribus, tum iis, quæ ſubſequũtur, ſubſeruit. Oſten-
dit enim Apoſtolus, nihil ſe præcipere, ſed liberum
cuique permittere, vtrum malit eligere; ſed tantùm
id proponere, quod vtile, atque honeſtum eſt. *Non*
d li.1. cont. Iouin. *imponit* (inquit Hieronymus [d]) *nobis Apoſtolus la-*
queum, nec cogit eſſe quod nolumus, ſed ſuadet quod ho-
neſtum eſt, & decorum, & intentè facit ſeruire Domi-
no, & ſemper eſſe ſolicitum, & expectare paratum Domi-
ni voluntatem, vt cùm quid imperauerit, quaſi ſtrenuus,
& armatus miles ſtatim impleat quod præceptum eſt, &
hoc faciat ſine vlla diſtentione, quæ data eſt, ſecundum
e cap.2.10. *Eccleſiaſtem* [e], *hominibus huius mundi, vt diſtendantur*
in ea. Chryſoſtomus porro huc ait virginitatem ſpe-
ctare, vt virgo animum à rebus mundanis penitùs
auocet; *nam quæ ea curat quæ ſunt mundi, ne fuerit*
quidem(ait) *virgo, neque honeſta; nam cùm dixiſſet: di-*
uiſa eſt, & mulier, & virgo, hanc poſuit differentiam,
quæ inter ſe diſtant, & dans definitionem virginis, &
non virginis, non dixit matrimonium, nec continentiam,
ſed non eſſe ſolicitam, & valde eſſe ſolicitam. Non eſt
enim res mala coitus, ſed impedimentum affert philoſo-
phiæ. Ait igitur Apoſtolus, ſe eorum commodis, at-
que vtilitati ſtudere; idque eis proponere, quod ho-

A neſtum, & ſanctum ſit, & legitimam continentiam,
ac virginitatem proponit, quæ ea præſtet, quæ conti-
nentiam, & virginitatem maximè deceant. Quam-
obrem rectè dixit Auguſtinus [a]. *Non matrimonium* a de bono vi-duit. cap. 5.
(inquit) *turpe eſſe monſtrauit, ſed quod honeſtum erat,*
honeſtius generalis honeſti nomine commendauit: quaſi
ſignificet poſitiuum pro comparatiuo poſitum eſſe.
Quorſum autem ſpectet metaphora laquei, non ſa-
tis conſtat. Sunt qui putent laquei nomine ſcorta-
tionem indicari, quaſi dicat: Non hæc idcirco mo-
neo, vt dum continentiam ſectamini, impura vos
libidine contaminetis; nam de muliere nequam ſcri-
pſit Salomon [b]: *Laqueus venatorum eſt, & ſagena cor* b Eccleſiaſtes 7. 27.
eius. Probabilem hanc ſententiam facit ipſe Apo- II.
ſtolus, qui initio capitis dixerat. *Propter fornicatio-*
B *nem autem vnuſquiſque vxorem ſuam habeat, & vna-*
quæque ſuum virum. Sed multò probabilius eſt quod
ait Theodoretus; laqueum hoc loco præcepti ne-
ceſſitatem ſignificare. *Non ex neceſſitate*(inquit) *tra-*
ho vos ad has diuitias, tanquàm laqueo aliquo vtens, &
vi venans, ſed indico lucrum, quod ex eo proueniet. Nam
Salomon ex interpretatione Septuaginta in Prouer-
biis [c] ſcripſit. *Laqueus fortis viro propria labia, & capi-* c cap. 6. 2.
tur verbis proprij oris; & vbi nos [d] habemus. *Lex ſa-* d 13. 14.
pientis, fons vitæ, vt declinet à ruina mortis, Septuagin-
ta legunt. *At demens captus à laqueo morietur:* deni-
que [e]; *Laqueus viro celeriter quidpiam proprio ore ſan-* e 20.
ctificare, poſt enim votum feciſſe pœnitere contingit. Ita-
que dixit Hieronymus: *Non imponit nobis Apoſtolus*
laqueum, nec cogit eſſe quod nolumus. Quaſi dicat: non
C legis, aut præcepti auctoritate compellit, ſed ſuadet
quod honeſtius eſt, quódque vtilius, quódque ma-
iorem tribuit facultatem Deo ſeruiendi. Eodem pla-
nè modo loquitur Oecumenius. *Neceſſitatem*(inquit)
laqueum vocat. Neque aliter Primaſius. *Non impono*
neceſſitatem innuptis, ſed quod magis vobis expediat.
Quamquàm paulò pòſt ſubdit. *Ergo nec vtile, nec ho-*
neſtum erat quod illi volebant. Spectans videlicet,
quod ſubdit Apoſtolus. *Sed ad id quod honeſtum eſt,*
& quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum
obſecrandi. Atque ita quaſi à contrario ſenſu argu-
mentatur: quod tamen argumenti genus non ſemper
habet vim: & hoc quidem loco quod ait Apoſtolus,
vt vult Ambroſius, non perinde accipiendum eſt
quaſi qui matrimonio iuncti ſint, nequeant rebus
D diuinis operam dare; ſed quod qui lege connubij
ſoluti viuunt id faciliùs, & commodiùs præſtent,
adeòque præſtare debeant; nam ſi ſecùs fiat; *virgini-*
bus(inquit) *nõ imputabitur ſanctimonium à Deo, & his*
matrimonij erit merces apud Deum, quia cùm obligati
eſſent terrenis, & carnis nexibus, operam dederunt, vt
in futurum aliquid immortalis præmij mererentur. Illis
autem non imputabitur virginitas, ſed & pœna ſubiicien-
tur, quia ſub tegmine melioris ſpei vitam, & conuerſatio-
nem ſuam mundiali cura, & ſolicitudine occupantes pi-
gros ſe ad Dei opera agenda fecerunt, ſicut dicit Iere-
mias [f] *Propheta. Maledictus qui opera Dei facit negli-* f cap. 48. 10.
genter. Docet igitur Apoſtolus quo compendio citiùs
quis Chriſtianæ vitæ apicem, & caritatis culmen aſſe-
quatur: quod faciunt virgines, & continentes, qui licitis
E *temperant, vt meliores fiant: ſimul omnia impedimenta*
carnis ſpernunt, non neſcij hæc eſſe, quæ greſſum curren-
tis velut oneribus compedum detinent. Non itaque licet
inferre contrarium malum eſſe, aut noxium, ſed
minùs honeſtum, ac minùs vtile, ſi ipſum per ſe ge-
nus vitæ ſpectetur. Quanquàm negari non poteſt,
multos eſſe viros ac fœminas, quæ nuptiarum legi-
bus atque officiis à Chriſtiana pietate ac perfectione
non modò non reuocentur, ſed multo vehementiùs
incitentur, vt non paucis religioſis, ac ſanctimonia-
libus abſque vlla controuerſia anteferendi ſint Ma-

lè autem omnino hæreticus[a] cælibatum laqueum eſſe dicit, cùm potius res ſit adeo laude digna, vt ipſis etiam gentilibus admirationi fuerit. At pauci admodum cælibes caſtè viuunt, adeóque etiam voto, ipſóque ordine ſacro obſtricti nonnulli impuris libidinibus contaminantur; non nego: ſed hominum vitia ſunt, non ſtatus. Ita auaritia Iudæ, & Petri periurium propria ipſorum peccata non apoſtolici ordinis maculæ fuerunt. Non igitur virginitas cælibatus, aut ordo ſacer laquei ſunt; ſed qui virginitatem, ac cælibatum profeſſi, vel initiati ſunt meritò accuſantur, cùm officio non ſatisfaciunt, & aliter viuunt, quàm ipſorum ſtatus, & conditio poſtulat. Nam ſi ex hominum vitiis de vitæ genere iudicandum ſit, quæ eſt tam eximia, támque ab omni labe pura vitæ ratio, in quam crimen cadere nullum poſſit?

a Bucer.

36. Si qvis avtem tvrpem se videri, &c.

I. Locus eſt admodum obſcurus, & perdifficilis; nec enim ſatis perſpicitur de parentibus-ne loquatur Apoſtolus filiarum reſpectu, an verò de ſingulis, ſiue viris, ſiue fœminis, qui lege coniugij non aſtringuntur. Hieronymus[b] poſteriorem ſententiam ſequutus hæc ſcribit. *Si quis autem conſiderat virginem ſuam, id eſt, carnem laſciuire, & ebullire in libidinem, nec refrænare ſe poteſt, dupléxque ei incumbit neceſſitas, aut accipiendi coniugii, aut ruendi, quod vult faciat, non peccat ſi nubat. Faciat* (inquit) *quod vult, non quod debet. Non peccat ſi ducit vxorem, non tamen benè facit ſi duxerit, quia non quod debet facit, ſed quod vult. Nam qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc iudicat in corde ſuo ſeruare virginem ſuam bene facit, &c.* Eamdem ſententiam indicant commentarij nomine Hieronymi. *Item* aiunt, *hoc loco non parentes dicit virginum filiarum; neque enim poteſtatis illorum poteſt eſſe propoſitum alienæ continentiæ, ſed vnumquemque habere propria carnis arbitrium, eam incorruptam ſeruare.* Eamdem indicat Ambroſius. ait enim hoc loco Apoſtolum, ne videatur coniugia damnare, poteſtatem facere virginibus, vt ſi libeat, coniugium ineant. *Si ergo* (inquit) *aliqua in deſiderio nuptiarum eſt, iam matura ad vſum, melius eſſe vt ſecundum conceſſam legem publicè nubat, quàm occultè turpiter agat: & erubeſcatur in illa.* Quæ ſanè ſententia hoc maximè nomine multis probatur, quòd non videantur parentes iure poſſe liberos ad virginitatē compellere, aut matrimonio copulare. Tametſi enim multa extant in iure tum Ciuili[c], tum Canonico[d], quæ ſuadeant, non eſſe abſque parentum conſenſu nuptias celebrandas, idque adeo eſt rationi in primis conſentaneum, vt ipſi etiā philoſophi[e] agnouerunt; certum tamen, atque exploratum eſt, etiam ſi filij abſque parentum ſcitu, aut illis etiam inuitis coniugia ineant, firma, ac rata eſſe eorum connubia, vt in Tridentina Synodo ſignificatum eſt, quidquid aliqui contrà ſentiant. Quamobtem Epiphanius[f] non dubitauit, hunc locum perindè accipere, quaſi Apoſtolus parentes alloquatur. *Qui igitur* (inquit) *tunc habebant filias virgines cùm non daretur copia ipſas Chriſtianis elocandi, ſeruabant virgines ſuas ad multum tempus. Illæ verò nubiles annos transgreſſæ incidebant in ſcortationem propter naturalem neceſſitatem. Apoſtolus itaque videns damnum propter exactam rationem accidens, permiſit dicens; ſi verò quis vult ſuam virginem, & non dixit propriam virginitatem, non enim de proprio corpore dixit, ſed de patre virginem aſſeruante: ſi verò ſuam virginem proprium corpus dicit, nihil impediet. Dicit igitur, qui conſiſtit firmiter in propria mente, & hoc debet facere, nubat* (inquit) *etiamſi non fuerit copia, non peccat.* Quibus verbis apparet vtramque explicationem Epiphanio probari, eam tamen videri magis conſentaneam, quæ Apoſtolum de parentibus loqui affirmat[a]. Auguſtinus verò adeo poſteriorem ſententiam probat, vt priorem illam prorsùs reiiciat. *Et videtur* (inquit) *etiam Apoſtolus de patre loqui cùm dicit, ſeruet virginē ſuam, & dat nuptum virginem ſuam, & cætera hoc modo. Vbi nonnulli intellexerunt virginem ſuam, virginitatē ſuam, nulla tamen hoc ſimili ſcripturarum loquutione demonſtrant, cùm ſit inuſitatiſſima.* Eodem prorſus modo Paulum explicat Theodoretus. *Si quis autem* (ait) *cælibatum rem non eſſe decentem exiſtimat; & ea de cauſa vult filiam marito iungere; faciat quod ſibi videtur; eſt enim matrimonium à peccato liberum.* Hieronymi porrò commentarij, quamquàm ſuperiorem ſententiam ponunt, hanc tamen non aſpernantur. *Turpis* (inquiunt) *videri poterit, ſi cupientem virginem ſuam nubere, non permittat, & illa fuerit fornicata.* Vtramque ſententiam probat etiam Primaſius. At verò Oecumenius, & Photius poſteriorem tantùm: ad parentes enim, ſeu educatores Pauli verba referunt. Hæc igitur poſterior ſententia præferenda videtur, quam Theophylactus etiam maximè probat; nam quæ ſequuntur, non niſi coactè, & planè abſurdè ipſis, qui matrimonio iunguntur, aptari queunt. *Qui matrimonio* (inquit) *iungit virginem ſuam bene facit, & qui non iungit, meliùs facit.* Quamobrem de virginum parente ita loquitur Apoſtolus. *Si quis autem turpem ſe videri exiſtimat,* hoc eſt, ſi quis putat ſibi eſſe indecorum, vt virgo domi expers connubij conſeneſcat; hoc enim ſignificat quod ſequitur. *Super virgine ſua quòd ſit ſuperadulta*, quod ſcilicet non modò adoleuerit, & pubertatem exceſſerit, vt ait Ambroſius, ſed quòd eius flos ætatis penè præterierit, quod fere vulgò probro dari ſolet, quaſi neminem inuenierit, cui nubere poſſet. *Et ita* (inquit) *oportet fieri*; impetu videlicet cupiditatis perurgente, atque æſtu libidinis ſæuiente, vt quod dixit Hieronymus, alterum è duobus fieri neceſſe ſit; vel nubere, vel fœdari. *Quod vult faciat, non peccat.* liberum eſt coniugium eligere; id enim ſine peccato vſurpari poteſt. *Nubat*, inquit Latinus interpres, cùm tamen Græcè ſit *γαμείτωσαν*, id eſt, *nubant*; cùm enim Græcum verbum *γαμεῖν* æquè dicatur de viro, qui vxorem ducit, ac de fœmina, quæ viro nubit; videtur Apoſtolus voluiſſe verbo numeri multitudinis tam de viro, quàm de fœmina agere, vt quod priori loco dicit, *non peccat*: ad parentem pertineat, qui filiam locat, aut ſponſum dat; quod ſequitur *γαμείτωσαν*, id eſt, *nubant*; ad eos referatur, inter quos coniugium initur. Rectè autem monet hoc loco Theodoretus, agere Apoſtolum de iis, qui nondum virginitatem elegerant; quibus liberum ait eſſe vtram malint vitæ rationem amplecti. Ita ferè Græca exemplaria. Latina nuper edita Romæ, paulò aliter: *non peccat* (inquiunt) *ſi nubat.* Sed eadem Pauli ſententia conſtat, fas eſſe vti coniugio ſi res poſtulet. II.

b lib. 1. cont. Iouin.

c l. ea quæ Patris ff. de ſponſal. l. viduæ, & l. in coniunctione. C. de nupt. & l. 2 ff de ri nupt.
d cap. aliter 30 q. 5. & c. 3. qui matrimonium accuſ. poſſ.
e Pla. lib 6 de leg. Demoſt. in or. de Cor. Euripid in Androm Iulian. Paul lib. 2. ſent tit. 20. Baſil. cap. 38. 41. 42. Ambr. lib. 1. de Abr. ca. 9. Gratian. 32. q. 2. per multa capita. Tertul lib. 2. ad vxor.
f Hær. 61.

a Quæſt. 41. in lib. Num.

Nam qvi statvit in corde svo, &c. 37.

Quibus (inquit) ſtat virginem ſeruare, non quòd penes parentes ſit libera poteſtas filias ad virginitatem ſeruandam compellendi, ſed poſita virginum voluntate, parentum eſt, quid optimum factu videatur ſtatuere. Qui igitur apud ſe ſtatuit, non id ſibi turpe, aut indecorum eſſe, non habens (ait) neceſſitatem, qui neque puellæ voluntate, neque periculo cogatur de nuptiis cogitare. Oecumenius neceſſitatem videtur de eo accipere, qui rerum inopia, aut egeſtate coactus, filiam locare matrimonio non poteſt: is enim, qui propterea virginem ſuam ſeruat, quia neminem inuenire poteſt, cui eam deſpondeat, nulla laude dignus eſt: ita ſenſus erit. Qui nulla neceſſitate compulſus virginem ſeruat, ſed ſponte, ac liberè id facit, meritò laudem conſequitur. Quocircà I.

ſubdit.

ſubdit. *Poteſtatem autem habens ſua voluntatis*, qui liberam habeat vtriuſque partis facultatem, quia (vt ait Hieronymus) *puellæ conſenſus patris firmauit voluntatem*; cùm puella (vt ait Theodoretus) ſui iuris ſit, necdum ſeſe Domino mancipaṙit; diuino tamen amore Chriſtianæque perfectionis ſtudio incenſa, cœleſtia meditatur, & impuris voluptatibus nuntium remittit. Ita rectè Ambroſius. *Hoc* (inquit) *dicit, vt qui virginem habet, cui animus ad nuptias non eſt, ſeruet illam, nec illi ingerat fomitem nuptiarũ, quam videt nubendi voluntatem non habere. Beneficia enim ſi præſtanda ſunt; quanto magis minimè auferenda?* Addit: *Et hoc iudicauit in corde ſuo ſeruare virginẽ ſuam:* hoc eſt, decreuit, ſtatuit, fixum illi eſt, & conſtitutum puellæ voluntati morem gerere, bene facit. De eo, qui virginem nuptui tradit dixerat paulò antè, *non peccat*; vt coniugium doceat, rem eſſe indifferentem: niſi quis malit appellare, vt olim quidam, malum neceſſarium. Quod ipſum tamen non eò ſpectat, vt nuptias malas doceat eſſe, vt olim quidam hæretici falsò, atque impiè docuerunt, ſed rem tantùm moleſtam, & incommodis plenam; alioqui tamen honeſtè, ac laudabiliter vſurpari, præſertim cùm poſt aduentum Chriſti ei acceſſerit ſacramenti ſanctitas, & gratia ſacramentalis ad coniugij munia ritè obeunda, & onera perferenda. Hîc verò cùm agit de virginitate, ſimpliciter ait, *bene facit*. Quaſi plus aliquid ſignificet; matrimonium enim reprehendi non poteſt; virginitas autem etiam laude, atque admiratione digna eſt: illud malè, ac benè iniri poteſt, vt exemplo [a] Tobiæ intelligitur; hæc qua ratione virtus eſt, neque ſolam corporis integritatem continet, ſed animi propoſitum, atque conſilium, ſemper eſt cum virtute coniuncta, vt Theologi docent, & ob eam cauſam dicit Apoſtolus. *Qui iudicauit in corde ſuo ſeruare virginem ſuam, bene facit.*

a cap. 6. 13.

38. I. IGITVR ET QVI MATRIMONIO IVNGIT, &c. Quod non ita multò antè dixerat, *non peccat*; nunc apertè, ac ſimpliciter dicit bene facit. Ait enim Salomon [b]. *Trade filiam, & grande opus feceris, & homini ſenſato da illam.* Et Petrus apud Clementem [c]. Curandum (ait) parentibus, vt maturè iuuenes matrimonia ineant, vt iuuenilis libidinis laqueos præueniant. Et Clemens [d] ipſe. *Date operam, vt cùm ad adultam ætatem peruenerint, matrimonio iungantur, ne illi feruore ætatis in conſuetudinem fornicandi incurrant.* Alloquitur patres, eóſque monet, vt liberos maturè connubio iungant. In eamdem ſententiam dixit Ignatius martyr, adoleſcentes connubio iungendos maturè, antequàm libidinibus corrumpantur. Quod ipſum docuit Chryſoſtomus [e] eamdem ob cauſam: id ipſum repetit Antonius [f] Abbas. Cæterùm de ætate, qua coniugia ineunda ſunt, non vna eſt omnium ſententia: nam qui ſolam liberorũ procreationem ſpectant, eam præſcribunt ætatem, quæ gignẽdis liberis maximè apta videatur; qui verò lubricum adoleſcentiæ curſum, & peccandi pericula reſpiciunt, pubertatem ſolummodò tam in viris, quàm in fœminis ſpectandam cenſent. Heſiodus [g] viro quidem trigeſimum, fœminæ quintum decimum annum præſcribit: alij de viro conſentiunt, fœminæ tres ampliùs annos attribuunt. Lycurgus nullum certum annorum numerum definit; adultam tamen ætatem poſtulat. Ita Xenophon [h], & Plutarchus [i], qui [k] alibi ſcribit Lycurgum virgines maturas & virorum appetentes, ſuis legibus deſponſaſſe; Romanos autem duodecim annos natas, ac etiam iuniores nuptui tradidiſſe: Solon viro coniugium anno trigeſimo quinto permittit: Plato [l]. iubet fœminam nubere ab anno ſexto decimo, vſque ad vigeſimum, virum contrà inire nuptias anno quinto ſupra trigeſimum: Alibi [a] iubet, quemlibet ab anno trigeſimo, vſque ad trigeſimum quintum vxorem ducere adiecta mulcta ſi omiſerit. Nec multum diſcrepat Ariſtoteles [b], qui viris quidem nuptias capeſſendas ſuadet circa annũ trigeſimum ſeptimum; fœminis verò circa decimum octauum. Hæc philoſophi, qui vnius dumtaxat gignendæ prolis rationem habent; at ſancti patres, quos paulò antè nominaui, aliud ſpectarunt. vtut ſit ait Apoſtolus, qui virginem deſpondet, benè facere; qui integram ſeruat, meliùs facere. De hoc autem loco differens Hieronymus [c] defendit, quod alibi [d] dixerat virginitatem frumentum, nuptias hordeum, fornicationem ſtercus bubulum nuncupari. *Vtique frumentum* (inquit) *& hordeum creatura Dei eſt; verùm in Euangelio maior turba hordeaceis panibus, minor frumentaceis paſcitur. Homines* (inquit) *& iumenta ſaluos facies Domine. Alijs verbis idipſum locuti ſumus, quando aurum virginitatem, argẽtum nuptias diximus, & centum quadraginta quatuor millia virginum ſignatorum, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati; in quo oſtendi voluimus, omnes, qui virgines non permanſerunt, ad comparationem puriſſimæ, & angelicæ caſtitatis & ipſius Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe pollutos.* Deinde affert teſtimonium Ambroſij [e], qui coniugium hordeo, virginitatem corpori Chriſti comparat. Benè igitur facit, qui virginem matrimonio locat, quod (vt ait Theodoretus) contra hæreticos facit, qui nuptias damnant. Meliùs autem facit, qui illam integram, & incorruptam ſeruat; quia (vt ait Ambroſius) *& apud Deum meritum illi collocat, & à ſæculi ſolicitudine illam liberat. Virginitas enim*, vt ait Hieronymus, & Ambroſij teſtimonio confirmat, *perſuaſio continentiæ; nuptiæ remedia incontinentiæ prædicantur*: Et paulò pòſt. *Denique nuptias dicit, quaſi neceſſitatis ſarcinam declinandas, & definitionem eſſe euidentiſſimæ ſeruitutis.* Ex hoc autem loco non malè colligunt quidam, pertinere ad parentes cogitationem de puellarum nuptiis. Sic olim parentes Rebeccæ [f] eam matrimonio locant, Sic Laban [g] filias Iacobo deſpondit, Sichem à patre [h] ſponſam depoſcit, Thamar [i] ſuadet vt Amnon ſe à patre in coniugium poſtulet; idem ſignificant verba [k] legis, denique huc referri poteſt hiſtoria Tobiæ [l] iunioris. Itaque rectè Ambroſius [m]: Iudicium nuptiarum ſpectat ad parentes; *nõ eſt enim virginalis pudoris eligere maritum.* Quin etiam gentiles idem omnino ſenſerunt; nam apud Euripidem dixit quædam. *Matrimonij quidem mei curam gerit pater meus; nec enim eſt hoc iudicare meum.* Et Tertullianus [n]. *Nec inter nos* (inquit) *filij ſine conſenſu patrum ritè, & iure nubent.* Quod ipſum inſinuat Baſilius [o] adhibita præſertim interpretatione Balſamonis. Non tamen perinde accipienda ſunt, quaſi irritæ ſint nuptiæ, quæ inſciis, aut inuitis parentibus ineuntur, ſed id tantùm ſignificant, æquum eſſe hoc iudicium parentibus integrum relinqui; quamquam ſi ſecus fiat firma cenſenda ſint coniugia, modò ratio in ſacro Concilio Tridentino præſcripta ſanctè retineatur.

b Eccle. 7. 27.
c ep. 1 ad Iac. fr. Domini.
d ab 4. conſt. Apoſt. cap. 1.
e hom. 5 in 1 ep. ad Theſſ.
f ad Meliſſ. ſerm. 14.
g lib. 2. oper. & dierum.
h de Lacedæmon. repub.
i in Lycurgo.
k in compar. Lycurgi & Numæ.
l lib. 6 de leg.
a lib. 4. de legibus.
b lib. 7 polit. cap. 16.
II.
c in Apolog. ad Pammac.
d lib. 1. cont. Iouin.
e lib. de vid.
f Gen. 24. 51.
g Gen. 29. 19.
h Gen. 34. 4.
i 2. Reg. 13. 13.
k Exod. 22. 1.
l cap. 7. 10.
m lib. de Abraham, cap. vlt.
n lib. 2. ad vxor.
o ad Amphylochium.

39. L. MVLIER ALLIGATA EST LEGI, &c. Eamdem ſententiam dixit Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos, quo loco nos etiam plura ſcripſimus. In præſentia id tantùm obſeruandum videtur, permittere Apoſtolum etiam ſecunda cõiugia fœminis. Quamobrem meritò Hieronymus cum quibuſdam viſus eſſet digamos damnare. *Non damno* (inquit [p]) *digamos, immò nec trigamos, etſi dici poteſt, octogamos.* Et paulò pòſt. *Aliud eſt non damnare, aliud prædicare; aliud eſt veniam concedere, aliud laudare virtutem.* Quocirca Auguſtinus [q], hæc Pauli verba non ad primum tantùm connubium, ſed ad ſecundum, & tertium

p Apolog. ad Pammach.
q De bono viduit. c. 4. 12.

cium accommodari poſſe exiſtimat. Quin etiam vix
alia ratione explicari poſſunt, quàm de ſecundo cō-
iugio; cùm enim dixiſſet, mulierem viuente viro
coniugij vinculo aſtrictam eſſe, eo verò vita functo
liberam, ac ſolutam eſſe; illicò ſubdit. *Cui vult nubat,*
tantum in Domino. quæ de ſecūdis nuptiis accipien-
da eſſe, ne illi quidem inficiari potuerunt, qui diga-
miam maximè oppugnant. Quid autem ſit nubere
in Domino, non eodem modo explicatur ab omni-
bus. Chryſoſtomus, quem Theophylactus, & Oecu-
menius ſequuntur. *Quid eſt autem* (inquit) *in Domi-*
no? cum temperantia, cum honeſtate: ea enim ſemper eſt
opus, & eam oportet inſequi, alioqui enim ne licet qui-
dem Deum videre. Eodem modo loquitur Ambro-
ſius, qui tamen aliam etiam addit interpretationem:
Vt ſine ſuſpicione (inquit) *turpitudinis nubat, & religio-*
ſo ſua viro nubat, hoc eſt in Domino nubere. Hanc au-
tem poſteriorem explicationem omnium primus at-
tulit Tertullianus [a]. *Et illa* (inquit) *nuptura, in Domino*
habet nubere, id eſt, non ethnico, ſed fratri, quia & ve-
tus lex adimit coniugium allophylorum. Quam expli-
cationem [b] alibi frequenter inculcat. Tertullianum
ſequutus eſt Hieronymus [c]. *tantùm* (inquit) *in Domi-*
no, id eſt Chriſtiano, qui ſecundas nuptias, tertiáſque cō-
cedit in Domino, primas cum ethnico prohibet. Quæ
verba cùm ſcripſiſſet aduerſus [d] Iouinianum perpe-
ram à calumniatoribus accepta erant. Priori ſanè
explicationi fauet Ignatius dum ſcribit. *Si quis po-*
teſt in caſtitate permanere ad honorem carnis Domini-
cæ, vitet iactantiā; ſi gloriatus fuerit, periit, & ſi idipſum
ſtatuatur ſine Epiſcopo, corruptum eſt, decet verò, vt &
ducentes vxores, & nubentes cum Epiſcopi arbitrio con-
iugantur, vt nuptia iuxta Domini verbum, non autem
II. *ob concupiſcentiam coiiſſe videantur.* Cæterùm Ter-
tulliani, ac Hieronymi ſententia mihi magnoopere
placet, quam etiam probant commentarij, qui Hie-
ronymo inſcribuntur; nam idem Apoſtolus in po-
ſteriori Epiſtola ad Corinthios [e] coniugia cum infi-
delibus apertiſſimè vetare creditur. *Nolite* (inquit)
iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio
iuſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tene-
bras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? Aut quæ
pars fideli cum infideli? Quid autem ea de re ſentien-
dum ſit, pluribus ſuo loco videro. Hîc tantùm addo
quod hac de re ſcribit Auguſtinus, qui primùm Pol-
lentij interpretationem [f] probat, qua ille verba Pau-
li; *Cui vult nubat tantùm in Domino*; explicuerat, vt
ſignificet, Chriſtiano tantùm eſſe nubendum; ipſe
poſt multa ſuam ſententiam aperiens [g] ait. *Cui vult*
nubat tantùm in Domino, quod duobus modis accipi po-
teſt, aut Chriſtiana permanens, aut Chriſtiano nubens: nō
enim tempore reuelati teſtamenti noui in Euangelio, vel
vllis Apoſtolicis litteris ſine ambiguitate declaratum eſſe
recolo, vtrùm Dominus prohibuerit, fideles infidelibus
iungi. quamuis Beatiſſimus Cyprianus inde non dubitet,
nec in leuibus peccatis conſtituat iungere cum infideli-
bus vinculum matrimonij, atque id eſſe dicat proſtituere
gentilibus membra Chriſti.

a de Monog. cap. 7.
b eodem lib. ca. 11. lib. 5. in Marcion. c. 7. li. 2. ad vxor. cap. 1.
c in Apolog. ad PamMac.
d lib. 1.
e cap. 6. 14.
f lib. 2. de adult. coniug. cap. 21.
g cap. 25.

40. BEATIOR AVTEM ERIT SI SIC, &c.
I. Perpetuò Paulus continentiam coniugio præfert,
contra quam faciunt huius noſtri ſæculi hæretici,
qui cùm ſe maximè Euangelicos, & Apoſtolicos ia-
ctitent, omnium tamen libidinum cœno turpiſſi-
mè volutantur ipſi, & cæteros ad inceſtas, ac nefa-
rias nuptias non modò prouocant, ſed penè etiam
compellunt. Itaque videas Religioſorum ordinum
deſertores ſacrilegis nuptiis implicatos, aduerſus
Catholicam Eccleſiam, & Apoſtolicas traditiones
coram imperita multitudine deblaterare, virginum
cœnobia deteſtari, & omnium ſcelerum oraculis fœ-
dare: vota monaſtica execrari, cælibatum Catholico-
rum ſacerdotum acerbiſſimis contumeliis exagitare.
At Paulus non modò virginitatem commendat, ſed
auctor eſt etiam viduis, vt continentiæ opportuni-
tatem arripiant, & quando matrimonij fœdere ſo-
lutæ ſunt, ne rurſum nuptiarum legibus ſubiician-
tur. Apoſtolus igitur ait. *Beatior autem erit, ſi ſic per-*
manſerit; hoc eſt, abſque coniugio. Obſeruat autem
Theodoretus, non dixiſſe Apoſtolum illam eſſe ſim-
pliciter beatam, ſed beatiorem, vt indicaret non ex-
cludi à beatitudine illam, quæ ſecundum ineat con-
iugium. *Quod ſatis eſt* (ait) *ad refellendos Nouatianos,*
qui digamiam tamquàm fornicationem accuſant A-
poſtolicis legibus apertè contradicentes. Addit autem Hie-
ronymus, beatam eſſe eam, quæ virum habet ſi ca-
ſtè viuat, beatiorem viduam; quia maiori caſtitatis
laude præſtat; beatiſſimam verò Virginem, quæ ſe-
iuncta à coniugij laboribus, ad ſumma quæque con-
tendit. Porro Ambroſius. *Primæ* (inquit) *nuptiæ ſub*
benedictione Dei celebrantur ſublimiter, ſecundæ autem
etiam in præſenti carent gloria; conceſſa ſunt autem pro-
pter incontinētiam. Sed quia præſtat continere, ſaluberri-
mum eſt conſilium Apoſtoli, vt ſic permaneat. Sic etiam
paulò antè dixerat de virginibus; Præceptum Domini
non habeo, conſilium autem do. Ne quis autem ſuſpi- II.
cetur, Paulum humanis rationibus duci, nihilque
ſublime, aut diuinum ſpectare, addit. *Puto autem,*
quòd & ego ſpiritum Dei habeam. Quaſi dicat. Non
temerè loquor, neque ex mea duntaxat ſententia;
ſed diuini ſpiritus impulſu. Obſeruat autem Augu-
ſtinus, dixiſſe Apoſtolum, *puto*, non quaſi dubitaret,
ſed vt tacitè obtrectatores ſuos perſtringeret. *Homi-*
nes (inquit) *de his rebus, quas certas habent, aliquando*
increpatiuè dubitant, id eſt, verbum dubitationis po-
nunt, cùm corde non dubitent; velut ſi indigneris ſeruo
tuo, & dicas. Contemnis me, conſidera; forſitan Dominus
tuus ſum. Hinc & Apoſtolus ad quoſdam contemptores
ſuos loquens, ait. Puto autem, quòd & ego ſpiritum Dei
habeo. Qui dicit, puto, dubitare videtur: ſed ille increpa-
bat, non dubitabat. Ambroſius item monet, hæc di-
xiſſe Paulum, *vt ratum, & prouidum conſilium ſuum*
oſtendat, itaque illud humilitate verbi commendat alto
ſenſu. Idque (vt Hieronymus affirmat) ne ſuum con-
ſilium tamquàm humanum contemnendum puta-
rent. Cæterùm [a]. *Beatiores* (inquit) *erunt ſi ſic per-*
manſerint; continuóque ſubiungit Apoſtolicam auctori-
tatem: *ſecundum meum conſilium. Porrò ne auctoritas*
Apoſtoli, quaſi hominis leuior videretur, addidit. Puto
autem, quòd & ego ſpiritum Dei habeam. Porrò vbi
Apoſtolus dicit; *Secundùm conſilium meum*, Græcè
eſt, κατὰ τὴν ἐμὴν γνώμην, hoc eſt *ſecundùm meam*
ſententiam; vt hoc ipſo capite non ita multò antè
monuimus. Idem autem Hieronymus animaduertit,
vbi ad continentiam prouocat Apoſtolus, ibi non
hominis, ſed ſpiritus Dei conſilium nominari; vbi
autem nubendi concedit veniam, nullam ſpiritus
Dei fieri mentionem, ſed rem cuiuſque prudentiæ
permitti, atque hac ratione ait, omnia ſuperiora in-
telligenda eſſe; quod etiam alibi [b] totidem verbis re- III.
petit. Neque verò de iis ſolùm loquitur, quæ hoc
capite continentur; ſed de iis, quæ etiam alibi ſcribit,
vbi viduis nubendi facultatem permittit. Quod (vt
ſuprà monui) non ita accipiendum cenſeo, quaſi cō-
ſilium Apoſtolicum planè ſit humanum, quod viſus
eſt ſignificare Tertullianus, cùm tamen re vera ſit
diuina auctoritate ſubnixum, ac legi diuinæ in pri-
mis conſentaneum. Vt enim primum coniugium di-
uina auctoritate ſancitur, ita etiam ſecundum, & ter-
tium: quamquàm autem nonnullam videtur habere
veluti nubeculam aſperſam, tamen ſuam etiam ha-
bet ſanctitatem, atque idcirco reprehendi, atque da-
mnari non poteſt. Carent ſiquidem ſecundæ nu-
ptiæ

a lib. 1. contr. Iouin.
b Apolog. ad Pammach.

ptiæ ſacerdotali benedictione, & ab vnitate ſacramenti recedunt;atque ob eam cauſam digami ad Eccleſiaſtica munera,etiam Apoſtolica auctoritate,non admittuntur. Video autem à nonnullis in diſputationem vocari, vtrùm is, qui eùm ante baptiſmum vxorem duxiſſet, ea vita functa, baptiſmo ipſe luſtretur,& ſecundum ineat coniugium digamus cenſendus ne ſit, an ſecus: neque eadem eſt omnium ſententia. Sed quoniam ea de re fuſiùs diſputant Theologi,in præſentia nihil dicam, cùm præſertim id ad explicationem Apoſtolicæ ſententiæ nihil pertineat. Illud potius addiderim, quod ab Auguſtino [a] video obſeruatum; cùm enim eadem penè dixiſſet, quæ paulò antè ex Hieronymo attuli,addidiſſe Apoſtolum. *Puto autem, quòd & ego ſpiritum Dei habeam,* ne quis hoc conſilium tanquam humanum,non diuinum,contemnendum putaret. Subdit: *Proinde intelligendum eſt etiam, ipſa, quæ non à Domino iubentur, ſed à ſancto eius famulo vtiliter ſuadentur, eodem Domino inſpirante,ſuaderi. Abſit enim, vt quiſquam Catholicus dixerit, quando ſuadet Spiritus ſanctus, non Dominum ſuadere,cùm & ipſe Dominus ſit, & inſeparabilia ſint opera Trinitatis.* Multis autem deinde oſtendit hoc capite, Apoſtolum nihil ſuadere, quod cum Domini præcepto pugnet, neque prohibere quod non ſit diuinæ legi repugnans. *Neque enim* (inquit [a]) *contra prohibitionem Domini Apoſtolus aliquid moneret, neque contra iuſſionem eius aliquid prohiberet.* Vnde colligit in tota hac Apoſtoli diſputatione, duas agitari quæſtiones; vnam de ineundo cõiugio,vel non ineundo; alteram de repudiando infideli coniuge,vel non repudiando. In quibus ait aliquid eſſe in verbis Apoſtoli ſimile, nonnihil etiam diſſimile. *Simile quidem quod in priori dicit; præceptum Domini non habeo,conſilium autem do; in poſteriori verò ait Ego dico,non Dominus. Quale enim eſt, præceptum Domini non habeo,tale eſt; Non dicit Dominus. Et quale eſt, Conſilium do,tale eſt, Ego dico. Illud autem diſſimile eſt, quia de nubendo,& de non nubendo, poteſt dici hoc benè fieri; illud melius, quoniam vtrumque expedit, minùs aliud, magis aliud. At verò de coniuge infideli dimittendo, vel non dimittendo, quoniam vnum horum non expedit, aliud expedit, dici non oportet, qui dimittit,bene facit,& qui non dimittit melius facit. ſed dici oportet,non dimittat,quia & ſi licet,non expedit.* Et multa deinceps in eandem ſententiam.

a lib. de adult. coniug. cap. 18.

a cap. 18.

Argumentum Cap. VIII.

HACTENVS reſpondit Apoſtolus ad quæſtiones ſibi à Corinthiis propoſitas. Iam nouam diſputationem aggreditur, liceát-ne iis liberè veſci, quæ idolis eſſent oblata; quòd (vt ait Chryſoſtomus) animaduerteret quoſdam ſua ſcientia confiſos etiam cum aliorum offenſione veſcendi licentia abuti. Oſtendit autem (quod etiam dixerat in Epiſtola ad Romanos [b]) rem quidem ipſam ſi per ſe ſpectetur planè eſſe indifferentem; ſed ex cuiuſque conſcientia, & perſuaſione ſpectandam: ſi quis rectè ſentiat de idolis, déque natura ciborum, citra ſcandalum liberè veſci poſſe; habendam tamen eſſe rationem eorum, qui offenduntur, quorum ſaluti præcipuè conſulendum monet.

b cap. 14.

CAPVT VIII.

DE iis autem, quæ idolis ſacrificantur, ſcimus, quia omnes ſcientiam habemus. Scientia inflat, charitas verò ædificat.

Si quis autem ſe exiſtimat ſcire aliquid, nondum cognouit quemadmodum oporteat eum ſcire.

Si quis autem diligit Deum, hic cognitus eſt ab eo.

De eſcis autem, quæ idolis immolantur, ſcimus, quia nihil eſt idolum in mundo, & quòd nullus eſt Deus, niſi vnus.

Nam etſi ſunt qui dicantur Dij ſiue in cælo, ſiue in terra (ſiquidem ſunt dij multi; & Domini multi)

Nobis tamen vnus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos

PARAPHRASIS.

PORRO de iis quæ idolis immolantur 1.
haud abnuerim, nos omnes, qui fidei luce perfundimur recta ſcientia, atque cognitione præditos eſſe, probéque intelligere, omnino idolum nihil eſſe. Sed mihi credite; ſcientia nudè ac ſolitariè ſumpta ſuaptéque natura animi tumorem parit, & magnos quoſdam ſpiritus addit; caritas verò ædificat. ¶ Quòd ſi quis 2.
ſibi videtur aliquid ſcire, eóque nomine ſibi nimium placens, cæteris ſe proponit, & plus æquo ſibi indulget, is nondum quidquam nouit, vti noſſe oportet. ¶ Sed ſi quis vera Deum caritate com- 3.
plectitur, hic profectò ab ipſo Deo ſcientiam hauſiſſe putandus eſt, & ab eo ita prorſus approbatur, vt vera ipſius ſcientia, minimèque adulterina appareat. ¶ Igitur vt ad propoſitam quæſtionem re- 4.
deam, quæ de vſu eorum, quæ idolis immolantur inſtituta erat; nemo noſtrum ignorat, idolum nihil eſſe in rerum natura, ac nullis prorſus viribus ſubnixum, nullúmque omnino reperiri Deum, præter vnum verum Deum, viuum, atque immortalem.
¶ Nam etſi inficiari non poſſumus plures eſſe, qui 5.
dicantur Dij tam in cœlo, quàm in terra (vt re vera, ſi lariſſimam huius vocis ſignificationem ſequamur, fateri oportet Deos eſſe plurimos, ac Dominos non paucos). ¶ Nobis tamen vnus verè Deus 6.

Digitized by Google

eſt ſummus ille patens,à quo omnia profecta ſunt,
& cuius vi, ac poteſtate ſubſiſtimus: vnus item
Duminus noſter Ieſus Chriſtus, per quem omnia,
7. nóſque adeò vitam, ac ſenſum habemus. ¶ Sed
non omnes hac ſcientia præditi ſunt: Nonnulli
enim tacito quodam animi ſenſu immunda eſſe
ſibi perſuadent, quæ idolis fuerunt oblata, neque
tamen propterea ab eorum vſu hactenus abſtinue-
runt; quo fit, vt illa ipſorum conſcientia nequa-
8. quàm ſatis firma polluatur. ¶ Atqui eſca tantùm
ipſa per ſeſe nos Deo nequaquàm commendat?
neque enim ſi veſcamur quidquàm nobis ſpiri-
tualis lucri accedit, neque ſi abſtineamus vllius
9. protſus rei iacturam facimus. ¶ Videte verò, ne
quomodò hæc libera veſcendi poteſtas, quam ve-
ſtra vobis ſcientia aſſumitis,offendiculo ſit iis, qui
10. ægro ſunt animo,atque imbecillo. ¶ Si quis enim
viderit te ea, de qua diximus ſcientia præditum,
in idolorum templo, conuiuióue accumbentem,
nónne illius conſcientia, qui alioqui rerum igno-
ratione,animique imbecillitate laborat, ad ſcelus
prouocabitur,& quodammodò hac falſa opinione
imbuetur, fas eſſe iis liberè veſci, quæ idolis, hoc
11. eſt, falſis numinibus immolantur? ¶ Atque ita
tua iſta ſcientia cum hac veſcendi libertate con-
iuncta perdet infirmum fratrem, cuius ſalutem
Chriſtus ipſe ſuo ſanguine,ac morte redimendam
12. ſibi exiſtimauit. ¶ Nolite autem arbitrari exi-
guum hoc eſſe malum;nam iſto modo in fratrum
perniciem,atque interitum peccantes,& ipſorum
infirmam conſcientiam,quaſi quibuſdam vulneri-
bus concidentes in Chriſtum ipſum humanæ li-
13. bertatis vindicem peccatis. ¶ Quapropter ſi eſca
fratri meo quidquàm obiicit,quo ille labatur, aut
offendat; equidem ſic animo ſum comparatus, vt
mihi in omnem æternitatem carnibus abſtinen-
dum cenſeam, ne per me fiat, vt frater meus vel
leuiter offendat.

& nos in illum, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus,per quē omnia, & nos per ipſum.

Sed non in omnibus eſt ſcientia. Quidam autem cum conſcientia vſque nunc idoli, quaſi idolothytum manducant,& conſcientia ipſorum cùm ſit infirma,polluitur.

Eſca autem nos non commendat Deo. neque enim ſi manducauerimus, abundabimus; neque ſi non manducauerimus deficiemus.

Videte autem, ne fortè hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis.

Si enim quis viderit eum, qui habet ſcientiam, in idolio recumbentem: nónne conſcientia eius, cùm ſit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta?

Et peribit infirmus in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt?

Sic autem peccantes in fratres,& percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis.

Quapropter ſi eſca ſcandalizat fratrem meū, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.

IN CAPVT OCTAVVM

EXPLANATIO.

8.
I. DE IIS AVTEM, QVÆ IDOLIS SACRIFICANTVR, &c. De iis,quæ idolis immolantur in Actis Apoſtolicis[a] extat Apoſtolorum definitio in hæc verba. *Viſum eſt Spiritui ſancto,& nobis nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria,vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione, à quibus cuſtodientes vos bene agetis.* Conſtat autem Concilium illud Apoſtolicum habitum Ieroſolymis, antequàm Paulus veniſſet Corinthum, ibique Euangelium promulgaſſet,vt ex narratione [b] Lucæ facilè perſpicitur. Cùm igitur tam apertam haberent Corinthij Synodi apoſtolicæ definitionem, permirum videri poteſt,potuiſſe illos in ea re peccare. Quòd ſi Paulus hæc vltro ſcripſit,vt nonnulli putant, quod opti- A mè noſſet, Corinthios idolorum cultui in primis eſſe addictos, adeóque metueret, ne ſacrificiorum occaſione multi inquinarentur, illud omnino non exiguam admirationem parit, quòd nullam Apoſtolus Hieroſolymitanæ Synodi mentionem fecerit, cùm præſertim ipſe vnà cum Barnaba ei Synodo interfuiſſet,eiúſque definitionem iuſſus eſſet Antiochenis promulgare. Veterum fermè ſententia eſt, hæc Paulum ſpontè ſua ſcribere, quòd fortaſsè inaudiſſet,quoſdam ſua ſcientia abuti,qua ſibi perſuadebant,idola nihil eſſe, atque adeo eorum ſacrificia neque impura, neque abominanda meritò videri poſſe; ita fiebat, vt liberè idolothytis veſcerentur; qua ex re (vt monet Chryſoſtomus) innumerabilia propemodùm oriebantur incommoda. Sed cur Corinthij, vel Synodi definitionem ignorarint, vel tam

facilè

a cap. 15. 28.

b Act. 18. 1.

faciliè contempſerint, cur item Apoſtolus de ea ne verbum quidem fecerit, aut etiam cum illa pugoare videatur, mirum eſt tam apud veteres, quàm apud recentiores ſileotium. Certè de idolothytis, déque illa apoſtolica definitione non pauca leguntur apud ſanctos [a] Patres. Quatenus autem idolothytis abſtinendum cenſuerint Apoſtoli, ſuo loco docuimus. Ex hac verò Apoſtoli definitione, perſpicuè colligitur Synodi Ieroſolymitanæ ſententiam, non perinde accipiendam eſſe, quaſi oefas omnino ſit, adeóque per ſe, ac ſuapte natura malum veſci idolothytis: omninóque veriſimile eſt, Paulum egregium eius ſententiæ interpretem ita illam Corinthiis, cæteriſque fidelibus explicuiſſe, vt ipſe hoc loco declarat. Igitur vt nimiam quorumdam licentiam coërceret, hæc ſibi ſcribenda duxit. B *De iis autem* (inquit) *qua idolis immolantur*. Quaſi dicat: hactenos dubitationes à vobis propoſitas expediui, nunc monendi eſtis, ne nimia idolothytorum licentia, qua plerique veſtrum vtuntur, tenuiores, & imbecilliores lædat. *Scimus* (ait) *quia omnes ſcientiam habemus*. Quæ Theodoretus ironicè dicta putat. *Quod enim* (ait) *eos illam non verè habere dixerit, docet poſtea: dicit enim. Si quis autem putat ſe aliquid ſcire, nondum cognouit, quemadmodum oportet eum ſcire*. Verùm hæc non tam de ſcientia, quàm de ſcientiæ vſu accipienda videntur; vt nihil neceſſe ſit ad ironiam confugere, qua excluſa, vt excludenda videtur, verè omninò dixit Apoſtolus, omnes præditos eſſe ſcientia: noo quòd omoes penitùs eam haberent; ſed eos videlicet alloquitur, qui hanc ſcientiam obtendebant, vt idolothytorum eſu neminem fidelem inquinari doceret. C Erant enim inter Coriothios, qui quorumdam perſuaſione decepti exiſtimarent, nefas eſſe veſci carnibus idolis immolatis: Erant contra perfectiores nonoulli, & meliùs in fidei doctrina eruditi, qui nihil exiſtimarent vlli cibo accedere, vel decedere hoc ſolo nomine, quòd idolis oblatum eſſet: itaque abſque vllo religionis metu idolorum templa ingrediebantur, & idolothytis liberè veſcebantur, quorum exemplo tenuiores illi commoti etiam illi veſcebantur; cùm tamen de idolis noo omnino rectè ſentirent, adeóque id religioni ducerent. Perfectiores igitur reprehendit, quòd ſua ſcientia ad aliorum perniciem abuterentur: ita Anaſtaſius [b] Niceous. D Et ſunt qui puteot, hæc potiſſimùm ad Iudæos pertinere, qui probè intelligerent idolis nihil diuinitatis ineſſe, adeóque non ſe idolothytorum eſu vllo modo pollui, quod ego nec probo, nec cuiquam probari poſſe credo, qui ſuperſtitioſa Iudæorum ingenia perſpecta habuerit. Quanquàm enim oon nego, cognouiſſe Iudæos, oon eſſe idola vlla, vel minima numinis particula prædita: tamen adeo religioſè ſuum ciborum delectum retinebant, vt ne cum gentilibus quidem veſcendum eſſe cenſerent: vt hanc ob cauſam Petrus ipſe Græcorum conuictu aliquando abſtinuerit. Qua igitur ratione putandum eſt, idolothytorum eſum probari potuiſſe Iudæis? Veroſimilius igitur eſt, hæc Paulum de eruditioribus quibuſdam affirmare, ſiue illi gentiles, ſiue Iudæi eſſent: E quibus ſeſe Paulus adiungit, vt ſe quoque perſimili ſcientia præditum affirmet. ob id enim ait. *Scimus quod omnes ſcientiam habemus*. Planè omnes intelligimus, idola nihil eſſe, neque cibos idolis oblatos, quidquam execrationis contrahere. Obſeruat autem Chryſoſtomus diuinam quandam Apoſtoli prudentiam, & agendi dexteritatem, qui cum animaduerteret, rem quidem ipſam per ſe mediam eſſe, atque indifferentem: alioqui tameo propter quorundam imbecillitatem admodum periculoſam, non ſtatim vehementi vſus eſt oratione, quaſi

A ingens crimen obiiceret, ſed leui tantùm admonitione, & imperitis quidem, atque imbecillioribus dimiſſis, cum eruditis, & qui ſcientia præſtabant, agere inſtituit: qua ratione, cùm hac ipſa de re ſcriberet vſus erat in Epiſtola ad Romanos [a]. Ac primùm quidem eorum tumorem, & iactantiam deprimit, dum quam ſibi ſcientiam priuatim arrogabant, pluribus communem eſſe oſtendit. *Scimus* (ioquit) *quia omnes ſcientiam habemus*; Quaſi dicat; Non vos ſoli ſapitis, nos etiam perſimili ſcientia præditi ſumus, planéqoe intelligimus quid de idolis, & idolothytis ſentiendum ſit. Deinde addit ad eandem arrogantiam comprimeodam. *Scientia inflat, caritas verò ædificat*. Quibus verbis oſtcodit eam, quam magnifacerent ſcientiam non modò noo eſſe B quidpiam omni ex parte perfectum, ſed etiam noxium, niſi aliud ei acceſſerit: ſcientia enim ſi caritate deſtituatur magnos addit ſpiritus. Abutuntur autem hoc loco, qui bonas litteras oppugnant, quaſi contra rerum ſcientiam loquatur Apoſtolus, & vniuerſim omoem eruditionem damnet; cùm tamen de ea tantum ſcientia loquatur, quam iactabant perfectiores illi, quos ſuprà indicaui: quam tamen ipſam non per ſe damnat, ſed oſtendit quid illa oon quidem ſuapte natura, ſed vitio hominum efficiat, ſi à caritate diuellatur. De qua re eleganter diſputat Bernardus [b]. *Scienti* (inquit) *bonum & non facienti, peccatum eſt ei: ac ſi per ſimilitudinem dicat. Sumenti cibum & non digerenti perniciosum eſt ei: cibus ſiquidem indigeſtus, & qui bonam non habet decoctionem* C *malos generat humores, & corrumpit corpus, non nutrit: ita & multa ſcientia ingeſta ſtomacho animæ, quæ eſt memoria, ſi decocta igne caritatis non fuerit, & ſic per quoſdam artus animæ, mores ſcilicet atque actus tranſfuſa, atque digeſta, quatenus ipſa de bonis quæ nouerit, vita atteſtante, & moribus bona efficiatur; nonne illa ſcientia reputabitur in peccatum, tanquam cibus conuerſus in prauos noxióſque humores?* Quomodò accipiendum eſt quod ait Ambroſius. *Manifeſtum eſt habentem ſcientiam in eo ipſo gloriari, ſi non foris quia prudens eſt, vel apud ſe: ingenium enim ſcientia, hoc eſt, vt glorietur in ſeſe, ideo inflat.* Et mox. *Itaque tunc ſcientia magna eſt, & ſibi vtilis, ſi caritate humilietur, vt ampliùs creſcat: tēperatur enim à dilectione, vt non ſatis mera ſit,* D *& inebriet ſcientem, vt ſe extollat. Sicut enim vinum non temperatum admixtione aquæ mentem alienat, ita & ſcientia ſuperbum facit, niſi fuerit temperata.* Cæterùm Bernardus ipſe ſatis apertè oſtendit non eſſe ſcientiam damnandam. *Non ignoro* (inquit [c]) *quantùm Eccleſiæ profuerint, & proſint litterati, ſiue ad repellendos eos, qui ex aduerſo ſunt, ſiue ad ſimplices inſtruendos.* Denique *legi* [d]: *quia tu repuliſti ſcientiam, repellam & ego te, vt non fungaris mihi ſacerdotio: legi* [e]. *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates: Sed & ſcio vbi legerim: ſcientia inflat.* Et rurſum [f]. *Et qui addit ſcientiam, addit & laborem.* Non igitur (vt ait Theodoretus) ipſa reiicietur ſcientia, ſed eius abuſus, qui præcipuè naſcitur ex eo, quòd ſcientia non E coniungitur cum caritate; quæcumque tandem, & cuiuſcumque rei ſcieotia ſit: nam alioqui eximium eſt, ac planè diuinum ſcieotiæ munus, quo mirificè mens noſtra ornatur: ſed vt ex Ambroſio docuimus, caritate temperanda eſt. Itaque Iacobus [g] duplicem ponit ſapientiam; alteram, quam vocat terrenam, animalem, diabolicam: alteram, cæleſtem, *quæ primùm quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia, & fructibus bonis, non iudicans ſine ſimulatione.* Quæ omnia præſtat caritas, de qua Paulus ait, *Caritas ædificat.* Tractat hunc locum eleganter Auguſtinus [h]: cùm enim protuliſſet

a ... Iuſtin. mar. ... Origen. ... Celſ. ... Hier. ... epiſt. Greg. ... Epi. ... idolothy. ... Ieroſo. ... Apoſ. ... ſer. ... Aug. Epiſt. 14. ... Met. ... Galla. ... Dam. ... Vitali ... Valent.
b Quæſt. 62.

a cap. 14. 14.
b Ser. 36. Cāt.
c Cāt Ser. 36.
d Oſe. 4. 6.
e Dan. 12. 13.
f Eccleſ. 1. 18.
g cap 3. 17.
h lib. 22. con. Fauſt. c. 2.

liſſet hæc verba Pauli. *Scimus, quia omnes ſcientiam habemus, & ſcientia inflat, caritas verò ædificat;* ſubdit. *Vt quid ergo habebat ipſe, quo inflaretur, niſi quia cum caritate non ſolùm non inflat ſcientia, ſed etiam firmat.* A

a lib. 2. c. 45. Irenæus [a] autem: *Meliùs ergo* (ait) *& vtiliùs idiotas, & parum ſcientes exiſtere, & per caritatem proximum fieri Deo, quàm putare multùm ſcire, & multùm expertos in ſuum Deum blaſphemos inueniri, alterum Deum Patrem fabricantes; & ideo Paulus clamabat, ſcientia inflat, caritas autem ædificat: non quò veram ſcientiam de Deo culparet, alioquin ſe ipſum primum accuſaret; ſed quia ſciebat, quoſdam ſub occaſione ſcientiæ elatos excidere à dilectione Dei.*

b Or. de moder. in diſput. ſeruan. Porrò Gregorius [b] Nazianzenus ignauum ſe eſſe mauult, quàm plus æquo curioſum, ac nimis timidum, quàm nimis audacem: & in

c in reg. Monach. eandem ſententiam Hieronymus [c]. *Melius eſt aliquid neſcire, quàm cum periculo diſcere:* cui conſenta- B

d Ser. 20. de verb. Apoſt. neum eſt illud Auguſtini [d]. *Melior eſt fidelis ignorantia, quàm temeraria ſcientia.* Itaque ſignificare voluit Apoſtolus, ſcientiæ anteponendam eſſe caritatem.

e lib. 2. c. 45. Quocirca Irenæus [e] Pauli ſententiam explicans, ait. *Meliùs itaque eſt nihil omnino ſcientem perſeuerare in Dei dilectione, quæ hominem viuificat, nec aliud inquirere ad ſcientiam niſi Ieſum Chriſtum filium Dei, qui pro nobis crucifixus eſt; quàm per quæſtionum ſubtilitates, & multiloquium in impietatem cadere.* Quibus

f lib. medit. cap. 5. consentiunt quæ ſcribit Auguſtinus [f]. *Abs te ſapere*

g lib. 5. conf. cap. 4. *eſt deſipere, te verò noſſe eſt perfectè ſcire:* Alibi [g] verò. *Infælix homo, qui ſcit omnia, te autem neſcit: beatus*

VI. *autem qui te ſcit, etiam ſi illa neſciat.* Huc pertinere poſſunt quæ aduerſus inanem ſubtilitatem, curio- C

h epi. 17. 49. 10. 118. ſamque ſcientiam non vno loco ſcribit Seneca [h].

i epiſt. 27. *Paucis* (inquit [i]) *opus eſt ad mentem bonam vti litteris, ſed nos vt cætera in ſuperuacuum diffundimus, ita philoſophiam ipſam. Quemadmodum omnium rerum, ſic*

k epiſt. 19 *litterarum quoque intemperantia laboramus.* Alibi [k].

Iſta liberalium artium conſectatio moleſtos, verboſos, intempeſtiuos, ſibi placentes facit, & ideo non diſcentes ne-

l epiſt. 27. *ceſſaria, quia ſuperuacua plura didicerunt.* Plura alibi [l] in eamdem ſententiam. Quod igitur ait Apoſtolus: *Caritas ædificat;* veram indicat vtilitatem non à ſcientia, ſed à caritate pendere. Quamquam negandum non eſt ad rectè, ac laudabiliter viuendum, non exiguum in rerum ſcientia poſitum eſſe momentum,

m epiſt. 16. modò recta ſciendi ratio ineatur. Ita Seneca [m] quodam loco: *Liquere tibi hoc ſcio Lucili, neminem poſſe* D *beatè viuere, ne tolerabiliter quidem ſine ſapientiæ ſtudio, & beatam vitam perfecta ſapientia effici, cæterùm tolerabilem etiam inchoata. Illud ante omnia vide in philoſophia, an in ipſa vita profeceris. Non eſt philoſophia populare artificium, nec oſtentationi paratum; non in verbis, ſed in rebus eſt, nec in hoc adhibetur, vt cum aliqua oblectatione cõſumatur dies, vt dematur otio nauſea: animam format, & fabricat, vitam diſponit, actiones regit, agenda, & omittenda demõſtrat, ſed ad gubernaculum, & per ancipitia fluctuantium dirigit curſum: ſine hac nemo ſecurus eſt.* His conſentanea ſunt ea, quibus

n epiſt. 67. alibi ſapientis animum deſcribit [n], quæ nimis lon-

VII. gum eſſet huc transferre. Ædificandi autem metaphora familiaris eſt Apoſtolo; refertur autem in præſentia primùm quidem ad eos ipſos, in quibus eſt E caritas, quibus (vt dixit Irenæus) vitam largitur, vt in eo poſita ſit antitheſis, quòd ſcientia quatenus caritate deſtituitur, tumorem pariat ipſorum vitio, qui ſcientia abutuntur; caritas verò vitam afferat, & ſolidum quidpiam, ac ſtabile largiatur. Deinde referri etiam poteſt ad proximos, quos caritas erudit, & Chriſtianis præceptis informat, & ad pietatis, ac religionis ſtudium vehementiùs inflammat, vt ſi hic etiam quærenda ſit antitheſis, in ſuperiori membro ſubaudiendum ſit aliquid, quod ex tumore naſcatur;

A quippe aliorum contemptus, quo eorum ſalus, vel negligatur, vel etiam (quod eſt longè deterius) contemnatur. Quod fit, vt minimè audiendus ſit Clemens [a] Alexandrinus, qui hæc Pauli verba, quibus a lib. 7. Strom. ait ſcientiam inflare, non ſolùm referri ad tumorem, & arrogantiam, ſed eò etiam pertinere putat, vt ſignificet magnificè, ac verè ſentire. Nam quod ille ex Eccleſiaſtico [b] profert. ἡ σοφία φησὶν ὁ Σολομὼν ἐνεφυσίωσεν τὰ ἑαυτῆς τέκνα, id eſt, ſapientia inflauit filios ſuos, non ad tumorem profectò, ſed ad fiduciam, & magnificentiam quandam pertinet; Septuaginta enim legunt ἀνύψωσε, hoc eſt, ſapientia filios ſuos exaltauit: noſter verò interpres ait: *Sapientia filiis ſuis vitam inſpirauit.* Quæ ſententia longè diuerſa eſt à ſententia Pauli; Loquitur enim ſapiens de diuina ſapientia, quæ vt diuina eſt, cum caritate coniungitur, quin etiam ita fermè ſemper de ſapientia loquitur Salomon, vt idem ſit cum iuſtitia, & caritate. b cap. 4.

SI QVIS AVTEM SE EXISTIMAT SCIRE ALIQVID, &c. Hoc propriè ad eos pertinet, qui ſcientiæ opinione inflantur, quos (vt ait Theodoretus) ita perſtringit Apoſtolus, vt eos doceat, illa carere ſcientia, quam inſolentiùs iactitant. Quod etiam inſinuat Chryſoſtomus indicans, eos qui ſcientiam à caritate diuellunt, à ſcientia excidere, qua ſe præditos eſſe arbitrantur. Et in eandem ſententiam ſcribit Ambroſius. *Dum enim caritatem, quæ mater omniũ bonorum eſt, non ſectantur, non ſciunt, ſicut oportet.* Quò pertinet id, quod alicubi ſcripſit Salomon [c]. *Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri? magis illo ſpem habebit inſipiens.* Certè ſcientiæ modum aliquem imponendum eſſe, apertiſſimè docuit Paulus in Epiſtola ad Romanos [d]. *Dico autem per gratiam, quæ data eſt mihi, non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatẽ.* Cæterùm Bernardus [e] ampliſſimè hæc Pauli verba accipiens, ſcientiæ modũ indicari ſignificat. *Vides* (inquit) *quoniam nõ probat multa ſcientẽ, ſi ſciendi modũ neſcierit? Vides* (inquam) *quomodo fructum, & vtilitatem ſcientiæ in modo ſciendi conſtituit? Quid ergo dicit modum ſciendi? Quid niſi, vt ſcias quo ordine, quo ſtudio, quo fine, quæque noſſe oporteat? Quo ordine, vt id priùs, quod maturiùs ad ſalutem: quo ſtudio, vt id ardentiùs, quod vehementiùs ad amorem: quo fine, vt non ad inanem gloriam, aut curioſitatem, aut aliquid ſimile, ſed tantùm ad ædificationem tuam, vel proximi.* Poſtmodùm verò multos perſtringit, qui ſcientiam aliò referunt, quàm quò ſuapte natura referenda ſit. Porro Tertullianus [f] reprebendi putat Corinthios, quòd exiſtimarent ſe ſcire aliquid, quando nondum ſcirent, quemadmodum ſciri oporteret. 2. I. c Prou. 26. d cap. 12. e Serm. 36. Cant. f lib. de præſcrip. c. 27.

SI QVIS AVTEM DILIGIT DEVM, &c. Obſeruat Chryſoſtomus, hæc idcirco à Paulo ſcribi, vt eos tacitè perſtringat, quòd caritate deſtituti (vt paulò pòſt planiùs docebit) de aliorum ſalute nullam cogitationem ſuſcipiant. Cùm igitur eorum arrogantiam depreſſiſſet, qui ſcientiam à caritate ſeiungebãt, nunc oſtendit, eos, qui caritate præſtent, etiam diuina quadam cognitione excellere. Ait autem; ſi quis Deum diligat, *hic cognitus eſt ab eo. Non enim* (ait Chryſoſtomus) *nos ipſum cognouimus, ſed ipſe nos cognouit, & ideo dicebat; non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos:* quod Theodoretus interpretatur, quaſi ſignificet, eum, qui Deum cognoſcat id aſſequi, vt Deus eius curam ſuſcipiat. Ita enim explicat illud [g] Moſis. *Præſertim cùm dixeris, noui te ex nomine, & inueniſti gratiam coram me. Si ergo inueni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam, vt ſciam te.* Siquidem cognitio Dei (vt loquuntur Theologi in ſcholis) ſi cum approbatione coniungatur, innumerabilia nobis bona largitur, quibus facilè ſalutem conſequamur. 3. I. g Exod. 33.

mur. Qua ratione mirificè (vt ait Chryſoſtomus) caritatem laudat, & extollit; nam cùm ſcientiam multis nominibus depreſſiſſet, hic oſtendit veram ac ſolidam ſcientiam à caritate ortum ducere. Qui enim Deum diligit, à Deo ſciētia approbationis cognoſcitur, vnde omnia bona naſcuntur. Huic porrò Apoſtolicæ ſententiæ affine eſt illud, quod dixit Chriſtus apud Ioannem [a]. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit; & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Neque verò hæc perinde accipienda ſunt, quaſi nos priùs Deum diligamus: contra enim potius eſt (vt ait Ioannes [b]) *Ipſe enim prior dilexit nos.* priùs enim nos Deus diligit amore beneplaciti; mox verò ſui in nobis amorem ingenerat; demum iam diligentes ampliori beneuolentia proſequitur, ſuiſque diuinis muneribus ornat: hoc enim ſignificant illa verba. *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Venire enim ad nos dicitur Deus, quum gratiam ſuam largitur, manet autem, cùm eam conſeruat. itaque eodem loco dixit Chriſtus. *Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum:* non enim quamlibet Patris, filiíque beneuolentiam pollicetur; ſed eam, qua ſui cognitionem, & bonorum operum mercedem largituri ſunt.

a Ioan.14.23.
b 1.Ioan.cap.4.

II. Ceterùm tam Pater, quàm filius alio nos amore priùs diligunt, quo nos prædeſtinant, vocant, iuſtificant. Quod Paulus dicit, à Deo cognoſci, ad ſecundam Dei in nos caritatem refertur, quæ noſtra in Deum caritate eſt quodammodo poſterior. Vt enim paucis cuncta complectar, triplicem Dei erga electos caritatem diſtinguimus: æternam, qua illos eligit ante mundi conſtitutionem, alteram, qua illos ſuo tempore vocat, & iuſtificat, quæ noſtram beneuolentiam præuertit; poſtremam, qua diligentes ſe diligit, ſuiſque diuinis muneribus locupletat, atque ornat. Qui ergo Deum diligit, *cognitus* (inquit) *eſt à Deo:* non dicit Deum nouit, quod vis illationis poſtulare videbatur, ſed *cognitus eſt ab eo.* Quod Oecumenius propterea factum dicit, vt oſtendat Apoſtolus, neminem poſſe perfectam Dei cognitionem aſſequi, vt ipſorum ſupercilium deprimat, vnáque oſtendat, eum, qui à Deo cognitus ſit ſcientia approbationis, participem fore diuinæ reuelationis. Ita enim loco paulò antè indicato argumentatur Moſes. *Si me* (inquit) *ex nomine noniſti, oſtende mihi faciem tuam, vt ſciam te.* Nam re vera, qui caritate in Deum inflammantur diuinorum myſteriorum notiones eximiè conſequuntur. Quamobrem verè dixit Dionyſius [c] Areopagita, *nec quiuis ſanctus eſt, neque omnium eſt ſcientia.* Et Caſſianus [d]. *Legis quoque* (inquit) *ipſius ſcientiam non lectionis induſtria, ſed magiſterio, & illuminatione Dei quotidie deſiderant adipiſci dicentes ad eum, Vias [e] tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me, & reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua [f].* Et, *doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu [g].* Et iterum, *qui doces hominem ſcientiam.* Alibi verò modum huius diuinæ, ac ſpiritualis ſcientiæ adipiſcendæ fusè tradit [h]. Hîc enim ſpectat, quod ait Chriſtus [i]. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Denique alio [k] loco ait: *Poſſibile quidem eſſe integritatem ſine ſcientia gratia reperiri; impoſſibile verò ſcientiam ſpiritualem, ſine integritatis caſtimonia poſſideri.*

c D. Eccleſ. Hier.c.1.
d Collat.14.
e Pſal.24.4.
f Pſ.118.18.
g Pſal.142.10.
h Collat.14. cap.9.
i Matth.5.8.
k Ibid.c.11.

4.
I. De escis avtem, qvæ idolis, &c. Redit Apoſtolus ad quæſtionem de idolothytis, quam initio capitis propoſuerat. Quod igitur ibi dixerat. *De iis autem, quæ idolis ſacrificantur,* hoc loco aliis verbis iterat. De *eſcis autem* (inquit) *quæ idolis immolantur.* Quod autem ibi dixerat. *Scimus, quia omnes ſcientiam habemus:* hîc explicat qualis ſit ſcientia.

A *Scimus* (ait) *quia nihil eſt idolum in mundo; & quòd nullus eſt Deus, niſi vnus.* Quid autem ſignificet cùm ait. *Idolum nihil eſt in mundo;* ita explicat Chryſoſtomus: quaſi dicat: *Idola ſeu ſtatuæ nullam vim habent, neque dij ſunt, ſed lapides, & dæmones.* Cùm enim alij idola nihil aliud putarent eſſe, quàm lapides, alij verò neſcio quid numinis, ac diuinitatis tribuerent, prioribus quidem dicit, idolum nihil eſſe in mundo, poſterioribus verò, nullum eſſe Deum præter vnum ſummum, ac verum Deum. Eodem modo explicat Theodoretus. Alij aliter. Ego exiſtimo, ſpectaſſe Paulum vim, ac notionem Hebraicę vocis, qua idola appellare ſolent vanitatem, & nihilum; quia re vera nihil planè ſunt eorum, quæ ab impiis putantur: ſiue enim inania, & ficta numina referant, ſiue muta ſint B hominum ſimulacra, nihil prorſus habent diuinum, quódque creatam naturam ſuperet, atque idcirco addit, vnum eſſe duntaxat Deum. Supprimit autem Apoſtolus id quod neceſſariò ſequitur, quæ idolis immolantur non poſſe vllas contrahere ſordes. De qua tamen re magnopere dubitandum videtur: ſæpè enim in ſacris litteris legimus, quæ idolis offerebantur polluta eſſe, atque inquinata. Nam de Aſa Rege ſcriptum eſt [a]. *Et fecit Aſa rectum ante conſpectum Domini, ſicut Dauid pater eius, & abſtulit effœminatos de terra, purgauitque vniuerſas ſordes idolorum, quæ fecerat pater eius.* Et Ezechiel [b]. *Dixi autem* (ait) *ad filios eorum in ſolitudine, in præceptis patrum veſtrorum nolite incedere, & ne iudicia eorum cuſtodiatis, nec in idolis eorum polluamini.* Et rurſus [c]. *Fecerunt* C *hæc tibi, quia fornicata es poſt gentes, inter quas polluta es in idolis earum.* Iterum [d]. *Et polluerunt eam in idolis ſuis.* Denique [e]. *Neque polluerunt vltra in idolis ſuis, & in abominationibus ſuis.* Accedit quod Dauid [f]. *Omnes* (inquit) *dij gentium dæmonia.* Et Paulus hac ipſa Epiſtola [g]. *Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo.* Et confeſtim. *Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.* Itaque Tertullianus [h] ad hûc locum alludens. *Scimus* (inquit) *nihil eſſe nomina mortuorum, ſicut nec ipſa ſimulacra eorum; ſed non ignoramus qui ſub iſtis nominibus, & inſtitutis ſimulacris operentur, & gaudeant, & diuinitatem mentiantur nequam ſpiritus, ſcilicet dæmones.* Et aliquanto pòſt [i]. *Non ſacrificamus, non parenta-* D *mus, ſed neque de ſacrificato, & parentato edimus; quia non poſſumus cœnam Dei edere, & cœnam dæmoniorum. Si ergo gulam, & ventrem ab inquinamentis liberamus, quanto magis auguſtiora noſtra oculos; & aures ab idolothytis, & necrothytis voluptatibus abſtinemus; quæ non inteſtinis transfiguntur, ſed in ipſo ſpiritu, & anima digeruntur, quorum munditia magis ad Deum pertinet, quàm inteſtinorum?* Denique non temerè in Concilio [k] Apoſtolorum ſancitum eſt, vt fideles idolothytorum eſu abſtinerent. Qua igitur ratione ſignificat Apoſtolus, eſum idolothytorum idcirco indifferentem eſſe, quia idola nihil ſint, & diuinitate penitus careant? Hîc veteres, & recentiores explanatores planè muti ſunt, vt minimè tritam nobis viam ingredi neceſſe ſit. Et quan- E do auctoritate non licet, coniectura, & ſi fieri poſſit nonnulla ratione niti. Atque (vt hinc primùm incipiam) non negat Apoſtolus, quod omnis ſcriptura clamat: grauiſſimo ſcelere, ac piaculo pollui eos, qui idolis ſacrificent, adeóque illa impura ſacrificia Chriſtianis eſſe in primis abominanda: qua etiam ratione, & Apoſtoli in Synodo, & ipſe Paulus abſtinendum cenſuerunt ab iis, quæ idolis eſſent immolata, ſi ad idolorum cultum, & venerationem idolothytorum eſus referretur. Quòd ſi quis ea tantùm ſpectet, quæ idolis immolata ſunt perſpectúmque habeat,

a 3.Reg.15.11.
b cap.20.18.
c cap.23.30.
d cap.36.18.
e cap.37.23.
f Pſal.95.5.
g cap.10.20.
h li. de ſpect. cap.10.
i cap.13.
k Act.15.29.
II.

beat,& cognitum, ea quippe rationis expertia nul-
lo poſſe piaculo pollui aut inquinari, is proculdubio
liberè,& abſque noxa veſci poterit. Cùm enim ido-
la nihil ſint, adeóque nulla vi prædita, qua rerum
naturas immutare queant, quæ illis oblata ſunt nati-
uam ſuam integritatem retinent,ac bonitatem. Vi-
detur igitur Apoſtolus Hebræorum conſuetudinem,
ne dicam ſuperſtitionem, ſpectare, qui legis veteris
præceptis, atque inſtitutis aſſueti, multa putabant
ipſo vſu,contactúque pollui, vt ſi morticinum atti-
giſſent, aut prophano alicui vſui deſeruiſſent; atque
hac ratione concludit, quæ idolis immolantur ne-
quaquam eſſe polluta. Sed cur dicat idola nihil eſſe,
& vnum duntaxat eſſe verum Deum, non ſatis ap-
paret. Quamuis enim plures eſſent Dij, non facilè
concedendum eſſet, ea quæ ipſis offeruntur inqui-
B nari,ac pollui. Fruſtrà igitur Apoſtolus id ex eo col-
ligit,quòd idola nihil ſint. Fac enim Iouem, aut Sa-
turnum vera fuiſſe numina, an propterea victimæ
quæ ipſis dicarentur, pollutæ eſſent, cùm alioqui
ſint innoxiæ? An exiſtimandum eſt ſpectaſſe Apo-
ſtolum ad Simonis impietatem, qui Deum bonum,
ac malum conſtituebat; & illum quidem bonorum,
hunc verò malorum auctorem? Et ſanè hoc videtur
Apoſtolica argumentatio poſtulare. Si enim plures
Dij eſſent,& quæ idolis offeruntur,ad Deum quem-
piam malum pertinerent, eius vtique vi,ac poteſtate
videri poſſent aliqua ratione corrumpi, ac deprauari
hoc ſaltem nomine, quòd in eius veluti poteſtatem
tranſirent,& quaſi aliena ciuitate donata à vero Deo
C deficerent. Quocircà rectè dixit Apoſtolus. *Scimus
quia nihil eſt idolum in mundo, & quod nullus eſt Deus
niſi vnus*; vt non ſit metuendum,ne rerum naturæ
immutentur. Cui explicationi fauere videntur,quæ
ſubiicit paulò pòſt. *Nobis tamen vnus Deus Pater, ex
quo omnia, & nos in illum*; nihil igitur eſt idolum in
mundo; & nullus eſt Deus,niſi vnus; quia re vera,
vt alibi probatum eſt,aut nullus eſt Deus, aut vnus
III. tantùm. Neque verò quidquam habent ex hoc loco
Arriani, quo Trinitatem perſonarum oppugnent:
nõ enim multiplicatis perſonis,multiplicatur diuini-
tas,vt alibi probatur. Cæterũ quod attinet ad verba,
Photius apud Oecumeniũ, quod ait Apoſtolus ido-
lum nihil eſſe in mundo,perinde explicat, quaſi ſen-
ſus ſit:nihil eorum,quæ in mundo ſunt eſſe idolum,
D cùm idolum ſit *vani inuenti effectio, & imaginatio.*
Subdit. *Et ideo in ſolis horum mentibus idolorum ſub-
ſtantia ſedem habet, cum in nullo alio poſſit habere exi-
ſtentiam*: accipit enim idolum, vt falſum numen ſi-
gnificat: re namque vera falſæ diuinitatis opinio in
ſolis infidelium mentibus ineſt. Senſus idem eſt,
quem nos ſecuti ſumus;ipſa enim illa falſa diuinita-
tis opinio nihil prorſus eſt aliud,quàm mentis error.
a cap.6.44. Itaque rectè Baruch[a]. *Omnia*(inquit)*quæ illis ſiunt,
falſa ſunt. Quomodò æſtimandum, aut dicendum, illos
eſſe Deos? A fabris autem, & ab aurificibus facta ſunt:
nihil aliud erunt niſi id,quod volunt eſſe ſacerdotes.* Et
b cap.2.18. Habachuc[b]. *Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud
fictor ſuus, conflatile, & imaginem falſam? quia ſpera-
uit in figmento fictor eius,vt faceret ſimulacra muta.*

5. NAM ET SI SVNT, QVI DICANTVR DII
E SIVE IN COELO, SIVE IN TERRA, &c.

6. NOBIS TAMEN VNVS DEVS PATER, &c.

I. Oſtendit quodmodò dixerat,idola nihil eſſe,vnúm-
que duntaxat verum eſſe Deum. Fateor(inquit)ho-
minum opinione plures eſſe deos partim cæleſtes,
partim verò terreſtres, illi tamen nihil habent diui-
nitatis præter nudum nomen. Quod inſinuare vi-
c 2. aduerſ. Marcion. cap. 15. detur Tertullianus[c]. *Dei enim*(ait)*nomen quaſi natu-
rale diuinitatis poteſt in omnes communicare,quibus di-
uinitas vindicatur,ſicut & idolis dicente Apoſtolo: nam*

A *& ſunt qui dicuntur dij ſiue in cœlo ſiue in terris.* Et
alibi[a]. *Nam etſi ſunt qui dicuntur dei ſiue in cœlo ſiue* a aduerſ. Hermogen. cap.
*in terra nomine, cæterum vnus Deus Pater, ex quo om-
nia.* Quod etiam obſeruat Chryſoſtomus. *Non ſunt*
(inquit)*abſolutè dij, ſed dicuntur, non in re ſed in verbo
hoc habentes.* Quod autem ait, *ſiue in cœlo, ſiue in terra*,
interpretatur Chryſoſtomus. *In cælo quidem ſolem,
lunam, & aſtra; in terra verò dæmones, & qui ex homi-
nibus in deorum album relati ſunt.* Quomodo etiam
explicat Ambroſius. *A paganis enim*(inquit)*ſol, &
luna, & cætera ſydera dij cœleſtes dicuntur in terra;
Apollinem, Æſculapium, Herculem, Mineruam deos
dicunt, & dominos.* Paulò aliter Theodoretus. *Ex mo-
re*(inquit)*dixit Græcarum fabularum; alios enim deos
cæleſtes appellabant, vt Iouem, & Apollinem, Iunonem,
B & Mineruam; alios autem terrenos, vt fontes, & fluuios,
nymphas, Herculem, Dionyſium, Æſculapium, & alios
innumerabiles.* Commentarij nomine Hieronymi,
deos aiunt appellari more ſcripturæ. *In cœlo quidem
angelos, in terra autem eos de quibus dicitur*[b]. *Ego dixi* b Pſal. 81.
*dij eſtis: Dominos autem vocari ſanctos, de quibus ait
Salomon*[c]. *Iudicabunt nationes, & dominabuntur po-* c Sap. 3.
pulis. Sed probabilius eſt reſpexiſſe Paulum ad gen-
tilium errorem, & multitudinem inanium deorum,
quos illi dominos appellabant. Vt enim auctor eſt
Tertullianus[d]. *Domini nomen Deo maximè tribuitur,* d in Apolog. cap. 24.
hoc enim(inquit)*Dei eſt cognomen.* Quocirca Augu-
ſtus, vt idem Tertullianus affirmat. *Imperij formator
ne Dominum quidem dici ſe volebat.* Et Oroſius[e]. e lib. 1. hiſt. cap. 21.
Cùm(inquit)*eodem tempore hic, ad quem rerum om-
C nium ſumma conceſſerat, Dominum ſe appellari paſſus
non eſt, immò non auſus, quo verus Dominus totius ge-
neris humani inter homines natus eſt.* Siquidem teſta-
tur Suetonius[f], *Domini appellationem vt maledictum,* f in Octau. cap. 53.
*& opprobrium Auguſtũ ſemper exhorruiſſe. Cùm enim
ſpectante eo ludos pronuntiatum eſſet à mimo. O Domi-
num æquum & bonum, & vniuerſi quaſi de ipſo dictum
exultantes comprobaſſent, ſtatim manu, vultúque inde-
coras adulationes repreſſit, & inſequenti die grauiſſimo
corripuit edicto, Dominúmque ſe poſthac appellari, ne à
liberis quidem, aut nepotibus ſuis vel ſerio, vel ioco, paſ-
ſus eſt.* Cæterùm Tertullianus non negat, Domini II.
nomen etiam hominibus aptari poſſe; ſic enim ſcri-
bit. *Dicam planè Imperatorem Dominum, ſed more
communi, ſed quando non cogor, vt Dominum Dei vice
D dicam. Cæterùm liber ſum illi. Dominus enim meus vnus
eſt, omnipotens, Deus Æternus, idem qui & ipſius.* Sub-
dit Apoſtolus. *Siquidem ſunt dij multi, & domini mul-
ti*, opinione ſcilicet, & hominum aſſentatione; nam
quid re vera ſentiendum ſit, illico ſubiiciet. Non vi-
detur autem Ambroſius hæc legiſſe, quæ tamen le-
gerunt Chryſoſtomus, Theodoretus, & alij Græci.
Quid verò de iis ipſe ſentiat, quem Deum, ac Do-
minum agnoſcat, mox explicans ſubdit. *Nobis tamen
vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum.* Obſer-
uat Chryſoſtomus, explicare hoc loco Apoſtolum,
quod paulò antè dixerat. *Nullus eſt alius Deus, niſi
vnus*, hoc eſt, vnam ſolummodò vim, ac poteſtatem
diuinam. *Ex quo*(inquit)*omnia.* Quod pertinet ad
creationem ex nihilo, quæ eſt diuinæ poteſtatis effe-
E ctio. Ita etiam intelligunt Ambroſius, & Hierony-
mus. Addit. *Et nos in illum.* Quod Chryſoſtomus re-
fert ad rationẽ fidei, & coniunctionis: quaſi doceat,
nos duplici ratione ex Deo eſſe; primùm quod ab
illo ex nihilo conditi vitam hauſimus, deinde quòd
fidem, & gratiam eius munere percepimus. Atque
ita Ambroſius. *Fideles ait ab infidelibus hoc poſteriori
nomine ſeparari, quia cùm illi æquè, ac fideles ſint ex
Deo, non tamen ſunt in illo, quia nondum credunt.*
Quamobrem Tertullianus[g] ad hunc locum Pauli g aduer. Marc. cap. 14.
reſpiciens. *Cæterùm* inquit *vnus Deus Pater, ex quo
omnia*

omnia, quo magis apud nos ſolius Dei eſſe debeat, quod ſolius Dei proprium eſt. *Et vnus ait Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.* Monet Theodoretus admirandam eſſe Apoſtoli ſapientiam. *Cùm enim* (inquit) *priùs oſtendiſſet, appellationem Domini æqualem habere vim, & poteſtatem cum appellatione Dei, eas diuiſit, & hanc quidem Patri tribuit; illam verò filio, Corinthiorum imbecillitati remedium afferens.* Paulò autem pòſt id planiùs explicans addit. *Cùm alias ſæpè Chriſtum Deum appellaſſet, hic quidem certè hunc, idest, Patrem Deum appellauit; illum verò (hoc eſt) Chriſtum, Dominum, ne iis, qui haud ita pridem à Græcorum, ſeu gentium errore liberati fuerant, & veritatem didicerant, præberent occaſionem redeundi ad multorum Deorum errorem.* Alibi autem monui, Tertullianum, & alios quoſdam ex hoc Apoſtoli loco certam veluti legem, aut canonem theologicum præſcribere, vt quoties Pater vnà cum Chriſto nominandus ſit, ille quidem Deus, hic verò Dominus nuncupetur. Quatenus autem id admittendum ſit, ſuo loco docui. Ne quis autem putet Chriſtum à diuinitate excludi, monet Chryſoſtomus ad diuinam Chriſti naturam indicandam addita eſſe illa. *Per quem omnia, & nos per ipſum. Per ipſum enim etiam ex nihilo productum eſt genus hominum, vt omnino eſſet, & per eundem ab errore ad veritatem fuit traductum.* Addit hoc ipſum Ambroſius: *Omnia enim* (inquit) *ex Patre, ſed per filium creata ſunt, & per quem erati fueramus, reformatos nos per ipſum ſignificat in Dei cognitione.* Verùm quoniam Arriani, & Eunomiani his verbis filium diuinitatis, veluti finibus excludi mentiebantur, Chryſoſtomus, Ambroſius, & Thodoretus, cùm aliis ex multis locis, tum verò ex hoc potiſſimùm, Chriſti diuinitatem firmant: primùm quidem, quia illum facit creatoris participem, vt modò dictum eſt, deinde quia & ſi nominibus diſtinguit, Domini tamen nomen quod Chriſto tribuitur, *æqualem* (vt loquitur Theodoretus) *cum Dei voce vim, ac poteſtatem habet.* Atque idcirco ſæpe ſcriptura vtrumque nomen coniungit. Sic enim loquitur Deus[a] ipſe. *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti:* Et rurſus[b]: *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter Dominus vnus eſt.* Et Dauid[c]. *Domine Deus meus magnificatus es vehementer*, vnde colligit Theodoretus, eum qui verè Deus ſit, eundem quoque eſſe Dominum, & qui rurſus verè Dominus eſt, verè Deum & eſſe, & appellari. Neque aliter Ambroſius. *Vnum* (inquit) *Deum Patrem dixit, & vnum Dominum Ieſum Filium eius, vt quia Deus non poteſt non eſſe Dominus, ſimiliter & Dominus intelligatur eſſe & Deus, vnum eſſe Deum, & dominum demonſtraret, modum vnius principij conſeruando.* Addit prætereà Chryſoſtomus. *Si quia Pater vnus dicitur Deus, excludendus ſit Filius à diuinitate, non abſimili ratione, quia Chriſtus dicitur vnus Dominus à dominatu excludendus erit Pater. Quòd ſi hoc abſurdum videtur, ne illud quidem eſt vllo modo admittendum.* Quòd ſi quiſpiam quærat, cur nullam Spiritus ſancti mentionem fecerit; reſpondet Chryſoſtomus quod paulò antè ex Theodoreto adduximus, noluiſſe Corinthiis deorum multitudini aſſuetis errandi præbere occaſionem. Addi poſſet conſueuiſſe Apoſtolum, nunc vnam duntaxat, nunc duas, interdum etiam tres perſonas nominare. Quod verò attinet ad particulas illas, *ex* & *per*; aliàs monuimus, eas ab Apoſtolo promiſcuè Patri, ac Filio tribui. Quod autem ait Apoſtolus: *nos in illum*: quia græcè ſcriptú eſt εἰς αὐτὸν poſſit commodè interpretari, nos in illú tanquam in finem tendere: hoc enim proprium eſt Dei, vt in illum omnia ſuo modo ferantur tanquam in extremum. Videtur tamen Chryſoſtomus, & Theodoretus accepiſſe εἰς αὐτὸν pro ἐν αὐτῷ, vt ſæpè conſueuit Apoſtolus.

7. I. Sed non in omnibus est scientia, &c. Vel hinc apparet quod ſuprà dixit Apoſtolus, *ſcimus quia omnes ſcientiam habemus*; non prorſus ad omnes pertinere; apertè enim aſſerit, quoſdam carere ſcientia; qua ratione Theodoretus ſuam ſententiam confirmat, qua ſuperiora dixerat ironicè eſſe accipienda. Verè autem omnino ſcripſit[a] Auguſtinus. *Scientia ad finem caritatis adhibita multùm eſt vtilis, per ſe autem ipſa ſine tali fine, non modò ſuperflua, ſed etiam pernicioſa probata eſt.* Nec multùm diſcrepat, quod ait Ariſtoteles[b]. *Ad virtutes ſcire quidem parùm, aut nihil prodeſt; cætera verò non parùm, ſed totum poſſunt.* Sed quærit Chryſoſtomus de quánam ſcientia loquátur Apoſtolus. Exiſtimat autem vel Apoſtolum loqui de gentibus, quæ cùm multos Deos colant, vnius, ac veri Dei ignoratione laborant, aut de fidelibus quidem, ſed qui non ita pridem gentilium errore abiecto fidem complexi erāt; & etiam num de vi, ac poteſtate idolorum ſubdubitabant, neque planè intelligebant idola nihil eſſe aliud, niſi muta, ac inania ſimulacra. Ego verò crediderim loqui Apoſtolum de ſcientia, quæ neceſſaria eſt, vt quis abſque piaculo poſſit idolothytis veſci. Primùm enim ſcire oportet, idolothytis eos tantùm inquinari, qui iis cum quadam opinione numinis, eiúſque ſuperſtitioſo cultu, ac veneratione veſcuntur, quiue cum aliorum offenſione, & ſcandalo ſacrificiorum participes fiunt. Deinde pro certo habendum eſt, ea, quæ media ſunt, & indifferentia, cuiuſmodi eſt eſus idolothytorum, hac exceptione vſurpanda eſſe, ne imbecilliores in fraudem impellant: hac igitur ſcientia non omnes præditi ſunt; atque idcirco non abſque piaculo veſcuntur. hoc enim eſt, quod ait Apoſtolus: *Quidam autem vſque nunc cum conſcientia idoli, quaſi idolothytum manducant.* De iis videlicet loquitur, qui (vt ait Chryſoſtomus) idola adhuc reformidabant; quique vt Ambroſius addit, ita idolothytis veſcebantur, vt in idolis nonnihil diuinitatis ineſſe ſuſpicarentur. Neque enim (vt ait Chryſoſtomus) mirum videri debet, cùm illa ætate, multi non ita pridem ad Chriſtum traducti, gentilium ſuperſtitionem non penitus exuiſſent. Quod etiam hac noſtra ætate experiuntur illi, qui apud Iudæos gentiles Chriſtianis præceptis, & ſacris imbuunt; frequenter enim etiam poſtquam initiati ſunt, multa illis adhærēt ſuperſtitioſa, & impia, quæ nonniſi diuturnitate temporis, & aſſiduo ſtudio, ac labore penitus amputantur. Igitur hos ait Apoſtolus, vera carere ſcientia, atque adeo idolothytorum eſu inquinari. *Vſque nunc* (inquit) *quaſi idolothytum manducat.* Non caret autem emphaſi quod ait *vſque nunc*: quaſi dicat, ad hoc vſque tempus poſt Chriſtiana ſacra ſuſcepta, quaſi idolothytum manducant, hoc eſt, quaſi ſacrum, ac religioſum cibum: hoc enim ſignificat idolothytum, hoc eſt, idolo immolatum, aut ſacrificatum: Græci enim θύειν, dicunt, quod nos Latini immolare. Vnde Clemens[c] Alexandrinus, auctore philoſopho neſcio quo, ſuis etymologiam deducit: Græci enim ſuem vocant ὗν, quaſi dicas θῦν, vt qui ad θύειν, hoc eſt, ſacrificium aptus ſolummodò videatur: datam enim eſſe huic animali non aliam ob cauſam animam, niſi vt carnes luxuriarent. Quod etiam confirmat Varro[d]. *Sus enim* (inquit) *græcè dicitur ὗς, olim thyſus dictus ab illo verbo, quod dicunt θύειν, quod eſt immolare. ab ſuillo enim genere pecoris immolandi initium primum ſumptum videtur, cuius veſtigia quod initiis Cereris porci immolantur, & quod initiis pacis fœdus cùm feritur, porcus occiditur, & quod nuptiarum initio antiqui Reges, ac ſublimes viri in Hetruria in coniunctione nuptiali noua nupta, & nouus maritus*

a Exod.20.
b Deut.6.4.
c Pſal.103.
a Ep.119. in fi.
b lib.2 Ethic. cap 4.
c lib.2. ſtrom.
d lib.2. de re ruſt. cap.4.

maritus primum porcum immolant. Priſci quoque Latini, & etiam Græci in Italia idem factitaſſe videntur. Quæ A cauſa fuit, vt omittam alia, quæ eruditè à viris doctis traduntur, vt ſuem potiſſimum à diuinis ſacrificiis diuina auctoritate Moſes quaſi prophanum, atque immundum reiecerit, quòd gentiles eo potiſſimùm idolis litarent. Itaque apud Clementem [a] dixit quidam, *Sues ad nihil aliud eſſe vtiles, quàm ad ſacrificium.* Inde igitur dicta ſunt idolothyta, hoc eſt idolis immolata. Putabant igitur hi, de quibus Apoſtolus loquitur, quæ idolis immolata eſſent, ſacra & religioſa eſſe; quocirca rectè ſubdit. *Et conſcientia ipſorum cùm ſit infirma polluitur.* Nondum (inquit Chryſoſtomus) *poſſunt ea, tanquàm prophana deſpicere. Quēadmodum* (inquit) *ſi quis eo quòd tangat mortuum, exiſtimet ſe ex Iudaica conſuetudine pollui, dum alios videret puru conſcientia tangentes, ipſe non eadem mente præditus, ſi tangat, verè inquinatur;* ita illi nonnullo adhuc B infidelitatis errore impliciti; cùm alios viderent liberè veſci idolothytis, quòd ea ſcientia præditi eſſent, quam paulò antè deſcripſimus: dum eorum libertatem longè alia ipſi mente imitabantur, grauiſſimo ſeſe ſcelere obſtringebant. Cum his, quæ hoc loco ſcribit Apoſtolus conſentiunt ea, quæ ſunt in Epiſtola ad Romanos [b]. *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Et ad Titum [c]: *Omnia munda mundis, inquinatis autem, & infidelibus nihil eſt mundum. ſed inquinata ſunt eorum mens & conſcientia.* Denique ad Timotheū [d], *Omnis creatura Dei bona eſt. & nihil reiciendū, quod cum gratiarum actione percipitur.* Huc enim pertinēt quæ ſcribit Auguſtinus [e] ad Publicolā. *Si quis* (inquit) *dubitat de aliqua carne, vtrū immolatitia ſit, & nō eſt immolatitia, ſi eam cogitationem tenuerit, quod immolatitia non ſit & eu veſcatur, non vtique peccat, quia nec eſt, nec iam putatur immolatitia; & ſi eōtru putabatur: neque enim non licet corrigere cogitationes à falſitate ad veritatem. Si quis autem bonum putauerit eſſe, quod malum eſt, hoc putando vtique peccat.*

XII.

a 5.Strom.

b cap.14.23.

c cap.1.15.

d Ep.1.c.4.4.

e Ep.154.

7. I. ESCA AVTEM NOS NON COMMENDAT DEO. Hæc rurſum Chryſoſtomus referri putat ad quorumdā arrogantiam, atque ſuperbiā deprimendam. Exiſtimat enim Apoſtolum tacitè inſinuare, eos, qui liberè idolothytis veſcantur, hoc etiam nomine reprehenſione dignos eſſe, quòd etiamſi eorum actione nemo læderetur, ex ea tamen ipſi nihil perciperent vtilitatis. *Eſca* (inquit) *nos non commendat Deo.* D Veſcendi enim libertas, quia à perfecta ſcientia oriri videbatur, cenſeri fortaſſe poterat laude, ac præmio digna; atqui (ait Apoſtolus) apud Deum nullo prorſus eſt in pretio. Arripiunt hæc Pauli verba noui Euangelij præcones; id eſt veri corruptores. Vnde, inquiunt, nunc inter Chriſtianos tot præcepta de ciborum generibus? vnde tanta in his obſeruandis ſuperſtitio, vt penè nulla ex re magis iudicemur? Quaſi verò Eccleſia Catholica iudaica ſuperſtitione ciborum delectum præſcribat, aut certa ieiunia indicat; aut contra Apoſtoli ſententiam eſcam per ſe, ac ſolitariè ſumptam, vim aliquam cenſeat apud Deum habere. Id vnum docet, & diuina auctoritate, atque apoſtolica traditione, ſanctiſſimorum denique virorum exemplo, atque E auctoritate firmat, laudabile, atque honeſtum eſſe lautioribus interdum cibis abſtinere, inedia, ieiunióque impotentes libidinis impetus frangere, & pro admiſſis ſceleribus hac corporis vexatione aliqua ratione Deo ſatisfacere. Verùm quoniam ea de re plura nobis alibi dicenda ſunt, in præſentia nihil addendum videtur. Porrò omninò verè dixit Apoſtolus; *Eſca nos non commendat Deo:* hoc eſt, commendatos, aut gratos non reddit. Quomodo etiam ad Romanos [f] dixit; *Non eſt regnum Dei eſca, & potus.* Et ſubdit: *Neque enim ſi manducauerimus abundabimus, neque ſi non manducauerimus deficiemus.* Explicatio eſt A ſuperioris ſententiæ, qua dixerat, *Eſca nos non cōmendat:* nihil enim illa (inquit) ſi aſſumatur vtilitatis, ſi omittatur detrimenti affert. Quod Ambroſius perinde accipit, quaſi Apoſtolus de humana, & corporea vtilitate loquatur. Neque enim (inquit) magnum affert emolumentum idolothytorum eſus, neque ſi omittatur deerit cibus, quo quis ali poſſit. At Chryſoſtomus meo iudicio melius. Nihil (ait) idolothyta apud Deum, vel prodeſſe ſi edantur, vel ſi omittantur, obeſſe. Quomodò etiam explicant commentarij Hieronymi. *Ideo* (inquit) *Apoſtolus neque in illis edendis fidei abundantiam, neque in non edendis inopiam eſſe teſtatur.* Senſus igitur eſt, nihil habere momenti ad pietatem ſiue idolothytis veſcamur, ſiue ſecùs. B Græca porro verba περισσεύομεν & ὑστερούμεθα præſentis temporis ſunt, tametſi interpres reddit Latinas voces temporis futuri: quod ſententiam nihil immutat: neque enim Paulus temporis rationem habuit, ſed rei naturam duntaxat voluit explicare.

f cap.14.17.

VIDETE AVTEM NE FORTE HÆC LICENTIA. 9. L. Quod per ſe, ſuaque natura indifferēs eſt, aliunde vitari poſſe docet, ſi videlicet offēdendi præbeat occaſionem. Idcirco Corinthios monet, ne ſua ſibi ſcientia blandiantur, ſuæque conſcientiæ integritati nimium fidant. Si enim ſuo exemplo alios lædant, non penitus culpa vacant. Siquidem Chriſtus ipſe magnopere ſcandala vitanda docuit: ſic enim apud C Matthæum [a] dixit: *Qui autem ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Væ mundo à ſcandalis: Neceſſe eſt enim, vt veniant ſcandala; væ autem homini illi per quem ſcandalum venit.* Paruulos autem eo loco Chriſtus intelligit, non ætate, ſed moribus, quos hoc loco Apoſtolus appellat infirmos. Quàm ſit autem graue piaculum alios ſuo exemplo ad malum prouocare, ſupplicij magnitudo non obſcurè indicat, *Expedit* (inquit *vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius.* Vt enim adnotat Hieronymus, id erat apud veteres Iudæos vſitatiſſimum ſupplicium: nam quod ait [b] Auguſtinus, molam aſinariam peccatorum eſſe pondus, quo homines deprimuntur, quamquàm allegoricum eſt; D indicat tamen criminis magnitudinem, & grauitatem: de qua etiam hoc loco luculenter diſſerit Apoſtolus. Obſeruat autem Chryſoſtomus Apoſtoli prudentiam, & veluti artificium, qui non ſimpliciter dixerit, Corinthiorum licentiam ſcandalum, & offendiculum patere, ſed tantùm monuerit, vt etiam, atque etiam viderent, ne aliis eſſent offendiculo: interim tamen ait illum licentiam appellaſſe, quod temeritatis inſolentiæ, atque arrogantiæ videbatur, vt eos pu... ote aliqua ratione afficeret, iuſtúmque ſis timore... n incuteret. Denique ad rei indignitatem exaggera... idam additum putat, ne fiat offendiculum infirmis ... fratribus, quos par erat ope, conſilióque iuuare, In... firmos autem fratres eos intelligit, quos paulò ante ... lixerat carere ſcien- E tia. Quod autem noſter interpre... s latinè dixit, licentia, græcè eſt ἐξουσία, id eſt poteſta... s, ſiue ius, aut auctoritas, quæ oritur ex ſcientia, qu... a probè intelligitur nihil eſſe idola, nec poſſe quæ id... olis oblata ſunt per ſe quenquam inquinare. Monet ... autem Oecumenius dixiſſe Apoſtolum, non ſcie... oriam, aut perfectionem; ſed licentiam ſeu poteſta... tem; *quod immodeſtiæ eſt & arrogantiæ*, vt eos tacitè p... eſtringat, & eorū importunam licentiam accuſet, qu... i nullam imbecilliorum habeant rationem, qui vi... dentes eos liberè veſci idolothytis, ipſi etiam veſcu... ntur, cùm tamen

a cap.18.6.

b lib.1.quæſt. euang.c.4.

de idolis

de idolis non omninò rectè ſentiant, & nonnulla A falſi numinis ſuperſtitione aſperſi ſacrilegio polluantur. Amplificat autem ſcandali magnitudinem; primùm quòd ſit contra fratrem, deinde contra fratrem infirmum, poſtea contra eum quem Chriſtus tanti fecit, vt pro eo in mortem obierit; poſtremò quòd pro re leui, ac nullius momenti, qualis eſt eſca viliſſima: quæ omnia paulò pòſt explicat. Cæterùm de ſcandalo plura Theologi, nóſque alibi. Certè
a Ro. 14. 21. Paulus ad Romanos [a] ſcripſit: *Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut ſcãdalizatur, aut infirmatur.* De qua
b Reg. breu. 64. Pauli ſententia eleganter Baſilius [b] alicubi diſſerit.

10. Si enim qvis viderit evm, &c. Docet
1. quomodò infirmi aliorum exemplo offendant, vnáque oſtendit eorum lapſum non tam ab animi imbecillitate, quàm ab eorum importunitate prodire, B qui ſua ſcientia, licentiáque abutuntur. Tractat hunc
c Hom. 20. in Num. locum Origenes [c], & more ſuo ad allegorias transfert: cùm enim verba Pauli recitaſſet, *Valde* (inquit) *miratus ſum; videtur enim non tam rem ipſam grauem pronuntiare, quàm illius offenſam, qui hæc videns ſimili prouocatur exemplo, cùm non ſimili ſcientia muniatur: ita vt oſtendat eum, qui habens ſcientiam recumbit in idolio, non tam ſui, quàm alterius damni effici reum. Sed vide ne fortè non hoc ſolùm fiebat apud Corinthios, vt in idolio recumberent, & immolata idolis manducarent; ſed fortè quoniam ſtudioſi litterarum Græcarum homines erant, & amatores philoſophiæ, deſiderio adhuc ſtudiorum veterum tenebantur, & Philoſophorum dogmata, quaſi idolis immolata edebant: quæ tamen lædere fortaſſe non poterant eos, qui plenam ſcientiam veritatis acceperant. Hi autem, qui in Chriſto minus eruditionis habebant, ſi imitarentur eos legentes talia, & illis adhuc ſtudiis operam dantes, vulnerari poterant, & diuerſorum dogmatum variis erroribus implicari. Sic ergo fiebat, vt læderetur alius, vnde is qui habebat plenam ſcientiam veritatis, lædi non poterat. Sed quoniam caritas non quærit quod ſibi vtile eſt, ſed quod multis, obſeruari oportet talem verbi capere cibum, qui non ſolùm nos ædificet, & delectet, ſed & qui videntes non offendat, aut lædat. Eſt ergo non ſolùm in cibis idolis immolatum, ſed & in verbis. Ego puto quia ſicut omnis ſermo, qui pietatem, & iuſtitiam, & veritatem docet, Deo conſecratus eſt, & Deo immolatus, ita & omnis ſermo, qui ad impudicitiam, vel iniuſtitiam, vel impietatem reſpicit, idolis immolatus ſit, & qui eum recipit, quaſi idolis immolata manducet.* Verùm hæc (vt dixi) non contemnendam allegoriam continent; non eſt tamen exiſtimandum, abuſum fuiſſe Apoſtolum proprietate ſermonis: re namque vera agit de iis, quæ idolis immolabantur, déque eorum eſu. Ait igitur; *Si enim quis viderit eum,* græcè eſt σε, id eſt te, vt alloquatur eum, qui cùm ſit
11. ſcientia præditus, in idolio accumbit. Porrò græcè εἰδωλείῳ, idolorum templum, aut menſam, vel etiam ipſum epulum, & conuiuium ſignificat; vt ex Hero-
d In Clio. e In Pluto. doto [d], & Ariſtophane [e] intelligitur. Recumbentem autem dixit græcè κατακείμενον, propriè accumbentem; vt ad priſcam edendi conſuetudinem reſpexiſſe videatur. Accumbentes enim veſci ſolebant, præſertim ij, qui Romanos mores ſequerentur. Qui ergo E videt alium idolorum conuiuia frequentare, cùm ſit ipſe non ſatis in fide eruditus, magnoperè læditur, *ipſius* (inquit) *conſcientia cùm ſit infirma*; Græcè eſt ἡ συνείδησις αὐτοῦ ἀσθενοῦς ὄντος, hoc eſt, conſcientia eius, qui infirmus eſt. Videtur autem interpres legiſſe συνείδησις ἀσθενής, cùm ſit infirma. At Chryſoſtomus apertè legit *cum ſit infirmus. Ædificabitur* (inquit) *ad manducandum idolothyta.* Græcè οἰκοδομηθήσεται, quæ vox cùm aliàs penè ſemper in bonam, hîc neceſſariò in malam partem accipitur.

Et peribit infirmvs in tva, &c. 11.
Magnam vim habent hæc verba ad amplificandam 1.
culpæ grauitatem, eſt enim acris, ac vehemens interrogatio: quaſi dicat: Tu-ne igitur tua culpa patiere, vt leuiſſima de cauſa infirmus frater penitus pereat, pro cuius ſalute Chriſtus ipſe mortem ſibi oppetendam duxit? Qua in re (vt Chryſoſtomus monet) ex quatuor capitibus rei grauitatem exaggerat, quæ paulò antè enumerauimus; perit enim frater, & quidem infirmus, & omnino is quem Chriſtus ſuo ſanguine redemit, idque ob breuiſſimum cibum. Vbi autem nos græcè legimus, ἐπὶ τῇ σῇ γνώσει, hoc eſt *in tua ſcientia*; ipſe legit ἐπὶ τῇ σῇ βρώσει, id eſt *in tua eſca*, vel *in tuo cibo*. Theodoretus autem omnino legit, vt nos habemus, *in tua ſcientia*, quod per ironiam dictum eſſe putat. *Neque enim* (ait) *teſtatur, eos habere ſcientiam, ſed fratres odio habere, & gulæ deditos eſſe, & quæ ſunt eiuſmodi.* Sed re vera illam ſcientiam illis tribuit, de qua ſuprà dixerat. *Scimus, quòd omnes ſcientiam habemus*; quamquam in eo non leuiter peccabant, quòd aliorum ſalutis nullam ſibi rationem habendam putarent. Ambroſius legiſſe videtur συνειδήσει, id eſt, *in tua conſcientia*, & interpretatur, *tuo actu illum occidis, quando à te fieri videt, quod ille aliter intelligit, & tu eris occaſio mortis fratri, quem Chriſtus, vt redimeret, crucifigi ſe permiſit.* Colligit autem conſcientiam docere interdum caritatis gratia quædam eſſe diſſimulanda, quia ſine dubio pluris eſt ſalus fratris, quàm cibus. Et profectò negari non poteſt, pleroſque Latinos codices habere. *In tua con-* C *ſcientia*; ſed quod attinet ad ſententiam parùm refert, quocumque tandem modo legas. Significat enim Apoſtolus eſum idolothytorum poſita ſcientia, de qua ſuprà dictum eſt, præclara quidem conſcientia admitti; ſed quia nulla imbecilliorum habetur ratio, qui rem aliter interpretantur, partim ignoratione decepti, partim imbecillitate ſuperati, atque idcirco pereunt; illum liberum eſum eorum interitus præcipuam cauſam eſſe, & ob id non vacare culpa. Itaque vt colligit Chryſoſtomus, in re aliòqui indifferenti magnum omnino crimen patratur. *Quid enim* (inquit) *hoc eſt? Chriſtus pro fratre mori non recuſauit; tu autem ne in animum quidem inducis, vt ad eius imbecillitatem te demittas, & accommodes?* Ad id verò etiam, atque etiam augendum pertinere putat, D quòd paulò antè Chriſtum appellauerit Dominum. *Dominus* (ait) *tuus mortem pro ſalute fratris non recuſauit; tu illius adeo nullam habes rationem, vt nec propter ipſum à menſa impia, & ſcelerata abſtineas?*

Sic avtem peccantes in fratres, 12.
&c. Hactenus docuit magnum eſſe crimen fratrum 1.
ſalutem negligere. Iam quoniam exiſtimare quiſpiam poſſet, leue peccatum eſſe quod in fratres admittitur; addit in præſentia cenſendum eſſe grauiſſimum, quòd eiuſmodi piaculum in Chriſtum Dominum redundet. Ita vt monet Chryſoſtomus, *ſenſim, ac paulatim deduxit crimen ad culmen iniquitatis: neque enim dixit ſcandalizantes, ſeu offenſionem afferentes, ſed percutientes, ſeu verberantes, vt dictionis emphaſi oſtenderet crudelitatem. Quid enim homine ſæuius, qui ægrotantem verberat? Eſt enim quouis vulnere grauius, ſcandalizare, ſeu offenſionem afferre.* E In eamdem ſententiam loquitur Auguſtinus [a]. *Quid eſt ergo* (in- a Serm. 16 de verb. Dom.
quit) *quod plerique homines iſta peccata contemnunt, & dicunt; Quid magnum feci? In hominem peccaui. Noli cõtemnere quòd in hominem peccaſti. Vis noſſe quia in hominem peccando periſti; ſi te ille, in quem peccaſti, corripuerit inter te, & ipſum ſolum, & audieris illum, lucratus eſt te. Quid eſt lucratus eſt te, niſi quia perieras, ſi non lucraretur te? Nam ſi non perieras, quomodo te lucratus eſt? Nemo ergo contemnat quando peccat in fra-*

trom: at enim in quodam loco Apoſtolus; ſic autem pec-
cantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum in-
firmam, in Chriſtum peccatis. Mox verò explicat
quanam ratione, qui in fratrem peccat, verè dicatur
peccare in Chriſtum. *Ideo* (ait) *quia membra Chriſti*
omnes facti ſumus. Quomodo non peccas in Chriſtum,
qui peccas in membrum Chriſti? Nemo ergo dicat, quia
non peccaui in Deum, ſed peccaui in fratrem; in homi-
nem peccans, leue vel nullum peccatum eſt. Eamdem
rationem affert Chryſoſtomus, & duas prætereà ad-
dit. *Qui verberantur* (inquit) *ſunt eius corpus, & mem-*
bra; deinde quæ ſunt famulorum, ipſe quaſi ſua ducit;
a cap. 9. 4. *nam & in Actis* [a] *Apoſtolicis Saulum fideles perſequen-*
tem his verbis compellat, Saule, Saule, quid me perſe-
queris? Poſtremò quòd qui peccant in fratres, Chriſti opi-
ficium diruunt, quod ipſe ſua nece conſtruxerat, &
confirmarat. Ambroſius indicat, ſe legiſſe; *In Chriſto;*
non; *In Chriſtum. Quando enim* (inquit) *caritatis non*
ambulamus, quæ Chriſtus nos liberauit, peccant in Chri-
ſto, non in Chriſtum; quia in Chriſtum peccare, negare
eſt Chriſtum; in Chriſto autem, in hæc quæ ſunt Chriſti,
ſicut & hic, qui ſub lege eſt, in lege dicitur peccare; ita &
ij, qui ſub Chriſto ſunt, in Chriſto peccare dicuntur. Eo-
dem modo legiſſe videntur Hieronymiani com-
mentarij. *Et notandum* (inquiunt) *quod in Chriſto pec-*
care dixit, qui in membro peccauerit Chriſti. At Græci
codices conſtanter habent εἰς χριστὸν, hoc eſt, *in Chri-*
ſtum. Et Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophy-
lactus perinde accipiunt, vt dictum eſt; vt quæ pec-
cantur in fratres, ad Chriſtum tanquàm caput per-
tineant. Quod veriſſimè dictum eſſe Chriſtus ipſe
b cap. 25. 40. apud Matthæum [b] grauiſſimis verbis confirmat; ait
enim. *Quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis mini-*
mis mihi feciſtis. Et aliquanto poſt. *Quamdiu non fe-*
ciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis.

13. QVAPROPTER SI ESCA SCANDALIZAT,
I. &c. Cõcluſio eſt apoſtolico pectore digniſſima. Suo
enim exemplo (vt monet Theodoretus) probat Pau-
lus quàm diligentiſſimè cauendum eſſe à ſcandalo.
Obſeruat autem Chryſoſtomus magnam orationis
emphaſim. *Neque enim* (inquit) *dixit ſiue iuſtè, ſiue*
iniuſtè, ſed quomodocumque. Neque dico (inquit) *idolo*
immolatum, quod etiam propter aliam cauſam eſt pro-
hibitum, ſed & ſi quid etiam eorum, quibus veſci licet,
offendit ab illis quoque abſtinebo, neque vno, aut altero
die, ſed toto tempore vitæ meæ non manducabo (inquit)
in æternum; neque dixit, ne perdam fratrem meum; ſed
abſolutè, ne fratrem meum ſcandalizem. Et Ambro-
ſius. *Tantopere* (ait) *caritati ſtudendum, vt licita pro il-*
licitis habeantur, ne obſint fratri. Quantum enim (in-
quit) malè eſt per illicita non delinquere, & per ea, quæ
conceſſa ſunt offendere, vt lex ſeruetur in illicitis, & in
licitis non cuſtodiatur, dum inconſideratè eduntur. Et
profectò non de idolothytis tantùm loquitur Apo-
ſtolus, ſed etiam de quouis ciborum genere, quam-
uis carnes potiſſimùm nominet; quòd hactenus de
idolothytis loquutus ſit. Cùm igitur dicat: *ſi eſca*
ſcandalizat fratrem; dum ſubdit: *Non manducabo car-*
nem in æternum, in ſpecie genus ipſum intelligit;
quomodò apertiſſimè explicant Hieronymiani com-

A mentarij. Porrò quatenus vitandum ſit ſcandalum,
& quam vim habeat hæc ampliſſima Apoſtoli ſen-
tentia, fuſiùs à Theologis explicatur. Illud in præ- II.
ſentia non videtur prætereundum, quod de hoc to-
to Apoſtoli loco alicubi ſcribit Auguſtinus [a]. *De* a epiſt. ad Publi.
eſcis autem (ait) *idolorum nihil amplius nos debere ob-*
ſeruare, quam quod præcepit Apoſtolus, certus eſto. Et
multis deinde ita diſſerit, vt non niſi certis quibuſ-
dam conditionibus idolothytis veſcendum cenſeat.
Sic autem Epiſtolam concludit. *Reſtat ni fallor, vt di-*
camus aliquid de illo viatore Chriſtiano, quem comme-
moraſti, victum famis neceſſitate, ſi nihil vſpiam inue-
nerit, niſi cibum in idolio poſitum, vbi nullus eſt homi-
num; vtrùm ei ſatius ſit fame emori, quàm illud in ali-
mentum ſumere. In qua quæſtione quoniam non eſt con-
B *ſequens vt cibus ille idolothytum ſit; potuit enim vel ab*
eis, qui ibi ab itinere diuertentes corpus refecerant obli-
uione, ſeu voluntate dimitti, vel illic ob aliam cauſam
quamlibet poni. Breuiter reſpondeo, aut certum eſt eſſe
idolothytum, aut certum eſt non eſſe, aut ignoratur. Si
ergo certum eſt eſſe, melius Chriſtiana virtute reſpuitur:
ſi autem vel non eſſe ſcitur, vel ignoratur, ſine vllo con-
ſcientiæ ſcrupulo, in vſum neceſſitatis aſſumitur. Quæ
ſanè Auguſtini ſententia non ſatis videtur cohærere
cum Pauli definitione, niſi fortè loquatur Auguſti-
nus de iis, quos Apoſtolus infirmos appellat, quique
ea ſcientia carent, quam neceſſariam eſſe diximus, vt
idolothyta abſque piaculo edi queant. De illis enim
omnino rectè pronunciauit Auguſtinus, ſi certò no-
uerint quidpiam eſſe idolothytum, etiam famis ne-
C ceſſitate perurgente, Chriſtiana virtute iis abſtinen-
dum eſſe; nam alioqui qui probè intelligunt, idolum
nihil eſſe, neque naturas creatas etiamſi idolis im-
molentur, vllo pacto inquinari; non video cur ido-
lothytis liberè non veſcantur. Nam vt ibidem loqui-
tur Auguſtinus; *non ideo ſolis huius luce non vtimur,*
quia ei ſacrilegi, vbi poſſunt, ſacrificare non ceſſant. Sacri-
ficantur etiam venti, quibus tamen vtimur ad tantas
noſtras commoditates, cum eorumdem ſacrificiorum fu-
mum ipſi quodammodo haurire, & vorare videantur.
Alia id genus ſexcenta afferri poſſent, quæ cùm ido-
lorum cultum non leuiter attingant, nulla tamen ra-
tione pollui, aut inquinari cenſentur. Quamobrem
omnino rectè Apoſtolus in hac de idolothytis quæ-
ſtione, quidquid dubitationis ineſſe poterat ad pu-
D ſillorum ſcandalum, tamquam ad caput reuocauit;
vt quod obſeruauit Chryſoſtomus magnopere me-
tuendum ſit iis, qui leuiſſima quáque de cauſa pro-
ximorum ſalutem, vtilitatémque contemnunt. Cer-
tè Gregorius alicubi ſcripſit *in quantum ſine peccato*
poſſumus, vitare proximorum ſcandalum debemus. Fa-
teor tamen abuti pleroſque ſcandali nomine, & in-
terdum vulgi inanem quandam, ſiue ſuſpicionem,
ſiue admirationem ſcandalum appellare. Certè mul-
tò aliter intelligendus eſt Apoſtolus; multóque ali-
ter hoc loco loquitur Chryſoſtomus, qui de ſcan-
dalo vitando longa oratione diſſerit, déque iis plu-
rima ſcribit, quæ in fratres, præſertim tenuiores à
potentioribus potiſſimùm peccantur, de quibus alibi
nobis diſſerendum erit.

Argu

Argumentum Cap. IX.

QVONIAM in calce ſuperioris capitis ſuo exemplo ſcandalum vitandum eſſe docuerat, de ſe ſuáque auctoritate paulò magnificentiùs loquitur: & cum ácri, vehementique oratione oſtendiſſet, licere miniſtris Euangelij victum ab iis percipere quibus ipſi diuini verbi doctrinam traderent; ſe tamen ait huic iuri ſponté ceßiſſe, vt Corinthiorum ſaluti conſuleret, ſeque ipſorum ingenio ita penitùs accommodaret, vt nihil illi offenſionis contraherent. Hanc enim eſſe ſui muneris rationem, vt ſeſe omnibus attemperet, & quoad eius fieri poßit, & æquitatis ratio patiatur, ad aliorum mores fingat, atque componat, vt omnes pertrahere poßit ad ſalutem.

CAPVT IX.

NON ſum liber? Non ſum Apoſtolus? Nónne Chriſtum Dominum noſtrum vidi? Nónne opus meum vos eſtis in Domino?

Et ſi aliis non ſum Apoſtolus, ſed tamen vobis ſum; nam ſignaculum Apoſtolatus mei vos eſtis in Domino.

Mea defenſio apud eos, qui me interrogant, hac eſt.

Nunquid non habemus poteſtatem manducandi, & bibendi?

Nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas?

Aut ego ſolus, & Barnabas non habemus poteſtatem hoc operandi?

Quis militat ſuis ſtipendiis vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius nō edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?

Nunquid ſecundum hominem hac dico? An & lex hac non dicit?

Scriptum eſt enim in lege Moyſi: Non alligabis os boui trituranti. Nunquid de bobus cura eſt Deo?

An propter nos vtique hoc dicit? Nam propter nos ſcripta ſunt; quoniam debet in ſpe qui arat, arare; & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi.

Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus?

Si

PARAPHRASIS.

AGE verò quoniam de me ipſo dice- 1.
re inſtitui, méque vobis tamquàm ar-
chetypum ad imitandum propoſui;
vt ad alia tranſeamus, quæ ad ſcanda-
lum remouendum pertinent; an ego non ſum
Apoſtolus? An-non ſum liber? An-non Ieſum
Chriſtum oculis perſpexi? An-non opus meum
vos eſtis in Domino, mea videlicet opera in Chri-
ſto ædificati, & coagmentati? ¶ Quòd ſi apud 2.
alios Apoſtolus non haberer, apud vos certè ma-
ximè ſum Apoſtolus, quippe vos eſtis quodam-
modò inſtar ſigilli, quo meus Apoſtolatus obſi-
gnatur, & confirmatur, quaſi diuina auctoritate
ſubnixus. ¶ Porrò iis, qui de me veluti iudices de 3.
reo quopiam quæſtionem habent, quíque meæ
vitæ rationem diligentiùs explorant, & in meos
mores anquirunt, hoc fermè modo ſoleo reſpon-
dere. ¶ Nunquid non habemus poteſtatem ve- 4.
ſcendi, bibendique tamquam Dei verbi præco-
nes, & ſacrorum miniſtri publico Eccleſiæ ſum-
ptu? ¶ Num nobis non licet æquè, atque aliis Dei, 5.
euangelíique miniſtris fidelem quampiam fœmi-
nam circumducere, cuius ſumptibus alamur, ac
ſuſtentemur, quod faciunt cæteri Apoſtoli, & fra-
tres Domini, & Cephas? ¶ An ſolus ego, & Bar- 6.
nabas alia quapiam longè diuerſa ratione cogi-
mur Euangelium promulgare, neque fas eſt no-
bis abſque manuum labore, atque opificio victum
alieno ſumptu quærere? ¶ Quis (quæſo) propriis 7.
ſtipendiis militiam ſequatur? Quis verò vineam
plantet, & illius fructu nequaquam veſcatur? Aut
quis denique gregem paſcat, qui eius lacte por-
ſus abſtineat? ¶ An verò hæc humana tantùm 8.
conſuetudine nixus humano more diſputo? Nón-
ne hoc ipſum diuinæ legis auctoritate ſancitur?
¶ Certè Moſis lege præceptum eſſe accepimus, 9.
ne obligaueris os boui trituranti: nam cùm Deus
hanc legem conderet; ecquid exiſtimare debe-
mus illum ad boues, & muta animantia primariò
reſpexiſſe? ¶ An-non propter nos ipſius Apoſto- 10.
los, ac miniſtros, id litteris conſignari voluit? Sanè
quidem propter nos id totum ſcriptum eſt; nam
vt in ſumpta metaphora perſiſtam, qui arat, ſpe
certè percipiendi fructus terram aratro findit; &
qui triturat, is profectò non ſine magna vtilitatis
expectatione laborat. ¶ Si nos ergo diuini verbi 11.
ſatores ſpiritualium rerum amplam vobis ſemen-
tem fecimus, magnum quidpiam, aut inauditum

videri debet,ſi quę referuntur ad tuendam vitam,
quæque ſuſtentando corpori neceſſaria ſunt, no-
12. ſtro iure meſſuerimus? ¶ Si alij hoc ipſo iure apud
vos alieno ſumptu victitant, cur non potiùs id li-
ceat nobis? Atqui nos hoc quidem iure nequa-
quàm vſi ſumus,ſed extrema quæque potiùs ęquo
pertulimus animo, ne fortè noſtra cauſa Euange-
13. licæ prædicationis curſus retardaretur. ¶ An
ignoratis, eos, qui ſacris operantut,iis veſci con-
ſueuiſſe,quæ Deo in tẽplo immolantur: & qui al-
tari aſſidua cura,ac perpetuo ſtudio aſſideant,quia
victui aliundè comparando vacare non poſſunt
in victima partienda eius fieri participes, quæ in
14. altati offeruntur? ¶ Eadem ſanè ratione conſti-
tuit Dominus,vt qui Euangelium promulgant, ex
hoc ipſo Euangelij prædicandi munere vitæ ſibi
15. neceſſaria ſubſidia comparent. ¶ Ego verò nulla
ex his rationibus adductus ſum, vt hac vterer po-
teſtate, neque hæc idcirco ſcripſi,quòd eiuſmodi
mihi officia à quopiam exhiberi cupiam. Præſtat
enim vel fame potiùs emori, quàm vt mihi huius
meæ gloriæ ſegetem, & quaſi materiam eripi pa-
16. tiar. ¶ Neque enim hoc nomine gloriari queo,
quòd Euangelij præcepta trado, cùm potiùs eius
muneris functio à me ſummo quodam iure exi-
gatur,vt ſi vel ea tantiſper ſuperſedeam, vel illam
penitus deſeram, ſupplicium mihi meritò metuẽ-
17. dum videatur. ¶ Quòd ſi ſponte mea hanc mihi
prouinciam delegiſſem, merces mihi fortaſſe ali-
qua laborum meorum ſperanda eſſet; ſed ſi ad
eam non ſponte mea, ſed alieno imperio, atque
auctoritate adductus acceſſi, fatendum eſt profe-
ctò, hoc Apoſtolicum munus diuinitus mihi fuiſ-
18. ſe impoſitum. ¶ Quæ igitur erit diligentiæ, aut
laboris mei,vel merces, vel gloria? Nempe vt ita
Euangelicæ prædicationis munere defungar, vt
nullo ſumptu ſter iis, qui mihi aures dederint, &
ipſe interea Euangelici miniſtri auctoritate,ac po-
19. teſtate abuti nullo modo videar. ¶ Nam cùm
maximè liber eſſem ab omnibus; ita me tamen
geſſi,eámque vitæ rationem inſtitui, vt me omni-
bus quodammodò ſeruum exhiberem, vt plures
20. ad Chriſti fidem,ac religionem traducerem. ¶ Et
Iudæis quidem me quaſi Iudæum præſtiti, vt Iu-
dæos parere Chriſto poſſim. Iis verò,qui legis cæ-
remonias adhuc retinent, perinde quaſi ea lege
tenerer, vt eos qui ſub illa lege adhuc erant Chri-
21. ſto aggregarem. ¶ Iis denique, qui lege quodam-
modò ſoluti erant, factus ſum velut exlex, cùm
tamen reuera non ſine Dei lege eſſem, ſed potiùs
Chriſti legi ſubiectus viuerem, vt eos lucriface-
22. rem, qui exleges eſſe videbantur. ¶ Factus ſum
ægris, atque infirmis ipſe quoque quaſi æger, in-
firmúſque; vt eos, qui ægritudine,atque imbecil-
litate laborabant, ad veram fidem, ac ſalutarem
diſciplinam perducerem. Denique omnium quo-
dammodò mores indui, atque omnibus me ac-
commodaui,& in omnes veluti formas mutaui,vt
23. omnino aliquos ſaluos facerem. ¶ Hæc autem
omnia propagandi Euangelij cauſa facio,vt ex eo
fructum,

Si alij poteſtatis veſtræ participes ſunt; quare non potius nos? Sed non vſi ſumus hac poteſtate,ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti.

Neſcitis, quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt? & qui altari deſeruiunt cum altari participant?

Ita & Dominus ordinauit iis, qui Euangelium annunciant,de Euangelio viuere.

Ego autem nullo horum vſus ſum. Non autem ſcripſi hæc, vt ita fiant in me: bonum eſt enim mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet.

Nam ſi euangelizauero, non eſt mihi gloria: neceſſitas enim mihi incumbit: væ enim mihi eſt,ſi non euangelizauero.

Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: ſi autem inuitus,diſpenſatio mihi credita eſt.

Quæ eſt ergo merces mea? vt Euangelium prædicãs, ſine ſumptu ponam Euangelium, vt non abutar poteſtate mea in Euangelio.

Nam cùm liber eſſem ex omnibus, omnium me ſeruum feci,vt plures lucriſacerem.

Et factus ſum Iudæis tamquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer.

Iis,qui ſub lege ſunt,quaſi ſub lege eſſem(cùm ipſe non eſſem ſub lege)vt eos, qui ſub lege erant,lucrifacerem:iis, qui ſine lege erant tamquam ſine lege eſſem (cùm ſine lege Dei non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti) vt lucrifacerem eos,qui ſine lege erant.

Factus ſum infirmis infirmus,vt infirmos lucrifacerem.Omnibus omnia factus ſum,vt omnes facerem ſaluos.

Omnia autem facio propter Euangelium, vt particeps eius efficiar.

Neſcitis

fructum, atque vtilitatem aliquam percipiam.
24. ¶ An ignoratis ex plurimis, qui in ſtadio ad me-
tas,præmiúmque contendunt, vt omnes quidem
currant,ac neruos omnes intendant,vt victoriam,
palmámque aſſequantur, vnum tamen duntaxat
præmium,& coronam aſſequi? Sic ergo vos exiſti-
mate in huius vitæ ſtadio ad futuræ beatitudinis
palmam celeri curſu feſtinare. Satagite igitur, vt
25. celeritate veſtra palmam comprehendatis. ¶ Por-
ro quiſquis agonale certamen aggreditur, miram
rerum omnium continentiam ſectatur. Id verò
athletæ faciunt,vt humanæ laudis præconium, &
perituram coronam percipiant; nos verò pro im-
26. mortali,ac ſempiterna certamus. ¶ Ego igitur (vt
de me dicam) ſic curro, vt non in incertum cur-
ſum inſtituiſſe videar. Sic pugilem ago, vt non
planè inanibus ictibus aërem,aut vmbras cædam.
27. ¶ Sed contundo corpus meum,ac reluctantes cu-
piditates quantum in me eſt, frango, & menti,ac
rationi penitus ſubigo ne quo modò cùm alios
Chriſtianæ vitæ præceptis inſtituerim, ipſe inter
reprobos connumerer.

*Neſcitis quòd ij,qui in ſtadio currunt, omnes
quidem currunt;ſed vnus accipit brauium?
ſic currite vt comprehendatis.*

*Omnis autem,qui in agone contendit, ab om-
nibus ſe abſtinet; & illi quidem vt corru-
ptibilem coronam accipiant, nos autem in-
corruptam.*

*Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic
pugno non quaſi aërem verberans.*

*Sed caſtigo corpus meum,& in ſeruitutem re-
digo:ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipſe
reprobus efficiar.*

IN CAPVT NONVM.

EXPLANATIO.

1. NON SVM LIBER? NON SVM, &c. A
1. Quoniam Apoſtolus ſuum exemplum
propoſuerat, vt oſtenderet quantopere
adnitendum ſit, ne vlla noſtra actione
proximi offendantur, id pluribus deinceps confir-
mat. Quoniam enim(vt ait Chryſoſtomus)dixerat,
ſe in omnem æternitatem carnem repudiaturum, ſi
eſca quempiam in fraudem induceret; ne quis eum
temerè, atque inaniter verba iactare ſuſpicaretur,
quid re ipſa ad ſcandalum vitandum effecerit,pluri-
bus oſtendit. Cùm enim iure ſuo poſſet ab iis, qui-
bus Euangelium promulgabat, vitæ ſubſidia exige-
re, vt quorundam imbecillitati parceret, manuum
opificio vitam ſe vtcumque toleraſſe commemorat.
Vtitur ſtatim initio capitis acri, ac vehementi inter-
rogatione, quæ cùm obtrectatorum impudentiam B
refellit,tum quod negare videtur, magna cum aſſe-
ueratione affirmat. Itaque rectè Ambroſius. *Cùm
negare* (inquit) *videtur,confirmat: iratus enim loquitur.*
Videtur autem noſter interpres in duabus primis
ſententiis ordinem commutaſſe. Græcè enim primo
loco loquitur. *Non ſum Apoſtolus?* Deinde, *Non ſum
liber*: Quo modo etiam legit Ambroſius. Sed quod
attinet ad ſententiam nihil eſt immutatum. Vtraque
autem interrogatio magnam vim habet ad id, quod
Apoſtolo propoſitum erat, confirmandum. Monui
(inquit) vos, vt ad remouendum puſillorum ſcan-
dalum ab idolothytis abſtineatis: addidi verò ſi opus
ſit,me facilè omne prorſus carnium edulium in om-
ni vita reiecturum, ne quiſpiam frater vel leuiter
offendat. Id ſi mirum cuipiam videatur ſpectate
quæſo vos meæ vitæ rationem; cùm enim ſim Apo-
ſtolus, atque apoſtolica libertate præditus,nulláque
penitus re inferior iis, qui vnà cum Chriſto vixe-
runt, eiúſque diſſerentis ſenſa, ac verba hauſerunt;
noluit tamen conceſſa vti libertate. Ita videtur inter-
pretari Chryſoſtomus. *Non ſum* (inquit) *mei iuris?
Súm-ne in poteſtate alicuius, qui me cogat,& vetet ac-
cipere?* neque aliter accipit Theodoretus. At Ambro-
ſius: *Liberum* (inquit) *ſe oſtendit, quia nullius aliquid
concupiuit, neque in adulatione docuit.* Sunt autem,
qui liberum intelligant ab alienis ſumptibus, quaſi
dicat: tametſi ſum Apoſtolus cæteris nihilo inferior,
hanc tamen vincendi libertatem mihi delegi, vt quá-
quàm intelligerem,fas eſſe Apoſtolis vitæ commea-
tum exigere; nullius tamen ſumptibus, ſed manuum
opificio vitæ mihi ſubſidia comparauerim. Sed(vt
verum fatear) Chryſoſtomi ſententia mihi ad Pauli
mentem propiùs videtur accedere: frigidè enim, &
(vt leuiſſimè dicam) parùm ad rem ſubderet Apo-
ſtolus. *Nónne Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum vidi?* 11.
Meliùs igitur, atque omnino aptiùs hæc omnia vno
veluti ſpiritu, vnáque contentione ad eamdem rem
amplificandam, pronuntianda videntur. Poteſt-ne
quiſquam inficiari, me eſſe Apoſtolum? Hoc non
idcirco dicit, quaſi quiſpiam præſertim apud Co-
rinthios id auſus eſſet negare; ſed vt à re certa,atque
explorata argumentum ſumat. Si enim inquit ſum
Apoſtolus, integrum profectò mihi eſt apoſtolicu
more viuere; atque idcirco liberè poſſum more cæ-
terorum Apoſtolorum victum ab auditoribus meis
quærere. Hoc duæ priores interrogationes ſignificāt.
Mox haud temerè additur tertia. *Nónne Chriſtum
Dominum noſtrum vidi?* Fortaſſe enim cuipiam po-
terat videri Paulus cæteris Apoſtolis inferior,
C quandoquidem ipſe omnium poſt Chriſti in cælum
aſcenſum fidem complexus erat; atqui ait hoc mei
Apoſtolatus dignitati nihil officit: nam & Chriſtum
Dominum præſentem intuitus ſum, eumdémque
de cœlo docentem audiui. Vidit enim Paulus [a] Chri- a Act 9. 4.

VV 3 ſtum

ſtum Dominum, cùm de cælo vocatus eſt. *Saule, Saule,* (inquit) *quid me perſequeris? Qui dixit: Quis es Domine? Et ille. Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris; durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Et tremens, & ſtupens dixit; Domine quid me vis facere? Et Dominus ad eum. Surge, & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Vidit item in templo, vt ipſemet in Actis apoſtolicis teſtatur [a], *Factum eſt autem* (ait) *reuertenti mihi in Ieruſalem, & oranti in templo fieri me in ſtupore mentis, & videre illum dicentem mihi: feſtina, & exi velociter ex Ieruſalem, quoniam non recipient teſtimonium tuum de me.* Et poſt nonnulla. *Vade quoniam in nationes longè mittam te.* Vt interim omittam quod ipſe alibi [b] dicit, non ſe Apoſtolum ab hominibus, neque per hominem fuiſſe renuntiatum, ſed ab ipſo Deo, & Chriſto Domino deſignatum. Poſtremò addit. *Nónne opus meum vos eſtis in Domino?* Hoc enim maximè (vt indicat Chryſoſtomus) ad apoſtolicam dignitatem confirmandam valet. Eſto ſanè, fueris Apoſtolus, & apoſtolica libertate præditus, videris etiam, & loquentem audieris Chriſtum Dominum. Quid tum? Nónne hæc omnia verè potuit ſibi Iudas etiam vendicare? At quoniam nullum eius extat opus apoſtolicum, cætera nihil illi profuerunt. Aptè igitur ſubdit Apoſtolus, ſe opus Apoſtolicum, & quidem præclarum edidiſſe; cuius quidem ipſos Corinthios teſtes appellat.

a cap. 22.18.
b ad Gal. 1.1.

III. Obſeruat autem Chryſoſtomus æquè prudenter, ac piè addidiſſe, *In Domino*; ne ſibi quidpiam arrogãtiùs tribuat, ſed diuina ope, auxilióque factum eſſe oſtendat quidquid ipſe ſuo labore, atque induſtria perfeciſſet. Monet porro Ambroſius, appellari Corinthios opus Pauli, quia ipſe illos plantauit in Domino ſeſquiannum euangelizans eis verbum Dei. At videri poſſit Apoſtolus de ſe longè magnificentiùs loqui, quàm modeſtiam apoſtolicam deceat, nulla præſertim (vt apparet) vrgente neceſſitate. Sed oportebat gentium Apoſtolum, qui variis nominibus à nonnullis traducebatur ſuam dignitatem, præſertim apud eos, apud quos in inuidiam vocabatur, quacumque ratione poſſet tueri, atque defendere. Multa ſanè, ac magna ſubinde de ſe ipſo prædicat Apoſtolus, ſed ita tamen, vt nihil ſibi præter modum arrogat, ſed omnem rectè factorum laudem, & gloriam Deo immortali, ciúſque diuinæ gratiæ tribuat: quod planiùs ſequenti Epiſtola conſtabit. Quæ verò in præſentia commemorauit, eò pertinent, vt oſtendat quantopere proximorum ſcandala vitarit, qui cùm tantus Apoſtolus eſſet, ſuóque iure poſſet ab auditoribus commeatum petere, maluerit tamen proprio ſibi labore, atque induſtria victum comparare; vt minimè mirum ſit, ſi exigat à Corinthiis, vt nonnihil de idolothytorum libertate remittant, aut imbecilliorum fratrum ſaluti conſulant. Eſt autem ſi Græcos codices ſequamur, elegans quædam gradatio. Siquidem ſe primùm Apoſtolum nominat; hoc eſt, præcipuum diuini verbi præconem, Eccleſiæ magiſtrum, gentium doctorem, deinde liberum; hoc eſt apoſtolica auctoritate præditum, qua ſuo iure queat muneris, & induſtriæ ſuæ quaſi militare ſtipendium exigere; tum tacitè occurrens obtrectatorum calumniis, ne cæteris Apoſtolis videretur inferior; ſe Dominum vidiſſe commemorat; denique opus apoſtolicum indicat, quo (vt mox dicet) cætera omnia quodammodò obſignantur.

2. ET SI ALIIS NON SVM APOSTOLVS, &c.

I. Quoniam ipſos teſtes citauerat, blandè illos, amicéque alloquitur, vt dum eorum beneuolẽtiam init, faciliùs perſuadeat. Ait autem apud illos extare certiſſima apoſtolatus ſui documenta, vt quidquid tandem alij de ſe ſentiant, nequeant tamen ipſi de ſuo apoſtolatu dubitare. Monet antè in præſentia Chryſoſtomus, hinc Pauli modeſtiam apparere; cùm enim poſſet, ſe omnium gentium, ac nationum Apoſtolum nominare; nihil eorum attigit, ſed ea tantùm indicat, quæ rerum euidentia Corinthij fateri cogebantur. Vos (inquit) experimento didiciſtis me, quidquid ſim apud alios, veſtrum eſſe Apoſtolum, qui omnium primus Chriſti fidem, atque doctrinam vobis tradidi. Porro Ambroſius indicat, Apoſtolum tacitè voluiſſe Iudæos perſtringere, qui negabant Paulum pro apoſtolo habendum eſſe, vt ex Epiſtola ad Galatas planiùs intelligitur. Theodoretus autem his non multis verbis, multa comprehendit. Significat enim quos in doctrina labores ſuſceperit, & quæ certamina, & pericula adierit, & quæ quantáque perpeſſus ſit, & gratiæ miracula, quorum fuerunt veri teſtes, Corinthij, vt qui ipſi ea vidiſſent: qua de cauſa dixit. *Si aliis non ſum Apoſtolus, at vobis quidem certè ſum.* Et ſi enim nullum habeo teſtem, mihi tamen veſtrum ſufficit teſtimonium. Subdit. *Nam ſignaculum Apoſtolatus mei vos eſtis in Domino.* Græcè σφραγὶς, id eſt ſigillum, quo veluti Apoſtolatus mei diploma obſignatur; vnde palàm fiat omnibus, me inter Apoſtolos meritò recenſeri, vt certa fides fiat meæ apoſtolicæ auctoritatis. Quæ enim certa, & indubitata intelligi volumus, ea dicimus obſignatis litteris teſtata. Itaque Theodoretus: *Signaculum* (inquit) *appellat probationem, & confirmationem. Ita enim dixit diuinus Ioannes* [a]. *Qui accepit eius teſtimonium ſignauit, quia Deus verax eſt.* Qui enim recipit Chriſti teſtimonium, eo ipſo teſtatur, & quaſi adhibito ſigillo profitetur, Deum eſſe veracem: nemo enim credit, niſi quod putat eſſe verum. Eadem ratione Corinthij quia Pauli doctrinam complexi erant, ſua veluti fide, tanquàm ſigillo confirmauerant, eum verè Apoſtolum eſſe. Itaque in poſteriori Epiſtola ad eoſdem Corinthios [b] ſcribens. *Tametſi nihil ſum, ſigna tamen Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis, & prodigiis, & virtutibus. Quid eſt enim, quod minùs habuiſtis præ cæteris Eccleſiis?* Me igitur vobis Apoſtolum probaui; nam & ſigna oſtẽdi, & verbo docui, & pericula ſubij, vitámque apud vos traduxi, nulli reprehenſioni affinem: vos verò, qui mihi euangelium promulganti fidem habuiſtis, Chriſtóque Domino nomina dediſtis, meum apoſtolatum quaſi obſignaſtis, hoc eſt ratum, ac firmum eſſe iuſſiſtis. Ita Hieronymus. *Iudicium Apoſtolatus mei eſt quòd per me Domino credidiſtis, ſignis, & virtutibus prouocati.* Chryſoſtomus ſignaculum interpretatur ἀπόδειξιν, id eſt *demonſtrationem. Si quis* (inquit) *velit ſcire vnde ſim Apoſtolus, vos profero.* Hac autem ratione mirificè Corinthiorum animos ſibi conciliat, quod multò magis intelligitur ex iis, quæ mox ſubdit. II.

a cap. 3.
b cap. 12.

MEA DEFENSIO APVD EOS, QVI ME, &c. 3.

Bifariam hæc verba accipi poſſunt. Nam & ad ſuperiora, & ad ea, quæ conſequuntur referri poſſunt. I.
Ad ſuperiora quidem, quaſi dicat Apoſtolus; iis, qui de meo apoſtolatu dubitant, quique in illum inquirunt, hoc tantùm habeo reſpõdere, vos eſſe muneris mei locupletiſſimos teſtes. Ad poſteriora verò, quaſi obtrectatoribus ſuis id vnum reſpondeat, quod ſequitur. *Nunquid non habemus poteſtatem manducandi, & bibẽdi?* Vtramque explicationem indicat Chryſoſtomus. Sic enim ſcribit. *Quid eſt defenſio iis, qui me interrogant? hæc eſt: Iis, qui quærunt ſcire vnde eſt, quòd ſum Apoſtolus: aut iis, qui me criminantur vt qui accipiam pecunias: aut qui ſciſcitantur cauſam, propter quam non accipiam: aut iis, qui volunt oſtendere, me non eſſe Apoſtolum; veſtra inſtitutio, & catecheſis, & ea, quæ ſum dicturus, ſunt demonſtratio, & defenſio.* Hieronymi commen

Digitized by Google

commentarij, & Theodoretus priorem duntaxat A explicationem probant. Ambroſius poſteriorem, quam & nos in paraphraſi ſequuti ſumus. Cùm enim ſtatuiſſet Paulus, ſe eſſe Apoſtolum Corinthiorum, præſertim veluti ſuffragio confirmatum, indicat quànam ratione ſuis obtrectatoribus reſpondeat, qui ſe (vt Chryſoſtomus adnotauit) plurimis nominibus criminabantur. Cùm enim auctoritate Apoſtolica, more cæterorum Apoſtolorum victitare poſſet, ad vitandum tameo ſcandalum longè aliam viuendi rationem inierat, & vt appareat, nulla id neceſſitate coactum feciſſe ſe, pluribus nititur oſtendere ſibi, ac Barnabæ, qui eandem vitæ rationem ſequerentur, eadem omnino licere, quæ cæteri Apoſtoli vſurpatent. Ait igitur. *Mea defenſio apud eos, qui me interrogant hæc eſt. Numquid non ha-* B *bemus poteſtatem.* Quod autem interpres ait. *Me interrogant*, græcè eſt, ἀνακρίνουσι. Eſt autem forenſe verbum, quo etiá vtitur Lucas in Actis [a] Apoſtolicis: vbi enim interpres dicit. *Si nos hodie diiudicamur*, græcè ſcriptum eſt, ἀνακρινόμεθα. Tacitè autem Apoſtolus perſtringit eos, qui quaſi iudices ſederent, in dubium vocabant Apoſtoli auctoritatem. Occaſione autem eſcæ, de qua ſuperiori capite dixerat: *Eſca autem nos non commendat Deo*, hanc ſuam defenſionem fuſiùs explicat, oſtenditque eadem ſe cum cæteris Apoſtolis auctoritate præditum eſſe, ſed multum tamen de ſuo iure remiſiſſe ne Euangelio inuidiam conflaret, aut cuiquam offendendi præberet occaſiooem.

[a] cap.4.

4. I. Nvnqvid non habemvs, &c. Videtur C Apoſtolus ad id ſpectaſſe, quod legitur apud Lucam [b]. *In eadem autem domo manete edentes, & bibentes quæ apud illos ſunt*, quod aliis verbis expreſſiſſe videtur Matthæus [c]. *Dignus eſt* (inquit) *operarius mercede ſua*. Vt enim ait Auguſtinus [d], permiſit Dominus non iuſſit Apoſtolis accipere neceſſaria, ab iis, quibus prædicabant: ea tamen conceſſione vtebantur alij Apoſtoli, Paulus, & Barnabas noo item. & certè res diuinas adminiſtrantibus ſtipendia iure naturæ debeotur, quod fuſè hoc toto capite, multis exemplis confirmat Apoſtolus. Accedit ius gentium, & omnium nationum conſenſus; nam apud D Aegyptios, vt legimus in libro [e] Geneſis, ſacerdotes publico ſumptu alebantur. *Quibus* (inquit) *ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur.* Apud Romanos certa fuiſſe ſtipendia ſacrorum miniſtris, auctores ſunt Liuius [f], & Tacitus [g]: primitias eis attributas ſcribunt Dionyſius [h] Halicarnaſſeus, & Plinius [i]: Quod etiam de Athenienſibus affirmant Ouidius [k], & Sozomenus [l]: ſæpè decimas illis fuiſſe perſolutas indicat Marcus [m] Tullius, apertiſſimè tradit Plinius [n]. Mitto quæ Diodorus [o] Siculus, Plutarchus [p], Herodotus [q], Xenophon [r], aliíque non pauci, ea de re ſcripſerunt. Id meritò in Eccleſia Catholica tam inde à primis temporibus receptum eſt, vt publico ſumptu ſacrorum miniſtri alerentur. Aptè autem vſus eſt Apoſtolus manducandi, & bibendi verbis, vt neceſſaria ſubſidia, & vitæ alimenta debere euangelicis miniſtris ſignificet, non E autem quæ ad pompam, & luxum, & ſuperuacaneas, & noxias delicias referuntur, vt alibi copioſiùs oſtendo. Quam autem vim habeat hæc Apoſtoli defenſio, explicat Chryſoſtomus his verbis. *Et quomodo ſunt hæc defenſio? Quoniam quando apparuerit me etiam à conceſſo abſtinere; non erit æquum, vt veniam in ſuſpicionem tanquàm impoſtor, aut qui aliquid faciam propter pecunias.* Paulò autem poſt, *Nunquid* (ait) *non habemus poteſtatem manducandi, & bibendi? Quid ergo? Non comedebat, & bibebat? In fame enim* (inquit) *& ſiti, & nuditate verſabar; hic autem hoc non dicit. Sed quid? Non comedimus, nec bibimus accipientes à diſcipulis, etiã ſi habeamus poteſtatẽ accipiendi.* Et in eandem ſententiam Theodoretus. *Vult autem* (ait) *oſtẽdere, quòd cùm poſſet ex lege Domini à diſcipulis neceſſariũ alimentum accipere, perpetuò laborabat, & ex laboribus ſibi neceſſariũ alimentum comparabat, propter vtilitatem diſcipulorum.*

[b] Luc.10.7. [c] cap.10.7. [d] tract. 122. Ioan. [e] cap.47.22. [f]–[r] [illegible]

5. I. Nvnqvid non habemvs poteſtatem, &c. Ambroſius numero multitudinis legit mulieres, eodémque modo aduerſus Iouinianum citat Hieronymus [a]: cæteri tamen omnes ſingulari numero legunt ἀδελφὴν γυναῖκα. Hæretici, & ſcioli neſcio qui vxorem interpretantur, quæ tamen ſit loco ſororis. Eodem modo Græcam vocem accepiſſe videtur Cleioens [b] Alexandrinus, qui omnes Apoſtolos vxores habuiſſe ſcribit. *Et Paulus quidem* (inquit) *non veretur in quadam epiſtola ſuam appellare coniugem, quam non circumferebat, quòd nõ magno ei eſſet opus in miniſterio. Dicit itaque in quadam epiſtola. Non habemus poteſtatem ſororem mulierem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli; ſed hi quidem, vt erat conſentaneum miniſterio, quod diuelli non poterat, prædicationi ſcilicet attendentes; non vt vxores, ſed vt ſorores circumducebant mulieres, quæ vnà miniſtratura eſſent apud mulieres, quæ domos cuſtodiebant, per quas etiam in gynecæum abſque vlla reprehenſione, malâue ſuſpicione ingredi poſſet doctrina Domini.* Clementem ſequuti ſunt Euſebius [c], & Nicephorus [d], nec magnopere de Græca voce oportet eſſe ſolicitos; vt enim fateamur γυναῖκα interdum etiam ſignificare vxorem, non tamen id eſt perpetuò verum, vt egregiè obſeruauit Tertullianus [e], ſic enim alicubi ſcribit. *Nec enim ſi penes Græcos communi vocabulo cenſentur mulieres, & vxores, pro conſuetudinis facilitate (cæterùm eſt proprium vocabulum vxorum) ideo Paulum ſic interpretabimur, quaſi demonſtret vxorem apoſtolos habuiſſe: ſi enim de matrimoniis diſputaret, quod in ſequentibus facit, vbi magis Apoſtolus aliquod exemplum nominare potuiſſet, rectè videretur dicere, non enim habemus poteſtatem vxores circumducendi ſicut cæteri Apoſtoli & Cephas? At vbi ea ſubiungit, quæ de victuaria exhibitione, abſtinentiam eius oſtendunt, dicentis; Non enim poteſtatem habemus manducandi, & bibendi? non vxores demonſtrat ab Apoſtolis circumductas, quas & qui non habent, poteſtatem tamen manducandi, & bibendi habent; ſed ſimpliciter mulieres, quæ illis eodem inſtituto quo & Dominum comitantes miniſtrabant.* Et alibi [f] ſimpliciter mulieres interpretatur. *Aut non habemus ait, poteſtatem manducandi, & bibendi, & mulieres circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas?* Quocirca quod alicubi [g] apud eundem Tertullianum legitur. *Licebat & Apoſtolis nubere, & vxores circumducere*, non ex ipſius perſona, ſed eorum, qui ſecundas nuptias ex hoc loco probare nitebantur, dictum eſſe viri docti ante nos obſeruarunt. Illud quidem ex Tertulliano intelligimus, numero multitudinis illum legiſſe *Mulieres*: Chryſoſtomus, & Theodoretus numero ſingulari legunt: interpretãtur autem de piis, ac locupletibus fœminis, quæ Apoſtolos ſequebantur, & illis neceſſaria ſuppeditabant. *Mulieres enim* (inquit Ambroſius) *deſiderio doctrinæ Dominicæ, & cupidæ virtutum ſequebantur Apoſtolos miniſtrantes eis, & ſumptus & ſeruitia, ſicut & ſaluatorem ſunt ſequutæ miniſtrantes ei de facultatibus ſuis.* Sic etiam ſcribit Theodoretus. *Quemadmodum* (inquit) *Dominum ſequebantur fideles mulieres neceſſarium alimentum diſcipulis ſuppeditantes; ita etiam aliquos ex Apoſtolis ſequebantur aliquæ ardentiorem fidem oſtendentes, & ab eorum doctrina pendentes, & diuinam prædicationem adiuuantes.* Neque aliter loquitur Theophylactus, & Oecumenius: ſic etiam Hieronymus [h]: ſic denique Auguſtinus [i]. In his autem

[a] lib.1.in Ioui. [b] [illegible] ſtrom. [c] lib.3.hiſt.c.25. [d] lib.2.c.4.4. [e] de Mon.c.8. [f] l. de pu.c.14. [g] adhor. ad Caſt.c.8. [h] lib. cont. Iou. & in Mat. cap. 27. [i] de oper. Monac.c.4.

autem (ne quid dicam acerbius) eorum videtur argutia, qui negant, mulierem circumductam ſuo ſumptu aluiſſe Apoſtolos, ſed corrogata ab alijs mulieribus ſtipe, quàm faciliùs fœmina à fœminis impetraret, perinde quaſi ſolæ fœminæ ſtipem Apoſtolis largirentur, vel non æquè facilè eam viri emendicare poſſent. Sed vtut ſit, mulieres, quæ Apoſtolos comitabantur, illis neceſſaria ſuppeditabant. Sed negant impuriſſimi mortalium, has mulieres potuiſſe dici propriè circumduci, quòd circumducẽdi verbũ ſignificet ius quoddam, vel mariti in vxorem, vel heræ in ancillam: deinde his mulieribus aiunt quæ Apoſtolis ſumptus facerent, Eccleſias non ſolùm non fuiſſe grauatas, ſed magnopere potiùs ſubleuatas, ita videri Paulum aliena loqui, ſi hanc ſe viuendi rationem ſecutum eſſe dicat, vt oſtendat, ſe de iure ſuo deceſſiſſe, quò Eccleſiis parceret: atque ita γυναῖκα propriè vxorem interpretantur, vt doceant ſi non Paulum, Petrum certè alióſque Apoſtolos habuiſſe vxores. Verùm quod attinet ad vim verbi circumducendi, quamquam non video cur περιάγειν ius, & auctoritatem ſuperioris ſignificet; eo tamen admiſſo nego ius illud viri eſſe in vxorem, aut heræ in ancillam, ſed magiſtri in diſcipulas. Ea enim erat illarum mulierum pietas, vt ſeſe Apoſtolis in diſciplinam traderent, eorúmque ſe nutu, atque imperio regendas, & gubernandas permitterent. Vt enim alicubi [a] ſcribit Hieronymus. *Conſuetudinis Iudaicæ fuit, nec ducebatur in culpam more gentis antiquo, vt mulieres de ſubſtantia ſua victum, atque veſtitum præceptoribus miniſtrarent: hoc quia ſcandalum facere poterat in nationibus, Paulus abieciſſe ſe memorat.* Iudaicam igitur cõſuetudinem alij Apoſtoli retinuerunt, & præceptoris auctoritate, mulieres ſorores, id eſt, fideles fœminas circumducebant. Quod verò ſpectat ad Pauli rationem, non ille tantùm de Eccleſiis, ſed potiſſimùm de priuatis ſubleuandis cogitabat: neque enim dubitandum eſt illis ipſis fœminis, quacumque tandem ratione victum Apoſtolis ſuppeditarent; moleſtum id, ac laborioſum fuiſſe, ſiue eædem ſemper comitarentur Apoſtolos, ſiue ſubinde aliæ alijs ſuccederent: & poterant earum propinqui, & cõſanguinei id ægrè, moleſtéque ferre, vt ferè videmus accidere, ſi piæ fœminæ bona ſua alẽdis pauperibus, aut religioſorũ familiis ſubleuandis, aut pio denique alicui vſui liberaliter attribuant. Ait igitur Paulus, ſe nõ aliter, ac cæteros Apoſtolos iure potuiſſe fidelium liberalitate victũ quærere. Ex quo apparet, manem prorſus hæreticorũ eſſe conatũ, qui ex hoc loco etiam ſacris ordinibus initiatis vxores ducendas eſſe cõtendunt, vt copioſiùs alio loco oſtẽdo.

a in Matth. cap. 27.

III. Sed quos *fratres Domini* appellet, iure quiſpiã quærat. Nam & in Euangelio fratres Chriſti appellantur, vt non puduerit impurum Eluidium filios Ioſeph ex beatiſſima Chriſti matre poſt Chriſtum natum ſuſceptos, interpretari. Verùm quoniam hæc impietas luculenter eſt ab Hieronymo confutata; nõ eſt cur de ea pluribus agam. Alij igitur Ioſephi quidem filios fuiſſe dicunt, ſed ex alia vxore, quam antea habuiſſet, quàm Dei matrem duceret. Quam ſententiam ſi auctorum ſiue dignitas, ſiue multitudo ſpectanda eſſet, omnes fermè Græci Patres; & inter Latinos Hilarius, & Ambroſius probabilem facerent, adeo vt minimè mirandum ſit, etiam recentiſſimis quibuſdam ſcriptoribus fucum feciſſe. Vera tamen ſententia eſt, quam Hieronymus aduerſus Eluidium firmiſſimis argumentis probauit, fratres Chriſti conſobrinos, & cognatos eius appellari, quales erant (vt teſtatur Matthæus [b]) Iacobus minor, Ioſeph, Simon, & Iudas. Hanc enim eſſe ſcripturæ conſuetudinem, vt cognati, & qui aliqua

b cap 13. 55.

A propinquitate ſanguinis coniuncti, connexique eſſent, fratres appellentur, ſexcentis teſtimoniis probari poteſt. Siquidem Loth, quem Aram fratris Abrahæ filium fuiſſe conſtat, Abrahæ tamen frater vocatur [a]; & Laban cùm frater eſſet Rebeccæ Iacobi matris [b], frater tamen Iacobi nuncupatur [c]. Hoc ergo ſenſu Apoſtolus Domini fratres appellat: & omnino veriſimile videtur eum de Iacobo, Simone, ac Iuda loqui. Sed quoniam Cephas, id eſt, Petrus vltimo loco nominatur, colligunt Catholicæ Eccleſiæ hoſtes, nõ fuiſſe Petrum Apoſtolorum principem, neque illi totius Eccleſiæ Catholicæ adminiſtrationem fuiſſe permiſſam, quaſi verò non potuerit amplificationis gratia vltimo loco poni, vt ſenſus ſit. An non mihi licet quod cæteri vſurpant Apoſtoli, ipſéque adeo B omnium princeps Petrus? Aut ſi ex ordine, quo recenſentur Apoſtoli petendum ſit argumentum, cùm alibi frequenter omnium primus nominetur Petrus; multò probabiliùs argumentantur illi, qui cæteris omnibus eum anteponendum probant. Sed quoniam ea de re alibi diſputo, in præſentia libens ſuperſedeo. Certè Ambroſius hoc (ait) ad Petri dignitatem pertinere. *Ideo* (inquit) *addidit & Cephas, quia cùm primus eſſet inter Apoſtolos, non refutabat ſumptus oblatos, Cephas ipſe eſt Simon Petrus.* Apertiſſimè verò rem explicat Chryſoſtomus. *Vide* (inquit) *ſapientiam, eum, qui eſt corypheus & primus, poſteriùs poſuit; nam quod eſt ex capitibus validius tunc ponit: neque enim erat adeo mirandum oſtendere alios hoc facere, ſicut eum, qui ſtat in primo loco, & cui ſunt credita* C *claues regni cœlorum.* Neque verò hæc à Paulo commemorantur, vt cæteros Apoſtolos reprehendat, aut damnet; ſed inſtituti, conſiliíque ſui rationem explicat illi ſiquidem, quia apud Iudæos Euangelium promulgabant, ea conſuetudo circumducendi mulieres olim recepta, neque admirationem nouitate ſua, neque vllam poterat parere offenſionem: at verò gentilibus videri poterat non ſolùm noua, ſed etiam ſuſpecta, & non parum moleſta, vt commentarij Hieronymi nomine obſeruarunt.

a Gen. 14.
b Gen. 28.
c 29.

AVT EGO SOLVS, ET BARNABAS, &c. In 6.
eodem perſiſtit argumento, & conſilij ſui ſocium, ac I.
participem nominat Barnabam, qui vt ſcribit Lucas [d], vnà ſecum in collegium Apoſtolicum fuerat cooptatus, & ad gentes Euangelio imbuendas deſti- D natus. Obſeruat autem Chryſoſtomus Pauli modeſtiam, & animum ab inuidia liberum, qui laudis ſocium non cælauerit. *Non habemus poteſtatem hoc operandi.* At Græci codices habent τοῦ μὴ ἐργάζεσθαι, hoc eſt, non operandi. quaſi dicat: An ſolus ego, & Barnabas (vt ait Chryſoſtomus) hac poteſtate priuamur viuendi in otio, ceſſandique à labore, & opificio manuum, alimenta denique accipiendi ab iis, qui erudiuntur? Videtur enim ἐργάζεσθαι referri ad manuarias artes, quarum vſu ſe vitam toleraſſe, alicubi [e] narrat Apoſtolus. At licebat cæteris Apoſtolis alieno ſumptu abſque huiuſmodi opificiis vitam traducere; id ergo inquit, vni mihi, & Barnabæ non licet? Eodem modo Paulum explicant Theodoretus, & Theophylactus. At vulgatus interpres, quem ſe- E quuntur Ambroſius, & Hieronymi commentarij habet; *Hoc operandi:* id eſt, hoc agendi, vt videatur retuliſſe ad circumductionem mulierum. Notat autem Ambroſius, maluiſſe Apoſtolum dicere: *poteſtatem hoc operandi,* quàm *poteſtatem accipiendi, aut circumducendi mulierem;* illud enim ciuilius videbatur; quaſi diceret, cur enim mihi non liceat, quod alij omnes faciunt? Et fortaſſe legit vulgatus interpres, τοῦτο ποιεῖν; nam vix huic interpretationi conuenit verbum ἐργάζεσθαι: poſſet autem referri ad tertium id, quod præceſſerat, An non habemus poteſta-

d Act. 13. 1.
e Act. 20. 34.

tem

tem edendi, ac bibendi Eccleſiæ videlicet ſumptu? Et, nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi? Sed vtro modo legas ſententiæ nihil perit: docet enim Apoſtolus ſibi eadem omnia licere, quæ cæteri vſurparent. Certè Tertullianus [a] vulgatæ lectioni fauet. *Extat enim* (inquit) *& Barnabæ titulus ad Hebræos: adeo ſatis auctorati viri, vt quem Paulus iuxta ſe conſtituerit in abſtinentiæ tenore. Aut ego ſolus, & Barnabas non habemus hoc operandi poteſtatem?*

a ... pu-

7. QVIS MILITAT SVIS STIPENDIIS VN-
I. QVAM, &c. Sunt qui putent hæc pertinere ad excuſandam Apoſtolorum conſuetudinem, ne videretur illos in inuidiam vocaſſe, quaſi Euangelium nundinarentur. Atqui Chryſoſtomus, Theodoretus, Ambroſius, & alij meo iudicio meliùs hæc exempla eodem pertinere putant, quo & ipſa Apoſtolorum conſuetudo refertur. Vt enim ait Chryſoſtomus, auctoritate Apoſtolorum probauit Paulus, licuiſſe ſibi commeatum ab iis quærere, quos Euangelicis præceptis erudiebat; idem nunc à rerum natura petitis exemplis confirmat. Sunt autem exempla ad rem, de qua agitur explicandam quàm maximè accommodata. Et primum quidem exemplum ſumptum eſt à militia. *Quis* (inquit) *militat ſuis ſtipendiis vnquam?* Eſt enim (vt monet Chryſoſtomus) Euangelicæ prædicationis munus periculoſæ militiæ perſimile, vt meritò miniſtris Euangelicis ſtipendia debeantur. Dixit autem Græcè ὀψωνίοις, qua voce pro militari auctoramento vſus eſt Apoſtolus, cùm alioqui obſonium ad ventrem referatur; atque idcirco huic loco congruat, vbi agitur de victu. Si propriè autem accipias ſtipendia, nihil vltrà victum intelligas; nam Proſper [b] negat, eum qui aliunde vitam poteſt tolerare, abſque graui flagitio poſſe ex bonis Eccleſiæ quidquam percipere quo ſe alat. Neque enim bona Eccleſiaſtica propriè eſſe præmium, aut ſtipendium laboris; nam labori quidem nullum præter vitam beatam præmium deberi, ſecus haud abſque ſimoniæ labe ſpiritualia pro temporariis commutari, aut vendi. Conſentit Canon [c] Apoſtolicus, qui tum demum Epiſcopo permittit ſe bonis Eccleſiæ ſuſtentare, ſi fortè indigeat; quod etiam definit Concilium [d] Antiochenum. Cõſulendæ ſunt Theologorum diſputationes, in quibus tamen videntur nonnulla ex veterum Patrum, & Conciliorum decretis caſtiganda, vt alibi oſtendo. Certè olim tanta erat fidelium pietas, & liberalitas in clericos, vt ea res inuidiam cieret etiam Chriſtianis imperatoribus; vt ex Ammiano [e] Marcellino, & Imperatorum [f] legibus, Ambroſio [g] denique, ac Hieronymo [h] intelligitur.
II. Porro quæ olim Eccleſiæ à fidelibus tribuebantur, quatuor [i] in partes diſtribuenda erant. Prima ad alendum Epiſcopum, ſecunda ad miniſtros, & clericos ſuſtentãdos, tertia ad Eccleſiæ neceſſaria cõparanda, quarta denique, ac poſtrema ad inopiam, & egeſtatem pauperum ſubleuandam deſtinabatur. Erant autem olim clericorum ordines duo, alij enim communem agebant vitam; vt in Africa quidem teſtatur B. Auguſtinus [k], in Gallia S. Proſper [l], Romæ denique & in Anglia B. Gregorius [m], qui communi menſa ab Epiſcopo alebantur: alij ſeparatim degebant, quibus pro cuiuſque meritis vitæ ſubſidia præſtabantur, qui clerici ſportulantes à ſportulis vocari conſueuerant. Ita Cyprianus [n]. *In honore ſportulantium fratrum tamquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari & ſacrificiis non recedant; ſed die, ac nocte cœleſtibus rebus, ac ſpiritualibus ſeruiant.* Sportula porro dicebatur apud Romanos diſtributio in pecuniam, quæ pauperculis clientibus, & ſalutatoribus à diuitibus dari conſueuerat: ea ratione, quòd ſportulantibus clericis ad vitam tolerandam tribuebatur, ſportula dici conſueuerat. Itaque Cyprianus de lectoribus alicubi ſcribit [a]. *Cæterùm presbyterij honorem deſignaſſe nos illis iam ſciatis, vt & ſportulis iiſdem cum presbyteris honorentur, & diuiſiones menſurnas æquatis quantitatibus partiantur.* Hæc erant veluti ſtipendia clericorum, quæ ferè ex decimis, & primitiis tribuebantur, vt fuſiùs alibi doceo. Sic plerumque qui ſacris initiantur, Eccleſiaſticæ militiæ aſcribi dicuntur. Addit. *Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit?* Ab agricultura ducta metaphora, quam hac ipſa Epiſtola [b] probauit Apoſtolus. *Ego* (inquit) *plantaui, Apollo rigauit, ſed Deus incrementum dedit.*
Et ſanè qui olim recenter Chriſto nomina dabant neophyti appellabantur, quaſi nuper plantati: de quibus concilij Nicæni [c] Patres. *Qui ex vita* (inquiunt) *gentilium non ita multò ante catechizati ſunt:* Quomodo etiam loquuntur B. Hieronymus [d], & Innocentius [e] Pontifex. Eadem ſimilitudine vſus eſt olim Deus apud Iſaiam [f]. *Cantabo* (inquit) *dilecto meo canticum patruelis mei vineæ meæ.* Et poſt multa: *Vinea enim Domini exercituum domus Iſrael eſt, & vir Iuda germen eius delectabile.* Et Chriſtus apud Matthæum [g]. *Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam.* Eadem vſus eſt Ieremias [h]. *Ego* (inquit) *plantaui te, vineam electam, omne ſemen verum.* Denique Ioel [i]. *Poſuit vineam meam in deſertum.* Eccleſiam enim omnes ferinè auctores interpretantur, quam Deus verbi miniſtris & euangelij præconibus, tanquàm agricolis excolendam tradidit. Vt vel hinc intelligant Eccleſiæ præſules non otiandum ſibi eſſe, aut voluptatibus indulgendum, ſed ſeduli, ac diligentis agricolæ munera quàm diligentiſſimè obeunda. Denique. *Quis* (ait) *paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Rectè namque fideles ouium gregi comparantur: præſules verò paſtoribus, de quibus Chriſtus apud Ioannem [k]. *Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ; & animam meam pono pro ouibus meis.* Sic etiam Iſaias [l]. *Sicut paſtor* (inquit) *gregem ſuum paſcet, in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit, fœtas ipſe portabit.* Et apud Ezechielem [m]. *Suſcitabo ſuper eas paſtorem vnum, qui paſcat eas.* Alibi [n]: *Et paſtor erit vnus omnium eorum.* Verè autem Eccleſiarum præſules paſtores appellantur, quos Ezechiel [o] grauiſſimis verbis increpat: *Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos. Nonne greges à paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis: gregem autem meum non paſcebatis; quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis: quod confractum eſt non alligaſtis & quod abiectum eſt non reduxiſtis, & quod perierat non quæſiſtis; ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia.* Similia ſcribit Ieremias [p]. Quæ non obſcurè ſignificant quæ ſint Epiſcoporum munera: ſic autem alicubi ſcribit Clemens [q] Alexandrinus: *Dicit ergo per Ezechielem orationem dirigens ad presbyteros, & eis exponens quamdam ſalutarem iuſtæ ſolicitudinis deſcriptionem: Et quod claudum eſt alligabo, & quod eſt ægrotum curabo, & quod aberrat reducam, & paſcam ipſos ego ad montem ſanctum meum:* penè eadem ſcribit Gregorius Nazianzenus, ipſa Ezechielis verba diligenter expendens. Et Cyprianus [r] ad eumdem Ezechielis locum alludens: *Nonne nobis vel negligentia ſegnis, vel duritia crudelis adſcribetur in die iudicij, quòd paſtores crediti, & commiſſas nobis oues nec curare in pace, nec in acie voluerimus armare? Nonne ingeretur nobis à Domino quod per prophetam ſuum clamat, & dicit: Ecce lac conſumitis, lanis vos tegitis, & quod craſſum eſt interficitis*, & cætera deinceps, quæ apud Prophetam leguntur. Quemadmodum igitur IV.
milites,

b lib. 2. de vita contempl. c. ...
c 4.
d cap. 25.
e lib. 27.
f Cod. epiſt. & Cod. Theod. lib. 10.
g epiſt. ...
h epiſt. ad Nepot.
i Can. de red. ... 12. q. 2.
k Ser. de com. vita cler.
l lib. 2. de vita contempl. c. 9.
m ... epiſt. ad Auguſt. Angl. ep.
n epiſt. 66.
a epiſt. 34.
b cap. 3. 6.
c Can. 2.
d in epiſt. ad Ocea. in fine.
e epiſt. 12.
f cap. 5. 1. 7.
g cap. 21. 33.
h cap. 2. 21.
i cap. 1. 7.
k cap. 10. 11.
l cap. 40. 11.
m cap. 34. 23.
n cap. 37. 24.
o cap. 34. 2.
p cap. 23.
q lib. 1. pæd. cap. 6.
r epiſt. 54.

A milites, ſi ſuo munere rite fungantur, iure exigunt ſtipendia, & agricolæ vineæ fructus comedunt, & paſtores ex fructu gregis vitæ neceſſaria percipiunt; ita colligit Apoſtolus, eos iure ſuo ſumptum quærere, qui verbum Dei promulgant. Itaque rectè colligit Tertullianus [a]. *Ex labore ſuo vnumquemque viuere oportere, exempla addit præmiſerat, militum, paſtorum, ruſticorum.* Quid ſi milites otientur; vineæ culturam agricolæ negligant, paſtores denique greges deſerant? Quid ſi gregibus ſibi commiſſis vitæ, morúmque exemplo, aut etiam doctrina perniciem afferant? Quid ſi tyrannorum more deſæuiant, & vt quiſque maximus eſt, ita populo grauiſſimus immineat? Tunc profectò quiduis aliud cenſendi ſunt, quàm vel Chriſti milites, vel vineæ Domini cultores, vel denique gregis ſibi commiſſi paſtores? Illud B autem obſeruandum eſt, ſtipendia tantùm, & quæ ad vitam neceſſaria ſunt Dei verbi præconibus permitti, vt ſuo loco planiùs oſtendo. Porro Chryſoſtomus id pauciſſimis verbis egregiè explicat. *Eſt autem* (inquit) *illud quoque obſeruandum, quòd vbique ſeruauit ſymmetriam, ac moderationem, quærens ſolum id quod eſt neceſſarium, vel vtile, non quod ſuperuacaneum; non enim dixit, quis militat, & non eſt diues? Sed, quis militat ſuis ſtipendiis vnquam? Neque dixit, quis plantat vineam, & aurum non colligit, aut fructum integrum non vindemiat? Sed ex fructu eius non comedit? Neque dixit: Quis paſcit gregem, & de agnis non exercet mercaturam? ſed, quomodo & ex eius lacte non comedit? Non ex agnis, ſed ex lacte: oſtendens, quòd oportet* C *doctorem paruo ſolatio eſſe contentum, ſolóque neceſſario. Hæc ad eos, qui omnia volunt exedere, & totum fructum vindemiare.* Paucis autem interiectis ſubdit: *Non hoc ſolùm probat exemplis, ſed etiam oſtendit qualem oportet eſſe ſacerdotem. Oportet enim eum habere & fortitudinem militis, & agricolæ diligentiam, & curã paſtoris, & poſt hæc omnia, nihil ampliùs quærere, quàm neceſſaria.*

a lib. in Marcion. cap. 7.

8. Nvmqvid secvndvm hominem, &c.
I. Probauerat exemplo Apoſtolico, & argumentis à rerum natura deſumptis, Apoſtolis, viriſque Apoſtolicis licere ex ſuo labore victum quærere, id nunc legis auctoritate aggreditur confirmare. Hactenus (inquit) humano more, humanis item argumentis vſus ſum: iam hoc ipſum, quod probare inſtitui, legis auctoritate firmabo. Iure autem ex hoc loco colligas fas eſſe Theologis, & diuinarum ſcripturarum D explanatoribus ad res cœleſtes, atque diuinas, tum illuſtrandas, tum etiam ſtabiliendas philoſophicis, atque humanis rationibus niti, quæ magnam interdum rebus difficillimis lucem afferunt: quod etiam non ſemel feciſſe Chriſtum alibi ex Euangelio docui. Neque exiſtimare quiſquam debet hac ratione miſceri (quod aiunt) ſacra prophanis. Sed potius (vt alicubi ſcribit Hieronymus) Ægyptiorum ſpoliis Dei tabernaculum exornari. Ait igitur Apoſtolus. *Nunquid ſecundùm hominem hæc dico?* Hoc eſt, interprete Chryſoſtomo, an ſolis nitor humanis exemplis? Caue putes: An & lex hæc non dicit? ne exiſtimeris (ait) mè humana ſolummodò ratiocinatione niti, aut ex iis tantùm, quæ ſub aſpectum cadunt hæc ſtatuere: poſſum enim diuinæ legis auctoritate, E quæ à me hactenus dicta ſunt, apertiſſimè probare. Profert autem teſtimonium ex Deoteronomio [b].

b cap. 25. 4.

9. Scriptvm est enim in lege Moysi,
I. &c. Verba legis ex vulgato interprete hæc ſunt. *Non ligabis os bouis terentis in area fruges tuas.* Alibi [c] Paulus hunc in modum protulit. *Non infrænabis os bouis triturantis.* Siquidem Hebræi bobus arantibus ita iugum imponere conſueuiſſe dicuntur, vt frænum etiam, ſeu capiſtrum adderent, ne paſcendi gratia de arandi labore quidquam remitterent. Hoc A frænum trituranti boui adhibendum negat Moſes, vt interim paleis veſci queat. Ita locum intellexiſſe videtur Tertullianus [a]. *Boui etiam terenti vincula oris remittuntur ad fructum præſentis laboris, quo facilius in pecudibus præmeditata humanitas in hominum refrigeria erudiretur.* Et alibi [b]: *Cùm etiam hæreticorum Apoſtolus ipſam legem indulgentem bobus terentibus os liberum; non de bubus, ſed de nobis interpretetur.* Et rurſus [c]. *Qui boui quoque terenti libertatem oris ad veniam pabuli ex opere ſubmouendi antè præcepit, quia dignus operarius mercede ſua.* Poſtremò [d]: *Ex labore ſuo vnumquemque docens viuere oportere ſatis exempla præmiſerat, militum, paſtorum, ruſticorum; ſed diuina illis auctoritas deerat. Legem igitur opponit creatoris, ingratis, quam deſtruebat: ſui enim Dei nullam talem* B *habebat. Boui* (inquit) *terentis os non alligabis. Et adiecit: Nunquid de bubus pertinet ad Dominum etiam de bubus propter homines benignus!* Mirum autem quod animaduertit Chryſoſtomus, cur Apoſtolus hoc teſtimonio non ſine allegoria vſus ſit, cùm poſſet exemplum ſacerdotum afferre: reſpondet verò, hoc factum eſſe ex multa (vt ille loquitur) abundantia. Solet autem frequenter Apoſtolus ex ſacris litteris allegorico ſenſu argumentari; quod quantam vim habeat alibi docui. Mox autem ſubdit. *Nunquid de* II.
bobus cura eſt Deo? Rectè monent Chryſoſtomus, Theodoretus, Ambroſius, Hieronymus, & alij non negare Apoſtolum, etiam boues, cæteráque iumenta ad diuinam prouidentiam pertinere, quod apud Matthæum [e] Chriſtus ipſe apertiſſimè docet, C ſed hîc tantùm inſinuare, eam legem non propter boues primario conditam eſſe, ſed latentem ſenſum indicare voluiſſe, quem hoc loco ſequitur Apoſtolus; vt mox planiùs docebit. Cæterùm diuinam prouidentiam etiam beſtiis proſpicere, ſed ad hominum vtilitatem, multis ſcripturæ teſtimoniis probatur; Nam & in libro Geneſis [f]. *Recordatus dicitur Dominus Noe, cunctorúmque animantium, & omnium iumentorum, quæ erant cum eo in arca.* Et Dauid [g]. *Qui producit in montibus fœnum, & herbam ſeruituti hominum: qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Et Iob [h]. *Quis præparat coruo eſcam ſuam, quando pulli eius clamant ad Deum vagantes, eo quòd non habeant cibos?* Et ne cuncta recenſeam: apud Ionam [i]. *Et ego* (inquit) *non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua ſunt pluſquam centum viginti millia hominum, qui neſciunt, quid ſit inter dexteram, & ſiniſtram ſuam, & iumenta multa?* Significat igitur Apoſtolus, legem illam neque ſolùm, neque primariò conditam eſſe propter boues, ſed propter homines, vt eos ad humanitatem, & beneficentiam informaret. Atque idcirco meritò ſubdit Apoſtolus.

a lib. 1. in Marcion. cap. 17. in fine.
b lib. 5. cap.
c lib. 4. ca. 2.
d lib. 4. cap. 7.
e cap. 10.
f cap. 8. 1.
g Pſal. 146. 9.
h cap. 38. 41.
i cap. 4. 11.

An propter nos vtiqve dicit, &c. 10.
I. Rectè colligit ex hoc loco Chryſoſtomus, quæcumque in lege veteri ſcripta ſunt de beſtiis, ac iumentis, déque aliis rebus inanimis, & latentem habere ſenſum, & ad mores hominum inſtituendos tacitè referri. Hoc igitur quod de bobus allatum eſt, interpretatur Apoſtolus de iuſta eccleſiaſticorum E miniſtrorum mercede. *Quoniam* (inquit) *debet in ſpe qui arat, arare, & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi.* Vbi monet Chryſoſtomus, tacitè indicari ingentes eccleſiaſticorum miniſtrorum labores, & ſubinde fructum; ſiquidem à ſemente ad arcam perducit. Porro aranti ſimplicem, ac nudam ſpem proponit, cùm nullam præſentem vtilitatem cernat; vt non immeritò dixerit Poëta [k] quiſpiam.

Spes fouet agricolas, ſpes ſulcis credit aratis
Semina, quæ magno fœnore reddat ager:

triturantem verò, vt qui iam præſentem fructum cernat

k Tibul. lib.

cernat, ſpei ſuæ participẽ eſſe dicit; ſic enim habent A Græci codices, *καὶ ὁ ἀλοῶν τῆς ἐλπίδ⟨ος⟩ αὐτοῦ μετέχειν ἐπ' ἐλπίδι*, hoc eſt, & qui ſub ſpe triturat, ſpei ſuæ particeps eſſe debet: vt videatur Apoſtolus arantis quidẽ ſpem ad futura, & ſempiterna bona referre; triturantis verò laborem, etiam ad mercedem, & ſtipendium huius vitæ. Ita Chryſoſtomus. *Et in arando* (ait) *quoniam non poterat fructus colligi: ſed ſolus labor ſuſtineri ſpem poſuit; in terenda autem area, aliquo frui conceſſit dicens. & triturans eius ſpei eſt particeps*. Deinde ne quiſquam diceret, hæc eſt ergo merces tantorum laborum, addidit, *ἐπ' ἐλπίδι*, ideſt, propter ſpem, vel ſub ſpe: futuram videlicet indicans beatam vitam. *Nihil ergo aliud clamat hos huius animalis chamo non ligatum, quàm quòd oporteat doctores laborantes mercedem quoque conſequi*: idipſum planiùs explicat B Theophylactus. Videtur igitur Apoſtolus Eccleſiaſticum munus trituræ potiùs, quàm arationi comparaſſe; ſiquidem qui arat ſola futuri prouentus ſpe, atque expectatione ſuſtẽtatur: at qui triturat iã incipit eſſe particeps ſpei ſuæ, fruitúrque optatis, laborans interim, & inſequentis anni ſpem nouam concipiens; ita diuini verbi præcones immortalem, beatámque vitam expectant, interim tamen neceſſaria vitæ ſubſidia percipiunt, & nonnullum laborum ſuorum fructum prægustant.

11. Si nos vobis spiritualia seminavimvs, &c. Simile quiddam dixerat in epiſtola ad Romanos [a]. *Si ſpiritualium eorum participes facti ſunt gentiles, debent & in carnalibus miniſtrare illis.* Putat autem Chryſoſtomus hanc eſſe veluti quartam ra- C tionem, qua probat Apoſtolus, licere ſibi alieno ſumptu viuere. Primùm enim exemplo Apoſtolorum vſus erat, deinde ſimilitudine militiæ, agriculturæ, atque artis paſtoritiæ, tertiò legis auctoritate: Nunc ex ipſa rei natura argumentatur: & quidem à maiori. Nam ſi vobis (inquit) *ſpiritualia*; hoc eſt maiora, planéque diuiniora *ſeminauimus*; eccui mirum videri debet, *ſi carnalia veſtra*, hoc eſt longè minora, atque inferiora *metamus*? Videtur autem tacitè naturam ſationis ſpectare: quod enim ſeminatur, cum eo, quod metendum eſt, tum illo eſt longè minus: at verò quod ab Apoſtolis ſeminatur, & natura nobilius atque præſtantius eſt, & longè maius, quàm quod in hac mortali vita percipitur. *Vidiſti* (inquit Chryſoſtomus) *cauſam iuſtiſſimam, & quàm priores* D *magis rationi conſentaneam: Nam illic quidem eſt* (inquit) *ſementis carnalis & carnalis fructus: hic autem non ſic, ſed ſementis quidem ſpiritualis, merces autem carnalis: nam ne ſibi placerent, & ſe magni facerent ij, qui præbent doctoribus, oſtendit quòd maiora, quàm dant, accipiunt. Nos autem ſeminantes in animis veſtris ſpiritualia, metimus carnalia: tale enim eſt quod datur ab eis alimentum.* Carnalia enim vocat corporeæ vitæ ſubſidia: ait autem interrogando. *Magnum eſt, ſi veſtra carnalia metamus?* quaſi dicat: non magnum eſt, vel potius, quantulum id eſt? At videri poſſet pertinere hoc ad labem ſimoniacam, qua ſpiritualia pro temporariis tribuuntur; cùm tamen dixerit Chriſtus [b]. *Gratis accepiſtis, gratis date.* Quo nomine malè audiuit olim Giezi [c] Elizæi miniſter, & acriter repre- E henſus [d] eſt Simon ab Apoſtolo Petro. Verùm aliud eſt res ſacras, & ſpirituales pretio vendere, quod nefas eſſe, & grauiſſimum ſimoniæ crimen ambigi non poteſt, aliud Eccleſiæ miniſtros, qui ſuo munere ritè funguntur, alimenta percipere; quod ſumma æquitate nititur; vt ex hac Apoſtoli diſputatione intelligi facilè poteſt.

12. Si alii potestatis vestræ participes, &c. Quintam rationem addi putat Chryſoſtomus deſumptam à minori. Si enim (inquit) alij, qui lõgè minus apud vos laborarunt, liberalitatis veſtræ fructum aliquem perceperunt; cur idem mihi non liceat; qui prima euangelicæ doctrinæ ſemina ieci, & in iſto agro colendo tandiu inſudaui? Monet autem idem Chryſoſtomus, non hic agi de Petro, aut Apoſtolis, ſed de quibuſdam pſeudoapoſtolis, quos apertiùs ſequenti Epiſtola [a] notat. *Si quis* (inquit) *vos deuorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem vos cædit.* Quod autem ait. *Si alij poteſtatis veſtræ participes ſunt*, Ambroſius legit. *Poteſtate veſtra vtuntur.* Græca vox eſt *ἐξουσίας*, quã nonnulli interpretãtur de poteſtate, ſeu facultate circumducẽdi mulieres, quã Corinthij quibuſdam permittebant. Simpliciùs crediderim *ἐξουσίας* poni pro *οὐσίας*, hoc eſt, ſubſtantia, ſeu diuitiis, & opibus. Si alij (inquit) nonnullam ex veſtris opibus vtilitatem, atque emolumentum percipiunt, qui minimè fortaſſe deberent. Porro Chryſoſtomus in verbis Apoſtoli emphaſim quamdam notat. *Non dicit* (inquit) *ſi alij à vobis accipiunt, ſed oſtendens eorum arrogantiam tyrannidem, & cauponationem dicit, ſi alij poteſtatis veſtræ ſunt participes, hoc eſt vobis dominãtur, poteſtatem exercent, tanquã ſeruis abutuntur, non ſolùm accipientes, ſed etiã cum magna auctoritate.* vt videatur *ἐξουσίας* quaſi paſſiuè accipere; vt ſenſus ſit participes ſint eius poteſtatis, & auctoritatis, quam exercent in vos libentibus & conſentientibus vobis: *Quare non potiùs nos*: ſcilicet ipſum videlicet, & Barnabam intelligit. Vnde colligit Chryſoſtomus, non loqui Paulum de Apoſtolis, neque enim illis ſe, aut Barnabam vllo modo præferret. *Sed eſt* (inquit) *perſpicuum, quòd tacitè quoſdam innuit exitioſos, & perditos, qui ipſos decipiebant.* Hoc autem, quod tam multis argumentis probarat Apoſtolus, ipſorum Corinthiorum ſuffragio confirmat. *Quamobrem* (ait Chryſoſtomus) *cũ lege Moſis vos quoque ipſi legem tuliſtis, quòd præbere oporteat.* Cæterùm quod dixit: *Quare non potiùs nos*? non probat, ſed Corinthiorum conſcientiæ permittit; tum ne de ſe magnificentiùs loqui videatur: tum vt Corinthios magis pudefaciat. *Sed nos* (ait) *non vſi ſumus hac poteſtate*: hoc eſt nihil percipere voluimus, etiamſi alioqui id iure facere poſſemus, vt multis probatum eſt, ne qua præberetur aliis offendendi occaſio. Obſeruat autem Chryſoſtomus miram Apoſtoli prudentiam, qui tam multis confirmauit licere euangelicis miniſtris victum quærere, tum ne Apoſtolos, qui fidelium ſumptu viuerent, accuſare videretur, tum vt Corinthiis pudorem iniiceret, illico tamen addiderit, non ſe hanc viuendi rationem ſequutum eſſe, ne fortè ſuſpicarentur, hanc tam longam diſputationem eò tandem referri, vt aliquid ab iis acciperet, quod ſequenti epiſtola pluribus inculcat. Itaque aliorum ſe imbecillitati pepercisſe non ſine ſuo magno incõmodo oſtẽdit. *Sed omnia* (inquit) *ſuſtinemus; ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti.* Quod (vt ait Chryſoſtomus) ad id refertur, quod initio præcedentis capitis dixerat, omni ſtudio aliorum ſcandalum vitandum eſſe; *nam ſi ego tanto cum incommodo ab iis abſtineo, quibus alioqui iure vti poſſem: ne cuiquam ſcandali materiam præbeam: quantò magis vos id facere æquum eſt, qui & longè abeſtis ab Apoſtolis, & neque legem poteſtis dicere, quæ auertat, ſed contra etiam tangitis prohibita, & quæ magnum damnum afferunt Euangelio, non ſolùm offenſionem, neque vllam videtis impoſitam neceſſitatem, oportet abſtinere? Hanc enim vniuerſam mouit orationem propter illos, qui propter cibum illorum quæ immolata ſunt idolis offendunt fratres imbecilliores.* Porro quod ait; *Suſtinemus*, græcè eſt *στέγομεν*, quod proprium eſt vaſis omnia quodammodo capientis, vt ſe omnia ferre, ac tolerare ſignificet. Pro offendiculo autem Ambroſius legit,

impe

[a] Rom. 15. 27.
[b] Matth. 10. 8.
[c] 4. Reg. 5. 26.
[d] in Act. cap. 8.
[a] cap. 11. 20.

impedimentum: Dixit autē græcè Apoſtolus ἐγκοπὴν, quod intercīſionem, ſiue interruptionē ſonat: quaſi dicat, vt adnotauit Theophylactus: ne quid exiſtat, quod euangelicæ prædicationis curſum retardet, aut præcidat. Notauit hunc locum Tertullianus[a]. *Propter nos enim* (inquit) *ſcriptum eſt: ſed noluit vti legis poteſtate, quia maluit gratis laborare. Hoc ad gloriam ſuam retulit, quam negauit quemquam euacuaturum, non ad legis deſtructionem, qua alium probauit vſurum.*

a lib.5 aduer. Marcion. c.7.

13. I. Nescitis qvoniam qvi in sacrario, &c. Chryſoſtomus exiſtimat, nouum ex lege veteri afferri argumentum. Videtur autem Paulus alludere ad legem veterem[b], vbi ſacerdotes, & Leuitæ ex ſacrificiis iubentur victum quærere. *Non habebunt* (inquit) *ſacerdotes, & Leuitæ, & omnes, qui de eadem tribu ſunt partem, & hæreditatem cum reliquo Iſrael; quia ſacrificia Domini, & oblationes eius comedent, & nihil aliud accipient de poſſeſſione fratrum ſuorum.* Quod autem ait interpres: *Qui in ſacrario operantur*; græcè eſt οἱ τὰ ἱερὰ ἐργαζόμενοι, id eſt, *qui ſacra operantur*. Ambroſius legit, *Qui in ſacrariis operantur.* Putat autem hæc deſumpta eſſe à gentilium conſuetudine; quod verò ſequitur. *Qui altari deſeruiunt*, pertinere ad legem Moſis. At Chryſoſtomus, Theodoretus, & Hieronymus vtrumque ſignificant petitum eſſe ex lege veteri, vt prius illud; *qui in ſacrario operantur*. pertineat ad ſacerdotes; poſterius autem, *qui altari deſeruiunt*; ad Leuitas, & cæteros miniſtros. Qui ſacris igitur operantur veſcuntur ex iis, quæ Deo offerūtur; idcirco dicūtur apud Oſeam[c] comedere peccata populi; hoc eſt ſacrificia: vt interpretantur Cyrillus, Theodoretus, Theophylactus, Anaſtaſius Nicenus. Quanquàm non nego aliter etiam & quidem rectè explicari poſſe, ſed allatam explicationem hunc in modum illuſtrat Hieronymus. *Sacerdotes* (inquit) *comedunt peccata populi, id eſt ex eis viuunt: diſſimulant enim peccata, atque laudant: ita plurima admittuntur. plurimaque ſimul ad eorum quæſtum offeruntur hoſtia, & populum ſpoliant, ac comedunt: de quibus inquit ſcriptum[d] eſt; Qui deuorant plebem meam ſicut eſcam panis; quaſi dicat comedendo peccata, populum ipſum comedunt.* Et in eandem ſententiam Gregorius[e]. *Cur* (inquit) *peccata populi comedere dicuntur, niſi quia peccata delinquentium fouent, ne temporaria ſtipendia amittant? Sed & nos, qui ex oblationibus fidelium viuimus, quas illi pro peccatis ſuis obtulerunt, ſi comedimus, & taceamus, eorum proculdubio peccata manducamus.* Neque aliter accipit Bernardus[f], *Peccata* (inquit) *populi mei comedent. Quaſi dicat peccatorum pretia exigunt, & peccantibus debitam ſollicitudinem non impendunt. Quem dabis mihi de numero præpoſitorum, qui non plus inuigilet ſubditorum vacuandis marſupiis, quàm vitiis extirpandis?* Hoc igitur eſt, quod ait Apoſtolus; *Qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt.* Quod ſequitur. *Qui altari deſeruiunt, cum altari participant*: pro *deſeruiunt* græcè eſt προσεδρεύοντες, *hoc eſt aſſiſtentes*, vt quemadmodum monet Chryſoſtomus, aſſiduum miniſtrorum cultum ſignificet. *Cum altari* inquit *participant*, græcè τῷ θυσιαστηρίῳ συμμερίζονται. Poſuiſſe videtur altare pro iis, quæ in altari offeruntur; diuidebatur enim hoſtia inter ſacerdotes, & Leuitas.

b Deut.18.1.
c cap. 4.8.
d Pſ. 13. 4.
e Hom.17. in Euang.
f Serm.77. in Cant.

14. I. Ita et Dominvs ordinavit iis, &c. Colligit ex tota diſputatione quod ſibi potiſſimùm probandum ſumpſerat, licere videlicet miniſtris euangelicis ſuo labore, atque induſtria victum ſibi comparare. Quod (inquit) tam multis argumentis probaui, id diuina Chriſti auctoritate ſancitum eſt, vt qui euangelium promulgant, ab auditoribus ſuis vitæ ſubſidia accipiant. Omnino autem alludere videtur ad id, quod dixit Chriſtus apud Matthæum[a]. *Dignus eſt operarius mercede ſua.* Monet autem Chryſoſtomus, non dixiſſe Paulum ſacerdotes, & Leuitas ex ſacris, & Apoſtolos ex Euangelio mercaturam facere, aut theſaurizare: ſed illos quidem edere, hos verò viuere; Quibus verbis ſignificat, non eſſe quærenda ſuperuacanea; & quæ ad inanem pompam, & luxum regium referantur: de qua re multa Bernardus, & nos plura alibi. Certè Proſper[a] de Euangelio eos tantùm viuere poſſe putat, qui vt ſupra indicauimus, aliunde non habent, quo vitam tueantur. *De euangelio* (inquit) *viuunt qui nihil volunt habere proprium, qui non habent, nec aliquid concupiſcunt, non ſuorum, ſed communium poſſeſſores.*[b] Placet autem in præſentia Bernardi verba aſcribere: *Clericus* (inquit) *qui partem habet in terra, non habebit partem in cælo. itémque clericus ſi quippiam habuerit præter Dominum, pars eius non erit Dominus; verbi gratia ſi aurum, ſi argentum, ſi poſſeſſiones, ſi variam ſupellectilem, cum iſtis Dominus pars eius fieri non dignatur. Videtur & ſanctus Dauid cauterio graui inurere quoſdam, ipſi viderint quos hæc parabola tangat.*

a cap.10.10.
a lib.2.de vit. cont. cap.14.
b in declamat. ad illa verba. Ecce nos reliquimus omnia.

Ego avtem nvllo horvm vsvs svm, &c. Poſt tam longam probationem, qua apoſtolicam conſuetudinem defendit, qua liberum ſibi fuiſſe ait publico fidelium ſumptu viuere, redit ad id quod initio dixerat, ſponte ſe huic iuri ceſſiſſe, nullóque pacto adduci potuiſſe, ac ne in poſterum quidem poſſe, vt alia ratione, quàm proprio labore, atque induſtria, & manuum opificio victum ſibi compararet. *ego autem* (inquit) *nullo horum vſus ſum*: Et quidem meritò: ne (vt ait Tertullianus[c]) pretio religio redempta videatur. Cæterùm Eccleſiæ miniſtros à fidelibus alendos eſſe docent Clemens[d] Romanus, Origenes[e], Chryſoſtomus[f], Hieronymus[g], Auguſtinus[h] & alij. fuiſſe autem profuſas largitiones in clericos indicant primùm aurea, & argentea ſacrorum ſupellex apud Auguſtinum[i], & Optatum[k], tum prædia, quorum meminere Pius[l], & Vrbanus[m] Pontifex, itémque Conſtantinus Imperator apud Euſebium Cæſarienſem: quin etiam in pontificatu Xyſti primi Laurentio diacono Eccleſiæ theſauros commendatos fuiſſe accepimus. Quis autem eſſet vſus eccleſiaſtici theſauri, indicat Tertullianus[n] his verbis. *Etiam ſi quod arcæ genus eſt, non de ordinaria ſumma; quaſi redempta religionis congregatur, modicam vnuſquiſque ſtipem menſtrua die vel cùm velit, & ſi modò velit, & ſi modò poſſit, apponit: nam nemo compellitur; ſed ſponte confert. Hæc quaſi depoſita pietatis ſunt; nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis diſpenſatur, ſed egenis alendis, humandiſque, & pueris, ac puellis re, ac parentibus deſtitutis, iámque domeſticis ſenibus, item naufragiis: & ſi qui in metallis, & ſi qui in inſulis, vel cuſtodiis duntaxat ex cauſa Dei ſecta, alumni confeſſionis ſuæ fiunt.* Eodem quoque modo loquitur etiam Iuſtinus[o] martyr, quem penè ad verbum Tertullianus imitatur. *Cæterùm* (ait) *qui copioſiores ſunt & volunt, pro arbitrio quiſque ſuo quod viſum eſt contribuunt, & quod ita colligitur, apud præpoſitum deponitur. Atque ille inde opitulatur pupillis, & viduis, & his, qui propter morbum, aut aliam cauſam egent, quique in vinculis ſunt, & peregrè aduenientibus hoſpitibus, & (vt ſimpliciter dicam) indigentium is omnium curator eſt.* Porro de Chriſtianorum largitionibus, hac ipſa epiſtola agendum erit. Paulus autem, ne quis hanc ſuam diſputationem perperàm interpretetur; quaſi ſibi aliquid peteret ait, *Non autem ſcripſi hæc, vt ita fiant in me.* Non hoc (inquit) poſtulo: quam hactenus viuendi rationem probaui, eandem vſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè retinebo. Sui

15. I.

c in Apo.c.39.
d lib.8.conſt. c. 31.39.
e Hom.11. Num.
f Hom.41. in 1.ad Cor.
g Malac. 3.
h Serm.219. & 319. de temp. & lib.50. Hom. hom. 41.
i Epiſt.165. & lib.3.ab. Creſcon. c. 30.
k lib.1.contra Parmen.
l Epiſt 1.
m Epiſt.ad om. Epiſc.
n in Apolog. cap.39.
o in Apolog. ad Anton.

verò

verò conſilij hanc affert rationem. *Bonum eſt enim mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet.* Hactenus (inquit) nihil horum ſequutus ſum: hoc eſt (interprete Chryſoſtomo) neque exempla, neque rationes, neque legis auctoritatem, neque verò conſilium in poſterùm mutabo; ſic enim ſentio, præſtabilius mihi eſſe mori, quàm gloriæ, & exiſtimationis meæ iacturam facere. Non dixit legem meam (ait Chryſoſtomus) ſed gloriationem; vt oſtendat ſe non modò magno, ſed valdè propenſo, ac prorſùs hilari, alacrique animo eam vitæ rationem & inſtituiſſe, & proſequutum eſſe. Pro gloria verò græcè eſt *καύχημα*, hoc eſt gloriatio: vt quemadmodùm ad Romanos dixit, gloriari ſe in tribulationibus; ita in præſentia gloriari ſe dicat in ſua inopia, & paupertate, & libera euangelij promulgatione, B cùm abſque vllius offenſione, aut ſcandalo, non ſine magno ſuo labore, & fatigatione vbique poſſit euangelicam doctrinam tradere. Longè igitur aberat hæc Apoſtoli gloriatio ab inani gloriæ cupiditate, quæ Chriſtianæ humilitati, atque modeſtiæ in primis repugnat; cùm præſertim hac ſua docendi ratione nihil quæreret, aut ſpectaret aliud, quàm vt euangelica prædicatio ſuum curſum fœliciter teneret. Hanc igitur (ait) meam docendi rationem vitæ ipſi anteponendam puto, vt prius mihi moriendum cenſeam, quàm ab illa vllo pacto recedendum.

16. NAM ET SI EVANGELIZAVERO, NON
1. EST, &c. Perobſcuræ ſententiæ facem præferre in paraphraſi conari ſumus. Euangelium, inquit Paulus, promulgo diuino Chriſti præcepto impulſus; vt C non tam mihi merces, aut gloria ſperanda ſit, quòd obtemperem, quàm ſi negligam, ſupplicium metuendum: Neque enim magna laus eſt nihil vltrà præſtare, quàm quod tibi fuerit imperatum; Qua ratione Chriſtus (vt animaduertit Ambroſius) *Cùm feceritis* (inquit [a]) *hæc omnia, dicite, ſerui inutiles ſumus: quod debuimus facere fecimus*; inutiles enim ſerui appellantur eo ſenſu, quo in ſuperiori parabola dixerat Chriſtus, nullam gratiam ei ſeruo habendam, qui fecit quæ ſibi fuerant imperata: neque enim ibi gratia ſignificat mercedem, quæ proculdubio ſeruo debetur ex pacto pro exhibito labore; ſed mercedis cumulum, & corollarium, quo ſerui, qui plus præſtant quàm iure debent, donari ſolent; ita ſerui inutiles dicuntur, qui præcepta ſeruarunt; quia nihil præter iuſtam mercedem merentur; quaſi dicat, eos nihil ſingulare, aut egregium mereri; vt non tam laude digni ſint, quòd fecerint, quàm ſupplicio ſi omiſerint. Similis eſt & illa ſententia [b]. *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis eſt gratia?* Certè quia id pertinet ad caritatem, mercede ac præmio dignum videtur; ſed quia communis, non ſingularis virtus eſt, non dicitur digna gratia. Eodem ſenſu loquitur hoc loco Apoſtolus; dicit enim ſe, ſi euangelizet, neque gloriam, neque mercedem habere, non quòd omninò nullam, ſed quòd non ſingularem mereatur, quia nihil eximium præſtet: perinde enim id eſt, ac ſi quis ſeruus Domini imperata faciat; nihil ſponte, vel vltrò præſtet: nam ſi facias id quod abſque piaculo omittere nequeas, non magna laus eſt; at cùm poſſis ex tuo labore fructum aliquem iure repetere, ſi id ſponte contemnas; permagna nimirum te laus, & gloria meritò conſequetur: ita velint, nolint hæretici admittere coguntur opera, quæ à Theologis ſupererogationis appellantur. Itaque ait Apoſtolus. *Nam & ſi euangelizauero, non eſt mihi gloria*, qualis videlicet oriri ſolet ex eo, quod vltro, ac ſponte ſuſcipimus: hoc mihi legis, ac præcepti neceſſitate impoſitum eſt: non tam igitur mihi, ſi obtem-

a apud Luc. cap. 17. 10.

b Luc. 6. 32.

A perem, expectanda laus, quàm, ſi negligam, ſupplicium formidandum. Hæc autem (vt docet Chryſoſtomus) non perinde accipienda ſunt, quaſi quid- 11.
quam eſſe poſſit docendi, prædicandique euangelij munere præſtantius, ſed quòd ea, quæ ſponte abſque vlla externæ legis neceſſitate peraguntur, maiorem neſcio quam indicent caritatem in Deum; atque adeo maiorem laudem, & gloriam conſequantur. Non eſt igitur (ait) mihi gloria; non prorſus nulla; ſed non illa gloria debetur, quæ oriri ſolet ex iis, quæ ſponte fiunt. *Neceſſitas enim mihi incumbit*: hoc eſt, præcepti, ac legis auctoritate compellor. *Nullus autem* (ait Theodoretus) *famulus ſe iactitat, ſi ea implet, quæ imperantur à Domino.* Verùm rectè duplex diſtinguitur neceſſitas: altera, quæ extrinſecus aduenit B præcipientis, atque imperantis auctoritate; altera, quæ à propria cuiuſque voluntate proficiſcitur, cùm quis ſponte ſibi bene agendi neceſſitatem imponit, vt cum ſeſe voto obſtringit. Et prior quidem neceſſitas (vt Paulus hoc loco docet) non magnam gloriam affert; poſterior verò longè maximam. Itaque Apoſtolus de extrinſeca neceſſitate loquitur, cùm ait. *Neceſſitas enim mihi incumbit*; ſubdit enim, *væ enim mihi eſt, ſi non euangelizauero*: præcipientis auctoritate cogor, & metuendum mihi ſupplicium eſſet, ſi non obtemperarem. Quod autem ait interpres: *Si non euangelizauero*: græcè eſt præſentis temporis *εὐαγγελίζωμαι*, id eſt *euãgelizem.* Poſtulare videtur hic locus, vt explicemus quonam modo diuinorum præceptorum obſeruatio mercedem, ac præ- C mium ab immortali Deo mereatur, ſed id à Theologis copioſè in ſcholis traditur.

SI ENIM VOLENS HOC AGO, MERCEDEM, 17.
&c. Quod dixerat paulò obſcuriùs his verbis illu- I.
ſtrat: neque enim qui præceptis obtemperat, omni prorſus laude, & gloria caret; quin potiùs ſua illum merces, ac præmium manet; ſed tunc tantùm cùm volens, ac libens paret. Itaque ait Apoſtolus: *Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: Manifeſtum enim eſt* (vt ait Ambroſius) *quia nemo accipit remunerationem, quam inuitus agit; voluntarius enim dignus eſt mercede, quia conſentit Domino, & quod voluntate fit, meliùs fit. Si autem* (inquit) *inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt.* Chryſoſtomus. *Vides* (inquit) *hic quoque prudentiam; non enim dixit. Si autem inuitus, non ha-* D *beo mercedem; ſed diſpenſatio mihi credita eſt; oſtendens, quod ſic quoque habeo mercedem. ſed talem, qualem is qui eſt exequutus quod iuſſum eſt: ſed non qualem is, qui à ſuo liberaliter eſt elargitus, & præceptum ſuperauit.* Auguſtinus [a] alicubi hunc locum explicans, ait, *Si autem inuitus; diſpenſatio mihi credita eſt, id eſt illis prodeſt, quibus hoc diſpenſo, non mihi qui fictus ſum. Qui enim inuitus facit propter commoda, gaudiáque carnalia, quaſi aliter habere poſſet illud deſereret; ipſe vtique fictus eſt, ideóque inuitus facit, ſed eis prodeſt erga quos facit; ſe autem tantùm à mercede ſalutis alienat, non etiam illos priuat, quibus cibaria dominica etiam malus ſeruus impendit.* Poſſet etiam, quod in paraphraſi inſinuaui, hoc modo explicari; vt loquatur Apoſtolus de ſuo prædicandi munere, & planiùs explicet, cur E paulò antè dixerit, non ex illo ſibi ſperandam gloriam; ſed ad id ſe neceſſitate adactum acceſſiſſe: quod ſi (inquit) vltrò, ac ſponte mea, hanc mihi prouinciam delegiſſem, atque hunc docendi laborem ſuſcepiſſem: magna profectò merces me maneret; ſin autem inuitus, hoc eſt, alterius auctoritate, imperióque compulſus; planè conſtat, non ſponte mea, atque vltrò onus docendi ſubiiſſe, ſed impoſitum ab alio non detrectaſſe. Quod enim ait, *Inuitus*, græcè eſt *ἄκων*: quaſi dicat, non volens: nam *volens* paulò antè eſt *ἑκών*, vt non tam ſignificet repugnante, ac reni-

a lib. 2. cont. ep. Parmen. cap. 11.

tente voluntate, quàm voluntate, quæ non ſponte ſua, ſed ab alio permota, aliquid complexa ſit; vt hoc etiam loco agat Apoſtolus de eximia illa laude, & gloria, quæ illas actiones conſequitur, quæ citra præceptum peraguntur. Porro Theodoretus, qui vniuerſim exiſtimauit, agere Apoſtolum de præceptorum obſeruatione, admonet etiam ſi in prima perſona loquatur, non de ſe ipſo Paulum agere, qui nullo modo inuitus munus apoſtolicum ſubiit: verùm (vt modò dixi) veroſimilius eſt Paulum de ſe ipſo loqui, déque ſuo apoſtolatu, quem ſibi diuina auctoritate, atque imperio traditum fuiſſe dicit: hoc autem imperium neceſſitatem appellat.

QVÆ EST ERGO MERCES MEA, &c. Vel
18. hinc apparet probabiliſſimam eſſe, maximéque huic
I. loco congruentem noſtram ſuperioris ſententiæ explicationem; vt Apoſtolus dicat, mercedem, & gloriam iis potiſſimùm actionibus deberi, quæ dicuntur ſupererogationis. *Quæ* enim (inquit) *eſt merces mea?* hoc eſt: ex quánam actione hanc meam gloriam expeto quaſi vltrò à me præſtita? *Vt ponam* (inquit) *ſine ſumptu euangelium*: hoc ego vltrò facio nullius præcepti auctoritate compulſus. An igitur hanc laudem, & gloriam cæteris Apoſtolis detrahit, qui fidelium ſumptu viuebant? nullo modo. Illi namque apud eos euangelium promulgabant, qui ſiue priſca conſuetudine, ſiue alia quapiam ratione adducti, mulieres circumduci æquo animo ferebant, vt eorum ſubſidio Apoſtoli victitarent: neque inde vllius ſcandalum, aut euangelij impedimentum metuendum videbatur. Quod longè ſecùs acciderat Paulo, qui gentiles euangelio imbuendos diuinitùs acceperat. Itaque nulla verborum iactantia (vt ait Ambroſius) gloriatur, oſtenditque quanta dignus ſit mercede, qui euangelio tradendo ſua non ſit vſus poteſtate, ne vim euangelicæ doctrinæ debilitaret aut frangeret. Hoc enim eſt, quod hac ipſa [a] epiſtola dixerat, licere
a ſup c.6.12. quidem omnia, non tamen omnia expedire. Quocirca aliis viuendi rationem præſcribit, vt vbi vident aliquid non expedire, etiam licitis abſtineant, ne alioqui rei fiant, ſi nullam ſalutis aliorum rationem habeant. Hæc autem omnia (vt obſeruat Theodoretus) eò referuntur, vt probet, Corinthios non vacare culpa, ſi cum aliorum ſcandalo, & offenſione idolothytis veſcantur. Atqui videri poſſet Apoſtolus ſecum ipſe pugnare; nam ſi aliorum Apoſtolorum conſuetudine ſibi abſtinendum putauit, quòd gentilium ſcandalum, & offenſionem metueret, non id profectò vltrò, ac ſponte ſua fecit, ſed diuinæ, ac naturalis legis auctoritate compulſus, quæ ſcandala vitanda ſeueriſſimè præcipit. Si igitur quia ſibi à Deo præceptum erat, vt gentibus euangelium promulgaret, id ſe muneris non ſponte, ſed neceſſitate adactum ſuſcepiſſe dicit; multò id profectò magis de hac ſua docendi conſuetudine affirmandum videbatur, quam diuinæ, ac naturalis legis auctoritate complexus erat: vt enim hæc veluti ad calculos reuocemus; illud quidem diuino præcepto poſitiuo, hoc verò diuino, & naturali impoſitum erat: naturalia porro præcepta aut poſitiuis præſtant, aut illis certè nihilo ſunt inferiora. Et profectò ſuperiori capite ita de idolothytis diſſeruit, vt quamquam eorum eſum indifferentem eſſe docuit; vitandum tamen neceſſariò dixerit propter imbecilliorum ſcandalum: quinetiam addiderit, eos, qui eiuſmodi ſcandala neglexerint, non in fratres ſolùm, ſed in Deum ipſum grauiter peccare, quod profectò verè dici non poſſet, niſi auctoritate diuini præcepti ſcandalum vitare neceſſariò compellerentur, quod ipſum haud abſimili ratione de ipſius Pauli prædicatione, doctrináque dicendum eſſet: vt omninò abſtinen-

A dum illi fuerit ab aliorum Apoſtolorum conſuetudine, nec potuerit cum aliorum ſcandalo victum ab auditoribus quærere. Quocirca rectè dixit. *Vt non*
II. *abutar poteſtate mea in Euangelio.* Quis autem dicat, nulla eum neceſſitate præcepti compulſum, hunc poteſtatis abuſum vitaſſe? Cur igitur ſe vltrò, ac ſponte id feciſſe commemorat, cùm prædicãdi munus Chriſti imperio ſuſceperit? An id ſe ſpontè feciſſe dicit, déque ſuo iure deceſſiſſe, quòd ius illud ſumptus ab auditoribus exigendi tanta æquitate niteretur, vt nemo meritò offendi poſſet? Et ſi qui forſitan ſecùs exiſtimarent, non tam id ex animi imbecillitate, quàm ex ipſorum improbitate oriretur? Certè aliter Apoſtolus de idolothytorum eſu, aliter de ſua docendi ratione loquitur: ibi enim aliorum
B ſcandalum apertè nominat, hîc verò non ſcandalum, ſed Euangelij offendiculum, hoc eſt impedimentum, & moram. Verebatur enim Apoſtolus, ne plurimi Euangelij doctrinam recuſarent, ne ſumptum facere cogerentur: ſponrè igitur ſua iuri Apoſtolico ceſſit, nulla neceſſitate præcepti compulſus, vt Euangelicæ doctrinæ curſus ne leuiter quidem retardaretur: quod proculdubio facturi erant cæteri Apoſtoli, ſi apud eas nationes, quas erudiendas ſuſceperant, idem metuendum fuiſſet. Itaque rectè animaduertit Chryſoſtomus, frequenter Apoſtolum vſurpare nomen poteſtatis, vt oſtendat eos, qui auditorum ſumptu viuerent, ſuo iure vti, nihilque agere contra fas. Quæ cùm ita ſint, hoc Apoſtoli argumentum, à ſuo exemplo petitum, magnam vim ha-
C bet; eſt enim (vt dialectici loquuntur) à minori: nam ſi ego (inquit) nulla præcepti neceſſitate compulſus, & nullius ſcandali metu deterritus, vltrò ac ſponte de iure meo deceſſi: quantò magis abſtinendum vobis erit ab idolothytorum eſu, cùm veſtro exemplo quàm plurimis perniciem, atque interitum afferatis? nam mihi quidem leuiſſima tantùm mora Euangelicæ prædicationis metuenda erat; vobis autem aliorum ſcandalum, quod certiſſimè imminet, diuinæ, ac naturalis legis auctoritate quàm diligentiſſimè vitandum eſt. Atque hæc quidem ſatis: nam plura Theologi.

NAM CVM LIBER ESSEM EX OMNIBVS, 19.
&c. In eodem argumento perſiſtit, ſuámque docen- L.
di rationem magis, ac magis explicat, vtitúrque (*vt*
D ait Chryſoſtomus) hyperbole. Non ſolùm (inquit) nihil accepi ab auditoribus meis, neque ſolùm non vſus ſum hac poteſtate, ſed (quod longè maius eſt) miſera me, atque abiecta ſeruitute damnaui. Hoc enim eſt (inquit Chryſoſtomus) *cùm liber eſſem ex omnibus omnium me ſeruum feci.* vniuerſo quippe orbi terræ ſeruiuit, qui nihil aliud haberet in votis, quàm vt omnes ad Chriſtum, eiúſque fidem, ac religionem pertraheret: eam ob cauſam nullum recuſabat laborem, nullum formidabat periculum. Se autem liberum ex omnibus fuiſſe dicit, interprete Ambroſio, *quia nulla adulatione Euangelium tradidit, nec cuiuſquam præter ſalutem aliquid concupiuit, neque ad delicias habendas ab aliquo ſumptus largiores mercedem hypocriſis accepit. Seruum autem ſic ſe omnium*
E *factum dicit, dum ſe per humilitatem ſimilem omnium mente imbecillum exhibuit, vt eos per patientiam firmaret ad ſalutem futuram, conſouens animos illorum, qui aut peccabant, aut res diuinas tardiùs ſequebantur, vt non aſperè ferrent reprehendi ſe.* Vno verbo docet, noluiſſe ſe iure Apoſtolico vti, cùm tamen omnium maximè poſſet, quippe qui etiam ſupra vires laboraret; ſed potiùs contrà omnibus ſeſe accommodaſſe, nihilque ſpectaſſe aliud, quàm vt omnium vtilitati, ſalutique ſeruiret. Hinc optimi Romani Pontifices, quibus omnium fidelium cura, ac totius Ec-

cleſiæ adminiſtratio diuinitus commiſſa eſt, non
tam honorifico, quàm neceſſario titulo; *ſerui ſeruo-
rum Dei* appellantur; vt intelligant id à ſe pontifi-
cium munus exigere, vt laborioſam ſeruitutem ſer-
uiant, omnium imbecillitates ferant, ægritudines
curent, egeſtatem ſubleuent, lapſos erigant, peccan-
tes coërceant, errantes in viam reuocent, nullam
denique ſeduli, diligentiſque paſtoris partem præ-
termittant, & imitentur paſtorem illum, qui de ſe
[illegible] ipſo dicebat [a]. *Oues tuæ, & capræ ſteriles non fuerunt;
arietes gregis tui non comedi, nec captum à beſtia oſten-
di tibi: ego damnum omne reddebam, quidquid furtim
peribat à me exigebas, die, noctúque æſtu vrebar, & ge-
lu, fugiebátque ſomnus ab oculis meis, ſicque per vi-
ginti annos in domo tua ſeruiui tibi.* Porro Apoſtolus
egregiam conſilij ſui rationem affert. *Omnium* (in-
quit) *me ſeruum feci, vt plures lucrifacerem.* Id enim
ſpectabat vnum, vt omnes ſaluos faceret; nam vt ait
Chryſoſtomus, *quoniam libera animi electione, deſide-
rio, & caritate in Chriſtum omnia agebat, ſalutis homi-
num inſatiabile habebat deſiderium. Quamobrem ex
magna abũdantia, ſepta (vt aiunt) tranſiliebat, per omnia
ſupra ipſum cælum ſaliens.* Alibi autem idem Chry-
ſoſtomus monet eos, qui præſunt re vera omnium
ſeruos eſſe, tantum abeſt, vt pro imperio omnia de-
II. beant adminiſtrare. Vtitur autem Apoſtolus lucri-
faciendi verbo, ſumpta (vt arbitror) metaphora à
mercatoribus, quorum omnis induſtria, & labor re-
fertur ad lucrum: Apoſtolus verò eos in lucro po-
nebat, quos fidei præceptis imbutos, Chriſto aggre-
gabat. Et fortaſſe tacitè hoc ſuum lucrum opponit
ſumptui, quem negligebat. *Me* (inquit) *omnium ſer-
uum feci.* non vt ſumptum pecuniarium ab auditori-
bus meis perciperem, ſed vt multos ad Chriſtianam
fidem traducerem, idque in magno lucro ponerem.
Et quidem rectè ſeruum ſe dicit; eſt enim proprium
ſerui Domini mores quales quales illi ſint tolerare,
& iis (quoad eius fieri poſſit) ſeſe accommodare: ſer-
ui item eſt, facilem ſe & obſequentem exhibere Do-
mino, longéque abeſſe à contumacia, & peruicacia;
vt vel hinc qui Eccleſiaſtica gubernacula admini-
ſtrant in ſpiritu lenitatis, ac manſuetudinis (vt loqui-
b Gal.6.1. tur [b] Apoſtolus) ſibi cum ſubiectis agendum eſſe
c epiſt.64. intelligant. *Non enim* (vt ait Auguſtinus [c]) *aſperè, non
duriter, non modo imperioſo vitia tollenda ſunt; magis
docendo, quàm iubendo, magis monendo, quàm minan-
do; ſic enim agendum eſt cum multitudine. Seueritas
autem exercenda eſt in peccata paucorum; & ſi quid
minamur, cum dolore fiat, de ſcripturis comminãdo vin-
dictam futuram, ne nos ipſi in noſtra poteſtate, ſed Deus
in noſtro ſermone timeatur. Ita prius mouebuntur ſpi-
rituales vel ſpiritualibus proximi, quorum auctoritate,
& leniſſimis quidem, ſed inſtantiſſimis admonitionibus
cætera multitudo frangatur.*
20. Et factvs svm Ivdæis tamqvam
I. Ivdævs, &c. Cùm dixiſſet, ſe omnium eſſe ſer-
uum, ſeruitutis modos, & quidem varios (vt ait
Chryſoſtomus) his verbis explicat. *Factus ſum* (in-
quit) *Iudæis tamquam Iudæus.* Atqui ipſe natura
Iudæus erat; quid igitur ſe Iudæis tamquam Iu-
dæum factum commemorat? An cùm minimè Iu-
dæorum more viueret, neque eorum cæremonias
retineret, iis ſeſe aliquandò accommodauit? Ita
ſanè Chryſoſtomus. *Quomodo* (inquit) *hoc factum
eſt? Circumcidit, vt euerteret circumciſionem, pro-
pterea non dixit Iudæus, ſed tamquam Iudæus, quod qui-
dem erat diſpenſatio.* Ita etiam loquitur Ambroſius.
Videtur (inquit) *quaſi ſimulaſſe, vt omnibus omnia fie-
ret, quod ſolent adulatores facere, ſed non ita eſt. Vir
enim diuinus, & medicus ſpiritualis, ſciens omnium cau-
ſas, & vulnera, magna induſtria conſonet illos, & com-*

A *patitur; cum omnibus enim hominibus quædam habe-
mus communia. Factus eſt ergo Iudæis tamquam Iu-
dæus; quia propter ſcandalum illorum circumcidit [a] Ti-* a Act.16.1.
motheum: & purificatus [b] aſcendit in templum, ne oc- b Act.21.26.
*caſionem per eum acciperent blaſphemandi. Rem ergo
fecit, quæ iam ceſſare deberet, ſed ſecundùm legem fecit,
vt Iudæos* (inquit) *lucraretur: dum videlicet eos ſibi con-
ciliaret, ac beneuolos redderet.* Obſeruat hunc locum
Tertullianus [c]. *Ipſum* (inquit) *Paulum dixiſſe factum* c De præſcr. cap.24.
*ſe omnibus eſſe omnia, Iudæis Iudæum; non Iudæis non
Iudæum, vt omnes lucrifaceret, adeo pro temporibus &
perſonis, & cauſis quædam reprehendebant, in quæ æquè
pro temporibus, & perſonis, & cauſis, & ipſi committe-
bant.* Sic etiam [d] alibi aduerſus Marcionem. *Iis, qui* d lib.1.ca 20. & lib.5.c.2.
ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem, quum ipſe non eſſem
B *ſub lege,* Chryſoſtomus proſelytos intelligit, aut eos
qui fide percepta, adhuc legem ſibi retinendam pu-
tabant. Iis autem ſe factum eſſe quaſi ſub lege, dicit
Apoſtolus, quia ſeſe iis quoque attemperauit: quod
tum factum eſſe ſcribit Chryſoſtomus; *quando ton-
debatur, quando ſacrificabat:* indicat autem id, quod
legitur in Actis [e] Apoſtolicis; cùm Paulus *purifica-* e Act.21.26.
tus intrauit in templum, quod tamen factum eſt mul-
tò pòſt, quàm hæc ſcriberet Apoſtolus. Ambroſius,
eos qui ſub lege erant, Samaritanos interpretatur,
qui licet ſint ex Perſis, & Aſſyriis oriundi, quinque
tamen Moſis libros admittunt. Illis ergo Apoſtolus,
dum non negabant legem eſſe à Deo, fiebat quaſi
ſub lege. Veroſimilius videtur quod etiam indicat
Chryſoſtomus, hæc addita eſſe ad explicationem ſu-
C periorum, vt ſub lege eſſe, eoſdem Iudæos intelligat,
vt ſe Iudæum factum eſſe ſignificet, quia ita cum il-
lis aliquando vixit, quaſi ipſe non aliter, atque illi
ſub lege viueret, eiúſque præceptis ſe obſtrictum
putaret; cùm tamen re vera lege illa ſolutus eſſet,
ac liber; idque vt eos lucrifaceret, hoc eſt, Chriſtia-
nis ſacris initiaret. Fiebant autem hæc (vt ait Chry-
ſoſtomus) *non mutata eius ſententia (fuiſſet enim ea res
ſcelus) ſed ſe demittente, & accõmodante caritate; nam
vt eos, qui verè erant, ad hæc traduceret, factus eſt ipſe
non verè ſolùm oſtendens ac præſeferens cùm non eſſet,
nec ex animo hæc faceret.* Porro qua ratione licuerit
Apoſtolo, qui Petrum reprehendit Iudaiſmum ſi-
mulantem, vti eadem ſimulatione, ſuo loco ex-
pedio.
D Iis, qvi sine lege erant, &c. Hæc pro- 21.
culdubio ad gentiles pertinent, qui ſine lege eſſe di- I.
cuntur, quòd nullam præter naturalem Dei legem
agnoſcerent. Ita olim in Areopago arrepta occaſio-
ne ex inſcriptione aræ ignoti Dei, de Chriſtiana re-
ligione diſſerit, & liberam gentilium viuendi ratio-
nem ſequebatur, quatenus cum diuina lege, & Euã-
gelio non pugnabat. Itaque factus eſt illis, quaſi ſine
lege eſſet, cùm tamen ſine lege non eſſet Dei, ſed
eſſet in lege Chriſti. Græcè eſt, μὴ ὢν ἄνομος θεῷ, ἀλλ᾽
ἔννομος χριστῷ; hoc eſt, cum Deo non ſine lege viue-
rem, ſed legi in primis obtemperans Chriſto milita-
rem. Chryſoſtomus tamen, & Theophylactus le-
gunt ἄνομος θεοῦ, & ἔννομος χριστοῦ, quod vtrumque
durum videtur. Vulgatus interpres eodem planè
E modo legiſſe creditur; ſic enim habet. *Cùm ſine lege
Dei non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti;* hoc eſt (vt in-
terpretatur Chryſoſtomus) *cùm non ſolùm eſſem ſine
lege, ſed nec abſolutè in lege, ſed eam haberem legem, quæ
eſt veteri multo ſublimior, nempe ſpiritus, & gratiæ; &
ideo ſubiunxit, Chriſti.* Quo autem id conſilio fecerit
ſubdit. *Vt lucrifacerem eos, qui ſine lege erant.* Dum
enim (vt ait Ambroſius) cum gentilibus philoſophi-
cis, atque à natura deſumptis rationibus diſputat, &
poëtarum teſtimonia affert, ita diſſerit, quaſi ſine le-
ge eſſet; atque ita ſenſim Chriſti Euangelium fidém-

que proponebat. Obſeruant Hieronymiani commentarij aduerſus Arrianos, & Photinianos, Chriſtum appellari Deum: Negat enim Apoſtolus ſe fuiſſe abſque Dei lege, mox verò id explicans, ſubdit. *Sed in lege eſſem Chriſti*: quaſi Chriſti lex, ſit lex Dei; neſcio tamen vtrum hic locus Chriſti diuinitatem apertè probet. Facilè enim reſpondere poſſent hæretici, legem Chriſti legem eſſe Dei, non quia Chriſtus ipſe Deus ſit; ſed quia ipſe quaſi nuntius, & interpres Dei eius nobis legem propoſuit, eo prorſus modo, quo lex Moſis, lex Dei dicitur, quia Moſe veluti internuntio Deus ipſe illam pronuntiauit. Meliùs illud iidem commentarij animaduertunt, Euangelium ab Apoſtolo nominari legem, cuius eximia, ac ſingularis quædam vis eſt, de qua alibi plura diximus. Quamobrem rectè colligit Theodoretus, *multiplicia eſſe, atque adeo omnis generis in diſpenſando* B *Pauli conſilia, non ſolùm in ſcriptis ſuis, ſed etiam in actis Apoſtolorum: aliter enim in Iudæorum Synagoga diſſerebat, & aliter in Areopago doctrinam exhibebat, vnicuique affectioni conuenientia medicamenta afferens.*

22. Factvs svm infirmis infirmvs, &c.
I. Hoc ipſum inſinuauerat in Epiſtola ad Romanos [a]. *Debemus* (inquit) *nos firmiores imbecillitatem infirmorum ſuſtinere.* Quod Apoſtolum tum demum feciſſe ſcribit Ambroſius; *cùm propter infirmos fratres à licitis abſtinuit, ne illis ſcandali occaſionem præberet.* Quomodo etiam explicant cõmentarij Hieronymi: aiunt enim, illum propter *infirmos olera manducaſſe, cùm ſecurus poſſet promiſcuis carnibus veſci.* Addit: *Omnibus omnia factus ſum*; omnium penè mores indui; méque quoad eius fieri potuit, ad omnium naturas, & conditiones effinxi; idque vt omnes facerem ſaluos, omnes videlicet, quos poſſem, quóſque erudiendos ſuſciperem. Neque verò id (vt obſeruat Theodoretus) vitio verti debet Apoſtolo, quaſi aſſentatorum more varias, ac multiplices formas indueret, & quaſi polypus colores mutaret. nam primùm (vt monet Chryſoſtomus) nihil vnquam admiſit, quod iure poſſet reprehendi, deinde ad aliorũ ſe mores baſteous effinxit, vt illorum ſaluti proſpiceret: id enim ſedulò agebat; idque ſpectabat vnũ, vt omnibus prodeſſet, & veram fidem, ac religionem perſuaderet. Dicuntur autem Apoſtoli, diuinique verbi miniſtri eos ſaluos facere, quos Chriſtianis ſacris, & Euangelicis præceptis imbuũt, vt aliqua ratione dici queant Saluatores. Qua ratione Hieronymus explicat verba illa Abdiæ [b]. *Et aſcendent Saluatores in mõtem Sion iudicare montes Eſau, & erit Domino regnum. Quomodo* (inquit) *lumen Dominus lucem appellat Apoſtolos ſuos, & dicit. Vos eſtis lux mundi, & ipſa petra Petro donauit, vt petra ſit, paſtor quoque bonus, illis paſtorum largitus eſt nomina, & quodcumque dicitur, ſeruis tribuit, vt dicantur; ſic ipſe Saluator Apoſtolos ſuos mundi eſſe voluit Saluatores, qui aſcenderent ſpeculam montis Eccleſiæ, & deponentes ſuperbiam Iudaicam, vniuerſorúmque montium, qui aduerſum ſcientiam Dei erigebantur, regnum Domino parauerunt.* Sunt enim verbi Dei præcones, vt olim fuerunt Apoſtoli ſalutis noſtræ adminiſtri, non tamen auctores. Id enim E (vt ſcribit Leo [c] Pontifex) vni Chriſto iure optimo tribuitur; cæteris mortalibus, quamuis ſanctiſſimis, negatur. *Quamuis enim* (inquit) *in conſpectu Domini multorum ſanctorum pretioſa mors fuerit, nullius tamen inſontis occiſio, propitiatio fuit mundi. acceperunt iuſti, non dederunt coronas, & de fidelium fortitudine exempla nata ſunt patientiæ, nõ dona iuſtitiæ. Singulares quippe in ſingulis mortes fuerunt, nec alterius quiſquam debitum ſuo funere ſoluit, cùm inter filios hominum ſolus Dominus noſter Ieſus extiterit, in quo omnes crucifixi,*

A *omnes mortui, omnes ſepulti, omnes etiam ſunt ſuſcitati; de quibus ipſe dicebat: Cùm exaltatus fuero, omnia traham ad me ipſum. Fides enim vera iuſtificans impios, & creans iuſtos, ad naturæ ſuæ tracta participem, in illo acquirit ſalutem, in quo ſe inuenit innocentem.* Quod autem ait interpres; *vt omnes facerem ſaluos*; Græcè eſt ἵνα πάντως τινὰς σώσω, hoc eſt, vt omnino aliquos ſaluos facerem. Videntur autem olim Græci codices variaſſe; Chryſoſtomus tamen legit πάντας, hoc eſt, *omnes*; eiúſque vocis vim diligenter expendit. Eodémque modo legiſſe videtur Theodoretus. *Sciebat enim* (inquit) *non futuros omnes ſalutis participes, & tamen vel vnius gratia nullum non ſuſcipiebat laborem.*

Omnia avtem facio propter, &c. 23.
Tacitè calumniatoribus reſpondere videtur; neque I.
B enim aſſentandi ſtudio, tam varias, ac multiplices veluti perſonas ſuſcipiebat, ſed vt Euangelicæ prædicationi ſeruiret; idque non ſolùm, vt ea fœlicem curſum teneret, ſed vt etiam ipſe laboris, atque operæ pretium ferret: hoc enim ſignificat, cùm dicit. *Vt particeps eius efficiar.* Participem enim ſe fieri cupit Euangelij, hoc eſt vel eius fœlicitatis, quæ in Euangelio proponitur credentibus, vel infidelium cõuerſionis, qui eſt Euangelicæ prædicationis fructus. Hanc poſteriorem explicationem ſequitur Ambroſius, indicant Hieronymi commentarij, fuſiùs explicat Theodoretus. *Euangelij enim* (ait) *ſcopus, & inſtitutum eſt ſalus hominum. hac itaque de cauſa Dominus quoque vnà cum publicanis veſcebatur, & peccatricem mulierem ad pedes deflentem ſuſtinebat, docens ſe veniſſe propter ſalutem hominum.* C Chryſoſtomus priorem magis probat. *Vt ſim* (inquit) *particeps coronarum, quæ ſunt repoſita fidelibus, & cõfeſtim efficiar particeps Euãgelij, vt poſſim habere ſocietatem, & participationem cum iis, qui crediderunt Euangelio.* Quo loco Pauli humilitatem obſeruat, *qui in mercedis redditione ſe vnum ponit ex multis, cùm pluſquam omnes laborauerit: vnde eſt etiam perſpicuum, quòd plus præmij eſſet habiturus.* Porro quod interpres dixit; *Omnia autem facio.* Græci codices habent τοῦτο δὲ ποιῶ, hoc eſt, hoc autem facio, quomodò legit Theophylactus: Chryſoſtomus habet; *Omnia*; vt appareat Græcos codices fuiſſe varios.

Neſcitis, qvoo ii, qvi in stadio 24.
cvrrvnt, &c. More ſuo Apoſtolus poſt traditam I.
D doctrinam parænesim, & adhortationem adhibet. Et Chryſoſtomus quidem perinde accipit, quaſi Apoſtolus tacitè Corinthios perſtringat, & ſignificet quæ hactenùs ab illis geſta ſunt, exiguam, ac penè nullam habere vim ad cœleſtia præmia conſequenda; ſed multò illis maiora, ac difficiliora cogitanda, atque tentanda: allato enim exemplo eorum, qui in ſtadio curruut, indicat magnopere laborandum, atque adnitendum eſſe, vt propoſitam palmam aſſequantur. Et quidem Clemens [a] Alexandrinus curſui, & Olympiaco certamini humanæ vitæ ſtadium comparat. *Hic eſt* (inquit) *verus athleta, qui in magno ſtadio, nempe pulchro hoc mundo coronatur, veram aſſequutus victoriam aduerſus omnes animi perturbationes; nam & agonotheta eſt omnipotens Deus.* Argumentum verò Pauli eſt à minori; & magnã omnino vim E habet; nam ibi vnus tantùm coronatur, hîc omnibus proponitur corona: illi pro caduca, ac breui interitura gloria; nos pro immortali, ac ſempiterna certamus: illi porro nullum recuſabant laborem, vt ad metas cum laude, & gloria peruenirent, vt meritò dixerit quidam [b].

Qui ſtudet optatam curſu contingere metam
Multa tulit, fecitque puer, ſudauit, & alſit,
Abſtinuit Venere, & vino;

vt longè maiori contentione enitendum ſit, vt promiſſam

a cap. 15. 1.
b cap. 1. 21.
c Serm. 12. de paſſ.
a lib. 3 Stro.
b Horat. in arte poetic.

miſſam nobis coronam aſſequi aliquando poſſimus. *Omnes quidem* (inquit) *currunt*: ſpe videlicet præmij & gloriæ allecti & magno ſeſe ſtudio, ac diligentia ad curſum comparabant: diu exercebantur in arena, & puluere, vt in ipſo deinde curſu fœliciùs ſtadium conficerent; cúmque multi è carceribus demiſſi ad metas contenderent, vnus tamen ex omnibus præmium conſequebatur; vt meritò dixerit Apoſtolus: *Et vnus accipit brauium*, quæ Græca vox eſt, pro qua Latinè Cyprianus [a], & Ambroſius palmam dicunt. Eſt autem propriè præmium, quod certantibus, ac vincentibus datur. Exiſtimant autem βραβεῖον dictum quaſi ῥαβδεῖον, duabus litterulis commutatis, atque tranſlatis eam ob cauſam, quòd certaminum iudices data virga palma victorem pronuntiarent, vnde apud Græcos βραβευταὶ dicti ſunt, quaſi ῥαβδοῦχοι, qui victorem deſignant; quos Latinè deſignatores appellare [b] poſſumus: de quibus tamen alij aliter opinantur, aliíſque etiam nominibus vocitari contendunt. Obſeruat autem Ambroſius, hoc exemplo indicare voluiſſe Apoſtolum quanta ſit vtilitas legis noſtræ, in qua non vni, ſed omnibus promiſſa eſt palma. Chryſoſtomus verò ex hoc ipſo colligit, quanto ſtudio, conatúque nobis laborandum ſit; *hoc autem dicit, non quòd vnus quoque ſit hic futurus ſaluus: abſit; ſed quòd nos multùm debeamus adhibere ſtudium: nam ſicut illic multis in ſtadium deſcendentibus non coronantur multi, ſed vnus id aſſequitur, nec ſufficit in certamen deſcendere, neque vngi, & luctari; ita hic quoque non ſufficit credidiſſe, & leuiter, ac vtcumque decertaſſe, ſed niſi ita curramus, vt ad finem vſque nos præbeamus nulli affines reprehenſioni, & propinqui ſimus præmio nihil ad nos redibit emolumenti.* Propterea ſubdit: *Sic currite, vt comprehendatis.* Quibus verbis (vt ait Chryſoſtomus) formam, ſiue exemplum currendi commonſtrat. Theophylactus hoc ſenſu accipit. *Hoc animo* (inquit) *currite, non tantùm, vt videamini certaſſe, ſed appetiſſe victoriam.* Ambroſius ſimpliciter ait ſollicitè currẽdum ad promiſſionem,

II. quæ omnino magna eſt. Sed ambigi poteſt, vtrum aduerbium ſic, referendum ſit ad *vt*, quod ſequitur: quaſi dicat; Ita curſum inſtituite, vt palmam aſſequamini: vel certè ad propoſitam ſimilitudinem, vt quomodò curſores in ſtadio omni labore, conatúque nituntur palmam conſequi; non abſimili ratione nobis contendendum ſit, vt propoſitam palmam comprehendamus. Vtrouis modo eadem ſententia conſtat, prior tamen explanatio mihi magis arridet, non enim Græcè ſcriptum eſt οὕτω, ſed ἵνα. Cæterùm, quòd noſter interpres dixit; *vt comprehendatis*: Cyprianus ſenſum potiùs, quàm verba exprimens dixit, *vt occupetis*; occupare enim dicitur is qui aſſequitur, & anteuertit, vt alludat ad curſores, ex quibus is accipit brauium, qui cæteros curſu præuertit. Hippomachus apud Plutarchum [c] ſignificat coronam ſuſpenſam pendere conſueuiſſe, ſic enim ſcribit Plutarchus: *Hippomachus aliptes laudantibus quibuſdam hominem procerum longis manibus, vt bonum pugilem, certè, inquit, ſi corona quæ ſuſpenſa eſt detrahenda ſit*: quin etiam Ælianus [d] ſignificat conſueuiſſe victorem propria manu capere: quo alluſiſſe videtur Chryſoſtomus [e], qui dixit ἁρπάσαι τὸ βραβεῖον. Et alibi [f]: *palmámque corriperent, vt redimiti corona cum victoribus prædicarentur, ac in cœtum beatorum allegarentur.* Sic etiam Procopius [g] loquitur; & Statius [h]:

Irrupit clamore fores, clamore recurrit.

Et alio [i] loco.

Obruit, & prenſa vouet expirare corona.

Caſſiodorus [k]: *Si Olympiaci currus aguntur rapit præmia poſt labores*: Ad quam conſuetudinem alludens Petrus Chryſologus [l] ita de infantibus martyribus

A loquitur. *Confitentur tacentes, neſcientes pugnant, vincunt inſcij, moriuntur inconſcij, ignari tollunt palmas, coronas rapiunt ignorantes. Ergo ſicut virginitas corruptionis neſcia, contulit honorem Matri; ſic infantia paſſionis ignara, martyrij palmas rapuit, & coronas.* Cæterùm coronas ab agonothetis tribui, & à præcone imponi conſueuiſſe, colligitur ex M. Tullio [a]; ſic enim ſcribit: *Multi denique reprehendunt & dicunt, verecundiores eſſe præcones ludorum gymnicorum, qui cùm cæteris coronas impoſuerunt victoribus, eorumque nomina magna voce pronuntiarunt, cùm ipſi ante ludorum miſſionem corona donentur, alium præconem adhibeant, ne ſua voce ipſi ſe victores eſſe prædicent.* Quod igitur ait Apoſtolus; *ſic currite, vt comprehendatis*. alludit quidem ad victores, qui curſu cæteris ſuperiores fue-

B runt: ſed non tam de manus comprehenſione ſentit, quàm de coronæ conſecutione, & metæ contactu, de quo Horatius.

Qui ſtudet optatam curſu contingere metam.

Et Statius: [b]

——Correpto crine reductum

Occupat, & longè primus ferit oſtia meta.

Quod alibi fortè fuſiùs oſtendam.

25. I. OMNIS AVTEM, QVI IN AGONE CONTENDIT, &c. A curſoribus ad agoniſtas tranſit; nam quod ait Latinus interpres, *Omnis, qui in agone contendit*; græcè dixit Apoſtolus, πᾶς δὲ ὁ ἀγωνιζόμενος, id eſt, *omnis autem agonizans*: vt athletas, & pugiles omnes comprehendat. Non me tamen præterit, exiſtimaſſe nonnullos, hæc etiam ad curſores pertinere;

C vt ipſe curſus agonis nomine comprehendatur ex Diodoro [c] Siculo, & Herodoto [d]. Nam Hieronymus [e] curſoribus præeſſe dicit agonothetas. *Contrà de nobis* (inquit) *ſic currite, vt comprehendatis: non eſt inuidus agonotheta noſter, nec alterius palma alteri parat ignominiam, omnes athletas ſuos deſiderat coronari.* Probabile id non nego; neque enim Apoſtolus, vt alij etiam eccleſiaſtici ſcriptores, tam religiosè hæc gymnicorum ludorum vocabula vſurpant. Sed non video cur non de athletis propriè loqui poſſit Apoſtolus, qui paulò antè de curſoribus egerat; cùm præſertim quæ de abſtinentia ſcribit maximè athletis conueniant. Ait autem athletas, ac pugiles abſtinere ſe ab omnibus; nam miram fuiſſe athletarum continentiam, ex prophanis, & ſacris ſcriptoribus didici-

D mus, præſertim Platone [f], Galeno [g], Æliano [h]. Simplicius [i] certè; *Athleta* (inquit) *à Venere abſtinent, amore oleaginæ coronæ, quæ in Olympicis dabatur.* Et Horatius [k], vt paulò antè dixi. *Abſtinuit* (inquit) *Venere, & vino*. Clemens [l] Alexandrinus. *Audiui* (inquit) *athletas non paucos abſtinere à Venere propter exercitationem corporis continentes; quemadmodum Crotoniatem Aſtylum, & Criſonem Imæreum*, de quibus nominatim agunt Plato [m], & Pauſanias. Baſilius [n] ſanè: *exercitationum autem* (ait) *magiſtri, ac pædotribæ, certatores ad certamina in ſtadiis producentes, multa ſuper eo quod ſtrennè pro coronis laborare oportet, adhortantes proferunt; vt iam multi perſuaſi ſint, vt corporis ſui contempſerint, ob victoriæ conſequendæ ſtudium, & ambitionem.* Et Tertullianus [o]: *Nempe enim* (ait) *&*

E *athletæ ſegregantur ad ſtrictiorem diſciplinam, vt robori ædificando vacent, continentur à luxuria, à cibis lætioribus, & à potu iucundiore: coguntur, cruciantur, fatigantur; quantò plus in exercitationibus laborauerint, tantò plus de victoria ſperant.* Quod eo pluris facien-

II. dum eſt, quòd Ariſtoteles [p] athletarum victum ἀναγκοφαγίαν, hoc eſt, edendi neceſſitatem vocat, quòd maiori quadam cibi quantitate neceſſariò egeant. Vt enim ſcribit Galenus [q], carnis minæ duæ vix illis ſatis erant; vt non prorsùs incredibile videatur, quod de athleta Milone Crotoniata, & Heraclide pugile celebratur,

a epiſt. 9. & de ſpe.
b Vlpian. l. 4. § denique, qui ... Budæ. ... lib. 5. Et ... c. 5.
c De cupiditate diuitiarum ... in poli...
d lib. 9. Var. hiſt. cap. 31.
e cap. 7. ad ... in mor.
f epiſt. 5 ad Theodor. lapſum.
g lib. 44.
h lib. 6. Thebaid.
i lib. 5. Syluarum.
k lib. 11 variarum c. 40.
l Serm. 152.
a lib. 5 ep. ad Lucceium.
b lib. 6. Thebaid.
c lib. 15 & 19.
d lib. 2.
e epiſt. 28.
f lib. 8 de leg.
g li. 2 de nox. affect.
h lib. 11. var. hiſtor.
i in epict. cap. 43.
k in arte poet.
l lib. 3. Strom.
m in Protag. & l. 8 de leg.
n Hom. 2. de ieiun.
o ad martyr. cap. 3.
p lib. 8 polit. cap. 3.
q lib. 2. de dign. pulſ.

celebratur, quorum alterum carnium minas viginti, A totidémque panis deglutiſſe, & vini choas perſiccaſſe tres, & aliquando taurum abſumpſiſſe: alterum propè infinitum vorаſſe cibum ferunt. Ob eam rem idem Ariſtoteles [a] ſcripſit, athletis ſæpenumero membra variis modis affici; cùm ob nimiam edacitatem natura haud æquè poſſit cibum conficere, & confectum ad omnes corporis partes iuſta proportione diſpertiri. Et Galenus [b], vt meminit B. Hieronymus [c], athletas dixit quorum vita ſagina eſt, nec viuere poſſe diu, nec ſanos eſſe, animaſque eorum ita nimio ſanguine, & adipibus quaſi luto inuolutas, nihil tenue, nihil cœleſte, ſed ſemper de carnibus, & ructu, & ventris ingluuie cogitare. Et Clemens [d] Alexandrinus, Vires ait athletis ex illa edendi neceſſitate obuenire iniuſtas, lubricas, & miſeras. B De gladiatoribus autem ait Cyprianus [e]: *Impletur in ſuccum cibis fortioribus corpus, & arvina toris membrorum moles robuſta pingueſcit, vt ſaginatus in pœnam carius pereat.* Et in eamdem ſententiam accipio, quod alicubi ſcripſit Quintilianus [f]. *Sicut athletarum corpora etiamſi validiora fiant exercitatione, & lege quadam ciborum, non tamen eſſe naturalia, atque ab illa ſpecie, quæ ſit conceſſa hominibus abhorrere.* Et ruſus: *Quemadmodum athletæ remiſſa quibuſdam temporibus ciborum, atque exercitationum certa neceſſitate, otio, & iucundioribus epulis reficiantur.* Baſilius [g]: *Eos* (inquit) *qui palæstræ laboribus deſtinati ſunt, neceſſe eſt largo cibo ſe ipſos impinguare, quò validius labores capeſſant.* Marcus autem Tullius [h]. *Subduc* (ait) *cibum vnum diem athletæ, Iouem Olympium eum ipſum cui ſe* C *exercebat ferre ſe non poſſe clamabit.* Tertullianus [i]: *Saginantur pugiles, & pyctæ Olympici, illis ambitio competit, quibus & vires neceſſariæ.* Et alio loco [k], Athletas altiles homines vocat. Nec diſſimilia ſcribit Hieronymus [l]. Certè Galenus [m] athletarum nomen à miſeria deductum putat, quòd eorum miſerrima ſit vitæ conditio; nam vt ſcribit Plutarchus [n]. Corpus athleticum fatiſcit, & priſtinam gratiam amittit. Et apud eumdem [o]. Feſtiuè dixit Ariſto factos eſſe athletas ad inſtar columnarum gymnaſij, pingues, & ſaxeos.

III. Quomodo igitur ait Paulus: *Ab omnibus ſe abſtinent;* cùm tanta ſit eorum voracitas, atque edendi neceſſitas? Optimè (ni fallor) rem explicat Caſſianus [p]. *Illi etenim* (ait) *qui in agone viſibili ſtudent legitime decertare, vtendi omnibus eſcis, quas* D *deſiderij libido ſuggeſſerit, non habent facultatem; ſed illis tantùm, quas eorumdem certaminum ſtatuit diſciplina. Et non ſolùm interdictis eſcis, & ebrietate, omnique crapula eos neceſſe eſt abſtinere, verùm etiam cuncta inertia, otio, atque deſidia, vt quotidianis exercitiis, iugique meditatione virtus eorum poſſit accreſcere. Et ita omni ſollicitudine, ac triſtitia, negotiiſque ſæcularibus affectu etiam, & opere coniugali efficiuntur alieni, vt præter exercitium diſciplinæ, nihil aliud nouerint, nec vlli mundiali curæ penitùs implicentur; ab eo tantùm, qui certamini* E *præſidet ſperantes quotidiani victus ſubſtantiam, & coronæ gloriam, condignáque præmia victoriæ laude conquirere. Atque in tantum ſe mundos ab omni coitus pollutione cuſtodiunt, vt cùm ſe præparant, ad agonum certamina, ne qua forſitan per ſomnum nocturna deluſi fallacia vires imminuant multo tempore conquiſitas, laminis plumbeis renum contegant loca, quo ſcilicet metalli rigore genitalibus membris applicito obſcænos humores valeant inhibere, intelligentes ſe proculdubio eſſe vincendos, nec iam poſſe propoſitum certamen ademptis viribus adimplere, ſi promiſſam pudicitiæ ſoliditatem fallax noxiæ voluptatis imago corruperit.* Quod ſi ſpectemus vim Græcæ vocis ἐγκρατεύεται, poſſimus interpretari omnia ſuſtinet, aut tolerat, aut (quod magis probandum eſt) in omnibus temperans eſt. Cyprianus [q] interpretatur, *In omnibus temperanter agit:* quomodo etiam accipiunt interpretes Clementis [a] Alexandrini, & Irenæi [b]. Chryſoſtomus cum noſtro interprete ſentit. *Non ab hoc quidem* (inquit) *abſtinet, in alio autem peccat, ſed & ingluuiem, & liguritionem, & temulentiam, & (vt ſemel dicam) omnia vincit vitia.* Et paulò pòſt: *Iis enim, qui decertant, tempore decertationis non licet inebriari, neque ſcortari, ne vires diſſoluant, ſed neque in villaro alia verſari, ſed ſe omnino ab omnibus abducentes ſolis gymnaſiis dant operam.*

IV. Quòd (ſi quod aliquando mihi venit in mentem ſuſpicari) ἐγκρατεύεται ab Ariſtotele dictam interpretemur, certorum ciborum neceſſitatem, vt non tam ad quantitatem, quàm ad genus ipſum referatur, planior erit, magiſque perſpicua ſententia; quam non obſcurè inſinuant Theodoretus, Ambroſius, & Hieronymiani commentarij. Sic enim ait Theodoretus. *Reſpicite ergo ad eorum labores; neque enim omnia conſequuntur, vt concupierint; ſed illud alimentum accipiunt, quod eis offert pædotriba, is ſcilicet, qui exercitij artem docet.* Et Ambroſius: *Ab his omnibus* (abſtinet) *quæ vitanda eadem tradidit diſciplina.* Et Hieronymus. *Ab omnibus eſcis, quæ curſum eorum impedire conſueuerunt.* Et certè proprium fuiſſe athletarum cibum intelligitur ex Pauſania [c]. Scribit enim Dromeum neſcio quem primum athletas carnibus ſaginaſſe, cùm antea recenti caſeo veſcerentur. Quod Laertius [d] Pythagoræ philoſopho tribuit, additque olim athletas ad caſeum caricas, & nuces adhibuiſſe. Plinius [e] eius mutationis auctorem fuiſſe putat Pythagoram pædotribam, non philoſophum. Hieronymus [f]: *Athletarum* (ait) *ſolidus cibus eſt, qui & vitam ſuſtentat humanam, & viuentibus præbet fortitudinem.* Et alibi [g]. *Idcirco ſues, & apros, & ceruos, & reliquas animantes creatas, vt milites, & athletæ, ſectores, metallorúmque foſſores, & cæteri duro operi mancipati habeant cibos, quibus fortitudo corporum neceſſaria eſt: qui portant arma, & cibaria, qui pugnis, & calcibus ſua inuicem membra debilitant, qui remos trahunt, quorum latera ad clamandum dicendúmque ſunt valida, qui ſubuertunt montes, & ſub dio, & imbribus dormiunt. Cæterùm noſtra religio non πύκτην, non athletam, non nautas, non milites, non foſſores, ſed ſapientiæ erudit ſectatorem.* Et paulò pòſt cùm de Milonis Crotoniatæ viribus ageret. *Illius,* inquit, *vires olera non miniſtrant, quæ naſcuntur, & aluntur carnibus. Quid neceſſe eſt viro ſapienti, & philoſopho Christi, tantam habere fortitudinem; quæ athletis, & militibus neceſſaria eſt, quam cùm habuerit, ad vitia prouocetur?* Certè (auctore Galeno [h]) alimenta quærebant athletæ, non tam ad vires, quàm molem corporis comparandam. Philo [i] verò: *Robur* (ait) *ab omnibus athletis; moles, à luctatoribus maximè quærebatur.* Et Xenophon [k]: Dolichadromis crurum ſaginationem, & craſſitiem, humorúmque extenuationem, πύκταις contrà ſeu pugilibus humorum craſſitiem, crurum tenuitatem curæ fuiſſe in perſona Socratis docet. Denique Gregorius [l]: *Mos verò* (ait) *eſſe narrantium ſolet, vt cùm palæſtræ certamen inſinuant, priùs luctantium membra deſcribant, quàm latum, validumque ſit pectus, quàm ſanum, quàm plenis tumeant lacertis, quàm ſubterpoſitus venter, nec mole grauet, nec extenuatione debilitet.*

V. Cæterùm ſuo tempore certam adhibitam fuiſſe athletis ciborum abſtinentiam indicat Galenus [m]: *Nam in prandio,* inquit, *panem, quem vocant colyphium edebant, in cœna verò carnibus veſcebantur.* Ad hanc igitur athletarum continentiam reſpexiſſe videtur Apoſtolus, cùm dixit: *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet:* non quidem prorſus ab omnibus, ſed ab omnibus iis, quæ vires frangunt, aut debilitant; quæque legitimum certamen impedire aliqua ratione queunt.

Et illi

a lib. 4. de gen. anim.
b in orat. ſuaſor. ad art. c. vlt.
c lib. 2. in Iouin.
d lib. 2. pædag. cap. 1.
e epiſt. 2.
f lib. 12. inſtit. cap. 10.
g Hom. 2. de ieiun.
h lib. 2. Tuſc.
i lib. de ieiun. in fin.
k li. de ſpect. cap. 10.
l lib. 2. in Iſa. & lib. 2. in Iouin.
m adhor. ad art. cap. 5.
n in Fabio.
o lib. de ſanit. tuen.
p lib. 6. de inſtit. renunc. cap. 7.
q de exhort. mart. & in epiſt. ad mar.
a Strom. 1.
b Lib. 4. c. 31.
c lib. 6.
d in Pythag.
e lib. 23. c. 7. videndus Iamblichus lib. 1. de ſophiſt. nu.
f lib. 2.
g lib. 2. in Iouin.
h lib. ad Thraſyb.
i lib. de Som.
k in Sympoſ.
l lib. 19. mor. cap. 1.
m in Com. ad aphor. Hipp. aph. 16.

Et illi quidem, inquit, *vt coronam corruptibilem accipiant.* Athletis non eadem quouis tempore propoſita fuiſſe præmia, auctor eſt Clemens [a] Alexandrinus. Primò (inquit) fuit δόσις, quam vocem nonnulli interpretantur donum: Herodianus autem indicare videtur fuiſſe congiarium: Malim leue aliquod munuſculum accipere [b]: quod indicat alicubi Athenæus [c] cùm ex elegis Xenophanis de athletis agit: eá Tertullianus [d], dotem, Tacitus [e] ſtipem vocat. Secundò excitatio, quod nihil erat aliud, quàm quod, vt alicubi ſcribit Plinius [f]; etiam à ſenatu aſſurgi, in more eſſet. Eſt autem Græca vox ἀνηγορευσις, niſi quis malit, quod video aliis placere, ea voce ſignificari plauſum, & ἐπαίνων, quo victorum laudes canebantur, vt cæteri ad gloriam, & virtutem excitarentur: nam quod ait Plinius, aliò fortaſſe ſpectat. Tertiò foliorum ſparſio. Poſtremò omnium fuit corona, *cùm Græciæ poſt tempora medica magna ad delicias facta eſſet acceſſio:* Nam vt idē Plinius ſcribit, antiquitus nulla corona niſi Deo dabatur, viritim verò ne in certamine quidem vlli: ferúntque primum omnium Liberum Patrem impoſuiſſe capiti ſuo: ſed ex hedera, poſtea Deorum honori ſacrificantes ſumpſere, nouiſſimè etiam in ſacris certaminibus vſurpatæ. Suidas autem præmia initio agoniſtis proponi ſolita ſcribit: deinde factum eſſe, vt ſine iis etiam decertarent, tunc verò victoribus coronas ab amicis inditas: ſed & aliud præſtantius quidpiam conceſſum, è longinquo etiam loco flores circumeuntibus, & folia emiſſa, additque ſua ætate præſtantioribus petaſos, & zonas iniici conſueuiſſe. Cæterùm quod ait Apoſtolus. *Et illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant*, alluſiſſe videtur ad agones, quos (vt ait Pollux [g]) ſtephanitas & phillinas appellabant, quorum præmia coronæ erant, & frondes, quorum erant apud Græcos quatuor genera, Nemeæa, Pythia, Iſthmia, Olympia. Erant enim alij agones, quos thematicos, ſeu argyritas vocabant, in quibus argentum, & pecuniarum præmium erat, aut etiam ænea vaſa; vel argenteæ phyalæ vinariæ, veſtis mollis eina hyberna, clypei, atque id genus alia. Loquitur autem Apoſtolus de corona, quòd ea videretur magis præmio, quod expectant iuſti conſentanea. Sic enim alibi dixit Apoſtolus [h]. *De reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitia.* Ad augendam autem argumenti vim addit. *Et illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptā.* græcè φθαρτὸν & ἄφθαρτον antitheſi acri, ac vehementi: illa enim corona breui interitura eſt; hæc verò ſempiterna, & immortalis. Ad hunc locum alluſiſſe videtur Tertullianus [i]. *Bonum enim agonem ſubituri eſtis, in quo agonothetes Deus viuus eſt: Xyſtarches Spiritus ſanctus: corona æternitatis, brabium, angelicæ ſubſtantiæ politia in cœlis, gloria in ſæcula ſæculorum. Itaque Epiſtates veſter Chriſtus Ieſus, qui vos ſpiritu vnxit, & ad hoc ſcāma produxit, voluit vos ante diem agonis ad duriorē tractationem à liberiore conditione ſeponere, vt vires corroborarentur in vobis.* Nonnullis verò interiectis. *Et illi* (inquit Apoſtolus) *vt coronam corruptibilem conſequantur, nos æternam conſequuturi carcerem nobis pro palæſtra interpretemur, vt ad ſtadium tribunalis benè exercitati incommodis omnibus producamur; quia virtus duritia extruitur, mollitia verò deſtruitur.* Et alibi [k]. Cœleſtis beatitudinis coronam mirificè deſcribit; *Qui vicerit* (inquit) *dabo ei coronam vitæ: eſto & tu fidelis ad mortem: decerta & tu bonum agonem, cuius coronam, & Apoſtolus prępoſitam ſibi meritò confidit. Accipit & Angelus victoriæ coronam procedens in candido equo, vt vinceret; & alius iridis ambitu ornatur cœleſti. Protoſedens & presbyteri coronati: eodémque auro, & ipſe filius hominis ſupra nubem micat*, & alia deinceps in eandem

A ſententiam. Non abſimili ratione de immortalitatis gloria, & corona diſſerit Cyprianus [a]. *Pretioſa* (inquit) *mors hæc eſt, quæ emit immortalitatem pretio ſui ſanguinis, quæ accepit coronam de conſummatione virtutis.* Meritò autem Apoſtolus corruptibilem coronam vocat, quæ vt plurimùm ex frondibus, aut floribus conficiebatur, vt varia erant certaminum genera; coronam verò, quam expectant iuſti, rectè dixit incorruptibilem: nam & Petrus [b] Apoſtolus vocat *hæreditatem incorruptibilem, incontaminatam, & immarceſſibilem conſeruatam in cœlis.*

EGO IGITVR SIC CVRRO, NON QVASI 26.
IN INCERTVM, &c. Quoniam ſuo exemplo ad- 1.
hortari cœperat Corinthios, hic quoque ſe ipſum imitandum proponit. Cùm enim dixiſſet, pro immortali corona certandū eſſe, quia & curſus, &
B certaminis mentionem fecerat, ſe quoque & currere, & certare dicit. *Sic* (inquit) *curro, non quaſi in incertum. Quid eſt autem* (ait Chryſoſtomus) *non in incertum? ad ſcopum* (inquit) *aſpiciens, non temere, & inconſideratè, ſicut vos.* Putat enim in eodem argumento verſari Apoſtolum, vt ab eſu idolothytorum reuocet Corinthios; quaſi dicat. Vos temerè curritis, qui abſque vllo fructu, aut vtilitate idolothytis veſcimini. Ambroſius, & Hieronymus ſimpliciter explicant de ſpe, atque expectatione immortalis vitæ, atque beatæ. Omnia (inquit) mea conſilia ad vitam ſempiternam refero, quod vobis etiam, atque etiam faciendum ſuadeo. *Sic pugno non quaſi aërem verberans*: vt hoc referatur ad certamen, quemad-
C modum prius illud ad curſum. *Non quaſi* (inquit) *aerem verberans*, græcè ὡς οὐκ ἀέρα δέρων: putant enim nonnulli [c], pertinere hæc verba ad σκιαμαχίαν, quò videntur pertinere illa apud Poëtam. [d]

—— *alternáque iactat*
Brachia protendens, & verberat ictibus auras.

Erat enim illud quaſi in cantu præludium, quo ſe pugiles ad certamen veluti acuebant, quod fermè leoni natura duce, inditum ferunt, vt terram cauda quatiens irā, & furorē excitet: quod etiam curſoribus in more poſitū erat, ſic enim ſcribit alicubi Statius [e].

—— *tunc rite citatos*
Explorant acuúntque gradus, variaſque per artes
Exſtimulant docto languentia membra tumultu:
Poplite nunc flexo ſidunt, nunc lubrica forti
D *Pectora collidunt plauſu, nunc ignea tollunt*
Crura, breuémque fugam, necopino fine reponunt.

Itaque Apoſtolus negat, ſe vmbratilem illam pugnam imitari, quæ nullam habet vtilitatem, nullum fructum. *Habeo* (inquit Chryſoſtomus) *quem feriam.* Apertiſſimè verò Theodoretus: *Nec inanem* (inquit) *laborem ſuſcipio, aërem feriens; ſed qui ſub aſpectum non cadunt, aduerſariis vulnus infero.* Hoc autem poſuit metaphora ſumpta à pancratiaſtis, ſeu pugilibus, ac gladiatoribus; ſolent enim illi dum ſe exercent manus in aëre mouere. Quod autem Latinus interpres dixit: *ſic pugno.* græcè eſt πυκτεύω, quod eſt, pugilum certamen exerceo, & pugnis certo. Ambroſius, aut qui auctor eſt commentariorum, qui eius nomen præferunt, legit *enitor*; explicat autem, *non verbis*
E *magis quàm rebus contendo.* Ambroſius [f] verò ipſe *Percutio* (inquit) *pugnis.* Auguſtinus [g] autem ita hunc locum citat. *Non ſic pugilor, quaſi aërem cædens*, additque, *pugilari eſt pancratium facere.* Quid autem ſit pancratiū, & pācratiaſtæ explicant qui res agonoſticas tractāt. Quod autem ait: *Aerē verberans*: prouerbij rationem [h] habet. id autem videtur ſignificare, quod fruſtra, & inaniter laborare, quod ferè Latini dicunt: vmbras ferire, aut pugnare cum laruis. Quomodo autem vel currat, vel pugilem agat, mox explicans ſubiicit.

a ...pæda. b ...li. de ...pon. c. c ... d ... e ...ſcripſit. f ...anna. ...lib. 14. g lib. h 2. ad Timotheum 4. i ad Mart. c. 3. k de corona mil. c. 15.

a epiſt. 9. b Ep. 1. c. 1. 4. c Mercur lib. 3. de ar. gym. c. 4. & lib. 5. c. 6. in fine. Pet. Fab. lib. 1. agoniſt c. 3. & li. 3 c. 11. & 12. d Virg. lib. 5. Æneid. e lib. 6. Theb. f li. de parad. cap. 42. g in Pſ. 37. & in Tract. de vtil. ieiun. h Adria. Iun. Cent. 6. prou. 82.

27. I. SED CASTIGO CORPVS MEVM, ET IN, &c. Hæc Chryſoſtomus ad eumdem idolothytorum eſum refert. Putat enim, eos tacitè perſtringi, quaſi ventri & gulæ indulgerent, ſuóque exemplo frangendas, vincendáſque cupiditates docet. *Non dixit* (inquit) *interimo, neque enim caro eſt inimica: ſed caſtigo, & in ſeruitutem redigo.* Ita etiam Theodoretus. *Sicut alimentum* (inquit) *robuſtum athletam efficit, ita labor, ſtudium & continentia me quidem confirmat, & fortem ac validum reddit: aduerſarium autem debi-* A *& afflictione carnali, non quaſi aerem verberans, id eſt in vanum ictus continentia porrigens, per quos non aerem vacuum, ſed illos ſpiritus, qui in eo verſantur, caſtigatione ſui corporis verberabat. Qui enim dicit, non quaſi aerem verberans, oſtendit ſe tametſi non aerem vacuum, & inanem, aliquos tamen in aere verberare.*

cit. Hieronymi commentarij eodem pertinere putant, quò illa quæ alibi [a] ſcribit. *In ieiuniis multis, in vigiliis, in fame, & ſiti, in frigore, & nuditate, in laboribus, & in carceribus.* Ambroſius. *Caſtigare corpus* (inquit) *eſt, ieiuniis illud angere, & illa ei dare, quæ ad vitam proficiant, non ad luxum.* Notat hunc locum Baſilius [b]. *Caſtigo* (ait) *corpus meum, non directè dixit, caſtigo vitia carnis, ſed indirectè. & ita dæmonem confœderatum cum ſenſu noſtro, qui in luto carnis deliteſcit, & tentare ſolet, peto, & illi plagas infero.* Cæterùm quod attinet ad vim verborum, Græcè pro eo, quod Latinè dicitur, *Caſtigo*, ſcriptum eſt ὑπωπιάζω, quod alij [c] quidem legunt per, o, quaſi ſignificet, *comprehendo*, vt eodem ſpectet, quò ea, quæ ſequuntur, *Et in ſeruitutem redigo*; & quaſi mancipium mihi penitus ſubiicio. Nec deſunt qui legant ὑποπιέζω, hoc eſt ſupprimo, elido, vexo, &, quod nonnulli dicunt, obculco. Idque omninò pugilum metaphoræ cõgruit: qui id maximè nituntur, vt *antagoniſtam* ſupplantent, atque deiiciant, in quo poſita erat victoria. Ita legiſſe videtur Clemens [d] Alexandrinus, Gregorius [e] item Nazianzenus diſputans contra Eunomianos. Quæ etiam interpretatio cum ſequentibus mirè congruit: proſtratus enim aduerſarius nullo propè negotio, quaſi mancipium in ſeruitutem adducitur. At ni fallor, omnium optimè ſcribitur ὑπωπιάζω, per ω, ſignificat autem contundo, & percuſſionibus liuidum reddo, & ſugillo; quod etiam maximè conuenit pugilibus, qui dum pugnis certant liuore, ſeu ſanguinis nota ſugillare oculos præcipuè conſueuerunt, quos illi ὦπας appellant: ὑπώπια autem Suidæ, & Heſychio ſunt partes circa oculos ictibus contuſæ, ac liuidæ. Ita Paulinus [f] ad Auguſtinum interpretatur verba Pauli. *Liuidum* (inquit) *facio corpus.* Sic etiam interpres Irenæi [g]. *Sic pugno* (inquit) *non quaſi aerem cadens, ſed liuidum facio corpus meum, & in ſeruitutem redigo.* Auctor de ſingularitate clericorum apud Cyprianum Latinè dixit, *Affligo corpus meum* vt legiſſe videatur ὑποπιέζω: ſed propiùs vero crediderim, quod habent nunc vulgati codices, quomodo legunt, & interpretantur Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, & alij.

[a] 2. ad Cor. 6.
[b] lib. de virgin.
[c] Bud. in adnotat. ad pandect. l. athletas. 4. ff. de his, qui not. infa. Inſinuat Auguſt. ſerm. de Cataclyſ. Itaque habẽt nonnulli codic.
[d] iij Stroma. non procul à fine.
[e] Orat. 5.
[f] ep. 58. inter epiſt. Auguſt.
[g] lib 4. c 72.

II. Notauit hunc locum diligenter Caſſianus [h]. *Vis* (inquit) *audire verum athletam Chriſti legitimo agonis iure certantem? Ego igitur* (inquit) *ſic curro, non quaſi in incertum; ſic pugno, non quaſi aerem verberans; ſed caſtigo corpus meum, & ſeruituti ſubiicio, ne aliis prædicans ipſe reprobus efficiar. Vides vt in ſe ipſo, id eſt, in carne ſua colluctationum ſummam, velut in baſe quadam firmiſſima ſtatuerit, & prouentum pugnæ in ſola caſtigatione carnis, & in ſubiectione ſui corporis collocarit?* Et aliquantò [i] pòſt, cùm hæc ipſa Apoſtoli verba iteraſſet, ſubdit: *Quod propriè ad continentiæ labores, & corporale ieiunium, atque afflictionem carnis pertinet, per hanc ſe pugilem quendam ſtrenuum ſuæ carnis eſſe deſcribens, nec in vanum aduerſus eam ictus continentiæ exercuiſſe deſignans, ſed triumphum pugnæ mortificatione ſui corporis acquiſiſſe, quo verberibus continentiæ caſtigato, & cæſtibus ieiuniorum eliſo, victori ſpiritui immortalitatis coronam, & incorruptionis contulit palmam.* Et paucis interiectis; *ſic pugnat ieiuniis ſcilicet,*

[h] lib. 5. de inſtit. renun. ca. 17. 18. 19.
[i] cap. 18.

Quibus ſanè verbis ſequutus opinor Chryſoſtomum apertè ſignificat, Paulum inedia, & corporis vexatione aduerſus prauas, atque impuras cupiditates certaſſe, itáque eas ſeruituti ſubieciſſe, vt rectæ rationi obſequerentur, & facilè obtẽperarent. Quod enim ait, *Caſtigo*, perinde eſt, ac ſi dicat non aliter, ac pugiles validis ictibus, & pugnis, aut cæſtibus contundo, ac ſugillo. Et paulò pòſt. *In ſeruitutem redigo.* Græcè δουλαγωγῶ, quod quidem verbum id ſigni- B ficat, quod paulò antè dixi, appetitiones edomare, & rationis imperio penitus ſubdere. Videtur autem id reſpicere, quod graues in primis auctores commemorant: olim ſiquidem multi ſpectaculorum voluptate capti, pantomimorum veſtibula quaſi principum frequentabant, vt intelligitur ex Plinio [a], & Seneca [b], cuius hæc ſunt verba: *Stat* (inquit) *per ſucceſſores Pyladis, & Bathylli, domus harum artium: multi diſcipuli ſunt, multíque doctores. priuatim vrbe tota ſonat pulpitum, in hoc viri, in hoc fœminæ tripudiant: mares inter ſe, vxoréſque contendunt, vter det latus illis:* nam (vt ait Tacitus [c]) *egredientes in publicum equites Romani cingebant.* Hoc (opinor) ſignificat Tertullianus [d]. *Etenim ipſi auctores, & adminiſtratores* (inquit) *ſpectaculorum quadrigarios, ſcenicos, xyſticos, ha-* C *renarios illos amantiſſimos, quibus viles animas fœminæ, aut illi etiam corpora ſua ſubſternunt, propter quos in ea committunt, quæ reprehendunt; ex eadem parte, quam magni faciunt deponunt, & diminuunt, immò manifeſte damnant ignominia, & capitis minutione, arcentes curia, roſtris, ſenatu.* Quem locum vt deſcripſi planè legendum cenſeo: nec aſſentior viro docto, qui conatus obſcuro loco lucem afferre, tenebras potiùs offudit, & maculam aſperſit; ſignificat enim Tertullianus, rideodam eorum eſſe leuitatem, & inconſtantiam, qui mimos tamquam infames honoribus arceant; iis tamen partim animos, partim etiam corpora ſubſternant, ſiue dum eos quaſi laterones comitantur, ſiue dum ſe iis dant in diſciplinam, & ab eorum voluntate, nutúque pendent: inſulſum igitur, D nedum turpe fuit pro amãtiſſimis ſubſtituere amentiſſimos, cùm Tertullianus amantiſſimos poſuerit pro amatiſſimos, quos videlicet illi quodammodo deperibant, ita enim plerumque aliàs loquitur. nec probari poteſt, quòd ea, quæ ſequuntur, ita interterit, quibus *viri animas, fœminæ autem illis corpora ſua ſubſternunt:* quorſum enim hæc turpitudo tam fœda, támque aliena; nec enim propterea mimi in pretio erant. Fortè illi longè meliùs leguot, quibus *viles animas fœminæ*, quæ videlicet illos ſuſpicerent, & admirarentur; aut illi etiam, hoc eſt, auctores, & adminiſtratores ſpectaculorum corpora ſua ſubſternunt, quos veluti clientes comitantur. Ad hanc igitur (vt ita dicam) ſeruitutem reſpexiſſe videtur Apoſtolus, ſi pugilum, ac luctatorum metaphoram retinuit; neque E enim victores ſuos antagoniſtas, quos ſuperaſſent, quaſi mancipia in ſeruitutem ducebant; ſed ſpectatores in amorem ſui, & admirationem rapiebant.

III.

[a] lib. 29.
[b] lib. 7. quæſt. natur.
[c] lib. 1. an.
[d] li. de ſpect. cap. 22.

IV. Addit Apoſtolus: *Ne cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Reprobus* Græcè dicit ἀδόκιμος, quod poſſis ad Deum, & homines referre: ad homines quidem, vt ſenſus ſit; ne dum me viderint homines rectè docentem, ſecus autem viuentem, me facilè contemnant, & pro nihilo habeant. Quomodo videtur accepiſſe hanc ipſam vocem Apoſtolus in poſteriori Epiſtola ad Corinthios [e]. *Voſmetipſos* (inquit) *tentate*

[e] cap. 13.

A *tentate ſi eſtis in fide, ipſi vos probate. An non cognoſcitis voſmetipſos, quia Chriſtus Ieſus in vobis eſt? Niſi fortè reprobi eſtis, ſpero autem quod cognoſcetis, quia nos non ſumus reprobi. oramus autem Deum vt nihil mali faciatis, nō vt nos probati pareamus, ſed vt vos, quod bonum eſt, faciatis, nos autem, vt reprobi ſimus.* Quæ procul dubio de hominum iudicio accipienda ſunt: qui enim aliter docet, quàm viuat, ipſe ſe ſuo ſuffragio damnat, & meritò ab iis, qui vident eius mores à doctrina diſſidere, reiicitur, & contemnitur. Et valdè omnino veriſimile eſt hac ratione Pauli verba etiam hoc loco accipienda eſſe. Origenes tamen, Chryſoſtomus, Theodoretus, Ambroſius malunt, hanc vocem referri ad Deum[a]. Origenes enim hunc in modum ſcribit. *Neque vlla prorſus creatura aduerſante à caritate Dei ſe poſſe diuelli dicit, neque ex vllo adverſariorum capere metum, vt verum oſtenderet,*

B *quod perfecta caritas foras iam miſit timorem: habuit enim aliquando ipſe metum, & timuit ne fortè caderet. Et iſte, qui modo cœleſtium virtutum aduerſum ſe ſi commoueantur bella, non metuit, aliquando vel carnem ſuam metuit, & ex ea conſurgentes inſidias formidauit quando dicebat ſcribens ad Corinthios: Macero corpus meum, & in ſeruitutem ſubiicio, ne fortè cum aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar; & ideo præ cæteris omnibus carnis inſidiæ formidandæ ſunt.* Eodem modo loquitur Chryſoſtomus. *Si autem* (inquit) *Paulus hoc timuit, qui tam multos docuit, & timuit poſtquam prædicauit, & factus eſt Angelus, & totius orbis terræ defenſionem ſuſcepit, & patrocinium, quid nos dixerimus?*

C *Ne enim exiſtimetis* (inquit) *quoniā credidiſtis, hoc vobis ſufficere ad ſalutem; nam ſi mihi prædicaſſe, docuiſſe, innumerabiles adduxiſſe non ſatis eſt ad ſalutem niſi meæ quoque actiones ſint eiuſmodi, vt in eas nulla cadat reprehenſio, multò magis vobis.* Neque aliter accepiſſe

a in epiſt. ad [illegible] cap. 12.

A videtur auctor de ſingularitate clericorum apud Cyprianum. *Certè* (inquit) *plus omnibus ipſe laborante, & tamen ad mulieres circumducendas, collegas ſuos imitari contremuit, ne ſe ad interitum ſubiiceret tentationi carnali, vnde ipſe rationem ſic reddidit dicens. Ego* (inquit) *ſic curro, non quaſi in incertum, ſic pugno, non quaſi aërem cædens, ſed affligo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè aliis prædicans ipſe reprobus inueniar.* Verùm quod ait de mulieribus circumducendis, nullo modo ei aſſentior; eius enim conſilii Apoſtolici, longè aliam fuiſſe rationem paulò antè docuimus. Cæterùm quānam ratione potuerit Paulus de ſua ſalute dubitare, alibi videro. Certè hîc (vt monet Theodoretus) ad curſorum, ac pugilum exemplum reſpexit; quorum plerique optata palma

B fruſtrantur. *His autem* (inquit) *vtor pertimeſcēns, nè cùm alios id, quod oportet docuero, ipſe à certaminum fine omnino excidam.* Euſebius[a] Emiſſenus, aut quicumque alius eſt auctor. *Ecce* (inquit) *B. Paulus iam Chriſti habitaculum, iam vas electionis effectus, intelligit, ſibi non ſufficere ſolam gratiam, niſi gratiæ adiungat ſollicitudinē vigilantiæ, & laboris induſtriam,* vt pudeat aliquos ita Dei gratiā extollere, vt omnem liberi arbitrii conatum penitùs negligant. Itaque Paulus, ieiunio atque inedia corpus edomabat, & effrænatas cupiditates frangebat; vel quod magis reor, materiā illis, ac veluti fomitem ſubducebat, nō quòd eorum vim atque impetū, re ipſa experiretur, ſed vt eorum motus præuerteret; ſuóque exēplo alios informaret.

C Neque aliter accipio Origenem, Hieronymū & alios, qui hæc Pauli verba, ad æſtus libidinis ſedandos referunt, non quibus Paulus inflammaretur; ſed quos ille abſtinētia atque inedia quàm lōgiſſimè arceret; Hoc enim erat Apoſtolicæ modeſtiæ, & Chriſtianæ humilitatis ac ſolicitudinis, etiam tuta timere.

a Hom. 1. de ieiunio quadrag.

Argumentum Cap. X.

CVM ſuperiori capite ſuum propoſuiſſet exemplum, vt Corinthios ad ſui imitationem prouocaret; hic exemplo veterum Hebræorum reuocat ab idololatria, & idolothytorum eſu, de quo hactenus diſſeruerat, oſtenditque quod ſuprà[b], & in Epiſtola ad Romanos ſcripſerat, rem quidem eſſe planè indifferentem, ex cuiuſque animo, conſilioque atque aliorum offenſione, & ſcandalo ſpectandam: videri tamen vt plurimùm ad idololatriam pertinere, quam Hebræorum exemplo in primis vitandam monet: In omnibus verò Dei potiſſimùm gloriam quærendam eſſe docet, & commemoratione ſacrificii euchariſtici ad abominanda idolothyta hortatur.

b cap. 8.

CAPVT X.

NOLO *enim vos ignorare, fratres quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt.*

Et omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari:

Et omnes eamdem eſcam ſpiritalem manducauerunt.

Et

PARAPHRASIS.

NOLO autem vos lateat, fratres (quod 1.
myſtica, & ſymbolica quadam ratione
in veteris inſtrumenti hiſtoriis occultabatur)
Patres noſtros omnes nubis illam
columnam vix quaſi ducem ſequutos ſiccis veſtigiis
Rubrum mare nouo atque inaudito miraculo
tranſmiſiſſe. ¶ Eoſdémque ductu Moſis, cui ſeſe 2.
penitus regendos, curādóſque permiſerant, quémque
omnium primum in maris quaſi alueo pedem
fixiſſe viderant, nube illa, ac mari veluti quodam
typico baptiſmo fuiſſe luſtratos; nam aqua quidem
baptiſmi materiam, nubis verò columna Spiritum
ſanctum indicabat; qui dum corpus vnda abluitur
animam expiat. ¶ Neque verò id ſolùm, ſed æquè 3.
omnes ad vnum, nemine prorſus excepto, tam bonos,
quàm malos; tam qui fidem perpetuò retinnerant,

rant,quàm qui ad idola defecerant, eamdem ſpi-
ritualem eſcam ediſſe; id eſt illud manna cœlitùs
miſſum, quod prætet externam ſpeciem, quam
præſeferebat, cibum verè cœleſtem, ac diuinum
ſignificabat, quem nos Chriſti beneficio percipi-
4. mus. ¶ Er eodem denique ſpirituali potu fuiſſe
recteatos (bibebant enim ex ſpirituali obſequen-
te,& eorum votis obſecundante petra; petra verò
erat Chriſtus)ſignificatione,ac ſymbolo; ſic enim
plerumque ſcriptura loqui ſolet, vt ſymboli no-
men rei,quæ ſignificatur ſymbolo tribuat; & con-
trà ſymbolum rei ſignificatæ nomine nuncupet:
quomodo Deum ignem appellar, & Chriſtus ipſe
5. ſe vitem veram nominat. ¶ Tametſi autem hæc
ita ſunt;non omnes tamen æquè Deo placuerunt,
ſed potiùs eorum pleroſque qui ſeſe idololatriæ
ſcelere polluerunt,quíque ſeditiones, & ſchiſmata
excirarunt, non modò non approbauit Deus, ſed
vltor, ac vindex, non vno mortis genere in vaſta
6. illa ſolitudine proſtrauit. ¶ Sed hæc quaſi quæ-
dam exemplaria fuerunt, in quibus tanquàm ta-
bellis Deus nobis delineauit, quid fugere, quid
ſequi debeamus; præcipuéque monuit, ne prauis
cupiditatibus ſuccumbamus, quibus illi obſtricti
miſerandum in modum perierunt. ¶ Neque quiſ-
7. quam idololatriæ ſcelere inquinetur, vt plurimi
eorum contaminati ſunt; ſic enim ſcriptum acce-
pimus,ſediſſe populum otioſè, & gulæ, ac genio
liberiùs indulſiſſe; mox verò ſurrexiſſe, & ludos
8. more gentium idolis celebraſſe. ¶ Neque fœda li-
bidine ſcortemur & ipſi; quemadmodum eorum
non pauci ſcortati ſunt, vſque eò, vt iuſto Dei iu-
dicio vno, eodémque die viginti tria millia cæſa
fuerint. ¶ Neque tentemus Chriſtum,quod fece-
9. runt ij, cùm plura, ac maiora quærerent à Deo,
quàm quæ vidiſſent, atque experti eſſeot, & illius
diuinam prouidentiam quodammodò accuſarent,
qui venenatis ſerpentum morſibus obierunt.
10. ¶ Neque denique quiſquam obmutmuret, vt
murmutauetunt ij,qui ſeditionem, & ſchiſma in
populo excitauerunt, & confeſtim ab extermina-
tore;hoc eſt,Angelo vindice,atque vltore abſum-
11. pti ſunt. ¶ Quæ ſanè omnia vt narrantur verè
olim contigerunt, propriè tamen(vt dictum eſt)
eueniebant eis,vt quodammodo in iis, tamquàm
in typis perſpiceremus, quæ nos ira Dei maneat,
ſi iiſdem vitiis fuerimus obnoxij;atque idcirco li-
terarum monimentis conſignata ſunt, vt nos pri-
ſcorum Patrum exemplo monerent, atque excita-
rent, qui in hæc poſtrema tempora incidimus.
12. ¶ Qui igitur vana,atque arroganti ſecuritate, & à
ſtulta de ſe ipſo opinione orta ſtare ſibi videtur, &
pollicetur firmitatem;is etiam, atque etiam videat
13. ne labatur,& cadat. ¶ Tentatio vos nulla quidem
capiat niſi humana;ſcitote autem fidum eſſe Deũ,
qui non ſinet vos ſuprà vires periclitari, ſed idem
ille, qui vos in diſcrimen adduxit,veſtræ memor
vtilitatis, exitum vobis expediet ad euadendum,
idque magno cum fructu,& emolumento,vt quæ-
14. cumque erunt ferre poſſitis. ¶ Quapropter per
eam

Et omnes eumdem potum ſpiritalem bibe-runt: bibebant autem de ſpiritali conſe-quente eos petra:petra autem erat Chriſtus.

Sed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo;nam proſtrati ſunt in deſerto.

Hæc autem in figura facta ſunt noſtri, vt non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt.

Neque idololatræ efficiamini,ſicut quidam ex ipſis;quemadmodum ſcriptum eſt:ſedit po-pulus manducare & bibere,& ſurrexerunt ludere.

Neque fornicemur, ſicut quidam ex ipſis for-nicati ſunt, & ceciderunt vna die viginti tria millia.

Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eo-rum tentauerunt, & à ſerpentibus peri-runt.

Neque murmurauerìtis, ſicut quidam eorum murmurauerunt,& perierunt ab extermi-natore.

Hæc autem omnia in figura contingebant illis; ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtrã, in quos fines ſæculorum deuenerunt.

Itaque qui ſe exiſtimat ſtare,videat ne cadat.

Tentatio vos non apprehendat, niſi humana: fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis; ſed fa-ciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere.

Propter quod cariſſimi mihi,fugite ab idolo-rum

rum cultura.

Vt prudentibus loquor, vos ipſi iudicate quod dico.

Calix benedictus, cui benedicimus, nónne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis, quem frangimus, nónne participatio corporis Domini eſt?

Quoniam vnus panis, vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus.

Videte Iſrael ſecundùm carnem: nónne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris?

Quid ergo? dico, quòd idolis immolatum ſit aliquid? aut quòd idolum ſit aliquid?

Sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem, vos fieri ſocios dæmoniorum; non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum.

Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.

An æmulamur Dominum? nunquid fortiores illo ſumus?

Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. omnia mihi licēt, ſed non omnia ædificant.

Nemo quod ſuum eſt, quærat, ſed quod alterius.

Omne quod in macello vænit, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam.

Domini eſt terra, & plenitudo eius.

Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne, quod vobis apponitur, manducate, nihil

eam vos oro, atque obteſtor, qua vos proſequor
beneuolentia, vt ab idolorum cultu quàm longiſ-
ſimè abſitis. ¶ Hoc tanquam peritis (ſic enim vos 15.
alloquor) paucis indicaſſe viſum eſt ſatis; vos qua
decet diligentia, ac ſtudio verba mea expendite.
¶ Poculum ſanè ritè benedictum, cuique nos 16.
quotidie benedicimus, verbíſque à Chriſto Do-
mino inſtitutis mirandum in modum conſecra-
mus; nónne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?
Panis verò, quem frangimus, atque in ara offeri-
mus; nónne communicatio corporis Chriſti eſt?
¶ Ita ſanè ſentiendum eſt, quoniam qui eiuſdem 17.
ſacrificij ſocij ſumus, vnus panis, & vnum quo-
dammodò corpus multi ſumus, quandoquidem
omnes vnius, atque eiuſdem cœleſtis, ac diuini
panis participes efficimur. ¶ Videte quæſo Iſrae- 18.
litas, illos inquam, qui corpoream circumciſio-
nem circumferunt, qui externis ſacrificiis, ac cæ-
remoniis ſunt adhuc addicti; nónne qui eorum
victimas edūt, eiuſdem cultus, & ſacrificij conſcij
ſunt, ac veluti conſortes, ac ſocij, & illo quaſi vin-
culo in eadem religione copulati? Vobis igitur
(ſat ſcio) cùm iis ſacrificare religio eſſet, cur non
idem multo magis ſtatuitis de prophanis idolo-
latrarum ſacrificiis? ¶ Quorſum autem hæc diſ- 19.
puto? An (contra id quod paulò antè docui) idolū
aliquid eſſe, vel quod idolis immolatum eſt, ali-
quam contraxiſſe maculam affirmo? aut aliqua
tandem vi, ſeu poteſtate Deorum ſimulacra præ-
dita eſſe exiſtimo, vt ab iis aliquid metuendum
videatur? ¶ Immò verò aſſero, idola muta eſſe 20.
dæmonum ſimulacra, & quæ gentes immolant,
ea dæmoniis, non Deo immolari. Nolim autem
vos cum dæmone quidquam habere commune,
aut in eam ſocietatem coire, quæ dæmonum au-
ſpiciis inſtituitur. ¶ Non poteſtis mihi credite 21.
poculum Domini bibere, quod in Eccleſia ritè
conſecratur, & poculum dæmonū libare, quo im-
piè, ac nefariè idolorū aræ polluuntur eadémque
ratione non poteſtis menſæ Domini participes
eſſe, & etiam menſæ dæmonum. ¶ An ad iram, 22.
atque indignationem prouocamus Dominum?
Num adeo deſipimus, vt eò nos validiores eſſe
putemus? adeóque illum tam liberè fidentérque
irritemus? ¶ Ego verò ſic omnino ſtatuo, omnia 23.
mihi licere, quæ pura, integráque conſcientia pe-
raguntur, at non omnia conducere: omnia mihi (vt
dixi) licere, ſed nō omnia ædificare, atque aliis pro-
deſſe. ¶ Nemo ſua commoda ita ſtudioſe quærat, 24.
vt alienæ vtilitatis omnem prorsùs memoriam, &
cogitationem abiiciat. ¶ Quidquid in macello 25.
vænale proſtat, eo ſi me audieritis, liberè veſci po-
teſtis; nihil interrogantes, aut percunctantes an-
tequàm ematis; ecquid illud, quod vænum pro-
ponitur ſit idolothytum, an ſecus, quaſi dubitetis,
ſit-ne ex earum rerum genere, quibus veſci liceat,
an non, idque ob alterius infirmam conſcientiam.
¶ Domini eſt enim terra, & quidquid vſquam ter- 26.
rarum cernitur. ¶ Quòd ſi quiſpiam infidelium 27.
vos ad cœnam inuitet, & libeat vobis ad huiuſ-
modi

modi conuiuium accedere,equidem cibis quibuſ-
libet appoſitis liberè vobis veſcendum cenſco,
neque percunctandum, num fuerit aliquid idolo
oblatum,an ſecus,quaſi aliquo cibo veſci religio
28. ſit,idque ob conſcientiam ¶ Quòd ſi quis vobis
dixerit quidpiam eſſe idolis immolatum,abſtinen-
dum reor,tum propter illum , qui indicauit , tum
29. etiam propter conſcientiam. ¶ Conſcientiam
autem cùm dico , non tuam ipſius intelligo , qui
agis,ſed alterius , quo præſente quidpiam agis.
Cur enim ego libertate mea ita temerè vtar,vt hoc
libertatis beneficium ægro fratri, qui mea actione
30. læditur interitum afferat ? ¶ Quòd ſi ex Dei be-
neficio hoc, vel illo cibo vti mihi licet ; cur com-
mittam, vt mea culpa hoc Dei beneficium mihi
vitio vertatur,in eóque impius iudicer, quo Deo
31. pro beneficiis gratias ago? ¶ Igitur(vt paucis mul-
ta complectar) ſiue editis , ſiue bibitis , ſiue aliud
quidpiam agitis, date diligenter operam , vt om-
32. nia ad Dei immortalis gloriam referatis. ¶ Eſtote
ſine offendiculo : itaque veſtræ omnes vitæ ratio-
nes componite , vt neque Iudæis , neque Græcis,
neque Eccleſiæ Dei vllum vnquam ſcandalum
33. præbeatis. ¶ Quemadmodum ego quoque qua-
cumque ratione poſſum omnibus placere ſtudeo;
non meam interim vtilitatem quærens ,ſed eam,
quæ ad multos pertineat , vt multi ſalutem con-
ſequantur.

nihil interrogantes propter conſcientiam.

Si quis autem dixerit : hoc immolatum eſt idolis:nolite manducare propter illum, qui indicauit,& propter conſcientiam.

Conſcientiam autem dico non tuam ,ſed alterius. Vt quid enim libertas mea iudicatur ab aliena conſcientia?

Si ego cum gratia participo ; quid blaſphemor pro eo,quod gratias ago?

Siue ergo manducatis, ſiue bibitis , ſiue aliud quid facitis , omnia in gloriam Dei facite.

Sine offenſione eſtote Iudæis, & Gentibus,& Eccleſiis Dei.

Sicut & ego per omnia omnibus placeo , non quærens quod mihi vtile eſt,ſed quod multis, vt ſalui fiant.

IN CAPVT DECIMVM

EXPLANATIO.

1. NOLO ENIM VOS IGNORARE, FRATRES,&c. At quorſum iſta? rectè Chryſoſtomus. *vt oſtendat* (inquit) *non prodeſſe fidem, ac ne baptiſmum quidem , niſi vita , & mores conſentanei ſubſequantur:* quemadmodum non omni Iudæorum nationi fuit egreſſus ex Ægypto,& cætera, quæ commemorantur ab Apoſtolo: ſic etiam Hieronymiani commentarij : pro eo verò , quod noſter interpres legit *Enim:* Græci codices habent δὲ,id eſt (*autem*) quod noui interpretes perinde accipiunt , quaſi ad alia digrediatur. Ambroſius certè cum noſtro interprete legit (*enim*) Ego vtrouis modo legas , non digredientis, ſed continuantis eandem diſputationem , vim accipio,idque auctore Chryſoſtomo : quaſi dicat propoſui vobis meum exemplum ; vt autem planiùs oſtendam , non ſatis eſſe bene cœpiſſe , ſed proficiendum in dies magis, enitendúmque , vt fœliciter perueniatur ad coronam ; reuocabo vobis in memoriam,quæ olim patribus noſtris contigerunt. Patres autem appellat Iudæos , non quidem cognatione ſanguinis , cùm vt plurimùm Corinthij gentiles eſſent , ſed fidei,ac religionis coniunctione. Eadem enim erat eorum fides , & quod attinet ad rem ipſam eadem religio,vt alicubi affirmat Auguſtinus [a]; ita ad Romanos vocat Abrahamum fidelium omnium parentem,ſiue illi gentiles ſint , ſiue Iudæi. *Sub nube* (inquit *fuerunt*. Haud dubito Paulum loqui de ea columna nubis,de qua ſcriptum eſt in Exodo [a] : ad eam enim hiſtoriam alludit , vt ipſa verba ſatis apertè indicant. Hinc Clemens [b] Alexandrinus colligit,non omnes qui verbũ audiunt,*facto , & verbo cœpiſſe*(vt ille loquitur) *magnitudinem cognitionis*,contra Marcionem , & Prodicum. Videtur autem idem ſignificare , quod aliis verbis dixit Chriſtus [c] : *Non omnis , qui dicit mihi Domine , Domine , intrabit in regnum cælorum.* Crediderim ſanè Apoſtolum vſum hac ratione dicendi ; *Sub nube fuerunt* , non ſolùm vt indicaret,eos ductu nubis Ægyptum deſeruiſſe , ſed etiam vt oſtenderet,eos obſcurè, ac veluti nube inuolutos, noſtra attigiſſe myſteria; quaſi dicat , typis, ac figuris quibuſdam Chriſtiana ſacra ſuſcepiſſe. Addit:*Omnes mare tranſierunt* ; ſicco videlicet veſtigio , non ſine ingenti miraculo , quod non minùs imperitè , quàm impiè calumniati ſunt gentiles Miror Ioſephum [d] ex gentilium fabulis, aut Græcorum mendaciis huic diuino prodigio fidem aſtruere ; ait enim Pamphylium pelagus ceſſiſſe Alexandro ; quod rectè Plutarchus [e] hyperbolicè ab hiſtoricis ſcriptum memorat,quòd Alexander incredibili penè celeritate maritimam Pamphyliæ oram peragrauit ; quod Menander in comœdia cecinit. Illi verò ad augendam rei magnitudinem addidit Ioſephus, arma Æpypnotum vi venti ad citeriorem littoris partem tranſmiſſa,vſui deinde fuiſſe Hebræis.

ET OMNES IN MOSE BAPTIZATI SVNT

a lib.4.contra.

Moſis videlicet opera, atque conſilio io ipſo Rubti A maris tranſitu veluti baptiſmo expiati, ad Palæſtinæ poſſeſſiooem vocati ſunt, & quodammodo noſtri baptiſmi vim typo quodam expreſſerunt, vt alicubi ſcribit Baſilius [a]: neque aliter hoc loco Chryſoſtomus. *In Moyſe* (inquit) *baptizati ſunt, quia Iudæi quod Moyſi confiſi ſunt, hoc eſt, viderunt eum primùm mare tranſeuntem, etiam ipſi mari ſe credere auſi ſunt.* Et in eandem ſententiam Theodoretus. *Illa* (inquit) *erant noſtrorum typus, mare enim imitabatur piſcinam ſeu lauacrum, nubes autem gratiam ſpiritus, Moſes verò ſacerdotem, virga autem crucem; Iſrael verò ſignificabat eos, qui baptizantur, perſequentes verò Ægyptij implebant figuram dæmonum, ipſe autem Pharao erat imago diaboli.* Eodem modo loquitur Oecumenius, & Athanaſius [b] ad Antiochum. B *Hic enim* (ait) *baptiſmi ſignum erat, quod per Rubrum mare pertranſiuit Iſraeliticus populus; nam ſicut illi tranſmiſſi effugerunt inimicorum inſidias, & in deſerto nutriebantur manna; ſic etiam baptizati liberantur à ſpirituali Pharaone, & ab Ægyptiis dæmonibus, ſuſtentantúrque ſuper cæleſti pane.* Quod autem ait. *In Moyſe*, Græcè eſt εἰς τὸν μωϋσῆν, hoc eſt: *in Moyſen.* Sic enim loqui ſolet Apoſtolus, vt aliàs monui. Auguſtinus [c] legit: *Per Moyſem*: an melius, *in legem Moſis*? quaſi eos dicat Moſis auſpiciis, baptiſmo fuiſſe luſtratos, vt ab eo deinde legem acciperent, quemadmodum qui Chriſti baptiſmum percipiunt, eius ſe legi, ac præceptis obſtringunt. Ita videtur exiſtimaſſe Baſilius [d]. *Fides* (inquit) *quæ erat in Moyſem ad Dominum refertur, qui ſequeſter eſt inter Deum, & homines, qui dixit* [e]. *Si crederetis Moyſi, crederetis vtique & mihi. An ideo parui momenti eſt fides in Dominum, quæ per Moſem præſignata eſt? Non opinor. Conſimili ratione, ſi quis in Moſe baptizatus eſt, nequaquam ob id eſt exigua Spiritus ſancti gratia in Baptiſmate. Quamquàm & alioqui poſſum dicere, conſuetudinem eſſe ſcripturæ, Moſis nomine etiam ſignificare legem, velut illic* [f]. *Habent Moyſen, & prophetas.* Porrò Cyprianus [g] ex hoc loco probat omnem diaboli nequitiam, & virus in baptiſmo extingui. *Quod exemplum* (inquit) *cernimus in rege Pharaone, qui diu reluctatus, & in ſua perfidia demoratus, tandiù reſiſtere potuit, & prævalere, donec ad aquam veniret; quò cùm veniſſet, & victus eſt, & extinctus: mare autem illud ſacramentum baptiſmi fuiſſe declarat B. Apoſtolus dicens. Nolo enim vos ignorare (fratres) quia Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt.*

[a de Spir. ſ. cap. 14.] [b Quæſt. 14.] [c Pſal. 77.] [d de Spirit. ſanct. cap. 14.] [e Ioan. 5.] [f Luc. 16.] [g Epiſt. 76.]

3. ET OMNES EAMDEM ESCAM SPIRITA-
I. LEM, &c. Num eamdem, quam nos? Ita viſus eſt accipere ex Catholicis nonnemo [k]; cùm enim verba Chriſti explicaret. *Non Moyſes dedit nobis panem de cœlo, ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum:* (ait) *quem nos de altari ſancto accipimus, & ſanguinem, quem de cœlo, id eſt calicem epotamus, quem Patres noſtri ediſſe, & bibiſſe ferunt, & ita eamdem eſcam, quam nos manducamus, & eumdem potum, quem nos bibimus, illos bibiſſe.* Probant vehementer hanc interpretationem hæretici, quòd eamdem fuiſſe putant veterum ſacramentorum cum noſtris ſubſtantiam: ita colligunt, nos ſpiritualiter tantùm Chriſti corpus ſumere, & bibere ſanguinem: ſed mendacium mendacio cumulant: tam enim falſum eſt veteres patres eamdem, quam nos eſcam, & potum percepiſſe, quàm nos Chriſtum ſpiritualiter tantùm per fidem manducare, & bibere: qui re ipſa ipſius vero corpore alimur, ac ſanguine potamur, non quidem ad alendum, nutriendúmue corpus, ſed ad animum vegetandum; vt alio loco copioſiùs doceo. Præſtat autem interpretari; omnes veteres Patres eamdem abſque vllo diſcrimine eſcam manducaſſe, & bibiſſe potum; atque ita Apoſtolus dicit: Omnes eamdem ſine diſcrimine tam bonos, quàm malos eſcam ediſſe ſpiritualem, hoc eſt manna, de quibus paulò pòſt ſubdit. *Sed non in omnibus beneplacitum eſt Deo:* Nam alioqui ineptiſſima eſſet Pauli ratiocinatio: nec enim potuit ita argumentari: eamdem illi nobiſcum ſpiritalem eſcam manducauerunt; & tamen non in pluribus eorum beneplacitum eſt; poteſt igitur fieri, vt neque nos placeamus Deo; videretur enim ex aduerſo pugnare cum ſententia Chriſti, qui apud Ioannem [a] dicit. *Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt. qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Quibus verbis vitam pollicetur iis, qui ſuum corpus comedunt, quam negat aſſequutos illos, qui comederant manna. Accedit quòd non ita multò pòſt priſca illa ſacramenta typos, & figuras appellat, cùm tamen Chriſtus attulerit gratiam, & B veritatem. Non nego Auguſtinum alicubi [b] dixiſſe; veteres illos patres eamdem nobiſcum eſcam manducaſſe, ſed perinde ſe explicat, vt hæreticis nullo modo faueat, veram & catholicam ſententiam mirificè declaret. Ait enim eamdem fuiſſe ſignificatione, non autem re ipſa: ita in Ioannem [c] ſcribit. *Sacramenta illa, quæ fuerunt in ſignis, diuerſa ſunt, in re quæ ſignificatur paria ſunt.* Alibi [d] ait. *Vetera ſacramenta promiſiſſe ſaluatorem, noſtra dare ſalutem.* Ruſus [e]. *Idem in myſterio cibus, & potus illorum, & noſter; ſed ſignificatione idem, non ſpecie; quia idem ipſe Chriſtus illis in petra figuratus, nobis in carne manifeſtatus.* Alioqui eſſe noſtra ſacramenta ab illis diuerſa, apertiſſimè docet his verbis [f]. *Aliud eſt paſcha, quod Iudæi de C oue celebrant, aliud quod nos in corpore, & ſanguine Domini accipimus.* Sed cur (aiunt hæretici) vocat eſcam ſpiritualem? certè non aliam ob cauſam reſpondent, niſi quia connectit ſignum cum re ſignificata, & expedit vt ſacramentum, quamuis qui fidei os non afferebant, nihil ſpirituale comederent, ſed externum ſignum duntaxat: interim verò manna non deſinebat eſſe ſacramentum, ac proinde eſca ſpiritualis, cùm hominis infidelitas non poſſit irritam facere Dei promiſſionem. Itaque manna ſpiritualis eſca dicitur, quia aliquid illo dum offerretur minimè terrenum, ſed planè cœleſte, ac diuinum concipiebatur, quod ſolius ſpiritus vi id eſt fide conſpici, atque edi poterat; nimirum Chriſtus ſuo tempore naſciturus, & mortis, ac reſurrectionis ipſius D beneficium iam tum iis præſens, & efficax, qui eum venturum fide amplectebantur: eadem ratio eſt ſpiritualis potus. Sed manna fuiſſe ſacramentum nullo modo admiſerim, nec ſatis intelligo, vnde noui euangelici didicerint, manna offerri conſueuiſſe: nuſquam enim id ſcriptura tradit: tantùm legimus fuiſſe manna reconditum in vaſe poſitum in arca: non vt offerretur, ſed vt ad poſteritatis memoriam conſeruaretur: Cætera non prorſus reiicio. Neque enim inficiandum eſt ſpiritualem eſcam vocari mãna propter ſignificationem: indicabat enim Euchariſtiæ ſacramentum, qui erat veluti eius corporis ſpiritus, veréque dicitur eſca ſpiritualis, non quód non ſit vera, & realis corporis, & ſanguinis Chriſti præceptio, ſed quia non alit, aut vegetat corpus, ſed E animum, ac ſpiritum, vt ſuo loco planiùs explicatur. Simpliciùs tamen crediderim vocari ſpiritualem eſcam, & potum, quia diuina vi neque ſine miraculo vtrumque ſubitò populo fuerat exhibitum: qua ratione manna dicitur panis cœli, & panis angelorum: in aere videlicet, angelorum opera factus. Ita ſapiens [g]: *Angelorum eſca nutriſti populum tuum, & paratum panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem.* Ita æquè omnes eiuſdem tum eſcæ, tum potus fuere participes.

[k Lib. 1. in Ioan. cap. 1.] [a cap. 6.] [b Tract. 26. in Ioan. & in Pſ. 77.] [c loco indic.] [d Pſal. 73.] [e 75.] [f lib. 2. cont. lit. Petil. c. 7.] II. [g Sap. 16.]

4.
I. Et omnes evmdem potvm spiritva-A lem,&c. Eadem propemodùm ratione dicitur potus ſpiritualis, quòd ſubitò aquæ diuino miraculo ex ſilice prodierint. Sic enim ſcribit Iſaias[a]. *Dedi in deſerto aquas, flumina in inuio vt darem potum populo meo electo meo.* Et alibi[b]: *Non ſitierunt in deſerto, cùm educeret eos: aquam de petra produxit eis, & ſcidit petram, & fluxerunt aquæ bibebant autem* (inquit) *de ſpirituali conſequente eos petra*: græcè ἀκολουθούσης. Origenes[c] ſequentem petrã refert ad nubem, quæ legitur præceſſiſſe Hebræos, omninò coacta interpretatione: illa ſiquidem non ſequebatur, ſed præibat Hebræorum exercitum, nec facilè excogitari poteſt ratio, cur nubes illa appellanda ſit petra. *Videtis* (inquit) *quantum differat ab hiſtorica lectione Pauli traditio, quod Iudæi tranſitum maris putant, Pau-*B *lus Baptiſmum vocat: quam illi exiſtimant nubem, Paulus Spiritum ſanctum ponit.* Et aliquanto pòſt. *Manna, quod Iudæi cibum ventris, & ſatietatem exiſtimant gulæ, eſcam ſpiritualem nominat Paulus.* Et paucis interiectis: *Tum deinde de ſequenti petra apertè pronuntiat Paulus, & dicit. Petra verò erat Chriſtus.* Quæ ferri vtcumque poſſent, niſi veritatem hiſtoriæ viderentur excludere. Intelligit igitur proculdubio Paulus petram, de qua ſcriptum eſt in libro Numerorum[d]. *Tulit igitur Moyſes virgam, quæ erat in conſpectu Domini ſicut præceperat ei, congregata multitudine ante petram, dixitque eis. Audite rebelles, & increduli. num de petra hac vobis aquam poterimus eiicere? cùmque eleuaſſet Moyſes manum percutiens virga bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita vt populus bibe-*C *ret, & iumenta.* Sed cur de petra conſequente? Chaldæus[e] paraphraſtes, quem plerique Hebræorum ſequuntur, riuum ex rupe profluentem popolo nunquàm defuiſſe dicit, ac ſi rupes ipſa eos eſſet comitata: ridiculo planè commento, & quod facilè ex ſcripturis refelli poteſt; vt hoc loco confutat Theodoretus; nam poſtquàm diſceſſit populus ex loco, vbi petra Oreb fuderat aquas, denuo ſiti laborauit, & aliam aquam impetrauit[f]. Nec facilè fieri potuit ſine magno miraculo, vt aqua per deuia circumactum exercitum perpetuò ſequeretur. Igitur Chryſoſtomus, Theodoretus, Ambroſius, & Athanaſius[g] referunt ad Chriſtum, tanquàm Deum, eiúſque diuinam prouidentiam; quæ totos annos quadraginta quaſi aſſiduus Iſraelitarum comes peculiari patro-D cinio tutata eſt: alij ad Chriſtum quidem, ſed hominem venturum referunt, tanquàm humanæ ſalutis auctorem, & vindicem libertatis, à quo venturo fidei beneficio innomerabilia bona hauriebant. Quò videtur ſpectaſſe Baſilius[h], qui ait, Chriſtum fuiſſe lapidem, ex quo aqua promanabat, quia typus erat viuificæ potentiæ verbi Dei, quod de ſe dixit. *Si quis ſitit veniat ad me, & bibat.* Et Euangeliſta[k]. *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Neque aliter accepiſſe videtur Tertullianus[l]. *Hæc eſt* (inquit) *aqua, quæ de comite petra populo profluebat.* Et alibi[m]. *Et petram potus ſubminiſtrando Chriſtum alleget fuiſſe.* Ita res ipſa à ſigno diuellitur, quod nullo modo repugnat ſcopo Apoſtoli; nam tametſi non ſolùm pe-E træ, ſed etiam eſcæ Chriſtus reſpondebat, quæ verius illos re ipſa comitabatur, quia vbique locorum manna colligebant; tantùm tamen dicitur; *petra erat Chriſtus*, non quòd non eadem ratione dici poſſit eſca; ſed quia petræ metaphora aptiùs Chriſto congruit, qui alibi ab Apoſtolo dicitur ſummus angularis lapis, cui omnis Eccleſia innititur, tamquàm firmo, ac ſtabili fundamento. Accedit quòd petra illa, vnde effluxit aqua apertiùs indicat immenſam Chriſti beneficentiam. Certè Tertullianus[n] ad Hebræorum interpretationem alluſiſſe videtur; ait

a cap. 41.
b cap. 48.
c Hom. 5. in Exodum.
d cap. 20.
e Num. 20.
f Num. 20. 21.
g de Incarn. Chriſti. & de comm. eſſen. Pat. & Fil. & Spir. ſanct.
h lib. de Spir. ſanct. cap. 14.
i Io. 7. 37.
k Luc. 6. 19.
l lib. de Bap. cap. 9.
m lib. 3 cont. Marc. cap. 5.
n lib. de patien. cap. 6.

A enim. *Poſt manna eſcatilem pluuiam, poſt petra aquatilem ſequelam deſperant de Domino.* Sic etiam Hieronymi commentarij: ſed Photij interpretatio apud Oecumenium expeditiſſima eſt; obſequentem enim petram Iſraelitarum voluntati, ac deſiderio intelligit: ſic enim ſcribit. *Senſibilis quidem erat nempe petra, quæ Iſraelitis aquam ſcatiterunt: hanc tamen non propria natura ſcaturiebat, ſed petra ſpiritalis virtute, quæ eis per efficaciam aderat, & ad vſum ſitientium comitabatur; hoc eſt ad illorum ſalutem, & vtilitatem omnia commutabat, ac transformabat, & ad ipſorum voluntatem ſequebatur; & nunc quidem aquam eis ad tranſitum in petrarum modum firmabat; nunc verò cœlum ad cibum, & edulium abunde eis excolebat: alio autem tempore petram ad aquarum ſcaturigines aperiebat. Idcirco* II.
B *meritò dici poterant de ſpiritali petra bibere: hæc enim erat, quæ ſenſibilem illam in aquarum fontes ſoluerat. Quænam autem erat ſpiritalis illa petra, quæ ipſos omnes ſubſequebatur, & ad cuiuſque temporis neceſſitatem, naturas rerum in ordinem transfundebat, ſimúlque tranſmutabat? quæ? Iam ſubſequenter dicit nempe Chriſtus, qui nunc erga nos quoque ſimilia, ac maiora demonſtrat.* Ita cùm priſcis patribus Chriſtum nomine petræ ſignificari autumat, cuius diuina prouidentia illi populo mirabiliter aderat: mox verò aliam adhibet explicationem à ſuperiori non admodum diuerſam. *Licet quoque* (inquit) *id quod dicitur comitabatur aliter intelligere. Intellectualis namque petra, nempe Chriſtus, non ſolùm iis, quæ dicta ſunt beneficiis mirabiliter eos donauit; verùm etiam in ſequentibus comitabatur, ac*
C *ſequebatur proximè ad hæc, immò etiã maioribus Iſraelitem afficiens beneficiis: ſed & nos modo fideles comitatur, ita vt conſequens ſit, & quæ in veteri, & quæ in nouo Teſtamento admiranda præſtita ſunt opera, vel beneficia, eiuſdem eſſe prouidentiæ eiuſdem Dei, ac Domini.* Diuina ergo Chriſti prouidentia ſpiritualis erat petra, quæ Hebræorum voluntati obſecundabat: de qua mox ſubdit. *Quod autem ait comitabatur, innuit quod ſemper vnà præſens erat Chriſti ſpiritus, omniáque ſigna operabatur.* Sed haud ſcio an eam explanationem vulgata lectio admittat; nam vox quidem Græca non magnopere repugnat. *Petra autem* (inquit) *erat Chriſtus.* Hic triumphant metonymici noſtri, & verbum, *erat*, idem putant valere, quod ſignificabat. At ego conſtanter affirmo, neque hîc neque vſquam
D alibi, ſiue apud prophanos ſiue ſacros ſcriptores verbum ſubſtantiuum, pro verbo *ſignifico*, aut re ipſa poni, aut poni vel accipi poſſe. Afferuntur ſexcenta exempla, vt cùm Chriſtus dicitur agnus, vitis, lapis angularis, & hoc loco petra; inde colligunt homines minimè mali, qui dialecticam, & ſubtilem argumentandi rationem tamquam ſophiſticam in nobis reprehendunt, cùm Chriſtus dixit. *Hoc eſt corpus meum*, idem eſſe, ac ſi dixiſſet, hoc ſignificat corpus
meum. Verùm de re ipſa alibi diſputo; nunc de ratione dicendi tantùm ago, contendóque hoc loco, & aliàs ſemper verbum *eſt*, ſuam natiuam retinere ſignificationem: metaphoram, ſi qua ſit in ſententia, in ſubiecto vel prædicato ſpectandam eſſe; nam vt alicubi dixit Ariſtoteles[a], verbum *eſt* vim habet ſo- III.
E lummodò duo extrema coniungendi. Cùm igitur ait Apoſtolus; *Petra erat Chriſtus*: Et Chriſtus ipſe ait. *Ego ſum vitis vera*: verbum ſubſtantiuum *erat*, aut *eſt*, non mutat ſuam ſignificationem, ſed metaphora eſt in nomine petræ, & nomine vitis; quæ quia typum, & ſymbolum continent Chriſti, metaphoricè, atque impropriè de eo affirmantur ea ratione, qua pratis tribuitur riſus, vt non ineptè ridere dicantur, cùm diſtincta floribus amœnitatem præſeferunt: eodémque dicendi modo, quo ſignum pro re ſignata ponitur: oſtẽſo namque ſigno, aut imagine principis, rectè

a lib. de interpr.

A rectè dicere ſolemus illum eſſe principem. Tunc autem figura non eſt in verbo (eſt) ſed in nomine imaginis, quæ pro eo accipitur, cuius eſt imago. Cùm igitur ait Chriſtus, *ego ſum vitis*, & cùm à præcurſore vocatur agnus; non in verbo *eſt*, ſed in nominibus, vitis atque agni ſpectanda eſt metaphora: idémque dico cum hoc loco ait Apoſtolus, *petra erat Chriſtus*; figura enim eſt in nomine petræ, quæ metaphoricè de Chriſto affirmatur. quod non idem poteſt dici in verbis euchariſticis, vt alibi probandum eſt. Fateor dixiſſe alicubi [a] Auguſtinum, Chriſtum dici petram, *non quia hoc erat, ſed quia hunc ſignificabatur*; ſed omnino doctè, ac verè loquutus eſt Auguſtinus: nam & eadem ratione dicimus, imaginem principis eſſe principem, non quia imago illa qualis qualis eſt, ſpiret ac viuat & principatum gerat, ſed quia ſignum eſt illius, qui viuit, atque imperat. ita Chriſtus non erat re ipſa illa petra, niſi vt res ſignificata ſuo typo. Itaque Tertullianus [b]. *Petra Chriſtus multis modis, & figuris prædicatus eſt.* Cæterùm quod noſter interpres ait: *Conſequente eos petra*, Græcè non legitur pronomen, *eos*, neque legit Hieronymus [c], aut quicumque alius eſt auctor commentariorum in Pſalmos, qui Hieronymo inſcribuntur, eodémque modo abſque pronomine frequenter citat Ambroſius.

a cont. legis, & proph.

b contra Iud.

c ... 41.

5. Sed non in plvribvs eorvm, &c. Cùm
1. tam multa omnis illa Iudæorum natio, támque eximia Dei beneficia percepiſſet, non omnes tamen promiſſæ Palæſtinæ poſſeſſionem adepti ſunt, ſed miſerè in ſolitudine perierunt. nam præter Caleb, & Ieſum Naue, omnes, qui egreſſi ſunt ex Ægypto, alio atque alio mortis genere abſumpti ſunt. Dixit autem Paulus: *Beneplacitum eſt Deo*: Græcè εὐδόκησεν: ſic apud Matthæum [d], *in quo mihi complacui.* ἐν ᾧ εὐδόκησα; vt ſenſus ſit, erga plurimos non fuit Deus benè affectus: quod Ambroſius dixit, *Non bene ſenſit*: quod eſt illos non approbaſſe, vel illis non fuiſſe placatum. Oecumenius ait, *aut de illos proſperu ſtatuit; nam hoc eſt εὐδόκησεν, id eſt oblectationem habuit*: cùm enim innumerabilia beneficia percepiſſent, fuerunt tamen plurimi ex iis maximè ingrati. Obſeruat autem Chryſoſtomus Pauli prudentiam, qui ne omnibus minari videretur interitum, non dixit vt verè dicere poterat, omnes, vel fermè omnes periiſſe, ſed plurimos tantùm, quos tamen, ait, multis, ac magnis fuiſſe beneficiis affectos; vt vel hinc Corinthij etiam ſi ad fidem vocati ſint, plurimiſque diuinis muneribus ornati, ſupplicium metuant, niſi (vt par eſt) diuinæ beneuolentiæ, & caritati reſpondeant: idipſum repetunt Oecumenius, & Theophylactus. *Nam proſtrati ſunt* (inquit) *in deſerto*; vt repentinum eorum interitum, & diuini ſupplicij ſeueritatem indicet; alio, atque alio mortis genere miſerè in ſolitudine perierunt, exceptis Ioſue, & Caleb. Tantùm igitur abeſt, vt diuina illis beneficia profuerint; vt quoniam ſe iis ingratos exhibuerunt, extremam etiam perniciem attulerint. Nam vt ait Ambroſius: *Dignum eſt, vt qui magna conſequutus, in paruis diffidens eſt, non ſolùm hæc non adipiſcatur, verùm etiam amittat & illa.* Eſt autem (vt ait Seneca [e]) ingrati animi vitium, *graue, intolerabile, & quod diſſociet homines, quod concordiam, qua imbecillitas noſtra fulcitur, ſcindat, ac diſſipet*: cùm autem refertur, ad Deum diuinæ beneficentiæ, ac liberalitatis fontem obſtruit.

d cap. 3.

e lib. 7. de benef. cap. 3.

6. Hæc avtem in figvra facta svnt,
I. &c. Oſtendit cur priſcorum patrum exemplum attulerit. Fuerunt enim (inquit) quæ illis contigerunt rerum præſentium typi: ſic enim habent Græci codices, ταῦτα δὲ τύποι ἡμῶν ἐγενήθησαν. hæc autem noſtri figuræ fuerunt: ſic etiam paulò poſt. *Hæc omnia in figura contingebant.* ταῦτα δὲ τύποι, hæc autem omnia figuræ contingebant. Ita videtur legiſſe Auguſtinus [a] non vno loco. Obſeruat autem Chryſoſtomus non beneficia ſolùm, ſed ipſa etiam ſupplicia habuiſſe rationem typi. Quemadmodum enim mare quidem, & nubes baptiſmum; eſca verò, & potus Euchariſtiam ſignificabant; ita etiam varia, ac multiplicia ſupplicia inferorum cruciatus indicabant, qui ingratos, & impios manent; ita mira quadam ſapientia Apoſtolus Corinthios hortatur, vt ad meliora contendant, longiſſimè verò abſint ab iis vitiis, quibus illi implicitis pœnas dederunt. Quocirca (vt monet Theodoretus) ſingillatim percurrit populi Iudaici flagitia, quæ Deus in ſolitudine grauiſſimè vltus eſt.

a In Pſal. 113. & lib. 4. con. Fauſt.

B Et primùm quidem ait; *vt non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt.* Rectè autem ait, *vt non ſimus concupiſcentes malorum*; videtur enim eſſe nonnulla cupiditas laudanda, vt indicat illud Dauidis [b]. *Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore*: itémque illud Salomonis [c]. *Concupiſcentia itaque ſapientiæ deducit ad regnum perpetuum.* Malorum autem concupiſcentes non cenſentur illi, qui nonnullas cupiditatis titillationes experiuntur, quos appellant Theologi primos motus, vt alibi copioſius docui; ſed ij tantùm, qui exorientes in animo cupiditates vel approbant, vel etiam re ipſa explent: quomodo dixit ſapiens [d]. *Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis*: quapropter idem alibi [e] dixit.

b Pſ. 118. 20.

c Sap. 6. 21.

d Eccle. 18. 31.

e Eccle. 18. 30.

C *Poſt concupiſcentias tuas, non eas, & à voluntate tua auertere.* Hanc ſanè vitæ rationem ab omni prorſus cupiditate liberam optabat Auguſtinus, cùm diceret [f]. *Qualis vita eſt non concupiſcere? ò vita dulcis: eſt quaſi dulcis voluptas concupiſcentia, verum eſt; nec eam homines ſequerentur, niſi dulcis eſſet. Theatrum, ſpectaculum, meretrix laſciua, turpiſſima cantilena dulcia ſunt iſta. ipſi concupiſcenti ſuauia ſunt, dulcia ſunt, delectabilia ſunt; ſed narrauerunt mihi iniuſti delectationes ſuas: audi meliora. Narrauerunt mihi* (inquit) *iniuſti delectationes ſuas, ſed non ſicut lex tua Domine; ipſa enim melior eſt. fœlix anima, quæ huiuſmodi delectationibus delectatur; vbi turpitudine nulla inquinatur, & veritatis ſerenitate purgatur.* Hanc optat Apoſtolus vitam Corinthiis; vt non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt. II.

f Serm. 5. de verb. Apoſt.

D Alludit enim ad plurimas cupiditates, quibus Hebræi nō ſemel iram Dei prouocarunt: præcipuè verò ad appetitionem carnium, quæ deſcribitur in libro Numerorum [g]. *Quis dabit* (inquit) *nobis ad veſcendum carnes? Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepæ, & allia.* Sed continuò cùm carnes diuinitùs miſſas deguſtaſſent, Deum ſenſerunt vltorem: *adhuc enim carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiuſmodi cibus; & ecce furor domini concitatus in populum, percuſſit eum plaga magna nimis, vocatúſque eſt ille locus ſepulcra concupiſcentiæ.* Videtur autem, hoc exemplum magnopere congruere cum ea idolothytorum cupiditate, quam in Corinthiis reprehen-

g cap. 11. 4.

E dit Apoſtolus. orditur verò (vt animaduertit Chryſoſtomus) ab eo vitio, quod latiſſimè patet: malorum enim cupiditas omnia propemodum vitia complectitur, quorum deinde ſigillatim proprias veluti formas explicat. Eodem etiam modo loquitur Theodoretus. *Primùm quidem* (inquit) *nominat malam cupiditatem, per quam plurima mala naſcuntur.* Ambroſius maluit dicere. *Vt non ſimus deſiderantes malis, ſicut & illi deſiderauerunt*; vt indicet tum demum cupiditatem vitio verti, cùm accedit conſenſus voluntatis.

7. NEQVE IDOLOLATRÆ EFFICIAMINI, &c. A

I. Attingit Apoſtolus cauſam, quamobrem tantopere eſum idolothytorum reprehendat; videtur enim ad idololatriam pertinere, à qua impietate eos patrum exemplo reuocat. *Neque* (inquit) *idololatræ efficiamini.* Quemadmodum enim (vt admonet Chryſoſtomus) *illi à delicijs exierunt ad idololatriam; ita timendum eſt, ne vos inde eò decidatis.* Ita cenſet tacitè perſtringi Corinthios, quòd nimia ventris ingluuie, & cupiditate, ad edenda idolothyta impellerentur. Putat enim, quòd apertè inſinuat Apoſtolus, populum Iudæorum nimia cibi, potúſque ſatietate ad impietatem, & idolorum cultum defeciſſe. *Sedit* (inquit) *populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.*

a cap. 32. 6. Verba ſunt deſumpta ex libro Exodi [a], quibus idololatriæ ſcelus deſcribitur. B Vtitur autem ſcriptura ludendi verbo, vt modeſtè idololatriæ ſcelus deſcribat; nam præter ſacrificia adhibuiſſe etiam Iudæos more gentium quoſdam ludos, apertè indicat Moſes. *Vocem* (inquit) *cantantium ego audio:* Et mox ſubditur. *Cúmque appropinquaſſet ad caſtra, vidit vitulum, & choros.* b Pſ. 105. 19. De qua re ita etiam cecinit Dauid [b]. *Et fecerunt vitulum in Horeb, & adorauerunt ſculptile, & mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum.* Sed cùm apertiſſimis ſcripturæ teſtimoniis reprehendantur Iudæi, quòd vitulum pro Deo coluerint; non defuerunt tamen qui integro volumine probare cõtenderint, neque primùm Iudæos idola ab Aarone petiiſſe; neque Aaronem de idolo conflando cogitaſſe, ſed populum quidem diuturnæ Moſis abſentiæ pertæſum, ea verò opinione imbutũ, C quam à Moſe cognouerat dixiſſe Deum ſe coram populo progreſſurum, quoad illi regionis promiſſæ poſſeſſionem tribueret, petiiſſe effigiem illam, quam Deus ſe daturum promiſerat. c Exo. 23. 23. Dixerat [c] enim Deus ipſe. *Præcedétque te Angelus meus, & introducet te ad Amorrhæum, & Ethæum, & Pherezæum, Chananæúmque, & Heuæum, & Iebuſæum, quos ego conteram:* ea verò pollicitatione diuina indicari arcam, ac propitiatorium, cui obpanſis alis incubabant Cherubim, quibus Deus ipſe inſidebat: cùm itaque Cherubim vitulinam ſpeciem præferant, illorum imaginem ſibi effingi, formarique petierunt Hebræi, idque citra vllum idololatriæ crimen. Sed incredibile dictu eſt, quàm multa his non multis verbis D peccata ſint. Nam, vt hinc primùm exordiar, populum Iudaicum, cùm ab Aarone petiit Deos, qui ſe præcederent, reſpexiſſe ad illam pollicitationem diuinam, quæ legitur in Exodo loco iudicato, non facilè probari poteſt: Etenim valdè veriſimile eſt, populum eam diuinam pollicitationem cùm Deos poſtulauit, nõdum cognoſcere potuiſſe: Facta eſt enim ea pollicitatio Moſi cum eſſet in monte. Quamuis d Exod. 24. 3. enim aliquantò pòſt dicatur [d] Moſes alloqui populum, & poſtmodùm aſcendere in montem: Hebræi tamen putant, illa contigiſſe antequàm Deus decem præcepta pronuntiaret, e Exo. 20. 1. quæ multò [e] antea promulgata leguntur: eo tamen loco per anacephalæoſim in ſcriptura admodum frequentem recenſeri. Hac autem admiſſa ſententia cùm populus Deos E petiit, eam pollicitationem ignorauit, quam Moſes adhuc in monte cum Deo colloquens, indicare non potuerat.

II. f Lyr. Eſt tamen aliorum [f] ſententia, qui ea volunt cõtigiſſe poſtquam Deus ipſe decalogum pronuntiauit, quia tunc populus diuina voce perterritus, auditurum ſe dixit Moyſem, cæterùm diuinæ vocis maieſtatem ferre ſe nullo modo poſſe: quocirca cùm Moyſes rediiſſet ad caſtra, eum rurſum aiunt in montem aſcendiſſe, & iudiciaria præcepta à Deo percepiſſe, quæ mox deſcendens populo expoſuerit. Hanc autem ſententiam ſi ſequamur, cùm poſt illam A pollicitationem in monte diuinitus acceptam, ad caſtra Moſes redierit, & populum longa oratione ſit allocutus, ſuſpicari quiſpiam poſſet, Moſem quo tempore iudiciaria præcepta populo promulgauit, illam etiam diuinam pollicitationem explicuiſſe. Verùm id non modò non neceſſariò, ſed ne probabiliter quidem ex ſcriptura colligitur, cùm potius populi reſponſio indicare videatur ſolùm iudiciaria præcepta fuiſſe promulgata: dixit enim ſe facturum omnia, quæ Deus præciperet. Sed vt demus potuiſſe populum eam pollicitationem ſpectare, ídque etiam admittamus ea promiſſione Deum arcam, & Cherubos indicare; non tamen facilè probaturi ſunt ita omnia explicuiſſe Moſem, vt etiam Cherubi ſpeciem exprimeret, aut qualis ea futura eſſet planiùs explicaret: B neque continuò admittendum eſt fuiſſe Cherubos ſpecie vituli: primùm, quia id cum communi Hebræorum ſententia pugnat; vt enim viri [a] docti a Lyr. Ezech. 10. affirmant, illi miro conſenſu docent Cherubos habuiſſe faciem pueri. Ioſephus [b] autem Cherubos vob lib. 3. c. 4. cat *animantia volucria noua ſpecie, neque vnquam cuiquam hominum viſa, quæ Moſes in Dei ſolio vidiſſe ſe memorat figurata.* Alibi [c] verò. *Has* (inquit) *cherubica* c lib. 8. *effigies quanam ſpecie fuerint, nemo vel conijcere poteſt, vel loqui.* Philo autem [d] tantùm ait, Cherubim fuiſſe d lib. 3. de vita Moſ. & lib. de profug. imagines volucres. Deinde non cohæret cum ſanctis patribus, qui partim affirmant, partim pro certo ponunt, Cherubos eſſe humana ſpecie, & angelicos ſpiritus deſignare. Ita Hieronymus [e], Beda [f], & alij. e Ezech. 9. & 10. & ep. 142. ad Damaſ. Quamuis enim Hieronymus [g], & Theodoretus [g] f in Ezech. C apud Ezechielem faciem Cherub, faciem vituli g Ezech. 10. interpretentur; alibi tamen ſemper indicant Cherubos humana fuiſſe ſpecie, & beatas mentes indicare, à quibus dicitur curſus Dei vectari [h]: quin etiam h Pſal. 79. 98. Iſa. 37. Ezech. 10. Eccleſ. 49. Dauid ait [i], Deum aſcendiſſe ſuper Cherubim. Accedit quòd communis [k] ſententia docet, Aaronem i Pſal. 17. 10. de quo loco multa Abulenſ. in Exod. cap. 32. q. 18. & 19. caput duntaxat vituli, vel potius vitulæ effinxiſſe. Denique ſcriptura apertè indicat, populum cùm Deos flagitauit, nullum habuiſſe reſpectum ad verum Deum; ſed eo poſthabito, reipſa quæſiuiſſe idola. k Hieronym. Oſe. 4. & 12. & Amos. 5. Ruf. ibid. Ambroſ. lib. 1. de pœnit. ca. 8. Lyr. ad Ib. 4. c. 30. Aug. Pſ. 5. Beda & Rupert. ad 5. Sic enim loquitur Moſes [l], cùm hoc ſcelus populo exprobraret. l Deut. 32. 15. *Dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo; prouocauerunt eum in dijs alienis; & in abominationibus ad iracundiam prouocauerunt, immolauerunt dæmoniis, & non Deo, dijs quos* D *ignorabant.* Et paulò pòſt. *Deum, qui te genuit, dereliquiſti, oblitus es Domini creatoris tui.* Et Dauid [m]. m Pſal. 105. 19. *Fecerunt* (inquit) *vitulum in Horeb, & adorauerunt ſculptile, & obliti ſunt Deum, qui ſaluauit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari Rubro.* Denique Hieremias [n] hoc ipſum his n cap. 2. 5. verbis inculcat. *Quid inuenerunt patres veſtri in me iniquitatis, quia elongauerunt à me, & ambulauerunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt, & non dixerunt, vbi eſt Dominus, qui aſcendere nos fecit de terra Ægypti?* Quæ ſanè omnia planè oſtendunt, Iudæos à vero Deo receſſiſſe: vt interim omittam verba Domini [o] o Exod. 32. cùm dixit ad Moyſem. *Vade, deſcende peccauit populus tuus, quem eduxiſti de terra Ægypti: receſſerunt citò de via, quam oſtendiſti eis: fecerunt ſibi vitulum conflatilem,* E & quæ ſequuntur. Certè ſi ſpectaſſent ad diuinam promiſſionem, non dicerentur receſſiſſe de via, quam à Moſe didicerant. Poſtremò ſi ſolùm voluiſſent ſignum corporeum, quo Dei ductũ, & quaſi patrocinium agnoſcerent, fruſtra quærerent Deos, qui ſe præcederent, cùm haberent columnam nubis, cui Angelus præerat, cuius mirificam vim aduerſus Ægyptios non ita multò anteà experti erant.

III. Quod autem frequenter inculcant Iudæos in vitulo verum Deum coluiſſe, magnoperè fauere videtur hæreſi Caluini, qui hunc in modum contra Catholicos

tholicos argumentatur. Scriptura diuina reprehendit Iudæos, quòd vitulos, aliáque ſigna corporea colerent, eiſque idololatriæ crimen frequenter obijcit; atqui in illis ſignis Hebræi vero Deo cultum, ac venerationem adhibebant: igitur Spiritus ſanctus eos idolorum cultores cenſet, qui in imagine, aut ſigno corporeo verum Deum colunt. Inde colligit, nos Catholicos idololatriæ crimine inquinatos teneri, qui Deum in imagine corporea veneramur. Huic igitur Caluiniano errori aſtipulantur iſti, dum illos Iudæos, quos ſcriptura tamquam idolorum cultores reprehendit, verum Deum in ſigno corporeo coluiſſe ferunt. Neque enim inficiantur, plurimos deinde gentilium errore deceptos idololatriæ ſcelere fuiſſe contaminatos. Quòd ſi velint Iudæos idcirco tamquam idololatras damnari, quòd poſtmodùm inani errore deluſi corporeis imaginibus diuinitatem tribuerent; rem quidem veram dicunt, ſed hunc tamen errorem temere negant in iis, qui

c 32. 4. conflato vitulo dixerunt. *His ſunt dij tui, qui te eduxerunt de terra Ægypti*; cùm præſertim (vt ſuprà oſtenſum eſt) illos ipſos ſacræ litteræ reprehendant, ac damnent. Itaque rectè dixit Apoſtolus. *Neque idololatræ efficiamini, ſicut quidam ex ipſis, quemadmodum ſcriptum eſt*; & quæ ſequuntur. Quod autem noſter interpres dixit; *Neque efficiamini*, Græcè eſt γίνεσθε: ſed videtur Ambroſius legiſſe γινώμεθα: ita enim legit. *Vt non ſimus deſiderantes mala, ſicut & illi deſiderauerunt, neque ſimulacris ſeruientes, ſicut quidam illorum*: vt ſubaudiatur, *ſimus*. totáque oratio à ſuperiori pendeat; vt ſenſus ſit; *Hæc autem in figuris facta ſunt noſtri, vt non ſimus concupiſcentes malorum, neque idolorum cultores efficiamur*; vt γινώμεθα coniungatur cum τὸ μὴ εἶναι. Sed quoniam mox ſubdit; *Neque fornicemur*, fieri potuit, vt hoc etiam loco Apoſtolus mutauerit perſonam; nam Chryſoſtomus videtur legiſſe, vt habent vulgati codices, quos noſter interpres ſequutus eſt.

8. NEQVE FORNICEMVR, SICVT QVIDAM,
1. &c. Videtur Apoſtolus alludere ad id, quod ſcriptũ
cap. 25. 1. eſt in libro Numerorum [b]. *Fornicatus eſt* (inquit) *populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad ſacrificia ſua; at illi comederunt & adorauerunt deos earum.* Pertinet enim hoc etiam exemplum maximè ad inſtitutum: vt enim illi voluptatibus deliniti, idololatriæ ſcelere contaminati ſunt; ita verendum (ait) ne Corinthij eadem ratione voluptatum illecebris capti, in eandem impietatem prolabantur. Indicato autem Iudæorum flagitio mox ſubdit ſupplicium, quod conſequutum eſt. *Et ceciderunt* (inquit) *vna die*

c cap. 25. 9. *viginti tria millia.* At in libro Numerorum [c] cæſa dicuntur viginti quatuor millia. Et nonnulli quidem non dubitant in altero loco mendum eſſe: in vtro autem cenſendum ſit, non facilè explicari poſſe: vtrumque certè verum eſſe nulla ratione poſſe. Et in ſacris quidem litteris non rarò Numerorum antilogiam viri docti obſeruant, quam ſcio à plerîſque magno ſtudio, ac labore non tam expediri, quàm implicari, dum peregrinas, & longè petitas interpretationes argutulas illas quidem, ſed parùm ſolidas, & minus rei propoſitæ accommodatas excogitant: ſed ſic ferè ſunt hominum ingenia, vt ſuis quiſque inuentis delectetur potiùs, quàm nuda, ac ſimplici veritate. Sed hac de re alibi non pauca diximus: in præſentia tamen nihil eſt neceſſe antilogiam admittere. Moſes enim in libro Numerorũ omnem numerum collegit eorum, qui propter illud ſcelus occiſi ſunt: Paulus autem eorum tantùm numerum recenſuit, qui vno die internecione ceciderunt: quo numero non comprehenduntur principes populi, qui iuſſu Dei ſuſpendio perierunt: neque ij, de

A quibus ait Moſes [a]. *Occidat vnuſquiſque proximos* a Num. 25. 5.
ſuos, qui initiati ſunt Beelphegor. Nam quod quidam dicunt, in maiori numero etiam minorem comprehendi; argutè magis dicitur, quàm aptè: neque enim Apoſtolus fideliter hiſtoriam narraret, & videri poſſet vel memoria lapſus, vel temerè aliquid præteriiſſe, quod vtrumque à ſcriptore ſacro videtur alienum. Verè igitur affirmauit, vna die cecidiſſe viginti tria hominum millia; mille enim viri antea iuſſu Moſis perempti erant, ita exiſtunt viginti quatuor millia, vt ſcriptum eſt in libro Numerorum. Indicat autem Oecumenius nonnullos codices etiam hoc loco habuiſſe viginti quatuor millia.

NEQVE TENTEMVS CHRISTVM, SICVT, 9.
&c. Aliam attingit hiſtoriam, quæ item in libro 1.
B Numerorum [b] recenſetur. *Tædere* (inquit) *cœpit po-* b cap. 21. 5.
pulum itineris, ac laboris, loquuti ſque contra Dominum, & Moyſem, ait; Cur eduxiſti nos de Ægypto vt moreremur in ſolitudine? Deeſt panis, non ſunt aquæ, anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo. Hanc vocat Dei tentationem, quaſi Dei patientiam, ac potentiam explorare voluerint: ita etiam loquutus eſt Dauid [c]. *Sicut in irritatione ſecundum diem tentationis in* c Pſal. 94. 8.
deſerto, vbi tentauerunt me Patres veſtri. Dicuntur autem tentaſſe Deum, quia videbantur maiora ſigna quærere, quàm quæ ad illud vſque tempus experti erant: & (vt ait Ambroſius) de Deo, eiúſque diuina vi, ac poteſtate malè ſentientes, & loquentes detrahebant. Eorum igitur exemplo monet Apoſtolus, ne Chriſtum tentemus, hoc eſt; ne illum ad

C iram prouocemus: ita in Exodo [d] Moſes populum d cap. 17. 5.
reprehendit. *Quid iurgamini* (inquit) *contra me? cur tentatis Dominum?* Et paulò pòſt [e]. *Et vocauit nomen* e Ibid. 7. 17.
loci illius tentatio propter iurgium filiorum Iſrael, & quia tentauerunt Dominum dicentes. Eſt-ne Deus in nobis, an non? Quin etiam Deus ipſe ita loquitur [f]. *Atta-* f Num. 14. 22.
men omnes homines, qui viderunt maieſtatem meam, & ſigna, quæ feci in Ægypto, & in ſolitudine, & tentauerunt me iam per decem vices, neque obedierunt voci meæ; non videbunt terram, pro qua iuraui patribus eorum, nec quiſquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam. Et Dauid [g]. *Et tentauerunt Deum in cordibus* g Pſal. 77. 18.
ſuis, vt peterent eſcas animabus ſuis, & malè loquuti ſunt de Deo: dixerunt; Nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto? Nec ita multò pòſt. *Et conuerſi ſunt, &*
D *tentauerunt Deum*: Et alibi [h]. *Et concupierunt concu-* h 105. 14.
piſcentiam in deſerto, & tentauerunt Deum in inaquoſo. Hoc ipſum indicauit Chriſtus [i] proferens verba i Matt. 4. 7.
Deuteronomij [k]. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* k cap. 6. 6.
Addit Moſes: *ſicut tentaſti in loco tentationis.* Certum eſt autem pluribus modis tentari Deum: nam tentare Deum dicuntur illi, qui cùm de diuina prouidentia diffidant, humanis ſibi conſiliis, ac rationibus proſpicere nituntur: qua ratione Iudith eos reprehendit [l], qui intra certum tempus deditionem facere l cap. 8. 11.
cogitabant. *Et qui eſtis* (inquit) *vos, qui tentatis Dominum? Non eſt iſte ſermo, qui miſericordiam prouocet, ſed potiùs qui iram excitet, & furorem accendat: poſuiſtis vos tempus miſerationis Domini, & in arbitrium veſtrum diem conſtituiſtis ei.* Interdum alij diuinam

E quaſi potentiam æmulatores, impudenti auſo ea aggrediuntur, quæ ſunt ſupra vires. Ita Petrus in Actis apoſtolicis [m]. *Quid tentatis Deum imponere iugum ſu-* m cap. 15. 10.
per ceruices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus? Ait igitur Apoſtolus: *Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentauerunt*: ita habent permulta exemplaria Græca, τινὲς αὐτῶν: quamquàm nonnulli legunt αὐτόν, id eſt ipſum, vt referatur ad Chriſtum; vt ex hoc loco (quod etiam alibi monui) intelligamus, Chriſti nomen tribui diuinæ perſonæ verbi, quam veteres etiam Patres ten-

iaſſe dicuntur. Neque aliter accipio etiamſi legamus
αὐτῶν, id eſt eorum; cùm enim poſtmodùm ſubiiciat
tentauerunt; proculdubiò de Chriſto loquitur, de
quo dixerat; *Neque tentemus Chriſtum.* Subdit: *Et à*
ſerpentibus perierunt, de quibus in libro Numero-
a cap. 21. 6. rum[a]. *Miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes, ad*
quorum plagas, & mortes plurimorum venerunt ad
Moyſem, atque dixerunt: peccauimus, quia loquuti ſu-
mus contra Dominum, & te; ora, vt tollat à nobis ſer-
pentes. Dicuntur autem igniti ſerpentes, quòd ictu
ſuo, & veneno quodammodo adurerent, & ad ex-
tremum necarent.

10. Neqve mvrmvraveritis, sicvt, &c.
I. Aliud Hebræorum flagitium attingit. Frequenter
enim populus contra Deum, Deique miniſtros ob-
murmurauit. Videtur autem ad eum præcipuè lo-
b cap. 16. 2. cum alludere, qui eſt in libro Numerorum[b], cùm
Chore vnà cum Dathan, & Abiron, & ducentis
quinquaginta viris ſeditionem in populo aduerſus
Moſem, & Aaron concitarunt. Cùm enim illi dehi-
ſcente terra viui, videntéſque obruti ſint, alij igne
cœleſti abſumpti miſerandum in modum interie-
rint, & plures deinceps qui Moſis, & Aaron ſæui-
tiam accuſabant, numinis iram experti ſint; rectè di-
xit Apoſtolus: *Et perierunt ab exterminatore*: ſiqui-
c cap. 16. 49. dem eodem loco ſcriptum eſt[c]. *Fuerunt autem qui*
percuſſi ſunt, quatuordecim millia hominum, & ſeptin-
genti, abſque his, qui perierant in ſeditione Chore. Vide-
tur autem exterminatorem appellare angelum di-
uinæ iræ miniſtrum. Græcè autem pro exterminato-
re legitur ὀλοθρευτοῦ, hoc eſt, extinctore, ſeu perem-
ptore qui nemini parcat. Quæri autem poteſt bo-
num-ne, an malum angelum intelligat. conſtat tam
bonos, quàm malos angelos eſſe diuinæ iræ mini-
ſtros; & tam bonos, quàm improbos etiam in hac
mortali vita diuino imperio afficere ſupplicio. nam
d cap. 4. de diuinis nomin. Dionyſius Areopagita[d]: *Nihil* ait *ſanctos contrahere*
malitiæ ex eo, quod peccatores puniant. Et in eamdem
e li. 9. de ciu. cap. 5. ſententiam Auguſtinus[e]. *Sancti angeli ſine ira pu-*
niunt, quos accipiunt externa Dei lege puniendos. Et
f Pſal. 77. Theodoretus[f] explicans verba illa Dauidis: *immiſ-*
ſiones per angelos malos; cùm de bonis angelis accipiat,
ait illos ſupplicij miniſtros, neque naturæ, neque
conſilij nequitiam habuiſſe; appellari tamen malos,
quòd malum inferant, ſicut diem dicimus malam:
g in Pſal. 34. quod ipſum affirmant Baſilius[g], & Apollinaris in
illa verba; *Et angelus Domini perſequens eos*: ſic boni
h Gen. 19. 24. angeli cœleſti igne Sodomam abſumpſerunt[h]: Aſ-
i 4. Reg. 19. 35. ſyrios peremerunt[i]: Heliodorum flagris cæcide-
k 2. Machab. 3. 26. runt[k]: Herodem miſerabili morbo extinxerunt[l]:
l Act. 12. 23. impiis Suſannæ criminatoribus necem intètarunt[m]:
m Danielis 13. 50. Dauidi minantur[n]. Atque ita viri[o] docti affirmant;
n 1. Paralip. 21. 16. quoties angelus Domini nominatur, bonum ange-
lum indicari. Hieronymus tamen illud Dauidis P: *Et*
o Abulen. 1. paralip. 21. q. 10. *angelus Domini perſequens eos* de malo dæmone ex-
plicat. certè ſpiritus nequam decepit[q] Achab; vexa-
p Pſal. 34. 6. bat[r] Saul. Potuit igitur Apoſtolus tam bonum, quàm
q 3. Reg. 22. 21. malum angelum intelligere; ſed veroſimilius, eum
r 1. Reg. 16. 10. de bono angelo loqui, quem vocat exterminatorem,
II. quaſi Dei miniſtrum. Admonet autem Theodore-
tus hæc ita ſingillatim ab Apoſtolo perſtricta eſſe,
quòd Corinthiorum cauſæ viderentur in primis ac-
commodata: illi namque praua primùm cupiditate
laborabant, vnde plurima mala proficiſcuntur; de-
inde ventris ingluuie, vnde idolorum cultus orieba-
tur: dum enim gulæ indulgerent idolorum conui-
uia, & templa frequentabant: ſcortationem, & ince-
ſtum ſub Epiſtolæ initium notarat: murmurabant
verò plerique, quòd pauciora, aut minora Spiritus
ſancti chariſmata adepti eſſent: denique Deum ten-
tabant, qui ad inanem oſtentationem, & ad vulgi
plauſum aucupandum linguarum facultate abute-
bantur. Itaque Apoſtolus ab his omnibus vitiis metu
ſupplicij Corinthios reuocat. Eadémque ratione (vt
monet Ambroſius) nos ad morum mutationem pro-
uocat. *Vt monitis* (inquit) *eius aut præmium ſi obedien-*
tes fuerimus, propenſiorem pœnam mereamur inobe-
dientes; non eſt enim ambiguum illos peccantes plus ſubii-
ciendos tormentis, quibus peccantium pœna ad hoc re-
lata ſunt, ne peccarent. Quocirca ſubiicit Apoſtolus.

Hæc avtem omnia in figvra con- 11.
tingebant, &c. Non modò (inquit) diuina be- I.
neficia rerum futurarum typos continebant, ſed ipſa
etiam ſupplicia imminentium cruciatuum ſeuerita-
tem, ac magnitudinem indicabant: Et (vt monet
Chryſoſtomus) quò plura, & maiora beneficia in
nos collata ſunt, eo acerbiora ſupplicia metuenda vi-
dentur. *Quod autem* (inquit) *grauiores pœnæ nobis im-*
mineant ex eo conſtat, quod plura conſequuti ſumus
beneficia, & ex eo quod illa ſunt figura: nam ſi in donis
eſt exuperatio, eſt euidens, quod etiam in ſupplicio. Pro-
pterea & figuras vocauit, & propter nos ſcripta eſſe di-
xit, & finis fecit mentionem, vt conſummationem reuo-
caret in memoriam. Scripta ſunt autem (inquit) *ad cor-*
reptionem noſtram: græcè νουθεσίαν ἡμῶν, id eſt, ad no-
ſtram admonitionem, vt nobis proſint. Namque (vt
ait Theodoretus) nihil inde vtilitatis veteres illi pa-
tres percipere poterant: quem enim fructum ex ſa-
cris litteris caperent iam vita functi? Omnis igitur
ſcripturæ vtilitas ad nos refertur. *In quos* (inquit) *fines*
ſeculorum deuenerunt. Ob id enim ait Theodoretus,
ſeculi finem adiecit, vt eos vrgeat, & vehementiùs in-
flammet ad virtutis ſtudium, & actiones. Tacitè etiam
monet, (vt inſinuat Chryſoſtomus) *fore ſupplicia ſem-*
piterna, cùm poſt hunc vitæ finem ſuperſit extremum
duntaxat, & generale iudicium. Hieronymiani porro
commentarij fines ſæculorum intelligunt vitæ ſta-
tum quemdam perfectum, cui omnium quodam-
modò virtutum cumulus debeatur, vt non tantùm
à vitiis recedendum ſit, ſed omnia virtutum genera
quàm diligentiſſimè complectenda. Simpliciter au-
tem extremam hanc mundi ætatem intelligit, quæ
Chriſti aduentum ſubſequitur, de qua alibi plura di-
ximus: rectè enim ſæculorum fines nominat, quia
nihil videtur expectandum præter mundi occaſum;
de quo alibi diſputatum eſt.

Itaqve qvi se existimat stare, 12.
&c. Hæc proculdubio ad eos referuntur, qui rerum I.
ſcientia elati, liberè idolothytis etiam cum ſcandalo
veſcebantur. Colligit autem ex veterum Hebræo-
rum exemplis, neminem ſibi aut perſeuerantiam,
aut ſalutem certò poſſe polliceri: *Si enim* (inquit
Chryſoſtomus) *ij, qui tanta bona erant adepti talia paſſi*
ſunt; & alij quidem pro murmuratione ſolùm tales de-
derunt pœnas, alij autem propterea quòd tentaſſent, &
neque populus Deum eſt reueritus, neque quòd tam
multa ſit aſſequutus; multò magis hoc erit in nobis, niſi
ſobrij ſimus, & reſipiſcamus. Atque hac quidem ratio-
ne eorum deprimit faſtum, qui ſibi placebant, &
ſcientiæ nomine gloriabantur. Animaduertit autem
Chryſoſtomus, non dixiſſe Apoſtolum. *Qui ſtat,*
videat ne cadat. Sed: *Qui ſe exiſtimat ſtare; hoc enim*
non eſt ſtare, vt ſtare oportet, ſed ſibi ipſi confidere; nam
citò cadere is, qui eſt eiuſmodi. nam illi quoque ſi non val-
dè elati fuiſſent, & ſibi confidiſſent, ſed arrogantiam com-
preſſiſſent, & fuiſſent modeſti, non ea eſſent paſſi. Vnde
perſpicuum eſt, quòd arrogantia maximè, & deinde
otium, ac ignauia, & ingluuies ſunt fontes horum malo-
rum. Quamobrem etiam ſi ſtes, caueas ne cadas: hic
enim ſtare non eſt firmiter ſtare donec fuerimus liberati
à fluctibus vitæ præſentis, & ad tranquillum portum na-
uigauerimus. Ne ergo quod ſtes, efferaris, & inſoleſcas,
ſed

ſed tane caſum. Addunt Hieronymiani commentarij, hoc etiam ſignificare Paulum ei, qui ſe exiſtimat ſtare non modò imminentem, ſed præſentem caſum metuendum eſſe: quaſi dicat Apoſtolus, diligenter inſpiciendum eſſe, ne quis fallatur, & dum ſe exiſtimat ſtare, hoc ipſo miſerè labatur, & cadat, atque adeo in imo iaceat. Ita enim plerumque accidit, vt ex Apocalypſi[a] didicimus: cum enim quidam diceret. *Diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo,* illicò audiuit: *Et neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.*

a 3. 17.

13. I. Tentatio vos non apprehendat, &c. Humanã tentationẽ leuẽ dicit, & quę facilè tolerari, ac ſuperari queat. Græci codices indicãt Corinthios eiuſmodi tentatione fuiſſe pulſatos: eſt enim græcè εἴληφεν præteriti temporis, hoc eſt, apprehendit, aut cepit: quanquàm Ambroſius legit, *tentatio vos non apprehendat*, vt habet editio Romana, quaſi legerit εἰληφέτω: ſed Chryſoſtomus, & Theophylactus præteriti temporis legunt εἴληφεν: & in eandem ſententiam Cyprianus[b]: *tentatio* (ait) *vos non occupauit niſi humana.* Rectè autem leuem tentationem humanam vocat: hoc eſt, humanæ imbecillitati congruentem. ita Theodoretus, cui conſentit & illud Comici[c]; *Homo ſum: humani à me nihil alienum puto.* Sed ſi Græcos ſequamur codices, quam intelligat humanam tentationem, quam paſſos Corinthios ſcribit, non ſatis liquet. Chryſoſtomus, & Theodoretus indicant eſſe probra, conuicia, & contumelias, quibus ab infidelibus eos aſſiduè affici veroſimile erat. nondum enim principum minas, aut carnificum cruciatus experti erant. iſta (inquit) leuia ſunt: Maiora vos manent pro Chriſti fide certamina. Probabilis admodum ſententia, vt hæc etiam oratio (quod monet Chryſoſtomus) ad Corinthiorum tumorem comprimendum referatur. Ambroſius idem obſcuriùs videtur ſignificare. *Propter Chriſtum* (inquit) *pati humana tentatio eſt, per quam proficiſcitur apud Deum.* Hieronymus humanã tentationem eam eſſe ſignificat, qua Corinthij ad veſcendum idolothytis impellebantur; vt quos veterum exemplis terruerat, blanda nunc oratione conſoletur: quaſi dicat, tametſi hac vſus ſum veterum exemplorum commemoratione; ſpero tamen, ea nihil ad vos pertinere: nam hactenus quidem humani nonnihil paſſi eſtis; ſed illud leue eſt, ac propè nullum. Quocirca mox addit. *fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis.* Et ſanè hæc multò videtur aptior interpretatio, quam indicare videtur Caſſianus[d]. *Tale* (inquit) *eſt illud, quod ab Apoſtolo dicitur. Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, videat, ne cadat. tentatio vos non apprehendit niſi humana: infirmitatem eorum, & inconſtantiam nec dum robuſta mentis exprobrat, qua adhuc ſpiritualium nequitiarum turbinibus non poterant impugnari.* Alibi[e] verò. *Tentatio vos non apprehendit, niſi humana; non enim merebimur mentis robore conquiſito grauiores pugnas nequitiarum cæleſtium experiri, qui carnem fragilem reſiſtentem ſpiritui noſtro ſubiugare nequiuimus. Quod Apoſtoli teſtimonium non intelligentes quidam poſuerunt pro indicatiuo optatiuum modum: id eſt tentatio vos non apprehendat, niſi humana. Quod ab ipſo magis dici manifeſtum eſt optantis, ſed pronuntiantis, vel exprobrantis affectu.* Quibus verbis non obſcurè ſignificat leuem illam tentationem à cupiditate profectam quæ inſita in animo, humanam propè naturam comitatur. Eodem fermè modo humanam tentationem explicat Gregorius[f]. *Tentatio* (inquit) *non vos apprehendat niſi humana: ac ſi apertè diceret: humanum quidem eſt tentationem in corde perpeti, dæmoniacum verò in tentationis certamine in operatione ſuperari.* Et alibi: [g] *Humana quippe tentatio eſt, qua plerum-*

b ad Qui. b. 92.

c Terent. in [illegible]

d Collat. 11. cap. 14.

e 13. de inſt. renun. c. 16.

f lib. 2. cur. paſt. admon. 30.

g lib. 21. mor. cap. 2.

A *que cogitatione tangimur etiam nolentes, quia vt, nonnunquàm etiam illicita ad animum veniant, hoc vtique in nobiſmetipſis ex humanitatis corruptibilis pondere habemus. Iam verò dæmoniaca eſt, & non tentatio humana, cùm ad hoc, quod carnis corruptibilitas ſuggerit, per conſenſum ſe animus aſtringit. Hinc iterùm dicit: Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore: peccatum quippe in mortali corpore nõ eſſe, ſed regnare prohibuit: quia in carne corruptibili non regnare poteſt; ſed non eſſe non poteſt.* ita videas Gregoriũ cum vulgato interprete legiſſe. apprehẽdat quaſi optet omnes eos à grauiori tẽtatione liberari. Quod igitur ait Chriſtus[a], orãdum eſſe his verbis: *Ne nos inducas in tentationem*, non monet, vt ab humanis caſibus eruamur, quos ipſi per nos niſi Deus auertat, euitare non poſſumus; quod olim diuerticulũ Pelagianorum fuit, vt Auguſtinus[b] monet, ne peccatorum contra nos pugnam admittere

B cogerentur, quam non niſi ope diuina adiuti, ſuperare poſſemus: ſed propriè tentationem, qua impellimur ad peccatum deprecari nos voluit, vt noſtræ imbecillitatis memores non ſolùm peramus ne ſuperemur, ſed ne in certamen deſcendere cogamur, ne fortè vincamur. Ita hunc locum explicant Chryſoſtomus[c], Auctor imperfecti[d], Enthymius[e], Tertullianus[f], Cyprianus, & Auguſtinus[g]. Quamobrem quod ſubucit. *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis.* Ad eorum animos confirmandos refertur, vt opem ſibi diuinam affuturam non diffidant. Mouet autem hoc loco Chryſoſtomus nullam prorſus eſſe tentatio-

C nem quam abſque diuino auxilio perferre poſſimus, Itaque quod ait: *ſupra id, quod poteſtis*, humanas vires intelligit, diuino præſidio nixas; nam alioqui de ſeipſo ſequenti Epiſtola ſcribit[h]. *Non enim volumus ignorare vos (fratres) de tribulatione noſtra, quæ facta eſt in Aſia, quoniam ſupra modum grauati ſumus, ſupra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere.* ſupra virtutem enim intelligit ſe fuiſſe tentatum, hoc eſt, ſupra humanas vires ſolitariè acceptas. fidelem autem (ait) Deum, quòd non patiatur ſupra vires quemquam tentari; *ſed etiam* (inquit) *faciet cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere.* Vtenim ait Ambroſius: *qui daturum ſe promiſit regna cæleſtia, opem neceſſariam ſuppeditet oportet: nam alioqui nemo victor erit, nemo palmam aſſequetur.* Origenes ſanè hunc locum tra-

D ctans[i] in hunc modum ſcribit. *Sicut enim ij, qui agonibus præſunt, eos qui ad certamen veniunt, non vtcumque, nec fortuitò inter ſe ſinunt inire certamina; ſed diligenti examinatione prout corpora viderint vel ætates, æquiſſima comparatione iungentes illum cum illo, verbi gratia, pueros cum pueris, viros cum viris, qui ſibi vel aut vel roboris propinquitate conueniant; ita intelligendum eſt etiam de diuina prouidentia, quòd omnes qui in hos humanæ vitæ deſcenderint agones, iuſtiſſima moderatione diſpenſet ſecundum rationem vniuſcuiuſque virtutis, quam ipſe ſolus, qui ſolus corda hominum intuetur agnoſcit; vt alius quidem pugnet aduerſus carnem talem, & alius quidem in tantum tempus, alius verò in tantum, & vt aliter ſuſtiget carnem in hoc vel ad illud, alius verò in aliud; tum verò vt alius reſiſtat aduerſum intimam poteſtatem il-*

E *lam, vel illam: alius verò aduerſus duas vel tres ſimul; aut nunc quidem aduerſus aliam, nunc iterum aduerſus aliam, & certo tempore, quo aduerſus illam, & certo quo aduerſus aliam, vel poſt quæ geſta aduerſus quas pugnet: poſt quæ verò aduerſus malitias. Intuere enim ne fortè tale aliquid indicetur per hoc, quod dicit Apoſtolus. Fidelis autem Deus qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis. id eſt pro eo, quod ſinguli pro virtutis ſuæ quantitate vel poſſibilitate tentantur. Nec tamen quoniam diximus, iuſto iudicio vnum quemque pro virtutis ſuæ quantitate tentari; id ideo putandum eſt, quia omni genere debeat vincere qui tenta-*

a Matth. 6. 13.

b Ep 94.

c Hom. 10.
d Hom 14.
e in eum loc.
f de orat do.
g de bo. perſ. cap. 2.

h cap 1. 8.

i lib 3. periar. chon. cap 2.

tur; ſicut ille quidem, qui in agone contendit; quamuis æqua moderatione comparatus ſit aduerſario, non tamen omni genere vincere poterit. Auctor [a] quoque quæſtio-num veteris, ac noui Teſtamenti fusè; de hoc loco diſſerit, & diuinã, atque humanam tentationẽ diſtin-

[a] q. 99. apud Aug. tom. 4.

III. guit. Porrò Chryſoſtomus monet, ne modeſtas quidem, ac mediocres tentationes humana vi, ac po-teſtate ferri poſſe, ſed in iis quoque egere nos diui-no auxilio; *vt eas peruadamus, & priuſquam peruada-mus, feramus: ipſe enim & dat tolerantiam, & etiam af-fert liberationem, adeo vt hac ratione ſit tentatio tolera-bilis. Hoc enim tacitè ſignificauit dicens: Faciet etiam exitum, vt poſſitis ferre.* Nam quod ait Apoſto-lus: *Faciet in tentatione prouentum*, Græcè eſt ἔκβα-σιν, id eſt, exitum, ſiue euentum: hoc eſt faciet, vt tentatio fœlicem exitum ſortiatur. Hieronymus [b] legit ad hunc modum. *Sed faciet cum tentatione & exitum.* Sic etiam Auguſtinus [c]. Cyprianus [d]: *Faciet* (inquit) *cum tentatione etiam euadendi facultatem, vt poſſitis tolerare.* Ac nequis putaret ſic eſſe dictum, *ſed faciet cum tentatione prouentum*, quaſi Deus paciſce-retur cum tentatione de euentu, vertunt quidam, *ſed faciet vnà cum tentatione euentum*: vt ſenſus ſit, qui paſſus eſt incidere vos in tentationem, idem dabit & exitum bonum. Verùm quoniam prouentus pro-priè ſemeotis eſt, & è terra naſcentium, haud malè quis prouentum dixerit fructum, & vtilitatem ten-tationis: nam & Sapiens [e] alicubi dicit. *Qui tenta-tus non eſt, qualia ſcit?* Et Thobiæ [f] dictum eſt ab Angelo. *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tenta-tio probaret te*, non aliam certè ob cauſam, niſi quòd illa quandam ſementis rationem haberet, vndè in-gens prouentus naſceretur. *Vt poſſitis* (inquit *ſu-ſtinere.* Græcè ὑπενεγκεῖν, hoc eſt ita ferre poſſi-tis, vt facilè ſuperetis, & videamini longè ſuperio-res: qua ratione Corinthiorum animos maximè con-firmat.

[b] in ſpu.

[c] in Pſ. 61. & epiſt. 89.

[d] lib. 3. ad Quir. n. 91.

[e] Eccl. 34. 11.

[f] cap. 12. 13.

14. PROPTER QVOD CARISSIMI MIHI, &c.

I. Iſthæc non ampliùs humana, ſed planè diabolica tentatio fuiſſet; ab ea igitur longiſſimè recedendum monet, vt ita paulatim ab idolothytis abſtinendum doceat. *Propter quod*, inquit, hoc eſt (interprete Hie-ronymo) *præter ea omnia, quæ hactenùs commemorata ſunt.* Metu enim ſupplicij rudes adhuc Corinthios; & veluti tyrones ab impietate deterret. nam cùm non ita pridem ab idolorum cultu receſſiſſent, & Chriſtiana ſacra complexi eſſent, nihil æquè me-tuendum erat, ac ne rurſus eiuſdem impietatis con-tagione inquinarentur; eam ob cauſam (vt animad-uertit Chryſoſtomus) non dixit ſolùm, *Diſcedite*, ſed fugite; vt rem execrandam, atque omnibus modis abominandam eſſe doceat. Porro idololatriæ nomi-ne, vt exiſtimant Chryſoſtomus, & Theodoretus) idolothytorum eſum intelligit. *Rem* (inquit Chryſo-ſtomus) *vocat idolorum culturam, & non ampliùs iu-bet diſcedere propter damnum proximi, ſed ipſam per ſe oſtendit ſufficere ad magnum afferendum exitium.* Et Theodoretus. *Accuſationem* (ait) *ſingillatim amplifi-cat, & oſtendit eorũ, quæ idolis immolantur participatio-nem, ſi fiat citra vllum diſcrimen ab idolorũ cultu nihil differre.* Qua ratione nos etiam ſuprà [g] docuimus, in ſynodo Apoſtolica ſancitum fuiſſe, vt fideles ab idolothytis abſtinerent. Neque verò cenſendum eſt ſecum pugnare Apoſtolũ, qui ſuprà docuerit idolo-thytorũ eſum eſſe indifferentem, nunc verò idolola-triæ impietatẽ nominet: vt enim paulò pòſt explicat idololatriam intelligit eſſe eorũ reſpectu, qui aliquid diuinitatis idolo tribuerent, aut ineſſe falsò ſuſpica-rentur. Itaque Ambroſius ait, Apoſtolum hortari, *vt omnem idololatriæ ſocietatem deuitent, vt non ſolum ſpes, ſed & animus inde tollatur, ne per hoc naſcatur ea Deum*

[g] cap. 8.

A *tentatio, nemo enim aſſiduus in idolis ſperare aliquid de Deo poteſt.*

15. I. VT PRVDENTIBVS LOQVOR, &c. Quo-niam grauiſſimis verbis crimen amplificauerat, ne videretur eos acerbiùs pungere hac moderatione vſus, non ſine aliqua aſperſione laudis iudicium il-lis permittit. *Vt prudentibus* (inquit) *loquor vobis.* Id enim (vt ait Chryſoſtomus) magnam Apoſtoli indi-cat confidentiam; quippe qui nihil ſuo iuri diffidens non parum etiam Corinthiorum prudentiæ tribuat, quos non dubitat probè intelligere quatenus ido-lothytorum eſus cenſendus ſit indifferens, quàque ratione ad idolorum cultum pertineat. Quamquàm Theodoretus vnà cum laude tacitam reprehenſio-nem adhiberi putat, quaſi indicet Apoſtolus, non ſua B illos indigere admonitione: per ſe enim facilè poſſe cognoſcere, quàm graue crimen ſit, aut idolis cul-tum adhibere, aut ſuo exemplo alios ad eam impie-tatem impellere. Sed propiùs vero videtur quod ait Chryſoſtomus, voluiſſe Apoſtolum his verbis indi-care quantoperè ſuæ cauſæ fidat, qui ipſos quodam-modò reos, iudices conſtituat: hoc enim (vt idem Chryſoſtomus ait) auditorem magis excitat, *quando non vt iubens, neque vt legem ferens, ſed tamquam con-ſulens, & illorum iudicium ſubiens ſic differit:* Mox ve-rò addit, hanc præcipiendi rationem propriam eſſe legis Euangelicæ: *Nam cum Iudæis* (inquit) *inſipien-tius, & puerilius affectis non ſic Deus loquebatur, neque eis ſemper dicebat cauſas mandatorum, ſed ſolùm iube-bat; hic autem quoniam magnam adepti ſumus liberta-* C *tem, conſilium quoque conſequimur, & loquitur tam-quam cum amicis.* Et ſanè ita [a] alicubi loquitur Chri-ſtus. *Iam non dicam vos ſeruos, quia ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius; vos autem dixi amicos, quia om-nia, quæcumque audiui à patre meo nota feci vobis.* Si-gnificat enim Chriſtus, ſeruum non habere cognita Domini conſilia, quid cogitet facere antequam fa-ciat, & quorſum faciat cùm re ipſa aliquid facit. Ta-metſi enim nonnulli expertæ fidei ſerui conſiliorum Domini participes ſunt, tamen vniuerſim loquitur Chriſtus de conditione ſerui: & quamuis aliquan-do Dominus conſiliorum ſuorum rationem ſeruis aperiat, bona tamen ipſa, quæ inde proueniunt, ſer-uis nullo modo communicat. Quo loco obſeruat Irenæus [b], indicaſſe Chriſtum ſe eumdem eſſe, *qui* D *primò quidem eam ſeruitutem quæ eſt erga Deum, ho-minibus per legem conſtituerit: poſt deinde libertatem eis donauerit. Et in eo quod dicit, quoniam ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius; ignorantiam ſeruilis populi manifeſtat per ſuum aduentum: in eo autem, quòd ami-cos Dei dicit ſuos diſcipulos, manifeſtè oſtendit, ſe eſſe verbum Dei, quem & Abraham voluntariè, & ſine vinculis propter generoſitatem fidei ſequens amicus fa-ctus eſt Dei.*

[a] Ioan. 15. 15.

[b] l. 4. c. 27.

16. I. CALIX BENEDICTIONIS, CVI BENEDI-CIMVS, &c. Sed quorſum iſta? Ambroſius exem-plis putat ſententiam paulò antè poſitam illuſtrari. Mirum enim fortaſſe cuipiam videri poſſet, cur ido-lothytorum eſum pertinere dixerit ad idolorum cultum; id nunc duplici exemplo confirmat, alte-E rum ab Euchariſtiæ ſacrificio ſumptum eſt: alterum à Iudaicis victimis. Qui enim tam Euchariſtici, quàm Iudaici ſacrificij participes fiunt, eam quodammodo religionem profitentur; non aliter qui idolothytis veſcuntur, ſe quodammodò idolorum cultores eſſe declarant. Ita oſtendit, non eſſe rem adeo indifferen-tem, vt liberè abſque vlla exceptione eam liceat vſurpare, etiamſi nullum aliorum ſcandalum ſequa-tur. Calicem porrò benedictionis vocat; Græcè τῆς εὐλογίας, hebraiſmo pluſquàm trito, poculum bene-dictum, ſeu conſecratum ſignificat. *Valdè autem*, vt

ait Chryſoſtomus) *fideliter, & terribiliter dixit: calicem autem benedictionis vocauit, quòd eum habentes in manibus ſic eum hymnis, & laudibus proſequimur, admirantes ineffabile donum, ſtupentes, benedicentes, bonis que verbis proſequentes, quod eum ipſum effudit, ſed etiam eum ipſum nobis impertit.* Dixerat autem paulò antè. *Quando dico benedictionem, explico omnem theſaurum Dei beneficentiæ, & magna illa dona in memoriam reuoco. Cui* (inquit) *benedicimus.* Græcè ἐυλογοῦμεν; vt vel ex hoc loco conſtet ἐυλογεῖν tranſitiuè ſumi: habet enim relationem ad ipſam rem, cui benedicimus, vt hoc loco ad calicem; adeóque apparet, non idem prorſus eſſe ἐυλογεῖν quod ἐυχαριστεῖν; illud enim refertur ad Deum, hoc verò ad rem ipſam, vt dictum eſt. Quocirca cùm hoc loco Chryſoſtomus calicem benedictionis explicat, *quem offerimus, & communicamus gratias agentes*, Græcè ἐυχαριστοῦντες, non ſignificat idem eſſe ἐυλογεῖν, & ἐυχαριστεῖν, ſed docet calicem benedictum eſſe calicem Euchariſticum. Itaque apud Matthæum [a] cùm agitur de conſecratione panis dicitur Chriſtus benedixiſſe, Græcè ἐυλογήσας: vbi verò agitur de calice gratias egiſſe ſcribitur, Græcè ἐυχαριστήσας. Vnde colligi facilè poteſt, non quidem ἐυλογεῖν poni loco ἐυχαριστεῖν, ſed contrà potiùs idem valere ἐυχαριστεῖν, quod ἐυλογεῖν. Nam apud Matthæum [b], Marcum [c], & Lucam [d], vbi deſcribitur miraculum quinque panum, & duorum piſcium, dicitur Chriſtus aſpiciens in cœlum benedixiſſe; ſcriptum eſt enim Græcè ἐυλόγησε. Apud Ioannem autem vbi idem miraculum recenſetur, ſcribitur, gratias egiſſe, Græcè ἐυχαριστήσας: Quomodò etiam loquútur Matthæus [e], & Marcus [f] narrantes alterum miraculum de ſeptem panibus. Et quod Matthæus [g], & Marcus [h] de Euchariſtiæ ſacramento dicunt ἐυλογήσας, Lucas [i], & Paulus [k] dicunt ἐυχαριστήσας: vbi cùm ἐυχαριστεῖν ad rem creatam referatur, non ad Deum, cui gratiarum actio iure debetur; apparet pro ἐυλογεῖν poſitum eſſe. Itaque calix benedictionis æquè dici poteſt ἐυχαριστίας ac ἐυλογίας. Sed ἐυλογίας quidem appellatur reſpectu illorum verborum, quibus conſecratur, ἐυχαριστίας verò illius actionis ſacræ reſpectu, qua Deo offertur pro gratiarũ actione; vt ſi dicendum ſit quod res eſt, vtrumque verbum ſuam propriam ſignificationem retineat, & ἐυλογεῖν quidem benedicere, ἐυχαριστεῖν verò gratias agere ſignificet, ſed in altera actione altera intelligatur, quod fermè vtrunque ſimul fiat. Itaque aliquandò benedictio, aliàs gratiarum actio exprimitur: idque haud obſcurè colligitur ex Paulo [l]. *Nihil* (inquit) *reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: ſanctificatur enim per orationem, & verbum Dei*: vbi in ἐυχαριστίᾳ, hoc eſt, gratiarum actione, neceſſe eſt intelligi ſanctificationem, ac benedictionem. Quamobrem hoc loco ἐυλογεῖν idem valet, quod ἁγιάζειν & καθιερῦν, id eſt ſanctificare, & cõſecrare, quod verbis inſtitutis à Chriſto panis, & vinum conſecrentur; quod Oecumenius his verbis declarauit ὃ ἐυλογοῦμεν, id eſt, ἐυλογοῦντες καθαγιάζομεν, id eſt conſecrantes, ſeu benedicentes adoramus. Non negarim tamen, quia in gratiarum actione benedictio, & ſanctificatio intelligitur, interdum verbum ἐυχαριστεῖν cùm de ſacramento agitur, ad panis ſpeciem referri. Etenim Iuſtinus [m] Martyr Euchariſtiam vocat ἐυχαριστηθεῖσαν τροφὴν, id eſt, cibum euchariſtizatum, quaſi dicat cibum ſanctificatum, & cum gratiarum actione benedictum.

[a] cap.26.26. [b] cap.14.19. [c] cap.6.41. [d] cap.9.16. [e] cap.15.36. [f] cap.8.6. [g] cap.26.26. [h] cap.14.22. [i] cap.22.19. [k] 1. Cor. cap. 11.24. [l] 1. ad Timot. 4. [m] Apolog. 2.

II. Quod igitur ait Apoſtolus. *Calix benedictionis, cui benedicimus*, calicem Euchariſticum ſignificat. Subdit. *Nonne* (inquit) *communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Qui ſacra myſteria* (ait Theodoretus) *percipimus, nonne ipſi Domino communicamus, cuius & corpus, & ſanguinem eſſe diximus?* Et Chryſoſtomus. *Quamobrem* (ait) *ſi ſanguinem cupis, non aram idolorum brutorum cæde, ſed meum altare meo cruenta ſanguine.* Et deinceps de veritate ſanguinis, & corporis in Euchariſtiæ ſacramento apertiſſimè diſſerit. Hoc ſanè apud Ioannem [a] Chriſtus ipſe docuerat. *Qui manducat* (inquit) *carnem meam, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Manere autem in Chriſto, & Chriſtus in nobis* (ait Chryſoſtomus) *eſt corpus noſtrum cum Chriſti corpore miſceri ita prorſus, vt cum illo vnum efficiamur, itaque ſuam nobiſcum participes vitam.* Quod etſi extrà ſacramentum, fidei, & caritatis beneficio fit, vt alicubi docuit Ioannes [b]; in Euchariſtiæ tamen ſacramento ſumpto vero corpore, & ſanguine Chriſti; longè veriùs fieri omnes fermè patres, tam Græci, quàm Latini affirmant: nec pigebit in præſentia pauca quædam ex illis delibare, vt hæc Pauli ſententia, qua nos ait participes fieri corporis, & ſanguinis Chriſti, & illuſtretur, & confirmetur. Itaque Irenæus [c] cùm de Euchariſtiæ ſacramento agit. *Quomodo* (inquit) *rurſus dicunt carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini, & ſanguine alitur?* Et paulò pòſt. *Quemadmodum enim, qui eſt à terra panis, percipiens inuocationem Dei iam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia ex duabus rebus conſtans, terrena, & cœleſti; ſic & corpora noſtra percipientia Euchariſtiam, iam nõ ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia.* Et alibi [d]: *Vani autem* (inquit) *omnimodo, qui vniuerſam diſpoſitionem Dei contemnunt, & carnis ſalutem negant, & regenerationem eius ſpernunt, dicentes non eam capacem eſſe incorruptibilitatis. Sic autem ſecundum hæc videlicet nec Dominus ſanguine ſuo redemit nos, neque calix Euchariſtiæ communicatio ſanguinis eius eſt, neque panem, quem frangimus, communicatio corporis eius eſt.* Et paulò pòſt *Quoniam membra eius ſumus, per creaturam nutrimur. Creaturam autem ipſe nobis præſtat ſolem ſuum oriri faciens, & pluens quemadmodum vult eum calicem, qui eſt creatura, ſuum ſanguinem qui effuſus eſt, ex quo auget noſtrum ſanguinem; & eum panem, qui eſt à creatura, ſuum corpus confirmauit, ex quo noſtra auget corpora. Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia ſanguinis, & corporis Chriſti, ex quibus augetur, & conſiſtit carnis noſtra ſubſtantia. Quomodo carnem negant, capacem eſſe donationis Dei, qui eſt vita æterna, quæ ſanguine, & corpore Chriſti nutritur, & membrum eius quemadmodum & B. Apoſtolus ait in ea, quæ ad Epheſios [e] Epiſtola, quoniam membra ſumus corporis eius, de carne eius, & de oſſibus eius, nõ de ſpirituali aliquo, & inuiſibili homine dicẽs hæc (ſpiritus enim neque oſſa, neque carnem habet) ſed de ea diſpoſitione, quæ eſt ſecundùm verum hominem, quæ ex carnibus, & neruis, & oſſibus conſiſtit, quæ de calice, qui eſt ſanguis eius nutritur, & de pane, qui eſt corpus eius, augetur.* Gregorius [f] item Nyſſenus. *Propterea* (ait) *nobis ſe ipſum comedendum proponit is, qui ſemper eſt, vt cùm ipſum in nobis ipſis acceperimus, illud fiamus, quod ille eſt.* Et Chryſoſtomus [g]. *Vt autem non ſolum per dilectionem, ſed etiam re ipſa in illam carnem conuertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus eſt: cùm enim ſuum in nos amorem indicare vellet per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit, & in vnum nobiſcum redegit, vt corpus cum capite vniretur.* Cyrillus [h]. *Quoniam igitur ſaluatoris caro verbo Dei, quod naturaliter vita eſt, coniuncta viuifica effecta eſt; quando eam comedimus, tunc vitã habemus in nobis, illi coniuncti quæ vita effecta eſt. Hac de cauſa in excitandis mortuis non ſolummodo verbo, atque imperio, vt Deus vtebatur, verùm etiam carnem ſuam quaſi cooperatricem nonnunquam adhibebat; vt re ipſa oſtenderet, carnem quoque ſuam,*

[a] cap. 6.56. [b] ep. 1. cap. 4. [c] lib. 4. c. 34. [d] lib. 5 cap. 2. [e] cap. 5. 30. [f] Hom. 8. in Eccleſiaſtem. [g] Hom. 45. in Ioan. [h] li. 4. in Ioã. cap. 14.

A

ſuam, quoniam ſibi coniuncta eſt, viuificam eſſe; atque fideles doceret, ſuum non alterius corpus eſſe. Et poſt multa[a]. *Sicut enim ſi quis liquefacta cera aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commiſceat; ſic neceſſe eſt ſi quis carnem, & ſanguinem Domini recipit, cum ipſo ita coniungatur, vt Chriſtus in ipſo, & ipſe in Chriſto inueniatur.* Et ad hoc confirmandum affert ex Matthæo[b] parabolam de fermento, & ex hac ipſa Epiſtola[c], & Epiſtola item ad Galatas[d] ſimilitudinem fermenti, quo tota maſſa corrumpitur[e]. Alibi verò eamdem affert ceræ liquefactæ comparationem, vnde colligit, *non ſolùm habitudine, quæ eſt per caritatem, Chriſtum in nobis eſſe, verùm etiam participatione naturali.* In eamdem ſententiam nonnulla ſcribunt Damaſcenus[f], Theophylactus[g], Enthymius[h]: Hilarius verò probat, Patrem, & filium non modò conſenſione voluntatis, ſed etiam natura, rémque ipſa vnum eſſe, quia & nos cum Chriſto, & inter nos ipſos perceptione eius corporis non ſolùm conſenſu, caritatéque, ſed re etiam vera vnum ſumus, vt ipſe dixerat, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus. Et multa in hanc ſententiam, quæ nimis lon-

a cap 17.
b cap. 13. 33.
c cap. 5. 6. 9.
d cap. 5. 9.
e lib. 10. in Ioan. cap. 13.
f li. 4. de fide cap 14.
g Ioan. 6.
h libr. 8. de Trinit.

B

III. gum eſſet recenſere. Quæ ſanè omnia indicant, quod hoc loco dicit Apoſtolus. *Communicatio ſanguinis Chriſti eſt.* græcè κοινωνία, ſiue referatur ad diſtributionem, vt in Epiſtola ad Romanos[i]; ſiue ad ſocietatem, & confœderationem, vt in Epiſtola ad Galatas[k]; ſiue ad eiuſdem rei participationem, vt ad Epheſios[l]; veram ſignificat diſtributionem, & participationem corporis, & ſanguinis Chriſti. Hoc enim maximè argumento Corinthios reuocat Apoſtolus ab idolothytis, & gentilium ſacrificiis. Addit, *Et panis, quem frangimus.* Frangere autem hoc loco ſignificat immolare, vt ex altera parte reſpondeat ei, quod de calice dictum eſt; *Cui benedicimus.* Quamobrem non ſimplicem fractionem intelligit, qualis erat illa, cuius meminit Lucas[m], qua ingenuum neceſſitati conſulebatur, ſed ſacra, & euchariſtica. Olim enim (quod etiam nunc Græci vſurpant) ex vno, eodémque pane conſecrato, delibatæ particulæ ſingulis tribuebantur, vt meliùs vnio, & coniunctio cum Chriſto, atque apertiùs ſignificaretur. Cùm verò panem hoc loco nominat Apoſtolus, non ſimplicem panem intelligit, ſed illum planè cœleſtem, ac diuinum, hoc eſt Chriſti corpus, qui ſpeciebus conſecratis modo ineffabili includitur, de quo Chriſtus apud Ioannem[n]. *Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit.* Itaque Chryſoſtomus cùm dixiſſet, his verbis maximam quamdam coniunctionem ſignificari, cùm non ſolùm participes ſimus, ſed etiam Chriſto vniamur, addit: *Quemadmodum enim corpus illud vnitur Chriſto, ſic & nos ei per panem hunc vnimur. Cur autem addidit. Quem frangimus; hoc enim licet videre fieri in Euchariſtia, in cruce autem non itidem, ſed vtique ei contrarium. Os enim* (inquit) *non conteretur; ſed quod non paſſus eſt in cruce, hoc in oblatione patitur propter te, & patitur frangi, vt omnes impleat.* Vt autem planiùs intelligatur panis nomine ipſum Chriſti corpus ſignificari ſubdit.

i cap. 12. 5.
k cap. 2.
l cap. 4. 4.
m cap. 24. 35. & Act. 2. 42. & 20. 7.
n cap. 6. 50.

C

D

17. QVONIAM VNVS PANIS VNVM, &c. Aptè
I. Chryſoſtomus. *Quid enim* (inquit) *dico communicationem? ſumus ipſum illud corpus. Quid enim eſt panis? corpus Chriſti. Quid autem fiunt, qui ſumunt? corpus Chriſti: non corpora multa, ſed vnum corpus. Quemadmodo enim panis ex multis granis compoſitus, eſt vnitus, vt nuſquam appareant grana, ſed ſint quidem ipſa, non manifeſta autem ſit eorum differentia propter coniunctionem; ita etiam inter nos, & Chriſto coniungimur: Non enim ex alio quidem corpore tu, ex alio autem ille nutritur, ſed ex eodem omnes.* Quibus verbis, dum ait, panem eſſe corpus Chriſti, cœleſtem planè, ac myſticum panem intelligit, quem (vt dixi) Chriſtus affirmat, deſcendiſſe de cœlo: neque enim verè ſpecies conſecratæ, ſiue etiam panis ſubſtantia, vt Lutherani ſomniant, Chriſti corpus verè dici poteſt. Itaque auget Apoſtolus, ac vehementiùs exaggerat, & amplificat quod dixerat, nos participes eſſe ſanguinis, & corporis Chriſti; quinetiam ait vnus, atque idem panis efficimur, vnum, & idem corpus, quaſi ſignificet Apoſtolus, quod tantò pòſt cœlitùs pronuntiatum audiuiſſe ſe memorat Auguſtinus[a]. *Non ego* (inquit) *mutabor in te, ſed tu mutaberis in me*: ita omninò panem illum intelligit, qui eſt corpus Domini, quandoquidem omnes Chriſtiani membra ſunt Chriſti. Dixit autem Apoſtolus abſque vlla coniunctione *vnus panis, vnum corpus*: quomodo legunt omnes Græci, quod maiorem habet vim, magiſque explicat illam, quam diximus, vnionem. Et porro valdè veroſimile quod nõ obſcurè ſubindicat Chryſoſtomus, his tam multis verbis obiter voluiſſe Apoſtolum innuere conſenſionem animorum, & voluntatum conſpirationem, eſſe Chriſtianis in primis neceſſariam; quam in primo illo Chriſtianorum cœtu fuiſſe, affirmat Lucas[b]. *Multitudinis credentium* (inquit) *erat cor vnum, & anima vna.* Nam (vt ait Chryſoſtomus) ob id Chriſtus Dominus ſua nos carne nutriet, vt priori mortalitate abiecta, immortalitatem aſſequamur, & nouam quamdam vitæ rationem ineamus. Hoc igitur exemplo Apoſtolus indicat eos, qui immolatis veſcuntur, fieri quodammodo ſacrificij participes. Ac propterea addit *omnes qui de vno pane participamus.* Inde namque oritur myſtica coniunctio; Græci codices habent, οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν, hoc eſt, omnes enim ex vno pane participamus, vt planiùs ratio & cauſa connexionis explicetur.

a lib. 7. conf. cap. 10.
b Act. 4. 32.

18. VIDETE ISRAEL SECVNDVM CARNEM,
I. &c. Nouo exemplo rem eamdem confirmat: ſumptum eſt autem à ritu Iudaico. Siquidem lex Moſis prophanos, & ſorde aliqua pollutos ab epulo ſacro arcet, nec patitur, quemquam immolatis veſci, qui non ſit prius expiatus; vt vel hinc appareat, eos ſacrificiorum fieri quodammodo participes. Porro Chryſoſtomus exiſtimat, hoc exemplum ideo ab Apoſtolo afferri, quod Corinthij non ſatis apti viderentur ad ea percipienda, quæ de Euchariſtiæ ſacramento diſſeruerat. *Quod autem* (inquit) *dicit eſt eiuſmodi, vel ex craſſioribus erudimini; quod qui hoſtias comedunt, participes ſunt altaris.* Non temerè autem dixit. *Videte Iſrael ſecundùm carnem.* Indicat enim (vt monent Chryſoſtomus, & Theodoretus) alium eſſe Iſraelem ſecundum ſpiritum, quo nomine fideles intelliguntur. Eos igitur Iudæos intelligit, qui in perfidia perſiſtebant, & adhuc ex veteri inſtituto pecudes immolabant. Ex his autem duobus exemplis colligi vult Apoſtolus, eamdem eſſe rationem in iis, quæ idolis ſacrificantur: perſimili namque ratione qui idolothytis veſcuntur, participes ſunt altaris; id eſt ſacrificij, quod in altari offertur. Et illi quidem ſi rerum tantùm externa ſpecies inſpiciatur, impios illos ritus, & nefarias ſacrificiorum cæremonias probare videntur: atque adeo nonnullo ſcelere inquinari. Quo ſanè argumento frequenter vtitur Tertullianus[c], vt fideles à gentilium moribus, & ritibus ſacrilegis reuocet, quales ſunt ludi, ſpectacula, & id genus alia.

E

c lib. de idol. lib. de ſpect. & lib. de cor. mil.

19. QVID ERGO? DICO, QVOD IDOLIS, &c.
I. Elegans occupatio eſt, ex ſuperiori namque diſputatione colligere poterat quiſpiam, Apoſtolum pugnantia loqui: cùm enim ſuperiùs[d] apertè dixiſſet, idolum nihil eſſe in mundo, iam videtur contrarium affirmare; ita enim de idolorum ſacrificiis loquitur,

d cap. 8. 4.

quaſi

quaſi illa vim aliquam habeant inquinandi, ac polluendi. Ait igitur Apoſtolus, non ſe euertere, quod paulò antè ſtatuerat, neque ſententiam reuocare: ait autem. *Quid ergo dico?* (ſic enim Græci codices diſtinguunt) *idolum eſſe aliquid, aut idolo immolatum eſſe aliquid?* Quaſi dicat: nequaquam hoc dico: longè alia mea ſententia eſt: conſtitutum eſt enim ſupra, idola nihil eſſe, præter inania quædam nomina, & mera figmenta. Poſſis etiam ita diſtinguere, vt habet vulgatus interpres hoc ſenſu; quid ergo? An dico quod idolis immolatur eſſe aliquid? Quaſi dicat, nihil minus. *Nemo* (inquit Theodoretus) *exiſtimet, me dicere, quòd vim aliquam habeant immolata, & natura poſſint polluere eum, qui eorum ſit particeps: non enim hoc dico, ſed quod qui ſuperſtitioni ſeruiunt, dæmonibus ſacrificia offerunt.* Negat ſe cum ſuperioribus pugnare, id interim affirmat, quod magis abominandum ſit, eſſe idola dæmonum ſimulacra, & eorum ſacrificia eſſe dæmonum impia, ac nefaria ſacra, mox autem quaſi iam negaſſet, ſe id ſentire, aut dicere, quod per ſe dictu ſit abſurdum; ſubiicit quid de idolis ſentiat: Nam (vt ait Ambroſius) *ſimulacrum*, ita enim ille legit pro idolo, *verè nihil eſt, quia imago videtur rei mortua, ſed ſub tegmine ſimulacrorum diabolus colitur,* ita enim diximus in diſputatione de idololatria. latebat namque plerumque in Deorum ſimulacris malus dæmon, qui oracula, & reſponſa petentibus reddebat, & miſeros mortales ſacrilega impietate implicitos miris modis eludebat, adeo vt etiam homines dæmonibus ſacrificari præciperent. quod olim prophetæ grauiſſimis verbis reprehendunt. Ita Ezechiel. *Et tuliſti filios*[a] *tuos, & filias tuas quas generaſti mihi, & immolaſti eis ad deuorandum.* Et de Achaz legimus[b]. *Inſuper, & filium ſuum conſecrauit, transferens per ignem ſecundùm idola gentium.* De qua re Hieronymus[c]. *de ſemine tuo non dabis, vt conſecrentur idolo Moloch.* Et rurſus[d]: *ſi quis dederit de ſemine ſuo idolo Moloch, morte moriatur.* Et Hieremias[e]. *Vt initiarent filios ſuos, & filias ſuas Moloch,* &[f] *vt nemo conſecraret filium ſuum, aut filiam ſuam per ignem Moloch.* Denique Dauid[g]. *Immolarunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis, & effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum, quas ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaam.* Quam conſuetudinem Plutarchus[h] (vt obſeruauit Euſebius[i]) à dæmonibus introductam ſcribit: *Quæ antiquitus* (inquit) *fiebat hominum immolatio, quam nec diuinitus introductam fuiſſe credendum eſt; nec Reges, nec principes temerè cariſſimos ſibi liberos iugulaſſe, ſed pernicioſorum dæmonum iram, & impetum retrudentes feciſſe.* Itaque ſubiicit.

20. . Sed qvæ immolant gentes, &c. Hæc (inquit) mea eſt ſententia: hoc dico; ab illo enim verbo hæc pendent, vt indicant exemplaria Græca, ἀλλ᾽ ὅτι ἃ θύει τὰ ἔθνη. *Sed quòd quæ immolant gentes,* vt ſubaudiatur, dico, *dæmoniis immolant: & non Deo.* Hæc enim eſt (vt alibi dixi) propria idololatriæ ratio dum creatæ naturæ, qualis qualis illa tandẽ ſit, honor & cultus tribuitur, qui ſoli Deo debetur. Quamquàm autem plerique putabant ſe verum Deum colere, in eo tamen fallebantur, quòd diuinitatem in plures diſtrahebant, adeóque omnis ille cultus in honorem dæmonis redundabat: qui ſeſe illis ſacrificiis pluribus modis immiſcebat, & mirificè oblectabatur ſacrificiorum nidore, & nefariis ſactis, & cæremoniis, vt alibi copioſiùs oſtendi. dæmonibus igitur ſacrificant gentes, atque adeo qui ſacrificiorum participes fiunt quandam cum dæmonibus ineunt ſocietatem: ob eam cauſam ait apoſtolus. *Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum.* Obſeruat Chryſoſtomus paternam Apoſtoli beneuolentiam, ac ſollicitudinem. *Nolo* (inquit) *vos quidquam habere commune cum dæmonibus: illi ſerui ſunt, infames, damnati, vincti, qui intolerando ſeruantur ſupplicio, & ſunt obnoxij malis innumerabilibus: vos verò adoptione filij paterna, ac regia menſa dignati.* Interim (vt obſeruat Ambroſius) oſtendit infidelium myſteria eſſe plena impietatis: & ne videatur imperio, & poteſtate abuti, dum ait *Nolo*: ſubdit ſententiam ab ipſa rerum natura deſumptam, vt intelligant, id ſe nolle, quod rerũ natura non patitur. Dixi nolle me, vos fieri ſocios dæmoniorum, quia facti eſtis participes diuinorum myſteriorum. Nam (vt ait Oecumenius) quemadmodum illi, *qui myſtica menſa participes ſunt, Chriſto communicant; ita etiam, qui dæmonum menſæ participes ſiunt, dæmonibus certè communicant.* Hoc enim veluti principio hæc omnis ratiocinatio nititur. Quoniam autem hæc inter ſe pugnant, nemo poteſt vtrumque ſequi. ita olim dixit Elias[a]. *Vſquequo claudicatis in duas partes? ſi Dominus Deus eſt, ſequimini eum: ſin autem Baal, ſequimini illum.* Quaſi dicat (quod mox ſubdit Apoſtolus) neminem poſſe vtriuſque menſæ participem fieri. qua etiam ratione dixit Chriſtus[b]. *Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire: & non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ.* Quod tum maximè verũ eſt cum ſunt Domini contrarij, & contraria præcipiunt. Mox igitur addit. a 1. Reg. cap. 18. 21. b Mat. c. 6. 24.

21. Non poteſtis calicem Domini bibere, &c. Dixerat: nolo vos ſocios fieri dæmoniorum: græcè κοινωνοὺς, ideſt participes, ſeu conſortes: nunc explicat cur nolit; quia (inquit) rerum natura non patitur. Simpliciter hæc dicta ſunt, perinde quaſi aſſerat neminem poſſe percipere Euchariſtiam, & dæmonum ſacrificiis ſeſe inquinare: non ſolùm quia id non licet, ſed quia re vera qui nefariis ſacrificiis polluitur, nullum poteſt ex Euchariſtia fructum percipere, ſed potiùs (vt capite ſequenti docebit Apoſtolus) qui indignè ad eam menſam accedit, grauiſſimo ſeſe ſacrilegio polluit. Dæmonia autem ſacrarum litterarum phraſi dæmones appellat, cum alioqui apud prophanos ſcriptores dæmonis nomen, in bonam etiam partem accipiatur. Tertullianus[c] tamen. *Neſcitis* (inquit) *genios dæmonas dici, & inde diminutiua voce dæmonia?* Et aliquantò pòſt. *Cæterùm dæmonas, ideſt genios adiurare conſueuimus, vt illos de hominibus exigamus, non deierare, vt illis honorem diuinitatis conferamus.* Eodem fermè modo loquitur Lactantius[d]. *Hi ſpiritus contaminati, ac perditi per omnem terram vagantur, & ſolatium perditionis ſuæ perdendis hominibus operantur: itaque omnia inſidiis, fraudibus, dolis, erroribus complent. Adhærent enim ſingulis hominibus, & omnes oſtiatim domos occupant, ac ſibi geniorum nomen adſumunt. Sic enim Latino ſermone dæmonas interpretantur.* Idem verò Tertullianus[e] alibi auctor eſt dæmonium etiam hominem nequam appellari. *Dæmonium* (inquit) *vocas hominem aut immunditia, aut malitia, aut inſolentia, aut quacumque macula, quam nos dæmoniis deputamus, aut ad neceſſitatem odij oportunam.* Poculum verò dæmoniorum nominat, quod ſacrificiis ſæpè cõuiuia, & libationes adderent gentiles. Qua de re ita ſcribit Tertullianus[f]. *Non ſacrificamus, nõ parẽtamus, ſed neque de ſacrificato, & parẽtato edimus, quia nõ poſſumus cœnam Dei edere, & cœnam dæmoniorũ.* Alibi[g]. *Vocat* (ait) *porro ſecuros, ſi quandò extra portam cum obſoniis, & matteis cibi potius parentans ad buſta recedis, aut à buſtis diluſior redis.* Erat enim mattæa (vt ex Athenæo[h] colligitur) cibi genus delicatiſſimum. Seneca[i] verò ſcribit Sabinum oratorem Turdum neſcio quem (ganeonem credo, & gulæ mancipium) mattæam vocaſſe, quaſi mattæolicum, id eſt eiuſmodi cibis vorandis maximè deditum. In his igitur conuiuiis, potationibus etiam indulgebant, vt verbis allatis indicat Tertullianus: & idcirco Apoſtolus calicem dæmoniorum nominat; quo dæmonibus

c In Apo. c. 22.
d lib. 2. c. 14.
e lib. de teſtim. ani. cap. 3.
f lib. de ſpect. cap 13.
g lib. de teſtim. an. cap 4.
h lib. 6. & 14.
i lib. 9 contro. cont 4.

monibus libabant, aut vita functis parentabant. Eo- A
dem pertinent quæ ſequuntur, *Non poteſtis menſæ Do-*
II. *mini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum*, Huc credo
a In dial. cum Triph. ſpectanit. Iuſtinus [a] Martyr, cùm Triphonem Iu-
dæum his verbis alloquitur. *Non vos quidem ſacrifica-
ſtis ſtatuæ Baal, vt Patres veſtri, neque in lucis, & excelſis
locis bellaria, & cupedias propoſuiſtis militiæ cœli.* Quod
enim facere conſueuerant gentiles in Ægypto præ-
ſertim, ac finitimis regionibus, vt vltimo die anni
menſam ponerent varij generis epulis refertam, &
poculum mulſo miſtum, vel præteriti anni fertilita-
tem gratulantes, vel futuri auſpicantes; hoc olim Iu-
dæi imitati ſuot, omnium ſimulacrorum portenta
venerantes. Fortaſſe etiam Paulus alluſit ad Chriſti
b Mat. 6. 24. ſententiam [b], de qua ſupra. *Nemo poteſt duobus Do-
minis ſeruire; non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ.* Eſt B
autem obſeruandus hic locus aduerſus hæreticos,
qui negant miſſæ ſacrificium. Cernitur enim hic
egregia quædam antitheſis inter prophana, & impia
gentilium ſacrificia, & ſacrificium euchariſticum,
quod multò antea non obſcurè indicatum fuerat ab
c cap. 14. in fi. Oſea [c] propheta. *Conuertentur* (inquit) *ſedentes in
vmbra eius; viuent tritico, & germinabunt quaſi vinea:
memoriale eius ſicut vinum libani. Ephraim quid mihi
vltra idola?* Hoc enim vaticinium ſpectare ad legem
euangelicam, non modò Hieronymus, ſed etiam
Chaldæus paraphraſtes affirmat. Triticum enim in-
telligo panem illum cæleſtem, de quo multa Chri-
ſtus apud Ioannem: vino autem libani, quod erat præ-
ſtantiſſimum, Chriſti ſanguis vini ſpecie conſecratus
indicatur: quamobrem rectè ſubditur. *Quid mihi* C
vltra idola? quaſi dicat. Quid neceſſe eſt impura ido-
lorum ſacrificia vſurpare? De quibus ita olim dixit
d Deu. 32. 17. Moſes [d]. *Vbi ſunt Dij eorum, in quibus habebant fidu-
ciam, de quorum victimis comedebant adipes, & bibebant
vinum libaminum?* Neque verò quemquam mouere
debet, quod mirè tamen amplificant hæretici, quòd
Apoſtolus non altare nominet, ſed menſam, quaſi
euchariſticum conuiuium probet, ſacrificium non
e lib. 2. contra aduerſ. leg. & proph. c. 19. item. Certè multò aliter accipit Auguſtinus [e], qui
veram ſacrificij rationem ex hoc loco probat, nomen
enim menſæ more præſertim Hebræorum non ra-
f co. 1. 7. rò pro altari ponitur: vbi enim Malachias [f] dixiſſet:
*Offertis ſuper altare meum panem pollutum, & dicitis: In
quo polluimus te?* mox ſubdit. *In eo, quod dicitis: Menſa
Domini deſpecta eſt.* Quod enim altare nominauerat, D
menſam appellat. Et planiùs aliquantò pòſt. *Et vos
polluiſtis illud in eo, quod dicitis; menſa Domini conta-
minata eſt, & quod ſuperponitur contemptibile eſt cum
igne, qui illud deuorat.* Quo loco apertiſſimè menſa
g cap. 65. 15. altare holocauſti ſignificat. Et Iſaias [g]. *Qui ponitis
h pro. 9. 2. fortunæ menſam, & libatis ſuper eam.* Et [h] Salomon: *ſa-
pientia immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propo-
ſuit menſam ſuam.* Nam & his locis menſa pro altari
ponitur.

22. I. AN ÆMVLAMVR DOMINVM, &c. græcè eſt
παραζηλῶμεν, quaſi dicat: prouocamus, & irritamus.
Ita Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, &
alij. Putat autem Theodoretus, alludi ad id, quod
i Deut. 32. 17. olim dixit Moſes [i]. *Prouocauerunt eum in dijs alienis,
& in abominationibus ad iracundiam concitauerunt,* E
k Pſ. 77. 58. *immolauerunt dæmonijs, & non Deo.* Itémque Dauid [k].
*In iram concitauerunt eum in collibus ſuis, & in ſculptili-
bus ſuis ad æmulationem eum prouocauerunt.* Et pro-
fectò hæc explicatio multò videtur aptior, quàm
vt inter nos, & Deũ zelotypiam concipiamus: quod
videtur indicare Ambroſius: quaſi Apoſtolus neget,
poſſe nos Deum æmulari. Itaque παραζηλοῦμεν eo ſen-
l cap. 10. 19. ſu dico, quo ad Romanos [l], παραζηλώσω, hoc eſt ad
æmulandum prouocem; vt qui dijs alienis ſacrifi-
cant, vel eorum ſacrificiorum participes fiunt, Deũ

A quodammodò zelotypiam moueant, qui ſe olim
fortem [a], ac zelotem appellauerat hoc ipſo nomine a Exod. 34.
quòd non patiatur quemquam præter ſe vnum pro
Deo coli. Num igitur (ait Apoſtolus) Deorum ſa-
crificia frequentamus, vt Deum ad iram, & zeloty-
piam prouocemus? *Nunquid fortiores illo ſumus?* quaſi
dicat; adeóne deſipimus, vt cum Deo pugnam in-
eamus, quaſi nos illum diuinitate ſpoliare poſſimus,
aut illum de cælo deturbare, aut denique cum illo
æquo iure contendere? Quo loco obſeruat Chryſo-
ſtomus, hæc tam abſurda ab Apoſtolo inferri, vt hac
ratione rei indignitatem maximè deteſtandam, at-
que abominandam doceat. *Vidiſti* (inquit) *quàm
terribiliter, & horribiliter eos increpauit, ipſos eorum
neruos conquaſſans, & per adductionem ad abſurdum eos*
B *valdè tangens, & eorum tumorem deprimens.* Hierony-
miani commentarij pro eo quod hîc legitur. *An æmu-
lamur Dominum?* aiunt alios codices habere: *ipſi me
zelauerunt in Domino*: vt ſit ſenſus, ad zelum prouo-
cauerunt. Sed nuſquam alibi id me legiſſe memini:
Oecumenius more ſuo Chryſoſtomum ſequitur.
Terrentis (inquit) *more hoc poſuit, an tẽtamus, aut irrita-
mus Deum, vtrum poſſit nos punire? Deinde tranſiundo
oſtendit, quòd hoc ad id, quod abſurdum eſt inducat: Num
fortiores illo ſumus, vt tentemus, & irritemus?* Ita in-
dicat tentari, atque irritari Deum à Corinthiis,
dum paſſim abſque vllo diſcrimine idolothytis ve-
ſcerentur.

OMNIA MIHI LICENT, SED, &c. Theo- 23.
doretus hæc ita diſtinguenda putat, vt priora qui- I.
C dem interrogando pronuntientur. *Omnia mihi li-
cent?* mox ſubdatur reſpõſio. *ſed non omnia expediunt.*
Eodémque modo. *omnia mihi licent, ſed non omnia ædi-
ficant.* vt ſit ſenſus: licet tibi propter eam, quam te
dicis habere cognitionẽ, omnia facere, ſed nec tibi
conducit alios offendere, nec illos ædificat id, quod
tu facis. At perfectus es: atqui conuenit etiam imbe-
cilliorum curam gerere. ſed abſque interrogatione
eamdem prorſus ſententiam ſequuntur Chryſoſto-
mus, & Ambroſius. Videtur enim Apoſtolus redire
ad id, quod ſuperiùs dixerat: etiamſi quis maximè
perfectus ſit, plurimúmque ſcientia valeat, atque
adeo idolothytis innoxiè veſcatur, non tamen pro-
pterea eum vacare culpa, ſi alij eius actione lædan-
tur: neque enim quidquid per ſe licet, continuò vti-
D le eſt, cùm (vt ſuprà oſtenſum eſt) multa liceant
quæ tamen non conducant. Addit nunc, multa li-
cere quæ non ædificent. Itaque (vt obſeruat Chry-
ſoſtomus) ſpectandum monet verùm ea, quæ alio-
qui licent, conferant, & ædificent. Illud quidem ad
eum ipſum, qui agit refertur, hoc verò ad alios. Cùm
enim dicit. *Non omnia expediunt*, ſignificat pleraque
eſſe, quæ quibuſdam poſitis ipſi, qui agit interitum
afferre poſſint. Cùm verò ſubdit: *Non ædificant*; alio-
rum ſcandalum, & offenſionem indicat. Ita tacitè ſi-
gnificat (vt obſeruauit Ambroſius) etiam à licitis
interdum abſtinendum eſſe, ſiue vt tuæ ſaluti con-
ſulas, ſiue vt aliis proſis, vel certè non obſis, idque
Corinthiis faciendum in idolothytis inſinuat: quod
ſe in victu quærendo feciſſe docuerat. Cæterùm
E quæ aliis offenſionis occaſionem præbent, ne licent
quidem, quia nihil cum aliorum ſcandalo facere li-
cet. dicit autem Apoſtolus, quædam licere, quæ non
conducunt, neque ædificant, quia ſi per ſe ſpecten-
tur, vt à ſingularibus conditionibus auulſa; nihil ha-
bent vnde reprehendi, aut damnari queant: vt per ſe
quidem licet quouis cibo veſci, ſed Paulus ſe cum
aliorum ſcandalo nefas eſſe putat carnibus veſci.
Quod igitur per ſe, atque abſolutè licet, quia non
ædificat, non conducit, ac ne licet quidem. ſic etiam
philoſophi quædam ſimpliciter licere concedunt.

quæ

quæ adhibita aliqua conditione minùs deceant: vt iis, qui legitimis nuptiis copulati ſunt licet operam dare liberis, at coram aliis minùs decet, adeóque non licet habenda igitur ratio alienæ ſalutis: quamobrem mox ſubdit.

24. NEMO QVOD SVVM EST, QVÆRAT, &c.
1. Sententia eſt, quæ moderata explicatione indiget. neque enim ſignificat Apoſtolus, ita aliorum ſalutem quærendam eſſe, vt propria negligatur; ſed id ſignificat, quod monent Hieronymiani commentarij, non propriæ duntaxat ſaluti ſtudendum eſſe, ſed habendam eſſe rationem alienæ vtilitatis. Chryſoſtomus id exemplo Apoſtoli maximè confirmat, qui omnibus omnia factus eſt, vt omnes faceret ſaluos. Quatenus autem propria commoda proximorum vtilitati poſthabenda ſint diſputant Theologi, & nos alibi. Græci codices habent ἀλλὰ τὸ τοῦ ἑτέρου ἕκαστος, ſed vnuſquiſque quod eſt alterius: ita enim
a Eccl.17.12. dixit Sapiens [a]. *Vnicuique mandauit Deus de proximo ſuo.* Qua de re in diſputatione de ſcandalo, déque fraterna correptione plura dicuntur. Rectè autem
b l.4.Strom. hunc locum citat Clemens [b] Alexandrinus: *Omnia quidem certè licent, ſed non omnia expediunt. Omnia licent, ſed non omnia ædificant, inquit Apoſtolus. Et nemo quærat quod ſuum eſt ſolummodo, ſed etiam quod alterius, vt poſſit ſimul & facere, & docere, ædificans, & ſuperædificans.* Et deinde multa ex hoc loco haud malè explicat. Reprehendit autem Apoſtolus alicu-
c ad Philip.2. bi [c] eos, qui quærunt quæ ſua ſunt. *Omnes quærunt quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti.* Quæ tamen ſententia aliò refertur, vt ſuo loco docui. Et inter cætera caritatis encomia, vt ſuo loco videbimus, hoc etiam commemoratur. *Caritas non quærit quæ ſua ſunt:* non quòd penitùs ſua negligat, quæ præſertim referuntur ad ſalutem ſempiternam, ſed quòd omnia certo quodam ordine diligat, vt egregiè decla-
d Cap.2.4. rat Origenes in illa verba Canticorum [d]. *Introduxit me rex in cellam vinariam, & ordinauit in me carita-*
e Hom.4. cit. *tem. Omnes* (inquit [e]) *homines amant ſine dubio aliquid, & nullus eſt, qui ad id ætatis venerit, vt amare iam poſſit, & non aliquid amet, &c. Sed hic amor, & hæc caritas, in nonnullis quidem ſuo ordine, & conuenienter aptata procedit; in plurimis verò contra ordinem. Dicitur autem contra ordinem eſſe in aliquo caritas, cùm aut id diligit, quod non debet, aut quod debet diligit, ſed plus iuſto diligit, aut minus iuſto:* & multa deinceps.

25. OMNE, QVOD IN MACELLO VÆNIT, &c.
1. Explicare incipit Apoſtolus quæ ſit in vſu ciborum, eorúmque delectu retinenda ratio. *Omne,* inquit, *quod in macello vænit, manducate.* Hoc eſt, quidquid venale exponitur. Eſt enim græcè πωλούμενον: macellum verò Latina vox eſt, quam retinuit Apoſtolus Græca tantum inflexione adhibita, quales multæ in nouo Teſtamento leguntur. ἀσσάριος, δηνάριος, κεντυρίων, κῆνσος, κουστωδία, λεγεών, λέντιον, λιβερτῖνος, μίλιον, μάκελλον, μεμβράνα, μόδιος, ξέστης, σικάριος, σουδάριον, σπεκουλάτωρ, ταβέρναι, φόρον, τίτλος, φραγελλῶν, φραγέλλιον, id eſt aſſarius, denarius, centurio, cenſus, cuſtodia, legio, linteum, libertinus, miliare, macellum, membrana, modius, ſextarius, ſicarius, ſudarium, ſpeculator, taberna, forum, titulus, flagellare, flagellum. Vt hinc appareat, quàm inanitus nullo argumento nitantur ij, qui idcirco putant, Marcum latinè Euangelium ſcripſiſſe, quia voces Latinæ in illo plerumque leguntur; iſto enim modo latinè ſcripſerint Matthæus, Lucas, Ioannes, Paulus.
f in epiſt. ad Ian. cap. 4. Illud certè (vt de reipſa agam) aſſentior Auguſtino [f], conſueuiſſe olim carnes ſacrificatas venales proſtare, quod apud Ægyptios vſu fuiſſe receptum, teſtatur Herodotus. Hunc autem in modum ſcribit Auguſtinus. *Omnis immolatitia caro in macello vænunda-*

A *batur, & de primitiis vini bibebant gentes iuxta id, de quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum; & quædam in ipſis torcularibus ſacrificia faciebant. Iubet ergo Apoſtolus & hos, qui ſalua conſcientia talibus alimentis vtebantur, non ſpernere infirmitatem illorum, qui à talibus cibis, & potu abſtinebant; & illos infirmos, ne eos, qui carnibus veſcebantur, & vinum bibebant, tamquam pollui iudicarent. Nihil* (inquit Apoſtolus) *interrogantes propter conſcientiam.* Nam (vt Chryſoſtomus, & Ambroſius affirmant) dum quis ignorat ſit-ne quidpiam idolis immolatum, pollui, aut inquinari non poteſt; ac proinde, *Nihil* (ait) *interrogantes.* Græcè ἀνακρίνοντες. id eſt nihil diiudicantes. *Neque enim* (ait Chryſoſtomos) *permittit eis examinare id ne ſit idolo immolatum, an non; ſed in-*
B *diſcriminatim comedere quidquid affertur è foro; neque diſcere quid ſit, quod apponitur. Quo fit vt etiam qui ignorans comederit, ſit liberatus: talia enim ſunt quæ non ſunt mala natura, ſed ex animi cogitatione & inſtituto faciunt immundum:* ita Auguſtinus [a]. *Interrogare* (in- a lib. aduerſ. Adiman cap. 14.
quit) *vetat cùm quid de macello emitur.* Abutitur aduerſus Catholicos hoc Apoſtoli teſtimonio Tertullianus [b]. *Et ſi claues* (inquit) *macelli tibi tradidit,* b li. de ieiun. aduer. Pſychi. cap 15.
permittens eſus omnia ad conſtituendum idolothytorum exceptionem; non tamen in macello regnum Dei incluſit.

DOMINI EST TERRA, &c. Dauidis [c] teſti- 26.
monio ſuperiorem ſententiam firmat: quaſi dicat 1.
nulla re creata tamquam impura aut immunda ab- c Pſal.23.1.
ſtinendum eſt; quidquid enim diues terra fundit, quidquid vſquam reperitur, à Deo bonorum om-
C nium auctore profectum eſt, eiúſque imperio, ac poteſtati ſubiicitur, vt nihil immundum, aut pollutum in hac rerum vniuerſitate reperiri queat: qua ratione nihil eſt, quod ſuapte natura repudiandum ſit. In paraphraſi, perſpicuitatis & connexionis gratia addidimus cauſalem, enim, quæ legitur in græcis & nonnullis codicibus Latinis. Eodem ſenſu dixit alibi [d]: *Omnis creatura Dei bona eſt, quæ cum gra-* d 1. ad Tim. 4.4.
tiarum actione percipitur. Quare rectè Hieronymus. *Si Domini ſunt* (inquit) *munda omnia ſimpliciter vtentibus:* addit Ambroſius rem, quæ idolo oblata eſt, ex accidenti quidem aliqua ratione pollui, cum tamen, qui id ignorans eam ſibi comparat, nullo piaculo inquinari, atque adeo penitùs vacare culpa. Et Chryſoſtomus ex animi cogitatione, atque inſtituto,
D denique ex inobedientia ſcelus perpetrari affirmat: propterea ſcientiam, & conſcientiam toties Apoſtolus inculcat. Porro quod ait: *plenitudo eius;* quamquam in Latinis codicibus ambiguū videtur, vtrum relatiuum *eius* ad Dominum, an ad terram referendum ſit; in Græcis tamen perſpicuè apparet coniungi cum terra; eſt enim fœminini generis, αὐτῆς. Hinc facilè refelluntur antiqui hæretici, qui duo rerum principia conſtituebant: alterum bonum, alterum malum, & ab illo bona, ab hoc verò mala prodiiſſe contendebant; nam Apoſtolus Dauidis teſtimonio apertè docet, ad vnum principium, & rerum conditorem omnia referenda eſſe, nihilque omnino in rerum natura reperiri, quod ſit per ſe malum, aut immundum. *Vidit quippe* [e] *Deus cuncta, quæ fecerat, &* e Gen. 1. 4.
E *erant valdè bona.* Rerum vſus vitiari poteſt, vt fuerit vtentis affectio voluntatis: ita plerumque peccamus, non ſolùm quia (vt ait Auguſtinus) fruimur vtendis, & vtimur fruendis; ſed etiam, quia iis, quæ ad honeſtum vſum conceſſa ſunt, nos contra fas abutimur. Qua ratione Corinthij cum aliorum pernicie idolothytis abutebantur; eam ob cauſam Apoſtolus non modò eorum abuſum caſtigat, ſed etiam rationem præſcribit, qua iis vtantur: ait enim.

SI QVIS VOCAT VOS INFIDELIVM, &c. 27.
Aliud ſalutare conſilium Apoſtoli eſt, & quidem (vt 1.

ait Chryſoſtomus) moderationis, prudentiæque pleniſſimum. neque enim (inquit) iuſſit, nec lege ſanxit, vt ad gentilium conuiuia adeant, neque rurſus prohibuit, ſed cum illis liberam optionem reliquerit, viuendi rationem præſcribit. Obſeruat autem Theodoretus hanc Apoſtoli moderationem ad gentilium vtilitatem referri, quos fideles familiari conuictu, & conſuetudine facilè poterant ad Chriſti fidem, ac religionem perducere. Hanc enim ob cauſam Chriſtus ipſe publicanorum conuiuia non recuſabat, vt de rebus diuinis, déque eorum ſalute verba faceret. *Neque enim* (ait Theodoretus) *infideles venari potuiſſent, ſi fuiſſet ablata cum eis congreſſio.* *Nihil* (ait) *interrogantes propter conſcientiam.* *Ne videlicet* (vt ait Chryſoſtomus) *timoris, aut puſilli, abiectique animi videatur eſſe curioſitas. Qui enim curiosè inquirit, timorem indicat, qui verò re cognita abſtinet, id profectò facit ex contemptu, atque odio, quo idola proſequitur.* Paulus igitur, vt & timori & huic odio occurrat, liberam facit veſcendi poteſtatem ex omnibus, quæ apponuntur; neque vult curioſiùs inquiri quæ, aut qualis eſca ſit: idque ait: *Propter conſcientiam*: hoc eſt (vt paulò pòſt explicabit) ne quiſquam lædatur. Non quòd conſcientia iudicet, nihil eſſe interrogandum, ſed potiùs quia nihil eorum, quæ apponuntur inijcere debet religionem; ſed (vt ait Photius) pura ſit oportet, ac minimè hæſitans conſcientia; nam ſi vel dubia ſit, vel ſcrupulis angatur, tum verò vel omnis dubitatio abijciẽda eſt, omniſque ſcrupulus ponendus, aut à ſuſpectis abſtinendum, vt alibi copioſiùs doceo: non quòd illa per ſe polluta ſint, aut inquinare poſſint, ſed quia conſcientia opinione illa ſua, quæ vinci, ac ſuperari non poteſt, animum agentis lædit. Nam ſi nulla præcedat religio, nulla rei immolatæ ſuſpicio, vel hæſitatio, liberum erit veſci iis omnibus, quæ apponuntur; cùm (vt paulò antè dictum eſt) nihil ſit per ſe immundum, aut inquinatum. Hactenus igitur eos excuſauit Apoſtolus, qui ignorãt, quidpiam eſſe idolis immolatum; quid autem agendũ ſit iis, qui id norũt explicat his verbis.

28. I. SI QVIS AVTEM DIXERIT, HOC IMMOLATITIVM, &c. Vbi quis igitur didicit ab infideli quidpiam eſſe idolothytum, monet Apoſtolus abſtinendum propter illum, qui indicauit, & propter conſcientiam. Videri poſſent duæ rationes, ob quas abſtinẽdum ſit ab idolothytis; ſed re vera ex iis, quæ ſequuntur apertè cognoſcitur, vnicam duntaxat eſſe ab eius vtilitate, vel periculo deſumptam, qui indicauit. Ille namque cùm ſit infidelis, ſi videat Chriſtianos libenter veſci idolothytis, exiſtimat illos adhuc idolorum cultui deditos eſſe, atque adeo minùs benè de Chriſtiana religione, eiúſque legibus, ac decretis ſentit. Ita locum explicat Chryſoſtomus, qui quod mox ſequitur. *Conſcientiam dico non tuam, ſed alterius*: non de fidelibus, ſed de infidelibus explicat: quomodo etiam intelligit Ambroſius; ita enim ſcribit. *Hoc perfectis loquitur, qui poſſunt contemnentes idolatriam, quia nihil eſt manducare de ſacrificio, certè quia quod ſub Dei creatoris nomine editur, non poteſt polluere; ſed quia alius, qui idolis ſeruit, glariabitur te edente de ſacrificatis, quaſi venereris idola; ideo non debet edi apud conſcientiam enim ille latabitur ſuam, quia vides te libenter appetere quod idolis immolatum eſt.* Græci codices hic repetunt Dauidis teſtimonium. *Domini eſt terra, & plenitudo eius*: itáque legunt Chryſoſtomus, Theodoretus, & Photius apud Oecumenium. Theodoretus autem hanc addit rationem. *Hoc* (inquit) *poſuit, & de comedendo, & de non comedendo, docens quòd oportet eos etiam ſcire qui ſunt participes; & hoc ipſum etiam oportet perſuaſum habere eos, qui non comedunt, quod omnia ſunt Domini effecta,*

A *& creaturæ.* Photius ea verba repeti exiſtimat duplicem ob cauſam; primùm vt intelligant, etiam ſi non veſcantur idolothytis, nihil tamen illis defuturum, quo vitam ſuſtentent: deinde, vt doceat quando omnia Dei ſint, etiam & quidem multo magis homines ad Deum pertinere, atque ob eam cauſam vt infidelium ſalus procuretur abſtinendum ab immolatis, ſi alioqui illi edendi libertate lædantur. Latini codices ea Dauidis verba hoc loco non habent: neque Ambroſius, neque Theodoretus agnoſcunt. Quod autem noſter interpres dixit. *Hoc immolatitium eſt idolis*, græcè eſt εἰδωλόθυτον Ambroſius ſimpliciter legit *immolatitium*. nonnulli codices habent; *hoc immolatum eſt idolis*. Sententia ſemper eſt eadem. Tractat hunc locum more ſuo Tertullianus [a]. *Si* B *enim* (inquit) *verbo nudo conditio polluitur, vt Apoſtolus docet: ſi quis autem dixerit, hoc idolothytum eſt, non contigeris, multò magis cum habitu, & ritu, & apparatu idolothytorum contaminatur.* Inde colligit abſtinendum à coronis, quia *corona idolothytorum efficitur. hoc enim ritu, & habitu, & apparatu idolis immolatur auctoribus ſuis, quorum eo vel maximè proprius eſt vſus, ne in communionem poſſit admitti, quod in Dei rebus non inuenitur.* Adeo enim initio naſcentis Eccleſiæ à gentilium moribus, atque inſtitutis abhorrebant fideles, vt nihil eorum vſurpandum cenſerent, quod aliquam cum eorum ritibus ſimilitudinem, atque affinitatem haberet. Itaque ſacrorum Antiſtites ad abolendam omnem gentilitatis memoriam, multa inſtituerunt, quibus fideles, Deum, & viros ſanctos C ſacris ceremoniis religiosè colerent: de quibus alibi dicendum erit.

[a] Lib. de cor. milit. c. 10.

CONSCIENTIAM AVTEM DICO NON TVAM, &c. 29. I.
Hîc oſtendit Apoſtolus, quamobrem idolothytis abſtinendum cenſeat; vnáque explicat quam cõſcientiam intellexerit, cum dixit. *Nihil interrogantes propter conſcientiam.* Itémque. *Nolite manducare propter illum, qui indicauit, & propter conſcientiam. Conſcientiam*, inquit, *dico non tuam, ſed alterius.* Dixerat autem ſuprà nõ modò ſui ipſius, ſed alterius etiam habendam eſſe rationem. Et quidem ſi ſequamur Græcos codices, qui in fine ſuperioris ſententiæ repetunt illud Dauidis: Domini enim eſt terra & plenitudo D eius: non videntur Pauli ſententiam illi aſſequuti, qui verba Dauidis accipiunt quaſi alieno nomine, & perſona obiiciantur Paulo. Quaſi dicat: Quam mihi narras conſcientiam? cùm vt ipſe etiam fateris Domini ſit terra, & plenitudo eius? Multò enim rectiùs Chryſoſtomus, ea addi putat à Paulo, ne ſuſpicarentur Corinthij idolothyta abominanda idcirco eſſe, quod per ſe immunda, ac polluta viderentur. Propterea (inquit) abſtinendum cenſeo propter conſcientiam, cùm alioqui probè ſciam, nihil eſſe ſuapte natura immundum, ſed omnia potius eſſe ab immortali Deo creata. *Neque enim*, ait Chryſoſtomus, *prohibeo tanquam ſint aliena. Domini enim eſt terra.* Nec malè explicat Theodoretus. *Tu enim*, inquit, *noſti, quod Domini eſt terra, & plenitudo eius, & idolorum imbecillitatem contemnis; ille autem errori mancipatus, hinc damnum accipit exiſtimans te illo-* E *rum, quæ idolis immolantur, eſſe participem.* Poſſis etiam hoc modo accipere vbi monitus fueris quidpiam eſſe idolis immolatum, propter eum qui monet, & propter conſcientiam non eſt cur fratrem offendas, immolatis veſcens, cùm tantam ciborum II.
copiam diues mundus ſuppeditet. Mox autem ſubdit: *Conſcientiam autem dico nõ tuam, ſed alterius.* Alloquitur enim eos, qui ſcientiam ſe habere profitebantur, quos tamen, vt ait Chryſoſtomus, etiam hoc modo lædi affirmat. Sæpe enim aliena flagitia nos attingũt, de quibus Dauid [b]. *Ab alienis parce ſeruo tuo.* Quod

[b] Pſal. 18. 14

multis modis fieri, alibi doceo. Subdit autem: *Vt quid enim libertas mea iudicatur ab aliena conſcientia?* Videtur Apoſtolus bis paucis verbis perſonam mutaſſe: dum enim ait *conſcientiam dico non tuam, ſed alterius*, quaſi cum alio loquitur: cum autem ſubdit: *vt quid libertas mea iudicatur ab aliena conſcientia?* in ſe recipit perſonam alterius, quò rem magis ob oculos ponat. Suſcipit autem perſonam eorum qui cùm ſint ſcientia præditi, pura atque integra conſcientia idolothytis veſcuntur, quorum tamen libertas *ab aliena conſcientia iudicatur*, hoc eſt, reprehenditur, ac damnatur: quia, vt ait Ambroſius, *non putatur diſtare ab eo, qui idola veneratur, cùm non horreat id, quod ſimulacris immolatum eſt.* Cùm enim quis monitus idolothyta eſſe, quæ apponuntur, iis tamen liberè veſcitur, iuſtam videtur reprehenſionis præbere materiam: non item cùm ignorat quidpiam eſſe idolis immolatum, vt obſeruauit Chryſoſtomus. *Quando enim*, inquit, *viderit hæc non examinantem non in macello, non in conuiuio; quomodo non dicet, & me condemnabit, vt qui indiſcriminatim ſim eorũ particeps? nequaquam, non enim tanquam idolis immolatorum es particeps, ſed tanquam mundorum.* Quid ſit autem condemnare indicat idem Chryſoſtomus. *Quis eſt ex gentibus*, inquit, *neſcit meam iudicare philoſophiam, neque mei Domini perſpicere liberalitatem, & magnificentiam: ſed condemnabit, & apud ſe dicet, res Chriſtianorum ſunt fabulæ: abſtinent à ſimulacris: fugiunt dæmones, & hærent iis, quæ illis offeruntur: viget apud eos ingluuies, & helluatio.* Porro (vt monet Theodoretus) libertatem vocat gratiam fidei, quæ (vt ait Chryſoſtomus) à Iudaica ſeruitute, & ſuperſtitioſo ciborum delectu liberat. *Vt quid autem* ait: quaſi dicat: quo fructu, quáve vtilitate: vt indicet, nihil inde percipi emolumenti: ita Hieronymiani commentarij; tunc autem offenſionis aliorum maximè eſt habenda ratio.

30. 1. SI EGO CVM GRATIA PARTICIPO, QVID, &c. In eodem præſtat argumento; oſtenditque non fidelium ſed infidelium habendam eſſe rationem, qui hanc ob cauſam Chriſtianæ religioni detrahunt. *Neque enim* (vt ait Chryſoſtomus) *dum hæc dicit, infidelium curam gerit; ſed fidelium ſaluti conſulit, ne ſua libertate iuſtam præbeant obtrectandi occaſionem.* Monet enim abſtinendum propter fratrem, & ne quis fiat ſocius dæmoniorum, & ne ab infideli accuſetur; aut reprehendatur. *Hic enim*, inquit, *non amplius natura, ſed inobedientia, & cum dæmonibus amicitia me facit immundum, & ſordes, & inquinamentum facit delectio liberi arbitrij. Si ego*, inquit, *cum gratia participo.* Græcè, *εἰ δὲ ἐγὼ χάριτι μετέχω*: Ambroſius latinè dixit, *Gratiæ particeps ſum*: ſed vt arbitror, Græca lectio eum ſenſum non admittit. Quamobrem rectiùs vulgatus interpres dixit: *Cum gratia.* ſenſus autem videtur eſſe; quem Chryſoſtomus, & Theophylactus exprimunt, vt ſit *χάριτι* datiuus inſtrumenti, ſeu modi. Si ego (inquit) particeps ſum eſcarum, non idoli, ſed Dei beneficio, ac munificentia. *Eius enim* (ait Chryſoſtomus) *eſt tanta gratia, vt mihi animam reddiderit impollutam, & altiorem, quàm vt vlla inquinetur macula.* Idque illuſtri exemplo confirmat; ſubdit enim. *Nam ſicut ſol in multas maculas immittens radios, rurſus eos contrahit, & reddit mundos; ita nos quoque, & multò magis in mundo verſantes, puri, & mundi permanemus ſi velimus, quo etiam maiores vires habemus. Quid*, inquit, *blaſphemor pro eo, quod gratias ago.* Græcè eſt, *βλασφημοῦμαι ὑπὲρ οὗ ἐγὼ εὐχαριστῶ. Pro quo*, inquit, *gratias ago.* indicans fortaſſe quod paulò antè dixit, *cum gratia participo*; idem valere, quod cum gratiarum actione. Eſt autem non inelegans

II. antitheſis inter *βλασφημεῖν* & *εὐχαριστεῖν*. Rectè verò hoc loco ſcribit Ambroſius, meritò Apoſtolum

A hæc Corinthiis præcipere; ſi enim ſecus fiat, & infideles Chriſtianæ religioni detrahunt, & in ſuo errore magis, ac magis confirmantur. Et in eandem ſententiam Chryſoſtomus. *Græci autem*, inquit, *ſeu gentes meam neſcientes philoſophiam, contrarium ſuſpicantur, & dicunt Chriſtiani noſtra appetunt, & ſunt hypocritæ, vt qui vituperent quidem, & auerſentur dæmones, currant autem ad eorum menſas. Quo quid eſſe poſſit ſtultius, & magis expers ſenſus? Non ergo propter veritatem, ſed propter honoris, & principatus cupiditatem venerunt ad hoc dogma. Quanta ergo fuerit amentia, ſi pro eo, quod tanto beneficio ſum affectus, vt pro eo agam gratias, pro eo ſim cauſa blaſphemiæ, & maledicti!* Hinc igitur colligit Apoſtolus, propter infidelium offenſionem abſtinendum ab idolothytis: nam ſi difficile

B eſt vitare offenſionẽ imbecilliorum fidelium, etiamſi tuæ libertatis rationem reddas, multò profectò difficilius erit tuam viuendi rationem infideli, & inimico probare, qui penitùs idolorum cultui deditus eſt. *Atqui* (ſubdit Chryſoſtomus) *etiam blaſphemant gentiles, & nos maledictis proſcindunt, cùm nos vident à ſuo nefario cultu abhorrere. Cur ergo has execrationes negligimus, illas autem tantopere vitandas cenſebimus? Non ſunt*, inquit, *paria: nam illic quidem magnum eſt lucrum ex eo quòd feramus blaſphemiam, ac maledictum; hîc autem nihil accipiemus emolumenti, & ideo priùs quoque dixit. Neque ſi manducamus abundamus, neque ſi non comedamus deficimus.* Et quidem (vt aliàs monui) Gregorij ſententia ſemper retinenda eſt, vt quoties ſine peccato poſſumus proximorum ſcan-

C dalum vitemus.

SIVE ERGO MANDVCATIS, SIVE, &c. Amplisſima ſententia, ac veluti analemmate totam diſ- 31. 1.
putationem concludit, & præcipua humanæ vitæ officia complectitur. Pulchrè enim, vt ait Theodoretus, *omnia comprehendit, & ſedere, & ambulare, & differere, & miſereri, & docere, vt vnus omnium ſit ſcopus Dei gloria.* Vt non modò ipſi nos Dei quæramus gloriam, ſed id etiam agamus, ne alij quidquam contra Dei gloriam faciant: vt hac ratione, quod monet Chryſoſtomus, demus operam, vt omnia ad vnius Dei gloriam referantur. Theodoretus autem confert hæc verba Pauli cum Chriſti præcepto. *Sic luceat*[a] *lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.*

a Matt. 5. 13.

D Nonnulli Latini codices habent, *ſiue aliud quid facitis*: Græci nunc habẽt *εἴτε τι ποιεῖτε*, hoc eſt, *ſiue quid facitis.* Quod cùm ampliſſimè dictum ſit, Origenes[b] tamen refert ad vſum coniugij. *Intelligite*, inquit, *Apoſtoli ſermonem, quo ait, ſiue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Quod enim poſt manducare, & bibere dicit, ſiue aliud quid facitis, inuerecunda coniugij negotia verecundo ſermone ſignauit, oſtendens etiam ipſa ad Dei gloriam geri, ſi poſteritatis ſolius contemplatione procurentur.* Quod non perinde accipio, quaſi hoc propriè ac priuatim doceat Apoſtolus, ſed quod tanquam in genere illa etiam veluti forma comprehendatur. Congruit cum hac Apoſtoli ſententia quod legitur apud Zachariam[c]. *Cùm ieiunaretis, & plangeretis in quinto, & ſep-*

b Hom. 1. in Gen.

c cap. 7. 5.

E *timo per hos ſeptuaginta annos, nunquid ieiunium ieiunaſtis mihi? Et cum comediſtis, & bibiſtis; nunquid non vobis comediſtis, & vobiſmetipſis bibiſtis?* Indicat enim neque ieiunium, neque cibum ad Dei gloriam fuiſſe relata, atque idcirco neutrum Deo magnopere placuiſſe. Quid autem ſit in gloriam Dei edere, & bibere, aliud-vè facere, explicat Ambroſius his verbis. *Nam in gloriam Dei edere, & bibere, & aliquid facere, hoc eſt, vt ſub inuocatione creatoris cum modeſtia conuiuium celebretur: in gloriam enim Dei aliquid fit, cùm in actibus, & conuerſatione Chriſtiani Deus lau-*

datur, vel cùm filiorum procreatio à Deo ſperatur. Rectè verò Hieronymiani commentarij monent, nihil magis agendum eſſe Chriſtiano, *quàm vt in omni opere eius Dei gloria prædicetur; nec aliquid faciat, vnde Chriſti doctrina poſſit in aliquo reprehendi.* Cum hac ſententia conſentit & illa, quæ eſt in epiſtola ad Coloſſenſes [a]. *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Ieſu Chriſti facite, gratias agentes Deo, & Patri per ipſum.*

a cap. 3. 17.

32. Sine offensione estote Iudæis, &c.
I. Hoc etiam ampliſſimum præceptum eſt ad omnes vitæ actiones pertinens. *A vobis* (inquit Theodoretus) *nulla oriatur cauſa ſcandali, nec iis qui iam credunt, nec iis qui iam crediderunt.* Hæc autem hominum genera ita diſtinguit Chryſoſtomus. *Frater* (inquit) *offenditur, & Iudæus te magis odio habebit, & te* B *condemnabit, & Græcus ſimiliter te tanquàm hellvonem irridebit, & hypocritam. Non ſolùm autem non ſunt offendendi fratres, ſed etiam quoad eius fieri poteſt, ne externi quidem. Nam ſi ſumus lux, & fermentum, & luminaria, & ſal, illuminare, non tenebras offundere oportet, conſtringere non diſſoluere; ad nos ipſos attrahere infideles, non fugare.* Planiùs idem explicat Ambroſius. *Offenſio ergo* (ait) *Iudæis fit, cum idola, quæ illi abominantur, Chriſtianum qui ſe dicit legem, & prophetas accipere, vident non horrere. Græcis verò id eſt gentibus hæc eſt offenſio, ſi in eo in quo ſunt non ſolùm nõ arguantur, ſed & promptiores fiant dum non vitantur vota idolorum illorum. Eccleſiæ autem Dei fit offendiculum, quando quoſdam ex numero ſuo videt iis, quæ inimica ſunt Deo adhærere.* Eodem planè modo loquitur C Hieronymus. Porro quod ait Latinus interpres. *Sine offenſione eſtote*, græcè eſt ἀπρόσκοποι, hoc eſt tales, vt nemo per vos offendat, nemo vllo pacto lædatur: quò etiam ſpectat illud Apoſtoli [b] Petri. *Conuerſationem veſtram inter gentes habentes bonam, vt in eo, quod detrectant de vobis, tanquàm de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes glorificent Deum in die viſitationis.* Niſi quòd Petrus præcipuè de gentibus loquitur, qui Chriſtianis multa nefaria, atque impia ſcelera obiiciebant, vt ex Iuſtino [c], Tertulliano [d], Athenagora [e], Minutio [f], Arnobio [g], didicimus; ſic Paulus in Actis Apoſtol. [h]. *Studeo*, inquit, *ſine offendiculo conſcientiam habere ad Deum, & ad homines ſemper.* Quod ait interpres. *Et gẽtibus*; græcè ſcriptum eſt ἕλλησι, hoc eſt D Græcis; vt enim aliàs monui, ſolet Apoſtolus quem frequentiſſimè imitatur Chryſoſtomus, gentiles ſimpliciter appellare Græcos. Colligit Chryſoſtomus omnes rationes, ob quas Apoſtolus vitanda doceat idolothyta. *Propterea*, inquit, *quod ſit viile, propterea quod ſuperuacaneum, propter damnum fratris, propter Iudæi blaſphemiã, propter Græci maledicẽtiam, propterea*

b ep. 1. c. 2. 12.
c in Apolog. ad ſenat.
d in Apolog. cap. 2.
e in Orat. pro Chriſt. relig.
f in octau.
g aduer. gent.
h cap. 24. 16.

A *quòd non oportet ſocietatem habere cum dæmonibus, propterea quòd ea res ſit quidam cultus idolorum.*

Sicvt et ego per omnia omnibvs placeo, &c. Suo exemplo confirmat, quod modò dixerat, vitandam eſſe aliorum offenſionem. *ſicut ego* (inquit) *per omnia omnibus placeo.* Atqui hoc aſſentatorum eſt proprium; & ipſe [a] aliàs. *Si hominibus*, inquit, *placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.* Sed rectè Tertullianus [b]. *Quemadmodum ego*, inquit, *per omnia omnibus placeo. Nimirum Saturnalia, & Kalendas Ianuarias celebrans hominibus placebat, an modeſtia, & patiẽtia, an grauitate, an humanitate, an integritate. Proinde cùm dicit; Omnia omnibus factus ſum, vt omnes lucrifaciam; nunquid idololatris idololatres, nunquid ethnicis ethnicus, nunquid ſæcularibus ſæcularis? Sed etſi non prohibet nos conuerſari cum idololatris, & adulteris, & cæteris criminoſis dicens, Cæterùm de mundo exiſſetis: non vtique eas habenas conuerſationis immittat, vt quoniam* B *neceſſe ſit, & conuiuere nos, & commiſcere cum peccatoribus; ideo & cum eis peccare poſſimus. Ibi eſt commerciũ vitæ, quod Apoſtolus concedit: hic peccare, quod nemo permittit. Licet conuiuere cum ethnicis, commori non licet. Conuiuamus cum omnibus. conlætemur ex communione naturâ, non ſuperſtitionis: pares animâ ſumus, non diſciplina: compoſſeſſores mundi, non erroris.* Itaque Apoſtolus omnibus ſe ait per omnia placere, interprete Ambroſio, *quia ſine ſcandalo cuiuſquam agit ad illorum vtilitatem.* Quomodò etiam explicant Hieronymiani commentarij. *Ego me*, inquiunt, *ſic exhibeo vt omnibus placeam ad profectum. ſi quis me ſine cauſa odiſſe voluerit,* C *ego non ſum in culpa.* Longè igitur ab aſſentatorum moribus diſtat Apoſtolus: nam (vt ait Theodoretus) *adulatores non alienam vtilitatem quærunt, ſed propriam; immò nec propriam quidem; ſibi enim ante alios exitium afferunt. Diuinus autem Apoſtolus ſuum commodum nõ quærebat, ſed aliorum vtilitatem procurabat: diuitias, in quas non cadit interitus, per illa amplificans.* Ita ſuo exemplo Corinthios prouocat ad vitam ita inſtituendam, vt non ſtudio laudis, ſed vnius Dei gloriæ reſpectu aliorum ſcandalum, & offenſionem vitent. Non pertinet autem hoc (vt monet Hieronymus) ad priuatam Pauli laudem, neque hæc dicit, vt ſe ipſum commendet, ſed vt ſuo exemplo doceat quid Corinthiis faciendum cenſeat: & capite quidem ſequenti apertiùs hortatur, vt ſe imitentur, quomodò & ipſe D Chriſtum imitatur. Vtitur hoc teſtimonio Pauli Martyr [c] Cyprianus aduerſus Nouatianos, qui lapſis pœnitentiam denegabant. *Vbi erit*, inquit, *frater cariſſime quod Apoſtolus dicit. Omnibus per omnia placeo, nõ quærẽs quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſaluentur*: Itaque ſequenti capite ad ſui imitationẽ apertè prouocat ea planè ratione, qua ipſe Chriſtũ Dominũ imitatur.

33. I.

a ad Gala. 1. 10.
b de idolola. cap. 14.
c epiſt. 52.

Argumentum Cap. XI.

Conclvdens *ſuperiorem diſputationem de idolothytis, inuitat ad ſui imitationem Corinthios eodem quo ipſe ſtudio, & animi contentione Chriſtum Dominum veræ pietatis magiſtrum imitatur. Eos interim laudat, quòd ſua præcepta, & traditiones obſeruent, vnáque docet pertinere ad Chriſtianam modeſtiam, & diſciplinam; vt fœminæ, contrà quàm viri, velato capite in Eccleſia orent. Populares denique Corinthiorum cœnas perſtringens, de ritu in Euchariſtia ſeruando nonnulla præſcribit.*

CAPVT XI.

Imitatores *mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.*

Laudo autem vos, fratres, quod per omnia … mei

PARAPHRASIS.

Estote ſanè mei imitatores: hoc enim audeo liberè vobis perſuadere, quia ſic ab initio vitam mihi inſtituendam duxi, vt omnes meas actiones, atque conſilia ad perfectam quamdam Chriſti Domini imitationem quàm diligentiſſimè componerem. 1.
¶ Ego verò 2.

verò vos, fratres, hoc potiſſimùm nomine laudādos
magnopere cenſeo, quòd omnia mea facta, dictá-
que firmiſſimè meminiſtis, & quæ à me coram vo-
3. bis tradita ſunt, & retinetis, & obſeruatis. ¶ Iam
verò vos monitos velim, hæc ita accipiēda eſſe, vt
primum quidem vobis perſuaſum ſit, omnis viri
caput Chriſtum eſſe, fœminæ verò caput virum, ca-
put denique Chriſti Deū. Chriſtus enim qua Deus
eſt à Patre originem ducit, tanquam ab eo genitus:
idémque vnà cum Patre, diuinóque ſpiritu homi-
nem ex limo effinxit, vir verò materiā quodammo-
4. do ſuppeditauit, ex qua fœmina exiſteret. ¶ Hoc
autē ita poſito, probéque ſtabilito, ſic ſentio, & ſic
exiſtimo; omnem virum, qui publicè oret, aut ver-
bū Dei in Eccleſia tractet, aperto capite ſuo quo-
dammodò capiti dedecus, & ignominiam afferre.
5. ¶ Contrà verò mulierem, ſi illa eadē perficiat ca-
pite non operto, caput ſuum quodammodò fœda-
6. re, & afficere contumelia. ¶ Id enim perinde eſſet,
ac ſi cōtra naturæ legem capite penitùs eſſet abra-
ſo, aut etiam decaluato; nam ſi mulier caput velare
nolit, ſanè tōdeatur; quòd ſi tonderi mulierem, aut
radi turpe eſt, eam certè omnino velari oportet.
7. ¶ Nam vir quidem alia omnia faciat neceſſe eſt:
nec caput velare debet cùm ſit imago gloriæ Dei,
in quo ſcilicet elucet Dei maieſtas, & imperium:
Mulier autem à viro gloriam, ac dignitatem men-
8. dicat. ¶ Neque enim vir ex muliere, ſed contra
9. potiùs ex viro mulier efficta, & condita eſt. ¶ Ne-
que vir conditus eſt propter mulierem, ſed contra
10. potiùs mulier propter virum. ¶ Idcirco mulier ca-
piti velamen imponat, oportet, quo ſe viro ſubie-
ctam, atque obnoxiam eſſe reſtetur; idque propter
angelos; hoc eſt circumfuſam virorum orantium
multitudinem, qui ſint veluti inter nos ad Deū in-
11. ternuntij. ¶ Porro hi duo vir, & fœmina ita inter
ſe comparantur, vt vir quidem hactenus emineat,
vt abſque fœmina tamen conſiſtere non queat: fœ-
mina verò ita viro ſit ſubiecta, vt vir tamen ab ea
12. nonnihil accipiat: ¶ Cùm ſicut ipſa primum à viro
ortum duxit; ita etiam vir nonniſi per ipſam poſſit
propagari. Itaque neque ille ſua poteſtate abutatur
vt tyrannus, neque mulier de ſua conditione, vt
nimium abiecta conqueratur, ſed vterque tum vir;
tum mulier vni Deo coaleſcat, qui vtrumque hac
conditione creauit, vt alter alterius ope, auxilióque
indigeat. Quemadmodum autem à viro mulier, &
per mulierem rurſus vir propagatur, ita ab vno
13. Deo, tanquam auctore pendent vniuerſa. ¶ Quæ
cùm ita ſint iudicare poteſtis ipſi, num deceat mu-
lierem abſque velo preces in Eccleſia fundere.
14. ¶ An non ipſa natura hoc docet? Nam virum qui-
dem comatum eſſe, aut capillum fouere, turpe eſt.
15. ¶ Contrà mulieri comam nutrire glorioſum: ſiqui-
dem coma pro velamine data eſt ei, & quidem
eiuſmodi, quod aliud tamen poſtulare videatur.
16. ¶ Quòd ſi quis his de rebus contentioſas diſputa-
tiones inſtituat, nolim equidem pugnaciùs con-
tendere: nos quidem, vt omnis Eccleſia Dei à
contraria conſuetudine penitùs abhorremus.

mei memores eſtis: & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.

Volo autem, vos ſcire, quòd omnis viri caput Chriſtus eſt; caput autem mulieris, vir; caput verò Chriſti, Deus.

Omnis vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput ſuum.

Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput ſuum: vnum enim eſt, ac ſi decaluetur.

Nam ſi non velatur mulier, tondeatur. Si verò turpe eſt mulieri tonderi, aut decaluari, velet caput ſuum.

Vir quidem non debet velare caput ſuum: quoniam imago, & gloria Dei eſt, mulier autem gloria viri eſt.

Non enim vir ex muliere, ſed mulier ex viro.
Etenim non eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum.
Ideo debet mulier poteſtatem habere ſupra caput propter angelos.

Verumtamen neque vir ſine muliere, neque mulier ſine viro in Domino.

Nam ſicut mulier de viro, ita & vir per mulierem; omnia autem ex Deo.

Vos ipſi iudicate: decet mulierem non velatam orare Deum?

Nec ipſa natura docet vos, quòd vir quidem ſi comam nutriat, ignominia eſt illi.
Mulier verò ſi comam nutriat, gloria eſt illi, quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt.

Si quis autem videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei.

¶ Iam *Hoc*

Hoc autem præcipio:non laudans,quòd non in melius,ſed in deterius conuenitis.

Primùm quidem conuenientibus vobis in Eccleſiam,audio ſciſſuras eſſe inter vos,& ex parte credo.

Nam oportet & hæreſes eſſe,vt & qui probati ſunt,manifeſti fiant in vobis.

Conuenientibus ergo vobis in vnum,iam non eſt Dominicam cœnam manducare.

Vnuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum : Et alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt.

Nunquid domos non habetis ad manducandum,& bibendum?aut Eccleſiam Dei contemnitis , & confunditis eos , qui non habent? Quid dicam vobis?laudo vos?in hoc non laudo.

Ego enim accepi à Domino , quod & tradidi vobis;quoniam Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur,accepit panem.

Et gratias agens fregit,& dixit. Accipite,& manducate;hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur ; hoc facite in meam commemorationem.

Similiter & calicem , poſtquàm cœnauit,dicens. Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine. Hoc facite quotieſcumque bibetis,in meam commemorationem.

Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc , & calicem bibetis; mortem domini annunciabitis donec veniat.

Itaque quicumque manducauerit panem hũc, & biberit calicem Domini indignè ; reus erit corporis,& ſanguinis Domini.

Probet autem ſe ipſum homo ; & ſic de pane illo edat,& de calice bibat.

Qui enim manducat,& bibit indignè , iudicium ſibi manducat, & bibit , non diiudicans corpus Domini.

Ideo inter vos multi infirmi,& imbecilles,& dormiunt multi.

Quòd ſi noſmetipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.

Dum

¶ Iam verò quod mox dicturus ſum, ita vobis de- 17.
nuntio, vt probare, nedum laudare vos nullo mo-
do queam. Audio ſiquidem , apud vos eccleſiaſti-
cos conuentus,non vt par erat, cum ſpirituali fru-
ctu,atque emolumento, ſed potiùs (quod maximè
dolendum eſt)cum detrimento celebrari. ¶ Prin- 18.
cipio enim cum in Eccleſiam conuenitis perlatum
eſt ad me, diſſidia , & contentiones eſſe inter vos,
idque aliqua ex parte verum eſſe credo. ¶ Oportet 19.
enim etiam hæreſes,ac diſſenſiones eſſe inter vos,
non quidem vlla antecedenti neceſſitate , ſed pro
humana imbecillitate id accidere neceſſariò dixi;
vt qui probati ſunt,manifeſtati fiant inter vos.
¶ Itaque cùm huiuſmodi conuentus ad percipien- 20.
dam cœnam dominicam , & ſacram Euchariſtiam
inſtituti ſint , veſtri tamen cœtus alia omnia ſpe-
ctare videntur;vix enim fas eſt in illis Dominicam
cœnam ritè deguſtare. ¶ Cùm vnuſquiſque alius 21.
non expectatis veſcendi nimia cupiditate , ſuam
priuatim cœnam præoccupet , quo fit , vt hic qui-
dem eſuriat, alius autẽ ebrietate laboret. ¶ Enim- 22.
verò num domos non habetis,in quibus edatis, ac
bibatis? An Eccleſiam Dei contemnitis? Et iſto ve-
ſtro ciborum apparatu , atque oſtentatione pude-
facere vultis eos , qui neque tantos facere poſſunt
ſumptus , neque habent fortaſſe , quod cœnent?
Quid me vobis hac de re dicturum putatis? An vt
in aliis , de quibus ſupradixi , aliquam etiam à me
laudem expectatis ? Equidem non committam, vt
eius rei gratia quidquam vobis laudis impertiam,
quæ magna potius eget reprehenſione. ¶ Ego 23.
enim accepi à Domino, quod de diuino Euchari-
ſtiæ ſacramento tradidi vobis. Ea enim nocte,qua
Dominus Ieſus pro hominum ſalute proditus eſt,
panem accepit. ¶ Et cùm gratias egiſſet, ſacrám- 24.
que benedictionem impertiſſet,fregit,ac dixit: Ac-
cipite,edite,hoc eſt corpus meum,quod pro vobis
frangitur : hoc porro facite,vt mei memoriam, &
recordationem perpetuò colatis. ¶ Itidem & po- 25.
culum vbi cœnaſſet dicens;Hoc poculum nouum
eſt illud teſtamentum meo ſanguine ſancitum,hoc
facite quotieſcumque biberitis,vt memoriam mei
ritu ſolemni celebretis. ¶ Quotieſcumque enim 26.
hunc panem ederitis , & ſacrum hoc populum li-
baueritis , mortem Domini in mentem reuocabi-
tis,quoad ille in ſupremo mundi die ad nos iterum
veniet. ¶ Itaque quiſquis hunc panem ederit, aut 27.
poculum Domini hauſerit indignè , crimine tene- 28.
bitur ſpreti corporis, & ſanguinis Domini. ¶ Ex-
ploret autem quiſque, ſeque ipſum approbet , ita-
que pane illo veſcatur , & de auguſtiſſimo illo po- 29
culo bibat. ¶ Nam qui edit,ac bibit indignè , ipſe
ſibi quaſi hauſto veneno damnationem edit, & bi-
bit , quod corpus Domini à cæteris communibus
eſcis nec diſtinguat, nec illius dignitatis eã, quam
oportuit , rationem habeat. ¶ Hanc ergo ob cau- 30.
ſam(ſic enim interpretor)multi inter vos ægritudi-
ne laborant , & viribus ſunt inualidi , & non pauci
diem claudunt extremum. ¶ Quod ſi nos ipſi di- 31.
ligenter exploraremus , ac ſedulò omnes animi
noſtri

Digitized by Google

noſtri receſſus luſtraremus, ac vitæ noſtræ ratio-
nes ineũtes, iuſtam in nos ferremus ſententiam, ne-
quaquam Deus has de nobis pœnas ſumeret, quas
ſubire cogimur, dum multos videmus & morbis
32. corripi, & plurimos etiam de medio tolli. ¶ Sed ſic
vobis perſuaſum eſſe velim, dum hac ratione ab
immortali Deo plectimur, erudiri quodammodò
nos, ne vnà cum cæteris mortalibus mundi culto-
ribus extremæ damnationis ſentẽtiam ſubeamus.
33. ¶ Itaque, fratres, cùm veſtros cõuentus celebratis,
34. & cœnas inſtituitis, alius alium expectate. ¶ Quod
ſi quis fortè eſuriat, me quidem auctore, domi
edat, ne cœtus veſtri reprehenſione digni meritò
cenſeantur. Cætera cum venero corã conſtituam.

Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.

Itaque fratres mei, cum conuenitis ad manducandum, inuicem expectate.

Si quis eſurit, domi manducet; vt non in iudicium conueniatis. cætera autem, cùm venero, diſponam.

IN CAPVT VNDECIMVM EXPLANATIO.

1. I. IMITATORES MEI ESTOTE, SICVT ET EGO CHRISTI. Simpliciter hac ipſa epiſtola [a] dixerat. *Rogo ergo vos, imitatores mei eſtote.* Ad Epheſios [b]; *Eſtote imitatores Dei.* Ad Philippenſes [c]: *Imitatores mei eſtote (fratres) & obſeruate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram.* Ad Theſſalon [d]. *Et vos imitatores noſtri facti eſtis, & Domini.* Et rurſus [e]: *Vos enim imitatores facti eſtis, fratres, Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Iudæa.* Iraque frequenter hoc ſtudium imitationis Paulus commendat; plurimùm enim ad rectè vitam inſtituendam valent exempla. Verè namque alicubi ſcribit Seneca [f]. *Plus tibi viua vox, & conuictus, quàm oratio proderit. in rem præſentem venias oportet, primum quia homines ampliùs oculis, quàm auribus credunt; deinde quia longum iter eſt per præcepta; breue, & efficax per exempla. Zenonem Cleanthes non expreſſiſſet, ſi eum tantummodò audiſſet, vitæ eius interfuit, ſecreta perſpexit, obſeruauit illum, an ex formula ſua viueret. Plato, & Ariſtoteles, & omnis in diuerſum itura ſapientium turba plus ex moribus, quàm ex verbis Socratis traxit. Metrodorum, & Hermachum, & Polyænum magnos viros non ſchola Epicuri, ſed contubernium fecit.* Et Ariſtides apud Platonem [g] ex ipſo aſpectu, ac contactu Socratis mirificam ſe quandam vtilitatem percipere ſolitũ profitetur his verbis. *Ego enim, ô Socrates, nihil vnquã à te didici, vt & ipſe noſti: proficiebã autẽ quoties tecum vnà eram, etiamſi tantũ vna in domo eſſemus, quãquàm non in eodẽ cubiculo; magis tamen ſiquando in eodẽ cubiculo. Et tũc quoque magis ſi in te dicentẽ intuerer, quàm ſi oculos aliam vllã in partem dirigerem. Multò autẽ maximè, ac plurimùm proficiebã, ſi quando proximè te ſederem, tangerémque te & hærerem tibi.* Et (vt de noſtris nonnihil dicam) Caſſianus non à quibuſuis, ſed ab optimis, ac perfectiſſimis vitæ exempla petenda docet [h]: *Ad quod (inquit) vt valeas faciliùs peruenire, exempla tibi ſunt imitationis, ac vitæ perfectæ in congregatione commorantis, à paucis, immò ab vno, vel duobus, non à pluribus expetenda. Nam præter id, quod examinata vita, atque ad purum excocta reperitur in paucis, etiam illud, ex hoc vtilitatis accedit, quod ad perfectionem propoſiti huius, id eſt cœnobialis vitæ diligentiùs quis vnius imbuitur, ac formatur exemplo.* Itaque Apoſtolus frequenter (vt dictum eſt) ſuum exemplum proponit: in præſentia verò id potiſſimùm agit, vt Corinthiis perſuadeat ſui, Chriſtique exemplo alienæ ſalutis præcipuam habendam eſſe rationem. *Hæc enim eſt* (vt ait Ambroſius) *regula perfectiſſimi Chriſtianiſmi, hoc eſt decretum exactiſſimum, & accuratiſſimum, hoc eſt ſummum faſtigium ea quærere, quæ in commune conferunt.* Monet autem Ambroſius rectè Apoſtolum, qui magiſter gentium conſtitutus erat, ad ſui imitationem inuitare: ſicut enim Deus Pater Chriſtum magiſtrum, & auctorem vitæ conſtituit; ita & Chriſtus Apoſtolos ſuos Chriſtianæ diſciplinæ voluit eſſe præceptores. Addit: *ſicut & ego Chriſti. Nihil autem* (ait Chryſoſtomus) *æquè poteſt facere imitatorem Chriſti, atque curam gerere proximorum.* Itaque Paulus ſe Chriſti imitatorem profitetur, qui (vt ait Theodoretus) *alio modo loquebatur cum Iudæis, alio modo cum Apoſtolis; & alia quidem perfectis, alia imperfectis afferebat, vt hac ratione omnium ſaluti proſpiceret.* Multa autem ſcribit Chryſoſtomus de hoc Pauli ſtudio imitandi Chriſtum, quærendique proximorum ſalutem. Eſtque (vt ſuprà monui) hæc totius ſuperioris diſputationis concluſio. Pergens autem ad alia, quæ apud Corinthios corrigenda videbantur, ſubdit.

[a] Cap.4. [b] Cap.5. [c] Cap.3. [d] Epist.1. cap.1. [e] Cap.2. [f] Epist.6. [g] In Theage. [h] Lib.4. de inſt. renunc. cap.40.

2. I. LAVDO AVTEM VOS, FRATRES, &c. More ſuo Apoſtolus antequàm vitia perſtringat, non falſam laudem aſpergit. Laudat igitur duplici ex capite Corinthios. primum quidem, quòd ſui memoriam retinerent, aut certè omnia ſua vel monita, vel conſilia, vel etiam facta, dictaque magno in pretio haberent. Quod enim Latinus interpres dixit, *Per omnia mei memores eſtis*, græcè eſt πάντα μου μέμνησθε, quod latinè ſonat, vel *omnia mea memoria tenetis*, vel *in omnibus mei memores eſtis*. Deinde eorum parendi, atque obſequendi ſtudium commendat. *Et ſicut tradidi vobis* (inquit) *præcepta mea tenetis.* Rectè porro colligit Chryſoſtomus, multa ſine ſcripto tradidiſſe Paulum, quod & alibi ſæpè inſinuat, vt alibi copioſiùs doceo. Mirum autem, cur hoc loco Ambroſius dixerit, Apoſtolum ſuccenſere Corinthiis quòd ſuarum traditionum immemores eſſent, cùm tamen eos potiùs laudet, quòd omnia ſua memoria teneant, ſuiſque præceptis obtemperent. Itaque meliùs Chryſoſtomus, & Theophylactus præparari putant Corinthios, & demulceri laude, vt ſequentem admonitionẽ faciliùs admittant, vt ſenſus ſit: Quemadmodùm in cæteris præcepta mea retinetis, idem etiam hac in re vobis faciendum cenſeo. Eodem modo accipiunt græcanica ſcholia. Quod autem ait Theodoretus, hanc non eſſe veram laudem, perinde accipio non quaſi Paulus vel mentiatur, vel aſſentatorum more loquatur, ſed quod ad ea, quæ ſequũtur, non omnino pertineat. Retinebant enim Corin-

thij Pauli monita, atque conſilia; parebant etiam A præceptis, ſed quædam tamen, tanquàm leuiora non magnifaciebant. Hieronymiani commentarij hæc ironicè dicta putant, quaſi illos irrideret, quòd ſua præcepta minimè ſeruarent. Ego Chryſoſtomo ſubſcribo, quanquàm non penitùs improbo quod ait Oecumenius, quoſdam fuiſſe in Corinthiorum Eccleſia, qui Pauli monitis obtemperarint, quos ipſe hoc loco laudat, alios qui ea non magnifacerent, de quibus infrà loquitur cùm ait, *Cæterùm ſi quis videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei.* Vt videatur propter hos, qui neglexerant, eadem iterare quæ coram docuerat, eos interim laudans qui paruerant. Paulus tamen (vt monet idem Chryſoſtomus) in laudibus eſt profuſus, vt auditores promptiores, & animo alacriores B reddat. Cæterùm negari non poteſt, fuiſſe aliquid in Corinthiorum Eccleſia reprehenſione dignum. etenim (vt ſcribit Theodoretus) conſueuerant Corinthiorum mulieres ne orationis quidem tempore velare caput: nonnullæ autem ſibi propter eloquentiam placentes, etiam docendi munus in Eccleſia vſurpabant. Id (vt obſeruat Chryſoſtomus) prohibuerat Apoſtolus, nunc rationem præcepti reddit, & eam conſuetudinem reprehendit. Cæterùm quod ait interpres: *ſicut tradidi vobis*, græcè legitur καθὼς παρέδωκα ὑμῖν. Ambroſius tamen multò aliter legiſſe videtur: ſic enim habet. *Quomodo vbique trado.* Quaſi legerit καὶ ὅπως πανταχοῦ παραδίδωμι, vt veriſimile ſit, variam fuiſſe in Græcis codicibus lectionem: C quamquàm Græci codices nunc quidem cum interprete noſtro conſentiunt: Ambroſianæ verò lectionis nullum, quod ſciam, apud veteres veſtigium extat. Quod verò addit; *præcepta mea tenetis*: græcè eſt παραδόσεις, id eſt, *traditiones*, quaſi dicat, inſtituta, quæ ſine ſcripto traduntur, vt alibi copioſiùs explico. Quæ autem fuerint inſtituta à Paulo tradita, Chryſoſtomus explicat his ferè verbis. *Sine ſcripto multa tunc illis tradebat, quod etiam multis aliis in locis indicat: ſed tunc quidem ſolùm tradidit; nunc autem etiam ponit cauſam.* Indicat autem fuiſſe præcepta, quæ præcipuè ad eccleſiaſticam diſciplinam pertinerent, qualia ſunt ea, de quibus hoc capite diſſerit: eodem modo explicat Ambroſius.

3. I. VOLO AVTEM, VOS SCIRE, QVOD OMNIS, &c. Putat Chryſoſtomus, Apoſtolum his ver- D bis ſuæ traditionis rationem reddere; cur videlicet viri quidem aperto capite, fœminæ verò velato, atque operto orent, aut prophetent. Ratio autem non exiguam habet difficultatem. Capitis enim nomen, quo potiſſimùm omnis ratio nititur, omnino metaphoricè accipiendum videtur. Quoniam verò multa ſpectari poſſunt in capite, non ſatis liquet qua potiſſimum ratione capitis nomen hoc loco vſurpetur. Neque enim ambigendum eſt, multò aliter accipi, quàm cum ad Epheſios [a] ſcripſit Apoſtolus, Chriſtum caput eſſe *ſuper omnem Eccleſiam.* Vt enim communi ſanctorum Patrum conſenſu firmatum eſt, Chriſtus non modò omnium hominum, ſed etiam angelorum caput dicitur. At verò hoc loco ita dicitur caput viri quaſi non ſit etiam caput mulieris: E quatuor enim ordine quodam perſonas nominat: Deum, Chriſtum, virum, mulierem; & Deum quidem Chriſti caput, Chriſtum viri, virum mulieris eſſe affirmat. Itaque quam capitis rationem ſequatur Apoſtolus, non planè conſtat; Arriani quidem, & Eunomiani (vt inſinuat Chryſoſtomus, & apertiùs affirmat Theodoretus) ex hoc loco colligebant, filium eſſe minorem Patre, eique ſuapte natura ſubiectum. Hæc enim Pauli verba perinde accipiebant quaſi diceret, fœminam quidem viro, virum Chri-

[a] cap.1.22.

A ſto, Chriſtum Deo ſubiici. Chryſoſtomus autem reſpondet, capitis nomen aliter in viro, aliter in Chriſto, aliter denique in Deo accipi. Nam & ſuprà hac ipſa Epiſtola [b] dixerat. *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei,* cùm tamen longè aliter, & cuncta creata noſtra ſint, & nos Chriſti, quàm Chriſtus Dei. Sic etiam ad Epheſios [c]. *Vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, ipſe ſaluator corporis eius.* Concludit autem Deum dici caput Chriſti humanitatis reſpectu. quomodo etiam intelligit Apoſtolum Theodoretus: neque aliter explicant Hieronymiani commentarij. Quæ ſanè reſponſio Arrianorum calumniam vtcumque refellit: Pauli ſententiam non penitùs expedit. Ambroſius non veretur admittere, Deum eſſe Chriſti caput etiam in diuina B natura, ſic autem ſcribit. *Dignum eſt, vt filij caput Pater dicatur, quaſi genitor eius, aliter tamen caput viri Chriſtus eſt, & aliter vir mulieris, & aliter Deus caput Chriſti eſt. Deus autem ideo caput Chriſti eſt, quia de eo, vel ab eo genitus eſt: mulieris verò caput idcirco vir eſt, quia ex eius coſta Dei virtute formata eſt: Chriſtus autem ideo viri caput eſt, quia per ipſum, cum non eſſet, formatus eſt.* Itaque rationem capitis etiam Chriſto tribuit diuinæ naturæ reſpectu, qua ratione videlicet vnà cum Patre hominem è limo terræ effinxit. Certè Tertullianus de Chriſti diuinitate Pauli verba accepiſſe II videtur: ſic enim aduerſus Praxeam diſputat [d] Praxeæ argumenta refellens; *Nam & ſcriptura quid dicit? ſpiritus perſonæ eius Chriſtus Dominus. Ergo, ſi Chriſtus perſona paterna ſpiritus eſt, meritò ſpiritus eius perſona* C *erat; id eſt patris eius faciem ſuam ex vnitate ſcilicet pronuntiauit. Mirarer planè, an facies filij accipi poſſit, qui eſt caput eius; caput enim Chriſti Deus.* ſiquidem cùm Tertullianus quod eſt apud Hieremiam [e], *ſpiritus oris noſtri*, os pro facie acciperet, ad faciem ſignificandam perſonam maluit dicere: & procul dubio de Chriſti diuinitate loquitur. Et profectò cùm Chriſtus ratione humanæ naturæ æquè ſit fœminæ, ac viri caput, mihi valdè ſit veroſimile de Chriſti diuinitate hunc locum accipiendum eſſe, vt Deus quidem Chriſti caput idcircò dicatur, quia eſt eius veluti fons diuinitatis, vnde filius ducit originem, ab eo namque genitus eſt ante omnem æternitatem: rurſus idem Chriſtus; quia Deus eſt caput viri, quia vnà cum Patre, ac Spiritu ſancto D eiuſdem naturæ vi, ac poteſtate virum ex nihilo condidit: denique vir mulieris caput appellatur, quia ex ipſo, tanquam ex materia procreata eſt fœmina. Itaque cùm in capite plura ſpectari poſſint, hoc loco Apoſtolus caput poſuiſſe videtur pro principio; quæ tamen principij ratio, aliter Deo, & Chriſto, aliter viro tribuitur: Deo enim tanquam genitori, Chriſto vt creatori: viro denique vt ex quo ſumpta ſit veluti materia, ex qua fœmina conſtat: vt quemadmodum principij nomen aliter, atque aliter cauſæ effectrici, & materiæ conuenit, ita etiam non ſine ambiguitate capitis nomen in præſentia vſurpetur. Quæ cùm ita ſint, multò aliter Chriſtus dicitur caput viri, quàm alibi dicatur caput Eccleſiæ: quo fit vt non ſatis probanda videatur Chryſoſtomi ſententia, qui E Chriſtum viri duntaxat fidelis caput eſſe contendit: cùm re vera tam diuinæ, quàm humanæ naturæ reſpectu ſit omnium hominum caput, vt alibi planiùs oſtendo: hoc autem loco cùm de virilis ſexus dignitate agat Apoſtolus, non eſt cur eius verba ad fideles tantùm reſtringantur. Cæterùm nihil habent Arriani, aut Eunomiani, quo ſuam nobis impietatem obtrudant: non enim hæc Pauli verba naturæ, vel ſubſtantiæ in Deo, & Chriſto diuerſitatem indicant, ſed ordinem duntaxat originis, vt oſtenſum eſt. Quocirca rectè monuit Chryſoſtomus, hanc Pauli orationem

[b] cap.3.22. [c] cap.5.23. [d] cap.14. [e] Thr.4.20.

nem non referri ad indicandam ſubiectionem fœminæ, qua viro parere compellitur; ſed eò tantùm ſpectare, vt virum fœminæ dignitate præponat, quod planiùs oſtendit paulò pòſt, cùm ait, *Non enim vir ex muliere eſt, ſed mulier ex viro*: inde enim colligit, non ea, quæ viro licent, fœminis eſſe permittenda. Rectè namque idem Chryſoſtomus monet, in nominibus metaphoricis non eſſe omnia ſpectanda, quæ rei inſunt vnde ſumpta eſt metaphora, cùm præſertim de diuina natura agitur, à qua remouenda ſunt omnia, quæ immenſam illam, diuinámque maieſtatem minùs deceant. Tractat hunc locum eleganter
[a] l. de Cyrillus [a], & oſtendit Chriſtum ratione quidem diuinitatis habere caput Deum: atque adeo einſdem eſſe naturæ, atque ſubſtantiæ cùm Deo Patre: ratione verò humanitatis eſſe viri caput, quia eſt ſecundus Adam, vnde oriuntur ſpiritales, qua etiã ratione dici poteſt, habere Deum caput, quia nõ aliter, ac primus Adam à Deo originem duxit. Ita olim veteres Patres aduerſus Arrianos, atque Eunomianos diſputabant.

4. I. Omnis vir orans avt prophetans, &c. Agit in præſentia Apoſtolus de iis, quæ in cœtu fidelium, & eccleſiaſtico conuentu fieri conſueuerant; & primùm quidem de viris, mox de fœminis quid ſentiat planiùs explicat: de vtriſque autem perinde loquitur, quaſi tam fœminis, quàm viris fas eſſet & orare, & prophetare. Et quidem de precibus in fidelium cœtu habendis ita ſcribit Iuſtinus martyr [b]; *Nos autem ſecundum huiuſmodi rationem credentem iam, & nobis adſcitum, ad fratres, qui dicuntur eò adducimus, vbi illi congregati ſunt ad communes preces, & ſupplicationes cùm pro ſe ipſis, tum pro illuminato, & aliis vbique gentium omnibus animo intento peragendas, vt digni, idoneique ſimus, qui veritate agnita per opera etiam ipſa boni, atque officioſi rerum adminiſtratores, & datorum nobis mandatorum cuſtodes inueniamur, atque vt ſalute ſaluemur ſempiterna*. Et in eandem ſententiam Tertullianus [c]. *Coimus* (inquit) *in cœtum & congregationem, vt ad Deum quaſi manu facta precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata eſt. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro miniſtris eorum, & poteſtatibus, pro ſtatu ſæculi, pro rerum quiete, pro mora finis*. Penè eadem ſcribit Arnobius aduerſus gentes. His addi poſſunt gentilium teſtimonia, quæ vim precum Chriſtianorum mirificam declarant. Extat Marci Aurelij imperatoris epiſtola ad ſenatum Romanum, qua teſtatur, Chriſtianos victoriæ Romanorum contra barbaros cauſam fuiſſe. ſic autem ſcribit. *Æquum eſt, quos à Diis alienos eſſe ſuſpicati ſumus, vt eos norimus; Deum in conſcientia ſuapte ſponte illapſum, atque ibi incluſum, ſeu potius incolentem habere: nam proiicientes ſe in terram non pro me tantùm, ſed pro exercitu, qui tum ibi aderat vniuerſo, precati ſunt; ita vt ſolatio nobis eſſent in præſenti fame, & ſiti, in quintum enim iam diem aquam, quòd ea defeciſſet, non ceperamus: nam in meditullio Germaniæ, & in finibus hoſtium eramus. Simulátque verò illi in terram ſunt prouoluti, & Deum precatione inuocarunt, quem ego ignorabam: confeſtim aqua de cœlo eſt conſequuta ad nos illa quidem frigidiſſima, in Romanorum verò imminentes hoſtes grando ignea: ſed & cum oratione ipſa illico præſentia Dei affuit tanquam inſuperabilis, & inuicti*. Meminit huius Epiſtolæ Tertullianus [d]. *Marcus* (inquit) *Aurelius in Germanica expeditione Chriſtianorum militum orationibus ad Deum factis imbres in ſiti illa impetrauit*. Et alibi [e]: *Si litteræ Marci Aurelij grauiſſimi imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam ſitim Chriſtianorum fortè militum precationibus impetrato imbri diſcuſſam conteſtatur*. Meminit eiuſdem rei Iulius Capitolinus: quamquàm ille maluit id tribuere imperatori. *Fulmen* (inquit) *de cœlo precibus ſuis contra hoſtium machinamentum extorſit, ſuis pluuia impetrata cùm ſiti laborarent*. His addi poſſunt teſtimonia Dionis, Eutropij [a], ſeu potius Pauli Diaconi, Oroſij [b], Euſebij [c], & Nicephori [d]. Quod autem ait Paulus, *aut prophetans*, ſiue propriè ad vaticinia, ſiue ad ſacram lectionem, aut de rebus diuinis ſermonem referatur, indicat conſueuiſſe olim Chriſtianos Iudæorum more de rebus diuinis colloqui, ſacras literas recitare, aut etiam interpretari, & ſeſe ad pietatis officia mutuis cohortationibus prouocare. Sic enim Iuſtinus [e]: *Solis*, inquit, *qui dicitur die, omnium qui vel in oppidis, vel ruri degunt, in eundem locum conuentus fit, & commentaria Apoſtolorum, aut ſcripta prophetarum, quoad tempus fert, leguntur. Deinde, lectore quieſcente præſidens orationem, qua populum inſtruit, & ad imitationem tã pulchrarum rerum cohortatur, habet*. Tertullianus [f]: *Cogimur ad diuinarum literarum commemorationẽ ſi quid præſentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoſcere. Certè fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam præceptorum nihilominùs inculcationibus denſamus*. Sic etiam alibi [g]: *Pomenta fidei de ſcripturarum intellectione*. Rurſus [h]: *Diſpoſitiones etiam Dei, & nunc prophetis concionantibus excerpunt, & nunc lectionibus reſonantibus carpunt*. Præcipit igitur Apoſtolus, vt vir orans, aut prophetans id non niſi aperto capite faciat. Orare autem interpretatur Ambroſius, *deprecari*: eſt enim græcè προσευχόμενος. *Prophetare autem eſt*, inquit, *aduentũ fore Domini voce ſymboli poſt orationem effari*. Meliùs meo quidem iudicio Hieronymiani commentarij, qui prophetare idem eſſe putant, quod docere, aut futura prædicere.

III. Itaque quidlibet horum faciat vir aperto capite faciẽdum monet Apoſtolus; nã (vt ait Theodoretus) *Corinthij Græco more & comas habebãt, & operta capita habentes, Deum orabant*: quod etiam olim apud Romanos in vſu fuiſſe docet Plutarchus [i] his verbis. *Cur inter adorandum Deos obnubant caput, cùm ſi hominibus occurrant reuerendis, etiam ſi velatum habeat toga caput adaperiant. Quod quidem etiam dubitationem illam videtur intendere, ſi qua de Ænea referuntur vera ſunt, & hic Diomede prætereunte ſacrum obuelato capite peregit; non ſine ratione conſequens eſt, vt qui obnoluunt apud hoſtes caput, amicis, & bonis viris oblatis id reuelent. Nam quod apud Deos id non ſingulare, ſed ex caſu eſt, atque ab eo in vſu manſit. Quod ſi aliud dicendũ eſt, diſpice, hoc ne tantùm excutiendum, quid Deos qui adorant, velũne caput, quãdo alterum huic ſit conſequens. Siquidem hominibus aperiunt caput potentioribus non honoris illorum cauſa, ſed inuidia eorum gratia magis leuandæ, ne pares Deorum poſtulare videantur honores, neue ſuſtinere, vel gaudere pariter, ac illi coli. Deos autem ad eum modum venerantur, vel quod demittant ſemetipſi caput operiendo, vel magis quod prouidẽt, ne qua vox ipſis accidat precantibus inauſpicata, vel ominoſa, ad aures vſque velleni inuicem. Nam quantopere id viiarent patet ex eo quod cùm conſulendis diis vacarent, æramenta adhiberent, quorum tinnitu perſonabat. Aut vt refert Caſtor qui Romana Pythagoricis accõmodat, indigere, quod in nobis eſt dæmonũ, vt precetur Deos exteriores, iiſque ſupplices caput velando, ænigmate oſtendens contectum, & inuolutũ à corpore animum*. Excipit tamen Saturnum, & Honorem, quibus aperto, ac reuelato capite ſacra fiebant: Saturno quidem, quia eius ſacra antiquiora eſſent, quàm quæ ab Ænea profecta ſunt, à quo ortus eſt mos operto capite ſacrificandi: vel quòd cœleſtibus diis velato capite ſacra fierent; Saturnus autem inferrnus haberetur Deus: vel denique quòd veritati, cuius parens dicitur Saturnus, nihil ſit opertum, aut inuolutũ: Honori verò, quia gloria res eſt clara, ſplẽdida, atque aperta, qua de cauſa bonis, & ornatis viris etiam adaperiũt caput. Itaque Feſtus Pompeius, *Lucẽ facere*, inquit, *dicuntur Saturno ſacrificantes*. Et Macrobius [k]. *Inſtituto*, inquit, *peregrino huic Deo*, (Saturnum intelligit)

[a] l. de
[b] in Apol. ad Anton.
[c] Apol. c. 39.
[d] ad Scap. cap. 4.
[e] Apol. c. 5.
[a] lib. 10.
[b] lib. 7. ca. 15.
II.
[c] lib. 5. c. 5. & in Chron.
[d] lib. 4. hiſt. cap. 12.
[e] in Apolog. ad Anton.
[f] Apol. ca. 39.
[g] lib. 2. ad vxor.
[h] Apol. c. 22.
[i] in Quæſt. Centur Rom. nõ procul ab initio.
[k] li. 1. Saturn. cap. 10.

intelligit) *ſacrum aperto capite faciunt*. Idem verò fieri conſueuiſſe apud Græcos [a] ſcribit; cùm enim de æde Saturni ageret: *Illic*, inquit, *Graco ritu capite aperto res diuina fit, quia primo à Pelaſgis, poſt ab Hercule, ita eã à principio factitatam putãt*. Eadem ratione Herculi rem diuinam fieri ſolitã præter Dionyſium Halycarnaſſeum Cornelij Balbi verbis Macrobius [b] confirmat. *Apud aram*, inquit, *maximã obſeruatũ, ne lectiſternium fiat, cuſtoditur in eodem loco, vt omnes aperto capite ſacra faciant. Hoc fit, ne quis in æde Dei habitum eius imitetur, nam ibi operto ipſe capite eſt. Varro ait Græcum hunc eſſe morem, quia ſiue ipſe, ſiue ab eo relicti, qui aram maximam ſtatuerunt Græco ritu ſacrificauerunt. Hoc amplius addit Cæſius Baſſus; idcirco enim hoc fieri dicit, quia ara maxima ante aduentum Æneæ in Italiam cõſtituta eſt, qui hunc ritum velandi capitis inuenit*. Eius porrò rei hiſtoriam his planè verbis recenſet Virgilius [c].

a lib. 1. cap. 8.
b li. 3. Saturn. cap. 6.
c 3. Æneid.

B

Quin vbi tranſmiſſa ſteterint trans æquora claſſes,
Et poſitis aris iam vota in litore ſolues,
Purpureo velare comas adopertus amictu;
Ne qua inter ſanctos ignes in honore Deorum,
Hoſtilis facies occurrat, & omnia turbet.
Hunc ſocij morem ſacrorum, hunc ipſe teneto;
Hac caſti maneant in religione nepotes.

Quo loco Seruius monet ſacrificantes diis omnibus capita velare conſuetos, ne ſe inter religionem vagis offerret aliquid obtutibus, excepto tantùm Saturno. Feſtus [d] item Pompeius: *Saturnij*, inquit, *quoque dicebantur, qui caſtrum in imo cliuo Capitolino incolebant, vbi ara dicata ei Deo ante bellum Troianum videtur, quia apud eam ſupplicant apertis capitibus. Nam Italici (auctore Ænea) velant capita, quod is cum rem diuinam faceret in litore Laurentis agri Veneri matri, ne ab Vlyſſe cognitus, interrumperet ſacrificium, caput adoperuit, atque ita conſpectum hoſtis euitauit*. Et in eandem ſententiam [e] Aurelius Victor de Ænea hunc in modum ſcribit. *Cùm interim immolata ſue in litore ſacrificium perageret, traditur forte aduertiſſe Argiuam claſſem, in qua Vlyſſes erat; cùmque vereretur, ne ab hoſte cognitus periculum ſubiret, itémque rem diuinam interrumpere ſummum nefas duceret, caput velamento obduxiſſe, atque ita pleno ritu ſacra perfeciſſe: inde poſteris traditum morem ita ſacrificandi, vt ſcribit Marcus Octauius*. Ex quibus omnibus colligo emendandum Plutarchi locum, & pro Diomede ſcribendum Vlyſſem: & apud Macrobium [f] legendum omnino, *aperto capite*, vt putauit vir doctus, non operto; deſcribit enim Græcum ſacrificandi morem, qui (vt ex dictis intelligitur) aperto capite orabant, & ſacrificabant. Quamobrem quod ait Theodoretus, Corinthios Græco more comas nutriſſe, & operto capite oraſſe, non tam de Græcorum natione, quàm de Gentilium ritu intelligo. Fortaſſe enim Corinthij Romano more ſacris operabantur: conſtat autem Romanos velato capite rem diuinam facere conſueuiſſe. Quocirca Varro [g]. *Ricam*, ait, *à ritu dictam, quod Romano ritu ſacrificium fœminæ cùm faciunt, capita velant*. Et Liuius [h] alicubi: *ſi conſpiciatur*, inquit, *cum capide, ac lineo capite velato victimam cadat*. Et apud Valerium [i] Flaccum: *Mopſus vates dum manes veneratur caput obnubit*. Denique Propertius [k].

d verbo Saturnia.

C

e in Steuiar. h. ſt. Rom.

D

f 1. Saturn. cap. 8.

g lib. 4. de ling. Lat.
h lib. 10.
i lib. 5.

E

k lib. 2. eleg. 19.

Ante tuaſque pedes illa ipſa adoperta ſedebit.

Cæterùm capite operto Deos ſalutari conſueuiſſe, colligo ex Plauto [l]. *Quis eſt hic, qui operto capite Æſculapiũ ſalutat*: Et ne quis putet, id quaſi vitio verti, apud eumdẽ [m] lego: *Ab Alcmena parturiente Deos capite operto inuocatos eſſe*. Quæ idcirco tam multis confirmanda cenſui, vt minimè mirum videatur potuiſſe hanc conſuetudinem à Corinthiis vſurpari, qui non ita pridem Chriſto nomina dederant. Eam certè iam inde ab initio naſcentis Eccleſiæ a Chriſtianis repudiatam eſſe indicat Tertullianus [n]. *Illuc* (inquit)

l in Curcul. act. 3 Sce. 1.
m in Amphytr. act. 1 Sce. 1.

IV.

n Apolog. ca. 30.

A *ſuſpicientes Chriſtiani manibus expanſis, quia innocui; capite nudo, quia non erubeſcimus; denique ſine monitore, quia de pectore oramus*. Igitur Apoſtolus monet, vt viri aperto capite orent, & prophetent. De oratione religioſe ad hæc vſque tempora retentum eſt, ſecus de lectione, aut diuini verbi explicatione: nam nunc quidem in fidelium cœtu operto capite loqui auctoritatis eſt, aperto verò ſubiectionis. Quocirca nullo modo exiſtimandum eſt, hanc Pauli traditionem ad legem diuinam pertinere; ſed ciuilem quandam eſſe, vel potiùs Eccleſiaſticam præceptionem, locis, ac temporibus accommodandam. Et de priſco quidem Romanorum ritu nonnulla Plutarchus, & alij ſcribunt. Nondum tamen liquet, tectóne an penitus intecto capite incederent; nam omnes fermè B ſcriptores affirmant, conſueuiſſe Romanos, ſi magiſtratui, aut viro graui occurrerent, & via ſecedere, & caput aperire [a]: quod argumento eſt, illos operto capite incedere conſueuiſſe. At contra Euſtathius ait, non modò Græcos intecta habuiſſe capita, ſed eum morem ad Romanos tranſmiſiſſe: id quod indicant nummi, ac ſtatuæ, quæ abſque vllo capitis operimẽto viſuntur. Idémque colligitur ex Suetonio [b], & Quintiliano: ſed togæ ferè lacinia conſueuiſſe caput operire, indicat Plutarchus. Seruos certè pileatos vænum ire auctor eſt Agellius [c], quorum nomine venditor nihil præſtaret: quamquam pileus pro libertate accipi, hiſtorici docent. Sic enim alicubi ſcribit Liuius [d]. *Poſtero die ſerui ad pileum vocati, & carcere vincti emiſſi*. Et Suetonius [e] de patre Tiberij.

a Plut. qq. Rom. queſt. q. 10. Plu. in c. 4. Plut. in Lucullo, Pompeio. Iulius Scaec. Alex. ab Alex. l. 2. c. 19. Cælius Rodiginus l. 3. c. 23. l. 20. c. 11.
b in Claud.
c lib. 7. c. 4.

d lib. 4. belli Pun.
e in Tiber.

C *Primò* (inquit) *Præneſte, inde Neapolim euaſit, ſeruiſque ad pileum fruſtra vocatis in Siciliam profugit*. Et alibi [f]. *Obiit triceſimo ſecundo ætatis anno, tantúmque gaudium publicè præbuit, vt plebs pileata tota vrbe diſcurreret*. Et Appianus [g] *Qui Iuliũ Cæſarem* (ait) *interfecere, pileum per mediam vrbem haſta prætulerunt, quaſi morte tyranni reſtituta ciuibus libertate*. Quò ſpectat numiſma Bruti apud Dionem [h], pileo ac duobus pugionibus notatum, quo ſignificaret rempublicam à ſe & Caſſio in libertatem vindicatam. Idémque Appianus [i] alibi ait: *Perſeo Macedonum rege capto, Pruſiam Bithyniæ regem veniſſe Romam toga, & calceis indutum, cæterùm capite raſo, & pileato, profeſſum ſe populi Romani libertum, à quo Perſes dominio eſſet liberatus*: quod etiam ex Polybio ſcribit Liuius [k]. Itaque ad pi- D leum vocare pro eo, quod eſt ad libertatem inuitare accipi ſolet, vt ex Plauto, Dionyſio, Appiano, Plutarcho, Quintiliano, & aliis colligitur. Quin etiam auctor eſt Seruius in Feroniæ templo ſeruos olim raſo capite pileum accipere ſolitos, tamquam inſigne libertatis: quod etiam ex Iure [l] ciuili colligitur. At Martialis [m] alicubi dixit:

f in Nero.
g lib. 2. de bel. ciu.
h lib. 47.
i de bel. Mithrid.
k lib. 5 dec. 5 ...
l l. diuiſa C. de teſta. ma... l. non... & ſeq... C. de Lat. liber.
m lib. 11 Epigram. 3.

Verſu ludere non laborioſo,
Permittis puto, pileata Roma.

Quo loco [n] quidam Romanos ait Saturnalibus pileum geſtare ſolitos, aliis diebus nudo capite fuiſſe, aut veſte velaſſe: itaque nullas Romanorum vetuſtas ſtatuas pileatas cerni. Quin etiam Euſtathius [o] Latinos ait intecto capite eſſe conſueuiſſe, ducta fortaſſe à Græcis conſuetudine, cùm apud Homerũ nulla pi- E lei mentio reperiatur, vt heroico illo ſæculo capitis operimentum non videretur fuiſſe in vſu. Dio certè indicat vſos Romanos pileo in theatro, & ludis: in peregrinatione petaſo (qui pileus erat ad vmbram faciendam marginatus) vti cõſueuiſſe indicant Plautus, & M. Tullius: ægros item, ac valetudinarios geſtaſſe pileum indicat Ouidius. Quòd ſi ita eſt, ciuilem vſum retinendum cenſuit Apoſtolus, quem verò Romani ſequebantur, in ſacris reiiciendum putauit. Igitur ait: *Omnis vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput ſuum*. Græcè eſt κατὰ κεφαλῆς ἔχων, hoc eſt, quidquam habens in capite; quod non V.

n Adri. Turneb. aduerſ. lib.
o lib. 1. Odyſ.

ſolùm

ſolùm de pileo, verùm etiam de coma explicant A græcanica ſcholia, & nominatim Theophylactus. Quod verò ſubdit: *Deturpat caput ſuum*: Græcè eſt καταισχύνει, id eſt dedecorat, ſiue pudefacit, aut dehoneſtat. Ad Chriſtum videtur referre Hieronymus; dixerat enim, caput viri Chriſtum eſſe. In quo autem poſitum ſit dedecus, aut turpitudo, nemo quòd ſciam, ſatis explicat. An quia more gentilium Deum precatur? At illi, vt oſtenſum eſt, ſæpe etiam nudo capite orant: An quia cùm aliàs intecto capite incederent, ſi pileum ſumerent, ſe quaſi libertos profiterentur, & ſuam ingenuitatem prodere viderentur? certè olim [a] Iudaicus ſacerdos nudis pedibus, & tecto capite ſacris operabatur. Itaque crediderim cum Hieronymo dedecore affici Chriſtũ caput noſtrum, cui tamquàm ſupremo ſacerdoti humaníque B generis apud Patrem patrono caput aperiendum eſt, ſiue dum preces fundimus; ſiue alia quapiam ſacra functione, rei diuinæ operã damus, vel ipſi certè ſuo capiti contumeliam inferi, quòd illud minimè deceat operiri, vt indicãt illa, quæ paulò antè ex Tertulliano protulimus. *Capite* (inquit) *nudo, quia non erubeſcimus.*

5. Omnis avtem mvlier orans, avt, &c.

I. Duo requirit in fœmina, comam, & velũ: de vtraque re pauca ſubiiciam. Capillorum aliquem cultum fœminis eſſe proprium vt barbæ viris ſcribit Clemens [b] Alexandrinus: *Deus* (inquit) *voluit fœminã quidem eſſe glabram, ac leuem, ſola coma ſicut equũ iuba ſponte exultantem.* Et Plutarchus [c] capillorum illis curã permittit. At quod turpe naturæ videtur fœminã detonderi, religioni honeſtũ fuit, & præclarum; nam in falſa qui- C dẽ religione virgines olim Veſtales (auctore Plinio [d]) incisos capillos ad arborẽ lotos ſuſpendebant. Dictys verò Cretenſis ſcribit pupas Veneri, Palladi crinem à virginibus ſacrari conſueuiſſe. Meliùs noſtræ apud Hieronymum [e], crinem, monaſteriorum matribus diſſecandũ offerebant. Religionem ſuperſtitio æmulata, hæreticis præſertim magiſtris, fœminas docuit poſita coma virili habitu ſexũ mentiri. Factum narrat Sozomenus [f]. Damnant Patres Concilij [g] Gangrenſis. Citra religionem, ſupplicium, & contumelia fuit. Ob id enim in virgines tyranni ſæuientes eas ad turpitudinem detondebant, quam violatæ virginitatis pœnã aliquando fuiſſe docet Ambroſius [h]. Comam ponere etiam religionis reſpectu morem, & conſuetudinem D orientalium ſequutus, lege ſua interdictum fœminis eſſe voluit Valentinianus [i]: nihilo certè minus turpe eſt, mulierem intecto capite incedere, quàm penitus abradi. Tertullianus [k]. *Apud Iudæos* (inquit) *ita ſolemne eſt fœminis eorum velamen capitis, vt inde noſcantur.* De Arabibus autẽ fœminis idem alibi [l] ſcribit. *Non caput tantum, ſed faciem quoque ita totam tegunt, vt vno oculo liberato contentæ ſint dimidia frui luce.* Id nunc Hiſpanæ, ac Siculæ fœminæ magna ex parte retinent. Creuſam Aeneæ vxorem ne conflagrante quidem patria intectam viſam ſcribit Clemens [m] Alexandrinus. Sulpitiũ Gallum vxori nuntium remiſiſſe narrat Valerius [n] nõ ob aliam cauſam, niſi quòd haud velato capite domũ E ſit egreſſa. Poppeæ Sabinæ Tacitus [o] *raros* ait *fuiſſe in publicum egreſſus, idque velata parte oris, ne ſatiaret aſpectũ, vel quia ſic decebat.* Lacenæ virgines (vt narrat Plutarchus [p]) aperto capite, nuptæ velato incedunt. At Chriſtianæ fœminæ, Apoſtolico inſtituto velũ ſumũt. Ita Tertullianus [q], & Cyprianus [r] fusè. Porrò Clemẽs [s] Alexandrinus: *Caput* (inquit) *tegere, & vultum adumbrare iuſſum eſt; neque enim* (inquit) *honeſtum eſt corporis pulchritudinem eſſe hominum aucupium; neque par, vt purpureo vtens velo fœmina velit aſpici.* Quod eſſe virgineæ modeſtiæ fusè probat Tertullianus [t], qui eas reprehendit. *Quæ neque tectæ, neque nudæ incedant, quæque mitris, & lanis non velant caput, ſed*

a Exo. 28.
b lib.3. pæda. 3.
c in Sympoſ. c.4.c.4.
d lib.16.c.44.
e epiſt. 48.
f lib.1 c.13.
g cap.17.
h ad Virgil. lapſ.c.8.
i Lag. de Epiſcop. & Cler. C.Theodoſ.
k lib. de cor. mil.c.4.
l lib. de velãd. virgin.
m lib.3. pæd. cap.11.
n lib.6.c.3.
o lib.14. annal.
p in Apophth. Lac.
q de Virg. vel.
r De hab. virg.
s lib.2. pæd. cap.10.
t De vel. virg.

colligant. à frõte quidem protectæ, qua propriè autem caput eſt nuda. *Aliæ* (inquit) *modicè linteolis credo ne caput premant, neque ad aures vſque demiſſis, cerebro tenus operiuntur. Miſereor ſi tam infimo auditu ſunt, vt per tegmen audire non poſſint. Sciant quia totum caput mulier eſt, limites, & fines eius eò vſque porriguntur, vnde incipit veſtis. Quantum reſoluti crines occupare poſſunt, tanta eſt velaminis regio, vt ceruices quoque ambiantur: ipſæ enim ſunt, quas ſubiectas eſſe oportet, propter quas poteſtas ſuper caput habere debet: velamen iugum illarũ eſt* [a]. Alibi verò muliebre velum vocat *humilitatis ſarcinam, quódque ne obligamento quidem vacare debeat.* Plantæ pedis veſtigium fœminas in Perſide, ſubiectionis notam in capite ferre ſcribunt, quod Paulus his verbis ſignificat. *Mulieris caput vir.* Apo- B ſtolus igitur præcipit, ne mulier oret, aut prophetet niſi velato capite, contrà quàm de viris præceperat: Nam & olim apud Romanos hac quidem in re cõtra planè fiebat, vt ex Plutarcho [b] facilè intelligi poteſt. *Cur enim* (inquit) *parentes filij obuelatis, filiæ nudis capitibus, capilliſque reſolutis efferunt? Vtrum quòd venerari à filiis vt Dij, patres, lugeri vt mortui debeant à filiabus; vtrique propriũ ſuum lex dedit, atque ex vtriſque fecit decorum? An luctus proprium eſt quod inſuetum ſit, aſſuetũ porro eſt fœminis tecto capite, viris aperto in publicum prodire? Namque apud Græcos quando calamitas aliqua eſt accepta mulieres tondentur, viri comam ſubmittunt, quod his tondere, illis ſolemne ſit comam promittere. An filiis obnubere caput ob eam, quam diximus, cauſam moris fuit? Siquidem in exequiis* (vt C *auctor eſt Varro*) *conuertuntur ſicut Deorum fana monumenta celentes paterna, crematiſque parẽtibus, vt primùm os offenderunt, Deum aiunt eum, qui defunctus eſt effectum: mulieribus verò tegere planè neſas erat caput. Ac mandatũ eſt memoriæ primum vxori nuncium ob ſterilitatem Spurium Caruilium remiſiſſe, ſecundum Sulpitium Gallum quòd eam capitis veſtem iniecisse vidiſſet, tertium Sempronium quòd ludos funebres ſpectaſſet.* Et quamquam Apoſtolus tum hac ipſa [c] Epiſtola, tum in priori ad Timotheum [d] negat, fœminis fas II. eſſe in Eccleſia publicè loqui; interdum tamen diuino nunnullæ impulſu vaticinabantur, vt exemplo filiarum Philippi confirmat hoc loco Chryſoſtomus, idque olim à Ioele [e] Propheta fuerat prænuntiatum. *Effundam* (inquit) *ſpiritũ meum ſuper omnem carnem,* D *& prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ. Senes veſtri ſomnia ſomniabunt, & iuuenes veſtri viſiones videbunt.* Quod ad diem Pentecoſtes retulit Petrus [f], & poſt illum Hieronymus [g], Theodoretus [h], Hilarius [i], Chryſoſtomus [k], Oecumenius [l], & alij. Si fortè igitur contingat fœminam quampiam diuino ſpiritu actam orare, aut prophetare, ſi id faciat intecto capite, *deturpat caput ſuum*: hoc eſt (vt ſuprà diximus) dedecorat, & dehoneſtat. *Vnum eſt enim* (inquit) *ac ſi decaluetur*: perinde eſt, ac ſi prorsùs raſa eſſet; quod interpres ſic accepit, quaſi vſque ad caluitiem depiletur; nam vt indicat Clemens [m], ſic fœminæ coma, vt viro barba nutrienda eſt. Idcirco rectè ſubdit Apoſtolus. *Turpe eſt mulieri tonderi, aut decaluari.* Turpe verò eſſe viris vellì ac picari, indicat eo loco Cle- E mens; hoc eſt pice illita pilos detergere. Quocirca M. [n] Tullius irridet neſcio quem, quòd etiam ſupercilium penitus abraderet; ne pilum quidem viri boni retinuiſſe videretur: vt minimè probanda ſit recens quorundam conſuetudo, qui mento prorsùs abraſo ſuperioris duntaxat labri pilos ſtudioſè colunt. Capillum verò fœminarum more oblongum nutriũt, & criſpant, vt eos propemodùm ſexus virilis pœnitere dicas. Ambroſius paulò aliter hoc loco legit, nihil tamen immutata ſentẽtia. *Confundit* (inquit) *caput ſuum; vnum eſt enim atque idipſum, vt decaluata.*

Nam

a lib. de cor. mil.
b Quæſt. cẽtur. Rom.
c cap 14.34.
d cap 2.9.
e cap.2.28.
f Act.cap.2.17.
g Ioel 2. & ep. ad Hedib. q.9.
h Ioel.2.
i lib. 8. de Trinit.
k Hom.4. in Acta. Hom 5. ad Rom. hom. 5. ad Epheſ.
l Act. 2.
m lib.1. pæd. cap.3.
n Orat. pro Roſ. Com.

6. I. NAM SI NON VELATVR MVLIER, &c. Perinde putat Apoſtolus non velari mulierem, ac tonderi, aut abradi: vt enim paulò pòſt dicet mulieris coma pro velo videtur à natura conceſſa. Quod ſi turpe eſt (ait Chryſoſtomus) mulierem abraſo capite incedere, ita etiam dedecus eſt non velatum habere caput; & vt ait Theodoretus, ex coma colligit, velum eſſe mulieri neceſſarium. Ambroſius autem: *Quamuis, ait, vna ſubſtantia ſit & vir, & mulier tamen quia vir caput eſt mulieris anteponendus traditur, vt per cauſam, & rationem maior ſit, non per ſubſtantiam. Inferior ergo mulier viro eſt, portio enim eius eſt, quia origo mulieris vir eſt. Ex eo enim eſt, ac per hoc obnoxia videtur mulier viro, vt imperio eius ſubiecta ſit. Honorificentiam, & dignitatẽ viri obſtare dicit ne velet caput; imago enim Dei incongruum eſt vt veletur, abſcondi enim non debet.* mulier verò contra dicitur ab Apoſtolo gloria viri. *Multùm autem* (ſubdit Ambroſius) *diſtat inter gloriam Dei, & gloriam viri.* Turpe igitur eſt fœminæ non vetari, quemadmodum turpe eſt tonderi, aut radi. Rectè autem argumentatur Tertullianus[a] mulieris nomen hoc loco apud Apoſtolum nomen eſſe ſexus, atque adeo complecti etiam virgines. *Omnis*, inquit[b], *mulier. Quid eſt omnis? Niſi omnis generis, omnis ordinis, omnis conditionis, omnis dignitatis, omnis ætatis. Siquidem omne totum eſt, & integrum, & nulla ſui parte defectum; pars autem mulieris & virgo eſt. Aequè & de viro non velando, Omnis, inquit, Ecce duo diuerſa nomina, vir, & mulier, omnis vterque. Duæ leges obnoxia inuicem, hinc velandi, inde nudandi. Igitur ſi eo quod dictum ſit omnis vir, commune eſt nomen viri, etiam nondum viri maſculi inueſtis. Commune autem cùm ſit nomen ſecundùm naturam commune eſt, & lex non velandi eius, qui inter viros virgo eſt ſecundùm diſciplinam: cur non præiudicatum ſit proinde, & mulierem virginem omnem muliere nominata contineri, conſortio nominis vt contineatur, & communione legis. Si virgo mulier non eſt, nec vir inueſtis eſt: ſi non operitur virgo, quia mulier non ſit, operiatur inueſtis, quia vir non ſit: eiuſdem virginitatis æqua ſit venia. Sicut virgines non coguntur velari, ita pueri non iubeantur reuelari.* Porrò quod interpres dixit, *decaluari*, græcè eſt ξυρᾶσθαι, hoc eſt radi. Olim autẽ conſueuiſſe virgines aperto capito incedere, matronas verò velaro, nuptiarum nomẽ indicat, quod à capite nubendo deductum eſſe præter ethnicos Tertullianus, & Ambroſius ex noſtris fatentur, & Tertullianus quidem[c] affert illud Rebeccæ[d], *quæ tollens cito pallium* viſò Iſaac *operuit ſe.* quod idem facit alibi[e]. vbi notat illud Suſannæ[f], quæ non niſi velata ad publicum iudicium proceſſit, quam impudici Senes reuelari iuſſerant. Ac neſcio vtrum ad hanc conſuetudinem reſpexerit Abimelech[g] cum Saræ dixit, *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes, qui tecum ſunt, & quocumque perrexeris memento te deprehenſam.* Si non velatur ergo mulier, ait Apoſtolus tondeatur. Græcè ad maiorem emphaſim additur καὶ κειράσθω, id eſt, & tondeatur; reſtat vnum, id videtur conſequens, vt tondeatur: quod ſi id turpe eſt, & à muliebri conditione alienum, velum ne deponat: ideò ait, *ſi vero turpe eſt mulieri tonderi, aut decaluari.* videtur autem interpres poſuiſſe verbum odioſius, eſt enim caluitium ſcommatis obnoxium.

a lib. de vel. virg.

b de velam. virg. cap. 8.

c de vel virg. cap. 11.
d Gen. 24. 65.
e de corona militis cap. 4.
f Dan. 13. 32.

g Gen. 20. 16.

7. I. VIR QVIDEM NON DEBET VELARE CAPVT, &c. In eodem argumento immoratur, ſuámque ſententiam pluribus confirmat. Ac primum quidem argumentum deſumptum eſt ex viri dignitate, Vir (inquit) imago, & gloria Dei eſt; quaſi dicat imaginem eſſe gloriæ, ac maieſtatis diuinæ; cùm non modò cæteris rebus creatis præſtet omnibus, ſed in ipſam etiam fœminam imperium exerceat; vt ridi-

A culi ſint ij, qui ex hoc loco colligunt, fœminam non eſſe ad imaginem Dei; quod tamen hic apertè habent Ambroſij commeotarij, *Vir enim* (inquit) *ad imaginem Dei factus eſt, non mulier*: idémque legitur in quæſtionibus veteris, ac noui teſtamenti, quæ tribuuntur Auguſtino; vt vel hoc maximè argumento mihi perſuadeam, vtrumque opus eſſe pſeudoepigraphum. Non enim hîc agitur de illa imagine, quæ in hominum natura indita eſt, quæque eſt viro, ac fœmioæ communis, de qua alibi plura, ſed de quadam viri præſtantia, quam tum ex ordine creationis, tum etiam ex eiuſdem fine colligit Apoſtolus. Itaque Theodoretus, ac Seuerianus imaginem, & gloriam Dei in viro referunt ad imperium, quod adeptus eſt in omnia creata, atque adeo in ipſam fœminam.

B Quocirca Plato[a] dixit. *Velut gregis cuſtodes, ac paſtores, ita viros mulieribus fuiſſe præpoſitos.* Et Ariſtoteles[b], *Virum, ait, vxori, ac filiis tanquam liberis ambobus præeſſe debere; at verò non eodem imperij modo, ſed vxori quidem ciuiliter, filios autem regere, maſculum enim, quàm fœminam principaliorem eſſe.* Et Xenophon[c] (vt paulò antè monui) vxoris proprium eſſe docuit, *domum gubernare, & viro obtemperare.* Eius porro excellentiæ argumentum extare aliquod putat Apoſtolus oportere in eccleſiaſtico cœtu; idque poſitum maximè cenſet in capite aperto, vt videatur innuere capitis velum, ſeu operimentum eſſe ſubiectionis indicium. Certè Plutarchus[d] alicubi ſcribit, conſueuiſſe Romanos Honori aperto capite ſacrum facere, & bonis, ornatiſque viris aperire caput, quaſi illos

a lib. de rep.
b lib. 1. pol. cap. 8.
c in Oecon.
d Quæſt. cur Rom. cõ procul. ab illo.

C honore dignos cenſerent. Mox autem ſubdit, mulieribus nefas fuiſſe regere caput, idque olim fœminis probro datum, quod cum apoſtoli ſententia apertè pugoat. Iam verò quomodò fœmina dicatur gloria viri haud facile dictu eſt, cùm præſertim hinc effici exiſtimet Apoſtolus mulieri caput velandum eſſe, cùm contrà turpe ſit viro caput operire, quia imago, & gloria Dei eſt. Sed multò aliter vir eſt Dei gloria, quàm fœmina viri: ille quadam ſua dignitate, atque præſtantia Dei gloriam indicat, & quaſi declarat: fœmina eſt veluti ſeges, ac materia gloriæ, quæ redundat in virum, cui illa, natura duce, ſubiicitur. Itaque vt ex viri auctoritate Dei gloria, & cognoſcitur, & illuſtratur, ſic extat, atque eminet viri gloria, quod non modò cætera creata, ſed etiam fœminã eiuſdem II.

D naturæ cõſortem ſubiectam habeat: quo ſit vt in hominum cœtu turpe fuerit viro, ſi operto capite ſe oſtendat eſſe ſubiectum: ac contrà fœminæ dedecori tribuatur, ſi intecto capite non eam præſeferat ſubiectionem, quam viro debet. Idcirco colligit non ita multò pòſt, mulierem, ſupra caput ſuum poteſtatem habere. id eſt velamen, quod eſt argumentum, eam eſſe in viri poteſtate: & idcirco Tertullianus pro velo ſæpe tranſtulit poteſtatem. Hanc credo ob cauſam nubere dicuntur illæ, quæ in virorum tranſeunt poteſtatem, vt ex Plutarcho[e] didicimus, qui tamen alicubi ſcribit conſueuiſſe radi fœminas, & comam viros nutrire: aliud denique aliis placuiſſe. Gellius[f] quidem Romanos (ait) ſolitos barbam abradere, quin etiam in antiquis nummis coma penitus reſecta cernitur nimio certè comæ cultu vtroque ab ſexu

e in Problem. Rom. & in Apopht. Lac. & alibi.
f lib. 3. cap. 4.

E peccatur. Et de fœminis quidem ita Tertullianus[g]. *Quid enim tanta ornandi capitis oneroſitas ſalutem ſubminiſtrat? Quid crinibus veſtris quieſcere non licet, modò ſubſtrictis, modò relaxatis, modò ſuſcitatis, modò eliſis? Aliæ geſtiunt in cincinnis coercere, aliæ vt vagi, & volucres elabantur non bona ſimplicitate. Affigitis præterea neſcio quas enormitates ſubtilium, atque textilium capillamentorum nunc in galeri modum, quaſi vaginam capitis, & operculũ verticis, nunc in ceruicem retrò ſuggeſtum. Mirum quod contra Domini præcepta contenditur.*

g lib. de cultu fœm. ca. 7.

ditur. *Admenſuram neminem ſibi adiicere poſſe pronunciatum eſt. Vos planè adiicitis ad pondus collyridas quaſdam, ſentorum vmbilicos ceruicibus aſtruendo. Si non pudet enormitatis, pudeat inquinamenti, ne exuuias alieni capitis forſitan immundi, forſan nocentis, & gehennæ deſtinati, ſancto, & Chriſtiano capiti ſuppares. Imò hanc ornatus ſeruitutem à libero capite propellite. Fruſtrà laboratis ornatæ videri, fruſtra peritiſſimos quoſque ſtructores capillaturæ adhibetis. Deus vos velari iubet: credo: ne quarundam capita videantur.* Et Hieronymus [a] eas reprehendit, *quæ capillis alienis verticem ſtruunt.* Et Petrus [b] Apoſtolus nimium capilli ſtudium his verbis perſtringit. *Quarum* (inquit) *non ſit extrinſecus capillatura.* De viris autem Suidas ſcribit apud Corinthios Coty turpitudinis Deæ ſacra facere conſueuiſſe comæ ſtudioſos. Abſalon certè aurea coma nitens ſuo illigatus crine miſerè periit, [c] de quo Hieronymus. [d] Paulus verò non ita multò poſt turpe ait, atque ignominioſum eſſe viro, ſi comam nutriat, id tamen erat Nazaræis religioſum. Quia igitur vir imago, & gloria Dei eſt, intecto capite illum & orare, & prophetare oportere docet Apoſtolus; cùm tamen hac tempeſtate pro magno honore ducāt magnates, ſi à Regibus iubeantur operire caput, idque ambitioſiùs expetatur, & non ſine inuidia impetretur.

a ad Mar. — b 1.Pet.3. — c Reg. — d tradit. ... ſtatic.

NON ENIM VIR EX MVLIERE. &c. Altera putatur ratio, cur vir intecto, fœmina verò velato capite eſſe debeat. Quia, inquit, non ex fœmina vir, ſed contrà potiùs ex viro fœmina orta eſt; vt nō immeritò dixerit Chryſoſtomus, naturale eſſe viri in fœminam imperium, & principatum. Et in eandem ſententiam Theodoretus, *Homo*, inquit, *eſt Dei imago, neque quoad corpus, neque quoad animam, ſed tantùm quod attinet ad principatum, & imperium, vt cui omnium, quæ ſunt in terra, imperium eſt creditum, mulier autem, vt quæ ſit in poteſtate viri, eſt viri gloria, & veluti imago imaginis, nam ipſa etiam aliis imperat, ſed viro ſubiecta eſſe, & ei parere iuſſa eſt.* Eodem fermè modo loquitur Ambroſius. *Hæc eſt autē*, inquit, *imago Dei in viro, quia vnus Deus vnum fecit hominem, vt ſicut ab vno Deo ſunt omnia, ita eſſent & ab vno homine omnes homines, & vnius Dei inuiſibilis vnus homo viſibilis imaginem haberet in terris; vt vnus Deus in vno homine videretur auctoritatem vnius principij conſeruare ad confuſionem diaboli, qui ſibi (neglecto vno Deo) dominium, & diuinitatem voluit vſurpare.* Ita videtur Ambroſius indicare, hanc eſſe non nouam rationem, ſed ſuperioris rationis explicationem. Ob id enim vir dicitur imago, & gloria Dei, quia ab illo conditus eſt: Fœmina verò viri gloria nuncupatur, quia ex illo condita eſt, & eum quaſi auctorem ſuum agnoſcit. Non ſolùm autem fœmina à viro accepit id, quod eſt, ſed (vt in Hebræo idiomate conſtat) ab eodem viro nomen, atque appellationem ſortita eſt. Vir enim Hebraicè dicitur איש *his*, fœmina verò אשה *iſa*, & vt tranſtulit B. Hieronymus à viro dicitur virago. Quocirca vir nobilis nominibus fœminæ præſtat, meritóque illi debetur in fœminas imperium, vt ob id barbarum, atque à recta ratione alienum habitum fuerit fœminarum imperium, vt alicubi ſcribit Claudianus: [e]

e In Eutropium.

Medis, leuibusq; Sabæis Imperat hic ſexus, reginarumq; ſub armis
Barbariæ pars magna iacet.

Et Plinius, [f] Strabo, [g] & Euſebius [h] aiunt in Saba, & Æthiopia regnaſſe fœminas: & de Saba quidem conſtat ex hiſtoria ſacra Regum [i]; de Æthiopia verò ex Actis [k] Apoſtolicis. Atqui Sapiens [l] rei domeſticæ fœminā præficit, virum cūctā publicis negotiis. De fœmina enim, quamuis forti, ait, *quæſiuit lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum.* Rurſus: *Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fuſum.* Deinde. *Syndonem fecit, & vendidit. & cingulum tradit Cananæo. Omnes domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus. Stragulatā veſtem fecit ſibi, byſſus, & purpura indumentū eius:* De viro autē. *Nobilis in portis vir eius, quādo ſederit cum ſenatoribus terræ.* Sicetiā Homerus [a] Telemachū inducit matri Penelopæ publica munera denegantē, & ad colum, fuſumq;, ad textrinam deniq; relegantē. Idemq; [b] alibi, Palladem (ſcribit) domeſtica munera fœminis cōmendare. Quæ omnia oſtendunt, fœminā longè eſſe viro inferiorē. Quanquā Plutarchus de mulierum virtutibus commentariū edidit, in quo multa præclara mulierum facinora recenſet, alicubi [c] etiam eas vult philoſophiam, & ingenuas diſciplinas à viris diſcere. Cæterùm Plato alicubi ſcripſit, *vxoriam virtutem eſſe, domum gubernare, dū cuſtodit domeſtica, viroq; obedit.* Cui magnopere cōſentiunt, quæ ſcribit Xenophon. [d] *Deū* (inquit) *naturā mulieris ad curamentum ſuſcipiendam ad lucem produxiſſe, molliorēq; corpore, vt intra parietes officium obiret. At viri corpus, animumq; frigora, æſtus, itinera, militiā facilè tolerare, cōſtituiſſe; quapropter illis foras res gerendas delegaſſe, rurſus illas ob infantium curam, maiore erga liberos caritate, tū ad cuſtodiēda, quæ à viris parta eſſent metu vehementiori, qui rebus aſſeruandis vtilis foret, præditas eſſe voluit: viro inſuper, cui tueri extranea facta incumbit, ac oppugnanti reſiſtere, maiorē addidit audaciā.* Et aliquantò poſt. *Deus item vxorem pulchriorem condidit, vt fœminam cum pudicitia ſe domi continendo tueretur, virum toroſiorē, vt extrà magis ageret, edidit. Si quis autem aduerſus hunc ordinem ierit, aut viri partes vxor, ſeu vir vxoris peregerit, vltorem ſentiet ſe habiturum Deum.* Quod ipſum non ſemel cōfirmat Ariſtoteles. [e] Et de Ægyptiis quidem ſcribit Diodorus lege ab Iſide lata apud illos cautum eſſe, vt viri pollicerentur ſe omnia intra penetralia vxorum arbitrio permiſſuros: vt mirum ſit ſcripſiſſe Herodotum, [f] fœminas apud illos bellicis rebus exerceri, quin etiam negotiari, cauponari, & inſtitoris munere fungi, viros autem domi ſe continere texentes, aliaq; munera muliebria tractantes: Cui conſentit Pomponius [g] Mela: neque ab his abhorrēt, quæ ſcribit Clemens [h] Romanus de Gelonibus. Certè Plutarchus Diodoro fauet; ſcribit enim, Ægyptias fœminas non conſueuiſſe vti calceamentis, vt ſe domi continerēt, neque diſſentit Æmilius [i] Probus, qui negat, fœminas ad conuiuium adire ſolitas, ſed in intimo conclaui perpetuò reſidere. Apud Gagorias autem (auctore Diodoro) [k] ſolæ mulieres publicè munera obeunt, viri autem rei domeſticæ curam gerunt, tum obtemperantes fœminis, tum militiæ, ac omnis Reipub. expertes. Sic etiam apud Sinas viri crines implicāt: domi ſedent vnguentis delibati, & prorſus effœminati; mulieres contrà capillum capitis tondent, virili cingulo ſe cingunt, & in agro omnia perficiunt. Quę tamen cum recta ratione, ipſaq; adeò natura pugnare docet Epiphanius, [l] & ex hoc loco Apoſtoli facilè colligitur. Præclarè autem Chryſoſtomus. [m] *Ciuilibus* (inquit) *negotiis à viro ſuſceptis, mulier ſortita eſt domeſticam adminiſtrationem, & curam.* Et hoc loco: *Deus autem vniuerſa non commiſit nec viro, nec mulieri, ſed pulchrè officia digeſſit, huic domum, illi forum credens.* Et paulo poſt: *Tela enim, & colus mulieris eſt, & ei texendi ſapientiam commiſit:* Nec diſſimilia ſcribit Euſebius. [n] Rectè igitur ait Apoſtolus. *Non enim vir ex muliere, ſed mulier ex viro;* Ita enim legimus in Geneſi [o]. *Vocabitur virago, quia de viro ſumpta eſt.* Colligit autem Chryſoſtomus. *Si ex aliquo eſſe, gloria illius eſt, ex quo ortum habet, multò magis eſſe ſimilem.* Quaſi ſignificet hoc etiam ex capite, mulierem dici gloriam viri, quia eſt ei naturæ ſimilitudine coniuncta. Non ſolùm igitur viri gloria eſt, quia ab illo naturæ ſuæ ſumpſit exordia,

f lib.6.c.29. — g lib.16. — h lib.6.hiſt. cap.1. lib.2.c. 10. — i 3.Reg.10. — k Act.8. — l Prou.31.19.

a Odyſſ.1.11. — b Odyſſ.1. — c In præceptis connubialibus in ... ne. — d In Oeconomico. — e lib.1 pol.c. 8.& l.2.& l.3. — f lib.2. — g In Euterpe. — h lib.9. — i lib.9 recognitionum. — k In Proœmio. — l lib.4. Bibliothecæ. — m lib. 1. hær 1. — n ſec. quod regulares fœminæ viris nō cohabitent. — o lib.21 præp. Euang.c.4. — p cap.2.23.

ſed etiam quia ab illo, tanquã à prototypo ſeu exemplari, deducta videtur. Sic enim olim dixit Deus: *Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi*: Niſi quis malit ad ſuperiora referre, vbi dixit, virum eſſe gloriam Dei, tum quia ab illo creatus eſt, tum quia eſt ei ſimilis: ſcriptum eſt enim in libro Geneſeos: [a] *Faciamus hominem ad imaginem, ac ſimilitudinem noſtram*. Itaque docet Hieronymus, [b] fœminas lege naturæ viris eſſe ſubiectas, atque obtemperare, non imperare debere. Et Auguſtinus. [c] Nec dubitari poteſt naturali iure, viros potiùs fœminis, quàm viris fœminas imperare.

a cap. 1. 2. 6.
b ad Titũ 2.
c lib. 1 de nuptiis, & concupis. c. 9.

Etenim non est creatvs vir. &c. Alia ratio eſt à fine deſumpta. Etenim ex illo ipſo Geneſis loco (quem modò indicaui) apertè colligitur, mulierem viri cauſa conditam eſſe. *Non eſt enim* (inquit) *bonum, hominem eſſe ſolum; faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* Vnde (vt rectè ait Theodoretus) oſtendit viri principatum. *Non enim hic propter illius vſum, ſed ipſa propter eius vſum producta eſt*; vt oſtẽdat virum eſſe & principium & finem mulieris. Quod aliqua ratione ſibi indicaſſe videtur Ariſtoteles, [d] qui naturam ait ſpectare potiſſimùm marem, ſic enim malo loqui; nam quòd ille ait, fœminam non expeti per ſe, tanto philoſopho videtur indignum: cùm enim ad procreationem hominis ſit ſuapte natura neceſſaria, omnino per ſe videtur expetenda. Quæ verò de viri, fœminæque coniunctione fabulatur Plato, [e] ridicula prorſus ſunt, & delirantiũ poëtarum ſomnia, quæ fortaſſe ex ſacris litteris deprompta, vt pleraque alia, ad figmenta poëtarum detorta ſunt, vt mirum ſit cuiquam [f] Chriſtianorum probari potuiſſe. Nihilominus illa philoſopho indigniſſima ſunt, quæ de fœminæ ortu ſcribit, [g] ab impuris, ac nefariis hominibus fœminas gigni, cùm (vt paulò antè indicauimus) ad propagandum genus humanum vterque ſexus ſit à natura, naturæque auctore procreatus: adeóque quod de Androgyno fabulatur Ariſtophanes [h] apud Platonem, quanquam à nonnullis vtcumque admittatur, Chriſtianis auribus ſit penitus explodendum. Nam Leonem [i] Hebræum Platoni magis, quàm Moſi aſſentientem, & hunc ad illius inania commenta coactè reuocantem nihil moror, placet enim Auguſtini ſententia, qui explicans verba Moſis. *Maſculum & fœminam fecit eos, non ob aliud* (inquit) *maſculum, & fœminam plurali numero pronuntians eos eſſe creatos, niſi vt ne in vno indiuiduo vtrumque ſexum fuiſſe coniunctum intelligamus.* Porrò Chryſoſtomus hanc omnem Pauli diſputationem quatuor capitibus comprehendit, quibus ait dignitatem viri confirmari. Primùm quòd caput noſtrum eſt Chriſtus, nos autem mulieris: Deinde quòd nos ſumus Dei gloria; mulier autem noſtra: Poſtea, quòd non ſumus ex muliere, ſed mulier ex nobis: poſtremò quòd non nos propter ipſam, ſed illa propter nos. Ex quibus omnibus colligit Apoſtolus quod mox ſubditur.

d lib. 2 de generatione animal. cap. 3. lib. 1 de gen. anim. cap. 6.
e In Sympos.
f Auguſt. ſteuch. Mar. Ficin.
g in Thymæo.
h In Sympoſio.
i Dial. 3. de amore.

10. Ideo debet mvlier potestatem. &c.

I. Pro poteſtate Græcè dixit Apoſtolus ἐξουσίαν: Ambroſius autem, & Græcanica ſcholia poteſtatem interpretantur velum, quod velamen impoſitum capiti cogat illam demittere oculos, ſignificetque eam alterius imperio ſubeſſe, vt pro ſigno res, quæ ſigno indicatur, poſita ſit. Itaque Theodoretus *tegumentum* (inquit) *poteſtatem vocauit pro eo, quod eſt, oſtendat ſubiectionem ſe ipſam contrahens.* Addit: *Propter Angelos*: An beatas mentes? Sanè ita Chryſoſtomus, & Theodoretus, qui tutelares Angelos intelligit. *Maximè* (inquit) *propter Angelos, qui præſunt hominibus, vtpote quibus ſit eorum credita cura.* Ita enim in Actibus: [k] *Non eſt ipſe, ſed Angelus ipſius.* Et Dominus: [l] *Videte, ne contemnatis vnum ex puſillis iſtis, qui in me credunt: Amen enim dico vobis, quòd Angeli eorum ſemper vident faciem Patris, qui eſt in Cœlis.* Vt videatur Apoſtolus idẽ planè dicere, quod eo loco Chriſtus. Quemadmodum enim probat Chriſtus, non eſſe paruulos lædendos, ſeu contemnendos, cùm Deo ita cari ſint, vt apud ſe habeat Angelos, quorum illi curæ, ac patrocinio crediti ſint; ita Apoſtolus exigit à fœminis verecundiam, & modeſtiam, ne quemquam ſua procacitate offendant; tum propter eas rationes, quas attulit, tum etiam propter Angelos tutelares, quorum præſentiam æquum eſt fœminas vereri, & quaſi præſentes intueãtur, honore & religioſo cultu proſequi. Nam quod alij dicunt, id ſpectaſſe Paulum, ne fœminæ ſe dignitate Angelis æquare velint, quaſi à Deo proximè non aliter, atque illi conditæ ſint, nimis (vt arbitror) videtur extortum. Quod verò frequenter inculcat Tertullianus, [a] etiam videtur parum pium: indicat enim hæc Pauli verba eò ſpectare, ne Angeli fœminarum pulchritudine capiãtur. *Si enim* (inquit) *propter Angelos, ſcilicet propter quos legimus à Deo, & cœlo excidiſſe ob concupiſcentiam fœminarum; quis præſumere poteſt, tales Angelos maculata iam corpora, & humanæ libidinis reliquias deſideraſſe, vt non ad virgines potiùs exarſerint, quarum flos etiam humanam libidinem excuſat?* Eodem modo ſæpe [b] aliàs loquitur. Sed ſpectat hoc ad errorẽ peruetuſtum multorum [c] ſcriptorum conſenſione nobilitatum; quem alibi confutam. Ambroſius, & Paulinus [d] Angelorum nomine ſacerdotes intelligunt; nam & Malachias [e] ſacerdotẽ Angelum Domini exercituum appellat: & Ioannes in Apocalypſi [f] Eccleſiarum Epiſcopos Angelos nominat, quaſi dicat Apoſtolus: *propter Angelos*, id eſt; propter ſacerdotes, ac Dei miniſtros, fœminarum capita velanda eſſe. Sed vt verum fatear, conſecutionis vim nullam penitùs video. Vir (inquit) neque ex muliere, neque propter mulierem conditus eſt; ſed contrà fœmina ex viro, & propter virum; idcirco debet poteſtatem habere ſuper caput ſuum propter Angelos. Si referas ad ſacerdotes, ac Dei miniſtros, non ſatis cum ſuperioribus hæc Pauli ſententia cohæret: ſi referas ad omnes viros, tum orantes, tum prophetantes, nihil videbitur aptius potuiſſe concludi. Si enim fœmina hoc duplici nomine viro ſubiicitur, quòd ex illo, & propter illum condita eſt, conſequens profectò erit, vt in Eccleſiaſtico conuentu propter circumfuſam virorum multitudinem, velo ad caput obducto, huius ſuæ ſubiectionis indicium præbeat. Nec mirum orantes, ac prophetantes Angelos vocari, ſunt enim inter nos & Deum veluti internuntij, dum partim noſtra vota Deo Opt. Max. proponunt, partim nobis eius voluntatem interpretantur: dum fideles autem, cœtus Eccleſiaſticos olim frequentabant, Dei laudes celebrantes, beatarum mentium vitam quodammodo imitabantur. Filios item &, quos noſter interpres Dei Filios vocat, [g] Septuaginta nominant Angelos: & qui Deo grati ſunt, Angeli appellantur: Et Dauid dicitur [h] ſicut Angelus Dei: Denique id ſatis conſtat, non naturæ, ſed officij nomen eſſe. Clemens [i] Angelos intelligit Sanctos, ac probos viros, quorum cauſa vult Apoſtolus, mulieres velatas incedere, ne eos ad impuras cupiditates inflamment. Nec deſunt, qui Angelorum nomine malos dæmones intelligant, qui fœminarum ſpecie, ac pulchritudine abutuntur, tanquam nefariæ voluptatis illecebris: nam eo nomine interdum ſignificari dæmones indicat Apoſtolus, qui ſuprà [k] dixit. *Neſcitis quoniam Angelos iudicabimus?* Cùm igitur Apoſtolus de omnibus hominibus, atque omnibus item fœminis diſputet, valdè veriſimile videtur, hanc etiam ſententiã ad omnes homines pertinere, cùm præſertim eo tempore apud Corinthios vix quiſquam eſſet ſacris initiatus

k cap. 12. 15.
l Matt. 18. 10
a lib. de vel. virg. c. 7.
b lib. de hab. muliebr. c. 2. de cul. fœmin. lib. 1. aduerſ. Marc. c. 18.
c Ioſeph. lib. 1. antiq. Iuſtin. mar. Apol. Athenag. in Apolog. Clem. Alex. lib. 3 & 6. ſtrom. Lactã. lib. 2. c. 15. Cypr. de diſcipl. & hab. virg. & 10. Euſeb. lib. 5. de præpar. euang. Method. de reſur.
d ep. 4. ad Seuer.
e cap. 2. 7.
f cap. 2.
g Gen. 6.
h 2. Reg. c. 19. 27.
i lib. 2. hypoth.
k Cap. 6.

a Cap. 6. tiatus, vt ſuprà ᵃ hac ipſa epiſtola docuimus. Si quis autē de tutelaribus Angelis malit accipere eo modo, quem paulò antè explicaui, non magnopere repugnarim. Sed (vt dixi) meliùs de circumfuſa orantium, ac prophetantium multitudine explicatur; cùm præſertim agat Apoſtolus de mulieribus orantibus, ac prophetantibus. Illud porro monuerim in nonnullis Latinis codicibus olim ſcriptum fuiſſe; ideo debet mulier poteſtatem habere pro velamine. quod etiam alij admonuerunt: Alios ſimpliciter legiſſe *velamen*, quomodo legunt Hieronymiani Cōmentarij.

11. VERVNTAMEN NEQVE VIR SINE. &c. Vbi viri dignitatem, atque excellentiam declarauit Apoſtolus, ne ipſe ſupra modum efferretur, aut fœmina nimium ſe deiectam doleret; oſtendit vtriuſque miram eſſe coniunctionem, ac nexum, & alterum alterius ope, atque auxilio indigere. *Neque enim* (inquit Chryſoſtomus) *prima tantùm humana naturæ exordia ſpectanda ſunt, ſed quæ deinceps ſubſequuta ſunt, Olim quidē mulier ex viro procreata eſt, ſed deinde viri non niſi à fœminis gignuntur.* Addit autem. *Neque vir ſine muliere, neque mulier ſine viro in Domino.* Quia (vt ait Ambroſius) *ex vno fecit ambos, & vnum. Vna enim caro, & vnum corpus ſunt in Domino: hoc eſt ſecundùm Dominum, qui creauit.* Itaque in familiæ adminiſtratione, & filiorum educatione ſuæ vtrique partes meritò tribuuntur: neceſſe eſt enim mutuis officiis iuuari, vt præter Philoſophos ſæpe etiam docuit Salomon. Denique Ambroſius indicat, Paulum addidiſſe: *In Domino*: vt indicaret primam fœminæ procreationem. *Qui non credunt* (inquit) *mulierem de viro ſumptam, hi ſine Domino, vel non ſecundùm Dominum credunt hominum originem.* In nonnullis codicibus pro *In Domino*; legitur; *In mundo*: quaſi Græcè ſcriptum ſit τῷ κόσμῳ, vt ſignificet Apoſtolus, non conſtare humanam vitam abſque mutuis viri, fœminæque officiis: ſed præferenda eſt lectio, quæ nunc habetur in Græcis, ac Latinis codicibus, quam veteres probant, & explicant, quaſi indicare velit Apoſtolus quod mox planiùs ſubiicit, tam virum, quàm fœminam à Deo originē ducere. Putat Hieronymus, quod etiā indicauit Chryſoſtomus, hæc addita eſſe ab Apoſtolo ad mulieres conſolandas, quas videbatur admodùm depreſſiſſe. Quamobrem non pertinent hæc, vt ſuſpicari forſitan poſſet non nemo ad cōnubij neceſſitatem inſinuandam; ſed potiùs ad ſexuum diſtinctionem, & vtriuſque naturalem connexionem declarandam, vt ea, quæ ſequuntur, planiùs oſtendunt. Ait enim.

NAM SICVT MVLIER DE VIRO. &c. Oſtendit autem (vt monet Ambroſius) vnam, atque eandem eſſe vtriuſque ſexus naturam; nam olim quidem fœmina ex viri ſubſtantia effecta eſt, vt legitur ex libro Geneſis, deinceps autem cuncti mortales à

Cap. 2. 22. fœminis gignuntur. Quod enim aiunt Hieronymiani Commentarij, ſicut Eua ex Adam; ita humanæ naturæ reſpectu Chriſtum ex Virgine Maria genitum eſſe, verè quidem dicitur, ſed non admodum ad rem: neque enim id nunc agit Apoſtolus, qui tantùm (vt dictum eſt) ſexuum inter ſeſe nexum, & coniunctionem declarat. Nam vir, & fœmina mutuis ſibi officiis præſto ſunt, & vterque ad Deum conditorem originem ſuam refert: Quaſi dicat Apoſtolus; ſi prima naſcentis mundi initia ſpectes, fœmina ex viro orta eſt: cæteri mortales per fœminas in lucē prodeunt, ſed tam viri, quàm fœminæ Deum habent conditorem. Rectè autē dixit; Mulierem de viro, ſeu, ex viro; vt indicaret primæ mulieris procreationem. Virum autē per mulierem, quia re vera humani ortus efficiens principium eſt vir, qui tamen mulieris opera neceſſariò indiget: quacumque tandem illa ratione fœmi-

A na efformando, aut concipiendo operam præſtare cenſeatur. Rectè autem additur, *Omnia autem ex Deo*: vt neque mulier (quod monet Ambroſius) ſubiectionis ſuæ gratia conqueratur: neque vir ob ſuā dignitatem, & excellentiam plus æquo extollatur. Ita Oecumenius, & alij, qui obſeruant particulas illas *ex*, & *per*, & illam quidem tribui viro, ipſique Deo, hanc verò fœminæ; quaſi inſinuet Apoſtolus, primarium quidem rerum omnium principium eſſe Deum, ſecundarium verò, virum; contrà verò fœminam, nonniſi viri actione fœtum concipere, ſed vt aliàs monui) hæ particulæ promiſcuè ab Apoſtolo vſurpantur. Quod autem ſpectat ad maris, ac fœminæ efficientiam in prole concipienda, medicis cum Peripateticis non conuenit: illi enim vtrique ſexui penè pa-

B rem efficientiam tribuunt: hi verò omnem efficiendi vim, ſexus virilis propriam eſſe autumant; fœminæ materiæ duntaxat rationem habere. Quanquam autem id à Theologo videtur alienum, & ad philoſophos potiſſimùm pertinet; vt tamen dicam quod ſentio. Sic mihi ſemper perſuaſi, vtrumque ſexum ſuam habere efficientiam, & proli gignendæ ſemen aptum miniſtrare: vtrumque mutua actione agitari, ac permiſceri, donec vi formatrice fœtus effingatur, & inde exiſtere nunc patris, nunc matris ſimilitudinem in vtero, vt fuerit virilis aut muliebris ſeminis vis maior. Quinetiam plurimi contendunt, ſexuum diuerſitatem inde potiſſimum oriri, quòd alterius ſeminis vis & efficacitas alterum ſuperet, vt

C fuſiùs Theologi, & Philoſophi explicant in Scholis. Hìc tantùm ſignificat Apoſtolus, alterum ſexum alterius ope ad procreandos liberos indigere: in primis autem diuinam opem, atque efficacitatem eſſe neceſſariam, ſed viro primatum deberi, atque adeò fœminam ei eſſe ſubiectam: vnde colligit quod mox ſubiicit.

VOS IPSI IVDICATE: DECET. &c. Rurſus ait Chryſoſtomus, eos conſtituit iudices eorum, quæ dicuntur; ſic enim fecerat etiam, cum de idolothytis ᵃ ageret. Adeò enim ſuæ cauſæ cōfidit, vt ipſos etiam, quos habet, quodammodo reos, iudices cōſtituere non vereatur. Græcè autem dixit ἐν ὑμῖν αὐτοῖς κρίνατε, hoc eſt, inter vos ipſos, vel in vobis ipſis iudicate, in ſuo, credo, vnuſquiſq. animo apud ſe. Putat autē Ambroſius, hæc a Supra c. 8.

D idcircò à Paulo cōmemorari, vt ſuā traditionem magna ex parte à Corinthiis neglectam, indicet ipſi naturæ admodū eſſe cōſentaneam Eſt autē hæc ſententia vehemens, & aculeata, & interrogando, magnam quamdā vim exprimit, quaſi inſinuet (vt ait Chryſoſtomus) ſi mulier intecto capite oret, id non ſine Dei cōtumelia fieri. Addunt recentiores interpretes. *Num decet mulierem?* Quod & facit Ambroſius, qui legit: *decetne mulierem?* At Græci codices ſimpliciter habent πρέπον ἐστὶ γυναῖκα, quod rectè Latinè extulit vulgatus interpres. Hęc enim dicēdi ratio plus habet vehementiæ & acrimoniæ. Vt ſi fortè Corinthij traditionē Apoſtolicā neglexerant, acriùs perſtringantur, quaſi naturæ legē violarint. Ad hunc locū alludens Tertullianus:

E ᵇ *Quære igitur* (inquit) *Dei legē, habēs communem iſtam in publico mundi in naturalibus tabulis, ad quas & Apoſtolus ſolet prouocare, vt cùm in velamine fœminæ: Nec natura vos* (inquit) *docet.* Itaque ſubdit Apoſtolus. b Decor mil. c. 4.

HÆC IPSA NATVRA DOCET VOS. &c. Cōmunes leges (inquit Chryſoſtomus) quod ſępè aliàs facit, vt maiorem incutiat pudorem, in medium affert. Hæc (inquit) quæ monui, quæque tradidi vobis, adeò per ſe natura ipſa duce perſpecta ſunt & nota, vt ne barbaros quidem lateant. Ambroſius hæc ait ab Apoſtolo dici ex legis Moſaicæ præſcripto. *Prohibet enim* (inquit) *lex, virum eſſe comatum.* Qua de re non mediocriter ambigo; nam primùm apertè

A loquitur Apoſtolus de lege naturæ, quæ omnibus nota: deinde non facilè admiſerim, fuiſſe olim in lege veteri præceptum, ne vir comã nutriret; potiùs enim contrariũ indicatur in Leuitico; [a] ſic enim ſcriptum eſt: *Neque in rotundum attondebitis comam*, ſignificans, eos eſſe alioqui comatos. Præcipit Deus, ne more gẽtium comam attondeant: quo loco Procopius: *Capillorum ablatio honoris, & gloriæ ſignificat ablationem. ſic Deus comminatur per Iſaiam Prophetam, ſe caput, & barbam Aſſyrij raſurum. Iubet præterea tonderi, & radi Ierusalem ob mala, quæ eius vrbis ciues eſſent perpeſſuri.* Legimus etiam apud Baruch: [b] *Sacerdotes ſedent habentes tunicas ſciſſas, & capita, & barbam raſam, quorum capita nuda ſunt.* Quæ dicuntur de ſacerdotibus idolorum. fateor tamen, locum illum Leuitici valdè eſſe obſcurum: quod enim Latinus interpres dixit comam; Hebraïcè eſt פאת *phaath*, quam vocem alij vertunt, angulum; alij comam capitis. Septuaginta Græcè dixerunt *ὄψιν*: Theodotio Hebræam vocem retinuit. *Non circumcidetis* (inquit) *aut rotũdabitis phaath capitis.* Symmachus (vt indicat Hyſichius) tranſtulit *πρόσωψιν*, id eſt, aſpectũ; quod propriũ (ait Hyſichius) eſſe eorum, qui barbaricas comas nutriunt: ipſe verò prohiberi putat nutrire cincinnos in honorem dæmonum, capillis aliis fortiores. Cyprianus: [c] *Nõ facietis* (inquit) *currum ex coma capitis veſtri.* [d] Theodoretus de voce *ὄψιν*, quæ eſt apud Septuaginta, in hunc modum ſcribit. *Alij autem dixerunt, demptionem capillorum in circuitu capitis: alij autem ex eius capillis plexum, quem Græci πρόκοπον vocant, Saturnium hoc anathema, & denotamentum ſtudioſè curantes: quidam enim interpretati ſunt, capillos de induſtria criſpos factos: Ego verò aliud puto lege prohiberi. Conſueuerunt Græci non attondere puerorum comas, alias extremitates, ſed ſinere promitti capillos, & hos poſt tempus offerre anathema dæmonibus.* ſimile quiddam habetur in Græco ſcholio. *Siſoe* (inquit) *eſt cincinnus, plexus autem eſt hic, quem Græci complicabant tanquam Saturnium anathema, & præcipuè Saraceni hucuſque hoc faciunt.* Ex quibus apparet alia omnia lege prohiberi, quàm ne coma nutriatur. Itaque vt redeam ad Paulum, à lege naturæ argumentatur: ipſa (inquit) natura docet ignominioſum eſſe viro, ſi comam nutriat. Atque Ariſtoteles [e] apud Lacedæmonas pulchrũ ait eſſe, atque honeſtum comam alere; quòd ſit libertatis, ſiue ingenuitatis indicium; neque enim facilè poſſe quenquam comatum, ſeruile aut ſordidum munus obire. Idem de omnibus Græcis affirmat Plutarchus. [f] *Lyſandri* (inquit) *eſt effigies cæſariem more antiquo, barbamq; prolixam habens. Quòd enim nonnulli dicunt, Argiuos poſt magnam illam cladem crinem tondentibus, Spartanos contrà victoria exultantes, comam aluiſſe, falſum eſt: ſicut id quoque, cum Bacchiadæ Corintho expulſi Lacedæmonem exules aduenìſſent abiecto, & ob detonſa capita deformi habitu, cupiditatem Spartanis nutriendorum crinium inieciſſe. Enimuero Licurgi inſtituto id quoque fecerunt, quem dixiſſe ferunt, Propter comas, pulchros formoſiores aſpectu, deformes, terribiliores effici.* Sic etiam Plinius [g] Lycurgum ait iuſſiſſe, Lacedæmonas comam nutrire; nam ſi vultus, & forma fuerit bona atque honeſta, coma gratiam habet; ſi verò facies turpior contingat, coma efficietur horribilior, vt magis terrorem incutiat. Certè Homerus non modò Achillem, ſed etiam Achiuos crinitos, & intonſos appellat: Quinetiam poëtæ Apollinem crinitum, & intonſum vocant: Et Galli olim, ſuorum imitatione principum, prælongis capillis vtebantur, vnde Gallia comata dicta eſt. Hic tamen mos alendi capillum ſenſim videtur abiiſſe in deſuetudinem: Nam & Lacedæmones ephebis poſtea comas præcidere conſueuerant, & in templo Apollinis Delphici dicare. Videtur autem Seneca [a] alicubi nimiam capilli ſolicitudinem perſtringere. *Quid* (ait) *illos otioſos vocas, quibus apud tonſorem multæ horæ tranſmittuntur, dum decerpitur, ſi quid proxima nocte ſuccreuit, dum de ſingulis capillis in conſilium itur, dum aut disiecta coma reſtituitur, aut deficiens hinc, atque illinc in frontem compellitur? Quomodo excandeſcunt, ſi quid ex iuba ſua deciſum eſt, ſi quid extra ordinem iacuit, niſi omnia in annulos ſuos reciderunt? Quis eſt iſtorum, qui non malit rempublicam turbari, quàm comam ſuam? Quis non ſolicitior ſit de capitis ſui decore, quàm de ſalute? Qui non comptior eſſe malit, quàm honeſtior? Hos tu otioſos vocas inter pectinem, ſpeculúmque occupatos?* Quo igitur tempore Apoſtolus hanc epiſtolam ſcripſit, vel nutriendi comam conB ſuetudo erat immutata, vel negat comam fœminarum in morem protendendam, & colendam eſſe. Atque idcirco ait, *ſi vir comam nutriat*, promiſſam videlicet & curatã more fœminarum, turpe, ac ignominioſum eſſe. Porrò Chryſoſtomus indicat Græcorum morem, ſi qui capillum fouerent, cum ipſa natura pugnare; atque idcircò Paulum id reprehendere, vt alia ſimilia vitia in Epiſtola ad Romanos. [b] *Paulus quoque* (inquit) *eos increpans, qui apud Romanos impudici erant, & libidinoſi: ſic auget criminationem dicens, quòd non ſolùm præter Dei legem, ſed etiam præter naturam erat eorum vſus: Mutarunt enim vſum naturalem in eum, qui eſt præter naturam. Propterea hîc quoque hanc adhibet rationem, & hoc* C *ipſum oſtendens, & quòd nihil conſtituit alienum, ac peregrinum, & quòd apud Græcos ſunt omnia nouitatis, quæ eſt præter naturam. Plura de his, qui [c] de coma volumina conſcripſerunt.*

a cap. 19. n.
b cap. 6. 30.
c lib. 3 ad Quir.
d Quæſt. 28. in Leu.
e 3 Rethor. c. 9.
f In Lyſan.
g lib. 7. c. 13.
a lib. de breuit. vitæ c. 12.
b cap. 1.
c Adrianus Iunius.

II.

15. L

MVLIER VERO SI COMAM NVTRIAT. &c. Sine controuerſia mulieri honeſtum eſt comam alere, & (vt ait Ambroſius) naturaliter hoc honeſtum eſt. Colligit autem Tertullianus, [d] *ſi & naturæ præiudicium adiicit Apoſtolus, quòd honor ſit mulieris redundantia capillorum, quia coma pro operimento eſt, vtique hoc maximè virgini inſigne eſt, quarum & ornatus ipſe propriè ſic eſt, vt concumulata in verticem ipſam capitis arcem ambitu crinium contegat.* [e] *Horum certè omniũ cõtraria efficiũt, vir ne caput velet, ſed quia nõ ſit naturaliter conſequutus ambitionẽ capillorũ, quia radi, ſiue tonde*D*ri non ſit turpe illi, quia non propter illum Angeli exorbitarint, quia gloria, & imago Dei ſit, quia caput eius Chriſtus. Capilli* (inquit Apoſtolus) *ei pro velamine dati ſunt.* Græcè ἀντὶ περιβολαίου: *Si ea ergo* (ait Theodoretus) *comam gloriam exiſtimat, & ignominiã eſſe ducit, ſi auferatur; conſideret, quòd ignominia afficit eum, qui dedit, ſi nõ cũ ea, qua par eſt, verecundia, & honore accedat.* Quod etiam ait; *pro velamine*, ſignificat ad accerſendũ velamen; quaſi dicat coma illa, quæ eſt veluti naturale peplũ, apertè docet mulieri caput obnubẽdum: Sunt enim dati capilli quaſi ad velandum, ac ſi dicas, velaminis gratia: Indicant enim velandam eſſe mulieris faciẽ. Idcirco Tertullianus. [f] *Orote* (inquit) *ſiue mater ſiue ſoror, ſiue filia virgo (ſecundùm annorum* E *nomina dixerim) vela caput. Si mater, propter filios, ſi ſoror, propter fratres: ſi filia propter patrem; omnes in te ætates periclitantur. Indue armaturam pudoris; circumdue vallum verecundiæ; murum ſexus tuo ſtrue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos; adimple habitum mulieris, vt ſtatum virginis ſerues; mentire aliquid ex his, quæ intus ſunt, vt ſoli Deo exhibeas veritatem. Quamquàm non mentiris nuptam, nupſiſti enim Chriſto, illi tradidiſti carnem tuam, illi ſponſaſti maturitatem tuam: incede ſecundùm ſponſi tui voluntatem: Chriſtus eſt, qui alienas ſponſas, & maritatas velari iubet, vtique multò magis ſuas.* Dixerat autem paulò [g] antè. *Sed enim vera, & tota, & pura*

d De Vel. virg. c. 7.
e cap. 8.
f De Vel. virg. c. 16.
g cap. 11

virginitas

virginitas nihil magis timet, quàm ſemetipſam: etiam fœminarum oculos pati non vult. Alios ipſa oculos habet; confugit ad velamen capitis, quaſi ad galeam, quaſi ad clypeum, qui bonum ſuum protegat aduerſus ictus tentationum, aduerſus iacula ſcandalorum, aduerſus ſuſpiciones, & ſuſurros, & æmulationem, ipſum quoque liuorem. Quæ verba qui referunt ad ſacrum Virginum velamen, indicãt, ſe vel Tertullianum non legiſſe, vel illius libri argumentum non ſatis percepiſſe. Vult enim docere, virgines non modò nuptas velandas eſſe, idque ex Apoſtoli ſententia: quocirca de velo nuptis, ac virginibus communi diſputat, de
II. ſacro, ne verbum quidem. At dicit, virgines Chriſto nupſiſſe, illi carnem tradidiſſe ſuam, illi denique deſponſaſſe maturitatem: fateor; ſed id omnibus olim virginibus commune erat, quæ eam vitæ rationem complexæ, præter vnum Chriſtum nullum admittebant ſponſum. De ſtatu enim Virginum diſſerit, quæ quamquam virginitatem voto ſacrabant Deo, non tamen continuò ſacro illo velo ornabantur. Concilium [a] enim Romanum ſub Syluestro [a cap. 10.] ſanxit, ne ſacrum velum Virgini imponeretur ante annum ætatis ſeptuageſimum ſecundum: Deinde verò à Leone ſtatutum eſt, vt nonniſi poſt quadraginta virginitatis annos ſacrum velum tribueretur, vt ſcribit Damaſus, & confirmant duo Concilia Agathenſe, [b] & Cæſar [c] auguſtanum. [b cap. 19. c cap. 6.] Ante velum autem, aut ſpem eis, aut facultatem fuiſſe nubendi, ſcribunt Innocentius, [d] & Concilij [e] Tutonenſis Patres. [d Innoc. 1. ep. 2. c. 12. e Conc. 2. c. 11.] Vero tamen ſimillimum eſt, plurimas Dei amore vehementiùs inflammatas ante velum voto ſeſe virginitatis Deo obſtrinxiſſe; quæ ſi ab incepto reſilirent, adulteris æquabantur, vt ex Cypriano, [f] & Optato [g] Mileuitano intelligitur, [f Ep. 62. & lib. de diſc. & hab. virg. g lib. 6. cont. Parmen.] quod multò magis de velatis loco indicato aſſerit Innocentius. Hieronymus [h] porrò eò progreſſus eſt, vt [h ep. 22.] Matrem virginis Deo dicatæ Dei ſocrum appellarit, hyperbole vtcumque ferenda; quamuis Ruffino videatur ſecùs, qui propterea Hieronymum caſtigat. Illa verò, quæ ſcribit Ambroſius. [i] [i ep. 11. ad Valent.] *Attollant mentis, & corporis oculos, videant plebem pudoris, populum integritatis, Concilium virginitatis: Non vitta capiti decus, ſed ignobile velamen vſui nobile caſtitatis: Non exquiſita, ſed abdicata lenocinia pulchritudinis: non illa purpurarum inſignia, non luxus deliciarum, ſed vſus ieiuniorum, non priuilegia, non lucra. Omnia poſtremò talia, vt reuocari ſtudia putes, dum exercentur officia.* Hæc (inquam) quæ virginib. Veſtalibus opponuntur, interiora non curantibus facilè imponere potuerunt. Nullo enim modo ad ſacrum virginitatis velum referri poſſunt: cùm dicta ſint aduerſus Symmachum, & contra inanem pompam, & oſtentationem virginum Veſtalium: Mox enim ſubdit. *Non eſt virginitas, quæ pretio emitur, non virtutis ſtudio poſſidetur, non eſt integritas quæcumque tanquam in actione, nummario ad tempus ſolicitatur compendio: prima caſtitatis victoria eſt, facultatum cupiditates vincere, quia lucri ſtudium, tentamentum pudoris eſt,* quæ omnia apertiſſimè dicta ſunt contra virginum Veſtalium ambitum. De illo tamen ſcribit Ambroſius, cùm virginem lapſam alloquitur. *Sacro* (inquit) *velamine tecta es.* Et Hieronymus: [k] [k ep. 8.] *Scio* (inquit) *ad imprecationem Pontificis, velamen virginale ſanctum operire caput.* Ritum ſanè velandi præſcribit Gelaſius. [l] [l ad epiſ. Lucan. c. 14. m ep. 139.] Eo verò tempore apophoreta quaſi in conuiuio nuptiali dari conſueuiſſe affirmat Auguſtinus. [m] Cùm igitur ait Apoſtolus, capillos pro velamine mulieri datos, velum intelligit non ſacrum, aut virginum proprium, ſed vulgare, & ſexui commune. *Coma enim* (vt ait Ambroſius) *indicium velaminis eſt, vt naturæ, & voluntas addatur:* Videturque, hoc (vt monet Hieronymus) continere explicationem eius, quod ſuperiùs dixerat. *Si non velatur mulier, & tondeatur;* nam (vt ait Oecumenius) videtur fœmina ab ipſa quodammodo natura velum accepiſſe, vt ſi velamen recuſet, ipſa propemodum naturæ iura violare cenſenda ſit.

SI QVIS AVTEM VIDETVR CONTENTIOSVS, &c. 16.
I. Indicat Apoſtolus, nonnullos apud Corinthios ſecùs fortaſſe docuiſſe. quos hac ratione perſtringit, ſeque ait non noua, & inaudita præcipere, ſed quæ omnium Eccleſiarum moribus recepta ſint. Sic enim malo accipere, quàm quod inſinuare videtur Chryſoſtomus, vt ſignificet Apoſtolus, alienum ſe eſſe à contentionis ſtudio. Ita indicat, non pertinere hæc ad ius diuinum irreuocabile: humanæ enim quædam ſunt, ac politicæ, ſiue Eccleſiaſticæ conſuetudines locis, temporibus, ac perſonis accommodandæ. Nam & inter fideles quanta eſt in his rebus varietas? Olim certè de Sacerdotibus ita legimus [a] præcepiſſe Deum: [a Leuit. 21. 5.] *Nec radent caput, nec barbam, neque in carnibus ſuis facient inciſuras.* Et de Aarone Sacerdote ſcripſit Dauid. [b] [b Pſ. 132. 2.] *Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron.* Et Iſaias [c] [c cap. 50. 6.] indicat, Chriſtum Dominum, de quo vaticinatur, barbam geſtaſſe. *Corpus* (ait) *meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus.* Et Nicephorus [d] [d lib. 1. c. 40.] ex Epiphanio, de Chriſto hunc in modum ſcribit. *Cæſariem habuit ſubflauam, ac non admodum denſam, leuiter quodammodo ad criſpos declinantem; ſupercilia nigra, non perinde inflexa.* Et paulò poſt. *Barbæ capillos flauos, nec admodum demiſſos, capitis capillos tulit prolixiores.* Epiphanius [e] [e Hær. contra Meſſal.] autem auctor eſt, Apoſtolos ſtatuiſſe, ne quis capillum nutriret, aut barbam raderet. Nicephorus [f] [f lib. 2. c. 37.] Petro tribuit capitis, & barbæ pilum criſpum & denſum, paulo longiorem, ac denſiorem barbam. Clemens [g] [g lib. 3. pædag. c. 3.] Alexandrinus: *Nefas eſt* (inquit) *barbam vellere, quæ eſt pulchritudo congenita, pulchritudo generoſa & ingenita.* Et [h] [h cap. 11.] alibi. *Viris barba ſufficit. Quòd ſi quis etiam barba nonnihil tondeat, ea tamen non eſt omnino denudanda, eſt enim turpe ſpectaculum: barbæque ad cutem vſque tonſio, non videtur multum abeſſe à vulſione, & leuore. Iam enim Pſalmographus barbæ coma delectatus, ſicut vnguentum* (inquit) *quod deſcendit in barbam, barbam Aaron. Is cùm barbæ conduplicatione decorem laudaſſet, vultum exhilarauit vnguento Domini. Quoniam autem non decoris gratia tonſio, ſed propter circunſtantiam accipitur, pili quidem capitis, ne ſi creſcant, deſcendentes viſum impediant; & fortè qui in ſuperiori parte labri inter comedendum polluuntur, ſunt tondendi non nouacula, eſt enim illiberale, ſed tonſorum forficibus. Barbæ autem pili, qui nihil moleſtiæ afferunt, nõ ſunt vexandi, vt qui vultui grauitatem afferant, & quendam paternum terrorem incutiant.* Multa deinceps de virorum, ac mulierum capillitio ſcribit. II. His conſentanea ſunt quæ ſcribit [i] [i lib. 1. cõſtit. cap. 4.] Clemens Romanus, qui tondendum capillum, & barbam retinendam docet. Quod verò dixit Clemens Alexandrinus, non eſſe capillum nouacula, ſed forficibus tondendum, cõfirmari poteſt ex Optato [k] [k lib. 2. cont. Parm.] Mileuitano, qui Donatiſtas reprehendit, quòd Catholicis ſacerdotibus per vim capita raſerint. *Docete* (inquit) *vbi vobis mandatum ſit radere capita ſacerdotibus, cum è contrario tot ſint exempla propoſita fieri non debere.* Item ex Hieronymo [l] [l Ezech. 44.] demonſtratur, *nec raſis capitibus ſicut ſacerdotes Iſidis, atque Serapidis nos eſſe debere, nec rurſum comam demittere, quod propriè luxurioſorum eſt, ſed in tantùm capillos demittendos, vt operta ſit cutis.* At Gregorius [m] [m lib. 8. Reg. ep. 10. ad Gloriſ.] Pontifex Occidentis conſuetudinem ſequutus præcipit, vt Archiepiſcopus Caroliſitanus barbam radat. Olim enim mitto naſcen-

tis Eccleſiæ barbam nemo radebat; ſiue quia id ob cinædos exoſum, ſiue quia ob impuros Iſidis, & Serapidis Sacerdotes prophanũ cenſebatur. Sic enim apud Athenæũ [a] dixit quidam. *Picatum, aut deraſum ſi quem videris, aut de militia cogitare, ille mihi videtur facturus omnia, quæ barba non conueniunt; aut in contagiis flagitijs omnibus ſe inquinaturus.* Et Muſonius [b] ſapienter dixit, *Perinde virum debere capiti adhibere tonſuram, vt vitis adhibemus putationem: nempe ſolum auferendi gratia quod inutile eſt; vt enim rectè dictum eſt à Zenone; eadem de cauſa tollendi ſunt pili, qua nutriuntur, ſcilicet quatenus natura poſtulat, ne quis grauetur à coma, néue turbetur in vlla actione.* Extant & plurimi Canones hac de re, qui inter ſe pugnare videntur, de quibus plura alibi. Anicetus [c] præcipit, ne Sacerdotes comam nutriant, ſed verticem in modum ſphæræ radant. Concilium [d] Carthaginenſe. *Clerici* (inquit) *nec comam nutriant, nec barbam radant.* Idem aduersùs Meſſalianos indicat Epiphanius [e]. Certè ex hoc Pauli loco Eccleſiaſticæ conſuetudines ſtabiliuntur, earúmque auctoritas non mediocriter confirmatur. Sed de barbæ raſura extat non exiguum volumen, ex quo plura qui volet colligere, poterit. Cæterùm quòd ait Apoſtolus: *Nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei.* Bifariàm explicari poteſt, vel vt ſignificet, non eſſe Apoſtolicam, ſeu Eccleſiaſticam conſuetudinem *contendendi*; vel certè non habere conſuetudinem, vt fœminæ inrecto capite orẽt, aut prophetent; viri autem eadem aperto capite præſtent: prius illud ſecutus eſt Chryſoſtomus, nos poſterius magis probauimus. Romana editio quam ſequimur, ſingulari numero habet, *Eccleſia Dei*, vt de vniuerſali, & Catholica Eccleſia accipiatur; Græca exemplatia numero multitudinis. οὐδὲ αἱ ἐκκλησίαι τοῦ θεοῦ, vt de ſingulis Eccleſiis loquatur Apoſtolus, ſenſu prorſus eodem. Quod autem ait interpres, *contentioſus*, Græcè dixit Apoſtolus φιλόνεικος. id eſt, cupidus victoriæ, qui propterea non deſiſtit à pugna, niſi victor diſcedat. Olim autem φιλόνεικοι, & ſophiſtæ exoſi omnibus erant, quòd illi pro fine haberent victoriam, hi verò quæſtum. Philo [f] certè peiorem (ait) eſſe contentioſum non obediente, idque probat ex Deuteronomio, [g] quo loco ita ipſe legit; *Si Filij non obediant, & contendant*; Septuaginta tràſtulerunt, *ſi genuerit filium contumacem, ac proteruum*: Græcè eſt ἀπειθεῖ· καὶ φιλόνεικος, quaſi dicat, qui non ſolùm non ſinat ſibi perſuaderi, nec dicto audiens ſit, ſed etiam contranitatur ac reluctetur.

a lib. 13.
b Apud ſtob. ſer. 6.
c Apud valden. de Sacramental. c. 64.
d 4. cap. 44.
e Hær. 80.
f lib. de temulentia.
g cap. 21.

17. I. HOC AVTEM PRÆCIPIO, NON LAVDANS, &c. Aliam aggreditur diſputationem de Chriſtianorum cœtibus celebrandis. Reſpicit autem ad initium huius capitis, cùm Corinthios laudauerat. Ad alia (inquit) poteſt hæc laus pertinere. Hoc autem, de quo dicturus ſum, laudari nullo modo poteſt: Mea igitur laus exceptionem patitur, fortè tunc laudauerat, quòd ſua præcepta memoria retinerent: Hîc negat laudandos, quòd non ea re ipſa efficerent, quæ tenerent. *Hoc* (ergo inquit) *præcipio, non laudans*: Græcè eſt τοῦτο δὲ παραγγέλλων οὐκ ἐπαινῶ hoc eſt; hoc autem præcipiens, ſiue denuntians, non laudo. Ambroſius autem habet. *Hoc autem præcipio non laudans*, Quaſi Græcè legerit, τοῦτο δὲ παραγγέλλω οὐκ ἐπαινῶν. Sed vtro modo legas parum refert. Chryſoſtomus, & Theodoretus hunc Pauli locum ita explicant: Conſueuiſſe Corinthios poſt ſacrã Euchariſtiam populares cœnas inſtituere, ad quas non modò diuites, qui Symbola conferebant, ſed etiam pauperes, atque inopes admittebantur, atque hac ratione plurimorum indigentiæ conſulebatur: ſenſim tamen, vt ferè fit pauperum, atque inopum contemptus irrepſerat. Hoc autem in præſentia reprehendit, ac damnat Apoſtolus. Putat verò Chryſoſtomus hoc ex eo profectũ eſſe, quòd ſeditiones eſſent inter Corinthios excitatæ, vt initio Epiſtolæ indicauit: Hoc igitur (inquit) præcipiens non laudo; oſtendens: rem adeò eſſe abſurdam (quod Chryſoſtomus monet) vt ne præcepto quidem vetari debuerit. Vniuerſim autem more ſuo vitium indicat, quod deinde per partes planiùs explicaturus eſt. *Non laudo* (inquit) *quòd non in melius, ſed in deterius conuenitis.* Hoc eſt (inquit Chryſoſtomus) *quòd non pergitis ad virtutem; cùm enim oporteret, vos maiores in dies progreſſus facere & vberiorem laudis ſe*mentem iacere, ab inſtituto gloriæ curſu defeciſtis, adeò vt noua mea præceptione egeatis, qua in viam reducamini: More autem periti medici non ſtatim ferro vulneris profunda penetrat, ſed morbi grauitatem & periculum indicat.

PRIMVM QVIDEM CONVENIENTIBVS, &c. conuenientibus (inquit) vobis in Eccleſiã, locũ intelligit, in quo cœtus fideliũ celebrabantur, ij ſtatim poſt Chriſti in cœlum aſcenſum, in priuatis domibus [a] habebantur, & in cœnaculis; Dein in Oratoriis, & Eccleſiis: Frequenter ſæuientibus tyrannis in cryptis ac cœmeteriis. [b] Ignatius hos conuentus laudat, vt vnà omnes orent. Ad Polycarpum [c] vocat conuentus & ſynodos. Ad Heronem, [d] ſynaxes. Quid præter preces in iis cœtibus fieret, explicat Iuſtinus. [e] *A precibus* (inquit) *finitis, mutuis nos inuicem oſculis ſalutamus: Deinde ei, qui fratribus præeſt, offertur panis, & poculum aquæ & vini: Quibus ille acceptis, laudem, & gloriam rerum vniuerſarum Patri per nomen Filij, & Spiritus ſancti offert: & Euchariſtiam, ſiue gratiarum actionem pro eo quod nos donis hiſce ſuis dignatus ſit, prolixè exequitur: atque vbi ille preces ac gratiarũ actionem abſoluit, populus, qui adeſt omnis, fauſta approbatione acclamat dicens, Amen. Amen autem voce Hebræa, fiat ſignificat. Præſidens verò poſtquam gratiarum actionem perfecit, & populus vniuerſus in precatione læta eam comprobauit, qui apud nos vocantur Diaconi, atque miniſtri; diſtribuunt vnicuique præſentium, vt participent eum, in quo gratiæ actæ ſunt, panem, vinum, & aquam, & ad abſentes perferunt.* Poſt nonnulla. *Nos certè poſt hæc deinceps nobis inuicem iſta in memoriam reuocamus, & qui habent, indigentes omnes adiuuant, & aſſiduè alij cum aliis ſumus, atque in omnibus, quæ offerimus, oblationibus benedicendo laudamus factorem omnium per Filiũ eius Ieſum Chriſtum, & Spiritum ſanctum.* Igitur Corinthij poſt Euchariſtiam, ad pauperum inopiam ſubleuandam δημοθοινίας, vt loquitur Cyrillus; [f] id eſt, cœnas populares inſtituerant, quas olim agapes appellabant; de quibus Apoſtoli in ſuis canonibus [g] nonnulla præcipiunt. Chryſoſtomus autem, & Theodoretus affirmant, eas ſacræ ſinaxi fuiſſe poſtpoſitas. Auguſtinus [h] autem ait, conſueuiſſe Corinthios, vt Chriſti inſtitutum imitarentur, poſt cœnam Euchariſtiam percipere. Neutrum ex Apoſtolo apertè colligitur. vtrouis autem modo Eccleſiaſtici cœtus celebrarentur, ab Apoſtolo reprehenduntur propter ſeditiones & ſchiſmata, quæ in illis, aut ex illis excitabantur. De quibus etiam loquitur Tertullianus. [i] *Cœna noſtra de nomine rationem ſui oſtendit, vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos eſt: quantiſcumque ſumptibus conſtet, lucrum eſt pietatis nomine facere ſumptum: ſiquidem inopes quoque refrigerio iſto iuuamus, non qua penes vos paraſiti affectant ad gloriam famulandæ libertatis ſub auctoramento ventris inter contumelias ſaginandi, ſed qua penes Deum maior eſt contemplatio mediocrium. Si honeſta cauſa eſt conuiuij, reliquum ordinem diſciplinæ de cauſa æſtimate, quod ſit de religionis officio: nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ admittit: non priùs diſcumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur: editur quantum eſurientes capiunt: bibitur quantum pudicitiæ eſt vtile: ita*

18. I.
a Act. 1. & 2. & 12. 20. 1.
b Ep. 6. ad Magnes.
c Ep. 11.
d Ep. 12.
e in Apolog. ad Anton.
f lib. 4. pentabibli. contra Neſtori. in Synodo Epheſ. Græca.
g Can. 4.
h Epiſt. ad Ianuarium.
i Apol. c. 39.

ſaturantur

ſaturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe: Ita fabulantur, vt qui ſciant Dominum audire: Poſt aquam manualem, & lumina, vt quiſque de Scripturis ſanctis, vel de proprio ingenio poteſt, prouocatur in medium Deo canere; hinc probatur quomodo biberit. Æquè oratio conuiuium dirimit, inde diſceditur non in cateruas caſionum, neque in claſſes diſcurſationum, nec in eruptiones laſciuiarũ, ſed ad eandẽ curam modeſtiæ, & pudicitiæ, vt qui non tam cœnã cœnauerint, quàm diſciplinã. De his verò ita alicubi Chryſoſtomus.[a] *Fideles omnes in conuentibus ſuis, poſtquàm audiſſent doctrinas, poſt preces, poſt ſacramentorum communionem, ſoluta concione, non mox domum concedebant, ſed diuites, & abundantiores, alimenta, & edulia à domibus ſuis afferentes, pauperes vocabant, communesq́ue faciebant menſas, communia prandia, communia conuiuia in ipſa Eccleſia; atque ita à communione menſa, & pietate loci vndequaque ad caritatem accendebantur, non abſque ſumma voluptate vtilitateq́ue maxima. Pauperes enim tum fruebantur conſolatione, qualis obtingebat; diuites verò fructum beneuolentiæ, & ab his, quos paſcebant, & à Deo, propter quem illos paſcebant, aſſequebantur, ſicq́ue tandem domum redibant.* Quæ verò de conuiuiorum ratione, ac modo ſcripta ſunt à Tertulliano, ab antiqua Iudæorum conſuetudine profecta videntur; de qua hunc in modũ ſcribit Ariſtæus.[b] *Etenim, vt à menſis, poculiſq́ue incipiamus, rectè iuſſit tum Deum laudare cùm menſæ accumbimus, in qua ne aliquid quidem ad confabulandum conceſſit, quod diuini numinis memoriam abiiceret.* Atque haud ſcio, an ad conuiuia Chriſtianorũ referenda ſint illa, quæ copiosè de Eſſenorum cœnis ſcribit Philo. Certè Minutius:[c] *Conuiuia* (inquit) *non tantùm pudica colimus ſed & ſobria; nec enim indulgemus epulis, aut conuiuium mero ducimus, ſed grauitate hilaritatem temperamus.* Clemens[d] porrò Alexandrinus: *Cœnam* (ait) *eſſe debere expeditam, & tenuem ad vigilias aptam, carnium, & vini prorſus expertem.* Qui tamen non damnat, ſi quis ſobriè iis vtatur. Huiuſmodi conuiuia ſacra ad tria genera reuocat Gregorius[e] Nazianzen. connubiale, natalitium, funebre. Et primum quidem, ac poſtremum genus vel ipſo nomine perſpicua ſunt. Natalitium ad agapes propriè refero, vt intelligi poteſt ex Theodoreto;[f] ait n. *Martyrum memorias populari epulo celebrari:* Et ſubdit: *Proq́ue illa veteri pompa, pro turpi obſcœnitate, ac impudentia fiunt modeſta, caſta, ac temperantiæ plena feſtiuitates. Non illæ quidem mero delibutæ, non comeſſationibus leues, non cachinnis ſolutæ, ſed diuinis canticis perſonantes, ſacriſq́ue ſermonibus audiendis intentæ, in quibus ad Deum preces, non ſine ſanctis lacrymis ac ſuſpiriis ſubmittuntur.* De eadem conſuetudine feſtos ſanctorum dies in Eccleſia celebrãdi meminit Auguſtinus[g] Perſimiles etiam cœnas in Eccleſiarum dedicationibus vſurpari conſueuiſſe, intelligitur ex Gregorio.[h] Extant porrò de his conuiuiis canones apud Clementem,[i] Concilium[k] Gangrenſe, & Laodicenũ.[l] Olim certè in Eccleſia celebrabãtur; verùm id diſplicuiſſe Ambroſio, alicubi ſcribit Auguſtinus:[m] quod nec magnoperè probabatur Paulino, qui tamen[n] aliquando eam conſuetudinem tolerauit: Prohibuere Concilia Laodicenum,[o] & Carthaginenſe iij.[p] Porro Gregorius[q] Anglis, qui nõ ita pridem Chriſto nomina dederant, id tantùm permiſit, vt propè Eccleſias in tabernaculis certis diebus conuiuia celebrarent. Iam de funebri conuiuio meminerunt Origenes,[r] Chryſoſtomus,[ſ] Paulinus,[t] & Hieronymus.[u] Sanè quidem Chriſtianorum conuiuiis, quas agapes vocabant, nonnulla fuiſſe admixta, quæ meritò reprehenderentur, tum ex hoc loco Pauli, tum verò ex Clemente[x] Alexandrino intelligitur. Hîc autem reprehendit Apoſtolus ſchiſmata, & diſſenſiones. *Con-*

a Hom. de verbis Apoſtoli, oportet hæreſes eſſe. tom 4.
b lib. de 72. interpret.
c in Octauio.
d lib. 2 pædag. c. 1.
e orat. de vita ſua.
f lib. 8. de cur. Græc. affect. in fin.
g lib. 20. contra Fauſt. c. 4.
h lib. 9. reg. ep. 71.
i lib. 2. Conſt. c. 32.
k cap. 11.
l cap. 27.
m lib. 6. conf. c. 2.
n Nat. 9. S. Felic.
o cap. 28.
p cap. 1.
q lib. 1. reg. ep. 71.
r lib. 3. in Iob.
ſ Hom. 32. in Matt.
t Ep. 13.
u Ep. 22.
x lib. 2. pædag. c. 1.

A *conuenientibus vobis* (inquit) *in Eccleſiam, audio ſciſſuras eſſe inter vos.* Græcè σχίσματα, id eſt, ſectiones: Ambroſius legit: *Diſſenſiones.* Non erant autem (vt ait Theodoretus) de dogmatibus, ſed de imperij principatu; nam qui cæteris diuinorum munerum ſeu multitudine, ſeu dignitate præſtabant, ij ſeſe ſupra cæteros extollebant, & priuatas cœnas (vt ait Theophylactus) vſurpabant. Primùm autem dicit, non vt Lanni volunt maximum, aut grauiſſimum; nam procul dubio lõgè grauius videtur, quod poſtmodum obiiciet, indignè Chriſti corpus, & ſanguinem ſumere. Refero igitur ad ordinem, quaſi hoc primo loco in Corinthiorum conuentu reprehendendum, atque accuſandum cenſeat. Eſt autem Græcè *πρῶτον μὲν γὰρ primùm quidem enim*; noſter interpres videtur reliquiſſe B particulam cauſalem. Ambroſius non videtur legiſſe μὲν, ſic enim habet. *Primùm enim conuenientibus vobis.* Porrò quod nos legimus *inter vos*, Græcè eſt *ἐν ὑμῖν* hoc eſt, in vobis: quaſi dicat. In veſtro cœtu diſſidia ſunt, & ſectiones. ſubdit. *Et ex parte credo.* Sapienter enim (vt monet. Theodoretus) accuſationis vehementiam moderatus eſt; non enim dixit ſimpliciter, & abſolutè, *credo*; ſed, *& ex parte* aliqua, *credo.* Si enim (vt monet Chryſoſtomus) ſe omni ex parte fidem habere dixiſſet, verendum erat, ne illi fierent impudentiores: ſi rurſus negaſſet ſe credere, temerè videri poterat increpare. Videtur autem hæc oratio tacitè illa indicare, quæ initio Epiſtolæ ab Apoſtolo poſita ſunt, cùm alij alios ſibi magiſtros, atque do- C ctores aſciſcerent. Hoc porrò indicat Apoſtolus, vt obſeruauit Ambroſius, eſſe veluti caput, & fontem cæterorum malorum. Rectè verò dixit. *Ex parte credo.* vt enim monet Theophylactus, non eſt veriſimile, tam grande malum omnem Corinthiorum Eccleſiam peruaſiſſe, ſed nonnulli, qui plus cæteris ſibi arrogabant, diſſidia & contentiones excitabant.

Nam oportet et hæreſes eſſe, &c. Rationem 19
affert, cur ſe dixerit ex parte credere. Si enim (inquit) I.
mihi humanæ naturæ conditio ſatis perſpecta eſt, certum, exploratumque habeo, ſectas, & factiones plerumque inter mortales exiſtere. Contendit autem hoc loco Chryſoſtomus, quem Theodoretus & Theophylactus ſequuntur, hæreſes non eſſe opinionum, ſed animorum diſſidia; idque duplici argu- D mento confirmat. Primum, quòd ſi hæreſes referantur ad dogmata, non ſatis conſonant, quæ ſequuntur. *Conuenientibus vobis in vnum, iam non eſt Dominicam cœnam manducare, ſed vnuſquiſque ſuam cœnam præſumit ad manducandum:* Alterum, quòd qui aliâs acri, ac vehementi oratione hæreſes inſectatur; hîc leniter admodum hæreſes perſtringit. Putat igitur Apoſtolum hoc loco hæreſes appellare, quæ paulò antè ſchiſmata vocauerat, cùm tamen (vt alibi docui) ex Theologorum ſententia plurimum inter ſchiſma, & hæreſim interſit. Et profectò, ſi exiſtimaſſet Apoſtolus in Corinthiorum Eccleſia aliquos eſſe hæreticos, non illos paſſus eſſet vnà cum aliis viuere, cùm aliàs ne ciuili quidem ſalutatione dignos cenſuerit. Non negamus tamen, hanc Apoſtoli ſententiam plu- E rimorum Patrum auctoritate ad hæreſes propriè dictas transferri; ſic enim alicubi ſcribit Tertullianus.[a] *Conditio præſentium temporum etiam hanc admonitionem prouocat noſtram, non oportere nos mirari ſuper hæreſes iſtas, ſiue quia ſunt; futura enim prænuntiabantur, ſiue quia fidem quorumdam ſubuertunt; ad hoc enim ſunt, vt fides habendo tentationem, habeat etiam probationem.* Quibus verbis ad hunc Apoſtoli locum ſine dubio ſpectat. Et paulò[b] pòſt. *Et ideo hæreſes quoque oportebat eſſe, vt probabiles quoque manifeſtarentur, tam qui in perſequutionibus ſteterint, quàm qui ad hæreſes non exorbitarint.* Rurſus[c] poſt multa: *Oportebat enim hæreſes*

a lib. de præſcript. c. 1.
b cap. 4.
c cap. 30.

eſſe, nec tamen ideo bonum hæreſes, quia eſſe eas oportebat, quaſi non & malum oportuerit eſſe. Et Auguſtinus eodē modo ſæpe Apoſtoli verba de hæreſibus, & falſis dogmatibus accipit; ſic enim alicubi ſcribit. [a] *Ideo diuina prouidentia multos diuerſi erroris hæreticos eſſe permittit, vt cùm inſultant nobis, & interrogant nos ea, quæ neſcimus, vel ſic excutiamus pigritiam, & diuinas ſcripturas noſſe cupiamus. Propterea & Apoſtolus dicit: Oportet hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant inter vos. Illi enim Deo probati ſunt, qui bene poſſunt docere, ſed manifeſti hominibus eſſe non poſſunt, niſi cùm docent: Docere autem nolunt niſi eos, qui doceri quærunt. Sed multi ad quærendum pigri ſunt niſi per moleſtias, & inſultationes hæreticorum quaſi de ſomno excitentur, & de imperitia ſua erubeſcant ſibi; & de illa imperitia ſua periclitari ſe ſentiant. Qui homines ſi bonæ ſunt fidei, non concedunt hæreticis; ſed quid eis reſpondeant, diligenter inquirunt.* [b] Alibi verò ad hunc ipſum locum reſpiciens, hæreſum vtilitates recenſet. *Multa quippe* (ait) *ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine agitantur, vt aduerſus eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentiùs, & intelliguntur clarius, & inſtantiùs prædicantur; & ab aduerſario mota quæſtio diſcendi exiſtit occaſio.* Et alibi [c] in eandem ſententiam. *Qui ergo in Eccleſia Chriſti morbidum aliquid, prauúmque ſapiunt, ſi correpti, vt ſanum rectúmque ſapiant, reſiſtunt contumaciter, ſuáque peſtifera, & mortifera dogmata emendare nolunt: ſed defenſare perſiſtunt, hæretici ſunt, & foras exeuntes habentur in exercentibus inimicis. Etiam ſic quippe veris illis Catholicis membris Chriſti malo ſuo proſunt, dum Deus vtitur & malis bene, & diligentibus eum omnia cooperantur in bonum. Inimici enim omnes Eccleſiæ quolibet errore cæcentur, vel malitia deprauantur, ſi accipiunt poteſtatem corporaliter affligendi, exercent eius patientiam. ſi tantummodo male ſentiendo aduerſantur, exercent eius ſapientiam: vt autem etiam inimici diligantur, exercent eius beneuolentiam, aut etiam beneficentiam, ſiue ſuaſibili doctrina cum eis agatur, ſiue terribili diſciplina.*

a lib. de Gen. cont. Manich. c. 1.

b lib. 16. de Ciuit. c. 2.

c lib. 18. de Ciuit. c. 51.

II. Verùm quanquam hæc omnia ingenioſè dicta, & vtcunque vera eſſe non nego, ita certum mihi, atque exploratum videtur, non agere Apoſtolum in præſentia de erroribus in fide, ſed de diſſentione animorū, qua priuatas quiſque cœnas, cæteris aut neglectis, aut contemptis, ſectabatur. Hoc enim paulò pòſt reprehendit, minimèque ait decere Euchariſtiæ ſacrificium, quod ad animorum coniunctionem, & mutuam caritatem conciliandam plurimum valet. Et profectò quod monuit Chryſoſtomus, ſi de hæreticis loqueretur, eos proculdubio tanquam canes, & malos operarios (vt aliàs loquitur) à ſacra menſa arcendos eſſe doceret; Nam & alibi monet, hæreticum poſt vnam, & alteram monitionem vitandum eſſe. Igitur *oportet* (ait) *hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.* Bene omnino Chryſoſtomus hæc Pauli verba cum Chriſti ſententia confert, qua apud Matthæum [d] dixit. *Neceſſe eſt, vt veniant ſcandala*; Neque enim vim infert libero arbitrio, aut vllam neceſſitatem imponit, ſed vt futurorum omnium gnarus prædixit Chriſtus, quod certò futurum eſſe præſenſerat, & Paulus, quod diuinitùs acceperat, idque perſpecta (vt Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus obſeruant) humanæ naturæ imbecillitate. Hoc verò qualecunque malum, non exiguam bonis affert vtilitatem; comparatione quippe malorum eorum vitæ probitas, & integritas clarior, illuſtriórque apparet. Hoc enim eſt, quod ſubdit Apoſtolus: *Vt qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.* Quòd ſi quis contendat hæreſum nomine, falſa dógmata intelligi, is (me quidem auctore,) hāc ſuam explicationem hac ratione tueri vtcunque poterit, non perinde quaſi hæreſes eſſe affirmet, ſed vt minimè mirum videatur eſſe inter illos ſchiſmata: hoc prætetea addat, oportere non ſolùm ſchiſmata, ſed etiam ſectas, atque hæreſes exiſtere: cui interpretationi fauere videtur coniunctio &; *oportet* (inquit) *& hæreſes eſſe*, quaſi dicat, etiam hæreſes, nedum ſchiſmata. Ne igitur miremini, ſi me dixi ex parte credere, ſchiſmata eſſe inter vos; ſic enim haberote quantum ex humanæ naturæ imbecillitate conicio, diuinique luminis illuſtratione percipio: nō animorum tantum diſſenſiones, ſed plurimorū etiam errorum diuortia, atque diſſidia metuenda eſſe, quod tamen Dei benignitate in bonorum vtilitatem, & gloriam redundabit.

d cap. 18. 7.

Conuenientibus ergo vobis in vnum, &c. Huc nimirum ſuperiora ſpectant, quæ de ſectis, atque diſſidiis dixerat. Non temerè addit Apoſtolus; *in vnum*, quaſi dicat vbi maximè vnio, & coniunctio animorum quærēda eſt, ibi diſſenſiones, & ſchiſmata oriuntur. *Iam non eſt* (inquit) *Dominicam cœnam manducare.* Quæ autem ſit Dominica cœna, non ſatis liquet: videtur enim B. Auguſtinus [a] Euchariſtiam intelligere. *Conuenientibus ergo* (inquit) *vobis in vnum, non eſt Dominicam cœnam mãducare: hanc ipſam acceptionem Euchariſtiæ, Dominicam cœnam vocans*; ſed (vt ſuprà monui) cœnā Dominicam Cyrillus, Chryſoſtomus, Oecumenius, & Theophylactus popularē cœnam interpretantur; quæ ad exprimendam cœnam, quam olim Chriſtus cum ſuis diſcipulis paulò ante mortem celebrauit, initio naſcentis Eccleſiæ fideles inſtituerant, de qua ſuprà nōnulla diximus, præſertim ex Tertulliano. Et profectò, quæ in hac cœna reprehendit Apoſtolus de nimio potu, atque eſu, deque ebrietate nullo modo in Euchariſtiam, aut eius vſum cadere poſſunt. Tametſi enim non nego, in Euchariſtiæ vſu multa eſſe à veteri cōſuetudine longè diuerſa poſterioribus ſæculis ab Eccleſia vſurpata, tamen certum eſt, nunquam ita hoc ſacramentum fuiſſe adminiſtratum, vt quiſquam inde ebrius efferretur. Itaque cœnam Dominicam malim intelligere agapem, quæ idcirco Dominica cœna dicebatur, ſiue quia ex caritate, diuinóque impulſu fiebat, ſiue quia Domini cœnam imitabatur, ſiue denique quia cum Euchariſtiæ Sacramento coniungebatur. Non negarim tamen Euchariſtiæ Sacramentum à priſcis patribus cœnæ, aut conuiuij nomine deſcribi; Nam Tertullianus [b] conuiuium Dominicum appellat, & Nazianzenus [c] cœnam Euangelicam nominat. *Enimuero* (inquit) *in Euangelijs lauta, & magnifica cœna eſt, & bonus ac feſtiuus conuiuator, & amici, & conuiuium, vt in filij nuptijs iucundiſſimum.* Alludit enim ad parabolam Euangelicam, in qua ad cœnam multi inuitantur, quæ ſine dubio Euchariſtiam ſignificabat. Sic etiā Baſilius, [d] Auguſtinus, [e] & alij. Quòd ſi quis malit hoc loco cœnam Dominicam Euchariſtiam interpretari, habet quos ſequatur, præter Auguſtinum, Theodoretum, Hieronymum, Anſelmum, aliósque Latinos, qui tamē fateri coguntur, quæ mox ab Apoſtolo reprehenduntur, ad cœnam quandam popularem pertinere, vt ſenſus ſit. Cùm in vnū conuenitis ad Euchariſtiam percipiendam, ita vos geritis, vt alia omnia agere videamini. Quòd ſi ſequamur Græcos, hæc erit ſentētia: conuenitis quidem in vnū, vt veſtris conuiuiis, & fraternam caritatem indicetis, & Dominicam cœnā imitemini, re tamen vera quiduis aliud potiùs agitis. Quocirca nos in paraphraſi ita Pauli verba explicuimus, vt neutri ſententiæ præiudicaremus. Certè Ambroſius admodum ambiguè loquitur, *Hos* (inquit) *notat, qui ſic in Eccleſia conueniebant, vt munera ſua offerentes, aduenientibus Preſbyteris, quia adhuc rectores Eccleſiis non omnibus locis fuerant conſtituti, totum ſibi, qui obtulerat, vendicaret ſchiſmatis cauſa.*

20. I.

a Epiſt. 118. c. 6.

b lib. 2. ad vxor. c. 4.

c orat. 2.

d Reg. breu. reg. 310.

e Lib. 3. de ſerm. Dom. in mon. c. 11. Ep. 118. & habetur in c. liquido de conſecr. d. 2. & ſerm. 33 de verb. Dom.

cauſa. Diſſenſiones enim inter eos Pſeudoapoſtoli ſeminauerant, ita vt oblationes ſuas zelarentur, cùm vna, atque eadem prece omnium oblationes benedicerentur, vt ij, qui, vt aſſolet fieri, non obtulerant, aut vnde offerrẽt, non habebant, pudore correpti confunderentur, non ſumentes partem, & tam cito illud agebant, vt ſuperuenientes non inuenirent quod ederent. Ideóque ſi ſic (inquit) conuenitis, vt vnuſquiſque ſuum ſumat; Domi hæc agenda, non in Eccleſia, vbi vnitatis, & myſterij cauſa conuenitur, non diſſenſionis, & ventris. Munus enim oblatum, totius populi fit, quia in vno pane omnes ſignificantur; per id enim, quod vnum ſumus, de vno pane omnes ſumere oportet. Videtur enim alludere ad veterem conſuetudinem, qua fideles offerre cõſueuerant, quæ à ſacer-

III. dotibus in altari conſecrarentur. Verùm non facilè crediderim, eam offerendi conſuetudinem iam inde ab Apoſtolorum tempore fuiſſe inſtitutam: in Ca-

a Can.3. nonibus [a] enim Apoſtolicis legimus, nõ licuiſſe ad altare quidquam offerre, præter oleum ad vſum lampadarum; nam quæ ibi commemorantur, quaſi aliâs offerri conſueuiſſent, ad ſacrificium nequaquam pertinebant, ſed fortaſſe ad eam ſtipem referebantur, cu-

b cap.39. ius meminit Tertullianus, [b] in Apologetico. *Modicam* (inquit) *vnuſquiſque ſtipem menſtrua die vel cùm velit, & ſi modò velit, & ſi modò poſſit, apponit, nam nemo compellitur, ſed ſponte confert:* aut certè ad illas oblatio-

c Tit.in Cõcil. in dec. Pij ſec penult. nes, de quibus agit Pius [c] Pontifex. *Vt de oblationibus* (ait) *quæ offeruntur à populo, & conſecrationibus, quæ ſuperſunt, vel de panibus, quos deferunt fideles ad Eccleſiam, vel certè de ſuis preſbyter conuenienter partes inciſas habeat in vaſe nitido, & conuenienter, vt poſt Miſſarum ſolemnia, qui communicare non fuerint parati, eulogias omni die Dominico & in diebus feſtis exinde accipiant, quas cum benedictione priùs faciat.* Extat & Fabiani decretũ

d Repetitur in Concil. 2. Maticon. c. 4. apud Burcard. lib. 5. c.11. in hæc verba. *Decernimus;* [d] *vt in omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus fiat tam panis, quàm vini, vt per has immolationes à peccatorum ſuorum faſcibus liberentur.* Quæ videri poſſent ali-

e De opere, & eleemoſyna. quo modo ſpectare ad ſacrificium; ſiquidem [e] Cyprianus, qui eo tempore vixit. *Locuples* (inquit) *& diues es, & Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non reſpicis, quæ in Dominicum ſine ſacrificio venis, quæ partem de ſacrificio, quod pauper obtulit, ſumis.* Alludit enim Cyprianus ad veterem conſuetudinem, cuius etiam meminit Ioan-

f In Vita B. Greg. l. 2. c. 21. nes [f] Diaconus, qua populus panem, & vinum offerre conſueuerat ad Euchariſtiæ ſacrificium. Plura

g Can. 9 & 1. h Can. 17. ſextæ. i 4. Can. 94. k 1. Can. 16. l ep. ad Heliodorum. m ep. 122. 187. n lib. 2. de ſer. o lib. 4. c. 12. de his Synodus [g] Gangrenſis, ſexta [h] ſynodus, Concilium [i] Carthaginenſe, [k] Aurelianẽſe: [l] Hieronymus, [m] Auguſtinus, [n] Carolus [o] Magnus, & alij recentiores. Sed nihil hæc ad Pauli locum, qui ſignificat, cœnas fuiſſe in Eccleſia inſtitutas, in quibus primas nõnulli occuparent cum aliorum offenſione, & ſcandalo. Itaque cum Chryſoſtomo dicendum eſt, conſueuiſſe Corinthios cum Euchariſtiæ ſacramento agapes coniungere; ſed multa tamen in illis fuiſſe peccata, quæ meritò ab Apoſtolo reprehenduntur. *Iam enim* (inquit) *non eſt Dominicam cœnam manducare.* Aliud (inquit) agis, quàm te agere profitearis; Nam (vt ait Chryſoſtomus) *Dominica, id eſt, Domini cœna debet eſſe communis; nam quæ ſunt Domini, non huius quidem ſunt famuli, illius verò non ſunt, ſed communiter omnium, Dominicam ergo hanc dicit eſſe communem, nam ſi eſt Domini, non debes eam tanquam priuatam auellere, ſed, tanquam quæ ſit Domini, communiter omnibus proponere, ea enim eſt Dominica. Nunc autem non ſinis eam eſſe Dominicam, vt qui non ſinas eam eſſe communem, ſed ſeorſum epuleris.* Quibus verbis indicat, eos in Eccleſia veſci conſueuiſſe.

21. VNVSQVISQVE ENIM SVAM COENAM. &c. Certè hæc vix poſſunt ad Euchariſtiæ ſacramen-

A tum pertinere. Nam quod nonnulli [a] ſequuti Auguſtinum dicunt, reprehendi Corinthios, quòd poſt cœnam, Euchariſtiam ſumerent, vt hac ratione Chriſtum imitarentur, qui poſt cœnam hoc ſacramentum inſtituit, & diſcipulis iam cœnatis impertiuit, permoti illo verbo Apoſtoli: *Vnuſquiſque ſuam cœnam præſumit ad manducandum*, Quaſi præſumendi verbum ſignificet eam cœnam Euchariſtiæ proponi: parum admodum videtur conſentaneum. Conſtat enim Apoſtolicam fuiſſe traditionem, vt Euchariſtia non niſi à ieiunis perciperetur. Itaque Tertullianus: [b] *Non ſciet* (inquit) *maritus quid ſecretò ante omnem cibum guſtes?* Et Cyprianus [c] negat Chriſti exemplum omnino imitandum. *At enim* (inquit) *non manè, ſed poſt cœnam mixtum calicem obtulit Dominus: Nunquid ergo Dominicum poſt cœnam celebrare debemus, vt ſic mixtum calicem frequentandis Dominicis offeramus?* Denique ne longum faciam, fuiſſe illam Apoſtolicam traditionem aſſerunt Baſilius, [d] Gregorius [e] Nazianzenus, Chryſoſtomus, [f] Epiphanius; [g] Auguſtinus, [h] Ambroſius [i] Iſidorus. [k] Idem intelligitur ex Cõcilio [l] Africano, itémque Carthaginẽſi [m] iij. Quæ tamen Concilia excipiunt diem cœnæ Domini, hoc eſt feriam quintam ante Paraſceue, quo die fas eſſe dicunt poſt cibum Euchariſtiam ſumere; quod tamen in Concilio Brachareñſi [n] 1. & vj. Synodo [o] antiquatum eſt. Quin etiam Patres Concilij Carthaginenſis [p] affirmant, hanc conſuetudinem percipiendi Euchariſtiam ante omnem cibum, fuiſſe in Concilio Nicæno firmatam. His addi poſſunt Concilia Matiſconenſe [q] ij. Brachârenſe [r] item ij. Toleranum [s] vij. Altiſiodorenſe, [t] & Cõſtantienſe. [u] Nulla igitur ratione videri poteſt veriſimile, Corinthios contra hanc traditionem Apoſtolicam peccaſſe, multò namque acerbiùs ab Apoſtolo fuiſſent reprehenſi, & grauiùs obiurgati, vt omittam Pauli verba aliud quiddam inſinuare, potiùs enim indicare videntur poſt Euchariſtiam ſumptam exhiberi conſueuiſſe conuiuia, in quibus tenuiores, & pauperes contemnerentur. *Vnuſquiſque enim ſuam quidem cœnam præſumpſit ad mãducandum*. hoc eſt aliis minimè expectatis ſoli cœnant, pauperibus, atque egentibus excluſis. idque vſque ad temulentiam; idcirco enim ſubdit: *Et alius quidem eſurit, & alius ebrius eſt.* Duo igitur Apoſtolus reprehendit, & quòd pau- II.

D peres negligerentur, & quòd nimia auiditate ciborum diuites, & opulenti ſeſe ingurgitarent non ſine contumelia Euchariſtiæ paulò antè perceptæ; Hoc enim apertè indicant verba illa. *Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt*, Et quæ mox ſequuntur. *Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum?* Et quæ in fine capitis ſubduntur. *Itaque fratres mei, cùm conuenitis ad manducandum, inuicem expectate.* Denique: *Si quis eſurit, domi manducet.* Hanc ſententiam maximè confirmat Chryſoſtomus. *Vnuſquiſque enim* (inquit) *ſuam cœnam præſumit: Non dixit, abſcindit; ſed præſumit, eos edacitatis, & temeritatis ſenſim accuſans:* Et paulò pòſt. *Ecce* (inquit) *ſecundum crimen illos quoque lædens: primùm quidem quòd cœnam ignominia afficiunt, ſecundum autem, quòd ventrem infarciunt, & ine-*

E *briantur; & quod eſt grauius, etiam pauperibus eſurientibus. Nam quæ erant communiter apponenda omnibus iis, iſti ſoli veſcentes procedebant ad inſatiabilitatem, & temulentiam.* Rei verò indignitatem amplificans, atque exaggerans, poſt multa ſubiicit. *Et quando hoc fit? inquit. Semper quidem, maximè autem in feſtis, quando maximè non fieri oporteret; Tunc enim poſt communionem ſtatim excipit ebrietas, & pauperum deſpicientia, & cùm ſanguinis fueris particeps, quando eſt tibi tempus ieiunij, & ſobrietatis, laſciuis debaccharis, & cõmeſſans perſultanter inſultas. Et ſi boni quidem quidpiam pranſus fueris, tibi caues, ne aliquo alio malo cibo priorem corrumpas.*

a D. Tom. ſe d. 1 Lyran. & alij.
b lib. 2. ad vxor. c. 3.
c ep. 63.
d Ep. ad Cæſar. Patr.
e Orat. 40. de bapt. in fine.
f Hoc loco.
g lib. 3. contr. hæreſ. in fine.
h ep. 118.
i Serm. 8 in Pſ. 118.
k lib. 1 de off. Eccleſ. c. 18.
l cap. 8.
m cap. 29.
n cap. 16.
o cap. 29.
p cap. 41.
q cap. 6.
r cap. 10.
s cap. 2.
t cap. 19.
u Seſſ. 13.

pat. Cùm autem in cõuiuio ſpiritu ſit paſtus Satanicas inducis delicias. Cogita quid fecerint Apoſtoli, quãdo ſacrarum illarum menſarum fuerunt participes. Annon conuerſi ſunt ad preces, & hymnos canendos, non ad ſacras vigilias, non ad ſacrũ illã doctrinam, & plenam multa philoſophia? Tunc enim illis res magnas, & admirabiles narrabat, & præcipiebat, cùm abiiſſet Iudas ad vocandos eos, qui ipſum acturi erant in crucem, non audiuiſti, quomodo etiã illa tria millia, quæ perceperãt cõmunionẽ, perpetuò perſeuerabãt in oratione, & doctrina, non in ebrietatibus, & comeſſationibus? Tu autẽ priuſquàm cõmunices, ieiunas, vt quomodocũque dignus appareas, Quãdo autẽ cõmunicaueris, cùm te oporteret magis augere tẽperãtiã, omnia perdis: atqui nõ ſunt paria eſſe ſobriũ antea, & poſtea; nã & in vtroque quidẽ oportet eſſe ſobriũ, & temperãtem, maximè autẽ poſtquam ſponſum excepiſti: antea quidẽ, vt ſis dignus accipere, poſtea autẽ ne appareas indignus iis, quæ tu accepiſti. Quid ergo? Oportetne ieiunare, poſtquã acceperis? non hoc dico, neque te cogo; nã eſt quidẽ hoc quoque bonũ, ſed nõ ad hoc tibi vim facio, ſed ſuadeo, ne te deliciis ita impleas, vt ſis inexplebilis. Eodẽ planè modo loquitur Theodoretus; neque aliter Oecumenius. Ex quibus omnibus apparet, hæc cõuiuia poſt Euchariſtiæ perceptionẽ celebrari conſueuiſſe. Sed mirũ cuipiã videri poſſit, cur cœnæ appellentur ab Apoſtolo, cur itẽ dicat, pauperes expectãdos; nam ſi omnes Euchariſtiam perceperant, aderãt profectò in Eccleſia, neque erat cur quiſquam expectandus videretur. Sed quod attinet ad priorem quæſtionẽ, cœnas appellari dixerim, quod aliquantò poſt meridiẽ fierent, peractis videlicet iis, quæ ad Euchariſtiæ cõſecrationẽ, & populi cõmunionẽ pertinerent: vel certè conuiuia illa Chriſtianorũ cœnas ſimpliciter appellauit: quanquam Tertullianus ſignificat, ea conuiuia ſub veſperam fieri conſueuiſſe; ſic enim in Apologetico [a] ſcribit. *Poſt aquam Manualẽ, & lumina, vt quiſq; de ſcripturis ſanctis, vel de proprio ingenio poteſt, prouocatur in medium Deo canere, hinc probatur, quomodo biberit.* Si igitur cum poſt conuiuium manus abluerentur, lumina erãt neceſſaria, profectò conuiuiũ ſub veſperã inchoabatur, & nonnihil noctu abſoluebatur. Videtur enim Tertullianus alludere ad preces illas, quàs olim Lucernarias appellabãt, de quibus Hieronymus, [b] Caſſiodorus, [c] Socrates, [d] Epiphanius, [e] Caſſianus, [f] Nicephorus, [g] & alij. Quod verò attinet ad ſecundam, omnino veriſimile eſt abſoluta cõmunione, non continuò menſæ accubuiſſe fideles, ſed vel ſingulos ad ſua priuatim negotia, aut res domeſticas curandas digredi conſueuiſſe tantiſper, dum cœna pararetur, & idcircò Paulum eos reprehendere, qui tenuioribus nõ expectatis, cœnam præoccuparent: vel ſi in Eccleſia omnes commorabãtur, cœnam præſtolãtes priuatim ſingulos precibus operã dediſſe. Quod inſinuãs Tertullianus [h] ait. *Non prius diſcumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur.* Nonnullos autem, nõ expectatis aliis, qui preces nondum abſoluerant, cœnam ſolitos vorare. Vt vt ſit, eos Apoſtolus accuſat, quòd inopes negligerẽtur, ſiue quia tardiùs venirẽt ad Eccleſiã, ſiue quia aliis occupationibus diſtenti, vnà cũ cæteris diſcumbere nõ poſſent. Verùm quoniam ſubdit, *nunquid domos non habetis ad manducandum?* &c., *ſi quis eſurit, domi manducet*: Veriſimilius eſt, conſueuiſſe fideles poſt ſumptam Euchariſtiam & preces abſolutas domum redire conſueuiſſe. quod mox pleniùs oſtendam.

a cap 39.

b ep.ad læt. c hiſt. tri-part. c.38 d lib.5. hiſt. c.21 e lib.1. & in comp. doctr. f lib.1 & de Inſtit. monaſt. c.8. g lib 3.c.24.

h in Apolog. c.39.

NVNQVID DOMOS NON HABETIS AD. &c. Ex his verbis & iis, quæ ſequuntur non obſcurè colligo cõſueuiſſe olim Chriſtianos, vt modo dixi, poſt Euchariſtiam perceptã, ad ſuas priuatas ædes quemque redire. Neque enim quod ait Apoſtolus. *Nunquid domos non habetis ad manducandum. & bibendũ?* Et quod ſubiicitur in fine capitis. *Si quis eſurit, domi manducet*; per-

A inde accipi poteſt, quaſi ſuadeat Apoſtolus, vt antequam percipiant Euchariſtiam, cibo, potúque ſe domi reficiant. Quòd ſi loquitur de ſumendo cibo poſt Euchariſtiam, neceſſariò dicendũ eſt, Euchariſtia refectos ad priuatas domos ſe recepiſſe, in quibus liberè quiſque poterat pro ſuo arbitrato ſumere cibũ, antequam ad Eccleſiaſticũ conuiuiũ accederet. Itaque benè ait Apoſtolus: *Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? Si accedetis* (inquit Theodoretus) *vt lautè, & opiparè epulemini, hoc in priuatis ædibus veſtris facite, nam alioqui multiplici ſcelere inquinamini.* Primùm quidem (ait Chryſoſtomus) Eccleſiam non leui cõtumelia afficitis. *Ecce ergo* (ait) *quarta quoque eſt accuſatio, quando non ſolùm pauperes, ſed etiã Eccleſia afficitur contumelia.* Quocirca in Concilio [a] Lao-
B diceno ſeueriùs præcipitur, ne in Eccleſiis cõuiuia habeantur; idque adiecta pœna in ſexta ſynodo [b] iteratur, itẽmque in Concilio [c] Africano, & Altiſiodorenſi. [d] Certè ſanctus Paulinus [e] alicubi conqueritur, quòd in Æde S. Fælicis populus epularetur.

a Can.28. habetur c. non oportet. d.42. b Can.74. c cap.42. d cap.1. e Nat.9. Fel.

——Gens male credula ſanctos
Perfuſis halante mero gaudere ſepulcris.
Verum vtinam ſanis agerent hæc gaudia votis;
Nec ſua liminibus miſcerent pocula ſanctis.

Addit Chryſoſtomus: *Sicut enim Dominicam cœnam facis priuatum, ita etiam rurſus locum, vtens Eccleſia, tãquam domo. Deinde: Ecce* (inquit) *etiam quinta accuſatio, non ſolùm deſpicere eſurientes, ſed eos etiam pudore afficere. Hoc enim eſt quod ait: Aut cõfunditis eos, qui nõ habent?*
C Obſeruat idẽ Chryſoſtomus, pluris ab Apoſtolo fieri contumeliam, & pudorem, quàm indigentiam alimẽti: Ita etiam loquitur Theophylactus, eodẽmque modo Theodoretus. *Quomodo enim* (inquit) *non eſt abſurdum intus in templo Dei, præſente Domino, qui communẽ nobis menſam appoſuit; vos quidem lautè viuere, eos autẽ, qui ſunt pauperes, eſurire, & propter paupertatem erubeſcere?* Mox autem ſubdit Apoſtolus: *Quid dicã vobis? Laudo vos in hoc?* Ita enim diſtinguendum eſſe, docent exemplaria Græca. Quid ergo (inquit) me dicturum exiſtimatis? An expectatis, vt hac etiam in re aliquam vobis laudis particulam impertiar? Ego verò tantum abeſt, vt vllo modo probem, vt nihil mihi potiùs æquè deteſtabile videatur. Ambroſius, quem ſequuntur plurimi Latinorũ, paulò aliter
D diſtinguit. ſic enim legit: *Quid dicam vobis? laudo vos in hoc non laudo. Hieronymiani Commentarij eodẽ modo diſtinguunt, ſed ſecundam interrogationem expungunt. Quid dicam vobis? laudo vos: in hoc non laudo.* At Romana editio Ambroſiũ ſequitur; ſententia ſemper eſt eadem. ſignificat enim non eſſe Corinthios in ea re laudandos, quaſi dicat; Quid expectatis? ego quidem vos aliis nominibus laudo, hac verò in re laudare nullo modo poſſum. Obſeruat autem Chryſoſtomus Pauli prudentiam, ac manſuetudinem, qui leni, ac placida oratione eos demulceat potiùs, quàm pungat, vt eorum in pauperes benignitatem vehementiùs inflammet. Nam (vt docet Theophylactus) verẽdum erat, ne ſi aculeata, atque acerba oratione vſus eſſet, eos acriùs in pauperes incitaret, ac vehementiùs exa-
E ſperaret. Idcirco (vt ait Theodoretus) ſolita lenitate vſus, ſpiritaliter, non iudicialiter increpat.

EGO ENIM ACCEPI A DOMINO QVOD. &c. *Cur* (inquit Chryſoſtomus) *hic meminit myſteriorũ? Quoniam ad præſens argumentum hæc oratio erat eis valde neceſſaria. Tuus enim* (inquit) *Dominus omnes eadẽ menſa eſt dignatus, licèt ea eſſet valdè reuerenda, & longè omniũ ſuperaret dignitatem: Tu autem eos hac tua parua. & vili indignos exiſtimas, & cùm ij in ſpiritualibus pluſquam tu nihil ſibi arrogent; tu eos ſpolias inſenſibilibus, neque enim hæc tua ſunt.* Itaque exiſtimat, Euchariſtiæ fieri mentionem, vt appareat quãtopere Corinthiorum conuiuia

uiuia ab Eccleſiaſtico conuiuio diſcrepent. Paulò poſt tamen nō obſcurè ſignificat, idcircò Paulum de Euchariſtiæ dignitate agere, vt oſtendat, quæ in conuiuiis perperam fieri monuerat, non ſolùm in Eccleſiæ contemptum, & inopum contumeliam, ſed etiam in tanti ſacramenti dedecus redundare. *Audyſti* (inquit) *ſacros hymnos, vidiſti ſpirituales nuptias, menſa regia es acceptus, repletus es Spiritu ſancto, duxiſti choros cum Seraphim, fuiſti ſocius ſupernarum poteſtatum, ne abycias tantam lætitiam, ne effundas theſaurum, ne inducas ebrietatem, matrem animi ægritudinis, lætitiam diaboli, quæ mala parit innumerabilia.* Et multa deinceps in eandem ſententiam. Eodem (opinor) ſpectant Ambroſius, Hieronymus, Anſelmus reliquiq́; Latini, qui hæc à Paulo commemorati putant, vt oſtendat, Corinthios à ſua traditione non leuiter deflexiſſe. Propterea enim inquit, vos non laudo, quòd quæ ad Euchariſtiæ honorem inſtituta ſunt, ea vos in cōtrarium vertitis. *Ego enim* (inquit) *accepi à Domino.* Non ille quidem cum cæteris Apoſtolis tanti myſterij inſtitutioni affuerat; eius tamen rationem diuinitùs acceperat, & eam Corinthiis voce tradiderat. Explicans autem quid acceperit, quidq́ue tradiderit. *Quoniam* (inquit) *Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panem.* Pro *tradebatur*, Græcè eſt παρεδίδετο ab eodem verbo, à quo eſt, quod paulò antè dixit παρέδωκα, hoc eſt, *tradidi vobis*, Sed poſteriori loco prodere ſignificat. *In qua* (inquit) *nocte tradebatur*: hoc eſt, prodebatur. Reuocat autem in memoriam tempus, menſam, & proditionem; idq́ue (vt monet Chryſoſtomus) vt Corinthios pudore afficiat. *Dominus quidem* (inquit) *tuus ſeipſum pro te tradidit, tu autem fratrem tuum pro te ipſo ne cibis quidem impertis.* Addit paulò pòſt hac nos commemoratione excitari ad rei magnitudinem etiam, atque etiam expendendam. *Cogitate* (inquit) *quod poſtremam hanc vocem apud vos emiſit Pater, & ad veſperam vſque qua erat expiraturus, hæc mandauit. Hoc enim Chriſti myſterium ſub vitæ finem traditum nobis commemorat Apoſtolus, vt quaſi extrema morientis Patris mandata excipiamus.* Noctem autem nominat, veſperam indicans vergentem in noctem, qua Euchari-

11 ſtiæ myſterium Chriſtus inſtituit, poſt cœnam videlicet Agni paſchalis, vbi diſcipulorum pedes abluiſſet.

a Ex. 12.6. Erat autem lege Moſis præceptum, a vt agnus paſchalis ad veſperam immolaretur: illa autem inſequenti nocte, proditione Iudæ Chriſtus à ſatellitibus comprehenſus in Iudæorum manus venit. Eſt enim prorſus extra omnem controuerſiam, circa idem tempus tres Chriſti actiones contigiſſe, eſum Agni paſchalis, ablutionem pedum, & Euchariſtiæ inſtitutionem. Et in agno quidem paſchali duo videntur diſtinguenda immolatio, & eſus, ac de immolatione quidem ſunt

b Claud. Alt. ... de Lunæ c.7. qui b putent, fas fuiſſe Agnum immolare à veſpera, quartæ decimæ Lunæ inchoantis, vſque ad alteram eiuſdem finientis veſperam, vt toto decimo quarto die Lunæ Agnum immolare licuerit. Cæterùm quo-

c cap. 12.6. d cap. 23.5. niam in Exodo, c & in Leuitico d immolandus dicitur agnus ad veſperam, vel (vt habent Hebræi codices) inter duas veſperas, quem dicendi modum ſequuti ſunt

e cap. 16.4. etiam Septuaginta; Et in Deuteronomio e apertè dicitur imolādum Phaſe veſperè ad ſolis occaſum; Eo-

f cap. 5.10. démque modo legitur in libro Ioſue: f Incredibile dictu eſt, quàm multa excogitata ſint ad hæc, quæ pugnare videntur, aliqua ratione concilianda. Illud autem fermè ab omnibus tam Hebræis, quàm Græcis Latiniſque ſcriptoribus receptum videtur, veſperam dici quartæ decimæ finientis accipiendam eſſe, vt alibi fuſiùs oſtendo. Sed quid ſignificet modus ille loquēdi, Inter duas veſperas; non ſatis cōuenit inter omnes, ſunt enim qui primam veſperam occaſum ſolis intelligant, alteram verò diurni luminis extinctionem, &

A noctis initium, vt inter vtramque veſperā nihil præter crepuſculum intercipiatur; hoc eſt, vnius, aut ſeſquihoræ ſpatium. Alij primam veſperam à meridie inchoant, ſecundam à pricipio noctis, vt intermedium ſit totum pomeridianum tempus. Hoc igitur tempore (vt paucis expediam) immolandus erat agnus, vt ad veſperam, hoc eſt (vt Plinius a & Macrobius b explicāt) in ortu veſperi ederetur, quo tēpore abolendum erat fermentum, & azymorum vſus inchoandus. nam ſub noctem Agnum comedēdum ſcriptum eſt in Exodo. c *Et edent* (inquit) *carnes nocte illa aſſas igne, & azymos panes.* Ea verò nox præcurrebat azymorum primam diem & menſis quintam decimam; ſic enim ſcribit Ioſephus. d *Menſe autē Xanthico* (ait) *qui noſtris Niſà vocatur, & annum exorditur, Luna quartadecima, ſole Arietem obtinente, quandoquidem hoc menſe*

a lib. 18. c. 2. b lib. 1. Saturn. c. 15.

c cap. 12.

d lib. 3. antiq. c. 10.

B *ab Ægyptiaca ſeruitute liberati ſumus, ſacrificium quod tunc exeuntes feciſſe diximus, Paſcha nominatum quotānis inſtaurare iubemur, celebramúſque id per ſodalitia, nihil è victimis in ſequētem diem relinquētes. quæ eſt quintadecima, & azymorū feſtiuitatis prima.* Quo loco apertè docet diē, qui eſū agni proximè inſequitur, eſſe primā azymorū diē, & Lunam quintā decimam. Et Beda e in eandē ſententiā, *vna quippe dies Paſcha, id eſt tranſitus, eſt quartadecima, videlicet primi mēſis, in qua veſperaſcēte agnus immolari iuſſus eſt.* Itaq; rectè dixit Apoſtolus: *In qua nocte tradebatur*; nā vt ait Ambroſius. f *Chriſtus celebrauit paſcha hebdomade, in qua fuit quartadecima Luna, quinta feria; Denique ipſa die Paſchæ cū Diſcipulis māducauit, ſequēti autē die, hoc eſt ſexta feria, crucifixus eſt Lu-*

e lib. de tēp. rat. c. 61.

f lib. 10. ep. 83.

C *na quintadecima.* Idē aſſerit Chryſoſtomus; g idē Iſychius, h & Beda. i Quod fuſiùs ſuo loco explico. Hîc tātùm dico, poſt cœnam agni inſtitutam fuiſſe Euchariſtiā ſub noctem, ac propterea hîc Apoſtolum noctem nominaſſe, illam videlicet, qua traditus eſt Iudæis, vt vt enim Euangeliſtæ ſcribunt, poſt inſtitutam Euchariſtiam, longam Chriſtus habuit orationem, quam ſolus commemorat Ioannes: Deinde cùm in horto oraſſet, indicio Iudæ proditoris à ſatellitibus captus eſt. Magna autem contentione certatur de iis, quæ paulò antè poſita ſunt à nobis, hoc eſt, de immolatione, atq; eſu agni, de ablutione pedū, déque Euchariſtiæ inſtitutione; ſed quoniam ea res longiorē poſtulat diſputationē, ſuo loco (Deo bene iuuante) cōmodiùs expli-

g Hom. 28 in Matt. h cap. 23. in Leuit. i lib. de tēp. rat. c. 45.

D cabitur. Satis igitur fuerit in præſētia cōſtituere, initio noctis Euchariſtiā fuiſſe inſtitutā, eius videlicet noctis, qua Chriſtus à Iuda proditus in Iudæorū manus venit.

ET GRATIAS AGENS FREGIT, ET DIXIT. &c. Pertinent hæc ad Euchariſtiæ inſtitutionem, eiúſque dignitatem, ac præſtantiam declarandam. Ex Euangeliſtis autem quatuor Chriſti actiones colliguntur, benedictio, gratiarum actio, fractio, diſtributio. Ambigitur, vtrū quinta, id eſt, cōſecratio diſtincta recēſenda ſit, an in aliqua ex numeratis cōprehendatur. Ac de benedictione quidem perſpicuè agunt Matthæus k & Marcus, l qui cùm de pane loquerentur εὐλογήσας inquiunt: de gratiarū actione, apertū eſt hoc loco Pauli teſtimoniū, vbi panē nominat, eodémq; modo de pane quidē loquitur Lucas, m & de

k cap. 26.26. l cap. 14.22.

m cap. 24.30.

E calice Matthæus, & Marcus locis indicatis; aiūt enim εὐχαριστήσας; vt quod aliàs monui in altera actione, altera intelligatur, & ſimul vtraque coniungatur, quod non obſcurè hac ipſa Epiſtola n docet Apoſtolus, qui vnam, eandémque rem εὐλογίαν vocat, & εὐχαριστίαν: ſi inquit, benedixeris ſpiritu ἐὰν εὐλογήσῃς πνεύματι, qui ſupplet locum idiotæ; quomodo dicet amen ſuper tuā benedictionem ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ. Itaque Eccleſia interpretatur vtramque actionem à Chriſto fuiſſe adhibitam; Ita enim ait in Canone: *Eleuatis oculis in cœlum, tibi gratias agens benedixit ac fregit, dedíque diſcipulis ſuis.* Quibus verbis gratiarum actionem refert ad

n cap. 10.1.6.

Patrem

A Patrem, id quod accipio ſignificari non verbo εὐλογεῖν, ſed illis verbis, *eleuatis oculis.* Quæ quanquam hoc loco neque apud Euangeliſtas, neque apud Paulũ leguntur, Eccleſia tamen, quia id aliàs Chriſtus in ſimili actione facere conſueuerat, non ſine magna probabilitate interpretata eſt, hîc etiam ab eo fuiſſe vſurpatũ. Cæterùm εὐχαριστεῖν non aliter, atque εὐλογεῖν ad panẽ & vinũ refertur, & pro eodẽ accipitur, vt idẽ ſit εὐχαριστήσας, quod ait Paulus, & εὐλογήσας, quod aiunt Matthæus, & Marcus. Qua ratione ſuprà docuimus, Euchariſtiam à Iuſtino [a] Martyre vocari εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν, hoc eſt eſcam benedictione, & gratiarum actione ſacrificatam: Eodémque modo crediderim, Græcè loquutum eſſe Irenæũ, [b] qui Iuſtinum imitari ſolet, vt ex interprete facilè colligo, qui Latinè dixit Panẽ, ſuper quem gratiæ actæ ſunt: Et Cyprianus [c] calicẽ vocat ſolemni benedictione ſacratum: ſic etiam loquitur Ambroſius, [d] & eodem fermè modo Iuuencus, [e]

B

Palmis ſibi frangere panem,
Diuiſúmque dehinc tradit, ſanctúmque precatus.
Diſcipulos docuit proprium ſe dedere corpus.

Sanctũ precatus dixit; id eſt, prece ſanctificãs. Quamobrẽ quamuis εὐλογεῖν, & εὐχαριστεῖν, duæ videantur actiones ſignificare, pro vna tamen, atque eadẽ ſumũtur; & quidẽ admirabili, planéq; ſingulari ac diuina, & ab omnibus aliis communibus benedictionibus lõgè diuerſa, vt in diſputationibus aduerſus hæreticos fuſiùs probatur; vtraque enim actio ad conſecrationem ſpectat, & ad panẽ, ac vinũ propriè refertur. ſequitur

C tertia actio; id eſt, fractio de qua tũ hoc loco Apoſtolus, tum etiam in ſuis narrationibus Euangeliſtæ eodẽ prorſus modo loquũtur. *Fregit*, Græcè ἔκλασε. Ferunt, autẽ veterẽ fuiſſe Hebræorũ conſuetudinem, cùm fermentum abolendum eſſet, & azymorum vſus inchoãdus, vt Paterfamiliàs tortam quandam azymam ſeponeret, & ſub mappa abſconderet, & tot in fruſta conſcideret, quot erant accumbentes; & ſub finem cœnæ ſingulis ſuam particulam, nõ ſine ſolemni benedictione porrigeret, tum poculum ad ſingulos tranſmitteret, vt paulò antè indicaui. Cui conſuetudini ſeſe quodammodò Chriſtus accommodans, nouum longèque præſtantiorem panis azymi vſum inſtituit, & multò diuiniorem benedictionem impertiuit, vt figuræ, & typo res ipſa etiam ſpecie externa planiùs reſponde-

D ret. Itaque Chriſtus duodecim ex pane fecit partes, & ſingulis ſingulas dedit. Minutiora autem ſunt illa cultione, an manu panem fregerit Chriſtus, vtroque enim modo fieri potuit. Hebræorum namque conſuetudine frangi dicitur panis, non ſolùm cùm manu frãgitur, ſed etiã cùm cultro ſcinditur; quinetiã cũ diſtribuitur, Hebræis dicitur frangi, vt apud Eſaiam; [f] *Frãge eſurienti panem tuum*, hoc eſt, tribue, & largire. Et apud Ieremiam: [g] *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frãgeret eis.* Ipſa denique diſtributio fractio panis appellatur. [h] *Erant* (inquit) *perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis*, vt non immeritò exiſtimarint quidam hoc loco apud Paulũ ad diſtributionẽ referri cũ mox ſubiciat. *Accipite; & manducate.* Succedit quarta actio, hoc eſt diſtributio,

E quã Apoſtolus, & Euãgeliſtę exprimũt hac voce, *Accipite.* Videtur autẽ (vt diximus) ſingulis dixiſſe non ſibi proximo vt ille ſequẽti & ſic deinceps ſinguli ſibi mutuo darẽt. In manus, an in os dederit, non ſatis conſtat: vtroq; certè modo dare potuit; nã & olim diu in Eccleſia cõſuetudo obtinuit, vt ſacrũ Chriſti corpus traderetur in manus vt ex Tertulliano, [i] Gregorio [k] Naziãzeno, Cyrillo [l] Ieroſolymo, Chryſoſtomo, [m] Auguſtino, [n] & Cõcilio Toletano primo didicimus; & cõiecturæ docẽt, Chriſtũ in manus corpus ſuũ tradidiſſe; nã & accipiẽdi verbũ ad manũ potiùs, quàm ad os refertur, & calicẽ in manus traditũ, planè videtur certũ;

A eodem autẽ modo credẽdus eſt tradidiſſe corpus: Denique ſi (vt diximus) ad veterẽ Hebræorũ conſuetudinẽ aliquẽ habuit reſpectũ, nullo modo videtur credibile cõſueuiſſe olim patrẽfamiliâs, panis azymi particulã in os inſerere conuiuarũ. Quẽ autẽ in vſum diſtribuat, explicat cũ ſubdit. *Accipite, & manducate.* His antẽ ita explicatis, ſupereſt inueſtigandũ aliáne diſtincta actio cõcipiẽda ſit, qua Chriſtus panẽ, & vinũ cõſecrarit (vt Eccleſia loquitur) in ſuũ corpus, & ſanguinẽ trãſubſtãtiarit. Quę quęſtio vt expediatur, inueſtigare neceſſe eſt, quanã ratione Chriſtus corpus ſuũ cõſecrarit, quiq; ſit inter actiones enumeratas ordo cõſtituẽdus. Et quidẽ, vt à prima dubitatione initiũ ſumã, non defuerũt qui [a] exiſtimarẽt Chriſtũ nullis adhibitis verbis cõſecraſſe, ſola volũtate ac poteſtate excellẽtiæ, ſoloq;

B cõtactu, aut externo aliquo ſigno; verba nãque Euãgeliſtarũ, & hæc ipſa Pauli, quæ habemus in manibus, nõ obſcurè indicãt, cùm Chriſtus pronuntiauit ea verba. *Accipite, & mãducate, hoc eſt corpus meũ,* præceſſiſſe cõſecrationẽ: idque ex Marci [b] narratione maximè confirmatur, qui cùm de Calice ageret, priùs ait, Apoſtolos bibiſſe, quã Chriſtus cõſecrationis verba proferret. Alij [c] putarunt adhibuiſſe quidẽ Chriſtũ ad conſecrationẽ verba, ſed alia lõgè diuerſa ab iis, quæ nũc vſurpãtur à ſacerdotibus, nobis tamẽ penitus ignota quæ indicãtor, cùm dicitur Chriſtus benedixiſſe, & gratias egiſſe, vt benedictio, & gratiarũ actio, idem planè ſint cum cõſecratione vt Iuſtini, Irenęi, Cypriani, Ambroſij, & Iuuẽci teſtimonia, paulò antè allata, inſinuare vi-

C dentur. Communis tamen Theologorũ ſententia contendit verba, quę nunc ad conſecrationẽ adhibentur, eadẽ prorſus ratione fuiſſe à Chriſto vſurpata, quæ tamen non eodẽ modo ab omnibus explicatur. Nõnulli enim putarunt Chriſtũ ſecretò protuliſſe verba cõſecrationis, eadémque poſtea audientibus diſcipulis iteraſſe, dũ eis ſacramẽtũ præberet, tũ vt intelligerẽt quid ſumerent, tum vt cognoſcerent quã deinceps conſecrationis formam ſequuturi eſſent: quod videtur inſinuare illi, qui benedictionẽ & gratiarum actionẽ vim habuiſſe putãt conſecrandi, verba autẽ, quibus nũc cõſecratio peragitur, etiam tũc à Chriſto fuiſſe adhibita. Alij [d], auctore præcipuè Auguſtino [e] negãt ſemper in Euangeliſtarum narratione rei geſtæ ordinẽ retineri: quamobrẽ conſecrationis, & cõmunionis ordinẽ ita

D fuiſſe exprimẽdũ. *Accipiens panẽ benedixit dicẽs, Hoc eſt corpus meũ, accipite, & mãducate.* At alij admiſſo ordine verborũ dũ Chriſtus benediceret, gratias ageret, frãgeret, ac diſtribueret, conſecrationis verba pronũtiaſſe opinãtur; [f] quod tamen [g] aliis nõ probatur, qui volũt, Chriſtum vſum quadã benedictione, gratiarúmque actione illi aliàs cõſueta. deinde fregiſſe, tum porrigẽdo dixiſſe. *Hoc eſt corpus meum;* & conſecraſſe.

III. Ego ſi negẽ primã illã ſententiã, quæ negat, Chriſtũ iiſdẽ verbis cõſecraſſe, quibus nũc conſecrant ſacerdotes, viſam fuiſſe multis probabilẽ, vel certè ab omni cẽſura liberã, atque immunẽ, nõ abſim à temeritate fateor: tamẽ habitã eſſe à quibuſdã [h] à probabilitate alienã: ſunt etiã qui eã temeritatis dãnent argu-

E mento ſanè nõ ſolùm frigido, ſed prorſus inani. Aiunt enim Eccleſiã in Canone apertè indicare, Chriſtum iiſdẽ verbis cõſecraſſe, quib. & nos; ſic enim in Canone legimus. *Qui pridie quã pateretur, accepit panẽ in ſanctas, ac venerabiles manus ſuas, & eleuatis oculis in cœlum benedixit, fregit, deditq; diſcipulis ſuis dicens. Accipite, & mãducate.* Ex quibus verbis colligũt, ſacerdotẽ Chriſti factũ & referre, & imitari, quod nemo negat. Illud nõ video quomodo probetur, iiſdẽ verbis Chriſtũ cõſecraſſe. Quẽadmodũ enim nõ eodẽ planè modo ſacerdotes & benedicũt, & gratias agũt, ac ne tũc quidẽ frãgũt, nõ video cur neceſſe ſit, Chriſtũ iiſdẽ conſecraſſe verbis, quib. illi cõſecrãt. Abdũt Cõc. Florẽtini

teſtimo

a Apolog. ad Ant.
b lib. 4. c. 14. & 34.
c Ser. de cœna Domini.
d lib. de his, qui myſt. init. cap. 9.
e lib. 4. hiſt. Euang.
f cap. 58. 7.
g Thren. 4. 4.
h Act. 2. 42.
i lib. 2. ad vxor. c. lib. de ſpect.
k Or. in funer Gorg. ſor.
l Catech. 5. myſtag.
m lib. 6. de ſacerd.
n Serm. 44. de temp.

a Innoc. lib. 4. de off. miſſæ c. 6. alij in c. qui ſolemnitẽ de conſecrat. d. 1. vt Archidiac.
Armacan. lib. 9. de quæſt. Armen. c. 17.
b Cap. 14. 23. (?)
c Occid. in ration. diuin. lib. 4. c. 44. n. 13.
Odo Cameracẽſ. in Can. Miſſæ diſt. 1.
Tuelman. ibidem
Godefrid. Mantouan. d. 8. q. vnic. a. 2.
Carbanen. opuſc. de hac re.
Gabriel. lect. 36. 48. in Canon.
Petr. Aureol. lib. 4. q. 4.
Meminit huius ſententiæ Alex. Aleſ. neque ei cõſentit, cuiuſque in eadẽ ſententia Stoms à Petro Aluerni. Vt putat probabil.
Rubionis 4. 8. q. 3. art. 2.
b cap. 14. 23.
c Hu. maximè videtur probare Caterus loco ci. 410.
d Alex. Aleſ. 4. p. q. 10. memb. 4. ar. 2. § 1.
Bonauent. in 4. d. 8. ar. 2. q. 2.
Argent. in 4. d. 8. q. 1. a. 2. & Diu. Thom. 3. p. q. 78. a. 1. nõ putat improbabile.
e lib. 2. de conſen. Euang. c. 11. & 44.
f D. Thomas loco indicat. 1. ad 1.
g Sot. in 4. diſt. 9. [illegible] Cenſeſtẽſ. Cõcor. Euãg. cap. 135.
h Durand. in 4. d. 8. art. 3. q. 1. ad 3.
Paludan. ibidem q. 1. a. 4.
Durand. q. 1. n. 15 & 16.
Marſil. q. 6. art. 1. Ponit dubitat.

A teſtimonium; formam enim ait huius ſacramenti eſſe verba, *quibus Chriſtus confecit.* Sed alij codices habent. *Quibus conficit.* Sacerdos enim in perſona Chriſti ita conſecrat, vt Chriſtus ſuis verbis aſſiſtat, & tamquam primaria cauſa conficiat. Quod apertiſſimè docet Chryſoſtomus [a]. *Non ſunt humana virtutis hæc opera, quæ tunc in illa cœna confecit, ipſe nunc quoque operatur, ipſe perficit, miniſtrorum nos ordinem tenemus; qui verò hæc ſanctificat, & tranſmutat ipſe eſt.* & multa deinceps. Adeſt autem conſecrantibus Chriſtus, ſuáque vi admirabilem efficit conuerſionem. Addo (quod eſt longè probabilius) ita legendum eſſe. Formam huius ſacramenti eſſe verba ſaluatoris, quibus hoc conficitur. Vrgent præterea Innocentij [b] teſtimonio, quo ſignificat, formam B verborum inſtitutam fuiſſe à Chriſto, cùm in corpus, & ſanguinem ſuum panem tranſſubſtantiauit, & vinum. Quæ verba non ſunt Innocentij definientis, qui aliàs (vt ſuprà dixi) perſpicuè indicauit quid ſentiret; ſed Archiepiſcopi Lugdunenſis quæſtionem proponentis. Et quamquàm verba eſſent Pontificis non ſignificant illo ipſo puncto temporis, quo panem, & vinum in corpus, & ſanguinem tranſſubſtantiauit, formam ſacramenti expreſſiſſe; ſed quo tempore ipſe conſecrauit, docuiſſe formam conſecrationis. Sic enim dicere conſueuimus, fuiſſe hoc ſacramentum inſtitutum in cœna: itaque Pontifex indicat quando Chriſtus conſecrauit, formam etiam tradidiſſe conſecrationis, quod facere potuit, etiamſi aliam ipſe formam ſequutus eſſet. Denique Concilij C Tridentini verba obijciunt, cùm ait *Chriſtum Dominum redemptorem noſtrum inſtituiſſe hoc admirabile ſacramentũ in vltima cœna, cùm poſt panis, vinique benedictionem ſe ſuum ipſius corpus illis præbere, ac ſuum ſanguinem diſertis, & perſpicuis verbis teſtatus eſt*; quæ eodem modo, tempus quidem inſtitutionis ſignificant, non ipſum temporis articulum. Accedit quod ſacramẽti inſtitutio illis potiſſimùm verbis exprimitur. *Hoc facite in meam commemorationem.* Concilij porrò verba ad ſacramenti veritatem ſignificandam referuntur, neque aliud prætereà ex illis colligi poteſt. Quamquàm tamen hæc ita diſputo, vt quorundam cenſuræ ſeueritati occurram; longè tamen probabilius exiſtimo, & Chriſtum conſecraſſe verbis, & iiſdem omnino, quibus nos conſecramus. Hoc enim D perſpicuè docẽt veteres omnes fermè patres: etenim Tertullianus [c]. *Acceptum* (inquit) *panem, & diſtributum diſcipulis corpus ſuum illum fecit. Hoc eſt corpus meum dicendo.* Cyprianus [d]. *Ante verba illa* (inquit) *cibus communis erat, ſed ex quo à Domino dictum eſt. Hoc facite in meam commemorationem, hæc eſt caro mea, & hic eſt ſanguis meus,* &c. Iuſtinus [e] autem Martyr non obſcurè ſignificat trãſſubſtantiationem à Chriſto factam, dum pronuntiauit. *Hoc eſt corpus meum, & hic eſt ſanguis meus.* Et Irenæus [f]. *Eum* (inquit) *qui ex creatura panis eſt accepit, & gratias egit dicens; Hoc eſt corpus meum. Et calicem ſimiliter, qui eſt ex ea creatura, quæ eſt ſecundùm nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt.* Et alibi [g]. *Accipiens panem, ſuum corpus eſſe cõfitebatur, & temperamentum calicis ſuum ſanguinem confirmauit.* Gregorius [h] Nyſſenus. *Panis* (inquit) *per verbum, vt dictum eſt, à verbo in corpus mutatur.* E Planiùs autem Chryſoſtomus [i]. *Quemadmodum* (ait) *verba, quæ locutus eſt Chriſtus eadem ſunt, quæ ſacerdotes nunc quoque pronuntiant; ita & oblatio eadem eſt.* Et (vt paucis cuncta complectar) omnes fermè Sancti patres [k] hac ratione loquuntur.

IV. Quamquàm autem non nego, hæc facilè poſſe accipi de Chriſto, vt inſtituente, non autem vt conſecrante, non videtur tamen probabile, Chriſtum Dominum aliud præcepiſſe faciendum, quàm ipſe fecerit. Accedit quod nihilo probabiliora argumenta afferunt aduerſarij, quin potiùs nullo veriſimili argumento nituntur. Nam quod affertur ex Marco de [a] calice, de quo bibiſſe priùs dicuntur Apoſtoli, quàm Chriſtus pronuntiarit verba, non magnam vim habet; poſſumus enim facilè reſpondere, ita ſcripſiſſe Marcum per anticipationem, cùm re vera nonniſi poſt prolata verba biberint, vt alij euangeliſtæ affirmant. Accedit quod cùm dicitur Chriſtus benedixiſſe, ea benedictio non videtur caruiſſe verbis, vt affirmat B. Thomas [b], & inſinuãt Iuſtinus [c] martyr, Cyprianus [d], & Ambroſius [e]. Idem enim in aliis benedictionibus exiſtimandum eſt. Accedit, quòd noſtra conſecratio eſt quædam conſecrationis Chriſti imitatio, vt affirmant Clemens [f] Romanus, Iacobus [g], Chryſoſtomus [h], Honorius preſbyter [i] Auguſtodunenſis. Veroſimile igitur eſt, vt nos vtimur verbis, ita etiam Chriſtum vſum fuiſſe. Verùm quoniam hæc communis ſententia aliter, atque aliter explicatur, eorum mihi ratio probari nullo modo poteſt, qui eadem verba bis à Chriſto pronuntiata fuiſſe dicunt; tum quia id fruſtra, ac temerè confingitur, tum etiam quia nulla apparet neceſſitas cur priùs ſecretò pronuntiaret, quod mox palàm dicturus erat Apoſtolis. Quod verò (auctore Auguſtino) affertur de ordine ab euangeliſtis mutato, probari poſſet, niſi verba Græca, quæ actionem præteritam ſignificant, aliud ſuaderent; græcè enim ſcriptum eſt, εὐλογήσας, & εὐχαριστήσας. Accedit quòd (vt paulò antè monui) Eccleſia ſignificat, benedictionẽ à conſecratione diſtingui: & Concilium [k] Tridentinũ hæc apertiſſimè diſtinguens, ait. *Poſt benedictionem ſe ſuum ipſius corpus illis præbere, ac ſuũ ſanguinem diſertis, & perſpicuis verbis teſtatus eſt.*

V. Quod verò probare videtur B. Thomas, hæc omnia ſimul geſta eſſe, Græcæ locutioni apertè aduerſatur; indicat enim temporibus indefinitis Chriſtum pronuntiaſſe verba cùm benedixiſſet, gratias egiſſet, & panem fregiſſet; vt nihil dicam parum admodum videri veroſimile, tam pauca verba ita potuiſſe à Chriſto deduci, & lentè pronuntiari, vt diuiſioni panis in tot partes, ex æquo reſponderet. Itaque vt ſecundam etiam dubitationem expediam, retinendus videtur is verborum ordo, qui ab Euangeliſtis, & ab Apoſtolo exprimitur, vt priùs Chriſtus panem acceperit, benedixerit, gratias egerit, fregerit, & conſecrarit. Quamuis enim non defuerunt [l], qui gratiarum actionem, & conſecrationem idem prorſus eſſe affirmarent, idque valdè videatur conſentaneum ſanctis patribus; præſertim Iuſtino, & aliis, quos ſuprà nominaui, alij [m] verò putent benedictionem & conſecrationem idem prorſùs eſſe, gratiarum verò actionem à conſecratione diſtingui, alij [n] denique benedictionem, & gratiarum actionem re quidem idem eſſe, plurimùm tamen à conſecratione differre; longè tamen probabilius eſt, has ſingulas actiones ſi propria cuiuſque natura ſpectetur, plurimùm inter ſe diſtare, vt ex ſuperioribus facilè colligi poteſt, vt tamen concipiuntur manaſſe à Chriſto, dum Euchariſtiam inſtituit, ita fuiſſe coniunctas, vt ſolo agentis propoſito, & mentis (vt ita dicam) agitatione diſtinguerentur. Ita enim Chriſtus pani benedixit, vt eadem opera Deo patri gratias ageret, & conſecrationis verba proferret: atque hac ratione veteres Patres conſecrationem interdum appellant benedictionem; nonnunquàm etiam gratiarum actionem, ſiue quia hæ conſecrationi adiunguntur, ſiue quia tam benedictio, quàm gratiarum actio ad conſecrationem referuntur. Non dubium igitur eſt Chriſtum accepiſſe panem, dein gratias egiſſe, ac benedixiſſe, mox fregiſſe, poſtmodùm adhibitis verbis cõſecraſſe, denique diſcipulis tradidiſſe. De fractione

[a] ...om. 83. in ...tt.
[b] ...ep. Cum ...the. de ...rbus. Miſ.
[c] lib. 4. in Marc. cap. 4.
[d] Ser. de cœna Domini.
[e] Apolog. ad Antonin.
[f] lib. 4. ca. 32.
[g] cap. 57.
[h] Or. Catech. apud Euthymium in Panoplia tit. 21.
[i] Homil. 2. in 2. ad Tim. Hom. de proditione Iud. Hom. 83. in Matth. Hom. 61 ad popul.
[k] Orig. Hom. 9. in Leu. Damaſc. lib. 4. c. 14. Euſ. Emiſ. Serm. de Paſch. & Ser. 5. de Paſch. Ambroſ. lib. 4. de Sacram. ca. 4 & 5. lib. de iis, qui myſter. init. c. 9. Heſych. lib. 6. in Leuit. cap. 22. Auguſt. Serm. 28 de verb. Dom. Paſch. de Corp. Chriſti cap. 12. Alcuin. de diu. off. c. de miſſa. Amalar. lib. 1. de off. Eccl. c. 24. Adelman. ep. ad Bereng.

[a] cap. 14. 23.
[b] 3. p. q. 78. ar. 1. ad prim.
[c] in Apolog. ad Antonin.
[d] lib. 2. ep. 3. ad Cæcilium.
[e] lib. de iis, qui myſteriis initiantur.
[f] lib. 8. conſt. cap. 17.
[g] in ſua Liturgia.
[h] Homil. 83. Matt. & Hom. 24. in hanc epiſt.
[i] in gemma animæ. lib. 1. cap. 86.
[k] Seſſ. 13. ca. 1.
[l] D. Thom. 3. p. q. 78 ar. 1. ad. 1. Durand. 4. d. 8 q. 1. ad 4. Marſil. q. 6. a. 1. Gabr. lect. 38 in Can. Beſſar. de verb. conſecr.
[m] Alan. lib. 1. de Euchar. cap. 21.
[n] Bonauent. in 4. d. 8. a. 2. q. 1 ad 1 Armacan. lib. 9. de quæſt. Armen. cap. 5. Sot. 4. d. 13. q. 1. ar. 2 ad. 1 Beda Marc. 14. Caiet. & Titelman. Matt. 26. Ianſen. ca. 131. concord.

tamen dubitatur à multis, præceſſerit-ne, an ſubſequuta ſit conſecrationem; ſed ex iis, quæ dicta ſunt, multò videtur probabilius fractionem conſecratione priorem fuiſſe, vt non obſcurè indicat Clemens[a] Romanus: quamquàm ſi quis contendat fuiſſe conſecratione poſteriorem non magnopere repugnandum cenſeo. Certè diſtributio non niſi poſt conſecrationem abſolui potuit. Igitur rectè dixit Apoſtolus, cùm Chriſtus gratias egiſſet, fregiſſe panem, dixiſſeque *Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur*; eſt enim græcè κλώμενον. Eodem modo loquitur Ambroſius, quod quidem alij ad diſtributionem referunt, quaſi dicat, vobis frangitur: alij ad mortis genus, quod fuerit Chriſti corpus grauiſſimis cruciatibus laceratum, contuſum, & fractum, idque ipſa ſpecierum fractione ſignificari volunt. Cæterùm Chryſoſtomus[b] ſcribit Chriſtum in ſacramento pati fractionem, quam in cruce pati noluit, vt ſuprà monuimus. Quanquam autem fractio ad Chriſti mortem, & cutis, neruorum, ac venarum fractionem referri poteſt; quia tamen Apoſtolus præſenti tempore loquitur, veriſimilius videtur, reſpexiſſe Paulum ad ſpecierum fractionem, in quibus corpus ipſum Chriſti quodammodò frangi, atque immolari dicitur, vt ex hoc intelligamus, verè Chriſtum ſacerdotalem actionem exercuiſſe, ſeque ipſum verè ſacrificaſſe, quod etiam planiùs indicant quæ ſequuntur. *Hoc facite in meam commemorationem.* Facere enim non latinè ſolùm ſacrificandi verbum eſt, ſed etiam hebraicè eamdem vim habet; ſic enim loquitur Moſes[e]. *Faciet* (inquit) *vnum pro peccato, & alterum in holocauſtum*, & Elias[d]: *Dentur*, ait, *nobis duo boues, & illi eligant ſibi bouem vnum, & in fruſta cædentes ponant ſuper ligna, ignem autem non ſupponant, & ego faciam bouem alterum*: & Oſeas[e]. *Ego dedi ei frumentum, vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.* Quod etiam apud Græcos verum eſſe confirmat Plutarchus[f]; nam de Latinis res eſt extra controuerſiam. Cùm itaque Chriſtus Syriacè locutus ſit, Apoſtolus græcè, verè potuit faciendi verbo rem ſacram ſignificare, vt ridendi, vel miſerandi potiùs videantur hæretici, qui Catholicos irrident, quod faciendi verbum ad ſacrificia doceant pertinere. Verùm ea de re plura ſuo loco dicenda erunt.

VI. Quod autem interpres ait, *Hoc eſt corpus meum*, græcè ſcriptum eſt τοῦτο μοῦ ἐστὶ τὸ σῶμα, quaſi dicat hoc meum eſt corpus: tres tamen Euangeliſtæ dicunt, τοῦτο ἐστὶ τὸ σῶμα μοῦ, *hoc eſt corpus meum.* Quibus ita poſitis ingens eſt non ſolùm inter hæreticos, ſed etiam Catholicos de vero ſenſu horum verborum controuerſia. Recenſentur autem à viris[g] doctis octoginta quatuor hæreticorum explanationes, ſacramentariorum decem omnino deprauationes cõmemorantur[h], non ita pridem prodiit libellus, in quo enumerantur ducentæ hæreticorum deprauationes his tam paucis verbis adhibitæ. Fuerunt qui pronomen *hoc* poſitum putarent pro aduerbio loci, vt ſenſus ſit. Hic ſedet corpus meum, alij idem pronomen ad totam actionem referunt; quaſi dicat, hæc actio corpus meum repræſentat, ſeu in hac actione exhibetur corpus meum. non deſunt qui de pane accipiant hunc fermè in modum: Corpus meum eſt hoc, ideſt panis, quandoquidem ſpiritualiter nutrit, alij de eodem quidem pane, ſed alio modo explicãt, vt ſignificet hic panis eſt corpus meum, ſiue quia eſt idem valet, quod ſignificat, ſiue propter communicationem idiomatum, quam oriri putant ex vnione animæ cum corpore, coniunctione humanæ naturæ cum verbo, ſacramentali denique cõnexione inter panem, & corpus Chriſti, & ne cuncta delirantium ſomnia commorem, nonnulli putãt,

a lib. 8 conſt. cap. 14.
b Hom. 24. in hanc epiſt.
e Leuit. 15. 15.
d 3. Reg. 18. 23.
e cap. 2. 8.
f lib. 8 quæſt. conuiu. cap. 8.
g Clau. Sanct. repert. 1. de Euchariſtia c. vlt.
h A Luthero lib. de verbis cœnæ.

A hunc eſſe verborum ſenſum, *hoc*, id eſt panis eſt figura corporis mei. Nec defuerunt qui aliena prorſùs interpretatione de corpore myſtico hæc dicta eſſe putarẽt, quaſi diceret Chriſtus accipite, & manducate, quia vos eſtis corpus meum myſticum: vt interim illos omittam, qui corpus meum explicant de pane. in hunc ſenſum eſt corpus à me factum. Verùm hæc omnia falſa ſunt, & ab hæreticis non minus ſtolidè, quàm impiè excogitata. Inter Catholicos quamuis multa incredibili ſubtilitate diſputentur, conuenit tamen, ſi paucos excipias, pronomina ſignificare corpus, & ſanguinem Chriſti, eſſeque propoſitiones veras quidem, ſed practicas, hoc eſt effectrices eius, quod ſignificant. Quo fit, vt pronomina habeant rationem ſubiecti, & cum ſuis præ-B dicatis ritè coniungantur, vt hæc Pauli verba perſpicuè ſignificant, τοῦτο μοῦ ἐστὶ τὸ σῶμα, quaſi dicat; hoc meum eſt illud corpus, quod pro vobis tradetur. Quocirca omnes hæreticorum explicationes, quæ figuras, & metaphoras, aut metonymias confingunt, cum recta fide pugnant, vt alibi oſtendo, quæ naturam propoſitionum inuertunt etiam cum dialectica, ne dicam cum grammatica. Qui enim ductu circini circulum deſcribit, verè affirmaret, ſi diceret deſcribens circulum, hic eſt circulus, totáque ea propoſitio in fine deſcriptionis circuli vera eſſet; idipſum de his propoſitionibus ſentiendum eſt, vt fuſiùs in ſcholis diſputant Theologi.

Similiter et calicem postqvam, &c. 25.
I.
Quam porrò cœnam intelligit? Siquidem Mat-C thæus inter cænandũ ſacramentum Euchariſtiæ inſtitutum fuiſſe ſcribit. *Cœnantibus autem* (inquit) *eis, accepit Ieſus panem*, & quæ ſequuntur: cõtra verò poſt cœnam Chriſtum abluiſſe pedes diſcipulorũ apertè ſcribit Ioannes[a]. *Et cœna* (inquit) *facta.* Et mox. *Surgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua.* Itaque cum eodem fermè tempore tres actiones contigiſſe commemorentur; eſum agni, ablutionem pedum diſcipulorum, & Euchariſtiæ inſtitutionem, quo tamen ordine hæc collocanda ſint, non ſatis conſtat. Solet autem triplex cœna diſtingui, legalis, ſeu typica, qua agnus paſchalis comedebatur; myſtica, ſeu noua, quæ ſpectat ad ſacramenti inſtitutionem; tertia communis, quæ (vt paulò pòſt docebo) ad azymorum vſum inchoandum inſtituta erat. Fuerunt porrò qui exiſtimarent, D lotionem pedum præceſſiſſe omnem cœnam etiam legalem, quod Ioannes indicare videatur poſt ablutionem pedum Chriſtum accubuiſſe, & intinctum panem Iudæ porrexiſſe. Quod verò idẽ Ioannes ait cœna facta ſurrexiſſe Chriſtum ad abluendos pedes, explicant cum D. Auguſtino, Beda, & aliis; cœna iam parata, & menſa ſtructa, cibis appoſitis, iámque omnibus, qui cœnaturi erant, accumbentibus. Sed re vera cœnam aliquam ante ablutionem pedum fuiſſe ſaltem inchoatam ipſe Ioannes indicat, qui Chriſtum ait ſurrexiſſe à cœna, & poſuiſſe veſtimenta ſua. Non puto tamen, quod aliqui opinati ſunt, abluiſſe Chriſtum diſcipulorum pedes, inchoata quidem cœna legali, nondum tamen abſoluta. Neque enim veriſimile eſt èſum agni, in quo Deus E celeritatem præcipiebat[b], tam diuturna mora fuiſſe interruptum. Alia omnia exiſtimaſſe videtur auctor de operibus cardinalibus apud Cyprianum[c], qui ablutionem pedum poſt cœnam agni, & ſacramenti inſtitutionem collocat, & poſt Iudæ diſceſſum; cùm tamen apertè indicet Ioannes Iudam affuiſſe pedum ablutioni; vbi enim Chriſti verba poſuiſſet: *Vos mundi eſtis, ſed non omnes*, quibus proculdubio præſentes alloquitur, continuò ſubdit: *Sciebat enim quis proderet eum, propterea dixit: non eſtis mundi omnes*, deinde apertiſſimè ait, poſt ablutionem pedum Chriſtum

a cap. 13.
b Exo. 12. 11.
c Ser. de ablut. ped.

recu

recubuiſſe, & proditorem indicio panis intincti ſignificaſſe, vt neceſſe ſit aliam quandam cœnam admittere à cœna typica, & legali diſtinctam; quam non pertinere ad inſtitutionem Euchariſtiæ indicat Lucas, & ex intincto pane deprehenditur. Nam qui putant ex prætetita cœna legali reliquum fuiſſe iuſculum, non ſatis videntur animaduertiſſe, quod in Exodo apertè præcipitur, agnum aſſum comedendum eſſe, embamma verò (vt paulò pòſt oſtendam) ad azymorum vſum, & cœnam dimiſſoriam pertinere, in qua ea peracta ſunt, quæ Ioannes ſcribit de proditoris indicio, déque ſuo in ſinu Chriſti recubitu, quem inter cœnandum contigiſſe, ipſe Ioannes in fine Euangelij ſui affirmat: denique cæteri Euangeliſtæ apertiſſimè docent, inter cœnandum fuiſſe inſtitutam Euchariſtiam. Non defuerunt qui lotionem pedum inchoata iam cœna dimiſſoria nondum tamen abſoluta factam ex eo probent, quod Ioannes ait, Chriſtum ad abluendos pedes ſurrexiſſe à cœna; quod argumento eſt illum accubuiſſe, atque adeo cœnam illam non pertinuiſſe ad eſum agni, qui à ſtantibus comedendus erat, vt in Exodo [a] præſcribitur: idque affirmant Philo [b] Iudæus, & Gregorius [c] Nyſſenus. Sed quamquàm hæc ſententia non ignobiles habet auctores, non mihi tamen facilè perſuaderi poteſt; tum quia nõ eſt veriſimile, voluiſſe Chriſtum cœnam interrumpere, vt diſcipulorum pedes ablueret, nulla præſertim conſuetodine ſuffultus [d]; tum quia in Exodo ſolùm præcipitur, vt agnum Hebræi comederent, renibus accinctis, pedibus calceatis, aſſumptóque in manibus baculo. Quæ quamquàm difficile ab accumbentibus præſtari poterant, nihil tamen prohibet, quin à ſedentibus efficerentur. Accedit quod ex Ioſepho [e], & Hebræorum rituali libro, quem multis annis Chriſti aduentũ præceſſiſſe ferunt, viri [f] docti probant, morem illũ comedendi agnum fuiſſe immutatum à Babylonica captiuitate; in illo namque libro auctor affirmat, in aliis cœnis Hebræos tum ſedere, tum diſcumbere, in cœna verò agni tantùm diſcumbere: quamobrem potuit Chriſtus in cœna legali diſcumbere, & ad abluendos pedes ſurgere.

a cap. 12. 11. b. de ſacr. Abel. c. de vita M. d Chriſtum. Euth. 26. Lanſ. Concor. Euang. cap. 129. e lib. 3. antiq. cap. 10. f Scalig. lib. 6. de emend. temp. & Baron. an.

II. Iam verò minimè audiendi ſunt ij, qui [g] negant Chriſtum eo anno, quo mortuus eſt, agnum paſchalem comediſſe; omnes enim Euangeliſtæ contrarium apertè docent, atque omnes ſancti patres affirmant. Ab hac autem cœna agni ſurrexiſſe dicitur Chriſtus, vt diſcipulorum pedes ablueret, & de hac item cœna intelliguntur illa. *Et cœna facta*, hoc eſt iam abſoluta, aut inchoata certè, ſi referatur ad totam actionem cœnæ, & ſecũdas etiam menſas, ac cœnam dimiſſoriam complectatur. Surrexiſſe autem dicitur à cœna, id eſt, loco cœnæ vbi diſcumbebat, omiſſa altera cœnæ parte, quæ ſequebatur: dictum eſt enim paulò antè, nuſquam præcipi, vt Hebræi ſtantes agno paſchali veſcerentur. Itaque ablutio pedum interiecta eſt inter eſum agni, qui præceſſerat, & azymorum cæremoniam, ſeu cœnam communem, quæ ſubſequuta eſt: quæ eſt ſententia Ambroſij [h], Auguſtini [i], Bernardi [k], Damaſceni [l], Euthymij [m], & aliorum. Idque non ſolùm propterea factum eſſe credendum eſt, vt ea ratione diſcipulorum animos ad Euchariſtiæ perceptionem pararet; ſed etiam, vt more gentis, ante azymorum ſolemnitatem conuiuarum pedes ablueret. Certè Ritualis ille Hebræorum liber in cœna paſchali conſueuiſſe (ait) ablutionem iterari, quod ferè in aliis celebrioribus cœnis alia quadam ratione fiebat. Nam ſimpliciter conſueuiſſe Iudæos lotos cœnare, indicat Lucas [n]; ſcribit enim, miratum fuiſſe Phariſæum, quòd Chriſtus non baptizatus recubuiſſet; & clariùs Marcus [o]. *A foro* (inquit) *niſi baptizentur, non comedunt.* Et vt minimum honeſtos, & mediocris conditionis homines pedes abluere ſolitos, ne lectos, in quibus diſcumbebant aliquo pacto inquinarent, haud obſcurè colligitur ex Luca [a], apud quem Chriſtus exprobrat Phariſæo, quòd ſibi accumbenti aquam pedibus non præbuerit, quaſi id eſſet conſuetum; alioquin nõ potuiſſet vitio verti, ſi fuiſſet omiſſum quod erat præter conſuetudinem. Et quidem diſcipulos ante eſum agni fuiſſe lotos, Chriſtus ipſe apud Ioannem [b] ſignificat. *Qui lotus eſt* (ait) *non indiget niſi, vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus.* Quamuis ea verba allegoricè de myſtica, & ſpirituali ablutione accipienda videantur, non repugnat tamen etiam intelligi de hac ablutione, à qua ſumpta eſt metaphora. Quamobrem Petrus cùm dixit. *Domine, tu mihi lauas pedes?* nõ id miratur quaſi nouum, & inuſitatum, ſed quòd Dominus, ac Magiſter ſeruorum, & quidem vilium miniſterium vſurparet, idque ſtudioſiſſimus, atque amantiſſimus diſcipulus ferre non poterat. Igitur poſt eſum agni paſchalis propter cæremoniam azymorum, & cœnam communem, pedũm ablutio iteranda erat, cum in aliis celebritatibus manuũ ablutio ſolummodò repeteretur. Atque ita in illo rituali inter cætera dicitur, hac nocte bis lauari, aliàs ſemel. Aiunt autem azymorum cæremoniam fuiſſe in cœna paſchali pro ſecundis menſis, & cœna dimiſſoria, quæ cõtineret gratiarum actionem, & aliàs quidem bellaria; initio verò azymorum embamma, & lactucas, & azymos panes, qui in illo iure intingerentur.

g Rupert. Vel. apud ... apud Theophyl. Matth. 26. & Euthym. in Matt. cap. 64. h lib. de iis, qui myſt. init. cap. 6. & lib. 3. de ſacr. i tract. 55 in Ioan. k ſer. de Cœna Dom. l lib. 4. c. 14. m in Matth. cap. 60. n cap. 11. 38. o cap. 7.

a cap. 7. 44. b cap. 13. 10.

III. Quæ cùm ita ſint, agnum paſchalem ſubſecuta eſt ablutio pedum, qua abſoluta rediit Chriſtus ad mẽſam, & inter cœnandum cœna communi panem intinctum Iudæ porrexit, & Euchariſtiam inſtituit, vt ex Matthæo, Marco, & Luca colligitur: tunc enim Chriſtus dixit ea verba. *Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum*, ſiue loqueretur de myſtico, id eſt, corpore ſuo, de quo hac ipſa Epiſtola dixit Paulus. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*, vt Tertullianus [c], & Hieronymus [d] interpretantur, ſiue de illo Iudaico, quod erat poſtremum, in quo ſeipſum immolaturus erat. Quamobrem quod ait hoc loco Apoſtolus; *Poſtquàm cœnauit*; nõ ſolùm de eſu agni, ſed etiam de cœna communi, accipi poteſt; nam ſub finem cœnæ communis inſtituta eſt Euchariſtia. Nec pugnat quod legimus apud Matthæũ, & Marcum. *Cœnantibus*, ſeu *manducantibus*, eſt enim Græcè *ἐσθιόντων*, qui eſt apud Græcos aoriſtus ſecundus, & latinè reddi poteſt; cùm cœnaſſent, aut manducaſſent. Quòd ſi cum vulgato interprete malumus dicere inter veſcendũ inſtitutam fuiſſe Euchariſtiam, tamen id cum Apoſtoli ſententia nullo modo pugnat; ſenſus enim erit: dum diſcipuli vnà cum Chriſto id comederent, quod vltimo loco apponebatur, quóque cœna claudebatur, Chriſtum accepiſſe panem, & calicem, & Euchariſtiam cõfeciſſe. Quomodò autem Euangeliſtarum narrationes inter ſe cohæreant, quæ non leniter pugnare videntur alij viderint; nihil enim id ad Pauli explicationem pertinet. Subdit hoc loco Apoſtolus, dicens. *Hic calix nouum Teſtamentum eſt in meo ſanguine.* Ambroſius: *Hoc* (inquit) *poculum nouum Teſtamentum eſt*; ita enim meliùs expreſſit Græcam vocem *ποτήριον*, quod ſignificat id, vnde bibitur, ſiue cyathus, ſiue calix, ſiue vrceus ſit.

c lib. 4. in Marcion. d Matth. 26.

IV. Videntur autem, hæc Apoſtoli verba nonnihil diſcrepare ab iis, quæ traduntur ab Euangeliſtis; nam Lucas [e] bis videtur de calice loqui, primùm quidem ante panis conſecrationem, iterùm poſt illam: ſed Hieronymus [f], Theophylactus [g], & Beda [g] priora illa de calice prophano accipiunt, qui more gentis in cœna dimiſſoria communis diſtribuebatur. At meliùs Auguſtinus [h] de calice

e cap. 22. 17. 20. f Matth. 26. g Luc. 22. h lib. 3. de conſen. c. 1.

A ſacro explicat, quæ tamen anticipatione quadam eo loco dicantur, & coniungenda ſint cum iis, quæ dicuntur poſt conſecrationem panis: quod etiam indicat Euthymius, & viri docti maximè probant; qui illa, quæ de calice prophano, & iure, ſeu embammate dicuntur, ad finem cœnæ dimiſſoriæ referunt, quando data eſt Iudæ proditori buccella intincta. Pertinent enim ad cæremoniam azymorum, qua (vt dictum eſt) tota illa actio claudebatur, quæ communi nomine Paſcha dicebatur. Illud maiorem videtur habere dubitationem, quod Apoſtolus recto caſu dixit, calicem eſſe nouum Teſtamentum, cùm tamen alij Euangeliſtæ dixerint, calicem eſſe ſanguinem noui Teſtamenti. Sed primùm Lucas planè cum Paulo conſentit. *Hic eſt* (inquit [a]) *calix nouum Teſtamentum in meo ſanguine*; cum autem Græcè Lucas dixit, τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, meritò ambigi poteſt, vbinam verbum ſubſtantiuum quod omnino ſubauditur ponendum videatur: nam ſi ſubdatur pronomini hic ſenſus erit; hic eſt calix, & per appoſitionem, nouum Teſtamentum in meo ſanguine, ſin autem poſt nomen calicis ponatur, erit hic alter ſenſus: hic calix eſt nouum Teſtamentum in meo ſanguine. Quo ſenſu (verbo licet poſtpoſito) dixiſſe videtur Apoſtolus. *Hic calix nouum Teſtamentum eſt in meo ſanguine.* Verùm quoniam Matthæus ipſa Chriſti verba ipſius ore miſſa audiuit, eáque non modò ſcripſit, vt ab illo prolata ſunt, ſed etiam Marco ſignificauit; cùm certum ſit, non potuiſſe Chriſtum eadem verba duobus modis proferre, vt Matthæus, & Marcus ſcribunt, & vt Lucas, & Paulus habent; credendum potius eſt, Matthæum, & Marcum poſuiſſe ipſa Chriſti verba, & ad eorum ſenſum explicanda eſſe verba Lucæ, & Pauli, ne pugnátia loqui videantur, cùm præſertim Matthæus, & Marcus magis exprimant quod Chriſtus agebat, qui corpus, & ſanguinem ſuum ſe dare profitebatur. De nouo autem Teſtamento, non niſi obiter meminit, dum ait, ſanguinem ſuum, eſſe noui Teſtamenti ſanguinem, hoc eſt, quo nouum Teſtamentum ſancitum eſt, cùm tamen Lucæ, Paulique verba ſi per ſe ſola ſpectentur, indicare potiùs videantur, Chriſtum tradere nouum Teſtamentum, quam ſuum ſanguinem. Itaque etiamſi admitteremus (quod tamen nullo modo admittendum eſt) locutum eſſe Chriſtum, vt Lucas & Paulus ſcribunt, vſus hebraiſmo credendus eſſet, non infrequenti in ſacris litteris, cùm enim dixit: *In ſanguine meo*; perinde eſt, ac ſi dixiſſet; ſanguinis mei, vt idem planè ſit, hic eſt calix in ſanguine meo, & calix ſanguinis mei: vtraque enim dicendi ratio ſignificat, In hoc calice continetur ſanguis meus, quomodo vulgò dicimus, hæc eſt amphora vini, hic eſt vrceus aquæ. Porrò Matthæus, & Marcus noui Teſtamenti ſanguinem dicunt, quo videlicet ſancitum eſt, vt dixi. Calix verò per appoſitionem à Luca nouum dicitur Teſtamentum, quia illo ſanguine, tanquàm externo ſymbolo firmatum eſt. Fœdus enim interdum appellatur res ipſa, de qua ictum eſt fœdus, interdum etiam ſymbolum, quo fœdus ſancitur: à qua quidem loquendi ratione, quamquàm nonnulli putant, vt facilius hæreticos refellant, omnem prorſus abeſſe figuram, non dubitarim tamen tropum admittere, quo rei ſignum pro re ſignata ponitur; nihil enim hoc veritati Euchariſtiæ officere poteſt. Quocirca ad hunc ſenſum reuocanda ſunt Pauli verba, quamuis tranſpoſita; hanc enim efficiunt ſententiam, Hic calix eſt nouum Teſtamentum in meo ſanguine. Meritò autem Lucas, & Paulus hoc hebraiſmo vſi ſunt, vt in meo ſanguine dicerent potiùs, quàm mei ſanguinis; quia cùm calicem per appoſitionem nouum Teſtamentum appellaſſent, meliùs dicendum fuit; *In meo ſanguine*, hoc eſt Hebræorũ phraſi, per meum ſanguinem, quàm mei ſanguinis. Re autem vera (vt Matthæus, & Marcus loquuntur) Chriſti ſanguis, noui Teſtamenti ſanguis appellatur. Neque abs re cùm agit de ſanguine noui Teſtamẽti Chriſtus Dominus mentionem fecit; non autem cùm de corpore loqueretur: omnes enim fermè nationes victimarum ſanguine fœdera ſancire conſueuerant, tunc autem nouum fœdus cum Apoſtolis, tamquàm cum vniuerſa Eccleſia inibatur. Addit Apoſtolus. *Hoc facite quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem.* (V.) Hæc eadem verba leguntur apud Lucam; ſed poſt conſecrationem panis. Pronomen autem *hoc* ad vniuerſam Chriſti actionem referendum videtur: B præcipit enim fieri quod ipſe fecit, non quidem ab omnibus, ſed à ſacerdotibus, quales voluit eſſe Apoſtolos, quos præſentes alloquebatur, quóſque tunc ſacerdotio initiauit. Tribuit enim illis vim, atque auctoritatem conſecrandi, & panem, ac vinum in ſuum corpus, & ſanguinem tranſmutandi, modò ritè conſecrationis verba adhiberent; atque hac ratione faciendi verbum (vt ſuprà monui) ad ſacrificia ſpectat. Quòd ſi hæc Chriſti verba ad ſolam Euchariſtiæ perceptionem referantur, ad omnes fideles pertinent, ad quos proculdubio ſpectant illa, quæ ſequuntur: ſin autem reſpiciant conſecrationem, ad ſolos ſacerdotes. Videtur autem Apoſtolus in iis, quæ conſequuntur, priorem ſequi ſententiam, vt hinc (quod monet Chryſoſtomus) occaſionem arripiat C monendi Corinthios, qui in vſu Euchariſtiæ paulò videbantur liberiores. Oſtendit enim illis (vt ait Ambroſius) myſterium Euchariſtiæ inter cœnandum celebratum, non cœnam eſſe; *medicina enim ſpiritualis eſt, quæ cum reuerentia deguſtata purificat ſibi deuotum: memoria enim redemptionis noſtræ eſt, vt redemptoris memores maiora ab eo conſequi mereamur.* Et ideirco ait Paulus: *Quotieſcumque bibetis*: ipſa enim Euchariſtiæ ſumptio memoria eſt paſſionis, ac mortis Chriſti. Quapropter rectè colligit Theophylactus. *Eo* (inquit) *affectu debetis eſſe imbuti, perinde quaſi in illa ipſa Chriſti eſſetis veſpera, adeóque cœna, eidémque accumberetis thoro, & ab ipſo Chriſto acciperetis ſacrũ iſtuc.* D Idem verò addit hoc Chriſti exemplo eorum caſtigari impudentiam, qui in priuatis ſuis cœnis & pauperes excluderent, & vſque ad temulentiam ipſi potarent. Poſſet fortaſſe quiſpiam ex hoc loco argumentari, vtramque Euchariſtiæ ſpeciem etiam laicis tribuendam eſſe; ſed ea de re plura ſuo loco.

(26. I.) QVOTIESCVMQVE ENIM MANDVCABITIS PANEM HVNC, &c. Explicat quod modò dixerat. *In mei memoriam facietis.* Quotieſcumque (inquit) huius diuinæ menſæ participes eritis, perpeſſionis, ac mortis Chriſti memoriam reuocabitis: vt enim ait Chryſoſtomus; *hæc noſtra menſa nihil ab illa differt, quam Chriſtus Apoſtolis exhibuit, niſi quod alij ſunt miniſtri, qui Chriſti corpus, & ſanguinem conſecrant, & diſtribuunt.* Vocat autem Apoſtolus panem, E quomodò etiam ſuprà dixerat panem; quem frangimus: non quidem, vt hæretici ſomniant, quod maneat poſt conſecrationem ſubſtantia panis; id enim falſum eſſe alibi doceo; ſed quòd multæ eius nominis rationes afferri queant; primùm quia neque nouum, neque à ſcripturis ſacris alienum videri debet, rem quampiam eius rei nomine appellari, ex qua prodierit. Sic Eua Adami primi parentis noſtri os vocatur [a]. *Hoc nunc* (inquit) *os ex oſſibus meis*: & virgæ olim in Ægypto [b] in dracones conuerſæ adhuc appellantur virgæ: & apud Matthæum [c] cæci videre, & claudi ambulare dicuntur; qui videlicet non ita pridem

a cap. 22. 20.

a Gen. 2. 23.
b Exo. 7. 1[?].
c cap. 11.

p.21.31. pridem cæci,& claudi fuerant. Apud eundem [a] publicani, & meretrices præcedere dicuntur in regno cœlorum; id eſt qui aliquando huiuſmodi fuiſſent, non etiam eſſent: ſic etiam apud Ioannem [b] Architriclinus guſtaſſe dicitur aquam vinum factam. Deinde conſueuit ſcriptura ex ſpecie externa nomina rebus imponere. Ita ſerpentem æneum ſimpliciter vocat ſerpentem: boues æneos, malogranata aurea his nominibus appellat; Angelos, qui humana ſpecie viſebantur, abſolutè viros nominat. Eadem igitur ratione, quia Chriſti corpus panis ſpecie tribuitur, ſimpliciter dicitur panis. Addo, panem phraſi Hebræa omnem cibũ appellari, atque ita ſcriptura cõedere panem pro cuiuſuis cibi vſu accipit. Hîc autem in Euchariſtia diuinus quidam cibus tribuitur, hoc eſt, Chriſti caro, de qua Chriſtus ipſe apud Ioannem [c], quo loco, & alibi [d] frequenter manna panis dicitur. Quin etiam corpus Chriſti panis dicitur, hoc eſt, myſticus, ac diuinus ad eum prorſus modum, quo ſcriptum eſt. *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Denique acutè viri [e] docti obſeruarunt, panem dici Euchariſtiam, non ſolùm propter panis accidentia, quæ manent; verùm etiam quia (ſublata ſubſtantia panis) manet tamen tota eius vis, atque energia nutriendi, ſuſtentandi, vegetandi, augendi.

p.2.9.

c cap.6.35. d Exo.16.19. Psal.77.24. Ioh.6.10.

e Cypr. Sanct. cap.6.&.1.

11. Neque mouere nos debet, quod importunus hæreticus [f] vociferatur, abſurdum, atque indignum videri eodem capite Paulum ambiguè panis nomen vſurpare; cum enim propriè dixiſſet, *Accepit panem,* non eſt vllo modo veriſimile à propria ſtatim ſignificatione recedere cùm ſubdit. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc,* & quæ ſequuntur; neminem (inquam) hæc mouere debent; nam ne à propoſitis exemplis recedamus, in Exodo [g] virga Moſis antequàm verteretur in colubrum, propriè virga nuncupatur, poſt conuerſionẽ non niſi impropriè. Quod ſi quis obiiciat ibi apertè deſcribi virgæ conuerſionem in ſerpentem; facilè reſponderi poteſt, Paulum proximè præcedenti capite ita de pane loqui, vt non niſi abſurdè ad triticeum panem transferri queat. *Vnus* (inquit) *panis, vnum corpus multi ſumus; nam omnes de vno pane participamus:* quis erit tam ſtupidus, qui omnes fideles dicat, vnum eſſe triticeum panem, aut vno triticeo pane veſci? Quod autem hæretici panem, quem frangimus, de triticeo pane explicant, ab omnibus fermè Catholicis [h] reiicitur, qui de pane myſtico, & de vero Chriſti corpore accipiunt, qui miro conſenſu Chriſti corpus poſt conſecrationem panem vitalem appellari contendunt. *Et calicem* (inquit) *bibetis.* Proculdubio pro eo poſuit, quod in calice continetur. Addit: *Donec veniat. Oſtendens* (ait Chryſoſtomus) *quòd ea maneat vſque ad conſummationem;* & (vt ait Theodoretus) *poſt Chriſti aduentum, hoc eſt ſecundum, non erit opus ſymbolis, ſeu ſignis corporis, cùm ipſum corpus apparebit, & propterea dixit: Donec veniat.* Addit Theophylactus Euchariſtiæ vſu Chriſti mortem annuntiari ad ſecundum vſque eius aduentum; vt enim ait Hieronymus; *tamdiu nobis eius memoria neceſſaria eſt, donec ipſe veniat.*

f Chemnit.

g cap.7.9.

h Tertul. lib. 4. aduer. Cyprian. de Coena Dom. Greg. Nyſſ. de reſ. Dom. & lib. de vita Moſ. Ambro. lib. 5. de ſacr. c. 3. Aug. ſer. 28 de verb. Dom. lib. 3. de ſer. Dom. in monte. ep. 23. Cyrill. Catech. 4. Chrom. Hier. 3. Theodoret. dial. 2. Vdar. Aſer contr. Arrium. Ignat. epi. ad Roman. & ad Philadelph. Iuſtin. Apolo. 2. Diony. ca. 3. de Eccl. Hierarch. Grego. Hom. de paſcha.

27. I. Itaque qvicvmqve manducaverit panem hvnc, &c. Oſtendit quorſum huius myſterij mentionem fecerit; vt enim Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus affirmant, Corinthios non leuiter perſtringit, tum propter eorum ambitionem, qua pauperes cõtemnebant, tum etiam propter illum, qui tam fœda libidine ſeſe polluerat. Docet autem (vt ait Ambroſius) eum eſſe diuina beneuolentia indignum, qui aliter myſterium celebrat, quàm ab eo traditum eſt. *Non enim* (inquit) *poteſt deuotus eſſe, qui aliter præſumit, quàm datum eſt ab auctore.* Benè autem mouet Hieronymus, huc multò

A magis referenda eſſe illa, quæ ſcripta ſunt in lege Moſis [a]. *Omnis mundus manducabit, & anima, quæ immunda manducauerit exterminabitur de populo ſuo.* Et rurſus illa, quæ apud Matthæum [b] dixit Dominus. *Si ante altare recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque munus tuum ante altare, & vadè priùs reconciliari fratri tuo. Priùs ergo perſcrutanda eſt conſcientia, ſi in nullo nos reprehendit, & ſic aut offerre, aut communicare debemus.* Quid autem ſit indignè manducare, aut bibere, quod attinet ad rem præſentem, his verbis indicat Chryſoſtomus. *Quomodo enim non indignè qui deſpicis eſurientem? Qui præterquàm quod deſpicit, etiam pudore afficit? Si enim non dediſſe pauperibus expellit a regno, etiamſi quis ſit virgo, immò verò non largè dediſſe; nam & illæ habebant*

a Exod. 10.

b cap. 5. 23.

B *oleum, ſed non ſatis habebant, tam multa abſurda feciſſe, & indigna, cogita quantum ſit malum. Quænam ſunt* (inquis) *abſurda, & indigna? Quid dicis, quænam abſurda? Talis menſæ fuiſti particeps, & cum omnibus deberes eſſe mitior, & clementior, & par Angelis, fuiſti omnium crudeliſſimus; guſtaſti ſanguinem dominicum, & ne ſic quidem fratrem agnoſcis?* Vniuerſim autem rectè dixit Anſelmus, indignè eum manducare, & bibere, *qui ſine debita reuerentia ſacram euchariſtiam percipit; quique non priùs per pœnitentiam purgatus ad hoc ſacramentum accedit.* Denique (vt ait Teodoretus) *indignè percipit, qui mala conſcientia percipit.* Non eſt autem prorſùs negligendum, quod eſt ante nos à viris doctis obſeruatum, non fruſtra Paulum dixiſſe, *manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini,* quo-

C modo etiam legit Ambroſius, & non ſemel Cyprianus [c]; videtur enim indicare voluiſſe, non eſſe vtranque ſpeciem ſimpliciter neceſſariam, ſed fas eſſe interdum alteram ſine altera ſumere. Subdit. *Reus erit corporis, & ſanguinis Domini. Hoc ſignificat* (inquit Theodoretus) *quod quemadmodum tradidit ipſum Iudas, ipſi autem inſultarunt, & eum probris, & conuiciis affecerunt Iudæi, ita eum ignominia, & dedecore afficiũt, qui ſanctiſſimum eius corpus immundis manibus accipiunt, & in os pollutum, & inceſtum immittunt.* Et in eamdem ſententiam Theophylactus. *Reus* (inquit) *erit, qui indignè ſumit, perinde ac ſi ipſe quoque ſanguinẽ Domini effundat. Vt enim qui tum pupugerunt Chriſtum, ſanguinem eius, non vt biberent, effuderunt, verùm vt effunderent, ſic indignè bibens, nihilque inde commo-*

c lib. 1. ep. 14. 15. & lib. 3. ad Quir. cap. 94. & in Sermone de lap.

D *dereferens, fruſtrà, ac temere profundit ſanguinem. Porrò Iudæi dilacerarunt regis chlamydem, at qui indignè mãducat, in cœnum, & lutum iſtam chlamydem; hoc eſt, ſuam ipſius animam iniicit. Non-ne igitur par, & minimè diſſimilis eſt ignominia? Propterea & ipſe huius chlamydis reus eſt.* Ambroſius porrò hoc ipſum grauioribus verbis explicans. *Quid eſt autem,* inquit, *reos eſſe, niſi pœnas dare mortis Domini? Occiſus eſt enim ab iis, qui beneficium eius irritum ducunt.* Sic etiam loquuntur Hieronymiani commentarij. Denique Anſelmus. *Fit,* inquit, *reus corporis, & ſanguinis Domini id eſt, non purgationem, ſed maculam culpæ, pro qua pereat, trahit ex eo, quod malè accipit bonum ſacramentum corporis & ſanguinis Domini.* Nec malè quiſpiã huc referat quod ad Hebræos [d] ſcribit Apoſtolus. *Quanto magis putatis*

d cap. 10. 29.

E *deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritus gratiæ contumeliam fecerit.*

28. I. Probet avtem se ipsvm homo, &c. Benè Chryſoſtomus, & Theophylactus monent, conſueuiſſe Apoſtolum (opportuna occaſione obiecta) ad mores, vitámque probè inſtituendam digredi. Itaque in præſentia docet, quànam ratione ad Euchariſtiam accedendum ſit. *Probet autem* (inquit) *ſe ipſum:* hoc eſt (interprete Theodoreto) quaſi ſui ipſius iudex ſedeat, vitam ſuam accuratè expendat, con-

ſcientiam ſcrutetur, & luſtret. Addit Chryſoſtomus, A nefas eſſe ad hãc menſam accedere, niſi priùs prauas quis cupiditates aut fregerit, aut edomauerit. Quamobrem communis eſt omnium Patrum ſententia, ante ſacræ eucharistiæ perceptionem, neceſſariam eſſe ei, qui ſit lethalis criminis conſcius, pœnitentiam. Itaque Leo [a] Pontifex: *Mediator* (inquit) *Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus hanc præpoſitis eccleſiæ tradidit poteſtatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem ſacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.* Et Cyprianus [b] cum multa in hanc ſententiam diſputaſſet, concludit. *Ante expiata delicta, ante exomologeſim factam criminis, ante purgatam conſcientiam ſacrificio, & manu ſacerdotis, ante offenſam placatam indignantis Domini, & minantis, pacem putant eſſe, quam quidem verbis fallacibus venditant.* Eodem planè modo loquuntur [c] Baſilius [d], Chryſoſtomus [e], Auguſtinus [f], Gennadius [g], Anſelmus [h], & alij. Itaque Concilium [i] Tridentinum grauiſſimis verbis declarat, ante Euchariſtiam conſcientiam confeſſione expiandam eſſe: quæ fuit ſemper antiquiſſima omnium Patrum, ac totius Eccleſiæ traditio: quamobrem ſcribit Euſebius [k], cùm Philippus Imperator ipſo Paſchatis die Euchariſtiæ particeps fieri vellet, fuiſſe illum ab Epiſcopo reiectum donec inter pœnitentes more cæterorum pœnitentiam ageret. Idem accidiſſe Theodoſio affirmant Theodoretus [l], Sozomenus [m], Paulinus [n], & ipſe Ambroſius [o]: Idque apud Romanos ſanctè fuiſſe ſeruatum teſtatur Sozomenus. Huc pertinent plurima ſanctorum Patrum teſtimonia, quæ ad Euchariſtiam puram, & caſtam exigunt conſcientiam; nam in Græcis liturgiis clamat diaconus: *Sancta ſanctis*, quibus verbis (vt obſeruauit Chryſoſtomus [p]) omnes peccatores excluduntur. Iuſtinus [q] autem. *Porro* (inquit) *alimentum hoc apud nos appellatur Euchariſtia, quod nulli alij participare licitum eſt, quàm veram eſſe doctrinam noſtram credenti, & lauacro propter remiſſionem peccatorum, & regenerationem abluto, & ita vt Chriſtus tradidit viuenti.* Origenes [r] autem. *Iudicium Dei paruipendis, & commonentem te eccleſiam deſpicis? Communicare non times corpus Chriſti, accedens ad Euchariſtiam, quaſi mundus, & purus, quaſi nihil in te ſit indignum, & in his omnibus putas, quod effugias iudicium Dei? Non recordaris illud, quod ſcriptum eſt, quia propterea in vobis infirmi, & ægri, & dormiunt multi? Quare multi infirmi? quoniam non diiudicant ſe ipſos, neque ſe ipſos examinant, nec intelligunt quid eſt communicare eccleſiæ, vel quid eſt accedere ad tanta, & tam eximia ſacramenta: patiuntur hoc, quod & febricitantes pati ſolent, cùm ſanorum cibos præſumunt ſibimetipſis inferentes exitium.* Longum eſſet omnia patrum teſtimonia recenſere, quæ hac de re paſſim legũtur. Rectè porro monet Oecumenius, obſeruanda eſſe Apoſtoli verba monentis, vt quilibet ſe ipſum exploret, atque interroget: non alius alium; ſibi enim quiſque conſulere debet, dum ad hoc ſacramentum accedit.

a epiſt. 91. ad Theodor. Forolulien.

b Ser. de lapſ. ſimilia habet lib. 1. ep. 14. 13. 20. 18.

c in queſt. breuior. 172 & li. 2. de bap. c. 3.
d Hom. 10. in Geneſ. Hom. 30. & 83 Matt. Hom. 3. ad Epheſ.
e epiſt. 118.
f de Eccl. Dogmat. cap. 51.
g Hoc loco.
h Seſſ. 13. c. 7. & Can. 11.
i lib. 6. hiſt. c. 23. 26.
k lib. 5. hiſt. cap. 17.
l lib. 7. ca. 14
m In vita Ambroſ.
n epiſt. 28.
o lib. 9. ca. 35.

p Hom. 61. ad Populum.
q Apolog. 2.

r Hom. 2. in Pſal. 37.

29. QVI ENIM MANDVCAT, ET BIBIT IN-
I. DIGNE, &c. Quod paulò antè dixerat. *Reus eſt corporis, & ſanguinis Domini*, aliis nunc verbis explicat. *Iudicium* (ait) *ſibi manducat, & bibit. Non ſolùm* (inquit Theodoretus) *illinc ſalutem non aſſequeris, ſi inique acceperis; ſed tua etiam petulantia & iniuria pœnas dabis.* Id autem (vt Chryſoſtomus, & Theophylactus affirmant) non ex vi, aut ſacramenti natura, quæ potiùs vitam, & ſalutem affert; ſed ex accedentis vitio. Iudicium porro mortem ſempiternã ſignificat, vt cùm apud Ioannem [s] dixit Chriſtus: *Qui verè mala egerunt in reſurrectionem iudicij*: hoc eſt damnationis, & interitus. Itémque alio loco: *Hoc eſt [t] autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* Et Paulus ipſe [a]. *Qui conturbat vos portabit iudicium, quicumque eſt ille.* Quod autem ait: *Indignè*, nonnulli Græci codices, quos ſequitur Chryſoſtomus, addunt. *Qui manducat, & bibit indignè Domino*: græcè ἀναξίως τοῦ κυρίου. Quem ſenſum videtur ſequutus Ambroſius, qui ait; *deuoto animo & cum timore accedendum ad communionem docet, vt ſciat mens, reuerentiam ſe debere ei, ad cuius corpus ſumendum accedit: hoc enim apud ſe debet iudicare, quia Dominus eſt, cuius in myſterio ſanguinem potat, qui teſtis eſt beneficij Dei.* Certè priori loco repetit Ambroſius. *Qui biberit calicem Domini indignè Domino*, cùm tamen apud Græcos tantùm ſit ποτήριον τοῦ κυρίου ἀναξίως, & vox quidem *Domini* B poſſit cum pane, & calice coniungi, & cum aduerbio, *Indignè*: illud autem videtur longè probabilius. *Non diiudicans*, inquit, *corpus Domini*: græcè διακρίνων, quaſi dicat non diſcernens, vt interpretatur Caſſianus [b]. *Non diſcernens* (inquit) *corpus Domini, id eſt nequaquàm illum cæleſtem cibum à communium eſcarum vilitate ſecernens, nec talem eſſe diiudicans, quem nonniſi pura liceat mente, vel carne præſumere.* Et in eamdem ſententiam Anſelmus. *Non diſcernit quam ſit dignius omnibus creaturis hoc corpus, quod videtur eſſe panis.* Et Chryſoſtomus. *Non cogitans, non examinãs, vt oportet magnitudinem eorum, quæ ſunt propoſita, non reputans quanti momenti, & ponderis ſit donum; nam ſi exactè didiceris quisnam ſit, qui eſt propoſitus, & quisnam ſit, qui dat ſeipſum, & cui det, nulla alia egebis* C *oratione, ſed hoc tibi ſufficiet ad omnem ſobrietatem, niſi animo valdè conciderit.* Ita ſignificat Apoſtolus, longè aliam eſſe huius cibi, quàm aliarum eſcarum rationem; vt tacitè videatur perſtringere Corinthios, qui penè pro communi cibo haberent, & cum eo cœnas temulentas coniungerent, à quibus per contemptum inopes excluderent.

s cap. 5. 29.
t cap. 3. 19.

a ad Gal. 5. 10.

b Collat. 22. c. 5.

IDEO INTER VOS MVLTI INFIRMI, &c. 30.
Hæc Caſſianus [c] ſpiritaliter intelligit, *ſpiritales ſcilicet* I.
infirmitates, ac mortes ex hac præſumptione dicens ſpecialiter generari. Multi enim, qui eum illicita vſurpatione præſumunt, infirmantur fide, & imbecilli ſunt mente, paſſionum ſcilicet languoribus inuoluti, & dormiunt ſomno peccati, ab hoc ſopore lethali, nequaquam ſalutari ſollicitudine reſurgẽtes. Verùm Chryſoſtomus, Theo- D doretus, Theophylactus, Ambroſius, Hieronymus, Anſelmus, & alij hæc de corpore, & corporeis morbis accipiunt. Hinc enim oriri mortes immaturas, diuturnas ægritudines, ac morbos, graues denique corporis languores proficiſci contendunt. Ita autem ſcribit Chryſoſtomus: *Nam quoniam multi inter ſe dubitant, vndenam ſit multorum mors immatura, vndenam longi morbi, dicit quòd multa ex iis, quæ veniunt præter opinionem, cauſam habent à peccatis.* Ambroſius verò: *Vt verum*, inquit, *probaret, quia examen futurum eſt accipientium corpus Domini, iam hic imaginem iudicij oſtendit in eos, qui inconſideratè corpus Domini acceperant, dum febribus, & infirmitatibus corripiebantur, & multi moriebantur, vt in his cæteri diſcerent, & paucorum exemplo territi emendarentur, non inultum ſcien-* E *tes corpus Domini negligenter accipere.* Addit verò Anſelmus etiam poſt Paſcha multos ægritudinibus, ac morbis corripi, quia indignè Euchariſtiam perceperunt. Certè Cyprianus [d] multa recenſet prodigia, quibus Deus ſe vltorem declarat in eos, qui tanto ſe ſacrilegio obſtringunt: & ſunt qui [e] narrent peſtem, quæ tempore B. Gregorij maximè ſæuiit, ob id potiſſimùm diuinitus fuiſſe immiſſam, quòd cùm populus quadragenarij ieiunij tempore caſtè, continentérque vixiſſet, percepto Paſchalibus feriis Euchariſtiæ ſacramento, ludis, crapulationibus, & impiis

c Coll. 22. c. 5.

d Ser. de lapſ.

e Ratio. diu. lib. 6. ca. 10.

puris voluptatibus fræna laxaſſet. Nec dubium eſt, Deum eſſe acerrimum vindicem aduerſus eos, qui hoc auguſtiſſimum ſacramentum aliqua ratione violant. Itaque Optatus [a] Mileuitanus aduerſus Parmenianum Donatiſtam hæc ſcribit. *Iuſſerunt Epiſcopi veſtri euchariſtiam canibus fundi non ſine ſigno diuini iudicij, nam iidem canes accenſi rabie, ipſos Dominos ſuos, quaſi latrones ſancti corporis reos dente vindice tanquam ignotos, & inimicos laniauerunt.* Et Pacianus [b] Barchinonenſis epiſcopus. *Iam ſi quis* (inquit) *futura non metuit, vel præſentem ægritudinem, præſentémque obitum reformidet. Cùm iudicamur, inquit, à Domino corripimur, vt non cũ hoc mundo damnemur. Lætare peccator ſi in hoc ſæculo aut morte interciperis, aut languore conſumeris, ne puniaris poſt ſæculum. Intellige quantum ſceleris admittat, qui ad altare venit indignus, cui pro remedio computatur cum aut morbis laborat, aut morte diſſoluitur.* In eandem ſententiam ſcribunt Origenes [c], & B. Gregorius [d], & alij non pauci. Porro Apoſtolus (vt Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus affirmant) hoc veluti domeſtico exemplo Corinthios terret, & ſceleris immanitatem exaggerat, dum ea mala, quibus ipſi premerentur iuſtam docet eſſe ſacrilegij pœnam. Et profectò Caſſiani explicatio inſtituto Apoſtolico minùs congruit; nam ſi indignè percipiebant euchariſtiam, iam non modò ægri, & imbecilli, ſed ſpiritali, hoc eſt gratiæ vita planè functi cenſendi erant; vt non tam ad ſupplicium indignè perceptæ euchariſtiæ, quàm ad ipſam indignam perceptionem mala illa pertinere viderentur. Quocirca aliquantò pòſt non obſcurè Caſſianus ipſe ſignificat de corporeis ægritudinibus Apoſtolũ loqui. *Quod ſi noſmetipſos* (inquit) *diiudicaremus, non vtique iudicaremur: hoc eſt ſi noſmetipſos perceptione ſacramentorum quotieſcunque peccati vulnere præuenimur, iudicaremus indignos, impenderemus vtique ſtudium, vt per pœnitudinis emendationem ad ea indignè poſſemus accedere, & non tanquàm indigni ſeueriſſimis infirmitatum flagris caſtigaremur à Domino, vt vel ſic compũcti ad remedia noſtrorum vulnerum recurramus, ne digni præſenti ſæculi breuiſſima correptione non habiti, in futuro ſimul cum huius mundi peccatoribus condemnemur.*

a Paræneſi ad pœnit.
b Paræn. ad pœnit.
c Hom. 2. in Pſ. 37.
d lib. 4. dial. cap. 58.

31. QVOD SI NOSMETIPSOS DIIVDICAREMVS, &c. Rectè Chryſoſtomus. *Non dixit* (inquit) *ſi caſtigaremus nosipſos, ſi puniremus: ſed ſolùm ſi vellemus agnoſcere peccata, ſi nosipſos condemnare, ſi delictis ferre ſententiam, liberaremur ab eo, quod & hic, & illic eſt ſupplicio: nam qui ſeipſum condemnauit, duplici ratione Deum placat, & quòd peccata agnouerit, & quòd in futurum ſit tardior.* Eodem modo Pauli verba accipiunt Theodoretus, Theophylactus, Ambroſius, Anſelmus. græcè autem tempora ſunt præterita διεκρίνομεν, & ἐκρινόμεθα, diiudicaſſemus, & iudicati eſſemus: quaſi dicat: ſi iudicis officio in nosipſos functi eſſemus, non pœnas ſubiiſſemus, quas pertulimus: vt videatur Apoſtolus ad declarandam caritatem, & beneuolentiam ſuam ſe Corinthiis adiungere, quaſi eorundem malorum particeps eſſet, quibus illi premerentur. Qua verò ratione iudicis partes vnicuique in ſeipſum aſſumendæ ſint, eleganter explicat his verbis Anſelmus. *Aſcendat itaque homo aduerſum ſe tribunal mentis ſuæ: conſtituat ſe ante faciem ſuam, atque ita conſtituto, in corde iudicio adſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia, carnifex timor. Inde quidã ſanguis animi confitentis profluat per lacrymas, poſtremò ab ipſa mente ſententia talis proferatur, vt ſe indignum homo iudicet participatione corporis, & ſanguinis Domini, ſi tales culpas in ſe repererit. Verſetur ante oculos eius imago futuri iudicij, & quidquid in ſe viderit: quod à iudice venturo reprehendi poſſit, & puniri, ipſe nunc in ſeipſo reprehendat, & puniat. Peccata tuum, ſiue parua, ſiue ma-*

A *gna impunita eſſe non poſſunt, quia aut homine puniente, aut Deo iudicante plectuntur. Ceſſat autem vindicta diuina, ſi conuerſio præcurrat humana.* Perſimilem ſententiam habet auctor [a] de operibus cardinalibus Chriſti. Cùm enim de latronis pœnitentia ageret. *Vt daretur* (inquit) *exemplum, & forma indiſſolubilis manãs in poſteros, quia nec in vltimis Dei clementia pœnitentes excludit, nec vlla hora ſera eſt, cui compunctio diſtricta occurrit, nec eos, qui vita ſua quocumque articulo temporis veri ſunt iudices iterum iudicari, quia cùm iudicis, & tortoris vices non parcens peccator aſſumit, ſemetipſum perſequens dum confeſſionem confuſione honorat, holocauſti huius incenſio in conſpectu Dei veniam impetrat. Neque enim bis in id ipſum iudicat Deus, ſed impœnitentes ipſe*
B *iudicat, & damnat: pœnitentes verò quia à ſeipſis ſuſcepit iudicatos abſoluit, neque iudicio, quod pœnitentia humana ſeueritas protulit, aliquid iuſtitia cœleſtis apponet.* Cautè verò legenda ſunt quæ ſubiicit de Ægyptiis maris fluctibus hauſtis, & de Sodomitis cœleſti igne abſumptis, quos videtur exiſtimare, ſalutem fuiſſe conſequutos. Ab hac porrò Apoſtoli ſententia non abhorret (vt obſeruauit Sanctus Gregorius [b]) ſententia [c] Iob. *Verũtamen* (inquit) *vias meas in conſpectu eius arguam, & ipſe erit ſaluator meus.* Cùm autem B. Gregorius hæc Pauli verba recitaſſet, ſubdit. *Eò tunc Dominum ſaluatorem inuenitur, quò nunc pro timore Dei peccatum noſtrum à nobiſmetipſis redarguitur: vnde electi quoque culpis ſuis nunquam ſciunt parcere, vt poſſint culparum iudicem placatum inuenire, & verè eum poſt-*
C *modum inuenire ſaluatorem credant, quem diſtrictè modò iudicẽ metuunt. nam qui ſibi nũc in cura parcit, ei poſtmodum in pœna non parcitur.* Atque hæc quidem argutè Gregorius, & ad mores aptè: quanquam fortaſſè verba Iob aliò referuntur, qui ſuæ vitæ rationes aduerſus amicorum calumnias tuetur, & explicat. Verum hoc eſt quod ait Apoſtolus nos Dei iudicium effugere poſſe, ſi nos ipſi iudicis ſeueritatem in noſtras actiones exerceamus. Obſeruat autem Oecumenius, non dixiſſe Apoſtolum *ſi nos ipſos puniremus*, ſed tantùm *diiudicaremus; hoc eſt ſi duntaxat nos ipſos, vt peccatores condemnaremus, vtique & à præſentibus, & à futuris liberaremur ſupplicis, non qui ſe ipſum condemnat vt oportet, nequaquam in idem peccatum frequenter incidere poterit.* Quæ non perinde accipienda ſunt,
D quaſi non ſit eorum maximè laudanda induſtria, qui perpetrata flagitia, corporis afflictatione, inedia, ieiuniiſque vlciſcuntur: ſed quòd præteritorum flagitiorum deteſtatio magis neceſſaria videatur, quippe quæ etiam ſine vlla vexatione corporis prodeſſe poſſit, cùm ſine illa ne ſponte quidem ſuſcepta ſupplicia vllam afferant vtilitatem.

a ſer. de paſſ. Chriſt. apud Cypr.
b lib. 11. mor. c. 17. alias. 19.
c cap. 13. 15.

DVM IVDICAMVR AVTEM A DOMINO, 32.
&c. *Monet* (inquit Chryſoſtomus) *quidquid à Deo* I.
immittitur mali, admonitionis potiùs eſſe, quam condemnationis, curationis quàm punitionis, correptionis quam caſtigationis. Itaque (vt ait Theodoretus) *non vlciſcitur Deus noſtra crimina, ſed erudit, & leniter corripit, vt miſereatur.* Loquitur enim (vt rectè monet Anſelmus) de malis corporeis, quibus interdum vexamur.
E Rectè autem græcè ſcripſit Apoſtolus, παιδευόμεθα, hoc eſt, puerorum more caſtigamur: vt enim illi interdum flagris cæduntur, vt pueriles lapſus caueant: ita etiam nos Deus plectit, vt nos eruat ab interitu ſempiterno. hoc enim eſt, quod ſubdit. *Vt non cum hoc mundo damnemur.* Mundi enim nomine Theodoretus, & Theophylactus impios & infideles intelligunt: quod etiam non obſcurè ſignificat Chryſoſtomus. apertiſſimè autem aſſerit Ambroſius. *Et quod corripitur* (inquit) *tamen pro nobis eſt, vt timore ipſo emendemur: in paucis enim omnium eſt emendatio, ne cum hoc mundo, id eſt, cum infidelibus damnemur:* Eodem

modo explicat Anſelmus, qui tamen addit etiam A amatores huius mundi, & ſubiicit. *Idcirco enim nobis modò non parcit, vt in perpetuum parcat: illis autem nunc parcit, quos in æternū punire diſpoſuit.* Porro hæc Apoſtoli ſententia non pugnat cum ea, quæ eſt ſuprà hac ipſa Epiſtola[a], *Sed neque* (inquit) *meipſum iudico; qui autem iudicat me Dominus eſt.* concipiendum eſt enim duplex quoddam iudicium: alterum auctoritatis, quod eſſe vnius Dei proprium eo loco docet Apoſtolus, alterum ad nos ipſos explorandos inſtitutum: de quo in præſentia. eſt enim hoc omnibus planè neceſſariū, vt ex ſuperioribus intelligi facilè poteſt.

a cap 4.b.

33. I. ITAQVE FRATRES MEI, CVM CONVENITIS, &c. Concludit inſtitutam diſputationem, & (vt monet Chryſoſtomus) redit ad id, cuius occaſione tam multa de Euchariſtia diſſeruit. Commendat autem pauperum curam in conuiuiis, & popularibus cœnis, quæ poſt euchariſtiam inſtituebantur, indicatque Corinthiorum abuſum cūm Euchariſtiæ cultu, reuerentiàque pugnare: atque adeo illos, qui pauperibus aut neglectis, aut contemptis cœnas occupabant, tam auguſto ſacramento videri indignos: vnde colligit eos, multò magis cœleſti menſa indignos cenſendos eſſe; qui non modò ſua pauperibus non impertiunt, ſed etiam rapiunt aliena. Obſeruat autem, non dixiſſe Apoſtolum; Cōuenientes impertimini egentibus; ſed quod erat honeſtius, inuicem, ſeu alter alterum expectate, hoc enim illud quoque cōfirmabat, & tacitè ſignificabat. Latini ferè hæc referunt ad oblationem: ita Ambroſius, Hieronymus, Anſelmus. Ego malim cum Chryſoſtomo, Theodo- C reto, Theophylacto, & aliis accipere de ipſa cœna; vt videlicet pauperes ex ea etiā aliquid perciperent, quāuis alioqui eſſent aſymboli; nam oblatio Euchariſtiæ conſecrationem, vel certè perceptionem præcurrebat, vt intelligitur ex Auguſtino[b], & aliis ſiquidem (vt paulò antè docui) ipſæ interdū oblationes conſecrabantur, atque idcirco ſacrificia vocari conſueuerant. Ita enim loquitur alicubi Cyprianus[c]. *Locuples* (inquit) *& diues es, & Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non reſpicis, quæ in Dominicum ſine ſacrificio venis, quæ partem de ſacrificio, quod pauper obtulit, ſumis.* Photius apud Oecumeniū hoc Apoſtolicum cōſilium accipit, quaſi ſuadeat hac vnica ratione vitari poſſe omnia mala, quæ paulò antè enumerata ſunt, *ne indignè* (inquit) *Dominicum* D *corpus, & ſanguinem participare probemini: ne indignè participando res effectis cadis corporis ipſius, ac effuſionis ſanguinis ineuitabile iudicium excipiatis: ne in tale iudicium incidentes, morbis, afflictionibus, cladibus, ac morte conſumamini ne ſi tali pœna non fueritis puniti, in æternum ſupplicium cum infidelibus tradamini.* Alludit Apoſtolus fortaſſe ad veterem conſuetudinem, qua panis integer offerebatur, ex quo in partes diuiſo ſingulis ſua particula tribuebatur; vt etiam nunc ſeruatur apud Græcos. Itaque non videntur Apoſtoli verba commodè ad oblationem transferri poſſe, ſed cenſenda ſunt omnino pertinere ad agapes, de quibus plura dicta ſunt. Subdit.

b epiſt 122. & 137. & ſer. 215. de temp.

c lib de opere & elem.

34. I. SI QVIS ESVRIT DOMI MANDVCET, &c. Chryſoſtomus, & Theophylactus hæc dici putant ab E Apoſtolo cum quadam indignatione, vt quamuis permittere, & concedere videatur, magis tamē prohibeat: *Permittendo* (inquit Chryſoſtomus) *prohibuit, idque vehementiùs, quam ſi interdixiſſet. Ex Eccleſia enim eos eduxit, & domum tranſmiſit, ea ratione eos vehementer inſectans, & ludificans, ac irridens tamquàm ſeruos ventris, & qui non poſſent tolerare. Neque enim dixit ſi quis deſpicis pauperes; ſed ſi quis eſurit, loquens tamquàm cum pueris difficulter tolerantibus: tamquàm* A *cum brutis ventri ſeruientibus; eſſet enim valde ridiculum ſi propterea quòd eſurirent domi eſuri eſſent.* Itaque volunt, hoc poni tamquàm abſurdū, ac prorſus indignū; quaſi dicat: ſi quis veſtrum famem obtēdat, abſtineat Euchariſtiæ perceptione, & domi epuletur. Poſſet etiam quis exiſtimare, hæc ſeriò dicta eſſe ab Apoſtolo, quaſi ſuadeat domi vētrem explere, & abſtinere potiùs à cœleſti conuiuio, quàm per ſpeciem indigētiæ, aut famis in cōmuni menſa pauperes deſpicere. Vel certè ſi cœnæ illæ ſub veſperam parabātur, monet Apoſtolus, vt poſt perceptum auguſtiſſimū ſacramentum domi cibum ſumant, ne cum aliorū offenſione, & ſcandalo in Eccleſia inopes, & egētes contemnant. Subdit: *Vt non in iudicium conueniatis.* Hoc eſt (interprete Chryſoſtomo) nō ad pœnam, B non ad ſupplicium conueniatis; vt iudicium hoc loco pro damnatione accipiat. Nimirum Apoſtolus tanti facit illatam pauperibus contumeliam, vt propterea non dubitet mortis ſempiternæ ſententiam comminari. *Propterea enim* (inquit) *& oſtendit damnum, quod inde oritur, & dixit eſſe iudicium non paruum, & omni ex parte eos terruit, ex myſteriis, ex infirmis, ex iis qui deceſſerunt, ex aliis quæ priùs dicta ſunt.* Cùm enim cœnæ illæ ad mutuam caritatem excitandam, ac fouendam inſtitutæ eſſent, magnum profectò crimen erat in iis caritatem violare. Satiùs igitur erat illo fidelium conuentu, congreſſúque abſtinere, priuatimque domi cœnare, quàm in infidelium cœtu tam grauiter peccare. Denique addit: *Cætera autem cùm* II *venero diſponam.* Græcè διατάξομαι, hoc eſt, conſtituam; ſiue ad alia quædam ſpectet Apoſtolus, ſiue ad hoc ipſum, vt explicat Chryſoſtomus. veroſimillimum enim eſt, alia non pauca fuiſſe apud Corinthios corrigenda, quæ tamen noluit Apoſtolus hac Epiſtola attingere; dicturum ſe tamen pollicetur coràm quid de ſingulis ſentiat. Fieri etiam poterat, vt de his ipſis cœnis plura haberet Apoſtolus dicenda, quæ litteris committenda non putaret, cùm præſertim ſe propediem affuturum ſperaret. Nam (vt ait Chryſoſtomus) valdè probabile videbatur, cauſas aliquas allaturos fuiſſe Corinthios, quibus vel factum excuſarent, vel magna certè ex parte culpam eleuarent. Si quid igitur habetis, quod ad ea, quæ ſcripſi, reſpondeatis, illud (inquit) ad meum vſque aduentum reſeruate; tunc enim pluribus mihi vobiſcum agendum erit, atque hac quidem ratione (vt idem Chryſoſtomus monet) tacitè illos ad meliora hortatur: *Nam de eius aduentu* (ait) *cogitantes, & ſolliciti quod peccarant erant correcturi: Non enim leue quid erat, quòd Paulus apud eos eſſet verſaturus, eam ob cauſam hac ipſa*[a] *Epiſtola dixerat. Tamquàm non ſim venturus ad vos, ſic inflati ſunt quidam.* Et ad Philippenſes[b]: *Non vt in præſentia mea tantùm, ſed multò magis nunc in abſentia mea cum metu, & tremore veſtram ſalutē operamini.* Quamobrem non ſolùm in præſentia ſuum pollicetur aduentum, ſed non exiguum eius aduentus fructum promittit. *Cætera* (inquit) *cùm venero, diſponam*; vt operæ pretium futurum ſit eam ob cauſam Corinthum redire, etiam ſi aliàs eò iturus non eſſet. Porro non ineptè ex hoc loco viri docti colligunt, non omnia ſiue quæ ad fidei dogmata, ſiue quæ ad Eccleſiaſticā diſciplinā pertinent, ſacris litteris contineri; ſed multa ex Apoſtolica traditione petēda eſſe, quod etiā ſuprà hac ipſa Epiſtola non vno loco obſeruatū eſt. Multa autem iam inde ab initio naſcentis Eccleſiæ ad hæc vſque tempora ſola traditione ad nos quaſi per manus accepta peruenerunt, quæ nullo ſcripturæ teſtimonio nituntur, vt Baſilius, aliique grauiſſimi Patres pluribus oſtendunt.

a cap. 4.

b cap. 2.

Argu

Argumentum Cap. XII.

CVM olim fideles ſtatim à percepto baptiſmo diuina Spiritus ſancti chariſmata non ſine aperta teſtificatione preciperent, eorum occaſione nonnullæ inter Corinthios animorum alienationes, vel etiam ſectæ, & diſſenſiones exortæ erant, dum alij aliis ſe præferrent, nonnulli contrà iis inuiderent, qui plura, atque illuſtriora dona accepiſſent. Itaque Apoſtolus huic etiam morbo occurrens, plurima, longéque inter ſe diuerſa diuini ſpiritus chariſmata eſſe non negat; ſed ea tamen ad vnum Eccleſiæ myſticum corpus perficiendum referri contendit vniuerſa. Quocirca, vt omnia eiuſdem corporis membra inter ſe nexa, & colligata ſunt, & vnius, atque eiuſdem corporis retinent vnitatem; ita in tanta diuinorum munerum varietate pacem, atque animorum conſenſionem ſummo ſtudio conſeruandam eſſe non ſolùm monet, ſed etiam grauiſſima oratione præcipit.

CAPVT XII.

DE ſpiritualibus autem, nolo vos ignorare fratres.

Scitis quoniam cùm gentes eſſetis ad ſimulacra muta prout ducebamini euntes.

Ideo notum vobis facio, quòd nemo in ſpiritu Dei loquens, dicit anathema Ieſu. Et nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto.

Diuiſiones verò gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus.

Et diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus.

Et diuiſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.

Alij

PARAPHRASIS.

PORRO (fratres) de diuinis ſpiritus 1.
ſancti donis, quorum occaſione nonnulla intet vos videtur orta diſſenſio; nolo vos lateat, quænam ſit mea de illis ſententia, & à quonam, atque in quem finem huiuſmodi munera diuinitus tribuantur. ¶ Meminiſtis enim fuiſſe vos aliquan- 2.
do à veri Dei cultu, & cognitione alienos, impiæ ſuperſtitioni, atque idololatriæ deditos, vno verbo, gentiles, qui veſano quodam impetu ad idola planè ſurda, atque muta vt rapi contigiſſet, nulla nec loci, nec temporis, nec verò veſtri habita ratione, quaſi œſtro perciti abripiebamini. Iam verò (quod Dei eſt ſingulare beneficium) ita eſtis animo conſtituti, compararique vt vitam vobis millies potiùs eripi paſſuri ſitis, quàm
à Chriſti fide, ac religione recedatis. ¶ Id ſanè 3.
vobis denuntio, Spiritus ſancti eximium eſſe donum: nam qui Ieſum execrantur, quique eum non modò Deum eſſe pernegant, ſed quaſi piaculum abominantur; ij profectò Spiritus ſancti impulſu nequaquàm id faciunt, ſed illi diuino mouentur, atque impelluntur inſtinctu, qui illum Deum, ac Dominum eſſe fatentur, & piè religioſéque co-
lunt, ac venerantur. ¶ Hoc ita poſito, plané- 4.
que conſtituto, negari non poteſt diſcrimina eſſe quàm plurima donorum: illud tamen conſtantiſſimè retinendum eſt, vnum planè, atque eundem eſſe ſpiritum, à quo omnia diuina chariſma-
ta proficiſcuntur. ¶ Fateor item, diſcrimina eſſe 5.
non pauca miniſteriorum, quibus pro virili in vinea Dei quiſque laborat; ſed idem eſt vnus omnium Dominus, cuius voluntati, atque impe-
rio omnes Eccleſiæ miniſtri obſequuntur. ¶ Ne- 6.
que iuerim inficias, eſſe nonnulla etiam diſcrimina facultatum, atque actionum, quibus alij aliud præſtant, atque efficiunt; ſed idem earum omnium auctor, atque effector eſt Deus, qui
ſingulis

ſingulis impertitur quantùm libet. ¶ Prodit au-
7. tem ſe ipſe ſpiritus, cùm ſcilicet dona hæc lar-
gitur, ex quibus ipſius vis præſens agnoſcitur,
idque ad vſum, vtilitatem, & commodum to-
8. tius corporis Eccleſiæ. ¶ Nam huic quidem di-
uini ſpiritus beneficio ſermo ſapientiæ tribui-
tur, quæ altiſſimas rerum cauſas, maximéque
abditas, atque à noſtris ſenſibus remotiſſimas
rimatur; alij verò ſcientiæ ſermo ad humanam
ciuilémque vitam probè inſtituendam, idque
9. eiuſdem ſpiritus opera. ¶ Alij myſteriorum fidei
eximia quadam planéque ſingularis notitia ad
ea tum explicanda, tum etiam aduerſus impios
defendenda eiuſdem ſpiritus beneficio, ac mu-
nere. Alij porrò excellens quædam ad varia
morborum genera curanda vis, atque poteſtas
10. per eundem ſpiritum. ¶ Alij facultates eden-
dorum miraculorum ad fidei dogmata tum per-
ſuadenda, tum confirmanda: alij vis vatici-
nandi, futuráque prædicendi multò antequàm
fiant: alij dignoſcendorum ſpirituum facultas,
atque intimos animorum receſſus penetrandi:
alij genera linguarum, earúmque multiplex fa-
cultas: alij earumdem linguarum & diuinorum
11. myſteriorum interpretatio. ¶ Sed hæc omnia
efficit vnus ille, atque idem ſpiritus, qui Ec-
cleſiam vniuerſam fouens, ac vegetans, & va-
ria, & multiplici donorum largitione exornans,
priuatim ſingulis hæc ſua diuina munera pro
12. ſuo arbitratu partitur. ¶ Nam quemadmodum
corpus quidem vnum eſt, multa tamen mem-
bra habet, omnia verò eiuſdem corporis mem-
bra, quamuis numero, ac multitudine plura
ſint, vnum tamen corpus conſtituunt; ita my-
ſticum Chriſti corpus vnum prorſus eſt, ſed plu-
ribus membris conſtat, quæ in vnum, idém-
que corpus mira quadam ratione coaleſcunt.
13. ¶ Siquidem vnius ſpiritus vi nos omnes in vnum
veluti corpus coiuimus, quotquot baptiſmo lu-
ſtrati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Græci, ſiue ſerui,
ſiue liberi: illo enim primùm Chriſto adiungi-
mur, tum verò vna, atque eadem Chriſti ſan-
guinis potione recreati participes euadimus vnius
ſpiritus ipſius, qui per omnia membra perme-
ans ſingula vegetet, ſuiſque functionibus idonea
14. reddat. ¶ Porrò corpus cum dico non vnum
duntaxat membrum intelligo; ſed vnum quid-
piam ex pluribus neceſſariò compactum, &
coagmentatum. Loquor enim de corpore he-
terogeneo, & organico, quale eſt humanum
corpus, vnde hæc omnis ſimilitudo ducta eſt.
15. ¶ Quod ſi in humano corpore diſſidio, ac ve-
luti inteſtiuo bello excitato, pes dicat non ſum
manus, atque idcirco non ſum pars, aut mem-
brum corporis; num propterea cenſendus eſt
16. ad corpus non pertinere? ¶ Si rurſus dicat au-
ris non ſum oculus, idcóque nihil mihi cum
corpore commune eſt; num ob id membrum
17. corporis non erit? ¶ Si corporis vniuerſa mem-
bra ſuis facultatibus deſtituta in vno oculo fo-
uendo

Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem.

Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ: alij autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem ſpiritum.

Alteri fides in eodem ſpiritu, alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu.

Alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum.

Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult.

Sicut enim corpus vnum eſt, & membra habet multa; omnia autem membra corporis cùm ſint multa, vnum tamen corpus ſunt: ita & Chriſtus.

Etenim in vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi, & omnes in vno ſpiritu potati ſumus.

Nam & corpus non eſt vnum membrum, ſed multa.

Si dixerit pes: quoniam non ſum manus, non ſum de corpore: num ideo nō eſt de corpore?

Et ſi dixerit auris: quoniam non ſum oculus non ſum de corpore: num ideo non eſt de corpore?

Si totum corpus oculus: vbi auditus? ſi totum auditus: vbi odoratus?

Num

uendo conſpirarent, adeóque rotum corpus ocu-
lus eſſet, vbi (obſecro) auditus? Quòd ſi rotum

Nunc autem poſuit Deus membra, vnumquodque eorum in corpore ſicut voluit.

eſſet auditus; vbi odoratus? ¶ Nunc autem Deus 18.
admirabili quadam ſapienria ſingula per ſe mem-
bra ſuis muneribus, ac functionibus deſtinata,
in corpore collocauit, vt optimum factu, ipſi-

Quòd ſi eſſent omnia vnum membrum, vbi corpus?

que corpori conſentaneum duxit. ¶ Quòd ſi 19.
eſſent omnia vnum membrum vni tantùm, at-
que eidem actioni opportunum; vbi (quæſo)
corpus eſſet, aut qua tandem ratione conſtaret?
Cum neceſſe ſit, multa in illo ac varia membra

Nunc autem multa quidem membra, vnum autem corpus.

ad alias, atque alias actiones diſtingui? ¶ Cum 20.
verò multa quidem ſint membra ad varios, ac
multiplices vſus deſtinata, vnum tamen ex om-
nibus humanum, atque organicũ corpus exiſtit.

Non poteſt autem oculus dicere manui: Opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus: non eſtis mihi neceſſarij.

¶ Non poteſt autem oculus dicere manni. Non 21.
eſt mihi tua opera neceſſaria, quaſi ipſe ſolus
omnes humani corporis functiones obire poſſit,
& vitæ neceſſaria ſuppeditare, neque caput rur-
ſùm pedibus, vſu veſtro, atque opera non indi-

Sed multò magis quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe, neceſſariora ſunt.

geo, perinde quaſi ipſum ſibi ſufficiat. ¶ Immò 22.
verò longè ſecius eſt; quæ enim videntur mem-
bra eſſe corporis magnopere infirma, ac pror-
ſus abiecta, quæque exiguum, aut penè nullum
vſum conſpicuum habeant, ea ſunt apprimè

Et quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundantiorem circumdamus: & quæ inhoneſta ſunt noſtra, abũdantiorem honeſtatem habent.

neceſſaria. ¶ Et quæ putamus membra corporis 23.
maximè eſſe inhoneſta, ea nos maiori ſtudio tegi-
mus, iiſque ampliorem honorem circumponimus,
& indecora noſtra membra decorem habent co-
pioſiorem. Ipſa enim natura magnam videtur
corporis noſtri habuiſſe rationem, quæ par-
tes, in quibus eſſet ſpecies honeſta, eas poſuit
in promptu, quæ autem ad naturæ neceſſita-
tem datæ aſpectum eſſent deformem habituræ,
eas ſepoſuit, & quodammodo contexit, atque
abdidit, quam naturæ tam diligentem fabricam

Honeſta autem noſtra nullius egent: ſed Deus temperauit corpus, ei cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem.

imitata eſt hominum verecundia. ¶ Quæ enim 24.
honeſtam ſpeciem habent in nobis, iis externo,
atque aliunde aſcito decore non eſt opus, ſed
Deus admirabili quadam ſapientia multas partes
certo quodam temperamento in vnum corpus
ita coagmentauit, vt iis quibus forma ſeu ſpecies
deeſſe videbatur, ampliorem quodammodo ho-

Vt non ſit ſchiſma in corpore, ſed id ipſum pro inuicem ſolicita ſint membra.

norem, ac dignitatem impertiret. ¶ Ne in corpore 25.
diſſidium ſit ac veluti domeſticum, & inteſtinum
bellum, vnde corporis pernicies, atque interitus
exiſtat, ſed contrà potius naturæ quodam ductu,
atque impulſu alia pro aliis membris laborent, at-

Etſi quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: ſiue gloriatur vnũ membrum, congaudent omnia membra.

que in vnum cuncta veluti conſpirent. ¶ Itaque 26.
mira cernitur omnium inter ſe membrorum, in-
credibiliſque conſenſio: nam ſiue patitur vnum
membrum, vnà ſimul cætera omnia membra
quodammodò dolent: ſiue honore vnum mem-
brum afficitur, reliqua omnia ei quaſi gratulan-

Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro.

tur. ¶ Vos autem eſtis myſticum Chriſti corpus, 27.
& membra ita inter ſe nexa, colligatáque, vt
alia ab aliis pendeant mutuo connexionis vin-
culo: quomodò fideles omnes vbique gentium
caritatis nexu aſtricti ſunt, integrúmque Chriſti
corpus componunt, cuius vos pars quædam eſtis

Et non

28. non ignobilis. ¶ Et in hoc quidem myſtico cor-
pore alios quidem conſtituit Deus primùm Apo-
ſtolos, deinde propheras, tertiò doctores, poſtea
poteſtares, demùm dona curandi morbos, opi-
tulationes, gubernationes, genera linguarum.
29. ¶ Num omnes apoſtoli? Num omnes pro-
phetæ? Num omnes doctores? Num omnes
ſunt poteſtates? ¶ Num omnes vi mirifica præ-
30. diti ſunt, qua ægris corporibus ſanitatem reſti-
tuant? Num omnes pluribus loquuntur linguis?
Num denique omnes abdita, atque obſcura
31. interpretantur? ¶ Cupitis verò alij aliis excel-
lere? En qua via, & ratione vobis liceat ſumma
cum laude ambitioni indulgere; hanc enim viam
quàm diligentiſſimè vobis etiam indicare non
grauabor.

Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primùm Apoſtolos, ſecūdò prophetas, tertiò doctores, deinde virtutes, exinde gratias, curationū opitulationes, gubernationes, genera linguarū, interpretationes ſermonum.

Nunquid omnes Apoſtoli? nunquid omnes prophetæ? nunquid omnes doctores?

Nunquid omnes virtutes? nunquid omnes gratiam habent curationum? nunquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur?

Aemulamini autem chariſmata meliora: & adhuc excellentiorē viam vobis demōſtro.

IN CAPVT DVODECIMVM

EXPLANATIO.

1. I. DE SPIRITVALIBVS AVTEM NOLO, &c. Locus eſt (vt admonet Chryſoſtomus) admodum obſcurus. Duplicem autem video eſſe explicationē, alteram Græcorum, alteram verò Latinorum. ſed illud eſt vtriſque commune agere Apoſtolum hoc loco de iis ſpiritus ſancti muneribus, quæ initio naſcentis Eccleſiæ baptiſmo luſtratis diuinitus concedebantur: de quibus Chriſtus apud Marcum[a]. *Signa autem* (inquit) *eos, qui crediderint hæc ſequentur. in nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit, ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt.* Multa item ſcribit Clemens[b] Romanus, qui hoc ipſum agit, quod in præſentia Apoſtolus, & omnibus fidelibus in memoriam reuocat, ne videlicet alius ſuper alium efferatur, néue is, qui pluribus, aut maioribus donis excellit eos contemnat qui carent, vel pauciora, minoráque acceperunt. Vocat autem ſpiritualia ſancti ſpiritus dona, quæ diuino beneficio, ac munere cœlitùs tribuuntur. De his igitur (inquit) diuinis chariſmatibus, *nolo vos ignorare.* Quaſi dicat. Nolo vos lateat quæ ſit mea ſententia, & quorſum illa à bonorum omnium largitore Deo fidelibus concedantur, vt videatur ſermo inabſolutus, & aliquid, (vt diximus) ſubaudiendum ſit. Porro de his fuſiùs agit hoc capite, & duobus ſequentibus: quod eorum occaſione nonnullæ eſſent inter Corinthios diſſenſiones exortæ, cum alii aliis ſe temerè præferrent, propterea quòd pluribus, & magis conſpicuis diuinis muneribus excellerent. Rectè autem hæc ſpiritualia vocat, quia oriuntur à ſpiritu, vt dictum eſt, & eleganter explicat Chryſoſtomus, quandoquidem ad illa conſequenda ſtudium atque induſtria humana nihil habet momenti: quam etiam ob cauſam à theologis vocantur gratiæ gratis datæ. Addo quòd illa hac ratione rebus corporatis opponuntur, quibus tunc Eccleſia carebat, cùm ſpiritualibus contra afflueret. Nam vt ex epiſtolis Pauli, & Eccleſiaſtica hiſtoria colligitur, quidquid opum à fidelibus in vſus eccleſiaſticos conferebatur, epiſcoporum præcipuè opera diuino cultui, & pauperum atque gentium

a cap. vlt. 17.

b lib. 8. conſt. cap. 1.

A inopiæ ſubleuandæ fideliter tribuebatur. Itaque olim rerum ſpiritualium cura præcipua erat, hæc corporea & caduca, pro rerum neceſſitate vſurpabantur: in iis tamen quæ ad animum pertinebant aliqua etiam ſpecies ſuperbiæ ineſſe poterat. Itaque Paulus monet Corinthios, vt arrogantiam, & iactantiam fugiant, qua potiſſimùm laborare videbantur illi (vt Chryſoſtomus indicat) qui linguarum facultatem adepti eſſent, quòd ea ad oſtentationem plurimùm valere videretur. Ita fiebat, vt qui hoc diuino munere deſtituerentur, inuidia & labore contabeſcerent. Accipite igitur (ait) quæ ſit mea de his muneribus ſententia. eam verò fusè deinceps toto capite explicat.
II. Hæc porro diuina chariſmata olim fidelibus ſtatim poſt baptiſmum tribuebantur: primùm vt hoc veluti ſigno conſtaret eos, qui Chriſtiana ſacra ſuſcepiſ-
B ſent, diuini numinis factos eſſe participes, & propterea non ita multò poſt manifeſtationem ſpiritus nominat: deinde vt infideles hoc diuini ſpiritus argumento ad fidem faciliùs adducerentur; quam ob cauſam poſt nonnulla dicit, manifeſtationem ſpiritus ad aliorum dari vtilitatem. Ideo enim ea munera concedebantur, vt qui fidem complexi eſſent ad cæteros erudiendos diuiniſque præceptis imbuendos idonei redderentur: ita data ſunt initio omnibus Apoſtolis, qui omnium gentium magiſtri conſtituti erant. Quocirca (vt monet Chryſoſtomus) dolendum maximè videbatur, vt quæ ab auctore caritatis profecta eſſent, ea mutuam caritatem, ac beneuolentiam diſſoluerent. ſimile quiddam breuiùs attigit in
C Epiſtola ad Romanos[a]. *Dico enim per gratiā, quæ data eſt mihi, omnibus, qui ſunt inter vos nō plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatē. vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei. ſicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Habentes autem donationes ſecundùm gratiam, quæ data eſt nobis differentes, ſiue prophetiam ſecundùm rationem fidei, ſiue miniſterium in miniſtrando, ſiue qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in ſimplicitate, qui præeſt in ſollicitudine, qui miſeretur in hilaritate.* Verùm quoniam

a cap. 12.

niam apud Corinthios latiùs ſerpebat morbus, longiori oratione de his diuinis muneribus diſputat. Non ſolùm enim (vt monet Oecumenius) multi ſeſe cæteris inſolentiùs præferebant; alij contrà inuidia, liuoréque tabeſcebant; ſed cùm plurimi apud illos vaticinandi facultate præſtarent, non ſatis conſtabat, quis diuini Spiritus impulſu, quis verò actus à dæmone eo munere fungeretur. Itaque Spiritus ſancti muneta ſingillatim percurrit, maximè autem caritatem, atque animorum conſenſionem perſuadet: atque ob eam cauſam ſequenti capite caritatem miris laudibus extollit, cæteriſque omnibus diuinis muneribus longè anteponit: ſed (vt paulò pòſt oſtendam) non videtur hoc admodum probabile, cùm non agat Apoſtolus de hoc, aut illo Spiritus ſancti chariſmate, ſed vniuerſim de omnibus. Videtur autem Oecumenius ſecutus ſententiam Chryſoſtomi, de qua mox dicam.

2.
1. SCITIS QVONIAM CVM GENTES ESSETIS, &c. Duplex (vt paulò antè monui) eſt huius loci interpretatio. Chryſoſtomus enim, quem ferè Græci ſequuntur, exiſtimat indicari hoc loco, quid inter veram prophetiam, & inanem Gentilium diuinationem interſit: ita enim ſcribit: Huc eſt autem, quod dicit: *In ſimulacris* (inquit) *ſi quando quis arreptus eſſet à ſpiritu immundo, & diuinaret, ſeu vaticinaretur, tanquam qui abduceretur ſi trahebatur vinctus à ſpiritu, nihil ſciens eorum, quæ dicebat; hoc eſt enim proprium vatis, ſeu diuinatoris emotæ eſſe mentis, vim pati, ac neceſſitatem; pelli, trahi, raptari tanquam furentem: propheta autem non ſic, ſed cum mente ſobria, & cum modeſta, ac temperante conſtitutione, & ſciens quæ loquitur dicit omnia*: id autē Platonis auctoritate, & poëtarum teſtimoniis confirmat, nonnullis etiam è priſcorum fabulis petitis. Eodē modo Paulum interpretantur Oecumenius, & Theophylactus. At verò Ambroſius, Hieronymus, Anſelmus, & inter Græcos Theodoretus Simplicius putant reuocari in mentem Corinthus priſtinam vitæ rationem, cùm idola colerent, & inani errore deluſi plures ſibi Deos conſtituerent, *& hunc quidem* (vt ait Theodoretus) *ſapientiæ, illum verò rei militari, alium nauticæ præficerent; id certè* (inquit) *non diuini numinis impulſu, ſed impio, ac ſacrilego inſtinctu dæmonis faciebatis.* Quæ ſanè interpretatio cùm planior, tum verò Apoſtolico inſtituto videtur accommodatior; neque enim nunc de vaticinandi facultate diſſerit, ſed vniuerſim oſtendit, chariſmata, quæ fidelibus tribuerentur, eſſe Spiritus ſancti munera, cùm ex aduerſo quidquid olim cùm adhuc Gentiles eſſent, ad inanem idolorum cultum aut tētarent, aut perficerent, nequiſſimi dæmonis aſtu, impulſúque fieret. Itaque ſenſus erit, quem vtrumque in paraphraſi expreſſimus. Meminiſtis (inquit) vos aliquando veſano quodam furore ad alia, atque alia idola fuiſſe raptatos: quaſi dicat, tūc quidem mali dæmonis inſtinctum ſequebamini, nunc verò
11. Spiritus ſancti ductum. Cùm autem vniuerſim Corinthios omnes alloquatur, minùs videtur probabilis Chryſoſtomi ſententia, quia vaticinandi, aut diuinandi poteſtas non erat omnibus Gentilibus conceſſa: omnibus verò vnus, atque idem error communis erat; quo muta ſimulacra, pro diis venerabantur. Græca porrò ſic habēt, οἴδατε ὅτι ἔθνη ἦτε πρὸς τὰ εἴδωλα τὰ ἄφωνα, ὡς ἂν ἤγεσθε, ἀπαγόμενοι. Quaſi dicat, Gentes fuiſtis, ad ſimulacra muta ducebamini abeuntes, ſiue adducti, ſiue etiam ſequentes. Auguſtinus[a] certè ita hunc locum Latinè reddidit: *Scitis quando gentes eratis ad ſimulacra ſine voce quomodo aſcendebatis induti.* Suſpicor autem pro *aſcendebatis*, ſubſtituendum eſſe *incedebatis*. videtur ergo legiſſe Græcè ἀναγόμενοι, nō ἀπαγόμενοι. Ambroſius hoc loco habet, *Scitis quia gentes eratis ſimulacrorum forma euntes proni ducebamini.* Porrò vulgatus interpres non videtur legiſſe ὅτι, ſed ὅτε: ſic etiam Auguſtinus. Sed ſermo eſt inabſolutus, ac pendens, niſi participium ἀπαγόμενοι poſitum ſit pro verbo ἀπήγεσθε. At ſi legas, vt habent nunc Græci codices, ſenſus eſt planus. Scitis (inquit) fuiſſe vos olim Gentilium errore abductos. Nec abhorret vulgata interpretatio; non enim participium ἀπαγόμενοι coniungitur cum voce ἔθνη; eſt enim maſculini generis, ἔθνη verò neutrius. Refertur igitur ad Corinthios, qui fuerunt Gētiles, & obſequentes ferebantur ad idola muta, Græcè ἄφωνα, id eſt voce carentia. Ducebātur antē vel ipſo dæmonis inſtinctu, vel ſacerdotum perſuaſione, vel maiorum imperio. Anſelmus hęc putat ideo dici ab Apoſtolo, vt oſtendat quemadmodum vnus, atque idem mali dæmonis ſpiritus ad alia, atque alia idola impellebat, ita vnicum Dei Spiritum ad varias, ac multiplices actiones fideles informare. At (niſi mea me fallit opinio) nondùm id Apoſtolus videtur attingere, cùm id doceat paulò pòſt: quocirca exiſtimandum potiùs eſt, voluiſſe illum Corinthiis in mentem reuocare priſtinum ſtatum miſerum, atque infelicem, vt præſentem fœlicitatem agnoſcerent, etiamſi non eſſent omnes penitus pares, neque iiſdem omnino muneribus prædit: ita videtur, quod in paraphraſi expreſſimus, præſentem ſtatum commendare.

a lib. 11. cont. Iudæ. 8.

IDEO NOTVM VOBIS FACIO QVOD, &c. Chryſoſtomus, & Theophylactus in ſua perſtant ſententia, aiúntque his verbis tradi ab Apoſtolo ſignum internoſcendi prophanum vatem à vero propheta. *Quando videris* (inquit Chryſoſtomus) *non effantem nomen eius, aut etiam anathematizantem, eſt vates ſeu diuinator. Rurſus quando videris alium cum eius nomine omnia loquentem, cogita eum eſſe ſpiritualem.* Et in eandem ſententiam Theophylactus, *Signum tibi ſit vaticinij inſani iſtuc execrari, blaſphemare, contumeliſque inceſſere Ieſum: Prophetæ verò ſignum eſt haud citra præconium nominare Domini nomen.* Theodoretus autem *Vnitatem* (ait) *Euangelicæ doctrinæ deſcribi. Apud Gentiles enim alij erant atque alij dij plerumque inter ſe pugnantes, & contrarij; in Chriſtiana verò fide omnia mirè conſentiunt: & quamuis plures numerentur perſonæ diuinæ, vnius tamen duntaxat naturæ ſunt, vniuſque ſententiæ, ac voluntatis. Apud nos autem* (inquit) *maxima eſt concordia, & conſenſio: non enim alia quidem docet Filius vnigenitus, alia verò Spiritus ſanctus, ſed quemadmodum in diuinis Euangelijs ſanctiſſimi Spiritus dignitatem docuit Chriſtus Dominus, ita eius dominatum diuinus prædicauit Spiritus: nec fieri poteſt, vt qui à diuino Spiritu agitur Chriſtum à diuina natura alienum pronunciet; nec rurſus, vt ipſum Deum purè, & ſincerè confiteatur, niſi ab illa gratia illuminetur.* Penè eodē modo Pauli locum accepiſſe videtur Hilarius[a], cùm enim hęc ipſa verba recitaſſet, ſubdit: *Scis ne nunc hæretice in quo ſpiritu dicas Chriſtum creaturam? Cùm enim in anathemate ſint qui ſeruierunt creaturæ potiùs, quàm creatori, Chriſtum creaturam confitens quid ſis intellige, & qui non ignoras quin in maledicto ſit religio creaturæ; & quid ſequatur aduerte: Nemo poteſt dicere Dominum Ieſum niſi in Spiritu ſancto. Sentis ne quid tibi deſit Chriſto negando quod ſuum eſt? ſi per naturam Dei Chriſtus tibi Dominus eſt, habes Spiritum ſanctum: ſi verò per adoptiuum nomen hic Dominus eſt, Spiritu ſancto carens ſpiritu erroris animaris, quia nemo niſi in Spiritu ſancto Dominum Ieſum poteſt dicere; & tu creaturam eum potiùs, quàm Deum dicis.* Valentur igitur hi duo au-

a lib. 8. de Trinit.

ctores de Chriſti diuinitate Pauli verba accipere: ego verò in paraphraſi indicaui plura Paulum ſignificare voluiſſe, quàm ipſa verba ſonent; idcirco enim reuocat in mentem priſtinam vitam, & mores, vt intelligant quàm eximium ſit Dei beneficium, quòd in præſentia verum Deum agnoſcant, & venerentur. Nam quòd quis Chriſtum execretur, & horreat, id verò non diuini Spiritus impulſu, ſed dæmonis inſtinctu fit: quòd autem quis Chriſtum agnoſcat, id eſt ſingulare diuini Spiritus munus; agnoſcite igitur eximiam Dei in vos beneuolentiam, cuius munere diuinorum myſteriorum certam, ac minimè dubiam

II. cognitionem, ac fidem adepti eſtis. *Nemo igitur* (ait Apoſtolus) *dicit anathema Ieſum*, hoc eſt, more Gentilium illum execratur, & Deum negat, *idq; in Spiritu Dei loquens*. Maledicta quippe, & probra à Iudæis, Gentilibus, atque hæreticis impio, ac nefario Spiritu, & ore iaciuntur in Chriſtum; nullo autem modo à fidelibus, qui diuini Spiritus ſunt participes. Qua de re ſic olim Plinius [a] ad Traianum: *Cùm* (inquit) *præeunte me Deos appellarent, & imagini tuæ, quam propter hoc iuſſeram cum ſimulacris numinum afferri, thure ac vino ſupplicarent, præterea maledicerent, Chriſto* (*quorum nihil cogi poſſe dicuntur, qui ſunt re vera Chriſtiani*) *dimittendos putaui.* Igitur infideles Chriſtum execrabantur, & pro anathemate habebant, fideles autem illum verè, atque ex animo Deum, ac Dominum agnoſcunt, & confitentur, idque Spiritus ſancti impulſu, qui fidei lumen eorum mentibus indidit. Quocirca multò aliter, quàm olim dæmones, vt Chryſoſtomus, & Theophylactus monent, Chriſtum Dominum prædicant: illi quippe ſimulatè, atque aſſentatoriè ad decipiendum, fideles verò ad cultum, ac venerationem. Atque hæc quidem ex natura rei verè cum Apoſtolo dicta ſunt; non eſt tamen negandum, vt ipſe etiam Chryſoſtomus affirmat; etiam impios diuino interdum numine afflatos, futura prædixiſſe, quo in numero collocantur Balaam & Caiphas: ſunt qui etiam addant Sybillas, de quibus alibi

III. plura dicam. Verùm quod attinet ad verba Pauli, Græci codices, quos ſequutus eſt vulgatus interpres, habent accuſandi caſum, *Ieſum. Nemo* (inquit) *in Spiritu Dei loquens dicit anathema Ieſum*, hoc eſt, illum pro piaculo, atque execrando dirisque deuoto capite habet. Ambroſius tamen legit *Ieſu*; non admodum diuerſo ſenſu: ſignificat enim, Ieſum haberi tanquam execratione dignum: eadémque ratione accipienda ſunt quæ proximè ſequuntur, *Et nemo poteſt dicere Dominum Ieſum, niſi in Spiritu ſancto*; Græca enim ita habent, καὶ οὐδεὶς δύναται εἰπεῖν κύριον Ἰησοῦν: eodémque modo legit Ambroſius, tum hîc tum etiam alibi [b]: ſic etiam Origenes [c], Hilarius [d], & Proſper [e]; ita enim meliùs reſpondet ſuperiori ſententiæ. Auguſtinus [f] tamen cum noſtro interprete conſentit. *Nemo* (inquit) *dicit Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto.* Id autem addit non poſſe rectè intelligi, *niſi in factis dicere intelligatur. Non enim hoc* (ait) *in Spiritu ſancto dicere putandi ſunt quibus ipſe Dominus dicit* [g]: *Vt quid mihi dicitis Domine, Domine, & non facitis quæ dico vobis?* Et [h] illud: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Hæc igitur eſt Apoſtoli ſententia. Olim cùm eſſetis veluti dæmonis mancipia, eius impulſu Chriſtum execrabamini; nunc autem diuini Spiritus munere, illum Deum verum eſſe prædicatis. Ita docet, illos habere Spiritus ſancti donum, hoc eſt, diuinam reuelationem, qua non cognoſcerent modò, ſed palàm etiam faterentur, Ieſum eſſe Dominum, ac Deum. Non enim (vt ait An-

[a] epiſt. 97. lib. 10.
[b] lib. 1 de Spir. ſanct. c. 10.
[c] Hom. 17. in Gen.
[d] lib. 8 de Trinit.
[e] lib. 1 de vo cat Gent c 2.
[f] in expoſit. inchoata epiſt. ad Rom
[g] Lucæ 6. 46.
[h] Matth. 7. 21.

A ſelmus) id hominum aſſentatione prædicari poteſt, vt olim hominum ſtudio dij gentium colebantur, ſed diuina opus eſt reuelatione, & Spiritus ſancti beneficio, ac munere.

IV. DIVISIONES VERÒ GRATIARVM SVNT, &c. Græcè ſcripſit Paulus, διαιρέσεις, hoc eſt, diſcrimina. Apertè autem diſtinguit inter χαρισμάτων, διακονιῶν, & ἐνεργημάτων: & quidem cùm ait χαρίσματα, genus ipſum donorum intelligit: διακονίαι verò ſunt variæ Eccleſiaſtici miniſterij functiones, de quibus ſub finem capitis, *alios dedit Apoſtolos*. ἐνεργήματα denique ſunt facultates ipſæ ſingulis collatæ, vt *ſermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ*, &c. Quanquam Theodoretus hæc omnia idem ſignificare exiſtimat nominibus tantùm, eorúmque ratione diſtingui. *Eadem*

B *enim* (inquit) *& dona, ſeu gratias, & miniſtrationes, & operationes appellauit. Dona autem, ſeu gratiæ vocantur, quòd à diuina dentur magnificentia: miniſtrationes autem, quia per homines ad hoc miniſterium ordinatos, dabantur.* Ita etiā dixit in Epiſtola ad Romanos [a]: *Quatenus ego quidem ſum Gentium Apoſtolus, miniſterium meum glorifico.* Et ſcribens ad Timotheum [b]: *Aliquando quidem, imple miniſterium tuum; aliquando* [c] *verò admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei. Operationes autem rurſus dona vocauit, vtpote quæ diuina natura operetur.* Eadem eſt ſententia Chryſoſtomi, & Theophylacti, quam ſi quis magis probet, non equidem magnopere repugnarim. Illam certè & ſequitur, & egregiè explicat Photius apud

C Oecumenium. *Dona* (inquit) *vocat, magnificentiam oſtendens largitionis, myſteria verò docens his non debere extolli eos, qui acceperunt, ſed cum moderatione, animique modeſtia eſſe, vt qui ad obſequium, ac miniſterium proximorum vocati aſſequantur bona præſentia, rurſum autem operationes dicit, ipſam ſignificans actionem.* Negari certè non poteſt, quæcumque hoc capite enumerantur, ad Spiritus ſancti dona pertinere. Rectè autem obſeruauit Chryſoſtomus hanc Pauli orationem ad eos ſubleuandos referri, qui pauciora, minoráque Spiritus ſancti dona ſe accepiſſe dolebant; idcirco enim reuocat illis in mentem, omnia eſſe χαρίσματα, id eſt munera, gratis ac liberaliter collata, vt non tam dolendum ſit, quòd non plura ſis aſſecutus, quàm gratiæ agendæ, quòd

D eorum partem aliquam acceperis. *Cogita* (inquit) *id eſſe donum gratuitum, non debitum, & dolorem conſolaberis.* Idem docet Theophylactus, qui vnà cum Chryſoſtomo addit, illud etiam cogitandum, vnum eſſe, atque eundem bonorum omnium largitorem Spiritum; ob eam enim cauſam ſubdit Apoſtolus; *Idem autem Spiritus. Quantulumcumque munus quis acceperit, parem certè honorem adeptus eſt cum eo, cui plura conceſſa ſunt, quòd ab eodem fonte ipſe quoque hauſerit. Et cum hoc* (inquit Chryſoſtomus) *illud quoque ſimul repone, quòd etiam ſi in eius quod datum eſt menſura ſis deteriori loco, in eo certè quod dignatus ſis illinc accipere, vnde accepit, qui plus habet, æqualem habes honorem: non poteris enim dicere, quòd illi quidem gratificatus eſt Spiritus, tibi verò Angelus: nam & tibi, &*

E *illi dedit Spiritus: & ideo ſubiunxit, Idem autem Spiritus. Quamobrem etiamſi in dono eſt differentia, at non in eo, qui dedit: ex eodem enim fonte & tu, & ille hauriris.* Quod autem ait interpres: *Diuiſiones gratiarum ſunt.* Hieronymus ſæpe vertit: *Diuiſiones donorum.* Auguſtinus [d] legit: *Diuiſiones donationum.* Certè χάρισμα donum gratuitum eſt, nam & à gratia nomen habet. Sunt autem (vt ait Anſelmus) diuiſiones gratiarum quaſi vnius hominis varia membra, vel eiuſdem templi partes.

ET DIVISIONES MINISTRATIONVM SVNT, &c. Chry

[a] cap. 11.
[b] 2. Tim. 4.
[c] 1. cap. 1.
[d] In lib. de præſen. Dei ad Dardanum ep. 57.

&c. Chryſoſtomus, cæteriq́ue Græci, qui hæc (vt diximus) non diſtinguunt; quæ paulò antè Apoſtolus vocauerat dona, eadem nunc miniſteria nominari aſſirmant; vt qui audito muneris nomine, nonnullis ægrè carebat, vbi cognouerit, laborioſam eſſe adminiſtrationem, lætetur potiùs, & gratias agat. *Quid ergo* (inquit Chryſoſtomus) *doles, ſi alterum iuſſis plus laborare, tibi parcens? At ſi miniſterium genus quoddam donorum dixeris, eadem conſtabit ſententia. Eſt quidem* (*vt verum fatear*) *donum, ſed cum labore ſudoreq́ue permixtum; quandoquidem non eſt in terra defodiendum talentum, ſed nauiter, ac ſtrenuè laborandum, vt aliquid lucri accedat.* Sunt autem varia, ac diuerſa miniſteria, vt in fine capitis copioſiùs oſtendet. Porrò quod ait interpres, *Diuiſiones miniſtrationum*, Græcè eſt διακονιῶν, hoc eſt miniſteriorum. Obſeruant autem tam Græci, quàm Latini explanatores acutè Paulum hoc loco tres perſonas diuinas nominare: primùm quidem Spiritũ, illis verbis, *idem autem Spiritus*: mox Filium, cùm ait, *idem autem Dominus*: denique Patrem, cùm ſubiicit, *idem verò Deus*; vt ſignificet, trium diuinarum perſonarum vnam eſſe, atque eandem naturam, eamdemque poteſtatem, & actionem. *Vides* (inquit Chryſoſtomus) *quòd nullam oſtendit differentiam in donis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, non hypoſtaſes, ſeu perſonas confundens, abſit; ſed eſſentiæ oſtendens parem in honore æqualitatem. Nam quod gratificatur Spiritus, hoc & Deum operari, hoc & Filium cõſtituere dicit, & præbere.* Atque hac quidem ratione (vt obſeruauit inter Græcos Theodoretus, inter Latinos Hieronymus, & Anſelmus) plures hæreticorum errores refellit; nam aduerſus Arrianos Filio diuinitatẽ aſſerit, & cõtra Macedonium Spiritum ſanctum eiuſdem diuinæ naturæ participem eſſe oſtendit, præcipuè verò Arrianorum impietatem confutat, qui gradus in Trinitate collocabant; vt primo quidem loco collocarent Patrem, ſecundo Filium, tertio Spiritum ſanctum: propterea enim hunc ordinem mutauit Apoſtolus, & primùm quidem Spiritũ, deinde Dominũ, id eſt, Filium, tertiò Deum, hoc eſt, Patrem poſuit: niſi quis malit vnam, eandémque perſonã Spiritum, Dominum, ac Deum appellari, vt hac ratione diuina eius natura declaretur. Quæ videtur ſententia Photij apud Oecumeniũ; aitenim, *Conſidera diligẽter quomodo ſanctiſſimum Spiritum apertè Deum, ac Dominum prædicauerit; dicens enim: diuiſiones autem donorum ſunt, ſed idem Spiritus: & rurſum de opere ſubiungens, & diuiſiones miniſteriorum ſunt, idemq́; Dominus: deinde in eadem adhuc manens ſententia, vbi dixit, & diuiſiones operationum ſunt, ſed idem eſt Deus, ſimul in vnum coniunge dicens: vnicuique verò datur manifeſtatio Spiritus ad id, quod expedit, oſtendent quod & Deus, & Dominus Spiritus ſancto aptauerit: quæcumque enim prædixit in Spiritus perſonam clauſit, non ex eo ſolùm quod dixit, vnicuique datur manifeſtatio Spiritus, verùm etiam per ſequentem denumerationem: nam omnia per Spiritum dari aſſeuerat, rurſúmque in ſummam redigens, ait: Hæc autem omnia operatur vnus, idemque Spiritus. Manifeſtum itaque eſt, quod ſanctiſſimum Spiritum Deum, ac Dominum eſſe, clarè, & apertè hoc loco diuus Paulus diuinitus aſſeruerit.* Deinde oſtendit, & ſiquis malit ſuperiorem ſententiam ſequi, nihilotamen ſeciùs diuinitatem Spiritus ſancti confirmari, qui Patri, ac Filio æqualis conſtituatur; eiuſdémque tum facultatis, tum actionis particeps: additque Paulum tribuiſſe Spiritui nomẽ perſonale, Filio verò, ac Patri commune, vt liceret ex eadem actione eamdem colligere ſubſtantiam: idemque rurſus ex nominibus Dei, ac Domini. Denique obſeruat (quod aliàs monuimus) promiſcuè vti Paulũ propoſitionibus ἐξ, & διὰ, & ἐν, ſiue de Patre, ſiue de Filio, ſiue de Spiritu ſancto, loquatur.

Et divisiones operationvm svnt, &c. Græcè eſt ἐνεργημάτων, quæ vox non tam ſignificat operationem, quàm vim quandam, & efficacitatem, qua Deus agit in nobis, de qua mox ſubdit, *Qui operatur omnia in omnibus*. Græcè ἐνεργῶν. Et poſt nonnulla: *Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus*: ἐνεργεῖ, hoc eſt efficit, atque agit. Minus quidem Latinè, ſed vim tamen Græcæ vocis vtrunque expreſſit Hilarius a, qui dixit: *Inoperatur*. Occulta enim quadam vi, Deus in nobis agit; & (vt loquitur Auguſtinus) interdum ſine nobis, aliàs nobiſcum. Et Patres Concilij Arauſicani ex illo ita loquuntur b: *Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum, vt operemur, operatur.* Et poſt nonnulla c, *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo; nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præſtet, vt faciat homo.* Siue igitur hæc verba ad Patrem referenda ſint, ſiue ad Spiritum, planè oſtendit Apoſtolus, varia eſſe Dei, ac Spiritus beneficia; nam ſi de Patre accipias, de Spiritu paulò antè dixit, ab illo dona eſſe expectanda. Et aliquantò pòſt ſubdit: *Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult*; vt facilè, ipſius tum poteſtatem, tum auctoritatem agnoſcas. Itaque rectè colligit Ambroſius, *Operante vno, tres operari; vt Trinitatis myſterium in vnius Dei natura, & poteſtate claudatur, cùm ſit immenſum.* Et Anſelmus: *Non diuiditur Deus, cùm dona ſua diuidit, & quod ipſe operatur, tota Trinitas operatur. Deus enim natura incorporea, quia immutabiliter vnâ æterna ſtabilitate in ſe ipſo manens, totus adeſſe rebus omnibus poteſt, & ſingulis totus; quamuis in quibus habitat, habeant eum pro ſua capacitatis immenſitate, & diuerſitate, alij amplius, alij minus, quos ipſe ſibi dilectiſſimum templum gratia ſuæ bonitatis ædificat.* Et poſt nonnulla: *Non eſt Deus in omnibus, quàm in ſingulis maior, & fit plerumque, vt plures eum minùs capiant, & vnus ampliùs.* Sunt igitur quæ Apoſtolus vocat ἐνεργήματα facultates quædam actuoſæ, quas Deus mira quadam vi, ſiue ad priuatam cuiuſque, ſiue ad publicam Eccleſiæ vtilitatem efficit. Quod enim ſubdit: *Qui operatur omnia in omnibus*, non ad gratias ſolùm gratis datas, ſed etiam ad fidem, ſpem, caritatem, pœnitentiam, iuſtificantem, denique gratiam referri poteſt. Hæc enim omnia efficit in nobis Deus, non tamen ſine nobis, vt alibi planiùs oſtendo. Rectè autem dixit, *Operatur omnia in omnibus*. Non enim in ſingulis omnia efficit, ſed in omnibus, hoc eſt in toto Eccleſiæ corpore. Quòd ſi referas ad ſingulos, ſenſus erit, quidquid in huc genere in ſingulis repetitur, id totum à Deo bonorum omnium largitore tribuitur, vt intelligant Corinthij (quod ſuprà etiam monui) omnia ſe debere Deo accepta referre.

6. 1.

a lib. 8. de Trinit.

b cap. 9.

c cap. 20.

Vnicviqve avtem datvr manifestatio, &c. Spiritus manifeſtationẽ appellat (interprete Chryſoſtomo) ſigna. *Nam mihi quidem* (inquit) *fidelis manifeſtus eſt, qui habet Spiritum eo quòd ſit baptizatus, infideli autem nequaquam hoc erit manifeſtum, ſed ex ſignis.* Eodem modo explicant Oecumenius, & Theophylactus. Theodoretus autem manifeſtationem omnia Spiritus ſancti chariſmata interpretatur. *Non enim dixit* (ait) *gratia; ſed manifeſtatio: gratia enim datur etiam nunc iis, qui ſanctiſſimo Baptiſmo digni habentur, ſed non euidenter: tùc*

CCC 2

autem protinus, & variis linguis loquebantur, & miracula faciebant per hæc confirmantes, & doctrinæ veritatem docentes. Ita etiam ſentiunt Hieronymiani Commentarij, Anſelmus, & alij, quæ mihi explicatio magis videtur ad mentem Pauli; quicquid enim vim, atque efficacitatem Spiritus declarat, manifeſtatio Spiritus appellari poteſt. Hinc autem apparet hæc non tam de gratia iuſtificante, quàm de gratiis gratis datis accipienda eſſe. Quod enim ſubditur, *Ad vtilitatem*: Græcè eſt *πρὸς τὸ συμφέρον*, id eſt, vt alicubi reddit Hieronymus [a], *ad id quod expedit.* ad verbum dicere quis poſſet, ad id, quod confert: reſpicit enim Eccleſiæ vtilitatem, & infidelium conuerſionem. Quocirca cùm olim Gẽtiles ad Chriſtum traducendi eſſent, & Eccleſiæ aggregandi, Spiritus ſanctus hæc ſua diuina chariſmata copioſè largiebatur. Non me latet, quod video placere Anſelmo, poſſe etiam Paulum de propria, ac priuata vtilitate intelligi, quia & ſibi, & aliis his diuinis muneribus prodeſſe quis poteſt: quod etiam ſignificat Ambroſius. *Hoc enim* (inquit) *donum accipit, vt diuinis retinaculis vitam ſuam gubernãs, & ſibi, & aliis vtilis ſit, dum exemplum benè conuerſationis oſtendit.* Sed de aliorum potiùs vtilitate loqui videtur Apoſtolus, infidelium quidem, vt credant; fidelium verò, vt in fide firmentur, & ad Chriſtianæ virtutis apicem vehementiùs inflammentur. Qualis autem hæc ſit manifeſtatio Spiritus, veluti per partes explicat, ſubdit enim,

a ep. ad Hedib. & l. 2. cont. Iouinianum.

8. ALII QVIDEM PER SPIRITVM DATVR, &c. Græcè eſt λόγος σοφίας, & λόγος γνώσεως. Sunt autem qui putent, Græcam vocem λόγος Hæbraica phraſi abundare, vt idem ſit ſermo ſapientiæ, quod ſapientia, ſed fortaſſe hæc ſapientia, vt etiam quæ ſequitur, ſcientia non tam mente, & cognitione conſtat, quàm orationis facultate; aliud enim eſt noſſe, aliud quod noris aliis poſſe docẽdo, dicẽdóve explicare. Tametſi enim hoc efficere nemo poteſt, cui primũ illud deſit; ſunt tamẽ nõ pauci, qui quod mẽte, & cogitatione perceptum habent, & cognitum, minus fœliciter efferre, atque enuntiare poſſunt. Et profectò ſi (quod modò dixi) de aliorum vtilitate loquitur Apoſtolus, non tam de ſapientia, aut ſcientia, quàm de facilitate res diuinas tradendi, atque explicandi, hæc accipienda ſunt. Fieri enim aliquando poteſt, vt myſteria fidei non modò quis proponat, atque explicet, ſed aliis perſuadeat, earúmque altiſſimas cauſas tradat, quòd pertinet ad ſermonem ſapientiæ, quæ ſublimes diuinarum rerum cauſas perquirit; vel etiam rationes, & exempla à rerum natura deſumpta ad eadem fidei myſteria illuſtranda adhibeat, quod ſpectat ad ſermonem ſcientiæ. Quod non obſcurè indicare viſus eſt Auguſtinus [b]: nam cum protuliſſet hæc verba Pauli: *Secundùm hanc* (inquit) *diſtinctionem, qua dixit Apoſtolus, alij datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, iſta definitio diuidenda eſt, vt rerum diuinarum ſcientia propriè ſapientia nuncupetur; humanarum autem propriè ſcientiæ nomen obtineat.* Et paulò pòſt ait, *huic ſcientiæ tribui illud tantummodo, quo fides ſaluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. Qua ſcientia non pollent fideles plurimi, quamuis polleant ipſa fide; aliud eſt enim ſcire tantummodo quid homo credere debeat propter adipiſcendam vitam æternam, quæ non niſi æterna eſt; aliud autem ſcire quemadmodum hoc ipſum & piis opituletur, & contra impios defendatur, quam proprio appellare vocabulo ſcientiam videtur Apoſtolus.*

b lib. 12. de Trin. c. 14. & lib. 9. c. 1. & l. 14. c. 1.

11. Certè B. Thomas [c] has duas ſermonis facultates ſapientiæ, & ſcientiæ, ita videtur diſtinguere, vt altera doceat & perſuadeat, altera delectet & moueat: quæ omnia non ad inanem pompam, & oſtentationem, ſed ad aliorum vtilitatem referenda ſunt.

c 2. 2. q. 177. ar. 1.

Theodoretus ſermonem ſapientiæ vocat non eloquentiam, ſed verã doctrinã, *cuius ipſe etiam Apoſtolus gratiã acceperat, & diuinus Ioãnes Euangeliſta, & diuiniſſimus Petrus Apoſtolorũ ſummus, & martyrũ primus beatus Stephanus; neque enim potuiſſent homines piſcatores, & manu ſibi victum parantes, & litterarum planè ignari, & conciones habere, & ſcribere, & quæ dicebant, & ſcriptis mandabant, vt maxima implere, niſi à diuino Spiritu veram ſapientiam accepiſſent.* Eodem fermè modo loquitur Theophylactus. Sapientiam enim (auctore Chryſoſtomo) à ſcientia non aliter diſtinguit, quàm quòd illa, quæ nouit, aliis etiam tradere poteſt, hæc verò non item. Ambroſius ſapiẽtiam definit *prudentiam non ex litteris, ſed ex illuſtratione Spiritus ſancti, vt cor habeat illuminatum, & prudens, & diſcernat quæ vitanda ſunt, quæve ſequenda: ſcientiam verò diuinarum rerum cognitionem.* Hieronymus ſapientiã vocat, *quæ loqui, diſſerere, ac docere poteſt, quæ probè norit: ſcientiam, quæ poteſt legis myſteria explanare, præterita noſſe, & de futuris iudicare.* Sed proculdubio Auguſtini ſententia præferenda videtur, quam magna ex parte ſequitur Anſelmus, qui tamen alia etiam ratione ſapientiæ ſermonem à ſcientiæ ſermone diſtinguit. *Sermo* (inquit) *ſapientia per Spiritum datur, vt quis de æterno, & incommutabili bono, ac de perennibus gaudiis loquens alios ad amorem patriæ cœleſtis erigat: ſermo autem ſcientiæ tribuitur, vt loquendo quis alios doceat de his quæ in tempore facta ſunt hiſtorialiter, & de his quæ facienda, vel cauenda ſunt moraliter, id eſt, de virtutibus, & vitiis, vel aliter; ſunt enim quidam qui per donum gratiæ, & ipſa intelligunt, quæ expoſita à doctoribus non audierunt, hi videlicet ſermonem ſapientiæ perceperunt: & ſunt quidam qui audita per ſemet intelligere nequeunt; ſed ea, quæ in expoſitoribus legerunt retinent, atque ſcienter proferunt, quæ lecta didicerint; & hi ſermone ſcientiæ pleni ſunt. Quamuis hoc intelligi etiam aliter poſſit, quia ſapientia ad vitam, ſcientia verò pertinet ad doctrinam. Qui benè igitur viuit, & prudenter prædicat, ſapientiam, & ſcientiam diuinitùs accepit.* Vtrũque igitur Spiritus ſancti munus eſt, ideo ſapientia dicitur per Spiritum dari, & ſcientia ſecundũ eundem Spiritum. Obſeruat autem Theophylactus præpoſitionem διὰ, Latinè per, nõ ſolùm Filio, ſed etiam Spiritui ſancto tribui, quod paulò antè ex Photio monuimus.

ALTERI FIDES IN EODEM SPIRITV, &c. Mirum quòd inter gratias gratis datas enumeret Apoſtolus fidem, quam conſtat eſſe virtutem theologicam: ſed non deſunt, qui hanc fidem à theologica ita diſtinguant, vt theologica quidem fides dogmatum ſit, hæc verò miraculorum: ita Chryſoſtomus, *Fidẽ* (inquit) *non dicens eã, quæ eſt dogmatũ, ſed eam, quæ eſt ſignorum, de qua dicit [a]: ſi habeatis fidem, tãquam granum ſinapis, dicetis huic monti, Tranſi hinc, & tranſibit: de ea quoque rogabant Apoſtoli dicentes [b]: Adde nobis fidem; hæc enim eſt mater ſignorum.* Atque hæc eſt Chryſoſtomi perpetua ſententia [c]. Chryſoſtomum ſequuntur Theodoretus, & Theophylactus, idémque ſentiunt Hieronymus, Gregorius [d] Nazianzenus, Nouatianus [e], & alij [f]. Quanquã de ipſa miraculorum fide non conuenit inter omnes, quidnam illa ſit, quaq; ratione à fide Theologica diſtinguatur. Sunt qui malint, fidẽ, quæ inter gratias gratis datas recenſetur, nihil eſſe aliud, quàm animi quandam firmitatem & conſtantiam vi Spiritus ſancti mentibus inditam non modũ ad fidei myſteria credenda, ſed ad ea palã profitenda abſque vllo vel periculi timore, vel pudore dedecoris, & ignominiæ, quam fuiſſe legimus in martyribus, præſertim in virginibus, ac puerulis, quæ eſt ſententia Ambroſij, Anſelmi & aliorũ [g]. Nec deſunt qui putent fidem, quæ eſt gratia gratis data, poſitam 9. I.

a Matt. 17. b Luc. 17. c Hom. 14. ad Epheſ. hom. 11. in Matt. d Orat. de moder. in diſp. ſeruan. vt ibi explicat Elias. e lib. de Trinit. qui tribuitur Tertul. f Abulenſ. Matt. 17. q. 105. Roffen. art. 1. contra Luther. Vega. q. 1. de iuſtific. & lib. 9. in Concil. Trident. c. 6. Corteſia. Caietan. Gagne. & alij in hunc locum. Iudocus. Auguſtin. 1. ad. 42. in Ioan. g Caiet. 2. 2. q. 178. ar. 1. ad 4.

Digitized by Google

ta,poſitam eſſe in eximia quadam, ac ſingulari myſte- A
riorum fidei cognitione, ſiue in eorum ſermone,
hoc eſt facultate ea explicandi: quæ videtur B.Tho-
II. mæ [a] ſententia. Sed vt rem à capite arceſſam, præ-
[a] in loco & q. 111. a. [b] 2. 2. q. 4. ad 4. [c] aluin l. 3. inſt. c. 2. §. 9. termiſſâ hæreticorum [b] ſententia, qui triplicem
fidem diſtinguunt; hiſtoricam, miraculorum, & pro-
miſſionum, certum eſt inter Catholicos præter fidem
theologicam virtutem interdum nominari fidem
miraculorum; & fidem quæ eſt gratia gratis data,
& denique fidem, quæ inter fructus Spiritus ſan-
cti recenſetur. Nec dubium eſt vt de fide mira-
culorum pauca dicam, in eo in cuius gratiam patran-
dum eſt miraculum, requiri interdum nonnullam fi-
c cap. 9. 28. dem; nam apud Matthæum [c] ita Chriſtus cæcos al-
loquitur: *Creditis quia hoc poſſum facere vobis?* Et
paulò pòſt: *ſecundùm fidem veſtram fiat vobis:* B
Et aliàs ſæpè ait: *Sicut credidiſti fiat tibi.* Alibi
d cap. 13. 58. verò de Chriſti patria ſcribit idem Matthæus [d]:
Non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eo-
e cap. 6. 5. *rum:* Quinetiam Marcus [e] ait: *Non poterat ibi virtu-*
tem vllam facere: niſi paucos infirmos impoſitis manibus
curauit, & mirabatur propter incredulitatem eorum.
f Matt. 17. 17. & Marc. 9. 19. Idem etiam ex vtroque Euangeliſta [f] colligitur, apud
quos cùm Diſcipuli Chriſti nequiſſent dæmonia-
cum curare, exclamauit Chriſtus: *O generatio incredu-*
la, & peruerſa, quouſque ero vobiſcum? vſquequo patiar
vos? Quibus verbis carentiam fidei in iis reprehen-
dit; qui miraculum flagitabant. Illud etiam certum
& exploratum eſt, nonnullam fidem ei neceſſa-
riam eſſe, qui miraculum facturus eſt, vt ex ea- C
dem hiſtoria conſtat; reprehendit enim Chri-
ſtus Diſcipulos, qui propter incredulitatem ener-
gumenum ab oppreſſione dæmonis nequiuerant li-
g Matt. 17. 20. Luc. 17. 6. berare. Idem probant verba illa [g]: *Si habueri-*
tis fidem ſicut granum ſinapis: Et quæ ſcribit hac
h cap. 13. 2. ipſa Epiſtola [h] Paulus: *Si habuero omnem fidem*
i cap. 1. 6. *ita vt montes transferam:* Denique Iacobus [i]:
III. *Poſtulet in fide, nihil hæſitans.* Cæterùm in eo,
cuius gratia miraculum efficitur, non ſemper ne-
ceſſaria eſt theologica, & Catholica fides; ap-
paret enim, Moſem in Ægypto ad flectendam
Pharaonis peruicaciam multa feciſſe mira, cùm
tamen ille cum cæteris Ægyptiis fide penitus ca-
reret. Scriptura etiam docet ſigna, & prodigia
apud infideles eximium eſſe veræ fidei ac do- D
k cap. vlt. 20. ctrinæ teſtimonium: ita enim Marcus [k] ſcribit,
Illi autem prædicauerunt vbique Domino cooperan-
te, ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis; Et
l cap. 14. 22. Paulus hac ipſa [l] Epiſtola de maximo miracu-
lo, quo olim Apoſtoli variis linguis loquebantur, in
hunc modum ſcribit: *Linguæ in ſignum ſunt non fideli-*
bus, ſed infidelibus. Et Chriſtus ipſe de ſe, ſuiſque mi-
m cap. 15. 24. raculis apud Ioannem [m] dixit: *Si opera non feciſ-*
ſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non habe-
n Matt. 9. 6. *rent.* Denique Chriſtus [n], adhibito miraculo, hoc
eſt curato paralytico, probauit ſe habere poteſtatem
condonandi peccata. Accedit quòd miracula perpe-
trata, non paucos ad fidem adduxerunt; nam apud
o cap. 6. 14. Ioannem [o]; qui viderant plura hominum millia
quinque duntaxat panibus fuiſſe ſaturata, admi- E
ratione capti faſſi ſunt, Chriſtum eſſe verè Pro-
phetam, qui venturus erat in mundum. & apud
p cap. 27. 54. Matthæum [p] Centurio, reliquique milites, viſis
prodigiis, quæ in nece Chriſti acciderant, protinus
exclamarunt, verè illum Dei filium eſſe. Et (vt vno
verbo dicam) multitudine, ac magnitudine miracu-
lorum omnis gentilitas ad Deum traducta eſt. Ita exi-
q cap. 4. 48. 53. ſtimandum eſt regulum, de quo ſcribit Ioannes [q],
cùm audiſſet à Chriſto; *niſi ſigna, & prodigia videritis,*
non creditis; viſo miraculo, fidē ex animo complexū eſſe;
ait enim Ioãnes: *Credidit ipſe, & domus eius tota.* Ita fi-

A des à ſignis potiùs, ac miraculis efficitur, quàm illa
præcurrat. Deniq; apparet, multa apud eos edita fuiſ-
ſe prodigia, qui diuinam omnipotentiā abnegabant,
ipſaque miracula calūniabantur: nam Iudæi quidem
Chriſtū aiebant in Beelzebub principe dæmoniorū
eiicere dæmonia; & Gentiles Apoſtolorū, ac martyrū
miracula artificio dæmonum, & magnis præſtigiis, ac
ſenſuum ludificationibus tribuebant: alij denique
quaſi per iocum ſigna poſtulabant, quæ minimè fieri
poſſe opinabantur. Quod igitur paulò antè dictū eſt
nonnullā exigi fidē in eo, cuius gratia efficiendū eſt
miraculū; tum demum verum eſt, cùm alicuius meri-
to, aut impetratione faciendū eſt aliquid ſupra natu-
ram, vt exēpla allata apertiſſimè docent. Quæcumque
antè fides ad miracula vel impetrāda, vel perficienda IV.
B exigatur, ea certè natura ipſa à fide theologica nō di-
ſtinguitur: ita Paulus hac ipſa epiſtola non ita [a] mul- a cap. 13. 13.
tò pòſt, cùm de fide miraculorū egiſſet, cōcludit: *Ma-*
nent autē fides, ſpes, caritas, tria hæc, quæ ſine dubio de
fide theologica accipiēda ſunt. Dixerat autē de mira-
culorū fide paulò antè: *Si habuero omnem fidem ita vt*
montes transferam. Quibus verbis alludere videtur ad
id, quod apud Matthæum [b] dixit Chriſtus: *Si habue-* b cap. 17. 20.
ritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis huic monti, Tranſi
hinc. Planius autem in Epiſtola ad Hebræos [c] theo- c cap. 11. 1. 33.
logicam fidem definit, *Rerum ſperandarū ſubſtātiam,*
argumentum non apparentium: ei verò fidei tribuit mi-
raculorum effectionē, qualia ſunt illa, *Obturauerunt*
ora Leonum, extinxerūt impetum ignis; & id genus alia.
C Neque aliter explicanda ſunt, quæ in ſacris litteris le-
guntur de fide quæ impetrare, aut efficere dicitur mi-
racula. Itaque cùm ad miracula tria videantur neceſ-
ſaria; mentis aſſenſus, quo vel omnia fidei dogmata,
vel præcipuè Dei omnipotentia, eiúſque fidelitas cre-
datur, & peculiaris quædam applicatio ad id, quod
in præſentia poſtulatur, denique ſpes, & fiducia, quæ
oritur ex aſſenſu fidei, ſatis conſtat fiduciam pertine-
re ad ſpem, applicationem verò vel non eſſe ſemper
neceſſariā, vel ab aſſenſu natura ipſa nō differre, ipſum
verò aſſenſum ad fidem Catholicā pertinere. Itaque
miraculorum fides à fide theologica non quidem na-
tura ipſa, ſed extrinſeca duntaxat conditione differt,
hoc eſt illa peculiari applicatione, qua quis iudicat
miraculum in præſentia futurum, quæ ſi nō per ſe, ac
D directè pertinet ad fidem, ad eam certè reuocari de-
bet. Tametſi enim non deſunt qui negent, eiuſmodi
aſſenſum vllo modo eſſe ſupranaturalem, ac diuinū,
cùm nitatur tantummodo incertis coniecturis, nulla
autem diuina pollicitatione; crediderim tamen, non
eſſe illum quidem ſemper ad impetranda miracula
neceſſarium, cenſendum tamen in primis vtilem, &
cum fide Catholica cōnexum, quæ iuſtis, ac fidelibus
certò pollicetur, quidquid à Deo petierint. Quocirca
fieri non rarò poteſt, vt viri præſtanti virtute prædíti,
prudenter apud ſe ſtatuāt nunc quidē adeſſe omnia,
quæ ſunt ad impetrandum neceſſaria, ſiue quia illa
apertè cernantur, ſiue quia diuino impulſu ad hunc
aſſenſum eorum mens excitetur, atque ita miracula
impetrēt. Verùm quoniā hoc iudicium multis modis
E variari, intēdi, ac remitti poteſt, nec per ſe (vt dictum
eſt) ſed quodāmodo indirectè ad fidē Catholicā per-
tinet, non omnis, qui fide Catholica præditus eſt, fidē
habet miraculorum, quæ præterea hunc aſſenſum po-
ſtulat, & neceſſariò coniungitur cum confidentia,
quæ oritur ex aſſenſu fidei.

Iam verò fides, quam hoc loco nominat Apoſto- V.
lus, pertinet ad gratias gratis datas, quæ (vt Theolo-
gi [d] tradunt) potiùs ſunt iis actionibus externis, quæ d D. Thom. 1. 2. q. 111. a. 1. & 4. & 2. 2. q. 7. a. 7. ad 1.
poſſunt homines ad Deum reuocare, quibus præcipuè
diuina fides illuſtratur, & aliis aptè congruentérque
proponitur. Porrò fidē, quæ eſt gratia gratis data, non

eſſe planè idem cum fide miraculorū, ex hoc ipſo loco facilè colligi poteſt, vbi Paulus fidem hanc à gratia ſanitatum, & operatione virtutum diſtinguit: quod vtrumque (vt mox docebo) pertinet ad gratiā miraculorum. Nec verò facilè mihi perſuaſerim, fidem hanc gratis datam nihil eſſe aliud, quàm fidei theologicæ firmitatem, atque conſtantiam; tum quia hæc conſtantia eſt ad confeſſionem fidei neceſſaria, fidei verò confeſſio ad externum fidei præceptum refertur; tum quia eiuſmodi conſtantia, ſaltem in præparatione, animi inſit oportet in ſingulis ad priuatam ipſorum, non aliorum vtilitatem: cùm verò re ipſa præſtatur, in eo quidem, qui fidem conſtanter profitetur, præter habitum fidei, nihil aliud ponit, niſi peculiare Dei auxilium, ſine quo tam eximia, ac ſingularis actio exerceri nō poteſt, extrinſecùs autem annexam habet opportunitatem profitendæ fidei, quæ ad gratias gratis datas neutiquā pertinet. Adde, quòd hæc conſtantia confeſſionis fidei aduersùs pericula probra, & contumelias ad virtutem fortitudinis ſpectat, quæ eſt virtus moralis: quamobrem fides, quæ eſt gratia gratis data, poſita eſt in ſermone fidei, hoc eſt facultate quadā, qua quis à Spiritu ſancto redditur aptus ad fidei myſteria tradenda. Siquidem ex gratiis gratis datis quinque ferè ſunt, quæ in ſermone cōſiſtunt, ſermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, de quibus dictum eſt, fides, genera linguarum, & interpretatio ſermonū. Porrò fides vis quædam eſt, & facultas diuina, qua nō modò perfectè, diſtinctéque fidei dogmata comprehenduntur, ſed etiam aliis abſque vllo ſapientiæ, vel ſcientiæ ornatu tradi, explicaríque poſſunt: quod experimur interdum in rudibus, atque imperitis hominibus, qui ieiunè quidem, ac tenuiter, ſed dilucidè tamen, atque perſpicuè fidei myſteria explicant, idque interdum meliùs, quàm ſubtiliſſimi Theologi; quod nō aliunde, quàm ex hoc munere gratiæ gratis datæ, quæ dicitur fides, proficiſcitur: quo fit, vt hęc fides etiā diſtinguatur ab ea, quæ recenſetur inter Spiritus ſancti fructus. Fructus enim Spiritus vel eſt guſtus, & delectatio quædam, quæ oritur ex ipſo fidei theologicæ aſſenſu, quem fideles interdum percipiunt; vel reſpicit duntaxat diuinas promiſſiones, & eā oblectationē, quæ inde naſcitur, vel humanā fidelitatem ſignificat, vt ſuo loco videro. Itaque ait Apoſtolus, nonnullis dari fidem Spiritus ſancti beneficio; hoc eſt hanc, quā

VI. diximus, facultatem explicandi myſteria fidei. Ex quibus omnibus perſpicuè intelligitur, fidem, quæ eſt gratia gratis data, non eſſe planè idem cum habitu fidei theologicæ, quandoquidem hæc inuoluit obſcuritatem, illa verò etiam cum perſpicua diuinorū myſteriorum cognitione conſiſtit. Atque ita fides, quę eſt gratia gratis data, vnà cū cæteris fuit in Chriſto, vt docet Auguſtinus [a] ad Dardanū; cùm tamē fides theologica in illo nō fuerit, vt affirmāt Theologi [b]. Vt interim omittam fidē, quæ eſt gratia, non neceſſariò eſſe habitum, quod etiā de cæteris gratiis gratis datis ſentiendum videtur, quæ poſſunt à ſola Spiritus ſancti præſentia, prouidentiáque pendere. *Alteri* (inquit) *fides in eodem Spiritu*. Ex quo apparet, non ſatis probandam eſſe interpretationem Tertulliani [c], qui gratias gratis datas, quas hoc loco recenſet Apoſtolus, cum ſancti Spiritus donis confundit: & ſermonē quidem ſapientiæ refert ad ſapientiæ donum, ſermonem ſciētiæ ad dona intellectus, & conſilij, fidem ad donū pietatis, ac timoris, virtutem curationum, atque operationem virtutum ad donū fortitudinis, reliqua omnia ad Spiritū (vt ille loquitur) agnitionis, hoc eſt (vt ego interpretor) ſcientiæ; quanquā enim negari nō poteſt, argutam eſſe, atque ingenioſam explicationē, admitti tamen nullo modo poteſt, quòd Spiritus ſancti dona omnibus iuſtis communia videantur, cùm tamen gratiæ gratis datæ nō omnibus paſſim tribuātur, quāquā & ipſæ gratiæ gratis datæ Dei dona meritò ab Origene [a] vocantur, quibus (vt ait Clemens [b] Alexādrinus) fideles & iuſti in ſuo quiſque ordine perficiuntur. *Alij gratia ſanitatū in vno Spiritu.* Hæc videtur pertinere ad fidē, ſeu vim miraculorū, vt omnes communi cōſenſu interpretantur, quam Apoſtolis Chriſtus apud Marcum [c] pollicetur cùm ait, *ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt*, quam (vt ait Theodoretus) initio naſcentis Eccleſiæ ſupra humanam fidem Apoſtoli, virique Apoſtolici exercebant.

Alii operatio virtutum, &c. Alias gratias gratis datas breuiter perſtringit, & operationem quidem virtutum, vel vt habent Græci codices ἐνεργήματα, hoc eſt operationes, ſeu efficaciæ, Chryſoſtomo, Theodoreto, Theophylacto, Eliæ [d] Cretenſi vim quamdam puniendi, ſeu expellendi dæmones ſignificant. pertinent autem ad miraculorum facultatem, quam Apoſtolus nominatim expreſſit, vt ſignificaret (quod indicat Anſelmus) vim mirificā nō ſolùm ad immutanda corpora, ſed etiam ad alia plurima, quæ ſunt ſupra naturam, referri. Prophetia verò eximium Dei munus eſt ad prænoſcenda futura, aut abdita, & occulta introſpicienda, quo etiam munere multi olim initio naſcentis Eccleſiæ clari habebantur. *Alij diſcretio ſpirituum*, quæ videtur potiſſimum ſpectare ad mentis arcana dignoſcenda, vel etiam ad animi motus, & impulſus diſtinguendos. *Alij genera linguarum* eximium videlicet donum ſignificat, quo quis varia idiomata intelligit, & iis animi ſui ſenſa explicat. Quanquam autem conuenit inter omnes, linguarum donum in vocibus, ac rerum vocabulis poſitum eſſe, nō tamen ab omnibus eodē modo explicatur. Sunt enim qui putent, linguarum donū in eo poſitum eſſe, vt dū quis vna lingua loquitur, ab omnibus etiā diuerſarum linguarum percipiatur. Quæ videtur ſententia auctoris de operibus cardinalibus Chriſti apud Cyprianū [e]; ſic enim ſcribit, *Nō poſſet impedire intellectū credētium aliqua diuerſitas verborū, ſed euangelica doctrina propria lingua prolata ad omniū auditum eandē efficiētiam obtineret, vt Græcis, & Barbaris, omnibuſq; gentibus verbū Euangelij ſic eſſet intelligibile, ac ſi in eorum auribus lingua, in qua nati erant, idiomata reſonarent. Aderant Medi, & Ælamitæ, Meſopotamiæ, & Arabes, & hi omnes dum Hebræa lingua Apoſtoli prædicarent, locutio Iudaica enuntiationis ſuæ articulos curſu conſueto euoluens nullo exponebatur interprete.* Eidem ſententiæ non mediocriter fauet Auguſtinus [f]. *Per ſuperbos* (inquit) *homines diuiſæ ſunt linguæ, per humiles Apoſtolos congregatæ ſunt linguæ: ſpiritus ſuperbiæ diſperſit linguas, Spiritus ſanctus congregauit linguas. Quādo enim Spiritus ſanctus venit ſuper diſcipulos, omnium linguis locuti ſunt, ab omnibus intellecti ſunt, linguæ diſperſam vnum congregatæ ſunt.* Meminit huius ſententiæ Gregorius [g] Nazianzenus. *Audiebant autem,* (ait) *Verùm hic paulum conſiſte, atque ambige quomodo diſtinguenda ſit oratio; textus enim nonnullam ambiguitatem habet interpunctione dirimendam. Vtrùm enim audiebāt ſua quiſque dialecto, ita vt (v.g.) vox quidem vna emitteretur, multæ autem audirentur; ſic videlicet pulſato, ac perſtrepente aere, pluribuſque vocibus, vt magis perſpicuè dicam, ex vna voce effectis.* Mox autem eam ſententiam confutat: *Nam illo quidem modo* (inquit) *eorum potiùs, qui audiebant, quam qui verba faciebant, hoc miraculum fuerit.* Et profectò ſi hæc ſententia nihil aliud putet ad donum linguarum pertinere, vt omittam plurima Sanctorū [h] teſtimonia, qui facultatem loquendi variis linguis Apoſtolis conceſſam eſſe affirmant, non obſcuris Scripturæ teſtimoniis refelli poteſt; nam apud Marcum [i] hoc pollicetur Chriſtus his verbis, *Linguis loquentur nouis.* Et in Actis

a ep. 57.
b D Tho. 3. p. q. 7. ar. 7.
c lib. 4. in Marcion. cap. 8.

a lib. 6. cont Celſ.
b lib. 4. Stro.
c cap. vlt. 18.
d Ad orat. Greg. Naz. de moder. in diſput. ſeruan.
e Serm. de Spir. ſanct.
f In Pſal. 54.
g Orat. 44. quæ eſt de Pentec. verſus finem.
h Greg. Naz. or. 44. quæ eſt de Pentec. & ibi Nicet. Chryſoſt. ſer. 3. de Sp. ſanct. & hom. 4. in act. Apoſt. Niceph. lib. 4. hiſt.
e 2 Ambroſ. ſerm. 62 in fine. Hieron. ep. ad Marcel. Auguſt. tract. 32 in Ioann. tract. 6. in 1. can. Ioan. ſer. 186. & 159. de verb. Apoſt. lib. 15. de Trinit. c. 19. lib. 72. cont. Fauſt. c. 25. Auctor. de mirab. ſac. Scrip. c. 9. apud eūd. Auguſt. Leo Pont. ſerm. 1. Pentec. Greg. hom. 30. in Euang.
i cap. vlt. 17.

a :19.24.
b cap. 14. 18.
c 1. Stromat.
d Hær. 19 non procul à fine, & lib. de pond. & menſ. verſus finem.
e lib. 16. de ciuit. c. 6. & 11.
f Epiſt. ad Sympron.
g Act. 2. 1.

Apoſtolicis ª: *Loquebantur variis linguis Apoſtoli magnalia Dei*, & Paulus hac ipſa ᵇ Epiſtola, *Omnium* (ait) *veſtrum lingua loquor*. Itaque negari non poteſt habuiſſe primos illos Eccleſiæ magiſtros linguarū omniū facultatem. Et Clemens ᶜ quidem Alexandrinus ex Gentiliū ſcriptorum ſentētia ſeptuaginta quinque linguas fuiſſe ſcribit, cùm tamen ipſe Scripturæ auctoritate duas tantùm ſupra ſeptuaginta fuiſſe commemoret. Quod etiam non ſemel affirmauit Epiphanius ᵈ; itémque Auguſtinus ᵉ, & alij: Pacianus ᶠ autem centum viginti linguas fuiſſe indicat, ſpectans (vt opinor) ad eorum numerum, qui in vnum coacti Spiritum ſanctum diuinitus perceperunt; ait enim Lucas ᵍ: *Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ*, quaſi ſingulæ ſingulis conceſſæ ſint: quamuis enim ſingulæ linguarum ſpecies ſingulis inſederint, omnium tamen linguarum facultas ſingulis tributa videtur; mirandum vt ſiquid in mentem venerit recentioribus quibuſdam diſpertitas linguas perinde accipere, quaſi dixerit Lucas linguas celeres, expeditas, volubiles, acutas, molles, ſubtiles, flammeas; nam ſi ſentiant de igneis illis globulis, qui quaſi linguæ ſingulis imminerent, nihil erat cur Lucas molles, ſubtiles, ac volubiles diceret, cùm linguas appellaſſet igneas; illæ enim omnes facultates, hac vna duntaxat voce clauduntur. ſin autem ad ipſas linguas, & idiomata, eorumque vim, & vſum referant, nihil profectò minùs videri poteſt ad rem. Tametſi enim Spiritus ſanctus linguarum omnium facultatem tribuit Apoſtolis, & primis illis diſcipulis, non tamen linguarum elegantiam, ſubtilitatem, copiam, & ornatum largitus eſt, ſed id tantùm, quod ad promulgandum Euangelium ſatis eſſe videbatur; vt ex Epiſtolis Apoſtolicis, ipſiſque Euangeliſtarum ſcriptis perſpicuè intelligitur. At Septuaginta apud Dauidem ʰ, vbi nos legimus, *Diuiſi ſunt ab ira vultus eius*; legunt διεμερίσθησαν, quo etiam verbo vſus eſt Lucas: conſtat autem ſenſum verborum Dauidis (vt indicant Hebræi codices, & Symmachi interpretatio planiùs docet) hunc prorſus eſſe; Ora illorum nitidiora, aut leuiora butyro: inde colligunt diuidendi verbo idem voluiſſe ſignificare Septuaginta; ſed niſi ego fallor, falluntur ipſi; fateor quidem expreſſiſſe Septuaginta Hebraicæ locutionis vim, ſed non propterea quòd verbum διεμερίζω hoc per ſe ſignificet, ſed illi viri doctiſſimi, qui probè Scripturæ ſenſum callerent, eleganti periphraſi Dauidis ſententiam Græco ſermone explicuerunt; cùm enim intelligerent ora butyro molliora, nihil eſſe aliud, quàm ora ad manſuetudinem, ac lenitatem compoſita, quod tum maximè accidit, cùm ira, atque indignatio animo concepta premitur, & occultatur, dixerunt; *Diuiſi ſunt ab ira vultus eius*, hoc eſt hac ſua hypocriſi, ac ſimulatione ab vltrice ira Dei diuiſi ſunt ac diſſecti quodammodo à ſeipſis, vt aliud animo verſarent, hoc eſt odium, & furorem, vultu autem beneuolentiam, & caritatem præ ſe ferrent. Significant enim Deum illis fuiſſe iratum, atque adeò ſuæ diuinæ gratiæ ſubtraxiſſe præſidium, quo illi deſtituti, in impiam, ac nefariam hypocriſim inciderint. Dicuntur igitur diuiſi ab ira vultus Dei, id eſt, propter iram vultus Dei diuiſi, & quaſi in partes diſſecti, quia aliud haberent in animo, aliud in ore; ac propterea ſubditur; *& ipſi ſicut iacula*. Lucas autem eodem Græco verbo vſus eſt, vt ſignificaret, linguas fuiſſe veluti in partes diſtributas, vt ſingulæ ſingulis darentur, quòd ſi numerus ſingularis pro plurali accipiatur, vt indicat Symmachi interpretatio, ſenſus Dauidis erit; Diuiſi ſunt ab ira vultus eorū. hoc eſt ore finxerant ſe ab ira valde alienos, cor tamen eorum prælia meditatur, atque ita apparet, nihil eſſe, cur à propria verbi ſignificatione recedamus. Fauet interpretatio Baſilij ⁱ, qui

h Pſal. 54. 22.
i Schol in illum Pſal.

A eum locum in hunc modum explicat: *Ira namq; ſeruientes alia locuti ſunt, & alia cogitarunt*. Et Symmachi interpretationem affert: *Lubrica* (inquit) *magis ſunt ora eorum, quam butyrum, cor vniuſcuiuſque eorum bellum meditatur*; vt in hoc poſita ſit diuiſio, quòd aliud loquantur, aliud corde verſant. Itaque diſpertitas linguas rectè dixit in ſingulos diuiſas, ac diſtributas: quod maximè ſignificat paſſiua vox διαμεριζόμεναι, qua etiam vſi ſunt Septuaginta. Vt igitur redeam ad linguarum donum, continebat illud quidem omniū idiomatum facultatem; ſimillimum tamen vero videtur primam illam Petri concionem vna, atque eadem lingua habitam fuiſſe, ita tamen vt ab omnibus quamuis diuerſorum idiomatum perciperetur, ita vt vna, atque eadem vox vno tantùm modo articulata,
B & prolata, facta mutatione in aëre, alio atque alio modo ad audientium aures perueniret, quomodo nihil inhærens in loquente, vel audiente collocabat; ſed diuinam tantummodo præſentiam, atque efficientiam requirebat, quæ vocis ſonum immutaret, antequam ad auditum pertingeret: quamobrem vtramq; poteſtatē hoc linguarum donum complectebatur. Sed hac de re hac ipſa epiſtola non ita multò pòſt nonnulla prætetea dicenda erunt. Sequitur apud Apoſtolum, *Alij interpretatio ſermonum*. Quid autē illa ſit non facilè explicari poteſt; ſiue quia nonnulli ª putant, ad eas gratias pertinere, quæ poſitæ ſunt in ſermone; ſiue quia alij ᵇ pernegant, ſiue denique, quia alij referunt ad interpretationem linguarum,
C quibus fauet Apoſtolus, qui Græcè dixit ἑρμηνεία γλωσσῶν, hoc eſt, linguarum interpretatio; vt videlicet quis interpretetur aliis linguam, quam non nouerint. Quæ videtur ſententia Chryſoſtomi, Theodoreti, Hieronymi, & Ambroſij. Illi certè ᶜ minimè audiendi ſunt, qui eum, qui hoc dono polleat, ea putant aliis interpretari, quæ ipſe minimè percipiat, atque hac ratione differre à facultate linguarum; id enim cùm rectæ rationi maximè repugnat, tum à diuina prouidentia videtur in primis alienum. Non deſunt ᵈ qui referant non ad ſermonis, ſed ad ſententiæ interpretationem. Certè negare non poſſumus, vſos fuiſſe olim Apoſtolos interpretum opera. nam Marcus interpres fuiſſe dicitur Petri, vt affirmant Papias ᵉ, Irenæus ᶠ, Hieronymus ᵍ, cui ſucceſſiſſe Glauciam, auctor eſt Clemens
D Alexandrinus. Eodem munere functum fuiſſe Titum apud Paulū, teſtatur Hieronymus ʰ. Erat autem duplex interpretum munus; alterum cùm accideret interdum, vt in auditorum numero adeſſet aliquis, qui linguam docentis non perciperet, & interpretis opera indigeret, alterum, vt quæ ab Apoſtolis abdita, & recondita dicerentur, ad tenuiorum captum ab interprete accōmodarentur. Quocirca prius illud ad idiomatis interpretationem, hoc verò poſterius ad explicationem ſententiæ referebatur, & ratione quidem prioris muneris vix à facultate linguarum diſtingui poterat; reſpectu verò poſterioris magnam habet affinitatem cum iis muneribus, quæ poſita ſunt in ſermone, hoc eſt fide, ſermone ſapientiæ, & ſcientiæ, niſi quòd hoc donum plura complectitur, hoc eſt etiam
E linguarum facultatem. Itaque rectè à cæteris gratiis diſtinguitur.

a Caiet. 2. 2. q. 176. ar. 2. ad 4.
b Inſinuare videtur Diu. Thom. 2. 2. q. 177.
c Catern. 1. ad Cor. 14.
d D. Tho. 16 hic, tum 12. q. 111. ar. 4. & 2. 2. q. 176. a. 2 ad 4.
e Apud Euſeb. lib. 3. hiſt. c. vlt.
f lib. 3, c. 1.
g De ſcript. Eccleſ. in Marco.
h ep. 150. q. 2.

Hæc autem omnia operatur vnus, &c. Obſeruat Chryſoſtomus, hæc idcirco ab Apoſtolo adiici, vt contradicentium ora obſtruat, ne quis videlicet ſua merita iactaret. qua ratione & in Epiſtola ad Romanos ⁱ dixit. *Tu quis es, qui reſpondeas Deo?* Et plura in eamdem ſententiam. Repetit autem quod ſuprà dixerat, vnum atque eundem eſſe horum omnium munerum largitorem; niſi quòd, vt monet Ambroſius, *nunc ab vno ſpiritu effici dicit, quæ tribus perſonis tribuerat, quia cùm ſint vnius natu-*

i cap. 9. 20.

re, & virtutis, quod vnus operatur, atque omnes tres operantur, vnus tamen eſt Deus. Quod autẽ ait interpres, *operatur*, Græcè dixit ἐνεργεῖ, hoc eſt efficit, occulta quadam vi, idque nobis prorſus nihil agentibus. Siue enim hæc dona inter ſupranaturales habitus recenſeamus, ſiue (quod eſt longè probabilius) nihil aliud velimus eſſe, quàm diuini numinis quandam præſentiam, quæ ſuo impulſu nos ad huiuſmodi ſupranaturales functiones excitet, nihil præſtare nos poſſumus, niſi ſimplicem diuinæ impreſſionis acceptionẽ, qua nos tanquam inſtrumenta diuino artifici tractanda, mouendáque permittimus; in ipſo tamen eorum munerum vſu noſtram neceſſariò operam adhibemus; ipſi enim loquimur, interpretamur, aliáque efficimus, quæ ſunt horum munerum propria. *Diuidens* (inquit) *ſingulis prout vult*, Græcè additur ἰδίᾳ, hoc eſt priuatim, ſiue peculiariter, vel vt Hieronymus [a], & Auguſtinus [b] legunt, *propriè, ſeu propria.* Porrò Græcus ſermo non caret amphibologia; verbum enim, vult, anceps eſt, referrique poteſt ad ſpiritum diuidentem, vel ad hominem, cui diuiditur. Origenes [c] quidem innuere videtur, referendum eſſe ad eum qui accipit; putat enim, in nobis ſitum eſſe vt quamplurimum gratiæ impertiat Deus: quòd ſi de gratia gratis data accipiatur, planè falſum eſt, cùm illa prorſus liberaliter abſque vllo merito concedatur: ſin autem de gratia iuſtificante intelligatur, poſita quidem gratia excitante, quæ omnem liberi arbitrij actionem præcurrit; non dubiũ eſt tantum nobis diuinæ gratiæ infundi, quantum animi noſtri præparatio capit, ipſa verò gratia excitans ab vnius Dei liberalitate pendens, omne humanum meritum præuenit. Refero igitur verba Pauli: *Prout vult*, ad ipſum ſpiritum, vt apertè ſignificat Chryſoſtomus, qui obſeruat operari ſpiritum agendo, non patiendo: operari item vt vult, non vt iubetur, vt oſtẽdat, eiuſdem eſſe illum cum Patre, ac filio, & poteſtatis, & auctoritatis. Theodoretus autem monet, dixiſſe Paulum vnum, atque eundem eſſe ſpiritum, ne quis putaret, tot eſſe ſpiritus, quot dona, quod non modò impiè, ſed etiam ſtultè. opinabantur olim Gentiles, qui tot ferè deos conſtituebant, quot beneficia ſibi expetenda putabant, & ab vno quidem diuitias, ab alio honores, ab alio denique vires, & corporis valetudinem flagitabant.

a Dial. 1. cõt. Pelag.
b lib. de Trin. & vnit. Dei. c. 8.
c ad Rom. 12.

SICVT ENIM CORPVS VNVM EST, &c. Vulgata, & admodum trita, ſed tamen apta maximéque accommodata ſimilitudine ab humano corpore deſumpta oſtendit in tanta munerum varietate, ac multitudine animorum coniunctionem, & conſenſionem voluntatum retinendam eſſe. Fingite (inquit) vos vnum eſſe myſticum Chriſti corpus, in quo iſthæc multiplicia dona inter ſe diuerſa, eiuſdem corporis veluti membra conſtituant. Qua ſimilitudine alium tamen in finem vſus eſt etiam in Epiſtola ad Romanos [d]: *Sicut enim* (inquit) *in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.* Vult enim eo loco monere Romanos, vt ſe quiſque intra ſuos fines contineat, neque alieni muneris partes occupet: hîc verò Corinthiis præcipit, ne quis alteri inuideat, aut ſe pauciora, minoráve à Deo percepiſſe conqueratur. Hac eadẽ ſimilitudine (vt auctor eſt Liuius [e]) vſus eſt olim ciuis quidam Romanus, vt plebem à ſenatu deſciſcentem ad officium reuocaret. *Tempore* (inquit) *quo in homine, non vt nunc omnia in vnum conſentiebant, ſed ſingulis membris ſuum cuique conſilium, ſuus ſermo fuerit, indignatas reliquas partes, ſua cura ſuo labore, ac miniſterio ventri omnia quæri, ventrem in medio quietum nihil aliud quàm datis voluptatibus frui, conſpiraſſe inde ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. Hac ira dum ventrem fame domare vellent ipſa vna membra, totúmque corpus ad extremam tabem veniſſe, inde apparuiſſe ventris quoque haud ſegne miniſterium eſſe, nec magis ali, quàm alere eum, reddentem in omnes corporis partes hunc, quo viuimus, vigemúsque diuiſum pariter in venas, maturum confecto cibo ſanguinem. Comparando hinc, quàm inteſtina corporis ſeditio ſimilis eſſet iræ plebis in Patres, flexiſſe mentes hominum.* Sic apud Iuriſperitos collegia corpora ferè nuncupantur. Rectè enim dixit Pomponius [a]: *Corporum* (inquit) *tria genera ſunt: vnum, quod continetur vno ſpiritu, & Græcè* ἡνωμένον *ſυμφυὲς vocatur; vt homo, lignum, lapis: alterum, quod ex contingentibus ſe, hoc eſt ex pluribus inter ſe cohærentibus conſtat, quod* συνημμένον *vocatur, vt ædificium, nauis, armarium: Tertium, quod ex diſtantibus capitibus conſtat, vt corpora plena non ſoluta, ſed vni nomini ſubiecta, veluti populus, legio, grex:* ſic etiam Plutarchus [b]: *Philoſophi* (inquit) *corpora aiunt quædã ex diſtractis conſtare, ceu claſſem, & exercitum, alia ex compactis, vt domum, & nauem, nonnulla eſſe vnita, & concreta, vt ſunt animalia quæq;.* Hanc itaque rationẽ ſequutus Apoſtolus ab humani corporis ſimilitudine de fideliũ cœtu diſſerit, oſtẽditq; vt in corpore humano plura mẽbra ſunt; ita in vno fidelium cœtu alia atque alia eſſe munera: & rurſus vt multa corporis membra nexum inter ſeſe, & corporis vnitatem retinent; haud abſimili ratione in multitudine, ac varietate donorum, retinendam eſſe animorum conſenſionem. *Ita* (inquit) *& Chriſtus:* hoc eſt myſticum Chriſti corpus. Obſeruat autem Chryſoſtomus, conſueuiſſe Apoſtolum vti exemplis, è rerum natura petitis, quæ magnam ad perſuadendam vim habent. Monet item, non dixiſſe Paulum membra corporis cùm ſint multa, vnius eſſe corporis; ſed (quod eſt longè vehementius) eſſe idem corpus: tum ſubdit: *Si ergo multa ſunt vnum, & vnum multa, vbi eſt differentia? vbi eſt id, quod exuperat, & vbi eſt, quod eſt minus?* Et paulo pòſt addit: *Quod eſt oculus, hoc eſt pes, quod attinet ad hoc, quod ſit membrum & quod corpus efficiat; nulla eſt enim hic differentia. Nec poteris dicere, quòd alterum quidem ex membris facit corpus per ſe, alterum autem non facit, omnia enim in hoc ſunt paria, quoniam omnia ſunt vnum corpus.* Denique monet poſuiſſe Apoſtolum Chriſtum pro Eccleſia. *Ita* (inquit) *& Chriſtus, hoc eſt Chriſti corpus, quod eſt Eccleſia. Sicut enim* (ait) *& corpus, & caput vnus eſt homo, ita etiam Eccleſiam, & Chriſtum vnum eſſe dixit; quamobrem, & Chriſtum poſuit pro Eccleſia, corpus ſuum ſic nominans.* Atque hac ratione mirificè recreat eos qui pauciora, & minora Spiritus ſancti chariſmata accepiſſe videbantur.

a L. 30. ff. de vſucap.
b In præcep. connub. Eadem Senec. ep. 102 & lib. 2. natur. quæſt. c. 2.

ETENIM IN VNO SPIRITV OMNES NOS, &c. Probat quod modò dixerat, Eccleſiam eſſe vnum corpus. Tametſi (inquit) in Eccleſiam coëat Iudæi, & Gentiles, ſerui, ac liberi, inde tamen vnum corpus efficiunt omnes, quia omnes eodem Spiritu præditi ſunt, à quo vitam hauriunt, & omnẽ vim ac poteſtatẽ accipiunt; ac propterea non ſolùm ait, nos eſſe in vno Spiritu baptizatos, ſed etiam in vnũ corpus, vt Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus obſeruant: vno quidem, eodémque Spiritu baptizati ſumus: de quo ſuperiùs dixerat, *vnus, atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult*, & in vnum corpus baptizati ſumus: hoc eſt, vt vnum, atque idem corpus efficiamus. Hoc enim poſtulabat Chriſtus cùm diceret: *Vt* [c] *ſint vnũ, ſicut & nos vnum ſumus. Omnes* (inquit Theodoretus) *ab vno Spiritu renouati ſumus: idem donum omnes in Baptiſmo accepimus: remiſſionem peccatorum ſimiliter accepimus, diuinorum Sacramentorum ſumus ex æquo participes; vnum ergo corpus ſumus, etſi diuerſa membra habemus. Si ergo* (vt ait Theophylactus) *adeò disiunctos, tantóque interuallo diſtantes Spiritus nos contraxit; atque*

d cap. 12. 4.
e lib. 2. dec. 1.
c Io. 17. 21.

vnum

vnum, quanto magis poſtquam vnum facti ſumus, non debemus contriſtari, ceu diſcrimen quoddam ſit inter nos? Meminit autem Apoſtolus Iudæorum, & Gentilium, ſeruorum, & ingenuorum, vt quoniam in his maximè apparet diſtinctio, inde à maiori colligat, ne admittendam quidem eſſe diuiſionem in iis muneribus, quæ ab vno Spiritu ſancto proficiſcuntur. Si enim Spiritus ea coniunxit, quæ natura ipſa, vel humana conditione diſiuncta ſunt, neque vllam in iis patitur diſtinctionem, quanto minùs diuerſitatem ferret in iis, quorum ipſe eſt auctor, quæque propterea largitur, vt plures in vnum corpus connectat? Ita prorſus Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus. Et profectò magnã vim habet hoc Pauli argumentum: nam ſi Baptiſmus Iudæos, ac Gẽtiles, qui auctoritate legis, & natura penè ipſa diſſidebant, & ſeruos, atque ingenuos, quos ſeparant leges ciuiles, in vnam, atque eandem Eccleſiam collegit, quis iam in vnum coactos leuiſſima de cauſa diſiungat? *Nam ſi Gentes, & Iudæos* (ait Chryſoſtomus) *iiſdem dignatus eſt, & ſeruos, & liberos, quomodo poſtquam dignatus eſt diſiunxerit, quando ex donorum ſuppeditatione maiorem, & exactiorem largitus eſt vnionem?* Addit non ſolùm nos baptizatos eſſe in vno Spiritu, & in vnum corpus, ſed omnes vnum Spiritum potaſſe. *Et omnes* (inquit) *in vno Spiritu potati ſumus.* Græca habent εἰς ἓν πνεῦμα ἐποτίσθημεν, quaſi dicat, vna potione potati ſumus. Ambiguum eſt autem vtrùm hæc metaphoricè ad idem Baptiſmi Sacramentum pertineant (quod Hieronymus, Anſelmus, aliique non pauci ſignificant) an ad Euchariſtiam referenda ſint, quod Chryſoſtomus, Theophylactus, & ſcholia Græca non improbant. Si de Baptiſmo accipias, metaphoricè dixit, nos eodem Spiritu potatos; hoc eſt (vt ait Anſelmus) tantum hauſiſſe Spiritus, quantum quiſque capere poterat: ſin autem de Euchariſtia malis interpretari, propriè potandi verbo vſus eſt. Et quemadmodum ſuperiori capite ex altera cibi ſpecie vtramque ſignificauit, ita etiam hìc ex ſpecie potus integrum ſacramentum indicare voluit. Ita

a lib. 1. pædag. c. 6.

videtur hunc locum accepiſſe Clemens [a] Alexandr. *Etenim* (inquit) *vno Spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi ſiue Græci, ſiue ſerui ſiue liberi, & omnes ex vno poculo bibimus.* vbi pro ſpiritu poculum poſuit, quaſi legeret ἑνὶ πόματι ἐποτίσθημεν. Certè Græca habent εἰς ἓν πνεῦμα hoc eſt in vnum ſpiritum, quomodo ſuprà dixerat εἰς ἓν σῶμα, in vnum corpus: ſignificat autem nos vnius Spiritus vi, in vnum corpus per Baptiſmum coaluiſſe; quod ſubdit eundem nos Spiritum potaſſe, (ita enim accipio cum Ambroſio, & Auguſtino Græcam vocem ἐποτίσθημεν,) indicat (vt ex multorum ſententia dixi) Euchariſtiæ ſacramento vnius, atque eiuſdem Spiritus nos fieri participes; vt intelligamus, vtroque ſacramento vnitatem, & coniunctionem animorum maximè commendari. Obſeruat autem Chryſoſtomus, cùm potuiſſet Apoſtolus dicere nos eodem Chriſti corpore veſci, maluiſſe tamen vſurpare metaphoram potus, quod ea rei ſibi propoſitæ magnoperè congrueret, perinde quaſi de plantis, aut horto loqueretur. *Omnes* (inquit) *vnius horti planta, ex eodem fonte, atque eadem aqua irrigantur, eademq́; ratione eandem omnes potum bibimus, qui eandem percipimus gratiam.* Dixit autem potare nos eundem Spiritum, non ſanguinem, vt nomine Spiritus tam Chriſti corpus, quàm ſanguinem complectatur. Ex hoc loco colligit Clemens Alexandrinus, quãdam percolationem Spiritus; ſic enim loquitur, cùm hæc Pauli verba recitaſſet: *Neque verò abſurdum fuerit illorum quoque ipſorum verbis vti, qui Spiritus quidem percolationem dicunt eſſe meliorum memoriam. Percolationem autem intelligunt, quæ ex meliorum fit recordatione eorum, quæ peiora ſunt, ſeparationẽ.*

A *Ei itaque, qui meliora reuocanit in memoriam, neceſſariò ſequitur pœnitentia propter deteriora; ipſum ergo Spiritum pœnitentia abductum recurrere fatentur. Eodem modo nos quoque peccatorum noſtrorum moti pœnitentia, ipſorum detrimentis renuntiantes, Baptiſmo percolati, ad æternam quoque lucem recurrimus Filij ad Patrem.* Suſpicor autem, alludere Clementem ad Pithagoreorum μετεμψύχωσιν, hoc eſt animarum tranſmigrationem; ſic enim illi opinabantur, animas cœleſtis licèt naturæ in varia animantium corpora commigrare, cumque multis corporum mutationibus perfunctæ eſſent, eorum tandem pertæſas, ſuæq́; cœleſtis originis recordatas in cœlum remeare. Itaque illi hanc meliorem recordationem, & à deterioribus per pœnitentiam ſeparationem, percolationem Spiritus appellabant:

B percolatione enim meliora à deterioribus ſeparantur. Hoc ipſum ait Clemens perſimili ratione vſu venire in Baptiſmo; noſtrorum ſiquidem flagitioſorum pœnitentia moti, ea deteſtantur, eorúmque auctori ſatanæ nuntium remittimus, & à deterioribus ad meliora conuerſi ad cœleſtem Patrem noſtrum confugimus, æternam lucem, immortalémque vitam appetentes. Itaque quamuis Clemens Pauli verba ad Euchariſtiam referre videatur, magis tamen probat, quod video Chryſoſtomo, & Theophylacto placere, vt de Baptiſmo accipiãtur, de quo paulò antè dixerat, *quin etiam eorum, quæ ſunt deteriora reiectio eſt meliorum reuelatio; quæ enim malè colligauit ignoratio, ea pulchrè reſoluit agnitio. Hæc autem vincula quàm celerrimè remit-*

C *tuntur, humana quidem fide, diuina verò gratia cùm remittuntur peccata vno medicamento pæonio; nempe λογικῷ βαπτίσματι, hoc eſt verbali Baptiſmo;* & vt ego quidem arbitror, verbalem Baptiſmũ nominat, cui præter ablutionem aquæ, ſacra adhibentur verba. Porrò Chryſoſtomus cùm dixiſſet nos carne, & ſanguine Chriſti Spiritum potare, ſubdit: *Mihi autem nunc videtur dicere illum Spiritus aduentum, qui nobis ineſt ex Baptiſmate, etiã ante myſteria.* illum (credo) intelligit, quo initio naſcentis Eccleſiæ omnes, qui Baptiſmo luſtrati eſſent aſpectabili ſigno diuini Spiritus chariſmata percipiebant. Aptè verò Græcè dixit Apoſtolus ἐποτίσθημεν: ſolent enim Græci ποτίζειν de iis dicere, quæ irrigantur, atque idcirco (vt diximus) Chryſoſtomus, & Theophylactus irrigationis metapho-

D ram ſequuti ſunt. Atque hæc poſtrema explicatio mihi maximè arridet; agit enim Apoſtolus de his Spiritus ſancti muneribus, vt ſuperiora, & quæ deinceps conſequuntur apertiſſimè docent. Significat igitur, omnes eodem Baptiſmo fuiſſe luſtratos, eodemque Spiritu, veluti fonte irrigatos, atque ob eam cauſam ad idem corpus pertinere, eiuſdemque vitæ eſſe participes; tametſi alij aliis præſtare aliqua ratione videntur.

NAM ET CORPVS NON EST, &c. Occupatio eſt tacitè Corinthiorum cogitationi occurrens: ex- 14.
cipere enim illi poſſe videbantur ſe plures eſſe, atque I.
adeò non poſſe in vnum corpus coire, quaſi verò, inquit Apoſtolus, non ea ſit corporis ratio, vt plura membra requirat. Quamuis igitur plures ſitis, vnius

E tamen, atque eiuſdem corporis membra eſtis: compoſita enim corpora (vt alicubi ſcribit Seneca [a]) *nexu, aut coaceruatione conſtant.* Idémque [b] alibi: *Quædam* (ait) *continua eſſe corpora, vt hominem, quædam compoſita, vt nauem, domum, omnia denique quorum diuerſæ partes iunctura in vnum ſunt coactæ: quædam ex diſtantibus, quorum adhuc membra ſeparata ſunt, tanquam exercitus, populus, ſenatus, illi enim, per quos iſta corpora efficiuntur, iure, aut officio cohærent, natura diducti, & ſinguli ſunt.* Quamobrem de humano corpore, vnde ducta eſt ſimilitudo, rectè ait Apoſtolus, corpus non eſſe vnum duntaxat membrum, ſed multa: nam (vt

a lib. 2. nat. quæſt c. 2.
b epiſt. 102.

ait

ait Chryſoſtomus) *ſi multa non eſſent, ne corpus quidem eſſet.* Eadem ratione corpus myſticum ex multis coagmentatum eſt; & ſi multa non eſſent, ex quibus conſtaret, ne corpus quidem dici, appellarive poſſet. Videtur autem Apoſtolus indicare, eos tantùm ad myſticum Eccleſiæ corpus pertinere, qui Spiritum ſanctum perceperunt. Quod non perinde accipiendum eſt, quaſi iuſti tantummodo ad Eccleſiam pertineant, cùm reuera qui ritè percepto Baptiſmo characterem receperunt, ſint Chriſti & Eccleſiæ membra, & quidem viua, & vegeta, ſi præter fidem, etiam gratiam & caritatem retineant; ſi verò retenta fide, deſtituantur caritate, non propterea deſinunt eſſe membra, ſed ſpiritalis vitæ ſuccum nequaquam hauriunt: quòd ſi etiam fidei iacturam faciant, quaſi membra putida à corpore reſecantur. Quandiu autem corpori vniuntur, nonnullam Spiritus particulam percipiunt, quãuis præcipuo eius fructu penitus careant.

15. SI DIXERIT PES, QVONIAM NON SVM, &c. Immoratio eſt eiuſdemq; ſententiæ amplificatio, ab enumeratione plurium partium corporis deſumpta: tota autem refertur ad eorum animos recreandos, ſubleuandóſque, qui pauciora, & minora chariſmata perceperant. Senſus igitur eſt: tametſi infimæ ſortis, aut conditionis cèſearis, ſi tamen corpori hæres, non propterea inter corporis membra numerandus non es. Quid enim in humano corpore abiectius pede, ſi præſertim conferatur cum manu, quæ eſt plurimarũ humanarum actionum inſtrumentum? Atqui pes extremum humani corporis locum occupat, ſed eſt tamen pars corporis penitus neceſſaria, ſiue inſiſtendum, ſiue incedendum ſit. Vt enim ait Chryſoſtomus, *ex corpore eſſe, aut non eſſe, non eſt ex eo, quòd alius quidem ſitus ſit in hoc loco, alius autem ſitus in illo; hoc enim facit loci differentiam; ſed ex eo, quòd ſit connexum, aut ſit diſtans, ac remotum. Eſſe enim, aut non eſſe corpus ſit ex eo, quod eſt vnitum eſſe, aut non eſſe vnum.* Perelegantì autẽ proſopopeia tribuit orationem membris, vt quod in corpore humano apertiſſimè apparet abſurdum ad myſticum corpus tranſlatum, rei indignitate indicata pudorem incutiat. Obſeruant autem Chryſoſtomus, & Theodoretus, non quælibet membra corporis temerè cum quibuſlibet componi, ſed pedem quidem cum manu, aurem verò cum oculo: pes enim cum manu naturæ quandam habet affinitatem; auris verò oculo eſt finitima. Solet autem inter ea, quæ ſunt eiuſdem ordinis, quæque ſimilitudinem aliquam inter ſeſe habent, vt plurimum inuidia intercedere; ſic enim alicubi ſcripſit Ariſtoteles [a], *Inuidia eſt dolor quidam quoniam ſimiles boni aliquid adepti videantur; hi enim inuidebunt quibus aut ſunt quidam, aut videntur ſimiles: ſimiles verò dico genere, propinquitate, ætate, habitu, gloria, diuitiis; item ij quibus parum deeſt, ne omnia teneant*, & multa deinceps in eandem ſententiam. Eſto igitur, ſis infimo loco poſitus, clauũ alij teneant, vix tibi ſit in ſentina locus; nõ tamen propterea exiſtimare debes, non eſſe te corporis membrum.

[a] lib. 2. rhetor. c. 10.

16. I. ET SI DIXERIT AVRIS, QVONIAM NON, &c. In eodem exemplo, eodémque argumento perſiſtit, oſtenditque neceſſariam eſſe membrorũ ac partium corporis inæqualitatem. Plurimum quidem diſtat dignitate, atque præſtantia auris ab oculo, ſed ipſa tamen ſuam habet in corpore functionem, & quidem maximè neceſſariam; ſed oculo tamen longè videtur inferior; propterea enim oculi præ cæteris membris habentur in pretio, quod vel ex illo cognoſci poteſt quod ſcribit Ariſtoteles [b], quia plurimum ad ſcientiam capeſſendam valet *Omnes* (inquit) *homines natura ſcire deſiderant, ſignũ autem eſt ſenſuũ dilectio; nam & abſq; vſu propter ſeipſos amantur, præ cæteris autem qui per oculos fit: non enim vt agamus ſolùm, verùm etiam nihil acturi, ipſum videre præ omnibus aliis (vt ita dicã) eligimus. Cauſa autem eſt, quod ſenſuum hic vel maximè nos cognoſcere quidquam facit, multaſq; differentias manifeſtat.* itaque quos plurimum diligimus dicere ſolemus, magis à nobis amari, quàm proprios oculos. Quò etiã ſpectant illa, quæ ſunt apud Zachariã [a], *Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi ſui.* Sic enim legendum eſſe conſtat ex Hebræo, Græco, Chaldæo, & Hieronymo, quibus non pauci Latini codices conſentiunt, relatiuum autem *ſui* referri poteſt vel ad ipſum qui tangit, hoc ſenſu, qui vos lædet, is ſibi oculos effodiet, hoc eſt, ſibi maximè nocebit, quem ſenſum probat Cyrillus & alij: vel ad ipſum Deum, quaſi dicat tanget ipſius Dei pupillam, quæ eſt ſententia Hieronymi ac Theodoreti: ſignificat autem Propheta, ſe vnicè diligere ſuos, tamquam oculi pupillam, quæ cuiuis maximè cara eſſe ſolet. Quicumque (ait Propheta) vobis nocebit, is oculi Dei pupillam lædet, atque adeò Deum contra ſe maximè prouocabit.

[b] 1. Metaph. in initio.

[a] cap. 2.

17. I. SI TOTVM CORPVS OCVLVS, VBI, &c. Collectio totius propoſiti argumenti, non (vt quidam volunt) nouum argumentum. Colligit autem membrorum diuerſitatem humano corpori conſtituendo, conſeruandoque penitus eſſe neceſſariam. Cùm enim neceſſe ſit, humanum corpus heterogeneum eſſe, hoc eſt ex diſſimilibus partibus conſtans, perſpicuum eſt, ſi omnia mẽbra ad vnum redigantur, & rationẽ corporis humani perire, ipſamque adeò membrorum rationem in nihilũ recidere. Inde autẽ ſequitur in myſtico Eccleſiæ corpore perſimilem quandã graduum diuerſitatem neceſſariam eſſe, quod fuſiùs deinde ſequenti oratione cõfirmat. Vult autem ex hoc intelligi eos de Republica Chriſtiana, atque adeò ſingulis eius partibus malè mereri, qui in omnibus æqualitatem requirunt, quo nihil eſſe poteſt in Republica pernicioſius. Ita enim à natura, vel rectiùs naturæ auctore conſtitutũ eſt, vt quemadmodum in hac pulcherrima rerum vniuerſitate alia aliis præſtãt; ſic etiam in Republica alij præſint, ſubſint alij, quidã imperent, nonnulli ſeruiant; ordinũ denique, ac perſonarũ varietate, ac diſtinctione vnũ Reipublicæ corpus coagmẽtatũ naturæ ſpeciem, ac pulchritudinem imitetur. Quemadmodum igitur ſi corpora, quæ dicuntur ſimplicia, ſpatium omne quod eſt infra lunam occuparent, nullis plantis, aut animantibus relinqueretur locus, atq; adeò mundi pulchritudo, ac ſpecies, vnde apud Græcos nomen habet, penitus interiret; ita ſublato in Eccleſia eo, quẽ cernimus, ordine magnam neceſſe eſt rerum omniũ ſequi perturbationẽ, confuſionemq;. Quocirca (vt Chryſoſtomus, Theodoretus, ac Theophylactus monent) hoc Apoſtolico argumento tenuiorũ animi mirificè reficiuntur, & confirmantur, eorũ verò deprimitur arrogãtia, qui multitudine, magnitudineq; chariſmatum plus æquo clari, cæteros cõtemnebant: atq; eadẽ opera eos perſtringit, qui cùm in Republica, ſiue Ciuili, ſiue Eccleſiaſtica, cæteris præſtent, nimia quadã arrogantia tumidi, cæteros vel contemnũt, vel opprimunt, ſibiq; adeò omnia deberi exiſtimant nulla tenuiorũ habita ratione, per quos tamen ipſi tum aucti, tum ornati ſunt, & eam potẽtiam adepti, qua nimium efferuntur, primas in Republica obtinẽt, neque enim imperarent, niſi haberent, qui imperio parerent.

18. I. NVNC AVTEM POSVIT DEVS MEMBRA, &c. Eundem ſemper lapidem verſat, & in eodem humani corporis exemplo perſiſtens, idem perpetuò inculcat. Reuocat autem hanc totam diſputationem ad altiſſimas cauſas, diuinam videlicet voluntatem, quæ eſt rerum omnium prima, & nobiliſſima cauſa. Quamquam autem non deſunt, qui hæc nõ de humano, ſed de myſtico corpore accipiant, cuius omnis cõſtitutio

ad vnam

A ad vnam Dei voluntatẽ reuocanda eſt, quæ (vt in fine huius capitis dicit Apoſtolus) quoſdam quidẽ poſuit primùm Apoſtolos, ſecundò prophetas, tertiò doctores, & cætera id genus; mihi tamen videtur longè probabilius, verſari adhuc Paulũ in exemplo allato humani corporis, in quo Deus alia, atq; alia mẽbra ſuis quæque locis aptè, concinneq; locauit, nõ quidem pro ſuo libero volũtatis arbitrio, ſed habito reſpectu, ad ipſius corporis naturam, & ſingulorum membrorũ vſum: vt enim in ſcholis Theologi tradũt, rerũ efficientia tum diuinæ ſcientię, tum etiam diuinę voluntati tribuitur, cognitioni quidẽ tanquam agendi modum, ac veluti legẽ præſcribenti, voluntati verò tanquã mouenti. Dicitur itaq; Deus collocaſſe ſingula mẽbra in corpore, vt voluit, non quaſi aliter locare potuerit, & caput abiicere ad pedes, pedes autem ſupra caput attollere; ſed B quia quem membrorum ordinem in ſuis diuinis ideis inſpexerat, volũtate probauit, req; ipſa perfecit. Quod enim de mundi fabrica acutè admodum, ac ſubtiliter dixit Hilarius, id etiã de ſingulis rebus creatis accipiendum eſt: ita autẽ ſcribit [a], *Sed cùm omnia per Deum, quæ ſub cœlo ſunt, facta ſint, & componẽdo cœlo Chriſtus affuerit, & ipſam præparati cœli præuenit æternitatẽ, non patitur hoc exiſtimari in Deo minutarũ rerum particulatas cogitationes, quia omnis eorũ præparatio Deo eſt coæterna: nã tametſi habeat diſpenſationẽ ſui ſecundùm Moyſem firmamenti ſolidatio, aridæ nudatio, maris congregatio, aſtrorum conſtitutio, aquarũ, terræq; in eiiciendis ex ſe animantibus generatio; non tamen cœli, terræ, cæterorumq; elementorum* C *creatio æquabili penes Deum æternitatis infinitate conſtiterat.* Dixerat autem paulò antè: *Præcepto Dei cœli vt firmarentur eguerũt; nam apparatus, & virtus eorum in hac imperturbata conſtitutionis ſua firmitate, non de temperatione aliena, ſed ex ſpiritu diuini oris exiſtit.* Et paucis interiectis: *Nihil enim nõ ſemper cum Deo fuit, quidquid in rebus eſt. quæ etſi ad creationem ſui cœpta ſunt, non ſunt tamen ad Dei vel præſcientiam, vel poteſtatem inchoata, & teſtis eſt nobis propheta dicens: Deus, qui feciſti omnia, quæ futura ſunt: quæ enim futura ſunt, licèt in eo, quòd creanda ſunt, adhuc fient, Deo tamen, cui in creandis rebus nihil nouum, aut recens eſt, iam facta ſunt; dum & temporum diſpenſatio eſt, vt creentur, & iam in diuina virtutis, & præſcientiæ efficientia ſint creata.* Spectaſſe enim videtur Hilarius rerum diuinas ideas, in quibus creatarum D omnium rerũ naturas, & eſſentias, quaſi ipſarum rerũ præparationes mens diuina intuetur, quæ tũ demum, ſi diuina voluntas accedat, in lucem prodeunt. Quod ſpectans Apoſtolus, rectè dixit, poſuiſſe Deum vnumquodque membrũ in corpore ſicut voluit: id autẽ voluit, quod erat cuiq; naturæ cõſentaneũ. Quanquã nõ iuerim inficias, multa Deũ in humani corporis cõſtitutione pro libero ſuę volũtatis priuatim efficere, de quibus tamẽ non agit in præſentia Apoſtolus, qui de ipſa membrorum natura, & collocatione diſſerit; & idcirco ſubiicit:

a lib. 12. de Trinit.

19. I. Qvod si essent omnia vnvm, &c. Repetit quod paulò [b] antè dixerat, nõ poſſe humanũ corpus, de quo agit, vno mẽbro conſtare; vnde, & Chryſoſtomus, Oecumenius, & Theophylactus confici autumant, Co- E rinthiorũ Rempublicã ſine graduum, & honorũ diuerſitate non poſſe conſiſtere. Quod paulò antè vniuerſim de qualibet Republica indicauimus; nam qui præſunt, ne poſſunt quidem præeſſe, ſi nemo ſit, qui ſubſit. Regũ porrò, ac Principũ opes nullę eſſent, ſi nõ haberent ſubiectos, quorũ opera domi, foriſq; ad belli, paciſq; ſtudia vterentur. Omnis igitur imperãtium poteſtas cum populariũ dignitate coniuncta eſt; atq; idcirco rectè omnino Romanorũ Imperatorũ quiſquam dixit, cõſueuiſſe Romanos [illegible] tondere, nõ deglubere: intelligeb[illegible] cipi ciuium ſuorũ commoda, [illegible]

b verſic. 14.

A mendos, vt ſuccumbãt, alioqui omnẽ ipſorum dignitatẽ penitus perire. *Si non eſſet* (inquit Chryſoſtomus) *in vobis multa differentia, non eſſetis corpus: ſi autẽ non eſſetis corpus, non eſſetis vnum; ſi autem non eſſetis vnum, non vtiq; eſſetis honore pares; quamobrem ſi eſſetis omnes pares honore, non eſſetis corpus; ſi non eſſetis autẽ corpus, non eſſetis vnum ſi autem non eſſetis vnum, quomodo eſſetis pares honore?* Ita docet eos, qui æqualitatẽ honoris quærunt, pugnantia quodammodo expetere. Graduũ igitur, honorumq; diſtinctio ad corporis vnitatem plurimum valet, adeòque ſingulis corporis membris ſuam impertit eius honoris particulam, qui corpori vniuerſo debetur, & ob eam cauſam ſubdit:

Nvnc avtem mvlta qvidem membra, &c. Hæc porrò tã de corpore vero, quàm de myſtico accipien- 20. I.
B da videntur; eadem enim eſt vtriuſq; corporis ratio, membrorumq; diſtinctio æquè in vtroque neceſſaria eſt, tantumq; abeſt, vt cùm eius vnitate pugnet, vt eam potiùs ſtatuat; nã (vt ait Theodoretus) ea ſublata, corpus eſſet planè inutile, & ad aliã prorſus corporis naturã pertineret. Organicũ ſiquidẽ corpus abſq; membrorum diſtinctione nullũ eſſe poteſt; quod ipſum de corpore myſtico, quod organico, atque humano comparatur, neceſſariò intelligendũ eſſe ſentit Apoſtolus. Atque hactenus quidẽ ſatis viſus eſt eorum ſubleuare imbecillitatẽ, qui deiecto animo erant, quòd cæteris viderentur inferiores; deinceps faſtum, & arrogantiã eorum deprimit, qui magnitudine chariſmatum ad oſtentationem, aliorũmque contemptum abutebantur; ſic enim ait: C

Non potest avtem ocvlvs, &c. Aptè nobiliora membra cum ignobilioribus cõfert, oculum quidem cum manu, caput autẽ cum pedibus, indicãs in Eccleſiaſtico corpore quędã eſſe membra, quæ his humanis mẽbris proportione reſpondeant, quæq; inter ſeſe nũ aliter, ac humana mẽbra neceſſariis officiis cõiungantur, atque in humano quidem corpore fruſtra oculus cerneret ea, quę agenda ſunt, niſi manus ea poſſet perficere: nec poſſet caput auctoritate, atque imperio ſuo totũ corpus mouere, & circũagere, niſi pedes ſeſe pręberent obſequentes, ſuoq; munere fungerẽtur. Quod ipſum in Eccleſiaſtico corpore vſu venit; nequidquã enim ſeſe ſapientes iactitãt, quòd ſint veluti in humano corpore oculi, & tum bona proſequenda, tum etiã 21. I.
D mala fugienda longè proſpiciãt, niſi enim ſint alij, qui veluti manũ admoueant, quodque agendum, fugiendũmve eſt præſtẽt; nihil penitus illorũ proſpectus profuerit. Quod ipſum ſentiendũ eſt, ſi qui tanquã caput cum pedibus cõferantur. *Quid enim* (inquit Chryſoſtomus) *eſt pede vilius, aut quid capite honeſtius ac præſtãtius, & magis neceſſariũ? Hoc enim eſt maximè inter homines nempe caput, ſed tamen non eſt ſufficiens, neq; poteſt ipſum omnia efficere: nã ſi eſſet, ſupernacaneè nobis adiecti eſſent pedes.* Obſeruant autẽ Chryſoſtomus, & Theophylactus, dixiſſe Apoſtolũ, *Non poteſt autem oculus dicere manui, Opera tua nõ indigeo.* Quaſi dicat; etiãſi maximè velit, & dicat, non tamen verè loquitur, neque id rerum natura vllo modo patitur. Porrò Anſelmus hæc E ad corpus myſticũ transfert: *nam ſicut manus* (ait) *indiget oculo, vt operari valeat; id eſt diſcipulus prouiſione doctoris, vt bonũ opus expleat; ita oculus indiget operatione manus, id eſt doctor, qui per ſeipſum agere non poteſt, quod agendum prouidet, neceſſarium habet diſcipulum, per quẽ fiat quod neceſſarium prouidet: inaniter enim prouideret, ſi non eſſet qui conſequenter faceret.* Et paulò pòſt de capite, ac pedibus diſſerẽs; *Omnino* (inquit) *neceſſarij ſunt ei ſubiecti, quia poteſt humilis, quod nõ poteſt ſublimis, quia & ferrũ poteſt, quod aurũ non poteſt: & quamuis aliquis dignitate ſublimis ſit, tamen ſi ſubiectus de fuerit, qui obſequiis illũ faciat glorioſum, ipſa dignitas contemptibilis erit.* Quę penè ad verbum mutuatus eſt ex Ambroſio. Hieronymus

ait Chryſoſtomus) *ſi multa non eſſent, ne corpus quidem eſſet.* Eadem ratione corpus myſticum ex multis conflatum eſt; & ſi multa non eſſent, ex quibus conſtaret, ne corpus quidem dici, appellatiue poſſet. Videtur autem Apoſtolus indicare, eos tantùm ad myſticum Eccleſiæ corpus pertinere, qui Spiritum ſanctum perceperunt. Quod non perinde accipiendum eſt, quaſi iuſti tantummodo ad Eccleſiam pertineant, cùm reuera qui ritè percepto Baptiſmo characterem receperunt, ſint Chriſti & Eccleſiæ membra, & quidem viua, & vegeta, ſi præter fidem, etiam gratiam & caritatem retineant; ſi verò retenta fide, deſtituantur caritate, non propterea deſinunt eſſe membra, ſed ſpiritalis vitæ ſuccum nequaquam hauriunt: quòd ſi etiam fidei iacturam faciant, quaſi membra putrida à corpore reſecantur. Quandiu autem corpori vniuntur, nonnullam Spiritus particulam percipiunt, quāuis præcipuo eius fructu penitus careant.

15. SI DIXERIT PES, QVONIAM NON SVM, &c. Immoratio eſt eiuſdémq; ſententiæ amplificatio, ab enumeratione plurium partium corporis deſumpta: tota autem refertur ad eorum animos recreandos, ſubleuandóſque, qui pauciora, & minora chariſmata perceperant. Senſus igitur eſt: tametſi infimæ ſortis, aut conditionis eſſe videaris, ſi tamen corpori hæres, non propterea inter corporis membra numerandus non es. Quid enim in humano corpore abiectius pede, ſi præſertim conferatur cum manu, quæ eſt plurimarū humanarum actionum inſtrumentum? Atqui pes extremum humani corporis locum occupat, ſed eſt tamen pars corporis penitus neceſſaria, ſiue inſiſtendum, ſiue incedendum ſit. Vt enim ait Chryſoſtomus, *ex corpore eſſe, aut non eſſe, non eſt ex eo, quòd alius quidem ſitus ſit in hoc loco, alius autem ſitus in illo; hoc enim facit loci differentiam, ſed ex eo, quòd ſit coniunctum, aut ſit diſtans, ac remotum. Eſſe enim, aut non eſſe corpus ſit ex eo, quod eſt vnitum eſſe, aut non eſſe vnitum.* Perelegāti autē proſopopœia tribuit orationem membris, vt quod in corpore humano apertiſſimè apparet abſurdum ad myſticum corpus translatum, rei indignitate indicata pudorem iniiciat. Obſeruant autem Chryſoſtomus, & Theodoretus, non quælibet membra corporis temerè cum quibuſlibet componi, ſed pedem quidem cum manu, aurem verò cum oculo: pes enim cum manu naturæ quandam habet affinitatem; auris verò oculo eſt finitima. Solet autem inter ea, quæ ſunt eiuſdem ordinis, quæque ſimilitudinem aliquam inter ſeſe habent, vt plurimum inuidia intercedere; ſic enim alicubi ſcripſit Ariſtoteles [a], *Inuidia eſt dolor quidam quoniam ſimiles boni aliquid adepti videantur; hi enim inuidebunt quibus aut ſunt quidam, aut videntur ſimiles: ſimiles verò dico genere, propinquitate, ætate, habitu, gloria, diuitiis; item ij quibus parum deeſt, ne omnia teneant*, & multa deinceps in eandem ſententiam. Eſto igitur, ſis infimo loco poſitus, clauū alij teneant, vix tibi ſit in ſentina locus; nō tamen propterea exiſtimare debes, non eſſe te corporis membrum.

a lib. 2. rhetor. c. 10.

16. I. ET SI DIXERIT AVRIS, QVONIAM NON, &c. In eodem exemplo, eodémque argumento perſiſtit, oſtenditque neceſſariam eſſe membrorū ac partium corporis inæqualitatem. Plurimum quidem diſtat dignitate, atque præſtantia auris ab oculo, ſed ipſa tamen ſuam habet in corpore functionem, & quidem maximè neceſſariam; ſed oculo tamen longè videtur inferior; propterea enim oculi præ cæteris membris habentur in pretio, quod vel ex illo cognoſci poteſt quod ſcribit Ariſtoteles [b], quia plurimum ad ſcientiam capeſſendam valet *Omnes* (inquit) *homines natura ſcire deſiderant, ſignū autem eſt ſenſuū dilectio; nam & abſq; vſu propter ſeipſos amantur, præ cæteris autem qui per oculos fit: non enim vt agamus ſolùm, verùm etiam nihil acturi, ipſum videre præ omnibus aliis (vt ita dicā) eligimus. Cauſa autem eſt, quod ſenſuum hic vel maximè nos cognoſcere quidquam facit, multaſq; differentias manifeſtat.* Itaque quos plurimum diligimus dicere ſolemus, magis à nobis amari, quàm proprios oculos. Quò etiā ſpectant illa, quæ ſunt apud Zachariā [a], *Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi ſui.* Sic enim legendum eſſe conſtat ex Hebræo, Græco, Chaldæo, & Hieronymo, quibus non pauci Latini codices conſentiunt, relatiuum autem *ſui* referri poteſt vel ad ipſum qui tangit, hoc ſenſu, qui vos lædet, is ſibi oculos effodiet, hoc eſt, ſibi maximè nocebit, quem ſenſum probat Cyrillus & alij: vel ad ipſum Deum, quaſi dicat tanget ipſius Dei pupillam, quæ eſt ſententia Hieronymi ac Theodoreti: ſignificat autem Propheta, ſe vnicè diligere ſuos, tamquam oculi pupillam, quæ cuiuis maximè cara eſſe ſolet. Qui igitur (ait Propheta) vobis nocebit, is oculi Dei pupillam lædet, atque adeò Deum contra ſe maximè prouocabit.

b 1. Metaph. in initio.

a cap. 2.

17. I. SI TOTVM CORPVS OCVLVS, VBI, &c. Collectio totius propoſiti argumenti, non (vt quidam volunt) nouum argumentum. Colligit autem membrorum diuerſitatem humano corpori conſtituendo, conſeruandoque penitus eſſe neceſſariam. Cum enim neceſſe ſit, humanum corpus heterogeneum eſſe, hoc eſt ex diſſimilibus partibus conſtans, perſpicuum eſt, ſi omnia mēbra ad vnum redigantur, & rationē corporis humani perire, ipſamque adeò membrorum rationem in nihilū recidere. Inde autē ſequitur in myſtico Eccleſiæ corpore perſimilem quandā graduum diuerſitatem neceſſariam eſſe, quod fuſiùs deinde ſequenti oratione cōfirmat. Vult autem ex hoc intelligi eos de Republica Chriſtiana, atque adeò ſingulis eius partibus malè mereri, qui in omnibus æqualitatem requirunt, quo nihil eſſe poteſt in Republica pernicioſius. Ita enim à natura, vel rectiùs naturæ auctore conſtitutū eſt, vt quemadmodum in hac pulcherrima rerum vniuerſitate alia aliis præſtāt; ſic etiam in Republica alij præſint, ſubſint alij, quidā imperent, nonnulli ſeruiant; ordinū denique, ac perſonarū varietate, ac diſtinctione vnū Reipublicæ corpus coagmētatū naturæ ſpeciem, ac pulchritudinem imitetur. Quemadmodum igitur ſi corpora, quæ dicuntur ſimplicia, ſpatium omne quod eſt infra lunam occuparent, nullus plantis, aut animantibus relinqueretur locus, atq; adeò mundi pulchritudo, ac ſpecies, vnde apud Græcos nomen habet, penitus interiret; ita ſublato in Eccleſia eo, quē cernimus, ordine magnam neceſſe eſt rerum omniū ſequi perturbationē, confuſionemq;. Quocirca (vt Chryſoſtomus, Theodoretus, ac Theophylactus monent) hoc Apoſtolico argumento inferiorū animi mirificè reficiuntur, & confirmantur, eorū verò deprimitur arrogātia, qui multitudine, magnitudineq; chariſmatum plus æquo elati, cæteros cōtemnebant: atq; eadē opera eos perſtringit, qui cùm in Republica, ſiue Ciuili, ſiue Eccleſiaſtica, cæteris præſtent, nimia quadā arrogantia tumidi, cæteros vel contemnūt, vel opprimunt, ſibiq; adeò omnia deberi exiſtimant nulla inferiorū habita ratione, per quos tamen ipſi tum aucti, tum ornati ſunt, & eam potētiam adepti, qua nimium efferuntur, primas in Republica obtinēt, neque enim imperarent, niſi haberent, qui imperio parerent.

18. I. NVNC AVTEM POSVIT DEVS MEMBRA, &c. Eundem ſemper lapidem verſat, & in eodem humani corporis exemplo perſiſtens, idem perpetuò inculcat. Reuocat autem hanc totam diſputationem ad altiſſimas cauſas, diuinam videlicet voluntatem, quæ eſt rerum omnium prima, & nobiliſſima cauſa. Quamquam autem non deſunt, qui hæc nō de humano, ſed de myſtico corpore accipiant, cuius omnis cōſtitutio

ad vnam

ad vnam Dei voluntatẽ reuocanda eſt, quæ (vt in fine huius capitis dicit Apoſtolus) quoſdam quidẽ poſuit primùm Apoſtolos,ſecundò prophetas, tertiò doctores,& cætera id genus;mihi tamen videtur longè probabilius,verſari adhuc Paulũ in exemplo allato humani corporis,in quo Deus alia,atq; alia mẽbra ſuis quæque locis aptè,concinneq; locauit,nõ quidem pro ſuo libero volũtatis arbitrio,ſed habito reſpectu,ad ipſius corporis naturam,& ſingulorum membrorũ vſum:vt enim in ſcholis Theologi tradũt, rerũ efficientia tum diuinæ ſcientię,tum etiam diuinę voluntati tribuitur, cognitioni quidẽ tanquam agendi modum, ac veluti legẽ præſcribenti,voluntati verò tanquã mouenti.Dicitur itaq; Deus collocaſſe ſingula mẽbra in corpore, vt voluit,non quaſi aliter locare potuerit,& caput abiicere ad pedes,pedes autem ſupra caput attollere;ſed B quia quem membrorum ordinem in ſuis diuinis ideis inſpexerat,volũtate probauit,req; ipſa perfecit.Quod enim de mundi fabrica acutè admodum,ac ſubtiliter dixit Hilarius,id etiã de ſingulis rebus creatis accipiendum eſt:ita antẽ ſcribit [a], *Sed cùm omnia per Deum,quæ ſub cœlo ſunt,facta ſint,& componẽdo cœlo Chriſtus affuerit,& ipſam præparati cœli præueniat æternitatẽ, non patitur hoc exiſtimari in Deo minutarũ rerum particulatas cogitationes,quia omnis eorũ præparatio Deo eſt coæterna:nã tametſi habeat diſpenſationẽ ſui ſecundùm Moyſem firmamenti ſolidatio,aridæ nudatio,maris congregatio,aſtrorum conſtitutio,aquarũ,terræq; in eiciendis ex ſe animantibus generatio;non tamen cœli,terræ,cæterorumq; elementorum* C *creatio æquabili penes Deum æternitatis infinitate conſiterat.*Dixerat autem paulò antè:*Præcepto Dei cœli vt firmarentur eguerũt;nam apparatus,& virtus eorum in hac imperturbatæ conſtitutionis ſuæ firmitate,non de temperatione alicuius, ſed ex ſpiritu diuini oris exiſtit.* Et paucis interiectis:*Nihil enim nõ ſemper cum Deo fuit,quidquid in rebus eſt.quæ etſi ad creationem ſui cœpta ſunt,non ſunt tamen ad Dei vel præſcientiam, vel poteſtatem inchoata, & teſtis eſt nobis propheta dicens:Deus,qui feciſti omnia, quæ futura ſunt:quæ enim futura ſunt, licèt in eo, quòd creanda ſunt,adhuc fient,Deo tamen,cui in creandis rebus nihil nouum,aut recens eſt,iam facta ſunt;dum & temporum diſpenſatio eſt,vt creentur,& iam in diuinæ virtutis, & præſcientiæ efficientia ſint creata.* Spectaſſe enim videtur Hilarius rerum diuinas ideas,in quibus creatarum D omnium rerũ naturas,& eſſentias, quaſi ipſarum rerũ præparationes mens diuina intuetur,quæ tũ demum, ſi diuina voluntas accedat,in lucem prodeunt.Quod ſpectans Apoſtolus,rectè dixit,poſuiſſe Deum vnumquodque membrũ in corpore ſicut voluit:id autẽ voluit,quod erat cuiq; naturæ cõſentaneũ.Quanquã nõ iuerim inficias,multa Deũ in humani corporis cõſtitutione pro libito ſuę volũtatis priuatim efficere,de quibus tamẽ non agit in præſentia Apoſtolus, qui de ipſa membrorum natura,& collocatione diſſerit,& idcirco ſubiicit:

a lib.11.de Trinit.

19. I. Qvod si essent omnia vnvm,&c. Repetit quod paulò [b] antè dixerat,nõ poſſe humanũ corpus,de quo agit,vno mẽbro conſtare;vnde,& Chryſoſtomus,Oecumenius,& Theophylactus conſici autumant, Co- E rinthiorũ Rempublicã ſine graduum, & honorũ diuerſitate non poſſe conſiſtere.Quod paulò antè vniuerſim de qualibet Republica indicauimus;nam qui præſunt, ne poſſunt quidem præeſſe,ſi nemo ſit, qui ſubſit.Regũ porrò,ac Principũ opes nullę eſſent,ſi nõ haberent ſubiectos,quorũ opera domi,foriſq; ad belli,paciſq; ſtudia vterentur. Omnis igitur imperantium poteſtas cum populariũ dignitate coniuncta eſt; atq; idcirco rectè omnino Romanorũ Imperatorũ quiſquam dixit, cõſueuiſſe Romanos Imperatores oues tondere,nõ deglubere:intelligebat enim tuẽda Principi ciuium ſuorũ commoda,neque illos ita eſſe pre- A mendos,vt ſuccumbãt,alioqui omnẽ ipſorum dignitatẽ penitus perire *Si non eſſet* (inquit Chryſoſtomus) *in vobis multa differentia, non eſſetis corpus;ſi autẽ non eſſetis corpus, non eſſetis vnum; ſi autem non eſſetis vnum, non vtiq; eſſetis honore pares; quamobrem ſi eſſetis omnes pares honore,non eſſetis corpus;ſi non eſſetis autẽ corpus,non eſſetis vnum:ſi autem non eſſetis vnum,quomodo eſſetis pares honore?* Ita docet eos,qui æqualitatẽ honoris quærunt,pugnantia quodammodo expetere.Graduũ igitur,honorumq; diſtinctio ad corporis vnitatem plurimum valet,adeóque ſingulis corporis membris ſuam impertit eius honoris particulam,qui corpori vniuerſo debetur,& ob eam cauſam ſubdit:

b verſic.14.

Nvnc avtem mvlta qvidam membra,&c.Hæc porrò tã de corpore vero,quàm de myſtico accipienda videntur; eadem enim eſt vtriuſq; corporis ratio, membrorumq; diſtinctio æquè in vtroque neceſſaria eſt,tantumq; abeſt,vt cùm eius vnitate pugnet,vt eam potiùs ſtatuat;nã (vt ait Theodoretus) ea ſublata,corpus eſſet planè inutile, & ad aliã prorſus corporis naturã pertineret. Organicũ ſiquidẽ corpus abſq; membrorum diſtinctione nullũ eſſe poteſt;quod ipſum de corpore myſtico,quod organico,atque humano comparatur, neceſſariò intelligendũ eſſe ſentit Apoſtolus. Atque hactenus quidẽ ſatis viſus eſt eorum ſubleuare imbecillitatẽ,qui deiecto animo erant, quòd cæteris viderentur inferiores;deinceps faſtum, & arrogantiã eorum deprimit, qui magnitudine charismatum ad oſtentationem,aliorumque contemptum abutebantur;ſic enim ait: 20. I.

Non potest avtem ocvlvs, &c. Aptè nobiliora membra cum ignobilioribus cõfert, oculum quidem cum manu,caput autẽ cum pedibus,indicãs in Eccleſiaſtico corpore quędã eſſe membra,quæ his humanis mẽbris proportione reſpondeant, quæq; inter ſeſe nũ aliter, ac humana mẽbra neceſſariis officiis cõiungantur, atque in humano quidem corpore fruſtra oculus cerneret ea,quę agenda ſunt,niſi manus ea poſſet perficere:nec poſſet caput auctoritate,atque imperio ſuo totũ corpus mouere,& circũagere, niſi pedes ſeſe pręberent obſequentes,ſuoq; munere fungerẽtur.Quod ipſum in Eccleſiaſtico corpore vſu venit; nequidquã enim ſeſe ſapientes iactitãt,quòd ſint veluti in humano corpore oculi,& tum bona proſequenda, tum etiã D mala fugienda longè proſpiciãt,niſi enim ſint alij,qui veluti manũ admoneant,quodque agendum,fugiendùm ve eſt præſtẽt;nihil penitus illorũ proſpectus profuerit.Quod ipſum ſentiendũ eſt, ſi qui tanquã caput cum pedibus cõferantur. *Quid enim* (inquit Chryſoſtomus) *eſt pede vilius,aut quid capite honeſtius,ac præſtãtius,& magis neceſſariũ? Hoc enim eſt maximè inter homines nempe caput,ſed tamen non eſt ſufficiens, neq; poteſt ipſum omnia efficere:nã ſi eſſet,ſuperuacaneè nobis adiecti eſſent pedes.* Obſeruant autẽ Chryſoſtomus, & Theophylactus,dixiſſe Apoſtolũ; *Non poteſt autem oculus dicere manui,Opera tua nõ indigeo.* Quaſi dicat;etiãſi maximè velit, & dicat,non tamen verè loquitur,neque id rerum natura vllo modo patitur.Porrò Anſelmus hæc E ad corpus myſticũ transfert:*nam ſicut manus* (ait) *indiget oculo,vt operari valeat; id eſt diſcipulus prouiſione doctoris,vt bonũ opus expleat; ita oculus indiget operatione manus,id eſt doctor, qui per ſeipſum agere non poteſt,quod agendum prouidet,neceſſarium habet diſcipulum,per quẽ fiat quod neceſſarium prouidet:inaniter enim prouideret, ſi non eſſet qui conſequenter faceret.* Et paulò pòſt de capite,ac pedibus diſſerẽs; *Omnino* (inquit) *neceſſarij ſunt et ſubiecti,quia poteſt humilis,quod nõ poteſt ſublimis,quia & ferrũ poteſt,quod aurũ non poteſt: & quamuis aliquis dignitate ſublimis ſit,tamen ſi ſubiectus defuerit,qui obſequiis illũ faciat glorioſum,ipſa dignitas contemptibilis erit.* Quę penè ad verbum mutuatus eſt ex Ambroſio.Hieronymus 21. I.

inquit, *eorum magnam non geſſiſſemus curam, iniuria* A *fuiſſent affecta, & quæ à natura non haberent auxilium, iniuria autem affecta periſſent: ſi periſſent, ſcidiſſent corpus: ſciſſo autem corpore, periſſent etiam cætera his multo maiora.* Atque hæc quidem adeo fusè, copioſéque in humano corpore explicantur à Paulo, vt faciliùs intelligantur ea, quæ ad myſticum Chriſti corpus ſpectant, quod multis exemplis in præſentia confirmat Chryſoſtomus. *Sed id ipſum* (ait Apoſtolus) *pro inuicem ſollicita ſint membra.* Non enim (vt Chryſoſtomus monet) hanc adhibuit Deus in humano corpore prouidentiam, ſolùm vt diſſidium vitaretur, ſed multò magis vt mira eſſet inter membra conſenſio, & conſpiratio, &(vt ita dicam) caritas, & concordia: quandoquidem ita nexa, colligatáque ſunt, vt aliorum ſalus ab aliorum incolumitate pendeat. Hoc B enim eſt, quod ait Apoſtolus; *idipſum pro inuicem ſollicita ſunt membra*; vt maiora, ac nobiliora minorum, imbecilliorúmque opera egeant. Quamobrem (vt ait Theophylactus) *ſi ſpina plantæ infigatur, totum corpus quodammodo afficitur, & anxiè perturbatur: caput ſeſe demittit: dorſum inflectitur: venter, & fæmora contrahuntur: oculi curiosè luſtrant, & vulneris locum inueſtigant: manus denique eximere conantur quod infixum eſt: cætera denique membra perſimili doloris ſenſu afficiuntur.* Nec diſſimilia ſcribit Theodoretus. *Si pes enim*, inquit, *offendatur, totum corpus moleſtia afficitur: & ſi vnguis pluſquam opus ſit ſecetur, per totum corpus peruadit ſenſus doloris: & ſi lingua maledicat, vel mentiatur, flent oculi: & rurſus ſi oratoriè loquatur, rident gaudium ſignificantes.* Quæ omnia longè aptiùs in C corpus myſticum, eiúſque membra cadunt. Deſumpta ſunt autem à Chryſoſtomo, qui hæc mira quadam eloquentia perſequitur.

26. 1. Et si qvid patitvr vnvm membrvm, &c. Hoc ex ſuperioribus neceſſariò colligitur: nam ſi membra hanc inter ſeſe mutuam coniunctionem, & connexionem habent, neceſſe eſt ſingulorum tum mala tum bona omnibus eſſe communia. Colligit autem Chryſoſtomus tria ex hac membrorum conſenſione neceſſariò ſequi. Primum, vt nullum admittatur diſſidium, ſed ſint omnia inter ſe maximè coniuncta: alterum, vt ſeſe reciproca cura, & prouidentia tueantur: poſtremò vt quæ ſingulis priuatim accidant, communia ducant. Quæ ſunt omnia in communi hominum ſocietate D in primis neceſſaria. Quomodò autem vno membro patiente, cætera doleant, paulò antè ex Theodoreto, & Theophylacto explicui, idque vberiùs, & luculentiùs illuſtrat Chryſoſtomus, qui verè omnino monet, hæc ob eam cauſam ab Apoſtolo tam fusè fuiſſe commemorata, vt oſtenderet quid potiſſimùm in Corinthiorum Eccleſia requireret. Vt enim anima, quæ eſt corporis forma non modò vitam, ſenſum, ac motum membris, & corpori vniuerſo largitur, ſed tria illa efficit, quæ paulò antè indicata ſunt; ita diuinus ſpiritus, vnde myſticum Chriſti corpus vitam haurit, ac morum, illa eadem nobiliori, præſtantiorique modo debet efficere. Quamobrem hac ſimilitudine id potiſſimùm agit Apoſtolus, vt inuidiam à tenuiorum animis abſtergat, & maiorem tumorem, atque arrogantiam deprimat. Eam ob cauſam cùm multa Chryſoſtomus de animorum conſenſione copiosè, ornatéque dixiſſet, concludit; *nihil* E *æquè animos disiungere, atque ſeparare, atque inuidiam. Grauis hic morbus eſt, & omni venia priuatus. Inuidus*, inquit, *ſuum beneficium eſſe exiſtimat aliorum res aduerſas, quo quid fieri poteſt inſanius? Dæmon inuidet, ſed hominibus, nulli autem dæmoni; tu autem cùm ſis homo inuides hominibus, & ei, qui eſt eiuſdem generis aduerſaris; quod ne facit quidem dæmon: & quámnam veniam conſequêris? Quámnam autem defenſionem, & excuſationem, qui contremiſcis, & palles, quando videris fratris res eſſe ſecundas, cùm oporteret coronari, lætarique, & exultare?* Et multa deinceps in eamdem ſententiam. Porrò quod ait interpres. *Siue gloriatur vnum membrum*, græcè eſt δοξάζεται, hoc eſt (interprete Ambroſio) glorificatur: quomodo interpretatur Theophylactus, & citat non ſemel Auguſtinus [a]: ſic etiam legit Poſſidonius [b], ſiue Poſſidius. Et profectò non de gloriatione, ſed glorificatione loquitur Apoſtolus; agit enim de commodo, ſiue honore extrinſecùs adueniente, vt ſi caput coronetur (vt ait Theophylactus) ſiue (vt alij volunt) valeat & viribus ſuis, ac facultatibus probè vtatur.

a Tract. 1. in ep. Ioan. l. 21. contra Fauſt. c. 18. ep. 144.
b in Vita Auguſtini cap. 7.

27. 1. Vos avtem estis corpvs Christi, &c. Quæ hacteous de humano corpore, eiuſque partibus diſſeruit, myſtico Chriſti corpori accommodat. Ne quis enim putaret, fruſtrà tam multa fuiſſe allata; hæc, inquit, idcirco à me dicta ſunt, vt intelligatis iſtum veſtrum cœtum eſſe myſticum corpus Chriſti, vos verò eius corporis veluti membra. Vel certè quoniam Chriſti corpus, hoc eſt Eccleſia, latiùs patet, & omnes vbique gentium fideles complectitur; vos, inquit, eſtis quodammodo corpus, & corporis membra: neque enim totum corpus, aut omnia membra Chriſti vna Corinthiorum Eccleſia continebantur. Quod autem latinè ſcriptum eſt. *Membra de membro*, græcè eſt ἐκ μέρους, id eſt ex parte, ſeu quodammodò; vt non ſolùm referatur ad membra, ſed etiam ad ipſum corpus: quod videtur indicare Theodoretus: cùm enim poſuiſſet verba Apoſtoli ſubdit: *Non enim vos ſoli, ſed omnes, qui in vniuerſo orbe terrarum crediderunt, propterea enim adiecit illud; ex parte.* Noſtro tamen interpreti fauet Ambroſius; vterque enim legiſſe videtur μέλη ἐκ μέλους: quocirca Latini explanatores multiplices explicationes excogitarunt; & Anſelmus quidem; *membra*, inquit, *eſtis pendentia de membro, id eſt de me, qui ſum manus membrum Chriſti, & vos mihi ſicut digitos manui adhærere in eius corpore fecit; nam aliud quidem eſt membrum corporis, aliud membrum membri. membrum quippe corporis pars ad totum eſt, membrum verò membri particula ad partem: membrum namque membri eſt digitus ad manum, manus ad brachium, membrum verò corporis eſt totum hoc ſimul ad corpus vniuerſum.* Alij membra de membro ſic accipiunt, vt pendere dicant membra à Chriſto capite, quod eſt huius corporis præcipuum membrum. Sunt qui putent idem hoc loco ſignificare Apoſtolum, quod in Epiſtola ad Romanos [c], vbi ait: *Multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra*; vt ſenſus ſit, membra eſſe ita inter ſe nexa, vt vnum ab altero pendeat. Ego ſimpliciter ſequor Theodoretum; totam enim multitudinem fidelium, qui erãt Corinthi, appellauit quodammodò corpus Chriſti, & ſingulos eadem ratione membra: Quæ eſt etiam ſententia Oecumenij. *Omnes quidem*, inquit, *vbicumque locorum ſint fideles ſunt corpus Chriſti, vos autem Corinthij membra ex parte; neque enim ſoli eſtis totum corpus, ſed membra eſtis; & neque omnia, ſed ex parte.* Hinc autem colligit iam Euangelium, ac fidem fuiſſe longè, latéque propagata.

c cap. 12. 5.

28. 1. Et qvosdam qvidem posvit devs, &c. Recenſet ſigillatim membra corporis myſtici, & quidem (vt ait Chryſoſtomus) ſuo ordine primum collocans quod eſt præſtantius, deinde gradatim cætera: & idcirco ait, primùm, ſecundò, tertiò. Ac primo quidem loco nominat Apoſtolos. *Et quoſdam quidem*, inquit, *poſuit Deus in Eccleſia primùm Apoſtolos*; qui (vt ait Chryſoſtomus) omnia diuina chariſmata in ſe continent, & citra controuerſiam primum in

Eccleſia occupant locum. Apoſtolorum autem nomine ſignificari putat Theodoretus, *non illos duodecim tantùm, ſed etiam ſeptuaginta, & eos, qui poſtea eamdem gratiam aſſecuti ſunt, nam & ipſe poſtea Paulus vocatus, eundem ordinem conſequutus eſt, & B. Barnabas, & alij præterea innumerabiles. Iam verò Epaphroditum quoque vocat* [a] *Apoſtolum Philippenſium: Veſtrum, inquit, Apoſtolum, & adiutorem neceſſitatis meæ*, Ambroſius Apoſtolorum nomine intelligit Epiſcopos; nam & Petrus in Actis apoſtolicis [b] gradum apoſtolicum Epiſcopatum nominat. *Et Epiſcopatum*, inquit, *eius accipiat alter.* Eodem modo in Epiſtola ad Epheſios [c] collocat Apoſtolos, ſed à paſtoribus diſtinguit, quos conſtat eſſe Epiſcopos, vt veriſimile ſit Apoſtolorum nomine indicare voluiſſe Paulum propriè Apoſtolos, & viros apoſtolicos, qui initio naſcentis Eccleſiæ primas tenuerunt; quique primariam quamdam auctoritatem exercebant; qui deinde eſſe deſierint. Quod ipſum dixerim de Prophetis, qui ſecundo loco collocantur; erant enim primis illis Eccleſiæ temporibus plurimi vaticinandi munere clari, qui tamen deinde, neque ita frequentes, neque adeo conſpicui viſuntur. *Tertiò*, inquit, *doctores*, quos in Epiſtola ad Epheſios, eoſdem eſſe indicat cum paſtoribus; vt enim ſæpè aliàs diximus, præcipuum paſtorum munus eſt docere. Erant autem alij etiam in Eccleſia doctores, quales in Alexandrina ſchola Pantænus, qui (vt ait Euſebius [d]) vir omni humaniore litteratura præſtantiſſimus, Chriſtianorum inſtitutioni in ſchola Alexandrina præfectus eſt; cui ſucceſſit Clemens Alexandrinus, Clementi Origenes, ſic etiam alibi alij; nam & in eodem ordine collocandi ſunt Catechiſtæ, qui fidei rudimenta catechumenis tradebant, vt alibi explicui. Nominantur autem tertio loco doctores poſt prophetas, quia (vt Chryſoſtomus, & Theophylactus affirmant) prophetæ diuino afflati numine loquuntur; at verò doctores quamquam & ipſi diuini ſpiritus ductû, impulſûmve ſequuntur, plurima tamen ex ingenio proferunt, ac propterea phophetis inferiores cenſentur. Ita in Actis [e] Apoſtolicis fuiſſe dicuntur Antiochiæ prophetæ, & doctores. Sic autem ex Petri ſententia de doctoribus loquitur Clemens [f], *Videntur mihi*, inquit, *qui loquuntur verba veritatis, & qui illuminant animas hominum, ſimiles eſſe radiis ſolis, qui vt proceſſerint, & apparuerint mundo celari vltra, aut occultari nullatenus poſſunt, dum non tam videntur ab omnibus, quam videre omnibus præſtant, vnde benè per ſe ipſa veritas ad veritatis præcones ait. Vos eſtis lux mundi.* Cæterum qua doctores idem dicuntur eſſe cum paſtoribus, deſcribuntur ab Anacleto [g], Iſidoro [h], Gregorio [i], Proſpero [k], Chryſoſtomo [l], Auguſtino [m]. *Deinde*, inquit, *virtutes*: græcè *δυνάμεις*, quas vt etiam ſuprà à gratia curationum diſtinguit. Et Chryſoſtomus, cæterique Græci virtutes intelligunt eos, qui non ſolùm medentur, ſed etiam puniunt, vt ſuprà dixi. Anſelmus eos eſſe docet, qui (vt ipſe loquitur) *fortia miracula faciunt, vt in expulſione dæmonum, & mutatione elementorum, ſicut aeris ſerenitatem in pluuiam conuertendo, vel ſuper aquam ſiccis pedibus ambulando.* Sic etiam Hieronymiani commentarij. & profectò veriſimile eſt virtutum nomine maximè ſignificari exorciſtas, quorum in expellendis dæmonibus mira vis elucebat, vt alibi ex Tertulliano Cyprianóque docui. *Exinde*, ait, *gratias curationum*, eos intelligens, qui ægris corporibus curandis diuinam vim, ac poteſtatem apud infideles præcipuè illuſtrabant. Addit. *Opitulationes.* Græcè *ἀντιλήψεις*, hoc eſt (vt alij interpretantur) *ſubuentiones*, ſiue *ſubſidia.* Eſt autem ἀντιλαμβάνεσθαι, cum alterum porrecta manu adiuuare. Chryſoſtomus eos interpretatur, qui pau-

a ad Philipp. 2.25
b cap. 1. 20.
c cap. 4. 11.
d lib. 5. hiſt. c. 10. idem ait Niceph. li. 4. cap. 32.
e cap. 13. 1.
f cap. 1.
g epiſt. 2. ad Epiſc. Ital.
h li. 3 de ſum. bono cap. 36. & 38.
i lib. 2. Paſt. cap. 2.
k li. 1. de vita contem. c. 20. & 21.
l Hom. 10 in Matth. in imperfect. & Hom. 40.
m lib. 4. de doct. Chriſt. cap. 27.

A peres ſuſcipiunt. Videtur autem loqui de iis, quibus præcipuè pauperum cura committeretur. *Eſt*, inquit, *hoc maximè donum Dei præeſſe, ac curam gerere, & res adminiſtrare ſpirituales.* Indicat tamen, hoc etiam poſſe ad eos pertinere, qui priuatim id faciant; ſubdit enim: *Alioqui autem multa ex iis, quæ à nobis rectè, & ex virtute fiunt appellat dona gratuita, nolens nos deſpondere animum, ſed oſtendens quod vbique & ſemper Dei egemus auxilio, & nos inſtruens, vt ſimus grati animi, & nos ea ratione faciens animo alacriores.* Eodem modo explicat Theophylactus. Verùm Theodoretus Eccleſiarum adminiſtratores interpretatur: cui conſentire videtur Anſelmus, qui eos intelligit, qui maioribus opitulantur; vt Titus Apoſtolo, vel Archidiaconus Epiſcopo. Hieronymiani B commentarij indicant eos eſſe, qui pereuntibus opem ferunt, quomodo Paulo per viſum dictum fuiſſe ſcribit Lucas [a]. *Veni, adiuua nos.* Fortè de iis poſſis accipere, qui ægris curandis, rebúſque Eccleſiaſticis adminiſtrandis operam dabant, quales nunc ſunt, qui noſocomiis, xenodochiis, orphanotrophiis, aliiſque piis operibus præſunt. Addit *gubernationes*, quas Græci cum opitulationibus coniungunt, & ad eoſdem referunt, qui ægrorum, & pauperum curam gerunt. Denique *genera linguarum.* Poſtremo loco poſuit, vt id quo potiſſimùm gloriabantur Corinthij omnium maximè deprimat, atque deiiciat; quod mox (vt monet Chryſoſtomus) acriori, vehementiorique oratione facit. nam quod in aliquibus codicibus additur interpretationes ſermonum, quamC uis apud Ambroſium legatur, & in editione Romana; nuſquam tamen habetur in Græcis codicibus; neque apud Chryſoſtomum, aut vllum Græcum explanatorem. Potuit tamen addi quaſi appendix ad id quod proximè poſuerat, hoc eſt genera linguarum eo modo quem paulò antè explicuimus.

a Act. 16. 9.

NVMQVID OMNES APOSTOLI, &c. Quæ fusè de humano corpore dixerat, vnde ſumpta erat ſimilitudo, myſtico Eccleſiæ corpori accommodat; ſed quæ leni, ac moderata oratione explicuerat, nunc quaſi obiurgando, increpandóque inculcat. Dixerat autem varia, ac multiplicia eſſe humani corporis membra, neque poſſe per ſe corpus conſiſtere abſque diuerſitate membrorum; eadem nunc repetens ait. *Numquid omnes Apoſtoli?* quaſi dicat, vbi D (quæſo) eſſet ea ſimilitudo, quam hactenus explicuimus, ſi fideles omnes in eodem prorſus gradu collocarentur, nulláque eſſet diuinorum munerum diuerſitas? Recenſet autem ſingula chariſmata, quæ paulò antè enumerauerat, quibus præcipuè Eccleſiaſticæ functiones continentur. Mirantur autem nonnulli, cur nullam Apoſtolus mentionem fecerit eorum graduum, qui nunc maximè in Eccleſiaſtica hierarchia numerantur; neque enim Pontifices, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Primates, ac ne Cardinales quidem nominat. Reſponderi autem facilè poteſt, non tam Apoſtolum de Eccleſiaſtica Hierarchia, aut Eccleſiaſticorum miniſtrorum munere, atque auctoritate diſſerere, quàm de diuini ſpiritus muneribus, quæ diuini verbi præE conibus ad fidei propagationem, defenſionémque diuinitùs conceſſa erant; quæ (vt paulò antè monui) vbi fides firmas iam radices egiſſet, partim eſſe deſierunt in Eccleſia, partim in Epiſcopis, cæteriſque inferioribus miniſtris, ſi non omnem, aliquam certè vim, ac poteſtatem retinuerunt. nam (vt alibi copioſiùs doceo) Apoſtolis ſucceſſerunt Epiſcopi, & in Romanæ Eccleſiæ Epiſcopo Apoſtolicæ poteſtatis amplitudo reſidet, quatenus illa ad bonam Eccleſiæ adminiſtrationem, vel neceſſaria, vel opportuna videbatur. Inter Epiſcopos deinde ad rectam Eccleſiaſtica

29. I.

ſiaſticarum rerum procurationem gradus quidam, atque ordines inſtituti ſunt, de quibus ſuo loco diſſeruimus. Siquidem Eccleſiaſtica Hierarchia, quamquàm diuinitùs inſtituta eſt, ſi primarias eius functiones reſpicias, multa tamen humano conſilio, prudentiáque addita, & mutata eſſe, vt rerum op-
II. portunitas poſtularet, inficiari non poſſumus. Porro quæ hoc loco enumerat Apoſtolus non tam referenda ſunt ad eos, qui ſacris initiati inter clericos recenſentur, & priuata quadam ratione Eccleſiaſtici dicuntur, quàm ad omnes omninò fideles, inter quos veriſimile eſt fuiſſe non paucos etiam populares, qui nonnulla diuini ſpiritus chariſmata percepiſſent. nam & fœminas vaticinio claras fuiſſe accepimus, & ſi quod ait Ambroſius in Corinthiorum Eccleſia nondum erat Epiſcopus inſtitutus, vix vllus inter illos potuit eſſe ſacris initiatus; atque adeo omnis hæc Apoſtoli oratio ad laicos, & populares pertinet. nam de iis loqui videtur Irenæus [a], qui plurima fidelium chariſmata recenſet his ferè verbis. *Quemadmodum & multos audiuimus fratres in Eccleſia prophetica habentes chariſmata, & per ſpiritum vniuerſis linguis loquentes, & abſconſa hominum in manifeſtum producentes ad vtilitatem, & myſteria Dei enarrantes, quos & ſpirituales Apoſtolus vocat ſecundùm participationem ſpiritus exiſtentes ſpirituales.* Et rurſus: *Quapropter & illius nomen, qui verè illius ſunt diſcipuli accipientes, gratiam percipiunt ad beneficia reliquorum hominum, quemadmodum vnuſquiſque accepit donum ab eo. Alij enim dæmones excludunt, alij autem & præſcientiam habent futurorum, & viſiones, & dictiones propheticas, alij autem laborantes aliqua infirmitate per manus impoſitionem curant, & ſanos reſtituunt. Iam etiam (quemadmodum diximus) & mortui reſurrexerunt, & perſeuerarunt nobiſcum annis multis. Et quid autem? Non eſt numerum dicere gratiarum, quas per vniuerſum mundum Eccleſia à Deo accipiens, in nomine Chriſti Ieſu crucifixi ſub Pontio Pilato, per ſingulos dies in opitulationem gentium perficit.*

a lib. 2. ca. 57. & lib. 5. c. 6.

30. Nvmqvid omnes gratiam habent,
I. &c. Hæc ex ſuperiori enumeratione ſupererant. Oſtendit autem Apoſtolus neque maiora, neque minora chariſmata paſſim omnibus abſque delectu fuiſſe conceſſa; vt quemadmodum monet Ambroſius humani corporis ſimilitudo conſtet. Sed (vt obſeruauit Chryſoſtomus) hæc ita in Eccleſiaſtico corpore quodammodò Deus temperauit, ac miſcuit, vt cùm alij aliorum opera egeant, mutuam charitatem, ac beneuolentiam perpetuò retineant. *Hoc autem,* inquit, *fecit magnum ex eo ædificans conſenſum, & caritatem, vt vnuſquiſque opus habens proximo ad fratrem congregetur, hoc & adminiſtrauit in artibus, hoc & in elementis, hoc & in plantis, & in membris noſtris, & (vt ſemel dicam) in omnibus.* Ita quod præcipuè propoſitum fuiſſe Apoſtolo non ſemel diximus; mirum in modum conſolatur eos, qui pluribus, ac maioribus Spiritus ſancti muneribus deſtituerentur. Vt enim, ait Theophylactus, ſi cui vaticinandi munus deeſſet, ei cogitandum erat ipſi etiam Prophetæ nonnihil deeſſe; omnia tamen, quæ ſingulis diſpertita ſunt, vniuerſim omnibus prodeſſe, & mutuam ex eo caritatem foueri, quod vnus alterius opera indigeat. Iam verò quoniam hoc loco poſt genera linguarum meminit interpretationis ſermonum, viſum eſt quibuſdam etiam in ſuperiori enumeratione interpretationes ſermonum addendas eſſe, quæ tamen (vt paulò antè monui) in Græcis codicibus non habentur, ſiue quia ſatis erat præcipua indicare, ſiue quia ſermonum interpretatio quaſi cognata generibus linguarum eo loco eodem nomine comprehenſa

A eſt, hîc autem perſpicuitatis gratia diſtincta, quid ſuperiori loco intelligendum ſit, non obſcurè indicat.

Æmvlamini avtem chariſmata, &c. 31.
Monet Theodoretus, quoſdam hæc verba interro- I.
gãdo efferre, quaſi dicat: chariſmata, ſeu dona meliora omnino deſideratis? Si reuera deſideratis, ego vos ad ea lubenter deducam. Idem videtur ſentire Photius apud Oecumenium, vt ſubiectionis loco ponatur id, quod continuò ſequitur. *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro*; quos ego in paraphraſi ſequutus ſum: quanquàm non nego, probabilem eſſe Chryſoſtomi, aliorúmque interpretationem, qui ſtudium, ac rerum ſpiritualium deſiderium ab Apo-
B ſtolo exigi contendunt: quaſi dicat; ad ea nitamini Spiritus ſancti dona, quæ ſunt eximia. Non dixit autem μείζονα, hoc eſt maiora; ſed κρείττονα, hoc eſt potiora, meliora, quæque magis ad publicam vtilitatem conducunt. Retinuit interpres Græcam vocem chariſmata, quam etiam Eccleſiaſtici ſcriptores frequenter vſurpant: alicubi tamen Hieronymus [a] legit *Dona*. Porro coniunctio δὲ ſi hæc verba interrogando pronuntientur magnam vim habet; indicat enim hæc quaſi à Corinthiis obiici. Cupitis verò, ait, alij aliis excellere? An mihi hoc obiicitis, quòd inſitum eſt naturæ mortalium, vt optimi quique altiſſima appetant? Quòd ſi ſuadentis verba ſint, ſeparat caritatem (de qua mox) à cæteris Spiritus ſancti donis. Alia, inquit, aliis contingant, vos certè ea
C ſectemini, quæ ſunt potiora. Cæterũ Theodoreti, ac II.
Photij interpretatio mihi magis probatur, quòd videatur aliquo modo argutior, & plus habere emphaſis, atque energiæ. Cupitis verò, inquit, inter cæteros eminere? Agitedum, dux ero vobis, & auctor. Præter hæc, quæ enumeraui, *excellẽtiorem vobis viam demonſtro.* Græcè eſt καθ' ὑπερβολὴν ὁδὸν ὑμῖν δείκνυμι, egregiam videlicet, eximiam, ſeu excellentem viam: Ambroſius legit magis excellentiorem; quaſi legerit ἔτι μᾶλλον, quem ſenſum ſecuti ſunt ij, qui καθ' ὑπερβολὴν referuntur ad ὁδὸν, vt ſit ſenſus; excellentiorem vobis viam demonſtro, vt ſubaudiendum ſit κρείττω, quaſi dicat eximiè, & hyperbolicè meliorem, quomodo videtur intellexiſſe noſter interpres,
D qui dixit excellentiorem viam, quam non ſolùm Ambroſius, cæterique Latini, ſed etiam Chryſoſtomus, & Græci ſequuntur, ita enim ſcribit Chryſoſtomus. *Non dixit enim chariſma, ſeu donum, ſed viam, vt magis extollat id, quod eſt dicturus, neque enim vnũ, & duo, & tria vobis oſtendo chariſmata, ſed viam, quæ ducit ad hæc omnia, & non abſolutè viam, ſed viam excellentem, & quæ eſt communiter omnibus propoſita.* Sic etiam Theophylactus. *Monſtrabo vobis viam quampiam per hyperbolem, hoc eſt eximiam.* Caſſianus [b]: *Et adhuc*, inquit, *excellentiorem ſupra modum viam vobis demonſtro.* Sunt qui ſimpliciùs καθ' ὑπερβολὴν cum verbo δείκνυμι coniungant, vt ſit quàm accuratiſſimè demonſtro; ita vt nihil addi poſſe videatur. Quem ſenſum indicare quodammodò viſus eſt Baſilius [c], qui ad hunc locum reſpiciens dixit,
E voluiſſe Apoſtolum hyperbolico modo excellentiam omnia ſuperantem iſti adſcribere præcepto, hoc eſt, caritati. Vtrouis modo ſententia manet integra. Poſteriorem in paraphraſi ſequutus ſum; cùm enim caritatem intelligat, de qua capite ſequenti agit, omnino videtur Apoſtolus de ea loqui καθ' ὑπερβολὴν, eſt magna cum amplificatione, córioſè, atque exaggeratè, vt ipſius verba apertiſſimè demonſtrabunt. Eam autem appellauit viam, non tam aſſequendi chariſmata, quæ enumerata ſunt, quàm alia omnia diuina Spiritus ſancti munera.

a lib. 2. in Iouin.

b Coll 18. cap. 12.

c epiſt 75.

Argumentum Cap. XIII.

SVB finem præcedentis capitis pollicitus erat, ſe præſtantiorem quandam, ac longè nobiliorem virtutis viam, & quidem accuratiſsimè indicaturum. Eam in præſentia in virtute caritatis poſitam eſſe declarat, de cuius laudibus, ac dignitate elegantem orationem texit, non ſine vera, ac ſolidæ eloquentiæ ſucco.

CAPVT XIII.

SI linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.

Et ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam; & ſi habuero omnem fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.

Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.

Charitas patiens eſt, benigna eſt: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur.

Non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum.

Non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati.

Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.

Charitas nunquam excidit: ſiue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur.

Ex

PARAPHRASIS.

SI omnium mortalium, aut etiam (ſi fieri 1.
poſſit) cœleſtibus planè angelorum linguis eloquar, caritatem autem non habeam, id verò quantumuis fortaſſe ſpecioſum, atque admirabile videri queat, nihil eſſet profectò aliud, niſi inanis quædam, atque obſtrepens loquacitas, qualis eſt æris reſonantis, aut tinnientis cymbali ſonus inconditus, & confuſus.
¶ Et ſi habeam prophetiam ad futura prçuidenda, 2.
& nouerim myſteria omnia quantumuis abdita, atque occulta, omnémque penitus humanarum, diuinarúmque rerum ſcientiam mente comprehendam; & ſi mira quadam, ac penè incredibili fide præditus ſim, adeo vt montes propriis ſedibus auulſos aliò transferam, caream autem caritate, nihil planè ſum, nullóque in pretio habendus inter fideles. ¶ Quòd ſi alendis egenis, eo- 3.
rúmque ſubleuandæ inopiæ omnia mea bona liberaliſſimè impendam, penitúſque effundam, vltróque corpus, membráque mea vel crucianda tortoribus, vel etiam flammis Chriſtianæ virtutis, ac religionis cauſa exurenda tradam, caritate autem deſtituar, nullam quod attinet ad Deum, eiúſque cœleſtia præmia ex iis capio vtilitatem, aut
fructum. ¶ Caritas patiens eſt, neque ſubitò ad 4.
iracundiam incitatur, comis eſt, ac benefica: caritas nullis inuidiæ ſtimulis inflammatur: caritas nón eſt inſolens, aut inanem oſtentationem, & veluti pompam ſectatur: non denique intumeſcit,
aut ſe, ſuáque magnificentiùs circumſpicit. ¶ Ni- 5.
hil, vt indecorum faſtidit, non opes aut honores quærit, nec ſuorum commodorum vllam habet rationem: non irritatur, neque vlla animi acerbitate commouetur, neque ſolùm ab vlciſcendi cupiditate eſt penitùs aliena, ſed ne vllam quidem cogitationem ſuſcipit, qua aliis obeſſe queat.
¶ Non exhilaratur, ſi quis iniuria, aut contume- 6.
lia afficiatur, aut contra ius, faſque lædatur, aut rebus aduerſis prematur; ſed contrà potius exultat, & quodammodò triumphat, ſi quando veritas, iuſtitiáque proſperum curſum nanciſcitur, idque ſibi iucundum, & glorioſum ducit, cùm poteſt iuſtitiæ patrocinari, & innocentes ab inimicorum ca-
lumniis vindicare. ¶ Omnia ſuffert etiam iniu- 7.
rias, contumelias, plagas, atque adeo mortẽ ipſam. Omnia credit, quæ diuinitùs reuelata credenda proponuntur: nihil non ſperat: omnia denique
magno, & conſtanti animo expectat. ¶ Caritas 8.
numquam excidit, neque huius vitæ terminis circumſcribitur, ſed in omnem æternitatem perſeuerat: contrà verò vaticinia abolebuntur: linguarum facultas, atque vſus ceſſabit; omnis poſtre-

mò hu

mò humana cognitio, & rerum caduca ſcientia
9. euaneſcet. ¶ Nunc enim ex parte duntaxat, ſiue
humana, ſiue diuina cognoſcimus, & leuiter tantùm nonnullam vaticinij particulam attingimus.
10. ¶ Vbi autem aduenerit id, quod eſt ex omni parte perfectum, atque abſolutum, tum verò quidquid eſt rude, inchoatum, atque imperfectum in
11. nihilum recidet. ¶ Sic enim ex me ipſo argumentati libet. Cùm enim eſſem infans infantium more loquebar, cogitabam, ſentiebam; at vbi maturam ac virilem ætatem attigi, infantium mores,
12. actiones, ac vitam penitus abieci. ¶ Iam verò veluti in infantia obſcurè, & veluti in ſpeculo eminus tantúmodo diuina intuemur; tunc autem coram cernemus bonorum omnium fontem, & largitorem Deum: nunc tenui, atque adumbrata ſcientia contentos nos eſſe oportet; tunc verò perſpicuè, atque apertè omnia comprehendam, non aliter, atque ego ab immortali
13. Deo cognitus ſum. ¶ Atque in præſentia quidem maneant neceſſe eſt tria hæc præcipua Spiritus ſancti munera, fides, ſpes, caritas: principem autem locum citrà omnem controuerſiam obtinet caritas.

Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus.

Cùm autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt.

Cùm eſſem paruulus loquebar vt paruulus, ſapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Quando autem factus ſum vir, euacuaui quæ erant paruuli.

Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.

Nunc autem manent fides, ſpes, charitas: tria hæc, maior autem horum eſt caritas.

IN CAPVT DECIMVM-TERTIVM EXPLANATIO.

1. L SI LINGVIS HOMINVM LOQVAR, A &c. Totum hoc caput caritatis encomio, & laudibus tribuitur, quam ſequenti capite in primis ſectandam, & retinendam monet. Hyperbolem verò, atque hypotheſim in angelorum lingua cum Baſilio, ac Theodoreto agnoſco. Neque enim corporeas linguas beatis illis mentibus, ac ne dæmonibus quidem quiſquam ſanus affinxerit, ſed habeant tamen mentes illæ ſolutæ corporibus vim quamdam aliis explicandi quod mente, & cogitatione perceperint: de qua inter Theologos mira eſt contentio, dum alij aliter ſermocinationes, & colloquia angelorum explicant. Illud inter omnes conuenit, poſſe mentes illas animi ſui ſenſa aliis indicare. Hanc linguam, aut ſermonem angelicum qui appellant, déque angelorum locutione diſputant, non ſunt planè inepti, vt hæretici inſolenti ſupercilio elati vociferantur: ea de re certè nonnulla ſuo loco ſcribo; nec merito ablegandum me ad homericam illam linguam τῶν ἀθανάτων. Atque hoc quidem indicat Baſilius [a], qui hanc totam orationem hyperbole conſtare non dubitat. Rectè autem (vt monet Chryſoſtomus) à linguarum dono orditur, vt quo maximè Corinthij gloriabantur id primùm deprimat, atque deiiciat. Linguas autem hominum, hoc eſt, omnium mortalium, ac nationum intelligit, Angelorum verò linguas (vt Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus interpretantur) eas dicit, non quæ ſenſu, ſed quæ intelligentia percipiuntur, per quas & vniuerſorum Deum laudant, & inter ſe diſſerunt: Eos enim laudantes audierunt Eſaias, & Ezechiel; quin etiam Daniel eos inter ſe loquentes audit, & Zacharias, & Michæas: ita Theodoretus. Porro Theophylactus. *Non quod*, inquit, *angeli linguas habeant; ſed vt quiddam, quod humanis linguis excellentius eſſet, indicaret, ſic dixit.* Angelis porro lingua eſt ſpiritualis, vis nimirum illa, qua ſibi mutuò diuinarum rerum intellectum, ac cœleſtes cogitationes impertiunt. Sunt qui putent Angelorum linguas nihil eſſe aliud, quàm diſertiſſimum, atque eloquentiſſimum dicendi genus, quomodo qui ſpecioſa facie ſunt, vultu dicuntur angelico, & in Actis [a] apoſtolicis Herodis aſſentatores illum Dei, non hominum voces, verbáque effari dixerunt; quem ſenſum indicat alicubi Proſper [b]: ad hunc enim Pauli locum alludens. *Eſto*, inquit, *vt multiplex loquendi peritia, quæ non ſolùm ad omnem humanæ facundiæ artem, ſed* B *etiam ad Angelorum eloquij peruenerit facultatem.* Sic in Actis [c] apoſtolicis de Stephano ſcriptum legimus. *Intuentes eum omnes, qui ſedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem angeli.* Ego cum Græcis malo de angelis, eorúmque linguis accipere: non quòd illi lingua corporea præditi ſint, ſed (vt ait Oecumenius) quòd habeant *quamdam ſignificationem, qua viciſſim colloquuntur, ſiue conceptus ſignificant; quemadmodum etiam alibi dicit, quòd coram Chriſto ſe flectet omne genu cæleſtium, & terreſtrium*; cùm tamen nullum corpus organicum cœleſtibus tribuendum ſit. *Caritatem autem non habeam.* Si de propria perſona loquatur, aperta eſt hypotheſis: videtur tamen propria perſona aſſumpta ampliſſimam proferre ſententiam. Non pugnat autem (vt alibi ſæpè monui) donum linguarum, atque aliud genus Spiritus ſancti charismata à caritate ſeiungi. Monet autem Oecumenius, caritatem eſſe excellentiorem II.

a epiſt. 3.

a cap.12.22.

b ep. ad Demetriad.

c cap.6.15.

A ...vium, quam paulò antè nominarat; nam ſine illa nihil eſt, quod ad vitam æternam quidquàm valeat. *Factus ſum*, ait, *velut æs ſonans*, *aut cymbalum tinniens*. Græcè non additur comparationis nota, factus ſum æs reſonans, ſiue tinniens, aut crepitans: videri tamen poſſet Hebræorum more ad maiorem quamdam emphaſim prætermiſſa. Quod ſubditur. *Aut cymbalum tinniens*, græcè eſt ἀλαλάζον. Eſt autem ἀλαλάζειν propriè perpetuo ſonitu ſtrepere, aut tinnire, ſono ſonum excipiente, ſimpliciter inconditum, & confuſum ſonitum reddere: ita linguarum facultatem maximè extenuat. huius autem comparationis Ambroſius hanc reddit rationem. *Quia ſicut æramentum impulſu alterius reſonat, & cymbalum tinnit; ita & hic, qui linguis loquitur Spiritus ſancti effectum habet, & motum, vt loqui poſſit, ſicut & alio loco*

B *dicit* [a] *Saluator. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis: Nam & aſina locuta* [b] *eſt humana lingua ad Balaam filium Beor, vt addiſceret Dei maieſtatem: & pueri* [c] *infantes in laudem Dei proruperunt ad confuſionem Iudæorum.* Sic etiam explicant Hieronymus, Anſelmus, & alij, qui æri ſonanti verbi Dei concionatores conferunt, ſi caritate deſtituantur, quòd ij ſuo tinnitu aliis quidem proſint, ipſi tamen eo labore fruſtrà fatigentur, & paulatim conſumantur. Alij hæc referunt ad eos, qui verba ſacra, quæ nequaquam percipiunt, canunt, aut recitant in templis. Ego ſimpliciùs dixerim, rem inanem, ac prorſus inutilem deſignari: quaſi dicat, linguarum vſum, ſi caritas deſit, nihil differre ab

C incondito, & incompoſito ſonitu. Sic prorſùs explicat Oecumenius. *Si linguis*, ait, *hominum, immò etiam Angelorum loquar ſine caritate, temerè & vanè nullâque vtilitate loquar, veluti ſonum reddunt inanima æs, aut cymbalum.* Rectè autem Gregorius [d]. *Bona quippe loquens, ſed per amorem eadem bona non ſequens, velut æs, aut cymbalum ſonitum reddit, quia ipſe non ſentit verba, quæ ipſe facit.*

a Matt. 10. 20.
b Num. 22. 28
c Matt. 21. 15.
d lib. 11 mor. cap. 16. 17.

2. Et si habvero prophetiam, &c.

I. Multa hoc loco in vnum congerit Apoſtolus, quæ abſque caritate nihil prorſus eſſe affirmat, idque ex hypotheſi, ſiue illa à caritate ſeiungi poſſint, ſiue ſecus, vt ex Baſilio paulò antè docuimus; nam iſto modo non ſolùm rhetores, & philoſophi, ſed ipſa etiam ſcriptura ſacra non rarò argumentatur. Sic

D Dauid [e]. *Si aſcendero in cælum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum ades: ſi ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me.* Nullus autem mortalium aſcendere poteſt in cælum, aut ad inferos deſcendere, aut ſumptis alis procul auolare; ſed hypotheſis eſt non ſine aliqua fictione; quò magis aſſeueret, neminem poſſe Dei manus effugere. Et ſæpè Chriſtus [f]: *Si in Beelzebub eiicio dæmonia, filij veſtri in quo eiiciunt?* Rurſus [g]: *Si crederetis Moyſi, crederetis vtique & mihi.* Et hac ipſa Epiſtola [h] Paulus: *Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra.* Ac mox: *Si mortui non reſurgunt, nec Chriſtus reſurrexit.* Denique: *ſi in hac vita tantùm in Chriſto ſperantes eſſemus, miſerabiliores eſſemus omnibus hominibus.* alia ſexcenta eiuſdem

E generis in ſcripturis leguntur. Ait igitur Apoſtolus: *Et ſi habuero prophetiam*; non qualemcumque vt obſeruat Chryſoſtomus, ſed eius facultatis quaſi apicem; ob id enim ſubdit; *Et nouerim myſteria omnia.* Plures enim eſſe prophetiæ gradus apertè colligitur ex ſcripturis, vt alibi doceo. Sunt tamen qui myſteriorum cognitione indicari putent ſermonem ſapientiæ, ac ſcientiæ, ſed interpretationem Chryſoſtomi præfero, quam ſequitur Theodoretus. Si quis tamen myſteria referat ad ſapien-

e Pſal. 138. 8.
f Luc. 11. 19.
g Ioan. 5. 46.
h cap. 15. 14.

A tiam, cùm mox nominet ſcientiam, quam diximus ad humana pertinere, non magnopere repugnarim. Pro myſteriis autem non ſemel Auguſtinus ſacramenta legit, res videlicet abditas, & occultas intelligens. Ambroſius tamen videri poſſit myſteria ad euangelica, & eccleſiaſtica ſacramenta referre; ait enim nihil profuiſſe Iudæ vnà cum Apoſtolis didiciſſe myſteria, ſentiens (opinor) eum fuiſſe euchariſtiæ participem: quamquam fortaſſe ſimpliciter ſignificat, Iudam cognouiſſe myſteria, de quibus ait Chriſtus [a]: *Vobis datum eſt noſſe myſteria regni Dei, cæteris autem in parabolis. Et omnem*, inquit, *ſcientiam*, tam humanam, quàm diuinam. *Nihil enim* (vt ait Ambroſius) *Scribis, & Phariſæis ſcientia profuit, dicente* [b] *Saluatore: vos habetis clauem ſcientiæ, & neque*

B *vos intratis, neque alios ſinitis introire; per inuidiam enim caritatem corrumpentes, ſcientiam eius ad nihilum deduxerunt.* Subdit: *Et ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam.* Ne cuncta ſingillatim recenſeat (vt Chryſoſtomus, & Theophylactus obſeruarunt) omnem chariſmatum fontem nominat, & quidem non ſine amplificatione. *Si habuero*, inquit, *omnem fidem*, hoc eſt (vt ego interpretor) perfectam, atque abſolutam: illam autem fidem intelligit, quam ſuperiori capite inter gratias gratis datas numerauerat, quam cum fide miraculorum, quam etiam eodem loco indicauerat, breuitatis cauſa coniungit. Origenes fidem perfectam, ſolidam, atque integram intelligit: eodémque modo apud Oecumenium ſentit Gennadius. *Ita*, in- II.

C quit, *vt montes transferam.* Nam hoc olim feciſſe Gregorium Neocæſarienſem auctor eſt Euſebius [c]; vt Eccleſiæ ædificandæ ſpatium laxaret. Illud verò permirum videri poteſt, quod Apoſtolus fidem miraculorum effectricem, *omnem fidem*, hoc eſt omnibus numeris abſolutam nominat, cùm tamen Chriſtus apud Matthæum [d] ad patranda miracula, vel exiguam fidem exigat. *Si habueritis*, inquit, *fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, tranſi hinc, & tranſibit.* Sed video placere Origeni, Hieronymo, Bedæ, & Strabo, non minimam, ſed maximam fidem grano ſinapis comparari, illam videlicet, quam hoc loco Paulus, *omnem*; id eſt, totam, integram, & perfectam fidem appellat. Non facilè autem admiſerim, quod iidem, & alicubi etiam

D Auguſtinus exiſtimauit Chriſtum, non de magnitudine, ſed de efficacitate, & acrimonia fidei agere: aliàs enim Chriſtus [e] ad res minimas ſignificandas grani ſinapis ſimilitudinem adhibuit. *Simile*, inquit, *eſt regnum cælorum grano ſinapis, quod minimum eſt omnibus ſeminibus*; cùm res alioqui ardentes, atque efficaces igni potiùs comparentur. Accedit quod granum ſinapis, non ſimpliciter ſinape nominauit, vt inter exiguitatem grani, & magnitudinem montis, non obſcura intelligeretur antitheſis. Voluit enim Chriſtus docere vel minimam fidem, quale granum ſinapis eſt, maximum etiam montem poſſe transferre: quod antiquiſſimos ſenſiſſe Patres, teſtatur Hieronymus. De eadem itaque fide loquitur Paulus, de qua Chriſtus agit: nam &

E ad illum Matthæi locum alluſiſſe Apoſtolum, planè videtur certum. Cur igitur Chriſtus minimam fidem, Paulus verò maximam appellet nondum liquet. Chryſoſtomus, & Theophylactus exiſtimant loqui Paulum non de maxima, & perfectiſſima fide, quæ re vera ſit eiuſmodi, ſed quæ rudioribus ſumma videatur: ita enim ſcribit Chryſoſtomus. *Quoniam hoc erat magnum montes transmouere, propterea eius etiam meminit, non tamquam hoc ſola poſſet tota fides, ſed quoniam hoc videbatur eſſe magnum propter molem corporis, hinc quoque extollit, & amplificat propoſitum.*

a Marc. 4. 11.
b Luc. 11. 52.
c lib. 7. hiſt. cap. 21.
d cap. 17. 19.
e Matt. 13.

poſitum. Addit Theophylactus. *Nam montes transferre non magni facit Chriſtus, & medica fidei parti adſcribit.*
III. Crediderim quod indicant Hieronymiani commentarij, & auctores ſuperiùs citati affirmant, tam apud Matthæum à Chriſto, quàm hoc loco à Paulo magnam, & perfectam fidem commendari, ſed Chriſtum quidem reprehendentis more hyperbole, atque exaggeratione vti, perinde quaſi diceret: ſi vel minimam fidem haberetis, id eſt tantam, quantam habere deberetis, non maiorem: diceretis monti huic, tranſi hinc, & tranſiret. ſic enim ferè loqui ſolemus, cùm viro alioqui ingenioſo, minùs tamen quod didicimus percipienti obiurgantes dicimus, ſi vel minimum ingenio valeres, hoc profectò intelligeres. Neque enim ſignificamus, eum ne minimum quidem habere ingenij, ſed minùs tamen habere, quàm opus eſſet, vt id de quo agitur aſſequi poſſet. Ita Chriſtus minimam Apoſtolorum fidem vocat eius reſpectu, quam habere debebant Apoſtoli, qui tamdiu vnà cum Chriſto verſati eſſent. Apoſtolus autem maximam fidem vocat comparatione effectus, qui non ſolùm hominum opinione, ſed re ipſa maximus erat. Nihil autem officit grani ſinapis comparatio, hoc enim pertinet ad hyperbolem, quæ aliàs eſt in ſacris litteris non infrequens. Obſeruat autem Theophylactus per prophetiam, & fidem voluiſſe Apoſtolum omnia chariſmata complecti: quidquid enim mirum effici poteſt, aut verbis, aut rebus conſtat. Idem verò monet non dixiſſe Apoſtolum ſi caritatem non habeat, ſe eſſe modicum aut vilem, ſed prorſus nihili. *Nihil*, inquit, *ſu*. Quocirca rectè alicubi dixit Auguſtinus [a], *ſe dixit nihil eſſe, ſi caritatem non habeat, non ſacramenta, & ſcientiam, & prophetiam, & fidē: illa enim magna ſunt, etiamſi ille nihil ſit, qui ea ſine caritate habuerit, & eorum veritatem in ſua iniquitate detinuerit.* Et [b] alibi. *Dilectio Dei, & proximi propria, & ſpecialis eſt virtus piorum, atque ſanctorum, cùm cætera virtutes & bonis, & malis poſſint eſſe communes.* Ruſſus [c]: *ſine caritate fides poteſt quidem eſſe, ſed non prodeſſe:* Nam vt idem alicubi ſcribit [d]. *Caritas diſtinguit inter filios Dei, & filios diaboli, & inter filios regni, & filios perditionis.* Quocirca quanuis in priori ſententia locutus videatur ex hypotheſi, hîc tamen nulla videtur hypotheſis neceſſaria. Quod enim ait Baſilius [e], nihil eorum, quæ enumerata ſunt ſine caritate vnquam eſſe poſſe, non poteſt ad hæc referri, ſed fortaſſe ad ea, quæ conſequuntur, hoc eſt, bonorum largitionem, & rerum aduerſarum tolerantiam, de quibus tamen mox videro. Viderint igitur noui euangelij, hoc eſt pſeudoeuangelij buccinatores quàm veræ, apoſtolicæque doctrinæ conſentaneæ, ſolam fidem iactitent, neque illam à caritate diſtinguant, tam profectò ſe ſine fide eſſe doceant, quàm ſine caritate ſeſe vita, ac moribus probant, omnibus ſceleribus, atque flagitiis coopertì.

3.
I. ETSI DISTRIBVERO IN CIBOS PAVPERVM, &c. Hactenus de diuinis muneribus, & ſancti ſpiritus chariſmatibus diſſeruit: nunc de eximiis quibuſdam virtutibus agit, quas etiam nullius docet eſſe momenti, ſi à caritate ſeiungantur. *ſi diſtribuero* (inquit) *in cibos pauperum omnes facultates meas*. græcè ψωμίσω, hoc eſt in alimoniam, aut cibum dedero. Addit autem: *Omnes facultates meas*; non partem, ſed prorſus omnes, & (vt ait Theodoretus) *proprijs manibus diſtribuam, & pauperum curam geram.* Quod maximè pertinere ad Chriſtianæ vitæ perfectionem, apud Matthæum [f] docuit Chriſtus dicens. *ſi vis eſſe perfectus, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Non autem dixit aleatoribus, paraſitis, lenonibus, ſed pauperibus, ideſt, egentibus, qui abſque alieno ſubſidio viuere non poſſunt. ſunt autem qui putent, hæc pertinere ad opitulationes, quas ſuperiori capite enumerauerat, de quibus eo loci plura diximus: putant enim opitulationes pertinere ad beneficentiam, de qua hoc loco. Vix autem hæc tanta, támque eximia liberalitas à caritate diuelli, aut ſeparari poteſt, niſi fortè quis dicat, quod indicat Theodoretus, eos notari, qui gloriolæ ſtudio, & captandæ auræ popularis gratia liberalitatem non tam exercent, quàm ſimulant: quod tamen aliquanto frigidius videtur; vix enim vitioſam actionem, cùm diuini ſpiritus muneribus conferret Apoſtolus: de his potiùs agere credendus eſt, qui hoc euangelicæ caritatis intuitu ad miſerorum inopiam ſubleuandam præſtant: vt (quod paulò antè ex Baſilio monuimus) intelligamus hæc hyperbolico modo, & ex hypotheſi dici, quo perſpicuum fiat non ex liberalitatis modo, ſed ex magnitudine caritatis actiones noſtras diuino iudicio æſtimari, atque idcireò duo illa viduæ minuta in gazophylacium coniecta longè magis Deo placuerunt, quàm pretioſa cæterorum munera. Ita fit, vt ſi tam laudabilis functio à caritate ſeiungeretur, ne foret quidem laude digna. ſic aliàs Paulus ex hypotheſi quædam dicit, quæ fieri nullo modo poſſunt: vt cùm apud Romanos [a] ſcribit: *Certus ſum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque vlla alia creatura poterit nos ſeparare à caritate Dei.* Neque enim fieri vllo modo poteſt, vt angeli, principatus, aut virtutes, quemquam à caritate ſeiungant, quorum proprium eſt ad amorem Dei allicere, non diuellere. ſic etiam ad Galatas [b]. *Etſi nos aut angelus de cœlo aliud vobis euangelizauerit præter hoc, quod accepiſtis, anathema ſit.* Quis autem ita deſipiat, vt cœleſtes illas mentes aliquid dicere poſſe putet, quod euangelicæ, aut apoſtolicæ doctrinæ repugnet? Atque hac quidem ratione permotus Auguſtinus [c] verè affirmauit, non apertè colligi ex hoc loco fidem, & prophetiā poſſe à caritate ſeparari: cum niſi aliunde conſtaret plurima diuini ſpiritus chariſmata etiam caritatis expertibus fuiſſe conceſſa, facilè poſſent hæc omnia (quod indicauit Baſilius) per hyperbolem, & hypotheſim explicari ſubdit: *Etſi tradidero corpus meum, vt ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Nec dubito, hæc eodem modo explicanda, quod Chryſoſtomus, & Theophylactus inſinuant, qui putant, ſpectaſſe Paulum in hac, & ſuperiori ſententia duo quædam eximiæ, perfectæque caritatis argumenta, quæ olim Chriſtus indicauit: quorum alterum eſt apud Matthæum [d]. *ſi vis* (inquit) *eſſe perfectus, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus:* alterum apud Ioannem [e], *Maiorem hanc dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Paulus autem ait: ſi quis Dei cauſa non modò vitam profundat, ſed flammis conflagret, ſi id poſſit abſque caritate præſtari: nullum inde exiſtere fructum, nullam vtilitatem. vt vel hinc appareat, ſingularem, planéque diuinam eſſe præſtantiam, ac dignitatem caritatis, de qua longa oratione in præſentia diſſerit Chryſoſtomus. Cæterùm, quod Latini codices habent, *vt ardeam*: monet Diuus Hieronymus [f], in nonnullis codicibus haberi, *ita vt glorier*, eámque lectionem meritò reprehendit, vt quæ orta ſit ex errore, & leui vnius literulæ mutatione: vt quod græcè ſcriptum eſt καυθήσωμαι, mutato θ in χ ſit καυχήσωμαι. videtur autem omnino legendum καυχήσωμαι, niſi quis malit cum Baſilio legere ἵνα καυθήσωμαι, ideſt ardeam. Quòd ſi Græcos codices conſulamus, abundat proculdubio in nonnullis Latinis particula ita: eſt enim græcè tantùm ἵνα, hoc eſt vt: eodémque

a de ciuit. baptiſ. cont. Petil. in princ.
b lib. de vera innoc. c. 7.
c libro 15. de Trinit. cap. 18.
d lib. de trib. virtut. fid. ſp. & cari.
e Epiſt. 73.
f cap. 19. 21.
a cap. 8. 38.
b cap. 1. 8.
c li. 2. ad Simplicium.
d cap. 19. a.
e cap. 15. 13.
f in Epiſt. ad Gal. cap. 5.

A modo legunt, & interpretantur Chryſoſtomus, & Theophylactus, qui ardorem ignis ſummum dicunt eſſe cruciatum. Hieronymiani commentarij de gloria, nonnulla miſcent, vt videantur legiſſe καυχήσωμαι: ſed ea ſententia omnino frigida eſſet, & Apoſtolo indigna. quamuis enim negandum non ſit (vt ex Euſebio [a], Cypriano [b], & Bernardo [c] conſtat) non paucos hæreticos non modò forti, ſed hilari animo acerbiſſimos cruciatus, atque adeo mortem ipſam ſubiiſſe; nam Montaniſtæ Martyres ſuos prædicabant, vt præter Euſebium indicat Tertullianus [d]: Meſſaliani celebrant ſuos, vt auctor eſt Epiphanius [e]; & Donatiſtæ ſuos, vt alicubi ſcribit Auguſtinus: denique ſuos [f] Anabaptiſtæ; ſed tamen (vt rectè ait Bernardus [g]) illud erat pertinaciæ, non conſtantiæ, obdurationis cuiuſdam, non pietatis.

[a] lib. 6 hiſt. ca. 31. & lib. 5. cap 18.
[b] lib de lapſ.
[c] Serm. 66. in Cant.
[d] lib de fuga in perſec.
[e] Hær. 80.
[f] Æneas Syl. in hiſtor. Bohem c. 41.
[g] Serm. 66. in Cant. in fin.

B Porrò Apoſtolus non de illa nefaria actione, ſed de laudabili, atque honeſta, quæ (ſi quod fieri poſſe non videtur) ſeiungeretur à caritate, nullam prorſus afferret vtilitatem. Tractat hunc locum Clemens [h] Alexandrinus verbis paululum immutatis. *Si corpus*, inquit, *meum tradidero, caritatem autem non habeam, ſum æs ſonans, & cymbalum tinniens: ſi non ex affectione electa*, inquit, *per caritatem cognitione prædictam tulero teſtimonium, propter metum autem fortè, & eam quæ expectatur, mercedem labra mouens ad teſtimonium fuero confeſſus Dominum, ſum homo communis, Dominum reſonans, non agnoſcens. Eſt enim & populus, qui diligit labiis, eſt & alius, qui tradit corpus, vt comburatur. Et ſi diſtribuero omnes facultates meas ad alendos pauperes*, inquit, *non ex* C *ratione communicationis, quæ proficiſcitur à caritate, ſed ratione remunerationis, quæ vel ab ipſo, qui beneficio afficitur, vel à Domino, qui promiſit, expectatur; & ſi habeam omnem fidem, vt montes transferam, & vitia, quæ tenebras offundunt abiiciam aliqua, non fuero autem fidelis Domino propter caritatem, nihil ſum.*

[h] lib. 4. Stro.

4. I. CARITAS PATIENS EST, BENIGNA EST, &c. Caritatis pulchritudinem, ac dignitatem ſuis veluti coloribus exprimit. *Caritas*, inquit, *patiens eſt.* Græcè μακροθυμεῖ. Tertullianus [i], & Cyprianus [k] magnanimam interpretantur: ſic etiam legit Ambroſius. Alij reddunt, longanimis, ſiue leni animo: D quaſi dicas non eſſe caritatem præcipitem ad iram, aut vindictam. Ita omnino explicant Chryſoſtomus, & Theophylactus. *Lenitas*, inquit, *eſt radix totius philoſophiæ. Quamobrem dicebat quidam ſapiens; vir lenis, ac patiens eſt multa prudentiæ.* Alludere autem videtur ad verba Salomonis in Prouerbiis [l]: vbi enim nos legimus. *Qui patiens eſt, multa gubernatur prudentia*, Septuaginta habent μακρόθυμος ἀνὴρ πολὺς ἐν φρονήσει. hoc eſt linganimis vir multus in prudentia. Certè Theodoretus magnum, & generoſum animum intelligit. Hanc Chryſoſtomus turrim inexpugnabilem vocat, quæ facilè propulſat quæcumque moleſta inciderint. *Quomodo enim*, inquit, *quæ in abyſſum ceciderit ſcintilla, illam quidem non lædit, ipſa autem facilè extinguitur, ita quòd in lenem animam inopinatum inciderit, & inexpectatum, ipſum quidem facilè deletur, & euaneſcit, ipſam autem non conturbat: nam qui hac animi lenitate præditus eſt, tamquam in portu ſedens, profunda fruitur tranquillitate. & ſi damnum inieceris, non mouebis rupem, & ſi contumeliam intorſeris; non labefactabis turrim: & ſi plagas inflixeris, non feries adamantem.* Lenis enim propterea dicitur μακρόθυμος, id eſt longanimis, quòd longam quandam, & magnam habeat animam; nam quod eſt longum dicitur etiam magnum; vt mirum non ſit, quoſdam de magnanimitate hæc accipere. Significat igitur, caritatem lenem eſſe, & à

[i] lib. de patient. c. 12.
[k] lib de bono patiens li. de vnit. Eccl. lib de zelo, & liu. lib. 3. ad Quir. c. 3.
[l] cap. 14. 29.

A vindictæ cupiditate alienam. Nec immeritò de patientia explicat noſter interpres; nam & Tertullianus magnanimitatem ad patientiam refert. *Caritas*, inquit, *magnanimis eſt*, ita patientiam ſumit, & deinceps alia multa patientiæ accommodat, vt conſtabit non ita multò pòſt. Addit Apoſtolus. *Benigna eſt.* Græcè χρηστεύεται. Ambroſius Latinè dixit; II. *Iucunda eſt.* Significat autem comitatem, ac ſuauitatem morum, opponitúrque aſperitati, ac difficultati, ſeu moroſitati. Vera namque pietas longiſſimè abeſt à ſupercilio; contra verò ficta, & ſimulata ſanctitas aſperitate morum grauis eſt. Chryſoſtomus benignam ait eſſe caritatem, quia non refertur ad aliorum iram vehementiùs inflammandam, ſed potiùs ad eam ſedandam, & extinguendam. B Non ſolùm enim forti, & conſtanti animo aliorum iram, & indignationem perfert; ſed mitigando, conſolandóque medetur vlceri, & iræ vulnus curat, atque ita (vt ait Theodoretus) manſuetudine, ac probitate vtitur. Certè benignitas apud Latinos plerumque ad beneficentiam pertinet; vt quemadmodum à malo malignus, ita à bono dicatur benignus: vnde Feſtus, *Benignus*, inquit, *propriè dicitur is, qui bonis, & dignis aliquid largitur.* Et M. Tullius benignum cum benefico coniungit, vt miſerandi potiùs, quàm ridendi videantur illi, qui benignitatem quaſi bonam ignitatem dictam putant, quo nihil fingi poteſt ineptiùs. Tertullianus [a] beneficam dixit. *Benefica*, inquit, *eſt, malum patientia non facit. Caritas*, ait, *non æmulatur.* οὐ ζηλοῖ. Aliàs C ſæpè monui zelandi verbum in ſacris litteris ambiguæ eſſe ſignificationis, & interdum quidem in bonam, nonnunquam in malam partem ſumi. Hic omnino poſteriori modo accipitur: quaſi dicat: non eſt inuida. Fieri enim poteſt (vt ait Chryſoſtomus) vt ſit quiſpiam lenis, ac patiens; inuidiæ tamen ſtimulis agitetur: caritas autem hoc etiam vitium longè fugat. Tertullianus. *Non æmulatur*, ait, id quidem patientiæ proprium eſt. Certè (vt de patientia nihil dicam) inuidia caritati maximè repugnat, quæ proximum quaſi ſe ipſum diligit, & proximi bona ſua ducit. *Non agit perperam.* Græcè περπερεύεται. III. D Quid autem hoc ſit non eodem modo explicatur ab omnibus. Chryſoſtomus, Theophylactus, & alij hoc referunt ad temeritatem, ſeu leuitatem, & inconſtantiam. non eſt (inquit Chryſoſtomus) temeraria, & præceps; ſed potiùs prudens, grauis, & conſtans. Addit Theophylactus, πέρπερος *eſt qui in ſublime tollitur, lenis, ac ſtolidus.* Theodoretus. *Non curioſè, ait, ſcrutatur ea, quæ non attinet, hoc enim eſt perperam agere: non attingit menſuram diuinæ ſubſtantiæ, nec ea in quibus eius diſpenſatio verſatur examinat, quod nonnulli facere conſueuere: qui habet caritatem nihil temerè facere in animum inducit.* Alij περπερεύεσθαι putant idem eſſe, quod adulari: alij extolli, & oſtentare ſeſe: nonnulli garrire. Alij denique aliter. Baſilius [b]: *Omne*, inquit, *quod præter neceſſitatem ad oſtentationem, & ornatum aſſumitur, id* περπερείας *accuſationem incurrit, ſeu perperam agendi*: quomodo etiam accepiſſe videtur Clemens [c] Alexan- E drinus; cùm enim poſuiſſet hæc verba Pauli. *Perperam enim*, ait, *agere dicitur cultus, qui ſuperfluitatem, & inutilitatem, apertè indicat.* Tertullianus [d] latinè dixit. *Nec proteruum ſapit, modeſtiam de patientia traxit.* Non malè de procacitate nonnulli accipiunt. Itaque περπερεύεσθαι erit non modò temerarium eſſe, & præcipitem, ſed leuem, inſtabilem, petulantem, procacem, ſuperfluo denique atque inutili ornatu gaudere: vel ſi quis malit perperam agere ſit, non rectè, & ſiniſtrè aliquid facere: quomodo apud Latinos perperus, inſulſus, indoctus, rudis

[a] lib. de patient. c. 12.
[b] In reg. breuior. 49.
[c] lib. 3 ped. cap. 2.
[d] lib de patientia.

& ſtul

& ſtultus dicitur;& perperitudo(teſte Nonio) idem A eſt,quod inſulſitas, ruditas,ſtultitia. Neſcio vtrum iis aſſentiar, qui hanc vocem à Perperis fratribus, qui etiam Cercopes dicti ſunt, confictam putant, quorum procacitas, & improbitas etiam fabulis eſt nobilitata. Certè quidquid horum dixeris,cum caritate magnopere pugnat; vt meritò dixerit Apoſtolus,caritatem non agere perperam. Subdit: *Non inflatur.* quod pertinet ad ſuperbiam. Monent autem Chryſoſtomus,& Theophylactus fieri poſſe, vt qui enumeratis virtutibus prǽditus ſit, eam ipſam ob cauſam inſoleſcat, & ſibi nimium placens faſtu ac ſuperbia tumeat. Verùm caritas hanc quoque animi perturbationem reprimit, & caſtigat. Tertullianus [a] non inflatur cum Latino interprete dixit; vt enim alicubi ait Auguſtinus [b],ſuperbi inflati dicun- B tur,quaſi vento diſtenti.

a lib. de patient. c.12. b lib.1. de Ser. Dom. in mõte c.3.& 4.

5. NON EST AMBITIOSA, NON QVÆRIT,&c.
I. Grǽcè dixit Apoſtolus οὐκ ἀσχημονεῖ; vt non poſſim planè diuinare, cur Grǽcam vocem ita ſit interpretatus,aut quid Grǽcè legerit noſter interpres. Grǽca ſcholia cum Chryſoſtomo, Theophylacto, ac Theodoreto interpretantur, nihil ſibi indecorum putat. Alij quod etiam ſubindicat Theophylactus, nihil agit turpe, aut inhoneſtum: quod fortaſſe ſignificauit Auguſtinus [c], qui Latinè dixit. *Non dehoneſtatur.* Fauet Syriaca tranſlatio. *Non patrat*,inquit, *quod pudendum eſt.* Certè videtur Apoſtolus indicare,caritatem nihil faſtidire,quaſi ſibi minus decorum, ſed demittere ſeſe ad omnia quantumuis vilia Chriſti exemplo,qui venit vt miniſtraret. Quocirca C Tertullianus Latinè dixit: *Non proteruit: non enim ad patientiam pertinet.* Baſilius [d]. *Ab habitu*, ait, *vel forma ſua non recedit.* Quod ipſum indicare viſus eſt Clemens [e] Alexandrinus; qui cùm poſuiſſet verba Pauli,ſubdit. *Indecora enim eſt aliena,& quæ non eſt ſecundùm naturã figura, quæ autem ficta eſt, eſt aliena.* Certè ab hac animi conſtitutione, & dimiſſione,ac modeſtia maximè abhorrent ambitioſi, qui facilè præ ſe omnia contemnunt. Hanc igitur prauam animi affectionem alienam ait eſſe à caritate, vt eam indicet facilem ſeſe, ac minimè repugnantem contrariæ virtuti præbere formandam. Ita videtur interpres Pauli ſententiam aſſecutus,& vtcumque expreſſiſſe. Subdit: *Non quærit quæ ſua ſunt.* Hæc Clemens cum ſuperioribus coniungit. Cùm enim di- D xiſſet alienam figuram eſſe indecoram, & fictam, ſubdit: *Quod quidem apertè explicat dum dicit; Non quærit quod non eſt ſuum: quod enim proprium eſt eius, eſt veritas; vocat itaque quod ſuum eſt; quod autem eſt alienum quærit nimium ornatus ſtudium, vt quod ſit remotum à Deo ratione,& caritate.* Paulò aliter Theophylactus. *Modum*,inquit,*explicat,quomodò non deformet caritas proprium*,inquit,*commodum caritas non quærit, ſed proximi:* quæ eſt apertiſſima Chryſoſtomi ſententia;ait enim. *Nam cum dixiſſet, eam non reputare probrum, ac dedecus, oſtendit etiam quomodo id non reputet. quis eſt autem is modus? Non quærit quæ ſua ſunt; nam eum, qui diligitur omnia eſſe exiſtimat, & tunc probrum, ac dedecus eſſe reputat, quando illum à probro, & dedecore non poteſt liberare: quòd ſi E per ſuum probrum,ac dedecus liceat prodeſſe ei, qui diligitur, ne probrum quidem, ac dedecus eam rem ſibi exiſtimat: ille enim de cætero eſt ipſe. Hoc enim eſt amicitia, eum,qui diligit, & eum, qui diligitur,non ampliùs eſſe duos diuiſos, ſed vnum eſſe hominem, quod quidem non ex alio fit, quàm ex caritate. Non irritatur.* hoc eſt ne laceſſita quidem. Ita Chryſoſtomus. *Vide*,inquit, *rurſus, eam non ſolùm in vitium dominatum obtinere, ſed nec omnino ſinere,vt conſiſtat. Non enim dixit irritatur quidem, ſed ſuperat, ſed nec irritatur quidem.*

c lib.de grat. & lib. arb.c.17
d In regul. breu.246.
e lib.3.pæda. cap.1.

Theophylactus. *Non exacerbatur*,ait,*hoc eſt non proſilit in iram.* Neque aliter explicat Theodoretus. Grǽcè eſt παροξύνεται, quod propriè ſignificat, non acuitur, non incitatur, quaſi ne mouocatur quidem ad iram. *Non cogitat malum.* Non modò non 11. operatur (vt ait Chryſoſtomus) ſed ne cogitat quidem: *Nihil enim mali non modò comparat aduerſum eum qui diligitur, ſed ne ſuſpicatur quidem. Quomodo ergo fuerit operata, aut quomodo fuerit irritata, quæ nec tolerat quidem malam ſuſcipere ſuſpicionem, vnde eſt fons iræ?* Itaque caritas æqui, bonique omnia conſulit: non malè de aliorum actionibus iudicat. Porro Tertullianus [a] totum hunc locum paraphraſi hunc in modum illuſtrat. *Dilectio*, inquit, *magnanimis eſt, ita patientiam ſumit: benefica eſt, malum patientia non facit: Non æmulatur, id quidem patientiæ proprium eſt: nec proteruum ſapit, modeſtiam de patientia traxit: non inflatur, non proteruit; non enim ad patientiam pertinet: Nec ſua requirit, ſuffert ſua dum alteri proſit, nec incitatur.* Quod ait Paulus: *patiens eſt.* ille dixit magnanimis: quod ille χρηστεύεται, hic dixit benefica eſt: quod ille περπερεύεται, hic non proteruum ſapit: quod ille οὐκ ἀσχημονεῖ, hic non proteruit, malim legere non proterit, ſumpta metaphora ab iis, quæ quia nihili ſiunt, atque indigna putantur proteruntur, ac pedibus conculcantur, vt ſignificet caritatem nihil faſtidire, aut ſe indignum putare. Benè autem viri docti obſeruarunt pro eo, quod legitur, *ſuffert ſua*; ſubſtituendum: *Offert ſua*; alioqui enim nulla ſententia conſtat: niſi quis malit eſſe veluti interpretationem verborum Pauli dicentis: *omnia ſuffert*: quaſi ſua damna, ac veluti detrimenta non ſolùm æquo, ſed etiam libenti animo ferat, vt alteri proſit: ſed id fortaſsè aliquanto durius videatur.

a lib. de patient. cap. 12.

NON GAVDET SVPER INIQVITATE, &c. 6.
Non capit ex aliorum malis, aut iniuriis volupta- I.
tem. Ita Chryſoſtomus,& Theophylactus. Theodoretus autem. *Quæ iniuſta*, inquit, *ſunt odio habet.* Anſelmus Chryſoſtomo conſentit. *Non de perditione*, inquit, *aduerſantium exultat.* Sunt enim nonnulli, qui tametſi aliis neque obſunt, neque obeſſe cogitant, lætantur tamen, ſi videant eos quos oderunt rebus aduerſis premi, & malis vigeri. Hoc (inquit Apoſtolus) à caritate alienum eſt, quæ potiùs *congaudet veritati*, hoc eſt (vt vult Chryſoſtomus) iis gratulatur, qui benè apud omnes audiunt, quorum vita, moréſque optimis quibuſque probantur. Ita etiam Theophylactus: nec diſcrepat inter Latinos Anſelmus. Theodoretus autem *iis*, inquit, *quæ bona, & honeſta ſunt, delectatur.* Veritatem enim videtur Apoſtolus Hebræorum more non ſolùm in verbis, ſed etiam in rebus intelligere, vt idem ſit cum iuſtitia, rectitudine, atque honeſtate; ita ſæpè in ſcripturis legimus, facere veritatem. Denique putat Chryſoſtomus, hûc pertinere quod ſcribit Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos [b]. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Hoc enim proprium eſt caritatis, vt aliorum ſiue bona, ſiue mala tanquam ſua ducat. De hoc autem loco ſic omnino Gregorius [c]: *Patiens quippe eſt caritas, quia illata mala æquanimiter tolerat; benigna verò eſt, quia pro malis bona largiter miniſtrat: non æmulatur, quia per hoc, quod in præſenti mundo nihil appetit, inuidere terrenis ſucceſſibus neſcit. non inflatur, quia cùm præmium internæ retributionis anxia deſiderat, de bonis ſe exterioribus non exaltat: Non agit perperam, quia quo ſe in ſolum Dei, ac proximi amorem dilatat, quidquid à rectitudine diſcrepat ignorat: non eſt ambitioſa, quia quo ardenter intus ad ſua ſatagit, foris nullatenus aliena concupiſcit: non quærit quæ ſua ſunt,*

b cap.12.15.
c lib.10.mor. c 7 aliâs 4.

ſunt, quia cuncta, quæ hic tranſitoriè poſſidet, velut alıena negligit, cùm nihil ſibi eſſe proprium, niſi quod ſecum permaneat, agnoſcit: non irritatur, quia & iniurijs laceſſita ad nullos ſe vltionis ſuæ motus excitat, cùm pro magnis laboribus maiora pòſt præmia expectat: non cogitat malum, quia in amore munditia mentem ſolidans, dum omne odium radicitus eruit, verſare in animo quod inquinet neſcit: non gaudet ſuper iniquitate, quia ſola dilectione erga omnes inhiat, nec de perditione aduerſantium exultat: congaudet autem veritati, quia vt ſe cæteros diligens per hoc, quod rectum in alijs conſpicit, quaſi de augmento proprij profectus hilareſcit.

7. OMNIA SVFFERT, OMNIA CREDIT, &c.
I. Græcè eſt στέγει, quaſi dicat nulla re grauatur. Eſt enim metaphora ducta à tignis onus impoſitum ſuſtinentibus, vel certè à vaſis recipientibus quidquid infunditur. Cyprianus [a] alicubi latinè dixit;
a de ſimplic. prælat. & lib. 3. ad Quir. ca. 3. & lib. de bono patient.
Omnia diligit: perinde quaſi græcè legerit στέργει; quod tamen, & ſi videri poteſt tolerabile, præferendam tamen cenſeo vulgatam lectionem, quam Græci, Latinique omnes ſequuntur. *Omnia*, inquit Chryſoſtomus, *ſuffert, à lenitate videlicet, patientia, ac benignitate inſtructa. Omnia autem ſufferre dicitur, ſeu ſit contumelia, ſeu plaga, aut verbera, ſeu mors, ſeu quiduis aliud.* Anſelmus hoc ita diſtinguit ab eo, quod paulò antè dixit Apoſtolus: *Caritas patiens eſt*: vt patientia referatur ad animum, hoc verò ad ipſam actionem perferendi. *Ibi*, inquit, *laudata eſt tranquillitas cordis, hic fortitudo paſſionis, & ideo ſuffert omnia in præſenti vita, quia credit omnia de futura vita: & ſuſtinet omnia, quæ hic grauia immittuntur, quia ſperat omnia, quæ ſibi dulcia promittuntur.* Sed Apoſtolus diſtinguere videtur στέγειν, quod eſt ſufferre, & ὑπομένειν, quod eſt ſuſtinere, de quo mox. Hic autem στέγει poſuit pro eo quod eſt tolerat. Sic Gregorius [b] Nazianzenus, πάντα στέγοντες, πάντα ὑπομένοντες διὰ τὴν εἰς Χριστὸν ἀγάπην τε καὶ ἐλπίδα. Omnia tolerantes, omnia ſuſtinentes propter Chriſti caritatem, & ſpem. Quibus verbis ad hunc Apoſtoli locum videtur alludere. *Omnia credit*. Fide (vt arbitror) diuina, cùm tamen alio-
b in Epitaph. fratris Cæſarij.
qui dicat Ioannes [c]. *Nolite omni ſpiritui credere.*
c ep. 1. ca. 4. 1.
At quæ diuinitus credenda proponuntur credit. Theodoretus de humana fide videtur accipere. *A mendacio*, inquit, *alienum credit, quem diligit.* Quomodò etiam videtur ſentire Theophylactus; nam ſi de Deo loquantur, non dilectio facit vt quis credat in illum mendacium non cadere, ſed recta ratio perſuadet, quæ apertè docet, Deum nec decipere, nec mentiri poſſe. Quòd ſi de humana fide loquatur Apoſtolus, omnia dicetur caritas credere, quæ fide digna prudenter cenſentur; alioqui enim rectè dixit Sapiens [d]. *Qui credit cito, leuis eſt*
d Eccleſiaſtici 19. 4.
corde. Et Seneca [e]. *Vtrumque enim*, inquit, *vitium*
e epiſt. 3.
eſt, & omnibus credere, & nulli. Omnia ſperat: quæ videlicet ad vitam æternam pertinent. Chryſoſtomus tamen de humana ſpe explicat, quem Theodoretus, & Theophylactus ſequuntur. *Quæcumque*, inquit, *ſunt bona dilectio non deſperat, ſed & ſi malus ſit, permanet eum corrigens, prouidens, curam gerens.* Anſelmus de ſpe diuina accipit, cui magis aſſentior. Poteſt etiam de illa ſpe explicari, qua quis in rebus aduerſis non deſpondet animo, ſed diuinam opem, atque auxilium aliquando ſperat. Denique, *omnia ſuſtinet*: Græcè ὑπομένει, hoc eſt, durat etiam in longum tempus, vt promiſſa appareant.

8. CARITAS NVNQVAM EXCIDIT, &c. Clau-
I. dit hac veluti coronide caritatis encomium. *Caritas*, inquit, *nunquam excidit: non diſcinditur* (inquit Chryſoſtomus) *ferendo non diſſoluitur: amat enim omnia: qui enim amat, nunquam poteſt odiſſe.* Ita Theodoretus, & Theophylactus. Græca vox ἐκπίπτει propriè ſignificat, nunquam ceſſat; vt ſenſus ſit: vbique prodeſt, vbique eſt vſui, quin etiam in dies creſcit, aut certè nunquam exulat. Quem ſenſum indicat Latinus interpres, & Latini item explanatores ſequuntur, qui caritatem nunquam excidere idcirco putant, quia cæteris virtutibus in alia vita deficientibus, caritas perſeuerat. Quamobrem cautè legendum eſt quod alicubi ſcribit Caſſianus [a], qui hunc Apoſtoli locum, & carita-
a Collat. 7. ſimilis eſt. Iacula ca. 4.
tis præconium diligenter expendens, & ſingulas eius proprietates, & affectiones explanans. *Poſtremò*, inquit, *quæ ſectatorem ſuum nunquam cadere ſinit ſupplantatione peccati*; non enim perinde accipiendum eſt, quaſi qui caritate diuina præditus ſit, non poſſit aliquando labi, & peccare; ſed eo prorſus modo, quo dixit alicubi Ioannes [b]. *Scimus quia*
b ep. 1. ca. 5.
omnis, qui natus eſt ex Deo non peccat: ipſa enim caritas excludit peccatum, & quamdiu mentem occupat, nullam lethalem admittit culpam: & qui Dei filius eſt, qua filius nullo modo peccat. Hoc enim ipſe Ioannes ſignificauit cùm alibi [c] ſcripſit.
c ep. 1. ca. 3. 9.
Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt. Itaque Apoſtolus, caritatem ait non excidere, quia in omnem æternitatem perſeuerat, vt egregiè alicubi explicat Caſſianus [d]. *Et quid*, inquit, *miramini ſi illa officia ſuperiùs*
d Collat. 1. 6. 11.
comprehenſa tranſibunt, cùm ſanctus Apoſtolus etiam ſublimiora Spiritus ſancti chariſmata tranſitura deſcribat: ſolam verò caritatem deſignet ſine fine manſuram? Siue (inquiens) prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur, de hac autem caritas nunquam excidit. Omnia namque dona pro vſu, ac neceſſitate tribuuntur ad tempus conſummata diſpenſatione, mox proculdubio tranſitura; caritas verò nullo intercipietur tempore: non ſolùm enim in præſenti vtiliter operatur in nobis, ſed etiam in futuro, ſarcina corporeæ neceſſitatis abiecta, efficacior multò, atque excellentior permanebit, nullo vnquam corrumpenda defectu; ſed per incorruptionem perpetuam flagrantiùs Deo, atque intenſiùs adhæſura. Siue prophetiæ euacuabuntur. An quia nullus erit amplius in beata vita earum vſus? ita Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus. An quia non planè diuinæ maieſtatis magnitudinem aſſequuntur? Hoc indicat Ambroſius: ſed prius illud magis videtur ad mentem Pauli. *Siue linguæ ceſſabunt.* Hoc eſt, vſus multiplicium linguarum; nam aliqua in beata vita lingua vſuros beatos, certum, atque exploratum videtur. Ceſſare igitur ait Apoſtolus idiomatum multitudinem, ac varietatem, cuius nullus erit vſus, cùm omnes vt olim [e] fu-
e Gen. 11. 1.
turi ſint *labij vnius, & ſermonum eorumdem. Siue ſcientia deſtruetur.* Græcè γνῶσις: deſtruetur autem non quidem ipſa rerum cognitio, ſed quidquid eſt in illa rude, inchoatum, atque imperfectum. Atque idcirco monet Chryſoſtomus, multò aliter ſcientiam, quàm linguas, & prophetias euertendam. *Non euacuatur*, inquit, *ſcientia, ſed iſta ſingularem, & particularem ſcientiam euacuabitur.* Et in eamdem ſententiam Ambroſius. *Ideo deſtruetur imperfectio noſtra non id, quod verum eſt, euacuabitur, ſed dum additur quod deeſt, imperfectio deſtruetur: deſtructio enim imperfectionis eſt, quando id, quod imperfectum eſt impletur in verum.* Et Theodoretus. *Ceſſat quæ minor eſt cognitio maiore ſuppeditata.*

EX PARTE ENIM COGNOSCIMVS. &c. Pro- 9.
bat I.

bat aboleri ſcientiam, eamdémque opera oſtendit quánam id ratione fiat. *Nunc*, inquit Chryſoſtomus, *ſcimus Deum eſſe vbique, ſed quo modo ſit neſcimus. Quod quæ ſunt ex nihilo fecerit ſcimus; modum autem ignoramus. Quod ex Virgine natus ſit ſcimus; quomodò autem, nequaquam. Tunc autem de eis aliquid ſciemus ampliùs, & perfectiùs.* ſic Theodoretus, & Theophylactus; neque aliter Ambroſius, Hieronymus, & Anſelmus. Illud autem ambigi poteſt, de ſeipſo-ne, an verò de huius vitæ conditione vniuerſim loquatur Apoſtolus. Priorem ſenſum ſequutus videtur Iuſtinus[a] martyr, itémque Gregorius[b] Nazianzenus, cui ſubſcribit Nicætas. longè tamen probabiliùs videtur loqui Apoſtolum de huius vitæ ſtatu, & conditione; Diuina enim vix poſſumus aliqua ratione eminùs cernere: ita namque alicubi ſcribit Philo[c]. *Deus*, inquit, *nuſquam verè cernitur, aut percipitur.* alibi[d], duo ait quæri de Deo poſſe, alterum an ſit, quod facile, alterum verò quid ſit, quod non modò difficile eſt, ſed omnem planè humanæ naturæ imbecillitatem longè ſuperat. Denique[e] ait, humanam animam eſſe quidem characterem, atque effigiem diuinæ potentiæ, non poſſe tamen naturæ viribus Deum videre, in quo eſt noſtra fœlicitas. Et Dionyſius[f] Areopagita. *Viſio*, ait, *clara, Dei habebitur in patria, nunc per ſenſibilia ſigna in Deum tendimus, tanquam in incognitum, & excelſum, quia excedit omnem ſcientiam, & cognitionem, nec ſenſu, nec imaginatione cognoſcitur, nec opinione, nec ſermone, nec tactu, nec ſcientia.* Irenæus[g]. *datur nobis Dei cognitio non ſecundùm magnitudinem, vel ſubſtantiam, ſed ſecundùm cognitionem.* His addi poſſunt quæ ſcribunt, Clemens[h] Romanus, Iuſtinus[i], Theophilus[k] Antiochenus, Clemens Alexandrinus[l], Cyrillus[m] Ieroſolymitanus, Gregorius[n] Nazianzenus, Athanaſius[o], Baſilius[p], Gregorius[q] Nyſſenus, Rufinus[r], & alij[ſ]. *Ex parte ergo* (inquit) *cognoſcimus*, quia diuina leuiter tantùm delibamus. *Ex parte prophetamus*: quia lumen etiam propheticum non planè illuſtrat, aut aſſequitur diuina. Ob eam cauſam ſubdit.

a in expoſit. fidei. b Orat. 34. quæ eſt 2. de Theol. c lib. de conf. lingu. d lib. 1. Monar. e lib. 2. de alleg. & libro de profug. f c. 1. de diuin. nomin. ſimilia c. 4. & 7. Ep. 1. ad Caium c. 1. de cœleſt. hie. c. 1. de myſtica Theologia. g lib. 2. c. 40. pene eadē. li. 4. capite 10. 16. & 17. h lib. 1. recog. Ep. 1. ad Iaco. lib. 8. conſt. c. 1. i lib. de recta fide. k libro. 1. ad Autolic. l in adhort. ad gent. & lib. 4. 5. Stromat. m Catech. 5. n orat. 1. de pac.

10. I. Cvm avtem venerit qvod, &c. *Non viuemus* (inquit Theophylactus) *abolita ſcientia in cæca nocte, aut ignoratione rerum, ſed potiùs ſcientia, quæ tantùm eſt ex parte, hoc eſt rudis, & imperfecta, omnibus quodammodo numeris abſoluetur, perficietúrque: hæc enim ipſa, quæ nunc adũbratè, & ſubobſcurè cognoſcimus, apertè, perſpicuéque ita vt ſunt mente comprehendemus. aliáque longè plura, quæ nunc ne diuinare quidem poſſumus.* Fidei namque ſuccedit viſio, ſpei, hoc eſt, rei futuræ expectationi rerum præſentium comprehenſio, labori quies, periculis ſecuritas, denique quidquid eſt in hac mortali vita laborioſum, aut moleſtum, quidquid rude, atque inchoatum, penitùs euaneſcet, tunc enim occurremus ei, vt alibi ait Paulus, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Porro quod interpres dixit *Ex parte*, græcè eſt ἐκ μέρους. Chryſoſtomus, & Theophylactus videntur interpretari ſingularem ſcientiam, vel potiùs particulam quandam ſcientiæ. ſignificat enim quidquid haberi poteſt in hac vita, quamuis magnum, atque excellens videatur, re tamen vera minimam eſſe boni cuiuſpiam particulam. Nihil enim eſt ab omni parte beatum, vt quidam dixit: ſempérque in rebus humanis aliquid eſt, quod adhuc poſſit deſiderari. Liberos quis habet multos, aut opibus deſtituitur quibus illos alat, aut illorum ignauia atque improbitate multos cogitur labores, ac moleſtias perpeti: diuitiis affluit; neminē habet quē hæredem inſtituat: ſi hæc omnia ſuppetũt: cogitur quotidie cum morbis luctari: integra fruitur valetudine, obtrectatorũ inuidiæ, atque calumniis patet, ſimultatibus, atque inimicitiis implicatur: ita fit, vt quod ille ſapiẽter dixit, ſpectãdus ſemper ſit finis, nec poſſit quiſquam dum adhuc viuit plena, omnibúſque ſuis partibus abſoluta fœlicitate perfrui. Hoc autem exemplo confirmat ſibi admodum familiari, quod cùm de vniuerſa hominis natura, déque huius vitæ conditione accipiendum ſit; ſibi tamen priuatim accommodat, quaſi de ſe ipſe loquatur ad vitandam (vt arbitror) inuidiam. ſubdit enim.

o Quæſt. 12. ad Antioch. & orat. contr. Idola. p Homil. in Sanct. martyr. Mamant. Hō. de fide in prin. Hom. in illud Attende tibi. Hom. de vera virginitate. q Orat. quæ eſt de proc. ac pot. q lib. de vita Moyſis. r in expoſit. Symb. ſ inter Cyprianum in præf. ... & D. ...

Cvm eſſem parvlvs loqvebar, &c. 11.

Optimè declarat quánam ratione prophetia, & ſcientia aboleatur, & rudis & inchoata cognitio reddatur inanis: quemadmodum, inquit, infantia in pueritiam, pueritia in adoleſcentiam, adoleſcentia in virilem ætatem deſinit. id enim fit acceſſione quadam tum virium corporis, tum animi facultatum. ſic alicubi dixit Seneca[a]. *Vnus autem dies gradus eſt vitæ: tota ætas partibus conſtat, & orbes habet circumductos maiores minoribus.* Vt igitur creſcente annorum numero & mores mutantur, & rerum vſu, ac ſtudio ſcientia, & cognitio creſcit, & quod erat imperfectũ aboletur: ita etiam futura vita maiorem, ac nobiliorem ſcientiam afferet: ita Ambroſius. *Exeuntes*, inquit, *ſancti de hoc mundo plus neceſſe eſt inueniant, quàm nunc putant, ſicut Ioannes Apoſtolus de Saluatore dixit. Tunc videbimus illum ſicuti eſt. In hac ergo vita paruuli ſumus ad comparationem futuræ, quia ſicut vita hæc imperfecta eſt, ita & ſcientia.* Haud aliter Theodoretus: *Qui enim*, inquit, *poſt perfectam ætatem ingenij ſubtilitate, & prudentia exornantur, puerili cognitione non indigent. Aſſimulauit ergo cognitionem, quæ nobis in præſenti vita data eſt, puerorum cognitioni, eam autem, quæ expectatur virorum perfectorum.* Interim verò obſeruat tacitè monere Paulum, nihil eſſe, cur Corinthij ſcientiam ſuam iactent, cum planè ſit rudis, & puerilis. Ait autem *Cùm eſſem paruulus.* græcè νήπιος, quod infantem, & puerum ſignificat, interdum etiam parum prudentem; quòd illa ætas ob rerum inſcitiam parum ſapiat. *Loquebar*, inquit, *vt paruulus.* ſermo erat rudis, & parum cordatus. Fortaſſe etiam ad balbutientes potiùs, quàm loquentes infantes reſpicit. *Sapiebam vt paruulus.* Puerilitatem ſectabar. *Illis namque talorum* (vt ait[b] Seneca) *nucúmque & æris minuti auaritia eſt. Inter ipſos magiſtratus gerunt, & prætextam, faſceſque ac tribunal imitantur. in littoribus arena congeſta, ſimulacra domuum excitant. Iſtuc eſt ſapere more puerorum, qui minima ſunt magnifacere, quæ poſt iuuentam, & canos facilè omnia contemnuntur: niſi quis poſita pueritia puerilitatem retineat, & ſenum ætatem, puerorum, ac infantium vitia habeat.* Hos credo perſtringit Iſaias[c] cùm ait; *puer centum annorum morietur*, quamuis enim ætate ad centum proceſſiſſet annos, nondum tamen pueriles mores exuerat: contrà nonnulli ſunt moribus, ac prudentia non ætate ſenes, de quibus Salomon[d]. *ſenectus enim venerabilis eſt non diuturna, neque annorum numero, computata: cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.* Hac enim laude claruit Tobias, de quo illud præclarum legitur[e] elogium. *Cúmque eſſet iunior omnibus in tribu Nephtali, nihil tamen puerile geſſit in opere.* Et paulò pòſt. *Hæc & his ſimilia ſecundùm legem Dei puerulus obſeruabat. Cogitabam vt paruulus.* De iocis, nugiſque videlicet, ac puerilibus ſtudiis. Quæ cum prætexta ponuntur omnia, & ob eam cauſam ſubdit, *Euacuaui ea, quæ erant paruuli.* Ambroſius legit: quæ erant paruuli, deſtruxi. eſt enim græcè κατήργηκα, quomodò legunt Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus: quamquàm nonnulli codices mendoſè habeant κατηργεῖν, nullo prorſus ſenſu.

a Ep. 12. b in ſapient. non cadere iniuriam c. 12. c c. 6. 20. d Sap. 4. 8. e Tob. 1. 4.

Videmvs nvnc per specvlvm, &c. 12.

Sumpta metaphora eſt à ſpeculis, quæ non rem ipſam

A ipſam, ſed eius imaginem intuentibus obiiciunt. Magnoperè conſentit cum iis, quæ philoſophi tradunt de obiectu phantaſmatum ad rerum cognitionem pariendam: quod etiam fidei, ac prophetiæ magna ex parte conuenit. Theodoretus porrò præſentia ait eſſe futurorum vmbras. *In ſanctiſſimo* (inquit *Baptiſmo videmus figuram reſurrectionis, tunc autem ipſam videbimus reſurrectionem: hic videmus ſymbola Domini in corporis, illic autem ipſum Dominum videbimus.* Addit Theophylactus ad amplificandam ſcientiæ noſtræ tenuitatem, non ſolùm vti Apoſtolum ſimilitudine ſpeculi, quæ refertur ad oculos, ſed addidiſſe etiam comparationem ænigmatis, quæ ad mentem, atque intelligentiam pertinet. Quapropter [a] Cyrillus cùm de rerum diuinarum cognitione ageret, ad hunc locum reſpiciens ait. *Acutæ namque ſunt nimium rationes,* B *quæ de Deo à nobis habentur, & oculos mentis more ſumi perturbant. Propterea etiam Paulus in ſpeculo, & ænigmate videre nos ait.* Videtur autem alludere Paulus ad id, quod ſcriptum eſt in libro Numerorum [b]; cùm enim agitur de Moſe, ita ſcriptum eſt. *Ore enim ad os loquor ei, palàm & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Quo loco indicat Spiritus ſanctus genus eſſe quoddam prophetiæ, quod imaginibus, & ſimulacris maximè conſtet, vt non rarò in ſacris litteris legimus. Rectè autem Anſelmus obſeruauit ſpeculi nomine ſignificari rerum imaginem, nomine verò ænigmatis, obſcuram ſimilitudinem, & ad diſcernendum difficilem. Quæ ſunt verba deſumpta ex Auguſtino, qui de hoc loco Pauli fusè diſputat [c], qui tamen ſpeculi, atque ænigmatis nomine quaſcumque ſimilitudines ſignificari putat ad intelligendum C Deum accommodatas. Certè Gregorius [d] Nazianzenus, hæc non aliter, ac ſuperiora de Paulo ipſo interpretatur: ait enim. *An quiſquam eſt mortalium, qui ad tam ſublimitatem efferri poſſit, vt ad Pauli menſuram perueniat? At ille tamen videre ſe per ſpeculum, & ænigma dicit, tempuſque affore, quo facie ad faciem viſurus ſit.* Cæterùm de hac humanæ vitæ conditione meliùs intelliguntur. Ænigma autem (auctore Auguſtino [e]) obſcura allegoria eſt: verùm quod attinet ad locum Pauli obſcuram putat ſignificari ſimilitudinem. Atque ita quamlibet diuinarum rerum cognitionem, quæ mortalibus conceditur cognitionem, ſeu ſcientiam eſſe putat per ſpeculum, & in ænigmate: vt opponatur ſcientiæ beatorum, quam hoc D ipſo loco Apoſtolus cognitionem vocat facie ad faciē. *Tunc autem* (inquit) *facie ad faciem.* Quæ ſanè cognitio non eodem modo explicatur ab omnibus.

II. Fuerunt enim hæretici [f], qui exiſtimarent Deum nullo modo cerni poſſe; ſed videri tantum in quadam claritate, aut fulgore, & vt ipſi loquuntur, in quibuſdam theophaniis: quibus fauere videntur antiquiſſimi Patres [g]. ſed ea de re fuſiùs ſuo loco agendum erit. Iam quod attinet ad præſentem locum, viſio quæ dicitur facie ad faciem, ambiguè in ſacris litteris accipitur: interdum enim ſignificat notionem, quæ interiecto aliquo ſimulacro ſub ſenſum cadente percipiatur, qua ratione Iacob in libro Geneſeos [h] affirmat, ſe vidiſſe Dominum facie ad faciem, qui tamen Angelum corporea ſpecie viderat. E Ita de illa notione loquuntur Procopius, Chryſoſtomus, Theodoretus, & alij. Aliàs ſcientiam ſignificat claram, diſtinctam, perſpicuam, qualem Deus ipſe Moſi pernegat, qui tamen dicitur os ad os loqui cū Deo. nam (vt ait [i] Tertullianus) cùm Deus dixit [k]: *Poſteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris. aliam faciem pernegauit, & aliam conceſſit.* Quāquàm ille aliò ſpectauit, qui filium ſæpè viſum affirmat, vero non tamen nato corpore patrem inaſpectabilem dicit. Cùm igitur ait Apoſtolus, viſuros nos facie ad faciem, perſpicuā Dei, diuinarūmque rerū ſcientiam pollicetur, vt mox planiùs explicat. *Nūc* (ait) *cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.* Nam quod ait Theodoretus, viſuros nos humanam Chriſti naturam, non autem diuinam, quæ ſub aſpectum non cadit, refero non ad mentis notionem, ſed ad corporis aſpectum. neque enim diuina natura oculo corporeo cerni poteſt; nam Philo [a], *numen* (ait) *inuiſibile, atque incomprehenſibile eſſe.* Iuſtinus [b] autem Martyr ex Platonis ſententia oſtendit, Deum immortalem oculis corporeis nequaquam cerni poſſe, ſed mente, atque intelligentia leuiter attingi. Eodémque modo loquitur Irenæus [c]. Clemens autem Alexandrinus [d] Euripidis teſtimonio, Deum (ait) eſſe, qui omnia cernat, cùm tamen ipſe nullis mortalium obtutibus obiiciatur. Alibi [e] verò apertè dicit, Deū & inaſpectabilem eſſe, & nullo prorſus ſenſu capi. Quod ipſum affirmant Origenes [f], Athanaſius [g], Gregorius [h] Nazianzenus. Porro Ambroſius [i]: *Ne dicas,* inquit, *in loco videtur, ſed mundo corde: nec corporalibus oculis Deus quæritur, nec circumſcribitur viſu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec ſentitur inceſſu.* Plura verò ſanctorum Patrum teſtimonia in hanc ſententiam affert Auguſtinus [k], quibus addo Cyrillū [l] Alexandrinum, Chryſoſtomum [m], ipſum Auguſtinum [n], & Gregorium [o].

III. Cæterùm diuinam naturam perſpicuè cerni à beatis plurima ſacrarum teſtimonia probant. David [p] enim ait: *Manè aſtabo tibi, & videbo.* Rurſus [q]: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Et [r]: *Satiabor cùm* C *apparuerit gloria tua.* Itémque [ſ]: *Vnam petij à Domino, & hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluptatem Domini.* Eodem ſpectant illa: *Et oſtendam* [t] *illi ſalutare meum.* Et Chriſtus apud Matthæum [u]: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Alibi [x], *Angeli eorum ſemper vident faciem patris.* Et apud Ioannem [y] Philippo dicenti: *Oſtende nobis Patrem, & ſufficit;* reſpondit Chriſtus: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* Orat item Chriſtus in hæc verba: *vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum: & videant claritatem meam, quam dediſti mihi.* Poſtremò Ioannes [z]: *Et videbunt,* inquit, *faciem eius.* Hunc autem aſpectum pertinere ad perfectam quandam, atque omnibus numeris abſolutam ſcientiam indicat locus ille Ioannis [a]. *ſcimus quoniam cùm* D *apparuerit ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt.* Idem etiam non obſcurè docet hoc loco Paulus. *Tunc autem,* inquit, *cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.* Theodoretus. *Non hoc,* inquit, *dicit, ſicut cognitus ſum, cognoſcam ipſum, ſed perfectiùs ipſum videbo, vt qui ei familiaris effectus ſim: illud enim cognitus ſum, poſuit pro eo, quod eſt, familiaris factus ſum; familiares autem amici præſentia, aſpectúque oblectantur.* Chryſoſtomus, & Theophylactus. *Ita,* inquiunt, *et occurram, ſicut ipſe nunc me cognitione præuenit.* Quid autem hoc ſit planiùs explicans Chryſoſtomus ſubdit: *Etenim qui ſedet in tenebris donec quidem ſolem non aſpicit, non ipſe accurrit ad pulchritudinem radij, ſed ille ſe oſtendit quando illuxerit. Quando autem eius ſplendorem ſuſceperit, tunc ipſe quoque de cætero lucem perſequitur: hoc ergo eſt illud, ſicut & ego cognitus ſum. Non* E *quòd eum ita ſimus cognituri ſicut ipſe nos, ſed quòd ſicut ipſe nunc ad nos accurrit, ita nos etiam tunc ipſum apprehendemus, & ſciemus multa ex iis, quæ nunc ſunt arcana: & beatiſſima illa fruemur conſuetudine, & ſapientia.*

IV. Quæ ſanè omnia nobiliſſimam quandam rei præſentis ſcientiam indicant. Denique Hieronymiani commentarij perfectam cognitionem intelligunt, quam his verbis explicat Anſelmus; *Videbimus,* inquit, *facie ad faciem; id eſt, manifeſtatione Dei poſita ad noſtræ mentis intentionem, vt nihil inter nos, & ipſum* interſit

a lib. 3. in Ioā. cap. 3.
b cap. 12. 8.
c libro 15. de trin. cap. 9.
d Orat. 29. in fine.
e libro 15. de trin. c. 9.
f Arme. apud Alfōſ. à Caſt. verbo Beatitudo hæreſ. 1. Io. Scot. apud Henric. in ſū art. 24. Almaric. Oarent a pud Turrecremat. l. 4. ſum. cap 35. Meminit Greg. 18. mor. c. vltim.
g Athā. in illud Euangel. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Cyril. Ieroſol. catecheſi 6. Chryſoſtom. Homil. 23. in Gen. In Iſaiā c. 6. Hom. 4. cont. Anomę. Hom. 14. in Ioan. Theod. in Dialo. immutab. & in 1 ad Timot c. 3. & in hunc locum. Theoph. In 1. Euthym. ibid. Hieronym. in Iſaiam cap. 1.
h cap. 32. 30.
i lib. contra Prax. cap. 14.
k Exod. 33. 23.

a lib. de conf. linguarum.
b Dial. cum Tryphone.
c lib. 4. c. 3. & lib. 4. cap. 37.
d in adhort. ad gent.
e lib. 5. Strom.
f Hom. 10 in Gen.
g Orat. cont. Idola in ... ad Liberium quæſt. 31. ad Antioch. in diſp. cum Ar. in C. à N. con.
h Orat. de fid.
i lib. 1. in Luc. cap. 1.
k Epiſt. 112.
l lib. 1. in Ioā. cap. 11.
m Hom. 14. in Ioan.
n Ep. 6. & 105. 112. 174. 178. lib. 2. de Tri. c. 1. q. 21. & 22. ...
o lib. 18. Mor. c. 24.
p Pſ. 5. 4.
q Pſ. 15. 11.
r Pſ. 16. 15.
ſ Pſ. 26. 4.
t Pſ. 90. 16.
u cap. 5. 8.
x cap. 18. 10.
y cap. 14. 9.
z in Apoc. cap. 22. 4.
a Ep. 1. cap. 3.

interſit. Et paulò pòſt: *Videbimus eum in ſe ipſo manifeſtè.* Denique: *Tunc ad purum* (ait) *intuebimur eum, à quo nunc ſubtiliter intuemur. Tunc cognoſcam eum, ſicut ab eo ſum ego cognitus; id eſt, purè cognoſcam eum, ſicut & ipſe me nouit: quia tunc non per aliud videbimus eum, ſed manifeſtè contemplabimur in illo ipſo hoc, quod ipſe eſt, ſicut ipſe hoc quod nos ſumus, perfectè cognoſcit: vel tunc cognoſcam eum ita ſine ambiguitate manifeſta viſione, ſicut olim antequam eſſem, cognitus ſum ab eo in prædeſtinatione.* Quod igitur ait Apoſtolus: *Tunc cognoſcam, ſicut & cognitus ſum,* non ſignificat, æqualem fore ſcientiam noſtram, qua Deum, & diuina cognoſcemus, ei ſcientiæ, qua Deus ipſe nos, & creata omnia penitus comprehendit; ſed indicat tantummodo ſimilem cognoſcendi rationem: vt quemadmodum Deus præſenti omnia cernit intuitu, ita nos eum præſentem contemplaturos eſſe, quod paucis verbis ſignificat Ambroſius: *Videbo quæ promiſſa ſunt, ſicut videor: hoc eſt præſentem eſſe ad Deum, vbi Chriſtus eſt.* Quanquam non deſunt qui exiſtiment, *ſicut cognitus ſum,* poſitũ eſſe pro eo quod eſt, ſicut edoctus ſum; vt ſignificet Apoſtolus viſuros nos quæcumque in præſenti vita didicimus: quaſi dicat, quæ nunc credimus, tunc perſpicuè nos viſuros. Sed Græcè dixit καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην, hoc eſt, quemadmodum & agnitus ſum. *Proinde* (inquit Theophylactus) *ſic nos tenebimus eum, veluti ſi quis inueniens ingenuum infantem expoſitum forma blandum, & conſpicuum; ipſe quidem infantem agnoſcens tollat, educationeq́; dignetur, ingenuũ iſtum alat, ac tandem opibus ſplendidum reddat, & ad regiam introducat, ac puer quamdiu infans manſerit, nihil horum ſentiat, neque tollentis agnoſcat humanitatem; ſimulac verò adoleuerit benefactorem agnoſcat, & dignis eum beneficiis proſequatur.* Ita aptè explicat, quod paulò antè dixit Apoſtolus: *Cùm eſſem paruulus, loquebar vt paruulus; ſapiebam vt paruulus;* noſtra enim ſcientia nunc rectè dici poteſt puerilis, atque infantium propria. Quocirca diuina illa ſcientia viſio nuncupatur, quaſi certiſſima, maximeq́; perſpicua cognitio, de qua Irenæus [a] hunc in modum ſcribit: *In iiſdem* (inquit) *ipſis* (*quæ videlicet fide percepimus*) *augmentum habebimus, & proficiemus, vt iam non per ſpeculum, & per ænigmata, ſed facie ad faciem fruamur muneribus Dei.* Et [b] alibi: *Nunc* (inquit) *ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus, tunc autem facie ad faciem: hoc eſt quod & a Petro dictum eſt, Quem cùm non videritis diligitis, in quem nunc quoque non videntes creditis, credentes autẽ exultabitis gaudio inenarrabili; facies enim noſtra videbit faciem Dei viui, & gaudebit gaudio inenarrabili, videlicet cùm ſuum videat gaudium.* Eandem fermè ſententiam dixit Apoſtolus in Epiſtola ad Philippenſes: *Si quomodo* (inquit) *comprehendam, ſicut & cõprehenſus ſum:* hoc eſt perfectiſſimè cognoſcã, quantum videlicet luminis gloriæ vis, & facultas patietur.

a lib. 4. c. 22.
b lib. 4. c. 7.

13.
I.
NVNC AVTEM MANENT FIDES, SPES, &c. Nunc (inquit) an Eccleſię primordia intelligit? caue putes; conſequens enim videretur, Eccleſiã militantem deinceps abſque fide, ſpe, & caritate potuiſſe cõſiſtere. An huius vitæ ſpatium deſignat? ſed cur dicat nunc manere iure quæras; nam fidem, & ſpem ſaltem actionũ præcipuarum reſpectu in beata vita ceſſaturas, cõſtans videtur Theologorum ſententia. Nam quod in præſentia ait Photius, perfectiorem fore in beata vita fidem, quia perfectior erit rerum ſcientia, itemq́; ſpem, quia præſentia cernet; vel de ipſis habitibus, & qualitatibus inhærentibus animis noſtris accipiendum eſt, vel de rebus, quæ iis habitibus cõprehenduntur, quas proculdubio beati longè nobiliùs, ac perfectiùs aſſequentur. At de caritate non ita multò antè pronũtiauit Apoſtolus, etiã ſi cætera Spiritus ſancti chariſmata interitura ſint, ipſam tamen excidere nequaquã poſſe. An qui dixerat proficere nos in dies, & pueritiam adueniente virili ætate aboleri, maiorem quandam perfectionem pollicetur, qualẽ indicat diuina illa contemplatio, de qua modò dixerat: *Tunc videbimus facie ad faciem; tunc cognoſcam, ſicut & cognitus ſum?* Inde verò paululum digrediens his verbis indicat cætera quidem dona in Eccleſia ceſſatura, fidem tamen, ſpem & caritatem perpetuò perſeuerare. Id ſi quis admittat, non tamẽ è veſtigio fateri cogetur æquè ac fidem & ſpem; caritatem in cœleſti vita ceſſaturam. Nihil enim abſurdius videri poteſt, quàm apud ſuperos ceſſare caritatem, vbi erit omni ex parte perfecta. Itaque rectè Chryſoſtomus: *Ceſſat quidem fides, & ſpes quando aduenerint bona, quæ fuerint credita, & ſperata: caritas autem tunc maximè extollitur, & fit vehementior.* Addit Theodoretus, caritatẽ mirum inmodũ augeri, cùm & animi perturbationes penitus extinguẽtur, & corpora immortalitatem aſſequentur, & animi noſtri cogitationes non huc illuc fluctuabunt, ſed vnum, atque idem ſpectabunt ſemper: niſi quis fortè caritatem accipiat, non qua Deum diligimus, ſed qua proximũ propter Deum beneuolentia cõplectimur, eiq́; humanitatis officiis prodeſſe ſtudemus; hæc enim in beata vita cùm nulla erit proximi indigentia, nullam prorſus habebit functionem. Quod de pietatis officiis alicubi copioſè docuit Auguſtinus; cùm enim Chriſtus *tradiderit Deo Patri regnum,* eiq́; omnia penitus ſubiecerit, nullus erit apud ſuperos, qui alterius officio aut ſubleuandus, aut adiuuãdus ſit, cùm nemo in hac vita reperiatur, qui aliena ope nõ aliqua ratione indigeat. Sed quo minùs hæc mihi ſententia omni ex parte probetur, Pauli verba faciunt, quibus paulò antè dixit, caritatem nunquã excidere. Nec enim facilè adduci poſſum, vt credam, verba illa de hac tantùm vita accipienda eſſe, quaſi dicat Apoſtolus, caritatem in Eccleſia militante nunquam ceſſaturã, nam ſi de ſingulis fidelibus intelligatur Apoſtolus, vtinam non tam multi eſſent, qui quotidie à gratia, & caritate exciderent. Certè in Apocalypſi [a] Epheſinus Epiſcopus reprehenditur, quòd primam caritatem reliquerit, additurque; *Memor eſto itaq; vnde excideris, & age pœnitentiã, & prima opera fac.* Quòd ſi de vniuerſa Eccleſia loquatur Apoſtolus, quæ nunquam penitus caritate deſtituetur, idem profectò de fide, & ſpe affirmandũ eſt, quæ perpetuò in Eccleſia militante perſeuerabunt; nunquã enim non erunt iuſti in Eccleſia; atque adeò fide, ſpe, & caritate præditi, cũ his tribus virtutibus Chriſtiana iuſtitia cõnectatur. Nec mihi facilè patiar perſuaderi, hoc [illegible] tã ſingulare caritatis encomiũ ad eã ſolũ caritatis partẽ pertinere, quæ ſpectat ad proximos, cũ quidquid illa moliatur, atq; efficiat, tum demũ laude, præmioq; dignũ cenſeatur, ſi cũ diuina caritate, atque amore cõiungatur, indeq; tanquã à fonte promanet. Indicauit quidẽ in chariſmatũ enumeratione multa caritatis officia, quę referuntur ad proximos; ſed dũ excellentiorem viã pollicetur, ea proculdubio intelligit, quæ proximè referũtur ad Deum, atque idcirco fidem, ſpem, & caritatem nominat, quæ ſunt virtutes theologicæ. Quæ cùm ita ſint, crediderim particulam *nunc*, reſpondere ſuperiori particulæ *tunc*; dixit enim: *Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.* quaſi dicat: hæc tam perfecta, atque abſoluta diuinarum rerum ſcientia nos manet in alia vita; nunc autem non omnes quidem habent, aut habere poſſunt ſermonem ſapientiæ, ſermonẽ ſcientiæ, aut prophetiã, aut genera linguarũ, aut aliud quidpiã ex iis, quæ numerata ſunt, verùm omnibus perneceſſariæ ſunt tres theologicę virtutes, fides, ſpes, & caritas. *Fides* (inquit Anſelmus) *qua credimus quidquid ſacra*

a cap. 2. 4.
II.

littera accedente eccleſiaſtica auctoritate credendum proponunt: ſpes, qua promiſſa diuinitùs præmia certò ſperamus: caritas denique, qua Deum ſupra omnia, & proximum quaſi nos ipſos diligimus. Et quidem hæ tres virtutes hoc inter ſe ordine collocantur, vt omnium prima ſit fides, huic ſuccedat ſpes, poſtremò aduenia͏̈t caritas. Addit autem Apoſtolus: *Maior horum eſt caritas.*

III. At fides mirificè in ſacris litteris commendatur, tum quòd ei iuſtificatio tribuatur vni, tum quòd fides ſit veluti manus, qua quodammodo excipimus, atque amplectimur Spiritus munificentiam, adeò vt abſque fide caritas ne eſſe quidem poſſit. Adijce quòd quemadmodum nihil Deo gratum eſt abſque caritate, ita nihil ſine fide Deo placet, ac ne vllum quidem munus abſque fide à Deo ſperandum eſt. Denique fides parens quędam videtur eſſe caritatis, & cùm extincta caritate manere poſſit fides, id quoque inter fidei laudes recenſendum eſt. Quid quòd hominum ſalus fidei potiùs, quàm caritati tribuitur? At Pauli ſententia veriſſima eſt theologicarum virtutum maximam eſſe caritatem. Quanquam enim fidei iuſtificatio tribuitur, id tamen (vt aliàs monui) non perinde accipiendum eſt, quaſi nihil præterea ad iuſtificationem exigatur, ſed quòd abſque illa nemo poſſit iuſtificari, vt interim omittam, non modò ethnicos, ſed orthodoxos etiam ſcriptores frequenter vſurpare has voces, ſolus, ſingularis, vnius, non vt ſignificent (vt ita dicam) ſolitudinem, ſed eminentiam quandam, vt cùm Satyrius dixit:

Nobilitas ſola eſt, atque vnica virtus;

non excludit natalium, ac generis claritudinem, aut maiorum gloriam, & famam, ſed ſentit ſummum, atque eximium nobilitatis genus eſſe nominis claritatem virtute propria partam: & cùm B. Hieronymus alicubi [a] ſcripſit: *Solum pietatis genus eſt hac in re eſſe crudelem*, non negat aliis in rebus magnam eſſe poſſe pietatem, ſed hanc ait pietatem eſſe præcipuam, ſi quis amori Chriſti parentum amorem poſtponat: ſic Dauid cùm dixit: *Vnam petij à Domino*, cùm alia tam multa frequenter petat, non negat ſe alia etiam poſtulare, ſed id vnum ſe potiſſimum habere in votis: & cùm Chriſtus dixit ſolum Deum eſſe bonum, bonitatis quandam excellentiam Deo tribuit, aliis rebus ſuam quantulamcumque bonitatem non adimit: eadem ratione Paulus ſolum Deum ſapientem, & immortalem appellat. Denique cùm Lucas [b] ait, cùm facta eſt vox de cœlo, in ventum fuiſſe Chriſtum ſolum, non excluduntur Diſcipuli tres, qui cum illo erant. Cùm igitur aliquando legimus ſola fide quempiam iuſtificari, non protinus excludenda eſt caritas, neque caritatis officia, ſed vel humana Philoſophia, vel legis cæremoniæ, vel vita ante Baptiſmum cum virtute acta, vel quidpiam ſimile, quod ex ſermonis tenore colligi queat. Sit ſanè fides veluti manus, qua cœleſtia, ac diuina dona excipiamus; ſed caritas eſt veluti cor, vnde manus ipſa reliquumque corpus vitam haurit. Non poteſt caritas eſſe ſine fide, fides ſine caritate poteſt, quaſi ædificium, quod ſine fundamento non conſiſtit, cùm fundamentum abſque ædificio ſtet, ipſo fundamento ignobilius cenſendum ſit. Eſt igitur fides ſpiritualis ſubſtructionis quaſi fundamentum, ac propterea ſine illa neque ſpes, neque caritas locum habere poſſunt, neque abſque fide quidquam Deo probari, ſed aliunde tamen caritatis præſtantia apparet, quod illa fidei, ac ſpei vitam, & motum vtilem, ac ſalutarem largitur. Fidei porrò tribuitur ſalus non aliter, ac iuſtificatio, quia ſine illa nemo ſaluus eſſe poteſt, & quia extra Eccleſiam, in qua vera fides viget, nulla ſalus ſperanda eſt. Poſtremò fides, ac ſpes magna ex parte ceſſabunt, caritas in omnē æternitatem perſeuerat, & vbi fides, ac ſpes deficiunt, ipſa longè maiora incrementa capit. IV. Mitto alia ſubtiliora, quæ de præſtantia, ac dignitate caritatis, ſubtiliter à Theologis diſputantur, de quibus plura alibi. Verè igitur dixit Apoſtolus: *Maior horum eſt caritas.* Qua verò ratione hæ tres virtutes cum noſtra iuſtificatione conferantur, ſuo loco videro, interim illud Auguſtini [a] indicare non grauabor. *Caritas* (inquit) *inchoata, inchoata iuſtitia eſt: caritas prouecta, prouecta iuſtitia eſt: caritas magna, magna iuſtitia eſt: caritas perfecta, perfecta iuſtitia eſt.* Cæterùm Grammaticos offendit, quòd contra ipſorum leges dixerit Apoſtolus, *Maior horum eſt caritas*, cùm dicendum fuerit, horum maxima eſt caritas. Mitto quòd piè magis, quàm verè dixit Anſelmus hanc dicendi rationem, tum demum neceſſariò vſurpandam, cùm inter plura eiuſdem generis ſit comparatio. Certè apud Græcos, & Latinos ſcriptores nõnunquam cõparatiuum pro ſuperlatiuo vſurpari, viri docti obſeruarunt. Et quidem Catullus alicubi dixit:

Heſpere, qui cœlo lucet iucundior ignis:

profectò iucundior poſitum eſt pro iucundiſſimus. Et Quintus Curtius: *Duo* (dixit) *maiora omnium nauigia*: hoc eſt, duo omnium maxima. ſignificat autem Apoſtolus inter hæc tria (vt ait Theophylactus) præcipuum locum deberi caritati. Nonnulli codices habent, Maior autem his eſt caritas; qui ſermo eſt planè abſurdus: ſignificat enim, his tribus maiorem eſſe caritatem, cùm tamen caritas ſe ipſa nequeat eſſe maior. Paulò meliùs locuti ſunt ij, qui Latinè reddiderunt, Maxima in his eſt caritas, vt intelligatur diſtributio. Fortaſſe autem Apoſtolus comparatiuo vſus eſt reſpiciens ad id, quod in calce ſuperioris capitis dixerat: *Æmulamini chariſmata meliora: & adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.* quaſi dicat: hoc eſt præſtantius, ac nobilius donum, quod vobis indicandum cenſui: hæc eſt excellentior via, quam vobis ingrediendam indicaui.

a epiſt. 1 ad Heliodor.

Pſal. 26. 4.

b cap. 9. 36.

a lib. de nat. & grat. c. 70.

Argumentum

Argumentum Cap. XIV.

APPARET Corinthios fuiſſe gloria appetentiores, atque idcirco ex Spiritus ſancti donis ea potiùs appetere, & magnifacere conſueuiſſe, qua popularem plauſum, atque admirationem parerent. Hanc eorū inanem cupiditatem reprehendens Apoſtolus, de Spiritus ſancti munerib. eorumq́; diſcrimine fusè diſputat; quidq́; ex omnibus maximè ſequendum, probandúmque ſit, non ſine aculeo docet.

CAPVT XIV.

Sectamini charitatem, æmulamini ſpiritalia: magis autem vt prophetetis.

Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, ſed Deo; nemo enim audit: ſpiritu autem loquitur myſteria.

Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & conſolationem.

Qui loquitur lingua, ſemetipſum ædificat: qui autem prophetat, Eccleſiam Dei ædificat.

Volo autem omnes vos loqui linguis; magis autem prophetare: nam maior eſt qui prophetat, quàm qui loquitur linguis, niſi fortè interpretetur, vt Eccleſia ædificationem accipiat.

Nunc autem, fratres, ſi venero ad vos linguis loquens: quid vobis prodero, niſi vobis loquar aut in reuelatione, aut in ſcientia, aut in prophetia, aut in doctrina?

Tamen quæ ſine anima ſunt vocem dantia, ſiue tibia, ſiue cithara: niſi diſtinctionem ſonituum dederit, quomodo ſcietur id, quod canitur, aut quod citharizatur?

Etenim ſi incertam vocem det tuba, quis parabit ſe ad bellum?

Ita & vos per linguam niſi manifeſtum ſermonem dederitis; quomodo ſcietur id, quod dicitur? eritis enim in aëra loquentes.

Tam multa, vt puta genera linguarum ſunt in hoc mundo: & nihil ſine voce eſt.

PARAPHRASIS.

PErſequamini igitur caritatem, de qua 1
tam multa haſtenus dixi, quæque in
omnem æternitatem perſeuerat. Ambite
autem ſpiritualia dona, omnium verò
maximè prophetiam, quæ ad aliorum magis vtili-
tatem, quàm ad pompam, & oſtentationem refer-
tur. ¶ Nam qui idiomate peregrino loquitur, 2
quod abſque interprete nemo intelligat, is non
hominibus, ſed vni duntaxat Deo verba facit. Ta-
metſi enim diuino numinis afflatu abdita, atque
arcana, & Dei myſteria fundit; nemo tamen eſt
ex auditoribus, qui ipſius orationis vim, & ſenſum
percipiat. ¶ Qui autem prophetat, cum homini- 3
bus ſermonem habet, & ea quidem loquitur, quæ
auditores promoueāt in ſtudio, & cognitione pie-
tatis, quæq; vim habeant ad recreandos, atque ad-
hortandos fidelium animos. ¶ Qui peregrina lin- 4
gua vtitur, ſibi vtcumque prodeſſe poteſt: qui verò
prophetat, Eccleſiæ, ac fidelium multitudini exi-
miam, & ſingularem affert vtilitatem. ¶ Ego 5
verò, quod ad me attinet, optarim quidem, vos va-
riis loqui linguis, magis tamen prophetare; longè
enim præferendus eſt is, qui prophetat, quàm qui
loquitur linguis, niſi fortè accedat interpretatio,
vt nonnullum Eccleſia emolumentum accipiat.
¶ Nunc verò (fratres) fingite quæſo vos adeſſe 6
me in veſtrum omnium cœtu, multiplici, ac vario
linguarum genere inſtructum, & peregrina apud
vos verba fundere. Quam vobis (obſecro) affer-
rem vtilitatem, niſi aut prophetarum more abdi-
ta, atque occulta quædam patefacerem, aut quaſi
doctor ſcientiam traderem; vno verbo propheta-
rem, aut docerem? ¶ Nonnullam fortaſſe dicetis: 7
Atqui (mihi credite) fallimini: ſi enim tibia, ſiue
cithara, ſiue quidpiam aliud inane, quod ſonum
edat, nullam diſtinctionem tonis dederit, quānam
quæſo ratione cognoſci poterit, quid tibia, aut ci-
thara canatur? ¶ Nam ſi incertum, & minimè 8
notum tuba ſonum ediderit, quis ad bellum para-
bitur, aut aliud quidpiam aggredietur, quod tuba-
rum clāgore ſoleat imperari? ¶ Eodem planè mo- 9
do vos niſi linguæ ſonitu ſermonem, atque ora-
tionem edideritis, quæ vim habeat animi veſtri
ſenſa declarandi; quis oro quamuis diſertè, atque
ornatè loquentes, intelliget? Fruſtra profectò
inanem vocis ſonitum edetis in aëre, cæte-
rùm planè ſurdis canetis. ¶ Nam vt exempli 10
gratia dicam hoc; multiplices, ac penè innumera-
biles (vt res tulerit) in hac rerum vniuerſitate

exaudiuntur voces ; ſiquidem propè eſt , vt
dicam nihil eſſe in rerum natura planè mutum;
nam & animantibus ſua vox eſt , ipſæque adeò res
11. inanimæ nonnullum ſonum edunt. ¶ Niſi igi-
tur vis vocis , ac ſenſus mihi perſpectus ſit ac no-
tus,ero ei,qui loquitur , & ſurdus , & barbarus ; &
qui verba facit , mihi nihilo ſeciùs barbarus
12. fuerit,& perinde,ac ſi omnino eſſet elinguis. ¶ Ita
& vos quandoquidem & ſpiritualia charismata
ambitis,& ea magni facitis; quærite ſanè illa , quæ
ſunt præſtantiſſima , datéque operam , vt ad ædi-
ficationem Eccleſiæ quàm maximè excellatis.
13. ¶ Quapropter , qui peregrinæ linguæ facultatem
aſſecutus eſt , quanta maxima contentione po-
teſt , aſſiduíſque precibus cum Deo agat, vt inter-
14. pretandi facultatem nanciſcatur. ¶ Nam ſi igno-
to prorſus idiomate in Eccleſiaſtico cœtu preces
concipiam,aut quoquomodo verba faciam,neque
adhibeatur interpretatio,donum illud quidem , &
Spiritus ſancti afflatus partes ſuas agit,ſed mihi ſo-
li,qui ſi rectè preces fundam , earum fructu, atque
vtilitate non careo : mens verò , quæ cùm ſit ipſa
rerum diuinarum cognitione prædita , aliorum
etiam vtilitatem quærit , nullum inde fructum
ad Eccleſiam tranſmittit , cùm tamen ea omnis
15. oratio ad aliorum vtilitatem referẽda ſit. ¶ Quid
igitur exiſtimandum , aut agendum putabi-
mus? Equidem ſic orandum exiſtimo, vt oratio &
orantis ſpiritui , & aliorum etiam intelligentiæ
proſit: itaque pſallendum , vt non modò qui canit,
ſed etiam qui audiunt , mentem atque intelli-
16. gentiam oblectent. ¶ Nam ſi vno duntaxat ſpi-
ritu pſalmum cecineris aut benedixeris,nec tamen
rete aliorum captui , atque intelligentiæ accom-
modaris, is , qui ſedet inter idiotas quomodo di-
cturus eſt , Amen , tuámque gratiarum actionem
approbaturus , cùm nihil eorum intelligat , quæ
17. dicis ? ¶ Et tu quidem, quantum ad te ipſum at-
tinet, qui linguam calles,probéque intelligis, quæ
precaris , omnino rectè gratias agis : ſed qui au-
diunt, nec percipiunt quæ dicuntur , nullam inde
18. capiunt vtilitatem. ¶ Iam verò gratias ago Deo
immortali , quòd non mea cauſa hæc in eam ſen-
tentiam à me diſputari quiſquam veſtrum ſuſpi-
cari poteſt , quaſi linguarum vſu minùs va-
leam : etenim (quod vos non fugit) idioma-
tum facultate , ac munere vos omnes longè ſu-
pero , & peregrinis , quàm qui maximè vtor
19. linguis. ¶ Sed ego quidem malo pauca quæ-
dam in Eccleſia loqui , quæ quiuis facilè intel-
ligat , vt alios erudiam , & ſalutaribus inſtitu-
tis imbuam , quàm bene longam orationem
20. peregrina lingua contexere. ¶ Porrò (fratres)
nolite puerorum intelligentiam , eorúmque mo-
res imitari , ſed illud potiùs efficite , vt quaſi
pueri malitiæ expertes ſitis ; mente verò, ac re-
rum prudentia adultorum vitam , atque actio-
21. nes exprimatis. ¶ Scriptum eſt in oraculis
Iſaiæ Prophetæ : Propterea mittam ad eos a-
lienæ linguæ magiſtros , qui peregrino idioma-

Si ergo neſciero virtutem vocis,ero ei , qui lo-quar,barbarus ; & qui loquitur, mihi barbarus.

Sic & vos, quoniã æmulatores eſtis ſpirituum, & ædificationem Eccleſiæ quærite , vt abundetis.

Et ideo qui loquitur lingua , oret vt interpretetur.

Nam ſi orem lingua , ſpiritus meus orat;mens autem mea ſine fructu eſt.

Quid ergo eſt ? Orabo ſpiritu,orabo & mente: pſallam ſpiritu, pſallam & mente.

Ceterùm ſi benedixeris ſpiritu : qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen,ſuper tuam benedictionem ? quoniam quid dicas,neſcit.

Nam tu quidem bene gratias agis , ſed alter non ædificatur.

Gratias ago Deo meo,quòd omnium veſtrum lingua loquor.

Sed in Eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui,vt & alios inſtruam: quàm decẽ millia verborum in lingua.

Fratres nolite pueri effici ſenſibus,ſed malitia paruuli eſtote : ſenſibus autem perfecti eſtote.

In lege ſcriptum eſt: Quoniam in aliis linguis, & labiis aliis loquar populo huic: & nec ſic exaudient me,dicit Dominus.

Itaque

Itaque linguæ ſunt in ſignum non fidelibus, ſed infidelibus: prophetia autem non infidelibus, ſed fidelibus.

Si ergo conueniat vniuerſa Eccleſia in vnum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ, aut infideles: nónne dicent, quòd inſanitis?

Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, conuincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus.

Occulta cordis eius manifeſta fiunt, & ita cadens in faciem, adorabit Deum, pronũtians quòd verè Deus in vobis ſit.

Quid ergo eſt, fratres? cùm conuenitis, vnuſquiſq; veſtrum Pſalmum habet, doctrinam habet, Apocalypſim habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant.

Sine lingua quis loquitur, ſecundùm duos, aut vt multum tres, & per partes, & vnus interpretetur.

Si autem non fuerit interpres, taceat in Eccleſia; ſibi autem loquatur, & Deo.

Prophetæ autem duo, aut tres dicant, & cæteri dijudicent.

Quòd ſi alij reuelatum fuerit ſedenti, prior taceat.

Poteſtis enim omnes per ſingulos prophetare, vt omnes diſcant, & omnes exhortentur.

Et ſpiritus prophetarum prophetis ſubiecti ſunt.

Non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis: ſicut & in omnibus Eccleſiis ſanctorum doceo.

Mulieres in Eccleſiis taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit.

te populum inſtituant; ſed ne ea quidem ratione
me audient, dicit Dominus. Ita quod à me pro
magno beneficio ad illorum vtilitatem, ac ſalu-
tem conceſſum eſt, ipſorum improbitate in ſuppli-
cium vertitur. ¶ Itaque (vt ſemel dicam) linguæ 22.
pro ſigno conceſſæ ſunt non iis, qui fide diuina
præditi ſunt; ſed iis potiùs, qui nondum credide-
runt; qui olim Apoſtolos variis loquentes linguis
quaſi vino madidos irridebant: contrà verò pro-
phetia pro ſigno data eſt fidelibus, non autem
infidelibus: quod illo ipſo tempore oſtendit Pe-
trus, qui Ioelis vaticinio Iudæorum calumniam
depulit. ¶ Quòd ſi omnis Eccleſia in vnum co- 23.
gatur, cuncti verò variis, & alienis linguis loquan-
tur, ingrediantur autem aliqui imperiti, & idio-
tæ, aut etiam à fide alieni; nónne exiſtimabunt,
vos veluti amentes furere, & inſanire? ¶ Sin au- 24.
tem omnes prophetent, ingrediatur autem infi-
delis quiſpiam, vel idiota, ab omnibus perſpicuis
argumentis ad veri Dei cognitionem adducitur,
omnium denique ſuffragiis coarguitur, & diiudi-
catur ¶ Vſque eò, vt occulta etiam cordis eius 25.
pateſiant, & latentes cogitationes proferantur in
lucem. Itaque procumbens venerabundus Deum
adorabit, pronuntiabitque, verè Deum eſſe in vo-
bis. ¶ Quid igitur faciendum vobis exiſtimatis, 26.
fratres? Ego quidem vobis magnopere ſum au-
ctor, vt quoties in vnum conuenitis, ita ſint inter
vos omnia conſtituta, vt alius quidem canticum,
alius doctrinam proferat, alius extero idiomate
loquatur, alius reuelationem promat, alius deni-
que adhibeat interpretationem; vt ad Eccleſiæ
vtilitatem cuncta referantur. ¶ Quòd ſi idioma- 27.
tum varietate vtendum ſit, id ſanè fieri ita de-
mum placet, vt bini, vel ad ſummum terni, &
quidem viciſſim loquantur, & ſit aliquis, qui in-
terpretetur. ¶ Sin autem nemo ſit, qui interpre- 28.
tis munere ritè fungi queat, is, qui peregrinæ lin-
guæ facultatem habet, in Eccleſia taceat, vni ſibi
ac Deo, vt libuerit loqui poteſt. ¶ Prophetæ 29.
verò duo, treſve, quæ muneris ſui ſunt, mode-
ſtè, ac religiosè præſtent. Cæteri de eorum va-
ticiniis ſententiam ferent. ¶ Quòd ſi aſſidenti 30.
cuipiam aliquid fuerit diuinitùs reuelatum, qui
prior loqui cœperat, tum demum eo verba fa-
ciente ſileat. ¶ Fas enim vobis eſt ſingillatim 31.
omnibus prophetare, & res diuinas explicare,
vt qui audiunt omnes diſcant, & nonnullam ſola-
tij particulam accipiant. ¶ Sic enim vobis per- 32.
ſuaſum eſſe debet doctrinam, quæ tanquam Spi-
ritu Dei ſuggerente affertur à prophetis, ſic
prorſus prophetarum voluntati ſubiectam eſ-
ſe, vt quando opus eſt, aut libet, ſilere faci-
lè queant. ¶ Non enim Deus eſt confuſio- 33.
nis, & perturbationis auctor, ſed pacis, quæ
in omnibus Sanctorum Eccleſiis mirificè elu-
cet. ¶ Mulieres porrò veſtræ in fidelium cœ- 34.
tibus ſileant; nec enim fas eſt eis coram mul-
titudine verba facere; ſed potiùs imperatur,
vt ſubditæ ſint, quemadmodum diuina lege

35. præcipitur. ¶ Quòd ſi quid fortaſſe cognoſce-
re, aut addiſcere cupiunt, domi viros ſuos per-
cunctentur; turpe eſt enim fœminam in homi-
36. num cœtu loqui. ¶ An à vobis primùm Euange-
lica doctrina profecta eſt, voſq; adeò quaſi omniũ
magiſtri Euangelium promulgaſtis? An ſoli eius
37. vim, ac poteſtatem tenetis? ¶ Si quis videtur in-
ter vos eſſe propheta, aut in rebus ſpiritualibus
cognoſcendis, ac diiudicandis eruditus, agnoſcat
ſanè quæ ad vos ſcribo, atque intelligat eſſe Do-
38. mini mandata. ¶ Hæc eſt mea ſententia, quam
(vt arbitror) ſatis perſpicuè declaraui; ſi quis eam
vel ignorarit, vel contempſerit, per me quidem
39. ignoret, & contemnat, licet. ¶ Quæ cùm ita ſint
(vt aliquando concludam) id agite fratres: idque, vt
ita dicam, ambite, vt prophetetis: variis autem lin-
40. guis loqui nequaquã vetueritis. ¶ Omnia tamen
decenter, rectóque ordine fiant in vobis.

Si quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent. turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia.

An à vobis verbum Dei proceſſit? aut in vos ſolos peruenit?

Si quis videtur propheta eſſe, aut ſpiritalis, cognoſcat quæ ſcribo vobis, quia Domini ſunt mandata.

Si quis autem ignorat, ignorabitur.

Itaque fratres, æmulamini prophetare, & loqui linguis nolite prohibere.

Omnia autem honeſtè, & ſecundùm ordinem fiant.

IN CAPVT DECIMVM QVARTVM EXPLANATIO.

1.
I. SECTAMINI CARITATAM, &c. A Quoniam caritatem miris extulerat laudibus, eam ſupra cætera chariſmata proſequendam, & complectendam monet; ita tamen, vt cætera non negligantur: inter quæ eminere dicit prophetiam. Obſeruat autem Chryſoſtomus Græcam vocem διώκετε, quaſi dicat, perſequimini; *nam qui perſequitur* (inquit) *illum ſolum videt quem perſequitur, & ad illum tendit, & non deſiſtit, donec ceperit. Qui perſequitur, quando per ſe non potuerit, per eos, qui ipſum præcedunt comprehendit fugientem; eos, qui properant magno ſtudio adhortans, vt detineant, & detentum ei ſeruent, donec ad eum peruenerit.* Sic etiã Theophylactus. *Nec dixit* (ait) *ſequimini eam; ſed perſequimini, vehementem conatum, atque diligentiam expetens; effugit enim à nobis, quare multo curſu opus eſt, vt eam antevertamus.* Subdit: *Æmulamini ſpiritualia.* Græcè additur particula δὲ, ne ex æquo videatur adhortari ad vtrumque; nam ad aſſequendam quidem caritatem, omnem à nobis exigit conatum, reliqua tamen haud aſpernanda docet: ea verò vocat ſpiritualia, quòd diuini Spiritus afflatu etiam improbis interdum tribuantur. Porrò principem locum tribuit prophetiæ; addit enim: *Magis autem vt prophetetis.* Prophetia autem *ab officio præfandi* (auctore Tertulliano[a]) dicta eſt. Ita enim ille loquitur[b], *vt enim futura præfari dicat, qui prædicit.* Porrò prophetiæ eximia quædam eſt, ac ſingularis dignitas, vt non immeritò alicubi[c] ſcripſerit Philo, ſacerdotum, ac prophetarum maiorem eſſe dignitatem, *quàm vt ſe miſceant humanæ reipublicæ, & mundi ciues ſint: ſed ſublimiores omnibus rebus, quæ ſub ſenſum cadunt, migraſſe in mundum intelligibilem, ibi ſortitos domicilium, aſcriptos reipublicæ idearum incorporearum, & incorruptibilium.*

a Apolog. c. 18.
b cap. 20.
c lib. de gigant.

II. Cæterùm cùm prophetiæ ac prophetæ nomina ambigua ſint; meritò quærat quiſpiam, quod in præſentia prophetiæ nomine ſignificetur. Interdum enim veri Dei cultores, virique religioſi prophetæ nuncupantur. Quocirca de Abrahamo dixit[a] Deus; *Nunc ergo redde viro ſuo vxorem, & orabit pro te, quia propheta eſt, & viues.* Quem locum obſeruans[b] Philo, *Omnietiã* (inquit) *omnibus probis viris ſacra Scriptura prophetiam tribuit; nam propheta nihil ex ſe proloquitur, ſed omnia ſubmonente alio. Malum autem virum non eſt fas eſſe interpretem numinis: ergo nemo malus propriè correptus furore diuino dicitur, ſed in ſolum ſapientem hoc competit, quandoquidem is ſolus eſt inſtrumentum Dei reſonans ab eo contactum, & pulſatum inuiſibiliter. Proinde quotquot inter iuſtos cenſentur, inducitur propheta plenus cœleſti numine.* Eadem ratione prophetæ nomen pleri que accipiũt in libris Regum[c] cùm agitur de Iezabel, quæ Domini prophetas occidebat; & B Abdia, qui cẽtum prophetas neci ſubduxerat. quamquam fortaſſe probabilius eſt, fuiſſe diuinæ legis interpretes, de quibus Elias[d]: *Prophetas* (inquit) *tuos occiderunt.* Hoc enim prophetæ nomen non raro indicare intelligitur ex libro Exodi[e]. *Dixit* (inquit) *Dominus ad Moyſem; Ecce conſtitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit propheta tuus. Tu loqueris ei omnia, quæ mandabo tibi, & ille loquetur ad Pharaonem.* Sic accipit Philo[f], qui prophetam definit *Dei oracula intus diſtantis interpretem.* Neque aliter Gregorius[g]: *Prophetæ quippe* (inquit) *in ſacro eloquio nonnunquam doctores vocantur, qui dum fugitiua eſſe* C *præſentia indicant, quæ ſunt ventura manifeſtant.* Qui laudes Deo canunt prophetare in ſacris litteris dicuntur, vt Idithum[h], & Heman, quomodo plerique quod de Saule legitur[i] intelligendum putant; *Num & Saul inter prophetas.* Nonnunquam prophetæ vocantur phanatici, qui arreptitiorum more mente abalienati inſolita, inepta, & prorſus aliena effutiunt. Sic Saul[k] domi ſuæ à malo dæmone agitatus prophetaſſe ſcribitur: & ſacerdotes[l] Baal prophetaſſe memorantur. Qua ratione Montanus olim veros prophetas futura prædixiſſe ſomniabat. Quod etiam alicubi inſinuare viſus eſt Tertullianus[m], vt et Pacianus, Hieronymus.

a Gen. 20.
b lib. quis rerum diuinarum hæres ſit.
c 3. cap. 18. 4. 40.
d 3. Reg. 19.
e cap. 7.
f lib. de præm. & pœn.
g [illegible]
h 1. Paralip. c. 25.
i 1. Reg. 10.
k 1. Reg. 18. 10.
l 3. Reg. 18. 29.
m [illegible]

A nymus, & Nicephorus adſcribunt. Quin etiam qui mira quædam ſupra naturam efficerent, prophetæ nuncupantur. Sic Eliſei demortui oſſa prophetaſſe ſcribuntur [a], quòd contactu ſuo vita functum excitarint. Hoc verò loco Apoſtolus prophetiam vim quandam vocat, qua res ſublimes, ac diuinæ, & ab hominum cogitatione remotæ; Scripturæ denique arcana explicantur. Hanc vim & diuinam facultatem magnifaciendam eſſe docet; eſt enim illa quidem ſingulare Dei donum; aliquam tamen poſtulat in nobis præparationem, vt egregiè docet alicubi [b] Baſilius. *Oportet autem* (inquit) *præter puritatem, & rectè ſtatus æqualitatem exhibere; neque enim qui inæqualiter eſt affectus temperantia purus eſt, ſed qui carnis prudentiam ſubiecit ſpiritui.* Cúmque id multis exemplis oſtendiſſet, ſubiicit: B *Ergo cùm anima omni virtutis ſtudio dedita, vehementi in Deum amore perpetuo Dei memoriam ſibi impreſſam fouet: atque hac re primùm apparat ſeſe, vt Deum habeat velut inhabitantem ex vehementiſſima in Deum intentione, & arcano amore, numine afflata, digna prophetiæ dono redditur, Deo diuinam virtutem impartiente, animíque oculos aperiente ad intelligendas, quas velit ſpeculationes: quapropter & prophetæ à fronte videntes vocabantur; propterea quòd futura perinde quaſi præſentia fuiſſent, proſpicerent.* Quod enim in libris Regum noſter interpres dixit: *Qui enim propheta hodie dicitur, vocabatur olim videns.* Septuaginta dixerunt, ὅτι τὸν προφήτην ἐκάλει ὁ λαὸς ἔμπροσθεν ὁ βλέπων. Baſilius [c] autem legiſſe videtur ἔμπροσθεν βλέπων, hoc eſt antè videns, ſeu præuidens. Quod enim ſubdit: C *Perſpicaciter cernerent quod eſſet futurum; ob id appellabantur præuidentes, ſiue à fronte videntes: quia verò Dei ſententiam decretumve obſeruabant, nuncupati ſunt videntes.*

a Eccleſiaſt. 1.44.

b In præfat. in Iſa. proph.

c Reg. 9.9.

c Tum loco dicto, tum in cap. Iſa. primo.

2. Qvi enim loqvitvr lingva, &c.

I. Perpetuò linguarum chariſma deprimit, vt faſtum ac tumorem Corinthiorum caſtiget. Obſeruat autem Chryſoſtomus, non temerè fuiſſe olim facultatem linguarum apud omnes, præſertim Corinthios in admiratione: ab initio enim non ſine ingenti miraculo Apoſtolis diuinitùs conceſſa eſt, vt omnes gentes, ac nationes ad Chriſti fidem adducerent. Deiicit autem hoc donum linguarum, dum ait: *Qui loquitur lingua, non hominibus loquitur, ſed Deo*: indicans perexiguam eſſe eius rei vtilitatem: tùm (vt ait Ambroſius) *qui loquitur incognita lingua, Deo loquitur, qui omnia nouit,* D *homines verò neſciant, ideóque nullus eſt, ex hac re profectus.* De illis enim loquitur Apoſtolus, qui ſeu voluptatis, ſeu oſtentationis, & curioſitatis gratia, Pſalmos, aut ſpiritualia cantica peregrina lingua coram imperita multitudine Deo canerent; propterea rectè dicit eos Deo loqui, non hominibus. Verùm quoniã non ita hoc Spiritus ſancti donum deiicit, vt contemnendum putet, cõtinuò ſubdit: *Spiritu autem loquitur myſteria*: *ne videretur* (vt ait Chryſoſtomus) *ſuperuacaneum, aut inutile chariſma, & temerè, ac fruſtra Eccleſiæ conceſſum.* Nemo enim ob aliam cauſam illud negat cum prophetia conferri poſſe, niſi quia imperita multitudo nullam inde percipit vtilitatem, hoc enim eſt, quod ait: *Nemo enim audit*: hoc eſt, ita vt intelligat: E inconditum enim ſonum auribus excipiunt, qui ſurdi non ſunt. Non deſunt Latini codices qui habeant, *Spiritus autem loquitur myſteria*: cùm tamen Græci codices conſtanter habeant πνεύματι, quod Ambroſius Latinè dixit, auferendi caſu, *Spiritu*. *Spiritu autem* (inquit) *loquitur myſteria non ſenſu, quia ignorat,*

II. *quod dicit.* Alij malunt Latinè reddi, Spiritui: quaſi dicat ſuæ mẽti, atque intelligẽtiæ canit myſteria. Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus indicant ſe legiſſe, Spiritu: intelligunt autem de Spiritus ſancti impulſu; vt qui lingua peregrina loquitur, diuino afflatus numine myſteria proferat. Quamobrem (in-

A quit Chryſoſtomus) *à Spiritu quidem teneri, & agitari, eſt vtrique commune, & ei, qui prophetat, & ei, qui linguis loquitur. In hoc autem ipſe, nẽpe is, qui prophetat eſt ſuperior, quòd ſit etiam vtilis iis, qui audiunt: eos enim, qui linguis loquebantur, non audiebant, qui donum non habebant.* Qua interpretatione admiſſa, parum refert vtro modo legas, Spiritu, an Spiritus: eadem enim ſententia conſtat; Spiritum ſanctum videlicet auctorem eſſe myſteriorum. Atque ita Auguſtinus [a], Bernardus [b], Primaſius, Anſelmus, & alij legunt; *Spiritus autem.* Quocirca non ſatis probo quod ait Ambroſius, eũ, qui lingua loquitur, Spiritu, id eſt ſola voce, pulſuq; aeris myſteria reſonare, non autẽ mente, atq; intelligentia; quòd nihil intelligat eorum, quæ loquitur: hoc enim non eſſet habere donum linguarũ, ſed B more phanatici cuiuſpiam aliena loqui. At ex communi Græcorum, Latinorúmque ſententia confert Apoſtolus donum linguarum cum prophetia, & vtrumque munus, ait eſſe diuini numinis, ſed alterum altero præſtantius, & vtilius; & fortaſſe reſpexit Paulus ad verba Chriſti, qui apud Matthæum [c] ita Apoſtolos alloquitur: *Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Ipſe* enim (vt ait Cyprianus [d]) *Spiritus Patris corroborãs ſeruos ſuos loquitur, & confitetur in nobis.*

a lib. 12. de Gen. ad lit. c. 8.

b Serm. 71. in Cant.

c cap. 10. 19.

d ep. 54.

Nam qvi prophetat hominibvs, &c. Prophetiæ vtilitatem declarat, vtiturque antitheſi non ineleganti. C Qui loquitur (inquit) lingua, Deo, non hominibus loquitur: contrà verò, qui prophetat, cum hominibus ſermonem habet. Tria autem tribuit prophetanti, ædificationem, adhortationem, & conſolationem; vt vel hinc appareat, non loqui Apoſtolum de prophetis, qui futura prædicant, aut abdita, & occulta pateſaciant; ſed de iis, qui docent, & diuina myſteria explicant, qui (vt obſeruant Ambroſius, & Anſelmus) prophetarum analogiam retinent. Alicubi [e] enim ſcripſit Sapiens: *Adhuc doctrinam, quaſi prophetiam effundam.* Quemadmodum enim propheta futura prædicit, quæ neſciuntur; ita etiam doctor Scripturarum ſenſa multis ignota in lucem profert. *Qui igitur prophetat hominibus, loquitur ædificationem.* Græcè deeſt particula, ad, quam habent nonnulli D codices Latini, λαλεῖ οἰκοδομήν, id eſt loquitur ædificationem: quomodo Latinè dicimus, narras mihi voluptatem, hoc eſt ea, quæ mihi voluptatem afferant, ita loqui ædificationem, erit loqui quæ ædificent, hoc eſt quæ doctiorem reddãt. *Ædificatur enim* (ait Ambroſius) *quando quæſtionum ſolutionem addiſcit.* Quoniam verò doctrina ad praxim, & mores referenda eſt; addit *adhortationem.* Græcè παράκλησιν. Quamquam Græci ſermones, quibus ad rem aliquã capeſſendam προτρεπτικοὺς λόγους appellabãt. Ita Ariſtoteles προτρεπτικὸν conſcripſiſſe fertur, quo adoleſcẽtes impelleret ad ſtudia Philoſophiæ. Dicuntur etiam Antiſthenes, & Galenus προτρεπτικοὺς λόγους edidiſſe. Extat Clementis Alexandrini προτρεπτικὸς, vt ipſemet inſcribit [f], quo gentes ad Chriſtianam fidem amplectendam E adhortatur. Ad quod orationis genus alluſiſſe videtur Marcus Tullius, cùm ſcripſit [g]: *Nam quod vereris ne non conueniat noſtris ætatibus iſta oratio, quæ ſpectat ad hortandũ.* Addit, *Et conſolationem.* Adhortatio enim animum addit ad arduã virtutis viam capeſſendam: conſolatio ſpem addit, *& animos* (vt ait Ambroſius) *firmat, & prouocat ad expectanda meliora.* Ita paucis docet Apoſtolus, quid euangelico doctori præſtandum ſit: ea enim docere debet, quæ ad bene, beatéque viuendũ valẽt. Addẽda eſt præterea vehemẽs, & accõmodata adhortatio, cui ſuccedat oportet cõſolatio, ne auditores rerũ difficultate perterriti cõcidant animis.

e Eccleſiaſtici 24. 46.

f lib. 7. Stromat.

g In Horten. apud Non.

4.
I. Qvi loqvitvr lingva semetipsvm, &c. Non ſignificat Apoſtolus donum linguarum prorſus eſſe inutile aut inane, ſed tantùm negat, cum propheta conſerri poſſe: nam (vt ait Chryſoſtomus) *quantùm intereſt inter vnum, & Eccleſiam, tanta eſt huius & illius differentia.* Loquitur enim (eodem Chryſoſtomo interprete) de iis, qui ita peregrina lingua loquuntur, vt intelligant ipſi quæ dicunt, aliis tamen interpretari nequeant: eam ob cauſam eos, ait, ſe ipſos ædificare; ea enim loquuntur, quæ ad Dei gloriam, & ipſorum nonnullam vtilitatem pertineant. Ita explicat quod paulò antè dixerat, eos Deo loqui: ſic enim cum Deo ſermonem habent, vt ipſi tamen inde, vel doctiores, vel meliores euadant. At verò qui prophetat, hoc eſt Scripturas interpretatur, & explicat, Eccleſiam ædificat, hoc eſt omnem plebem, quæ probè intelligit, quæ ille loquitur.

II. Ex hoc autem loco non ineptè quidam eos diuini verbi præcones malè de Eccleſia mereri colligunt, qui abſtruſa quædam coram mulierculis, & imperita multitudine detonare ſolent, quæ ne ipſi quidem, qui loquuntur, ſatis percipiunt; tantùm abeſt, vt commodè, & ad teneriorum captum accommodatè explicare queant, cùm omnis eorum oratio ad Eccleſiæ ædificationem referenda ſit. Quocirca rectè dixit alicubi [a] Auguſtinus, facile eſſe, immo & vtile, *vt taceatur aliquod verum propter incapaces; nam vnde eſt illud* [b] *Domini: Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis illa portare modò. Et illud* [c] *Apoſtoli: Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, quaſi paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, nõ eſcam, nondum enim poteratis ſed nec adhuc quidem poteſtis?* Et poſt nonnulla: *Sed alia eſt ratio verum tacendi, alia verum dicendi neceſſitas. Cauſa veri tacendi, longum eſt omnes quærere, vel inſerere, quarum tamen eſt & hæc vna ne peiores faciamus eos, qui non intelligunt, dum volumus eos, qui intelligunt facere doctiores, qui nobis aliquid tacentibus doctiores quidem non fiunt, ſed nec peiores fiunt. Cùm autem res vera ita ſe habet, vt fiat peior nobis eam dicentibus, ille qui capere nõ poteſt; nobis autem tacentibus, ille qui poteſt, quid putamus eſſe faciendum? Nonne potiùs eſt dicendum verum, vt qui poteſt capere capiat, quam tacendum, vt non ſolùm id ambo non capiant, verùm etiam qui eſt intelligentior, ipſe fit peior, qui ſi audiret & caperet, per illum etiam plures diſcerent; quò enim eſt capacior vt diſcat, eo magis eſt idoneus, vt alios doceat.* Hæc ille cum de prædeſtinationis gratia diſputaret, modumque præſcriberet, quo de illa coram imperita multitudine agendum ſit. *Qui autem prophetat, Eccleſiam ædificat.* verè omnino; nam ſiue diuini Spiritus impulſu loquitur, ea certè pronũtiabit quæ ſint vtilia, quæ vel diuinarum rerum neceſſariam cognitionem contineant, vel ad mores corrigendos atque inſtruendos referantur: ſiue ſacras litteras explicet, ille certè nihil proponit niſi quod valeat ad iuſtitiam & gratiam, beatã denique vitam aſſequendam. ob hanc cauſam Apoſtolus hoc prophetandi munus, cæteris anteponit. Id nunc magna ex parte ad concionatores pertinet, quorum in eo maximè deſudare debet induſtria, non vt populo aut principibus placeant, ſed vt auditoribus proſint. quod cùm in Epiſtolis ſuis egregiè præſtat Apoſtolus Paulus, tum verò etiam, mira quadam vi, & dicendi copia Chryſoſtomus facit, ex quo multa haurire poterit ad vſum popularium concionum, qui eius ſcripta diligenter attentéque perlegerit. Quanquam autem hæretici ſacras litteras plus nimio tractant, eas tamen neque intelligunt, & falſis explanationibus inquinant, nec prophetãt, ſed ſua ſomnia & figmenta imperitæ multitudini obtrudunt, de quibus illud Ieremiæ rectè quis explicet [cap. 23. 28.] *Propheta qui habet ſomniũ narret ſomnium: & qui habet ſermonem Dei, loquatur ſermonem meum verè; quid paleis ad triticum dicit Dominus?* Alia multa in hanc ſententiam dici poſſent, ſed ad inſtitutum non magnopere pertinent.

a lib. de bono perseuer. c. 16.
b Io. 16. 12.
c 1 ad Cor. 3. 1.

5.
I. Volo avtem, omnes vos loqvi lingvis, &c. Magis explicat quod modò dixerat, nõ eſſe quidẽ linguarum donum aſpernendum, longè tamen præferendam eſſe prophetiam. Volo (inquit) vos omnes loqui linguis: quaſi dicat, placet mihi, vel optarim vos loqui linguis, præfero tamen prophetiam. Cur autẽ id faciat, apertam ſubiicit rationem: *nam maior eſt qui prophetat, quam qui loquitur linguis*; hoc eſt vtilior. Addit tamen exceptionem, *niſi fortè interpretetur.* Nam ſi qui linguis loquitur etiam interpretetur, vt Chryſoſtomus, Theophylactus, & Oecumenius affirmãt, par erit prophetæ, & perſimilem afferet Eccleſiæ vtilitatem. Quod autem ſit munus interpretis, & quomodo interpretatio linguarum ab ipſo linguarum dono differat, diximus ſuprà [a]. Id vnum in præſentia moneo, voluiſſe Apoſtolum Corinthiorum inanem quandam iactantiam caſtigare, qui ad oſtentationem tantùm linguarum facultate abutebantur: cùm tamẽ qui peregrina lingua verba facerent, non continuò poſſent ea ita commodè explicare, vt à rudioribus perciperentur. Ita paulò pòſt ait: *Qui loquitur lingua, oret, vt interpretetur.* Quocirca qui Spiritum ſanctum nonnullorum linguam agitaſſe putant, vt quæ ipſi ne intelligerent quidem furentium inſtar, aut debacchantium more demurmurarent, ij ne digni quidem ſunt qui refellantur; nam præterquam quòd antiquas, & iam pridem ſopitas hæreſes rurſus reuocare videntur, cum Apoſtolo apertè pugnant, qui eos ait ſe ipſos ædificare qui linguis loquuntur; quod profectò non facerent niſi intelligerent quæ dicunt. Porrò interpres de ſuo videtur addidiſſe fortè, Græci enim codices, quos ſequitur Ambroſius, non habent, ſed ſenſus integer manet. Addit, *Vt Eccleſia ædificationem accipiat:* quod facit cùm opera interpretis cognoſcit quæ myſteria loquatur, qui peregrina vtitur lingua. Hanc igitur ob cauſam, maiorem (ait) eſſe prophetiam; hoc eſt vtiliorem, niſi accedat interpretatio. Qua ratione meritò illi reprehenduntur, qui cùm ad populum verba faciant, multa Latinè, nonnulla item Græcè, & ſi Deo placet etiã Hebraicè, aut Syriacè abſque interpretatione inculcant, quæ nihil habent præter inanem oſtentationẽ. Cæterùm quòd nonnulli codices habent, Eccleſiam Dei ædificat, & Eccleſia Dei ædificationem accipiat, vox Dei abundat, quæ neque in Græcis, neque in emendationbus Latinis legitur. Ex hoc autem loco facilè quis colliget linguarum donum, de quo ſuprà plura diximus, quo tempore hæc Paulus ſcribebat nonnihil fuiſſe immutatum; diximus enim ſuprà, duas olim fuiſſe eius muneris partes, alteram vt qui vna eadémque lingua vteretur, ab omnibus intelligeretur, non aliter ac ſi proprio cuiuſque idiomate verba faceret. quod Petro primùm poſt acceptũ Spiritum ſanctum concionanti accidiſſe monuimus. Alteram vt vnus atque idem pluribus quamuis peregrinis linguis loqueretur. Igitur cùm Apoſtolus hæc ſcriberet, poterant quidem fideles Spiritus ſancti beneficio, pluribus linguis loqui, non tamen omnes Barbaras & cæteras linguas intelligebant, ſed opera interpretis erat neceſſaria.

a cap. 12.

6.
I. Nvnc avtem, fratres, si venero, &c. Rem eandem illuſtrat, & amplificat. Vtitur autem exemplo à ſua ipſius perſona deſumpto, vt interim, quod monet Chryſoſtomus, doceat, ſe nihil præter eorum vtilitatem quærere: idque (vt ait Photius) *in perſona oſtendit, vt rem planiùs oſtendat*, & velut ob oculos ponat. Quid enim (inquit) emolumẽti ex meo ad vos aduentu caperetis, ſi multiplici tantùm idiomate

mate apud vos deblaterarē? *Niſi*(inquit) *vobis loquar aut in reuelatione*, &c. Enumerat Apoſtolus quatuor, reuelationem, ſcientiam, prophetiam, doctrinam, quæ Ambroſius idem prorſus valere ſignificat. *Hæc*(inquit) *omnia vnum ſignificant.* Docere enim nemo poterit, niſi intelligatur. Hieronymiani commentarij reuelationem interpretationem putant eſſe, ſcientiam referūt ad explicationem eorum, quæ occulta ſunt, prophetiam pro oraculorum declaratione poſitam cenſent: doctrinam denique ad mores pertinere volunt. Theophylactus: *Niſi loquar* (inquit) *in reuelatione, hoc eſt quemadmodum conſueuerunt dicere, qui reuelationem ex Deo nacti ſunt: vel in ſcientia, quomodo tradunt ij, qui ſcientia præditi ſunt, & myſteria exponunt: vel in prophetia, vt cum quis de præteritis, præſentibus, & futuris loquitur. vel in doctrina, quæ vitam, & mores inſtituat.* Alij, vt Anſelmus, reuelationem interpretantur reuelationis explicationem, in qua typis, & vmbris Chriſti myſteria patefacta ſint, vt in Apocalypſi Ioannis: in ſcientia, hoc eſt, ſtudio, & labore parta: in prophetia, prædicendo futura, vel occulta aperiendo: denique in doctrina, quæ fidei dogmata, & mores doceat. Photius explicari docet omnia chariſmata, quæ verſantur in ſermone. *Hæc autem ſunt* (ait) *linguas interpretari, & quæ ab illis dicuntur reuelare, ſiue manifeſtare, aut ſimul vtrumque: & linguis loqui, & explanare, quod etiam vocat ſcientiam, quia loquitur, & tanquam ſciens interpretatur quod dicit: aut prophetare, hoc autem manifeſtum eſt quid ſignificet: aut docere, aliud eſt hoc donum ab his, quæ dicta ſunt.* Sunt qui prophetiam, & reuelationem pro eodem accipiant, vt etiam ſcientiam, & doctrinam.

II. Multò tamen aliter hæc quatuor membra interpretatus eſt Caſſianus[a] (Coll. 14.). *Reuelatio namque* (inquit) *ad allegoriam pertinet, per quam ea, quæ tegit narratio hiſtorica ſpiritali ſenſu, & expoſitione reſerantur; vt verbi gratia, ſi illud aperire tentemus, quemadmodum Patres noſtri omnes ſub nube fuerint, & omnes in Moſe baptizati ſunt in nube, & in mari, & quemadmodum omnes eandem eſcam ſpiritalem manducauerint, & eundem ſpiritalem de conſequenti petra biberint potum, petra autem erat Chriſtus. Quæ expoſitio præfigurationi corporis, & ſanguinis Chriſti, quem quotidie ſumimus, comparata allegoriæ rationem continet: ſcientia verò, quæ ſimiliter ab Apoſtolo memoratur, tropologia eſt, quæ vniuerſa, quæ ad diſcretionē pertinent actualem, vtrùm vtilia vel honeſta ſint, prudenti examinatione diſcernimus, vt eſt illud, cùm apud noſmetipſos iudicare præcipimur, vtrùm deceat mulierem non velato capite orare Deum: quæ ratio* (vt dictum eſt) *moralem continet intellectum. Item prophetia, quam tertio Apoſtolus intulit loco, anagogen ſonat, per quam ad inuiſibilia, ac futura ſermo transfertur. vt eſt illud: Nolumus autem ignorare vos* (*fratres*) *de dormientibus, vt non contriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent, & quæ deinceps ſequuntur: quæ exhortationis ſpecie anagoges figura præfertur. Doctrina verò ſimplicem hiſtoricæ expoſitionis ordinem pandit, in qua nullus occultior intellectus, niſi qui verbis reſonat, continetur, ſicut eſt illud: Tradidi enim vobis in primis quod & accepi, quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundùm Scripturas.* Quibus verbis (vt apparet) complexus eſt quatuor diuinæ Scripturæ ſenſus, de quibus alibi plura à

III. nobis dicta ſunt. Mihi certè fit valde vero ſimile, his quatuor vocibus voluiſſe Paulum indicare, inanem eſſe linguarum ſonum, niſi aliqua accedat explicatio, quâ vel occulta pandantur, quæ corrigenda, atque emendanda ſint: vel aliqua explicentur, vt quis doctior fiat; aut futura prædicantur ad audientium vtilitatem: aut denique mores informentur. Primum illud pertinet ad reuelationem: alterum ad ſcientiam: tertium ad prophetiam: poſtremum ad doctrinam. quaſi dicat Apoſtolus, linguarum donum prorſus eſſe inutile, niſi cum alio quopiā Spiritus ſancti chariſmate coniungatur. Nec malè Anſelmus linguæ facultatem ſignis, atque imaginibus comparari dicit, quibus res occultæ, atque abditæ ſignificantur, vt cùm Pharao ſeptem ſpicas, totidem boues ſecundùm quietem ſpectare viſus eſt, linguæ quandam ſimilitudinem præ ſe tulerint, cùm inde nullam ille perciperet vtilitatem, niſi Ioſephi interpretatio acceſſiſſet, quæ fuit veluti prophetia. Non illi tamen aſſentior, quòd linguam metaphoricè poſitam putat pro qualibet imagine, aut ſigno ad rem quampiam ſignificandam inſtituto, cùm apertiſſimè loquatur Apoſtolus de dono linguarum. Significat igitur, nullam ex peregrina lingua percipi vtilitatem, niſi ſit qui explicet, & interpretetur. Agit enim Apoſtolus de fidelium cœtibus, in quibus olim (vt aliàs monui) multa ad pietatem ſpectantia exercebantur.

TAMEN QVÆ SINE ANIMA SVNT, &c. Nouo 7. I.
exemplo à muſicis inſtrumentis ducto eandem ſententiam confirmat. illa ſiquidem quamuis inanima, niſi diſtinctum, ac modulatum ſonum edant, nulli prorſus vſui ſunt, nihil efficiunt, nullámque pariunt oblectationem: nullum quippe muſicum artificium continent, ſed confuſo, & incondito ſono obſtrepūt auribus, & moleſtiam potius, quàm voluptatem afferunt. Et ſi ad aliquid ſignificandum referantur, fruſtra reſonabunt, niſi ſonus ita modificetur, vt aliquid certi indicet. Ita olim ex tibiarum harmoniis vulgus agnoſcebat ſententię genus: & facilè nunc ex ſymphoniæ modo quæ ſit ſubiecta ſententia intelligitur: & in venatu qui procul abſunt à fera, à ſonitu cornu cognoſcunt quo in ſtatu ſit venatio: militari tympano quid agendum ſit militibus indicatur: nautis ſibilo, æris denique campani ſonitu penè vbique apud fideles humanarum actionum ratio præſcribitur. Iam verò pro eo quod interpres dixit, *tamen*, Græcè eſt ὅμως quod alij, quaſi legendum ſit ὁμοίως, vertunt ſimiliter. malim ego accipere, vt idē ſit quod, quin etiam; quo ſenſu enarrant Chryſoſtomus, & Theophylactus. ſic enim ille ſcribit: *Et quid dico* (inquit) *quod in nobis eſt, hoc nihil lucri afferre; vtile autem eſſe quod eſt clarum, & quod facilè capiunt auditores? Nam etiam in inanimis muſica inſtrumentis hoc videris: nam ſiue ſit tibia ſiue cithara, & neque numero, neque harmonia conueniente, ſed confuſè & temerè pulſetur, & inſpiretur, nullum ex iis qui audiunt delectabit ac recreabit; nam etiam in illis inarticulatis aliqua claritate opus eſt & euidentia, & niſi ex parte pulſaris, & tibiam inſpiraueris, nihil facis.* Porrò quod interpres dixit, *Diſtinctionem ſonituum dederint*, Græcè dixit Apoſtolus ἐὰν διαςολὴν τοῖς φθόγγοις μὴ δῷ hoc eſt, diſtinctionem aliquam ſonis dederit, quomodo legit Ambroſius, ſubdit, *Quomodo ſcietur quod canitur, aut quod citharizatur?* Græcè eſt τὸ αὐλούμενον, quod tibia canitur, interprete Ambroſio, τὸ κιθαριζόμενον, *quod citharizatur*, hoc eſt cithara canitur. Eſt autem hæc ſimilitudo admodum apta ad id ſignificandum, quod nititur Apoſtolus perſuadere. Quò etiam ſpectat alia ſimilitudo, quæ mox ſubditur, à re militari deſumpta. Sic enim ſcribit:

ETENIM SI INCERTAM VOCEM, &c. Vario clan- 8. I.
gore tubarum miles intelligit quid velit imperator; quod profectò non fieret, ſi nulla adhibita modulatione tuba caneret. Chryſoſtomus autem putat, Apoſtolum à muſicis, quæ minimè neceſſaria ſunt ad militaria, quæ plerumque ſunt neceſſaria, tranſire. Porrò tuba claſſicum aliquando canit; interdum aciem educendam; nonnunquam etiam reducendam in caſtra, ſignificat: niſi igitur varium, ac diſtinctum edat ſonum, non erunt milites imperatoris iuſſis obſequentes. Anſelmus putat, Apoſtolum reſpicere ad Iudæorum

tum conſuetudinem, apud quos tubarum vſus alio, atque alio ſono ad feſtos dies promulgādos, & ad bellum indicendum adhibebatur. Sic enim legimus in libro Numerorum [a]: *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare poſſis multitudinem, quando mouenda ſunt caſtra. Cúmque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad oſtium tabernaculi fœderis. Si ſemel clangueris, venient ad te principes, & capita multitudinis Iſrael. Si autem prolixior, atque conciſus clangor increpuerit, mouebunt caſtra primi, qui ſunt ad orientalem plagam: in ſecundo autem ſonitu, & pars vlulatu tubæ leuabunt tentoria, qui habitant ad meridiem, & iuxta hunc modum reliqui facient vlulantibus tubis in profectionem. Quando autem congregandus eſt populus, ſimplex tubarū clangor erit, & non concisè vlulabunt.* & multa deinceps; vt appareat non temerè dixiſſe Apoſtolum, ſi tuba incertam vocem det, fruſtra id fieri; hoc enim ſignificat cùm dicit: *Quis parabit ſe ad bellū?* Erat apud Hebræos dies feſtus tabernaculorū qui & tubarum dicebatur, de quo Dauid [b]: *Buccinate in Neomenia tuba, in inſigni die ſolemnitatis veſtræ.* Neceſſe igitur eſt tubæ clāgorem variare cùm vel manus conſerendas indicat, vel cùm receptui canit. Id multò magis in ſermone neceſſarium eſt, vt captui auditorum accommodetur. Quocirca aptè ſubdit:

a cap 10.2.

b Pſal.80.4.

9.

I. ITA ET VOS PER LINGVAM NISI, &c. Redditio eſt propoſitę ſimilitudinis. Tubæ (inquit) in incertum clangenti ſimiles eritis, niſi (vt ait Ambroſius) *ſignificantem ſermonem habueritis.* Eſt autem Græcè ἄσημον, quaſi dicat; erit inutilis ſermo, & verborum iactatio prorſus inanis, cùm tamen nequaquam exiſtimādum ſit, idiomarum facultatem fruſtra à Spiritu ſancto dari, vt ſuprà dictum eſt; omnia enim Spiritus ſancti chariſmata ad Eccleſiæ vtilitatem diuinitus tribuuntur. Ita concludit Apoſtolus, neceſſariò adhibendam eſſe peregrinæ linguæ interpretationem: & hac ratione (vt obſeruat Chryſoſtomus) eos inter ſe mirificè conciliat, vt alij aliorum opera ſe indigere intelligāt. *Eritis ergo* (inquit) *in aera loquentes.* quaſi dicat: fruſtra laborabitis: oleum (quod aiunt) atque operam perdetis. Et quod alicubi ſcribit Baſilius [c]: verba in aërem iactata, quaſi nauigia in ſalo fluctuantia naufragium facient. Non igitur auditoribus verba facietis, ſed in vētum verba iactabitis. Quocirca rectè Theodoretus: *Quod in cithara (inquit) eſt numeroſus ſonus, & in tuba ſignum bellicum, hoc in linguis eſt interpretatio; præſentibus enim non intelligentibus, verba inaniter in aerem diffunduntur.* Et in eandem ſententiam alia tamen ſimilitudine vſus, ſcribit Chryſoſtomus: *Neque enim ars apparebit, niſi ſit ſubiecta materia; neque informatur materia, niſi impoſita ſit forma: pone igitur vocem quidem tanquam ſubiectam materiam; claritatem autem tanquam formam, quaſi non adſit nullus erit ſubiectæ materiæ vſus.* Porrò quod ait; *eritis in aera loquentes*, quandam prouerbij rationem habet, quomodo etiam dixit [d]: *Sic pugno non quaſi aerem verberans.*

c Hom in illud, attēde tibi. in principio,

d Suprà cap. 9.26

10.

I. TAM MVLTA, VTPVTA GENERA, &c. Sunt qui putent, Paulum etiam de animantium, ac belluarum vocibus agere, deque rebus planè mutis, cùm dicat, nihil eſſe in mundo ſine voce; quod eleganter non vulgaris Poëta [e] carminibus expreſſit:

e Auſon.ep 4. ſub initium.

Nil mutum natura dedit, non aeria ales,
Quadrupedésve ſilent, habet & ſua ſibila ſerpens:
Et pecus æquoreum tenuis vice vocis anhelat.
Cymbala dant flictū, ſonitum dant pulpita ſaltu.
Tacta pedum: tentis reboant caua tympana tergis.
Iſiacos agitant mareotica ſiſtra tumultus.
Nec Dodonæi ceſſat tinnitus aheni,
In numerum quoties radiis ferientibus icta,
Reſpondent dociles, moderato verbere, pelues.

Vt ſignificet Apoſtolus, nihil eſſe in hac rerum vniuerſitate prorſus mutum; ſed tamen, cùm à nobis quæ naturales rerum voces ſignificent, non probè intelligatur, nullum inde fructum percipi. Idem planè fore, ſi quis Barbara, & peregrina lingua loquatur apud eos, qui nihil præter vocis ſonitum percipiunt. Verè namque ſcripſit alicubi M. Tullius [a]: *In illis linguis, quas nō intelligimus: quæ ſūt innumerabiles ſurdi profectò ſumus.* Sed (vt verū fateat) vereor, vt id poſſit admitti: vt enim non nego, varias eſſe animantium voces, & balare quidem oues, mugire boues, hinnire equos, rudere aſinos, rugire leones, latrare canes, vlulare lupos, gannire vulpes, ſibilare ſerpentes, crocitare coruos, ſtrepere anſeres, & id genus alia permulta; non video tamen, quorſum hæc ſpectent, cùm in his vocibus, nedum in aliis quæ prorſus anima carent, vix vlla ſit ſuapte natura indita modificatio, ſeu vis ſignificandi; cùm tamen Apoſtolus totus in eo ſit, vt doceat peregrinæ linguæ inanem prorſus eſſe vſum, ſi opera deſit interpretis. Quamobrem malim cum Chryſoſtomo, & Theophylacto hæc de multiplici genere linguarum interpretari, quos Ambroſius, Hieronymus, & Anſelmus ſequūtur. *Tam multa genera ſunt linguarum in mūdo, Scytharum* (inquit Chryſoſtomus) *Thracum, Romanorum, Perſarum, Maurorum, Indorum Ægyptiorum, & aliarum gentium innumerabiliū.* Addit: *Et nihil ſine voce eſt.* Græcè ἄφωνον. Quæ vox (Photio interprete) duplicem admittit explicationem: quarum prima eſt, vt ſignificet, multa eſſe genera vocum, neque eſſe vllū genus expers vocis: altera, vt dicat, multa eſſe vocum genera, nullum tamen obſcurum, aut ignotum eſſe iis, qui eiuſdem inter ſe ſunt generis: *Nā ἄφωνον (ait) duo hæc ſignificare inuenitur, & quod omnino ſine voce eſt, & quod obſcurum tantùm eſt, & incognitum.* Nam quod interpres, quem ſequutus eſt Ambroſius, dixit *linguarū*, Græcè eſt φωνῶν, id eſt vocū. Chryſoſtomus tamen, & Theophylactus de vocibus articulatis accipiunt, quaſi voces poſuerit pro linguis; vt cùm ſubdit, nihil eſſe ſine voce, ſignificet nullum eſſe hominum genus, cui vim ſermonis natura non dederit. Atque ita quemadmodum Apoſtolus vocabulo vocis abuſus eſt pro lingua, ſic cùm dicit nihil eſſe ſine voce, ſignificat nullū eſſe hominum genus planè mutum, & linguæ expers: quanquam Anſelmus nihil eſſe dixit ſine voce, quia nulla res eſt, quæ non habeat ſuam in vnaquaque lingua appellationem. Sed ea interpretatio non ſatis videtur voci Græcæ conuenire. Meliùs Hieronymiani commentarij, *Nihil* (inquiunt) *eſſe ſine voce quod quidē linguam habeat*: quaſi etiā animantiū voces comprehendi exiſtiment: niſi fortè linguam pro idiomate poſuit, vt ſentiat de hominibus. II.

a 1. Tuſc.

ST ERGO NESCIERO VIRTVTEM vocis, &c. Colligit (quod ſæpè iam dixit nihil prodeſſe vſum linguæ niſi vis, & ſignificatio vocum percipiatur. *Si ergo* (inquit) *neſciero virtutem vocis.* Græcè δύναμιν, hoc eſt vim, & poteſtatem, ſeu ſenſum vocis, & verborum. *Ero* (inquit) *qui loquor barbarus.* Græcè λαλοῦντι, id eſt, ero loquenti barbarus, quippe qui nihil intelligam eorum, quæ dicit. *Et qui loquitur mihi*, Græcè ἐν ἐμοί, hoc eſt in me: quaſi dicat; mihi aut meo iudicio barbarus erit, hoc eſt tā is, qui loquitur, quā ego, qui audio, barbari cēſebimur. Veteres enim (vt alibi dixi) barbarum vocabāt peregrinū, deinde vox deflexa eſt ad ſermonis abſurditatem; offendit enim ſermo peregrinus imperitos, & ignaros, etiamſi interdum ſit noſtrate concinnior; poſtremò cœpit accommodari ad mores efferos, atque aſperos: quocirca olim Græci præter ſe omnes barbaros vocabant. Certè Ioſephus [b], & [c] Philo etiam Hebræos, quamuis ipſi Hebræi eſſent, inter barbaros numerant. Homerus porrò Caras ob peregrinum, & abſurdum linguæ ſonum βαρβαροφώνους appellat. Et Ouidius [d] apud Getas agens: II.

b In Proœm. l. 7. de bel. Iud.

c l. 1. de vita Moſ.

d lib. de triſtib.

Barba

Barbarus (inquit) hic ego ſum, quia non intelligor vlli. A
el. aſ- Et Plautus [a] Græcam fabulam, quã Latinam fecerat, barbarè ſe vertiſſe ſcribit. Celebratur & Anacharſidis ſcitum planè dictũ Scythas quidem apud Athenienſes barbaros eſſe, ſed viciſſim Athenienſes apud Scythas. Putatur autem hoc nomen fi-
4. Geo- ctum eſſe, vt alicubi Strabo [b] ſcribit, & ab incundito vocũ ſono deductum, vt aliàs monui. Rectè igitur dicit Apoſtolus; Si peregrina lingua loquatur, fore ſe auditoribus barbarum, & auditores ſibi, non quidem (vt ait Chryſoſtomus) ex natura vocis, ſed ex mutua ignoratione. Obſeruat autem idem Chryſoſtomus, non dixiſſe Apoſtolum fore ſe ſimpliciter barbarum, ſed ei cui loquitur, & eundem ſibi barbarum fore, niſi accedat induſtria interpretis. Eodem modo loquitur Theophylactus; nec diſcrepant Latini interpretes, qui propterea hæc ab Apoſtolo inculcari putant, vt animorum conſenſionem ſuadeat; quæ hac vocum, & linguarum diſſonantia non mediocriter læditur.

12. Sic et vos qvoniam æmvlatores, &c. Neſcio vtrùm id probandum ſit, quod hoc loco ait Theodoretus, hæc ironicè ab Apoſtolo dicta eſſe, perinde quaſi eos perſtringat, quòd nequaquam ſpiritualia ſectentur: nam re vera Corinthij Spiritus ſancti chariſmata ambibãt, ſed perperã, quippe qui non Eccleſiæ vtilitatem, ſed aurã potiùs popularem ſectarentur. Videtur igitur potiùs, quòd Chryſoſtomus, & Theophylactus inſinuant, quod modò de ſe ipſo dixerat, Corinthiis accommodare. Quãdoquidem (inquit) tanto ſtudio, atque animi contentione Spiritus ſancti dona appetitis, nolite in re tam ſancta inanem plauſum ſectari; ſed potiùs veſtros omnes labores, conatúſque ad Eccleſiæ vtilitatem, atque ædificationem referte. Nonnulli tamen apud Theophylactum hanc ſententiam ita diſtinguunt, vt hæc verba; *ſic & vos;* cùm ſuperioribus, non autem cum ſequentibus iungantur: quaſi dicat Apoſtolus, ſic & vos linguis loquentes, & verba obſcura, atque incognita temerè iactantes, barbari videmini, mox quaſi nouo principio ſubdat; *Quia æmulatores eſtis ſpirituum, ad ædificationem Eccleſiæ quærite, vt abundetis.* Sed ea diſtinctio Theophylacto non probatur; vt re vera, ſi Græcanici ſermonis ratio retinenda ſit, probari nullo modo poteſt. Chryſoſtomo igitur, Theodoreto, Theophylacto, & pleriſque Latinis aſſentior, qui (vt dixi) ſuperiorem ſententiam putant Corinthiis aptari: Ne igitur (inquit) vos barbari videamini, quoniam auidè Spiritus ſancti chariſmata cupitis, date operam vt ad Eccleſiæ vtilitatem quàm maximè excellatis: hoc eſt, optima, & præſtantiſſima, quæque plurimum Eccleſiæ proſint, omni ſtudio, ac labore quærite. Priorem tamen diſtinctionem ſequutus videtur Anſelmus. *Sic & vos* (inquit) *eritis ad inuicem barbari, ſi per incognitam linguam alter alteri locutus fuerit, & ita erit diſſenſio inter vos; propterea non diſſonantiam ignotarum linguarum, per quas diſcordia generetur, debetis appetere, ſed vnitatem intellectus, per quam communi lætitia gloriemini.* Verùm (vt dixi) Græca locutio eam diſtinctionem non admittit; alioqui enim tollenda eſſet particula ἵνα, & in Latina interpretatione coactus eſt Anſelmus addere coniunctionem, *&*, quæ tamen in Græcis codicibus non habetur. Porrò quod ait interpres, *Quærite, vt abundetis*, Græcè eſt περισσεύητε, hoc eſt, excellatis. *Tantùm abeſt* (inquit Theophylactus) *vt prohibeam vos loqui linguis, vt vehementer cupiam potiùs vos in eo genere maximè excellere, modò omnia ad Eccleſiæ vtilitatem referatis.* Oecumenius referre videtur ad copiam donorum: poſſis fortaſſe meliùs ad eiuſdem doni præſtantiam aptare, propterea addit Anſelmus, & meo quidem iudicio rectè; *vt non ſolùm linguis loquamini, ſed etiam interpretemini, vt inde capiat Eccleſia aliquam vtilitatem.* Quocirca bene ſubdit:

B

C

D

E

Et ideo qvi loqvitvr lingva, &c. *Modum explicat* (inquit Theophylactus, ſecutus Oecumeniũ) *quo poſſit linguarum donum Eccleſiæ prodeſſe. Quibus* (inquit) *munere à Deo dignatus eſt, oret, vt etiã facultatem interpretandi accipiat.* Oſtendit enim (vt ait Chryſoſtomus) hoc eſſe in eorum poteſtate. *Nam ſi diligenter* (inquit) *& magno ſtudio petieris, accipies. Petere ergo, vt non ſolùm habeas donum linguæ, ſed etiam interpretationis, vt ſis omnibus vtilis; nec donum in te ſolum includas.* Addit Anſelmus: *Oret non labiis tantùm, ſed affectu cordis, vt exaudiri mereatur.* Atque hac ratione (vt indicat Oecum.) oſtendit per eos ſtare quominùs Eccleſiæ proſint, vt tacitè videatur eorum iactantiam, & cænodoxiam perſtringere, qui nihil viderentur aliud quærere, niſi plauſum popularem, & vulgi admirationem, dum peregrina, & incognita verba funderent. Loquitur autem Apoſtolus de primis illis Eccleſiæ Orientis exordiis, cùm hæc Spiritus ſancti chariſmata ad erudiendos Gentiles, & Eccleſiam informandam penitùs erant neceſſaria; atque adeò ritè ea petenti diuinitùs concedenda videbantur; aut certè ei, qui linguarum facultate valeret aliquis adiungendus erat, qui interpretis munere fungeretur, de quo ſuprà nonnulla diximus. Ex ſuperioribus autem conſtat hoc eſſe ad vtilitatem Eccleſiæ prorſus neceſſarium. Quoniam verò hæc omnis Apoſtoli diſputatio eò ſpectat, vt ex linguarum dono nonnullum Eccleſia percipiat fructum, multa in hanc ſententiam congerit, & multis modis rei magnitudinem extollit. Eam ob cauſam addit: 13 1.

Nam si orem lingva, spiritvs, &c. Hæretici qui putant, hoc loco Paulum de publicis Eccleſiæ precibus agere, Catholicam Eccleſiam acerbè reprehendunt, quod Græco Latinóque idiomate hymnos, Pſalmos, omnes denique ſacras preces coram imperita multitudine temerè, atque inaniter fundat. At qui ſe aliorum magiſtros venditant, non animaduertunt non loqui Apoſtolum de Pſalmodia, aut liturgia, aut etiam diuinis Scripturis, aliíſve publicis precibus; conſtat enim hæc omnia in Græcia Græco idiomate frequentari conſueuiſſe. Itaque loquitur Paulus de priuatis precibus, deque gratiarum actionibus, adhortationibus, colloquutionibus, quæ in conuentu eccleſiaſtico à priuatis vſurpabantur: eos autem reprehendit, qui aliquid horum ignota, & peregrina lingua factitarent. Conſueuiſſe enim Chriſtianos ſpiritualia cantica ex ingenio in eccleſiaſtico cœtu in Dei laudem canere, ex Philone docet Euſebius [a], planúſque oſtendunt Dionyſius [b], & Tertullianus [c], quò refero quod ad Epheſios [d], & Coloſſenſes [e] ſcribit Apoſtolus, dum eos hortatur, vt Pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus ſeipſos commoneant. Itaque de his priuatis precibus hæc ſcribit Paulus: *Si orem* (inquit) *lingua, ſpiritus meus orat, mens autem mea ſine fructu eſt.* Spiritum à mente apertè diſtinguit: quo ſenſu haud ſatis liquet; nam ſpiritum pro voce accipi, vt Anſelmus aliíque nonnulli volunt, quis credat? Quærendum igitur eſt quid ſpiritus, quid mentis nomine ſignificetur. Chryſoſtomus, Oecumenius, Theophylactus, & (vt apparet) etiam Ambroſius ſpiritum interpretantur donum ſancti Spiritus. Ad Romanos [f] enim ſcripſit Apoſtolus. *Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram; nam quid oremus ſicut oportet neſcimus, ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Auguſtinus [g] ſpiritum interpretatur *eum, qui in homine* 14. 1.

a lib. 2. hiſt. c. 17.
b cap. 3. & 4. de diuin. nomin.
c In apol. c. 39.
d cap. 5. 19.
e cap. 3. 16.
f cap. 8. 26.
g lib. 14. de Trin. c. 16.

mine à mente diſtinguitur, ad quem pertinent imaginationes ſimiles corporum; putat enim de iis agi, qui lingua quidem orant, nihil tamen intelligunt eorum, quæ dicunt. Sunt qui putent, ſpiritum pro intentione poni, qui tamen non ſatis explicant, quomodo mens fructu careat, ſi intentio, quæ mentis, atque intelligentiæ actionem ſequitur, vtilitet oret. Ego primùm non poſſum iis aſſentiri, qui de iis Apoſtolum loqui exiſtimant, qui ita peregrina lingua orarent, vt quæ dicerent ne ipſi quidem planè perciperent. Quanquam enim cum Theophylacto admitto, longè abeſſe ab hæreſi atque errore Montani, cùm ille de prophetia, hi verò de linguarum dono loquantur; non facilè tamen admiſerim eos, qui linguarum facultate præditi eſ- B ſent, pſittacorum more verba demurmurare conſueuiſſe, quorum vim, ac poteſtatem penitus ignorarent, atque idcirco non ſans probo quod Auguſtinus, & alij dicunt, ſpiritum hoc loco pro ea facultate accipi, quam Græci phantaſiam vocant, nos cogitationem Latinè poſſumus nominare.

III. Deinde crediderim haud dubiè Paulum per ſpiritum ſignificare orantis animum, ſeu affectum, qui ſi rectè orat ſuarum precum vtilitate perfruitur: per mentem verò indicare intelligentiam cognitione præditam, quæ dicitur carere fructu, non quidem in ſe ipſa, ſed Eccleſiæ, atque audientium reſpectu; qui ex ea lingua, aut prece quam non intelligunt, nihil penitus iuuantur. C Quæ eſt aperta ſententia Baſilij, qui de hoc Pauli loco hunc in modum alicubi [a] diſputat: *Quomodo* (inquit) *ſpiritus alicuius orat, & mens eius eſt ſine fructu?* Reſpondet: *Hoc de iis dictum eſt, qui lingua audientibus ignota orationes factitarent: ait enim, ſi orem lingua, ſpiritus meus orat, mens autem mea ſine fructu eſt. Quotieſcumque enim iis, qui adſunt, ignota ſunt verba orationis, tunc ſine controuerſia orantis mens ſine fructu eſt, quippe cùm inde nullum fructum capiat. Contrà autem quandocumque qui adſunt, orationem intelligunt, qua audientes poſſit iuuare, tunc ſine dubio qui orat fructum habet, quòd meliores fiant qui iuuantur.* Fauet huic explicationi quod paulò pòſt ſubdit Apoſtolus: *Volo quinque verba ſenſu meo loqui.* Græcè διὰ τοῦ νοός μου hoc eſt in mente, ſeu intelligentia mea. D Quaſi dicat, quod mente, & cogitatione percipi, aliis paucis explicare percupio. Itémque illud: *Nam tu quidem bene gratias agis, ſed alius non ædificatur.* Denique ob hanc cauſam ait: *Orabo ſpiritu orabo & mente: pſallam ſpiritu pſallam & mente.* Id eſt non meam ſolùm, ſed aliorum etiam vtilitatem quæram. Itaque ſi orem (inquit) ex dono linguarum, nulla adhibita interpretatione, apud eos qui peregrinum idioma non intelligunt, mens mea, quæ vtrumque percipit, quæ dico ἄκαρπός ἐστι, nullum parit fructum: quaſi dicat infrugifera, & inutilis quod attinet ad alios.

IV. Photius apud Oecumenium orandi verbum accipit pro eo quod eſt loqui, totámque ſententiam ita explicat: *Si quid loquar eorum, quæ neceſſaria ſunt & honeſta, ſed id non interpreter etiam audi-* E *toribus, me ipſum quidem iuuo: nam hoc eſt quod ait, Spiritus meus orat; id eſt ego ſolus fruor re illa neceſſaria, & honeſta, ſed alius non accipit vtilitatem, vt mens mea etiam inde increſcat fructũ vtilitatis iſtorũ.* Quocirca mẽtem putat carere fructu, quem alioqui perceptura erat, ſi aliis prodeſſet; nam mox ſubdit: *Itaque tali fructu mẽtem priuari rurſúmque frui ſupponit, eo quod illa inter multas potentias maximè amet proximi vtilitatem, quomodo neque vis iraſcibilis mouetur, neque concupiſcibilis.* Significat enim animæ ſentientis facultates ad priuatum cuiuſque vſum à natura fuiſſe conceſſas; A mentem verò, atque intelligentiam etiam id ſpectare, quod aliis proſit; nam ob id Philoſophi dicunt, hominem non ſibi ſoli natum eſſe, ſed patriam, ſed parentes, ſed amicos magnam ſibi partem vendicare. Mens igitur ſine fructu eſſe dicitur, quæ ita coram aliis loquitur, vt nemini proſit: atque ita à Theologis otioſa verba dicuntur, quæ iuſta neceſſitate, vel vtilitate carent.

[a] Regul. breuior. 278.

QVID ERGO EST? ORABO SPIRITV, &c. Quid igitur (ait) agendum exiſtimabimus? Ita, inquit, orandum, & pſallendum eſt, vt non modò ſpiritus orantis, aut pſallentis fructum aliquem percipiat, ſed mens in audientibus etiam nonnullam pariat vtilitatem: menti enim tribuitur audientium vtilitas, quia illa, quæ rectè nouit, B interpretando auditorum captui accommodat. Id autem qui orat, & pſallit, potiſſimum ſpectare debet, vt qui audiunt fructum aliquem capiant. Et quamquam agit Apoſtolus de priuatis precibus, hoc eſt quæ à ſingulis priuato nomine fiunt, eas tamen intelligit, quæ coram circumfuſa multitudine ad communem vtilitatem funduntur. Chryſoſtomus, & Theophylactus in ſua perſiſtunt ſententia, itaque orandum, & pſallendum docẽt, vt mens nõ ignoret quæ lingua loquitur. Verùm meliùs Theodoretus mentem interpretatur manifeſtationem eorum, quæ dicuntur; itaque verba Pauli accipit, quaſi dicat oportere eum, qui C aliena loquitur lingua ſiue in pſalmodia, ſiue in oratione, ſiue in doctrina, vel ipſum interpretari ad vtilitatem eorum, qui audiunt, vel aſſumere alium doctrinæ adiutorem, qui hoc poſſit facere. Ambroſius, Anſelmus, & alij Latini, qui ſpiritum pro linguæ ſono & externa voce accipiunt, ita orandum dicunt, vt non ſolùm lingua, aut pars animi inferior, ſed etiam mentis affectus oret: quod tamen non ſatis cum antecedentibus, & conſequentibus cohæret; ſiquidem apparet loqui Apoſtolum de Eccleſiæ ædificatione, déque eorum vtilitate, qui precantem, aut pſallentẽ audiunt. Itaque rectè Oecumenius: *Quid oportet* (inquit) *fieri? quomodo nobis continget ne ſine fructu ſimus?* Quomodo? *ſi per virtutem nobis curæ ſit, vt qui linguis loquitur, & ſpiritu loquatur, &* D *mente; hoc eſt & cauſa propria vtilitatis loquatur, & vt mens mutuo fructu fruatur: hic autem proximorum eſt vtilitas ad autem oru. ſi linguis loquẽtes donum accipiamus, vt etiam interpretemur.*

CÆTERVM SI BENEDIXERIS SPIRITV, &c. 16. I. Qui ſpiritum pro dono, ſeu pro linguæ ſono accipiunt, facilè ſe expediunt; putant enim Apoſtolum dicere eum, qui lingua tantùm loquitur, non etiam mente, non ita orare vt eius oratio probari poſſit. At (ni fallor) hic ipſe locus, & is qui continuò ſequitur, noſtram explicationem confirmat. Eſt enim ſenſus: ſi benedixeris ſpiritu, hoc eſt; ſi ex animo oraueris ſecluſa mente, de qua dictum eſt, & linguæ facultate vtaris abſque interpretis opera, *is qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet,* E *Amen ſuper tuam benedictionem*: Porrò quam hic benedictionem, paulò pòſt vocat gratiarum actionem, ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ. Et poſt nonnulla: *Tu quidem bene gratias agis*, καλῶς εὐχαριστεῖς, cùm ſine dubio agat Apoſtolus de ſimplici precatione, de qua loqui cœpit ab eo loco, *ſi orem lingua, ſpiritus meus orat*; nam vtrumque & benedicere, id eſt Dei laudes celebrare, & Deo gratias agere ad precationem pertinent, vt appareat εὐλογεῖν non neceſſariò inuoluere externam vllam actionem, aut motum corporis, quod tamen plurimi Latinorum exiſtimant, vt alibi copioſiùs oſtendo. Quod ſequitur: *Qui ſupplet locum*

locum idiotæ, quomodo dicet amen, ſuper tuam benedi- A
ctionem; magnam inuoluit difficultatem. Vt enim concedamus, quod Chryſoſtomus, Theophylactus, Ambroſius, & alij affirmant agere Apoſtolum de precibus, non facilè explicari poteſt quiſnam ſit is, qui ſupplet locum idiotæ, & quomodo reſpondeat amen. Itaque qui verba Pauli accipiunt de publicis, atque eccleſiaſticis precibus, idiotam intelligunt eum, qui pro populo reſpondet, vt adimplere locum idiotæ ſit pro imperita multitudine reſpondere: ita Primaſius, & plurimi Latinorum. Verùm id non facilè admittendum videtur, cùm Apoſtolorum ætate omnis populus precanti ſacerdoti reſpondere conſueuiſſet, amen; idque diu in Eccleſia retentum docent Iuſtinus [a] martyr, & Hieronymus [b]: & ille
quidem ait. *Et præpoſitus itidem quantum pro viri-* B
li ſua poteſt, preces & gratiarum actiones fundit, & populus fauſtè acclamat, dicens amen. Hic verò de tota Eccleſia agens. *Ad ſimilitudinem*, inquit, *cœleſtis tonitrui reboat, amen.* Sed vt paulò antè monui, fuſiúſque alibi oſtendo, non de publicis, ſed de priuatis precibus loquitur Apoſtolus, quæ tamen in cœtu Eccleſiaſtico habebantur, vt cuique numen afflaſſet. Vult autem Paulus eiuſmodi eſſe preces, quibus poſſint idiotæ, hoc eſt priuati populares, & imperiti reſpondere *amen*, & ſua acclamatione veluti approbare. Neque enim probare, aut laudare quiſquam poteſt, quod prorsùs non intelligit, & idcirco ait Apoſtolus. *Qui ſupplet locum idiotæ.* græcè ἀναπληρῶν τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου, quæ verba non ſigni-
ficant qui vicem gerit idiotæ, ſed qui implet, id eſt C
occupat locum idiotæ, qui ſedet inter idiotas, qui inter illos numeratur, qui priuati ſedent, nullóque publico magiſtratu funguntur. Quæ videtur ſententia Chryſoſtomi, & Theophylacti, quorum ille ait. *Idiotam autem dicit laicum, & oſtendit eum non paruum damnum accipere, quando non poteſt dicere amen: hoc eſt autem, quod dicit: ſi barbarorum voce benedicas, neſciens quid dicas, neque valens interpretari, non poteſt laicus reſpondere amen; non audiens enim illud in ſæcula ſæculorum quod eſt finis, non dicit amen.* Eſt autem *amen* vox Hebræa ab eodem verbo deducta, à quo fides, & veritas; atque ita duplex eſt eius vſus: nam aliquando rem, de qua agitur, quaſi confirmat, eámque certã eſſe, miniméque dubiam indicat,
modò vſurpatur à Chriſto, quaſi pro iuramento, vt D
cùm ſæpe in Euãgelio legimus *Amen dico vobis.* Aliàs eſt quaſi optantis, idémque valet quod, ſic fiat, ita ſit, vel quidpiam ſimile. Retenta eſt autem vt Alleluya, Sabaoth, & ſi quæ ſunt aliæ Hebrææ voces: certè cùm in liturgia frequentatur, vt plurimùm optantis eſt: apud Græcos cùm conſecranti populus reſpondet *Amen*, affirmantis eſt. Ob hanc igitur cauſam inquit Apoſtolus, eum qui peregrinum idioma nõ percipit, non poſſe precanti, aut benedicenti reſpõdere *amen*: nec enim affirmare, aut optare poteſt quiſquã, quod prorſus non intelligit: ob id enim ſubdit. *Quoniam*
II. *quid dicas neſcit.* Ex hoc autem loco colligunt nonnulli loqui Paulũ de publicis Eccleſiæ precibus, præcipuè de liturgia: hoc enim indicare videntur Græca
verba εὐλογεῖν & εὐχαριστεῖν, quæ in liturgia vſurpan- E
tur. Accedit quod Iuſtinus martyr loco indicato *amen* reſpondere ſcribit precationi & gratiarũ actioni, quæ habetur à præpoſito, quæ procul dubio publica, & ſolemnis erat. Ita colligunt numquã conſueuiſſe populum reſpondere *amen*, niſi rationi publicæ, quæ ab Eccleſiæ miniſtris, ac ſacerdotibus in Eccleſia haberetur. Putant autem argumentari Apoſtolum ex hypotheſi, quaſi dicat: ſi liturgia ignoto, à peregrino idiomate conficeretur, non poſſe populum reſpondere *amen*: vnde colligit multò magis ab Eccleſiaſti-
A ca conſuetudine alienum videri, ſi quis incognita lingua ad populum verba faciat. Et quidem Chryſoſtomus non obſcurè hoc videtur indicare, cum dicat non poſſe populum reſpondere *amen*, niſi audiat cõſueta illa verba *In ſæcula ſæculorum*; quæ in ſacrificio Miſſæ, & diuina pſalmodia frequenter vſurpantur. ſed non animaduertunt viri docti nimium ſe fauere hæreticis, qui Eccleſiaſticas preces, liturgiam, & Pſalmodiam vulgari idiomate, vt ab omnibus intelligantur, celebrandas eſſe contendunt; quod tamen (vt alio loco doceo) Apoſtolicæ traditioni repugnat, Quamobrem quod hîc Paulus ait εὐλογεῖν, εὐχαριστεῖν, ampliori ſignificatione accipiendum eſt, vt ad omnẽ etiam priuatam benedictionem, & gratiarum actionem referatur; , vt rectè in præſentia monet Oecu-
B menius. *Siquidem*, ait, *tu bene, & ad tui ipſius commodum, ſi res ferat, benedicis, & gratias agis, aut aliud quidpiam eorum, quæ fieri oportet, agis (vbique enim hoc verbum vult ſubaudiri, & non in aliquo genere definito inſiſtere: ideo nunc quidem dicit pſallere, alibi verò benedicere, & poſt ipſum etiam pro eodem ponit, gratias agere, oſtendens quod vbique ſit eius adhortatio, ac ſtudium de omni re neceſſaria, ac conuenienti, quæ linguis exprimitur) Itaque, vt dixi, tu quidem linguis loquens ad tui ipſius commodum benedicis, vel gratias agis, aut aliud quidpiam loqueris; auditor verò nullum reportat lucrum, nihil à te iuuatur.* Et quamquam Iuſtinus martyr ad publicas ſacerdotum preces ſcribit conſueuiſſe populum reſpondere *amen*; non tamen negat, id etiam in priuatis fieri potuiſſe: & omninò
C veriſimile eſt ita fieri conſueuiſſe, idque magis in ratione priuata, quæ ad populi ædificationem tota referebatur. Cur autem non eadem ratione publicæ, atque Eccleſiaſticæ preces etiam idiomate noto, quódque ab omnibus percipiatur in Eccleſia fiant, alia ratio eſt. Publicæ enim preces pro populo ad Deum funduntur, ad populi quidem vtilitatem, ſed non eam, quæ olim in priuatis illis precibus, & canticis quærebatur. Illa enim (vt dictum eſt) quia referebatur ad inſtitutionem, & morum conformationem, niſi probè intelligeretur, nullam afferre poterat vtilitatem: publicæ verò Eccleſiæ preces ad impetrandum populo Dei patrocinium adhibentur; idque impetrare omnino poſſunt etiam, ſi populus orantis verba neque intelligat, neque au-
D diat. Accedit quòd Eccleſiaſticæ preces vt plurimùm ſacræ Scripturæ verba continent, quorum III.
magna eſt omnino vis, cùm ſolo auditu percipiuntur, etiamſi eorum ſenſus non intelligatur. Ita enim alicubi ſcribit Origenes [a]: *Si vides*, inquit, *aliquando legi ſcripturam in auribus tuis, quam non intelligis, interim hanc primam ſcias te ſuſcepiſſe vtilitatem, quod ſolo auditu, velut precatione quadam noxiarum virtutum, quæ te obſident, virtus depellitur.* Et Chryſoſtomus [b]. *Quid, ait, ſi non intelligamus, quæ continentur in ſacris libris? maximè quidem etiamſi non intelligas illic recondita, tamen ex ipſa lectione multa naſcitur ſanctimonia.* Quinetiam alicubi docet Auguſtinus [c], etiam priuatos, qui preces recitant, quas non intelligunt, non omnino carere fru-
E ctu. Iudæi namque non fruſtra Deum figuris, ac cæremoniis colebant, quarum tamen ſignificationes plurimi eorum longè minùs intelligebant, quàm nunc Græca, aut Latina verba ruſtici, & imperiti percipiant. In quam ſententiam rectè dixit Origenes [d]. *Et ſi nos non intelligimus quæ de ore proferimus, illæ tamen virtutes, quæ nobis adſunt, intelligunt, & velut carmine quodam inuitatæ adeſſe nobis, & ferre auxilium delectantur. Si enim credendum eſt à gentibus, quod quædam carmina, quas præcantationes appellant, quibus iſtud artis eſt inſuſurrãtes nominibus quibuſdam*

a In Apolog. 2. ad Ant. verſus finem.
b Præfat. in lib. 2. in ep. ad Galat.

a Hom. 20. in Ioſ.
b Hom. 3. de Laz.
c lib. 3 de doctrin. Chriſti cap. 9.
d Hom. 20. in Ioſ.

 compellatis,

compellatis, quæ ne illi quidem, qui inuocant, norunt, ex ſolo vocis ſono vel ſopiantur ſerpentes, vel etiam de cauernis protrahantur; quantò magis totius præcantationis, & carminis validiorem, & potentiorem ducendam credimus quamcumque Scriptura ſancta, vel ſermonum, vel nominum appellationem? Et aliquantò pòſt. *Solent medici præbere interdum cibum aliquem, interdum etiam potum dare, nec tamen in edendo ipſo cibo, vel in potando ſentimus, quia vtile eſt, &c. Hoc ergo modo credendum eſt etiam de Scriptura ſancta, quia vtilis eſt, & animæ prodeſt etiam, ſi ſenſus noſter ad præſens intelligentiam non capit.* Et (quod magis mirandum eſt) Auguſtinus[a] docet, nonnumquàm prodeſſe preces, & non omnino carere fructu, etiamſi in illis aliquid ab hæreticis ſit admixtum. *Multi,* inquit, *irruunt in preces, non ſolùm ab imperitis loquacibus, ſed etiam ab hæreticis compoſitas, & per ignorantia ſimplicitatem non eas valentes diſcernere vtuntur eis, arbitrantes quòd bona ſint, nec tamen quod in eis peruerſum eſt, euacuat illa quæ in eis bona ſunt, ſed potiùs ab eis euacuatur; ſicut in ipſo homine bonæ ſpei & probabilis fides: ſed tamen homine, ſi quid aliter ſapit, non inde euacuantur quæ rectè ſapit, donec ei Deus reuelet, & quod aliter ſapit.* Etenim vt ibidem affirmat, plerumque *precis vitium ſuperat precantis affectus.* Quæ cùm ita ſint, quæ hoc loco ſcribit Apoſtolus, ita prorsùs accipienda ſunt, vt ab iis precibus, quæ ignoto idiomate funduntur, non omnem vtilitatem remoueat, ſed eam quæ ad mores corrigendos, & vitæ rationem probè inſtituendam pertineat; illæ namque niſi percipiantur, planè ſurdis canuntur.

a lib. 6. de bapt. cap. 21.

17.
1. NAM TV QVIDEM BENE GRATIAS, &c. Hinc planè perſpicitur, de qua vtilitate loquatur Apoſtolus, de ea videlicet qua fideles in moribus ac virtutis ſtudio proficiunt. Itaque ait Chryſoſtomus. *Nam tu quidem bene gratias agis, ſpiritu enim impulſu loqueris, ſed ille nihil audiens, neque ſciens, quæ dicuntur, ſtat, non magnam accipiens vtilitatem.* Et Ambroſius. *Si vtique,* inquit, *ad ædificandam Eccleſiam conuenitis, ea debent dici, quæ intelligant audientes: nam quid prodeſt, vt quis lingua loquatur, quam ſolus ſcit, vt qui audit nihil proficiat? Ideo tacere debet in Eccleſia, vt ij loquantur qui proſint audientibus.* Atque ita noſtra ſententia magis confirmatur, vt intelligamus Apoſtolum hanc ſuam orationem non ad Eccleſiæ miniſtros, aut præſules dirigere, ſed ad ipſos fideles laicos, qui tamen excellere, & eminere inter cæteros viderentur, qui (vt ſæpè iam diximus) ad oſtentationem peregrina lingua & loquebantur, & interdum etiam orabant. Iis ergo dicit, *Tu quidem bene gratias agis,* vt in ſuperiori ſententia dixerat ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ, id eſt *ſuper tua gratiarum actione*; Sic etiam nunc ait, εὐχαριστεῖς: quia verò paulò antè dixerat, *ſi benedixeris ſpiritu.* Græcè εὐλογήσῃς, cùm procul dubio de eadem re loquatur Apoſtolus, pro Græca voce εὐχαριστίᾳ dixit interpres. *Super tuam benedictionem. Sed alter,* ait, *non ædificatur,* is videlicet, qui alienum idioma non percipit. Nec malè omnino[b] quidam in præſentia eas ſymphoniacorum modulationes reprehendunt, quæ tanto artificio ad Eccleſiaſticam pſalmodiam adhibentur, vt ne verborum quidem ſonus percipiatur: nam (vt paulò antè dixi) diuinæ Scripturæ verba aure duntaxat percepta non exiguam vim habent ad fidelium animos excitandos; quòd ſi ſymphoniacis modulis obſcurentur, etiam hoc fructu careant neceſſe eſt. Certè Philo[c] de cantu ſupplicum hunc in modum ſcribit. *Itaque non ſolùm contemplantur, ſed etiam cantica, hymnóſque in Dei laudem vario componunt metro carminúmque genere, rythmis concinnatos in auguſtiorem, ac religioſam ſpeciem.* Penè eadem ex illo recenſet Nicephorus[a]. Plinius[b] ad Traianum ait Chriſtianos conſueuiſſe Chriſto *carmen canere ſecum inuicem:* quod etiam ſcribit Euſebius[c]: & Tertullianus[d]. *Sonant,* inquit, *inter duos pſalmos, & hymnis, & mutuè prouocant quis meliùs Deo ſuo canat.* Mitto cætera, quæ de Eccleſiaſtico cantu obſeruarunt alij[e] ante nos. Illud pro certo habendum eſt numerum, ac rythmum ideo inuentum eſſe, vt quæ canuntur ſymphoniæ ſuauitate, altiùs in animum penetrent; cùm hæc artificioſa muſicæ ratio prophanas potiùs redoleat cantilenas, & theatra magis, quàm Dei templa deceat. Nam quæ inconditè, abſurdéque à nonnullis demurmurantur abſono, & incompoſito cantu omnem pietatis ſenſum prorſus extinguunt, & riſum multis excitant.

b Caiet.

c lib. de vit. contem plat. tio.

a l. 2. hiſt. c. 16
b lib. 10 epiſt. 97.
c lib. 2. hiſt. cap. 16.
d lib. 2. ad vxor. noſtri ſeculi.
e Franciſc. Aquiliq[illegible] tuli ... & in D. Cypr. de[illegible]

18.
1. GRATIAS AGO DEO MEO, QVOD, &c. Videri poterat Apoſtolus in deprimendo linguarum dono fortaſſe nimius; propterea ne exiſtimarent Corinthij, ſe idcircò eiuſmodi facultatem, atque vſum linguarum tam multis inſectari quòd ea ipſe careret; in præſentia affirmat, ſe maximè omnium linguarum facultate inſtructum eſſe, vt quod hactenus dixerat nemo iure queat perperam interpretari, quaſi liuoris, atque inuidentiæ tabo, aut veneno illita eſſent. *Omnium veſtrûm,* inquit, *lingua loquor:* non quaſi apud Corinthios plures eſſent natiuæ linguæ, ſed quòd nemo apud illos vlla quantumuis peregrina lingua vteretur, quam ipſe non teneret. Græca aliquid ampliùs ſignificant; ſic enim habent πάντων ὑμῶν μᾶλλον γλώσσαις λαλῶν, magis quàm vos omnes linguis loquor: nemo eſt inter vos, qui linguarum multitudine, atque varietate mecum cōferendus videatur. Quantū autem in eo genere valuerit Apoſtolus, indicat Lucas[f] in Actis Apoſtolicis. Cùm enim Paulus, & Barnabas Lyſtris Lycaoniæ eſſent, infideles ac barbari Deos illos mortaliū ſpecie inter homines viſos eſſe putabant; & Barnabam quidem Iouem appellabant, Paulum verò Mercurium, *quoniam ipſe erat dux verbi.* Sed tamen Hieronymus[g] ait, eum Græcam facundiam contempſiſſe, aut quòd erat Chriſtianæ modeſtiæ, & humilitatis diſſimulaſſe. Quamquam aliud eſt linguam aliquam callere, aliud eius lepores, & quaſi floſculos captare. Illud pertinebat ad facultatem linguarum, quæ Apoſtolis erat neceſſaria; hoc ad ornatum, & pompam, quæ fidei ſimplicitati, aut myſteriorum dignitati (vt aliàs monui) nequaquàm congruebat. Itaque Paulus ipſe hanc (vt arbitror) ob cauſam ſe vocat ſermone imperitum: id enim refero ad pigmenta verborum, & orationis lumina, quibus vt plurimùm non vtebatur, quod ad rem parum facere viderentur. Cùm enim vnam auditorum ſpectaret vtilitatem nihil eorum ſpectabatur, quæ ad auram popularem captandam referri poſſe viderentur. Qua ratione hîc etiam docet non ſe magnifacere linguarum varietatem, & multorum idiomatum iactantiam. Hieronymus[h] comparatiuum *magis* videtur referre ad cæteros Apoſtolos, vt intelligas Paulum omnium linguis loquutum magis, quàm reliquos Apoſtolos. paulò etiam aliter hunc locum citat quàm habeat editio vulgata, quam tamen probat Ambroſius. Græcos codices ſequutus Epiphanius[i], oſtenditque quomodo Paulus plus linguarum facultate valuerit, quàm Corinthij. *Vt oſtendat,* inquit, *ſe etiam Græca eruditionis excellens experimentum habuiſſe: nam & ſtylus ipſius indicat ipſum in primis diſciplinis verſatum eſſe, cui non potuerunt Epicurei, ac Stoici reſiſtere, ſubuerſi per lectam ab ipſo ſapienter Aræ inſcriptionem, quæ ignoto Deo inſcripta erat, de quo ſtatim interpretans dixit, quem*

f cap. 14. ...

g in Apolog. cont. Ruf. ad Pammac. & Marcell.

h epiſt. ad ... q. 8.

i Hær. 42. et ... contra ...

ignoran

ignorantes colitis, hunc ego annuntio vobis: & ipſe rurſus A *alibi cõfirmat dum ait; dixit quidã proprius ipſorũ poeta, Cretenſes ſemper mẽdaces, malæ beſtiæ, ventres pigri: per quæ verba Epimenidem indicat veterem philoſophum, & templi Mitræ, ſiue Solis apud Cretenſes ſacerdotem: ex quo etiam Callimachus Libycus teſtimoniũ protulit falsò de Ioue dicens. Res ſemper mendax, tibi qui Rex magne ſepulcrum erexit cùm non ſit mortuus ipſe perennis.*

SED IN ECCLESIA VOLO QVINQVE, &c.

19.
I. Hæc ſuperiori ſententiæ rectè ſubduntur. Quamuis, inquit, linguarum facultate plus cæteris valeam, malo tamen pauciſſimis in Eccleſia agere, ita vt ab auditoribus intelligar, quàm benè longam orationem texere ignota, & peregrina lingua. Mirum autem eſt quàm multa in his numeris excogitata ſint myſteria, cùm tamen re vera ſimpliciter prolata ſint ad ſigni- B ficandam breuiſſimam, & longiſſimam orationem: quaſi dicat Apoſtolus, meliorẽ eſſe cohortationem, quæ ab omnibus percipiatur, licèt breuiſſima ſit, quàm longiſſimam, ſi nemo eam intelligat. Sunt tamen qui quinque verba interpretentur ea, quæ aliquanto pòſt enumerabit. *Cùm cõuenitis*, inquit, *vnuſquiſque veſtrum Pſalmum habet, doctrinam habet, Apocalypſim habet, linguam habet, interpretationem habet, omnia ad ædificationem fiant.* Sed illa quinque ſunt Spiritus ſancti munera, de quibus paulò antè dixit. *Si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, niſi vobis loquar aut in reuelatione, aut in ſcientia, aut in prophetia, aut in doctrina?* Latini alia non pauca excogitarunt ex corruptis lacunis potius hauſta, quàm ex fontibus ducta. Quid enim, quæſo, ad rem fa- C ciunt quod nonnulli docent, orationem perfectam quinque conſtare, ſubiecto, prædicato, copula verbali, determinatione ſubiecti, determinatione prædicati? Quid item illa doctori quinque eſſe tradenda, quæ credenda, agenda, vitanda, ſperanda, timenda denique ſint? Cur non eadem ratione libros Pentatheuchi nominent? Cur non etiam (quod video placere quibuſdam) quinque verba intelligant quinque Chriſti vulnera? nam id certè minùs frigidum videri poterat. Quod ſi tam curioſè quinque verba perſcrutanda ſint; quid de decem millibus agendum erit? Quis, quæſo, tam multa verba enumerare poſſit? Itaque rectè Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Ambroſius, & alij breuem, ſed vtilem, longæ, & inani orationi, quæ non intelligatur, præferri affirmãt. Obſeruat autem Ambroſius Hebræos quoſdam inanis gloriolæ cupidos in fidelium cœtu conſueuiſſe barbaris, & exteris linguis temerè verba fundere, quos Apoſtolus tacitè perſtringit. Itaque dixit quinque verba, vt ſignificet ſe pauciſſima

II. malle dicere. Addit. *In ſenſu meo.* Græcè διὰ τοῦ νοός μου, hoc eſt mente mea: Mentem autem hîc accipit eo modo, quo ſupra, quæ videlicet non ſolùm intelligat, quæ loquitur, ſed auditoribus etiam explicet, & interpretetur, quod mox explanans, ait. *Vt & alios inſtruam.* Græcè κατηχήσω, id eſt erudiam; eſt enim propriè viua voce inſtruere, ac docere, vt aliàs monui. Ita Epiphanius [a]. *Mente mea*, inquit, *hoc eſt per interpretationem loqui. Quàm decem*, inquit, *millia verborum in lingua*, ignota videlicet, & peregrina, quæ nulla adhibita interpretatione ab auditoribus non percipiatur. Quod enim ait. *Lingua*, ex aduerſo reſponderet ei, quod modò dixerat, *In ſenſu meo.* Quocirca Bernardus [b] alicubi ita legit. *Malo in Eccleſia quinque loqui verba ſenſu meo, quam decem millia verborum ſine intellectu.* Quaſi idem ſit lingua loqui, & ſine intellectu, hoc eſt ſermone, qui non intelligatur. Cæterùm non ſatis intelligo, qua ratione nonnulli ex hoc loco colligant, fuiſſe Corinthi multa idiomata, & plures item Epiſcopos, qui variis natio-

[a] Hær. 42. ex epiſt. ad Cor. confut. 1.

[b] Ad fratres de Monte d.

A nibus præeſſent. Quod etiam de Philippis affirmant, cùm ad Philippenſes ſcribens Apoſtolus, Epiſcopos, & diaconos ſalutet. Nam, vt aliàs monui, tantùm abeſt, vt Corinthij plures, Epiſcopi rem Eccleſiaſticam adminiſtrarent, vt ne vllus quidem adhuc Epiſcopus auctore Ambroſio Corinthiis præeſſet. Quod verò attinet ad Philippenſes ſuo loco diximus, Epiſcoporum nomine ſignificari presbyteros. Apud Corinthios autem (vt ſuprà monui) non alia ratione plura erant idiomata, niſi quia multi linguarum facultatem diuinitùs acceperant: & fortaſſe qui peregrinam aliquam linguam callebant, eam in cœtu Eccleſiaſtico inaniter oſtentabant, eóque nomine ſeſe magnificentiùs circumſpiciebant.

FRATRES NOLITE PVERI EFFICI, &c. 20.

B Acutè Chryſoſtomus obſeruauit opportunè acriorem orationem ab Apoſtolo adhiberi, & accommodatiſſimum exemplum vſurpari. I.
Pueri enim, inquit, *parua quidem hianti ore ſtupent, & mirantur; rerum autem valde magnarum non tanta tenentur admiratione. Quoniam ergo iſti quoque linguarum habentes donum, ſe totum habere exiſtimabant, quod quidem erat aliorum vltimum; propterea dicit. Nolite pueri effici.* Verùm quoniam in pueris quædam laudãda ſunt, quædam verò minùs probanda, vtraque diſtinguit Apoſtolus. *Nolite*, inquit, *pueri effici ſenſibus.* Græcè ταῖς φρεσίν, quod Auguſtinus ſignificantiùs legit mentibus. Nam φρένας Græci vocant præcordia: quia verò veteres in corde ſitam eſſe putabant mentem, atque intelligentiam, ipſa præcordia & cor pro mente, ac C ſapientia ponunt: inde viri cordati dicuntur ſapientes, & prudentia prædici; contra verò imprudentes excordes, & væcordes appellantur, & apud Græcos inde dicta ſunt φρονεῖν, φρόνησις, φρόνιμος. Dicit igitur Paulus, ne puerorum mentem, atque intelligentiam, vno verbo inſcitiam, atque imprudentiam imitentur, quaſi tacitè inſinuet, eos qui peregrina oratione auram popularem captent, ſimiles eſſe pueris, qui leuiſſimas quaſque res magnifaciunt, & imprudẽter iactitant. Quòd ſi libeat pueros imitari, *Malitia paruuli eſtote*: græcè νηπιάζετε; quaſi dicat repueraſcite, puerorum videlicet innocentiam imitamini; exigua, aut potiùs nulla ſit in vobis malitia, *ne ordinem*, inquit Theodoretus, *inuertite*, nec puerorum ignorantiam, ſed innocentiam imitemini. *Senſibus autem*, ait, II.
D *perfecti eſtote*: hoc eſt (eodem Theodoreto interprete) perfectorum non improbitatem, ſed ſolertiam, & ingenij acumen retinete. Hac ratione dixit olim Chriſtus [a]. *Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorũ*: exigens nimirum puerorum ſimplicitatem, & animi demiſſionem, ac modeſtiam: non quaſi æqualis omnino ei, quæ in pueris eſt deſideretur humilitas, atque ſimplicitas; ſed illud proponitur exemplum, vt eò quàm proximè accedamus. Ita Clemens [b] Alexandrinus & Ambroſius [c] interpretantur. *Non ergo*, ait Clemens, *puerum appellatione vſus eſt, tanquam qui per ætatem eſſent inconſiderati, & ratione minimè vti poſſent, quemadmodum nonnulli ſenſerunt: neque ſi dixeris. Niſi fueritis ſicut hi pueli non intrabitis in regnum cœlorum, id* E *inerudite accipiendum eſt.* Et paulò pòſt *Iure ergo ſunt pueri, qui ſolum Deum patrem nouerunt, ſimplices infantes, integri, atque innocentes, qui ſunt vnicornium amatores.* Aliquantò autem pòſt. *Hic autem*, inquit, *par eſt attendere appellationem huius vocabuli νήπιος, quod infantem ſignificat; vt intelligatur τὸ νήπιον, non dici de inſipientibus: qui eſt enim inſipiens dicitur νηπύτιος. νήπιος autem, qui eſt νεήπιος, vt ἤπιος qui eſt lenis, ac mollis animo, quo fit vt dicatur νήπιος, qui moribus mitis, ac manſuetus recenter euaſit.* Et mox. *Mitis ergo, & manſuetus eſt infans; nempe νήπιος, & ea ratione*

[a] Matth. 18. 3.

[b] 1. Pæd. c 5.

[c] Serm 10.

magis tener, ac mollis: & tener, molliſque eſt, qui eſt ſimplex doli, ac fraudis expers, & remotus à ſimulatione, rectóque & erecto animo. Hoc igitur exigit Apoſtolus, cùm ait τῇ κακίᾳ νηπιάζετε, quod attinet ad malitiam puerorum mores imitemini. Ita enim alicubi [a] ſcribit Tertullianus. *Repuerascere*, inquit, *nos & Apoſtolus iubet ſecundùm Deum, vt malitia infantes per ſimplicitatem, ita demum ſapientes ſenſibus ſimus diuinæ ſapientiæ ordinem de ſimplicitate amando.* Propterea addit. *Senſibus autem perfecti eſtote.* Græcè, ταῖς δὲ φρεσὶ τέλειοι, vt tacitè inſinuet, non eſſe quærenda quæ valent ad oſtentationem, ſed quæ ſunt vtilia, quæque aliis prodeſſe poſſunt, ita ſemper eandem rem viget (vt ait Oecumenius) & linguarum iactantiam non magnifaciendam docet; leuiuſculum enim id ac puerile ſtudium eſſe ſignificat, & fortaſſe ad puerorum garrulitatem alludit.

a Aduer. Valent. c. 2.

A

B

21. IN LEGE SCRIPTVM EST; QVONIAM, &c.

I. Legis nomine (vt Chryſoſtomus monet) omnes ſacros libros intelligit: nuſquàm enim in lege hoc teſtimonium reperitur ſed legitur apud Iſaiam [b], neque ſatis conſtat, an prophetæ verba ad hunc Apoſtoli ſenſum accommodari poſſint. Ita enim ſcribit Iſaias. *In loquela enim labij, & lingua altera loquetur ad populum iſtum.* Septuaginta legunt, *In irriſione labiorum*, vox enim Hebræa deducitur à verbo לָעַג *labhagh*, quod ſignificat irridere. Eandem autem vocem alibi [c] apud eundem prophetam interpretatur Hieronymus, *diſertitudinem linguæ*; mirandum vt ſit, cur venerit in mentem quibuſdam interpretari in balbutientibus, aut bleſis labris. nam (quod nonnulli Latinorum dicunt, *loquelam labij*; periphraſim eſſe obſcuri ſermonis, quique non facilè intelligatur, euiuſmodi ſolet eſſe is, qui ſolo labrorum motu efformatur: probari poſſet, ſi exemplo, vel probabili ratione firmaretur. Certè *labhagh* ſignificat irridere, quaſi videatur propheta minari populo, miſſurum Deum exteros, & peregrinos doctores, quorum linguam quia non intelligent irriſuri ſint, vel quod ait Hieronymus polliceatur Deus ſe in poſterum alia longè diuerſa, planèque ignota ratione cum populo acturum, & qui olim futura minari conſueuerat, præſentia irrogaturum ſupplicia. Verùm neutra interpretatio ſatis commodè ſenſui Apoſtolico reſpondet, qui tamen non accommodatiorem, ſed veram, ac propriam Iſaiæ ſententiam ſequi videtur, cùm inde probet linguas datas in ſignum infidelibus. An minatur propheta pœnam verbi Dei contemptoribus qualem deſcribit Moſes [d] enim ait. *Adducet Dominus ſuper te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus in ſimilitudinem aquilæ volantis cum impetu, cuius linguam intelligere non poſſis.* Et Ieremias [e]. *Ecce ego adducam ſuper vos gentem de longinquo domus Iſrael, ait Dominus. Gentem robuſtam, gentem antiquam, gentem, cuius ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur?* Sed hoc ab Apoſtoli ſenſu longiſſimè abeſt. An quod ait Cyrillus [f] tanto ante prædicit Propheta, quod in die Pentecoſtes contigiſſe ſcribit Lucas? Cùm enim Apoſtoli diuino ſpiritu afflati variis linguis loquerentur magnalia Dei, Iudæi quidam irridentes dicebant. *Quia muſto pleni ſunt iſti.* Conſentit Septuaginta interpretatio. Tunc enim Deus per irriſionem labiorum, hoc eſt lingua, quam Iudæi irriderent, loquutus eſt, nec tamen Iudæi in eum crediderunt. Hoc ſanè modo locum hunc intellexit Tertullianus [g]. Epiphanius [h] autem refert hoc Iſaiæ vaticinium ad Christum, qui Apoſtolis alia lingua loquebatur, cùm myſteria regni Dei interpretabatur, quæ turbis in parabolis propoſuerat, neque illi percipere potuerunt: & reprehendens [i] Marcionem de hoc linguarum

b cap. 28. 11.

c cap. 32. 19.

C

D

d Deut. 28. 49.

e cap 5. 15.

f lib. 5. in Iſa. tom. 2.

g li. 5 in Marcion. c 4.

h Hær 42. et epi. 1. ad Cor. confut. 14.

i Confut. 11.

A dono agit, quo Corinthij abutebantur ad faſtum. Alterum igitur ex his videtur ſignificare Iſaias, ſed præcipuè quod ait Cyrillus, qua retenta ſententia, ipſa Iſaiæ verba profert Apoſtolus; niſi quod ordinē paululum inuertit; & quòd nonnullis interiectis ſubdit propheta. *Et noluerunt audire:* continuò addit Paulus. *Et nec ſic exaudient me.* Præter conſuetudinem autem ſequitur hoc loco Apoſtolus Hebræos fontes, non autem interpretationem Septuaginta. Hinc rectè colligit vſum peregrinarum linguarum, quo gloriabantur Corinthij, ſignum eſſe deſtinatum, non iis qui credunt, ſed infidelibus, id eſt iis quos Dominus vlciſcitur, vt Corinthij illo vſu præpoſtero videantur ſeſe execrationis, ac ſupplicij reos declarare, linguas autem infidelibus ait eſſe pro ſigno. nam vt II.

B Chryſoſtomus, Theophylactus, & Theodoretus affirmāt peregrina idiomata apud infideles nihil præter admirationem pariunt, quod in die Pentecoſtes vſu veniſſe obſeruat Theodoretus: vt enim ſcribit Lucas [a]; *ſtupebant omnes, & mirabantur dicentes: Nonne ecce omnes iſti qui loquuntur Galilæi ſunt; & quomodò audiuimus vnuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus?* Quod & paulò pòſt inſinuat Apoſtolus, cùm ait: *Si omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ aut infideles; nónne dicent quòd inſanitis?* Itaque tacitè eos perſtringit, qui apud Corinthios hoc linguarum donum magnifaciebant; quod tamen per ſe nihil habet præter admirationem. Quocirca ad eorū faſtum, & iactantiam deprimendam aptè hoc Iſaiæ vaticinio vſus eſt Apoſtolus; quod ita minatur pœ-

a cap. 2.

C nam, vt tamen ad erudiendos, fideique præceptis imbuendos mortales referatur, vt ferè omnia huius vitæ ſupplicia à Deo inflicta. Optimè verò conuenit hoc teſtimonium in Corinthios, qui linguarum facultate ad oſtentationem tantùm abutebantur. Nō ſatis verò probandū cenſeo quod hoc loco ait Oecumenius, voluiſſe Apoſtolum Iſaiæ teſtimonio oſtendere *non eſſe admodum vtile donum linguarum, quòd etiam incredulis contingat.* Neque enim id nunc agit Apoſtolus; ſed vt mox dicet linguas ait conceſſas ad vtilitatem infidelium. Illud probo quod idem Oecumenius in Iſaiæ vaticinio obſeruat, nō fruſtrà Deum linguarum conceſſiſſe donum, tametſi intelligeret,

D ne ſic quidem plurimos ad fidem adducendos: ita enim omnem præcidit excuſationem, vt quod alicubi [b] dixit Dauid: *vincas dum iudicatur.* Quò etiam pertinet illud eiuſdem Iſaiæ [c]. *Quid potui facere vineæ meæ, & nō feci? An quòd expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas?* Simpliciter igitur oſtendit inanem eſſe linguarum iactantiam. Subdit autem.

b Pſal. 50. 6.

c cap. 5. 4.

ITAQVE LINGVÆ IN SIGNVM SVNT, &c. 22.

Sæpe dixerat linguarum facultati præferendam eſſe prophetiam; nunc idipſum confirmat, quod illa tantùm apud infideles admirationi ſit: hæc verò ad inſtructionem, eruditionémque fidelium referatur. Vt enim ait Chryſoſtomus, fideles non indigent ſignis, aut prodigiis, ſed doctrina, & inſtitutione; accedit quod, vt idem Chryſoſtomus, & Theophylactus monent, propheria non eſt inutile ſignum datum infidelibus, quale eſt donum linguarū: ſed tam I.

E fidelibus, quàm infidelibus magnam affert vtilitatem. Quod Paulus ipſe non ita multò pòſt docet. *Si autem*, inquit, *omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus:* & quæ ſequuntur. Itaque non putant Chryſoſtomus, & Theodoretus, repetendū eſſe in ſecunda parte huius ſententiæ vocem *ſignum*; prophetiam enim negant eſſe ſignū, cùm tamē locutionis ratio id poſtulare videatur. Quamobrē Ambroſius linguas ait datas eſſe in ſignum infidelibus, *quia propter perfidiā factū eſt, ne audientes intelligant, ſed diuina myſteria*

incogni

incognita lingua, quaſi velo obducta occulentur, quod ſecus accidit fidelibus, quibus ipſa etiam prophetarum oracula perſpicua fiunt. Sed ne ipſe quidem ſatis explicat, vtrùm prophetia ſignum ſit fidelibus, quáque ratione id intelligendum ſit. Anſelmus linguas ait cæteráque miracula eſſe ſigna pro infidelibus, quibus Dei præſentiam, & potentiam agnoſcunt; prophetiam verò fidelibus ſignum eſſe, quia futurorum prædictioni prudenter acquieſcunt: vel ſi nomine prophetiæ interpretatio Scripturarum intelligatur, rectè dicitur non pertinere ad infideles, qui Scripturas nõ admittunt, ſed ad fideles, quibus abdita diuinitatis myſteria pateſiunt. Inde colligit præſtantiorem eſſe prophetiam, diuinæq; Scripturæ explicationem, quæ fidelium vtilitati ſeruit, perpetuóq; in Eccleſia perſeuerat, cùm linguarum facultas initio tantùm naſcentis Eccleſiæ vſui fuerit, deinceps verò penitus ceſſarit. verùm neque id dubitationem expedit; id enim quærimus, vtrùm prophetia ſignum ſit, an ſecus. Sic igitur ſentio, & ſic exiſtimo, reſpexiſſe Paulum ad id, quod in die Pentecoſtes accidiſſe legimus. Cùm enim eo die omnia Spiritus ſancti charismata Apoſtolis fuerint diuinitus conceſſa, Paulus diuinorum myſteriorum egregius interpres, allato præſertim Iſaiæ teſtimonio linguarum facultatem ſignum infidelibus promiſſum eſſe docet, prophetiam verò fidelibus tanquam ſignum deſtinatum: nam cùm infideles Iudæi Apoſtolos variis linguis loquentes irriderent, Petrus Apoſtolorum princeps, vt calumniam ebrietatis obiectę depelleret, Ioëlis [a] vaticinio de ſpiritu prophetiæ hunc in modum loquitur: *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ, & iuuenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt.* Ne quis autem exiſtimaret, hoc ſignum ad infideles Iudæos pertinere, ſubdit: *Et quidem ſuper ſeruos meos, & ſuper ancillas meas in diebus illis effundam de ſpiritu meo, & prophetabunt.* Ita videtur Apoſtolus voluiſſe ſignificare alterum quidem ſignum infidelibus, alterum fidelibus fuiſſe promiſſum: illi obſtupeſcunt, & admirantur, hi verò in doctrina, & moribus magnos progreſſus faciunt. Fatendum igitur eſt linguarum facultati longè anteferendam eſſe prophetiam. Neque verò donum linguarum ita pertinet ad infideles, vt non poſſit etiam apud fideles cum fructu vſurpari, ſi interpretatio adhibeatur, vt hoc ipſo capite monuit Apoſtolus: nec prophetiæ vtilitas intra Eccleſiæ fines ita circumſcribitur, vt non magna ex parte etiam ad Gentiles pertineat, quibus fidei noſtræ myſteria explicanda ſunt: ſed vtrique tribuit Apoſtolus, quod eſt maximè proprium, & quod cuique ſuapte natura ineſt. Nam alioqui, vt ait Theophylactus, *Prophetia ſiue futurorum prænotionem, ſiue Scripturarum cognitionem dicimus & fidelibus prosunt, & infidelibus:* quod mox Apoſtolus oſtendit, cùm ait:

Si ergo conveniat vniversa, &c. Argumento ducto ab abſurdo ſuam ſententiam confirmat Apoſtolus, vnáque oſtendit, quod ſibi toto hoc capite propoſitum eſt, inanem eſſe linguarum oſtentationem. Quid enim poteſt eſſe magis abſurdum, quàm ſi in cœtu fidelium omnes vario idiomate tanquam fanatici loquantur? *Manifeſtum eſt,* inquit Ambroſius, *quia ſi omnes diuerſis linguis loquantur, tumultus ſit quidam inconditus populi quaſi phreneſim patientis.* Id autem, vt monet Chryſoſtomus, non oritur ex ipſa natura doni, ſed ex infidelium amentia: poſſis etiam dicere, id oriri ex eo, quòd ſtultum videatur apud eos, qui nihil intelligunt, peregrina lingua deblaterare: ita vt monet Theophylactus iactè indicat, linguarum vſum ſi deſit interpretatio, interdum etiam obeſſe; *linguam enim audientes,* ait Chryſoſtomus, *infideles & inſipientes non ſolùm non lucriſaciunt, ſed etiam eos, qui loquuntur, irrident tanquam inſanos.* Si ergo inquit vniuerſa Eccleſia conueniat in vnum, hoc eſt omniũ fidelium cœtus cogatur, & omnes linguis loquantur, barbaris, & ignotis, quæ ab audientibus non percipiantur, *ingrediantur autem idiotæ.* Idiotas autẽ intelligit Theodoretus, qui myſteriis non ſunt initiati. Ambigo vtrùm eos ſignificet, qui nondum Chriſtiana ſacra perceperunt, vt iidem ſint idiotæ, & infideles, an eos qui ſacris initiati non ſunt, neque ad ordinem Eccleſiaſticorum miniſtrorũ pertinẽt: neutrum tamen ſatis videtur vim Græcæ vocis exprimere. Chryſoſtomus, & Theophylactus idiotas, & infideles pro iiſdem accipiunt, videnturque legiſſe ἰδιῶται καὶ ἄπιστοι, hoc eſt idiotæ & infideles. *Culpa* (inquit Chryſoſtomus) *illorum ruditatis eſt, & inſcitiæ; propterea adiecit idiotæ, & infideles. & paulo antè dixerat, ingrediantur autem infideles, & idiotæ.* At Græci codices habent disiunctiuam particulam ἢ, hoc eſt, *aut*, ſeu, *vel.* Græcè autem ἰδιῶται homines plebei dicuntur, quos aliàs vocant τοὺς τυχόντας, qui quoniam vt plurimum ſunt etiam imperiti, & rerum ignari, factum eſt, vt indocti miniméque ingenioſi, aut intelligentes dicantur idiotæ. Ita alicubi Sidonius [a]: *Ne idiotarum quidem imperitorúmque ſciſcitatio repudiaretur.* Et Cœlius [b] Aurelianus: *Apud inertes, quos idiotas appellant.* & alibi [c]: *quem plurimi idiotæ cordis dolorem vocauerunt. Nonne dicent quod inſanitis?* Ambroſius paulò clariùs legit: quia inſanitis; eſt enim Græcè ὅτι μαίνεσθε; vt omnino mendum ſit, quod habent nonnulli Latini codices: *Quid inſanitis?* Quanquam eadẽ eſt ſententia, ſed Græcis codicibus vbique aſtipulatur Ambroſius [d], & Anſelmus: *Dicent vtique,* ait, *vos inſanire, cùm videant locutionẽ veſtrã nemini prodeſſe, ſed quaſi arreptitios vociferari, ita vt alius aliũ non intelligat.*

Si autem omnes prophetent, &c. Longè ſecus accidere ait, ſi infidelis, aut idiota audiat omnes fideles in Eccleſia prophetare: tantùm enim abeſt, vt eos ſtultitiæ, aut inſaniæ inſimulet, vt admiretur potiùs, atque ſuſpiciat, & quod caput eſt, magnam etiam capiat vtilitatẽ, vt ex hac diſſimilitudine prophetiæ dignitas, atque præſtantia magis illuſtretur. Enumerat autem plures prophetiæ vtilitates. *Conuincitur* (inquit) *ab omnibus.* Græcè ἐλέγχεται, hoc eſt certo, atque euidẽti argumento concluditur, & penè cõſtrictus tenetur, ſiue quia videt, apud fideles eſſe vera oracula, ſiue quia percipit diuina myſteria, planéq; intelligit, quàm ſint & rationi conſentanea, & inter ſeſe congruentia: ita olim arguebantur [e] Iudæi à Stephano, *qui non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui loquebatur.* Ita Eunuchus à [f] Philippo Diacono Chriſto aggregatus eſt, ſic etiam alij permulti Chriſtianam fidem complexi ſunt fidelium doctrina, atque eruditione perſuaſi. *Diiudicatur ab omnibus.* Græcè ἀνακρίνεται, quod Anſelmus refert ad morum doctrinam, quam dum infidelis audit, ſuos mores, vitámque priſtinã deteſtari compellitur. Huc ſanè pertinet quod ad Hebræos ſcribit Apoſtolus [g]: *Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ, ac ſpiritus, compagum quoque, ac medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis.* Intelligit autem Apoſtolus, coargui, & diiudicari infideles ab omnibus, qui prophetant, quia vt ait Ambroſius *intelligunt, & intelliguntur: audientes autem Dei laudes, & Chriſti præconia, religionis Chriſtianæ veritatẽ, & maieſtatem agnoſcunt, in qua nihil fucatũ, nihil in tenebris geritur, quemadmodũ in prophanis ſuorũ ſacerdotis ſacris fieri vident.* Videtur Ambroſius ea tacitè innouare, quæ de infidelium ſacris eleganter à

cap.2.16.

[a] Ep.11 lib.4.

[b] lib.1. acut. morb. c.11.

[c] cap.15.

[d] l.2. de Spir. ſanct. c.19.

[e] Act.6.10.

[f] Act 8.18.

[g] cap.4.12.

a In Octauio. Minutio [a] deſcribuntur, *Vbi autem* (ait) *magis à ſacerdotibus, quàm inter aras, & delubra conducuntur ſtupra, tractantur lenocinia, adulteria meditantur? frequentiùs deniq; in æditruorum cellulis, quàm in ipſis lupanaribus, flagrans libido defungitur.* Et poſt nonnulla refellens calumniam de adoratis ſacerdotis virilibus ſubdit: *Iſta enim impudicitia eorum forſitan ſacra ſint, apud quos ſexus omnis membris omnibus proſtat, apud quos tota impudicitia vocatur vrbanitas, qui ſcortorum licentiæ inuident, qui medios viros lambunt libidinoſo ore, inguinibus inhæreſcunt, homines mala lingua etiam ſi tacerent, quos priùs tædeſcit impudicitiæ ſuæ, quàm pudeſcit.* At Chriſtiana religio, vt idem Minutius ait, ne obtrectatorum quidam calumniis fictiſque criminibus vel leui tantùm infamia potuit infuſcari. Extat Epiſtola [b] Lugdunēſis Eccleſiæ, ex qua conſtat à Gentilibus

b Apud Euſeb. l.5.c.1. & Aug. 18. Ciu. cap. 51.

B ſubornatos quoſdam Chriſtianorum ſeruos, vt tormentis coacti affirmarent in Chriſtianorum cœtibus eſſe Thyeſtæa cōuiuia, & Oedipodis inceſtus. Sed rectè ait Minutius: *Nec intelligebamus ab his fabulas iſtas ſemper ventilari, & nunquam vel inueſtigari vel probari, nec tanto tempore aliquem exiſtere qui proderet, non tantùm facti veniam, verumetiam iudicis gratiam conſecuturum.*

25. Occvlta cordis eivs manifesta, &c.
I. Quæ hactenus de prophetia dixit ſpectare poſſunt ad eos prophetas, qui fidei myſteria explicant, & ſacras litteras interpretantur: quod verò ait hoc loco proprium eſt eorum, qui verè dicuntur prophetæ, qui futura præuident, & abdita, & occulta cognoſcunt,

C Græci tamen codices non obſcurè indicant etiam ſuperiora de his accipienda eſſe, qui propriè prophetæ munere fungerentur. Sic enim habent καὶ οὕτω τὰ κρυπτὰ τῆς καρδίας αὐτοῦ φανερὰ γίνεται. Atque ita occulta cordis ipſius manifeſta fiunt, vt hoc videatur ex ſuperioribus pendere, quod multo magis cernitur in quibuſdam Latinis codicibus, qui habent particulam, *enim*; *Occulta enim* (inquiunt) *cordis eius manifeſta fiunt.* Quæ tamen particula non agnoſcitur ab Ambroſio, nec legitur in emendatioribus exēplaribus. Et profectò Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus hæc omnia eodem modo accepiſſe videntur de vera, & propria prophetia. Quod Chryſoſtomus, & Theodoretus Petri Apoſtoli exemplo confirmant.

D c Act. 5. 11. Cùm enim ille [c] occultum facinus Ananiæ, ac Sapphiræ diuino numinis afflatu protuliſſet in lucē, *Factus eſt* (inquit Lucas) *timor magnus in vniuerſa Eccleſia, & in omnes qui audierunt.* Theophylactus addit

d Cap. 2. 46. exemplum Danielis [d]; nam vbi ille Nabuchodonoſoris ſomnium, eiúſque interpretationem expoſuit, illicò Rex exclamauit: *Verè Deus veſter Deus deorum eſt, & Dominus regum, & reuelans myſteria, quoniam tu potuiſti aperire hoc ſacramentum.* Nec dubium eſt, pertinere ad prophetiæ munus quæ occulta ſunt patefacere; quanquam enim (vt monet Anſelmus) prophetia inde propriè nomen habuit, quòd futura prædicat; complectitur tamen tria tempora; præteritum, vt cùm Moſes mūdi opificium diuino Spiritus impulſu ſcripſit; futurum, vt cernitur in omnibus prophetis,

E qui de aduentu Chriſti, déque nouæ legis myſteriis vaticinantur; denique præſens, cùm mentis arcana, & quæ à noſtris ſenſibus remota ſunt, palàm pronuntiat; & de hoc poſtremo prophetiæ modo loquitur Paulus in præſentia: *Et ita* (inquit) *cadens in faciem adorabit Deum.* Ita enim ferè olim Hebræi adorare conſueuerant; vt in libris Regum [e] de Abdia ſcriptum eſt: *Cùmque eſſet Abdias in via, Elias occurrit ei, qui cùm cognouiſſet eum, cecidit ſuper faciem ſuam, & ait: Nónne tu es Domine mi Elias?* Sic enim expreſſit Scriptura adorantis actionem. Eodémque modo Abraham [f], cùm Angelos veneraretur, *cecidit in faciem ſuam.* Itaque Apo-

e III. cap. 18. 7.

f Cap. 17. Gen. 3.

A ſtolus cultum adorationis ſignificat. *Pronuntians*, addit, *quòd verè Deus in vobis ſit*; cùm videat hæc nonniſi diuina vi, ac poteſtate fieri poſſe. Et quidem magnum eſſe fidei noſtræ argumentum prophetiæ munus, haud obſcurè indicat Iſaias [a], *Annuntiate* (inquit) *nobis quæ ventura ſunt, & dicemus quia Dii eſtis vos.* Et Moſes in Deuteronomio [b]: *Hoc*, inquit, *habebis ſignum, quod in nomine Domini propheta prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non eſt locutus, ſed per tumorem animi ſui propheta confinxit.*

a Cap. 41. 23.

b Cap. 18. 22.

Qvid ergo est, fratres? &c. Docet iam qua ratione in conuentu eccleſiaſtico Spiritus ſancti muneribus vtendum ſit. Inter cætera autem donum linguarum recenſet, ne quia illud pluribus inſectatus erat, prorſus videretur execrari, aut à fi- 26. I.

B delium cœtu exterminare. *Vnuſquiſque* (inquit) *pſalmum habet.* Græcè eſt ἕκαστος, quod tamē non perinde accipio quaſi vnuſquiſque hæc omnia ſimul dona haberet; ſed quòd alius alio munere excelleret. Ita Theodoretus: *Rurſus* (ait) *oſtendit corpus, & membra corporis: per hoc enim quod dicit, Conuenitis, vnum corpus oſtendit: per illud autem vnuſquiſque habet hoc & illud, membrorum differentiā.* Et Anſelmus *Non dixit* (inquit) *quòd vnuſquiſque haberet hæc omnia; ſed oſtendit quia non erat quiſquam in eis qui horum aliquid non haberet. Atque idcirco vult vnumquemque ſiue pſalmum, ſiue doctrinam, ſiue Apocalypſim ad ædificationem proferre: & ſi linguis loquendum ſit, adhibendam eſſe interpretationem, vt auditores aliquid percipiant vtilitatis.* Itaque

C in paraphraſi maluimus dicere, alium quidem habere canticum, alium verò doctrinam, & ſic quæ deinceps ſequuntur. Præcipit autem Apoſtolus, vt omnia certo ordine, & ad aliorum vtilitatem peragantur. Huc enim cœtus illi Chriſtianorum olim referebantur, vt etiam Plinij [c] teſtimonio firmari poteſt. *Affirmabant autem* (inquit) *hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ, vel erroris, quòd eſſent ſoliti ſtato die ante lucem conuenire, carménque Chriſto, quaſi Deo dicere ſecum inuicem, ſéque ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent.* Hanc igitur ædificationem exigit Apoſtolus. Enumerat autem quinque præcipua, quæ perſpicuam, atque apertam habent vtilitatem. *Pſalmum* (inquit) *habet.* Canticum intelli- II.

c Lib. 10. Ep. 97.

D git ex proprio ingenio compoſitum: etenim (vt ait Chryſoſtomus) *pſalmos olim faciebant ex chariſmate ſeu dono*: neque enim de pſalmis Dauidicis loquitur hoc loco Apoſtolus, quanquam illos etiam cani conſueuiſſe, non eſt vllo modo dubitandum, ſed conſueuiſſe olim fideles hymnos à ſe compoſitos canere, colligitur ex Tertulliano, vt ſuprà indicaui: idipſum intelligi poteſt ex iis, quæ de Hierotheo ſcribit Dionyſius. *Doctrinam habet.* Refero id ad ſermonem ſapientiæ, & ſcientiæ, quæ ſunt vt ex ſuperioribus conſtat, Spiritus ſancti chariſmata. *Apocalypſim habet.* Hoc eſt reuelationem propheticam; ſic enim accipit Ambroſius, qui maluit Latinam vocē ponere, *Reuelationem. Linguam habet.* Peregrinā intelligit, & linguarum facultatem; ſuprà enim permiſit etiam linguis loqui,

E modò adhibeatur interpretatio, de qua mox; *Interpretationem habet.* Hoc enim etiam eſt Spiritus ſancti chariſma, quod cum peregrinis linguis agendum erat, maximè videbatur neceſſariū. *Omnia* (inquit) *ad ædificationem fiant. Concluſio hæc eſt*, ait Ambroſius, *vt nihil in caſſum in Eccleſia geratur, ſed magis laboretur, vt & imperiti proficiant, ne quid ſit corporis per imperitiam tenebroſum. Idcirco omnes paratos vult conuenire diuerſis donis ſpiritalibus, vt ipſa auiditate animi vigilantes inuicem ſe exhortati meliora dona æmularentur ad illuminationem fratrum.* Quæ totidem fermè verbis repetit Anſelmus. Hæc ſanè olim in ipſis naſcentis Eccleſiæ

incunabulis

incunabulis magno ſanè cum fructu vſurpabantur, cùm nondum pſalmodiæ, atque eccleſiaſticarum precum certa eſſet præſcripta, atque inſtituta ratio; nam vbi fidelium multitudo creuit, & adoleuit Eccleſia, cantus eccleſiaſtici certa quædam forma, & ratio indicta eſt, & docendi munus Epiſcopis, quorum eſt proprium reſeruatum, alicubi presbyteris, & nõnunquam etiam diaconis conceſſum eſt.

7. SIVE LINGVA QVIS LOQVITVR SE-
1. CVNDVM, &c. Quoniam præcipuè de linguarum dono egerat, eiuſque vſum nonniſi adhibita interpretatione permiſerat, tradit nunc rationem, & modum, quo id commodè, & cum vtilitate fiat. Si peregrina, inquit, lingua agendum ſit, *ſecundùm duos* (ait) *aut vt multum tres*. Græcè κατὰ δύο, ἢ τὸ πλεῖστον τρεῖς. Ambroſius Latinè dixit: *per duos, aut vt multum tres*. Potuiſſet etiam dicere, *ad ſummum tres*; hoc enim magis poſtulat Græca vox πλεῖστον, quod ſonat plurimum. Vult igitur, vt ait Ambroſius, duos aut ad ſummum tres loqui linguis, idque ſingillatim, & non omnes ſimul; hoc enim ſignificat, *per partes*. quaſi dicat viciſſim, ne videantur inſanire. Nõ patitur autem, plures loqui linguis, ne totum diem occupent, ſi præſertim adhibenda ſit interpretatio, ſed locus relinquatur doctoribus & prophetis, qui magnam vniuerſæ Eccleſiæ lucem afferunt. Eodem modo explicant Theodoretus, & Theophylactus; hac enim ratione rectè fieri quod paulò antè monuit, cùm iuſſit, omnia ad ædificationem referri. *Neque enim* (vt ait Chryſoſtomus) *idcirco fideles in Eccleſiam conueniebant, vt Spiritus ſancti chariſmata oſtentarent; ſed potiùs vt mutuò ſeſe ad virtutis, ac pietatis ſtudia prouocarent*. Prorſus igitur extra rem proferũt hoc loco quidam, quòd

nume. olim Moſes [a] ſcripſit in lege: *In ore duorum, aut trium teſtium*; neque enim id nunc agit Apoſtolus, ſed potiùs ſuadet perturbationem vitandam, & confuſionem, quæ proculdubio magna exiſteret, ſi plures eodem tempore incognitas, & peregrinas voces in Ec-

II. cleſia ederent. Cæterùm quod ait interpres, *per partes*; Græcè eſt κατὰ ἀνὰ μέρος, quod ſuprà diximus viciſſim. Ambroſius legit particulatim. Addit Anſelmus aliam quandam explicationem, vt *per partes*, idem ſit, quod quiſque in ſuo cœtu. Putat enim conſueuiſſe olim in eadem Eccleſia plures fieri conuentus, quibus ſinguli præeſſent, qui prophetarent, docerent, interpretarentur; ſed neſcio vtrùm eo tempore, quo hæc ſcripſit Apoſtolus ea eſſet recepta cõſuetudo. Multò enim poſt Chriſtianorum Eccleſiæ extructæ ſunt in tres ferè partes diſtributæ, quarum prima Græcè dicebatur πρόναος, Latinè veſtibulum; in ea variis gradibus diſtincti manere ſolebant pœnitentes, vt ex Gregorio [b] Neocæſarienſi, & Baſilio [c] colligitur: altera vocabatur ναός, id eſt templum, ſeu nauis, in qua Populus orabat, & verbum Dei audiebat: tertia βῆμα ſiue ἱεράτειον, hoc eſt ſacrarium, ſeu ſanctuarium, ſeu adyta, quæ erat pars intima templi vbi erat altare; quæ à reliquo templo, gradibus, cancellis, velis, ſeu aulæis diſtinguebatur, quo præter ſacerdotes, ac miniſtros nemo popularium penetrabat. Porrò in naui, ſeu templo virorum locus à loco fœminarum ſeiunctus erat, vt colligitur ex [d] Philone. *Id* (inquit) *commune ſemneum, in quod ſeptimo quoque die conueniunt, ſepto clauditur duplici ſeparatis virorum, & mulierum cœtibus; nam mulieres quoque ſimul auſcultant ex more duntaxat quo inſtitutum idem ſectantur: medius autem paries à ſolo ſurgit tribus, quatuórve cubitis in modum loricula: ſuperiora vſque ad tectum patent, vnde gemina prouenit commoditas, & quòd pudori fœminei ſexus conſulitur, & quòd verba doctoris exaudiuntur facilè abſque vllis obſtaculis, quæ vocem eius intercipiant*. Idem apertiùs docet Clemens [e] Romanus:

b canon.
c biblioth.
d Amphil. can. 56. &
e vita cõ-
templ.
e Cõſt.

A *Sit autem*, inquit, *horum* (id eſt diaconorum) *cura, vt laici in altera parte ordine & decorè & quietè ſedeãt: item vt ſedeant mulieres ſeparatim, ac cum ſilentio*. Et paulò pòſt: *In Eccleſia adoleſcentes quidem ſeorſum ſedeant, ſi locus ſit; ſin autem non ſit, ſtent: ætate verò prouecti ordine ſedeant. Pueros autem ſtantes patres, & matres eorum ſuſcipiant. Rurſus adoleſcentula ſeorſum ſi fuerit locus: ſi verò non fuerit, poſt mulieres locentur. Nuptæ item, & matresfamilias item ſeorſum: virgines autem, & viduæ, & anus primæ omnium ſtent, aut ſedeant*. Quæ videntur ab antiqua Iudæorum conſuetudine deſumpta; auctor eſt enim Ioſephus [a], fuiſſe in templo locũ diſtinctum, quo mulieres orationis cauſa intrarent.

a lib. 6. de bello Iud. c. 6.

III. Et quidem mulierum locum ſublimem fuiſſe ſupra Eccleſiæ porticum indicat Gregorius [b] Nazianzenus.

b In ſomn. templi ſanctæ Anaſtaſ.

B *Sanctæ virgines* (ait) *vnà cum grauibus matronis caſtiſſimas ſermonibus meis aures inclinabant*. Idipſum haud obſcurè indicat quod legitur in vita [c] Chryſoſtomi, qui clericum aſſiſtentem ſacris, quòd mulierem ſurſum in tabulato manentem procaciter aſpexiſſet, ab altari amouiſſe dicitur. De eodem item loco meminit his verbis Ambroſius [d]: *Nonne vel illum locum tabulis ſeparatum, in quo in Eccleſia ſtabas, recordari debuiſti, ad quẽ religioſæ matronæ, & nobiles certatim currebant tua oſcula petentes, quæ ſanctiores, & meliores te erant?* Procopius [e] item: *Sunt duæ vtrinque porticus, quas faſtigiata teſtudo, & aurum venuſtant. Harum vna viros orantes, altera mulieres admittit; aliàs nulla re differentes. Quis tabulata, in quibus verſantur mulieres, ex-*

c Apud Metaph.
d Ad Virgin. lapſ.
e lib. 1. de ædific. Iuſt. imp.

C *ponet?* Quin etiam in Vaticana Apoſtolorum Principis Baſilica inſcriptio ſepulcri in hæc verba extabat: *Ad ſanctum Petrum Apoſtolum antè, regia in porticu, columna ſecunda quando intramus ſiniſtra parte virorum, Lucillus, & Ianuaria honeſta fœmina*. Symmachus verò Papa feciſſe dicitur oratorium S. Crucis *à parte virorum*. Gregorius III. eadem ratione erexit oratorium intra Baſilicam S. Petri iuxta arcum triumphalem *in parte virorum*. Denique Sergius imaginem auream Petro Apoſtolo poſuit *in parte mulierũ*. Verùm hæc (vt dixi) recentiora ſunt, quàm vt in Eccleſia Corinthiorum, quæ tum primum inſtituta erat vſurpari potuiſſent. Tunc igitur viri, fœminæque eodem loco orabant, & audiebant, atque idcirco paulò pòſt vetat Apoſtolus, mulieres in cœtu loqui. Igitur ſi quis lin-

D gua loquatur, quæ non percipiatur ab audientibus, iubet interpretẽ adhiberi. *Vnus* (inquit) *interpretetur*, ne videlicet orationis fructus pereat. Ex hoc porrò loco colligo, linguarum donum non vnum ſemper, atque idem fuiſſe; nam ampliſſimè quidem linguarum facultas, vel omnia, vel plurima certè idiomata complectebatur. *Id enim* (vt ait Theodoretus) *datum erat prædicatoribus propter diuerſas hominum voces, vt qui ad Indos veniebant illorum lingua vtentes diuinam afferrent prædicationem. Et cum Perſis rurſus diſſerentes, & cum Scythis, Romanis, & Ægyptiis ſingulorum vocibus vtentes, euangelicam doctrinam prædicarent*. Alius diuino quis afflatus numine barbara, & peregrina lingua de rebus diuinis diſſerebat; nec tamen poterat interpretari; atque ob eam cauſam interpretis opera

E erat neceſſaria, vt ſuprà dixerit Apoſtolus, *Qui loquitur lingua, oret vt interpretetur*.

28. SI AVTEM NON FVERIT INTERPRES, &c. *Nihil*
1. *enim* (ait Chryſoſtomus) *ſuperuacaneè fieri oportet ad ambitionem, & honoris ſtudium. Eſt autem* (vt Theodoretus affirmat) *alieniſſimum ad gloriæ cupiditatem, & non propter vtilitatem dono vti*. Subdit igitur Paulus, ſi opera deſit interpretis, ne loquẽdum quidem in Eccleſia. *Quid enim quæſo* (ait Theodoretus) *prodeſt apud Corinthios Scytharum, vel Perſarum, vel Ægyptiorum lingua de rebus diuinis diſſerere, cùm illi ne ſyllabam quidem illorum idiomatum perciperent?* Quocirca ſibi, ait,

loquatur, & Deo: hoc eſt (interprete Ambroſio) *intra ſe tacite oret, aut loquatur Deo, qui etiam mutos, & tacitè loquentes exaudit: in Eccleſia autem illi loquendum eſt, qui omnibus prodeſſe queat.* Eodẽ modo explicat Chryſoſtomus: *Sibi autem* (inquit) *loquatur, & Deo, hoc eſt in mente, & ſenſim, & abſque ſtrepitu, ſi modo velit.* Subdit autem non hæc dicere Apoſtolum, quaſi legem ferendo, ſed vt hac veluti conceſſione, pudorem potiùs incutiat, & acriùs pungat. Non enim conuentus idcirco haberi conſueuerunt, vt veluti in theatro ad oſtentationem, & pompam varia idiomata vſurpentur; ſed vt mutuis exemplis, & cohortationibus ſinguli ad optima quæque impellãtur. Porrò non malè adnotauit Anſelmus eũ ſibi loqui, qui ex his quę animo concepit intimè cõmouetur: cum verò Deo loqui qui preces fundit, vel diuinas laudes celebrat, quod quiuis poteſt apud ſeſe tacitus præſtare. *Si ergo* (ait Chryſoſtomus) *non poteſt tacere, ſed eſt adeò honoris, & inanis gloriæ cupidus, apud ſe loquatur; quare hoc ipſo, quod ſic permiſit, prohibuit, vt qui pudore affecerit.* Eodem modo loquitur Theophylactus poſt Oecumenium, qui ait quod hoc loco dicit Apoſtolus, neque permitte nos eſſe, neque prohibẽtis, *ac ſi diceret: ſi non habet interpretationem taceat, quod ſi non potis eſt tacere (hoc autem vitij eſt) ſibi ipſi loquatur, hoc eſt apud ſe leniter, ac ſine ſtrepitu, vt ſolus Deus audiat, & non homines.* Et re vera videtur quędam quaſi extorta permiſſio; neque enim per ſe probaret Apoſtolus priuatas preces, cum in cœtu eccleſiaſtico de rebus diuinis diſſerendum eſt, aut communes preces habendæ ſunt.

29. L. PROPHETÆ AVTEM DVO, AVT, &c. Multò aliter de prophetis loquitur, quàm de iis, qui linguarũ dono, & facultate vtuntur; nam (vt obſeruat Chryſoſtomus) non adhibet hoc loco particulam, *vt plurimum,* quam poſuit ſuprà, cùm de iis ageret, qui linguis loquuntur; vt videatur prophetis nullum certum præſcribere numerum. Duos autem, aut tres dixit, quòd is numerus ſatis eſſe videatur. Neque hîc exigit interpretis operam, quòd prophetæ ſatis ſeſe explicare poſſent, modò veri prophetæ, & non vani diuinatores eſſent. Huc enim putat pertinere Chryſoſtomus quod ait Apoſtolus: *Cæteri diiudicent. Diligenter* (inquit) *animaduertant, atque diſpiciant, ne quid ſubſit fraudis, aut doli.* Nec multum diſcrepat Anſelmus: *Cæteri* (inquit) *prophetæ diiudicent verba eorum diſcernentes à bonis meliora, & à melioribus optima.* Sic omnino Theodoretus, & Theophylactus. Paulò aliter Ambroſius; legit enim: *Alij examinent, vel interrogent;* cùm tamen Græcè ſcriptum ſit *διακρινέτωσαν.* Interrogari porrò vult, ſi quid fortè ambiguè vel obſcurè dictum ſit, ſi quid auditorum captui minùs accommodatè. Non eſt autem veriſimile, hoc prophetarum iudicium paſſim cuiuis de plebe permiſſum eſſe ab Apoſtolo. Si igitur ſequamur Græcorum explanationem, quam vox Gręca magis exigit, quod ait Apoſtolus, *cæteri,* ad prophetas, & Eccleſiæ doctores referendum eſt. Videtur enim Apoſtolus, prophetas hoc loco ponere pro doctoribus, vt indicant quæ paulò pòſt ſubdit. Forſitan autem ad hunc locum alluſit Clemẽs [a] Romanus, ait enim: *Deinde hortentur populum preſbyteri, non omnes ſimul, ſed ſingulatim, & poſtremus omnium Epiſcopus, qui ſimilis eſt gubernatori nauis.* Quanquam fortaſſe nemo tunc erat apud Corinthios presbyterorum ordine initiatus, aut certè admodum pauci, vt prophetarum nomine neceſſe ſit etiam laicos ſignificari, vt indicant quæ ſequuntur; ſic enim ait:

a lib. 2. cõſt. c. 17.

30. I. QVOD SI ALII REVELATVM FVERIT, &c. Hinc apparet rectè obſeruaſſe Chryſoſtomum non fuiſſe prophetarum numerum prorſus ab Apoſtolo definitum; ſi enim alio prophetante alij ſpiritus quidpiam A aſflauerit, ſilendum ait priori, vt hic poſteriori prophetet. Quanquam Chryſoſtomus hoc perinde accipit, quaſi dicat viciſſim prophetandum eſſe, quomodo paulò antè dixerat de iis, qui linguis loquuntur. Verùm nulla ratio eſt, cur ita anguſtè Apoſtoli verba explicentur; cùm fieri poſſit, vt pluribus diuinum numen aſpiret. Rectè autem animaduertit idem Chryſoſtomus meritò imperari ſilentium ei, qui primo loco prophetabat; nam vtrumque ſimul loqui abſurdum erat, æquè autem abſurdum eum, qui poſteriori loco excitatur à ſpiritu, prohiberi. Ob id enim videtur excitari vt inde auditores aliquam capiant vtilitatem, eámque ob cauſam ei, qui iam dicere cœperat, ſilentium quodammodo indicitur. Neque id mirum videri debet, vt Ambroſius & Anſelmus affirmãt, cùm B fieri interdum poſſit vt inferiori concedat Deus, quod negauit ſuperiori. Quod antẽ ait, *Quod ſi alij reuelatum fuerit ſedẽti,* indicat cõſueuiſſe fideles ſedẽtes Dei verbũ audire. Ita namque docet Clemens [a] Romanus. Iubet enim Diaconos inter cætera curare, *vt viri fœminæque ſeparatim quidẽ, ſed ordine certo decorè, & quiete ſedeãt.* Auguſtinus [b] verò apertè ſignificat, cõſueuiſſe ſuo tẽpore fideles verbũ Dei ſtantes audire: aliqua tamẽ ex cauſa permiſiſſe ſe nõnullos ſedere. *Ante aliquot dies,* ait, *propter eos, qui aut pedibus dolẽt, aut aliqua corporis inæqualitate laborãt, paterna pietate ſolicitus conſilium dedi, & quodammodo ſupplicaui, vt quãdo aut paſſiones prolixæ, aut certè aliquæ lectiones longiores leguntur, qui ſtare nõ poſſunt, humiliter & cum ſilentio ſedentes attentis auribus audiant* C *quæ leguntur; nunc verò aliquæ de filiabus noſtris putat quòd hoc aut omnes, aut certè plures, quæ ſanæ ſunt corpore, frequenter debeant facere. nam vbi verbum Dei cœperit recitari, quaſi in lectulis ſuis ita iacere volunt. Atque vtinam vel iacentes tantummodo, & tacentes verbum Dei ſitienti corde ſuſciperent, non etiam ſeſe otioſis fabulis occuparent, & quod prædicatur nec ipſæ audiant, nec alios audire permittant. Vnde rogo vos venerabiles plebs, & ſollicitudine paterna commoneo, vt quando aut lectiones leguntur, aut verbum Dei prædicatur, nulla ſe in terram proijciat, niſi fortè quam nimium grauis infirmitas cogit, ſic tamen non iaceat ſed magis ſedeat, & attentis auribus quæ prædicantur, auido corde ſuſcipiat.* Quibus verbis amicus quondam meus rituum eccleſiaſticorum diligens & curioſus indagator, quod vulgò legitur *pro*-D *lixæ paſſiones* tollendum cenſuit, & ſubſtituendum *prolixæ prædicationes,* quod intelligeret viri doctus nonnumquam ex ſcripto conſueuiſſe adhortationem recitari, ſed vt hoc illi concedã, illud probare non poſſum, quod Auguſtini verba mutanda putet, agit enim Auguſtinus de ſacris lectionibus, quæ interdum ex ſacris litteris, vel epiſtolis apoſtolicis deſumebantur: interdum etiam acta, & martyria Sanctorum cõſmebant: ſacram autem lectionem concio ſequebatur, & idcirco vtramque poſtea coniungit Auguſtinus. Videtur autem non vna, atque eadem omnibus in locis fuiſſe conſuetudo; nam & ipſe Clemens interdũ ait in Eccleſia ſedendum, interdũ verò ſtandũ. Apud Corinthios autem indicat Apoſtolus conſueuiſſe fideles ſedentes audire quæ dicerentur aut le-E gerentur. Certè [c] Philo, Eſſeos ſcribit, *Septima die in cœtum communem conuenire ſolitos, & iuxta ætatis ordinem conſidere decentes habitu, manus continentes ſub pallio, dexteram inter pectus barbamq́; ſiniſtram applicatam lateri.* Tum ſubdit: *Progreſſus in medium natu maximus & dogmatum eius ſectæ peritiſſimus diſſerit, vultu ad grauitatem compoſito, voce moderata, non ſine magna prudentia ſecus, quam oratores aut ætatis noſtræ ſophiſtæ oſtentatores eloquentiæ, vt quibus magis cordi ſunt exquiſita ſententia, diligenſque & accurata harum enarratio, quæ non ſummotenus ſtrepat auribus, ſed per auditum penetret in animum, ibique firmiter inhæreat:*

a lib. 2. Cõſt. Apoſt. c. 57.
b hom. 26.
c De vita cõtempl.

relíqua

reliqui omnes auſcultant per ſummum ſilentium annutantes oculis tantùm, aut capite.

Potestis enim omnes per singvlos,
31. I. &c. Ita videas, quod paulò antè monui, non adeò anguſtè prophetarum numerum fuiſſe ab Apoſtolo definitum, cùm omnibus faciat prophetandi poteſtatem. Vt enim ſcribit Ambroſius, hæc erat ſynagogæ traditio, vt plures verba facerent; quam Apoſtolus ſectandam præcipit, cuius & meminit Lucas [a]
13.14. in Actis apoſtolicis. Cùm enim Paulus vnà cum ſociis in Antiochena ſynagoga conſediſſet poſt lectionem legis, & prophetarum miſerunt principes ſynagogæ ad eos dicentes. *Viri fratres ſi quis eſt in vobis ſermo exhortationis ad plebem dicite. Surgens autem Paulus, & manu ſilentium indicens*, de Chriſti aduentu diſſerere cœpit. Ex quo loco apparet, eos qui B populum hortarentur, ſtantes loqui conſueuiſſe: vt mirum ſit quod hoc loco ait Ambroſius, Iudæos ſolitos in ſynagogis ſedentes diſputare, *ſeniores quidem dignitate in cathedris, ſequentes in ſubſellis nouiſſimos in pauimento ſuper mattas*, cùm Lucas dicat Paulum ſtantem verba feciſſe; niſi quis dicat, ſurrexiſſe illum quaſi officij cauſa, vt ſilentium & attentionem
4.17. captaret. Certè Chriſtus [b] ſtans in ſynagoga Naza-
2. Eſd. cap. 8. rænorum Iſaiæ librum perlegit, & [c] Eſdras ſtetiſſe dicitur ſuper gradum ligneum quem fecerat ad loquendum, & coram ſtante populo Moſis librum legiſſe. At apud Matthæum [d] Chriſtus indicare vide-
23.2. tur, conſueuiſſe Scribas doctores in cathedris ſedere: ait enim; *ſuper cathedram Moyſi ſederunt Scribæ* & Phariſæi, idque videtur affirmare Euthymius: ſed C veroſimilius, cathedræ nomine doctrinam, & docendi auctoritatem ſignificari: quomodò accipi debet apud Dauidem cùm dixit [e]: *Et in cathedra peſtilentiæ*
Pſalmo 1.1. *non ſedit.* Quamobrem quidquid ſit de Hebræorum conſuetudine, quos in ſynagogis ſedere ſolitos non nego; eos tamen, qui aut legerent aut verba facerent, ſtetiſſe veriſimilius videtur. in eccleſia certè variam fuiſſe conſuetudinem, quæ paulò antè dixi,
II. non obſcurè ſignificant. Cæterùm quod ait hoc loco Apoſtolus, poſſe omnes prophetare, *vt omnes diſcant, & omnes exhortentur*, ita à nonnullis accipitur: vt prophetare omnibus liceat, ideſt prophetis, quos presbyteros interpretantur; diſcant autem omnes qui de populo ſunt, & exhortentur, hoc eſt exhortationem audiant; vel vt alij malunt conſolationem D accipiant. Eſt enim græcè παρακαλῶν, quomodo accipiunt Chryſoſtomus, & Theophylactus. ſed non mihi facilè perſuadere poſſum, fuiſſe iam tum apud Corinthios tam multos presbyteros, cùm vt aliàs dixi, ex Ambroſij ſententia nullus adhuc eis præeſſet Epiſcopus. Vnum aut alterum fuiſſe inter illos ſacerdotem, vſus Euchariſtiæ de quo ſuprà egit Apoſtolus neceſſariò probat: plures nemo admiſerit, qui priſtinæ conſuetudinis non ſit ignarus; qua initio naſcentis Eccleſiæ non ita multi initiari conſueuerant. Itaque omnes ait poſſe prophetare, ſi diuinus ſpiritus afflarit: ita tamē vt vno loquente alii ſileant. Hoc enim ſignificat Apoſtolus. cùm dicit *per ſingulos*: græcè καθ' ἕνα, quaſi dicat ſingillatim, vt habet interpres Oecumenij: nam ſi plures eodem tempore pro- E phetarent, magna eſſet in Eccleſia perturbatio, atque confuſio. *Quæ conſuetudo*, ait Theodoretus, *in præſens vſque tempus perſeuerauit: nam ex doctoribus alij quidem in hac concione, alij verò in alia cum populo diſſerunt.* Fieri igitur poteſt, vt æquè omnes & doceant, & diſcant, & conſolationem, ſeu exhortationem accipiant.

32. Et spiritvs prophetarvm. &c. Ne vi-
I. deretur Apoſtolus abſurdi aliquid præcepiſſe, cùm iuſſit tacere eum, qui priùs loquebatur, ſi ſedenti cui- A piam diuini numinis aura afflauerit, quaſi poſſet propheta dicere, ſe ab impetu ſpiritus rapi, neque poſſe pro ſuo arbitratu cohibere ſermonem, addit prophetarum ſpiritus ipſorum voluntati, atque imperio ſubiici. ſpirituum autē nomine, græcè enim ſcriptum eſt πνεύματα, interprete Chryſoſtomo ipſam prophetandi actionem intelligit: illa enim voluntati prophetæ ſubiecta eſt, contrà quàm accidat lymphatis, & arreptitiis, qui ſtolido quodam impetu feruntur, nec ſibi poſſunt imperare. Cautè autem legendi ſunt hoc loco commentarij, qui Ambroſij nomen præferunt, qui ſpiritus nomine ipſum Spiritum ſanctum intelligunt, eúmque aiunt conatus noſtros adiuuare. *Deſiderio enim* (inquiunt) *optimo ad Dei res enarrandas ſubuenit, vt impleat boni propoſiti volunta-* B *tem.* Et poſt nonnulla, *Ita & ſpiritus ſubiectus dicitur, vt conatus bonos adiuuet, cum ſuggerit: ſubiectus enim videtur qui cœpta alterius perficit.* Hæc, inquam, cautè accipienda ſunt: ne quis putet diuinæ gratiæ impulſum poſteriorem eſſe noſtris actionibus: & nos quidem ſponte noſtra conari, & laudabiliter actiones inchoare, gratiam verò ſubſequentem duntaxat promouere, & adiuuare: id enim pertinet ad errorem Semipelagianorum, quem ſuo loco confuto. Itaque Apoſtolus de prophetiæ dono loquitur, vel ipſius potiùs vſu & actione: illa ſiquidem ſubeſt prophetæ voluntati, & ob eam cauſam qui prior loquitur ſilere poteſt, ſi alteri loquendum ſit. Meritò autem Apoſtolus numero multitudinis dixit πνεύματα: vt indicaret non ſe loqui de ipſo ſpiritu, ſed de eius mu- C neribus, quæ fidelibus aliter, atque aliter conceduntur. Ambroſius autem ſingulari numero legiſſe videtur πνεῦμα, habet enim latinè, *ſpiritus prophetarum prophetis ſubiectus eſt.* Quomodò etiam legunt nonnulli vulgati codices: emendatiores tamen plurali numero habent; *ſpiritus prophetarum prophetis ſub-*
iecti ſunt. Videtur autem Theodoretus aliter hunc II.
locum explicare: quaſi ſenſus ſit, vnum prophetam alteri ſubiici. *Ita*, inquit, *Ieſus ſubiiciebatur Moſi: ita Eliſæus Eliæ, ita ipſi Eliſæo multitudo prophetarum: ita ipſi Apoſtolo Timotheus & Titus & reliqui.* Fauet Theophylactus: qui hoc modo explanat. *Ne contendas*, inquit, *neque ſeditionem ceas: ipſe namque ſpiritus, hoc eſt donum quod in te eſt, & operatio ſpiritus qui in te eſt, ſubiicitur dono alterius, qui ad prophetandum concitatus eſt.* D *Quòd ſi ſpiritus ſubiicitur, quanto potiùs tu debes qui ſpiritum poſſides, non eſſe contentioſus?* Atque hæc quidem eſt aperta Chryſoſtomi ſententia, iiſdem propemodùm verbis expreſſa. Verùm quod in paraphraſi poſuimus magis videtur ad rem, quodque maximè probat Anſelmus, nec penitùs reiicit Theophylactus: ſic enim ſubdit. *Nonnulli hunc locum hanc ad rationem intellexerunt. Vates ſanè apud Græcos omnes quando ſemel abrepti eſſent à dæmone, etiamſi voluiſſent, non potuerunt tamen reticere; apud nos verò ſancti prophetæ haud ſic agebant. Verùm in ipſorum eſt arbitratu vel loqui vel tacere. atque hoc eſt, quod ait ſpiritus prophetarum, id eſt dona ſubduntur ipſis, atque in manu prophetarum eſt ſilere vel non tacere. ne enim dicas qui donum habet, non tacere poſſum perinde ac tu mandas. cùm à ſpiritu agitatus lo-* E *quar? Atqui ſpiritus inquit qui te agitat tibi ſubditur, inque tua deinceps poteſtate ſitum eſt tacere: ne igitur nequicquam prætexe ſpiritum.* Neque aliter locum explicuerat Oecumenius, quem ferè ſemper Theophylactus imitatur. Huius porrò ſententiæ ſuæ rationem reddens Apoſtolus, hæc ſubiicit.

Non enim est dissensionis Devs, &c. 33.
Spiritus ſanctus, inquit, qui diuino ſuo numine pro- I.
phetas afflat, non eſt diſſenſionis aut diſcordiæ; ſed pacis & concordiæ auctor: eſſet autem diſſidij, & non pacis auctor, ſi altero prophetante, ita alium ad prophetandum

phetandum impelleret, vt ſeſe mutuò obtunderent, & coram populo inaniter obſtreperent. Quia igitur pacem, & tranquillitatem amat, cùm eum qui ſedet ad prophetandum excitat, alium quia iam prophetat facilè patitur ſilere, ne dicam iubet. *Nemo ergo*, ait Ambroſius, *alterum loqui prohibeat, aut ſtudio contradicẽdi reſiſtat.* Porro quod ait interpres: *Non eſt diſſenſionis Deus*, Græcè eſt ἀκαταστασίας; quæ vox magis ſonat confuſionem, ſeditionem, & rerum ordinem perturbatum. Ita dixit interpres Theophylacti, *Non enim eſt Deus ſeditionis, & confuſionis, quæ ex eo quòd non ſileant, ſed omnes prophetare velint, naſcitur; verùm pacis eſt Deus.* Subdit. *Sicut & in omnibus Eccleſiis ſanctorum.* ita Græci codices, qui nunc habentur in manibus. in quibuſdam Chryſoſtomi codicibus legitur verbum διδάσκω, quod B videtur legiſſe Ambroſius, qui latinè dixit. *Sicut in omnibus Eccleſiis ſanctorum doceo.* Quomodò habet Romana editio, & alij plerique Latini codices, quos Anſelmus aliique fermè Latini ſequuntur; vt ſenſus ſit, in omnibus Eccleſiis doceo ſeruandam eſſe pacem, & omnia quietè, rectóque ordine peragenda. Verùm quoniam, vt dixi, Græci codices eo verbo carent, nonnihil ſubaudiendum videtur. Chryſoſtomus, quamquam legit verbum διδάσκω, indicat ſubaudiendum eſſe, hanc legem vbique gentium obtinere, ſeque adeo nihil noui præcipere: quod apertè docent Theodoretus, & Theophylactus; ſic enim ille ait. *Nihil noui ſtatuimus, ſed vos Eccleſiarum leges docemus, quas ipſe ſtatuit pacis magiſter & Dominus.* Hic verò, *Ipſa pax in* C *omnibus Eccleſiis ſanctorum, hoc eſt fidelium verſatur; ſunt enim & Græcorum, & Iudæorum Eccleſiæ. Pudeat igitur vos præter & contra omnes Eccleſias viuere.* Hunc locum ita latinè reddidit Tertullianus[a]: *Et ſpiritus prophetarum prophetis erunt ſubditi: non enim*

II. *euerſionis ſunt, ſed pacis.* Monent autem Ambroſius, & Anſelmus, nihil eſſe cur indignetur, vel ſibi turpe ducat is, qui prophetat, ſi altero prophetare incipiente, ſilere ipſe cogatur; quin illi potiùs gaudendum, quòd ſocium habeat, & adiutorem. Hinc puto manaſſe illud quod eſt apud Clementem[b] Romanum. *Si Epiſcopus fuerit cum Epiſcopo ſedeat, eodem honore ab eo acceptus, rogabiſque eum Epiſcope, vt ſermonem habeat ad populum docendi cauſa. Eſt enim hortatio, & monitio hoſpitis grata, & mi-* D *rum in modum vtilis; ſiquidem nemo propheta, ait Dominus, acceptus eſt in patria.* Eodem ſpectaſſe videntur Patres Concilij[c] Carthaginienſis; ſic enim ſtatuunt. *Epiſcopi, vel presbyteri ſi cauſa viſendæ Eccleſiæ alterius Epiſcopi ad Eccleſiam venerint; & in gradu ſuo ſuſcipiantur, & tam ad verbum faciendum, quàm ad oblationem conſecrandam inuitentur*, idque tam apud Græcos, quàm apud Latinos vſurpari conſueuiſſe, colligitur ex Cyrillo[d], & Ambroſio[e].

34. MVLIERES IN ECCLESIA TACEANT, &c.

I. Aliam perturbationis Eccleſiaſticæ cauſam amputat, vt obſeruat Theophylactus. *Abſurdam*, inquit, *& indecoram mulierum in Eccleſiis perturbationem tollit, vt in eccleſia taceant, præcipiens. Quia enim*, vt ait Theodoretus, *nonſolum viri, ſed etiam mulieres* E *ſpiritalem gratiam acceperant; hoc enim etiam per Ioelem[f] prophetam prædixit Dominus: Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ*, neceſſariò etiam de his legem tulit; vt quod monet Chryſoſtomus, *amputet mulierum importunam loquendi libertatem.* Tribuitur enim fœminis in primis garrulitas, de qua multa Plutarchus[g], & alicubi ſcripſit Seneca[h]. *Muliebrem garrulitatem id ſolum poſſe tacere quod neſcit.* Ita ad Timotheum[i] Paulus ſcripſit: *Mulier in ſilentio di-* A *ſcat cum omni ſubmiſſione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio.* At viſus erat hac ipſa[a] Epiſtola aliquid in hoc genere mulieri permittere. *Omnis autem mulier orans, aut prophetans, non velato capite, deturpat caput ſuum.* & in Epiſtola ad Titum[b]: *Anus*, inquit, *ſimiliter in habitu ſancto non criminatrices, non multo vino ſeruientes, benè docentes & prudentiam doceant.* An in præſentia de iis fœminis loquitur, quæ ſunt connubio copulatæ? ita ſanè Chryſoſtomus, & Theophylactus; nam & virorum mentionem facit, & priſtinam legem[c] in memoriam reuocat, quæ vxores viris ſuis præcipit eſſe ſubiectas; & coniuges nominat à quibus erudiendæ ſunt. Verùm Tertullianus[d] ſimpliciter de omnibus mulieribus explicat. *Non permittitur mulieri in Eccleſia loqui, ſed nec docere nec tinguere, nec offerre, nec vllius virilis muneris nedum ſacerdotalis officij ſortem ſibi vendicare. Quæramus an aliquid horum virgini liceat. Si virgini non licet, ſed in omnibus eadem conditione ſubigitur, & neceſſitas humilitatis cum muliere cenſetur, vnde illi vnum hoc licebit, quod omni fœminæ non licet? Quid prærogatiuæ meretur aduerſus conditionem ſuam, ſi qua virgo eſt, & carnem ſuam ſanctificare propoſuit?* Et Clemens[e] Romanus. *Mulieribus*, inquit, *vt in Eccleſia doceant non concedimus, ſed tantum vt precationes faciant, & audiant doctores; noſter enim Magiſter, ac Dominus Ieſus Chriſtus, cùm nos duodecim ad docẽdum populum & gentes miſit: nuſquam mulieres ad prædicandum miſit, tametſi non deerant.* Mitto Licinij legem, C cuius Euſebius[f] ac Nicephorus[g] meminerunt, qua vetuit, ne viri ſimul cum mulieribus precibus in Eccleſia ad Deum fuſis intereſſent, néue ſexus muliebris auguſtas virtutis ſcholas adiret, néne denique Epiſcopi mulieribus ſacra Dei eloquia explicarent, ſed mulieres ipſæ alias mulieres, à quibus erudirentur ſibi deligerent; ille enim tanquam Chriſtianæ religionis hoſtis, fidem, & Chriſtianam vitam omnibus machinis oppugnabat. Sed mihi quidem Græca vox, quæ, vt aliàs monui, interdum vxorem, nonnunquam ſimpliciter mulierem ſignificat, ex iis, quæ hoc loco adiiciuntur ab Apoſtolo, ad vxores reſtringenda videtur; græcè enim dixit Apoſtolus, αἱ γυναῖκες ὑμῶν, hoc eſt, vt latinè vertit Theophylacti interpres, *vxores veſtræ.* Accedit quòd lex, D quam commemorat Apoſtolus, ad eas pertinet, quæ coniugij fœdere ſunt aſtrictæ. *In dolore*, inquit[h], *paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Quæ verò alibi dicta ſunt ab Apoſtolo, de viduis aut virginibus & diaconiſſis intelligenda videntur, quibus, vt ſuo loco docui, nonnullum docendi munus permittitur. Quòd ſi libeat vniuerſim de II. fœmineo ſexu Pauli verba accipere, non vt hoc loco, penitus ſilentium indicit, ſed in Eccleſiaſtico conuentu coram hominibus. Qua ratione Patres Concilij Carthaginienſis[i] legem tulerũt in hæc verba: *Mulier quamuis docta, & ſancta viros in conuentu docere non præſumat.* & propterea Apoſtolus, *mulieres*, ait, *in Eccleſiis taceant.* Et aliquantò pòſt. *Turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia.* Monent autem Ambroſius, & Anſelmus, duabus de cauſis mulieres viris E eſſe ſubiectas, & quia mulier ex viro procreata eſt, & quia prima fuit origo peccati. Quod ait interpres: *Permittitur*. græcè eſt ἐπιτέτραπται, hoc eſt permiſſum eſt; noſter tamen interpres, cui conſentit Ambroſius, legiſſe videtur ἐπιτρέπεται. Eſt autem Græca vox ambigua, quæ interdum ſignificat permittere, nonnumquam etiam præcipere, ſeu mandare, atque hæc poſterior ſignificatio magis congruit cum eo, quod ſequitur. *Sed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit.* Alludit omnino ad id, quod legitur in libro Geneſeos.

a lib. 4. cont. Mar. cap. 4.
b lib. 2. conſt. cap. 58.
c Con. 4. cap. 33 habetur 7. q. 1. cap. Epiſcopi.
d Hom. 7. & 9.
e Serm. 48.
f cap. 2. 28.
g In Opuſc. de garrul.
h lib. 3. controuerſ. cont. 1 & lib. 6. de clam. item 5.
i 1. cap. 2. 11.
a Sup. c. 11. 5.
b cap. 2. 3.
c Gen. 3. 16.
d lib. de virg. veland. cap. 9.
e lib. 3. conſt. cap. 6.
f lib. 1. de vita conſt. c. 46.
g lib. 7 hiſt. cap. 44.
h Gen. 3. 16.
i 4. cap. 99. habetur 4. cap. mulier.

Gen. 3. 16. Geneſeos [a]. *Ad virũ erit conuerſio tua, & ipſe dominabitur tui.* Sed quorſum ea lex commemoretur, aut qua ratione pertineat ad ſilentium, quod mulieri indicitur, iure quæras. Oecumenius putat eſſe argumentum à minori, hoc ſenſu. *Si ergo viro ſubiicitur, multò magis ſpiritualibus præceptoribus, & communi Eccleſiæ plenitudini, ac perfectioni.* Crediderim Paulum optimum legis interpretem ex illa primæua lege collegiſſe, ſexum muliebrem virili eſſe omnino ſubiectum, quod omnibus fermè gentibus duce natura perſuaſum fuit. Itaque Ariſtoteles [b] eas à reipublicæ adminiſtratione remouet, & lex Chriſti nullam ei ſacram functionem permittit, quo nomine ab Epiphanio [c] hæretici reprehenduntur, qui fœminis ius ſacrorum tribuebant. Plato [d] verò ait apud Thracas, & complures alias nationes, mulieres eſſe quaſi ſeruas, adhiberíque ad agros colendos, greges paſcendos, & id genus alia ſordida munera: quem ſecutus Ariſtoteles [e] ſcripſit, apud Barbaros fœminam, & ſeruum eodem ordine, ac loco haberi: omnem prorſus legem, ac modum excedunt Mahumetani, qui mulieres pro belluis habent, illud certum videtur, quod ait Ariſtoteles [f], mulieres minùs eſſe ad conſilia aptas, atque idcirco ad reipublicæ adminiſtrationem non adhiberi. Quocirca rectè dixit Apoſtolus, turpe eſſe mulierem loqui in Eccleſia; videtur enim quodammodò naturæ repugnare.

b 1. pol. c hær. 79. d 7. de leg. e 1. pol. f 1. pol.

35. Si qvis avtem volvnt discere, &c.
I. *Non ſolùm*, ait Chryſoſtomus, *non eſt eis abſolutè permiſſum loqui, ſed nec aliquid interrogare in Eccleſia: ſi autem non oportet interrogare, multò magis abſolutè nefas eſt loqui, atque ita in Eccleſia adſunt, vt audiant quæ oportet, ea verò de quibus dubitant, à maritis domi diſcant.* Addit: *Et cur eas ad tantam redegit ſubiectionem? Propterea quòd mulier res eſt imbecilla, & mobilis, & leuis; propterea eis maritos præfecit doctores, vtroſque iuuans; nam & illas reddidit modeſtas, & eos fecit gnauos, & ſollicitos, vt, qui ea, quæ audierant, exactiſſimè erant apud illas depoſituri. Nulli autem eſſe poſſunt magis apti, ac minùs ſuſpecti mulierum præceptores, quàm ipſarum mariti, qui in priuatis domibus non modò patrisfamilias, ſed penè dicam Epiſcopi munere fungi debent.* Neque verò hoc Apoſtolicum præceptum perinde accipiendum eſt, quaſi numquam fœminis liceat priuatim adire Prophetas, & Eccleſiaſticos doctores, vt ab iis quantum ſatis eſt, & ipſarum tenuitas patitur in fide, ac moribus inſtituantur; ſed id in cœtu hominum fieri turpe eſſe ait Apoſtolus. *Turpe eſt enim*, inquit, *mulieri loqui in Eccleſia. Turpe*, inquit Ambroſius, *quia contra diſciplinam eſt, vt in domo Dei, qui eas ſubiectas viris ſuis eſſe præcepit, de lege loqui præſumant; cùm ſciant illic viros habere primatum, & ſibi magis competere, vt in domo Dei precibus vacent; linguam retinentes aures aperiant, vt audiant quomodò miſericordia Dei mortem vicit per Chriſtum, quæ per eas regnauit; nã ſi audeant in Eccleſia loqui, dedecus eſt, quia
II. idcirco velantur, vt humiliata appareant.* Dicit autem hoc loco Apoſtolus turpe, quod minùs decet, quódque naturæ, & conditioni muliebri repugnare videtur: quod autem fœminam dedecet, id etiam in ipſius virum neſcio quam turpitudinis maculam transfundit. Hæc autem propterea videtur hoc loco inſerere Apoſtolus, quòd apud Corinthios etiam fœminæ Spiritus ſancti dona percepiſſent, & cùm dixiſſet poſſe omnes prophetare; iure optimo mulieres excipiendas cenſuit. Quòd ſi turpe eſt fœminas de rebus ſacris in Eccleſia loqui, quàm graue ſcelus erit de rebus inanibus fabulari, aut amatoria miſcere colloquia? Rectè omnino ſcripſit Chryſoſtomus [g]. *Nihil eſt Eccleſiæ tam congruum, quàm ſilentium & tranquillitas.* Et Iſidorus [h] Peluſiota: *Templis omne*

g Hom. 18. ad populum. h epiſt. 43.

A *ſilentium debetur.* Et Ambroſius [a]: *An quid quam indignius eſt, quàm oracula diuina circumſtrepi ne audiantur, ne credantur, ne reuelentur: circumſonari ſacramenta confuſis vocibus, vt impediatur oratio pro ſalute deprompta omnium: cùm gentiles idolis ſuis reuerentiam tacendo deferant? Vnde illud exemplum proditur Alexandro ſacrificante Macedonum Rege puerulum barbarum, qui ei lumen accenderet, excepiſſe ignem brachio: atque aduſto corpore manſiſſe immobilem, nec dolorem prodidiſſe gemitu: tanta in puero barbaro fuit diſciplina reuerentia, vt naturam vinceret.* Et paulò pòſt. *Et tu in myſterio Dei gemitus tuſſes excreatus riſus abſtine.* Rurſus: *Frequens ſermo eſt; cùm plurima ranarum murmura religioſa auribus plebis obſtreperent, ſacerdotem Dei præcepiſſe vt conticerent, ac reuerentiam ſacræ deferrent orationi, tunc ſubitò circumfuſos ſtrepitus quieuiſſe: ſilent igitur paludes, homines B non ſilebunt?* Multa in hanc ſententiam ſcribunt Baſilius [b], Auguſtinus [c], Cæſarius [d] Arelatenſis. Certè Gregorius Nazianzenus [e] laudat *Nonam matrem, quòd in ſacris conuentibus, & locis nunquàm illius vox audita ſit, exceptis neceſſariis, & myſticis*: neceſſarias autem, ac myſticas voces interpretatur Elias Cretenſis, *quæ externis à plebe ad ea quæ à ſacerdotibus pronuntiantur, aptè accinuntur.* Alludit credo ad illud quod ſuprà dixit Apoſtolus. *Qui ſupplet locum idiotæ, quomodò reſpondebit, amen?* Hanc ob cauſam, vt auctor eſt Clemens [f] Romanus, quidam ex diaconis in templo inambulabant, contemplantes viros, ac mulieres, ne quis fieret ſtrepitus, ne quis nutus faceret, aut muſſitaret, aut dormitaret. Vbi ſæpius repetit ſilentium re-C ligioſè ſeruandum.

a lib. 3. de virginibus

b Ho. in Pſ. 28. c ſerm. 225. & 252. de temp. d ſerm. 10. e Orat. 19.

f lib. 2. Cõſt. cap. 57.

An a vobis verbvm Dei, &c. Cur tam acriter vrgeat Apoſtolus, hanc Chryſoſtomus rationem reddidit. *Cùm enim, ait, cæteras adduxiſſet Eccleſias hanc legem ſeruantes, nouitatem & tumultum ſibi hac ratione reſecandum putauit.* Quaſi dicat: An vos ſoli ſapitis? ſoli Chriſtum agnoſcitis? ſoli Eccleſiaſticam diſciplinam tenetis? Quaſi verò non alios plures populos Chriſtianæ fidei præceptis imbuerim: non alias Eccleſias inſtituerim. Sunt enim hæc quaſi cõtra proteruos, & contumaces, obiecta videlicet, inquit, aliæ gentes, ac nationes à vobis Chriſtianæ diſciplinæ præcepta haurient: vos doctores, ac magiſtros agnoſcent. Nolite itaque noua inuenta ſequi, & nouas in Eccleſiam conſuetudines inducere: cùm D potiùs æquum ſit, vt quæ reliquæ Eccleſiæ amplectuntur, vobis etiam probentur. Putat autem Ambroſius, tanto Corinthios faſtu fuiſſe elatos, vt ſibi perſuaderent, quodammodò ſalutem fuiſſe ſibi priuatim promiſſam, ſuóque exemplo cæteras gentes ad fidem traduci, vt beneficium magis tribuere, quàm accipere viderentur, quòd Chriſto adhærerent. Hoc enim indicãt illa verba, *Aut in vos ſolos peruenit?* græcè eſt κατήντησεν, quod Ambroſius latinè dixit, *deuenit.* Alij vertunt *incidit.* Quoniam igitur nec primi nec ſoli eſtis, qui Chriſtu nomina dederitis, leges Eccleſiaſticas, quæ omnibus ſunt communes complectimini. Atque hac quidem ratione docuit Apoſtolus, recentes & nouas conſuetudines Eccleſiaſticæ diſciplinæ repugnantes, non facilè admit-E tendas eſſe: ſemper enim nouitati præferenda eſt antiquitas Quo maximè argumento contra Appionem vtitur Ioſephus: & quidem ex ſacris literis conſtat, veritatem antiquiorem eſſe mendacio: Pater enim familias apud Matthæum [g] bonam ſementem fecerat, ſed inimicus homo zizania ſuperiecit.
II. Eodem argumento aduerſus Gentiles pugnat Tertullianus [h], probátque fidem, atque religionem noſtram etiam diis Gentilium eſſe antiquiorem. Quod etiam multis probat Auguſtinus [i]; egregiè verò idem Tertullianus [k] aduerſus hæreticos ſcribit. *Qui eſtis*, inquit,

36.

g cap. 13. 25 h in Apolog. cap. 19. & 20. i lib. 18. de Ciuit. c. 37. 38. k lib. de præſcr. ſimilia habet lib. de carne Chriſt. lib. 1 & 4 cõ Mar. & lib. cõ Val.

inquit, *vos, aut vnde veniſtis?* Neque aliter Cyprianus [a]. Iuſtinus [b] Martyr: *Ex nobis, ait, prodeunt a virorum appellatione, ex quibus vnaquaque diſciplina, & ſententia originem habuit.* Fermè idem ſcribit Irenæus [c]. Lactantius [d] verò. *Illi, inquit, dæmoniacis fraudibus irretiti, diuinum nomen, & cultum per imprudentiam perdiderunt; cùm enim Phryges, aut Nouatiani, aut Valentiniani, aut Marciani, aut Anthropiani, ſeu quilibet alij nominantur, Chriſtiani eſſe deſierunt, qui Chriſti nomine amiſſo, humana & externa vocabula induerunt.* Athanaſius [e] contra Arrianos oſtendit, omnes hæreſes ortas eſſe poſt veram fidem. Eodem ſpectant quæ ſcribunt Epiphanius [f], Chryſoſtomus [g], & Clemens [h] Alexandrinus. Quin etiam Hilarius [i], hæreticos tardè ait veniſſe. Acutè verò alicubi Hieronymus [k]: *Quiſquis es, inquit, aſſertor nouorum dogmatum, quæſo te, vt parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apoſtoli voce laudata eſt. Cur poſt quadringentos annos docere nos niteris, quod ante neſciuimus? Cur profers in medium quod Petrus, & Paulus edere noluerunt? Vſque ad hunc diem ſine iſta doctrina mundus Chriſtianus fuit, illā ſenex teneho fidem, in qua puer natus ſum.* Quid aptius contra nouos Euangelij buccinatores dici poteſt? Idem verò [l] alibi: *ſicubi audieris eos, qui dicuntur Chriſti, non à Domino Ieſu Chriſto, ſed à quopiam alio nuncupari, vtpute Marcionitas, Valentinianos, Montenſes, ſiue Campitas: ſcito non Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti eſſe ſynagogam. Ex hoc enim ipſo, quod poſtea inſtituti ſunt eos ſe eſſe indicant, quos futuros Apoſtolus prænuntiauit.* Perſimili ratione argumentantur Auguſtinus [m], & Optatus [n] Mileuitanus. Atque hæc propriè de dogmatibus: penè eadem de motibus accipienda ſunt. Quamquam enim nouas quotidie conſuetudines, ac mores gentium conſenſione induci videmus; videndum tamen eſt etiam, atque etiam, ne Apoſtolicæ traditiones omittantur, aut aliquid ſenſim irrepat, quod Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & priſtinæ ſanctitati repugnet: Nam in omnibus rebus meritò ſemper ſuſpecta eſſe debet nouitas: rectè namque ſcriptum eſt, non eſſe tranſiliendos terminos à maioribus conſtitutos.

a de vni. Eccleſiæ de ſimplic. prælat.
b Dial. cum Tryph.
c lib. 1. capite 20 in fine.
d lib 4. c. 30.
e Orat. 2. con. Arrian. & Epiſt. ad Solitarios de vera fid. apud Socrat. lib. 2. cap. 37.
f in Anchorato in fine & Hæreſ. 70. in princ.
g Homil. 13 in Acta.
h lib 7 ſtrom. verſus finem.
i lib. 6. de Trinitate.
k Epiſt. 65. ad Pammac. & Ocean. de erroribus Orig.
l in Dial. con. Lucif. ſub fin.
m lib. con. Epiſt. fundam. c. 4.
n lib. 2. cont. Parmen.

17. I. SI QVIS VIDETVR PROPHETA ESSE, &c. Veróſ-ne prophetas, veróſque ſpirituales intelligit, an eos qui eiuſmodi ſpecie tantùm viderentur? Ambroſius, Anſelmus, aliique non pauci poſteriorem ſenſum magis probant: quaſi eos tacitè perſtringat, qui ſeſe his nominibus apud Corinthios magnificè iactabant. Qui eiuſmodi, inquit, ſunt, intelligant quæ ſcribo, non mea eſſe ſomnia, aut mera commenta; iſto enim modo ſeueros prophetas eſſe, & in rebus ſpiritualibus cognoſcendis diiudicandiſque exercitatos docebunt. At Chryſoſtomus, Theodoretus & Theophylactus veros prophetas, & verè ſpirituales intelligunt. Hæc, inquiunt, quæ dico, quæque in Eccleſiaſtico conuentu ſeruanda præcipio, adeò cum Chriſti doctrina, & euangelicis præceptis conſentiunt: vt nihil dubitem veris prophetis, & iis, qui verè ſpirituales ſunt, quique omnia facilè diiudicant, vehementer probatum iri. Ait autem quæ ſcribit probatum iri prophetis, quia illi ab ipſo Deo erudiuntur, & cœleſtem quandam, planéque diuinam ſcientiam hauriunt, & probè norunt quid honeſtum, quid turpe, quídque diuinum præceptum, quídue humanum inuentum ſit. Spirituales autem (vt interpretatur Theodoretus) vocat eos, qui diuinum ſpiritum habent inhabitantem: ſentit enim, vt arbitror, de gratia iuſtificante, quaſi iuſti & gratia caritatéque præditi facilè hæc omnia probaturi videantur. Theophylactus eos intelligit, qui aliquo Spiritus ſancti chariſmate imbuti ſint. Ego præcipuè intelligo de diſcretione ſpirituum: illi enim verè iudicare poſſunt, quinam ſpiritus à Deo ſint. Poſſit etiam quiſ-

A piam cum Anſelmo ſpirituales accipere eos, qui ita viuunt, vt quiuis intelligat eos ſpiritum carni præponere: hos autē, ait Apoſtolus, perſpicuè intellecturos hæc quę ſcripſit eſſe Domini mandata, non quidē ſacris litteris tradita, nuſquam enim extant, ſed vel per manus accepta, vt alia non pauca, vel auctoritate diuina à ſe tradita; quandoquidem dixit Chriſtus. *Qui vos audit, me audit.* Neque enim hæc ita pertinent ad ius diuinum, vt nullam admittant mutationem, vel indulgentiam. Senſus igitur eſt hæc eſſe diuina mandata, hoc eſt rectæ rationi, diuinæque legi in primis conſentanea, ab eóque præſcripta, qui à Deo habet præcipiendi auctoritatem. Videtur autem, vt Ambroſius, & Anſelmus monent, eos tacitè perſtringere, quos initio Epiſtolæ ſignificauerat, tur-
B bas in Corinthiorum Eccleſia ciere, quaſi illi non diuina, ſed humana præcepta traderent. Veri igitur prophetæ, & ſpirituales facilè intelligunt, quid inter hæc noſtra, & inter illorum mandata interſit. Qui verò ſeſe pro prophetis, & ſpiritualibus venditant, cùm nihil ſint minus, ſi diligenter hæc quæ ſcribo animo peruoluerint, haud difficilè hoc ipſum cognoſcent. Diuina porrò mandata ea omnia interpretatur Anſelmus, quæ de linguis, prophetis, reliquíſque Spiritus ſancti donis, & poſtremò de fœminarum modeſtia, hoc capite continentur.

SI QVIS AVTEM IGNORAT, &c. Aliter hunc locum Latini, aliter Græci interpretantur. Porrò noſter interpres legiſſe videtur non ἀγνοείτω, vt habent nunc Græca exemplaria, & legerunt olim 18. I.
C Chryſoſtomus, & Theophylactus; ſed ἀγνοεῖται, hoc eſt ignorabitur: & illum ſequuntur Ambroſius, Hieronymus, Anſelmus, & alij; quaſi dicat Apoſtolus, qui ignorat non approbabitur a Deo. Quomodo dixit Chriſtus apud Matthæum [a]. *Numquam noui vos.* Et [b] alibi: *Amen dico vobis, neſcio vos.* Verùm ſi hæc ſententia de his Apoſtolicis præceptis duntaxat accipiatur, nimis profectò rigida, & ſeuera videri poſſit: quaſi hæc ita ſint neceſſaria, vt eorum ſiue neglectus, ſiue cōtemptus aditum ad immortalem, ac ſempiternam vitam præcludat. Itaque Auguſtinus [c] cùm vulgarū interpretē probat, tum vniuerſim de ignoratione legis Euangelicæ Apoſtolum interpretatur. *Denique*, inquit, *illa quæ ſcripſit ad Corinthios, aliter vtique ab ipſis paruulis, aliter à capacioribus poſſe intel-*
D *ligi, ſciens, ait, ſi quis eſt inter vos propheta, aut ſpiritualis, agnoſcat quæ ſcribo vobis, quia Domini eſt mandatū. Si quis autem ignorat, ignorabitur, ſolidam profectò voluit eſſe ſcientiam ſpiritalium, vbi non ſolùm fides accommodaretur, ſed certa cognitio teneretur, ac per hoc illi ea ipſa credebant, quæ ſpirituales inſuper agnoſcebant. Ignorabitur autem, ait, qui ignorat; quia nondum ei reuelatum eſt, vt quod credit ſciat: quod cùm fit in hominis mente, ipſe dicitur cognoſci à Deo, quia Deus illum cognoſcentē facit, ſicut alibi ait. Nunc autē cognoſcentes Deum, imò cogniti à Deo; neque enim tunc cognouerat eos Deus primùm præcognitos, & electos ante mundi cōſtitutionem, ſed tunc eos ſeipſum cognoſcere fecerat.* Quibus verbis, vt apparet, exiſtimat Auguſtinus, eum qui perfecta ſcientia rerum diuinarum caret, ignorari
E à Deo, quia non diuinitùs eruditur, vt eam ſcientiam perfectè aſſequatur. Quæ explicatio arguta, & Auguſtini ingenio digna cenſenda eſt, quamuis nō admodum Græco textui congruat, quem ſi ſpectes, apparet loqui Paulū de iis dūtaxat præceptis, quæ hoc capite tradiderat; illa verò ad mores potiùs, & Eccleſiaſticam diſciplinā, quàm ad fidei dogmata referēda ſunt. Quamobrem, quoniā Græcè ſcriptū eſt, εἰ δὲ τις ἀγνοεῖ, ἀγνοείτω. hoc eſt, ſi quis ignorat, ignoret ſanè; ſignificare enim videtur Apoſtolus, eos, qui verè prædíti ſunt intelligentia, facilè agnoſcere ſua, ſine

a cap. 7. 23.
b cap. 25. 12.
c Tract. 4. in Ioan.

monita

mooira, ſiue præcepta tanquam à Spiritu ſancto profecta; eáque te ipſa præſtare: qui verò ignari ſunt huius ſuæ inſcitiæ probè conſcios, peritorum iudicio debere acquieſcere, nullo autem modo Eccleſiam perturbare aut ſeditiones, & ſchiſmata excitare. quaſi dicat: qui vim horum præceptorum probè intelligunt, noſtra cohortatione non indigent: qui verò ignorant, aliorum ſanè iudicio acquieſcant, & eorum opera erudiantur, ſuámque inſcitiam agnoſcant: vel certè imperitus ſuam imperitiam intelligat, neque ea aggrediatur aut tentet, quibus par eſſe nullo modo queat; ſed duces, & magiſtros ſequatur, eorúmque ſe dictis præbeat obſequentem. Verùm Auguſtini & Latinorum explanatio Latinis codicibus, ac præſertim Romanæ editioni magis congruit.

39. I. Itaque fratres, æmulamini, &c. Redit ad id, quod initio capitis dixerat, hortaturq; Corinthios, vt enitantur, & laborent quò prophetiæ donum aſſequantur: & quoniam viſus erat contra eos qui linguarum facultatem arroganter iactabant, paulò vehementiùs inuehi, ne putaretur eiuſmodi donum penitus contemnere, monet eos qui linguis loquuntur, non eſſe omnino prohibendos. Obſeruat autem Chryſoſtomus, retinuiſſe Apoſtolū eumdem ſemper tenorem, & prophetiā quidem ita linguarum dono pretuliſſe, vt hoc tamen non penitus negligendum doceret. *Vidiſti*, inquit, *quēadmodum ad finem vſque ſeruauit differentiam, & quemadmodum alterum quidem oſtendit valde neceſſarium, alterum autem non item. Quamobrem de illo quidem dicit, æmulamini; de hoc autem, nolite prohibere.* Quo dicendi modo, vt animaduertit Theophylactus, neque ad linguarum vſum hortatur, neq; ab eo reuocat; neque enim dixit, permittite, ſed, nolite prohibere; quod in rebus non admodum neceſſariis dicere ſolemus. Indicat tamen (vt monet Theodoretus) linguarum vſum non eſſe prorſus inutilem. Ambroſius portò, & Anſelmus hoc putant adiectum eſſe ſtudio retinendæ caritatis; noluit enim eos qui linguis loqui poſſint, ſi præſertim adſit interpres, omnino prohiberi, ne diſſenſiones, & iurgia excitarentur. Addit Ambroſius, poſt reprehenſionem appellare Corinthios fratres, vt eos conſoletur & te ipſa præſtet quod olim dixit Iſaias [a] ea Septuaginta interpretatione: *Dicite fratres noſtri, iis, qui oderunt vos, & abominantur, vt nomen Domini glorificetur, & appareat in lætitia eorum, & illi confundentur.*

a cap. 66. 5.

II. Cæterùm, vt aliàs monui, fratres olim fideles omnes appellabantur, quam tamen appellationem, vt ex Tertulliano, Minutio, & aliis colligitur, Gentiles calumniabātur. *Sed &* (inquit Tertullianus [b]) *quòd fratres nos vocamus, non alias opiner infamant, quàm quod apud ipſos omne ſanguinis nomen de affectatione ſimulatum eſt. Fratres autem etiā veſtri ſumus, iure naturæ matris vnius, etſi vos parùm homines, quia mali fratres. At quantò digniùs fratres & dicuntur & habentur, qui vnum Patrem Deum agnouerunt, qui vnum Spiritum biberunt ſanctitatis, qui de vno vtero ignorantiæ eiuſdem ad vnam lucem expauerint veritatis. ſed & eo fortaſſe minùs legitimi exiſtimamur, quia nulla de noſtra fraternitate tragœdia exclamat, vel quia ex ſubſtantia familiari fratres ſumus, quæ penes vos ferè dirimit fraternitatem.* Neque aliter Minutius [c], *Fratres* (inquit) *vocamur, & vnius Dei parentis homines, vt conſortes fidei, vt ſpei cohæredes.* Eodem ſpectāt quæ alicubi ſcribit Clemēs [d] Alexādrinus, fratres nos eſſe, *vtpote vnius Dei, & vnius Magiſtri. Alicubi Plato dicere videtur hoc modo: Qui in ciuitate eſtis, omnino fratres eſtis* [e]. Alibi, *Fratres* (inquit) *appellamus, qui ſunt regenerati, idq; propter*

b in Apolog. c. 39. ſimilia de corona milit. & lib. ad Valent. Marcion.

c In Octauio.

d lib. 1. Strom.

e lib. 2. Strom.

A *mutuam caritatem, & beneuolentiā.* Athenagoras [a] autem aliam quandam rationem ſequutus eſt. *Quamobrem*, ait, *fit, vt pro ætatum gradu alios quidem filios, & filias agnoſcamus, alios autem fratrum, & ſororum loco habeamus, iam autem ætate prouectioribus patrum, matrúmque tribuamus honorem.* Hoc igitur beneuolentiæ, & caritatis nomine, quos nonnihil pupugerat, quodammodo recreat, & conſolatur.

a Orat. pro Chriſtian.

40. I. Omnia autem honeſte, &c. Clauſula eſt totius diſputationis verè Apoſtolo digna. Huc enim omnia ſuperiora referuntur, vt conuentus Eccleſiaſtici abſque vlla perturbatione celebrentur. Atque idcirco ait, hæc ſit veluti ſumma, vt omnia recto ordine apud vos peragantur. Eſt autem, vt eleganter docet Gregorius [b] Nazianzenus, ordo in rebus

b Orat. 26.

B omnibus in primis neceſſarius. *Ordo* (inquit) *omnia conſtituit, & colligauit: ordo cœleſtia, & terreſtria continet: ordo in iis, quæ ratione, & animo intelliguntur, locum habet: ordo in iis, quæ ſenſibus percipiuntur: ordo in Angelis: ordo in aſtrorum motu, magnitudine, mutua relatione, & ſplendore*, & multa deinceps in eandem ſententiam. Ad extremum addit: *Ordo in Eccleſiis quoque conſtituit, vt alij oues ſint, alij paſtores: alij præſint, alij ſubſint ac pareant: alius velut caput ſit, alius pedes, alius manus, alius oculi, alius aliud quoddam corporis membrum ad totius Eccleſiæ concinnitatem & vtilitatem, vel inferius, vel præſtantius.* Et aliquantò pòſt cùm hoc fermè caput περὶ εὐταξίας recitaſſet; ſubdit: *Hunc ordinem reuereamur ò fratres, hunc tueamur, & conſeruemus.*

C Quanta autem ex ordinis perturbatione oriantur mala, explicat his verbis: *Contrà autem perturbatio & confuſio in aëre tonitrua, in terra motus, in mari naufragia, in vrbibus domibúſq; bella, & diſſidia, in corporibus morbos, in animis peccata procreauit.* Quamobrem rectè præcipit Apoſtolus, vt omnia honeſtè, & ſecundùm ordinem fiant. Quod autem interpres ait, *honeſtè*, Græcè eſt εὐσχημόνως, hoc eſt decenter, & cum decoro. Ambroſius autem id fieri honeſtè dicit, quod cum pace, & diſciplina fit. Chryſoſtomus, & Theophylactus id opponunt ei perturbationi, quam dixerat oriri ex multitudine linguarum, quæ veſaniam, & furorem quendam præ ſe ferret. Addit: *Et ſecundùm ordinem*. illum videlicet intelligit, auctore Theodoreto, quem hoc capite præſcripſerat; *nihil enim*, vt ait II.

D Chryſoſtomus, *æquè ædificat, vt ordo rectus, vt pax, vt caritas; ſicut etiam contraria diruunt. Quod etiā in omnibus rebus cernitur; nam ſiue in choro, ait, ſiue in nauigio, ſiue in curru, ſiue in caſtris ordinem confundas, & maioribus ſuo loco eiectis in illorum ordinem minora induxeris, omnia corrumpis, & ſic quæ ſunt ſuprà fiunt infrà.* Multa in hanc ſententiam ſcribit Origenes [c]. *Agnoſcat igitur* (ait) *vnuſquiſque ordinem ſuum, & quid dignum ſit eo ordine, quem ſuſcepit, intelligat, & ita libret actus ſuos: ita etiam ſermonem, inceſſum quoque ipſum, & habitum moderetur; vt cum ordinis ſui profeſſione conueniat.* Alibi [d] verò de caritatis ordine eleganter diſputat. Addunt plerique Latini codices, *in vobis. ſecundùm ordinem*, inquiunt, *fiant in vobis.* Græci codices non habent; res tamen ipſa poſtulat vt intelli-

c Hom. 2. in Num.

d Hom. 2. in Cant.

E gatur. Corinthios enim alloquitur, & de ordine ſeruando in eorum eccleſiaſtico conuentu agit: indicans quod toto hoc capite docuerat, prophetiam præferendam eſſe linguarum dono: peregrinas linguas abſque interprete neutiquam vſurpandas; prophetis viciſſim prophetandum; fœminis denique in virorum cœtu ſilendum; ita fore illorum cœtum planè eccleſiaſticum, Eccleſiæque catholicæ partem, quæ *terribilis* dicitur [e], *vt caſtrorum acies ordinata.*

e Cant. 6. 3.

Argumentum Cap. XV.

ABSOLVTA diſputatione de Spiritus ſancti donis, quia fortaſſe Hymenai, ac Phileti labes quoſdam Corinthiorum infecerat, qui reſurrectionem iam præteriiſſe, nullamq́; præterea expectandā eſſe ſomniabant, vel quia nonnulli de hoc tam neceſſario myſterio non leuiter dubitabant; de illo Apoſtolus luculenter, copioſeq́; diſſerit, & eos, qui de mortuorum anaſtaſi aliqua ratione dubitarent, partim caſtigat, partim docet: multaq́; ad eam rem confirmandam argumenta congerit, tum ex ſacris litteris cæteriſq́; fidei dogmatibus, tum ex ipſa rerum natura petita.

CAPVT XV.

NOtum autē vobis facio, fratres, Euangeliū quod prædicaui vobis, quod & accepiſtis, in quo & ſtatis.

Per quod & ſaluamini: qua ratione prædicauerim vobis, ſi tenetis, niſi fruſtra credidiſtis.

Tradidi enim vobis in primis quod & accepi: quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundùm Scripturas.

Et quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die ſecundùm Scripturas.

Et quia viſus eſt Cephæ, & poſt hoc vndecim.

Deinde viſus eſt pluſquàm quingentis fratribus ſimul: ex quibus multi manent vſque adhuc, quidam autem dormierunt.

Deinde viſus eſt Iacobo, deinde Apoſtolis omnibus.

Nouiſſimè autem omnium tanquam abortiuo, viſus eſt & mihi.

Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei.

Gratia autem Dei ſum id, quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantiùs illis omnibus laboraui: non ego autem, ſed gratia Dei mecum.

PARAPHRASIS.

PORRÒ nunc ne quod eſt præcipuum 1.
religionis noſtræ caput apud vos claudi-
cet, & ne quiſpiam inani philoſophorum
argumentatione deceptus, de reſurre-
ctionis myſterio dubitet, planiùs explico, & veluti
paucis colligo Euangelium, quod alias propoſui
vobis, quódque ita vos complexi eſtis, vt adhuc,
quod pro certo habeo, conſtanter illud & retinea-
tis, & profiteamini. ¶ Cuius etiam beneficio, ſi 2.
meminiſtis quo doctrinæ genere vſus ſim apud
vos, Chriſtiana ſacra ſuſcepiſtis, & Baptiſmo luſtra-
ti ſalutem conſequimini, niſi tamen inani tantùm
fide gloriamini, aut illam fruſtra concepiſtis, & ſo-
lo nomine Chriſtiani reuera quiduis aliud potiùs
præ vobis fertis. ¶ Tradidi enim vobis, & quidem 3.
in primis quod & diuinitùs acceperam, Chriſtum
Dominum, vt diuina Scripturarum oracula præ-
dicant, mortem oppetiiſſe, vt pro omnium mor-
talium piaculis Deo Patri litaret, eiúsque gratiam,
ac beneuolentiam ſuo pretioſiſſimo ſanguine ho-
minum generi conciliaret. ¶ Itémque ſepul- 4.
cro illatum, & mox tertio ab obitu ſuo die, vt ea-
rumdem Scripturarum teſtimonia confirmant, re-
diuiuum ad ſuperos remeaſſe; ¶ Séque illicò Ce- 5.
phæ Apoſtolorum principi præbuiſſe ſpectandum,
deinde duodecim Apoſtolis in vnum coactis, eo-
rúmque fidem multis, ac magnis argumentis fir-
maſſe. ¶ Tum vnà ſimul, eodemq́; tempore pluſ- 6.
quàm quingētis fratribus, ex quibus quidem non-
nulli adhuc ſuperſtites ſunt, alij vita functi æuo
fruuntur ſempiterno. ¶ Poſtea Iacobo item Apo- 7.
ſtolo, qui & frater Domini appellatus eſt, dein A-
poſtolis omnibus; ¶ Omnium denique poſtremo 8.
poſt ipſius in cœlum aſcenſum non ſine ingenti
miraculo mihi quoque viſum tanquam abor-
tiuo. ¶ Ego enim, dicam equidem quod res eſt, 9.
minimum me inter Apoſtolos & agnoſco, & li-
bens prædico, neque ſatis dignum Apoſtolico ſiue
nomine, ſiue gradu; cùm præſertim olim Eccle-
ſiam Dei hoſtiliter ſim inſectatus. ¶ Sed diuinæ 10.
gratiæ munere, ac beneficio aſſequutum me eſſe
non nego quidquid aut habeo, aut ſum. Gratia au-
tem illius, quam in me eſſe non obſcuris argumen-
tis deprehendo, nequaquam fuit inanis, ſed illius
vi, atque efficacitate plus cæteris omnibus la-
boraui; aut, vt veriùs dicam, non ego qui-
dem, (nam quid, aut quantulum hac mea te-
nuitate efficere poſſem?) ſed gratia Dei, quæ mecū
eſt.

11. eſt. ¶ Hæc igitur eſt ea fides, eáque cœleſtis do-
ctrina, quam diuinitùs traditam ego, & cæteri o-
mnes Apoſtoli prædicamus, quam & vos audiſtis,
12. & animo complexi eſtis. ¶ Quòd ſi vnum ex præ-
cipuis fidei noſtræ capitibus eſt, Chriſtum ab infe-
ris ad vitam rediiſſe; quanam quæſo ratione auſi
ſunt quidam inter vos dicere, non eſſe aliquando
13. futuram mortuorum reſurrectionem? ¶ Nam ſic
omnino exiſtimare debetis, ſi non ſit mortuorum
anaſtaſis expectanda; ne credendum quidem eſſe
Chriſtum Dominum à mortuis fuiſſe excitatum.
14. ¶ Quòd ſi Chriſtus non eſt excitatus ab inferis, ni-
mirum conſequens eſt, inanem prorſus eſſe prædi-
cationem noſtram, atque doctrinam, inanem nihi-
15. lominus fidem veſtram. ¶ Et quod magis abomi-
nandum eſt, deprehendemur ipſi falſi Dei teſtes,
quippe qui impudenter mentiti ſimus, fuiſſe ab il-
lo Chriſtum ad vitam reuocatum, cùm tamen ſi
mortui non reſurgunt, adhuc ille cum mortuis de-
16. gat. ¶ Hæc enim duo prorſus ſic ſunt inter ſeſe cō-
nexa, vt qui alterum admiſerit, alterum quoque fa-
teri cogendus ſit; & qui alterū neget, æquè vtrum-
que reiiciat: atque adeò ſi mortui nō reſurgunt, ne
17. fuerit quidē Chriſtus ſuſcitatus. ¶ Quòd ſi Chri-
ſtus non reuixit, neceſſe eſt profectò (vt paulò antè
dixi) inanem eſſe veſtram fidem, vóſque adeò pri-
ſtinis adhuc ſceleribus, ac flagitiis eſſe obſtrictos.
18. ¶ Et quod horret animus, qui Baptiſmo luſtrati
diem clauſerunt extremum, etiamſi acerbiſſimos
pro Chriſti cruciatus pertulerint, maximoſq́; labo-
res exantlarint, penitus periiſſe, nihilq́; illis Chri-
ſtiana ſacra, aut pro Chriſti nomine, fideiq́; confeſ-
19. ſione tolerata ſupplicia, profuiſſe. ¶ Nempe ſi dum
viuimus ſpes omnes noſtras in Chriſto ſitas habe-
mus, atq; huius miſeræ vitæ terminis omnis expe-
ctatio noſtra clauditur, omniū profectò mortalium
20. miſerrima conditione viuimus. ¶ Nunc autem ve-
rè Chriſtus excitatus eſt à mortuis, tāquam eorum
princeps qui obierunt; vt ipſi aliquando ducem, at-
21. que imperatorem ſuum ſecuturi ſint. ¶ Sic enim
diuino cōſilio, ac prouidentia ſancitū eſt, vt quem-
admodum vnius hominis culpa totum genus hu-
manum mors premit, atque occupat; ita per vnum
quoque hominem mortuorū anaſtaſis expectetur.
22. ¶ Quemadmodum enim vitio primi parentis Adæ
omnes morti obnoxij degunt; ita Chriſti beneficio
cuncti vitam immortalē aliquando conſequentur.
23. ¶ Vnuſquiſque autem ordine ſuo, & gradu; Chri-
ſtus quidem tanquam primitiæ iam reuixit; conſe-
quens erit, vt ij qui Chriſto adhæſerunt in ſecundo
24. eius aduentu etiam ipſi reſurgant. ¶ Tum verò fi-
nis rerum omniū ſubſequetur, vbi videlicet Chri-
ſtus nulla ſua iactura, ſed magno potiùs cum
honoris, ac dignitatis incremento tradiderit
regnum, hoc eſt electorum Eccleſiam Deo Pa-
tri, cùm aboleuerit omnem dæmonum, atque
inferorum principatum, omnem poteſtatem,
omnemq́ue virtutem, atque ita omnes eorum
25. vires, atque impetus penitus fregerit. ¶ Opor-
tet enim eum terrenum hoc militantis Eccle-
ſiæ

Siue enim ego, ſiue illi, ſic prædicamus, & ſic credidiſtis.

Si autem Chriſtus prædicatur, quòd reſurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt?

Si autem reſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus reſurrexit:

Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra.

Inuenimur autem & falſi teſtes Dei, quoniam teſtimoniū diximus aduerſus Deum, quòd ſuſcitauerit Chriſtum, quem non ſuſcitauit, ſi mortui non reſurgunt.

Nam ſi mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit.

Quòd ſi Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra; adhuc enim eſtis in peccatis veſtris.

Ergo & qui dormierunt in Chriſto, perierunt.

Si in hac vita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.

Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium.

Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum.

Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.

Vnuſquiſque autem in ſuo ordine, primitiæ Chriſtus: deinde ij, qui ſunt Chriſti, qui in aduentu eius crediderunt.

Deinde finis: cùm tradiderit regnum Deo & Patri, cùm euacuauerit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem.

Oportet autem illū regnare donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius.

Nouiſſima autem inimica deſtruetur mors. Omnia enim ſubiecit ſub pedibus eius. Cùm autem dicat:

Omnia ſubiecta ſunt ei, ſine dubio præter eum qui ſubiecit ei omnia.

Cùm autem ſubiecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus.

Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt? vt quid & baptizantur pro illis?

Vt quid & nos periclitamur omni hora?

Quotidie morior per veſtram gloriam, fratres, quam habeo in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

Si (ſecundum hominem) ad beſtias pugnaui Epheſi, quid mihi prodeſt ſi mortui non reſurgunt? manducemus, & bibamus, cras enim moriemur.

Nolite ſeduci: corrumpunt mores bonos colloquia mala.

Euigilate iuſti, & nolite peccare: ignorantiam enim Dei quidam habent, ad reuerentiam vobis loquor.

Sed dicet aliquis: Quomodo reſurgunt mortui? qualive corpore venient?

Inſipiens, tu quod ſeminas, non viuificatur, niſi priùs moriatur.

Et quod ſeminas nõ corpus, quod futurum eſt, ſeminas,

ſiæ regnum tantiſper adminiſtrare, dum o-
mnes aduerſarios debellet, ac ſibi penitus ſubii-
ciat. ¶ Inter quos eſt etiã ipſa mors, quæ omnium 26.
poſtrema abolẽda eſt, illa videlicet cõmuni omniũ
mortalium anaſtaſi, quam certò futuram non dubi-
tamus. ¶ Siquidem Deus immortalis omnia illius 27.
pedibus voluit eſſe ſubiecta, atque adeò ipſo Deo
excepto, qui illi omnia ſubdidit, cætera cõprehen-
duntur vniuerſa. ¶ Debellatis igitur cunctis ad vnũ 28.
hoſtibus, ſublatisq; omnibus illis gradibus, qui ter-
reno regno, atque adminiſtrationi ſeruiebãt; fideli-
bus denique omnibus, iuſtisq; victoriam adeptis, &
capiti ſuo prorſus coniunctis, ceſſabit terrenũ illud
regnũ, ipſeq; Chriſtus homo iam integer, id eſt vnà
cum omnibus ſuis myſticis membris Deo perfectè
ſubiicietur, à quo cætera omnia ſibi ſubiecta acce-
perat, vt cuncti mortales immenſa Dei gloria, &
maieſtate ad ſummũ vſque, quantũ quiſque cape-
re poterit impleantur, & nullo interiecto medio di-
uinæ naturæ contemplatione fœlices, ac beati per-
fruantur. ¶ Alioqui ſi mortui non reſurgunt, quid 29.
faciunt ij, qui in mortuorum reſurrectionem bapti-
zantur? hoc eſt pro eorum expiatione cruciãtur, &
acerbiſſima quæque ſubeunt? ſi enim omnino exci-
tandi non ſunt, cur iſto modo Baptiſmũ lacryma-
rum percipiunt, & mortuorũ reſurrectionem non
profitentur modò, ſed certò ſe ſperare apertiſſimè
docent, dum eos ſuis actionibus iuuari poſſe cõfi-
dunt? ¶ Cur verò nos euãgelicæ doctrinæ præco- 30.
nes, vt mortuorum reſurrectionẽ, quam Gentiles
irridẽt, mortalibus perſuadeamus, omni penè mo-
mento periclitamur? ¶ Equidem in dies ſingulos 31.
mortem mihi imminere video, eiuſq; rei teſtes ap-
pello omnes ærumnas quas verè gloriari poſſum,
me apud vos pro Ieſu Chriſti Domini noſtri nomi-
ne pertuliſſe, ipſoſq; adeò veſtros in euãgelica do-
ctrina progreſſus, quã ego apud vos publicè docui,
voſque à me audiſſe gloriamini. ¶ Si Epheſi cùm 32.
eſſem, dabitis enim mihi hanc veniã, vt de me ipſo
more cæterorũ hominum loquar, & vulgatam lo-
quendi cõſuetudinem retineã, qua homines effe-
ros, atque immanas beſtias appellare ſolent, diriſſi-
ſima quæque ab immaniſſimis hominibus ſuſtinui,
non aliter ac ſi more damnatorum aduerſus beſtias
pugnaſſem; quæ mihi inde promanat vtilitas, ſi
mortui non ſuſcitantur? Sanè illud rectè cadat,
edamus, ac bibamus; cras enim moriemur. ¶ Ne 33.
ſeducamini fratres, ſic habetote; bonos mores col-
loquia corrumpunt mala. ¶ Euigilare porrò, vt in- 34.
ſtitiam colatis, ne vllo vnquam modo peccetis;
ſunt enim quidam apud vos, qui ne norunt qui-
dem Deum, quod idcirco ſcribo, vt vos pudeat
eos ſectari, aut eorum conſuetudine, & familiarita-
te vti. ¶ At dicet aliquis: Quanam, obſecro, ratio- 35.
ne mortui ſuſcitantur? Quali autem corpore præ-
diti redibunt ad ſuperos? ¶ Demens, ſic enim lo- 36.
qui neceſſe eſt, an non vides cùm ſementem fa-
cis ſemen terræ viſceribus abditum non viuiſcere,
niſi priùs interierit, & quodammodo mortuũ fue-
rit? ¶ Adde, quòd tu quidem ſemẽ iacis tritici vi- 37.
delicet,

delicet granũ,aut hordei, aut aliud quidpiã ſimile,
non tamen idem prorſus corpus,quod te meriturũ
38. ſperas. ¶ Sed Deus immortalis ſemini in terræ vi-
ſceribus abdito,corpus & molem largitur,vt ipſi li-
buerit,& vnicuiq; ſemẽris generi,propriã,ac ſuam.
39. ¶ Non enim omnis caro eiuſdem prorſus eſt natu-
ræ,ac proprietatis;ſed alia quidẽ humana caro,alia
pecorum , alia verò volucrũ,alia denique piſcium.
40. ¶ Itémque plura ſunt corporum geoera;alia ſiqui-
dem ſuot cœleſtia,alia verò terreſtria,ſed lõgè ma-
ior eſt cœleſtiũ dignitas,& pulchritudo,quàm ter-
41. reſtrium. ¶ Quinetiam non eadem eſt omniũ cœ-
leſtium corpotum ſpecies : plurimum enim ſplen-
dor Solis à Lunæ ſplendore differt , & io cæteris
quoque ſyderibus aliud alij lucis magnitudioe , &
nobilitate præſtat : omnia verò à Solis Lunæq, ful-
42. gore plurimum diſtãt. ¶ Haud abſimili ratione de
mortuotum anaſtaſi ſentiendum eſt ; ſiquidẽ mor-
tale corpus,& obnoxiũ morbis,quæ ducunt ad io-
teritum aliquando abſumitur.Quod verò reuoca-
tur ad vitam,noo modò erit integrũ, atq; ouini ex
parte perfectum,ſed immortalitate donatum,nulli
prorſus aut ægritudini,aut imbecillitati ſubiacebit.
Cùm igitur moritur,quaſi ſemen in terram proiici-
tur,ſed dum reſurget,pereonẽ & immortalem vitã
43. nanciſcetur. ¶ Seminatur,vt ita dicam,in ignomi-
nia ;ſuſcitatur ingẽti gloria circumdatum:ſemina-
tur ægrum,atque infirmũ ; ſuſcitatur robuſtum, ac
44. validum. ¶ Seminatur denique eiuſmodi,cui ani-
ma vitales facultates prębet,imbecillas illas tamen
& quæ temporis decurſu flaceſcant , vnde ipſum
euadit corruptioni obnoxiũ,ſordidum, ac ſexcẽtis
modis infirmũ, cùm præſertim anima deſtitutũ ſe-
ritur,& terræ mãdatur;ſuſcitatur verò ſpiritale,di-
uinæ naturæ particeps,tantò excellentiori vita prę-
ditũ,quantò Deus animo præſtat, fitq; idcirco im-
mortale,gloria,ſplendoreq, inſigne, omni denique
ægritudine,atque imbecillitate liberũ, & ſolutum;
neceſſe eſt enim, hæc duo veluti corpora, vel duos
45. potiùs corporis ſtatus diſtioguere.¶ Ita etiam ſcri-
ptum eſt à Moſe, priorẽ illum hominem Adamum
diuinitus animam accepiſſe,vnde vitã hauriret ; at
poſterior Adam cõditus eſt à Deo, vt vitalẽ ſpiritũ
cũctis mortalibus largiretur:quocirca ille mortali-
tatis auctor,hic verò parens immortalitatis dicen-
46. dus eſt.¶ At nõ priùs factum eſt quod ſpiritale di-
ximus,ſed priùs quidem quod animale eſt, deinde
47. verò quod eſt ſpiritale.¶ Primus nãq; homo è terra
procreatus , terrenus erat ; ſecundus verò, hoc eſt
48. Chriſtus Dominus cœlitùs ad nos venit. ¶ Qualis
terrenus ille fuit,tales neceſſe eſt eſſe eos,qui terre-
ni ſunt : & rurſus qualis ille cœleſtis erat, tales fore
49. neceſſe eſt eos , qui cœleſtes ſunt. ¶ Atque adeò
quemadmodũ geſtauimus imaginem terreni,dum
hanc vitam viuimus caducam,& mortalem,ita etiã
rediuiui , & immortalitate donati imaginem cœ-
50. leſtis præferemus ¶ Aio autem fratres,caroem &
ſanguinẽ ad regni cœleſtis poſſeſſionem peruenire
nequaquã poſſe,nec quæ ſunt obnoxia corruptio-
ni ad incorruptæ naturæ ſtatum, & conditionem
accedere.

*ſeminas,ſed nudum granum,vt puta triti-
ci,vt alicuius cæterorum.*
*Deus autem dat illi corpus ſicut vult;& vni-
cuiq, ſecundum proprium corpus.*

*Non omnis caro, eadem caro : ſed alia quidem
hominum,alia verò pecorũ, alia volucrum,
alia autem piſcium.*
*Et corpora cœleſtia , & corpora terreſtria ; ſed
alia quidem cœleſtium gloria , alia autem
terreſtrium.*
*Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ , & alia
claritas ſtellarum. Stella enim à ſtella dif-
fert in claritate.*

*Sic & reſurrectio mortuorum. Seminatur in
corruptione,ſurget in incorruptione.*

*Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria:ſe-
minatur in infirmitate,ſurget in virtute.*

*Seminatur corpus animale,ſurget corpus ſpiri-
tale. Si eſt corpus animale , eſt & ſpiritale,
ſicut ſcriptum eſt:*

*Factus eſt primus homo Adam in animam
viuentem , nouiſſimus Adam in ſpiritum
viuificantem.*

*Sed non priùs quod ſpiritale eſt, ſed quod ani-
male:deinde quod ſpiritale.*
*Primus homo de terra,terrenus ; ſecundus ho-
mo de cœlo,cœleſtis.*
*Qualis terrenus,tales & terreni:& qualis cœ-
leſtis,tales & cœleſtes.*

*Igitur ſicut portauimus imaginem terreni,por-
temus & imaginem cœleſtis.*

*Hoc autem dico, fratres;quia caro , & ſanguis
regnum Dei poſſidere nõ poſſunt:neque cor-
ruptio incorruptelam poſſidebit.*

Ecce myſterium vobis dico: omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.

In momento, in ictu oculi, in nouiſſima tuba: canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur.

Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.

Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors in victoria.

Vbi eſt, mors, victoria tua? Vbi eſt, mors, ſtimulus tuus?

Stimulus autem mortis peccatum eſt: virtus verò peccati lex.

Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Itaq; fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote, & immobiles, abundantes in opere Domini, ſemper ſcientes, quòd labor veſter non eſt inanis in Domino.

accedere. Neque enim hæc mortalis, caducaq; natura hac ipſa mortalitate prædita beabitur, neque impuri, ſceleſtiq; mores digni habebuntur, qui vita
immortali, ac ſempiterna perfruantur. ¶ Ecce au- 51.
tem abditum vobis myſterium aperio. omnes quidem morte oppreſſi, veluti quodam ſopore obdormiemus, & rurſus ad vitam reuocabimur: ſed non omnes immutabimur, neque corporis gloriã,
ac beatæ immortalitatẽ aſſequemur. ¶ Momento, 52.
& ictu veluti oculi ad vltimæ tubæ ſonum, canet enim, & mortui ſuſcitabuntur incorrupti, & nos
mutabimur. ¶ Oportet enim hoc quidquid eſt in 53.
nobis, quod ſub interitum cadit, naturam induere corruptionis expertem, atque hoc mortale corpus
immortalitatẽ nanciſci. ¶ Cùm autem hoc corpus, 54.
quod eſt corruptioni obnoxium, naturam prorſus incorruptam aſſequetur; & quidquid mortale eſt in nobis, immortalitatem; tũc vaticinium illud, quod eſt in ſacris litteris ipſo rerum euentu comprobabi-
tur. Abſorpta eſt, inquit, mors ad victoriam. ¶ Vbi 55.
tunc erit tua ô mors victoria? Vbi tuus ô ſepulcrum
aculeus? ¶ Aculeus autẽ mortis peccatũ eſt; robur 56.
verò peccati, lex. ¶ Sed Deo immortali habenda 57.
eſt gratia, qui dedit nobis victoriam per Dominũ
noſtrum Ieſum Chriſtum. ¶ Itaque fratres mei 58.
admodum dilecti ſtabiles eſtote, immobiles, & abundantes in omni opere Domini; idque ſemper; cùm ſciatis, laborem veſtrum non eſſe inanem per Dominum.

IN CAPVT DECIMVM QVINTVM EXPLANATIO.

1.
I.
NOTVM AVTEM VOBIS FACIO, &c. Non temerè Apoſtolus de mortuorum anaſtaſi diſputationẽ inſtituit; nam, vt ſcribit Tertullianus [a], omnis fermè philoſophorũ ſchola *carnis reſtitutionem*, vt ille loquitur, negauit, alio tamen, atque alio argumento: quidam quòd animam hominum putarent eſſe mortalem: quidam verò quòd exiſtimarent id, quod ſemel interierit iterum reſtitui, reparariue nõ poſſe. Neque improbabile eſt Corinthi à Philoſophis gentilibus hoc nomine irideri conſueuiſſe Chriſtianos quòd apud Athenienſes in Areopago Paulo contigiſſe ſcribit Lucas [b]. Nec fortaſſe deerant inter Iudæos Saducæi, qui (vt ex Matthæo [c], & Luca [d] conſtat) reſurrectionem non admittebant: quod etiam de Samaritis affirmat Epiphanius [e]. Iã intereos qui Chriſto nomina dederant, fuiſſe quoſdã, qui reſurrectionẽ iam præteriiſſe, atque adeò nentiquam in poſterũ expectandam eſſe dicerent, affirmat alicubi [f] Paulus, qui hunc errorẽ tribuit Phileto, & Hymenæo. Certè Ignatius [g] quoſdam perſtringit, qui reſurrectionem pernegarẽt. Auguſtinus [h] hanc hæreſim Simoni aſcribit, qui cùm eſſet Samaritanus patriũ errorẽ retinere facilè potuit, quanquam neque Epiphanius [i], neque Tertullianus [k],

a lib. de reſur. ſcript c. 9.
b Act 17 32.
c cap 22 23.
d Act. 23. 8.
e Hær 9.
f 2. ad Tim. 2. 17.
g ep. 5 ad Trallian & 10 ad Smyrnen.
h lib. de hær. in princ.
i Hær 2.
k lib. de præſcript. c. 33.

A hac labe Simonẽ aſpergũt. At hic poſterior [a] Baſilidẽ ait carnis reſurrectionẽ negaſſe; quod ipsũ de Marcione affirmat. Et alicubi [b] ait, *Marcionẽ, Apellẽ, Valentinum, & ſi qui alÿ reſurrectionem carnis infringunt, Saduceorũ hereſim vſurpare*, eoſque putat ab Apoſtolo hac ipſa epiſtola notari. Eiuſdẽ erroris ſocios nominat Auguſtinus Carpocratiſtas, Cerdonẽ, Caianos, Seuerianos, Archõticos, Hieracitas: Philaſter Seleucianos, & Proclianitas [c]. Alij Almaricũ, Albigẽſes, Albanẽſes. De Origene non ſatis cõuenit. Auguſtinus [d] reſurrectionẽ ab eo penitus ſublatam credit. Epiphanius [e] ſolũ putat eum impiis reſurrectionẽ denegaſſe, cùm Dauid [f] dicat: *Ideo non reſurgunt impÿ in iudicio, neque peccato-*
B *res in conſilio iuſtorum*. Theophilus [g] putat illũ ſolum negaſſe fore poſt reſurrectionem corpora immortalia. Vtut ſit apud Corinthios quidam erant (vt paulò pòſt ait Apoſtolus) qui reſurrectionem futuram non admitterent. Ob eam cauſam illis in mẽtem reuocat doctrinam euãgelicam, quam coràm tradiderat. *Ideo notum* (inquit) *vobis facio Euangelium, quod prædicaui vobis*. Hoc eſt reuoco vobis in mentem eam Euangelij partem, quæ de reſurrectione agit, quam non dubito vos memoria retinere, & conſtanti fide credere, cùm probè intelligatis hinc veſtrã ſalutẽ pẽdere.

a lib. de præſcript. & lib. de reſurr. carn.
b lib. de præſcript. c. 33.
c Bernar. à Lucembur.
d De hæreſ.
e Hær. 64.
f Pſal. 1. 5.
g lib. 2. Paſch.

Nihil

Nihil ergo noui dicturus ſum, ſed ea repetam, quæ pridem à me audiſtis, quæque vos fide complexi eſtis. Obſeruat autem Chryſoſtomus hac de re Paulũ grauiſſimè diſputare tãquam de præcipuo religionis noſtræ capite; vt enim ait Tertullianus [a]: *Fiducia Chriſtianorum eſt reſurrectio mortuorum*. Verebatur quippe Apoſtolus, ne Phileti atque Hymenæi lues totam Corinthiorum Eccleſiam peruaderet: illi nãque (vt ait Chryſoſtomus) interdum aiebant, reſurrectionem iã præteriiſſe, interdum verò non eſſe quidem corpora ad ſuperos reuocanda; ſed reſurrectionem nihil eſſe aliud, quàm animæ purgationem. Ait igitur ſe notum facere Euangelium, quo nomine Chriſti potiſſimum myſteriũ ſignificat, hoc eſt eius ortum, mortem, anaſtaſim: nam qui ipſam reſurrectionem putant Euãgelij nomine deſcribi, quòd lætũ nuntiũ afferat, & optima, ac præſtantiſſima bona polliceatur, ii fortaſſe veram dicunt; ſed quã tamen Pauli verba nõ neceſſariò poſtulent; quia (vt diximus) omnis euangelica doctrina eo nomine ſignificatur, cuius præcipua pars de Chriſti omniúmque mortaliũ reſurrectione agit. Porrò Ambroſius rectè monet Apoſtolũ reuocaſſe in memoriã Euangeliũ, cui iã Corinthij fidẽ adiunxerant, vt indicet eos omnium iacturã facere, ſi de reſurrectione dubitent. *Omnis enim (ait) ſpes credentium in hoc ſenſu eſt, quia mortui reſurgẽt*. Ita oſtendit, (vt Chryſoſtomus, & Theophylactus animaduerrunt) nihil ſe nouum, aut peregrinũ dicturũ. Minutũ verò eſt illud atque haud ſcio, an ſatis neceſſarium quod nõnulli monent, præſens poſitum eſſe pro futuro, perinde quaſi dixerit Apoſtolus, notum facio, pro eo quod eſt, notum faciam. Fratres appellat Corinthios, vt Euangelij fructum oſtendat; ideirco enim omnes fratres vocamur, quia eiuſdem fidei, & eorundem Sacramentorũ participes ſumus. Eos deinde magis confirmat, cùm ait: *Quod accepiſtis*; ita enim (quod monet Chryſoſtomus) quaſi datam fidem exigit, aut depoſitum repetit. Itaque ait: *Notum vobis facio Euangelium*; non ſolùm quod prædicaui cùm apud vos eſſem, ſed quod vos ſponte veſtra iam pridem complexi eſtis. Chriſto igitur iam nomina dediſtis, eius probaſtis doctrinam, abſque perfidiæ nota retrugredi non poteſtis. Ne videatur autem de eorum conſtantia diffidere, aut fidem in dubium reuocare, addit: *In quo & ſtatis*. Atqui illi nonnihil lababant, aut nutare certè videbantur. Sed vtiliter (ait Chryſoſtomos) ignorationem prætexit, quomodo ad Galatas [b] ſcribens, cùm crimen eorum occultari non poſſet, ſpem bonam in futurum præſe tulit. *Confido (inquit) de vobis in Domino, quod nihil aliud ſentietis*. Dixit autem: *In quo ſtatis*. Græcè ἑστήκατε; nam Apoſtolus hoc perpetuò fidei tribuit; vt ad Romanos [c]: *Tu (inquit) fide ſtas*. Quod autem in præſentia ait Apoſtolus: *In quo & ſtatis*, Ambroſius promiſcuè dictum putat; *vt qui ſtant, mente gaudeant: qui nutant, pudore affecti reſipiſcant*. Indicant certè Græci Patres fuiſſe nonnullos apud Corinthios, qui nonnihil de hoc myſterio dubitarent ſiue de re tota, ſiue de tempore, ac modo; quos omnes hoc capite Apoſtolus tacitè notat, & obiurgat.

a lib. de reſur. car. in princ.

b cap. 5. 10.

c cap. 11. 20.

2.
1.
PER QVOD ET SALVAMINI: QVA RATIONE, &c. Fidei, ac perſeuerantiæ fructum oſtendit. Hinc enim oritur ſalus ſempiterna: nam ad Romanos [d] dixit Euangelium eſſe virtutem *in ſalutem omni credenti*. Ambroſius futuro tempore legit, *Salui efficiemini*: at Græcè ſcriptum eſt præſenti tempore σώζεσθε, & ad Romanos [e], quod magis mirandum eſt, præterito tempore dixit: *Spe enim ſalui facti ſumus*, quia ſi quis in fide, vitáque Chriſtiana perſeueret, tam certò ſperare poteſt ſalutem, ac ſi iam illam poſſideret. Quod ſequitur: *Qua ratione prædicauerim vobis*, Græcè eſt τίνι λόγῳ εὐηγγελισάμην, Ambroſius

d cap. 1. 16.

e cap. 8. 24.

A legit: *Quod & ſermone annuntiaui*. quaſi legerit, ὃ ἐγὼ λόγῳ εὐηγγελισάμην. vt cæteri omnes, quos ego quidem viderim, noſtro interpreti conſentiunt. ſenſus eſt: ſi memoria tenetis qua ratione, aut quo ſermone euangelizauerim vobis. Chryſoſtomus, & Theophylactus perinde accipiunt, quaſi Paulus reſurrectionem quidem futuram docuerit, modum autem, rationémve reſurrectionis non item: atque ita Corinthij non de reſurrectione dubitarent, ſed de modo ambigerent. Certè Apoſtolus ita de reſurrectione in hac epiſtola diſſerit, vt reſurrectionem aſſerat, & modum explicet. *Si tenetis*, ait, Græcè εἰ κατέχετε. Ambroſius legit, *tenere debetis*, quaſi legerit δεῖ, vt ſit ſenſus, *vtique*, vel *certè tenetis*. At noſter interpres legit, vt nunc habent Græci codices. Theophylactus indicat
B nonnihil ſubaudiendum, vt ſequentia rectè cohæreant. *Si tenetis (inquit) retinetis autem, & noviſtis omnino, niſi temerè credidiſtis; pro* εἰ μή *quod eſt; niſi fruſtra nominamini Chriſtiani*: vel, vt indicat Chryſoſtomus, & planiùs affirmat Anſelmus, eos fruſtra credere ſignificat, qui de futura reſurrectione ambigunt. Omnis enim fides noſtra ad futuram beatitudinẽ refertur, quæ nulla eſt ſi mortui non reſurgunt: vel fruſtra eos credere inſinuat, qui non perſeuerant, quive in aliquo deficiunt aut offendunt: vel denique alludit ad fidem in Baptiſmo perceptam, in quo reſurrectionis quædam non obſcura imago cernitur. Ita rectè colligit Oecumenius fidem reſurrectionis eſſe veluti ſummam & compendium totius Euangelij, quod
C etiam Paulus ipſe indicat, dum hoc ipſo capite ait, ſi Chriſtus non reſurrexit, inanem eſſe fidem noſtram, inanem item prædicationem.

TRADIDI ENIM VOBIS IN PRIMIS, &c. 3.
Rectè Theophylactus hoc ait præcipuum eſſe fidei 1.
noſtræ caput: quod indicaſſe videtur Petrus cum in Actis [a] apoſtolicis hunc in modum diſſerit: *Oportet ergo ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter eos Dominus Ieſus, incipiens à Baptiſmate Ioannis vſque in diem, qua aſſumptus eſt à nobis, teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnum ex iſtis*; indicans, vt alibi monui, apoſtolicum munus ad hoc potiſſimum fuiſſe inſtitutum, vt Apoſtoli Chriſti mortem, & anaſtaſim gentibus promulgarent: itaque Paulus ait, ſe hoc in primis tradidiſſe.
D Quocirca rectè Tertullianus [b] hinc colligit Chriſti mortem, ac reſurrectionem totius Euangelij veluti ſummam, & fundamentum eſſe. *Totum*, inquit, *Chriſtiani nominis & pondus, & fructus mors Chriſti negatur, quam tam impreſſè Apoſtolus demandat vtique veram, ſummum eam fundamentum Euangelij conſtituens, & ſalutis noſtræ, & prædicationis ſuæ. Tradidi enim*, inquit, *vobis inprimis, quod Chriſtus mortuus ſit pro peccatis noſtris, & quòd ſepultus ſit, & quòd reſurrexit tertia die*. Quod igitur ait, *in primis*, non refero ad tempus, aut ordinem, quod videtur exiſtimare Chryſoſtomus, quem ſequitur Theophylactus; ſed accipio, vt ſenſus ſit, inter præcipua religionis capita. Vocat autem ſuam hanc prædicationem, non ſimpliciter doctrinam, ſed traditionem, quomodo hac ipſa
E epiſtola [c] ſuperiùs dixerat. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, indicans non ſe alicubi ea legiſſe, quæ doceret, ſed diuinitus accepiſſe; quomodo ferè loqui conſueuerant Hebræi, vt in [d] Actis apoſtolicis indicat Lucas; ait enim Iudæos aduerſus Stephanum protomartyrem per calumniam hæc obieciſſe: *Audiuimus enim (inquiunt) eum dicentem, quoniam Ieſus Nazarenus hic deſtruet locum iſtum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyſes*. Traditiones autem Hebræorum interpretatur Epiphanius [e] legis expoſitiones, quas ait fuiſſe omnino quatuor; primam quæ Moſis nomine circumferebatur:

a cap. 1. 21.

b lib. 3. in Marc. c. 8.

c cap. 11. 23.

d cap. 6. 14.

e Hær. 15. & 42 ex Euãg. Marci contra ter. 26.

tur: alteram eius, qui vocabatur Rabbi Aciba: A tertiam Addæ, ſiue Iudæ: quartam, ac poſtremam filiorum Aſamonæi. Fortaſſe igitur Apoſtolus propterea traditionem nominat, quaſi dicat, ſe Scripturæ interpretationem adhibuiſſe; hanc enim ob cauſam ſubdidit: *Secundùm ſcripturas.* Scripturarum, ait, teſtimonio oſtendi vobis, Chriſtum ad omnium mortalium expianda flagitia obiiſſe, & rediuiuum ad ſuperos remeaſſe. Suſpicor ſpectaſſe Paulum ad Iudæi cuiuſpiam imposturas, qui Sadducæorum errore corruptus, malè de reſurrectione ſentiret, & perperam Scripturas interpretaretur, & propterea Scripturarum auctoritatem commemorat. Omnis porrò Iudæorum natio morte Chriſti mirum in modum perturbabatur; quod multò aliter illi oracula prophetarum interpre- B tarentur, quàm reuera Spiritus ſanctus earum auctor ſignificaret. Quocirca Chriſtus [a] ipſe Scripturarum teſtimonio probauit, oportuiſſe *Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam:* & Apoſtolis *aperuit ſenſum, vt intelligerent Scripturas, & dixit eis, Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati & reſurgere a mortuis tertia die.* Obſeruat huiuſce locutio Tertullianus [b]: *Nam & Apoſtolus,* ait, *non ſine onere pronuntians Chriſtum mortuum adiecit, ſecundùm Scripturas, vt duritiam pronuntiationis Scripturarum auctoritate molliret, & ſcandalum auditoris euerteret.*

a Luc. 24. 26. ibidem 46.

b Aduerſ. Marc. c. 28.

4. I. ET QVIA SEPVLTVS EST, ET QVIA, &c. Chryſoſtomus, Oecumenius, & Theophylactus hæc adiecta C putant contra Manichæos; cùm enim illi dicturi eſſent mortem ab Apoſtolo vocari peccata, adeóque negarent verè Chriſtum mortuum eſſe; vt huic futuræ impietati Spiritus ſanctus occurreret, voluit Paulum ſuis veluti coloribus corpoream mortem deſcribere. Nam Chriſtum quidem nullo fuiſſe peccato obnoxium, quod Manichæi impiè dicturi erãt; inde probat Apoſtolus, quòd Chriſtus pro totius humani generis labe mortem oppetiit: quod verò re ipſa obierit, indicant quæ mox ſubdit: *Et quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die ſecũdùm Scripturas.* Porrò hoc etiam loco Scripturarum auctoritaté adhibet, vt quod maximè vrgebat firmum, ac ratum eſſe doceret. Nam & Chriſtus [c] ipſe (vt paulò antè monui) prophetarum oraculis mortem, ac reſurrectionem ſuam confirma- D uit. *Incipiens* (inquit) *à Moyſe, & omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erãt.* Non temerè autem Scripturarum auctoritatem inculcat, ne quia traditionis mentionem fecerat, aliena aut ex ingenio ficta tradidiſſe crederetur. Quod tradidi, inquit, ex ipſis ſacris litteris apertè colligitur. Addit Oecumenius voluiſſe Apoſtolum quorumdam perfidiam arguere, qui aliter de reſurrectione & ſentirent, & loquerentur, quàm diuinæ Scripturæ doceant. Otioſum autem videtur, & penitus ſupervacaneum hæc Scripturæ teſtimonia percurrere, quod alij ante nos copioſiſſimè fecerunt: cùm præſertim ſint cuiuis facilè obuia. Nonnulla indicant hoc loco Chryſoſtomus, Theophylactus, Ambroſius. E

c Luc. 24. 27.

5. I. ET QVIA VISVS EST CEPHÆ, &c. Quoniam, vt initio dixi, de reſurrectione diſputationem inſtituit; reuocat in memoriam non modò Scripturarum auctoritatem, ſed aliorum etiam teſtimonia, quibus Chriſti anaſtaſim confirmauerat. Recenſet autem plurima teſtimonia eorum, quibus ſe Chriſtus excitatus ab inferis ſpectandum præbuit. Sic etiam Lucas in Actis [d] apoſtolicis: *Quibus* (inquit) *& præbuit ſeipſum viuum poſt paſſionem ſuam in multis argumentis, per dies quadraginta apparẽs eis, & loquens de regno Dei.* Et [e] alibi: *Hunc Deus ſuſcitauit tertia die, & dedit eum manifeſtum fieri non omni populo, ſed teſtibus præordinatis a Deo nobis, qui manducauimus, & bibimus cum illo poſtquam reſurrexit a mortuis.* Cùm autem Apoſtolus multos commemoret, qui Chriſtum rediuiuum ſpectarant, nullam facit fœminarum mentionem, quemadmodum nec Lucas, quòd Gentiles fœminarum teſtimonium non magnifacerent. Non eſt autem inficiandum quod alij Euangeliſtæ narrant, ſæpius Chriſtum à mulieribus viſum, & quod Euangeliſtæ taceant, beatiſſimam Virginem matrem omnium primam iucundiſſimo filij aſpectu fuiſſe recreatam. Indicant hoc non obſcurè Gregorius [a] Nazianzenus, Nyſſenus [b], & Sedulius [c]. Apertè aſſerunt Ambroſius [d], Anſelmus [e], aliique [f] non pauci. Hanc porrò hiſtoriam, quã primo loco attingit Apoſtolus, indicauit etiã Lucas [g]: B *Surrexit (inquit) Dominus verè, & apparuit Simoni.* Non eſt tamen vllo modo credendum, primùm omnium Chriſtum apparuiſſe Petro, cùm ex hiſtoria euangelica conſtet, ſeſe Chriſtum primùm mulieribus ſpectandum præbuiſſe: & Auguſtinus [h] probabiliter colligit ex iis, quæ ab Euangeliſtis commemorantur, tertio loco ſeſe Petro Chriſtum præbuiſſe videndum. Quod cõfirmari poteſt ex Cyrillo [i], Chryſoſtomo [k], & Euthimio [l], qui meritò docent Chriſtum priùs fœminis, quàm viris apparuiſſe. Ait igitur Apoſtolus, ſe tradidiſſe Corinthiis Chriſtum ſe videndum præbuiſſe Cephæ tanquam Apoſtolorum principi, cuius apud omnes auctoritas ſumma eſſe deberet. *Et poſt hoc* (inquit) *vndecim.* Græci codices ha- C bent δώδεκα, id eſt duodecim. Quocirca Oecumenius lapſum putauit eſſe librariorum, cùm enim Matthias nondum eſſet in collegium cooptatus, vndecim tantùm erant, ſed re vera non eſt credibile in omnes Græcos codices irrepſiſſe mendum; ita enim habent nunc, & legerunt olim Chryſoſtomus & Theophylactus, qui propterea exiſtimant, dixiſſe Paulum viſum fuiſſe Chriſtum duodecim Apoſtolis, quòd veriſimillimum ſit, Chriſtum poſt ſuum in cœlum aſcenſum apparuiſſe Matthiæ. Id verò propter Chryſoſtomi auctoritatem non eſt aſpernandum, non videtur tamen omnino neceſſarium; potuit enim Apoſtolus verè dicere, viſum fuiſſe Chriſtum duodecim, hoc eſt collegio duodecim Apoſtolorum, quamuis vnus, aut alter deeſſet. Sic apud Ioannem [m] dicitur: *Tho-* D *mas vnus de duodecim*, cùm tamen reuera non eſſent niſi vndecim. Hac ipſa ratione decemuiros, aut centumuiros coactos fuiſſe dicimus, etiamſi non nemo deſideraretur: & cõtrà Septuaginta interpretes nominamus, cùm re vera fuerint duo ſupra ſeptuaginta: vt nihil neceſſe fuerit, tantopere Oecumenium laborare, vt duodenarium numerum expleat, ſiue adnumerando Matthiã, quẽ iã Deus ſua præſcientia elegerat; ſiue etiam Iudam recenſendo, cùm illud non videatur neceſſarium, hoc verò etiam abſurdum cenſendum ſit. Rectè autem dixit Apoſtolus, *poſt hoc*; quia reuera poſt Petrum Chriſtus collegio apoſtolico apparuit: nam, vt Chryſoſtomus hoc loco monet, ex viris omnium primus Petrus Chriſtum rediuiuum aſpexit. *Primùm* (inquit) *ap-* E *paret Petro; nam qui primus Chriſtum eſt confeſſus, iure etiam dignus eſt habitus, qui primus videret reſurrectionem.* Mox verò addit: *Quoniam & ipſum negauerat, ex abundantia eum conſolans, & oſtendens eum non eſſe repulſum, ante alios eum hac dignatus eſt viſione.* Tertiam addit Theophylactus rationem, quòd eſſet Petrus omnium Apoſtolorum princeps. Viſus autem creditur Petro, vel ſoli, vt exiſtimauit non nemo [n], vel vnà cum Ioanne, cùm à ſepulcro rediſſent, vt vero ſimillimum videtur.

d cap. 1. 3.

e cap. 10. 40.

a Orat. 2. de Paſch. quæ eſt in ordine 42. & in Tragœd. de Chriſt. patien.

b Orat. 2. de reſur.

c lib. 5. Paſchatis.

d lib. 3. de Virgin. in princ.

e De excellẽ. Virg. c. 6.

f Rupert. l. 7. de diu. offic. c. 25. Bonauẽ. meditat. de vita Chriſ. c. 87.

g cap. 24. 34.

h lib. 3. de conſ. Euang. c. 25.

i lib. 12. in Ioan. c. 15. 16.

k Hom. 90. in Matt.

l Matt. c. 68.

m cap. 20. 24.

n Leo 9. lib. contra Michael. Conſtantin. p. c. 11.

6. I. DEINDE VISVS EST PLVSQVAM, &c.

Græca

Græca paulò aliter habent; ἐπάνω πεντακοσίοις ἀδελφοῖς ἐφάπαξ, hoc eſt viſus eſt pluſquam quingentis fratribus ſemel. quaſi dicat, Apoſtolis ſæpiùs viſus eſt, vt euangelica narrat hiſtoria, his autem quingentis fratribus ſemel duntaxat. Porrò Hieronymus [a] inſinuat hoc accidiſſe in Galilæa, propterea quòd Matthæus, & Marcus ſcribant per mulieres præcepiſſe Chriſtum Apoſtolis, vt irent in Galilæam Dominum viſuri. Incertum autem eſt, an hæc apparitio Chriſti diuerſa ſit ab iis, quas Euangeliſtæ recenſent, an verò eadē cum illa, quam Matthæus [b] narrat, cùm diſcipuli abierunt in Galilæam in montem, vbi conſtituerat illis Dominus. Quod autem attinet ad verba Pauli, Chryſoſtomus, & Theophylactus inſinuant Græcam vocem ἐπάνω, idem valere quod ſuprà hoc ſenſu supernè, ſiue cœlitùs viſus eſt quingentis fratribus, quaſi non in ſolo, ſed è ſublimi Chriſtus ſe videndum præbuerit: quam ſententiam magis videtur probare Chryſoſtomus, quod forma locutionis Græcæ id magis poſtulare credatur. *Non enim* (inquit) *ſupra terram ingrediens, ſed supernè & ſupra caput eis viſus eſt*; non ſolùm enim volebat facere fidem reſurrectionis, ſed etiam aſſumptionis. Atque huc fortaſſe alluſit Martialis [c], qui ſe vidiſſe Dominum ait, & adoraſſe, & in cœlum aſcendentem ſpectaſſe. Anſelmus putat hanc Chriſti apparitionem quod etiam affirmant Hieronymiani commentarij, & non obſcurè indicat Ambroſius ab Euangeliſtis fuiſſe prætermiſſam, ſubdit: *Ex quibus multi manent vſque adhuc*, ne putaretur dubia, & incerta, aut parum vera narrare; Superſunt, inquit, multi teſtes oculati, qualis erat Ignatius Martyr, qui ad Smyrnēſes ſcribit [d]: *Ego autem non ſolùm natum eum, & crucifixum in corpore ſcio, ſed etiam poſt reſurrectionem in carne eum noui, & credo eſſe.* Quamobrem ſi hæc Chriſti apparitio ipſo die facta eſt, in quo Chriſtus in cœlum aſcendit, fateri neceſſe eſt ordinem hiſtoriæ ab Apoſtolo fuiſſe neglectum. Hæc enim fuit omnium poſtrema, illa excepta de qua paulò pòſt, *Nouiſſime* (inquit) *tanquam abortiuo viſus eſt & mihi.* Niſi quis malit poſt aſcenſum in cœlum viſum fuiſſe Iacobo, & omnibus Apoſtolis; quod tamen Hieronymo, & Auguſtino repugnat, omninóque videtur parum conſentaneum. Addit poſtremò: *Quidā autem dormierunt.* Ita de obitu Sanctorum loquitur, quippe qui ad vitam reuocandi, & veluti à ſomno excitandi ſint: quamuis & prophani ſcriptores interdum etiam mortē ſomnum appellare conſueuerunt [e]. Quidam enim dixit: *Vbi occiderit hæc breuis lux, noctem vnam longam nobis eſſe dormiendam.* At multò meliùs id de iuſtis dicitur, qui in Domino dicuntur obdormiſcere.

a ad Hedib. q. 7.

b cap. 28. 16.

c ep. 2. cap. 3.

d epiſt. 9. Eadē verba refert Euſebius lib. 3. hiſt. c. 30. Itemque Hieronymus de ſcriptorib. Eccl. in Ignat. ibi tamen ſignificat, verba illa eſſe in epiſt. ad Polycar. cùm re vera nunc legantur in ep. ad Smyrnæos.

e Catul.

7. 1. Deinde visvs est Iacobo, &c. Fratrem Domini proculdubio intelligit, eumdémque Hieroſolymitanum Epiſcopum. Vt enim ſcribit Hieronymus [f] ex Euangelio quodam ſecundùm Hebræos: *Dominus cùm dediſſet ſindonem ſeruo ſacerdotis, iuit ad Iacobum, & apparuit ei: iurauerat enim Iacobus, ſe non comeſturum panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum reſurgentem à mortuis.* Et paulò pòſt ſubditur: *Afferte, ait Dominus, menſam, & panem.* & rurſus: *Tulit panem, & benedixit ac fregit & dedit Iacobo Iuſto, & dixit ei, Frater mi, comede panem tuum, quia reſurrexit filius hominis à dormientibus.* Eſt autem veriſimile quod ſignificat Auguſtinus, hoc ipſo reſurrectionis die contigiſſe, atque idcirco particulam, *deinde*, qua vtitur Apoſtolus, non eſſe ad ordinem temporis referendam, ſed ſolùm quandam continuationem in teſtium enumeratione indicare. Porrò hic Iacobus ille ipſe eſt, quem Apoſtolus nominat in epiſtola ad Galatas [g]; & cum Petro, & Ioanne quaſi tertiam Eccleſiæ columnam coniungit. Non me fugit hiſtoriam, quam Hieronymus narrat quibuſdam videri incertā ac dubiam; ſed quidquid de illa ſentiendum ſit, illud negari non poteſt, quod in præſentia aſſerit Paulus, Chriſtum rediuiuum ſeſe præſentem exhibuiſſe Iacobo, idque (vt Ambroſius, Hieronymus, & Auguſtinus [a] affirmant) priuatim, ac ſeorſim à cæteris Apoſtolis, non aliter ac Petro. quod etiam affirmat Anſelmus, qui hiſtoriam, quam recenſuimus, ad verbum deſcribit. Quod ſequitur: *deinde omnibus Apoſtolis*, aliter, atque aliter accipitur. Ambroſius refert ad id, quod narrat Matthæus [b], in mōte Galilææ contigiſſe. Theophylactus Apoſtolos omnes intelligit omnes omnino diſcipulos; quod facit Theodoretus, & ſubindicat Hieronymus. Vtramque ſententiam probat Anſelmus, qui hoc ait vel in monte Galilææ, vel in loco aſcenſionis contigiſſe. Sunt qui putent, reſpexiſſe Paulum ad id, quod ſcribit Marcus [c] cùm ait; *Recumbentibus vndecim diſcipulis apparuit illis Ieſus.* Verùm de his Chriſti apparitionibus plura alij. Certè negari non poteſt, ſæpius Chriſtum ſeſe collegio apoſtolico præbuiſſe videndum, & nomine Apoſtolorum etiam ſeptuaginta duos diſcipulos interdum ſignificari affirmat Hieronymus [d], & ex Græcorum menologio facilè deprehenditur. Potuit igitur Apoſtolus tam de collegio apoſtolico, quàm de cæteris diſcipulis hæc intelligere; quanquam haud ſatis ſcio, an admittenda ſit aliqua apparitio illis priuatim facta, qui Apoſtoli nomine non cenſerentur.

f De ſcriptorib. Eccleſ in Iacob.

g cap. 1. 19. & 2. 9.

a lib. 3. de conſ. Euang. c. 25.

b cap. vlt. 17.

c cap. vlt. 14.

d ad Gal. 1.

8. 1. Novissima avtem omnivm, &c. Poſtremò ſe etiā inter reſurrectionis teſtes numerat; nō tamen ſine maxima modeſtiæ teſtificatione. *Omnium* (inquit) *poſtremo viſus eſt & mihi.* Addit: *Tanquā abortiuo.* Græcè ἐκτρώματι, ſumpta metaphora à partu immaturo, ſeu etiam abacto. Sunt qui hoc referant ad priſcam Romanorum conſuetudinem. Auctor eſt enim Suetonius [e], eos qui in Senatum extra numerū allegerentur, dici conſueuiſſe abortiuos. Qua ratione Paulus & Barnabas extra numerū duodenarium electi, abortiui dici poſſunt. Id aliàs haud improbabile exiſtimaui; verùm non puto Paulum ad hāc Romanam cōſuetudinem reſpexiſſe, quæ præſertim Corinthiis vix poterat eſſe nota: igitur alij perinde accipiunt, quaſi id Paulus metaphoricè dicat, quod mox propriè ſubdit, cùm ait: *Ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus*: vt alludat ad exiguitatem, ac tenuitatē eorum infantium, qui immaturi abiguntur. Alij ad Pauli vocationem referunt; quòd quemadmodum immaturi fœtus vi quadam naturæ euaneſcunt potiùs & pereunt, quàm legitimo partu edantur in lucem; ita Paulus cœleſti quadam, ac diuina vi è gremio ſynagogæ eductus, Eccleſiæ Chriſti aggregatus eſt. Anſelmus id ait ſpectaſſe Paulum, quod olim in ſua conuerſione acciderat: vt enim fœtus informes ſemiuiui, ac cæci ex vtero prodeunt; ita ille deiectus in terram exanimis, ac ſemiuiuus, denique cæcus triduo ſolis lucem non aſpexit. Ambroſius, & alij abortiuum Paulum dici volunt, quia extra tempus natus in Chriſto apoſtolatum accepit, iam Chriſto in cœlum recepto cum carne. Hieronymus: *Quippe* (inquit) *de cuius vita deſperatur.* Alij apud Theophylactum abortiuum quaſi fœtum poſtremum dictum putant, cùm Paulus omnium poſtremus in collegium apoſtolicum ſit cooptatus. Theophylactus ipſe imperfectum, & immaturum intelligit, & quaſi reiectitium; quia quod attinet ad apoſtolicam dignitatem adeò Apoſtolus de ſe demiſsè, humilitérque ſentiebat, vt ſe tanto muneri longè imparem diceret. Theodoretus ideo ait, Apoſtolum abortiuum dici, quia abortiui in hominum numero non recenſentur: quaſi Paulus pro Apoſtolo non

e In Octauio c. 35.

ſit haben

a l. qui mortui. ff. de verb. signif. & l. 5. C. de posthumis hæred. instituen.

ſit habendus,ipſius quidem ſententia. Ita Paulus [a] iuriſconſultus: *Qui mortui*(inquit)*naſcuntur, neque nati ſunt,neque procreati videntur,quia nunquam liberi appellari potuerunt.* Hæc fermè omnia probabiliter dicuntur.

11. Mihi Theodoreti,& Theophylacti explicatio maximè probatur, cui quæ proximè ſequuntur, magnopere fauent. *Viſus* (inquit) *eſt mihi tanquam abortiuo*, qui Apoſtolorum ſum minimus, eóque nomine, & gradu indignus.Sibi autem apparuiſſe Chriſtum ſignificat cùm Damaſcũ proficiſceretur, & cœlitus à Chriſto vocatus eſt.Et eo quidem tempore Chriſtum verè à Paulo fuiſſe viſum tum ex hoc loco apertè colligitur,tum hac eadem Epiſtola [b] planiùs ipſe Paulus affirmat,cùm ait: *Nónne Dominum noſtrum vidi?* Quo fit,vt minimè audiendus ſit hæreticus [c] interpres,qui non Chriſtum ipſum;ſed imaginem quampiam,& ſimilitudinem effictam Paulo fuiſſe oſtenſam putat; vocémque diuinitus editam ei perſimilem, quam Apoſtoli in monte Tabor audierunt. Verùm quod ad vocem attinet Lucas [d] apertè ſignificat, illam ab ipſo Chriſto emiſſam fuiſſe; ita enim apud illum loquitur Ananias: *Deus patrum noſtrorum præordinauit te, vt cognoſceres voluntatem eius,& videres iuſtum, & audires vocem ex ore eius,quia eris teſtis illius ad omnes homines eorum,quæ vidiſti & audiſti.* De ore igitur Chriſti vocẽ audiuit. Fuiſſe autem Chriſtum ipſum; non autem alıena ſpecie,vel imagine viſum,cùm verba allata non obſcurè indicant,tum illa apertiſſimè probant,quæ in ipſa Pauli vocatione leguntur. *Viri autem*(inquit [e])*illi, qui comitabantur cum eo,ſtabant ſtupefacti audientes quidem vocem,neminem autem videntes.* Quibus verbi antitheſis quædam exprimitur;quaſi dicat, Pauli comites vocem quidem audierunt,loquentem tamen non viderunt:at Paulus & vocem audiuit, & eum, qui loquebatur aſpexit. Accedit quod Chriſtus ipſe ita Paulum alloquitur [f]: *Exurge,& ſta ſuper pedes tuos;ad hoc enim apparui tibi, vt conſtituam te miniſtrum, ac teſtem eorum,quæ vidiſti.* Conſtituit autem illum teſtem reſurrectionis, & quidem oculatum, hoc eſt certiſſimum, cui nihil obiici queat. Vtrùm autem Chriſtus proximè ad Paulum acceſſerit, ſeque in aëre quidem,ſed finitimo Paulo, an verò ab ipſo cœlo ſeſe præbuerit ſpectandum,non facilè dixerim;vtrumque enim fieri potuiſſe, non dubito. Nam & Stephanus [g] vidit cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei, & lux quæ ſuo ſplendore oculos Pauli perſtrinxit, & comites perterrefecit;potuit illa quidem in aëre propinquo videri;nec tamen neceſſe eſt,Chriſtum ibidẽ fuiſſe viſum. Quòd ſi quis contendat,verè Chriſtum in aëre proximo Paulo aſtitiſſe,non magnopere repugnatim; illud modò teneamus,verè Chriſtum à Paulo fuiſſe viſum.Cæterũ alibi [h] meam de hac re ſentẽtiã indicaui.

b cap. 9. 1.

c Caluin. Act. 9.

d Act. 22. 14.

e Act. c. 9. 7.

f Act. 26. 16.

g Act. c. 7. 55.

h Diſput. de Paulo.

9. Ego enim svm minimvs apostolorvm, &c. Hæc videtur ſuperiorum explicatio. Abortiuum me eſſe dixi, inquit, quia ſum minimus omnium Apoſtolorum. Nomine autem Apoſtolorum (vt monet Chryſoſtomus) non duodecemuiros tantùm, ſed omnes Dei verbi præcones intelligit: hac enim ratione modeſtiam præ ſe fert; vt eo libentiùs ipſius oratio à Corinthiis excipiatur. Ambroſius autem, Hieronymus,& Anſelmus intelligunt de duodecim Apoſtolis. & Paulum quidem eorum minimum dici putant *tempore,non dignitate aut labore;minimum humilitate,non operatione;minimum in ſeipſo,magnum in Domino.* *Qui non ſum* (inquit) *dignus vocari Apoſtolus.* Græcè *ἱκανὸς*, hoc eſt idoneus: quippe qui maximè à Chriſto, eiúſque doctrina alienus eſſem. Monent autem Chryſoſtomus, & Theophylactus, tam demiſſè Paulum de ſeipſo loqui, quia nõ ita multò pòſt ad aſſerendam ſuo teſtimonio fidem,atque auctoritatem multa de ſe magnificè prædicaturus eſt;quaſi dicat neceſſe eſt,vos Corinthios mihi affirmanti reſurrectionem futuram fidem habere; qui quamuis alioqui Apoſtolorum minimus, Chriſtum tamen ad vitam reſtitutum præſens intuitus ſum, eiúſque diuinæ gratiæ beneficio multa præſtiti. Cur autem nomini, ac dignitati Apoſtolicæ imparem ſe exiſtimet, explicat cùm ſubdit: *Quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei:* quo nomine non ſolùm ſe indignum honore iudicat, ſed etiam ſupplicio digniſſimum. Meminit autem præteritæ vitæ, & flagitiorum, quibus ſeſe obſtrinxerat, quod Chryſoſtomus,& Theophylactus monẽt, vt hac maximè ratione, & diuini beneficij magnitudinem extollat, & ſuam in Deum gratam voluntatem declaret. *Atqui*(ait Chryſoſtomus)*omnia illa fuerant remiſſa,ſed tamẽ ipſe nunquam eſt eorum oblitus, volens oſtendere gratiæ magnitudinem.* Addit Theophylactus, hanc etiam præteritæ vitæ commemorationem non exiguam habere vim ad conciliandam fidem. *Qui enim re vera*(inquit) *ſuas iniurias fatetur; aliis haud in caſſum blandietur, gratificabitúrque.* Anſelmus denique Chriſtianam Apoſtoli modeſtiam, atque humilitatem extollit, qui cùm cæteris Apoſtolis ſtudio promulgandi Euangelij, & Eccleſiarum ſollicitudine longè præcelleret; ſuæ tamen priſtinæ infidelitatis non immemor infra omnes ſeſe deiicit, & tacitè reliquorum Apoſtolorum innocentiam extollit.

Gratia avtem dei svm id, qvod,&c. Deo bonorum omnium auctori acceptum refert quidquid boni vel habet,vel effecit in vita.nam (vt ait Theodoretus) *ne commemoratione eorum,quæ priùs geſſerat dictis fidem abrogaret,vim,ac poteſtatem diuinæ gratiæ, quam in ſuo munere expertus erat,his verbis prædicat: Gratia* (inquit) *Dei ſum id quod ſum.* Totum quidẽ Deo tribuit, neque tamen quicquã arrogantius de ſe prędicat. Qualis aut quantus ſim,diuinæ gratiæ tribuendum eſt. Ne verò quod hæretici mentiuntur, mutum ſe planéque ſtolidum inſtrumentum fateatur, illicò ſubdit: Et gratia eius in me vacua non fuit. Græcè *καὶ ἡ χάρις αὐτοῦ ἡ εἰς ἐμὲ οὐ κενὴ ἐγενήθη.* Gratia eius, quæ erga me profecta eſt, non fuit inanis. Non poſſum autem diuinare quid Græcè legerit Ambroſius, qui hoc loco habet, *Gratia eius egena in me non fuit:* niſi fortè ſequutus Hebrææ locutionis formam, inanes dixit pauperes, vt eſt illud apud Lucam [a]: *Et diuites dimiſit inanes.* Hìc autem Apoſtolus inanem vocat ſterilem, & infrugiferam, vno verbo otioſam. Cui conſentit [b] illud: *Obſecro vos,ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Ex vtroque autem loco hæreticorum impudentia refellitur, qui omnem adeò boni efficientiam diuinæ gratiæ tribuunt vt nobis oſcitantibus, aut etiam dormientibus, nedum nihil agentibus, iuſtificationem, cæteráque omnia bona diuinitùs tribui mentiantur: eam porrò eſſe diuinæ gratiæ vim, atque efficacitatem, vt ei liberum arbitrium reluctari, refragaríque non queat. Quod quàm ſit à recta fide alienum, alibi doceo: nunc tãtùm moneo, multò aliter ſenſiſſe Paulum, qui gratiam eſſe poſſe inanem, non obſcurè ſignificat, quod & Tridentini Concilij patres planiùs explicant [c]. Subdit: *ſed abundantiùs illis omnibus laboraui.* Hoc ad teſtimonij ſui auctoritatem aſſerendam ſpectat, quod vt ait Ambroſius, *id perſonarum, negotiorumq́ conditio poſtularet,cùm ſe reſurrectionis teſtem euaſſet.* Quomodo autem plus cæteris laborauerit explicat Anſelmus; quia illi Euangelium promulgauerant Iudæis, qui cùm legem & prophetas admitterent, Scripturarum teſtimonio, atque auctoritate facilè poterant ad Chriſti fidem perduci. Paulus autem Gentiles erudiendos ſuſceperat, quibus prophetarum oracula ludibrio erant, vt alio laborioſo doctrinæ genere erudiendi, atque inſtituendi fuerint. Accedit; quòd

10.

11.

a Luc. 1. 53.

b 2. Cor. 6.

c Seſſ. 6. cap. & can. 24.

A dit, quòd illi ſtipendium, & commeatum pro Euangelio accipiebant; Paulus contrà manuum opificio victum ſibi comparauit: denique Paulus plura loca peragrauit, pluribus periculis defunctus eſt, plures epiſtolas conſcripſit, vt alicubi obſeruauit Auguſtinus[a]. Verùm quoniam videri poterat id arrogantiùs dictum, illico ſubdit: *Non ego, ſed gratia Dei mecum*; vt bonorum omnium auctori Deo tribuendum doceat, quidquid ipſe laudabiliter geſſiſſet. Hîc rurſum hæretici efficacitatem illam ſuam gratiæ magnificè prædicant, quaſi Paulus his verbis ſignificet, nullum ſe adhibuiſſe conatum, nullum laborem, aut induſtriam; ſed omnia vnius duntaxat gratiæ beneficio peracta eſſe: cùm tamen hæc ipſa verba Pauli apertiſſimè doceant, primas quidē partes gratiæ tribuendas, ipſum tamen hominis liberum arbitrium non
B eſſe penitus otioſum, ſed niſu, conatúque ſuo mouenti, atque impellenti gratiæ obſecundare. Sic enim Græcè ſcripſit Apoſtolus, οὐκ ἐγὼ δὲ, ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί, hoc eſt, non ego, ſed gratia Dei, quæ mihi adeſt; particula enim σὺν auxilium, & opitulationem ſignificat: auxilium autem non excludit operam eius, qui iuuatur; cùm potiùs doceat Auguſtinus non illum verè adiuuari, qui nihil ipſe conetur. Eius autem ſententiæ vim optimè expreſſit vulgatus interpres, qui dixit *Gratia Dei mecum*. præcurrente videlicet gratia, ego ſubſequutus ſū. Planiùs Hieronymus[b]: *Gratia Dei* (inquit) *quæ mecum eſt*. Optimè igitur Apoſtolus corrigit quod paulò antè dixerat, *Plus omnibus laboraui*: hoc enim ipſum, quod laborauit,
C
III. diuinæ gratiæ acceptum refert. Verè namque hac ipſa[c] Epiſtola dixerat: *Quid enim habes, quod nō accepiſti? ſi autē accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Itaque omnino malè, ac repugnantibus Apoſtoli verbis ex hoc loco colligunt hæretici, nullam eſſe gratiam cooperantem; cùm potiùs apertiſſimè Paulus contrarium doceat. Gratiam enim, ait, *quæ mecum eſt*, hoc eſt, quæ mihi adeſt, & opitulatur. Quod egregiè alicubi docuit Caſſianus[d]. *Magiſter* (inquit) *gētiū licèt gratia Dei Apoſtolatus gradum ſortitum ſe fuiſſe teſtetur, dicens: Gratia Dei ſum id quod ſum; tamen ſe quoque diuinæ gratiæ reſpondiſſe pronuntiat, dicens: Et gratia eius in me vacua non fuit; ſed abundantiùs illis omnibus laboraui. Non ego, ſed gratia Dei mecum. Nam cùm dicit, laboraui; conatum proprij ſignificat arbitrij: cùm dicit, non ego, ſed*
D *gratia Dei; virtutem diuinæ protectionis oſtendit: cùm dicit, mecum; non otioſo, neque ſecuro, ſed laboranti, ac deſudāti eam cooperatam fuiſſe declarat.* Hoc ipſum ſignificare viſus eſt olim, cùm ita precatus eſt Salomon[e]: *Mitte illam de cœlis ſanctis tuis*, ſapientiam videlicet, *& à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, & mecum laboret.* Egregiè verò alicubi[f] ſcripſit Auguſtinus: *Quis iſtam etſi paruam dare cœperat caritatem, niſi ille, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit? Quoniam ipſe vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait*[g] *Apoſtolus: Certus ſum quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu. Vt ergo velimus ſine nobis operatur, cùm autem volumus & ſic volumus vt faciamus nobiſcum cooperatur: tamen ſine illo*
E *vel operante, vt velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil volemus. De operante illo vt velimus, dictum*[h] *eſt: Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle. De cooperante illo cùm iam volumus, & volendo facimus, Scimus*[i] *(inquit) quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Denique Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus apertiſſimè oſtendunt, Paulum hoc loco ſuam quippe induſtriā, ac laborem diuinæ gratiæ adiungere: ſed plura de his ſuo loco. Illud egregiè ab Oecumenio obſeruatum eſt, ad eximiam & ſingularem Apoſtoli modeſtiam pertinere, quòd quæ olim peccaſſet, vni ſibi tribuit, quæ verò laudabiliter geſſerat, gratiæ duntaxat diuinæ adſcribat. Re namque vera, vt oſtendit Auguſtinus, & nos ex illo docemus alibi, merita noſtra quanquam non ſine liberi arbitrij opera comparantur, ſunt tamen Dei beneficia, & diuinæ gratiæ munera: vt non immeritò dicat Eccleſia: *Deus, à quo bona cuncta procedunt*; eſt item hoc gratæ voluntatis egregium argumentum ingenuè fateri, à quo beneficium acceperis. Idem verò Oecumenius monet parcè admodum Apoſtolum, ac modeſtè de ſuis rebus loqui; plus enim ſe omnibus laboraſſe dicit, non autem ſe certaſſe, aut prædicaſſe, aut periclitatū eſſe. quæ verba aliquid ſplendidius, aut magnificentius ſignificare videbantur. Cæterùm non ſatis intelligo, quanam ratione cum hac Pauli ſententia cohæreat id quod nonnulli contendunt, gratiam diuinitùs omnibus concedi, vt ipſi loquūtur in actu primo efficace; quam deinde liberum arbitrium ſuo libero conſenſu faciat in actu ſecundo efficacē; adeóque in omnium ſit poſitum facultate ſuam prædeſtinationē perficere, atque abſoluere, cùm ex parte Dei omnes ſint antecedenter prædeſtinati. Nam reuera qui ita ſentiunt, quamuis gratiam præcurrentem admiſiāt, plus tamē libero arbitrio tribuunt quàm Apoſtolus, & Auguſtinus ſentiāt, vt alibi copioſiùs doceo.

SIVE ENIM EGO, SIVE ILLI, SIC, &c. Cùm recenſuiſſet Apoſtolus reſurrectionis Chriſti teſtes, deque ſui teſtimonij auctoritate plura dixiſſet, redit ad id, quod ſub initium epiſtolæ dixerat, ſe prædicaſſe Euangelium, à quo Corinthij ſperarent ſalutem. Inter cætera autem ſe tradidiſſe ait Chriſti reſurrectionem. *Siue igitur*, inquit, *ego ſiue illi, hoc vobis Euangelium promulgauimus*: oſtendit enim vnum eſſe, atque idem omnium Apoſtolorum Euāgelium, eandémque omnium doctrinam. Ita Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Ambroſius, Anſelmus, & alij, præcipuè verò eam Euāgelij partem ſignificat, quæ de Chriſti morte, ac reſurrectione agit. Putat autem Chryſoſtomus, quem ſequitur Theophylactus, hæc ideo à Paulo dici, vt oſtendat acquieſcendum eſſe Corinthiis ſuæ prædicationi, atque doctrinæ, quod ipſe nihilo eſſet cæteris Apoſtolis inferior. quod etiā fecit in Epiſtola[a] ad Galatas. *Mihi enim* (inquit) *qui videbantur eſſe aliquid, nihil contulerunt; & qui videbantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi, & Barnabæ Societatis.* Addit Ambroſius, tacitè perſtringi eorum perfidiam, qui apud Corinthios de reſurrectione dubitarent; cùm hoc myſterium omnium Apoſtolorum voce, & prædicatione cunctis populis promulgatum eſſet. *Et vos* (inquit) *ſic credidiſtis*. Iam pridem audiſtis, & diuina fide credidiſtis, Chriſtum ad omniū expianda ſcelera mortem oppetiiſſe, & ad ſuperos rediuiuum remeaſſe. Cæterùm quod attinet ad verba præſenti tempore dixit noſter interpres, *Prædicamus*, eſt enim Græcè κηρύσσομεν. Itáque legit Tertullianus[b], itémq; Auguſtinus[c], neque aliter habet Syriacus interpres, aut Ambroſius. Hieronymiani tamē cōmentatij tempore præterito legiſſe videntur; *prædicauimus*, vt habent nonnulli codices. quod verbum ſubſequens, *& ſic credidiſtis*, quod eſt præteriti tēporis, id videatur poſtulare. verùm nō eſt cur à vulgata interpretatione, & Græcorū codicum auctoritate recedamus. Quod enim ait Apoſtolus, *prædicamus*, ſuę, Apoſtolorūq; doctrinæ cōtinuationē indicat. Quod ſubdit, *& ſic credidiſtis*, ad antiquā Corinthiorū fidē refertur, quam docente Paulo iampridem cōceperant.

12.
I. SI AVTEM CHRISTVS PRÆDICATVR, &c. Hoc veluti fundamento rectè poſito ac ſtabilito, multis argumentis mortuorum reſurrectionem confirmat. Si ergo, inquit, admittitis, quod inficiari nullo modo poteſtis, Chriſtū ab inferis ad ſuperos rediiſſe, quæ tādē eſt

Marginal notes (left): a Tract. 10. in Ioã. — b Aduerſ. Pelag. l. 1. — c cap. 4. 7. — d Collat. 13. c. 13. — e Sap. 9. 10. — f lib. de grat. & lib. arb. c. 17. — g ad Philip. 1. 6. — h ad Philip. 2. 13. — i ad Rom. 8. 28.

Marginal notes (right): 11. I. (beside "Sive enim ego") — a cap. 2. 9. — b lib. 1. in Marc. c. 20. lib. 4. c. 4. lib. de pudic. c. 19. — c lib. 2. cont. Fauſt. c. 2.

eſt quorumdam dementia, qui mortaliũ anaſtaſim futurã negãt? quaſi abſurdiſſimũ ſit Apoſtolorũ doctrinæ, prophetarũ oraculis firmatæ, impudenter obſiſtere. Monet autem Ambroſius, hac oratione Paulũ tacitè pſeudo-Apoſtolos perſtringere, quos etiam Ioannes [a] notat cùm ait; Qui negat Chriſtum in carne veniſſe, hic eſt antichriſtus, & qui negat filium, nec patrem habet. — a epiſt.2.7.

Porrò Chryſoſtomus, & Theophylactus obſeruant, Paulũ dixiſſe tantùm quoſdam apud Corinthios reſurrectionem mortuorum negare, ne totam eam Eccleſiam accuſare videretur; periculum enim erat, ne eos faceret impudentiores. Ita autem argumentatur, quaſi maximè abſurdũ ſit admiſſa Chriſti reſurrectione, mortuorũ anaſtaſim inficiari. Quocirca interrogando infert, *Quomodo quidam dicunt in vobis, quòd reſurrectio mortuorum non eſt?* Monet prætetea Chryſoſtomus, non indicari eos, quos nominatim accuſat, eos autem à multitudine ſeparari, & cum iis diſputationem inſtitui. Vult autem Apoſtolus, hæc duo ita eſſe inter ſe nexa, vt ex reſurrectione Chriſti, omnium reſurrectio colligatur. reſurrectionem autem Chriſti certiſſimis teſtimoniis probatam eſſe, pro certo ponit; ideo ait: *Si autem Chriſtus prædicatur, quòd reſurrexit à mortuis* tanquam certiſſimum Chriſtianæ doctrinæ caput. Mox verò hoc, quod pro certo ab omnibus admittitur, ne defendi quidem poſſe ait, ſi mortuorum reſurrectio non admittatur; nam vt rectè monet Oecumenius, *Vbique, & in omnibus totam ſequitur partem, & reliquum corpus ſequitur caput.* Nos igitur omnes tanquam membra Chriſti, eo à mortuis excitato, omnes pariter reſurgemus, itaque alterum ex altero probat. Atque idcirco ſubdit:

13. I. SI AVTEM RESVRRECTIO MORTVORVM, &c. Ita, vt monet Chryſoſtomus, oſtendit vtrumque eſſe æquè credibile. Eſt autem argumentum (vt dialectici loquuntur) ab oppoſito cõſequentis ad oppoſitum antecedentis. Ita autem hoc argumentum colligit Anſelmus: Chriſtus quippe tanquam verus homo mortem re vera obiit, quod ſi cæteri mortales non reſurgent, quæcumque tandem ſit eius rei cauſa, ne ipſe quidem Chriſtus reſurrexit. *Nam eius* (inquit) *reſurrectio reſurrectionem cæterorum facit; ſicut enim gratis mori non potuit, ita nec gratis ſurrexit, quia ſicut mortuus eſt, vt mortem noſtram deſtrueret, ita reſurrexit, vt nos reſuſcitaret. Cùm igitur in caſſum reſurgere non potuerit, ſi nos non reſuſcitat, nec ipſe reſurrexit. Si ergo generalis mortuorum reſurrectio non eſt, neque Chriſtus reſurrexit. Quiſquis itaque mortuos negat reſurrecturos, Chriſtum quoque negat reſurrexiſſe.* Paulò breuiùs, nec multò aliter Chryſoſtomus, & Theophylactus. Hæc enim duo propterea inter ſe nexa eſſe putant, quòd Chriſtus pro peccatis noſtris mortuus reſurrexerit, & quòd ſit primitiæ eorum, qui dormierunt. *Primitiæ enim* (ait Chryſoſtomus) *cuiuſnam fuerint primitiæ, niſi eorum, qui reſurgunt? Quomodo autem fuerint primitiæ niſi reſurgant illi quorum ſunt primitiæ? Quomodo ergo non reſurgunt? ſi autem non reſurgunt, cur reſurrexit Chriſtus? cur venit? cur carnem ſuſcepit, ſi carnem non erat ſuſcitaturus? non enim ipſo opus habebat, vt reſurgeret, niſi propter nos.* Colligit autem Chryſoſtomus, niſi admittatur mortuorum reſurrectio totum incarnationis myſterium penitus euerti: ob eam enim cauſam Chriſtus carnem aſſumpſit, vt mori poſſet, ſuáque morte vires mortis frãgeret, & ad reſurrectionem nobis aditum reſeraret: hoc igitur ſublato, nulla erat cauſa, cur cætera fierent. Videtur autem hic rerum nexus ex eo maximè pendere, quòd totum incarnationis myſterium ad hominum ſalutem refertur; nihil enim Chriſtus ſua cauſa geſſit, ſed omnia propter nos, ac propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlo, & humana natura ſuſcepta, ſe totius humani generis veluti caput conſtituit. Quocirca quæ capiti verè tribuuntur, ea ſuo modo corpori conueniunt, & contrà: rerum namque natura poſtulat, vt eadem ſit capitis, ac reliquorũ membrorum cõditio, & ſtatus. Si igitur Chriſtus noſtrũ omnium caput reſurrexit, & nos reſurgemus: ſi de noſtra reſurrectione ambigimus, neceſſe eſt etiam Chriſti reſurrectionẽ in dubium reuocare. Itaque rectè ſubiicit Apoſtolus:

14. I. SI AVTEM CHRISTVS NON RESVRREXIT, &c. Omnis quippe euangelica prædicatio incarnationis myſterio nititur, quo ſublato, nihil reliquũ eſt, quod ad fidẽ euangelicã pertineat. Ex ſuperioribus autẽ (vt monet Chryſoſtomus) conſequens videbatur, eos, qui reſurrectionem negarent, etiam perſpicua, & certiſſimis teſtimoniis firmata non in dubium modò reuocare, ſed penitus inficiari. Ponit autem Apoſtolus, minimè dubium eſſe, Chriſtum reſurrexiſſe, tum propter oracula prophetarum, quæ eius anaſtaſim tantò antea prædixerant, tum etiam propter eos, quos reſurrectionis teſtes paulò antè nominauerat. At maius quidam, longéque abſurdius intulit, inanem fore prædicationem euangelicam, & Chriſtianorũ fidem, quod pluribus deinde confirmat; nam (vt ait Chyſoſtomus) *Si mortuus non potuit reſurgere, neque abolitum eſt peccatum, neque mors eſt perempta, neque ablatum eſt maledictum, & execratio, & non ſolùm nos inania prædicamus, ſed vos quoque credidiſtis inania*; nã hæc omnia Chriſtiana fides docet. Rectè autẽ dixit inanem eſſe prædicationem, & fidem, quia, vt dictum eſt, his ſublatis nihil penè relinquitur, quod ad Chriſtianam fidem pertineat. Attigit hunc locum Pauli non ſemel Tertullianus [a]. *Proinde* (inquit) *reſurrectione Chriſti infirmata, etiam noſtra ſubuerſa eſt; nec ea enim valebit, propter quã Chriſtus venit, ſi Chriſtus nõ reſurrexit. nã ſicut illi qui dicebant reſurrectionem mortuorum non eſſe, revincũtur ab Apoſtolo ex reſurrectione Chriſti; ita reſurrectione Chriſti non conſiſtente, aufertur & mortuorum reſurrectio; atque ita inanis eſt fides noſtra, inanis eſt & prædicatio Apoſtolorum.* Inanem autem dixit Apoſtolus, Græcè [illegible], id eſt vacuam, quomodò poſteriori loco Latinè dixit Ambroſius. *Inanis* (inquit) *eſt prædicatio noſtra, vacua eſt & fides veſtra*; cùm tamen priori loco ſit Græcè [illegible], & in poſteriori κενὴ. Anſelmus inanem interpretatur vanam, & abſque fructu quod non ita multò pòſt ſignificat Apoſtolus cùm ait; *quòd ſi Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra; adhuc enim eſtis in peccatis veſtris.* — a lib. de reſur. car. c. 48. & lib. 3 aduer. Marcion. c. 8.

15. I. INVENIMVR AVTEM ET FALSI TESTES, &c. Auget rei abſurditatẽ. Nos (inquit) qui Dei Apoſtoli vocamur mendacij arguimur, qui tanta aſſeueratione palàm prædicamus Chriſtum à mortuis excitatum; vt enim monet Anſelmus, non minori ſed fortaſſe etiam maiori ſcelere falſa de Deo prædicãtur, ac negantur vera. Hoc autem, vt Chryſoſtomus, & Theophylactus obſeruãt, magnum eſt abſurdum. Eſt enim veluti Dei accuſatio, & calumnia. Hinc autẽ, ait, alia plura conſequi abſurda. Et profectò ſi contra homines falſum dicere teſtimonium grauiſſimum ſcelus eſt; quid erit in Deum mentiri? Rectè autem hoc infert Apoſtolus tanquam abſurdum; vt enim alibi dixi: Apoſtoli ſunt teſtes reſurrectionis Chriſti, vt in Actis [b] Apoſtolicis ait Petrus. Quid autem fingi poteſt deteſtabilius, quàm, vt is mentiatur, & falſa pro veris obtrudat, qui adhibetur tãquam teſtis, cui ſit habenda fides? Videtur autẽ Apoſtolus tacitè ſignificare, ſi hoc quod ſpectat ad Chriſti, omniúmque mortaliũ reſurrectionem in dubium reuocetur, illud eſſe reliquũ vt Apoſtoli tales habeantur, quales à Gentilibus deſcribebãtur, hoc eſt impij, atque nefarij, & omnibus ſceleribus cooperti, quos, inquit Cornelius cum de Chriſtianis agit, *per flagitia inuiſos, vulgus Chriſtianos appella* — b Act. 2.

pellabat[a]. Quàm ſit autem graue piaculum falſum teſtimonium dicere, luculenter his verbis explicat Philo[b] iudæus. *Poſt vetitum*, inquit, *factum, mox vetat falſum teſtimonium, non ignarus, falſos teſtes, multis, magniſque moleſtiis ſeſe inuoluere. Primò ſanctam veritatem violant, qua nihil eſt in rebus ſacratius, ſolis in more illuſtrante negotia, ne quid eorum in obſcuro lateat: deinde notitiam rerum quaſi nocte quadam tegunt, & caligine, & iniuſtos adiuuant, aduerſantúrque iniuriam patientibus, dum quæ nec viderunt, nec audierunt, nec cognouerunt ſe certò ſcire, ac probè tenere aſſeuerant. Addunt & tertium peccatum peius prioribus: quoties enim deſunt argumenta, aut probationes, quæ ex ſcripto fiunt, ad teſtes recidit controuerſia, quorum verba pro regula ſunt iudicibus pronunciaturis ſententiam; neceſſe eſt enim, vt his ſolis attendatur, cùm nemo adſit iudex alius. Hinc fit, vt qui litem perdunt, grauati teſtimonio iniuriam patiantur, cùm potuiſſent vincere, & iudices iniquitatis, non iuſtitiæ opinionem lucrifaciant. Adhæc etiam cum impietate fraus ea coniuncta eſt; non eſt enim moribus receptum, vt iniurati iudicent, ſed ſacramenti religione obſtricti, quam tamen impoſtores magis violant, quàm qui decipiuntur: quandoquidem hi labuntur per ignorantiam, illi de induſtria technis vtuntur, & peccant libentes; corrumpúntque ſuffragia, vt interdum ab inſciis mulctentur, qui nullam pœnam meruerunt.* Quinetiam Iſidorus[c] falſum teſtem ait tribus eſſe perſonis obnoxium; primùm Deo, quem peierando contemnit; deinde Iudici, quem mentiendo fallit; poſtremò innocenti, quem falſo teſtimonio lædit. Hinc Salomon[d] verè omnino dixit: *Teſtem fallacem odit Dominus.*

II. Hoc igitur tam graue crimen, ſi Chriſtus non reſurrexit, admiſerint in Deum Apoſtoli, qui illum ad ſuperos remeaſſe mentiantur; quaſi ex illo mendacio aliquid emolumenti capiat Deus. Atqui verè Iob ſcripſit[e]. *Nunquid Deus indiget veſtro mendacio, vt pro illo loquamini dolos?* Certè cùm Deus ſit ſumma veritas, nullam habet cum mendacio ſocietatem; itaque ille apud Eſdram[f] de veritate pronuntiauit. *Et non eſt in iudicio eius iniquum.* Porrò Paulus hoc tamquàm abſurdum intulit, planéque alienum ab Apoſtolis, & apoſtolicis viris, qui quamquàm ab ethnicis grauiſſimorum ſcelerum inſimulabantur, nulli tamen vnquam affines culpæ deprehendi potuerunt. Quamobrem acutè olim ſcripſit[g] Tertullianus. *Dicimur ſceleratiſſimi, de ſacramento infanticidij, & pabulo inde, & poſt conuiuium inceſto, quod euerſorum luminum canes, lenones ſcilicet tenebrarum & libidinum impiarum inuerecundia procurent. Dicimur tamen ſemper, nec vos quod tamdiu dicimur eruere curatis: ergo aut eruite, ſi creditis, aut nolite credere, qui non eruiſtis de veſtra vobis diſſimulatione præſcribitur, non eſſe, quod nec ipſi audetis eruere. Longè aliud munus carnifici in Chriſtianos imperatis, non vt dicant quæ faciunt, ſed vt negent quod ſunt.* Apoſtolus itaque: *Inuenimur*, ait, *falſi teſtes Dei*; quippe qui aſſeramus, Chriſtum à mortuis excitatum, quod vtique falſum eſt, ſi mortui non reſurgunt. Perſimili argumento vſus eſt in Epiſtola ad Romanos[h]. *Quòd ſi*, inquit, *ſpiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis habitat in vobis, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtũ à mortuis viuificabit, & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem ſpiritum eius in vobis.* Loquitur autem eo loco Apoſtolus non ſolùm de reſurrectione, ſed etiam de reſurrectionis qualitate, nam qui ſpiritu Chriſti præditi ſunt, ad perſimilẽ dignitatem, & gloriam cum Chriſto reſurgẽt; ita enim alicubi dixit Ioannes[i]. *Cariſſimi nunc filij Dei ſumus, & nõdum apparuit quid erimus: ſcimus quoniã cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.*

16. I. Nam si mortvi non resvrgvnt, &c.

A Idem vrget ac premit: hæc duo eſſe inter ſeſe neceſſariò connexa; quòd cùm è ſuperioribus non obſcurè colligitur, tum ex ſacris litteris, priſciſque Patribus facilè probari poteſt. Ita namque ſacræ litteræ de Chriſto homine loquuntur, vt ei noſtram reſurrectionem acceptam referendam eſſe doceant. Sic enim Chriſtus ipſe apud Ioannem[a] ait: *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei*. vel vt alij codices habent, *audient vocem eius*; vt referat eum, quem paulò antè dixerat filium hominis, qui à Deo viuorum, ac mortuorum iudex eſt conſtitutus, & reſurrectio ad iudicium refertur, vt ibidem ſubditur[b]. *Et procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt in reſurrectionem iudicij.* Alibi[c]. B *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Et paulò pòſt[d]. *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me*: de quo loco multa Hilarius[e], & Gregorius[f] Nazianzenus; qui quamquam diuinitati tribuunt, vt det vitam æternam, quod tamen ad reſurrectionem ſpectat, non negant eam ab humanitate pendere. Rurſus[g]. *Ego ſum*, ait Chriſtus, *reſurrectio, & vita. qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, viuet, & omnis, qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum.* Tametſi enim hæc intelliguntur de vita ſpirituali, ſuo tamen modo etiam de corporum anaſtaſi explicari poſſunt. Porrò in Actis[h] Apoſtolicis querebantur Sadducæi, quòd Apoſtoli annuntiarent in Ieſum reſurrectionem mortuorum.

II. C Ex quo loco colligimus, conſueuiſſe Apoſtolos docere reſurrectionem mortuorum futuram vi poteſtate, ac merito Ieſu Chriſti. Paulus ipſe ad Romanos[i] de Chriſto ita loquitur. *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis, ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri.* Tametſi enim agit de Chriſti reſurrectione; indicat tamen quod eo loco monet Chryſoſtomus, ſua reſurrectione Chriſtum mortis tyrannidem ſuſtuliſſe: quod ipſum multis oſtendit[k] Athanaſius. In eadem verò Epiſtola[l] Paulus. *Si complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus.* Nec ita multò pòſt. *Si autem mortui ſumus cum Chriſto, credimus, quia ſimul etiam viuemus cum Chriſto.* Quo loco ſignificat, Chriſtum D diem ſuum obiiſſe, vt nos moriamur peccato; ita etiam reſurrexiſſe, vt nos reſurgamus. Hoc verò capite aliquantò pòſt. *Chriſtus*, inquit, *reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium; quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.* Simile quiddam reperit in Epiſtola[m] ad Coloſſenſes. *Primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens.* Et in Epiſtola[n] ad Epheſios. *Correſuſcitauit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Ieſu.* De ſe autem ipſo ita loquitur ad Philippenſes[o]. *Configuratus morti eius, ſi quomodo occurram ad reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis.* Denique Petrus[p]: *Regenerauit nos in ſpem viuam per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis.* Nec dubium E eſt loqui illum de ſpe reſurrectionis, de qua paulò pòſt ait. *Paratam reuelari in tempore nouiſſimo.*

III. Iam verò Sancti Patres idem longè apertiùs docent. Dionyſius[q] Areopagita de iuſtis ita loquitur. *Norunt*, inquit, *profectò ſe totos percepturos exactiſſimam ad Chriſti ſpeciem requiem.* Irenæus[r] autem de Chriſto in hunc modum ſcribit. *Primitias reſurrectionis in ſemetipſos faciens: vt quemadmodum caput reſurrexit à mortuis, ſic & reliquum corpus omnis hominis, qui inuenitur in vita impleto tempore condemnationis eius, quæ erat propter inobedientiam, reſurgat.* Origenes[ſ]. *Si non*

a de decal. b de de[calogo]. c lib. 3. de ſummobono. d prouerb. 6. 19. e cap. 13. 7. f lib. 3. cap. 4. 36. g Apolog. c. 7. h cap. 8. 11. i ep. 1. c. 3. 2.

a cap. 5. 28. b ibidem. 29. c cap. 6. 54. d ibidem 57. e lib. 7. de Trinit. f Orat. 4. de Theolog. g Ioan. 11. 25. h cap. 4. 2. i cap. 1. 4. k de human. verbi eiuſque corpor. ad nos aduent. l cap. 6. 5. m cap. 1. 18. n cap. 2. 6. o cap. 3. 10. p ep. 1. cap. 1. q de Eccleſ. Hierarch. c. 7. r lib. 3. cap. 21. ſ Hom. 14. in Num.

fuiſſet, inquit, *mors Chriſti, vtique nec reſurrectio fuiſſet, nec extitiſſet aliquis primogenitus ex mortuis: quod ſi non fuiſſet primogenitus ex mortuis, nec ſpes nobis reſurrectionis fuiſſet.* Alibi[a] explicans verba Pauli. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes viuificabuntur*; monet reſurrectionis futuræ myſterium ab Apoſtolo indicari. Nec diſſimilia docet Epiphanius[b], qui explicat, qua ratione Chriſtus dicatur primitiæ dormientium. Quò ſpectans Gregorius[c] Nyſſenus Chriſtum vocat *reſurrectionis ſideiuſſorem.* Elegantiſſimè verò Cyrillus Alexandrinus hac de re ſcribit[d]. *Deus*, inquit, *qui futura omnia nouit, æternaliter quoque fundauit quantum ad cognitionem ſuam filium ſuum.* Et poſt nonnulla: *ſciebat enim, mortales nos futuros propter peccatum: ac ideo ex miſericordia ſua ante ſæcula conſtituit, vt verbum ſuum homo initium viarum, & fundamentum fieret, renouaréſque hominem in ſe ipſo factus primogenitus in multis fratribus, & origo reſurrectionis.* Nonnullis verò interiectis. *Cauſa verò vt ſic dixerim, quare præſciti ſumus in Chriſto, & in adoptionem ex caritate Dei patris vocati, hæc eſt. Præuidit Deus peccaturum hominem, & in mortem caſurum: præuidit etiam conferentia generi eius, & quomodo renouaretur, & ad immortalitatem rediret. Ideo quaſi radices huius ſpei in filio ſuo nobis depoſuit, per quem ad adoptionem nos vocauit, & omni benedictione ſpiritali nondum factos muniuit; vt quando præuaricatione in mortem caderemus, ex priſca illa radice in vitam rurſus reſurgeremus, & velut iam benedicti nouo nomine, ſempérque iacere poſſemus.* Neque aliter ſenſere Latini patres. Tertullianus[e] enim. *Credentes, ait, reſurrectionem Chriſti, in noſtram quoque credimus, propter quos ille & obiit, & reſurrexit.* Eodem modo loquuntur auctor[f] de operibus cardinalibus Chriſti apud Cyprianum, Auguſtinus[g], & alij. Quæ cùm ita ſint, rectè hæc duo Paulus coniungit.

a Hom. 8. in Iuliae.
b in Ancor.
c Orat. de dormien. in fine.
d li. 5 theſaur. cap. vii.
e lib. de patient. Similia habet lib. 1. cont. Marcionem.
f Serm. de reſurrect.
g in Pſal. 65. & alibi ſæpè.

17. I. QVOD SI CHRISTVS NON RESVRREXIT, &c. Repetit quod ſuperiùs dixerat, inanem fore noſtram fidem, & prædicationem, niſi pro certo credatur Chriſti reſurrectio. Terret autem (vt monet Ambroſius) Corinthios. *Quis enim*, ait, *peccata ſibi remiſſa nolit audire?* Et vt colligit Chryſoſtomus: *Si non reſurrexit Chriſtus, nec eſt quidem mortuus: ſi autem non eſt mortuus, nec aboleuit quidem peccatum; eius enim mors eſt abolitio peccati. Ecce enim, inquit, Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi: quomodo autem tollens? morte. Et ideo etiam vocauit agnum, vt qui occideretur.* Et paulò pòſt. *Si peccatum non fuit abolitum, in eo eſtis; ſi autem in eo eſtis, fruſtrà prædicauimus; ſi autem fruſtrà prædicauimus, fruſtrà credidiſtis.* Itaque putat Chryſoſtomus, hoc eſſe neceſſariò conſequens, vt ſi non reſurrexerit Chriſtus, ne potuerit quidem obire: pro certo enim ponit, non potuiſſe Chriſtum diu hærere inter mortuos; nam dixerat Dauid[h]. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Et Petrus[i]. *Iuxta quod impoſſibile erat teneri eum.* Atque idcireo aptè putat colligi, ſi Chriſtus non reſurrexit, adhuc eſſe Corinthios peccatis implicitos, quia Chriſti morte non ſunt expiati; vt appareat omnem iuſtificandi vim Chriſti morti tribuendam videri, vt aliàs docui. Rectè verò monet Anſelmus, has omnes ratiocinationis apoſtolicæ conſecutiones firmas eſſe, & validas; falſas tamen continere ſententias, quæ ex illo colliguntur errore, quem Paulus oppugnat. Perinde enim eſt ac ſi dicat: iam meritò confiditis vos baptiſmo luſtratos, omnibus eſſe piaculis abſolutos; hoc ſi verè creditis, profectò fateamini oportet, vos mortis Chriſti beneficio omni noxa purgatos. Quod ſi Chriſtum pro ſalute mortalium obiiſſe creditis, de eius reſurrectione dubitare non poteſtis. Ideo autem tam ſedulò, ac diligenter ab Apoſtolo colliguntur hæc & iterantur, vt Corinthij erubeſcant, & gliſcentem errorem aut abiiciant, aut potiùs non admittant. Quod autem ait interpres: *Adhuc enim eſtis in peccatis veſtris*, in Græcis codicibus ſimpliciter legitur abſque coniunctione cauſali, vt non ſit prioris illationis ratio, ſed noua poſiti antecedentis conſecutio. Si Chriſtus, inquit, non reſurrexit, vana eſt fides veſtra, & adhuc eſtis in peccatis veſtris. Etenim ita perpetuò argumẽtatur Apoſtolus; nam ad Romanos[a] dixit. *Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.* Et rurſus[b]. *Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam Patris, vt nos in nouitate vitæ ambulemus.* II.

h Pſal. 15. 10.
i Act. 2. 24.
a cap. 4.
b cap. 6.

Si igitur Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides noſtra, quæ & reſurrectionem Chriſti, & expiationem peccatorum pollicetur. Græcos codices ſequuntur Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus: Latinos Ambroſius, Anſelmus, & alij. Vanam autem dicit fore fidem, & prædicationem, tum propter ea, quæ paulò antè diximus, tum etiã quia alioqui falſa videretur dogmata continere. Ideo dixit hoc loco non καινὴ, vt paulò antè, ſed ματαία, quaſi dicat ſuperuacanea. Quorsùm enim credamus Chriſtum obiiſſe propter peccata, ſi verè nos reſurgendo non expiauit? neque enim viciſſet mortem, neque aboleuiſſet peccatum. Mirum autem in modum Chriſti reſurrectio fidem noſtram confirmat, vt alibi doceo; vt enim ſcribit Petrus Chryſologus[c], *qui ante ſuam mortem prædixerat ſuam reſurrectionem, vtique ſicut ſcire potuit, potuit & cauere; ſed quia vincere potuit, declinare contempſit, quia reſurrectionis gloria ſepeliuit morientis iniuriam.*

c Serm. 75.

18. I. ERGO ET QVI DORMIERVNT, &c. Nouum eſt argumentum cum proximè ſuperiori connexum. Indicat autem Chryſoſtomus duplicem horum verborum explicationem: alteram, vt de cunctis fidelibus, qui obierant, ſermo ſit, perinde quaſi dicat, ſi Chriſtus non reſurrexit cùm ſuperuacanea ſit fides, neque vlla ſit expiatio peccati, planè ſequitur, eos, qui ſuſcepta Chriſti fide obierunt, funditus periiſſe, nullúmque omninò præmium aſſecutos eſſe: alteram, vt illi in Chriſto obiiſſe dicantur, qui pro Chriſti fide cruciatus, & mortem pertulerunt. Hanc poſteriorem explicationem ſequuntur Theodoretus, Oecumenius, & Theophylactus. Inſinuant Ambroſius, & Hieronymus, priorem magis probat Anſelmus; quaſi dicat, fideles, qui vita functi ſunt, quia eadem ratione peccatis obſtricti tenebantur, omnino perierunt. Sunt qui addant voluiſſe Paulum tamquàm abſurdum inferre, animam non eſſe immortalem, quòd neceſſaria connexio ſit inter animæ immortalitatem, & reſurrectionem mortuorum; ita enim argumentatur Chriſtus apud Matthæum[d]. *De reſurrectione autem mortuorum nõ legiſtis quod dictum eſt à Deo dicente vobis. Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob: non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium.* Quo loco ex eo, quod patres iam pridem vita functi, adhuc viuerent, reſurrectionem futuram probat; idque ad refellẽdos Saducæos omninò aptè: illi enim (vt Origenes, Auctor imperfecti, & Hieronymus obſeruarunt) propterea reſurrectionem futuram negabant, quòd animas immortales eſſe non crederent; & olim quidem non ſolùm apud Iudæos, ſed etiam inter philoſophos rectè ſentientes hæ duæ quæſtiones de animarum immortalitate, & de corporum reſurrectione adeò inter ſe nexæ, copulatæque erant, vt pro eadem haberi poſſent. Itaque auctor[e] ſecundi libri Machabæorum ex animæ immortalitate reſurrectionem probat. Ex philoſophis II.
autem,

d cap. 22.
e cap. 12. 46.

autem, qui animæ immortalitatem admiſerunt, ſi nō reſurrectionem, aliquid certè reſurrectioni ſimile ſomniarunt, vt Pythagorei, Platonici, aliique perſimiles. Quin etiam (vt auctor eſt Auguſtinus [a]) Marcus Varro ponit in libris, quos conſcripſit de gente populi Romani, Genethliacos quoſdam ſcripſiſſe, eſſe in renaſcendis hominibus, quam Græci παλιγγενεσίαν appellant, hanc ſcripſerunt confici in annis numero quadringentis quadraginta; vt idem corpus, & eadem anima, quæ fuerant coniuncta in homine, aliquando eadem rurſus redeant in coniunctionem. Et Lactantius [b] verba Chryſippi Stoici refert, quibus ait, *vita functos certis temporum reuolutionibus exactis, rurſus in eam, quam nunc habemus, faciem reſtitutum iri.* Et Plato apud Euſebium [c] narrat, *exacto tempore defecturum terrenum genus, mundúmque inſolitis motibus agitatum, & concuſſum iri, cum ingenti animantium omnium pernicie ac clade: poſt aliquantum deinde temporis conquieturum opera Principis Dei, qui ne concidat, intereátque mundus, gubernacula eius recipiet, addétque illi ſempiternam iuuentam & immortalitatem.* Mitto ea, quæ de quorundam ſuſcitatione Plato [d] ipſe, Labeo [e], Plutarchus [f], Pliniúſque [g] ſcripſerunt. Et profectò ſi anima ſit immortalis, eadémque corporis forma abſurdum planè eſt, breuiſſimo temporis ſpatio illam corpori adhærere; in omnem verò æternitatem ab illo ſeiunctam, quodammodo torpere. Itaque cùm forma illa ſit ſempiterna, & immortalis, neceſſe eſt ei immortale corpus coniungi, vt quod ex vtraque parte exiſtit, vita fruatur in omnem æternitatem duratura. Quæ cùm ita ſint rectè probaret Apoſtolus, reſurrectionem futuram, ſi anima eſt immortalis; ſed (niſi ego fallor) non id agit hoc loco Apoſtolus, qui in eodem, vt diximus, verſatur argumento, colligítque abſurda, quæ neceſſariò ſequerentur, ſi ſemel admittamus, Chriſtum non ſurrexiſſe; nam de noſtra reſurrectione, probè ſtabilita Chriſti anaſtaſi mox fusè diſputabit. Hoc igitur loco cùm dixiſſet, ſi Chriſtus non reſurrexit vanam fore noſtram fidem, nóſque adeò noſtris flagitiis adhuc implicitos teneri; addit eadem ratione conſequens eſſe, vt fideles, qui vita functi ſunt, etiamſi pro Chriſti nomine extrema quæque & acerbiſſimam denique mortem pertulerint, penitus perierint, quippe nullo modo à peccato immunes. Carent igitur præmio, quod tamen Chriſtiana fides pollicetur.

a lib. 12. de ciu. c. 24.
b lib. 7.
c lib. 11. præp. Euang.
d lib. 10. de rep.
e apud Aug. lib. 2. de ciu. cap. 18.
f lib. de anima.
g lib. 7.

19. I. Si in hac vita tantum in Christo, &c. Hoc etiam ex ſuperioribus neceſſariò colligitur. Si Chriſtus non reſurrexit, neque nos à peccatis expiauit, vana profectò atque inutilis eſt fides, nullam ex ea qui vita functi ſunt vtilitatem perceperunt, nullam nos in alia vita ſperare poſſumus: quo fit, vt omnis noſtra ſpes huius vitæ terminis concludatur. Id ſi ita eſt, fidelium profectò miſerrima eſt conditio. Sic enim accipio perinde, quaſi Apoſtolus de omnibus fidelibus loquatur; cùm enim Chriſtianæ vitæ ratio poſtulet, vt omnibus huius vitæ voluptatibus poſthabitis, arduum virtutis iter conſtantiſſimè retineatur, ſi nihil præterea ſperandum eſt, quis non videt, eos eſſe omnium mortalium infœliciſſimos? Quod ſi de ſe ipſo, ſuiſque ſimilibus, hoc eſt Apoſtolis, viriſque apoſtolicis agit, næ illi ſi futurorum bonorum ſpe deſtituantur, in omnium rerum inopia, & egeſtate, probris & contumeliis affecti, quinetiam diris ſuppliciis vexati; infrà omnes homines meritò cenſendi ſunt. Priorem ſententiam ſequuti videntur Ambroſius, & Anſelmus, poſteriorem magis indicant Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, & Hieronymus: qui tamen omnes hoc argumentum putant ad confirmandam reſurrectionem pertinere; quaſi Apoſtolus neceſſariam reſurrectionem putet, vt corpus inedia, ærumnis, laboribúſque confectum ſua etiam in cœleſti patria præmia conſequatur. Ego verò longè probabilius exiſtimarim, hoc cum ſuperioribus coniungendum eſſe, cæteriſque abſurdis aduectendum, quæ conſequuntur, ſi Chriſtus non reſurrexit. Hoc enim poſito, quod falſum eſt, ea ſequuntur abſurda, quæ enumerata ſunt. Inanis eſt fides, & prædicatio, falſa eſt Apoſtolorum teſtificatio; ſuperuacanea Chriſtiana doctrina, nulla expiatio peccati, nullum præmium conſequuti ſunt, qui poſt fidem, & baptiſmum ſuſceptum, diem ſuum obierunt; qui denique Chriſto nomina dederunt, miſerrima conditione vitam degunt. Quæ cùm ſint omnia abſurdiſſima fatendum eſt, omnino Chriſtum reſurrexiſſe. Iam verò Chryſoſtomus, & alij, qui hoc putant afferri ad probandam reſurrectionem, aiunt ſpem omnem noſtram à reſurrectione pendere. Atqui antè reſurrectionem ſummo bono, ac vita beata perfruuntur iuſti, ac perfrui in æuum poſſent ſine corpore. Quamquàm enim adhuc ſperanda, atque optanda videtur corporis beatitudo; nullo tamen modo iuſti iam vita functi miſeri cenſendi ſunt, qui Dei contemplatione beantur. Quocircà vt indicet Apoſtolus, hæc omnia quamuis abſona, & à recta ratione aliena, ex illo abſurdo ſequi, ſi Chriſtus non reſurrexit, mox ſubdit. *Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium.* Minutum eſt autem illud, ſed verumtamen quod obſeruatum eſt à nonnullis, particulam *tantum* non eſſe referendam ad participium, *ſperantes*, ſed ad id, quod ſperandum eſt, quaſi dicat. Si ſpes noſtra nihil poſt hanc vitam expectaret; nam alioqui certum eſt, virtutem ſpei huius mortalis vitæ terminis claudi, cui ſuccedat in alia vita poſſeſſio.

Nunc autem Christus resurrexit, 20. I.
Vbi tam multa collegit abſurda, redit ad id quod pro certo poſuerat, Chriſtum ab inferis excitatum eſſe: quaſi dicat cùm hæc omnia ſequantur abſurda, ſi negemus Chriſtum reſurrexiſſe, fatendum neceſſariò eſt illum ad ſuperos remeaſſe. Ait autem Chriſtum non ſimpliciter reſurrexiſſe, ſed addit eſſe dormientium primitias. Græcè ἀπαρχὴν, quam vocem Ambroſius Latinè interpretatur *initium*. Quæri autem meritò poteſt, quánam ratione Chriſtus primitiæ dormientium verè dici poſſit. An quia omnium primus vitam immortalem eſt aſſecutus? Ita ſanè Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Damaſcenus [a], & ante omnes Athanaſius [b]. Inter Latinos Cyprianus [c], Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus [d], Proſper [e], Anſelmus, D. Thomas. Et quidem neminem ante Chriſtum ad vitam immortalem reſurrexiſſe, tam certum eſt atque exploratum, vt in dubium reuocari non queat. Fauet huic interpretationi Apoſtolus ipſe, tum quia nomen ἀπαρχὴ ordinem ſignificat, tum quia non ita multò pòſt ſubdit. *Vnuſquiſque autem in ſuo ordine primitiæ Chriſtus, deinde ij qui ſunt Chriſti.* Et eadem ratione dicitur primogenitus mortuorum, quomodo explicant Athanaſius [f], Ambroſius [g], & Auguſtinus [h]. Et ipſe Paulus ad Coloſſenſes [i] indicat. *Qui eſt*, inquit, *principium, primogenitus ex mortuis.* Quo loco Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus legiſſe videntur ἀπαρχὴ, id eſt primitiæ. An autè qui vnà cum Chriſto ſurrexerunt, vnà cum illo immortalem vitam adepti ſint, non ſatis conſtat. Negant Hieronymus [k], Auguſtinus [l], Chryſoſtomus [m], Theophylactus [n], Euthymius [o], Proſper [p], & alij. Affirmant Origenes [q], Clemens [r] Alexandrinus, Iuſtinus [ſ] Martyr, Epiphanius.

a lib. 4. de fide c. vlt.
b de Incarn. verbi, ſeu de hum. nat. ſuſcepta
c Serm. de reſurre.
d epiſt. 99
e De promiſ. & prædic. Dei par. 1 c. 29
f Poſt Quæſt. ad Antioc.
g lib. 5. cp. 22.
h Serm. de temp. 161.
i cap. 1. 18.
k Matth. 27. & epi. 150 ad Hedib. q. 8.
l epiſt. 99
m Hom. 89 in Matth.
n Matth. 27.
o in Matth. cap. 67
p De promiſ. & prædic. Dei par. 1 c. 29.
q lib. 1. in ep. ad Rom. c. 1.
r lib. 6 Strom. circ. med.
ſ Quæſt. 85.

fuiſſet, inquit, *mors Chriſti, vtique nec reſurrectio fuiſſet, nec extitiſſet aliquis primogenitus ex mortuis: quod ſi non fuiſſet primogenitus ex mortuis, nec ſpes nobis reſurrectionis fuiſſet.* Alibi [a] explicans verba Pauli. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes viuificabuntur*; monet reſurrectionis futuræ myſterium ab Apoſtolo indicari. Nec diſſimilia docet Epiphanius [b], qui explicat, qua ratione Chriſtus dicatur primitiæ dormientium. Quò ſpectans Gregorius [c] Nyſſenus Chriſtum vocat *reſurrectionis fideiuſſorem.* Elegantiſſimè verò Cyrillus Alexandrinus hac de re ſcribit [d]. *Deus*, inquit, *qui futura omnia nouit, æternaliter quoque fundauit quantum ad cognitionem ſuam filium ſuum.* Et poſt nonnulla: *ſciebat enim, mortales nos futuros propter peccatum: ac ideo ex miſericordia ſua ante ſæcula conſtituit, vt verbum ſuum homo initium viarum, & fundamentum fieret, renouarétque hominem in ſe ipſo factus primogenitus in multis fratribus, & origo reſurrectionis.* Nonnullis verò interiectis. *Cauſa verò vt ſic dixerim, quare præſciti ſumus in Chriſto, & in adoptionem ex caritate Dei patris vocati, hæc eſt. Præuidit Deus peccaturum hominem, & in mortem caſurum: præuidit etiam conferentia generi eius, & quomodo renouaretur, & ad immortalitatem rediret. Ideo quaſi radices huius ſpei in filio ſuo nobis depoſuit, per quem ad adoptionem nos vocauit, & omni benedictione ſpiritali nondum factos muniuit; vt quando præuaricatione in mortem caderemus, ex priſca illa radice in vitam rurſus reſurgeremus, & veluti iam benedicti non omnino, ſempérque iacere poſſemus.* Neque aliter ſenſere Latini patres. Tertullianus [e] enim. *Credentes*, ait, *reſurrectionem Chriſti, in noſtram quoque credimus, propter quos ille & obiit, & reſurrexit.* Eodem modo loquuntur auctor [f] de operibus cardinalibus Chriſti apud Cyprianum, Auguſtinus [g], & alij. Quæ cùm ita ſint, rectè hæc duo Paulus coniungit.

[a] Hom. 8. in Ioiue.
[b] in Ancor.
[c] Orat. de dormien. in fine.
[d] li. 5 theſaur. cap. vlt.
[e] lib. de patient. Similia habet lib. 3. cont. Marcionem.
[f] Serm. de reſurrect.
[g] in Pſal. 65. & alibi ſæpè.

17. I. Qvod si Christvs non resvrrexit, &c. Repetit quod ſuperiùs dixerat, inanem fore noſtram fidem, & prædicationem, niſi pro certo credatur Chriſti reſurrectio. Terret autem (vt monet Ambroſius) Corinthios. *Quis enim*, ait, *peccata ſibi remiſſa nolit audire?* Et vt colligit Chryſoſtomus: *Si non reſurrexit Chriſtus, nec eſt quidem mortuus: ſi autem non eſt mortuus, nec abolenit quidem peccatum; eius enim mors eſt abolitio peccati. Ecce enim*, inquit, *Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi: quomodo autem tollens? morte. Et ideo etiam vocauit agnum, vt qui occideretur.* Et paulò pòſt. *Si peccatum non fuit abolitum, in eo eſtis; ſi autem in eo eſtis, fruſtrà prædicauimus; ſi autem fruſtrà prædicauimus, fruſtrà credidiſtis.* Itaque putat Chryſoſtomus, hoc eſſe neceſſariò conſequens, vt ſi non reſurrexerit Chriſtus, ne potuerit quidem obire: pro certo enim ponit, non potuiſſe Chriſtum diu hærere inter mortuos; nam dixerat David [h]. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Et Petrus [i]. *Iuxta quod impoſſibile erat teneri eum.* Atque idcirco aptè putat colligi, ſi Chriſtus non reſurrexit, adhuc eſſe Corinthios peccatis implicitos, quia Chriſti morte non ſunt expiati; vt appareat omnem iuſtificandi vim Chriſti morti tribuendam videri, vt aliàs docui. Rectè verò monet Anſelmus, has omnes ratiocinationis apoſtolicæ conſecutiones firmas eſſe, & validas; falſas tamen continere ſententias, quæ ex illo colliguntur errore, quem Paulus oppugnat. Perinde enim eſt ac ſi dicat: iam meritò confiditis vos baptiſmo luſtratos, omnibus eſſe piaculis abſolutos; hoc ſi verè creditis, profectò fateamini oportet, vos mortis Chriſti beneficio omni noxa purgatos. Quod ſi Chriſtum pro ſaluto mortalium obiiſſe creditis, de eius reſurrectione dubitare non poteſtis. Ideo autem tam ſedulò, ac diligenter ab Apoſtolo colliguntur hæc & iterantur, vt Corinthij erubeſcant, & gliſcentem errorem aut abijciant, aut potiùs non admittant. Quod autem ait interpres: *Adhuc enim eſtis in peccatis veſtris*, in Græcis codicibus ſimpliciter legitur abſque coniunctione cauſali, vt non ſit prioris illationis ratio, ſed noua poſiti antecedentis conſequutio. Si Chriſtus, inquit, non reſurrexit, vana eſt fides veſtra, & adhuc eſtis in peccatis veſtris. Etenim ita perpetuò argumẽtatur Apoſtolus; nam ad Romanos [a] dixit. *Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.* Et rurſus [b]. *Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam Patris, vt nos in nouitate vitæ ambulemus.* II.

[h] Pſal. 15. 10.
[i] Act. 2. 24.
[a] cap. 4. 25.
[b] cap. 6. 4.

Si igitur Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides noſtra, quæ & reſurrectionem Chriſti, & expiationem peccatorum pollicetur. Græcos codices ſequuntur Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus: Latinos Ambroſius, Anſelmus, & alij. Vanam autem dicit fore fidem, & prædicationem, tum propter ea, quæ paulò antè diximus, tum etiã quia alioqui falſa videretur dogmata continere. Ideo dixit hoc loco non κενὴ, vt paulò antè, ſed ματαία, quaſi dicat ſuperuacanea. Quorſùm enim credamus Chriſtum obiiſſe propter peccata, ſi verè nos reſurgendo non expiauit? neque enim viciſſet mortem, neque aboleuiſſet peccatum. Mirum autem in modum Chriſti reſurrectio fidem noſtram confirmat, vt alibi doceo; vt enim ſcribit Petrus Chryſologus [c], *qui ante ſuam mortem prædixerat ſuam reſurrectionem, vtique ſicut ſcire potuit, potuit & cauere; ſed quia vincere potuit, declinare contempſit, quia reſurrectionis gloria ſepeliuit morientis iniuriam.*

[c] Serm. 75.

18. I. Ergo et qvi dormiervnt, &c. Nouum eſt argumentum cum proximè ſuperiori connexum. Indicat autem Chryſoſtomus duplicem horum verborum explicationem: alteram, vt de cunctis fidelibus, qui obierant, ſermo ſit, perinde quaſi dicat, ſi Chriſtus non reſurrexit cùm ſuperuacanea ſit fides, neque vlla ſit expiatio peccati, planè ſequitur, eos, qui ſuſcepta Chriſti fide obierunt, funditus periiſſe, nullúmque omninò præmium aſſecutos eſſe: alteram, vt illi in Chriſto obiiſſe dicantur, qui pro Chriſti fide cruciatus, & mortem pertulerunt. Hanc poſteriorem explicationem ſequuntur Theodoretus, Oecumenius, & Theophylactus. Inſinuant Ambroſius, & Hieronymus, priorem magis probat Anſelmus; quaſi dicat, fideles, qui vita functi ſunt, quia eadem ratione peccatis obſtricti tenebantur, omnino perierunt. Sunt qui addant voluiſſe Paulum tamquàm abſurdum inferre, animam non eſſe immortalem, quòd neceſſaria connexio ſit inter animæ immortalitatem, & reſurrectionem mortuorum; ita enim argumentatur Chriſtus apud Matthæum [d]. *De reſurrectione autem mortuorum nõ legiſtis quod dictum eſt à Deo dicente vobis. Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob: non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium.* Quo loco ex eo, quod patres iam pridem vita functi, adhuc viuerent, reſurrectionem futuram probat: idque ad refellẽdos Saducæos omninò aptè; illi enim (vt Origenes, Auctor imperfecti, & Hieronymus obſeruarunt) propterea reſurrectionem futuram negabant, quòd animas immortales eſſe non crederent; & olim quidem non ſolùm apud Iudæos, ſed etiam inter philoſophos rectè ſentientes hæ duæ quæſtiones de animarum immortalitate, & de corporum reſurrectione adeò inter ſe nexæ, copulatæque erant, vt pro eadem haberi poſſent. Itaque auctor [e] ſecundi libri Machabæorum ex animæ immortalitate reſurrectionem probat. Ex philoſophis II.

[d] cap. 22. 31.
[e] cap. 12. 44.

autem,

autem, qui animæ immortalitatem admiſerunt, ſi nó reſurrectionem, aliquid certè reſurrectioni ſimile ſomniarunt, vt Pythagorei, Platonici, aliique perſimiles. Quin etiam (vt auctor eſt Auguſtinus [a]) Marcus Varro ponit in libris, quos conſcripſit de gente populi Romani, Genethliacos quoſdam ſcripſiſſe, eſſe in renaſcendis hominibus, quam Græci παλιγγενεσίαν appellant, hanc ſcripſerunt confici in annis numero quadringentis quadraginta; vt idem corpus, & eadem anima, quæ fuerant coniuncta in homine, aliquando eadem rurſus redeant in coniunctionem. Et Lactantius [b] verba Chryſippi Stoici refert, quibus ait, *vita functos certis temporum reuolutionibus exactis, rurſus in eam, quam nunc habemus, faciem reſtitutum iri.* Et Plato apud Euſebium [c] narrat, *exacto tempore defecturum terrenum genus, mundúmque inſolitis motibus agitatum, & concuſſum iri, cum ingenti animantium omnium pernicie ac clade: poſt aliquantum deinde temporis conquieturum operu Principis Dei, qui ne concidat, intereátque mundus, gubernacula eius recipiet, addétque illi ſempiternam iuuentam, & immortalitatem.* Mitto ea, quæ de quorundam ſuſcitatione Plato [d] ipſe, Labeo [e], Plutarchus [f], Pliniúſque [g] ſcripſerunt. Et profectò ſi anima ſit immortalis, eadémque corporis forma abſurdum planè eſt, breuiſſimo temporis ſpatio illam corpori adhærere; in omnem verò æternitatem ab illo ſeiunctam, quodammodo torpere. Itaque cùm forma illa ſit ſempiterna, & immortalis, neceſſe eſt ei immortale corpus coniungi, vt quod ex vtraque parte exiſtit, vita fruatur in omnem æternitatem duratura. Quæ cùm ita ſint rectè probaret Apoſtolus, reſurrectionem futuram, ſi anima eſt immortalis; ſed (niſi ego fallor) non id agit hoc loco Apoſtolus, qui in eodem, vt diximus, verſatur argumento, colligitque abſurda, quæ neceſſariò ſequerentur, ſi ſemel admittamus, Chriſtum non ſurrexiſſe; nam de noſtra reſurrectione, probè ſtabilita Chriſti anaſtaſi mox fusè diſputabit. Hoc igitur loco cùm dixiſſet, ſi Chriſtus non reſurrexit vanam fore noſtram fidem, nóſque adeò noſtris flagitiis adhuc implicitos teneri; addit eadem ratione conſequens eſſe, vt fideles, qui vita functi ſunt, etiamſi pro Chriſti nomine extrema quæque & acerbiſſimam denique mortem pertulerint, penitus perierint, quippe nullo modo à peccato immunes. Carent igitur præmio, quod tamen Chriſtiana fides pollicetur.

a lib. 22. de ciuit. c. 28.
b lib. 7.
c lib. 11. præp. Euang.
d lib. 10. de repub.
e apud Aug. lib. 22. de ciu. cap. 28.
f lib. 1. de anima.
g lib. 7.

19.
I. SI IN HAC VITA TANTVM IN CHRISTO, &c. Hoc etiam ex ſuperioribus neceſſariò colligitur. Si Chriſtus non reſurrexit, neque nos à peccatis expiauit, vana profectò atque inutilis eſt fides, nullam ex ea qui vita functi ſunt vtilitatem perceperunt, nullam nos in alia vita ſperare poſſumus: quo fit, vt omnis noſtra ſpes huius vitæ terminis concludatur. Id ſi ita eſt, fidelium profectò miſerrima eſt conditio. Sic enim accipio perinde, quaſi Apoſtolus de omnibus fidelibus loquatur; cùm enim Chriſtianæ vitæ ratio poſtulet, vt omnibus huius vitæ voluptatibus poſthabitis, arduum virtutis iter conſtantiſſimè retineatur, ſi nihil præterea ſperandum eſt, quis non videt, eos eſſe omnium mortalium infœliciſſimos? Quod ſi de ſe ipſo, ſuiſque ſimilibus, hoc eſt Apoſtolis, viriſque apoſtolicis agit, næ illi ſi futurorum bonorum ſpe deſtituantur, in omnium rerum inopia, & egeſtate, probris & contumeliis affecti, quinetiam diris ſuppliciis vexati; infrà omnes homines meritò cenſendi ſunt. Priorem ſententiam ſequuti videntur Ambroſius, & Anſelmus, poſteriorem magis indicant Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, & Hieronymus: A qui tamen omnes hoc argumentum putant ad confirmandam reſurrectionem pertinere; quaſi Apoſtolus neceſſariam reſurrectionem putet, vt corpus inedia, ærumnis, laboribúſque confectum ſua etiam in cœleſti patria præmia conſequatur. Ego verò longè probabilius exiſtimarim, hoc cum ſuperioribus coniungendum eſſe, cæteriſque abſurdis adnectendum, quæ conſequuntur, ſi Chriſtus non reſurrexit. Hoc enim poſito, quod falſum eſt, ea ſequuntur abſurda, quæ enumerata ſunt. Inanis eſt fides, & prædicatio, falſa eſt Apoſtolorum teſtificatio, ſuperuacanea Chriſtiana doctrina, nulla expiatio peccati, nullum præmium conſequuti ſunt, qui poſt fidem, & baptiſmum ſusceptum, diem ſuum obierunt; qui denique Chriſto nomina dederunt, B miſerrima conditione vitam degunt. Quæ cùm ſint omnia abſurdiſſima fatendum eſt, omnino Chriſtum reſurrexiſſe. Iam verò Chryſoſtomus, & alij, qui hoc putant afferri ad probandam reſurrectionem, aiunt ſpem omnem noſtram à reſurrectione pendere. Atqui antè reſurrectionem ſummo bono, ac vita beata perfruuntur iuſti, ac perfrui in æuum poſſent ſine corpore. Quamquàm enim adhuc ſperanda, atque optanda videtur corporis beatitudo; nullo tamen modo iuſti iam vita functi miſeri cenſendi ſunt, qui Dei contemplatione beantur. Quocircà vt indicet Apoſtolus, hæc omnia quamuis abſona, & à recta ratione aliena, ex illo abſurdo ſequi, ſi Chriſtus non reſurrexit, mox ſubdit. *Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium.* C Minutum eſt autem illud, ſed verum tamen quod obſeruatum eſt à nonnullis, particulam *tantum* non eſſe referendam ad participium, *ſperantes*, ſed ad id, quod ſperandum eſt, quaſi dicat. Si ſpes noſtra nihil poſt hanc vitam expectaret; nam alioqui certum eſt, virtutem ſpei huius mortalis vitæ terminis claudi, cui ſuccedat in alia vita poſſeſſio.

NVNC AVTEM CHRISTVS RESVRREXIT, 20.
Vbi tam multa collegit abſurda, redit ad id quod 1.
pro certo poſuerat, Chriſtum ab inferis excitatum eſſe: quaſi dicat cùm hæc omnia ſequantur abſurda, ſi negemus Chriſtum reſurrexiſſe, fatendum neceſſariò eſt illum ad ſuperos remeaſſe. Ait autem D Chriſtum non ſimpliciter reſurrexiſſe, ſed addit eſſe dormientium primitias. Græcè ἀπαρχὴν, quam vocem Ambroſius Latinè interpretatur *initium*. Quæri autem meritò poteſt, quánam ratione Chriſtus primitiæ dormientium verè dici poſſit. An quia omnium primus vitam immortalem eſt aſſecutus? Ita ſanè Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Damaſcenus [a], & ante omnes Athanaſius [b]. Inter Latinos Cyprianus [c], Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus [d], Proſper [e], Anſelmus, D. Thomas. Et quidem neminem ante Chriſtum ad vitam immortalem reſurrexiſſe, tam certum eſt atque exploratum, vt in dubium reuocari non queat. Fauet huic interpretationi Apoſtolus ipſe, tum quia nomen ἀπαρχὴ ordinem ſignificat, tum quia non ita multò pòſt ſubdit. *Vnuſquiſque autem in ſuo ordine primitiæ Chriſtus, deinde ij qui ſunt Chriſti.* Et eadem ratione dicitur pri- E mogenitus mortuorum, quomodo explicant Athanaſius [f], Ambroſius [g], & Auguſtinus [h]. Et ipſe Paulus ad Coloſſenſes [i] indicat. *Qui eſt*, inquit, *principium, primogenitus ex mortuis.* Quo loco Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus legiſſe videntur ἀπαρχὴ, id eſt primitiæ. An autẽ qui vnà cum Chriſto ſurrexerunt, vnà cum illo immortalem vitam adepti ſint, non ſatis conſtat. Negant Hieronymus [k], Auguſtinus [l], Chryſoſtomus [m], Theophylactus [n], Euthymius [o], Proſper [p], & alij. Affirmant Origenes [q], Clemens [r] Alexandrinus, Iuſtinus [ſ] Martyr, Epiphanius.

a lib. 4. de fide c. vlt.
b de Incarn verbi, ſeu de hum. nat. ſuſcepta
c Serm. de ſeſurre
d epiſt. 99
e De promiſ. & prædic. Dei par. 1. c. 29
f Poſt Quæſt. ad Antioc.
g lib. 5. ep. 22.
h Serm. de temp. 161.
i cap. 1. 18
k Matth. 27. & ep. 150 ad Hedib. q. 8.
l epiſt. 99
m Hom. 89 in Matth
n Matth. 27.
o in Matth. cap. 67
p De promiſ. & prædic. Dei par. 1. c. 29.
q lib. 5 in ep. ad Rom. c. 6.
r lib. 6 Stromat. med.
ſ Quæſt. 85.

a Hæ. 71. b In epi. quæ habetur in 6. Synod. Act. 1.

nius [a]. Inſinuant Sophronius [b], Euſebius [c], Gregorius [d] Nyſſenus, Ruffinus [e], Remigius [f], & Beda [f]; denique Anſelmus [f], qui contrariam ſententiam temeritatis damnat.

II. c lib. 4. de demonſt. c. 12. d lib. de cognit. Dei c. de reſur. Chriſti. e in Sym. f Matth. 27.

Sed vtra ſententia ſit verior alibi explico, hîc tantùm dico, ſi priorem ſequamur ſententiam, Chriſtum dici dormientium primitias, quia re vera omnium primus vitam immortalem adeptus eſt: ſin magis placeat poſterior, primas in reſurrectione tenebit, vel quia nemo ante illum ad immortalitatem ſurrexit; vel quia ſi non ordine, dignitate certè primum occupat locum; vel denique quia ita cum cæteris reſurrexit, vt aliis immortalitatem ſit elargitus. Quod enim Matthæus [g] narrat plurimos in Chriſti morte ad vitam fuiſſe reuocatos, anticipatè dictũ eſſe non dubito; cùm re vera vnà cum Chriſto reſurrexerint, vt eſſent reſurrectionis Chriſti veluti teſtes. Addi poteſt dici Chriſtum dormientium primitias, quia eſt reſurrectionis aliquo modo cauſa, ſiue quia eſt veluti reſurrectionis exemplar, ſiue quia illam nobis ſuis meritis comparauit; ſiue denique quia eſt veluti diuinum inſtrumentum reſurrectionis noſtræ eo prorſus modo, quo olim miracula edebat, & multi putant, gratiam, & iuſtitiam in nobis efficere. Rectè autem dixit primitias, vt Chryſoſtomus, Theodoretus, ac Theophylactus monent, vt ſignificet reliquos homines eiuſdem reſurrectionis fore participes; nam (vt ait Theodoretus) *primitias maſſa omnino conſequetur*: & Theophylactus, *primitiæ namque ad conſequentes reſpectũ habent, veluti ſi quando vnus ex multis fecerit primus incipiens, quod alij deinceps ſint facturi.* Eodem modo loquuntur Ambroſius, Hieronymus, & Anſelmus; quorum hic poſtremus ait. *Ipſe eſt primitiæ dormientium, id eſt, tempore, & dignitate primus euigilans ex dormientibus, vt & multitudinem eorum à ſomno mortis excitet, ſicut primitia cuiuslibet rei, quæ offeruntur Deo totam ſubſequentem maſſam conſecrant, vt quia peccato primi hominis mors omnium inuenta eſt, Chriſti iuſtitia reſurrectionem mortuorum meruerit.* Porrò quod attinet ad verba Græci codices, qui nunc habentur in manibus, habent conſtanter ἐγένετο, id eſt factus eſt, ſiue fuit; cuius tamen vocis nullum extat apud Græcos explanatores veſtigium, & omnino duriuſculè cum ſuperioribus cohæret.

21. I. Quoniam quidem per hominem mors, &c. Perſimile argumentum habet Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos [h]. *Si enim in vnius delicto mors regnauit per vnum, multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iuſtitiæ accipientes in vita, regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum.* Et infrà [i]. *Vbi abũdauit delictum, ſuperabundauit & gratia; vt ſicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam.* Et alio [k] loco. *Si ſpiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis habitat in vobis, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra per inhabitantem ſpiritum eius in vobis*, ſignificans, ius reſurrectionis non modò oriri ex vnione hypoſtatica, quæ propria fuit vnius Chriſti, ſed etiam ex gratia iuſtificante, quæ Chriſti merito, & Spiritus ſancti beneficio iuſtis tribuitur: quod non ita multò pòſt planiùs confirmat. *Primitias*, inquit, *ſpiritus habentes & ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis noſtri.* Eſtque hoc argumentum Pauli ſententia firmiſſimum, quod hactenùs fusè proſequutus eſt; ita enim non ita multò antè dixerat. *Si autem Chriſtus prædicatur, quod reſurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt?* In præſentia igitur Chriſtum cum Adamo comparat; quemadmodum enim ille auctor fuit mortis, ita Chriſtus auctor eſt reſurrectionis.

h cap. 5. 17. i verſ. 21. k cap. 8. 11.

Græca verba indicant hoc loco ineſſe quandam argumentandi vim; ſic enim habent. ἐπειδὴ γὰρ δι' ἀνθρώπου ὁ θάνατος, καὶ δι' ἀνθρώπου ἀνάστασις νεκρῶν, hoc eſt, *poſtquam enim per hominem mors, etiam per hominem reſurrectio mortuorum.* Quaſi dicat, Quandoquidem mors ortum habuit ab homine, conſequens erat vt ab homine oriretur reſurrectio mortuorum. Ita omnino explicat Theophylactus. Obſeruat autem Chryſoſtomus, veriſſimè hoc ab Apoſtolo dictum eſſe; docuit enim, vt quoniam homo fuerat cauſa mortis, ita hominis beneficio ſuperaretur mors, & reſurrectio perficeretur. Nam eum, inquit, qui fuit ſuperatus, oportet & proſtratam inſtaurare, & reparare naturam, & ipſum vincere; ſic enim probrum excuſſerit. Ita alibi diximus, Chriſtum ea mala ſuſtuliſſe, quæ olim Adam primus parens, hominum generi intulerat. Hac ratione Athanaſius [a], Anſelmus [b], aliique non pauci concludunt, omnino decuiſſe, vt hominum genus ab homine redimeretur, vt dedecus hominis vitio contractum, hominis item beneficio abſtergeretur: idémque qui malam innexerat, ſalutem, ac bonorum omnium copiam, atque affluentiam afferret. Quocirca rectè ſubdit.

a de Incarn. verbi. b lib. 1. & 2. cur Deus homo.

22. Et sicut in Adam omnes moriuntur, &c. Hęc primùm ad animæ vitam, hoc eſt gratiam, & iuſtitiam referri nequaquam poſſunt; tum quia tota hæc Pauli diſputatio ad confirmandam reſurrectionis fidem refertur; tum quia non omni ex parte ſimilitudo conſtaret, verè namque omnes propter Adæ peccatum morti obnoxij degunt; non omnes tamen Chriſti beneficio gratiam, & iuſtitiam adipiſcuntur: itaque de corporis reſurrectione Pauli verba accipienda ſunt. Deinde non ſatis probo quod nonnulli affirmant, his verbis declarari quánam ratione Chriſtus ſit noſtræ reſurrectionis exẽplar. Quacumque enim tandem in re poſita ſit ſimilitudo reſurrectionis noſtræ cum Chriſti reſurrectione, impij profectò, & reprobi vix vllam cum Chriſto reſurgente ſimilitudinem habebunt, cùm tamen dicat Apoſtolus æquè omnes in Chriſto ſuſcitandos, quemadmodum in Adam omnes moriuntur. Addo quòd non facilè admittendum videtur Adamum fuiſſe exemplar noſtræ mortis, cùm ante illum obierit Abel: eadem autem videtur eſſe ratio in Adamo reſpectu mortis, quæ in Chriſto ratione reſurrectionis. Malim igitur interpretari Paulum de merito; vt quemadmodum Adam violans Dei præceptum vnà cum tota poſteritate morti addictus eſt, ita quia Chriſtus factus eſt obediens vſque ad mortem ſuam, omniúmque mortalium anaſtaſim iure optimo adeptus ſit. Omnes igitur Chriſti merito reſurgent, ſed iuſti quidem gloriam immortalitatis, cæteráque corporis ornamenta aſſequentur, hoc eſt, vt dixit [c] Chriſtus, *in reſurrectionem vitæ* reſurgent: impij verò *in reſurrectionem iudicij*; quia hoc meritus eſt Chriſtus, vt cuncti ſibi omnium mortalium iudici, ſiſtantur digna ſupplicia ſubituri. Itaque mori in Adam eſt Adæ vitio, & culpa obire mortem; in Chriſto autem viuificari eſt, Chriſti merito reuiuiſcere; quod, vt dictum eſt, tam bonis, quàm improbis commune erit, quæ eſt aperta ſententia Theophylacti; *nam in Adam*, inquit, *hoc eſt per lapſum Adami omnes à ſpe exciderunt; ſic igitur in Chriſto omnes reſurgent, hoc eſt, quia Chriſtus inuentus eſt ſine peccato, nec mortis reus, & propterea quod voluntarius mortem ſubierit.* Obſeruant autem Chryſoſtomus, & Theophylactus, hæc maximè facere contra eos, qui negant Chriſtum vero, ſolidóque corpore præditum fuiſſe; neque enim aliter mori, aut reſurgere potuiſſet. Porrò Ambroſius monet, tribuiſſe quidem Chri-

c Ioan. 5.

ſtum

ſtum omnibus generalem reſurrectionem, ſed multò tamen aliter iuſtis, quàm improbis: illi namque vita perfruentur beata, & ſempiterna, hi verò ſempiternis ſuppliciis cruciabuntur. Quocirca rectè Anſelmus. *Viuificabuntur infideles in Chriſto, id eſt in potentia, vel iuſſu Chriſti, vt ſine fine viuant ad pœnam: electi autem viuificabuntur in Chriſto, id eſt in Chriſti iuſtitia, quam ſeruauerunt, vt in Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia perenniter viuant; quia ſicut in regno mortis nemo ſine Adam, ita in regno Chriſti nemo ſine Chriſto.*

23. I. VNVSQVISQVE AVTEM IN SVO ORDINE, &c. Occurrit tacitè ſuſpicioni. potuiſſet enim quiſpiam ſuſpicari, fore omnes ex æquo reſurrectionis Chriſti participes. Omnes, inquit, reſurgent, ſed non omnes eiuſdem dignitatis, & gloriæ participes erunt: æquè quidem omnes Adæ primi parentis vitio moriuntur, at non æquè omnes eadem reſurrectionis gloria perfruentur. Ait autem Chriſtum eſſe primitias, eo videlicet modo quem paulò antè explicuimus: cæteri verò *in ſuo ordine*; hoc eſt interprete Anſelmo, *martyr in ordine martyrum, virgo in ordine virginum, coniugatus in ordine coniugatorum, ſacerdos in ordine ſacerdotum: vel in ſuo ordine, id eſt, in ſuorum meritorum dignitate.* Et in hoc quidem ordine proculdubio Chriſtus primas tenet, vt hoc etiã nomine meritò primitiarũ nomine ſignificetur, quamquàm Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Ambroſius, Anſelmus, & alij ad veras frugum primitias reſpiciunt; vt quemadmodum primitiæ primò colliguntur, ſignificántque mox cæteras fruges colligendas; ita ante omnes Chriſtus reuixit, ſignificans cæteros mortales ad vitam reuocandos. poſt Chriſtum deinde, inquit, *qui ſunt Chriſti qui in aduentu eius crediderunt*; ita enim dixit ad Theſſalonicenſes [a]. *Mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi*, id tamen erit in aduentu eius. Ita Theophylactus. *Poſt ipſum*, inquit, *qui ad eum pertinent, hoc eſt fideles, & probati in ipſo, primi reſurgent illo ex cœlis veniente; hoc enim eſt, quod ait; in aduentu ipſius. Eſt enim par vt iuſti priuilegio quopiam gaudeant, atque in ipſo excitentur. cùm enim rapiendi ſint in aera in occurſum Domini præ aliis excitantur, itaque peccatores infrà expectant iudicem, ceu condemnati, & aduerſarij.* Ambroſius ait; *quemadmodum Chriſto reſurgente multa corpora ſanctorum reſurrexerũt ad proteſtationem euictæ mortis ac ſpoliatæ*; ita in ſecundo eius aduentu iuſtos excitandos, qui ei aduenienti occurrant. Ita non ſolùm ordo erit in reſurrectionis qualitate, vt præter Anſelmum de quo ſuprà dixi, luculenter explicat Theodoretus; ſed etiam in reſurrectionis tempore: quod video nonnullis Theologis [b] vehementer probari, ídque apertiſſimè aſſerit in præſentia Oecumenius: quod tamen neſcio, vtrùm facilè admittendum ſit, repugnantibus præſertim cæteris Theologis [c], & non paucis ex antiquis Patribus, qui miro conſenſu docent, omnes ſimul ad vitam reuocandos. *Erit*, inquit Gennadius [d], *reſurrectio mortuorum omnium hominum, & vna ſimul, & ſemel, non prima iuſtorum, & ſecunda peccatorum.* Neque aliter ſentiunt Hippolytus [e], & Methodius [f]: idémque alij [g] colligunt ex verbis Chriſti apud Ioannem [h]. Apertiſſimè verò Euthymius. *Simul omnes*, inquit, *repentè, ac virtute arcana coaptabit, animabit, ac excitabit voce ſua, ſine iuſſu.* Fauet Apoſtolus hoc ipſo capite. *In momento*, inquit, *in ictu oculi, in nouiſſima tuba, canet enim, & mortui reſurgent incorrupti.* Verùm quoniam particula *deinde* ordinem temporis ſignificare videtur, exiſtimarunt nonnulli, Paulum hoc capite non agere de reſurrectione impiorum, niſi cùm paulò pòſt dicit. *Ecce myſterium vobis dico, omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.* Itaque cùm nihil agat

A in præſentia de improbis, rectè poſt Chriſtum nominat iuſtos; hoc enim ſignificant verba illa. *Deinde qui ſunt Chriſti.* verùm non ſatis intelligo, quánam ratione id poſſit defendi; nam vbi Paulus conſtituiſſet, Chriſtum reſurrexiſſe, vniuerſim ſubdit. *Si Chriſtus prædicatur, quod reſurrexit à mortuis; quomodò quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt?* Quæ ex communi ſententia contra eos dicta ſunt, qui de mortuorum anaſtaſi dubitabant. Deinde quis non videat, vniuerſim dictum eſſe: *Si autem reſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus reſurrexit?* Deinde illa ad omnes tam iuſtos, quàm impios pertinent. *Quoniam enim per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum: & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.*

B Nihil igitur dubitandum eſt, multa quæ dicta ſunt ab Apoſtolo, ad impiorum etiam reſurrectionem pertinere. Quocirca non malè hæc verba de ordine dignitatis accipiuntur; quomodò explicat Tertullianus [a]. *Quia per hominem*, inquit, *mors, & per hominem reſurrectio, vt ſepararet quidem auctores, mortis Adam, Chriſtum reſurrectionis, eiuſdem autem conſtitueret ſubſtantiæ reſurrectionem, cuius & mortem per ipſorum auctorum in nomine hominis comparationem. Si enim ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur; carne viuificabuntur in Chriſto, ſicut in Adam carne moriuntur. Vnuſquiſque autem in ſuo ordine, ſcilicet quia & in ſuo corpore: ordo enim non aliud, quàm meritorum diſpoſitor, merita autem cum corpori quoque aſcribantur, ordo quoque corporum*

C *diſponatur neceſſe eſt, vt poſſit eſſe meritorum.* Verùm III. quoniam particula *deinde* quæ hoc loco iteratur, ad tempus referri videtur, veriſimile eſt hoc loco Paulum omiſſa reſurrectione improborum, de qua ſuprà vniuerſim non pauca dixerat, cùm de communi omnium anaſtaſi ageret, de iuſtorum reſurrectione propriè loqui; illi namque in ſuo ordine reſurgent, vt Chriſto aduenienti occurrant, quod in Epiſtola priori ad Theſſalonicenſes [b] hunc in modum explicat. *Quoniam*, inquit, *ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo, & mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi.* Iuſtos igitur, ait, qui ſunt Chriſti reſurrecturos, qui Chriſti reſurgentis imaginem, ac ſimilitudinem induent, cùm ſecus accidet improbis, de quibus ait [c] Dauid.

D *Ideo non reſurgunt impij in iudicio, neque peccatores in concilio iuſtorum*; quia quamuis reſurrecturi ſint, nullam tamẽ habebunt cum iuſtis ſocietatem. Quod verò in Epiſtola ad Theſſalonicẽſes ait. *Qui in Chriſto ſunt reſurgent primi*, Sedulius explicat de ordine dignitatis, quod non de ſingulis, ſed de toto genere vniuerſim admitti vtcunque poteſt. Inter eos enim, qui in Chriſto obierint, cùm Chriſtus ſecundò aduenerit, numerantur Apoſtoli, Patriarchæ, Prophetæ, Martyres, virgines, quorum admirabilis ſanctitas ſingularem proculdubio flagitat reſurrectionis prærogatiuam. Verùm quoniam Græcè eſt aduerbium ἔπειτα, quod proculdubio refertur ad tempus. Anſelmus ordinem quidem temporis admittit, ſed ita accipit, vt primi reſurrecturi dicantur quos nemo

E præuenerit. Acutè id quidem, niſi particula *deinde*, quæ veram continet comparationem, pugnare videretur. Itaque alij reſurrectionem aiunt raptui præferri, præcipuè verò iis tribui, qui ante iudicium obierunt, ne quis propter diuturnam moram eos minimè excitandos eſſe ſuſpicaretur. Vtut ſit omnes ſimul reſurrecturi ſunt, vt planiùs in Epiſtola priori ad Theſſalonicenſes doceo, quod ad verba attinet, Græci codices penè omnes ſimpliciter habent, ἔπειτα οἱ χριστοῦ ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ. hoc eſt, *deinde qui ſunt Chriſti in aduentu ipſius.* quaſi hos velit poſteriùs

[a] 1. ep. ad Theſ. c. 4. 16.
[b] 4. Sent. d. 43. Scot. Durand. Ricar. & alij.
[c] D. Thom. in 4. d. 43. q. 1. ar. 2. q. 7. Ricard. 3. q. 1. Palud. Sot. & alij.
[d] lib. de Eccleſ. dogmat. cap. 6.
[e] De cõſum. ſæc.
[f] De reſurr.
[g] Cyrillus. Chryſoſt. Rupertus.
[h] cap. 5.
[a] lib. de reſurr. carnis.
[b] ca. 4. 16.
[c] Pſal. 1. 5.

ſteriùs reſurrecturus,qui non ita pridem diem ſuum obiiſſent. A

14. Deinde finis cvm tradiderit, &c.
I. Oecumenius finem refert ad impiorum anaſtaſim. *Finis*,inquit,*erit,hoc eſt, reſurrectio erit omnium,qui à mundi conſtitutione formati ſunt, & iudicio tradentur.* Sed (vt paulò antè dixi) omnium reſurrectio eodem temporis momento fiet: quocircà Chryſoſtomus,Theodoretus,& Theophylactus rerum omniũ finem interpretantur. *Deinde* (inquit Theophylactus) *omnium rerum conſummatio erit, ipſiuſque adeò reſurrectionis, ceu omnibus in commune vniuerſim exeuntis; nec enim, vt nunc fit Chriſto ſolo reſurgente res humana ſuum priorem ſtatum, locúmque obtinent; ſic tunc erit, verùm omnia finem accipient.* Quando autem hic rerum finis ſecuturus ſit, explicat his verbis. B *Cùm tradiderit regnum Deo,& Patri.* Rectè monet Theophylactus, quod ad rem præſentem attinet, duo Chriſti regna diſtinguenda eſſe: alterum creationis, alterum vendicationis, & vſurpationis. Prius illud omnes Angelos,omnes infideles, ac dæmones, omnes denique naturas creatas complectitur; hoc verò poſterius fideles, ac iuſtos duntaxat continet, qui ſeſe Chriſto ſponte ſubiecerunt. De hoc item poſteriori regno loquitur Deus apud Dauidem [a]. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Et Chriſtus ipſe eodem loco [b]. *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctũ eius,prædicãs præceptum eius.* Et apud Matthæum [c]: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo,& in terra.* Hoc igitur regnum traditurus eſt C Deo,&Patri, *non ipſe* (vt ait Theodoretus) *regno nudatus,ſed diabolo, & hoſtibus omnibus ſubiugatis,bellóque confecto oſtenſurus eſt Patri ſe ſtrenuè pugnaſſe, & victorem meritò triumphare.* Tradent autem regnum, vt Cyrillus,& Photius interpretantur, id eſt electorum Eccleſiam ab omni perturbatione, vexationéque liberam,& à dæmonum inſidiis,atque oppugnationibus tutam. Oecumenius plures recenſet tradendi modos: dicitur enim Chriſtus tradere Patri regnum, quia illum proprij laboris ſocium indicat, & illum quodammodò ſuo præclaro facinore oblectat. vel tradit, quia ſibi nihil ampliùs eius cauſa laborandum eſt,nihilque eorum perficiendum reſtat,quæ nunc ad hominum ſalutem referuntur: denique tradit dum ſtrenuè confectum in medium D profert. Rectè verò dicitur tradere regnum Deo, & Patri. *Deo*,inquit Anſelmus,*qui ſe tamquam hominem condidit; Patri, qui ſe vt Deum ante omnem æternitatem genuit.* Neque verò ita traditurus eſt regnum Patri, vt ipſe,aut Spiritus ſanctus excludatur;ſed de Chriſto loquitur,tamquàm homine, qui ſe perfeciſſe oſtendet quæcunque ad hominum ſalutem peragenda ſibi fuerant à Deo imperata. Tradet autem regnum,id eſt Eccleſiam, *quam*(vt in Actis [d] Apoſtolicis ait Paulus) *acquiſiuit ſanguine ſuo.* Suſpicor alluſiſſe Paulum ad id, quod ſcribit Lucas [e]: *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere ſibi regnum.* nam de Chriſto paraholam illam hunc in modum explicat Auguſtinus [f]. *Ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus intelligitur: regio longinqua Eccleſia* E *gentium vſque ad fines terræ: reuerti ſe tamen dicit. Abiit enim, vt plenitudo gentium intraret; reuertitur, vt omnis Iſrael ſaluus fiat.* Nihil autẽ ex hoc loco contra Chriſti diuinitatem habent Arriani; hæc enim omnia, vt planiùs conſtabit ex iis, quæ ſequuntur,

II. de humana Chriſti natura accipienda ſunt. Hæc porrò tum demum fient cùm euacuauerit omnem principatum,& poteſtatem,& virtutem. Græcè pro eo,quod interpres dixit. *Euacuauerit*,ſcripſit Apoſtolus καταργήσῃ, quam vocem latinè reddidit Ambroſius *deſtituerit*, alij, *aboleuerit*, aut, *antiquauerit.* A Meritò autem quærit Chryſoſtomus, quénnam principatum abolendum dicat; & reſpondet non illum loqui de principatu angelorum, aut fidelium, ſed dæmonum,de quo ad Epheſios [a] ſcripſit. *Quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem,ſed aduerſus principes,& poteſtates,aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.* Nam nunc quidem ait non ſunt plenè abolita, nec adhuc ceſſant; in multis enim locis operantur; tunc autem ceſſabunt. Anſelmus de regno, & principatu humano accipit. *Quis enim*, inquit, *principatus non euacuatur, cùm filius Dei propterea regnat, quia eum principes ſæculi iudicauerunt? Quæ poteſtas non euacuatur, cùm ille,* B *per quem facta ſunt omnia, propterea regnat in credentibus; quia ita ſubiectus fuit poteſtatibus, vt diceret homini, non haberes in me poteſtatem, niſi datum tibi eſſet deſuper? Quæ virtus non euacuatur, cùm ipſe, per quem cœli ſolidati ſunt, ideo regnat in credentibus, quia vſque ad crucem, mortémque infirmatus eſt? Ita regnante Chriſto per fidem in his, qui credunt, euacuatur omnis principatus, & poteſtas, & virtus creaturarum.* Addit aliam quamdam explicationem, vt aboleri & antiquari principatum, & poteſtatem, & virtutem nihil aliud ſit, quàm palàm fieri, nullum principatum, nullámque poteſtatem, aut virtutem ſiue cœleſtem, ſiue terrenam, quidquam habuiſſe virium,aut auctoritatis, niſi ab illo, à quo ſunt omnia, non ſolùm vt ſint, ſed etiam vt ordi- C nata ſint. Verè hæc omnia, atque ingenioſè dicuntur;ſed Chryſoſtomi explicatio, quam Theodoretus, Theophylactus, & Caſſianus [b] ſequuntur, cùm ſimpliciſſima, tum maximè videtur ad mentem Pauli. Re vera enim tunc Chriſtus regnum Deo tradet, non modò pacificè, ſed abſque vlla perturbatione in omnem æternitatem poſſidendum, cum omnibus profligatis hoſtibus pacem pepererit ſempiternam. Qui hæc referunt ad mentes illas beatas, quarum omnis humanarum rerum procuratio ceſſabit, non prorsùs ineptè, meo tamen iudicio parùm probabiliter loquuntur; illæ namque ſuæ, vt ita dicam, induſtriæ fructum ampliſſimum conſequentur.

Oportet avtem illvm regnare, &c. 15.
D De Chriſto accipio; nam quia viſus erat de Chri- I.
ſto loqui, tanquam Patre minore, ne quis id temerè ſuſpicetur; affert teſtimonium deſumptum ex Dauide. Ita enim ille alicubi [c] ſcripſit. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.* Nemo igitur falsò exiſtimet nunc Chriſtum non regnare;regnat enim,& regiam poteſtatem exercet;ſed regnum ſuum,hoc eſt Eccleſiam nondum pacificè poſſidet: adhuc cum hoſtibus dimicandum eſt: tunc pacificè regnaturus eſt cùm omnes hoſtes ſuos penitùs ſubegerit. Tractat hunc locum Tertullianus [d] eo quem diximus ſenſu cùm dicit. *Oportet enim regnare eum donec ponat ini-* E *micos eius ſub pedes eius. Iam quidem & ex hoc vltorem Deum edicit,atque exinde ipſum, qui hoc Chriſto repromiſerit;ſede ad dexteram meam,donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum,&c.* Regnum igitur Chriſto tribuitur: pater autem hoſtes dicitur debellare, & Chriſto ſuppeditare, quod vbi factum fuerit, tunc Chriſtus Patri regnum tradet. Quod autem ait. *Donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius.* Monet Chryſoſtomus, Theodoretus,& Theophylactus, cautè accipiendum eſſe. Et Theodoretus quidem ait particulam; *donec*; non ſemper finem

a Pſal. 2. 8.
b verſ. 6.
c cap. 28. 18.
d cap. 20. 28.
e cap. 19. 12.
f lib. 2. qq. euang q. 46.
a cap. 6. 12.
b Collat. 8. cap. 14.
c Pſal. 109. 1.
d lib. 5 in Marc. cap. 9 & cont. Iudæos, cap. 4.

finem ſignificare, quod etiã multis exemplis aduerſus Heluidium probat Hieronymus, & Gregorius [a] Nazianzenus. Ita Deus ipſe alicubi [b] loquitur. *Ego ſum, ego ſum, & donec conſenueritis, ego ſum.* Quis autem ita deſipiat, vt vbi homines conſenuerint, Deum credat interiturum? Theophylactus autem vero, ni fallor propiùs, de regno, quo Chriſtus in Eccleſia militante regnat, Paulum explicat, quod tamdiu perdurabit, quoad omnes humani generis, ipſiúſque Chriſti hoſtes debellentur. *Durat enim*, inquit, *eius imperium, & præpotens eſt, nec labefactabitur donec omnia confecerit. Poſthac verò multò magis imperio florebit; regni enim eius non erit finis.* Gregorius [c] Nazianzenus, apud eundem Theophylactum paulò aliter accipit, vt regnare hoc quidem loco nihil aliud ſit, quàm conari, atque efficere, vt nos Dei imperio penitùs ſubiiciamur, & impios quidem ad gratiam, & iuſtificationem traducere: iuſtos verò ad optima quæque ſtudia promouere. vbi verò electorum numerus expletus erit, ceſſabit huiuſmodi regnum, hoc eſt hominum prouidentia, ac patrocinium, quo perducuntur ad ſalutem: nam & architectus tamdiu ſubſtructiooem procurat, quoad illam ad tecti faſtigium perduxerit. Oportet igitur Chriſtum regnare, & imperium & mortales exercere tantiſper, dum nobis cum hoſtibus dimicandum eſt: illis autem penitùs profligatis receptui canet, & bello, ac militati imperio finem imponet. Cæterùm regnaturus eſt Chriſtus vnà cum Patre in omnem æternitatem: ita enim ait Daniel [d]. *Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur.* & in eandem ſententiam Micheas [e]. *Et regnabit Dominus ſuper eos in monte Sion ex hoc nunc, & vſque in æternum.* Quòd igitur græcè ſcriptum eſt ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ, malè à quibuſdam latinè redditur ſub pedes ſuos: alludit enim Apoſtolus ad Dauidis [f] verba, quibus Deus pater pollicetur filio, ſe debellaturum hoſtes, & ad eius pedes proſtraturum. Itaque meliùs dixit vulgatus interpres ſub pedibus eius.

26.
I. Novissima avtem, &c. Rectè omnium poſtremam mortem deſtruendam ſcribit: tunc enim id fiet, cùm omnes reuocabuntur ad vitam. Nouiſſimam autem dicit (interprete Chryſoſtomo) *quia poſt omnes, poſt diabolum, poſt alia omnia; etenim etiam in initio intrauit nouiſſima; priùs enim diaboli conſilium, & inobedientia, & tunc mors.* Quocirca Theodoretus. *Poſtquàm enim*, inquit, *diabolum, & eius adiutores in exteriores tenebras immiſerit, mortem ceſſare efficiet, & eos qui iacent, eriget.* Et in eandem ſententiam Anſelmus omnium poſtremam mortem deſtruendam dicit, vt qui reſurrexerint, non ampliùs moriantur. Pro eo autem quod interpres dixit, *deſtruetur*: græcè ſcriptũ eſt καταργεῖται præſentis temporis: hoc eſt; *deſtruitur*, ſiue *aboletur*. Hilarius [g] ſæpe ita hunc locum recitat; *Nouiſſima deuicta eſt inimica mors*, ſenſum potiùs, quàm verba ſecutus. Hieronymus non ſemel hoc modo: *Nouiſſimus inimicus deſtruetur mors.* Quaſi dicat: hoſtis omnium poſtremus deſtruetur, hoc eſt, mors. Habent quidem nonnulli codices Latini *nouiſſimè*: ſed græcè eſt nomen ἔσχατος, itaque frequenter legit Auguſtinus [h]. Hieronymiani cõmentarij mortis nomine intelligunt diabolum, qui in Apocalypſi appellatur peccatum, & mors, quia eſt auctor peccati, & mortis; ſed id videtur nimis coactum: neque enim recedendum eſt à proprietate verborum, niſi aperta ratio cogat. *Nunc quidem* (ait Chryſoſtomus) *poteſtate abolita eſt mors, tunc autem re ipſa abolebitur*; quia non magna ex parte compreſſa eſt eius vis, & poteſtas reciſa: nam olim quidem qui mortem obierant tamdiu apud inferos detinebantur, veluti carcere incluſi, quoad Chriſtus ad cœleſtem patriam ſua morte nobis aditum reſerare: nunc autem iuſti vbi penitùs expiati ſunt, illico vita beata, æuóque ſempiterno perfruuntur. Quocirca rectè Athanaſius [a] oſtendit, Chriſtum ſui corporis obiectu, mortis vires fregiſſe: idque Apoſtoli teſtimonio confirmat, dicentis, *ſicut per hominem mors, ita & per hominem reſurrectio mortuorum: & quemadmodum in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes viuificabuntur.* Et ſubdit. *non enim iam ampliùs vt condemnati morimur, ſed vt excitandi communem omnium reſurrectionem expectamus.* Ibidem oſtendit Chriſtum in cruce erexiſſe de morte trophæum, & mortem Chriſti morte extinctam. *Olim*, inquit, *ante diuinum aduentum Saluatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti formidabilis erat, & ipſis ſanctis mors, & omnes quotquot erant vna defuncti, veluti perditos, abolitóſque lamentabantur. nunc autem poſtquam Saluator noſter Ieſus Chriſtus corpus ſuum reſuſcitauit à mortuis, mors vlterius terribilis non eſt: & quicumque in Chriſtum fidem habent, eam vt rem nihili pedibus terunt, ac potiùs mortem delegerint, quàm Chriſti fidem inficientur: certò enim ſciunt, mortuos non perire, ſed viuere, & incorruptibiles reſurrectione fieri.* Denique concludit Chriſti fide quaſi amiantho fideles indutos mortem contemnere, vt qui lino illo induuntur flammas non metuunt, & mortem comparat leoni mortuo, cui pueri, ac puellæ abſque vllo metu, ac periculo illudunt.

27.
I. Omnia enim svbiecit svb pedibvs, &c. Quoniam dixerat Chriſtum euacuaturum omnem principatum ac poteſtatem, & regnare donec ei hoſtes omnes ſubiiciantur, ne quis putaret filium eſſe ingenitum, aut etiam αὐτόθεον, quod ſuperioribus annis hæretici [b] quidam mentiti ſunt, oſtendit, omnia ad patrem referenda eſſe, vt Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus affirmant. Verùm quoniam hoc loco rurſum abutebantur Arriani, vt oſtenderent, filium minorem eſſe Patre, rectè Chryſoſtomus, & Theodoretus monent, hæc eſſe de Chriſti humanitate accipienda: pater enim dicitur Chriſto homini omnia ſubieciſſe: quod (vt ait Chryſoſtomus) alibi Paulus planiùs explicat. ſic enim ad Philippenſes [c] ſcribit. *Qui cùm in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo: humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen.* His autem verbis indicat Paulus & diuinæ naturæ maieſtatem, cùm illum ait in forma Dei fuiſſe Patri æqualem: mox verò cùm humanæ naturæ humilitatem deſcripſiſſet, honoris magnitudinem declarat, illi à Deo Patre collati. Idem nunc his verbis indicat: *Omnia enim*, ait, *ſubiecit ſub pedibus eius.* Quod Ambroſius dictum putat ad explicationem eius, quod paulò antè dixerat. *Oportet illum regnare donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius.* Vt autem Patris dignitatem excipiat, ſubdit. *Cùm autem dicat, omnia ſubiecta ſunt ei, ſine dubio præter eum qui ſubiecit ei omnia.* Vt enim monet Anſelmus, tam amplè definiendum eſt regnum Chriſti, vt id omne complectatur, quod eſt infra Deum; ſolus quippe Deus excipitur, qui omnia creata Chriſto homini voluit eſſe ſubiecta: quia tamen hoc nondum omni ex parte perfectum eſt; non malè Anſelmus, præteritum ait pro futuro poſitum eſſe. In mundi namque extremo, vt mox docebit Apoſtolus, omnia Chriſto perfectè ſubiicientur: ſenſus hic videtur eſſe. Deus Pater, miſſo ad homines liberandos filio ſuo, Eccleſiam, quam ipſe ſibi ſuo ſanguine comparauerat, regendam perficiendámque tradidit, à qua licet in cœlum ſublatus ſuam diui-

…nt.36 quæ … de theo. … Chryſ. … hoc loco.

…nt.36. quæ … de theo.

d c.7.10 & 18.

e cap. 4.

f Pſ. 109.

… de Trin.

h in Pſ. 31. & ſer. 3. de verb. Apoſt. & non ſemel aduerſ. Faust. Manic.

a de incarnat. verbi

b Caluin.

c cap. 2. 6.

nam prouidentiam non remouit, cum dixerit [a]. *Ecce vobiſcum ſum vſque ad conſummationē ſeculi:* quin potiùs quaſi optimus Rex eam ab hoſtium oppugnatione tutatur. Vbi verò cuncti mortales ad vitam fuerũt reuocati, quia nullum ab hoſtibus periculum, nullúmque præterea malum, aut incommodum metuendum erit, neque defenſore, neque patrono ampliùs opus erit. Quocirca Christus ſuæ curæ, ac patrocinio demandatũ regnũ patri reſtituet: tunc enim Eccleſia (vt ait Baſilius) ab omni labe purgata tota per ſe feretur in Deum, nullóque externo impulſore indigebit, nullóque imperio compelletur: cùm verò regnum Deo patri tradit non penitùs ab ſe abdicat, quemadmodum cùm à Patre accepit, non illi abſtulit. Cæterùm quod ait interpres, *ſine dubio*, græcè ſcriptum eſt δῆλον ὅτι; quaſi dicat palàm eſt, aut perſpicuum, & exploratum eſt excipiendum eſſe illum, qui omnia ei ſubiecit. Alludit autem Apoſtolus ad id, quod eſt apud Dauidem [b]. *Conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum: omnia ſubiecisti ſub pedibus eius.*

a Matth. vlt. 20.
b Pſal. 8. 7.

18. Cvm avtem svbiecta fverint illi, &c.
I. Ex his apparet quod paulò antè monui, nondum eſſe omnia perfectè Chriſto ſubiecta. Neceſſe eſt autem quod Gregorius [c] Nyſſenus, Hilarius [d], Hieronymus [e], & alij affirmant hæc de Chriſti humanitate accipere. Eleganter autem Auguſtinus [f]. *Chriſtus ait, in quantum Deus eſt cum illo nos ſubiectos habet: in quantum ſacerdos nobiſcum illi ſubiectus eſt.* Quoniam autem Apoſtolus ait Chriſtum patri ſubiiciendum, indicare videtur nunc non eſſe ſubiectum. Quod ne videatur abſurdum Origenes [g] hunc in modum explicat. *Non enim, inquit, putandum eſt, quod filius Dei nunc quidem patri nequaquam ſubiectus ſit, in nouiſſimis vero temporibus cum ſibi fuerint cuncta ſubiecta, tunc erit & ipſe ſubiectus. ſed quia omnia noſtra in ſe recipit, & ſe eſſe dicit qui in nobis eſuriat, ſeque qui in nobis ſitiat, & nudus ſit, atque æger, quique hoſpes, & qui retruſus in carcerem, & quicquid vni ex minimis ſuis factum fuerit, ſibi factum eſſe teſtatur, conſequenter & meritò cùm vnuſquiſque noſtrum plenè, & perfectè ſubditur Deo ita, vt in nullo prorſus inobediens pareat, ſe eſſe ſubiectum proteſtatur:* idque humani corporis exemplo confirmat. Eodem modo Paulum explicat Gregorius [h] Nazianzenus. *Nunc verò, inquit, ſed tamen qui indam cremus aduerſus Deum, infideles quidem cum eum abnegant, fideles autem dum affectibus ſuis inſeruiunt multi, etiamſi ſubiecti ſecundum hoc ſimus. Cùm verò alij quidem agnouerint quem nunc negant, alij vero tranſlati fuerimus ab affectibus in hac vita omnino, tunc dicetur filius eſſe ſubiectus, humanitatis enim perſonam ſubiens ſua facit quæ noſtra ſunt.* Eodem modo interpretantur Gregorius Nyſſenus, Cyrillus [i], Athanaſius [k], Auguſtinus [l], & Anſelmus, nec abhorret Theodoretus: cui interpretationi fauere videtur quod ſequitur. *Vt ſit Deus omnia in omnibus.*

c In ſer. de dicto in Apoſt.
d lib. 11. de Trinit.
e in epiſt. ad Principiam, & epiſt. ad Amandum.
f lib. 1. de Trin. cap. 8.
g Hom. 2. in Pſal. 36.
h apud Theophyl. & orat. 36.
i l. 3. theſau. c. 6. & lib. 12 cap. 6.
k lib. de Incarn. Chriſti circa finem.
l l. 83 quæſt. q. 61

II. Chryſoſtomus, & Theophylactus hanc filij ſubiectionem nihil aliud eſſe putant, quàm miram quandam Patris, ac filij cõſenſionem, qua filius ſe Deum quidem oſtendit, ſed à Patre genitum: vti verò Apoſtolum ſubiectionis nomine ex abundantia & hyperbole, ne quis fortè impiè ſuſpicaretur maiorem ineſſe filio, quàm Patri potentiam, quod non minus impium eſt cogitare, quàm ſi quis exiſtimet, Patrem eſſe filio maiorem. Quod non obſcurè inſinuat Ambroſius. *Tunc, inquit, & Chriſtus propter vniuocam auctoritatem Patris Deum quidem ſe oſtendet, ſed de Deo, vt vnius principij ſublimis, & ineffabilis auctoritas maneat.* Alij aliter explicant, vt indicant Hieronymiani commentarij, & Auguſtinus loco paulò antè adnotato, & Oecumenius. Ego primam illam Origenis, & Nazianzeni interpretationem libenter probarem, niſi me tautologia nonnihil offenderet: cùm enim dicat Apoſtolus. *Cùm autem ſubiecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe filius ſubiicietur ei,* idem aliis verbis videretur inculcare, ſi Chriſtus ſignificat myſticum Eccleſiæ corpus. Omnia enim Deo ſubiici, nihil eſt aliud, quàm omnes electos ad veri Dei cognitionem, gratiámque perduci, quod idem eſt Chriſtum, id eſt myſticum eius corpus Deo ſubdi. Chryſoſtomi, & aliorum interpretatio admittenda eſſet, ſi loqueretur Apoſtolus de Chriſti diuinitate, nunc autem dictum eſt agere de ipſius humanitate: qua ratione ne magnopere quidem videtur probanda interpretatio Ambroſij. Itaque exiſtimo Paulum loqui de perſona Chriſti, vt in humana natura ſubſiſtit. Dicit autem illum Deo ſubiiciendum, cùm ei omnia fuerint ſubiecta; idque propterea quod paulò antè dixerat, illum regnaturum donec ponat inimicos ſuos ſub pedibus eius, inſinuans regnum illud quod Chryſoſtomus vocat regnum coniunctionis, finem habiturum: neque enim tunc Chriſtus quemquam ampliùs ad fidem, aut gratiam adducet. Poſito igitur regno, tunc filius tamquam ſanctorum omnium caput Patri dicitur ſubiici, non quòd alia ratione ſubdendus ſit, quàm nunc Patri ſubiiciatur, ſed quòd regio veluti munere depoſito, illo quidem nomine priuatus aget. Photius interpretatur apparebit re vera filius patri ſubiectus, atque obediens, cuius voluntati perfectè paruerit, & Eccleſiæ regnum ab omni tyrannide, ac ſeditione liberum reddiderit. Vtraque explanatio huic loco congruens

III. conſequens eſt quod mox ſubditur. *Vt ſit Deus omnia in omnibus.* Quaſi dicat, vt vnicum ſit vnius Dei imperiũ, & monarchia. Ita videtur intellexiſſe Tertullianus [a], cùm ait: *Siquidem Apoſtolus ſcribit de vltimo fine cùm tradiderit regnũ Deo, & Patri; oportet eum regnare vſque dum ponat inimicos eius Deus ſub pedes ipſius: ſcilicet ſecundùm Pſalmum [b], ſede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Cùm autem ſubiecta erunt illi omnia, abſque eo qui ei ſubiecit omnia, tunc & ipſe ſubiicietur illi, qui ei ſubiecit omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus. Videmus igitur non obeſſe monarchiæ filium, etſi hodie apud filium eſt, quia & in ſuo ſtatu eſt apud filium, & cum ſuo ſtatu reſtituetur Patri à filio; ita eam nemo hoc nomine deſtruet ſi filium admittat, cui & traditam eam à Patre, & à quo quandoque reſtituendam Patri conſtat.* Videtur enim Tertullianus exiſtimare Chriſti regnum, de quo Paulus loquitur habiturum ipſa aliquando finem, atque ea ratione tradi, ac reſtitui quodammodò Patri, à quo Chriſtus acceperat. Tunc igitur erit Deus omnia in omnibus, quia omnes perfectè beabit, ac ſuis diuinis bonis explebit. Hieronymus [c] tamen. *Porro inquit, quod ait, vt ſit Deus omnia in omnibus, hoc ſenſu accipiendum eſt. Dominus, atque Saluator noſter nunc omnia non eſt in omnibus, ſed pars in ſingulis. verbi gratia, in Salomone ſapientia, in Dauid bonitas, in Iob patientia, in Daniele cognitio futurorum, in Petro fides, in Phinees, & Paulo zelus, in Ioanne virginitas, in cæteris cætera: cùm autem rerum omnium finis aduenerit, tunc omnia in omnibus erit, vt ſinguli ſanctorum omnes virtutes habeant, vt ſit Chriſtus totus in cunctis.* Quæ quamquàm verè dicuntur, propiùs tamen ad mentem Pauli videtur id, quod paulò antè diximus, quia omnes perfectiſſima quadam cognitione diuinam naturam contemplabuntur. Quod ſignificat Ambroſius cùm dicit. *Hoc eſt ſubiicere ſe filium patri, hoc eſt Deum eſſe omnia in omnibus, quia cùm diſcit omnis creatura caput ſuum eſſe Chriſtum, Chriſti autem caput Deum Patrem, omnia in omnibus eſt Deus pater, hoc eſt vt omnis creatura vnum ſentiat, vna voce omnis lingua cæleſtium,*

a Aduer. Prax. cap. 4.
b Pſal. 109.
c epiſt. 47.

ſtium, & terreſtium, & infernorũ confiteatur, vnum eſſe Deum,ex quo ſunt omnia. Obſeruat autem non dixiſſe Apoſtolum, vt ſit Deus io omnibus,ne intelligatur ſolùm eſſe per affectum,aut communem ſenſum;ſed dixiſſe, *omnia in omnibus*, vt doceat res omnes eſſe à Deo tamquam à conditore, & Deum in omnibus, quia in omnium confeſſione vnus erit Deus. Denique monet aliter filium ſubijci Patri, aliter res creatas filio,quod planiùs alio loco explico.

29.
I. ALIOQVI QVID FACIENT, QVI BAPTIZANTVR, &c. Aliam affert Paulus rationem ad probandam reſurrectionem mortuorum. Quam autem & quantam vim habeat non ſatis conſtat, ſiue quia verba ipſa per ſe ſunt valdè obſcura, ſiue quia in eorum verborum explicatione incredibilis eſt ſententiarum varietas. Sunt igitur qui exiſtiment alluſiſſe Paulum ad quorundam errorem, qui exiſtimabant, vita functos qui baptiſmo expiari non potuiſſent;eius tamen fructu, atque vtilitate nõ omnino priuari,ſi alij eorum loco baptiſmo expientur;atque ita verba Pauli interpretatur hoc loco Ambroſius. Meminit huius erroris Epiphanius [a], qui eum tribuit Cherinthianis, ſiue Merinthianis, quorum doctrina in Aſia,immò etiam & in Galatia valdè viguit;de quibus ait. *Etiam ex traditione res quadam ad nos deuenit, quod quidam apud ipſos de vita deceſſerunt morte praeoccupati citra baptiſma: alij verò pro ipſis in nomen ipſorum baptizentur, vt ne vbi reſurrexerint illi in reſurrectione pœnas dent, eo quòd non acceperunt baptiſma, & ſubditi fiant poteſtati, quæ mundum fecit.* Meminit & huius erroris Chryſoſtomus,eúmque tribuit Marcioni: quod etiam facit Theophylactus,cùm tamen neque Tertullianus,neque Irenæus, neque Epiphanius, neque Euſebius, neque Theodoretus, qui Marcionis errores recenſent quidquam ſimile ei tribuant. non me fugit ſcripſiſſe quoſdam recentiores,conſueuiſſe Marcionitas quoties aliquis nõ baptizatus diem ſuum obiret, ſub defuncti lectulo quempiam abdere, qui Marcionitis circumſtantibus,quærẽtibúſque à mortuo vellét-ne baptizari,reſpondere volo,quem propterea pro defuncto baptizarẽt,ſuam hanc ridiculam ſtrophã hoc Apoſtoli teſtimonio defendentes. Sed vnde hoc hauſerint me quidem latet. Nam Damaſcenus Marcionitas ait negare reſurrectionem,apud illos tamen alios pro mortuis, & iis qui ſacris fidei initiantur baptizari, vt appareat illos nihil de reſurrectione cogitaſſe,nec verba Pauli ad eorum errorem pertinere. Quod ipſum dixerim,etiamſi (vt vult Philaſter) hic error tribuatur Montano, qui annis fermè centum poſt obitum Pauli extitit. Cæterùm Ambroſius, & Anſelmus, alíque nonnulli, qui hanc interpretationem probant, non exiſtimant Paulum hanc ſententiam, ſeu potiùs amentiam ſuo ſuffragio confirmaſſe, ſed voluiſſe tantùm etiam ex hoc errore reſurrectionem probare. Et quidem ſi hic error primùm à Marcione, aut (vt alij volunt) à Montano excogitatus eſt, ne potuit quidem is error ætate Apoſtoli vigere; ſin autem (quod ait Epiphanius) Cherinthianorum error fuit, falluntur magnopere ij qui negant, potuiſſe Apoſtolum eum errorem confutare, cùm dicat Epiphanius [b] eum vixiſſe vnà cum Apoſtolis, & Petro, ac Paulo non ſemel obſtitiſſe. Sed vtut ſit,nullo modo veriſimile eſt ad hũc errorem reſpexiſſe Paulũ,quia argumentatio valdè eſſet infirma;facilè enim reſpondere poſſent Corinthij,æquè illos errare in reſurrectione, vt in baptiſmo pro defunctis. Videtur tamen Tertullianus huic argumẽto nõnullam tribuere vim;ſic enim alicubi [c] ſcribit. *Si autẽ & baptizantur quidã pro mortuis, videbimus an ratione. Certè illa præſumptione hoc*

a Hær.28.
b Hær.28.
c De reſurr. carnis c.48

A *eos inſtituiſſe contendit, qua alij etiam carni vicariũ baptiſma profuturum exiſtimarent ad ſpem reſurrectionis, quæ niſi corporalis, non aliàs ſic baptiſmate corporali obligaretur. quid & ipſos baptizari ait, ſi non quæ baptizantur corpora reſurgunt? Anima enim non lauatione, ſed reſponſione ſancitur.* Quo loco ſatis apertè indicat, alluſiſſe Apoſtolum ad hunc errorem. quod etiam alibi [a] non obſcurè indicat. *Quid*, ait, *facient qui pro mortuis baptizantur, ſi mortui non reſurgunt? Viderit inſtitutio iſta, calendæ ſi fortè Februariæ reſpondebũt illi pro mortuis petere. Noli ergo Apoſtolum nouum ſtatim auctorem, aut confirmatorem eum denotare, vt tanto magis ſiſteret carnis reſurrectionem, quanto illi qui vanè pro mortuis baptizarentur fide reſurrectionis hoc facerent.* Et paulò pòſt. *Igitur & pro mortuis tingui, pro*
B *corporibus eſt tingui.* Inſinuat autem hunc errorem irrepſiſſe ex priſtino Romanorum vſu, quo calendis Februariis ſacris quibuſdam per ignem luſtrabantur, cuius ritus meminit B. Chryſoſtomus [b], & Beda alicubi [c] ſcribit, inde ductam eſſe ardentium cereorum cæremoniam,qua in feriis purificatæ Virginis fideles vti conſueuerunt. De Romana verò conſuetudine multa Feſtus,Plinius,Ouidius [d]. B. autem Auguſtinus [e]. *Terminalia*, inquit, *eodem menſe Februario celebrari dicunt, cùm ſit ſacrum purgatorium, quod vocant februum, vnde menſis nomen accepit.* Et alibi [f]. *Ianuarius a Iano appellatus eſt, Februarius, à februis ſacris Lupercorum.* Non longè ab hac interpretatione recedunt ij, qui apud Epiphanium hunc in modum Paulum explicabant,quorum ſententiam &
C ille probat,& poſtmodum ſequutus eſt Beda. *Cæterùm*, inquit, *alij rectè hoc dictum interpretantes dicunt, quòd morti vicini,ſi fuerint in pietatis doctrina inſtructi, ob hanc ſpem ante obitum lauacro digni ſiunt, oſtendentes quòd qui mortuus eſt etiam reſurget; & ob id indiget remiſſione peccatorum per lauacrũ.* Loquitur enim de Clinicis, qui in lecto olim morti proximi baptizabantur,quos feſtiuè Cyprianus [g] opponit Peripateticis, quòd hi ambulent; Clinici verò lecto affixi hæreant. Sed cùm hoc æquè impium, ac ſuperſtitioſum ſit, nullo modo exiſtimandum eſt id hoc loco indicari, ne id videatur Apoſtolus ſua auctoritate confirmare; neque enim inde ille argumentum ſumeret,neque inſtitutum valdè appoſitè confirmaret.
D Sunt igitur [h] qui neglecta proprietate verborum, pro mortuis baptizari nihil eſſe putant aliud, quàm ad expianda peccata baptiſmo luſtrari, vt mortuorum nomine peccata ſignificentur; ſed hoc apertè cum Pauli verbis pugnare videtur,qui ſtatim addit, *Si mortui non reſurgunt*: illos profectò mortuos intelligit ad vitam reuocari,pro quibus alios baptizari dixerat. Quis verò id niſi ineptè de peccatis explicet? Adde quòd nulla eſt argumentationis vis. Quid enim momenti habet ad mortuorum anaſtaſim probandam ſcelerum expiatio,quæ baptiſmo perficitur? Denique, vt fateamur peccata dici mortua, numquam profectò illa hoc nomine digna ſunt, niſi vbi pœnitentia vel ſacramento deleta ſunt. At qui pro peccatis baptizantur, non id faciunt pro peccatis iam deletis, ſed vt deleantur:atque hac ratione in-
E terpretor Chryſoſtomũ, qui ait pro mortuis baptizari, eſſe baptizari pro animabus magis peccato mortuis, & extinctis: qui ſenſus (vt apparet) myſticus potiùs eſt,quàm litteralis. Fuerunt qui exiſtimarent, reſpicere Paulum ad veteris Teſtamenti baptiſmata; legitur enim io libro Numerorum [i], eos qui cadauer attigiſſent,ritu ſolemni aquæ aſperſione luſtrandos eſſe: quòd ſi qui antequàm luſtrarentur diem ſuum obiiſſent,qui ſuperſtites erant pro iis expiandis luſtrabantur,quod non obſcurè ſignificant Ephræm [k] Syrus, & Euſtratius [l] presbyter Conſtantinopolitanus.

a lib. 5 in Marcion. cap. 10.
b Homil. de Calend.
c lib. de tempor. Item Albinus lib. de eccl. off. Amalarius lib. 3 de eccleſ. off. ca. 43 Rabanus de inſtit. cler. c. 33 Iuo Carnot. Serm. de purificatione. Rupertus l. 3. de diu. off. c. 25. Rationale diu. l. 6
d lib. 2. Faſtorum.
e lib. 7 de Ciuit. cap. 7.
f lib. 18. cont. Fauſtum ca. 5.
II.
g lib. 4 ep. 7.
III.
h Sedul. & D. Thom.
i cap. 19. 23.
k Serm. de [illegible] de morte ſua
l lib. de animab. [illegible] de [illegible] pœſt mort.

nus. Sed vt concedamus quod negari non poteſt, A potuiſſe in veteri Teſtamento, eos qui vita functi eſſent precibus, & ſacrificiis ſubleuari; non tamen facilè admiſerim, id pertinere ad ſordes illas, quæ ex cadauerum contactu contrahebantur. Quocirca commemoratio baptiſmi nihil habet commune cum illis ſacrificiis, quæ pro mortuis offerebantur. Quòd ſi argumentetur Paulus ab ea ſollicitudine, qua mortuorum corpora humantur, & animæ piorum ſuffragiis iuuantur, haberet quidem argumentum vim non exiguam; nomen tamen baptiſmi valdè impropriè vſurparetur, vt fateri omnino ſit neceſſe, hanc Pauli explicationem prorſus eſſe coactam, & violentam. Fuerunt qui opinarentur ſimpliciter de baptiſmo Christi hæc verba accipienda eſſe: baptizari autem pro mortuis fideles ideo dici, quia in B baptiſmo fidei ſymbolum recitant, in quo aperta profeſſio reſurrectionis mortuorũ continetur; quaſi baptizari pro mortuis idem ſit, quod pro ſpe reſurrectionis ablui baptiſmo. Ita Chryſoſtomus, Oecumenius, Theophylactus: auctores huius ſententiæ ipſi per ſe magnopere probandi ſunt; ſententia non item: vix enim verbis Pauli aptari poteſt, nemo quippe fidelium non hac ratione baptizatur. Indicat autem Apoſtolus aliquos duntaxat eſſe, qui pro mortuis baptizentur. Deinde valdè videtur abſurdum mortuorum nomine ſpem reſurrectionis ſignificari: accedit quòd ineptè diceremus, fideles baptizari pro Patre, Filio, aut Spiritu ſancto, aut etiã pro Eccleſia, cùm non minùs hi omnes articuli, quàm articulus reſurrectionis in Symbolo contineantur. Cur ergo C illa negentur, hoc admittatur? Poſtremò veroſimile omnino videtur, mortuorum nomine homines vita functos ſignificari, quos ait ad vitam reuocandos.

IV. Theodoretus de baptiſmo quidem Christi interpretatur, quem pro mortuis ſuſcipi dicit, quòd morientis, ac reſurgentis ſpeciem quamdam referat. *Qui baptizatur*, inquit, *Domino conſepelitur, vt cùm mortis fuerit particeps, ſit etiam particeps reſurrectionis: ſin autem corpus non reſurgit, cur etiam baptizatur?* Fauet Apoſtolus ipſe ad Romanos. *Quotquot baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus; conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum.* Sequũtur hanc ſententiam Photius; & recentiores nonnulli; baptiſmus enim ſpe reſurrectionis nititur, & eius quaſi ſpeciem quamdam præſefert. Fateor vi- D deri hanc interpretationem, ſi referatur ad verba paulò duriorem; cùm enim dicat Paulus baptizari pro mortuis, non facilè quiſquam admiſerit eum, qui pro mortuis interpretetur illum baptizari, qui reſurrectionem mortuorum aliquo modo repræſentet; alioqui ſimpliciſſima, atque expeditiſſima eſſet ſententia. Poſtremò igitur quoniam propria baptiſmi ſignificatio nullam admittit congruentem interpretationem, ad metaphoricam alij confugiunt, & baptiſmi nomine ſupplicia, res aduerſas, ipſam denique mortem interpretantur. Mortem enim, ac dira ſupplicia appellari baptiſmum & ſacræ litteræ indicant, & ratio vnde ſumpta eſt metaphora, apertè docet. Chriſtus enim apud Marcum [a]: *Poteſtis*, inquit, *bibere calicem, quem ego bibiturus ſum, & baptiſmo, quo* E *ego baptizor, baptizari?* Et apud Lucam [b]. *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodò coarctor, donec perficiam?* Quæ de ſuis cruciatibus, & nece accipienda eſſe omnes auctores affirmant, præcipuè Tertullianus [c], Cyprianus [d], Philaſtrius [e]. Solet enim aqua cruciatum ac mortem ſignificare, vt Dauid [f]. *Tranſiuimus per ignem, & aquam.* Et alibi [g]. *Qui deſcendunt mare in nauibus facientes operationem in aquis multis, ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo. Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ, & exaltati ſunt fluctus eius.*

a cap. 10. 39.
b cap. 12. 50.
c lib. de baptiſ.
d ep. ad Iubaian.
e contra Nouatian.
f Pſal. 65. 12.
g Pſal. 106. 23.

A *Aſcendunt vſque ad cælos, & deſcendunt vſque ad abyſſos, anima eorum in malis tabeſcebat.* Quibus verbis aquarum periculum aptiſſimè deſcribitur; nullum enim certius mortis diſcrimen eſt, quàm cum fluctibus iactamur: ferrum ferro, vim vi vtcumque repellimus, incendium fuga euadimus; contra tumentes aquarum vertices eluctari difficile, ac laborioſum eſt: ideo baptizari, quod eſt aquis mergi, pro ac mori rectè ad ſupplicia, & mortem ſignificandam transfertur. Qua ratione pœnitentia, quæ lacrymas, & corporis vexationem vt plurimùm annexam habet baptiſmus lacrymarum appellari ſolet, vt Cyprianus [a], Athanaſius [b], Baſilius [c], & Gregorius [d] Nazianzenus affirmant. Ita vis argumenti hac admiſſa interpretatione aliter, atque aliter explicatur. Sunt B enim qui [e] putent Paulum hac ratione argumentari. Si mortui non reſurgunt, cur tam multi pro fide reſurrectionis dira ſupplicia ſubeunt, & mortem ipſam fortiter oppetunt? Vt baptizari pro mortuis ſit pro aſſerenda reſurrectione extrema quæque tolerare. Sic enim in Actis Apoſtolicis [f] de ſe ipſo loquitur Paulus. *De ſpe, & reſurrectione mortuorum ego iudicor.* Rurſus [g]. *quoniam de reſurrectione mortuorũ ego iudicor hodie à vobis.* Fauet huic interpretationi quod mox ſubiicit Apoſtolus: *vt quid & nos periclitamur omni hora? Quotidie morior*, &c. Verùm de vi argu- V. menti magnoperè dubito; facilè enim reſponderent Corinthij, eos inſanire, qui pro falſo dogmate mortem oppeterent. Alij referũt ad corporis vexationes, vt ieiunia, & id genus alia, quibus plerique corpus C vexãt, vt à purgatoriis pœnis mortuos liberent: perinde quaſi ita colligat Apoſtolus; quid facient qui orant, gemunt, ſeſe ieiuniis macerant pro mortuis, ſi illi non reſurgunt? Atque hæc quidem ſententia multis vehementer probatur, non ſolùm quia (vt dictum eſt, ſupplicia, & quæ moleſta tolerantur in vita, baptiſmi nomine cenſentur, ſed etiam quia ipſa purgatorij ſupplicia baptiſmi nomine ſignificantur. Quod enim legimus apud Matthæum [h]. *Ipſe baptizabit in Spiritu ſancto, & igni*, Baſilius [i], Gregorius [k] Nazianzenus, Hieronymus [l], & Beda [m] de igne purgatorio explicant. Sed aduerſus hanc explicationem eadem fermè obiici poſſunt, quæ contra ſuperiorem; nam diceret fortaſſe quiſpiam, eos errare, vt etiam errant hæretici, qui pro falſo atque impio dogmate D non pauca patiuntur incommoda. Quoniam autem vniuerſim loquitur Apoſtolus, & conſuetudinem attingit etiam apud Hebræos receptam, & à primis vſque temporibus ductam non facilè videtur contemnenda. Accedit quòd ſuo, cæterorúmque Apoſtolorum exemplo rem confirmat; addit enim. *Vt quid nos periclitamur tota die.* At enim non ſatis idoneè mortuorum reſurrectio hoc argumento probatur; poſſunt enim mortuorum animæ purgatoriis pœnis leuari, etiamſi nulla ſit futura reſurrectio. Sed quod paulò antè monui, auctor librorum Machabæorum [n], & Chriſtus [o] ipſe ex animorum immortalitate reſurrectionem colligunt. Quamobrem huic poſtremæ ſententiæ acquieſcendum videtur, vt pro mortuis baptizari ſit, ad eos ſubleuandos nonnihil laboris ſuſ- E cipere, & moleſtiæ ſubire. Atque ita fatendum eſt, potuiſſe Apoſtolum etiam in prima perſona loqui, & dicere quid pro mortuis baptizamur, aut etiam apertiùs, quid pro mortuis ſolliciti ſumus, próque eorum expiatione, aut oramus, aut ieiunamus, aut eleemoſynas elargimur? Quorſum enim hæc tam ſtudioſè, ſedulóque à fidelibus vſurpentur, ſi nihil illis proſunt; aut ſi proſunt quidem, ſunt profectò mortuorum animæ ſuperſtites, atque adeò aliquando denuò aſſumptis corporibus reuiuiſcent. Itaque rectè Apoſtolus mortuorum reſurrectionem probat, & (quod hæc

a Ser. de Cœna Domini.
b Q. 114. ad Antioch.
c lib. de Spiritu ſanct. c. 15.
d Orat. 40.
e Caietan. in hunc locum Pauli.
f cap. 23. 6.
g cap. 24. 21.
h cap. 3. 11.
i de Spiritu ſanct. cap. 15.
k Orat. 39. quæ eſt de Epiph.
l Matt. 3.
m Luc. 3.
n lib. 2. cap. 12. 43.
o Matt. 22. 31.

hæretici negant) aliquem locum eſſe apertiſſimè in- A
dicat, in quo vita functi purgatoriis pœnis expien-
tur. Quæ cùm ita ſint, meritò Apoſtolus hoc argu-
mentum vrget, & cùm dixiſſet quid facient qui ba-
ptizantur pro mortuis, ruſus addit. *Vt quid & bapti-*
zantur pro illis? vt ſi argumentatio Apoſtolica ad diale-
cticam formam reuocanda ſit, ita paucis concluden-
da videatur. ſi vnà cum corporibus etiam animi inte-
reunt, quid opus eſt pro mortuorum expiatione la-
borare? quis enim non videat id prorſus ineptum, ac
ſtultum fore? Quòd ſi non ſolùm Hebræi, ſed etiam
Chriſticultores magna cum laude ad expiandos vita
functos, & preces fundunt, & ſacrificia offerunt, &
ſeſe inedia, ieiunióque conficiunt; fateri profectò
neceſſe eſt, hominum animas eſſe immortales, atque
adeo ne perpetuò corporibus deſtituantur mortuo- B
rum anaſtaſim expectandam eſſe.

30. Vt quid et nos periclitamur om-
1. ni hora? &c. Nouum argumentum eſt ſuperiori
perſimile. Quorſum, inquit, nos: id eſt Apoſtoli, vi-
rique apoſtolici tam multis periculis vltrò quotidie
obiicimur? Chryſoſtomus, & Theophylactus, quia
ſuperiorem argumentationem de iis explicant,
qui reſurrectionem mortuorum in baptiſmo profi-
tentur, hoc loco aiunt poſt argumentum deductum à
verbis, addi aliud à rebus ipſis petitum. *Illi*, inquiunt,
voce reſurrectionem profitentur, nos verò rebus ipſis, qui
quotidie vt mortuorum reſurrectionem perſuadeamus, in-
gentia pericula ſubimus. Vt enim monet Ambroſius.
Niſi ſperanda eſſet futura reſurrectio, prorſus temerè, ac di-
tam ſtultè, tam multa diſcrimina adirent Apoſtoli, & qui C
promulgando Euangelio dant operam. Porrò Ambroſius
ipſe, & Anſelmus, qui ſuperiora referunt ad hæreti-
corum errorem, hoc loco Catholicos ab hæreticis
diſtingui putant. Quaſi dicat Apoſtolus. Stultè illi
pro mortuis baptizantur, corporum reſurrectionem
expectantes: at nos diuina ſapientia præditi, & ſpe
reſurrectionis imbuti iure optimo quotidie capitis
diſcrimen ſubimus: ita obſeruant coniunctionem, *Et*,
energiam magnam habere: quippe quæ prudentem
Catholicorum ſollicitudinem ab improuida hæreti-
corum temeritate ſecernat. Sed quoniam hæc omnia
à nobis reiecta ſunt, dicendum videtur quod vniuer-
ſim de omnibus Chriſtianis dixerat Apoſtolus, id pri-
uatim ſibi ſuiſque ſimilibus accommodare. Omnes,
inquit, Chriſti fideles ſpe reſurrectionis erecti & D
confirmati, mortuorum cauſa laborant: nos verò
Apoſtoli eadem ſpe inflammati nullum recuſamus
laborem, nullum periculum formidamus. Particula
autem, *Et*, magnam procuIdubio vim habet, quaſi di-
cat. Et nos qui cæterorum magiſtri ſumus, qui cun-
ctis prælucemus exemplo, qui diuinorum myſterio-
rum ſcientiam diuinitùs accepimus, ſtultè profectò
tã multa diſcrimina pro re inani, aut falſa adiremus.
Periclitamur, ait, *omni hora*, quod procuIdubio hyper-
bolem continet, quæ argumenti vim magnoperè au-
get: nam ſemel, aut iterum periculum aliquod ſubire
quiuis etiam temerè, & quaſi animi cauſa poteſt: at
nemo prudens perpetuò velit in vitæ diſcrimine
verſari. Apoſtoli autem omni hora, hoc eſt ſingulis
fermè momentis in vitæ diſcrimine verſabantur: nec E
ſpectabant opes, aut honores humanos, cùm potiùs
probris, & contumeliis afficerentur: ſed vnam dun-
taxat immortalitatem, & beatam illã vitam, quæ poſt
mortuorum anaſtaſim omnibus electis tribuenda eſt.

31. Quotidie morior per veſtram glo-
1. riam, &c. Quod vniuerſim de omnibus Apoſtolis
dixerat, de ſeipſo nominatim affirmat. *Quotidie*, in-
quit, *morior*, hoc eſt morti obnoxius dego, eóſque la-
bores, ac moleſtias perfero, quæ ipſam propè mor-
tẽ allaturæ videntur. Quod addit, *Per veſtram gloriam*,
paulò aliter legitur in Græcis codicibus, νὴ τὴν ἡμετέ- A
ραν καύχησιν, hoc eſt per noſtrã gloriationem. Chryſo-
ſtomus, & Theophylactus legiſſe videntur ὑμετέραν,
id eſt veſtram, referúntque ad euangelicæ doctrinæ,
& gratiæ promotionem. Ita etiam legiſſe videntur
Ambroſius, cæteríque Latini. Theodoretus legit ἡμε-
τέραν, id eſt noſtram: ita enim habet. *Gloriationẽ autem*
ſuam, eorum fidem vocauit. Videtur autem, ſi Græci co-
dices conſulantur, iuriſiurandi quædam forma: vtro-
uis autem modo legas, eadem ſententia conſtat. *Per*
veſtram, inquit, *gloriam*, hoc eſt per iſtam veſtram
Chriſtianam religionem, ac pietatem, quam profite-
mini, & in qua meritò gloriari poteſtis (Græca enim
vox καύχησις, gloriationem magis, quàm gloriam ſo-
nat) vt per gloriationem noſtrã, ærumnas videlicet,
B & calamitates, quas apud vos pertulĩ, vt vos in euan-
gelica doctrina erudirem, & Chriſtiana pietate infor-
marem. Vtramque interpretationem in paraphraſi
indicaui. Subdit Apoſtolus. *Quam habeo in Chriſto Ieſu*
Domino noſtro. Quæ verba magnopere fauent Græ-
cis codicibus, quaſi dicat per eam gloriationem, qua
poſſum in Chriſto Ieſu gloriari. Quanquam etiam
vulgatæ lectioni aptari poſſunt, vt ſit ſenſus: per ve-
ſtram gloriationem, hoc eſt fidem, & conſtantiam,
quam habeo, veluti ſegetem, ac materiam cœleſtis
præmij, quod ab immortali Deo expecto. Ita Anſel-
mus: *Per gloriam*, inquit, *quam acquiſitione veſtræ ſalu-*
tis ita ſum certus in Chriſto me habiturum, ac ſi iam tene-
rem illam. Per eam igitur diceret Apoſtolus, ſe pro-
pter ſpem reſurrectionis quotidie mori (ita vt mo-
C net Ambroſius) ſollicitudinem ſuam indicat, quam
de illorum ſalute gerebat: idque propter ſpem im-
mortalitatis, ac ſempiternæ vitæ. Citat hunc locum
non ſemel Auguſtinus [a], oſtenditque Paulum hoc lo- [a] Epiſt. 19. & ſerm. 28. de verb. Apoſtol.
co iureiurando affirmare: quod etiam teſtatur An-
ſelmus, qui id ait Corinthiorum imbecillitati tribuẽ-
dum videri. Theophylactus tamen legiſſe videtur.
Propter veſtram gloriam: quomodo dubitant Græca
ſcholia an legendum ſit, vt ſit ſenſus: propter veſtram
gloriam, hoc eſt veſtram fidẽ, qua in Domino gloriari
poteſtis, quámque ego mihi communẽ duco, quoti-
die morior. Hieronymus alicubi legit. *Propter veſtrã*
ſalutem: dubito memoriæ ne lapſu, an librariorum
errore: ſed Græci codices omnino poſtulant iuriſiu-
randi formam, vt in paraphraſi expreſſimus.

D Si secundum hominem ad beſtias, 32.
&c. Perſiſtit in eodem argumento, & attingit ali- 1.
quam ſuam peculiarem actionem Corinthiis notam.
Quid autem præcipuè indicet haud ſatis conſtat. *Ad*
beſtias, inquit, *pugnaui Epheſi.* græcè ἐθηριομάχησα. Et
quidem Paulum Epheſi damnatum ad beſtias, indi-
cant hoc loco Ambroſius, & Theodoretus. Id fuſiùs
explicat Nicephorus [b] ex quibuſdam Pauli actis; [b] lib. 2. hiſto. cap. 15.
quæ alicubi ab Origine [c] laudantur. At Chryſoſto- [c] lib. 1. Periar. cap. 2.
mus [d], Theophylactus, Anſelmus, & alij de ærum- [d] Tum hic, tu homil. 40 in Acta Apoſt.
nis, quas paſſus eſt Apoſtolus à perditis hominibus
hæc interpretantur, & præſertim de illis, quæ com-
memorãtur à Luca [e], ob tumultum excitatum Ephe- [e] Act. 19. 21.
ſi à Iudæis, & Demetrio argentario. Ita etiam locum
explicat Tertullianus [f]. *Quotidie morior*, inquit, *vti-* [f] de reſur. car. cap. 48.
E *que periculis carnis, per quã & depugnauit ad beſtias Ephe-* [g] Epiſt. 2. c. 1.
ſi, illas ſcilicet beſtias Aſiaticæ preſſuræ, de qua in ſecunda [g]
ad eoſdem. Nolumus enim vos ignorare, fratres, de preſſura
noſtra apud Aſiam, quòd ſuper quam grauati ſumus ſupra
vires, vt de vita hæſitaremus. Omnia hæc, niſi fallor enu-
merat, vt nolens vanam credi carnis conflictationem, indu-
bitatè velit credi carnis reſurrectionem: vana enim ha-
benda eſt conflictatio eius, cuius nulla erit reſurrectio. Ita-
que nullo modo exiſtimandum eſt quod Nicepho-
rus ex apocryphis narrat, Paulum ad beſtias fuiſſe
damnatum; tum quia aliud eſt pugnare ad beſtias,
quod

quod hoc loco commemorat Apoſtolus; alind ad A beſtias damnari. Qui enim cum beſtiis pugnabant, armati in arenam prodibant, vt virtute, ac robore ſuo freti euaderent, ſi poſſent, quin & nonnulli beſtiarij vocati ad eam pugnam non aliter ac gladiatores inſtituebantur, quales plurimi Romæ viſebantur: qui piſcarij, ac denique rudem accipere, ac liberari ſolebant, & cæteris gladiatoribus præfici.

a lib. de ſpect. Ita Tertullianus [a]. *Gladiatori atroci petat rudem, & pileum præmium conferat.* Qui verò ad beſtias damnabantur, nudi obiiciebantur feris, non vt pugnarent, ſed vt laniarentur, quod pluribus martyribus contigiſſe in amphitheatro Romano, veterum monimenta tradiderunt. *b Epiſt. 11. ad Epheſios.* Hac ratione Ignatins [b] de ſe ipſo ad beſtias damnato: *vt merear*, inquit, *Romæ cum beſtiis dimicare.* Vtrumque certè ſupplicij genus erat, quo B tamen infimæ tantùm conditionis homines damnari conſueuerant, vt etiam in iure [c] ciuili licet obſeruari. *c l. 3. ff. ad leg. Corneliā de ſicar.* Nec vetiſimile eſt, Paulum, qui aliàs exceptione Romanæ ciuitatis flagella vitauerat, paſſurum ſe tam indignè ad beſtias damnari. Igitur beſtias immanes, & barbaros homines vocat, qui alibi [d] Neronem leonem appellat: & Ignatius [e] milites leopardos nominat: & Chriſtus [f] ipſe Neronem vulpem vocat. *d 2. ad Tim. 4. 17. e Epiſt. 11. ad Epheſios f Lucæ 13. 32.* Verùm de quibus ærumnis potiſſimùm agat, maior quæſtio. Nam ad Demetrij ſeditionem, de qua Lucas [g], quod Theophylactus, Anſelmus, & plerique alij exiſtimant, pertinere vix poteſt; *g Act. 19. 23.* cùm enim hanc epiſtolam Epheſi ſcripſerit, diùque poſtea in ea vrbe hæſerit, nondum illæ Demetrianæ turbæ excitatæ erant: etenim (vt auctor eſt Lucas) ſtatim poſt C illam procellam ac turbinem, Epheſo diſceſſit. In hac autem Epiſtola [h] ait, *Permanebo autem Epheſi vſque ad Pentecoſtem: oſtium enim mihi apertum eſt magnum, & euidens, & aduerſarij multi.* *h c. ſequen. 8* Poſt illum autem tumultum Epheſinum ſtatim abiit Paulus in Macedoniam, quò ſe profecturum hac Epiſtola pollicetur. *Veniam autem*, inquit, *ad vos cùm Macedoniam pertranſiero; nam Macedoniam pertranſibo.* Refertem equidem ad contentiones illas cum Iudæis, cum exorciſtis ac filiis Sceuæ, de quibus eodem loco Lucas. Quocirca mirari ſatis non poſſum, viros alioqui doctiſſimos Nicephori fabulis permotos exiſtimaſſe verè Paulum cum beſtiis depugnaſſe: cùm tamen tenera Chriſtiani non armati producerentur in arenam, vt cum beſtiis pugnarent, ſed nudi potiùs D laniandi leonibus obiicerentur, vt prouerbij loco circumferretur, vt ait Tertullianus [i], *Chriſtianos ad leonem.* *i in Apolog.* Id Beato Ignatio, & Virginibus Theclæ, & Priſcæ accidiſſe legimus, ex quibus ille laniatus eſt; hæ verò illæſæ, atque incolumes euaſerunt. Certè haud facilè credi poteſt rem tam inſignem à Luca prætermiſſam, nec ab ipſo Paulo indicatam, qui tuarum ærumnarum catalogum alicubi [k] texit. *k 2. ad Corin. 11. 24.* Sed cur dicat Apoſtolus: *ſi ſecundùm hominem ad beſtias pugnaui Epheſi*, meritò quæritur. Ambroſius ſecundùm humanum ſenſum interpretatur, quaſi dicat: ſi humano tantùm conſilio ductus, nihil de reſurrectione cogitans, tanto me periculo obieci, quem fructum, aut vtilitatem tantæ temeritatis cepi? Anſelmus: ſi ſecundùm humanum ſenſum intelligit prudenter, & E ſapienti conſilio, quaſi dicat: ſi non ſtultè, ſed prudenti conſilio me beſtiis obieci, quid inde vtilitatis capio, ſi mortui non reſurgunt? Alij prorſùs, vt arbitror, ineptè perinde accipiunt, quaſi dicat: ſi id feci inanis gloriæ ſtudio, & cupiditate; nam ſi ad auram popularem captandam tantum ſubiiſſet diſcrimen, ſiue reſurrectionem futuram ſperaret, ſiue ſecus: non modò nullum perciperet inde fructum, ſed etiam non leui ſeſe piaculo inquinaret. Malim cum Theodoreto hæc verba in hunc ſenſum accipere, quaſi Paulus mollire velit quod mox de pugna cum beſtiis dicturus eſt: *ſi ſecundùm hominem*, hoc eſt, vt humano more loquar, & homines feros, atque immanes beſtiis comparem. Ita autem ait Theodoretus, *ſi humana quidem ſpectetur conſideratio, à beſtiis deuoratus ſum.* Idipſum indicauerat Chryſoſtomus, quem ad verbum ſequitur Theophylactus. *Quid eſt*, inquit ille, *ſi ſecundùm hominem? Quod ad homines quidem attinet, pugnaui cum beſtiis: quaſi dicat, ſi hominum iudicio ſpectanda ſint ea, quæ Epheſi perpeſſus ſum, videri poſſum cum beſtiis depugnaſſe*; vt vel hinc appareat noluiſſe Apoſtolum dicere, ſe verè pugnaſſe cum beſtiis, aut ad beſtias fuiſſe damnatum. Sunt qui ἐθηριομάχησα interpretentur, beſtiarum more ad extremum vſque pugnaui pro Euangelij promulgatione: ſed eius verbi ſignificatio ſuſpecta mihi eſt, cum auctoritate, vel teſtimonio careat. Quod ſequitur: *ſi mortui non reſurgunt*, Græci codices, qui nunc habentur in manibus, cum ſuperioribus coniungunt, adhibita hoc loco interrogationis nota. III. At Chryſoſtomus connectit eum ſequentibus hunc in modum. *Si mortui non reſurgunt, comedamus, & bibamus; cras enim moriemur.* Cum vulgatis codicibus conſentit Theodoretus, itémque Ambroſius, Hieronymus, Anſelmus, cæterique Latini. Chryſoſtomo ſubſcribit Theophylactus; & quanquam quod attinet ad ſententiam nihil prorſùs refert vtro modo diſtinguas: vulgata tamen lectio maiorem quandam vehementiam, & acrimoniam habet, & maiorem vim addit argumento. Si duriſſima quæque, inquit, pertuli, quid porrò inde vtilitatis capio, ſi mortui non reſurgunt? Tum ſubiectionis loco ſubditur. *Manducemus, & bibamus; cras enim moriemur*: quaſi dicat; nulla prorſus inde vtilitas oritur: proinde rectè illud vſurpari poteſt. *Manducemus, & bibamus* &c. Quæ vox eſt diffidentium ac deſperantium de promiſſis Dei, qualis erat illorum oratio apud Salomonem [a]. *a Sap. 2. 6.* *Venite ergo*, inquit, *& fruamur bonis, quæ ſunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter: vino pretioſo, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos tēporis: coronemus nos roſis antequàm marceſcant: nullū pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra: nemo noſtrū exors ſit luxuriæ noſtræ: vbique relinquamus ſigna lætitiæ, quoniā hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors noſtra.* Deſumpta ſunt autē hæc Apoſtoli verba ex Iſaiæ [b] vaticiniis. *b c. 22. 13.* *Et ecce*, inquit, *gaudiū, & lætitia occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Quibus conſentiunt & illa apud eundem [c] Prophetam. *c c. 56. 12.* *Venite, ſumamus vinum, & impleamur ebrietate, & erit ſicut hodie, ſic & cras multò ampliùs.* Quæ, vt ait Ambroſius, dicta ſunt à Propheta propter eos, qui quaſi nihil futurum eſſet poſt mortem, ventri tantùm ſtudebant: quibus ſimiles ait fuiſſe illos, qui Corinthios ſeducebant. Certè Chryſoſtomus, & Theophylactus tacitè exiſtimant, eos perſtringi, qui reſurrectionem non admitterent, quaſi iidem animorum immortalitatem, & futuram vitam perhiberent: hæc enim (vt ſæpè iam dixi) ita inter ſe nexa videntur, vt qui alterum tollat, vtrumque impugnet. Cæterùm quod ait interpres: *Moriemur*, græcè eſt præſenti tempore ἀποθνήσκομεν, hoc eſt morimur, quod quidam putant prouerbium fuiſſe Laconicum. Illud profectò Epicureorum circumfertur:

Lude bibas comedas, poſt mortem nulla voluptas.

cui conſentit & illud [d]. *d Manil. lib. 1.*

Sera nimis vita eſt craſtina, viue hodie.

Apud Iſaiam hebraicè verbum eſt futuri temporis; ſed Apoſtolus ſequutus videtur ſeptuaginta, qui hoc loco habent ἀποθνήσκομεν: ad ſenſum autem haud multum refert.

NOLITE

33. I. Nolite ſedvci; corrvmpvnt, &c. A Mote ſuo Apoſtolus poſt longam diſputationem interſerit paræneſim. Nolite (inquit) ſeduci. Hoc eſt interprete Anſelmo nolite ſtultorum verbis, & blandiloquentia à recto tramite abduci, neque patiamini vos in tam pernicioſum errorem cuiuſquam fraude impelli, vt de reſurrectione deſperetis, idque vt faciliùs perſuadeat ex Græco poëta, hoc eſt, Menandro, vt indicat Hieronymus, ſenarium profert:

Corrumpunt mores bonos colloquia mala.

Eſt autem ſenarius deſumptus ex comœdia, vt quidem volunt Thalia, vel vt alij malunt Thaide. Porrò pro eo, quod Latinus interpres dixit, colloquia, Græcè ſcriptum eſt ὁμιλίαι, quæ vox cõmercia, colloquia & conſuetudines ſignificat. Itaque Tertullianus [a], *Conuictum* (inquit) *atque commercia Deo digna ſectare, memor illius verſiculi ſanctificati per Apoſtolum, Bonos corrumpunt mores congreſſus mali.* & idem [b]: *Bonos corrumpunt mores confabulationes malæ.* Et Cyprianus [c]: *Corrumpunt ingenia bona confabulationes peſſimæ.* Nec multò aliter Hieronymus [d]: *Eas autẽ* (inquit) *virgines, & viduas, quæ otioſæ, & curioſæ domos circumeunt matronarum, quæ rubore frontis abſtriso paraſitos vincunt mimorum quaſi quaſdam peſtes abijce. Corrumpunt bonos mores confabulationes peſſimæ. Nulla illis niſi ventris cura eſt, & quæ ventri ſunt proxima. Iſtiuſmodo hortari ſolent, & docere, mi Catella rebus tuis vtere, & viuendum viuis. Nunquid filijs tuis ſeruas? Vinoſa, atque laſciua quiduis mali inſinuant, ac ferreas quoque mentes ad delicias emolliũt.* Ruſus [e] alibi: *Sæculare verſum aſſumens Apoſtolus, fecit Eccleſiaſticũ. Corrũpũt mores bonos confabulationes malæ; cuius iãbici metrum dũ verbum ſeruat, ex verbo nequaquã expreſſit Latina tranſlatio.* Denique [f] in alia epiſtola Menãdri ponit ſenariũ, *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Photius apud Oecumeniũ ſimile quiddã ait apud Iſaiã legi, quod fateor me nuſquã reperire potuiſſe. Obſeruãt autem Chryſoſtomus, & Theophylactus cùm dixit Apoſtolus: *Nolite ſeduci:* voluiſſe leuiter perſtringere Corinthiorum dementiam, ac leuitatem, qui leuiſſimo quoque rumore commouerentur. Itaque ad meliora ſtudia illos prouocans ſubdit:

a lib. 1. ad vxor. c. 8.
b lib. 2. ad vxor. c. 8.
c De ſimpl. prælat.
d ad Euſtoch.
e ep. ad Demetriad. de virginit. ſeruan.
f ep. ad Magn. orator.

34. I. Evigilate ivſti, et nolite, &c. Nimia illos ſecuritas in diſcrimen adduxerat; proinde Apoſtolus grauem adhibet obiurgationẽ; eoſque veluti ſopitos excitat, vel, vt aiunt Chryſoſtom. Theophylactus, & Theodoretus quaſi ebrios excutit. *Euigilate,* inquit: quaſi poſt crapulã excitet; *nã omnia* (inquit Chryſoſt.) *ſimul, & repente è manibus eijcere eſt ebriorũ & furentiũ.* Rectè autem Theophylacti interpres dixit: *Sobrij eſtote.* vox enim Græca propriè ſignificat ſobriũ fieri, & edormiẽtẽ à crapula reſipiſcere; de ebriis enim propriè dicitur ἐκνήφειν, qui à ſomno demũ ſobrij ſunt, vt Metaphoricè Apoſtolus ita Corinthios alloquatur, & eos ad mẽtis ſobrietatẽ reuocet, qui aliorũ ſtultis perſuaſionibus quodãmodo fuerant inebriati. Romana editio, & Latini quidam codices habent; *iuſti*; cùm tamen Græcè ſit aduerbium δικαίως, id eſt *iuſtè.* & hanc lectionem ferè ſequuntur Græci. Itaque obſeruauit Chryſoſtomus, quem ſequitur Theophylactus, quoſdam etiam iniuſtè euigilare, ſi cum animæ ſuæ detrimento id faciant. Porrò Ambroſius legit quidem iuſti, ſed alio modo diſtinguitur. enim; *Vigilate, iuſti eſtote*: quaſi iubeat euigilandum ad colendam iuſtitiam: *Iuſtos* (inquit) *eſſe præcipit, vt nõ ſolùm iuſtitiam terrenam excolant, ſed etiam cæleſtem.* Anſelmus iuſtos moneri putat vt fidei conſtantiam recipiant ne iuſtitiam penitus amittant; ſed probabilius eſt quòd ex plurium ſententia in paraphraſi poſui: vt ſenſus ſit, euigilandũ ad iuſtitiam colẽdam; ſiue A legas *iuſti,* vt habet Romana editio; ſiue *iuſtè,* vt Græci codices poſtulẽt. Iuſtè enim vigilandũ monet, hoc eſt ad retinẽdam, colendámque iuſtitiã, & ob eã cauſam aptè ſubdit, *Et nolite peccare,* vt enim ait auctor cõmentariorum, qui Hieronymo inſcribuntur, *Iuſtus eſt qui non peccat:* & vt (monet Ambroſius) *ad veram, & cæleſtem, ac diuinam iuſtitiam pertinet non peccare.* Porrò Chryſoſtomus prudenter ait hoc additum eſſe ab Apoſtolo, quòd intelligeret facilitatem & conſuetudinem peccandi eſſe veluti perfidiæ, & infidelitatis ſemen; *Corrupta enim vita falſa gignit dogmata. nam qui ſibi malè conſcij ſunt vt ſupplicij metu liberentur, animorum immortalitatem, & reſurrectionem negant.* Idcirco ſubdit, *Ignorantiam enim Dei quidem habent.* Vocat autem ignorantiam Dei, quia (vt ait Ambroſius) quidam B propoſitũ Dei ignorantes, eos ſtultitiæ inſimulabant, qui mortuorum anaſtaſim ſperarent, & (vt ait Chryſoſtomus) qui reſurrectionem negant, de Dei omnipotentia dubitant: qui etiam (vt ait Theodoretus) diuinam iuſtitiam in dubium reuocant, quam maximè decet iuſtis quidem præmiũ, impiis autem ſupplicium reddere, quorum cùm neutrũ in hac vita cernatur, conſequens profectò eſt, vt alia vita expectanda ſit, in qua & iuſtorum merita ſuum præmiũ, & impiorũ ſcelera debitã accipiãt pœnã. Subdit, *ad reuerentiã vobis loquor.* Græcè πρὸς ἐντροπὴν, hoc eſt ad erubeſcẽtiã, & ad pudorẽ, vel vt ait Chryſoſtom. *vt corrigã & reducã, vt vos pudore affectis reddamini meliores. Ita,* inquit, *quos acerbius pupugerat, hac leni oratione placat.* C Idem ſignificant Ambroſ. Hieron. & Anſelm. vt Corinthios videlicet pudeat infidelium ineptias ſequi, & imperitis argumentationibus à fidei conſtantia nonnihil commoueri. II.

35. I. Sed dicat aliqvis: Qvomodo, &c. Redit Apoſtolus ad diſputationẽ de reſurrectione, & aduerſariorũ argumẽta refellẽs, reſurrectionis modũ, & reſurgentiũ corporum qualitatẽ deſcribit. Et ſanè (vt docet Theodoretus) in corporum reſurrectione duo maximè quærenda videntur, & quánam ratione futura ſit reſurrectio, & qualia futura ſint reſurgentium corpora: quod ipſum antea docuerat Chryſoſtomus, & poſtea etiã Theophylactus. Hæc autem duo ita infideliũ mentes perturbarant vt omnino exiſtimarẽt, reſurrectionẽ nullã futurã. Ita in Actis [a] Apoſtolicis ſcribit D Lucas, Paulũ in Areopago multorũ irriſione deluſum, quòd mortuorũ reſurrectionẽ nominaſſet. *Cùm audiſſent autẽ* (ait Lucas) *reſurrectionẽ mortuorũ, quidam quidẽ irridebãt, quidã verò dixerũt, Audiemus te de hoc iterũ.* At de modo quidẽ reſurrectionis, quã (vt ſuprà indicaui) nõnulli Philoſophi ſomniarũt, meritò dubitabãt Gentiles. Philoſophi enim nõ pauci ſequuti Platone exiſtimarunt, fore aliquãdo rerũ omniũ naturalẽ reditũ, ac reuolutionẽ, cùm videlicet abſoluto motu octauæ ſphæræ, cætera omnia aſtra ad priſtinũ ſuum locũ reuerterentur, quẽ magnũ annum, ſeu vertentẽ appellauerũt. Cui ſententiæ, vel potiùs errori quoſdam etiã Chriſtianos adhæſiſſe indicat alicubi Auguſtinus [b], qui teſtimonio Salomonis [c] abutebãtur; ſic enim ſcribit: E *Quod eſt quod fuit? ipſum quod futurũ eſt. Quid eſt quod factũ eſt ipſũ, quod faciẽdũ eſt. Nihil ſub ſole nouũ, nec valet quiſquã dicere: Ecce hoc recẽs eſt, iam enim præceſſit in ſæculis, quæ fuerunt ante nos.* Neque iis aſſentior qui exiſtimant, perſtringi eo loco ab Auguſtino Origenem, cùm tamen, vt ex Methodio [d], Hieronymo [e], ipſóque Origene [f] facilè intelligi poteſt, longè aliũ errorem docuerit, plures videlicet fuiſſe mundos, & plures poſt hunc etiã futuros. Certè Empedocles (vt auctor eſt Ariſtoteles [g]) exiſtimauit mũdum veloci circulo ad eundem propemodum ſtatum infinitis quibuſdã reuolutionibus redire. Quæ omnia falſa, & fabuloſa eſſe tam certum eſt apud fideles, vt otioſum

a cap. 17. 32.
b lib. 12. de Ciuit. c. 11.
c Eccleſiaſt. 1. 9.
d lib. de reſur.
e ep. ad Auit.
f lib. 3. Periar. c. 5.
g 1. Phyſ. tex. 12.

ſit in his refellendis opera abuti. Neque iis vllo modo fauet quod allatum eſt ex Salomone; ſiue quia ille loquitur de humanis actionibus, quæ ſemper omnibus ſæculis eiuſdem fuere rationis; ſiue quia (vt interpretatur Hieronymus) omnia præceſſerunt in mente, ac prouidẽtia diuina; ſiue denique (vt idem ait) quia loquitur vniuerſim de formis, ac generibus rerum, quæ ſibi ſubinde perpetuò ſuccedunt, quomodo accidit, vt nihil dictum ſit, quod non fuerit antea dictum: vt meritò illud circumferatur, *Pereant qui ante nos noſtra dixerunt.* De corporum item qualitate ambigi etiam poteſt; nã Pythagorei animas ad alia corpora ſubinde migrare exiſtimabant, adeò vt interdum beſtiarum plantarúmque ac ſtirpium corpora induerent. Platonici verò, ac nonnulli etiam Peripatetici animarum quidem migrationem admittunt, non tamen extra humana corpora. Quem errorem Methodius[a], & Epiphanius[b] tribuũt Origeni, de quo tamen nihil habeo affirmare. Nã Auguſtinus teſtimonio Epiphanij putat eũ reſurrectionem negaſſe, cùm tamẽ de ea frequẽtiſſimè ſermonẽ habeat. Theophilus contrariũ illi errorẽ affingit, ſed tam illũ, quàm Epiphaniũ Origeni fuiſſe infenſum, auctor eſt Caſſiodorus[c]. Eutycius certè Cõſtantinopolitanus Patriarcha (vt ſcribit B. Gregorius[d]) opinabatur, corpus in reſurrectione non fore eiuſmodi, vt tangi, atque attrectari poſſet, ſed vẽto, atque aëre ſubtilius, & omnino alterius rationis, cũ Paulus hoc ipſo capite dicat, *ſeminatur animale, ſurget ſpiritale*, certè Hieronymus[e] hunc errorem tribuit Origeni, quem tamen Epiphanius[f] exiſtimaſſe ait, quamuis caro non ſit reſurrectura, fore tamen idem numero corpus. Sed hunc errorẽ copioſiſſimè confutat Tertullianus, de quo nos etiam plura alibi. Meritò igitur Apoſtolus has ſibi duas dubitationes obiicit; quibus deinceps reſpõdet. Quod verò attinet ad verba Latinus interpres tempora videtur mutaſſe; Græcè enim ſcripſit Apoſtolus, ἐγείρονται & ἔρχονται, vtrumque præſentis temporis, reſurgunt, veniunt, quomodo alicubi legit Auguſtinus[g]. Ambroſius vtrumque legit tempore futuro, *reſurgent, venient*; ſed rectè præſenti tempore loquitur Apoſtolus: de re enim ipſa agit, non de tempore, ipſáque actio rei abſque ſignificatione temporis declaratur.

a In dial. qui inſcribitur Aglaph.
b Hær. 64.
c lib. 10. Trip.
d lib. 14. mor. c. 31.
e ep. ad Pammach. de err. Ioan. Hieroſol.
f Hær. 64.
g lib. 11. cõt. Fauſt. c. 2.

36. I. INSIPIENS TV, QVOD SEMINAS, &c. Abſurdum exiſtimabant Gentiles, vt quod iam interiit, iterum reuiuiſcat. Id Paulus oſtendit nullo modo cum recta ratione pugnare, exemplo ab agricultura ducto; atque ita primam dubitationem expedit. Reſpõdet autem cum quadam vehementia, quaſi de re minimè dubia, atque omnibus peruia agat, vt Chryſoſtomus, & Theophylactus obſeruant. Simile quiddam dixit olim Chriſtus[h]: *Niſi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Vtitur autem (vt monet Ambroſius) phyſica ratione, vt eos veluti pudefaciat, cum iis quaſi cum infidelibus agens. Loquitur porrò ſingulari numero quaſi indefinitè, ne quenquam offendat. *Inſipiens* (inquit) Græcè ἄφρων, id eſt amẽs, aut ſtulte; dum enim humanam ſapientiam profiteris, & mortuorum reſurrectionem aut omnino negas, aut in dubium reuocas, ipſo rerum naturalium quotidiano experimento inſipientiæ argueris. Semen enim, quod terræ mãdatur putreſcit, & quodãmodo perit, mox copioſam ſegetem fundit. Non caret autem emphaſi pronomẽ *tu*; quaſi tacitè hominẽ Deo apponat: nam ſi quod tu ſeminas, prouenit longè præclarius, quod putas facturũ Deum in reſurrectione, cuius ipſe eſt auctor? Quod interpres ait, *prius*, additum videtur perſpicuitatis gratia, cùm Græcè tantùm ſit ἐὰν μὴ ἀποθάνῃ, id eſt niſi mortuum fuerit, aut niſi moriatur, atque ita abſque aduerbio *prius*, hunc locum adducit Auguſtinus[a]. Obſeruat autem Chryſoſtomus, meritò inſipientem appellari, qui de reſurrectione dubitet, cùm domeſtico exemplo refelli queat. Illud præterea addit, adhibuiſſe Apoſtolum verba rei ſubiectæ congruentia, prætermiſſis de iis, quæ ſunt propria ſeminũ ac ſtirpium. *Non viuificatur enim* (inquit) *niſi mortuum fuerit: propriis enim ſeminum relictis dictionibus, vtpote germinat, pullulat, putreſcit, & diſſoluitur, adaptauit eas, quæ carni noſtræ conueniunt, nempe viuificatum, & mortuum fuerit, quod quidem non eſt proprium ſeminum, ſed corporum. Et non dixit, poſtquam mortuum fuerit viuit, ſed (quod eſt maius) propterea viuit quoniam moritur.* Nam & hac etiam ratione (vt idem monet Chryſoſtomus) argumentatur Chriſtus cùm ſe grano frumenti comparat. Quòd ſi quis ſciſcitetur, cur non duxerit argumentum Apoſtolus ab humano ſemine, duplicem affert rationem Chryſoſtomus. Alteram, quòd humanum ſemen particula quędam corporis ſit; ſemen verò quod in terram iacitur, corpus integrum. Alteram, quòd illud à viuente emittatur, & in viuente recipiatur; hoc verò nõ itẽ, ſed inſtar cadaueris in terræ viſceribus abdatur, & (vt ita dicã) humetur. Quamobrem hoc exemplum maiorem vim habet ad reſurrectionem ſtabiliendam. *Reſpice* (inquit Theodoretus) *ſemina, & vide ſulcos ſepulcra imitantes, & ſemina quæ non ſecus ac corpora ſepeliuntur, deinde naſcuntur, & germinant.*

a lib. 4. retract. c. 3.

37. I. ET QVOD SEMINAS NON CORPVS, &c. Expedita priori dubitatione, aggreditur alteram de qualitate corporum reſurgentium. In eadem autem ſimilitudine perſtat. *Non corpus* (inquit Chryſoſtomus, quem ad verbum ſequitur Theodoretus) *non ſpicam integram, non frumentum recens, ſed nudum granum frumenti, vel alicuius ex aliis.* Vnde colligi vult Apoſtolus multo nobiliora, & præſtantiora corpora ſurrectura, cùm tamen prorſus eadem futura ſint, ſi ſpectes ſubſtantiam, aliis tamen qualitatibus prædita. Ita Tertullianus[b]. *Stulte* (inquit) *tu quod ſeminas, non viuificatur, niſi mortuum fuerit. Hoc ergo iam de exemplo ſeminis conſtet, non aliam viuificari carnem, quam ipſam, quæ erit mortua. Et ita ſequentia relucebunt. Nihil enim aduerſus regulam exempli licebit intelligi; ne quia ſequitur, & quod ſeminas, non corpus, quod futurum eſt ſeminas, idcirco aliud reſurrecturum corpus, quàm quod moriendo ſeminatur, exiſtimes. Cecidiſti ab exemplo; nunquam enim frumento ſeminato, & in terra diſſoluto hordeum erumpit, & non idipſum genus grani, eadémque natura & qualitate & forma.* Paulò autem pòſt explicans quomodo non ſeminetur quod futurum eſt. *Seritur enim* (inquit) *ſolummodo granum ſine folliculi veſte, ſine fundamento ſpicæ, ſine munimento ariſtæ, ſine ſuperbia culmi. Exurgit autem copia fœneratum, compagine ædificatum, ordine ſtructum, cultu munitum, & vſquequaque veſtitum. Hæc ſunt ei corpus à Deo aliud, in quod abolitione, ſed ampliatione mutatur; & vnicuique ſeminum ſuum corpus deputauit non ſuum, id eſt, non priſtinum, vt tunc & illud ſuum ſit, quod extrinſecus à Deo acquirit.* Eodem modo locum explicant Chryſoſtomus, Theodoretus & Theophylactus. *Non enim* (ait Chryſoſtomus) *alia quidem ſeminatur eſſentia, alia autem reſurgit, ſed eadem melior.* Cúmque exemplo Ionæ, & Chriſti Domini id confirmaſſet ſubdit, *Quid ergo dicit non corpus, quod futurum eſt, ſeminas? Hoc eſt non ſpicam; eſt enim eadem, & non eadem: eadem quidem, quoniam eadem eſt eſſentia, non eadem autem, quoniam hæc eſt melior, eadem quidem manente eſſentia, maiori autem facta ſpecie, ac decore, quoniam niſi hoc eſſet, ne eſſet quidem reſurrectio, niſi eſſet melius reſurrectura. Cur enim domum eſſet diruturus, niſi ſplendidiorem eſſet ædificaturus?* Eodem modo locum explicat Ambroſius.

b lib. de reſur. carn. c. 52.

ſius. *Si ergo* (inquit) *nudum granum ſeminatur, vt Dei nuen quodammodo elementorum miniſterio veſtitum reſurgat, multis ſecum habens incrementa vtilitatis humanæ; cur non credibile ſit, Dei virtute mortuum poſſe reſurgere, meliorata tantùm ſubſtantia, non numero multiplicatum?* Porrò quod ait, *& quod ſeminas.* Græcè eſt *καὶ ὃ σπείρεις.* Ambroſius autem aliter legiſſe videtur; habet enim, *& quod ſeminas?* Addita interrogationis nota. ſentẽtia eſt prorſus eadem: noſtro tamẽ interpreti fauent omnes Græci, itémque Tertullianus, vt ſuprà indicaui. Quod additur: *verbi gratia tritici.* Græcè eſt *εἰ τύχοι,* quaſi dicat, exẽpli gratia. at Auguſtinus [a] vertit, *ferè*, haud magna mutatione ſententiæ; ita vt monet Theodoretus vnico ſeminum exemplo vtrumque docet; modum videlicet reſurrectionis, & qualitatem corporum.

a Epiſt.146 & de Gen. l.6.10.

38. I. Devs avtem dat illi corpvs, &c. Retinent (inquit) ſemina ſuum naturale corpus, ac ſpeciem, vt ex tritico quidem triticum, ex lente lens, & ex milio milium naſcitur, ſic cætera ſeminum genera, quæ ipſa quidem germinant, ſed multiplicata. Id autem Apoſtolus (vt Chryſoſtomus monet) non aëri, nõ pluuiæ, non ſoli, aut terræ, ac ne agricolarum quidem manibus tribuit, ſed diuinæ potentiæ, ac liberalitati; vnde rectè colligit Anſelmus: ſi Deus poteſt procreare quod nõ in ſemine olim poteſtate tantùm inerat, multò profectò faciliùs reuocare poterit ad vitam corpus humanum, quod olim vixit. *Deus igitur* (inquit) *dat illi corpus ſicut vult*; illam videlicet vbertatem, & copiam, quam maximè probat. Græcè legitur ἠθέλησε, id eſt voluit, ſed nihil mutatur ſententia. *Sed vnicuique ſeminum proprium corpus*; ſic enim natura comparatum eſt, vt ex vnoquoque ſemine eiuſdem prorſus generis ſeges oriatur. Ita ſignificat Apoſtolus, fore quidem corpora reſurgẽtium eiuſdẽ prorſus naturæ, cuius antea fuerant, ſed longè tamen nobiliora, & præſtantiora; quippe immortalia, quæ deinceps nunquam interitura ſint. Qua in re ſi Theophilo [b] Alexandrino credimus, magnopere errauit Origenes, qui exiſtimauit humana corpora toties ad vitam reuocata, ruſſus interitura eſſe, quoad planè in nihilum recidant, quò facto non ampliùs reuocẽtur ad ſuperos: quod fortaſſe ſpectans Epiphanius [c] dixit, Origenẽ negaſſe reſurrectionem. Mitto philoſophos, qui (vt indicat Auguſtinus [d]) non putabant, terrena, & mortalia corpora vlla ratione fieri poſſe immortalia, ac in cœlum attolli; hæc enim omnia à Theologis copioſè confutãtur. porrò Chryſoſtomus monet, hæc idcirco ab Apoſtolo cõmemorari non ſolùm vt oſtẽdat, fore noſtra corpora poſt reſurrectionem eiuſdem planè naturæ, ſed vt futuræ diſputationis veluti fundamenta iaciat in qua oſtẽſurus eſt, aliã atque aliã fore reſurgentiũ gloriã, & dignitatem. Quambrem ſubiicit:

b lib.2.Paſch.

c Hæreſ.6.4.

d lib. 13. de Ciuit.c.17.18. & lib. 22.c.4.

39. I. Non omnis caro eadem caro, &c. Vt oſtẽdat Apoſtolus magnã fore in reſurgentibus dignitatis varietatẽ, digreditur & more ſuo excurrit ad naturaliũ corporũ diuerſitatẽ. Et primùm quidẽ agit de animatorum corporibus; hæc enim corpora tametſi eodem animati corporis genere cõprehenduntur, habẽt tamẽ quo inter ſe maximè diſtinguantur. Nõ eſt autẽ in his argumentis vſque adeò religioſè quærẽda ſimilitudo, vt omnia ſibi adamuſſim reſpondeant; nam vt in ſeminibus non idem planè numero corpus, quod ſeritur ruſſus germinat; ita nõ eadem ratione reſurrectioni aptandum eſt, quod hoc loco ait Apoſtolus de corporibus animatis, quæ cùm inter ſeſe plurimum differant, vno tamen genere continẽtur, cùm reſurgentiũ corpora non ipſo tantùm genere aut ſpecie eadẽ ſint cum iis, quæ obierunt, ſed illa ipſa eadem numero reuocantur ad vitam. Sed quemadmodum in ſuperiori argumẽto à ſeminibus ducto, id vnum contra hæreticos, & philoſophos probat, quod illi pernegabant, mortua corpora reuocari poſſe ad vitã; ita hac diſputatione de corporũ varietate indicat, in eadẽ natura corporis honoris ac dignitatis diuerſitatẽ admittẽdã eſſe. Ita omnino Chryſoſt. *Nam quoniam* (inquit) *cõfirmauit quod dictum eſt de reſurrectione, oſtendit tam quod tũc futuræ gloriæ magna ſit differentia, etiãſi vna ſit reſurrectio. Et in duo interim diuidit vniuerſum, nempe in cœleſtia & terreſtria; nam quòd corpora quidem reſurgãt, oſtendit per frumentũ; quòd autẽ non in eadem gloria, hinc oſtẽdit: Quomodo enim non credere reſurrectioni facit ſupinos, ita otia negligentes reddit, & ſocordes exiſtimare omnes eadẽ conſequi, & iiſdẽ frui, quamobrẽ vtrique corrigit.* Videtur autẽ Chryſoſtomus myſticũ neſcio quid ex his Apoſtoli verbis colligere, vt cũ corpora cœleſtia nominat, iuſtos denotet; cũ verò terreſtria, peccatores ſignificet; & nũc quidem terreſtriũ corporũ genera ſumma perſtringens, peccatorũ diuerſitatem indicet, quorum alij alus ſunt deteriores, vt in corporibus alia aliis ſunt viliora. Simile quiddã innuit Anſelmus, qui tamẽ corpora cœleſtia refert ad corpora reſurgẽtiũ; terreſtria verò ad corpora mortuorũ. Chryſoſtomo conſentiũt Theodoretus, & Theophylactus. Ab omnibus diſcrepat Tertullian [a]. *Alia* (inquit) *caro hominis, id eſt ſerui Dei, qui verè homo eſt; alia iumẽti, id eſt Ethnici; de quo & propheta, Aſſimilatus eſt* (inquit) *homo irrationabilibus iumentis: alia caro volucrũ, id eſt martyrũ, qui ad ſuperiora conatur: alia autẽ piſciũ, id eſt quibus aqua Baptiſmatis ſufficit.* Sed vt verũ fatear, exiſtimo, Apoſtolũ nihil aliud voluiſſe indicare, quàm reſurgẽtiũ corporum diuerſitatẽ, idque pluribus exẽplis, & primùm quidẽ exẽplo corporũ animatorũ, nominat enim homines, pecora, volucres & piſces *ſed alia quidẽ*, inquit, *hominũ, alia verò pecorũ, alia volucrũ, alia autẽ piſcium.* Græcè ter repetitur δὲ, & bis repetitur σὰρξ. ſic n. habent, ἄλλη δὲ σὰρξ κτηνῶν, ἄλλη δὲ ἰχθύων, ἄλλη δὲ πτηνῶν. cũ dixiſſet, ἄλλη μὲν σὰρξ ἀνθρώπων. id eſt alia quidẽ hominũ caro: deinde aliam affert corporum diſtinctionem. Ait enim:

a lib. de reſur. car.c.52.

Et corpora coelestia, et corpora, &c. 40 I.

Corpora, vt ego quidẽ arbitror, inanima diſtinguit, vt alia ſint cœleſtia, alia verò terreſtria infra lunã. Cœleſtia verò corpora intelligit æthereos illos globos, qui perenni agitatione circumuoluuntur, & ſydera atque aſtra quorũ luminibus diſtinguuntur ac mirificè ornãtur. aliam igitur ait eſſe ſpeciẽ, & pulchritudinẽ cœleſtium corporũ, alia verò terreſtrium, quaſi dicat, eorũ, quæ ſupra, & quæ infra lunã ſunt; ſiue quia toto genere differant, quòd illa ex materia conſtẽt, vt multi ex peripateticis opinãtur, ſiue quia (vt voluit Plato) illa ex elemẽtorũ delectis cõflata ſunt, & ſingulari quadã pulchritudine prædita, cæteris inferioribus lõgo præſtẽt interuallo. Itaque Philo [b], *Cœlũ* (ait) *primũ à Deo cõditũ eſſe, cùm ſit præſtantiſſimũ ex his, quæ facta ſunt, & è puriſſima cõſtet eſſentia, quamobrẽ Deorum tam nõ apparentiũ, quam ſenſui patentiũ deſtinatũ eſt domiciliũ ſacratiſſimũ.* Et Æneas [c] Gazeus: *Atque eorum* (inquit) *quæ ſunt intelligẽtia prædita facultatũ, plenũ eſt totum cœlum.* Quod etiã licẽt obſcuriùs indicauit [d] Ariſtoteles, *Atque ſuperiũ* (inquit) *locũ, cœlũmque veteres quidem diis tribuerunt, propterea quòd ſolũ eſt immortale.* Auctor verò libelli de mundo [e], qui eidẽ Ariſtoteli tribuitur, *Summa* (inquit) *quæ eadem Deorum domicilium patet, cœlum eſt appellatum, quod quidem diuinorum corporum habetur plenum, quæ ſydera appellare conſueuimus. idem quoque ſempiterno incitatum motu vna in orbem circumuectione, cum his omnibus abſque intermiſſione recurrens ... explicatur.* Et ruſſus [f]: *Hac eadem ratione Deus in mundo eſt, cùm rerum omnium concentum continet, earúmque ipſarum ſalutem præſtet; ſed non medius eſt, vbi terra, & turbidus iſte locus, verùm ſummus præeſt, & purus in puro conſiſtit loco, quem ritè,*

b lib. de opin. mun.

c In Theophraſto, ſiue de imm. ort. anim. & corpor. ...

d lib. 2. de cœlo.tex.2.

e In principio.

f Non procul à fine.

Iii 2 ὑπὸ ἐν

ὀρανὸν; hoc eſt cælum appellamus, ὀρανὸν inquam quòd ſupra ὄρη, id eſt montes exiſtat: olympon quia totus ſplendeat, & omnis nubis, ac inordinatæ motionis expers ſit, non tamen apud nos per tempeſtates, & ventorum vim eiuſmodi habetur. Id quod etiam de re ſuperiori poëta Homerus ait,

Apparet diuum numen, ſedeſque quieta,
Quas neque concutiunt venti, nec nubila nimbis
Aſpergunt, neque nix acri concreta pruina
Cana cadens violat, ſemperque in nubibus æther
Integit, & largo diffuſus lumine ridet.

Aſtipulantur etiam viuentes omnes, quippe qui Deo ſummum attribuant locum; omnes enim deprecaturi ad cælum manus attollimus. Et mox: *Propterea quæ præſtantiſſima etiam ſenſibus obuerſantur, eundem tenent locum, ſydera, ſol, & luna; cæleſtia enim ſola perpetuum ſuúmque ſeruantia ordinem, magno ornatu diſpoſita ſunt, & nunquam variantur. Cuius quidem natura terrena experſia agnoſcuntur, quandoquidem hæc omnia cum facilè mutentur, magnopere variantur, & afficiuntur.* Quocirca verè dixit Apoſtolus, aliam eſſe pulchritudinem cæleſtium corporum, aliam verò terreſtrium.

41. Alia claritas solis, alia claritas
I. lvnæ, &c. Qui hæc referunt ad iuſtos, gloriæ, & reſurrectionis diuerſitatem declarari oſtendunt, quod ſignificant Chryſoſtomus, Theophylactus, Theodoretus, & omnes fermè Latini, qui hæc Pauli verba de ſolis electis accipiunt. Ita Anſelmus, *Nunc* (inquit) *de ſolis electis ſermo eſt, quos virtutes, non peccata faciunt diuerſos. aliter enim ibi lucebit virginitas, aliter ibi lucebit caſtitas coniugalis, aliter ibi lucebit viduitas: diuerſè lucebunt, ſed omnes ibi erunt: ſplendor diſpar, cælum commune. etſi alius electorum eſt alio fortior, alius alio ſapientior, alius alio iuſtior, alius alio ſanctior. In domo Patris mei manſiones multæ ſunt: vnuſquiſque manſionem pro ſuo accepturus eſt merito. tanquam ſtellæ enim ſancti diuerſas manſiones diuerſæ claritatis tanquam in cælo ſortiuntur in regno, ſed propter vnum denarium nullus ſeparatur à regno.* Eodem modo loquitur Theodoretus: *Alij quidem* (inquit) *reſplendent, ſicut ſol, alij vero ſicut luna, alij autem clariſſimarum ſtellarum ſplendorem imitabuntur, alij autem obſcurioribus aſſimulabuntur.* Paulò aliter Ambroſius, qui hæc etiam putat ad impios aliqua ratione pertinere. *Homines enim* (ait) *ſtellis conferri, vt claritati* (inquit) *ſolis illorum dignitas exæquetur, qui centeſimum numerum habent, qui vt perfecti eſſent primi gradus æmuli fuerunt, de quibus dictum*[a] *eſt: Tunc iuſti fulgebunt, ſicut ſol in regno Patris eorum. Lunari quidem claritati hi comparandi* [a Matt. 13. 43.] *ſunt, qui ſexageſimum numerum bonis operibus mercati ſunt, vt ſecundi gradus meritum haberent. Stellis autem clarioribus eorum merita comparanda ſunt, qui triceſimum numerum tertij gradus dignitatem iuſtis laboribus quæſierunt. Sequentibus verò ſtellis, quæ inter claras, & obſcuriores mediæ ſunt, peccatores homines comparandi ſunt, qui de tribus nullius gradus adipiſci honorem voluerunt. Tertiæ autem ſtellis, & omnium nouiſſimis perfidorum reſurrectio ſimilis eſt, quia errorem ſequuti ſtellis in errorem ducentibus comparandi ſunt, ſicut dicit in epiſtola ſua Iudas Apoſtolus. Infidelitas enim nō poteſt clarā reſurrectionē habere, quia ſicut carbo cinere ſuo coopertus obcæcatur; ita & hi perfidia ſua erroris tenebris circūdati luce carebūt.* Alia autē ſequutus videtur Tertullianus[b]: ait enim, *Alia ſolis gloria, id eſt Chriſti, & alia lunæ, id eſt Eccleſiæ, & alia ſtellarū, id eſt ſeminis Abrahæ; & ſtella enim à ſtella differt in gloria, & corpora terrena & cæleſtia, Iudæus ſcilicet & Chriſtianus. Cæterùm ſi nō figuratè ſatis vanè mulorum, & miluorum carnes, & corpora cæleſtium luminum oppoſuit humanis, non pertinentia ad conditionis comparationem, ſicut* [b De reſur. carn. c. 52.]

A *nec ad reſurrectionis conſequutionem.* Verùm hæc omnia myſticum potiùs ſenſum continent; ſimpliciter enim Apoſtolus (vt ego quidem arbitror) duplici comparatione terreſtrium & cæleſtium corporum indicare voluit, fore quidem eorumdem corporum reſurrectionem, non fore tamen eandem omnium conditionem, vt hæc nomina ſolis, lunæ, & ſtellarum ſimpliciter pro cæleſtibus corporibus accipienda ſint, quod aduerſus Gnoſticos Tertullianus[a] ipſe non obſcurè indicat. *Aut quomodo* (inquit) *multæ manſiones apud Patrem, niſi pro varietate meritorum? Quomodo ſtella à ſtella diſtabit in gloria, niſi pro diuerſitate radiorū?* Hoc igitur exemplum Apoſtoli rem magis declarat; quanquam ne hoc ipſum quidem rei propoſitæ omni ex parte reſpondet; quemadmodum enim [a In Scorp. c. 6.]
B corpora, quorum in ſuperiori exemplo fit mentio, genere tantùm ſunt eadem; ita hæc non niſi ſpecie: atqui ſuum quiſque idem planè corpus in reſurrectione habebit, ſed alia tamen, atque alia dignitate præditum, atque ad hoc ſignificandum pertinet cæleſtium luminum varietas, quæ propriè quidem ad iuſtorum anaſtaſim refertur; vero tamen ſimillimum eſt, proportione quadam etiam ad impiorum corpora pertinere; neque enim alienum videtur à ratione, magnā etiam in iis fore deformitatem, vt planiùs alibi explico. Cæterū quod interpres ait, *claritas*, Græcè eſt δόξα, quam vocem paulò antè Latinè reddiderat, *gloriam*; quomodo aliàs penè ſemper loqui ſolet; interdū tamen *maieſtatem* vertit. Tertullianus retinuit nomen
C gloriæ; & profectò maius quiddam ſignificat gloria, dignitas, maieſtas, quàm claritas. Et cùm in ſuperiori exemplo vſus ſit interpres nomine gloriæ; idem etiam hoc loco retinere poterat, niſi quod explicare voluit, in quo poſita ſit cæleſtium corporum gloria, hoc eſt in ſplendore, & claritate.

Sic et resvrrectio mortvorvm, &c. 41.
Quod ait, *ſic & reſurrectio mortuorum*, redditio I.
eſt ſuperiorum ſimilitudinum; vt enim corpora enumerata inter ſeſe diuerſa ſunt, ſic reſurgentium corpora erunt inter ſeſe diſſimilia. Ita Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, aliique omnes: & propterea ſunt, qui hæc verba ſuperiori verſiculo adnectūt, vt deinceps, quaſi de integro auſpicetur, vel (vt ait Chryſoſtomus) ad explicandā reſurre-
D ctionis rationem redeat. *Seminatur* (inquit) *in corruptione*, hoc eſt corpus corruptibile. Obſeruant autem Chryſoſtomus, & Theophylactus Paulum in allatis exemplis, cùm de ſeminibus ageret, vſum eſſe vocibus, quæ humanorum corporum vel certè animantium propria viderentur; hic verò cùm de humanis corporibus ſermonem habet, vſurpare nomina quæ videntur propria ſeminum. ſic enim ait: *Seminatur in corruptione.* Perſtat autē in metaphora, & corporis mortem meritò (vt diximus) ſationi comparat; atque idcirco ait, *ſeminatur in corruptione*; Græcè eſt ἐν φθορᾷ, quod Theophylactus interpretatur, *vt corrumpatur*: quod etiam inſinuat Theodoretus. *In duobus enim* (inquit) *vel tribus diebus ſuſtinet fœtidam corruptionem.* Ambroſius eodem modo explicat. *Se-*
E *minare* (inquit) *eſt ſepelire, vt corrumpatur.* Sed pro corruptione & incorruptione legit ipſe, *corruptela*, & *incorruptela*. Non ſatis autem probo quod addit hoc loco Anſelmus, poſſe etiam hanc ſationem corporis de creatione accipi; quaſi dicat Apoſtolus, creatum quidem fuiſſe corpus corruptibile, reſurgere autem incorruptibile; conſtat enim hoc toto capite ſerendi verbum ad mortem ſignificandā vſurpari. ita ſuperiùs dixit, non idem planè corpus demeti, quod ſeritur. Quod non obſcurè ſignificat Tertullianus[b]. *Hinc & Apoſtolus concepit ſeminari eam dicere cùm redhibetur in terram, quia & ſeminibus* [b Lib. de reſur. carn. c. 52.]

ſequeſtra

ſequeſtratorium terra eſt, illic deponendus, & inde repetendus. Ideóque; & reconſignat impriment, ſic enim ſcriptũ eſt: ne aliud exiſtimes eſſe ſeminari, quàm in terram ibis, ex qua es ſumptus. & alibi [a]: *Sic & reſurrectio* (inquit) *quomodo; ſicut & granum corpus ſeritur, corpus reſurgit; ſeminationem denique vocauit diſſolutionem corporis in terram quia ſeritur in corruptela, reſurgit in honeſtatem, & virtutem.*

b 5. ad ...10.

43 I. SEMINATVR IN IGNOBILITATE, &c. Rem eandem pluribus explicat. Quod enim dixerat ſeminari in corruptione, nunc ait in ignobilitate. *Quid enim* (ait Chryſoſtomus) *viſu turpius, quàm corpus quod defluxit?* Pro ignobilitate legit Ambroſius; *ignominia.* Tertullianus [b] autem, *Seminatur* (inquit) *in dedecoratione*, vt enim ait Theodoretus, *nihil vilius, aut abiectius eſt corpore mortuo. Seminatur in infirmitate, ſurgit in virtute.* Nam (vt Chryſoſtomus, & Theophylactus inſinuant) magna imbecillitas eſt humani corporis, quod breuiſſimo temporis ſpatio diſſoluitur. Meritò autem dixit Theodoretus: *Quid enim illa ſanie, aut puluere imbecillius?* Ambroſius ad ignominiam refert fœtorem, & vermes; ad infirmitatẽ carentiam motus ac ſenſus. Ambroſiũ ſequitur Anſelmus. Parũ autẽ refert vtro modo quis dicat; ſemper enim eadem ſententia conſtat. Certè tota hæc ſententia magnam vim habet ad elatos quoſdam ſpiritus deprimendos, qui generis nobilitatem, ac natalium ſplendorẽ ſupra modum prædicant, & extollunt, cùm tamen vnus, atque idẽ ſit omniũ finis, neque aliter nobilium, quàm ignobilium corpora putreſcant. Huc opinor, ſpectant illa apud Salomonẽ [c]: *Vnus interitus eſt hominis & iumentorũ, & æqua vtriuſq; cõditio; ſicut moritur homo, ſic & illa moriũtur, ſimiliter ſpirant omnia, & nihil habet homo iumẽto amplius: cuncta ſubiacent vanitati:* quanq; enim Gregorius hæc dici putat in perſona impiorũ: ſi tamen referãtur ad corpus, veriſſimè dicta ſunt: eodem enim modo humana corpora diſſoluũtur, ac pereũt, quo iumenta, meritóq; Apoſtolus dixit ſeminari in ignominia & infirmitate. Quã ob cauſã veteres Romani humana corpora cremare conſueuerant ne putreſcerẽt, & vermibus ſcaterent, rati id præſtabilius eſſe, quàm ſitu, pædoréque abſumi. Alij aromatibus cadauera cõdiebãt, vt quoad eius fieri poſſet integra conſeruarentur. Huc etiã (ni fallor) ſpectabat Hebræorum mos qui cadauera vnguentis delibuta ſepulcris inferebãt. Itaq; de Chriſto agẽs Ioãnes [d], ait: *Acceperunt corpus Ieſu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire:* & mulieres emiſſe dicuntur aromata, *vt venientes vngerẽt Ieſum.* Sanctus porrò Gregorius [f] ait, mortuorũ corpora cõdiri myrrha cõſueuiſſe, ne putreſcerẽt. Quinetiã cõſueuiſſe Gẽtiles cadauera inungere, docet Fulgẽtius [g]; nam huic muneri miniſtros deſtinatos Pollinctores appellabant, quorum meminere Suetonius [h], Appianus [i], Martialis [k], Nonius, Vlpianus [l]. Apuleius [m], Tertullianus [n]. Hæc omnia referebantur ad arcendam putredinem, quæ neceſſariò cadauera comitatur.

c reſurr. ..14.

Eccleſiaſt. 3.

d cap. 19. 40.

Marc. cap. 16.

Cant. 1.

ad Calcidiũ de priſco ſermone

in Domitian.

lib. 4. de bel. ciuili.

lib. 10

l cuicunque ...dem eſt ff. de inſt. act.

m In Hermagora.

n Apol. c. 13 in Gnoſticos c. 1.

44 I. SEMINATVR CORPVS ANIMALE, &c. Animale corpus appellari putat Chryſoſtomus hoc corpus humanum comparatione eius, quod reſurget, quod erit longè ſpiritualius. *Nam nunc quidem* (inquit) *ſæpe auolat Spiritus ſancti multa gratia, aliquibus magna peccantibus. Porrò antẽ præſente quoque ſpiritu anima auolat vita carnis.* Theodoret. & Theoph. animale corpus explicant, quod animæ imperio, & adminiſtrationi ſubeſt. Eadẽ ratione corpus animale explicat Oecumenius, qui ſpirituale intelligit quod Spirit. ſãcti operatione locupletatur: addit animale ſignificare terrenũ, & graue, ſpirituale verò ſubtile, ac leue. Photius animale ait eſſe mortale, quod animalibus ſubſeruit affectionibus, ſpiritale, quod iam non ſubſeruit animalibus affectionibus. Ambroſius, & Anſelmus animale intelligunt quod more cæterorum animantium cibis alitur & ſuſtentatur, & denique morte perurgente ab anima diuellitur: ſpiritale verò contrà eſt *Spiritus ſancti operatione prædites*, vt Chryſoſtomus Oecumenius, & Theophylactus interpretantur, conſentiente etiam Ambroſio: vel etiam, vt iidem addunt, quod erit leuius, ſubtilius, & tenuius, quódque per aëra ferri poterit. *Si eſt* (inquit) *corpus animale, eſt & ſpiritale.* Ita habent nonnulli codices Latini, quanquam in Græcis particula, *ſi*, deſideratur, ſimpliciter enim habent ἔστι γὰρ σῶμα ψυχικόν. Ambroſius, *Eſt igitur corpus animale.* Sed vtvt ſit, duo veluti corpora conſtituit Apoſtolus, animale (vt ait Tertullianus [a]) cũ ſeminatur, & ſpirituale cùm ſuſcitatur. Videtur autem hoc nomen cætera omnia complecti, quæ paulò antè notata ſunt; animale enim corpus facilè corrumpitur, abiectũ eſt, & vile, denique ægrum, & imbecillum; contrà verò ſpiritale, immortale, gloria, & immortalitate præditum. Procul dubio autem hæc ad reſurrectionem iuſtorum ſolummodo pertinent; quanquam enim impiorum corpora hactenus reſurgent immortalia, quia nunquam interitura ſunt; eiuſmodi tamen erunt, quæ pati cruciaríque poſſint, & mortalem (vt ita dicam) vitam perpetuò viuent. Quomodo autem hæc duo corpora diſtinguãtur, mox explicat Apoſtolus. Monet ſanè hoc loco Theophylactus, cauẽdũ eſſe Origenis errorẽ qui ſpiritale corpus interpretatur aëreũ, & æthereũ, vel ex aëris, ætheriſve ſubſtãtia conſtitutũ. Cæterum vtrũ hoc ſenſerit Origenes de reſurgẽtiũ corporibus vehementer ambigo; Theophilus [b] enim Alexãdrinus ait, eũ exiſtimaſſe reſurgẽtium corpora fore mortalia, iterùmque, ac ſæpiùs moritura donec in nihilum prorſus abeant, nunc autem (vt ex Epiphanio docuimus) nullam fore reſurrectionem; vt vix credibile ſit, potuiſſe Origenem hoc aſſerere, quod ei Theophylactus affingit. Sed quidquid ille ſenſerit (vt ſuprà docuimus) ſpiritalia quidem erunt noſtra corpora, non alterius tamen rationis, aut naturæ, quàm nunc ſint.

a De reſur. car. c. 31.

b lib. 2. Paſch.

SICVT SCRIPTVM EST FACTVS EST, &c. Locus eſt valde obſcurus, ac difficilis; tum quia dicit Apoſtolus, hoc ſcriptum eſſe, hoc eſt in ſacris litteris legi, cùm tamen illud tantùm de primo homine legatur in libro Geneſeos [c], poſterius verò de Adamo ſecundo nuſquam reperiatur; tum quia non facilè intelligitur quorſum hoc pertineat, quáque ratione ſecundus Adam factus dicatur in ſpiritum viuificantem. Priorem dubitationem facilè expediunt Chryſoſtomus, Theodoretus & Theophylactus, non eſſe quidem poſterius apertè poſitum in ſacris litteris; id tamen Paulũ à rerum euentu interpretatum eſſe. Ita apud Zachariã [d] legimus, Hieruſalem ciuitatẽ iuſtitiæ appellandam; cùm tamen nunquam eo nomine verè vocata ſit: non tamen mentitus eſt propheta, id enim nomen ei conuenire rerum euentus docuit. Haud abſimili ratione vaticinatus eſt Iſaias [e], Chriſtũ Emanuelem vocandum eſſe, quo tamen nomine nemo dum viueret eum appellauit; euentus tamen docuit id nomen maximè videri proprium. Fortaſſe ſimpliciùs dicendum eſſet, cùm Paulus ait: *ſcriptum eſt*, de priori tantùm parte, & Moſis verbis agere, poſteriorem verò partem ab ipſo Apoſtolo additam eſſe, vt expleat antitheſim inter Chriſtum, & Adamum, & illum præſentis vitæ, hunc verò futuræ quaſi authorem faciat: in Adamo quippe naſcuntur omnes mortales, à Chriſto hauriunt immortalitatem. Ita Chryſoſtomus. *Vitæ* (ait) *præſentis, & futuræ hæc eſſe ſigna, & pignora; præſentis quidem Adamum, futuræ verò Chriſtum.* Obſtrepant autem Ambroſius, & Hieronymus, duos ab Apoſtolo conſtitui 45. I.

c cap. 2. 7.

d cap. 8. 3

e cap. 7. 14.

Adamos, vt ſignificet illos eiuſdē fuiſſe naturæ, contrà quàm Manichæi, & Apollinariſtæ mētirētur. Porrò Anſelmus indicat, duplicem eſſe poſſe locum verborū ſenſum; primū vt Adam primus omnium parēs, è terra procreatus cōferatur cum Chriſto in vtero virginis ex Spiritu ſancto cōcepto: alterum, vt in ſingulis hominibus vterq; Adā alia, atque alia ratione intelligatur. Prior quidē quandiu corpus eſt mortale, poſterior verò poſt reſurrectionē accepta iā immortalitate; vt inter animā viuentē, & ſpiritū viuificātē hoc interſit, quòd illa corpus conſtituat animale, hic verò ſpiritale. Neque enim poteſt anima vitā immortalem largiri; vbi verò reſurrexerit corpus ſpiritale efficiet, & omnē exuet mortalitatē. Cæterùm quod ad poſteriorem dubitationē attinet, nō eſt exiſtimandū, voluiſſe

II. Apoſtolum conferre Adami naturam, & corpus cum natura, & corpore Chriſti, quaſi ille animali corpore præditus fuerit, Chriſtus verò ſpiritali, cùm præſertim non ita multò pòſt dicat: *Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cælo cæleſtis.* Sed id tantùm indicare voluit, duos eſſe veluti humani generis ſatores, alterum quidem priorem illum Adamum mortalium omniū parentē, alterū Chriſtū, qui vita functos excitat, & reuocat ad immortalitatem: ille largitur corpus animale, hic verò tribuit ſpiritale: ita mox colligit priùs eſſe animale quàm ſpiritale corpus. Qua de re ita Tertullianus [a]: *Hunc ordinem Apoſtolus diſponens, in Adam quoque & in Chriſto eum meritò diſtinguit vt in capitibus diſtinctionis ipſius. & cùm Chriſtum nouiſſimum Adam appellat, hinc eum recognoſce ad carnis non ad animæ reſurrectionem omnibus doctrinæ viribus operatum.* Et [b] alibi: *Ad hoc enim & de ipſo Chriſto præſtruit, factus primus homo Adam in animam viuam, nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem, licèt ſtultiſſimus hæreticus noluerit ita eſſe. Dominum enim poſuit nouiſſimum pro nouiſſimo Adam.* Ex quibus verbis apparet, hunc locū à Marcione fuiſſe corruptum, & pro Adam nouiſſimo repoſitum ab illo Dominum nouiſſimum: quomodo etiam in alia ſequenti ſententia: *Primus homo de humo terrenus, ſecundus Dominus de cælo.* Quæ ibi à Tertulliano elegātiſſimè confutantur. Docet igitur Apoſtolus, hanc noſtram vitam mortalem primo parenti Adamo, futuram verò immortalē, quam ſperamus Chriſto Domino acceptam eſſe referendā. Cæterùm quod

III. ait, *factus eſt primus homo Adam*, ſunt qui putēt abundare vocē, *homo*; cùm tamen in pleriſq; Græcis codicibus legatur: nec quiſquam meritò offendi poſſit, cùm ſatis conſtet nomē *Adam* alioqui vi ſuæ ſignificationis cunctis hominibus commune, factum eſſe proprium primi parentis. Primus ergo homo qui propriè Adam eſt appellatus, *factus eſt in animam viuentem*; ſic enim Hebræi loqui ſolent, vt illud apud Dauidem [c], *Factus eſt mihi Dominus in refugium.* Itémque [d]: *Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum refugij.* Ambroſius non videtur legiſſe vocem *homo*; at enim duos Adam conſtitui ab Apoſtolo. Certè in poſteriori ſententia ſimpliciter dicitur nouiſſimus Adam: Tertullianus aliquando legit [e] vocem homo, aliquando [f] omittit. *Igitur ſi primus Adam de terra, traditur meritò ſequens, vel nouiſſimus Adam, vt Apoſtolus dixit, proinde de terra id eſt carne nondum generationi reſignata in ſpiritum viuificantem à Deo eſt prolatus.* Vnde intelligimus, non comparari Adæ procreationē cum Chriſti conceptu, cùm æquè Chriſtus animam viuentem acceperit non aliter atque Adam, ſed ille ad poſteritatem mortis neceſſitatem tranſmittit, Chriſtus verò ſpem itidem reſurrectionis, & immortalitatis: hoc eſt enim factum eſſe nouiſſimum Adamum *in ſpiritum viuificantem.* Poſſis etiam ſimpliciſſimè hunc locum ita explicare, vt Adam primus factus dicatur *in animam viuentem*, quia ſibi duntaxat viuebat, aliis mortem potiùs peperit: nouiſſimus autem *in ſpiritum viuificantem*, quia vitam immortalem largitur; ipſe eſt enim *via, veritas, & vita.* Et rurſus [a] ait, *Verba quæ ego loquor vobis, Spiritus, & vita ſunt.*

Sed non prius quod spiritvale est, &c. 46
Ab vtroque Adamo naturam, & naturæ conditionē hauriimus; priùs tamen ab illo priori Adamo mortale, & animale corpus accipimus, à poſteriori verò rurſus reſurgendo eandem recipiemus naturam, ſed immortalem, hoc eſt corpus ſpiritale, dum (interprete Tertulliano [b]) *per Spiritum ſurgit in æternitatem. Corpus quippe animale de animali efficitur ſpiritale; ideo enim dicit non primum quod ſpiritale.* Putat autem Chryſoſtomus, tacitè reſurrectionem confirmari; quæ enim præterita ſunt futuris fidem aſtruunt. Porrò Auguſtinus [c] hanc Apoſtoli ſententiam transfert ad id, quod de duobus Rebeccæ filiis dictum [d] eſt: *Duæ gentes in vtero tuo ſunt, & duo populi de ventre tuo ſeparabuntur, & populus populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori. Spiritali intelligentia ait Auguſtinus carnales in populo Dei ſignificantur per maiorem filium, & ſpiritales per minorem, quia ſicut dicit Apoſtolus, non prius quod ſpiritale ſed quod animale, poſtea quod ſpiritale.* Eodem ferme modo hunc locū accipit Irenæus [e]. *Aliud enim eſt* (inquit) *afflatus vitæ, qui & animalem efficit hominem, & alius ſpiritus viuificans, qui & ſpiritalem efficit eum, afflatus temporalis eſt, ſpiritus autem ſempiternus. Sed non primò quod ſpiritale eſt, ait Apoſtolus, hoc tanquam ad nos homines dicens, ſed primò quidem animale eſt, deinde quod ſpiritale eſt ſecundum rationem. Oportuerat autem primò plaſmari hominem & plaſmatum accipere animam, deinde ſic communionem ſpiritus recipere: quapropter & primus Adam factus eſt à Domino in animam viuentem, ſecundus autem in ſpiritum viuificantem. Sicut igitur qui in animam viuentem factus eſt, deuertens in peius perdidit vitam, ſic rurſus idem ipſe in melius recurrēs aſſumens viuificantem ſpiritū inueniet vitam.* Ita Paulus oſtēdit (vt Chryſoſtomus, & Theophylactus obſeruant) non eſſe mirum, ſi corpore animali, mortique obnoxio præditi ſumus, hoc enim poſtulat ordinis ratio. Nā quoniam prior eſt Adam, quàm Chriſtus, priùs etiam ad nos ſuam ſimilitudinem tranſmittit, quàm Chriſtus, atque idcirco mortalia corpora geſtamus nunc, tanquam Adæ filij habituri, poſt reſurrectionem immortalia beneficio Chriſti. Quæ ſi conferantur cum his corporibus quibus nunc viuimus, meritò dicenda ſunt ſpiritualia, quia (vt apud Oecumenium ait Methodius) *omnem percipient Spiritus ſancti operationem, ac participationem, quemadmodum vas appellatur vinarium, aut olearium, quod illa in ſe recipit, vel quia deinceps corruptionis ponderibus ſubiecta non erunt.* Quamobrem aptè ſubdit:

Primvs homo de terra terrenvs, &c. 47
Paulo ante Adamum, cæteróſque eius poſteros vocauerat animales, eos verò, qui Chriſti ſimilitudinem induiſſent, ſpiritales. Nunc Adamum vocat terrenum, Chriſtum verò cæleſtem; vt colligat eos qui Adamū ſequuntur, terrenos eſſe illos contra cæleſtes, qui Chriſtum imitantur: proinde ſubdit, *Qualis terrenus, tales & terreni*, &c. quæ eſt Chryſoſtomi, & Theophylacti interpretatio. Dictus eſt autem primus homo terrenus, quia ex humo conditus eſt, idque ratione corporis, quod ex limo terræ effictum eſt, quod Adami nomen indicat, ad quod videtur reſpexiſſe Paulus. Anſelmus tamen terrenum putat, dici ratione animæ. *Propter peccatum enim* (inquit) *dicitur terrenus, quia cùm iam reus factus eſſet, & mortis ſupplicio deſtinatus audiuit: Terra es, & in terram ibis.* Quod tamen ipſum de corpore accipiendum eſt, de quo in præſentia agit Apoſtolus: tantùm videtur ſignificare Anſelmus mortalitatem ortam eſſe ex peccato, quod

Marginal notes (left): a De reſurr. car. c. 51. — b lib. 3 in Marc. c. 10. — c Pſ 91. 22. — d Pſ. 10 3. — e De reſurr. car. c. 53. & 5. in Marcion. c. 10 — f lib. de carne Chriſti. c. 17.

Marginal notes (right): a Ioan. 6. — b lib. [illegible] — c Quæſt. in Geneſ. — d Geneſ. 25. — e [illegible]

Section letters in the inner margin: A, B, C, D, E.

quod ſuperiori ſententiæ non repugnat. Vtramque A explicationem probat Oecumenius. *Adam* (inquit) *è terra erat, adeo terrenus.* Et poſt nonnulla; *Alio modo primus homo terrenus erat, non quòd è terra productus ſit, ita enim omnes terreni ſunt, & præterea nullus accuſari poſſet, quòd è terra productus eſſet, ſed de terra dicit, hoc eſt terrenus ac carnalis & terrena ſapiens.* Secūdus autē homo de cœlo cœleſtis dicitur interprete Ambroſio, *quòd cū humana fragilitatis ritu, ſed diuina maieſtatis nutu & cōceptus eſt & enixus.* Oecumenius, *Sublimis, ait, totus ac cœleſtis, nullaque terrenorum nota grauatus.* Addit Anſelmus id eſſe referendū ad perſonam verbi, quæ noſtram humanitatem ſuſcepit non ſolùm abſque vllo peccato, ſed etiam abſque vlla naturæ fœditate. Græci codices paulò aliter habent, ὁ δεύτερος ἄνθρωπος, ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ, *ſecundus homo ipſe Dominus de cœlo,* ita

II. interpretantur Chryſoſtomus, Theophylactus, & Græci omnes. Ineptè autem ex hoc loco Valentinus colligit, Chriſtum attuliſſe corpus è cœlo; nam, vt ait Ambroſius, vſque adeò Chriſtus noſtri ſimilis fuit, vt ſecundus Adam dicatur, & homo. Quod egregiè obſeruauit Tertullianus [a]. *Eodem modo* (inquit) *& in nomine hominis reuincetur. Primus* (inquit) *homo de humo terrenus, ſecundus Dominus de cœlo. quare ſecundus ſi non homo, quod & primus? Aut nunquid & primus Dominus, ſi & ſecundus;* alibi verò [b] legimus planè: *Primus homo de terra limo, ſecundus homo de cœlo. Non tamē ad materiæ differentiam ſpectat, ſed tantùm terrenæ retro ſubſtantiæ carnis primi hominis, id eſt, Adæ, cœleſtem de ſpiritu ſubſtantiam opponit, ſecundi hominis, id eſt Chriſti: & adeò ad ſpiritum, non ad carnem cœleſtem hominem refert, vt quos ſic comparat, conſtet in hac carne terrena, cœleſtes fieri, ſpiritu ſcilicet. Quòd ſi ſecundum carnem quoque cœleſtis Chriſtus, non compararentur illi, non ſecundùm carnem cœleſtes; ſi ergo qui fiunt cœleſtes, qualis eſt Chriſtus, terrenam carnis ſubſtantiam geſtant, hinc quoque confirmatur, ipſum etiam Chriſtum in carne terrena fuiſſe cœleſtem, ſicut ſunt qui ei adæquantur.* Rurſus alio loco [c]. *Primus* (inquit) *homo de terra choicus, id eſt limaceus, id eſt Adam. ſecundus homo de cœlo, id eſt ſermo Dei, id eſt Chriſtus; non alius tamen homo, licèt de cœlo, niſi quia & ipſe caro, atque anima, quod homo, quod Adam.* Et poſt nonnulla [d]: *Hic autem de ſubſtantia carnis primus, & nouiſſimus dicti ſunt, ſicut & rurſus primus homo de terra, & ſecundus de cœlo, quia etſi de cœlo ſecundum ſpiritum, ſed homo ſecundùm carnem.* Ex quibus intelligimus, Chriſtum dici de cœlo reſpectu diuinæ perſonæ, quæ dicitur ad nos de cœlo deſcendiſſe; cœleſtem porrò etiam ratione humanæ naturæ, quia cœleſtes corpori qualitates impertit, dum ab inferis excitatus eſt, eaſdémque ſuo tempore largiturus eſt iuſtis, hinc rectè colligit Apoſtulus, quod mox ſubiicit:

a lib. 3. in Marcion. c. 10.

b lib. de carne Chriſti. c. 8.

c De reſurr. carn. c. 49.

d cap. 51.

48. I. QVALIS TERRENVS, TALES, &c. Sæpè iam dixi conſueuiſſe Apoſtolum in medio diſputationis curſu, commoda occaſione accepta interſerere pauca quædam, quæ referantur ad mores. Cum igitur Chriſtum oppoſuiſſet Adamo, quòd ille mortis cauſam attuliſſet, hic verò eſſet auctor reſurrectionis; nunc paucis attingit ſimilitudinem quandam in re tamen diſſimili, quæ ineſt inter Adæ, & Chriſti imitatores. Qui terrenum (inquit) Adamum imitantur & ſeſe ſceleribus obſtringunt, fiunt planè terreni eorum prorſus cœleſtium munerum expertes, quæ aſſequentur illi, qui Chriſtum imitantur, qui non natura, ſed immortalitatis reliquorúmque munerum beneficio cœleſtes fient. Hinc autem optimè argumentatur Ambroſius: *Studeo, ait, vt hæretici volunt, noſtri generis aſſumptus homo non fuit. qui cœleſtis dicitur, ergo nec iſti naturæ noſtræ ſunt, qui cœleſtes appellantur. ſi verò de his nemo dubitat, nec de illo eſt ambigendum.* Quanquam (vt ait Anſelmus) poſſunt hæc de eiſdem ho-

minibus prorſus accipi, vt iidem iuſti, qua ratione ortum habent ab Adamo terreno, & mortali, ſint etiam ipſi & terreni & mortales; vt verò noua quadam ratione in Chriſto denuo geniti ſunt, cœleſtes dicantur, & immortales. *Dominus enim* (ait) *ad hoc terrenus factus eſt, cùm eſſet cœleſtis, vt eos qui terreni erant, faceret cœleſtes; hoc eſt ideo ex immortali, mortalis factus eſt aſſumendo ſerui formam, non Domini mutando naturam impertiendo Dominicam gratiam, non percipiendo ſeruilem miſeriam: qualis terrenus, tales & terreni, id eſt omnes morientur: & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes, id eſt omnes reſurrecturi.* Sic prorſus Theodoretus. Atque hæc quidem explanatio ſuperioribus, & *conſequentibus* mirè congruit; pertinet enim hæc omnis diſputatio ad declarandam reſurgentium corporum conditionem. Erunt enim immortalia, ſpiritualia ac planè cœleſtia, Chriſto denique reſurgenti ſimilia: nunc autem ſunt mortalia, animalia, & terrena, quippe quæ ad Adamum terrenum, & mortalem genus referant. Fuit quidem etiam Chriſtus mortali corpore præditus, atque adeò etiam mortuus eſt; ſed eo ipſo mortem ſuperauit, & reſurgendo peperit immortalitatem; ideo ait Ioannes [e]: *Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus.*

e ep. 1. c. 3. 2.

IGITVR SICVT PORTAVIMVS IMAGINEM, &c. Hæc Chryſoſtomus, & Theophylactus ad mores putant pertinere; videntur enim legiſſe Græcè φορέσωμεν, quod eſt adhortantis verbum, quaſi dicat: Qui aliquando ſequuti ſumus exemplum Adæ peccatoris, imitemur Chriſti virtutes. Quem ſenſum ſequutus eſt Tertullianus [b]. *Sicut portauimus imaginem choici, portemus etiam imaginem ſuperca leſtis. Portauimus enim imaginem choici per collegium tranſgreſſionis, per conſortium mortis, per exilium paradiſi. Nam ſi & in carne ſic portatur & imago Adæ, ſed non carnem monemur ponere. Si non carnem ergo conuerſationem, vt proinde & cœleſtis imaginem geſtemus in nobis, non iam Dei, nec iam in cœlo conſtituti, ſed ſecundùm lineamenta Chriſti incedentes in ſanctitate, & iuſtitia, & veritate. Atque adeo ad diſciplinam totum hoc dirigit, vt hic dicat portandam imaginem Chriſti in iſta carne, & in iſto tempore diſciplinæ. Portemus enim præceptiuo modo, dicens, huic tempori loquitur, in quo homo nulla alia ſubſtantia eſt, quam caro, & anima, aut ſi quam aliam, id eſt, cœleſtem ſubſtantiam hæc fides ſpectat, huic tamen repromiſſa ſit, cui ad illam elaborare mandatur. Cùm igitur imaginem & choici, & cœleſtis in conuerſatione conſtituit, illam eierandam, hanc verò ſectandam debiti admonuit.* Eandem explicationem indicat Theophylactus: ſequuntur Chryſoſtomus, Ambroſius, Hieronymus, Anſelmus. Eodem modo legiſſe videntur Irenæus [c], & Cyprianus [d] non ſemel, vt omittam Tertullianum [e], qui hoc modo legendum eſſe contendit. Verùm quoniam plerique Græci codices habent φορέσομεν, hoc eſt portabimus, alij ita accipiunt vt quemadmodum nunc imaginem primi hominis geſtamus cùm corpore mortali præditi ſimus, ita poſt reſurrectionem geſtaturi ſimus imaginem Chriſti, eius immortalitatem, & reſurrectionis gloriā, quoad eius fieri poterit imitantes. Ita omnino Theodoretus: *Quēadmodū* (inquit) *terreni primi parētis execrationis, & mortis ſumus participes, ita etiā erimus participes gloriæ Domini cœleſtis.* Quāquā hic parū, vt ego quidē exiſtimo, aptè quod ait Apoſtolus φορέσομεν, id eſt portabimus interpretatur per prædicationē, cùm re vera loquatur Apoſtolus de futura reſurrectione, in qua erūt corpora immortalia ſimilia corpori Chriſti reſurgentis. Quod apertè docet Oecumenius: *Vaticinium* (inquit) *eſt ſutapitur ex conſequentia eius, quod futurum eſt ſimul, vnde explet & aſſertionis: hoc eſt geſtabimus omnino imagine cœleſtis, ſicut geſtauimus imaginē terreni, & eſſe peteris imago quidem*

49. I.

b De reſurr. carn. c. 49.

c lib. 5. c. 9.

d lib. de diſcipl. & hab. virg. lib. de zelo. & liuore. ad Quir. c. 11. lib. 3. c. 11.

e lib. 5. aduer. Marcion. c. 10.

II.

terreni mors, imago verò cœleſtis reſurrectio, & incorruptio, effigiatur enim Adam per mortem, ſiquidē ipſe quoque primus fuit alijs moriendi principium, rurſumque Dominus Chriſtus per reſurrectionem, & incorruptionem effigiatur: nam & ipſe primus in carne ſurrexit deuicta morte, & vniuerſo hominum generi reſurrectionem ſtabiliuit. Mox tamen ſuperiorem explanationem addit, eamque copioſè declarat. Quamobrem ſi dicendum eſt quod ſentio, prior explanatio vtcumque cum ſequentibus hæc poſterior magis cum antecedentibus congruit: quanquam vtraque vtriſque aptari commodè poteſt; nā quæ refertur ad mores Apoſtolico inſtituto, dogmatibus attexitur; quæ verò de reſurrectione agit, rectè etiam cum ſequentibus cohærere poteſt, vt mox conſtabit.

50. I. HOC AVTEM DICO FRATRES, QVIA, &c. Qui ſuperiora ad qualitatem reſurrectionis referunt, his verbis ſignificari putant, hanc noſtræ mortalitatis conditionē prorſus eſſe ad aſſequēdam æternam beatitudinem ineptam. Ita Theodoretus. *Carnem* (inquit) *& ſanguinem humanam naturam appellat: fieri autem nō poteſt, vt ea cùm ſit adhuc mortalis regnum cœleſte aſſequatur.* Indicat hunc ſenſum etiam Anſelmus, quanquam magis inclinat in ſenſum moralem, vt caro & ſanguis ſignificet actiones malas, & vitioſas: quæ eſt ſententia Chryſoſtomi, Theophylacti, Ambroſij, Hieronymi, & aliorum. Fauet huic explicationi Caſſianus, qui de nomine carnis alicubi [a] ita diſſerit: *Vocabulum carnis in Scripturis ſanctis multifariè legimus nominari, nam nonnunquam ſignificat hominem integrum id eſt, qui ex corpore conſtat, & anima, vt [b] ibi: & Verbum caro factum eſt. Et [c], Videbit omnis caro ſalutare Dei. Nonnunquam homines peccatores, atque carnales, vt ibi [d]. Non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis eo quòd ſint caro. Interdum pro ipſis peccatis ponitur, vt [e] ibi. Vos autem non eſtis in carne, ſed in ſpiritu* & iterum: *Caro, & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. Et quod ſequitur: Neque corruptio incorruptelam poſſidebit. Nonnunquam pro cognatione & propinquitate, vt [f] ibi: Ecce os tuum, & caro tua ſumus. Et Apoſtolus [g]: Si quomodo in æmulationem inducam carnem meam & ſaluos faciam aliquos ex illis.* Vtramque explanationem ſequitur Photius apud Oecumeniū: nam neque hæc mortalis caro beatitudine perfruetur, neque quiſquam prauis corruptiſque moribus præditus, beatam illam, ſempiternamque vitam aſſequetur. Certè caro, & ſanguis, hoc eſt vera caro, veróque ſanguine prædita reſurget, & immortalitate donabitur. Idque videtur indicaſſe [h] Iob. *Rurſum* (inquit) *circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius.* Pertinere enim illa verba ad veram carnis reſurrectionem, docent Hieronymus [i], Rufinus [k], Auguſtinus [l], Caſſiodorus [m], quinetiam ad confirmandam reſurrectionem hoc loco plurimi vtuntur, vt alibi oſtendo. Solet autem frequēter Scriptura carnem, & ſanguinem coniungere; vt apud Matthæum [n]: *Caro, & ſanguis non reuelauit tibi.* & Paulus [o]: *Continuò non acquieui carni, & ſanguini*; his enim vocibus totum hominem ſignificat, qui corpore conſtat & anima, & caro quidem ad corpus, ſanguis verò ad animam ſignificandam refertur.

II. Scriptura quippe ſæpe dicere conſueuit, animam eſſe in ſanguine; in ſanguine enim plurimum ineſt ſpiritus vitalis, vt alicubi ſcribit Plinius [p]. Quocirca Galenus [q] negat ſalubre eſſe venam ſæpiùs incidere, quòd cum ſanguine vitalis ſpiritus efflatur; Hinc ille [r]:

Concidit ac multo vitam cum ſanguine fudit [ſ]. &,
Vnaque animam diffundit in arma cruore.

& hoc ſignificant Epiphanius [t], & auctor quæſtionū veteris ac noui Teſtamēti apud Auguſtinū [u], qui dicūt animam in ſanguine habitare Propterea (vt obſeruauit Auguſtinus [a]) ſanguis pro anima ponitur; nam (vt alios omittam) Lactantius [b], & Nemeſius [c] auctores ſunt, quoſdam philoſophos exiſtimaſſe, animam eſſe ſanguinem, quos nominant Gregorius [d] Nyſſus & Plutarchus [e]. Tertullianus [f] porrò hunc Pauli locum ex communiori veterum ſententia ad mores refert, vt carnem, aut ſanguinem, id eſt prauos, & corruptos mores à regno excludi putet, vel humanam naturam adhuc mortalem. Addit carnem, & ſanguinem, hoc eſt, moribus impuris præditos non reſurrecturos quidem ad vitam immortalem, reſurrecturos tamen in iudicium, vt præteritorum ſcelerum pœnas luant. *Fuerunt* (vt idem Tertullianus [g] affirmat) *qui carnem, & ſanguinem Iudaiſmum veluti acciperent propter circumciſionem, alienum & ipſum à Dei regno, quia & ille vetuſtati deputetur; & hoc titulo iam & alibi ab Apoſtolo denotetur, qui poſt reuelatum in ſe filium Dei, ad euangelizandum eum in nationibus ſtatim non retulerit ad carnem, & ſanguinem, id eſt ad circumciſionem id eſt ad Iudaiſmum ſicut ad Galatas ſcribit.* Denique exemplo Chriſti probat, veram carnem & ſanguinem ad cœleſte regnum poſſe peruenire. *Quemadmodum enim* (inquit) [h] *nobis arrabonē ſpiritus reliquit, ita & à nobis arrabonem carnis accepit, & vexit in cœlum, pignus totius ſummæ illuc quandoque redigendæ. Securæ eſtote caro, & ſanguis. vſurpaſtis & cœlum, & regnum Dei in Chriſto, vt ſi negent vos in Chriſto, negent & in cœlo Chriſtum, qui vobis cœlum negauerunt* [i]. Alibi certè totum hunc Pauli locum transtulit ad mores. *Sicut portauimus* (inquit) *imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis, non ad ſubſtantiam vllam referens reſurrectionis, ſed ad præſentis temporis diſciplinam. Portemus enim* (inquit) *non portabimus, præceptiue, non promiſſiue, volens nos ſicut ipſe inceſſit, ita incedere, & a terreni, id eſt, veteris hominis imagine abſcedere, quæ eſt carnalis operatio. Denique quid ſubiungitur? Hoc enim dico fratres quia caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt, opera ſcilicet carnis, & ſanguinis, quibus & ad Galatas [k] ſcribens, abſtulit Dei regnum ſolitus, & alias ſubſtantiam pro operibus ſubſtantiæ ponere.* Vtrouis igitur modo digna eſt Apoſtolo ſententia, quæque cum ſuperioribus eo quem diximus, modo rectè cohæreat.

ECCE MYSTERIVM VOBIS DICO, &c. Magnum ſanè, atque abditum myſterium attingit Apoſtolus, cuius difficultatem augent Græci codices, qui multò aliter habent; ſic enim legimus, πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα. hoc eſt; *Omnes quidem non dormiemus, ſed omnes immutabimur.* Atque hoc modo legunt Iuſtinus [l] Martyr, Origenes [m], Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius: & hanc lectionem putant probabilem Hieronymus [n], Auguſtinus [o], Gennadius [p], Fulgentius [q]: alios etiam multos ita legiſſe teſtatur Hieronymus: Latinam porrò lectionem probant Gregorius [r] Nyſſenus, Tertullianus [ſ], Hieronymus, Ambroſius, cæteríque fermè omnes Latini. Olim certè, vt auctor eſt Hieronymus [t], & commentarij, qui Hieronymi nomine circunferuntur, conſtat in Græcis codicibus duplicem fuiſſe lectionem, alteram, *Omnes enim dormiemus, non omnes immutabimur.* alteram, *Omnes enim nō dormiemus, omnes autem immutabimur*; atque hanc poſteriorem magis putant quadrare ſenſui Apoſtolico. Atque ita ex hoc loco, itemque ex altero ad Theſſalonicenſes [u] colligunt non pauci, nō omnibus neceſſariò moriendum eſſe. qua de re quid ſentiendum ſit alibi videro, hîc tantùm de Apoſtoli verbis, eorúmque ſenſu agendum videtur. Quanquam autem non auſim eos reprehendere, qui Græcam, quæ nunc circumfertur lectionem probant, non dubitarim tamen Apoſtolum ſcripſiſſe, quod dixit Latinus interpres,

affirmat

a Coll. 4. c. 10. b Io. 1. 14. c Iſa. 40. 5. & Lu. 3. d Gen. 6. 3. e ad Rom. 8. 9. f 2 Reg. 5. 1. g ad Roman. 11. 14. h cap. 19. 26. i ep. ad Pammach. de error. Ioan. Hieroſ. & in ep. ad Paulin. k in expoſ. ſymb. l lib. 22. de Ciui. c. 20. m in diuin. lect. c. 1. n Mat. 16. 17. o ad Gal. 1. 16. p lib. 11. c. 37. q lib. de ſang. ſui. r Virg. lib. 2. Æneid. ſ lib. 10. t Hær. 9. & 30. u Tomo 4.

a In Leuit. 57. b lib. de opificio hominis c. 17. c lib. de natura hominis. d lib. de anima. e lib. de placitis philoſophorum. f De reſur. carn. c. 48. g cap. 50. h cap. 51. i lib. 5 in Marcion. 10. k cap. 5. 21. 51. I. l Quæſt. 109. m lib. 4. ſ. cont. Celſ. n ep. ad Mineru. & ep. 152. o Quæſt. ad Dulcit. p De eccleſ. dogm. c. 7. q lib. 2. ad Monim. c. 41. r De opificio hominis c. 22. ſ De reſurr. carn. c. 41. t epiſt. 152. u 1 ad Theſ. c. 4.

affirmat enim Hieronymus, ita olim legiſſe Didymum Alexandrinum, & Acatium Cæſarienſem, ſeque affirmat ita in pluribus codicibus legiſſe: & in eandem ſententiam fertur interpretatio quædam Cyrilli. *Reſurgent quidem (ait) proculdubio omnium corpora immortalitatis induta gratiam, at non omnes immutabuntur, ſed inhonori permanebunt impij, ſoli verò immutabuntur iuſti, nimirum ad immortalitatis commodum immutati, & diuina gloria indumento ditati.* Nec enim dubium eſt reſpexiſſe ad hunc Pauli locum Oecumeniũ, qui Græcam lectionẽ ſequitur & ita explicat; quaſi dicat non omnibus diu cum mortuis commorandum. *Non dormiemus* (inquit) *de longa morte, quaſi corruptione, ac diſſolutione opus eſſet*: & eo ſenſu explicat quæ ſequuntur, quin etiam Latinam lectionem probat. Nec veriſimile eſt Latinos ſcriptores, qui vulgatã hanc noſtram lectionem ſequuntur, ignoraſſe quid Græci codices haberent. Tertullianus [a] autem, Auguſtinus [b], Ambroſius [c], Rufinus [d], Fulgentius [e], Iulianus [f] Archiepiſcopus Toletanus, Claudianus [g], & alij [h] cum noſtro interprete ſentiunt: accedit, quòd in Græcis codicibus leuiſſima litterulæ detractione irrepere potuit mendum; cùm enim emendatiores codices haberent, πάντες μὲν οὖν κοιμηθησόμεθα, id eſt, omnes quidem igitur dormiemus; vnica detracta litterula ν, negatio οὐ relicta eſt, qui deinde error latiùs manauit. Latinus autẽ interpres maluit dicere: *Omnes quidem reſurgemus*; quia reſurrectio poſterior eſt morte, ſeu dormitione, & indicare voluit, quod maximè Apoſtolo propoſitum eſſe videbat, communem quidem omnibus fore reſurrectionẽ, non tamen reſurrectionis gloriã. quaſi dicat: Propterea monui portandam imaginem cœleſtis Adæ, addidique carnem, & ſanguinem regnum Dei poſſidere nequaquam poſſe, neque corruptelam incorruptionem, quia quamuis omnes reuocandi ſint ad vitam, non tamen omnes eam corporis gloriam aſſequentur, quam iuſtis duntaxat pollicitus eſt Chriſtus. Hoc autem vocat Apoſtolus myſterium, quia reuera abditum eſt, & occultum, quomodo omnes quidem reſurgant, non tamen omnes immortalitatem aſſequantur, & inter eos qui immortales futuri ſint tanta futura gloriæ, ac dignitatis diſtinctio prædicetur. Porrò quod ait; *non omnes immutabimur*, mutationem illam duntaxat excludit, de qua paulò antè multa dixerat, quæ erit iuſtorum propria; nam improbi etiam ſuo modo immutabuntur, quia corpora eorum deinceps erunt immortalia, ſed eiuſmodi tamen, quæ doloribus, & cruciatibus ſubiaceant, & ſempiternis ſupplicijs apud inferos macẽtentur. itaque Apoſtolus mutationem hoc loco accipit pro gloria immortalitatis. Sin autẽ legamus cum Græcis codicibus, *Nõ omnes dormiemus, ſed omnes immutabimur*, dicendum erit, vel Apoſtolum loqui de iuſtorum duntaxat anaſtaſi, vel immutationem intelligere immortalitatem omnibus hominibus communem, quanquam & hîc aliquid videtur in Græcis codicibus deſiderari, & loco δὲ ita legendũ eſſe, ἀλλ᾽ οὐ πάντες ἀλλαγησόμεθα, hoc eſt, *verùm non omnes immutabimur*. Et profectò hunc maximè ſenſum poſtulare videntur ſuperiora; ferendam enim dixit imaginem hominis cœleſtis, quia caro, & ſanguis regnum Dei poſſidere non poteſt; nunc itaque quaſi ſuperiora confirmans addit, etiamſi omnes ad vitam reuocandi ſint, non omnibus tamen eandem eſſe fœlicitatem expectandam.

[a] De reſurr. c. 42. [b] 22. de Ciuit. 20. ep. 146. [c] De fide, & ſymb. c. 6. [d] Hoc loco, & ad Theſſ. c. [e] In expoſit. ſymb. [f] De fide ad Pet. c. 3. 29. [g] lib. 1. Prognoſt. c. 41. [h] lib. 1 de ſtatu anim. Biblio Caſtorii epiſcopus in Cantica canticorum.

52. 1. IN MOMENTO, IN ICTV OCVLI, IN, &c. Celeritatem reſurrectionis futuræ his verbis indicat: qua in re (vt monet Chryſoſtomus) admirabilem Dei prouidentiam, & mirificam efficiendi vim declarat; tam multa enim, tamque admiratione digna nõ longo, aut diuturno tempore efficiet; ſed ſubito puncto temporis, &, vt ait Apoſtolus, ictu oculi. In momento, Græcè eſt, ἐν ἀτόμῳ, hoc eſt, pũcto temporis planè indiuiſibili. Addit, *in ictu oculi*. Græcè ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ. Hieronymus [a] indicat inueniri ῥιπῇ, id eſt, ictus, & ῥοπῇ, hoc eſt motus. Prius illud tranſlatum eſt ab ictu teli, ſeu fulminis, hoc verò poſterius à motu lancis, ſeu libræ. ſunt qui putent interpretem ſcripſiſſe, non *in ictu*, ſed *in nictu oculi*, hoc eſt, motu pupillæ (vt ait Theodoretus) vel palpebræ, vt mauult Theophylactus. Tertullianus [b] tranſtulit, *in atomo, in momentaneo motu oculi. Tanta enim velocitate oculi motus tranſcurrit* (vt ait Hieronymus) *vt penè ſenſum videntis effugiat*. Videtur enim Hieronymus intelligere non motum palpebræ, ſed cõiectum oculorum, vt apertè interpretatur Anſelmus. Huic enim motui congruit ſimilitudo iaculi, ſeu teli, præſertim ex eorum ſententia, qui radios neſcio quos ex oculis tranſmitti autumant; qua ratione ſæpè Poëtæ oculorum iacula nominant. Vſus eſt autem his metaphoris Apoſtolus, vt maximam temporis breuitatem, & rei celeritatem ſignificet; neque enim inficiandum eſt, reſurrectionẽ, quæ multas mutationes complectitur, nonnullam temporis moram poſtulare. Oecumenius (vt paulò antè indicaui) ſignificat, hæc coniungi cum ſuperioribus, quaſi dicat, non omnes in puncto temporis mortuos immutandos; tamen addit poſſe etiam pertinere ad id, quod legitur in Apocalypſi, hoc eſt ad vltimum ex ſeptem tubis. Idcirco enim ſubdit Apoſtolus, *In nouiſſima tuba, canet enim.* Sanè tubæ frequens eſt in ſacris literis mentio. nam in Apocalypſi ſæpiùs tuba nominatur. Et Apoſtolus [c], *Quoniam* (inquit) *ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo.* Qualis autem hæc tuba futura ſit, non ſatis conuenit inter omnes. Sunt qui vocem angelicam, qua mortui excitabuntur, tubam metaphoricè vocari exiſtiment, ſiue quia tubæ munere fungetur, ſiue quia tubæ clangorem imitabitur. Valde enim probabile putant, non veram, ſed metaphoricam fore tubam, hoc eſt vocem aliquam magnam, raucam, ſonoram, horrendam, & clangori tubarum quàm ſimillimam. Itaque cùm Chriſtus apud Matthæũ [d] dixit, *Et mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna*, perinde accipiunt, ac ſi dixiſſet, cũ tuba, id eſt, voce magna, vt coniunctio &; quemadmodũ multis alijs locis exegetica ſit; cùm præſertim in pleriſque codicicibus Græcis legatur; *cùm tuba vociſque magna*, quomodo legit Euthymius, vel vt habet Chryſoſtomus, *cum tuba magna*, vt non duas res, ſed vnam tantùm voluerit Chriſtus ſignificare; vt apud Iſaiam [e]; *Clama, ne ceſſes, & quaſi tuba exalta vocem tuam*. Itaque exiſtimant Chriſtum magna locuturum voce, dum Angelos mittet, & Angelos ipſos in tubæ ſimilitudinem clamaturos, vt exiſtimant Oecumenius, & Anſelmus [f]. hic tamen alibi [g] putat Angelũ in aſſumpto corpore, aliquo etiã corporeo inſtrumento vſurum in ſimilitudinem tubæ. Theophylactus, *Tuba nihil aliud* (inquit) *quàm iuſſum, & nutum Dei ſignificat, omnia tranſeuntem*. Hieronymiani commentarij ipſum Chriſti nouiſſimum aduentum interpretantur. Anſelmus, *Tuba nomine* (inquit) *aliquod euidentiſſimum, & præclariſſimum ſignũ vult Apoſtolus intelligi, quam vocem Archangeli, & tubam Dei alio loco dicit quæ & vox Filij Dei in Euangelio dicitur, quam audient omnes, qui in monumentis ſunt.* Quid ex his veriſſimum ſit, nec ſciri poteſt, nec neceſſe eſt. Mihi certè probabile videtur, non veram, ſed metaphoricam futuram tubam: ſumpta autem videtur metaphora vel à priſcis Iudæorum conuentibus, ad quos tubæ ſono conuocari homines conſueuerant, vt ex libris Numerorum [h], & Iſaia [i] non obſcurè colligitur: quò etiam ſpectaſſe videtur Chriſtus, cùm dixit apud Matthæum [k]: *Cùm facis eleemoſynam noli*

[a] ep. ad Minet. [b] De reſurr. carn. c. 42. 51. [c] 1 ad Theſſ. 4. 16. [d] cap. 24. 31. [e] cap. 58. 1. [f] Tum hic, tum 1. ad Theſſ. 4. [g] In Elucidario. [h] cap. 10. 7. [i] cap. 27. 13. [k] cap. 6. 2.

noli tuba canere, vel quod alij malunt, verò que ſimilius videtur à bello, in quo tuba adhiberi ſolet ad terrorem. Ita apud Iſaiam [a] [a cap. 18. 3.]: *Omnes habitatores orbis, qui moramini in terra, cùm eleuatum fuerit ſignum in montibus videbitis, & clangorem tubæ audietis.* Et Sophonias [b] [b cap. 1. 16.]: *Dies tubæ, & clangoris ſuper ciuitates munitas, & ſuper angulos excelſos & tribulabo homines, & ambulabunt, vt cæci, quia Domino peccauerunt.* Et Zacharias [c] [c cap. 9. 14.]: *Dominus Deus ſuper eos videbitur, & exibit vt fulgur iaculum eius, & Dominus Deus in tuba canet, & vadet in turbine auſtri.* Porrò Apoſtolus nouiſſimam tubam nominat, quaſi plures futuras ſignificet. Nonnulli enim apud Theophylactum (Oecumenium puto intelligit) hoc ex Apocalypſi [d] [d cap. 8. & 11.] Ioannis interpretantur; ſeptem enim Angelorum tubæ commemorantur, extrema autem mortuos ad iudicium excitabit. Crediderim ſimpliciter appellari nouiſſimam tubam, ſiue quia nulla deinceps futura eſt hominũ conuocatio, ſiue quia extremus omniũ erit ille terror, & iudicij dies. ſubdit: *Canet enim.* ſubauditur tuba, quod aliqui codices exprimunt, vel (vt aliqui malũt) *Angelus*, de quo tamen in præſentia nulla mentio. *Et mortui* (inquit) *reſurgent incorrupti, & nos immutabimur.* Quibus verbis indicare videtur quod ſuprà diximus, noo omnes ad immortalitatis gloriam reſurrecturos. *Et mortui* (inquit) *reſurgent incorrupti.* quaſi dicat: Omnes qui vita functi ſunt, reſurgent incorrupti, hoc eſt, alieni ab interitu, quia nunquam mori poterunt. *Et nos immutabimur.* quæ verba Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus ad eos referunt, qui in extremo illo iudicij die ſuperſtites erunt, quaſi illi non morituri ſint, ſed immutandi, hoc eſt, immortalitatem aſſecuturi. ſuam videlicet ſententiam ſequuntur, de qua ſuprà plura diximus. Anſelmus tamen ſecutus Ambroſium, & Hieronymum, omnes quidem reſurrecturos dicit. *Sed iuſti* (ait) *etiam immutabuntur, quia gloriam immortalitatis aſſequentur, qua impij carebunt. Incorrupti enim reſurgent integritate membrorum, ſed tamen corrumpendi dolore pœnarum; habebunt quippe incorruptionem carnis, in qua doleant, non in qua moriantur, ad hoc enim reſurgent incorrupti, vt poſſint æterna ſuſtinere ſupplicia.* Hæc Anſelmus.

53. I. OPORTET ENIM CORRVPTIBILE HOC, &c. Quoniam dixerat mortuos excitandos incorruptos, & iuſtos immutandos, ne quis forſitan ſuſpicaretur non eadem corpora ſurrectura, cùm præſertim paulò antè dixiſſet, carnem, & ſanguinem regnũ Dei non poſſe poſſidere; addit oportere corpora corruptibilia induere incorruptionem, hoc eſt mutare (vt loquitur Anſelmus) *gloriam, non naturam.* hæc enim eſt mutatio, de qua modò dixerat: *Et nos immutabimur.* Itaque oportet corpora, quæ ſunt corruptioni obnoxia, ab omni interitus periculo liberari, & corpora mortalia immortalitate donari. Poteſt autem (vt ait Anſelmus) hæc tota ſententia referri ad iuſtos, quaſi dicat Apoſtolus, hanc eſſe mutationem, quam aſſequentur iuſti, cùm à mortuis reſurgent. Poteſt item ita diſtingui vt quod ait; *corruptibile induere incorruptionem*, referatur ad id, quod ſuprà dixerat; *Mortui reſurgent incorrupti*: quod ſubdit, *& mortale hoc induere immortalitatem*; ad illud, quod adiecit; *& nos immutabimur. Aliud enim eſt* (ait Anſelmus) *immortalitas, aliud incorruptio, ſicut & aliud mortale, & aliud corruptibile. Quidquid enim mortale eſt corruptibile eſt, ſed non quod corruptibile ſtatim & mortale eſt. Corruptibilia quippe ſunt corpora, quæ carent anima, & tamen non ſunt mortalia, quia nunquam habuere vitam, quæ propriè animantium eſt. Vnde nunc Apoſtolus corruptioni incorruptionẽ, & mortalitati immortalitatẽ oppoſuit. Omnes ergo iuſti, & iniuſti erunt incorruptibiles, iuſti verò etiam immortales fient, vt mortem gehennalium pœnarum nullatenus ſentire poſſint.*

54. I. CVM AVTEM MORTALE HOC, &c. Quoniam ſe myſterium dicturum pollicitus erat, id nunc ex Scripturæ oraculis confirmat. Exemplaria porrò Latina hoc loco variant: quædam enim alteram tantùm partem repetunt, *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem*; quomodo legitur in editione Romana; Græca conſtanter vtramque: quomodo hunc locum citat non ſemel Auguſtinus [a] [a ſerm. 4. de verb. Dom. & ſerm. 2. de verb. Apoſt.]; *Quando corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem. Tunc* (inquit) *fiet ſermo*, hoc eſt, ad exitum perducetur, quod tanto antè prophetarum oraculis fuerat prænunciatum. Putat autem Theodoretus, hæc afferri oracula tanquam pæana aduerſus hoſtes. *Abſorpta eſt* (ait) *mors in victoria.* Ambigitur autem ex quo potiſſimum loco hæc verba deſumpta ſint. Sunt enim qui eorum verborum auctorem faciant Iſaiam: ſunt qui deſumpta putent ex Oſea, ſiquidem apud hunc prophetam [b] [b cap. 13. 14.], vbi nos legimus: *Ero mors tua, ò mors, morſus tuus ero inferne*; Septoaginta babent: *Vbi eſt cauſa tua, mors? vbi eſt aculeus tuus, inferne?* Itaque aiunt, poſuiſſe Paulum non tam verba, quàm ſenſum prophetæ; ſi enim Deus eſt mortis mors, planè abſorpta eſt mors in victoria. Anſelmus exiſtimat, Apoſtolum dixiſſe, *Abſorpta eſt mors in victoria; Vbi eſt mors victoria tua? Vbi eſt mors ſtimulus tuus?* pro eo quod Septuaginta dicunt, *Vbi eſt mors cauſa tua? Vbi eſt ſtimulus tuus inferne?* Mitto illos qui dicunt apud Oſeam Septuaginta ita legere, *Abſorpta eſt mors in victoria*; indicant enim, ſe codicem Septuaginta non vidiſſe, cùm tamen facilè vel apud Hieronymum legere potuiſſent, quæ modò à nobis allata ſunt. Quod autem ait Anſelmus ſequenti ſententiæ aptè reſpondet, vt paulò pòſt conſtabit. Vnde autem ſumpſerit Apoſtolus hæc verba, *Abſorpta eſt mors in victoria*, nondum liquet. Eſſe verò ex aliquo Scripturæ loco depromptа indicant illa, *Tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt.* Fatentur [c] [c S. Thom.] aliqui nuſquam legi in vulgata tranſlatione: ſi tamen legantur apud Septuaginta non planè conſtare, quo loco ſcripta ſint; ſuſpicantur tamen ſimile quiddam eſſe apud Iſaiam [d] [d cap. 26. 19.], *Viuent mortui tui, interfecti mei reſurgent.* Alibi [e] [e cap. 25. 8.]: *Præcipitauit mortem in ſempiternum.* Subdunt apud Oſeam [f] [f cap. 13. 14.] vbi nos legimus, *Ero mors tua*: apud Septuaginta haberi, *Abſorpta eſt mors.* Verùm de hoc poſtremo nihil habeo dicere, niſi quod paulò antè monui, longè aliud eo loco dixiſſe Septuaginta, vt non ita multò pòſt oſtendam. Cæterùm vt propoſitam dubitationem expediam, fateor deſumpta eſſe verba Apoſtoli ex poſteriori loco Iſaiæ, vbi nos habemus; *Præcipitauit mortem in ſempiternum*; ſic enim omnino legendum eſt præterito tempore, non autem *præcipitabit*, vt habent nonnulli codices. Septuaginta enim eo loco habent [illegible] quod ad verbum ſonat, *deuorauit*, ſiue, *abſorpſit mors præualens*; eſt enim Hebraicè בִּלַּע *Balagh*, quod in coniugatione Rab. ſignificat abſorbere, deglutire, metaphoricè abſcondere, operire, & in *pihel* idem valet, quod perdere, & diſſipare. Interdum autem ponitur pro ingurgitare, & præcipitare: inde credo ducta metaphora quòd quæ vorantur, in ima ventris præcipitentur, & ibi quodammodo abſcondantur, deſtruantur, perdantur, & pereant. Ita in ſacris litteris Latinè redditur, abſorbere, deglutire, perdere, deuorare, præcipitare; vt in libris Regum [g] [g 2. cap. 20.]: *Quare præcipitas hæreditatẽ Domini?* Et Iob [h] [h cap. 10.], *Et ſic repentè præcipitas me?* Denique Dauid, *Præcipita Domine, diuide linguas eorum.* Quod igitur vulgatus interpres

A pres apud Iſaiam dixit, *præcipitauit*, Septuaginta dixeruot κατέπιεν, id eſt *abſorpſit*; ſeu *deuorauit*. Apoſtolus autem ne videtur quidem ſequuius Septuaginta, qui paſſiuè dixit κατεπόθη, id eſt, *abſorpta eſt*, ſeu, *deuorata eſt*. Vt igitur intelligamus, vtrùm Paulus verba prophetæ ad literam protulerit, an verò ſuo ioſtituto accommodarit, ſenſus prophetæ quanta maxima breuitate fieri poterit explicandus videtur. Loquitur igitur propheta de Chriſto, déque humanæ liberationis myſterio, & (interprete Hieronymo) fructum mortis Chriſti deſcribit. *Poſt paſſionem ergo Domini*, ait, *quando eam à ſiti, & æſtu, ac turbine liberauerit, faciet Dominus nequaquam populo Iudæorum, ſed omnibus gentibus in monte Sion pingue conuiuium, holocauſta medullata, & vinum*
B *vindemiæ defæcata, vt præcipitet & abſorbers faciat faciem mortis & vinculi, quo omnes populi ligabantur: diſrampétque rete mortis, & telam, quæ omnes ceperat nationes, & iuxta Apoſtolum abſorbebitur mors in perpetuum.* Et aliquantò pòſt: *Hoc enim conſilium Domini eſt, vt cuncta transferantur ad gentes, quia mors abſorpta eſt, & lacryma omnis abſterſa, & opprobrium vniuerſæ terræ, Chriſti imperio ſuccedente deletum eſt.* Quibus verbis inſinuat, quod alij patres apertiùs dixerunt, mortem abſorptam & deuoratam fuiſſe in ipſa Chriſti morte; perinde quaſi mors Chriſti humani generis mortem vorauerit, eiúſque vires extinxerit, quod in vulgata editione ſignificat

a cap. 13. 14.

C Oſeas [a], cùm dicit: *Ero mors tua, ô mors.* Itaque rectè intelligitur quod aiuot Septuaginta, *Deuorauit mors præualens.* Significat victricem illam Chriſti mortem humani generis mortem deuoraſſe: ita

b lib. 5. c. 12.

accepiſſe videtur Ireoæus [b], ſic enim ſcribit: *Si igitur mors poſſidens hominem expulit ab eo vitam, & mortuum oſtendit, multò magis vita poſſidens hominem expellit mortem, & viuentem hominem reſtituet Deo. Si enim mors mortificauit, quare vita adueniens non viuificat hominem, quemadmodum Iſaias ait: Deuorauit mors potens, indicans Chriſtum, qui eſt vera vita dum mori voluit, potens ſua morte humani generis mortem*

c De Paſſ. & cru. Dom. aliquanto poſt medium.

voraſſe. Planiùs idem ſignificat Athanaſius [c]; ait enim, *fruſtratum eſſe diabolum, dum confligit cum vita, id eſt, cum Chriſto. Non enim ait, eam morte ſuperare potuit, ſed potiùs aculeum ſuum amiſit, vt quos antea tenebat*
D *ille ſtimulus, nunc ab illis conuicio inceſſatur, cùm dicit: Vbi mors tuus ſtimulus? vbi inferne tua victoria? Ac rurſum deuorauit mors illa potens.* Ita enim malo interpretari, quàm vt habet Athanaſij interpres: *In deglutione mors fuit, poſtquam inualuerat*; Græcè enim Athanaſius ponit ipſa verba Septuagiota κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσας, quæ proculdubio adhibito articulo ſingularem aliquam mortem ſignificant. Eo-

III.

d li. 4. de demonſt. Euã. cap. 12.

dem modo accepiſſe videtur Euſebius [d]; cùm enim dixiſſet Chriſtum ſpoote ſua obiiſſe, & veluti ſugieotem mortem appetiuiſſe, & mox ad ſuperos, cum plurimis ſanctis rediiſſe, ſubdit; *vt meritò ex hoc in ſacris literis dictum ſit, κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσας.* Et rurſus: *Abſtulit Deus omnem lacrymam ab omni fa-*
E *cie; ipſe verò vniuerſi Saluator, ac Dominus noſter, qui Chriſtus eſt Dei, victoriaq́ reportator dicitur; in propheticis vaticiniis mortem obiurgans inducitur.* Denique

e lib. 3. in Iſa c. 25.

Cyrillus [e] vbi vim mortis pluribus explicuiſſet, *at in Chriſto* (inquit) *ceſſarunt; tertia enim die reuixit, calcata morte factus via humanæ naturæ ad interitum propulſandum.* Qui ſanè omnes haud obſcurè ſignificant, verba Septuaginta ita eſſe accipienda, vt Chriſti mors mortem deuoraſſe, ac penitus abſumpſiſſe dicatur. Itaque Apoſtolus ad hunc Iſaiæ locum reſpiciens, verbis paululum immutatis eundem ſenſum expreſſit. Propheta enim ait mors illa inſignis

A ac potens, quam Chriſtus ſponte ſubiit, humani generis mortem vorauit. Paulus, qui de reſurrectione mortuorum agit, rectè dixit: *Abſorpta eſt mors in victoriam.* quaſi dicat; à Chriſti morte victrice ſuperata eſt. Non defueruot qui Iſaiæ locum paſſiuè accipiendum eſſe exiſtimarent; aiunt enim Hebræorum conſuetudinem eſſe, vt præteritum acti-

a cap. 15. 6.

uum pro paſſiuo pooant. Ita in libro Geneſeos [a]: *Credidit Abraham Deo, & reputauit hoc illi iuſtitia*; ita enim habeot Hebræi codices: Septuaginta tamen,

b ad Ro. 4. 3.

& Paulus [b] paſſiua locutione dixerunt: *Et reputa-*

c cap. 1. 7.

tum eſt illi ad iuſtitiam. Et apud Michæam [c] Hebræi, & Græci codices habent, *Quia de mercede meretricis congregauit*; Latinus interpres dixit: *Congregata*
B *ſunt.* Quocirca Paulum aiuot Hebraicæ linguæ peritiſſimum vim præteriti actiui cognouiſſe, & quod

IV.

aliàs fecerat paſſiuè reddidiſſe. Verùm de Hebræorum conſuetudine nihil dico. Vtrùm ea hoc loco admittenda ſit, vehementer ambigo; tum quia articulus, qui tum Hebraicè tum Græcè additur morti, non abſolutè ac ſimpliciter quamlibet mortem iodicat, ſed inſignem aliquam, ac ſingularem ſignificat, qualis fuit Chriſti mors; tum etiam quia video, ſanctos Patres ita (vt diximus) locom Iſaiæ interpretari. Neque pugnat vulgata translatio, quæ ait, *præcipitauit mortem in ſempiternum*; ſignificat enim, Chriſtum morteotem, vel ipſius Chriſti mortem præcipitaſſe, ac penitus de medio ſuſtuliſſe humani generis mortem. Quod addit Apoſtolus, *In victoria*, Græcè eſt,

d Oſee 13. & epiſt. de e... tib. Ioan. 11 e. ... e Tract. 12. in 1. Ioan. f Hoc loco.

C εἰς νῖκος. Hieronymus [d], Auguſtinus [e], & Primaſius [f] legunt, *in contentione.* Varietas enim codicum hanc peperit diuerſitatem. Si enim legas νῖκος, victoria eſt, ſin autem νεῖκος, contentio, ſed præſtat legere *in victoriam*: ita enim legunt Græci explanatores, & fre-

g lib. 1. de peccat. mer. & remiſſ. c. 11. lib. 83. qq. q. 70. in Iſal. 64. & ſerm. 181. de temp.

quentiſſimè Auguſtinus [g]. Senſus autem eſt, vt Chryſoſtomus, Theophylactus, & Oecumenius explicant, hoc eſt in finem, & in euerſionem, vt nihil reliquum ſit, ne ſpes quidem inſtaurationis. Quod etiam ſignificat vox ἰσχύσας, hoc eſt præualens, ſeu inualeſcens, qua apud Iſaiam vſi ſunt Septuaginta. Conſtat igitur hæc Pauli verba deſumpta eſſe ex Iſaia. Tametſi enim iam pridem mors Chriſti Adæ mortem ſuperauit, idque Chriſtus ipſe reſurgens palàm demonſtrauit; multò id tameo apertiùs conſtabit in extrema mor-
D tuorum omnium anaſtaſi, cùm mortale hoc induerit immortalitatem: tunc enim euacuans (vt Ambroſius, & Hieronymus loquuntot) cauſis mortis per diuinam victoriam perinde erit mors, ac ſi penitus abſorpta nuſquam appareat: tunc (vt monet Anſelmus) victrix immortalitas mortem quodammodo vorabit, atque ita Iſaiæ vaticinium omni ex parte exitum ſortietur. Quamobrem rectè dixit Apoſtolus, *Tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt; Abſorpta eſt*

h cap. 2. 14.

mors in victoria. Simile quiddam indicauit in Epiſtola ad Hebræos [h]. *Vt per mortem* (inquit) *deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolum.* Noo igitur accommodatè ſolùm, ſed maximè ad rem Iſaiæ teſtimonium protulit.

55.
I.

E Vbi est mors, &c. Non dubium eſt hæc verba deſumpta eſſe ex translatione Septuaginta apud

i cap. 13. 14.

Oſeam [i], vbi enim nos legimus, *Ero mors tua, ô mors, morſus tuus inferne.* Hebræi codices ita habent, אֱהִי דְבָרֶיךָ מָוֶת אֱהִי קָטָבְךָ שְׁאוֹל *hei denareca maueth hei caranca ſceol.* Prima autè vox אֱהִי *hei*, ſignificat *ero*, & interdum etiam ſignificat *vbi*; priorem ſignificationem ſequutus eſt noſter interpres, poſteriorem Septuaginta. Quod ſequitur דְבָרֶיךָ *denareca* poteſt eſſe à nomine דבר *dabar*, quod ſignificat *verbum*: atque ita quinta editio & Aquila legerunt: *ſermones.* Hieronymus legit דֶּבֶר *deuer*, id eſt, *mors*; & ita legit; *ero*

mors

mors tua, aut, *peſtes tua*. קטב *Coten* verò ſignificat *morſum*, hoc eſt rem mordentem: atque ita Hieronymus vertit *morſus tuus*. Septuaginta, *aculeum* interpretati ſunt, quòd vrgeat & pungat. Symmachus autem ἀπάντημα, id eſt, *occurſum*. Theodotio, & quinta editio, *plagam*, & *concluſionem*. Hebræarum igitur vocum ambiguitas varias interpretationes peperit. Et quidem Apoſtolus more ſuo cùm præſertim ſcriberet ad Græcos, tranſlationem Septuaginta ſecutus eſt; verúmque omninò Spiritus ſancti ſenſum expreſſit. Hieronymus autem tametſi videret ſenſum Septuaginta interpretum fuiſſe probatum à Paulo, alterum quoque latentem voluit explicare, quem deinde Eccleſia, ſua auctoritate confirmauit. Igitur Paulus in præſentia, *Vbi eſt* (inquit) *mors victoria tua?* Vt enim paulò antè monui, Græcè eſt νῖκος, quanquam alicubi [a] Hieronymus legiſſe videtur νεῖκος; ita enim profert verba Pauli: *Abſorpta eſt mors in contentione. Vbi eſt mors contentio tua? Vbi eſt mors aculeus tuus?* Fateor in Romana editione Septuaginta legi δίκη, hoc eſt, *cauſa*; eſt autem δίκη forenſe verbum, quod idcirco à Septuaginta vt auctor eſt Hieronymus vſurpatum eſt, vt ſignificarent actam quodammodo fuiſſe in iudicio cauſam inter Chriſtum & mortem, hanc verò cauſa cecidiſſe, ac proinde veluti exprobrando, hæc verba proferri, vt ſit ſenſus: Vbi eſt mors cauſa illa tua, qua contra hominum genus in Dei iudicio contendebas, & victrix quodammodo triumphabas? vel; vbi eſt ſententia illa, quam veluti domina in omnes homines pronuntiabas, eóſque tibi veluti tuo iure ſubiiciebas? Vel vbi eſt ius illud tuum, quo mortales omnes premebas, & ad interitum vrgebas? vel denique, vbi eſt ſæuiſſima illa pœna, qua miſeros homines plectebas? Hæc enim omnia ſignificat vox δίκη, cauſam videlicet quæ apud iudicem agitur, ius ſiue actionem ad ſubeundum iudicium, iudicis ſententiam, poſtremò pœnam ſeu ſupplicium illatum. Apoſtolus autem Græcam vocem δίκη mutauit in νῖκος, hoc eſt, victoriam ſenſu prorſus immutato, ſed potiùs clariùs illuſtrato. Victoria enim ei verè tribuitur, qui in iudicio ſuperior eſt, qui iure ſuo aliquid iudicio repetit, qui vel contra reum ſententiam profert, vel ab eo pœnas exigit. Neque verò mirandum eſt duorum prophetarum verba ſimul coniungi; hoc enim ſæpè aliàs in ſacris litteris vſurpari ſolet. Petrus namque dixit [b]: *Non credentibus autem lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli, & lapis offenſionis, & petra ſcandali.* Et prior pars deſumpta eſt ex Dauide [c], poſterior ex Iſaia [d]. Itémque Marcus [e] Iſaiæ, & Malachiæ verba coniungit. *Ecce ego* (inquit) *mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te*, quæ ſunt Malachiæ [f] verba. Mox ſubdit & Iſaia [g]. *Vox clamantis in deſerto parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius.* Porrò pro ſtimulo Græcè eſt κέντρον, quod alij aculeum vertunt: ita vbique ferè Tertullianus [h]. *Vbi eſt mors, aculeus tuus.* Et mox, *Vbi tua inferne victoria?* Sed fortaſſe aliter olim habebant Græci codices, vel maluit interpres poſtponere, *Vbi aculeus tuus, mors? Vbi eſt mors contentio tua?* Aduerſus tamen Marcionem [i], *Vbi eſt mors victoria tua, vel contentio tua? vbi eſt mors aculeus tuus?* voluit enim indicare variam huius loci lectionem tam apud Græcos quàm apud Latinos. Illud poſtremò minutum eſt, quòd Latinus interpres verborum ordinem mutauerit; Græcè enim priùs legitur, *vbi tuus mors aculeus?* quia mox ſubſequitur, *aculeus autem mortis*, &c. Certè Tertullianus alicubi [a] noſtri interpretis ordinem ſequitur.

a Oſe.13.14.
b ep.1.c.2.7.
c Pſ.117.22.
d cap.8.14.
e cap.1.2.
f cap.3.1.
g cap.40.3.
h De reſurr. car.c.47.51.54.
i lib.5.c.10.

56. Stimvlvs avtem mortis peccatvm, &c. Addita [b] ſunt hæc interprete Hieronymo [c], ad explicandam vim allati teſtimonij. Rectè autem ſtimulus, ſeu aculeus mortis dicitur peccatum; quia (vt ait Theophylactus) illo veluti iaculo, ſeu telo vtitur: quin etiam ad modum ſcorpij aculeo venenum fundit, id quod eleganter alio perſimili exemplo declarat Athanaſius [d], cùm enim ageret de Chriſti morte, & reſurrectione ait, diabolum fuiſſe in Chriſti morte illuſum; & armis ſpoliatum. *Inſtar* (inquit) *miſeri animalculi veſpæ inuadentis petram, nec ſuo adortu quicquam lædentis, cùm potiùs aculeum ſuum elidat: ita quoque diabolus fruſtratus eſt confligens cum vita, id eſt, cum Chriſto; non enim eum morte ſuperare potuit, ſed potiùs aculeum ſuum amiſit, vt quos antea terrebat ille ſtimulus, nunc ab illis conuicto inceſſatur, cùm dicit: Vbi mors, ſtimulus tuus? Vbi inferne victoria tua?* Rectè autem peccatum hoc loco interpretatur Anſelmus peccatum originis, quo humana natura obſtricta morti obnoxia fuit. Luculenter de hoc Apoſtoli loco diſſerit Auguſtinus [e]. *Manifeſtum* (inquit) *eſt, & huius mortis corporis, quæ reſurrectioni carnis contraria eſt, aculeum fuiſſe peccatum, aculeum autem, quo mors facta eſt, non quem mors fecit: peccato enim morimur, non morte peccamus. Sic itaque dictum eſt aculeus mortis, quomodo lignum vitæ non quod hominis vita faceret, ſed quo vita hominis fieret, & quomodo lignum ſcientiæ, per quod ſcientia fieret hominis, non quod per ſuam ſcientiam faceret homo; Sic ergo, & aculeus mortis, quo mors facta eſt, non quem mors fecerit. Sic enim dicimus & poculum mortis, quo aliquis mortuus ſit, vel mori poſſit, non quod moriens mortuúsve confecerit. Aculeus itaque mortis peccatum eſt, peccati punctu mortificatum eſt genus humanum. Peccati verò* (inquit) *virtus, lex.* Quia videlicet lex Moſis non modò non potuit abolere peccatum, ſed dum prohibet, & pœnam minatur humanæ imbecillitatis vitio potiùs auxit, atque amplificauit: quod in epiſtola ad Romanos vberiùs explicatur. Quanquam Tertullianus maluit intelligere legem membrorum; ita enim alicubi [f] ſcribit: *Aculeus autem mortis delinquentia hæc erit corruptela; virtus autem delinquentiæ lex. illa alia ſine dubio, quam conſtituit in membris ſuis militantem aduerſus legem animi ſui.* Quo loco ſuſpicor virum doctum allucinatum eſſe, cùm dixit verbum *conſtituit*, paſſiuè accipiendum eſſe; quaſi dicat: conſtitutam agnouit; neque enim Apoſtolum conſtituiſſe, ſed conſtitutam agnouiſſe legem in membris, repugnantem legi mentis, vel aliud verbum ſubaudiendum eſſe, vel certè verbum conſtituit referendum eſſe ad delinquentiam; tunc autem legendum eſſe non in membris ſuis, ſed eius: ſuſpicor (inquam) deceptum eſſe, nec video, cur tantopere in eo verbo laborandum ſit; loquitur enim de Apoſtolo Paulo, qui in epiſtola ad Romanos [g] duas leges inter ſe pugnantes diſtinguit; quarum alteram locat in mente, alteram in membris ſuis conſtituit. Ita dicitur conſtituiſſe legem in membris, non quaſi ipſe eam legem tulerit, aut poſuerit, ſed quòd vtriuſque legis vim, & facultatem explicuerit, & certum cuique locum conſtituerit. Verùm (vt redeam ad Paulum) malo legis nomine legem Moſis accipere, quæ eſt Chryſoſtomi, omniúmque fermè aliorum tam Græcorum, quàm Latinorum ſententia. Ea verò dicitur peccati virtus, Græcè δύναμις, id eſt vis, & robur, quaſi peccato vires ſufficiens, vt viuat, creſcat, & augeatur.

Quia

a lib.5. in Marc.c.10.
b Oſeæ 13.
c cap.13.
d De diſſ. & ſtu. Dom.
e lib.de peccatori me. & remiſ.
f De reſurr. car.c.51.
g cap.7.23.

Quia, vt ait Oecumenius, *ſine lege imbecille fuiſſet peccatū, quod ex ignorantia fieret, lex verò ipſa manifeſtando magis nos condemnauit, & efficaciam, ac robur aduerſùm nos addidit nō ex ſua natura, ſed ex noſtra prauitate.*

57. DEO AVTEM GRATIAS, QVI DEDIT, &c.
1. Rectè ait Theodoretus diſputationem de reſurrectione neceſſariò hymno concludi. Agit autem (vt monet Tertullianus [a]) Deo Patri gratias, tamquam bonorum omnium auctori. *Nec alij Deo gratias dicit, quod nobis victoriam vtique de morte referre præſtiterit quàm illi, à quo verbum inſultatorium de morte, & triumphatorium accepit.* Porrò duplicem, ni fallor, victoriā inſinuat Apoſtolus, vt rectè obſeruauit Anſelmus contra peccatum, vt gratiæ, iuſtitiæque viuamus, & contra mortem, vt ad immortalitatem aliquando reſurgamus. Vtrumque Chriſto acceptum referendum eſt, qui pro nobis pugnauit, ac vicit, ſuæ verò victoriæ fructum nobis largitus eſt. Victoria verò, qua peccatum vincimus nihil eſt aliud, quàm ſingulare Dei munus, quo nobis pugnantibus præſto eſt: victoria contra mortem certa ſpes eſt futuræ reſurrectionis, & immortalitatis. Mortale autem eſt quod in præſentia ait Anſelmus, qui mortem carnalem conſuetudinem interpretatur, quæ voluptatis illecebris, & quaſi lenocinius ſtudium virtutis eneruat, ac frangit. Certum enim eſt quod ait Tertullianus [b], & Auguſtinus [c] probāt, agere Apoſtolum de vera corporum anaſtaſi, qui eſt eius victoriæ fructus, quam Chriſtus Dominus de dæmone, ac morte fœliciter reportauit; nam (vt ait Chryſoſtomus) *trophæum quidem ipſe erexit; voluit autem nos quoque triumphi & coronæ eſſe participes, idque nullo noſtro merito, ſed ſua duntaxat beneficentia, ac liberalitate.* Et quidem eius victoriæ, qua Chriſtus peccatum ſuperauit participes hactenus nos eſſe voluit; quoniam (vt idem Paulus [d] ait) peccatum non dominatur nobis, quia non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia. Victoriæ verò aduerſum mortem fructum ampliſſimum in reſurrectione conſequemur: nunc autem nō exiguum præcipimus guſtum, cùm facilè mortem contemnimus, quod puerorum, puellarúmque exemplo confirmat Athanaſius [e].

a …ueſt. …p. 10.
b … reſurr.
c …de pec… mer. & re… cap. 12.
d … ad Roman.
e … de Incarn. … ibi.

58. ITAQVE, FRATRES MEI DILECTI, STA-
1. BILES, &c. Præclara, & Apoſtolo digna adhortatione huic capiti finem imponit, qua labantes cōfirmat, & mirum in modum erigit, & ad optima quæque inflammat. More autem ſuo dilectos fratres appellat, vt ſuæ in illos beneuolentiæ, & caritatis commemoratione eos ſibi deuinciat, & ad obtemperandum promptiores, & faciliores reddat: Eſtote, inquit, ſtabiles in fide, ac ſpe reſurrectionis, & in ſuſcepto vitæ inſtituto. Veroſimillimum enim eſt fuiſſe nonnullos contrariis de reſurrectione diſputationibus non leuiter commotos, & nonnihil nutare cœpiſſe; quocirca opportunè monet, vt ſint ſtabiles. Græcè ἑδραῖοι, qui videlicet firmam, ac certam fidem retineant. Nemo vos, ait, de gradu futuræ ſpei deiiciat. Addit; *Et immobiles.* Quo loco abundat coniunctio &, quæ græcè non legitur. Græcè autem immobiles dicuntur ἀμετακίνητοι, qui aliunde aliò moueri, & abduci non poſſunt: atque hæc quidem ad fidem, ac pietatem retinendam referuntur, quæ verò ſequuntur ad eam augendam, & amplificandam pertinent. *Abundantes in opere Domini ſemper.* Poſtulat enim eximiam quamdam diligentiam, ac ſollicitudinem, quippe qui noſſet, ſcriptum eſſe. *Maledictus qui facit opus Dei negligenter.* Itaque (vt ait Chryſoſtomus) non ſolùm virtutis ſtudium flagitat, ſed magnum & aſſiduum requirit, vt ad prætetitam virtutem noua ſemper fiat acceſſio. Huc pertinere videtur quod alicubi ſcribit Seneca [a], qui tres proficientium gradus ſuo ſibi ordine ſuccedentes enumerat. Magis ad rem facit quod ſcribit S. Leo [b], nihil eſſe in Chriſtiana virtute ſummum, ſed tamdiù proficiendum, & ad perfectiora contendendum, quoad vita ſuppetat. Et in eamdem ſententiam Bernardus [c]: *Nemo quippe perfectus, qui perfectior eſſe non appetit, & in eo quiſque perfectiorem ſe probat, quod ad maiorem tendit perfectionem. Scientes*, ait, *quòd labor veſter non eſt inanis in Domino.* Spem reſurrectionis proponit, dignámque laboris mercedem. Non erit, inquit, labor veſter inanis, ſed ampliſſimum operæ feretis pretium; nam (vt ait Theodoretus) *iuſtus iudex, & athletis coronas contexit, & operariis reddet mercedem.* Ita olim dixit Iſaias [d]. *Dicite iuſto quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum ſuarū comedet.* Et Dauid [e]. *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* Quo loco acutè Auguſtinus cùm legiſſet, *labores fructuum tuorum manducabis, quaſi peruersè*, inquit, *videtur dicere non intelligentibus; debuit enim dicere; fructum laborum tuorum manducabis: multi enim manducant fructum laborum ſuorum. Laborant in vinea, ipſum laborem non manducant, ſed quod labore ipſorum naſcitur, hoc manducant. Laborant circa arbores pomiferas; quis manducat labores? nemo unquam, ſed quod illæ arbores attulerint. Fructus laboris & ipſe iucundat agricolam. Quid ſibi vult labores fructuum tuorum manducabis? modo labores habemus, fructus poſtea erit, ſed quia & ipſi labores non ſunt ſine gaudio propter ſpem, de qua paulò antè diximus [f]. Spe gaudentes, in tribulatione patientes. Modò nos ipſi labores noſtri iucundant, & lætos nos faciunt de ſpe. Si ergo labor noſter potuit manducari, & potuit iucundare, manducatus fructus ipſius laboris qualis erit? manducabant labores ſuos, qui euntes ibant, & flebant mittentes ſemina ſua. Quantò iucundiùs manducabunt fructus laborum, qui venientes venient cum exultatione portantes manipulos ſuos?* Dixerat autem paulò antè fuiſſe propterea martyres fœliciter infœlices; *erant enim ad tempus infœlices, ſed in æternum fœlices: & in eo ipſo quod erant ad tempus infœlices, putabantur magis fœlices, quam erant.* Penè eadem ante ipſum dixerat Hilarius [g]. *Non conſequitur*, inquit, *ſenſus humanus; ex laboribus enim fructus eſt, non ex fructibus labor. Deinde labor miniſterium corporis eſt, fructus verò merces laboris: Miniſterium autem corporis incorporale eſt, licet corpore ſit; nihil verò edere, niſi quod corporale eſt poſſumus. Sed propheta nihil de terrenis, & præſentibus tractat: de beatitudine enim timentium Dominum, vt in viis eius ambulantium es ſermo eſt; qui enim in viis Domini ambulant, illi labores fructuum ſuorum manducabunt. Non enim hic manducatio corporalis eſt, quia neque id, quod manducandum eſt, corporale ſit, ſed habemus hic cibum ſpiritualem animam noſtram in vita alentem, bona ſcilicet opera caſtitatis, miſericordiæ, patientiæ, pœnitentiæ, tranquillitatis, in quibus nobis contra corporum noſtrorum vitia laborandum eſt. Horum laborum fructus in æternitate eſt, ſed labor hic æternorum fructuum antè comedendus eſt, eóque in vita hac corporali anima noſtra alenda eſt.* Itaque rectè dixit Apoſtolus. *Scientes, quòd labor veſter non eſt inanis in Domino.* Neque enim labor inanis cenſeri poteſt, quando ne frigidæ quidem calix ſuo præmio, aut mercede caret. *Hinc*, vt ait Origenes [h], *adipiſcitur à Domino anima ſanitatem, vt labores delectabiliter, & non inuita ſuſcipiat; dicitur enim ei labores fructuum tuorum quia manducabis.*

II.

a epiſt. 75.
b Serm. 2. de quadrag.
c epiſt. 34.
d cap. 3. 10.
e Pſal. 127. 2.
f ad Roman. cap. 12. 12.
g in Pſal. 127.
h Hom. 17 in Num.

Argumentum Cap. XVI.

COLLIGENDÆ ſtipis, aut eleemoſynæ modum, ac rationem præſcribit: quæ ſit ſibi mens, quódve conſilium ſuum, explicat Timotheum cariſſimum diſcipulum commendat. Apollo, & quoſdam alios fideles laudat: nonnullorum ſalutationes aſcribit, & epiſtolæ finem imponit.

CAPVT XVI.

DE collectis autem, quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinaui Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite.

Per vnam ſabbati vnuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat, recondens quod ei beneplacuerit: vt non, cùm venero, tunc collectæ fiant.

Cùm autem præſens fuero; quos probaueritis per Epiſtolas, hos mittam perferre gratiam veſtram in Ieruſalem.

Quòd ſi dignum fuerit, vt ego eam, mecum ibunt.

Veniam autem ad vos, cùm Macedoniam pertranſiero; nam Macedoniam pertranſibo.

Apud vos autem forſitan manebo, vel etiam hyemabo, vt vos me deducatis quocumque iero.

Nolo enim vos modò in tranſitu videre; ſpero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, ſi Dominus permiſerit.

Permanebo autē Epheſi vſque ad Pentecoſtem.

Oſtium enim mihi apertum eſt magnum, & euidens, & aduerſarij multi.

Si autem venerit Timotheus, videte vt ſine timore ſit apud vos: opus enim Domini operatur, ſicut & ego.

Ne quis ergo illum ſpernat: deducite autem illum in pace, vt veniat ad me: expecto enim illum cum fratribus.

De Apollo autem fratre vobis notum facio, quoniam multum rogaui eum vt veniret ad vos cum fratribus: & vtique non fuit voluntas, vt nunc veniret: veniet autem, cùm ei vacuum fuerit.

Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite & confortamini.

Omnia veſtra in caritate fiant.

Obſecro autem vos, fratres, noſtis domum Stephanæ, & Fortunati, & Achaici: quoniam ſunt primitiæ Achaiæ, & in miniſterium ſanctorum ordinauerunt ſe ipſos.

Vt & vos ſubditi ſitis eiuſmodi, & omni cooperanti, & laboranti.

Gaudeo

PARAPHRASIS.

PORRÒ de ratione, modóque colligen- 1.
dæ ſtipis ad Christi fideles alendos ea-
dem prorsùs vobis obſeruanda cenſeo,
quæ non ita pridem eccleſiis Galatiæ
à me conſtituta eſſe non ignoratis. ¶ Primo quo- 2.
que die hebdomadæ vnuſquiſque veſtrûm apud
ſe reponat quantum pro ratione facultatis à Deo
acceptæ licuerit, ne cùm venero tunc primùm pe-
cunia corroganda ſit. ¶ Poſtquàm autem adero 3.
quos maximè ad id muneris idoneos probaueri-
tis, ego cum litteris mittam, vt eleemoſynam ve-
ſtram ad Ieroſolymitanam Eccleſiam perferant.
¶ Quòd ſi res digna fuerit, vt & ipſe proficiſcar, 4.
qui deſtinati fuerint legati venient vnà mecum.
¶ Ego verò iſtic quamprimùm adero, vbi Mace- 5.
doniam pertrāſiero: eſt enim mihi certum, & con-
ſtitutum eam prouinciam omnino obire. ¶ Porrò 6.
apud vos diutius hærere conſtitui, aut etiam, ſi
opus ſit, hyemare, & quocumque gentium mihi
abeundum ſit veſtris auſpiciis, veſtróque quo-
dammodo ductu proficiſcar. ¶ Nolo enim vos 7.
nunc quaſi prætetiens, & in tranſcurſu videre, ſed
ſpero me aliquandiu apud vos manſurum, ſi id
mihi, Deo propitio, licuerit. ¶ Epheſi certè com- 8.
morari cogor vſque ad ferias Pentecoſtes. ¶ Nam 9.
oſtium mihi magnum apertum eſt, & ad res ma-
gnas cōficiendas opportunum, nec deſunt quàm-
plurimi, qui aduerſentur. ¶ Quòd ſi interea ad 10.
vos venerit Timotheus, date, quæſo, operam, vt
ſecurè & abſque metu vobiſcum degat: ſtrenuam
enim Euangelio non aliter, atque ego operam na-
uat. ¶ Nemo igitur eum ſpernat, aut pro nihilo 11
habeat, ſed beneuolè, ac pacificè eum eo agite, vt
ſaluus, atque incolumis, veſtráque beneuolentia
recreatus ad me veniat: expecto enim illum vnà
cum fratribus. ¶ De Apollo ſanè hoc vobis poſ- 12.
ſum affirmare, me vnà cum pleriſque fratribus
multis ab eo contendiſſe precibus, vt ad vos veni-
ret; nihil tamen potui impetrare: certum enim ei
& conſtitutum erat, hoc quidem tempore nullo
modo iſtuc venire. Spero autem propediem il-
lum venturum, cùm ei commodum fuerit, & per
tempus licuerit. ¶ Vos igitur vigilate, & torpo- 13.
rem omnem excutite, fidem animo perceptam
conſtanter retinete. Viriliter agite; eſtote denique
robuſti, ac fortes. ¶ Quæcumque cogitatis, loqui- 14.
mini, agitis, ſint caritate in Deum & proximos ve-
luti condita. ¶ Noſtis opinor, fratres, Stephanæ 15.
familiam eſſe veluti Chriſtianæ religionis primi-
tias in Achaia, ſéque adeo fidelium obſequiis
penitus addixiſſe. ¶ Oro igitur, quæſóque vos, vt 16.
eos, qui eiuſmodi ſunt, quo par eſt honore, ac re-
uerentia

ucrentia proſequamini,quod ipſum de aliis omni-
bus intelligi volo, qui rem Chriſtianam promo-
uent, & in communi cauſa laborant, quibus vos
cedere, eorúmque vos arbitrio regendos tradere
æquum eſt, cùm ipſi ſeſe ſuáque omnia vobis iu-
17. uandis conſecrarint. ¶ Gaudeo verò Stephanam,
Fortunatum, & Achaicum ad me veniſſe;meum
enim veſtri deſiderium mirificè lenierunt, & re-
crearunt,vt eorum aſpectu, atque ſermone veſtra
quodammodò præſentia, atque alloquutione per-
18. frui viderer, ¶ Mirificè enim mihi credire ani-
mum meum,ac veſtrum erexerunt: vos itaque ta-
19. lium,qui inter vos ſunt,rationem habetote. ¶ Sa-
lutant vos Eccleſiæ Aſianæ;Aquila verò,&Priſcil-
la vnà cum ipſorum familia plurimam vobis ſa-
20. lutem dicunt. ¶ Vos denique patres omnes ſalue-
re iubent;ego verò vos moneo, vt alij alios oſculo
21. ſancto ſaluteris. ¶ Vóſque adeo valere iubeo, at-
que hanc Epiſtolam meo Pauli nomine, & chiro-
22. grapho obſignaui. ¶ Si quis non amat Dominum
Ieſum Chriſtum,perpetuo anathemate iuguletur;
quippe Domini aduentui ingtatus, dignus eſt,qui
extrema iudicis ſententia damnetur, & ſupplicis
23. adiudicetur æternis. ¶ Gratia Domini noſtri Ie-
24. ſu Chriſti vos perpetuò ſeruet incolumes. ¶ Ego
verò eximia vos omnes caritate complector in
Chriſto Ieſu,Amen.

Gaudeo autem in præſentia Stephanæ,& Fortunati,& Achaici: quoniam id,quod vobis deerat,ipſi ſuppleuerunt.

Refecerunt enim & meum ſpiritum, & veſtrum.Cognoſcite ergo qui huiuſmodi ſunt.

Salutãt vos Eccleſiæ Aſiæ.Salutant vos in Domino multum Aquila,& Priſcilla cum domeſtica ſua Eccleſia,apud quos & hoſpitor.

Salutant vos omnes fratres. Salutate inuicem in oſculo ſancto.

Salutatio,mea manu Pauli.

Si quis non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum,ſit anathema,Maran Atha.

Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti vobiſcum.

Caritas mea cum omnibus vobis in Chriſto Ieſu.Amen.

IN CAPVT SEXTVMDECIMVM EXPLANATIO.

1. 1. DE COLLECTIS AVTEM, QVÆ FIVNT,&c. Hactenus Apoſtolus de dogmatibus diſſeruit:iam in fine Epiſtolæ de beneficentia, & caritate in pauperes nonnulla præcipit. Id autem (vt monet Chryſoſtomus) propterea facit, quòd cùm in ſuperiori Epiſtolæ parte non pauca ad mores ſpectantia interſeruiſſet; de hoc verò pietatis officio ne verbum quidem fecerat, quod tamen duplici nomine præcipuè commendandum videbatur: & quia fidelium neceſſitas, atque indigentia id potiſſimùm poſtulare videbatur, & quia Paulo hoc maximè fuerat ab Apoſtolis commendatum, vt imbuendis Euangelio gentibus operam daret, ita tamen vt inopum egeſtati potiſſimùm conſuleret. Ait igitur Paulus. *De collectis autem, quæ fiunt in ſanctos.* B Græcè περὶ τῆς λογίας,quaſi dicat;de collatione. Eius rei primum habemus exemplum in Actis [a] Apoſtolicis. Antiochiæ enim fideles collectam pecuniam ad Ieroſolymitanam Eccleſiam perferendam Paulo, & Barnabæ tradiderunt. Porrò de collectis (ita enim vocabant olim fideles corrogatas pecunias ad pauperes ſubleuandos) multi extant Leonis Pontificis ſermones, qui inter cætera ſcribit [b]. *Et ideo dilectiſſimi ſatisfiat Apoſtolicis inſtitutis, & quia die dominica prima eſt futura collectio, omnis vos deuotionis voluntariè præparate, vt vnuſquiſque ſecundùm ſufficientiam ſuam habeat in ſacratiſſima oblatione conſortium,* Chryſoſtomus [c] verò cùm hæc conſuetudo

a cap.11.

b Serm.5.

c Homil. de collectis & eleem. 12.

A Conſtantinopoli exoleuiſſet, eam accuratiùs reſtituendam curauit, oſtenditque more maiorum, die dominico collectam eſſe faciendam,& meminit antiqui ritus, quo in Eccleſia gazophylacia ad hunc vſum viſebantur. Cyprianus [a] autem *corbonam* vocat.*Locuples,*inquit,*& diues es, & dominicum celebrare te credis,quæ corbonam omnino non reſpicis.* Mox indicans quos in vſus pecunia colligeretur. *Cúmque,* ait,*vniuerſa quæ dantur, pupillis ac viduis conferantur, dat illa,quam oportebat accipere.*Paulinus [b] locum excipiendæ pecuniæ deſtinatum *menſam* appellat. *Hoc,* inquit,*exemplo (dilectiſſimi) cauere debemus, ne damnum animæ, & diſpendium ſalutis adeamus negligentes in Eccleſia poſitam à Domino menſam indigentibus, quam deſpicientibus oculis intuemur, aut aridis manibus præterimus.* Aliquantò pòſt. *Non patiamur ergo, menſam Domini, & nobis vacuam, & egentibus inanem relinqui, & viſui ſtare tantùm,non vſui.* Cæterùm ante hos omnes Iuſtinus [c] Martyr. *Quod ita colligitur, ait, apud præpoſitum deponitur, atque ille inde opitulatur pupillis,ac viduis, & his,qui propter morbum, vel aliam aliquam cauſam egent, quique in vinculis ſunt, & peregrè venientibus hoſpitibus, & (vt ſimpliciter dicam)indigentium is omnium curator eſt.*Et in eandem ſententiam Tertullianus [d]. *Neque enim pretio vlla res Dei conſtat, etiamſi quod arcæ genus eſt,non de ordinaria ſumma quaſi redemptæ religionis congregatur. Modicam vnuſquiſque ſtipem menſtrua die, vel cùm velit ſi modò velit, & ſi modò poſſit apponit; nam nemo compellitur,*

a Ser de oper. & eleem.

b epiſt.12.

c Apolog. 2. in fine.

d Apolog.

pellitur, ſed ſponte confert. Hæc quaſi depoſita pietatis ſunt, nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis vorationibus diſpenſatur, ſed egenis alendis, humandiſque, & pueris, & puellis re, ac parentibus deſtitutis, támque domeſticis ſenibus, item naufragis, & ſi qui in metallis, & ſi qui in vinculis, vel in cuſtodiis duntaxat cauſa Dei ſectæ alumni confeſſionis ſuæ ſunt. Sed eiuſmodi vel maximè dilectionis operatio notam nobis inurit penes quoſdam. Vide, inquiunt, vt inuicem ſe diligunt. Ex quibus omnibus apparet, collectæ rationem ab Apoſtolo inſtitutam, nonnihil proceſſu temporis fuiſſe mutatam: illi enim docent, pecuniam fuiſſe in vnum locum coniectam, ſiue gazophylacium, ſiue corbonam, ſiue denique menſam quis malit appellare; cùm tamen Apoſtolus dicat, apud ſe quemque ſepoſitam

II. pecuniam retinere debere. Certè ſi quæ noua emergeret neceſſitas, cui conſueta ſtipis collectio conſulere nequaquàm poſſet, noua plerumque pecuniæ corrogatio indicebatur ab Epiſcopo, quod alicubi feciſſe Cyprianum [a] accepimus, qui ad redimendos captiuos miſiſſe ſe ait, *ſeſtertia centum millia nummûm, quæ iſtic in Eccleſia, cui de Domini indulgentia præſumus, cleri, & plebis apud nos conſiſtentis collatione collecta ſunt; quæ vos illic pro veſtra diligentia diſpenſabitis.* Illico verò ſignificans huiuſmodi pecuniarias exactiones, etiam extraordinarias in Eccleſia fuiſſe conſuetas, ſubdit. *Et optamus quidem, nihil tale de cætero fieri, & fratres noſtros Domini maieſtate protectos ab huiuſmodi periculis incolumes reſeruari: ſi tamen ad explorandam noſtri animi caritatem, & examinandam noſtri pectoris fidem tale aliquid acciderit, nolite cunctari nuntiare hæc nobis litteris veſtris, pro certa habentes Eccleſiam noſtram, & fraternitatem iſtic vniuerſam, ne hæc vltrà fiant precibus orare ſi facta fuerint, libenter, & largiter ſubſidia præſtare.* Cæterùm quod attinet ad pecuniæ ſummam, quam ſe miſiſſe ſcribit Cyprianus, aſſentior viro docto, eſſe omnino mendum, & non ſeſtertia centum millia nummûm, ſed ſeſtertiûm centum millia nummûm, vel ſeſtertia centum, legendum eſſe. Prior enim ſumma vltra vicies centena millia aureorum excreſceret; cùm ſingula ſeſtertia millenos ſeſtertios valeant, vt viri docti probant: At verò poſterior, aureos bis mille quingentos tantùm efficiet, quæ pro ea ætate ſatis magna videri debet. Vt autem redeam ad collectas, conſtat vrgente interdum neceſſitate, collectas non ita fuiſſe indictas, vt quod olim Tertullianus fieri conſueuiſſe negat ad largiendam pecuniam fideles compellerentur. Quod his verbis B. Gregorius [b] indicat; ſic enim ſcribit. *Indicauit præterea prædictus portitor, quòd collecta facta inter alios ciuitatis Iannenſis habitatores, & ipſe dare pariter compellatur. Et miramur quod qui magis miſericordia dignus eſt, vobis præſentibus prægrauetur. Quod ſi ita eſt denuò ab eo per quemlibet exigi veſtra ſanctitas non permittat, quia eum, quem cæcitas ſua grauat, inhumanum nimis eſt in collatione affligere, cui ſi eſſet magna neceſſitas debuit ex collatione miſereri.* Huc ſine dubio ſpectat quod in Concilio [c] Turonenſi præcipitur. *Vt vnaquæque, inquit, ciuitas pauperes, & egenos incolas alimentis congruentibus paſcat ſecundum vires, vt tam vicini presbyteri, quam vicini omnes ſuum pauperem paſcant, quo fiet vt ipſi pauperes*

III. *per ciuitates alienas non fatigentur.* Porro Apoſtolus de collectis agit, quibus pecunia cogebatur ad Eccleſiam Ieroſolymitanam ſubleuandam, cuius ea erat viuendi ratio, vt nemo quidquam proprium poſſideret. Quæ ſanè conſuetudo cùm ad vſque Theodoſij tempora perdurasſet, carpebatur tamen à Vigilantio. Is ab Hieronymo acriter caſtigatur his verbis. *Præterea iiſdem ad me relatum eſt Epiſtolis, quòd contra auctoritatem Apoſtoli Pauli, immò Petri, Ioannis, & Iacobi, qui dextras dederunt Paulo, & Barnabæ communicationis, & præceperunt eis, vt pauperum memores eſſent, tu prohibeas Ieroſolymam in vſus ſanctorum aliqua ſumptuum ſolatia dirigi. Videlicet ſi ad hæc reſpondero ſtatim latrabis meam me cauſam agere, qui tanta cunctos largitate donaſti, vt niſi veniſſes Ieroſolymam, & tuas, vel patronorum tuorum pecunias effudiſſes, omnes periclitaremur fame. Ego hoc loquor, quod B. Apoſtolus Paulus in cunctis pene Epiſtolis ſuis loquitur, & præcipit in Eccleſiis gentium per vnam ſabbati, hoc eſt in die dominico omnes conferre debere quæ Ieroſolymam in ſanctorum ſolatia dirigantur; & vel per diſcipulos ſuos, vel per quos ipſi probauerint; & ſi dignum fuerit, ipſe aut dirigat, aut perferat quod collectum eſt.* In Actis [e] quoque Apoſtolorum loquens ad fœlicem Præſidem. *Poſt annos, ait, plures eleemoſynam facturus in gentem meam veni Ieroſolymam.* Et aliquantò pòſt. *Hæc in Iudæa vſque hodie perſeuerante conſuetudine, non ſolùm apud nos, ſed & apud Hebræos, vt qui in lege Domini meditantur die, ac nocte, & partem non habent in terra, niſi ſolùm Deum, ſynagogarum, & totius Orbis foueantur miniſteriis, ex æqualitate duntaxat, non vt aliis refrigerium, & aliis ſit tribulatio, ſed vt aliorum abundantia aliorum ſuſtentet inopiam.*

IV. Non ignoro, apud Eccleſiaſticos ſcriptores collectæ nomen, piorum, cœtum, & conuentum ſignificare, quod primum in ſacris litteris, ac veteri Teſtamento licet obſeruare. In Leuitico [b] enim legimus. *Dies octauus erit celeberrimus, atque ſanctiſſimus, eſt enim dies cœtus, atque collecta.* Et in libro Numerorum [c]: *In die octaua collectio erit vobis.* Et denique in Deuteronomio [d]: *Et in die ſeptima, quia collecta eſt Domini Dei tui, non facies opus.* Quò etiam referendum eſt, quod legitur in libro Paralipomenon [e]. *Fecitque in die octano collectam.* Itémque in Epiſtola [f] ad Hebræos. *Non deſerentes collectionem noſtram.* Græcè ἐπισυναγωγὴν, hoc eſt conuentum & aggregationem. Nec dubito de hac collecta loqui Tertullianum [g]. *Sed quomodo colligemus,* inquit, *quomodo dominica ſolemnia celebrabimus?* Et de eadem re multò antè dixerat [h]. *Friuola, & frigida fides deprehendens eos, qui timidè conueniunt in Eccleſiam; dicitis enim quoniam incondite conuenimus, ſimul conuenimus, & complures concurrimus in Eccleſiam.* Et Epiphanius [i]. *Cum igitur, ait, celebraretur collecta in Eccleſia villæ, quæ eſt iuxta monaſterium noſtrum.* Et ſub finem Epiſtolæ. *Præterea audiui quoſdam murmurare contra me, quia quando ſimul pergebamus ad ſanctum locum, qui vocatur Bethel, vt ibi collectam tecum ex more Eccleſiaſtico facerem.* Eodem modo ſæpe collectarum mentio fit in hiſtoria tripartita [k]. Et Hieronymus [l]: *Poſt alleluia cantatum, quo ſigno vocabantur ad collectã, nulli reſidere licitũ erat.* Poſtremò S. Auguſtinus [m]. *Sicut ipſis, ait, geſtis martyrum monſtrabatur, qui cõfitebantur in paſſionibus ſuis, ſe collectam, & dominicũ egiſſe.* Rectè autem à viris doctis obſeruatũ eſt, idem prorſus eſſe dominicũ agere, & collectã facere.

V. Iam verò quoniam populo in Eccleſiã congregato preces ſolemnes à ſacerdotibus fieri conſueuerant, preces ipſæ quæ in illa populi collectione habebantur, collectæ cœperunt [n] appellari. Illæ tamẽ præcipuè apud Romanos eo nomine cenſebãtur, quæ dum colligitur populus, habebantur, vt ab vna Eccleſia ad aliam, atque ſtationem faciendam progrederetur [o]. Itaque Paulus de collectis, hoc eſt de eleemoſynis præcepta tradit, præcipuè verò ſollicitus eſt pro Iudæis, qui Chriſti fidem amplexi erãt, eo quòd (vt in Actis [p] Apoſtolicis ſcribitur) ſua omnia reliquiſſent, cùm præſertim ita ſibi tradita fuiſſet prouincia prædicandi Euangelium inter gentes, vt tamen pauperum memor eſſet: quod ipſe ſedulò facit, cùm pro ſe nihil interim quærat. De his autem

non

a epiſt. 10.
b lib. 6. reges. ep. vlt.
c ij. cap. 5.
e cap. 24.
b cap. 23.
c cap. 29.
d cap. 16.
e 2. cap. 7.
f cap. 10.
g De fuga & perſeq. cap. 14.
h cap. 3.
i ep. ad Ioan. Ieroſol. apud Hieronym.
k lib. 1. tri. 1. 9. ca. 16. lib. 9. c. 31.
l in Epitaph. Paulæ ad Euſtoch.
m In breuic. collationis cum Don.
n Alcuin. de diuin. offic. de celebrat. Miſſæ.
o Micrologus de Eccleſiaſt. obſeruat. Caſſiander lib. 2. de vnit. c. 27. Beleth de diuin. offic. Durand. ration. diuin. Rodolf. de can. obſeru. prop. 13.
p cap. 4.

non noua præcepta tradit, ſed ea quæ Eccleſiis Galatiæ primùm tradiderat, vt fortaſſe Galatarum exemplo Corinthios excitet, qui (vt hac ipſa Epiſtola docuimus) tenaciores videbantur. Itaque iubet, eos Galatarum ſedulitatem, ac beneficentiam imitari. *Ita*, inquit, *& vos facite*.

2. PER VNAM SABBATI VNVSQVISQVE, &c.
Rectè Chryſoſtomus, & Theophylactus monent, vnam ſabbati dictam eſſe pro primam; ita enim loqui ſolent Hebræi, atque ita dixit Moſes [a]. *Factum eſt veſpere, & mane dies vnus*, hoc eſt primus. Prima autem dies ſabbati ſeu potius ſabbatorum, & dierum hebdomadis eſt dies dominica, quo die Eccleſiaſtici olim conuentus habebantur. Qua de re ita alicubi Caſſianus [b]. *Quamobrem ſoporis modicum deguſtantes, diſcutiamus obrepentem oculis vicina iam luce torporem, ac deinceps pariter ad Eccleſiam procedētes, quoniam nos facere Dominicæ dies ſolemnitas commonet, reuerſi poſt ſynaxim ea, quæ Dominus ad inſtructionem communem pro deſiderio veſtro largitus fuerit, duplicato gaudio conferamus.* Eſt autem dies illa Chriſto potiſſimum reſurgenti dicata; quocirca, vt idem [c] Caſſianus non ſemel affirmat, eo die nec ieiunari, nec curuari genua conſueuerant. Eſtque hic dies iam inde ab Apoſtolis religioſus, & ſacer; ita enim Tertullianus [d] alicubi ſcribit. *Æquè ſi diem ſolis lætitiæ indulgemus, alia longè ratione, quàm religione ſolis ſecundo loco ab eis ſumus, qui diem Saturni ocio, & victui ſecernunt, exorbitātes, & ipſi à Iudaico more, quod ignorant.* Et alibi [e]. *Die dominico ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate à die Paſcha in Pentecoſten vſque gaudemus.* Quod ipſum aduerſus luciferianos ſcribit Hieronymus. Meminit & eius diei Cyprianus [f], &, quod maius eſt Ioannes in Apocalypſi. *Fui*, inquit, *in ſpiritu Dominica die.* De eo porrò ita præcipit Clemens in conſtitutionibus [g]. *Die*, inquit, *dominico, qui eſt dies reſurrectionis ſtudioſiùs templum domini adite, vt Deum laudibus celebretis, qui fecit omnia per Chriſtum, quem ad nos miſit, & pro nobis mori permiſit, & à mortuis excitauit. Quid enim apud Deum excuſare poterit, qui eo die ad audiendum verbum Dei ſalutare de reſurrectione nō conuenit? Quo quidem die precationes tres ſtantes facimus, memores eius, qui poſt triduum reſurrexit: in quo item adhibentur lectio Prophetarum, Euangelij prædicatio, oblatio ſacrificij, & ſacri cibi donum.* Et alibi [h]. *Cunctis dominicis diebus, conuentus Eccleſiaſticos celebrantes, lætitia fruimini. Reus enim peccati erit, qui dominico die ieiunauerit, cùm ſit dies reſurrectionis, aut qui Pentecoſtem, aut denique vllum diem Domini feſtum in mœſtitia egerit: lætari enim his diebus oportet, non autem lugere.* Dixerat autem eodem [i] libro, illis diebus nihil inhoneſtum aut loquendum, aut agendum. Rurſus [k]. *Die reſurrectionis Domini, quem dominicum dicimus, conuenite ſine vlla conuentus intermiſſione ad agendum gratias Deo, & profitendum beneficia, quibus nos Deus per Chriſtum affecit, qui liberauit nos ignorantia, errore, vinculis, vt ſic ſacrificium veſtrum reprehenſione careat, ſitque Deo acceptum, & gratū, qui de Eccleſia ſua œcumenica dixit, in omni loco afferetur mihi thymiama, & ſacrificium mundum, quia ego ſum Rex magnus Dominus omnipotens, & nomen meum admirabile in gentibus.* His omnibus conſentanea ſunt quæ alibi ex Iuſtino martyre protulimus, quibus addi poſſunt quæ ſcribunt Ignatius [l], Dionyſius [m] Corinthius, Euſebius [n], Auguſtinus [o], Gaudentius [p], Sozomenus, & alij [q].

11. Porrò Apoſtoli ſabbatum Iudæorum in diem dominicam conuerterunt: primùm quidem ob memoriam reſurrectionis, atque aduentus Spiritus ſancti; nam Chriſtum natum die dominico ex eo patet, quia retrocedendo in cyclo litterarum dominicalium conſtat eo anno litteram dominicalem fuiſſe. B. quæ apponitur diei 25. Decembris, id eſt diei Natalis Chriſti: porrò Chriſtum reſurrexiſſe die dominico, conſtat ex Euangelio: de aduentu Spiritus ſancti dubitari non licet, cùm inciderit in diem quinquageſimum à reſurrectione Chriſti. Accedit quod die dominico cœpit creari mundus, creatæque ſunt præcipuæ mūdi partes cœlum, terra, angeli, lux. Quare Iuſtinus [a] martyr, & Leo [b] dicunt, coli diem dominicū, tum ob memoriam reſurrectionis Chriſti, tum ob recordationem creationis mundi: deinde idem dies refert futuram beatorum quietem de qua Auguſtinus [c]: eo die vacatur ab actionibus ſeruilibus, vt conſtat ex Hieronymo [d], & Gregorio [e]. Denique abſtinebant à ieiunio, & geniculatione. Tertullianus [f], Concilium Nicenum [g], Hilarius [h], Ambroſius [i], Auguſtinus [k]. At Paulus: *Vnuſquiſque*, ait, *veſtrum apud ſe ſeponat recondens quod ei beneplacuerit.* Apparet nondum fuiſſe inſtitutam publicam menſam, ſeu corbonam, ſeu gazophylacium ad corrogatam pecuniam recondendam, quamobrem iubet, vt vnuſquiſque apud ſe ſeponens recondat, quod ei beneplacuerit. Id Chryſoſtomus factum putat, vt eorum pudori parceret, ne ſi in Eccleſiam pecunia ferenda eſſet, qui exiguam ſtipem conferrent, pudefierent, & quodammodo rubore ſuffunderentur. Alioqui conſueuiſſe ſingulas conferentium ſummas notari, indicat Cyprianus [l]. *Vt autem fratres noſtros, ac ſorores, qui ad hoc opus tam neceſſarium promptè, ac libenter operati ſunt, vt ſemper operentur in mentem habeatis in orationibus veſtris, & eis vicē boni operis in ſacrificiis, & precibus repræſentetis. Subdidi nomina ſingulorum, ſed & collegarum quoque, & conſacerdotum noſtrorum, qui & ipſi cum præſentes eſſent, & ſuo, & plebis ſuæ nomine quædam pro viribus contulerunt. Nomina addidi, & præter quantitatem propriam noſtram, eorum quoque ſummulas ſignificaui, & miſi.* Ex quo loco apparet, Epiſcopos olim, & Clericos vel aliquid habuiſſe proprium ex priuato patrimonio, vel certè eleemoſynas conſueuiſſe facere ex ea priuatim eccleſiaſticorum bonorum portione quæ cuique obtigiſſet, de qua te alibi plura dicenda ſunt. *Quod bene* inquit, *placuerit*. Græcè ὅ,τι ἂν εὐοδῶται, quod alij vertunt; quod facile, aut leue ſit, vel quod bene cedat. Meliùs, quidquid commodum fuerit; quidquid (Deo propitio) contigerit: ita enim explicant Chryſoſtomus, & Theophylactus. *Valde autem*, inquit Theophylactus, *prudenter iubet quemlibet colligere quod ſucceſſerit; hoc eſt; quidquid Deus dederit, ac miſerit, & quod facile poteſt. Non enim dixit ſtatim fer vt non parum qui habens pudeſiat; ſed enim apud te ipſum collige, & quando viſum fuerit, tum affer. Vt non cùm venero, tunc collectæ fiant. Ne enim opus fuerit expendere*, ait Theophylactus, *cum primum colligatis*. Neque enim æquum putabat (vt monet Theodoretus, vt coram ſe pecuniam colligerent.

3. QVVM AVTEM PRÆSENS FVERO, &c. Hæc verba (vt monet Chryſoſtomus) veluti calcaria addunt: ſe enim propediem affore ſignificat, & inſpecturum, quàm liberalis, ac ſplendida fuerit pecuniæ corrogatio. Qua ratione (vt vult idem Chryſoſtomus) eos promptiores reddit, & alacriores. Addit eam pecuniam non ſibi, ſed iis committendam, quos ipſi probauerint, vt hac ratione (quod monet Theophylactus) omnem à ſe prauam ſuſpicionem amoueat. Idémque monet, quod mihi vehementer probatur, id quod ſequitur, *per Epiſtolas*, non eſſe coniungendum cum verbo, *probaueritis*, quid enim neceſſe erat præſentes per epiſtolas probare, ſed cum verbo ſequenti: *hos mittam*: vt ſenſus ſit quos vos ipſi veſtris ſuffragiis delegeritis, hos ego mittam, non tamen abſque epiſtola, qua videlicet veſtra liberalitas, & mu

[Left margin notes:] Gen. 1. 2. — Coll. 11. 5. — de inſt. c. Collat. — Apolog. — de coron. mil. — Ep. 11. — lib. 2. c. 59. — lib. 5. in fin. — p. 9. — lib. 7. c. 24. — ad Magneſ. — apud Euſeb. lib. 4. hiſt. 17. — lib. 2. hiſt. 25. — epiſt. 119. ad Ianuar. — ſerm. Clement. — tract. lib. 6. — hom. Orig. 7. in Exo. — ſerm Athana. — homil. in illa Omnia — ſibi tradita ſunt à Patre — Ambroſ. — 181. Hieron. Gal. 4. Auguſt. l. contr. Adimant. c. 16. — Leo ep. 81. — Dioſcoru. — reg. 11. Reg. — epiſt. 1. Hieronymus præf. in Pſal.

[Right margin notes:] a Apol. 2. — b epiſt. 81. — c epiſt. 119. — d ep. ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis. — e lib. 11. ep. 3. — f de cor. Mil. cap. 3. — g Can. 20. — h Præf. in Pſ. — i Serm. 62. — k ep. 119. c. 15. — l epiſt. 60.

& munificentia commendetur: niſi exiſtimandum ſit per litteras, cum adhuc Paulus abeſſet ſignificatum Corinthios, quóſnam ipſi delegiſſent, qui collectam pecuniam Ieroſolymam perferrent; ſed prius illud cùm ſimplicius, tum verò ſimilius videtur. Poſſis etiam dicere, quos vos probaueritis per epiſtolam ad Eccleſiam videlicet Ieroſolymitanam datam, in qua ſignificaretur quantum pecuniæ, & per quos mitteretur. Itaque (vt rectè colligit Ambroſius) vtrumque Corinthiorum arbitrio permiſit, & quantum tribuere, ac largiri vellent, & per quos mittere. Hinc apparet eccleſiaſticas adminiſtrationes non cuiuis temerè committendas, ſed iis qui multorum ſuffragio digniſſimi cenſeantur, vt alibi doceo. *Mittam autem*, inquit, *perferre gratiam veſtram in Ieruſalem.* Gratiam vocat beneficium omnino gratis collatum; vel, quod inſinuat Chryſoſtomus, indicat beneficentiam, & liberalitatem in proximos magnam apud Deum gratiam promereri; vt hac etiam ratione eos magis excitet, atque inflammet. Alibi benedictionem, ſeu communicationem appellare ſolet; vt elationem animi comprimat, & tumorem deiiciat. Addit Oecumenius vitaſſe Apoſtolum eleemoſynæ nomē, quod miſerum videretur, & indignum ſanctis, quibus vſui ea pecunia futura erat; ſimul indicans, eos, qui largirentur, beneficium accipere, id eſt; ſanctorum preces officio, & caritate incenſas, quibus apud Deum plurimùm proficere poterant.

QVOD SI DIGNVM FVERIT, &c. Hæc
4. I. etiam (vt Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus affirmant) eò pertinent, vt Corinthiorum animi ad liberalitatem inflammentur. *Quod ſi*, inquit Theodoretus, *liberalem, & ſplendidam viderim ſuppeditationem, ipſe quoque ero miniſterij particeps.* Rectè enim dixit. *Si dignum fuerit.* Græcè ᾖ ἄξιον, quaſi dicat; *ſi operæpretium fuerit, ſi res erit tanti:* quaſi hoc etiam (vt ſignificat Chryſoſtomus) in eorum ponat poteſtate: in illis enim ſitum erat multum, aut parùm largiri. *Mecum*, ait, *ibunt.* Magis latinè dixit Ambroſius, *Mecum venient, vt ego eam.* græcè additur coniunctio vt ego eam non ſine emphaſi. κἀμὲ πορεύεσθαι. Illos autem intelligit, qui communi Eccleſiæ ſuffragio delecti fuerint; neque enim, vt ait Theophylactus, ſine teſtibus vult pecuniam collatam perferre ad amoliendam omnem ſuſpicionem. Apparet autem magnam ſemper olim iam inde ab apoſtolicis temporibus adhibitam fuiſſe diligentiam in iis deligendis, quibus Eccleſiaſtica bona crederentur. Quocirca cùm initio naſcentis Eccleſiæ cuperent Apoſtoli euangelio propagando aliis omnibus curis poſthabitis, operam dare, *non eſt*, inquiūt[a], *æquum, nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo, fratres, viros ex vobis boni teſtimonij ſeptem, plenos Spiritu ſancto, & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus.* Non tamen Paulus ſuo munere indignum exiſtimauit eleemoſynam perferre ad Eccleſiam Ieroſolymitanam, quod aliàs ſe feciſſe commemorat[b]. *Poſt annos*, ait, *plures eleemoſynas facturus in gentem meam veni.*

a Act. 6. 2.

b Act. 24. 17.

5. VENIAM AVTEM AD VOS, CVM, &c. Pol-
I. licetur aduentum ſuum, de quo ſuperiùs[c] nonnihil dixerat. *Veniam autem ad vos citò, ſi Dominus voluerit.* Priùs autem ſe Macedoniam obiturum dicit, vt vel hinc appareat, non fuiſſe hanc epiſtolam datam Philippis, vt indicat inſcriptio Græca, quæ eſt in Macedonia, vt ſuo loco diximus; nam hic inſinuat, ſe cùm hæc ſcriberet in Macedonia non fuiſſe, quamquàm Ambroſius exiſtimare videtur, vt colligitur ex hiſtoria Lucæ, fuiſſe Apoſtolum pridem in Macedonia, ſed in ea non diutiùs commoraturum. Verùm (vt

c cap. 4. 19.

A dixi initio Epiſtolæ) omnino videtur hæc Epiſtola Epheſi ſcripta. Itaque priùs ſe ait peragraturum Macedoniam, quàm veniat Corinthum. Qua verò ratione Paulus primùm in Macedoniam profectus ſit, his verbis deſcribit Lucas[a]. *Tranſeuntes autem Phrygiam, & Galatiæ regionem vetati ſunt à Spiritu ſancto loqui verbum Dei in Aſia. Cùm veniſſent autem in Myſiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permiſit eos Spiritus Ieſu. Cùm autem pertranſiſſent Myſiam deſcenderunt Troadem, & viſio per noctem Paulo oſtenſa eſt. vir Macedo quidam erat ſtans, & deprecans eum, & dicens. Tranſiens in Macedoniam, adiuua nos. Vt autem viſum vidit, ſtatim quæſiuimus proficiſci in Macedoniam certi facti, quòd vocaſſet nos Deus euangelizare eis.* Quod tamen hoc loco dicit Apoſtolus, non videB tur ad primam illam profectionem, de qua Lucas pertinere: illa enim multò antea præceſſerat, quippe antequàm Paulus Corinthum, aut etiam Epheſum veniret; hæc autem quā hoc loco pollicetur contigit, poſtquàm Paulus Epheſo diſceſſit, vt ipſe non ita multò pòſt apertè ſignificat, & Lucas narrat[b]. Ne videretur autem Macedones Corinthiis præferre, vt Chryſoſtomus, & Theophylactus obſeruant, non dixit in Macedoniam proficiſcar, ſed Macedoniam pertranſibo; quaſi dicat feſtinanter, ac veluti in tranſcurſu Macedoniam obibo.

a Act. 16. 6.

b Act. 20. 1.

APVD VOS AVTEM FORSITAN, &c. Ma- 6.
cedonas quàſi in tranſcurſu ſe dicit ſalutaturum, diu- I.
tiùs autem commoraturum apud Corinthios. *Forſitan*, inquit, *manebo.* Addit autem forſitan, vt indicet, C ſe totum à diuina prouidentia pendere; atque idcirco paulò etiam pòſt ait. *Spero enim, me aliquantulum temporis manere apud vos, ſi Dominus permiſerit.* Subdit. *Vel etiam hyemabo.* Hyemare autem hoc quidem loco nihil eſt aliud, quàm hybernare, aut hyemem tranſigere: quamquàm fortaſſe aliter apud Latinos vſurpari ſolet: neque tamen hæc ſignificatio abhorret à rectè loquentium conſuetudine: ſic enim alicubi ſcribit M. Tullius[c]: *Cneus Pompeius maximus, atque ornatiſſimus hyemauit in Gallia Marco Fonteio imperante.* Et Horatius[d]:

c Orat. pro Font.

d lib. 1. ep. 17.

— Mediis hyemet mercator in vndis.

Sic etiam loquitur ſæpe Cæſar. *Vt vos*, ait, *me deducatis quocumque iero.* Hoc eſt, vt per vos ad alias quaſlibet gentes perueniam. Neque enim indicat, quò profecturus ſit, quippe (vt ait Theodoretus) *abſque diuino nutu nihil vult facere, ſed vult ab illa dextra gubernari.* Interim (quod obſeruauit Chryſoſtomus) indicat, ſe non omnia antè præſciſſe, quod etiam apparet in poſteriori epiſtola, cùm ſe propter diuturniorem moram excuſat.

D

NOLO ENIM VOS MODO IN TRANSITV, 7.
&c. Hæc (vt interpretantur Chryſoſtomus, & Theo- I.
phylactus) Pauli beneuolentiam in Corinthios declarant: vt verò indicant Ambroſius, & Anſelmus, non prorſus abnuente Chryſoſtomo indicant, multa apud Corinthios eſſe corrigēda, plurimúmque Apoſtolo laborandum eſſe, vt eius Eccleſiæ mores componat, vitia tollat, omnia denique ad priſtinam integritatem reſtituat: Non vult igitur illos obiter duntaxat videre; ſed apud illos diutiùs aliquanto hærere; E idcirco ait. *Nolo vos in tranſitu videre.* Græcè ἐν παρόδῳ, quaſi dicat obiter, & veluti aliò properans. Hoc etiam diuinæ prouidentiæ committit. *Si Dominus*, inquit, *permiſerit.* Ita enim faciendum eſſe monet Iacobus[e]. *Ecce*, inquit, *nunc qui dicitis hodie, aut craſtino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus, qui ignoratis quid erit in craſtino pro eo vt dicatis; ſi dominus voluerit, & ſi vixerimus, faciemus hoc, aut illud.* Nam rectè dixit Sapiens[f]: *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ*

e cap. 4. 13.

f cap. 9. 14.

incertæ prouidentiæ noſtra. Licet autem Paulus prophetico ſpiritu præditus eſſet, non tamen omnia futura penitus nouerat; atque ita ſæpè conſilium mutare coactus eſt. Obſeruat autem Chryſoſtomus, dum Apoſtolus ait, ſperare ſe manſurum apud eos aliquantulum temporis, ſuam indicare caritatem, & eos qui peccauerant, tacitè perterrefacere. Credo quod veriſimile eſſet eos ſcelerum conſcientia non leuiter commotos Apoſtoli præſentiam magnoperè formidare. Rectè autem addit. *Si Dominus permiſerit.* Alludens fortaſſe ad Salomonis [a] ſententiam. *Cor hominis diſponit viam ſuam, ſed Domini eſt dirigere greſſus eius.* Cæterùm de hoc tranſitu per Macedoniam, de quo in præſentia agit Apoſtolus, meminit in Actis [b] Apoſtolicis Lucas; *Poſtquàm autem*, ait, *ceſſauit tumultus, vocatis Paulus diſcipulis, & exhortatus eos vale dixit, & profectus eſt, vt iret in Macedoniam. Cùm autem perambulaſſet partes illas, & exhortatus eos fuiſſet multo ſermone, venit ad Græciam.* Vtrù autem rurſus Paulus iterùm venerit Corinthum, videbimus epiſtola ſequenti.

a Prou. 16. 9.
b cap. 20. 1.

8. Permanebo avtem Ephesi, &c. Ex hoc

I. loco non obſcurè colligitur (quod ſæpè iam monui) hanc Epiſtolam Epheſi ſcriptam eſſe. Ibi autem ſe permanſurum dicit vſque ad Pentecoſtem. De feſto autem Pentecoſtes hunc locum intelligendum eſſe haud ambigo, quidquid recentiores interpretes contrà nitantur, qui vſque ad quinquageſimum diem Paulum Epheſi permanſurum ſentiunt. Fateor Chryſoſtomum, & cæteros Græcos, ac Latinos Patres nullum addere verbum, quod ad diem feſtum transferri poſſit; ſed etiam nihil dicunt, quo dies quinquageſimus ſignificetur. Illud quæri vtcumque poteſt de Iudaicó-ne, an Chriſtiano feſto Pentecoſtes agat. Certè non admodum videtur probabile Paulum feſtos dies Iudæorum coluiſſe, qui ad Galatas [c] ſcripſerat: *Dies obſeruatis, & menſes, & tempora, & annos.* Et ad Coloſſenſes [d]. *Nemo vos iudicet in cibo, aut potu, aut parte diei feſti, aut neomenia, aut ſabbatorum, quæ ſunt vmbra futurorum.* Sed potuit tamen diem feſtum Iudæorum nominare, non quaſi illum colendum exiſtimaret, ſed vt indicaret certum aliquem diem celebrem, & omnibus notum, vt exiſtimandum eſt, fuiſſe Pentecoſtem, qui vnus erat è tribus diebus, quibus omnibus Iudæis proficiſcendum erat ad vrbem Ieruſalem, vt Deum in templo adorarent, & panes primitiarum offerrent. Fieri etiam potuit, vt de die Pentecoſtes Chriſtiano ritu celebrando ageret. Ignatius [e] enim qui Apoſtolorum ætate vixit, Philippenſes monet, ne quis cum Iudæis Paſcha celebret, aut ſymbola feſtiuitatis eorum percipiat: Mox autem alios indicat feſtos dies fuiſſe in Eccleſia conſtitutos. *Feſtiuitates*, inquit, *ne dehoneſtetis.* Et Clemens [f] Romanus. *Poſt decimum verò diem*, ait, *ab aſcenſione, qui eſt Pentecoſtes, id eſt, à prima dominica quinquageſimus ſit vobis maximè feſtus; tunc enim hora tertia miſit nobis Dominus donum Spiritus ſancti, & repleti ſumus eius operatione, & nouis linguis loquuti ſumus, vt ille nobis aſpirabat, & prædicauimus Iudæis, ac Gentilibus, illum eſſe Chriſtum Dei decretum ab eo iudicem viuorum, ac mortuorum.*

c cap. 4. 10.
d cap. 2. 16.
e Epiſt. 8.
f lib. 5. conſtit. Apoſt. cap. 19.

II. Illa longè maior, ac difficilior quæſtio eſt, quæ fuerit tum apud Iudæos, tum etiam apud Catholicos eius diei feſti inſtituendi ratio, & cur eo potiſſimùm nomine cenſeatur. Certum enim eſt Pentecoſtem Græcam eſſe vocem, & ſignificare quinquageſimum. Legimus autem in Leuitico [g]. *Numerabitis ergo ab altero die ſabbati, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum ſeptem hebdomadas plenas vſque ad alteram diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, id eſt, quinquaginta dies: & ſic offeretis ſacrificium nouum Domino.* Videntur autem hæc verba pertinere ad feſtum, quem vocant hebdomadarum, qui dies feſtus (vt vult Hieronymus [a]) idem erat cum feſto Pentecoſtes, quem Auguſtinus [b] vocat feſtum datæ legis: quem conſtat celebrari conſueuiſſe die tertio tertij menſis, vt colligitur ex libro Exodi. Verùm non ſatis conſtat, quo die data ſit lex, vt inde intelligamus quis ſit quinquageſimus dies à lege data. In Exodo enim tantùm legimus veniſſe Moſem vnà cum populo in deſertum Sinai menſe tertio egreſſionis ab Ægypto: quota autem menſis die venerit adhuc ambigitur; ſiquidem Auguſtinus [c] exiſtimat populum veniſſe in deſertum Sinai prima die menſis tertij, & tertia eiuſdem datam fuiſſe legem, illámque diē eſſe quinquageſimā à die primi Paſchatis, quod in ipſo egreſſu ex Ægypto celebrarunt Hebræi [d]. Alij legē quidem die tertio mēſis tertij latam fuiſſe non negant: ſed eum diē nonum, & quadrageſimum fuiſſe autumant à primo Paſchate, atque idcirco feſtum Pentecoſtes non celebrari in memoriam legis latæ, ſed potiùs ob recordationem fœderis icti inter Deum, & populum, quod quarta die eiuſdem menſis initum fuiſſe, intelligitur ex libro Exodi [e]. Alij [f] denique admittūt, prima die menſis tertij veniſſe Moſem in deſertum. Verba autem illa: *Eſtote parati in diem tertiam*, dicta fuiſſe eiuſdem menſis quarto die, qui fuit à ſecundo die azymorum quinquageſimus: quocirca legem fuiſſe datam die ſexta eiuſdem menſis, atque ita diem feſtum legis incidere in eundem diem feſtum hebdomadarum. Ab hac ſententia non magnopere diſcrepant ij [g], qui aduentum Moſis in deſertum Sinai die tertia menſis tertij collocant, cætera eodem modo explicant, vt ſuperiores. Tota autem huius rei difficultas oritur ex verbis Moſis; ſic enim ille ſcripſit in Exodo [h]. *Menſe tertio egreſſionis filiorum Iſrael de Ægypto, in die hac venerunt in ſolitudinem Sinai.* Nec enim ſatis conſtat, quem diem ſignificare velit Moſes, cùm dixit. *In die hac*; Siquidem ſunt [i] qui primam menſis diem interpretentur. ſunt qui malint [k] eſſe diem tertiam: quaſi dicat menſe tertio, & eiuſdem numeri die tertia, putántque fuiſſe diem quadrageſimum ſeptimum, quod apertè aſſerit Hieronymus [l], cùm ait. *Ad hunc locum quadrageſimo ſeptimo die perueniunt, dicente ſcriptura menſe tertio egreſſionis filiorum Iſrael de Ægypto in die hac tranſierunt in ſolitudinem Sinai.* Quo loco meritò correxiſſe videtur quod alibi [m] dixerat, veniſſe populum in ſolitudinem Sinai quinto, & quadrageſimo die ab egreſſu ex Ægypto: vt neceſſe ſit, eos [n] pugnantia loqui, qui cùm fateantur, veniſſe populum in Sina prima die menſis tertij, eam tamen putant, fuiſſe quadrageſimam ſeptimam ab egreſſu. Quamobrem (vt quid mihi ſentiendum ſit, paucis aperiam) eorum mihi maximè probatur ſententia, qui populum ad ſolitudinem Sinai perueniſſe dicunt die tertia menſis tertij; eā autem diem fuiſſe ſeptimā ſupra quadrageſimam à ſextadecima die primi menſis, quæ fuit ſecunda dies azymorum. Nam quod ait Beatus Auguſtinus, feſto hebdomadarum aptari non poteſt, qui tamen præcipuè dicitur Pentecoſtes, vt demus, quod eſt tamen abſurdum, nullo die feſto legis datæ memoriam coli: præterquam quod eius dierū enumeratio non ſatis videtur cum lunaribus menſibus, quales erant menſes Iudæorum, conuenire. Denique vix veriſimile videri poteſt tam multa ipſo primo die menſis geſta eſſe, quæ à Moſe commemorantur, vt tertia deinde die lata ſit lex. Numerandi igitur dies ſunt à ſextodecimo die primi menſis, vt ex primo menſe dies quindecim, ex ſecundo integro viginti nouem, ex tertio tres dies ſumātur, vnde exiſtit ſumma dierum ſeptem, & quadraginta. Cúmque lex ſexta die menſis tertij lata ſit, planè ſequitur quinquageſimo die ab egreſſu ex Ægypto Iudæos acce-

g cap. 23. 15.
a ad Gal. 4.
b Ep. 119. c. 16.
c Quæſt. 72 in Exod. & Ep. 119.
d Rupert. & Abulē. Ex. 19.
e cap. 24.
f Caiet.
g Rab Salom. & Lyran.
III.
h cap. 19. 1.
i Abul. q. 10. in c. 19 Exod.
k Hugo. Victor. adnot. in Exod.
l Epiſt. ad Fabiol. manſ. 12.
m Oſee 4.
n Lipom.

a Moſ. Ægyp. lib. 1. doct. dubiot. c. 44.
b cap. 23.

piſſe legem, quod viri [a] doctiſſimi ex Hebræis fa- A
tentur. Quomodo autem in eundem diem incidat
dies feſtus hebdomadarum, colligitur ex Leuitico [b],
ex quo ſuprà verba protulimus. Non facilè tamen
intelligitur, quomodo altera dies ſabbati, à qua nu-
merandi ratio initium ſumit, accipiēda ſit. Sunt enim

c Heſich. & Rupert. in Leuit.

qui [c] putent alteram diem ſabbati eſſe diem domi-
nicam, quæ proximè ſabbatum conſequitur, quaſi
lex præcipiat numerandas eſſe hebdomadas à prima

d Ioſeph. l. 3. antiq. cap. 10. & Lyran. Caietan. Abulē. & Rabin. omnes.

die dominica, quę diem Paſchatis ſubſequatur [d]. Alij
alteram diem ſabbati primam diem poſt feſtum a-
zymorum interpretantur: quæ ſanè ſententia Ioſephi
præſertim authoritate ſubnixa admodùm videtur
probabilis. Huic ergo Hebræorum diei feſto ſucceſ-
ſit Chriſtiana Pentecoſtes, cuius præter Clementem,

e apud Iuſt. q. 115.
f lib. 8. cōtr. Celſ.
g Præfat. in Pſal.
h lib. 3. Paſchal.
i ep. ad Marcel. de error. Mont. & ad Galat. 4.
k Serm. de Pentecoſt.
l epiſt. 118.
m Hær. 71.

quem ſuprà laudaui, meminerunt Irenæus [e], Orige- B
nes [f], Hilarius [g], Theophylactus [h] Alexandrinus,
Hieronymus [i], Gregorius [k] Nazianzenus, Chryſo-
ſtomus [k], Ambroſius [k], Maximus [k], Leo [k], Auguſti-
nus [l]. Quin etiam Epiphanius [m], quod legitur in A-
ctis [n] Apoſtolicis de feſto Pentecoſtes non de Iu-
daico, ſed de Chriſtiano feſto interpretatur. Eſt au-
tem hic dies feſtus inſtitutus in memoriam aduen-
tus Spiritus ſancti, qui quinquageſimo à reſurre-
ctione Chriſti die cœlitus miſſus eſt, & noua lex

IV.

euangelica palàm cœpit promulgari. Meritò autem

n cap. 20. 15.

quæri ſolet, quānam ratione potuerit Spiritus ſancti
aduentus incidere in diem dominicam, & diem fe-

o Act. 2. 1.

ſtum Iudaici Pentecoſtes; vt enim ſcribit Lucas [o],
Spiritus ſanctus ad Apoſtolos miſſus eſt, *dum com-*
plerentur dies Pentecoſtes; hoc eſt ipſo die Penteco- C
ſtes Iudaici: atqui dies ille feſtus quinquageſimo (vt
ait Auguſtinus) à quartadecima primi menſis cele-
brari conſueuerat: anno autem, quo Chriſtus mor-
tuus eſt dies quartadecima, hoc eſt, Paſcha incidit in
diem Iouis, atque ita in eundem diem inciderit ne-
ceſſe eſt dies Pentecoſtes; atque adeò non videtur
incidere potuiſſe in diem dominicum. Neque verò
eorum mihi ſatis probanda ſententia videtur, qui
cùm admittant dies Pentecoſtes non ab ipſo die Pa-
ſchæ, ſed à ſecunda azymorum die numerandos eſ-
ſe; addunt tamen, conſueuiſſe Hebræos, ne duo dies
feſti ſibi proximè ſuccederent, quoties prima dies
azymorum incideret in feriam ſextam in diem ſe-
quentem eius diei celebritatem transferre, & die D
ſabbati tam ipſum ſabbatum, quàm feſtum azymo-
rum celebrare. Quoniam igitur quo anno Chriſtus
pro humani generis ſalute mortem obiit prima
azymorum dies incidit in feriam ſextam, debuit ſe-
quenti die, hoc eſt ſabbato celebrari, & ab altero
die, hoc eſt dominico inchoari hebdomadæ ſeptem,
& dies Pentecoſtes; qui dominico item die abſol-
uuntur. Hæc, inquam, ſententia ob id maximè non
probatur, quòd ea Iudæorum cōſuetudo nullius pro-
bati auctoris teſtimonio, atque auctoritate nitatur:

p cap. 23.

eorum verò ſententia, qui verba illa Leuitici [p], ab
altero die ſabbati explicant, vt ſignificent, primam
illam ſabbati, hoc eſt diem primum poſt ſabbatum,
qui eſt dominicus, noſtram Chriſtianam conſuetu-
dinem egregiè tuetur; ſed neſcio vtrùm ea inter-
pretatio facilè admittenda videatur. Itaque viri do- E
cti exiſtimarunt legis auctoritate conſueuiſſe dies
Pentecoſtes à ſecunda die azymorum numerari, ſi
tamen prima azymorum dies incideret in feriam
ſextam, propter diem ſabbati ſubſequentem à tertia
inchoari: idque non immeritò fieri aſſerunt cùm die
ſabbati ceſſandum prorſus ſit, ipſo autem die, quo
hebdomadæ ſeptem inchoantur demetendæ ſint ſe-
getes, & manipuli conficiendi, quorum nihil die
ſabbati licebat. Quam ob cauſam non dixit ſcriptu-
ra ab altero die Paſchæ, ſeu azymorum; ſed ab alte-
ro die ſabbati, vt includeret dies etiam feſtos, qui
diem azymorum ſubſequerentur, quaſi dicat prima
die prophana poſt diem azymorum. Cùm igitur eo
anno, quo Chriſtus obiit, prima dies prophana fue-
rit dominica, inde numerari cœperunt dies Pente-
coſtes, & die item dominico abſoluti ſunt. Cùm
itaque ait Apoſtolus, Epheſi permanſurum ſe vſque
ad Pentecoſtem, tam de Iudaico, quàm de Chri-
ſtiano intelligi poteſt. Et quidem malim de Chri-
ſtiano accipere, cùm non ad Iudæos, ſed ad Gentiles
ſcriberet.

Ostivm enim mihi apertvm est, &c. 9.
Magnam ſibi, ait, rei bene gerendæ materiam ob-
iectam eſſe, quaſi dicat (quod Chryſoſtomus, Theo-
doretus, & Theophylactus monent) multos auidè
audire, paratóſque eſſe ad percipiendam fidem. Me-
taphoricè autem dixit: *Oſtium magnum, & euidens.*
Græcè μεγάλη ϗ ἐνεργὴς, hoc eſt, *magnum, & efficax,*
quomodo interpretantur Græci. Videtur autem
vulgatus interpres legiſſe ἐναργὴς, quod apud Græ-
cos ſonat *euidens*: quomodo etiam legiſſe videtur
Ambroſius; ſenſus tamen eſt idem: ſignificat enim
multis patere aditum ad ſalutem. Addit. *Et aduer-*
ſarij multi: nam (vt ait Chryſoſtomus) hoc ipſo mul-
ti contra Apoſtolum commouebantur, quòd plu-
rimos animaduerterent eius oratione ab impietate
ad veram Chriſti fidem, & religionem traduci. *Sa-*
tanas enim (vt ait Theophylactus) *videns ſeſe iam nu-*
datũ, ac derelictum, vehementiùs perturbatur, & aduer-
ſarios excitat. Hieronymus [a] ita legit: *Oſtium mihi*

a in Iud.

apertum eſt magnum, & euidens, ſed aduerſarij multi:
vt ſignificet ſpem quidem fructus vberem eſſe, ſed
non ſine negotio, ac periculo ob eos, qui conaren-
tur obſiſtere. Ita monet Chryſoſtomus, duas ob cau-
ſas Epheſi manendum fuiſſe Apoſtolo, & quòd plu-
rimùm lucri ſperandum eſſet, & quòd magnum
immineret certamen. Vtraque autem cauſa retine-
re debet Epiſcopos in ſuis Eccleſiis, & vt multos
Chriſto lucrentur, & vt lupos à Chriſti grege ar-
ceant. At Bernardus ait multos de implendo mar-
ſupio valdè eſſe ſollicitos: nihil autem magis hor-
rere, quàm paſtoris labores, & vigilias, quos ille
multis acriter perſtringit [b]. *In labore*, inquit, *homi-*

b In declam. in illa verba, Ecce nos reliquimus omnia.

num non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur,
ideo tenuit eos ſuperbia: habent enim ſingula quæque ge-
nera hominum laboris aliquid, aliquid voluptatis; ſed D
aduertere eſt prudentiam aliquorum, & mirari quem-
admodum nouo inter hæc artificio diſcernentes, & ab in-
uicem ſequeſtrantes ea, totum quod delectat eligunt &
amplectuntur: quod moleſtum eſt fugiunt, & declinant.
Cum militibus nempe ſuperbiæ faſtus, amplam fami-
liam, & nobiles apparatus, quorum phaleras, accipitres,
aleas, & ſimilia quæque frequentant: aliqui forte & de-
pendentes à collo rubricatas murium pelles, ornatos tha-
lamos, balnea, & mollitiem omnem, atque gloriam ve-
ſtium à mulierculis mutuantur, cautè omnino lorica
pondus, & inſomnes in caſtris noctes, incertáque diſcri-
mina præliorum, muliebrem quoque verecundiam &
diſciplinam, aut ſi quid aliud ſexus ille laberis habere
cernitur declinantes. Sudant agricolæ, putant & fodiunt
vinitores, & qui inter hæc torpent otio, accedente fru- E
ctuum tempore innouari ſibi horrea iubent, & prom-
ptuaria eorum plena, vtinam non præ illis, vtinam vel
cum illis. Viuunt tritico, bibunt vuæ ſanguinem meraciſ-
ſimum: parum eſt, impinguantur, & dilatantur adipe
frumenti, herbarum viribus: peregrinum mutuantur vi-
na ſaporem, & additur oleum camino. Sed conſidera &
negotiantes: circumeunt mare, & aridam in labore cor-
poris, & periculo vitæ, perituras ſibi diuitias congregan-
tes. Dura ſunt hæc: caueant prudenter noſtri diuites in-
terea capiant ſomnos: ne dicam in ſtratis laſciuiant ſuis

erit

erit tamen inuenire in die feſto graues vaſis aureis, & argenteis miniſtrorum dexteras, refertas varijs operibus manticas, perticas oneratas, & in ſcrinijs tam multiplices loculos, vt ſi menſas adhibueris, nummularios putes. A
Mitto cætera; omnis enim illa mihi declamatio deſcribenda eſſet, ſi cuncta velim percenſere, quæ in eos æui ſui Epiſcopos, ac Præſules vir ſanctus declamat, qui titulo Apoſtolico gloriabantur, Apoſtolicos mores, ſtudia, labores, Leooe (vt dicitur) peius, & angue exhorreſcebant.

10. Si avtem venerit Timothevs, &c. Su-
I. prà[a] dixerat. *Miſi ad vos Timotheum, qui eſt filius*
4.17. *meus cariſſimus, & fidelis in Domino:* hîc autem de eo loquitur, quaſi adhuc anceps eſſet, neque certò ſciret, verùm eò perueturus eſſet; ſiue quia alia ei mandata dederat, quæ illum fortaſſe poſſent alibi remorari, B ſiue quia multa accidere poterant in itinere, quæ illum diutiùs detinerent. *Si ergo*, inquit, *ille ad vos venerit, videte, vt ſine timore ſit apud vos.* Metuebat enim Apoſtolus (vt monet Chryſoſtomus) ne quis aut generis nobilitate elatus, aut opibus, & diuitiis elatus, aut externæ ſapientiæ ornamentis inſtructus, hominis adoleſcentiam contemneret, & cōſilia, atque admonitiones floccifaceret. Rectè autem obſeruat Chryſoſtomus, non hæc dici propter Timotheum, ſed propter ipſos Corinthios; nam ille quidem ſatis erat ad ſubeunda pericula & animatus, & neceſſariis præſidiis inſtructus; qui verò eum læderent, aut prouocarent, magno id ſuo malo tentarent. *Ita*, inquit Chryſoſtomus, *ne ex audacia in diſcipulum ad magiſtrum quoque procederent, & fierent* C *deteriores, eos eminùs comprimit, & coercet. Opus enim*, inquit, *Domini operatur, ſicut & ego.* Egregia verò miniſtri Euangelici cōmendatio, quæ (vt ait Chryſoſtomus) nobilitati, diuitiis, ætati, ac ſapientiæ longè eſt anteponenda. Quid autem ſit, *abſque timore eſſe*, explicat cùm ſubdit.

11. Ne qvis ergo illvm spernat, &c.
I. Adoleſcentiæ, credo, Timothei metuebat, cùm præſertim ſuo nomine mores quoſdam deprauatos caſtigaturus eſſet: ſic etiam ad illum ſcribens. *Nemo*, inquit, *adoleſcentiam tuam contemnat.* Rectè autem deducitur ex ſuperioribus; dixerat enim: *opus Domini operatur, ſicut & ego.* Qui etiam in promulgando Euangelio ſtrenuè laborant, non modò ſpernendi non ſunt, ſed (vt alibi ait Apoſtolus) duplici cenſen- D tur honore digni: & apud Gentiles magna fuit præceptorum veneratio. Subdit: *Deducite illum in pace. Non pugnas*, ait Chryſoſtomus, *inferentes aut contentiones, non odia & inimicitias, vno verbo amicè ac beneuolè cum illo agite:* Hæc enim fermè omnia officia beneuolentiæ ſolent Hebræi pacis nomine ſignificare. *Vt veniat ad me.* Quæ verba (vt Chryſoſtomus, & Theophylactus obſeruant, & ſubobſcurè inſinuat Theodoretus) terrorem neſcio quem incutiūt, quaſi Timotheus ad Paulum reuerſus omnia ſit renuntiaturus. Proinde ſubdit. *Expecto enim illum cum fratribus.* Ita (vt admonet Chryſoſtomus) ſuam in Corinthios beneuolentiam declarat, quòd ad eos miſerit Timotheum; cuius opera adeo indigebat, vt illius abſentiam diutiùs ferre non poſſet, ſed eius reditum E quàm citiſſimè expectaret. Ambiguè autem dictum eſt. *Cum fratribus.* neque enim facilè ſciri poteſt vtrùm Paulus vnà cum fratribus Timothei aduentum præſtolaretur, an verò Paulus cuperet ad ſe Timotheum, & vnà cum illo fratres redire, illos videlicet, quos cum ipſo miſerat. Prius illud videtur probabilius, magiſque arridet Anſelmo; idcirco enim Apoſtolus Timothei aduentum deſiderabat, vt eius opera, qui aderant, fratres ad optima quæque promouerentur.

A De Apollo avtem fratre, &c. Multi 12.
codices Latini habent: *De Apollo autem fratre vobis* I.
notum facio. Quæ verba in Græcis codicibus nuſquàm extant, nec videntur vlla ratione neceſſaria, ſed fortaſſe explicationis gratia addita ſunt ab interprete. Certè leguntur in editione Romana. Vtrùm autem ea legerit Ambroſius non facilè dixerim: quamuis enim inter verba Pauli apud ipſum legantur, in explicatione tamen nullam eorum mentionem facit. Quod ipſum dixerim de Chryſoſtomo, apud quem in editione Latina cum verbis Pauli habentur, cùm tamen in Græco codice Chryſoſtomi nuſquàm legantur. Quod attinet igitur ad rem ait ſe plurimùm rogaſſe Apollo, vt Corinthum proficiſceretur; aliter enim cum collega, aliter cum diſcipulo B ſibi agendum putabat. Illum amicè rogat, hunc pro imperio mittit, atque ita oſtendit non ſe Timotheum illi prætuliſſe, ſed quod ab amico impetrare non potuit, per diſcipulum præſtare voluiſſe. *Vtique*, inquit, *non fuit voluntas eius, vt nunc veniret.* neque enim hominem accuſat aut reprehendit, ſed potiùs excuſat, quaſi per occupationes non licuerit; mox enim ſubdit. *Veniet autem cum ei vacuum fuerit.* Hoc eſt, cùm ab aliis negotiis liber fuerit, atque expeditus. græcè eſt ὅταν εὐκαιρήσῃ id eſt, cùm erit opportunum, vt ſignificet non nunc quidem voluntatem, ſed opportunitatem defuiſſe. Anſelmus aliò trahit. *Quando*, inquit, *vos à pſeudoapoſtolis, & diſſentionibus ſic vacuos inuenerit, vt audiendæ prædicationi eius vacare velitis.* Ita eis non adimit ſpem, & interim tamen tacitè in C mentem reuocat, quod initio Epiſtolæ apertè monuerat. Tollendas videlicet diſſenſiones contentionéſque.

Vigilate, state in fide, &c. Oſtendit 13.
(vt Chryſoſtomus monet) non eſſe in magiſtris ſpem I.
ſalutis eo locandam, ſed poſita diuina gratia in priuato ſtudio, labore, & contentione. Vigilate, inquit, ne torporis, aut negligentiæ ſomnus irrepat, vt ab aduerſarij inſidiis tuti eſſe poſſitis; ita enim monuit
Petrus[a]. *Sobrij eſtote, & vigilate, quia aduerſarius ve-* a ep 1. cap. 1.
ſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem
deuoret. Sic etiam monuerat Chriſtus[b]. *Vigilate, quia* b Matt. 24. 42.
neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. Et rur-
ſus[c]: *Si ſciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigi-* c Matt. 24. 43.
laret vtique. Denique[d]: *Videte vigilate & orate, neſcitis* d Marc. 13. 33.
D *enim quando tempus ſit.* Quam ob cauſam ita alicubi
ſcribit Ephræm Syrus[e]. *Vigilemus ergo dilectiſſimi, vi-* e lib. 2. de cō-
gilemus donec in bello conſtituti ſumus, & contra diabo- punt. Cor c. 2.
lum dimicemus. Pugna quidem eius in promptu eſt, ipſe autem infirmus exiſtit, ac debilis: noſter autem Dominus fortis agonotheta, qui eſt Rex Regum: his qui alacriter dimicauerint, & virtutem præſtat, & coronam immarceſcibilem. Quemadmodum enim puluis a vehementia venti ſpargitur, ita & aduerſarius noſter ad nihilum redigitur, quando vox noſtra in Dei laudibus perſonat, & orationes noſtræ plenæ lacrymis Domino exhibentur. Quid autem propriè ſit vigilare cùm ad ani-
mum refertur explicat Origenes[f]. *Vigilat autem*, f Hom 15. in Matt.
inquit, *qui facit opera bona: vigilat qui ſollicitè agit de fidei veritate, ne in aliquod tenebroſum dogma incurrat.*
E In præſentia autem (vt ait Ambroſius) *vigilandum monet mentis oculis ad dæmonis inſidias præcauendas.* Eodem modo loquitur Anſelmus, idémque ſubobſcurè ſignificat Theodoretus. *Vigilate*, inquit, *poſuit propter deceptores.* Obſeruant autem Chryſoſtomus, & Theophylactus, perſtringi Corinthios, quaſi dormitantes. Subdit: *State in fide.* Quaſi labantes confirmet (vt ait Chryſoſtomus) vel ſtandum monet vt mauult Ambroſius, quia ſtantibus difficilè ſomnus obrepit. Standum autem ait in fide, non in externa ſapientia (vt admonet Chryſoſtomus) quæ ſemper

huc

huc illuc fluctuat. *Viriliter agite, & confortamini. Aduerſus eos,* inquit Chryſoſtomus, *qui inſidiantur, qui ſeditionem agitant, & conantur diuellere, ac diſtrahere.* Rectè autem dixit *viriliter agite*, quia (vt ait Ambroſius) omnis leuitas, & inconſtantia mulicbris cenſetur, atque hoc nomine Corinthios quaſi imbelles, & effœminatos nonnihil pungit.

14. I. Omnia vestra, &c. Paucis verbis multa complexus eſt; caritas enim eſt vinculum perfectionis, & fons ac radix omnium bonorum. Monet autem, *vt omnia in caritate fiant*, hoc eſt (interprete Chryſoſtomo) *ſiue quiſpiam increpet, ſiue imperet, ſiue obtemperet, ſiue diſcat, ſiue doceat, omnia denique hoc veluti ſale condiantur.* Ita (vt interpretatur Ambroſius) ab inanis gloriæ ſtudio, & cupiditate reuocat, & (vt indicant Chryſoſtomus, & Theophylactus) non obſcurè docet, vnde orta ſint diſſidia, de quibus initio Epiſtolæ plura dixit. *Cuncta*, inquit Chryſoſtomus, *quæ dicta ſunt, fiebant ex eo, quod caritas fuerat neglecta; nam ſi ea non fuiſſet neglecta, non eſſent inflati, non dixiſſent. Ego quidem ſum Pauli, ego verò Apollo. Si ipſa affuiſſet, non foris iudicio contendiſſent, immò ne contendiſſent quidem: ſi ipſa affuiſſet, ille vxorem Patris non accepiſſet, fratres qui erant infirmi, non contempſiſſent, hæreſes non habuiſſent, propter chariſmata inanem gloriam non concepiſſent, propterea igitur dicit. Omnia veſtra in caritate fiant.*

15. I. Obsecro autem vos, fratres, &c. Græci codices hoc loco tantùm nominant Stephanæ domum, cuius initio Epiſtolæ meminerat. *Baptizaui autem*, inquit, *& Stephanæ domum:* paulò autem pòſt Stephanæ Fortunatum, & Achaicum adiungit. Latini codices hoc etiam loco vtrumque cum Stephana nominant: puto quòd animaduerterit quiſpiam, verbum eſſe numeri multitudinis, *Ordinauerunt ſe*; ſed referri poteſt ad nomen οἰκίαν, hoc eſt *familiam*, quæ eſt (vt grammatici loquuntur) vox collectiua, quæ non incongruè cum verbo multitudinis coniungitur. Hanc igitur Stephanę familiam primitias Achaiæ nominat, oſtendens (vt ait Chryſoſtomus) eam familiam fidem quam profeſſa erat, moribus vitæque inſtitutis confirmaſſe. *Oportet enim*, inquit, *primitias eſſe meliores cæteris, quorum ſunt primitiæ*, idque ex eo confirmat, quia *in miniſterium ſanctorum ordinauerunt ſe ipſos.* Ex quo loco colligitur mendum eſſe in Epiſtola ad Romanos, vbi Epænetum primitias τῆς Ἀχαΐας vocat, cùm dicendum fuerit, vt habent emendatiores codices tum Græci, tum Latini, τῆς Ἀσίας, id eſt Aſiæ. Videtur autem indicare Apoſtolus Stephanæ familiam fidelium indigentiam liberaliter ſubleuaſſe: ita Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus. *Sanctis*, ait Theodoretus, *domum aperientes, nihil non ex officij, & adiumenti afferant.* Hos igitur ait Apoſtolus cognoſcendos, hoc eſt, eo quo par eſt honore proſequendos: quomodo explicant Theodoretus, Theophylactus, & Ambroſius. Quod enim ait interpres, *noſtis*, græcè eſt εἴδατε, quod poteſt intelligi, quaſi iubeat agnoſci benemeritos. Quaſi dicat *Noueritis*, quemadmodum paulò pòſt ſubdit. *Cognoſcite ergo, qui eiuſmodi ſunt.*

16. I. Vt et vos subditi sitis, &c. Chryſoſtomus putat his verbis Apoſtolum ſuadere liberalitatis, ac munificentiæ imitationem; quaſi dicat: monui vt Stephanæ familiam afficiatis honore: indicare autem volui, vt vos etiam eius ſedulitatem ac ſtudium imitemini, vt alter alteri opem feratis; *Nam illis*, inquit, *labor erit leuis, quando habuerint ſocios, & ad plures tranſierit beneficium.* Quod autem Apoſtolus ait, *ſubditi ſitis*, putant Chryſoſtomus, & Theophylactus, eximiam quamdam, ac ſingularem obedientiam ſignificare, quod tamen (vt verum fatear) A non ſatis intelligo, quomodò cum ſuperioribus cohæreat; nam ſi eorum liberalitatem imitandam, ac iuuandam monet, neſcio cur etiam obtemperandum præcipiat. Suſpicor igitur vocem illam διακονίαν, quam vulgatus latinè interpretatus eſt *miniſterium*, munus aliquod Eccleſiaſticum ſignificare cum labore, & ſumptu coniunctum, ſiue quòd peregrinos hoſpitio reciperent, ſiue quòd indigentium curam, & patrocinium ſuſciperent, adeóque nonnulla iis obedientia deberetur; eiuſmodi enim olim erat ſeptem diaconorum miniſtratio, quibus viduarum, & pupillorum cura commiſſa erat. Videntur autem hi egentium inopiæ ære ſuo conſuluiſſe, propterea ait Apoſtolus. *Se ipſos ordinauerunt:* quaſi ſe, ſuáque pauperum obſequio dicarint. Ne autem Stephanæ fa-B miliæ aſſentari videatur, addit. *Et omni cooperanti, & laboranti:* quaſi dicat (interprete Chryſoſtomo) *hæc lex communis eſt omnibus, qui eadem præſtant, nec quidquam priuatim de illis dico, ſed quicumque eorum ſimilis fuerit, eodem etiam honore perfruatur.*

Gavdeo avtem in præsentia, &c. 17. I. Monet Chryſoſtomus hos præcipuè ab Apoſtolo commendari, quòd veriſimile videretur Corinthios ipſis eſſe infenſos, quòd cùm illi ad Apoſtolum profecti eſſent, probabilem ſuſpicandi præbuerant occaſionem, ſe omnia Apoſtolo renuntiaſſe, quæ hac epiſtola reprehenduntur. Itaque ad hanc amouendam ſuſpicionem, ait illos quaſi legatos omnium nomine ad ſe veniſſe, idque vnos præſtitiſſe, quod cuncti efficere nequaquam poterant. Et quidem (vt C ait Theodoretus) per eos ad Apoſtolum ſcripſerant Corinthij, & dubitationes propoſuerant, quas hac epiſtola expediuit. Iiſdem autem hanc Apoſtolus Epiſtolam tradidit, & ob eam quam dixi, cauſam diligentiùs commendat; ne quaſi accuſatores exoſi eſſent, & moleſtia afficerentur. Quod verò ait interpres: *quod vobis deerat*, græcè eſt τὸ ὑμῶν ὑστέρημα, quaſi dicat *veſtrum defectum*; hoc enim deeſſe videbatur, idque Apoſtolus deſiderabat, vt omnes Corinthij coram adeſſent, vt eorum præſentia fruerentur. Sunt qui legant τὸ μοῦ ὑστέρημα, hoc eſt *defectum meum*, vt Corinthiorum præſentiam ſibi defuiſſe dicat Apoſtolus. Mirum autem cur hoc loco Ambroſius ancipitem poſuerit interpretationem; ita enim ſcribit: *Quia præſentes ſunt apud vos, & in illis ma-*D *gnum poteſtis habere profectum, ſiue quia mihi venerunt pro vobis miniſtrare officium caritatis*, cùm planum ſit, eos quos hîc nominat Apoſtolus, ad ſe ab Corinthiis fuiſſe miſſos: atque idcirco loqui Apoſtolum de eorum præſentia, qua ipſe fruebatur: ſubdit enim.

Refecervnt enim, &c. 18. I. Sua, inquit, præſentia me mirum in modum recrearunt. Ambroſius, & Anſelmus ſentiunt de ſubſidio ab Corinthiis miſſo; atque ita ſcribit Ambroſius. *Pro caritate veſtrum pro lætitia meum ſpiritum refecerunt.* Ego nonnihil hæreo quamquàm enim video perſimili genere locutionis alibi Paulum Philippenſium liberalitatem deſcripſiſſe, neſcio tamen vtrum hoc officij genere vſi ſint Corinthij præſertim cum Apoſtolo, qui hac ipſa E Epiſtola profeſſus eſt, ſe nullum ex Euangelio lucrum quærere, etiamſi id iure ſuo facere poſſet. Malo igitur hæc referre ad gaudium, quo perfuſus eſt Paulus ex eorum, qui hîc nominantur præſentia & ſermone: ita ait recreatum ſpiritum ſuum, vnde quod eſt mutuæ beneuolentiæ conijcit magnam quoque lętitiæ partem ad eos redundaſſe. Sic omnino Theophylactus. *Itaque, ait, cùm ego recreatus ſim ab ipſis, & vos inde accepiſtis lucrum, meam nempe refocillationem;* hoc enim eſt, *refecerunt meum ſpiritum & veſtrum.* Subdit. *Cognoſcite ergo, qui eiuſmodi ſunt*, hoc eſt

interpre

interprete Theophylacto, *honorate, quippe à quibus quodammodò beneficium acceperitis*. Hoc autem eò ſpectat vt eos non modò tutos à contumelia reddat, ſed laude potiùs ac præmio dignos oſtendat; ita Chryſoſtomus, & Theophylactus. Interim iis fidem, atque auctoritatem conciliabat, qui ſua mandata expoſituri eſſent: vel eos ait cognoſcendos, hoc eſt, præ oculis habendos, quaſi vitæ, morúmque exemplaria ad imitandum propoſita. Ita alibi dixit. *Obſeruate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram.*

19. SALVTANT VOS ECCLESIÆ ASIÆ, &c.
I. Hæc etiam verba indicant Paulum ex Aſia hanc ſcripſiſſe Epiſtolam. Nomine autem Eccleſiarum Aſiæ Corinthiis ſalutem dicit, vt (quemadmodum monet Anſelmus) tacitè hortetur ad eorum imitationem, quorum ſalutationes aſcribit. Nominatim Aquilam, & Priſcillam exprimit, de quibus alibi plura diximus. *Cum domeſtica*, inquit, *ſua Eccleſia*, hoc eſt cum domeſtico fidelium cœtu: vt enim ait Ambroſius, *domeſticam congregationem fraternitatis Eccleſiam nominauit*. Itaque ille latinè dixit. *cùm ea quæ in domo eorum eſt Eccleſia*, Sic enim græcè ſcriptum eſt. σὺν τῇ κατ᾽ οἶκον αὐτῶν ἐκκλησίᾳ; indicat enim familiam eorum fuiſſe Chriſtianam. Addit Ambroſius in Apoſtolico contextu *apud quos hoſpitor*; quod nuſquam in Græcis codicibus legitur: fatetur tamen Chryſoſtomus, verè Paulum apud Aquilam, & Priſcillam habitaſſe, & in Actis Apoſtolicis ſcribit Lucas [a], cùm eiuſdem eſſet [a Act. 18. 3.] opificij, hoc eſt tabernaculorum artifex. Theophylactus monet conſueuiſſe fideles in Aquilæ, & Priſcillæ domo, eccleſiaſticos conuentus habere, quod eſt C valdè quidem veriſimile, non tamen neceſſarium. Certè id etiam affirmat Theodoretus. *Vnà*, inquit, *cum iis habitauit diuinus Paulus: nam ipſi etiam erant tabernaculorum opifices: ij autem propter maximam virtutem etiam domum ſuam effecerunt Eccleſiam: Ea ſolùm, quæ eccleſiam decebant facere contendentes, ſibique proponentes.*

20. SALVTANT VOS OMNES FRATRES, &c.
I. Omnium fidelium nomine ſaluere iubet Corinthios, monétque vt ſeſe mutuo oſculo ſancto conſalutent. De hoc autem oſculo, & oſculandi conſuetudine [b] alibi plura ſcripſi: non pigebit autem in præ- [b Rom. 16.] ſentia, pauca quædam ex Chryſoſtomo [c] addere. *Sa-* [c Hom. 30. in 1 Cor.] *lutate*, inquit, *inuicem in oſculo ſancto. Quid eſt ſancto? Non ficto, non ſubdolo, quemadmodum Iudas Chriſtum oſculatus eſt. Ob id enim nobis datum eſt oſculum, vt caritatis igniculus, ac fomes ſit, vt affectum inflammet, vt hac ratione nosipſos mutuò amemus, velut fratres inuicem ſe amant, patréſque viciſſim filios, immò etiam multò vehementiùs; illa enim natura ſunt, hæc gratia. Ad hunc modum animæ inter ſe deuinciuntur. Ob eam cauſam etiam ex peregrinatione aliqua reuerſi mutuò nos oſculamur, animis videlicet ad mutuum congreſſum accedentibus. Hoc enim potiſſimùm membrum eſt, quod animi affectum nobis prædicat: quin de hoc ſancto oſculo aliud quoque afferri poteſt. Quid tandem? Templum Chriſti ſumus: itaque templi veſtibula, & aditum oſculamur, cum alij alios oſculamur. An non cernitis, quotnam homines etiam huiuſce templi veſtibulis oſculum figunt, partim inclinato capite, partim manu tenentes, atque ori manum admouentes, ac per has portas, & ianuas ingreſſus eſt Chriſtus, & ad nos ingreditur cum communicamus. Noſtis enim vos, qui myſteriorum participes eſtis, quid dicam: neque enim vulgari quodam honore os veſtrum afficitur, cùm corpus Dominicum excipit, eáque præſertim de cauſa tum mutua oſcula iungimus. Audiant qui obſcœna loquuntur, qui conuicia proferunt, ac cohorreſcant, cogitantes quale os turpent ac dedecorent. Audiant qui obſcœne oſculantur. Audi qua oracula Chriſtus per os tuum ediderit, atque illud ab omni macula purum conſerua. De futura vita diſſeruit, de reſurrectione,* A *de immortalitate quòd mors minime mors ſit, ac ſexcenta alia arcana. Etenim hi, qui ſacris initiandi ſunt, ad ſacerdotis os tanquàm ad oraculum accedit. Audiamus quænam horrore digna ſint. Siquidem animam ſuam tam inde à progenitorum tempore perdidit, atque ad eam exquirendam accedit, ſéque conſulendum, quónam pacto eam inuenire, ac recuperare queat: tum Deus ipſi velut per oraculum indicat, quánam ratione ipſa inueniri poſſit, atque os illud, vel ipſo quoque propitiatorio auguſtius ac horribilius exiſtit. Nam propitiatorium illud nuſquam eiuſmodi vocem emittebat, veriùs de rebus inferioris momenti diſſerebat, nimirum de bellis, ac terrena pace. hæc autem omnia de cœlo & futura vita, rebúſque nouis, & nicum captum excedentibus.* Hæc ille. Monet autem idem Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus, aptè in B præſentia oſculum ſanctum commemorari ad remouendas diſſenſiones, & ſchiſmata, de quibus initio epiſtolæ plura dixerat.

SALVTATIO MEA, &c. Non temerè hoc additum eſt, ſiquidem Epiſtola multa continet ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantia: vt igitur illa, quam par erat, auctoritatem haberent ſuo chirographo confirmat; *Salutatio*, inquit, *mea manu*, meóque Pauli nomine obſignata eſt. Vox enim, *mea*, cum manu coniũgitur, eſtque auferendi caſus. Ait autem Theodoretus, Epiſtolam quidem dictante Paulo ab amanuenſi fuiſſe conſcriptam; ſalutationem verò propria manu adiectam, atque hac ratione vniuerſæ epiſtolæ auctoritatem conciliari, quaſi ab eodem Paulo profecta ſit. 21 I.

SI QVIS AMAT DOMINVM, &c. Hoc vno verbo, inquit Chryſoſtomus, *vniuerſos perterruit Apoſtolus: qui membra ſua faciebant membra meretricis, qui fratres idolothytorum eſu offendebant, qui certos ſibi magiſtros diligebant, quos potiſſimùm ſequerentur, qui denique de reſurrectione quoquo modo dubitabant: vt enim vehemens in Chriſtum amor, & caritas omnia prorſus vitia, atque peccata longiſſimè abigit; ita ſi refrigeſcat, eis pene omnibus aditum parat. Quocirca qui Chriſtum*, inquit, *non amat, ſit anathema*, hoc eſt à communi Eccleſiæ corpore alienus. Monet autem Theudoretus, hoc intereſſe inter eos, qui corpora amant, & eos qui Deũ caritate complectuntur; quod illi in amore ſocios, ac riuales non ferunt; hi verò nihil magis expetunt, quàm multorum eundem Deum amantium ſo- D cietatem: quocirca Apoſtolus qui Chriſtum nõ amet ab Eccleſia reſecat. Aliud quiddam ſpectaſſe videtur Ambroſius, vt Chriſtus ipſe ſit anathema iis, qui ſe non diligunt. *Sicut illis, ait, qui eum amant redemptio venturus eſt Chriſtus, ita qui eum non amant anathema ſit: id eſt vt illos abominetur, & perdat.* Eadem verba habent Hieronymiani commentarij, ſed Anſelmus Theodoreti ſententiam magis probat. Quid autem vox anathema ſignificet, dixi in Epiſtola ad Romanos. Quod autem addatur *Maranatha*, multos torquet Athanaſius [a], Auguſtinus [b], Hieronymus [a Quæſt. 16 ad Antioch. b Ep. 178.] ſignificant duas eſſe voces: idémque valere quod Dominus venit. Ita autem ſcribit Hieronymus. *Maranatha magis Syrum eſt, quàm Hebræum: tametſi ex confinio vtrarumque linguarum aliquid & Hebræum ſonat, & interpretatur. Maranatha Dominus noſter venit, vt* E *ſit ſenſus: Si quis non amat Dominum Ieſum anathema ſit: & illo completo deinde inferatur Dominus noſter venit, quòd ſuperfluum ſit odiis pertinacibus aduerſus eum velle contendere, quem veniſſe iam conſtat.* Quæ Hieronymi verba in Ambroſianis, & Hieronymianis commentariis leguntur, & repetuntur ab Anſelmo. Nec diſſimilia ſcribit Auguſtinus. Sunt in eadem fermè ſententia Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus, qui explicant, vt ſignificet ὁ κύριος ἡμῶν ἦλθεν, hoc eſt, *Dominus noſter venit* tempore præterito; vt

non

A non dubium ſit eos de primo Chriſti aduentu loqui: quomodò etiam accepiſſe videtur Clemens Romanus [a]. *Deus*, inquit, *patrum noſtrorum ſanctorum, & reprehenſione carentium Abraham, Iſaac, & Iacob ſeruorum tuorum fidelium, Deus potens, fidelis ac verax, & in promiſſis ſeruandis conſtans, qui Ieſum Chriſtum tuum in terram miſiſti, vt cum hominibus conuerſaretur, vt homo idem Deus verbum, & homo, & vt errorem radicitus euelleret, & nunc ipſe memento per eum huius ſanctæ Eccleſiæ tuæ, quam ſanguine pretioſo Chriſti tui acquiſiuiſti, eámque ab omni malo eripe, ac eam in tua caritate, & tua veritate perfice: nóſque omnes in regnum tuum, quod præparaſti cõgrega. Hoc maranatha, oſanna filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus qui apparuit nobis in carne.* Non me fugit hæc perinde à nonnullis accipi, B quaſi Clemens eo nomine vtatur ad ſignificandum ſecundum Chriſti aduentum, cùm daturus eſt electis regnum de quo ait. *Congrega Domine omnes nos in regnum tuum, quod præparaſti hoc maranatha.* Quaſi dicat: regnum illud dico, de quo cùm Dominus veniet dicturus eſt. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum paratum vobis à conſtitutione mundi.* Sed quoniam ea verba dicuntur in gratiarum actione poſt ſumptam Euchariſtiam, longè mihi probabilius videtur de primo aduentu accipi, & accommodari ad Euchariſtiæ myſterium, quo Deus aliquo modo ad nos venit: precatur autem Clemens, *vt hoc maranatha*, hoc eſt Domini aduentu ad nos, dum Euchariſtiam percipimus; nos omnes in regnum ſuum congreget, cùm Euchariſtiæ ſacramentum ſit veluti pignus æternæ vitæ, & immortalitatis, ac proinde C ſtatim ſubdit. *Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, qui apparuit in carne.* Gratias enim agit Deo, qui hac noſtra mortalitate circumdatus, hoc tam ſalutare ſacramentum inſtituit, quo admirabiliter ad nos quotidie venit.

II. Quod ſi hoc modo ea vox in præſentia ab Apoſtolo vſurpetur, ſenſus erit quem Hieronymus expreſſit. Inquit anathema, Dominus quippe noſter venit, vt quidquid ad humanam ſalutem pertinet, cumulatiſſimè præſtiterit; vt meritò execratione digni ſint illi, qui eum non diligunt, & tanto beneficio ingrati eius fidem aut non complectuntur, aut deſerunt. Verùm quoniam Ambroſius, aliíque non pauci de ſecundo aduentu accipiunt more ſcripturarum, quod certò futurum eſt, verbo præteriti temporis exprimitur, vt ſenſus ſit. Sit anathema vſque D ad aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti. Ita Clemens ipſe alicubi [b] interpretatus videtur. *Hæc igitur, ait, frater Iacobe de ore ſancti Petri iubentis audiui, ſi quis præcepta hæc non integra cuſtodierit, ſit anathema vſque ad aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Ita etiam interpretatus eſt Auguſtinus [c]. *Anathema*, inquit, *Græco ſermone condemnatus, maranatha definiunt, donec Dominus redeat.* Quem ſenſum ſequuti videntur Patres in pleriſque Conciliis; alicubi enim [d] legimus. *ſit illi maledictio in aduentu Domini*: quibus conſentiunt illa in Concilio [e] Toletano VI. *Perpetuo anathemate damnetur*: & rurſus [f]; *Anathemate diuino perculſus abſque vllo remedij loco habeatur damnatus æterno iudicio.* Eodem videntur pertinere & illa [g]. *Anathemate moriatur, & cœleſti gladio feriatur.* Videtur enim cœleſtis gladij nomine extremum Dei iudicium ſignificari, quo impij à regno Dei excluduntur, partémque habebunt cum hypocritis. Certè interdum vſurpari hanc vocem ad exaggerandam execrationis vim, indicant verba illa Silueri [a] Papæ aduerſus Belliſſarium. *Ego tamen*, inquit, *propterea non dimiſi, nec dimitto officium meum, ſed cum Epiſcopis, quos congregare potui, eos qui talia erga me egerunt, anathematizaui, & vnà cum illis apoſtolica, & ſynodali auctoritate ſtatui, nullum vnquàm aliter decipiendum, ſicut deceptus ſum: & ſi aliquis deinceps vllum vnquam Epiſcoporum taliter deceperit anathema, maranatha fieret in conſpectu Dei, & ſanctorum Angelorum.* Nec dubium eſt, hunc dicendi modum deſumptum videri ex hoc Pauli loco; ad amplificandam enim execrationis magnitudinem hoc additum putatur: quaſi dicat, ſempiterno anathemate iuguletur. Et fortaſſe ſpectauit Apoſtolus ad id, quod in calce ſui vaticinij ſcripſit Malachias [b]. *Ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate.* Thalmudici affirmant, eſſe quaſi ſpeciem anathematis, vt maranatha ſignificet quempiam quaſi Domini iudicio damnatum in manus tradi carnificis. Iuſtinus [c] ſanè aliam quandam damnationis formam addit; catathema enim eorum eſſe dicit, qui ſeſe ſponte anathemate damnatis coniungerent.

23. Gratia Domini, &c. Conſueta eſt Apoſtoli ſalutatio. Eſt autem (vt monet Chryſoſtomus) doctoris proprium non modò prodeſſe conſiliis, meritíſque, ſed etiam precibus, ac votis opitulari. Itaque poſt conſilia ſaluberrima tota hac epiſtola comprehenſa, preces addit, quibus à Deo contendit, vt diuinæ ſuæ gratiæ præſidio Corinthiis adſit: vt non in hominibus, ſed in vno Deo ſpes omnes ſuas collocandas eſſe intelligant. atque hoc quidem fine omnes Pauli Epiſtolæ claudi ſolent. Optimè tamen in præſentia ſuperiori ſententiæ attexitur; eos enim execratur, qui Chriſtum Dominum non amant, cæteros ad eius amorē, & caritatem inflammauit. Is autē Dei amor eximium eſt gratiæ munus, ac beneficium.

24. Caritas mea cvm omnibvs, &c. Hæc eſt propria, & peculiaris huius Epiſtolæ clauſula. Viſus enim erat Apoſtolus, Corinthios aſperius aliquantò, acerbiúſque perſtringere; ne igitur ſuſpicarentur aculeatam orationem ſuam ab ira, indignationéve profectam eſſe, caritatem in illos ſuam commemorat. Ita Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Græcíque omnes explicant. *Caritas*, inquit, *mea cum omnibus vobis*. Quaſi dicat. Mira vos caritate complector: & quanquàm abſens corpore, animo tamen præſens ſum, & quaſi porrecta dextera vos amicè ſaluto, adeóque opto (quod addit Ambroſius) vt quomodo vos ego diligo, ita vos inuicem in Chriſto diligatis. Addit autem, *In Chriſto Ieſu*, vt de diuina caritate, non de humano amore loqui ſe ſignificet. Videtur autem diuinæ caritatis opportunè mentionem facere, tum quia initio Epiſtolæ ſimultates, & factiones caritati contrarias damnauerat, tum quia paulò antè in eos inuectus erat, qui Chriſtum non diligerent, cùm ex illius amore omnis proximorum caritas oriatur. Obſeruat acutè Chryſoſtomus oportere eum, qui corripit, in ira, aut odio, aliáue animi perturbatione commoueri, ſed ex caritate proximorum ſaluti, atque vtilitati conſulere.

a lib. 7. Conſt. cap. 27.
b Ep. 1. in fin.
c Ep. 178.
d Gloſ. c. Guliſarius 24. q. 4.
e cap. 17.
f cap. 18.
g Côcil. Toron. 2. c. 21.

a 24. q. 1. cap. Guliſarius.
b cap. 4. 6.
c Quæſtio.

IN SECVNDAM BEATI PAVLI APOSTOLI AD CORINTHIOS EPISTOLAM

ARGVMENTVM.

SVPERIORI Epiſtola Corinthiis ſuum pollicitus erat aduentum,ſed diutiùs quàm putarat Epheſi moratus,coactúsque nonnihil in Macedonia hærere,mutati conſilij rationem reddit.Interim quos acriùs caſtigatos ad meliorem,ſaniorémque mentem rediiſſe audierat,blanda oratione ſolatur,& Chriſtianæ pietatis inſtituis, atque præceptis informat: legem veterem cum noua comparat,& non illam quidem contemnit,ſed hanc tamen longè anteponendam putat. Macedonum porrò exemplo propoſito ad beneficentiam, & liberalitatem in Sanctos exercendam vehementiùs inflammat. Vt autem pſeudoapoſtolis, ſuiſque calumniatoribus reſpondeat, qui ſui apoſtolatus auctoritatem apud Corinthios eleuare nitebantur, de ſe rebúſque à ſe geſtis,& cœleſtibus ſibi diuinitùs collatis beneficiis,non pauca ſcribit,& ſuarum calamitatum, atque ærumnarũ veluti catalogum texens, typum quendam, & characterem exprimit eorum, qui Euangelio promulgando operam darent. Putarur hæc Epiſtola Philippis Macedoniæ ſcripta; malim tamen Nicopoli datam eſſe, quo Paulus hyeme peruenerat. Falluntur autem qui Tito datam fuiſſe putant Corinthũ perferendam : quamuis enim dicat Apoſtolus, ſe Titum miſiſſe Corinthum, de alia tamen Titi profectione loquitur,vt ſuo loco docebo: nec potuit Titus hanc Epiſtolam perferre,qui Paulum comitatus ab eo Cretæ Epiſcopus præfectus eſt.

Argumentum Cap. I.

PRÆMISSA *conſueta ſalutationis forma, à gratiarum actione exorſus, ſuum in Corinthios ſtudium, ac beneuolentiam declarat,vt ea ratione facilius illi ſuam excuſationem admittant; incipit enim conſilij prioris mutationem excuſare.*

CAPVT I.

PAVLVS *Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei, & Timotheus frater, Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi cum omnibus Sanctis,qui ſunt in vniuerſa Achaia. Gratia vobis, & pax à Deo patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto.*

Benedictus Deus,& Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti,Pater miſericordiarum,& Deus totius conſolationis.

Qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra,vt poſſimus & ipſi conſolari eos,qui in omni preſſura ſunt,per exhortationem,qua exhortamur,& ipſi à Deo.

PARAPHRASIS.

PAVLVS Apoſtolus Ieſu Chriſti diui- 1.
no Dei conſilio,voluntatéque electus,
ac Timotheus frater Eccleſiæ Dei,quę
eſt Corinthi, vnà cum Sanctis omnibus,
qui in Achaia verſantur plurimam ſalutem dicunt.
¶ Atque vt hinc more meo conſueto exor- 2.
diar, gratiam vobis, & pacem etiam, atque etiam
precor à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto.
¶ Porrò laus,& glòria ab omnibus mortalibus 3.
iure optimo tribuenda eſt Deo, & Ieſu Chriſti Domini noſtri genitori; illi (inquam) bonorum omnium largitori, & miſerationum patenti; Deo denique omnis veri ſolatij auctori.
¶ Qui nos in 4.
omni oppreſſione noſtra, qua hactenus premimur vſque eò confirmat, & conſolatur, vt nos etiam nonnullam ſolatij particulam iis impertiri poſſimus, qui qualibet ærumna, & calamitate vexantur, eam videlicet illis ſolatij rationem adhibentes, qua nos ipſi à Deo iucundè, copioſéque perfundimur

5. fundimur. ¶ Quemadmodũ enim varias,ac mul-
tiplices calamitates pro Chriſti nomine tolerare
compellimur,ita ipſius Chriſti beneficio,ac libera-
litate eius diuina in nos cõſolatio vbertim,affluen-
6. térque redondat. ¶ Sic autem habetote, ſiue nos
rebus aduerſis premi contingat, nos ea veſtri ſola-
tij, ſalutiſq; cauſa æquo animo tolerare: quæ quidẽ
veſtra ſalus in ipſa propemodum tolerantia æru-
mnarum, quas ipſi patimur, mirũ in modum perfi-
citur,& magna quotidie incremẽta capit; ſiue con-
tra, laborum noſtrorum fructum nonnullum per-
cipimus,& cœleſti gaudio lætitiaq; perfruimur, ſi-
ue denique adhortatione vtimur,id quoque veſtro
ſolatio, ſalutiq; ſubſeruit. vnde fit vt magno, for-
tique animo eadem propè aduerſa toleretis, qui-
bus continenter premimur. ¶ Atque adeò ſpes,
7. quam de vobis,veſtráque in Chriſtiana fide,ac pie-
tate conſtantia iam pridem concepimus,firma,pla-
néque immobilis perſeuerat; cùm certò ſciamus,
quemadmodum perpeſſionum ſocij eſtis,ita etiam
fore vos aliquando iucunditatis, voluptatiſq; par-
8. ticipes. ¶ Neque verò committam, vt vos lateat
(fratres) grauis illa oppreſſio noſtra, quam in Aſia
pertulimus,qua quidem ſupra omnem facultatem
noſtram, ac ſupra omnes vires, ſupra quàm deniq;
dici, aut credi poteſt,preſſi,grauatiq; ſumus, adeò
vt prorſus perplexi, atque impediti, & conſilij in-
opes eſſemus;neque vllum appareret effugiũ, quo
periculum vitæ euaderemus,adeò omnibus huma-
nis præſidiis videbamur deſtituti.¶ Quinetiam(vt
9. verum fatear)mecum ipſe,atque in animo meo re-
putans,cùm multitudinem, tum acerbitatem ma-
lorum, certam iam, ac propè imminentem mor-
tem expectabam,& mihi ipſi penitus diffidens,ſpes
omnes meas in eo poſitas,& locatas habebam, qui
10. vita functos pro imperio reuocat ad vitam.¶ Qui
ſanè nos ex illo tam euidenti,támque acerbo mor-
tis genere,& tum eripuit, & nunc etiam à perſimi-
li periculo eripit, & quod pro certo ſperandum
11. eſt, etiam in poſterum eripiet. ¶ Idque præcipuè
ſi veſtrarum apud Deum precum ſubſidium acceſ-
ſerit, vt veluti facta manu multorum quaſi ſuffra-
giis pro munere nobis ad multorum vtilitatẽ col-
lato,à plurimis etiam noſtro nomine Deo immor-
12. tali gratiæ agantur. ¶ Nam nulla re alia prorſus
niſi præclaro conſcientiæ noſtræ teſtimonio glo-
riamor: quod mira quadam morum, ſimplicitate,
animiq; candore, & (vt ſic dixerim) perſpicuitate
quadam ſancta, ac vera, quæ coram Deo conſter,
non ſapientia carnali, ſed diuina freti,quam Deus
immortalis nobis cœlitùs gratificatus eſt; vitam
degimus inter mortales,præcipuè verò apud vos.
13. ¶ Neque enim alia ſcribimus vobis, quã quæ vos
ipſi non ſolùm legitis in meis epiſtolis, ſed etiam
tacito animi veſtri conſenſu vera eſſe intelligitis,
maximeq; probatis,& in moribus,vitæq; noſtræ in-
ſtitutis agnoſcitis, adeóque ſpero, vos ad extre-
mum vſque vitæ ſpiritum conſtanter probaturos.
14. ¶ Et quemadmodum nos,noſtriq; candorem ani-
mi aliqua ex parte cognouiſtis, cùm tandiu apud
vos

Quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.

Siue autem tribulamur pro veſtra exhortatione,& ſalute: ſiue cõſolamur pro veſtra conſolatione; ſiue exhortamur pro veſtra exhortatione,& ſalute,quæ operatur tolerantiam earundem paſſionum,quas & nos patimur.

Vt ſpes noſtra firma ſit pro vobis: ſcientes,quòd ſicut ſocij paſſionum eſtis,ſic eritis & conſolationis.

Non enim volumus ignorare vos, fratres de tribulatione noſtra,quæ facta eſt in Aſia, quoniam ſupra modum grauati ſumus ſupra virtutem,ita vt tæderet nos etiam viuere.

Sed ipſi in nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus, vt non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo,qui ſuſcitat mortuos.

Qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit; in quem ſperamus,quoniam & adhuc eripiet.

Adiuuantibus & vobis in oratione pro nobis: vt ex multorum perſonis, eius,quæ in nobis eſt, donationis,per multos gratiæ agantur pro nobis.

Nam gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ,quòd in ſimplicitate cordis, & ſinceritate Dei: & non in ſapientia carnali,ſed in gratia Dei conuerſati ſumus in hoc mundo: abundantiùs autem ad vos.

Non enim alia ſcribimus vobis,quàm quæ legiſtis,& cognouiſtis. Spero autem quòd vſque in finem cognoſcetis.

Sicut & cognouiſtis nos ex parte, quòd gloria veſtra ſumus, ſicut & vos noſtra, in die Domini

Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Et hac confidentia volui priùs venire ad vos, vt ſecundam gratiam haberetis.

Et per vos tranſire in Macedoniam,& iterum à Macedonia venire ad vos, & à vobis deduci in Iudæam.

Cùm ergo hoc voluiſſem, nũquid leuitate vſus ſum? Aut quæ cogito, ſecundùm carnem cogito, vt ſit apud me EST,& NON?

Fidelis autem Deus, quia ſermo noſter, qui fuit apud vos, non eſt in illo EST, & NON.

Dei enim filius Ieſus Chriſtus, qui in vobis per nos prædicatus eſt, per me,& Syluanũ, & Timotheum, non fuit EST,& NON; ſed EST in illo fuit.

Quotquot enim promiſſiones Dei ſunt, in illo EST; ideo & per ipſum Amẽ Deo ad gloriam noſtram.

Qui autem cõfirmat vos vobiſcum in Chriſto, & qui vnxit nos Deus.

Qui & ſignauit nos,& dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.

Ego autem teſtem Deum inuoco in animam meam, quòd parcens vobis, non veni vltrà Corinthum.

Non quia dominamur fidei veſtræ, ſed adiutores ſumus gaudij veſtri: nam fide ſtatis.

vos verſati ſimus, & ad vos pridem ſcripſerimus,
cùmque vos de nobis gloriari conſueueritis non
aliter, ac nos de vobis, idque in diem Domini Ie-
ſu; ita etiam ſpero fore, vt eoſdem nos, nobiſque
omnino ſimiles eſſe cognoſcatis in dies magis; vt
initiis extrema reſpondeant. ¶ Itaque hac ſpe fre- 15.
tus, conſtitueram vos priùs inuiſere, vt hoc à me
quaſi ſecundum beneficium haberetis, quòd vos
in hac profectione bis ſalutaſſem. ¶ Mihi enim in 16.
animo erat, cùm vos priùs ſalutaſſem per vos in
Macedoniam tranſire,& rurſum è Macedonia re-
dire ad vos, denique à vobis in Iudæam proficiſci.
¶ Hæc igitur cùm apud me ſtatuiſſem, nunquid 17.
leuitate animi, & inconſtantia conſilium mutaui,
aut hominum more de rebus agendis delibero, qui
plerumque temerè ſolent quidlibet polliceri; &
leuiſſima quaque de cauſa mutata voluntate, quod
polliciti erant, reuocare; denique modò affirmo,
modò nego? ¶ Immò verò teſtor Deum, de cuius 18.
fide, promiſſorúmque conſtantia nefas eſt dubita-
re, eandem me veritatem vobis conſtanter prædi-
caſſe, neque me vnquam, quod pridem affirmaue-
ram, poſtmodum eſſe inficiatum. ¶ Nam Dei Fi- 19.
lius Ieſus Chriſtus, qui ſui Euangelij lucem mea,
Syluani, ac Timothei opera vobis prætulit, nullo
vnquam tempore varius, & inconſtans fuit, ſed
prorſus idem, atque vnus ſemper in vnius veri Dei
prædicatione, ac fide. ¶ Quotquot enim diuinæ 20.
pollicitationes extant, omnes vnius Chriſti bene-
ficio, ac munere exhibendæ, ac præſtandæ propo-
nuntur, conſtanti; atque inuariata quadam ra-
tione, quia non poſſumus Deo aliter, quàm per
vnicum eius filium placere; atque ita promiſſio-
num participes fieri, quæ in ipſo quodammodo
exhibitæ, ac præſtitæ ſunt; tum ſcilicet cùm ille
munere ſuo perfunctus, & ſibi, & nobis cœleſtem
illam hæreditatem creuit, ita ſanè fiat, vt Deo ce-
dat gloria, eaq; per nos Euangelij miniſtros, Chri-
ſto annuere, illuſtretur. ¶ Porrò qui confirmat nos 21.
vobiſcum in Chriſtum, & qui vnxit nos Deus eſt.
¶ Quique nos etiam obſignauit, deditque arra- 22.
bonem ſpiritus in cordibus noſtris. ¶ Ego verò 23.
teſtem meum inuoco capitis, vitæque meæ peri-
culo, me idcircò nondum Corinthum veniſſe, vt
vobis parcerem, veniſſem enim tanquam vltor, ac
vindex eorum facinorum, quibus multi inter vos
tenebantur obſtricti. ¶ Non quaſi pro meo iure 24.
poſſim apud vos quidlibet in religione, & con-
ſcientiis veſtris obſtringendis, relaxandiſve impe-
petare, vel efficere; ſed quia ſum Dei miniſter ad
vos recreandos, erigendóſque atque ob eam cau-
ſam meum diſtuli ad vos aduentum, vt iſtam veſtri,
meique gaudij materiam paulatim pararem, fide
quippe ſtatis.

IN CAPVT PRIMVM

EXPLANATIO.

1. I. PAVLVS APOSTOLVS IESV CHRISTI, &c. Initium Epiſtolæ cæteris perſimile nomen, & dignitatem Apoſtoli continet, & quidem aptè, vt obſeruat Anſelmus: ita enim apud Corinthios auctoritatem ſibi conciliat, apud quos (vt ſuperiori epiſtola indicatum eſt) nonnihil nutabat: ſibi ergo fidem habendam docet, quòd ad Apoſtolicum munus diuinitùs ſit vocatus. Hoc enim eſt quod ait, *Paulus Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei.* Nam (vt ait Chryſoſtomus) erant Corinthi Iudæi quidam Apoſtolo valde infenſi, qui & magnificè de ſe ſentirent, & loquerentur; contrà verò Paulo grauiter obtrectarent, eúmque vanum, arrogantem, nulliúsque pretij virum prædicarent, hiſque nominibus in odium, atque inuidiam vocarent; quippe Epiſtolas eius graues eſſe non negabant, præſentiam tamen corporis infirmam, & ſermonem contemptibilem eſſe iactabant. Ne igitur eorum oratio Corinthios à recto B Chriſtianæ diſciplinæ curſu, veræque pietatis tramite auocaret, quoniam alijs occupationibus diſtentus Corinthum proficiſci non potuit, vt ſuperiori epiſtola pollicitus erat, hanc ſecundam conſcripſit, & ipſo ſtatim initio apoſtolici ſui muneris honorificam mentionem facit. Ait autem, ſe Apoſtolum eſſe *Ieſu Chriſti per voluntatem Dei,* quod in Epiſtola ad Romanos *ſegregatum dixerat in Euangelium Dei.* C rectè porrò monet Oecumenius, præpoſitionem *Per* (quod aliàs obſeruaui) etiam Patri adſcribi; de voluntate enim Dei Patris loqui Paulum non dubitat. Adijcit verò Timothei nomen, tum vt ei auctoritatem conciliet, quem ſuperiori epiſtola ad eos miſerat, tum vt ſuam Chriſtianam modeſtiam præſeferat. Vt enim ait Chryſoſtomus, quamuis ille multum eſſet Apoſtolo inferior, quippe vt diſcipulus, vel etiam filius cum magiſtro, aut Patre collatus, caritas tamen omnia connectit. Et hîc quidem fratrem eum appellat, ſiue vt eum Corinthiis veneratione dignum oſtendat, ſiue quia iam illum Epiſcopatus honore initiauerat. D Porrò Oecumenius obſeruat, Timotheum nunc appellari filium; *Nam* [a] *vt Patri Filius miniſtrauit*, aliàs [b] cooperatorem. *Opus enim Domini operatur, ſicut & ego.* Hoc verò loco fratrem nominat ob eam quam dixi cauſam. Eccleſiam verò nominat, *quæ eſt Corinthi*; quaſi ſignificet, ſchiſmata & diſſidia fuiſſe ſublata, vel ea certè indicet cum Eccleſiæ vnitate non poſſe conſiſtere. Addit, *Cum omnibus Sanctis, qui ſunt in vniuerſa Achaia*; E ne huius epiſtolæ fructum, atque vtilitatem vnius dumtaxat vrbis mœnibus includeret; ſed ad omnes fideles, qui erant in Achaia, oſtenderet pertinere, erat enim eo tempore Corinthus Achaiæ metropolis. Sanctos autem nominat fideles, quos morum, ac vitæ ſanctitas maximè decet. Vt omittam quod aliàs dixi, omnes fideles olim Sanctos fuiſſe appellatos, quia non ſolùm Baptiſmo veram

a ad Philip. 2. 22.
b 1. Cor. 16. 10.

A perceperant ſanctitatem, ſed eam vita, ac moribus profitebantur, plurimique etiam præſeferebant. Obſeruat interim Chryſoſtomus, omnes, qui erant in Achaia, fideles nominari, quòd omnes eodem morbo laborarent, quo Corinthij, nam eadem ratione in Epiſtola ad Galatas, & in Epiſtola item ad Hebræos, non vnius vrbis tantùm ciues, ſed integræ potiùs gentis, ac nationis homines alloquitur.

GRATIA VOBIS ET PAX, &c. Conſueta eſt Apoſtoli ſalutatio, de qua alibi plura diximus. Eſt enim oratio apud Græcos anceps; poſſis namque intelligere pacem optari æquè à Deo Patre, & Chriſto Domino; vel certè expeti pacem à Deo Patre noſtro, ac Domini Ieſu Chriſti, quod aliàs monui: quemadmodum & illud conſueuiſſe B Apoſtolum Patri quidem Dei, Chriſto verò; Domini nomen quaſi proprium tribuere; quod tamen quomodo accipiendum ſit explicui. 2. I.

BENEDICTVS DEVS, ET PATER, &c. An Patrem à Deo diſtinguit, quaſi primam Trinitatis perſonam ab ipſa Trinitate, quæ nomine Dei ſignificatur? An verò Patrem, etiam Chriſti Deum appellat? Sic ſanè Chriſtus ipſe; *Aſcendo* (inquit) *ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum.* At Chriſtus Patrem agnoſcit diuinæ naturæ reſpectu, à quo genitus eſt ante omnem æternitatem, Deum verò ob humanam naturam ſuſceptam, ratione cuius ſe Patre minorem prædicat. Quòd ſi vtrumque ad diuinam naturam C referatur, ſenſiſſerit, Chriſtum non eſſe αὐτόθεον, vt hæretici ſomniant, atque ideirco Deum ſuum agnoſcit à quo haurit quidquid ipſe eſt; rectè enim Pater à Theologis principium, fons, & origo diuinitatis appellatur. Verùm illud ambigi poteſt, ſoline Patri gratias agat Apoſtolus, eúmque vnum ſpiritalis ſolatij agnoſcat auctorem. Non dubito Deum præcipuè Patrem nominari, hoc eſt, primam Trinitatis perſonam, vt Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti perinde ſit ac ſi dicat Deus Pater; cùm enim ille proximè filio, idemque vnà cum Filio Spiritui ſancto naturam impertiat, & cum natura vnam, & eandem energiam, & actionem quod illi aſſeritur D tanquam fonti, non aliis perſonis adimitur. Id Græcæ loquutionis ratio poſtulat: vnicus enim articulus ὁ θεὸς καὶ πατὴρ, facit, vt vna atque eadem perſona intelligatur, quaſi dicat ille Deus, qui eſt Pater. Ait igitur, *Benedictus Deus.* Græcè εὐλογητὸς, II. quaſi dicat, laudabilis, ſeu laude dignus, quem meritò omnes prædicare, atque extollere debeant. Obſeruat autem Oecumenius, eandem diuinam perſonam dici Deum, & Patrem; ſed Deum qui- E dem reſpectu noſtri, Patrem verò Chriſti Domini. Idem prorſus dixerat Theodoretus: *Eſt enim* (inquit) *Deus noſter; Domini autem noſtri Ieſu Pater hanc diſtinctionem docuit nos etiam ipſe Dominus, & in ſacris Euangelijs* [a] *dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cœli, & terræ, apertè docens eum quidem eſſe ipſius Patrem, creaturarum autem opificij effectorem, & Dominum.* Huic igitur Deo gratias agendas docet, indicans ſe eius beneficio, ac munere (vt Chryſo-

a Luc. 10. 21.

ſtomus,

ſtomus, & Theophylactus obſeruant) à multis, maximíſque periculis euaſiſſe incolumem. Subdit: *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis.* Multò certè aliter miſericordiarum, quàm Chriſti Domini, aut etiam hominum pater: nam Chriſti quidem natura, hominum adoptione; miſericordiarum verò vt cæterarum omnium rerum creatione tantùm. Sic apud [a] Iob dicitur *pluuiæ pater.* ita hîc, *Pater miſericordiarum*: pro eo quod eſt, à quo miſerationes tanquam à fonte profluunt; manátque & ſcatet miſericordia. Eodem modo dicitur, *Deus totius conſolationis*; vel potiùs vt habent Græci codices, & alicubi legit Hieronymus: *Omnis conſolationis*: quanquam Ambroſius, Hieronymus, & Anſelmus perfectam conſolationem interpretantur: Græca tamen vox πάσης παρακλήσεως, *omnem conſolationem ſignificat.* Rectè autem monet in præſentia Chryſoſtomus, quod multò antea docuerat Dionyſius [b], ex beneficiis acceptis, Deo immortali nomina quodammodò affingi. Cùm enim in bello victoriam tribuit, fortitudo, ac firmamentum appellatur. *Diligam te* (inquit [c]) *Domine, fortitudo mea, Dominus firmamentum meum.* Quòd mentis aciem intendiſſet, & diuina veluti luce perfuſum ab hoſtium inſidiis eripuiſſet. *Dominus* (ait [d]) *illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo?* Hoc igitur loco Apoſtolus Deo gratias agit, quòd ſibi in periculis præſtò fuerit, ac præſentem opem tulerit; quod quia eſt ſingularis miſericordiæ, eximiúmque ſolatium affert, *Deum vocat miſericordiarum Patrem, & Deum totius conſolationis.* Obſeruat autem alicubi [e] Bernardus, rectè omnino patrem miſericordiarum vocari Deum; quòd non tam deceat patrem indignari, quàm miſereri filiorum, ita enim dixit Dauid [f]: *Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe.* Idémque Bernardus obſeruat, non immeritò appellari Deum totius conſolationis, quia mirificè dum miſericordiam exercet, mortales conſolatur. Numero autem multitudinis miſericordias nominat; quandoquidem innumerabiles penè ſunt miſerationes Dei. *Miſericordias Domini* (ait Dauid [g]) *in æternum cantabo.* Et [h] alicubi quidem Bernardus, ſeptem numerat miſericordias, quas in ſe ipſis ſi non omnes, at certè quamplurimi experiuntur, vnde incredibilis exiſtit conſolatio; ſic enim alicubi [i] Dauid: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Proptereà ſubdit:

4\.
I\. QVI CONSOLATVR NOS IN OMNI, &c. Hæc eſt ratio, quamobrem Apoſtolus Deo gratias agat. Patitur quidem Deus iuſtos rebus aduerſis interdum premi, non tamen illos penitus deſerit, ſed reficit ac recreat. *Multæ* (inquit Dauid [k]) *tribulationes iuſtorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus. Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, vnum ex his non conteretur.* Alibi [l]: *Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum.* Id autem (vt hoc loco obſeruat Chryſoſtomus) maius eſt beneficium, quàm ſi non pateretur iuſtos rebus aduerſis vrgeri; hoc enim & Dei potentiam declarat, & eorum, qui calamitatibus premuntur, patientiam auget. Vt verò oſtendat, hanc eſſe (vt ita dicam) Dei perpetuam beneficentiam, ait: *Qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra:* non enim ſemel, aut iterum, ſed ſemper hoc præſtat, neque nunc conſolatur, aliàs verò deſerit, ſed ſemper, ac perpetuò opitulatur. Subdit: *Vt poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt.* Quæ verba (vt monet Theodoretus) Pauli modeſtiam indicant, qui ſui ſolatij fructum ad proximorum vtilitatem referat: quæ eſt etiam Chryſoſtomi ſententia. *Atque etiam* (ait) *per hæc ipſa verba modeſtiam præſefert, cùm ait, hanc quoque ipſam miſerationem non ob ipſorum meritum, ac dignitatem, ſed propter eos, qui ab ipſis adiuuandi erant contigiſſe: ob id enim, inquit, nos conſolatus eſt, vt nos mutuam conſolationem alij aliis adhibeamus.* Quinetiam addit, apoſtolicam ſedulitatem indicari, quia ſolatio affectus, non otio, deſidiáque langueret, ſed aliis ſolatij partem impertierit. *Vt poſſimus* (inquit) *& ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt*: hoc eſt in qualibet preſſura, aut calamitate verſantur: nam qui res aduerſas experti ſunt, optimè poſſunt alios conſolari, ſic illa apud poëtam [a]:

Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco.

Subdit: *Per exhortationem, qua exhortamur & ipſi à Deo.* Græcè διὰ τῆς παρακλήσεως ἧς παρακαλούμεθα αὐτοὶ ὑπὸ τοῦ θεοῦ. Ambroſius vertit: *Per conſolationem, qua conſolamur & ipſi à Deo*: nam & paulò antè vulgatus interpres eandem vocem conſolationem Latinè reddiderat. Sed (vt indicat Anſelmus) diuina conſolatio exhortatio quædam eſt, quæ animum, ac vires iuſtis ſufficit, vt aduerſa fortiter tolerent: & quod illi diuinitùs didicerunt, alios docent, atque ita erigunt, & confirmant, quod eſt conſolari.

5\.
I\. QVONIAM SICVT ABVNDANT, &c. Calamitatum, atque ærumnarum ſuarum magnitudinem ita declarat, vt tamen Corinthiorum animos non exterreat, ſed oſtendat eam qualemcumque acerbitatem cœleſtis ſolatij copia, atque affluentia abundè compenſari. *Sicut abundant* (inquit) *paſſiones Chriſti in nobis.* Hoc eſt multis, ac variis ærumnis premimur. Non me tamen fugit, Chryſoſtomum, & Theophylactum Græcam vocem περισσεύει perinde accipere, quaſi Apoſtolus ſignificet, plura ſe aduerſa tolerare, quàm Chriſtus ipſe pertulerit; ſed non facilè admiſerim, tantum ſibi Apoſtolum ſumere. Crediderim potiùs (quod obſeruauit Theodoretus) adhibuiſſe tam in ærumnis, quàm in conſolatione verbum περισσεύει, vt vtriuſque rei magnitudinem declaret. Sunt quidem multa acerba deuoranda, ſed ingens omnino ab immortali Deo ſolatium adhibetur. Vocat autem Apoſtolus ſuas ærumnas, & calamitates Chriſti paſſiones, ſiue quia pro Chriſti nomine tolerabantur, ſiue quia quæ iuſti pro Chriſti nomine patiuntur, ad ipſum quodammodo Chriſtum pertinent, qui in ſuis membris patitur. Ita alibi [b] ſcripſit Apoſtolus: *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore eius, quod eſt Eccleſia.* Et Chriſtus ipſe in Actis Apoſtolicis [c]: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* cùm tamen Chriſti fideles perſequeretur. Addit Anſelmus dura, & aſpera, quæ toleranda ſunt Chriſti paſſiones rectè vocari, quia primùm à Chriſto perlata ſunt, & ad nos fideles perferenda tranſmiſſa. Ita (vt Oecumenius monet) non modò non ſibi turpe ducit, quòd multis calamitatibus, rebúſque aduerſis angatur, ſed magno ſe honore affici ſignificat, qui Chriſtum aduerſa tolerando imitetur, eáque perferat, quæ Chriſtus ipſe cunctis opibus, atque diuitiis prætulit. Quocirca *Chriſti paſſiones* poſuit, quaſi dicat Chriſti beneficia. Porrò hæc omnis oratio (vt Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus obſeruant) eò pertinet, vt paulatim ſe Apoſtolus excuſet, quòd rerum, ac temporum difficultate præpeditus, ad eos proficiſci non potuerit. Obſeruanda eſt autem mira Apoſtoli prudentia; non enim ſimpliciter dixit, ſe in rebus aduer-

LLL 3 ſis pro

a Iob 38.28. b Ep. 1. de diuin. nomin. c Pſ. 17.2. d Pſ. 26.1. e Serm. 5. de Nat. f Pſal. 102.13. g Pſal. 88.2. h Serm. 2. in Quadrag. de ſept. miſer. qui eſt de ſept. miſericord. i Pſ. 93.19. k Pſ. 33.20. l Pſ. 90.15.

a Æneid. 1. b ad Coloſſ. 1.24. c cap. 9.4.

ſis pro Chriſto toleratis diuinitùs ſolatio perfuodi, ſed addidit: *Per Chriſtum*, quaſi Chriſtus ipſe, pro cuius nomine moleſtiæ ſubeuntur, ſolatium adhibeat. Probat id Ambroſius principum Apoſtolorũ exemplo: *vt & Petrus* (ait) *de carcere liberatus eſt, & ipſe Paulus viſione Domini, & voce confortatus in templo.*

6. L. SIVE AVTEM TRIBVLAMVR PRO VESTRA EXHORTATIONE, &c. Tota hæc ſententia paulò aliter legitur Græcè quàm reddiderit Latinus interpres; εἴτε δὲ θλιβόμεθα, ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως, καὶ σωτηρίας τῆς ἐνεργουμένης ἐν ὑπομονῇ τῶν αὐτῶν παθημάτων, ὧν καὶ ἡμεῖς πάσχομεν, εἴτε παρακαλούμεθα ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως καὶ σωτηρίας. hoc eſt: Siue autem affligimur, id profectò accidit pro veſtra conſolatione, ac ſalute, quæ perficitur in ipſa tolerantia perpeſſionum, quas toleramus: ſiue conſolationem percipimus, id etiam contingit ob veſtrum ſolatium, & ſalutem. Senſus eſt: Ita nos penitus veſtræ procurandæ ſaluti addiximus, in eáque tantum ſtudij atque operæ ponimus, vt omnia ſiue proſpera, ſiue aduerſa ad eum à nobis finem referantur. Cæterùm Latini codices hoc loco variant. Ambroſius ita habet: *Siue autem anguſtiam patimur, pro veſtra exhortatione & ſalute, quæ operatur per patientiam earumdem paſſionum, quas & nos ipſi patimur, vt ſpes noſtra certa ſit pro vobis: ſiue conſolationem conſequimur, pro veſtra conſolatione, & ſalute, quia ſcimus, quod ſicut ſocij eſtis paſſionum, ſic & conſolationis eritis.* Alij [a] hunc in modum legunt: *Siue tribulamur, pro veſtra exhortatione; ſiue conſolamur, pro veſtra conſolatione; ſiue exhortamur, pro veſtra exhortatione*: quomodo legit Romana editio. Græcè legimus παρακλήσεως, & παρακαλούμεθα, quæ voces (vt aliàs monui) conſolationem, & conſolari, itémque exhortationem, & exhortari ſignificant; atque ita vt ex ſuperioribus intelligitur tertium membrum in hac oratione apud Græcos deſideratur; quod etiam cernitur in Syriaca tranſlatione, quæ ſic habet: *Siue autem affligimur pro veſtra conſolatione, ac pro veſtra ſalute affligimur: ſiue conſolationem accipimus, id ſit vt conſolationem accipiatis, & ſit in vobis perſeuerantia, qua ſuſtineatis perpeſſiones illas, quas & nos patimur.* Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus vnum tantùm membrum hoc loco agnoſcunt; alterum enim poſt ſequentem ſententiam ponunt. *Siue autem* (inquit) *tribulamur, pro veſtra conſolatione, & ſalute, quæ operatur in tolerantia earumdem paſſionum, quas & nos patimur.* Et mox: *Spes noſtra firma eſt pro vobis; ſiue conſolamur: pro veſtra conſolatione & ſalute, ſcientes quòd ſicut eſtis ſocij paſſionum, ſic eritis & conſolationis.* Nos in paraphraſi Romanam editionem ſequuti ſumus, quæ tria membra habet, quamuis Græci codices qui nunc habentur in manibus duo tantùm ponant, vt modò dixi. Alterum continet malorum perpeſſionem, alterum verò ſolatium diuinitùs perceptum: vtrumque autem ad ſolatium, & ſalutem refertur Corinthiorum.

a D.Thom.

11. Cæterùm quod interpres Latinè dixit, *Exhortatione, &, exhortamur*, Græcè eſt παρακλήσεως, & παρακαλούμεθα quæ aliàs ſolatium, & conſolationem percipimus, Latinè reddidens, quomodo habet Ambroſius, & alij nonnulli. Quòd verò dicit: *Quæ operatur tolerantiam earundem paſſionum, quas & nos patimur*, ἐνεργουμένης ἐν ὑπομονῇ operatur in tolerantia, & refertur ad conſolationem, & ſalutem, quæ operatur; quaſi dicat, perficitur; vt ſignificet Corinthiorum ſolatium, ac ſalutem ipſa rerum aduerſarum tolerantia quodammodo parari; nam paſſiuè

A explicant Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus, quorum ſententiam in paraphraſi indicauimus: quanquam non deſunt, qui Græcè legant ἐνεργοῦς, id eſt, quæ agit, & vim ſuam explicat, & aperit, quaſi dicat conſolatio, & ſalus veſtra in ipſa rerum aduerſarũ tolerantia quaſi elucet, & vires ſuas exerit. Hunc ſenſum ſubindicat Syriacus interpres; ſic enim habet: *Et ſit in vobis perſeuerantia, qua ſuſtineatis perpeſſiones illas, quas & nos patimur*: ſignificat enim ſalutem & conſolationem hanc eſſe veluti cauſam patientiæ; quem ſenſum omnino poſtulat Romana editio, quæ ſic habet: *quæ operatur tolerantiam earumdem paſſionum, quas & nos patimur.* Omnino enim operatur, actiuè accipit, quem ſenſum in paraphraſi non negleximus. Sed Chryſoſtomi ſententia contemnenda

B non eſt; ſic autem ille loquitur: *Neque enim per fidem duntaxat ſalus vobis comparatur, verùm per id etiam, quod eaſdem quas nos, calamitates fertis. Quemadmodum enim egregius athleta ob probam corporis habitudinem, etiam cùm duntaxat cernitur, atque artem in ſe ipſo continet, homines in admirationem trahit; at cùm operatur, & plagas perfert, atque aduerſarium ferit, tum denique potiſſimum elucet quoniam tum denique bona ipſius habitudo vim ſuam exerit, artiſque præſtantia declaratur; eodem modo ſalus noſtra tum luculentiùs agitur, hoc eſt, oſtenditur, augetur, amplificatur quum tolerat, & patitur, ac cuncta fortis, & firmo animo ſubit. Ex quo colligitur, ſalutis negotium non in hoc conſiſtere, vt quiſpiam alium malo afficiat, ſed vt*

C *ipſe afficiatur.* Putat autem Chryſoſtomus, omnino legendum ἐνεργουμένης, non autem ἐνεργούσης, vt videlicet vim diuinæ gratiæ, eiúſque efficientiam explicet, quæ in iis, quæ pertinent ad ſalutem, primas obtinet.

7. L. ET SPES NOSTRA FIRMA EST PRO, &c. Non temerè (inquit) hæc mihi de vobis perſuadeo; ſic enim omnino mihi ſperandum eſt fore vt qui mearum ærumnarum ſocij, ac participes fueritis, ſolatij quoque, & gaudij partem maximam capiatis. Spes ergo noſtra firma eſt, omnis prorſus dubitationis expers. Scientes (inquit) Græcè εἰδότες. Ambiguum autem eſt, an hoc participium ad ipſum Paulum de quo numero multitudinis locutus erat, an ad ipſos Corinthios referatur. Sunt qui ad Corinthios pertinere

D putent, quaſi dicat: Firmam de vobis ſpem animo concepimus, cùm ignorare non poſſitis, ipſi fore vos diuini ſolatij ſocios, qui meorum laborum, atque ærumnarum partem ſubieritis, vt vos vtriuſque quaſi fortunæ comites experiar. Sed (vt arbitror) Grammatici reclamabunt; neque enim ſatis apparet vnde pendeat participium εἰδότες; nam de Corinthiis dixerat: *Et ſpes noſtra firma eſt pro nobis*, Græcè ὑπὲρ ὑμῶν, cum quo gignendi caſu non cohæret participium nominandi caſus. Itaque Græci omnes, & plerique Latinorum de Paulo ferè accipiunt, quaſi dicat; vt enim caritas, qua me proſequimini facit, vt dum ego rebus aduerſis premor, mea cauſa doleatis, &

E vna mecum eadem propemodum perferatis; ſic mihi perſuadeo cùm diuina conſolatione perfruor, eſſe vos eiuſdem mei ſolatij participes. Ambroſius priorem ſenſum ſequi videtur; ſic enim ſcribit: *Quamuis futura credant fideles, tamen inter ipſa primordia preſſura nonellis faciunt ſcandalum; putant enim inanem eſſe promiſſionem, ſi vi oppreſſum viderint prædicantem, ſed ſi tam firmus eſt credens compatitur ſuo magiſtro, fidat de ſpe futura, vt ſimul conſoletur cum quo & compatitur.* Dum tamen Pauli verba ponit, participium εἰδότες, Latinè reddit, *quia ſcimus*, vt

ad Paulum

ad Paulum loquentem omnino referat. Quo etiam modo participium explicat Photius apud Oecumenium. *Hoc enim (inquit) monemus, quòd ſicut participes eſtis tentationum, ita quoque neceſſe fuit, vt vos participes eſſetis & conſolationis.* Et mox de conſolatione: *Conſolatio autem dici poteſt, vel quod auferrentur afflictiones, vel quòd inſperato à præſentibus liberarentur periculis, aut quòd in medijs conſtitutis periculis viriliter, magnóque animo ferrent, quæ inciderent futurorum ſpe roborati: quod fieri non poſſet, niſi Chriſtus verus Deus noſter manum porrigeret.*

8. I. NON ENIM VOLVMVS, IGNORARE VOS, &c. Magnam omnino eſſe oportuit hanc preſſuram, & calamitatem, quam hoc loco attingit Apoſtolus. An eam intelligit, de qua dixerat ſuperiori epiſtola [a], ſe ad beſtias pugnaſſe? Ita ſanè Tertullianus [b]. At cur quaſi rem nouam, atque inauditam denuo commemoret? An illam potiùs ſignificat, de qua in calce eiuſdem epiſtolæ [c] ſcripſerat, magnum quidem ſibi oſtium reſeratum eſſe, ſed aduerſarios multos? Sic omnino Theophylactus, & alij quod tamen eadem ratione refellitur. Cur enim iterum eadem tanta præſertim amplificatione inculcaret? An aliquid indicat, cuius nulla extet in ſacris litteris memoria? Ita etiam exiſtimauit non nemo [d]. Vtinam verò qui hiſtoriam Eccleſiaſticam explicandam ſuſceperunt, quod erat inſtituti, hos nodos expediuiſſent; non enim in præſentia tantopere nobis laborandum eſſet: nunc autem illam putant indicari hiſtoriam, quam Lucas deſcribit [e] his verbis: *Facta eſt autem illo tempore turbatio non minima de via Domini*, auctore videlicet Demetrio neſcio quo argentario Quæ eſt Theodoreti, aliorúmque ſententia. Magnam autem fuiſſe ſeditionem, nemo, qui hiſtoriam legerit, negare poterit. Sed quid (quæſo) in ſubita illa populi commotione, temerè excitata, eodémque die (vt apparet) ſedata, ita graue ac moleſtum accidere potuit Apoſtolo Paulo, vt ei de vita tuenda, deliberandum fuerit? Periclitatus eſt fateor, & ob eam ipſam cauſam, amicorum precibus coactus eſt, tantiſper ſecedere, donec concio dimitteretur. Verùm adeóne abiecti, fractique animi fuiſſe Apoſtolum ſuſpicamur, vt vnius diei, aut paucarum horarum periculum tanti faceret, vt pro maxima, & intolerabili ærumna commemoret? Non ſibi (inquiunt) ſed Chriſtianæ religioni metuebat, quæ in magnum diſcrimen adducta, pectus illud Apoſtolicum mirè cruciabat. Sed quæro ab his vtrùm compreſſa multitudine, & vicumque ſedata ſeditione, religionis periculum ceſſauerit, an ſecùs. Si enim periculum vnà cum ſeditione extinctum eſt, profectò neque magnum, neque diuturnum fuit, quod vnius diei breuiſſimo ſpatio reſtingui potuit. Quòd ſi poſt ſeditionem ſedatam religionis periculum perſeuerauit, annе decuit Chriſtianæ doctrinæ præconem, atque acerrimum defenſorem repreſſo tumultu, ſe in tutum recipere, religionis cauſam ac patrocinium deſerere? Lucas [f] enim ſcribit, vbi tumultus ſedatus fuiſſet, Epheſo Paulum exceſſiſſe. Atqui aiunt plurium dierum, ac fortaſſe etiam menſium concitationem paucis verbis Lucas complexus eſt. Si id poſſit quiſpiam, vel certò affirmare, vel probabili coniectura, & tenui quod aiunt, veſtigio indicare libens fateor, victi ſumus. Nunc autem contra eſt omnia quæ narrantur à Luca, ſubitum populi furorem & paucarum horarum ſeditionem fuiſſe probant, & nullo modo diuturnam, ſed vnius querelis concitatam, & alterius graui, ac moderata

a 1. Cor. 15. 32. b Lib. de reſurr. carn. c. 48. c 1. Cor. 16. 9. d [illegible] e Act. 19. 23. f Act. 20. 1.

A oratione ſedatam. In quo illud eſt proprium ipſorum peccatum, quòd orationem qua populi commotio ſedata eſt, Alexandro neſcio cui Iudæo adſcribunt, quam Lucas ſcribæ ciuitatis attribuit. *Cùm ſedaſſet (inquit) turbas ſcriba, dixit.* Nam quomodo videri poteſt veriſimile, eum qui paolò antè quòd Iudæus deprehenſus eſſet vix populi impetum effugerat, tantæ ſubitò fuiſſe auctoritatis, vt furentem multitudinem ad pacem & æquitatem ſua oratione reuocaret? Sed ſcribæ nomen fucum illis (vt opinor) fecit, vt alijs antiquioribus, qui exiſtimarunt, Alexandrum Iudæum fuiſſe ſcribam. Ατ γραμματεὺς is dicebatur qui erat legum interpres, & cuſtos, etiam apud Gentiles. Itaque ille pro ſui muneris ratione populum officij monuit, iniecto etiam ſupplicij metu, B ob turbas concitatas, iuſſitque vt ſi quæ eſſent lites, iuſto iudicio non populari ſtrepitu, ac furore deciderentur. Apparet autem ex ipſa oratione, niſi quis in media luce, cæcutiat hominem eſſe Gentilem, & Dianæ cultui in primis addictum; ita enim loquitur: *Viri Epheſij, quis enim eſt hominum qui neſciat, Epheſiorum ciuitatem cultricem eſſe magnæ Dianæ, Iouiſque prolis? Cùm ergo his contradici non poſſit, oportet vos ſedatos eſſe, & nihil temerè agere.* Quod verò de conuentibus forenſibus, déque legitima Eccleſia diſtinguit, neminem mouere debet: nam forenſes quidem conuentus ad Græcos pertinuiſſe ne aduerſarij quidem negant: ijs præfuiſſe proconſules, & indicat ſcriba ille apud Lucam; & Ioſephus [a], & M. Tul- II.
C lius [b], & alij [c] ſæpè teſtantur. Legitimam verò Eccleſiam vocat eos populi conuentus, quos ſuis quæque prouincia legibus, & inſtitutis habebat, de quibus Dionyſius [d] Halicarnaſſeus, Dio, & alij: quanquam non nego Iudæos etiam ſuos habuiſſe conuentus de quibus [e] Chryſoſtomus, & Epiphanius [f]. Sed ille quidem ſcriba murmuratum in conuentu forenſi coram proconſule, de religione verò aut gentis more in legitima Eccleſia agendum eſſe rectè definit. Igitur (vt redeam ad Paulum) non fuit illa argentarij ſeditio, de qua in præſentia loquitur Apoſtolus. Appollonij Thyanæi præſtigias, quem Epheſi III.
fuiſſe ſcribit Philoſtratus [g], magnum Apoſtolo feciſſe negotium idem illi auctores affirmant. Mihi verò perinuium videtur, Lucam qui tam diligenter de altero
D Mago ſcripſerat [h], qui Sergium Cypri proconſulem, à fide reuocare contendebat, huius tam illuſtris nebulonis technas prætermiſiſſe, ſi præſertim Paulo, quem ipſe comitabatur, tantam moleſtiam, & Euangelicæ prædicationi tam magnum periculum creaſſent. Neque verò quia Philoſtratus ſcribit, eum primis annis Neroniani imperij Epheſum, inde in Græciam, tum Romam veniſſe; ideirco neceſſariò dicendum eſt, illam ipſo primo Neronis anno, quo inde diſceſſit Paulus, vel certè illo ipſo anno ante Pauli diſceſſum, in ea vrbe ſuas præſtigias exercuiſſe. Expedi igitur, Paule, quid te malè habuit Epheſi? quid te ita oppreſſit vt καθ' ὑπερβολὴν, hoc eſt ſupra modum grauatum te fuiſſe dicas, vt etiam de vita periclitarere? Profectò (ni fallor) to-
E tam Epheſinam commorationem, totúmque illud triennium Aſianam tribulationem vocat, cùm non ſemel atque iterum, ſed frequenter vitæ diſcrimen adierit. Perinde igitur eſt ac ſi dicat Apoſtolus: Nolo vos ignorare (fratres) nos diuturnis in Aſia, quàm putabamus fuiſſe detentos, quod multi nobis, exantlandi labores, multa ſubeunda pericula, multa denique, & grauia incommoda pro Chriſtiana fide, atque Euangelica doctrina fuerint toleranda. *Tunc ſupra modum grauati ſumus.* Græcè καθ' ὑπερβολὴν ἐβαρήθημεν. Addit: *ſu-*

a Lib. 14. Antiq. c. 10. b Lib. 3. epiſt. fam. epiſt. 8. & 8. & l. 15. c. Feſtus d Lib. 4. e Hom. 42. in Act. f Hær. 18. g Lib. 4. h Act. 13. 8.

pra virtutem. Græcè δύναμιν. hoc eſt, ſupra vires; non quidem quas diuinæ gratiæ ſubſidium ſufficit, ſed quæ à natura duntaxat ſuppeditantur. Quod rectè expreſſit Syriacus interpres, qui dixit, *Supra vires noſtras.* Quod ſequitur, *Vt taderet nos etiam viuere.* Græcè eſt ὥστε ἐξαπορηθῆναι ἡμᾶς καὶ τὸ ζῆν, quod Ambroſius vertit; *Vt deſperaremus nos etiam viuere.* Quem ſenſum ſequuti ſunt Theodoretus, & Theophylactus, nec diſſentiente Chryſoſtomo. Nos in paraphraſi ſic expreſſimus, vt perplexi, & inopes conſilij eſſemus, quomodo periculum vitæ euaderemus. Sic infrà [a] ἐν ἐξαπορούμενοι, hoc eſt viribus, aut conſilio penitùs deſtituimur. Ita Tertullianus [b]: *Nolumus enim* (inquit) *vos ignorare* (*fratres*) *de preſſura noſtra apud Aſiam, quòd ſuper quàm grauati ſumus ſupra vires, vt de vita hæſitaremus.*

a cap. 4.

b De reſurr. car. c. 48.

9. I. SED IPSI IN NOBIS METIPSIS, &c. Qui dixerat, ſe in mortis diſcrimine verſatum eſſe, vt inops propè conſilij nullam fugiendæ mortis inueniret viam, aut etiam vt ipſam vitam ſibi acerbam duceret; addit ſe reſponſum accepiſſe mortis τὸ ἀπόκριμα τοῦ θανάτου, non quidem oraculum (vt æquè impiè, atque imperitè quidam exiſtimarunt.) Quomodo enim oraculum, aut diuinum reſponſum ſi falſum? Itaque reſponſum mortis appellat mortem iam iam imminentem, quæ vitari planè non poſſe videbatur, ipſis quippe periculis certam penè mortem denuntiantibus, quod ſiquis omnino diuinum reſponſum aut oraculum malit accipere conditionatum intelligat neceſſe eſt; hoc eſt niſi ſingularis diuina prouidentia affuiſſet, vel ipſe ſe periculo ſubduxiſſet, aut quidpiam ſimile; ſed quod modò dixi longè eſt veroſimilius. Atque ita certè Ambroſius: *Tantam* (inquit) *inſolentiam iniquitatis ſignificat inſurrexiſſe contra fides prædicatores, vt mortem ante oculos haberent.* Eodem modo loquitur Theophylactus: *Iudicium,* (ait) *calculum, reſponſionem, quam dabant res tantùm non vocem edentes. Hoc eſt quatenus ad cogitationem attinet mihi mortis expectatio; & reſponſum quod rerum natura edebat, vltrà autem non peruenit.* Hoc igitur eſt reſponſum mortis. *Vt non ſimus* (inquit) D *fidentes in nobis.* Voluit quidem Deus, nos penè extremum vitæ diſcrimen adire, *ſed non permiſit* (vt ait Theodoretus) *vt deſperationis ſententia effectum ſortiretur; ſed effecit, vt minæ mortis non vltra ſuſpicionem procederent, ſed in ea ſiſterent, ne nobis ipſis fidamus, ſed eius auxilium imploremus.* Propterea ſubdit Apoſtolus, *ſed in Deo, qui ſuſcitat mortuos.* ſenſus eſt, vt diximus in paraphraſi, tam multis, tamque acerbis malis aſſiduè premebamur, vt non aliter, ac capitis damnati certiſſimam mortem expectaremus; atque adeò humanis viribus noſtris protſus diffiſi, ſpes omnes noſtras in vno Deo ſitas, & locatas haberemus. Quem ſenſum ſequitur interpretatio Syriaca, *Et hac de cauſa* (inquit) *ſententiam mortis ferebamus, ne eſſet nobis ſpes in nobiſmetipſis, ſed in Deo illo, qui excitat mortuos.* Valde autem appoſitè reſurrectionis mortuorum mentionem facit, vt monet Theodoretus; indicat enim ſe ab iis periculis non aliter fuiſſe ereptum; ac ſi ab inferis reuocatus eſſet ad vitam.

11. Obſeruat verò Chryſoſtomus, & poſt illum Theophylactus, non hæc perinde accipienda eſſe, quaſi Paulus ita animo affectus eſſet, ſed vt malorum magnitudinem, & acerbitatem declaret; quæ quemlibet potuiſſent in has anguſtias, & difficul- A tates adducere, vt indicet humanarum virium imbecillitatem doceátque diuinam opem ſemper implorandam, & opportuno tempore expectandam. Addit, hac ratione Apoſtolum modeſtiam, demiſſionémque ſuam (quod ſæpè aliàs facit) declarare. Verùm hanc ego Chryſoſtomi ſententiam hactenus probo, quòd nullam in Paulo animi imbecillitatem admittendam putem: cæterùm hæc omnia de ipſo Paulo, deque periculis, quibus perfunctus erat, accipienda eſſe non negem. Portò quod attinet ad Græcam vocem ἀπόκριμα, quam Latinus interpres *reſponſum* tranſtulit, Photius, & Oecumenius poſitum eſſe putant pro κρίσις, hoc eſt die decretorio, in quo medici certa, ac minimè dubia, inſtantis mortis ſigna detegunt, quaſi à certa morte ereptum ſe ſignificet. *Pericula* (inquit Oecumenius) B *hanc vocem emittebant huiuſmodi condemnationem & exitum dabant ea quæ contingebant quod omnino moreretur: nequaquam hoc in experientiam deductum eſt, ſed in noſtro deſperatione ſubſiſtitur, ſiquidem hoc periculorum natura demonſtrabat; Dei verò potentia non permiſit id, quod oſtendebatur in opus peruenire, ſed in noſtra duntaxat mente id fieri conceſſit. Ideo quoque in noſtra (inquit) mente reſponſum mortis habueramus: quemadmodum dicimus, morbus reſpondebit in ſanitatem, aut reſpondebit in mortem, hoc eſt, euaſit, finitus eſt, deſiit: ita quoque & nunc reſponſum mortis, finem, ac euentum intelligere oportet.* Addit Photius: *Deſperauimus de vita, & nos cum mortuis reputabamur, non* C *ab aliis ſed in nobis ipſis, extremum, ac finem mortis intuentes, ac cogitantes; vt appareat eum non niſi Dei beneficio viuere.* Quod mox planiùs Paulus explicat: *Vt non ſimus fidentes in nobis, ſed in eo, qui ſuſcitat mortuos*: propterea in hoc diſcrimen adducti ſumus, vt de vita deſperaremus, vt intelligeremus ab vno Deo opem, atque auxilium expectandum eſſe, nam quod ad nos quidem attinet, actum erat de vita, niſi diuinum nobis patrocinium affuiſſet, nóſque adeò ab ipſa propemodum morte eripuiſſet. Apparet autem, pericula fuiſſe maxima, quandoquidem Paulus *qui* (vt ait Oecumenius) *in afflictionibus exultat, & qui in aduerſitatibus inenarrabilibus tanquam in coronis, ac brauiis gloriatur*; ita tamen afficitur, adeóque animo commouetur, vt deſperata ſalute ad vnum Deum, tanquam ſalutis anchoram confugiendum ſibi exiſtimauerit. Rectè autem dicit: *Qui ſuſcitat mortuos*, vt ſe penè ab inferis ad vitam reuocatum fuiſſe oſtendat; nam qui magnum aliquod periculum euadit, reuixiſſe quodammodo dicitur.

10. I. QVI DE TANTIS PERICVLIS NOS, &c. Quoniam proximè penè ab interitu ereptum ſe fuiſſe dixerat ab eo, qui mortuos ad vitam reuocat; vt rem magis illuſtret, ſe propemodum à mortis faucibus ereptum, ſcribit: *Qui ex tantis* (inquit) *periculis.* Græcè ἐκ τηλικούτου θανάτου, hoc eſt, *ex tanta morte*: quod (vt ait Oecumenius) periculi magnitudinem declarat, tacitéque reſurrectionis mentionem ingerit, vt eos, qui de hoc myſterio dubitant, occultè perſtringat. E quaſi dicat: *Quare nonnulli reſurrectionem non credunt? Huius iam indicia, ac ſigna tribuit Deus; nos enim omni ex parte mortuos ſuſcitauit.* Chryſoſtomus numero multitudinis legit τηλικούτων θανάτων, hoc eſt, *tantis mortibus.* Quomodo etiam legit Origenes [a], & omnino legiſſe videtur Ambroſius, qui Latinè dixit; *de tantis mortibus.* Syriacus tranſtulit: *à violenta morte.* Certè pericula & diſcrimina, quæ certam quodammodo mortem allatura erant θάνατοι, id eſt mortem

a Hom. 11. in Leuit.

mortem appellat. Quocirca Latinus interpres ſententiam expreſſit, cùm dixit; *De tantis periculis.* Meritò autem tanta pericula dixit, non tot, vt quantitatem potiùs, hoc eſt, magnitudinem, ſeu grauitatem, quàm numerum, & multitudinem periculorum indicaret. *Eripuit* (inquit) *& eruet.* Græcè ἐῤῥύσατο, καὶ ῥύεται, id eſt, *eripuit, & eripit*; nam mox ſubdet in futuro *eripiet* eodem Græco verbo ῥύσεται. Ambroſius, *Liberauit* (inquit) *nos, & liberat in quem ſperamus, quia & liberabit.* Syriacus interpres verbum præſentis temporis omiſit. Tantùm enim ait: *Qui à morte violenta nos liberauit, & adhuc ſperamus nos liberatum iri ab eo.* Quod etiam fecit Latinus interpres, vt argumento ſit Græcos codices olim variaſſe. Videtur autem Apoſtolus hac ratione dicendi indicare voluiſſe (quod monet Oecumenius) vitam ſuam *in continua eſſe expectatione afflictionum; dicere namque eripiet, eius ſermo eſt qui nouerat ſe tentationes, & afflictiones ſemper habiturum:* & ob eam cauſam monent Chryſoſtomus, & Theophylactus, his verbis tacitè Paulum indicare Dei verbi præconibus, & Chriſti fidelibus nunquam defutura diſcrimina: iis tamen perpetuò diuinam prouidentiam fore præſentem, neque vnquam ſuum patrocinium denegaturam. Ita tacitè Corinthiorum animos erigit, ac confirmat, docétque Deo potiſſimum fidendum eſſe, ab eoque opem opportunam, & neceſſariam expectandam. Quamuis autem Latinus interpres, itémque Ambroſius, & Syriacus præſenti tempore dixerint: *ſperamus*; Græcè tamen eſt verbum præteriti temporis ἠλπίκαμεν, quo ſignificat Paulus ſe iampridem ſpes ſuas habere in Deo defixas.

11. I. Adivvantibvs et vobis in, &c. Corinthiorum animos (ait Chryſoſtomus) acuit, & ad virtutis ſtudium vehementiùs inflammat, dum ſe multum eorum precibus tribuere affirmat, quippe à quibus ſe in poſterum adiutum iri confidit. Et profectò plurimum valere iuſtorum preces ſacræ litteræ apertiſſimè docent: ita enim dixit Iacobus[a]: *Multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua. Elias homo erat ſimilis nobis, paſſibilis, & oratione orauit, vt non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex, & rurſum orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum ſuum.* Et in Actis[b] Apoſtolicis: *Oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum*, pro Petro, qui non ſine miraculo ereptus eſt. Quamuis autem Apoſtolus talis, ac tantus eſſet apud Deum, aliorum tamen precibus adiuuari ſe poſſe non dubitat: atque hoc fortaſſe exemplo (vt obſeruauit nonnemo) antiquiſſimo Eccleſiæ vſu receptum eſt, vt in liturgicis precibus Deo potiſſimum commendentur Antiſtites, & Principes, qui reipublicæ præſunt, quippe ab iis reipublicæ, aliorumque plurimorum ſalus pendet, quod (vt quidam dixit) tales ferè ſoleant eſſe populares, quales fuerint ij, qui præſunt, quorum mores vulgus fermè hominum imitatur quod alicubi nonnullis exemplis probat Plutarchus[c], & ob eam ipſam cauſam peculiari quodam Dei patrocinio, prouidentiaque indigent: quod videtur ſignificare Salomon[d] cùm dixit: *Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit impellet illud.* Quod ſequitur: *Vt ex multarum perſonis eius quæ in nobis eſt donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.* obſcuriùs videtur dictum, id autem ſignificat, quod in paraphraſi expreſſimus, quodque Ambroſius aliquantò aperiùs his verbis indicauit: *Vt quod multarum faciebus donum in nos collatum eſt, per multos in gratiarum actione celebretur pro nobis.* Et Syriacus hunc in modum: *Vt ſit donum eius apud vos gratia, quæ facta eſt pro multis, vt multi gratias ei agant pro nobis.* Senſus videtur eſſe quem (vt dixi) in paraphraſi poſuimus, vt pro dono multorum quaſi ſuffragiis vel ad plurium vtilitatem mihi collato à multis etiam Deo immortali gratiæ agantur; quaſi Apoſtolus ſignificet, ſe Corinthiorum precibus fuiſſe ſeruatum, idque ad ipſorum, aliorúmque multorum vtilitatem; quamobrem ab iiſdem poſtulat, vt pro tanto beneficio Deo bonorum omnium largitori gratias agant. Cæterùm quod attinet ad verba, Latini codices non eodem modo legunt. Sunt qui legant, ex multarum perſonis facierum; multi tamen exiſtimant, vocem illam, *facierum*, abundare; eadem quippe Græca vox πρόσωπον & faciem, & perſonam ſignificat, atque ita putant ab interprete ſcriptum fuiſſe; *à multorum facie.* Alij verterunt, *in multorum facie*, quaſi publicè, & coram multis gratias agendas moneat. Non deſunt qui ἐκ πολλῶν προσώπων interpretentur multis modis, quandoquidem rei ſpeciem etiam faciem vocamus. id tamen cùm durius tum etiam parum videtur ad rem; neque enim facilè apparet, ſi de ſua ſalute loquatur Apoſtolus; quànam ratione id munus dici poſſit multis modis collatum, niſi fortè ſignificet ſe à pluribus vitæ periculis fuiſſe ereptum, aut (quod non penitus repudio) indicet, pro collato ſibi beneficio multis modis Deo gratias agendas eſſe. ſed ſententia noſtræ paraphraſis inſtituto Apoſtolico maximè congruit, & cum Romana editione conſentit; Græcis denique verbis quàm commodiſſimè aptatur: quaſi dicat; veſtro beneficio ſum adhuc ſuperſtes; per vos igitur gratiæ Deo agantur; eſt enim Græca vox εὐχαριστηθῇ paſſiuè poſita. *Pro nobis* Latinè dixit interpres. nam Græcè eſt ὑπὲρ ἡμῶν: quanquam non deſunt qui legant ὑπὲρ ὑμῶν, id eſt *pro vobis*; vtrumque enim ſenſui quadrat. vt gratiæ agantur pro vobis, quorum precibus, & quorum bono ſeruatus ſum, & pro nobis, qui ſumus ſeruati. Poſteriorem lectionem & priorem ſenſum ſecutus eſt Oecumenius. *Quia quod deliberatus ſim* (inquit) *& poſthac etiam liberandus ſim, non meum ſolius auxilium eſt & conſolatio, ſed æqualiter etiam & veſtrum. Adiuuate igitur deprecatione, gratias agite tanquam id pro vobis facientes, mea enim conſolatio, & ſalus etiam veſtra eſt.* Chryſoſtomus paulo aliter legit ἐν πολλῷ προσώπῳ, *in multis perſonis*, hoc eſt; in magna hominum frequentia. & multis teſtibus: quaſi dicat; pro beneficio publicè, & coram multitudine mihi collato publicè etiam à multis gratiæ agantur. Neſcio vtrùm verba illa, ἐκ πολλῶν προσώπων, coniungi poſſint cum verbo εὐχαριστηθῇ, illa verò διὰ πολλῶν ſint veluti materia ſeu cauſa pro qua gratiæ ſint agendæ: quaſi dicat Apoſtolus; vt hoc meum beneficium multorum gratulatione, & gratiarum actione pro me celebretur, quandoquidem ex multis periculis ereptus ſum. *Eius* (inquit) *quæ in nobis eſt donationis.* Donationem vocat beneficium, quo ex pluribus periculis ereptus eſt. Obſeruat autem Oecumenius Græcam vocem χάρισμα, *quod* (inquit) *dicere ſolemus de ſublimibus, & admirandis, quæque humanam excedunt naturam.* Intelligit igitur donum eximium, ac planè diuinum beneficium, pro quo non putauit ſe gratiæ referendæ parem eſſe, atque idcirco Corinthiorum ſocietatem optat. Hæc in loco obſcuriſſimo partim ex aliis collegi, partim excogitaui, quod tamen poſui in paraphraſi videtur retinendum.

12. I. Nam gloria nostra hæc est, &c. Chryſoſtomus eum ſuperioribus hunc in modũ coniungit, Quoniam enim dixerat diuino ſe beneficio, & Corin

a Cap. 5. 16.
b Cap. 12. 5.
c De amico ab adulatore dignoſcendo.
d Prouerb. 21. 1.

Corinthiorum precibus à tantis periculis fuiſſe ereptum, ne videretur hac ratione deſidiam ſocordiámque ſuadere, quaſi otioſis, & nihil penitus agentibus diuina beneficia expectanda ſint; addit, ſe morum innocentiam, vitæque integritatem adhibuiſſe. Oecumenius paulò aliter. Nam quoniam ſuam ſalutem ad Corinthiorum vtilitatem dixerat referri, ne videretur id aſſentatorio more iactare. *Hoc* (inquit) *probat teſtimonium conſcientiæ meæ ex his, quæ in vobis operatus ſum, ex maximis beneficiis, quæ ſcio me in vos contuliſſe ex eo, quod abundantiùs in vobis, quàm in cæteris certamina ſuſtinuerim. Hæc mihi perſuadent, quòd vos quoque meam ſalutem, & conſolationem veſtram ducatis propriam, & propterea illud etiam duco, gloriationem veſtram circa me amorem, ardentemque dilectionem: ex hac enim oritur, vt mea quoque ſalus, & conſolatio veſtra propria eſſe ducatur; ſiquidem gloriatio mea hæc eſt iuxta teſtimonium conſcientiæ meæ. Quando autem conſcientia teſtificatur, indubitata eſt veritas.* Theophylactus putat, Apoſtolum calumniis obtrectatorum occurrere; cum enim multa ſe aduerſa pertuliſſe paulò antè commemoraſſet, obiicere quiſpiam potuiſſet, iure optimo eum tam multis fuiſſe vexatum, quòd multorum ſcelerum, ac flagitiorum reus eſſet. Atqui (inquit) tantùm abeſt: vt hoc verum ſit, vt præclara potiùs conſcientia ſuſtentet, & ea duntaxat apud omnes gloriari queam. *Gloria noſtra* (inquit) *hæc eſt.* Græcè καύχησις ἡμῶν, hoc eſt gloriatio, quo potiſſimum gloriatari poſſum; ſic enim dixit olim poëta [a] quidam,

a Horat. lib. 1. ep. ep. 1.

——*hic murus aheneus eſto:*
Nihil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

Et in eandem ſententiam alius quidam,

Hæc eſt ſumma boni mens, quæ ſibi conſcia recti eſt.

b 5. Tuſcul.

Et alicubi [b] M. Tullius, *Nullum theatrum virtuti conſcientia maius.* Quin etiam Menander conſcientiam Deo comparat, quòd bona videlicet approbet, mala reprehendat ac damnet. Ita dixit [c] ille,

c Iuuenal. Satyr. 13.

Exemplo quodcunque malo committitur ipſi
Diſplicet auctori prima hæc eſt vltio quòd ſe
Iudice nemo nocens abſoluitur.

d epiſt. 43.

Et Seneca [d]. *Quid autem prodeſt recondere ſe, & oculos hominum aureſque vitare? Bona conſcientia turbam aduocat, mala etiam in ſolitudine anxia, atque ſollicita eſt. Si honeſta ſunt quæ facis, omnes ſciant: ſi turpia, quid refert neminem ſcire cùm tu ſcias? O te miſerum ſi contemnis hunc teſtem!* Et alibi [e]: *Hic conſentiamus mala facinora conſcientia flagellari, & plurimum illis tormentorum eſſe, eò quòd perpetua illam ſollicitudo vrget, ac verberat, quòd ſponſoribus ſecuritatis ſuæ non poteſt credere.*

e 97. ſimilis 105.

f lib. de tranquill. animi.

Et Plutarchus [f]: *Facinoroſa conſcientia inſtar vlceris eſt in corpore, vtpote quæ pœnitentiam relinquat lancinantem iugiter, peruellentemque animam: nam cùm alias omnes triſtitias tollere ratio ſolita ſit, ſolam hanc pœnitentiam facit ſua ſponte incurabilem præ pudore, & quaſi mordicus impetentem ſeſe, atque excarnificantem.*

g lib. contra ſecund. c. 1.

Denique Auguſtinus [g]: *Sentit* (ait) *de Auguſtino quidquid libet; ſola me in oculis Dei conſcientia non accuſet.*

h ep. 1. c. 3.

Eodem pertinent quæ ſcripſit Ioannes [h]: *Chariſſimi ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus accipiemus ab eo.*

II. Meritò autem Apoſtolus gloriam conſcientiæ hoc loco commemorat; cùm enim Corinthiorum precibus ſeſe plurimum iuuari poſſe dixiſſet, integritatis conſcientiæ iure meminit, quia (vt Ioannes dixit) ea plurimum ad impetrandum valet. Sic enim alicubi

i lib. 10. mor. c. 17. al às 13.

ſcribit Gregorius [i]: *Interna quippe facies hominis mens eſt in qua nimirum recognoſcimur, vt ab auctore noſtro diligamur: quam ſcilicet faciem leuare, eſt in*

A *Deo animum per ſtudium orationis attollere: ſed eleuatam faciem macula inquinat, ſi intendentem mentem reatus ſuæ conſcientiæ accuſat, quia ab ſpei fiducia protinus frangitur, ſi intenta precibus necdum deuicta culpa memoria mordetur. Diffidit namque accipere ſe poſſe quod appetit, quæ profectò reminiſcitur nolle ſe adhuc facere, quòd diuinitùs audiuit.* Itaque Apoſtolus gloriationem ſuam vocat non Apoſtolicam doctrinam, non mirificam vim patrandi miracula, ſed teſtimonium conſcientiæ, non quidem errantis aut aſſentantis & blandientis, ſed verè omnino loquentis, cui morum innocentia ex æquo reſpondeat. *Eſt enim teſtimonium conſcientiæ* (vt ait Bernardus [a]) *in quo gloriatur Apoſtolus, non quod perhibet conſcientia, ſed quod loquitur ſpiritus veritatis in ipſa, teſtimonium perhibens ſpiritui noſtro, quòd filij Dei ſumus; eſt enim*

a ſer. 2. in feſto omnium ſanctorum.

B *teſtimonium conſcientiæ non perhibentis, ſed percipientis: cùm enim veritas applaudit, cùm iuſtitia atteſtatur, Dei ſine dubio commendantis vox eſt, & Spiritus ſancti teſtimonium perhibentis, ac ſi decertanti viriliter militi Rex ſuus pro cuius & amore & honore decertat probè aſſiſtens lætus applaudat, laudet fortia facta, proximam clamitet eſſe victoriam, parata iam præmia, & coronam polliceatur æternam. In quo teſtimonio gloriatur quidem probatus & ſtrenuus miles, minimè tamen quieſcit, ſed tantò acriùs viriliùſque decertat.* Explicans autem Apoſtolus quale ſit teſtimonium conſcientiæ ſubdit: *Quod in ſimplicitate cordis, & ſinceritate Dei; & non in ſapientia carnali ſed in gratia Dei conuerſati ſumus in hoc mundo, abundantiùs autē ad nos,*

C hoc eſt (interprete Theophylacto) *minimè praua ſententia, & puritate mentis, & candore fallaciæ experte, quæ nihil habet obſcuratum, aut vlceroſum, qualem Deus recipit.* Opponit autem ſimplicitatem, & ſinceritatem ſapientiæ carnali, quam idem Theophylactus poſitam eſſe putat in dicendi facultate, & verborum floſculis, *& in plexu ſophiſmatum, & ratiocinationum contextu.* Quo nomine omnino malè audiebant pſeudo Apoſtoli, quos in ſuperiori epiſtola notauerat, quæ eſt etiam Chryſoſtomi ſententia, qui paulò antè ſinceritatem opponi quoque dixerat hypocriſi, ſimulationi, atque aſſentandi ſtudio. Theodoretus autem negat carnalem ſapientiam poſitam eſſe in eloquentia, ſed in malitia, III.

D & calliditate: putat enim tacitè perſtringi pſeudo-Apoſtolos & impoſtores, qui doctrinam Euangelicam deprauabant. Ego vtrumque carnalis ſapientiæ nomine ſignificari exiſtimo; vtrumque enim viſus erat Apoſtolus ſuperiori epiſtola in pſeudo-Apoſtolis reprehendere. Porrò Didymus [b] carnalem ſapientiam ampliſſimè interpretatur, *quæ in rebus corporeis, & humano ſubſiſtit cogitatu, cùm ſpiritualis ſapientia, & intellectualis circa inuiſibilia & intellectualia ſe tenens per operationem Spiritus ſancti capientibus ſe ſui præſentiam tribuat.* Addit Paulus: *Sed in gratia Dei verſati ſumus in mundo.* Chryſoſtomus, & Theophylactus nomine gratiæ Dei ſapientiam intelligunt, & vim mirificam patrandi miracula diuinitùs acceptam, quæ eſt (vt monet

b lib. de Spiritu ſancto.

E Chryſoſtomus) accedente præſertim præclaro conſcientiæ teſtimonio magna omnino gloriatio. Addunt Ambroſius, & Anſelmus, idem omnino ſignificare Apoſtolum, quod in epiſtola ſuperiori, cùm fucatam dicendi rationem reprehendit, quam duplici nomine accuſauerat, & quod ad vulgi ſenſum & aures populi ſeſe accommodaret, & quod ad quæſtum referretur, quorum vtrumque ſe ſtudioſè vitaſſe docet Apoſtolus. Hac igitur ratione ſe in mundo conuerſatum eſſe ſcribit. *Abundantiùs autem,* ait, *apud vos:* non ſolùm quia ſtudioſiſſimè cauerat,

ne quiſquam ſuam viuendi rationem meritò carpere poſſet, ſed etiam quia pro Euangelio nullum ab iis ſumptum acceperat. Quæ eſt Chryſoſtomi, Theophylacti, Ambroſij, Hieronymi, atque Anſelmi ſententia. Oecumenius (vt paulò antè dixi) refert ad labores, atque ærumnas, quas Corinthi pertulerat Apoſtolus; nec multum refert vtro modo accipias.

13. I. Non enim alia scribimvs, &c. Quoniam viſus erat Apoſtolus de ſe ipſo paulò magnificentiùs loqui, ipſos Corinthios quaſi teſtes appellat ſuos interim obtrectatores tacitè refellens, qui ſe vafrum callidum ac verſipellem falsò vocitabant. Quæ ſcribimus (inquit) ad vos non modò legitis in epiſtolis, ſed in moribus vitæque noſtræ inſtitutis probè recognoſcitis, atque adeò intelligitis nos nihil ſupra veritatem de nobis prædicare, quin potiùs probè perſpicitis, nos ea re ipſa præſtitiſſe, quæ his noſtris litteris exprimimus. Porrò in Græcis codicibus elegans cernitur vocum ſimilitudo *ἀναγινώσκετε* (inquit) *ἐπιγινώσκετε*, hoc eſt, in meis epiſtolis legitis, & in vita ac moribus agnoſcitis; quod eſt omnino præclarum, cùm vita orationi conſentit. Romana editio habet præterito tempore *legiſtis, & cognouiſtis*, nihil mutata ſententia. *Spero autem* (ſubdit) *quòd vſque in finem cognoſcetis*. quaſi dicat, ſpero me eundem vitæ tenorem ad extremum vſque ſpiritum ſeruaturum, vt Pauli modeſtiam facilè agnoſcas, qui totum ſe à diuinæ gratiæ beneficio pendere ſignificet; hoc enim indicat, cùm ſe ſperare dicit, quaſi id aliunde expectandum ſit. Quàm ſit autem laude digna oratio, quæ vitæ, & moribus dicentis conſentiat indicat [a] Seneca. *Nimis anxium eſſe te circa verba* (inquit) *& compoſitionem* (*mi Lucili*) *nolo, habeo maiora, quæ cures. Quare quæ ſcribas, non quemadmodum, & hoc ipſum non vt ſcribas; ſed vt ſentias, vt illa quæ ſenſeris, magis applices tibi, & veluti ſignes*. Vult enim hic quæ quis rectè ſenſerit, eorum in animo ſigna imprimi, ne deleantur: turpiſſimum autem eſt ſi mens à lingua diſſideat, neque cum oratione vita conſentiat.

[a] ep. 115.

14. I. Sicvt et cognovistis nos, &c. Spero (inquit) fore vt vſque ad extremum vitæ ſpiritum, tales nos eſſe cognoſcatis, quales ex parte cognouiſtis. Addit enim, *ex parte* (vt Chryſoſtomus, & Theophylactus obſeruant) modeſtiæ gratia: Theodoretus autem id ſpectare putat ad impoſtorum calumniam tacitè refellendam, eos videlicet pungens, quòd obiecta ſibi ab aduerſariis crimina non ipſi continuò repuliſſent. Id enim Apoſtolus perinde accipit, quaſi Corinthij non ſe penitus cognouerint; nam ſi omni ex parte ſuos mores perſpectos habuiſſent, nunquam aures præbuiſſent calumniatoribus. Quid autem cognouerunt mox explicans, ait: *Quòd gloria veſtra ſumus, ſicut & vos noſtra*; hinc enim colligi vult, vitæ ſuæ rationem probatã fuiſſe Corinthiis, quòd ipſi ſe tanquam magiſtro, atque eruditore gloriarẽtur, non aliter atque ipſe eorum fide, fideique conſtantia magnopere lætabatur: ita (vt monet Chryſoſtom.) ſuam qualemcumque laudem, & gloriam Corinthiis voluit eſſe communem. *Gloriationem* (inquit) *cum ipſis communicat, atque hanc laudum coronam ad ipſos pertinere ait. Nam ſi tales appareamus* (inquit) *noſtra laus veſtra gloria eſt: quemadmodum ſcilicet nos quoque dum vos laude atque gloria floretis, exultamus, geſtimus, & coronamur*. Neque aliter explicat Ambroſius, qui ait Corinthios agnouiſſe Paulum tanquã patrem optimum, ipſum veram ſalutem filiis gratulatum eſſe. Sic ſanè dixit Salomon [b]: *Corona ſenum filij filiorum, & gloria filiorum patres eorum*. Et alibi [c]: *filius ſapiens lætificat patrem*. Ad extremum addit: *In die Domini noſtri Ieſu Chriſti*, vt ſuam illorúmque gloriam non fictam, aut inanem, ſed ſolidam ac veram eſſe declaret; quippe quæ tum demum eluceſcet cùm omnia quamuis abdita atque occulta proferẽtur in lucem. *Tum enim* (inquit Chryſoſtomus) *& nos in vobis, & vos in nobis gloriabimini, cùm & vos tales magiſtros habuiſſe perſpicuum erit, qui nec humani quidquam docuerint, nec improbè ac flagitiosè vixerint, nec vllam vitij anſam cuiquam porrexerint, ac nobis rurſus tales diſcipulos fuiſſe, qui nec humani aliquid paſſi fuerint nec vacillarint, ſed alacri ac prompto animo cuncta exceperint, nec vlla ex parte impoſturam ſibi fieri permiſerint*. Itaque ſignificat Apoſtolus non ſibi vulgi iudicio, cauſam eſſe gloriandi de Corinthiis, aut illis de ſe; ſed iudicio tantùm Chriſti vtriſque de alteris gloriandum eſſe. Græcè autem dixit Apoſtolus, *ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ*, omiſſo Chriſti nomine, quod tamen non ſolùm vulgatus interpres, ſed etiam Ambroſius addit.

[b] Prouerb. 17. 6.
[c] Prouerb. 10. 1. & 15. 20.

15. I. Et hac confidentia volvi, &c. Quam porrò confidentiam intelligit? illam (inquit Chryſoſtomus) quam modò explicuerat, cùm eos, ſuam appellauerat gloriandi materiam. Hac igitur ſpe excitatus pridem (inquit) volui ad vos venire, quod ſuperiori epiſtola pollicitus eram. Ambroſius pro confidentia fiduciam tranſtulit, quod alij recentiores magis probant: illam autem refert ad opinionem, quam Paulus conceperat de Corinthiorum vita in melius mutata: quos enim paulò antè ſuo conſpectu indignos iudicabat, hos iam dicit ſibi eſſe in votis inuiſere. *Vt ſecundam* (inquit) *gratiã haberetis*. Græcè *δευτέραν χάριν ἔχητε*, quaſi dicat; iteratum ſeu geminum beneficium; vnam primum quidem (ait Chryſoſtomus) per litteras acceperant, alterum per ipſius præſentiam accepturi erant. Sic prorſus Theophylactus: nec diſcrepat Ambroſius; prætereo tamen Anſelmi ſententiam, qui primum beneficium interpretatur ipſorum conuerſionem ad fidem, cùm (Paulo docente) Chriſto nomina dederunt, alterum verò ſecundũ eius aduẽtum intelligit. Porrò Theodoretus legiſſe videtur nõ *χάριν*, hoc eſt gratiam, ſed *χαρὰν*, id eſt gaudium; eodẽ tamẽ ſenſu. Nã rectè Photius, *Gratiam antẽ* (inquit) *gaudiũ dicit ex mutuo videlicet conſpectu, quod & gratia quædam dici poteſt*. Neque aliter exiſtimauit Chryſoſtomus; ait enim: *Per gratiam porrò hoc loco lætitiam intelligit*. Theodoretus ſecundum gaudium ſeu lætitiam, duplicem interpretatur aduẽtum; primum quidem antequam in Macedoniam proficiſceretur, alterum poſt reditum ex Macedonia. Quod vtrùm verum ſit, mox videro.

16. I. Et per vos transire in Macedoniam, &c. At ſuperiori epiſtola [a] dixerat: *Veniam autem ad vos cùm Macedoniam pertranſiero; nam Macedoniam pertranſibo: apud vos autem forſitan manebo, vel etiam hyemabo, vt vos me deducatis quocumque iero. Nolo enim vos modò in tranſitu videre*; qua igitur ratione nunc dicit, voluiſſe ſe antequam iret in Macedoniam Corinthum venire, & peragrata Macedonia eodem reuerti? Nemo (quod ſciam præter vnum Oecumenium) hanc dubitationem attigit, quæ tamen non videtur contemnenda; apertiſſimè enim hæc Pauli verba cum ſuperioribus pugnare videntur. ibi enim diſertè negat velle ſe in profectione Macedonica Corinthum videre, hic planè videtur affirmare; cùm ſe dicat voluiſſe Corinthum prius venire, & inde in Macedoniam pergere. An quòd cùm ſuperiora ſcripſit (quod Ambroſius, & Anſelmus inſinuant) eos ſuo aſpectu indignos iudicabat, quòd multa in iis priori ſua epiſtola caſtiganda, & corrigenda monuiſſet, mox verò audita eorum pœnitentia

[a] cap. 16. 5.

A nitentia,& morũ mutatione,mutata voluntate eorũ cœpit præſentiam deſiderare, ſtatuitque eos in itinere ſalutare, & rurſus ad eos luſtrata Macedonia diuertere? Et profectò ſic omnino ſentiendum videtur; ob id enim fortaſſe negat ſe propterea leuitatis arguendum, quòd ſæpius conſilium mutarit; &(quod magis mirandum erat) nihil eorum quæ ſtatuerat re ipſa præſtiterit. Oecumenius iudicat Paulum hoc loco ſignificare quòd primum fuiſſet ſuum conſilium; voluiſſet enim primùm Corinthum proficiſci, tum ire in Macedoniam; ideo dicit ſtatueram; ſed tamen coactum fuiſſe mutare conſilium, & idcirco ſuperiori epiſtola explicat non quod primùm ſtatuerat, ſed quod poſtea diuino admonitu facere cogitabat. Hîc vt in Corinthios beneuolentiam declaret ſuam, ait, ſibi primùm fuiſſe animo bis ad illos venire, tametſi
B aliud pollicitus erat. Itaque non malè Theodoretus duplex beneficium duplicem profectionem interpretatur, alteram antequam in Macedoniam iret, alteram poſt reditum ex Macedonia. Porrò quod in priori epiſtola dixerat, *vt vos me deducatis quocumque iero*; declarat nunc, cùm ait, *Et à vobis deduci in Iudæam.* Neque mirandum eſt, tacuiſſe tunc Apoſtolum quod nunc explicat; fieri enim poteſt, vt iuſta aliqua de cauſa tunc tacuerit, quod nũc liberè, apertéq; ſignificat; vel(quod magis reor, & Chryſoſt. & Theophyl. apertè docent) tunc quidem nondum Dei voluntatem perſpectam, & cognitam habebat, quam cùm hoc tempore cognouiſſet, & Ieroſolymam ſibi proficiſcendum intellexiſſet id palàm voluit enuntiare. Ob-
C ſeruat autem Chryſoſtomus, Apoſtolos cæteróſque Dei miniſtros diuino Spiritu afflatos, nihil humano more ſtatuere, ac definire conſueuiſſe, ſed diuini numinis, motioni, atque impulſui penitus fuiſſe ſubiectos, atque eius prorſus imperio, nutúque cuncta gerere cõſueuiſſe: quod(vt alibi dixi) ex actis [a] Apoſtolicis facilè deprehenditur; cogitantes enim Apoſtoli proficiſci in Bithyniam, aliò ire compulſi ſunt. Addit Chryſoſtomus diuino id conſilio factum eſſe, vt Apoſtoli nonnulla aliquando ignorarent, quæ poſtmodum illis diuinitùs patefierent; tum vt ipſi Apoſtoli ſuam imbecillitatem agnoſcerent; tum verò vt alij nihil de iis ſupra humanam naturam ſuſpicarentur. Itaque hac ipſa [b] epiſtola ſcribit Apoſtolus ſe ali-
D quid à Deo precibus contendiſſe, quod nequaquam potuerit impetrare.

[a] cap. 16.7.

[b] cap 12.8.

17. Cvm ergo hoc volvissem, nvnqvid &c.
I. Hîc(inquit Chryſoſtomus) *iam rectà, & apertè cunctationis, ab ſentieque crimen ab ſe propulſat.* Duo quippe Apoſtolo obijci poterant; leuitas, & inconſtantia, & nonnulla imprudentia, vel imperitia; vt autem prius illud refellat. *Cùm ergo*(inquit) *hoc voluiſſem, numquid leuitate vſus ſum?* quaſi dicat non fuit id leuitatis, & inconſtantiæ. Solent enim plerumque etiam ſapientes conſilium mutare, ſiue quia in ipſis ſæpè rebus mutationes incidunt, ſiue quia (vt eſt in prouerbio) poſtremæ cogitationes meliores ſunt. Cæterùm leuitas, & inconſtantia à viro ſapiente maximè eſt aliena; re-
E ctè namque. ſcripſit alicubi Seneca [c]: *Maximum indicium eſt malæ mentis fluctuatio, & inter ſimulationem virtutum, amoremque vitiorum aſſidua iactatio. Nemo non quotidie & conſiliũ mutat, & votũ: modo vxorẽ vult habere, modo amicam, modo regnare vult, modo id agit, ne quis ſit officioſior ſeruus, modo dilatat ſe vſque ad inuidiam, modo ſubſidit, & contrahitur infra humilitatẽ verè iacentium. nunc pecuniam ſpargit, nunc rapit. Sic maximè coarguitur animus imprudens: alius prodit atque alius, & quo turpius nihil iudico, impar ſibi eſt. Magnam rem puta vnum hominem agere: præter ſapientem autem nemo vnum agit. Cæteri multiformes ſumus: modo frugi tibi videbimur, & graues, modo prodigi, & vani. Mutamus ſub-*

[c] ep. 121. ſimilia habet lib. de conſolat. ad Albin. c. 8.

A *inde perſonam, & contrariam ei ſumimus, quam exuimus.* Alterum porrò reiicit Apoſtolus his verbis, *Aut quæ cogito, ſecundùm carnem cogito, vt ſit apud me, eſt, & non?* Secundùm autem carnem iudicare Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus explicant perinde quaſi ſit perturbatione animi commoueri, & non rationis ductum ſequi, ſed prauis cupiditatibus obtemperare. Poſſis etiam interpretari humanis tantùm rationibus duci; *Sæpè enim* (vt ait [a] Seneca) *errant conſilia noſtra, quia non habent, quò dirigantur: ignoranti quem portum petat nullus ſuus ventus eſt: neceſſe eſt multum in vita noſtra caſus poſſit, quia viuimus caſu.* Alibi [b]: *Aiunt homines plus in alieno negotio videre, quàm in ſuo. Hoc illis euenit, quos amor ſui excæcat, quibuſque aſpectum vtilitatis, timor in periculis ex-*
B *cutit. Incipiet ſapere ſecurior, & extra metum poſitus.* Quinetiam vt idem Seneca [c] ſcribit, *Mobilis, & inquieta mens homini data eſt: nunquam ſe tenet, ſpargitur, & cogitationes ſuas in omnia nota, atque ignota dimittit: vaga, & quietis impatiens, & nouitate rerum lætiſſima.* Itaque Apoſtolus negat ſe rationes humanas in conſilium adhibuiſſe, aut quidquam in deliberando ſpectaſſe caducum, & mortale, atque idcirco non ſe affirmaſſe, & mox idem negaſſe; hoc enim videtur indicare, *vt ſit apud me, eſt, & non.* vt ſit ſenſus, neque inconſtans ſum, neque doloſus eorum hominum more, qui vel mutant conſilium, vel dolo pollicentur, quod non eſt animus præſtare. Quæ videtur Theodoreti ſentẽtia. *Poſuit enim*(inquit) *duo contraria, quo-*
C *rum prius quidem hoc eſt, non ſum leuis, nec animus meus leui momento mutatur, vt nunc quidem hoc, nunc verò illud eligam. Secundum autem hoc eſt, ſed neque animi perturbationi ſeruio, vt omni modo cupiditatem expleam; hoc enim dicit, vel quæ conſulto, ſecundum carnem conſulto, vt ſit apud me na, na, & non, non.* Chryſoſtomus autem, & Theophylactus aliter explicant, quaſi Apoſtolus dicat, quòd meum ad vos aduentum pridem promiſſum hactenus diſtuli, non eſt mutatæ ſententię argumentum; volebam enim tum, & adhuc volo, ſed quod in animo voluo, non ſecundùm carnem, hoc eſt, hominum more voluo, qui in rebus agendis animo ſuo obſequuntur, & prout libuerit aliquid affirmant, aut negant, quod mihi neutiquam licet: quippe diuino Spiritui penitus ſubiectus, prohibeor interdũ
D facere quæ volo, eaque efficere iubeor, quæ ne cogitaueram quidem: non poteſt igitur eſſe in oratione mea, eſt, & nõ, cùm arbitratu meo nec polliceri quidquam, nec negare queam. Vterque ſenſus eſt valde probabilis, prior tamen videtur ſimplicior, quem in paraphraſi ſecutus ſum, & magis cum ſequentibus cohæret: hic tamen poſterior indicat quidem neſcio quid præſtantius ac diuinius, quàm quod homines ſuis in conſultationibus experiri ſoleant; vix tamen apoſtolicæ ſententiæ aptari poteſt. Cùm enim dicat Apoſtolus ſe nõ leuitate vſum, neque humano more de ſua profectione deliberaſſe, ſi id vellet ſignificare, quod ait Chryſoſtomus planè ſecum quodammodo pugnare videretur. Quid enim ais, Paule, non eſſe in tua poteſtate ſitum quidpiam certò affirmare vel ne-
E gare, ſed totum te à diuini Spiritus nutu, imperioque pendere? atqui pollicitus eras te peragrata Macedonia Corinthum venturum: ſi id præſtare diuino numine prohibitus es, humano profectò more id cogitaueras, & pollicitus eras. Prior igitur explicatio præferenda eſt. non temerè quidem, aut humana ratione ductus pollicitus ſum quod deinde non præſtiti, nec dolo malo promiſi quod mihi in animo erat non efficere, quaſi ore affirmarim, quod mente atque animo negarẽ, hoc enim eſt ab apoſtolico inſtituto, meæque vitæ ratione maximè alienum: ſed caritas quidem meum ad vos aduentum ſuadebat:

Deus

[a] cap. 71.

[b] ep. 110.

[c] lib de conſ. ad Alb c. 6.

II.

Deus tamen cuius nutu omnia fiunt aliud imperauit. Quod igitur ad me attinet, verè atque ex animo pollicitus ſum, quod animus erat præſtare: nec mihi quiſquam obiicere poteſt, vel leuitatem, & inconſtantiam, vel fraudem, aut perfidiam, quaſi ſubitò negarim, quod paulò antè tam affirmatè pollicitus eram. Fauet huic explicationi Syriacus, qui ita hunc locum tranſtulit. *Hoc igitur cùm cogitaui, num tanquàm temerarius cogitaui? aut num carnis ſunt ea quæ cogito? Siquidem oportet in his eſſe etiam etiam, & non non.* Nam qui temerè aliquid promittunt, facilè fidem datam fallunt, & qui praua cupiditate ducuntur fraudulenter promittunt, & dum promiſſis non ſtant idem quodammodò affirmant, & negant. Tametſi igitur promiſſio ſui aduentus non erat à Spiritu ſancto profecta, vt monet Chryſoſtomus; non fuit tamen ex animi leuitate aut dolo, ſed ex caritate, cùm tamen tunc Paulus ignoraret, quod futurum foret, quidque ſpiritus imperaturus eſſet.

18. Fidelis autem Deus, quia, &c. Sunt
I. qui putent, ſuperiora interrogationem quandam continere, quaſi dicat. An quæ cogito ſecundùm carnem cogito, vt ſit apud me eſt, & non? cui interrogationi reſpondeat. Nequaquam hæc ſecundum carnem loquor, vt mihi arrogem ſi quid præſtiti: immò fidelis Deus eſt, qui per me præſtitit quidquid voluit. Sed quod de interrogatione præcedentium dicitur, negari nullo modo poteſt: de hac reſponſione non poſſum viris doctis aſſentiri. Video enim quod Chryſoſtomus, & Theophylactus monent, exorientem dubitationem hoc loco ab Apoſtolo refelli, potuiſſet enim quiſpiam dicere, quocumque ſe modo habeant, quæ de tua pollicitatione narras, illud inficiari non poteſt, aliud te pollicitum eſſe, quàm re ipſa præſtiteris: cùm igitur in rebus agendis ſermo tuus nequaquam conſtans fuerit, idem etiam fas erit in tua doctrina ſuſpicari. Hanc ſuſpicionem amouet Apoſtolus dicẽs. *Fidelis Deus, quia ſermo noſter, qui fuit ad vos, non eſt in illo, Eſt. & Non.* quaſi dicat, doctrina, & prædicatio noſtra non eſt fluctuans, aut inſtabilis, ſed ſui ſimilis, & ſemper eadem: ita (vt ait Theodoretus) ſuſpicionem leuitatis, & inconſtantiæ à ſe remouet, nam qui veram ſolidamque doctrinam tradit, quæ à leuitate, ac mendacio longiſſimè abeſt; is profectò cauſam nullam habet, cur eius gratia mentiatur, & ab ea quam profitetur ſcientia, vita moribúſque diſſideat; quid enim hoc eſſet aliud, quàm eam euertere, quam maximè cupiat ſtatuere? interim tamen docet vnde euangelicæ doctrinæ firmitas, atque conſtantia pendeat; hoc eſt ab ipſa Dei ſumma veritate, quæ deficere nullo modo poteſt. Quamuis igitur in pollicitatione mea aliquid appareat non ita cum veritate conſentiens, de ipſa tamen prædicatione nefas eſt quidquam ſimile ſuſpicari. Fidelem porrò Deum vocat, hoc eſt fidum, cui tutò credas; de cuius fide, & conſtantia nefas ſit dubitare. Significat autem (quod animaduertit Chryſoſtomus) aliter de ſua pollicitatione, aliter de doctrina, & prædicatione, ſentiendum eſſe. Pollicitatio (inquit) mea erat, atque ego ſponte mea me ad vos venturum promiſeram, cùm nondum mihi ſatis perſpecta eſſet Dei voluntas, quæ me aliò vocabat: prædicatio verò non humana, ſed Dei eſt: quod autem Dei eſt, longiſſimè abeſt à mendacio: propterea fidelem appellat Deum. Non igitur fuit in illo ſermone meo, *qui fit apud vos*; hoc eſt in euangelica prædicatione, *eſt, & non*: nihil fuit in eo repugnans, nihil non maximè cohærens; quod eſt veræ ſolidæque doctrinæ, & Catholicæ fidei potiſſimum argumentum. nam (vt oſtendit Auguſtinus [a]) vnitas veros doctores arguit; vt (quemadmodum obſeruauit

a lib. 18 de Ciuit. cap. 41.

A Athanaſius [a]) eadem omnes profiteantur, neque à ſe ipſis, neque à maioribus ſuis vllo modo diſcrepent. Ita rectè ſcribit Irenæus [b], vnam eſſe vbique gentium fidem; idémque probat Euſebius [c] Cæſarienſis, ex epiſtola Dionyſij Alexandrini ad Nouatum. Quod ipſum ex nomine Eccleſiæ firmat Chryſoſtomus [d], & in eamdem ſententiam Hilarius [e] fidei naturam ait vnam eſſe. Quocirca Optatus Mileuitanus [f] meritò Parmenianum hæreticum reprehendit, quòd duas Eccleſias comparauerit, immemor Chriſti qui vnam dixit eſſe ſponſam. Et Hieronymus [g]. *Vna*, inquit, *Eua mater cunctorum viuentium, vna Eccleſia. Sicut illam maledictus Lamech in duas diuiſit ſerores, ſic hanc hæretici in plures Eccleſias lacerant.* His
B conſentiunt quæ ſcribit Beda [h]. *Vnus Deus, vna fides, vna Catholica electorum omnium multitudo per omnia mundi loca, & tempora ſæculi.* Et alibi [i]. *Re vera*, inquit, *omnes per orbem Catholici vnam veritatis regulam ſequuntur, non autem omnes hæretici & infideles in vno errore conſentiunt.* Immò verò penè innumerabiles ſunt Gentilium errores, vt monet Baſilius [k]. Quod ipſum affirmant Theodoretus [l], & Auguſtinus [m], vt quoniam ſe ipſi oppugnant, minimè neceſſe ſit contra eos diſputare. De hæreticis porrò res eſt aper- II.
tiſſima; numquam enim ſunt ſui ſimiles, ſed ſemper aliquid noui eudunt, nam in vniuerſum de hæreticis ſui temporis ſcribit Tertullianus [n], ipſos etiam à ſuis regulis variaſſe inter ſeſe; *Dum ſuo*, inquit, *modulatur arbitrio quæ quis accepit, quemadmodum de ſuo arbitrio compoſuit qui tradidit.* Et Hilarius [o] *periculoſum & mi-*
C *ſerabile ait eſſe tot nunc fides exiſtere, quot voluntates: tot nobis doctrinas eſſe, quot mores: & tot cauſas blaſphemiarum pullulare, quot vitia ſunt; dum aut ita fides ſcribuntur vt volumus, aut ita vt volumus intelliguntur, vt cùm ſecundum vnum Deum, vnum Dominum, vnum baptiſma, etiam fides vna ſit, excedimus ab ea fide, quæ ſola eſt, & dum plures fiunt ad id cœperunt eſſe ne vlla ſit.* Auctor [p] porrò operis imperfecti, & Epiphanius [q] hæreſes arenæ comparant, tótque aiunt eſſe ſententias, quot arenas. quibus conſentiunt, quæ ſcribunt alter Epiphanius [r], Ambroſius [ſ], Ruffinus [t], Socrates [u], Soxomenus [x], Theodoretus [y], Nicephorus [z]. Et quod magis mirandum eſt, diſſident patres à filiis, maritus à coniuge, vt affirmat Euagrius [a]; & Theodorus [b], ac Bernardus [c] inſinuant: idque de ſin-
D gulis penè hæreticorum ſectis facilè oſtendi poteſt. Simoniani enim (vt auctor eſt Irenæus [dd]) ſtatim in initio in varias ſectas diuiſi ſunt. Valentini diſcipuli ſubitò magiſtro ſuo contradicere cœperunt, vt intelligi poteſt ex Irenæo [e], Tertulliano [f], Clemente [g] Alexandrino, Epiphanio [h], Theodoreto [i], Euſebio [k], Auguſtino [l]. Idem accidiſſe Marcioni, & Montano affirmat Epiphanius [m], idipſum docet Auguſtinus de Manichæo [n], & Donato [o]. De Arrio Ruffinus [p]: immò verò Hilarius [q] ſcribit, Arrianos ſingulis annis mutaſſe fidem. De Meſſalianis meminerunt Epiphanius [r], & Theodoretus [ſ]: de Eutychianis Euagrius [t]. Idem accidiſſe Lutheranis, quorum nunc centum penè ſectæ recenſentur, viri [u] docti tradiderunt. Id verò olim indicauerat Iſaias [x], cùm dixit.
E *Concurrere faciam Ægyptios contra Ægyptios*; nam (vt ait Hilarius [y]) *bellum hæreticorum pax eſt Eccleſiæ.* Quocirca hæretici à Chryſoſtomo [z], Hieronymo [a], Auguſtino [b], Bernardo [c] caudis vulpium Sampſonis comparantur. Quò pertinent illa ex Canticis [d] Canticorum. *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.* Eòdem ſpectare putat nonnemo [e] quod ſcriptum eſt in Apocalypſi. *Manducauerunt linguas ſuas.* quaſi dicat: locuti ſunt contra ſe. Certè Beda [f] eodem putat pertinere quod ſcriptum eſt in Geneſi [g]. *Terra erat labij vnius, & ſermonum eorumdem.* hæretici verò

a lib. de decr. Nice. Syno.
b lib. 1 cap. 3.
c lib. 6. hiſt. cap. 35.
d Hom. 1 in 1. ad Cor. & ad Galatas.
e l. 11 de Trin.
f lib. 2. cont. Parmen.
g ep. ad Ieronian. de Monog. ſimilia habet ep. 1 ad Damaſ.
h Cantic. 6.
i in ep. 2. Ioa.
k Hom. 1. in Exam.
l de curan. Græc. aff. d.
m Serm. 14. de verb. Dom. & lib. 18 de Ciuit. cap. 41.
n de præſcr. aduerſ. hæret.
o ad Conſtan. Auguſt.
p Hom. 31 in Matth.
q in ſeptima Synodi act. 5. & hær. 71.
r lib. 1 de fide cap. 4.
ſ lib. 9. c. 25.
t lib. 1 c. 23.
u lib. 5. cap. 5.
x lib. 2 c. 29.
y lib. 4 cap. 5.
z lib. 18. c. 29.
a lib. 4 ca. 11.
b in Anagogn ad Anaſt. c. 7.
c Ser. 88 cant.
d lib. 1 ca. 23. & deinceps.
e lib. 1 cap. 5.
f de præſcr. p.
g lib. 3 Strom.
h hær. 31.
i lib. 1 de hæret. Fab.
k lib. 4. hiſt. cap. 7.
l li. de hæreſ.
m hær. 48
n lib. de hær. cap. 47.
o lib. 1 de baptiſ. cap. 1.
p lib. 10 c. 25.
q aduerſ. Conſtant.
r Hær. 8.
ſ li. 4 de hær. Fab.
t lib. 1. & 4. hiſt.
u Staphil. lib. de concor. diſcip. Luth.
x cap. 19.
z lib. 7. de Trinit.
z Pſal. 56.
a Ezech. 13.
b Pſal. 80. 10.
c Serm. 64. Cantic.
d cap. 2. 15.
e Rupert. lib.
9 in Apoc.
f Marc. 9.
g cap. 11.

alta ſapientes turrim confuſionum ædificarunt: ita linguarum multitudo pertinet ad Babylonem: in Vrbe verò Ieruſalem, hoc eſt, ſancta ciuitate (vt obſeruauit Auguſtinus[a]) linguarum varietas in vnum cogitur. Quamobrem rectè dixit Apoſtolus, ſe vnum ſemper atque idem docuiſſe, nec fuiſſe in ſua prædicatione, Eſt, &, Non.

a Tōm. 1. in uall Ioan.

19. Dei enim filivs Iesvs Christvs, &c.
I. Doctrinæ ſuæ veritatem, & conſtantiam duplici ratione confirmat. Primùm quidem ab ipſius doctrinæ argumento, id eſt, Chriſto liberatore. *Dei enim*, inquit, *filius Ieſus Chriſtus, qui in vobis per nos prædicatus eſt*, quaſi dicat: nullum præterea argumentum fuit prædicationis meæ: ſic enim alibi[b] dixit. *Nihil arbitratus ſum me ſcire inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* illud porrò argumeotum nullam admittit ſententiarum varietatem. Altera verò ratio ducitur ab eorum auctoritate, qui euangelicam doctrinam tradiderunt. *Per me*, inquit, *& Syluanum, & Timotheum.* Nam (vt ait Chryſoſtomus) *ob eam cauſam magiſtrorum chorum in medium adducit, vt hunc quoque teſtimonio ſuo fidem aſtruat, non per auditores tantùm, ſed etiam per magiſtros.* Quamquàm enim illi reſpectu ſui, diſcipuli erant, tamen collati cum Corinthiis, rectè magiſtri poterant appellari. Accedit quòd (vt obſeruat Chryſoſtomus) *modeſtiæ ſtudio eos in magiſtrorum album refert.* Theodoretus porrò, ac Hieronymus Syluanum pro Sylla poſitum putant. Sylla namque cum Paulo Philippis in vincula coniectus eſt; & (vt ait Theodoretus) cùm veniſſet Corinthum vnà cum Timotheo, Paulo prædicanti opem tulit. Neque verò mirandum eſſe ait, quod Syllæ nomen mutarit in Syluanum; nam in Epiſtola[c] ad Romanos Priſcillam appellauit Priſcam. In hac igitur, ait, mea prædicatione, quæ de Chriſto liberatore agit, & ab his magiſtris promulgata eſt, *non fuit Eſt, & Non*; vel potiùs doctrina ipſa *non fuit Eſt, & Non*: hoc eſt, non fuit lubrica fides, aut falſa doctrina, ſed eſt, inquit, in illo fuit; hoc eſt, veritas eiuſdem coloris, ac ſui ſemper ſimilis, qualis re vera eſt Chriſtiana doctrina. Tametſi enim obiiciunt hæretic, multas eſſe in theologicis ſcholis cõtrouerſias diſcrepantéſque ſententias, in iis tamen quæ ad fidei integritatem pertinent, eadem eſt omnium mens, eademque ſententia: neque (vt de ſui ſæculi ſcriptoribus affirmat Auguſtinus[d]) de rebus fidei diſſentiunt, ſed de aliis quæſtionibus de quibus ſalua integritate fidei licet in vtramque partem diſputare.

b 1 Cor. c. 2. 2
c cap. 16. 3.
d li. cont. Iul.

20. Qvotqvot enim promissiones Dei
I. svnt, &c. Locus eſt aliquantò obſcurior; græcè tamen paulò aliter habet, & nonnihil Apoſtolis ſenſum illuſtrat: ὅσαι γὰρ ἐπαγγελίαι τοῦ θεοῦ, ἐν αὐτῷ τὸ ναί, καὶ ἐν αὐτῷ, τὸ ἀμήν, τῷ θεῷ πρὸς δόξαν δι᾽ ἡμῶν, hoc eſt: quotquot enim pollicitationes Dei ſunt, in ipſo eſt, ſunt, vt in ipſo amen Deo ad gloriam per nos. Vt ſignificet (quod aliquanto vberiùs in paraphraſi explicui) omnes videlicet diuinas promiſſiones, quæ euangelica doctrina continentur, Chriſti beneficio præſtandas eſſe cõnſtanter prædicari: quod etiam eiuſdem Chriſti beneficio certa ſpe futurum credimus, itáque & ſperamus ipſi, & aliis ſperandum ſuademus, quod ad Dei gloriam cedat, quam nos vbique prædicandam, & promulgandam ſuſcepimus. Cæterùm quod attinet ad verba ambiguum eſt quò referendum ſit relatiuum illud ἐν αὐτῷ, & latinè; *in illo*; poteſt enim referri ad Deum, vel potiùs Chriſtum, cuius paulò antè mentionem fecerat: poteſt item coniungi cum illo quod ſequitur ναί, hoc eſt; *etiam*, vel (vt tranſtulit noſter interpres) *eſt*. Priorem ſententiam ſequuti ſumus in paraphraſi. quaſi dicat, quæcumque promiſſiones continentur in euangelio; Chriſti merito, ac beneficio præſtandæ ſunt: quod conſtanter prædicamus. Quod nonobſcurè ſignificat Theodoretus. *Multa ſunt*, inquit, *Dei promiſſiones, mortuorum reſurrectio, corporis a corruptione & interitu remotio, vita nunquam finem acceptura, regnum cælorum: ſed hæc quidem vniuerſorum Deus per vnigenitum filium largitus eſt. Quamobrem etiam per ipſum, gratiarum actiones et hymnum offerimus.* Nec diſcrepant Hieronymiani commentarij. *Omnis*, inquiunt, *veritas promiſſionis in Chriſto eſt.* Penè idem ſignificat Ambroſius. Verùm Anſelmus illud, *Eſt*, refert ad Chriſtum: quaſi dicat in illo, *eſt*, ſunt: *id eſt eſſentiam habent in illo, quia omnes adimpleta ſunt, vel adimplentur in illo: omnes promiſſiones Dei in illo firmata ſunt, & exhibita.* Chryſoſtomus, & Theophylactus relatiuum coniungunt cum verbo; *eſt*, hunc in modum. *Omnes pollicitationes Dei in ipſo ſunt ita, & amen habent id eſt robur, & ſtabilitatem. non enim in homine quopiam complentur, ſed in ipſo Deo ſtabiles, itaque ſunt.* Sed (vt apparet) idem ſemper eſt ſenſus: hoc eſt Dei pollicitationes ratas, ac firmas eſſe, vniúſque Chriſti beneficio præſtandas, & in eodem Chriſto eſt *amen*: ille quippe facit, vt verè omnia fiant, quæ diuinitùs promiſſa ſunt. Denique ſignificat Apoſtolus, diuina promiſſa certiſſima eſſe, atque omni prorſus dubitatione carere, adeóque ipſi Deo verè dici: *amen*; quia rata ſunt omnia, quæ ipſe pollicitus eſt. Porrò quod ait *amen, Deo ad gloriam noſtram*, bifariam diſtingui poteſt: primum vt *Amen* addatur hypodiaſtole, & mox ſequatur Deo ad gloriam noſtram: quaſi dicat, firmitatem promiſſionum, noſtro miniſterio ad Dei gloriam redundare: Græcè enim ſcriptum eſt, τῷ θεῷ πρὸς δόξαν δι᾽ ἡμῶν; Deo ad gloriam per nos: deinde coniungi poteſt *Amen*, cum voce *Deo*; vt ſenſus ſit; ideo per ipſum *Amen Deo*. hoc eſt; diuina auctoritate firma eſſe dicimus ad gloriam noſtram, qui dum Euangelium prædicamus, mendacij, aut falſitatis argui nequaquam poſſumus; vel (vt diximus in paraphraſi) ad Dei optimi maximi gloriam per nos prædicandam, & illuſtrandam. Ita vulgatus interpres gloriam noſtram dixiſſe videtur gloriam quam nos prædicamus, vel (vt ait Anſelmus) gloriam, quæ in nos redundat, qui veram doctrinam tradimus.

21. Qvi avtem confirmat nos, &c. Quo-
I. niam dixerat veras eſſe pollicitationes, itémque veriſſimam quam tradiderat, doctrinam, primum, ac ſupremum huius veritatis auctorem Deum eſſe docet. Duo autem Deo tribuit, confirmationem & vnctionem. Placet enim (quod ait Photius) ſubaudiendum eſſe verbum eſt, in hunc ſenſum. Deus autem eſt qui confirmat nos vobiſcum in Chriſtum, & vnxit nos. Porrò ait, firmæ ac ratæ ſunt diuinæ promiſſiones, ideóque nos Deus vnà vobiſcum confirmat: hoc eſt (vt interpretantur Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus, omnéſque fermè Latini) ſtabilem, ac firmam fidem largitur, qua Chriſto Domino adhæremus, nobis quidem tamquam eius præconibus, ac magiſtris, vobis autem tamquàm ſedulis auditoribus; vtriſque enim fides communis erat. Addit. *Et vnxit nos*, quaſi prophetas, ſacerdotes, ac reges fecit, vt Chryſoſtomus, & Theophylactus explicant: à quibus nihil diſſentiunt Ambroſius, & Anſelmus. Hieronymiani commentarij referunt ad vnctionem chariſmatis, & perceptionem ſpiritus; nam eodem modo loquitur Ioannes[a]. *Vnctionem*, inquit, *quam accepiſtis ab eo maneat in vobis, & non neceſſe habetis, vt aliquis doceat vos, ſed ſicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium.* Sed quod Chryſoſtomus, cæterique quos paulò antè nominaui in præſentia affirmant, videtur

a epiſt. 1. c. 2. 27.

probabi-

probabilius; vt enim ait Theophylactus, qui ritè baptizatur, inungitur quaſi Propheta, Sacerdos, & Rex. *Propheta quidem quia perſpexit diuino fidei lumine illuſtratus, quæ oculus non vidit, audiuitque quæ auris nulla percepit. Sacerdos, qui ſe ipſum debeat offerre hoſtiam ſanctam viuentem, & Deo beneplacentem denique Rex quia à ſummo Rege, atque Imperatore adoptatus, futuri regni conſtitutus eſt hæres, qui interim rebus omnibus creatis, & ſuis potiſſimum cupiditatibus, & prauis affectionibus dominetur.*

22.
I. Qvi et signavit nos, et, &c. Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus ſuperioris ſententiæ explicationem eſſe putant, vt vngere, & ſignare, ſeu, vt alij dicũt, obſignare nihil ſit aliud, quã gratiam, & Spiritum ſanctum largiri: quod maximè fit in baptiſmo, in quo, vt Theologi loquuntur, præ-
B ſertim Baſilius [a], & Auguſtinus [b], character, & ſpiritale quoddam ſignum imprimitur; quo diuinæ promiſſiones, ad earum firmitatem, ac ſtabilitatem ſignificandam veluti adhibito ſigillo obſignantur: vt enim alibi docui, rectè ſacramenta ſigillis comparantur. Poſſis etiam interpretari obſignauit: hoc eſt ſigillo ſuo muniuit, vocatione ſua efficaci, & quod caput eſt æterna ſua dilectione, & prædeſtinatione. Denique ipſo Spiritus ſancti munere, de quo idem Apoſtolus ad Epheſios [c]. *Signati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto.* Hunc autem ſpiritum vocat hoc loco pignus: Græcè ἀῤῥαβῶνα datum in cordibus noſtris: ille namque, vt ſcriptum eſt in Epiſtola [d] ad Romanos, *teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei.* Itémque: *Adiuuat infirmitatem noſtram, nam*
C *quid oremus ſicut oportet neſcimus; ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Meritò autem dicitur pignus, quia (vt ait Anſelmus) *per hoc donum anima noſtra ad interioris ſpei certitudinem roboratur.* Addit Theophylactus, magnam nos eorum partem, quæ ſperamus diuini ſpiritus munere percipere. Nam (vt alibi [e] ait Paulus) *ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus.* Et Theodoretus. *Veluti*, inquit, *quandam futurorum bonorum arrham hanc nobis gratiam largiens: per arrham quidem certè eorum, quæ danda ſunt, nobis magnitudinem innuit; arrha enim eſt quædam parua pars totius.* Porro quæcumque hoc loco dicit Apoſtolus non ſolùm Deo Patri, ſed etiam Chriſto Domino tribuenda eſſe monet Ambroſius;
D non ſolùm quia (vt Theologi affirmant) externæ Dei actiones toti Trinitati ſunt communes, ſed etiam quia Chriſtus vt homo *fecit vtraque vnum*, id eſt, *circumciſionem, & præputium in vno nouo homine faciens pacem.* Quocirca eandem ſententiam ſequutus Syriacus interpres hunc in modum Pauli mentem expreſſit. *Omnes enim promiſſiones Dei per Meſchico ſunt etiam; ideo per ipſum damus amen ad gloriam Dei; Deus autem confirmat nos vobiſcum per Meſchico illum, qui & ipſe vnxit nos, & obſignauit nos, deditque arrhabonem ſpiritus ſui in cordibus noſtris.*

23.
I. Ego avtem testem Devm invoco, &c. Rectè Chryſoſtomus quærit, quomodo hæc cum ſuperioribus cohæreant. Siquidem paulò antè dixerat, ſe non humano conſilio, aut prudentia ſententiam mutaſſe, qua ſtatuerat primo quoque tempore
E Corinthum venire, ſed diuini ſpiritus impulſu coactum, aliam ſuſcepiſſe cogitationem: nunc autem ſe ſponte ſua ab ea receſſiſſe ſententia indicat, cùm ſe aduentum ſuum diſtuliſſe affirmat, vt Corinthiis parceret: venturus enim erat ſcelerum vltor; iam verò gaudere ſe ait, quòd plurimi reſipiſcentes priſtina flagitia deteſtarentur. Verùm reſpondet, hoc ipſum à Spiritu ſancto profectum eſſe: cùm enim Paulus de Corinthiaca profectione cogitaret, hanc illi diuinus ſpiritus mentem iniecit, vt illam tantiſper dif-
A ferret, vt eorum imbecillitati parceret. Addit probabile eſſe loqui in præſentia Apoſtolum de alia quapiam profectione, de qua ſecum ipſe deliberaret antequam priorem Epiſtolam ſcriberet, quam propterea diſtulit Spiritu ſancto minimè prohibente, ne cogeretur facinoroſos nondum pœnitentia expiatos, grauiùs acerbiúſque tractare. Denique veriſimile videri quod Spiritus ſanctus tacitè menti indiderat, ſponte deinde Apoſtolum ſecum ipſum reputaſſe, ſatiúſque iudicaſſe tamdiu ſubſiſtere quoad meliora, & lætiora de Corinthiis audiret. Vt autem hanc ſuam in Corinthios beneuolentiam, & caritatem veram fuiſſe, diuturnioris ſuæ abſentiæ cauſam perſuadeat, iureiurando adhibito Deum immortalem teſtem appellat. *Teſtem*, inquit, *Deum inuoco in*
B *animam meam.* Quaſi dicat; animæ meæ periculo. quod Syriacus dixit. *Per animam meam*: vel, vt alij volunt, & indicat Theodoretus, *teſtem inuoco Deum, cui animi mei receſſus perſpecti ſunt, & cogniti. Quod parcens vobis*, ait, *non veni vltra Corinthum*: hoc eſt; vt veſtris rationibus conſulerem: ne cogeret vobiſcum ſeueriùs agere, nondum ad vos veni; ſic enim Græcè ſcriptum eſt, οὐκέτι ἦλθον εἰς Κόρινθον, hoc eſt; *non adhuc*; ſentit enim ſe diſtuliſſe aduentum, & Chryſoſtomus, Theophylactus, Ambroſius, & Anſelmus explicant; niſi quis malit ἔτι, pro denuò accipere, quaſi dicat non redij ad vos, aut non ſecundò veni Corinthum. Quamobrem tantùm abeſt, vt hæc mea abſentia odij ſit vel alienatæ mentis argumentum, vt potiùs ſingularem in vos meam declaret ca-
C ritatem; nolui enim quod mihi neceſſariò faciendum erat ſontes vlciſci, ſed tamdiu expectandum cenſui quoad vis morbi remitteret, & ſaniora aliquando conſilia ſuſciperetis. Verùm quoniam id videri poterat dictum imperioſiùs, ad orationis aſperitatem leniendam prudenter ſubdit.

Non qvia dominamvr fidei, &c. Chryſoſtomus, Theophylactus, Ambroſius, & aliqua ex 24. I.
parte Anſelmus dominari fidei intelligunt quaſi pro imperio fidem exigere, aut credendi neceſſitatem imponere: *nam*, vt ait Chryſoſtomus, *credere nolentem quis cogere queat*? Propius verò eſt quod Theodoretus, & Hieronymiani commentarij affirmant, hunc eſſe ſenſum verborum Pauli: Num propterea vos ad Chriſti fidem perduxi, vt eo nomine impe-
D rium in vos liberè exercerem? An quia fideles eſtis, fas mihi eſt quidlibet vobis fidei, ac religionis reſpectu præcipere, vel prohibere? Videtur enim (vt ait Anſelmus) hoc loco ad beneuolentiam Corinthiorum ſibi conciliandam, Apoſtoli quodammodò, & præſulis perſonam exuere, ſeque Corinthiis propemodum æquare. At in ſuperiori Epiſtola magna cum auctoritate dixerat. *Quid vultis? in virga veniam ad vos?* Atque ita oſtendit non ſemper ſummo iure agendum, neque ſubitò ſæuiendum in noxios, ſed interdum à ſupplicio abſtinendum, cùm rerum & perſonarum conditio id videtur poſtulare. *Sed adiutores*, addit, *ſumus gaudij veſtri*: nimirum dum partim monendo, partim etiam minando vos ad morum, vitæque mutationem adhortati ſumus, id
E profectò egimus vt iſtud gaudium veſtrum, quod iam ex pœnitentia prægustatis, & ex mea præſentia percepturi eſtis, excitarem & quodammodò augerem: poſitis enim minis cùm ad vos venero mutuo gaudio, & ſpiritali voluptate recreabimur. *Fide namque ſtatis*: hoc eſt (vt ait Anſelmus) fidei veluti fundamento ſuperexſtruxiſtis caritatem, vnde verum, ac ſolidum gaudium manat: quæ (vt obſeruat Chryſoſtomus) eò referuntur, vt quos in priori Epiſtola acriùs pupugerat, nunc leniter demulceat. ita peritos medicos imitatur, qui pro morbi natura, ac qualitate

[a] In adhort. ad bapt.
[b] lib 2 cont. Parmen. c.11.
[c] cap.1.13.
[d] cap.8.16.
[e] 1 Cor.13.9.

Digitized by Google

nunc lenia, & blanda fomenta adhibent, nunc (ſi res poſtulet) ſecant, atque vrunt. Rectè enim alicubi [a] ſcripſit Nazianzenus. *Enimuerò, ait, medicus regiones, & tempora, & ætates, & anni partes, cæteráque huius generis inſpiciet, medicamenta etiam exhibebit, victúſque rationem præſcribet, ac noxia obſeruabit, vt ne ægroti cupiditates, arti obſiſtant: ignem etiam interdum, & ferrum, atque aſperiora remedia nonnullis adhibebit, quæ tametſi perquam laborioſa, & moleſta eſſe videantur, nihil tamen eorum perinde arduum, ac difficile eſt, vt mores, & affectus, & vitas, & ſtudia, atque inſtituta, & ſi quid aliud eorum, quæ in nobis ſunt his ſimile eſt, conſpicere, ac medicari, atque quidquid agreſte, ac ferri-* A *num eſt à coniunctione noſtra expellere, quidquid autem manſuetum ac Deo catum eſt inducere, & confirmare, atque animæ, & corporis cauſam inſile diſceptare.* Mox verò oſtendit hanc ſpiritalem medendi rationem medicorum arte, qui corpora curant, longè eſſe & difficiliorem, & periculoſiorem. Ait igitur Apoſtolus. *Nam fide ſtatis:* hoc eſt interprete Theophylacto, ſat ſcio, vos in iis, quæ ad fidem pertinent, & probè eſſe eruditos, & ritè conſtantes. Quocirca hoc quidem nomine non potui vos reprehendere: alia quædam corrigenda monui: quæ quoniam pœnitentia & emendata, & expiata ſunt, id vnum ſupereſt, vt mutua gratulatione coram exhilaremur.

[a] Apolog. 1.

Argumentum Cap. II.

ALTERAM *affert excuſationem, quam ſuperiori etiam capite ſubindicauerat ab ipſis Corinthiis petitam, quorum ſe pudori, atque imbecillitati peperciſſe ſcribit, ne ſi ante peractam pœnitentiam ad eos veniſſet, cogeretur cum illis duriùs agere: Interim verò ſcortatori, quem ſuperiori Epiſtola anathematis ſententia damnandum præceperat, eius ſalutari pœnitentia permotus pœnam remittit, déque ſua docendi ratione nonnulla ſcribit.*

CAPVT II.

STATVI *autem hoc ipſum apud me, ne iterum in triſtitia venirem ad vos.*

Si enim ego contriſto vos: & quis eſt, qui me lætificet, niſi qui contriſtatur ex me?

Et hoc ipſum ſcripſi vobis, vt non cùm venero, triſtitiam ſuper triſtitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere: confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium omnium veſtrum eſt.

Nam ex multa tribulatione, & anguſtia cordis ſcripſi vobis per multas lacrymas, non vt contriſtemini: ſed vt ſciatis, quam charitatem habeam abundantiùs in vobis.

Si quis autem contriſtauit, non me contriſtauit: ſed ex parte, vt non onerem omnes vos.

Sufficit illi, qui eiuſmodi eſt, obiurgatio hæc, quæ fit à pluribus.

PARAPHRASIS.

HOc autem mihi faciendum iudicaui, 1.
ne ſi ad vos priùs veniſſem, quàm vos
reſipuiſſetis, vt à me priori epiſtola mo-
niti eratis, rurſum vobis triſtitiæ, ac
mœroris cauſam afferrem, ipſéque adeo gemino
angore animi cruciarer. Omnino igitur ad vos ve-
nire conſtitui, ſic tamen vt nulla ex meo aduentu
mutuæ triſtitiæ eſſet materia. ¶ Nam ſi vos ego 2.
moleſtia affecerim, idque meo cum maximo mœ-
rore, triſtitiáque: quis, quæſo, ſuperſit, qui me exhi-
laret? Aut quid ego inde gaudij, lucríque refero?
Vos ſanè ij eſtis vni, ex quibus nunc poſſim volu-
ptatem capere, quibus iterum moleſtia affectis,
non eſt quod aliunde gaudium ſperem. nam ego
quidem gaudium vlla alia ex re maius nullum ca-
pio, niſi quum quempiam video obiurgatione
mea ad meliorem frugem conuerti, & increpatio-
nis veluti mucrone ictum, peccati virus effundere.
¶ Et hoc ipſum ſcripſi vobis, meique doloris acer- 3.
bitatem ſignificaui; ne cùm venero, triſtitia, dolo-
réque perfundar, ex iis præcipuè, ex quibus gau-
dium me, & oblectationem percipere oportebat,
quia omnino ſperaui fore, vt quod mihi diſplicere
intelligeretis, ſtatim ad me exhilarandum abiice-
retis, cùm mea gaudia exiſtimeris vobis eſſe com-
munia. ¶ Nam ex multa oppreſſione, animíque 4.
angore ſcripſi ad vos, & quidem multis cum la-
crymis, non vt triſtitia afficeremini, ſed vt cogno-
ſceretis caritatem, qua vos arctiſſimè amplector.
¶ Quòd ſi quis aliquid perpetrauit, quod mœro- 5.
rem mihi poſſet afferre, is profectò triſtitiam non
mihi attulit, ſed propè dixerim vos omnes mœro-
re affecit: nolo enim vos exiſtimare eiuſdem ſce-
leris fuiſſe participes, ne per ſe grauato onus ad-
iiciam, quod potiùs detractum velim. ¶ Porro 6.
illi obiurgatio, quæ de more à pluribus facta eſt,
quantum ſatis eſſe videbatur, triſtitiæ attulit, &

7. mœrotis. ¶ Vt iam æquitatis,& Chriſtianæ pieta-
tis ratio poſtulet pro eo, quod antea illum ſeuetè
vlri eſtis,nunc illi condonetis:próque eo, quòd in
ſummam triſtitiam hominem conieciſtis, nunc il-
lum contrà recreetis,ne redundanti triſtitia miſer
8. abſorbeatur. ¶ Quapropter rogo vos,vt ratam,ac
firmam erga illum caritatem exhibeatis, méque
veluti deprecatore communi Eccleſiæ conſenſu,
palàm teſtemini vos illum denuo pro fratre com-
plecti, ſicut communi Eccleſiæ ſuffragio eiectus
9. erat. ¶ Nam in hunc finem etiam ſcripſi,vt de vo-
bis periculum facerem,planéque perſpicerem;quo
loco mea apud vos præcepta eſſent, & num in o-
10. mnibus dicto eſſetis audientes. ¶ Cui verò con-
donatis,ipſi ego quoque condono: etenim ſi quid
ego cuiquam remiſi, id profectò veſtra cauſa fa-
ctum eſſe verè vobis poſſum affirmare, ídque ex
11. animo, quaſi inſpectore Chriſto. ¶ Ne occupare-
mur à Satana: non enim illius machinationes, id
eſt nefanda conſilia, & ſceleratam voluntatem
12. ignoramus. ¶ Porrò cùm veniſſem Troadem, vt
Chriſti Euangelium promulgarem, & diuino be-
neficio aditus mihi ad maxima quæque perficien-
13. da,reſeratus eſſet. ¶ Non habui relaxationem in
ſpiritu meo,nullámque partem quietis capere po-
tui, eo quòd Titum fratrem meum nequaquam
inueniſſem. Itaque cùm illis valè dixiſſem, illico
14. in Macedoniam profectus ſum. ¶ Eſt autem cur
ingentes Deo immortali gratiæ agendæ ſint, qui
nobis ſemper victoriam,& triumphum in Chriſto
Domino largitur,efficitque vt odor,& fama diui-
næ ſuæ doctrinæ noſtra opera in omni regione pa-
15. làm diffundatur. ¶ Nos enim (ſi dicendū ſit quod
res eſt)bona quædam Chriſti veluti fragrantia ſu-
mus Deo,tum illorum reſpectu, qui ſalutem aſſe-
quuntur,tum verò etiam eorum ratione, qui mi-
16. ſerè pereunt. ¶ Atque his quidem odor mortis,
qui interitum afferat, illis verò odor vitæ,qui bea-
tam pariat immortalitatem, adeo nos Deus diui-
næ ſuæ gratiæ, beneuolentiæque præſidiis abundè
reficit, ac recreat. nam alioqui quis ad hæc tam
mira, támque ſupra omnes creatas vires humanis
duntaxat opibus inſtructus idoneus reperiatur.
17. ¶ Neque enim vt plerique mentientes,& noſtras
(vt ita dicam) opes iactantes Dei ſermonem cau-
ponamur; ſed tamquam ex ſinceritate, Deíque
ſingulari beneficio de Chriſto loquimur, eiúſque
diuinam gratiam prædicamus.

Ita vt è contrario magis donetis, & conſolemini,ne fortè abundantiori triſtitia abſorbeatur qui eiuſmodi eſt.

Propter quod obſecro vos, vt confirmetis in illum charitatem.

Ideo enim & ſcripſi,vt cognoſcam experimentum veſtrum, an in omnibus obedientes ſitis.

Cui autem aliquid donaſtis, & ego: nam & ego quod donaui, ſi quid donaui, propter vos in perſona Chriſti.

Vt non circumueniamur à ſatana: non enim ignoramus cogitationes eius.

Cùm veniſſem autem Troadem propter Euangelium Chriſti, & hoſtium mihi apertum eſſet in Domino:

Non habui requiem ſpiritui meo, eo quòd non inuenerim Titum fratrem meum: ſed valefaciens eis profectus ſum in Macedoniam.

Deo autem gratias,qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu,& odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco.

Quia Chriſti bonus odor ſumus Deo in iis,qui ſalui fiunt;& in iis,qui pereunt.

Aliis quidem odor mortis in mortem,aliis autem odor vitæ in vitam. Et ad hæc quis tam idoneus?

Non enim ſumus ſicut plurimi, adulterantes verbum Dei;ſed ex ſinceritate,ſed ſicut ex Deo,coram Deo,in Chriſto loquimur.

IN CAPVT SECVNDVM
EXPLANATIO.

1. I. STATVI AVTEM HOC IPSVM, &c. A Pergit in excuſatione ſuæ diuturnioris abſentiæ. Tamdiu,inquit,meum ad vos aduentum differendum putaui, quoad veſtra reſipiſcentia recrearer, & conceptum in animo mœrorem aliqua ex parte leuarem. Sic enim apud me ſtatueram meo ad vos aduentu animi mei triſtitiam non augere.ſed potiùs lenire, aut etiam, ſi fieri poſſit, lætitiæ magnitudine obruere. Obſeruat autem Chryſoſtomus, loqui Paulum de dolore,

quem ipſe conceperat, ita enim ſcribit. *Oſtendit, ſe iam ab illis mærore affectum fuiſſe, dúmque ſe excuſare videtur, eos tacitè perſtringit: nam ſi iam ei mærorem attulerant, ac rurſus allaturi erant; cogites velim, quanto mærore ipſius animum obſeſſum fuiſſe veriſimile ſit.* Addit verò, hoc ita à Paulo commemorari, quaſi de triſtitia Corinthiorum loquatur. *Verùm*, inquit, *hoc non dicit, quod mæſtitia ab ipſis affectus ſit; ſed alio modo loquens, callidè hoc ipſum innuit. atque propterea non veni, ne vos mærore afficiam; quod eamdem quidem vim habet, atque id, quod dixi: aegrioribus autem animis excipitur.* Eodem modo explicat Theophylactus, nec videtur diſſentire Ambroſius, qui ſignificat, Paulum dolore affectum magnam etiam doloris materiam Corinthiis allaturum. *Apertum*, inquit, *eſt, quia ideo noluit ire, ne fortè corripiens paucos, multos contriſtaret* B *ipſe etiam contriſtatus.* Theodoretus, & Hieronymus ſimpliciter de mærore, ac dolore Corinthiorum Paulum explicant. Anſelmus vtramque interpretationem probat. Cæterùm quod ait. *Ne iterum in triſtitia veniam*, vtrumque ſignificare poteſt, & probabile eſt, vtrumque indicare voluiſſe Apoſtolum. An autem aliàs cum dolore, mæroréque Corinthum venerat, non opinor. Quid ergo eſt πάλιν ἐλθεῖν ἐν λύπῃ? *Ne iterum in triſtitia veniam?* Nolui, inquit, ſecundò venire ad vos, idque cum triſtitia; vel (quod inſinuat Anſelmus) nolui, vt meus ad vos aduentus ſecundam vobis mæroris cauſam afferret; nam pridem epiſtola quidem mea prior, non exiguam mæroris materiam præbuerat. Theodoretus porrò monet, particulam, *iterum*, cum præſentia, non autem C cum triſtitia coniungendam eſſe. Quod cum priori noſtra ſententia planè conſentit, quam inſinuant Hieronymiani commentarij. *Cogitaui*, aiunt, *vel diſpoſui ne in triſtitia ſecundò venirem, qui cùm primùm credidiſtis apud vos in gaudio fui.* Eſt autem (vt Chryſoſtomus, & Theophylactus obſeruant) ad lenitatem mitè compoſita oratio, vt ſuperioris Epiſtolæ acerbitatem temperaret, ſiue de eorum, ſiue de ſuo, ſiue de vtroque mærore loquatur; quod in paraphraſi inſinuaui.

3. SI ENIM EGO CONTRISTO VOS, &c.

I. Quoniam ſignificauerat, ſe pridem eùm acerbiùs obiurgaſſet mæroris præbuiſſe materiam, ſubiicit nunc, quoniam illa qualiſcumque triſtitia ſalutarem pœnitentiæ fructum pepererat, in gaudium, & lætitiam verti. Sentit enim Apoſtolus, hoc ipſum ſibi voluptati eſſe, quòd admoniti indoluerint: eſt enim D animi reſipiſcentis argumentum, atque ita ex Corinthiorum dolore Apoſtoli gaudium naſcitur. Quamquàm autem Chryſoſtomus, & Theophylactus eam triſtitiam Corinthiorum intelligunt, qua ægrè tulerant obiurgationem; vero tamen ſimilius eſt, loqui Apoſtolum de illo ſalutari dolore, qui cum reſipiſcentia, ac facinoris deteſtatione coniungitur: de illo quippe mærore loquitur ex quo ipſe meritò gaudium conceperat; atqui non erat veriſimile, gauiſurum Apoſtolum, quòd Corinthij ſuam obiurgationem ægrè tuliſſent, indéque nonnullam moleſtiam, ac mærorem concepiſſent. Rectè igitur ait ſe gaudere, quòd illi dolore ſint affecti cum præteritorum E flagitiorum deteſtatione. *Et quis eſt*, inquit, *qui me lætificet, niſi qui contriſtatur ex me?* Hoc eſt nulla ego ex cauſa tam certum, támque magnum, ac ſolidum gaudium capio, quàm cùm obiurgationibus meis, in

II. audientium animis pœnitentiæ dolorem excito. Addit Anſelmus aliam quamdam interpretationem, quaſi dicat Apoſtolus, ſe ex illorum angore animi magnam capere lætitiam, qui ideo anguntur, quòd ſe videant propter ſua flagitia cruciari. Quaſi dicat, qui meo dolore ad pœnitentiam excitantur, Non negarim tamen, poſſe Apoſtolum de humana quadam Corinthiorum triſtitia loqui, cui tamen veræ pœnitentiæ dolor ſuccedat: de qua hac ipſa Epiſtola [a] hunc in modum ſcribit. *Quoniam & ſi contriſtaui vos in epiſtola, non me pœnitet, & ſi pœniteret videos quod epiſtola illa, & ſi ad horam vos contriſtauit, nunc gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. Contriſtati enim eſtis ſecundum Deum, vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis.* Quo loco plura de hac triſtitia nobis dicenda erunt. Qualiſcumque tandem triſtitia intelligatur à Paulo, ex ea voluptatem ſe percepiſſe ſcribit, quòd ea Corinthiis fuerit frugifera, & ſalutaris. Vt enim in paraphraſi indicaui, quaſi ſalubre medicamentum peccati morbum curauit. Quocirca rectè hoc loco Theodoretus Apoſtolum docet ſibi quodammodo gratulari, quòd ſua reprehenſione multum apud Corinthios profecerit. Rectè enim ſcriptum eſt à Salomone [b]. *Plus proficit correctio apud prudentem, quàm centum plagæ apud ſtultum.* Et alibi [c]. *Melior eſt manifeſta correptio, quàm amor abſconditus: meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis.*

a cap. 7.

b Prou. 17. 10.

c Prou. 27. 5.

ET HOC IPSVM SCRIPSI VOBIS VT, &c. 3. I.

Quid, aut quando ſcripſerit, non ſatis conſtat. Chryſoſtomus, & Oecumenius, & Theophylactus de hac epiſtola agi putant, ſed Chryſoſtomus quidem, & Oecumenius locum indicant ſub finem huius epiſtolæ [d]. *Ne iterum cùm venero humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex iis, qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immonditia, & fornicatione, & impudicitia quam geſſerunt.* Sed neſcio vtrum id probabile videri queat, tum quia non dixiſſet Apoſtolus ſe iam ſcripſiſſe, quæ in fine Epiſtolæ ſcripturus erat, tum etiam quia (vt ſuo loco oſtendam) ea verba aliò pertinent. Indicat idem Chryſoſtomus potuiſſe quempiam ſuſpicari, hæc de priori Epiſtola accipienda eſſe eo præſertim loco cùm dixit [e]. *Nolo autem nunc vos in tranſitu videre*, ſed meritò hanc ſententiam reiicit, cùm ibi ſimpliciter tantùm itineris ſui rationem explicet. Melius igitur dicendum videtur de hac epiſtola loqui Apoſtolum, déque iis ipſis, quæ modò ſcripſerat, nulla videlicet ex re maiorem ſe capere voluptatem; quàm cùm videt morum mutationem in iis, quos aliquando reprehenderat: hoc enim eò ſpectat, vt eos, qui iam reſipuerant, confirmet, & ad meliora promoueat; eos verò, qui in priſtinis adhuc ſceleribus perſeuerabant, ad pœnitentiam excitet. ita enim fore dicit, vt cùm ad eos venerit, *non habeat triſtitiam ſuper triſtitiam*, de quibus oportuerat gaudere; quòd videlicet ſaniora conſilia complexi eſſent. Indicant hanc noſtram ſenten- II.
tiam Theodoretus, & Ambroſius, & planiùs aſſerit Anſelmus. Sic enim ſcribit Theodoretus. *Ideo mea litera meum aduentum anticiparūt, vt cùm per illas fuerit adhibitum remedium, id mihi lætitiam conciliet*, quamquam hic fortaſſe de priori epiſtola loquitur. Quod ipſum ſuſpicari licet de Ambroſio, cuius hæc ſunt verba. *Idcirco dicit, hæc ſe ſcripſiſſe, vt poſtea veniens non eſſet vnde contriſtaretur ſublatis vitiis, ſed gauderet cum eis quaſi cum cariſſimis filiis.* At verò Anſelmus apertiſſimè dicit: *ſcripſi vobis nunc vt hoc ſcientes defleatis modò peccata veſtra, ne cùm venero triſtitiam ſuper triſtitiam habeam, id eſt contriſter iterum de vobis, ſed gaudeam. ſiue hoc ipſum, quòd parco vobis non veniens, & quòd ſtatui non venire in triſtitia, ſcripſi vobis, vt interim citò conuertamini ad luctum pœnitentiæ, ne cùm venero triſtitiam habeā de incorrectione veſtra ſuper triſtitiam, quam habeo de peccatis veſtris.* Nec diſplicet quod habent Hieronymiani commentarij. *Modò enim*, inquiunt, *ideo ſcribo, vel antè ſcripſi, vt litteris emendati præſentem me gaudere faciatis.* Significant enim quæ hoc loco dicit

d cap. 12. 21.

e cap. 1. 15.

Apoſtolus

Apoſtolus tam de iis, quæ modò ſcripſit, quàm de priori Epiſtola accipi poſſe. *Hoc ipſum ergo ſcripſi vobis*; ſiue ad ſuperiora referantur, ſiue ad priorem epiſtolam, eò pertinet, vt Corinthiorum animos vel in pœnitentia confirmet, vel ad eam excitet, vnde ipſe gaudium, & lætitiā hauriat. *vt non cùm venero*, ait, *triſtitiam ſuper triſtitiam habeam*. græcè enim non legitur ſuper triſtitiam, ſed tantùm λύπην ἔχω, triſtitiam habeam. Nec legiſſe videntur Ambroſius nec Syriacus interpres. Suſpicantur nonnulli tranſlatum ex epiſtola ad Philippenſes [a]. *Ne triſtitiam ſuper triſtitiam haberem*. Certè Theophylactus indicat, ſe non legiſſe: negari tamen non poteſt, Latinos codices paſſim ita legere, itáque legiſſe olim auctorem commentariorum, qui Hieronymo inſcribuntur, itémque Anſelmum, & alios fermè Latinos. ſenſus erit, quem ex Anſelmo paulò antè indicauimus, ne priori mœrori, quem ex pluribus veſtris flagitiis contraximus, nouus ſuccedat dolor, quem proculdubio allatura eſſet veſtra in iiſdem flagitiis perſeuerantia. Porrò Chryſoſtomus non modò non legit ſuper triſtitiam, ſed locum ita explicat, vt planè appareat, eum ne potuiſſe quidem legere. *Ob eam enim cauſam*, inquit, *priùs ad vos ſcripſi, ne dolenti animo vos inueniam non correctos*. Subdit. *De quibus oportuerat me gaudere. Hæc verba* (inquit Chryſoſtomus) *ſunt hominis ſinceritatem, atque ingẽtem amoris affectum teſtificantis, non ſecus, ac ſi quis de filiis loqueretur, quos multis beneficiis affeciſſet, & quorum cauſa plurimum laboris ſuſcepiſſet*. Refert autem Anſelmus hæc Apoſtoli verba non ſolùm ad ſtatum præſentem, ſed etiam ad ſuperiorem, quaſi dicat; Oportuerat me de vobis gaudere *non ſolùm nunc, ſed etiam olim quando me contriſtaſtis, & ſic grauiter peccaſtis*. Eodem etiam modo accipiunt Hieronymiani commentarij. *De quibus*, aiunt, *ſemper gaudere debueram, vel de emendatione gratulari*. Subdit: *Confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium omnium veſtrum eſt*. Quibus verbis indicat (vt monet Chryſoſtomus) ſe omnia Corinthiorum cauſa facere. Tametſi enim gaudium, & lætitiam ſuam quærere videtur, hoc ipſum tamen in ipſos Corinthios redundat, quibus omnia cum Apoſtolo communia erant; itaque rectè ait Theodoretus. *Huius autem* (ſcilicet lætitiæ) *vos quoque eſtis participes, vt qui noſtra veſtra eſſe ducatis*. Vt autem obſeruat Chryſoſtomus, miram indicat bonorum, malorúmque communicationem, quæ proculdubio ab eximia caritate, & beneuolentia proficiſcitur.

4. I. NAM EX MVLTA TRIBVLATIONE, &c. Hæc proculdubio de priori Epiſtola accipienda videntur, vt indicat Chryſoſtomus, & apertè aſſerit Theodoretus, cui Hieronymus conſentit. Oſtendit autem his verbis (vt monet Chryſoſtomus) non modò ſingularem, & eximiam, ſed penè incredibilem beneuolentiam, & caritatem, qui non minùs, ſed multò etiā magis aliena peccata defleat, quàm qui ipſi peccarunt. Superiorem igitur Epiſtolam, qua Corinthiorum flagitia obiurgauerat, *ex multa tribulatione, & anguſtia cordis* ſcripſerat, hoc eſt (interprete Chryſoſtomo) ex nimio mœrore, *quo præfocabar, & ſtrangulabar*. Pro anguſtia autem cordis: græcè eſt συνοχῆς, quæ vox ſignificat coarctationem, ſeu anxietatem. Syriacus interpres dixit; *Ex multa anxietate, & oppreſſione cordis*. Addit. *Per multas lacrymas*. Quæ ſunt (vt ait [b] Gregorius Nyſſenus) veluti animi vulnerati ſanguis. Idem autem affirmat [c], *in dolore propter triſtitiam ſubtiles meatuum tranſpirationes, quæ propter exiguitatem deprehendi vix poſſunt, compreſſas, viſcera interiora conſtringere, & ad caput, ac cerebri membranas, vdum illum halitum agere, vt multus intra cerebri cauitates collectus per meatus, qui ad imam ſunt eiuſdem partem, in oculos deiiciatur, ſuperciliorum contractione guttatim humorem exprimente, quæ deinde guttæ lacrymæ appellantur*. Quamquàm autem (vt apud Caſſianum [a] docet Abbas Iſaacchus) multiplices eſſe poſſunt lacrymarum cauſæ; præcipuam tamen indicauit Gregorius Nyſſenus. Nec dubiū eſt, fuiſſe Apoſtolum incredibili dolore tactum, cùm ſtatum Eccleſiæ Corinthiacæ tam miſerum, & periculoſum cognouiſſet. Itaque ictu doloris impulſus animus, oculos adiacēti humore oppletos premens lacrymas exprimebat. Simile quiddam in propria cauſa expertum ſe fuiſſe affirmat Dauid [b]. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus*. II. Addit. *Non vt contriſtemini*. Non hæc, inquit, idcirco commemoro, vt vos mœrore triſtitiàve afficiam. Conſequens videbatur eſſe (ait Chryſoſtomus) vt ſubderet, *ſed vt reſipiſcatis, etenim hac de cauſa ſcripſerat; hoc tamen non dicit, ſed vt plus ſuauitatis orationi ſuæ conciliet, atque in maiorem ſui amorem eos pertrahat, hoc illim loco ponit oſtendens ſe amore ac beneuolentia ductum omnia facere. Indicare voluit Apoſtolus flagrantem ſuam in illos caritatem*. Manifeſtum enim eſt (vt ait Ambroſius) *quia quando hoc affectu quis aliquem corripit, vt plus illo doleat de peccatis eius, non vtique vt illum contriſtet, corripit ſed vt oſtendat illi quo amore diligat eum*. *Vt ſciatis*, inquit, *quam caritatem habeam abundantiùs in vobis*. græcè vt ſciatis caritatem, quam habeam: ſic enim habet, ἀλλὰ τὴν ἀγάπην, ἵνα γνῶτε ἣν ἔχω. quomodò tranſtulit interpres Theophylacti: neque aliter habet Syriaca tranſlatio *Vt cognoſceretis*, inquit, *caritatem vehementem, quam habeo erga vos*. Omnino autem veriſimile eſt eodem modo tranſtuliſſe noſtrum interpretem, vt habent nonnulli codices. Addit. *Abundantiùs in vobis*. græcè περισσοτέρως εἰς ὑμᾶς, *abundantiùs erga vos*, ſignificans, non vulgarem fuiſſe ſuam in illos beneuolentiam, & caritatem, ſed eximiam, & ſingularem.

5. I. SI QVIS AVTEM CONTRISTAVIT, &c. Senſus eſt, quem breuiſſimè poſui in paraphraſi. Si quis mœroris, ac triſtitiæ cauſam aliquam præbuit, is non me ſolùm dolore affecit, ſed propè dixerim omnes vos; nolo enim quidquàm acerbius aduerſus illum miſerum pronunciare, neque eius crimen vltra modum exaggerare. Hieronymus tamen paulò aliter accipit. Si quis enim, inquit, mihi mœroris, angoriſve cauſam præbuit, is me non omnino dolore affecit, ſed ex ea tantùm parte, qua illi, qui peccauerat, dolendum, atque ingemiſcendum fuit; vt amiſſam Dei gratiam, & beneuolentiam recuperare poſſet; idque proptereà ſcribo, vt eum Eccleſiæ reconciliandum cenſeam, ne nimia veſtra ſæuitia in extremam illum agat deſperationem. Sed noſtram ſententiam Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Ambroſius, Anſelmus, alíique penè omnes probant, nec diſcrepat Syriacus: ait enim. *Quòd ſi quis triſtitia affecit, non me triſtitia affecit, ſed propemodum vos omnes, ne grauiori ſermone in vos vtar*. In accommodatione verborum aliquod videtur eſſe diſcrimen. II. Sunt enim qui, *omnes vos*, coniungant cum proximo verbo, *onerem*; in hunc ſenſum: non me ſolùm, ſed vniuerſam multitudinem, mœſtitia triſtitiáque ex parte compleuit, ne cunctos hoc veluti doloris, angoriſque onere premam, ſed (vt arbitror) alieno protsùs ſenſu. Neque enim putandum eſt, exiſtimaſſe Apoſtolum ægrè laturos Corinthios, ſi propter vnius immane crimen dolore omnes correptiſuiſſe dicerentur, cùm id potius laudi tribuendum ſignificet; nam dixerat paulò antè eſſe ſingularis caritatis argumentum. Itaque Chryſoſtomus, alíique fermè omnes cenſent, verba illa; *omnes vos*, pendere ex ſuperiori verbo; *contriſtauit*. Quaſi dicat

[a] cap. 1. 27.

[b] de beatit. Beati qui lugent.

[c] de opific. hom. c. 12.

[a] Collat. 9. c. 27. 28. 29 & 30.

[b] Pſal. 41. 4.

Apoſtolus; quicumque mœroris cauſam præbuit, non me ſolùm, ſed propemodum vos omnes dolore aliqua ex parte proſtrauit: dico autem, ex parte; ne hominis culpam nimium videar exaggerare. Quocirca quod dixit interpres, *ne grauem*, parentheſi includendum eſt. Addit Anſelmus aliam quandam haud ſanè ineptam; vel contemnendam interpretationem, hunc fermè in modum: non omnino me dixerim, ſed ex parte tantùm dolore fuiſſe correptum; ne fortè (quæ veſtra eſt in me beneuolentia, & caritas) hoc meo dolore vos omnes mœrore, triſtitiáque afficiam. Sed quod poſui in paraphraſi cum communi ſententia magis cohæret, & inſtituto Apoſtolico optimè congruit. Quod igitur ait; *vt non onerem, &, ex parte*; ad minuendam inuidiam poſita ſunt: quaſi dicat, ne aliquid acerbius dicam, vos omnes quodammodo mœrore affeci. At in ſuperiori [a] Epiſtola queſtus erat, quòd illi inflati eſſent, nec luctu, ac lacrymis peccantem proſequuti eſſent. Verùm id antequam à Paulo caſtigarentur; nam monitos quidem, & rei indignitate cognita mœrore fuiſſe affectos vel Apoſtolo tacente ipſorum obtemperandi facilitas apertè declarat.

a cap 5. 2.

6\. SVFFICIT ILLI QVI EIVSMODI, &c. Huc
J. omnis ſuperior oratio pertinebat; ſibi enim prudenter Apoſtolus Corinthiorum animos demulcendos cenſuit, & ad lenitatem traducendos, vt quemadmodum omnium ſuffragiis ſontem illum damnauerant; ita communi omnium conſenſu pœnam illi condonarent. *Sufficit*, inquit, *illi, qui eiuſmodi eſt*, qui ſuo flagitio non me ſolùm, ſed magna ex parte vos omnes in luctum ſqualorémque coniecit, *obiurgatio hæc quæ fit à pluribus*. Ritum indicat pellendi quempiam ab Eccleſia, de quo hunc in modum ſcribit Clemens [b] Romanus; vbi enim multa de morbis animi curandis dixiſſet, ſubdit. *Quod ſi hæc feceris, ac demum intellexeris quòd à pedibus vſque ad caput non eſt malagma imponere, neque oleum, neque alligationem, immò magis ſerpit cancer, & omnem curationem anticipat vniuerſas partes corporis tamquam gangræna tabefaciens, tùm multa cõſideratione aliis item medicis peritis, & exercitatis in conſiliũ adhibitis ſeca membrum tabidum, ne vniuerſum corpus Eccleſiæ intereat. Ne igitur facilis ſis, & præproperus ad ſecandum, neque celeriter ad ſerram dentatam proſilias, quin potius vtere priùs ſcalpello ad ſecandum apoſtema, vt cauſa morbi, quæ intus reſidet educta, corpus ſeruetur à dolore incolume. At verò quem à pœnitentia alienum videris, & obduruiſſe, hunc tu cum mœrore, vt inſanabilem eiice ex Eccleſia.* Hanc igitur Apoſtolus obiurgationem vocat, quæ fit à pluribus. Hinc autem manaſſe ferunt vſum Eccleſiaſticarum indulgentiarum, quæ aliàs remiſſiones, relaxationes, & condonationes appellantur, analogia fermè ſumpta à tributorum conceſſionibus, quas olim indulgentias vocari conſueuiſſe, auctor eſt Ammianus [c] Marcellinus: qua etiam ratione remiſſió pœnæ in iure [d] ciuili indulgentia dicitur. *Indulgentia*, inquit, *quos liberat, notat, nec infamiam criminis tollit, ſed pœnæ gratiam facit.* Et Modeſtinus [e]: *Indulgentia reorum crimina abolita ſunt.* Et paulò pòſt. *Abolitionem reorum quæ publicè indulgetur.* Quominus mirandum eſt hanc indulgentiæ appellationem ad Eccleſiaſticarum pœnarum condonationem fuiſſe translatam. Extat & in codice [f] Theodoſiano titulus de indulgentiis criminũ. Quo [g] loco indulgentia nunc remiſſio, nunc abſolutio dicitur, & quidem [h] criminum remiſſio quoad ſolam pœnam, quæ legibus debeatur. Huc pertinent multa, quæ in veterum monumentis leguntur, vt Epiſtola [i] Irenæi ad Victorem Romanum Pontificem pro Aſia vniuerſa ab eo damnata: itémque illud,

b lib. 2 Conſtit. Apoſt. cap. 41.
c lib. 16.
d l. finali C. de gener. aboliti.
e l. Lucius. ff. ad Senat. cõſul. Turpil.
f lib. 9. tit. 38.
g l. 4.
h l. 2.
i apud Euſeb lib. 5. hiſt. cap. 24. & Niceph. lib. 4. c. 38. 10.

A quod de Natalio Confeſſore ſcribit Euſebius [a], qui ab Hæreticis corruptus cùm noctu ab Angelis flagris cæſus eſſet, cilicio, ac ſacco indutus magno cum mœrore, & lacrymis ægrè à Zepherino Pontifice, qui Victori ſucceſſerat impetrare potuit, vt ad communionem admitteretur. Plura de hac remiſſione, quam pacem vocat, ſcribit Tertullianus [b]: pluribus item locis Cyprianus [c]. His addo Concilia Nicenum [d] I. Ancyranum [e], Neocæſarienſe [f], Laodicenum [g] II. Carthaginenſe [h] IV. Nonnulla ex Baſilio profert Photius [i]. In præſentia autem Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, Ambroſius, aliíque fermè omnes obſeruant, vſum fuiſſe Apoſtolum voce, quæ facilitatem, & veniam ſignificet: vt indicet cum ſcortatore quem damnandum præceperat, mitiùs agendum eſſe, & parte pœ-
B næ condonata Eccleſiæ reconciliandum, vt quod in priori Epiſtola dixerat, illum Eccleſia pellendum in interitum carnis, certum pœnæ genus ſignificet, vt Origenes [k], & B. Pacianus [l], Ambroſius [m], & alij obſeruarunt. Porro Gregorius [n] Nazianzenus ex hoc Pauli loco colligit, paria eſſe vitia effrænatam licentiam, & immoderatam animaduerſionem. idcirco enim cenſuit Apoſtolus, indulgendum, ne immodica triſtitia abſorberetur. *At Paulus*, inquit, *caritatem etiam erga eum firmauit, ſimulatque eum ad meliorem vitæ frugem rediiſſe perſpexit, cauſámque affert, ne abundantiori triſtitia abſorbeatur, qui eiuſmodi eſt immodica obiurgatione grauatus, & oppreſſus.* Cæterũ quod ait interpres: *obiurgatio*. Græcè eſt ἐπιτιμία, quã
C poſſis Latinè dicere increpationem: ſignificat autem propriè mulctam, ſeu pœnam, quæ peccanti iniungitur. Et quod dixit: *ſufficit*, Græcè eſt ἱκανόν, quæ vox aliàs ab interprete ſatisfactio redditur. Ita enim ſcripſit Lucas in Actis [o] Apoſtolicis; Καὶ λαβόντες τὸ ἱκανὸν παρὰ τοῦ Ἰάσονος. hoc eſt, & accepta ſatisfactione à Iaſone, vt ſignificet Apoſtolus, iam videri ſcortatorem illum feciſſe ſatis, atque adeo venia dignum cenſeri. Denique quod habet interpres; *quæ fit à pluribus*, Græcè ſimpliciter ſcriptum eſt. ἡ ὑπὸ τῶν πλειόνων, quod etiam Latinè dicas, *quæ facta eſt à pluribus.*

a lib. 5. hiſt. cap. 28.
b li. de pudic. lib. de pœnit. & li. de Mart. cap. 1.
c ep. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16.
d cap. 12.
e cap. 2. 5. 6. 21.
f Can. 2.
g Can. 2.
h cap. 75.
i in Nomoc. cap. 73.
k Hom. 14. in Leuit. & 14. in Ezech.
l In cohort. ad pœnit. & in epiſt. 2. ad Sempron. in Nouatianos.
m lib. 1. de pœnit. cap. 16.
n Orat. 15.

ITA VT E CONTRARIO MAGIS DONETIS, 7.
Non modò ait ſatis illum dediſſe pœnarum, ſed iubet præterea, eum leniter amicéque tractari: ita Pa- I.
D cianus [p] ex hoc loco contra Nouatianos argumentatur. *Vides*, inquit, *Apoſtoli indulgentiam proprias etiam ſententias temperantem: vides mitiſſimam lenitatem longè à veſtro ſupercilio ſeparatam, longè à Nouatiani fronte diſſimilem, communi verò vitæ ac ſaluti omnium conſulentem.* multo planè aliter, quàm hunc locum acceperit Tertullianus [q] Montani errore iam corruptus. Neque verò dubitandum eſt (vt alicubi [r] monet Auguſtinus) hæc de illo Corinthio accipienda eſſe, quem ſuperiori Epiſtola tanta ſeueritate inſſerat damnari: vnde quod idem monet Auguſtinus, facilè colligas *quanta caritate in quemque debeat Eccleſiaſtica vindicta procedere*. Ita igitur ait, *vt è contrario magis donetis*. Subaudiendum videtur oporteat, vel quidpiam ſimile, vt ſenſus ſit. Satis ille videtur dediſſe pœnarum, adeo vt oporteat vos eum beni-
E gnè accipere, & conſolari. *Ne forte*, ait, *abundantiori triſtitia abſorbeatur qui eiuſmodi eſt.* Obſeruat Theophylactus, ſequutus (vt ſolet) Chryſoſtomum, donandi, & conſolandi verba, quibus ſignificare videtur Apoſtolus, tametſi dixerat ſufficere præteritam increpationem, non tamen illi reliquum pœnæ ex iuſtitia, ſed ex liberalitate, & beneficentia remitti, vt verè ſit indulgentiæ locus. Cur autem indulgendum cẽſeat, explicat, cùm dicit: *Ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur.* Quæ verba (vt Chryſoſtomus,

p epiſt. 1. ad Sempron.
q lib. de pudic. c. 13.
r lib. 1. cont. epiſt. Parmen. c. 3. & 4.

& Theo

& Theodoretus obſeruant) magnam indicant in eo A
qui peccauerat præteriti facinoris deteſtationẽ, adeo
vt veroſimillimum videatur, culpam illi à Deo fuiſ-
ſe condonatam; atque idcirco vtrumque videri di-
11. gnum cui nonnihil etiam pœnæ remittatur. Quid
autem ſit abundantiori triſtitia abſorberi paucis ex-
plicat Chryſoſtomus. *Nempe*, inquit, *vel hoc faciens
quod à Iuda factum eſt, vel etiam ſi vita vſura fruatur,
deterior effectus. Etiam reſiliet*, inquit, *quod contractum
ex longiore obiurgatione dolorem nõ amplius ferre queat,
ac deſperata ſalute aut in laqueum, aut in maiorem de-
inceps improbitatem ruet.* Quibus verbis duos per-
eundi modos explicat, quorum alter ab aliis, alter
item ab aliis ponitur. Priori modo periit non ſolùm
4.13. Iudas, ſed & Caim, qui olim dixit [a]. *Maior eſt iniqui-
tas mea, quàm vt veniam merear.* De poſteriori au- B
tem pereundi modo ſcribit Apoſtolus in Epiſtola ad
4.19. Epheſios [b]. *Qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt im-
pudicitia, in operationem immunditia omnis in auari-
tiam.* Perſimili locutionis modo in re non admo-
68.16. dum abſimili vſus eſt olim Dauid [c]. *Non me*, ait, *de-
mergat tempeſtas aqua, neque abſorbeat me profundum,
neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum.* Orat enim ne
patiatur Deus ſe tam multis, támque grauibus an-
guſtiis premi, vt de ſua ſalute cogatur deſperare.
Quocirca in eandem ſententiam ſubdit Apoſtolus.
8. Propter qvod obsecro vos, vt, &c.
1. *Non tam imperat*, inquit Chryſoſtomus, *ſed obſecrat,
non vt præceptor, ſed vt aequalis, atque illis in iudicatorio
ſubſellio poſitis, & conſtitutis ipſe in patroni loco, atque
ordine ſe collocauit.* Quæ non perinde accipio, quaſi C
ſignificet Chryſoſtomus damnandi, aut ſoluendi po-
teſtatem penes Corinthios fuiſſe, Paulum verò ſo-
lùm fuiſſe deprecatorem; mox enim ſubdit; *præ gau-
dio iam modum in ſupplicando excedit*, ſignificans po-
tuiſſe illum pro ſua auctoritate imperare, vt ſupe-
riori Epiſtola præceperat; maluiſſe tamen more ſup-
plicantis animum ſuum indicare, cùm non ita multò
pòſt ſatis apertè ſuam auctoritatem declaret. *Obſe-
cro*, inquit, *vos, vt confirmetis in illum caritatem.* Hoc
eſt, interprete Chryſoſtomo, *ne eum leuiter, & vul-
gari modo ſuſcipiatis*: agit enim (vt monet Theodore-
tus) de illo admittendo ad fidelium cœtum, & ſacro-
rum communionem: quaſi dicat; *vnite membrum
corpori, adiungite ouem gregi: vehementem eius animi
affectionem ſuſcipite.* Vox Græca κυρῶσαι, ſignificare D
videtur pondus, & auctoritatem adhibere; quaſi di-
cat, facite vt caritas erga illum veſtra pondus & au-
ctoritatem habeat; vt videlicet omnium velut con-
ſenſu exhibeatur: κυρία enim Græcè concionem ſi-
gnificat, in qua magiſtratus creantur, Latini comitia,
ſeu diem alicuius rei cauſa præſtitutum, ius denique
aliquid agendi vocant. Heſychius certè, & Suidas κύ-
ρον, ſcriptum authenticum vocant, & κυρία effica-
cem probationem, ſeu pondus, & auctoritatem ſen-
tentiæ ſignificat, quæ etiam κύρωσις dicitur. Totam
igitur Apoſtolus Eccleſiam alloquẽs caritatem præ-
cipit, omnium auctoritate firmatam ſcortatori exhi-
11. beri. Et mihi quidem valdè fit veriſimile, quod non
obſcurè inſinuat Ambroſius, hanc caritatis confir- E
mationem propriè Euchariſtiæ perceptionem ſigni-
ficare, quaſi dicat Apoſtolus; admittite illum ad Eu-
chariſtiæ ſacramentum, quo confirmatur caritas, &
augetur; non reiicio tamen Chryſoſtomi, aliorúm-
que interpretationem, qui hæc referunt ad præci-
pua beneuolentiæ & caritatis ſigna, quibus illum ab
omnibus excipiendum moneat; indicare tamen vo-
lui ſuſpicionem meam, quæ ſi doctioribus probabi-
tur, operæ me pretium tuliſſe arbitrabor. Tertul-
d De pudic. cap. 3. lianus [d] totum hunc locum ſuis verbis ita tranſtulit.
*Si quis autem contriſtauit, non me contriſtauit, ſed ex
parte, ne vos onerem omnes. Satis eſt talis increpatio, quæ
à multis fit, vt è contrario magis vos donare, & aduoca-
re, ne forte abundantiore triſtitia deuoretur eiuſmodi,
propter quod oro vos, conſtituatis in eum dilectionem.*
Obſeruat autem, & quidem acutè more ſuo Chry-
ſoſtomus, magnam Corinthiorum laudem tacitè
ſubindicari. Etenim qui olim ſcortatorem adeo non
execrabantur, vt eius ſcelere inſolentiùs intumeſce-
rent, mox ab Apoſtolo moniti ita illum execrarен-
tur, vt noua Pauli cohortatione eguerint, quò illum
in gratiam, & amicitiam reciperent.
Ideo enim et scripsi, vt, &c. De hac 9.
potiſſimùm Epiſtola loqui videtur Apoſtolus. cùm 1.
enim Corinthiorum obedientiam expertus eſſet in
priori illa ſua Epiſtola, qua iuſſerat ſcortatorem ſa-
cris prohiberi, hac ſecunda experiri voluit verum
indulgentiam ſuadenti perſimili facilitate parerent.
Hoc enim eſt, quod ait, *vt cognoſcam experimentum
veſtrum, an in omnibus obedientes ſitis.* Hoc eſt (vt ait
Chryſoſtomus) *non modò in amputando, ſed etiam in
adiungendo.* Obſeruat præterea tacitè metum inciti.
quemadmodum enim cùm in priori epiſtola iuſſit,
hominem fidelium cœtu prohiberi addidit. *Neſcitis,
quòd modicum fermentum totam maſſam corrumpit?*
ita nunc dum iubet eum ſacris reſtitui, ſi ſecus fe-
cerint, eos ſui neglecti, violatíque præcepti reos fore
dicit. Neque verò exiſtimandum eſt, hanc vnam ob
cauſam ſcripſiſſe Apoſtolum, vt Corinthiorum obe-
dientiæ periculum faceret: ſpectauit enim potiſſi-
mùm (vt indicant ſuperiora) nocentis vtilitatem, &
quod maximè Chriſtianam pietatem deceret. Hoc
tamen addidit (quod monet Chryſoſtomus) ad Co-
rinthiorum animos demulcendos: indicat enim
omnia ſe facilè poſſe ab iis impetrare; propterea
enim dicit. *An in omnibus obedientes ſitis*, quod pro-
culdubio magnam vim habet ad eorum animos
permouendos, vt ſe faciles, & obſequentes præ-
ſtent, ne ſpem de ſua ſalute conceptam inanem fuiſ-
ſe oſtendant. Itaque particula *vt* non cauſam mo-
uentem, ſed rei conſecutionem ſignificat, vt alias
frequenter.
Cvi avtem aliqvid donastis, &c. 10.
Meritò Theodoretus hanc pœnæ remiſſionem gra- 1.
tiam vocari monet. Oſtendit enim, *peccatum maius
fuiſſe pœnitentia.* Græcè namque paulò antè dixerat
χαρίσασθαι & hic ruſus χαρίζεσθε & κεχάρισμαι. Si cui
igitur, ait, gratis pœnam remittitis, vel remiſiſtis
(præterito enim tempore legit Romana editio) ego
etiam, eadem ratione pœnam condono. Quo loco
obſeruat Chryſoſtomus, Paulum (quod ſuperiùs
etiam fecerat) ſibi hac in re ſecundas ſumere, pri-
mas verò tribuere Corinthiis. *Sic nimirum*, ait, *exa-
cerbatus animus mitigatur, ſed durus, ac pertinax emol-
litur.* Ne verò ſupini, & ſocordes fierent, ſuúmque
ſiue conſilium, ſiue præceptum negligerent; *nam &
ego*, inquit, *quod donaui, ſi quid donaui, propter vos in
perſona Chriſti*, ſubaudi donaui; Vt enim in priori
Epiſtola [a], cùm de ſupplicio ageret, ſuam etiam ſen- a cap. 5. 3.
tentiam interponens dixit. *Iam iudicaui vt præſens
eum, qui ſic operatus eſt.* Et mox Corinthiorum iudi-
cium, ac ſententiam addi iuſſit; ita nunc cùm de re- E
miſſione agitur ſecundùm auctoritatem ſuam, Co-
rinthiorum ſi non aſſenſum, approbationem certè
exigit. Quamobrem non malè Gregorius [b] ex hoc b lib. 21 mor. cap. 8. alias 22.
loco colligit, miram eſſe inter iuſtos bonarum vo-
luntatum, & actionum conſpirationem. *Corinthium*,
inquit, *dum inceſti facinus perpe raſſet, eum doctor
egregius in carnis interitum ad ſatisfactionem pœniten-
tia Satanæ tradidit, & in diem Domini ſaluandum ſpi-
ritum reſeruauit. magna quippe arte magiſterij ipſi eſt
traditum coactus in pœnam, cui ſponte eſt ſubſtratus in
culpa.*

culpa, vt qui auctor fuerat ad vitium nequitiæ ipſum flagellum ferret diſciplinæ. qui tamē benè geſta pœnitentia dum cognouiſſet Corinthios ſuper eum iam miſericorditer motos, ait, cui aliquid donaſtis, & ego; nam & ego quod donaui, ſi quid donaui, propter vos in perſona Christi. Communionis verò gratiam cogitans, ait. Cui aliquid donaſtis, & ego. ac ſi diceret, à bono veſtro non diſſentio, meum ſit quidquid ipſi feciſtis; atque mox ſubditur: Et ego ſi quid donaui. propter vos. ac ſi diceret; veſtris actibus bonum addidi quidquid propter vos miſericorditer feci. Veſtra ergo eſt vtilitas bonitas mea; mea eſt vtilitas bonitas veſtra; qui ipſam nos compagem cordium, in qua ſic tenetur adiungens ſubdidit; in perſona Christi.

11\. *Paulus igitur ait; ſi quid donaui, propter vos in perſona Chriſti.* hoc eſt, ipſius Chriſti auctoritate. In paraphraſi diximus Chriſto inſpectore, qui ſua videlicet præſentia, atque intuitu approbet, ac ſi diceret Chriſti nomine, atque auctoritate, vt Theodoretus, & Theophylactus explicant. Chryſoſtomus ait; *Secundum Deum, & ad Chriſti gloriam.* Græca vox ἐν προσώπῳ anceps eſt, ſignificare enim poteſt in præſentia, ſeu facie, id eſt, coram, quomodo intellexit Theophylacti interpres. Ambroſius, Hieronymus, Anſelmus explicant in perſona, hoc eſt Chriſti nomine tamquàm ipſius miniſter. Verùm autē Græcæ locutionis ratio id admittat, adhuc ambigo. cum Latinus ſenſiſſe videtur Syriacus. Apoſtoli verò ſententia poſtulare videtur quod aiunt Theophylactus, & Theodoretus, præſertim hic poſterior, cuius ſunt hæc verba. *Hoc, inquit, facio tamquàm iubente Chriſto, & quod ſit gratum habente.* Ita docet Apoſtolus non ſe animo quodam leui per ... ſententiam reuocare, ſed diuino propemodum ... de eius ſeueritate nonnihil remittere: Hac enim ... (vt monet Ambroſius) munere Apoſtoli ... fungebatur. dictum namque eſt olim à Chriſto[a]. *Quæcumque ſolueritis ſuper terram, ſoluta erunt & in cælo.* Quocirca quod ipſe facit, aut fieri mandat, id iure optimo tamquàm primario auctori Chriſto Domino tribuendum putat.

[a] Matth. 18.

11\. I. Vt non circumveniamur, &c. Hæc referunt ad ſuperiora. Hoc eſt pœnæ remiſſionem, ſeu condonationem: Ita Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, & alij penè omnes. Ideo enim pœnæ ſeueritatem remittit, ne ille in deſperationem actus penitus pereat. Hoc eſt autem ſeduli, prouidique paſtoris proprium munus ouium ſuarum ſaluti, atque incolumitati quacumque ratione poſſit etiam cum vitæ ſuæ periculo proſpicere. Nam apud Ioannem[b] dixit Chriſtus. *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.* Rectè autem Chryſoſtomus vim Græcæ vocis expendit. Pro eo namque quod interpres dixit; *Circumueniamur*, græcè ſcripſit Apoſtolus πλεονεκτηθῶμεν. Quæ vox (vt aliàs diximus, & hîc obſeruat Chryſoſtomus) alienæ rei iniuſtam vſurpationem ſignificat: quaſi dicat; ne occupemur, & velut ab iniuſto poſſeſſore abripiamur à ſatana. Ambroſius legit, *ne poſſideamur*: quo verbo vim Græcæ vocis vtcumque expreſſit. Syriacus, *ne calumnia*, inquit, *nos deferat ſatanas*; ſed (vt arbitror) minùs aptè: vt enim Chryſoſtomus obſeruat, indicare voluit Apoſtolus dæmonis actum, qui etiam per ſpeciem pietatis exitium afferat. Ita enim interdum pœnitentiam ſuadet, vt nimio mœrore iniecto, in extremam perniciem rapiat. *Non enim*, inquit, *ſatis habet per peccatum nos deiicere, ſed per pœnitentiam quoque niſi vigilantem animum præſtemus; idem efficit; atque ideo πλεονεξίαν meritò appellauit, cùm per ea etiam, quæ noſtra*

11\. *ſunt, victoriam adipiſcatur.* Subdit Apoſtolus. *Non enim ignoramus cogitationes eius.* Hoc eſt (interprete Chryſoſtomo) *quam multiplex, quàm vafer, quàm veterator, ac verſutus ſit quàm denique ſub pietatis obtentu infeſtum ſe nobis præbeat.* Qua de re hunc in modum alicubi[a] ſcribit Athanaſius. *Diuerſa autem, inquit, eorum, & partita nequitia eſt. Quidam enim ad ſummum nocendi verticem peruenere; alij ex comparatione peiorum videntur eſſe leuiores, atque omnes pro poſſibilitate virium diuerſa contra ſingulos cauſas ſumpſere certamina. Idcirco neceſſarium eſt donum ſpirituum diſcernendorum à Domino petere, vt poſſimus tam fraudes eorum, quàm ſtudia prauidentes aduerſum diſparem pugnam vnum Dominicæ crucis eleuare vexillum. Hoc munere Paulus accepto docebat, dicens; non enim eius ignoramus aſtutias.* Et poſt nonnulla. *Solent ſanè grauiùs aſſurgere, & mutata arte pugnandi cum cogitatione nihil egerint, pauoribus terrent, aſſumentes nunc mulierum, nunc beſtiarum, nunc ſerpentium formas, nec non & ingentia quædam corpora, & vſque ad tectum domus porrectum caput, infinitas ſpecies, & militum cateruas.* 11.

Multa etiam hac de re ſcribit Caſſianus[b] vbi de animæ mobilitate diſſerit. Non poſſum tamen iis aſſentiri, qui hùc putant pertinere quod legitur in Apocalypſi[c]: *Quicumque non habent doctrinam hanc, qui non cognouerunt altitudinem ſatanæ quemadmodum dicunt*; loquitur enim Ioannes de Iezabelis, hoc eſt, hæreticorum doctrina, quam illi magnificè prædicare, atque extollere ſolent, quaſi ſublimia quædam, maximèque abdita, & in profundo latentia contineat. Sic enim de ſuis erroribus loqui ſolent hæretici, qui Euangelicæ doctrinæ ſimplicitatem miris modis irrident. Quibus non immeritò Gregorius[d] verba Eliphas Temanitis accommodat, qui ita loquitur apud Iob[e]: *Porrò ad me dictum eſt verbum abſconditum, & quaſi furtiuè ſuſcepit auris mea venas ſuſurri eius.* Et propterea Ioannes non ſimpliciter τὰ βάθη, hoc eſt, altitudines appellauit; ſed addidit *quemadmodum dicunt*; ita enim hæretici errores ſuos, & inania commenta appellare conſueuerunt. Verùm quoniam Ioannes non hæreticorum, ſed ſatanæ altitudines appellandas cenſuit, haud abnuerim ita poſſe nuncupari ſatanæ profunda, & callida conſilia, quæ teterrimus humani generis hoſtis ad mortalium perniciem excogitauit: de quibus ita Gregorius[f] Nazianzenus. *Multa enim, variaque eius, qui huiuſmodi res in hominum animos immittit, artes, & inſidiæ ſunt nec quiſquam tam ſolers eſt rerum variarum architectus, quàm peritus vitij artifex eſt noſter aduerſarius.* Plura verò ea de re ſcribit Baſilius[g].

Cvm venissem avtem Troadem, &c. 12.

Non habvi reqviem spiritvi meo, &c. 13. I. De hac Pauli peregrinatione paucis meminit Lucas[h]. Poſtquàm autem, ait, ceſſauit tumultus, vocatis Paulus diſcipulis, & exhortatus eos vale dixit, & profectus eſt, *vt iret in Macedoniam.* In ea autem profectione hæc videntur contigiſſe, quæ hoc loco commemorat Apoſtolus: per minorem namque Aſiam iter faciens Troadem venit, inde tranſmiſſo freto abiit in Macedoniam. *Cùm igitur*, ait, *veniſſem Troadem propter Euangelium Chriſti*; hoc eſt, vt Euangelium iis gentibus promulgarem, *& oſtium*, inquit, *mihi eſſet apertum in Domino*; hoc eſt, ampla ſeſe mihi offerret rei bene gerendæ materia. Conſtat autem, ſæpiùs Paulum Troadem veniſſe, quæ olim Troia dicebatur, poſtea Antigonia vocata eſt. Eſt autem[i] Vrbs Aſiæ minoris non longè ab Helleſponto ſita. Non videtur autem Apoſtolus tunc temporis in ea vrbe diutiùs moratus, ac propterea ſubdit: *Non habui requiem ſpiritui meo, eo quòd non inuenerim Titum fratrem meum.* Hui! Adeò-ne impatienter ferebat Paulus vnius Titi deſiderium? Hæc ſanè verba (vt ait Chryſoſtomus) parùm digna Pauli eſſe

[b] cap. 10. 11. [Ioan.]

[a] in vit. Anton. [b] Coll. 7. ſub princ. [c] cap. 2. 24. [d] lib. 5. Mor. cap. 18. [e] cap. 4. 12. [f] Orat. 1. [g] Hom. ... [h] Act. 20. [i] Plin. lib. 5 ...

videntur. Cur enim ob vnius fratris abſentiam oblatam occaſionem afferendæ ſalutis abiiceret? Equidem non facilè admiſerim; quod tamen Chryſoſtomus, & Theophylactus affirmant, non potuiſſe Paulum tam cari diſcipuli abſentiam diutiùs ferre; huic enim priuato dolori erat proculdubio audientium vtilitas, & ſalus anteferenda. Potiùs crediderim (quod iidem etiam affirmant, & planiùs oſtendit Theodoretus) eius operam ad Gentiles erudiendos fuiſſe Apoſtolo neceſſariam. *Valdè* (inquit Theodoretus) *ſum cruciatus animo, cùm viderem; multos prædicationis gratia accedere, nec haberem ad illorum curam gerendam adiutorem; nondum enim Titus ad uos venerat,*
II. *quem veſtra vtilitati prouidens ad vos miſeram.* Qua autem in re Titi opera Paulo eſſet neceſſaria, Græci non explicant. Ambroſius inſinuare videtur, non potuiſſe Paulum eorum multitudini, qui Chriſtiana ſacra poſtulabant, parem eſſe. *Sed quia,* inquit, *ſolatium Titi defuit, intolerabilis erat labor perſtrepentium cauſa.* At Hieronymus [a] hac de re hunc in modum ſcribit. *Veni,* inquit, *Troadem, quæ priùs Troia appellabatur, vt euangelium Chriſti in Aſia prædicarem. Cúmque mihi oſtium apertum eſſet in Domino, hoc eſt, plurimi credidiſſent, ſiue per ſigna, atque virtutes, quæ in me operabatur Deus, & ſpes eſſet naſcentis fidei, & in Domino ſuccreſcentis, non habui requiem ſpiritui meo; hoc eſt, ſperatam conſolationem inuenire non potui, eo quòd Titum fratrem meum non inuenerim, ſiue quem ibi reperiendum putabam ſiue quem ibi audieram degere, vel qui venturum eſſe illùc ſe dixerat. Quæ autem fuit tanta conſolatio, & quæ requies ſpiritui in præſentia Titi, quem quia non inuenit valefaciens eis profectus eſt in Macedoniam? Aliquoties diximus, Apoſtolum Paulum virum fuiſſe doctiſſimum, & eruditum ad pedes Gamalielis, cúmque haberet ſcientiam ſanctarum Scripturarum, & ſermonis, diuerſarúmque linguarum gratiam poſſideret, diuinorum ſenſuum maieſtatem digno non poterat Græci eloquij explicare ſermone. Habebat ergo Titum interpretem, ſicut & B. Petrus Marcum.* Et poſt nonnulla. *Ergo & Paulus Apoſtolus contriſtatur, quia prædicationis ſuæ in præſentiarum fiſtulam, organúmque per quod Chriſto caneret non inuenerat, perrexítque in Macedoniam.* Et aliquantò pòſt. *Ergo propterea valefaciens Troianis, ſiue Troadenſibus profectus eſt Macedoniam, vt inueniret ibi Titum, & haberet interpretationem, euangelijque ſolatium.* Putat igitur Hieronymus, deſideraſſe Paulum Titi præſentiam, vt eius tamquam interpretis opera vteretur. Ita ſæpè aliàs docuerat [b]; alibi [c] tamen tonitrua, & fulgura Paulinæ eloquentiæ admiratur, quod & facit Auguſtinus [d]; ſed opera tamen interpretis interdum eguiſſe Apoſtolos alibi docui. Sine igitur interpretis operam, ſiue ſubleuantis auxilium deſideraret Apoſtolus, magna affectus eſt moleſtia, quòd Titum non repererit. Quocirca quamuis magnus ſeſe daret campus de Euangelio bene merendi, relicta Troade in Macedoniam profectus eſt. Porro non aſſentior Hieronymo [e], qui hanc Macedonicam Pauli profectionem eam putat eſſe, quam per viſum diuinitùs admonitus aliquando ſuſcepit, de qua hunc in modum ſcribit Lucas [f]. *Et viſio,* inquit, *per noctem Paulo oſtenſa eſt. Vir Macedo quidam erat ſtans, & deprecans eum, & dicens; Tranſiens in Macedoniam adiuua nos.* Illa enim multò antea contigit, quàm Paulus veniret Corinthum, vt ex Actis Apoſtolicis apertè colligitur. Quamobrem memoria lapſus videtur Hieronymus, cùm dixit, perrexiſſe Paulum in Macedoniam: *apparuerat enim ei vir Macedo dicens; Tranſiens adiuua nos, vt ibi inueniret Titum, & viſitaret fratres, vel perſequutionibus probaretur.* Cæterùm quod ait interpres *Valefaciens;* græcè ſcriptum eſt ἀποταξάμενος; quaſi dicat, dimiſſis fratribus, aut vale renuntiato.

a [epi]ſt. 150 ad [He]dib. q. 11.
b Epheſ. 3.
c [Ep]iſt. ad [Pamm]ach. q. 10.
d [Ep]iſt. 50. & [de] doctr. Chriſt. [li]b. 4.
e [Ep]iſt. 150. ad [He]dib. q. 11.
f [Act.] 16. 9.

A — 14. DEO AVTEM GRATIAS, QVI SEMPER, &c. Chryſoſtomus hunc locum perinde accipit, quaſi Paulus ſignificet, ſe in medio [illegible] illuſtribus Deo immortali gratias agere, atque adeo gaudere, & exultare non modò propter ſpem futurorum bonorum, verumetiam propter ipſam rerum aduerſarum tolerantiam, quæ nos quodammodo illuſtrat, & claros reddit. Hoc enim eſt quod ſubdit Apoſtolus; *qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu;* quod Hieronymus bifariam explicat. *Triumphat,* inquit, *nos pro eo, quod eſt, triumphat de nobis, ſiue triumphum ſuum agit per nos,* Ambroſius. *Hoc eſt,* inquit, *Deum per apoſtolos triumphare in Chriſto, victores illos facere in fide Chriſti, vt calcata perfidia trophæum habeat fidos, dum ex perfidis fiunt fideles, & maleuoli non proficiunt in perſequendo credentes.* B Nos in paraphraſi de victoria, & triumpho eorum accepimus, qui diuino præſidio freti, vincunt, & triumphant. Certè olim in triumpho quidam ducebantur vt victi, qui propriè dicebantur triumphari, alij honoris ergo, qui ſtrenuam in bello operam nauaſſent. Itaque triumphare dicitur Deus in Apoſtolis, quia tāquàm cœleſtis militiæ dux illorū conatus maximè probat, qui res omnes aduerſas forti, conſtantique animo tolerant; atque ita gloriæ, quæ triumphanti Chriſto debetur participes fiunt, dicitúrque Deus illos triumphare, quaſi honoris cauſa in triumphum mittere. Sed quod in paraphraſi diximus, multò videtur expeditiùs, magiſque cum Ambroſio, & Hieronymo conſentit. Nec diſcrepant Græci, qui quod ait Apoſtolus triumphat C nos explicant claros atque illuſtres reddit. Addit; *in Chriſto;* hoc eſt, ſiue per Chriſtum diuinámque eius gratiam, ſiue in Chriſti religione, ac fide. Minutum autem eſt illud, quod obſeruauit tamen nonnemo, græcè ſcriptum eſſe ſingulari numero χάρις, ſed ſiue interpres latinè dixerit *Gratia,* ſiue *Gratias;* verum omnino ſenſum expreſſit. *Et odorem,* ait, *notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco.* Mirè (ni fallor) &
II. omnino ad mentem Pauli explicat hunc locum Hieronymus [a]. *Triumphus Dei eſt paſſio martyrum, pro Chriſti nomine cruoris effuſio, & inter tormenta lætitia. Cùm enim quis viderit tanta perſeuerātia ſtare martyres, atque torqueri, & in ſuis cruciatibus gloriari, odor notitiæ Dei diſſeminatur in gentes, & ſubit tacita cogitatio, quod niſi verum eſſet euangelium, nunquàm ſanguine defende-* D *retur. Neque enim delicata, & diuitijs ſtudens, ac ſecura confeſſio eſt; ſed in carceribus, in plagis, in perſequutionibus, in fame, in nuditate, & ſiti. Hic triumphus eſt Dei, Apoſtolorúmque victoria* Odorem porrò notitiæ dixit, vt explicat Chryſoſtomus, ſubobſcuram fidei cognitionem, de qua ſuperiori epiſtola [b] dixerat. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate.* Qui enim odorem percipit, rectè colligit aliquid latere, vnde odor affletur; ſuſpicor autem alluſiſſe Paulum ad aromata, quæ contuſa, & contrita odorem ſpirant. Ita (vt alibi docui) euāgelica, & Chriſtiana doctrina rebus aduerſis agitata, & veluti colliſa, atque contuſa ſuauiſſimum afflauit odorem. Hoc autem odoris nomine (vt monet Theodoretus) duo quædam indicat: primum quidem hanc noſtram qualemcumque cognitionem E rudem eſſe, & inchoatam, & perfectæ ſcientiæ exiguam quandam particulam; veram, abſolutámque ſcientiam nunc quidem nos latere, quæ aliquando tamen proditura ſit in lucem. Hac eadem metaphora vſus eſt alicubi Salomon [c], cùm dixit. *Trahe me poſt te, & curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Alibi [d]. *Odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata.* Rurſus [e]: *Et odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris.* Alio [f] item loco: *Et odor oris tui, ſicut odor malorum.* Hunc igitur cœleſtem, ac diuinum odorem afflat Deus per Apoſtolos in omni loco. Quaſi dicat Paulus

a epiſt. 150. ad Hedib. q. 11.
b cap. 13. 12.
c Cant. 1. 4.
d Cant. 4. 10.
e Eod. cap. 11.
f cap. 7. 8.

lus, Chriſti fidem apoſtolica prædicatione propagari. Nam (vt ait Hieroymus [a]) rectè fides odori comparatur. Quemadmodum enim odor ſentitur potius, quàm oculis cernatur, ita fides auditu, non viſu percipitur. Porrò Ambroſius ndorem notitiæ Dei Chriſtum. ipſum intelligit, cuius prædicatio Deum Patrem inſinuat, quod Ioannes [b] iodicaſſe videtur, cùm dixit: *Deum nemo vidit vnquàm, vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris ipſe enarrauit*. Et Chriſtus ipſe [c]: *Nemo venit ad Patrem, niſi per me: ſi cognouiſſetis me, & Patrem meum vtique cognouiſſetis*. Et aliquantò pòſt [d]. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum*. Argutè verò Oecumenius ait, fuiſſe Apoſtolos, quaſi thuribulum diuini ſuffitus, & cœleſtis incenſi, eius odorem vbique diffundentes.

a ep. 150. q. 11. — b cap. 1. 18. — c Ioan. c. 14. 6. — d ibid. 9.

15. I. QVIA CHRISTI BONVS ODOR SVMVS, &c. Præclara laus eſt euangelij, & vt exiſtimat Hieronymus [e], εὐθυνοφορία eſt. *Prius enim*, inquit, *quàm interrogetur, ſoluit; & iuxta morem ſuum quidquid aliud obiicere poteſt, antequàm obiiciatur, ediſſerit. Et eſt ſenſus, Nominis Chriſti in omni loco bonus odor ſumus Deo, & prædicationis noſtræ longè, latéque ſpirat fragrantia; ſed quia homines ſuo arbitrio derelicti ſunt, neque enim bonum neceſſitate faciunt, ſed voluntate, vt credentes coronam accipiant, increduli ſuppliciis mancipentur; ideo odor noſter, qui per ſe bonus eſt, virtute eorum, vel vitio, qui ſuſcipiunt, ſiue non ſuſcipiunt, in vitam tranſit, aut mortem, vt qui crediderint, ſalui fiant; qui verò non crediderint, pereant*. Et quidem meritò Chryſoſtomus ſuam docet euangelii vim, & laudem conſtare, ſiue qui audit, credat, & ſalutem aſſequatur; ſiue non credat, & pereat. Sic ſol corporeæ lucis fons eſt, ac cœleſtium luminum princeps; ægris tamen oculis tenebras offundit: & eximia mellis dulcedo malè affectis amaritudinem ori aſpergit. Addit Chryſoſtomus, Vultures vnguenti fragrantiam perhorreſcere, qua tamen incredibiliter alij oblectantur. Aptè igitur ait Apoſtolus euangelicam doctrinam, eiúſque miniſtros, bonum eſſe Chriſti odorem Deo, quia ſuapte natura (vt interpretatur Elias [f] Cretenſis) ſalutem afferre poſſunt ſempiternam, quamuis ſuo vitio nonnulli pereant. Quod autem ait *Deo*; ſignificat hanc fragrantiam quaſi cuiuſdam rhymiamatis ad Deũ aſcendere, hoc eſt ad eius honorem, & gloriam referri; ob id enim alicubi [g] ſcriptũ eſt. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij?* Poſſit etiam quis intelligere (vt indicant Chryſoſtomus, Theophylactus, & Anſelmus) hunc Deo eſſe odorem bonum, & ſuauem, hoc eſt ipſius iudicio, ac ſententia, qui falli, aut decipi non poteſt: idcirco meritò ſubdit, *In iis, qui ſalui ſunt, & in iis, qui pereunt*. Quales quales illi tandem ſint, ad quos hic odor peruenit, ipſe tamen ſuam retinet bonitatem.

e ep. 150. q. 11. — f in 1. Orat. Greg. Naz. — g Cant. 3. 6.

16. I. ALIIS QVIDEM ODOR MORTIS IN MORTEM, &c. *Non eſt* (inquit [h] Hieronymus) *mirandum de Apoſtolo, cùm etiam de Domino legerimus* [i]. *Ecce hic poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum cui contradicetur, ſoliſque radios tam munda loca excipiant, quàm immunda, & ſic in floribus quomodo in ſtercore luceant; nec tamen ſolis radij polluuntur; ſic & Chriſti bonus odor, qui nunquam mutari poteſt, nec ſuam naturam amittere credentibus vita eſt, incredulis mors, mors autem non iſta communis, qua cum beſtiis morimur, & iumentis, ſed illa de qua ſcriptum* [k] *eſt, Anima, quæ peccauerit, ipſa morietur. Ergo & vita arbitranda eſt, non hæc, qua ſpiramus, & incedimus, & huc, illúcque diſcurrimus; ſed illa, de qua Dauid* [l] *loquitur. Credo videre bona Domini in terra viuentium*. Videtur autem (quod etiam facit Ambroſius, itémque Anſelmus) hunc bonum odorem referre ad prædicationem euangelicam, Chriſtique doctrinam, quam Apoſtoli vbique tradebant. Auguſtinus [a] verò ad mores, & vitam Apoſtolorũ potiùs transfert. *Ecce*, ait, *Apoſtolus bonus odor eſt, ſicut dicit ipſe, ſed ipſe bonus odor aliis eſt odor vitæ in vitam, aliis autem odor mortis in mortem; tamen bonus odor*. Et poſt nonnulla. *Bonum odorem ſe dixit non malum; & eundem bonum odorem aliis ad vitam dixit, aliis ad mortem. Fœlices qui bono odore viuunt. Quid autem infœlicius illis, qui bono odore moriuntur?* Nec ita multò pòſt. *Paulum Apoſtolum benè agentem, bene viuentem, iuſtitiam verbo prædicantem, opere demonſtrantem, doctorem mirabilem, fidelem diſpenſatorem, fama vſquequaque diſſeminabat; quidam diligebant, quidam inuidebant; illi bono odore viuunt, & illi bono odore moriuntur. amaſti bene agentem, vixiſti bono odore: inuidiſti bene agenti, mortuus es bono odore. Nunquid quia mori voluiſti, ideo odorem illum malum eſſe feciſti?* Et in eandem ſententiam alibi. *Illud mirabile eſt, quòd cùm eſſent Apoſtoli bonus odor Chriſti trahebatur inde bonum, trahebatur inde & malum. alius enim erat odor vitæ in vitam, alius odor mortis in mortem, cùm odor ille non eſſet vſus mali, ſed boni; ideo quippe bonus odor erant Chriſti, quia benè vtebantur gratia Chriſti*.

h ep. 150. q. 11. — i Luc. 2. 34. — k Ezech. cap. 18. 4. 20. — l Pſal. 26. 13. — a Tract. 14. in Ioan.

II. Chryſoſtomus duplicem affert aliam interpretationem. *Aut enim*, inquit, *hoc ait, quòd ſe ipſos tanquàm victimam offerrent dum mortem oppeterent, vel quod nem Chriſti quòd bonus odor ſimus. perinde ac ſi quis dicat huiuſce victimæ bonus odor eſt hic ſuffitus*. Apoſtoli namque quaſi victimæ quædam Deo factæ egregium quendam odorem efflabant; ſiue dum euangelium prædicarent odorem, qui ex Chriſti ſacrificio manauerat, ad alios tranſmittebant. His igitur omnibus modis erãt Apoſtoli bonus odor, ſed aliis quidem ad mortem, aliis autem ad vitam, vt paulò antè dictum eſt. Mirè autẽ rem explicat Gregorius Nyſſenus apud Oecumenium. *Iuxtà*, inquit, *inditum cuique affectum, ſuauis odor, aut viuificatiuus eſt, aut mortifer. quemadmodum ſi idem vnguentum ſcarabæo, & columbæ proponatur non idem in vtroque efficiet, ſed columba quidem robuſtior per ſuauem vnguenti odorem redditur; ſcarabeus verò interimitur: ita & Paulus diuinum illud incenſum ſi quis columba eſſet, ſicut Titus, Syluanus, & Timotheus vnà cum eo participabat in bono vitæ odore, proficiens ad eum id, quod honeſtum erat, ſumptu ab ipſo exemplo. Si verò Demas quiſpiam eſſet, aut Alexander, aut Hermogenes nõ ferens temperantiæ ſuffimentum ſcarabæorum more à ſuaui odore fugabatur*.

III. Addit Apoſtolus. *Et ad hæc quis tam idoneus?* Græca exemplaria non habent, *Tam*, neque legiſſe videtur Origenes [b], nec quiſpiam Græcorum explanatorum; neque inter Latinos Ambroſius, nec Auguſtinus [c]. Suſpicantur nonnulli librariorum vitio poſitum eſſe, *Tam*; pro; *Nam*; vt dixerit interpres. *Quiſnam idoneus?* Quaſi dicat; nemo eſt, qui hoc tam abditum, támque occultum myſterium percipiat, qua videlicet ratione fiat, vt ex eodem veluti fonte, & quidem optimo alij vitam, alij mortem hauriant. Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Ambroſius, Hieronymus hæc perinde accipiũt, quaſi Apoſtolus nihil ſibi arroget, ſed quidquid eſt, aut valet, Deo acceptum referat; quaſi dicat: ſumus quidem nos Chriſti bonus odor nonnullis quidem ad mortem, aliis autem ad vitam, ſed non hæc nos noſtris viribus præſtamus, Deus ipſe eſt rerum tam admirabilium effector. Priorem explicationem probant Auguſtinus, & Anſelmus; nos in paraphraſi poſteriorem ſequuti ſumus; & quod plures habeat auctores, & quod magis ad rem propoſitam ferre videatur. Etenim Paulus ita de ſe ſuiſque rebus modeſtè loqui ſolet, vt ſemper quidquid boni, & laudabilis in ſe agnouerit, Deo bonorum omnium auctori tribuendum cenſeat: quocirca rectè concludit:

b Hom. 11. in Gen. — c epiſt. 59. ad Paulin.

cludit: & *ad hæc quis tam idoneus?* quaſi dicat; nemo ſuis viribus hæc præſtare queat.

17. NON ENIM SVMVS SICVT PLVRIMI, &c. Hæc aduerſus Pſeudoapoſtolos dicta eſſe cõſtans eſt omniũ interpretũ ſententia. Cohæret autẽ cum ſuperioribus, ſi eam explicationẽ ſequamur, quã poſui in paraphraſi. Nemo ſuis viribus idoneus eſt ad ea, quæ diximus, præſtanda; hoc eſt, bonum Chriſti odorem efflãdum, niſi diuinitùs cœleſtis gratiæ præſidiis ſubleuetur. Cæterùm nos nõ eos imitamur, qui cauponũ, vel inſtitorum more ſuas merces venditant, & magna ex parte adulterant, quales plerique fuerũt apud vos. Tametſi igitur ait Chryſoſtomus, magnifica de nobis videmur prædicare, nihil noſtra induſtria, aut ſtudio cõfectum putamus; ſed omnia vni Deo accepta eſſe referẽda exiſtimamus. neque enim Pſeudoapoſtolos imitamur; *adulterãtes* (ait) *verbũ Dei*. Græcè καπηλεύοντες, quaſi dicat cauponãtes. Hieronymus [a] ita hunc locũ πρὸς ἀμφιβολίας explicat. *In eo autem* (inquit) *quod ſe negat eſſe ſicut multos, qui venderent verbũ Dei, oſtendit eſſe quamplurimos, qui quæſtũ putant eſſe pietatem, & turpis lucri gratia omnia faciunt, qui deuorant domos viduarum.* Itaq; καπηλεύοντες interpretari videtur venundãtes, ſeu venditantes. quaſi dixerit καπηλεύοντες, cauponũ inſtar venundãtes. At cum noſtro interprete ſentit Ambroſius. Significare autem voluit eos, quos hoc loco perſtringit Apoſtolus eſſe diuini verbi corruptores. quẽ ſenſum ſecuti ſunt Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus. Hoc enim (ait Chryſoſtomus) *eſt cauponari, cùm quis vinũ adulterat.* & Theodoretus: *Illi autem diuinum ſermonẽ cauponantur eum fabulã efficientes, & ſua cogitata gratia admiſcentes, quemadmodum qui vinum purum aqua miſcent.* Et tam ipſe, quàm Chryſoſtomus proferunt illud Iſaiæ [b] ex interpretatione Septuaginta: *Caupones tui miſcent aquam vino.* Ita adulterare Dei verbũ eſt, Dei verbũ corrumpere, & deprauare, vt parũ aptè ſentire videantur ij, qui ab adulteris ſumptam metaphoram putant, vt quemadmodũ illi ſolam voluptatẽ & oblectationem quærunt, nihil minùs cogitantes, quàm de prole ſuſcipienda; ita hi non audientium vtilitatem, ſed aurium titillationem, & aurã popularem ſectãtur, cùm potiùs ducta ſit ſimilitudo ab iis, qui numiſmata, aut metalla adulterãt, aut à propolis, aut etiã cauponibus, qui ea corrumpunt, quæ venalia proponunt; quod hac ipſa [a] epiſtola indicant vulgatus interpres. Vbi enim Græcè Paulus dixit δολοῦντες, ipſe Latinè trãſtulit *adulterantes.* quaſi dicat, doloſè tractantes. Nec dubium eſt κάπηλος Græcè, metaphoricè pro adulterato fraude quadã cauponaria frequenter vſurpari; cùm præſertim καπηλεῦσαι non raro idem ſit, quod vinum permiſcere, & κάπηλοι vini corruptores dicantur. Quò fortaſſe ſpectat illud Martialis,

Non poteſt vt caupo vendere caupo merum.

Addit præterea Chryſoſtomus aliam quandã explicationẽ, vt cauponari idẽ ſit, quod pretio vendere, quod gratis, ac liberaliter tribuendũ erat. Quæ tamẽ à ſuperiori pendet, & cũ ea connectitur. Qui enim eſculenta, & poculenta venditant, nimia lucri cupiditate affecti, id præcipuè ſtudent, vt vitiata pro ſinceris vendãt. atq; ita quidquid eſt dolo, ac fraude vitiatũ, & corruptum, vt paulò antè dixi κάπηλον veteres appellabant. *Sed ex ſinceritate, ſed ſicut ex Deo.* Rectè adulterato, & corrupto ſincerũ opponit, & quod Deo veluti ſpectãte, fit. Ita Hieronymus [b]: *Se autem* (inquit) *ex ſinceritate quaſi miſſum à Deo, & præſente eo, qui ſe miſerit, omnia in Chriſto, & pro Chriſto loqui, vt cauſa prædicationis Dei triumphus Chriſti eiuſq; ſit gloria.* Eodem modo locum explicat Chryſoſtomus. *Corã Deo in Chriſto loquimur.* Inſpectore Deo, cui nihil nõ ſincerum placere poteſt, cui nulla impoſtura fucum facit. In Chriſto autẽ loqui (interprete Chryſoſtomo) eſt non humana ſapientia niti; ſed diuini numinis afflatu; vnde rectè colligit Dei metũ ſemper ob oculos habendum eſſe. Porrò Hieronymus [c] obſeruat his tã paucis verbis Trinitatis myſterium indicari. cùm enim ait, *ex Deo*, Spiritum ſanctum; cùm ſubdit, *coram Deo*; Patrẽ indicat. Denique cùm dicit, *in Chriſto loquimur*, Filij perſonam exprimit.

[a] ep. 150. q. 11.
[b] cap. 1. 22.
[a] cap. 4. 2.
[b] ep. 150. q. 11.
[c] ep. 150. q. 11.

Argumentum Cap. III.

De ſua prædicandi ratione ita diſſerit, vt oſtẽdat nihil ſibi à Corinthiis non ſperandũ eſſe; ſeq; adeò de eorum beneuolentia ita prorſus ſecurũ eſſe, vt nulla apud eos externa egeat commẽdatione. Quocirca litterarum commendatitiarum vſum minimè ſibi neceſſarium docet; earum autem occaſione litterarum de veteri nouaq; lege non pauca dicit.

CAPVT III.

INCIPIMVS iterũ noſmetipſos commendare? aut nunquid egemus (ſicut quidam) commendatitiis epiſtolis ad vos, aut ex vobis?

Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris; quæ ſcitur, & legitur ab omnibus hominibus.

PARAPHRASIS.

NVM rurſus incipimus nos ipſos commendare, vt veſtram gratiam aucupemur, noſq; in veſtram beneuolentiam callidè inſinuemus? Num egemus, vt plerique alij, commendatitiis epiſtolis apud vos, aut à vobis apud alios? Certè ſi videmur nos magnificentiùs fortaſſe verbis efferre, id profectò eſt extra omnem ſuſpicionem adulationis, aut ambitioſæ iactantiæ. nam neque neceſſe eſt, vt aliorum (ne dicam noſtris) litteris vobis commendemur; neque à vobis vllam apud alios commendationem venemur. ¶ Vos ipſi eſtis inſtar epiſtolæ, quas & ipſi vobis, & aliis rurſum per vos commendemur: nam qui obſeruant ſingularia amoris in vos mei argumenta, ij planè intelligunt, vos eſſe (vt ita dicam) epiſtolam ſcriptam in cordibus noſtris, ob eximiam caritatem, qua vos complector, qua ita me vobis probari prorſus mihi perſua-

1.
2.

NNN ſum

ſum eſt, vt alia apud vos epiſtola commendatitia
3. non indigeam. ¶ Ipſiq; adeò vos quales nunc
eſtis per Chriſtum,noſtro miniſterio effecti, nobis
eſtis loco Epiſtolæ, quæ legarur, & intelligatur
ab omnibus, quaque apud alios plurimum com-
mendemur, dum palàm fit, vos eſſe Epiſtolam
Chriſti, in qua ipſi operam noſtram impendimus,
ac penè fuimus Domini ſtilus, quo fuiſtis inſcri-
pti. Hæc enim epiſtola non attamento, ſed Spiritu
Dei viui, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis
4. cordis carneis deſcripta eſt. ¶ Hanc ſanè fidu-
ciam habemus per Chriſtum apud Deum: &
ita abſque vllo vitio, aut philautiæ ſuſpicione ma-
gnificè nobis gloriari licet, de noſtri miniſterij di-
gnitate, ac fructu; vóſque adeò poſſumus noſtram
epiſtolã appellare,quæ & vobis ipſis,& aliis omni-
bus noſtram fidem, ſedulitatem, ac ſtudium a-
5. pertiſſimè probet. ¶ Non perinde quaſi nos di-
gni ſimus, qui nobis quidquam veluti ex ipſis no-
bis arrogemus; perinde quaſi noſtris viribus hanc
euangelicæ prædicationis functionem, de qua ha-
ctenus locuti ſumus, aſſequi aliquando potueri-
mus; ſeu quòd apti, aut accommodati ſimus ad
tantum munus aliis etiam impertiendum;id quip-
pe diuinæ liberalitatis, ac munificentiæ exi-
6. mium, ac ſingulare beneficium eſt. ¶ Qui fecit
vt idonei etiam eſſemus noui Teſtamenti mini-
ſtri, id eſt, non illius veteris, quod nomine litteræ
ſignificátur; ſed eius potiùs, quem verè, ac pro-
priè ſpiritum nuncupamus. Siquidem lex illa ve-
tus gratiæ præſidio deſtituta dum multitudine
præceptorum vrget, ac premit, imbecillum ho-
minum genus ad interitum quodammodo im-
pellit; gratiæ verò beneficium, ſalutem, ac vitam
7. affert ſempiternam. ¶ Quòd ſi lex illa vetus,quam
mortis quandam miniſtram rectè quis dixerit, lit-
teris impreſſa,atque inſculpta in lapidibus, ingen-
ti fuit gloria circumfuſa, & cum ſplendore, ac ma-
ieſtate quadam coniuncta, adeò vt filij Iſrael vul-
tum Moſis intueri nequaquam poſſent ob nimium
eius fulgorem,qui finem habiturus,ac penitus ab-
8. olendus erat aliquando. ¶ Quid (quæſo) cauſæ
eſſe putabimus, cur non potiùs legis euàngelicæ,
diuiniq; Spiritus miniſterium ingenti gloria præ-
9. fulgeat? ¶ Nam ſi illud damnationis, ac mortis
miniſterium gloria præditum fuit, multò profectò
magis eius diuinæ iuſtitiæ miniſterium, qua inſti
euadimus in conſpectu Dei, gloria redundabit.
10. ¶ Etenim quid ego vtriuſque Teſtamenti gloriam
compono; cùm (ſi dicendum ſit quod res eſt) ne
glorioſum quidem dici poſſit illud antiquũ, quod
ingenti tamen gloria circumfuſum videbatur, ſi
cum eximia, planeq; diuina noui Teſtamenti ma-
ieſtate conferatur? finem enim illa habitura erat
aliquando, vt re vera habuit, hæc autem in omnem
11. æternitatem perdurabit. ¶ Quòd ſi id, quod certo
tempore abolendũ erat vtcumq; tamen glorioſum
fuit, multò magis æquũ eſt glorioſum id eſſe, quod
12. manet, & perſeuerat. ¶ Itaq; cũ huiuſmodi ſpe, cõ-
fidentiaq; ſuſtentemur, plurima loquendi liberta-
te,

Manifeſtati, quòd Epiſtola eſtis Chriſti, mini-ſtrata à nobis, & ſcripta non atramento, ſed Spiritu Dei viui; non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.

Fiduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum.

Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.

Qui & idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti; nõ littera, ſed ſpiritu: littera enim occidit, ſpiritus autem viuificat.

Quòd ſi miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita vt non poſſent intendere filij Iſrael in faciem Moyſi propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur.

Quomodo non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria?

Nam ſi miniſtratio damnationis gloria eſt, multo magis abundat miniſterium iuſtitiæ in gloria.

Nam nec glorificatum eſt, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam.

Si enim quod euacuatur per gloriam eſt: multò magis quod manet, in gloria eſt.

Habentes igitur talem ſpem, multa fiducia vtimur.

Et

te, atque euidentia, ſiue docendo, ſiue incre-
pando vtimur, atque omnino vti nos oportet.

Et non ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, vt non intenderent filij Iſrael in faciem eius, quod euacuatur.

¶ Moſes enim legem tantùm vmbris obrectam 13.
populo indicauit, vt Iudæi in imas illius vſque par-
tes intueri nequaquam potuerint, illo quippe
quantulocumque Moſis fulgore non illuſtrati, ſed
potiùs obcæcati: Euangelium verò apertè, perſpi-
cueq; Dei maieſtatem ſpectandam proponit, non
quæ oculorum noſtrorum aciem perſtringat, ſed
contra potiùs quæ tenebras noſtras ſuæ lucis ra-
diis diſcutiat. Neque ſanè eiuſmodi ſumus, qualis
olim fuit Moſes, qui velo faciem obducebat, vt nō
poſſent filij Iſrael in intima illius legis, quæ finem
habitura erat, & ipſum legis ſcopum, ac finem, id
eſt, Chriſtum intueri, ad quem, cùm ille auditores
ſuos perducere niteretur, intelligentiæ tamen te-
nebras non modò non adimebat, ſed aliis potiùs
penè dicam 'denſiſſimis tenebris inuoluebat.

Sed obtuſi ſunt ſenſus eorum. Vſque in hodiernum enim diē, idipſum velamen in lectione veteris Teſtamenti manet non reuelatum (quoniam in Chriſto euacuatur.)

Sed vſque in hodiernum diem, cùm legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum.

Cùm autem conuerſus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.

¶ Itaque illorum mentes veluti inducto callo ob- 14.
durauerunt; ad hunc enim vſque diem, idem
ignorationis velum, dum legitur vetus Teſta-
meatum, eorum mentibus obductum cæcis igno-
rationis tenebris implicat, cùm nullo modo ni-
ſi Chriſti munere, ac beneficio abduci, ac tol-
li queat. ¶ Sed etiamnum, dum in eorum Sy- 15.
nagogis lex Moſis perlegitur, veluti eorum
cordibus impoſito velo ignorationis, atque er-
rorum tenebris miſeri inuoluuntur. ¶ Vbi ve- 16.
rò diuinæ lucis fulgore illuſtrati Chriſtum Do-
minum agnouerint, complexique fuerint; tum
verò amoto velo, cuncta perſpicuè cernent,
quibus ad vitam ſempiternam perducantur.

Dominus autem Spiritus eſt: vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas.

¶ Dominus verò Spiritus eſt ille vegetans, ac 17.
viuificans, de quo paulò antè mentionem fe-
cimus; vbi porrò Spiritus Domini eſt, illic erit
non vt olim mancipiorum dura, & miſera
ſeruitus; ſed præſtans quædam, atque inge-

Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.

nua filiorum libertas. ¶ Igitur Chriſti bene- 18.
ficio, adempto iam velo, ac denſiſſimis illis
tenebris, quibus vndique obſepti tenebamur,
penitus diſiectis, receptiſque iam oculis, ad
tantam lucem minimè caligantibus, ſed vltrò
etiam eam appetentibus: offertur nobis Chri-
ſtus, in quo non ſicut olim in Moſe, ſed tan-
quam in limpidiſſimo ſpeculo, ac vera Patris
imagine Deum intueamur, neque iſtius ſpe-
culi ſplendore offendamur, ſed contrà allicia-
mur magis ac magis in illud intuentes do-
nec veluti abſorpti in eam imaginem transfor-
memur, fiamuſq; & ipſi eius ſplendoris partici-
pes; atque ex illorum radiorum veluti reflexione
quaſi quædam ſecundariæ imagines, idq; vi diuini
Spiritus.

IN CAPVT TERTIVM
EXPLANATIO.

1. I. INCIPIMVS ITERVM NOS IPSOS COMMENDARE, &c. Quoniam ſub finem præcedentis capitis viſus erat, ſe, ſuamq; docendi rationem extollere, & Pſeudoapoſtolis anteferre, ſuſpicionem iactãtiæ his verbis amouet, atque ita (vt monet Chryſoſtomus) tacitas Corinthiorũ cogitationes anteuertit. Cæterùm pro eo, quod interpres dixit; *commẽdare*, Græcè ſcripſit Apoſtolus *συνιστάνειν*, quod non ſimpliciter ſignificat laudare, ſed idem penè eſt, quod ſe in alterius gratiã, ac beneuolentiam inſinuare, quaſi eò Pauli oratio referretur, vt ſuis laudibus cõmemorandis, illorum gratiam ineat. Addit autem; *iterum*, quia de ſua docendi ratione in priori epiſtola nonnulla dixerat, & paulò antè viſus erat quædam attingere. ait igitur, nihil ſe dicere, quo aliorum gratiã, aut beneuolentiam ſibi conciliet. quod vt faciliùs perſuadeat, oſtendit nihil non ſibi de eorum beneuolentia polliceri. *Nunquid* (ait) *egemus, ſicut quidam, commendatitiis epiſtolis ad vos, aut ex vobis?* quaſi dicat: vt quid ego me apud vos laudem? an vt me quaſi commendatitia epiſtola vobis probem? Innuit autem, hoc facere conſueuiſſe Pſeudoapoſtolos, vt Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus affirmant: quos verendum eſt, ne plurimi hoc noſtro ſæculo diuini verbi concionatores imitentur, qui pro eo, vt ſe ad rectè inſtituendos auditores, eorumq; mores corrigendos cõparent, virorum principũ, ac magnatum commendationes hinc inde conquirunt, & fœminarum nobiliũ amicitias captant, vt amplam, & numeroſam audientiũ coronam habeant: coram qua non tam euangelica præcepta, & ſalutaria monita proponant, quàm ſe ipſos vendirent, ſuæque garrulitatis, & inſcitiæ teſtes quàm plurimos colligant.

II. Quod autem ait, *commendatitiis epiſtolis*, an exiſtimãdum eſt illo iam tempore epiſtolas commendatitias in Eccleſia Dei vſurpari conſueuiſſe? Ita apparet; ſed de genere vniuerſo dicendum paucis. Eccleſiaſticarum epiſtolarum plura quondam fuiſſe genera, vſumq; multiplicem, veterum monimenta teſtantur; nam de litteris, quę formatæ dicebantur, in Pontificali Damaſi extat Xyſti I. cõſtitutio, earumq; litterarum ratio, ac forma præſcribitur in Concilio [a] Mileuitano, & Concilio [b] Africano circa tempora Bonifacij I. recenſetur à Burchardo [c], Iuone [d] Carnotenſi, Gratiano [e], Sidonio [f] Apollinari, meminit Optatus [g] Mileuitanus, de Syricio agens. *Cum quo* (inquit) *nobis totius orbis commercio formatarum in vna communionis ſocietate communicat.* Neque aliter Auguſtinus: *Quærebam* (ait) *vtrùm epiſtolas communicatorias, quas formatas dicimus, poſſet quo vellem dare.* Porrò cùm eſſent eiuſdem communionis indices, meritò communicatoriæ dicebantur, de quibus in Concilio Eliberino [h], & Arelatenſi [i] I. ſcriptum legimus, *vt eis, qui confeſſorias litteras afferrent, communicatoria darentur.* Vt enim colligimus ex Tertulliano [k], & Cypriano [l], qui lapſi aliquãdo à fidei confeſſione defecerãt, antequam Epiſcopo, atque Eccleſiæ ſatisfeciſſent, à martyribus, & confeſſoribus pacem petebant, quam illi plerumque dato libello concedebant. Ex litteræ confeſſoriæ dicebantur. Porrò formatas, & communicatorias epiſtolas eaſdem eſſe, & canonicas, auctor eſt Atticus [m] Epiſcopus. In Concilio autẽ Antiocheno [n] præcipitur, ne preſbyteri, qui ſunt in agris canonicas epiſtolas dare poſſint, ſed coepiſcopi dent pacificas, id eſt generales, vel (vt alij legunt) formatas: & quanquam in Concilio [a] Chalcedonenſi pacificæ litteræ à commendatitiis diſtingui videntur, tamen in Concilio Antiocheno [b] definitũ eſt, vt omnibus peregrinis cõmendatitiæ darẽtur, quæ pacificæ, ſeu etiã formatæ appellantur. Quod ipſum ſcripſerat Clemens in conſtitutionibus [c] Apoſtolicis. Eæ ſanè peregrinantibus erant pro viatico, vt ex Luciano [d] colligitur, præcipuè verò Clericis, qui in aliena diœceſi abſque litteris cõmendatitiis, auctoritate Cõcilij [e] Chalcedonenſis ſacra facere non poterant. Quinetiã in Concilio [f] Mileuitano ſancitum eſt, ne Clerici ſine formatis litteris ad comitatum eant; quam ob cauſam dimiſſoriæ litteræ dictæ ſunt. Quæ vox tametſi nunc etiam in vſu eſt, res tamen ipſa ad ſolam facultatem percipiendi ordines videtur reuocata [g]. An autẽ de litteris dimiſſoriis, aut commendatitiis agat Concilium [h] Antiochenũ, non facilè dixerim. Loquitur enim de litteris, quæ cũ aliis Eccleſiaſticis; tũ verò etiã ipſis Epiſcopis dari præcipiũtur ab Epiſcopis prouinciæ, præcipueq; à Metropolitano, cùm ad Imperatorẽ accedendum eſſet. Itaque non tã genere ipſo, ac forma, quàm argumento, atque materia ſubiecta diſtinguebantur. Nã qui putãt, has fuiſſe perſimiles diplomatibus principũ, magnopere profectò falluntur. Principum enim diplomata litteræ erant à Principe impetratæ, vt equis publicis diſpoſitis vti liceret, vt ex Plinio [i], & ea Venuleio [k] iuriſcõſulto facilè intelligi poteſt. Fateor tamen aliis [l] videri diplomata fuiſſe magiſtratuũ litteras, quibus alicunde exeundi poteſtas daretur: quãquam ſimpliciter principũ mãdata diplomata vocari ſolebãt. Sic M. [m] Tullius cũ de litteris ageret, quibus Balbus reſtituebatur. *Diploma* (inquit) *ſtatim nõ eſt datũ.* Macrobius [n] diplomata vocat chartulas cõplicatas, & lino traiectas, obſignataſq;, quinetiã codicillos appellat. *Conſuluit* (inquit) *hunc Deum, & abſentes miſſis diplomatibus conſignatis, reſcribitq; ordine ad ea, quæ cõſultatione abdita continentur.* Verum vt ad epiſtolas Eccleſiaſticas redeã, tractorias, ac ſtatiuas epiſtolas legimus in codice [o] Theodoſiano, quinetiã in iure [p] ciuili extat titulus de tractoriis, & ſtatiuis: ita enim omnino in eo titulo legendũ eſt, & alibi [q] non ſemel. Sed illæ erant principũ litteræ euectionis publicæ, præbitioniſq; in hanc fermè formam: *Nos in Dei nomine apoſtolico viro N. necnon & Illuſtri viro N. partibus illis legationis cauſa dereximus, ideo iubemus, vt locis conuenientibus eiſdẽ à vobis euectio ſimul, & humanitas miniſtretur. Hoc eſt veredos, ſiue paraueredos tot, panes nitidos tot, vini modios tot, ceruiſiæ modiũ tantũ, lardi libras tot, porcos tot porcellos tot, verneces tot, agnellos tot, faſianos tot, pullos tot, oua tot, olei libras tot, gari libras tot, mel tantũ, aceti tantum, piper tot, grani maſtiche tot, dactylas tantas, perſtaſias tantas, amygdalas tot, cereos tot, ſalis tot, olera, legumen carra tanta, faculas tot, itemq; victum ad caballos eorũ fœni carra tanta, ſuffuſi modios tot. Hæc omnia diebus tam ad ambulandum, quam ad nos in Dei nomine reuertendo vnuſquiſque veſtrum per loca conſuetudinaria eiſdem miniſtrare, & adimplere procuretis, quatenus nec moram habeant, nec iniuriam perferant, ſi gratiam noſtram optatis habere.* Certè Auguſtinus tractoriæ epiſtolæ meminit [r], qua videlicet Epiſcopi ad Synodum conuocarentur. Ita enim alicubi [ſ] ſcribit: *Sic autem à primate ſuo per tractoriam fuerunt euocati.* Quo factum eſt, vt mihi facilè perſuaſerim, ſtatiuas epiſtolas fuiſſe, quibus certus cogendæ ſynodi locus præfigeretur.

Aliæ

a cap. 20. b cap. 71. c lib. 2. c. 127. d lib. 6. c. 413. 414. 415. e d. 71. c. quoniam f lib. 7. ep. 2. g lib. 2. aduer. Parmen. h cap. 25. i cap. 9. k lib. ad Martyr. l ep. 11. 21. 24. & alibi frequenter. m To. 1. Cõcil. poſt. Cõcil. Chalced. n cap. 8.

a Seſſ. 11. c. 20. b cap. 7. c lib. 2. c. 58. nouæ editionis. d in Dial. peregr. e Seſſ. 15. c. 13. f cap. 20. g cap. cũ nullus, de tẽp. ordinan. 6. h cap. 11. i lib. 10. ep. ad Traia. k l. 137 §. 2. ff. de verb. oblig. l Modeſtin. l. 27. §. 2. ff. ad l. Corneliã de falſ. M. Tul. ad attic. lib. 10. m lib. 6. ep. fam. ep. 12. n lib. 1. Saturn. c. 23. o lib. 8. 16. p lib. 12. Cod. q l. 2. C. de deſert. & l. penult. C. de curſ. publ. 12. r epiſt. 217. ſ lib. poſt collat. cõtra Donatiſt. c. 24.

Digitized by Google

[a] Conc. 1. in Pſal. 36.

Aliæ videntur fuiſſe epiſtolæ tractoriæ, quarum meminit Auguſtinus [a]. Videntur autē tractatus epiſtolis conſueuiſſe Epiſcopi quid de re quapiam geſtū, ac definitū eſſet ſiue in ſynodo, ſiue in aliquo de fide, aut moribus congreſſu collegas abſentes facere certiores. Sic enim ſcribit Auguſtinus: *Venerunt* (inquit) *ad Carthaginem ſicut ſe habet tractoria, quam etiam geſtis alligauerunt*. Et mox: *Ergo primò tractoriam de illo miſerunt*: neque enim quiſquam eo loco tractoriam epiſtolam intelligat, cùm de geſtis agat contra Cæcilianum. Qua ratione haud malè nonnulli tractatores in iure ciuili eoſdem chartularios dici exiſtimarunt.

IV. Porrò litteræ memoriales, ſeu commonitoriæ dabantur legatis, quibus illi de rebus agendis per ſingula admonerentur. Synodicæ litteræ à ſynodis conſcribebantur, quæ ſi darentur ad omnes fideles encyclicę, id eſt, circulares, vel catholicæ dicebantur, quòd pertinerent ad vniuerſos. Nihil hîc dicendum eſt de priuatis epiſtolis, quæ (vt ſcribit Auguſtinus [b]) ſine communionis nota etiam ad hęreticos, atque ethnicos dari conſueuerant. *Vnde* (inquit) *factum eſt, vt etiam ad nonnullos Donatiſtarum primarios ſcriberemus non communicatorias litteras, quas iam olim propter ſuam peruerſitatem ab vnitate Catholica, quæ toto orbe diffuſa eſt non accipiunt, ſed tales priuatas, qualibus nobis vti etiam ad Paganos licet.* Notam verò communionis, formatæ potiſſimum litteræ præſeferebant, quam videlicet Concilium [c] Mileuitanum, & Africanum [d] præſcribunt. Simile quiddā viſus eſt indicare Tertullianus [e] cùm dixit: *Itaque tot, ac tantæ Eccleſiæ vna eſt illa ab Apoſtolis prima, ex qua omnes; ſic omnes primæ, & omnes Apoſtolicæ dum vnam omnes probant vnitatem, communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & conteſſeratio hoſpitalitatis, quæ iura non alia ratio regit, quam eiuſdem Sacramenti vna traditio.* Quanquam enim non deſunt qui communicationem pacis quidem ſalutationem; appellationē verò fraternitatis compellationem, qua ſe mutuò fideles olim fratres vocitabāt; denique conteſſerationem ſacram communionem intelligant: inſpicor tamen conteſſerationem ipſas communicatorias litteras ſignificare, quòd illæ eſſent veluti teſſera, quo fideles internoſcerentur. Siquidem Tertullianus more ſuo conteſſerationem à teſſera confinxit: erat autem teſſera apud veteres hoſpitale ſignum, vnde Plautinum illud; *Confregiſti teſſeram*: oſtenſis enim communicatoriis litteris fideles hoſpitio admittebantur. Sed hæc quidem omnia poſterioribus temporibus excogitata ſunt; priora illa ſæcula paucioribus contenta erant: nec verò plura requirebantur in tanta Chriſtianorum paucitate. Vt igitur redeam ad Paulum, negat ille, ſe commendatitiis epiſtolis indigere; neque quibus Corinthiis, nec quibus aliis commendetur.

[b] epiſt. 162. in initio.
[c] cap. 10.
[d] cap. 73.
[e] De præſcription. c. 20.

2. EPISTOLA NOSTRA VOS ESTIS, &c.

I. Negari non poteſt quod affirmat Irenæus [f], Paulum rerum multitudine, ac diuini numinis impetu redundantem, quæ mente conceperat non ita verbis exprimere, vt ab omnibus intelligi poſſit. Atque hoc quidem loco ambiguè admodū epiſtolæ nomine vtitur; nam quia dixerat non egere ſe commendationis litteris, aut aliorum ad ipſos, aut ipſorum ad alios, vtrumq; alia, atque alia ratione à Corinthiis tanquam viua epiſtola præſtari docet. Ipſi vos (inquit) Corinthij eſtis epiſtola, qua nos vobis commendamus. Hæretis enim mihi in animo penitus infixi; nihil autem eſt, quod me magis vobis commendare queat, quàm eximia illa caritas, quam erga vos quotidie neque vulgaribus, neque obſcuris argumentis declaro, vt non ipſi vos tantùm, ſed cuncti mortales planè perſpiciāt Corinthios mihi eſſe cariſſimos, vt ingrati animi fuerit amantiſſimum præceptorem non redamare. Quinetiam iidem vos noſtram qualemcumque induſtriam, fidem, diligentiam epiſtolę inſtar apud alios commendatis, dum vita, moribusq; veſtris planè oſtenditis, opera quidem noſtra, ſed diuini Spiritus inſtinctu veratum, ſolidarumque virtutū imagines fuiſſe in cordibus, & actionibus veſtris impreſſas. Dicam paucis. Corinthij quâ diliguntur à Paulo ſibi illum quaſi naturæ occultâ quadam vi deuinciunt; nam amanti in amore non reſpondere non modò turpe, ſed etiam penè dicam impium videtur. Quâ rectè, ac laudabiliter viuebant, & Chriſtianam pietatem, moréſque præſeferebant, Apoſtoli ſedulitatem apud omnes gentes prædicabant. Meras, inquis, nugas. Atqui ego meo (vt ille ait) remigio velor. meliora alij. Hic quidem certè dux nullus mihi. Nam Chryſoſtomos, Theodoretus, & Theophylactus, cæterique tum Græci, tum Latini explanatores rectè quidem, ac verè explicant, quânam ratione Corinthiorum vita inſtar Epiſtolæ Pauli ſtudium, ac diligentiam in ea Eccleſia excolenda,
erudiendáque apud alios teſtentur. Cæterùm quo- II.
modo iidem Corinthij eundem Apoſtolum apud eam Eccleſiam commendent, non modò non explicant, ſed ne attingūt quidem. Atqui ſuperiora vtrumque poſtulare videntur, & vtrumque erat explicandum. *Epiſtola* (inquit) *noſtra vos eſtis.* Suam autem Epiſtolam dicit, non quam ipſe ſcripſerit, ſed qua apud Corinthios commēdetur; beneuolentia quippe, & caritas, qua Corinthios complectebatur, & ſtudium procurandæ ipſorum ſalutis erat pro Epiſtola, qua apud ipſos mirum in modum commendaretur. *Scripta in cordibus noſtris.* Vel modeſtiæ cauſa, *noſtris*, dixit pro *meis*; vel pari ſtudio ſignificat fuiſſe alios ſuos collegas, vt Timotheum, & alios ſimiles. *Quæ ſcitur, & legitur ab omnibus hominibus.* Ne quis diceret, ignotam eſſe Epiſtolam; *intelligitur* (inquit) *& legitur ab omnibus.* Hoc meum in vos ſtudium tam eſt apud omnes perſpectum, & cognitum, vt vos vnos latere nullo modo poſſit: ita neceſſe eſt, me hac non vulgari epiſtola apud vos magnopere commendari.

MANIFESTATI QVOD EPISTOLA, &c. 3.
Ad ſecundam epiſtolæ functionem refero quæ Co- I.
rinthij tanquam epiſtola commēdatitia Paulum aliis cōmendāt. *Manifeſtati* (inquit) Græcè φανερούμενοι mediæ ſignificationis, vt non malè Latinè quis reddat; Dum manifeſtatis; hoc eſt; declaratis vos eſſe epiſtolam, aut (quod idem eſt) dum manifeſtamini quaſi epiſtola; hoc eſt dum palàm fit, vos eſſe epiſtolam non cuiuſuis, ſed *Chriſti*, qui re vera eſt huius epiſtolæ primarius auctor, à quo nihil non boni manat. *Miniſtrata* (ait) *à nobis*, διακονηθεῖσα; vt ſe miniſtrum, & quaſi amanuenſem, aut ſcribentis ſtylum dicat. Addit: *ſcripta non atramento, ſed Spiritu Dei viui.* Latini codices hoc loco addunt coniunctionem, *&*, quæ in Græcis non legitur. Pro eo autem, quod Latinus dixit; *ſcripta*; Græcè eſt ἐγγεγραμμένη, hoc eſt *inſcripta*. Rectè autem miniſtri euangelici ſcriptori ſeu amanuenſi comparatur; quod aliqua ratione indicauit David cùm dixit [a]; *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis*; vt oſtendat autem huius epiſtolæ dignitatem, & præſtantiam: *Scriptam* (ait) *non atramento, ſed ſpiritu Dei viui*, vim præcipuam fidei, ac legis euangelicæ ſignificans, de qua non ita multò pòſt dicit: *Qui & idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti, non litteræ, ſed ſpiritus; littera enim occidit, ſpiritus autem viuificat.*
Addit ad extremum; *non in tabulis lapideis, ſed in ta-* II.
bulis cordis carnalibus. Alludit enim ad legem veterem tabulis olim lapideis digito Dei inſculptam, eademque opera reſpexiſſe videtur, ad id, quod ſcribit Ezechiel [b]. *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo*

[f] lib. 3. cap. 5.
[a] Pſal. 44. 2.
[b] cap. 16. 26.

vobis cor carneum. Pro tabulis autem carnalibus Græcè dixit σαρκίναις, quaſi dicat carneis; vt materiam intelligas, non qualitatem. Solet enim Apoſtulus cùm carnis qualitatem ſignificat, vſurpare vocem σαρκικὰς. Corda verò carnea appellauit, quaſi mollia, tractabilia, & quæ facilè flecti poſſint, quæ denique (vt ait Theophylactus) *cœleſtis doctrinæ ſint capacia.* Videtur autem (vt monet Ambroſius) tacitè eos perſtringere, qui legem veterem plus æquo extollebant: quaſi dicat, qui legem illam Moſis magnificentiùs prædicant, nihil docent aliud, quàm quod olim in tabulis lapideis inſculptum erat; nos verò legem euangelicam in cordibus veſtris inſcripſimus. Qua

a cap.31.27. de re ſic olim vaticinatus erat Ieremias [a]: *Ecce* (inquit) *dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domus Iſrael, & domui Iuda fœdus nouum non ſecundùm pa-* B *ctum, quod pepigi cum patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti.* Et paucis interiectis: *Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael poſt dies illos dixit Dominus. Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.* Quia igitur Corinthij non ſolùm legem euangelicam complexi erant; ſed eius vim, ac facultatem vita, ac moribus teſtabantur, rectè eos Apoſtolus epiſtolæ commendatitiæ comparat, qua ipſe apud omnes tanquam ſtrenuus Euãgelij præco, & miniſter commendabatur.

4.
I. FIDVCIAM AVTEM TALEM &c. Ad vtrumque ſuperiorem partem pertinere exiſtimo. ita (inquit) Chriſti beneficio mihi perſuadeo, vos eſſe com- C mendatiuam epiſtolam, qua vobis primùm, deinde etiam cunctis mortalibus commendamur; non quaſi tantum ſibi ſumat Apoſtolus, aut ſuis viribus tribuat; ſed quòd totum id Deo referat acceptum: propterea ait: *Fiduciam talem habemus per Chriſtum ad Deum. Hæc enim* (inquit Chryſoſtomus) *Chriſti beneficio nobis contigerunt.* Theodoretus, & Theophylactus hæc explicant de ipſa lege euangelica. quaſi dicat, alij legem veterem magnifaciunt, & extollunt, nobis diuino beneficio contigit legis euangelicæ promulgatio. Malim (vt modo dixi) & planiùs indicaui in paraphraſi, accipere de commẽdatione Apoſtoli. Spero (ait) verè me dixiſſe, tum apud vos, tum etiã apud alios omnes, veſtra quaſi epiſtola meum munus apoſtolicum commendari, idq; non meis meritis, ſed diuino planè be- D neficio mihi per Chriſtum conceſſu. Ita more ſuo, quæ de ſe glorioſiùs prædicauerat, quodammodo temperat. Paucis autem verbis vim noſtræ ſpei fiduciæque explicat, nititur enim Deo potiſſimum bonorum omnium auctore, & deinde meritis Chriſti, à quo diuina omnia munera in nos promanant.

5.
I. NON QVOD SVFFICIENTES SIMVS, &c. Hac vna breuiſſima Pauli ſententia & abutuntur hæretici ad oppugnãdum liberum arbitrium, & præcipuè nituntur Catholici ad gratiæ neceſſitatem declarandam. illi impiè, & imperitè faciunt, hi verò doctè, & piè, & (vt oſtendo ſuo loco) etiam verè. Sed qui ad cogitationes, & cogitandi facultatem transferunt, quidquid ſit de Pauli mente réveram dicunt: & enim E λογίζομαι interdum idem ſignificat, quod cogitare, vt

b cap.13.5. in ſuperiori epiſtola [b] ἡ ἀγάπη οὐ λογίζεται τὸ κακόν; *charitas non cogitat malum*; frequentiùs idem valet, quod rationem ineo, ſeu ſubduco, aut expenſum, vel acceptum fero, aut collatis hinc inde rationibus, aliquid

c l.2. contra duas epiſt. Pelag. c.8. lib. de prædeſt. ſſ. c. 2. lib de bono perſeuerant. c. 8. & 13. ſtatuo, vel colligo. Et Auguſtinus [c] quidem priorem ſignificationem penè ſemper contra Pelagianos vrget; & arbitrij humani imbecillitatem ſignificari docet, quaſi nec minimam ſalubrem cogitationem abſque diuina gratia ſuſcipere queat. quem ſecuti ſunt Arauſicani Concilij patres [Can.7.] alij poſteriorem ſignificationem magis probant. Dixerat enim Pau- A lus: *Fiduciam enim talem habemus per Chriſtum ad Deum.* ſignificans confidere ſeſe, tales eſſe Corinthiorum animos, vt ex iis omnes intelligere poſſent, ſe Apoſtolico munere ritè fuiſſe perfunctum. Id quoniã ad ipſius laudem magnopere pertinere videbatur, continuò addit, non perinde id accipiendum eſſe, quaſi quidquam ſibi arroget, aut quaſi ſe dignum exiſtimet, cui laudis aliqua particula tribuatur, tanquam ſuis ipſe viribus, eum honorem ſit aſſecutus, ſuiſque actionibus, ac ſtudiis meritus eſſe videatur, ſed contra potiùs quidquid poſſit, aut valeat, totum id diuinæ liberalitati, ac munificentiæ acceptum eſſe referendum. Itaque cùm ait Apoſtolus; οὐχ ὅτι ἱκανοί ἐσμεν ἀφ' ἑαυτῶν λογίσασθαί τι ὡς ἐξ ἑαυτῶν, ἀλλ' ἡ ἱκανότης ἡμῶν ἐκ τοῦ θεοῦ. ita commodè Latinè red- B dideris: Non quaſi nos digni ſimus, qui nobis quidpiam arrogemus, quaſi id noſtris viribus perfectum ſit; quidquid enim ſumus, aut poſſumus, id totum Dei beneficium eſt. Nam vox ἱκανὸς cum infinitiuo coniuncta fermè ſemper in nouo Teſtamẽto ſignificat, dignũ eſſe. Apud Matthæum [a]: *Cuius nõ ſum dignus, calceamenta portare.* οὗ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς τὰ ὑποδήματα βαστάσαι. Apud Marcũ [b]: *Non ſum dignus procumbens ſoluere corrigiam calceamenti.* ἱκανὸς κύψας λῦσαι dic etiam dixit Lucas [c]. Poſſemus quoque ita Pauli verba interpretari; nec enim ſuſtinuerimus, aut auſi fuerimus quidquam in noſtris rationibus ponere, quaſi penitus noſtrũ ſit, ac noſtris viribus perfectum. Hanc noſtram interpretationẽ maximè probant Patres omnes C Græci: nam Chryſoſtomus ita in hunc locum ſcribit. Cùm enim dixiſſet, Paulum virtute humilitatis in primis excellere ſubdit: *Eoq; fit, vt quoties de ſe ipſe magnificè aliquid ait, nihil non ſtudij adhibeat, vt id quouis modo mitiget, ac molliat. Quod etiam hoc loco his verbis facit: Non quod ſimus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, hoc eſt, Nõ ita dixi fiduciam habemus tanquam aliud noſtrum ſit, aliud Dei; ſed totum iſtud Deo aſcribo.* Quibus verbis ſignificat, Paulum voluiſſe indicare, nihil ſe ſibi arrogare, tametſi multa de ſe viſus erat prædicare. Quod paulò apertiùs indicat Theophylactus, ait enim: *Nihil* (inquit) *noſtrum, ſed fiducia noſtra, id eſt, gloriatio noſtra per Chriſtum eſt ad Deum. Chriſtus enim eſt in cauſa nobis, cur in Deo gloriemur, nihilque planè noſtrum eſt, ne minimum quidem: hoc enim* D *indicat, cùm ait: Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid veluti ex nobis ipſis.* Et Theodoretus: *Non nobis* (ait) *de nobis ipſis placemus, nec ex propriis cogitationibus contexentes prædicationem afferimus.* Eodem modo loquitur Oecumenius: *Hyperbaton* (inquit) *eſt, quia idoneitas noſtra ex Deo eſt inquit, & cætera, quæ in medio ponuntur, bono ſumus animo, ac confidimus per Chriſtum habentes, vt confidamus, quia nos quidem non ſumus idonei ad miniſtrandum in tanto miniſterio, immò ne ad comprehendum quidem mente rei magnitudinem, aut in ipſa quidquam omnino cogitandum, ſed quia beneplacuit ipſi, vt nos idonei ſimus tanto negotio.* Vt appareat loqui Apoſtolum non de quauis cogitatione etiam bona, ſed de ea, quę pertineat ad huius muneris magnitudinem nõ modò E perficiendam, ſed ne æſtimãdam quidem. Neque abhorret Ambroſius: idem verò Hieronymiani cõmentarij apertiſſimè docẽt; dum enim hæc Pauli verba explicant. *Vult* (inquiũt) *oſtendere, ſe nihil ſua prudentia facere, ſeu virtute.* Nihil ergo (ait Apoſtolus) poſſumus in noſtris rationibus ponere quaſi id noſtrũ ſit, ac noſtris viribus perfectum. *Sed ſufficientia noſtra* (ait) *ex Deo eſt.* Gręcè ἱκανότης, quaſi dicat, idoneitas, ſi quid poſſumus, ſi quam ad aliquid aptitudinem habemus, vnius Dei munus, ac beneficium eſt. Itaque Latinus interpres cogitare potuit pro in rationibus ponere, vel ſentire, vel opinari, quomodo etiam non rarò apud Latinos ſcriptores vſurpatur; quaſi dicat, nihil

pullumus

a cap.3.11. (? e cap.1.27.)
b cap.1.7.
c cap.3.16.
II.

poſſumus de nobis ſentire, quaſi aliquid noſtris viribus aſſequamur, aut quaſi nobis, aut noſtris meritis iure debeatur, ſed quidquid ſumus, poſſumus, aut valemus, totũ à Dei liberalitate, ac munificentia profectum eſt. Non dixit autem, nihil mihi ſumo aut arrogo, quod modeſtiæ tribuendum videbatur, ſed negat, ſe idoneum eſſe, qui ſibi quidquam tribuat, quaſi nihil ſibi vſurpare poſſit, etiamſi maximè velit, vt ſe maximè deprimat, atque deiiciat.

6. Qui et idoneos nos fecit, &c. Quoniam dixerat, ſuã omnem ſufficientiam eſſe à Deo, id planiùs
I. explicans ait, ſe factum à Deo idoneũ miniſtrũ noui Teſtamẽti. Græcè dixit ἱκάνωσεν ἡμᾶς: quaſi dicat, aptauit nos, vt idonei miniſtri eſſemus. Quod verbum (vt apparet) cõcinit cũ nomine ἱκανότης, quod paulò antè poſuerat, quaſi dicat; noſtra (vt ita dicam) idoneitas à Deo eſt, qui nos idoneauit, ſi ita fas eſt loqui, vt ſimus noui Teſtamenti miniſtri. Miniſtrum autem ſe noui Teſtamenti appellat. Græcè διάκονον, vt ſignificet quod alibi dixit euãgelicam fidem Apoſtolorum quidem opera promulgari; diuina tamen vi in mentes fidelium inſeri. Itaque rectè dixit Theodoretus, *Ipſe enim vniuerſorum Deus ſufficientem ſuppeditauit poteſtatem, vt gratiæ Spiritus inſeruiremus.* Obſeruat autem Hieronymus, rectè dixiſſe Apoſtolum: *Qui idoneos nos fecit*; alioqui enim ipſi per ſe Apoſtoli nulla ratione idonei erant, aut apti ad Apoſtolicum munus. Quippe rudes, & imperiti, nulliſque ſiue à natura, ſiue ab arte præſidiis inſtructi. Suppeditauit autem ipſe diuinitùs ſapientiam, reliquaque diuina Spiritus ſancti chariſmata, quibus impia philoſophorum dogmata facilè confutarent, & mortalium animos ad Chriſti fidem adducerent nimirum non erant ipſi, qui loquebantur, ſed Spiritus Patris eorum in ipſis loquebatur, ſuáque diuina vi ferocia, & contumacia infidelium corda diuina quadã, ſuauíque vi mulcebat, vt incredibili ſuauitate delinita ſponte ſua ſuaui Chriſti
II. iugo ſubderentur. *Fecit autem noui Teſtamenti miniſtros non littera, ſed Spiritu*; ſic enim habet Romana editio, ſic etiam Ambroſius, & nonnulli Latini: quanquam Græci codices, & Latini nonnulli nihil variato ſenſu habent: *Non littera, ſed Spiritu.* Hæc proculdubio de nouo Teſtamento dicuntur, vt ab antiquo illo diſtin-
a cap. 7. 14. guitur. Lex enim illa quanquam (vt ait Apoſtolus[a] ad Romanos) *ſpiritualis erat*, ſpiritum tamen, & gratiam non largiebatur; at contrà lex Euangelica vi ſua ſpiritum, & gratiam impertit, quod (vt alibi diximus) initio naſcentis Eccleſiæ etiam externo ſigno iudicabatur. Quapropter legem illam Moſis ſimpliciter vocat Apoſtolus *litteram*, Euangelium verò *ſpiritum*. *Littera enim* (inquit) *occidit; Spiritus autem viuificat.* Quo-
b cap. 1. 17. modo Ioannes[b] dixit: *Lex per Moſem data eſt, gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Quam enim Ioannes vocat legem, hanc Paulus dicit litteram; & quam ille gratiam, & veritatem appellat, hîc Paulus Spiritum nominat. Quod non obſcurè ſi-
c l. b. 19. cõtra Fauſt. c. 8. gnificauit S. Auguſtinus[c]. *Eadem* (inquit) *lex, quæ per Moſem data eſt, gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt; cùm acceſſit littera ſpiritus, vt inciperet impleri iuſtitia legis, quæ non impleta reos etiam præuaricatione faciebat.* Nec dubium eſt litteræ nomine legem ſignificari; de ea enim mox ſubdit: *Quod miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria*, &c. Quæ de lege Moſis apertiſſimè ſcripta ſunt. Neque verò hæc ita accipienda ſunt, quaſi lex illa Spiritu, & gratia penitus deſtitueretur, aut Spiritus Euangelicus penitus ſit ex lex, nullúmque externum contineat præceptum; nã & in lege veteri multi recẽſentur iuſti, & in nouo Teſtamẽto ſua extant præcepta, de quibus
d cap. 28. 19. Chriſtus apud Matthæum[d]: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus*

A *ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis.* Qua igitur ratione littera, hoc eſt lex, & præceptum à nouo Teſtamento diſtinguitur? Nimirum quid vtrique propriè conueniat, indicare voluit Apoſtolus; lex enim illa naturæ vitium, & imbecillitatem indicans, ad gratiam confugiendum eſſe docebat. Ita Paulus ad Romanos[a]: *Per legem co-* a cap. 3. 20.
gnitio peccati. Et rurſum[b]: *Peccatum nõ cognoui, niſi per* b cap. 7. 7.
legem. Atque ita verè ſcripſit Auguſtinus[c]: *Vtilitas* c ep. 200. ad Aſellic.
legis eſt, vt hominem de ſua infirmitate conuincat, & gratiæ medicinam, quæ in Chriſto eſt, implorare compellat. Itaque lex illa externis præceptis, & (vt ita dicam) litteris potiſſimum continetur, & vt loquitur Paulus[d] timorem adducit, & in ſeruitutem gene- d ad Rom. 8. 15. Gal. 4. 24.
rat. Quòd ſi qui in veteri Teſtamento iuſti, ſancti-
B que fuerunt, vt non paucos fuiſſe certiſſimum eſt, ij non littera veteris Teſtamenti, ſed Spiritu teſtamenti noui iuſtitiam, & gratiam adepti ſunt. Vt enim ait S. Auguſtinus[e]: *Diſpenſabant illi ſancti pro* e ep. 120. ad Honor.
congruentia temporis Teſtamentum vetus, pertinebant verò ad Teſtamentum nouum. Et alibi[f]: *Regnum mortis* f lib. 1. de peccat. mer. & remiſſ. c. 11.
ſola in quolibet homine gratia deſtruit Saluatoris, quæ operata eſt in antiquis ſanctis, quicumque antequã in carne Chriſtus veniret, ad eius tamen adiuuantem gratiam, non ad legis litteram, quæ iubere tantum, non adiuuare poterat, pertinebant. Porrò nouum Teſtamen- III.
tum ægris hominibus medelam, & ſanitatem affert, & ſeruos vindicat in libertatẽ, quod eſt propriũ gratiæ. Sic enim ait Apoſtolus ad Romanos[g]: *Infælix ego* g cap. 7. 24.
C *homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Et Auguſti-
nus[h]: *Per legẽ* (inquit) *cognitio peccati, per gratiã ſanatio* h lib. de ſpir. & lit. c. 29.
animæ à vitio peccati. Quocirca nouum Teſtamentum per ſe ac propriè non legem, aut litteram affert, ſed ſpiritum & gratiam; nihilque eſt aliud *niſi caritas Dei diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Eſt enim lex illa indita in viſceribus, & cordibus inſcripta, vt paulò antè Ieremiæ[i] te- i cap. 31. 33.
ſtimonio docuimus. Morum tamen præcepta, quæ ad bene, beatéque viuendum neceſſaria ſunt, nouum Teſtamentum confirmat, & vires præſtat, quibus ea perficiantur. Ita Paulus ad Romanos[k]: *Le-* k cap. 3. 31.
gem deſtruimus per fidem? abſit, ſed legem ſtatuimus. Et
poſt multa[l]: *Quod enim impoſſibile erat legi, in quo* l cap. 8. 3.
D *infirmabatur per carnem, Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati; & de peccato damnauit peccatum, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis.*
Et Auguſtinus[m]: *Per legem gratia demonſtratur, vt* m lib. de grat. Chri. c. 9.
lex per gratiam compleatur. Neque enim vllo ſuo vitio lex eiuſmodi cenſenda erat, vt perfici, obſeruarique non poſſet, ſed vitio naturæ lapſæ, atque hominũ imbecillitate fiebat, vt illi veluti oneri par eſſe non poſſet hominum genus: hanc porrò naturæ labem lex illa indicauit, caritas verò deleuit. Et ob eam cauſam ad vetera illa morum præcepta ſaluberrimas leges adiungendas putauit Chriſtus, quæ noua Sacramenta, eorúmque vim, & efficacitatem continent, atque ad gratiã ſuapte natura perducunt, vt non ſolùm nõ *premant onere ponderum, verùm attollant etiam vice*
E *pænarum*, vt loquitur Auguſtinus[n]. Eſto igitur, legem n De perfect. iuſtit. c. 10. & l. 5. & 7. cõt. Celſ.
veterem rectè appellari litteram, nouam verò ſpiritum; ſed cur illa dicitur littera occidens, hic verò Spiritus viuificans? Non dubito autem prorſus p ep. ad Ioan. Hieroſoly. & in hæc Orig.
aliena ſenſiſſe Origenem[o], qui litteram occiden- q Hom. 13. in Gen.
tem Scripturam ipſam interpretatur, ſi propriam
verborum ſignificationem ſequaris: eandem verò ſpi- r epiſt. ad Pammac. de error. Ioan. Hieroſolym. & in Daniel c. 10.
ritum eſſe viuificantem, ſi myſticè, ac ſpiritualiter interpretere. Nam ſi neget vllum proprium verborum ſenſum in ſacris litteris probandum eſſe; me- s l. 12. de Ciu. c. 21. & l. 8. de Gen. ad lit.
ritò ab Epiphanio[p], Chryſoſtomo[q], Hieronymo[r], c. 1.
& Auguſtino[s] reprehenditur; ſin autem ſignificet,

quæ metaphoricè in ſcripturis dicuntur non eſſe propriè accipienda, verum quidem dicit, ſed non ad mentem Pauli; vt enim paulò antè oſtendimus, loquitur Apoſtolus non de metaphoricis Scripturæ locis, ſed propriè de veteri, ac noua lege. Itaque Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, Ambroſius, & alij litteram occidentem legẽ veterem punientem, ſpiritum verò viuificantem liberantem gratiam interpretantur. Lex enim leuiſſima quæque piacula vlciſcitur, vt multis probat [a] Baſilius: gratia verò immania etiam flagitia expiat, & cõdonat. Et quidem ſi auctoritate pugnandum ſit, tot ac tantorum virorum teſtimonio prorſos acquieſcendum eſſet. Sed quoniam eadem lex antiqua non ſolùm ſupplicia comminabatur, ſed etiam præmia pollicebatur, & vitam, cur ſi propter ſupplicia littera dicitur occidens, propter præmia viuificans appellari nequeat? Certè in Leuitico [b], *Cuſtodite*, ait Dominus, *leges meas, atque iudicia, quæ faciens homo viuet in eis.* Mitto quòd ſæpe ſuis præceptis obtemperantibus longam ac diuturnam vitam pollicetur. Placet igitur ſententia Auguſtini [c]; qui duas cauſas affert, cur lex illa vetus occidens littera nuncupetur. Primùm quòd ipſa per ſe gratiæ præſidio deſtituta viribus liberi arbitrij nequeat obſeruari, adeóque vi ſua in fraudem quodammodo impellat. Ob id enim ad Romanos [d] ſcripſit Apoſtolus: *Lex iram operatur; vbi enim non eſt lex, nec præuaricatio.* Deinde quòd cùm mala vetat, cupiditatem quodammodo acuit, & auget. Rectè enim ille [e] dixit;

Nitimur in vetitum ſemper, cupimúſque negata.

Et Paulus [f] occaſione accepta *peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.* Et Auguſtinus [g] ait: *Quæ præcipit, non concupiſces, bona, & laudabilis lex eſt, ſed vbi ſanctus non adiuuat Spiritus inſpirans pro concupiſcentia mala concupiſcentiam bonam; hoc eſt, caritatem diffundens in cordibus noſtris, profectò illa lex, quamuis bona auget prohibendo deſiderium malum ſicut aquæ impetus; ſi enim in eam partem non ceſſet influere, vehementior fit obice oppoſito, cuius molem cùm euicerit, maiore cumulo præcipitatus violentiùs per prona prouoluitur. Neſcio quo enim modo hoc ipſum, quod concupiſcitur, fit iucundius, dum vetatur; & hoc eſt, quod fallit peccatum per mandatum, & per illud occidit, cùm accedit etiam præuaricatio, quæ nulla eſt vbi lex non eſt.* Et paolò pòſt cùm oſtendiſſet, non loqui Apoſtolum de metaphoricis, & figuratis locutionibus, concludit: *Si littera occidit, Spiritus autem viuificat, ſic magis accipiendum, quemadmodum ſuprà diximus, quoniam legis littera, quæ docet non eſſe peccandum, ſi Spiritus viuificans deſit, occidit. Scire enim facit peccatum potiùs, quàm cauere; & ideo magis augeri, quam minui, quia malæ concupiſcentiæ etiam præuaricatio legis accedit.* Et alibi [h]: *Lex prohibendo auget peccati cupiditatem, niſi diffundat Spiritus caritatem.*

[a] Hom de iudic. Dei.
[b] cap. 18. 5.
[c] lib. de ſpir. & lit. c. 4.
[d] cap. 4. 15.
[e] Horat.
[f] ad Rom. 7. 8.
[g] De ſpir. & lit. c. 4. 5. ſimilia habet l. 2. contra aduer. leg. & proph. c. 7. & ſer. 3. de verbis Apoſtoli c. 0.
[h] lib. de per fect. iuſtit. c. 6.

QVOD SI MINISTRATIO MORTIS LITTERIS, &c.
QVOMODO NON MAGIS MINISTRATIO, &c.

7.
8. Quoniam occaſione eorum, quæ paulò antè dixerat nouum Teſtamentum veteri oppoſuit, quod illud ſola littera, hoc eſt, ſimplici, ac ſolo præcepto cõſtaret, hoc verò etiã ſpiritùm gratiæ largiatur, illúdque litteram occidentem, hoc verò ſpiritum viuificantem appellauerat, in eodem argumento perſiſtens, de illius legis promulgatione diſſerit, eiúſque dignitatem, & gloriam cum noui Teſtamenti maieſtate comparat. *Si ergo* (inquit) *miniſtratio mortis*, id eſt lex illa vetus, quæ mortem non quidem infert, ſed miniſtrat, vt obſeruat Chryſoſtomus, *quia peccatum* (inquit) *indicabat, & mortem indicabat, non autem faciebat; malum enim apertiùs detegebat, ac plectebat, non autem ad malum impellebat, neque ad id miniſtrabat, vt peccatum fieret, aut mors exiſteret, ſed vt pœnas daret is, qui peccaſſet.* Ita (quod apertiùs ait Theodoretus) legem illam veterem miniſtrationem mortis vocat: putat propter ſuppliciorum ſeueritatem. Ego miniſtrationem mortis propterea crediderim appellari, quòd lex illa (vt modò dixit Apoſtolus) per ſe ſumpta mortem afferret ſempiternam, quòd abſque gratiæ præſidio, quod illa nequaquam tribuebat, obſeruari non poſſet, adeóq; æterni ſupplicij reos faceret. *Litteris* (inquit) *deformata in lapidibus.* Græcè ἐντετυπωμένη, hoc eſt, informata, aut inſculpta, vel (vt legit Ambroſius) *formata*; vt ridiculi omnino ſint, qui deformatam interpretantur turpiter formatam, quaſi dicat deformem, quomodo mulier dicitur deformis. Vox enim Græca (vt dictum eſt) ſimpliciter ſignificat inſculptam, & deformatam. Latinè dixit interpres eo modo, quo dicere ſolemus deambulare, deoſculari, & id genus alia. Nihilo magis audiendi ſunt ij, qui deformatam accipiunt, quaſi ſignificet valde bene formatam, cùm Apoſtolus quiduis potiùs agat, quàm vt doceat, legem valde bene fuiſſe formatam, quam præ Euangelio, penè dixerim, contemnendam doceat; & (vt ait Chryſoſtomus) *Iudaicos ſpiritus deprimat.* Quod ipſa Apoſtoli verba ſignificant; idcirco enim ait, *litteris deformata in lapidibus*, vt eam opponat legi euangelicæ in cordibus inditæ. Si ergo lex illa qualis-qualis fuerit gratiæ præſidia deſtituta fuit in gloria, hoc eſt luce, ac ſplendore circumfuſa, dum videlicet à Moſe populo promulgaretur; multò id profectò magis legi Euangelicæ tribuendum eſt. Reſpicit enim ad id, quod ſcriptum eſt in Exodo: *Cúmque* (inquit) *deſcenderet Moyſes de monte Sinai tenebat duas tabulas teſtimonij, & ignorabat, quòd cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Dei.* Vbi vox Hebræa radiantem ſignificat; & Septuaginta, ad quos videtur reſpexiſſe Paulus: *Moyſes* (inquiunt) *non ſciebat, quia glorificatus eſt aſpectus cutis faciei ſua.* Et interpres Origenis [a]: *Erat* (inquit) *glorificata facies eius, & color vultus eius.* Idque mox explicans, ſubdit: *Ita vt non poſſent intendere filij Iſrael in faciem Moyſi propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur.* vt enim ſcriptum eſt in eodem Exodi loco, *Videntes Aaron, & filij Iſrael cornutam Moyſis faciem, timuerunt propè accedere. Quod quidem* (vt ait Chryſoſtomus) *magnam eorum imbecillitatem, animiq; ad res terrenas propenſionem declarabat.* Idem porrò Chryſoſtomus obſeruat, non dixiſſe Apoſtolum propter gloriam tabularum, ſed propter gloriã vultus eius; vt quidquid ibi gloriæ cernebatur, non tam ad legem, quàm ad Moſem legis interpretem pertineret. Denique monet, ita Paulum extenuare legis antiquæ gloriam, vt tamen legem illam non damnet; neque enim dixit, eam malam fuiſſe, ſed finem habituram. Hoc enim eſt, quod ait: *Quæ euacuatur. Quomodo* (ait) *non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria?* Argumentationis ratio poſtulare videbatur, vt quoniam legem ab effectu mortis miniſtrationem nominauerat, ex aduerſo cùm de Euangelio ageret, illud ab effectu vitæ, ſeu iuſtitiæ miniſtrationem appellaret. Verùm (vt monet Chryſoſtomus) ad legis euangelicæ dignitatem amplificandam, ſpiritum potiùs nominauit, à quo vita, & iuſtitia manat. Eadem quoque antitheſis ratio flagitabat, vt quoniam dixerat, Moſis gloriam aliquando abolendam, adderet Euangelij gloriam fore ſempiternam. Sed id tacitè ſignificauit, cùm dixit, *quomodo non magis erit in gloria?* quaſi dicat maiori, præſtantiori, ſolidiori, denique diuturniori.

[a] Hom. 12. in Exod.

NAM SI MINISTRATIO DAMNATIONIS, &c. 9.

I. Eandem prorſus ſententiam iterat, & planiùs explicat: & quam paulò antè miniſtrationē mortis vocauerat, nunc damnationis miniſtrationem nominat, quod eodem planè modo intelligitur. Cæterùm quod ſuprà dixerat *in gloria*; nunc ſimpliciter dicit: *gloria*. Eſt enim Græcè *ἡ διακονία τῆς κατακρίσεως, δόξα*, hoc eſt, *miniſtratio damnationis gloria eſt*. Huic autem rectè opponit miniſtrationē iuſtitiæ; lex n. illa peccatis implicitos damnat, vel certè damnationi obnoxios reddit. At verò lex Euãgelica peccatores iuſtificat, atque idcirco iure optimo miniſteriū iuſtitiæ nūcupatur: affert enim ſuapte vi iuſtitiam, & ſanctitatem ſiue dum peccatores iuſtos reddit, ſiue dum iuſtis donum perſeuerantiæ largitur, vimq́ue impertit, qua legi omni ex parte obtemperare queant. Obſeruat autem Oecumenius, legem veterem appellari ab Apoſtolo miniſterium mortis, quia nullo modo ad peccatum, aut mortem impellebat, ſed ipſi legiſlatori miniſterium præbebat; cùm enim ad cauendum peccatum nihil opis impertiret, peccantibus verò mortem intentaret, rectè mortis miniſtra dici poterat: cùm verò ratio antitheſis poſtularet, vt Euangelium diceret eſſe miniſtrationem vitæ, maluit appellare miniſterium iuſtitiæ, vt ſe oſtendat de vita gratiæ loqui. Quam ob cauſam miniſtrationem Spiritus paulò antè nominauerat propter munera Spiritus ſancti, quæ fidelibus olim concedebantur. Itaque *Multò* (ait) *magis abundat miniſterium iuſtitia in gloria*. Maiori, atque ampliori gloria dignum eſt Euangelium, quàm lex. Nam (vt ait Anſelmus) gloria legis finem habitura erat; Euangelij, gloria eſt ſempiterna; illa erat terrena, & corporea; hæc verò ſpiritalis, & cœleſtis: denique multò glorioſius eſt iuſtificare, quàm damnare: nam (vt ait Ambroſius) *maior eſt gloria in ſalute, quàm in morte; & quamuis iuſtè damnet, tamen ad laudem magis proficit, ſi indulgeat, vt poſſit reus corrigere ſe*. Porrò quoniam cùm agit Apoſtolus de lege veteri ſimpliciter dicit; *gloria eſt*; & cùm de Euangelio, *abundat*, inquit, *in gloria*: non obſcurè indicat, ſe vtraque ratione dicendi idem prorſus ſignificare.

10. I. Nam nec glorificatum eſt, &c. Explicatio eſt ſuperiorum non ſine amplificatione. Fuerit ſanè lex illa vetus ingenti lucis ſplendore circumfuſa, mihi tamen credite, quidquid illud fuit dignitatis, & gloriæ prorſus in nihilum recidit, ſi cum Euangelij maieſtate conferatur. Ita Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus. Ambroſius aliquid ampliùs addit. Splendor enim vultus Moſis non modò nullam attulit vtilitatem populo, ſed potiùs non leuiter obfuit: legis autem Euangelicæ gloria dum gratiam, & iuſtitiam largitur, Chriſti nos gloriæ participes efficit. Itaque (vt monet Chryſoſtomus) non omnem prorſus legi veteri gloriam adimit, quam paulò antè aſſeruerat, ſed comparatione maioris gloriæ illam perexiguam, ac penè nullam eſſe docet. Sunt qui putent, voluiſſe Paulum oſtendere, illam ipſam Moſis gloriam hoc ipſo magna ex parte fuiſſe imminutam, quòd ſuo ſplendore intuentium oculos perſtringeret, adeóque qualis, aut quanta eſſet perſpici planè non poſſet. Sed vereor, vt hanc explicationem Apoſtoli verba admittant. Cur enim addat; propter *excellentem gloriam?* an vt oſtenderet ſplendoris illius magnitudinem? Atqui hoc cum Pauli ſententia pugnat, qui lucem illam, & gloriam, ne gloriam quidem fuiſſe dicit. Perinde autem eſſet, ac ſi Paulus diceret; gloria illa quamuis vtcumque magna videretur, ne gloria quidem cenſenda eſt propter ſuam magnitudinem. Quis autem ferat eum qui hoc modo

A loquatur? Magna gloria propter ſui magnitudinem propè nulla cenſenda eſt. At (inquiunt) propter magnitudinem ſuam ſplendor ille oculorum aciem perſtringebat, atque adeò intuentium reſpectu multum illi detrahebatur: at quis ſanus ſolis lucem penè nullam eſſe dixerit, quia non poteſt mortaliū oculis ſpectari? Adde, quòd Paulus non dixit illius gloriæ magnitudinem cerni non potuiſſe, ſed nullam propemodum fuiſſe *in hac parte*. Hoc eſt (vt Chryſoſtomus, cæterique Græci explicant) ſi cum gloria legis Euangelicæ conferatur. Senſus igitur eſt, quem poſuimus in paraphraſi, quemque eleganter expreſſit Syriacus interpres. *Quandoquidem* (ait) *ne glorificatum quidem fuit, quod glorificatum eſt in comparatione huius excellentis gloria*. Neque aliter accipit Oecume-

B nius: *Quid* (inquit) *collationem facio noui Teſtamenti ad legem? Tanta eſt noui Teſtamenti excellentia, & gloria, vt in hac parte conferendo, vetus ne illam quidem videbitur habere gloriam; licèt glorificatum ſit ſi ad nouum conferas: & hoc eſt, quod ait in hac parte nempe comparationis*. Et Theodoretus: *Nam tanta eſt* (ait) *ad miniſtros gratia redundans gloria, vt meritò neque gloriam eſſe dicat quiſpiam eam, qua Moſem ſecuta eſt ſi ad hoc reſpiciat: ſiquidem lucerna lux in nocte videtur eſſe ſplendidiſſima, at in meridie occultatur; vt ne lux quidem eſſe exiſtimetur*. Ita tacitè indicat, legem illam tanquam nocturnam lucem aduentu Chriſti tanquam præſente ſole fuiſſe extinctam, ne autem videatur eam

C contemnere, vel tanquam malam reijcere, ait, illam fuiſſe nonnulla gloria præditam. Cæterùm quod ad verba attinet. *Nec glorificatum* (inquit) eſt quod clariut. Græcè *οὐ δεδόξασται τὸ δεδοξασμένον*, hoc eſt, nec glorificatum eſt quod glorificatum eſt. Quod enim Græcè eſt *δόξα* ſæpe vt aliàs monui, præſertim à Cypriano claritas dicitur. Apparuit (inquit) lex in ipſo Moſis vultu nonnulla gloria circumfuſa; ſed quid illa tandem fuit, ſi cum Euangelij ſplendore componatur?

Si enim quod evacuatur per, &c. In eadem ſententia commoratur, videtúrque confirmare 11. I.
quod modò dixerat veteris Teſtamenti gloriā nullo modo cum noui Teſtamēti maieſtate conferendā eſ-

D ſe. *Si enim* (inquit) *quod euacuatur*, quod vmbris videlicet, ac typis continetur, quæ præſente veritate finem habent, *per gloriam eſt*; hoc eſt, in gloria; multò magis quod manet in gloria eſt. Quod manet autem (interprete Theodoreto) donum gratiæ eſt, quod in Euangelica lege percipitur, & ſuapte natura ſempiternum eſt, quamuis ſuo vitio non pauci à gratia cadant. Oecumenius de nouo Teſtamento intelligit, quod perſeueraturum eſt vſque ad mundi finem, nulla ſiquidem ei lex ſuccedet: atque hanc ſententiam poſuimus in paraphraſi. Rectè itaque à minori colligit Apoſtolus, ſi typi, atque vmbræ, quæ adueniente ipſa rei veritate penitus ceſſarunt, magna gloria præditæ olim fuerunt, multò ſine dubio glorioſior erit ipſa veritas, quæ in æternum perſeuerat. Hæc

E autem omnis Apoſtoli diſputatio eò pertinet, vt oſtendat munus Apoſtolicum eximiæ cuiuſdam eſſe dignitatis, ſeq́ue adeò meritò poſſe tanquam ob ſingulare Dei munus, ac beneficium non quidem in ſe ipſo, ſed in Domino gloriari: cuius quidem gloriæ ipſi quoque fideles magna ex parte participes ſint, qui Chriſtianam doctrinam, fidémque complexi, diuina Chriſti gratia præditi ſunt, quam Iudæi in lege Moſis latētem, atque occultè promiſſam, atque indicatam non agnouerunt.

Habentes igitur talem spem, &c. *Qualem* 12.
tandem (inquit Chryſoſtomus) *quòd maiorem dignita-* I.
tem

tem, quàm Moſes conſecuti ſumus non tantùm nos Apoſtoli, ſed etiam omnes fideles. Videtur enim Apoſtolus (vt Ambroſius, & Hieronymus indicant) tacitè indicare gloriam beatorum, quam expectamus, quæ pendet à gratia, quam lex Euangelica largitur; hanc enim fideles, ſi in gratia perſeuerent, certò ſperare poſſunt. Qui enim Euangelij præcones ſunt, quique Euangelio fidem adiungunt, rectè beatam, atque immortalem vitam ſpectant. Quocirca meritò ſubdit: *Multa fiducia vtimur.* Græcè χρώμεθα, quomodo etiam legiſſe videntur Hieronymus, & Anſelmus, quos in paraphraſi vnà cum editione Romana ſequuti ſumus; videtur enim Apoſtolus de ſua prædicatione loqui; itaque explicant Chryſoſtomus, Theodoretus, & Theophylactus: *Apud vos* (inquit Chryſoſtomus) *quos diſcipulos habeo multa vtor fiducia.* Græcè παῤῥησίᾳ, quam vocem aliàs loquendi libertatem, ac penè euidentiam interpretati ſumus. Nam quis dubitet, eum, qui ſpe præditus ſit, vti fiducia, vel confidentia? Ex confidentia verò, & ſpe iure docendi, dicendique libertas, & euidentia naſcitur. Quamobrem rectè Chryſoſtomus: *Cum libertate* (inquit) *vbique loquimur; nihil occultantes, nihil diſſimulantes, nihil ſuſpicantes, ſed perſpicuè loquentes.* Addit Anſelmus conſtanter Euangelium promulgamus, adeò vt neque minis, neque verberibus, neque vllis cruciatibus ab eo munere reuocari, aut deterreri poſſimus. Suſpicor, hæc retuliſſe Paulum (vt monet Chryſoſtomus) ad veterem Moſis hiſtoriam, de qua mox: *Longè aliter* (ait) *nos Euangelium promulgamus, quam Moſes veterem legem. Ille palam, atque apertè loqui non eſt auſus; ſed velo faciem obduxit; nos verò nihil patimur eſſe opertum, aut occultum.* Quòd ſi quis malit cum Ambroſio, nonnullisque codicibus legere; *vtamur*; adhortatio erit ad Chriſtianam libertatem non qualem hæretici confingunt omnis prorſus legis expertem, ſed qualem exigit Chriſtus, quæ nullo videlicet metu, aut periculo ab officio reuocari queat. Sed prior interpretatio magis videtur ad rem, quam etiam ſequitur Syriacus interpres. Cùm igitur (ait) talem habeamus ſpem, longè apertiùs loquimur. Mox enim ſubiicit Paulus:

13. I. ET NON SICVT MOYSES, &c. Vel hinc apparet loqui Paulum in ſuperioribus de ſe, ſuáque docendi ratione. Dixerat quippe, ſe magna vti libertate dicendi ſecus, quàm olim faceret Moſes, qui non niſi velata facie populum alloquebatur. Atque ita coniunctio, *&*; hunc ſenſum poſtulat. Hac nos ſpe confirmati, multa vtimur dicendi libertate. Non autem imitamur. Moſem qui velo tectus legem proponebat, & diuina oracula proferebat. *Ponebat* (inquit) *velamen ſuper faciem ſuam.* ſic enim legimus in Exodo: *Poſuit velamen ſuper faciem ſuam.* Et paulò pòſt: *Operiebat ille rurſus velamine faciem ſuam, ſiquando loquebatur ad eos.* Quamobrem Tertullianus [a] vocat *incontemplabilem claritatem vultus Moſis.* Alibi [b]: *faciem Moſis incontemplabilem. Nihil verò* (ait Chryſoſtomus) *neceſſe eſt, vt Moſis inſtar noſipſos obuelemus. Poteſtis enim ipſi in gloriam hanc, qua cincti, & ornati ſumus intueri, & ſi multò maior, ac ſplendidior ſit, quàm illa Moſis.* Chryſoſtomum ſequuntur Theodoretus, & Theophylactus. Addit Theodoretus, id propterea factum eſſe, vt iam tum indicaret Moſes Iudæorum perfidiam, qui intima legis, & ſpiritalem eius ſenſum nequaquam eſſent percepturi. *Vt non intenderent* (inquit) *filij Iſrael in faciem eius quod euacuatur.* Pro eo, quod ait interpres; *intenderent*; Græcè ſcripſit Apoſtolus ἀτενίσαι; quod eſt oculos defigere, vel immotis oculis intueri; quomodo nemo poteſt ſolis radios ſpectare, vt ſignificet, potuiſſe quidem Iudæos vtrumque Moſem aſpicere, qui faciem eius radiatam viderant; ſed fixis oculis, & diu inhærentibus non potuiſſe. Quod ſequitur; *In faciem eius*; omnino neceſſe eſt, aliter legiſſe noſtrum interpretem in Græcis codicibus, quàm nos legamus. Fuerunt enim Græci codices, in quibus ſcriptum eſſet εἰς τὸ πρόσωπον, hoc eſt (vt habet vulgatus) *in faciem.* At omnes, quos ego quidem viderim, habent εἰς τὸ τέλος. Itaque legunt Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, & alij Græci; nec dubito, etiam legiſſe Ambroſium, & Hieronymum. Apertiſſimè verò ita legit Syriacus; ait enim, *Ne inſpicerent filij Iſrael in finem eius quòd aboletur.* Sunt qui interpretentur non potuiſſe Iudæos perſpicere finē legis; hoc eſt cognoſcere legem illam finem aliquando habituram, quæ videtur Theophylacti ſententia. *Iſraelitæ autem* (inquit) *rudes non potuerunt videre, quòd finem haberet lex, quódque abroganda foret.* Theodoretus negat Iudæos potuiſſe intueri finem legis, id eſt Chriſtum, qui (vt alibi ait Apoſtolus) *finis legis eſt in ſalutem omni credenti.* Alij non potuiſſe, aiunt, finem aſpicere, quem maximè ſpectare debebant, ne illic conquieſcerent. Nos in paraphraſi intima legis accepimus, hoc eſt, finem, & perfectionem legis, ipſumque adeò Chriſtum, denique id, quod in illis typis, atque vmbris latebat, vt illo velo, quo Moſes faciē obuelauit ſuā, vmbræ ſignificarētur quibus veteris Teſtamenti myſteria occultantur. Verùm quoniā Latini codices cōſtanter habent faciē (quamquā legit Auguſtinus [a], *vt intenderēt ſicut ſcriptū eſt filij Iſrael vſque in finē*, & finem interpretatur Chriſtum) poſſumus, faciem eius quod euacuatur, interpretari vim, & poteſtatem legis veteris. quaſi dicat; vt ne faciem quidem, & primum quod aiunt aſpectum legis aſpicere poſſent; nam (vt ad Romanos ait Apoſtolus) *lex ſpiritualis* eſt, eámque eiuſmodi eſſe agnoſcunt ij, qui abducto perfidiæ velo eam intuentur. Hæc videtur ſententia Anſelmi. *Ideo* (inquit) *per velamen carnalium obſeruationum, & promiſſionum obumbrata eſt facies veritatis, quæ tempore gratiæ fuerat reuelanda.* Et paulò pòſt: *Propterea velamine litteræ texit illis Moſes faciem ſpiritalis intelligentiæ, ne ad hunc ſplendorem vultus eius intenderent.* Quod ſequitur: *Eius quod euacuatur*; nonnulli referunt ad ipſum Moſem, qui moriturus erat. Alij ad legem aliquando abolendam. Anſelmus ad ipſum velamen. Ego non dubito, ad legem referendum eſſe. Ita Theodoretus, & Theophylactus. *Ne filij Iſrael* (ait Theodoretus) *intendant oculos ad finem eius, quod otioſum, & inane redditur: otioſam enim & inanem legem eſſe dicit; hoc eſt, ceſſare.* Quanquam autem facile concedo Anſelmo, velum amouendum præſente veritate, neſcio tamen, vtrùm rectè velum dicatur habere faciem. quòd ſi legamus finem, non ſatis aptè videretur Apoſtolus dicere, adhibuiſſe Moſem velum, ne filij Iſrael viderent finem veli aliquando amouendi; cùm ſatis conſtet vultum Moſis velo fuiſſe opertum, ne illo ſplendore intuentium oculi perſtringerentur; quo fiebat, vt ipſa vultus lineamenta non cernerent Iudæi.

14. I. SED OBTVSI SVNT SENSVS EORVM, &c. More ſuo Apoſtolus occaſione eorum, quæ de Moſis velo modò dixerat, miſerā Iudæorū conditionem perſtringit. Idem (inquit) Moſis velū ipſam quodāmodo legē obtegit, & obuelat, quo fit vt miſeri nunc Iudæi dum vetus Teſtamentum perlegunt cœcis ignorationis, atque errorum tenebris inuoluantur. *Sed obtuſi* (inquit) *ſunt ſenſus eorum.* Græcè ἐπωρώθη τὰ νοήματα *excæcati ſunt*, quomodo vertit Syriacus. Græca autem vox νοήματα cogitationes potiùs quàm ſenſus ſigni-

Marginal notes: Cap.34.33. Cap.34.35. — a lib. de reſur. carn. c. 55. — b lib. 5. in Marc. c. 11. — a lib. 2. cont. aduerſ. leg. & proph. c. 7. — Cap.6.14. — 11.

ſus ſignificat, quomodo paulò antè Latinè reddiderat,
*Vſque in hodiernum diem idipſum velamen in lectione
veteris Teſtamenti manet non reuelatũ.* Non planè id-
ipſum, quod ſibi Moſes impoſuerat; illud enim cor-
poreum erat, & manibus tractari poterat: hoc verò
mentem obuelat, & in animo ineſt. Quomodo igi-
tur ait Apoſtolus, Idipſum? Nimirum ea dicendi
ratione, qua ſignum pro re ſignata ponitur, quáque
ſuperiori epiſtola dixit idem Paulus: *Petra autem erat
Chriſtus.* quia videlicet petra Chriſtum ſignificabat.
Haud aliter quoniam Iudæorum perfidia illo Mo-
ſis velo indicabatur, velum ab Apoſtolo in præſen-
tia dicitur. *Manet* (inquit) *non reuelatum.* Græcè
μὴ ἀνακαλυπτόμενον quod propriè de eo dicitur, qui
faciem velatam habet. Ambroſius ita legit: *Hæc ipſa
obtuſio in lectione veteris Teſtamenti manet, dum non re-
uelatur.* Syriacus: *Illud velamen perſtat ſuper eos, nec
reuelatur.* Senſus eſt; velum illud perſtat, nec remo-
uetur. Anſelmus non reuelatum perinde accipit,
quaſi dicat Apoſtolus, velum ignotum eſſe Iu-
dæis. ignorant enim quid in lege lateat, nihilque
aliud intelligunt, quàm quod nuda verba ſonant
vno verbo; non animaduertunt, ſe perfidiæ velo
prohiberi quominus abdita legis myſteria perci-
piant. Sed retinendum eſt quod poſui in para-
phraſi, quodque apertè verba ſonant; hoc eſt, ve-
lum non eſſe abductum, ſed perſeuerare. *Quoniam*
(inquit) *in Chriſto euacuatur.* Græcè ὅτι ἐν Χριστῷ
II. καταργεῖται. legiſſe videtur interpres ὅτι quomodo
etiam legit Ambroſius. *Quia* (inquit) *in Chri-
ſto euacuatur.* Senſus erit: ideo velum infidelita-
tis in eorum mentibus perſeuerat, quia in Chri-
ſtum non credunt, qui ſolus poteſt velum amo-
uere, & ignorationis tenebras diſcutere. Alij le-
gunt ὅ, τι quod per Chriſtum, id eſt, Chriſti
beneficio aboletur, quomodo vertit Syriacus in-
terpres; ſed idem eſt omnino ſenſus, perſeuerat enim
adhuc ignorantiæ velum, quia nondum Iudæi per-
ceperunt fidem Chriſti, cuius luce, ac ſplendore
omnes infidelitatis tenebræ diſſeiuntur, vt mox Apo-
ſtolus ipſe docebit. Id quod luculenter explicat Cy-
a lib. 1 in Ioan. c. 34. rillus[a]. *Latet enim* (inquit) *vt Paulus ait velum in corde
ipſorũ, & cæcitas ex parte; ſed poſtquam manè factum eſt,
oriente iam ſole vero, Euangelica doctrina fulgente, cùm
etiam ros, id eſt rudis & pruinoſa mandatorum legis obſer-
uatio taceat, atque deſinat (finis enim legis, & prophetarum
Chriſtus) tunc verum de cœlo deſcendit manna, tunc
Euangelica doctrina rutilauit, non in Hebræorum con-
gregatione, atque ſynagoga, ſed per circuitum caſtrorum in
facie deſerti, ac ſolitudinis, in omnibus videlicet gentibus,
in Eccleſia gentium.*

15. SED VSQVE IN HODIERNVM DIEM, &c.
I. In eadem re magis, ac magis explicanda commora-
tur, oſtenditque (vt Chryſoſtomus ait) mirum non
eſſe, ſi Iudæi legis Euangelicæ gloriam, & dignitatem
non agnoſcant, cùm ne veteris quidem legis lucem
aſpexerint, & quod magis dolendum eſt, cùm poſſent
in legis veteris lectione Chriſtum intueri, eodem ve-
lo cordibus impoſito lucem veritatis aſpicere non
poſſunt. Sed *vſque* (inquit) *in hodiernum diem cùm le-
gitur Moyſes.* Singulis quippe ſabbatis in ſynago-
b cap. 13. 27. gis legitur lex Moſis. Ita enim [b] Lucas in actis Apo-
ſtolicis ſcribit: *Qui enim habitant Ieruſalem, & prin-
cipes eius, hunc ignorantes & voces prophetarum, quæ per
Vers. 14. omne ſabbatum leguntur.* Et paulò antè dixerat: *Il-
li vero pertranſeuntes Pergen venerunt Antiochiam
Piſidiæ, & ingreſſi ſynagogam die ſabbatorum ſederunt.
Poſt lectionem autem legis, & prophetarum*, &c. Et
c cap. 15. 21. alio [c] loco: *Moyſes enim a temporibus antiquis habet
in ſingulis ciuitatibus qui eum prædicent in ſynagogis,*

A *vbi per omne ſabbatum legitur.* Quam conſuetudinem
etiam-num retinent Hebræi, nullo tamen fructu,
quia cùm careant fide infidelitatis velo obuoluti,
nec intelligunt, legem Moſis iam finem habuiſſe,
neque Chriſtum, quem illa pollicebatur iam ad nos
veniſſe. Vt autem appareat, non loqui Paulum de
vllo corporeo velo, cùm non ita multò antè di-
xiſſet, manere velum non reuelatum in lectione
veteris Teſtamenti, nunc ait Iudæorum cordibus
impoſitum eſſe. Significat enim (vt ait Chryſoſto-
mus) non eſſe legem adeò obſcuram, vt non
facilè poſſet eius percipi ſenſus; ſed Iudæorum
mentes infidelitatis nube ac velo prohiberi, quo-
minus veritatem aſpiciant. nam & propterea di-
xerat Apoſtolus obtuſos eſſe eorum ſenſus; quod
B ipſum ſignificat cùm ait; *Velamen poſitum eſt ſuper
cor eorum.* Non enim aufertur velum, vt paulò an-
tè dixerat Apoſtulus, niſi per Chriſtum. De quo a apud Oecumen.
rectè Cyrillus[a]: *Chriſtus* (inquit) *irritum facit ve-
lamen; nam cùm ipſe ſit veritas, ceſſare facit vm-
bram, legiſque ambiguitatem.* Porrò Anſelmus
duo agnoſcit hoc loco velamina. Alterum, quod
in lectione veteris Teſtamenti manet non reuc-
latum. Alterum, quod poſitum eſt ſuper cor eo-
rum: illud quidem poſitum eſt in obſcuritate
legis, quæ typis, atque vmbris ſcatet, alterum
verò in infidelitate, qua Iudæi adhuc tenentur obſtri-
cti. Porrò de hoc myſtico velo plura ſcribit Orige- b Hom. 12. in Exod.
nes[b]: nec tamen plus vno velo ſtatuendum putat, hoc
C eſt cæcitate mentis, & obtuſione cordis; inde enim
oritur legis obſcuritas, vt rectè ipſe monet Origenes,
quod luce fidei Iudæorum populus deſtituitur id,
quod apertiſſimè ſignificat Apoſtolus, cùm dixit, ve-
lum in Chriſto euacuari; id autem quomodo fiat,
mox explicat.

CVM AVTEM CONVERSVS FVERIT, &c. 16.
Vel hinc apparet vnicum duntaxat velum ab Apo- I.
ſtolo conſtitui, hoc eſt, infidelitatem, & perfidiam;
quod tum demum aufertur, cùm Chriſti fides admit-
titur. Quocirca rectè dixit Chryſoſtomus: *Vides* (in-
quit) *quemadmodum velaminis illius cauſa non Moſai-
cus vultus fuerit, ſed Iudaicus affectus? Non enim
vt Moſis gloria occultaretur hoc faciebat, ſed ne illi vi-
derent; neque enim capaces erant, itaque illorum ob vi-
D tium erat.* Porrò idem Chryſoſtomus, Theodore-
tus, & Theophylactus hoc loco monent, alluſiſſe
Apoſtolum ad veterem hiſtoriam. Cùm enim Mo-
ſes populum alloqueretur obducto velo vultus ſui
ſplendorem, & cœleſtes radios occultabat. Vbi ve-
rò tabernaculum ingrederetur, vt cum Deo age-
ret, velum amouebat. Perſimili igitur ratione ait
Apoſtolus, velum à Iudæorum cordibus tum de-
mum abducendum, cùm ſeſe ad Dominum con-
uerterint: hoc eſt, cùm Chriſto Domino nomina de-
derint, eique per fidem adhæſerint. Ita Cyrillus
apud Oecumenium. *Cùm ipſe ſit veritas* (de Chri-
ſto loquitur) *ceſſare facit vmbram, legiſque ambigui-
tatem.* citat autem centeſimum trigeſimum primum
librum explanationis in Lucam. *Cùm autem* (in-
E quit) *conuerſus fuerit.* Græcè ἐπιστρέψῃ. quæ vox ſin-
gularis numeri eſt, atque ita Ambroſius legit. *Cùm
autem conuerſus fuerit.* quomodo etiam legit Hiero-
nymus, & habent Latini codices emendatiores, vt
ſubaudiatur Iſraël, vel (vt dixit Syriacus interpres)
ſenſus erit; *cùm aliquis ex eis conuertetur ad Dominum,
tolletur ab eo velamen.* quomodo etiam dixit Orige- c Hom. 12. in Exod. & Hom. 2. in Leuitic.
nis[c] interpres. Auguſtinus non ſemel in ſecunda per-
ſona legit[d]. *Cùm autem tranſieris ad Chriſtum, aufere- d lib. de vtil. creden. c. 7. & contra Fauſtum.
tur velamen.* Mox autem obſeruat, non auferri legem,
aut Teſtamentum vetus, ſed tegmen potiùs, ac ve-
lamen,

lamen, quo vtilia tegebantur. Auctor verò quæſtionum veteris, ac noui Teſtamenti, quæ tribuuntur Auguſtino. *Sed interpoſito* (inquit) *velamine loquebatur ad illos, vt tandiu indigni eſſent gloria Dei, quamdiu in peccatis verſarentur; vnde dicit Apoſtolus: Cùm conuerſus fuerit ad Deum, auferetur velamen, vt dono Dei abluti, digni fierent intendere gloriam Dei.* Tertullianus more ſuo ſenſum potiùs, quàm vim verborum expreſſit [a]. *Cùm verò* (ait) *conuerterit ad Deum, auferetur velamen; hoc Iudæo propriè dicit, apud quem & eſt velamen Moyſi, qui cùm tranſierit in fidem Christi intelliget Moyſem de Christo prædicaſſe.*

Quæſt. 8. — a lib. 5. in Marc. c. 11.

17. I. DOMINVS AVTEM SPIRITVS EST, &c. Ambiguum eſt, quónam modo hæc Apoſtoli ſententia accipienda ſit. Chryſoſtomus enim, Theodoretus, & Theophylactus putant, Spiritum eſſe ſubiectum, Dominum autem prædicatum: hoc ſenſu Spiritus ſanctus eſt Dominus; atque ita contra Arrianos, & Eunomianos Spiritus ſancti diuinitatem probari contendunt. Probat Chryſoſtomus ex eo, quòd Spiritui additur articulus; eſt enim Græcè ὁ δὲ κύριος τὸ πνεῦμά ἐστι. Dixerat enim ſuprà, factum ſe eſſe noui Teſtamenti miniſtrum non litteræ, ſed Spiritus; *littera enim occidit, Spiritus autem viuificat.* Rurſus: *Quomodo non magis miniſtratio Spiritus erit in gloria?* Hunc igitur ſpiritum ait eſſe Dominum, ad quem qui conuertuntur, cæcitatis atque ignorationis velo ſpoliantur. Hunc ſenſum ſequutus eſt Anſelmus: *Sed & Spiritus ſanctus* (inquit) *hoc loco Dominus vocatur, quaſi dicat, eum ſuæ poteſtatis eſſe, atque idcirco quos vult ſuæ lucis ſplendore illuſtrare, quos item vult in tenebris deſerere.* Alij Dominum putant eſſe ſubiectum, & Spiritum prædicatum, vt dicat Apoſtolus: qui conuertuntur ad Dominum, lucem veritatis abducto velo aſpicient; Dominus enim, id eſt, Chriſtus eſt Spiritus ille legis, quem Moſes, eiúſque lex indicabant, & quaſi occultè continebant. Quem ſenſum indicat Ambroſius: *Quoniam Deus* (inquit) *Spiritus eſt, per Chriſtum legem dedit Spiritus; non litteris vtique ſcriptam, ſed per fidem animis intimatam, non quæ viſibilia doceat, ſed inuiſibilia credi ſuadeat; quæ animus ſpiritualiter colligat, non quæ oculus cernat.* Vtraque ſententia videtur admodum probabilis; prior tamen plures, & grauiores habet auctores, nam Athanaſius [b] hæc de Spiritu ſancto accipienda eſſe docet. *De Spiritu porro* (ait) *idem Apoſtolus dicit: Cùm conuerſus fuerit ad Dominum detrahetur velum, Dominus autem Spiritus eſt.* Eodem modo Pauli verba accipit [c] Elias Cretenſis: poſterior tamen ſententia magis videtur cum ſuperioribus cohærere, cùm enim dixiſſet, amouendum eſſe velum, cùm Iudæi ad Dominum conuerſi eſſent, rectè ſubdit, Dominum eſſe Spiritum illum vegetantem, quem lex illa Moſis veluti velo incluſum continebat. Vt enim apud Oecumenium ait Cyrillus, & nos paulò antè indicauimus, *Chriſtus irritum fecit velamen: nam cùm ipſe ſit veritas, ceſſare facit vmbram, legiſque ambiguitatem.* Mox aptè ſubdidit: *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas.* vt ſignificet, miniſtrationem Spiritus, hoc eſt legem Euangelicam, veram afficere libertatem, cùm lex illa vetus (vt aliàs docuit Apoſtolus) fuerit lex ſeruitutis. Atque haud ſcio, an ſpectarit Apoſtolus vim, atque vſum velaminis, de quo ſuperiori Epiſtola multa dixerat. Velum enim ſubiectionis indicium erat: illo igitur amoto, vera libertas indicatur, veram autem libertatem cùm dico, non illam flagitioſam licentiam intelligo, quam hæretici iactitant, ſed illam libertatem filiorum Dei, de qua alibi plura dicenda erunt, quam interim paucis indicat Apoſtolus cùm ſubdit:

b de commun. eſſent. patr. & Fil. & Spir. ſanct. — c Ad orat. 14. Greg. Naz.

18. I. NOS VERÒ OMNES, REVELATA, &c. Chriſtum, ſeque & cæteros Euangelij miniſtros Moſi quodammodo oponit. Ille (inquit) non niſi velata facie populum alloquebatur; nos verò abſque velo palàm Chriſti myſteria proponimus. Quod autem ait; *ſpeculantes*; Græcè eſt κατοπτριζόμενοι hoc eſt, inſtar ſpeculi, vel quaſi è ſpeculo, vel per ſpeculum contemplantes; & in modum ſpeculi receptam lucem emittentes: vt intelligas, Dei gloriam à purgatis animis, ceu ſpeculo excipi, ac reddi. Ita Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, neque aliter Anſelmus, quaſi Apoſtolus ſignificet, Dei verbi præcones diuinam lucem ad modum ſpeculi excipere, ac reddere. *Quemadmodum enim* (inquit Theodoretus) *aqua perſpicua eorum, qui inſpiciunt aſpectum, & ipſius ſolis circulum, & cælorum conuexa effingit; ita etiam cor purum fit diuinæ gloriæ veluti quoddam ſpeculum, quod eam refert, & exprimit.* Nec multò aliter Oecumenius: *Quemadmodum enim* (inquit) *argentum ſoli oppoſitum ipſum etiam quoſdam emittit radios per incurſum ſolis; ita & nos in Baptiſmate per Spiritum repurgati, & illius radiis illuſtrati ſplendorem quendam intelligibilem emittimus.* Quæ ſunt ipſa verba Chryſoſtomi, & Theophylacti, vt videatur Apoſtolus alio ſenſu nunc vſurpare ſimilitudinem ſpeculi, quàm cùm in ſuperiori epiſtola [a] dixit: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate*: quanquam Auguſtinus [b] vtrobique eandem putat eſſe ſimilitudinis rationem. Videtur autem hoc loco Apoſtolus aptè ſimilitudinem ſpeculi adhibere; dixerat enim non potuiſſe Hebræos vultum Moſis intueri; at hæc gloria noui Teſtamenti, quamuis multò ſit illa veteri maior, quia tamen ſpeculo comparatur, quòd ſuo ſplendore oculorum aciem non perſtringit, facilè ab omnibus ſpectari poteſt. Porrò quod in paraphraſi ſignificauit, ſpeculi nomine non ſolùm Dei verbi miniſtros (vt Chryſoſtomus, cæterique Græci ſignificant) ſed Chriſtum potiſſimùm indicat, quem Moſi opponit: in illo enim tanquam in ſpeculo cernitur diuinitatis maieſtas, cùm ſit vera, & viua imago Patris, de quo verè Sapiens [c] alicubi ſcripſit: *Cādor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius.* Omnes igitur fideles veluti oculo fidei Chriſtum intuentur, & ſpectant, eiúſque gloriam, & magnitudinem contemplãtur.

a cap. 13. 12. — b lib. 15. de Trin. c. 8. — c Sap. 7. 26.

II. *In eamdem* (inquit) *imaginem transformamur*; nam & ad Romanos [d] dixit: *Quos autem præſciuit, hos & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui.* *Transformamur* autem dixit, Græcè μεταμορφούμεθα. quod ſignificat (vt alibi docui) externam ſpeciem mutare. Quamobrem Tertullianus [e] tranſtulit, *transfiguramur*. *Contemplantes* (inquit) *Chriſtum eadem imagine transfigurari à gloria, qua ſcilicet & Moſes transfigurabatur à gloria Domini in gloriam; ita corporalem Moyſi illuminationem de congreſſu Domini, & corporale velamen de infirmitate populi proponens & ſpiritalem reuelationem, & ſpiritalem claritatem in Chriſto ſuperducens.* Certè interpres ad Romanos [f] vbi eadem vox Græca eſt, maluit dicere reformamur. Auguſtinus [g]: *In eandem* (inquit) *imaginem transformamur vtique imaginem Dei vult intelligi, eandem dicens iſtam ipſam ſcilicet, id eſt, quam ſpeculamur, quia eadem imago eſt, & gloria Dei* ſicut [h] alibi dicit: *Vir quidem non*

d cap. 8. 29. — e lib. 5. in Marc. c. 11. — f cap. 12. 2. — g 14. de Trin. c. 8. — h 1. ad Cor. 11. 7.

non debet velare caput ſuum, cùm ſit imago, & gloria Dei. Transformamur ergo, dicit, de forma in formam mutamur, atque tranſimus de forma obſcura in formam lucidam, quia & ipſa obſcura Dei imago eſt, & ſi imago profectò etiam gloria, in qua homines creati ſumus præſtantes cæteris animalibus. Et paulò pòſt de homine ſubdit; *Quæ natura in rebus creatis excellentiſſima, cùm à ſuo creatore ab impietate iuſtificatur, à deformi forma formoſam transfertur in formam, ſignificans natura dignitatem gratiæ acceſſione perfici, ac nobilitari.* Cæterùm quod ait interpres; *In eamdem imaginē*: græcè ſimpliciter eſt τὴν αὐτὴν εἰκόνα, vt ſubaudiatur κατὰ, hoc eſt, iuxtà eamdem imaginem; quaſi dicat: in dies magis
III. ad eam imaginem accedimus. Subdit. *A claritate in claritatem.* Græcè ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, hoc eſt, à gloria
a lib. 15. de Trinit. cap. 8. in gloriam, vt legit Auguſtinus [a]. *Et propter hoc*, inquit, *addidit; De gloria in gloriam, de gloria creationis in gloriam iuſtificationis, quamuis poſſit hoc, & aliis modis intelligi quod dictum eſt, de gloria in gloriam; de gloria fidei in gloriam ſpeciei; de gloria, qua filij Dei ſumus in gloriam, qua ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Chryſoſtomus. *A gloria*, inquit, *ſpiritus in gloriam noſtram.* Chryſoſtomum ſequuntur om-
b cap. 8. nes Græci. Ego (vt monui in epiſtola ad Romanos [b]) hunc dicendi modum ad rei magnitudinem, & veluti incrementa refero, quaſi dicat in gloriam in dies maiorem; vt ſignificet, hanc gloriam noui teſtamenti in dies magis augeri. Addit poſtremò. *Tamquam à Domini ſpiritu.* Græcè καθάπερ ἀπὸ κυρίου πνεύματος. Quæ verba trifariam latinè reddi poſſunt. A Domini ſpiritu, ſiue à Domino ſpiritus, ſiue denique à Domino ſpiritu; vt intelligas ipſum, ſpiritum eſſe Domi-

A num. Poſtremam interpretationem ſequūtur Chryſoſtomus, Theodoretus, & Syriacus, & alicubi etiam Baſilius [a], qui in Arrianos detorquet. Primam probant inter Græcos Theophylactus, inter Latinos Ambroſius, Hieronymus, Anſelmus. Mediam maximè ſequuntur recentiores quidam, quaſi Dominum ſpiritus appellet Chriſtum, qui gratiam ſpiritus largitur, prout vult. Certè Auguſtinus [b] vulgato interpreti conſentit; ita enim explicat. *Quod verò adiunxit tamquam à Domini ſpiritu oſtendit gratia Dei nobis conferri tam optabilis transformationis bonum*; quaſi Domini ſpiritum Dei gratiam interpretetur, vt mirum ſit quid legerit Tertullianus [c], qui habet. *Tanquam à Domino ſpirituum*, multóque magis mirum videri debet quod habet alicubi Auguſtinus [d]; *tan-*
B *quam ad Domini ſpiritum*; niſi quòd vtrobique ſuſpicor eſſe mendum: Porro particula *tanquam*, græcè καθάπερ, hîc non ſonat ſimilitudinem, ſed congruentiam, vt intelligitur ex interpretatione Auguſtini: quaſi dicat eximiam quamdam gloriam, dignamque omnino, quam conferat Domini ſpiritus; cui perſimilis eſt locus apud Ioannem [e]. *Quaſi vnigeniti à Patre.* Claudam hoc caput præclara quadam Cyrilli [f] ſententia qua probat diuini ſpiritus præſentiam nouam quamdam vitæ rationem afferre. cùm enim protuliſſet hæc verba Pauli, ſubdit. *Vides quia ad aliam ſicuti vult ſpiritus imaginem nos vt Deminis reformat, nempe qui facilè à terrenis ad cœleſtia noſtros transponit animos, quod in diſcipulis factum fuiſſe inueniemus per ſpiritum ſanè ad eam fortitudinem ab humana ignauia reducti ſunt, vt ne vlla pericula timerent, & Chriſto inſeparabiliter inhærerent.*

a de Spirit. ſanct. ad Amphil. cap. 21.
b 15 de Trin. cap. 8.
c lib. 5. in Marc. cap. 11.
d lib. 22. de Ciuit. cap. 29.
e cap. 1. 14.
f lib. 10 in Ioan. cap 19.

Argumentum Cap. IV.

PERGIT *in eodem argumento, oſtendens, ſe munus promulgandi euangelij diuinitùs accepiſſe, eóque modeſtè perfungi: ipſam tamen euangelij prædicationem non omnibus æquè prodeſſe, cùm nonnullis cæcas quodammodo ignorationis, atque erroris tenebras offundat: quamuis autem diuini verbi præcones multa patiantur aduerſa, ſemper tamen illos diuinum patrocinium experiri.*

CAPVT IV.

IDEO *habentes adminiſtrationem, iuxta quod miſericordiam conſecuti ſumus, non deficimus.*

Sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in aſtutia, neque adulterantes verbum Dei, ſed in manifeſtatione veritatis commendātes uoſmetipſos ad omnem conſcientiam hominum coram Deo.

Quòd ſi etiam opertum eſt Euangelium noſtrum: in iis, qui pereunt, eſt opertum.

In quibus Deus huius ſæculi excæcauit mētes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei. Non

PARAPHRASIS.

PROPTEREA cùm hoc euangelij tra- 1.
dendi munus adepti ſimus atque exerceamus, pro ea miſericordia, quam ab immortali Deo ſingulari quodam beneficio conſecuti ſumus, malis, atque ærumnis ſupra modum vexari, nullo tamen modo fracti,
abiectiue cedimus. ¶ Sed abdicauimus quaſcum- 2.
que latebras captant homines, quibus ſua probra operiant, quippe remotiſſimi ab omni verſutia, calliditate, ac fraude, abſque vllo dolo Dei verbum proponimus, noſmetipſos declaratione veritatis commendantes, omnium etiam inimiciſſimorum hominum ſententia, atque iudicio; Deo
tamen potiſſimùm ſpectatore, & iudice. ¶ Quod 3.
ſi quis obiiciat obſcurum adhuc, & quaſi velo obtectum, ne dicam tenebris inuolutum eſſe euangelium noſtrum, huic ego facilè reſpondeam, iis duntaxat, qui pereunt, & cœleſtis lucis radium à ſe repellunt, legem euangelicam impeditam, atque
obſcuram videri. ¶ In quibus ſatan, quem Chri- 4.
ſtus Dominus huius mundi principem nominat, cuique ſe veluti Deo mancipatunt huius ſæculi

 cultores

cultores excæcauit mentes infidelium, vt non irra-
diet eos ſplendor Euangelij, quo cunctis proponi-
tur lumen perſpicuum gloriæ Chriſti, qui eſt vera,
& viua imago Dei, qua ille alioqui inaſpectabilis
5. cernendum ſe præbet. ¶ Non enim nos ipſos præ-
dicamus, ſed Ieſum Chriſtum Dominum: nos au-
tem id vnum præ nobis ferimus, eſſe nos veluti
veſtros ſeruos, vt hunc ipſum Ieſum vobis colen-
6. dum, atque amandum prædicemus. ¶ Quoniam
Deus, qui ſolo verbo, nutúve fecit, vt è tenebris,
hoc eſt, carentia lucis, lux ipſa ſplendeſceret, is
etiam miro quodam modo cordibus noſtris illu-
xit, vt deinde vobis acceptam cognitionis lucem,
coram ipſo Chriſto Domino impertiremus.
7. ¶ Habemus autem huius diuinæ lucis (vt ita di-
cam) theſaurum in teſtaceis vaſculis, & penè dicam
figlinis, vt eius tam eximij doni præſtantiam om-
nes intelligant à Deo immortali, nón à noſtra hu-
8. mana ſapientia manare. ¶ Id quod tum maximè
fit, dum incredibiliter in omnibus fermè negotiis,
ærumnis, & calamitatibus premimur: non ſic ta-
men coarctamur, vt elabi non poſſimus: hæſita-
mus quidem interdum, & quodammodò fluctua-
9. mus, at non prorsùs hæremus. ¶ Vrgemur, & ab
inſectantibus aduerſariis multa pati compellimur,
at non penitùs deſerimur à Deo; deiicimur, & in-
fra omnes mortales amandamur, at non penitus
10. perimus. ¶ Quocumque venimus paratam nobis
crucem præſentem habemus, perinde quaſi eam
nobiſcum circumferamus: ſic enim verè Domini
Ieſu mortificationem in corpore geſtamus, vt ip-
ſius vitæ Chriſti imaginem in noſtris membris
11. expreſſam palàm omnibus proponamus. ¶ Nos
enim qui illam Chriſti vitam perpetuò viuimus,
propter Ieſum penè quotidie morti adiudicamur,
vt ipſa etiam vita Ieſu in hoc noſtro quantumuis
12. mortali corpore manifeſta fiat. ¶ Sic igitur habe-
tote ad nos ærumnas, calamitates, atque incom-
moda pertinere; omne verò commodum, atque
vtilitatem in vos maximè redundare; vt propemo-
dum affirmare audeam vos ex noſtra morte vitam
ducere, ad quos omnis noſtrarum ærumnarum
fructus redit; mors ſiquidem quotidie in nobis
quodammodo agit, vt contrà, vita in vobis maiora
13. ſemper incremẽta capit. ¶ Et quia habemus eam-
dem fidem eiuſdem diuini ſpiritus afflatu, ac do-
no, qualis ea erat de qua legimus apud prophe-
tam. *Credidi, & ideo loquutus ſum*; nos quoque credi-
14. mus, & idcirco etiam loquimur. ¶ Cùm præſer-
tim ſciamus, eum, qui Chriſtum Dominum ad ſu-
peros reuocauit, nos quoque ab inferis excitatu-
rum aliquando, & ab omnibus periculis ereptu-
tum, vt ſaluos atque incolumes vobis ſiſtat præ-
15. ſentes. ¶ Omnia enim veſtra cauſa conſtanti, at-
que hilari animo perferuntur à me, vt ereptus ali-
quando, tandem ab omnibus periculis vobis re-
ſtituar, atque ingens illud beneficium, quod mihi
diuinitus concedetur, viciſſim ad vnius Dei glo-
riam referatur. Nimirum ob id non ego vnus gra-
tias agam, ſed vos omnes idem vnà mecum præ-

ſtabitis

Non enim noſmetipſos prædicamus, ſed Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum: nos autem ſeruos veſtros per Ieſum.

Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei, in facie Chriſti Ieſu.

Habemus autem theſaurum iſtum in vaſis fictilibus; vt ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis.

In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur: aporiamur, ſed non deſtituimur.

Perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur: deiicimur, ſed non perimus.

Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris.

Semper enim nos, qui viuimus, in mortem tradimur propter Ieſum: vt & vita Ieſu manifeſtetur in carne noſtra mortali.

Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis.

Habentes autem eumdem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt. Credidi; propter quod locutus ſum: *& nos credimus, propter quod & loquimur.*

Scientes quoniam qui ſuſcitauit Ieſum, & nos cum Ieſu ſuſcitabit, & conſtituet vobiſcum.

Omnia enim propter vos: vt gratia abũdans, per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei.

Propter

Digitized by Google

Propter quod non deficimus: ſed licet is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur: tamen is, qui intus eſt, renouatur de die in diem.

Id enim quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt.

ſtabitis æquè malorum, & gaudij participes.
¶ Propterea non ſegneſcimus, aut deficimus, ſed 16.
etiam ſi externus homo noſter, hoc eſt, corpus vergit ad interitum; internus tamen, id eſt, animus, nouas quotidie vires acquirit, ne recentibus malis ingruentibus frangatur externus, qui huius
interni viribus ſtat, & roboratur. ¶ Momentanea 17.
enim leuitas oppreſſionis noſtræ eximiè, eximiè, inquam, æternum gloriæ pondus efficit quodam-
modo, & parit in nobis. ¶ Dum videlicet non 18.
ſpectamus ea, quæ oculis cerni poſſunt; ſed ea, quæ oculorum aciem, atque obtutum effugiunt: quæ enim ſub ſenſum cadunt, tempori ſubijciuntur, & breui temporis curriculo intereunt vniuerſa; quæ verò cerni non poſſunt, ſempiterna ſunt, & in omne æuum perſeuerant.

IN CAPVT QVARTVM
EXPLANATIO.

1. I. IDEO HABENTES ADMINISTRATIONEM, &c. Quoniam, inquit Chryſoſtomus, magnificentiùs de ſe viſus erat loquutus, cùm ſe quodammodo Moſi prætuliſſet, Chriſtianę modeſtiæ nō immemor, quidquid illud ſit, quod ſibi arrogaſſe videbatur, vni Deo acceptum referendum eſſe docet. Monet autem Oecumenius, hoc loco eſſe hyperbaton: quod enim ait; *Ideo*, Græcè διὰ τοῦτο coniungendum eſt cum verbo *deficimus*, vt ſit ſenſus. Cùm hoc docendi munus diuinitus acceperimus, propterea in rebus aduerſis non deficimus. Porrò miniſtrationem Græcè διακονίαν, appellat munus Apoſtolicum, vt aliàs ſæpè monui. Fortè enim alludit ad id, quod dixit [a] Chriſtus. *Qui voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter; & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus; ſicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis.* Nam & propterea in Epiſtola ad Romanos Chriſtum vocauit miniſtrum circumciſionis. *Iuxta quod ait, miſericordiam conſequuti ſumus.* More ſuo miſericordiæ, ac liberalitati diuinæ munus Apoſtolicum tribuit, pro eo, quod eſt diuinitùs delecti ſumus ad munus Apoſtolicum. Græcè autem dixit καθὼς ἠλεήθημεν. Ambroſius vertit, *prout miſericordiam conſequuti ſumus.* Syriacus hunc ſenſum expreſſit. *Propterea tædium non eſt nobis in hoc miniſterio, quod amplectimur iuxta miſerationes, quæ fuerunt ſupra nos.* Quod autem ille ait. *Tædium non eſt nobis*, Græcè voci reſpondet οὐκ ἐκκακοῦμεν, quod noſter interpres dixit; *non deficimus*, quod alij vertunt, *non ſegneſcimus*, aut *degeneramus*. Eſt enim ἐκκακεῖν deficere, & animo concidere, vt apud Lucam [b]. *Oportet ſemper orare, & non deficere.* μὴ ἐκκακεῖν: & ad Epheſios [c]: *ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis.* μὴ ἐκκακεῖν.

[a] Matth. 20. 26.

[b] cap. 18. 1.

[c] cap. 3. 13.

II. Monet autem Chryſoſtomus, quod ait Apoſtolus, *iuxta quod miſericordiam conſecuti ſumus*, non ſolùm referri ad Apoſtolicam functionem, quam diuina liberalitate adeptus erat, ſed etiam ad id, quod ſequitur. *Non deficimus*; robur enim, & conſtantia in aduerſis ſingulare diuinæ liberalitatis beneficium eſt, quanquàm verò (vt idem monet Chryſoſtomus, liberalitatis eſt proprium bona largiri, miſeri- A cordiæ verò à malis eruere; ſæpè tamen Apoſtolus alterum pro altero ponit; nam qui beneficium tribuit, hoc ipſo à malo eripit, id eſt carētia boni. Quòd ſi miſericordia referatur ad id, quod dicit poſteriori loco; *Non deficimus*; magna ſine dubio miſericordia eſt, quæ à malorum ſenſu liberat. Tametſi enim vir conſtans, & fortis, dum res aduerſas excipit, nonnihil pro humana conditione commouetur; non ita tamen eorum ſenſu afficitur, vt ſuccumbat, aut fatigetur, aut etiam frangatur. Rectè enim alicubi [a] Seneca. *Et illum fortem virum dicam, quem bella non ſubigunt, nec admota vis hoſtilis exterret.* Et mox. *Non refert quàm multa in illum coniiciantur tela, cùm ſit nulli penetrabilis. Quomodò quorumdam lapidum inexpugnabilis ferro durities eſt, nec ſecari adamas aut cædi* B *vel teri poteſt, ſed incurrentia vltro retundit: quemadmodum quædam non poſſunt igne conſumi, ſed flamma circumfuſa rigorem ſuū habitumque conſeruant: quemadmodum proiecti in altum ſcopuli mare frangunt, nec ipſi vlla ſæuitiæ veſtigia tot verberati ſeculis oſtentant; ita ſapientis animus ſolidus eſt, & id roboris collegit, vt tam tutus ſit ab iniuria, quàm illa quæ retuli.*

[a] In ſapientem non cad. iniur. c. 3.

2. I. SED ABDICAMVS OCCVLTA DEDECORIS, &c. Dixit ſe non deficere in malis; nunc ſui muneris rationem explicat. *Abdicamus*, inquit, *occulta dedecoris.* Videtur autem tacitè perſtringere pſeudoapoſtolos, qui multa clam turpiter faciebant, cùm tamen nihil magis præ ſe ferrent, quàm ſpeciem ſanctitatis: dixit autem conſueto hebraiſmo, *occulta dedecoris*; id eſt clandeſtinas, & occultas frau- C des, vel latebras, & clancularias artes, quibus probra ſua, & flagitia obtegunt, quæ ſi proferantur in lucem, meritò pudorem afferant. Ita Chryſoſtomus, & Oecumenius. Theodoretus *occulta dedecoris* ſignificare putat circumciſionem, quam qui ex Iudæis crediderant, cum Euangelio coniungendam putabant. Theophylactus aliò trahit; quaſi pſeudoapoſtolos notet, apud quos omnia ficta erant, & ſimulata. *Accipientes enim*, inquit, *clanculum videbantur non accipere; ſancti in ſpecie cernebantur, & immundi erant.* Ambroſius *occulta dedecoris* ea dicit eſſe, quæ prauo ſenſu ad prædicandum meditantur, vt fallāt. Anſelmus turpes, & fœdas actiones: ſic etiam

Hieronymiani commentarij. Sed quod de circumciſione ait Theodoretus parum videtur ad rem; quamquàm enim alibi circumciſionem detrimenta, & reiectamenta nominat; nunquàm tamen dedecus, aut probrum nominauit. Quod ait Ambroſius de callidè excogitatis ad fallendum maximè congruit cum ſequentibus, vbi Paulus aſtutiam, & dolum nominat. Quocirca eam explicationem cæteris antepono, quamquàm non penitùs reiicio, quod Theophylactus, & cæteri affirmant: video enim ea eſſe conſentanea iis, quæ ſcribit ad Epheſios [a]. *Quæ in occulto*, inquit, *fiunt ab ipſis turpe eſt & dicere.* Sub-
a cap.5.12.
II. dit: *Non ambulantes in aſtutia.* Græcè πανουργία, quam rectè dixeris calliditatem, & vafritiem; nam vbi nos
b Gen.3.1.
legimus [b], *Serpens erat callidior*, Aquila legit πανοῦργος, id eſt callidus & vafer. Et quidem aſtutia ſubdolæ mentis vitium eſt, & (vt ait Ambroſius) admodum turpe. *Neque adulterantes verbum Dei.* Græcè δολοῦντες, id eſt, dolo vtentes. Quo verbo tametſi eorum improbitas aptè ſignificatur, qui numiſmata adulterant; neſcio tamen, vtrum huic loco ea ſignificatio conueniat: non enim Paulus de corruptoribus verbi Dei diſſerit, quamquàm id Theodoretus, Ambroſius, & alij quidam ſignificant, ſed de iis, qui cùm caritatis impulſu videri vellent verbum Dei prædicare, re tamen vera auri cupiditate ducebantur, vel (vt Chryſoſtomus, Theophylactus, Oecumenius, & Anſelmus exiſtimarunt) qui per hypocriſim ſanctitatem ſimulabant. Malim ergo dicere dolosè, ac fraudulenter Dei verbum tractantes; rectè enim Oecumenius. *Non ſolùm*, inquit, *vitam, ac* C *conuerſationem ſine verſutia inſtituimus, ſed neque dolo tractamus verbum Dei ſiue prædicationem, aut quæſtum ex ipſo ſectantes, aut iuxta temporum, ac perſonarum varietates nos ipſos commutantes, & nunc hoc, nunc autem illud docentes, quod pſeudoapoſtoli faciebant.* Quæ totidem fermè verbis dixit Theophylactus. *Sed in manifeſtatione veritatis commendantes noſmetipſos:* Damus, inquit, operam (vt Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Photius, & Oecumenius explicant) vt non vultu, & oſtentatione, ſed ipſa rerum euidentia, morúmque probitate omnibus probemur. *Nam*, vt ait Photius, *pſeudoapoſtoli non per manifeſtationem veritatis, ſed ſimulando veritatis perſonam oſtendebant ſeipſos non coram Deo, ſed tantùm vt iis placerent, quos fallebantur.* Et Chryſo- D ſtomus. *Non à fuco*, inquit, *ac ſimulatione, aut quod ſplendidam laruam circumferamus*; propterea rectè ſubiicit. *Ad omnem conſcientiam hominum*; indicans ſe non modò fidelium, ſed etiam infidelium iudicio, atque ſententiæ mores, vitámque ſuam excutiendam permittere; idque *coram Deo*: ipſo videlicet inſpectante Deo, quem ne mentium quidem intimi, atque abditi receſſus latent, quem nemo quamuis callidus, ac verſipellis decipere, aut fallere poteſt. Itaque (vt vult Chryſoſtomus) ſe ait nullius prorsùs ſceleris ab vllo mortalium argui poſſe. Se enim ita viuere, itáque Euangelio operam dare, vt non modò hominum iudicia non reformidet, ſed Deum mentium inſpectorem præſentem ſemper intueatur.

3. QVOD SI ETIAM OPERTVM EST, &c. Oc- E
I. cupatio eſt quæ reſpicit tum ea, quæ proximè dicta ſunt, tum verò ea, quæ poſita ſunt in calce capitis ſuperioris; ibi enim dixerat. *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes.* Quaſi dicat, Euangelium perſpicuum eſſe, & peruium: modò autem addiderat, ſe ſincerè, & candidè euangelicam doctrinam promulgare citra omnem ſimulationem, ac fraudem. Obiicere quiſpiam poterat, multa tamen eſſe, quæ adhuc lateant, quæ propter obſcuritatem interpretis, atque explanatoris opera indigeant: plu-

A rima etiam latere in tenebris, quæ non facilè perſpici queant. Reſpondet Apoſtolus, velatum adhuc eſſe Euangelium iis, qui pereunt, quod Chryſoſtomus ita accipit, vt id, quod ſuprà dixerat [a]. *Aliis quidem odor* a cap.2. *mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam.* Quaſi dicat, non id eſſe Euangelio, aut induſtriæ Apoſtolicæ vitio vertendum; ipſi enim cæci ſunt, ſuáque improbitate ignorationis tenebris inuoluuntur. Ita enim ad Romanos dixerat, quoſdam ſua culpa in reprobam mentem traditos eſſe. Et mox. *Deus huius ſæculi excæcauit mentes infidelium.* Eorum enim perfidia, & infidelitas Euangelicæ fidei lumini reluctatur, quomodo alicubi dixit [b] Iob. *Ipſi fuerunt rebelles lumini,* b cap.24. *neſcierant vias eius, nec reuerſi ſunt per ſemitas eius.* Et Ioannes [c]: *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non* c cap.1. B *comprehenderunt.* Et rurſus [d]: *Lux venit in mundum,* d cap.3. *& dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem; erant enim eorum mala opera.* Nam qui opera ſua mala à luce patefieri erubuerunt, nec ſponte ſua cófiteri voluerunt, tamquàm lucis oſores in tenebris permanſerunt, neque vllam ſalutis viam aſpicere potuerunt. Rectè enim ſcripſit Auguſtinus [e]. *Qui* e Tract.12. in Ioan. *confitetur peccata ſua, & accuſat peccata ſua, iam cum Deo facit. Accuſat Deus peccata tua, & ſi tu accuſas, coniungeris Deo, quia duæ res ſunt homo, & peccator, quod audis, homo, Deus fecit: quod audis, peccator, ipſe homo fecit. Dele quod feciſti, vt Deus ſaluet quod fecit. Oportet, vt oderis in te opus tuum, & ames in te opus Dei. cùm autem cœperit tibi diſplicere quod feciſti, inde incipiunt bona opera tua, quia accuſas mala opera tua. Initium operum bonorum confeſſio eſt operum malorum: facis veritatem, & venis ad lucem. Quid eſt facit veritatem? Non te palpas, non tibi blandiris, non tibi adulteris, non dicis iuſtus ſum, cùm ſis iniquus, & incipis facere veritatem.* Quamobrem meritò apud Salomonem [f] queruntur impij. *Ergo errauimus à via veri-* f Sap.5. *tatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis.* Hoc eſt igitur, quod ait hoc loco Apoſtolus, Euangelium opertum eſſe iis, qui pereunt.

IN QVIBVS DEVS HVIVS SÆCVLI, &c. 4.
Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, & in- I.
ter Latinos Tertullianus [g] hoc loco putant eſſe hy- g lib.5. in Marcio.
perbaton, quaſi Deus dicatur mentes infidelium huius ſæculi excæcaſſe, veriti, ne Deum quempiam malorum auctorem cum Manichæis admittere co- D gerentur: nam (auctore Tertulliano) hoc maximè Pauli teſtimonio nixus Marcion duos Deos diſtinguebat: alterum huius æui creatorem, alterum verò alterius æui Deum. Eamdem porrò interpunctionem eamdem ob cauſam probat Irenæus [h], illámque h lib.4. multis placuiſſe teſtatur Auguſtinus [i]. At verò Cy- i lib.21. cont. Fauſt. c.4. rillus apud Oecumenium, Hieronymus, Auguſtinus, & alij non pauci, non verentur Deum huius ſæculi interpretari dæmonem, qui à Chriſto Domino mundi princeps appellatur; & à Paulo mundi, & tenebrarum harum rector. Vtramque diſtinctionem probat, atque explicat Anſelmus, & inter Græcos Oecumenius ſequutus Chryſoſtomum. Quòd ſi priorem diſtinctionem ſequamur, ſenſus erit, Deum excæcaſſe mentes infidelium huius ſæculi, hoc eſt (vt E ait Ambroſius) *ſæcularium hominum, qui maliuoli ſunt erga fidem Chriſti.* Vt enim in Epiſtola ad Romanos tradere dicitur quoſdam in reprobum ſenſum; ita etiam dicitur tenebras offundere, & obcæcare, vt ſuo loco explicui. Sin autem probemus poſteriorem, duplex exiſtit interpretatio: alteram ſequuntur Chryſoſtomus, Theophylactus, & Oecumenius, vt Deus immortalis dicatur huius ſæculi Deus eo planè modo, quo dicitur Deus cœli, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob: non quaſi non

ſit rerum omnium, atque hominum Deus, ſed quòd A
peculiari quadam ratione in quibuſdam rebus, atque
hominibus veſtigia diuinitatis appareant; ita Deus
huius ſæculi appellari poteſt non quaſi alius ſit alte-
rius ſæculi Deus; ſed quòd hoc ſæculum condide-
rit, in eóque diuinam ſuam prouidentiã miris exer-
ceat modis; quò fit, vt nihil ex hoc loco aduerſus
Dei vnitatem Marcion, aut Manichæus colligere
poſſit. Sed quamquam hoc vtcumque verè dici po-
teſt, exiſtimo tamen, præferendam eſſe ſententiam
a 21. contra Fauſt. c. 9. Auguſtini [a], qui Deum huius ſæculi dæmonem in-
terpretatur, quod etiam apud Oecumenium fa-
cit Cyrillus, quæ eſt altera explanatio; nam & dæ-
mon ſuo etiam modo dicitur excæcare, vt egregiè
explicat Auguſtinus. *Aliud enim, inquit, venit de aſtu-
tia ſuadentis, aliud de nequitia volentis, aliud de iuſtitia*
punientis cùm Diabolus ſuggerit, homo conſentit, Deus
deſerit. Quocirca in opere malo, id eſt, excæcatione infi-
delium ſi intelligatur, & diabolus propter ſuadendi ma-
lignitatem, vt ſic diſtinguatur Deus huius ſæculi, non ma-
lis videtur abſurdum; neque enim ſine additamento di-
citur Deus cùm adiungitur huius ſæculi, id eſt hominum
impiorum non niſi in hoc ſæculo florere volentium. Hanc
poſteriorem explicationem maximè probaui in pa-
raphraſi, tum quia ſimplicior hæc videtur diſtinctio
abſque hyperbato, & perturbatione verborum; tum
quia hoc nomen Dei huius ſæculi, quamquàm ve-
ro Deo aptari vtcumque poteſt, vt Chryſoſtomus,
Theophylactus, & Anſelmus explicant; magis ta-
men dæmoni conuenit, quem Chriſtus mundi prin-
b Ioan 12. 31. cipem appellauit [b], & alibi [c] forti comparat, qui cu-
c Luc. 11. 21. ſtodit atrium ſuum: & Paulus [d]. *Non eſt nobis*, inquit,
d ad Epheſ. vlt. 12. *colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduer-*
ſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores te-
nebrarum harum, aduerſus ſpiritualia nequitiæ in cæle-
II. *ſtibus.* Nec immeritò dicitur dæmon huius ſæculi
Deus, in quo ſuam quodammodo tyrannidem exer-
cet, & ab infidelibus pro Deo colitur. Ait igitur
Apoſtolus. *In quibus Deus huius ſæculi excæcauit men-*
te infidelium. Relatiuum autem: *in quibus* referen-
dum eſt ad eos, quos paulò antè dixerat, perire, &
quibus opertum eſt Euangeliũ: niſi quis malit (quod
mihi non omnino diſplicet) cõiungi cum ſuperiori-
bus, quæ appellauerat, *occulta dedecoris*, vt ſit hebraiſ-
mus quidam inſtrumenti rationem continens: veriſi-
24. mile enim eſt (quemadmodum ad Romanos [e] dixe-
rat) propter ea flagitia, quibus tenebantur obſtricti,
tandem diuinitùs cæcitatis tenebris inuolutos. *Vt non*
fulgeat, inquit, *eis illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti.*
... ſius, *vt non perſuadeant*, inquit, *lumen Euange-*
lij ... Chriſti; vt non tam interpretem, quàm
... ratem egiſſe videatur; niſi fortè pro αὐτοῖς
... Nam ſi Heſychio credimus, αὐγάζω &
... Græcis eſt idem, quod apud Latinos, vi-
deo, ſiue intueor; φωτισμὸν autem propriè ſignificat
illuminationem, ſiue illuſtrationem; hoc eſt lumen
cùm profertur. Chryſoſtomus, & Theophylactus
αὐγὴν interpretantur, quaſi ſignificet radium, ſeu
quid tam ſubluſtre, & quaſi guſtum futuræ gloriæ;
quem paulò antè dixit, arrhabonem ſpiritus; φωτι-
σμὸν verò lucem illam ineffabilem, quæ pòſt ape-
ritur; vt ſenſus ſit ne radium quidem fulgere infide-
libus eius diuinæ lucis, quæ ſeſe beatis aperit. Ap-
pellat autem radium diuinæ lucis hanc qualemcum-
que diuinorum myſteriorum cognitionem, quam
fideles in hac mortali vita aſſequuntur. Congeries
porrò genitiuorum obſcuram, & ancipitem reddit
orationem; poteſt enim ſic accipi: ne illuceſceret il-
lis lux Euangelij, hoc eſt, prædicationis gloriæ Chri-
ſti: vel ne ſeſe illis lumen gloriæ Euangelij Chriſti
aperiret: vel denique ne lux Euangelij, quæ eſt glo-
ria Chriſti, illis ſplendeſceret, qui eſt imago Dei.
Hoc autem eſſe epithetum filij Dei, nemo Catholi-
cus inficiatur. Clemens [a] Romanus. *Filius*, inquit, a epiſt. 1.
viuens imago Patris. Clemens [b] item Alexandrinus: b ad hort. ad Gent.
Eſt enim Dei imago eius verbum, & filius huiꝰ, exem-
plaris, & archetypa. Baſilius [c]: *Filius imago dicitur, quia* c 2. contra Eunom.
habetur in ſigillo tota Patris natura. Alibi. *Filius ex Pa-*
tre vnum exemplar, & imago naturaliter exprimens Pa-
trem. Athanaſius [d]: *Et quandoquidem eſt vnus Deus,* d de decretis Nicæ. Synodi.
neceſſarium eſt quoque vnicam eſſe Dei imaginem, quæ
ipſius eſt filius. Si quidem filius Dei (vt ex ipſis ſcripturis
patet) ipſe eſt Dei verbum, & ſapientia, & imago, & ma-
nus (ſic enim lego) & virtus. Græcè enim ſcripſit,
καὶ ἡ σοφία καὶ ἡ εἰκὼν, καὶ ἡ χεὶρ καὶ ἡ δύναμις. Et
alio loco [e]: *Si filius vera imago eſt Patris, nonitque Pa-* e Ser. 4. contra Arrian.
ter diem & horam; cui dubium quin iſtius ſcientiæ pa-
ternæ imaginem filius quoque poſſideat? Gregorius [f] Na- f Orat. 4. de Theolog.
zianzenus. *Imago dicitur, quòd ſit eiuſdem eſſentiæ, &*
hic ab illo; hæc enim eſt natura imaginis. *Eodem fermè*
modo loquitur Cyrillus [g], neque aliter Didymus [h]. g hom. 1. & 2. in Exod. lib. 1. Theſaur. cap. . lib 7 cap 1 & dialog 4. de Trinit.
Porrò Victorinus [i] filium imaginẽ eſſe ait, quia λόγος, & h lib. 1 de Spiritu ſancto.
Deus in occulto, λόγος in manifeſto. Idem aſſerit Hila- i lib. de Trinitate.
rius [k] dum explicat illa verba Ioannis [l]: *Huunc enim* k lib. 8. de Trinit.
Pater ſignauit Deus. Græcè ἐσφράγισεν. Alibi [m]: *Imago*
quia filius. Denique [n]: *æqualitas oſtenditur, quia imago.*
Ambroſius [o] *imaginem*, ait, *vnam veram veritatem.*
Nec diſcrepat Auguſtinus [p] theologorũ facilè prin-
III. ceps. Sed cùm hæc vera ſint, illud inter theologos l cap 6. 27.
non conuenit, propriè-ne, an metaphoricè nomen m lib. 9. de Trinitate.
imaginis filio tribuatur. Nam Spiritum ſanctum eſſe n lib. de Synodo.
C filij imaginem docent Baſilius [q], Gregorius [r] Thau- o lib. 1 de fide ad grat. c. 4. & lib de Incarn. cap. 10.
maturgus, Damaſcenus [ſ], & ſubindicare videtur p lib 2. de Trinit. cap. 2. & lib 7. cap. 1.
Athanaſius [t], vt non immeritò ſcripſerit D. Tho- q lib. 5 contra Eunom. ca 22.
mas [u], hanc eſſe Græcorum Patrum ſententiam;
quamquàm nonnulli ex illis ſoli filio imaginis ap- r in principio. ſ in Confeſſ. fidei apud Nyſſen. in eius vita.
pellationem tribuunt. Athanaſius enim præter ea, ſ lib. 1 de fid. Orthod. cap. 18.
quæ paulò antè allata ſunt, ita aduerſus Arrianos lo- t ep ad Serap.
quitur [x]. *Qui ergo fit, vt cùm iſti eiuſmodi ſint; ſolus* u 1. p. q 35. ar. 2 ad. 1.
tamen filius vnigenitus, & Verbum, & ſapientia appel- x Serm. 4.
letur? Aut cur cùm tot ſint ſimilia Patri, ſolus hic ſit y lib. 2. de Spiritu ſancto.
imago? Idem non obſcurè ſignificant Didymus [y],
Gregorius [z] Nazianzenus, Chryſoſtomus [a], & Ori- z Apolog. de fuga ſua.
genes [b]. Latini fermè omnes vni filio nomen ima- a hom. 74. in Ioan.
ginis tribuunt: ita Hilarius [c], Auguſtinus [d], aliíque [e] b lib. 1. Periarch cap 2. & 3.
non pauci. Et re vera εἰκὼν græcè, latinè imago, ſeu
D ſimulacrum, id propriè ſignificat, quod ad alterius
ſimilitudinem, & imitationem exprimitur: illud vn-
de ducitur imago; græcè πρωτότυπον, latinè exemplar
vocari ſolet. Inter exemplar, & imaginem duplex
cernitur relatio, ſimilitudinis, & diſtinctionis: quod c lib 7. de Trinit. ſub fine
enim idem planè eſt cum altero, illius neque exem- d lib. 1. de Trinit. cap. 2. & lib. 7. cap. vltimo.
plar, neque imago dici poteſt: imago verò nulla eſt,
quæ exemplaris ſimilitudinem non referat. Dei e Ricardus Vict lib. 6. de Trinit ca. 19. Rupertus 2. de Trinit c. 1. D Th. 1. p. q. 35 ar. 2.
filius à Patre relatione, atque hypoſtaſi diſtinguitur,
ſimilitudinem Patris refert, & ad eam referendam
Patris fœcunditate exprimitur; quod eſſe proprium
imaginis non ſemel docuit Auguſtinus [f]; atque ob f lib. de Gen. imperf. ca. 16. q. 4. in Deuter & lib. 83. quæſt. q. 74.
id rectè filius non eſſentiæ, ſed Patris imago appel-
latur. Inſunt, inquit, hæc eadem Spiritui ſancto, in-
ſunt quidem; non tamen omnia; & quæ inſunt alio
E quodam modo ei tribuuntur, quàm vt poſſint ratio-
nem imaginis impertiri, vt fuſiùs Theologi docent.
Illius igitur propriè dicitur imago Dei. Addunt non-
nulli codices; *Inuiſibilis*, vt ſit deſcriptio Patris; quo-
modo etiam legimus in Epiſtolâ ad Coloſſenſes [g]; g cap. 1. 15.
ſed eam vocem Græci codices non habent, neque
hoc loco Græci explanatores agnoſcunt. Neque ha-
bet editio Romana.

NON ENIM NOSMETIPSOS PRÆDICAMVS, 5.
&c. Chryſoſtomus hæc refert vel ad pſeudoapo- 1.
ſtolos, qui ſeſe magnificentiùs efferebant, & inanem

 gloriam,

gloriam, ſuique nominis prædicationem quærebant, vel ad eos ipſos, qui Pauli Apoſtolatum apud Corinthios eleuabant. quaſi dicat: non aduerſùm nos bellum ſuſcipitis, ſed eum potiùs oppugnatis, quem nos prædicamus, id eſt, Chriſtum Dominum. Meliùs (vt arbitror) Theophylactus, & Oecumenius hæc cum iis coniungunt, quæ paulò antè dixerat; *Non ambulantes in aſtutia, neque adulterantes verbum Dei*, & quæ ſequuntur. vt ſit ſenſus: nihil nobis opus eſt fraude, ac dolo, qui non nos ipſos, ſed Chriſtum Dominum prædicamus. Neque enim Paulus opes, aut honores, aut propriam laudem quærebat, ſed id vnum ſtudebat, vt omnes Chriſti fidem amplecterentur. Sic enim dixerat in priori Epiſtola [a]. *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Quocirca rectè dixit Anſelmus, eum, qui propria commoda quærit, non Chriſtum, ſed ſe ipſum prædicare. At Paulus verus Chriſti ſeruus prædicat Chriſtum Dominum. Ambroſius addit *Noſtrum*; quod in Græcis codicibus non legitur, nec habetur apud Chryſoſtomum, aut Theophylactum, nec videtur magnopere neceſſarium; plenius enim quiddam eſt, vt intelligamus, Chriſtum omnium eſſe ſimpliciter, atque abſolutè Dominum, cùm præſertim hoc loco perſonam ſuam à Chriſti perſona diſtinguat. Se quippe miniſtrum eſſe ſignificat, & alienum negotium agere: illum verò Dominum, ad cuius honorem, & gloriam referenda ſunt quæcumque facit ſeruus. Anſelmus ſubintelligendum putat verbum; *Eſſe*: hoc ſenſu: prædicamus, Chriſtum Dominum eſſe: ſed præſtat cum Chryſoſtomo, Theophylacto, Oecumenio, Ambroſio, ac Hieronymo ſimpliciter intelligere, Chriſtum Dominum à Paulo prædicari, hoc eſt, eius gloriam quæri, eius fidem promulgari, omnes denique ad Chriſti amorem prouocari: verùm quoniã mox addit; *nos autem ſeruos veſtros*, non malè additur *noſtrum*, vt habet editio Romana; quaſi nos prædicamus Chriſtum Dominum noſtrum, nos verò veſtros ſeruos. Igitur addit: *Nos autem ſeruos veſtros per Chriſtum. Tantùm abeſt*, inquit Chryſoſtomus, *vt eorum, quæ Domini ſunt, quidquam ſibi Apoſtolus vſurpet, atque arroget; vt etiam propter Deum ſeſe omnibus mortalibus ſubiiciat.* Nam (vt ait Theodoretus) cùm ſe alibi Chriſti ſeruum appellet; hîc etiam ſe fidelium ſeruum nominat; idque *per Ieſum*. Græcè διὰ ἰησοῦ, hoc eſt, propter Ieſum: quomodo legit Ambroſius, & tranſtulit Syriacus. Qui enim euangelio promulgando dant operam, revera fidelium vtilitati ſeruiunt, vnde illa Romani Pontificis perhonorifica manauit appellatio, qua ſe ſeruum ſeruorum Dei nominat; quam quidem à Gregorio Magno primùm vſurpatam accepimus, non modò ad modeſtiam, animique demiſſionem declarandam, ſed ad propriam muneris ſui rationem ſignificandam, quam Chriſtus illis verbis docuit [b]. *Qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus.* Quod alicubi confirmat Chryſoſtomus, qui ait, eum, qui cæteris præeſt, eorum eſſe ſeruum, quibus imperat.

a cap. 4. 1.

b Matt. 20. 26.

6.
I. QVONIAM DEVS, QVI DIXIT, &c. Oecumenius cum ſuperioribus hanc ſententiam ita connectit. Meritò dixit, me veſtrum eſſe ſeruum, quoniam is, qui olim iuſſerat è tenebris lucem ſplendeſcere, illuxit in cordibus veſtris. Eodem modo videtur loqui Theophylactus: quaſi Apoſtolus rationem reddat, cur non prædicet ſe ipſum. Certè videtur Apoſtolus Corinthiis quodammodò gratulari, quòd deſerta infidelitate, & idolorum cultu planè contempto, Chriſtianæ fidei, veræque doctrinæ lucem aſpexerint. Videtur autem (vt omnes tum Græci, tum Latini obſeruant) lucem euangelij cum prima illa luce conferre, quam initio naſcentis mundi Deus immortalis ſubitò iuſſit illuceſcere. *Dixit*, inquit, *Deus fiat lux. & facta eſt lux.* Porrò lux illa dicitur è tenebris Dei iuſſu quodammodo produſſe, quia ex nihilo procreata eſt, & quia ſcriptum eſt in libro Geneſeos; *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Affert hunc locum Tertullianus [a] aduerſus Marcionem, vt oſtendat, vnum atque eumdem eſſe Deum creatorem mundi, & euangelicæ doctrinæ auctorem: ſic autem ſcribit. *Quis dixit, fiat lux? & de illuminatione mundi, quis Chriſto ait: Poſui te in lumen nationum, ſedentium ſcilicet in tenebris, & in vmbra mortis? ipſe illuxit in cordibus noſtris.* Græcè eſt ὃς, videtúrque ſubaudiri verbum ſubſtãtiuum *Eſt*: quaſi dicat, is qui iuſſit è tenebris lucem ſplendeſcere, idem eſt qui illuxit in cordibus noſtris. Quem ſenſum ita expreſſit Ambroſius. *Quia Deus, qui dixit, de tenebris lumen fulgere illuxit in cordibus noſtris.* Et Syriacus: *Quoniam Deus eſt, qui dixit, de tenebris lucem orituram, qui quidem oritur in cordibus noſtris.* Ita explicant omnes ſiue Græci, ſiue Latini. Is ergo Deus in cordibus noſtris illuxit, quia fidei lumen infudit, ex quo factum eſt id, quod paulò antè dixerat [b]; *Vt reuelata facie gloriam Dei contemplemur.* Hoc enim eſt, quod ſubdit; *ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Chriſti Ieſu.* Alludit enim ad factum Moſis, qui velo vultus ſui ſplendorem obtegebat, ne Iudæorum oculi perſtringerentur. Longè, inquit, aliter nobis accidit, qui, percepta diuinitùs fide, ſpectare poſſumus gloriam, & maieſtatem Dei in ipſa Chriſti facie refulgentem. Cæterùm quod ait interpres: *illuxit*, græcè eſt ἔλαμψεν; quod Auguſtinus [c] ſæpè tranſtulit; *Claruit.* Quod ſubdit: *ad illuminationem ſcientiæ*, ſignificat ad illuſtrandam ſcientiam, & cognitionem, quam habent fideles. ita dixit Syriacus: *Vt illuſtremur per cognitionem.* Scientiam autem, ſeu cognitionem vocat *claritatis Dei.* Græcè τῆς δόξης, hoc eſt gloriæ, vt ſuprà, cùm ageret de vultu Moſis: ibi enim dixerat, non potuiſſe illam gloriam à filiis Iſrael ſpectari: hîc ait, fidelium cognitionem illuſtrari: hoc eſt illos mirificam, & diuinam quamdam vim percipere, qua poſſint, minimè nictantibus oculis diuinam gloriam contemplari. *In facie*, inquit, *Chriſti Ieſu*, vt videlicet opponat Moſi. quamquam enim quod græcè ſcriptum eſt ἐν προσώπῳ, nonnulli interpretantur in perſona; longè tamen aptiùs dixit noſter interpres, *in facie*: vt ſit aperta alluſio ad faciem Moſis. Non me tamen fugit, quoſdam codices habere διὰ παρουσίας ἰησοῦ χριστοῦ, hoc eſt, *per aduentum Ieſu Chriſti*: quem ſenſum indicat Theodoretus: *quoniam diuina natura*, inquit, *ſub aſpectum non cadit per ſumptam humanitatem diuina luce reſplendentem, & fulgura emittentem aſpicitur, vt licet.* Eodem modo hunc locum explicat Theophylactus. *Siquidem*, ait, *is illuxit nobis in facie Chriſti, hoc eſt, per Chriſtum: per Chriſtum enim lucet in nobis Pater, dátque illuſtrationem cognitionis, non ſubſtantiæ ſuæ, ſed gloriæ.* Quæ eſt omnino ſententia Chryſoſtomi: ait enim, his verbis ſignificare Paulum, nos per Chriſtum ad Patris cognitionem peruenire, quemadmodum etiam per ſpiritum ad eum nobis patet acceſſus. Certè hoc alicubi docuit Chriſtus cùm dixit [d]. *Ego ſum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem, niſi per me.* In eum quippe credentes, & eius inſiſtentes veſtigiis ad Patrem tendimus. Et paulò pòſt. *Qui videt me*, inquit, *videt & Patrem.* Ex hoc autem loco apparet quod ſuprà [e] dixit Apoſtolus. *Si quid donaui propter vos in perſona Chriſti.* Græcè ἐν προσώπῳ, non malè à nobis explicatum eſſe in paraphraſi, inſpectante Chriſto, hoc eſt, coram Chriſto. Hoc ipſum enim ſignificat in præſentia, cùm ait ἐν προσώπῳ

a lib. 5. cap. 11.

b in ſuperi. proxi.

c contra aduerſ. leg. & prophet.

d Ioan. 14. 6.

e cap. 2. 10.

σώπῳ ἰησοῦ χριςοῦ, hoc eſt, in facie Chriſti Ieſu, ſeu co- A
ram ipſo & ipſo præſente, cuius aſpectu veluti diuina
luce perfuſi aſſequimur cognitiooem gloriæ Dei.
HABEMVS AVTEM THESAVRVM, &c.
7. Diuinæ gloriæ cognitionem more ſuo Apoſtolus
I. theſaurum appellat, hoc eſt, rem maximi faciendam.
Hunc autem theſaurum poſſideri ait à nobis etiam
in hoc mortali corpore; nam (vt ait Chryſoſtomus)
cùm magnificè de hac gloria locutus eſſet, videri
poterat abſurdum, nos adhuc mortales tam eximiæ
diuinarum rerum ſcientiæ fieri poſſe participes: at-
qui, inquit, hoc ipſum ſingulare eſt Dei beneficium,
a lib. de reſur. carn. cap. 44. ex quo colligit Tertullianus[a], nos aliquando ad
immortalitatem excitandos. *Si enim, ait, adhuc ad ſu-*
periora reſpectes, vnde mentio hominis exterioris, & inte-
rioris inducta eſt, nónne & dignitatem, & ſpem carnis B
integram inuenies? Dum enim de lumine, quod illuxerit
Deus in cordibus noſtris ad illuminationem agnitionis glo-
riæ ſuæ in perſona Chriſti dicit, habere nos theſaurum
illum in teſtaceis vaſis, ſcilicet in carne; vtrum ne quia te-
ſtacea eſt ſecundum originem ſcilicet ex limo, deſtruetur,
an quia diuini theſauri conditorium eſt, extolletur? Atquin
ſi lumen ipſum Dei, illud verum, quod eſt in perſona Chri-
ſti, vitam in ſe continet, eáque vita cum lumine commit-
titur in carnem peritura eſt in quam vita committitur?
Planè ſic periturus & ipſe theſaurus: perituris enim peri-
tura creduntur, ſicut veteribus vtribus nouum vinum.
Itaque myſticum eſt, & (vt verum fatear) aliquantò
b Hom. 9. in lib. Num. durius, quod alicubi ſcribit Origenes[b], qui Spiritus
ſancti gratiam theſaurum appellat in vaſis fictilibus
reconditum; *Hoc eſt, in ſermonibus legis, qui viles & in*
contemptu habentur pro eo, quod nulla arte grammatica
expoliti videntur: quanquam & ipſe paulò antè verum
Apoſtoli ſenſũ indicauerat, cùm fictilia vaſa mortalia
corpora interpretatus eſt. Cæterùm pro eo, quod
II. interpres dixit, *In vaſis fictilibus*, græcè legimus ὀςρακί-
νοις, id eſt, teſtaceis, vt interpretatus eſt Tertullianus:
ſenſus eſt omnino idẽ. Indicat autẽ (vt ait Chryſoſto-
mus) humanæ naturæ imbecillitatem, & ad primam
humani corporis effictionem reſpexit; Deus enim è
limo terræ hominem effinxit, qui propterea Adam
dictus eſt, quaſi terrenus. Subdit. *Vt ſublimitas ſit vir-*
tutis Dei, & non ex nobis; vt appareat, hoc tam excel-
lens, & eximium donum non eſſe humanis viribus
partum, ſed vnius Dei munificentia, ac liberalitate D
vltrò nobis conceſſum. Sublimitatem autem vocat
virtutis (vt arbitror) Hebræorum more, id eſt ſubli-
mem, atque excellentem vim, & efficacitatem fidei,
& diuinæ cognitionis, vel excellentẽ diuinæ poteſta-
tis efficientiam, ſiue referas ad fidem, & cogni-
tionem fidelium mentibus inditam, ſiue ad Apoſto-
los, diuinique verbi miniſtros, qui cœleſti quadam
vi præditi, mira efficiebant. Poſteriorem ſenſum
magis videntur probare tum Græci, tum Latini ex-
planatores. Certè ſic accipit Hieronymus; ita enim
aduerſus Pelagianos hunc locum producit. *Vt abun-*
dantia fortitudinis noſtræ ſit ex Deo. Ita etiam ſenſit
Ambroſius. *Eminentia*, inquit, *virtutis eum appareret per*
homines prædicatores, qui cùm humiles, & imperiti eſſent,
acceperunt poteſtatem à Deo & loquendi magnalia, & E
agendi. Auguſtinus[c] tamen ſæpiſſimè eminentiam
b ep. 151. Ser. 13. de verb. Apoſt. & ſæpè in Pſal. virtutis (vt ille interpretatur) ad Deum refert, quem
nos in paraphraſi ſecuti ſumus. Videtur enim Apo-
ſtolus vniuerſim loqui de omnibus fidelibus, qui-
bus ſingularis Dei cognitio, & diuina quædam vis
conceſſa eſt. Ita non ſolùm Apoſtolos, ſed omnes
etiam fideles complectitur, quod apertiſſimè indicat
Oecumenius; cùm enim paulò antè de Apoſtolis
loquutus eſſet, mox ſubdit. *Vt nullus*, inquit, *ſibi ipſi*
tanquam digno tribuat quod acceperit; ſed totum Dei ſit
potentia, qui idonea habuit vaſa teſtacea ad auri ſuſce-
A *ptionem.* Auri certè ſuſceptio nõ ſolùm ad Apoſtolos,
ſed ad omnes prorſus fideles refertur. Non negarim
tamen, optimè etiam de Apoſtolis accipi, de quibus
potiſſimùm intelligenda ſunt quæ ſequuntur; quan-
quam & illa omnibus fidelibus communia eſſe
poſſunt.
IN OMNIBVS TRIBVLATIONEM, &c. Si 8.
ſuperiora propriè ad Apoſtolos referantur, hæc mirè I.
congruunt; vitam enim apoſtolicam, eorúmque
conſtantiam deſcribunt, quæ omnis à Deo tamquam
auctore pendebat. Si omnibus communia ſint, poſ-
ſunt hæc etiam ad omnes pertinere: quo enim tem-
pore hæc Apoſtolus ſcribebat, non modò Apoſtoli,
diuinique verbi præcones, ſed omnes paſſim fideles
incredibili animi magnitudine probra, & contume-
B lias tolerabant, & diris ſupplicijs ſupra humanam
fidem cruciabantur; vt mori potiùs mallent, quàm
Chriſti fidem abiurare. Videtur autem Apoſtolus
hæc de ſe ipſo ſingillatim narrare, quamuis mode-
ſtiæ gratia vtatur numero multitudinis; vt quod vni-
uerſim pronunciarat, ſuo exemplo confirmet, & in
ſe ipſo Chriſtianæ vitæ rationem quodammodo ex-
plicet. *In omnibus*, inquit, *tribulationem patimur.* Græcè
ἐν παντὶ θλιβόμενοι, ἀλλ' οὐ ςενοχωρούμενοι. Ambroſius
vertit, *In omnibus preſſuram paſſi, ſed non coanguſtati*;
vt ſignificet (quod in paraphraſi inſinuauimus) hoc
maximè diuinam vim apparere, quòd preſſi ſiue
afflicti fideles aut Apoſtoli non coarctantur, aut anxij
redduntur, cùm alioqui conſequens ſit, vt qui pre-
matur, is deducatur in anguſtum. Ita Oecumenius.
C *Adeo*, inquit, *totum eſt potentia Dei quod licèt teſtacei*
ſimus, in tantiſque circumagamur tentationibus, & affli-
ctionibus, non frangimur, nec perdimus eum, qui in nobis
eſt, theſaurum. Penè eadem ſcribit Theophylactus.
Cùm autem ait *in omnibus*; Chryſoſtomus tam ad
perſonas, quàm ad res docet referendum. *In hoſtibus*,
inquit, *in amicis, in rebus neceſſariis, in alijs, quarũ penuria*
laboramus, ab hoſtibus, à noſtris. Addit Theophylactus;
In omni loco, & tempore. Quocirca ait Theodoretus,
ſimiles eſſe arboribus, quæ in igne germinant: quòd patien-
tes illæſi ſeruentur, & Dei protegentis potentiam prædi-
a lib. 17. hiſt. cap. 25. *cent.* Cæterùm Plinius[a] inter arborum prodigia re-
cenſet oliuam in totum ambuſtam reuixiſſe, vt ſi-
mile quiddam indicare videatur Theodoretus. *Apo-*
II. *riamur, ſed non deſtituimur.* Græcè vocũ eſt non inele-
D gans alluſio, ἀπορούμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι: prior
enim vox hærentem ſignificat, perplexum, & con-
ſilij inopem, altera tædio victum, & planè deſperan-
tem. Theophylacti interpres *indigentes*, ait, *ſed non*
planè deſtituti. Meliùs interpres Oecumenij. *Ha-*
remus, inquit, *& incerti ſumus, & quid nobis agendum*
ſit, ignoramus. Ambroſius tamen maluit dicere. *Ino-*
piam paſſi, ſed non deſtituti. ſentiens opinor de inopia
conſilij. Mirum autem quid legerit Syriacus, qui
tranſtulit; *Corripimur, ſed non condemnamur.* Tertullia-
b in Scorp. cap. 13. nus[b]. *Qui in omnibus*, inquit, *tribulemur, ſed non coangu-*
ſtemur, & indigeamus, ſed non perindigeamus. Vt idem
planè ſignificet, quod Ambroſius: vt egeamus vide-
licet conſilio, non vſque tamen adeo egeamus, vt
deſperemus. Certè Anſelmus de inopia rerum ne-
E ceſſariarum explicat; neque enim id abhorret à Græ-
cæ vocis ſignificatione: ἀπορία enim inopiam, & ege-
ſtatẽ ſignificat, & ἀπορεῖσθαι non rarò ſignificat, ege-
re. Dixit enim alicubi Ariſtoteles ἀπορῶν τοῦ ἀργυρίου,
indigens argento. Hoc igitur ſenſu ſignificat Apoſto-
lus ſe rebus ad vitam neceſſariis indigere; non ita
tamen vt penitùs deſperet; quod etiam de Chriſtia-
norum inopia, & indigentia accipi poteſt. Porrò
quod hoc loco addit Anſelmus de vi, ac poteſtate
verbi aporiandi, quaſi aporiari idem ſit, quod labo-
rando ſudare, prorſus videtur alienum. Conſtat

 cum

enim, Græcum eſſe verbum, nec quidquam habere commune cum poris, aut cum ſudore: vnde igitur Anſelmus eam notationem deſumpſerit, me quidem latet; ſed ea de re non eſt magnopere laborandum.

9. I. Perseqvvtionem patimvr, &c. Pergit in enumeratione malorum, quibus Chriſtiana, & Apoſtolica virtus miris modis exercetur. *Quamuis enim*, ait Chryſoſtomus, *tentationes contingant, non ea tamen contingunt, quæ ex tentationibus oriri ſolent*; id quod etiam ipſum Dei *potentiæ, & gratiæ acceptum referri debet*. Idem verò obſeruat, geminum eſſe rerum aduerſarum fructum, & alterum quidem referri ad alendam eorum modeſtiam, atque animi dimiſſionem, qui patiuntur, alterum verò ad diuinam vim, & potentiam extollendam. De priori hac ipſa

a cap.1.9. Epiſtola dixit [a]: *Ne fidentes ſimus nobis ipſis*; Et ſub finem

b cap.12.7. [b]: *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet.* De poſteriori verò agit hoc loco, & in Epi-

c cap.5.3. ſtula ad Romanos [c]. *Gloriamur*, inquit, *in tribulationibus, ſcientes, quòd tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit.* Hìc igitur ait *perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur*, quaſi dicat in periculis non deſerimur, aut deſtituimur à Deo. Nonnulli Latini codices addunt hoc loco; *Humiliamur, ſed non confundimur.* In Græcis certè codicibus nuſquàm legitur; neque apud Chryſoſtomum, aut vllum Græcum explanatorem. Nec videtur legiſſe Syriacus, neque inter Latinos Ambroſius; ac ne explicant quidem Hieronymiani commentarij, & Anſelmus, quamuis dum Pauli verba ponunt, hanc etiam partem, librariorum, vt arbitror, errore recenſeant. Sed

d in Scorp. cap.13. neque Tertullianus [d], & Primaſius hæc verba agnoſcunt, quæ tamen ad Pauli ſenſum non ineptè addi poſſent; rectè enim humiliationi reſpondit confuſio. *Deijcimur*, inquit, *ſed non perimus*. Adeſt enim ſemper diuinæ gratiæ patrocinium, cuius auſpiciis in maximis turbinibus, atque procellis tutiſſimum ſemper portum inuenimus. Cæterùm hæc omnia in Græcis codicibus participiis explicantur quæ interpres, retento ſenſu, verbis Latinè reddidit: quem imitatus eſt Syriacus, itémque Tertullianus.

10. I. Semper mortificationem Iesv, &c. Hoc additur ad ſuperiora tamquam corollarium in tantis periculis, tantiſque ærumnis, & calamitatibus mortem penè ſemper ob oculos habemus. Ita Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius. Ambroſius ſimpliciter dixit. *Mortem Domini Ieſu in corpore circumferentes.* Romana editio ſimpliciter habet *mortificationem Ieſu*. Græcè dixit Apoſtolus νέκρωσιν τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, hoc eſt, *mortificationem Domini Ieſu.* Neque temerè addidit cognomen *Domini*; ne ſeruos pigeret ſimilia pati. Idipſum cognomen legiſſe videtur Ambroſius. At Tertullianus pro κυρίου habuiſſe videtur in ſuo codice χριστοῦ. Sic enim habet. *Semper mortificationem Chriſti Ieſu in corpore noſtro circumferentes.* Anſelmus mortificationem accipere videtur eam corporis vexationem, quam quis ſponte ſuſcipit ad frangendas, atque edomandas prauas cupiditates, quam putat Chriſti Ieſu appellari, quòd ad eius imitationem ſuſcipiatur, & eius acerbiſſimos cruciatus quodammodo referat. At meliùs de morte ipſa accipias, quæ ſingulis fermè momentis olim Chriſtianis, & præcipuè Apoſtolis imminebat, quæ iure optimo Chriſti dicitur, tum quia pro eius nomine oppetebatur; tum quia (vt monet Ambroſius) in martyribus Chriſtus ipſe quodammodo necabatur, quæ enim Paulus contra fideles olim moliebatur, perinde accepta ſunt à Chriſto, ac

ſi contra ſe ipſum intentarentur [a]. *Saule, Saule*, inquit, *cur me perſequeris? Vt & vita Ieſu*, inquit, *manifeſtetur in corporibus noſtris.* Rectè omninò: nam (vt ait Chryſoſtomus) cùm Chriſtus ſuos à periculis eruit, cùm inter ſæuientium, ac furentium fluctus, ac tempeſtates ſuos ſeruat incolumes, dum equuleos, rotas, cruces, crates ignitas, aliaque id genus conquiſitiſſima ſupplicia non modò æquo animo ferunt, ſed inuicti, atque illæſi ſuperant; quamdam rediuiui, ac reſurgẽtis Chriſti ſpeciem præ ſe ferunt: ita in eorum corporibus Chriſti vita declaratur. Ita poſt Chryſoſtomum Oecumenius, & Theophylactus. Si quiſpiam, inquiunt, de Chriſti anaſtaſi dubitat, cùm nos videat quotidie penè è mortis faucibus diuinitùs euadere, neutiquam meritò de reſurrectione Chriſti dubitare poteſt. Ita fit (quod monet Chryſoſtomus) *vt quod infirmitatis, ac derelictionis ſpeciem habet, hoc ipſius reſurrectionem prædicet. Neque enim ſi nullis moleſtiis afficeremur, perinde ipſius potentia declarata fuiſſet, ac nunc declaratur cùm variis quidem calamitatibus conflictamur, ſed tamen minimè vincimur.* Poteſt (vt monet Primaſius) huc pertinere quod alibi ait Paulus: *Quotidie morior per veſtram gloriam.* Et. *Si enim commorimur, & conuiuemus.* Ambroſius vitam Chriſti interpretatur eam, quam Chriſtus in alia vita promiſit; quam quidem præcipuè promerentur ij, qui pro Chriſto aduerſa patiuntur: nam in Actis [b] Apoſtolicis ſcriptum eſt. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Probabile fateor; ſed quod dixi ex Chryſoſtomi, Græcorúmque ſententia, multò eſt probabilius. Quamquam enim ærumnæ, & calamitates, & martyrum ſupplicia pro Chriſti nomine tolerata meritum continent ſempiternæ vitæ, non tamen verè dici poſſunt illam vitam declarare, vt Chriſti reſurgentis vitam indicant immortalem, quæ tamen ipſa eſt velut ſpecimen, aut veriùs, exemplar futuræ noſtræ immortalitatis.

a Act.9.4.

b cap.14.22.

Semper enim nos, qvi vivimvs, &c. 11. I.
Explicatio eſt ſuperioris ſententiæ, vel eiuſdem potiùs magis aperta iteratio. Hoc enim frequenter (interprete Chryſoſtomo) facere conſueuit Apoſtolus, vt planiùs explicet quod dictum videbatur obſcuriùs: quod igitur dixerat. *Mortificationem circumferimus*; apertiùs ait; *in mortem tradimur.* Quod verò addiderat. *Vt vita Ieſu manifeſtetur in corpore noſtro*; ne quis acciperet de corpore glorioſo, & beato, addit nunc; *Manifeſtetur in nobis in carne noſtra mortali.* Quod (vt idem Chryſoſtomus ait) *tum demum fit, cùm non ſinit mortalem carnem tanta perpetientem malorum agmine frangi, ac debilitari.* Addit aliam quamdam explicationem ei perſimilem, quam paulò antè attulimus ex Ambroſio, quàmque indicauerat etiam Primaſius. Quemadmodum enim nos ſponte pro Chriſto vitam cum morte commutamus; ita ille viciſſim hæc noſtra mortalia corpora immortalitate donabit. Ita eleganter vitam morti, & rurſus mortem vitæ opponit. *Nos*, inquit, *qui viuimus vita viique caduca, & mortali, ſemper in mortem tradimur*, aſſiduè in mortis periculo verſamur, certiſſima mortis ſubimus diſcrimina, idque *propter Ieſum*, hoc eſt propter eius fidem promulgandam, & diuinitatis gloriam aſſerendam, *vt & vita Ieſu manifeſtetur in carne noſtra mortali*; non quaſi id tamquam finem ſpectemus ipſi, qui vnius Dei gloriam, atque honorem quærimus, neque quod religionis hoſtes id vllo modo ſuſpicentur, aut cogitent; ſed quia vel Deus id ſecundariò præfiniuit, vel quia ex ipſo rerum nexu, & conſequutione id veluti ſuapte natura ſequitur, vt Chriſti mores etiam dum ſpiritum ducimus, & inter mortales viuimus, in nobis eluceſcat, quoquoad

eius

eius fieri poteſt eius veſtigiis inſiſtunus, vel dum re-
bus aduerſis premimur, & quodammodo ad interi-
tum impellimur vitam immortalem à Chriſto par-
tam conſequamur. Quocirca egregiè dixit Oecu-
menius. *Propterea noſipſos in mortem tradimus, vt vita*
Domini manifeſtetur, & agat in nobis. Quando? nempe
in futuro ſæculo, ac ſi diceret. Nunc propter Chriſtum
noſmetipſos in mortem tradimus, vt Chriſtus tunc ab in-
tellectuali morte condemnationis nos liberet, & ad vitam
ducat intellectualem.

2. Ergo mors in nobis, &c. Apparet quæ
proximè dicta ſuot potiſſimùm ad Apoſtolos eſſe
referenda; nempe illi ſemper mortificationem Ieſu
Chriſti in corpore circumferebant: ſemper trade-
bantur in mortem. Quamobrem rectè colligit; *Ergo*
mors in nobis operatur: quaſi dicat, vt ait Chryſoſto-
mus: nos quidem in periculis, & calamitatibus ver-
ſamur, & propemodum continenter morimur; vos
autem quieti, & curis ſoluti tranquillam vitam duci-
ris: nos aduerſis premimur, vos rebus ſecundis, ac
lætis fruimini: vel (vt alij malunt) nos mortis innu-
merabilia pericula ſubimus, vt vos vitam aliquando
aſſequamini ſempiternam: quod fiet, ſi fidem perce-
ptam retineatis, & Chriſtianæ pietatis officia com-
plectamini; omnes enim labores, conatúſque noſtri
ad veſtram ipſorum ſalutem, verámque vitam refe-
runtur. Porrò quod ait interpres: *operatur*, Græcè di-
xit Apoſtolus ἐνεργεῖται, hoc eſt agit: quaſi res aduer-
ſæ ſint quodammodo miniſtri, & ſatellites mortis;
proſperi autem rerum euentus vitæ quodammodo
ancillentur. Ita videtur illuſtris quædam proſopo-
pœia, quæ rebus inanimis vitam, ac motum tribuit
ad rei magnitudinem amplificandam. Cæterùm non
dubium eſt, cunctos mortales ad mortem continen-
ter vrgeri, & aſſiduos morbos, atque ægritudines
quibus frequenter affligamur, eſſe veluti mortis
apparitores: vt meritò dixerit alicubi Gregorius,
hanc noſtram vitam mortem potiùs appellandam
videri, cùm ab ipſo exortu, quo maiores in ætate
proceſſus facimus, eo magis properemus ad mor-
rem. Theodoretus, & Oecumenius ita explicant:
Pro veſtra ſalute pericula adimus; vos interim ex
Euangelica doctrina, quam vobis tradimus, vitam
hauritis ſempiternam. Porrò Photius apud Oecu-
menium *affectiones, & anxietates, mortiferaque cala-*
mitates, inquit, *hæc nunc operantur in nobis*. quaſi dicat
agunt, vímque ſuam exercent in nobis. *Fides verò, ac*
pietas, quæ vera vita eſt in vobis: pietas, ſiue cultus Dei
vita eſt, cùm incorruptibilem, indeficientem, ac ſempi-
ternam vitam in cœlis conciliet. Nos hæc omnia pan-
II. cis in paraphraſi indicauimus. Porrò Tertullianus
ex hoc Apoſtoli loco veram carnis reſurrectionem
probat; ſic enim ſcribit [a]. *Cùm item ſubiicit, ſemper* a De reſurr. carn. c. 44.
mortificationem Chriſti Ieſu circumferentes in corpore
noſtro, qualis iſta res eſt quæ poſt Dei templum iam, &
ſepulcrum Chriſti poteſt dici? Cur autem mortificatio-
nem Domini circumferimus in corpore? Vt & vita le-
ſu, inquit, *manifeſtetur. Vbi? in corpore noſtro. In quo?*
in mortali. Ergo in carne planè mortali ſecundum cul-
pam, ſed & vitali ſecundum gratiam. Vide quantam, vt
in illa vita Chriſti manifeſtetur. In re ergo aliena ſalu-
tis, ſed in ſubſtantia perpetua diſſolutionis manifeſtabi-
tur vita Chriſti æterna iugis, incorrupta, iam & Dei vi-
ta? Aut cuius temporis vita Domini manifeſtabitur in
corpore noſtro? Illa quidem, quam vixit vſque in paſſio-
nem, quæ non modò apud Iudæos in manifeſto fuit, ve-
rùm etiam omnibus nunc gentibus prodita eſt. Adeo
eam ſignificat, quæ portas adamantinas mortis, & æneas
ſeras inferorum infregit, quæ exinde iam noſtra eſt. De-
nique manifeſtabitur in corpore: quando? poſt mortem.
Quomodo? Dum reſurgimus in corpore, ſicut & Chri-

A *ſtus. Ne enim quis argumentetur nunc habere manife-*
ſtari vitam Ieſu in corpore noſtro per diſciplinam ſan-
ctitatis, & patientiæ, & iuſtitiæ, & ſapientiæ, quibus Do-
mini vita floruerit prouidentiſſima Apoſtoli intentio in-
gerit. Si enim nos, qui viuimus, in mortem tradimur
propter Ieſum, vt vita eius manifeſtetur in corpore noſtro
mortali, adeo defunctis nobis hoc ait futurum in corpore
noſtro. Argutè ille, vt ſolet: nec prorſus ab re; ita enim
(vt ſuprà docuimus) argumentatus eſt Oecumenius,
quaſi Apoſtolus Ieſu vitam intelligat vitam immor-
talem, eámque aſſerat quodammodo iam nunc agere
in eis, qui pietatem colunt. Quod eam certa quo-
dammodo ſpe præripiant.

Habentes avtem evmdem spiritvm, 13.
&c. Quorſum hæc ſpectent, quærat fortaſſe quiſ- 1.
B piam. Verùm Chryſoſtomus, Theodoretus, Theo-
phylactus, & Oecumenius quæſtionem facilè ex-
pediunt, cùm enim incommoda, & pericula comme-
moraſſet Apoſtolus, quibus quotidie in apertum vitæ
diſcrimem adducebatur, allato exemplo Dauidis,
cuius penè eadem erat vitæ conditio, ſeſe ait fidei
beneficio confirmari. Nos ergo ait eumdem haben-
tes cum Dauide fidei ſpiritum, hoc eſt eiuſdem fidei
vim, efficacitatem & energiam, eius fidei munere
non mediocriter recreamur; vt enim ille credere ſe
dixit, ac propterea loqui; non aliter nos credimus, &
ob eam cauſam loquimur. Hoc eſt (interprete Chry-
ſoſtomo) *eodem ſubſidio freti, quo ille è periculo ereptus*
eſt, nos quoque ſeruamur, & eodem ſpiritu, quo ille locu-
tus eſt, nos quoque loquimur. Putat autem idem Chry-
C ſoſtomus, ea verba pronuntiata fuiſſe à Dauide, cùm
in magnis periculis verſaretur, è quibus non alia
ratione, quàm diuina ope emergere ſe poſſe confi-
deret; nam (vt monet Theodoretus) ſuperiori Pſal-
mo [a] dixerat. *Qui eripuit animam meam de morte,* a 114. 2.
oculos meos à lacrymis, & pedes meos à lapſu. Hac igitur
ſpe confiſus dixit: *Credidi, propter quod locutus ſum.*
Eſt autem hic ſermo in Græcis quidem exemplari- II.
bus anceps; nam ſi coniunctim legas, ſenſus erit. Cre-
didi eo quod loquutus ſum: ſin autem ſeiunctim per-
inde erit ac ſi dicat. Credidi, & ideo locutus ſum.
Si priorem diſtinctionem ſequaris, ſic accipies, quaſi
Dauid crediturus non fuiſſet, niſi fuiſſet etiam lo-
cutus: ſi poſteriorem, ſignificabit non ſe fuiſſe locu-
turum, niſi crediſſet. Priorem ſenſum magis indi-
D cant Hebræi codices; eſt enim particula; כי, id eſt
quoniam, ſeu, quia. Septuaginta verò græcè dixerunt
διὸ, quæ interdum ſignificat, quapropter; interdum
verò, propterea quòd; Paulus autem optimus ſcri-
pturarum interpres accepiſſe videtur vocem διὸ, vt
ſignificet, quapropter. Itaque Dauidis ſenſus erit,
Credidi Deo dum maximè rebus aduerſis premerer,
quapropter liberè locutus ſum, citráque vllum me-
tum, ſumma cum fiducia fidem, ac ſpem meam te-
ſtatus ſum. Paulus autem eadem ſe confidentia præ-
ditum ſcribit. Monet ſanè Chryſoſtomus, ex hoc
loco apertè colligi, miram eſſe inter nouum, ac vetus
teſtamentum conſenſionem, eundémque eſſe vtriuſ-
que ſpiritum; quod etiam obſeruauit Nouatianus [b]: b lib. de Trinit. cap. 29.
hæc verò ſententia propriè videtur ad Paulum re-
E ferri. Tametſi enim, inquit, innumerabilibus prope-
modum malis obruimur, fidem tamen conſtantiſſi-
mè retinemus, palámque profitemur nos vni Deo
nixos facilè omnia pericula contemnere. Ita ſuo
exemplo Corinthios in ſpem erigit, atque in fide
confirmat. Non erit fortè ab re ſi dixero, hæc cum
iis, quæ proximè dixerat, coniungenda eſſe hoc ſen-
ſu. dixi, mortem in nobis operari, in vobis vitam; id
fortaſſe cuipiam mirum videri poſſit, atqui ego ita
loquor, quia id certiſſima noſtra fides multis, ac ma-
gnis argumētis perſuadet, vt meritò vſurpare poſſim
illud

illud prophetæ: *Credidi, propter quod locutus ſum.* Quod non obſcurè ſignificant quæ ſequuntur; ait enim.

14. SCIENTES QVONIAM QVI SVSCITAVIT,
I. &c. Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, & Theophylactus hanc potiſſimùm putant eſſe materiam fidei, quam Paulus profitetur. *Credimus*, inquit, *eum, qui ab inferis Chriſtum reuocauit ad vitam excitaturum nos aliquandò ad immortalitatem*, qua ſpe confirmari, forti, cōſtantique animo aduerſa omnia toleramus. Vt enim ait Ambroſius, qui de futura vita ſecurus eſt, facilè aduerſa omnia contemnit, cùm hoc fides doceat rectè vitam beatam ſperari, ſi contemnatur hæc mortalis. Hoc enim ſignificauit Chriſtus cùm apud Ioannem [a] dixit. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam ſuam, perdet eam; & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* De qua ſententia alibi plura diximus: cui affinis eſt illa apud Matthæum [b]. *Qui inuenit animam ſuam, perdet eam: & qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.* Quam quidem ſententiam ad Eccleſiaſticos Antiſtites, qui Eccleſiæ præſunt, maximè pertinere alicubi docet Bernardus [c]. Neceſſe enim eſt, illos propriis commodis neglectis aliorum vtilitati, ac ſaluti inſudare, quamobrem meritò hoc de
II. ſe ipſo profitetur Apoſtolus. Porrò vt obſeruauit Ambroſius, quoniam Adam mortis quodammodò auctor fuit, Ieſum tamquàm vitæ parentem illi opponit: ſic enim dixerat ad Romanos [d]. *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iuſtitiæ accipientes in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum.* Et in ſuperiori Epiſtola [e] planiùs Adamo Chriſtum ex aduerſo obiicit, vt quemadmodum ille mortalium omnium eſt parens, ita Chriſtus ſit primitiæ reſurgentium. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. Quocirca; nos*, inquit, *cum Ieſu ſuſcitabit, & conſtituet vobiſcum*: vult enim eos eiuſdem ſpei eſſe participes, quos habet ſocios in aduerſis. Porrò Anſelmus obſeruat, dixiſſe Apoſtolum; *Conſtituet nos vobiſcum*; vt indicet, nihilo illos fore ſe inferiores. Quod argutè dictum videtur, non tamen penitùs neceſſariò; vt enim ſuperiori Epiſtola [f] dixit Apoſtolus, *vnuſquiſque in ſuo ordine reſurget, & alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum, ſic & reſurrectio mortuorum*, quæ diſſimilitudinem, ac diuerſitatem ſignificant. Itaque poterit Paulus vnà cum Corinthiis reſurgere, ita tamen vt non habeat illos pares in gloria: ſignificat igitur reſurrectionis ſocietatem, non tamen gloriæ, ſeu dignitatis æqualitatem. Cæterùm quod ait: *Et nos cum Ieſu*: græcè eſt *διὰ ἰησοῦ*, hoc eſt, *per Ieſum*: quamquam interpres, *cum Ieſu* dixit non ſpectans tempus, ſed reſurrectionis ſimilitudinem, vt apertè dixit Anſelmus: Græca tamen locutio ſignificat vim, atque efficientiam Ieſu; quomodo accipit Oecumenius. *Ipſe enim*, inquit, *per præceptum, per vocem Archangeli, per tubam, & ſuſcitabit mortuos, ſuóque ſiſtet tribunali.* Neque aliter Theodoretus. *Credimus ergo*, inquit, *quòd nos etiam per ipſum efficiet morte potentiores, & vos ſimul adducet ad tribunal pertimeſcendum.* Ita ferè veteres: nos autem in paraphraſi hæc aliò retulimus, quaſi dicat Apoſtolus, ſperare ſe ab omnibus malis, atque periculis eripiendum, & ſaluum, atque incolumem ſiſtendum Corinthiis, vt eos reuiſat, & in fide confirmet.

15. OMNIA ENIM PROPTER VOS, &c. Quo-
I. niam dixerat ſperare ſe Chriſti beneficio, ac munere vitam immortalem vnà cum Corinthiis, vel ſe ab omnibus malis eripiendum, vt rurſum Corin-

A thum peruenire poſſet, eámque Eccleſiam nouis præceptis, atque inſtitutis informare; ne videretur id temerè dixiſſe, omnia ait ſiue quæ ipſe doceret, ſiue quæ ageret, ad eorum vtilitatem referri: vel (vt ait Theodoretus) de omnibus fidelibus loquitur, quorum vtilitas potiſſimùm quæritur ab Euangelij miniſtris: & (vt monet Oecumenius) hæc idcirco à Paulo commemorantur, vt quæcumque fideles percipiunt beneficia, vni Deo accepta referenda eſſe intelligant, quod apertiùs dicet paulò pòſt. Hic autem ait; *Omnia propter vos*: hoc eſt, ad communem omnium, non propriam priuatorum vtilitatem referri: *vt gratia abundans per multos in gratiarum actione abundet in gloria Dei.* Chryſoſtomus, cæterique veteres tum Græci, tum Latini explanatores exu-
B berantem gratiam, pro qua ab omnibus Deo immortali gratiæ ſint agendæ, communem omnium anaſtaſim interpretantur. cùm enim beneficium illud æquè ad omnes pertineat, gratam omnium voluntatem exigit. Auctorum multitudo & dignitas facit, vt hanc ſententiam tantùm non improbem: nam alioqui non video quorſùm id Apoſtolus agat in præſentia, ac propterea ſententiam, quam in paraphraſi poſui, libenter ſequor, vt exundans gratia intelligatur ſalus, & incolumitas Pauli, qui ab ingruentibus malis ereptus, ad Corinthiorum, aliorúmque fidelium vtilitatem omnes meritò prouocet ad gratiarum actionem. Spero, inquit, euaſurum me ab omnibus periculis, & quaſi ab inferis excitatum iucundiſſimo conſpectu veſtro fruiturum; veſtra enim
C cauſa, hoc eſt, vt vobis prodeſſe poſſim, omnia forti, conſtantique animo perfero, omnes difficultates ſupero, vt ſi incolumis euadam, & ad vos iterum redeam, pro tam ſingulari beneficio non mihi ſolùm, ſed vobis omnibus collato, Deo immortali bonorum omnium auctori communi omnium ſtudio, & conſenſione immortales gratiæ agantur, idque ad ipſius Dei gloriam, atque honorem. Poſſis II.
etiam hoc modo accipere, vt diuinum hoc beneficium in plures effuſum, quódque adeo plures ad gratiarum actionem excitat, & inflammat, abundet etiam in gloriam Dei. Hoc eſt eius diuinam gloriam, atque honorem dilatet, atque amplificet, perinde quaſi plurium gratulatione diuini nominis gloria illuſtretur. Quo plures enim Deum venerantur,
D & colunt, eo non quidem in ſe, ſed hominum opinione Dei gloria augetur. Ita dixit alicubi Malachias [a]. *Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Sunt qui hæc etiam ita explicent, vt verbum *περισσεύσῃ* tranſitiuè accipiatur, & coniungatur cum accuſatiuo *εὐχαριστίαν*, itáque verba Pauli diſtinguantur, *ἵνα ἡ χάρις πλεονάσασα διὰ τῶν πλειόνων*, hoc eſt, vt gratia, quæ per plures ſparſa exuberauit, tum addatur *τὴν εὐχαριστίαν περισσεύσῃ*, faciat vt exuberet etiam gratiarum actio in gloriam Dei: vt ſit ſenſus; redundante gratia in multos, eadem ratione & gratiarum actio redundet per multos in gloriam
E Dei. Argutum non mihi diſpliceret inuentum, ſi idoneis teſtibus probari poſſet *περισσεύειν* tranſitiuè accipi. Non eo tamen inficias, ita Paulum hac ipſa epiſtola [b] locutum eſſe, cùm dixit. *Potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.* Græcè *περισσεῦσαι*. Et ad Theſſalonicenſes [c]: *Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat.* Græcè *περισσεύσαι*: vt non magnoperè mirandum ſit, hoc etiam loco Apoſtolum eodem modo loqui.

PROPTER QVOD NON DEFICIMVS, &c. 16.
Hac igitur ſpe, quæ veſtram omnium gratulatio- I.

nem

a cap. 12. 24.
b cap. 10. 39.
c Serm. 30. in Cantic.
d cap. 5. 17.
e cap. 15. 22.
f cap. 15. 23.
a cap. 1. 11.
b cap. 9. 8.
c cap. 3. 12.

nem, diuinæque gloriæ amplificationem ſpectat A ſupra quàm dici poteſt recreatus, noo deficio aut defatigor, nec vllo modo ingrueotibus malis ſuccumbo. Mox autem rationem reddens ait, externum quidem hominem quotidie ad interitum vergere, internum verò innouari potiùs, & in dies magis, ac magis confirmari. Externum porrò hominem Theophylactus interpretatur corpus, internum verò animum: quod etiam indicat Theodoretus, & apertè aſſerit OEcumenius. Neque aliter Ambroſius, Hieronymus, Primaſius, Anſelmus. Corrumpi autem dicitur corpus dum flagris cæditur, igne inflammatur, aliiſque ſuppliciis, & cruciatibus excarnificatur: animus contra rebus aduerſis fit fortior, & vt ille [a] dixit.

Horat.

Per damna, per cædes ab ipſo
Ducit opes, animúmque ferro.

Et Paulus. *Cùm infirmor, tunc fortior ſum.* Et Seneca[b]. *Marcet ſine aduerſario virtus. tunc apparet quanta ſit, quantum valeat, polleátque cùm quid poſſit patientia, oſtendit.* Certè Origenes[c]. *Hoc eſt mirabile*, inquit, *quod corpus ab adoleſcentia pergit ad ſenium; anima verò ſi venerit ad perfectum à ſenecta in adoleſcentiam tranſmittitur; idcirco etiam ſi exterior homo noſter corrumpitur, ſed interior renouatur de die in diem.* Alibi [d] verò. *Ille*, inquit, *interior homo, qui ſecundùm Deum creatus eſt, & ad imaginem Dei factus incorruptibilis eſt, & inuiſibilis, & ſecundùm propriam ſibi rationem etiam incorporeus dici poteſt: exterior verò homo, & corpore corruptibilis dicitur, propter quod & Paulus dicebat; Nam ſi is, qui deforis eſt homo noſter corrumpitur, ſed qui intus eſt renouatur. Interioris autem hominis in his renouatio refertur qui eſt rationabilis mens in agnitione Dei, & capacitate ſancti ſpiritus conſtat.* Et multa deinceps in eamdem ſententiam. Tertullianus [e] cùm hunc Apoſtoli locum aduerſus hæreticos explicaret. *Porrò*, inquit, *nec anima per ſemetipſam homo, quæ figmento iam homini appellato, poſtea inſerta eſt: nec caro ſine anima homo, quæ poſt exilium animæ cadauer inſcribitur; ita vocabulum Homo, conſertarum ſubſtantiarum duarum quodammodo fibula eſt, ſub quo vocabulo non poſſunt eſſe niſi cohærentes. Porrò Apoſtolus interiorem hominem non tam animam, quàm mentem, atque animum intelligi mauult, id eſt non ſubſtantiam ipſam, ſed ſubſtantiæ ſaporem.* Et paulò pòſt. *Inſpice nunc quomodò exteriorem quidem hominem corrumpi allegarit, interiorem verò renouari de die in diem: Nec illam corruptelam carnis affirmes, quam ex die mortis in perpetuum defectura patiatur, ſed quam in iſtius vitæ ſpatio ante mortem, & vſque ad mortem vexationibus, & preſſuris, tormentis, atque ſupplicijs nominis cauſa experietur. Nam & homo interior hic vtique renouari habebit per ſuggeſtum ſpiritus proficiens fide, & diſciplina de die, ac die, non illic, id eſt, non poſt reſurrectionem, vbi non vtique de die, ac die renouari habemus, ſed ſemel ad ſummum.* Rectè omnia; niſi quòd nimis ſubtiliter de interno, atque externo homine definiendo diſſerit. Nam certum eſt rebus aduerſis, preſſuris, plagis, fame, ſiti, algôréque ſenſim corpus corrumpi; animam verò ſpe futuri præmij innouari, & exteriois vexationibus non aliter, atque aurum igne purgari. Porrò quod ait interpres; *de die in diem*; græcè eſt E ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ, hoc eſt (vt ad verbum dixit Tertullianus) *de die, & die.*

Hom. 13. in Ezech. / b lib. de prouid. / d lib. 7. in cap. 2. ad Rom. / e De reſurr. carn. cap. 40. Penè eadē in Scorp. cap. 12.

II.

17. I. Io ENIM QVOD IN PRÆSENTI EST, &c. Rectè ex hoc loco Tertullianus [f] colligit quod paulò antè dixit Apoſtolus, externum hominem corrumpi, non de ſempiterno interitu, ſed de preſſuris & vexationibus intelligendum eſſe, quibus corpus vegetur ad mortem. Ita autem hunc locum latinè reddidit. *Quod enim ad præſens eſt temporale, & leue preſſuræ noſtræ, per ſupergreſſum æternæ gloriæ pondus*

f De reſurr. carn. c. 40. Et in Scorpiaco. cap. 12.

A *perficit in nobis non intuentibus quæ videntur, id eſt, paſſiones, ſed quæ non videntur, id eſt, mercedes.* Licet autem hoc loco obſeruare perelegantem antitheſim; nam momentaneo reſpondet æternum, leui pondus, tribulationi gloria. Videtur autem interpres addidiſſe *in præſenti*; quod putauit latere in aduerbio παραυτίκα; dixit enim Apoſtolus τὸ γὰρ παραυτίκα ἐλαφρὸν, id eſt, quod enim in momento eſt leue. Nos in paraphraſi diximus; momentanea leuitas oppreſſionis, ſeu afflictionis noſtræ; vt leue ponatur pro nomine ſubſtãtiuo, & τὸ παραυτίκα fungatur munere adiectiui. Opponit enim Paulus τὸ ἐλαφρὸν τοῦ βάρους, quod profectò nomẽ eſt ſubſtantiuum. Porrò ἐλαφρὸν non dicitur quòd ſit leue, aut facilè toleretur, ſed quòd citò, & veluti puncto temporis tranſeat: eadémque ratione noo dicitur B βάρος latinè pondus, quòd premat, aut degrauet, ſed quòd ſolidum ſit, & in æuum permaneat, vel etiam quòd ingentem quamdam magnitudinem, & veluti molem contineat. Addit *ſupra modum in ſublimitate*; Græcè καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν; cuius particulæ ἀναδίπλωσιν adnotarunt Chryſoſtomus, & Theophylactus: quaſi dicat; mirificè; ac ſupra modum: nihil enim aliud indicare vult Apoſtolus, quàm inſignem quamdam, planéque ineffabilem præcellentiam. Quod verò ſequitur; *Æternum*; græcè eſt αἰώνιον. quæ vox referri poteſt ad ὑπερβολὴν, & ad βάρος. Si primo modo accipias, ſenſus erit ſupra modum, ſupráque excellentiam æternam: ſi poſteriori, ſenſus erit quem expreſſit interpres, quémque ſecutus eſt Syriacus, qui ita C vertit: *namque oppreſſio huius temporis cùm admodum exigua, leuiſſimaque ſit, gloriam ſuſtinram in ſæculum ſæculorum parat nobis.* Referuntur autem hæc omnia (vt rectè obſeruauit Oecumenius) ad gloriæ magnitudinem declarandam. Addit.

18. I. NON CONTEMPLANTIBVS NOBIS QVÆ, &c. At dixerat alicubi, ſe rebus aduerſis ſupra modum fuiſſe aliquando oppreſſum, & ſæpe alias præſentis vitæ ærumnas, & calamitates exaggerat meritò; itaque rationem hoc loco affert, cur preſſuras dixerit momentaneas, & leues; amor ſiquidem, & certa expectatio futurorum bonorum, quorum eſt magnitudo, & præſtantia incredibilis, quæcumque perferenda ſunt aduerſa, leuia, ac propè nulla facit. Ita inquit Chryſoſtomus, *& præſentes moleſtiæ leues, & D futurum illud præmium ingens, atque amplum exiſtet, ſi ab his rebus, quæ aſpectu ſentiuntur, animos noſtros abduxerimus*: & (vt addit Ambroſius) qui futura, & cœleſtia ſpectant, facilè caduca, & mortalia contemnunt: ſiue illa (vt ait Primaſius) bona ſint, ſiue mala; vtraque enim vnà cum tempore ſubitò præteruolant. Tertullianus [a] hæc propriè de rebus aduerſis accipit. *Preſſuras enim, ait, & læſuras, quibus corrumpitur homo exterior, vt leues, & temporales idcirco contemnendas affirmat præferens mercedem æternarum inuiſibilium, & gloriæ pondus in compenſationem laborum, quos hic caro patiendo corrumpitur.* Sed præſtat cum Primaſio, & Chryſoſtomo, cæteriſque Græcis hæc vniuerſim accipere. *Siue ſupplicium dicas* (ait Chryſoſtomus) *ſiue quietem, ac relaxationem animi, E vt non fiat tur aut tormentis frangaris, aut delicijs emolliaris.* Addit idipſum etiam de futuris ſentiendum eſſe. *Siue regnum*, inquit, *ſit, ſiue cruciatus, vt & illinc nos excitet, atque adhortetur, & hinc terrorem nobis inijciat.* Eodem modo loquitur Theophylactus; ſed quod attinet ad futura aliter ſentit Theodoretus; æterna enim tantummodò bona indicari putat. *Non oportet ergo, ait, in iis, quæ ſunt caduca hærere, & mentem in eis defigere, ſed æternorum bonorum fruitionem expectare.* Nec dubitandum videtur, hoc præcipuè ſpectaſſe Apoſtolum, quanquam eius verba vtraque II.

a De reſurr. carn. c. 40 & in Scorp. cap. 12.

comple

complectantur, & (vt ait Chryſoſtomus) ſpem noſtram confirment bonorum expectatione, & ſuppliciorum metu non leuiter terreant. Præcipuè autem vel ipſo conſentiente Chryſoſtomo reſpicit Paulus Chriſtianæ ſpei firmitatem; quæ (vt alibi dixit) ea ſpectat, quæ non cadunt ſub ſenſum. Cæterùm quod dixit interpres; *temporalia ſunt*; græcè eſt

A πρόσκαιρα, quaſi dicat, quæ ad tempus durant. Matthæus eam vocem vſurpauit cùm ageret de ſemine mox exareſcente. *Non habet autem*, inquit, *in ſe radicem, ſed eſt temporalis*. Græcè πρόσκαιρος. Vtitur autem Apoſtolus hoc etiam loco antitheſi; quæ enim videntur opponuntur iis, quæ non videntur, & temporaria, æternis.

Argumentum Cap. V.

*F*VTVRÆ *vitæ, ac ſempiternæ fœlicitatis ſpem ita proponit, vt tamen extremi iudicij commemoratione deterreat. Addit autem ſe quidem plurimùm de diuina bonitate confidere, non idcirco tamen ſibi vel minimam humanæ laudis, aut gloriæ particulam arrogare, nihil ſe infra Deum ſpectare, aut quærere, cui vni dignitatem apoſtolicam acceptam referat.*

CAPVT V.

SCIMVS *enim quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.*

Nam & in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram, quæ de cœlo eſt, ſuperindui cupientes.

Si tamen veſtiti, non nudi inueniamur.

Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati; eo quòd nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri, vt abſorbeatur quod mortale eſt à vita.

Qui autem efficit nos in hoc ipſum, Deus, qui dedit nobis pignus ſpiritus.

Audentes igitur ſemper, ſcientes quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino.

(Per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem.)

Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad dominum.

Et ideo contendimus ſiue abſentes, ſiue præſentes placere illi.

Omnes

PARAPHRASIS.

SCIMVS enim ſi terreſtris hæc domus 1.
noſtra, hoc eſt, corpus, quod eſt veluti
animi tabernaculum diſſoluatur, habituros nos aliud planè diuinum ædificium, id eſt, domicilium non manu factum, ſed
æternum in cœlo. vno verbo poſt mortem animum viuere immortalem, vnáque aliquando cum
immortali corpore coniungendum, vt ſempiterna vita perfruatur. ¶ Nam in hoc quidem mor- 2.
tali caducóque corpore incluſi quaſi in anguſtum
redacti, aut carcere incluſi ingemiſcimus, cupimúſque in cœleſte illud domicilium inuehi, eiúſque
immortali gloria circumfundi, & quaſi trabea immortalitatis indui. ¶ Neque enim animi perpetuò 3.
erunt ſuis corporibus ſpoliati, ſed hæc ipſa, quæ
nunc morbis implicantur ærumnis, ac preſſuris
vexantur, morti denique obnoxia degunt, in cœleſti patria immortalitatis iucunditate perfruentur. ¶ Sanè quidem quia in hoc veluti tabernaculo 4.
viuimus, quaſi graui pondere degrauati ſuſpiramus, & quandiù eo includimur, non tam cupimus
caduci, mortaliſque corporis, vt ita dicam, amictu exui, quàm ſempiterno, & immortali ſuperindui, vt ab immortali vita mortalitas aboleatur.
¶ Cæterùm ſummus ille parens Deus, qui nos ex 5.
nihilo ad hunc ipſum finem condidit, vt beata,
ſempiternáque vita perfruamur, is etiam tantiſper
dum illam expectare neceſſe eſt, dedit nobis ſpiritus arrabonem. ¶ Itaque longè abſumus à Domi- 6.
no, & quodammodo peregrinamur; confidentiæ
tamen pleni, certóque ſcientes, nos in hoc mortali
corpore tanquàm aduenas viuere. ¶ Peregrinati 7.
quidem nos dixi, vt qui ad cœleſtē illam patriam
tendamus, quam oculis cernere non poſſumus,
ſed fidei duntaxat beneficio eminùs intuemur.
¶ Certa tamē ſpe confirmati, forti, tranquillóque 8.
animo hanc noſtram peregrinationem ita conficimus, vt migrare malimus à corpore, & ad Deum,
& Dominum noſtrum proficiſci: cúmque ſtrenuè
in hac noſtra peregrinatione pergamus, ardemus
deſiderio continenter in patriā redeundi. ¶ Quo- 9.
circa annitimur ita viuere, curſúmque noſtrum
inſtituere,

inſtituere , vt hæc noſtra peregrinatio Deo gra-
ta ſit , & hinc abeuntes ab illo non quaſi ho-
ſpites , ſed tanquam cœleſtis patriæ ciues ad-
10. mittamur. ¶ Omnes enim nos præſentes ſiſti
oportet coram Chriſti tribunali , & illic in nos
quàm diligentiſſimè inquiri , vt palàm fiat qui
fuerimus , & vnuſquiſque recipiat , quod par
eſt eum corpore recipere, ſiue gloriã, ſiue ignomi-
niam congruentet ad id quod fecerit , vel bo-
11. num , vel malum. ¶ Scientes igitur formidabi-
le illud Domini iudicium , quod meritò cunctis
mortalibus ingentem incutit timorem , ſedulam
operam damus , vt cuncti mortales ad Chriſti fi-
dem perducantur, & Deo quidem , vt arbittor,
nos ipſos approbauimus , ſperamus autem veſtro
etiam iudicio , ſententiáque approbatos cenſeri.
12. ¶ Enimuerò hæc à nobis non idcitco fuſiùs com-
memorantur , vt denuò apud vos noſtras vidéa-
mur laudes celebrare , ſed vt occaſionem demus
vobis noſtra cauſa gloriandi, vtque habeatis quod
dicatis aduerſus eos , qui externis laruis , & fu-
cata illa pompa ſapientiæ , & humanæ eloquen-
tiæ, non autem vera ſolidáque pietate, quæ non
in vultu, atque externa ſpecie , ſed in corde , at-
que in animo ſedem habet , inanem gloriam ca-
13. ptant. ¶ Siue igitur noſtra nimium videmur ex-
tollere , & modeſtiæ fines excedere , aut etiam ſi
ita vultis , inſanimus (hanc enim rerum à nobis
geſtarum prædicationem inſani hominis iactan-
tiam putatis eſſe) diuinus eſt iſte furor,& totus ad
vnius Dei gloriam ſpectans, vt reprehendi à vobis
eo nomine non poſſimus , ſiue ſimpliciter noſtro
munere fungimur, & vobis Euangeliũ promulga-
mus(hoc enim demũ eſt ſapere apud vos)omnia ad
veſtrã vtilitatem,& commodum,nihil noſtra cauſa
facimus , vt hic quoq; nõ poſſimus videri noſtrarũ
14. laudum præcones. ¶ Caritas enim illa Chriſti ſiue
qua ille nos proſequutus eſt,ſiue qua nos illum vi-
ciſſim complectimur,ita poſſidet,atq; occupat nos
totos,ac regit, vt eius afflatu penè dicam correpti,
agamus omnia:quippe qui hoc pro certo apud vos
ſtatuerimus;ſi vnus pro omnibus mortem oppetiit,
nempe omnes olim mortuos fuiſſe, & à vita gratiæ
15. alienos.¶ Et ille quidẽ idcirco pro omnibus mor-
tuus eſt,vt qui in Chriſto viuunt poſthac non ſibi,
ſuisve cõmodis viuãt,ſed ei potiùs, qui pro ipſis,&
vita functus eſt , & ab inferis ad ſuperos remeauit.
16. ¶ Itaq; nos poſthac tantum abeſt,vt quempiam ſe-
cundùm carnẽ , & quatenus homo eſt,ſiue ex vlla
externa virtutũ ſpecie cenſeamus,vt contra potiùs
quod ad hanc naturæ conditionem attinet, omnes
quaſi pro nondũ natis, aut certè pro penitus igno-
tis habeamus. Quòd ſi Chriſtus ipſe cæterorũ ho-
minum more ex virtutibus æſtimatur , quid fuit
eo homine præſtantius ? Igitur cùm inter ho-
mines ad tempus verſaretur à nobis , id eſt Apo-
ſtolis , ac aliis diſcipulis , qui cum eo vixerunt,
quaſi quidam homo excellens habitus eſt ; at
nunc ne Chriſtum quidem ipſum aliter cenſemus,
quàm ex Deo in ipſo quodammodo inhabitante:
neque

Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti , vt referat vnuſquiſq; propria corporis , prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.

Scientes ergo timorẽ Domini hominibus ſuademus, Deo autem manifeſti ſumus. Spero autem & in conſcientiis veſtris manifeſtos nos eſſe.

Non iterum commendamus nos vobis,ſed occaſionem damus vobis gloriandi pro nobis: vt habeatis ad eos, qui in facie gloriantur, & non in corde.

Siue enim mente excedimus,Deo ; ſiue ſobrij ſumus,vobis.

Charitas enim Chriſti vrget nos: æſtimantes hoc,quoniam ſi vnus pro omnibus mortuus eſt,ergo omnes mortui ſunt.

Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus;vt,& qui viuunt, iam non ſibi viuant,ſed ei,qui pro ipſis mortuus eſt,& reſurrexit.

Itaque nos ex hoc neminem nouimus ſecũdùm carnem : & ſi cognouimus ſecundùm carnem Chriſtum : ſed nunc iam non nouimus.

neque illum vt præſtantem hominem commen-
damus, & agnoſcimus; ſed vt Dei filium diuinæ
ipſius gloriæ participem. Et ſuſpicamini adhuc me,
aut mihi ipſi, aut cuiquam mortalium adulari
commemorandis vllis meis, aut aliorum virtuti-
bus? Quinimmò cùm miniſterium meum laudo,
Dei potentiam laudo: cùm res à nobis geſtas
commemoro Dei in nobis homuncionibus in-
uictum robur prædico, vt in eo omnes gloriemur.

Si qua ergo in Chriſto noua creatura, vetera transierunt: ecce facta ſunt omnia noua.

¶ Itaque ſi quis eſt in Chriſto veluti res quæpiam 17.
recens à Deo condita, talem ſe re ipſa præſtet;
nam vetera quidem præterierunt, & noua fa-
cta ſunt omnia. ¶ Porrò omnia ſunt ex Deo 18.

Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit ſibi per Chriſtum; & dedit nobis miniſterium reconciliationis.

profecta, qui nos in ſuam gratiam, atque ami-
citiam admiſit per Ieſu Chriſti merita, deditque
nobis miniſterium huius reconciliationis. ¶ Nem- 19.

Quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis.

pe quia Deus erat in Chriſto mundum recon-
cilians ſibi, idque hoc ipſo, quòd ei homi-
num ſcelera, atque flagitia non tulit expenſa,
tradiditque nobis vim, & facultatem, hanc
reconciliationem explicandi, quam prædica-
mus. ¶ Itaque Chriſti nomine legatione fun- 20.

Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.

gimur, quaſi Deus ipſe per nos tanquam in-
ternuntios moneat, & hortetur. Quocirca Chri-
ſti nomine oramus, atque obteſtamur, vt cum
Deo in gratiam redeatis. ¶ Fecit enim vt is, 21.

Eum, qui non nouerat peccatum pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo.

qui prorſus erat à peccato alienus quaſi pecca-
to obnoxius morti addiceretur, & quaſi hoſtia
pro omnium ſalute iugularetur, vt nos in illo iu-
ſti efficeremur, qui noſtrum omnium ſcelera ſua
morte expiarat.

IN CAPVT QVINTVM EXPLANATIO.

c. I. SCIMVS ENIM QVONIAM SI, &c. A Rectè Chryſoſtomus, & Theophylactus hæc ſuperioribus annectũt. Dixerat enim externo homine pereunte internum in dies magis innouari; eadem ratione nũc de corporis anaſtaſi diſſerit. Siquidem cùm mortale, inquit, corpus interit, aditus ad immortalitatem reſeratur. Libenter autem Apoſtolus de corporis reſurrectione agit, ſiue quia res eſt magni momenti, vnde ſpes omnis noſtra pendet; ſiue quia Corinthij de eo myſterio nonnihil dubitabant. Meliùs Photius apud Oecumenium. Nam quoniam (inquit) ſuperiori capite docuerat, dum corpus rebus aduerſis premitur, maximam vtilitatem, ac fructum ad animum redundare. Nonne his verbis oſtendit, etiam ipſi corpori inde maximum exiſtere emolumentum, cùm ad immortalita- B tem quodammodo præparetur. Simile quiddam indicat Ambroſius; nam (vt monet Anſelmus) noui Teſtamenti peculiarem, ac propriam conditionem explicat Apoſtolus, qua plurimum illi veteri præſtat: priſcis enim illis mortalibus, qui ante Chriſti aduentum mortẽ obibant, quamuis integrè, caſteq; vixiſſent, cœleſtis tamen patriæ aditus occluſus erat, vt eum præſtolarentur. Apoc.3.7. *qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit; & claudit, & nemo eſt qui aperiat*; iuſti verò qui in nouo Teſtamento mortalitatem exuunt, ſi

penitus expiati ſint, confeſtim in cœlum euolant, vt in diſputationibus apertiſſimè doceo. *Scimus ergo* (inquit) *quòd ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur*. Theodoretus domum ab habitatione diſtinguit: domum enim interpretatur præſentis vitæ traductionem, habitationẽ verò, quæ Græcè dicitur σκῆνος, id eſt, tabernaculum, humanum corpus intelligit. Eodem modo loquitur Oecumenius: *Aliud eſt enim* (inquit) *domicilium, & aliud tabernaculum, cuius eſt domicilium, & aliud nos, quorum eſt propriè tabernaculum*. Et aliquantò pòſt *terrenum domicilium dicit præſentis vitæ conuerſationem, tabernaculum verò corpus*. Cum his ſentit Elias [a] Cretenſis, ſed Chryſoſtomus, & Theophylactus domum tabernaculi, vel vt ait noſter interpres *habitationis* corpus appellari putant, eo loquendi modo, quo dicere ſolemus Vrbem Romæ pro Roma, virtutem iuſtitiæ pro iuſtitia; ſic rectè dicitur domus habitationis, ſeu tabernaculi pro habitatione, vel tabernaculo. Ita M.T. [b] *Caſſius in oppido Antiochia cum omni exercitu eſt*. Idem alibi [c] *ciuitatem Lampſaci*. Et Virgilius [d], *Vrbem Patauî ſedeſq; locauit* [e]. Rurſus, *Et Celſam Butrothi aſcendimus vrbem*. His conſentit illud eiuſdem [f] *fontémque Timaui*. Paſſim autem omnes dicunt Sacramentum Baptiſmi confirmationis pœnitentiæ. Syriacus *domicilium*, inquit, *noſtrum terrenum huius corporis*. Photius apud Oecumenium obſeruat antitheſim inter

a Ad or. in Greg. Naz.
b lib. ad Atticum.
c Orat. in Ver.
d Aeneid.
e Aeneid.
f Aeneid.

inter corpus mortale,& immortale; nam hoc mortale A appellatur terrenum, illud verò cœleſte, quia è cœlo immortalitatem haurit: hoc dicitur tabernaculum, quod facilè diſſoluatur, illud verò æternũ; denique hoc manu factum, illud non manu factum. Nam vt apud eundẽ ait Methodius, neceſſe eſt hoc mortale corpus cibo potuq; alere,& cõſeruare, illud nulla ope externa
II. indigebit. Vtitur autẽ Apoſtolus ad ſignificandũ corpus illuſtri metaphora ſacris, & profanis ſcriptoribus
cap. 4. 19. vſurpata. Sic enim de hominibus loquitur Iob [a]: *Quãto magis qui habitant domos luteas, qui terrenũ habent fundamentum conſumentur velut à tinea.* Loquitur enim de humano corpore, quod eſt quaſi animi receptaculũ. Et
cap. 9. 15. Salomon [b]: *Corpus, quod corrũpitur, aggrauat animã, & terrena inhabitatio.* Græcè σκῆνος. *Deprimit ſenſum multa*
Strom. *cogitantem.* Quomodo loquitur etiã Clemẽs [c] Alexan- B drinus; cùm enim plura de humano corpore dixiſſet, hæc ſubiicit; *vnde ſuſcipit hoc habitaculum animam Deo pretioſiſſimam.* Neque ab hac ratione loquendi abhorruerunt philoſophi, quorum alicubi meminit Grego-
p 64. aliàs rius [d] Nazianzenus. Nam Socrates [e] quidẽ corpus Græ-
apud Plat. Crat. cè σῶμα, dictum putat quaſi animæ σῆμα, hoc eſt ſepulcrum, additq; ex Orphei ſententia eſſe animi carcerẽ;
de Hom. De præcep. quod etiã ſenſiſſe Homerum probat Plutarchus [f], qui alibi [g] affirmat, exiſtimaſſe Theophraſtum, animũ corpori magnã habitationis perſoluere penſionẽ. Fateor tamen, hallucinatos eſſe philoſophos, dum hominem nihil eſſe aliud exiſtimarũt præter animum; cùm revera (vt ait Ariſtoteles) ex animo, & corpore tanquam ex C partibus conſtetur: quia tamen anima etiam à corpore ſeiuncta per ſe ſubſiſtit, rectè dicitur in corpore tan-
Orat. 10. quam in domicilio verſari. Ita Gregorius [h] Nazianzenus, ad hunc locum alludens, corpus vocat *tabernaculum terreſtre, & domũ non manufactam.* Porrò (vt paulò antè ex Photio docui) licet in præſentia perelegantem obſeruare antitheſim; corpori namq; mortali, hoc eſt, terreſtri tabernaculo, *domum non manufactam opponit æternam in cœlis.* Domũ autem non manufactam dixit, Græcè οἰκίαν ἀχειροποίητον, an corpus immortalitate donatum intelligit? At ne hoc quidem mortale hominũ opificio perfectum eſt? An ἀχειροποίητον vocat, quidquid naturæ vim, & efficientiam ſuperat, quodq; eſt ſupra naturæ vires? Ita prorſus ſenſiſſe videtur Methodius, qui hoc corpus mortale manufactũ appellari di- D xit, quia opera, atque induſtria noſtra conficiatur: ac proptetea corpus immortale, ſed vita illa beata nullo
III. ſubſidio indiget. Certè domus illa non manufacta reſpondet τῇ οἰκίᾳ τοῦ σκήνους. i. domui tabernaculi, quam ſuprà nominauerat, quæ domus eſt terreſtris, hoc eſt (vt
cap. 4. 19. dixit [i] Iob) *terrenum habens fundamentum*, quod facilè ſubſidit, quóq; labefactato totum ædificium corruere neceſſe ſit; & ob eam cauſam à Salomone dicitur deprimere, atq; aggrauare animam. Quam in ſententiam
k epiſt. 65. verè, ac ſapiẽter ſcripſit Seneca [k]: *Corpus hoc animi pondus, ac pœna eſt, premẽte illo vrgetur, in vinculis eſt, niſi acceſſit philoſophia, & illũ reſpirare rerum naturæ ſpectaculo*
epiſt. 120. *iuſſit, & à terrenis dimiſit ad diuina.* Alibi [l]: *Scit in hoc natum hominẽ vt vita defungeretur, nec domũ eſſe hoc corpus, ſed hoſpitiũ, & quidem breue hoſpitium, quod relinquendũ*
m In conſolat. ad Eluciã. *eſt, vbi te grauem eſſe hoſpiti videas.* Ruſus alio loco [m]: E *Corpuſculum hoc cuſtodia, & vinculum animi huc, atque illuc iactatur.* Neque ab hac metaphora abhorret quod
n epiſt. 92. alibi idem Seneca [n] ſcripſit: *Quod de veſte dixi idem de corpore me exiſtima dicere, nam hoc quoq; natura vt quãdam veſtem animo circumdedit, velamẽtum eius eſt.* Nec
o 2. Periarc. c. 3. tamẽ omnino malè dixit Origenes [o], qui animam voluit corporis eſſe indumentũ. *Sicut ergo* (inquit) *Chriſtus indumentum eſt animæ, ita intelligibili quadam ratione etiam anima indumentum dicitur eſſe corporis.* Nam corpus quidem animæ dicitur indumentũ, quia illam quodammodo ambit, & circumdat; anima verò indu-

A mentum corporis eſt, quia illi quandam cõformationem, atque habitum largitur. Qua fortaſſe ratione habitus animi appellamus virtutes, atque doctrinas quod ad modum veſtis animum ornent. Hoc igitur tabernaculo diſſoluto, ſeu (vt magis ſonat vox Græca) καταλυθῇ deſtructo *ædificationem ex Deo habemus*; hoc eſt, diuina beneficẽtia, ac liberalitate *domum non manufactam æternam in cœlis*, id eſt (interprete Tertulliano [a]) *per hoc, quod diſſoluetur caro noſtra per paſſiones* a De reſurrect. c. 41.
domicilium conſecuturi ſumus in cœlis. Meminerat euangelicæ definitionis. Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quia illorum eſt regnum cœlorum. non tamen carnis reſtitutionem negauit, ſi compenſationem mercedis oppoſuit, cùm ipſi compenſatio debeatur, cui diſſolutio deputatur, ſcilicet carni. Sed quia domum dixerat car-
B *nem, eleganter voluit, & in mercedis comparatione vocabulo domus vti, ipſi domui, quæ diſſoluetur per paſſionẽ meliorem domum repromittens per reſurrectionem.* Mox verò aliam indicat eiuſdem loci explicationem: *Quanquam enim* (ait) *& de domicilio mundi poteſt intelligi, quo diſſoluto æterna ſedes repromittatur in cœlis, quia & quæ ſequuntur ad carnẽ manifeſtè pertinentia oſtendunt priora, non ad carnem pertinere.* Cæterùm prior explicatio videtur præferenda, & quod plures, & grauiores habet auctores Chryſoſtomũ, Theodoretum, Theophylactum, Ambroſium; & quod planiorem, magiſque expeditam continet ſententiam; aptè namque corpori mortali tanquã tabernaculo opponitur corpus immortale tanquam domus æterna. quanquam ſi
C quis nomine domus æternæ intelligat vitam beatam, bonos vtique auctores ſequetur Photiũ apud Oecumenium, Anſelmum, D. Thomam. Sed corporum oppoſitio, & argumentationis vis magna ex parte perit; fateor tamen multa, quæ deinceps conſequuntur de beata vita intelligenda eſſe, quæ reſurrectionem conſequetur, eiq; quaſi ſuapte natura debetur. Rectè autẽ obſeruat Chryſoſtomus, miro quodam artificio Apoſtolum iis vſum eſſe vocabulis, quibus facilè oſtenderet quantum futura præſentibus antecellerent; nam terreſtri oppoſuit cœleſtem, tabernaculo domum non manu factam in cœlis. Quanquam enim aliquando cœleſtis illa patria tabernaculi nomine deſignatur, ex adiunctis tamen intelligitur quidpiam eſſe cœleſte, ac ſempiternum.

D 2.
NAM ET IN HOC INGEMISCIMVS, &c. 1.
Tertullianus [b] aliter videtur hunc locum accipere, b lib. de reſurrect. c. 41.
quàm Chryſoſtomus, cæterique tam Græci, quàm Latini explanatores. putat enim hæc de domicilio mundi accipienda eſſe: atqui Chryſoſtomus, & alij non aliter ac ſuperiora hæc de corpore noſtro explicant. Eadem enim videtur ſententia cum illa, quæ eſt in epiſtola [c] ad Romanos: *Scimus enim, quòd* c cap. 8. 22.
omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc: non ſolum autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis noſtri. Incertum autem videtur, an pronomen *hoc*, tabernaculum indicet, an ſimpliciter ponatur & abſolutè; vt idem valeat, quod ob hanc cauſam. quaſi dicat
E ob hanc cauſam ingemiſcimus, quòd cœleſtem illam patriam, & gloriam immortalitatis expectamus. Poſteriorem ſententiam probare videtur Auguſtinus [d] qui hoc refert ad pœnam peccati Originalis. d lib. 1. de pec. mer. & rem. c. 2.
Vtrumq; verè, aptéq; dicitur; nam quandiu hoc mortali corpore circumdamur, neceſſe eſt quodam veluti onere premi, adeóque ſub pondere gemere; quomodo olim ingemuit [e] Dauid: *Heu mihi quia incolatus meus* e Pſal. 119. 5.
prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Et alibi [f] Paulus: *Infelix* f ad Rom. 7. 24.
ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius. Et ob hanc maximè cauſam nobis eſt ingemiſcendum,

quia immortalem, beatámque vitam ſperamus, & (vt A
a Prouerb 13. 12. ait a Sapiens) *ſpes, quæ differtur, affligit animum.* Mutauit autem Apoſtolus metaphoram, & à ſimilitudine domicilij tranſit ad indumentum; *Superindui* (inquit) *cupientes.* Græcè ἐπενδύσασθαι; vtraque enim ſimilitudo corpori tribuitur, quod eſt veluti animæ domicilium, & indumentum: nam de corpore explicat Hierony-
b cap. 2. 16. mus illud Malachiæ b: *Operiet autem iniquitas veſtimentum*, vt iniquitas quidem pœnam, veſtimentum verò corpus ſignificet, & ſit ſenſus fore vt impij omniũ ſcelerum pœnas luãt. *Habitationem autem noſtram* dixit
c ad Eph. 2. 19. Græcè οἰκητήριον. quia (vt alibi c dixit) *ciues Sanctorum ſumus, & domeſtici Dei.* quandiu enim viuimus in hoc mortali corpore, exteri quodammodo ſumus, & peregrini, & ad cœleſtem illam patriam tendimus. Quod autem ait; *de cœlo*; indicat, corporis immortalita- B
II. tem non niſi à Deo expectandam eſſe. Porrò Chryſoſtomus, quem cæteri Græci ſequuntur, hæc propriè dici putat de Apoſtolis, viriſq; Apoſtolicis; quaſi dicat: vos quidẽ Corinthij ob id cruciamini, quòd ærumnis, & calamitatibus premi vos videtis: atqui nos ob hanc vnã cauſam ingemiſcimus, quòd in hoc mortali corpore detinemur, necdũ poſſumus induere immortalitatem. Atqui planior videtur ſenſus, ſi dicamus, de vniuerſo hominũ genere, præcipuè verò de fidelibus hæc eſſe accipiẽda; vt quæ paulò antè attulimus ex Epiſtola ad Romanos. Quem ſenſum ſecutus eſt Clemens
d 4. Strom. d Alexandrinus; cùm enim dixiſſet, iuſtos, & electos quaſi hoſpites, ac peregrinos animum ab his rebus abducere, quæ ſub ſenſum cadunt, futurã verò vitã auidè C
præſtolari, hunc Pauli locũ adducit, mox addit Pindari
e lib. 8. de curand. Græc. affect. ſententiam (ita enim accipio, auctore Theodoreto e) qui ait, impiorum animos infra cœlum crebris cruciatibus diuexari, & malorũ veluti mole premi, piorũ verò in cœlo quodãmodo habitare, & beatorũ cantu & ſymphonia iucũdè perfrui. Addit ob hanc cauſam im-
f cap. 22. 30. pios à Ieremia f terræ nomine nũcupari. *Terra* (inquit) *terra, audi verbum Domini, ſcribe virum hunc hominem*
g cap. 1. 2. *abdicatum.* Et Iſaias g: *Audi* (inquit) *cœlum, & auſculta terra; auditum* (inquit) *appellans intelligentiam, & cœlum animam eius, quæ eſt prædita cognitione, quæ cœli, & rerum diuinarum ſuſcepit cognitionem, & ea ratione factus eſt Iſraelita. contra enim eum, qui elegerat inſcitiam, & cordis duritiem, terram dixit, & illud; auſculta, appellauit ab auribus, quæ ſunt inſtrumenta auditus carnalia attribuens* D
iis, qui rebus attendunt ſenſibilibus. Addit Paulus, *ſuperindui cupientes.* Quo loco obſeruat Theodoretus, & ex illo Oecumenius, rectè dixiſſe Apoſtolum; *ſuperindui*; quia non aliud corpus accepturi ſumus, ſed hoc ipſum, quod nunc morbis afflictatur, & morti obnoxium eſt. immortalitatem, quaſi chlamydem, ſeu tra-
h cap. 6. 11. beã induet. Nam in Apocalypſi h beatis datur ſingu-
i cap. 7. 14. lis ſtolæ albæ. Et rurſus i dicuntur aliqui dealbaſſe ſtolas in ſanguine agni. nec enim dubium eſt, hæc omnia metaphoricè dicta eſſe; nam tametſi ex Auguſtini
k Serm. 12. de ſanctis. k ſententia, ſtola eo loco gloriam, & beatitudinem animæ ſignificat, tamen etiam ſua corpori ſtola red-
l cap. 61. 7. denda eſt, vt indicat Iſaias l: *In terra ſua* (inquit) *du-*
m In Pſal. 4. pœnitentialem. *plicia poſſidebunt*, quæ verba explicans Gregorius m, ita E
ſcribit: *Quid namque eſt ſingulas illis ſtolas albas tribuere, niſi animabus eorum beatitudinis æternæ immortalitatem conferre? Quid verò eſt donec electorum numerus impleatur requieſcere, niſi futuræ reſurrectionis gloriam expectare? in qua nimirum iterum ſingulas ſtolas albas accipient, quia immortalia, & incorruptibilia corporũ ſuorum veſtimenta ſument.*

3.
I. SI TAMEN VESTITI, &c. Perſtat in metaphora indumenti. Eſt autem horum verborum ſen-
n lib. de reſurrect. carn. c. 41. & lib. 5. in Marcion. c. 12. ſus paulò obſcurior; indicat enim Ambroſius, hoc loco codices variaſſe. Et quidem Tertullianus n hunc in modum legit: *Nam & in hoc ingemiſcimus domi-*

A *cilium noſtrum, quod de cœlo eſt ſuperindui deſiderantes: ſiquidem exuti, non nudi inueniamur.* Ipſe autem ita locum explicat, id eſt, *antè volumus ſuperinduere virtutem cœleſtem æternitatis, quam carne exuamur; huius enim gratiæ priuilegium illos manet, qui ab aduentu Domini deprehendentur in carne, & propter duritias temporum Antichriſti, merebuntur compendio mortis per demutationem expunctæ, concurrere cum reſurgentibus,* II
a *ſicut Theſſalonicenſibus ſcribit.* Sed de hac ſententia a epiſt. 1. c. 4.
ſuo loco dicendum erit. Ambroſius hac retenta lectione aliter explicat; id eſt, *Si exeuntes de corpore Chriſtum veſtiti fuerimus, quia quicumque in Chriſto baptizantur, Chriſtum induunt. Itaque ſi in forma Baptiſmi, & traditione manſerimus expoliati corpore, non nudi inuenimur, quia in interiore homine habitus Chri-*
B *ſtus, quem cum induti, ſine Spiritu ſancto dato nobis videbimus, erimus digni ſuperindui promiſſa cœleſti gloria. in illum enim decidet promiſſa claritas, quem viderit ſignum adoptionis habere.* Eandem lectionem habent Macharius, & Paulinus b Epiſtola ad Seue- b epiſt. 4.
rum, eamq́ue ſubindicat Auguſtinus c at Græci, & c In colle. Bedæ.
Latini codices, itemque Syriacus interpres cum noſtro interprete conſentiunt. *Si tamen veſtiti, non nudi inueniamur.* quod non eodem modo explicatur ab omnibus. Chryſoſtomus, *Hoc eſt* (inquit) *etiam ſi corpus depoſuerimus, non tamen ſine corpore illic ſiſtemur, ſed cum eodem incorruptibili effecto.* Mox verò aliam addit explicationem, quam maximè probat. *Si tamẽ veſtiti* (ait) *hoc eſt incorruptibilitatem, atque immor-*
C *tale corpus conſecuti, ac non nudi inueniemur, ſubaudi gloria, ac ſecuritate.* Hanc poſteriorẽ explicationẽ ſequuntur Theodoretus, & Theophylactus, vtramq; Oecumenius. Inter Latinos poſteriorem amplectũtur Ambroſius, & Anſelmus; ab ea tamen nonnihil deflectunt Hieronymiani cõmentarij; aiunt enim: *Si tamen veſtiti, hoc eſt, ad vitã reuocati, non deprehendamur nudi, hoc eſt, gratia, & fide expoliati.* Ego ſi quidquã aſſequor coniectura, ſuſpicor librariorum vitio Græcos olim codices variaſſe, vnius enim litterulæ mutatione facilis fuit lapſus. Nam ſi legas ἐκδυσάμενοι, ſignificat expoliati, ſin autem ἐνδυσάμενοι, legendum erit induti. Non negarim tamen, vtramq; ſententiam eſſe probabilem. In paraphraſi priorem Chryſoſtomi explicationẽ ſequuti ſumus, quod videatur omniũ ſimpliciſſima, & contineat D
ſuperioris ſententiæ declarationem. Ideo inquit indumentum immortalitatis cupimus, quoniam non ſemper nudi, hoc eſt corporis expertes poſt mortẽ perſeuerabimus, ſed rurſus immortali corpore induemur.

NAM ET QVI SVMVS IN HOC, &c. Explicat quod 4.
ſuperiùs dixerat. Cur enim ingemiſcimus cœleſtẽ pa- I.
triam cupiẽtes; quia (inquit) poſt mortem reſurrectionem expectamus, & quidẽ immortalitatis gloria præditam. Nam quãdiu quidem hoc mortali corpore circundamur, & malis vndique ingruentibus premimur, non propterea ſuſpiramus, quòd hoc mortali corpore exui deſideremus, ſed potiùs quòd immortale corpus cupiamus, vt huic noſtræ mortalitati immortalis illa, & ſempiterna vita finẽ afferat. Porrò tabernaculũ mortale corpus appellat, vt paulò antè diximus. Tabernacu- E
lum enim ad breue tẽpus vſui eſt viatori, ac militi, veriſque autem hæc breuis vita rectè comparatur, vt meritò corpus, nõ tam domus, quàm tabernaculũ dicendũ
videatur. Ita Petrus d hãc metaphoram ſequutus dixit: d epiſt. 2. c. 1.
Certus quòd velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſentiẽs ſe breui moriturum. *Ingemiſcimus* (inquit) *grauati*, ipſa corporis mole, & malorum, incommodorumq́ue multitudine. id autem dum facimus (vt rectè ait Chryſoſtomus) non id agimus, vt corpore ſpoliemur, ſed vt mortalitatem exuamus, & immortalitatem induamus. Quo loco obſeruat Chryſoſtomus, tacitè refelli hæreticos, qui diuerſitatem corporum aſtruebant;

non enim de alio, atque alio corpore verba facit, ſed de diuerſa corporum conditione. *Nolumus* (inquit) *corpus exuere, ſed ipſum incorruptione, atque immortalitate ſuperueſtire.* Rectè autem dixit; *ſuperueſtiri*, Græcè
II. ἐπενδύσασθαι, quaſi dicat nouo quodam veſtimento indui; vt ſentiat reſtituendum corpus cum additamento, & acceſſione gloriæ. ab eo namque verbo dicitur ἐπένδυμα & ἐπενδύτης, quæ eſt veſtis ſuperior, quaſi toga, aut pallium; ita apud Ioannem [a] de Petro legitur, *tunica ſuccinxit ſe*: Græcè ἐπενδύτην διεζώσατο. Quo loco qui ſubligaculum, ſeu amiculum interpretantur, id eſt leue ex lino induſium, quod & pudori ſeruiret, & natanti impedimento non eſſet, ideo minus audiendi ſunt, & quòd nominis etymologia, atque proprietas minimè reſpondet, & quod exiſtimare videntur prius, Petrum nudum omnino fuiſſe, quod nemini facilè perſuaſerint. Theophylactus linteum quoddam fuiſſe indicat, quo Phœnices, & Syri piſcatores ſiue nudi, ſiue veſtiti eſſent, amiciri conſueuerant: nec magnopere diſcrepant ij, qui paruam tunicam fuiſſe exiſtimãt, manicis carentem, & ad genua vſque demiſſam, qua nautæ, & piſcatores vtebantur. Vt vt ſit (nam fortaſſe vocem ἐπενδύτην vſurpauit Euangeliſta ad quodlibet indumentum ſignificandum) ἐπενδύσασθαι propriè ſuperindui ſignificat, hoc eſt veſtem ſuperiorem induere. Videtur autem in Græcis codicibus latere quædã arguta antitheſis. *Nolumus* (inquit) ἐκδύσασθαι ἀλλ' ἐπενδύσασθαι hoc eſt, nolumus denudari; ſed huic corporis indumento aliud immortalitatis veluti pallium, aut togam ſuperimponi. *Vt abſorbeatur* (inquit) *quod mortale eſt à vita*, id eſt, non appetimus ſeparationem à corpore; quis enim ſi naturæ tantùm conditionem ſpectes, mortem appetat? Ad id potiùs agimus, vt mortalitatem exuamus, & immortali, ſempiternaque vita perfruamur. Reſurrectio enim, quam ſperamus huic noſtro mortali corpori, immortalitatem afferet; ita enim dixerat in ſuperiori Epiſtola [b]: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cùm autem corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors in victoria.* Nam (vt ait Auguſtinus [c]) abſorberi mortale à vita nihil aliud eſt, quàm ab ærumnis, & calamitatibus, quibus hæc mortalitas obnoxia degit, penitùs liberari. Quod his verbis explicat Tertullianus [d]: *Vt deuoretur mortale hoc à vita, dum eripitur morti per ſuperindumentum demutationis.* Alibi [e]: *Vt deuoretur mortale à vita, id eſt, caro ab illo ſuperindumento cœleſti, & æterno.* Rurſus [f]: *Vt deuoretur mortale à vita, caro ſcilicet deuorationem quoque ad perditionem ſcilicet carnis arripiunt, quaſi non bilem, & dolorem dicamur deuorare, id eſt abſcondere, ac tegere, & intra nos ipſos continere. Denique cùm & illud ſcriptum ſit; oportet mortale hoc induere immortalitatem; oſtenditur quomodo mortale deuoretur à vita, dum indutum immortalitate abſconditur, & tegitur, & intus continetur, nondum abſumitur, & amittitur.* Et aliquanto poſt: *Quomodo deuoratur à vita? Dum recipitur, & redigitur, & includitur in ipſa.*

a cap. vlt. 7.

b cap. 15. 53.

c In collect. Bedæ.

d lib. 5. in Marc. 12.

e De reſurr. carn. c. 42.

f De reſurr. carn. c. 54.

5.
I. QVI AVTEM EFFICIT NOS, &c. Aperta hoc loco cernitur elypſis. deſideratur enim verbum, *eſt*, aut quidpiam ſimile, vt ſenſus ſit, quod in paraphraſi indicauimus, propterea nos à Deo fuiſſe conditos, vt immortalem aliquando vitam aſſequamur, nam & ob hac cauſam arrhabonem nobis largitus eſt. Ita prorſùs Theodoretus, & Theophylactus. *Deus eſt* (inquit Theophylactus) *qui primùm nos ad hoc effecit: etenim condidit nos, vt ſimus incorruptibiles, neque hoc nunc primùm ei placuit, ſed iam inde à principio creationis illuc ſic decreuit, vt omnino fieret.* Oecumenius paulò aliter explicat. *Quis* (inquit) *hanc faciet corporis immutationem? Quis? Deus, qui in hoc ipſum nos formauit, vt ſimus incorrupti, & immortales.* Sed Græcè Apoſtolus dixit κατεργασάμενος hoc eſt, qui fecit, aut parauit, vt omnino de præterita actione loquatur. Quomodo etiam interpretatus eſt Syriacus: Ambroſius (niſi mẽdoſi ſunt codices) legiſſe videtur tempore præſenti, ait enim: *Qui autem perficit nos in hoc ipſum.* quod & facit vulgatus interpres. Videtur autem Anſelmus interpretis verba accipere de hac ipſa Pauli animi conſtitutione, qua immortalitatẽ expetit, quaſi dicat, hanc mentem Deus indidit, qui & arrhabonem ſpiritus largitus eſt: vocat autẽ arrhabonẽ ſpiritus, vt vult Theophylactus, Spiritus ſancti gratiam in Baptiſmo perceptã. Quo modo Pauli verba accipit Auguſtinus [a]: *Hæc eſt* (inquit) *illa iuſtitia Dei, non qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua ipſi ab eo facti.* Theodoretus autem ſpiritus arrhabonẽ interpretatur Spiritus ſancti chariſmata. Anſelmus ſpiritum illum intelligit, quo mens hominũ mouetur ad immortalẽ illam, ac ſempiternam vitam appetendam. Tertullianus [b] hoc videtur referre ad ipſam Chriſti anaſtaſim: ſic enim ait, *Quemadmodũ enim nobis arrhabonem ſpiritus reliquit, ita & à nobis arrhabonẽ carnis accepit, & vexit in cœlum pignus totius ſummæ illuc quandoque redigẽdæ. Securæ eſtote caro, & ſanguis: vſurpaſtis & cœlum & regnum Dei in Chriſto.* Alibi [c]: *Arrhabonẽ nos ſpiritus dicit à Deo habere quaſi pigneratos in eandẽ ſpem ſuperindumenti*: verè dicuntur hæc omnia, ſed Theophylacti, & Auguſtini ſententia præferenda videtur, II.
cùm ſit magis conſentanea iis, quæ alibi tradidit Apoſtolus, nam & capite ſuperiori dixerat: *Vbi eſt Spiritus Domini, ibi libertas.* Cæterùm quod attinet ad vim vocis, docet Hieronymus [d], pignus à Latino interprete poni pro arrhabone, cùm tamen alterum ab altero plurimum differat. Arrhabo enim eſt futuræ emptionis quaſi quoddam teſtimonium, & obligamentum; pignus Græcè ἐνέχυρα. pro mutua pecunia apponitur vt cùm illa reddita fuerit, reddenti acceptum pignus à creditore reddatur. Eſt igitur arrhabo, vt alij interpretantur πρόδομα & veluti ἄγκιστρον hoc eſt, quaſi hamus, quo reliqua pecunia perſoluenda attrahitur. dicitur etiam Latina voce, arrha. videtur autem arrhabo non tam Græca, quàm Hebræa vox; ſiquidem Hebræi עֵרָבוֹן *hherabon* dicunt à radice עָרַב *hharab*, quæ ſignificet oppignerare, vt à pignore non magnopere differat, quod ſenſit Latinus interpres. Et quidem gratia Spiritus ſancti, ipſaque Chriſti reſurrectio rectè dicitur arrha noſtræ immortalitatis, & futuræ gloriæ veluti pignus. Hoc enim quod Deus ſuam nobis gratiã largitur, vt monet Oecumenius, ſuam fidem obligat, ſeque beatæ vitæ debitorem conſtituit.

a lib. de Spiritu & litera c. 18.

b De reſurr. carn c. 51.

c lib. 5. in Marc. c. 12.

d ad Epheſ. 1.

AVDENTES IGITVR SEMPER, ET, &c. 6.
Locus eſt obſcurus, & impeditus, quem tamen in paraphraſi perinde accipiendum duximus, quaſi dicat 1.
Apoſtolus, peregrinari nos, hoc eſt longè abeſſe à Domino planè perſuaſos, ac certos, nos in hoc corpore eſſe veluti aduenas, & inquilinos. Nam qui putant, participia θαρροῦντες & εἰδότες coniungenda eſſe cum verbis ſequentibus θαρροῦμεν δὲ καὶ εὐδοκοῦμεν quaſi dicat audentes, & ſcientes; *audemus, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum*; non videntur animaduertiſſe vim particulæ δὲ quæ indicat, diuerſam eſſe à ſuperiori ſententiam. Certè Ambroſius, qui hunc ſenſum ſequutus videtur, particulam illam non agnoſcit. Et Syriacus, qui eodem fermè modo explicat, ne videtur quidem illam legiſſe; ſic enim habet: *Quoniam igitur ſcimus, & perſuaſum habemus, quòd quandiu in corpore habitamus, peregrinamur à Domino noſtro, per fidem enim ambulamus, & non per viſum, propterea confidimus, & peroptamus, peregrinari à corpore, & eſſe apud Dominum noſtrum.*

A Alij malunt, abuſum eſſe Apoſtolum participijs pro verbis; quod apud Græcos non eſt infrequens, quaſi dicat, propter arrhabonem ſpiritus fidenti ſemper animo ſumus, nihil de futura immortalitate dubitantes, certéque perſuaſi, quandiu hoc mortali corpore circundamur, nos eſſe exteros, & peregrinos. Atque hoc quidem modo paraphraſis noſtræ ſententia magnopere confirmatur, cui breui parentheſi interpoſita aptè ex aduerſo reſpondebit ſequens ſententia: *Audemus autem, & bonam voluntatem habemus*, &c. Magno igitur, fidentique animo peregrinamur, cùm ſciamus nos eſſe in hoc corpore veluti in

II. tabernaculis non aliter, ac viatores, & peregrinos. *Audentes* (ait) Græcè θαῤῥοῦντες. Tertullianus [a] ita hunc locum citat: *Itaque confiſi ſemper & ſcientes, quòd cùm immoramur in corpore, peregrinamur à Domino; per fidem enim incedimus, non per ſpeciem.* Porrò quod ait

[a] De reſurr. carn. c. 41.

B interpres; ſumus in hoc corpore; Græcè ſcriptum eſt ἐνδημοῦντες hoc eſt, habitamus, aut incolimus: pro eo verò, quod eſt peregrinamur; Græci codices habent ἐκδημοῦμεν, vt ſit in vocibus non inepta annominatio, quaſi dicat, dum in corpore verſamur extra Deum moramur, longè ab illo poſiti ſumus. Tametſi enim Deus vbique eſt, ſuóque numine omnia complet, & omnia in illo ſunt, vt Apoſtolus [b] dixit: *Quia in illo viuimus, mouemur, & ſumus*; tamen (vt ait Ambroſius) quoniam Deus ſeſe in cœleſti patria beatis ſpectandum præbet, quamdiu inter mortales viuimus, ab eo

[b] Act. 17. 28.

C dicimur peregrinari, hoc eſt, abeſſe, eiúſque diuino conſpectu carere. Non malè autem Anſelmus participium illud *audentes* refert ad id, quod Apoſtolus dicit ingemiſcere ſe, atque optare mortalitatem exuere, quaſi dicat, ſpes immortalitatis animos erigit, atque inflammat ad omnia perferenda, ipſamque mortem contemnendam, cùm præſertim venit in mentem nos hîc eſſe hoſpites, ac peregrinos, & (quod alibi dixit Apoſtolus) non habere hîc manentem ciuitatem, ſed futuram inquirere.

7.
I. Per fidem enim ambulamus, &c. Explicat quidnam ſit quod modò dixerat, nos à Domino peregrinari. Abſumus ab illius iucundiſſimo conſpectu, futura bona duntaxat credimus, & aliquando nos aſſecuturos ſperamus. hoc enim eſt, interprete Tertulliano [c], per fidem incedere, & non per

[c] De reſurr. carn. c. 41.

D ſpeciem, id eſt, ſpe, non re. Meritò (inquit) audemus appetere mortem, & migrationem è vita, quia hîc tanquam peregrini abſumus à Deo, qui nos inuitat ad patriam. Abſumus autem, quia fidei duntaxat beneficio cœleſtia eminus, & ſubobſcurè contemplamur: ea verò obſcura cognitio cupiditatem augere poteſt, explere non poteſt. Itaque rectè monet Theodoretus, hanc eſſe abſentiam, quam modò dixerat non poſſe Deum in ſe ipſo cernere. *Nunc enim* (inquit) *non videmus eas res, quæ exſpectantur; ſed eas per ſolam fidem cernimus, & propterea etiam deſideramus ab hoc corpore excedere, & cũ Domino verſari.* Et in

E eandẽ ſententiam Oecumenius: *Propterea* (inquit) *dixi peregrinamur à Domino; nã ipſum nunc per fidem videmus; per ipſam enim ambulamus, & veluti deducimur ad eius cognitionẽ.* Quod autẽ ait interpres: *nõ per ſpeciem*; idẽ eſt, quod proprio intuitu, quod ſuperiori epiſtola [d] his verbis expreſſit: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autẽ facie ad faciem.* Rectè Auguſtinus [e]: *Non enim* (inquit) *ſemper hoc erit, quod vtique non erit, quando iſta peregrinatione finita, qua peregrinamur a Domino, vt per fidẽ ambulare neceſſe ſit, ſpecies illa ſuccedet, per quam videbimus facie ad faciem, ſicut modo non videntes, tamen quia credimus videre merebimur, atque ad ſpeciem nos per fidem perductos eſſe gaudebimus. Neque enim iam fides erit, qua credantur, quæ non videntur, ſed ſpecies qua videantur quæ credebantur.*

[d] Cap. 13. 12.

[e] libr. 14. de Trinit. c. 2.

A Alibi [a]: *Non poteſt videri tempore fidei, videbitur tempore ſpeciei.* Et paulò pòſt: *Hæc erit ſpecies quando faciet quod dixit, & oſtendam me ipſum illi, ibi æquitatem Dei videbis, ibi ſine codice in verbo leget.* Monet

[a] Serm. 14. de verb. Apoſt. c. 3.

II. autem Theophylactus, prudenter occultaſſe Apoſtolum mortis, ac vitæ nomina, & alteram quidem appellaſſe præſentiam ad Dominum, alteram verò peregrinationem, & abſentiam. Ne quis autem corpus humanum accuſaret tanquam malum, quod nos à Deo ſeiungeret, addit, hanc eſſe fidei naturam, vt non niſi ſubobſcurè Deum indicet. Porrò Tertullianus [b] in eandem fermè ſententiam: *Defecerant autem* (inquit) *Apoſtolo verba ad ſignificandum de corpore exceſſum? An ratione etiam nouè loquitur? Temporalem enim abſentiam à corpore volens ſignificare, peregri-*

[b] De reſurr. carn. c. 44.

B *nari nos ab eo dixit, quoniam qui peregrinatur etiam reuertetur in domicilium.* Reſpicit enim, quod paulò pòſt dicit, malle nos peregrinari à corpore, & Deo eſſe præſentes. Dum namque per fidem incedimus, peregrinamur à Domino, vbi verò animus ſolutus à corpore ad beatam Dei contemplationem euehetur per ſpeciem incedentes tantiſper à corpore peregrinabimur donec cuncti mortales ad vitam reuocentur.

8.
I. Audemus autem, et bonam, &c. Oecumenius quòd animaduerteret particulam δὲ cum ſua explicatione non poſſe conſiſtere, exiſtimauit eam abundare; illam certè (vt paulò antè monui) plerique alij omittunt. Conſtanter autem habent

C Latini codices, & in noſtra ſententia vim ſuam retinet: Peregrinamur quidem (ait) à Domino, quia per fidem incedimus, non per ſpeciem: magno tamen, fidentique animo, atque omnino verè affirmamus, præoptare nos ex hac vita migrare, & huic noſtræ peregrinationi finem imponere, vt iucundiſſimo Dei conſpectu perfruamur. ita prorſus Tertullianus [c]: *Fidentes autem, & bonum ducentes magis peregrinari à corpore, & immorari ad Dominum, ſcilicet vt per ſpeciem magis incedamus, quàm per fidem, per rem potius quàm per ſpem.* Et alibi: *Ac propterea debere bonũ ducere abeſſe potius à corpore, & eſſe cum Domino, vt mortem libenter excipiamus. Audemus* (inquit) *& bonam voluntatem habemus.* Græcè θαῤῥοῦμεν καὶ εὐδοκοῦμεν, libenter amplectimur, & bene nobiſcum agi putamus, ſi

[c] De reſurr. carn. c. 43.

D à corpore migremus ad Dominum. Sanè hac ratione dicendi olim veteres Patres mortem deſcribebant. ita Ignatius [d]: *Sentio* (inquit) *in me aquam viuam dicentem, vade ad Dominũ.* ſignificans ſe diuino quodam impulſu vehementer excitari nõ modò ad fortiter ſubeundam, ſed etiã vltrò appetendã pro Chriſti nomine mortem. Sic ſæpè loquitur Cyprianus. Ambroſius pro II.
eo, quod noſter interpres dixit, *Bonam voluntatem habemus*; poſuit *conſentimus*. alij *probamus*. Nos in paraphraſi ſententiam potiùs expreſſimus, quàm vim vocis; diximus enim, vt malimus migrare à corpore; quod erat fermè poſt Chriſti in cœlum aſcenſum ſanctis omnibus commune, vt nihil magis haberent in votis, quàm ab hac vita migrare. Itaque rectè alicubi ſcribit Cyprianus [e]: *Eius eſt enim mortem timere, qui*

[d] epiſt. ad Rom.

[e] De mortal.

E *ad Chriſtum nolit ire: eius eſt ad Chriſtum nolle ire, qui ſe non credat cum Chriſto incipere regnare; ſcriptum eſt enim, iuſtum fide viuere. ſi iuſtus es, & fide viuis, ſi verè in Deum credis, cur non cum Chriſto futurus, & de Domini pollicitatione ſecurus, quod ad Chriſtum voceris, amplecteris, & quòd diabolo careas gratularis?* Et poſt multa: *Conſiderandum eſt (fratres dilectiſſimi) & identidem cogitandum, renunciaſſe nos mundo, & tanquam hoſpites, & peregrinos iſtic interim degere. Amplectamur diem, qui aſſignat ſingulos domicilio ſuo, qui nos iſtinc ereptos, & laqueis ſecularibus exſolutos paradiſo reſtituit, & regno cœleſti. Quis non pere-*

gi:

grè conſtitutus properaret in patriam regredi? Quis non ad ſuos nauigare feſtinans ventum proſperum cupidiùs optaret, vt velociter claros liceret amplecti? Patriam noſtram Paradiſum computamus, parentes patriarchas habere iam cœpimus. Quid non properamus, & currimus, vt patriam noſtram videre, vt parentes ſalutare poſſimus? Magnus illic nos carorum numerus expectat parentum, fratrum, filiorum frequens nos, & copioſa turba deſiderat; iam de ſua immortalitate ſecura, & adhuc de noſtra ſalute ſollicita. Ad horum conſpectum, & complexum venire quanta & illis, & nobis in commune lætitia eſt: qualis illic cœleſtium regnorum voluptas ſine timore moriendi, & cum æternitate viuendi? quàm ſumma, & perpetua fœlicitas?

9. I. Et ideo contendimus siue, &c. Aptè colligit ex ſuperioribus, dandam eſſe diligenter operam, vt tam peregrinatio noſtra, quàm demigratio Deo probetur: hoc eſt, vt in vita, & morte Deo placeamus. Et ideo inquit Tertullianus[a], *geſtimus ſiue peregrinantes ſiue immorantes placabiles illi eſſe.* ita enim expreſſit quod Græcè dixit Apoſtolus εὐάρεστοι αὐτῷ εἶναι. Nec multò aliter Syriacus interpres: *Satagimus autem* (ait) *ſiue peregrini ſimus ſiue incolæ, vt illi placeamus.* Intelligit autem incolas in corpore, & peregrinos à corpore hoc eſt, ſiue viuentes, ſiue morientes. Eſt autem (vt ſuprà monuimus) annominatio in vocibus, & conduplicata quædam ἐναντίωσις: vt enim ſuprà dixerat ἐνδημῆσαι, & ἐκδημῆσαι, ita nunc ait ἐνδημοῦντες, & ἐκδημοῦντες: ſed ſuprà quidem alterum refert ad corpus, alterum ad Deum: hîc (vt dixi) vtrumque ad corpus; neque n. iis qui Deum præſentem intuentur, vllo modo laborandum eſt, vt Deo placeant, cùm non poſſint non magnopere placere, quippe iam beati, & perfecta caritate præditi. Quod autem interpres dixit, *contendimus*, Græcè eſt φιλοτιμούμεθα, id eſt, certamus, ſatagimus, & ambimus, & (vt ait Ambroſius) conamur, vt ſignificet eximium quoddam ſtudium, ac ſedulitatem. Tertullianus dixit, vt ſuprà monui, *geſtimus*; more ſuo mira quadam, atque inſolita voce ſedulitatem, ac diligentiam ſignificans. *Siue abſentes* (inquit) *ſiue præſentes.* Ambroſius dixit, *ſiue præſentes, ſiue peregrinantes.* Anſelmus præſentes refert ad Deum, itaque explicat: *Nitimur* (ait) *operari per quæ nunc, & in futuro illi placeamus: modò contendimus quia eſt pugna; ſed cùm abſorpta fuerit mors in victoria; nulla iam erit pugna, nullúsque lapſus, quia nulla corruptio; & ideo iam non contendemus placere, ſed omnino placebimus Domino in regione viuorum.* Pia eſt, & ingenioſa explicatio, ſed nonnihil violenta. Certè pij, religioſíque viri id potiſſimum quærunt, atque omni ſtudio, ac diligentia contendunt, vt Deo placeant, eíque ſe probant vni: contrà qui ſpes omnes ſuas in his caducis, ac mortalibus rebus defixas habent, viris principibus, ac magnatibus, vt plus æquo placeant, Dei amicitiam ac beneuolentiam negligunt; de quibus meritò Dauid[b]: *Qui hominibus placent confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos.* Et Paulus de ſe ipſo dixit[c]: *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.* Atqui vt monet Oecumenius qui Deo placent vitam immortalem, ac ſempiternam iure optimo ſperant; qui verò non placent, ſupplicijs inferorum obnoxij degunt.

a De reſurr. carn. c. 43.
b Pſal. 52. 6.
c ad Galat. 5. 10.

10. I. Omnes enim nos manifestari, &c. Hæc eſt ratio cur danda opera ſit, vt in vita, & morte Deo placeamus; ſiquidem omnes ante Chriſti tribunal adducendi ſunt, & antè actæ vitæ exigenda ratio eſt; neque enim temerè cuiuis poſt mortem in cœlum aditus patet, ſed bonos quidem gloria immortalis, malos autem ſempiternum ſupplicium manet. Ait autem omnes ante Chriſti tribunal ſiſtendos eſſe; vt nemo omnino mortalium excipiendus videatur, ne illi quidem infantes, qui vel in vtero matrum obierunt, vel immaturè abacti priùs vita functi ſunt, quàm Chriſtiana ſacra ſuſciperent: qua de re alibi fuſiùs diſputo. Porrò ex hoc loco non malè colligit Tertullianus[a], omnes homines reſurrecturos. *Omnes enim* (inquit) *manifeſtari nos oportet ante tribunal Chriſti. ſi omnes, & totos, ſi totos, & interiores, & exteriores, id eſt, tam animas, quàm & corpora, vt vnuſquiſque inquit reportet per corpus ſecundùm quæ geſſit bonum, ſiue malum.* Sic etiam aduerſus[b] Marcionem; quanquam auctor[c] de ſalutaribus documentis hunc locum ita citat: *Omnes animæ aſtabunt, vt referat vnaquæque ſecundùm quod geſſerit in corpore ſiue bonum, ſiue malum.* Cæterùm quod ait interpres; propria corporis; paulò aliter legitur in Græcis codicibus; ſic enim habent, τὰ διὰ τοῦ σώματος hoc eſt, ea quæ per corpus; quomodo legiſſe videntur Ambroſius, Syriacus interpres, Oecumenius, & Theophylactus. Quinetiam ita omnino legit Tertullianus, qui ſignificat ambiguum eſſe, vtrùm per corpus referendum ſit ad ſuperiora, an ad ea, quæ ſequuntur, ſic enim ſcribit[d]: *Vt vnuſquiſque* (inquit) *reportet per corpus ſecundùm quæ geſſit bonum, ſiue malum. Hoc iam quomodo legas, quære. quaſi turbate enim per hyperbaton ſtruxit; vtrùm ne quæ per corpus reportanda erunt. an quæ per corpus geſta ſunt: ſed etſi quæ per corpus reportanda ſunt, corporalis indubitatè reſurrectio eſt; & ſi quæ per corpus geſta ſunt, per corpus vtique penſanda ſunt, per quod & geſta ſunt.* Certè Oecumenius intelligit ea, quæ per corpus geſta ſunt ſiue bona, ſiue mala ſint in futuro iudicio compenſanda. Neque aliter accepit Auguſtinus[e]; ſic enim hunc locum refert: *Omnes enim aſtabimus ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque ſecundùm ea, quæ per corpus geſſit ſiue bonum, ſiue malum.* Eodémque modo hunc locum accipiunt Ambroſius, Hieronymus, Anſelmus, & alij. Theophylactus indicare videtur, vnumquemque recepturum in corpore prout geſſerit, ſiue bonum, ſiue malum. Cui ſententiæ fauere videntur verba illa Chriſti apud Ioannem[f]: *Et procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt in reſurrectionem iudicij.* Certè vtraque explicatio verum continet; prior

a De reſurr. carn. c. 41.
b lib. 4. c. 18.
c c. 41 apud Aug. t. 4.
d De reſurr. carn. c. 41.
e lib. de 8. quæſt. Dulc. q. 1. & de prædeſt. ſanct. c. 12.
f cap. 5. 29.

II. tamen videtur omnino præferenda, quam maximè probat Auguſtinus[g], ſic enim ſcribit: *Cur autem dictum eſt ſecundùm ea, quæ per corpus geſſit hominem iudicandum, cùm gerantur multa ſolo animo non per corpus nec per vllũ corporis membrũ, & plerumq; tam magna, vt talibus cogitationibus pœna iuſtiſſima debeatur, ſicuti eſt & alia taceã quod dixit inſipiẽs in corde ſuo, non eſt Deus? Quid eſt ergo ſecundùm ea, quæ per corpus geſſit, niſi ſecundùm ea, quæ geſſit eo tempore, quo in corpore fuit, vt per corpus intelligamus corporis tẽpus? Poſt corpus autẽ nemo erit in corpore niſi reſurrectione nouiſſima, non ad vlla merita comparanda, ſed ad recipienda pro bonis meritis præmia, vel pro malis luenda ſupplicia. Hoc autem medio tempore inter depoſitionem, & receptionem corporis, ſecundùm ea, quæ geſſerunt per corporis tempus, ſiue cruciantur animæ, ſiue requieſcunt.* Accedit quòd quanquam negandum non eſt nonnullam mercedis, ac præmij particulam ad corpus pertinere, præcipua tamen remuneratio eorum, quæ quiſque geſſit in vita ineſt in animo. atque ita non tam verum eſt præmium percipiendum eſſe per corpus, quàm eorum, quæ quis geſſit in corpore compenſationem reddendam eſſe. Vulgatus verò interpres, quem ſequuntur Hieronymiani commentarij, Primaſius, Anſelmus, & alij, vel legit Græcè τὰ ἴδια, id eſt, propria vel ad ambiguitatem orationis tollendam propria corporis dixit, vt ſignificaret ea, quæ quis geſſiſſet in corpore. Quod ſequitur, *prout geſſit ſiue bonum ſiue malum*, ad maiorem explicationem pertinet; nam bono quidem reddetur præmium, malo verò ſupplicium.

g De præ'eſt. ſanct. c. 12.

Scientes ergo timorem domini, &c. Cùm 11. I.

igitur, ait, hoc nobis ſemper in animo verſetur, ita vi-
tæ noſtræ rationes partimur, vt dum Apoſtolicu mu-
nere perfungimur Deo primùm, tum verò etiam ho-
minibus, præcipuè autem vobis Corinthus omni ex
parte ſatisfaciamus. *Scientes autem* (ait) *timorem Domi-
ni*. Formidabile illud Dei iudicium timorem, ſeu ter-
torem vocat, quod ſit maximè formidandum. Sic[a]
a cap. 1. 25. Iob: *Timor, quem timebam, euenit mihi*. Et Iacob [b]: *Ti-*
b Gen. 31. 51. *mor* (ait) *Iſaac patris mei*, id eſt, Deus, quem Iſaac pater
meus religioſè colebat, ac venerabatur; eſt enim me-
tonymia, qua res effecta pro cauſa ponitur. *Hominibus*
(ait) *ſuademus*. Atqui in epiſtola ad Galatas [c] planè in-
c cap. 1. 10. dicat contrarium. *Modò enim* (ait) *hominibus ſuadeo, an
Deo* quaſi dicat, ſe non hominibus ſed Deo ſuadere;
hoc eſt interprete Auguſtino non ſibi curæ eſſe, vt
ſuas actiones hominibus, ſed Deo probet. Hoc au-
tem loco Chryſoſtomus, & Thodoretus, itémque
Oecumenius, & Theophylactus ſuadere idem eſſe pu-
tant, quod ſatisfacere, & offenſionem, ac ſcandalum
amouere. Conamur, inquit, quantũ in nobis eſt ita no-
ſtro munere fungi, vt nemo nos iure reprehendere,
aut accuſare queat. Malim ego quod in paraphraſi
poſui, hæc de Euangelij promulgatione accipere,
quod ſubindicat Ambroſius. *Suademus* (ait) *vt credãt,
& prouideant, ne incurrant, & tunc pœniteant quando
pœnitentia fructum non habet*. Eodem modo explicant
Hieronymus, Primaſius, Anſelmus. Propoſitu nam-
que ſeuero Dei iudicio, ad fidem, & pœnitentiam fa-
11. cilè homines adducuntur. Porrò Oecumenius aliam
quandam indicat explicationem, vt Græcè legamus
πείθωμεν; non *πείθομαι*, id eſt, vt ſuadeamus, quaſi ad-
hortantis, atque monẽtis ſit, vt ſe ad ſuũ munus exer-
cendum impelli dicat, quod animo ſedulò verſet for-
midandum illud Dei iudicium. Quanquam autem
(inquit) non deſunt qui ſtudia & actiones noſtras ali-
quo modo carpant; Deo tamen mentium inſpectori
cuncta ſunt nota, & perſpicua; hoc enim eſt, quod
ait; *Deo autem manifeſti ſumus*. Græcè *πεφανερώμεθα*, id
eſt, *manifeſtati ſumus*. Iam pridem ille omnes ſenſus, &
cogitationes noſtras probè intelligit quid potiſſimum
ſpectemus, quo noſtra conſilia referantur, quaſi dicat
d 1. Cor. 4. 3. quod ſuperiori Epiſtola [d] planiùs ſcripſerat: *Mihi autẽ
pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die; ſed
neque me ipſum iudico; nihil enim mihi conſcius ſum, ſed
non in hoc iuſtificatus ſum: qui autem iudicat me Domi-
nus eſt*. Subdit: *Spero autem & in conſcientiis veſtris ma-
nifeſtos nõ eſſe*. Sic enim mihi perſuadeo, noſtras omnes
actiones ita prorſus probari, vt non modò nullum
nobis crimen, ſed ne criminis quidem ſuſpicio apud
vos obeſſe queat. Eſt autem hoc etiam loco Græcum
verbum *πεφανερῶσθαι*, quod ſignificat, manifeſtatos
eſſe; quo verbo nõ tam indicat palàm fieri quidpiam,
quàm certis, miniméque dubiis rationib. probari, vt
nulla queat ratione diſſimulari. Poſſunt autem hæc de
omnibus Apoſtolis, & legitimis Euãgelij miniſtris ac-
cipi, vt accepiſſe videtur Ambroſius, qui vnã Dei glo-
riam, & proximorum vtilitatem ſpectarent. vero ta-
men ſimilius eſt, loqui Paulum de ſe ipſo, quem (vt
ſæpe iam monui) multi apud Corinthios calumnia-
bantur; nam quæ mox ſequuntur de Paulo neceſſariò
intelligenda ſunt, ait enim:

12. NON ITERVM COMMENDAMVS, &c.
I. Quoniam viſus erat ſuam vitæ, docendique ratio-
nem extollere, ambitionis, & iactantiæ ſuſpicionem
amouet; *Nihil enim* (vt ait Chryſoſtomus) *perinde au-
ditorũ animos offendit, vt cùm quis magna, & eximia
quædam de ſe prædicat*. Non igitur (ait) ſuperiora à
nobis cõmemorata ſunt, vt ex iis vel minima ad nos
laudis particula redeat: veſtra cauſa ea commemora-
ui. *Occaſionem* (inquit) *damus vobis gloriandi pro
vobis*. Hoc eſt, vt habeatis, vnde meritò gloriari

A poſſitis, vt qui ab eo in fide, & doctrina Chriſtiana
eruditi, inſtitutique ſitis, in quem nulla meritò cadat
reprehenſio. Quod ſequitur; *vt habeatis ad eos, qui in
facie gloriantur, & non in corde*; obſcurè dictum vide-
tur. cũ enim inabſoluta ſit oratio, & aliquid omnino
ſubaudiendũ ſit, non ſatis conſtat quid intelligendũ
videatur. Oecumenius ita ſententiam explet. *Vt ali-
quid habeatis, quod in noſtri defenſionem reſpondeatis, ali-
quid, quod dicatis; aliquid, quo gloriemini*, & omnino
aliquid ſimile ſubaudiendum eſt. Rectè autem mo-
net Ambroſius, hanc Pauli orationem eſſe Corinthio-
rum moribus accommodatam, vt qui magiſtrorũ ſuo-
rum laudes magnopere celebrarent, quaſi inde non-
nihil gloriæ in ſe ipſos redundaret. Itaque aptè dare
ſe dicit iis materiã gloriandi, idque neceſſitate quadã
B compulſus, ne ſuo ſilentio illis obeſſet. *Ad eos* (inquit)
qui in facie gloriantur, & non in corde. Pſeudoapoſtolos
intelligit, eóſque non leuiter perſtringit, quod à rebus
tantùm externis gloriam aucupãtes popularem plau-
ſum & priuatam vtilitatem, nõ animarum ſalutem, &
Dei gloriam quærerent, *itaque gloriari in facie*; Græ-
cè *ἐν προσώπῳ*, eſt gloriari in iis, quæ ſub aſpectum
cadunt, non in veris, ſolidiſque virtutibus, quæ
ſedem habent in animo, quæ eſt Chryſoſtomi; &
Theophylacti ſententia, quam in paraphraſi ſecuti ſu-
mus. Theodoretus putat hypocriſim notari, quòd alia
quidem ſentirent, alia verò loquerentur. neque aliter
Oecumenius. *Perſonam quidem* (ait) *habebant pietatis,
C ac ſanctimoniæ, bonis autem operibus vacui erant: hoc
enim eſt, quod addit: Et non in corde, eo quod intus nihil
haberent boni*. 14 I.

SIVE ENIM MENTE EXCEDIMVS, &c. 13. I.
Senſus eſt ſiue de nobis magnificè loquimur, id pro-
fectò vobis Dei cauſa facimus, ne vos (vt ait Chryſo-
ſtomus) dum de nobis humiliter demiſſéque ſenti-
tis, noſque adeò pro nihilo ducitis, à Pſeudoapoſto-
lis in fraudem, atque errorem inducamini. Sin autem
nos moderatos quis, ac ſobrios iudicat, hac noſtra
modeſtia ad priuatam ſuam vtilitatem, & com-
modum vtatur, & diſcat arrogantiam, & iactan-
tiam fugere. Cæterùm quod ait interpres; *mente
excedimus Deo*; Græcè eſt *ἐξέστημεν θεῷ*, quaſi di-
cat rapti ſumus extra nos, & fortaſſe, vt habent
D nonnulli codices, interpres ſcripſit, *excedimus*; quaſi
dicat, ſiue inſanimus, ſiue ſani ſumus; ſiue deſipimus,
ſiue ſapimus, ita Syriacus. *ſiue inſanimus Deo, ſiue
rectè agimus nobis*. Certè noſter interpres apud Mar-
cum [a], vbi eſt idem verbum *ἐξέστη*, Latinè dixit, *in fu-* a cap. 3.
rorem verſus eſt: quem ſenſum hic etiam locus ne-
ceſſariò poſtulat. Loquitur enim Paulus ex Corin-
thiorum ſententia, qui eum furere, & inſanire exiſti-
mabant, qui ſuas laudes prædicaret. Siue ergo (ait)
veſtra opinione inſanio, hæc profectò diuina quæ-
dam amentia eſt, quia cœleſti repletus Spiritu, diui-
na patior. Et ob eam cauſam meritò illi opponit *σω-
φρονοῦμεν*, id eſt ſapimus, vel, vt ait Ambroſius, *ſanum
ſapimus*, atque illam moderationem retinemus,
quam maximè probatis ipſi. Auguſtinus [b] hunc ex- b In Pſ. ... c lib. ... d In ...
ceſſum refert ad extaſim. Alibi [c] verò pro *ſobrij ſumus*
E legit, temperantes ſumus. Sanè quoniam Plato [d] qua-
druplicem furorem conſtituit, vatum, myſtarum,
poëtarum, & amantium. Theophylactus de hac II.
Pauli inſania in hunc modum ſcribit: *Inſaniebat
itaque Paulus amatoriam inſaniã Dei dilectus, ac ama-
toris inſtar illi viuens, nempe Deo extra ſe ipſum raptus,
ac totus in Deum translatus, nec ſuam ipſius vitam
viuens, ſed eius quem amabat, amatoriam planè, ſeu
(ſit venia dictioni nouæ) dilectoriam*. Itaque ſi quid Pau-
lus gloriatur, id non ad ſuam, ſed ad Dei gloriam
pertinet: ſi modeſtè de ſe, ſuiſque rebus loquitur, id
aliorũ imbecillitati tribuit, quorũ ſeſe vtilitati penitus
accom-

a Bed. lect. | accommodat. Quocirca rectè Auguſtinus[a]: *Quid eſt* (ait) *mente exceſſimus Deo? Vt illa videamus, quæ non licet homini loqui. Quid eſt temperantes ſumus vobis? Non* (inquit) *iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum* b ſer. 205. *Chriſtum, & hunc crucifixum.* Et [b] alibi, *Quod autem mente exceſſimus Deo, vos capere non poteſtis, exceſſimus enim omnia iſta carnalia, vos adhuc carnales eſtis. Deo ergo mente exceſſimus, & quod vidimus cum mente excedimus, effari non poſſumus.* Et aliquantò pòſt: *Quid eſt temperantes ſumus? Sic loquimur, vt capere poſſitis, quia & Chriſtus talem ſe fecit naſcendo, & patiendo, vt poſſent de illo homines loqui.* Quæ tamen vt ingenioſè dicuntur; & ſenſum verborum, ſi ab hoc contextu auellantur vtcumque explicant, ad mentem tamen Apoſtoli non ſatis videntur pertinere, qui vt oſtenſum eſt de ſe ipſo, déque ſua ratione docendi, loquendíque agit. Et (vt ait Oecumenius) inſaniam vocat ſuarum laudum iactantiam. Siue ergo res à nobis præclarè geſtas prædicamus, id profectò ad vnius Dei gloriam, atque honorem refertur vel ad veſtram ſalutem quæ maximè Deo placet, *ſiue ſobrij ſumus vobis*, hoc eſt, ne vos aliqua ratione offendam, ne admirationis aut obtrectationis materiam præbeam. Photius paulò aliter: *Siue enim* (inquit) *quiſpiam inſanire nos dixerit, id profectò Dei non veſtro iudicio definiendum eſt; ſiue ſobrij ſumus, hoc eſt, cenſemur aliquid ſapere, vobis profectò noſtra potiſſimùm qualiſcumque ſapientia perſpecta eſt.* Verùm quod diximus in paraphraſi retinendum videtur.

14. I. CARITAS ENIM CHRISTI VRGET NOS, &c. Cótinent hæc nó modò proximæ ſuperioris ſententiæ, ſed omnium, quæ hactenus dixerat rationem. Caritatem autem Chriſti vocat, ſiue qua ille nos complectitur, ſiue qua nos illum viciſſim diligimus. Vtraque enim iuſtorum animos miro quodam modo poſſidet, atque occupat totos ſuóque diuino afflatu correptos impellit, & extimulat ad mira quædam, & humana fide maiora efficienda, vt minimè mirum ſit, nos interdum videri vobis inſanire, & diuino quodam furore agi, interdum verò moderatè de nobis & ſentire, & loqui, vtrumque enim pro rerum, locorum, ac temporum opportunitate ſuadet caritas. Et quidem Theodoretus caritatē intelligit, qua Paulus Chriſtum Dominū proſequebatur. *Incendimur* (inquit) *dilectione in Chriſtum, reputantes quòd cùm nos omnes eſſemus morti obnoxij, ſolus pro nobis mortem ſubiit, vt Spiritus vitam nobis procuraret: qua de cauſa iuſtum exiſtimauimus ei viuere, & noſtram vitæ rationem ex eius legibus inſtituere; etenim nos ei hoc debemus.* At verò Oecumenius, Ambroſius, & alij, quos in paraphraſi ſecuti ſumus, de vtraque caritate interpretantur, vt ſenſus ſit; caritas, qua genus humanum Chriſtus complexus eſt, miro nos eius amore inflammat, vt quemadmodum ille pro omnium ſalute mortem obiit; ita nos nullum laborem, nullum periculum pro hominum ſalute formidemus; ſic enim nobis perſuaſum eſt, quoniam Chriſtus pro omnibus mori non recuſauit, cunctos mortales vita gratiæ fuiſſe deſtitutos, & ſempiternæ morti obnoxios. Nam (vt rectè monet Chryſoſtomus) niſi omnes mortales periiſſent, nihil erat neceſſe Chriſtum pro omnibus mortem oppetere. Chriſti igitur in omne genus hominum caritas diuini in nobis amoris ignem accendit, quo ita inflammamur, vt dum pro veſtra, aliorúmque ſalute laboramus, nullam partem capiamus quietis. Porrò quòd interpres ait; *Vrget nos*; Græcè eſt *συνέχει*, hoc eſt, conſtringit, ſeu compellit. Oecumenius *continet*, inquit, *nos in officio, & impellit, nec ſegnes eſſe ſinit ad labores pro vobis aſſumptos.* Eodem modo explicat Theophylactus. Mox verò quod ſequitur: *Exiſtimantes hoc,*

A quia Græcè legimus *κρίναντας*, Ambroſius, & Auguſtinus [a] interpretantur; *iudicantes*; Syriacus, *Qui hoc* (inquit) *meditamur.* Senſus eſt, qui ſtatuimus, ac pro certo ponimus, Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, atque adeò cūctos mortales ſempiternæ fuiſſe morti obnoxios. Cæterùm non aſſentior Anſelmo, qui ait II. Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus, id eſt, pro prædeſtinatis, quaſi nō pro aliis mortuus ſit. Tametſi enim nō nego, perſeuerantiā & gloriam, hoc eſt præcipuum eius mortis fructū ad prædeſtinatos tantūmodo pertinere: quod fortaſſe innuet Anſelmus. certum tamen eſt, alios etiā omnes magnū omnino fructū ex Chriſti morte percipere; omnis enim gratia quæ mortalibus quoquomodo tribuitur, à Chriſti meritis pendet, id quod non obſcurè ſignificauit Ioānes cùm dixit[b]: B *De plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia; & lex per Moyſem data eſt; gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Et Cyrillus [c] Alexandrinus dixit, quidquid boni conſequuntur homines poſt primi parentis lapſum Chriſto liberatori acceptum eſſe referendum. Malè verò colligeret Paulus; ſi Chriſtus mortuus eſt pro prædeſtinatis, ergo omnes mortui ſunt. Nam ſi de prædeſtinatis duntaxat hoc accipiendum eſſet, videretur indicare quod planè falſū, atque abſurdū eſt reprobos nō fuiſſe mortuos: at ſi abſolutè intelligatur Chriſtus pro omnibus mortuus, rectè concluditur, *ergo omnes mortui ſunt*. ita Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophyl. & præcipuè Auguſt[d]. C *Omnibus enim* (inquit) *bonum eſt audire vocem eius, & viuere, & ad vitam pietatis ex impietatis morte tranſire, de qua morte ait Apoſtolus: Ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt vnus, vt qui viuunt iam non ſibi viuant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. Omnes itaque mortui ſunt in peccatis nemine prorſus excepto ſiue in originalibus, ſiue etiam voluntate additis, vel ignorando, vel ſciendo, nec faciendo quod iuſtum eſt; & pro omnibus mortuis viuus mortuus eſt vnus, id eſt, nullum habens omnino peccatum, vt qui per remiſſionem peccatorum viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei, qui pro omnibus mortuus eſt propter peccata noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.* Hoc enim eſt, quod ſubdit Apoſtolus:

ET PRO OMNIBVS MORTVVS EST, &c. 15. I.
D Mors Chriſti vitam gratiæ omnibus attulit, modò quis ei ſeſe fidei beneficio, & Sacramentorum efficacitate adiungat. Conſequens igitur eſt (ait Chryſoſtomus) vt qui hanc vitam à Chriſto hauſerunt, illam ei acceptam referant, nec ſibi, aut ſuis commodis, ſed vnius Chriſti voluntati, atque imperio viuant, eique ſeſe totos accommodent, penitúſque ſubiiciant. Obſeruat autem Chryſoſtomus, duo eſſe hoc loco ſpectanda; alterum quòd Chriſti beneficio viuimus; alterum quòd ille noſtra cauſa mortem obiit. *Quorum* (inquit) *vtrumque vel ſeorſim conſideratum tanti momenti eſt, vt nos ei obnoxios, atque obſtrictos reddere queat. Cum autem ambo in vnum confluant, cogites velim quanto ei beneficio ſis deuinctus.* Mox verò tertiū addit Chriſti beneficium, quòd ſe ipſum quaſi noſtræ naturæ primitias à morte ad vitam reuocauit. Quæ E omnia paucis complexus eſt Oecumenius. *Tres* (inquit) *ſunt debitæ occaſiones, propter quas oportet, nos conari, vt omnia propter Dominum faciamus; vna quoniam ipſe nos formauit; altera quia propter nos mortuus eſt; tertia quia primitias noſtras, hoc eſt, ſuam propriam carnem propter nos reſuſcitauit, & in cœlos introduxit, vt & te illuc introduceret, vbi ſunt primitiæ tuæ.* Deinde ſubdit: *Vide quò ſermonem deduxerit; nam quæ omnino fuiſſet diuino verbo neceſſitas, vt humanitatem aſſumeret, ac incarnaretur, niſi hoc prouide exegiſſet, & per hoc procuranda fuiſſet noſtra reparatio, ac reſurrectio?* Hæc autem eò ſpectant, vt doceat Apoſto-

lus

a lib. 11 contra Fauſt. c. 8.

b cap. 1. 16.

c lib. Theſau. c. .

d lib. 20 de Ciuit. c. 6 Pene eadem lib. 6 contra Iulian. c. 4.

lus res aduerſas forti, & conſtanti animo toletandas eſſe. Colligunt autem Chryſoſtomus, & Theophylactus, quod modò ex Oecumenio docui, nullam fuiſſe aliam cauſam, quæ Chriſtum ad mortem ſubeundam impulerit, niſi vt nos ab interito vindicaret; quod quidem (vt ait Chryſoſtomus) magnæ, planéque ſingularis caritatis argumentum fuit, & perſimilem exigit à nobis beneuolentiam, quam (vt ait Ambroſius) egregiè olim præſtiterunt Apoſtoli, dum pro hominum ſalute ſtrenuè laborarunt, & pro Chriſti fide aſſerenda, defendendáque fortiter occubuerunt. Et quanquam hi præcipuè de morte Chriſti loquuntur, Oecumenius tamen de ipſa etiam incarnatione agit, negátque circumſcripta, humanæ naturæ neceſſitate vllam fuiſſe cauſam, cur Verbum Dei humanam naturam aſſumeret, de qua re alibi fuſiùs diſputo. Certè qui ita ſentiunt, mirificè diuinam in omne genus hominum caritatem extollunt.

16. ITAQVE NOS EX HOC NEMINEM, &c. Ex
1. ſuperioribus aptè infert, neminem fidelium viuere ſecundùm carnem: ita enim ex Chryſoſtomi ſententia hunc locum explicant Oecumenius, & Theophylactus: nam Oecumenius quidem ait: *Quoniam igitur omnes mortui erant peccato, & viuunt propter Chriſtum, neminem agnoſcimus, qui viuit ſecundùm carnem, hoc eſt, iuxta veterem conuerſationem, quæ erat in peccatis; huiuſmodi enim mors eſt, & non vita: at nunc qui verè viuunt, ſecundùm Spiritum viuunt, regenerati namque ſunt per Baptiſmum, ideo quoque nouam habent vitam, & non veterem.* Theophylactus verò: *Quia omnes* (ait) *occiſi à peccato reuiximus, & viuificati ſumus per Chriſtum per Baptiſma, meritò neminem nouimus fidelium* (inquit) *ſecundùm carnem viuentem, hoc eſt iuxta veterem & carnalem vitam; omnes enim ſpiritu regenerati, nouam, & ſpiritualem vitam auſpicantur, ducúntque.* Eodem modo explicant Ambroſius, & Anſelmus. Primaſius autem paulò aliter accipit, perinde quaſi Apoſtolus contrà quàm facerent Pſeudoapoſtoli, neget, Iudæorum exempla ſequenda eſſe, quaſi dicat, neminem ſequimur *carnaliter circumciſum, & carnale Sabbatum obſeruantem.* Verùm Chryſoſtomus ait illud; *ſecundùm carnem*; ambiguè ab Apoſtolo poſitum eſſe; cùm enim refertur ad homines idem eſt, quod in peccatis; cùm verò refertur ad Chriſtum, nihil ſignificat aliud, quàm mortalitatem, & mortalis corporis affectiones; vt dicat Apoſtolus, non ſe quemquam fidelium noſſe, vel potiùs probare; qui ſeſe vitiorum, ac flagitiorum vinculis obſtringat, ac ne noſſe quidem Chriſtum priſtinæ mortalitati obnoxium, & quidem quod ait Apoſtolus; *Etſi cognouimus ſecundùm carnem Chriſtum, ſed nunc iam non nouimus*; pertinere ad gloriam corporis Chriſti, quaſi non cognoſcamus nunc mortali corpore præditus; conſtans eſt omnium veterum Patrum ſententia: ita enim præter Chryſoſtomum hunc locum explicant Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, Cyrillus [a], Epiphanius [b] Diaconus, Ambroſius, Auguſtinus [c], Leo [d], Ionas [e] Aurelianenſis, Anſelmus, & alij. Nos tamen in paraphraſi eodem modo explicuimus illud, *ſecundùm carnem*; ſiue cùm de hominibus, ſiue cùm de Chriſto loquitur Apoſtolus, quaſi *ſecundùm carnem* ſit ſecundùm externam ſpeciem, quæ oculis obijcitur, quam tamen Corinthij plurimi faciebant qui eloquentiam ſapientiam, cæteraque eiuſdem generis ornamenta ſuſpiciebant, atque admirabantur. Nos quidem (inquit) neminem ex his facultatibus ſpectamus, hæc omnia nullo loco habemus; ſed proruſus pro nihilo ducimus vſque eò, vt ne illa quidem in Chriſto magnifacienda eſſe cenſeamus, quem non vt olim cùm verſabatur in terris tanquam eximiũ præſtantémque aliquem hominem, ſed tanquã Deũ, non corporeis oculis, ſed mentis acie contemplamur. Videtur enim hæc omnis oratio eò pertinere, vt doceat Paulus, ſe nihil, niſi diuinum cogitare, aut ſapere; neque ſe ea ſuſpicere, aut admirari, quæ hominibus ſpecioſa viderentur, tantum abeſſe, vt ſe eo nomine apud illos iactet. Cùm igitur de ſuo munere, rebúſque à ſe præclarè geſtis loquitur, non ſuas laudes prædicat, ſed diuinam vim, ac poteſtatem, quoad eius fieri poteſt, celebrat, & extollit. Quamobrem quod de circumciſione, déque legis cæremonijs ſcribit Primaſius, non videtur ad rem; neque enim cum ſuperioribus, aut cũ ſequentibus cohæret. Chryſoſtomi verò, aliorúmque Patrum ſententia ad hæreticorũ calũnias refellendas ſapiẽter videtur excogitata, & cũ ſuperioribus vtrumque cohæret: cùm enim dixiſſet, Chriſtũ pro omnibus mortuum eſſe, *vt qui viuunt iam non ſibi viuant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, ac reſurrexit*, rectè infert neminem fidelium, qui tam eximium, ac ſingulare Chriſti beneficium agnoſcunt, viuere *ſecundùm carnem*; hoc eſt ſuis cupiditatibus obſequi, quemadmodũ neque Chriſtus, qui à mortuis reſurrexit, mortalẽ, vt olim vitam viuit; vt hæc ſententia ei perſimilis videatur, quæ eſt in epiſtola ad Romanos [a]: *Quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* quaſi dicat Apoſtolus; neminem nouimus fidelium, qui non vitæ nouæ quandam rationem inſtituerit; quemadmodum Chriſtus poſita mortalitate, vitam agit immortalem. Cæterùm quod in paraphraſi poſuimus, magis videtur ad mentem Pauli, qui paulò antè dixerat: *non iterum commendamus nos vobis, ſed occaſionem damus vobis gloriandi pro nobis*: quibus verbis ſe quodammodo Pſeudoapoſtolis oppoſuit. Deinde addidit: *ſiue mente excedimus Deo, ſiue ſobrij ſumus vobis*; ſignificans, ſe nihil niſi Dei gloriam, & proximorum vtilitatem quærere. Tum propoſita Chriſti caritate ſe quodammodo eius æmulum, & imitatorem profitetur, indicátque Chriſti caritatis fructum eſſe vitam ſpiritalem; vnde colligit exteriorem rerum ſpeciem non eſſe magnifaciendam, cùm ne in Chriſto quidem poſt eius in cœlum aſcenſum, eorúmque magna ſit habenda ratio, cùm potiùs diuinitatis eius gloria, & maieſtas ſpectanda ſit, vitaque illa immortalis, quam nos optare, ac ſperare debemus. Porrò olim Iconomachi, quod & faciunt huius ſæculi hæretici, hoc teſtimonio abutebantur ad Chriſti imagines reijciendas, perinde quaſi nefas eſſet, corporeas Chriſti imagines pingere, quod illæ mortalem illum, cruci affixum, atque alijs calamitatibus obnoxium referrent. Rectè autem Patres reſpondent, nihil aliud Paulum ſignificare, quàm Chriſtum, qui olim mortalis erat, nunc quidem immortalitate perfrui, quemadmodum [b] alibi ſcripſit: *Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Quòd enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel; quòd autem viuit, viuit Deo.*

17. SI QVA ERGO IN CHRISTO NOVA, &c.
1. Optimè Chryſoſtomus nouum putat afferri argumentum ab ipſa rerum natura ductum, vt Corinthiorum animos à rebus humanis, quæ ſub ſenſum cadunt, penitus auocet, & ad ſpiritales, cæleſtes, ac ſempiternas traducat: ſiquidem propoſuerat prius Chriſti caritatem, quæ ad id magnam omnino vim habet, iam verò ab ipſa fidelium viuendi ratione argumentatur. *Si qua igitur* (ait) *noua creatura.* Græcè, ὥστε εἴ τις ἐν Χριστῷ καινὴ κτίσις, hoc eſt, interprete Ambroſio [c], *ſi quis eſt in Chriſto noua creatura.* Neque

a Vij. ſyn. Act. 6. tom 4. b Vij. ſyn. Act. 6. tom 4. c lib. 11 cont. Fauſt. c 7. d Serm. 2. de reſurr. e lib. 1 de cul. imaginum.

a cap. 6. b ad Rom. 6. 9. c lib. 1 epiſt.

que aliter accipiunt Oecumenij, & Theophylacti interpretes, omninóq; ita videntur intellexiſſe Chryſoſtomus, & Theodoretus: eodémque modo locũ hũc citat Origines[a]. *Omnis ergo* (inquit) *ſecundùm Apoſtolum qui in Chriſto eſt noua creatura.* Vt enim Chryſoſtomus, Oecumenius, & Theophylactos explicãt, qui Chriſti fidem complectuntur, eius diuina gratia imbuti, nouam quandam, & recentem, ac planè cœleſtem vitæ rationem inſtituunt, meritóque nouæ creaturæ nomine cenſentur, quia vi quodammodo diuini Spiritus cœlitus naſcuntur. Creaturæ porrò nomen (vt adnotat Chryſoſtomus) inſignem quandam, ac vehementem mutationem indicat. Porrò, vt aliàs dixi, rectè iuſtificatio creationi comparatur; quemadmodum enim id creari dicitur, quod ex nihilo profertur abſque vlla creatæ naturæ efficientia, ita qui iuſtificantur abſque vllis propriis meritis à præueniẽte gratia efficaciter excitantur, & mouentur ad iuſtificationis gratiã capeſſendam. Si quis igitur, ait, hanc nouam vitam Chriſti beneficio adeptus eſt, neceſſe profectò eſt illum priſtinæ vetuſtati nuntium remittere, & vetera omnia ſempiterna quadã obliuione obruere; hoc enim eſt, quod ait, *vetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia noua; vetera* (inquit Chryſoſtomus) *tranſierunt; hoc eſt, peccata, & impietates, vel etiam Iudaica ceremoniæ.* Sic etiam Oecumenius, & Theophylactus, neque aliter Theodoretus: crediderim potiùs Pauli verba latiùs patere, & vetera quidem id omne ſignificare, quod ad veteris hominis conditionem ſpectant; noua verò ad ea referri, quæ ad vitam ſpiritalem, &

II. immortalem pertinent. Chryſoſtomus autem obſeruat magnam Apoſtolici argumenti vim. cùm enim paulò antè bona illa propoſuiſſet, quæ futura ſperamus; nunc quæ iam fideles adepti ſunt his verbis indicat: *Facta ſunt omnia noua.* Videri poſſet alluſiſſe Apoſtolus ad Iſaiæ, & Ieremiæ oracula; ita enim ſcripſit alicubi Iſaias[b]: *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini, ecce ego facio noua.* Et Ieremias[c]: *Nouate vobis nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas.* Simile quiddam ſignificauit Chriſtus apud Matthæum[d] cùm dixit: *Nemo autem immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus; tollit enim plenitudinem eius a veſtimento, & peior ſciſſura fit; neque mittunt vinum nouum in vtres veteres, alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt; ſed vinum nouum in vtres nouos mittunt, & ambo conſeruantur.* Quanquam enim Chryſoſtomi ſimilitudines non eodem modo accipiuntur ab omnibus; indicant tamen (vt Euthymius, & Theophylactus ſignificãt) cuique vitæ generi ſuos eſſe mores aptãdos; quod ipſum hoc loco perſuadere nititur Apoſtolus, quaſi dicat, alios mores alia vita poſtulat, noua vita nouas exigit cogitationes, noua conſilia: nec me tamen fugit Tertullianum[e], dum aduerſus Marcionem diſputat, hæc de veteri, ac nouo Teſtamento accipere, magis tamen contra hæreticos argutè, quàm ad Pauli mentem.

a Hom. 12. in Leuit.
b cap. 43. 18.
c cap. 4. 3.
d cap. 9. 16.
e lib. 4. in Marc. c. 1. & 11.

18. Omnia avtem ex Deo, qvi, &c.

I. Ne quis ſibi vitæ, morúmque nouitatem quaſi ſuis meritis partam arrogaret; *Omnia* (inquit) *ex Deo. Nihil à nobis* (ait Chryſoſtomus) *profectum eſt; nam peccatorum condonatio, & adoptatio, & omni ſermone præſtantior gloria ipſius munere nobis conceſſa eſt.* Et Oecumenius: *Neque enim* (inquit) *nos ad eum accurrimus, ſed ipſe nos vocauit, per cædem, ac immolationem filij ſui* & (vt alibi doceo) diuinæ vocationi omnia tribuenda ſunt, quippe illa, vt Auguſtinus[f] loquitur, eſt effectrix bonæ voluntatis; illa aufert cor lapideum, & largitur cor carneum, illa denique dat ſpiritum nouum in medio noſtri: atque idcirco meritò dixit Apoſtolus; *Omnia ex Deo. Qui nos* (in-

f l. 1. ad Simpl. q. 2.

A quit) *ſibi reconciliauit per Chriſtum.* Ex hoc enim fonte, vt idem Chryſoſtomus ait, omnia ad nos bona profluxerunt; nam qui nobis Dei Patris gratiam conciliauit, idem aliorum bonorum eſt auctor quæ Deus Opt. Max. hominum generi vniuerſo largitus eſt. Duplici autem ex capite diuinæ huius beneficientiæ magnitudo augetur, & quòd Deus ipſe vltrò nos in amicitiam admiſit, & quòd ad id non naturam creatam, ſed vnigenam ſuum filium tanquam ſequeſtrem, ac mediatorem adhibuit. *Et dedit nobis miniſterium reconciliationis.* Chriſtus quidem humanum genus Deo Patri conciliauit, perſoluto noſtræ redemptionis pretio; ſed eius reconciliationis fructus hominum miniſterio, atque opera ſingulis conceditur. quod vt Chryſoſtomus, aliique Græci explanatores obſeruant,

B geminum continet diuinæ liberalitatis beneficium, tum quod miſeri mortales poſt Chriſti in cœlum aſcenſum, non ſunt à Deo penitus deſtituti, ſed Apoſtolorũ eorumque ſucceſſorum curæ, prouidentiæque commiſſi; tum verò etiam quòd ipſi Apoſtoli, & Apoſtolorum ſucceſſores penè incredibilem, atque ipſis etiam beatis mentibus admirabilem adepti ſunt dignitatem. *Dedit* (inquit) *miniſterium reconciliationis*, Græcè δέδωκεν ἡμῖν τὴν διακονίαν τῆς καταλλαγῆς. Et paulò pòſt, τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς, auctoritatem abſoluendi, per Sacramentum pœnitentiæ quidam interpretantur, qui rem quidem veram, minimè tamen ſuo loco dicunt: quorſum enim id nunc Paulus? Igitur prædicatio-

C nem Euangelicam miniſterium, & verbum reconciliationis appellat, de qua mox: *Pro Chriſto ergo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos: obſecramus pro Chriſto reconciliamini Deo.* Huc enim omnis Apoſtolica functio refertur, vt cuncti mortales cum Deo in gratiam redeant, idque omnibus Apoſtolorum ſucceſſoribus potiſſimùm ſpectandum eſt, quos his verbis alicubi affatur[a] Apoſtolus: *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Quo etiam ſpectat linteum illud magnum, *in quo erant omnia quadrupedia & ſerpentia terræ, & volatilia cœli*, quod olim Petro cœlitùs oſtenſum eſt, vt ex Origene[b], Ambroſio[c], Auguſtino[d], Gregorióque[e] colligitur.

D Quod enim dicitur, *Occide, & manduca*, hanc de qua loquitur Apoſtolus, reconciliationem ſignificat. *Occidendi* (inquit Auguſtinus) *erant, & manducandi, id eſt, vt interficeretur in eis vita præterita, qua non nouerant Chriſtum, & tranſirent in corpus eius tanquam in nouam vitam ſocietatis Eccleſiæ.* Et multò apertiùs Gregorius[f]: *Rectè namque ait, Eccleſiam leænæ comparari, quia malè viuentes in vitiis ore ſanctæ prædicationis interficit; vnde, & ipſi primo paſtori quaſi huius leænæ ori dicitur; macta, & manduca; quod mactatur quippe à vita occiditur, id verò quod comeditur in comedentis corpore commutatur. Macta ergo, & manduca dicitur, id eſt, à peccato eos, qui viuunt interfice, & à ſe ipſis illos in tua membra conuerte.* Atque hac ratione Apoſtolo-

E rum opera Deo conciliamur. Exclamat autem hoc loco Oecumenius his verbis: *O profundam, immenſámque benignitatem, ac humanitatem: non enim poſtquam filium ſuum legatum ad reconciliationem miſerat, & ille interemptus fuerat deinceps nos neglexit; ſed filio quoque mortuo nobis Apoſtolis rurſum credidit miniſterium reconciliationis.* Porrò rectè Apoſtolus miniſterium, & verbum reconciliationis vocat; nihil enim aliud homines præſtant, præter doctrinam, adhortationem, Sacramentorũ denique adminiſtrationem; at Deus ipſe gratiam, & iuſtitiam largitur, qua primùm animum ſerit, atque immutat, mox etiam

Verſ. 20.
a Act. 20. 28.
b Hom. 7. in Leuit.
c Serm. 2. de Nat. Apoſt.
d Serm. 26 de diuers. c. 7.
e lib. 11. mor. c. 16.
f lib. 18 mor. c. 10. aliàs 22.

etiam iuſtificat, vt exemplo Apoſtoli Pauli docet non ſemel Auguſtinus.

19. QVONIAM QVIDEM DEVS ERAT, &c.
I. Planior eſt ſuperiorum explicatio. Duo enim (vt diximus) Dei beneficia commemorauerat; & quòd nos in gratiam per Chriſtum admiſerat; & quòd Apoſtolos noſtræ ſalutis miniſtros eſſe voluit; vtrumque nunc his verbis iterat. *Deus* (inquit) *erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* Ipſe quippe Deus ab hominibus laceſſitus, vltrò nos ad ſe per Chriſtum adduxit. Dicitur autem fuiſſe in Chriſto multò aliter, vt monet Ambroſius, quàm in vicario, aut legato, & prophetis; ſed eo planè modo, quo Chriſtus ipſe apud Ioannem [a] dixit: *Quia Pater in me eſt, & ego in Patre. Pater enim* (ait Ambroſius) *per id intelligitur eſſe in filio, quòd vna eorum ſit ſubſtantia; ibi enim eſt vnitas vbi nulla eſt differentia, ac per hoc inuicem ſunt, quia, & imago, & ſimilitudo eorum vna eſt, vt videns filium, vidiſſe dicatur patrem, ſicut & ipſe Dominus ait, Qui videt me, videt & patrem.* Videntur autem tam Chriſti, quàm Apoſtoli verba accipienda eſſe de περιχωρήσει, quam noſtri immanentiam, & circumminceſſionem vocant, de qua non pauca Theologi [b]. Neque verò perinde accipienda eſt, quaſi vna perſona in alia inſit per aliquam ſui partem, ſed quòd tota atque integra perſona ratione naturæ omnibus communis, ineſſe intelligatur in alia. Ita videtur indicare Ambroſius [c]: *Deus* (inquit) *erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, hoc eſt, ſempiterna diuinitas, vt ſit Pater in filio ſicut filius in Patre, & ſubſtantiæ vtique, & operationis vnitas non negetur.* Et Hilarius [d]: *Audis, Pater in me eſt, & ego in Patre, & hoc de Patre, & filio, filij opera teſtantur: non vt corpus per intelligentiam noſtram corpori immittimus; neque vt aquam vino infundimus, ſed eandem in vtroque virtutis ſimilitudinem, & deitatis plenitudinem confitemur.* Et alibi [e]: *Ineſſe autem non aliud in alio, vt corpus in corpore; ſed ita eſſe, ac ſubſiſtere, vt in ſubſiſtente inſit; ita verò ineſſe, vt & ipſa ſubſiſtat: nam vterque ſubſiſtens, per id non ſine alio eſt, dum ſecundùm generationem, & natiuitatem ſubſiſtens natura non alia eſt. Hinc enim illud eſt; Ego & Pater vnum ſumus; & qui me videt, videt & Patrem; & ego in Patre, & Pater in me.* Denique Cyrillus [f]: *Ita enim ſolum filius vera imago Patris erit, veréque poterit dicere, Ego in Patre, & Pater in me eſt.* Et rurſus: *Qui videt me, videt & Patrem: ita enim Pater, & filius ſimiles ſunt in omnibus, ſicut in hominibus patres filiis, & filij patribus ſecundùm naturam ſimiles ſunt, & veluti ſi quis ad ſolem, & ſplendorem eius aſpexerit. Hac de cauſa cùm filius operetur, Pater operatur; & cùm filius ad ſanctos veniat, & Pater quoque venit, vt ipſe dicit. Veniemus ego, & Pater, & manſionem apud eum faciemus. Omnia enim, vt ſæpiùs dictum eſt, ex Patre per filium ſiunt, & gratia, quæ ſanctis datur ex Patre per filium præbetur.* Et paulò antè dixerat: *Nihil enim habet alter, quod alteri non inſit, niſi quòd hic Pater, & ille filius eſt.* Et multa deinceps. Quæ omnia planè oſtendunt, longè aliter fuiſſe Deum in Chriſto, quàm ſit in ſanctis, in quibus non aliter ineſt, quàm per gratiam, in Chriſto verò per naturam, & eſſentiam. Ideóque dicitur, in Chriſto, & per Chriſtum mundum ſibi reconciliaſſe. Legi apud auctorem [g] non ignobilem aliam quandam explicationem non planè contemnendam. *Deus* (inquit) *erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi: Deus in Chri-*
II. *ſto, filius Dei in filio hominis, diuinitas operabatur in homine. Demus verba hominis, Pater maior me eſt: demus verba Dei, Ego, & Pater vnum ſumus.* & multa in eandem ſententiam. *Non reputans* (inquit) *illis delicta ipſorum.* Græcè μὴ λογιζόμενος. hoc eſt, non habita ratione flagitiorum. Cæterùm perperàm omnino hæretici ex hoc loco colligunt, reconciliationem, & iuſtificationem noſtram in eo ſitam eſſe, quòd Deus nobis peccata non reputat, ſeu imputat; cùm tamen reuera peccatis implicici teneamur. Tametſi enim hoc loco dicit non reputans illis delicta ipſorum; ad Romanos tamen ſcripſit: *Gloriamur in Deo per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus.* Mox verò explicans, quid ſit reconciliationem accipere. *Abundantiam* (inquit) *gratiæ, & donationis, & iuſtitiæ accipientes regnabunt in vita per ipſum.* Et ad Coloſſenſes [a]: *Nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem exhibere vos ſanctos, & immaculatos, & irreprehenſibiles coram ipſo.* Denique [b]: *Conuiuificauit vos Chriſto donans vobis omnia delicta, delens quod aduerſus vos erat chirographum decreti.* Quæ ſanè omnia apertiſſimè docent dum Deo reconciliamur, & iuſtificamur, non modò peccata non imputari, ſed verè extingui, penitúſque deleri, & gratiam, iuſtitiam, ac ſanctitatem re ipſa conferri. Hoc autem loco Apoſtolus ad exaggerandam diuinæ beneficentiæ, & liberalitatis magnitudinem, ait, Deum nos per Chriſtum ſibi conciliaſſe non habita ratione noſtrorum ſcelerum, quæ nonmodò nos tam ſingulari, planéque diuino beneficio reddebant indignos, ſed ipſis etiam ſempiternis ſuppliciis obnoxios conſtituebant. Itaque quod ait, *Non reputans illis delicta ipſorum*; non explicat reconciliationis naturam; ſed eorum indignitatem indicat, qui iuſtificantur. Addit; *Et poſuit in nobis verbum reconciliationis.* Ne fruſtra Chriſtus nos Deo conciliaſſe videretur iturus ad Patrem: *Euntes* (inquit [c]) *docete omnes gentes.* Et [d], *Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit.* Hoc enim eſt poſuiſſe in Apoſtolis verbum reconciliationis, quibus data eſt docendi auctoritas, vt lucem veritatis ad omnes gentes, ac nationes perferrent. Itaque rectè ait Theodoretus; *Dedit peccatorum remiſſionem, & nos elegit miniſtros pacis.* Et Oecumenius: *Pater itaque* (ait) *etiam ante paſſionem per filium reconciliabat ſibi mundum, qui nunc quoque poſuit in nobis ſermonem, ac miniſterium reconciliationis: nam quoniam filius ſuus crucifixus eſt, nos reliquit, qui exhortaremur ad reconciliationem eos, qui ſunt ſuper terram.* Et mox: *Nihil igitur graue venimus ad imponendum vobis, ſed vt vos erga Deum amicos efficeremus.* Quod planiùs explicans Apoſtolus ſubdit:

PRO CHRISTO ERGO LEGATIONE, &c. 20.
Quid eſt verbum habere reconciliationis? pro Chri- I.
ſto legatione fungi. Dixit autem Græcè πρεσβεύομεν, quaſi dicat oramus; nam & oratores dicti ſunt, qui alterius nomine aliquid poſtulant. Significat autem, fuiſſe Chriſtum quaſi legatum, & oratorem Patris. Cùm verò remeaſſet in cœlum, Apoſtolos, eorúmque ſucceſſores veluti vicarios, reliquiſſe, vt pro Chriſto legatione fungi nihil aliud ſit, quàm eius loco orare, & obteſtari; idem denique munus obire, quo ille dum viueret perfunctus eſt. Quocirca addit: *Quaſi Deo exhortante per nos.* Ita enim dixerat [e] Chriſtus: *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Et Paulus [f] alibi: *Neque qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus.* Illico verò ſuam explicat legationem. *Obſecramus* (inquit) *pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Hoc eſt argumentum legationis. Hortatur enim Apoſtolus, vt omnes conuertantur

ad Deum,

a cap. 14. 10.
b D. Thom. 1. p. q. 42. art. 5. Henr. in ſum. a. 51. q. 10. & 1. d. 19. q. 2. Durand. q. 3. Capreol. q. 1. art. 1. ad 1. Gabriel. q. 2. art. 1. Bonauent. q. 4. Marſil. q. 22. art. 2. Ferrarien. 4. cont. Gent. c. 9. in princip.
c lib. 3. de fide ad Grat. c. 3. in fine.
d lib. 3. de Trinit. non procul à fine.
e lib. 7. de Trinit. in fine.
f lib. 1. Theſ. c. 1.
g Fulbertus de tribus capitibus ad Adeodatum.
Cap. 5. 11.
a cap. 1. 22.
b ad Col. 2. 13.
c Matth. 28.
d Marc. 16. 15.
e Matth. 10.
f 1. ad Cor. 3.

ad Deum, idque *pro Chriſto*; id eſt vt interpretatur A Chryſoſtomus, Chriſti vice; nam, vt idem Chryſoſtomus obſeruat, non modò Chriſtus, ſed ipſe etiam Deus pater quodammodo orat, & obſecrat. Ita enim ſcribit. *Nos enim*, inquit, *ipſius muneris ſucceſſimus. Quòd ſi hoc magnificentiùs aliquantò tibi dictum videtur, audi quæ ſequuntur. Ex quibus Apoſtolus perſpicuum illud facit, quòd non Chriſto duntaxat, ſed Patri quoque in hac re vicariam operam nauent; nam ob id etiam adiunxit, Tanquam Deo per nos exhortante; non enim per filium tantùm ſuum, ſed etiam per nos quoque qui ipſius muneris vicarij ſucceſſimus, exhortatur. Quamobrem ne exiſtimetis, vos à nobis rogari, Chriſtus ipſe vos rogat. Pater ipſe per nos vos orat, atque obſecrat.* Hæc ille. Verùm, quid rogat? *Reconciliamini*, inquit, *Deo. Deus quippe*, vt ait Ambroſius, *ne genus humanum penitus interiret, ſed in ſuam rediret gratiam filium ſuum* B *miſit in mundum, & per illum primum, deinde per eius Apoſtolos, reliquóſque miniſtros cunctos mortales ad beatam, immortalémque vitam mira quadam prouidentia prouocant.* Viderint igitur, qui ſe Apoſtolorum ſucceſſores prædicant, quódnam ſit Apoſtolorum munus, quidque potiſſimùm ſpectandum illis ſit, quibus animarum cura commiſſa eſt: ſunt enim Dei oratores, & legati, vt populos ſibi commiſſos Deo concilièt, ideóque illis in perſona Principis Apoſtolorum dictum eſt; *paſce oues, & paſce agnos*; idque doctrina, & exemplo; nam qui neutrum præſtant Epiſcoporum nomine fruſtrà gloriantur, & magni nominis vmbram, vt ait Sanctus Bernardus, præſeferunt potiùs, quàm rem ipſam, quæ nomine ſigni- C ficatur.

21. EVM, QVI NON NOVERAT PECCATVM,
I. &c. Hac videlicet ratione Deus nos ad gratiam, & iuſtitiam vocauit, quia voluit, Chriſtum pro hominum genere proprio ſanguine litare. *Eum*, inquit, *qui non nouerat peccatum*, qui nullo vnquàm ſcelere contaminatus eſt; vt enim ſcribit Petrus [a]. *Peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Eum*, inquam, *pro nobis peccatum fecit.* Ridiculè non ſolùm imperitè, atque impiè hinc colligunt hæretici, peccatum eſſe ſubſtantiam; Chriſtus enim qui peccatum dicitur ſubſtantia eſt. At vulgatiſſima Catholicorum ſententia eſt, peccatum hoc loco poni pro victima, ſeu hoſtia, qua peccatum expiatur. Ita enim Cyrillus, Theophylactus, Theodoretus, & alij explicant illud D Oſeæ [b]. *Peccata populi mei comedent.* Nam in Leuitico [c], vbi nos legimus. *Cur non comediſtis hoſtiam pro peccato in loco ſancto?* Hebraicè legitur. *Cur non comediſtis peccatum.* Eodem certè modo hunc locum explicant Ambroſius, & Auguſtinus [d]. At Chryſoſtomus peccatum ait vocari Chriſtum eo modo, quo appellatur, maledictum, quia in ſe noſtrorũ peccatorum pœnas ſuſcepit, perinde quaſi ipſe peccaſſet. Chryſoſtomum ſequuntur Theodoretus, Theophylactus, & alij Græci, qui peccatum intelligunt dici Chriſtum, id eſt, peccatorem, & obnoxium pœnæ, quæ peccato debetur, quia noſtra peccata pro ſuis duxit, nobis autem ſuam iuſtitiam impertiuit. *Cùm enim* (ait Theodoretus) *à peccato liber eſſet, mortem* E *peccatorum ſubiit, vt hominum peccatum ſolueret; & id vocatus, quod nos eramus, nos fecit id, quod erat, iuſtitia enim nobis opes donauit.* Theophylactus: *filium ſuum, qui peccatum non norat, hoc eſt, qui ipſa iuſtitia erat, pro nobis morti ſubiecit, morique fecit, ceu peccatorem, & ſceleratum. Maledictus enim qui pendet ex ligno, & cum iniquis reputatus eſt. Nec dicit, quòd peccatorem fecerit, ceterùm peccatum, quod maius eſt. Cur iſtud factum? Vt nos iuſtificemur non ex operibus, & lege, verùm ex gratia Dei.* Quæ ſunt omnia penè ad verbum ex Chryſoſtomo deſumpta. An alibi peccatum pro A peccatore ponatur, vt ſcelus apud Latinos pro ſcelerato non ſatis memini. Vtraque explanatio aptè huic II. loco congruit; ſed hanc poſteriorem arripiunt hæretici, & ex ea nituntur probare, nos eſſe iuſtos ipſa Dei iuſtitia, quæ eſt in Chriſto, quemadmodum ipſe dicitur peccatum, id eſt peccator propter peccata noſtra, quibus ipſi obſtringimur; vt quomodo noſtra illi flagitia imputantur, ita ipſius iuſtitia nobis imputetur. Verùm non animaduertunt arguti li noſtri hac ipſa explicatione admiſſa, multò aliter peccata noſtra Chriſto Domino, quàm ipſius iuſtitiam nobis imputari: noſtra enim flagitia non ita Chriſto imputantur, vt inde ille impius, atque iniuſtus dici queat; ſed hactenus ſolùm quòd ea ipſe ſponte ſua luenda ſuſceperit: quo nomine tantum abeſt, vt vlli B culpæ affinis cenſeri poſſit, vt potiùs ſummè iuſtus habendus ſit, qui pro alienis ſceleribus Deo Patri cumulatiſſimè ſatisfecerit. At verò Chriſti iuſtitia etiam ex ipſorum ſententia ſic prorſus nobis imputatur, vt ex ea iuſti verè nominemur, & ſimus. Quanquam in eo magnoperè falluntur, quòd nos ipſa Chriſti iuſtitia iuſtos eſſe ineptiſſimè ſomniant. At inquiunt, Apoſtolus ait, Chriſtum pro nobis factum eſſe peccatum, vt nos efficeremur iuſtitia Dei in illo, quaſi verò ipſa Dei iuſtitia nobis imputetur. Certè Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, & Auguſtinus iuſtitiam Dei illam interpretantur, non qua Deus iuſtus eſt, ſed quam iuſtis largitur: nec mirum eſt nos vocari non iuſtos, ſed ipſam iuſtitiam, vt conſtet antitheſis C inter peccatum, & iuſtitiam; nam & Chriſtus diſcipulos ſuos vocauit [a] lucem. *Vos eſtis lux mundi.* Et Paulus [b]: *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Addit Chryſoſtomus, nos dici iuſtitiam, & iuſtitiam Dei, quia tanta eſt iuſtitia, quam Deus per Chriſtum largitur, vt nulla penitus labes, aut macula iuſtis adhæreat. Quinetiam iuſtitia Dei dici poteſt ea iuſtitia, quæ nobis inhæret, adhibito aliquo tropo, quia eſt effectus, & imago, ac participatio quædam diuinæ iuſtitiæ: quemadmodum Chriſtus peccatum dicitur non ſine tropo, quia pro peccato oblatus eſt, & pro illo ſatisfecit. Denique ſi quis III. contendat, ipſam Dei iuſtitiam, qua iuſtus eſt hoc loco intelligendam, haud equidem magnoperè repugnarim; nos enim dicimur effecti iuſtitia Dei, quæ D eſt in Chriſto, qua ratione vnà cum illo, tanquam cum capite corpus myſticum conſtituimus, atque ita in illo, non in nobis ſumus iuſtitia Dei: qua ratione alicubi ſcripſit Paulus [c]. *Conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cæleſtibus cum Chriſto.* Neque aliter Chriſtus ipſe apud Matthæum [d] dixit. *Quod vni ex meis minimis feciſtis, mihi feciſtis.* Et in Actis [e] Apoſtolicis. *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Cùm tamen ille Chriſtianos vexaret. Hac igitur ratione dicimur iuſtitia Dei in illo, non quia illius iuſtitia nobis inhæreat, ſed quia ſumus membra eius, quemadmodum & ipſe dicitur peccatum, non quia peccatum in illo inſit, ſed quia eſt caput noſtrum, próque noſtris flagitiis Deo patri voluit ſatisfacere. Quamobrem dixit Iſaias [f]. *Poſuit in eo iniquitatem omnium noſtrum.* E Et Chriſtus ipſe apud Dauidem [g]. *Deus, Deus meus vt quid dereliquiſti me, longè à ſalute mea verba delictorum meorum.* Itaque quemadmodum Chriſtus factus eſt pro nobis peccatum, id eſt, aſſumpſit ſimilitudinem carnis peccati, vt fieret hoſtia, & victima pro peccato, próque illo ſatisfaceret Patri: ita nos efficimur iuſtitia Dei in ipſo, quia per Chriſtum, atque eius merita veram inhærentem iuſtitiam aſſequimur, quæ iuſtitia Dei nuncupatur, quia eſt effectus, & ſimilitudo diuinæ iuſtitiæ. Quòd ſi libeat argutari, & contra aduerſarios retorquere argumentum,

QQQ vt Chri

a 1. Pet. 2. 22.
b Oſ. 4. 8.
c Leuit. 10. 17.
d Ambroſ. in hunc loc. Auguſt. lib. 1. contr. 2 epiſt. Pelag. cap. 6. et 48 de verb. Apoſtol. et in Pſal. 34. et lib. 2 cont. Maximinum cap. 2. & alibi.

a Matt. 5. 14.
b ad Eph. 5. 8.
c ad Eph. 2. 6.
d cap. 25. 40.
e cap. 9. 4.
f cap. 53. 6.
g Pſal. 21. 2.

vt Chriſtus verò particeps fuit ſimilitudinis carnis peccati, cùm Verbum caro factum eſt: ita nos verè participes efficimur ſimilitudinis diuinæ iuſtitiæ, cùm inhærentem iuſtitiam percipimus. Sic prorsùs hunc locum explicat Cyrillus [a]. *Sicut igitur,ait,vnigenitus Dei filius in ſimilitudine carnis peccati factus, ipſe peccatum eſſe factus dicitur, ſic & nos reformati ad ipſum per fidem,iuſtitia Dei dicimur facti, qua propriè filius eſt. Nos enim naturalium bonorum Chriſti per Spiritum ſanctum participes ſumus, ipſe autem rurſum* A *in ſe ipſo humana ſuſcepit ad diuinam pulchritudinem naturam noſtram in ſe ipſo reducens.* Dicit autem Apoſtolus: vt nos efficeremur *iuſtitia Dei in ipſo:* hoc eſt (vt Chryſoſtomus, cæteríque Græci explicant) per ipſum: quaſi dicat; merito Chriſti iuſtitiam Dei aſſequamur. Poſſis etiam Dei iuſtitiam accipere,non iuſtitiam,quam homines probare ſolent, qui ſolùm ea cernunt, quæ ſub aſpectum cadunt: ſed iuſtitiam,quam Deus exigit,quámque ipſe ſolus impertitur.

[a] lib. 12. theſ. cap. 3. in fine.

Argumentum Cap. VI.

HORTATVR *Corinthios vt acceptæ gratiæ reſpondeant,ſuámque in munere Apoſtolico diligentiam, ac ſedulitatem, & in aduerſis tolerantiam multis declarat; & denique ſuam in illos caritatem, & beneuolentiam pluribus extollit.*

CAPVT VI.

ADIVVANTES *autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.*

Ait enim. Tempore accepto exaudiui te,& in die ſalutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile,ecce nunc dies ſalutis.

Nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum.

Sed in omnibus exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus,in neceſsitatibus,in anguſtiis.

In plagis,in carceribus,in ſeditionibus, in laboribus,in vigiliis,in ieiuniis.

In caſtitate, in ſcientia, in longanimitate,in ſuauitate, in Spiritu ſancto, in charitate non ficta.

In verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iuſtitiæ à dextris,& à ſiniſtris.

PARAPHRASIS.

QVINETIAM nos, vt ipſius Chriſti) ſi 1.
fas eſt dicere)ſocij,& adminiſtri, hortamur vos,& quanta poſſumus animi cōtentione obſecramus, ne committaris,
vt abſque vllo fructu ac planè fruſtra Dei gratiam,& cœleſtem vocationem ad fidem,percepiſ-
ſe videamini. ¶ Siquidem Deus ipſe ita apud 2.
Iſaiam loquitur;Tempore gratuitæ beneuolentiæ, quo ſcilicet meum illum immenſum amorem tam illuſtri argumento declaraui, atque (vt ita dicam) in omne genus hominū affluenter effudi, meúmque vnicum filium ad hominum ſalutem procurandam in hunc mundum miſi;exaudiui te; & in die ſalutis præſto fui tibi.Ecce nunc tempus valdè acceptum, ecce nunc dies comparandæ ſaluti de-
ſtinatus. ¶ Itaque quod ad nos attinet, ſic in hoc 3.
Apoſtolico munere verſamur, vt nullam prorſus in re quapiam cuiquam præbeamus offenſionem, ne fortè obtrectatorum calumniis, & iuſtis, ſiue iniuſtis reprehenſionibus noſtrum pateat miniſte-
rium. ¶ Sed potiùs noſtras quidem actiones, mo- 4.
réſque ita componimus, vt appareat, niti nos, & contendere quantum poſſumus, vt nos veros Dei miniſtros meritò probemus, ídque potiſſimùm dum in rebus aduerſis, ſumma egeſtate, & rerum anguſtiis Chriſtianam tolerantiam, atque animi
magnitudinem declaramus. ¶ Plagas enim ple- 5.
rumque ſuſtinemus, carcere incluſi vinculis conſtringimur,ſeditionum impetu penè opprimimur, laboribus frangimur, vigiliis fatigamur, inedia
denique atque ieiuniis penè conficimur. ¶ Inte- 6.
rim tamen caſtimoniam colimus, ſcientiam præ nobis ferimus,animi lenitatem retinemus, benignitatem declaramus, Spiritus ſancti vim oſtendimus,caritatem denique minimè ſimulátam ex-
hibemus. ¶ Ita denique in ſincera Euangelij pro- 7.
mulgatione verſamur,vt appareat, nos inſigni illa poteſtate tum edendi res miras, quæ naturæ vires ſuperent,tum malos, & improbos edomandi, & coercendi, quaſi quibuſdam iuſtitiæ armis rebus ſecundis, atque aduerſis; hoc eſt dextra, ſiniſtráque

8. ſtráque munitos eſſe,atque protectos. ¶ Inceden-
dum enim nobis eſt quaſi inter gloriam , & igno-
miniam,inter conuicia,& laudes: hominum ſiqui-
dem iudicio,qui nihil,niſi humanum ſapiunt,qua-
ſi ſeductores,atque impoſtores cenſemur, cùm ta-
men re vera nihil ſimus minus , cùm veritatem,
ſincerámque doctrinam cunctis mortalibus pro-
9. ponamus. ¶ Quaſi alieni,& ignoti contemnimur,
qui tamen noti ſumus: penè inter mortuos nume-
ramur , cùm tamen ſpiremus adhuc , & vitali aura
10. fruamur:caſtigamur, nec tamen occidimur. ¶ Vi-
demur quaſi doloribus oppreſſi , ſed incredibili
ſemper gaudio perfruimur; quaſi pauperes , & re-
bus omnibus deſtituti , ſed multos locupletamus:
poſtremò quaſi inopes,&rerum omnium indigen-
tes , qui tamē omnia quaſi iure noſtro obtinemus.
11. ¶ Apertè vobis , ô Corinthij , locutus ſum,nullá-
que ſum vſus vel obſcuritate vel ambiguitate
verborum , ſingulari cum teſtimonio meæ in vos
vehementiſſimæ beneuolentiæ , & caritatis perin-
de quaſi cor meum geſtiam in ſinum veſtrum ef-
12. fundere. ¶ Vos ſanè in animo meo , quaſi in do-
micilio verſamini,eóque minimè anguſto ; totum
enim vobis animum patefeci meum , atque adeo
ad vos accipiendos veluti dilataui : ac vos mihi ſi
dicendum eſt , quod ſentio , eſtis quodammodo
anguſti,cui ſcilicet locus nō ſit apud vos, quorum
tamen animos oportuerat mihi quoque patere, ac
13. viciſſim me capere , vt par pari referretis. ¶ Equi-
dem eamdem compenſationis vicem repoſco,pe-
tóque à vobis filiis,vt ipſi quoque animi veſtri ſpa-
tia laxetis , mihíque amplos caritatis ſinus patere
14. patiamini. ¶ Moneo interim vos ne impari iugo
cum infidelibus copulemini : quod enim quæſo
conſortium eſſe poteſt iuſtitiæ cum iniuſtitia ? aut
15. quæ communicatio luci cum tenebris ? ¶ Quæ
porro conſenſio Chriſto cum Belial ? aut quæ pars
16. fideli cum infideli ? ¶ Quid denique conuenit
Dei templo cum ſimulacris ? Nam vos quidem
templum Dei eſtis viuentis,quemadmodum olim
ſignificauit Deus,cùm in Leuitico dixit ; Habita-
bo in eis,& inambulabo, & ero illorum Deus , &
17. ipſi erunt mihi populus. ¶ Quapropter libet vos
Iſaiæ verbis in præſentia affari. Exite de medio il-
lorum,& ab eorum conuictu,congreſſúque ſegre-
gamini , dicit Dominus. Impurum,ac ſordidum
18. nolite attingere,tum ego(ait)excipiam vos. ¶ Eró-
que vobis pro patre , vóſque eritis mihi pro filiis,
ac filiabus , vt apud Ieremiam loquitur Dominus
Omnipotens.

Per gloriam,& ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam: vt ſeductores , & veraces:ſicut qui ignoti,& cogniti.

Quaſi morientes,& ecce viuimus: vt caſtigati,& non mortificati.

Quaſi triſtes , ſemper autem gaudentes : ſicut egentes,multos autem locupletantes : tamquàm nihil habentes , & omnia poſſidentes.

Os noſtrum patet ad vos , ô Corinthij:cor noſtrum dilatatum eſt.

Non anguſtiamini in vobis:anguſtiamini autem in viſceribus veſtris.

Eamdem autem habentes remunerationem, tamquàm filiis dico:dilatamini & vos.

Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras?

Quæ porro conſenſio Chriſto cum Belial ? aut quæ pars fideli cum infideli?

Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis? Vos enim eſtis templum Dei viui , ſicut dicit Deus : quoniam inhabitabo in illis , & inambulabo inter eos,& ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus.

Propter quod exite de medio eorum , & ſeparamini,dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis.

Et ego recipiam vos , & ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios , & filias , dicit Dominus Omnipotens.

Digitized by Google

IN CAPVT SEXTVM EXPLANATIO.

1. I. ADIVVANTES AVTEM ET EXHORTAMVR, NE,&c. Quoniam ſub finem præcedentis capitis Deum dixerat per Chriſtum, & Apoſtolos obſecrare, vt cum Deo in gratiam redeant, ſeque pro Chriſto legatione fungi, qui ſe ad expianda peccata hoſtiam Deo Patri obtulerat, rectè (vt ait Chryſoſtomus) ritéque ſuo munere fungens, hortatur, vt oblatam à Deo gratiam ne negligant; neque enim quia Deus obſecrat, & legatos mittit, ſegnes aut ſocordes nos eſſe decet; ſed potiùs omni ſtudio, ac diligentia laborandum eſt, vt tam eximium, ac ſingulare beneficium grato, beneuolóque animo complectamur. Ita autem Apoſtolus monet, & hortatur, vt non obſcurè metum, & timorem iniciat, ſi quis inertia, deſidiáque langueſcat. Mox enim ſubiicit. Nunc quidem tempus eſſe opportunum: quod ſi patiatur illud abſque vllo fructu effluere, fruſtra diuinam beneficentiam, & miſericordiam implorari. *Adiuuantes*, ait, *exhortamur*. Græcè συνεργοῦντες δὲ καὶ παρακαλοῦμεν. Porro participium, *adiuuantes*, bifariam accipi poteſt, vt monet Chryſoſtomus. Primùm vt referatur ad Corinthios, quaſi dicat adiuuantes vos; hoc eſt, veſtram vtilitatem, ac ſalutem procurantes, opem vobis ferentes, denique vos ad optima quæque excitantes: deinde (quod magis probant Chryſoſtomus, Oecumenius, & Theophylactus) vt intelligatur de Deo, de quo in ſuperiori Epiſtola dixerat. *Dei enim adiutores ſumus*. Græcè συνεργοί: quaſi dicat; Deus vos obſecrat, & hortatur, nóſque eius miniſtri, & συνεργοί, *obſecramus vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Græcum autem verbum παρακαλεῖν interdum ſignificat conſolari, aliàs obſecrare, nonnunquam etiam exhortari. Et quamquàm hoc loco interpretari quis poſſet, Conſolamur, quaſi ea, quæ deinceps ab Apoſtolo recenſentur, ad conſolandus Corinthios referantur; vt Apoſtolicis verbis recreati oblatam Dei gratiam alacriùs complectantur; magis tamen videtur ad rem, vt ſignificet obſecramus, ſiue adhortamur. Hac enim ratione Apoſtoli, diuiníque verbi miniſtri Dei ſunt adiutores, quia obſecrant, & adhortantur, ſuáque oratione ad fidem, & Chriſtianam pietatem homines adducunt. *Ne in vacuum*, inquit, *gratiam Dei recipiatis*. Hoc eſt adhortationis Apoſtolicæ argumentum, vt oblatum videlicet beneficium accipiant, nec tantum munus repudient; nam (vt ait Chryſoſtomus) hæc idcirco addidit Apoſtolus, ne ob ſolam fidem ſibi Corinthij blandirentur, perinde quaſi in ea duntaxat iuſtitia, & reconciliatio poſita eſſet, ſed præterea ſtudium, ac diligentiam in vitæ ratione rectè inſtituenda, honeſtiſque moribus colendis efflagitat: quod eo libentiùs obſeruandum eſt, quod hæretici pſeudoeuangelici miniſtri, egregij videlicet fidei buccinatores, dum ſola fide homines iuſtificari iactitant, & longiſſimè abſint à iuſtitia, &

II. veram fidem penitùs iugulent. Gratiæ itaque nomine vocationem intelligit, & iuſtitiam fidei beneficio in baptiſmo perceptam, quam is procul dubio (vt ait Chryſoſtomus) fruſtra accipit, qui rurſus priſtinis flagitiis inquinatur. *Neque enim*, ait, *magnum vllum ad ſalutem adiumentum nobis affert gratia, ſi impurè ac ſcelerate viuamus, quin potius detrimentum accerſit, ve-* A *hementiúſque nos in peccatis premit, vt qui poſt eiuſmodi cognitionem, ac beneficium ad priora vitia nos ipſos referamus*. Eodem modo gratiam interpretantur Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus. Primaſius autem, & Anſelmus gratiæ nomine auxilium excitans intelligunt. *In vacuum enim*, inquit Primaſius, *gratiam Dei recipit qui cum Dei gratia non laborat, nec adiungit ſtudium ſuum, vt poſſit Dei præcepta ipſo adiutore implere*. Eadem planè verba repetit Anſelmus, qui planiùs explicat, gratiam Dei eſſe facultatem benè agendi diuinitùs conceſſam, de qua dictum eſt: *Sine me nihil poteſtis facere*; ſuperiorem tamen Chryſoſtomi, aliorúmque Græcorum explicationem non penitus reiicit; quam ſolam probare videntur Hieronymiani commentarij. Ego, ſi dicen- B dum eſt quod ſentio, vtramque ſententiam veriſſimam eſſe non dubito, ſed priorem magis ad mentem Pauli, qui de illa proculdubio gratia loquitur, quam in calce præcedentis capitis commemorauerat; vt moneat, non eſſe Chriſti beneficium negligendum, ne videantur Corinthij fruſtrà crediſſe, & Chriſtiana ſacra percepiſſe. Quod vtcumque expreſſiſſe videtur Syriacus, qui ita tranſtulit; *Obſecramus vos, ne inanis fiat in vobis gratia Dei, quam recepiſtis*. Quomodo ſuperiori Epiſtola dixerat; *Niſi fruſtra credidiſtis*. Fruſtra enim is crediſſe dicitur, qui in vacuum Dei gratiam recipit, hoc eſt, otio deſidiáque langueſcit, & priſtina ſcelera, atque flagitia repetit. Paulus quidem certè de ſe ipſo ſuperiori [a] Epiſtola dixerat. *Gratia Dei ſum id, quod ſum, & gra-* C *tia eius in me vacua non fuit*. Et Hebræos [b] monet *contemplantes, ne quis deſit gratiæ Dei*. Et Timotheũ [c]: *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt*. Et rurſus [d]. *Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei*. Quæ omnia de munere aliquo accepto, ſiue gratis dato, ſiue etiam gratum faciente intelligenda videntur. Porro Fauſtus [e] ita de hoc loco diſſerit. *Prima itaque vocatio compendium fides requirit à nobis; ſequentis verò temporis gratia redemptis, ablutis, innouatis ſedulitatem operis, & curam laborioſæ ſeruitutis indicit; vt quod ſine labore accepimus, opitulante adiutorio cum labore ſeruemus, Apoſtolo commonente, Videte*, inquit, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Hic tamen plus libero arbitrio tribuit quàm rectæ fidei ratio patiatur.

AIT ENIM, TEMPORE ACCEPTO,&c. Adhortationem ſuam Iſaiæ [f] teſtimonio amplificat, & confirmat. Loquitur autem Propheta de tempore noui Teſtamenti, quod vocat tempus placitum, vel vt ait Apoſtolus acceptum, quia illo potiſſimùm tempore Deo placuit humanum genus ab interitu liberare, eámque ob cauſam vocat diem ſalutis; tum quia tunc potiſſimùm Chriſtus humanæ libertatis vindex ſalutem attulit mundo; tum quia quamdiu hæc vita ſuppetit tempus eſt procurandæ ſalutis. Sed quorſum hoc teſtimonium afferat Apoſtolus, non ſatis liquet. Apud Iſaiam enim (vt apparet) Deus ipſe alloquitur Chriſtum, de quo paulò antè [g] dixerat. *Ecce dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ*. Et infrà [h]: *Seruaui te, & dedi te in fœdus populi, vt ſuſcitares terram, & poſſideres hereditates diſſipatas*. Quorſum igitur hæc vſurpantur hoc loco? An ea, quæ de Chriſto, tamquàm de capite dicuntur ab Apoſtolo, corpori myſtico, id eſt, fidelibus

2. I.

a cap. 15.
b cap. 12.
c ep. 1. cap. 4.
d ep. 2. cap. 1.
e lib. de lib. arb. c. 2.
f cap. 49.
g vers. 6.
h vers. 8.

libus aptantur? An tantùm ſignificare voluit, quæ A ab Iſaia commemorantur ad tempus noui Teſtamenti pertinere, atque adeo eſſe tempus percipiendæ gratiæ peropportunum? Ita ſanè Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, & Theophylactus explicant; neque aliter accipiunt Ambroſius, Primaſius, & alij, qui vel totum huius vitæ ſpatium, vel certè tempus ipſum gratiæ, quod Chriſti aduentum ſubſequitur, intelligendum putant. *Tempus*, inquit Chryſoſtomus, videlicet *beneficij, & gratiæ, in quo præterquam quòd nec de peccatis admiſſis rationes expoſcuntur, nec pœna penduntur, licet inſuper vnà cum eo, quod liberamur innumeris quoque bonis frui, iuſtitia, morum ſanctificatione, aliíſque omnibus.*

II. Quod autem ait; *Tempore accepto*; Græcè ſcriptum eſt καιρῷ δεκτῷ; quomodò habent apud Iſaiam[a] exemplaria Græca. B Mox pro eo, quod Latinus interpres dixit. *Tempus acceptabile*, Græcè legitur καιρὸς εὐπρόσδεκτος; Et procul dubio tempus ſignificat poſt Chriſti aduentum; & idcirco ſtatim vocat diem ſalutis. Cæterùm quod ait, *nunc*, non certum aliquod tempus, ſed tempus omne deſignat, vt interpretantur Gregorius[b] Nazianzenus, & eius ſcholiaſtes Nicætas; quamdiu enim vita ſuppetit, opportunum tempus eſt ad gratiam, & ſalutem aſſequendam. Itaque Apoſtolus, quod ſuprà dixerat dandam eſſe operam, ne in vacuum gratia Dei recipiatur, hoc potiſſimùm tempore perficiendum monet. Tempus autem acceptum, ſeu acceptabile vocat, quoniam etiam perditiſſimis, & flagitioſiſſimis hominibus patet aditus ad gratiam & ſalutem. Porro Anſelmus obſeruat, maius quiddam eſſe tempus acceptum, quàm tempus acceptabile, quòd acceptabile id ſit, quod dignum eſt, quod accepretur; acceptum verò quod iam placet, & acceptatur. Sed Græci codices in quibus eadem vox, vel ab eodem certè verbo deducta ponitur, hoc diſcrimen non admittunt. Nec videtur veriſimile, Paulum qui prophetæ verba attulerat, ad præſentis vitæ tempus ſignificandum aliter de ipſo tempore loqui voluiſſe, quàm olim Propheta ſcripſerit. Non eſt autem dubium cùm dicit. *Ait enim*; ſubaudiendum eſſe vel Dominum, vel ſcripturam, cùm hic loquendi modus ſit apud Paulum admodum frequẽs. Porro Septuaginta apud Iſaiam pro tempore accepto legunt; *tempore opportuno*: ſenſus idem eſt.

a Iſa. 49. 8.
b Orat. 40.

3.
I. Nemini dantes vllam offenſionem, &c. Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, & Theophylactus hæc de Paulo accipiunt, quaſi dicat: Adhortamur vos ſummo interim adhibito ſtudio, ne quiſquam iuſtam habeat querimoniæ cauſam, aut ne quis vlla noſtra actione, verbóve iure offendi queat. Itaque Euthymius in hunc modum ſcribit. *Ita in omnibus meam vitam, ac conuerſationem dirigo, vt non dico accuſationis, ſed nec indignationis locum cuiquam tribuam: ne quis miniſterium, ac opus noſtrum reprehendat.* Quæ propemodum deſumpta ſunt ex Chryſoſtomo. In eandem ſententiam inter Latinos locum explicant Ambroſius, Hieronymus, & Primaſius; Anſelmus tamen hæc refert ad Corinthios. *Cauete*, inquit, *ne malo exemplo veſtro, ſeu verbo prauo detis alicui fratrum vllam offenſionem.* Et plura deinceps in eamdem ſententiam, quam ſequitur Syriacus interpres; ſic enim legit: *Nemini dederitis occaſionem offendiculi, ne ſit næuus in miniſterio noſtro.* Auditorum enim vita vel laudem, vel vituperationem affert magiſtro. Verùm in paraphraſi priorem explicationem ſecuti ſumus, tum quia communior eſt; tum quia cum conſequentibus magis cohæret; videtur enim exprimere viri Apoſtolici formam, ſéque, Timotheum, & Syluanum cunctis imitandos proponit. *Vt non vituperetur*, inquit, *miniſterium noſtrum.* Neceſſe eſt enim (vt ait B. Gregorius) eius prædicationem negligi, cuius vita deſpicitur. Qua de re multa ſcribit auctor de ſingularitate clericorum apud Cyprianum, qui à multis putatur Origenes, vbi hæc verba Pauli affert, itémque illa. *Et omnia ſuſtinemus, ne quod impedimentum demus Euangelio Chriſti.*

II. Cæterùm Græca verba ſic habent, μηδεμίαν ἐν μηδενὶ διδόντες προσκοπήν, hoc eſt, ne quam vſquam demus offenſionem, ne vlla in re quoquo modo cuiquam ſtandi ſimus. quod ait interpres, *Vituperatur*; græcè eſt μωμηθῇ, hoc eſt reprehendatur. Quod autem in præſentia de ſe, atque euangelicis miniſtris ſcribit, à cæteris fidelibus in priori Epiſtola[a] exigit. *Sine offenſione*, inquit, *eſtote Iudæis, & Gentibus, & Eccleſiæ Dei, ſicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant.* Huc pertinet quod alicubi[b] ait Chriſtus. *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Omnes enim veteres auctores fructus interpretantur opera, quæ ſuapte natura, mala doctrinam malam; bona verò bonam conſequuntur. Quocirca rectè metuit Apoſtolus, ne ſi vita, atque actiones aliquam offenſionis occaſionem præbeant, ipſa etiam doctrina reprehenſionem incurrat. Certè vitæ integritas, & morum ſanctitas magnam Chriſtianæ doctrinæ auctoritatem conciliat. Sic olim barbaræ gentes fama ſanctitatis Chriſtianorum permotæ, Chriſtianos aliquando concionatores expetierunt. Auctores ſunt Socrates[c], Theodoretus[d], Nicephorus[e].

a cap. 10. 32.
b Matt. 7. 16.
c lib. 4. hiſt. cap. 27.
d lib. 4. cap. vlt.
e lib. 11. cap. 37.

4.
I. Sed in omnibus exhibeamus, &c. Non C ſolùm, inquit, aliorum offenſionem vitamus, ſed damus diligenter operam, vt re ipſa appareat, nos eſſe veros, ac legitimos Dei miniſtros; neque enim par laus eſt vacare culpa, & virtutum laude præſtare. Quamobrem non dixit, vt appareat nos eſſe Dei miniſtros; ſed exhibemus nos Dei miniſtros. Nam de quibuſdam ſcripſit Apoſtolus[f]: *habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Et Chriſtus[g] ipſe cauendum dixit *à falſis prophetis, qui veniunt in veſtimentis ouium.* Cæterùm quod interpres dixit; *Exhibeamus*: græcè legitur participium συνιστῶντες, quaſi dicat, *commendantes*: quomodo legunt Ambroſius, & Auguſtinus[h]. Rursùs quod habet interpres: *ſicut Dei miniſtros*: græcè eſt διάκονοι, hoc eſt, miniſtri, vt legit Ambroſius. Senſus idem D eſt: nos, ait, tamquam Dei miniſtri exhibemus nos ipſos in multa patientia; vt ſignificet, miniſtrorum Dei proprium eſſe aduerſa æquo animo ferre. Nam Chriſtus apud Lucam[i] de euangelij fructu dixit. *In corde bono, & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia*, vbi eſt eadem Græca vox ὑπομονῇ, quæ hoc loco.

f 2. ad Timoth. 3. 5.
g Matt. 7. 15.
h lib. 4 de doct. Chriſt. cap. 20.
i cap. 8. 15.

II. Obſeruat autem Chryſoſtomus, patientiam bonorum omnium fundamentum eſſe: Eius verò magnitudinem ab Apoſtolo declarari eùm dicit: *In multa patientia*; neque enim magnæ laudis eſt vnum, aut alterum incommodum æquoanimo ferre. Quocirca ad rem eamdem magis exaggerandam ſubdit: *In tribulationibus.* Addit: *In neceſſitatibus*; vt, quod monet Chryſoſtomus, appareat mala eſſe eiuſmodi, quæ vitari nullo modo E queant. Neque his contentus ſubdit: *In anguſtiis*, græcè στενοχωρίαις; quaſi dicat, anxietatibus: vt rerum difficultas magis appareat, vnde erui difficillimum ſit. Porro videri poſſet Apoſtolus cùm dixit, *in tribulationibus*: veluti genus ipſum poſuiſſe, quod deinde per partes explicat: & neceſſitates quidem interpretatur Ambroſius preſſuras, idque vox Græca στενοχωρία ſignificat, vt vim vocis minimè aſſecutus videatur Anſelmus, qui neceſſitatem interpretatur indigentiam: quamquàm negandum non eſt, rerum neceſſariarum inopia plerumque Apoſtolum laboraſſe;

raſſe; & ideirco nos in paraphraſi pro neceſſitate ſummam diximus egeſtatem, quam poſſis referre ad quamlibet indigentiam: atque ita quod ſequitur in anguſtiis; græcè στενοχωρίαις, pertinet ad anguſtias loci, quaſi interdum eò redigatur Apoſtolus, vt nuſquàm conſiſtere queat. Quamquàm Chryſoſtomus famem intelligit, aliarúmque rerum neceſſariarum anguſtias, vel ſimpliciter tentationum moleſtias. Nec magnoperè diſcrepat Ambroſius. Anſelmus ſollicitudines, & curas animi interpretatur. Et profectò hæc omnia anxietates, & anguſtias pariunt. Pergit autem in enumeratione malorum, dum ait.

5. I. IN PLAGIS, IN CARCERIBVS, &c. Plagas hac ipſa Epiſtola [a] enumerat Apoſtolus; vt enim ait Ambroſius, & à Iudæis, & à Gentibus non ſemel cæſus eſt: *In carceribus*; ſæpiùs enim vinculis conſtrictus in carcerem coniectus eſt. Quod ſequitur: *In ſeditionibus*: græcè eſt ἐν ἀκαταστασίαις; Ambroſius interpretatur *in perturbationibus*. Chryſoſtomi, Oecumenij, & Theophylacti interpretes transferunt *In inſtabilitatibus*. Neceſſe eſt autem inſtabilitates intelligere perturbationes, turbulentias, agitationes, & tumultus; nam ſuperiori Epiſtola vbi noſter interpres dixit: *Non enim eſt diſſenſionis Deus*, pro diſſenſione græcè eſt ἀκαταστασίας, quaſi dicat confuſionis, aut perturbationis. Videtur autem Apoſtolus turbas, & ſeditiones illas indicare, quæ commemorantur à Luca in Actis Apoſtolicis, quæ plerumque eò illum redigebant, vt vix poſſet certo loco pedem figere. Addit: *In laboribus*: ſiue manuum opificio, vt explicat Ambroſius; ſiue, vt mauult Chryſoſtomus cum Græcis, in ærumnis, & difficultatibus, quas docendo ſubire cogebatur. *In vigiliis*: nam, vt legimus in Actis Apoſtolicis, etiam noctu interdum concionabatur, vt veriſimile ſit non tarò inſomnes duxiſſe noctes, nam & Lucas [b] ait, Nocte media vnà cum Sila ad Deum preces fudiſſe. Ad vigilias addit ieiunia; in ſumma enim rerum difficultate (vt ait Chryſoſtomus) ieiunium non omittebat. Quamquàm Ambroſius, Paulum ait interdum ſpontanea, interdum etiam neceſſaria ieiunia pertuliſſe; quod rerum neceſſariarum inopia laboraret.

[a] cap. 11. 23.

[b] Act. c. 16. 25.

6. I. IN CASTITATE, IN SCIENTIA, &c. Hactenus mala recenſuit, quæ tolerare coactus eſt; nunc multis deſcribit, qualem ſe exhibuerit in iis perferendis. In caſtitate, inquit, græcè ἁγνότητι, eximiam quamdam caſtimoniam ſignificat. Chryſoſtomus vel pudicitiam intelligit, vel in rebus omnibus integritatem, vel certè abſtinentiam à muneribus, & corruptela. Interpres Oecumenij ſinceritatem vertit: eam verò interpretatur Oecumenius *modeſtiam, & exhibitum ſine ſumptu euangelium ſeruatámque in omnibus puritatem*. Theodoretus ἁγνότητα vocat puritatem, id eſt, pecuniæ contemptum. Ambroſius, & Primaſius caſtitatem referunt tam ad animum, quàm ad corpus. *In ſcientia*, hoc eſt (interprete Chryſoſtomo) in ſapientia diuinitus conceſſa, quæ vera ſcientia eſt. Cum Chryſoſtomo ſentiunt non modò omnes Græci, ſed etiam Latini, Ambroſius, Primaſius, Anſelmus. Non malè quidam interpretantur, *in prudentia*, quæ eſt in rebus aduerſis in primis neceſſaria. *In longanimitate*: græcè μακροθυμίᾳ, de qua aliàs diximus. Addit: *In ſuauitate*. Græcè χρηστότητι, id eſt, benignitate, bonitate, comitate, quæ opponitur ſupercilio, morúmque aſperitati; quæ præcipuè (vt ait Primaſius) poſita eſt in verbis, ac lenitate ſermonis, ne quemquam oratione noſtra prouocemus ad irá, vel indignationem. Adamantino autem, vt Oecumenius, & Theophylactus obſeruant, animo opus eſt, vt quis vndique malis circumſeptus non modò longanimis, ſed etiam mitis ſit, & benignus. *In Spiritu ſancto*. Huic enim meritò omnia bona refert accepta, cuius præſidio adiutus ea præſtiterat omnia, quæ modò enumerauit. Cautè autem legenda ſunt, II. quæ hoc loco Chryſoſtomus, Oecumenius, & Theophylactus ſcribunt; hæc enim ſunt verba Chryſoſtomi, quæ reliqui duo paucis complexi ſunt. *Ac vide*, inquit, *quando Spiritus ſancti auxilium poſuerit, nimirum poſtquam ſuas ipſe partes obiuit*. Et poſt nonnulla. *Nam etſi id quoque diuina gratia erat, at ipſe quoque cauſa item erat, vt qui per ſua rectè facta, & ſudores gratiam attraxiſſet*. Quamuis enim videri poſſent hæc verba ſemipelagianis fauere, qui noſtrum liberum arbitrium gratiæ præponunt, quaſi illa voluntatis humanæ actionem ſequatur, non præueniat; longè tamen aliud meo quidem iudicio ſignificant. Non enim loquitur Chryſoſtomus de gratia, quam vocant præuenientem, ſeu excitantem, ſed potiùs de ſubſequente, aut concomitante, quam proculdubio abſque noſtra actione intelligere non poſſumus, vt alibi copioſiùs oſtendo. Addit Chryſoſtomus. *In Spiritu ſancto*, poſitum eſſe ab Apoſtolo, vt ſignificet ſe percepta gratia optimè vſum fuiſſe, eámque ob cauſam nullam cuiquam offenſionis præbuiſſe occaſionem. *Nos*, inquit, *ſpiritualibus gratiis ita vſi ſumus, vt omni labe, ac reprehenſione careremus*. Primaſius de Spiritus ſancti donis videtur accipere; ſic enim ait. *Ita nos eius dono poſſumus exhibere, ſi nos eius dono dignos præparemus; & templum ſuum, quod mundauit in baptiſmo, non violemus*. *In caritate non ficta*. Hæc eſt enim bonorum omnium fons, & origo; hæc Spiritus ſancti gratiam fouet, & amplificat. Ait autem, caritatem non eſſe ſimulatam, aut fictam: hoc eſt quæ externa duntaxat ſpecie, vel actione cernatur, ſed quæ inſit in animo, in eóque habeat altas radices actas: ſimulata quippe caritas (vt ait Ambroſius) ea eſt, *quæ fratres in neceſſitate deſerit*: contrà verò illa ſincera eſt, & minimè ficta, *quæ propria vtilitate contempta, eius quem diligit curam gerit*. Addit Primaſius, eam eſſe caritatem non fictam, *Si omnia, quæ nobis fieri volumus, aliis faciamus, ſicut ait S. Ioannes, non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere, & veritate. In hoc quoque non ficta eſt caritas, ſi delicta, & culpas benigno affectu in fratribus caſtigemus*. Quæ omnia rectè dicta videntur.

IN VERBO VERITATIS, IN VIRTVTE, &c. 7. I.
Verbum veritatis ſinceram euangelij prædicationem accipio; de qua ſuprà [a] dixerat. *Non cauponantes, & adulterantes verbum Dei*, quæ eſt Chryſoſtomi, Oecumenij, cæterorúmque Græcorum interpretatio. Quod ſequitur *in virtute Dei*; græcè ἐν δυνάμει, Chryſoſtomus refert ad diuinæ gratiæ præſidium, quo nixus Apoſtolus ea perfecerat omnia, quæ partim enumerauit, partim enumeraturus eſt; vt idem dicat, quod alibi: *Non ego, ſed gratia Dei mecum*. Et, *Gratia Dei ſum id, quod ſum*. Ambroſius de ſignis, & miraculis intelligit. Ego, quod in paraphraſi indicaui, cum Ambroſio aſſentior, tum etiam vim illam diuinam intelligo, qua impios, & refractarios Apoſtolus cohibuit, atque coërcuit. *Per arma iuſtitiæ*, ſubdit, *à dextris, & à ſiniſtris*. Hæc Primaſius cum ſuperioribus coniungit, vt ſenſus ſit; *In virtute Chriſti per arma iuſtitiæ aduerſus diabolum dimicamus, ſiue in virtute Dei qui per arma legis diabolum ſuperauit*. Chryſoſtomus cui cæteri Græci conſentiunt, res aduerſas, itémque ſecundas arma iuſtitiæ vocat; & aduerſas quidem ſiniſtræ, ſecundas verò dextræ nomine ſignificari putat. Chryſoſtomum ſequitur apud Caſſianum [b] Theodorus Abbas, qui de hoc Apoſtoli loco in hunc modum diſſerit. *Per arma iuſtitiæ, quæ ſunt à dextris, & à ſiniſtris, id eſt, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam*,

[a] cap. 4. 2.

[b] Collat. 6.

mam, vt ſeductores & veraces, vt triſtes ſemper autem gaudentes, vt egentes multos autem locupletantes, &c. Tum ſubdit. *Omnia ergo, quæ proſpera reputantur, & dextra dicuntur partis, quæ ſanctus Apoſtolus gloriæ, & bonæ famæ vocabulo deſignauit, illa etiam, quæ exiſtimantur aduerſa, quæ per ignobilitatem, & infamiam euidenter expreſſit, quæque à ſiniſtris eſſe deſcribit, efficiuntur viro perfecto arma iuſtitiæ, ſi illata ſibi magnanimiter ſuſtentauerit, quod videlicet per hæc dimicans, & illis ipſis, quibus impugnari putatur aduerſis tanquam armis vtendo, eiſque velut arcu, & gladio, ſcutóque validiſſimo contra illos, qui hæc ingerunt communitus profectum ſuæ patientiæ, ac veritatis acquirat, glorioſum conſtantiæ triumphum ex ipſis, quæ lethaliter inferuntur capiens hoſtium telis, nec proſperis dumtaxat elatus, nec deiectus aduerſis, ſed itinere plano, ac via regia ſemper incedens, ab illo tranquillitatis ſtatu nequaquàm lætitia ſuperueniente, quaſi in dextram motus, neque aduerſis ingruentibus, triſtitiáque dominante, velut ad læuam rurſus impulſus.* Et poſt nonnulla [a] nos ait eſſe oportere. ἀμφοτεροδεξίους, id eſt ambidextros, *Illi*, inquit, *ſunt, qui figuraliter in Scripturis ſanctis ἀμφοτεροδέξιοι, id eſt, ambidextri nuncupantur, vt ille Aod in libro Iudicum* [b] *fuiſſe deſcribitur, qui vtraque manu vtebatur pro dextera, quam virtutem ita poterimus nos quoque intellectualiter poſſidere, ſi ea, quæ proſpera ſunt, dexteráque cenſentur; & ea, quæ aduerſa ſunt, ac ſiniſtra dicuntur, bono rectóque vſu ad partem dexteram fecerimus pertinere, vt quæcumque fuerint illata, fiant nobis ſecundùm Apoſtolum arma iuſtitiæ.* Cúmque multa in hanc ſententiam ſcripſiſſet, ita colligit. *Hi ergo, eorúmque conſimiles rectè ἀμφοτεροδέξιοι, id eſt ambidextri nuncupantur; vtraque enim manu vtuntur pro dextera. Et inter hæc, quæ Apoſtolus dinumerat, tranſeuntes pariter dicunt, per arma iuſtitiæ, quæ à dextris ſunt, & à ſiniſtris. Per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam, &c. De qua dextera, vel ſiniſtra ita Salomon ex perſona ſponſæ loquitur in Cantico* [c] *canticorum. Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Quas licèt vtraſque vtiles eſſe ſignificet, tamen læuam ſub capite ſuo ponit, quia ſubiacere debent aduerſa partes principali. Ad hoc ſiquidem tantùm vtiles ſunt, vt pro tempore nos exerceant, & erudiant ad ſalutem, ac perfectos ad patientiam reddant. dexteram verò ad confouendam ſe, ad perpetuò conſeruandam ſalutari amplexu ſponſi ſibimet cohærere, atque inſolubiliter ei optat innecti. Erimus igitur ambidextri quando nos quoque rerum præſentium copia, vel inopia non mutarit, & nec illa nos ad voluptatis noxiæ remiſſionem impulerit, nec iſta ad deſperationem, [...]traxerit, & querelam, ſed ſimiliter Deo grates in vtroque referentes parem fructum de*

II. *ſecundis, aduerſiſque capiemus.* Hanc nos explicationem in paraphraſi ſecuti ſumus; ſignificare enim videtur Apoſtolus, ſe tàm in ſecundis quàm in aduerſis, animi æquabilitatem, & cõſtantiam retinuiſſe. Non tamen reiicienda penitus eſt eorũ ſententia, qui ſimpliciter accipiũt *à dextris, & à ſiniſtris*; quaſi dicat Apoſtolus, ſe vndique aduerſus omnia armatum eſſe, atque protectum. nec malè Primaſius diuina vi arma ſuppeditari dixit; hoc eſt *à dextris, & à ſiniſtris*; vt neque proſperis eleuemur, nec frangamur aduerſis. ſed noſtra ſententia confirmari videtur Auguſtini auctoritate; alicubi [d] enim hunc locum ita profert: *Per arma iuſtitiæ dextera, & ſiniſtra*: eodem modo Paulum explicat Anſelmus, qui ea, quæ deinceps ſequuntur, partim ad dexteram, partim ad ſiniſtram pertinere putat. Idque mirè videtur congruere verbis Apoſtoli; cùm enim dixiſſet; *per arma iuſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris*; ſtatim ſubdit; *per gloriam, & ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam*; & quæ deinceps ſequuntur quaſi hæc ſint arma, de quibus dixerat *per arma iuſtitiæ*. Vocat autem arma iuſtitiæ, vel quia valent ad

a cap.10.
b cap.3.15.
c cap.2.6.
d in Pſal.91.

A iuſtitiam retinendam, & conſeruandam; vel quia ipſa ſunt quodammodo iuſta; virorum enim iuſtorum proprium eſt neque efferri ſecundis, neque deprimi aduerſis.

PER GLORIAM, ET IGNOBILITATEM, &c. 8.
Hæc ſunt dextera, & ſiniſtra, quæ modò dixerat. Neceſſe eſt autem virum iuſtum inſtructum, atque armatum eſſe, ne magnitudine gloriæ in arrogantiam efferatur. Docet porrò Chryſoſtomus, præceptoris gloriam magnum eſſe auditorum incitamentum ad virtutem complectendam: quin etiam cùm quis gloria clarus honore afficitur, non exiguum eſt ſtrenui, magnique animi indiciũ, ſi quàm maximè oportet æquitatem, & moderationem animi retineat. Gloriam verò non vulgi, & imperitorum hominum plauſum, & acclamationem intelligit, ſed veram, & B conſtantem ſolidæ virtutis prædicationem, quam viri iuſti non ſpectant quidem, plerumque tamen iure optimo aſſequuntur, vt enim alicubi ſcribit Seneca [a]. *Gloria vmbra virtutis eſt: etiam inuitos comitabitur. Sed quemadmodum aliquando vmbra antecedit, aliquando ſequitur; ita gloria aliquando ante nos eſt, viſendámque ſe præbet; aliquando in auerſo eſt, maiórque quo ſerior vbi inuidia ſeceſſit. Et ignobilitatem*; græcè ἀτιμίας, hoc eſt, ignominiam, ſeu contemptum, qui gloriæ opponitur. Poſtulat autem egregium pectoris robur, ne quis deſpondeat animo, aut mœrore, atque ægritudine contabeſcat. Gloriam aſſecuti ſunt Paulus, & Barnabas cum in Lycaonia pro diis habiti ſunt [b]: contra verò ignominiam, & contemptum experti ſunt, cùm Antiochiæ [c] Piſidiæ concitata multi- C tudine vrbis finibus eiecti ſunt. Primaſius gloriam intelligit virtutum, ignobilitatem verò vinculorum. *Per infamiam, & bonam famam.* Infamiam falſas criminationes, & accuſationes interpretor: bonam autem famam veram virtutis prædicationem, quam quidem (vt ait Seneca [d]) vir ſapiens eo loco habendam cenſet, *tamquam quæ non ducere, ſed ſequi debeat*. Rectè namque ille [e] alio loco ſcripſit: *Conſcientiæ ſatiſfaciamus nihil in famam laboremus, ſequatur vel mala, dum bene mereamur. Vt ſeductores, & veraces.* græcè πλάνοι, quaſi dicat: vt impoſtores: quamquàm tam Græca, quàm Latina vox in bonam, & in malam partem accipi poteſt; nam & Deus ſeducere dicitur, vt apud Ieremiam [f]; *Seduxiſti me, & ſeductus ſum*. Et apud D Oſeam [g], vbi nos legimus. *Lactabo eam, & ducam in ſolitudinem*, Græci codices habent πλανῶ, id eſt, ſeduco, pelliceo, & decipio. Hîc autem in malam partem accipitur: opponit enim ſeductores veracibus: quaſi dicat. habiti ſumus aliquando tamquam ſeductores, aliquando verò tamquam ingenui euangelij miniſtri, & in vtroque iidem ſumus, noſtríque ſimiles.

SICVT QVI IGNOTI, ET COGNITI, &c. 9.
I. Hæc, inquit Chryſoſtomus, cum ſuperioribus coniunguntur. Quod enim dixerat per gloriam, & ignobilitatem, planiùs explicat his verbis. *Sicut qui ignoti, & cogniti. Quibuſdam enim*, ait Chryſoſtomus, *noti erant, ab iiſque ſingulari ſtudio colebantur: quidam rurſus ne cognoſcere quidem eos dignabantur.* Auguſtinus alicubi legit, *vt qui ignoramur, & cognoſcimur.* Quo loco E huius rationis grandiloquentiam obſeruat [h]. Primaſius; *vt ignoti*, inquit, *ab infidelibus, cogniti à credentibus.* Neque aliter ſentit Hieronymus. Ambroſius. *Malis ignoti erant, bonis noti.* Anſelmus. *Apud alios*, ait, *habiti ſunt qui ſunt à Deo ignoti, id eſt, reprobati; & apud alios à Deo cogniti, id eſt approbati: vel ita ſumus ſicut illi, qui ſunt ignoti, quia infideles, & ſuperbi non dignantur nos aſpicere, & agnoſcere, vel agnitos abiiciunt; & tamen fideles, & religioſi, nos agnoſcunt.* Sunt hæc omnia vtcumque probabiliter dicta, ſed Chryſoſtomi ſententiam præfero. Subdit. *Quaſi morientes, & ecce viuimus,*

a Epiſt. 79.
b Act. 14.10.
c Act. 13.50.
d lib. 6. de beneficiis, c. 41.
e lib. 3. de Ira cap. 42.
f cap. 20. 7.
g cap. 2. 14.
h lib. 4. de doctrina Chriſt. cap. 20.

mus. Nam vt ait Chryſoſtomus, *eorum iudicio, atque ſentētia, qui Apoſtolos inſectabātur, morti erant deſtinati, diuino tamē beneficio periculo erepti, ad vitam quodammodo reuocabantur.* Eodē modo explicat Ambroſius. Addit Primaſius, morti proximos interdum fuiſſe, vt cùm Paulus Lyſtris lapidibus obrutus eſt, Dei tamen munere ſeruatus. Sic etiam locum explicat Anſelmus. *Vt caſtigati, & non mortificati.* Græcè παιδευόμενοι. Quod Auguſtinus [a] dixit. *Vt coerciti, & non mortificati.* Eſt autem Græcum participium præſentis temporis, quod poſſis hunc in modum efferre; vt qui corripiamur, nec occidamur tamen; vt videatur (quod obſeruauit Primaſius) reſpexiſſe Paulus ad illud Dauidis [b]. *Caſtigans caſtigauit me Dominus, & morti non tradidit me.* Significat enim, pios à Deo interdum corripi, non aliter tamen, quàm filios à Patre, qui flagris cædit, vt emendet, non vt interimat. Mirum quid legerit Ambroſius, qui Latinè dixit. *Quaſi tentati, ſed morti nō traditi.* Obſeruat autem Chryſoſtomus, indicare Apoſtolum vberem eſſe rerum aduerſarum fructum, etiam circumſcripto præmio immortalitatis, quod poſt hanc vitam ſperatur. Qua de re multa præclarè [c] Philoſophi ſcripſerunt. Inter cætera illud egregiè dictum eſt. *Vnum habet aſſidua infœlicitas boni, quòd quos ſæpe vexat, nouiſſimè indurat.*

a xi. de Ciu.
b Pſ. 117. 18.
c Seneca ep. 67. 68. lib. de prouid. Dei. lib. de conſol. ad Mart. ca. 6. & lib. de cōſol. ad Albin. cap. 2.

10. QVASI TRISTES, SEMPER AVTEM, &c.

I. Externa quidem ſpecie videmur interdum mœrore confecti; at re vera iucundiſſima voluptate perfruimur, & quidem perpetua, ac minimè interrupta; hoc enim indicat aduerbiū *Semper*; Teſtes ſunt Apoſtoli, *qui* (vt legitur in Actis [d] Apoſtolicis) *ibant gaudētes à conſpectu cōcilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Quocirca rectè ſcripſit Oecumenius: *Apud extraneos quidem propter illa, quæ patimur, dolere exiſtimamur, ſemper tamen, & in omnibus continuè gaudemus.* Ita Paulus: *Gloriamur* [e], inquit, *in tribulationibus.* Et rurſus [f]: *Spe gaudentes in tribulatione patientes.* Primaſius. *Triſtes*, ait, *ſeueritate vultus, corde vero etiam in tribulatione gaudētes in ſpe.* Sentit enim, vt opinor, de externa illa moderatione, quam Apoſtoli, vtique Apoſtolici præſeferebant. Chryſoſtomus autem, quem Græci ſequuntur, non diſſentiente Ambroſio, de illa triſtitia loqui Paulum exiſtimat, quæ res aduerſas ſuapte natura quodammodo comitatur; cui tamen verum, ac ſolidum gaudium adnexum eſt. Ita enim apud Matthæum [g] dixit Chriſtus. *Beati eſtis cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos, mentientes propter me; gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Et [h] Petrus: *Si benefacientes patienter ſuffertis, hæc eſt gratia apud Deum; in hoc enim vocati eſtis.* Rurſus [i]: *Sed & ſi quid patimini propter iuſtitiam, beati.* Denique [k]: *Nemo veſtrum patiatur, vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor; ſi autem vt Chriſtianus, non erubeſcat, glorificet autem Deum in iſto nomine.* Hoc ipſum viſus eſt olim ſignificare Ieremias [l] cùm dixit. *Hæc dicit Dominus; Quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis, quia eſt merces operi tuo, ait Dominus.* Addit. *Sicut egentes, multos autem locupletantes:* in ſumma quippe mendicitate nō ſpiritualibus modò diuitiis affluebant, ſed etiam, vt ait Chryſoſtomus, humanis opibus; quippe ipſis omnium fidelium domus patebant, atque ita plurimorum inopiam ſubleuabant.

d cap. 5. 41.
e Rom. 5. 3.
f Rom. 12. 12.
g cap. 5. 11.
h epiſt. 1. cap. 2. 20.
i cap. 3. 14.
k cap. 4. 15.
l cap. 31. 16.

II. *Tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes. Nam qui multa poſſidet*, ait Chryſoſtomus, *& retinet, nihil habet; qui autem nihil habet, omnia poſſidet.* Eſt autem in Græcis verbis maior quædam gratia, ὡς μηδὲν ἔχοντες, & πάντα κατέχοντες. quaſi dicat, vt nihil tenentes, & omnia continentes; vt ſpontaneam paupertatem longè diuitiis anteponendam doce. Acutè namque dixit Seneca [a]. *Cui cum paupertate bene conuenit, diues eſt.* Itémque illud [b]. *Nemo alius eſt Deo dignus, quàm qui opes contempſit.* Cui conſentaneum eſt illud Democriti, qui interrogatus, quomodo quis fieri poſſet diues, reſpondiſſe fertur. *Si cupiditatum pauper ſit.* Porro argutè Primaſius, & Anſelmus, caduca inquiunt, & mortalia non eſſe re vera qualia cenſentur; ſed quaſi talia; præmia verò æterna vera eſſe, & ſolida. *Triſtitia noſtra*, ait Anſelmus, *habet quaſi, gaudium autem noſtrū non habet quaſi, quia ſpes, qua gaudemus, certa eſt. Triſtitia verò noſtra quaſi habet; quia in ſomnis tranſit. qui ſomniū indicat addit, quaſi; quaſi ſedebā, quaſi loquebar: quaſi prandebam: quaſi equitabam; quaſi diſputabam, totum quaſi, quia cùm euigilauerit, non inuenit quod videbat. Quaſi theſaurum inueneram, dicit mendicus, ſi quaſi non eſſet, mendicus non eſſet, ſed quia quaſi erat, mendicus eſt.* Et poſt nonnulla. *Ita in his, quæ exiſtimantur aduerſa, quæ ſuperiùs per ignobilitatem, & infamiam præſignauit, quæque à ſiniſtris eſſe deſcripſit, addidit. quaſi, vel ſicut, aut tamquam, in his vero, quæ proſpera reputantur, & dextra partis appellantur, quæque vocabulo gratia, & bona fama præmonſtrauit, non appoſuit, quaſi, vel aliquid tale. in proſperis enim, vel dextris eſt veritas. in aduerſis autem, & ſiniſtris umbra, vel ſimilitudo, non ipſa res.* Quam in ſententiam rectè Seneca [c]. *Sciamus*, inquit, *omnia æquè leuia eſſe, extrinſecus diuerſas facies habentia, introrſùs pariter vana, nec inuideamus altiùs ſtantibus: quæ excelſa videntur prærupta ſunt* [d]. Alibi. *Diſcedant aliquando iſta inſidioſe bona, & ſperantibus meliora, quàm aſſecutis, ſi quid in illis eſſet ſolidi: aliquando & implerent.* Itémque [e]; *Vis ſcire quàm falſus oculos tuos decipit fulgor? Nihil eſt iſtis quamdiu merſa, & inuoluta cœno ſuo iacent fœdius, nihil obſcurius. Quid? Quando per longiſſimorum cuniculorum tenebras extrahuntur, nihil eſt illis dum fiunt, & à fæce ſua ſeparantur, informius* [f]. Alibi. *Abſtrahunt à recto diuitiæ, honores, potentiæ, & cætera, quæ opinione hominum cara ſunt, pretio ſuo vilia. neſcimus æſtimare res, de quibus non cum fama, ſed cum rerum natura deliberandum eſt: nihil habent iſta magnificum, quod mentes noſtras in ſe trahat, præter hoc, quòd mirari illa conſueuimus.*

a epiſt. 4.
b epiſt. 18.
c lib. 3. de tranquil. cap. 10.
d epiſt. 84.
e epiſt. 115.
f lib. 1. de

11. OS NOSTRVM PATET AD VOS, &c. Poſt

I. elegantem, ac ſucci plenam rerum ſuarum enumerationē, hac apoſtrophe Corinthios affatur, ſuæque in illos beneuolentiæ, & caritatis magnitudinem mirificè declarat. *Non ſuſtinemus*, ait Chryſoſtomus, *amoris in vos noſtri vehementiam; apertè, atque ingenuè animi noſtri ſenſa patefecimus, cuncta liberè protulimus, nihil diſſimulantes, nihil reticentes.* Photius apud Oecumenium. *Quando quiſpiam*, inquit, *feruenter amat, alij verò non pari modo redamant, occaſionem, ac facultatem amanti præbent, vt pluribus ſuam cauſam erga ipſos iuſtificet, ac probet. Apertum eſt*, inquit, *multitudine, ac vi iuſtificationum, nobiſque tacere volentibus, ipſum tamen illis intus ſubſcaturientibus, ac ſurſum ſalientibus apertum eſt, & labia ad loquendū aperit, ac diſtendit, & iuſtificantes rationes aggreditur.* Ego quod in paraphraſi indicaui hęc accipio, quaſi dicta ſint ad excuſandam dicendi libertatem, atque licētiam, qua tum ſuperiori enumeratione vſus erat, tum ſequenti increpatione vti cogitabat: qua non ſolùm amorē, & confidentiā indicat (vt voluit Chryſoſtomus) ſed (vt monēt Ambroſius, & Anſelmus) præclarā conſcientiam declarat; malè enim ſibi cōſcia meos loqui trepidat. Addit verò Primaſius, quem Anſelmus ſecutus eſt, hæc Paulum loqui quaſi Corinthiorum profectu prouocatum. *Profectus enim*, inquit, *diſcipuli aperit os, & cor dilatat, atque magnificat.* Reſpicit enim,

eniio, vt opinor, ſequentem increpationem. *Os*, inquit, *noſtrum patet ad vos*; quoniam multa, & quidem magna cum libertate diximus, pluráque ad vos caſtigandos, informandóſque dicturi ſumus.

11. *Patet autem os, quia cor noſtrum dilatatum eſt*. Et quidem caritatis calore incenſum; calor enim vim habet dilatandi; ita etiam caritas, quæ (vt ait Chryſoſtomus) *calida, & feruens virtus eſt*, dilatat, & cordis veluti ſpatia laxat. *Nihil autem*, ait Chryſoſtomus, *Pauli pectore latius erat, quod pios omnes perinde atque amaſius quiſpiam adeo arcto amore complectebatur non ſeſe ſcindente ipſius amicitia, & imbecillitatem contrahente, ſed integra in vnoquoque manente. Ob eam cauſam non dixit, amo vos, ſed quod maiorem emphaſim habet os noſtrum patet ad vos, cor noſtrum dilatatum eſt. nos complexu noſtro omnes coercemus, ac ne id quidem* B *vtcumque, ſed cum ingenti amplitudine; nam qui amatur, in intimo amantis pectore ſine vllo metu obambulat.* Ambroſius verè quidem, ſed neſcio, vtrùm ad mentem Apoſtoli, cordis dilatationem aliò trahit. *Eorum*, inquit, *cor dilatatur, qui fiducia bona conuerſationis gaudent in ſeſe; aut certè futuri ſpe pramij non anguſtantur; quia ſicut in hac vita niſi præceſſerit labor, redditus non ſequitur: ita & in rebus diuinis, ſi non exitia anteierint, præmium non ſequetur*. Ambroſium magna ex parte ſequitur Anſelmus, qui cordis dilatationem iuſtitiæ delectationẽ appellat. *Hoc*, ait, *munus eſt Dei, vt in præceptis eius nõ timore pœnæ anguſtemur, ſed dilectione & delectatione iuſtitiæ dilatemur*. Nec dubiũ eſt, cordis dilatationem ampliſſimè ſumptam ad

a 3.Reg.4.29 plura transferri; nam de Salomone legimus [a], diuini- C tus illi conceſſam fuiſſe *ſapientiam, & prudentiã multam nimis, & latitudinem cordis, quaſi arenam, quæ eſt in littore maris*. Hoc eſt vt Hebræi interpretantur mentem rerum omnium capaciſſimam, quæ nullis difficultatibus perturbari, aut à recto animi ſenſu flecti, vel dimoueri poſſet: vel vt alij volunt eximiam quandam liberalitatem, ac magnificentiam. Verùm in præſentia nihil dubito loqui Paulum de ſpatiis caritatis, quæ mox etiam in Corinthiis requirit non ſine aculeo; ait enim.

12. I. NON ANGVSTIAMINI IN NOBIS, &c. *Non ſimpliciter*, ait Chryſoſtomus, *negat ſe à Corinthiis amari, ſed tantùm ſuam in illos beneuolentiam præfert; cui ex æquo illos non reſpondere inſinuat, quod ipſum eſt non vulgare amoris argumentum; ita obiurgationem mira* D

b cap.12.15. *lenitate temperat*. Et hac eadem [b] Epiſtola. *Licet plus vos diligens, minus diligar*. Itaque Clemens apud Oecumenium. *Vos*, inquit, *anguſti eſtis in viſceribus veſtris, hoc eſt, in dilectione erga Deum, qua me diligere debetis*. Id autem (vt monet Oecumenius) turpe eſt, æquitatis enim ratio poſtulat, vt qui ab alio diligitur, parem ei beneuolentiam rependat. Non ſunt autem audiendi qui exiſtimant dixiſſe Paulum, *Non anguſtiamini in nobis*; hoc eſt, de nobis; cùm reuera; *in nobis*; legendum ſit. *Non* enim *anguſtiamini*, imperandi, ſed indicandi modo dictum eſt; vt ſit ſenſus: non eſtis anguſtè, hoc eſt, loci anguſtia non premimini in nobis, ſentit enim, ſibi eſſe ampliſſimum animum, hoc eſt latiſſimã caritatem, quæ omnes complectatur: cæterùm illos ãguſtos eſſe, non quidem E in Paulo, ſed in ſuis ipſorum viſceribus, hoc eſt, affectibus, qui non ex æquo eius caritati reſpondeant. Anguſtiam enim hoc loco vocat non afflictionem, aut moleſtiam animi, ſed exiguam beneuolentiam, & amorem, vt amplitudo eximiam caritatem ſignificet; anguſtia verò caritatem non ex æquo reſpondentem. Quocirca malè quidem anguſtiam interpretantur trepidam obſeruationem cæremoniarum legis, vel humanarum traditionum, aut etiam mœrorem, quem conceperant ex eo, quem Paulus iuſſerat tradi ſatanæ. Nec ſatis videtur probanda explicatio Anſelmi, qui amplitudinem, & anguſtiam refert ad doctrinam: quod etiam viſus eſt ſubindicare Ambroſius; vt ſenſus ſit. Nolite putare vos, ſi meam doctrinam ſequamini, parum poſſe proficere, aut rerum neceſſariarum ignoratione laboraturos; ſed potius ſic habetote, quidquid ignoratis, aut non ſatis probè percipitis; mentis, atque intelligentiæ veſtræ imbecillitati tribuendum eſſe. vt enim id omne verè dici poſſit, nunc tamen id non agit Apoſtolus, vt ea quæ ſequuntur apertè indicant, quibus ſuadet, vt ſibi paria in amore referant; ait enim.

EANDEM AVTEM HABENTES, &c. Laborat Anſelmus, vt oſtendat, hæc cum ſua interpretatione cohærere. *Sed & nunc*, inquit, *dico vobis tamquam filiis, id eſt, tamquam illis, qui exemplum meum, cùm ſim pater veſter ſequi debetis. Dilatamini, & vos, ſicut ego dilatatus ſum; id eſt per intellectum dilatamini auxilio gratiæ Dei, vt maiora ipſius donu capiatis. Dilatamini per amorem iuſtitiæ, vt copiam virtutum capiatis in latitudine mentis veſtræ. vos dico habentes in futuro eamdem remunerationem, quam ego, ſi nunc ita dilatati fueritis, vt ego*. Nec multò aliter Ambroſius, qui retributionem eodem modo ad futuram mercedem refert, dilatationem verò ad morum ſanctitatem, & præclaras, atque eximias actiones exercendas. At Chryſoſtomus, hæc cum ſuperioribus ritè connectens, de mutua beneuolentia, & caritate interpretatur. *Mihi*, inquit, *ſatis fuerit, ſi vel meo amore prouocati mutuæ erga me beneuolentiæ ſignificationem præbeatis*. Cum Chryſoſtomo ſentiunt omnes Græci, niſi quòd Pauli verba aliter, atque aliter explicant. Nam quoniam in Græcis codicibus non legitur participium *habentes*; Photius apud Oecumenium, quem ſequitur Theophylactus, ſubaudiendum putat aliquod verbum, quale eſt, ſuſcipite, aut afferte. Alij malunt, ſubintelligi præpoſitionem κατὰ; vt ſit ſenſus: iuxtà eamdem retributionem dilatamini & vos; quaſi dicat; par pari referto. At Chryſoſtomus indicare videtur accuſatiuum coniungendum eſſe cum verbo; *dico*; hunc in modum. Eamdem remunerationem tamquàm filiis dico; hoc eſt; eamdem à vobis, tamquam à filiis exigo beneuolentiam; vt quemadmodum ego vos tamquam filios cariſſimos diligo, ita & vos me tamquam parentem diligatis. Non exigo igitur à vobis quidquam arduum, nec repoſco meritum cum fœnore; tantùm poſtulo, vt amantiſſimo parenti tamquam filij in amore reſpondeatis: nihil ampliùs requiro, quàm vt pariter ametis; hæc erit meorum erga vos officiorum ampliſſima merces. Quocirca verbum; *dico*; eſt veluti exponentis, quod tectius dictum erat. *Non anguſtiamini in me*; quaſi dicat; nihil magni poſtulo, ſi cùm ſim Pater eamdem à vobis menſuram amoris exigo: propterea ſubdit, *Dilatamini & vos*; quemadmodum & ego dilatatus ſum. Huic interpretationi, quæ apertè deducitur ex Chryſoſtomo, nihil ſupplendum, aut addendum videtur; cùm verbum *dico*; non ad ſequentem orationem. *Dilatamini & vos*; *ſed ad retributionem referatur*.

13. I.

14. I. NOLITE IVGVM DVCERE CVM, &c. Si quis Ambroſium, & Anſelmum ſequatur, facilè hæc cum ſuperioribus connectet. cùm enim ad pietatis ſtudium ſpe futuræ gloriæ Corinthios excitaſſet, in eodem argumento perſiſtens morum præcepta tradit. Verùm quoniam ſuperiora de mutua beneuolentia accipienda eſſe diximus, cenſendum eſt, morum præcepta, quæ tradit, eſſe beneuolentiæ, qua ſe Corinthij proſequantur indicia, & argumenta: quaſi dicat: ſi me tamquam filij parentem diligitis; vel filiorum in me beneuolentiam declaratis, nolite

iugum

iugum ducere cum infidelibus, græcè dixit Apoſtolus, μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες ἀπίστοις. An loquitur de coniugio fidelium cum infidelibus? Certè Hieronymus huiuſmodi matrimonia vocat impatia. At quorſum de connubio cum infidelibus agat, cùm præſertim ſuperiori Epiſtola viſus ſit connubia cum infidelibus non penitùs improbare? An ſignificat, iuſtitiam, & æquitatem ita retinendam eſſe, vt neutram in partem flectatur? Sanè ita interpretantur Oecumenius, & Theophylactus; ſic enim ſcribit Oecumenius. *Dictio autem* ἑτεροζυγοῦντες, *ſumpta eſt à* ζυγοῦ, *id eſt, æquilibrio lancis, aut trutinæ.* Theophylactus verò; *verbum enim* ἑτεροζυγεῖν, *alteri lanci incumbere de iniuſta libra dicitur, quando nimirum altera lanx grauior extiterit.* Itaque putat, Paulum præcipere ne *commiſceantur infidelibus, hoc eſt, ne ad alteram lancem inclinentur, & iniuria afficiant iuſtum, dum ad eos ſe applicant, quibus coniungi nefas eſt.* Simile quiddam indicare videntur Chryſoſtomus, & Theodoretus: Chryſoſtomus enim in hunc modum ſcribit. *Non dixit. Nolite commiſceri cum infidelibus, ſed vehementiùs eos perſtringens vepote ius violantes, ne deflectatis vos ipſos inquit.* Theodoretus porrò. *Ne imitemini boues, qui aliò deflectunt, & iugum trahunt: incredulorum fraudem veſtræ doctrinæ præferentes.*

II. Haud tamen mihi facilè perſuaſerim id tantùm Paulo propoſitum eſſe, vt diſſuadeat conuictum cum infidelibus, ſi eum alterius iniuria, vel cum violatione iuſtitiæ coniungatur; cùm paulò pòſt iubeat fideles de medio fidelium recedere. Anſelmus de pſeudoapoſtolis intelligit; quaſi prohibeat Apoſtolus, ne vna cum pſeudo-Apoſtolis legis veteris iugo, & ſeruituti ſeſe ſubiiciant; non tamen Apoſtolus ita legem deſpicit, vt iniuſtitiam, vel iniquitatem, aut tenebras, aut denique conſenſionem cum Belial appellet; quæ profectò multò vehementiùs, & acerbiùs dicuntur, quàm vt in legem veterem conueniant. Primaſius, cui ego libenter aſſentior, quamlibet ſocietatem cum infidelibus diſſuaderi exiſtimat, vt cum iis nullo ſocietatis genere copulentur, neque vni, atque eidem iugo ſubdantur; hoc enim indicant quæ ſequuntur. *Quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate?* &c. Quinetiã hoc videtur poſtulare vox Græca; quamuis enim ἑτεροζυγεῖν interdum ſignificet alterum è duobus; nonnunquàm tamen ſignificat diuerſum ſiue è duobus, ſiue è pluribus, vt ἑτερόφθαλμος is dicitur, qui altero caret oculo: ἑτερόδοξος qui diuerſæ eſt opinionis. Cùm igitur Paulus ἑτεροζυγοῦντες nominat, incertum eſt, an intelligat eos, qui alteram iugi partem ſuſtinent, an qui cum diuerſæ conditionis homine iugum ducunt, veluti ſi equum ac bouem iugo copules. ἑτεροζυγεῖν autem eſt eodem iugo alligatum eſſe cum altero; ζυγὸν etiam par boum iugatorum eſt, quorum vterque ἑτεροζυγεῖν πρὸς ἕτερον dicitur. quocirca quod ait Apoſtolus μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες ἀπίστοις ſignificat nolite copulabiles eſſe cum infidelibus; hoc eſt, nolite vllo ſocietatis genere, neque gerendo magiſtratu, neque publico munere obeundo, cum illis coniungi, aut eorum collegæ fieri, vt omnem cum ethnicis ſocietatem prohibeat. *Quæ enim,* inquit, *participatio iuſtitiæ cũ iniquitate?* Loco namque perſonarum (vt ait Oecumenius) res ipſas ponit ad maiorem orationis vehementiam: quaſi dicat; quemadmodum iuſtitiæ cum iniquitate non conuenit, ita nulla fideli cum infideli ſocietas eſt permittenda. *Aut quæ ſocietas luci ad tenebras?* Eodem ſpectat hoc exemplum; vt enim lux cum tenebris pugnat; ita fideles, qui filij lucis appellantur, nihil commune habent cum infidelibus, qui nuncupantur filij tenebrarum. Sic enim alicubi [a] loquitur Apoſtolus. *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*

a ad Eph. 5. 8.

Qᴠæ ᴀᴜᴛᴇᴍ ᴄᴏɴᴠᴇɴᴛɪᴏ Cʜʀɪsᴛɪ, &c. 15.

I. Eodem ſpectant hæ omnes ſimilitudines. Retinuit autem Apoſtolus Hebræam vocem; Belial; ſeu (vt habent Græci codices) Βελιάλ. quam quidem Hieronymus [a] præuaricatorem, ſeu apoſtatam interpretatur. Si vim vocis ſpectes propriè ſignificat abſque iugo; ideo Græci deſertorem, ac defectorem vocant, & pro diabolo ponunt, qui ab iugo diuinæ legis excuſſo iugo auctor eſt hominibus, vt Dei legem violent. Quapropter filij Belial homines perditiſſimi dicuntur, ſiue quòd patrem diabolum imitentur, ſiue quòd ipſi ita viuant, vt omni legis iugo ſoluti videantur, ac liberi. In libro Iudicum [b]. *Venerunt,* inquit, *filij ciuitatis illius, filij Belial.* Explicationis autem gratia addit interpres; id eſt, *abſque iugo.* Septuaginta legunt υἱοὶ παρανόμων; quaſi dicat, filij iniquorũ: in Deuteronomio [c]: *Filij Belial;* Septuaginta ἄνδρες παράνομοι: in libris Regum [d], *filius Belial,* Septuaginta παράνομος. Alibi [e]: *Vir Belial nomine Siba,* Septuaginta υἱὸς παράνομος. Rurſus [f]. *Duo viri filij diaboli:* Hebraicè Belial. Septuaginta υἱοὶ παρανόμων. Paulò pòſt. *Filij diaboli.* Septuaginta ἄνδρες ἀποστάται. Sic Salomon [g]. *Homo Belial;* noſter interpres dixit. *Vir apoſtata.* Sic etiam Anna [h]. *Ne reputes ancillam tuam quaſi vnam de filiabus Belial.* Septuaginta θυγατέρα λοιμήν. Paulò [i] pòſt. *Filij Heli, Filij Belial.* Septuaginta υἱοὶ λοιμοί. Rurſus [k]. *Filij Belial dixerunt,* Septuaginta υἱοὶ λοιμοί. Denique [l] *filius Belial* υἱοὶ λοιμοί. Sic alibi frequenter. Aliàs pro iniquitate ponitur, vt apud Dauidem [m]. *Torrentes iniquitatis.* Hebraicè Belial. Alibi [n]. *Verbum iniquum conſtituerunt aduerſum me.* Hebraicè *Belial.* Quid igitur hoc loco ſignificat Apoſtolus? Quæ, inquit, ſocietas Chriſto cum dæmone, vel cum impietate? vel, quid commune habet Chriſtus, qui fuit obediens vſque ad mortem cum eo, qui viuit abſque iugo? Certè Chriſtus omnia fecit, vt prodeſſet: Belial autem, ſeu dæmon, ſeu etiam vir impius, ac peſtilens etiam cùm prodeſſe videtur, id vnum quærit, vt noceat.

II. *Aut quæ pars,* inquit, *fideli cum infideli?* Hebraiſmus eſt non ignotus, quo nullam fidei coniunctionem, aut ſocietatem cum infideli eſſe poſſe declarat. Sic enim illi [o]. *Non enim nobis pars in Dauid, neque hæreditas in filio Iſai.* Itémque [p]. *Quæ nobis pars in Dauid, aut quæ hæreditas in filio Iſai?* Rectè porro monet Oecumenius cùm hactenus res rebus comparaſſet, nunc perſonas cum perſonis conferre, vt intelligamus quemadmodum ſuperiora nihil habent commune, ita nullam inter fideles, atque infideles admitti poſſe ſocietatem. Hæc omnia putat Anſelmus, de pſeudoapoſtolis accipienda eſſe, cuius ego ſententiam ob id probare non facilè poſſum, quòd videam mox idola cum templo Dei conferri, cùm tamen nullo modo veriſimile videatur, pſeudoapoſtolos idolorum fuiſſe cultores. Subdit igitur.

Qᴠɪ ᴀᴜᴛᴇᴍ ᴄᴏɴsᴇɴsᴠs ᴛᴇᴍᴘʟᴏ, &c. 16.

I. Planè nulla eſt conſenſio templo Dei cum idolis, ſiue ipſa ſimulacra intelligat, ſiue (vt mauult Primaſius) idolorum cultores eo nomine ſignificet. Non potuit enim olim [q] arca Dei cum idolo Dagon conſiſtere, neque paſſus eſt Chriſtus ſe à ſenatu Romano in aliorum Deorum, hoc eſt, idolorum album referri, cùm id maximè ageret, ſuáque auctoritate promoueret Tiberius, vt alicubi [r] ſcribit Tertullianus. Patres verò VII. Synodi [ſ] Nili ad Olympiodorum teſtimonio puerile aiunt eſſe animalium imagines in templis pingere; adeo ab idolorum ſimulacris abhorrebat antiquitas. At niſi vehementer fallor corrigendus eſt Canon [t] Concilij Eliberini, qui multorum ingenia diu torſit: ſic enim omnino legendum videtur. *Placuit in Eccleſiis picturas non eſſe, ne quod*

non

non colitur in parietibus pingatur. hanc enim conſue-
tudinem antiquiſſimi Patres illi damnant, quàm tan-
tò pòſt Nilus reprehendit prophaoas animalium
imagines pingendi, quæ ab infidelibus accepta la-
tiùs manarat, adeo vt hoc etiam noſtro ſeculo idolo-
rum, & ſceleſtiſſimorum hominum ſimulacra ma-
gno pretio empta in priuatis, ac publicis fidelium
ædibus non ſine aliqua piorum offenſiooe viſantur.
Quomodo autem imagines probandæ, vel impro-
II. bandæ ſint, alibi videro. *Vos enim*, ait, *eſtis templum*
a cap.3.17. *Dei viui.* ſic dixerat ſuperiori Epiſtola [a]. *Templum*
enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. In præſentia verò id
ipſius Dei teſtimonio confirmat; ait enim. *Sicut dicit*
Deus, quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero
illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus. Beatus Tho-
mas hoc teſtimonium putat ſumptum eſſe ex Leui-
tico [b]; ſic enim eo loco ſcriptum legimus. *Ponam ta-*
b cap.26.11. *bernaculum meum in medio veſtri, & non abiiciet vos*
anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deus veſter, vóſ-
que eritis populus meus. Alij auctore Dydimo refe-
c cap.37.27. runt ad Ezechielem [c], cuius ſunt hæc verba. *Et erit*
tabernaculum meum in eis, & ero eis Deus, & ipſi erunt
mihi populus. Crediderim ego, neutrum locum pro-
priè afferri, ſed eandem tantùm vtriuſque loci ſen-
tentiam verbis Apoſtolicis exprimi. *Inhabitabo*, in-
quit, *& inambulabo.* græcè ἐνοικήσω ἐν αὐτοῖς καὶ ἐμπε-
ριπατήσω. Ambroſius vertit. *Inhabitabo in illis, & inter*
eos ambulabo: noſter tamen interpres dixit; *inambula-*
bo; vt exprimeret Græcum verbum ἐμπεριπατήσω;
quod ſignificat in aliquo ambulare. nam apud Lati-
nos inambulare interdum idem eſt, quod ambulare.
Romana editio habet *inambulabo inter eos.* in Græcis
codicibus non habetur. Quod ſequitur. *Et ero illorum*
Deus, & ipſi erunt mihi populus, rectè olim de Hebræo-
rum gente dictum eſt, & nunc verè de fidelibus ac-
d Deuter. 32.8. cipitur. Nam de Hebræis cecinit Moſes [d]. *Quando*
diuidebat altiſſimus gentes, quando ſeparabat filios Adam,
conſtituit terminos populorum iuxtà numerum filiorum
Iſrael: pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus
hæreditatis eius. de fidelibus autem Chriſtus ipſe apud
e cap.vlt.2. Matthæum [e] dixit. *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus*
diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Profert hunc
f lib.de pudi- locum Tertullianus [f] ad pudicitiam, & continentiam
cit. cap.41. ſuadendam.

17. Propter qvod exite de medio
I. eorvm, &c. Colligit ex ſuperioribus, idque apertè,
& abſque vllo tropo, quod paulò antè metaphori-
cè dixerat; *nolite iugum ducere cum infidelibus.* affert
autem ſententiam ex Iſaiæ [g] vaticiniis deſumptam,
g cap.52.11. *Recedite, recedite*, inquit, *exite inde. pollutum nolite tan-*
gere, exite de medio eius, mundamini qui fertis vaſa Do-
h ... de lapſ. *mini.* Quo teſtimonio probare nititur Cyprianus [h],
patriam deſerendam, & patrimonij faciendam ia-
i ... de aleat. cturam ne Chriſtus deſeratur. Alibi [i] verò aleato-
rum conſuetudinem fugiendam eſſe: in his enim
omnibus eadem prorſus videtur ratio. Apparet au-
tem Apoſtolum ſententiam potiùs prophetæ expreſ-
ſiſſe, quàm verba. *Immundum*, ait, *ne tetigeritis.* non

A loquitur autem Apoſtolus de iis, quæ in lege veteri
cenſebantur immunda; ſed de iis, quibus animus, &
conſcientia inquinatur, de quibus ita Chriſtus apud
Matthæum [a]. *Quæ autem procedunt de ore, de corde* a cap.15.18.
exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt
cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes,
furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ: hæc ſunt, quæ coinqui-
nant hominem. Et hoc modo hunc locum explicat
Chryſoſtomus, & omnes Græci; & inter Latinos
Primaſius, & Anſelmus, qui monet, malorum con-
ſuetudinem tum demum vitandam eſſe, cùm corri-
gi, aut emendari non poſſunt; metuendúmque eſt, ne
quis malorum contagione corrumpatur. Obſeruat
autem Chryſoſtomus, non dixiſſe Apoſtolum: *im-*
munda ne faciatis, ſed ne attingatis, nec appropinquetis:
B quod ad perfectam quandam, abſolutámque ſancti-
tatem maximè pertinet; quæ ab omni peccati labe
pura maximè ſit, atque immunis. *Purus autem*, in-
quit, *tum demum eſſe quiſpiam poterit, ſi non ſcortationi*
duntaxat vacet, ſed etiam auaritiæ, inani gloriæ. Ad hūc
porro locum pertinere aliquo modo poſſunt, quæ
ſcribit Zacharias [b]. *O, ô, fugite de terra Aquilonis, di-* b cap.2.6.
cit Dominus! Et mox: *O Syon fuge, quæ habitas apud fi-*
liam Babylonis. Quod ſequitur. *Et ego recipiam vos*: non
legitur apud Iſaiam, additur tamen ab Apoſtolo qua-
ſi paucis explicante quod ſcribit propheta [c]. *Quo-* c Iſa.52.12.
niam non in tumultu exibitis, nec in fuga properabitis;
præcedet enim vos Dominus, & cōgregabit vos Deus Iſrael:
ecce intelliget ſeruus meus, exaltabitur, & eleuabitur, &
ſublimis erit valdè. Hæc enim omnia vnico verbo ſi-
C gnificat Apoſtolus cùm dicit. *Et ego recipiam vos.*
Quaſi dicat adero vobis, & veſtrum patrocinium
ſuſcipiam.

Et ero vobis in patrem, &c. Alludit 18.
Apoſtolus ad verba Ieremiæ [d]. *Factus ſum Iſraeli pater,* I.
& Ephraim primogenitus meus. Quod enim propheta d cap.31.9.
vaticinando de adoptione filiorum dicit, id Apoſto-
lus iiſdem propemodum verbis pollicetur; præſen-
tem videlicet gratiam, & regenerationem. Monet
Primaſius his apoſtolicis verbis fideles confirmari,
quaſi habituri ſint patrem ſempiternum, ſi fortè con-
tingat eos ab infidelibus parentibus ſeparari; indicat
enim id, quod Chriſtus dixit in Euangelio [e]. *Nolite* e Matt.10.34.
arbitrari, quia pacem veni mittere in terram; non veni pa-
cem mittere, ſed gladium. veni enim ſeparare hominem
D *aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam,*
& nurum aduerſus ſocrum ſuam, & inimici hominis do-
meſtici eius. Enumerat enim coniunctiſſimas perſo-
nas; vt oſtendat nullum tam arctum eſſe vinculum,
quod gladio euangelico ſecari, diſrumpíque ne-
queat. Nam Apoſtolus [f] *gladium ſpiritus vocat, quod eſt* f ad Epheſios 6.17.
verbum Dei. Et alibi [g]: *Viuus eſt ſermo Dei, & efficax, &* g ad Hebræos 4.12.
penetrabilior omni gladio ancipiti: ac pertingens vſque
ad diuiſionem animæ, & ſpiritus. Ita gladium interpre-
tantur Hilarius, Auguſtinus [h], auctor imperfecti [i], h Quæſt. 3. in Matth.
& Theophylactus. Poſſis etiam Dei amorem gla- Hom.26.
dium appellare, cuius cauſa filij à parentibus ſepa-
rantur, vt ſentit Euthymius.

Argumen

Argumentum Cap. VII.

IN eadem cohortatione perſiſtens, monet Corinthios, vt omnem prauum affectum exuant, ſuámque doctrinam, & viuendi rationem bonam in partem accipiant: & nonnullam interim illorum laudem, & commendationem admiſcet: tum addit in ſumma rerum perturbatione, ac periculo, cùm eſſet in Macedonia mirificè ſe oratione Titi fuiſſe recreatum, qui rediens Corintho multa de ipſorum pietate, ac ſtudio iucũdè narrabat.

CAPVT VII.

HAs ergo habentes promiſſiones, chariſſimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus perficientes ſanctificationem in timore Dei.

Capite nos. Neminem læſimus, neminem corrupimus, neminem circumuenimus.

Non ad condemnationem veſtram dico, prædiximus enim, quòd in cordibus noſtris eſtis ad commoriendum, & ad conuiuendũ.

Multa mihi fiducia eſt apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis, repletus ſum conſolatione: ſuperabundabo gaudio in omni tribulatione noſtra.

Nam & cùm veniſſemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro noſtra, ſed omnem tribulationem paſſi ſumus: foris pugnæ, intus timores.

Sed qui conſolatur humiles, conſolatus eſt nos Deus in aduentu Titi.

Non ſolùm autem in aduentu eius, ſed etiam in conſolatione, qua conſolatus eſt in vobis, referens nobis veſtrum deſiderium, veſtrum fletum, veſtram æmulationem pro me, ita vt magis gauderem.

Quoniam etſi contriſtaui vos in Epiſtola, non me pœnitet: & ſi pœniteret, videns, quòd Epiſtola illa (& ſi ad horam) vos contriſtauit.

Nunc gaudeo; non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam.

Contri-

PARAPHRASIS.

HIs igitur promiſſionibus erecti, & con- 1.
firmati, perpurgemus nos (ô dilecti) ab
omni corporis, atque animi inquinamento; nitamúrque quantum poſſumus, vt ſit hoc modo perfecta ſanctificatio noſtra
cum timore Dei coniuncta. ¶ Sinite verò vt lo- 2.
cum apud vos inueniam, veſtræque in me beneuolentiæ fontes patere permittite, & liberiorem orationem meam eadem caritate percipite, qua illam ego ad vos ſcribo. Nemini iniuriam fecimus, nullius bona inuaſimus, nemini quidquam per
auaritiam eripuimus. ¶ Non hæc idcirco comme- 3.
moro, vt ea vobis exprobrem, aut vt vos ingrati animi, vel etiam perfidiæ condemnem. nam non ita pridem dixi, vos eſſe in corde noſtro ita penitùs infixos, vt inde neque rebus ſecundis, neque aduerſis, ne ipſa quidem morte auelli poſſitis; quin etiam vitæ, mortiſque meæ ſitis ſemper participes.
¶ Multa mihi fateor loquendi libertas, & confi- 4.
dentia eſt apud vos, multa mihi gloriandi occaſio de vobis, incredibili penè ſolatio perfuſus ſum, vehementi quodammodo gaudio exundo in ipſis
mediis ærumnis, quibus vndique premor. ¶ Ete- 5.
nim cùm veniſſemus in Macedoniam nullam quietis partem capere potuimus; ſed ita omni ex parte premebamur, vt penè videremur oppreſſi. nam foris quidem crebræ nos infidelium & graues pugnæ exercebant, intus verò multorum fidelium imbecillitas perpetuo quodam metu, ac ſol-
licitudine cruciabat. ¶ Sed qui reficit, ac recreat 6.
deiectos, & proſtratos, conſolatus eſt nos Deus narratione Titi, qui veniens ad nos, renuntiauit de vobis, quæ nos magna voluptate affecerunt, quanto videlicet fructu noſtras litteras perlegeritis.
¶ Neque verò id ſolùm mihi pergratum, & iucun- 7.
dum accidit, ſed quòd præterea cognouerim quàm benignè fuerit ipſe, quámque humaniter à vobis exceptus, & quanto veſtro cum fructu: audiebam enim eum narrantem vehemens deſiderium veſtrum, itémque veſtrum eiulatum, & veſtrum pro me ſtudium, adeo vt incredibili pene gaudio ſim
exhilaratus. ¶ Tametſi enim triſtitia vos affeci per 8.
epiſtolam, non eſt quòd doleam, quamquàm me nonnihil doluiſſe non inficior; omnem tamen dolorem, ac pœnitentiam, ſi quam fortè olim concepiſſem, quod tamen non admitto, libens pono; video enim ampliſſimum illius Epiſtolæ fructum, quamquam ad breue tempus nonnihil vobis attu-
lit mœroris. ¶ Nunc verò eſt quòd magnopere 9.
gaudeam, non quòd triſtitia perfuſi fueritis, ſed

quòd

quòd illa qualis qualis triſtitia ad pœnitentiam
vos & præterita vitia emendanda prouocauit, at-
que adeò vberem fructum attulit: triſtitia nam-
que fuit illa quodammodo cœleſtis, ac diuina,
ita vt verè affirmare poſſim, nullo vos detrimen-
10. to noſtra illa epiſtola fuiſſe affectos. ¶ Is enim
dolor, qui Deo authore excitatur, & ad vnum
Deum refertur, pœnitentiam parit peropportu-
nam ad ſempiternam ſalutem conſequendam;
cuius nunquam iure quenquam pœniteat, atqui
improba aliqua ex cauſa exiſtit dolor, interi-
11. tum affert ſempiternum. ¶ Ecce enim hæc ipſa
Dei amore concepta triſtitia, quantum in nobis
excitauit ſtudium, vel potiùs quantam iuſtæ ex-
cuſationis, ac defenſionis materiam, quinetiam
in eos, qui peccarant iuſtam indignationem, im-
mò verò Dei timorem, ac vehemens deſiderium,
& iuſtam iram pro lege violata, denique vltio-
nem per vos ipſos veſtra ſponte ſuſceptam; vno
verbo; Omnibus teſtatum feciſtis, vos eſſe in-
12. noxios, neque vllo modo culpæ affines. ¶ Nem-
pe etiamſi ſcripſi vobis, non id profectò feci
eius cauſa, qui iniuriam fecerat; neque eius
item cauſa, qui iniuria affectus erat, ſed vt a-
pud vos apertè declararem ſtudium illud meum
erga vos, veſtrámque ſalutem minimè fucatum;
ſed planè eiuſmodi vt minimè dubitem diuino
etiam iudicio, atque ſententia probatum iri.
13. ¶ Quapropter mirificè recreatus ſum cùm de
vobis ea accepi, quibus incredibiliter animus
meus oblectatur. Sed longè maiori lætitia, ſoli-
dioríque gaudio exultaui cùm ad ſuperiora acceſ-
ſit id quod ab ipſo Tito cognoui, quantam vi-
delicet ille animo ceperit voluptatem ex veſtra
14. conſuetudine, atque ſermone. ¶ Nam ſi quid
apud eum de vobis, veſtráque beneuolentia, &
caritate gloriatus ſum, vehementer gaudeo non
fuiſſe me pudore ſuffuſum; ſed vt omnia verè,
atque ex animo locuti ſumus vobis, ita gloria-
tio noſtra, qua vſi ſumus apud Titum, veſtra
15. opera, ac ſedulitate vera comperta eſt. ¶ Ac in-
timus quidem ipſius in vos amor in dies magis
exardeſcit, dum reminiſcitur veſtrum omnium
obedientiam, & timorem, ac tremorem, qui-
bus ſe à vobis exceptum fuiſſe commemorat.
16. ¶ Gratulor igitur vobis, mihíque vehementer
gaudeo, quòd ea confidentia, qua omnia de vo-
bis mihi liberè polliceor, nulla ſum ratione fru-
ſtratus.

Contriſtati enim eſtis ſecundùm Deum, vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis.

Quæ enim ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: ſæculi autem triſtitia mortem operatur.

Ecce enim hoc ipſum, ſecundùm Deum contriſtari vos, quantam in vobis operatur ſollicitudinem: ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed vindictam. in omnibus exhibuiſtis vos, incontaminatos eſſe negotio.

Igitur, etſi ſcripſi vobis, non propter eum, qui fecit iniuriam, nec propter eum, qui paſſus eſt: ſed ad manifeſtandam ſollicitudinem noſtram, quam habemus pro vobis coram Deo,

Ideo conſolati ſumus. in conſolatione autem noſtra, abundantiùs magis gauiſi ſumus ſuper gaudio Titi, quia refectus eſt ſpiritus eius ab omnibus vobis.

Et ſi quid apud illum de vobis gloriatus ſum, non ſum confuſus: ſed ſicut omnia vobis in veritate locuti ſumus, ita & gloriatio noſtra, quæ fuit ad Titum, veritas facta eſt.

Et viſcera eius abundantiùs in vobis ſunt, reminiſcentis omnium veſtrum obedientiam: quomodo cum timore, & tremore excepiſtis illum.

Gaudeo, quod in omnibus confido in vobis.

IN CAPUT SEPTIMUM EXPLANATIO.

1\.
I. HAS ERGO HABENTES PROMISSIONES, &c. A Theodoretus hæc videtur cum ſuperiori capite coniungere, niſi quod vehementes ſuſpicor librariorum incuria capitum diſtinctio omiſſa eſt. Certè ex communi omnium ſententia promiſſiones illas intelligit, quas in fine præcedentis capitis allatis ex ſacris litteris teſtimoniis propoſuerat. *Nempe*, ait Chryſoſtomus, *quòd Dei filij, ac filiæ ſimus, quòd hoſpitem ipſum, & in nobis deambulantem habeamus, quòd populus ipſius efficiamur, quòd Deum ipſum, ac patrem poſſideamus.* B Hinc enim rectè colligit Apoſtolus vt monet Primaſius, *tanto hoſpiti domum eſſe expurgandam.* Rectè igitur ait; *mundemus nos*. Græcè καθαρίσωμεν. Sic ſuperiori epiſtola [a] ἐκκαθάρατε οὖν τὴν παλαιὰν ζύμην. *expurgate vetus fermentum*. ad virtutes videlicet, quas purgatorias vocant, ſectandas Corinthios excitat. De quibus Plotinus apud Macrobium [b], & Theologi, nóſque adeò ſuo loco plura. *Ab omni* (ait) *inquinamento carnis, & ſpiritus*. hoc eſt; demus operam, vt à nobis longè abſint tum ea flagitia, quæ corporis membris perpetrantur, tum etiam illa, quæ ſolo animo concepta conſcientiam inquinant. Huc enim (ni fallor) pertinent quæ de peccatis carnalibus, & ſpiritualibus alicubi diſputat Gregorius [c]. Carnis igitur inquinamentum appellat id, quod à carne proficiſcitur, vel quod C corporis opera contrahitur; nam alioqui citra voluntatis aſſenſum nihil eſt, quod poſſit mētem inquinare. De qua re Chriſtus apud Matthæum [d]: *Non quod intrat in os coinquinat hominem.* Et nos alibi: Spiritum autem mentem appellat, quæ plerumque cogitatione, & conſenſu cōtaminatur. Theodoretus, *ſpiritum*, inquit, *hoc loco dicit animam, ſpiritus inquinamentum communionem idolorum, inquinamentum verò carnis actionum iniquitatem appellat.* Oecumenius, *quædam enim peccata*, ait, *commaculant corpus, veluti ſtuprum, & adulterium, quædam verò ſpiritum, id eſt, animam, veluti ſunt immundæ cogitationes, memoria iniuriarum, conuitia.* Hoc autem auctore Gregorio inter hæc, & illa peccata intereſt, quòd peccata, quæ dicuntur ſpiritalia, grauiori nos culpa commaculent, minus tamē aliis exemplo noceant: contrà peccata carnalia non D ita graui culpa inquinent, grauiùs tamen exēplo aliis

II. afferant detrimentum. *Perficientes ſanctificationem in timore Dei.* Græcè ἐπιτελοῦντες ἁγιωσύνην. Hoc (vt ait Chryſoſtomus) ad alteram iuſtitiæ partem pertinet. Quod enim modò dixit ad expellēda vitia refertur, hoc ad virtutes complectendas. Sic enim olim dixerat Dauid [e]: *Declina à malo, & fac bonum.* Alibi virum iuſtum vtraque iuſtitiæ parte excellere affirmat [f]: *Beatus* (inquit) *vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Hæc pertinent ad vitia abiicienda, mox de colendis virtutibus: *Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die, ac nocte.* Quocirca rectè Chryſoſtomus monet, hæc addita ab Apoſtolo, vt intelligamus, non ſatis eſſe à vitiis abſtinere, niſi animum virtutibus excolamus. Prorſus malè, & A vitiosè virtutem definiuit ille [a], qui dixit; *Virtus eſt vitium fugere*; multa enim præterea neceſſaria ſunt, vt quis verè iuſtus, & ſanctus dici poſſit. Certè hoc loco Oecumenius, & Theophylactus; ſanctificationem; temperantiam, & moderationem interpretantur. Anſelmus omnium virtutum complexionem intelligit. Ambroſius, & Primaſius corporis, ac mentis integritatem. quæ omnia verè omnino dicuntur; Anſelmi tamen ſententia magis videtur ad mentem Pauli: perficere enim ſanctificationem eſt omnibus ſuis numeris ſanctitatem explere. Sunt qui putent, hæc dici ab Apoſtolo ad excludendam ſanctitatem illam externam, quæ in legis veteris cęremoniis, & obſeruationibus poſita erat, B vt veram, & ſolidam animi ſanctitatem ſuadeat. Sed non videtur Apoſtolus id in præſentia agere; neque enim Corinthij, qui olim gentiles fuerant, Iudæorū cæremonias magnifaciebant; neque eo nomine ab Apoſtolo reprehenduntur. Addit; *In timore Domini.* Non ad humanam laudem, & gloriam aucupandam (vt Oecumenius, Theophylactus, & Primaſius monent) vel vt ait Ambroſius; quia ſine fide, ac timore Dei nulla quamuis ſpecioſa virtus probanda eſt; vel denique (vt exiſtimat Chryſoſtomus) timorem Dei commemorat Apoſtolus, quia magnam vim habet ad effrænatas, atque impotentes cupiditates frangendas, atque edomandas.

CAPITE NOS; NEMINEM LÆSIMUS, &c. Græcè dixit χωρήσατε ἡμᾶς; quod 2.
non refero ad intelligendi facultatem quomodo accipiendum videtur quod ait Chriſtus apud Matthæum [b]: *Non omnes capiunt verbum iſtud.* Et rurſus: *Qui poteſt capere, capiat.* Et apud Ioannem [c]: *Sermo meus non capit in vobis.* Sed quoniam ſuperiori capite dixerat, *Dilatamini*, nunc explicat quorſum dilatandi ſint, vt ſe videlicet capiant, ſimilitudine ſumpta à vaſe, aut loco. Qua ratione dixit Ioannes [d]: *Nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros.* Itaque Ambroſius dixit: *Capaces eſtote noſtri.* Quomodo etiam legit interpres Oecumenij. Chryſoſtomus autem hunc dicendi modum refert ad amorē, & beneuolentiam; quaſi dicat, pari nos beneuolentia complectimini, & liberiorem noſtram orationem, vt in paraphraſi diximus, bonam D in partem accipite. Anſelmus putat, hîc tacitè Pſeudoapoſtolos notari, quaſi dicat nō Pſeudoapoſtolos, ſed nos, noſtrámque doctrinam accipite. Primaſius ſimile quiddam inſinuat, quaſi Apoſtolus ſuam non modò doctrinam, ſed etiam vitæ, morúmque exemplum proponat. Verùm quod poſui in paraphraſi expeditiſſimum videtur. Subdit autem; quæ videntur ad propriam laudem pertinere. *Neminem* (inquit) *læſimus*, &c. quibus ſuam viuendi rationem ita deſcribit, vt Pſeudoapoſtolos nonnihil pungere videatur. *Neminē* (ait) *læſimus, noſtris videlicet actionibus.* Ambroſius dixit: *Neminem nocuimus.* Syriacus, *in neminem inique egimus*; vt hoc pertineat ad iniurias, quæ cum iuſtitia pugnant, quacumque tandem ratione fiant. Græcè eſt ἠδικήσαμεν, quaſi dicat iniuſtè ſeu iniquè, aut contra ius, fasque nihil egimus. *Neminem corrupimus.* Græcè ἐφθείραμεν. Chryſoſtomus, II.
quem

a cap. 17.
b lib. 1. in ſomn. Scip.
c lib. 11. mor. c. 41.
d cap. 15. 11.
e Pſal. 36. 27.
f Pſal. 1. 1.
a Horat.
b cap. 19. 11.
c cap. 8. 37.
d cap. 21. 25.

Digitized by Google

quem Græci ſeqountur, hæc ferè de externis bonis
interpretatur. *Neminem* (inquit ille) *in fraudem indu-
ximus.* Theodoretus: *Non rem noſtram propter plura
habendi cupiditatem auximus.* Mox verò ad doctri-
nam transferre videtur. *Pro eo* (inquit) *quod eſt nec
verbis fraudulentis vſi ſumus, mendacium veritati ad-
miſcentes, nec propter pecuniam prædicauimus.* Quo-
modo explicat Theophylactus. *Neminem* (ait) *corru-
pimus*, hoc eſt, decepimus in doctrina impia mentem
eius perdentes. Verùm quod in paraphraſi poſuimus
non ſolùm Chryſoſtomi, ſed etiam Ambroſij ſen-
tentiæ congruit; ita enim hoc loco legit: *Neminem
nocuimus, neminem corrupimus*, vel vt habent alij co-
dices *grauauimus, neminem circumuenimus.* Mox verò
explicans ſubdit: *Pſeudo enim Apoſtoli erant qui & no-
cebant illis corrumpentes ſenſus illorum, & grauabant
ſacculos eorum circumuentione ſerpentina aſtutia.* Anſel-
mus: *Nullius* (ait) *animæ integritatem violauimus, ſicut
Pſeudoapoſtoli, qui multos ex vobis corruperunt vitiando
caſtitatem fidei, & integritatem innocentiæ.* Primaſius
omnia refert ad dogmata, & falſam doctrinam. Ego
magis probo quod poſui in paraphraſi, vt ſenſus ſit,
nullius rem præter ius occupauimus, & in noſtrum
vertimus commodum; ſæpè enim apud Thucydidē
legimus φθείρειν τὰ πράγματα, hoc eſt ſtatum rerum la-
befactare, & inuertere; ideo ſequitur; *Neminem cir-
cumuenimus*, hoc eſt, fraudauimus; eſt enim Græcè
ἐπλεονεκτήσαμεν; quaſi dicat neminem per auaritiam
fraudauimus, aut nemini quidquam per auaritiam
eripuimus. Quòd ſi libeat hæc tria diſtinguere, poſſit
quod ait ἠδικήσαμεν referre ad iniuſtitiam, & tyran-
nidem, quaſi dicat, nihil apud vos egimus impoten-
tius, nihil contra ius, faſq́; quod ſequitur ἐφθείραμεν
ad falſa dogmata, vt nihil ſe docuiſſe dicat, quod fi-
dei integritati, veræque doctrinæ repugnet; denique
quod additur ἐπλεονεκτήσαμεν, ad dolum, fraudem, ac
rapinā, vt nihil dicat ſe per fraudem vſurpaſſe alienū.
Certè, vt dixit Chryſoſtomus, hæc omnia de bonis
externis accipit, in quibus negat Apoſtolus, ſe quem-
quam læſiſſe, corrupiſſe, aut fraudaſſe.

3. NON AO CONOEMNATIONEM VESTRAM OI-
I. co, &c. Videri poterat Apoſtolus, hæc veluti expro-
brando commemorare; propterea hac vtitur occu-
patione, Nolim (inquit) hæc à me idcirco tā diligen-
ter commemorari exiſtimetis, vt vos aliquo modo
perſtringam, aut accuſem, quaſi à vobis læſus alieno-
ri ſim animo; multò enim aliter ſe res habet: prædixi
enim vobis, vos ita penitus mihi hærere in animo, vt
inde nulla ratione auelli poſſitis. Hoc n. ſignificant il-
la, *prædiximus n. quòd in cordibus noſtris eſtis ad commo-
riendū, & ad conuiuendū.* Rectè autē (vt monet Chry-
ſoſtomus) probat, non ea dixiſſe, vt Corinthios accu-
ſet, quia paulò antè verè affirmauerat, ſe Corinthios
incredibili penè beneuolentia complecti; qui autem
verè quempiam amat, nullo modo, aut re, aut verbis
lædit. *Non enim* (ait Primaſius) *poſſum ita de vobis ſen-
tire, quos tantùm diligo, ſicut dixi ſuperiùs.* Magnitudi-
nem autem amoris iis verbis explicat: *Quod in cordi-
bus noſtris eſtis ad commoriendum, & conuiuendū.* Nam
(vt ait Chryſoſtomus) *hoc eſt maximum amoris argu-
mentum, ſi amicus neque in ſecundis rebus inuideat, ne-
que deſit in aduerſis.* ita videtur mortem, item ſecun-
das, & aduerſas res referre non ad Paulum qui dili-
git, ſed ad Corinthios, qui diliguntur. Eodem modo
accipiunt Oecumenius, & Theophylactus. *Amicus
quippe* (vt ille ait) *certus in re incerta cernitur; hoc eſt in
amicorum periculis, ac rebus aduerſis.* Ambroſius verò,
& Anſelmus ad Apoſtolum referunt, ita enim ait An-
ſelmus: *Ad commoriendum, & ad conuiuendum*, id eſt,
*ad hoc vt vos nobiſcum pro Chriſto ſi neceſſe fuerit mo-
riamini, & nobiſcum in regno Chriſti perpetuò viuatis.*

A Ambroſius verò, *Quos enim* (inquit) *participes vult
habere, & ad præſentes paſſiones pro Chriſto, & ad fu-
turam vitam, non vtique illos abiicit, ſed vt participa-
tione dignos ſe faciat, exhortatur.* Vtraque ſententia II.
quippe beneuolentiæ, & caritati admodum conſen-
tanea, huic loco congruit; poſteriorem tamen in pa-
raphraſi magis probaui, vt ſignificet Apoſtolus; ſe
ita Corinthios ardenter amare, vt ſiue in ſecundis,
ſiue in aduerſis, ſiue denique in morte, ſiue in vita
eos ſemper quaſi præſentes intueatur, & conſtanti,
miniméque interrupto amore quaſi ſuæ vtriuſque
fortunæ ſocios complectatur. Solent enim plerique
cùm ſecundis rebus ex animi ſententia fruuntur, te-
nuiorum amicitias cōtemnere; cuius rei illuſtre præ-
buit exemplum Pharaonis ille pocillator, qui ereptus
B è carcere, Regiq́ue concilians, fidem Ioſephu datam
per obliuionem fefellit. Quo fit, vt illud prorſus vi-
deatur extra rem, quod tamen aliqui hoc loco mo-
nent, alluſiſſe Paulum ad illorum veterem amici-
tiam, quæ tam arctè mutuo amore amicos deuinci-
ret, vt altero mortuo, alter ſibi vt cum amico mori-
retur manus inferret, quos Galli Soldurios vocabant,
Cæſar deuotos interpretatur. Iſtud enim ſi hanc po-
ſteriorem interpretationem ſequamur, prorſus eſt ex-
tra rem; nō enim Pauli in Corinthios, ſed potiùs Co-
rinthiorum in Paulum beneuolentiam declararet.
Quòd ſi prior explicatio magis placeat, id poteſt vt-
cumque probari: ſenſus enim erit, ſe Corinthios
tanto amore proſequi, vt paratus ſit cum iis non ſo-
C lùm perpetuò vitam degere; verumetiam cum iis, &
pro iis mortem oppetere.

MVLTA MIHI PIOVCIA EST, &c. Veram 4.
affert rationem, cur libera oratione vſus ſit. Hæc I.
(inquit) mea in vos beneuolentia, & caritas magnam
mihi confidentiam apud vos, & ſingularem præbet
loquendi libertatem: ita (vt monet Oecumenius)
orationis grauitatem, & tacitam increpationem le-
nit, ac temperat. Photius apud eundem putat, his
verbis occurrere Paulum tacitè Corinthiorum co-
gitationi. Potuiſſent enim illi obiicere; Multa tu qui-
dem de tuo in nos amore, ac beneuolentia magnifi-
cè prædicas, interim tamen nos acriter perſtringis,
quod ab amicitia videtur alienum. Atqui (ait Apo-
ſtolus) hic eximius, ac ſingularis amor in vos meus
D magnam mihi orationis libertatem largitur, magnam
impertit confidentiam, vt liberè vobis animi mei
ſenſa explicem, vóſque adeò imminentium pericu-
lorum commonefaciā. Hoc enim maximè vt ſapien-
ter monuit Plutarchus [a] inter amicum, & adulato-
rem intereſt, quòd hic quidem omnia aſſentando
probat, omnia laudat, & in cœlum tollit: ille verò ſi
quid corrigendum, atque emendandum in amico
cernit, candidè, ac ſedulò monet, intelligit enim hoc
maximè amantis eſſe bona omnia optare amico, &
quoad eius fieri poſſit, mala omnia ab eodem amo-
uere. Suam igitur orationem, ait Apoſtolus, ab ea
confidentia, & libertate profectam eſſe, quæ eſt mu-
tuæ caritatis, ac beneuolentiæ propria. Pro fiducia
E verò Græcè eſt παῤῥησία; id eſt loquendi libertas,
vt aliàs dixi. Multa mihi gloriatio pro vobis. con-
fidentia, & loquendi libertas refertur ad Corin-
thios; gloriatio verò pro Corinthiis ad alios. Amor
erga vos meus facit, vt ingenuè, ac liberè vobiſcum
loquar: de vobis autem apud alios plura magnificē
prædicem. Ita omnem à Corinthiorum animis pra-
uam ſuſpicionem penitus amouet; ſignificat enim
ſe apud illos ingenuè loqui quidquid ad eorum
vtilitatem pertinet, apud alios verò eorum laudes
celebrare. Addit verò: *Repletus ſum conſolatione, ſu- II.
perabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.* Non
pugnant (inquit Chryſoſtomus) hæc cum ſuperio-

[a] De amico ab adulatore dignoſcendo.

tibus, ſed maximè cohæreor; ad leniendam enim A reprehenſionis aſperitatem, ſi qua fortè appareat, hanc magnificam laudem aſpergit; ſignificat enim, illos ſua paterna monitione profeciſſe, & ob eam cauſam ſe incredibili gaudio fuiſſe perfuſum, etiam ſi aliunde multis difficultatibus, atque anguſtiis premerentur. Sed mœroris acerbitatem gaudij magnitudo protſus obruit; quia (vt ait Photius) viderat eos ſtudioſè correxiſſe, quæ ipſe ſuperiori epiſtola reprehenderat. Dixit autem; *Superabundo gaudio*, Græcè ὑπερπερισσεύομαι; hoc eſt, ſupra modum, ac vehementer abundo, vel potiùs ſuperfluo. Vt enim monet Anſelmus, cùm in rebus aduerſis, quibus premebatur Apoſtolus animaduerteret, Corinthiorum fructum, quem ex ſua correptione percepiſſent, mirum in modum recreatus penè incredibili B voluptate perfruebatur, adeò vt (quod ait Primaſius) omnium penè ærumnarum obliuiſceretur. Ita ſuam in Corinthios caritatem mirabiliter extollit, qui pluris faceret ipſorum vtilitatem, quàm ſuam priuatam incolumitatem.

5. 1. Nam et cvm venissemvs, &c. Explicat id quod modò dixerat, ſe in preſſuris ingenti fuiſſe gaudio perfuſum. oſtendit autem malorum ſuorum magnitudinem, vt appareat quanta fuerit oblectatio, quæ potuit præſentiam ærumnarum moleſtiam non modò leuire, ſed penitus extinguere. *Cùm veniſſemus* (inquit) *in Macedoniam.* Profectus Epheſo Paulus venit in Macedoniam, vt in Actis [a] Apoſtolicis ſcribit Lucas; ſed priùs Troadem venit, C vt hac ipſa [b] epiſtola ſcripſit. *Cùm veniſſem* (ait) *Troadem propter Euangelium Chriſti, & oſtium mihi apertum eſſet in Domino non habui requiem ſpiritui meo, eo quòd non inuenerim Titum fratrem meum; ſed vale faciens eis profectus ſum in Macedoniam. Non habuit* (inquit) *requiem*; Græcè ἄνεσιν, qua voce etiam vſus eſt ſuperiùs loco modò indicato: quaſi dicat relaxationem: nihil ibi offendi, quod erigere, & recreare animum meum poſſet; ſed quod deterius eſt, *omnem tribulationem* (ait) *paſſi ſumus.* vndique rebus aduerſis premebamur, vt vix vllus daretur reſpirandi locus. *Nullum* (inquit Primaſius) *genus tribulationis non ſumus experti.* Id verò explicans ſubdit: *Foris pugnæ,*

II. *intus timores.* Quæ autem eſſent illæ pugnæ, quique timores, quos hic Paulus recenſet, ex Græcorum ſen- D tentia indicauimus in paraphraſi. *Foris pugnæ* (ait Chryſoſtomus) *ab infidelibus, intus timores ob eos, quorum fides imbecilla erat, ne videlicet in errorem pertraherentur. neque enim apud Corinthios tantùm, ſed aliis etiam in locis hæc contingebant.* Chryſoſtomũ ſequuntur (vt dixi) omnes Græci. Ambroſius; *pugnæ erant corpori dum cædebantur, animo timores*: ita videtur indicare, ſe omni ex parte vexari. Anſelmus: *Foris pugnæ ab apertis inimicis, intus timores à falſis fratribus.* Addit: *Sic & Eccleſia ſemper habet inimicos, & quos ferat foris, & quos gemat intus.* Tertullianus [c] παραφραστικῶς hunc locum ita alicubi tranſtulit: *Cùm veniſſemus autem* (ait) *in Macedoniam, nullam remiſſionem habuit caro noſtra. Deinde vt & animæ adderet compaſſionem; in omnibus* (inquit) *compreſſi extrinſecus pugnæ debellantes ſcilicet carnem, intrinſecus timor affligens, ſcilicet animam.* Rectè autem Latinè expreſſit quod Græcè dixit Apoſtolus ἐν παντὶ θλιβόμενοι, E his verbis *in omnibus compreſſi.* Porrò Anſelmus iudicat, præſulibus Eccleſiaſticis vtrumque eſſe præſtandum, vt & contra apertos, & occultos hoſtes ſtrenuè dimicent, & fidelium imbecillitati pateant, ne praua quorundam conſuetudine, exemplóve inquinentur.

6. Sed qvi consolatvr hvmiles, &c.

1. Rediens Corintho Titus Paulum in Macedonia reperit, & Corinthiacæ Eccleſiæ ſtatum abundè, copioſéque narrauit. Hieronymus [a] propterea Paulum Titi aduentu recreatum ſcribit, quòd illius opera ad explicandum Euangelium vteretur. Sed indicat potiùs Apoſtolus, ſe propterea gauiſum eſſe, quòd à Tito audierit Eccleſiæ Corinthiacæ felicem in pietate progreſſum, planeq; cognouerit quantum priori ſua epiſtola profecerit. *Sed qui conſolatur* (inquit) *humiles.* Græcè ταπεινοὺς, hoc eſt (interprete Oecumenio) abiectos, & omni humano præſidio deſtitutos. Primaſius intelligit *contribulatos*: nec multo aliter Anſelmus. Certè apud Dauidem [b], ait, Deus ipſe: *Cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.* Et rurſus [c]: *Inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me. Conſolatus eſt igitur nos in aduentu Titi. Magna enim* (ait Ambroſius) *conſolatio eſt patientis, ſi ſecum habeat condolentem.* Putat autem quod B etiam reperit Anſelmus diuino conſilio factum eſſe, vt Titus celeriùs in Macedoniam reuerteretur, quò Paulum preſſuris penè oppreſſum reficeret, & recrearet, ac ſtrenuè laboranti opem ferret. *In aduentu autem Titi* vulgato Hebraiſmo dixit, hoc eſt per aduentum Titi; illius enim aduentus ſolatium attulit Paulo. ita prorſus accipit Syriacus interpres, qui transfert; *per aduentum Titi.*

Non solvm avtem in adventv eivs, &c. 7.
Multa Titus de Corinthiorum Eccleſia narrabat, 1.
magno videlicet cum fructu eos ſuperiorẽ Apoſtoli epiſtolam perlegiſſe, quæ ad exhilarandum apoſtolicum animum vim nequaquam exiguam habebant. C Verùm Paulus non hanc vnam ait fuiſſe ſuæ lætitiæ cauſam; ſed addit, narraſſe Titum, ſe à Corinthiis nõ modò benignè, hilariterq; acceptũ, ſed magna etiam fuiſſe voluptate perfuſum. Non ſolùm igitur, ait, nos ſuo aduentu recreauit, ſed etiam mirabiliter oblectauit. quod iucundè narraret, quanto exultauit gaudio, cùm veſtra iucundiſſima conſuetudine frueretur: quod proculdubio eſt cum magna Corinthiorũ laude coniunctum. quamobrem tacitè non ſolum ſibi, ſed etiam ipſi Tito Corinthiorum beneuolentiam conciliat: rectè igitur ait, *Non ſolùm autem in aduentu eius, ſed etiam in conſolatione, qua conſolatus eſt in vobis.* Conſolatus eſt paſſiuè accipitur; eſt enim Græcè παρεκλήθη; quaſi dicat, per illud ſolatium nos Titus recreauit, quo ſe apud vos perfuſum fuiſſe narrabat. D illud autem omnino eximiæ cuiuſdam Corinthiorũ virtutis argumentum erat. Porrò quod Latinè ſcriptũ eſt *in vobis*; Græcè eſt ἐφ' ὑμῖν quod alij interpretantur de vobis; hoc eſt vt explicat Oecumenius *de veſtra immutatione conſolationẽ habuit.* Obſeruat præterea Ambroſius, magnã omnino, ac penè inauditam fuiſſe Pauli in Corinthios caritatem, qui in maximis ærumnis, & calamitatibus poſitus, audita tamen Corinthiorum reſipiſcentia, morumq;, ac vitæ mutatione, incredibili gaudio triumphabat. Perſimilis etiã indicatur Titi beneuolentia, qui cùm antea ob ea, quæ Paulus in Corinthiis reprehenderat, nõ leuiter angeretur, cognita eorũ pœnitentia magnopere ſit exhilaratus. Quæ autem fuerit, & qualis Titi conſolatio, explicat dum ſubdit: *Renuntians nobis veſtrum deſiderium, veſtrum fletum, veſtram æmulationem pro me.* E Deſiderium Oecumenius interpretatur deſiderium videndi Paulum: eodem modo explicant Theodoretus, & Theophylactus: Ambroſius, & Anſelmus deſiderium accipiunt meliorum, & morum mutationis, quod magis probo. Fletum verò refert Oecumenius ad obiurgationem, quæ ſuperiori epiſtola continebatur. *Non plorabatis* (inquit) *ſed amarè lugebatis ob meam obiurgationem, quæ facta eſt per priorem epiſtolam.* Ambroſius, & Anſelmus fletum accipiunt pro perpetratis flagitiis. Veſtram

denique

[a] cap. 20. 6.
[b] cap. 2. 12.
[c] De reſurr. carn. c. 40.
[a] Epiſt. ...
[b] Pſal. 90.
[c] Pſal. 49.

denique æmulationem pro me, accipiunt pro ſtudio, quo Paulum non vt olim contemnebant, ſed magno potiùs in pretio & habebant ipſi, & vt ab aliis haberetur, ſeduló ſatagebant. Addit, *Ita vt magis gauderem*, hoc eſt adeò vt præſens gaudium præteritum mœrorem longè ſuperaret. Et quidem

a Luc.15.10. meritò; dixit enim [a] Chriſtus: *Gaudium eſt in cælis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, magis quam ſupra nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia.* Porrò Photius apud Oecumenium maiorem hanc lætitiam interpretatur vel comparatione doloris, ac mœroris, quem res aduerſæ afferebant, vel eius triſtitiæ reſpectu, quam animo conceperat, dum eos ſuperiori epiſtola acriùs reprehenderat. hunc autem poſteriorem ſenſum magis probat, quod cum ſequentibus mirificè cohæreat; ſubdit enim:

8. QVONIAM ETSI CONTRISTAVI VOS, &c.

9. NVNC GAVDEO, NON QVIA CONTRI-

I. STATI, &c. Senſus eſt, quem in paraphraſi expreſſimus. Tametſi, inquit, ſuperiori mea epiſtola nonnulla vos triſtitia affeci, non eſt tamen cur me pœniteat; tametſi fateor veſtram illam triſtitiam nonnihil mihi mœroris, ac doloris attuliſſe: & hoc quidem antequam ex Tito cognoſcerem quæ ille de veſtra ad me pœnitentia, morúmque mutatione nuper pertulit. Ita planè Chryſoſtomus, cæterique omnes tum Græci tum Latini explanatores hunc locum explicant. caritatis enim ratio poſtulat, vt cùm quis acriùs obiurgandus eſt, is qui increpat & obiurgat, nonnulla commiſeratione tangatur.

b Apolog. 1. Etenim, vt alicubi ſcribit Gregorius [b] Nazianzenus, Eccleſiaſtico Præſuli in ſuorum ſubiectorum ſalute procuranda, medicorum, ſeu chirurgorum imitanda eſt induſtria, qui vbi lenia medicamenta nihil proficiunt, inuiti ac penè coacti ſectionem, vſtionemque & id genus alia acria, & aſpera curationum genera ita admouent, vt quoad eius fieri poſſit minimo cruciatu curent, & ipſi quodammodo vnà cum ægro doloris ſenſum, & ſignificationem indicent. Cùm igitur Paulus coactus fuerit ſuperiori epiſtola Corinthiorum vitia veluti ferro, aut igne adhibito amputare, atque adurere, vt erat caritate in proximos in primis flagrans, non ſine aliquo dolore vulnus inflixit. Hoc igitur eſt quod ait: *Quoniam etſi contriſtaui vos in epiſtola, non me pœnitet, etſi pœniteret* (nec enim ibo inficias me aliquantulum indoluiſſe) *videns, quòd epiſtola illa etſi ad horam vos contriſtauit*; *hoc eſt*, ad breuiſſimum tempus breuiſſimo quodam doloris ſenſu vos perculit; nunc gaudeo: dolorem illum meum recens lætitia ex animo meo penitus ab-

II. ſterſit. Mox verò huius noui gaudij materiam his verbis explicat: *Non quia* (inquit) *contriſtati eſtis.* abſit enim, vt ex veſtro mœrore quidquam putem ad me lucri aut commodi redire; *ſed quia*, addit, *contriſtati eſtis ad pœnitentiam.* Hæc videlicet ex veſtro mœrore magna ad me redit pars voluptatis, quòd vberem video eius triſtitiæ fructum, hoc eſt, veram, & ſalutarem pœnitentiam: id enim mea illa vehemens, atque acris reprehenſio ſpectabat vnum, vt lacrymis, ac fletu præterita flagitia ablueretis, & cum Deo rediretis in gratiam. Id cùm video me ſingulari Dei munere aſſecutum, incredibili gaudio exulto; *contriſtati enim eſtis ſecundùm Deum*: hoc eſt, triſtitia diuinitùs immiſſa, quæque ad Deum propitiandum potiſſimùm referretur; *vt in nullo* (addit) *detrimentum patiamini ex nobis.* hoc eſt, vt non modò nullum epiſtola noſtra detrimentum vobis attulerit, ſed in-

A gens potiùs commodum, & eximiam quandam pepererit vtilitatem. Obſeruat Chryſoſtomus cùm addit Apoſtolus: *Etſi pœniteret*, non idcirco ita eum loqui, quaſi præteritæ obiurgationis pœnituerit; ſed ita loqui voluiſſe, vt oſtenderet eſſe quod in præſentia ſuum illud præteritum conſilium vehementer probet; etiam ſi fortaſſe aliquando videri potuiſſet aliquanto acerbiùs. nos quidem certè in paraphraſi indicauimus, idque paulò antè iterauimus, nonnullo doloris ſenſu Paulum fuiſſe commotum, dum ſeuera reprehenſione Corinthios obiurgaret. Sed illum certè dolorem, aut ſi qua eum prioris facti pœnitudo teneret, vtrumque abiecturum fuiſſe. Certè quocumque tandem modo verba diſtinguas, vna videtur

B ſermonis particula inabſoluta. *Et ſi pœniteret*, inquit, vt ſubaudias, *nunc tamen gaudeo.* Video inquit; ſic Græcè legimus βλέπω, non βλέπων, quomodo Latinè dixit Ambroſius, & habent nonnulli codices cum editione Romana; Syriacus certè non inelegantem ſenſum expreſſit; nam ait: *Etiam ſi mœrore vos affecerim per epiſtolam, non me pœnitet, etiam ſi pœnituiſſet.* quaſi dicat nunc quidem nihil eſt cur me nunc facti pœniteat, etiam ſi fortè aliquando pœnituiſſet. Pergit idem Syriacus: *Video enim, quod epiſtola illa quamuis ad horam mœrore vos affecerit, me tamen gaudio affecit.* quòd ſi legamus *videns*, idem erit ſenſus; vt gaudeo videns ſuperioris epiſtolæ meæ vberem fru-

C ctum. Nam deinde Apoſtolus: *Gaudeo* (inquit) *non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam.* Græcè εἰς μετάνοιαν, reſipiſcentiam quidam malunt dicere plus in verborum proprietate, quàm fidei integritate retinenda religioſi, in quo tamen dum plus nimio ſapere videri volunt, ne ſapiunt quidem, ac fortaſſe etiam deſipiunt; aiunt igitur, & elegantiores eſſe voces apud Græcos μετάνοιαν, & μεταμέλειαν, quàm apud Latinos pœnitentiam. Ac fateor me non legiſſe apud Ciceronem pœnitentiam, ſed ne reſipiſcentiam quidem; alicubi III.

[a] tamen cùm de Alexandro ageret, hunc in modum ſcribit: *Cùm interemiſſet Clitum familiarem ſuum vix à ſe manus abſtinuit; tanta fuit vis pœnitendi.* Sed inter Chriſtianos, qui Latinè loquuntur, pœ- a 4. Tuſc. ferè extrema.

D nitentiam malunt, quàm reſipiſcentiam dicere; quanquam ne ab iſta quidem penitus abhorrent; ſic enim ſcribit Lactantius [b]: *Vltimum ergo remedium illud eſt, vt confugiamus ad pœnitentiam, quæ non minimum locum inter virtutes habet, quia ſui correptio eſt, vt cùm forte aut re, aut verbo lapſi fuerimus ſtatim reſipiſcamus, aut nos deliquiſſe fateamur, oremúſque à Deo veniam, quam pro ſua miſericordia non negabit niſi perſeuerantibus in errore.* b In epit. diuin. inſt. c. 9.

Tertullianus [c]: *Confeſſione* (ait) *pœnitentia naſcitur; pœnitentia Deus placatur.* Eodem modo loquitur Cyprianus [d], & ſic ſemper Auguſtinus, & alij. At noui Theologi, id eſt, hæretici μετάνοιαν Græcè, Latinè aiunt ſignificare reſipiſcentiam; nam μετανοεῖν nihil eſſe aliud, quàm ſapere poſt factum, c lib. de pœnit. d ep. 18. & 52.

E cùm de errore non alia ratione dolemus, niſi vt corrigamus, quod eſt apud Latinos reſipiſcere; μεταμέλειαν autem à verbo μεταμέλεσθαι ſollicitudinem quandam eſſe, ac diſplicentiam, quæ facit, vt rem factam, ſeu bona, ſeu mala ſit, infectam eſſe velimus, etiam cùm nouo conſilio non eſt relictus locus. Quibus non multis verbis difficile dictu eſt, IV.

quàm multa peccata ſint; nam pœnitentiæ nomen tam apud Hebræos, quàm apud Græcos, & Latinos non ſignificare ſolam mentis, aut conſilij mutationem, ſed inuoluere etiam dolorem, ac deteſtationem peccati facilè oſtendi poteſt. Siquidem

a cap. vlt. 6. Iob. *Ago* (inquit[a]) *pœnitentiam in fauilla, & cinere.* Vbi Hebreæ voces ſignificant *abominationem, ac deteſtationem prioris conſilij*, & tamen adduntur ſigna doloris, ac lugentis. Sic etiam Ioel[b]: *Conuertimini* (ait) *ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, fletu, ac planctu, & ſcindite corda veſtra, non veſtimenta veſtra.* Vbi eſt verbum Hebræum שוב *ſcuh*, quod Hæretici putant eſſe μετανοεῖν & mentis mutationem ſolum ſignificare, cùm tamen hîc ſigna doloris, ac deteſtationis adiungantur. De Græca porrò voce μετάνοια, & verbo μετανοεῖν dubitari non poteſt; apud Matthæum[c] enim, & Lucam[d] cùm de Tyriis, ac Sydoniis Chriſtus loqueretur. *Olim* (inquit) *in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent.* Græcè μετενόησαν. Quo loco omnino abſurdè interpretantur quidam, reſipuiſſent. nam quid (quæſo) eſt in cilicio, ac cinere reſipiſcere, niſi ita ſapere poſt factum, vt illud etiam damnes, immò verò punias? Idem planè dicendum eſt de perſimili loco apud eòſdem Euangeliſtas Matthæum[e], & Lucam[f], vbi agitur de pœnitentia Niniuitarum, quæ deſcribitur à Iona Propheta, infrà hac ipſa Epiſtola[h]: *Non egerunt* (ait) *pœnitentiam ſuper immunditia ſua*; οὐ μετενόησαν. vbi Hæretici more ſuo peruersè maluerunt dicere reſipuerunt; cùm tamen particula ἐπὶ cum verbo reſipiſcendi ineptiſſimè iungatur: nemo enim dicitur reſipiſcere ſuper culpam, ſeu quod idem eſt ob, vel propter culpam, pœnitere autem rectiſſimè. Et ne ab hoc loco longiùs abiiſſe videamur, Paulus ait, *Gaudeo, non quia contriſtati eſtis; ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam*, μετάνοιαν paulò poſt. *Quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*, μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον.

V. Quæro ab iſtis ſciolis, quid ſit reſipiſcentia? Eſt (inquiunt) poſt factum ſapere, & de præterito ita dolere, vt corrigas: prius igitur eſt errorem agnoſcere, quàm corrigere. Quis enim niſi deſipiat, aliter ſentiat? Quod ſi ita eſt, profectò reſipiſcentia eum dolorem antecedit, quo factum erroremve corrigimus. Quî poteſt igitur dolor, vel triſtitia reſipiſcentiam parere, quæ eſt dolore anterior, & illius cauſa? At ex Pauli ſententia; triſtitia ſecundùm Deum μετάνοιαν; id eſt, pœnitentiam parit. Alterum profectò ex duobus ſequi neceſſe eſt, vel reſipiſcentiam non eſſe μετάνοιαν; de qua Paulus, vel eam certè, quæ proculdubio actio mentis eſt poſteriorem eſſe dolore, qui eſt in voluntate, quod ne cæci quidem non vident eſſe falſum. Explicat hoc ſuo modo Clemens[i] Alexandrinus teſtimonio paſtoris, dicens quid ſit pœnitentia, Græcè μετάνοια, tum addit: *Idem autem dicit, pœnitentiam eſſe magnam ſapientiam. nam eorum quæ fecit pœnitens, ea amplius non facit, vel dicit: propterea autem qui peccauit torquens animam ſuam bona facit.* Sunt verò hæc verba Hermiæ[k] in paſtore. Idem verò Clemens[l] alibi: *Duo* (inquit) *ſunt modi eius, quæ dicitur pœnitentia: vnus quidem communior, timor propter ea quæ facta ſunt; alter autem magis proprius animæ, apud ſeipſum verecundia ex conſcientia.* Vbi præter mutationem conſilij aliquem alium motum animi requirit. Poſt multa ſubiicit: *Eſt autem ſufficiens, & vt ego quidem opinor bonum purgatio perfecta, firmáque ac ſtabilis pœnitentia, ſi cùm de præcedentibus nos damnauerimus actionibus, anteriùs procedamus poſteà intelligentes, & mentem immerſam ſuſtollentes tam ab iis, quæ ſenſum delectant, quàm à prioribus delictis.* Quibus conſentiunt ea, quæ alibi[m] de duplici pœnitentia ſcribit. Quamuis autem viſus ſit[n] μετάνοιαν reſipiſcentiam definire, tamen eam docet requirere præter cognitionem nonnullam actionem voluntatis, & deteſtationem præteritæ vitæ, aut peccati; ſic enim ait: *Neque verò ſolus finis res dimetitur, ſed in etiam vniuſcuiuſque electione diiudicantur, ſi facilè elegit, ſi peccatorum ſuorum ductus eſt pœnitentia, ſi propter ea, in quibus lapſus eſt eum remordet conſcientia, & errorem recognouit; quod eſt poſtea cognouit; eſt enim tarda cognitio pœnitentia.* Iam Athanaſius[a]. *Eſt* (inquit) μετάνοια *non tantum inclinatio genuum, ſed abſtinentia à malo, item labores, lacrymæ, & preces ad Deum pro præteritorum peccatorum remiſſione; nam ideo pœnitentia reſipiſcentia dicitur, quod mentem à malo ad bonum transferat.* Similia docent Baſilius[b], Chryſoſtomus[c], Gregorius[d] Nazianzenus, qui vocat pœnitentiam baptiſmum lacrymarum. Quanquam autem hic poſtremus alicubi[e] μετάνοιαν definit, correptionem vitæ; alibi[f] tamen omnes pœnitentiæ actiones recenſet. Idem planè de Græca, & Latina voce docet Lactantius[g]: *Is enim* (inquit) *quem facti ſui pœnitet, errorem ſuum priſtinum intelligit; ideóque Græci meliùs, & ſignificantiùs μετάνοιαν dicunt, quam nos Latini poſſumus reſipiſcentiam dicere. Reſipiſcit enim, ac mentem ſuam quaſi ab inſania recipit, quem errati piget, caſtigátque ſeipſum dementiæ, & confirmat animum ſuum ad rectiùs viuendum; tum illud ipſum maximè cauet, ne rurſus in eoſdem laqueos inducatur.* Neque repugnant quæ multò antè dixerat[h]; id enim tantùm docet, non eum rectè reſipiſcere, qui non inducat in animum ſuum peccata deinceps vitare.

VI. Cæterùm diſcrimen illud inter μετάνοιαν & μεταμέλειαν ab hæreticis excogitatum facilè refellitur; nam in Epiſtola[i] ad Hebræos cùm ageret Paulus de facto Eſau, qui ob amiſſam patris benedictionem vehementer eiolabat, quam reuocare non poterat. μετανοίας γὰρ (inquit) τόπον οὐχ εὗρε; *non inuenit locum pœnitentiæ.* At ſi verum eſſet illud diſcrimen non μετανοίας, ſed μεταμελείας dicendum fuerat, cùm eſſet Eſau poſt factum ineuitabile anxius, & ſollicitus, quod eſt (vt aiunt) μεταμέλεσθαι. Ego verò crediderim, tam μετάνοιαν quàm μεταμέλειαν præter diſplicentiam, ac dolorem perpetrati facinoris, neceſſariò includere mutationem conſilij: hoc enim eſt infectum velle quod factum ſit, ſiue id reuocari queat, ſiue omnino non poſſit. nam in libro Sapientiæ[k] de iamdamnatis, ac ſempiterno ſupplicio addictis legimus μετανοοῦντες, id eſt, *pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes.* Contrà verò apud Matthæum[l] de Iuda proditore, qui quanquam proditionem infectam reddere non poterat, expiare tamen peccatum, ac noxam facilè poterat, non μετανοήσας, ſed μεταμεληθεὶς ſcribitur. μεταμέλεσθαι verò non eſſe ſolùm cruciatum ob rem præteritam irreuocabilem; ſed etiam reuocationem facti, aut conſilij præteriti quo ad eius fieri poſſit, facilè intelligitur ex Paulo[m], vbi Dei conſilia vocat ἀμεταμέλητα, id eſt, eiuſmodi non ſolùm vt diſplicere non poſſint, vbi ſemel placuerint, ſed quæ nullo pacto reuocari queant, etiam ſi poſſent aliqua ratione diſplicere. Et hoc ipſo loco: Si contriſtaui vos non me pœnitet, & ſi pœnituiſſet οὐ μεταμέλομαι, εἰ καὶ μετεμελόμην: Et paulò pòſt, σωτηρίαν ἀμεταμέλητον; Salutem (inquit) quam vbi quis aſſequutus fuerit, ab ea excidere nulla ratione poteſt. Eandem verò eſſe vim Latinæ vocis pœnitentiæ, apertiſſimè docet Auguſtinus[n]. *Eſt* (inquit) *pœnitentia bonorum, & humilium fidelium pœna quotidiana, in qua pectora tundimus dicentes: Dimitte nobis debita noſtra.* Et alio[o] loco: *Pœnitentiam ce-*

gim

Margin notes:

a cap. vlt. 6.
b cap. 2. 12.
c cap. 11. 21.
d cap. 10. 13.
e cap. 12. 41.
f cap. 11. 32.
g cap. 3. 5.
h cap. 12. 21.
i lib. 2. Strom. paulò ante medium.
k lib. 2. c. 9.
l lib. 4. Strom. nō procul ab initio.
m lib. 6. Str. vltra med.
n li. 4. Strom. non longè à principio.
a Quæſt. 93. ad Antioch.
b Orat. 1. de ieiun. & orat. de pœnit. Orat. de fame, & ſiccitate.
c Hom. 4. ad pop. Antioch. & alibi ſæpe.
d Orat. 39. & 40.
e In Carm. Iamb.
f In Carm. de rebus ſuis.
g lib. 6. c. 24.
h ca. 13. eiuſd. lib.
i cap. 12. 17.
k cap. 5.
l cap. 27.
m ad Rom. 11. 29.
n epiſt. 108. ad Seleucian.
o Serm. 1. de temp. quæ eſt 5. de tem.

tam non facis niſi odiam peccati, & amor Dei, quando ſic pœnites, vt tibi amarum ſapiat in animo quod antè dulce fuit in vita, & quod te priùs oblectabat in corpore ipſum te cruciat in mente. Ruſus alibi [a]: *Non ſufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, niſi etiam de iis, quæ facta ſunt ſatisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium cooperantibus eleemoſynis.* An verò μετανοεῖν idem ſit, quod apud Hebræos שוב *ſcub.* quod eſt conuerti; μεταμέλεσθαι autem idem quod נחם *nham*, quaſi poſt factum dolere. non facilè dixerim, niſi quòd in Actis [b] Apoſtolicis vtrumque poſuit in ſua ratione Petrus. *Pœnitemini* (ait) *& conuertimini.* μετανοήσατε καὶ ἐπιστρέψατε. Eodémque modo Paulus [c] μετανοεῖν καὶ ἐπιστρέφειν. Et Iudas, qui apud Matthæum [d] dicitur μεταμεληθεὶς argentum reſtituens, factum quantum in ipſo fuit reuocare conatus eſt, atque ita ἀπέστρεψε, cui reſpondet Hebræum verbum שוב *ſcub.* Sed vt concludam μεταμέλεσθαι etiam de vitio dicitur, μετανοεῖν non memini legere. Valeat igitur illud hæreticorum decantatiſſimum proloquium in Concilio [e] Tridentino meritò damnatum; optimæ pœnitentiæ eſſe nouam vitam de quo nos plura alibi.

a lib. de pœnitent. ſiue lib. 50. hom. hom. 10. c. 15.
b cap. 3. 19.
c Act. 26. 20.
d cap. 27. 3.
e Seſſ. 14. c. 4.

10. I. QVAE ENIM SECVNDVM DEVM, &c. Hinc apparet quod modò dicebam triſtitiam, & dolorem ipſam pœnitentiam præuertere, & eius velut cauſam eſſe. Rectè autem vt obſeruat Chryſoſtomus duplicem Apoſtolus diſtinguit mœrorem, ſeu triſtitiam. Primam, quam vocat triſtitiam ſecundùm Deum, quæ parit pœnitentiam, vnde ſalus, & vita ſempiterna comparatur; alteram, quam vocat ſæculi triſtitiam, vnde oritur mors. Porrò triſtitia, quæ ſecundùm Deum eſt (auctore Chryſoſtomo) duo præſtat; alterum, vt qui eo modo dolet, aut triſtitia afficitur, nunquam propterea pœnitudine tangatur, ſed ingenti potiùs gaudio exultet, vt alibi dixit nonnemo: *De peccato doleat, & de dolore gaudeat.* Alterum huius doloris beneficium eſt, certa ſpes ſalutis, ac vitæ ſempiternæ. Vtrumque in ſæculi triſtitia deſideratur: nam qui opes amiſſas, aut id genus alia deplorant, id plerumque in ſuam ipſorum perniciem faciunt; & vbi doluerint ſeipſos reprehendunt, ac damnant. De multiplci ſanè triſtitia diſputat alicubi Caſſianus [f], & ſolam triſtitiam laudat, quæ eſt ſecundùm Deum, quam hunc in modum deſcribit [g]: *Sed illa triſtitia, quæ pœnitentiam ad ſalutem ſtabilem operatur, obediens eſt, affabilis, humilis, manſueta, ſuauis, ac patiens, vtpote ex Dei caritate deſcendens, & ad omnem dolorem corporis, ac ſpiritus contritionem infatigabiliter ſemetipſam deſiderio profectionis extendens, & quodammodo læta, ac ſpe profectus ſui vegeta, cunctam affabilitatis, & longanimitatis retinet ſuauitatem, habens in ſemetipſa omnes fructus Spiritus ſancti,* &c. Triſtitia verò mundi omnia alia habet, vt ibidem copioſè docet Caſſianus. Quocirca rectè ſcripſit Oecumenius, triſtitiam eſſe veluti medicamentum ad præterita peccata deteſtanda inſtitutum; atque idcirco nullam præterea afferre vtilitatem, in reliquis verò rebus etiam obeſſe, cùm præter ipſius naturam adhibeatur. Simile quoddam ſcribit Gregorius Nyſſenus [h]. Porrò quod ait, *In ſalutem ſtabilem*: Græcè eſt σωτηρίαν ἀμεταμέλητον, ſalutem non pœnitendam, cuius neminem iure pœniteat, vt ſenſum reddiderit interpres, non verbi proprietatem, quod ſæpe aliàs obſeruatum eſt. At nos in paraphraſi vim vocis cum Græcis auctoribus expreſſimus. Auguſtinus [i] legit; *impœnitendam*: ſunt tamen qui ἀμεταμέλητον referendum putent nó ad ſalutem, ſed ad pœnitentiam, quaſi dicat; triſtitia ſecundùm Deum operatur pœnitentiam non pœnitendam, & quidem in ſalutem, ita Photius apud Oecumenium. Ambroſius adiectiuum coniungit cum ſalute. Quid Chryſoſtomus, & cæteri Græci ſenſerint, non ſatis liquet. Ambroſio conſentire videtur Anſelmus. Priorem explicationem ſubindicat Primaſius; ſtabilem enim interpretatur *impœnitibilem, & perſeuerantem pœnitentiam; de propitiatione enim peccatorum non debemus eſſe ſine metu, & cùm Deus non memoretur nos memorari debemus pœnitendo.* Vtraque explicatio veram, & huic loco congruentem ſententiam continet: in paraphraſi Ambroſij ſententiam ſecuti ſumus. *Sæculi autem triſtitia mortem operatur.* Græcè τοῦ κόσμου λύπη, id eſt *mundi triſtitia*; ſi modum videlicet, aut iuſtitiæ fines excedat, vt rectè explicat Primaſius.

f lib. 9. de inſtit. renuntiantium.
g cap. 11.
h lib. de beatitudinib. in illud Beati qui lugent.
i lib. 14. de Ciu. c. 8.

11. I. ECCE ENIM HOC IPSVM SECVNDVM, &c. Probat Corinthiorum exemplo quod modò dixerat, triſtitiam ſecundùm Deum frugiferam eſſe, & ſalutarem. *Ecce enim* (inquit) *hoc ipſum ſecundùm Deum contriſtari vos.* Hoc eſt, triſtitia, quam vos diuinitùs concepiſtis, quàm vberes peperit fructus? Primùm quidem peperit ſollicitudinem; Græcè σπουδήν; ſollicitudo enim in rebus, quæ ad animi ſalutem pertinent, ſingulare Dei munus, ac beneficium eſt. *Vbi autem eſt ſollicitudo* (ait Primaſius) *non eſt inertia, vel ſomnolentia, aut ſecuritas.* Refertur autem ſollicitudo interprete Ambroſio ad cauendum peccatum futurum, quod aliquantò vberiùs explicat Anſelmus. Addit enim præterea ſpectare ſollicitudinem etiam præteritorum emendationem. *Sed defenſionem.* Græcè ἀπολογίαν Ambroſius legit *excuſationem.* Sed Corinthiorum ne, an Pauli? Paulus quidem certè nulla re meritò reprehendi poterat. quid enim illi cum inceſtu? At Corinthij nonnihil peccaſſe videbantur, vt ſuperiori epiſtola Paulus indicauit, qui tam immane facinus diſſimulaſſent, vel etiam æquo animo toleraſſent. Cùm igitur mutato conſilio noxium damnarunt, ſe apud Apoſtolum egregiè purgarunt. Monet autem Oecumenius particulam ἀλλὰ, quæ ſæpiùs repetitur, idem hoc loco valere, quod καὶ, & vim quandam addere orationi, quaſi dicat; non modò ſollicitudinem peperit, ſed egregiam defenſionem. Anſelmus, qui vim Græcæ vocis non obſeruauit, defenſionem interpretatur aduerſus impugnationes dæmonum, contra quos ſtrenuè dimicarent: ſed id Græcis verbis non facilè aptatur. Ferri vtcumque poteſt quod ait Primaſius, defenſionem fuiſſe diſciplinæ, vel fidei; veriſimile enim videtur, non defuiſſe qui nimiam Apoſtoli ſeueritatem accuſaret. Corinthij verò dum obtemperarunt ſententiæ Apoſtolicæ, defenſionem quodammodo ſuſceperunt, & pro illo apologiam ediderunt. *Sed indignationem* Græcè ἀγανάκτησιν. hanc Ambroſius in ſua explicatione prætermiſſe videtur. Oecumenius autem indignationem refert ad impium illum ſcortatorem. Sic Theodoretus, & Theophylactus. Primaſius cùm hanc interpretationem probat, tum aliam etiam addit, vt indignatio paſſiuè accipiatur, quaſi Gentilium indignationem æquo animo ferrent. Anſelmus indignatos ait fuiſſe Corinthios aduerſus ſe ipſos, qui ita ſe olim geſſerint; vt meritò fuerint ab Apoſtolo caſtigati. Sunt hæc omnia probabiliter dicta, ſed quod poſui in paraphraſi videtur expeditiſſimum, quod ipſum dixerim de iis, quæ ſubſequuntur. *Sed timorem.* Eum intelligit Ambroſius, qui peccatorem excitat ad veniam poſtulandam. Oecumenius timorem accipit, quo

Paoli reprehenſiones metuebant; timentium enim erat tam ſedula, & ſubita correptio. Primalius timorem explicat quaſi contra ſecuritatem, quod ipſum ſignificat Anſelmus. Metuerant enim damnationem, & interitum, & futuras culpas ſollicitè cauebant; quoniam *beatus* [a] *eſt homo, qui ſemper eſt pauidus. Sed deſiderium*, quo Pauli præſentiam cupiebant, vt interpretatur Chryſoſtomus, vel quo illi mutatione morum placere maximè optabant. Ambroſius deſiderium melioris vitæ intelligit; ſic etiam ſentit Anſelmus. *Sed æmulationem*: Græcè ζῆλον. Chryſoſtomus ſentit de zelo diuinæ gloriæ. Oecumenius addit ſtudium etiam pro Paulo aduersùs Pſeudoapoſtolos, qui in Paulum erant contumelioſi. Ambroſius interpretatur zelum proficiendi. Ambroſio conſentit Anſelmus. *Sed vindictam*; quia (vt ait Chryſoſtomus) diuinæ legis violatæ vindices fuerant: ſic etiam Oecumenius, cæterique Græci. Hanc autem vindictam interpretatur Ambroſius, qua in ſe ipſis præterita crimina vlti erant. Idem inſinuant Primaſius, & Anſelmus. *In omnibus exhibuiſtis vos incontaminatos eſſe negotio.* Pro exhibuiſtis Græcè eſt συνεστήκατε, id eſt, commendaſtis, aut etiam præſtitiſtis. *Incontaminatos*, Græcè dixit ἁγνούς. videbantur enim Corinthij ſua illa conniuentia ſcelus approbare, at nunc ſuſpicione ſe penitus liberarunt, planéque oſtenderunt, ſe fuiſſe omni penitus culpa immunes, ac vacuos; non modò enim (vt ait Chryſoſtomus) nullum ipſi eiuſmodi facinus perpetrarunt, ſed ſua obtemperandi facilitate perſpicuè indicarunt, ſe peccanti minimè fauiſſe. Quocirca rectè dixit: *In omnibus*, quia ſuſpicionem, quam ſuperiori epiſtola viſus erat Apoſtolus indicare; penitus abſterſerant. Quod ait: *In negotio*; vt Græcus articulus ſignificat, de certo quodam negotio accipiendum eſt, nimirum eo, de quo ſcripſerat ſuperiori epiſtola; hoc eſt, nefario inceſtu, quo quis vxorem patris polluerat: in eo igitur negotio ſeſe puros, atque integros præſtiterunt. Quod verò legitur in codicibus Latinis eſſe, & in Græcis τῷ omnino abundat; ſenſus eſt perſpicuè declaraſtis vos ab omni penitus culpa eſſe alienos.

12. I. Igitvr etsi scripsi vobis, &c. Obiicere potuiſſent Corinthij, cur ſe tantopere obiurgaſſet, ſi nulli culpæ affines erant. Viſus autem erat Paulus paulò antè (vt docet Chryſoſtomus) huic dubitationi reſpondere cùm dixit: *Non me pœnitet, etſi pœniteret*; nunc verò addit, ſe obiurgationem illam adhibuiſſe ad ſuam pro illorum ſalute ſollicitudinem declarandam. Ait igitur non ſe tantùm propter ſcortatorem ſcripſiſſe, ſed multò magis vt omnibus in communi conſuleret. Repetendum autem videtur verbum, ſcripſi; hoc ſenſu: Etſi ſcripſi vobis, non propter eum qui fecit iniuriam ſcripſi, ſed ad manifeſtandam, &c. Rectè verò admonent Græci, hîc negationem vim habere comparandi; omnino enim ſcripſerat illorum cauſa, qui peccarant; nam hoc ſentit cùm ait, *qui iniuriam fecit, & qui paſſus eſt*. Sed non ea erat præcipua cauſa: quo in genere eſt illud: *Miſericordiam* [b] *volo, & non ſacrificium*: hoc eſt, miſericordiam ſacrificio præfero. Quod ait interpres; *qui iniuriam fecit, & qui paſſus eſt*; Ambroſius legit; *propter eum, qui inique verſatus eſt*; *neque propter eum, qui iniquè tractatus eſt*. An exiſtimandum eſt viuente patre, ſceleſtum illum cum nouerca concubuiſſe? An patris demortui iniuriam appellat? Sic Theodoretus. *Nam vel mortuus* (inquit) *iniuria affectus eſt, cùm violatum eſſet eius cubile.* Spectans opinor non legem coniugij, quod morte diſſolutum erat, ſed affinitatem inde exortam. An qui nefario concubitu miſcentur ſeſe mutuò iniuria afficiunt? Haud aliter Chryſoſtomus, & Theophylactus. Certè Paulus hos dixit in propria corpora peccare. Itaque iniuriam hoc loco peccati fœditatem vocat, quam ad Romanos nomine contumeliæ deſcripſit. *Sed* II. *ad manifeſtandam* (ait) *ſollicitudinem noſtram.* Paulò aliter habetur in Græcis codicibus, ἀλλ' ἕνεκεν τοῦ φανερωθῆναι τὴν σπουδὴν ὑμῶν τὴν ὑπὲρ ἡμῶν πρὸς ὑμᾶς ἐνώπιον τοῦ θεοῦ. quaſi dicat, vt palàm fieret ſtudium veſtrum pro nobis apud vos in conſpectu Dei. Ambroſius cum noſtro interprete legit. Syriacus Græcos codices ſequutus videtur. Ait enim, *vt innoteſcat coram Deo diligentia veſtra propter nos.* At Complutenſis editio Chryſoſtomi, & Theophylacti commentarij vulgatæ interpretationi fauent, quam omnino ſequuntur Hieronymus, Primaſius, & Anſelmus. Vtraque lectio verum habet ſenſum, & huic loco congruentem. Si Græcos codices ſequamur, ſenſus erit: vt apud vos palàm fieret, quo ſtudio erga me ſitis, qui monitis à me tam diligenter officio ſatisfeceritis: quaſi hac ratione id egerit Apoſtolus; vt qui apud Corinthios Pſeudoapoſtolis fauerent, planè intelligerent quanta apud vniuerſam illam Eccleſiam Pauli eſſet auctoritas. Sin autem magis placeat vulgata interpretatio, quam in paraphraſi ſequuti ſumus, ſenſus erit, Paulum idcirco ſcripſiſſe, vt ſuam illis coram Deo ſollicitudinem declararet, qua tanto ſtudio eorum ſaluti conſuleret. Suſpicor autem librariorum vitio in Græcis codicibus vnius litteræ mutatione mendum eſſe, cùm præſertim videam Chryſoſtomum, & Theophylactum eam lectionem probare, quam habet vulgatus interpres, quámque Ambroſius, cæterique Latini explanatores ſequuntur. In hac autem poſteriori explicatione illud, σπουδὴν coniungendum eſt cum verbo φανερωθῆναι, vt ſignificet, *vt vobis declararem meam pro ſalute veſtra ſollicitudinem coram Deo*, additum eſt; vt oſtendat ſollicitudinem ſuam fuiſſe veram & minimè fucatam, vt diximus in paraphraſi. Oecumenius putat eſſe veluti iurantis, & Deum rerũ omnium conſcium teſtantis. Simile quiddam ſignificat Anſelmus; ſed quod in paraphraſi poſui, videtur ſimplicius.

Ideo consolati svmvs, &c. Non 13. I. refero hæc ad ea, quæ proximè dicta ſunt; ſed ad ſuperiora, quibus recenſuit quid apud Corinthios ſua reprehenſio effecerit. quia video, inquit, meæ epiſtolæ fructum, magnam capio animo voluptatem. Diſcrepant autem hoc etiam loco à vulgata lectione Græci codices; ſic enim illi habent, διὰ τοῦτο παρακεκλήμεθα ἐπὶ τῇ παρακλήσει ὑμῶν, hoc eſt, conſolationem accepimus ex veſtro ſolatio. Solatium autem Corinthiorum vocat, non quo ipſi affecti eſſent (Quis enim ſolatio locus apud eos eſſe poterat, quos mœrore, ac triſtitia Paulus oppleuerat?) ſed quo illi ſua pœnitentia Paulum perfuderant: Deinde ergo accipio, ac ſi dicat, magnum de vobis ſolatium percepimus, veſtra me morum mutatio, obedientia, & pœnitentia ingenti gaudio, ac lætitia recrearunt. Hanc nos lectionem in paraphraſi ſecuti ſumus, auctoritate præſertim Oecumenij, cùm eundem habeat ſenſum, quem expreſſit vulgatus interpres: ſolatium enim ſi paſſiuè accipiatur, Pauli eſt, qui eo perfruitur; ſi actiuè, Corinthiorum, qui ſuis actionibus Paulum exhilararunt. Ait igitur vulgatus interpres: Ideo conſolati ſumus: hoc eſt, veſtra nos morum mutatio mirificè oblectauit. *In conſolatione autem noſtra abundantiùs magis gauiſi ſumus ſuper gaudio* Tit.

[a] Prouerb. 28. 14.

[b] Matth. 9. 13. & 12. 7.

Titi. boceſt, ad eam voluptatem, qoam cepimus ex veſtra pœniteotia, illud etiam acceſſit, quòd magno cum gaudio accepimus, Titum à vobis fuiſſe perbenorificè, ac perbenignè acceptum. Itaque, vt ait Oecumenius, geminum à Corinthus accepit gaudium: alterum, quòd egiſſent pœnitentiam: alterum quòd Titum à ſe miſſum mirum in modum recreaſſeot. Quod ait ioterpres; *Abundantius magis*; Græcè eſt περισσοτέρως ἢ μᾶλλον. Ambroſius vertit; *magis, magiſque.* Alij μᾶλλον vertendum putant, *potius*; quaſi plus ceperit voluptatis ex gaudio Titi, quàm ex Corinthiorum pœnitcotia; quod oon videtur veriſimile; quaoquam id ſigoificat Oecumenius. Seoſus igitur erit; ex gaudio Titi ad eam lætitiam, quam ex eorum pœnitentia perceperat, longè maximam factam eſſe acceſſionem. ita videtur explicare Primaſius, quem in paraphraſi ſecuti ſumus. *Quia refectus eſt* (inquit) *ſpiritus eius ab omnibus vobis*: boc eſt veſtra conſoetudine, & liberalitate recteatus eſt. Græcè dixit Apoſtolus ἀναπέπαυται, id eſt refocillatus eſt; quod eſt proptium eius, qui labote fatigatus tefocillatur. Ambroſius diuerſum opinor nactus exemplar dixit: *Requieuit ſpiritus eius in omnibus vobis*, non admodum diuerſa ſententia. Cæterùm obſeruat Oecumenius, dixiſſe Paulum *ſuper gaudio Titi*; vt oſteodat gratam, ac memorem Titi voluntatem, qui magnam illis gratiam habeat. *Ex eo enim* (ait) *quòd ille gauderet, ſignificat excellentiam refocillationis, & excellentiam gratiarum actionis eius erga illos.* Paulò autem pòſt explicans quænam fuerit refocillatio Titi. *Aut ipſa* (inquit) *eorum correptio, de qua etiam Paulus conſolationem acceperat, vel obedientia eorum ad omnia, aut hoſpitalitas, qua cum reuerentia, ac fide eum ſuſceperant. ſignum namque pietatis, ac religionis eſt honor, & reuerentia erga concionatorem.* Addit autem bæc tam accuratè à Paolo commemorari, vt Titum, quem iterum ad Coriothios miſſurus erat, eis maximè conciliet.

14. I. Et si qvid apvd illvm, &c. Reddit ratıonem, cur ex gaudio Titi tantam ceperit lætitiam, & voluptatem. Significat enim, ſe cùm Titum mitteret Corinthum, multa illi de Corinthiorum laude dixiſſe, quæ veriſſimè dicta fuiſſe, Titus re ipſa compererit. Porrò parum ni fallor ad rem hanc Pauli ſententiam Photios apud Oecumenium diſtinguit, & explicat, cùm hunc babeat ſimpliciſſimum ſenſum: Si quid apud illum de vobis gloriatus ſum, non ſum pudefactus, hoc eſt; quæ de vobis veluti gloriando commemoraui, non fuerunt eiuſmodi, vt eorum me podeat, pigeátve. Gloriationem autem vocat, quia vt ait Oecumenius, *argumentum eſt virtutis diſcipulorum, ſi eorum cauſa preceptor glorietur, idémque magiſtri amorem, & beneuolentiam declarat. Non ſum* (inquit) *confuſus.*; ſic eoim peoè ſemper loquitur interpres. Græcè eſt οὐ κατῃσχύνθην, hoc eſt, non ſum podefactus, quia videlicet compertum eſt, me vera dixiſſe. Primaſius aliter accipit: *Gloriatio* (inquit) *profectus confuſionem non habet, ſicut gloriatio ſecularis.* Sed ea quæ conſequuntur, apertè oſtendunt, propterea Apoſtolum negare, ſe fuiſſe pudore ſuffuſum, quia Titus re ipſa expertus erat, nihil illum non veriſſimè de Corinthiorum virtute narraſſe. *Sed ſicut omnia vobis in veritate locuti ſumus, ita & gloriatio noſtra, qua fuit ad Titum, veritas facta eſt.* Occumenius ſecutus Chryſoſtomum hæc dicta putat de laude Titi. Quemadmodum (inqoit) quæ vobis de Tito eiúſque virturibus coràm narraui, vos ipſi veriſſimè dicta eſſe cognouiſtis; ita ille quæ à me de vobis audiuit, oon oiſi verè à me dicta fuiſſe planè perſpexit. Aoſelmus ſimpliciter de iis accipit, quæ apud Corinthios Paulus docuerat. Vt enim ioquit apud vos candidè, & verè locutus ſum, ita ſincera, & minimè ſubdola fuit oeca de vobis oratio apud Titum, quod ipſe re ipſa expertus eſt. Atque huoc ſeoſum ſequutus videtur Syriacus, eundemque nos io paraphraſi iodicauimus. Ambroſius tameo longè aliud legiſſe videtur; ſic enim habet: *Sed quemadmodum omnia de vobis in veritate locuti ſumus, ita & gloriatio noſtra apud Titum, veritas facta eſt.* Sentit autem de prædicatione, déque correptione, quam ſuperiori epiſtola adhibuerat, ſic enim ſcribit: *Exultans in ſpiritu hac ſcribit Apoſtolus, vt efficaciam eorum tam veram probet, quàm eſt & prædicatio eius ad eos in corruptione duntaxat. Veritas enim arguentis in eo ipſo tunc videtur eſſe manifeſta, ſi ij qui arguantur, incipiant emendare ſe: dum enim correpti immutantur, teſtimonium perhibent arguenti.* Obſeruat autem Anſelmus moduoi illum dicendi, quo ait Apoſtolus: *Veritas facta eſt*; qoaſi dicat tam vera mea illa prædicatio comprobata eſt, quàm eſt ipſa veritas: quaſi dicat, nihil verius; immò compertum eſt, me ipſiſſimam veritatem de vobis pronuntiaſſe.

Et viscara eivs abvnoantivs, &c. 15. I.
Magis, ac magis confirmat ſuperiora; oſteodit enim Corinthiorum conſuetudine Titum ita fuiſſe affectum, vt eorum obliuiſci nulla ratione poſſet: ita enim in eius animo infixam inhærere memoriam alacritatis, & obedientiæ Corinthiorum, vt aliud penè nihil vel cogitare, vel loqui poſſe videretur. adeò inquit quæ à me audierat ſe re ipſa expertū eſſe fatetur, vt vobis propterea arctiſſimo amoris vinculo ſit colligatus. *Et viſcera* (inquit) *eius abundantius in vobis ſunt.* Græcè εἰς ὑμᾶς, qoaſi dicat, erga vos: miro vos amore, ac beneuolentia complectitur. Nam (vt ait Oecumenius) nomen viſcerum magnitudinem amoris ſignificat. Neque hoc cootentus addit Apoſtolus; *abundantiùs*, hoe eſt, maiorem in modum. Primaſius: *Omnia* (inquit) *vos eius membra deſiderant, vt oculi præſentiam veſtram, aures ſermonem, os colloquium*, &c. Ambroſius, & Anſelmus de cordis affectu, & magnitudine amoris explicant, quòd viri boni proprium ſit bonos diligere. *Reminiſcentis* (ait) *omnium veſtrum obedientiam.* Græcè ἀναμιμνησκομένου, id eſt, recordantis, ſiue commemorantis, ſiue io memoriam reuocātis: ita cauſam tam ſingularis amoris, ac beneuolentiæ explicat: Hæret, inquit, illi perpetuò in animo veſtra ſingularis obedientia, propterea ardenti vos caritate complectitur. Addit: *Quomodo cum timore, & tremore excepiſtis illum.* II.
Pertinet hæc (vt monet Chryſoſtomus) ad ſingularem Corinthiorum laudem, qui Paulum tanquam Patrem diligerent, & tanquam Antiſtitem metuerent. Amor peperit obedientiam, metus timorem, ac tremorem. Cùm igitur Corinthij non ignorarent, Titum ab Apoſtolo miſſum eſſe, eum non ſolùm beneuolè, ſed ſummo cum hooore exceperunt, & tanquam præceptoris ſui adiutorem fidelem venerati ſunt; cùm præſertim intelligerent ſe reprehenſione eſſe non indignos. Putat autem idem Chryſoſtomus, eximiam omnino hanc eſſe laudem, quòd ita Corinthij animo comparati eſſent, vt nec metus beneuolētiam extingueret, nec beneuoleotia metum ſolueret ac profligaret. Timuris porrò, ac tremoris Ambroſius, & Anſelmus hanc putaot fuiſſe cauſam, quòd intelligereot Titum ab Apoſtolo miſſum, qui eos acriùs caſtigauerat. Primaſius cum

ſius cum obedientia timorem coniunctum eſſe docet; *nam qui ex caritate obtemperat, nihil magis timet, quàm illi diſplicere, quem amat.* Illud autem verè ab vtroque dictum eſt; Corinthios in Tito veritos eſſe Apoſtolum. Cæterùm neſcio, vtrùm verè dictum ſit ab Anſelmo, timorem ad animum, tremorem verò ad corpus pertinere: crediderim potiùs, hæc duo more ſcripturarum fuiſſe ab Apoſtolo coniuncta. Ita Dauid alicubi [a] dixit: *Seruire Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Vtrumque autem videtur Oecumenius ad animum referre; *metuebant enim, ne in aliquo rurſum offenderent, vt in eo qui ſcortatus erat.* ita vna, atq; eadem opera & Titum Corinthijs conciliat, & Corinthios hac tam illuſtri commendatione non ſolùm confirmat, ſed ad optima quæque excitat, & inflammat. Creſcit enim laudata virtus vt cõmuni omnium ſermone circumfertur.

[a] Pſal. 2. 11.

16. L. GAVDEO, QVOD IN OMNIBVS, &c. Gratulatur Corinthijs magnos in virtute proceſſus; vnde factum eſt, vt ſiue increpandi, ſiue laudandi ſint, magna vtatur Apoſtolus confidentia. Ita Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, & Theophylactus. Ambroſius referre videtur ad bonam Corinthiorum voluntatem, & ipſorum laudabiles actiones. Anſelmus ad ſpem futurorum quaſi deinceps omnibus in rebus magnam ſit habiturus in illis confidentiam. Vrut ſit rectè Primaſius, & eum ſequutus Anſelmus monent, Apoſtolum peritos medicos imitari, qui penè iam ſanata vulnera leniſſimis medicamentis curant. Cæterùm quod attinet ad verba nonnulli Græci codices variant; habent enim non *ἐν παντὶ θαῤῥῶ ἐν ὑμῖν*, ſed *θαῤῥοῦμεν ὑμῖν*, id eſt, confidimus vobis; ſed vnius litterulæ interpoſitione facilis fuit lapſus. Certè Chryſoſtomus, Oecumenius, & Theophylactus legunt *θαῤῥῶ ἐν ὑμῖν*, quomodo etiam legiſſe videtur Ambroſius, omninóque legit Syriacus. Quod autem interpres dixit; *in omnibus*, Græcè *ἐν παντὶ*, quaſi dicat, in omni negotio, vt paulò antè dixi. Oecumenius *ſiue obiurgare (inquit) & auerſari oporteat ſcortatorem, ſiue ſuſcipere, & reuocare reſipiſcentem, ſiue quid aliud fieri oporteat, in omnibus confido in vobis.* Porrò Theodoretus obſeruat Pauli ſapientiam, & admirabile conſilium, qui opportunè arguat, increpet, moneat, hortetur, laudibus efferat: quam imitari debeant præſules, quique aliorum ſalutem procurant: nam auditoribus quidem imitanda eſt Corinthiorum obedientia, & erga magiſtros obſeruantia.

Argumentum Cap. VIII.

MACEDONVM pietatem, atque humanitatis officia magnificè prædicat cum ſingulari eorum præconio, & commendatione, eorúmque exemplo ad liberalitatem hortatur Corinthios, eóſque monet, vt quæ in pauperum ſubſidium conferenda eſſent, hilariter largiantur; qua in oratione miro vtitur artificio, vt quos ſuperiori epiſtola non leuiter perſtrinxerat, blanda nunc inſinuatione demulceat, & quod optat, faciliùs impetret.

CAP. VIII.

NOTAM autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ data eſt in Eccleſiis Macedoniæ.

Quòd in multo experimento tribulationis abundantia gaudij ipſorum fuit, & altiſſima paupertas eorum abundauit in diuitias ſimplicitatis eorum.

Quia ſecundùm virtutem teſtimonium illis reddo, & ſupra virtutem voluntarij fuerunt.

Cum multa exhortatione obſecrantes nos gratiam, & communicationem miniſterij, quod fit in ſanctos.

Et non ſicut ſperauimus, ſed ſemetipſos dederunt primùm Domino, deinde nobis per voluntatem Dei.

Ita vt

PARAPHRASIS.

PORRÒ certiores vos facio (fratres) de 1.
inſigni quodam beneficio in Eccleſias Macedoniæ collato, quod duabus potiſſimùm rebus cõtinetur. ¶ Pri- 2.
mùm quòd in tantis ærumnis, quibus Macedones penè oppreſſi iacebant, tam ſingularis fuit ipſorum alacritas, vt ſeſe effunderet. Deinde quòd ex tanta inopia, atque egeſtate, qua ipſi pene extrema laborant adeò liberaliter contulerint, vnde aliorum tenuitas aleretur, vt multis opibus, atque diuitijs affluere videri poſſent, magnáque omnino in Deum fiducia & confi-
dentia ſuſtentari. ¶ Narro enim vobis próque 3.
mea muneris ratione, atque auctoritate teſtor, pro viribus illos, quinetiam ſupra vires ſponte
ſua fuiſſe liberales. ¶ Multis eum precibus ro- 4.
gantes nos, vt quoniam pecuniam ſuppeditare non poſſemus operam certè noſtram (quod illi magni beneficij loco ducebant, vel tanquam eximium Dei munus amplectebantur) eum ipſorum liberalitate quaſi quadam societate inita coniungeremus, aliáſque Eccleſias, & vos in primis ad ſanctos pecunia ſubleuandos adhorta-
remur. ¶ Ac non ſolùm fecerunt ipſi, vt nos ſpe- 5.
rabamus, ſed omnem expectationem noſtram longè ſuperantes, ſeſe penitus dediderunt primùm

Digitized by Google

mùm quidem Domino, deinde etiam nobis diui-
no vt interpretor impulſu, vtque diuinæ vo-
6. luntatis imperio præſtò eſſent. ¶ Adeò vt nos ad-
hortaremur Titum, vt quemadmodum antea
cœperat, ita etiam pergeret vſque ad finem,
efficerétque, vt huius quoque beneficentiæ, &
7. liberalitatis ſitis ipſi participes. ¶ Itaque quem-
admodum in omnibus abundatis fide, & dicen-
di facultate, & ſcientia, & omni ſtudio, ac di-
ligentia, eximia denique veſtra in nos præcipuè
caritate; ita videte, vt in hoc quoque munere
præſtando liberaliter, ac magnificè vos geratis,
8. ¶ Non ex imperio loquor, ſed cùm de veſtra
alacritate minimè dubitem, idcirco vos aliorum
exemplo, ac ſtudio propoſito tantùm moneo, vt
operam detis, ne quiſquam veſtram in hac re
diligentiam, ac ſedulitatem requirat, ſed po-
tiùs teſtatum fiat, quàm germana ſit veſtra cari-
9. tas, ac ſincera. ¶ Reſpicite quæſo rerum omnium
effectorem, ac Dominum Ieſum Dei Patris vni-
genitum, qui cùm rebus omnibus afflueret, pau-
pertatem ſuſcipiens veras diuitias peperit, vt in-
telligatis, bonorum largitione cœleſtes diuitias
comparari: noſtis enim diuinam eius liberalita-
tem, ac beneficentiam, qui pro eo, quo vos
complectebatur, amore factus eſt pauper cùm
eſſet diues, non aliam ob cauſam, niſi vt vos
illius paupertate, atque inopia diuites efficere-
10. mini, ac locupletes. ¶ Et quidem in hac re ſi
me audieritis, meíſque conſiliis acquieueritis,
ſententiam indicabo meam, quam veſtris inpri-
mis rationibus congruere, valdéque vtilem fo-
re confido, qui non ſolùm vtcumque, ſed etiam
vltro, ac magna cum animi voluptate pridem
facere cœpiſtis, hoc eſt, iam ab anno ſuperio-
11. re. ¶ Nunc igitur quod aliquando inchoaſtis,
etiam me auctore perficite: & ſicut affuit prom-
pta, atque ardens voluntas, ſic date operam,
vt quantum vires ferant voluntati opus reſpon-
deat, & quod magna animi propenſione exor-
12. ſi eſtis, re ipſa ad exitum perducatis. ¶ Etenim
ſi priùs adſit promptus, ac propenſus animus,
illa porrò alacritas pro præſentium facultatum
ratione Deo placet, vt non opus ſit tenuita-
tem à quoquam prætexi quaſi ipſius munus Deo
gratum futurum non ſit niſi par fuerit locuple-
tum largitioni. Immò verò Deus in munere
probando non ſpectat quod non habes, ſed id
demum quod habes, alioqui oporteret tenues,
13. vel nihil omnino, vel ex alieno largiri. ¶ Ne-
que verò hæc eò ſpectant, vt dum alij ſuble-
uantur, & affluunt, vos deiiciamini, & egeſta-
te premamini, ſed vt pari conditione, & ope-
ra (vt ita dicam) reciproca, vltro, citróque
14. beneficentia exerceatur. ¶ Vt quemadmodum
nunc vos, qui abundatis aliis inopibus è veſtro
largimini, ſic ſi res poſtulet alij viciſſim de ſuo
vobis egentibus largiantur, vt inter omnes æqua-
litas conſtituatur, ſi non in poſſeſſione quod
15. eſſe non poteſt, ſaltem in vſu. ¶ Et re ipſa cernatur
id,

Ita vt rogaremus Titum, vt quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam iſtam.

Sed ſicut in omnibus abundatis fide, & ſermone, & ſcientia, & omni ſolicitudine, inſuper & charitate veſtra in nos, vt & in hac gratia abundetis.

Non quaſi imperans dico, ſed per aliorum ſolicitudinem, etiam veſtræ charitatis ingenium bonum comprobans.

Scitis enim gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt cùm eſſet diues, vt illius inopia vos diuites eſſetis.

Et conſilium in hoc do: hoc enim vobis vtile eſt, qui non ſolùm facere, ſed & velle cœpiſtis ab anno priore.

Nunc verò & facto perficite: vt quemadmodum promptus eſt animus voluntatis, ita ſit & perficiendi ex eo, quod habetis.

Si enim voluntas prompta eſt, ſecundùm id, quod habet accepta eſt, non ſecundùm id, quod non habet.

Non enim vt aliis ſit remiſſio, vobis autem tribulatio; ſed ex æqualitate.

In præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat, vt & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, vt fiat æqualitas, ſicut ſcriptum eſt.

Qui multum, non abundauit: & qui modicum, non minorauit.

Gratias

id quod olim de manna ſcriptum accepimus,
qui multum collegit non habuit amplius, & qui

Gratias autem Deo, qui dedit eandem ſolicitudinem pro vobis in corde Titi.

patum non habuit minus. ¶ Eſt autem Deo 16.
immortali habenda gratia, qui ſingulari quadam, diuináque ſua prouidentia idem omnino
ſtudium, ac ſollicitudinem pro vobis in animum

Quoniam exhortationem quidem ſuſcepit, ſed cum ſolicitior eſſet, ſua voluntate profectus eſt ad vos.

Titi immiſit. ¶ Qui ſcilicet tum meam illam 17.
adhortationem grato animo exceperit, tum verò maiori diligentia vſus ſuapte ſponte ad vos

Miſimus etiam cum illo fratrem, cuius laus eſt in Euangelio per omnes Eccleſias.

venerit. ¶ Miſimus autem vnà cum illo Barna- 18.
bam fratrem noſtrum, cuius Euangelica prædicatio, docendiqueratio in omnibus Eccleſiis ma-

Non ſolùm autem, ſed & ordinatus eſt ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ in hanc gratiam, quæ miniſtratur à nobis ad Domini gloriam, & deſtinatam voluntatem noſtram.

ris laudibus celebratur. ¶ Quique præterea ma- 19.
nuum impoſitione additus eſt nobis ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ, vt vnà exerceremus hoc beneficentiæ genus ad egentium, atque inopum calamitatem ſubleuandam, ídque ad vnius gloriam & veſtram hilarem, ac prom-

Deuitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ miniſtratur à nobis.

ptam voluntatem declarandam. ¶ Dum autem 20.
hos miſimus tales, ac tantos viros, id maximè ſpectauimus, vt quaſi ſcopulum vitaremus aliorum reprehenſionem, qui nos aliquo modo accuſare, aut carpere poſſent ob hanc copioſam Eccleſiarum munificentiam, quæ noſtræ fidei commiſſa eſt, perinde quaſi aliquid inde ad noſtra

Prouidemus enim bona nõ ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus.

commoda auerteremus. ¶ Siquidem laboramus 21.
quantum poſſumus, vt non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus honeſtè viuamus, ne quid nobis excidat, quod iure poſſit vitupe-

Miſimus autem cum illis & fratrem noſtrum, quem probauimus in multis ſæpe ſolicitum eſſe, nunc autem multò ſolicitiorem, confidentia multa in vos.

rari. ¶ Miſimus autem cum eis Apollo fratrem 22.
noſtrum, quem ſæpè in multis ſtrenuum, ac diligentem experti ſumus: nunc autem certò ſcimus, multò ſtudioſiorem fore ob eam confidentiam, qua me videbat tam multa de vobis certè polliceri. ¶ Quòd ſi de Tito quæratur quiſ-

Siue pro Tito, qui eſt ſocius meus, & in vos adiutor, ſiue fratres noſtri, Apoſtoli Eccleſiarum, gloria Chriſti.

nam, aut qualis ſit, is profectò ſocius meus eſt, 23.
& apud vos adiutor: ſi verò de fratribus noſtris ij ſunt legati, & Epiſcopi Eccleſiarum, & ſanè eiuſ-

Oſtenſionem ergo, quæ eſt charitatis veſtræ, & noſtræ gloriæ pro vobis, in illis oſtendit in faciem Eccleſiarum.

modi, vt Chriſti gloria per illos illuſtretur. ¶ Per- 24.
ficite quæſo, vt caritatis veſtræ illuſtria documenta cernant, planéque intelligant, nos de vobis neque falsò, neque fruſtra gloriari ſolere: teſtes huius veſtræ pietatis habituri omnes propemodum Eccleſias, in quarum veluti conſpectu verſamini, cùm eorum legatos, & Epiſcopos cernatis.

IN

IN CAPVT OCTAVVM EXPLANATIO.

I. NOTAM AVTEM FACIMVS VOBIS, &c. Chryſoſtomus, cæterique Græci prudentiam Apoſtoli obſeruant, qui cùm Corinthios laudibus deliniſſet, adhortationem adhibet ad beneficentiam, & liberalitatem, quæ minus grata videri potuiſſet, niſi prius eorum animos ſibi conciliaſſet. Illud verò ſingularis, planéque diuini artificij eſt, quod beneficentiam, ac liberalitatem, gratiam græcè χάριν, hoc eſt, Dei beneficium vocat, tum ne qui eam exercent animis efferantur, tum vt Corinthij intelligant, pro magno munere habendam eſſe, adeóque (vt Chryſoſtomus ait) omnem ab oratione ſua inuidiam amoueat. Oecumenius autem videtur beneficentiam, ac liberalitatem in pauperes recenſere inter gratias gratis datas; ait enim. *Siquidem Dei donum eſt, aliquem eſſe pium erga egenos, quemadmodum etiam ſanitates perficere.* Quod tamen ego interpretor, non quaſi vera ſit gratia gratis data eo ſenſu, quo gratiæ gratis datæ recenſentur à Theologis, ſed quòd re vera ſit Dei beneficium liberaliter, & gratuitò mortalibus conceſſum. Cæterùm quanti hoc beneficium faciendum ſit, multis ſcripturæ teſtimoniis probari poteſt; nam vt omittam alia ſexcenta, quæ alio loco à nobis commemorantur, in Eccleſiaſtico [a] ſcriptum eſt. [a cap. 17. 18.] *Eleemoſyna viri gratiam hominis quaſi pupillam conſeruabit.* [b cap. 29. v. 13.] Itémque [b]. *perde pecuniam propter fratres, & proderit tibi magis, quam aurum.* II. Propoſito verò Macedonum exemplo, Corinthiorum animos acriùs Apoſtolus excitat, & inflammat. Eſt autem hæc laus ampliſſima; etenim non vnius, aut alterius Eccleſiæ C res præclarè geſtas commemorat, ſed vniuerſam gentem, ac nationem extollit; omnes enim Macedoniæ Eccleſias nominat, quibus (vt monet Chryſoſtomus) tres potiſſimùm laudes attribuit: primam quòd res aduerſas forti, conſtantíque animo perferrent: alteram, quòd egentium inopiam liberaliter ſubleuarent: poſtremam, quòd quamuis ipſi inopia laborarent, munificentiam tamen erga inopes exercerent. *Gratiam,* inquit, *Dei, quæ data eſt in Eccleſiis Macedoniæ.* Ita (credo) locutus eſt Apoſtolus, vt ſignificet fidelibus, qui in Eccleſiis illis verſarentur, diuinum hoc beneficium cœlitùs fuiſſe conceſſum; atque ita (vt Primaſius monet) eorum exemplo ad perſimile donum expetendum inflammat. Miror Ambroſium multò aliter hanc gratiam interpretari; D ſignificari enim putat promptum, ac pium animum, quo fidem conceperant, eámque ita penitus infixam in animo retinebant, vt quamuis Paulum, & Silam ærumnis, & calamitatibus premi viderent, nihil tamen de animi conſtantia remitterent. Quod quamquàm veriſſimum eſt, videtur tamen longiùs petitum, cùm ea, quæ mox ſubduntur ab Apoſtolo, planè indicent, quid gratiæ nomine ſignificarit.

I. QVOD IN MVLTO EXPERIMENTO, &c. Ex-
2. plicat quæ ſit gratia, quam modò nominauit. *Quòd in multo, ait, experimento tribulationis.* Hùc, opinor, ſpectat quod modò ex Ambroſio diximus, qui hæc de Pauli, ac Silæ carcere accipit, cùm Philippis concitato populo coniecti ſunt in vincula, vt in Actis Apoſtolicis [c] ſcribit Lucas. [c cap. 16. 23.] At Chryſoſtomus, Oecumenius, Theodoretus, Theophylactus; vt inter Latinos Hieronymus, Primaſius, & Anſelmus, ipſorum A Macedonum ærumnas, & calamitates ſignificari putant. Mirum enim, ac penè incredibile videri affirmant, vt in mediis perturbationum fluctibus, tanta illi lætitia, atque animi hilaritate exultarent. Idque à Paulo eo libentiùs commemorari, vt Corinthiorum animos erigat, & inflammet. Putat autem Chryſoſtomus, grauiter fuiſſe Macedones vexatos, vnde eorum virtus, & conſtantia rerum aduerſarum tolerantia veluti durata, clarior, atque illuſtrior emicuerit. Propterea enim experimentum tribulationis dixit, quòd res aduerſæ eorum animi magnitudinem explorarint, ſicque etiam Philoſophi ſenſerunt; alicubi [a] enim ſcripſit Seneca ex Democriti ſententia. [a Epiſt. 68.] *Vitam ſecuram, & ſine vllis fortunæ incurſionibus mare mortuum vocari, nihil habere quo exciteris, ad B quod te concites, cuius denuntiatione, & incurſu firmitatem animi tui tentes.* Alibi [b] calamitatem virtutis occaſionem vocat. [b lib. de prouid. Dei.] Quinetiam Plutarchus [c] nonnullos fuiſſe affirmat, [c lib. de vtil. cap. ab inim.] *quibus exilium, & pecuniarum iactura viaticum extiterit ad ſtudium, ac philoſophiam, veluti Diogeni, ac Crateti.* Demetrius [d] dicere ſolebat, [d apud Stob. Serm. 18.] *nihil ſibi videri infœlicius eo, cui nihil vnquam euenit aduerſi, quòd oporteat talem hominem aut ſibi ignotum eſſe, qui numquam ſui periculum fecerit; aut Diis inuiſum, quem præterierunt veluti ignauum ad fortunæ conflictum.* Sequitur. *Abundantia gaudij ipſorum fuit:* II. hoc eſt, interprete Chryſoſtomo, ingens, & quæ nullis verbis explicari queat, lætitia. In Græcis codicibus non eſt verbum *fuit*; ſed vt monet Oecumenius, pendet hæc oratio à ſubſequenti verbo ἐπερίσσευσεν, C hoc eſt, *abundauit*; quaſi dicat: Abundantia gaudij exuberauit; vt quemadmodum monet Primaſius, Apoſtolos imitarentur, *qui [e] ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* [e Act. 5. 41.] *Et altiſſima paupertas eorum abundauit in diuitias ſimplicitatis eorum.* Hoc etiam vt obſeruat Chryſoſtomus, admiratione digniſſimum eſt: vt enim in mediis ærumnis, & calamitatibus ingenti gaudio triumphabant; ſic in ſumma inopia, & egeſtate eximia, & ſingularis eorum liberalitas emicuit. Altiſſimam autem paupertatem vocat: hoc eſt, vt interpretatur Ambroſius, profundam, eſt enim græcè, ἡ βάθυς πτωχεία; ſumpta fortaſſe metaphora à vaſe, aut ſcrinio ad imum vſque exhauſto. Opponit autem inter ſe maximè contraria, cùm ait, D profundam, maximéque exhauſtam paupertatem affluere, atque exuberare; quomodo enim quod exhauſtum eſt, atque inane exuberare poteſt? Nihilo etiam minus cum paupertate pugnant diuitiæ, & tamen ait, altiſſimam paupertatem exuberaſſe in diuitias ſimplicitatis. III. Porro ſimplicitatem Chryſoſtomus interpretatur liberalitatem; Theodoretus animi magnitudinem; Oecumenius abundantiam. Malim ego animi quamdam confidentiam, ac mentem minimè fluctuantem, aut hæſitantem, qualem fuiſſe illam Iob legimus, cùm ei exprobrans vxor diceret [f]. *Adhuc permanes in ſimplicitate tua.* [f cap. 2. 9.] De qua item in libro Sapientiæ [g]. *Et in ſimplicitate cordis quærite illum.* [g Sapient. 1. 1.] Quamquàm fortaſſe vxor Iob ſtultitiam illi, ac fatuitatem obiiciebat, quo ſenſu queſtus eſt olim B. Gregorius [h] ſe à Mauritio imperatore ſimplicem, [h lib. 4. Regiſtri. Indict. 13. ep. 31.] hoc eſt, fatuum fuiſſe appellatum. Multò aliter accipitur capite ſequenti & initio huius Epiſtolæ [i], vbi [i cap. 1. 12.]

lium impetrabant, quaſi plus acciperent, quàm tri-
buerent.

5. Et non sicvt speravimvs,&c. Rectè
I. Chryſoſtomus, quem ſequuntur Oecumenius, &
Theophylactus, hæc non ſolùm ad munificentiam,
& liberalitatem, ſed ad ipſorum calamitates refe-
renda putat, quaſi non auſus eſſet ſperare Apoſto-
lus tanta eos fore magnificentia,& animi magnitu-
dine præditos,vt in ſummis ærumnis, atque mole-
ſtiis tantam animi hilaritatem præ ſe ferrent, & in
extrema propemodum inopia tam liberaliter, ac
profusè pecunias largirentur. Ambroſius perinde
accipit quaſi habita ratione ſuperioris vitæ, & præ-
teritorum vitiorum nihil eiuſmodi ab iis expectan-
dum videretur.Hoc tamen eò ſpectare putat, vt do-
ceat Apoſtolus, Macedonum liberalem largitionem
probandam, atque admittendam fuiſſe; quod illi
ſimpliciter,ſinceróque animo tribuerent, nullo au-
tem modo,vt præpoſitos ſuos corrumperent, & eo-
rum increpandi libertatem veluti pretio perſoluto
cohiberent. Ob id enim ſubdit,illos ſeſe Deo dedi-
diſſe.Idem prorſus exiſtimat Anſelmus. *Non quaſi*,
inquit, *redimendis culpis ſuis tribuerent, vt eorum vi-
tiis parceremus.* Ego in paraphraſi ſignificaui largi-
tionem quidem non fuiſſe præter ſpem, ſed quòd
illi ſeſe penitus Deo addixerint; id verò vltra quàm
Apoſtolus ſperabat contigiſſe, quaſi dicat Apoſto-
lus. Non ſolùm quatenus ſperabamus liberales fue-
runt,ac magnifici, ſed quod omnem expectationem
noſtram ſuperauit, ſeſe penitus Deo primùm dedi-
derunt,deinde nobis. Adeo fuit eorum voluntas ad
pietatem propenſa, vt non modò bona ſua liberali-
ter ad alendos pauperes effunderent,ſed ſe ipſos to-
tos Deo dicarent, ac nobis committerent. Atque
hoc ex Primaſio colligo. *Non ſolùm*,inquit,*ſua om-
nia,ſed & ſe primùm Domino tradiderunt in hoc opere,
deinde nobis.*Neque aliter ſenſiſſe videtur Anſelmus,
Non enim, ait, *ſolùm res ſuas, ſed ſemetipſos dederunt*
II. *Domino quaſi ſacrificium immaculatum*. Quod ſequi-
tur: *Per voluntatē Dei*;meritò additur; nam vt Chry-
ſoſtomus, Oecumenius, & Theophylactus obſer-
uant ſapienter Macedones totos ſeſe Deo deuoue-
runt,atq; ſe omni virtutum genere non ſola liberali-
tate excolendos, ornandóſque cenſuerunt; deinde
ſeſe etiam Apoſtolo dediderunt non ſimpliciter, ne-
que humano conſilio,*ſed per voluntatem Dei*.An Dei
mandantis ſubeſſe quemlibet maioribus ſuis? ita ſa-
nè Anſelmus,& alij quidam. An probantis in paupe-
res beneficentiam? id equidem magis reor; quam-
quam illud etiam magnopere probo, quod video
placere Primaſio, quódque etiam Chryſoſtomus
cum Græcis non obſcurè indicauit, vt propterea di-
cat Apoſtolus Macedones ſibi per voluntatem Dei
ſeſe ſubieciſſe, quia illam Deus ipſis mentem indi-
derat, tacitéque ſignificauerat, id ſibi eſſe pergra-
tum. Sic autem ſcribit Primaſius. *Non vt nobis place-
rent contra Domini voluntatem, ſed vt illi hoc facerent
voluntatis Dei fuit, qui illis hoc vt facerent inſpirauit.*
Ita Paulus more ſuo quidquid valet ad pietatem, &
ad Deum aliqua ratione promerendum, diuinæ gra-
tiæ acceptum refert. Voluntatem autem Dei nomi-
nat quæ eſt bonarum omnium actionum effectrix,
vt acutè docent Theologi in ſcholis.

6. Ita vt rogaremvs Titvm, &c. Hæc
I. me potiſſimùm verba in eam impulere ſententiam,
quam paulò antè explicui, cùm dixi, Macedones ro-
gaſſe Paulum, vt ipſe quoque particeps fieret quan-
tum Apoſtolici muneris ratio pateretur Macedo-
nicæ liberalitatis: hoc eſt, ſuſciperet in ſe prouinciam
alias Eccleſias ad eandem beneficentiam adhor-
tandi: ait enim in præſentia, ſe precibus, & actioni-
A bus Macedonum adductum eſſe, vt Tito id mune-
ris committeret,cúmque rogaret,vt Corinthios ad-
hortaretur ad eandem inopum indigentiam ſuble-
uandam. *Vt quemadmodum cœpit, ita & perficiat in
vobis etiam gratiam iſtam.* Cœpiſſe porro Titum di-
cit non ſolùm quia propoſuerat Corinthum redire,
vt Oecumenius,& Theophylactus exiſtimarunt,ſed
multò magis, vt inſinuant Theodoretus, Ambro-
ſius,& Anſelmus;quia,vt ſuperiori capite dixit,apud
illos ita verſatus erat,vt eorum vitæ, morúmque ra-
tionem maximè probaret. Veriſimile autem eſt,eos
nomine Pauli ad hoc pietatis, ac liberalitatis offi-
cium excitaſſe,atque hac ratione aliquo pacto hanc
beneficentiam inchoaſſe dicitur. Gratiam enim, vt
aliàs monui, vocat liberalitatem, & munificentiam
B in pauperes. Quod autem ait; *In vobis*, perinde eſt, ac
ſi dicat: erga vos. eſt enim Græcè εἰς ὑμᾶς. innuens,
eos,qui pauperibus largiũtur,accipere potius, quàm
tribuere beneficium. Ne quid igitur Corinthij mi-
nus cæteris habere viderentur, per Titum eos hoc
etiam pietatis officio perfici cupit. Quod mox pla-
niùs explicans,ſubdit.

Sed sicvt in omnibvs,&c. Chryſoſto- 7.
mus, cæterique Græci obſeruant Pauli artificium, I.
qui adhortationi præconium admiſcet, vt Corin-
thiorum animos excitet ad maiora. Quod autem in-
terpres dixit. *Sed*, vim Græcæ particulæ expreſſit; eſt
enim ἀλλά. Oecumenij tamen interpres Latinè tran-
ſtulit, *immò*: hoc enim interdum apud bonos aucto-
res ſignificat, videtúrque hoc loco ea ſignificatio
C potius congruere, niſi quis malit vim habere infe-
rendi, quod nos in paraphraſi ſignificauimus, & aliis
pleriſque placet, vt dicat Apoſtolus: quamobrem
date diligenter operam, vt quemadmodum cæteris
penè omnibus virtutibus ornati eſtis, ita huius be-
neficentiæ laudem ne deſideretis. *Abundatis*, inquit,
fide; vel virtute Theologica, vt ſignificat Oecume-
nius, vel illo fidei munere de quo alibi plura dixi-
mus, vt inſinuare videntur Chryſoſtomus, & Theo-
doretus. *Et ſermone*, hoc eſt dicendi facultate, ſiue
interpretatione ſermonis, ſiue vt ait Anſelmus, fa-
cultate linguarum, ſiue denique ſermone ſapientiæ,
vt Chryſoſtomus, Oecumenius, Theodoretus, &
Theophylactus affirmant. *Et ſcientia*; diuinorum vi-
delicet myſteriorum cognitione: nam (vt ait Anſel-
D mus) quidam dicendi facultate valent; alij, quamuis
ſcientia præſtent, quod rectè mente perceperunt,
non perinde poſſunt explicare dicendo: vtrumque
autem Corinthij diuinitus acceperant. Cæterum II.
Chryſoſtomus, Græcique omnes ſermonem ſcien-
tiæ intelligunt, vt ſignificet Apoſtolus, adeſſe Co-
rinthiis omnia Spiritus ſancti chariſmata, quod ſu-
periori Epiſtola [a] dixerat; *Ita vt nihil vobis deſit in* a cap. 1. 7.
vlla gratia. Quod ſequitur; *Et omni ſollicitudine, inſu-
per & caritate veſtra in nos*; pertinere poteſt ad pri-
uatum Corinthiorum ſtudium, & beneuolentiam
in Paulum, vel, quod magis probare videntur Græci,
ſollicitudo virtutum omnium ſtudium, ac deſide-
rium ſignificat; caritas verò priuatam beneuolen-
tiam, qua Paulum complectebantur, quam nomi-
E natim commemorat, quod maximè videretur ad id,
quod agitur, pertinere; inde enim rectè infert, vt &
in hac gratia abundetis. quaſi dicat, videte & ad alias
præclaras virtutes, præcipuéque ad eximiam carita-
tem in nos veſtram; hanc quoque beneficentiæ, &
in pauperes liberalitatis laudem adiungatis. Græci
codices hoc loco variant; ſunt enim qui ſimpliciter
habeant. & τῇ ἐξ ὑμῶν ἀγάπῃ. alij ſunt, qui legant, καὶ
τῇ ἐξ ὑμῶν ἐν ἡμῖν; hoc eſt vt vertit Syriacus *caritate,
quæ eſt ex vobis in nos*, quomodo etiam vertit Am-
broſius; ſenſus eſt omnino idem: ſentit enim, vt dixi-

mus,

mus, & Oecumenius, & Theophylactus affirmant, A de Corinthiorum erga ſe caritate: neque id ſimpliciter tantùm monet, ſed etiam exigit vt abundent, hoc eſt, in eo genere excellant; eſt enim Græcè *περισσεύητε*.

8. NON QVASI IMPERANS DICO, &c. Hoc
I. etiam ad ſingulare, ac propè diuinum Pauli artificium pertinet; nam (vt obſeruauit Chryſoſtomus) dum ſe negat pro imperio agere, ſed aliorum liberalitatem duntaxat proponere, Corinthiorum ſtudium incredibiliter acuit, & ad maiorem liberalitatem exercendam inflammat. *Non quaſi*, inquit, *imperans dico*. Nihil, inquit, graue, nihil violentum, nihil imperioſum præcipio. Ambroſius vertit; *Non ſecundùm imperium dico*. Quaſi dicat; nullam vobis neceſſitatem impono, nullam vim affero, cùm ta- B men (vt monet Chryſoſtomus) hac ipſa orationis lenitate, aliorúmque exẽplo propoſito magis cogat. *Sed per aliorum ſollicitudinem*, aliorum intelligit liberalitatem, & munificentiam, quaſi velit ex aliorum officio Corinthiorum caritatem illuſtrare, dum aliorum liberalitatem vel exæquat, vel etiam ſuperat. *Etiam veſtræ caritatis ingenuum bonum comprobans*. hoc eſt, vt veſtra quoque caritas, ſicut etiam cæterorum probatior, & illuſtrior reddatur, ſi veſtra liberalitate ſanctorum inopia ſubleuetur, vel vt veſtra caritas magis, ac magis à me probari, & prædicari queat: ſi vos aliorum exemplo prouocati nihil cæteris in hoc beneficentiæ genere ceſſeritis, qui in reliquis nihilo ſitis inferiores. Quod verò interpres ait; *Bonum ingenuum*; Græcè eſt *γνήσιον*, quod C Ambroſius vertit, *Bonum animum*. Syriacus, *conſtantiam*; alij ſinceritatem, & ingenuitatem. Vitioſè autem in quibuſdam Latinis codicibus legi videtur; *Ingenium*; cùm genuinæ, & germanæ caritatis documenta, vel approbet, vel exquirat, vt omnino extra chorum ſaltare videantur qui de nomine ingenij hoc loco ſubtiliter diſſerunt. Itaque ſuſpicor librariorum vitio in editione Romana legi *ingenium*, cùm legendum videatur *ingenuum*. Græca enim vox *γνήσιον* ſignificat id, quod eſt verum, germanum, in-
II. genuum, miniméque fucatum, ſeu adulterinum. Sinceram igitur caritatem intelligit, cuius argumentum eſt in pauperes liberalitas, vt apud Oecume-
a ep.1.c.3.17. nium monet Photius; de qua Ioannes [a]. *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum* D *neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo*
b Prou.12.10. *caritas Dei eſt in illo?* Et [b] Salomon. *Nouit iuſtus iumentorum ſuorum animas, viſcera autem impiorum crudelia*. Iuſtum enim vocat beneficum, & liberalem: qua ratione non rarò in ſacris litteris miſericordia, ſeu eleemoſyna iuſtitiæ nomine cenſetur.
c cap.6.1. Quod enim legitur apud Matthæum [c]. *Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis corã hominibus*: apud Græcos pro iuſtitia habetur, *ἐλεημοσύνην*, itáque legunt Chryſoſtomus, Auctor imperfecti, Theophylactus, & Euthymius; cùm tamen conſtanter Latini omnes
d Pſ.102.17. iuſtitiam legant. Apud Dauidem [d]. *Miſericordia autem Domini ab æterno, & vſque in æternum ſuper timentes eum, & iuſtitia eius in filios filiorum his, qui ſeruant teſtamentum eius*. Quod enim priori loco E miſericordia dicitur, poſteriori iuſtitia appellatur; eſt enim eiuſdem ſententiæ repetitio, quæ eſt apud Dauidem, alioſque prophetas admodum frequens. Et
e Pſal.111.9. rurſus [e]. *Diſperſit, dedit pauperibus; iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi*. Diſpergere enim, & dare pauperibus eleemoſynæ, & miſericordiæ proprium eſt, quam tamen Dauid vocat iuſtitiam. Et apud Danie-
f cap.4.24. lem [f]. *Peccata tua eleemoſynis redime*. Paraphraſis Chaldaica interpretatur; *In iuſtitia redime*. Denique
g cap.9.10. non ita multò [g] pòſt. *Qui autem adminiſtrat ſemen* A *ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ*. Fruges iuſtitiæ vocat eleemoſynas, de quibus agebat: vt enim fruges in aruis, ſic illæ in pauperibus veluti ſeminatæ multiplicantur. Sic enim mox explicat. *Diſperſit, dedit pauperibus*; quaſi dicat ſementem fecit. Ita factum eſt, vt Septuaginta frequenter vbi Hebræa vox ſignificat miſericordiam, reddant *δικαιοσύνην*, id eſt, iuſtitiam.

SCITIS ENIM GRATIAM DOMINI, &c. 9.
Chriſti exemplo liberalitatem, & beneficentiam in I.
pauperes commendat. Reputate, inquit, vobiſcum quid veſtra cauſa Chriſtus Dominus fecerit. Is enim cùm diuinis afflueret diuitiis, rerúmque omnium dominio potiretur, ſummam egeſtatem, atque in- B opiam complexus eſt, vt vos ſuis opibus locupletaret. Gratiam autem Domini noſtri Ieſu Chriſti appellat illam prorſus diuinam liberalitatem, qua ſuo ad nos aduentu ſaluti noſtræ conſuluit. *Quoniam*, inquit, *propter vos egenus factus eſt*. Sunt qui legant propter nos; & quamquàm ad ſenſum non multùm habet momenti vtro modo legas; Græci tamen, & Latini codices, quos quidem videre potui, conſtanter habent; *vos*; Gregorius [a] certè, niſi mendum ſit, a 11. Mora.
legit, *propter nos*. Quod autem ait: *Egenus*; Græcè eſt
ἐπτώχευσε, quaſi dicat, mendicus factus eſt. *πτωχεύω* enim hoc videtur ſignificare; ídque indicat Baſilius [b]. allato enim hoc Apoſtoli teſtimonio eum b In reg. breuior.
mendicum definit, qui ex diuitiis ad inopiam deuolutus ſit; mox verò explicans illud Dauidis. *Ego au-* C *tem mendicus ſum, & pauper*, de Chriſto ait verba eſſe accipienda, qui mendicus iure appellari poteſt, quia de ipſo ſcriptum eſt. *Qui propter nos mendicus factus eſt cùm eſſet diues*. vbi etiam ipſe legiſſe videtur *nos*: quomodo etiã habent Græci codices Chryſoſtomi, qui nuper in Gallia editi ſunt. Alludit ad II.
hunc locum Gregorius [c] Nazianzenus. *Sicut monet*, c Orat. ... in laud. Baſilij.
inquit, *Chriſtus meus, qui carnis paupertatem noſtra cauſa ſubiit, vt nos ipſius diuinitate locupletemur*. Et alibi [d] planiùs carnem noſtram paupertatem appel- d Orat. ... de Naz.
lat. *Qui locupletes, ait, alios dicat paupertate afficitur; carnis enim mea paupertatem ſubit, vt ego diuinitatis ipſius opes conſequar*. Quo loco eorum interpretationem probare non poſſum, qui Græca verba Gregorij perinde interpretantur, quaſi dicat; *in mea carne* D *mendicus viuit*. Agit enim eo loco de incarnationis myſterio, cùm primùm Chriſtus humanam carnem aſſumpſit. Multò minùs quod alij dicunt; *ob meam carnem pauper fit*. Eſt enim mira quædam antitheſis multorum membrorum, quam hic ad verbum deſcribam. *Qui eſt, inquit, fit: qui creatus non eſt, creatur: qui nullo loco contineri poteſt, per interuentum animæ intellectualis inter diuinitatem, & carnis craſſitiem continetur: qui locupletes alios dicat, paupertate afficitur: carnis enim mea paupertatem ſubit, vt ego diuinitatis ipſius opes conſequar: qui plenus eſt, exinanitur; ſua enim gloria ad breue tempus exinanitur, vt ego plenitudinis ipſius particeps efficiar*. Non malè autem quidam hinc argumentum ſumunt, qui mendicitatem Euangelicam ad Chriſtum auctorem referunt: *vt illius*, ait, E *inopia vos diuites eſſetis*. Pro inopia Græcè eſt *πτωχείᾳ*; quaſi dicat, pauper, ſeu mendicus factus eſt, vt eius paupertate, ſeu mendicitate locupletemini: vt ſit in vocibus iucunda quædam alluſio, quam Latinus interpres neglexiſſe videtur. Rectè verò monet Chryſoſtomus diuitias, quas nobis Chriſti paupertas attulit, ſpiritales eſſe, atque cœleſtes, diuinarum videlicet rerum, ac myſteriorum cognitionem, expiationem peccatorum, iuſtitiam, & ſanctitatem, & id genus alia penè ſexcenta, quæ nobis largitus eſt Chriſtus, & quotidie fidelibus largitur. Paupertatem

poſt

porro Chriſti ipſam incarnationem intelligit, & quæ illam conſequuta ſunt. Hinc igitur tacitè argumentatur Apoſtolus, & probat, benefaciendum eſſe pauperibus, etiam ſi quis ad inopiam redigatur: ſi enim id Chriſtus fecit, vt ſua nos paupertate ditaret, quãto id magis nobis faciendum eſt, quibus hæc ipſa mendicitas noſtra vberem parit fructum?

10. I. Et consilivm in hoc do, &c. Vim ſuperioris argumenti explicat. Nullius inquit Chriſtus propriæ vtilitatis intuitu paupertatem noſtram complexus eſt: at ſi vos hanc, quam vobis ſuadeo, egeſtatem ſectemini, ingens vtilitas conſequetur: quocirca hoc meum conſilium vobis eſt in primis ſalutare. *Conſilium*, inquit, *in hoc do*. γνώμην ἐν τούτῳ δίδωμι. Sic ſuperiori [a] Epiſtola; *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do*; γνώμην δίδωμι, conſilium, propoſitum, ſententiam meam. *In hoc*: in hac re, in hoc negotio. *Hoc enim*, inquit, *vobis vtile eſt*; quod ſuadeo, id eſt liberaliter conferre in pauperes vtile eſt; nam & Chriſtus in Euangelio [b] dixit. *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur: vbi fures non effodiunt, nec furantur*. Et alibi [c]. *Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cœlis, quò fur non appropiat, nec tinea corrumpit*. Dixerat autem. *Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam*. Denique [d]. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula*. Onoſum autem eſſet omnia ſcripturæ teſtimonia colligere, quibus eleemoſynæ vtilitas mirificè extollitur.

a cap. 7. 25.

b Matt. 6. 19.

c Luc. 12. 33.

d Luc. 16. 9.

11. *Qui non ſolùm facere, ſed etiam velle cœpiſtis ab anno priore*. Num plus eſt velle, quàm facere, aut facere quiſquam poteſt, qui non idem velit? Haud equidem opinor. An ſuperiore anno cœperant ſimul velle, ac facere? An eos non quouis modo feciſſe ſignificat, ſed ſponte ſua, ac nullius penitus impulſu? Sanè id plus eſt, quàm ſimpliciter facere. Ita gemina eſt Corinthiorum laus, & quòd non ſolùm cœperint largiri pauperibus, ſed quòd id ſuapte ſponte, non alienis prouocati exemplis fecerint, & quòd id ipſum vltrò nullius perſuaſione permoti aggreſſi ſint. Ita Chryſoſtomus, & alij. Non eſt autem difficile id impetrare, quod quis ſponte ſua, atque hilariter facit. Quocirca rectè Primaſius dixit non efflagitantis precibus importunis, neque ſuadentis auctoritate extorquendum eſſe, quod iam pridem magna animi alacritate vltrò Corinthij facerent. Eſt autem ſapienter à Seneca [e] pronunciatum, *honeſtum non eſſe quod ab inuito, quod à coacto fit: omne honeſtum voluntarium eſt. Admiſce illi pigritiam, querelam, tergiuerſationem, metum, quod habet in ſe optimum perdidit*.

e epiſt. 67.

12. I. Nvnc vero, et facto, &c. Quandoquidem ita ſe res habet, priſtinam illam veſtram animi alacritatem re ipſa declarate, & quod vltrò, ac ſponte cœperatis me auctore perficite. Aptè verò à voluntate ad actionem perſuadendam ducit argumentum: non ſolùm enim frigida, ſed prorſus inanis eſt volũtas, quæ cùm adeſt facultas, agere recuſat quod ſe velle profitetur: rectè namque dixit [f] Salomon. *Vult, & non vult piger*. appetit ille quidem bona, ſed eorum vel magnitudine, vel difficultate deterritus ea vel aggredi non audet, vel certè non perſequitur, atque ita non videtur ex animo velle. Quo loco Septuaginta legunt: *In deſiderijs eſt omnis otioſus*; ad ſuas enim cupiditates nullum prorſus adhibet conatum: cui affine eſt quod alio loco ſcribit idem [g] Salomon. *Deſideria occidunt pigrum; noluerunt enim quidquam manus eius operari: tota die concupiſcit, & deſiderat*. Quaſi dicat, nihil habet præter inanes cupiditates. Contrà verò qui ardenter aliquid appetit, nulli labori parcit: omnem adhibet induſtriam: nullum non mouet lapidem, vt illud aliquando aſſequatur. Quapropter in libro Sapientiæ [a] legimus, *Initium Sapientiæ eſſe veriſſimam diſciplinæ concupiſcentiam*; hoc eſt, non qualemcunque leuem, ac tenuem cupiditatem, ſed acrem, vehementem, & actuoſam. Ait igitur Apoſtolus: *Quemadmodum promptus eſt animus voluntatis*; græcè προθυμία τοῦ θέλειν; id eſt; promptus eſt animus, vt velit: ſeu paratus eſt ad volendum. Ne ſit, ait, otioſa, & languida voluntas, ſed ſubſequatur actio, ſi non voluntati par, at certè eiuſmodi, quæ veſtræ tenuitati ſit conſentanea: hoc enim eſt, quod ſubdit. *Ita ſit & perficiendi ex eo, quod habetis*; nam vbi facultas deeſt non ex cenſu, ſed ex animo ſpectatur liberalitas: ita Chriſtus [b] plus dixit contuliſſe viduam, quæ duo nummi in gazophylacium coniecerat, non muneris ſpectata magnitudine, ſed habita ratione inopiæ pauperculæ viduæ, & quod caput eſt, eximiæ illius caritatis. Quocirca rectè ſcripſit Seneca [c]. *Multùm intereſt inter materiam beneficij, & beneficium. itaque nec aurum, nec argentum, nec quidquam eorum, quæ à proximis accipiuntur beneficium eſt, ſed ipſa tribuendi voluntas*. Et poſt nonnulla [d]. *Si beneficia in rebus, non in ipſa benefaciendi voluntate conſiſterent, eo maiora eſſent, quo maiora ſunt quæ accipimus: id autem falſum eſt: Nonnumquam nos magis obligat qui dedit parua magnificè, qui Regum æquauit opes animo, qui exiguum tribuit, ſed libenter: qui paupertatis ſuæ oblitus eſt dum meam reſpicit: qui non voluntatem tantùm iuuandi habuit, ſed cupiditatem: qui accipere ſe putauit beneficium cùm daret; qui dedit tanquam non recepturus, recepit tanquam non dediſſet; qui occaſionem qua prodeſſet, & occupauit, & quæſiuit. Contra ingrata ſunt vt dixi, licet re, ac ſpecie magna videantur, quæ danti aut extorquentur, aut excidunt, multòque gratius venit quod facili, quam quod plena manu datur. Exiguum eſt quod in me contulit, ſed ampliùs non potuit*. His conſentiunt quæ hoc loco ſcribit Apoſtolus. Subdit enim.

f Prou. 18. 4.

g Prou. 21. 25.

a cap. 6. 18.

b Marc. 12. 42. & Luc. 21. 1.

c lib. 1. de benef. cap. 5.

d cap. 7.

12. I. Si enim volvntas prompta est, &c. Vult quippe Apoſtolus promptum, atque hilarem animum adeſſe, quaſi beneficentiæ fundamentum. Velle enim benefacere virtutis eſt, præſtare quod velis, facultatis. Ex animo itaque virtus non ex actione ſpectanda eſt: quod ex hoc ipſo Apoſtoli loco colligit Cyprianus [e]. *In opere*, inquit, *& eleemoſynis, etiamſi per mediocritatem minus fiat, ipſam voluntatem* ſatis eſſe in Epiſtola Pauli ad Corinthios ſecunda. *Si voluntas prompta eſt, ſecundum quodcumque habuerit acceptabile eſt, non ſecundùm quod non habuerit*. Sic etiam hoc loco Primaſius. *Ne puteris*, ait, *me aliquem ſupra vires exigere, aut tantum à paupere, quantũ à diuite expectare; omnes enim æqualiter dant ſi vnuſquiſque de tanto det, quantum habet*. Et in eamdem ſententiam Ambroſius, indici ait Corinthijs, vt non plus tribuant, quàm poſſunt, ne alioqui coacti videantur, & mercede careant. *Nam ſi tantum*, inquit, *quis det quantum vult, aut poteſt, acceptum eſt; iudicio enim videtur hoc facere, ac per hoc tantum det, quantum poteſt, & vult animus, vt res huius poſſit habere mercedem*. Illud verè egregiè ab Anſelmo obſeruatum eſt, *illum dare ex eo, quod habet qui ſibi neceſſaria retinet, & cætera, quibus carere poteſt, largitur pauperibus; qui verò de iis tribuit, quæ ſuo vſui neceſſaria ſunt, ille dat ſecundùm id, quod non habet, id eſt, vltra vires ſuas; quoniam illa quibus indiget quaſi non habet, quia carere non poteſt, & idcirco ad dandum illa non habet*. Vnde colligit, Corinthios moneri vt ſibi neceſſaria retineant; hac enim ratione eorum eleemoſynam Deo fore gratam: ſin autem etiam ſibi neceſ-

e lib. 3. ad Quir. cap. 2.

 ſaria,

ſaria, inuiti tamen, & non ſine animi indignatione A largiantur, id verò non fore Deo gratum; idcirco enim voluit, vt prompta, & alacris voluntas largitionem præcurreret: *Deus enim*, vt ait Theodoretus, *non quantitatem, ſed mentis qualitatem reſpicit*. Ita hæc omnis oratio Corinthiorum imbecillitati accommodatur, atque idcirco mox ſubiicit.

13. I. Non enim vt aliis, &c. Quoniam dixerat, ſe id tantummodo petere, vt pro cuiuſque facultate beneficentiam exerceant, aptè ſubdit, nolle ſe eos in anguſtias redigi, aut ad inopiam redire. Nolo, inquit, vos ita veſtra largiri, vt alios ſubleuetis, & ipſi vos incommodum patiamini, *Vt aliis ſit remiſſio*, græcè ἄλλοις ἄνεσις, hoc eſt relaxatio, vt vertit Ambroſius, vel vt ait Syriacus; *reſpirandi poteſtas*; dum veſtra videlicet liberalitate recreantur. vobis autem B *tribulatio*. Græcè θλῖψις: *anguſtia* latinè redditur ab Ambroſio; & quidem admodum aptè: dicimus enim rei familiaris anguſtiam, optiméque reſpondet relaxationi, quam ſupra poſuerat; relaxatio enim de iis dicitur, quibus res familiaris redditur minùs anguſta. Quocirca (vt Chryſoſtomus, cæteríque Græci obſeruant) noluit Apoſtolus id à Corinthiis exigere, quod eſt in hoc genere perfectiſſimum, ſed tantùm quod neceſſarium videbatur; ſic enim olim fecerat

a Luc. 10. 25. Chriſtus[a]. Adoleſcenti quippe interroganti, quid ſibi faciendum eſſet, vt vitam æternam aſſequeretur, non ſtatim perfectæ vitæ conſilia propoſuit, ſed

b Luc 10. 28. tantùm legis præcepta indicauit, addens[b]: *Hoc fac, & viues*. Vlteriora verò quærenti: *Si vis*, inquit, *eſſe perfectus, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*. C Non abſimili ratione ait hoc loco Chryſoſtomus, laudari quidem ab Apoſtolo eos, qui ſupra vires largiantur, non tantùm tamen à Corinthiis exi-

II. gere. *Sed ex æqualitate*. Ambiguum eſt, quomodo hæc æqualitas ſit. Oecumenius ſecutus Chryſoſtomum plures indicat explicationes; vos, inquit, diuitiis affluitis, illi verò, quibus danda eleemoſyna eſt, plurima vtuntur in Deum libertate. vos illi tribuite quæ vobis ſuperſunt in diuitiis, & ab iis accipite quod illis supereſt libertatis. Addit tacitè indicare quantum quiſque tribuerit, tantum eum conſecuturum apud Deum: *Nam ſi quod ſuperfluum eſt*, inquit, *dederis, etiam quod ſuperfluum eſt, accipies: ſi verò abundè dederis, abundè recipies*. Ego (vt verum fatear) neutrum probare poſſum; neque enim intelligo quam D libertatem accepturi ſint, aut quid ſuperfluum, & à quo accepturi, qui ſua ſuperflua largiuntur. Primaſius æqualitatem accipit hoc ſenſu: qui indigentium inopiam ſubleuant, eos habent apud Deum patronos, & adiutores. Hanc nos explicationem in paraphraſi indicauimus cum pari conditione vltrò, citróque beneficentiam exercendam diximus; hoc enim eſt, quod apud Lucam dixit Chriſtus[c]. *Date, &*

c cap. 6. 38. *dabitur vobis: menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum; eadem quippe menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis*. Hunc enim locum de largitione eleemoſynæ

d lib. 2. qq. Euang. q. 8. explicat Auguſtinus[d]. *Non enim*, inquit, *diceres dabunt in ſinum veſtrum, niſi quia per illorum merita, quibus vel calicem aquæ frigidæ in nomine diſcipuli* E *dederint, mercedem cœleſtem recipere merebuntur*. Ita ex æqualitate erit compenſatio beneficentiæ in pauperes in alia vita, & in alio bonorum genere.

14. I. In præsenti tempore, &c. Ambroſius, Primaſius, Anſelmus putant, hæc pertinere ad ſuperioris ſententiæ explicationem, quaſi hæc ſit æqualitas, vt nunc quidem, hoc eſt, in præſenti vita, Corinthij ſanctorum inopiam ſubleuent, in futuro autem ſæculo, ab iis accipiant compenſationem. Verùm non ſatis intelligo quam futuram inopiam in

A altero ſæculo ſubleuaturi ſint ſancti, niſi quis referat ad id, quod à Salomone[a] ſcriptum eſt. *Sicut* a Eccleſiaſt. 3. 33. *aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum*. Hoc enim modo Salomonis verba accipit Cyprianus[b], additque inde oſtendi, ac probari, *quia* b de opere & eleem. *ſicut lauacro aquæ, ſalutaris gehennæ ignis extinguitur, ita eleemoſynis, atque operibus iuſtis delictorum flamma ſopitur*. Itaque æqualitatem in eo poſitam eſſe cenſent, quòd nunc quidem qui pecunias largiuntur corporis indigentiæ opem ferunt, & rurſus eadem ipſorum elemoſyna animi egeſtati conſulit: Et quod ait Apoſtolus; *In præſenti tempore*, referunt ad futuram vitam; quaſi dicat: nunc vos illis benefacitis, illi vobis in alia vita gratiam referent. Sed hoc ipſum non mihi videtur æqualitatem conſtituere, atque ita B in paraphraſi aliam explicationem ſequutus ſum: Nunc quidem, inquit, quia ita res poſtulat veſtra copia aliorum indigentiam ſubleuat, aliàs fortaſſe aliorum opes veſtræ egeſtati conſulent, vt par pari referatur. Hunc ſenſum cùm ipſa verba facilè admit- II. tunt, tum ea quæ ſequuntur magnoperè confirmant; ſicut ſcriptum eſt, *qui multùm habuit non abundauit, & qui modicum non minorauit*. Nam ſi de bonis alterius vitæ loqueretur Apoſtolus, non diceret, opinor, fore æqualitatem, cùm bona illa quamuis minima, ingentes huius vitæ opes, atque theſauros longè ſuperent. Quocirca de bonis corporis agit, quibus qui nunc affluunt, non ita multò pòſt egere poſſunt, & qui nunc aliis benefaciunt, aliorum beneficentia recreandi ſunt, in quo eſt æqualitas dum paria C referuntur: in futura vita (vt ait Photius) multiplicata percipiuntur. Ita tacitè his verbis indicat Apoſtolus, quæ ſuperſunt indigentibus eſſe tribuenda. Vt enim ſcribit Baſilius[c], aliique[d] penè omnes ſancti confirmant, ipſa rerum inæqualitas, quæ cernitur in hominum vita hoc ſuadet, vt copioſi indigentium neceſſitatibus conſulant. *An*, inquit Baſilius, *iniuſtus eſt Deus inæqualiter res nobis diſtribuens? Cur tu abundas, ille verò mendicat? Niſi vt tu bonæ diſpenſationis merita conſequaris, ille verò patientiæ brauiis decoretur? At tu nónne ſpoliator es quæ diſpenſanda ſuſcepiſti propria reputando? Eſt panis famelici, quem tu tenes: nudi tunica, quam in conclaui conſeruas: diſcalceati calceus, qui penes te marceſcit; indigentis argentum quod poſſides. Quocirca tot iniuriaris, quot dare valeres*. Poteſt D etiam hæc Pauli ſententia aliter explicari. cùm illis indigentibus vos abundetis, magna videtur inæqualitas, quòd ſi veſtris opibus eorum indigentiæ opem tuleritis, atque iis ad vitam neceſſaria ſuppeditaueritis, fiet quædam æqualitas, quia omnes æquè rebus neceſſariis fruentur, itáque pene omnes æquè diuites erunt. Atque huic explanationi maximè aptatur hiſtoria, quam ex libro Exodi deſumpſit Apoſtolus, ſed quæ ſequuntur. *Vt illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum*; faciunt, vt quod poſui in paraphraſi magis probandum videatur; nam quæ afferri ſolent de ſpiritualibus bonis, huic loco, vt dixi, non ſatis commodè aptari queunt. Eſt autem hæc Apoſtoli oratio antitheſis ornata; abundantiam enim opponit inopiæ, & ſententiam ſenten- E tiæ reddit: quinetiam dum ait in præſenti tempore, & veſtra, & illorum tacita quædam eſt anadiploſis.

c Hom. 1. & 6. ex diuer. d Nazian. Or. de cura pauper. Chryſ. hom. 12 in Matt. & Hom. 34 in mand. hom. 11. ad Heb. Clem. 19. de Laz. Ambroſ. ſer. 81. Auguſtin. ep. ad Maced. Leo Papa. Serm. 11. de Quadrageſim. gr. Hom. 40. Euang. Bede Luc. 11 Theophylact. Luc. 11.

Sicvt scriptvm est, qvi, &c. Verba 15. I. ſunt ex libro Exodi[e], quæ ex Hebræo ad hunc modum ab Hieronymo transferuntur. *Nec qui plus collegerat habuit ampliùs, nec qui minùs parauerat, reperit minùs*. Dictum eſt autem de colligendo manna, quod certa quadam menſura in ſingulos colligendum erat. Id Paulus ad rem præſentem argutè deflexit. Quemadmodum enim ibi Deus nihil cuiquam ſupereſſe,

e cap. 16. 18.

pereſſe,aut deeſſe paſſus eſt;ita docet Apoſtolus om- A
nia ſola neceſſitate metienda eſſe: ſi quid ſuperſit,
liberaliter pauperum inopiæ ſuſtentandæ tribuen-
dũ videri. Porro Oecumenius poſt Chryſoſtomum
hoc ſcripturæ teſtimoniũ pertinere putat ad inexple-
bilẽ diuitiarum cupiditatem execrandam, quaſi ſigni-
ficet vt multum quis laboret, vt theſauros coaceruet;
nihilo tamen illum plus habiturum, quàm quo vi-
a lib.7 de beneficiis c.7. tam tueatur, ac ſeruet. Quamobrem meritò Seneca [a]
Romanum illum Imperatorem immortali laude, &
gloria dignum cenſet, *qui cùm ſibi ob virtutem, & be-
ne geſtam rempublicam tantum agri decerneretur, quan-
tum arando vno die circuire potuiſſet; non eſt, inquit, vo-
bis opus ciue, cui plus opus ſit, quàm vni ciui.* Quid enim
quæſo intereſt, vtrum ex fonte, an ex riuulo haurias,
modò ſitim extinguas? Natura paucis contenta eſt, B
ad ea comparanda nihil opus eſt longa peregrina-
tione, ſiquidem abſque verſura vitæ neceſſaria facilè
b Epiſt.14. parantur. Rectè Seneca [b]. *Is maximè diuitiis fruitur,
qui minimè diuitiis indiget: qui eget diuitiis timet pro illis,
nemo autem ſollicito bono fruitur; adiicere illis aliquid
ſtudet, dum de incremento cogitat, oblitus eſt vſus, rationes
accipit, forum conterit, Kalendarium verſat, fit ex Domi-
c Epiſt.4. no procurator.* Alibi [c]. *Magna diuitiæ ſunt, lege naturæ
d Epiſt.119. compoſita paupertas.* Rurſus [d]. *Sapiens diuitiarum natura-
lium eſt quæſitor acerrimus.* Præclarè autem in hanc
e lib. de cupiditate diuit. ſententiam multa ſcribit Plutarchus [e], quæ nimis lon-
gum eſſet in præſentia recenſere. Sed acutè Prima-
ſius hoc exemplo ab Apoſtolo allato ſignificari mo-
net quidquid ſuperſit, vt olim manna vermes pro-
creare, vnáque indicari quæ Deus largitus eſt omni- C
bus, eſſe debere communia. De qua re non pauca ve-
teres olim Patres litteris commendarunt, præſertim
f Hom. 17. in Gen. ad fin. g in 7 Synod. com.4. Chryſoſtomus [f], Aſterius Amaſeæ [g] Epiſcopus, Am-
h Epiſt 14. & lib. de Nabuthe c. 5. & 6. broſius [h], Hieronymus [i], Auguſtinus [k], Proſper [l], vt
i in Epitaph. Paulæ, & Ep. ad Salui. alios omittam, qui de laudabili diuitiarum vſu doctè,
k Epiſt.29 ad Hilar. copioſéque ſcripſerunt. Nam quemadmodum in hu-
l lib.2. de vita contemplatiua cap.12. mano corpore ventriculi calore concoctus cibus
ad corporis membra pro cuiuſque conditione, atque
indigentia diffunditur; ita in rebus humanis veluti in
magno quodam corpore omnibus oportunè conſu-
lendum eſt: ſi ſecùs fiat, vt in humanis corporibus
tabem, atque interitum, ſic in hominum ſocietate
magnam ſequi neceſſe eſt rerum perturbationem.

16. GRATIAS AVTEM DEO, QVI, &c. Vbi li-
1. beralitatem, ac beneficentiam laudibus extulit, ad id, D
quod ſibi propoſitum erat, paulatim accedit: & vt
Titum, quem pecuniæ veluti exactorem mittebat,
Corinthiis magis conciliet, eius in ipſos ſtudium, &
ſollicitudinem commemorat; quaſi dicat. hæc, quæ
in mea Epiſtola legitis coram à Tito audietis, qui
(quod pro ſingulari Dei beneficio duco) eiuſdem
eſt mecum ſententiæ, & perſimili vos beneuolentia,
& caritate complectitur; itáque percommodè acci-
dit, vt is ad vos venturus ſit. Quod autem ait inter-
pres; *Gratias autem Deo*, græcè eſt χάρις; quaſi dicat,
gratia Deo habenda eſt. *Qui dedit*, inquit, *eandem ſol-
licitudinem*; græcè τὴν αὐτὴν σπουδὴν. Ambroſius legit,
hanc ipſam, Auguſtinus; *idem ſtudium*; Intelligo, in-
quit, idem ſtudium, quod ego vobis declaraui. Non-
nulli Græci codices habent τοιαύτην; hoc eſt; *talem* E
ſollicitudinem. Syriacus dixit; *hanc diligentiam*; quaſi
ſentiat de ſtudio, ac ſollicitudine adhortandi Corin-
thios ad beneficentiam: hoc enim indicant quæ mox
ab Apoſtolo ſubiiciuntur. Fauet Chryſoſtomus, qui
eandem ſollicitudinem interpretatur, quam pro Ma-
cedonibus habuerat: idémque obſeruat, rei magni-
tudinem, ac dignitatem mirificè extolli, quod eius
prouocandæ ſtudium diuinitus inditum affirmat, at-
que ob eam cauſam Deo immortali gratiam haben-
dam putat tanquam huius ſollicitudinis, ac ſtudij

A primario auctori, eadémque opera Corinthios ve-
hementer inflammat, quaſi dicat, Deus illum excita-
uit, & ad vos miſit; quocirca ille proculdubio *per
Titum à vobis petit*. cauete igitur, ne exiſtimetis, hæc
humanitus contigiſſe. Ita rei magnitudinem, atque
excellentiam declarat, quam Deus immortalis non
ſolùm ſuo diuino ſuffragio probat, ſed ſua auctorita-
te per miniſtros nominatim deſtinatos exigit; ipſe
Tito hanc mentem diuinitus indidit, vt hac vna de
cauſa ad vos vltrò proficiſceretur. hoc autem aucto-
re Chryſoſtomo ex iis confirmat, quæ mox ſubii-
ciuntur.

QVONIAM EXHORTATIONEM QVIDEM, 17.
&c. Hinc apparet, hanc ei mentem diuinitus fuiſſe 1.
iniectam, quia non ſolùm adhortationem meam gra-
B to, atque hilari animo accepit, ſed maiori ſtudio, ac
diligentia vſus, vltrò, ac ſponte ſua profectus eſt ad
vos. Ita ſignificat, ſuo quidem hortatu Titum iuiſſe
Corinthum, ſed tamen ſuapte ſponte valdè ad id
propenſum, atque alacrem fuiſſe. Atque hac ratione
mirificè Titum in Corinthiorum beneuolentiam
inſinuat, dum ei curæ fuiſſe oſtendit, quæ ad ipſorum
vtilitatem, ac ſalutem pertinerent. Cæterùm quod
ait interpres; *Exhortationem*; græcè dixit Apoſtolus
παράκλησιν; quam vocem Ambroſius, niſi mendoſi
ſint codices, tranſtulit *Conſolationem*: ſed ex ipſius ex-
plicatione apparet, eum legiſſe, *Exhortationem*, vt ha-
bent recentiores codices. Obſeruat autem Oecu-
menius miram Pauli ſapientiam, qui triplici nomine
Titi legationem commendat. Primùm quòd potiſ-
C ſimum auctorem habent Deum; deinde etiam Pau-
lum impulſorem; poſtremò quòd ipſius Titi magna
animi alacritate ſuſcepta ſit. Monet præterea Anſel-
mus quod ait Apoſtolus, *Exhortationem quidem ſuſce-
pit*; poſſe etiam hoc modo accipi, vt ſignificet, Ti-
tum alacriter ſuſcepiſſe profectionis laborem, vt
Corinthios ad liberalitatem hortaretur; adeo vt ſpe
futuri fructus excitatus ſuapte ſponte ad eos iuerit.

MISIMVS AVTEM CVM ILLO, &c. Titus 18.
quidem ſponte ſua profectus eſt; nos verò addidi- 1.
mus ei comitem fratrem, *cuius laus eſt in euangelio*.
Hæreat hoc loco fortaſſe quiſpiam, & quidem me-
ritò, quem enim notat? Lucam videtur intellexiſſe
Ignatius [a], apertè aſſerunt Hieronymus [b], Primaſius, a Ep ad Eph.
& Anſelmus, qui propterea Lucam laudari putat, b De ſcript. Eccleſiaſt. in Lucam.
D quòd eleganter euangelium ſcripſerit; idémque ſen-
ſiſſe permultos, affirmant Chryſoſtomus, Oecume-
nius, & Theophylactus, & tantorum virorum au-
ctoritate permoti idem crediderunt viri docti, alio-
qui in veritate peruestigaoda curioſi. at is nuſquam
legitur *ordinatus comes peregrinationis Pauli*: quin po-
tius non ita multò antequàm hæc ſcriberet Apoſto-
lus, videtur ei adhæſiſſe Macedoniam petenti, vt ex
Actis [c] Apoſtolicis colligitur, & alicubi [d] obſeruat c cap.16.v.16.
Irenæus, quamuis deinceps indiuiduus eius comes d lib.3.c.14.
fuerit. Alij malunt de Sila accipere, qui in Actis Apo-
ſtolicis dicitur eſſe ex primariis, quique poſt Barna-
bæ diſceſſum Paulo additus eſt comes. Quòd ſi no-
bis oſtenderent, Silam ab Eccleſiis fuiſſe electum, ſi
non probandi, audiendi eſſent tamen. Verùm ille
E non ab alio, quàm à Paulo electus eſt comes. Sic
enim ait Lucas [e]. *Paulus verò electo Sila profectus eſt.* e Act 15.40.
traditus gratia Dei à fratribus. Ita autem Paulus elegit
Silam, ſicut ibidem Barnabas Marcum. Malim ego II.
cum Theodoreto, & Oecumenio hæc de Barnaba
interpretati, qui, vt ex Actis Apoſtolicis facilè colli-
gas, in promulgando Euangelio clariſſimus fuit, qui-
que vt ſcribit Lucas [f] vnà cum Paulo ſegregatus, & f Act.13 2.
initiatus eſt. de quo eadem pene, quæ hoc loco nar-
rat Apoſtolus in Epiſtola ad Galatas [g]. *dexteras*, in- g cap 2.9.
quit, *dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis, vt nos in gentes,*

ipſi autem in circumciſionem tantùm, vt pauperum memores eſſemus. Hoc enim ipſum ſignificat hoc loco cùm dixit; *Ordinatus eſt ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ in hanc gratiam, quæ miniſtratur à nobis.* agit enim de pauperum cura: at Barnabas iam pridem Paulum deſeruerat profectus in Cyprum; non inficior. Sed in ſuperiori Epiſtola [a] indicat Apoſtolus, eum ad ſe rediſſe; nominat enim tamquàm prædicationis ſocium. *An ego ſolus*, ait, *& Barnabas non habemus poteſtatem hoc operandi?* Atqui Barnabas Euangelium non ſcripſit, quaſi verò verba illa; *Cuius laus eſt in Euangelio*; ſcriptorem Euangelij, ac non potius egregium præconem deſcribant, qui ita in prædicatione Euangelij verſatus ſit, vt omnium Eccleſiarum teſtimonio celebretur. Nam qui de ſcriptore accipiunt, & Lucam potiſſimùm deſignari putant, non facilè probare poterunt quo tempore hæc Paulus ſcripſit, Lucæ Euangelium aut fuiſſe conſcriptum, aut per omnes Eccleſias iam fuiſſe peruagatum. Maneat igitur, hæc de Barnaba accipienda eſſe; de quo ſubdit.

a cap. 9. 6.

19. I. Non solvm avtem, sed et, &c. Hæc de Barnaba accipienda eſſe, apertè colligitur ex Luca in Actis [b] Apoſtolicis; ſic enim ſcribit. *Miniſtrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus dixit Spiritus ſanctus; ſegregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos. Tunc ieiunantes, & orantes, imponenteſque eis manus dimiſerunt illos.* Itaque ait non ſolum Barnabam clarum fuiſſe Euangelij prædicatione, verùm etiam Paulo comitem additum, non quocumque modo, ſed ſacra initiatione. Eſt enim Græcè χειροτονηθεὶς; quaſi dicat, impoſitione manuum initiatus. Neque quemquam mouere debet quod addit, *ab Eccleſiis*: quaſi Paulus, & Barnabas à multitudine manuum impoſitionem acceperint; id enim tantùm ſignificat tota approbante multitudine à legitimis miniſtris initiatos eſſe. Neque verò vllo modo audiendi ſunt ij, qui χειροτονηθεὶς interpretantur electus, ſiue ſuffragiis creatus: vt enim alibi docui, χειροτονία manuum impoſitionem ſignificat, quam Latinè initiationem diximus, quamquàm non nego interdum ad ſuffragia pertinere. Quod verò dixit interpres; *Comes peregrinationis noſtræ*; Græcè eſt συνέκδημος: quaſi dicat collega ſeu ſocius, vt æqualem intelligas, non autem ſequentem. Qua igitur ratione miſiſſe dicatur Paulus Barnabam nihilo ſe inferiorem, cùm æquè fuerit in collegium Apoſtolicum diuinitus cooptatus? Quaſi verò neceſſe ſit, ſemper minorem à maiore mitti, ac non verè dicatur filius à Patre miſſus, cùm nihilo ſit eo inferior. Addo, quòd mitti potuit non tam auctoritate, atque imperio, quàm ſuaſione, rogatúque, qua ratione ſæpè etiam æquales mittuntur. Cùm igitur Paulo, ac Barnabæ pauperum cura potiſſimùm credita eſſet, Paulus verò aliò à Spiritu ſancto vocaretur, rectè hæc prouincia ſtipis colligendæ Barnabæ obtenit, atque idcirco dicitur à Paulo miſſus Corinthum, quòd eius Eccleſiæ præcipuam curam gereret, quòd illam primus ipſe Euangelicis præceptis imbuiſſet.

b cap. 13. 2.

11. Quod ſequitur; *In hanc gratiam, quæ miniſtratur à nobis*, Græcè eſt σὺν τῇ χάριτι ταύτῃ; quaſi dicat: cũ hac gratia, hoc eſt, hoc adiecto onere colligendi miniſtrandique pecuniam indigentium neceſſitatibus. Quod, vt paulò antè monui, planiùs ſignificat in Epiſtola ad Galatas, vbi pauperum habendam rationem dixit, quod in præſentia à ſe, & Barnaba præſtari affirmat: hoc enim ſignificat cùm ait: *Quæ miniſtratur à nobis ad Domini gloriam, & deſtinatam voluntatem noſtram.* Referebatur enim omnis hæc pauperum cura ad Dei gloriam, qui quæ pauperibus tribuuntur, perinde accipit, ac ſi ſibimet præſtita eſſent.

Quod autem ſequitur; *Et deſtinatam voluntatem noſtram*, Græcè eſt προθυμίαν ὑμῶν, quaſi dicat, promptam veſtram voluntatem. Ambroſius dixit, *promptitudinem veſtram.* Hieronymus, & Primaſius, *voluntatem* interpretantur *propoſitam ſiue paratam.* Omninò obſcurè Anſelmus *voluntatem deſtinatam ad huiuſmodi ſtudium, & debitum, ac diuinitus præordinatam.* Syriacus *ad noſtram*, ait, *adhortationem.* Ego promptam, & alacrem voluntatẽ intelligo; ſic enim accipiunt Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus; ſed in Græcis codicibus nonnulla eſt varietas, in pluribus enim legitur ὑμῶν ſecundæ perſonæ; Ambroſius, & alij legiſſe videntur ἡμῶν primæ, quaſi Paulus dicat, ſe curam pauperum ſuſcipere ad Dei gloriam, & ad ſuam animi alacritatem declarandam: at Chryſoſtomus, cæteríque Græci conſtanter de ſecunda perſona accipiunt; quaſi dicat, vt pateſiat animi veſtri alacritas, & in pauperes beneficentia. Quam ſententiã in paraphraſi ſequuti ſumus. Sentit enim Apoſtolus, hoc beneficentiæ genus à ſe libenter adminiſtrari, tum ad Domini gloriam, tum etiam ad prouehendam, & illuſtrandam eorum liberalitatem, qui vltrò largiebantur.

20. I. Devitantes hoc, ne qvis, &c. Hoc erat ſingularis prudentiæ, atque Apoſtolo dignæ ita ſe in pecuniæ adminiſtratione gerere, vt nullam obtrectatoribus maledicendi occaſionem præberet. Ferunt enim pecuniam viſco eſſe quàm ſimillimam, quæ mirabiliter adhæreſcit, neque tam poſſidetur, quàm occupat ipſa, & poſſidet homines. Hinc philargyriæ morbus ſenſim in animam irrepit, quem meritò [a] alibi Apoſtolus fontem, ac radicem malorum omnium appellauit: de qua multa egregiè ſcripſit Caſſianus [b]. Huius igitur peſtis ſuſpicionem, nedum labem à ſe remouere cupit Apoſtolus; idcirco clariſſimos viros colligendæ pecuniæ præfecit, de quibus nemo quidquam mali audeat cogitare, vt minimè metuenda ſit fraus, aut praua vlla cupiditas, quæ quàm plurimos tranſuerſos agit. Meritò autem hoc tam ſtudioſè cauit Apoſtolus, quia valdè ſuſpicioſum eſt hominum genus, faciliúſque in malam quàm in bonam partem clarorum præſertim virorum facta interpretatur, quòd plerique mortalium ad omne ſcelus proiecti ex ſuo ingenio cæteros fingant. Quocirca multi extant ſacri Canones, quibus Epiſcopis tamquàm rerum Eccleſiaſticarũ adminiſtratoribus, adminiſtrationis ratio præſcribitur, ne in priuata commoda, aut prophanos vſus vota fidelium pretia peccatorum, & patrimonia pauperum auertant. Huc pertinent quæ de Eccleſiaſtico Oeconomo in pluribus Conciliis [c] ſapienter ſtatuta ſunt; ne ſine teſtimonio bona Eccleſiæ Epiſcopus ſuo arbitratu adminiſtret. Refertur autem hoc participium; *deuitantes*, vt in paraphraſi diximus; ad verbum; *miſimus*; quaſi dicat. Miſimus ad vos tales, ac tantos viros, deuitantes quaſi ſcopulum obtrectatorum calumnias. Græcè autem dixit στελλόμενοι, hoc eſt, cauentes, ſumpta vt videtur metaphora à nautis, qui flexo curſu, ſcopulum, aut periculum declinant. *Ne quis*, ait, *nos vituperet*, Græcè μωμήσηται, id eſt carpat, &, vt interpretatur Oecumenius, *ne quis prauam aduerſus nos ſuſpicionem moueret, tamquàm pecuniã interuerteremus. In hac plenitudine, quæ miniſtratur à nobis.* Indicat enim, magnam futuram, & liberalem ipſorum largitionem: Magna autem pecuniæ vis fraudis ſuſpicionem parit. Hoc loco Latini quidam codices addunt; *Ad Domini gloriam*, quod tamen apud Græcos nuſquàm legitur, neque vlla apparet ratio, cur repetendum ſit. Obſeruat autem Oecumenius prudenter Apoſtolum dixiſſe; *Ne quis nos vituperet*;

a 1. ad Timoth. 6. 10.

b lib. 6. de inſtit. cenob.

c Conc. Calcedon. act. 15. c. 26 & Grat. d. 89 ca. quoniam & 16 q. 7. c. quoniam. Conc. Hiſpal. 2. ca. 9. Toletan 4. ca. 47. Tridẽn ſe. 22. lib. 1. c. 23.

Digitized by Google

peret; nam ſi dixiſſet oc vos malè de nobis ſuſpice-
mini, acriùs illos pungere videbatur.
21. PROVIDEMVS ENIM BONA, &c. Sic omni-
I. no olim præceperat Chriſtus. *Sic luceat lux veſtra co-
ram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glori-
ficent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Vt autem ait
a Reg. Breu. reſp. 64. Baſilius [a], *maximè cauendum eſt iis, qui cæteris præ-
ſunt, ne qua ratione ſuis actionibus, & exemplis quem-
quàm in fraudem inducant*, idque ſedulò feciſſe Pau-
lum multis confirmat. Rectè igitur in præſentia ait
Apoſtolus: *Prouidemus enim bona non ſolùm coram
Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.* Nam, vt
aiunt Primaſius, & Anſelmus, *coram Deo ſatis eſt
conſcientia bona, coram hominibus autem neceſſaria eſt
b Prou. 22. 1. bona fama*, de qua dixit Salomon [b]; *Melius eſt nomen
bonum, quàm diuitiæ multæ.* Quamquàm autem nihil
inanis gloriæ ſtudio faciendum eſt; enitendum ta-
men ſummoperè eſt, ne quiſquam iure poſſit vitam
moréſque noſtros reprehendere. Obſeruat autem
Oecumenius, habendam potiſſimùm eſſe rationem
imbecillium, ac puſillorum, qui leuiſſima interdum
occaſione mirum in modum perturbantur. Porrò
Ambroſius hæc de Eccleſiaſticis miniſtris potiſſi-
mùm accipienda docet, ex quibus ait illos coram
Deo bona prouidere, qui de ſacris, & Eccleſiaſticis
functionibus, déque pauperum cura ea docent, &
præſtant, quæ ſint diuinæ legi conſentanea, eos verò
etiam coram hominibus, qui eos miniſtros eligunt,
qui vitæ, morúmque probitate aliis proſint, quam-
quàm hoc ipſum in primis neceſſarium eſt, vt qui
Eccleſiæ præeſt rite coram Deo ſuo munere funga-
tur. Nihil enim magis Deus ab Eccleſiaſticis præſuli-
bus exigit, quàm vt idoneos miniſtros rebus Eccle-
ſiaſticis præficiant; nam de Beatiſſimo Leone Ponti-
fice memoriæ proditum eſſe accepimus, eum pro
ſua in B. Petrum Apoſtulum ſingulari pietate aſſi-
duis ab eo precibus contenderet, vt ſibi à Deo ad-
miſſarum culparum condonationem impetraret, ac-
cepiſſe aliquando reſponſum, omnia ſua piacula di-
uina benignitate prorſus eſſe deleta, iis duntaxat ex-
ceptis quæ manuum impoſitione contraxiſſet.
22. MISIMVS AVTEM CVM ILLIS, &c. Quem
I. fratrem hoc loco intelligat, iure quæras. Theodore-
tus ex non nullorum ſententia exiſtimat fuiſſe Apol-
c cap. 16. 12. lo, quem ſuperiori Epiſtola [c] ad eos aliquando pro-
fecturum ſcripſerat, cuius ſtudium, ac ſollicitudinem
mirificè commendat. Primaſius cùm hanc ſenten-
tiam refert, tum addit, quod etiam facit Anſelmus,
non eſſe admodum certam; ait autem Paulus, *Quem
probauimus in multis ſæpenumero ſollicitum eſſe.* Græ-
cè ἐν πολλοῖς πολλάκις; quaſi dicat, in multis multifa-
riam. Ambroſius dixit; *in multis ſæpè.* Syriacus, *in
multis ſemper.* In Græcis autem verbis maior quædam
ineſt iucunditas. Pro ſollicito autem græcè dixit
σπουδαῖον, quam vocem Syriacus interpretatur *dili-
gentem*: poſſis etiam dicere *promptum*, aut etiam ſi
mauis, *probum*; nam hoc etiam interdum ſignificat
σπουδαῖος. *Nunc autem multò ſollicitiorem fiducia multa
in vos.* Ambiguum autem eſt, vtrùm hæc confiden-
tia ad Paulum, an verò ad ipſum hunc diſcipulum,
quem mittit referenda ſit, nam ad vtrumque referri
poſſe, Græca verba indicant. Ad Paulum quidem,
qui tam multa de Corinthiis prædicaret, ad illum
verò, qui mittebatur, cùm Corinthiorum mores iam
noti eſſent, atque perſpecti. Videtur autem Apoſto-
lus hac etiam ratione Corinthiorum animos excita-
re, dum oſtendit ſe, vel etiam eos, quos ad illos mit-
tit, optima quæque ab iis expectare; ita enim hanc
confidentiam accipio.
23. SIVE PRO TITO, QVI EST, &c. Verba ſunt
I. admodum obſcura, ex quibus vix vllus certus de-
A prehendi queat ſenſus. Græca ita planè ſonant, vt
habet interpres, *ſiue pro Tito, qui eſt ſocius meus, &
in vobis adiutor, ſiue fratres noſtri Apoſtoli Eccleſiarum
gloria Chriſti.* Ambroſius tamen paulò apertiùs in-
terpretatur. *Siue*, inquit, *per Titum, qui eſt ſocius meus,
& adiutor in vobis, ſiue per fratres noſtros Apoſtolos
Eccleſiarum gloria Chriſti.* Syriacus aliter vertit. *Siue
igitur Titus meus eſt ſocius, & adiutor inter vos, ſiue
ſint alij fratres noſtri Apoſtoli Eccleſiarum gloriæ Meſ-
ſchico.* Sed primùm græcè Τίτου gignendi caſus malè
cohæret cum ſequentibus κοινωνὸς ἐμὸς καὶ συνεργός,
qui ſunt recti caſus. Deinde quæ ſequuntur εἴτε
ἀδελφοί, &c. cum ſuperioribus non congruunt, vt vel
ex hoc loco colligere quis poſſit, verè Apoſtolum
de ſe ipſo affirmaſſe [a], ſe imperitum eſſe ſermone. a Infra cap. 11. 6.
B Verùm quod attinet ad ſenſum, Chryſoſtomus, cæ-
teríque Græci ellipſim agnoſcunt, quaſi dicat Apo-
ſtolus: nam ſi de Tito mihi dicendum ſit, is eſt ſo-
cius meus, & adiutor: ſin autem de cæteris, ij ſunt
fratres mei Apoſtoli Eccleſiarum. Atque hunc ſen-
ſum expreſſimus in paraphraſi: quamquam non de-
ſunt qui malint hæc ſuperioribus adnectere, vt ſit
altera cauſa maioris diligentiæ. ideo ait fratrem illum
multò diligentiorem eſſe ob eam confidentiam, qua
de vobis maxima quæque mihi pollicebar, aut ipſe
etiam ſperabat, ſiue ob Titi, aliorúmque ſocietatem,
atque præſentiam, de quibus ſi quæratur, ſic habeto-
te; Titum eſſe ſocium meum, atque apud vos adiu-
torem; fratres autem eſſe Eccleſiarum oratores. Sed
ſi excipias hunc, quem tertio loco nominat, vnum
C tantùm, quem Barnabam fuiſſe diximus, Tito ſo-
cium adiunxerat: cur ergo numero multitudinis vta-
tur? Non me latet, Primaſium, & Anſelmũ hæc ali- II.
ter accipere, quaſi cauſam afferat, cur hic frater,
quem tertio loco mittit, magna ſit confidentia, ſiue
quia Titus multa præclara de Corinthiis, eorúmque
obedientia narrauit, ſiue quia ſingularum Eccleſia-
rum legati eadem nuntiauerant. Sed Græcorum ſen-
tentia præferenda videtur; ſuos enim legatos com-
mendat Apoſtolus, vt eis apud Corinthios auctori-
tatem conciliet. Non hic commemorabo quæ recen-
tiores excogitarunt. Scio ſua cuique maximè pla-
cere: mihi vetuſtiſſima hoc præſertim loco magno-
pere probantur. Quod ait interpres; *Apoſtoli Eccle-
ſiarum*; nos in paraphraſi legatos, & Epiſcopos Ec-
D cleſiarum interpretati ſumus; vtroque enim mune-
re fungebatur, & vtrumque Græca vox ſignificat,
vt alibi docuimus. Additur, *gloria Chriſti*; græcè δόξα
Χριστοῦ, vt intelligas, ipſos Apoſtolos eſſe Chriſti glo-
riam; quia, vt in paraphraſi diximus, per illos Chriſti
gloria illuſtratur: quamquàm Chryſoſtomus, &
Theophylactus aliam quamdam explicationem at-
tingunt. Quocumque aiunt, nomine eos receperitis,
quidquid in eos officiorum contuleritis, gloria Chri-
ſti erit. Poſſunt & aliter accipi: quidquid tandem ſint
illi, quos laudo, id profectò ad Chriſti gloriam per-
tinet. Non me fugit Ambroſium legiſſe; *Gloriæ Chri-
ſti*; hoc ſenſu, Apoſtolos Eccleſiarum gloriæ Chriſti;
vt Eccleſiæ dicantur gloriæ Chriſti, quia in illis
Chriſti gloria prædicatur.
E OSTENSIONEM ERGO, QVÆ, &c. Hortatur 24.
vt eos humaniter, & liberaliter excipiant; hanc enim I.
vocat oſtenſionem caritatis ipſorum, & ſuæ gloria-
tionis, hoc eſt, ob quam ipſe gloriari ſæpe ſoleret.
Ambroſius. *Noſtræ*, ait, *pro vobis exultationis*; cùm ta-
men Græcè ſit καυχήσεως. Quod autem ait; *in faciem
Eccleſiarum*, græcè eſt εἰς πρόσωπον, quod nonnulli
intelligunt in perſonam Eccleſiarum, quandoqui-
dem honor exhibitus iis, quos Eccleſiæ miſerant, in
ipſas Eccleſias quodammodo redundat. Ita planè
Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, &
Theophy

Theophylactus. Nos in paraphraſi alium ſenſum ſequuti ſumus, quem Ambroſius, Primaſius, & Anſelmus ſignificant, vt videlicet cæteræ quoque Eccleſiæ cognoſcant caritatem veſtram, de qua ſoleo apud illos gloriari; vt in facie idem ſit, quod in conſpectu. Neque abhorret ab hac ſententia Chry- A ſoſtomus; ait enim: *In faciem Eccleſiarum, hoc eſt, in publico Eccleſiarum cœtu, quod quidem non leue ducendum eſt; magna quippe ſacri conuentus, hoc eſt Eccleſiarũ vis, ac potentia eſt.* Addunt nõnulli codices; Dei; quod tamen in Græcis non legitur, neque habetur apud Syriacum, qui ſimpliciter legit, *in conſpectu Eccleſiarum.*

Argumentum Cap. IX.

HÆRET *adhuc in eodem argumento, & ad liberalem, ac magnificam largitionem Corinthios hortatur: multa interim congerens de beneficentiæ fructu, atque vtilitate, ſuámque Corinthiis ſpem, & confidentiam extollit.*

CAPVT IX.

NAM *de miniſterio, quod fit in ſanctos ex abundanti eſt mihi ſcribere vobis.*

Scio enim promptum animum veſtrum, pro quo de vobis glorior apud Macedones. Quoniam & Achaia parata eſt ab anno præterito, & veſtra æmulatio prouocauit plurimos.

Miſi autem fratres, vt ne quod gloriamur de vobis, euacuetur in hac parte, vt (quemadmodum dixi) parati ſitis.

Ne cùm venerint Macedones mecum, & inuenerint vos imparatos, erubeſcamus nos (vt non dicamus vos) in hac ſubſtantia.

Neceſſarium ergo exiſtimaui rogare fratres, vt perueniant ad vos, & præparent repromiſſam benedictionem hanc paratam eſſe ſic, quaſi benedictionem, non tanquàm auaritiam.

Hoc autem dico: qui parcè ſeminat parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.

Vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo, non ex triſtitia, aut ex neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus.

Potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, vt in omnibus ſemper, omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.

Sicut ſcriptum eſt: Diſperſit, dedit pauperibus; iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.

Qui

PARAPHRASIS.

NAM cur vobis ad munificentiam co- 1.
hortandis, ac propemodùm impellen-
dis Epiſtolam conſumerem, quorum
promptum, ac alacrem animum apud
Macedones perpetuis laudibus prædico? Itaque
ſuperuacaneum exiſtimo plura ſcribere de pecu-
nia corroganda ad ſanctorum inopiam, qui ſunt
in Ieruſalem ſubleuandam. ¶ Noui enim animi 2.
veſtri alacritatem, quam ego apud Macedones
aſſiduè iactare ſoleo, quibus identidem inculco
Achaiam paratam eſſe ab anno ſuperiore. Quo-
circa veſtrum exemplum complures prouocauit,
& imitandi, atque adeo etiam ſuperandi ſtudium
excitauit. ¶ Ego verò hos fratres, quos paulò antè 3.
indicaui ad vos miſi, ne gloriatio noſtra de vobis
inanis fiat in hac parte; ſed quemadmodum ego
prædicabam, parata atque expedita omnia habea-
tis. ¶ Ne qua ratione, ſi fortè mecum venerint 4.
Macedones, vóſque imparatos offenderint, nos
ſuffundamur rubore, ne de vobis quidquam di-
cam, idque ob præfidentem iſtam noſtram de vo-
bis gloriationem. ¶ Itaque neceſſarium duxi ad- 5.
hortari fratres, vt ipſi noſtrum ad vos aduentum
præuertant, priúſque abſoluant, atque expediant
iampridem indictam beneficentiam veſtram, vt
parata, atque in promptu ſit; idque vt verè benefi-
centia, id eſt, gratuitò, ac liberaliter collatum mu-
nus, non tanquam aliquid vi quodammodo, atque
arte, ab auaro extortum. ¶ Sic autem habetote, 6.
qui modicè ſementem facit, haud abſimili menſu-
ra ſegetes illum aliquandò collecturum. Contrà
verò qui liberaliter, ac perbenignè ſemina iactat,
eum etiam copioſam, atque amplam meſſem ha-
biturum. ¶ Vnuſquiſque igitur ſicut præoptat 7.
in corde ſuo, & ſeligit, atque conſtituit apud ſe,
ita ſanè conferat non cum angore, animique tri-
ſtitia, aut quaſi externa neceſſitate adactus; hila-
rem enim, atque alacrem largitorem diligit Deus.
¶ Qui ſanè poteſt efficere, vt omnis munificen- 8.
tia, & liberalitas in vos ipſos omni ex parte redun-
det, vt non modò ſemper habeatis ipſi quod ad
vitam tolerandam ſit omnino ſatis, ſed etiam vt
alios omni beneficentiæ genere reficere, ac recrea-
re poſſitis. ¶ Atque adeo illud re ipſa veriſſimum 9.
eſſe comprobetur, quod olim à Dauide ſcriptum
eſſe

eſſe accepimus;Diſperſit,dedit pauperibus, bene-
10. ficentia eius manet in ſæculum ſæculi. ¶ Porro
Deus , qui ſerenti ſemina abundè ſuppeditat , is
etiam alimenta copioſè ſufficiat , & multiplicet
ſementem veſtram , atque augeat fructus largitio-
11. nis,ac liberalitatis veſtræ. ¶ Vt veſtræ munificen-
tiæ , ac benignitatis fontes omnibus ſemper pa-
teant,nóſque adeo immortales Deo gratias aga-
12. mus bonorum omnium largitori.¶ Hæc enim hu-
ius largitionis miniſtratio, & veluti victimæ obla-
tio non ſolùm ſanctorum indigentiam ſubleuat,
ſed multotum præterea animos excitat , vt Deo
13. Optimo Maximo gratias agat. ¶ Dum hae fide-
liũ liberalitate,& Chriſtiano officio mirum in mo-
dum confirmati Deum mirificè laudant , quòd
miro conſenſu præclara teſtificatione declaraue-
ritis vos , vnum atque idem eum omnibus fideli-
bus Euangelium agnoſcere , atque complecti, cui
vos ipſos libenter ſubieceritis,quódque tam beni-
gnè,ac liberaliter ſibi aliiſque omnibus veſtra im-
14. pertieritis. ¶ Quo præterea fiet , vt ipſorum pre-
cibus veſtra apud Deum cauſa plurimùm promo-
ueatur,& magno in pretio,ac veneratione habea-
mini, quippe excellenti Dei munere , & ſingulari
15. virtute ornati. ¶ Eſt autem Deo omnium parenti
ſingularis habenda gratia ob ineffabile ſuum mu-
nus,quod nullius dicendi vi,ac facultate explicari
queat.

Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum , & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ.

Vt in omnibus locupletati abundetis in omnem ſimplicitatem , quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo.

Quoniam miniſterium huius officij non ſolùm ſupplet ea,quæ deſunt ſanctis , ſed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino.

Per probationem miniſterij huius glorificantes Deum in obedientia confeſſionis veſtræ, in Euangelium Chriſti , & ſimplicitate communicationis in illos,& in omnes.

In ipſorum obſecratione pro vobis, deſiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis.

Gratia Deo ſuper inenarrabili dono eius.

IN CAPVT NONVM

EXPLANATIO.

1. I. NAM DE MINISTERIO, QVOD, &c. A Atqui bene longam ea de re orationem habuit,& hoc ipſo capite non pauca ſcribit,ſed nimirum Titi, ac ſociorum,quos ad pecuniam colligendam miſerat , laudes celebrauit,vt à Corinthiis eo,quo par erat , honore exciperentur. Addiderat Macedonum exemplum , qui in ſumma inopia ſupra vires liberalitatem exercuerant. Neque his contentus, beneficentiæ fructum , atque vtilitatem magnificè extollit; & tamen ait , ſuperuacaneum ſibi videri, ea de re ſcribere. Hac quippe ratione , vt Chryſoſtomus obſeruauit , Corinthiis ſtimulos addit;vt quoniam ſignificat, ſe de illis præclarè ſentire,pudeat eos conceptæ de ſe opinioni,ac bonorũ omnium expectationi non reſpondere. Non me B tamen clã eſt quod obſeruauit Primaſius pleroſque ita hunc locũ accipere perinde , quaſi quæ ſuperiori capite dicta ſunt,ad eam beneficentiã referantur,quæ exercetur in laicos ; quæ verò hoc capite dicuntur ad eam liberalitatẽ pertineãt,qua ſacerdotes,& Eccleſiæ miniſtri ſuſtentantur : quin etiam non defuerunt, qui ſuperiora quidem de munificentia , hæc verò de verbi Dei præd·catione , qua baptiſmo luſtrati erudiuntur interpretari malint. Cæterùm communis tum Græcorum,tum Latinorum ſententia de ſubleuanda pauperum inopia,ac egeſtate Paulum hoc loco diſputare contendit. Prudenter tamen ait id eſſe ex abundanti,græcè περισσὸν,ideſt, ſuperuacaneum, vel,vt legit Ambroſius, *ſuperfluum*. Certè enim ſuperuacaneum eſt pluribus monere illum,quem ſcias facturum; ſed, vt ait Ambroſius,ſcribit tamen Apoſtolus tum vt ſuo muneri ſatisfaciat , tum vt eos reddat alacriores. Sic olim Chriſtus cùm de Petri amore minimè dubitaret,adeóque interrogatio ſuperuacanea videri poſſet,ad eius tamen animum ad ſui amorem vehementiùs excitandum non ſemel tantùm, ſed etiam ter interrogauit , vtrum ſe diligeret. Quæ enim ſedulò inculcantur cùm in animo, & mente firmiùs hærent , tum maiorem vim habent ad auditorum diligentiam acuendam. Quocirca rectè Anſelmus monet non videri otioſum, quod multis , ac ſæpius proponitur ; oſtendit enim quantam res , de qua agitur ſollicitudinem flagitet: &,vt ait Theodoretus, maiorem munificentiam exigit.

2. I. SCIO ENIM PROMPTVM ANIMVM.&c. Rationem reddit , cur ſuperuacaneum videatur ea de re ſcribere ; qua tamen artificioſa oratione Corinthiorum animos ad id quod cupit , vehementer inflammat. *Scio*, inquit, *promptum animum veſtrum , pro quo de vobis glorior apud Macedones.* Quaſi dicat. Noui alacritatem veſtram,quam apud Macedones magnificè ſoleo prædicare. Id autem ſingularem oſtendit Pauli confidentiam ; non ſolùm enim ſibi pollicetur

omnem

niam parare queant. Proinde Ambroſius legit; *vt præcederent ad vos, & prepararent repromiſſam benedictionem hanc paratam eſſe.* Vocat autem benedictionem Græcè εὐλογίας collectam pecuniam ad pauperes ſubleuandos: ita enim veteres eleemoſynam appellare ſolebant à Græco verbo λέγω, quod eſt, colligo. vt εὐλογία ſit liberalis, & benigna collectio, quam rectè poſſis munificentiam, ſeu liberalitatem interpretari. Nam quod aliqui dicunt, benedictionem idcirco vocari, quòd beneficium alacriter, & benignis verbis dandum ſit, contrà quàm auari faciant, qui id primùm agunt, vt quàm minimùm dent; & ſi quid fortè dare coguntur, dant non ſolùm malignè, ſed etiam ver-

II. bis malè ominatis longiùs videtur petitum. Quocirca mox benedictionem auaritiæ opponit; ſic enim ait: *Quaſi benedictionem, non tanquam auaritiam.* Beneficium enim hoc animo, & vultu dandum eſt, perinde quaſi dando lucrum facias, quomodo explicant Græcanica ſcholia, & mox indicat ipſe Apoſtolus his verbis: *Qui parcè ſeminat, parce & metet; & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus, & metet.* Græci codices addunt; *repromiſſam benedictionem veſtram*; quomodo etiam legit Ambroſius. More autem ſuo dixit interpres; *repromiſſam*; hoc eſt; promiſſam; ſignificat enim Corinthios antea pollicitos eſſe. Mirum eſt autem, quid legerit Syriacus, qui ita tranſtulit: *Et præparent benedictionem illam, quam à principio audiſtis. Paratam eſſe ſic.* hoc eſt, ita præparent, vt ita ſit parata, & prompta: quaſi dicat, vt alacriter detis, quod ante vos daturos polliciti eſtis. quod ſequitur: *Quaſi benedictionem, non tanquam auaritiam*; copioſam, ac liberalem largitionem indicat. Porrò πλεονεξίαν meliùs noſter interpres auaritiam reddidit, quàm ij, qui fraudem. quanquam Ambroſius *circumuentionem* dixit. Certè fraus vix in iis locum habet, quæ gratuitò conceduntur. Nos eos ſecuti ſumus, qui per quandam formam metalepſeos id ſignificari putant, quod quaſi vi, & arte ab auaro extorquetur: propriè enim πλεονεξία vitium eius eſt, qui in omnibus primas cupit, qui ſibi partem iuſto maiorem præcidit, quique plus habendi, acquirendique cupiditate quempiam circumſcribit. Hoc autem loco aliis verbis idem videtur ſignificare, quod ſuperiori capite dixerat; *non autem, vt aliis ſit remiſſio, vobis autem tribulatio, ſed ex æqualitate.*

6. Hoc avtem dico, Qvi parce,
I. &c. Non cogit Apoſtolus quenquam dare, nec præſcribit quantum cuique dandum ſit; tantùm monet pro modo largitionis fore modum præmij. Græci codices tantùm habent τοῦτο δὲ neque exprimunt verbum, *dico.* Quod tamen, vel quidpiam ſimile ſubaudiendum eſt. Ambroſius cum vulgato interprete legit; *dico*, Syriacus habet; *hoc autem eſt.* Potuiſſet etiam ſubaudiri, memineritis, vel habetote. Seminandi autem metaphora latiùs aliquantò patet; ſuperiori enim epiſtola [a]: *Si ſpiritualia* (inquit) *ſeminauimus vobis magnum eſt ſi carnalia veſtra metamus?* Refertur enim ad prædicationem Euangelicam: ampliſſimè ſumitur in epiſtola ad Galatas [b]: *Quæ ſeminauerit* (ait) *homo, hæc & metet.* De humanis actionibus loquitur, quibus iuſta compenſatio reddenda eſt. Huc ſpectat illud Oſeæ [c]: *Seminate vobis in iuſtitia, & metite in ore miſericordiæ.* Quo loco iis minimè aſſentior, qui metere in ore miſericordiæ nihil aliud putant eſſe, quàm tantum metere, quantum ſi loqui poſſet ipſa miſericordia poſtularet: idemque eſſe

a cap. 9. 11.
b cap 6. 7.
c cap 10. 12.

A percutere, aut cædere in ore gladij, tam multos videlicet occidere, quàm multos gladius ipſe expeteret: nam vt ordiar ab hoc poſtremo aciem gladij στόμα Græcè appellari quis ignorat? Certè ad Hebræos [a] gladius anceps dicitur μάχαιρα δίστομος; & alicubi [b] dicuntur nonnulli effugaſſe aciem gladij, στόματα μαχαίρας; apud Lucam [c]; *cadent in ore gladij*, στόματι μαχαίρας. Occidi igitur in ore gladij eſt acie gladij perire. At cæditur etiam vnus acie gladij, occidi in ore gladij non niſi multi dicuntur; fateor; ſed ea fermè ratione, qua nos Italicè nonniſi de multis dicimus; *Mandar' à fil di ſpada.* Ita Septuaginta, vbi nos ex Hebræo legimus; *in ore gladij*; Græcè dicunt ἐν φόνῳ μαχαίρας, hoc eſt, vt ait Paulus [d], *in occiſione gladij.* Eſt enim ibi ἐν φόνῳ μαχαίρας. Igi-

B tur, vt redeam ad Oſeam, miſericordia, qua veluti falce demetimus, ſuam habet aciem. Græcè στόμα, & ore miſericordiæ, id eſt, illius acie ſegetes metere; eſt iam nunc fructum miſericordiæ percipere, & quaſi maturas fruges ea veluti falce ſecare. Neque ſanè eos quidquam iuuat, quod ex libro Geneſeos [e] ad ſuæ ſententiæ confirmationem afferunt. *Alebat eos* (inquit) *omnemque domum Patris ſui, præbens cibaria ſingulis.* Vbi ex Hebræo vertendum eſt ſecundùm os paruuli, vel paruulorum, ſeu etiam ad os familiæ; nihil (inquam) hoc eos iuuat; neque enim dabat quantum quiſque de familia volebat, ſed quantum cuique ſatis eſſet; hoc eſt pro ratione, & numero paruulorum, ſuam

C videlicet cuique iuſtam portionem tribuebat, nam & vulgò dicere ſolemus cùm quis plures alit; *Far le ſpeſe à più bocche.* Hæc autem omnia quorſum? Nimirum vt intelligamus metere in ore miſericordiæ, ſeu in os, ſeu etiam ad os miſericordiæ eſſe id, quod modò dicebamus; miſericordia veluti falce ſegetes metere: ita hoc loco Apoſtolus ſeminandi, ac metendi verba beneficentiæ, ac liberalitati accommodat. *Qui parcè* (inquit) *ſeminat, hoc eſt*, qui anguſtè, & minùs liberaliter largitur; *parcè & metet*; hoc eſt; exiguum fructum referet. *Qui ſeminat in benedictionibus*; hoc eſt, largè, & liberaliter; *de benedictionibus & metet*; hoc eſt, vberem, atque amplum fructum conſequetur. Vtrobique autem Græcè eſt ἐπ' εὐλογίαις, & vtroq; lo-

D co Ambroſius dixit; *In benedictionibus*; eſt enim, vt aliàs monui, Hebræa phraſis admodum vulgata. Rectè autem eleemoſynarũ largitionem ſementi comparat; vt quemadmodum ſementi copioſa ſeges reſpondet; ita eleemoſynæ ingentem fore vtilitatem quiuis intelligat. Cætera quæ ad mores pertinent, quamuis obſeruentur ab Origene [f], libens prætereo, quia trita ſunt, & omnibus nota.

Vnvsqvisqve provt destinavit, &c. Quoniam dixerat liberaliter largiendum eſſe; ne quis putaret ſibi ſupra vires tribuendum eſſe, meritò hæc ſubdit. De eleemoſyna (inquit) prorſus ita, vt ſcripſi, ſentiendum eſt. A vobis autem id ſolum poſtulo, vt vnuſquiſque tantum tribuat, quantum apud ſe-

E ſe ſtatuit; hoc eſt, quantum ſibi tribuendum putat. *Prout* (inquit) *deſtinauit in corde ſuo* καθὼς προαιρεῖται τῇ καρδίᾳ, vt apud animum ſuum quiſque conſtituit; eſt enim temporis præſentis. Ambroſius legit; *ſecundùm propoſitum cordis*: Græcè non additur: *ſuo*; ſed nec præpoſitio quidem; tantùm enim eſt προαιρεῖται τῇ καρδίᾳ. *corde deſtinat*; ab hoc verbo manat προαίρεσις, de qua multa Ariſtoteles [g]. Suſpicatus ſum, aliquando noſtrum interpretem legiſſe προώρισε, vnde προορισμὸς, de qua voce plura in epiſtola ad

a cap. 4. 12.
b cap. 11. 34.
c cap. 21. 24.
d ad Hebr. 11. 32.
II.
e cap. 47. 12.
f Tract. 12. in Matth.
7.
I.
g 3 Ethic. c. 2.

 Romanos,

Romanos, ſed ne tum quidem dicendum fuerat, deſtinauit, ſed, prædeſtinauit. Malo igitur προαιρεῖται interpretari; conſtituit; certo conſilio ac ratione definit; idcirco enim addit: *Non ex triſtitia, aut ex neceſſitate*; hoc eſt, nemo inuitus, aut quaſi coactus largiatur; nam (vt ait Oecumenius) *nullus benedictionem dans aut dolet, aut ex neceſſitate dat.* Neceſſitatem autem hoc loco nullo modo intelligit eam, quam alio nomine indigentiam dicimus; proculdubio enim accipit pro coactione, vt explicant omnes Græci, & Latini interpretes; *nam ex triſtitia, & ex neceſſitate*: oppoſuit ei, quod præceſſerat καθὼς προαιρεῖται; hoc eſt, vt ſponte ſua ſtatuit; qui enim coactus dat,

II. triſtis profectò dat. Quod mox ſubditur: *Hilarem enim datorem diligit Deus.* reſumptum videtur ex libro [a] Eccleſiaſtici: *In omni* (inquit) *dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione ſanctifica decimas tuas.* Simile quiddam dixit Apoſtolus in epiſtola ad Romanos [b]: *Qui miſeretur in hilaritate.* Et Dauid [c]: *Iucundus homo, qui miſeretur, & commodat.* Quocirca rectè Bernardus [d] hilaritatem candori comparat; *Nonne* (inquit) *ei tibi videbitur de ipſa animi iucunditate induiſſe candorem quendam pietatis vultus pariter, & operi ſuo? ſicut è regione ſi ex triſtitia, & velut ex neceſſitate quis tribuat, non candidum planè, ſed tetrum præfert manu, & fronte colorem, & ideo hilarem datorem diligit Deus: nunquid & triſtem? Profectò qui reſpexit* [e] *ad Abel ob alacritatis candorem auertit faciem à Cain, quia conciderat facies eius vtique à triſtitia, & liuore. Aduerte qualis color triſtitiæ, ſeu inuidiæ ſit, qui Deum ſe auertit aſpectum. Pulchrè, & eleganter in colorando beneficio candor iucunditatis laudatus eſt voce illa Poetæ* [f]: *ſuper omnia, vultus Acceſſere boni.*

a cap. 35. 11.
b cap. 12. 8.
c Pſal. 111. 5.
d Serm. 71. Cant.
e Gen. 4. 4.
f Ouid. lib. 2. Metam.

8.
I.
Potens est avtem Devs, &c. Multos à liberali largitione reuocat metus, ne res familiaris exhauriatur. Deponite (inquit) hunc quæſo metum: ſic enim habetote, poſſe Deum facilè efficere, vt quidquid in Sanctos contuleritis, id multo cum fœnore ad vos ipſos redeat. Ita Chryſoſtomus, cæterique Græci, neque aliter Primaſius; Ambroſius tamen, & Anſelmus latiùs patere putant; vt omnis ſufficientia ad omnem laudabilem, & ſtudioſam actionem referatur. Verùm in paraphraſi ſuperiorem ſententiam magis probaui, quod videatur cum ſuperioribus, & ſequentibus omni ex parte congruere. *Potens eſt* (inquit) *omnem gratiam abundare facere in vobis.* Quam gratiam? An dona, ſeu chariſmata? Ita Theodoretus, ſed vt arbitror nimis remotè qua etiam ratione quod mox ſequitur, *Omne opus bonum*, *ad omne virtutis genus refert.* An omnem diuinam munificentiam, ac liberalitatem? Sic ſanè Ambroſius, & Anſelmus, vt modò dixi, nec penitus aſpernor; ſed malo cum Chryſoſtomo, cæteriſque Græcis hanc ipſam Corinthiorum beneficentiam accipere, quam facile Deus diuina ſua liberalitate cumulatiſſimè poteſt compenſare, vt ipſis non modò nihil pereat, ſed etiam magna bonorum omnium fiat acceſſio. Ita ſubdit. *Vt in omnibus omnem ſufficientiam habentes abundetis: in omne opus bonum.* Et aliquanto pòſt, *Vt in omnibus locupletati abundetis. Vt in omnibus* (inquit) *omnem ſufficientiam habentes.* Græcè ἐν παντὶ πᾶσαν αὐτάρκειαν. Eſt autem αὐτάρκεια, vbi quis ſua eſt ſorte contentus, nec aliunde quidquam appetit. Noſter autem interpres vnà cum Ambroſio legiſſe videntur ἐν παντὶ πάντοτε πᾶσαν αὐτάρκειαν, *in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes.* vbi non [illegible] eſt iucunda, ſed etiam vehemens, atque ad amplificandum apta eiuſdem vocis iteratio. Cæterùm apparet hoc loco, Apoſtolum vſurpare verbum περισσεύειν tranſitiuè (vt aiunt) & intranſitiuè: cùm enim ait περισσεῦσαι, id eſt, abundare facere tranſitiuè loquitur; cùm verò ait περισσεύητε intranſitiuè. Illud autem valde videtur argutum, quod in præſentia obſeruauit non nemo, Paulum ex eo, quod Deus poſſit efficere, colligere quid facturus ſit, quaſi conſequens ſit vbi id ratio poſtulet, vt re ipſa præſtet quidquid poſſit efficere. Sed non arbitror id Paulo in mentem veniſſe: tantùm enim Corinthiis propoſuit diuinam omnipotentiam, ac liberalitatem, & pro certo ponit, non permiſſurum Deum, vt quis ob liberalitatem in pauperes, ad inopiam, aut egeſtatem redigatur, cùm potiùs conſueuerit huiuſmodi beneficentiam, non modò cœleſtibus bonis; ſed etiam hiſce caducis, ac mortalibus compenſare. *Vt abundetis* (inquit) *in omne opus bonum*; quaſi dicat; ad omne genus liberalitatis, ac beneficentiæ.

Sicvt scriptvm est, &c. Verba ſunt Dauidis [a], qui de Chriſto capite, & de viro iuſto tanquam eius membro agit. *Diſperſit* (inquit) *& dedit pauperibus.* Græcè eſt ἐσκόρπισεν; quæ vox (vt monet Chryſoſtomus) copioſam, & munificam largitionem ſignificat. Non commendatur autem vir iuſtus ſimpliciter à liberalitate, ſed ab ea liberalitate, quæ pauperum indigentiam ſubleuat: hæc enim liberalitas fructum parit immortalem; propterea enim ſubiicit: *Iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.* Nam vt aliàs monui, & hoc loco obſeruant Chryſoſtomus, cæterique Græci iuſtitiæ nomine benignitas, ac liberalitas ſignificatur. *Iuſtos quippe*, ait Chryſoſtomus, *homines efficit, peccata, ignis in modum abſumens, & conficiens, cùm largiſſimè profunditur*; & vt ait Primaſius, *de rebus temporalibus æterna iuſtitia comparatur: & qui erogat præſentia, recipiet æterna.* Apertiſſimè verò Ambroſius: *Miſericordia ergo* (inquit) *hæc iuſtitia appellata eſt; quia ſciens qui largitur omnia Deum communiter omnibus dare, quia Sol eius omnibus oritur, & pluit, & terram omnibus dedit, ideirco diuidit eam iis, qui copiam terræ non habent, ne beneficiis Dei priuati videantur. Iuſtus ergo eſt, qui ſibi ſoli non detinet, quod ſcit omnibus datum, & iuſtus non ſolùm in tempore, ſed & in æternum, qui in ſæculo futuro hanc habebit ſecum in perpetuum.* Cæterùm apud Dauidem legitur; *In ſæculum ſæculi.* Hic tantùm αἰῶνα hoc eſt in æuum, ſeu in ſæculum. *Sparge* (inquit Chryſoſtomus) *pecunias, vt iuſtitiam colligas; neque enim ea cum pecuniis adeſſe vult, verùm per eas quidem, ſed non cum iis nobis adeſt; non enim fieri poteſt, vt & pecuniarum cupiditas, & iuſtitia ſimul habitent, diſtinctas quippe ſedes habent. quocirca ne ea iungere ſtude, quæ iungi nullo modo poſſunt, verùm pecuniæ amorem velut tyrannum quendam propelle, & ubige, ſiquidem tibi cordi eſt reginam accipere. Hæc enim regina eſt homines ex ſeruitute in libertatem vindicans, cùm contra omnino illa faciat.* Hæc Chryſoſtomus de miſericordia, ſeu eleemoſyna, & iuſtitia, quam hoc loco auctoritate Dauidis nominat Apoſtolus.

a Pſal. 111. 9.

Qvi avtem administrat, &c. Quod vniuerſim de munificentia, ac liberalitate dixerat Corinthiorum beneficentiæ accommodat: ſed Græci quidem codices, quos cum Græcis auctoribus in paraphraſi ſecuti ſumus hæc non tam ab Apoſtolo 10 I

ſunt ea

futura prædici, quàm optari ſignificant; vt ſenſus ſit: qui ſuppeditat ſeminanti ſemen, is panem in cibum miniſtret, & multiplicet ſemen veſtrum, & augeat prouentus iuſtitiæ veſtræ vt χορηγήσαι, πληθυνάι, αὐξήσαι infinita, vertenda potius videantur per imperatiuum modum, ſuppeditet, multiplicet, augeat, vt ſit ſermo optantis. quod apertè aſſerunt Theodoretus, & Theophylactus; ille enim ait, *Non temerè cum ſuaſione coniunxit precationem*: hic verò, *Exoptat* ait hic illis & corporalia, & ſpiritualia. Nam quod ait; *Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum*; refertur ad bona huius vitæ, ſumpta metaphora ab agricultura: quaſi dicat, qui vobis tribuit facultatem indigentiam pauperum ſubleuandi, is panem ad veſcendum ſuppeditet, & multiplicet ſemen veſtrum; hoc eſt, vobis neceſſaria ad vitam largiatur, & opes veſtras multiplicet, & augeat. Quod ſequitur: *Et augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ*; ad futuræ, immortaliſque vitæ bona pertinet: quaſi dicat; ſempiternis bonis vos cum beatis cumulet. Ita ſignificat geminum quodammodo eſſe beneficentiæ, & liberalitatis in pauperes præmium. Quocirca rectè dixit Ambroſius: *Qui benè, & ſimpliciter egentibus miniſtrat, Dei nutu amplificari, vt habeat vnde largiri ſemper poſſit, & ad præſens locupletatus, & in futurum: ſemen enim ſeminans bis metet.* Eſt porrò hæc omnis oratio metaphorica; vt enim ſuprà dixi, eleemoſynam comparat ſemini, vnde copioſa ſeges exiſtit. Quamquam autem de beneficentia & liberalitate in pauperes accipiēda eſt; nō negarim tamē, quod video placere Primaſio, poſſe etiam hæc accommodari euangelicæ prædicationi, ſed non ad mentem Pauli, qui totus eſt in extollendo, magnificandóque eleemoſynæ fructu; vt enim monet Chryſoſtomus, non ſolùm eleemoſynam exigit; ſed eam optat copioſam, & affluentem. Quam ob cauſam ſeminis metaphoram inculcat, vt eius fructum copioſum, atque vberem eſſe ſignificet. Quod ait interpres; *incrementa frugum*; Græcè dixit Apoſtolus γεννήματα; quaſi dicat, prouentus, ſiue annonam. Ambroſius reddidit; *fructum*; vbi non ſine lepôre proprio nomini iuſtitiæ metaphoricum coniunxit, quod eſt in ſacris litteris admodum frequens.

11. I. VT IN OMNIBVS LOCVPLETATI, &c. Propterea (inquit) opto vobis vberem liberalitatis veſtræ fructum; *vt in omnibus locupletati*; hoc eſt, caducis, ac ſempiternis bonis aucti, beneficentiam, ac liberalitatem in dies magis colatis; vt inde Deo immortali non ſolùm à nobis, ſed noſtra opera ab omnibus mortalibus gratiæ agantur. Non enim, vt ait Chryſoſtomus, cupit Apoſtolus, Corinthios affluere diuitiis, vt eas temerè effundant, voluptatibus indulgeant, aut per luxum opes inaniter oſtentent; ſed vt egentibus opitulentur, & laudem, & gloriam Dei in primis quærant. Meritò autem dicit: *Vt in omnibus locupletati*; hoc eſt, terrenis, cæleſtibuſque bonis affluentes. Ad exercendam enim in pauperes munificentiam duo ſunt in primis neceſſaria, facultas, & voluntas; facultas opes requirit, voluntas non niſi cœleſti munere ac beneficio habetur: qui autem terrenis, ac cœleſtibus bonis abondat, ei nec facultas deeſſe poteſt, nec voluntas. *Abundetis* (ait) *in omnem ſimplicitatem*. Liberalitatem cum Chryſoſtomo, Theodoreto, ac Theophylacto accipio. Sed cur liberalitas appelletur ab Apoſtolo ſimplicitas, adhuc hæſito; niſi fortè ſimplicitatem nominat, quia oritur ex illa ſimplicitate, quam ſuprà diximus eſſe fiduciam de Dei prouidentia. Qui enim hac confidentia præditus, ſibi omnia à Deo pollicetur, facilè liberalitatem in alios exercet, nihil metuens ſibi, & de futuro euentu rerum nullo modo ſollicitus. *Quæ operatur per nos gratiarum actionem*; ſimplicitas videlicet, & liberalis largitio pariunt gratiarum actionem. *Per nos*; ſiue quia nos Deo gratias agimus, ſiue quia hortatu noſtro pecunia corrogatur; vnde innumerabilis multitudo Deo gratias agit. Cæterùm quod dixit interpres: *Vt in omnibus locupletati, abundetis in omnem ſimplicitatem*, Græcè eſt ἐν παντὶ πλουτιζόμενοι εἰς πᾶσαν ἁπλότητα: quæ ita ab Ambroſio Latinè redduntur: *Vt in omnibus locupletemini in omnem ſimplicitatem*. Non deſunt tamen qui Græcum participium pendere exiſtiment à verbo ſuperiori: *Abundetis in omne opus bonum*, quod mihi videtur aliquanto durius. Propius eſt vt dicam more ſuo Apoſtolum participio abuſum eſſe pro verbo, vt ſenſum omnino expreſſerit Latinus interpres. Porrò Chryſoſtomus ex eleemoſyna magnam ait exiſtere materiam gratiarum actionis, & aliarum multarum virtutum. Verùm de gratiarum actione plura ſubiicit Apoſtolus; ait enim:

12. I. QVONIAM MINISTERIVM, &c. Quoniam dixerat; *Quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo*, ſignificans ſua opera Deo gratias agi, explicat, quonam modo id fiat. hoc inquit officium ſtudium cogendæ pecuniæ duo potiſſimùm præſtat. primum quidem ſanctorum inopiam, & indigentiam ſubleuat, deinde multos excitat ad gratias Deo agendas. ita planè Chryſoſtomus. *Primùm* (inquit) *ſanctorum egeſtatem, ac pecuniam non modò expletis, ſed etiam exundatis, hoc eſt plus etiam, quàm neceſſe ſit ipſis impertitis: deinde per eos laudem ad Deum mittitis, ipſius enim gloriam ob confeſſionis veſtræ obedientiam prædicant. Miniſterium* (ait) *huius officij*, ἡ διακονία τῆς λειτουργίας ταύτης; hoc eſt, adminiſtratio huius miniſterij: ſic enim vocat ſiue ſuum ſtudium procurandæ pecuniæ, ſiue ipſam largitionem, & beneficentiam; vt quoniam λειτουργία plerumque ſacrificium ſignificat, intelligas pecuniam in pauperes erogatam eſſe veluti victimam, quæ Deo offeratur, cuius miniſter ſit Paulus, qui veluti ſacerdos ſacrum peragat. Itaque hoc etiam loco vt obſeruauit Primaſius duplicem eleemoſynæ vtilitatem commemorat: prior proximos ſpectat, quorum neceſſitati conſulit; poſterior Deum, cuius laudes non modò pauperes ſubſidio recreati, ſed alij permulti iure optimo celebrant. Hinc enim eſt, quod ait, *Per multas gratiarum actiones in Domino*. Quo loco Græci codices variant; quidam enim habent, διὰ πολλῶν εὐχαριστιῶν τῷ Θεῷ; alij, διὰ πολλῶν εὐχαριστεῖν τῷ Θεῷ; quaſi dicat ex eo, quòd multi gratias agunt Deo. Priori modo legiſſe videntur Ambroſius, & vulgatus interpres, quibus conſentit Syriacus: ſed vtrouis modo; idem eſt ſenſus: nam ſi priorem lectionem quis probet, perinde erit, ac ſi dicat, efficit, vt copioſæ agantur gratiæ Deo per multos: ſi poſteriorem, ſenſus erit per hoc quod multi gratias agunt Deo, quod prorſus idem eſt. Aguntur autem gratiæ Deo, interprete Oecumenio, duplici potiſſimum nomine, tum quia ipſorum egeſtas fidelium liberalitate ſubleuatur; tum quia qui pecuniam largiuntur, re ipſa oſtendunt ſe ex animo fidem complexos eſſe; atque adeò præceptis euangelicis obtemperare. Porrò quod ait interpres; *In Domino*: Græcè ſimpliciter eſt τῷ Θεῷ, hoc eſt, Deo, atque ita legit Ambroſius.

13. I. Per probationem miniſterii, &c. Hæc eſt ratio cur plurimi excitentur ad agendas gratias; gaudent enim (vt ait Chryſoſtomus) quòd res eas, quarum inopia premuntur, ipſis ſubminiſtretis, ac paupertatem eorum ſubleuetis. Cæterùm multò maiorem hoc illis voluptatem affert, quòd Euangelio ita vos ſubmiſiſtis. cui rei hoc argumento eſt, quod tam prolixè, ac munificè tribuitis: id enim Euangelium præſcribit. Quod autem ait, *Per probationem*, Græcè διὰ τῆς δοκιμῆς; experimentum intelligit beneficentiæ, quo planè intelligunt vos ex animo Chriſtum ſequi, eiúſque diuinis præceptis obtemperare. Miniſterium autẽ vocat largitionem vnde excitantur ad agendas gratias Deo. *Glorificantes Deum in obedientia confeſſionis veſtræ in Euangelium Chriſti.* Sunt qui putent hoc loco eſſe hypallagen, quaſi dicat, in confeſſione obedientiæ veſtræ. At nihil cauſæ eſſe videtur, cur ad hypallagen confugiendum ſit; ſenſus enim videtur perſpicuus, & apertus, ſi obedientiam confeſſionis interpretemur ipſam beneficentiam, ac liberalitatem quod eleemoſynis liberaliter largiendis apertè teſtentur, verè, atque ex animo ſe Euangelio crediſſe, eiúſque doctrinam profiteri. Quòd ſi libeat ὑποταγὴν pro aſſenſu accipere, laudat eorum obedientiam, quòd ſibi monenti, ſuadentique vt egentibus benefaciant, non modò non ſint refragati, ſed dicto ſe audientes, &
12. facilè obſequentes præbuerint. Porrò Ambroſius pro obedientia legit, ſubiectione, magis exprimens Græcam vocem ὑποταγὴν. Quoniam verò ὁμολογία non ſolùm confeſſionem, verùm etiam conſenſum ſignificare poteſt, haud multum aberrauerit à ſcopo, ſi quis ita accipiat, quaſi futurum dicat, vt plurimi gratias agant Deo, cùm viderint Corinthios tanto conſenſu obediire Paulo, quod verò addit, *in Euangelium Chriſti*, indicat hoc pertinere ad euangelicam doctrinam ſi Chriſtiani omnes inter ſeſe in benefactis conſentiant, præſertim in largitione eleemoſynæ, quam Euangelium tantopere commendat.
a Luc.11.41. *Date* (inqoit [a]) *eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Addit: *Et ſimplicitate communicationis in illos & in omnes.* Ipſa illorum liberalitas, & munificentia per ſe magnam præbet materiam gratiarum actionis; cùm præſertim ea munificentia ad plurimos pertineat. Qua ratione, vt obſeruauit Chryſoſtomus, ſanctos, quibus benefaciendum monet, incredibiliter laudat: cùm enim pauperes vtplurimum inuidiæ ſtimulis agitari ſoleant, tantum inquit abeſt, vt ipſi hoc vitio laborent, vt propter veſtra in alios collata beneficia gaudio exultent, Deóque immortali gratias agant. Rurſus autem ſimplicitatem communicationis pro munificentia, ac liberalitate vſurpat. Videtur autem præcipuè loqui de ſanctis, qui erant Ieroſolymis, vt monuit Anſelmus, qui gratulabantur etiam aliis, quorum inopia fidelium beneficentia ſubleuabatur.

14. I. In ipſorum obſecratione, &c. Videntur hæc etiam ex ſuperioribus pendere, & coniungi cum participio δοξάζοντες, vt explicat Anſel-
A mus, & indicauerat etiã Primaſius; in ſuis enim apud Deum precibus Deum laudant, veſtrámque eximii virtutem admirantur; ſic enim in paraphraſi explicuimus. illis autem verbis; *deſiderantium vos*, quamquam Græci, & Latini explanatores ſignificari putant ipſorum conſpectum, & præſentiam experi; propius tamen verò eſſe videtur quod in paraphraſi poſui; ratio enim, quam mox ſubdit, id potiùs indicare videtur. *Propter eminentem* (inquit) *gratiam Dei in vobis.* Hæc enim quãdam potiùs admirationem, quàm videndi deſiderium parere ſolet, cùm præſertim non admodum veriſimile videatur Hieroſolymitanam Eccleſiam deſideraſſe aut Corinthum proficiſci, aut ſperare potuiſſe, vt Corinthiaca Ieroſolymam veniret. Itaque ſenſus eſt ſanctorum precibus Deum lau-
B dari, ipſóſque Corinthios ſuſpici atque in admiratione haberi propter excellentem gratiam Dei. Quo loco obſeruat Chryſoſtomus, ita laudari ab Apoſtolo Corinthios, vt omnia tamẽ diuinæ gratiæ tribuenda cenſeat; quaſi ſignificet, illam ipſam liberalitatem, qua egentibus conſulunt, eximium eſſe, ac ſingulare Dei beneficium. Quocirca gratiarum actione hoc caput concludit: ſic enim ait,

Gratias Deo ſuper, &c. Græcè eſt χάρις δὲ τῷ θεῷ; vt ſubaudiatur, ſit: gratia Deo ſit. *Super inenarrabili dono eius.* Donũ autem interprete Chryſoſtomo & quidem inenarrabile vocat tum id quod accipiunt ij, quorum inopia ſubleuatur, tum etiam illi, qui eleemoſynam largiuntur. Ita enim & illos 15. I.
C ad gratiarum actionem excitat, & inflammat, & hos ab omni faſtu, & arrogantia coërcet, & ad maiorem liberalitatem tacitè ſtimulos addit. Meritò autem donum ineffabile appellat, cuius vt ait Chryſoſtomus tanta eſt magnitudo, ac dignitas, vt nullius, ingenium copioſa atque ornata oratione explicari queat. Quocirca extremæ illos dementiæ damnat, qui in eius peruestiganda natura, atque excellentia curioſè verſantur. Videtur enim Paulus, vt obſeruauit Anſelmus, idipſum tacitè indicare, quod in priori epiſtola apertiùs dixerat, Iſaiæ [a] verbis in medium allatis: *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum.* Illud autem egregiè obſeruatum eſt à Primaſio, quidquid boni vel facimus, vel habemus Dei a 64.
D eſſe donum. Quod vt alibi copioſiùs doceo de iis bonis accipiendum eſt, quæ ſunt omni ex parte bona, quæque ad gratiam, & iuſtitiam vel aſſequendam, vel augendam, & ad vitam immortalem comparandam valent: quamquam, ſi quis hæc ad viuum reſecet, ipſa etiam naturæ bona Dei beneficia ſunt, cui acceptum referẽdum eſt quidquid ſumus, quidquid poſſumus, quidquid denique agimus, quandoquidem *in ipſo viuimus, mouemur, & ſumus.* Porrò, ſi credendum eſt Theophylacto, hæc tam ampla, tamque magnifica diuini beneficij prædicatio eò ſpectat, vt tacitè ſignificet Apoſtolus nihil mirum cẽſendum eſſe, ſi magna Corinthij liberalitate vtantur, cùm ipſi à Deo tam multa, támque eximia beneficia acceperint.

Argumentum

Argumentum Cap. X.

MVLTI Paulum calumniis inſectabantur, & quodammodo contemnebant, quaſi cum aliis Apoſtolis ne conferendus quidem videretur. Eorum igitur obiectationibus incipit hoc capite reſpondere; vbi de ſuo apoſtolatu multa ſcribit, ſuamq́; in Corinthios caritatem præcipuè declarat.

CAP. X.

IPSE *autem ego Paulus obſecro vos per manſuetudinem, & modeſtiam Chriſti, qui in facie quidem humilis ſum inter vos; abſens autem confido in vobis.*

Rogo autem vos ne præſens audeam per eam confidentiã, qua exiſtimor audere in quoſdam, qui arbitrantur nos tanquam ſecundùm carnem ambulemus.

In carne enim ambulantes, non ſecundùm carnem militamus.

Nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes.

Et omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.

Et in promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam, cùm impleta fuerit veſtra obedientia.

Quæ ſecundùm faciem ſunt, videte. Si quis confidit ſibi Chriſti ſe eſſe, hoc cogitet iterum apud ſe: quia ſicut ipſe Chriſti eſt, ita & nos.

Nam etſi ampliùs aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram; non erubeſcam.

Vt autem non exiſtimet tanquam terrere vos per epiſtolas.

PARAPHRASIS.

CÆTERVM ipſe ego Paulus, qui 1
coràm quidem humilis ſum, atque ab-
iectus inter vos; abſens verò ſum in
primis confidens in vobis, meóque
iure multa mihi vel ſumo, vel polliceor, pre-
cor vos per manſuetudinem, & æquitatem Chri-
ſti. ¶ Precor (inquam) vt efficiatis, ne cùm 2.
præſens adero vti cogar mea poteſtate, & re
ipſa vti videar ea confidentia, qua ſoleo inter-
dum nimium fortaſſe audax cenſeri in quoſdam,
qui non exiſtimant humanis rationibus duci, non
alio præſidio freros, quàm quod præ nobis feri-
mus, qui ſcilicet homines ſumus abiecti, ſi nihil
aliud ſpectes, quàm quod hominum oculis patet.
¶ Nam reuera quamuis cæterorum ſimiles homi- 3.
nes ſimus, & corporis hanc molem, vt reliqui cir-
cumferamus, non humana tamen conſilia ſequi-
mur, neque humanis copiis, aut armis bellum ge-
rimus. ¶ Eam namque militiam profitemur, cui ar- 4.
ma humano artificio fabricata, id eſt, ea, quibus ſi-
bi homines auctoritatem apud alios comparant, &
res præclaras, ac magnificas gerunt, vſui eſſe non
poſſunt: ſed armis eget infinita Dei potentia
roboratis, ac validis, ad euertendam omnem
contrariam munitionem, dum argutas ratioci-
nationes eludimus. ¶ Planéque euertimus quid- 5.
quid in ſublime extollitur aduerſus veri Dei
ſcientiam; & vt ita dicam captiuam ducimus
omnem humanam cogitationem, Chriſtíque
obedientiæ ſubiicimus. ¶ Ac paratam habe- 6.
mus vim, & poteſtatem omnis contumaciæ
vlciſcendæ, ſi tamen vos primùm omni ex
parte animos, ac mentes veſtras Euangelio
ſubdideritis. ¶ Itáne verò vos in æſtimandis 7.
hominibus externam duntaxat ſpeciem ac
veluti laruam intuemini? Si quis apud ſe con-
fidit, ſe Chriſti eſſe diſcipulum, ac ſectato-
rem, hoc viciſſim cogitet apud ſeſe: vel me
tacente non aliter, ac ſe, nos quoque Chri-
ſto nomina dediſſe, eiúſque legibus, ac præ-
ceptis obtemperare. Quòd ſi verè ipſe Chri-
ſtianus eſt, vltrò profectò intelliget me quoque 8.
Chriſti eſſe diſcipulum. ¶ Nam ſi plus ali-
quanto mihi ſumam, & non nihil glorier
ob noſtram poteſtatem, quam Dominus ad
ædificationem, non autem ad veſtri, aut cu-
iuſquam alterius perniciem ſingulari munere
conceſſit, nihil erit profectò cur vllo pacto
pudefiam. ¶ Quod iccirco dixerim ne hæc, 9.
quæ ſcribo putetis eſſe inania quædam ver-

10. borum terrieulamenta. ¶ Neque enim ſum
neſcius , quoſdam eſſe , qui dicant epiſtolas
quidem meas graues eſſe , vehementes , ac
validas , præſentiam tamen corporis infirmam,
atque imbecillam , & orationem tenuem , at-
11. que elumbem. ¶ Quiſquis verò iſtiuſmodi eſt,
hoc ſibi perſuadeat velim , tales nos re ipſa
fore cùm præſentes erimus , quales in epiſto-
lis , quas ſcribimus , aut videmur , aut ſu-
12. mus. ¶ Neque enim auſim me iis connu-
merare , aut certè cum illis conferre , qui ſe
ipſi extollunt , & magnificè circumſpiciunt,
nec tamen ſentiunt , neque animaduertunt
ipſos ſeſe non æqua , ac iuſta vt par erat
lance ; ſed ſuo tantùm iudicio , ſententiá-
13. que metiri , ſéque ſibi ipſos comparare. ¶ Nos
verò nullam ab iis laudem , aut gloriam quæ-
rimus , quæ noſtræ tenuitatis , ne dicam me-
diocritatis fines excedant , ſed intra modum,
& vt ita dicam lineas diuinæ gratiæ , quam
nobis Deus impertitus eſt ea , qua decet , mo-
deratione gloriabimur , hoc potiſſimùm nomi-
ne , quòd apud vos noſtri Apoſtolatus mune-
14. re ritè , ac rectè functi ſumus. ¶ Non enim
cùm hoc de nobis prædicamus , vllo modo
mentimur , aut quaſi non primi nos Euangelium
Chriſti vobis promulgauerimus , nos ſuprà quàm
res ferat extollimus : re vera enim ita Chriſti
Euangelio operam dedimus , vt præter alias
multas gentes , ac nationes vos etiam Chri-
15. ſto aggregauerimus. ¶ Qua quidem ratione
perſpicuum omnibus putamus eſſe , nihil nos
vltra modum gloriari , aut alienas laudes nobis
arrogare , quin potiùs ſperamus , augeſcente
fide veſtra , nos aliquando veſtra opera intra
noſtræ tenuitatis fines , & quidem vehemen-
16. ter ornandos. ¶ Adeò vt in iis etiam regioni-
bus , quæ vltra regiones veſtras protenduntur,
Euangelium me aliquando promulgaturum ſpe-
rem , non vt in alienum velut patrimonium
inuolem , ſed vt meo apoſtolico muneri omni
ex parte ſatisfaciam , atque ita in iis , quæ pa-
17. rata iam ſunt , haud inaniter glorier. ¶ Verùm
qui gloriatur , Deo totam , atque integram
gloriam tribuat , nullóque modo in ſe ipſe ſibi
ſuíſque actionibus placeat , & ad vnius Dei
laudem , non ad ſua priuata commoda referat
18. quidquid gratiæ diuinitùs accepit. ¶ Neque
enim qui ſe ipſum commendat , continuò ve-
ra , ac ſolida laude dignus cenſendus eſt ; ſed is
tantùm , quem Deus immortalis & commen-
dat , & approbat.

Quoniam quidem epiſtolæ (inquiunt) graues ſunt , & fortes ; præſentia autem corporis infirma , & ſermo contemptibilis.

Hoc cogitet , qui eiuſmodi eſt , quia quales ſumus verbo per epiſtolas abſentes , tales & præſentes in facto.

Non enim audemus inſerere , aut comparare nos quibuſdam , qui ſe ipſos commendant : ſed ipſi in nobis noſmetipſos metientes , & comparantes noſmetipſos nobis.

Nos autem non in immenſum gloriabimur , ſed ſecundùm menſuram regulæ , qua menſus eſt nobis Deus , menſuram pertingendi vſque ad vos.

Non enim quaſi non pertingentes ad vos , ſuperextendimus nos : vſque ad vos enim peruenimus in Euangelio Chriſti.

Non in immenſum gloriantes in alienis laboribus : ſpem autem habentes creſcentis fidei veſtræ in vobis magnificari ſecundùm regulam noſtram in abundantiam.

Etiam in illa , quæ vltra vos ſunt , euangelizare , non in aliena regula in iis , quæ præparata ſunt gloriari.

Qui autem gloriatur , in Domino glorietur.

Non enim qui ſe ipſum commendat , ille probatus eſt ; ſed quem Deus commendat.

IN CAPVT DECIMVM

EXPLANATIO.

1.
I. IPſe avtem ego pavlvs,&c. Nouum orditur argumentum, & aduerſus obtrectatores ſuos agere incipit; ipſo autem initio à cœteris Apoſtolis ſegregat ſeſe; *Ipſe autem* (ait) *ego Paulus*; is videlicet, quem nonnulli magnifaciendum putant. Obſeruat autem Chryſoſtomus his primis verbis acerbitatem, atque auctoritatem Pauli declarari. *Obſecro* (inquit) *vos per manſuetudinem, & modeſtiam Chriſti.* Græcè παρακαλῶ ὑμᾶς διὰ τῆς πραότητος καὶ ἐπιεικείας. Eſt autem πραότης virtus de qua Ariſtoteles [a], & Plutarchus [b], quam alij lenitatem, & clementiam interpretantur. Addit ἐπιείκειαν, quam æquitatem, vel æquum bonum dicimus, de qua Ariſtoteles [c], & [d] Philo, qui eam coniungit cum φιλανθρωπίᾳ, vt comitatem magis, ac facilitatem aut humanitatem ſonet, quàm modeſtiam, quæ interdum arrogantiæ opponitur. ſed interpres, quem ſequutus eſt Ambroſius, modeſtiam dixit pro moderatione, quæ opponitur ſummo iuri. vtraque autem virtus Chriſto iure optimo tribuitur; nam de manſuetudine, aut lenitate dixerat olim Iſaias [e]: *Non clamabit, neque contendet, neque audiet aliquis in plateis vocem eius: arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet.* Et apud Matthæum [f] ita de ſe ipſo loquitur Chriſtus: *Diſcite à me omnes, quia mitis ſum, & humilis corde.* De moderatione verò loquitur Petrus [g]; *qui cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur.* Cùm tamen (vt in præſentia monet Primaſius) facilè poſſet ſuas iniurias vlciſci, qui Petro olim dixerat [h]: *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Meritò autem, vt ait Chryſoſtomus, per Chriſti manſuetudinem, & lenitatem obteſtatur, vt oſtendat, quamuis ſibi contra obtrectatores ſuos aſperiùs agendum ſit, ſe tamen ad manſuetudinem, ac lenitatem Chriſti exemplo eſſe propenſionem.

II. *Qui in facie quidem* (inquit) *humilis ſum inter vos; abſens autem confido in vobis.* Humilem ſe Græcè ταπεινὸν dicit, cui mox opponitur θαῤῥῶ, hoc eſt, confidens ſum, aut audeo; neceſſe vt ſit vtrumque ad animum referri. Neque tamen ταπεινὸς virtutem, ſed vitium potius ſignificat; hominem videlicet demiſſi, atque abiecti animi, idque in facie. Græcè κατὰ πρόσωπον; Ambroſius Latinè dixit; ad *faciem*; quaſi dicat, qui ſpecie quidem abiectus, ac nullius pretij videor. Græci tamen κατὰ πρόσωπον interpretantur coràm, hoc eſt, dum præſens ſum humilis videor; nam, vt ait Primaſius, *præſentia ſanctorum per nimiam humilitatem poteſt eſſe contemptui.* Cæterùm Chryſoſtomus hæc putat ironicè dici ab Apoſtolo, qui ſuorum obtrectatorum verba vſurpet, quod planiùs facit paulò pòſt, cùm ait: *Epiſtolæ graues ſunt, præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis.* Quamquam putat, etiam poſſe ita accipi, quaſi verè, atque ex animo ab Apoſtolo pronuntientur, qui hoc modo de ſe ipſo A demiſsè, atque humiliter & ſentiat, & loquatur, ne quæ poſtmodum de ſe rebúſque ſuis magnificentiùs prædicaturus eſt, tumori, atque arrogantiæ tribuantur. *Abſens autem* inquit *confido in vobis.* Græcè θαῤῥῶ εἰς ὑμᾶς, hoc eſt, audax ſum in vos; reſpicit enim ad ſuperioris Epiſtolæ acrem, & vehementem obiurgationem. Porrò quod ait; *Obſecro vos*; Græcè παρακαλῶ. quia nihil ſubiicitur quod obſecret, ſunt qui putent referri poſſe hoc initium capitis ad ſuperiora hoc ſenſu: Rogo per Chriſti manſuetudinem, & lenitatem, vt meo quoque nomine, qui coràm humilis ſum, & abiectus, abſens autem multa mihi de vobis polliceor, libenter, ac liberaliter hanc pecuniam largiamini: ſed B malo quod in paraphraſi indicaui referre ad ſequentia, vt quod mox ſequitur δέομαι repetat quod dictum erat παρακαλῶ; vt ſit redeuntis ad id, quod cœperat, quaſi dicat; rogo inquam: quod apertè ſignificat Ambroſius; cùm enim explicat verba ſequentia; *Rogo autem vos. idem* (inquit) *ſenſus eſt, quem vt dilucidet repetit.* Neq; aliter ſenſiſſe videntur Græci, vt apertè intelligitur ex Oecumenio, qui ſequutus Chryſoſtomum explicans verbum παρακαλῶ. *Quid autem* (ait) *precaris? Ne audeam* (inquit) *hoc eſt, ne audacter etiam præſens vtar aduerſum vos mea poteſtate.* Eodem modo loquitur Theophylactus.

Rogo avtem vos ne præsens, &c. 2.
Hoc eſt quod per manſuetudinem, & lenitatem Chriſti obſecrat, ne cogatur, vt ait Chryſoſtomus, I.
C præſens ea vti poteſtate, qua multi exiſtimant eum ſeuerè nimis, atque aſperè abuti. *Ne præſens* (inquit) *audeam per eam confidentiam, qua exiſtimor audere in quoſdam.* Pro eo, quod interpres dixit; *exiſtimor*; Græcè eſt λογίζομαι: cum interprete noſtro ſentiunt Latini omnes, immò etiam Syriacus interpres. Chryſoſtomus autem cum Græcis putat λογίζομαι idem valere, quod cogito; putant enim, ſermonem eſſe comminantis Apoſtoli, & terrentis eos, qui ſe contemnebant, quòd exiſtimarent, humano conſilio duci, nec diuini Spiritus impulſum ſequi. Cæterùm Apoſtolum mitigantem minas non dicere confidentiâ, qua decreui, aut vti volo, ſed quam cogito, etiamnum illos inuitantem ad reſipiſcentiam. idque putat D Chryſoſtomus ſummæ eſſe benignitatis, vt in commeritos non ſtatuerit, decreueritque pœnam, quam & pro ſua auctoritate poterat, & pro illorum contumacia debebat infligere; ſed tantùm dicat ea de re ſe veluti deliberando cogitare, quaſi libenter mutaturus eſſet ſententiam, ſi vellent illi ſponte ſua ad meliorem mentem redire. Vnde colligit idem Chryſoſtomus id maximè proprium eſſe eius qui cœteris præeſt non confeſtim pœnas ſumere; ſed in irrogandis ſuppliciis cunctantem, ac tardum eſſe. Itaque Theophylactus duplici verbo explicat quod Apoſtolus ait λογίζομαι, hoc eſt ὑπολαμβάνω, & στοχάζομαι, ſuſpicor, & conijcio, aut deſtino; ſuſpicio enim nondum eſt certa cogitantis aſſenſio, & qui coniicit, aut deſti-

a lib. 4. Ethic. c. 5.
b lib. de virt. mora. & lib. de manſuet.
c 5. Ethic. c. 10.
d De vita Moſ.
e cap. 42. 2.
f cap. 11. 29.
g 1. Petr. 2. 23.
h Matth. 26. 53.

nat, oculum quidem ad ſcopum dirigit; nondum tamen telum è manibus emiſit, ſed tantùm ſe miſſurum minatur, circumſpiciens interim in quem locum, aut quo modo mittat. Ego de hac ſententia nihil ampliùs dico, quàm propter horum virorum auctoritatem admodum videri probabilem; malui tamen in paraphraſi cum Latinis ſentire; quod initio huius capitis non tam videatur minari, quàm obtrectatorum calumnias repellere. Atque haud ſcio, an Apoſtolicæ lenitatis, ac manſuetudinis fuerit ſuas priuatas iniurias aut
II. vlciſci, aut vlciſcendas cenſere. At grauiter, & acerbè ſuperiori Epiſtola minatus eſt, & hoc ipſo capite mira quadam auctoritate minas intentat? Non inficior: ſed minatur Apoſtolus non ſuis calumniatoribus, ſed iis, qui contra legem Euangelicam aliqua ratione peccaſſent. Hîc autem minari potius videtur iis, qui pſeudo Apoſtolorum arte deluſi monita, & conſilia ſua aut negligerent, aut etiam contemnerent, quos monet, vt in tempore reſipiſcant, ne cogatur in eos ſua vti auctoritate, qua creditur à multis præter aut contra rationem abuti in quoſdam. Græcè ἐπί τινας, ſiue referas ad verbum θαῤῥῆσαι, ſiue τολμῆσαι, eadem eſt ſententia, quaſi dicat; ne cogar ſæuire in quoſdam ea nixus confidentia, qua nonnullis nimis audax videri ſoleo; vel ne cogar mea vti poteſtate, & confidentia, qua erga nonnullos interdum videor nimium audax: vtrumque ſenſum noſtra paraphraſis admittit. *Qui arbitrantur nos tanquam ſecundùm carnem ambulemus.* Quos quæſo intelligit? Chryſoſtomus, Oecumenius, & Theophylactus eos accipiunt, quibus Apoſtolus comminatur, qui videlicet putabant, Paulum ſecundùm carnem ambulare, quique eum quaſi hypocritam, improbum, atque arrogantem inſimulabant, aut etiam traducebant. Ego crediderim relatiuum, *qui*, referre id, quod proximè præceſſit, adeóque duplicem parere ſenſum, vt duplex fuit ſuperioris membri explicatio. Nam ſi dicat Apoſtolus nolle ſe vti ſua poteſtate in quoſdam, vera erit Chryſoſtomi ſententia; ſin autem dicat nolle ſe ſua vti poteſtate, qua nimiùm videtur audax in quoſdam quinam ſint ij; in quos videtur audax, explicat cùm dicit: *Qui arbitrantur nos tanquam ſecundùm carnem ambulemus.* Verùm *ſecundùm carnem* Theodoretus interpretatur ſecundùm legem; putat enim, Apoſtoli obtrectatores hoc inter cætera illi obiicere conſueuiſſe, vilem eſſe illum, atque abiectum, imperitum, miniméque diſertum, & clàm quidem legem Moſis obſeruare, palàm verò id non audere propter imbecillitatem eorum, qui ex gentilibus Chriſto nomina dederant. Malo tamen cum Chryſoſtomo, Oecumenio, Theophylacto, aliiſque Latinis accipere de humanis artibus, ac præſidiis vt ſecundùm carnem ambulare nihil aliud hoc loco ſit quàm humano artificio, & quaſi lenocinio vti ad Euangelium promulgandum; perinde quaſi Apoſtolus ſit hypocrita, & impoſtor, qui que omnia ad oſtentationem referat, & idcirco paulo pòſt ſubdit; *Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia.*

3. I. IN CARNE ENIM AMBVLANTES, &c. Hanc prauam ſuſpicionem à ſe amouet. Non nego (inquit) me mortali corpore eſſe circumdatum; hoc enim eſt in carne ambulare; hoc eſt carnea ſeu corporea mole premi; nullo autem modo *ſecundùm carnem militamus*; hoc eſt, humanis rationibus ducimur, ſed diuino potius impulſu mouemur, & diuini numinis ductum ſequimur, & re ipſa præſtamus

A id, quod olim à ſapiente [a] neſcio quo dictum accepimus, *Deum ſequere.* Sumpſit autem Apoſtolus metaphoram à militia, ſiue quia, vt dixit alicubi [b] Iob, *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Et ipſe alibi [c]: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem.* Siue quia Apoſtolicum munus rectè militiæ comparatur; quod dum Apoſtoli Euangelium promulgant, arduum, & periculoſum bellum, ac dimicationem ſuſcipiant, ſiue contra philoſophos, ſiue contra hæreticos, ſiue denique contra tyrannos. Addit Oecumenius *etiam aduerſus intelligibiles, atque inſenſibiles hoſtes pugnandum eſſe, propterea nequaquam armis carnalibus dimicandum.* Anſelmus ait, hanc militiam ad nullum mortale, caducúmve bonum referri, atque adeò non humanis, aut terrenis
B armis pugnandum eſſe. Et re vera Euangelij promulgatio non humanis præſidiis, ſed diuina potiſſimùm ope nititur; ob id enim ſuperiori epiſtola dixit [d] Paulus: *Neque qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus.* Quocirca rectè ſubiicit:

[a] Sim. [b] cap. 7. [c] Epheſ. 6. [d] cap. 3.

NAM ARMA MILITIÆ NOSTRÆ, &c. Perſiſtens Apoſtolus in Metaphora deſumpta à militia explicat quibus armis ſibi pugnandum ſit; ait autem, arma non eſſe carnalia. Non poſſum autem in præſentia quorundam diſſimulare, neſcio vtrùm dicam inſcitiam, an impudentiam, qui cùm ſe Catholicos & eſſe, & haberi velint, cum hæreticis tamen hoc Pauli Apoſtoli teſtimonio ad auertendam Eccleſiaſti-
C cam auctoritatem impiè abutuntur, perinde quaſi hæc alio pertineant, quàm ad Euangelicam prædicationem. Hæc profectò vt modò dicebam humanis præſidiis non nititur; hæc militia arma carnalia non requirit; ſed ipſi illi Apoſtoli, qui ad Euangelium promulgandum ſolius diuini ſpiritus vi, ac facultate nitebantur in Eccleſia adminiſtranda, & Chriſti ouibus paſcendis externam quandam auctoritatem, ac ius quodammodo imperij diuinitus ſibi collatum eſſe intellexerunt. Itaque Petrus [e] perfidos illos coniuges, atque ſacrilegos ſubita nece damnauit: & Paulus [f] Magum illum, qui proconſulem à fide reuocare nitebatur, luminibus captum cæcitate mulctauit. Ad hæc, inquiunt, fecerunt illi ea, qua præditi
D erant miraculorum poteſtate. Fateor; ob id enim apparitoris, lictoris, aut carnificis opera vſi non ſunt: id ſumo, quod ad rem facit. ſupplicium illos corporibus non tantum animis irrogaſſe: ſi id abſque auctoritate fecerunt omnino iniuſtè, & contra fas: quo admiſſo, ſi tam immanis facinoris Apoſtolos quiſpiam reos facere audeat, eum ego ne Chriſtiano quidem nomine dignum cenſeo. Si iure, & rectè; eos profectò neceſſe eſt auctoritate fuiſſe præditos non illa anguſta, & circumſcripta, quam iſti, quibuſdam veluti cancellis includunt, ſed ampla, latiſſiméque patente, cui externæ etiam actiones, atque adeò ipſa etiam humana corpora ſubiiciantur. At diuino Spiritu acti fecerunt id,
E quod olim Phinees, qui nulla tamen auctoritate, vel poteſtate præſtabat. Non me fugit, ſic olim quoſdam ſenſiſſe diuini tantùm numinis occulto quodam impulſu permotum Phinees, nepharios illos, atque ſceleſtes, ſpectante populo, perfodiſſe. Sed eorum ego ſententiam longè præfero, qui iudicis illum auctoritate ſontes peremiſſe exiſtimant, quòd iam tum ſacerdotes, & Leuitæ extremis iudiciis præeſſent. Quem ſi Apoſtoli imitati ſunt, nonnullam certè, & humano faſtigio maiorem poteſtatem

4. I.

[e] Act. 5. & 13. [f] Act. 13.

exercuerunt; hoc eſt iudicis in ſubiectos, & paſto- A ris vi, & armis lupum ab ouili propellentis. Sat

I. a. de fide, & oper. c. 2. ſcio Auguſtinum [a] allato exemplo Phinees inde colligere quid nooi Teſtamenti ſacerdotibus faciendum ſit his planè verbis: *Phinees ſacerdos adulteros ſimul inuentos ferro vltore confixit, quod vtique degradationibus, & excommunicationibus ſignificatum eſt eſſe faciendum in hoc tempore, cùm in Eccleſia diſciplina viſibilis fuerat gladius ceſſaturus.* Qnid autem hoc eſt aliud, quàm arma militiæ Apoſtolicæ non eſſe carnalia? Sed quatenus auctoritas Eccleſiaſtici iudicis progredi poſſit, alibi docui: nunc tantùm contendo, hæc Apoſtoli verba Eccleſiaſtici iudicij auctoritatem nullo modo lædere, tantùm abeſt vt labefactent. Non ſunt enim arma Eccleſiaſticæ militiæ carnalia, ſi de auctoritate, & iudicandi poteſtate accipias; quia Eccleſiaſticorum præſulum auctoritas non à populo, non à principum legibus, non ab vllo denique humano principio; ſed ab eo duntaxat pendet, qui Apoſtolis eorúmque ſucceſſoribus, atque Eccleſiaſticis miniſtris oues ſuas paſcendas, hoc eſt, fideles diuinis præceptis informandos, & ad omnem pietatem inſtituendos tradidit. Cœleſtis igitur, ſpiritalis, ac diuina eſt omnis eorum auctoritas. *Arma enim carnalia* (vt ait Chryſoſtomus) *ſunt opes, gloria, principatus, facundia, vis dicendi, concurſationes, aſſentationes, ſimulationes, aliáque eiuſmodi. At noſtra arma haudquaquam talia ſunt.* Primaſius, *Arma* (inquit) *noſtra non eſt ſcutum, vel gladius, ſed potentia Dei, quia plus facimus verbo, quàm alij armis carnalibus.* Quocirca rectè dixit Apoſtolus: *Arma militia noſtra non ſunt carnalia. Sed potentia* (inquit) *Deo.* ipſi videlicet Deo & pugnanti, & vincenti: is enim eſt, qui vi ſua, noſtra tamen opera tam multos ad fidem traducit, & Chriſtianis moribus imbuit: nam Euangelij quidem prædicatio vi ſua, vt olim dixit Iere-

b cap. 23. 29. mias [b], eſt veluti *malleus conterens petras*; quod mirificè explicant Athanaſius [c], Gregorius [d] Nazianzenus, Chryſoſtomus [e], Theodoretus [f], Auguſtinus [g]. Neque enim quidquam ſimile humana potuit efficere ſapientia, ac ne hæreticorum quidem vaniloquentia, quos Tertullianus [h] ait habere verbi Dei quaſi vaginam, non ipſum gladium, cùm careant vero ſenſu ſcripturarum. His additur miraculorum efficientia, ad quam refertur id, quòd Chriſtus dixit apud Lucam [i]: *Ponite ergo in cordibus veſtris non præmeditari quemadmodum reſpondeatis. Ego enim dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, aut contradicere omnes aduerſarij veſtri.* Huc accedit mirifica, ac planè diuina poteſtas oſtendinis, quæ ſupra naturam multa efficit, vt alibi oſtendimus. Denique poteſtas iuriſdictionis, quæ tanta eſt, quantam bona Eccleſiæ adminiſtratio requirit, vt alibi copioſiùs doceo. Hæc ergo arma ſunt non tantùm ſpiritualia, *ſed potentia Deo*: non ſolùm quia ipſi Deo quodammodo vſui ſunt, vt paulò antè dixi, verùm etiam vt ait Chryſoſtomus quia ab ipſo Deo inſtituta ſunt, & ipſius diuinam vim, ac poteſtatem indicant. Addunt alij, potentia Deo ex Græcanici ſermonis vi perinde eſſe, ac ſi diceret fortia per Deũ, aut opera diuina; qualia certè ſunt ea, quæ enume-

c De human. verb.
d Or. de Spir. ſanct.
e Hom. 66. ad pop. Antioch.
f l. 9. de cur. Græc. affect.
g lib. 22. de Ciuit. c. 5.
h lib. de præſcrip.
i cap. 21. 14.

III. rauimus, omnia. *Ad deſtructionem munitionum.* Metaphora ſumpta à propugnaculis; eſt enim ὀχύρωμα monimentum, præſidium, arx, caſtellum. Impietas autem olim multis veluti propugnaculis munita Euangelio repugnabat: quæ tamen omnia diuini verbi, cœleſtiſque doctrinæ vis admirabilis illico de-

k lib. 4. de præp. c. 1. molita eſt: nam idololatria, vt alicubi [k] ſcribit Euſebius, non paulatim defecit, ſed quaſi terræmotu facto, poſt Chriſti in cœlum aſcenſum penitus conci-

A dit. Perierunt dæmonum reſponſa, oracula, auguria, auſpicia, & omnia ſacrificiorum genera ita penitus abolita ſunt, vt vix nomen aut memoria relinquatur. Quocirca Porphyrius in libro, quem ſcripſit contra noſtram religionem, queritur abeſſe Deos à ciuitatibus, & poſtquam Ieſus coli cœpit, nihil ſe poſſe à Dijs conſequi vtilitatis. Idem ipſius Apollinis teſtimonio probat in libro de reſponſis apud Euſebium [a]. Quod cùm animaduerteret Plutarchus, ea de re commentarium edidit, & vt multum conetur ad cauſam aliquam naturalem referre, aſſequi tamen non poteſt, vt id vlli perſuadeat, ſi paucos excipias, quibus nihil probari poteſt niſi ſapiat impietatem. Plura de his Athanaſius [b], Egeſippus [c], Irenæus [d], Theodoretus [e], Tertullianus [f], a lib. 5. præp. c. 1.

B Cyprianus [g], Hieronymus [h], Auguſtinus [i], Leo [k]. *Conſilia deſtruentes*, λογισμοὺς καθαιροῦντες callidas, argutáſque intelligit Philoſophorum argumentationes, de quibus plura alibi. Euertuntur enim argumentorum machinæ fidei ſimplicitate, vt accidit in Concilio Nicæno, in quo, vt ſcribit Rufinus, miræ ſimplicitatis Epiſcopus humanæ eruditionis penitus expers acutiſſimum philoſophum ad fidem conuertit. Participium autem καθαιροῦντες nuſquam videtur referri, ac propterea pro verbo poſitum videtur, vt in paraphraſi expreſſimus, quaſi dicat, & nos his armis inſtructi Philoſophorum argutias, & ſophiſmata euertimus, aut demolimur. Tum in eandem ſententiam ſubdit:

b Or. human. ver.
c l. 2. de excid. Ieroſol. c. 33.
d lib. 1. cap. 7.
e l. 6. de cur. Græc. affect.
f lib. cõt. Iud.
g De vnit. Eccleſ.
h Cont. lucifer.
i Epiſt. 78 &c.
k Serm. 2. de nat. Apoſt.

C ET OMNEM ALTITVOINEM, &c. Perſiſtit in metaphora, & eamdem rem ſignificantiùs exprimit. Non ſolùm inquit verſutias, & calliditates argumentãtium eludimus; ſed omnem vt ita dicam machinam, & celſitudinem inſurgentem, atque attollentem ſeſe aduerſus cognitionem Dei. Neſcio autem, vtrùm alludit Apoſtolus ad antiquum genus machinæ, quòd repentè ſublatum in altum, muris hoſtem inueheret. Cæterùm Ambroſius ſignificari putat dæmones, qui ſeſe attollunt, & armant, & infidelium animos ad contradicendum Chriſto vehementiùs inflammant. Anſelmus mauult ſignificari arrogantiam atque ſuperbiam ſiue tyrannorum, ſiue philoſophorum. *Et in captiuitatem redigentes omnem intellectum, & obſequium in Chriſti.* Participium αἰχμαλωτίζοντες eodem modo expli- 5. I.

D candum eſt vt inſinuauimus in paraphraſi per verbum, vt ſit ſenſus: in captiuitatem ducimus. Perſtat autem in eadem *prælij* metaphora. Victores enim mancipia in captiuitatem adducunt, non aliter qui Euangelio fidem adiungunt, & Chriſtiana ſacra ſuſcipiunt, quaſi mancipia ad Chriſti caſtra pertrahuntur. Quòd verò noſter interpres dixit; *Omnem intellectum*; Græcè eſt νόημα, qood ſignificat id, quod mente, & cogitatione verſatur, humani ſiquidem ingenij commenta fidei noſtræ argumentis, quaſi quibuſdam laqueis irretita tenentur. Hæc autem ita affirmat Apoſtolus, quod obſeruauit Chryſoſtomus, vt appareat, eum non ancipiti marte pugnare, ſed certò ſibi victoriam polliceri; quam ob cauſam

E non ſolùm ſe ſuperiorem, & victorem fore prædicat; verum etiam quaſi triumphum agat vinctos, & captiuos numerat. Ne autem captiuitatis nomine durius aliquid, atque odioſius ominari videretur addit; *In obſequium Chriſti*, εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ Χριστοῦ, id eſt, ad obedientiam, ſeu ad obediendum Chriſto, quæ eſt ingenua quædam ſeruitus quauis libertate longè fœlicior. Videtur Apoſtolus alludere ad id, quod alibi [l] dixit; In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti. Quòd ſi quempiam offendant participia, quæ pro verbis ponuntur, is intelligat, ne Latinos quidem

l 2. Cor. 10. 5.

idem ſcriptores ab ea loquendi ratione abhorrere. Nam alicubi Cyprianus in hunc modum ſcripſit [a]: *Vna vox hominum erat gratias Deo agentium gaudium pectoris lacrymis exprimentes, complectentes eos quaſi hodie pœna carceris fuiſſent liberati.* Quod orationis vitium multò videtur intolerabilius, præſertim in Cypriano viſo eloquentiſſimo. Eodem prorſus modo accipienda ſunt quæ ſequuntur.

a lib. 4. ep. 11.

6. I. Et in promptu habentes, &c. Amplitudinem ſuæ poteſtatis his verbis declarat Apoſtolus: neque enim ſolùm prædicandi verbum Dei, quod hactenus ſignificauit, ſed etiam vlciſcendi omnem inobedientiam poteſtatem ſe habere confirmat, vt appareat, quod paulò antè monuimus Eccleſiaſticos præſules iure ſuo poſſe punire ſontes, & pœnis, ac ſuppliciis fideles in officio continere. Neque verò in præſentia diſputo qualis aut quanta ſit Eccleſiaſticorum poteſtas, id tantùm affirmo, quod apertè ait Apoſtolus, habere illos vlciſcendi poteſtatem. *Et in promptu*, inquit, *habentes.* Græcè ἐν ἑτοίμῳ ἔχοντες, quod Ambroſius dixit; *& parati*; vt ſubaudias, ſumus: quaſi de poteſtate minimè dubitandum ſit; interim promptam ſuam voluntatem declaret. *Vlciſci omnem inobedientiam*; vt appareat, poſſe quod hæretici negant Principes Eccleſiaſticos leges condere, & imponere præcepta, quæ obtemperandi afferant neceſſitatem, atque adeò iure omnem inobedientiam vindicare ſiue illa ſit contra Dei præcepta, ſiue contra leges Eccleſiaſticas. Itaque rectè alicubi ſcripſit Gregorius [b] Nazianzenus, vrbis præfectum alloquens, *An me liberè loquentem æquo animo feretis? Nam vos quoque imperio meo, ac throno lex Chriſti ſubiicit: imperium enim nos quoque gerimus, addo etiam præſtantius ac perfectius. Niſi verò æquum eſt ſpiritum carni faſces ſubmittere; & cœleſtia terrenis cedere: ſed non dubito quin hanc dicendi libertatem in optimam partem accepturus ſis, vtpote ſacri mei gregis ouis ſacra, magnique paſtoris alumna.* Vt vel hinc quiuis intelligat, ſanctiſſimum, atque integerrimum Epiſcopum palàm profiteri ſe legis Chriſti auctoritate imperium gerere, thronum habere, ipſóſque præſides ac magiſtratus politicos ſibi ſubeſſe, ſuóque imperio faſces ſubmittere; & quaſi oues paſtoris ductu, atque imperio regendas eſſe. Subdit autem Apoſtolus: *Cùm impleta fuerit veſtra obedientia.* Non vult enim omnes abſque vllo diſcrimine eodem ſupplicio plectere, ſed eos, qui dicto audientes ſunt liberos vult eſſe, atque immunes, in reliquos autem contumaces cenſuræ ſeueritate vſurus, quã, vt ait alicubi Auguſtinus [c], *aliud eſt caritas ſeueritatis, aliud caritas manſuetudinis, vna quidem caritas eſt, ſed diuerſa in diuerſis operatur.* Aliquantò autem pòſt [d] longa oratione diſſerit de Eccleſiaſticæ cenſuræ vindicta, quam tum demum adhibendam cenſet, cùm improbi ab innocentibus ſegregari poſſint, ita enim ſcribit: *In hac veluti anguſtia quæſtionis non aliquid nouum, aut inſolitum dicam, ſed quod ſanitas obſeruat Eccleſiæ, vt cùm quiſque fratrum, id eſt, Chriſtianorum intus in Eccleſiæ ſocietate conſtitutorum in aliquo tali peccato fuerit deprehenſus, vt anathemate dignus habeatur, fiat hoc vbi periculum ſchiſmatis nullum eſt, atque id cum ea dilectione, de qua ipſe alibi præcipit dicens, vt inimicum non eum exiſtimetis, ſed corripite vt fratrem: non enim eſtis ad eradicandum, ſed ad corrigendum.* Mox verò allata parabola zizaniorum, quæ ſerenda dicuntur à Chriſto vſque ad meſſem, oſtendit tum demum *adhibendam eſſe cenſuræ ſeueritatem, cùm eius qui peccauit, non habet ſociam multitudinem.* Idque ex eo confirmat, quod ſuperiori epiſtola [e] Paulus dixit: *Si quis frater nominatur.* ſubdit enim: *In eo quippe quod ait, ſi quis, nihil aliud videtur ſignificare voluiſſe niſi eum poſſe tali modo ſalubriter corripi, qui inter diſſimiles peccat, id eſt, inter eos quos peccatorum ſimilium peſtilentia non corrumpit.* Et poſt nonnulla: *Neque enim poteſt eſſe ſalubris à multis correptio, niſi cùm ille corripitur, qui non habet ſociam multitudinem.* Denique aliquantò pòſt: *Et re vera ſi contagio peccandi multitudinem inuaſerit diuinæ diſciplinæ ſeuera miſericordia neceſſaria eſt, nam conſilia ſeparationis & inania ſunt, & pernicioſa, atque ſacrilega, quia & impia, & ſuperba ſiunt, & plus perturbant infirmos bonos, quàm corrigant animoſos malos.* Non me tamen latet plurimos hoc Auguſtini teſtimonio abuti perinde quaſi neget, adhibendam eſſe cenſuram cùm multi peccant, cùm tamen ille zizaniorum exemplo tantùm doceat, à cenſura abſtinendum eſſe, cùm verendum eſt, ne vnà cum noxiis etiam innocentes plectantur. Quam rationem ſecuti ſacri canones, mira prouidentia ſanxerunt, ne contra multitudinem collectim ſumptam, vt collegium, aut ſenatum anathematis ſententia feratur. Denique docet Auguſtinus, non eſſe excommunicationem adhibendam, niſi cùm eorum, qui corripiuntur, ſperatur vtilitas. Ita enim concludit: *Miſericorditer igitur corripiat homo quod poteſt, quod autem non poteſt, patienter ferat, & dilectione gemat, atque lugeat.* Et nonnullis interiectis: *Quod ſi quiſquam (inquit) velit ſe intelligere quod dictum eſt; auferte malum ex vobiſmetipſis, vt per correptionem ſeparationis de congregatione fratrum malus quiſque auferendus ſit, ſtudio tamen ſanandi, non odio perimendi eſſe faciendum, nemo dubitauerit. Et quis adhibendus ſit modus, temperaque ſeruanda, ne pax Eccleſiæ violetur, in qua maximè tritico parcendum eſt; ne ſimul cum zizaniis eradicetur, quod in præſentia viſum eſt neceſſarium, diſſerimus.* Quæ omnia idcirco tam copioſè commemoraui, vt appareat quorſum Apoſtolus in præſentia dicat, omnẽ ſe inobedientiam vindicaturum. *Cùm impleta*, inquit, *fuerit veſtra obedientia.* quaſi dicat; cùm mihi perſpectum erit, quinam meis ac diuinis præceptis obtemperent, quive reluctentur: vt hoc loco idem videatur monere quod ex Auguſtini ſententia ſuperiori epiſtola [a] monuerat: *Auferte malum ex vobiſmetipſis.* hoc eſt, nolite ſimilitudine, aut ſocietate peccantium inquinari, ſed cæteris peccantibus vos innocentiam retinete. Porrò acutè Auguſtinus [b] ex hoc Apoſtoli loco colligit rectè puniri ab Eccleſia hæreticos, qui à Catholica fide recedunt. Ego planè de omnium etiam fidelium inobedientia intelligo, vt alibi luculenter oſtendo.

b Orat. 17.

c lib. 1. cont. Parmen. c. 1.

d cap. 2.

e cap. 5.

II.

a 1. Cor. 5.

b Epiſt. 50.

III.

I. Quæ ſecundum faciem ſunt, &c. Multiplices huius loci explicationes ambiguam ſententiam reddiderunt. Theodoretus, quem nonnulli ſequuntur, interrogationem adhibet, vt ſit quædam vehemens obiurgatio, & βλέπετε Latinè reddatur; videtis, non, videre, vt ſit ſenſus; *num ea cernitis, quæ oculis obiiciuntur, quæque oſtentationem potius habet, quàm efficaciam?* Gennadius apud Oecumenium ſublata interrogatione eandem ſententiam retinet, vt ſimulata quædam ſit increpatio, quaſi dicat vos quidem ex rebus externis, & ſua tantùm ſpecie fallentibus, de negotiis, ac perſonis iudicatis. Neque aliter ſentire videntur Chryſoſtomus, & Theophylactus: putãt enim obiurgari Corinthios, quod ex bonis externis hoc eſt opibus, cultu, faſtúve homines æſtimarent, ac non potius ex animi veris, ſolidiſque virtutibus. Acrior tamen, ac vehementior videtur obiurgatio, ſi retineatur interrogatio, quod nos fecimus in paraphraſi: quaſi dicat: itá-ne verò externa tantùm bona reſpicitis, quæ oculis obiiciuntur, nullámque eorum rationem habentis

betis quæ in animo inſunt? Sic autem habetote, ſi quis confidat ſe Chriſti eſſe, me quoque quantumuis alij repugnent eſſe Chriſti diſcipulum. Ambroſius, Primaſius, & Anſelmus quod Latinus interpres dixit: *Quæ ſecundùm faciem ſunt, videte*; accipiunt pro eo quod eſt, quæ conſpicua ſunt, aperta & manifeſta; vt referantur ad ſequentia, quaſi dicat, ea clariſſima videri, facillimáque iudicatu, quæ dicturus ſit, *ſi quis confidit, ſe eſſe Chriſti*, &c. quaſi dicat, animaduertite quæ dico; ſunt enim omnibus peruia, & admodum nota, me eſſe Chriſti diſcipulum nihilo minus iis qui hoc maximè iactant. Alij denique ſunt, qui *ſecundùm faciem* interpretantur de ſignis euidentibus, quibus Pſeudoapoſtoli deprehendi queant, veluti ex diuitiis, arrogantia, iactantia, falſa virtutis imagine, & pietatis larua. Sed quod poſui in paraphraſi præferendum videtur, tum quòd plures, & meliores habet auctores, tum quòd magis inſtituto Apoſtolico conſentit: nam quod Pſeudoapoſtolorum ſignis à nonnullis affertur prorſus videtur extra rem: Ambroſij ſententia videri poteſt vtcumque probabilis. *Si quis confidit ſibi Chriſti ſe eſſe*, hoc profectò Pſeudoapoſtolos perſtringit, qui ſe Chriſti diſcipulos maximè iactabãt. Qui ergo hoc de ſe glorioſè prædicat, hoc cogitet iterũ apud ſe, Græcè λογιζέσθω, id eſt, ſtatuat, aut perpendat. Quòd autem ait; *iterum*, Græcè πάλιν, reddi poterat; rurſum; quaſi dicat; vt illud de ſe iactat; ita etiam hoc ſibi perſuadeat, vel de hoc rurſum pro certo habeat. Obſeruat autem Ambroſius Apoſtoli modeſtiam, qui ſe parem illis faciat, vt deinde maiori fide doceat, quàm multis antecellat. Quæ eſt etiam Chryſoſtomi, cæterorúmque Græcorum obſeruatio. Ita oſtendit ſe, quod attinet ad Chriſti fidem, ab iis non diſſentire, vt vel hinc appareat, non fuiſſe pſeudo Apoſtolos vllo prauo dogmate corruptos, alioqui enim non ſe illis ſocium, ac condiſcipulum adiungeret.

8. I. Nam etsi amplivs aliqvid, &c. In eadem fidei ſocietate aliquanto ſe cæteris præſtare inſinuat, modeſtè tamen, omni prorſus amota iactantia. Cùm enim (vt ait Chryſoſtomus) eiuſmodi eſſet Apoſtoli autoritas, vt nullius poſſet quamuis diſerta, & copioſa oratione explicari; illam tamen extenuat dum ait: *Etſi amplius aliquid gloriatus fuero*, quaſi modicũ quid dicturus videatur indicat interim cuiuſmodi ſit ſua poteſtas, & quorſum à Deo conceſſa. *Quam dedit* (inquit) *nobis Dominus in ædificationem, non in deſtructionem veſtram*; vt ſignificet ſibi diuinitus traditam poteſtatem vt proſit, non vt noceat. Vt enim aliàs ſolet ædificare accipit pro prodeſſe, deſtruere verò pro lædere. Vnde colligit Chryſoſtomus, Eccleſiæ præſides poteſtatem accepiſſe ad ædificationem, ſi quis tamen obluctetur & reſiſtat, neque alia ratione curari queat, tum demum ſeuerè multandum eſſe, atque hoc ipſum vt ait idem Chryſoſtomus, eſt ædificare *impedimenta* videlicet *de medio tollere, & quæ ægra, & corrupta ſunt reſecare*. Theodoretus addit, his verbis pungi quodammodo Pſeudoapoſtolos, qui accepta poteſtate ad aliorum perniciem abutantur: quod etiam indicat Anſelmus ſecutus Primaſium. *Si ergo* (inquit) *hoc mihi ſumpſero, non erubeſcam quaſi mendax, aut arrogans*, vt Chryſoſtomus, Oecumenius, & Theophylactus explicant. Rectè autem monent nonnulli Eccleſiaſticam poteſtatem traditam, idcirco dici ædificationem, vt Epiſcopi, cæteríque Eccleſiæ miniſtri intelligant non propria ſibi & priuata commoda, ſed Eccleſiæ communem vtilitatem quærendam eſſe. Addit verò Anſelmus, eos non ædificare ſed deſtruere, qui tyrannidem exercent, qui prauis, & corruptis moribus alios ad vitia pertrahunt, qui denique falſis dogmatibus fidei ſinceritatem, integritatémque corrumpunt.

Vt avtem non existimet, &c Aperta videtur hoc loco eclipſis; eſt enim aliquid neceſſariò intelligendum. Itaque Chryſoſtomus, & Theophylactus perinde accipiunt, quaſi dicat: poteram quidem gloriari, verùm ne quiſquam mihi rurſus obiiciat epiſtolarum iactantiam, & veluti terriculamenta, cùm re vera coràm abiectus ſim, & nullius propemodum pretij, nihil magnificentiùs dicam. Non multò aliter explicat Oecumenius, niſi quòd ad ſuperiora refert, quod etiam facit Primaſius, quaſi Apoſtolus parem ſe fecerit Pſeudoapoſtolis, non autem prætulerit ne ſe per epiſtolas videretur iactare, & Corinthiis terrorem incutere. quem ſenſum in paraphraſi ſecuti ſumus. 9. I.

Qvoniam qvidem epistolæ, &c. Hæc erãt verba obtrectatorum Pauli, qui epiſtolas eius graues eſſe non negabant, præſentiam tamen, & orationem nihili faciendam eſſe dicebant. Quod ait interpres, *inquiunt*; Græcè eſt ſingulari numero φησὶ, vt ſubaudias quiſpiam. *Epiſtolæ ſunt graues, & fortes*; quaſi dicat, robuſtæ ſunt, ac validæ, & (vt ita dicam) neruoſæ, ac ſucci plenæ *Præſentia autem corporis infirma*. Qualis fuerit Pauli præſentia, ex his verbis colligi putat nonnemo: cùm tamen, vt arbitror non de trunco, aut corporis mole, ſed de animi magnitudine, aut dicendi copia loquatur Apoſtolus. Certè apud Lucianum [a] ſic de Paulo loquitur neſcio quis: *Quando enim me Galilæus ille conuenit recaluaſter, naſo aquilo, qui tertium vſque ad cælum per aerem ingreſſus eſt*. Nicephorus [b] verò ita Paulum deſcribit: *Corpore erat paruo, & contracto, atque incuruo, & paululum inflexo facie candida, annóſque plures præſeferente, & capite modico, oculis multa inerat gratia, ſupercilia deorſum verſus vergebant: naſus pulchrè inflexus, idemq; longior, barba denſior, & ſatis promiſſa, eaq; non minus, quàm capitis coma canis etiam conſperſa erat*. Cæterùm quæ de præſentia hoc loco dicit ad animi mores pertinent. Qui enim hæc Paulo obiiciebant, id potiſſimùm ſignificabant non eſſe illum ea animi magnitudine præditum, quam epiſtolæ præſeferrent. *Et ſermo contemptibilis*, vel potiùs contemptus; eſt enim Græcè ἐξουθενημένος, quaſi dicat nullius pretij, ſiue referas ad ornatum, ſiue quod magis reor, ad orationis vim, & pondus. 10. I.

a in Phyl.

b lib. 1. 1. c. 37.

Hoc cogitet qvi eivsmodi est, &c. Initio epiſtolæ precatus erat, ne committerent Corinthij, vt præſens ea vteretur poteſtate, qua nimis in pleroſque ſæuire putabatur: nunc autem cùm de contumacibus agat, ſe talem coràm fore dicit, qualem ſe per epiſtolas exhibeat. *Hoc cogitet* (inquit) *qui eiuſmodi eſt*, qui de nobis videlicet obloquitur quíque nos abſentes tantùm per epiſtolas minari, re autem vera nihil audere aut poſſe dicit, vel qui contumax Eccleſiaſticæ diſciplinæ leges impunè ſe violare poſſe credit, ita ſibi perſuadeat vel hoc pro certo habeat, & apud ſe ſtatuat quales nos abſentes per litteras ſumus tales præſentes fore (ſubaudiendum eſt enim hoc vel aliud ſimile verbum) *in facto*; hoc eſt re ipſa. Sumus igitur ſemper noſtri, ſimiles, atque iidem; *nam* (vt ait Primaſius) *omnia poterat Apoſtolus illius vi, ac poteſtate, quæ in ipſo erat, & obedientibus quidem per humilitatem infirmus, & peccantibus per ſeueritatem fortis erat*. Non aſſentior autem Anſelmo, qui quoniam Apoſtolus epiſtolas numero multitudinis numerat, conſequens 11. I.

ſequens putat Corinthios duas iam Pauli epiſtolas A
accepiſſe, præter hanc, quæ nondum ad illos perla-
ta erat; nam vel numerum multitudinis pro nume-
ro poſuit vnitatis, quod ſæpe aliàs fieri conſueuit, vel
hoc apud fideles percrebuerat epiſtolas, quas Pau-
lus ad Eccleſias ſcripſerat, acres admodum eſſe, ac ve-
II. hementes. Porrò quanquam ita loquitur Apoſtolus
propter obtrectatores ſuos, non tamen eorum con-
uitia, aut maledicta vlturum ſe minatur; ſed, vt ſu-
prà dixerat, inobedientiam. Quanquam enim con-
tumeliæ, & probra non patienti ſolùm, ſed etiam
æquo animo ferenda ſunt, interdum tamen ea eſſe
diluenda, Christi exemplo didicimus, qui apud
a cap. 8. 49. Ioannem [a] obiicientibus Iudæis Samaritanum il-
lum eſſe, & à dæmone occupari, benignè reſpon-
dens dixit, nullo modo ſe à dæmone vexari. Et Sa- B
b Prou. 26. 4. lomon [b] cùm dixiſſet: *Ne reſpondeas ſtulto iuxta
ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis*; continuò ſub-
didit: *Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſi-
bi ſapiens videatur.* Quæ quanquam pugnare vi-
deantur, mirè tamen inter ſe conſentiunt. Nam,
vt ait Beda, vtrumque pro loco, & tempore fa-
ciendum eſt; nonnunquam enim diſſimulanda ſunt
conuicia, perinde quaſi ad nos nullo modo perti-
neant: aliàs ſi res poſtulet ſunt abſque vlla tamen
animi perturbatione ſtrenuè refellenda. Poſſis
etiam aliter interpretari, vt primùm quidem neget
Salomon reſpondendum ſtulto iuxta ſtultitiam
ipſius, quaſi nefas dicat eſſe cuiuſquam ſtultitiam
imitari; reſpondendum tamen doceat iuxta ipſius C
ſtultitiam, quia aptè, atque appoſitè caſtiganda
c M. Tull. orat. aduerſ. Saluſt. eſt. Itaque ſapienter dixit olim quidam [c]: *Mihi ra-
tio habenda eſt non quid Saluſtius meritò debeat au-
dire, ſed vt ea dicam, quæ ego honeſtè effari poſſum.*
Quamobrem Apoſtolus vel contumacibus ſup-
plicium minatur, vel ſua ſe conuicia vindicatu-
rum dicit, quod piè, prudentérque facere po-
terat, ſi fortè id res aut tempus, aut perſonæ po-
ſtularent.

12. Non enim avdemvs, &c. Mirum cur
I. Apoſtolus non audeat ſe cum Pſeudoapoſtolis
conferre, qui non dubitet paulò pòſt ſe etiam ve-
ris Apoſtolis anteferre. An quod Græcè dixit τολ-
μῶμεν idem valet, quod ſuſtinemus? Hoc ſanè D
modo perinde erit, ac ſi dicat Apoſtolus; non
poſſumus imperare animo noſtro, vel inducere
in animum, vt cum eiuſmodi hominibus confe-
ramur, quaſi rem prorſus indignam abominetur.
Video certè hoc aliquo modo placuiſſe Chryſoſto-
mo, Oecumenio, & aliis, qui rem veluti abſurdam
ac prorſus indignam ab Apoſtolo reprehendi da-
mnaríque affirmant. Et in eam ſententiam dixit
Theodoretus: *Abſit autem vt nos noſtra, ſicut illi
æſtimemus.* Neque ab hac ſententia abhorrent Pri-
maſius, & Anſelmus, vt minimè neceſſe ſit ad
ironiam confugere. Nolite ergo, inquit, exiſti-
mare nos eorum de numero eſſe, vel iis certè
ſimiles, qui ſe, ac ſua magnificentiùs prædicant.
Porrò iucunda eſt in Græcis vocibus affinitas; E
quod enim interpres dixit, *inſerere, aut compa-
rare*; Græcè eſt ἐγκρῖναι ἢ συγκρῖναι, quaſi dicat
inſerre, aut conſerre ſiue inſerere, aut conſe-
rere. *Sed ipſi in nobis noſmetipſos metientes, &
comparantes noſmetipſos nobis.* Totus hic locus lon-
gè aliter habetur in Græcis: ἀλλὰ αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς
ἑαυτοὺς μετροῦντες, καὶ συγκρίνοντες ἑαυτοὺς ἑαυτοῖς
οὐ συνιοῦσιν, hoc eſt, ſed ipſi in ſe ipſus metien-
tes, & comparantes ſe ipſis ſibi ipſis non intel-
ligunt. Quomodo interpretatus eſt Syriacus. ita-
que omnino locum explicant Chryſoſtomus,

A Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus; vt
hæc omnia pertineant ad Pſeudoapoſtolos, qui
ſe, ac ſua magnificentiùs extollebant. Illi (in-
quit) non ſeſe iuſta menſura metiuntur, ſuo ſe
tantùm ſuffragio, ac ſententia probant. Noſter inter-
pres perinde accepit, quaſi Paulus de ſe ipſo loqua-
tur; quem ſequuntur Ambroſius, Primaſius, Anſel-
mus, cæterique Latini. Nos in Paraphraſi Græcorum
ſententiam ſecuti ſumus, quam video non ſemel
probatam fuiſſe Auguſtino; alicubi [a] enim ſcribit: a lib. de doct. Christ.
*Et fit illis quod ait Apoſtolus, comparantes enim ſe-
metipſos ſibimetipſis non intelligunt.* Alio verò [b] lo- b in Pſal. 34.
co: *Et comparantes* (ait Apoſtolus) *ſemetipſos in ſemet-
ipſis non intelligunt, neque quæ loquuntur, neque de
quibus affirmant.* Eodem modo alibi [c] frequenter c in Pſ. 118. & 104. & lib. 22. cont. Fauſt. c. 27.
B loquitur. Et profectò quæ ſequuntur apud Apoſto-
lum, cùm apertè de illo ipſo intelliguntur, & conti-
neant contrariam planè ſententiam; indicant ſupe-
riora ad alios pertinere. *Nos autem* (inquit) *non
in immenſum gloriamur quemadmodum illi*, quaſi II.
dicat, eos in immenſum gloriari, quia non ſe
iuſta lance metiuntur; illi quippe, ſe ipſos con-
ſtituunt ſuarum rerum, atque actionum iudices,
& æſtimatores. *Quocirca non intelligunt* inquit. Græ-
ci ſubaudiendum putant, *quàm ſint ridiculi*, vel
quantopere fallantur. Sunt qui exiſtiment, parti-
cipia μετροῦντες & συγκρίνοντες poſita eſſe pro infi-
nitis hoc ſenſu; non intelligunt ſe ſibi ipſos con-
ferre, metirique ſuo duntaxat iudicio, atque
C ſententia, cùm deberent potius cum iis, qui me-
liores ſunt, ſeſe comparare, & ex Chriſti lege
atque Euangelicis præceptis de ſe ſuiſque rebus iu-
dicare. Non me fugit, quoſdam hunc locum ita
partiri, vt prior pars αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς ἑαυτοὺς μετροῦν-
τες καὶ συγκρίνοντες, referatur ad Paulum, qui di-
cat, ipſi in nobiſmetipſis noſmetipſos menſuran-
tes, & comparantes; vt intelligamus, Paulum
non metiri ſe ex vulgi ſenſu, aut aliorum opinio-
ne & laude, ſed ſuis ipſius virtutibus, ſuóque vt aiunt
palmo, & poteſtate ſibi à Chriſto tradita: altera
verò pars, quæ ſequitur ἑαυτοὺς ἑαυτοῖς οὐ συνιοῦσιν, id
eſt, *ſeipſos ſeipſis*, ſubaudi comparantes, *non intelligunt*:
referatur ad Pſeudoapoſtolos; dũ enim Pſeudoapo-
D ſtolus Pſeudoapoſtolo comparatur, & mali ſeſe mu-
tuo laudant, nõ intelligunt ſeſe ridiculos videri. Ve-
rùm vt dixi Græcorum explanatio videtur planior.
Ambroſius quidem certè aliud exemplar ſecutus eſt;
ita enim legit: *Sed ipſi in nobis noſmetipſos menſuran-
tes, & comparantes noſmetipſos nobis non in immen-
ſum gloriabimur.* Atque ita non videtur Græcè legiſ-
ſe οὐ συνιοῦσιν, quod ne attigit quidem Latinus in-
terpres, quod tamen legerunt Chryſoſtomus, cæte-
tique omnes Græci, itemque Syriacus, & vt diximus
inter Latinos Auguſtinus.

Nos avtem non in immensvm, &c. 13.
Hoc videtur ex aduerſo ſuperiori ſententiæ reſpon- I.
dere; cùm enim Pſeudoapoſtoli non ſe ſua, & iuſta
menſura metirentur, ſupra modum, atque in im-
E menſum gloriabantur; vt enim ait Chryſoſtomus,
probabile erat eos iactando, eo vſque progreſſos eſſe
vt ſe orbem terrarum conuertiſſe, atque ad extremos
vſque terræ fines perrexiſſe dicerẽt, multáq; alia eiuſ-
modi de ſe magnificè prædicarent. Apoſtolus autem
cõtrà ait, nõ ſeſe vltra modũ iactare, ſed ea tantùm de
ſe cõmemorare intra eius mẽſuræ fines, quæ ſibi Deus
diuina ſua chariſmata impertitus eſt. Ita Chryſoſto-
mus, cæteriq; Græci neque aliter Ambroſius, Prima-
ſius, reliquiq; Latini; ſignificat enim Apoſtolus, ſe ni-
hil plus ſumere, quã quod ſui Apoſtolatus ratio po-
ſtularet, atq; ita ſeſe intra regulę ſuę mẽſurã cõtinere.

vocat

vocat autem *menſuram regulæ* poteſtatem ſibi diuinitùs traditam, ſumpta metaphora à regulis fabrorum; quocirca rectè Theodoretus. *Menſuram*, inquit, *regulæ vocauit gratiam à Deo datam; hanc enim munificus Deus impertiit iis, qui credunt. Hoc etiam dixit ſcribens ad Romanos* [a]. *Vnicuique vt Deus partitus eſt menſuram fidei.* Quamquàm hîc de prædicandi, docendique auctoritate, & poteſtate adminiſtrandi Eccleſiam loquitur Apoſtolus, vt rectè interpretatur Anſelmus. Nihil enim plus ſibi arrogabat, quàm quod diuinitus ſibi conceſſa auctoritas re vera poſſet efficere, neque ea poteſtate vltra ſui Apoſtolatus fines vtebatur. Quod ſequitur. *qua menſus eſt nobis Deus menſuram pertingendi vſque ad vos*; ſignificat, Corinthiorum Eccleſiam intra fines ſui Apoſtolatus contineri, adeóque iure ſe poſſe in ea Apoſtolica auctoritate vti, quod planiùs infrà explicabit. Perinde igitur eſt, ac ſi dicat ſe Chriſti nomen, &, vt ita dicam, regnum, atque imperium Corinthum vſque propagaſſe. Quod autem ait. *Qua menſus eſt nobis Deus*, græcè eſt ἐμέρισεν; id eſt, partitus eſt nobis Deus, vt interpretatur Ambroſius. Cæterùm interpres legiſſe videtur ἐμέτρησεν, ſed Syriacus omnino legit ἐμέρισεν, vt habent Græci codices. Rectè autem dixit Apoſtolus, hanc ſibi menſuram diuinitùs fuiſſe præſcriptam, ne putaretur eam ſibi propria auctoritate definiſſe.

a cap. 12. 1.

14. 1. NON ENIM QVASI NON PERTINGENTES, &c. Confirmat quod modò dixerat, non ſe exceſſiſſe fines ſui Apoſtolatus. Nemo enim eſt, inquit, qui verè nobis obiicere poſſit, nos menſuræ noſtræ fines excedere, dum iſtic apud vos apoſtolico munere fungimur, quaſi iſta Eccleſia non fuerit opera noſtra Chriſto aggregata. Re enim vera nos vobis Chriſtum, eiuſque fidem promulgauimus, atque idcirco nihil nos alienum vſurpamus, non alienos fines inuadimus. *Nihil*, inquit Primaſius, *vſurpatione facimus, ſed præcepto. Superextendimus, inquit, nos, nihil vltra aggredimur, quàm nobis conceſſum ſit; nam vſque ad vos etiam peruenimus in euangelio Chriſti; etiam vobis euangelium prædicauimus.* Euangelium autem Chriſti dicit, quaſi dicat, non meum, non meas laudes prædicaui, nihil humanum quæſiui, nihil præter vnam Dei gloriam, veſtrámque omnium ſalutem ſpectaui. Ita ſignificat ſe in illos habere auctoritatem: æquum enim erat, vt quos ille ad Chriſti fidem traduxerat, eorum etiam curam, & patrocinium ſuſciperet: ita enim diuinitus fuiſſe inſtitutum eccleſiaſtica traditione receptum eſt. Putat autem Chryſoſtomus cum cæteris, tacitè perſtringi pſeudoapoſtolos, qui inaniter gloriarentur ſe ad aliquas gentes, ac nationes perueniſſe, cùm tamen illis erudiendis, aut informandis nullo modo laboraſſent.

15. 1. NON IN IMMENSVM GLORIANTES, &c. Hæc etiam vt monet Chryſoſtomus acriter pſeudoapoſtolos pungunt: ſignificat enim, illos non ſolùm vltra modum gloriari ſolitos, ſed etiam alienas laudes vſurpare, & alienis laboribus gloriam quærere. Nos, inquit, ab hoc inanis gloriæ ſtudio longè abſumus, ſed contrà potius ſperamus fore vt augeſcente fide veſtra, intra noſtræ menſuræ fines veram, & ſolidam laudem cóſequamur: atque hac quidem ratione Corinthiorum animos ſibi conciliat, dum oſtendit, non modò ſe de illis optima quæque ſperare, verùm etiam eorum opera nonnullam ſuæ dignitatis amplificationem expectare. Obſeruat autem Chryſoſtomus, commodè Apoſtolum vſurpaſſe vocabula regulæ, ac menſuræ, vt oſtendat, ſe veluti ad orbis terrarum poſſeſſionem, ac præſtantiſſimam hæreditatem fuiſſe vocatum. Nihil igitur eſt ait cur nos vltra modum iactemus, & falſis atque commentitis laudibus gloriemur, quandoquidem tam multa iam diuinitus accepimus, vt meritò ſperare poſſimus veſtræ fidei amplificatione magnam gloriæ noſtræ factum iri acceſſionem: quam autem gloriam ſperet, mox indicat dum ait, ſe plures etiam gentes Chriſtianæ fidei præceptis, atque inſtitutis informaturum. Quod ait; *creſcentis fidei veſtræ*; græcè eſt αὐξανομένης: quod in paraphraſi diximus, augeſcente fide veſtra; eſt enim Græcis genitiuus abſolutus: quo etiam modo accepiſſe videtur Ambroſius; ſic enim explicat. *Magnificari ſe credit apud Deum, ſi augeantur in fide auditores eius.* Eodémque modo accipit Anſelmus, & omnino ita intellexit Syriacus. *Magnificari ſecundùm regulam noſtram in abundantiam.* Gloriam ſperat non quidem apud homines, ſed apud Deum; vt ait enim Theodoretus, ſperabat quod mox Apoſtolus explicat, plures Chriſto aggregare, atque adeo nouis laboribus ampliorem mercedem, & gloriam promereri, ſed tamen intra fines ſui apoſtolatus; hoc enim eſt *ſecundùm regulam noſtram*; ſed quia intra illos fines merita ſua magnoperè amplificabat, addit; *In abundantiam*: itaque ſignificat ſperare ſe fore, vt in dies creſcente Corinthiorum fide, ipſius etiam apoſtolatus maiora capiat incrementa, adeóque ſua euangelij promulgatio longiùs protendatur etiam ad eos, qui vltra Corinthum ſunt, idque ſecundum regulam ſuam, non alienam, quaſi dicat, ſuo Marte; ne in alienam poſſeſſionem videatur irruere, ſibique arrogare quæ ab aliis parata, & perfecta iam eſſent, quod pſeudoapoſtoli faciebant. & idcirco ſubdit.

16. 1. ETIAM IN ILLA, QVÆ VLTRA, &c. Hæc eſt illa gloriæ maior acceſſio, quam Apoſtolus ſperat. Longiùs enim ad euangelium promulgandum progredi, plures labores ſuſcipere, maiora pericula ſubire, grauioribus ærumnis premi, plurimis denique fluctibus iactari ſibi honorificum, & glorioſum putat; atque hac ratione ſui Apoſtolatus fines non egreditur, hoc enim ſignificat cùm ait. *Non in aliena regula.* Neque alienas laudes ſibi vſurpat; quod ſignificat cùm ait. *In iis, quæ præparata ſunt gloriari.* Infinita verò, *euangelizare, & gloriari* pendent à præcedenti participio: *ſpem habentes.* Videtur autem Apoſtolus dum regulam, & menſuram nominat, ad priſtinam Hebræorum conſuetudinem reſpexiſſe, qui regiones, & agros funiculis partiri conſueuerant. Cæterùm quod ait, non ſe gloriari in iis, quæ parata iam ſunt, & quod paulò antè dixerat, in alienis laboribus; pugnare quodammodo videtur cum verbis Chriſti, qui apud Ioannem [a] dixit. *Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introiſtis.* Itémque: *Ego miſi vos metere, quod vos non laboraſtis.* Et paulò antè dixerat. *In hoc enim eſt verbum verum, quia alius eſt, qui ſeminat, alius eſt, qui metit.* Loquitur enim Chriſtus de comparatione Apoſtolorum cum antiquis prophetis: quòd prophetæ ſementem feciſſent, Apoſtoli verò meterent; proinde enim ſubiicit. *Ego miſi vos metere quod vos non laboraſtis: alij laborauerunt, & vos in labores eorum introiſtis.* Omnes enim conſentiunt auctores, prophetas ſignificari, qui antequàm Apoſtoli venirent in erudiendo populo laborauerant: quidquid enim Heracleon apud Origenem de Angelis ſomniet, minimè dubium eſt homines cum hominibus comparari: nec deſunt qui de philoſophis etiam accipiant, qui vnum eſſe Deum docebant, aliáque multa tradebant, quæ verum Dei cultum, verámque religionem facilè poterant perſuadere: & quidem in hanc ſententiam multa ſcribit 11.
Clemens [b] Alexandrinus, qui philoſophiam quaſi gentilium pædagogum, idem ait fuiſſe Græcis, quod lex Moſis Iudæis fuerat. Quò pertinet quod non ſemel ſcribit Auguſtinus [c], ſe in Platonicorum libris

a cap 4. 38.
b in Pædag. & lib. 1. Strom.
c lib. 1. Conf. cap. 9 & lib 3. cont. academ.

multa legiſſe, quæ Chriſtianæ religioni conſentanea eſſent, eorúmque lectione ad complectendam Chriſtianam fidem non mediocriter fuiſſe commotum. Verùm multò probabilius eſt, loqui Chriſtum de prophetis, qui ſementem feciſſe dicuntur, quòd Chriſtianæ religionis prima veluti ſemina ſparſerant, vnde fruges extiterint, quas Apoſtoli meſſuerunt. Dicuntur autem laboraſſe prophetæ, Apoſtoli verò in eorum labores introiſſe, non quòd hi minùs, quàm illi laborauerint; ſed quòd multò maiorem laborem Apoſtoli ſubituri eſſent, ſi prophetæ ante illos non laboraſſent, & Iudæorum populum ad Chriſtum, eiúſque euangelium recipiendum præparaſſent. Loquitur enim Chriſtus propriè tantùm de Iudæis, de quorum conuerſione ad fidem tunc agebat: verè enim Apoſtoli cùm permultos Iudæos Chriſto adiunxerunt, maturas veluti fruges collegerunt, quas prophetæ ſeminauerant. Iam verò cùm Apoſtolus ſe cum cæteris Apoſtolis conferat, verè dixit non ſe excoluiſſe ea, quæ alij præparaſſent, quod alibi dixerat, non ſe ſuper alienum fundamentum ædificaſſe.

17. QVI AVTEM GLORIATVR, &c. Hanc ſen-
I. tentiam aliqua ex parte deſumptam ex Ieremia[a] to-
a cap. 9. 24. tidem verbis poſuit Apoſtolus in ſuperiori Episto-
b cap. 1. 31. la[b]. *Vt quemadmodum*, inquit, *ſcriptum eſt, qui gloriatur, in Domino glorietur.* Sed hoc videtur intereſſe, quod ibi quidem docet Apoſtolus, vni Deo bona omnia accepta eſſe referenda, ne quis ſibi quidquam boni arroget: hic autem gloriari in Domino nihil aliud videtur eſſe, quàm omnem ſuam laudem, & gloriam in Dei iudicio, ſententiáque reponere. Ob id enim ſubdit. *Non enim qui ſe ipſum commendat, ille probatus eſt.* Senſus igitur Apoſtoli eſt; qui gloriatur, ita ſanè glorietur, vt omnis eius gloria à Deo pendeat; tunc enim verè laude dignus erit, ſi Deum habeat laudatorem. Hæc autem ait dicuntur ab Apoſtolo, vt ſignificet, quæ de ſe, ſuiſque rebus partim commemorauit, partim commemoraturus eſt, non ad ſuam priuatam laudem, & gloriam referri; ſed id

A vnum ſe ſpectare, vt auditorum ſuorum animi in ſuſcepta fide confirmarentur, & diuinam gloriam ipſe quoad eius fieri poſſet, illuſtraret. Quidquid enim à ſe præclarè geſtum ſit, id diuinæ beneficentiæ, ac liberalitatis ſingulare munus fuiſſe prædicat.

NON ENIM QVI SE IPSVM, &c. Digna pro- 18.
fectò Apoſtolo ſententia: ſe ipſum autem commen- I.
date is dicitur, qui ſuas laudes quaſi ſuas celebrat, nec quidquam Deo bonorum omnium auctori tribuendum putat; & ſanè ille ſibi non ſolùm blanditur, ſed etiam aſſentatur qui ea plerumque in ſe ipſo laudat, quæ in aliis iure optimo reprehenderet, & vt vera interdum, ac laude digna de ſe prædicet: in eo certè fallitur, quod ſibi vni arrogat, quod Deo potiſſimum tribuendum erat, atque hoc ipſo Dei iudicio, atque ſententia meritò damnatur. Cæterùm
B *ille probatus eſt*, id eſt vera ſolidáque laude, & gloria dignus, *quem Dominus commendat*; cum verò commendare dicitur Deus, qui quidquid boni habet, tanquam ſingulare Dei munus & agnoſcit, & prædicat. Ita diuina in ſe beneficia extollebat beatiſſima
Virgo cùm diceret[a]: *Quia reſpexit humilitatem ancil-* a Luc. 1. 48.
læ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Itémque Rex Ezechias, cuius erat hæc ad
Deum oratio[b]. *Obſecro*, Domine, *memento, quæſo,* b Eſai. 38. 3.
quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto; & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim. Deni-
que Paulus, qui ad Timotheum[c] ſcripſit. *Bonum cer-* c 2 cap. 4. 7.
tamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. Neque aliter accipienda ſunt quæ non ita multò pòſt de ſe, ſuiſque
D rebus copiosè commemorat; quæ ita ad Pauli laudem pertinent, vt diuinam tamen gloriam præcipuè extollant. Itaque Apoſtolus hoc loco videtur pſeudoapoſtolos perſtringere, quaſi Deo non placeant, cùm ſuas laudes ſupra modum iactent: ſe verò, qui intra ſuæ menſuræ fines ſe contineat, Deo eius menſuræ largitori probatum iri. Quocirca confidenter de ſuo munere, ſuiſque actionibus deinceps multa commemorat.

Argumentum Cap. XI.

CONTRA *ſuos calumniatores vehementiùs inuehitur, ſuáſque non exiguas laudes coactus recenſet, & hanc veluti dementiam pluribus excuſans, veniam quodammodo precatur, quòd rei neceſſitate, & ipſorum vtilitate penè compulſus ſui muneris dignitatem, atque amplitudinem tueatur.*

CAPVT XI.

VTINAM *ſuſtineretis modicũ quid inſipientia mea, ſed & ſupportate me.*

Aemulor enim vos Dei æmulatione; deſpondi enim vos vni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto.

Timeo autem, ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidãt à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto.

Nam

PARAPHRASIS.

VTINAM tolleraretis pauliſper inſipien- 1.
tiam meam, dum ad retundẽdam pſeudoapoſtolorum arrogantiã cogor nõnihil de meis laudibus prędicare: hanc autem mearum laudum cõmemorationem, quo alio quàm demẽtiæ nomine appellem prorſus ignoro. Vos verò quod de veſtra benignitate mihi facilè
perſuadeo, me omnino toleratis. ¶ Ego autẽ pro 2.
ea, qua vos beneuolentia proſequor, penè dicam zelotypiæ ſtimulis actus, vos quodam modo præparaui, quos veluti ſponſam vni viro pro virgine pura, planéque integra, atque intacta, hoc eſt, Chri-
ſto Domino ſiſterem. ¶ Sed metuo, ne qua fortè 3.
ratione, vt olim ſerpens ille antiquus Euam viuentium matrem ſua calliditate ſeduxit; ita corruptæ mentes veſtræ degenerent à ſimplicitate, quæ eos

maximè

maximè decet, qui Chriſtum complexi, eius do-
ctrinam; viuendique rationem profitentur.
4. ¶ Enimuerò ſi veniat ad vos, qui alium Ieſum prę-
dicet, quàm nos prædicauimus, aliámve doctri-
nam perfectiorem polliceatur, quaſi ea, quæ nos
docuimus non ſatis ſint ad ſalutem, aut excellen-
tiora ſpiritus dona alterius prædicatione collatá
vobis afferat, aut denique Euangelium aliud quod
non accepiſtis, rectè eum toleraueritis, ſed eos nõ
poſſitis meritò tolerare, qui neſcio quid de nobis
obmurmurant, cùm perfectiorem Chriſtum vo-
bis, aut nobilius Euangelium non annuntient.
5. ¶ Nam nihilo minùs perfecta ego vobis annun-
tiaui, quàm ſummi Apoſtoli aliis prædicarint; ne-
que vlla prorſus re me illis inferiorem fuiſſe pro-
bare quiſquam poſſit, niſi quis fortè mihi infan-
tiam, aut parum cultam, atque ornatam oratio-
6. nem obiiciat. ¶ Nam ſi quis contendat, rudi me
atque impolita oratione vti, non iuerim inficias;
diuinarum tamen rerum ſcientiam, quæ Eccleſia-
rum magiſtrum deceat, nemo iure requirat, aut
vllo modo reprehendat: ſed quid attinet hæc à me
pluribus commemorari? Vos ipſos teſtes appello,
qui re ipſa experti eſtis quid in omni genere effi-
7. cere, ac præſtare poſſim. ¶ Num id mihi vitio ver-
titur, aut quaſi crimen obiicitur, quòd me ipſe vl-
tra modum deiecerim, atque humile, abiectúm-
que artificium exercuerim, vt veſtram vos ampli-
tudinem retineretis, & vobis interim prorſus gra-
8. tuitò Euangelium prædicauerim? ¶ Equidem ab
aliis mendicare potius volui, & alias Eccleſias ac-
cepto ab iis ſtipendio quodam modo ſpoliaui, vt
nullo veſtro incommodo, vel iactura vobis Chri-
ſtianæ fidei præcepta traderem, & vt ita dicam in-
9. ſeruirem. ¶ Cúmque apud vos eſſem, & egeſtate
laborarem, nullius opem, aut ſubſidium implora-
ui, ne cuiquam moleſtus eſſem; ſed ſtrenuè ma-
nuum opificio vitam toleraui, & premente inopia
nihil de laboribus remiſi, vt quemquam graua-
rem; neque propterea meæ functioni torpui, aut
Euangelicæ prædicationis muneri vlla ex parte
defui: ſi quid mihi deerat ſuppeditarunt id fratres,
qui venerant ex Macedonia: in omnibus denique
me præſtiti vobis, & (vt ſpero) præſtabo minimè
10. oneroſum. ¶ Equidem verè vobis affirmo (nam ſi
mentior non recuſo, quin cenſear alienus à verita-
te Chriſti) affirmo inquam fore, vt mihi ſemper
hæc gloriatio præſtò ſit in regionibus Achaiæ, ne-
11. que paſſurum me ab illa vllo pacto excludi. ¶ Sed
quamobrem (ſciſcitetur fortaſſe quiſpiam) ita me
geram vobiſcum; an quòd vos non diligam? Hîc
ego nihil habeo reſpondere; tantùm dico, quid-
12. quid id ſit, Deum nequaquàm latere poſſe. ¶ Ve-
rum quod facio, in poſterum conſtanter faciam, vt
amputem occaſionem iis, qui omnem captant an-
ſam, quò nos in eam ſententiam pertrahant, vt ali-
quid pro munere prædicationis accipiamus: hoc
enim impetrato, tum demum quod gloriari ſo-
lent ſe cõſecuturos ſperant, vt pares nobis videan-
tur. Vel certè eamdem me viuendi rationem
retentu

Nam ſi is, qui venit alium Chriſtum prædicat, quem non prædicauimus, aut alium ſpiritum accipitis, quem nõ accepiſtis: aut aliud Euangelium, quod non recepiſtis, rectè pateremini.

Exiſtimo enim nihil me minùs feciſſe à magnis Apoſtolis.

Nam etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia, in omnibus autem manifeſtati ſumus vobis.

Aut numquid peccatum feci, me ipſum humilians vt vos exaltemini? quoniã gratis Euangelium Dei euangelizaui vobis?

Alias Eccleſias expoliaui, accipiens ſtipendium ad miniſterium veſtrum.

Et cùm eſſem apud vos, & egerem, nulli oneroſus fui: nam quod mihi deerat, ſuppleuerunt fratres, qui venerunt à Macedonia, & in omnibus ſine onere me vobis ſeruaui, & ſeruabo.

Eſt veritas Chriſti in me, quoniam hæc gloriatio non infringetur in me in regionibus Achaiæ.

Quare? quia non diligo vos? Deus ſcit.

Quod autem facio, & faciam; vt amputem occaſionem eorum, qui volunt occaſionem, vt in quo gloriantur, inueniantur ſicut & nos.

retentutum polliceor,vt amputem occaſiones iis,
qui ſua ſimulatione, atque hypocriſi calumniandi
materiam quærunt;vt quoniam gloriari ſolent, ſe
gratis Euangelium docere,atque adeo nobis ſimi-
les videri (cùm tameo diuites ſint, aut etiam clàm
accipiant) nos accuſare oulla ratione queant.

Nam euſmodi pſeudoapoſtoli ſunt operarij ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti.

¶ Nam iſtiuſmodi pſeudoapoſtoli re vera doloſi 13.
miniſtri cenſendi ſunt, aliena veluti latua men-
tientes ſe eſſe Apoſtolos Chriſti: itáque externa
quadam ſpecie Apoſtolorum mores imitantur, vt

Et non mirum: ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis.

nihilo illis inferiores videri poſſiot. ¶ Neque ve- 14.
rò id vllo modo mirandum eſt; ipſe enim Satanas
malorum omnium auctor Angeli lucis formam
mentitur,vt ſpecie pietatis obiecta faciliùs in frau-
dem impellat eos, qui alioqui à vitiis ſuapte ſpon-

Non eſt ergo magnum, ſi miniſtri eius transfigurentur velut miniſtri iuſtitiæ, quorum finis erit ſecundùm opera ipſorum.

te abhorrent. ¶ Non magnum igitur eſt ſi mini- 15.
ſtri ipſius alienam veluti perſonam induant, vt
miniſtri iuſtitiæ & quidem ſinceri & recti videri
queant; quorum aliquando finem ipſorum actio-

Iterum dico, (ne quis me putet inſipientem eſſe, altoquin velut inſipientem accipite me, vt & ego modicum quid glorier.)

nibus reſpooſurum nequaquam dubito. ¶ Rur- 16.
ſum moneo,vt verba mea boni conſulatis, ne quis
me putet deſipere, aut delirare dum meas laudes
recenſeo;alioqui ſi ita vultis etiam me vt inſipien-
tem habetote, mihi tamen hanc veniam date, vt

Quod loquor non loquor ſecundùm Deum, ſed quaſi in inſipientia, in hac ſubſtantia gloriæ.

paululum quiddam & ego glorier. ¶ Quod au- 17.
tem dico, ſi verba ipſa, & rationem docendi ſpe-
ctes,non planè Deo,eiúſque diuinis conſiliis con-
ſentaoeū videatur;ſed ita vos illud accipite, quaſi
mihi per imprudentiam exciderit, dum meæ de

Quoniam multi gloriantur ſecundùm carnem: & ego gloriabor.

vobis gloriationi plurimùm tribuo. ¶ Quando- 18.
quidem multi externa rerum ſpecie deliniti, ob
ea, quæ ſub ſenſum eadunt, mirum in modū glo-
riantur;cur mihi non liceat eo etiam nomine nō-

Libenter enim ſuffertis inſipientes, cùm ſitis ipſi ſapientes.

nihil gloriari? ¶ Cur enim mihi id apud vos fas 19.
eſſe non putem,qui æquo, libentíque animo alio-
rum inſipientiam toleratis,cùm ſitis ipſi ſapientes?

Suſtinetis enim ſi quis vos in ſeruitutem redigit, ſi quis deuorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem vos cædit.

¶ Toleratis enim, ſi quis vos quaſi mancipia in 20.
ſeruitutem adigit; ſi quis exedit, ſi quis accipit,ſi
quis attollit ſeſe, ſi quis vos probris inſectatur; nā
habita eius contumeliæ tatione, qua vos afficit,ea
profectò nihilo minor eſt, quàm ſi vos vilium mā-

Secundùm ignobilitatem dico, quaſi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet (in inſipientia dico) audeo & ego.

cipiorum inſtar colaphis cæderet. ¶ Quo nihil 21.
abiectius,aut ignobilius cogitari poreſt,nos autem
tolerare nullo modo poteſtis, nempe quia viles,
abiecti,ignobiles, artifices,idiotæ, & ſexcentis ca-
lamitatibus obnoxij fuimus:immò verò(vt eò re-
deat, vnde paululum deflexit oratio) quacumque
in re velit quis coofidentis animi gloriatione vti
(per imprudentiam loquor)eadem etiam vti nihi-

Hebræi ſunt; & ego: Iſraelitæ ſunt; & ego: Semen Abrahæ ſunt; & ego.

lominùs velim & ego. ¶ Hebræi ſunt?ſum etiam 22.
ego.Iſraelitæ ſunt? Nihilominùs ego. Semē Abra-
hæ ſunt?eundem quoque parentem, & progeni-

Miniſtri Chriſti ſunt (vt minùs ſapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter.

torem agnoſco & ego. ¶ Miniſtri Chriſti ſunt? 23.
(deſipiens loquor) hîc ego quidem excello: in la-
boribus,in fatigationibus perabundè, inter verbe-
ra plus ſatis verſatus, in carceribus frequentiùs,in

A Iudæis quinquies quadragenas, vna minùs, accepi.

mortis præſentibus periculis ſæpiſſime. ¶ A Iu- 24.
dæis flagris quinquies cæſus, plagas quadragenas

Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte, & die in profun

vna minùs accepi. ¶ Ter virgis affectus ſum, ſe- 25.
mel lapidibus appetitus; ter naufragium feci,
noctem

noctem integram,ae diem totum in profundo egi.
26. ¶ Itinera multa confeei; pericula plurima adiui,
fluminum, latronum, gentilium meorum, atque
ethnieorum,magna ſæpe diſcrimina ſum expertus
in ciuitate,in ſolitudine, in mari,atque inter ipſos
27. falſos fratres. ¶ Sæpe fatigatus ærumnas, vigiliáſ-
que;quinetiam famem, ſitim, frequentia ieiunia,
frigus, atque nuditatem perferre coactus ſum.
28. ¶ Mitto cætera, quæ me quodam modo extrinſe-
cùs premunt; vrget profectò agmen illud in me
quotidie irruens, illam dico ſollicitudinem, qua
omnium Eccleſiarum ſalutem incredibili ſtudio
29. procuro. ¶ Quis quæſo affligitur, quin ego quo-
que perſimili ratione affligar? Quis offenſionem
incurrit,quin ego intus in animo vri me quodam-
30. modo ſentiam? ¶ Si gloriari oporteat, equidem
propter ea duntaxat gloriabor, quæ ſunt propria
31. imbecillitatis meæ. ¶ Deus & Pater Domini no-
ſtri Ieſu Chriſti,qui immortali laude celebrandus
eſt in omnem æternitatem,certò nouit me nequa-
32. quam mentiri. ¶ In Damaſci quippe vrbe,qui no-
mine Aretæ Regis genti præerat, vrbem totam
præſidio, atque veluti obſidione ſeptam tenebat
hanc vnam ob cauſam, vt me comprehenderet.
33. ¶ Ac è feneſtra per vrbis mœnia in ſporta inclu-
ſus fune demiſſus manus eius effugi.

profundo maris fui.

In itineribus ſæpe,periculis fluminum, periculis latronum,periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in ciuitate,periculis in ſolitudine,periculis in mari, periculis in falſis fratribus.

In labore,& ærumna,in vigiliis multis,in fame & ſiti,in ieiuniis multis,in frigore & nuditate.

Præter illa,quæ extrinſecus ſunt, inſtãtia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum.

Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur,& ego non vror?

Si gloriari oportet,quæ infirmitatis meæ ſunt, gloriabor.

Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti,qui eſt benedictus in ſæcula,ſcit quòd non mentior.

Damaſci præpoſitus Gentis Aretæ Regis, cuſtodiebat ciuitatem Damaſcenorum, vt me comprehenderet.

Et per feneſtram in ſporta demiſſus ſum per murum,& ſic effugi manus eius.

IN CAPVT VNDECIMVM EXPLANATIO.

1. I. VTINAM SVSTINERETIS MODICVM, &c. Nouerat Apoſtolus verè, ac ſapienter dictum eſſe à Salomone [a]; *laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, & non labia tua.* Quoniam verò Corinthiorum vtilitas hanc à ſe ſuarum laudum commemorationem extorquebat, veniam non ſemel deprecatur. Vocat autem inſipientiam,ſeu imprudentiam; vt enim ait Chryſoſtomus,qui de ſe ſuiſque rebus magnificè loquuntur,apud viros cordatos ac ſapientes, malè vt plurimùm audire ſolent. Quoniam igitur hoc ipſum videri poterat reprehenſione dignum, non ſemel excuſationem adhibet. Videtur autem id potiſſimùm ſpectaſſe Apoſtolus, vt Corinthij in fide retinerentur; verendum enim erat, ne pſeudoapoſtolorum oratione decepti,minus benè de Apoſtolo, eiúſque doctrina ſentirent,atque ita facilè in errorem impellerentur. ne tamen inani gloriæ ſtudio,& cupiditate duci videatur, orationem ſuam præmollit. Acutè verò obſeruauit Primaſius, cùm Apoſtolus ſe vera narrantem de ſuis laudibus inſipientem appellet, planè væcordes, ac ſtultos illos eſſe cenſendos, qui nulla neceſſitate compulſi falſas ſibi laudes affingunt. *Vtinam*,igitur,ait,*ſuſtineretis modicum quid inſipientiæ meæ*: quaſi dicat: vtinam me paulíſper velut inſipienter loquentem æquo animo feratis. Videtur enim alludere ad ſuperiorem Epiſtolam [b], in qua cùm ſuas laudes leuiter attigiſſet, viſus erat nonnullis parum modeſtè gloriari. Hic verò quaſi de Corinthiorum beneuolentia nihil dubitet, indicat ſperare ſe, bonam illos in partem accepturos quidquid ipſe dicturus ſit. *Sed & ſupportate*,inquit, *me.* Græcè ἀνέχεσθέ μου, immò verò ſuffertis, aut ſuſtinetis. Corrigit enim quod optando dixerat,ne videatur de Corinthiis dubitare. Ita Chryſoſtomus, cæterique omnes Græci,idque orationis ἀκολουθία neceſſariò poſtulat, atque hac ratione, vt monet Chryſoſtomus,indicat,ſe plurimùm eorum beneuolentiæ confidere;ſéque adeo illos mira caritate complecti,& ab illis viciſſim amari non quidem ſimplici, ac vulgari beneuolentia, ſed eximia planéque ſingulari, quippe qui amici inſipientiam boni conſulant.

a Prou.27.2.

b cap.4.12.& 9.1.

2. I. ÆMVLOR ENIM VOS DEI,&c. Hæc eſt ratio cur Apoſtolus coactus ſit ſuas laudes commemorare. Cùm enim de Corinthiorum ſalute valdè eſſet ſollicitus, hac ratione exiſtimauit, eorum periculo occurrendum eſſe. ait igitur, quocumque tandem modo hæc oratio accipiatur, eam à ſingulari beneuolentia, & caritate profectam eſſe. quocirca,vt obſeruat Chryſoſtomus cum cæteris Græcis, non dixit: amo vos,ſed,quod multò eſt vehementius, zelotypia laboro, quod eſt ardenter amantis. Eſt enim zelotypia (vt colligitur ex Ariſtotele [a]) triſtitia quædamquæ oritur ex iis,quæ ſibi vel amicis deficiunt. Itaque à Salomone [b] cum ardenti amore coniungitur. *Fortis*, inquit,*eſt,vt mors dilectio,dura ſicut infernus,æmulatio.* Græcè ζηλοτυπία. Itaque oſtendit, vt ait Ambroſius, quæ dicturus ſit non tam ad ſuarum laudum prædicationem,quàm ad ipſorum vtilitatem

a 2.rhet.ca.8.

b Cant.8.6.

Digitized by Google

pertinere: *vt diſcant*, inquit, *quemadmodum parenti ſuo in euangelio faueant; quia vituperatio Patris detractio filiorum eſt, & laus filiorum gloria Patris eſt.* Zelum igitur hoc loco appellat ingentem quendam amorem, quo illos eximiè diligebat, & ab iis viciſſim amari cupiebat. Addit. *Dei æmulatione*; vt intelligant nulla ſua gloria, nullóve ſuo compendio commoueri, ſed eo modo eſſe zelotypum, quomodo Deus ipſe dicitur zelotes, qui nullum in amore ferat riualem. Ita videtur excludere Apoſtolus eos, qui apud Corinthios primatum ambiebant; indicátque nolle ſe, eos in partem amoris admitti. Mox autem explicat qualis ſit zelotypia, videlicet pro Chriſto, cui iam Corinthios deſponderat. Quod autem ait: *deſpondi*, græcè eſt ἡρμοσάμην. Ambroſius legit: *paraui*, Hieronymus[a]. *Statui*, Auguſtinus[b]. B *Aptaui vos vni viro.* Certè Græcum verbum ἡρμόζω propriè ſignificat aptè & concinnè applico, vt ea quæ glutino aliáve re perſimili coniunguntur: quaſi ſignificet fidei conceptæ beneficio eos fuiſſe Chriſto quaſi ſponſo coniunctos. Hac igitur zelotypia permotus ne contra iura connubij aliquo modo peccent valdè ſollicitus eſt, & anxius. Ita, quod monet Chryſoſtomus, rectè dixit, ſe diuina zelotypia commoueri; ne videlicet illi ſponſo contumeliam inferant. Obſeruat autem idem Chryſoſtomus quamdiu inter mortales viuimus, ſponſalia; nuptias poſt hanc mortalem vitam celebrari, cum videlicet vox illa audietur, quæ eſt apud Matthæum[c]. *Ecce ſponſus venit, exite obuiam ei.* Addit

II. Apoſtolus. *Virginem caſtam exhibere Chriſto.* Quem enim paulò antè virum dixerat, nunc apertè Chriſtum nominat, cui tanquàm ſponſo fideles aptantur. C Acutè autem obſeruatum eſt à Chryſoſtomo, nouum, planéque admirabile videri, quod de hoc cœleſti coniugio in præſentia ſcribit Apoſtolus. nam in humanis quidem nuptiis ſponſæ ante coniugium virgines ſunt, poſt coniugium non item: in his autem Chriſti nuptiis ſecus accidit. quamuis enim ante matrimonium virgines non ſint, hoc cæleſti coniugio inito virgines efficiuntur. De mentis quippe virginitate, atque integritate loquitur, quæ omnem excludit peccati maculam, nec quidquam admittit, quod cœleſti ſponſo diſplicere poſſit. Videtur autem Apoſtolus, vt idem monet Chryſoſtomus, ſe cum pronubo, aut paranympho conferre; nam & alibi dixerat[d]: *pro Chriſto legatione fungimur.* D Non aſſentior autem hoc loco Ambroſio, qui de his virginibus, de quibus in præſentia agit Apoſtolus, explicat verba Ioannis in Apocalypſi[e]. *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt conquinati, virgines enim ſunt: hi ſequuntur agnum quocumque ierit.* Abſurdum enim putat; ab eo cœtu beatorum excludi Apoſtolos; quos, exceptis Ioanne, & Paulo, vxores habuiſſe putat. Etenim non dubito Ioannem in Apocalypſi loqui de virginibus, qui corporis integritate ſeruata nullam prorſus Veneris voluptatem experti ſunt, vt aduerſus Iouinianum docet Hieronymus[f], *Virgines enim, hoc eſt corpore atque animo integri, qui extremis mundi temporibus Chriſtum colent, quia omnibus pene virtutibus florebunt, meritò dicuntur ſequi agnum quocumque ierit, quia omnes Chriſti virtutes imitatione expriment.* E Quocirca nil mirum videri debet, ſi ab eo numero excludantur Apoſtoli, cùm ne omnes quidem virgines comprehendantur. Quòd ſi de omnibus virginibus verba illa accipienda quis putet, ne abſurdum quidem cenſendum eſt, Apoſtolos nonnullos aliósque eximios ſanctos ab eo numero alienos eſſe, cùm quidquid eo loco de virginibus dicitur non ad ipſam beatitudinis eſſentiam, sed ad priuatum quemdam ornatum, & accidentalem beatitudinem pertineat.

a In Amos
b lib. 2. de Gen. contra Manich.
c cap. 25. 6.
d Supra cap. 5. 20.
e cap. 14. 4.
f lib. 1.

3.
I. A TIMEO AVTEM, NE SICVT, &c. Hoc nimirum Apoſtoli zelotypia ſpectat, ne Corinthiorum animi corrumpantur, & mentis integritas, & vt ait dicam virginitas vitietur. Vt autem indicet non ſe de corporis virginitate locutum eſſe, Euæ exemplum affert, quæ ſerpentis calliditate ſeducta eſt, & ſenſus apertè nominat, græcè νοήματα; ne quis ad viſum, aut auditum, aliòve corporis ſenſus referat. *Timeo* ergo inquit, *ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua*; quaſi dicat, eius mentis integritatem violauit. Græcè eſt ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτοῦ, Hebraica phraſi, hoc eſt, per aſtutiam, & calliditatem. In Geneſi[a] enim dicitur, *ſerpens callidior cunctis animantibus terræ*, quod accipio tum de fraude dæmonis, qui ſerpentis opera vtebatur, tum de naturali quadam B ſerpentis aſtutia, de qua Chriſtus in Euangelio[b]; *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Subdit: *ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant a ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto.* Auguſtinus[c]: *mentes*, latinè dixit, quod græcè Apoſtolus ſcripſit νοήματα, & allegoriam Euæ accommodat; vt quemadmodum illius oculi decepti ſunt, ita Corinthiorum menti timendum videatur. Cæterùm nihil eſt in Græcis codicibus quod reſpondeat Latino verbo: *excidant*. quod videtur additum ab interprete, tum vt explicet Apoſtoli ſenſum, tum quòd durius videtur dictum, *corrumpantur à ſimplicitate*; quaſi velit ſignificare, animum à ſimplicitate corrumpi, quod eſt omnino falſum: non enim ſimplicitas animum, vel mentem corrumpit, ſed mens corrupta, à ſim- C plicitate degenerat. Simplicitatem autem ad fidei integritatem refero, à qua non vult Apoſtolus vel tantillùm deflectere cogitationes Corinthiorum; ſic

II. enim explico τὰ νοήματα. Ambroſius pro ſimplicitate legit *caſtitate*, quaſi græcè ſcriptum repererit, ἁγνότητι. Eodem modo ſæpe legit[d] Auguſtinus, qui alicubi[e]: *ne corrumpantur*, ait, *mentes veſtræ à ſimplicitate, & caſtitate, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Dixit autem ſimplicitatem, quæ eſt in Chriſto; græcè εἰς τὸν Χριστόν, hoc eſt, quæ erga Chriſtum, ſiue, in Chriſtum, cui purè, ac ſimpliciter habenda fides eſt, eódemque modo obtemperandum. Porro Chryſoſtomus obſeruat, Apoſtolum ita ſuum timorem indicare, vt tamen non prorſus videatur de eorum conſtantia, ac firmitate dubitare, ait enim μή πως; id eſt, ne quo pa- D cto corrumpantur ſenſus veſtri. Quinetiam ita eos tacitè obiurgat, vt tamen non mediocriter ſubleuet; dum omnem malitiam deriuat in corruptores, quos aptè, vt indicat Primaſius, ſerpenti comparat, vt enim ille mentiendo Euam deceperat, ita metuendum erat, ne pſeudoapoſtoli ſuis mendaciis integritatem fidei Corinthiorum aliqua ratione corrumperent. Indicat autem Oecumenius, ita Apoſtolum loqui, vt orationis aſperitatem emolliat, cùm tamen alioqui iam corrupti eſſent: & fortaſſe id de nonnullis verè potuit affirmari, de omnibus haud facilè crediderim. Illud vehementer probo, quod idem Oecumenius monet, & ante illum inſinuauerat Chryſoſtomus, exemplo Euæ indicare voluiſſe Apoſtolum, fœminarum proprium eſſe falli, ſeduci, E ac decipi.

4.
I. NAM SI IS, QVI VENIT, &c. Obſcura, & vt ait Chryſoſtomus, itémque monet Ambroſius, periculoſa ſententia, quæ omnibus propemodum hæreſibus aditum patefaciat, niſi probè intelligatur. Cùm enim ad Galatas ſcribens eos execretur, atque anathemate dignos cenſeat, qui aliud prædicent, quàm ipſe docuiſſet; quid cauſæ eſſe dicemus, cur Corinthios rectè facturos dicat, ſi iis fidem haberent, qui alium Chriſtum, & aliud euangelium prædicarent? An ad Galatas de iis agebat, qui contraria,

& cum

a cap. 3. 1.
b Matt. 10. 16.
c lib. 23. cont. Fauſt. ca. 2. & lib. 22. ca. 49.
d locis ſuprà indicatis, & in Pſal. 90. conc. 7.
e lib. 22. cōt. Fauſt. ca. 49.

& cum vero euangelio pugnantia docerent: hîc verò de iis loquitur, qui non contraria, ſed ſublimiora, digniora, atque præſtantiora, & magis neceſſaria pollicerentur. vt ſit ſenſus: ſi quis vobis meliorem aliquem Chriſtum, aut præſtantius euangelium promulgaret, vt denique vtiliora, magiſque neceſſaria Spiritus ſancti chariſmata vobis largiretur, is quidem meritò à vobis, & audiendus, & probandus eſſet, noſque meritò contemnendi, qui vel iſta ignoremus, vel certè cælauerimus. Ita ſanè Chryſoſtomus, Oecumenius, Theophylactus, & inter Latinos Ambroſius, Primaſius, Anſelmus. Neque aliter abſque errore explicari poteſt; agit enim Apoſtolus de iis, qui vera, atque integra fide retenta inaniter iactabant ſe vel maiori eloquentia, & orationis apparatu euangelicam doctrinam tradere, vel etiam plura, & abſtruſiora docere. Idque Apoſtolus meritò reprehendit; ſpectabat enim id non ad fidei eruditionem, ſed ad inanem pompam, & eloquentiæ, ingenij, atque doctrinæ oſtentationem; quæ ſunt omnia à fidei ſimplicitate prorſus aliena. ait igitur. *Si is qui venit alium Chriſtum prædicat*: meliorem aut præſtantiorem quàm nos. ita legit etiam Ambroſius, Græci tamen codices habent *ἄλλον ἰησοῦν*, hoc eſt, alium Ieſum, magis credo ad rem quaſi dicat; alium, qui meliorem ſalutem afferret, quod quidem eſſe nullo modo poterat; ſi tamen id fieret, indicat Apoſtolus, id probandum fuiſſe. Hinc autem colligere facilè poſſumus, quo loco habendi ſint ij, qui Chriſtum fingunt aut onuſtum opibus, aut imperio clarum, aut ditione potentem, aut voluptatibus circumfluentem, aut nefariæ libertatis auctorem, aut virginum corruptorem, aut legum humanarum euerſorem, aut denique humani, diuiniſque iuris violatorem, qualem huius ſæculi hæretici ſomniant, & in ſuis peſtilentiæ cathedris crudi, & vino madidi temulentis auditoribus euomunt. Quo in genere inſignis eſt quorundam impudentia, quos non pudet fateri, ſe dæmone magiſtro atque impulſore, omnia diuina, atque humana iura conuellere, omnium libidinum cœno volutari, omnibus flagitiis, atque ſceleribus inquinari, nihil ſanum, aut ſobrium ſapere, vel cogitare, ſe imperitis, ac perditis hominibus imponere, euangelicam doctrinam peruertere, morum ſanctitatem peſſundare, omnia denique mendaciis, & ſacrilegus complere; & tamen noui Euangelij præcones haberi volunt, qui priſcas ſanctorum Patrum traditiones, euangelica conſilia, catholica dogmata à ſacroſanctis, atque Oecumenicis conciliis confirmata per ſummum ſcelus euertant. Hi videlicet homines impuriſſimi familias ducunt, & prouincias, ac regna in nefariam ſuæ perfidiæ ſocietatem trahunt. ſed redeo ad Paulum. *Aut alium ſpiritum accipitis, quem non accepiſtis*. Meliora videlicet ſpiritus chariſmata; olim enim vt aliàs diximus aſpectabili ſpecie Spiritus ſancti dona diuinitus tribuebantur. *Aut aliud euãgelium quod non recepiſtis*, ſubaudiendum eſt, prædicet, vt referatur ad pſeudoapoſtolos, vel auditis, aut accipitis, vt de Corinthiis loquatur; euangelium videlicet melius, aut perfectius quàm quod audiſtis à nobis, *rectè pateremini*. hoc eſt, meritò eiuſmodi doctrinam probaretis. Non enim agit Apoſtolus de iis, qui falſa dogmata proponerent; ſed de iis, qui vera quidem, & fidei conſentanea docerẽt; ſed qui euangelicæ doctrinę inania quædam, & ſimplicitati Chriſtianæ parum conſentanea admiſcebant. Nam vt monet Anſelmus Corinthiorum Eccleſia variis erroribus agitata fluctuabat, dum alij pſeudoapoſtolos ſequerentur, alij eos Apoſtolos probarent, qui Chriſtum Dominum viderant, & docentem audierant, alij denique quorundam eloquentia, dicendi-

A que facultate capti, Paulum tanquam minùs diſertum, eiúſque doctrinam ſi non prorſus contemnebant, non magni certè faciebant. Itaque videtur III. Apoſtolus de his poſtremis agere; atque idcirco dicit; ſi hi quos tanti facitis alium vobis Chriſtum, aliámve ſalutis rationem proponerent, aut alium Spiritum ſanctum largirentur, aliud denique nobilius, ac præſtantius euangelium docerent, meritò illos nobis anteferendos putaretis. Ita eos tacitè perſtringit, quòd orationis pigmenta, & inania ornamenta verborum pluris facere viderentur, quàm veram, ac ſolidam euangelicam doctrinam, & Spiritus ſancti munera Chriſti beneficio accepta. Eſt autem hæc hypotheſis planè abſurda. neque enim quiſquam alium Chriſtum prædicare, alium Spiritum ſanctum largi- B ri, aliud denique euangelium docere poteſt, ſi tamen horum aliquid fieri poſſet, verè apoſtolica doctrina non ſatis eſſe videretur ad ſalutem. Verùm quoniam nihil horum fieri poteſt, meritò Corinthij reprehenduntur, quòd illos ſibi præferrent, qui nulla prorſus re vtili, vel neceſſaria ſuperiores eſſent. Atque hac quidem ratione non obſcurè ſignificat, ſe omnia Corinthiis tradidiſſe, quæ ad perfectam Chriſtianæ vitæ rationem pertinerent, & ad ſalutem ſempiternam aſſequendam valerent. Quoniam igitur ij, contra quos agit Apoſtolus, non falſa dogmata, aut errores contra fidem tradebant; ſed humana duntaxat ſapientia turgidi, & inani verborum ambitu elati, Corinthios in ſui admirationem rapuerant; nihil hic locus hæreticos iuuat, qui noui ſe Euange- C lij buccinatores, & ſi Deo placet nouos Apoſtolos iactitant: non enim illi Catholicæ fidei magiſtris ſolùm infantiam, & imperitiam obiiciunt, ſed antiquiſſima, & omnium ſæculorum, & Eccleſiarum conſenſu recepta dogmata oppugnant: Chriſtianæ fidei præcipua capita, ipſáque adeo fundamenta euertunt, Eccleſiaſticam Monarchiam de medio tollunt: ſacras literas partim corrumpunt, partim prauis, ac diſtortis explicationibus peruertunt. contrà verò impia, nefaria, & ſacrilega impuriſſimorum hominum placita pro ſuo quiſque arbitrio diuerſa, maximéque pugnantia obtrudunt; vt quod ad Galatas fecit Apoſtolus, grauiſſimo anathemate damnati, ab hominum cœtu exterminandi ſint, & non dicam in vltimas terras amandandi, ſed ad ima tartari niſi re- D ſipiſcant detrudendi videantur.

EXISTIMO ENIM NIHIL ME, &c. Hoc nimirum ſenſu ſuperiora accipienda ſunt, quaſi Apo- 5. I. ſtolus dixerit æquo animo ſe laturum Corinthiorum iudicium, ſi quos illi ſibi præferebant, re quapiam vel vtili, vel neceſſaria præcellerent; nunc autem cùm Apoſtolus nulla prorſus re vel magnis Apoſtolis ſit inferior; quid cauſæ eſſe putandum erit, cur illi tanti fiant, ipſe verò deſpiciatur? Itaque ait. *Exiſtimo enim nihil me minùs feciſſe à magnis Apoſtolis.* hoc eſt, nihilo illis inferiorem fuiſſe; quomodo legit Ambroſius. *Me in nullo*, inquit, *inferiorem fuiſſe iis, qui valde ſunt Apoſtoli*. Sentit enim, vt arbitror & indicat Chryſoſtomus, atque apertè monent Græcanica ſcholia, de Petro, Iacobo, & Ioanne, qui inter Apo- E ſtolos principes habebantur; vt vel hinc appareat, eos quos maximè probarent Corinthij, quippe longo interuallo ſummis Apoſtolis inferiores nullo pacto ſecum conferendos videri, nedum ſibi anteponendos. Non deſunt qui magnos Apoſtolos non ſine ironia eos appellari putent, qui eloquentiæ nomine Corinthiis admirationi erant: quaſi dicat Paulus; hoc verè poſſum affirmare, me nulla re inferiorem eſſe iis, qui magni Apoſtoli apud vos cenſentur: quamuis enim inani verborũ, atque orationis apparatu videantur excellere, ſolida certè rerum ſcientia,

& cognitione ne ſunt quidem mecum conferendi. A Ex eo autem hæc ſententia maximè videtur confirmari, quòd ſi de veris Apoſtolis loqueretur, qui non aliter atque ipſe ab orationis floſculis, & ornamentis abhorrebant, parum aptè ſubderet ſe imperitum eſſe ſermone, non tamen ſcientia: ſed vtrouis modo accipias Pauli ſententia conſtat; priorem tamen ſententiã in paraphraſi ſecutus ſum: hæc tamen non eſt aſpernanda: quomodo autem cum ſuperiori explicatione ſequentia cohæreant, in paraphraſi indicaui.

II. Cæterùm quod ait interpres: *Minus feciſſe*, Græcè eſt ὑστερηκέναι, de quo verbo aliàs: nihilo me illis inferiorem iudico, quod attinet quidem ad Euangelicam doctrinam, & diuinarum rerum cognitionem, ipſam denique Apoſtolicam auctoritatem. B Non me præterit hæretici interpretis temeraria, & importuna calumnia, qui hoc teſtimonio Pauli ad oppugnandum Petri Apoſtolorum Principis primatum, impiè ac nefariè abutitur: quaſi doceat Paulus, fuiſſe omnes Apoſtolos penitus æquales, neque inter illos vllum fuiſſe alio maiorem, aut ſuperiorem, cùm tamen verè ac ſapienter ſcripſerit Cyprianus[a]: *Probatio eſt ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum. Ego tibi dico*, inquit, *quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam, & tibi dabo claues regni cælorum, & quæ ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælis: & quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis. & eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit: Paſce oues meas. Super* C *illum vnum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oues ſuas: & quamuis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat: ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum ſanctum. ſi cui remiſeritis peccata, remittentur illi: ſi cui tenueritis, tenebuntur; tamen vt vnitatem manifeſtaret vnam cathedram conſtituit, & vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc erant vtique & cæteri Apoſtoli quod fuit & Petrus, pari conſortio præditi & honoris, & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, & primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia, & cathedra vna monſtretur: & paſtores ſunt omnes, & grex vnus oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus vnanimi conſenſione paſcatur.* Ex quibus apparet fuiſſe D quidem pares Apoſtolos Apoſtolica dignitate, concionandi munere, & auctoritate retinendi, ac remittendi peccata; ſed Petro tamen primatum fuiſſe conceſſum. In eamdem quippe ſententiam alicubi ſcribit B. Hieronymus[b]: *Super Petrum fundatur Eccleſia, & licet idipſum in alio loco ſuper Apoſtolos fiat, & cuncti claues regni cælorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur; tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio.* Et alibi[c]. *Quod Platoni, & Petro: vt ille princeps Philoſophorum, ita hic Apoſtolorum fuit ſuper quem Eccleſia Domini ſtabili mole fundata eſt.* Et denique B. Leo[d]; *Tranſiuit quidem*, inquit, *in alios Apoſtolos poteſtatis iſtius,* E *& ad omnes Eccleſiæ principes decreti huius conſtitutio commeauit* (loquitur autem de poteſtate ligandi, & ſoluendi, déque clauibus regni cæleſtis) *ſed non fruſtrà vni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc ſingulariter creditur, quia cunctis Eccleſiæ rectoribus Petri forma præponitur.* Sed hæc alibi fuſiùs.

a De vnit. Eccleſ.

b l. 1. cont. Iouin.

c L. 1. cont. Pelag.

d Serm. 1. de ſua aſſumpt.

6.
I. NAM ETSI IMPERITVS SERMONE, &c. Oratio parum elegans, aut minùs ornata fidei non obeſt, at plurimùm obeſt inſcitia: huius igitur ſuſpicionem amouet à ſe Paulus, eloquentiæ laudem numquam non aſpernatus: cùm autem Græcè ſcriptum ſit ἰδιώτης, mirum cur nonnullis in mentem venerit ſuſpicari Paulum fuiſſe balbum, & impeditæ linguæ, cùm ea vox rudem, & imperitum ſonet. Quomodo autem ſermone ſe imperitum dicat, non ſatis conuenit inter omnes: nam in Actis[a] Apoſtolicis conſtat, illum ob dicendi vim, & copiam habitum fuiſſe pro Mercurio, cùm Barnabas pro Ioue haberetur. Certè orationis inelegantiam ei tribuunt[b] Gregorius Nyſſenus, & Chryſoſtomus[c]. Hieronymus hac quidem in re non ſibi ſatis conſtat. Alicubi[d] enim elegantioris ſermonis ignarum fuiſſe ſcribit, quòd aliquando ſuis quibuſdam vtatur vocibus Ciliciæ vernaculis; interdum coniunctioni μὲν non reddat eam, quæ reſpondet δὲ: nonnumquam hyperbatorum anfractibus inuoluatur: denique nõ rarò anantapodoton relinquat orationem[e]. Alibi verò alia omnia affirmare videtur. Putat enim, hæc Paulum de ſe Chriſtiana humilitate dixiſſe, non quòd re vera nõ calleret omnes ſermonis proprietates, omnéſque argumentationũ ſtrophas probè teneret. Quin etiam Auguſtinus[f] pleraque rhetorum ſchemata, & ornamenta in Paulinis Epiſtolis obſeruat; idémque alibi monet quæ hoc loco dicit Apoſtolus non fatentis, ſed concedentis eſſe verba, perinde quaſi ad hunc modum loquatur. Fac me eſſe imperitum ſermone, ſcientia certè non ſum imperitus. Verùm quid de Pauli eloquentia ſentiendum ſit, alibi docuimus. Illud porrò obſeruatione dignum videtur, quod apud Oecumenium monet Photius, Græcam vocem λόγος, & Latinam ſermo, itémque γνῶσις, &, C ſcientia, non ſemper idem apud Apoſtolum ſignificare; interdum enim ſermo idem eſt quod docendi facultas, ſcientia verò cognitio, quæ quod nouit commodè explicare non poteſt, vt cùm ſuperiori Epiſtola[g] dixit: *Alij datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ.* Aliàs ſermo cultam, atque ornatam orationem indicat; ſcientia verò accuratam, & perfectam rerum notionem; vt cùm hoc loco dicit Apoſtolus ſe imperitum eſſe ſermone, non autem ſcientia. Denique ſermo ponitur pro ea facultate, qua animi noſtri ſenſa exprimimus; ſcientia verò pro dogmatum cognitione. Quomodo initio ſuperioris Epiſtolæ dixit. *Diuites facti eſtis in illo in omni verbo (ſeu ſermone) & in omni ſcientia.* II. Cæterùm exiſtimo, Paulum dixiſſe ſe imperitum eſſe ſermone, quòd eius oratio mi- D nimè eſſet fucata, aut calamiſtris ornata; neque inanem verborum apparatum, aut peregrina pigmenta præ ſe ferret, ſed ſimplex, & ad docendum accommodata; vt hac ratione obtrectatores ſuos perſtringat, vt qui verborum phaleras, & nimis elaboratum dicendi genus ſectarentur, non tam vt fidei dogmata traderent, quàm vt ſuam eloquentiam, dicendique facultatem oſtentarent; cùm alioqui rerum, ac ſententiarum inopia laborarent, vel nihil certè noui afferre poſſent, quod Corinthij antea ab Apoſtolo non audiſſent. *In omnibus autem manifeſtati ſumus vobis.* Græcè ἐν παντὶ φανερωθέντες ἐν πᾶσιν εἰς ὑμᾶς. quaſi dicat, omnino manifeſtati in omnibus in vos. Ambroſius ſingulari numero legit, *Manifeſtus* E *ſum vobis*; Chryſoſtomus refert ad ſimplicitatem, & candorem: quaſi pſeudoapoſtolos perſtringat, qui fucati & perſonati ſimulatione ſanctimoniæ Corinthiis imponerent. Nos, inquit Apoſtolus, in omnibus prorſus rebus animi noſtri candorem præ nobis ferimus; atque ita facilè apparet quales ſimus erga vos. Eodem modo explicant Theodoretus, & Theophylactus. Oecumenius autem cùm eamdem explicationem probat, tum hanc alteram addit, quaſi dicat Apoſtolus, notum, ac perſpectum eſſe Corinthiis, ſe nihilo eſſe inferiorem maximis Apoſtolis, neque imperitũ eſſe ſcientia; ſed denique apud illos

a cap. 14. 12.

b Tract. de ſelect. quibuſdam verbis Apoſtoli.

c lib. 4. de Sacerd.

d epiſt. ad Algaſ.

e in epiſt. ad Pamm. & Marcell.

f De doctr. Chriſt.

g cap. 12. 8.

vixiſſe

vixiſſe vt nihil ſibi Corinthij verè poſſint obiicere;
quod eſt vt idem Oecumenius monet eximiæ cu-
iuſdam confidentiæ, & ſingularis innocentiæ argu-
mentum. Qua quidem oratione tacitè videtur Co-
rinthios pungere, qui ſe quodammodo neglecto,
neſcio quos pſeudoapoſtolos pluris facere viderен-
tur. Cui ſententiæ magnoperè fauet Ambroſius,
quem pene ad verbum ſequitur Anſelmus. Prima-
ſius de integritate vitæ, ac morum ſanctitate hunc
locum explicat. *Manifeſtati*, inquit, *ſumus vobis, quia
nihil apud vos per auaritiam geſſimus, non ventri aut
gulæ ſeruiuimus; non denique vulgi plauſus, aut auram
popularem ſectati ſumus.* Hæc omnia paucis in para-
phraſi indicauimus.

7. I. AVT NVMQVID PECCATVM, &c. Quoniam
dixerat ſuæ vitæ rationem omni ex parte notam eſſe
Corinthiis, acri & vehementi interrogatione non le-
uiter eos pungit. Hoc credo, inquit, mihi tamquam
graue crimen obiicitur, quod me ipſum apud vos
deiecerim, atque depreſſerim, quod mihi labore ma-
nuum victum quæſierim, quódque pro Apoſtolico
munere, & Euangelica prædicatione nullum à vo-
bis ſtipendium acceperim; hoc credo vobis graue
crimen viſum eſt, atque hanc ob cauſam me ſcilicet
contemnitis, & pſeudoapoſtolos qui vos emungunt,
& veſtra marſupia exhauriunt auidè complectimini.
Atqui hoc ipſum vnius veſtræ vtilitatis gratia feci,
ne videlicet Euangelij inuidiam conflarem, vtque
vos faciliùs ad Chriſti caſtra perducerem. Hoc enim
eſt quod ait. *Me ipſum humilians, vt vos exaltemini:*
hoc eſt; vt vos noſtræ modeſtiæ, continentiæque
exemplo ad meliora in dies proueheremini. Atque
hoc etiam vt monet Chryſoſtomus illos veluti acu-
leo pungit, quaſi illi ad perfectiora promoueri non
poſſent, niſi ſeſe Paulus ad infima quæque abiiceret,
& id prorſus recuſaret, quod ſibi iure optimo debe-
batur. Atque hac ratione nõ obſcurè ſignificat quid
inter ſuam, & pſeudoapoſtolorum prædicationem
intereſſit; illi namque ſuos omnes labores, conatúſque
ad priuatam vtilitatem, & ſui oſtentationem refe-
rebant; ipſe verò ſua omnia commoda præ Corin-
thiorum vtilitate contemnebat, vt etiam ab iis abſti-
neret, quæ ſibi neceſſaria, & naturali, ac diuino iure
conceſſa videbantur. Vos igitur videritis ait vtrùm
hoc peccatum cenſendum ſit: certè hoc inficiari non
poſſum, me vobis Euangelium gratis propoſuiſſe.
II. Neſcio autem, vtrum probandum ſit, quod hoc lo-
co ſcribit Anſelmus, hanc ipſam ob cauſam indi-
gnatos fuiſſe Corinthios, quòd Apoſtolus debita
ſibi ſtipendia recuſaret, ac propterea pſeudoapo-
ſtolos ei præferrent. Nam vt paulò antè ex Chry-
ſoſtomi, aliorúmque Græcorum ſententia indicaui
hæc Pauli moderatio admirationem potius parere
debuerat, & Corinthiorum animos ad optima quæ-
que inflammare. Eſt enim hoc virtutis proprium,
vt etiam ab inimicis beneuolentiam, atque amo-
rem extorqueat. Propiùs eſt vt credam pſeudoapo-
ſtolos, vt ſuam auaritiam aliqua ratione excuſarent;
id Paulo probro dediſſe, quaſi non ab humana-
rum rerum contemptu & deſpicientia, ſed ab hu-
mili, abiectóque animo proficiſceretur; ſic enim ferè
improbi ſolent bonorum virtutes vitiorum nomi-
nibus infuſcare: ita patientiam, ignauiam, iniuria-
rum contemptum, vecordiam, neglectum diuina-
rum, arrogantiam, cæteráſque omnes virtutes affi-
nium vitiorum nominibus appellare non veren-
tur: & potuit hæc pſeudoapoſtolorum oratio non-
nullos Corinthiorum in eamdem ſceleris ſocieta-
tem pertrahere. Porrò conſilij Apoſtolici dupli-
cem Anſelmus ex Ambroſio affert rationem: alte-
ram ne ſimilis pſeudoapoſtolorum videretur, qui

A pecunias auidiſſimè conquirebant: alteram ne au-
ctoritatis apoſtolicæ vim debilitaret, aut frangeret;
nam, vt ille ait, *qui à peccantibus accipit, arguendi au-
ctoritatem amittit.* Non placet autem quod recen-
tiores quidam dicunt, quod ait Apoſtolus: *vt vos ex-
altemini*: hoc ſenſu accipiendum eſſe; quaſi ipſi no-
biliores cenſendi ſint, quòd gratuitò euangelicam
doctrinam fidémque perceperint, cùm alij veluti
pretio emerint: nam ſi, quod alibi docet Apoſtolus,
æquitatis ratio poſtulat, vt miniſtri euangelici fide-
lium liberalitate ſuſtententur, ignominioſum potius
Corinthiis videri poterat, quod tam neceſſariò li-
beralitatis genere caruiſſent. cùm præſertim ignora-
re non poſſent, Apoſtolum manuum opificio ſibi vi-
ctum quærere, & aliarum Eccleſiarum liberalitate
B magna ex parte ſuſtentari. Exaltari igitur dicuntur,
quia, vt dictum eſt, exemplo apoſtolico proficere
poterant, & pſeudoapoſtolorum fraudes vitare.
Quoniam gratis euangelium Dei euangelizaui vobis?
Ambroſius Latinum verbum poſuit. *Prædicans*,
inquit, *vobis.* Quod mox magis ac magis ampli-
ficat.

ALIAS ECCLESIAS SPOLIAVI, &c. Vel 8. I.
hinc apparet non fuiſſe Corinthiis glorioſum ſine
vllo ſumptu Apoſtoli opera vti, eiúſque labore, at-
que induſtria Chriſto nomina dare, cùm aliorum
opibus ſuſtẽtaretur Apoſtolus dum apud illos euan-
gelicæ prædicationi operam daret. *Alias*, inquit, *Ec-
cleſias expolians.* Hoc eſt aliarum Eccleſiarum ſum-
ptu vixi: non tamen ſine aculeo metaphora vſus eſt
C ἐσύλησα inquit; quaſi dicat, deprædatus ſum, vt maio-
rem Corinthiis pudorem incutiat; quaſi alias Eccle-
ſias eorum cauſa diripuerit, vt ait Chryſoſtomus, &
ad inopiam redegerit. Addit Oecumenius vſum
ſe Apoſtolum deprædandi metaphora, vt oſtende-
ret nõ ſe clam ſurripuiſſe, ſed palam, publicéque ac-
cepiſſe, atque idcirco mox ſtipendium appellat. *Acci-
piens*, ait, *ſtipendium ad miniſterium veſtrum.* Quæ
eſt militaris metaphora, vt etiam ſuperior, qua ſe de-
prædatum eſſe dicit. Porro Chryſoſtomus, cæteri-
que Græci monent, ſtipendij nomine id tantum ſi-
gnificari, quod eſt ad vitam tolerandam neceſſarium:
non ad profuſos, inquit, *ſumptus, ſed ad neceſſarios vſus;
ſtipendij enim vocabulo neceſſarium cibum intelligit.*
Eſt autem propriè ſtipendium, vt ait Ambroſius,
D *quod miles accipit ad ſumptus pro mercede laboris. Ad
miniſterium veſtrum*, ait, non intelligo ſubſidium,
quaſi Apoſtolus quæ ab aliis acceperat, Corinthiis
largiretur; ſed miniſterium intelligo euangelij pro-
mulgationem. Ab aliis, inquit, ſtipendium accepi,
vt vobis euangelicam doctrinam traderem: ita ab
aliis mercedem accipiebam, vt vobis inſeruirem.
Obſeruat porro Theodoretus, aptè metaphoram
ſtipendij vſurpari, cùm paulò antè militiam, atque
arma Apoſtolus nominaſſet: interim verò ruborem
inicit Corinthiis, quòd alienis ſtipendiis ipſis mili-
tauerit.

ET CVM ESSEM APVD VOS, &c. Eamdem 9. I.
rem premit, & exaggerat, & aculeata oratione Co-
rinthiorum animos acriùs pungit. *Cùm eſſem*, inquit,
E *apud vos*, vóſque euangelicis præceptis, atque inſti-
tutis imbuerem, & rebus omnibus neceſſariis deſti-
tuerer, ne tum quidem quidquam à vobis accepi.
Græca autem oratio non modò emphaſim, ſed
etiam epitaſim habet: ait enim, καὶ παρὼν πρὸς ὑμᾶς
καὶ ὑστερηθεὶς: quaſi dicat; cùm omnia mihi neceſſaria
deeſſent; vt ſit ſenſus: adeo vos non grauaui, vt
ne in ſumma quidem egeſtate id vllo modo tenta-
uerim. *Nulli*, inquit, *oneroſus fui.* Græcè οὐ κατενάρκησα,
quod verbum ab otio, & torpore dictum videtur,
quòd qui otio, deſidiáque langueſcunt, mirè pre-
mant,

mant, atque vrgeant, aliiſque immineant, & aſſiduè petant. A Eſt autem vox compoſita ἀπὸ τῦ ναρκεῖν, quod eſt torpere, vnde & νάρκη torpedo piſcis, & præpoſitione κατὰ, quæ frequenter in malam partem accipitur. Monet autem Hieronymus [a], vocem eſſe Cilicibus peculiarem. Indicant Chryſoſtomus, & Oecumenius duplicem eſſe huius vocis ſenſum: primùm non elanguis & deſes fui, vt vitæ ſubſidia peterem: alterum quem magis probaui in paraphraſi, nihil de docendi, prædicandive labore detraxi. *Nam quod mihi deerat ſuppleuerunt fratres, qui venerunt à Macedonia.* Potuiſſent obiicere Corinthij, qua ratione in tanta egeſtate, atque inopia laborare potuiſti? Reſpondet Apoſtolus, Macedonum ſe munificentia, ac liberalitate fuiſſe ſuſtentatum. Ita confirmat, quod paulò antè dixerat, ſe, vt Corinthiis parceret, ab B aliis Eccleſiis accepiſſe. Putat autem Chryſoſtomus huc pertinere quod ſcribit ad Philippenſes [b]. *Quia & Theſſalonicam ſemel, & bis in vſum mihi miſiſtis:* idque ipſo ſtatim conuerſionis initio, quæ, vt notat Chryſoſtomus, præclara laus erat. Rectè autem idem Chryſoſtomus monet, nuſquam Apoſtolum copiam, aut affluentiam quærere, ſed rebus duntaxat ad vitam neceſſariis contentum eſſe. Quocirca rectè colligit. *Et in omnibus ſine onere me vobis ſeruaui, & ſeruabo.* Hactenus quidem ſeruaui ob eam, quam explicui cauſam: ſeruabo autem in poſterum, quia, vt ſuperiori Epiſtola [c] ſcripſi, *melius eſt mihi mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet.* Quod, vt ait Oecumenius, propterea dixit, ne quis putaret, eum mutaſſe conſilium, & velle in poſterum ali- C quid accipere. Atque ita, vt Ambroſius, & Primaſius obſeruant, pſeudoapoſtolos notat, qui occaſionem quærebant deprædandi eos; ne fortè ſuo exemplo, vt explicat Anſelmus, fierent audaciores. Ne quis verò putaret, eum inaniter verba iactare iuſiurando confirmat; ſic enim ſubiicit.

a epiſtol. ad Algaſ.

b cap 4. 16.

c cap. 9. 15.

10. I. Est veritas Christi in me, &c. Loquitur de ſua gloriatione docendi abſque vllo ſtipendio; de qua in ſuperiori, & in hac ipſa Epiſtola non ſemel locutus erat: &, vt indicat Chryſoſtomus, & apertiùs docet Oecumenius, ne queri videatur, aut Corinthiis ſuccenſere, quòd ab iis nihil acceperit. *Eſt*, inquit, *veritas Chriſti in me.* quaſi dicat hoc affirmo ipſo Chriſto teſte, qui me vera dicere certò monit. Ambroſius ait. *Sub teſtimonio Chriſti*, qui addit verè glorioſum eſſe propter aliorum ſalutem ab iis abſtinere, quæ alioqui licent. Primaſius hanc iuriſiurandi formam hunc in modum explicat. *Sicut Chriſtus quod ſemel ſtatuit, non mutauit*, nec eſt aliquando mentitus. Perinde quaſi duo velit Apoſtolus affirmare, primùm quidem ſe vera narraſſe, alterum ſe in ſuſcepto conſilio docendique ratione perſeueraturum. *Hæc*, inquit, *gloriatio non infringetur in regionibus Achaiæ.* Hoc eſt, non interrumpetur, neque deficiet: ſignificat enim, ſe nihil in poſterum accepturum, vt non præcludatur ſibi hæc occaſio gloriandi, ſe gratis Euangelium promulgaſſe. Porrò id interrumpi dicitur, quod non eſt perpetuum: iureiurando autem confirmat eam gloriam, ne cui grauis eſſet, ſibi fore perpetuam. Quod autem ait: *non infringetur*, græcè eſt ὐ σφραγίσεται; hoc eſt, non interrumpetur in me. Ait autem Chryſoſtomus ductam eſſe metaphoram à fluminibus, quorum fluxus interdum obſtruitur, & obiectis aggeribus interrumpitur. fama quippe Apoſtoli inſtar fluminis vbique diffuſa placidè fluebat, in omnium enim ore verſabatur, Paulum gratuitò Euangelium promulgare; propterea ait: non patiar, vt largitione veſtra tamquam obice libertas mea obſtruatur. Addit. *In regionibus Achaiæ*; nã ſe ab aliis Eccleſiis accepiſſe dixerat.

Qvare? qvia, &c. Videri poterat Apoſtolus Corinthios non leuiter pungere; nam cùm ab aliis 11. I. Eccleſiis aut peteret, aut vltrò oblata acciperet, indicabat, ſe Corinthiorum liberalitati diffidere, aut eorum imbecillitati parcere, cùm abſque vllo ſtipendio iis euangelica præcepta traderet. Ne igitur illi hoc ſuſpicentur, negat id ab odio, aut mala voluntate proficiſci; & mox veram eius rei cauſam explicat. Porro monet Chryſoſtomus, lenem, & placidam hanc eſſe orationem, quæ tamen Corinthios non omni prorſus culpa liberat. Neque enim negat, eos eſſe imbecilles, aut robuſtos & validos affirmat; ſed tantùm inficiatur, ſe odio vel indignatione commoueri. Dum verò inſinuat eos à ſe amari, non leuiter illos accuſat: amor enim ſuadere videbatur, B vt ab iis quos diligebat, vel peteret, vel acciperet; ſed quoniam eorum imbecillitatem perſpectam habebat & cognitam, eadem vis amoris in contrarium impellebat, ne imbecilles aliquo modo læderet. Quocirca huius rei cauſa in ipſos redundabat. Verùm ne perſimili oratione eos acriùs perſtringeret, non ſimpliciter ait ſe illos amore proſequi; ſed tantùm Deum ſcire, ſe non propterea hac vti ratione docendi quòd eos non diligat. Cauſam verò cur id faciat mox explicat cùm dicit.

Qvod avtem facio, et faciam, &c. 12. I. Veram rationem affert, cur ſtatuerit gratuitò euangelium promulgare, ne videlicet pſeudoapoſtolis gloriandi occaſionem præbeat, quaſi ipſi ſibi æquales, ac pares ſint. Vt autem in paraphraſi indicaui, C duplex poteſt eſſe horum verborum ſenſus. prior placere videtur Chryſoſtomo, cæteriſque Græcis qui exiſtimant, pſeudoapoſtolos gloriari ſolitos ſe abſque vllo emolumento euangelium prædicare; cùm tamen re vera plurimi ex ipſis & diuites eſſent, & clam non exiguam pecuniæ ſummam corraderent. Ne igitur occaſionem eis daret ſe accuſandi, omne ſtipendium penitus recuſauit; atque ita eos dicit gloriari ſolitos ſe ſimiles eſſe Apoſtolo, qui nihil ex prædicatione acciperet, cùm tamen ea eſſet inanis & falſa gloriatio. Alter ſenſus eſt qui mihi magis probatur, vt dicat Apoſtolus ſe idcirco abſque mercede euangelicæ prædicationi operam dare, ne præbeat pſeudoapoſtolis occaſionem verè gloriandi, quod nunc falsò faciunt ſe ſimiles eſſe Apoſtolo; D id enim tunc conſequerentur, ſi probare poſſent eum ſui laboris ſtipendium quærere. Ait igitur. *Quod autem facio, & faciam.* Quaſi dicat, idem etiam in poſterum faciam, aut idem in poſterum ſum facturus; *vt amputem occaſionem illorum, qui volunt occaſionem:* qui videlicet omnem anſam captant, vt aliorum mores, & actiones carpant, vel qui omni ſtudio, ac labore nituntur nobis ſimiles videri; *vt in quo gloriantur inueniantur ſimiles nobis.* Omnem, inquit, quærunt occaſionem vt probare queant, ſe nobis eſſe ſimiles, quod nunc falsò gloriantur. Ambroſius. *Gloriam*, ait, *pſeudoapoſtolorum fuiſſe in colligendis pecuniis, id verò Apoſtolum meritò recuſaſſe, ne illorum ſimilis videretur.* Ita indicat ſe eam ſententiam ſequi, quam nos maximè probauimus. Nec abhorret E Primaſius, qui ait, *pſeudoapoſtolos quæſiſſe occaſionem; vt ſi Apoſtolus panem accepiſſet, illi exigerent aurum.* Mox verò indicat, Apoſtolum noluiſſe occaſionem ſuo exemplo præbere maiori auiditate pecunias extorquendi; quod profectò facturi erant, ſi Apoſtoli exemplum habere potuiſſent. Verùm quod in paraphraſi poſui, planius eſt ac ſimplicius. Non tamen II. diſplicet quod in præſentia ſcribit Anſelmus, fuiſſe quoſdam qui inanis gloriæ ſtudio Apoſtoli ſe imitatores profiterentur, ac propterea nullum promulgando euangelio compendium facerent; qui tamen

libenter

libenter ſtipendiũ accepturi erant, ſi hoc idem Apoſtolum facere animaduerterent. Itaque Apoſtolus ſe nihil idcirco accipere velle dixit, vt illis amputet occaſionem accipiendi, atque adeo, quod plurimùm gloriari ſolebant, Paulo ſimiles, atque æquales videantur. Alij aliter accipiunt, perinde quaſi dicat Apoſtolus, *reperiantur vt nos*, hoc eſt ſi etiam illi glorientur ſe gratis euangelizare, non ideo tamen nobis erunt præſtantiores; nam etiam nos gratis, & in ſumma egeſtate docemus. Hunc ſenſum indicare videtur Oecumenius; ait enim; *vt ergo in ea in quo gloriantur, quòd non accipiant reperiantur ſimiles nobis, & nihil ſupra nos habeant: indignum eſt enim, cùm in cæteris ſint inferiores, ſi in hoc eſſent ſuperiores.* Certè pſeudoapoſtolos multa ab auditoribus corraſiſſe indicat non ita multò pòſt Paulus, cùm dicit. *Suſtinetis enim, ſi quis vos in ſeruitutem redigit, ſi quis accipit. &c.*

13. I. NAM EIVSMODI PSEVDO APOSTOLI, &c. Explicat quod modò dixerat gloriari ſolitos falſi nominis Apoſtolos ſe Chriſti Apoſtolis verè eſſe ſimiles, atque æquales. Sunt enim inquit callidi, verſipelles, & omnino doloſi. vocat autem illos pſeudoapoſtolos dictione compoſita, qua ſignificat illos externa quidem ſpecie videri Apoſtolos, re autem vera quiduis aliud eſſe. Apoſtoli enim eius, à quo miſſi ſunt, negotium agunt; iſti ſuis commodis ſeruiunt. Quamquam enim, vt ait Chryſoſtomus, Chriſtum prædicant, neque quidquàm contra euangelium docent, falſò tamen Apoſtoli nominantur; & quidquid agunt ficto animo faciunt, vt incautos fallant; ſibi enim perſuadent non aliter ſe gratos, acceptóſque fore, quàm ſi veritatis larua aſſumpta fabulis, ac ſtrophis ſuam impoſturam confarcinent: hoc enim eſt quod ait. *Transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti.* græcè μετασχηματιζόμενοι quaſi alienam perſonam induunt. Ambroſius pſeudoapoſtolorum fraudem, ac dolum ita accipit, quaſi illi *auaritia cauſa, non religioſa mente, neque miſſi prædicabant Chriſtum, nomen ſibi apoſtolicum vſurpantes.* Primaſius paulò fuſiùs idipſum explicat. *Subdolus*, inquit, *operarius aliud fingit, aliud agit, & habitu ſimplici prædicationis Chriſti rapacitas belluina cõtegitur, tales vt placeant & placẽdo accipiãt; neceſſe eſt adulentur, & adulando decipiãt illa dicentes, quæ placeãt, non quæ expediant audiẽti.* Sic olim nonnulli erãt pſeudoprophetæ, quos his verbis deſcribit Ieremias [a]. *Et in prophetis Ieruſalem vidi ſimilitudinem adulterantium, & iter mendacij.* Et aliquantò pòſt. *Non mittebam prophetas, & ipſi currebant, non loquebar ad eos & ipſi currebant.* Et alibi [b]. *Falſò prophetæ vaticinantur in nomine meo. non miſi eos, & non præcepi eis, neque locutus ſum ad eos. viſionem mendacem, & diuinationem fraudulentam, & ſeductionem cordis ſui prophetant vobis.* Rurſus alio loco [c]: *Nolite audire verba prophetarum, quia non miſi eos, ait Dominus; ipſi prophetant in nomine meo mendaciter.* Denique alibi [d]. *Non vos ſeducant prophetæ veſtri, qui ſunt in medio veſtrum, & diuini veſtri, & non attendatis ad ſomnia veſtra, quæ vos ſomniatis; quia falſò ipſi prophetant vobis in nomine meo, & non miſi eos, dicit Dominus.* Quæ prophetæ, & Apoſtoli verba ſuis penè coloribus exprimunt noſtri ſæculi hæreticos, qui ſi verba ipſorum ſpectes, nihil aliud crepant quàm Chriſtum, eiúſque merita, purum, ac putum Dei verbum, ſacras litteras, euangelium, fidem, iuſtificationem, & id genus alia ſpecioſa verba, quibus non imperitæ ſolùm multitudini fucum faciunt; ſed etiam quibuſdam doctoribus imponunt; interim tamen Antichriſtum pro Chriſto prædicant, pro puro ac puto verbo mera ipſorum ſomnia, pro ſacris litteris adulterinas interpretationes, pro euangelio falſorum dogmatum, atque errorum portenta, pro fide inanem fiduciam nobis obtrudunt; & dum Chriſti merita, & neſcio quam fictam iuſtificationem extollunt omnem nobis merendi vim, verámque iuſtitiam adimunt; vt non immeritò eos quaſi nouos chymicos non viliora metalla in aurum, ſed Dei verbum in purum ac putum mendacium, fidem in meram hæreſim, hæreſim in atheiſmum, hoc eſt, in nihilum conuertere quis poſſit affirmare.

a cap. 23. 14.
b cap. 14. 14.
c Iere. c. 2. 25.
d cap. 20. 9.

ET NON MIRVM; IPSE ENIM, &c. Suum nimirum magiſtrum, & erroris auctorem imitantur, qui nihil non audet, ac molitur, quo miſeros mortales decipiat; vt minimè mirandum ſit, ſi ipſius diſcipuli, ac ſectatores, magiſtri mores ſequantur. Ille namque vt ait Theodoretus diuina quodammodo æmulatur, & vt olim prophetis pſeudoprophetas obiecit; ita vt mortales in fraudem impellat, bonorum Angelorum actiones imitatur, & exprimit. Quod ait; *Transfigurat*; græcè eſt μετασχηματίζεται, quaſi dicat, trãsfigurantur, vt paulò antè μετασχηματιζόμενοι; vt planè indicet idẽ eſſe pſeudoapoſtolorum ſtudium, eamdémque fingendi artem, quam dæmon profitetur. Dicitur autem in Angelum lucis transfigurari; hoc eſt, beatæ mentis mores, & actiones imitari, vnde colligit Primaſius, non eſſe facilè Angelorum viſa admittenda, ne quis incautus fallatur. De qua re luculenter alicubi Cyprianus [a]. *Plus metuendus eſt & cauendus inimicus, cùm latenter obrepit, cùm per pacis imaginem fallens occultis acceſſibus ſerpit, vnde & nomen ſerpentis accepit.* Et poſt nonnulla. *Hæreſes inuenit, & ſchiſmata, quibus ſubuerteret fidem, veritatem corrumperet, ſcinderet vnitatem. Quos detinere non poteſt in viæ veteris cæcitate, circumſcribit, & decipit noui itineris errore. Rapit de ipſa Eccleſia homines, & dum ſibi appropinquaſſe iam lumini, atque euaſiſſe ſæculi noctem videntur, alias neſcientibus tenebras rurſus infundit, vt cum euangelio Chriſti, & cum obſeruatione eius, & lege non ſtantes, Chriſtianos ſe vocent; & ambulantes in tenebris habere ſe lumen exiſtiment, blandiente aduerſario, atque fallente, qui ſecundùm Apoſtoli vocem transfigurat ſe velut angelum lucis, & miniſtros ſubornat ſuos velut miniſtros iuſtitiæ aſſerentes noctem pro die, interitum pro ſalute, deſperationem ſub obtentu ſpei, perfidiam ſub prætextu fidei, antichriſtũ ſub vocabulo Chriſti, vt dum veriſimilia mentiuntur, veritatem ſubtilitate fruſtrentur.* Nec multò aliter de hoc Pauli loco diſſerit Dorotheus [b] Abbas. *Multos enim ait virtutes ore laudare, cùm tamen re vera ſceleribus, atque flagitiis ſint cooperti, vt hypocriſi, & ſimulatione in ſui rapiant admirationem, & faciliùs decipiant. diabolus ipſe, ait, non poteſt interdum fallere niſi virtutem adumbret, niſi, vt ait Apoſtolus, transfiguret ſe in Angelum lucis.* Haud mirum igitur, ſi & miniſtri eius transfigurant ſe in miniſtros iuſtitiæ. Gaudentius [c] porro Brixienſis Epiſcopus eleganter explicat, cur dæmon dicatur in Angelum lucis transfigurari. *ſcriptura diuina*, inquit, *diabolum, & exercitum eius Ægyptios nuncupat, quia à Deo qui lux eſt, alteri facti ſunt contra creatorem proprium rebellando. Nam ſanctus Apoſtolus dicit: Quid mirum ſi ſatanas transfigurat ſe in angelum lucis? Probans vtique eum eſſe angelum tenebrarum, qui ſe quaſi angelum lucis oſtentare conatur, vt fallat. ſic multos deceptos fuiſſe accepimus, qui ſe tamen diuini ſpiritus ductum, atque impulſum ſequi arbitrabantur.*

a de vnit. Eccleſ. in initio.
b Doctr. 9 in fine, vbi agit de mendac. tomo 2. Biblioth. Sanctorum.
c Tract. 6. de Exodo.

15. I. NON EST ERGO MAGNVM, &c. Olim dixerat [d] Salomon: *Imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius.* Idem hoc loco aliis verbis docet Apoſtolus. miniſtri enim, ac ſectatores dæmonis illum imitantur; & quemadmodum ille cùm totus ſit tenebricoſus: beatarum mentium lucem conatur exprimere, re tamen vera aſſequi nullo modo poteſt; ita etiam iſti ſe iuſtitiæ miniſtros mentiuntur, dum ſe euangelij præcones oſtentant, cùm tamen nihil præter ina-

d Sap. 2. 25.

ret inanem gloriam vulgi plauſum, & popularem auram, mortalia denique & caduca bona ſectentur, quo, vt Chryſoſtomus ait, nihil magis ad diaboli mores accedit. perſtringit autem hac ratione Paulus, (vt monet Primaſius) eos, qui dum ſe euangelium promulgare profitebantur; auaritiæ tantùm, & diuitiarum cupiditati ſtudebant. hos igitur vocat diaboli miniſtros, cùm tamen ſe Apoſtolorum ſocios, & euangelij præcones iactarent. Quocirca Photius apud Oecumenium ſapienter ait dixiſſe Apoſtolum, mirum non eſſe ſi fictam perſonam pſeudoapoſtoli induant; cùm enim ſint diaboli miniſtri, conſequens eſt, vt magiſtri ſui ſeſe ſtudioſos imitatores præbeant. Quemadmodum igitur ille cùm ſit Angelus tenebrarum, Angelum lucis mentitur; non aliter iſti cùm re vera ſint diaboli miniſtri, fictam ſibi miniſtrorum iuſtitiæ, hoc eſt Apoſtolorum perſonam affingunt. Porro quod ait interpres. *ſi miniſtri*; græcè eſt *εἰ καὶ οἱ διάκονοι*; hoc eſt; ſi & miniſtri; quomodo legit Ambroſius. vt ſit ſenſus. ſi etiam miniſtri; ita enim imitationis ſtudium exprimitur. *Quorum finis*, ait, *erit ſecundùm opera ipſorum*. Oecumenius videtur hæc referre ad futuram vitam, quaſi dicat quamuis vos, ac cæteros mortales fallant, diuinum tamen intuitum fallere non poſſunt; neque eius abſolutiſſimæ ſcientiæ tenebras offundunt, quin potius ille nefarias ipſorum actiones aliquando tandem iuſto ſupplicio plectet. Id nos in paraphraſi ſecuti ſumus, quamquàm non dubito, poſſe aliter etiam commodè explicari, vt ſignificet quod vulgo dici ſolet, fictam perſonam diu à nemine poſſe ſuſtineri: prauos enim mores, & nefarias cupiditates quamuis premantur, aliquando tamen erumpere, nec quidquam eſſe diuturnum quod fictum eſt, & ſimulatum. Quocirca Christus in Euangelio [a] dixit. *Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces; à fructibus eorum cognoſcetis eos.* Fructus autem (vt explicat Chryſoſtomus) actiones appellat, ex quibus de cuiuſque vita iudicandum eſt.

a Matth. 7. 15.

16. I. ITERVM DICO NE QVIS ME, &c. Redit ad id quod initio epiſtolæ dixerat, & ſuas laudes commemoraturus rurſus excuſationem præmittit, vt omnem prauam ſuſpicionem, atque inuidiam amoueat. Vt igitur initio dixerat. *Vtinam ſuſtineretis modicum quid inſipientiæ meæ*; ita nunc ait: *velut inſipientem accipite me.* Quamuis enim vera dicturus eſſet, quia tamen ea ad propriam laudem ſpectabant, neſcio quam inſipientiam redolere videbantur. Verùm quoniam, vt ait Oecumenius, neceſſitate compulſus ſuas laudes commemorat, non poteſt imprudentiæ, aut inſcitiæ argui. vt enim ait Photius; *inſipiens eſt qui vanè ſe iactat, & inaniter gloriatur, qui ſimul, & inſipiens eſt, & inſipientia verba loquitur, & quæ inſipientis ſunt, facit. Qui autem de ſeipſo & magna dicit & vera, idque cauſa vtilitatis animæ, videbitur inſipientia verba dicere quantùm ad ſimilitudinem prolationis; non tamen inſipiens eſt, ſed prudens admodum, & quæ prudentiſſimi ſunt operatur, quod etiam irrationabilem calumniam deſpexerit ob aliorum vtilitatem, ac ſalutem.* Quocirca quod dixit. *Vtinam ſuſtineretis modicum quid inſipientiæ meæ*, non pugnat cum his verbis. *Ne quis me putet inſipientem eſſe*; ibi enim, inſipientiam ipſam ſimplicem ſuarum laudum commemorationem dicit: hîc verò inſipientiæ ſuſpicionem amouet, quia re vera coactus, & propter aliorum vtilitatem de ſe ſuiſque rebus loquitur: *alioquin velut inſipientem accipite me.* ſi meam excuſationem non accipitis, & me tamen inſipientiæ nomine accuſandum putatis, hanc meam inſipientiam æqui, boniqúe conſulite. Primaſius; *quomodo vultis accipite me.* quaſi dicat; ego certè ſile-

A re non poſſum: vos de me, vt libuerit, iudicate; *vt & ego modicum quid glorier.* quando inquit æquo animo ferris pſeudoapoſtolos plenis buccis de ſe, ſuiſque rebus gloriantes, per vos etiam mihi liceat, nonnihil gloriari. Rectè autem obſeruauit Anſelmus, idcirco Apoſtolum addidiſſe modicũ; quia hoc ipſo, quod ſuas laudes commemorat, non priuatam ſuam gloriam quærit, ſed Corinthiorum vtilitatem. Fas enim eſt iuſto retenta animi moderatione demiſſionéque ſi res poſtulet ea de ſe narrare, quæ veram laudem contineant; atque ita Apoſtolus cùm multa de ſe præclara commemoret ad Corinthiorum fidem, ac pietatem confirmandam nullo modo reprehendi poteſt, cùm veritatem, & Christianam humilitatem retineat.

B QVOD LOQVOR NON LOQVOR, &c. Verè 17. I.
gloriatio, ſeu propriæ laudis prædicatio non eſt iis conſentanea, quæ à Domino præcipiuntur, qui apud Lucam [a] ait. *Cùm feceritis hæc omnia, dicite quia ſerui inutiles ſumus.* Tametſi autem ſi hoc per ſe ſpectetur circumſcriptis cauſa impellente, fine ad quem refertur, & laudantis animo, nihil eſt in ea actione, quod laude dignum videri poſſit, vel potiùs non aliquam mali ſpeciem præſeferat: tamen ab animi propoſito, ac voluntate, vt ait Chryſoſtomus, & laudabile redditur, & Deo gratum: itaque rectè ait Oecumenius: *verba quidem non ſunt ſecundùm Dominum, at ſcopus verborum omnino ſecundùm Dominum eſt.* Quia igitur, ſi ſola verba ſpectentur, videtur hæc gloriatio ab animi tumore, & arrogantia profecta, rectè dicit
C Apoſtolus non eſſe *ſecundùm Deum, ſed quaſi in inſipientia.* Neque enim, vt Ambroſius, & Anſelmus monent, ad veram inſipientiam pertinet, ſed eius quandam ſpeciem oſtentat, idcóque non ſimpliciter dixit; in inſipientia, *ſed quaſi in inſipientia.* Addit. *In ſubſtantia gloriæ*, vel, vt ait Ambroſius, gloriationis. eſt enim græcè *καυχήσεως*, quæ verba addita videntur ad explicandam in quo poſita ſit inſipientia. non omnia inquit quæ loquor ab inſipientia profecta ſunt, ſed quę pertinent ad gloriationis argumentum, ea neſcio quam inſipientiam redolere videntur. Quapropter rectè dixit Theodoretus: *ne quis autem exiſtimaret omnẽ eius doctrinam vocari inſipientiã, neceſſariò adiecit. In hac ſubſtantia gloriationis. Inſipientẽ, inquit, me ipſum nomino in eiuſmodi verbis.* Eodẽ modo lo-
D quitur Theophylactus. At Primaſius indicari putat, aliam eſſe veræ gloriæ ſubſtantiam, vt ſenſus ſit; inſipiens fortaſſe videbor, quia humanas laudes recenſeo, & humano propemodum more glorior, cùm vera gloria & aliunde oriatur, & ad vnum Deum referenda ſit. Ita quã dixerat inſipientiam quodã modo coarctat, & ad certum genus rerum reuocat.

a cap. 17. 10.

QVONIAM MVLTI GLORIANTVR, &c. 18. I.
Pſeudoapoſtolos notat, qui vt ſibi apud populum auctoritatem conciliarent, vtque apud omnes haberentur in pretio ſecundùm carnem gloriabantur; hoc eſt, explanante Chryſoſtomo, *ab externis rebus laudem captabant, à nobilitate, ab opibus, ab eruditione, à circumciſione, ab Hebræis auis, atque atauis, ab ea denique quæ apud pleroſque florent, opinione, & fama.* Quod laudis
E genus meritò dixit, non eſſe ſecundùm Dominum, quia ille harum rerum externarum nullam prorſus habet rationem; hic autem ait eſſe ſecundùm carnem. pertinent enim ad ea, quæ vel ſunt propria corporis, vel ad animum certè, animíque ſalutem parum omnino pertinent. Itaque ait Apoſtolus, ſe quoque eodem gloriationis genere gloriaturum; nam & ad Philippenſes ſcripſit [b]. *Si quis videtur confidere in carne, ego amplius*, vt non modò diuinis muneribus, ſed his etiam rebus externis nulla ratione ſe cæteris inferiorem eſſe oſtendat; atque ita multa de ſe cõmemorat,

b cap. 3. 4.

quæ

quæ pertinent ad generis nobilitatem, atque alia corporis bona. Suſpicor enim quod inſinuare videntur Ambroſius, & Anſelmus nónullos ex pſeudoapoſtolis ſui generis nobilitatem, ac ſtirpis prærogatiuá prædicare conſueuiſſe, quocirca Apoſtolus eandẽ quoq; ſibi laudem, ac natalium ſplendorem, & claritudinem vẽdicat. Cæterùm quod ait: *Quoniam*, Græcè eſt *ἐπεί*, Ambroſius tranſtulit: *quandoquidem*. eadem planè ſententia; quaſi dicat; Quandoquidẽ pſeudoapoſtoli ſe tanquã Hebræos iactant, & Abraham parentem, ac progenitorẽ ſuum prædicant; quamuis in his nullam veræ laudis partẽ poſitam eſſe putem; tamen vt oſtendam nihil eſſe, cur propterea mihi præferantur, nonnulla cogor in hoc etiam genere in medium proferre, cùm præſertim videã, vos æquo animo ferre eos, qui hoc inſipientiæ genere valde laborant, ſubdit enim:

19. I. Libenter enim ſuffertis, &c. Pſeudoapoſtolos videlicet indicat, quos inſipiẽtes vocat, quia quaſi milites glorioſi ſe apud Corinthios mirificè iactabãt: eos autem dicit non ſolùm tolerari, ſed etiam libenter tolerari. Quia ergo video eos prorſus inſipientes à vobis benignè audiri, atque adeò amari, & coli; ſpero fore, vt hanc meã neceſſariam gloriationẽ, quæ ad veſtram vtilitatem refertur, bonam in partem accipiatis. Verùm quia ita pſeudoapoſtolos perſtringit, vt videatur Corinthios nonnihil pungere, quòd illorum inſipientiam non ſolùm æquo, ſed etiã libenti animo ferrent, nonnihil laudis admiſcet, nõ tamen ſine aculeo, cùm ait; *cùm ſitis ipſi ſapiẽtes*. quaſi dicat, vos me ad hoc veluti genus inſaniæ compuliſtis; cùm enim videã, vos alioquin viros ſapientes libenter audire ſtultá, atque inſanam pſeudoapoſtolorum iactantiam, dubitare non poſſum, hanc meam qualemcumque gloriationem, tametſi fortaſſe ſi externam ſpeciem reſpicias minùs prudentem, ſuum tamen apud vos locum habituram. Video namq; vos probè inſtitutos, hæc quæ nullius momenti ſunt, penè incredibili facilitate admittere, & magno conſenſu probare. Quod profectò permirum videri debet; neque enim fas eſſe videbatur, vt qui cœleſti ſapientia, doctrinaque mea operа imbuti eſtis, impoſtoribus, & à rebus humanis, atque caducis laudem, & gloriam captantibus tam facilè aures præberetis vſque eò, vt me veſtrum Apoſtolũ, ac magiſtrũ pre illis contemnendũ putaretis. Ita eos, vt dixi, non leuiter pungit, quòd non videantur ſatis prudẽter in eã re ſe gerere; vt enim ait Sapiens [a]: *Amicus ſtultorum ſimilis efficietur*. Eadem autem opera illis perſuadet, vt ſuas laudes libenter audiant. Porrò Ambroſius putat, Corinthios ironicè Sapientes vocari. *Nam quomodo* (inquit) *prudentes ſunt qui ſæpè reprehenduntur? Quomodo ergo illi libenter ſufferunt imprudentes, cùm ipſi ſint ſapientes, niſi quia non ſic vult intelligi, ſicut ſonant verba?* At magis placet Græcorum ſententia, qui, vt paulò antè dixi, putant hæc verba; *cùm ſitis ipſi ſapientes*, eſſe aculeata, & habere, vt loquitur Theophylactus, *accuſationis vehementiam, & exaggerationem. Quoniam in cognitione*, inquit, *peccatis; nam ſi inſipientes delinqueretis, venia eratis digni.*

[a] Prou. 13. 20.

20. I. Suſtinetis enim si quis, &c. Priuſquam, ait Chryſoſtomus, ſuas laudes attingat, & comparationẽ cum pſeudoapoſtolis ingrediatur, ingentem ſeruilis animi deiectionẽ Corinthiis probro dat, quod videlicet maiorem in modũ ſeſe pſeudoapoſtolis ſubieciſſent, quaſi extrema ſeruitute damnati. *Suſtinetis, ait, ſi quis vos in ſeruitutem redigit.* Sunt qui putent, Corinthios hac veluti ironia acriter perſtringi, quaſi nimis delicati vera recuſent audire, vel re vera reprehendi, quod quaſi vecordes ſe pſeudoapoſtolorum ſeruituti mancipaſſint: denique ita explicent hanc Apoſtoli orationẽ perinde, ac ſi in aliena perſona attingat ea, quæ falsò de ſe à nonnullis iactabantur, veluti ipſe in

A Corinthios tyrannidem exerceret. Nos in paraphraſi ita verba aptauimus, vt integrum cuique eſſet quam mallet ſententiam ſequi. Certè Chryſoſtomus, cæterique Græci de Apoſtolorum imperio, ne dicã tyrannide, hæc accipiunt; nam in ſuperiori epiſtola [a] ſimile quiddam indicauerat. *Si alij* (inquit) *poteſtatis veſtræ participes ſunt, multò magis nos.* eundem ſenſum ſequitur Ambroſius. Verùm Primaſius, & Anſelmus de ſeruitute legis, vel ſacerdotum, qui dominatũ exercerẽt in populo hæc accipiunt: de pſeudoapoſtolis tamen agi non negant. *Si quis deuorat.* Græcè eſt *κατεσθίει*; quod quidam referunt ad cibum, quem illi apud diſcipulos ſemetent. Ambroſius ſimpliciter accipit de pſeudoapoſtolorũ rapacitate, qui omnia Corinthiorum bona abligurirent. *Si quis accipit.* Hoc alij ad mu-

[a] Cap. 9. 12.

B nera pertinere volunt. Chryſoſtomus, Oecumenius, & Theophylactus idem vtroque verbo ſignificari putant, vt pſeudoapoſtolorum ingluuies deſcribatur, qui, vt ait Primaſius, vel ipſorum bona accipiant, vel etiam rapiant, & conſumant. *Si quis extollitur*, id pertinet ad arrogantiam, qua pſeudoapoſtoli omnia pro imperio exigebant, vt indicat Chryſoſtomus: vel faſtum, quo ita ſeſe iactabant, vt Paulum deprimerent, quod Ambroſius, Primaſius, & Anſelmus magis probant. Iactabant enim illi generis nobilitatem, vel ſcientiæ, atque eloquentiæ præſtantiam. *Si quis in faciem vos cædit*; hoc eſt probris, & conuiciis coràm inſectatur. quod perinde eſt, ac ſi vos colaphis cæderẽt. ita omnes tam Græci, quàm Latini. Hæc au-

C tẽ omnia impotentem quendã dominatum, vel potius ſæuam quandam tyrannidẽ indicãt; quæ tamen omnia Corinthij æquo, libentiq; animo perferebant.

Secundum ignobilitatem, &c. Chryſoſtomus, Oecumenius, & Theophylactus verba illa; *ſecundùm ignobilitatem dico* cum ſuperioribus connectenda putant, perinde quaſi Apoſtolus explicet id, quod dixerat, *ſi quis in faciem vos cædit.* Neque enim verè eos alapis, aut colaphis cædebant; ſed dum coràm Corinthios obiurgarent, & cõuiciis inceſſerent, perinde contumelioſum erat, ac ſi eos re vera colaphis cæderẽt. Ambroſius, Primaſius, & Anſelmus cum ſequentib. coniungunt, vt ſit ſenſus, gloriabor ego quoque à generis nobilitate, aliiſque bonis externis. quod eſt viris piis, ac religioſis cõtume- 21. I.

D lioſum potiùs, quàm honorificum; vt *ſecundùm ignobilitatem* idem ſit, quod *ſecundùm carnem gloriari*, vt ſuprà dixerat. Cæterùm in paraphraſi priorẽ ſenſum ſequuti ſumus. nam quæ ſequuntur magis cohærent; & hac ratione Pſeudoapoſtolorum tyrannis mirum in modum exaggeratur, vt luculenter his verbis explicat Chryſoſtomus: *Quidnam igitur hoc vehementius eſſe queat, aut quænam dominatio hac acerbior, cùm & pecuniis veſtris, & libertate, atque honore ademptis, ne ſic quidem lenes, ac placidos ſe præbent, ac ne in ſeruorum quidem gradu, atque ordine manere vos ſinunt, verùm mancipio quouis pecunia empto contumelioſiùs vos tractant?* Fauent & Græca verba; ſcripſit enim Apoſtolus, *κατ' ἀτιμίαν λέγω*, hoc eſt iuxta cõtumeliã dico, vt exponere videatur ſuperiora, ac ſi dicat, non quaſi

E vos iſta patiamini à Pſeudoapoſtolis, ſed quod quãtum ad contumeliæ rationẽ attinet, non leuiora ſint illa, quàm ſi mancipiorũ more cæderemini. Poſſis etiã ad omnia ſuperiora referre, vt atrocia illa, *Si quis deuorat*, & quæ ſequuntur accipienda ſint, non quaſi verè talia Corinthij paterentur, ſed quod habita ratione contumeliæ nihilo minora, aut leuiora perferrent. *Quaſi nos infirmi fuerimus in hac parte.* Viſa ſunt hæc verba non ſolùm Chryſoſtomo, cæteriſque Græcis, ſed etiam aliis valde obſcura. Et quidem nonnulli exiſtimant ea coniungi cum ſuperioribus hoc ſenſu, *ſecundùm ignobilitatem dico, quaſi nos infirmi fuerimus*

 in hac

in hac parte. Mihi, inquit, turpe atque ignominioſum
eſt, cum huiuſcemodi hominibus in cōtentionē ve-
nire. Sed non video quomodo hic ſenſus cum ſupe-
rioribus cohæreat. Dixerat enim Apoſtolus ſe glo-
riari velle ſecundùm carnem, quoniam videbat per-
multos hoc gloriationis genere non modò libenti-
bus, ſed maximè etiam probantibus Corinthiis fre-
quenter vti. Probari verò Corinthiis hanc gloriandi
rationem oſtendit, quia illa omnia æquo animo per-
ferebant, quæ modò enumerauit. Cur igitur extra rē
nunc dicat, ſibi contumelioſum eſſe, ſi cum Pſeudo-
apoſtolis conferatur? Cur ſi id ſibi turpe ducit, tam
multis veniam precatus eſt, quaſi neceſſitate coactus
facere non poſſet, quin ſuas ipſe laudes commemo-
raret? An ob hanc ipſam cauſam tam multis hanc
ſuam inſipientiam excuſat, quòd ſe indignam puta-
ret hanc cum pſeudoapoſtolis contentionem? At hoc
parum admodum conſentaneum erat apoſtolico in-
ſtituto, cuius ratio id poſtulare videbatur, vt Apoſto-
li nihil ſe indignum putarent, quod ad aliorum ſalu-
tem, atque vtilitatem pertineret. Addo quòd poſſet
id ab apoſtolica moderatione alienum videri, qui ſe
alibi minimum Apoſtolorum, & Apoſtoli nomine
indignum iudicauit. Itaq; malui in paraphraſi Chry-
ſoſtomum cæteróſque Græcos ſequi, à quibus non
abhorrent Latini. Fertis igitur, ait, pſeudoapoſtolos,
qui tyrannidem in vos exercent, nos verò tanquam
infirmos, hoc eſt, viles, abiectos, & ignobiles aut con-
temnitis, aut certè nō magnifacitis, quaſi ab illis præ-
ſtantiora, & nobiliora quædam, à nobis verò humi-
liora tantùm, ac minùs fortaſſe vtilia, ac neceſſaria
audieritis. Quod ait interpres, *in hac parte*, nō legitur
in Græcis codicibus, nec legiſſe videtur Syriacus; le-
git tamen Ambroſius, & in commentario explicat,
quaſi dicat Apoſtolus, ſe pro nihilo habitum à Corin-
thiis, quod attinet ad humanas laudes, quas pſeudo-
apoſtoli magnificè prædicabant. Vult autem oſten-
dere ſe ne minima quidem laude illis fuiſſe inferiorē,
atque idcirco ſubdit: *In quo quis audet, audeo & ego.*
quaſi dicat quocunque ſe illi nomine extollant, nihi-
lominus ego gloriari poſſum. Vt autem modeſtiam
ſuam indicaret interpoſita parētheſi addidit, *In inſi-
pientia dico*; ſic enim toto hoc capite hanc ſuarum
laudum commemorationem appellauit: quinetiam
paulò antè dixerat; *Quod loquor, non loquor ſecundùm
Dominum, ſed quaſi in inſipiētia.* Tantum igitur abeſt,
vt iure nos tanquam ignobiles, ac pſeudoapoſtolis in-
feriores contemnendos meritò putetis, vt facilè pro-
bare poſſim nos illis multò eſſe ſuperiores: id autem
ſingillatim oſtendit.

22. HEBRÆI SVNT, ET EGO, &c. Tractat hunc
I. locum admodum copioſè B. Auguſtinus [a], in eoque
plurima orationis lumina, & ornamenta obſeruat, &
ſolidæ eloquentiæ neruos Paulo non defuiſſe oſten-
dit. Re namque vera amplificandæ rei gratia idem
pluribus modis explicat; Hebræi enim, Iſraelitæ, &
ſemen Abrahæ idē omnino ſunt, niſi quod vt Chry-
ſoſtomus, Oecumenius, & Theophylactus monent,
etiam Ammonitæ, & Moabitæ, quamuis Iſraelitæ ve-
rè non eſſent, neque ad genus Abrahæ pertinerent,
hoc eſt ad illam poſteritatem Abrahæ promiſſam,
Hebræorum tamen nomine cenſebantur. Hebræus
autem primus Abraham appellatus [b] eſt, quaſi tra-
iector, quia fluuium traiecerat: quocirca Septuaginta
tranſtulerunt περάτης. Putauit autem Auguſtinus [c],
Hebræos dictos eſſe ab ipſo Abrahæ nomine, quod
falſum videtur, cùm ipſe Abraham dictus ſit He-
bræus. Meliùs exiſtimauit id nomen deduci ab He-
ber filio Sale, de quo ſcribitur in libro Geneſeos [d].
Quæ ſententia aliquando placuit Hieronymo [e], &
Ioſepho [f]: ſed vt ex Septuaginta diximus, Hebræus

[a] lib. 4. de doct. Chriſt. c. 7.
[b] Gen. 14. 13.
[c] Qu. 29. in Gen. & lib. 7. de cōſ. Euāg. c. 14. lib. 2. de retract. c. 16. & libr. 17 de Ciuit. c. 13.
[d] cap. 11 v. 14.
[e] Qq. tradit. Hebraic.
[f] lib. 1. antiq. c. 7.

A traiectorem ſignificat, vt ipſe Hieronymus, & Gre-
gorius [a] fatentur: Abrahamenim tranſmiſſo flumine
profectus eſt in Canaanitidem. Iſraelitæ porrò iidem
Hebræi dicti ſunt à Iacobo Patriarcha, cui diuinitus
impoſitum eſt nomen Iſrael; hoc eſt, fortis Deo,
vel, vt alij volunt, videns Deum. Cur autem diceren-
tur ſemen Abrahæ nulla quærenda eſt alia ratio, ni-
ſi quòd illum primum parentem, ac progenitorem
agnoſcerent. Hoc autem nomine pſeudoapoſtoli ſe
iactare ſolebant, quia Eccleſiæ naſcentis initio cùm
primi Euāgelij promulgatores, hoc eſt Apoſtoli, aliiq;
Chriſti diſcipuli Hebræi eſſent, non exigua laus pu-
tabatur ſi quis ex eo genere ortus eſſet. Eademq; ra-
tione Gentiles etiam aliquo modo exoſi, adeò vt ali-
quando exiſtimarint fideles, vt colligitur ex Actis
B [b] Apoſtolicis, nefas eſſe illis Euangelium promul-
gare. Iam verò adeò res immutatæ ſunt, vt qui ex
Hebræis originem ducunt, non ſolùm leuitatis, & in-
conſtantiæ, ſed etiam fraudis, ac perfidiæ infamia la-
borent, atque adeò multis in locis non modò Eccle-
ſiaſticis, ſed etiam ciuilibus magiſtratibus cenſeantur
indigni. Itaque Apoſtolus ait, ſi illi gloriantur quòd
genus ſuum referant ad Abrahamum, nihilominus
ego hoc nomine gloriari poſſum.

MINISTRI CHRISTI SVNT, &c. In 23.
ſuperioribus æquat ſe cæteris; hoc verò nomine I.
quod eſt Apoſtolorū proprium, ſemet illis antepo-
nit. Verùm quoniam videri poterat id arrogantiùs
dictum, adhibet moderationem, *vt minus ſapiens di-
C co*; Græcè παραφρονῶν λαλῶ, id eſt, deſipiens dico.
Porrò nonnulli Latini codices quos multi Latini ex-
planatores ſequuntur, hoc loco habent: *Miniſtri
Chriſti ſunt, & ego (vt minùs ſapiens dico) plus ego*, re-
pugnantibus tamen Græcis codicibus, ipſoq; Am-
broſio, qui ad hunc modum legit: *Miniſtri Chriſti
ſunt (velut inſipiens dico) magis ego.* Quamquam in
nonnullos Ambroſianos codices hic etiā irrepſit er-
ror, qui tamen ſi codicū ſuffragiis iuuetur, ne cenſen-
dus quidē eſt error. Potuit n. Apoſtolus ſe illis hoc etiā
nomine æquare, mox verò adhibita moderatione etiā
præferre. Certè ita legiſſe videtur Primaſius de An-
ſelmo aliiſque recentioribus, qui Græcos codices nō
conſuluerant, non videtur magnopere laborandum.
D Itaque ait Apoſtolus, ſe nobiliori, atque excellētiori
modo eſſe Chriſti miniſtrum, quippe eximio ac ſin-
gulari quodam modo non ſine miraculo à Deo vo-
catus, & peculiari diuini numinis impulſu Apoſto-
lorum collegio aggregatus, quamquam Apoſtolus
aliò videtur ſpectaſſe, qui labores, atque ærumnas
ſuas commemorat, quaſi indicare velit, Chriſti mini-
ſterium non tam ex munere, quàm ex laboribus pro
Chriſto toleratis, ſpectandum eſſe. Monet autem
Chryſoſtomus, hanc Paulini muneris commenda-
tionem non ſimplici laude, ſed certa, atque euidenti
probatione conſtare, non à miraculis, aut prodigiis
ducta, ſed à laboribus pro Chriſti nomine exantla-
tis. Itaque ait, *in laboribus plurimis.* Græcè περισσοτέρως;
hoc eſt, abundantiùs, vel, vt ait Ambroſius, *in labori-
E bus plurimum*: qui addit conſueuiſſe Apoſtolū à pri-
ma luce vſque ad horam quintam victum manibus
quærere, inde vſque ad decimam publicè diſputare,
idque tanta cōtentione, vt contradicentibus perſua-
deret. Quod ſequitur in Latinis codicibus; *In carce- II.
ribus abundātiùs*, apud Græcos præpoſtero ordine le-
gitur, priùs enim habetur; *In plagis ſupra modum.* ἐν
πληγαῖς ὑπερβαλλόντως, hoc eſt, in plagis eximiè, vel ſu-
pra quā credi poteſt. Ambroſius interpretatur *ſupra
quā oportuit*; vt videatur reſpicere ad id, quod paulò
pòſt de verberibus cōmemorat. Anſelmus quē pluri-
mi ſequūtur, interpretatur *ſupra modum humanæ fa-
cultatis*, parùm, vt arbitror ad rem, cùm vox Græca rei
magni

[a] Hom. 4. Ezech.
[b] cap. 11.

magnitudinem, & vt ita dicam exceſſum ſignificet. *In carceribus abundantiùs*, Græcè eſt eadem vox, quæ ſuprà cùm ageret de laboribus περισσοτέρως, & quidem credibile eſt, Apoſtolum vſum eſſe comparatiuo pro ſuperlatiuo; monet enim Oecumenius, nullam hoc loco fieri comparationem cum pſeudoapoſtolis, ſed quod ait Chryſoſtomus laborum, & periculorum magnitudinem, atque exceſſum declarari. *In mortibus frequẽter.* mortis pericula intelligit, vt explicat Chryſoſtomus. nam & in ſuperiori ª epiſtola dixerat; *Quotidie morior.* Hæc eſt certa, ac minimè dubia probatio, qua ſe Chriſti egregium miniſtrum eſſe confirmat: potuiſſet quidem, vt indicat Theodoretus, plurima commemorare miracula, vita functos ad vitam reuocatos, dæmones fugatos, ægros ſoſpitati reſtitutos, aliaque id genus permulta; ſed nihil horum attingit; pluris enim facit ærumnas, & calamitates pro Chriſti nomine toleratas, quàm quæ ſupra naturam fiunt; quia hæc ſunt ſingularia quædam Dei beneficia, quæ diuinam in hominibus efficientiam, & maieſtatem indicant. laborum verò rerumque aduerſarum tolerantia diuinæ quidem gratiæ ſingulare præſidium exigit; humanæ tamen voluntatis actionem, & quidem laude, ac præmio dignam annexam habet.

ª cap. 15. 31.

24. I. A IVDÆIS QVINQVIES QVADRAGENAS, &c. Quando, aut vbi neque Paulus indicat, neque Lucas narrat. Præceperat ᵇ autem Deus ne Iudæi vltra quadraginta plagas infligerẽt: id illi adeò religioſè ſeruabant, vt ne quadragenarium quidem numerũ attingerent, ſed quo inſtrumento Iudæi verberarent, non ſatis conſtat: illud ex hoc loco colligi videtur, nõ vſos virgis; nec enim diſtingueret Paulus, quod mox ſubdit: Ter virgis cæſus ſum: à Romanis vt arbitror magiſtratibus. Exiſtimant nonnulli vſos fuiſſe flagellis ex loro taurino. *Quinquies* (ergo ait) *quadragenas*, hoc eſt plagas *vna minus accepi.* Significat enim, ſe quinquies vapulaſſe, & ſemper vndequadraginta accepiſſe plagas. Nec dubium eſt licuiſſe Iudæis quamuis imperio Romano ſubeſſent, religionis iudicia exercere; nam & in Actis Apoſtolicis cæſos fuiſſe legimus Apoſtolos auctoritate Senatus Iudæorum, & Stephanum ab iiſdem Iudæis lapidibus obrutum. ab iiſdem igitur potuit Apoſtolus flagellis cædi. Mirari autem fortaſſe quiſpiam poſſet, plurima, quæ hoc loco recenſentur à Luca in Actis Apoſtolicis fuiſſe prætermiſſa, ſed veriſimile videtur voluiſſe Lucam ea quibus ipſe præſens adfuerat, copioſiùs recenſere, cætera ſtrictim, breuiterque indicare. Itaque Epheſo profectionem, Macedonicam commorationem, profectionémque in Græciam, nauigationem Troadem ſuſceptam, quæ duorum propè annorum ſpatio peracta ſunt pauciſſimis attigit. Cæterùm de veritate narrationis Paulinæ nefas eſt dubitare.

ᵇ Deut. 25. 3.

25. I. TER VIRGIS CÆSVS SVM, &c. Quod vniuerſim de laboribus ſuis, & calamitatibus dixerat, ſigillatim explicat. Et quoniam plagas attigerat quas à Iudæis acceperat, virgas addidit, quibus à Romanis cæſus erat. *Ter* (inquit) *virgis cæſus ſum.* Semel quidem id accidiſſe Apoſtolo Philippis vnà cum Sila in Actis Apoſtolicis ᶜ ſcribit Lucas. Cæterùm vbi alias virgas ſuſtinuerit, nemo quod ſciam memoriæ prodidit. Porrò ea vrbs Romanorum colonia erat, vt auctor eſt Plinius ᵈ, & Romanorum moribus viuebat. *Semel lapidatus ſum.* Omnino Lyſtris, vt ſcribit Lucas ᵉ, agentibus id maximè Iudæis, & pro mortuo relictus eſt. *Ter naufragium feci*, vbi, aut quando, mirum ſilentium; nam illud naufragiũ, de quo Lucas ᶠ, contigit multò pòſt in nauigatione Romana. Quod verò apud Oecumeniũ quidam exiſtimauit, humanam naturam ter naufragium fe-

ᶜ cap. 16. 22.
ᵈ lib. 4. c. 11.
ᵉ Act. 14. 5.
ᶠ Act. 27. 18.

A ciſſe, primùm in paradiſo cùm diuinum præceptum violauit: iterum in diluuio cum aquis abſumpta eſt; poſtremò poſt legem ſuſceptam cùm myſticum eſt, tum verò etiam admodum coactum, ac violentum; certum enim eſt, Paulum de ſe ipſo loqui, & ſua pericula recenſere. *Nocte, & die in profundo maris fui.* Quid hoc ſignificet, non ſatis conuenit inter omnes. Beda ª auctore Theodoro neſcio quo carcerem fuiſſe putat Cyzicenum, qui ob nimiam profunditatem profundum maris appellaretur, vt Athenis carcer erat nomine Barathrum, Syracuſis Latomiæ, & Romæ Tullianum. Et ſunt qui coniecturis nitantur oſtendere Cyzicenam vrbem à Paulo minimè fuiſſe neglectam, ſed quam quiſque nouit artem in ea ſe exerceat ſapienter dictum eſt à quo- B piam. Nonnulli apud Theophylactum Lyſtris putarunt eſſe carcerem, ſeu foueam, cui nomen Byto, id eſt, profundum; ſic enim Græcè dixit Paulus, ἐν τῷ βυθῷ πεποίηκα, hoc eſt, diem, ac noctem in profundo egi; neque enim Græci codices mare nominant. Certè id multò probabilius eſt, quàm quod dicitur de Cyziceno carcere. Qui hoc referunt ad varias, ac multiplices Apoſtoli nauigationes, non ſatis explicant, cur ſe diem, ac noctem in profundo egiſſe dicat; niſi noctem, ac diem poſitum putent pro eo, quod eſt interdiu, ac noctu, vel diu, noctúque. Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, & Theophylactus ſcapha, ſeu naui diſſoluta eum diem integrum noctémque totam ſalo iactatum natando euaſiſſe C ferunt. nam qui ſupra naturam eum putant fluctibus hauſtum diem; ac noctem integram in profundo fuiſſe, vt contendit Anſelmus, aliique Latini non pauci, non animaduertunt miraculum non neceſſarium confingi, quod Chryſoſtomo videtur parum probabile; profundum enim cùm præſertim refertur ad aquas, ſignificat locum, in quo aqua ſit profunda. Primaſius vi tempeſtatis abreptum in extremo periculo fuiſſe dicit. Poſſis etiam hunc locum ita accipere, quaſi Apoſtolus ſe dicat in imo aliquo gurgite diu hæſiſſe, à quo nõ poſſet euadere. In paraphraſi ſecutus Græcos codices ſimpliciter poſui, in profundo egi, quaſi dicat, ſe diem, ac noctem integram ſalo iactatum in altiſſimo, ac profundiſſimo pelago hæſiſſe; vt periculi magnitudinem, ac diuturnitatem D ſignificet. Quocirca rectè dixit Hieronymus, hæc quæ in præſentia commemorat Paulus, eſſe vera Apoſtolatus ſigna, & Chriſti ſtigmata, de quibus alibi ᵇ Paulus: *Ego autem ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto.* Quinetiam Macharius ᶜ Ægyptius hæc affirmat eſſe veri, ac germani Chriſtiani indicia. Cæterùm quod hoc loco ſcribit Oecumenius, noctẽ ſignificare tempus ante Chriſti aduentum, quod ignorationis tenebris inuolutum erat; diem verò hanc ætatem, quæ à Chriſto nato inchoatur, & alienum, & prorſus violentum videtur: ad myſticos enim ſenſus pertinet, cùm tamen hæc, quæ de ſe Paulus commemorat ad litteram accipienda ſint.

II.
ª lib. qu. q. 8. in. 8.
ᵇ ad Galat. 6. 17.
ᶜ Hom. 18 to. 2. Biblioth. ſanctorum.

26. I. IN ITINERIBVS SÆPE, &c. Pergit in eadem E enumeratione ærumnarum ſuarum: multa autem periculorum genera recenſet; ac primùm quidem multum ſe in itineribus laboraſſe dicit Euangelicæ prædicationis gratia ſuſceptis, qui plurima terrarum ſpacia confeciſſet, vt Chriſtianam fidem, & Euangelium promulgaret: ſunt autem in itineribus non exigua pericula, quæ mox recenſet. *Periculis* (inquit) *fluminum*, quæ plerumque traiicere, aut enauigare cogebatur, dum ſæpè locum prædicandi cauſa mutaret. *Periculis latronum*: qui enim iter faciunt, non rarò in viatum graſſatores incidunt, aut hoſtium inſidias, quod (vt ait Anſelmus) ſequutus Ambroſium, ſæpè dæmon eiuſmodi pe-

ricula Apoſtolo obiiceret, vt eius prædicationis fructum prohiberet. *Periculis ex genere.* Non ſentit propriè de cognatis, aut de iure ſanguine connexis; ſed Iudæorum gentem genus ſuum vocat, cui mox gentes opponit. Plurima autem à Iudæis ſe paſſum eſſe, vbique ſignificat. *Periculis ex gentibus:* quæ Chriſti fidem omnibus machinis oppugnabant, vt idolorum cultum tuerentur, quem Euangelica doctrina penitus euerti animaduertebant. *Periculis in ciuitate.* Nam Epheſi quidem vix mortem euaſit, Antiochiæ, Philippis, Theſſalonicæ, Athenis, Corinthi, atque Damaſci multa ſubiit diſcrimina, & plerumque de capite periclitatus eſt. *Periculis in ſolitudine.* nam vt ait Theodoretus non raro per loca inuia, & omni humana ope deſtituta iter facere coactus eſt in ſumma rerum neceſſariarum penuria non ſine periculo vel à feris, vel à prædonibus. *Periculis in mari.* nam præter ventorum impetum, & vndarum vim, ferendæ erant nauiculariorum, nautarúmque moleſtiæ, & piratarum incurſiones metuendæ. *Periculis in falſis fratribus*; qui falſò Chriſtiani nomen præferrent: qui ſe fingerent Chriſti eſſe diſcipulos, cùm nihil eſſent minùs. Hoc autem monet Chryſoſtomus poſtremo loco poſitum eſſe ab Apoſtolo, quaſi malorum omnium grauiſſimum, vt intelligi poteſt ex

a cap. 2. 4. iis, quæ in Epiſtola ad Galatas [a] ſcribit: *Propter ſubintroductos falſos fratres, qui ſubintroierunt explorare libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto Ieſu, vt nos in ſeruitutem redigerent.* Simile quiddam ſcri-

b epiſt. 76. bit Baſilius [b], qui de familiaribus ſuis aſſerit fuiſſe illos vitæ ſuæ, atque actionum ſeueriſſimos exploratores, acerbiſſimóſque cenſores. Tales fuerunt olim Nicolaus Antiochenus, Cherinthus, Philetus, Hermogenes, Demas, atque alij eiuſdem farinæ, quibus ſimiles ſunt omnes hæretici, qui per ſimulationem, & hypocriſim quamplurimis fucum faciunt.

27. I. In labore, et ærumna, &c. Ad pericula alia multa addit grauia, atq; aſpera, & toleratu difficilia. *In labore* (inquit) *& ærumna.* Græcè ἐν κόπῳ καὶ μόχθῳ, hoc eſt, vt vertit Ambroſius, *in labore & moleſtia.* nam, vt idem Ambroſius ait, poteſt eſſe labor non moleſtus, aut etiam iucundus, qualis eſt labor piſcantium, venantium, aucupãtium. vt igitur oſtendat, laborem fuiſſe moleſtum, & exitioſum, addidit καὶ μόχθῳ; quaſi dicat, in labore moleſto, cui adiuncta ſit difficultas, aut calamitas; vnde apud Græcos calamitoſi dicuntur μοχθηροί. *In vigiliis multis.* cogebatur enim ad multam noctem ſæpè docere, aliàs in precibus pernoctare exemplo Chriſti, interdum de rebus agendis conſilium capere, non rarò opificio manuum ſibi victum comparare. quod autem ait, *In vigiliis multis*; Græcè eſt ἐν ἀγρυπνίαις πολλάκις, hoc eſt; in vigiliis ſæpè; quod etiam paulò pòſt legitur, cùm de ieiuniis agit. Obſeruat autem Ambroſius, vigilias partim fuiſſe neceſſarias, partim ſpontaneas. *In fame, & ſiti.* inopia ſiquidem, & egeſtate preſſus, fame, ſitique laborabat. Mox verò addit: *In ieiuniis multis*; quæ ſponte ſuſcipiebantur; nam famẽ & ſitim extrema neceſſitas & penuria perferre cogebat. *In frigore, & nuditate.* quod vtrumque pertinet ad extremam inopiam, & egeſtatem. Porrò Chryſoſtomus monet, Paulum neque omnia enumeraſſe, quæ tolerauerat aduerſa; neque hæc ipſa, quæ recenſuit, ſatis pro dignitate explicuiſſe; ac ne attigiſſe quidem ſuorum laborum, atque ærumnarum fructum; tum vt moderationem animi, atque modeſtiam retineat; tum vt oſtendat, etiamſi nihil apud homines profeciſſet, magnum ſe tamen operæ pretium ab immortali Deo laturũ. Potuiſſet autem recenſere propemodum innumerabiles, quos Chriſto aggregauerat, vel ab errore reuocauerat, vel denique in ſuſcepta Chriſti fide confirmauerat.

Præter illa, quæ extrinsecus, &c. Hæc, inquit, quæ hactenus enumeraui extrinſecus illata me miris modis exercuerunt, & ſuprà quàm credi poteſt diuexarunt; ſed accedunt illa, quæ intrinſecus animum excedunt, atque excruciant; ſiue extrinſecus eſſe intelligas omnia ſuperiora, ſiue alia permulta, quæ omiſſa ſint, quæ tamen enumerari poſſent. *Inſtantia* (inquit) *mea*, Græcè ἡ ἐπισύστασίς μου, conſpiratio, velut agmine facto, aut concurſus; ſic enim in Actis [a] Apoſtolicis, vbi noſter interpres habet; *neque facientem concurſum turbæ.* Græci codices legunt ἢ ἐπισύστασιν ποιοῦντα ὄχλου. Chryſoſtomus intelligit tumultus, commotiones, populorum oppugnationes, vrbium impetus. Iudæi namque quod Apoſtolum maximè deteſtarẽtur, eum omnibus machinis oppugnabant, & ingentes aduerſus illũ turbas, atq; tumultus excitabãt. Theodoretus, & Theophylactus referunt ad crebras Pauli accuſationes, quibus ad tribunalia rapiebatur. Auguſtin[b]. itemque Ambroſius, Primaſius, atque Anſelmus hanc inſtantiam de iis accipiunt, quæ in animo ſunt, quaſi quæ hic enumerantur iis opponantur, quæ extrinſecus illata ſunt. Quis autem dubitet tumultus, & commotiones populorum, accuſationes, & criminationes inter externa numerari? Præter externas igitur ærumnas, & calamitates vrgebatur Paulus intus in animo veluti quodam agmine cogitationum, quas omnium Eccleſiarũ ſollicitudo neceſſariò afferebat. Ita quod ſequitur, *ſollicitudo omnium Eccleſiarum*, per appoſitionem explicat, quæ ſit inſtantia quotidiana, quo ſenſu dixit Auguſtinus, *incurſus in me quotidianus ſollicitudo omnium Eccleſiarum*, quaſi dicat, incumbens mihi quotidiana ſollicitudo pro Eccleſiis; vt intelligat agmen, & quaſi tumultum cogitationum, &, vt interpretatur Ambroſius vrgentes curas omnium Eccleſiarum.

a cap. 24. b Ser. 4. de dedic. Eccl. c 7. de ... 18. I.

Quis infirmatur, et ego, &c. Ad Romanos dixit; *Scandalizatur, aut infirmatur*, vt illud maius ſit, hoc verò minus. quare Paulus aliorũ ægritudine ſe quodammodo ægrotare dicit alieno damno, aut periculo nõ aliter, ac ſuo metuens, ac propterea ait: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Hebræa phraſi, qua illi commiſerationem, infirmitatem appellãt; ſic enim loquitur Amos [c], vbi noſter interpres habet; *nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph*, Hebraicè legimus לא נחלו *lo nechlu, non infirmabantur.* Et Michæas [d]: *Dole, & ſatage*, Hebraicè חולי וגחי *choli vagochi, infirmare, & ſatage.* Ita paulò pòſt dolores, & ærumnas, quibus premebatur, ſuas infirmitates vocat. Hanc autem infirmitatem pertinere ad commiſerationem, indicant Chryſoſtomus, & Græci, conſentiente Ambroſio vnà cum omnibus Latinis. Hac enim ratione probat, ſe omniũ Eccleſiarum ſollicitudine vrgeri, quia non ſolùm aliorum imbecillitatis commiſeratione tangitur, ſed perinde afficitur, ac ſi ipſe eadẽ ægritudine laboraret. Atque hac ratione, vt rectè monet Ambroſius, probat ſe meritò Pſeudoapoſtolis anteferri. Porrò Chryſoſtomus, Oecumenius, & Theophylactus obſeruant, hanc Pauli commiſerationem non ad aliquos priuatim, ſed vniuerſim ad omnes pertinere; ait enim ſimpliciter: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* quaſi dicat, quiſquis ille ſit ſiue nobilis, ſiue ignobilis; ſiue diues, ſiue pauper, qui aliqua ægritudine laboret, ſiue in fide nutet, ſiue alia quapiã ratione à recto Chriſtianæ vitæ tramite deflectat, eius profectò ægritudo perinde me afficit, ac ſi ego eodẽ vitio, ac morbo laborarẽ. Neque verò his cõtẽtus addit: Quis ſcãdalizatur, & ego non

c cap. 6. d cap. 4. 19. I. II.

vror? Nã quoniã ſcandalizari nõ poterat Paulus, qui perfecta caritate præditus erat; vn ſe dicit dum alij ſcandalizantur, οὐκ ἐγὼ, inquit, πυροῦμαι. Eſt autem πυροῦσθαι longè aliud, quàm ſcandalizari; nam qui ſcandalizatur, ad malum iam quodammodo propendet, & leui momento impellitur; at qui vritur, quodammodo torquetur, cruciatur, & pro alieno periculo laborat; ſibi autem nihil metuit caritatis veluti face inflammatus. Itaque, vt ait Chryſoſtomus; doloris magnitudinem declarat. *Incendor* (inquit) *& ardeo, ita me aliena mala diſcruciant.* Et in eandem ſententiam Ambroſius: *Neceſſitatem* (inquit) *humanæ naturæ conſiderans vri ſe dicit, vt conſulat talibus compatiens infirmitati eorum.* Addit Anſelmus Pauli mentem cruciari igne ſpiritalis zeli, dum infirmos quoſque æterna deſerere, & rebus caducis, ac mortalibus delectari conſpicit: vti non iracundiæ igne, ſed caritatis ardore.

a in 1. Canon. Ioan. tract. 1.

Tractat hunc locum Auguſtinus [a]; cùm enim explicaret verba illa Apoſtoli: *Qui diligit fratrem ſuum in lumine manet, & ſcandalum in eo non eſt.* Multa de ſcandalo, & vſtione ſcribens affert hęc verba Pauli: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Et confeſtim ſubdit: *Quomodo ergo non eſt ſcandalum in eo, qui diligit fratrem? quia qui diligit fratrem tolerat omnia propter vnitatem, quia in vnitate caritatis eſt fraterna dilectio.* Ita ſignificat, vſtionem Pauli longè eſſe diuerſam ab ea, quam parit ſcandalum; de qua paulò antè egerat

Pſal. 12. 6.

allato teſtimonio Dauidis dicentis: *Per diem Sol non vret te, neque Luna per noctem.* vbi ait, eos, qui ſcandalizantur verbis Chriſti, & ab illo ſegregantur vri à Sole; qui verò ſeparant ſe ab Eccleſia, vri à Luna: qui ergo caritatis calore vruntur, patienter ferunt, & non ſcandalizantur. Porrò caritas hunc parit ardorem, de quo in præſentia loquitur Apoſtolus.

30. Si gloriari oportet quæ, &c. In-
1. firmitates, vt paulò antè diximus, ærumnas, & calamitates ſuas appellat; inde ſe dicit gloriandi materiam ſumere. nam, vt obſeruat Chryſoſtomus, noluit Apoſtolus gloriari ob miracula à ſe patrata, aliáque id genus quæ poſſent apud homines parere admirationem. Si ergo, ait, apud vos gloriandum eſt, ego quidem non alio nomine gloriabor, quàm quòd multa aduerſa tolerauerim; & quæ alij ſibi probro ducunt, mihi honorifica, & glorioſa videntur. Ita monet Ambroſius, non niſi in rebus humilibus, atque abiectis Chriſtiano gloriandum eſſe; & quidem meritò; nam, vt ait Oecumenius, quæ mira, & ſupra naturam efficiuntur, ea ſunt vnius Dei ſingularia beneficia: at ſi in ærumnis, & calamitatibus perferendis, non modò patientiam, ſed animi magnitudinem, & conſtantiam exhibeas, tum verò ſingulare diuinæ gratiæ munus apparet, ſed vna etiam non exigua tua laus elucet; præſtas enim &

b Matt. 5. 11.

ipſe nonnihil de tuo, & idcirco dixit [b] Chriſtus: *Beati eritis, cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos, mentientes, propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Et in eandem ſententiam dixerat [c] olim Iſaias: *Dicite iuſto quo-*

c cap. 3. 10.

niam bene, quoniam fructum adinuentionum ſuarum comedet. Adinuentiones quippe vocat ſtudioſas, & laudabiles actiones, quas liberum arbitrium diuino opitulante numine exercet.

31. Devs, et Pater Domini &c. Eodem
1. modo ſuprà [d] Deum deſcripſit. *Benedictus*, inquit,
d cap. 1. 3. *Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Addit hoc loco, qui eſt benedictus in ſæcula, hoc eſt immortali, & ſempiterna laude dignus: fortaſſe ad id alludens quod ait Dauid [a]: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te*; ibi

a Pſal. 83. 5.

enim perpetua, minimèque interrupta Dei laus erit, à qua, vt ait Auguſtinus, nullo vnquam tempore ceſſabunt beati, quemadmodum neque amori, & caritati in Deum finem vllum imponent. Porrò hæc eſt, vt obſeruat Chryſoſtomus, acris, atque vehemens quædam aſſeueratio, quam poſſis ad ſuperiora, itémque ad ea, quæ ſubſequuntur referre. Si malis ad illa, ſenſus erit: quæ hactenus de me, vitæque meæ rationibus commemoraui, ita me Deus amet veriſſimè à me dicta ſunt, qui enim omnia nouit Deus immortalis planè intelligit, me non mentiri. Si cum ſequentibus coniungas, idem, eodémque modo de iis affirmat, quæ mox dicturus eſt, ſibique fidem, & auctoritatem conciliat. Nam, vt ait Primaſius, cùm rem propè incredibilem dicturus eſſet, ſe olim à Iudæis Gentilium principum opera in extremum vitæ diſcrimen fuiſſe adductum, Dei teſtimonium meritò implorat, ne iactantiæ tribueretur, quòd Regum manus, eorúmque vim, & conatus euaſerit: accedit, quòd rem peruetuſtam, & à Corinthiorum memoria remotam diuino teſtimonio meritò confirmandam duxit. Vtramque explicationem noſtra paraphraſis admittit, poſterior tamen omnium fermè interpretum ſuffragio firmatur. Idcirco autem hæc tam curioſè narrat, vt ex iis facilè colligant Corinthij, vt notat Primaſius, quid inter veros, & falſos Apoſtolos interſit. Rectè namque monuit Oecumenius, hũc eſſe apoſtolicum characterem, atque hæc Euangelicæ doctrinæ prima fundamenta.

Damasci præpositvs gentis Aretæ, &c. 32.

Et per fenestram in sporta, &c. 33.

Hiſtoria habetur in Actis [b] Apoſtolicis. nõ videntur 1.

b cap. 9. 24.

autem illa, quæ eo loco narrantur contigiſſe, vt imperiti quidam ex Luca colligere ſe putant ſubitò poſt Pauli baptiſmum, ſed poſt profectionem, & commorationem Arabicam; quam Lucas ne attigit quidẽ, eùm iterum Paulus Damaſcũ rediiſſet, vt ex ipſo Apoſtoli colligit Hieronymus [c]: *Damaſci igitur*, ait *prepo-*

c ad Gal. 1.

ſitus gentis Aretæ Regis; hoc eſt, is, qui Regis Aretæ nomine genti præfectus erat. Hunc ſanè Regẽ Oecumenius, & Theophylactus fuiſſe affirmant Herodis ſocerum, & quidem Ioſephus [d] auctor eſt filiã Aretæ Regis Herodi Ioannis occiſori primùm nupſiſſe; ſed pellicis Herodiadis ſtudio eiectã, vel ſua certè ſponte ad

d lib. 18. antiq. c. 7.

patrẽ rediiſſe; neceſſe vt ſit toto illũ cœlo apud Hieronymũ [e] errasse, qui Herodiadem filiam fuiſſe Aretæ

e Matt. 14.

Regis narrat, cæteris omnibus reclamantibus. Huius igitur Regis pręfectus excubias in vrbe Damaſcenorũ poſuerat: nam quod ait Oecumenius, ipſum per ſe præfectum excubias ſeruaſſe, parũ videtur credibile. Illud porrò eidem Oecumenio vehemẽter aſſentior, magnã omnino fuiſſe Paulinæ orationis vim, & ingẽtem diſputandi vehemẽtiam, & acrimoniam, qua ita aduerſarij permoti ſint, vt ipſum præfectũ ita, & odio aduerſus ipſum inflãmarint. Chryſoſtomus verò ingentem monet fuiſſe rerũ perturbationem, quandoquidem vrbs ipſa in excubiis erat, & veluti præſidio munita, idq; vnius Pauli cauſa. Hoc enim eſt quod ait; *vt me cõprehenderet.* Græcè eſt πιάσαι με θέλων; hoc eſt; me cõprehendere cupiens; nã, vt ait Ambroſius, præfectus Iudæis morem gerere cupiebat, eiſq; Paulum tradere, quem perturbationis, ac ſeditionis auctorem 11.

fuiſſe exiſtimabat. *Et per feneſtrã in ſporta demiſſus ſum per murum*; nam vbis portæ præſidio ſeptæ tutũ ei effugium nequaquã præbebant. Neq; verò hæc Pauli fuga vllo modo reprehendenda eſt. quanquã enim alicubi [f] ſcripſit Tertullianus, nũquam licere in perſecutione fugere; tamen, vt Hieronym. [g] Athanaſius, [h] &

f lib. 1. ad vxor. c. 3 & lib. de cor. milit. c. 1. & integro lib. de fug. in perſeq.
g Hierem. 36.
h lib. de fuga ſua.

& Nicephorus [a] monent, ea ſententia aduerſus Eccleſiam pugnat: quinetiam contra ipſa Chriſti verba, qui apud Matthæum [b] dixit: *Cùm perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam. Amen dico vobis non conſummabitis ciuitates Iſrael donec veniat filius hominis.* Tametſi enim multi, & graues auctores [c] exiſtimant Chriſti verba ad ſolam primam Apoſtolorum miſſionem pertinere [d]: alij tamen nihilominus graues vniuerſim ad omnem miſſionem, atque ad omne Apoſtolorum officium referunt. Quod non modò longè probabilius, ſed omnino certum, atque exploratum videtur; nam in prima illa miſſione nihil eiuſmodi experti ſunt Apoſtoli, quamobrem ab vna B ciuitate in aliam illis fugiendum eſſet; quin potius omnia ex animi ſententia euenerunt, adeò vt læti, gloriantéſque [e] redierint, quòd ipſi etiam dæmones ſibi ſubiicerentur: quod profectò antequam fieret, Chriſtus ignorare non poterat. Quanquam igitur primæ miſſionis occaſione verba illa à Chriſto pronuntiata ſunt, generatim tamen ad omnes Apoſtolos, & viros apoſtolicos pertinent. Nec dubium eſt interdũ licere fuga ſeſe à periculo ſubducere, interdum etiam pro locorum, temporum, perſonarum, rerumq; varietate neceſſarium videri, quod Athanaſius, & Gregorius Nazianzenus, egregiè explicant. Cum enim miniſtri Euangelici, diuiniq; verbi præcones propagando latiùs Euangelio neceſſarij ſunt, iis præcipitur, ne ſe primo ſtatim prælio morti obiiciant: nondũ maturum eſſe tempus moriendi: diu priùs pu- C gnandum eſſe: longè, lateq; regni Dei fines proferendos antequam ad coronam, & triumphum veniatur; vt rectè cõgruat quod veteri prouerbio dicitur, *Miles qui fugit, iterum pugnabit*. Ita Chriſtus nõ ſemel fugit, primum [f] quidem adhuc infans in Ægyptum, deinde [g] cùm Nazaræi ipſius ciues ſibi interitum, & ruinam minarentur: denique cùm apud Ioannem [h] *fugit è templo, & abſcondit ſe*. Eadomq; ratione magna cum laude Apoſtolus fugit, cùm enim Euangelium ipſum, propter quod ſæpè fugiendum non eſt, fugam ſuadet, tum verò neceſſariò fugiendum eſt; tũc enim fugere non metus, ſed pietas eſt; contra verò non fugere, non animi magnitudo, non conſtantia, non fortitudo, ſed temeritas, ſed pertinacia, ſed inſania cenſetur. Spectanda enim ſemper eſt maior Dei gloria, & D Eccleſiæ vtilitas: quòd ſi vtraque aut alterutra certè fugiendum ſuadet, laudabilis eſt fuga, & cum virtute coniuncta. An autem aliàs fugere liceat, quæſtio eſt ſubtiliter, & copioſè, addo etiam eleganter ab Auguſtino [i] explicata, ex cuius ſententia illud in primis pro certo ſtatuendum videtur, nefas eſſe Epi-

[a] lib. 12. c. 3. 16.
[b] cap. 10. 23.
[c] Tertull. lib. de fuga in perſeq. Chryſoſt. Hom. 35. in Matt. Hier. Euthi. Theophy. Matt. 10.
[d] Orig. Hom. 9. in lib. Iud. Athan. in ep. ad Orthod. & in ep. ad Mar. Poot. Rom. Greg. Nazian. orat. 1. in Iulianum.
[e] Luc. 10. 17.
[f] Matth. 2. 14.
[g] Luc. 4. 10.
[h] cap. 12. 36.
[i] ep. 180 ad Honor.

A ſcopo fugere, ſi grex fidelium eius præſentia, atque opera indiget; nam qui ſecus faxit, inter mercenarios recenſendus eſt, quos Chriſtus apud Ioannem [a] perſtringens ait: *Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit; & lupus rapit, & diſpergit oues; mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ouibus: bonus autem paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.* Deinde illud etiam verè affirmari poteſt citra piaculum, tum demum fugere Sacerdoti licere, cùm ipſe priuatim ab aduerſariis quæritur, nec alij deſunt, qui Chriſti fidelibus ſalutis ſubſidia ſuppeditare queant. Qua etiam ratione ſi quis Pauli fu- B gam tueatur, me non ſolùm libente, ſed magnopere etiam probante faciet. Quinetiam ſi plus poſſit Eccleſiæ prodeſſe fuga quàm breuis aliqua præſentia, nullo modo reprehendendus eſt, qui fuga priuatum periculum effugiat. Nec dubium eſt, hoc etiam nomine laudandam fuiſſe Pauli fugam. Denique ſi grege diſſipato oues omnes aufugerint, verè ab Athanaſio, & Auguſtino ſcriptum eſt, *grege fugiente, aut præpoſitum non deſiderante, Epiſcopi fugam non eſſe reprehendendam*, nec malè addit Chryſoſtomus, ſi quis imbecillitati ſuæ diffidat, fideiq; aut gratiæ iacturam metuat; non modò licere, ſed etiam oportere fuga periculum euadere; *Chriſtum enim*, inquit, *fugiendo non negat, qui ideo fugit, ne neget*. Igitur, vt redeam ad Apoſtolum, per feneſtram in ſporta demiſſus periculum C effugit. Quod addit interpres; *per murum*, Græcè eſt διὰ τοῦ τείχους; quod alij vertunt, per mœnia; ſentit enim de vrbis mœnibus. *Et effugi manus eius*. Præfectum notat, à quo excubias diſpoſitas dixerat. Plurimi Latini codices habent: *Et ſic effugi manus eius*. Græcè ſimpliciter ſcriptum eſt, καὶ ἐξέφυγον τὰς χεῖρας αὐτοῦ; hoc eſt: *Et ſic effugi manus eius*: quomodo legit Ambroſius. Porrò Chryſoſtomus, Oecumenius, & Theophylactus hanc Pauli fugam ex fraterna caritate profectam eſſe docent. Cùm enim alioqui, vt alibi ſcribit [b], ſibi valde commodum, *atque opportunum duceret diſſolui, & eſſe cum Chriſto*, vitam tamen ſibi ad aliorum vtilitatem neceſſariam eſſe fatebatur. Itaque fugiens ſe ipſum Euangelio, Eccleſiæque ſeruabat. Sic olim Petrus Romanorum roga- D tu Neronis ſæuitiam fugiens, vt naſcenti tunc Eccleſiæ prodeſſet, vbi à Chriſto Domino ſibi obuiam facto moriendum eſſe cognouit, illicò in vrbem remeauit. Haud abſimili ratione dux Græcorum Demoſthenes rogatus cur fugeret, reſpondiſſe fertur, *Seruo me patriæ*. Verùm hac de re alibi plura.

[a] Ioan. c. 10. 14.
[b] ad Philip. 1. 23.

Argumentum Cap. XII.

INſTITVTAM *ſuarum laudum enumerationem perſequitur, diuináſque reuelationes, ac cœleſtia viſa commemorat, adiecto velati fræno, ſibi diuinitus adhibito, ne inanis gloriæ ſtudio elatus plus ſibi arrogaret, quàm Chriſtianæ modeſtiæ, atque humilitatis ratio pateretur; ſuum denique aduentum denuò pollicetur, rogatq́, ne committant, vt ſeueriùs cum iis agere compellatur.*

CAP. XII.

SI gloriari oportet (non expedit quidem:) veniam autem ad viſiones, & reuelationes Domini.

PARAPHRASIS.

GLORIARI ſanè mihi neutiquam 1
vtile eſt; quid enim quæſo vtilitatis afferat laudum mearum tam diligens, ac minuta prædicatio? ſed quando iam dicere cœpi, idq; fortaſſe, vt ego quidem interpretor, res ipſa poſtulat veniam ad ea, quæ mihi diuinitus vltrò collata ſunt, ad viſa inquam cœleſtia,

& de

2. & diuinas Domini reuelationes. ¶ Equidem noui
hominem,quod tamen in Chriſto, ac ſine vlla am-
bitione dictum velim, cùm nihil aliud, niſi vnum
Chriſtum in præſentia ſpectem ; noui inquam ho-
minem ante annos quatuordecim (neque ſatis
ſtatuere poſſum, vtrùm in corpore, an extra cor-
pus poſitum; neutrum enim planè ſcio,ſed vtrum-
que diuinæ ſcientiæ reſeruatur) raptum planè ex-
tra ſe, & ad tertium vſque cœlum euectum.
3. ¶ Quinetiam ſi dicendum ſit quod res eſt, eiuſ-
modi hominem noui (an corpore adhuc prædi-
tum, an corporis mole planè ſolutum, ignorare
me fateor, Deus immortalis, quem nihil omnino
4. latere poteſt,ſolus nouit) ¶ Raptum fuiſſe in Pa-
radiſum, & incredibili voluptate perfuſum audi-
uiſſe abdita quædam, & arcana, penitúſque ineſ-
fabilia verba, quæ nefas ſit humana, mortalíque
5. lingua proferri. ¶ Equidem ob ea,quæ huic homi-
ni acciderunt, gloriari iure optimo poſſum, me
verò ipſum, ſi reſpiciam, nihil prorſus reperio,
vnde meritò gloriari queam ; niſi fortè infirmita-
tes, & imbecillitates meæ nonnullam mihi glo-
6. riandi materiam præbeant.¶ Nam ſi inde nonnul-
lam gloriam aucupari velim, non profectò deſi-
piam ; vera enim narrabo, ſed mihi tamen tem-
pero, & modum impono, ne quis exiſtimet, me
veræ laudationis fines excedere, aut quod æquè,
ne dicam magis abominor,ſuſpicetur de me,meiſ-
que rebus ſupra id, quod vel oculis cernit, vel ſa-
ma cognouit eſſe me; ne quod in Lycaonia fece-
runt illi, qui mihi ſacrificia offerre volebant, me
7. quaſi numen de cœlo delapſum arbitrentur.¶ Ve-
rùm enimuerò ne diuinarum reuelationum ſiue
magnitudine, ſiue præſtantia ſupra modum effer-
rer, & plus mihi arrogarem, quàm modeſtiæ le-
ges paterentur, adiectus eſt mihi veluti aculeus
infixus corpori malus videlicet dæmon, & Sathan
vt me miris modis dinexet, & dum me importu-
nis moleſtiis vrget, colaphis vt ita dixerim conti-
8. nenter cædat. ¶ Hanc ego ob cauſam ter ſupplex
ad Deum acceſſi, ab eóque ſummis precibus con-
tendi, vt hæc tam dira, támque importuna ve-
xatio ipſo annuente ceſſaret,& tam moleſtæ tám-
que aſſiduæ perturbationi modus aliquando im-
9. poneretur. ¶ Et diuinitus mihi reſponſum eſt; Sa-
tis tibi eſt diuinæ meę gratię pręſidium, quo poſi-
to diuina potentia per miniſtrorum imbecillita-
tem illuſtratur, & clarior euadit. Libentiſſimè igi-
tur gloriabor ob meas infirmitates potiùs, quàm
vllam aliam ob rem, vt planè conſtat adeſſe mihi
10. diuinam Chriſti vim, atque potentiam.¶ Propter-
ea nõ tantùm æquo,vel forti animo fero,ſed maxi-
mam etiam voluptatem percipio in infirmitatibus,
in contumeliis,in neceſſitatib. in perſecutionib. in
anguſtiis pro Chriſto. Cùm enim mea imbecillitas,
atque ægritudo magis apparet, tum maximè di-
uina vis, & Spiritus ſancti gratia ſuo me præſi-
11. dio confirmat,ac roborat. ¶ Quòd ſi hac mearum
laudum commemoratione vobis parum ſanus vi-
ſus ſum; vos (vt ingenuè fatear) me coegiſtis;

Scio hominem in Chriſto ante annos quattuordecim,ſiue in corpore, neſcio:ſiue extra corpus,neſcio : Deus ſcit, raptum huiuſmodi vſque ad tertium cælum.

Et ſcio huiuſmodi hominem,ſiue in corpore,ſiue extra corpus,neſcio,Deus ſcit.

Quoniam raptus eſt in paradiſum;& audiuit arcana verba,quæ non licet homini loqui.

Pro huiuſmodi gloriabor:pro me autem nihil gloriabor,niſi in infirmitatibus meis.

Nam, etſi voluero gloriari, non ero inſipiens; veritatem enim dicam: parco autem, ne quis me exiſtimet ſupra id, quod videt in me,aut aliquid audit ex me.

Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus ſatanæ,qui me colaphizet.

Propter quod ter Dominum rogaui, vt diſcederet à me.

Et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea;nã virtus in infirmitate perficitur. libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti.

Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis,in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto: cùm enim infirmor,tunc potens ſum.

Factus ſum inſipiẽs,vos me coegiſtis.Ego enim à vobis debui commendari; nihil enim minus fui ab iis, qui ſunt ſupramodum Apoſtoli:tametſi nihil ſum.

Signa tamen Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis, & prodigiis, & virtutibus.

Quid eſt enim, quod minùs habuiſtis præ cæteris Eccleſiis, niſi quòd ego ipſe non grauaui vos? Donate mihi hanc iniuriam.

Ecce tertiò paratus ſum venire ad vos, & non ero grauis vobis. non enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos. nec enim debent filij parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis.

Ego autem libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris: licèt plus vos diligens minùs diligar.

Sed eſto: ego vos non grauaui, ſed cùm eſſem aſtutus dolo vos cepi.

Nunquid per aliquem eorum, quos miſi ad vos, circumueni vos?

Rogaui Titum, & miſi cum illo fratrem. Nunquid Titus vos circumuenit? nónne eodem ſpiritu ambulauimus? nónne iiſdem veſtigiis?

Olim putatis, quòd excuſemus nos apud vos? coram Deo in Chriſto loquimur: omnia autem, chariſſimi, propter ædificationem veſtram.

Timeo enim, ne fortè cùm venero, non quales volo, inueniam vos: & ego inueniar à vobis, qualem non vultis: ne fortè contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, detractiones, ſuſurrationes, inflationes, ſeditiones ſint inter vos.

Ne iterũ cùm venero humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex iis, qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam geſſerunt.

nam ego quidem debueram à vobis commendari: tametſi enim me plane nihili eſſe libens fateor: nulla tamen re ſummis Apoſtolis inferiorem
me fuiſſe profiteor. ¶ Argumenta quidem Apo- 12.
ſtolici mei muneris apud vos perſpicua exſtant
magna omnino rerum aduerſarum tolerantia, ſignis, ac prodigiis, aliiſque rebus ſupra naturam
diuinitus effectis egregiè confirmata. ¶ Nam quid 13.
quæſo eſt, in quo cæteris Eccleſiis inferiores vos
fuiſſe conqueri poſſitis, niſi fortaſſe quòd ego non
fui negligens, aut remiſſus in victu meis manibus
mihi quærendo, ne vobis eſſem oneri? Si hanc iniuriam putatis, eam mihi obſecro gratificemini.
¶ Ecce tertiò eodem planè animo paratus ſum ad 14.
vos venire, ne veſtro cum incõmodo obtorpeſcam;
non enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos veſtrámque ſalutem. nam filij non quærunt parentibus
opes, ſed contra potius parentes filiis rem familiarem comparant. ¶ Ego verò libentiſſimè me to-
tum impendam, patiarque veſtra cauſa, quidquid 15.
eſt in me penitus effundi etiam ſi longè maiori vos
beneuolentia, & caritate complectens, non parem
veſtrum in me amorem experiar. ¶ At enim ipſe 16.
quidem vos nulla re grauaui, vt qui à vobis nihil
acceperim; ſed cùm eſſem callidus, ac verſipellis
per fraudem, ac dolum aliorũ fortaſſe opera non-
nihil extorſi. ¶ Num fortaſſe per quenquam eo- 17.
rum, quos meo nomine ſubinde ad vos miſi vos
expilaui? ¶ Hortatus ſum Titum, vt ad vos veni- 18.
ret, & vnà cum illo alium quendam fratrem miſi.
Nunquid vos Titus bonis, fortuniſque veſtris ſpo-
liauit? Nonne re ipſa compertum eſt, nos vno eo-
demque ſpiritu Dei agi? Nónne eadem penitus
veſtigia calcauimus? ¶ An putatis rurſum apud 19.
vos excuſatione nos vti? Equidem quaſi ſpectante, atque audiente Deo loquor, veréque ac ſincerè animi mei ſenſa profero, vt eum facere decet, qui ſe Chriſti diſcipulum, ac ſectatorem profiteatur; ſed mihi credite cariſſimi omnes meæ actiones, omnia ſtudia, conatúſque ad veſtram vtili-
tatem referuntur. ¶ Metuo enim, ne cùm iſtuc 20.
venero, non quales maximè velim, reperiam vos; & ego contra videar vobis qualem minimè velitis; hoc eſt, ne deprehendam in vobis lites, æmulationes, iras, contentiones, obtrectationes, mur-
mura, tumores, ſeditiones. ¶ Atque ita iterum 21.
vbi venero, Deus meus me quodammodo apud vos deiiciat, ac deprimat, & lugere cogar plurimos eorum, qui pridem peccauerunt, nec reſipuerunt, aut pœnitentia expiarunt fœdas, & impuras actiones, ſcortationes, & proteruias, quas impiè, nefariéque patrarunt.

IN CAPVT DVODECIMVM

EXPLANATIO.

1.
I. SI GLORIARI OPORTET NON, &c. Cùm multa de ſuis laudibus hactenus commemoraſſet, initio huius capitis negat ſuarum laudũ commemorationem ſibi vtilem eſſe atque ob eam cauſam mutata quaſi velitatione, vt ſuã apud Corinthios auctoritatẽ tueatur, diuina ſibi collata beneficia, & Apoſtolatus ſui præſidia, atque ornamenta modeſtè recenſet. Quæ quoniã illum planè admirabilem, ac ſuſpiciendum reddebãt, hac veluti præfatione omnẽ inuidiam, & arrogantiæ ſuſpicionem amouet. *Si gloriari* (inquit) *oportet* (*nõ expedit quidem*) Græca ſic prorſus habent καυχᾶσθαι δὴ οὐ συμφέρει μοι, quaſi dicat: gloriari ſanè non expedit mihi. Et quidem Chryſoſtomus, Oecumenius, & Theophylactus legiſſe videntur δὴ, vt ſit aſſeuerationis, & veluti quidam tranſitus ad ea commemoranda, quæ cùm ſint diuiniora, plus etiam habent dignitatis, & gloriæ. Quod ſi Græcè legatur δεῖ; id eſt, oportet; ita videtur hoc initium capitis diſtinguendum, vt priora quidem verba interrogando pronuntientur hunc in modum: Gloriari oportet? quaſi dicat; Eſt ne mihi apud vos neceſſaria gloriatio? Tum verò veluti reſpondendo ſubiiciatur; Mihi quidem non expedit. Vel etiam ablata interrogatione in hũc ſenſum poſſis accipere: Cùm veſtrum animaduerto periculum, & Pſeudoapoſtolorum inanem iactantiam, neceſſariam iudico mearum laudum commemorationem, quæ tamen mihi non eſt admodum vtilis. hunc ſenſum ſequutus videtur Photius apud Oecumenium; ita enim ſcribit: *Gloriari verò in alijs, quàm in his, quæ infirmitatis meæ ſunt, non expedit mihi. Dixit enim paulò antè; ſi gloriari oportet de his, quæ infirmitatis meæ ſunt, gloriabor. Deinde poſito infirmitatis exemplo ſubiungit conſecutiuè ad id, quod dictum eſt, ac ſi dicat; quæ verò non ſunt infirmitatis, ſed magis ſublimitatis, & potentiæ, de his inquit non expedit mihi gloriari. Quo modo ergo etiam hæc dicis? Nollem* (*inquit*) *ſed propter veſtram ſalutem etiam quæ nollem ſuſcipio.* Nos in paraphraſi Chryſoſtomum ſequuti ſumus; ita tamen, vt ab hac ſententia non admodum abhorreat interpretatio noſtra. Vt igitur ſuperiora ad Corinthiorum vtilitatem referuntur; ita etiam hæc eò ſpectat, vt intelligant Corinthij, qualem habeant Apoſtolum, longè videlicet alium, quàm ſint Pſeudoapoſtoli, quantumuis elato ſupercilio. Vt igitur ſingularia Dei munera, commemorare ſiue vtile, ſiue neceſſarium ſit ad veſtram vtilitatem, mihi certè haudquaquam prodeſt. Quamuis enim Latinus interpres legiſſe videtur μὲν; conſtanter tamen Græci legunt μοὶ; hoc eſt, mihi, quomodo etiam legit Ambroſius. Quod ſequi-
II. tur: *Veniam autem ad viſiones, & reuelationes Domini*; Græcè legitur non δὲ, ſed γάρ; quaſi reddat cauſam, cur gloriatio ſibi vtilis non ſit: Nam veniendum (inquit) eſt mihi ad reuelationes, & cœleſtia viſa, quæ cùm alijs paſſim prodenda non ſint, mihi ea profectò in lucem proferre vtile eſſe non poteſt; atque adeò ſilentio illa perpetuo premerem, niſi aliud veſtra vtilitas ſuaderet. *Viſiones autem, & reuelationes* nominat Græcè ὀπτασίας καὶ ἀποκαλύψεις: nam vt ait Anſelmus inter hæc duo non exiguum cernitur diſcrimen; plurimis namque diuinitus immittuntur viſa, quibus tamen ea, quæ viſis imaginibus ſignificantur, nequaquam pateſiunt. Sic olim [a] per viſum Pharaoni ſpicæ ſeptem, totidémque boues dicuntur oſtenſæ; cùm tamen quid illæ ſignificarent, penitus ignoraret. Et apud Danielem [b] Nabuchodonoſor ingentem illam ſtatuam vidit aureo capite, pectore argenteo, infernè partim æream, partim ferream, partim etiam ex argilla; quid autem illa portenderet, Daniele interprete, cognouit. Idem dixerim de Balthaſſare [c] Rege, qui manum quidem in pariete ſcribentem vidit; quid autem verba illa indicarent, ne adhibitis quidem ariolis ſuis, cognoſcere potuit; vbi Danieli permiſſum eſt eius ſcripturę myſteriũ prodere. Paulus autem commemoraturum ſe dicit non ſolùm viſa, ſed etiam reuelationes, hoc eſt, eorum quæ viderit, explicationes. Etenim rectè Macharius [d] ſenior reuelationem definit, per quam res immenſæ, & myſteria diuina reuelantur animæ. Multa verò eſſe reuelationum genera communi Theologorum [e] conſenſu receptum eſt; interdum enim ſpectandum aliquid oculis obiicitur, aliàs externo item auditu voces excipiuntur, ſæpe corporatæ imagines cogitatione voluuntur, nonnunquam menti, atque intelligentiæ tantùm quidpiam cognoſcendum proponitur. Quo verò in genere Pauli reuelationes collocandæ ſint mox ipſemet non obſcurè ſignificabit. Porrò illud viris [f] doctis aſſentior, viſionibus, ac reuelationibus illos videri non indignos, qui ſe Deo penitus addixerint.

a Gen. 41.17.
b cap. 2. 31.
c Dan. 5. 5.
d Hom 7. 10. 2. bibliothecæ ſctorum.
e Abulen. 3. Reg c. 3. q 2.
f Rupert. l. 3. de oper. Trin. in Gen c. 1.

SCIO HOMINEM IN CHRISTO ANTE, &c. De ſe ipſo quaſi de alio quopiã loquitur; id enim erat apoſtolicæ modeſtiæ. Sordet quippe, vt veteri prouerbio traditur, in ore proprio laus. Quamquam autem plura diuina viſa potuiſſet Apoſtolus commemorare; nam ei ſæuienti, ac furenti in itinere ſeſe Chriſtus ſpectandum [g] præbuit, & ſecundùm quietem eum aliàs [h] affatus eſt; eximiam tamen quandam duntaxat reuelationem attingit, de qua multa nobis dicenda erunt. *Scio* igitur inquit *hominem in Chriſto*; vt intelligas hominem Chriſtianis ſacris imbutum, ſeu Chriſtiana fide præditum vno verbo Chriſtianum. Quamquam Oecumenius, & Theophylactus; *In Chriſto* poſitum eſſe putant, quaſi dixiſſet; vi, ac poteſtate Chriſti; ne videlicet Pſeudoapoſtoli (quid enim illi non audebant?) arte dæmonis factum id eſſe calumniarentur. Nos in paraphraſi hæc perinde accepimus, quaſi Apoſtolus nulla ambitione permotus, vnam duntaxat Chriſti gloriam ſpectans tam inſigne Dei beneficium commemoret. ſuum cuique iudicium liberum permittimus. *Ante annos quatuordecim*: à tempore, quo hæc epiſtola ſcripta eſt, hoc eſt paulò pòſt quàm vnã cum Barnaba Antiochiæ ad Apoſtolatum euectus eſt: ne quis putet hoc triduo illo ante Baptiſmum Paulo contigiſſe, nam multò antea fuerat Baptiſmo luſtratus, vt facilè colli-

2.
I.

g Act. 9. 4. & 10. 9.
h Act. 18. 9.

gitur

gitor ex iis, quæ ipſemet ſcribit in epiſtola ad Gala-
tas. Quo loco plura ſcribit Hieronymus, nóſque
etiam indicauimus. Sunt igitur qui putent hanc ſe-
cundam epiſtolam ad Corinthios anno Domini
quinquageſimo octauo, Neronis ſecundo ſcriptam
eſſe, atque adeò diuinã hãc reuelationẽ contigiſſe an-
no Domini quarto ſuper quadrageſimum, Claudij
verò ſecundo, hoc eſt, eo ipſo anno, quo Paulus vnà
cum Barnaba in Apoſtolorum collegium diuino Spi-
ritus ſancti impulſu cooptatus eſt, octauo videlicet à
conuerſione ſua anno. Quocirca nullo modo audiẽ-
di ſunt ij, qui hæc Pauli verba ad ſtuporem illum re-
a Act. 22.17. ferunt, quo (vt ſcribit [a] Lucas) in vrbe Ieruſalẽ diuini-
tùs correptus eſt. Siquidem quod narrat Lucas cõtigit
paulò antè, quàm Paulus à Iudæis comprehen-
deretur, ſiſteretúrque Romano præſidi, à quo mox
prouocãs Romam ad Imperatorem miſſus eſt, cùm
iam pridem hanc epiſtolam ſcripſiſſet: *Siue in corpore,*
II. *neſcio: ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit.* Oecumenius
exiſtimat, Paulum, dum ait; *ſiue in corpore, neſcio,*
ſiue extra corpus, neſcio: primum illud referre ad raptũ,
quo in tertium cœlum euectus dicitur; poſterius au-
tem ad illum alterum, quo elatus eſt in paradiſum;
& fauent Græci codices, quos ſecutus videtur Lati-
nus interpres, vtrobique enim repetunt οὐκ οἶδα, hoc
eſt; neſcio, ſeu, non noui. Sed præſtat quod idem
Oecumenius magis probare videtur, & apertè ſe-
quitur Theophylactus de eodem raptu accipere;
cùm enim rem miram, ſupráque naturam narret,
eius ſe modum ignorare conſtanter affirmat. Nec
mirum; potuit enim diuina quadam vi ita abripi ex-
tra ſeſe, & ad diuinarum rerum contemplationem
erehi, vt ſe penitus obliuiſceretur, neque de corpo-
re vllo modo cogitaret; neque planè ſtatueret, vtrùm
corpore præditus eſſet, an eo penitùs ſolutus. Illa
namque diuinorum myſteriorum reuelatio ad ſolam
Pauli mentem, atque intelligentiam pertinebat; nam,
b L. 16. de Ci-pit. c. 6. vt loquitur [b] Auguſtinus, *veritas incommutabilis aut*
per ſe ipſam loquitur ineffabiliter rationalis creaturæ
mentibus, aut permutabilem creaturam loquitur ſiue
ſpiritualibus imaginibus ſpiritus noſtro, ſiue corporali-
bus vocibus noſtri corporis ſenſibus. Hæc autem Pauli
reuelatio ad primum locutionis genus pertinet, quo
abſque vllis corporeis imaginibus Deus ipſe men-
tem, atque intelligentiam affatur, nec dubium
eſt, ſæpè Deum vates ſuos olim alloquutum eſſe,
c 4. Reg. 2.15. & 11.17. vt non ſemel de Eliſeu [c] legimus, de Natham [d]
d 2. Reg. 12.1. propheta, de Iſaia [e], de Iahaziel [f] Zachariæ filio,
e 4. Reg. 20.1. de Daniele [g], aliiſque ſexcentis, quorum mens,
f 2. Paral. 20. 44. atque intelligentia diuinitus illuſtrata abdita mul-
g Dan. 13.40. ta, atque arcana cognouit. *Deus* (inquit) *ſcit*; hoc
eſt (ſic enim malo interpretari, quàm exiſtimare,
quod nonnulli volunt, iuſiurandum ab Apoſto-
lo adhiberi) quod ego non noui Deum latere nul-
lo modo poteſt. Is ergo ſolus nouit, quánam ratio-
ne hic homo raptus fuerit. Certè excludere vide-
tur Apoſtolus raptum corporeum, quo raptum fuiſ-
h Act. 8.29. i Dan. vlt 35. ſe legimus [h] Philippum, & olim [i] Abacuc: de quo itẽ
corporeo raptu loquitur Apoſtolus, cùm ad Theſſa-
k ep. 1. c. 4.17. lonicẽſes [k] ſcribit: *ſimul rapiemur cũ illis in nubibus ob-*
uiam Chriſto in aera. Nõ facilè autem dixerim, an hic
Pauli raptus ſimilis ei fuerit, quem de ſe commemo-
l cap. 8.1. rat Ezechiel [l]. *Emiſſa* (inquit) *ſimilitudo manus appre-*
hendit me in cincinno capitis mei, & eleuauit me Spiritus
inter cœlum, & terram, & adduxit me in Ieruſalem in vi-
m Apoc. 1.10. *ſione Dei.* Et Ioannes [m]. *Fui* (ait) *in Spiritu in die Domi-*
nica. Certè Apoſtolus ingenuè fatetur ignorare ſe quis
tũc eſſet animæ ſuæ ſtatus, cùm diuina illa contẽpla-
III. tione frueretur. Diſputant hac de re doctè, atque in-
genioſè duo Eccleſiæ lumina, inter Græcos Athana-
ſius, & inter Latinos Auguſtinus, quorum ipſa verba

A non pigebit hoc loco adſcribere: ſic igitur ait Athana-
ſius [a]: *Quid igitur dicitis? Neſcit-ne Apoſtolus quid ſibi* a Serm. 4. cõ. Arian.
acciderat in viſione quantumcumque dicat, ſe neſciuiſſe?
Quod ſi illi affirmetis neſciuiſſe, videte ne qui non aſſue-
ti eſtis cadere, in Phrygũ iniquitatẽ decidatis, qui aſſeue-
rant neſciuiſſe prophetas, verbique miniſtros quid facerẽt,
aut de quibus renunciarent. Contra ſi pronunctetis, Apo-
ſtolũ dicentem ſe neſciuiſſe, nulla iſtic ignorantia laboraſſe,
cùm haberet in ſe Chriſtum ſibi omnia reuelantẽ; qui (quæ-
ſo) non fueritis peruerſiſſimo, & improbiſſimo animo, cùm
aſſeueretis Apoſtolũ dicentem ſe ignorare ſcire, & Domi-
nũ itidem dicentẽ ſe ignorare neſcire? Et poſt nonnulla:
Sed tamen ſe non noviſſe Paulus dicit duabus (vt ego exi-
ſtimo) de cauſis: quarum alterã ipſe elocutus eſt, ne propter
exceſſum reuelationum aliud quis eum arbitraretur præ
B *eo, quem videbat: altera deinde cauſa ne cùm ſaluator ſe*
neſcire dixiſſet, ſi ipſe ſe ſcire fateretur, ſeruus ſupra Do-
minum ſuum, & diſcipulus ſupra magiſtrum videtur.
Igitur qui Paulo dederat vt ſciret, multo magis ipſe ſcien-
tia inſtructus fuit. Paulò verò antea allato exemplo
Eliſæi, ita protinus diſſerit: *Certè Eliſæus nouerat quomo-*
do Elias aſſumptus eſſet; verùm quamuis rem certam ha-
beret, tamen diſcipulis prophetarum exiſtimantibus
Eliam in aliquem montium abiectum eſſe, principio qui-
dem conſcius eorum quæ viderat operam dabat, vt per-
ſuaderet id quod res eſſet; ſed vbi illi acriùs inſtarent,
ſilentium tenuit, ſiuitque eos ad inueſtigandum digre-
di. Quid igitur? An quia tacuit, rem incognitam ha-
bebat? Minimè gentium. Sed tamen quaſi ignarus id
C *illis conceſſit, vt ita negotij fide percepta, & rebus explo-*
ratis, nihil vlteriùs ambigerent de Eliæ aſſumptione.
Igitur multo magis Paulus, qui ipſe raptus fuit, noue-
rat quo modo raptus fuerit; ſiquidem & Elias idem co-
gnitum habebat, à quo ſi interrogatus fuiſſet, dixiſſet
forſitan qua ratione aſſumptus eſſet. Itaque Athanaſius
propterea putat dixiſſe, Paulum neſcire ſe vtrùm in
corpore an extra corpus raptus fuerit, quòd id vel-
let latere; neque vlli mortalium patefaciendum eſ-
ſe exiſtimaret. Auguſtinus verò eadem de re ita ali-
cubi [b] ſcribit: *Reſtat ergo fortaſſe, vt quoniam mentiri* b L. 12. de Gen. ad lit. c. 4.
non poſſet Apoſtolus, qui tanta cura egit, vt diſcerne-
ret, & quid ſcierit, & quid neſcierit, hoc ipſum eum
ignoraſſe intelligamus vtrùm quando in tertium cœlum
raptus eſt in corpore fuerit, quomodo eſt anima in corpo-
D *re, cùm corpus viuere dicitur, ſiue vigilantis, ſiue dor-*
mientis, ſiue in extaſi à ſenſibus corporis alienata; an
omnino de corpore exierit, vt mortuum corpus iace-
ret, donec peracta illa demonſtratione, membris mor-
tuis anima redderetur, & non quaſi dormiens euigi-
laret, aut exſtaſi alienatus denuo rediret in ſenſus,
ſed mortuus omnino reuiuiſceret. Proinde quod vidit
raptus vſque in tertium cœlum, quod etiam ſe ſcire
confirmat, propriè vidit, non imaginaliter; ſed quia
ipſa à corpore alienatio vtrùm omnino mortuum corpus
reliquerit, an ſecundùm modum quendam viuentis
corporis ibi anima fuerit; ſed mens eius ad videnda, vel
audienda ineffabilia illius viſionis arrepta ſit, hoc incer-
tum erat, ideo forſitan dixit, ſiue in corpore, ſiue extra
corpus neſcio, Deus ſcit. Ex quibus apparet, idem pla-
E nè exiſtimaſſe Auguſtinum, quod nos paulò antè
indicauimus, neſciiſſe Paulum quo tempore raptus
eſt, quis eſſet animæ ſuæ ſtatus, ſiue quia nun planè
animaduerteret, vtrùm ſenſuum adminiculo vteretur,
an non; ſiue quia rerum magnitudine abreptus
alio mentem, aut cogitationem conuertere nequa-
quam poſſet. Auguſtinum ſequitur B. Thomas, qui de
hoc Pauli raptu fusè diſputat [c]. Neque verò hoc ſiue c 2.2. q. 175. art. 4.5.6.
inſcitia, ſiue ignoratio appellanda ſit diuinæ reuela-
tioni, eiúſque certitudini, ac veritati quidquam offi-
cit; ita enim ſæpe Deus ſeſe mortalibus vel ſpectan-
dum, vel audiendum præbet, vt eius tamen reuela-
tionis

tionis modus non ſolùm ſenſus, ſed ipſam etiam cogitationem, vel mentem penitus lateat. Itaque (quod Oecumenius obſeruauit) modeſtiam, atque animi demiſſionem declarauit ſuam Apoſtolus, qui cùm de eximia quadam diuinarum rerum ſcientia ſibi diuinitus tradita loqueretur, nonnullam ſuam inſcitiã

IV. prodidit, quam abſque vitio reticere potuiſſet. Plura hac de re alibi commodiùs dicenda erunt. Quod ſequitur; *raptum huiuſmodi vſque ad tertium cœlum*, magnam habet dubitationem; neque enim facilè explicari poteſt, quodnam ſit hoc tertium cœlum; etenim Theodoretus, Oecumenius, & Theophylactus Empyreum cœlum intelligunt, vt diſtinguatur à cœlo aëreo, & ſydereo: alij de eodẽ cœlo Empyreo accipiunt, ſed tertium cœlũ appellari putant reſpectu cœli ſyderei, & chryſtallini: nec deſunt qui tertium cœlũ nihil aliud putent eſſe, quàm cœleſtiũ rerum contemplationẽ ei perſimilem, qua beatæ mentes perfruuntur: nec multò aliter ſenſiſſe videntur illi, qui ſupranaturalem rerum cœleſtium contemplationẽ tertij cœli nomine ſignificari exiſtimant; idque triplici quadam ratione, primùm quidem ſpectato ordine facultatũ, quæ ad aliquid cognoſcendũ referuntur, vt primum cœlũ ſignificet id, quod ſupra naturæ vires oculis corporeis obijcitur, quod Balthaſſari accidiſſe legimus

a cap. 5. 5. apud Danielem [a], cum manum illam vidit ſcribentem in pariete: ſecundum verò intelligatur cum quidpiã cogitatione, & vt Græci loquuntur, phantaſia voluitur, idque non humana, ſed diuina facultate, quod ſępè accidiſſe prophetis ex ſacris litteris apertiſſimè cognoſcitur; tertiũ denique intelligatur id, quod mente atque intelligentia diuinitus percipitur.

b 12. de Gen. ad lit. c. 28. Hanc ſententiam ſecutus eſt Auguſtinus, qui alicubi [b] ſcribit: *Quapropter ſi hoc tertium viſionis genus, quod ſuperius eſt nõ ſolum omni corporali quo per corporis ſenſus corpora ſentiuntur, verum etiam omni illo ſpirituali quo ſimilitudines corporũ ſpiritu, & non mẽte cernuntur, tertiũ cœlu appellauit Apoſtolus, in hoc videtur claritas Dei, cui videnda corda mundantur.* Deinde alio quodã modo tertium cœlum dicitur, habita illorum ratione quæ cognoſcuntur; ita cœleſtiũ corporum intuitus primũ cœlũ beatarũ mentiũ cognitio ſecundum, Dei verò immortalis contemplatio tertium nuncupetur. Poſtremò in ipſa diuinæ naturæ contẽplatione triplex gradus diſtinguitur, vt ſunt Angelorum Hierarchiæ. & primus quidem proprius eſt infimæ Hierarchiæ, quaſi primi cœli: ſecundus verò mediæ, quaſi cœli ſecundi: tertius ſupremæ, hoc eſt tertij cœli. Ego nihil dubito, nomine tertij cœli ſupremum quoddam contemplationis genus intelligi, quo mens humana mortali corpore incluſa, niſi prorſus beetur, altiùs nequeat aſſurgere; quod vt arbitror indicat [c] Auguſti-

c 12. de Gen. ad lit. c. 6. nus his planè verbis: *Quod autem non imaginaliter, ſed propriè videtur, & non per corpus videtur, hoc ea viſione videtur, quæ omnes cæteras ſuperat.* Et quidem nomen

d lib. 1 Ethic. c. 1. raptus vim quandam ſignificat, quæ ab externo principio tota pendet, vt intelligitur ex Ariſtotele [d]; tum verò mens humana rapi dicitur, cùm ad ea attollitur, quæ ipſius naturæ vires longè ſuperant, vel alio certè modo rerum notiones percipit, quàm ipſius natura poſtulet. Quanquam autem Deus immorta-

e lib. 2 c. 30. lis, quod alicubi [e] docet Damaſcenus, creatæ voluntati, & libero arbitrio nullam adhibet vim, humanam tamen mentem, atque intelligentiam diuina quadam vi abripit à ſenſibus, & ad cœleſtia, atque diuina contemplanda attollit. Qua ratione Pauli mens à ſenſibus abducta ad diuinarũ rerum contemplationẽ rapta dicitur, nõ quòd eius anima penitus eſſet à corpore auulſa, ſed quòd intelligendi vis corporearum rerum imaginibus poſthabitis, tota ferretur in Deũ. Quo etiam factum eſt, vt non animaduerteret, qualis eſſet ipſius animæ ſtatus, vt meritò dixerit neſcire

a 12. de Gen. ad lit. c. 36. ſe, vtrùm in corpore, an extra corpus fuerit; & quemadmodum ait Auguſtinus [a]; *Hoc illi defuerit ad plenã perfectámque cognitionem rerum, quæ Angelis ineſt; quòd ſiue in corpore, ſiue extra corpus eſſet neſciebat. Hoc vtique non deerit, cùm receptis corporibus in reſurrectione mortuorum corruptibile hoc induetur incorruptione; & mortale hoc induetur immortalitate: omnia enim euidentia erunt ſine vlla falſitate, ſine vlla ignorantia ſuis ordinibus diſtributa, & corporalia, & ſpiritualia, & intellectualia in natura integra, & beatitate perfecta.*

ET SCIO HVIVSMODI HOMINEM, &c. 5.

QVONIAM RAPTVS EST, &c. Vtrùm de 4.

eodem raptu loquatur, an de alio diuerſo quæſtio eſt. 1.

Sunt qui hoc, quòd ait Apoſtolus de Paradiſo, à ſuperiori narratione diſtinguant, vt aliud ſit tertium cœlum, & aliud ſignificet Paradiſus; ita omnino ſenſit

b Hær. 64. Sic etiam Greg. Niſſe. de opific. ſex dier. Epiphanius [b]; cùm enim oſtenderet, Paradiſum eſſe egregiam quandam terræ partem, ex qua Tigris, & Euphrates effluunt, in hunc modum ſcribit: *Non enim ex ſupernis de cœlis effunduntur, ac eliduntur: nam neque ſuſtinere potuiſſet terra vt tantam aquæ molem aceruatim ex alto delabentem ſuſciperet.* Mox verò addit: *Sed neque Apoſtolus aſſerit Paradiſum eſſe in tertio cœlo, ſi quis ſubtiles ſermones audire nolit. Nouit enim raptum vſque ad tertium cœlum dicens. Et noui talem hominem ſiue in corpore, ſiue ſine corpore; Deus nouit, quod raptus eſt in Paradiſum. Duas reuelationes magnas ſe vidiſſe indicat, cùm bis aſſumptus ſit euidenter, ſemel quidem vſque ad tertium cœlum, ſemel verò in Paradiſum.* Idem omnino hoc loco docent Oecu-

c ad orat. 2. de Theol. Greg. Naſſ. d De exhort. mart. c. 13. e lib. 18. mor. c. 5. menius, & Theophylactus, nec diſcrepat Elias [c] Cretenſis, neque inter Latinos Cyprianus [d], & Gregorius [e] Pontifex, ſed apertè hoc ſentit Primaſius. *Quod iterum (inquit) repetit, ſiue in corpore ſiue extra corpus neſcio, oſtendit alteram fuiſſe viſionem.* Idem omnino Ambroſius. *Bis (inquit) ſe raptum dicit; id eſt primò huc vſque ad tertium cœlum, deinde in Paradiſum cœleſtem, in quo latroni dixit Dominus, quod futurus eſſet cum eo in Paradiſo, illic vbi & ciuitas dicitur eſſe Hieruſalem mater noſtra.* Eadem prorſus repetit Anſelmus: neque aliter exiſtimauit auctor commentariorum, qui Hieronymo inſcribuntur. Alij verò vnam atque eandem reuelationem fuiſſe putant; quod inſinuat hoc loco Theodoretus, videturque Auguſti-

f 12. de Gen. ad lit. c. 28. g 2. 2. q. 171. a. 3. ad 4. ni [f] ſententia, quã proculdubio ſequitur D. Thomas [g]; ſic enim ait: *Et quia viſio Dei non poteſt eſſe ſine delectatione, propterea non ſolùm ſe dicit raptum ad tertium cœlum ratione contemplationis, ſed etiam in Paradiſum ratione delectationis conſequentis.* Habet vtraque ſententia ex recentioribus ſectatores ſuos, nec facilè definiri poteſt, vtra ſit præferẽda; niſi quòd prior auctorũ multitudine, atque antiquitate potior, poſterior rationis ſubtilitate firmior videtur. At ſi Paradiſi nomine beatam quamdam contemplationem intelligunt qua nulla poſſit eſſe præſtantior; neceſſe profectò erit (quod eius ſententiæ auctores maximè volunt) tertij cœli nomine cœlum aliquod corporeum ſignificari: quod ſi de cœlo Empyreo intelligant, in quo ſe Deus beatis ſpectandum præbet, eodem illos reuolui neceſſe eſt, vt planè fateantur ibidem Apoſtolum præſtantem quamdam Dei notionem percepiſſe, quam vix poſſunt ab ea diſtinguere, quam Paradiſi nomine deſignari autumant. Cùm igitur tota hæc Apoſtoli oratio metaphorica ſit, Auguſtini, aliorumque ſententia præferenda videtur; vt cùm Apoſtolus vnicum tempus deſcribat, vnica etiam reuelatio intelligatur; & tertij quidẽ cœli nomine excellens Dei cognitio; nomine verò Paradiſi voluptas & oblectatio, quæ illã ſuapte natura cõſequitur, ali-

II. qua ratione indicetur. *Et audiuit* (inquit) *arcana verba,*

quæ

quæ non licet homini loqui. Græca exemplaria habent ἄῤῥητα ῥήματα, hoc eſt non dicenda, ſeu ineffabilia verba. Eſt autem & vetus, & perdifficilis quæſtio, quidnam Paulus in eo raptu viderit, aut audierit. Fuerunt enim qui [a] affirmarent eum vidiſſe diuinã eſſentiam, à quibus ſi quæras quo id fundaméto affirmẽt, nihil habent reſpodere, niſi hæc ipſa Pauli verba, quibus ſe raptum in Paradiſum aſſeuerat; quæ tamen de eximia quadam diuinarum rerum cognitione, citra tamen beatũ Dei conſpectũ, explicari commodè poſſunt. Quòd ſi admittenda ſit eorum ſententia, qui hanc qualẽcunque Pauli ſcientiam à corporeis imaginibus negant fuiſſe auulſam, fatendũ erit omnino ne potuiſſe quidẽ diuinam eſſentiam ea cognitione ſpectari; ſiquidẽ prorſus videretur abſurdum, illã ſimpliciſſimam, & ab omni materiæ concretione ſolutã naturam à corporeis imaginibus pendere, aut aliquo corporeo ſẽſu attingi: quod nõ modò cõmuni Theologorũ [b] ſuffragio firmatum eſt, ſed Eccleſiaſtica ſententia definitũ videtur. Quòd ſi (vt manult B. Thomas, idque ex Auguſtini ſententia) hæc Pauli cognitio auulſa penitus erat à ſenſibus, & corporeis imaginibus, longè tamen probabilius videtur vidiſſe quidẽ Paulũ *Paradiſi pulchritudinẽ,* vt ſcribit Theodoretus, *& ſanctorum qua in illo ſunt choreas, & numeroſam ac modulatam hymnorũ vocem; non tamen* diuinam naturã, vt eſt in ſe ipſa ſpectaſſe. nã propterea fortaſſe nihil ſe vidiſſe Apoſtolus commemorat, ſe audiſſe tantùm ait ineffabilia verba; quaſi voluerit hanc ſuſpicionem amouere. Itaque grauiſſimi Patres [c] negant Paulũ ad beatã Dei contemplationem fuiſſe euectum. Vt interim omittam eos, qui vniuerſim negant cuiquã mortalium Dei beatam notionem fuiſſe conceſſam. Et ſanè cùm ſacræ [d] litteræ apertè doceant, non eſſe Deum cuiquã mortaliũ aſpectabilẽ, & Paulus ipſe ad Timotheum [e] ſcribat, *quẽ nemo hominum vidit, ſed nec videre poteſt,* nefas eſt profectò ab hac lege temerè quẽquam excipere, niſi certiſſimis teſtimoniis, firmiſſimiſque rationibus probari queat. Maneat igitur, quod Auguſtinus, & D. Thomas affirmant, Pauli mentem à ſenſibus auocatam eximiam quandam diuinarum rerum cognitionẽ percepiſſe, longè tamẽ contrà quàm illi opinentur diuina beatorũ ſcientia, & contẽplatione inferiorẽ.

a Chryſoſt. Oecumen. & Theophyl. in hunc locum. Auguſt. ep. 112. c. 13. & li. 12. de Gen. ad lit. c. 27. & 28. D. Th. 1. p. q. 12. a. 11. ad 2. & q. 175. a. 3. & qu. 10. de verit. a. 11. ad 1. in 4. d. 49. q. 2. a. 7. Henric. in ſum. a. 24. q. 2. Durãd. in 3. d. 27. q. 1. in 4. d. 49. qu. 6. & q. 4. prolog. Gabr. 4. d. 49. q. 2. a. 3. Maior ibid. q. 18. Argẽt. q. 4. Sot. ibid. q. 2. a. 4. Ferrar. 3. cont. Gent. c. 47. Capreo. in 3. d. 27. Scot. 3. d. 14. q. 2. Lyran. c. 12. 13. n. 32. Abul. vtrobique. Anſel. in hunc locũ.

b Auguſt. l. 12. de Gen. ad lit. c. 27. Anſel. hoc loco. D. Thom. 2. 2. q. 175. Henric. quodlib. 7. q. 6. Caiet. 1. p. q. 12. a. 11. Ferr. 3. cont. Gent. c. 47.

c Dionyſ. 4. c. cœleſt. Hierarch. Grego. N. 2. orat. 34. Tertull. l. cõt. Prax. c. 14.

d Ex. 33. 20. & Num. 12. 6.

e 1. cap. 6. 16.

III. Ait igitur audiſſe *ſe arcana verba, quæ nõ licet homini loqui;* hoc eſt interprete Primaſio vel quæ nefas ſit cuiquã narrare, vel quæ nullius oratione dicendive facultate explicari queant, quãquam crediderim vtrũque Paulũ voluiſſe ſignificare; cũ enim dixit audiuiſſe ſe ἄῤῥητα, hoc eſt ineffabilia verba, ſignificat ea quæ audierat eſſe eiuſmodi, vt omnẽ humanã dicẽdi facultatẽ ſuperarent, nec ab vllo mortaliũ exprimi dicendo poſſint; cùm verò ſubdit, *Quæ non licet homini loqui,* indicat illa tanquam arcana ſilentio premenda eſſe, vt etiam ſi quis ea ſe poſſe proferre cõfideret, diuina tamen auctoritate, atque imperio id facere prohiberetur. Porrò non iis facilè aſſentior, qui verba pro rebus Hebræorũ more poſita eſſe affirmant. nam cùm de ſenſu auditus ſermo ſit, propriè verba nominauit Apoſtolus, quæ auribus percipiuntur. Non deſcribã Clementis [f] Alexandrini locũ, qui tamen hæc Pauli verba myſticè illuſtrat, vbi oſtendit Deũ neque cerni humanæ mentis acie, neque lingua explicari poſſe. Quod ipſum docet Gregorius [g] Nazianzenus, vt minimè mirũ ſit, Paulum audiuiſſe verba, quæ nequeat humana lingua effari. Cæterùm vt hoc etiam addam, cùm ſatis conſtet Deũ loqui miro quodã modo eùm mentem, atque intelligentiam creatam ſupra naturã attollit, certũque ſit poſſe Deũ humanam mentem afficere, vel auocãdo à ſenſibus, vel ipſo etiã ſenſuum vſu permiſſo, quidquid alij ſecus ſentiant, certũ atque exploratũ videtur in hac Pauli reuelatione extaſim, ac raptum, hoc eſt perfectam quamdam auocationem à ſenſibus interceſſiſſe [a]. Plura de hac Pauli cognitione alibi à nobis diſputata ſunt: hæc fortaſſe ad huius loci explicationem nimis multa videri poſſunt.

f lib. 5. Strom.

g Orat. 34. quæ eſt 2. de Theol.

a D. Thom. 2. 2. q. 175. & ſuper 1. Cor. 12. lect. 1.

PRO HVIVSMODI GLORIABOR, &c. Omnino Paulus (vt Oecumenius, & Theophylactus obſeruãt) ſe eũ eſſe diſſimulat, quẽ raptum fuiſſe ſcripſit, itaque ait: *Pro huiuſmodi:* Græcè ὑπὲρ τοῦ τοιούτου, vt magis ad hominem quàm ad rem pertineat, ita (vt docet Chryſoſtomus) modeſtiam perpetuò retinet, vt tamẽ non obſcurè ſignificet, ea quæ narrauit ad ſe pertinere. Eorũ porrò ſententia mihi probari nullo modo poteſt, qui cũ verba Pauli de homine explicãda eſſe nõ negent, de interno tamẽ homine accipiẽda putant, quaſi Paulus ſe dicat gloriari quidẽ poſſe pro interno homine ob ea, quæ modò commemorauit; pro externo verò nõ niſi ob infirmitates ſuas, omnis enim gloriatio ſiue à rebus externis, ſiue ab animi actionibus ducta ſit ad hominẽ internũ, hoc eſt, ad animũ tota refertur. Sed qua quæſo ratione gloriatur Apoſtolus ob alienam reuelationẽ? Nimirũ hoc eſt quod ait Chryſoſtomus, ita Paulũ ſua verba aptare, vt quamuis alienam perſonam nominare videatur, non obſcurè tamen ſignificet ad ſe omnia pertinere. Et quidem meritò ſe gloriari poſſe dicit, quia ex ea reuelatione nihil ſibi quaſi ſuum arrogare poteſt, adeóque meritò in Domino gloriatur, à quo tam ſingulare munus accepit, idque (vt ait Chryſoſtomus) meritò Paulo conceſſum eſt ne cæteris Apoſtolis, qui cum Chriſto vixerant, cúmque docentem audierant videretur inferior. Hanc enim ob cauſam ſuperiori [b] epiſtola dicit, ſe Chriſtũ Dominũ vidiſſe; quod quanquam ipſo ſtatim ſuæ conuerſionis initio accidiſſe creditur, vt ipſemet in Actis [c] Apoſtolicis affirmat, nobiliori tamẽ modo id factũ creditur cum raptus eſt in tertiũ cœlum, & in Paradiſum, vbi Chriſtum Dominum arcana quædam diſſerentem audiuit: quæ verò, aut qualia ea fuerint, temerè, ac fruſtra quæritur, cum eiuſmodi fuiſſe dicat Apoſtolus, quæ proferri, aut euulgari non queant. *Pro me autem* (ait) *nihil gloriabor, niſi in infirmitatibus meis.* Si meipſum reſpicio, fateor me nihil habere vnde laudem, aut gloriam quærere poſſim, niſi quòd multa aduerſa tolerant, atque etiam nunc tolero. Chryſoſtomus ita hunc locum accipit quaſi ſignificet, ſe nonniſi neceſſitate coactum quidquam commemoraturum eorum, quæ ad ſuam laudem pertinerent, tacitè quodam modo inſinuans quæ modò dixerat de raptu de ſe ipſo accipienda eſſe. 5.

b 1. Cor. 15.

c cap. 22. 6.

NAM ET SI VOLVERO GLORIARI, &c. 6.
Atqui ſupra Apoſtol. capite ſuperiori inſipientiã nominarat; nã dixerat; *vtinã ſuſtineretis modicũ quid inſipientia meæ:* Et, *quod dico, non ſecundùm Dominũ dico, ſed in inſipientia.* deniq; perpetuò gloriationem inſipientiam vocauerat; cur ergo nunc negat ſe fore inſipientem, ſi gloriari velit? An inſipientiam hoc loco mendacium vocat? Certè ita Chryſoſtomus, Oecumenius, ac Theophylactus exiſtimant; propterea enim Apoſtolus ſubdit, *Veritatem enim dicam.* Ambroſius propriè inſipientiam, hoc eſt, imprudentiam accipit: ait enim, non eſſe eum imprudentem qui ſua apud Deum merita profiteatur, quin potius imprudentem fore, ſi taceat; ſic enim alicubi [d] ſcriptum eſt; *Sapiens in verbis producet ſe ipſum, & homo prudens placebit magnatis.* Opponit ſiquidem ſapientem mendaci: cùm enim ille apud omnes dedecus ſibi, atque ignominiam conciliet; ſapiens contra ſua ſe oratione prouehit; adeóſque vt ſe in principum virorũ gratiam inſinuet. Vtrouis modo Apoſtoli ſententia conſtat. Certum enim eſt, inopportunam,

d Eccleſiaſt. 20. 29.

atque

atque inanem ſuarum laudum iactationem plenam eſſe inſipientiæ; interdum verò neceſſariam ſuarum laudum commemorationem, quamuis ſpeciē quamdam præſeferat imprudentiæ, re tamen vera cum ſingulari ſapientia coniungi, ſi præſertim nihil falſi admixtum habeat. Nam, vt ait Oecumenius, *non eſt inſipientis gratiam à Deo ſibi traditam promulgare imminente neceſſitate ob ſalutem & vtilitatem animarum; quin potius vehementer ſapientis eſt & animi humani, ac benigni deſpicere etiam ſuſpicionem arrogantiæ propter hominum ſalutem.* Igitur ait Apoſtolus. *Et ſi voluero gloriari, non ero inſipiens.* Videri fortaſſe potero cuipiam inſipiens, re tamen ipſa non ero; veritatem enim dicam. Sed quoniam neque vbique neque ſem-

II. per verum dicendum eſt, rectè ſubdit. *Parco autem ne quis me exiſtimet ſupra id quod videt me, aut audit aliquid ex me.* Hæc eſt, vt ait Chryſoſtomus, iuſta & legitima ratio, cur nolit Apoſtolus ſuas laudes commemorare; ne videlicet pluris fiat ab hominibus, quàm quanti re vera ſit; nam olim in Actis Apoſtolicis Paulus, & Barnabas pro Diis habiti ſunt. Quocirca quod ait Apoſtolus: *Parco autem:* referendum eſt ad reuelationum magnitudinem, & rerum mirabilium effectionem: quaſi dicat: poſſem quidem alia multa cœleſtia viſa, & præclaras reuelationes verè commemorare, ſed parco hominum imbecillitati, ne cùm mira quædam, & humana fide maiora audierint, temerè, ac falſò ſuſpicentur me ſupra humanum faſtigium poſitum eſſe: & hanc ob cauſam mauult Apoſtolus ſuas imbecillitates commemorare; nam paulò pòſt ſubdet. *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.* Quamobrem vult Apoſtolus, ex iis, quæ ſenſibus obiiciuntur, de ſe iudicium fieri, quod eſt Chriſtianæ humilitatis proprium. Quocirca rectè de hoc Pauli loco hæc ſcribit Gregorius[a]. *Omnes veraciter ſancti non ſolùm gloriam ſuam ſupra modum omnino non appetunt, ſed etiam hoc ipſum videri refugiunt, quod eſſe meruerunt. Vnde egregius ille prædicator veritatis contra pſeudapoſtolos loquens, dum virtutes eximias operationis ſuæ pro diſcipulorū eruditione narraret, dum tot ſe pericula tolerаſſe coacernata perſecutione deſcriberet, & poſthæc vſque ad tertium cœlum, rurſúſque in paradyſum raptum ſe eſſe memoraret, vbi tanta cognoſcere potuiſſet, quanta eloqui omnino non poſſet, erat de ſe adhuc fortaſſe admirabiliora locuturus, ſed ab humana laude alta ſe conſideratione temperans ſubdit. Parco autem, ne quis me exiſtimet ſupra id, quod videt in me, aut audit aliquid ex me. Habebat ergo adhuc de ſe aliquid dicendum qui parcit dicere, ſed egit vtrumque doctor egregius vt & loquendo quæ egerat, diſcipulos inſtitueret, & tacendo ſeſe intra humilitatis limitem cuſtodiret. Nimis namque eſſet ingratus ſi de ſe diſcipulis tota reticeret, & fortaſſe nimis incautus, ſi de ſe tota vel diſcipulis proderet; ſed mirabiliter, vt dictum eſt, egit vtrumque vt loquendo erudiret vitam audientium, & tacendo cuſtodiret ſuam.*

[a] lib. 10. Mor. cap. 5. alias. 7.

III. Luculenter deinde oſtendit ſanctos viros dum ſuas interdum laudes narrant, Deum aliqua ratione imitari, qui ſe nonnumquàm laudibus extollit, non quòd ipſe ea gloriatione indigeat, ſed vt ſuam nobis dignitatem, præſtantiam, maieſtatémque declaret. *Vt valeamus,* inquit, *eum audientes cognoſcere, cognoſcentes amare, amantes ſequi, ſequentes adipiſci, adipiſcentes verò eius viſione perfrui. Vnde Pſalmiſta*[b] *ait; Virtutem operum ſuorum annuntiabit populo ſuo, vt det illis hæreditatem gentium; ac ſi apertè dicat; idcirco fortitudinem ſuæ operationis inſinuat, vt eum, qui audierit, donis diteſcat.* Itaque viri ſancti Deum imitantur, dum quædam de ſe narrant, vt audientibus proſint, non vt ipſi inde extollantur. Porro quod ait interpres. *Ne quis me exiſtimet*; Græca ad verbum ex-

[b] Pſal. 110. 6.

A preſſit εἰς ἐμὲ, quaſi dicat, nihil de me ſublimiùs cogitet. Ambroſius, aliique codices ſimpliciter habent; *ne quis me exiſtimet*, ſententia eſt omnino eadem. *Supra id, quod videt me*, hoc eſt, vt legit Ambroſius, & habet Syriacus, *videt eſſe me*. Romana editio habet, *videt in me*, ſenſu prorſus eodem. *Aut audit aliquid ex me*; hoc eſt, vt interpretatur Anſelmus, *ſupra id, quod audit de me*. Nihil enim vltra ſua merita ſibi arrogat; adeo namque non eſt appetens gloriæ, vt ſua etiam merita latere cupiat. Sapienter autem monuit Chryſoſtomus ſingulari quadam prouidentia Deum immortalem mira quædam ſanctorum virorum opera effeciſſe, quæ vires humanas longè ſuperarent; eoſdem tamen interea næuis quibuſdam quodammodo aſpergi paſſum eſſe, vt

B illa admirabilia quæ fiebant, diuinæ poteſtati tribuerentur, & ipſi interea ſuam imbecillitatem agnoſcerent.

Et ne magnitvdo revelationvm, &c. 7.

Rectè Chryſoſtomus ex his verbis colligit, Paulum I.

non vnam tantùm, ſed plures percepiſſe diuinas reuelationes, & quidem præclaras; idcirco enim ait: *Ne magnitudo reuelationum extollat me.* Græcè, καὶ τῇ ὑπερβολῇ τῶν ἀποκαλύψεων ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι; hoc eſt, Et ne excellentia reuelationum extollar. Ambroſius legit: *Et ne ſublimitudine reuelationum extollar.* Auguſtinus[a]: *Ne magnitudine reuelationum extollar.* Syriacus: *Ne efferrer excellentia reuelationum.* Hoc eſt, quod paulò antè ex Chryſoſtomi ſententia diximus, ſapienter iuſtorum ſaluti diuinitus eſſe conſultum,

[a] Quæſt. in li. Iudic.

C vt humanæ imbecillitatis veluti pondere omnis in eis arrogantiæ faſtus deprimatur. Et quamquàm nefas eſſe videtur de Apoſtolo Paulo quidquam ſuſpicari quod non ſit cum Chriſtiana humilitate maximè coniunctum; quoniam tamen excellens diuinarum rerum cognitio eum cunctis mortalibus admirabilem reddere potuiſſet, vt appareret eum fines mortalitatis nequaquam excedere, voluit Deus vt plurimorum calumnias, & falſas criminationes ſubiret. Itaque ait, *datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus ſatanæ, qui me colaphizet.* Verba ſunt plena metaphoris, quæ obſcuram reddunt ſententiam. Græca ſic habent; ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκὶ. hoc eſt, infixus eſt aculeus carni, qui illam claui inſtar pungeret, atque actiùs ſtimularet. Antequam autem

D ſenſum Pauli explicem, de vi verborum pauca quædam dicenda ſunt. Vox igitur Græca, quam pro, ſtimulo, vſurpat Apoſtolus eſt σκόλοψ, quæ vox ſignificare videtur palum, ſeu ſudem præacutam. Itaque nonnulli vertunt aſſulam, ſeu telum corpori inhærens; alij ſpiculum, ſeu aculeum, alij ſurculum, Gellius[b] ſtipem. Itaque aliquid amplius ſignificat σκόλοψ, quàm κέντρον, quæ vox ab interprete latinè dicitur[c] ſtimulus. At verò σκόλοψ acutam vt dixi ſudem, ſpiculum, aculeum, ſurculum, & infixam ſagittam ſignificat. nec ſolùm moleſtiam, ſed etiam dolorem affert. atque ita in libro Numerorum[d], vbi nos legimus *erunt vobis quaſi claui in oculis*, Septuaginta habent σκόλοπες ἐν ὀφθαλμοῖς: ſignificat igitur Apoſtolus, ſibi quodammodo præuſtam & præacu-

[b] lib. 5. c. 14

[c] Act. 9. 6. & 1. ad Cor. 15. 15.

[d] cap. 33. 55.

E tam ſudem fœmori infixam, quaſi alludat ad id, quod legitur in Eccleſiaſtico[e]. *Sagitta infixa in fœmore carnis.* Quid autem hac metaphora ſignificare velit II.

Apoſtolus, ingens quæſtio eſt. Ad effrænatos, & impotentes libidinis motus nonnulli referunt; id non obſcurè ſignificare putatur Irenæus[f]. *Manifeſtiſſimè autem,* ait, *Apoſtolus oſtendit, quoniam traditus eſt ſuæ infirmitati homo, ne elatus aliquando excideret à veritate.* Et mox: *voluit ergo Dominus, Apoſtolum ſuum ſic colaphizari, & talem ſuſtinere infirmitatem*; hæc enim de impuro libidinis motu accipienda

[e] cap. 19. 12.

[f] lib. 4. cap. 3.

 putant.

a lib. 1. Mor. cap. 10.

putant. Planiùs id affirmat Gregorius [a]. *Sic Paulus,* A *ait, ad tertium cœlum raptus ducitur, paradiſum penetrat, ſecreta conſiderat, & tamen ad ſemetipſum rediens contra carnis bellum laborat, legem aliam in membris ſuſtinet, cuius in ſe rebellione fatigari ſpiritus legem dolet.* Aliò verò loco [b]. *Certè iam Paulus tertij cœli culmen aſcenderat, iam paradiſi ſecreta cognouerat, & tamen adhuc carnis bella tolerans gemebat. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.*

b lib. 11. c. 12.

c epiſt. 22. de cuſtodia virginitatis ad Euſtoch.
d 10 epiſt. ad Rom ca. 7. in fine.
e Aymo, & recentiores quidam.

Neque aliter ſentit Hieronymus [c], cuius verba alibi protulimus [d]; quamquam vt dicam paulò pòſt aliud aliàs ſentit. Eamdem ſententiam [e] alij non pauci ſequuntur; ex quibus ſunt qui fabulam etiam addant, Techlam nimirum Pauli ſtudioſiſſimam, dum illum ſequeretur, prauæ cupiditatis flammas in illo excitaſſe. Si metaphoram ſpectes, hi profectò non ineptè B loquuntur, ſi viri dignitatem, ac ſanctitatem, omnino parum ſcitè; nam vt ab hoc extremo exordiar, non modo Hieronymus [f] negat, Paulum vllam ſecum fœminam itinerum ſuorum comitem habuiſſe, verùm etiam ipſe Apoſtolus ſuperiori Epiſtola [g], nullam ſe mulierem circumduxiſſe fatetur. Accedit quod Hieronymus [h] periodos Pauli, & Techlæ, & totam baptizati Leonis fabulam inter apocryphas ſcripturas numerat. *Quale enim,* inquit, *eſt, vt indiuiduus comes Apoſtoli inter cæteras eius res hoc ſolùm ignorauerit? Sed & Tertullianus vicinus eorum temporum refert, presbyterum quemdam in Aſia σπουδαστὴν Apoſtoli Pauli, conuictum à Ioanne quòd auctor eſſet libri, & confeſſum ſe hoc Pauli amore feciſſe.* Atque ita Gelaſius [i] Techlæ, & Pauli librum apocryphum damnat. Sed vt demus, quod eſt apertiſſimè falſum, fuiſſe Techlam Pauli comitē, an adeo ille væcors erat, aut parum in euangelica doctrina verſatus, vt non intelligeret, vel negligeret quod de peccatorum occaſione amouenda dixerat olim Christus [k]. *Si manus tua, vel pes tuus ſcādalizat te, abſcinde eum, & proiice abs te. Et ſi oculus tuus ſcādalizat te erue eum, & proiice abs te.* Quid verò magis abſurdum, quàm exiſtimare, tantum Apoſtolum iam ſenem adhue libidinis ardore æſtuare? Quorſum autē hoc procederet, quod cùm ſit ipſum per ſe fœdum, ac turpe nullam poterat aliis afferre vtilitatem, & nonnihil potius dedecoris allaturum videbatur? Denique cùm hæc humanæ naturæ imbecillitas in viris præſertim perfectis, qualis erat Apoſtolus minimè pateat, nullam vim habitura erat ad tumorem, aut arrogantiam deprimendam, ſi D Paulus ſuarum reuelationum magnitudinem ambitioſiùs iactare voluiſſet. Neque facilè conceſſerim, id vnquàm exiſtimaſſe Irenæum, qui carnis infirmitatem, ærumnas, & calamitates appellat, quibus Apoſtolus mirum in modum vexabatur. De Gregorio negare non poſſum; ſed ille non videtur rem diligentiùs expendiſſe. Cæteri verò temerè locuti ſunt, idque parum cordatè ſcripſerunt, quod vix

f In Matt. ca. 27.
g cap. 9. 5.
h de Scrip. Eccleſ. in Luc.
i diſt. 15. cap. Sancta Romana.
k Matt 18. 8.

III. vllo docto Theologo probare poſſent. Capitis dolorem alij interpretantur dæmonis opera creatum. Id ſenſerunt nonnulli apud Theophylactum, qui tamen vnà cum Theodoreto, & Oecumenio eam ſententiam confutat. *Angelum,* inquit, *Satanæ, & palum* E *nonnulli cephalalgiam, hoc eſt, capitis dolorem intellexerunt ab diabolo factum; at abſit; hoc non enim Pauli corpus diabolo traditum eſt, quandoquidem Paulus ipſi potiùs præcipiebat, fineſque certos præſcribebat, quando fornicantem tradebat ei ad interitum carnis, nec eam ſibi metam ille prætergrediebatur.* Hieronymus [l] morbum aut ægritudinem aliquam, ac præcipuè capitis dolorem inſinuat. *Suſpicari,* inquit, *poſſumus Apoſtolum eo tempore, quo primùm venit ad Galatas ægrotaſſe, & aliqua corpuſculi infirmitate detentum non ceſſaſſe tamen nec vocem ſilentio repreſſiſſe, quominùs cœptum* A *Euangelium prædicaret. Nam tradunt eum grauiſſimum capitis dolorem ſæpe perpeſſum, & hunc eſſe angelum Satanæ, qui appoſitum ei ſit, vt eum colaphizaret in carne, ne extolleretur.* Neque aliter ſenſiſſe videtur Auguſtinus; cùm enim Pauli verba protuliſſet. *Quid eſt,* ait, *hoc fratres? ne extolleretur tamquam iuuenis, colaphizabatur tamquam puer. Et à quo? ab Angelo Satanæ. Quid eſt hoc? dolore quodam corporis traditur exagitatus vehementer: dolores autem corporum plerumque immittuntur ab angelis Satanæ, ſed hoc non poſſunt, niſi permiſſi. Nam & Iob ſanctus ſic probatus eſt: permiſſus eſt ad eum probandum Satanas, & percuſſit eùm vulnere, vt vermibus putreſceret; immundus enim permittebatur, & ſanctus probabatur. Neſcit diabolus quanta bona de illo fiant, etiam cùm ſæuit.* Eodem modo hunc B locum accepiſſe videtur Gregorius [a] Nazianzenus; ad hæc enim Pauli verba alludens, in hunc modum ſcribit. *Tu verò ſacrum, & diuinum caput nos cælitus inſpiciat, carniſque ſtimulum* (Græcè σκόλοπα) *à Deo nobis ad diſciplinam datum aut precibus tuis ſiſtas, aut perſuadeas, vt fortis animo perferamus;* quæ verba explicans Nicetas. *Renum,* inquit, *infirmitatem ſignificat, atque articulorum debilitatem, ſiue podagram; ſic enim locum illum Pauli de corporis infirmitate, & non de fomitis concupiſcentiæ veteres quidam intellexerunt.* Accedit ad eamdem ſententiam Chryſoſtomus alicubi [b]. *Quid verò datur,* inquit, *carnis cùm procul dubio dicit; Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Satanæ? hoc eſt autem nihil prorſus aliud, quàm oſtendere contempſiſſe dolorem ſe corpore ſentientem, non quia non* C *ingrederetur animum, ſed quia magnitudine voluntatis excluderet eum, atque depelleret.* Beatus verò Thomas haud ſcio quem ſecutus Paulum putat iliaco morbo fuiſſe obnoxium: alij [c] graui dolore ſtomachi laboraſſe. IV. Ego verò non abnuerim hæc omnia cum metaphora ſtimuli ſatis aptè congruere. Sed malo tamen cum Chryſoſtomo, Theodoreto, Oecumenio, Theophylacto, Ambroſio, Primaſio, & aliis omnes aduerſarios Pauli, omnéſque eius ærumnas, & calamitates interpretari. Hoc enim Hebraicè ſignificat Satan, id eſt, aduerſarium, res autem aduerſæ inimicorum calumniæ, & criminationes non aliter, ac ſurculi ſeu aculei carni affixi Paulum miris modis vexabant. Quæ mihi ſententia propterea ſemper placuit, quòd videam potiſſimùm hac de re Apoſtolum D agere, qui non ita multò poſt gloriari ſe dicit in infirmitatibus, in contumeliis, in neceſſitatibus, & in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto. Quocirca Ambroſius inſectationem malorum hominum, quæ illi negotium aſſiduè faceſſeret ſtimulum vocari affirmat, Græcè σκόλοπα, quaſi ſudem aut palum præacutum, aut aculeum infixum corpori, quem neque ſine dolore ferre, neque abſque cruciatu amouere, aut extrahere quis poſſit. Eodémque modo ſtimulum explicat Oecumenius. *Catenam,* inquit, *dicit plagas, lapidationes, carceres.* Sed multa reſtant explicanda, cur ſtimulum dixit infixum carni, cur Angelum Satanæ nominet, cur denique ſe dicat colaphizari. Et quod attinet quidem ad primam dubitatio- E nem, quoniam oratio tota eſt metaphorica, ea metaphora indicare voluit Apoſtolus, carnem ſuam, id eſt corpus continenter vexari non aliter, ac ſi ſagittas in corpore infixas haberet; Græcè enim ſcriptum eſt τῇ σαρκὶ, vt non ſit ſtimulus carnis, quaſi caro vrgeat aut ſtimulis agat, ſed ipſa potius aculeo, ac præacuto ſtimulo transfigatur. Atque ita oſtendit quàm graues, quámque moleſtæ eſſent calamitates, at- V. que ærumnæ, quas perferre cogebatur. Cur autem Angelū Satanæ nominet, his verbis explicat Oecumenius. *Nuntius Satanæ dicitur homo ſubſeruiens aduerſario dæmoni; ſtimulus verò tentationes, & afflictiones,*

l Gal. 4.
a Orat. in laud. Baſ. ij.
b Hom. in laud. Paul.
c B. Vincen.

A *nes, quas inferebat ei.* Et paulò pòſt. *Satan aduerſarium ſonat lingua Hebraica, & tertio Regum* [a] *libro verè aduerſarios ita appellauit ſcriptura, ac de Salomone narrans ait, quod non erat Satan in diebus ipſius, id eſt aduerſarius, qui moleſtiam ac bellum inferret. Quod ergo dicis huiuſmodi eſt. Non conceſſit Deus ſine labore prædicationem procedere, noſtrum affectum comprimens ac faſtum cauens, ſed permiſit aduerſarios irruere in nos. Nuntium itaque Satanæ dicit Alexandrum Fabrum ærarium, Hymenæum, & Philetum, qui dicebant reſurrectionem iam factam eſſe, omneſque ſermoni prædicationis repugnantes.* Nec diſſimilia ſcribunt Theodoretus, & Theophylactus ſequuti Chryſoſtomum. Cur autem numero ſingulari Angelum nominet, cùm plures haberet aduerſarios, hanc affert rationem Oecumenius. *Quoniã,* inquit, *ſingulis locis vnuſquiſque reperiebatur repugnans, qui populum commoueret, quo primordia capiente cæteri vnà ſequebantur.* B Idem ait Theophylactus, addit tamen in his omnibus quos aduerſarios perpeti cogebatur, agnouiſſe Apoſtolum vim, & conatum dæmonis, quo auctore omnia excitabantur pericula, & omnia mala peragebantur. Hunc verò Angelum Satanæ ſibi datum dicit proculdubio à Deo, non quaſi ille malorum auctor ſit, ſed quòd diuina ſua prouidentia ad Apoſtoli merita amplificanda moleſtias illas, & calamitates permiſerit. Ita Chryſoſtomus, *Non quòd Deus huiuſmodi homines armaret (abſit enim hoc) ſed quòd eos minimè coerceret, ac ſupplicio afficeret, verùm ad quoddam tempus eos graſſari permitteret.* Idem penè C ſignificat Ambroſius. *Deum,* ait, *bonis meritis prouidere teſtatur, dum permittit, tentationibus bonos deprimi, non ſolùm ne laborum ſuorum fructibus abdicentur, verùm etiam, vt augeantur his ad cumulum poſſeſſionis æternæ.* Nec malè addit Anſelmus, hunc Angelum Satanæ datum Paulo ad ſimilitudinem triumphantium, quos obiurgator ſequebatur, qui ad ſingulas ciuium acclamationes mortalitatem illi exprobraret. Quocirca rectè Ambroſius. *Hoc ergo,* ait, *remedium datum eſt Apoſtolo, vt iniuriis preſſus animo non poſſit extolli pro magnitudine reuelationum, quia otioſum pectus neceſſe habebat in iis, quæ viderat extolli.*

VI. Porrò quid ſit colaphizare explicat Chryſoſtomus [b] his planè verbis. *Colaphizare quidam putant eſſe tantùm caput percutere, cùm colaphus dicatur ipſa depreſſio, & humiliatio. Colaphum incuſſit inimicus ipſius, id* D *eſt, humiliauit; non ſolùm ergo caput inſeritur, ſed ipſe Paulus vſus eſt rurſus hac dictione; & quandoquidem idiota erat, conſueta dictione ad explicationem ſenſuum, vnde & illud. Vſque in hanc horam, & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, ſiue incertis vagamur ſedibus.* Et aliquantò pòſt. *Eſt ergo colaphizatio humiliatio, quæ fit ab inimicis vel per carceres, vel per adductionem ad ſupplicium, vel per iudicium, vel per famem, vel per quamcunque aliam rem.* Et poſt nonnulla: *Quando audieris Paulum dicentem; datus eſt mihi aculeus carnis meæ angelus Satanæ, non cogita de diabolo, ſed de hominibus, qui dæmonis ſunt, operantibus, Græcis ſcilicet Iudæis, qualis erat* E *tunc Dæmon angelus Satanæ Alexander ærarius, qui plura mala illi oſtenderat: angelus Satanæ quia ea, quæ Satanæ erant operabatur. Tales erant conicientes in carcerem verberantes ipſum. Homines ergo nuntios Satanæ ea, quæ Satanæ ſunt, operantes, & Euangelium, & prædicationem impedientes, & verberantes vocabantur.* Cæterùm negandum non eſt, colaphizare, vt aliàs dixi, idem eſſe, quod pugnis faciem cædere, quod quia eſt grauis contumeliæ & contemptus inſigne, rectè ad contemptum & deiectionem transfertur. Græca exemplaria poſt verbum *colaphizet* addunt hæc verba; ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι; hoc eſt, ne ſupra mo-

[a] cap. 1. 4.

[b] Hom. 15. in ea Apoſt. verba, ſufficit tibi gratia mea.

A dum efferrer. Latini codices nihil habent, ea tamen legit Syriacus, qui tranſtulit; *vt me colaphizet, ne efferrer.* Chryſoſtomus tamen, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, non videntur ea verba legiſſe; nullam enim eorum mentionem faciunt.

PROPTER QVOD TER DOMINVM, &c. Vel hinc apparet diuino conſilio factum eſſe, vt Paulus tam multis ærumnis premeretur; nam ter Deus rogatus non modò moleſtias non repulit, ſed eas vtiles eſſe diuino oraculo reſpondit. Rectè namque alicubi ſcripſit [a] Auguſtinus. *Ille Angelus Satanæ quaſi libenter permiſſus eſt colaphizare Apoſtolum, ſed tamen Apoſtolus curabatur, & quia illud quod medicus appoſuerat moleſtum erat infirmo, rogauit medicum, vt auferret. Quomodo cum medicus apponit viſceribus ali-* B *quod forte epithema moleſtum, & ardens, unde tamen curandus eſt ille, cuius viſcera tumebant, cum ille inde ardere cœperit, & cruciari medicamento, rogat medicum, vt auferat medicamentum. Medicus autem conſolatur, monet eum patientia, quia nouit quam vtile ſit quod appoſuit. Ita & Apoſtolus ſequitur & dicit, cùm dixiſſet: datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet (prædixit autem quare: ne magnitudine reuelationum extollar, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet) propter quod ter Dominum rogaui, vt auferret eum à me. hoc eſt dicere rogaui medicum, vt auferret à me moleſtum epithema, quod mihi appoſuerat.* Porro Chryſoſtomus hoc ait ſingularis eſſe Chriſtianæ humilitatis argumentum, quod ingenuè fateatur Apoſtolus C ſe tam grauibus moleſtiis perferendis imparem fuiſſe, atque adeo ter, hoc eſt vt ipſe interpretatur ſæpenumero ad Deum preces fuderit, vt ab iis aliquãdo liber euaderet. Quamobrem quod ait; *Propter quod,* Græcè ὑπὲρ τούτου, ad ſuperiora refertur, quaſi dicat, propter hunc tam acutũ aculeum infixũ carni; atque hunc angelũ Satanæ, qui me deprimit, ac deiicit, ter Dominum rogaui. Nõ quia moleſtiarum pertæſus, eas ferre nequaquam poſſet; ſed quòd animaduerteret prædicationem Euangelicam iis non leuiter retardari: ex quo (vt rectè monet Primaſius) facilè colligas, ſanctos viros interdum ea petere, quæ ſibi quidem videntur opportuna, cùm ſint tamen longè ſecus: tunc verò eorum preces vtiliùs exaudiri, ſi non impetrent quæ petunt. Et Auguſtinus D alicubi ſcripſit, ſæpe Deum iratum concedere quæ placatus negat: contrà placatum concedere, quæ negat iratus. Neque tamen propterea Pauli oratio reprehendenda eſt: id enim petebat, quod non ſine ratione Euangelicæ prædicationi commodum, atque vtile fore iudicabat; diuino autem reſponſo eruditur, & Chriſtianæ fidei vtilius, Deo verò glorioſius eſſe intelligit, vt contra aduerſarios ſtrenuè dimicet, quàm ſi nullum penitus experiretur inimicum. Quæ cùm ita ſint ex hoc ipſo loco non leuiter etiam perſuadeor ſtimulum carni infixum, de quo loquitur Apoſtolus, ad veneream cupiditatem nequaquam pertinere. Quis enim ferat, nõ dico eximium Apoſtolum, qualis erat Paulus, ſed mediocrem diuini verbi præconem, qui palàm profitea- E tur, ſe libidinis ardore æſtuare, nec poſſe etiam frequentibus adhibitis precibus ab eo incendio liberari?

ET DIXIT MIHI; SVFFICIT, &c. Hoc eſt diuinum oraculum ac reſponſum, quo Pauli mens 9.
confirmata eſt. *Ego noui,* inquit [b] Auguſtinus, *quid appoſuerim, ego noui vnde ægrotes, ego noui vnde ſaneris. Sufficit,* inquit, *tibi gratia mea.* His verbis exiſtimauit nonnemo, fuiſſe Paulum in gratia confirmatum, quod illi beneficium iampridem fuerat à Deo collatum, cùm diuina Spiritus ſancti chariſmata per-

[a] in Pſal. 130.

[b] in Pſal. 130.

cepit. Meliùs opinatur illi, qui diuinitùs Paulo patefactum fuiſſe contendunt ſe eſſe Deo carum. Ego non pertinaciùs repugnarim, quamquàm non video cur gratiæ nomine non poſſimus accipere auxilium, quod Paulo affuturum certò Deus pollicetur. Id quidem quaſi ſuapte natura gratiam, & caritatem inhærentem comitatur, ſed poteſt tamen in multis ab ea diuelli, quod alibi copioſiùs oſtenditur. Certè Chryſoſtomus gratiæ nomine ipſa Spiritus ſancti dona intelligit. *Sufficit tibi*, inquit, *quòd mortuos in vitam reuocas, quòd cæcis mederis, quod leproſos purgas, quòd alia miracula edis, ne inſuper id poſcas, vt in periculis immunis ſis, liberéque ac tranquillè degas, ac ſine moleſtiis munus prædicationis obeas.* At Ambroſius noſtram ſententiam probat; ſentit enim de præſidio gratiæ, qua vires ad perferendum ſuppeditantur, hoc enim gratiæ præſidium ſi adſit omnia reddit leuia, & facilia; contrà ſi abſit, neceſſe eſt humanam imbecillitatem ſuccumbere. Quamobrem rectè à Caſſiano ſcriptum [a] eſt: *Poſtremò inſtruit auctor ſalutis noſtri quid nos oporteat in ſingulis quibuſque quæ gerimus, non modò ſentire, ſed etiam confiteri: non poſſum ego,* inquit, *à me ipſo facere quidquam: Pater autem in me manens ipſe facit opera: ille ex perſona hominis aſſumpti dicit nihil à ſemetipſo poſſe ſe facere, & nos cinis, & terra in his, quæ ad noſtram ſalutem pertinent, arbitramur adiutorio Domini non egere? Diſcamus itaque & nos per ſingula noſtram ſimul infirmitatem, & illius adiutoria ſentientes quotidie proclamare cum ſanctis. Impulſus verſatus ſum, vt caderem, & Dominus ſuſcepit me. Fortitudo mea, & laudatio mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem, & niſi quia Dominus adiuuit me, paulominùs habitauerat in inferno anima mea. Si dicebam, motus eſt pes meus, miſericordia tua Domine adiuuabat me: ſecundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Videntes etiam cor noſtrum in timore Domini, & patientia roborari dicamus; & factus eſt Dominus firmamentum meum, & eduxit me in latitudine.* Et multa deinceps in eamdem ſententiam: ſunt enim Dauidici Pſalmi referti diuinis teſtimoniis, atque oraculis, quibus diuinæ gratiæ vis, & efficacitas prædicatur. Huc enim ſpectant [b] illa. *Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo tranſgrediar murum. Deus qui præcinxit me virtute, & poſuit immaculatam viam meam: qui perfecit pedes meos tamquam ceruorum, & ſuper excelſa ſtatuens me. Qui docet manus meas ad prælium, & poſuiſti vt arcum æreum brachia mea, & dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ, & dextera tua ſuſcepit me.* Denique totus ille Pſalmus apertiſſimè probat, veriſſimum eſſe hoc diuinum oraculum, ſatis eſſe diuinæ gratiæ præſidium ad omnes difficultates ſuperandas. *Nam virtus*, inquit, *in infirmitate perficitur.* Planius in Græcis, ἡ γὰρ δύναμίς μου; vt minimè dubium ſit verba eſſe Dei dicentis ſuam diuinam vim, ac potentiam Pauli ægritudine, & vexatione illuſtrari; hoc enim eſt in præſentia τελειοῦται: ſentit enim vim, ac potentiã diuinam longè diuerſa ratione declarari, quàm robur humanum. Siquidem hoc maximè apparet cùm difficultates ſuperat, & hoſtes ſuos debellat, diuina verò vis patientia, toleranñáque rerum aduerſarum eluceſcit. Quocirca rectè Chryſoſtomus: *Virtus mea*, inquit, *in infirmitate perficitur, cùm videlicet vos perſecutionem patientes, eos, qui vos perſequuntur, frangitis ac ſuperatis; cùm tactati, atque vexati de iis, qui vos vexant palmam refertis: cùm vinculis adſtricti, eos qui flagris vos cædunt in fugam vertitis.* Ambroſius addit diuinæ gratiæ præſidio fieri, vt ærumnarum tempus contrahatur. Malim ego aliam explicationem addere, vt diuina vis maximè illuſtrari dicatur cùm is, qui diuinam opem in rebus aduerſis experitur, imbecillitatis ſuæ conſcius, nihil inde ſibi vendicat; ſed vniuerſam laudem vni Deo tribuit. Paulò aliter locum accipit [a] Auguſtinus; virtutem enim humanam intelligit, quaſi Græcè ſit ἀρετὴ, non δύναμις, eámque putat rerum aduerſarum tolerantia in futuro ſæculo perfici. Eodémque modo accipit Primaſius, quem penè ad verbum ſequitur Anſelmus; vterque enim virtutem in infirmitate perfici exiſtimat, quia comprimitur tumoris elatio: quod dixerat Auguſtinus qui de Angelo Satanæ adhibitum ait *contra elationis vitium, ſalubre quamuis moleſtum medicamentũ; ſicut fieri conſueuit antidotum de ſerpentibus contra venena ſerpentium. Hanc perfectionem virtutis* (ait Primaſius) *vtique nondum habebat Apoſtolus, nondum erat æqualis Angelis Dei, ſed inerat illi extollendi ſe infirmitas, quæ per Angelum etiam Satanæ fuerat comprimenda, ne reuelationum magnitudine extolleretur. Quare per angelum Satanæ? Quia frequenter antidotum etiam de ſerpentibus contra venena ſerpentium conficitur. Quid eſt ergo ſufficit tibi gratia mea, niſi ne deficiendo ſuccumbas ſub colapho angeli Satanæ? Et quid eſt virtus in infirmitate perficitur, niſi quia in iſto loco infirmitatis hactenus perfectio poteſt eſſe virtutis, vt ipſa infirmitate præſente elatio reprimatur; vt ad eius perfectionem pertineat etiam ipſius imperfectionis, & in veritate cognitio, & in humilitate confeſſio?* Sed Græcos codices conſuluiſſe non videntur, qui apertiſſimè de diuina vi, ac poteſtate loquuntur, vt etiam interpretatus eſt Syriacus. Hoc porrò non obſcurè ſignificant ipſa Apoſtoli verba, quæ ſubiiciuntur. *Libenter igitur*, ait, *gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti.* Neque hoc ignorauit Auguſtinus, qui alibi [b] vim diuinæ gratiæ interpretatus eſt: ſed tamen loco ſuperiùs indicato, agens contra Iulianum, alióſque Pelagianos Epiſcopos; maluit humilitatẽ Chriſtianam, tanquam eximiam virtutem ponere, non quòd non intelligeret, δύναμιν, vim & facultatem diuinam ſignificare: ſed vt indicaret, eximiam illam virtutem, à diuinæ gratiæ efficacitate manare, vt hæ duæ explicationes non pugnent, ſed altera ex altera oriatur. Et illa quidem planior atque omnibus obuia, hæc paulò abſtruſior videatur. Tantum verò abeſt, ait Chryſoſtomus, vt quæ paulò antè commemoraui; hoc eſt, ſtimulus infixus carni, & Angelus Satanæ, qui me colaphizat, quidquam mihi mœroris, aut triſtitiæ afferant, vt potius propter illa libentiſſimè glorier. Sic enim mihi perſuadeo quo pluribus, & grauioribus malis premar, eo mihi diuinæ gratiæ præſidium maius affuturum. Libenter igitur, ait, Græcè ἥδιστα; id eſt; libentiſſimè, vt interpretatur Ambroſius, vt videlicet appareat me Chriſti facultate ſuſtentari, eiúſque diuina vi potiſſimũ niti: rectè autem ait Ambroſius, gloriandum in infirmitatibus eſſe, quia res aduerſæ Chriſti auxilio leniuntur, *dulcéque eſſe pro Chriſto cædi, & ab eodem curari; plus enim addere medicinam Chriſti ad ſalutem, quam infirmitas detrahit ſanitati: Quocirca paulò poſt dicit; cùm infirmor tunc potens ſum: ibi enim maximè diuina vis cernitur, vbi deeſt humana. Vt inhabitet*, inquit, *in me virtus Chriſti.* Græcè ἐπισκηνώσῃ; cuius verbi vim explicat Oecumenius, vt ſit idem, *quod tamquam in tentorio moretur, hoc eſt, totum in toto inhabitet.* Ex his autem colligunt Chryſoſtomus, Theodoretus, & alij non agere Apoſtolum de corporis ægritudine; ſed de ærumnis, & calamitatibus, rebus denique aduerſis, quas tolerare cogebatur.

[Margin: A (l. 1), B (l. 14) — left column; A (l. 1), B (l. 14), C (l. 34), D (l. 48), E (l. 59) — right column]

a lib. 12. c. 17.

b Pſal. 17. 30.

II.

III.

a lib. 3. ad Bonifac. c. 8.

b De gratia Chriſti c. 12.

10. Propter qvod placeo mihi, &c. Hæc

I. magis explicant ſuperiora. Lætitia, inquit, afficior, & in contumeliis, & vexationibus, ac moleſtiis exulto, ac triumpho; video enim rerum aduerſarum cùm ſingu

ſingularem meam vtilitatem, tum verò ingentem
immortalis Dei gloriam. Enumerat autem multa
malorum genera, quæ vt ſuprà diximus, metaphoni-
cè ſignificauit, cùm ſtimulum carnis, & Angelum
Satanæ nominauit. *Placeo*, inquit, *mihi:* Græcè *εὐδοκῶ*;
quaſi dicat: placitum mihi eſt. Oecumenius addit;
Concupiſco, & in his eſſe delector. Ita etiam Theodore-
tus, & Theophylactus; nam vt ait Chryſoſtomus,
alibi dixit Apoſtolus. *Quemadmodum abundant paſ-
ſiones Chriſti, ita etiam abundat conſolatio noſtra: vbi
afflictio, illic etiam conſolatio, vbi conſolatio, illic & gra-
tia.* Obſeruat Oecumenius hac oratione cùm vehe-
menter perſtringi pſeudoapoſtolos, tum Corinthio-
rum animos erigi, & confirmari; illos quidem quòd
videant nihil ſe contra Apoſtolum proficere, quan-
doquidem non modò illi nullum afferebant mœro-
rem, ſed ingenti potius gaudio, atque lætitia eum
perfundebant: hos verò ne vllo pudore ſuffunde-
rentur, quòd magiſtrum ſuum probris, & contume-
liis affectum viderent, cùm ſcirent illum eiuſmodi
rebus ſupra humanam fidem oblectari. Nominat
autẽ primo loco infirmitates, Græcè *ἀσθενείαις*, quaſi
genus vniuerſum, mox autem ſingulas veluti formas
explicat. *Contumelias* contra honorem, ac famam.
Neceſſitates, id eſt, rerum neceſſariarum inopiam, vt
interpretatur Anſelmus; vel vt indicat Primaſius, &
eodem penè recidit, laborandi neceſſitatem, vt nul-
lum haberet orandi tempus. *Perſecutiones* contra aſ-
ſentationes, & inanes laudes; ſic enim Primaſius, &
Anſelmus accipiunt. *Anguſtias pro Chriſto*, ſiue con-
tra diuitias, vt vult Primaſius, ſiue etiam indicet dif-
ficultates euadendi. Quod additur; *pro Chriſto*, refe-
ro ad omnia ſuperiora, illa namque omnia tum de-
mum lætitiam afferunt, & gloriam pariunt immor-
talitatis, ſi pro Chriſto tolerentur. Rectè autem ſub-
dit. *Cùm infirmor, tunc potens ſum*; vt infirmandi ver-
bum ad omnia ſuperiora pertineat: infirmari autem
ſe dicit, cum eorum aliquid patitur, quæ enumera-
uit: ſe verò validum, ac fortem diuinæ gratiæ præſi-
dio fatetur; idque vt Chryſoſtomus, Oecumenius, ac
Theophylactus obſeruant, ipſius Apoſtoli exemplis
confirmari poteſt. Nam in vincula coniectus mira
quædam, & ſupra naturam efficit: naufragio inter
barbaros ingẽtem quamdam gloriam aſſecutus eſt:
raptus ad tribunalia victor euaſit.

11. FACTVS SVM INSIPIENS, &c. Rurſus glo-
I. riandi neceſſitatem excuſat, & gloriationem inſi-
pientiam vocat, quod apertiſſimè docent exempla-
ria Græca; ſic enim habent *γέγονα ἄφρων καυχώμενος*;
factus ſum inſipiens gloriando. Inſipientiam autem in-
telligit vulgi opinione; nam alioqui vt dictum eſt
ſuprà cùm res & tempus poſtulant, ſingularis pru-
dentia eſt, & eximia caritas. Porro cùm addit; *vos me
coegiſtis*; oſtendit ſe illorum ſpectaſſe vtilitatem; in-
terim tamen non leuiter eos pungit; ſubdit namque;
Ego enim à vobis debui commendari. Manifeſtum eſt,
inquit Ambroſius, *quia id debuerant teſtimonium ei
præbere aduerſus obtrectatores eius, apud quos Eccleſiam
conſtituit, & ſignorum prodigia Apoſtolatus oſtendit, vt
hoc tacente illi eum defenderent, quem patrem habe-
bant in Euangelio Chriſti.* Eodem modo loquuntur
Primaſius, & Anſelmus; nam hac ratione confirmat
id, quod modò dixerat. *Vos me coegiſtis*: idcirco enim
coegerant, quia (vt ait Chryſoſtomus) aures pſeudo-
apoſtolis præbuerant; adeo vt quod ſuperiori capi-
te dixit, valdè metueret, ne ſicut Eua à ſerpente ſe-
ducta eſt, ita eorum ſenſus corrumperentur. Quam-
obrem coactus eſt ſuas laudes paucis perſtringere.
*Nihil enim minus fui ab iis, qui ſunt ſupra modum
Apoſtoli.* Ob hanc maximè cauſam commendari de-
buit Paulus à Corinthiis, quia ita ſe apud illos geſ-

A ſerat, itáque apoſtolico munere functus erat, vt
planè conſtaret nihilo illum primis, ac magnis Apo-
ſtolis inferiorem eſſe. idipſum inſinuauerat capite
ſuperiori, cùm dixit. *Exiſtimo nihil me minus feciſſe à
magnis Apoſtolis*; nunc autem, vt ait Chryſoſtomus,
maiori cum auctoritate, ac libertate ſimpliciter ne-
gat, ſe fuiſſe magnis Apoſtolis vlla ex parte inferio-
rem. Neque verò propterea modeſtiæ fines, vt ob-
ſeruat Chryſoſtomus, exceſſiſſe credendus eſt; nam,
vt ait Ambroſius, munere apoſtolico iis erat penitus
æqualis, nec dignitate inferior, ſed ſolùm tempore
poſterior. Temporis autem nulla eſt habenda ratio.
Prior enim Andreas ad Apoſtolatum vocatus eſt,
poſterior Petrus; *primatum tamen non accepit An-
dreas, ſed Petrus.* Vnde rectè colligit Primaſius, ſi
B Paulus fuit ſupremis Apoſtolis æqualis, longè fuiſſe
pſeudoapoſtolis anteferendum, qui, vt ait Ambro-
ſius, *æmulatione paternæ legis prædicationem eius reſpue-
bant, vt qui legem iam ceſſaſſe doceret. Qui ſunt*, inquit, 11.
ſupra modum Apoſtoli. Græcè *τῶν ὑπὲρ λίαν ἀποστόλων*,
id eſt, excellentiſſimis Apoſtolis. Ambroſius legit;
quàm illi valdè Apoſtoli. Videtur enim conduplicaſſe
particulas, quo vehementior eſſet oratio. Non aſſen-
tior tamen iis, qui hæc dicta putant non ſine ſtoma-
cho: non quòd tales eſſent, ſed quòd tales haberi
vellent; nec enim putant de Petro, aut Iacobo intel-
ligi. Cenſeo enim cum Chryſoſtomo, cæteriſque
Græcis non diſſentientibus Ambroſio, & Primaſio
de veris Apoſtolis agere hoc loco Paulum, quibus
ſe negat vllo modo inferiorem eſſe. Nam & pro-
C pterea ſubiicit ſe apoſtolatus ſui dignitatem ſignis,
atque prodigiis omnibus perſpectam feciſſe, præci-
puè verò Corinthiis. Ne videretur autem de ſe ma-
gnificentiùs loqui, atque ob id in arrogantiæ ſuſpi-
cionem veniret; addit. *Tametſi nihil ſum*: ac ſi diceret,
diuino munere in Apoſtolorum collegium ſum co-
optatus, atque hoc nomine nulli illorum ſum infe-
rior. Si me autem quis vnum ſpectet, méque, vt
aiunt, meo palmo metiatur, planè fateor nihil eſſe:
vt minimè probanda videatur Ambroſij diſtinctio,
qui hæc verba cum ſequentibus coniungit hoc ſen-
ſu. Tametſi nihil ſum, ſigna tamen Apoſtoli fa-
cta ſunt in vobis; Græci enim codices habent *τὰ μὲν
σημεῖα*, vt quod mox dicam, neceſſe ſit aliam inchoari
periodum. Corrigit itaque Apoſtolus quod dictum
D videri poterat arrogantiùs, nihilo ſum inferior ſum-
mis Apoſtolis. Ita quod Chryſoſtomus, cæterique
Græci obſeruant, Chriſtianam modeſtiam perpetuò
retinet. Cæterùm Græci Chryſoſtomi commenta-
rij, omiſſa particula *μὲν*, Tametſi nihil ſum coniun-
gunt cum ſequentibus, hoc modo; *εἰ καὶ οὐδέν εἰμι,
τὰ σημεῖα τοῦ ἀποστόλου κατειργάσθη ἐν ὑμῖν.* vt ſit ſen-
ſus: nolite cogitare vtrum vilis, & exigui pretij ſim,
an ſecus, ſed id tantùm animaduertite, vtrum ea à
me præſtari videritis, quæ ab Apoſtolo expectanda
ſunt. ſed in paraphraſi Græcos codices ſequutus ſum,
qui nunc habentur in manibus, qui conſtanter ha-
bent *μὲν*. Porro Chryſoſtomus, & cæteri Græci
non legunt. vulgatus interpres pro *μὲν* legiſſe vide-
tur *γε*; ideo latinè dixit tamen: Syriacus autem no-
E ſtræ fauet ſententiæ.

SIGNA TAMEN APOSTOLI, &c. Græcè, 12.
vt dictum eſt, legimus *τὰ μὲν σημεῖα*: quaſi dicat ſi- I.
gna quidem, vt particula, *μὲν* vim habeat extenuan-
di: quaſi dicat; certè quidem cùm eſſem apud vos
ſigna edidi, quæ me legitimum Apoſtolum proba-
rent. Nõnulli Latini codices cum Romana editione
habent Apoſtolatus: Græci conſtanter legunt *ἀπο-
στόλου*, non *ἀποστολῆς*. Signa autem vocat hoc loco do-
cumenta, quibus apoſtolica dignitas comprobatur.
Primo autem loco patientiam nominat; nam, vt ait

A Chryſoſtomus, Apoſtoli ſpecimen, atque argumentum eſt omnia forti animo ferre: Mox addit: prodigia, atque miracula, quæ maximè pertineant ad apoſtolicum munus; ſic enim ſcripſit Marcus [a] Euangeliſta. *Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis.* Adnotauit autem Chryſoſtomus vnico verbo cùm patientiam nominauit multa complexum eſſe, vincula, plagas, pericula, inſidias & id genus alia permulta: ſigna verò ac prodigia pluribus verbis expreſſit; *In ſignis*, inquit, *& prodigiis, & virtutibus*, quod ad extollendam diuinam potentiam pertineant, tacitè tamen indicat plures vita functos ad ſuperos reuocatos, cæcos curatos, leproſos mundatos, dæmones ab obſeſſis corporibus electos. Theodoretus rectè ait patiētiam prodigiis anteferri, quòd ſtudioſæ, & cum virtute coniunctæ actiones ipſis etiam miraculis anteferendæ videantur. Cæterùm quod ait; *facta ſunt ſuper vos*, græcè eſt ἐν ὑμῖν, id eſt, in vobis vt legit Ambroſius; vel ſi mauis, *inter vos*, vobis videlicet ſpectantibus. Interpres legiſſe videtur ἐφ᾽ ὑμῖν; ac propterea dixit; *ſuper vos*. Nos in paraphraſi diximus, apud vos, in Eccleſia enim Corinthiorum peracta erant. Ad mores porro pertinet, quod obſeruauit Chryſoſtomus, ſi quando cogatur quis ſuas laudes commemorare, eas quàm pauciſſimis eſſe perſtringendas. Iam ne quis diceret multò maiora ab aliis Apoſtolis præſtita eſſe: ſubdit.

[a] cap. vlt. 20.

13.
I. Qvid est enim, qvod minvs, &c. Dixerat ſe nihilo eſſe magnis Apoſtolis inferiorem; id probat hoc argumento, quia Corinthiaca Eccleſia à ſe inſtituta nihil potuit deſiderare eorum, quæ cæteræ Eccleſiæ ab aliis Apoſtolis ſe accepiſſe gloriabantur. Rectè enim monet Chryſoſtomus relictis pſeudoapoſtolis de veris Apoſtolis Paulum ſermonem habere, vt intelligant Corinthij ſe cæteris fidelibus omni ex parte pares eſſe qui à præcipuis Apoſtolis fidei præceptis imbuti, & Chriſtianis ſacris initiati eſſent. Vnum excipit, & quidem non ſine acri, & vehementi ironia. *Niſi*, inquit, *quod ego ipſe non grauaui vos.* Reliquæ Eccleſiæ neceſſaria ſuis Apoſtolis, ac magiſtris ſuppeditabant; ego à vobis nihil quæſiui, qui manuum opificio victum mihi comparabam. *Donate mihi hanc iniuriam.* Græcè χαρίσασθε; quaſi dicat, condonate. Obſeruauit hunc locum Auguſtinus [b], quaſi ironia ſit ingrati animi vitium exprobrantis, qualis eſt illa in libro Geneſeos. *Ecce Adam factus eſt, tamquam vnus ex nobis.* Cur enim, quæſo, rogaret ſibi ignoſci, qui potius officio profuerit? Illi enim videbantur ingrati, & quod magiſtro, atque eruditori ſuo parem gratiam non referrent, & quòd eius humanitatem non agnoſcerent, qua vt ipſis parceret ſuo ſibi labore ad vitam neceſſaria comparabat. Ita planè Chryſoſtomus, & omnes Græci, neque aliter Ambroſius, qui addit hac ironia Corinthiorum imperitiam perſtringi, ſi vitio vertant, quod laude potiùs digniſſimum erat.

[b] lib. 1. cont. aduerſ leg. & prophet.

14.
I. Ecce tertio paratvs, &c. Oſtendit quidnam ipſe ſentiat de ea, quam iniuriam vocauerat. Si vos, inquit, hanc iniuriam putatis, hanc, quæſo, mihi condonate; nam ego quidem planè conſtitui eamdem viuendi rationem retinere, & quod aliàs apud vos feci, vt nullum à vobis ſumptum acciperem iterum, ac tertiò facere paratus ſum. *Ecce*, inquit, *tertiò paratus ſum venire ad vos*: Sic initio ſequentis capitis. Atqui ſecundum Pauli aduentum ad Corinthios non lego; nam Lucas in Actis apoſtolicis [c] ſcribit Paulum Athenis profectum eſſe Corinthum, ibique manſiſſe ſeſquiannum: inde in Aſiam profectum Epheſi triennium poſuiſſe: iam verò inde recedens Apoſtolus hanc ſecundam Epiſtolam ſcripſit, in qua tertium pollicetur aduentum. Viderunt hunc nodum magni omnino viri; ſic autem diſſoluunt. Cùm Lucas ſcribit Paulum ſeſquiannum commoratū eſſe Corinthi, non ſignificare, eum ibi perpetuò hæſiſſe; potuit enim excurrere ad finitima loca, tum redire: non aliter, ac veniens Epheſum ſubitò abiit, & mox rediit, vt ex eodem Luca [a] intelligitur: quare primus ille aduentus apud Lucam in duos ſecatur à Paulo: ita malunt diuinare, quàm fateri, ſe nonnihil ignorare. Verùm Chryſoſtomus, Theophylactus, & alij perinde accipiunt, quaſi dicat Apoſtolus: ſemel fui apud vos meis ſumptibus, iterum, me venturum pollicitus eram, iam tertiò ita ſpondeo, vt mox re ipſa præſtiturus ſim quod promitto. Tertiò ergo venio ad vos, hoc eſt, poſt tertiam tandem pollicitationem, quod planiùs ſignificant verba Græca, ἰδοὺ τρίτον ἑτοίμως ἔχω ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς. tertiò propenſus animo ſum veniendi ad vos. Ferri vtcumque poſſet hæc ſententia, niſi capite ſequenti diceret Apoſtolus, hunc fore tertium aduentum ad Corinthios ſuum. Quocircà Theophylactus fatetur ibi tres Pauli numerari aduentus: neque id mirum videri debet, cùm, vt aliàs monui, multa neceſſariò admittenda ſint, quæ narrantur à Paulo, quamuis à Luca ne attingantur quidem. Potuit igitur Apoſtolus cùm diſceſſiſſet Corintho, dum regiones illas euangelij gratia obiret, iterum ad eam vrbem diuertere, & nunc tertium aduentum polliceri. *Et non ero*, inquit, *grauis vobis.* Græcè καὶ οὐ καταναρκήσω. ſic paulò antè κατενάρκησα. & capite ſuperiori οὐ κατενάρκησα οὐδενός. quod eſt, vt diximus, alieno incommodo obtorpeſcere; aut crebra munerum flagitatione torporem aliis, ac moleſtiam afferre: ſuo ergo opificio Paulus ſibi victum quærebat; vt enim ſcribit Lucas [b], Aquilæ, & Priſcillæ ſe adiunxit, quia eamdem artem profitebantur; erant enim ſcenofactoriæ artis. ἦσαν γὰρ σκηνοποιοὶ τὴν τέχνην. Quocirca Origenes [c] Paulum vocat fabrum tabernaculorum, & Chryſoſtomus [d] tabernaculorum texendorum artificem: fiebant autem ex ſagis, aut pellibus, quibus vel milites in caſtris, vt ſcribit Tacitus [e], vel etiam nautæ ad obtegendas naues, vt ait Cæſar [f], vtebantur. At nobili genere natum id artificij minus decebat. Græcum, Lydum, Perſam, aut ex finitimis locis quempiam ſanè veriſſimè dictum, auctore præſertim Herodoto [g]; verùm legem Rabinorum fuiſſe tradunt, vt manuum opificium aliquod omnes addiſcerent. quibus ego mendaciſſimis auctoribus non facilè crederem, niſi viderem Ioſephum beatiſſimæ Virginis ſponſum à Matthæo [h] appellari fabrum, ſiue ferrarium vt exiſtimant Hilarius [i], Ambroſius [k], Beda [l], ſiue aurificem vt alij, ſiue murarium, vt nonnemo, ſiue lignarium, vt Chryſoſtomus; erat autem ille ex domo, & familia Dauid. Sed hoc ipſum probro datur Chriſto, quòd eſſet fabri filius, vel etiam faber, vt notarunt Auctor [m] imperfecti in Matthæum, & Auguſtinus [n]. Vtut ſit, apoſtolico exemplo manuum artificium præcipit Clemens Romanus [o]; itémque Ignatius, qui in Epiſtola ad Tarſenſes [p] ait. *Nemo inter vos otioſus ſit.* Iuſtinus [q] verò martyr eos reprehendit, qui ſe miſeros putant, ſi ſuis ipſi manibus aliquid perficere cogantur. Multa verò in hanc ſententiam ſcribunt Epiphanius [r], Auguſtinus [ſ], Caſſianus [t]. Hac igitur ratione ait Apoſtolus, non fore ſe Corinthiis moleſtum, aut grauem. Quod meritò obſeruandum monet quidam aduerſus eos, qui ita aliis præſunt, vt nihil aliud niſi aurum quærere videantur; idque vnum ſibi propoſitum habeāt, vt ſubiectorum marſupia exhauriant, & malè partis opibus vel ſuas cupiditates expleant, vel cognatos & propinquos locupletent, & ad ampliſſimos honores ac dignitates promo

[c] cap. 18. 1.

[a] Act. 18. 19.

II.

[b] Act. 18. 2.
[c] Hom. 17. Num.
[d] Hom. 2. in ep. ad Rom.
[e] lib. 13.
[f] lib. 2. de bel. ciu.
[g] in Euter.
[h] cap. 13. 14.
[i] Matth. 13.
[k] li. 3. in Luc.
[l] Matth. 13.
[m] Hom. 32.
[n] l. 2. de conſ. Euang. c. 42.
[o] lib. 2. Cōſt. cap. 67.
[p] epiſt. 7.
[q] de verit. fid. Chriſti.
[r] Hær. 80.
[ſ] de oper. Monach. cap. 14. & 16.
[t] lib. 10. de inſtit. renuntian.

promoneant. Multò aliter Paulus, qui ſubdit. *Non* A
enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos. Rectè Chryſoſtomus: maiora quædam, ait, & præſtantiora bona quærebat Apoſtolus, animarum videlicet ſalutem, & hanc ipſam ob cauſam cætera omnia facilè contémnebat. Ne verò putaretur hac oratione Corinthiorum auaritiam perſtringere, ſubijcit rationem, cur eorũ bona non quærat. *Non enim*, inquit, *debent filij parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis.* A communi enim lege naturæ argumentatur; non perinde quaſi omnẽ liberorum in parentes beneficentiam excludat, ſed id tantùm ponit, quod recta ratio perſuadet: itáque ſe legitimum parentem eſſe indicat, qui non ſolùm de ſalute, ſed etiam de fortunis filiorum ſit ſollicitus. idque magis etiam explicans ſubdit. B

15. I. EGO AVTEM LIBENTISSIME, &c. Hoc eſt quod ait Christus*. *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis*, contra verò mercenarius omnia proprio commodo metitur. Porro Oecumenius poſt Chryſoſtomum Pauli caritatem mira quadam gradatione extollit. *Potuit*, inquit, *à fidelibus victum quærere, idque auctoritate Christi, qui dignum eſſe dixit operarium mercede ſua. At ſponte recuſauit, & maluit inopia premi: neque propterea finem vllum fecit docendi, & promulgandi euangelium: quin etiam paratus erat, ſi res poſtularet, etiam largiri, & quidem copioſè atque affluenter, neque pecunias ſolùm, ſed ſeipſum, & quod maius eſt, hæc omnia iis præſtabat, à quibus non magnopere diligebatur, quos tamen ipſe incredibili complectebatur beneuolentia. Ego verò*, inquit, *libentiſſime impendam.* Oecumenius de corpore accipit: Primaſius de fortunæ bonis, quod etiam inſinuat Ambroſius: quaſi dicat: ſi mihi ſint opes, libenter veſtra cauſa profũderem. Malim ego de laboribus explicare hoc ſenſu. Ego verò omnem pro vobis laborem libenter ſuſcipiam. Addit. *Et ſuperimpendar.* græcè ἐκδαπανηθήσομαι, id eſt, expendar: vt illud prius de corpore, hoc verò etiam de ipſa vita accipiendum ſit, vt intelligant Corinthij, Apoſtolum paratum eſſe, ſi opus ſit, pro illorum ſalute ſanguinem, vitámque profundere. Diſputant in præſentia nonnulli vtrum liceat pro aliorum ſalute ſpiritualium bonorum iacturam facere; ſed, vt arbitror, extra rem; neque id nunc agit Apoſtolus, qui id tantùm affirmat, quidquid ſit, aut poſſit pro aliorum ſalute ſe paratum eſſe impendere. Quod proculdubio ſaluo iure & lege caritatis, intelligendum eſt. Quatenus verò lex caritatis progrediatur, alibi dictum eſt à nobis. Non me fugit hic etiam nonnullos de vi, atque efficacitate meritorum ſanctorum diſputare, neque ſuo, neque opportuno loco; ſiquidem Apoſtolus de ſuis laboribus agit, quibus docendo, atque orando Corinthiorum ſalutem promouere poterat, qui ſanè labores etiam ſi apud Deum nullius meriti fuiſſent, plurimùm tamen Corinthiorum ſaluti prodeſſe poterant. Senſus igitur Apoſtoli eſt, ſe pro Corinthiorum ſalute nullum laborem non libenter ſuſcepturum, nullum non ſubiturum periculum, etiam ſi ſæpius mors oppetenda foret: *Licet plus vos diligens, minùs diligar.* Non leuiter pungens eos ad amorem prouocat, ſuam in illo beneuolentiam declarans. Plurimùm enim momenti habet in animis ingenuis, ſi ſe ab aliis amari intelligant, quod non ſolùm honeſtum ſit, ſed ipſa penè naturæ lege ſtatutum, vt amanti in amore reſpondeas. equidem Apoſtolus Corinthios paterna beneuolentia, & caritate proſequebatur, Corinthij verò, vt etiam ex ſuperiori Epiſtola colligi facilè poteſt, pſeudoapoſtolorum oratione decepti, plus aliis quibuſdam, quàm Apoſtolo fauebant: nonnulli etiam animo erant ab illo alieniori, quoniam rectè illorum amorem, ac beneuolentiam requirit.

*Ioan.10.11.

16. I. SED ESTO. EGO VOS NON, &c. Occupat Corinthiorum argumentum, poterant enim illi obijcere. Sanè tu quidem nihil à nobis accepiſti, ſed callidè plures ad nos miſiſti, qui nos quodammodo expilarent. quid autem intereſt, vtrum per te ipſum, an per interpoſitas perſonas noſtra interuertas? Ita Chryſoſtomus cum Græcis: ita etiam Ambroſius, cæterique Latini. *Dolo*, inquit, *& aſtu vos circumueni, per alios petens quod ipſe non auderem.* Non igitur eſt, vt quidam aiunt, ironia, ſed hæc ex perſona Corinthiorum dicuntur, quibus mox reſpondet, ne id quidem ſe feciſſe. *Cùm eſſem*, inquit, *aſtutus dolo vos cepi.* græcè πανοῦργος, de qua voce aliàs dictum eſt. Et profectò; vt ait Ambroſius; ſi per ſe neglexiſſet accipe- B re; & per interpoſitas perſonas pecunias conquiſiſſet, dolus, ac fraus, & circumuentio fuiſſet: ita enim & pecuniam corraſiſſet, & ſuſpicionem tamen auaritiæ, & cupiditatis à ſe magna ex parte amouiſſet, quippe qui ſe nihil accepiſſe vtcumque verè affirmare poſſet; malè itaque hunc Pauli locum explicant ij, qui aſtutiam pro prudentia, & dolum pro bono interpretantur, quaſi dicat Apoſtolus ſe prudenter cum Corinthiis egiſſe, & miro quodam artificio, bonóque dolo eos ad Christi fidem adduxiſſe; cùm omnino de aſtutia, & dolo malo agat, idque reſpectu pecuniarum, ſed, vt dixi, hæc in perſona Corinthiorum obijciuntur, quod ex iis, quæ conſequuntur colligi facilè poteſt, ait enim.

17. I NVNQVID PER ALIQVEM EORVM, &c. Ita refellit Corinthiorum argumentum, quo ſibi aſtutiam, ac dolum obijcere poſſe videbantur. *Nunquid* C (ait) *per aliquem eorum, quos miſi ad vos, circumueni vos?* Græca ſic habent: μή τινα ὧν ἀπέσταλκα πρὸς ὑμᾶς, δι' αὐτοῦ ἐπλεονέκτησα ὑμᾶς, hoc eſt, ſi ad verbum reddas, num aliquem eorum, quos miſi ad vos per hunc vos circumueni, aut vos fraudaui? vt appareat non ſatis rectè ordinem grammaticum conſtare: cùm enim dixiſſet μή τινα ὧν ἀπέσταλκα πρὸς ὑμᾶς: aliud quidpiam adiecturus videbatur, quod neſcio quo modo mutatum ſit, cùm mox ſubdatur δι' αὐτοῦ, gignendi caſu, qui non reſpondet accuſandi caſui, quem priùs poſuerat, alioqui videri poterat hebraico idiotiſmo repetiſſe, per hunc, ſi præceſſiſſet per aliquem: Itaque noſter interpres optimè reddidit ſenſum. Ambroſius aliam quamdam excogitauit expli- D cationem, quaſi Apoſtolus neget, eos qui à ſe miſſi fuerant, egiſſe cum Corinthiis, vt ſi vellent pacatum habere Apoſtolum, eam illi quantitatem offerrent, quæ ipſius dignitatem maximè deceret; quaſi accipere noluerit minùs liberalem, minúſque dignam ſe largitionem. ſed ſimplicior eſt communis ſententia, vt neget Apoſtolus, quemquam eorum, qui à ſe miſſi fuerant Corinthios expilaſſe, neque pecuniam extorſiſſe, quod mòx planiùs explicat. Ita gloriatur Apoſtolus, ſe ne per diſcipulos quidem ſuos vel teruncium à Corinthiis accepiſſe. Quemadmodum enim nullos ipſe ſumptus, nullúmque ſtipendium pro euangelica prædicatione accipiebat: ita etiam ſuos diſcipulos inſtituebat, vt eamdem etiam ipſi do- E cendi rationem ſequerentur. Quod olim ſæculo illo verè aureo naſcentis Eccleſiæ ſedulò imitabantur Epiſcopi, vt non modò ipſi ab omni auaritiæ genere alieni eſſent, ſed etiam re ipſa efficerent, vt ipſorum familiares à muneribus quoque abſtinerent, neque (vt argutè quidam dixit) fumum venderent, vel quod eſt longè deterius res ſacras, & eccleſiaſtica ſacerdotia auctionarentur.

8. I. ROGAVI TITVM, ET MISI, &c. Confirmat, quod modò dixerat, ſuos diſcipulos, & miniſtros eiuſdem ſecum fuiſſe ſententiæ, eiuſdémque retinuiſſe viuendi, docendique legem. *Rogaui*, in-

quit, *Titum*. Vndé colligit cum Chryſoſtomo Oecumenius, quia Titus alieno impulſu itineris laborem ſuſceperat, ſuo quodam iure potuiſſe petere commeatum, ſed memorem inſtituti Apoſtolici nihil omnino poſtulaſſe. *Et cum illo*, inquit, *miſi fratrem*. Quis autem ille fuerit, nemo quod ſciam antiquorum explicat. Recentiores quidam Lucam fuiſſe autumant, quibus ego neque facilè aſſentior, nec poſſum firma ratione aduerſari. *Numquid*, ait, *Titus vos circumuenit?* Græcè ἐπλεονέκτησεν, quod verbum ſæpe Paulus vſurpat pro eo, quod eſt per auiditatem extorquere, ſiue occupare plus, quàm oporteat. Ambroſius vertit. *Numquid auarus in vos fuit Titus?* Obſeruat autem Theodoretus ab Apoſtolo πλεονεξίαν appellari, auaritiam, ſeu plura habendi cupiditatem, quoniam hoc natura inſitum eſt ei, qui dat præter animi ſententiam, vt etiam ſi debitum exſoluat à ſe tamen per auaritiam eripi exiſtimet. Hoc igitur eſt quod ait Paulus: *Numquid Titus vos circumuenit?* Quod alij non malè vertunt. *Numquid à vobis Titus extorſit? Nónne eodem ſpiritu ambulauimus? Nonne iiſdem veſtigiis?* hoc eſt; nónne eiuſdem fuimus ſententiæ, & inſtituti? Quaſi dicat; planè ita fuit: Eodem modo & viximus, eadémque ratione Euangelium prædicauimus. Monet porro Chryſoſtomus, noluiſſe Apoſtolum ſimpliciter negare, Titum quidquàm à Corinthiis accepiſſe, ſed vehementi vſum interrogatione, vt ab ipſiſmet Corinthiis aſſenſum quodammodo extorqueret. Idémque monet cùm Apoſtolus dicit, *Nónne eodem ſpiritu ambulauimus?* Tacitè omnem eius rei laudem, & gloriam diuinæ gratiæ tribuere. *Etenim*, inquit, *ampliſſima Dei gratia hoc fiebat, vt quamuis inopia, & egeſtate premerentur, ac fame laborarent, tamen ob eorum quos erudiendos ſuſceperant auaritiam vtilitatis nihil acciperent.*

19. I. Olim pvtatis qvod excvsemvs, &c. Videtur interpres legiſſe πάλαι; ac proinde vertit olim, ſed meliùs Græci codices habent πάλιν; id eſt, rurſus. Et ſic omnino explicant Chryſoſtomus, & alij: itâque legit Ambroſius. Et ſanè ſi legamus; olim; nimis vehementer perſtringeret Corinthios, ſi eos diceret quidem exiſtimaſſe ſe excuſationes quærere, præterquàm quòd iſto modo interrogatio eſſet penitus inepta. Itaque ſenſus erit. Rurſús-ne putatis, quærere nos excuſationes, quibus apud vos purgemur? ſic ſuprà dixerat [a]. *Incipimus noſmetipſos iterum commendare? Coram Deo in Chriſto loquimur*; vt ſuam orationis ſinceritatem, animíque candorem teſtetur, adhibito iureiurando Deum, quem nihil latet, teſtem inuocat. *Coram Deo*, inquit, *hæc loquimur*, quaſi Deo inſpectante, & audiente, quem fallere nemo poteſt. *Omnia autem*, cariſſimi, *propter ædificationem veſtram*; vt videlicet noſtram agnoſcentes ſinceritatem, doctrinam complectamini, & in ſuſcepta fide magis, ac magis confirmemini. Ambroſius hæc refert ad Pauli inſtitutum, qui nihil ab auditoribus acciperet. *Vt vel ſic*, ait, *amorem illorum circa ſe prouocet, dum non grauat cenſum illorum, & auctoritatem poteſtatis in arguendis vitiis non inclinat. Sine dubio enim prodeſt ei, qui corripitur, vt emendet, ſi præpoſitus ideo oblata refutet, vt liberè arguat.* Idem videtur ſignificare Chryſoſtomus, qui obſeruat, temperaſſe Apoſtolum illum ſententiæ ſeueritatem, qua dixerat ſe nihil accipere propter eorum imbecillitatem; *non enim dixit ob imbecillitatem veſtrã, ſed, vt ædificemini.* Fortaſſe loquitur Apoſtolus non ſolũ de ea peculiari actione, ſed de vniuerſo vitæ ſuę genere, déque hís omnibus quæ hactenus dixerat; vt ſit ſẽſus: quidquid ago, aut dico ad veſtrã vtilitaté refertur; & quæ hactenus hac Epiſtola ſcripſi eò ſpectant vniuerſa, vt vos ad meliora promoueamini; ac propterea ſubdit.

[a] cap. 3. 1.

20. I. Timeo enim, ne forte, &c. Rationem reddit eius, quod proximè dixerat. Hæc omnia, inquit, ſcripſi ſincerè & candidè, ac ſi coram Deo loquerer; omnia autem veſtram vtilitatem ſpectant: metuo enim, ne cùm venero ad vos, alios vos offendã, quàm maximè cupio, vóſque adeo me alium reperiatis, quàm velitis. Tacitè autem inſinuat metuere ſe, ne inueniat eos iis flagitiis implicitos, quæ paulò pòſt enumerauit, vel, vt ait Ambroſius, indicat non omnes, quos priori Epiſtola caſtigauerat ſaniora conſilia ſuſcepiſſe, & idcirco ait. *Timeo ne forte cùm venero non quales volo, inueniam vos.* Velim porro, vos omni virtutum genere excultos; metuo autem ne non ſitis tales. *Et ego*, ait, *inueniar à vobis qualem non vultis*; ſeuerus videlicet ſcelerum vltor, ac vindex. Optant enim ferè diſcipuli magiſtrum mitem, benignum, ac lenem, & placabilem; ſeuerum, & aſperum oderunt. Hoc tamen ipſum, vt monet Theodoretus, ad ipſorum vtilitatem referebatur. Mox verò enumerat vitia, quæ nollet inter Corinthios reperiri. *Ne fortè*, inquit, *ſint inter vos contentiones*, de quibus multa ſuperiori Epiſtola dixerat, cùm eos increpauit, quòd alij alios magiſtros ſequerentur, & alios aliis præferrent. *Æmulationes*, quæ ex contentionibus, atque altercationibus oriuntur. *Animoſitates*, Græcè θυμοί, hoc eſt, iræ; etenim θυμὸς ſonat impetum animi efferueſcentis, eſtque Græcis ea pars animi, quam Plato ponit in præcordiis, & obſtrepit rationi, cui ille ſedem tribuit in cerebro: alias ſolet interpres Latinè addere furorem, vt apud Dauidem. *Domine, ne in furore tuo arguas me.* Græcè ἐν θυμῷ σοῦ. *Diſſenſiones*, quibus alij ab aliis diſſidẽt, non ſolùm ſententia, ſed etiam voluntate. *Detractiones*, quibus alij aliis ſeu verè, ſeu etiam falsò obtrectant. *Suſurrationes*, hoc eſt, clancularias criminationes, & accuſationes, ſeu calumnias. *Inflationes*, quæ vt ait Theophylactus oſtentationem, & arrogantiam ſpirant; Græcè φυσιώσεις. *Seditiones* ſiue tumores, quibus turbæ concitantur in populo. Rectè autem colligit Primaſius, *ſi propter hæc ſe dicebat ſeueriſſime vindicare*, quid faceret, *ſi noſtris temporibus adueniret, quibus ad comparationem aliorum criminum iſta nec putantur eſſe peccata?* Additur in Latinis codicibus. *Sunt inter vos*; quæ tria verba in Græcis exemplaribus non leguntur, nec legunt Ambroſius, neque Syriacus: addita tamen videntur perſpicuitatis gratia, vt oratio fieret dilucidior, & ſententia apertior. Hæc fermè omnia vitia (vt monet Ambroſius) ſuperiori Epiſtola reprehenderat. Nollet ergo cùm veniret Corinthum quidquàm eorũ deprehendere; atque ita Græcè dixit μήπως; quaſi dicat; ne quo pacto; expletiua enim particula ita verbum diminuit, vt ſententiam augeat.

21. I. Ne itervm cvm venero, &c. An putabat Apoſtolus flagitiorum Corinthiorum ſuam eſſe deiectionem? Ita ſanè Theodoretus, & Ambroſius. *Ille ergo*, ait Ambroſius, *peccantibus ſe humiliari dicit, quia incipit, vt pius pater peccata filiorum deflere. Quis enim pater non gaudeat bene agentibus filiis? ſic iterum neceſſe eſt, lugeat, ſi pravè verſentur.* An humiliari ſe dicit, cùm eos videat pluribus ſceleribus, atque flagitiis inquinatos, quos apud Macedones magnificè prædicare, & miris laudibus extollere conſueuerat? An ipſam ſæuiendi, puniendíque neceſſitatem humiliationẽ vocat? Ita prorſus Chryſoſtomus. *Atqui*, inquit, *gloria hæc eſt, nempe accuſare, pœna afficere, rationes expoſcere, iudicis loco, & gradu ſedere; at humiliationem tamen id vocat.* Et quidem meritò ita ſentit Chryſoſtomus; cùm enim, vt ait Salomon [a], *filius ſapiens* lætificet patrem, neceſſe eſt ſi ſecus accidat parentem maximo dedecore affici, atque adeo dolore

[a] Prouer.

pudore

pudoréque ſuffundi. Obſeruat verò Chryſoſtomus dixiſſe Apoſtolum; *humiliet me Deus*;quia omnia illius cauſa faciebat. *Neque enim,*inquit,*vt imperium, ac poteſtatem habens,atque arroganter me gerens pœnas exigo,ſed quia ipſe ita edixit:Et lugeam multos.* Hoc etiam, vt arbitror, pertinere poteſt ad humiliationem,quòd lugere cogatur, quos laudare atque extollere cupiebat. *Ex iis,*inquit,*qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam.* Illos intelligit,quos ſuperiori Epiſtola notauerat: nec tamen dicit omnes, ſed multos;nam ſcortatorem illum, quem olim damnauerat, reſipuiſſe iam hac ipſa Epiſtola ſignificauit,adeóque ei pœnam remittendam cenſuit. Obſeruat autem Oecumenius egregiam Pauli caritatem, qui nullius ſibi ſceleris conſcius pro aliorum flagitiis lacrymas fundat,nec quemquam tamen nominatim deſignet,vt faciliorem,ac leniorem ſe præbens alliciat ad pœnitentiam. Ambroſius porro & Theodoretus rectè monent valere hunc locum aduerſus Nouatianos, qui lapſis pœnitentiam denegabant:de quibus tamen plura à nobis alibi dicta ſunt.

II. Explicat autem quæ peccata patrarint illi,quos olim peccaſſe dicit.*Super immunditia,* ait, *& fornicatione, & impudicitia,quam geſſerunt.* Quam autem ſingula vim habeant,alibi explicuimus; illud præteriri nullo modo poteſt, quod aduerſus impium Lutheri dogma à nonnullis obſeruatum video, planè ex hoc loco conſtare,non ſatis eſſe ad pœnitentiam nouam vitam,quandoquidem Apoſtolus ait,nonnullos non egiſſe pœnitentiam eorum ſcelerum,quæ patrarant. Indicat enim,eos ceſſaſſe quidem à flagitio,adeóque nouam inſtituiſſe vitam, neque tamen egiſſe pœnitentiam,quia nondum Deo,vt par erat,ſatisfecerant, nōdum cum vniuerſa Eccleſia in gratiam redierant. Facilè enim admiſerim, quod obſeruauit nonnemo, pertinere hunc locum ad publicam pœnitentiam, quæ olim maximè erat in vſu; de qua ita ſcribit Auguſtinus [a]. *Agunt homines pœnitentiam, ſi poſt baptiſmum ita peccauerint,vt excommunicari,& poſt reconciliari mereantur; ſicut agunt in omnibus Eccleſiis illi, qui propriè pœnitentes appellantur. De tali enim pœnitentia loquutus eſt Apoſtolus vbi ait;ne iterum cùm venero humiliet me Deus apud vos,& lugeam multos.* Verùm quoniam multos ait peccaſſe,& exprimēs peccati genus immunditiam, fornicationem, & impudicitiam nominat; apparet his flagitiis plures fuiſſe inquinatos. Hoc enim nomine ſemper Corinthij malè audierunt; vnum tamen duntaxat ſuperiori Epiſtola anathemate damnauit, ſiue quòd ille nefa-
A tio inceſtu ſeſe polluerat, adeóque cæteris grauiùs peccauerat;ſiue quia,vt alicubi [a] ſcribit Auguſtinus, in multitudine peccantium nō facilè anathema proferendum eſt,ita enim ſcribit.*Cùm verò idem morbus plurimos occupauerit,nihil aliud bonis reſtat, quàm dolor & gemitus,vt per illud ſignum,quod Ezechieli ſancto [b] reuelatur, illæſi euadere ab illorum vaſtatione mereantur: ad eum enim, qui errare non poteſt clamant: ne perdas [c] cum impiis Deus animam meam, & cum viris ſanguinum vitam meam. Ne cùm voluerint colligere zizania, eradicent ſimul & triticum, nec per diligentiam ſegetem Domini expurgent, ſed per temeritatem ipſi potius inter purgamenta numerentur. Ideóque idem Apoſtolus,cùm iam multos comperiſſet,& immunda luxuria, & fornicationibus inquinatos, ad eoſdem* B *Corinthios in ſecunda Epiſtola ſcribens non itidem præcipit,vt cum talibus nec cibum ſumerent. Multi enim erāt,nec dici de his poterat, ſi quis frater nominatur fornicator,aut idolis ſeruiens,aut auarus, aut aliquid tale, cum eiuſmodi nec cibum quidem ſimul ſumere; ſed ait, Ne iterum cùm venero ad vos, humiliet me Deus, & lugeam multos ex iis,qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, & luxuria, & fornicatione, quam geſſerunt. Per luctum ſuum potius eos diuino flagello coercendos minans, quàm per illam correptionem,vt cæteri ab eorum coniunctione ſe contineant.* Et paulò pòſt. *Et re vera ſi contagio peccandi multitudinem inuaſerit, diuinæ diſciplinæ ſeuera miſericordia neceſſaria eſt; nam conſilia ſeparationis & inania ſunt,& pernicioſa,atque ſacrilega, quia & impia &* C *ſuperba ſiunt,& plus perturbant infirmos bonos, quàm corrigant animoſos malos.* Denique concludit. *Miſericorditer igitur corripiat homo quod poteſt, quod autem non poteſt patienter ferat,& dilectione gemat, ac lugeat, donec aut ille deſuper emendet & corrigat, aut vſque ad meſſem differat eradicare zizania,& paleam ventilare.* Quæ omnia idcirco tam fusè recenſui, vt appareat, quod etiam ſupra monui, multitudinem tum demum non eſſe anathemate feriendam,cùm ſchiſmatis,ſeditionis, aliorúmque ſimilium malorum periculum imminet; id enim perpetuò docet eo loco Auguſtinus. Cæterùm eùm exiſtimet Apoſtolum hoc loco agere de publica pœnitentia, multóſque dicat ea indiguiſſe; neceſſe eſt profectò eoſdem etiam ſacris fuiſſe prohibitos, quod, vt aliàs monui, qui publicam pœnitentiam agerent tantiſper ſacrorum communione mulctarētur,donec Eccleſiæ ſatis feciſſēt.Quod ipſe Auguſtinus,vt paulò antè monui, nō obſcurè ſignificauit. Verùm hac de re alibi plura.

[a] epi. 108. ad Seleuc. penè eadem repetit lib. de fide, & oper. cap. 16.

[a] lib. 1 cont. Parmen. ca 2. vltra mediū.

[b] cap. 9. 4.

[c] Pſal. 25. 9.

Argumentum Cap. XIII.

ROGAT *Corinthios,vt ſedulò dent operam,vt ipſius aduentus ſit benignitatis, ac beneficentiæ,nō iræ, ac ſæuitiæ plenus; malè enim ſe apud illos videri nihil poſſe, quàm vlciſcendo ſuam declarare potentiam,atque auctoritatem.*

CAPVT XIII.

TERTIÒ *hoc venio ad vos. In ore duorum, vel trium teſtium ſtabit omne verbum.*

Prædixi,& prædico vt præſens, & nūc abſens iis,qui antè peccauerunt, & cæteris omnibus, quoniam ſi venero iterum nō parcam.

An

PARAPHRASIS.

TERTIVS hic erit aduentus ad vos meus, veſtrámque fidem, fideíque conſtantiam, ac pietatem explorabo; atque ita quod olim ſcriptum eſt duorum, triúmve teſtimonio firmum erit quidquid in diſcrepationem adducetur, noſtráque ſententia ſtatuetur. 1.
¶ Prædixi quidem, & iterum prædico,& vt olim coram locutus ſum, ſic etiam nunc abſens ſcribo, iiſque qui antè peccauerunt, 2.

uetunt, & reliquis omnibus apertè denunrio, ſi
denuò venero ad vos non fore me ad lenitatem,
& manſuetudinem ita ptopenſum, vt quæ patrata
3. ſunt pariár impunè ferri. ¶ Quandoquidem vt vi-
deo experiri vultis, an in me loquatur Chriſtus,
eiúſque eerta documenta quæritis, qui ſanè erga
vos nullo modo æget, aut infirmus; ſed porius (mi-
hi credite) admodum potens in vobis eenſendus
4. eſt. ¶ Nolite enim ad erucem eius, ac, mortem
mentem, cogitationémque veſtram conuerrere;
nam & ſi crucem ſubiir imbeeillitate quadam
naturæ quod artinet ad illam formam ſerui, quam
accepit eùm ſe ipſum quodam modo exinaniuir,
immenſæ tamen diuinæ poteſtatis vi ad ſuperos
reuocatus vitam viuit immorralem: quinetiam &
nos ægri quodammodo ſumus vnà cum illo; ſed
cum eodem tamen viuemus aliquando, idque di-
uina faculrate ab ipſis pridem iam mortuis cineri-
bus excitati, quod vos minimè fugit, qui hanc fi-
5. dem Catholicam profitemini. ¶ Vos verò pericu-
lum (quæſo) facire, num pereeptam fidem ea, qua
decet, cõſtantia, & fitmitate retineatis, ipſi voſmet
explorate, animíque veſtri petluſtrate receſſus, vt
voſmetipſos, veſtrámque conditionem planè co-
gnitam, ac perſpectam habeatis. An non planè in-
telligiris Ieſum Chriſtum in vobis eſſe? id ſanè cer-
ta ratio perſuadet, niſi fortè, quod omen Deus
auertat, aliquo pacto inter eos numerãdi ſitis, quos
6. Deus à ſe reiecit. ¶ Atqui ſic mihi pro certo per-
ſuadeo, atque hac firmiſſima ſpe ſuſtenror fore, vt
aliquando probè intelligatis, nos qui pro veſtra ſa-
lure ſedulò laborauimus, & adhuc laboramus, re-
7. probos nequaquam eſſe. ¶ Opto autem, adeóque
aſſiduis apud Deum precibus conrendo, ne quid
vnquàm perpetretis mali, non quò nos propterea
vobis, veſtrique ſimilibus probati videamur; ſed vt
vos quæ honeſta, & laudabilia ſunt faciatis, nos
verò ſi ita Deo viſum fuerit, veluti reptobi cenſea-
8. mur. ¶ Narro enim vobis, nihil nos aduerſus ve-
ritarem muliri, aut efficere poſſe; ſed noſtros om-
nes labores, conatúſque ad eam aſſerendam tuen-
dámque referri. ¶ Gaudemus ſanè, quòd res ve-
9. ſtræ ira compoſitæ ſint, vt nos quodammodo in-
firmi viſi fuerimus, perinde quaſi non poſſemus
noſtram in ſontes exercere poteſtatem; vos contrà
firmi, ac validi fueritis; quippe qui neque caſtiga-
tione, neque ſupplicio digni habiti ſitis. Hoc verò
nos eriam, atque etiam optamus, veſtram ſeilicet
10. abſolutam, perfectámque virtutem. ¶ Propterea
hæc abſens ſcribo, ne cogat vri ſeueritate pro ea,
quæ mihi tradita eſt, poteſtate ad ædifiearionem,
11. non aurem ad deſtructionem. ¶ Quod ſupereſt,
fratres, valete, datéque operam, vt omnem perfe-
ctionem aſſequamini: mutuò vos conſolamini, ſit-
que vna, atque eadem omnium ſententia: pacem
conſeruate, & Deus caritatis, & pacis auctor erit
12. vobiſcum. ¶ Salurare alij alios ſancto oſculo: vobis
13. ſancti omnes ſalurem dicunt. ¶ Gratia Domini
Ieſu Chriſti, & caritas Dei, & communicatio Spi-
ritus ſancti ſit cum omnibus vobis. Amen.

An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus: qui in vobis non infirmatur, ſed potens eſt in vobis?

Nam & ſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex virtute Dei. Nam & nos infirmi ſumus in illo, ſed viuemus cum eo ex virtute Dei in vobis.

Voſipſos tentate ſi eſtis in fide. ipſi vos probate. An non cognoſcitis voſmetipſos, quia Chriſtus Ieſus in vobis eſt? niſi fortè reprobi eſtis.

Spero autem, quòd cognoſcetis, quia non ſumus reprobi.

Oramus autem Deum, vt nihil mali faciatis; non vt nos probati appareamus, ſed vt vos quod bonum eſt faciatis; nos autem vt reprobi ſimus.

Non enim poſſumus aliquid aduerſus veritatem, ſed pro veritate.

Gaudemus enim, quoniam nos infirmi ſimus, vos autem potentes eſtis. Hoc & oramus veſtram conſummationem.

Ideo hæc abſens ſcribo, vt non præſens duriùs agam ſecundùm poteſtatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in deſtructionem.

De cætero, fratres, gaudete, perfecti eſtote, exhortamini; idem ſapite, pacem habete: & Deus pacis, & dilectionis erit vobiſcum.

Salutate inuicem in oſculo ſancto. Salutant vos omnes ſancti.

Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & caritas Dei, & communicatio ſancti ſpiritus ſit cum omnibus vobis. Amen.

IN CAPVT DECIMVM-
TERTIVM EXPLANATIO.

1. I. **T**ERTIÒ HOC VENIO AN VOS,&c. A
Chryſoſtomus Pauli ſapientiam & paternum animum, ſingularem denique lenitatem,atque manſuetudinem obſeruat,qui ſæpe & vehementer noxios nimis terreat, ne ſupplicia inferre cogatur. Hic enim ait, ſe ſemel atque iterum admonuiſſe , ac ne ſic quidem in contumaces animaduertit;ſed rurſus admonet , ac denuntiat. *Tertiò*,inquit, *hoc venio ad vos*. hoc eſt, hic erit tertius aduentus ad vos meus ; ſiue quia nunc tertiò pollicetur; ſiue quia re vera iam ſecundò apud eos fuerat,& nunc ſe tertiò venturum pollicetur ; vt triplici veluti comminatione eos , qui peccauerant ad pœnitentiam adducat , ne præſens vlciſci compellatur. *Tertiò*, inquit , *hoc venio ad vos*:ideſt , hac tertia vice, nam *τρίτον* aduerbium eſt , non nomen. Malè
B
autem quidam hoc loco addunt ; *ecce* , quod nuſquam legitur apud Græcos. videtur autem ex ſuperiori capite hùc tranſlatum,quemadmodum ex hoc loco illuc deportatum eſt pronomen *hoc*. Quid autem de hoc tertio aduentu ſentiendum ſit, ſuperiori capite iodicaui. illorum certè ſententia, qui priorem epiſtolam pro ſecundo aduentu interpretantur probari poſſet , ſi vel grauis cuiuſpiam auctoris teſtimonio,vel vtcumque probabili ratione niteretur ; verùm cùm vtroque præſidio deſtituatur , non facilè eſt admittenda. Altera igitur ex duabus ſententiis quas in paraphraſi indicaui , & copioſiùs explicaui capite ſuperiori , omnino retinenda videtur. *In ore duorum,vel trium teſtium ſtabit omne verbum.* Id verò
C
quorſum? Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, & alij res pro perſonis poni putant , ideſt , ſuos aduentus pro teſtibus. idémque inter Latinos exiſtimat Ambroſius;ſed vt arbitror, apertiſſima eſt catachreſis loci ex Deuteronomio [a] deſumpti:quo etiam vſus eſt Chriſtus apud Matthæum [b]. *Adhibe* ,inquit, *tecum adhuc vnum, vel duos;vt in ore duorum,vel trium teſtium ſtet omne verbum.* Indicat autem Apoſtolus,ſe vel bis fuiſſe Corinthi , vel ſecundò monuiſſe facinoroſos;idcirco enim cùm venerit tertiò iuſta ac firma erit accuſatio , quòd bis quaſi duobus teſtibus iam fuiſſent delati. Sunt qui putent Paulum ſignificare ſe ſuo aduentu duorum vel trium teſtimonio ſententiam in noxios laturum. Quæ mihi ſententia
D
magnopere probatur,cùm enim ſuum tertium aduentum pollicitus eſſet,addit. *in ore duorum,vel trium teſtium ſtabit omne verbum*. hoc eſt , omnis mea ſententia,aut diſceptatio rata ac firma erit. Et profectò ea quæ ſequuntur, hoc videntur non obſcurè ſignificare,denuntiat enim ſe vindicem futurum,ſuæque poteſtatis certa , miniméque dubia præbiturum argumenta. Porro quod ait ; *ſtabit omne verbum* ; rei firmitatem, & ſtabilitatem ſignificat. Ex hoc loco quidam trinam monitionem ſacris canonibus vſurpatam , nituntur confirmare,laudabili ſanè conatu; vereor tantùm ne irrito. Cùm enim Apoſtolus Deu-
E
teronomij verba vſurpet,eundem profectò,aut perſimilem ſenſum ſequatur neceſſe eſt. Perſpicuum eſt autem ſcripturam agere de iudiciis , eáque docet , duorum,aut trium teſtimonio abſoluenda , ne quis vnius dantaxat accuſatione , vel teſtificatione damnetur.

a c.17. 6. & 19.15.
b cap.18.16.

2. PRÆDIXI, ET PRÆDICO VT PRÆSENS.

A
Qui ſuperiora verba ex Deuteronomio deſumpta, I.
pertinere putant ad triplicem Pauli aduentum, hæc eodem referunt,quaſi dicat ; coram prædixi ,iterum abſens,& nunc tertiò ſcribens ; quæ eſt Chryſoſtomi, cæterorúmque;quos paulò antè nominaui, explicatio. Sed non video quomodo triplex admonitio his verbis contineatur ; eſt enim ſenſus : prædixi olim vobis , & nunc quod olim feceram coram , id etiam nunc abſens per litteras facio : niſi fortè quis dicat Græca verba *ὡς παρὼν τὸ δεύτερον* , hunc facere ſenſum:dico vt feci ,cùm iterum eſſem præſens. qui tamen ſenſus parum videtur congruere : potius enim ſignificant,dico ac ſi eſſem ſecundò præſens: aut fortaſſe *δεύτερον* abundat , cum interpres non videatur legiſſe. Ambroſius certè qui legit,ita latinè reddidit. *Prædixi enim,& prædico , vt præſens ſecundo*
B
aduentu : quaſi hanc ſecundam Epiſtolam ſecundum aduentum interpretetur. Expeditiſſimus videtur ſenſus, quem poſui in paraphraſi, Prædixi , & nunc ſecundò prædico, vt olim præſens & nunc abſens ſcribo,vt explicet , ſecundam monitionem hac epiſtola comprehendi. Cæterùm obſeruat Chryſoſtomus paternam curam , ac ſollicitudinem Pauli , qui ſæpius antea monet, ne ex improuiſo ſupplicium inferat,vt ſi illi non mentem mutauerint , ſeueriùs vlciſcatur. ita autem in præſentia monet , vt tamen minetur,ac proinde ſubdit. *Iis,qui antè peccauerunt,& cæteris omnibus; quoniam ſi venero iterùm non parcam.* Hoc eſt,quod ſcribit,& quod ſæpius ſe inculcaſſe ſignificat , acerrimum ſe fore vindicem , ſi denuo ad
C
illos veniens iiſdem ſceleribus , ac flagitiis inquinatos deprehendat. quibus verbis ne apertè quidem pœnam comminatur , vt paternum ſuum animum (quod monet Chryſoſtomus) magis declaret : eadémque opera non obſcurè indicare videtur ſe aliàs pepercisse, vt appareat illum nõ niſi coactum pœnas de ſontibus ſumere, quod ſuperiori capite ſignificanerat. Cur autem non ſolùm eos , qui peccauerunt, ſed etiam alios monendos cenſeat, meritò quiſpiam quærat. Acutè autem reſpondit Oecumenius culpæ affines moneri,vt reſipiſcant, & pœnitentia expient perpetrata facinora: cæteros verò vt teſtes ſint & ſuæ patientiæ , ac moderationis , & iuſtæ punitionis , ac
D
vindictæ. Primaſius indicare videtur Paulum agere non de iis, qui olim peccaſſent, ſed potius de iis qui poſt hanc monitionem peccaturi eſſent ; ſignificat enim , Apoſtolum iam pepercisse iis,qui peccauerant;his verò verbis alios admonere , ne cæterorum impunitate audaciores fiant , & ad peccandum proniores , quod probabilitate non caret.

AN EXPERIMENTVM QVÆRITIS , &c. 3.
Græca paulò aliter habent *ἐπεὶ δοκιμὴν ζητεῖτε*. quan- I.
doquidem experimentum quæritis, ſed nihil ſententiæ perit. Ambroſius legit. *Quomodo probationẽ quæritis*; vt videantur Græci codices variaſſe. Syriacus certè legiſſe videtur *ἐπεὶ*; tranſtulit enim *quandoquidem*;
E
quem ſenſum nos in paraphraſi ſequuti ſumus, pendet enim à ſuperioribus. Non parcam ,inquit, quandoquidem vt video experiri vultis , an etiam in me Chriſtus loquatur, quemadmodum in cæteris Apoſtolis;quaſi dicat, cognoſcere cupitis , an mea præcepta ſint ab humano,an à diuino ſpiritu profecta. ita Chryſoſtomus, cæterique Græci. *Quandoquidem*,
inquit,

inquit, *periculum facere vultis, an Chriſtus in me habitet, rationéſque à me expoſcitis, eadémque de cauſa me vt vilem, & contemnendum homunculum ſanius impetitis tanquam potentia illa deſtitutum. hac me minimè carere ſcitis, ſi (quod nolim) occaſionem mihi præbueritis.* Non eſt quidem hæc vnica cauſa, cur Paulus plectere eos velit, quod illi experiri deſiderent, vtrum in illo Chriſtus loquatur; ſed quia tamen à nonnullis irridebatur tanquam à Chriſto alienus, faciendum ſibi eſſe exiſtimauit, vt re ipſa oſtendat, quanta Chriſto auctore, præditus ſit auctoritate; quod tum fiet, cùm noxios iuſto ſupplicio afficiet. Theodoretus apud Oecumenium. *Hoc*, inquit, *experiri velle non leue peccatum erat; nam erat tentare, præcipuè autem poſt tam multa.* Atque ita apparet, eos ingratos, perfidos, ac inſtabiles fuiſſe. Neſcio autem cur quibuſdã ſciolis in B mentẽ venerit vulgatum interpretẽ carpere qui addidit relatiuũ; *eius*; qood apud Græcos non legitur. Fateor, potuiſſe interpretem, vt habent Græci codices latinè dicere: Experimentum quæritis in me loquentis Chriſti, ſed quando loco participij adhibuit verbum, neceſſariò addendum fuit, eius, vel illius; vel quidpiam ſimile. *Qui in vobis*, ait, *non infirmatur, ſed potens eſt in vobis.* quaſi dicat. non eſt erga vos infirmus, ſed potius multa ſuæ diuinæ potentiæ inter vos edidit argumenta. ſentit, opinor, de vi, atque efficacitate doctrinæ, quam Paulus Chriſti nomine, atque auctoritate Corinthiis tradiderat; & miraculis, atque prodigiis confirmauerat; vel de puniendi poteſtate, qua ſuperiori epiſtola vſus erat. Chriſtus igitur ait in me loquens, & per me tanquàm per miniſtrum mira quædam efficiens, non infirmatur in vo- C bis; hoc eſt, non ita ſe erga vos geſſit, vt eum contemnere, aut floccifacere poſſitis; ſed potius potens eſt in vobis, hoc eſt, diuinam ſuam maieſtatem in vobis declarauit. Ita videtur Apoſtolus irrogando ſupplicio Chriſti auctoritatem, diuinámque ſuam poteſtatem quaſi τιμωρίᾳ, aut ἀποδείξει confirmare.

4. I. Nam etsi crvcifixvs est, &c. Quoniam dixerat, Chriſtum non eſſe infirmum, occupat quod obiici potuiſſet, adeo Chriſtum ægrum, atque infirmum videri; vt miſerandum in modum in crucem ſublatus ſit. ait autem Chriſtum crucifixum eſſe ex infirmitate. Monet porrò Chryſoſtomus infirmitatis nomen multiplex eſſe, atque ambiguum; in- D terdum enim morbum, & ægritudinem corporis ſignificat, vt cùm apud Ioannem de Lazaro [a] dixit Chriſtus: *Infirmitas hæc non eſt ad mortem.* Et de Epaphrodito Paulus; [b] *Infirmatus eſt vſque ad mortem.* Et de Timotheo [c]: *Modico vino vtere propter ſtomachum, & frequentes tuas infirmitates.* Aliàs refertur ad animum, cùm quis in fide non ſatis eſt firmus, nec omni ex parte perfectus, ac ſuis omnibus numeris abſolutus; ita Paulus in Epiſtola ad Romanos [d]. *Infirmum autem*, ait, *in fide aſſumite.* Et rurſus: *Qui autem infirmus eſt olus manducat.* vtrobique enim de eo loquitur, qui non admodum firma, ac ſtabili fide præditus eſt. Denique infirmitatem vocat vexationes, ærumnas, calamitates, qua ratione ſuperiori capite dixit. *Virtus in infirmitate perficitur.* Et: *Placeo mihi in* E *infirmitatibus, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſequutionibus, in anguſtiis pro Chriſto.* Itemque: *Cùm infirmor, tunc potens ſum.* Hoc igitur tertio modo ait, Chriſtũ ex infirmitate crucifixum eſſe. quaſi dicat interprete Chryſoſtomo; Chriſtus crucẽ ſubire voluit, quæ ſpeciẽ, ac nomen infirmitatis præſeferr, cùm ea tamen Dæmonẽ ſuperauerit, cælũ patefecerit, & genus humanum in libertatẽ vindicauerit; vt poſſis hac ratione explicare ſuperiora, ac ſi dicat; Chriſtus non infirmatur erga vos, ſed potens eſt in vobis, qui mira, ac diuina vi ſua vos ab impietate ad veram religio-

a cap. 11. 4.

b ad Philipp. 2. 17.

c ad Timoth. 1. c. 5. 23.

d c. 14. 1. 2.

A nem traduxit. Neque aliter accipit Ambroſius; ait enim. *Infirmari ergo ſe paſſus eſt propter nos, vt mortem vinceret nobis.* Quamquàm non ita multò pòſt infirmitatem explicat, quaſi idem ſit cum noſtra mortalitate. *Propter infirmitatem ergo noſtram*, ait, *occiſus reuixit virtute Patris.* Mortuus igitur eſt ex infirmitate, ſed mors illa vitalis fuit; mox enim diuina vi ad vitam reuocatus eſt, & cunctis mortalibus aditum reſerauit ad immortalitatem. *Nam & nos infirmi ſumus in illo, ſed viuemus cum eo ex virtute Dei in vobis.* Quoniam profitetur Apoſtolus., Chriſtum in ſe quodammodo habitare, eáque omnia facere, quæ ad aliorum ſalutem, atque vtilitatem referuntur: rectè ait, ſe cum Chriſto quodammodo infirmum eſſe: hoc eſt, pro eius nomine, eiúſque fidei dilatatione B rebus aduerſis premi, grauiſſimis malis affici, atque vexari: ſed vt ille vitam viuit immortalem, ita ſe diuina facultate victurum dicit, hoc eſt clarum, atque illuſtrem fore. Cæterùm rectè monet Chryſoſtomus, non ideo dixiſſe Apoſtolum viuere Chriſtum ex virtute Dei, perinde quaſi ipſe ad vitam ſe reuocare nequiuerit: ſed potius vt ſignificet eiuſdem fuiſſe illum cum Patre poteſtatis, quemadmodum eadem eſt præditus natura. Quocirca Chriſtus ipſe apud Ioannem [a] ait. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Ne quis autem ambigeret de quo templo loqueretur, illico Euangeliſta ſubiecit: *Ille autem dicebat de templo corporis ſui.* Nec malè poſſet quis Pauli infirmitatem pro Chriſto interpretari contemptum, quo ab infidelibus, & pſeudoapoſtolis C nihili fiebat, ac penè nullo habebatur in pretio. Iſto igitur modo ait Paulus infirmatur; cùm verò hominum ſcelera, atque flagitia vlciſcemur; tum verò apparebit nos diuina facultate viuere; idque in vobis in iſto fidelium cœtu: vel vt habent Græci codices, & legit Ambroſius; *in vos*; hoc eſt erga vos ipſi videlicet experiemini nos viuere & fortes eſſe ac validos. Ita Primaſius. *Si nos*, inquit, *prouocaueritis infirmos, inuenietis nos viuere cum Chriſto in virtute Dei, cùm in vos vindicare cœperimus.* Apparet autem ex Græcis codicibus illud *in vobis*, neceſſariò coniungi cum virtute Dei hoc ſenſu: viuemus diuina facultate, quæ ſeſe exeret, & prodet erga vos: vt quidquid acturus ſit Apoſtolus diuinæ poteſtati tribuendum ſignificet.

a cap. 2.

5. I. D Vos ipsos tentate si estis, &c. Magna hoc loco exoritur quæſtio, quæ prius quàm breuiſſimè fieri poterit, expedienda eſt, tum Pauli ſenſus dilucidè explicandus. Videtur igitur hoc loco indicare Apoſtolus, poſſe quemlibet iuſtum per ſe ſtatuere ſe eſſe in gratia, & verè iuſtum. Vt autem nihil dicam de errore olim damnato, quo impius [b] neſcio quis nefariè aſſerebat, cuique iuſto certa fide neceſſariò credendum eſſe ſe eſſe iuſtum, quẽ non modò ſopitum, ſed penitùs extinctum ſuperioris ſæculi hæretici [c] excitauerunt, inter Catholicos [d] fuerunt qui exiſtimarent poſſe hominem iuſtum fide diuina, ac ſupernaturali certò cognoſcere ſuam iuſtitiã, & ſanctitatem. Verùm communis Theologorum ſententia docet, neminem iuſtorum ſæculo peculiari priui- E legio Dei, poſſe ſuam iuſtitiam, & gratiam certò cognoſcere certitudine fidei diuinæ, cui poſſit ſubeſſe falſum. Ac mihi quidem rem diligentiùs intuenti duo certa, atque explorata videntur. Alterum, non poſſe iuſtos fide diuina ſuam caritatem, & ſanctitatem cognoſcere, alterum, poſſe tamen humanam quandam, & vtcumque certam eius habere notionem: eiuſmodi tamen, cui poſſit ſubeſſe falſum. Primum illud communi omnium Theologorum aſſenſu receptum eſt in ſcholis. Facilè enim probari poteſt multis ſcripturæ teſtimoniis: nam in Eccleſiaſtico

b Almarinus apud Vincent. Spec. hiſtor. [illegible]

c [illegible] Concil. Trid. [illegible]

d [illegible] D. Thom. [illegible]

ſiaſtico [a] ſcriptum eſt. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu*, vel vt habent Græci codices, de propitiatu, aut propitiatione peccatorum; vt ſenſus ſit, non eſſe facilè ſperandam ſcelerum condonationem, vt planè conſequens ſit, eum, qui ſibi præteriti ſceleris conſcius ſit, non ſibi blandiri poſſe, aut certò polliceri patrati facinoris expiationem. In Prouerbiis [b] autem ait Salomon: *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum? purus ſum à peccato?* Quo loco obſeruat Beda, non dixiſſe Salomonem; Quis habet cor mundum; aut quis eſt purus à peccato? Nec enim repugnat eſſe aliquos prorſùs innocentes; ſed tantùm id affirmare, quis verè, atque ex animo ſe penitus innoxium, atque ab omni ſcelere purum appellare queat. Quamquàm autem non deſunt qui [c] verba illa contra Pelagianos interpretentur, qui iuſtificationem viribus liberi arbitrij tribuendam putabant, perinde quaſi Salomon neget, poſſe quemquam ſibi, ac ſuis conatibus iuſtificationem arrogare; tamen (vt arbitror) argumenti vim non infringunt. vt enim non negem Hebræos codices latinè reddi poſſe, quaſi dicat Salomon; Quis poteſt dicere; mundaui cor meum? certum tamen eſt, quòd ne ipſi quidem Rabini inficiantur, eorum temeritatem reprehendi, qui ſe vltrò prædicant innocentes. Meliùs fortaſſe quiſpiam dixerit de leuioribus, ac venialibus culpis eſſe accipienda, vt videtur interpretari Auguſtinus. Addo igitur Dauidis [d] verba. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine.* Quæ verba non poſſunt de iis peccatoribus duntaxat accipi, qui neque ſe ipſos norunt, neque ſua ſcelera animaduertunt, quandoquidem Dauid, qui tunc quidem iuſtus erat, ea ſibi accommodat, & Hieronymus [e], itémque Bernardus [f] ea de cunctis mortalibus explicant. Si quis ea velit de minoribus, leuioribúſque peccatis explicare, non poteſt quidem apertè refelli; ſed nec facilè ea explicatio probari poſſet. Accedunt verba illa Iob [g]. *Si venerit ad me non videbo eum: ſi iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me: ſi innocentem me oſtendero, prauum me comprobabit.* Et infrà: *Verebar omnia opera mea, ſciens, quòd non parceres delinquenti.* Rurſus alibi [h]: *Quid faciam quando venerit ad iudicandum Dominus? Et cùm quæſierit, quid reſpondebo illi?* Neque verò audiendi ſunt ij, qui Iobi verba ad modeſtiam, & virtutem humilitatis referunt, cùm ſe Iob iuſtum, atque innocentem non ſemel prædicet. Multò enim aliter interpretatur Gregorius [i]. ipſe verò Iob non ſe ſimpliciter iuſtum nominat; ſed tantùm ſe in ea quæſtione, quæ inter ipſum, & amicos agitabatur, innocentem prædicat; & exprobrantibus amicis immania quædam ſcelera, quæ iam graui, támque acerbo ſupplicio plecterentur, conſtanter reſpondit [k], ſe non propterea in eam incidiſſe calamitatem. Eodémque modo ſæpe loquitur Dauid [l], qui ſe iuſtum, & innocentem appellat in ea cauſa, quæ ſibi cum Saule intercedebat. Illa porro Salomonis [m] verba quamquàm ab hæreticis, ac nonnullis Catholicis aliò detorquentur, magnam tamen videntur habere vim. *Neſcit homo*, inquit, *vtrùm amore, an odio dignus ſit.* Quamuis enim hæretici, & Catholici non pauci affirment, id vnum Salomonem ſignificare ab externo euentu non poſſe cuiuſquam iuſtitiam cognoſci, cùm æquè bonis, ac malis nunc ſecunda, nunc aduerſa ſuccedant; certum tamen eſt, Salomonem inter cætera mala hoc etiam maximum recenſere, quod viri iuſti, de quibus duntaxat loquitur, ſuam iuſtitiam penitus ignorent, & quamdiu viuunt ancipites ſint, & de ſuo exitu ſolliciti. Id enim maximè eo libro probare nititur Salomon, cuncta eſſe obſcura, & cognitu difficilia. Nam quod Catholici excogitarunt Salomonem lo-

a cap. 5. 5.
b cap. 20. 9.
c Ambroſ. Catheri.
d Pſal. 18. 13.
e lib. 1. & 2. cont. Pelag.
f epiſt. 42.
g cap. 9. 11. 28
h cap. 31. 14.
i lib. 9. Mor. cap. 17. 18.
k cap. 6. 30. & 13. 15. Et ſic explicat Innoc. c. final. de purgat. can.
l Pſal. 20. & 27.
m Eccleſiaſtes q. 1.

A qui de homine, vt homo eſt; cæterùm iuſtos quaſi Dei filios ſuam poſſe gratiam, & caritatem certò cognoſcere; argutum quidem videtur, ſed parum ad rem: loquitur enim Salomon de iuſtis, id eſt, Dei filiis, præterquàm quòd Salomonis verba vniuerſim de cunctis mortalibus accipienda ſunt, cùm id numeret inter huius vitæ mala. Quò facilè refellitur Hebræi cuiuſdam [a] ſententia, qui de fæce hominum verba illa accipienda putat, quòd nomen Adam id videatur ſignificare. Cæterùm ex antecedentibus planum fit, ſermonem eſſe de iuſtis, cùm alioqui impij probè norint, ſe Deo eſſe exoſos; atque idcirco non odio ſolùm, ſed iuſto ſupplicio digniſſimos. Nomen verò Adam aliquando quidem vilem homuncionem ſignificat, ſæpius verò ſimpliciter hominem.

B Fateor quidem, Bernardum [b] explicare hæc verba de æterna prædeſtinatione, ſed argumentatur ille à minori; vtrumque enim ex illo loco colligitur; illud tamen primario, hoc veluti ſecundario, & quadam neceſſaria conſequutione. Iam verò Paulus [c] ipſe, *Nihil*, inquit, *mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.* Loquitur autem vel de ſe ipſo, vel de quouis iuſto; & ſigoificat, ne ſatis quidem eſſe ad cuiuſuis iuſtitiam comprobandam teſtimonium propriæ conſcientiæ: quæ eſt communis ſententia Patrum [d], ex quibus hæretici [e] interpretatio refellitur, qui ait, Paulum duntaxat oſtendere iuſtitiam ex noſtræ contritionis operibus non conſtare; cùm perſpicuum ſit agere Apoſtolum contra iudicia temeraria; & ad ea cohibenda affirmare, ne eos quidem, C qui ſibi nullius ſceleris conſcij ſunt, ſibi poſſe iuſtitiam arrogare. Reiicitur item eorum [f] explanatio, qui contendunt Paulum loqui de peccatis externis, quæ humano iudicio probari poſſunt, quorum maximè Corinthij rationem haberent. Quòd ſi ab his quæras, quánam ratione Paulus ſe iuſtum poſſet agnoſcere, cùm tamen internorum ſuorum peccatorum conſcius eſſet; reſpondent crediditſſe illum ſe iuſtum eſſe iuſtitia non ſua, ſed Chriſti, quam per fidem apprehenderat; vt errorem errore cumulent: ſed re vera certum, atque exploratum eſt, loqui Apoſtolum de peccatis internis; mox enim addit: *ſed neque me ipſum iudico.* Atqui ſi interna flagitia agnoſcebat ſua, vtique poterat non modò ſe iudicare, ſed etiam iuſtè damnare. Et vt ſuo illos gladio iugulemus; ſi ſe D Apoſtolus, ſuáſque actiones ſpectabat citra eam fidem, quæ ex ipſorum ſententia Chriſti iuſtitiam apprehendit, cùm eſſet planè infidelis, & alienus, à Chriſto poterat quidem dicere; *iuſtificatus non ſum.* Qua verò ratione affirmare potuiſſet nullius ſe ſceleris ſibi conſcium eſſe, qui fide careret? ſin autem hanc ipſam fidem ſpectabat, iam profectò, vt ipſi ſomniant, iuſtus erat, nec dicere vllo modo poterat; *ſed non in hoc iuſtificatus ſum.* Adhibent porro viri Catholici [g], vt vim argumenti elidant, duas argutas illas quidem, ſed prorſus ineptas explicationes. Ac primùm quidem aiunt, verè dixiſſe Paulum, *ſed non in hoc iuſtificatus ſum.* Neque enim ex eo iuſtificatus erat, quòd nullum in ſe crimen deprehenderet. quo meo quidem iudicio nihil fingi poteſt ineptius. quis E enim vnquàm ſomniauit rei cuiuſpiam ignorationem eſſe iuſtificationis formam? Cur verò addat: *ſed neque me ipſum iudico*; ſi non dubitat ſe iuſtum eſſe? Deinde verò addunt vſurpare Apoſtolum iuſtificandi verbum pro eo, quod eſt iuſtum declarari, perinde quaſi dicat Apoſtolus; *nihil mihi conſcius ſum*; non tamen propterea iuſtus ſum declaratus. Verùm præterquàm quòd hæc explanatio cum ſanctorum Patrum ſententia pugnat, ea cum antecedentibus nullo modo cohæret. Docet enim Apoſtolus, aliud eſſe non cognoſcere in ſe peccatum, aliud verè

a Rabbi Salomon.
b Serm. 1. de Septuag. Ser. item. 1. in oct. Paſch. & Ser. de verb. Ioan. 1. can. cap. 1. e 1. ad Cor. c. 4. 4.
d Baſil. in Conſtitut. cap. 2. Chryſoſt. Ambroſ. Anſelm. in hunc locũ. Hieron. lib. 2. cont. Pelag. Auguſt. in Pſ. 41. Bernard. ep. 42. Fauet Conc. Trid. Seſſ. 6. cap. 16.
e Luth. art. 14.
f Per Mart. & kemnit.
g Ambroſ. Catheri.

non habere peccatum: negátque ex illo priori colligi hoc poſterius, ſed id eſſe Dei iudicio relinquendum. Quocirca rectè Auguſtinus [a]. *Tu*, inquit, *non vides in te peccatum; videt fortè ille, qui meliùs videt; ideo dic ne intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine.* Eodem pertinent alia non pauca ſacrarum litterarum teſtimonia, quæ ita de iuſtificatione agunt, vt ſemper adhibeant dubitationis notam: vt ſignificent, non poſſe hominem eſſe certum de ſua iuſtificatione, quia ſemper ambigi poteſt, an quis id omne præſtiterit, quod eſt ad iuſtificationem neceſſarium. Ita apud Danielem [b] legimus: *Forſan ignoſcet Deus.* Apud Ionam [c]: *Quis ſcit ſi Deus miſereatur?* In Actis apoſtolicis [d]: *Si fortè tibi remittatur*, & id genus alia penè ſexcenta, quæ nimis longum, & otioſum eſſet enumerare. Atque hæc quidem de ſcripturæ teſtimoniis.

a Serm. 27 de verb. Domini. Idem lib. 50. Hom. Ho. 35. & lib. de perfect. iuſtit. Gregor. lib. 6. epiſt. 24. Bernard. Serm. 3. de Aduent. Baſil. in reg. breu. reſ. 301.
b cap. 4. 24.
c cap. 3. 9.
d cap. 8. 22.

II. Addo omnium penè Patrum conſenſum: hoc enim apertiſſimè docent Chryſoſtomus [e], Cyrillus [f] Alexandrinus, Ignatius [g], Diadochus [h], Cyprianus [i], Ambroſius [k], Hieronymus [l], Dorotheus [m], Auguſtinus [n], Gregorius [o], Bernardus [p], Innocentius [q]. Accedit, quòd Patres Concilij [r] Tridentini docent, quemlibet iuſtum poſſe de ſua gratia dubitare. Ex quo apparet contra hæreticos certitudinem ſuæ gratiæ non pertinere ad fidem, quæ nullam admittit dubitationem. Neque verò eorum probanda diſtinctio eſt, qui aliam putant eſſe fidem diuinam, aliam fidem Catholicam; illam priuatim eſſe in ſingulis iuſtis, hanc eſſe omnibus fidelibus communem. Quidquid enim de hac diſtinctione ſentiendum ſit, fides diuina qua diuina eſt, nullam poteſt admittere dubitationem, nulla igitur poteſt eſſe fides diuina, qua iuſti credant ſe eſſe iuſtos, ſi ex Tridentini Concilij definitione coguntur de ſua iuſtitia dubitare. Cùm enim diuina fides Dei dicentis auctoritate nitatur; omnem prorſus excludit dubitationem.

e Hom. 87. in Ioan. in illa verba. Domine tu ſcis quia amo te. Et Hom. 11. 1. ad Cor.
f Iſaiæ 41.
g epiſt. ad Trallian.
h l. de perfect. ſpir. cap. vlt.
i Ser. de oper. & eleem. & Ser. de ablut. ped.
k Serm. 5. in Pſ. 118 in illa verba Aufer à me opprobrium, quod ſuſpicatus ſum.
l lib. 2. cont. Pelag. & Mich. cap. 6.

III. Quòd ſi ratione agendum ſit, multis argumentis noſtra ſententia confirmari poteſt. Nam vt hinc potiſſimùm exordiar, paucis quibuſdam iuſtis diuinitus patefactum eſſe accepimus, eos eſſe iuſtos, vt vel hinc colligas, eam ſcientiam non eſſe omnibus communem. De Moſe non obſcurè colligitur ex ſcripturis: de Beatiſſima Virgine exſtat apud Lucam angelica ſalutatio, qua illam gratia plenam vocat: de Paulo Apoſtolo plurimorum ſententia receptum eſt; de B. Antonio affirmat Athanaſius: de B. Franciſco S. Bonauentura. Quid quòd ea, quæ diuinæ fidei certitudine credenda ſunt, fidei præcepto comprehenduntur? Quis verò ante iſtos pſeudomagiſtros Euangelicus hoc præceptum excogitauit vnquam, quo iuſti fide diuina credere compellantur ſe iuſtos eſſe? Vbi verò diuinitus reuelatum eſſe accepimus, hunc, vel illum iuſtum diuina gratia, & ſanctitate præditum eſſe? An intus cuique in animo diuinus id ſpiritus reuelat? Iſtud verò quid aliud eſt, quàm hæreticorum commentum; quo nihil fingi poteſt incertius, nihil magis fluctuans, nihil denique magis temerarium? Adde, quòd nullum eſt effectum gratiæ, nulla cauſa, vnde illa certò deprehendi queat; nam gratiæ quidem effecta duo ſunt præcipua, externa caritas & perſeuerantia, neutrum tamen certò poteſt gratiam, & iuſtitiam indicare. Nam de externa caritate dixit Apoſtolus [ſ]. *Si diſtribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, & ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Ipſa verò perſeuerantia certo cognoſci non poteſt, cùm plerumque contingat ex ignoratione peccati, vt difficillimum ſit eiuſmodi peccata cognoſcere. Porro cauſæ iuſtitiæ, quæ quidem in nobis poſitæ ſunt, & à liberi arbitrij actionibus pendent, nulla certa, atque euidenti cognitione comprehenduntur: quæ verò ſunt externæ, eam atque efficientiam ſacramentorum requirunt, in quibus multa eſſe, de quibus ſemper ambigendum ſit dubitare nemo poteſt, cui ſacramentorum natura non ſit prorſus ignota. Quòd ſi fide diuina credere debeant iuſti ſe eſſe iuſtos, innumerabiles profectò viri ſanctiſſimi hæretici cenſendi eſſent, qui de ſua iuſtitia perpetuò dubitant. Quàm multi verò priuatæ ſuæ iuſtitiæ perſuaſione decipiuntur? Exſtat apud Lucam [a] illuſtriſſimum Pharisæi exemplum, qui non modò iuſtum ſe eſſe credebat, ſed palàm etiam prædicabat, cùm tamen diuino teſtimonio nihil eſſet minus. Atqui ſi ea perſuaſio diuina eſſet, numquàm fallere, aut mentiri poſſet: quinetiam, quod prorſus videtur abſurdum, nemo iuſtus verè dicere poſſet; *dimitte nobis debita noſtra.* Poſſent enim viri ſancti ad aliquod vel breuiſſimum tempus certò ſcire, præſertim poſt ritè ſuſceptum ſacramentum ſe omni prorſus etiam veniali culpa vacare. Denique, vt aliquando concludam, rectè Auguſtinus [b], & Gregorius [c] docuerunt, ne fore quidem vtilem hanc ſcientiam.

m lib. de humil. vbi agit de Agathone.
n lib. 83 quæſt. q. 58 Serm. 21. de verb. Dom. Serm. 10. de verb. Apoſt. lib. de perfect. iuſt. in Pſ. in 142. & 149 lib. 50. Hom. Hom. 15.
o lib. 6 epiſt. 42.
p Serm. 2. de Aduent. & epiſt. 42. 107
q cap. vlt. de purg. Canon.
r Seſſ. 6. cap. 9 & 10.
ſ 1. ad Cor. c. 13.
a cap. 18.
b De corrept. & gratia.
c lib. 8. mor. cap. 7.

IV. Verùm operæpretium eſt diligenter, atque accuratè expendere quæ aduerſus hanc noſtram ſententiam partim ab hæreticis, partim etiam à Catholicis obiiciuntur. Sic enim primùm argumentantur, ſacras litteras non obſcurè hanc iuſtitiæ certitudinem ſignificare; nam apud Lucam [d]. *Cùm feceritis*, inquit, *hæc omnia, dicite ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus.* Cognoſcere igitur poſſumus, nos bene egiſſe, & ſatisfeciſſe officio. Eodem pertinent illa apud Ioannem [e]: *Qui facit veritatem, venit ad lucem vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo ſunt facta.* Itémque illa [f]: *In hoc cognoſcent homines, quòd diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Et rurſus [g]. *Vos cognoſcetis eum, quoniam apud vos manebit, & in vobis erit.* Nec ita multò pòſt. *Vos cognoſcetis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt, & vos in me, & ego in vobis.* In Actis verò [h] Apoſtolicis. *In hunc omnis, qui credit, iuſtificatur.* Et Paulus [i]: *Iuſtitia Dei ſuper omnes, qui credunt in illum.* Rurſus [k]: *Credidit Abraham Deo*, id eſt (vt hæretici [l] interpretantur) remiſſum ſibi eſſe peccatum, *& reputatum eſt ei ad iuſtitiam.* Itémque. *ſi ex lege eſt hereditas, exinanita eſt fides.* Illa [m] verò putantur apertiſſima. *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater: ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei.* Ipſe verò Paulus de ſe aliquanto pòſt ſubdit. *Certus ſum, quia neque mors, neque vita, &c. neque vlla creatura poterit nos ſeparare à caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Et ad Corinthios quidem ſcribens [n]. *Nos autem, ait, non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.* Alibi [o]: *Probet autem ſe ipſum homo*: igitur poteſt ſe ipſum cognoſcere: ſuprà verò hac ipſa Epiſtola [p]. *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Hoc verò loco. *Vos ipſos tentate, ſi eſtis in fide; an non cognoſcitis quia Chriſtus in vobis eſt? niſi fortè reprobi eſtis.* Alibi [q] verò. *Per quem habemus fiduciam in introitum ſanctorum.* Et Petrus [r]: *Satagite, vt per bona opera certam faciatis vocationem, & electionem veſtram.* Poſtremò Ioannes [ſ]. *Scimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam.* Alibi [t]. *In hoc cognoſcimus, quoniam in nobis manet.* Rurſus [u]: *Scimus quoniam ex Deo ſumus, & qui credit in filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe.*

d cap. 17. 10.
e cap. 3. 21.
f Ioan. 13.
g Ioan. 14.
h cap. 13.
i ad Rom. 3.
k ad Rom. 4.
l Kemnit.
m ad Rom. 8.
n 1. ad Cor. 2. 12.
o cap. 11.
p cap. 1. 12.
q ad Epheſ. 3. 12.
r 2. cap. 1. 10.
ſ epiſt. 1. 3. 14.
t cap. 4. 13.
u cap. 5. 10.

V. Cæterùm hæc omnia teſtimonia primùm vniuerſim ita explicanda ſunt, vt appareat ea contra noſtram ſententiam vim nullam habere; tum ſingula per ſe expendenda erunt. Primùm igitur reſpondeti

deri poteſt, ea omnia loca intelligi de tota Eccleſia, A atque vniuerſo fidelium cœtu, qui vniuerſim pluri- ma, & maxima habent teſtimonia ſuæ iuſtitiæ, & ſanctitatis; quocirca in ſymbolo ſanctam Eccleſiam profitemur. id non obſcurè ſignificant Chryſoſto- mus [a] Græcique Patres, & inter Latinos Auguſti- nus [b]. Adde, intelligi poſſe de teſtimonio fidei, ac bonæ vitæ; vnde oritur non quidem certitudo fidei diuinæ, ſed humanæ perſuaſionis vtcumque certæ: quomodo explicant Chryſoſtomus [c], Ambroſius [d], Auguſtinus [e], Bernardus [f]. Quinetiam interdum fa- tendum eſt, Spiritum ſanctum in mentibus iuſto- rum inſerere opinionem quandam ſuæ iuſtitiæ, quæ nitatur coniecturis, ita Anſelmus [g], & alij [h]: ſic etiam Ambroſius [i], Leo Pontifex [k], & Bernardus [l]. Neque B inierim inficias, plures eſſe gradus certitudinis: eſt enim certitudo quædam, quam requirit Chriſtiana ſpes, quæ non tam reſpicit propriam iuſtitiam, quàm diuinarum promiſſionum fidelitatem, de qua multa Gregorius [m] Nazianzenus, Chryſoſtomus [n], Cypria- nus [o], Auguſtinus [p]. Eſt prætererea certitudo quædam, quæ à mente, atque intelligentia dubitationem amo- uet, quam vocant ſpeculatiuam; non tamen omnem penitus formidinem excludit, quæ vt plurimùm re- peritur in iuſtis, qui interna quadam pace, atque ani- mi tranquillitate perfruuntur; de qua Paulus [q]. *Ni- hil*, inquit, *mihi conſcius ſum:* pertinet verò magna ex parte ad eam animi præparationem, quæ ad ritè per- cipiendum ſacramentum requiritur. Eſt verò alia quædam certitudo, quæ ipſam etiam formidinem C excludit, nititúrque ſignis quibuſdam valdè proba- bilibus, ex quibus gratia, & iuſtitia dignoſci vtcum- que poteſt. De quibus ſignis nonnulla ſcribunt Gregorius [r] Pontifex, Cyrillus [ſ], & Baſilius [t], qui numerant nonnulla ſigna, ex quibus deprehendere aliqua ratione poſſunt iuſti ſuam caritatem & gra- tiam. Primùm quidem odium peccati, deinde mo- derationem omnium prauarum cupiditatum; tertiò zelum, qualem de ſe prædicat Paulus, cùm ait: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Idémque confirmat Leo [u] Pontifex, qui alia ſigna enumerat, Chriſtia- nam videlicet humilitatem, obliuionem iniuriarum; denique Dei, & proximorum amorem. Alia quæ- dam obſeruat Bernardus [x], nec diſſimilia ſcribunt Cyprianus [y], & Ambroſius [z]. Verùm hæc ſigna etſi D excludunt formidinem illam, quæ perpetuò vrgeat ac premat, non tamen omnem penitus timorem, ac ſollicitudinem amouent: ſunt verò nonnulli [a], qui quartum certitudinis gradum excogitarint ab omni penitus formidine etiam cum recta ratione coniun- cta, ſolutum ac liberum, qui tamen gradus (vt pla- niùs infrà conſtabit) non videtur admittendus: quòd ſi admittatur, nihil prorſus noſtram ſententiam læ- dit, quippe ea qualiſcumque certitudo à certitudine fidei diuinæ longiſſimè abeſt.

- a ad Rom. 8.
- b Hom. 7. in 1. ad Corinth.
- c Serm. 31. de verb. Apoſt.
- d lib. 50. Hom. hom. 14.
- e Hom. 3. in 2. ad Corinth.
- f ad Rom. 8.
- g Tract. 5. 6. in 1. Can. Ioa.
- h lib. 2. de cõ- ſid. ad Eugen. & lib. de in- ter. domo ca. 41.
- i ad Rom. 8.
- k apud And. Veg. lib. 9. in Concil. Trid. c. 22. ad 15.
- l in Pſ. 118 in illa verb. Ne innor ſuſpicionem meorum.
- k Serm. 8. de Epiph. & Serm. 2. de Paſch.
- l Serm. 8. de annunc. Ser. 3. de ſept. pa- nib. ſer. de 4. mod. orandi. ſer. 17. 68. 69. Cant.
- m Orat. de grand.
- n Hom. 14. ad Rom.
- o de Mortal.
- p Serm. 20. de verb. Dom.
- q 1. ad Cor. 4. 4.
- r lib. 3. Dial. cap. 1.
- ſ lib. 10. in Ioan. c. 5.
- t Reg. breu. reſp. 2. 90.
- u Serm. 8. de Epiphan.
- x Serm. de quat. mod. oran.
- y Serm. de cœna Dom.
- z lib. 5. de ſa- cram. c. 2.
- a Andr. Veg. lib. 9. in Con- cil. Trident. cap. penult. & vlt. & Sot. lib. 3. de nat. & grat. cap. 15. & 17.

VI. Vt autem ad ſingula ſcripturæ teſtimonia breui- ter reſpondeam; fateor, me non intelligere quorſum afferantur verba Chriſti apud Lucam [b]; quæ ſi rectè inſpiciantur noſtræ potius ſententiæ mirificè fauent: Inſtituit enim eo loco Chriſtus in Chriſtiana humi- E litate diſcipulos, monétque ne opera ſua iactitent, quaſi eximium aliquid præſtiterint; ſed potius cùm benè aliquid geſſerint, ſe tamquàm ſeruos inutiles agnoſcant, qui nihil à Domino promereantur. Illud quidem libens fatear, poſſe iuſtos interdum exiſti- mare ſe aliquid rectè, honeſtéque geſſiſſe, in quo tamen eos falli, ac decipi poſſe non nego. Quod ve- rò idem Chriſtus ait apud Ioannem [c] parum vide- tur ad rem; ibi enim docet Chriſtus quæ ſit bona- rum, malarúmque actionum natura: illæ namque veniunt ad lucem, hæ verò tenebras amant. Quod

- b cap. 17. 10.
- c cap. 3. 21.

verò quidã [a] aiunt, lucis nomine intelligi Chriſtum, de quo paulò antè dixerat Euangeliſta. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem;* eorum ſententiam nihil iuuat, noſtram ne at- tingit quidem: tantùm enim ea verba probant, eos, qui à Chriſto recedebant fuiſſe malos; qui verò illi adhærebant, aliquod initium habuiſſe bonæ volun- tatis, idque exemplo confirmatur eorum, qui lucem fugiunt, vel ad eam accedunt. Iam verò alter [b] Ioan- nis locus probare videtur, veram dilectionem, atque amorem certum eſſe, minimèque fallax gratiæ argu- mentum, quæ amorem illum comitatur, & cum eo penè ſemper coniungitur; cæterùm hic verus amor certò cognoſci non poteſt, cùm non rarò contingat, externa amoris ſigna ficta eſſe, & ſimulata. Fateor tamen, præbere illa non leue argumentum veræ ca- ritatis, & gratiæ, non tamen penitus neceſſarium. Neque aliud allata verba probant; alioqui enim cùm externa amoris ſigna omnibus pateant, conſequens eſſet iuſtos ab iniuſtis nullo negotio ſecerni, ac di- ſtingui poſſe. Mihi verò valdè veriſimile videtur, voluiſſe Chriſtum indicare, veros ſui imitatores ex vera caritate facilè dignoſci poſſe. Alia porro verba apud eundem Ioannem [c] non habent magnam vim; Græci enim codices, & aliqui emendatiores Latini habent; *vos cognoſcetis*; quaſi dicat. Mundus ignorat an ſit Spiritus ſanctus, vos verò cognoſcetis, immò verò in vobis manet. Quòd ſi legamus *cognoſcetis*; ſignificat (vt ait Auguſtinus) intelligetis non illum in vobis eſſe, ſed quidnam ſit, vel multa ipſius dona, atque chariſmata in vobis eſſe: vel denique cogno- ſcetis, non tamen certitudine fidei, cui nõ poſſit ſub- eſſe falſum. Verba autem quæ ſequuntur. *In illa die cognoſcetis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt*; expli- cantur à Cyrillo, & Auguſtino de cognitione bea- ta: ab alijs de cognitione, quam habituri erant Apo- ſtoli poſt Chriſti reſurrectionem. Iam quod affertur ex Actis [d] Apoſtolicis, fauere quidem putatur fidei iuſtificanti, quam hæretici iactant; certum tamen eſt tum verba illa, tum cætera illis ſimilia ita fidem cõ- mendare, vt tamen non excludant alia, quæ ſunt ad iuſtificationem neceſſaria. Aduerſus autem hanc noſtram ſententiam nihil penitus efficiunt; nam ne ipſam quidem diuinam fidem facilè quiſquam eiuſ- dem fidei diuinæ certitudine cognoſcere poteſt, vt planiùs infra oſtendemus. Eadem planè ratione re- fellitur argumentum ductum ex verbis Pauli in Epiſtola ad Romanos [e], vbi agit de fide Abrahæ; prorſus enim videntur extra rem: non enim fides Abrahæ, quæ ab Apoſtolo celebratur, fides erat, qua ille ſibi certò perſuaderet ſe eſſe iuſtum, ſed potius qua Deo affirmanti, ac pollicenti credidit. Quæ ve- rò ex eodem loco afferuntur, hæreticorum imperi- tiam apertè oſtendunt, tum quia fides vel opponi- tur operibus legis, vt ab ea lege manabant; vel certè iis operibus, quæ fierent ante fidem; tum quia nihil aliud indicare videtur Apoſtolus quàm omnibus etiam Gentilibus fidei beneficio patere aditum ad ſalutem. Ad ea verò, quæ ex eadẽ [f] Epiſtola deſum- pta ſunt; quibus agitur de teſtimonio ſpiritus, facilè reſponderi poteſt, de teſtimonio miraculorum in- telligi; teſtantur enim illa diuinam numinis vim, ac potentiam. Ambroſius, & Anſelmus vitæ, morúm- que mutationem intelligunt, quæ magnum omnino teſtimonium perhibet iuſtitiæ, & ſanctitatis, non ta- men omnino certum, quódque omnem penitus du- bitationem excludat. Alij denique diuinum hoc te- ſtimonium ipſam orationem Dominicam interpre- tãtur; ex illa enim apparet nos eſſe filios, cùm Deum Patrẽ appellemus, atque adeo nos eſſe in lege amo- ris, ac lege filiorum, non autem in lege timoris, &

- a Catherin.
- b cap. 13. 35.
- c cap. 14. 12.
- d cap. 13. 39.
- e cap. 3. 28. & 4. 3.
- f cap. 8. 16.

ſeruorum. Nec tamen propterea liquet, vtrùm diuina gratia præditi ſimus, an ſecus. Quod verò ait Apoſtolus certum ſe eſſe, nullo ſe impetu à caritate Chriſti poſſe dimoueri, explicat Chryſoſtomus non de certitudine fidei, ſed de magnitudine ſpei, quæ oritur ex perfectione caritatis, & ob eam ſpem inter eos ſeſe enumerat, qui caritate ſunt præditi: præterquàm quòd ſi de ſe ipſo loquitur Apoſtolus, valdè probabile eſt habuiſſe Paulum certam ſuæ prædeſtinationis, ſuæque gratiæ, & perſeuerantiæ reuelationem. Accedit, quòd Augustinus [a] ait, Paulum loqui tantùm de electis, quos certum eſt deficere nullo modo poſſe, ita vt pereant. Et vtut ſit Græca vox πέπεισμαι: nō certitudinem, ſed confidentiam ſignificat; atque eo modo explicāt Chryſoſtomus [b], Ambroſius [b], Hieronymus [c], Auguſtinus [d]. Quod verbum vulgatus interpres ſæpè ita reddit, quaſi certitudinem ſignificet. Apud Lucam [e]. *Certi ſunt omnes Ioannem eſſe Prophetam.* In Epiſtola ad Romanos [f]: *Certus ſum ego de vobis, quòd eſtis pleni omni dilectione.* Et ad Timotheum [g]. *Certus ſum, quod in eo habitet fides:* quibus omnibus locis eſt eadem Græca vox. Ad Hebræos [h] tamen vbi interpres dixit; *confidimus de vobis meliora.* Græcè ſcriptum eſt πεπείσμεθα. Iſta verò quæ afferuntur ex priori Epiſtola ad Corinthios [i] de gratia beatitudinis omnibus propoſita accipienda ſunt, quam non humana ſapientia, ſed diuinæ ſcripturæ præſidio cognoſcimus. Illa porro [k], quæ de cuiuſque probatione agunt, facilè habent explicatum; is enim ſe idoneè explorare dicitur, non qui ſuam gratiam, & iuſtitiam agnoſcit, ſed qui intimos ſui receſſus probè luſtrans, lethalem in ſe culpam non deprehendit: atqui hoc ipſum eſt idoneum conſcientiæ teſtimonium, de quo initio huius Epiſtolæ [l] agit Apoſtolus. Porro verba, quæ nobis huius diſputationis occaſionem præbuerunt (vt planiùs paulò pòſt explicabimus) facilem habent exitum; agit enim Apoſtolus cum Corinthiis tamquàm cum peccatoribus, eóſque monet, vt meminerint, ſe iam pridem fidem percepiſſe, quam ſi vel minimam retinerent facilè poſſe ex miraculis, atque prodigiis cognoſcere Chriſtum in ipſis eſſe. Quæ ſcribit idem Apoſtolus ad Epheſios [m]; probant ex fide diuina, ſi ſit fides viua oriri fiduciam accedendi ad Deum. Sed quid inde colligunt aduerſarij? Petri [n] ſanè verba certitudinem vocationis exigunt in re ipſa, non autem in iis, qui vocati ſunt. Neque enim dicit certos facite vos, ſed potius *certam facite vocationem*, hoc eſt, efficite, vt nihil in vobis deſideretur eorum, quæ neceſſariò requiruntur, vt vocatio veſtra exitum aliquando ſuum ſortiatur. De verbis autem Ioannis [o] non magnopere laborandum videtur; probant enim eos, qui diligunt habere vitam, ſed non conſtat, neque conſtare poteſt quinam verè, atque ex animo diligant: Apoſtolus autem ſe inter eos numerat, qui diligunt, & vitam habent, ſiue quia id diuinitus cognouerat, quod eſt ſimillimum vero; ſiue quia ita loquitur Chriſtiana ſpe, & cōfidentia nixus; vt, quod alicubi monet Auguſtinus, bene ominetur. Quæ non ita multò pòſt [p] ſubduntur, certiſſimè docent, Chriſtum eſſe in Eccleſia Dei non ſolùm fidei beneficio, ſed etiam per gratiam, & căritatem, vt non immeritò Eccleſia dicatur ſancta. Denique poſtrema eiuſdem Ioannis [q] verba agere videntur de teſtimonio Patris exhibito filio, dum in Iordane baptizaretur: qui enim credit in filium Dei, illo Patris teſtimonio cōfirmatur, vel (vt ait Beda) qui baptiſmo expiatur, nonnihil diuinitus percipit, quod tamen certò cognoſci nequaquàm poteſt.

VII.

Ad ſcripturæ diuinæ oracula plurima addunt ſanctorum Patrum teſtimonia; nam Dionyſius [r],

a De correc. & grat. c. 7.
b ad Rom. 8.
c epiſt. ad Algas. c. q. 9.
d De correc. & grat. c. 7.
e Luc. c. 20. 6.
f cap. 15. 14.
g 2. cap. 1. 5.
h cap. 6. 9.
i cap. 2. 12.
k cap. 11. 18.
l cap. 1. 12.
m cap. 3. 12.
n ep. 2. c. 1. 10.
o epiſt. 1. cap. 3. 14.
p cap. 4. 13.
q cap. 5. 18.
r li. de diuin. nomin. ca. 7 prope finem.

Probè, inquit, *qui veritati coniunctus eſt, nouit quàm benè ſe habeat, etiam ſi plerique corripiant eum quaſi amentem.* Theophylactus [a] ait, *Spiritum teſtificari, quòd filij Dei ſumus, quia eſt cauſa orationis, qua clamamus Abba. Pater.* Baſilius [b] quærit quomodo poſſimus certò ſcire, nos eſſe iuſtos; reſpondet autem non deeſſe viam, *ſi quis induat illum affectum, quem habuit Dauid, qui dixit; iniuſtitiam odio habui, & abominatus ſum.* Gregorius [c] Nazianzenus. *Quis*, inquit, *ſcit, ſi Deus conuertatur? Atqui manifeſte ſcio ego diuinæ clementiæ fideiuſſor, nam iram, quæ contra naturam illius eſt remittet, & ad miſericordiam, quæ ſecundùm naturam eſt, conuertetur.* Chryſoſtomus [d]: *ſi ſpiritus eſt, qui teſtatur, quæ remanet ambiguitas?* Cyrillus [e] Alexādrinus, explicans illa verba: *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*; docet perfectiores videre *fulgore diuino oculis mentis Deum in ſe habitantem.* Cyprianus [f]: *Inter nos viget ſpei robur, & erecta mens, & anima ſemper de Deo ſuo ſecura.* Alibi [g] ait, *animam, quæ benè ad Euchariſtiam accedit, diſtinguere inter noctem, & diem, & videre quod Dominus condonauerit, ſeque ſanatam, & ſanctificatam agnoſcens fletibus ſe abluere, & lacrymis ſe baptizare.* Alio item [h] loco: *Quis inter hæc trepidus, & mæſtus eſt, niſi ille, cui ſpes, & fides deeſt?* Et ſubdit: *Deus tibi vitam æternam pollicetur, & tu dubitas: hoc eſt Deum non noſſe, indeóque filij Dei fidem non habere.* Hilarius [i]: *Regnum Dei, quod in ſe eſſe poſitum Dominus teſtatus eſt, vult non incertæ voluntatis ambiguitate ſperari, alioqui iuſtificatio ex fide nulla eſt, ſi & ipſa fides ambigua fiet.* Ambroſius [k]: *Qui Chriſto adhæſerit, fiet & ipſe fermentum tam ſibi vtilis, quàm aliis vniuerſis idoneus, & de ſua certus ſalute, & de aliorum acquiſitione ſecurus.* Alibi [l] dicit, eos, *qui baptizantur, videre mentis oculis ſuam puritatem.* Hieronymus [m]: *Ergo*, inquit, *iuſtus de ſua mente certus, qui ſcit ſe non poſſe labi, non deberet terrere infirmos.* Auguſtinus [n]: *Hoc dixit Deus, hoc promiſit Deus, ſi parum eſt hoc, iurauit Deus: quia ergo non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundum miſericordiam ſuam firma eſt promiſſio, nemo debet cum trepidatione prædicare, de quo non poteſt dubitare.* Alio verò [o] loco: *Homo, faciem tuam non audebas attollere, oculos tuos in terram dirigebas, &c. Ideò præſume non de operatione tua, ſed de gratia Chriſti. Non hic eſt arrogantia, ſed fides, & deuotio, & dic, Pater noſter.* Rurſus alibi [p]. *Oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Chriſti: & tu tibi audes promittere quod in iudicium non venies? Abſit: ad iudicium non venio non præſumptione mea, ſed promiſſione ſua.* Explicans [q] verò Dauidis verba; *lætabuntur in cubilibus ſuis. Eſt ergo*, inquit, *quidam modus gloriandi in conſcientia, vt noueris fidem tuam eſſe ſinceram, ſpem eſſe certam, caritatem ſine ſimulatione.* Quinetiam [r] illa addenda ſunt. *Si quis ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius: ecce adiuuante eius miſericordia ſpiritum Chriſti habemus ex ipſa dilectione iuſtitiæ, integra fide, Catholica fide, ſpiritum Dei in nobis eſſe cognoſcimus.* Rurſus [s]. *Fidem in corde vniuſcuiuſque eſſe, quiſque videt ſi credit.* Et addit. *Dilectionem magis nouit qui diligit fratrem, quam fratrem quem diligit.* Itémque [t]. *Quomodo ſecuri erimus? ſi conſcientia dantis attendatur:* indicare enim videtur, eum, qui ſacramentum percipit, debere eſſe ſecurum [u]. Aliàs. *Dicat vnuſquiſque fidelium, ſanctus ſum; non eſt hæc ſuperbia elati, ſed confeſſio non ingrati.* Illa [x] autem videntur aperta. *Tunc erit, vt videamus quod nunc credimus, nam etiam nunc in illo ſumus, & ille in nobis, ſed hoc nunc credimus, tunc autem cognoſcemus.* Iterum [y]: *Nemo interroget homines; vnuſquiſque ad cor ſuum redeat: ſi ibi inuenit caritatem ſecurus ſit, quia tranſiuit de morte ad vitam.* Denique [z]. *Dimitte nobis*, inquit, *debita noſtra: non dicimus vtique de debitis quæ dimiſſa*

a ad Rom. 8.
b Reg. bre. q. 11. 2. 6.
c Orat. de Baſil.
d Hom. 14. ad Rom.
e lib. 10. in Ioan. c. 2.
f ad Demet.
g Serm. de Cœna Dom.
h Serm. de Mort.
i Can. 2. in Matth.
k Serm. 5.
l lib. 3. de Sacram. c. 2.
m ad Gala.
n Pſal. 88.
o Serm. 15. de verb. Dom.
p Tract. 22. in Ioan.
q Pſal. 149.
r Serm. 6. de verb. Apoſt. propè finem.
s lib. 13. de Trinit. c. 1.
t lib. 1. contra litter. Petil. c. 1 & 7.
u in Pſal. 85.
x Tract. 75. in Ioan.
y Tract. 5. in 1. Can. Ioan.
z lib. de Medic. pœnit. c. 3.

dimiſſa credimus in baptiſmate, niſi fortè de ipſa fide dubitemus. Leo verò [a] Pontifex: *Diſcutiant ſe, ait, fidelium mentes, & intimos cordis affectus examinent; & ſi inuenerint in conſcientia aliquid repoſitum de fructibus caritatis, Deum ſibi ineſſe non dubitent.* Gregorius item [b] Pontifex. *Mens, quæ Spiritu ſancto impletur, habet euidentiſſima ſigna, ſuam virtutem, & humilitatem; quæ duo cùm ſimul in vna mente conueniunt, liquet quòd teſtimonium Spiritus ſancti ferant.* Anſelmus [c]: *Spiritus ſanctus per hoc, quod infundit caritatem, qua efficimur imitatores Dei, vt diligamus inimicos euidenti teſtimonio, declarat nobis quòd ſumus filij Dei.* Bernardus [d]: *Quis ſcit ſi eſt dignus odio, vel amore? Quis nouit ſenſum Domini? Hic planè nobis fidem ſubuenire neceſſe eſt, hic oportet ſuccurrere veritatem, vt quod latet de nobis in corde patens nobis reueletur per ſpiritum eius, & ſpiritus perſuadeat nobis nos eſſe filios Dei. perſuadeat autem vocando, & iuſtificando.* Alibi [e]: *ſi credis, quia peccata remitti non poſſunt, niſi ab eo in quem peccaſti, benè facis: ſed adde huic, vt etiam credas tibi remitti peccata. Hæc ferè ab alijs obijciuntur.* Addam ego pauca quædam. Tertullianus [f]: *Fides,* inquit, *integra ſecura eſt de ſalute.* Cyrillus [g] Ieroſolymitanus: *Fides in anima celerrimo actu maxima perficit: de Deo enim ſpeculatur, ita & qui meretur fide illuminari, & mundi terminos circuit, & ante mundi huius cõſummationem iudicium iam vides, & promiſſionum retributionem.* Et paulò pòſt: *Fidem ſi didiceris, & promiſſionem poſſidebis.* Clemens [h] Alexandrinus: *Spiritus Domini lucerna ſcrutans ventris penetralia. Et quo quis ſe iuſtè quærens euadit maiori cognitione præditus, eo eſt propinquior ſpiritus lucidus; ſic iuſtis appropinquat Dominus.* Alio [i] loco: *Audacter,* inquit, *dixerim quemadmodum eſt prædeſtinatus per ea, quæ aget, & id, quod conſequetur, ita ipſe quoque cùm prædeſtinauerit propter eum, quem cognouit, habet quem dilexit, nec habet futurum coniectu difficile, ſicut multi viuunt coniectantes; ſed per fidem cognitione præditam accepit id, quod eſt incertũ, & obſcurum alijs, & propter caritatem iam eſt ei præſens id, quod eſt futurum. credidit enim, & propter propheticã, & propter præſentiam Deo, qui non mentitur, & habet id, quod credidit, & obtinet promiſſionem, verum autem eſt qui promiſit, & finem promiſſionis, propterea quod fide dignus ſit is, qui promiſit, firmiter, ac ſtabiliter accepit per ſcientiam.* Quibus verbis quamuis obſcuris indicare videtur, iuſtam habere certitudinem, ac ſcientiam promiſſionis. Denique alibi [k] fusè docet. *Ex fide naſci cognitionem, ex cognitione caritatem.* Alia ſexcenta in hanc ſententiam proferri poſſunt, quæ, quia ſunt eiuſdem generis, libens omitto.

a Serm. 2. de Paſch. & Ser. 8. de Epiph.
b lib. 4 Dial. cap. 1.
c ad Rom. 8.
d Serm. 5. Dedicat.
e Serm. 1. de Annunc. & in alia ſerm. 3. de fragm. 7. pan. ſerm. de quat mod. orat. ſer. 19 61. 69 74. Cant. & ep. 107.
f lib de baptiſm.
g Catech. 5.
h 4. Strom.
i lib. 6.
k lib. 7. Stro.

VIII. Cæterùm vniuerſim ad hæc omnia teſtimonia vnico verbo reſpondeo, nullam prorſus habere vim ad certitudinem fidei diuinæ ſtabiliendam: id enim ad ſummum probant, quòd non imus inficias, eſſe in nonnullis humanam aliquam certitudinem, quam non ita multò pòſt & aſſeremus, & explicabimus. Vt autem de ſingulis breuiter dicam, mirari ſatis non poſſum, cur verba Dionyſij allata ſint; loquitur enim ille de fidei Catholicæ veritate, præſertim de articulo reſurrectionis: dixit autem, fideles nihil de certitudine fidei dubitare etiamſi ab infidelibus inſani atque amentes habeantur. Meminerat enim penè omnium irriſione Paulum fuiſſe deluſum, cùm in Areopago de reſurrectione verba faceret. De Theophylacto (illum enim auctorem eſſe commentariorum, qui Athanaſij nomen præferunt, viris doctis aſſentior) tantùm habeo dicere, nihil illum addere ad verba Pauli, vt neceſſariò exiſtimandum ſit, eodem modo vtrumque explicandum eſſe, hoc eſt de humana certitudine, quæ oritur ex coniecturis. Neque aliter accipiẽda ſunt quæ ſcribit Baſilius, qui gratiæ ſigna, & coniecturas indicat. Nazianzenus porro id tantùm affirmat, quod paſſim legitur in ſcripturis, Deum ritè pœnitentiam agentibus & peccata condonare & ſuam gratiam largiri; vt nihil de eius benignitate dubitandum ſit. At verò ex nobis, noſtriſque actionibus omnis oritur dubitatio; neque enim certitudine præſertim diuina ſcire vnquam poſſumus, vtrum id omne præſtiterimus, quod eſt ad iuſtificationem neceſſarium. Chryſoſtomus ſanè ſimpliciter loquitur de effectu baptiſmi: certa enim, & Catholica fide credendum eſt, eos, qui baptiſmo ritè expiantur, effici filios Dei. Vtrum autem hic, aut ille ritè baptiſmum ſuſceperit, fides non docet; ſed aliunde rei coniecturæ ſumendæ ſunt. Cyrillus porro Alexandrinus vel agit de vita beata, quæ afferet certiſſimam, atque abſolutiſſimam rerum ſcientiam; vel de nobiliori, & præſtantiori quadam cognitione, quam plerique perfecti diuinitùs aſſequuntur. Iam Cyprianus nihil aliud affirmat primo loco; quàm apud fideles duntaxat eſſe bonam conſcientiam, & animæ ſecuritatem. Secundo autem de illa certitudine loquitur, quæ nititur coniecturis, quæque neceſſaria eſt ad Euchariſtiam cum fructu percipiendam, quam nemo Catholicorum negare poteſt. Tertio denique ac poſtremo metum mortis reprehendit, qui oritur ex infidelitate; non autem illum, quem humanæ imbecillitatis conditio parit; cùm præſertim Cyprianus ipſe alicubi [a] doceat, ad iuſtificationem aſſequendam inſignem quamdam pœnitentiam requiri nihilo minorem peccato, quam certò cognoſcere nemo poteſt. Quod ſi Hilarij verba paulò diligentiùs inſpiciantur, facilè quiuis intelliget, eum loqui de fide articulorum, quam adeo neceſſariam eſſe affirmat, vt abſque illa ſpes nullo pacto conſiſtere queat. Ambroſij ſanè verba ſi ita intelligenda ſint, vt aduerſarij contendunt, duo quædam abſurda conſequi neceſſe eſt: alterum poſſe quemlibet eſſe certum de ſua prædeſtinatione contra Tridentini Concilij definitionem; alterum eadem ratione quemuis poſſe aliorum iuſtitiam, & caritatem certò cognoſcere, quod nemo audeat affirmare. Itaque ille non agit de certitudine fidei, ſed tantùm de certitudine rei in ſe ipſa, nullo autem modo vt coniungitur cum perſonis. itaque cùm videndi verbum vſurpat non fidei certitudinem, aut ſcientiæ euidentiam ſignificat, ſed quamlibet indicat mentis, atque intelligentiæ notionem. Qui enim baptiſmo expiati ſunt vtcumque norunt, non tamen certò aut euidenter ſe à ſceleribus eſſe expiatos. Perſimili ferè ratione explicanda ſunt verba Hieronymi de certitudine, quæ oritur ex coniecturis; nam ſi accipiantur, vt ſonant intolerabilem continerent errorem, quemuis videlicet poſſe certò cognoſcere ſuam perſeuerantiam, & quidem certitudine fidei diuinæ. quod quàm ſit abſurdum nemo non videt. Primus verò Auguſtini locus prorſus eſt extra rem; ibi enim loquitur de iuramento, quo Deus Chriſtum in æternum regnaturum iureiurando firmauit. Secundo loco tantùm affirmat fidei præceptum eſſe, vt magna cum fiducia accedamus ad Deum, eúmque Patrem appellemus; non tamen ait pertinere ad fidem, vt credamus nos eſſe Dei filios per gratiam. Tertio loco duo docet, Primùm quidem diuina fide credendum eſſe Deum fidelibus vitam æternam promiſiſſe, deinde hinc colligi, eum aſſecuturum vitam beatam, qui fidem, reliquáque neceſſaria habuerit, quod tamen fide diuina cognoſci nequaquam poteſt. Quartus locus nullo modo agit de cognitione fidei, ſed tantùm admittit, poſſe quempiam adeo eſſe ab omni vitio alienum, vt nihil ſibi conſcius ſit; non tamen illum con-

a Ser. de lapſ.

A tinuò iuſtum eſſe cenſendum. ita docet non pugnate, quod ait Paulus[a], *Gloria noſtra hæc eſt teſtimoniũ conſcientiæ noſtræ*, cum Salomonis[b] ſententia: *Quis gloriabitur mundum ſe habere cor?* Quintus locus aut plus probat, quàm velint aduerſarij; &(quod eſt abſurdum) cum Tridentino Concilio pugnat, aut (quod veriſſimum cenſeo) docet ex caritate & fide Catholica, tanquàm ex ſignis, & probabilibus coniecturis veroſimiliter iuſtitiam cognoſci. Sextus locus probat nos vtcumque cognoſcere noſtras actiones, non tamen habitus quibus iuſtificamur; plerumque enim actiones oriri poſſunt non ex habitibus, ſed ex diuinæ gratiæ excitantis impulſu, vt accidit in catechumenis. Addo quòd actiones, ipſæ vix cognoſci poſſunt, vtrum ſint ſupranaturales, an intra naturæ fines claudantur. Septimus locus contrà Donatiſtas probat neceſſariam eſſe moralem quamdam certitudinem, quæ nulla haberi poſſet; ſi in miniſtro Sacramenti vitæ integritas, & morum ſanctitas eſſet neceſſaria. Octauus locus docet, poſſe omnes fideles ratione ſtatus appellari ſanctos: aut ſi de vera ſanctitate loquitur, non admittit certitudinem fidei diuinæ, ſed humanam tantùm cognitionem vtcumque certam. Nono loco affirmat Auguſtinus, credere nos nunc Chriſtum eſſe caput Eccleſiæ, & idcirco eſſe in Eccleſia; hoc eſt in ſuis fidelibus, tanquàm in membris, quia tanquàm vitis eos veluti palmites ſuſtentat, ac vegetat. Decimo autem loco nihil ſimpliciter affirmat, ſed, poſita conditione, ait: *Si inueneris caritatem, ſcito, te habere vitam.* docuerat enim, animæ vitam poſitam eſſe in caritate. Vndecimus denique locus deſumptus ex libello de medicina pœnitentiæ, non eſt magnæ auctoritatis; quamuis enim ille liber laudetur à Beda, non conſtat tamen, vtrùm ſit Auguſtini, cùm præſertim Auguſtinus ipſe alibi[c] aliter loquatur; ait enim, Orationem Dominicam non dici pro peccatis, *quæ dimiſſa confidimus in baptiſmo.* Auctor verò illius libelli dicit, *quæ dimiſſa credimus.* Quòd ſi velimus eſſe Auguſtini verba, certè non de diuina fide, ſed de humana, quam alibi confidentiam vocat, accipienda ſunt, Denique docet pertinere ad fidem Catholicam credere baptiſmo expiari peccata, ac propterea poſt baptiſmum nefas eſſe ſine cauſa dubitare. Venio nunc ad Leonem Pontificem, qui planè docet, Deum ex aliquo dono cognoſci, non tamen ex gratia, ſeu caritate inhærente. Adde quòd excludit ille quidem dubitationem, non tamen formidinem; dubitatio enim prohibet aſſenſum, formido verò aſſenſus certitudinem. De Gregorio primùm aſſero, loqui illum de ſignorum euidentia, quæ (vt ſæpe iam dictum eſt) nihil pariunt in animo præter probabiles coniecturas, & humanam quamdam certitudinem. Deinde agere de pauciſſimis, qui fortè diuina reuelatione ſuam iuſtitiam, & ſanctitatem agnouerunt: nominat enim Moſem, & Ioannem Baptiſtam: denique enumerat ſigna, quibus aliena, non autem propria iuſtitia cognoſcatur. At Anſelmus eodem modo loquitur de euidentia ſignorum, & de euidentia quidem in vniuerſum, non autem reſpectu ſingulorum. De Bernardo alia ratio eſt; diſſerit enim ille priori loco de beata vita, & gloria ſanctorum, quam nemo certò cognoſcere poteſt qualis ea futura ſit, vt alibi[d] docuerat; ſed tantùm nos ſpei quamdam fiduciam habemus. Neque aliter accipienda ſunt, quæ poſteriori loco ſcribit. Vſurpat enim credendi verbum pro eo, quod eſt fidere, ac ſperare propter ſigna, & teſtimonia, quæ ibi enumerat. Tertulliani porrò verba facilem, ac perſpicuum habent ſenſum; ſignificat enim ſecuritatem vniuerſim ſumptam extra fidem haberi non poſſe, ſiquidem ſola fides veram ſalutis pandit viam. Eodémque planè modo accipienda ſunt quæ ſcribit Cyrillus; nec enim aliter explicari poſſunt, quàm de certitudine, quam fideles habent, qui Chriſtianam fidem profitentur, vel de morali certitudine, qualis ex ſignis ac teſtimonijs haberi poteſt. Ita prorſus explico primum locum Clementis; nam ſecundus valdè videtur difficilis, atque obſcurus, vehementérque dubito, ne ſit corruptus; veriſimile tamen eſt, loqui illum de certitudine, quam fideles, & iuſti habent, ſi conferantur cum iis, qui carent fide; nam hoc planè modo neceſſe eſt explicare tertium locum.

a 2. ad Cor. 1. 12.
b Prou. 20. 9.
c lib. 2. cont. Creſcon. c. 28.
d Ser. 2. Pent.

IX At enim multa leguntur in Scripturis ſanctorum exempla, qui certò ſuam iuſtitiam, & ſanctitatem agnouerunt. vt idem de cæteris ſentiendum eſſe B perſimilis ratio perſuadere videatur. Verùm nego primùm, eos omnes quorum iuſtitia, & ſanctitas ſacrarum litterarum teſtimonio commendatur, certò cognouiſſe fidei præſertim diuinæ certitudine ſe eſſe iuſtos. deinde addo, ſi qui fortè ſuam iuſtitiam certò cognouerunt, id eis diuinitùs fuiſſe reuelatum, vt apertiſſimè in libro Geneſeos[a] legimus accidiſſe Noe. *Quia te vidi, inquit, iuſtum coram me ex omnibus gentibus.* Itémque de Abraham eodem libro[b] legimus. *Nunc cognoui, quòd timeas Deum.* Verùm hinc potius noſtra ſententia mirificè confirmatur. Si enim viri ſanctiſſimi diu in iuſtitia perſeuerarunt, neque tamen id citra diuinam reuelationem cognouerunt; quis poterit hanc ſibi ſcientiam, & certam cognitionem arrogare? Atqui hæreticorum princeps diui- C nam ait pollicitationem non ſolùm vniuerſim ad omnes, ſed etiam priuatim ad ſingulos pertinere; legimus[c] enim apud Zachariam[d], & Matthæum[e], *Ecce Rex tuus venit tibi.* & apud Lucam[f]. *Complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* Nemini igitur fas eſt citra fidei iacturam de diuina promiſſione dubitare. Accedit, quòd Concilium Tridentinum[g] docet, de efficacitate paſſionis Chriſti nullo modo eſſe dubitandum: illa verò efficacitas non vniuerſim omnibus, ſed priuatim ſingulis prodeſt. Quaſi verò Zacharias ſingulos alloquatur, ac non potius generatim Eccleſiæ Chriſti aduentum polliceatur: nam Chriſtus quidem apud Matthæum apoſtolicum collegium affatur, & puſillum gregem appellat: Tridentina verò Synodus de mortis Chriſti efficacitate D vniuerſim loquitur, tametſi ea nonniſi ſingulis prodeſt. Addo diuinas pollicitationes ita ad omnes vniuerſim referri, vt pertineant tamen ad ſingulos: ſed adhibita tamen aliqua conditione, quæ nemini certò conſtare poteſt. Nam vt hoc etiam exemplo illuſtrem, Paulus ad Romanos[h] ſcripſit, nos eſſe hæredes, mox tamen conditionem adhibet: *ſi tamen compatimur, vt conglorificemur*; Mirandum vt ſit cur tantopere iſto Apoſtoli teſtimonio hæretici[i] glorientur, perinde quaſi nulla adhibeatur conditio. At fides, & ſpes Chriſtiana mira certitudine conſtant: fateor; ſed tamen fides neque credit, neque credendum docet, hunc, vel illum eſſe iuſtum, & ſanctum: ſpes verò, vt certa ſit, non poſtulat in mente, atque E intelligentia certitudinem, ſed ſola probabilitate contenta eſt. quòd ſi hæc ſubtiliùs enucleanda ſint, habet ſpes maximam certitudinem ex diuina promiſſione, qua veluti fundamento oritur. Illa namque fallere nullo modo poteſt, vt docet Paulus in Epiſtola ad Hebræos[k]. *In quo*, inquit, *abundantiùs volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilij ſui interpoſuit iuſiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum fortiſſimum ſolatium habeamus.* Accedit etiam magna certitudo ex coniunctione ſpei cum caritate: ait enim Apoſtolus ad Romanos[l]. *Spes autem non confundit,*

quia

a cap. 7. 1.
b cap. 22. 12.
c Calvin.
d cap. 9. 9.
e cap. 21. 5.
f cap. 12. 32.
g Seſſ. 6. c. 9.
h cap. 8. 17.
i In Antid. Conc. Trid. Seſſ. 6. cap. 9.
k cap. 6. 17.
l cap. 5. 5.

quia caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum
ſanctum, qui datus eſt nobis. Poſtremò magnam certito-
dinem affert firma illa adhæſio, qua voluntas diui-
a ad Heb. 6. 19. næ promiſſioni affixa eſt, quam Apoſtolus [a] anchoram
animæ vocat firmam ac tutam, & ob eam cauſam
b ſeſſ. 7. c. 13. Concilium [b] vocat ſpem certiſſimam.

X. Verùm aiunt hæretici [c], hanc noſtram Catholicam
c Kemnit. ſententiam profectam eſſe ab errore Phariſæorum,
& Nouatianorum. Phariſæos enim miratos eſſe
quòd priuatis hominibus Chriſtus ſcelerum condo-
nationem denunciaret, cùm alioqui de peccatorum
expiatione vniuerſim ſumpta nulla ratione dubita-
rent: Nouatianos autem (vt Socrates, & Ambroſius
teſtantur) dubitaſſe, verùm miniſtri ſimpliciter, &
abſolutè, an verò cum aliqua dubitatione peccata re-
mitterent. Quibus facilè reſponderi poteſt, hoc eſſe
argumentum planè hæreticum, & ex mendaciis con-
farcinatum. Nam quod ſpectat ad Phariſæos ex
d cap. 9. 6. Matthæi [d] narratione meridiana luce clariùs con-
ſtat, exiſtimaſſe illos nefas eſſe homini condona-
re peccata. Quocirca Chriſtus, vt hunc errorem
refelleret, *Vt autem ſciatis*, inquit, *quia filius hominis*
habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, dixit para-
e cap. 7. 47. *lytico, &c.* Et apud Lucam [e] cùm dixiſſet Chriſtus
mulieri peccatrici: *Remittuntur tibi peccata tua*; con-
tinuò Phariſæi obiecerunt. *Quis eſt hic, qui etiam pec-*
cata dimittit? De Nouatianis verò res multò aliter
f lib. 4. Ep. 2. habet, quàm ipſi opinentur. Docet enim Cyprianus [f],
eos exiſtimaſſe poſt baptiſmum lapſos non eſſe in
Eccleſia ad pœnitentiam admittendos; poſſe tamen
Deum extra Eccleſiam illis parcere, atque adeo
ipſis peragendam eſſe pœnitentiam, ſed nullum eſſe
ſacramentum præter baptiſmum ad remittenda
peccata inſtitutum. A quo errore non admodum
abhorrent Caluiniſtæ qui pœnitentiæ ſacramentum
penitus tollunt, & peccata ſola baptiſmi memoria
expiari contendunt. Neque aliter de Nouatianis
g lib. 2. ... pat. cap. 11. ſentiunt Socrates [g], & Ambroſius [h].

XI. Sed vrgent Catholici ſacramenta verè continere,
h lib. 1. de pœn. cap. 2. atque efficere gratiam, vt conſequens ſit poſt ſuſ-
ceptum ſacramentum abſque illius iniuria non licere
de gratia ſuſcepta dubitare, quinetiam idem omninò
ſequi etiamſi ſacramenta tantùm eſſent ſigna: ſunt
enim ſigna certa, & minimè fallentia. Adde quod
miniſtri ſacramentorum abſolutè dicunt ſe baptiza-
re, & abſoluere. Neceſſe igitur eſt vel eos mentiri,
quod eſt impium opinari, vel ſi vera loquuntur, ve-
rè efficere quod dicunt, adeóque omnem contra-
riam dubitationem excludere. denique fides Catho-
lica docet, ſacramenta conferre gratiam iis, qui gra-
tiæ impedimentum non opponunt. Poteſt autem
quiuis certò, atque euidenter cognoſcere ſe gratiæ
impedimentum non obiecisſe. Quid ergo prohi-
bet, quominus is qui ritè ſacramentum percepit,
certò credat ſe eſſe iuſtum & gratia caritatéque præ-
ditum? Reſponderi ſolet ad ritè percipiendum ſa-
cramentum exigi in ſuſcipiente certam præparatio-
nem, in conferente verò propoſitum, & intentio-
nem; Neutrum verò certitudine fidei cognoſci poſ-
ſe, ſed ſolùm ex ſignis, & coniecturis probabiliter
...omnia. ſed qui contrariam ſententiam tuentur non
penitus acquieſcunt: aiunt enim qui cùm fecerit
quantum in ſe eſt ſi accedat ad ſacramentum, verè
iuſtificari; alioqui enim nihil poſſe Deo magis indi-
gnum excogitari, quàm ſi aliquid vltra humanas vi-
res exigat: cuique verò perſpicuum ſit oportet, ante-
quàm ad ſacramentum accedat, ſe planè feciſſe quid-
quid facere poteſt. Quis enim dicat, impoſitum eſſe
hominibus præceptum, vt faciant quantum poſſunt,
vt ritè ſacramentum percipiant, nec tamen vnquam
certò cognoſcere queant, verùm huic præcepto ſa-

A tisfecerint; neceſſe vt ſit, illos perpetuò angi, & cru-
ciari, déque ſua præparatione dubitare? Itaque ſi
certum, exploratúmque eſt ei, qui ad ſacramen-
tum accedit ſe feciſſe quantum potuit, atque
adeo nullum obiecere gratiæ impedimentum: Fi-
des autem Catholica docet ſacramentum adhibitum
ei, qui fecerit quantum potuit, gratiam conferre;
quis poterit dubitare, certum item fore certitudino
fidei eum, qui ita ad ſacramentum acceſſerit, gratiam
& iuſtitiam eſſe conſequutum? Sic enim ferè receptū
eſt apud Theologos, ſi quis legitimo ſyllogiſmo ex al-
tera propoſitione fide Catholica certa, & altera eui-
denti argumentetur, conſequutionem ſaltem ſecūdariò
pertinere ad fidē, vt viri docti [a] multis oſtendunt. ſed a Andr. Vega. lib. 9. in Concil. Trident. c. 39 & Sot. lib. 3. de nat. & grat. c. 13.
B quamquàm non nego propoſitionem quæ rectè de-
ducitur ex altera quæ pertineat ad fidē, & altera eui-
denti ipſam quoque pertinere ad fidem, vt alibi co-
pioſiùs doceo; illud conſtanter affirmo, poſſe qui-
dem quemlibet fidelem euidentia ſaltem morali
euidenter cognoſcere, ſe ita eſſe comparatum, vt
citra piaculum ad ſacramentum poſſit accedere: non
poſſe tamen perſimili euidentia ſcire ſe ita paratum
eſſe, vt certò, & abſque vlla dubitatione gratiam ſit
conſequuturus, cùm in ea re vix poſſit quiſquam
aliud habere propter probabilitatem, quandoqui-
dem variæ ſunt de præparatione neceſſaria ad gra-
tiam Theologorum ſententiæ, quæ probabiles cùm
ſint, pariunt etiam probabilem opinionem perce-
ptæ gratiæ. Ex quo apparet nullius momenti eſſe
tendam eſſe illorum ſubtilitatem, qui certitudinem
C fidei diuinæ, à fidei Catholicæ certitudine diſtin-
guunt; cùm eadem prorſus ſit vtriuſque fidei certi-
tudo, Dei affirmantis auctoritate ſubnixa; ſed hoc
ſolùm interſit, quòd fides Catholica pertinet ad vni-
uerſos, diuina fides etiam in priuatis reuelationibus
ineſſe poteſt.

XII. Quæ cùm ita ſint apparet nō repugnare, iuſtos ha-
bere poſſe nonnullam humanam, & moralem certi-
tudinem, cui tamen non repugnet ſubeſſe falſum,
quæque interdum excludat ab actione formidinem,
non tamen ab habitu. Humanam porro, & moralem
certitudinem appellaui, quia quamuis remotè pen-
deat à principiis diuinitus reuelatis, non tamen ab iis
proximè manat, ſed intercedunt humana quædam
principia humano prorſus more cognita eo planè
D modo, quo ſingularis aliqua hoſtia conſecrata ado-
ratur imperante fide diuina, quamuis fides diuina
non neceſſariò credat, hanc ſingularem hoſtiam eſſe
ritè conſecratam, etiam ſi omnia argumenta, quæ
perſuadent, hoſtiam illam eſſe conſecratam, ſaltem
remotè à fidei principiis pendeant. itaque tam certi-
tudo, qua iuſtus credit ſe eſſe diuina gratia prædi-
tum, quàm illa qua fidelis hoſtiam conſecratam reli-
gioſo cultu veneratur, moralis eſt, & quodammodo
humana, remotè tamen etiam aliqua ratione diuina,
eiuſmodi tamen, cui non repugnet ſubeſſe falſum,
vt in exemplo hoſtiæ conſecratæ apertè conſtat,
& exemplo Phariſæi apud Lucam [b] firmari poteſt, b cap. 18. 11.
qui ſe iuſtum putabat, cùm re vera non eſſet. Hanc
certitudinem vſque eò progredi poſſe, vt formi-
dinem ab aſſenſu excludat perſpicuum eſſe videtur,
tum quia non repugnat iuſtum habere aliquem einſ-
E modi aſſenſum ſuæ iuſtitiæ ab omni formidine li-
berum, tum etiam quia hoc cernitur in humana opi-
nione, atque hoc, ni fallor, vt minimùm probant te-
ſtimonia aliaque argumenta à viris Catholicis [c] al- c Andr. Vega lib. 9. in Con. Trid. ferme per totum, præcipuè verò c. penult. & vlt.
lata; interdum enim obiici poſſunt cuiuſpiam menti
tam multa, támque firma argumenta ſuæ gratiæ, ac
iuſtitiæ, vt dum ea cogitat penitus aſſentiatur, ac ſi
nulla eſſet ratio dubitandi, atque adeo ab illo aſſen-
ſu omnis formido, & dubitatio abſit. Quia verò ſi ſe

 paulu

paulùlum colligat, ſéque ipſum, ſuáſque actiones diligentiùs inſpiciat rurſum formidare compelletur, cùm argumẽta nõ ſint penitus certa, ob eam cauſam dicitur non amouere ab habitu omnem penitus formidinem, ac dubitationem. Poteſt enim ſemper vir prudens non ſine ratione dubitare, quamquam ſpes ſuam habet certitudinem, ac firmitatem, de qua ſuprà diximus.

XIII. Ex his, vt ad propoſita Pauli verba propiùs accedamus, intelligi facilè poteſt, quid de certitudine habitus ſpei, & fidei, de quibus non eadem eſt Catholicorum ſententia, ſentiendum ſit. Sunt enim qui [a] negent, habitus certò cognoſci poſſe, ſunt qui [b] affirment. Sunt qui [c] concedant de actionibus, de habitibus negent. Ego primùm nihil dubito, fidei functionem, vt auulſa eſt à diuina, & humana, euidenti experimento cognoſci non aliter, ac cæteras humanas actiones. Hoc primùm ſatis apertè docet Auguſtinus [d], qui alicubi ſcribit. *Video me credere, ſi credo.* Deinde non obſcurè hac ratione oſtenditur. Quemadmodum enim qui videt, euidenter nouit ſe videre; qui intelligit perſpicuè ſcit ſe intelligere; ita qui credit euidenti experimento cognoſcit ſe habere aſſenſum fidei. Deinde non poſſum dubitare, eidem aſſenſui, quo quis nouit ſe habere fidem, ineſſe certitudinem fidei diuinæ, ac ſupranaturalis. Cùm enim experimento cognoſcat ſe exercere functionem fidei, ex reuelatis planè nouit ei aſſenſui ineſſe omnia, quæ ad actionem fidei diuinæ requiruntur; atque ita fide diuina cognoſcit, actionem illam ſuam eſſe fidei diuinæ, ac ſupranaturalis; & hac ratione interpretor eorum ſententiam, qui ſequuntur D. Thomam; nam alioqui certiſſimum eſt, habitum fidei diuinæ non proximè docere hanc, vel illam functionem fidei diuinam, vel ſupranaturalem eſſe: quod ad hunc Pauli locum non obſcurè ſignificant Ambroſius, Theophylactus, & alij; idque in ſcholis [e] non malè omninò probatur. Quemadmodum enim ſcientia parit non modò rei cognitæ, ſed etiam ſuæ actionis euidentiam; haud abſimili ratione fides rem obiectam facit credibilem, eadémque certitudine ſuam fidei actionem indicat. Cæterùm quod de habitu caritatis, & gratiæ dictum eſt non poſſe illum citra diuinam reuelationem certò cognoſci; idem perſimili ratione de habitu fidei ſentiendũ videtur: quod ipſum de ſpei habitu exiſtimandum eſt; quæcumque enim afferri poſſunt argumenta ad hos habitus in ſingulis probandos non fidei diuinæ aſſenſum, ſed moralem duntaxat certitudinem pariunt, cùm præſertim non ſit penitus probabilitate deſtituta eorum ſententia, qui perſimiles habitus acquiſitos ponunt, ex quibus admodum ſimiles actiones oriri poſſunt. Quòd ſi quis percunctetur, cur fidei, & ſpei actiones fidei diuinæ certitudine cognoſci poſſint, caritatis verò actio non poſſit; hæc videtur expeditiſſima ratio, quod illæ ab ipſa fide certas habeant veluti leges, & conditiones, ex quibus ipſarum natura deprehendatur; hæc verò nullam certam habeat proprietatem, quæ non ſit amori naturali, vel diuino certè amori, qui non iuſtificet communis. Itaque actio fidei duplici ex capite cognoſcitur. Primùm quia ineſt in mente atque intelligentia, deinde quia habet Eccleſiæ auctoritatem, tamquam externam regulam, & menſuram. Spei verò functio idcirco mẽte comprehenditur, quia quandam etiam habet menſuram, quam fidei veluti opera vis intelligendi præſcribit. Quoniam autem nihil horum ineſt in caritate, eius actio non niſi morali certitudine cognoſcetur, quæ non eſt quidem certitudo fidei diuinæ, eam tamen ſuaptè natura ſubſequitur, atque hanc certitudinem Concilium Tridentinum nullo modo excludit. Quòd ſi quis ſciſcitetur, quánam ratione certitudo moralis, quæ admittitur in cognitione caritatis diſtinguatur à certitudine fidei, quam negamus, & in fide ac ſpe vltrò concedimus, triplex omnino diſcrimẽ afferri [a] poteſt. Primum quod certitudini fidei diuinæ per ſe nullo modo poteſt ſubeſſe falſum, quod morali certitudini non repugnat, quæ neque planè neceſſariò, neque proximè oritur ex principiis fidei, vt paulò antè oſtenſum eſt: deinde quia fidei certitudinem parit habitus fidei tamquàm propria, atque integra eius cauſa; ad certitudinem verò moralem non adhibet verum efficientiam, neque eſt propria, & integra eius aſſenſus cauſa. Licet enim ille aſſenſus certitudinis moralis pendeat à multis, quæ aliquo modo pertinent ad habitum fidei; tamen illa non creduntur fide diuina, ſed ad eam probabiliter duntaxat reuocantur: denique certitudo fidei diuinæ omnem moralem certitudinem longè ſuperat.

Vt igitur redeamus ad Paulum, cum ait. *Voſipſos tentate ſi eſtis in fide*, illos hortatur, vt diuinum in ſe beneficium agnoſcant. Et quidem Chryſoſtomus, Oecumenius, & Theophylactus videntur accipere de fide miraculorum; Theodoretus de fidei conſtantia: quaſi dicat: explorate vtrum ſitis in fide conſtantes. Ambroſius hanc explorationem ſeu probationẽ de mutua collatione interpretatur: quod etiam inſinuat Oecumenius; ne videlicet pſeudoapoſtolorum dogmatibus acquieſcant, & à recta fide deficiant. Græci autem putant hoc eſſe argumentum à minori; dixerat enim paulò antè Apoſtolus Corinthios experiri velle, vtrùm in ſe Chriſtus loqueretur. *Quid*, inquit, *hoc tam ſedulò de me quæritis? Quærite ſanè de vobis; fidem veſtram explorate, & cognoſcite aliquando Chriſtum eſſe in vobis. Quanto igitur magis erit in me magiſtro, & Apoſtolo veſtro?* Idem à contrario ſenſu ait Photius [b]. *Num vos ipſos tentatis an in fide ſitis? Num vos ipſos probatis? ſiquidem experimentum quærere loquentis in me Chriſti, & nondum plenè perſuaſos eſſe quòd in magiſtro loquatur Chriſtus, quid aliud eſt, quam vos ipſos tentare, num fideles ſitis, & ambigere etiam de vobis ipſis, immò potius ignorare omnino, quòd Chriſtus in vobis ſit: nam ſi non eſt in præceptore Chriſtus, multò minùs in diſcipulis.* Non ergo loquitur Apoſtolus de illa ſubtili, & accurata cognitione, de qua hactenus diſſeruimus; ſed de illa cognitione, quam quiſque fidelis neceſſariò habet, qua certò ſcit ſe Chriſti fidem profiteri; vel, ſi Chryſoſtomo credimus, de fide miraculorum agit. *Etenim*, inquit, *tunc temporis ij qui fide præditi erant miracula patrabant.* A qua ſententia non admodum abhorret Photius; vt omittam recẽtiores aliquos, qui id pro certo habent. Ego de fide theologica accipio, putóque Apoſtolum monere Corinthios, vt ſuam vocationem expendant, & munera diuinitùs accepta cognoſcant, ex quibus intelligere poſſint & quę ſit perceptæ fidei efficacitas, & Chriſtum in ipſis quodammodo habitare. *An non cognoſcitis voſmetipſos*, ait, *quia Chriſtus Ieſus in vobis eſt?* Hoc etiam Chryſoſtomus de fide miraculorum accipit. *Mihi porrò*, ait, *hac ille de ea fide intelligere videtur, quæ in miraculorum editione ſita eſt; nam ſi fide illa præditi eſtis, Chriſtus in vobis eſt.* Eodem modo explicant Photius, & Theophylactus: ego nonnihil hæreo, cùm enim probè norim, etiam ſigna, atque prodigia ab iis interdum patrari poſſe, qui à Chriſto ſunt alieni, non planè intelligo qua ratione conſtet, quod ait Chryſoſtomus, ex fide miraculorum Chriſti præſentiam deprehendi. Iaque de vera theologica fide loquitur, quam, vt dictum eſt, euidenti experimento cognoſcere poterant, ſi eius actionem aliquam exercebant, XIV.

a Andr. Veg. lib 9. in Cõc. Trident. c. 17. & 18. Orian. in 3. d. 18 q. 4. b D. Thom. 1. 2. q. 17. a. 3. ad 1 & 2. 2. q. 112. art. 5. ad 2. & ibid Caiet. Scot. in 3. d. 23. q. vnic. c Sot. in Apolog. cont. Cater. c. 5. d lib. 13. de Trinit. c. 1. ſimilia habet lib. de fide rerum inuiſib. ca. 1. & ep. ad Paulinam de videndo Deo.

e Bart. Med. 1. 2. q. 112. a. 5.

a Andr. Veg. lib. 9. in Cõc. Trident. c. 47.

b apud Oecum.

bant, & ipſum etiam fidei habitum morali certitu-
dine comprehendere; eadémque ratione intelligere
Chriſtum habitare per fidem in cordibus: *Niſi fortè
reprobi eſtis*: hoc eſt, niſi veſtra culpa Chriſtum à vo-
bis abiicitis; quod Chryſoſtomus, Primaſius, & alij
non ad fidem, ſed ad mores referunt, non enim du-
bitat, ne à fide exciderint, ſed ne vita & moribus
Chriſtũ à ſe repulerint: quæ mihi ſententia magno-
pere placet. Græcè autem ſcriptum eſt *εἰ μήτι ἀδόκι-
μοι*; id eſt; niſi in aliquo Ambroſius omittit; *fortè*: re-
probos autem non intelligit eo modo, quo reprobi
prædeſtinatis opponuntur; eſt enim Græca vox *ἀδό-
κιμοι*, quaſi dicat, minimè probi, aut minimè probati,
quomodo paulò pòſt, *vt nos*, inquit, *probati apparea-
mus*. Græcè *δόκιμοι*.

Spero autem, quod cognoſcetis, &c.
6. I. Quia dixerat Chriſtum in illis habitare, niſi fortè
eſſent reprobi, oſtẽdit ex eo quod ipſe reprobus non
ſit, ſibi adeſſe Chriſtum, vt hæc ſuperioribus reſpõ-
deant, quibus dixerat: An experimentum quæritis
eius, qui in me loquitur Chriſtus? Spero igitur ait
cognituros vos; ita enim legit Ambroſius, nos non
eſſe reprobos, hoc eſt, non eſſe improbos. Chryſo-
ſtomus, Oecumenius, Theodoretus, & Theophyla-
ctus putant, his verbis latere comminationem, quaſi
ſupplicium, & vltionem intentet. Ambroſius putat,
eos ad ſcientiam fidei excitari; & ſuæ auctoritatis
cognitionem. Ambiguè loquitur Primaſius, vt in
vtramque ſententiam facilè trahi queat. Ego credi-
derim ſimpliciter, Apoſtolum affirmare, cognituros
Corinthios ipſa rerum euidẽtia ſiue à vitæ, morúm-
que innocentia; ſiue à ſignis atque prodigiis: ſiue ab
auctoritate, ac diuina poteſtate ſe non eſſe repro-
bum, hoc eſt, à Chriſto alienum; vt vbi ſuam agno-
uerint auctoritatem, morúmque innocentiam, & di-
cto ſe audientes præbeant, & mores corrigant, &
pſeudoapoſtolos repellant: quod mox planius ſigni-
ficat, cùm eos hortatur, vt ab omni praua actione
abſtineant. Ne videretur enim ſuam cauſam agere,
ſed Corinthiorum vtilitatem, & ſalutem quærere,
ſubdit.

Oramus autem Deum, vt, &c. Qui
7. I. paulò antè ſupplicijs intentare viſus erat, optat nunc
ſibi vltionis, ac pœnæ materiam ſubtrahi: hoc enim
eſt, quod ait. *Oramus autem Deum, vt nihil mali fa-
ciatis*. Qua in re Chryſoſtomus, Oecumenius, &
Theophylactus obſeruant Pauli mentem mirè ſe-
datam, & ab omni animi perturbatione penitùs alie-
nam. Cùm enim ille contemneretur, traduceretur,
pro nihilo denique haberetur, nõ modò non vlciſci-
tur, ſed vt dictum eſt vota facit, & à Deo precibus
contendit, ne patiatur Corinthios vllo ſcelere in-
quinari, hunc ipſam ob cauſam ne pro ſui muneris
ratione pœnas de iis ſumere compellatur. Quod au-
tem interpres dixit. *Oramus autem Deum*; Græcè
ſingulari numero ſcriptũ eſt *εὔχομαι δὲ πρὸς τὸν θεόν*;
hoc eſt; opto autem apud Deum, vel, oro Deum.
Qua in re (vt obſeruauit nonnemo) ſuo exemplo
docet quid Epiſcopis, & iis, qui cæteris præſunt;
agendum ſit. Oportet enim, illos pro ouium ſuarum
ſalute aſſiduas ad Deum preces fundere, itémque
manſuetudine potiùs, & lenitate, quàm ſupplicij ſe-
ueritate ſubiectos in officio continere; ob hoc igitur
orat Apoſtolus. Subdit. *Non vt nos probati apparea-
mus* quod dupliciter accipi poteſt. Primùm, vt ex-
plicet veluti finem, quamobrem oret, ne Corinthij
quidquam mali agant; hoc ſenſu; non id propterea
oro, aut opto, vt nos probati appareamus, quaſi qui
diſcipulos habeamus tam bene inſtitutos, & in vir-
tutis ſtudio tam fœliciter currentes. Chryſoſtomus,
reliquique Græci; Ambroſius, & plerique Latino-

A rum hoc etiam putant, precibus à Deo flagitare Pau-
lum, vt ſit ſenſus. Oro, vt vos nihil mali faciatis, non
autem vt ego veſtra vlciſcens flagitia probatus ap-
paream, hoc eſt, integer, ac minimè corruptus, qui
iuſtitiæ ſeueritatem retineam. Primaſius hanc poſte-
riorem ſententiam magis probat, quæ auctorum
multitudine, ac dignitate proculdubio præſtat, &,
vt mihi quidem videtur, magis cum ſequentibus co-
hæret. *Sed vt vos quod bonum eſt faciatis, nos autem vt* II.
reprobi ſimus. Opto, inquit, vos caſtam, ac puram vi-
tam ducere, etiam ſi inde nos reprobi habeamur,
hoc eſt inglorij, nullius nominis, ac pretij. Cæterùm
quia græcè ſcriptum eſt *μὴ ποιῆσαι ὑμᾶς κακὸν μηδέν*;
Theophylactus pro *ὑμᾶς* legiſſe videtur *ὑμεῖς*, &
refert ad Deum. Precor autem, inquit, Deum, ne
B faciat vobis quidquam mali. Sed vis ſententiæ om-
nino petit, vt apertè oſtendunt ea, quæ ſequuntur.
Vt vos, inquit, *quod bonum eſt, faciatis*. Non ſolùm
enim optat vt abſtineant à malo, ſed vt rectè, ac lau-
dabiliter vitam inſtituant, vt ita coram Deo iuſti ſint.
Quocirca apparet, quod ait: *vt vos bonum faciatis*: op-
poni ſuperiori ſententiæ; *Ne quid mali faciatis*.
ita enim explentur iuſtitiæ partes, de quibus Da-
uid[a]. *Declina à malo, & fac bonum. Nos autem vt re-* a Pſal. 36. 27.
probi ſimus; non planè reprobi, ſed veluti reprobi: ne-
que enim, vt ait Oecumenius exprimens ſenten-
tiam Chryſoſtomi, re vera futurus erat reprobus, ſi
non animaduerteret in innocentes; ſed imperitorum
tamen iudicio reprobus videri poterat, hoc eſt, vilis,
atque abiectus, qui nullum ſuæ potentiæ, & aucto-
C ritatis ſpecimen daret. *Satius autem eſt*, ait Chryſo-
ſtomus, *vt in hac apud illos exiſtimatione ſimus, quam
vt in plagis inferendis, atque in animis emendationem
omnem reſpuentibus potentiam nobis diuinitus conceſ-
ſam oſtendamus*. Vt vel hinc appareat, præſules Eccle-
ſiaſticos ſi ritè ſuo munere fungi velint, ſpectare po-
tius debere ſubiectorum vtilitatem, quàm propriam
dignitatem. Ita oſtendit Apoſtolus, non ſe humanam
gloriam quærere, ſed ſe contra potius, ſuáque omnia
poſthabere Corinthiorum vtilitati, & ſaluti.

Non enim poſſumus aliquid, &c. 8.
Hæc communem Græcorum, ac Latinorum ſenten- I.
tiam magnopere confirmant. Id vnum quæro, ait
Apoſtolus, vt nos ab omni ſcelere puri, atque inte-
gri Chriſtianæ virtutis ſtadium decurratis, etiamſi
D inde nullius nos potentiæ cenſeamur; neceſſe enim
erit nos ab omni ſeueritate abſtinere. qua quidem
ratione vis, ac poteſtas diuinitus nobis conceſſa pe-
nitus erit otioſa; atque ita ſi vos bene egeritis, nos
planè infirmi, atque omnis poteſtatis penitus ex-
pertes videbimur, quia noſtra potentia, quam acce-
pimus à Deo, nullam vim habet aduerſus virtutem,
aut euangelicam veritatem; cùm ad illam potiùs aſ-
ſerendam, ac vindicandam tota referatur. Hùc ſpe-
ctat quod de principum poteſtate ad Romanos[b] b cap. 13. 3.
ſcripſit. *Vis non timere poteſtatem: bonum fac, & lau-
dem habebis ex illa, Dei enim miniſter eſt tibi in bonum.
Si autem malum feceris time; non enim ſine cauſa gla-
dium portat*. Ita Chryſoſtomus, cæterique Græci;
neque aliter ſentiunt Ambroſius, Primaſius, & alij
E Latini. Recentiores tamen nonulli aliter hæc verba
accipiunt, quaſi dicat Apoſtolus: ſi ſecus accidat, vóſ-
que aliquo grauiori flagitio inquinatos deprehen-
dam, non potero non vlciſci; alioqui enim aduerſus
veritatem, & iuſtitiam poteſtate abuterer. Sed nihil
eſt cur à communi ſententia recedamus; indicat enim
non ſibi conceſſam à Deo poteſtatem vt temerè, &
abſque vlla cauſa ſæuiat, ſed vt veritatem, & iuſtitiam
tueatur, ac defendat: & ſi quando ſæuiendum ſit, id
nullo cum faſtu, ac ſupercilio fiat, ſed magno potius
cùm doloris, & commiſerationis ſenſu. Quod egre-
giè

a Apolog.1. giè alicubi docuit Gregorius Nazianzenus[a]. Oportet enim eos, qui præſunt, parentum inliber os caritatem imitari, qui amari malunt, quàm timeri; illud enim tyrannicum effatum; *Oderint dum metuant*, à Chriſtiana, & eccleſiaſtica præcipuè republica exulare penitus debet. Ait igitur Apoſtolus, poteſtatem ſibi conceſſam nihil poſſe contra veritatem, ſed pro veritate. Veritatis autem nomine iuſtitiam ſignificat; ſeu, (vt interpretatur Oecumenius) pietatem. *Siquidem*, inquit, *nihil aduerſus veritatem, ſiue pietatem poſſumus; ſed pro ipſa, vt eos, qui iuxta ipſum non viuunt, ſupplicio cogamus, vt eum velint.* Sic ſæpè veritatis nomen in ſacris litteris vſurpatur, vt aliàs docuimus. Ex his facilè colligas eum, qui poteſtate abutitur, non modò contra caritatem, ſed etiam contra iuſtitiam facere, atque adeo non legitimum imperium, ſed tyrannidem exercere.

9. GAVDEMVS ENIM, QVONIAM NOS, &c. In
1. eodem perſiſtit argumento; & docet vehementer gaudere ſe, quòd eos videat omni virtutum genere excultos, etiam ſi propterea ipſe propemodùm pro nihilo habeatur. apparet autem, hæc non tam affirmando dici, quàm optando. Senſus enim eſt: quoniam auctoritas nobis diuinitus conceſſa nihil poteſt contra veritatem, morúmque ſanctitatem, eſt quòd magnopere gaudeamus, cùm videmus vos omni virtutum genere efflorеſcere; tametſi propterea quia noſtram non exercemus poteſtatem, nullius videmur auctoritatis. Itaque quod ait, *ſe infirmum*, & Corinthios *potentes*, perinde eſt, ac ſi dicat, ſe carere poteſtate, illos autem iuſtè, ac laudabiliter viuere. Non igitur Apoſtolus ægrè fert, quòd ſuam nequeat exercere poteſtatem, ſed potius gaudet quòd Corinthios videat ſponte ſua ad optima quæque contendere. Vocat autem illos potẽtes, quòd dum laudabiliter viuunt, non metuant ſuperioris poteſtatem: contrà infirmum enim vocat, qui poteſtate ſæuiendo, ac puniendo non vtitur. Cæterùm quod ait interpres, *quoniam*, græcè eſt ὅταν, id eſt, *cùm*, vt legit Ambroſius; ſeu; quandoquidem, quod idem eſt. Solet tamẽ vulgatus interpres ita plerumque vſurpare, quoniam, pro, quandoquidem. *Hoc & oramus veſtrum conſummationem.* Non ſolùm gaudemus, ſed etiam optamus, Deúmque obſecramus, vt omnium virtutum apicem aſſequamini. Miror quid legerit Ambroſius, qui latinè dixit; *In hoc*; cùm Græci codices habeant τοῦτο δὲ; id eſt, hoc autem. Pro; conſummatione; græcè dixit κατάρτισιν, hoc eſt, perfectionem, ſeu etiam, inſtaurationem, quaſi velit eos maiores ſemper progreſſus facere, tantùm abeſt, vt puniendi, & vlciſcendi materiam quærat. Itaque hæc omnis Apoſtoli oratio eò ſpectat, vt doceat ſe nullam ſui ſuæue dignitatis, aut vtilitatis rationem habere, nihilque aliud quærere aut optare, quàm ipſorum ſalutem.

10. IDEO HÆC ABSENS SCRIBO, &c. Rectè
1. paulò antè dictum eſt à nobis, non tam affirmare Apoſtolum eos tales eſſe, quales inſinuauerat; quàm gaudere ſe ſi eiuſmodi ſint, vt ea commendatio veluti calcar adderet, & aculeos admoueret, id quod in præſentia planiùs affirmat. Propterea, inquit, *hæc abſens ſcribo, ne præſens duriùs agam*; ne quod minimè vellem, præſens ſæuire cogar. Quod autem ait interpres, *duriùs agam*, græcè eſt μὴ ἀποτόμως χρήσωμαι, hoc eſt, præcisè ſiue exactè, vt rigidus ſim, & ad viuum quodammodò reſecem; nollet enim Apoſtolus rigidè, aut ſeuerè agere. *Secundùm poteſtatem, quam Dominus dedit mihi.* Illam intelligit poteſtatem, de

b verſ.20. qua dixerat ſuperiori capite[b]. *Et ego inueniar à vobis,*
c cap.10.6. *qualem non vultis.* Et alibi[c]. *In promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam.* Quamuis enim hæretici obſtrepant, fateri neceſſe eſt, conceſſam fuiſſe Apo-

A ſtolis ſupremam quamdam auctoritatem, qua non modò poſſent euangelium promulgare, miniſtrare ſacramenta, & id genus alia præſtare; ſed etiam leges condere, & pœnis contumaces coërcere: & de hac poteſtate loquitur Apoſtolus, quam ſibi ait datam eſſe in ædificationem, *& non in deſtructionem*: ſic etiam ſuprà. *Nam etſi amplius aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram*, non erubeſcam. Itaque omnis Eccleſiaſtica poteſtas data eſt in ædificationem, non autem in deſtructionem. Vi- 11.
derint igitur qui in Eccleſia præſunt, quomodo ſua poteſtate vtantur; nam qui[a] *alligant onera grauia, &* a Matt.23.
importabilia, digito autem ſuo nolunt ea mouere; ad
B deſtructionem potius, quàm ad ædificationem vtuntur; quos his verbis caſtigat Chryſoſtomus[b]. *Tales* b Hom.44. in Matt.
ſunt nunc etiam ſacerdotes, qui omnem iuſtitiam populo mandant, & ipſi nec modicè ſeruant, vt videlicet non facientes ſint iuſti, ſed vt dicentes appareant iuſti. Tales ſunt & qui graue pondus venientibus ad pœnitentiam imponunt, qui dicunt, & non faciunt; & ſic dum pœna præſentis pœnitentiæ fugitur, contemnitur pœna peccati futuri. Sicut enim ſi faſcem ſuper humeros adoleſcentis, quem non poteſt baiulare, poſueris; neceſſe habet, vt aut faſcem reiiciat, aut ſub pondere confringatur: ſic & homini, cui graue pondus pœnitentiæ imponis, neceſſe eſt, vt aut pœnitentiam tuam reiiciat, aut ſuſcipiens dum ſufferre non poteſt, ſcandalizatus ampliùs peccet. Deinde & ſi erramus modicam pœnitentiam imponentes; nónne melius eſt propter miſericordiam rationem reddere, quàm
C *propter crudelitatem? Vbi enim paterfamilias largus eſt, diſpenſator non debet eſſe tenax. Si Deus benignus eſt, vt quid ſacerdos eius auſterus? Vis apparere ſanctus? Circa vitam tuam eſto auſterus, circa alienam benignus.* Et in eamdem ſententiam alia multa afferri poſſent, quæ apertiſſimè oſtendunt, dandam eſſe Eccleſiaſtico præſuli operam, vt ſiue lenitate, ac manſuetudine, ſiue rigore, ac ſeueritate vtatur, vnam ſubiectorum ſalutem ſpectet; quæ tamen (vt Chryſoſtomus, Theodoretus, aliique Græci obſeruant) acerbitatem ſupplicij nonnumquam requirit. vt enim ait Theodoretus; *vno, vel altero ſupplicio affecto, vniuerſa multitudo vtilitatem capit. Ita olim Anania, & Sapphira extinctis, ingens cætum vniuerſum timor occupauit.* Et Salomon alicubi dixit[c]. *Peſtilente flagellato ſtultus ſa-* c Prou.19.
D *pientior erit.* Et rurſus[d]: *Mulctato peſtilente ſapientior* d Prou.21.
erit paruulus. Et Gregorius explicans verba illa Pauli[e] *remiſſas manus, & diſſoluta genua erigite*; in hunc e Hebr.12.
modum ſcribit: *Dum itaque alienum interitum conſpiciunt, reuocantur ad cor, vt recogitent ſuum: & vnde alius ad tormenta ducitur, is tormento alius inde liberatur. Stringit ergo ſuper eum manus ſuas, quia conſpicit in aliena pœna quid timeat, & dum delinquentem ſic percuſſum conſpicit, diſſoluta ſua opera iuſtitiæ vigore conſtringit; ſicque fit, vt qui iniquius viuẽs, multos ad culpam traxerat delectatione peccati, quoſdam moriens à culpa reuocet terrore tormenti. Quod etiam prouenire bonis Pſalmiſta teſtatur dicens*[f]: *Lætabitur iuſtus cùm vide-* f Pſal.57.
rit vindictam impiorum: manus ſuas lauabit in ſanguine peccatorum. In peccatorum morientium ſanguine iuſti lauantur manus, quia dum eorum pœna conſpicitur, con-
E *ſpicientis vita mundatur.* Et nonnullis interiectis. *Dum iuſta, ait, vltio iniuſtos ſubtrahit, alios à prauitate compeſcit; vnde per Salomonem*[g] *dicitur. Mulctato pe-* g Prou.21.
ſtilente, ſapientior erit paruulus. Itaque puniendi ſeueritas etiam pertinet ad ædificationem, quod non obſcurè hoc loco indicat Apoſtolus, qui ſe indicat ad lenitatem quidem magis eſſe propenſum, ſi tamen res poſtulat non fore à ſeueritate penitus alienum; ob id enim dixerat. *Ne cùm præſens fuero duriùs agam.* Cum verò addit. *Secundùm poteſtatem, quam dedit*

mihi

tibi Dominus oſtendit (vt monet Oecumenius) non A
ſe eſſe ſupplicij auctorem, ſed miniſtrum. Deum
namque dum hanc poteſtatem largitus eſt, ſua au-
ctoritate ſanxiſſe, qui peccatores iuſſit [a] Eccleſiæ iu- Matt.18.17.
dicio ſiſti. *Quòd ſi*, inquit, *non audierit eos, dic Eccleſiæ;*
ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, &
publicanus. De hac verò Eccleſiaſtica poteſtate ſubdit:
Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis ſuper terram,
erunt ligata & in cœlo: & quæcumque ſolueritis ſuper
terram, erunt ſoluta & in cœlo.

11. De cætero (fratres) gaudete, &c.
I. Miratur Chryſoſtomus, cur poſt minas & terrores,
gaudendum ſuadeat; & hoc ipſo ait gaudendum
quia cùm ipſe ſuo muneri cumulatiſſimè ſatisfece-
rit, ſi etiam Corinthij quod ſuarum partium eſt præ-
ſtiterint, ſolido illos gaudio perfuſum iri. Eodem B
modo reſpondent Oecumenius, & Theophylactus,
& addit Theodoretus, eorum qui honeſtè & cum
virtute viuant, proprium eſſe gaudium. Ambroſius
ex morum vitæque mutatione exiſtere gaudium, &
lætitiam docet. Nec dubium eſt agere Paulum de
ſpiritali gaudio, quod inter fructus Spiritus ſancti
recenſetur. Quamquam Græca vox χαίρετε, latinè
reddi poteſt; valete; ſeu potius ſaluete aut auete. quo-
modo Angelus beatiſſimam Virginem apud Lucam
ſalutauit χαῖρε κεχαριτωμένη; hoc eſt. *Aue, gratia plena.*
Quod ait interpres *de cætero*; græcè eſt λοιπὸν; quaſi
dicat quod ſupereſt. qui dicendi modus eſt apud
Paulum frequentiſſimus. Nos in paraphraſi dixi-
mus, Valete, quod fini Epiſtolæ ea ſalutandi ratio C
maximè conueniat. *Perfecti eſtote.* græcè καταρτίζεσθε,
quæ vox (vt aliàs diximus) rem ſignificat, quæ cum
lacera ſit, ſarcitur & concinnatur, vt obſcurè notet
Corinthiorum diſſidia. Cæterùm Chryſoſtomus
ita accipit quaſi Apoſtolus hortetur Corinthios, vt
inchoatum virtutis ſtudium perficiant, & abſoluant,
idque addant, quod adhuc deſiderari poſſe videba-
tur. Ita de Chriſtiana perfectione locum explicant
Ambroſius & Primaſius. *Exhortamini*; græcè παρα-
καλεῖσθε; quod Ambroſius latinè reddidit *Conſolatio-*
nem percipite. Nec dubito Chryſoſtomum hoc ſenſu
accepiſſe; ſic enim ſcribit. *Quoniam enim multa ten-*
tationes, atque ingentia pericula erant, ſolatium, inquit,
capite, tum alij ab aliis, tum à nobis, tum ab ipſa rerum in
melius mutatione: nam ſi ab animo benè ſibi conſcio læti-
tia oriatur, vóſque omnes virtutis numeros expleueritis, ni- D
hil ad animi tranquillitatem, & ſolatium vobis deeſt. Ne-
que enim ad conſolandos animos quidquam tantum mo-
menti habet, quantum pura conſcientia, etiamſi alioqui
ſexcenta tentationes vos circumſedeant. Eodem pror-
ſus modo explicant Theodoretus, Oecumenius,
Theophylactus, & inter Latinos Ambroſius: ſed Pri-
maſius noſtrum interpretem ſequitur; & colligit,
etiam laicos mutuò ſeſe poſſe adhortari. Græcos, &
Ambroſium in paraphraſi ſequuti ſumus. *Idem*
ſapite. ſic etiam legit Ambroſius, hoc eſt, idem ſen-
tite, ſeu concordes, & vnanimes eſtote. Quod Chry-
ſoſtomus explicat de vna atque eadem animi ſen-
tentia: alij de affectu animorum accipiunt. Propius
verò videtur, vt hoc ad mentem, & intelligentiam E
referatur: nam quod ſequitur; *Pacem habete.* ſpectat
ad voluntatem, & fortè quod ait; *Idem ſapite*; de fidei
dogmatibus accipiendum eſt: pax verò ſchiſmata,
& ſeditiones tollit. *Et Deus pacis, & dilectionis erit vo-*
biſcum. Quibus verbis (vt ait Chryſoſtomus) horta-
tur, optat, & precatur, & quod futurum eſt prædi-
cit. *Si enim* (ait Chryſoſtomus) *hæc feceritis, hoc eſt,*
ſi idem ſentiatis, ac pacem colatis, Deus quoque vobiſcum
erit. Deus ſiquidem caritatis, & pacis eſt Deus, atque his
rebus gaudet, & oblectatur. Hinc vobis quoque pax futu-
ra eſt, nimirum ab ipſius caritate hinc illud conſequimini,
vt mala omnia procul à vobis pellantur, ac de medio tol-
lantur. Hæc ſcilicet eſt, quæ terrarum orbi ſalutem attulit;
hæc, quæ diuturnum bellum compreſſit ac ſuſtulit. hæc, quæ
terram cum cœlo commiſcuit: hæc, quæ homines Angelos
reddit: hanc proinde nos quoque amemus, infinitorum
enim bonorum parens eſt caritas, per hanc ſalutem accepi-
mus, per hanc nobis arcana omnia bona comparantur.
Porro pacem tribus integris orationibus miris lau-
dibus extulit Gregorius Nazianzenus.

Salutate invicem, &c. Quia dixerat *pa-* 12.
cem habete; vel (vt ait Ambroſius) *in pace agite*, I.
meritò addit pacis ſignum, ſalutationem in oſculo
ſancto. Qua de re alibi copioſiùs diximus. ſan-
ctum enim oſculum auctore Chryſoſtomo eſt oſcu-
lum non fictum, non ſubdolum. *Hæc autem ſalutatio*
vt ait Ambroſius *eccleſiaſtica eſt, quia oſcula hæc non*
carnalia ſed ſpiritualia ſunt, quæ complexu corporum ani-
mos copulant. non deſiderio carnis, ſed ſpiritus. Fuiſſe au-
tem hanc ſalutationis rationem in Oriente etiam
ab ethnicis vſurpatam, auctores ſunt Xenophon [a], a libro. 1. Cy-
& Herodotus [b]. *Salutant vos omnes ſancti.* ita quod ropæd.
ait Chryſoſtomus tam longè diſſitos, quàm etiam b in Clio.
præſentes inter ſe conciliat, hos quidem per oſculum
ſanctũ, illos verò per Epiſtolam. Obſeruat autẽ Am-
broſius, Apoſtolum ſanctos potiſſimùm nominare,
vt Corinthios ad ſanctitatem excitet, atque inflãmet.

Gratia Domini nostri Iesu Chri- 13.
sti, et caritas Dei, &c. Voto, ac precatio- I.
ne (inquit Chryſoſtomus) Epiſtolam claudit, & eos
ſedulò, & accuratè cum Deo coniungit; & ſuo quidẽ
more Paulus Patrem appellat Deum, filium Domi-
num: rurſus Patri tribuere videtur caritatem, filio
gratiam, Spiritui ſancto communionem, & quidem
merito; à Patre namque humanæ ſalutis exordium
ductum eſt, *qui ſic* [c] *dilexit mundum, vt Filium ſuum* c Ioan. 3. 16.
vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipſum non pereat,
ſed habeat vitam æternam; à filio gratiam accepimus,
qui nos non modò meritis deſtitutos, ſed ſcelerum
maculis contaminatos ſuo ſanguine abluit, ſuáque
morte à ſempiterno interitu vindicauit. de quo Ioan-
nes [d]. *Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt:* d cap 1. 17.
diuinorum planè munerum largitio, quam vocat
Apoſtolus communionem Spiritui ſancto accepta
refertur. Ex hoc autem loco egregiè refellit Chry-
ſoſtomus eos, qui negabant, Spiritum ſanctum eiuſ-
dem eſſe naturæ cum Patre, & Filio. Nec malè ob-
ſeruat Primaſius, hinc etiam impietatem Arriano-
rum confutari, qui Patrem filio maiorem eſſe con-
tendebant, quòd priori ſemper loco nominaretur.
Hîc enim Paulus Filium Patri præpoſuit, & quidem
meritò, quia diuinæ caritatis nemo eſt particeps, niſi
merito & beneficio Chriſti, qui de ipſo dicebat [e]. e Ioan. 14. 6.
Nemo venit ad Patrem niſi per me. Et alibi [f]; *Ego ſum* f Ioan. 10. 9.
oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur: ingredietur, &
egredietur, & paſcua inueniet. Ipſa etiam diuina Spiritus
ſancti chariſmata merito Chriſti conceſſa ſunt. *Roga-*
bo, inquit, *Patrem, & alium paracletum dabit vobis.*
Quinetiam Spiritus ſanctus miſſus à Patre dicitur
in Chriſti nomine. *Paracletus autem*, ait, *quem mittet*
Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret
vobis omnia quæcumque dixero vobis: ille me clarificabit,
quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. illud autem
rectè adnotatum eſt à Chryſoſtomo, tametſi ſingula
ſingulis perſonis hoc loco tribuantur, promiſcuè ta-
men omnia æquè ab omnibus, & à ſingulis pẽdere, vt
nulla in Trinitate externarum actionum diuiſio, ſeu
diſtinctio admittẽda ſit. Porro hæc omnia optat Apo-
ſtolus omnibus Corinthiis adeſſe, vt ſuã in omnes ca-
ritatem declaret. *Sit*, inquit, *cum omnibus vobis. Amen.*

PRIMI TOMI FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EM. II

INDEX RERVM ET VERBORVM QVÆ IN HOC VOLVMINE EXPLICANTVR.

Numerus, paginam; Littera, locum in textu deſignat.

A.

ABRAHAM *primus vocatus eſt Hebreus.* 794.e
Quomodo Abraham ſit pater multarum gentium. 152.c
Abrahæ poſteritas, ſunt fideles. 225.d
Abraham duplicem habuit poſteritatem. 152.d,e
Quia Abraham credidit Deo promittenti ex gratia iuſtificatus eſt. 144.e
De fide & operibus Abrahæ. 139.a,b
Abſalon crine miſerè periit. 553.a
Abſtinentia à cibis ſi per ſe ſpectetur, non valet ad ſalutē. 341.b
Quæ à cibis abſtinentia Deo probetur. 341.d
Quid ſit abnegare ſe. 16.b
Achab & Iezabel iuſſu Iudæ prophetas occiderunt. 189.b
Quomodo in Deo non ſit perſonarum acceptio. 108.c
Achiuos vocat Homerus crinitos. 556.e
Externæ actiones non ſunt laudabiles niſi cum probitate & recti amore coniungantur. 140.b
Actiones noſtræ etiā ab hominibus probari debent. 316.c,d
Affectus peccati Adami. 172.b
Adamus figura fuit Chriſti. 169.b
Diſſimilitudo inter Adami peccatum, & Chriſti gratiam. 170.c,d
Adam quomodo exemplar mortis noſtræ fuit. 640.c
Adamus terrenus, Chriſtus cæleſtis. 654.d,e
Quid effecerit in hominū natura Adami peccatū. 209.e
Vt quis iuuetur, duo debent agere adiutus & iuuans. 237.c
Alij procumbentes adorabant. 190.a
De antiquorum adorationis forma. 289.a
Adorandi ratio Hebræorum. 618.e
Adulterium an cauſa ſufficiens diuortij. 478.c,d
Vnus coniugum alteri præcipiēti adulterium obtemperare non debet. 473.b,c
Adulterium an turpius in fœmina quàm in viro. 473.e
Quid inter adulatorem & amicum interſit. 747.d
De aduerſis perferendis. 236.c,d
Experti res aduerſas, ad alios conſolandos aptiores. 677.a
Oportet addiſcentem credere. 382.a
Aduerſa contemnit qui de futura gloria cogitat. 718.a,b
Æmulatio eſt, & in laude, & in vitio imitatio. 274.d
Pluris facit ærumnas quas paſſus eſt D. Paulus quam miracula quæ patrauit. 795.a,b
Agape, apud Corinthios fiebat poſt Euchariſtiam. 558.d
Agape, cœna erat ad charitatem excitandam. 572.b,c. 312.d
Poſt cœnam agni inſtituta fuit Euchariſtia. 563.c
Agnus in veſpera immolabatur. 563.d
Agni Paſchalis eſus fuit ſolemne conuiuium. 292.e
per contumeliam alapis cædi ſolent qui contemnuntur. 434.e
Altitudo pro profunditate ſumitur. 301.c
Nihil præſtabilius in hac vita quàm à Deo amari. 80.d
Diſcrimen inter eos qui corpora amãt, & eos qui Deum, 671.c
Ambulare ſignificat in Scriptura operari. 123.e
Amen quid ſignificet. 686.c
Populus ad publicas preces ſolitus eſt reſpondere Amen. 612.b,c
Qui ſecundis rebus fruuntur ſolent tenuiorum amicitias contemnere. 747.a
Quid de Amicitia dixerit Ariſtoteles? 329.c
Amor obedientiam parit. 753.e
Nemo ſcit, odio, an amore dignus ſit. 161.a
Plurimùm habet virium amor ad redamandum. 811.e
Amor eſt cum ſedulitate coniunctus. 314.a
Amor Dei actuoſus & efficax eſt. 80.d
Anacharſis aiebat Scythas apud Athenienſes barbaros, & viciſſim apud Scythas Athenienſes barbaros vocari. 611.a
Quid ſit Anathema. 251.c
varia eius acceptiones. ibid.
Non ita facile eſt proferendum Anathema in peccantes. 813.a
forma ſententiæ anathematis. 445.b
Quid ſit apud D. Paulum Angelus Sathanæ. 806.e
Angeli propter quos debent velari fœminæ in templo ſunt presbyteri. 554.c
Angeli neminem à charitate ſeiungunt. 595.c
Qui nam Angeli, boni an mali ab Apoſtolis iudicandi. 456.a
Lingua Angelorum quæ? 593.a
Angeli quomodo dicantur ingemiſcere. 234.e
Angeli an cognorint Incarnationis myſterium. 397.d
Angeli peccare non poſſunt. 233.c
Boni & mali Angeli miniſtri ſunt diuinæ iræ. 534.c
Angelis non conuenit dolor. 234.e
Angeli quomodo iudicabunt in die Iudicij. 456.a
Plurima beneficia à Chriſto capite in Angelos redundarunt. 171.d
Anima quomodo in ſanguine ſit. 656.e

Anima natura viribus Deum videre non poteſt. 599.b
Animalis homo ſectatur vulgus. 404.e
Nullum adeò ferum animal quod nõ miteſcere poſſit. 84.c
Animalium variorum voces expreſſa Latinis verbis. 610.a
Sexaginta ſex ſolum animæ ingreſſæ ſunt in Ægyptum. 31.c
Vendit animam ſuam qui peccat. 206.b
Animus rebus aduerſis fortior fit. 719.a,b
Cur animus in corpore velut in domicilio verſari dicatur. 723.c
Animus arno comparatur. 414.c
Antichriſtus nihil ſupra naturam efficiet. 37.c
Errore multiplici lapſa eſt antiquitas. 94.c
Sacrorum Antiſtites ſunt diuinorum myſteriorum diſpenſatores. 428.e
Antiſtites, ideo præſunt vt omnibus ſeruiant. 326.d
B. Antonius, res creatas librum ſuum vocitabat. 92.c
De Apocalypſi. 46.a
Apocalypſis eſt proprium nomen literarum ſacrarum. 374.d
Apollinem Poetæ crinitum vocant. 556.e
Apollonius Thyanæus Epheſi fuit. 679.c
Apertari, quid. 715.e
Apoſtoli nomen vnde dicatur. 1.a
Quid ſignificet. ibid.
Apoſtatarum connubia, ſacrilega ſunt. 496.e
Segregatus in Euangelium, eſt quædam Apoſtoli definitio. 75.b,c
Apoſtoli non tantùm deſtinati ſunt ad doctrinã ſed etiam ad peccata expionda. 3.a
In Iuriſprudentia, qui dicantur Apoſtoli. 3.b,c
Apoſtolicum munus eſt excellentius dignitate munere Prophetarum. 3.c
Varia Apoſtolici muneris nomina. 3.d
Apoſtoli Sal dicuntur. 3.e
De Apoſtolorum numero. 4.d
Apoſtoli alij à Petro baptizati ſunt. 25.a
Apoſtoli Euchariſtiam perceperunt. 25.d
Apoſtoli ſacramentum confirmationis ipſo Pentecoſtes die perceperunt. 25.c
Apoſtolorum gratia & caritas tanta fuit quanta poſt illos nemo eſt aſſecutus. 25.c
Apoſtoli excepta B. Virgine & ſancto Ioanne Baptiſta, cæteris ſanctis antecellunt. 25.d
De continentia Apoſtolorum. 16.c
De obedientia Apoſtolorum. ibid.
An Apoſtoli fuerint vxorati. 16.d
Apoſtolos, præter Petrum, Virgines fuiſſe ait Hieronymus. 16.d
De ratione vitæ Apoſtolicæ. 11.a
In Apoſtolatu, tria inſpicere licet. 40.d
Apoſtolicæ vitæ triplex gradus. 11.b
An mentitus ſit adoleſcens qui dixit Chriſto ſe quæ legis erant feciſſe. 12.c
Allegoria in numerum duodecim Apoſtolorum. 31.c,d
Apoſtolorum auctoritas ſucceſſione caruit, ſola Petri habuit. 38.e
Apoſtolorum leges & præcepta Petri autoritate ſuberant. 38.a
De ſtatu Apoſtolorum poſt aſcẽſionem Chriſti. 21.e, 22.a
An Apoſtoli vxores duxerint. 22.a
Quæ poteſtas fuit Apoſtolis circumducendi fœminas. 22.e
Apoſtoli poſt aſcenſionem Domini, paupertatem religioſè coluerunt. 22.e
Cibi ſingulorum quorumdam Apoſtolorum. 22.e
Apoſtoli fuerunt orbis terræ magiſtri, Eccleſiæ fundamenta, principes populorum. 24.c
Apoſtoli baptizati fuerunt. 25.a
Apoſtoli Epiſcopos & presbyteros Eccleſiis præfecerunt. 27.c
An dicatur Apoſtolus, qui teſtis fuit reſurrectionis. 2.a
Authoris ſententia in explicanda ea re. 2.e
Apoſtolica legatio ſancta eſt. 3.e
falſum eſt Apoſtolos ex ſingulis tribubus electos. 31.a,b
Apoſtoli poſt vocationem abſtinuerunt à coniugio. 16.b, etſi habuerunt tunc vxores, erant tantùm loco ſororum. 16.c
Apoſtoli exercere iudicia, pœnas infligere, & res adminiſtrare Eccleſiaſticas potuerunt. 27.c
Apoſtolorum collegium cum Chriſto capite ſpeciem Capituli cum Epiſcopo vel monaſterij cum Abbate referebat. 19.d
Neceſſaria fuit vis & poteſtas gratiæ Apoſtolis quæ munirentur aduerſus afflictiones. 24.c
Apoſtoli Chriſti paupertatem ſecuti ſunt. 14.c
Nemo quamuis miſſus à Deo dictus eſt Apoſtolus præter Apoſtolos. 1.b
An in Apoſtolorum electione, Deus habuerit rationem meritorum vel aptitudinis naturalis. 6.a
Apoſtoli fuerunt ſacerdotes & Epiſcopi. 10.e
Apoſtoli exiguas diuitias reliquerant. 12.d,e
Potuerunt Apoſtoli nouas leges condere. 29.e
An Apoſtoli initiati fuerint Epiſcopi à D. Petro. 29.a
Apoſtoli multis nominibus Chriſto erant ſubiecti. 20.e
Quot & quæ Apoſtolorum erant munera. 2.c,d
Apoſtolos fuiſſe Cardinales refutat. ibid.
Quibus rebus Apoſtoli excellerent diſcipulis Septuaginta duobus. 31.e
De ordine quo numerãtur Apoſtoli ab Euangeliſtis. 4.b
Petrus Apoſtolorum primus. 5.b,c,d
Quidam ad Apoſtolorum munerum à Chriſto deſignatum additi fuerunt. 5.c
De priuilegio ſanctitatis Apoſtolicæ. 23.b
Dignitas Apoſtolica, primum in Eccleſia obtinet locum. 23.d
familiaritas Apoſtolorum cum Chriſto cedit in eorum honorem & laudem. 32.a,b
Quid habuerint amplius Apoſtoli, quàm Septuaginta duo. 32.c
Quo differrent Apoſtoli à cæteris diſcipulis. 30.c
Apoſtoli fuerunt piſcatores hominum. 30.e
De Apoſtolica dignitate. 27.e
Apoſtolicum munus non continetur vna duntaxat diuini Verbi promulgatione. 27.e,a
Quid contineatur Apoſtolico munere. 27.a
Munus Apoſtolicum fuit inſtitutum vt Chriſti mortem & anaſtaſim Gentibus Apoſtoli promulgarent. 631.c
Quibus in orbis prouinciis Apoſtolorum ſinguli prædicauerint. 283.c
Apoſtolica dignitas vtilitatis publicæ cauſa inſtituta eſt. 352.c
Apoſtolorum, & Concionatorũ eſt veritatem dicere. 250.a
Apoſtolorum nomine apud Paulum quidam Epiſcopos intelligunt. 590.a,b
De munere Apoſtolico, & vita Epiſcopali. 733.a
Apoſtoli erant quaſi victimæ ſacræ Deo. 697.c
An debuerint omnes Apoſtoli habere ſucceſſores, & vbi nunc ſit autoritas Apoſtolica. 40.c
Magni Apoſtoli qui dicantur. 787.d,e
An inter Apoſtolos fuerit aliquis ſuperior. 788.b,c
Quomodo Apoſtoli & diuini Verbi miniſtri ſint Dei adiutores. 736.c,d
Apoſtoli miſſi ſunt. 280.e
Apoſtoli Epiſcopi fuerunt. 32.b
Apoſtoli an fuerint in omnibus prorſus æquales. 37.d
omnes æquè à Chriſto renunciati ſunt Apoſtoli. 38.b
Dicebantur Apoſtoli ſaluos facere eos quos ad fidem adducebant. 520.d
Apoſtoli, bonus odor Dei. 696.b,c
Apoſtolorum laus. 281.e
De Apoſtolorum poteſtate & authoritate. 706.d

Apoſto

Apoſtoli fuerunt priuatarum ciuitatum Epiſcopi. 41.a,
& ſic habuerunt ſucceſſores. ibid.
Apoſtolis omnium fidelium domus patebant. 740.e
Apoſtoli votum paupertatis fecerunt. 15.c
An pertineret ad Apoſtolos patrare miracula. 35.c
Tria ſunt Apoſtolatus munera. 35.c,38.c
forma & character ſcriptionis Apoſtolicæ. 49.b
Quare Apoſtolus Corinthium anathemate damnauit. 812.e
De aqua quæ in deſerto data fuit. 530.a
Aquarum periculum, omnium maximum. 646.a
Liberi arbitrij concurſus ad actionem requiritur. 239.a
Nulla ſunt liberi arbitrij merita ſi beneficio gratiæ deſtituatur. 232.a
Non licet nobis noſtro arbitrio viuere ſed Dei. 465.e
Quæ in arca recluduntur pauperum ſunt. 474.d
Arcarij qui ſint. 365.b
Ariſtobolus miſſus Epiſcopus in Britanniam. 361.c
Ariſtides ex aſpectu & contactu Socratis mirificam vtilitatem ſe percipere profitetur. 547.b
Arrhabo quid ſit. 725.c
Arrius Chriſtum iuſtum, Patrem bonum, dicebat. 162.d
Artaxercis Longimani reſponſum de altera manu longiore. 302.b
De Athletis. 522.b,c,d
Sapienter Deus humana imbecillitate continet arrogantia faſtum. 805.
Auditus nuncupatur ſenſus diſciplinæ. 400.b
Auguſtus quomodo fecit deſcribere vniuerſum orbem. 284.b
Aurelij Imperatoris Epiſtola qua Chriſtianos victoriæ Romanorum contra Barbaros cauſam eſſe ſcribit. 549.d
Quæſtiones quædam D. Auguſtino inſcriptæ fuerunt de quibus meritò ſuſpicio eſt. 29.c
D. Paulus refert in Dei auxilium quod in Euangelij prædicatione fecit. 697.a,b,c,702.d,e

B.

BAal quid ſignificet. 289.d
Baalim. ibid.e
Balthaſſar manum in pariete vidit ſcribentem. 803.b
Eodem baptiſmo & eodem Spiritu luſtrantur fideles. 585 d
Quomodo præterita & futura peccata baptiſmo tollantur. 180.c
Non fuit baptizatum in Chriſti nomine. 379.a,b
Baptizari pro mortuis quid. 645.d,646.d,e
In Baptiſmo adultis eſt neceſſaria ſaltem attritio. 301.a
De barbæ prolixitate. 557.c,d,558.a
Barbam radere Epiſcopis inſtitutum. 557.d,e
Græci omnes præter ſe barbaros appellabant. 84.a
Barbari videntur qui peregrina lingua vtuntur. 84.b
Iudæi babarum vocant, qui lingua ſancta non vtitur. 82.d
Græci præter ſe omnes vocabant barbaros. 610.e
Barnabas comes Pauli fuit in Euangelij prædicatione. 761.c
Poſſeſſio beatitudinis habet analogiam ad humanam hæreditatem. 231.c
Nihil eſt ab omni parte beatum. 599.d,e
Belial quid ſignificet. 742.a,b
Belluarum mos eſt omnia ſenſus titillatione metiri. 95.d
Benedicendum cùm maledicimur. 315.c,d
Beneficium gratis collatum, Gratia dicitur D. Paulo. 666.b
In proximum debemus eſſe benefici. 318.c,d
Beneficio indignus videtur qui eo abutitur. 97.a
Bigami à ſacris ordinibus olim arcebantur ſicut & nunc. 488.b
Vt in corpore alimentum diuiditur partibus omnibus pro cuiuſque conditione, ita & in rebus humanis diuidi bona debent. 761.c
Dei bonitas in Gentiles quos ad Eccleſiam vocauit. 297.c
Inter bonum & malum eſt medium. 471.c
Bona quæ Eccleſiæ dantur, Deo conſecrantur, & tranſeunt in diuinum Chriſti dominium. 15.d
Deus iudicauit melius bona de malis facere quàm peccata nulla permittere. 125.e
Si ex malis aliquid naſcitur boni, hoc ex diuina bonitate. 125.d
Quæ ſint diuinæ bonitatis diuitiæ. 104.c
Bonum quid ſit. 280.a

C.

CÆcitas & induratio ex fœda libidine naſcitur. 98.a
Quomodo Deus cælos exaudiat. 280.b
Cæli ex Elementorum delicijs conditi ſecundùm Platonem. 651.d
Cælum clauſum erat ſanctis veteris Teſtamenti, non nunc. 722.b
Cæli iræ diuinæ erunt miniſtri. 89.d
Poſt Euchariſtiam cœna publica apud Corinthios inſtituebantur. 558.e
Cœna publica, in Eccleſiarum dedicationibus fiebant. 559.d,562.b,c
Cain ante legem Moſis ſuum agnouit peccatum. 128.d
Calamitatum breuitas in hac vita. 245.d
De vſu calceamentorum, an vetitus. 17.e,a
Calor vim habet dilatandi. 741.a
Calamitas, virtutis occaſio eſt. 757.b,c
Capillorum cultus fœminis proprium. 551.b,c
Capillorum cura arguitur. 556.a
Capitatio fuit genus tributi. 327.e
Capite aperto orandum. 550.a
Caput aperiendum in ſacrificiis. ibid.
Cardinales ad quod munus creati fuerint. 2.d
Non ſecundùm carnem viuendum eſt. 127.a,b
Carnis inquinamentum, quid. 746.c
Carni non eſt fauendum. 185 a,b
In carne ambulare, *eſt hic in mortali corpore viuere.* 776.e
Omnis caro corrupit viam ſuam. 465.c
Vera caro & ſanguis reſurget. 656.d
In carne ambulare eſt mortalem vitam hic agere. 220.c
Caro in ſcripturis pro homine, ponitur. 128.d
Carpocrates hæreticus refellitur. 128.d
Impia Carpocratis hæretici doctrina. 187.b
Si quis non caſte viuat, peccatum eius eſt, non totius ſtatus. 494.a
Qui votum caſtitatis emiſerunt nubere nō poſſunt. 472.e
Catechiſtæ qui dicerentur olim. 116.d
Non licet Catechumeno peccare liberè, intuitu futuri baptiſmi. 125.b
B. Catharina Philoſophos diſputatione ſuperauit. 388. d,e
Quid filius Catonis Conſul, Catoni patri dixerit. 328.c
De Eccleſiaſtica cenſura. 778.d,e
Cephas, an fuerit alius à D. Petro. 7.d
De varia certitudine. 816.d,e,819.a,b,c
Charitas qua Deus nos diligit, charitas qua Deum nos diligimus. 160.c
Charitas per Euchariſtiæ ſacramentum augetur & firmatur. 693.d,e
Charitas ſe dimittit ad omnia etiam vilia. 597.b
Charitas numquam excidit. 598.e,601.a
Charitas in Eccleſia militante numquam ceſſabit. 601.b,c
Charitas animos impellit. 729.c
Charitas ſupra naturalis, non pugnat cum naturali. 253.c,d
Quanam ſit charitas Dei in Chriſto Ieſu. 247 b,c

Charitate amiſſa retinetur etiam fides. 586.a
Charitas bonorum omnium fons. 738.c
De Charitatis encomiis. 593.
Charitatis eſt in obiurgatione commiſeratione tangi. 749.b
Nemo diuinæ Charitatis particeps eſt niſi merito Chriſti. 827.d.e
Charitatis pulchritudo. 595.c
Cur de Charitate Chriſtus Petrum interrogarit. 764.a
De Charitate Dei in nos. 242.c
Chloë quæ fuerit. 377.c
Duo requirit à nobis Chriſtiana religio. 188.e
Vis magna eſt Chriſtianæ doctrinæ ad animos immutandos. 188.a
Chriſtiani principibus obtemperant. 321.b
Chriſtiani legibus ciuilibus ſoluti non ſunt. 321.a
Chriſtiani ſpiritualia cantica ſolebant olim canere. 611.d
Chriſtiano ne fas eſt litigare. 457.d
Porphyrij querela de Chriſtianorum cultu in Ieſum. 777.a
Chriſtianorum vita & mors ad Deum referuntur. 338.c, d
In quo fuit mirabilis Chriſtianorum mutatio naſcente Eccleſia. 187.d
Chriſtus fuit prima & ſuprema diuinæ gratiæ cauſa. 25.a
Chriſtus, lapis offenſionis. 271.c
Deus Pater Chriſtum magiſtrum & auctorem vitæ conſtituit, ita & Chriſtus Apoſtolos Chriſtianæ diſciplinæ voluit eſſe præceptores. 547.a
Non decuit Chriſtum horridum vitæ genus inſtituere & amplecti. 17.d
Victus & veſtitus Chriſti erat moderatus, & paupertati conſentaneus. 17.c
De Chriſti veſtibus. 27.d
Chriſtus geſſit pallium. ibid.
Chriſtus & Apoſtoli an nudis pedibus inceſſerint. ibid.
Chriſtus in ipſo Incarnationis puncto ſe totum Patri vouit. 15.d
Chriſti prædeſtinatio. 77.a
Declaratur luculenter. 77.d
Chriſtus prædeſtinatus eſt filius Dei, quomodo intelligatur. 77.a
Chriſti Diuinitatem probat D. Paulus triplici argumẽto. 78.c.d
Chriſtus eſt finis legis. 276.b,c
Chriſtus non eſt author impietatis & ſcelerum. 787.b
Chriſtus mortuus eſt vt peccato moriamur, reſurrexit vt nos reſurgamus. 637.d
Chriſtus, quomodo primitiæ dormientium dicatur. 638.a 639.d
Si Chriſtus non reſurrexit inanis eſt fides noſtra. 638.c
Chriſtus non ſibi placuit. 348.b
Exemplum Chriſti vim habet magnam. ibid.
Chriſtus humanum genus Patri reconciliauit, ſed eius reconciliationis fructus hominum opera conceditur. 731.a
Chriſtus fuit quaſi legatus & orator Patris. 732.c
Omnes Chriſti actiones pro mortalium ſceleribus ſatisfecerunt. 172.b
Chriſtus in Cruce trophæum de morte erexit. 643.a
Chriſtus dicitur humani generis vindex, redemptor. 172.c
Chriſtus quomodo factus vel genitus dici poſſit. 76.c
Errant qui Chriſtum nihil ſumpſiſſe à Virgine, dicunt. 76.c
Chriſtus cur ſic dictus eſt. 73.e
Chriſtus à Chriſmate dictus. 74.a
Chriſtus Apoſtolus dicitur à D. Paulo. 1.e
Chriſtus vnxit nos quia luctatores nos fecit in diabolum. 74.a
Qui Chriſti mortem imitantur, debent eſſe participes gloriæ reſurgentis. 180.d,e
Chriſtus pro peccatis ſatisfecit, & peccati vim fregit. 181.c
Chriſtus à Tertulliano Epiſtates dicitur. 74.b
Chriſtus humanitatis reſpectu dicitur ſuſcitatus. 462.b
Vt in Adamo mortui omnes, ita in Chriſto viuificati ſunt. 174.c.d
Chriſto data fuit poteſtas duplex. 3.d
Quid ſit Chriſtum mori peccato. 183.e
Per Chriſtum ſecundum Adamum reconciliati ſumus. 164.c.d
Vis meritorum Chriſti infinita fuit, ſatisfactio tamen à nobis adhuc exigitur quod per Sacramenta fit. 131.d
Vbi Chriſtus ſanguinem fudit, tunc Iuſtitia ex fide orta viſa non eſt. 132.d
Chriſtus caput hominum eſt & Angelorum. 547.e
Chriſtus nullo vnquam fuit peccato obſtrictus. 632.c
In Chriſto velut in ſpeculo cernitur diuinitatis maieſtas. 708.d
Chriſtus vocatur maledictum. 733.d
Chriſti mortis ſimilitudo bifariam in baptiſmo explicatur. 179.b
Chriſtus formam conſecrationis non repetiit bis. 565.b
An Chriſtus verbis iiſdem conſecrarit quibus ſacerdotes. 564.e
Chriſtus dicitur peccatum. 733.e
Chriſtus ſalutis author veram peperit iuſtitiam. 86.d
Chriſtus cæleſtis, Adamus terrenus. 654.d.e
Chriſtus eſt diues. 279.c
Pater omnia Chriſto dicitur ſubiecisse. 643.e
Oportet mores & vitam Chriſti imitari. 307.a
Chriſtus amicos vocat quos amat, non à quibus diligitur. 241.e
Chriſtus non Chreſtus, Chriſtiani non Chreſtiani vocantur. 104.a
Chriſtus potuit vota nuncupare. 15.b
Chriſtus corporis ſui myſtici caput eſt. 462.d
Ad Chriſti humanitatem pertinet pro nobis preces fundere. 244.d
Chriſtus piſcis dicitur. 30.a.b
De Chriſti titulis & priuilegiis. 30.b.c.d
Chriſtus quomodo Patri ſubiiciendus. 644.b,c,a
Cur Chriſtus ſecundus Adam dicatur. 635.b,c
Chriſtus eſt in Eccleſia per fidem & etiam per charitatem. 820.d
Chriſtus quatenus Deus ſupremum dominium retinuit. 19.c
Chriſtus petra fuit. 530.a
Chriſtus quatenus Deus ſupremum dominium retinuit. 19.c
An Chriſtus ſe rerum omnium proprietate priuarit. 15.b
Qualis fuerit Chriſti cæſaries. 557.c
Omnes Chriſti ſunt. 378.a,b
Chriſtus Emanuel. 653.d
Chriſtus plurimos ex ſuis titulis & prerogatiuis conceſſit. 30.b
Chriſti obedientia, nõ homines ſed Deum ſpectabat. 16.a
Quodnam dominium fuit Chriſti in diſcipulos. 21.b
De Chriſti obedientia. 16.a
An Chriſtus & Apoſtoli mendicarunt. 15.d
De Chriſti paupertate. 14.d,e
Dei beneuolentia in nos Chriſti morte maximè eminet. 163.a
De ciborum eſu. 335.e
Chryſoſtomus cur clericum ab altari amouerit. 619.b
Sanctum eſt aliquando cibis lautioribus propter Deum abſtinere. 304.d

Non expedit cum luxu cibum & potum ſumere. 460.d
Quomodo Chriſtus fuit miniſter circumciſionis. 350.c
Abraham ante circumciſionem fide fuit iuſtificatus. 149.a
Circumciſio fuit figura baptiſmi. 147.c
Circumciſionis dua cauſa, ex Damaſceno. 147.e
An per circumciſionem tolleretur originale peccatum. 148.b,c
Signum circumciſionis quid ſit. 146.e
Circumciſio fuit quaſi teſſera qua gens Hebraa à reliquis populis diſtinguebatur. 146.c,d
Abyſſinos fœminas circumcidere non credibile eſt. 146.d
Cicumciſio valida erat collata à Samaritanis cum tamen fidem non haberent. 148.d
Circumciſio per quadraginta annos omiſſa. 149.a,b
Circumciſio cordis eſt animi moderatio. 117.b
De circumince ſſione. 226.e
D. Auguſtinus ciuilibus cauſis cognoſcendis occupabatur. 453.d
Ciuiles controuerſia Epiſcopi ſententia definienda. 457.c
Clauis nomen quid ſignificet. 39.e
De Clementia, & lenitate. 775.a
Clinici, qui in lecto mortis proximi baptizabantur. 645.c
Cogitationes noſtra altercantur dum deliberamus. 115.c
Cognitio Dei bona innumera largitur. 500.e
Cognitio naturalis Dei, fides non eſt appellanda. 384.c
Colaphizare quid ſit. 807.d,e
Praua colloquia mores corrumpunt. 649.a
De Apoſtolici Collegij forma. 20.c
Repugnat rationi viros comas implicare. 553.d
Viro ignominioſum eſt, ſi comam nutriat. 556.c
De alendis comis Ariſtotelis ſententia. 556.d
Coma prolixiores libertatis indicium. ibid.
Lycurgus Lacedamonas iuſſit comam nutrire. 556.d,e
Comeſſatio quid ſignificet. 331.a
Hebrai poſitiuum pro comparatiuo ſape ponunt. 471.c
Nonnumquam comparatiuum pro ſuperlatiuo ponitur. 602.e
Communia dicuntur qua ſancta non ſunt. 340.
Poteſtas ad concionandum neceſſaria eſt. 281.a,b
Qua debeant docere Concionatores. 394.d
Concionatorum munus. 608.e
An confeſſor idem ſit quod Martyr. 278.a,b
De nomine confeſſoris. 278.a
Cur in ſacramento Confirmationis vnctione & latria ſigno vtamur. 85.b
Confuſione perfundentur impij in iudicio. 278.d,e
Qui credit non confundetur. 278.e
De coniugum caſtitate. 472.a,b
Vſus coniugij ex indulgentia permittitur. 472.d
Vnus coniugum non poteſt altera inuito continentiam vouere. 474.a
Adoleſcentes connubia iungendi ne fornicentur. 495.c
Naturalis vſus coniugij quis ſit. 96.e
Quomodo ſanctificetur coniux infidelis per fidelē. 479.d,e
Nullus coniugum viuente altero poteſt ad alias nuptias tranſuolare. 778.d
Qui varios coeundi modos excogitarunt. 96.e
Conſcientia bona eſt murus fortiſſimus. 682.c
Conſilia Dei inueſtigabilia. 302.b
Conſolatio diuina, eſt exhortatio ad conſtantiam ad ferenda fortiter aduerſa. 677.b
Conſenſio & conſpiratio eſt inter corporis membra. 589.a
Conſilia Dei, ἀμεταμέλητα. 750.e
Conſobrini olim vocabantur fratres. 512.e
Conſtantinus Adoleſcens ad dexteram ſenioris Auguſti pronunciam obibat. 40.e
Conſuetudo peccandi debilitat vires anima ad bonum. 210.b
Conteſſeratio quid. 721.d
Qui continere nequeunt ad nuptias volare debent, niſi ſint alia impedimenta. 472.d, 476.e
D. Paulus continentiam coniugio prafert. 496.e
Ad ſeruandam continentiam, qua valeant. 473.a
Ex contrariis eruera contraria diuina eſt potentia. 386.d
Conuiuia in Eccleſia fieri Concilius vetitum. 561.b
De conuiuiorum ratione. 559.b,c,d
Conuictus & viua vox plus prodeſt quàm oratio. 547.a
An quis poſſit dicere, mundum eſt cor meum. 847.a,b
Corona clericalis instituta. 558.b
Corinthij, cur carnales dicantur à D. Paulo. 409.b,c
Cornu ſalutis quid ſignificet. 86.a
Corpus ſecundùm Platonem carcer eſt, ſecundum Apoſtolicam veritatem templum Dei. 185.b,c.
Corpus mortale, tabernaculum vocatur, quomodo? 724.d
Corpus, anima indumentum. 723.e
Corpora noſtra templum ſunt Spiritusſancti. 465.d
Corpus gracè σῶμα quaſi σῆμα ſepulchrum. 723.b
Corporis mortui ignominia ſunt vermes, fœtor. 653.b
Mortalia corpora fieri poſſe immortalia non putabant veteres Philoſophi. 651.d
Vnuſquiſque recipiet prout geſſit in corpore. 727.e
Corpus eſt anima ſepulchrum, ſed Dei templum diuino ſpiritu redditur. 226.d
In Chriſto ſicut in corpore, multa membra ſumus. 309.b
De corporis & cupiditatum mortificatione. 524.a.b,c.
Coma ſtudioſi de Coty ſacra facere ſolebant. 553.a
Correctio canonis Concilij Eliberini de imaginibus. 742.e
A creatione mundi potuit Deus ex creaturis cognoſci. 90.b
Explicantur illa verba, Credidi propter quod locutus ſum. 717.c
Creatura omnes ſunt velut ſuper theatrum. 90.a
Creatura omnis Dei bona eſt. 504.b
Omnis creatura nomine, homo nuncupatur. 233.b
Crimen alere prater naturam eſt. 556.b
Crucem non erubeſcendam. 85.b
Si diuinare potuiſſent Gentiles crucem euerſuram Romanum Imperium Chriſtum non crucifixiſſent. 398.d,e
Crux eſt ſtultitia pereuntibus. 381.c
Quomodo crux ſtultitia dicta ſit ab Ethnicis. 387.c
Crux humanam ſapientiam non requirit. 381.c,d
In diuino cultu olim manus oſculabatur. 289.c
Omnibus cum prauis cupiditatibus eſt luctandum. 126.b
Cupiditati non eſt parendum. 184.d
Cupiditatibus imperandum eſt & rationi ſubiiciendum. 305.a b
Qui ſe dant cupiditatibus nihil ſublime & laudabile percipiunt. 224.c
In diuinis myſteriis vitanda curioſitas. 403.c,d
Cyrinus in Syriam miſſus vt facultates ſingulorum cenſeret. 327.b

D.

DÆmones iam ab initio mundi igne torquentur. 456.c
Dæmon, huius ſeculi Deus à Paulo dicitur, quomodo. 712.e
Dæmon etiam excæcat. 713.a
Dæmones genij dicuntur. 539.c

Hilarem datorem diligit Deus. 770.b
Debet quilibet Chriſtianus charitatem proximo. 328.b
Decimæ olim apud Ethnicos perſoluebantur ſacerdotibus. 311.d
Defendere, eſt ſeruare. 317.d
Vnius delicto ſæpe multitudo punitur. 446.a
Duos denarios ſolebant Iudæi in ſingula capita perſoluere. 327.d
Democritus reſponſum quærenti quomodo quis diues fieri poſſit.
Detractores qui dicantur. 99.c
An læua ſit potior & honorabilior dextra, an verò è contra. 40.d
Deus & Pater idem eſt ac Deus Pater. 676.b
Oculis corporeis Deus cerni non poteſt. 600.a,b
Deus bifariam glorificari poteſt. 92.e
Deus largitur vnicuique quam voluerit. 482.b,c
Dei eſt cogitationes reuelare. 431.c,d
Deus intuetur cor. 103.a,b,c
Deus ad malas actiones non impellit. 105.a,b
Deus à mendacio longiſſimè abeſt. 685.e
Facilius Deus remittit peccata in ſe commiſſa quàm in proximum. 479.b
Deus non eſt diſſenſionis Deus. 621.e
Triplex Dei erga electos Charitas. 501.c
Omnia ad Dei honorem facienda. 543.c
Deus figulo comparatur. 265.a
Deus vi quadam occulta in nobis agit. 579.a,b
Deo ſeruire eſt maxima glorificatio. 73.a,b
Ægyptii herbarum deos coluit. 94.d
Qui Deum verum colunt, illuminant. 93.e
Deus in ſpiritu & veritate adorandus eſt. 83.a
Errores Ariſtotelis de Deo. 412.c
Si in Dei donis eſt mutatio a parte hominum fit. 300.c
Deus venire ad nos dicitur cum gratiam largitur. 501.b
Deum cognoſci poſſe ex vſu, ordine & veritate affirmat. 91.b
Olim in deorum honorem libidini nefariæ indulgebant. 96.a
Iudæorum cultu olim circumagebantur. 289.a
In rebus ſuſcipiendis ſemper ... dicendum. 666.e
Deus ab hominibus nihil accepit. 302.e
Deus ſolus ſapiens. 601.c
De fide. 602.a
Deus inuentu difficilis, ſed nefas effari. 91.b
Quomodo quædam à Deo præfinita, quæ tamen mutantur. 300.c
Deus quomodo excæcat & indurat. 265.b
Dei promiſſa alia abſoluta, alia conditionata. 122.e
Quomodo Deus incarnatus, dici poſſit filius Dei. 76.a,b
Diuerſæ ſunt Dei donationes. 309.a,b,c
Qui Deum contemnit iuſtè permittitur peccare. 97.b
Deus non mentitur, nec infidelis eſt. 122.a
Deus cur & quomodo Chriſti caput dicatur. 548.e
Deo viuimus & morimur. 338.b
Deus malitiæ non eſt auctor. 266.c,d
Dei proprium eſt miſereri & parcere. 107.d
Omnia à Deo genita. 389.c,d
De non ſeruanda maieſtate Dei. 310.a
Deus ineffabilis eſt. 804.e
Deus ſæpe concedit iratus quæ negat propitius. 807.d
Deus longanimis & miſericors eſt. 104.d
Quidquid homines habent, à Deo habent. 389.c,d
Impium eſt Deum iniuſtitiæ arguere. 124.a
Diaconi in Eccleſia ſuffecti ſunt. 311.b
De Diaconiſſis. 359.c,d
Veſpaſianus iuſſit didrachmum quotannis in Capitolium deferri. 327.d
De die Dominico. 663.c,d
Cur dies Dominicus colatur. 665.a
Die Dominico cœpit creari mundus. 665.a
Faſti & nefaſti dies. 429.a
Dilectio pura & ſyncera in Deum neceſſaria eſt. 311.a
Marcionis hæreſis circa dilectionis præceptum. 329.e
Præceptum dilectionis cætera comprehendit. 329.
Vera laus eſt diligi à Deo, ideo D. Paulus Romanos laudans dicit dilectis Dei. 80.e
Diligere debet qui diligitur. 741.d
Diploma quid. 700.b
Externæ diſciplinæ afferendæ ad fidei myſteria, ſed moderatè. 395.a
Amouendum eſt quidquid Chriſtianam diſciplinam corrumpit. 446.a
Septuaginta diſcipuli à Patribus ſæpè vocantur Apoſtoli. 2.a
Fuerunt Chriſti diſcipuli, qui non omnia reliquerunt. 13.a,b,c
Qualem diſcipuli magiſtrum exoptent. 812.b
Diſcipuli fuerunt ſeptuaginta duo. 31.d,e
Et hic numerus apud Hebræos ſacroſanctus. ibid.
Tres diſcipulorum Chriſti ordines. 30.d
Diſpenſator dictus eſt ab ære pendendo. 429.a
Diſpergere & dare pauperibus miſericordia eſt. 758.e
Triplex gradus diſtinguitur in diuinæ naturæ contemplatione. 803.d
Multiplicatis perſonis non multiplicatur diuinitas. 502.c
Diuina vis patientia & tolerantia elucescit. 808.d
Diuites ex vita hac plus quàm egentes habere nequeunt. 761.a
Diuitiæ Dei quæ. 301.e,d
Diuites non debent ſperare in incerto diuitiarum. 490.d
De diuitiarum vanitate. 490.d,e
Quomodo doctrina Euangelica ſapientia ſit, & ſtultitia. 386.a
Vnius in multos dominatus non pugnat. 197.e
Multitudo in vnum ferri non poteſt. 197.e
Domini nomen Deo tributum eſt. 502.a,b,c
Domini nomen poteſtatem præ ſe fert. 503.d
Dominica cœna quæ. 560.b
Deo debentur primitiæ. 328.d

E.

Ebrietates & comeſſationes à Chriſtianis abhorrere debent. 331.d
Ebrioſi qui dicantur à D. Paulo. 460.b
Eccleſia dicitur ſancta. 279.b
Præcipit Apoſtolus vt omnia honeſtè & in ordine fiant in Eccleſia. 625.c
Eccleſiaſticæ preces vt plurimum ex Script. ſumptæ. 613.c
Eccleſiaſticæ adminiſtrationes non cuiuis temerè committendæ. 666.a
Eſt in Eccleſia poteſtas ad puniendum. 418.c,d
Eccleſiaſtici iura Eccleſiæ tueri coguntur. 418.e
Primis Eccleſiæ temporibus profuſa fuit largitio fidelium in Clericos. 516.e
Quomodo Eccleſia cognoſcitur ex miraculis, & miracula quomodo ex Eccleſia dignoſcuntur. 27.b
Arguebantur olim qui ſtrepitum facerent in Eccleſia. 623.b
Eccleſiarum ſtructura in tres partes diſtributa. 617.d
Non omnia initio naſcentis Eccleſiæ abſque delectu tradebantur. 396.d
Cum olim apud Hebræos plectebantur improbi, in Eccleſia tantùm excommunicantur. 410.a

Eccleſia olea comparatur. 296.a
Eccleſia in Symbolo dicitur, ſancta, quomodo. 819.a
Quæ olim Eccleſiæ debebantur, quatuor in partes diſtribuenda erant. 513.c
Eccleſia à conuocando, Synagoga à congregando dicitur. 74.e
Eccleſia Hieroſolymitana mater eſt Eccleſiarum ratione antiquitatis. 39.c
Eccleſiæ poteſtas data eſt in ædificationem, non contra. 826.a
Eccleſia habet Apoſtolicos Canones.
Eccleſia in quotidianis precibus tribuit Chriſto dominatum. 78.e
Romana Eccleſia matrix & radix eſt omnium Eccleſiarum. 29.d
Eccleſia eſt vnum corpus. 584.d
Quæ comprehendantur Eccleſiaſtica poteſtate. 27.b
Eccleſiaſtica poteſtas à ciuili diuerſa eſt. 27.b
Eccleſiaſtici debent ex munere alimenta percipere. 515.c, d, e, 516.e
Eccleſiaſtici ſunt miniſtri Dei & diſpenſatores myſteriorum. 427.b
Eccleſiaſtici à ciuili poteſtate eximuntur. 330.c
Electi aduerſa omnia vincunt gratiæ beneficio. 246.c, d
Electi etiam aduerſa tentatio in ſe ſolent. 246.e
Nemini videri mirum debet ſi electi offendant. 244.b
Quomodo electio ante præuiſionem meritorum fiat. 247.d
Omnia electis in bonum vertuntur. 245.b
Nemo eligitur ſuo merito. 261.d
Eleemoſyna ſumitur pro iuſtitia, & è contra. 758.d
de Eleemoſyna facienda. 663.a, b, 665.b
de Eleemoſyna facienda pauperibus. 311.e
Eleemoſynam facere vtile eſt. 759.b
D. Paulus ipſe Eleemoſynas pertulit ad Ieroſolymitanam Eccleſiam. 666.d
Clerici etiam eleemoſynas faciebant olim. 665.e
Eleemoſynarum largitio fomentis comparatur. 769.d
De collectis ſeu eleemoſynis quæ olim fiebant. 663.b
Fruges iuſtitiæ ſunt eleemoſyna. 758.a
Epiſcopi cura eſſe debet de pauperibus. 311.d
An Epiſcopus poſſit conſecrari ſine peculiari Epiſcopatu. 41.d
Duplex initur in Epiſcopi conſecratione ſpiritale connubium. 41.b
Accuſationes presbyterorum deferuntur ad Epiſcopos. 32.a
Epiſcopus eſt ſimplici ſacerdote maior diuino iure, eóque nomine Apoſtoli maiores fuerunt ſeptuaginta duobus. 32.e, 34.b
Epiſcopi nomen etiam Presbyteris fuit olim commune. 33.b, c, d
Epiſcopatus eſt ordo diſtinctus à presbyteratu. 34.b
Imprimitur nouus & diſtinctus character. 34.d
D. Chryſoſtomus, vocat Epiſcopos, arbitros. 454.b
Epiſcopus olim etiam ciuiles controuerſias ſedebat. 453.b, 454.a
Epiſcopi ſe nouerint Sacerdotes, non dominos. 326.d
Epiſcoporum munus quale. 668.e
Epiſcopos D. Bernardus reprehendit. 668.e, d
Epiſtolæ Pauli, ſimpliciter Epiſtola dicuntur. 47.a
Veteres in initio Epiſtolarum ſalutem tantùm precabantur, quæ ad vitæ commoda ſpectabat, Apoſtoli non item. 61.b
Qui Epiſtolas mittebant olim, eos ad quos mittebant, ſuos appellabant. 80.c
Epiſtola 2. & 3. Ioannis, Ioannis verè ſunt. 45.e
De Epiſtola Iudæ. 46.b
De numero & ordine Epiſtolarum D. Pauli. 48.a
De Epiſtolis commendatitiis. 700.a, b, c
Epiſtolas ſcribendi genus fidei myſteriis explicandis opportunum. 43.c
Epiſtolarum fam. 44.a, b, c. vtilitas. ibid.
De Epiſtolarum Apoſtolicarum numero. 44.e
Epiſtola Iacobi, vere Iacobi epiſtola eſt. 43.b
Epiſtola ſtatiua, quid. 700.e
Epiſtola tractoria, quid. 700.c, d
Multa ſunt in Pauli Epiſtolis obſcurius dicta. 50.c
Ægyptiorum mos in parandis epulis quotannis. 540.a
Erubeſcentia eſt peccati fructus. 190.a, b
Quis dicatur erubeſcere Chriſti Euangelium. 85.d
Eſau & Iacob figura fuerunt populi Gentium & Iudaici. 258.a
Eandem eſcam veteres Patres nobiſcum manducauerunt ſignificatione. 529.b
De veterum Ethnicorum ſuperſtitione. 94.d, e
Eua ſerpentis calliditate ſeducta. 786.a, b
Euangelij nomen factum eſt Eccleſiaſticum, ita vt nullam aliam habeat iam ſignificationem præter eam quam dedit Eccleſia. 75.a
An vbique terrarum promulgatum Euangelium. 283.d
Qui in Euangelio laborant ſpernendi non ſunt. 669.c, d
Putabatur Euangelij doctrina riſu digna, quod Deum crucifixum prædicaret. 85.a
Euangelica mendicitas ad Chriſtum refertur. 758.e
Per Euangelium poteſt intelligi prædicatio. 85.e
Quæ ſit virtus Euangelij. 85.d
Iuſtitia reuelatur in Euangelio abſque vmbris & figuris. 86.e
Euangelium pereuntibus velatum eſt. 711.a
Qui ambitioſè Euangelium promulgant, punientur. 418.b
In Euangelio eſt etiam timor. 230.c
In Euchariſtiæ ſacramento perſona filij corpus & anima ſunt. 226.e
Euchariſtia vnde. 537.b, c
De Euchariſtiæ ſacramento. 537.a, b, c
Quot horum verborum, hoc eſt corpus meum, *explanationes numerent factas ab hæreticis doctores Catholici.* 566.c, d
Hoc, *in forma conſecrationis, quid ſignificet.* 566.d
Explicatur, Probet autem ſeipſum homo. 569.b
Ante Euchariſtiam confitendum. 570.b
Mala ex indigna ſacri corporis Chriſti ſumptione naſcentia. 570.c
De verbis in conſecratione Euchariſtiæ adhibitis à Chriſto. 564.b
In Euchariſtiæ ſacramento ſunt Pater filius & Spiritus ſanctus. 227.a
Quomodo Chriſtus in Euchariſtia frangatur. 566.a, b
Philippus Imperator ab Euchariſtiæ ſumptione reiectus. 570.b, c
ἀλλη ia quid ſignificet. 779.a
Neminem lædere malo exemplo oportet. 544.a
Vitandi illi qui ſuo exemplo aliis obſunt. 448.c, d
Eccleſiaſtica excommunicandi poteſtas. 442.a, b, c
Excommunicatos conſueuit olim dæmon vexare. 444.e
Athenis fuit execrationis templum. 253.e
Execrationis forma. ibid.
Quibus in exhortatione vtendum. 341.a

F.

F*Acio an ſignificet, ſacrifico.* 566.c
Factores legis, non auditores ſaluabuntur. 110.d
Explicantur hæc, Factores legis iuſtificabuntur. 111.b, a
De bona fama. 763.a
Familia publica, & ſerui publici qui. 73.0
Ariſtoteles vocat Famulos, organa animata. 427.b
Fermenti duæ ſunt proprietates. 446.c
Feruor amoris in tribus eſt. 314.c
Feſtinatio vnde oriatur. 278.d
Feſtis diebus maior lætitia lautioribus epulis declaratur. 447.c
In Feronia templo ſerui raſo capite pileum ſumebant. 550.d

Quare nos Fideles vocamur fratres. 631.c
Fideles olim fratres ſeſe appellitabant. 625.d
Vir Fidelis an debeat ab infideli vxore recedere. 479.b,c
Fideles per Baptiſmum initiantur. 299.a
Varia Fidelium dona qua in Eccleſia recipiunt. 591.b,c
Fideles indigent doctrina & inſtitutione, non ſignis. 616.d
Fidelis Deus eſt, verax & conſtans. 375.b
Fideles in Eccleſia, ſunt velut rami in arbore. 296.b
Fideles res ſuas abſque iudice componere debent. 458.d
Fideles ſancti vocantur. 372.b,c
Liberi verè ſunt Fideles, etſi humanam ſeruiant ſeruitutem. 485.c
Duo pertinent ad Fidelitatem. 428.a
Iuſtitia pro Chriſto in Scriptura interdum ſumitur. 129.c
Fides nomen pro quo aliquando ſumatur. 87.d
Iuſtitia Fidei latiùs patet, quàm iuſtitia legis. 130.c
Fides eſt initium cognitionis noſtra. 282.b
Vis diuina Fides ab humana ſapientia petenda non eſt. 403.c,d
Fide caleſtia meditamur. 726.c,d
Quomodo per Fidem lex ſtatuatur. 136.a,b
Haretici triplicem fidem numerant. 581.a
Qua Fides numeretur inter gratias gratis datas. 580.d
Fidei natura viribus non comparatur. 89.e
Ad Fidem neceſſaria eſt voluntatis affectio. 79.a
Fides veteris legis Chriſtum venturum ſpectabat. 134.d
Quid Fides nomen interdum ſignificet. 344.b,c
Fides qua iuſtificat non eſt mortua. 110.b,c
Fides ſine operibus non prodeſt. 45.a
Fides lucem affert humana ſcientia. 389.a,b
Nulla eſt diſtinctio Fides in diuinam & Catholicam. 818.b
De aſſenſu ad Fidem neceſſario. 581.d
Quid ſit fides. 582.b,c
Nulla eſt Fides naturalis de rebus Diuinis. 87.a
Fides eſt fundamentum adificij ſpiritualis. 415.a
Iuſtus ex ſola Fide non viuit. 88.b,c
Ex Fide viua oritur fiducia accedendi ad Deum. 820.c
Non eſt negandum temerè, alicui diuinam Fides lucem affulſiſſe extra populum Iſraeliticum. 106.b
An diuina Fides fides certitudine cognoſci poſſit. 819.c
Fides ex auditu. 279.d, 282.c
Fides iuſtificationis eſt initium. 159.c,d
De Fide & fides confeſſione. 278.c,d
Quod ex Fide & promiſſione eſt, gratuitum eſt. 151.d
D. Paulus vocat gratiam Fides libertatem. 543.c
Fides ſuapte vi iuſtitiam non parit. 314.d,e
de Fide Abrahami. 819.d
Fides Dei qua ſit. 121.d
Rata ac firma ſunt filiorum connubia ſine parētum ſcitu. 494.d
Fadus interdum appellatur res ipſa de qua fadus ictum eſt. 565.e
Famina rei domeſtica praſici debet. 553.c
Plato ridicula fabulatur de viri & famina coniunctione. 554.d
Chriſtiana famina Apoſtolico inſtituto velum ſumunt. 551.e
Famina velantur in Eccleſia, vt humiliata appareant. 623.d
Famina viro inferior eſt. 553.a
Nulla pro faminis fuit circumciſio. 148.d,e, 149.a
Vbinam terrarum regnarunt famina. 553.e
Faminis publicè in Eccleſia loqui prohibitum. 551.c
Famineum erat ſine pedum tegmine incedere. 18.b
ſic famina coma vt viro barba nutrienda eſt. 551.d
Cur dicitur, Maſculum & fœminam creauit eos. 554.d
Non liquet qua ratione in faminis ſublatum fuerit originale. 149.d
Lex Moſis faminas adulteras lapidabat. 196.b
Famina etiam nomen à viro ſumpſit. 553.d
de Faminis qua Apoſtolos ſequebantur. 311.a,b,c
Fiducia eſt firma quadam apprehenſio. 121.c
Fomes poſt baptiſmum non tyrannicè imperat. 484.d,e
Fuge fornicationem. 464.b
ſecunda fortuna non eſt efferendus animus. 490.a
Quidam Deum adorantes frontem tangebant. 189.a
Fructus peccati ex Seneca. 190.b
de Fuga Paſtoris. 798.a,b,c
Fugatius & Damianus in Britanniam miſſi ſunt. 361.c
Miles qui fugit iterum pugnabit. 798.c

G.

Galle comati & comata Gallia dicta eſt. 556.e
Gaudium oritur ex ſpe. 314.b
Gaudium proprium eſt eorum qui honeſtè viuunt. 827.a,b
Gaulonita haretici. 321.e
Vnde error duorum Geniorum apud veteres manarit. 115.e
Gentes Deum ex creaturis non cognouerunt. 383.c,d
Quomodo Gentes vocata fuerint. 350.d
Cur propoſita fuerit Gētibus pradicatio Euangelij. 383.b,c
Gentiles mitiùs quàm mali Chriſtiani punientur. 109.c
cur Gentibus pradicatum. 356.b,c
Genua flexiſſe in orationibus Gentiles declarant non pauca monumenta. 339.b
Gladij nomine, poteſtas vita & necis deſignatur. 325.d
In ore gladij cadere, quid ſignificet. 769.a,b
Gloria vera, qua. 739.a,b
Gloria ſperanda apud Deum ex bene factis. 781.a,b
Quomodo dicatur Dominus gloria crucifixus. 369.a,b
Qui de ſe vel ſuis rebus magnificè loquitur, male audit apud viros ſapientes. 785.a
Non oportet gloriari, cùm acceperimus à Deo omnia. 432.b,c
Gloriatio noſtra in ſpe gloria eſſe debet. 163.c,d
Omnis gloriandi occaſio per legem fides excluſa eſt. 134.d
Gloriatio duplex eſt, vna laudabilis, altera vitioſa. ibid.
Gloriatio ex propria iuſtitia & ex propriis meritis reiicitur. 134.b
In Domino gloriandum. 124.b
Gloria in tribulationibus. 740.b,c
Gloriari in Domino quid. 782.b,d, 801.a,b
Gloria diuina cognitionem vocat D. Paulus theſaurum. 715.a
Gloria varietas in iuſtis. 652.b,c
Gratia eſt facultas bene agendi diuinitus conceſſa. 736.a
Gratia duo effecta pracipua. 818.e
Praſidium diuina gratia in tribulationibus. 808.b,c
An gratiarum actio, benedictio, & conſecratio in inſtitutione Euchariſtia, idem ſint. 563.c
Cur in Gratia Dei moriendum. 727.c
Omne Gratia donum Chriſto referendum eſt acceptum. 170.d
Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam. 230.b
Omnis Gratia qua datur mortalibus à Chriſto pendet. 729.b
Abſque Gratia nullus merendi locus. 131.a
de Gratiis gratis datis. 582.a,b,c
Quid ſit Gratiam Dei in vacuum recipere. 736.b,c
De interiori reuelatione Gratia. 818.d
Gratia paci praponitur, quia pax à gratia ortum habet. 81.a
Efficacitas Gratia. 246.c,d
Gratia firmitatem & conſtantiam affert in bono opere. 159.b
Gratia incrementum non fit ſine operibus. 142.a,b

Gratia

Gratiæ efficientia probatur. 634.c
Diis,parentibus & magiſtris par gratia referri non poteſt. 99.d
Gratia Dei omnia reddit leuia. 808.b
Chriſtus Gratiam ſuam omnibus voluit eſſe propoſitam. 135.a
Omnes ſua Gratiæ luce perfundit Deus. 483.c,d
Gloria Dei à purgatis animabus excipitur ſicut lux à ſpeculo. 708.a
Præter externam doctrinam neceſſaria eſt vis Gratiæ cæleſtis. 413.a
Gorgonia Gregorij Nazianzeni ſoror virum adduxit ad continentiam vouendam. 474.b
Gregorius Neocæſarienſis miraculo montes tranſtulit. 594.c
Gregorius Magnus, Pontifex primus ſe ſeruum ſeruorum Dei dixit. 714.d
Peccatum Gulæ vitandum. 461.e

H.

HÆreditas quæ dicatur apud Hebræos. 150.d
Hæreſes permittuntur. 559.d
Hæreſum vtilitates. 560.b
Quid de dicto Pauli,neceſſe eſt hæreſes eſſe. 559.d,e 560.a
Hæretici librum de magia ad Petrum & Paulum Chriſti nomine ſcripſerunt,vt author eſt Auguſtinus. 65.b
Hæretici nunquam ſunt ſui ſimiles, ſemper noui aliquid credunt. 685.b
Hæretici etſi mortui ſint hilari animo, vt quidam ſuos iactant martyres,tamen non ex charitate,ſed ex pertinacia obierunt. 596.a
Tot Hæreſeos ſententiæ,quot arenæ. 685.e
S.Hilarius ait hæreticos tardè veniſſe. 624.a
Hæretici gentes ad Chriſtum nunquam traducent. 382.d
Hæreticorum error qui ita terrores legis veteris eſſe volunt,vt nouæ legi nihil præter lætum relinquant. 89.e
Hæreſes omnes ortæ ſunt poſt veram fidem. 624.a
Hæreticorum de imputatione peccati opinio. 146.a,b
Hæretici nullam à peccato liberam cupiditatem volunt. 199.d,e
Hæreſes ex Philoſophorum hæreſi. 421.d
Hæteriæ,id eſt ſodalitates. 328.b
cur Hebræi dicerentur ſemen Abrahæ. 794.a
Hebræus,vnde id nominis veniat. 794.e
Hebræi aiunt Cherubos habuiſſe pueri faciem ſuper arcam. 532.b
de Epiſtola ad Hebræos. 47.e
apud Hebræos cuiuslibet rei poſſeſſio hæreditas nuncupatur. 231.c
in Miſſa retinet Eccleſia Hebræas voces. 613.d
an Hebræi in ſynagogis docentes ſederent. 621.c
Hæreditas beatitudinis per paſſiones acquiritur. 231.d,e
Hieruſalem,id eſt iuſtitia. 653.d
Hominem veterem deponere oportet. 307.a,b
Pelagiani hominem mortalis conditione creatum contendebant. 165.b
Poſſumus in ſingulis, duplicem hominem diſtinguere. 214.a
Non eſt iuſta querimonia Hominis ad Deum. 265.b,c
Quatuor omnium ſtatus diſtinguit D. Auguſtinus. 216.a
Homines templum ſunt Dei. 420.d,e
Homo ſit cauſa mortis,hominis beneficio mors ſuperatur. 740
Homine glorificato, quæ ipſi inſeruierint erunt & gloriæ quomodo participia. 234.d,e
Homines libidine exarſerunt & fœda voluptate corrupti ſunt 97.b
externus Homo,quis. 719.a
Homo eſt aliud præter animum. 723.b
Quædam mala accidiſſent Hominibus etiam præter originale peccatum. 263.b
prima Hominis immortalitas fuit poſſe non mori. 165.b
Homines ſunt templum Dei. 743.a,b
ſpiritualis Homo omnia iudicat. 405.b
triplex Hominis ſtatus, carnalis,animalis, ſpiritualis. 404.a
Homines diis olim immolabantur. 539.d
Honor à gloria an differat. 349.c
Honori capite aperto ſacra fiebant. 549.e,552.e
Hora ſignificat interdum tempus opportunum rei gerendæ. 329.b
Hoſtiæ ante immolationem thure & vino perfundebantur. 245.c
Hoſpitalitas laudabilis primæ Eccleſiæ. 315.a
Quinque Humanæ naturæ ſtatus poſſunt expendi. 210.e
ex Humanis actionibus oritur nonnulla iuſtitia. 140.a
Nemo eſt qui Humanitatem flecti non poſſit. 84.c
Humanus dies quis dicatur. 429.d
Hyemare quid. 666.c

I.

IAcobus an ſit Petro maior. 39.b
an Iacobus frater Domini fuerit de numero duodecim Apoſtolorum. 7.a
Ieſu nomen tribuit D. Paulus Dei filio etiam ante naturam aſſumptam humanam. 73.c
Qui ſupplet locum Idiotæ. 613.a,617.b
Idololatria & impuræ voluptates conſenſionem habent. 97.d
Moyſes Idololatriam populi Iſrael deplorauit, alij verò peccata alia fleuerunt. 441.d
Quis primus Idololatra. 94.a,b
Syrophanes filio mortuo fecit Idolum. 94.b
quæ Idolis offerebantur polluta erant. 501.b
In idolis latebat dæmon. 539.b
Idolum eſt falſum numen. 502.d
qui Idolothytis inquinentur. 503.b,c
B.Ignatius,Thecla & Priſca ad beſtias damnata fuerunt. 648.d
de Igne conflagrationis extremæ. 420.d,e
an Paulus Ignominiam ferre pro Iudæis optarit. 252.d
Ignorantia interdum præfertur ſcientiæ. 49.500.a
Inter exemplar & imaginem duplex cernitur relatio. 713.d
Imperatores an ſe vocare poſſint ſacerdotes. 8.d
Impietatis exemplum apud Mahumetanos. 95.d,e
Impij à conuictu piorum arcendi. 250.a
Impij diuino interdum numine afflati futura prædixerunt. 578.c
Conſuetudo ab initio naſcentis Eccleſiæ fuit expellere impios conuictu & conſuetudine fidelium. 442.e
Ad varia,fiebat manuum impoſitio. 10.b
Quam poteſtatem receperunt manuum impoſitione Paulus & Barnabas. 10.d
de Impoſitione manuum in diſcipulos. 9.b
Quid ſit,Imponere manus apud prophanos ſcriptores. 9.c, & apud ſacros. 9.e
nihil Impurum eſt,à Deo authore omnia. 541.b,c
Incapacibus quædam tacenda ſunt. 608.b,c
Incarnatio eſt ſacramentum magnum. 397.e
Incarnatio Chriſti quomodo prædeſtinata fuit ad gloriam noſtram. 398 b,c
nemo Incarnationis myſterium nouerat antequam factum eſſet. 397.d
Incarnationis myſterium ad miſericordiam ſpectat. 260.e
fructus Incarnationis ad iuſtos tantùm pertinet. 400.d
Incompoſiti qui ſint. 99.a
rebus Indifferentibus,moderatè vtendum. 461.d
quid ſit Indignè manducare corpus Chriſti. 569.a,b

Infamia quid. 739.e. fama quid. 739.c
Infantes à parente primo peccati maculam trahunt. 166.b,c
an ſummus Pontifex quicquam poſſit in regnum Infidelium. 449.a
Infideles olim maximè mirabantur Chriſtianorum charitatem. 459.c
Infideles iuri Eccleſiaſtico non ſubſunt. 449.c
Infideles non ſunt de Eccleſia. 449.c
Infirmitatis nomen multiplex eſt. 816.c,d
de Ingratitudine. 531.e
Ingratitudo hominis ad tadium impellit Deum ſi tadij eſſet capax. 300.d
Inimicus latens magis timendus quàm apertus. 791.b
Inimicis benefaciendum. 318.e
de ferendis Iniuriis. 317.e,438.b
Iniuria remittenda. 454.e
Ieruſalem eſt ferre iniurias. 317.d,e
de non vindicanda Iniuria. 317.b,c
Innocens nemo eſſe debet ſuo iudicio. 429.b
Innocentia gloria. 682.c,d,e
Intemperans grauius peccat incontinente. 99.d
Interpretis munus,& donum linguarum quì differant. 608.b
Inuiſibilia Dei,quid ſignificet. 91.b,e
de ſeruanda Integritate corporis. 786.a
de magnitudine gratia S. Ioannis Baptiſta prope incredibilia in ſacris literis leguntur. 25.d
haretici illa de eius officio explicant. 26.b
an fuerit Ioannes Baptiſta antiquis Prophetis maior. 26.d
Ioannes Baptiſta officio erat inferior Apoſtolis. 26.b
de S. Ioan.Baptiſta innocentia. 26.d,e
Ioan. Baptiſta peccati originalis noxa inquinatus fuit. 27.b,c
Iobi victoria contra aduerſa. 246.d
B.Ioſeph Virginis Maria ſenſu quam artem profiteretur. 810.d
Iro locus dandus non eſt. 318.c,d
qui ſit dies Iro Dei. 105.d
quomodo Iſaac dicatur natus ſecundum ſpiritum. 255.e
Iſaac probatus Iſmaëlis ad hareditatem. 256.c
Iſrael,quid ſignificet. 255.e
Imminente anno Iubilaï vetabatur mutuum à fratre exigi.ſed cur. 16.e
Iudas omnium Apoſtolorum poſtremum ſcripſit. 46.c
cur Iudas periturus,in Apoſtolum electus fuerit. 5.d.e
Iudas fuit aliquando bonus. 6.b,c
Iudai alligabant os bouis triturantis ne à labore impediretur. 514.a
Olim apud Iudaos totum piè ac religioſè colebatur. 121.d
plerique Iudaorum Dei notione practica caruerunt. 127.d
Iudaorum iuſtitia. 276.a,b,e
quo in ſacris litteris leguntur ad Iudaos maximè pertinent. 127.d
Iudai grauius peccarunt quàm Graci in non recipienda fide. 386.e
Iudai ſectantes iuſtitiam,non adepti ſunt eam. 270.d
de Iudaorum ſtudiis. 385.b,c
Iudais primò credita ſunt Dei eloquia,deinde gentibus. 121.e
duo ſunt Iuſtitia pracepta. 347.b
Iudais plurima poſt Chriſtum natum conceſſa ſunt. 121.a
Iudai a nobiliori tribu ſub regno Roboan nomen acceperunt. 115.d
Iudaorum duo ordines. 149.d
an Iudai omnes aliquando conuertendi. 299.a
quomodo Iudaorum calamitas Gentium ſalutem operata eſt. 294.c
Iudaorum populus in tres partes diuiſus. 292.a
Iudai duabus rebus, circumciſione, & lege cateris Gentibus praſtabant. 117.a
apud Iudaos cogebantur omnes artem aliquam profiteri. 810.d,e
Priuilegia Iudaorum à Paulo numerantur. 253.d
Iudai loti cœnare conſueuerant. 567.e
de Iudaorum ignorantia. 369.d
Iudai ſignorum appetentes. 385.d,e
Iudaica gentis numerari poſſunt varia priuilegia. 121.b
de apertis Iudicare non prohibetur. 430.d
an verum ſit, eos qui ſpõte paupertatem amplexi ſunt iudicaturos in die Iudicij. 455.a
Ex his qua ſenſibus obijciuntur Iudicium ſolet fieri. 805.c
quinam in Iudicio erunt Apoſtolorum throni. 455.b
dua futura ſunt in extremo Iudicio hominum claſſes. 163 d
Iudicare quid ſignificet. 405.c
Iudicium triplex. 429.b
Iudicandum de aliis non eſt. 102.a
non eſt temerè Iudicandum. 340.a
Iuramentum quo vtitur D.Paulus. 250.a
Iuſtificatio non cadit ſub meritum. 291.a
prima Iuſtificatio ſine merito operum ſit. 141.d
Iuſtificatio ſine charitate non eſt. 602.d
Explicatur ille locus Pſalm.50.Vt iuſtificeris,& vincas cùm iudicaris. 123.a,b,c,124.a,b
Iuſtificari dicunt haretici eſſe,iuſtum declarari. 121.d,e
Quomodo Iuſtificentur gratis homines. 130.b,c
Iuſtitia eſt vnicum gloria comparanda inſtrumentum. 130.d
Iuſtificatio ex fide,iuſtificationem operum non excludit. 141.c,d
Iuſtificationis formam eſſe fidem dixit Lutherus. 159.a
Iuſtificatio appellatur Dei gloria,cur. 130.b
Deus liberaliter iuſtificat. 290.c,d
Gratuita Iuſtificatio non ſimpliciter omnia opera excludit. 135.a
Quomodo fiat gratis Iuſtificatio. 135.b
Qua Iuſtificationem procurrant vim nõ habent merendi gratiam. 135.c
Gentiles ante Iuſtificationem potuerunt laudabilia opera facere. 105.d
Qui Iuſtificatus eſt, ne iterum peccato ſe polluat. 182.d
Chriſtiana Iuſtitia facilitas. 278.a
de Imputatione iuſtitia. 144.b,c,d
de Iuſtitia imputatiua. 713.a
Iuſtitia Dei qua dicatur. 733.c,d
Quomodo ſumus Iuſtitia Dei in illo. 733.d,e
Ex peccato diuina Iuſtitia illuſtratur. 124.d
De armis Iuſtitia. 738.e
Inter alia mala vita illud eſt quod viri iuſtitiam iuſtitiam ignorent. 817.a
nemo Iuſtorum certitudine fidei cognoſcit certò iuſtitiam ſuam. 816.d,e
Iuſti non pauci fuerunt in veteri Teſtamento. 703.b
Iuſtorum remuneratio eſt vltra condignum. 232.d
dicite Iuſto quoniam bene. 797.e
Iuſtus ex liberalitate in pauperes commendatur. 770.c
Nunquam deeſt Iuſtitia Deus. 288.a
dicite Iuſto quoniam bene. 678.a
Iuſtos afflictos non deſerit Deus. 7.d,e
Iuſtus quid ſignificet. b,c
Iuſtus eſt vas vtile Domino. 26.e
Omne humanum genus in duos veluti populos partitur, in Iuſtos ac ſanctos & in impios. 6.e

L.

LAbor inanis eſt niſi Deus adiuuet. 413.d
Lac quid ſignificet apud D.Paulum. 410.d,e
Lachrymarum multiplices cauſa eſſe poſſunt. 691.a
Latria cum timore ferè coniungitur. 82.e
Laudes celebrare proprias non decet. 781.a
Laudari,viris piis eſt velut contumelioſum. 793.c,d
Deus eſt primarius & ſummus Legiſlator. 29.c
D.Thomas Cantuarienſis mori maluit, quàm pati leges Eccleſiaſticas libertati repugnantes. 458.a
Legibus non opus vbi eſt amicitia. 329.c,d
Legis obſeruatio eſt quadam iuſtitia. 112.b
Opera legis,vel ad mores, vel ad ceremonias ,vel ad iudicia pertinent. 128.a
Cur ex operibus Legis quis non iuſtificetur. ibid.
Lex in membris eſt fomes. 214.c
Dua in homine Leges inter ſe pugnantes,lex mentis & lex membrorum. 214.d
Lex Moſis ſpiritu non omnino deſtituta erat. 703.e
Lex quomodo à nouo Teſtamento diſtinguitur. 703.a
Lex Moſis,lex mortis,lex Chriſti lex vita dicitur. 221.c
in Lege Moſis vis nulla erat qua poſſet delere peccatum. 221.c
Explicantur hæc, Gentes naturaliter quæ Legis ſunt faciunt. 112.a,b
Quomodo Lex ſpiritualis ſit & ad ſpiritum pertineat. 205.d
Sine Lege perire,quid ſit. 109.0
Lex eſt lux. 201.b
Pauci Lege naturali peccatum eſſe contra Deum cognoſcebant. 201.c
Legem Moſis vocat Apoſtolus literam. 703.d
an Lex data Iudais Gentibus obligaret. 109.e
Plurimùm intereſt inter ſtatum eorum qui ſub Lege viuebant & eorum qui in ſtatu Euangelij. 229.b
Humano vitio factum eſt vt lex occaſionem peccati daret, 202.c
Quomodo reuixit peccatum aduentu legis. 203.a
Lex in ſe ſancta & iuſta eſt. 204.d
Lex quomodo ad Iudaos pertinet. 127.c
an Lex vetus aliquid caleſte & immortale comprehenderit. 150.c
Lex mortis occaſionem prabebat. 199.b
Humana Principum leges ad parendum inuitant. 326.d
Quando data fuerit lex Moſi. 667.a
Lex moralis per Euangelium non fuit abrogata. 136.c
Quot fuerunt apud Hebraos Legis expoſitiones. 631.e
Lex Moſis abolere peccatum non potuit. 660.c
cur Lex dicitur litera occidens. 703.e
cur Lex noua dicitur ſpiritus viuificans. 703.e
Lex malum vetans cupiditatem quodammodo acuit. 704.c
Lex vetus miniſtratio mortis vocatur. 704.a
Lex vetus fuit velut nocturna lux qua Sole adueniente Chriſto extincta eſt. 705.c
Lex Euangelica gratiam largitur & gloriam. 706.a
Lemma quid ſit apud Martialem. 290 a
Leuis qui dicatur. 596.e. Longaminis quis ſit. ibid.
Lenitas commendatur. 775.b
Leuitas & inconſtantia cenſetur muliebris. 670.a
Leuita ex ſacrificiis victum quærebant. 516.b
Liberalitas in pauperes argumentum ſinceræ caritatis. 758.c
De cohibendo libidinis impetu. 185.c,d
Prapoſtera libidinis iuuentum fœminis tribuit Auguſtinus. 96.a
In quo ſit poſitum donum linguarum. 582.b,c
Linguarum donum Apoſtolis largitus eſt Spiritus ſanctus, non tamen elegantiam,copiam,ſubtilitatem. 583.b,c
Linguam callere aliud eſt quàm lepores & floſculos capture. 614.
Linguarum iactantia,puerile ſtudium eſt. 616 a
Litera Synodica,quid. 701.a,b
Liturgia,quid ſignificet. 8.d,e
De Chriſti loculis. 14.e
Λόγος,nunc ſermonem,nunc rationem explicant Scriptura. 122.a
Loth ad prapoſteram libidinem vitandam, ſtuprum ſuaſit. 127.d
Quomodo Loth frater Abrahami dicatur. 512.a

M.

MActra quid ſignificet. 446.c
Nemo cogitur Magiſtratum adire ſi ſua iura poſſit aliunde tueri. 456.d
Magna eſt magiſtratuum maieſtas. 328.d
Explicatur locus, Maior ſeruiet minori. 257.d,e
Quis ſit Myſticus ſenſus. 258.b
Maior eſt malitia cum malus ſe fingit bonum. 225.b
Qui Maledici dicantur. 460.b, detractores qui dicantur. 460.b
Manichai circumciſionem inuentum Dei turpiſſimi dicebant. 117.c
Manna non fuit ſacramentum. 529.d
Maranathia quid. 672.a,b,c
Extendere Manus quid. 285.b
Marcion hæreticus Deum veteris Teſtamenti authorem iuſtum,non verò bonum appellabat. 162.c
Marcion hæreticus duos deos diſtinguebat. 712.d
Maranatha. 251.b
Mare appellatur apud Hebraos omnis aquarum multitudo. 14.a
Mare & nubes baptiſmum,eſca & potus Euchariſtiam ſignificabant. 531.a
Maris & fœmina coniunctio eſt de iure natura. 463.d
Martha Lazari ſoror collegium virginum apud Maſſiliam inſtituit. 486.b
In electione Mathia in Apoſtolum, quidam ſplendor cœlitùs emicuiſſe dicitur. 6.d
Matrem virginis dicata Deo,Dei ſocrum appellat Hieronymus. 557.c
de Matrimonij diſſolutione. 196.e.197.a
Matrimonium cum infidelibus etſi irritum non ſit, culpa tamen non vacat. 481.e
de Matrimonio ineundo cum infidelibus. 741.a
Non omnibus licet Matrimonio copulari. 477.d,e
Qua ætate Matrimonium ineundum. 495.d
cura Matrimonij narrantur. 492.a
incommoda Matrimonij perſtringit D. Paulus, his verbis, Tribulationes carnis patientur huiuſmodi. 488.e
Matrimonij vinculum naturali & diuina vi adſtringitur. 196.d
Matrimonij vinculum poſt mortem non perdurat. 196.a
Matrimonium reprehendi non poteſt, Virginitas laude digna eſt. 495.b
Quomodo intelligatur percutienti maxillam dandam eſſe alteram. 458.d
Chriſtus Mediator eſt,ſunt quoque ſancti. 378.d
Munerum varietas in Eccleſia,variis membrorum corporis officiis explicatur. 584 d
Fabula de querela membrorum corporis in ventrem. 584.a
Mendacij ſunt cultores qui idola venerantur. 96.c
de Mendacio & quomodo Deus non ſit mendax. 123.c
Quomodo Dauid non eſt mentitus dicens, Omnis homo mendax. 123.d
Mendicus quis dicendus. 758.b.c
An prohibeantur in lege veteri mendici. 16.d
In quo differat menſa noſtra à menſa quam Chriſtus exhibuit Apoſtolis. 598.d

Merces

Merces ſeruo ex pacto debetur. 527.c
qui Meretrici coniungetur Chriſti membra tollit. 463.a
Omnis ratio meriti nititur beneficio gratiæ. 282.d
Nullo modo D.Paulus tollit rationem meriti. 291.b,c
Deus coronans in nobis merita,coronet ſua. 302.b
Metus timorem parit. 753.e
Saul Michol Dauidis vxorem alteri matrimonio collocauit. 197.d
in Militia hac non humanis armis dimicatur. 776.a
Miniſterium quid ſignificat. 310.b,c,d
Quod erat Miniſterium Apoſtolorum cùm dicitur, Miniſtcantibus autem illis. 8.b
Miniſtri Euangelici rectè ſcriptori conſeruntur. 701.d,e
Minoem & Rhadamanthum inferorum iudices deridet Cicero. 129.a
Minoe Cretenſium legiſlator Theſeum amore nefario deperiit. 98.c
Minor à maiori mitti non ſemper neceſſe eſt. 762.d
Apoſtoli Miracula patrarunt. 36.e
Magicis artibus adſcribenda miracula quæ in Eccleſia non fiunt. 36.a
Mira quædam opera quæ apud prophanos facta ſunt. 36.b
in Chriſti Miraculis multa ſunt quæ naturali efficientia fieri non poſſunt. 36.d,e
Miracula, ad fidem valent,ipſa tamen fides infunditur. 395.c
Hæretici tentarunt patrare Miracula,ſed fruſtra. 37.b
Eccleſia non ex Miraculis, ſed vera miracula ex Eccleſia cognoſcenda. 37.d
Miracula,Dei ludicra. 385.b
Miraculum pro qua re ſumatur. 35.d
Quid ſit Miraculum. 35.e
Chriſtus Apoſtolis vim faciendi Miracula tribuit. 35.e
Quæ fuerit iſta vis. 35.a. debebatur illis. 35.d
Miracula & ſigna fidei ſunt teſtimonium apud infideles. 581.c
ad Miracula tria videntur neceſſaria. 581.c
ex diuina Miſericordia & liberalitate metienda merces bonorum operum. 107.d
Deus cuius vult miſeretur. 263.a,b,c
ad Miſericordiam exercendam duo ſunt neceſſaria. 771.e
Deus rectè dicitur Pater Miſericordiarum. 677.c
Metere in ære miſericordiæ,quid ſignificet. 769.e
eſt Modus in rebus. 460.d
Moleſtiæ vtiles ſunt. 807.c
Qui dicantur Molles 459.d
B Monica virum ad Chriſti fidem adduxit. 481.d
Creſcente annorum numero Mores mutantur. 599.b
Quomodo abſorbeatur mortale à vita. 725.d
Mors infantium oſtendit eos labe originalis culpæ inquinari. 16.b
Mors introducta non fuit propter priuata hominum flagitia. 168.d
Mortis regnum cœptum eſt à culpa primi parentis. 268.e
Mors alia corporalis, alia ſpiritualis. 168.c
quomodo Mors in ſimilitudinem præuaricationis Adæ regnauit. 169.b
Mors Chriſti vitam attulit omnibus qui fidei coniunguntur & ſacramentis. 729.d
Mors in Adam eſt mori vitio Adæ. 640.d
quomodo Mors dici poſſit naturalis. 165.e
Deus mortem non fecit. 166.b
quomodo Mors intrauit in mundum. 166.d
Aculeus mortis cur dicatur peccatum. 660.a
Poſt Chriſti mortem mors non tanquam peccati pœna, ſed naturæ aliquo modo debita exiſtimanda eſt. 173.b
apud Iudæos Morticinij tactus polluebat. 502.a
Mortificatio,quid. 716.e
Mors abſorpta fuit Chriſti morte. 659.b
Mors quomodo nouiſſima deſtruenda. 643.c
Quomodo dicatur Deus viuificare mortuos. 153.d, 152.e
Quomodo Deus mortuorum Deus non eſt. 338.d,e
Qui peccato Mortuus cenſendus eſt. 178.a
Moyſes proficiſcens in Ægyptum ſigna voluit. 385.e
Primi & ſubiti motus an ſint in baptiſatis peccatum. 220.a,b,c
Moyſes miſſus ad Pharaonem vim miraculorum habuit. 35.e
Moyſes quomodo aliorum ſalutem ſuæ prætulerit. 252.b 253.e
quomodo Moyſes accuſaturus ſit Iudæos in iudicio. 455.e
Moyſes faciem velamine operiebat,quis ſenſus. 706.d,e
Mulieres apud quaſdam nationes ſunt quaſi ſeruæ. 625.b
Mahumetani mulieres pro belluis habent. 623.b
Mulieres minùs ad conſilia aptæ. 623.b
de Mulierum virtutibus. 553.a,b
de Mulierum officio. 553.b
apud Ægyptios lex Iſidis de Mulieribus. 553.a
Ægyptiæ Mulieres non ſolitæ vti calceamentis, vt ſe domi continerent. 553.d
A Republica adminiſtratione mulieres remouet Ariſtoteles. 623.a,b
Mulieres in Eccleſia taceant. 622.d,e
Mulieres garrulæ. 622.e
Radebantur comæ olim mulieribus. 552.d,e
Mulieri comam alere naturaliter honeſtum eſt. 556.c
Mulierem & virum neceſſe eſt mutuis ſeſe officiis iuuare. 555.b
Mulierum vanitatum exprobratio. 552.e,556.e
Cur tegi debent & velari mulieres in templo. 554.e
Mulieres ſolas deſtitutas,ex feris concupiſſe. 96.e
Vt gregi cuſtodes ita viros mulieribus præpoſitos. 552.b
Mulier malum neceſſarium. 495.b
ad Mulieres de capite velando Tertulliani exhortatio. 556.a
Per vniuerſum mundum intelligunt quidam Patres eas orbis partes,quæ Romano imperio parebant. 82.a
Varia Philoſophorum veterum de Mundi renouatione ſententiæ. 649.e,650.a
apud Romanos mulieri viris adempti. 18.a. albi calcei pariter. ibid.
Omnia in mundo vocem habent. 610.e
figura Mundi externa eſt. 306.c
Mundus noſter eſt. 423.c
Mundus pro hominibus factus eſt. 423.c
Mundus non cognouit Deum per humanam ſapientiam. 384.
Myſteria dicuntur quaſi ignota & occulta. 298.a,b
Quis dicatur Myſtis μυστὴς. 298.c

N.

NArciſſus Claudij Imperatoris Libertus odio Agrippinæ necatus. 361.d
an Nathanael ad Apoſtolorum numerum pertineat. 6.d
Natura paucis contenta eſt. 761.b
Natura per peccatum tenebris obſita fuit. 114.e
Nazaræi quando vino aceto, & vuis abſtinebant. 336.d
Qui fidem olim deſerebant,negatores,qui profitebãtur confeſſores nuncupabantur. 278.a
error Neſtorij. 75.e
quomodo Niniuitæ & Regina Auſtri condemnabunt Iudæos in iudicio. 455.a
Nobilitas ſola eſt,atque vnica virtus. 602.c
Difficile potentes,nobiles,docti duo credunt. 388.b,c
Nouitas omnibus in rebus debet eſſe ſuſpecta. 624.c
Nox quid ſignificet,an figuras veteris Teſtamenti. 320.b
Nox pudore vacat, orta luce verecundiùs homines ſe gerunt. 321.b

Nox

Nox pro veſpera vergente in noctem. 563.c
melius eſt nubere quàm vri. 477.b,c
Nubere illæ dicuntur quæ tranſeunt in viri poteſtatem. 552.d
quid ſit nubere in Domino. 496.a
Nunc, aduerbium, quid ſignificet. 209.c
Innupta & virgo, an idem ſit. 492.b
impar numerus nuptiis tribuebatur. 463.a
inceſtæ nuptiæ Chryſippo placuerunt. 440.b
Quomodo ergo inauditas Gentibus dicit D. Paulus. 441.b
Qui conuolat ad ſecundas nuptias, non peccat. 488.e
Nuptiæ ſecundæ carent ſacerdotali benedictione. 497.a

O.

Obedientia cum fide coniungitur. 79.e
Obedire fidei eſt aſſenſum præbere. 79.b
Oblationes fidelium quæ erant olim. 561.b,c
de Pharaonis obſtinatione. 263.c
Obtrectatores ſuos D. Paulus quaſi teſtes appellat. 683.a.b
Oculi plurimùm ad ſcientiam adipiſcendam valent. 586.e
Odor ſentitur, non oculis cernitur. 696.a
iure œconomico penes patremfamilias eſt familia dominium. 20.c
Oleum ad vſum lampadarum olim offerebatur. 561.b
prodigium Oliuæ quæ in totum combuſta reuixit. 715.d
Onus quid ſit in Prophetis. 290.e
dignus eſt operarius mercede ſua. 19.b
Chriſtus loculos habuit quos Iudas ferebat. 19.c
Deus eſt primarius auctor boni operis. 262.b
Opera ſine fide nihil proſunt. 141.a
Opera ad extra communia ſunt tribus perſonis. 227.b
Opera ad iuſtificationem requiruntur. 110.d,e
Qui perſtant in bono opere ſaluantur. 106.d
Opera bona non ſunt peccata ante Deum. 106.e
Omnia bona noſtra opera tribuenda ſunt diuinæ miſericordiæ 261.d
Operibus bonis præmium eſt reddendum. 108.e
de Oraculorum defectu. 777.a
Orandum ſine intermiſſione. 83.c
qui orat aut pſallit præſtare debet, vt qui audiunt inde fructum capiant. 612.b
Oratio & vita duæ ſunt manus. 438
Origenes in fidei profeſſione peccauit. 278.e
de oſculo pacis. 827.a,b
Olim vſurpatum fuit oſculum in ſalutatione. 362.d
de oſculo quod ſanctum vocat D. Paulus. 362.d
Deo oſcula contraria. 362.e
poſt communionem olim dabatur pacis oſculum. 363.e
de oſculo & oſculandi conſuetudine inter fideles. 671.c,d
Oues tondendæ non deglubendæ. 587.e

P.

de Pace. 827.e
de Pace poſt iuſtitiam acceptam. 158.b,c
Communicatio pacis, quid. 701.e
Panis phraſi Hebraica cibus omnis appellatur. 569.a
de benedictione panis & calicis in inſtitutione Euchariſtiæ. 564.b
quomodo homines in parente primo peccarunt. 166.e
dies Paſchalis & Pentecoſtes à tempore Apoſtolorum coluntur. 667.d
Paſtoris munus eſt saluti ouium proſpicere. 694.d
de Paſtorum ſtipendiis ſi non inuigilent gregi. 514.a,b
Paſtores pro ouium ſalute orare ſemper oportet. 825.d
Parentes filias cogere non poſſunt ad virginitatem ſeruandum. 494.d
Parentum eſt cogitare de puellarum nuptiis. 495.c
Pater dicitur Pater ratione Chriſti, dicitur Deus ratione noſtri. 676.a
Patri tribuitur nomen Dei, filio nomen Domini. 78.b
Patri non diabolo fuit redemptionis pretium perſolutum. 131.b
Patientia bonorum omnium fundamentum eſt. 737.d
de Patientia in afflictionibus. 159.c,d,e
Patientia pro Chriſto ſignis antefertur. 810.b
an D. Paulus nobilis, diues, an è contra. 54.b
de D. Pauli doctrina & eloquentia. 54.a
D. Paulus Gamaliele magiſtro vſus eſt. 55.b
D. Paulus argumentorum robore potius quàm picturatæ orationis ſplendore vtebatur. 55.c
de D. Pauli continentia & ſanctitate. 56.c
Paulus vxorem non duxit. 57.a
Paulus ſemper cœlebs & virgo fuit. 57.d
de Charitate S. Pauli. 58.a
de conuerſione S. Pauli. 58.c
qua ætate Paulus Chriſto nomen dedit. 58.b
quo anno poſt Chriſti aſcenſionem D. Paulus ſacra percepit. 59.b
conuerſio S. Pauli fuit admirabilis. 59.d
quæ fuerunt D. Pauli peregrinationes. 60.c
de profectione Pauli in Hiſpaniam. 63.a,b,c
Explicatur quæ Pauli ſcripta legitima ſint. 64.a
de S. Pauli morte. 66.a
Tertio Neronis anno obiit D. Paulus. 66.a.b
an Petrus & Paulus eodem anno obierint. 66.c
quo loco Romæ obierit D. Paulus. 67.a
de ſtatura D. Pauli. ibid.
de nomine Sauli. 72.a
de nomine Paulus. 72.a,c
D. Paulus nomen ſuum præpoſuit in epiſtol. ad Romanos. 72.d
Paulus ſæpe Troadem venit. 694.e
Paulus in rebus aduerſis gaudet ſpe futurorum bonorum. 695.b
an Paulus ſit Petro maior. 39.d
Paulus ſimpliciter dicitur Apoſtolus. 40.a
Pauli dignitas, nihil Petri dignitati detrahit. 40.b
quomodo D. Paulus abortiuus dicitur. 633.e
quod verè verus Chriſtus Paulo apparuit. 634.a,b,c
in Pauli Apoſtolatu eſt duplex cauſa ſegregationis. 75.c
D. Pauli tribulationes & plagæ. 738.a,b
D. Paulus noctu etiam concionabatur. 738.c
quomodo & quando Paulus ad Apoſtolatum ſit vocatus. 7.b
Paulus ab iis ad quos prædicabat nihil accipiebat. 511.c
Paulus ſe apud Deum aliorum precibus adiuuari putat. 681.d
Charitas S. Pauli in Corinthios. 811.b,c
in quod cœlum raptus eſt D. Paulus. 803.a,b
Tempore D. Pauli inter Corinthios variæ erant ſectæ. 378.d
D. Paulus perpetuò cœlebs fuit. 359.a
Pauli humilitas. 518.c
cur Deus Apoſtolo Paulo Angelum Sathanæ dedit. 807.b
D. Paulus ſe vnum crucifixum ſcire profitetur. 393.c,d
Paulus ſæpè ſenſum non verba Scripturæ recitat. 51.c
D. Paulus quomodo ſe imperitum ſermone dicit. 788.a
D. Paulus ad dexteram Petri pingebatur. 40.a
Paulus Gentium Apoſtolus, Petrus Iudæorum eſt conſtitutus. 40.b
an Paulus cœlebs fuerit. 475.c,d
Paulo reuelatum fuit ſe eſſe Deo charum. 868.a
D. Paulus ſe non ad baptizandum, ſed ad prædicandum eſſe miſſum docet. 380.c
apud Paulum figuræ ſunt frequentes. 91.a
quod D. Pauli genus, & quæ patria. 53.a
artem tabernaculorum Paulus profitebatur. 53.a,b
Paulus ſe ſeruum dicit, non miniſtrum. 73.d
D. Paul. Barnabas & Mathias a Petro initiati ſunt Epiſcopi. 29.c

Index rerum

quæ fuit ſegregatio Pauli & Barnabæ. 8.e
Paulus an ſermonis imperitus. 151.a
ad quem finem ſegregati fuerunt Paulus & Barnabas. 9.e
Paulus ſe innocentem probat. 712.b,c,d
Non optauit Paulus auelli à Chriſto propter culpam. 252.c
quæ fuerit D. Pauli penula. 22.e
Paulus ad beſtias non fuit damnatus. 647.a,679.b,e
Paulus quomodo Apoſtolos frater vocat. 512.a
Pauli authoritas extraordinaria erat, Petri ordinaria, adeò hæc ſucceſſores, illa non habuit. 41.a
Paulus & Barnabas creati fuerunt Epiſcopi manuum impoſitione. 11.a
D. Paulus ſe à Chriſto conſtitutum Apoſtolum ait. 38.b
de plagis D. Pauli. 795.e
D. Petrus ordinarius omnium mortalium paſtor renunciatus eſt. 38.d
quibus morbis fuerit D. Paulus obnoxius. 806.e
D. Paulus antequam ſupplicium inſligat ſæpius monet. 815.
de raptu D. Pauli in cælum. 803.a,b
quomodo raptus fuerit D. Paulus. 803.c,d
an anima D. Pauli auulſa ſit à ſenſibus. 804.a,b
Pauli pugna ad vitam æternam dirigebatur. 523.a,b,c
de D. Pauli in Hiſpaniam profectione. 355.a
quomodo D. Paulus certus eſt ſe à Chriſto diuelli non poſſe. 820.a
D. Paulus erat ex tribu Beniamin. 228.c
D. Paulus ſententiam fert in nomine & authoritate Chriſti. 445.c
Paupertas Chriſti non repugnat ſummo rerum dominio. 14.c,d
Pax ex gratia naſcitur. 373.a
nulla eſt tanta pax quin cum ea difficultates moleſtæ multæ ſint. 158.b,c
Pax duplex. 342.a,b
Pax omnibus hominibus retinenda eſt. 307.b,e
Peccatum ſumitur pro victima. 733.e
Peccatum, pro hoſtia peccati in ſcripturis ſumitur. 222.d
Peccata hic vincere poſſumus, mortem verò per reſurrectionem vincemus. 661.b,c
Vis morbida peccati Chriſti gratia frangitur. 226.b
vt Peccatum eſt cauſa mortis, ita iuſtitia ex Spiritu ſancto eſt cauſa vitæ. 226.e
ex grauitate ſcelerum metienda eſt grauitas pœnarum. 107.d
omnes peccauerunt & originali, & actuali ſuo peccato. 130.e
an tecta peccata in hominibus maneant. 145.d
Triplex hominibus peccandi via. 415.c
Peccatum originale non eſt propenſio ad peccandum. 165.d
Peccatores ſpiritualibus viribus inualidi ſunt. 161.d,e
quidam peccati cognitionem à peccati cognitione ortam voluerunt. 128.e
Deus patitur peccatores vt conuertantur. 105.a
diuturnitatis expectationis pœna grauior. 105.a
Peccatum vnum niſi pœnitentia deleatur ad alia vrget. 207.d
non peccanti, ſed in malè perſeueranti peccatum imminet. 107.e
an Peccatum ſit ſubſtantia. 733.e
Humanum eſt peccare ſed diabolicum perſeuerare. 122.e
quidam in peccatorum cæca nocte ita verſantur vt virtutis ſcintillam nullam videant. 212.b,c,d
quædam peccata cauſa ſunt criminum, & pœna aliorum. 98.b
Nemo in vita poteſt ex ſe omnia leuia peccata vitare. 430.
Peccati labe omnes ita ſunt debilitati, vt quandam veluti peccati neceſſitatem contraxerint. 116.c
Omne peccatum vocatur iniuſtitia. 98.c
quomodo peccatum peperit cupiditas. 201.c,d
Non eſſe vllo modo peccandum. 187.d,e
B. Virgo peccato originali non fuit aſtricta. 126.d
Peccata ante Chriſti mortem expiata fuerunt Chriſti morte. 433.b
de Peccatore conqueritur Deus. 264.b
grauius peccatum eſt fratrem lædere, quàm alienum. 459.e
Deus queritur de peccatoribus. 264.b
Peccati ſtipendium. 191.b
Pecunia viſco ſimilis. 762.c
Non oportet eſſe ſine metu de peccato. 817.a
Pecuniam non tam poſſidetur quàm poſſidet. 762.c
an licitum fuerit pecuniam ſecum ferre. 18.d,e, 19.c,d,e
de Pedum lotione ante cœnam. 567.a,b
Peregrinatio D. Pauli. 353.a
non deerunt pericula, non deerit Dei adiutorium. 681.b
quædam eſt perfectio quæ diuinæ legis obſeruatione continetur. 12.e
an illa Chriſti verba, Si vis perfectus eſſe, vēde omnia, præceptum contineant. 12.d
Chriſtianæ vitæ perfectio non neceſſitate alicui imponitur. 12.c
Perfidia infamia laborant ex Hebræis orti. 794.b
Permiſſio in Deo quid ſit. 293.
quæ Deus homini permittit ea occultam vtilitatem hominum continent. 84.b
de Perſeuerantia. 520.d,e
nemo poteſt ſibi certò perſeuerantiam aut ſalutem polliceri. 534.d
Perſonas vocat ſtatuas humana ſpecie, Vlpian. 108.c
quid Perſona ſignificet. 199.a
quid ſit Perſonarum acceptio. 108.b,c,d
animi perturbationes veritatem offuſcant. 411.d
de Petra conſequente in deſerto. 530.c
Petra Chriſtum ſignificabat. 707.a
quæ à Deo petenda ſunt. 274.b
Eccleſiæ Africanæ authoritate Petri inſtitutæ fuerunt. 82.a
Petrus Chriſtum eſſe Dei filium à Patre non ab Apoſtolis cognouerat. 39.b
Petrus poteſtate maior, ſed Paulus ſapientia præcellere viſus eſt. 40.e
Petrus nec alij Apoſtoli vxores habuerunt. 512.b
Peccatum Petri & Iudæ, fuit proprium Petri, pariter & Iudæ non Apoſtolici ordinis. 494.a
Probatur Petrum ſucceſſores habuiſſe. 41.c
D. Petrus, an Epiſcopus fuerit. 11.b
Petro tamquam priuato Epiſcopo Antiochiæ, ſucceſſit Euodius. 41.c
Petrus à Chriſto poteſtatem accepit cæteris Apoſtolis ſuperiorem. 38.c
Petri præcipua authoritas declaratur his verbis, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram. ibid.d
Petrus Primatus fuit conceſſus. 788.d
Philippi regis Clementia in obtrectatorem. 316.c
an quidam ex antiquis Philoſophis ſalutem conſecuti ſint. 91.e
Philoſophi ex rerum aſpectu Dei ſapientiam cognoſcunt. 89.b
quomodo dicantur veteres Philoſophi Deum cognouiſſe. 92.a
quomodo antiqui Philoſophi Deum non ſicut Deum glorificauerunt. 93.a
Philoſophorum veterum mens obſcura erat. ibid.
ſtultitia veterum Philoſophorum. ibid.b,c
Philoſophorum gentilium pædagogus. 781.e
caligauerunt in ſua ſapientia veteres Philoſophi. 390.a,b
A Philoſopho non eſt eloquentia requirenda. 380.c
quidam dixerunt Philippo tres filias fuiſſe. 16.e
Phinees qua authoritate occiderit coram populo. 776.e

Piam

Piaculum pro expiationis ſacrificio ſumitur. 222.e
Pileus libertatis ſymbolum. 550.b,e
Serui pileati vendebantur olim. 550.b
Omnibus in omnibus placendum. 544.a
Placere oportet hominibus, ſed in ædificationem. 347.c,d
Pœnitentes olim cineres capiti ſuo imponebant. 450.b
de Pœnitentia præcepto in lege veteri. 277.d,e
Pœnitentes olim præ templi foribus ad fidelium genua aduoluebantur.
an Pœnitentia publica olim imponeretur. 444.d,e
Pœnitentia quid ſignificet. 750.a
Multis modis Deus allicit ad Pœnitentiam. 104.c
Quando euitet veritas pollicitationem Dei. 134.c
Romanus Pontifex ſe ſeruum ſeruorum Dei nominat. 519.a
Summus Pontifex ius habeat in infideles & temporalia. 484.a
Victor Romanus Pontifex ſtatuit vt Paſcha die Dominico poſt xiiij. Lunam celebraretur. 38.b
Romanus Pontifex ſe ſeruum ſeruorum Dei profitetur. 326.c
Poteſtas conceditur à Deo vt veritas & iuſtitia conſeruentur. 825.d,826.b,c
qui poteſtati reſiſtit Dei ordinationi reſiſtit. 322.d
quæ poteſtas proximè à Deo ſit. 323.a
Poteſtas Chriſti in viuentes & mortuos. 338.d,e
Cur nomine, poteſtatis, vtitur Paulus pro, velamento. 554.e
Poteſtas ordinis & Iuriſdictionis in Eccleſia eſt. 777.d
quando Poteſtas clauium data eſt Apoſtolis. 39.c
de Poteſtate & authoritate. 321.d
Poteſtatis nomen pro velaminis nomine ponitur. 552.d
in Præcepto duplex neceſſitas. 517.b
qui contemnunt Eccleſiaſtica præcepta poteſtati Dei reſiſtunt. 28.b
Præceptum comprehendit tantùm ea quæ à libera voluntate proficiſcuntur. 106.b
Explicatur, nihil diuinis Præceptis addendum. 29.b,e
Prædicationis munus ſemper Epiſcoporum proprium. 38.a
Prædicationis munus maius eſt quàm baptiſmi. 380.
Prædeſtinatio non cadit ſub meritum. 291.e
Prædeſtinatio ad miſericordiam ſpectat. 261.b
de Prædeſtinatione nulla habita ratione meritorum. 260.b,c
Prædeſtinati, à charitate non ſeiunguntur tribulationibus. 245.c,d
de Prædeſtinatione, quædam. 239.d
quæ cauſa Prædeſtinationis & reprobationis. 267.b
Præſcientia Dei infallibilis non eſt malorum cauſa. 153.a
Præputium poſt circumciſionem inſtaurari poſſe quin cenſuerit. 482.c
Explicatio verborum, quos præſciuit. 240.c
Præſcientiæ nomine ipſa prædeſtinatio interdum nuncupatur. 241.d
Præſulum eſt aliorum vitam & mores probè inſtituere. 339.d
Præſules debent parentum caritatem in liberos imitari. 816.a
Præſules Eccleſiaſtici debent ſpectare ſubiectorum vtilitatem. 815.c
de Præuenienda iuſtitia diuina per pœnitentiam. 571.a
Preces olim collectæ dictæ ſunt, quare. 664.d
Preces quæ aliquid ab hæreticis habent admixtum etiam prodeſſe aliquando docet D. Auguſtinus. 614.b
de Primitiarum nomine. 296.b
Principi tantùm debet ſubiectus populus præſtare, quantum paſtor ouibus. 457.b
Princeps debet eſſe veluti Deus inter mortales. 457.a
Principatum antiquari, quid. 642.b
ut Principes huius ſeculi, homines dicantur. 396.e
Contumacia in Principes iram Dei prouocat. 324.b,c
de Principis poteſtate. ibid.
Princeps eſt Dei miniſter. 324.d
Principes Dei imaginem referunt. 325.a
Principes parentes ſunt ciuitatum & gentium. 325.b
cur Principibus parendum eſt. 330.b
Principibus duo debentur. 318.d
Principum poteſtas detraxit de paterna poteſtate. 330.d
Etiam naſcente Eccleſia pro Principibus orabatur in Miſſa. 328.d
Principibus timor debetur. 328.b
Principatus eſt ſplendida ſeruitus. 326.c
Malè quidam ponunt duo principia, alterum bonum, alterum malum. 541.d
Efficientia in procreando an ſe teneat ex parte viri vel fœmina. 555.b
ad ſacramentum pertinet vt habeat promiſſionem gratiæ. 148.c
Promiſſio in Scriptura rem promiſſam ſæpe ſignificat. 150.a
Quid ſit, Probare quòd beneplacitum ſit Deo. 307.c
Tres ſunt gradus Proficientium ſibi ordine ſuccedentes. 661.a
Attendendum à falſis Prophetis. 363.a,b
Prophetæ Chriſtianæ religionis veluti ſemina ſparſerunt. 781.a
Signum internoſcendi prophanum vatem à vero Propheta. 577.c
Prophetare aperto capite homines percipit Apoſtolus. 549.b
Etſi aliquid à Prophetis prædictum ſit, non tamen ſine Dei iuſſu faciendum eſt. 321.c
ad Prophetæ munus pertinet occulta patefacere. 618.d
Prophetiæ eximia eſt dignitas. 606.c
Propheta ſignificat etiam legis interpretem. 606.b
Qui laudes Deo canunt prophetare in Scriptura dicuntur. 606.c
Prophetæ nonnunquam vocantur phanatici. ibid.
Qui mira quædam ſupra naturam faciebant Prophetæ dicebantur. 607.a
tria Prophetanti tribuuntur. 607.c
Prophetia anteferenda eſt linguarum facultati. 617.d
Explicatur quid ſit Propoſitum. 139.d
Non poteſt excuſari à culpa qui temerè de proximo iudicat. 430.e
quomodo qui Proximum diligit legem impleuit. 328.c
ſua Prudentia non innitendum. 337.b
de Pſeudoprophetis. 791.c
Punire etiam ad ædificationem ſpectat. 816.e
Purgatorium probatur. 418.d,e
de igne Purgatorij. 418.d,419.a,b,e
Ceremonia ardentium cereorum in Purificatione, vnde. 645.b

R.

Raptus ab externo principio pendet. 803.d
Rationale fuit vnum ex ſacerdotalibus ornamentis. 122.b
qui rectam rationem ſequitur, Deo placet. 337.d
quilibet mortalium audiet aliquando, Redde rationem villicationis tuæ. 428.c
pretium Redemptionis nullum fuit aliud præter Chriſtum. 131.b
quomodo Deus miſeria hominum miſertus eos redemerit. 133.c
gratis Redempti & iuſtificati ſumus. 131.c
duo Chriſti Regna. 642.b
Chriſtus num regnet pacificè in Eccleſia. 642.d
quomodo Chriſtus Patri Regnum tradit. 642.c
Non agitur de Religione cum Scholaſtici doctores diuiduntur in Thomiſtas, Scotiſtas. 378.c
Chriſtiana religio calumniis offuſcari nequit. 618.a

Ne periti & perfecti in religione, rudiores contemnant. 335.c
Religioſi ordines vnius domini ſunt. 413.b,c
Reliquia quæ dicantur & quid ſint. 290.d,269.a
Remittendi vox, indulgentiam & gratuitum continet beneficium. 145.c
Ideo res prædicetur futura, quia futura eſt, non contrà. 282.b
an Res ſint quia à Deo cognoſcuntur. 241.b
Quid ſignificet, Reputatum. 143.a
de Reſipiſcentia. 750.c,d
Reſurrectio omnium eodem momento temporis fiet. 642.b
probatur Reſutatio ex Prophetarum oraculis. 636.b,c
ex Chriſti Reſurrectione, omnium reſurrectio colligitur. 636.b
Teſtimonia Reſurrectionis Chriſti. 632.e
poſt Reſurrectionem Chriſtus Patri reſtituet regnum. 644.a
Reſurrectionem carnis qui negabant. 630.a
Sanctitas Reſurrectionis prærogatiuam flagitat. 641.d
De modo futuræ Reſurrectionis. 649.d
corpora Reſurgentium erunt nobiliora. 651.c
duplex Reſurrectio. 227.c
de Reuelationibus. 801.e
Reuelatio, ſcientia, prophetia, doctrina, an idem ſint. 609.a
Rex ſi delinquat, punitur in Inſula Taprobana.
Regem & Principem dedecet ſæuitia. 326.c
Rhadamantum puerum ardentiſſimè adamauit. 98.e
Quot olim apud Romanos tributorum genera. 327.b
Laus eſt Romanis quod chari eſſent D. Paulo. 85.c
Romani quo die per ignem luſtrabantur. 645.b
Nefas erat Romanis ciuibus ſordidis artibus ſe implicare. 53.d

S.

Sabbati vna, id eſt prima ſabbati. 665.a
Samuel an Sacerdos fuerit. 272.a
Sacerdotes apud Ægyptios pulchro ſumptu alebantur. 511.d
Sacerdotibus comam alere prohibitum. 558.a,b
Iudaicus Sacerdos nudis pedibus & tecto capite ſacris operabatur. 551.a
Theodoſius iunior Catholicos Sacerdotes, Romanos ſacerdotes appellat. 81.c
Sacerdos in perſona Chriſti conſecrat. 565.a
Sacerdotibus impoſita eſt perpetua continentia. 474.e
Sacramenta nouæ legis ἀντίτυπα ſunt. 180.b,c
apud Ægyptios vſu receptum erat ſacrificiorum carnes venales eſſe. 541.e
Lycaones Paulo & Barnabæ ſacrificare voluerunt. 427.b
Non eadem fuit veterum ſacramentorum cum noſtris ſubſtantia. 529.d,e
Sacrificantes diis omnibus capita velabant. 550.b
Hæreſis Saducæorum. 638.e
Salus æterna naturæ viribus haberi non poteſt. 112.c
Salubre non eſt venam ſæpius incidere. 656.e
Quærenda eſt aliorum ſalus, ſed ita vt propria non negligatur. 541.a
Quid de Numa, Catone, Scipione & aliis dicendum, an ſaluati ſunt. 112.c,d
Salutationis ratio Apoſtolica, eſt gratiam & pacem precari. 80.e
Duplex ordo eorum qui ſalui fiunt. 290.b
Salus ab vno Chriſto pendet. 379.b,c
Tres ſunt claſſes eorum qui ſalutem conſequuntur. 228.b,c
Non ſemper ſanctorum precibus Deus annuit. 83.b
Samuel ſummus Sacerdos non fuit. 41.b
Sancti mundum iudicabunt. 454.c
an Sandalia tulerit Chriſtus. 17.b
Quid fuerint Sandalia. 27.c
Sanguis pro anima ponitur. 656.a
Empti ſumus ſanguine pretioſo corporis Chriſti. 466.b
Qui differant Sapientia & ſcientia. 580.
Sermo ſapientiæ eſt doctrina. 580.a,b
Sapere oportet ad ſobrietatem. 308.a
Sapientia huius mundi ſtultitia eſt. 422.c
altum ſapit qui ſeipſum extollit. 297.a
Sapientia triplex ab Origine recenſetur. 396.e
Sapientia triplex deſignatur. 383.d
Sapientia carnis eſt inimicitia in Deum. 224.a
Sapientia humana ſtultitia eſt apud Deum. 382.c
Quis apud ſe Sapiens. 316.c
Initium Sapientiæ, eſt deſiderium diſciplinæ. 759.
Sara obiicienti Angelo cur riſiſſet, negauit. 154.a
Sathan quid ſignificet. 807.a
Sathanas quid ſignificet & quomodo Petro tributum à Chriſto. 39.a
qua Satiſfactio requiritur poſt baptiſmum. 301.b
Saturno ſacra aperto capite fiebant. 549.a
Scandalum eſt contra charitatem. 341.b
Scandalum actione mala præbetur. 505.b,c
Cur antiquorum Scelera permiſſa dicantur. 94.d,e
Etſi natura ſcelera Dei iuſtitiam illuſtrent, non tamen ſæuit Deus iniuſtè in peccatores. 125.c
Hominum Scelera à Deo minimè deſtinata ſunt. 193.
non eſt Schiſma inter eos qui ſequuntur Dominum & eos qui ſanctum Franciſcum. 378.a
Schiſma quomodo explicent hæretici. 376.a
Schiſmata vetat D. Paulus. 377.b
Schiſmata Corinthios depaſcebant. ibid.
Scientia inflat. 499.c,d,500.a
Scientia non reiicienda, ſed eius abuſus. 499.e
Scientia debet charitate comitari. 500.e
Qui rerum diuinarum Scientia perfecta caret, ignoratur à Deo. 624.d
diuina Scientia viſio nuncupatur ob certitudinem. 601.c
Scientia noſtra tenuis admodum eſt in hac vita. 600.a
Scortatio totum corpus fœdat. 464.e
Scortator peccat in corpus ſuum. 464.c
Scortator peccat in Deum. 464.e
de Scortatione. 462.463.c,d
de Scribis fuſius. 383.b,c,d
Scribæ apud Iudæos notarii erant. 383.c
Olim nonnunquam ex ſcripto adhortationem recitari conſuetum erat. 620.d
Scrutandi verbum, quid ſignificet. 401.d
Quod in Semine germine eſt à Deo eſſe docet Paulus. 651.b
an Seneca Chriſtianus & amicus D. Pauli fuerit. 92.b
abundare in ſuo Senſu hominis perfracta frontis eſt. 337.b
Sepulchrum amici carcerem dixit Orpheus. 723.b
quomodo Serui dicantur inutiles. 517.c,d
Serui olim dicti familiares. 73.b
Serui fideles etiam conſilii Domini ſunt participes. 536.c
Serpens æneus in deſerto figura fuit Chriſti. 130.c
Seruitus peccati miſerrima. 206.c
Seruus eſt velut Domini ſui pars, etſi ſeiunctus. 336.b
Explicatur locus celebris, Si quis autem ſuperædificat aurum. 415.b
Signa qui differant à prodigiis. 353.d,e
Signare quid ſit. 687.b
Silentium in myſteriis neceſſarium. 298.d
Chriſtus exigit ſimplicitatem & animi demiſſionem pueriorum. 615.d
diuitias ſimplicitatis oſtendere quid. 756.a
Simplicitas pro fatuitate interdum accepta eſt. 757.e

Societas

Societas cum infidelibus an licita. 742.c,743.d
Socrates beatum dixit qui nihil appeteret. 180.d
Socrates de puerorum amore ſuſpectus eſt. 98.d
Sol eſt fons corporea lucis. 696.c
Solicitudo cæleſtis vita commendatur. 491.b
Nimia rerum corporearum ſolicitudo etiam Ethnicis improbatur. 491.d
De ſpe. 235.e
Quomodo D. Paulus ſpectaculum ſuit mundo. 433.d
ſperare eſt proprium intelligentis naturæ. 234.b
Spes ſalutis in ſtudio & labore proprio collocanda. 669.
Spiritus huius mundi quis ſit. 402.d,e
Non poſſumus dicere, Abba pater. niſi in Spiritu ſancto. 229.d
Qui in veteri Teſtamento gratiam Spiritus ſancti receperunt, ad nouum quadam ratione pertinebant. 230.a
Fructus ſpiritus quid. 582.c,d
Spiritus Dei edit in nobis hanc vocem, Abba Pater. 230.d
Spiritus adoptionis ſpiritum adoptantem ſignificat. 230.c
Quando ſpiritus noſtro diuinum teſtimonium exhibetur. 231.a
Theopompi amentia, Theodecte cæcitate captus eſt volens ſacras Scripturas ſcribere ornatius. 380.b,c
Spiritus ſanctus à filio procedit. 400.d,e
Spiritus Dei, omnia quæ Dei ſunt nouit. 401.b
De Spiritus ſancti donis. 578.b,c
Spiritus ſanctus opitulatur noſtræ imbecillitati. 237.c,d
Spiritus ſanctus quomodo ingemiſcat. 238.a
Spiritus ſanctus pro quibus poſtulet & ingemiſcat. 238.b,c
Spiritus veteris legis dicitur ſpiritus ſeruitutis, nouæ verò ſpiritus adoptionis. 229.d
Quis ſpiritus tribuat nobis vim orandi. 237.a,b,c,d
Spiritus ſanctus imago filij quomodo dicatur. 713.c
Caro Chriſti concepta de Spiritu ſancto peccatum habere non potuit. 221.a
Spiritus compunctionis. 292.a,b
Spiritus ſancti dona poſſunt apellari teſtimonium Chriſti. 374.d
Spiritus primitiæ quæ dicantur. 235.b
Quid ſit ſpiritu Dei agi. 228.c
Quomodo ſpiritus Dei teſtificetur nobis, nos eſſe filios Dei. 230.d
Prudentia ſpiritus pacem affert. 224.a,b
Sponſi labra, lilijs comparantur. 380.c
Sponſa dum nubit viro tradi dicitur. 197.b
Introductionis ſponſæ ad ſponſum verba. 463.b
Hic ſponſalia cum Chriſto fiunt, in cœlo nuptiæ fient. 786.b.c
Sportula apud Romanos quid? 513.e
Qui populum adhortantur ſtantes loqui ſoliti erant. 620.b
Stantibus difficile ſomnus obrepit. 669.e
Crucifixus, Gentibus ſtultitia. 385.e
Vniuſcuiuſque ſtatus ſua habet præcepta. 483.d,e
Cur ſues à diuinis ſacrificiis reiecit Moyſes. 504.a
Superſtitia ipſo pene natura iure ſunt indigentium. 474.c
Vetera ſupplicia, futurorum quoque ſuppliciorum figura erant. 534.a.b
Suſpenſio molæ aſinariæ in collo viſitatum fuit apud Iudæos ſupplicium. 504.c
Suſurrones qui ſint. 99.b
an dæmon Sybillas agitarit. 402.d
Olim à ſacra ſynaxi expellebantur ſontes. 443.a
Synagoga fuit Eccleſiæ typus. 27.e

T.

Tabernacula ex quibus conficiebantur. 8.0.c
De Tecla, fabula narratur. 806.a,b
Telemachus matri publica denegat munera. 353.a
Temeritas in diuinis inueſtigandis vitanda. 264.b,c
Cur in templo canitur. 614.a
Violat Dei templum qui vnitatem fidelium diſcindit. 421.b
Temporalia pro ſpiritalibus etiam in laboris gratiam accipi non poſſunt. 513.c
Tempus acceptum & acceptabile, quodnam ſit. 737.b,c
Deus non ſinit nos ſupra vires tentari. 535.c
Quid hæc petitio, Ne nos inducas in tentationem. 535.a,b
Quid eſt tentare Chriſtum. 533.b
Inter vetus & nouum Teſtamentū eſt mira cōſenſio. 75.c
Teſtimonium falſum dicere graue peccatum eſt. 637.a
Teſtis falſus tribus perſonis obnoxius eſt. 637.b
Optimè timor cum honore coniungitur. 328.c
Beatus eſt ille qui timet. 752.a,754.a
Inter Theologos eadem eſt ſententia cùm de fide agitur. 686.c
Theologicarum virtutum maxima Charitas. 602.a,b
Theophilus Alexandrinus corpora mortalia fore poſt reſurrectionem putauit. 653.c
Eccleſiaſticus theſaurus vnde conſtetur. 232.c
Torta azyma diuidebatur inter accumbentes ſecundùm eorum numerum. 564.c,d
Traiani præclarè dictum. 325.d
Transfigurari in Angelum lucis, quid? 791.b
Tribulationes eſſe fortiter tolerandas. 159.e
Tribulationes vtiles ſunt. 757.a
Quæ fuerint appellata tributa. 327.b
Tributum olim in vſum templi perſoluebatur. 327.c
Tres Trinitatis perſonæ enumerantur à D. Paulo. 579.b
Arrianus gradus in Trinitate collocat. 579.c
De Trinitate quid antiqui ſomniarint. 90.d,e
Trinitatem qui rationibus naturalibus probare contenderint. 90.e
Mercurius Triſmegiſtus Idololatra fuit. 91.d
Triſtitia & dolor pœnitentiam præuertit. 751.c
Triſtitia duo facit. 751.c
De tuba qua reſurgent mortui. 657.c
Cur tuba nouiſſima. 658.b

V.

de Vanitate humana. 93.b,c,d
De bonorum externorum vanitate. 740.b,c
Vanitas, homo interpretatur. 233.d
Varij ſancti in varias prouincias orbis miſſi ad prædicandum. 82.a
Quot fuerint olim vectigalium genera. 327.c
Plato neque caput neque pedes velandos docuit. 17.e
Explicatur ſatè, Velle adiacet mihi, perficere non inuenio. 210.e
Velleitas eſt frigida & inefficax cupiditas. 212.d
Velum erat ſuper cor Iudæoris in Teſtamento veteri. 707.d
Verbum Dei humana eloquentia ornamenta non requirit. 380.c
Corinthus ſupra cæteras vrbes Veneri dedita. 471.d
Phanum Veneris apud Corinthios locuples. 471.d
Fideles Verbum Dei ſtantes audire ſoliti olim. 620.b
Verbum abbreuiatum quod ſit. 269.d
Qui ſunt qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent. 88.c, 89.e
Qui verum ſemper dicit, etiam pollicendo veritatem colit. 123.b
Veritas mendacio antiquior. 613.e

Index rerum & verborum.

Dionyſius Archidami filiabus ſplendidas veſtes miſit,ſed recuſauit accipere,ratio. 493.b
Veſtimentum interdum ſumitur pro corpore. 724.a
Qui viam erranti non demonſtraſſet apud Athenienſes ſuberat deteſtationi. 442.a
Qui à tritа recedunt via ſæpe in deuiis offendunt. 125.c
Victima quid & vnde. 305.d
Duplex victoria per Chriſtum. 661.a
Viginti tria millia cæſa ob vitulum aureum. 533.d
In conſecratione vinum ſanguinem Chriſti, aqua populum ſignificat. 172.d
De virga quam Chriſtus prohibet diſcipulis. 18.c,a
Virga directionis Apoſtolis tradita fuit. 28.c
Virgo beata,prima omnium virginitatem vouit. 486.c
Virginitas frumento, nuptiæ hordeo, fornicatio ſtercori bubulo nuncupantur. 495.a
Quæ commoda Virginitatis & continentiæ. 491.b
Virginitas eò ſpectat vt animum à rebus humanis auocet. 493.e
De Virginibus,& virginum ſtatu. 486.b,c
Virginitatis felicitas. 493.a
D.Paulus de virginitate conſilium dat. 486.b
Deus virginitatis præceptum nullum dedit:ratio. 486.c
Virginitas bonum appellatur,& quare. 487.e
Virgines olim aperto capite incedere, matronæ velato ſolebant. 552.d
Quo tempore velum ſacrum Virgini imponitur. 557.b
+ *De B.Virginis prædeſtinatione.* 291.d
D.Virgo proximè ad Chriſti acceſſit gratiæ plenitudinem. 25.a
Diua Virgo Chriſti mater, & ſanctus Petrus à Chriſto ipſo baptizati ſunt. 25.a
B. Virgo innocentiſſima & integerrima à peccato fuit. 25.b
Quomodo vir ſit imago Dei ratione mulieris. 552.a
Viri alioqui clari fœda libidine infames. 97.c,d,98.b,c,d
Sancti viri dum ſuas laudes interdum narrant, Deum aliqua ratione imitantur qui ſe nonnunquam laudibus extollit. 805.e
Mulieris caput eſt Vir, viri Chriſtus, Chriſti Deus. 548.e
Quomodo intelligendum virum eſſe fœminæ caput. 549.a
Quomodo vir ſit gloria Dei, & vxor gloria viri. 552.c
Viri non debent orare in Eccleſia permixti mulieribus. 622.c
Quo ætatis anno viri & fœminæ procreare deſinant. 154.c
Non modò vacare culpa debemus, ſed etiam virtutibus præſtare. 737.c
Qui virtutem colit iuſtitiam retinet. 140.b,c
Virtus in infirmitate perficitur. 809.c
Virtus ex animo ſpectanda eſt. 759.d
Qui virtutem colunt,fructum vitæ,qui peccant fructum mortis pariunt. 199.b
Virtus ab inimicis etiam beneuolentiam extorquet. 789.d
Viſcerum nomen, amoris magnitudinem ſignificat. 753.c
De viſionibus. 801.a
Vitæ integritas & morum ſanctitas magnam Chriſtianæ doctrinæ auctoritatem conciliat. 737.b
Epicureorum de vita futura ſententia. 648.e
Inæqualitas humanæ vitæ ſuadet miſericordiam. 760.e
Vita in vitiis acta ſomnus eſt. 329.d
Gregorius hanc vitam,eſſe mortem appellandam. 717.c
Vita hæc eſt abſentia à Domino,futura eſt præſentia. 726.a
Chriſtianæ vitæ duo ſunt primò neceſſaria. 349.b
Vita noſtra ſimilis eſt Athletarum vitæ. 521.a,b,c
Quid vitandum in hoc mundo. 106.e
Vitia noſtra prius emendanda ſunt quàm aliena arguenda. 103.a
Multa ſunt vitiorum irritamenta. 218.a
Refutatur ſententia de conflatione vituli aurei ad ſignandum Cherubin qui arcam tegebat. 532.e
Optima viuendi ratio ex duplici capite commendatur. 416.d
Honeſtè & laudabiliter viuendum potius quàm diſertè & eleganter loquendum. 437.a
Viuere cum Chriſto quid ſit. 182.c
Vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt,permaneat. 481.c
Pauli modeſtia in dictione,vocatus,elucet. 74.b
Quid ſignificet Paulus cum dicit,vocatus. 74.d
De vocatione D. Petri. 14.d
Vocatio duplex. 240.b
Voluntas requiritur in bona & laudabili actione. 212.e
De voluntate Dei bona,beneplacente & perfecta. 307.c,d
Citra voluntatis aſſenſum nihil animam poteſt inquinare. 746.a
Voluntas æterna multis nominibus in Script. deſcribitur. 240.b
Voluntatum conſenſio laudatur in fidelibus. 431.b,c,d
Voluntas tribuitur rebus etiam inanimis. 234.a
Nulla capitalior corporis peſtis voluptate. 225.d
Non corpore conſtamus vt ventri & voluptatibus indulgeamus. 462.b
Terrenæ voluptates non debent à rebus diuinis auocare. 490.b
Cur vitandas voluptates Philoſophi exiſtimarent. 461.c
Voluptuoſos viros arboribus per præcipitia naſcentibus confert Diogenes. 225.d
Plus viua vox prodeſt quàm oratio. 541.a
Xenophon ait vxoris proprium eſſe domum gubernare & viro obtemperare. 552.b
Vxor à viro recedere non debet. 478.b,c
Vxor Clodouei Francorum regis maritum ad fidem adduxit. 481.d
Quæ ſit in vxorem ducenda. 492.c
Improbatur vxorum pluralitas. 197.d
Vir vxori debitum reddere debet. 473.c,d
De vxorum multitudine. 197.a,b,c
Vxorem vnam viris duobus permittebant Lacedemonij. 197.a,b
Vxori vir penitus addictus eſt,vxor viro. 473.d
Ioannes & Paulus,vxores non habuerunt. 786.d
Viuente priore vxore ſecundæ nuptiæ non conſtant. 197.c
Vultures vnguenti fragrantiam perhorreſcunt. 696.c

Z.

ZElotypia,quid? 785.b
Z Chriſtus,animæ ſponſus. 786.b
Zelus an ab inuidia diſtinguatur. 274.c

Finis Indicis rerum & verborum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA